

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VI
99
1

+5002 998 01

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

(VINCENT DE BEAUVAIS)

SPECULUM QUADRUPLEX

SIVE

SPECULUM MAIUS

NATURALE / DOCTRINALE
MORALE / HISTORIALE

1964

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

SPECULUM MORALE

1964

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

25
phil c
82602
s 741

96.163

VI

9g

1

5.002.998.01

Photomechanischer Nachdruck der
Akademischen Druck- u. Verlagsanstalt
Graz/Austria

Printed in Austria
238.64

Philos. Institut
der Universität
Düsseldorf
68/373

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

BIBLIOTHECA MVNDI.

SEV

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII BVRGVNDI

PRÆSVLIS BELLOVACENSIS,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

THEOLOGI AC DOCTORIS EXIMII,

TOMVS TERTIVS,

QVI SPECVLVM MORALE INSCRIBITVR:

In quo totius Philoſophiæ moralis integrum Syſtema, & THESAVRVS incomparabilis exhibetur.

Omnia nunc accuratè recognita, diſtinctè ordinata, ſuis vnicuique autori redditis exactè ſententijs; ſummarijs præterea & obſeruationibus, quibus anteà carebant, illuſtrata.

Operâ & ſtudio Theologorum BENEDICTINORVM Collegij VEDASTINI in Alma Academia DVACENSI.



DVACI,

Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo.

ANNO M. DC. XXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1. IN QVO CONSISTAT PERFECTIO.

S. Auguſtinus in Pſal. 56.

FINIS EST CHRISTVS. QVARE DICTVS EST FINIS? non qui conſumat, ſed qui conſummet: conſumere enim, perdere eſt; cõſummare, perficere. Finis ergo propoſiti noſtri Chriſtus eſt, quia quantumlibet conemur, in illo perficimur, & ab illo perficimur: & hæc eſt perfectio noſtra ad illum peruenire; ſed cùm ad illum perueneris, vltrà non quæris; finis tuus eſt. Quomodo enim finis viæ locus eſt, quò tendis; quò cùm perueneris, iam manebis: ſic finis ſtudij tui, propoſiti tui, conatus tui, intentionis tuæ ille eſt, ad quem pertendis; ad quem cùm perueneris, vltrà nil deſiderabis, quia melius nihil habebis.

2. MEDIVM OPTIMVM AD PERFECTIONEM.

S. Bernardus, ſerm. 53. in Cantica.

IN veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuo reuertetur; & hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Cùm adeſt, time ne non dignè opereris ex ea: nam hoc monet Apoſtolus, *Videte*, inquiẽns, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quid ſi receſſerit? Plane multo magis tum timendum, quia vbi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quid gratiæ dator dicat, *Sine me*, ait, *nihil poteſtis facere*. Time ergo ſubtracta gratia, tanquam mox caſurus. Time & contremiſce, Deo tibi, vt ſentis, irato. Iam ſi gratia repropitiata redierit, multo amplius timendum, ne fortè contingat recidiuum pati, iuxta illud in Euangelio, *Ecce ſanus factus es, vade, & iam amplius noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat*. Beatus es, ſi cor tuum triplici iſto timore repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amiſſa, longè plus pro recuperata. Hoc fac, & eris hydria in Chriſti conuiuio impleta vſque ad ſummum, continens nimirum metretas non binas tantùm, ſed & ternas, vt Chriſti merearis benedictionem, qui aquas tuas conuertat in vinum lætitiæ, & perfecta charitas foras mittat timorem.

REI-

3. REIPSA, NON VERBIS PHILOSOPHANDVM.

QVid iuuat immenſi ſinuoſa volumina mundi
Syderáq; in vaſtis irrequieta rotis,
Et maria innumeris ſpectare tumentia monſtris,
Telluríſq; amplos te peragraſſe ſinus:
Si quibus officijs Numen ſublime colatur,
Neſcis, & in propria ſis peregrinus ope?
Primum quære Deum; tum te virtutibus orna:
Catera ſcis, neſcis; eſſe perinde ſcias.

Periocha Speculi Moralis.

EA quæ S. Thomas in 2. parte Summę diffusè tractat per quęſtiones, aut hoc contraxit ad inſtitutum concionum, additis, vbi videbatur commodum, ſententiis, exemplis, & conſiderationibus ad vitam piè formandam idoneis. Itaque agit

1. De operibus humanis: lib. 1. parte 1. diſtinct. 1. 2. 3. & 4.
2. De paſſionibus, lib. 1. parte 1. diſtinct. 5. ad finalem, quę eſt 33.
3. De legibus & gratia: lib. 1. parte 2. per diſtinctiones 15.
4. De virtutibus Theologicis & Cardinalibus: lib. 1. parte 3. ad diſtinctionem vſque 104.
5. De donis & fructibus, & beatitudinibus: lib. 1. parte 4. per diſtinct. 23.
6. De quatuor nouiſſimis: lib. 2. parte 1. De Morte, parte 2. De finali Iudicio, parte 3. De Inferno, parte 4. De Gloria.
7. De peccatis in genere, nempe de pręſeruatiuis, lib. 3. parte 1. & de multiplicitate & grauitate ipſorum: parte 2.
8. De ſeptem vitiis capitalibus in ſpecie: lib. 3. parte 3. vſque ad 9.
9. De pœnitentia, qua purgamur à vitiis: lib. 3. parte 10. per diſtinctiones 39.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS

TOMVS TERTIVS,

SPECVLVM MORALE NVNCVPATVS,

IN TRES LIBROS DISTINCTVS, QVI ET IPSI IN PARTES, ET DISTINCTIONES SVBDIVIDVNTVR.

DE OPERIBVS HVMANIS.

De operum humanorum neceſsitate.

DISTINCTIO PRIMA.



IN omnibus operibus tuis memorare noniſsima tua, & in æternum non peccabis. Eccle. 7.

Per peccatũ homo fuit grauiter vulneratus, præcipuè in tribus.

HVMANVM genus tria incommoda per peccatum primi hominis incurriſſe; non tam legimus in ſcripturis, quàm ſenſibiliter experimur in nobis; videlicet, difficultatem ad bonum agendum; imprudentiam ad futura præuidẽdum; & pronitatem ad peccandum. Quia per peccatũ fuit homo viribus eneruatus, ſenſibus obſcuratus, & actibus deprauatus. Iuſtè quidem homo recedens ab omnipotente Deo, decidit in impotentiam: Recedens à ſummè ſapiente, amiſit ſapientiam: Recedens à ſummè bono, perdidit innocentiam. Ab his tribus malis omnia mala ſuam originem ſortiuntur.

Remedium contra prædicta eſt ponere cõtinuò ante oculos noniſsima.

DEVS autem infinitæ miſericordiæ, & pietatis immenſæ, per ſapientiam diuinitus inſpiratam, contra tria præmiſſa dat nobis perpulcherrimum documentum, ſaluberrimum hortamentum, fideliſſimum conſilium, & efficaciſſimum remedium, dicens ita; *In omnibus operibus, &c.* Primo namque excludit negligentiam: Secundo ſuadet prouidentiam: Tertio promittit hominem per hoc ad innocentiam reformari. In primis igitur excludit negligẽtiam, ſupponens opera meritoria, cum dicit: *In omnibus operibus tuis.* Ex vi quippe ſermonis, & ex ipſo modo loquendi oſtendit vnumquemque fidelem non debere ocioſum eſſe, nec pigrum, ſeu negligentem, ſed ſtrenue operantem. De homine in ſtatu innocentiæ dicitur, Gen. 2. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*: Sed hæc operatio eſſet ei ſine fatigatione, tædio, & dolore. Eidẽ verò poſt lapſum dictum eſt. *Quia comediſti de ligno, ex quo tibi præceperam, ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis die-*

Homo ſemper debet eſſe in opere.

A *bus vitæ tuæ.* Sequitur. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Et Iob 5. dicitur. *Homo ad laborem naſcitur, & auis ad volandum.* Secundo hortatur Sapiens ad prouidentiã cum dicit: *Memorare noniſsima tua.* In his enim præcipuè conſiſtit, vel damnationis periculum, vel procuratio ſalutis. Ideo attentiſſime hortatur idem Sapiens, Eccle. 38. *Memento noniſsimorum, & noli obliuiſci.* Tertio promittit innocentiam, cum dicit: *Et in æternum non peccabis.* Cum ſumma diligentia conſideret vnuſquiſque quàm fidele conſilium, quàm ſalubre documentum. O conſilium nulla ratione ſpernendum! O documẽtum nulla obliuione delendum! ſed potius cum ſummo ſtudio, ſumma cura & ſollicitudine, pro viribus adimplẽdum. Docet enim hominem ad puritatem innocentiæ reformari, per exercitium bonorum operum, & circumſpectã B præuidentiam noniſſimorum. Ad hoc etiam hortatur paſtor Eccleſię Petrus, 2. Pet. 1. *Fratres magis ac magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ait ergo Sapiens: *In omnibus operibus tuis memorare noniſsima tua, & in æternum non peccabis.*

Prouidentia requiritur in homine aſpirante ad innocentiam.

In opere virtuoſo quatuor conſideranda.

AD excludendam igitur negligẽtiam, quæ mater eſt omnium vitiorum, debemus nos in exercitio virtuoſorum operum vtiliter occupare. Et circa hoc conſideranda ſunt quatuor. Debet enim vnuſquiſque diligenter inſpicere genus, & ſpeciem ſuæ operationis. Secundo modum, & ſeriem ſuæ executionis. Tertio fructum, & finem ſuæ intentionis. Quarto ortum, & originem omnis noſtræ motionis.

Opera quæ debemus facere.

IN primis igitur cõſideranda ſunt opera, quæ facere C debeamus. Sicut inquirunt Iudæi à Domino, Ioan. 6. dicentes: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Quibus ille reſpondit. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis.* Hoc eſt primum principium operandi, & fundamentum primariũ omnis boni, videlicet fides; ſuper quo videat vnuſquiſque, quomodo, & quæ ſuperædificet. Debemus autem operari opera pœnitentiæ, peccatorum flagitia expiando: Opera miſericordiæ, proximorum miſerias releuando: Opera ſapientiæ, cęleſtia contemplando: Opera perfectæ iuſtitiæ, diuina conſilia adimplendo.

Cur opera anxietis agere debet homo.

PRIMA opera noſtra debent eſſe opera pœnitentiæ. Quia namque *non eſt homo qui non peccet.* Sicut dicitur 3 Reg. 8. Et 1. Ioã. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Iob quoq; di-

cit. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Ideo necesse habemus agere pœnitentiã. Ait enim beatus Ioannes Baptista, Luc. 3. *Genimina viperarũ quis ostendit vobis fugere à venturaira?* Respondit autem. *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Signãter dicit. *Dignos fructus pœnitentiæ.* Neque enim par debet esse pœnitentia eius, qui multum peccauit, & eius qui pauciora peccata commisit, vel eius qui grauiora, & eius qui minus grauia perpetrauit. Item Saluator ait, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Ecc. 2. *Nisi pœnitentiam egerimus incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* Exhortans autem Dominus ad pœnitentiam, dicebat. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Item Apoc. 2. *Memento, vnde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac.* Aduerte quod sicut pius pater filium contumacem corripiens aliquando ostendit ei mala quæ fecit, vt erubescat; bona quę perdidit, vt doleat; mala, quæ meruit, vt timeat; & sic per diuersas vias ipsum reuocare laborat. Sic pius Dominus diuersis modis vtitur, vt peccatorem ad pœnitentiam salutarem reducat. Nam aliquãdo obijcit ei grauitatem, & vilitatem flagitij quod commisit. Sicut dicitur Hier. 2. *Vide vias tuas in conualle, scito quid feceris.* Aliquando reducit ei ad memoriam, vilitatẽ status in quem incidit. Sicut dixit Adæ Gen. 3. *Adam vbi es?* Et Hiere. 3. *Leua in directum oculos tuos, & vide vbi nunc prostrata sis.* Aliquãdo proponit ei pœnã quam meruit. Sicut patet in verbis Beati Ioan. & Domini superius annotatis. Et Gen. 4. *Dixit Dominus ad Cain, Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra;* petens videlicet vltionem. Nonnunquam etiam ad mentem eius reuocat honorem, & bona, quę per peccatum amisit, vel dignitatem status, à quo decidit: Sicut Apoc. 2. *Memento, vnde excideris*, q.d. Memento, quia statum innocentiæ perdidisti, & à dignitate gratiæ corruisti, & ideo age pœnitentiam, vt & perdita recuperare, & ad pristinam dignitatẽ resurgere, & debitas pœnas euadere, & ad promissa præmia valeas peruenire. Sequitur. *Et prima opera fac.* Prima inquam .i. præcipua, vel prima, quæ antequam peccatum committeres facere debuisti.

Exempla pœnitentiæ.

EXEMPLA pœnitentiæ habemus in Petro, & Paulo, qui sunt prȩcipui fundatores ecclesiæ. In Magdalena Euangelica peccatrice. In Dauid, & Ezechia, Regibus. In Niniuitis etiam, de quibus dicitur Ionæ 3. *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala. Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus est, vt faceret eis, & non fecit.*

Fructus ac effectus pœnitentiæ.

NOTA igitur, quod per pœnitentiam, macula peccati diluitur; reatus absoluitur; offensa diuina remittitur, reconciliatur Deo; restituitur ecclesiæ; de filio diaboli, filius Dei efficitur; Paradisus appetitur. Hęc est quæ impium iustificat, Angelos lætificat, amissa bona recuperat. Vnde Bern. ait, *O fœlix pœnitentium humilitas, ô beata spes confitentiũ, quam facile vincis inuincibile, quàm cito tremebundum iudicium conuerteris in pijssimum patrem.*

Opera charitatis & misericordiæ agere debet homo.

SECVNDO debemus agere opera charitatis, & misericordiæ. Sicut pulchrè docemur Luc. 10. Cum enim quidam legisdoctor inquisisset à Domino, *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit. *In lege, quid scriptum est? Quomodo legis?* Qui ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum, sicut teipsum.* Et ait illi Dominus. *Hoc fac & vives.* Ille rursum quæsiuit. *Et quis est meus proximus?* Cui respondens Dominus, proposuit parabolam de misero, qui incidens in latrones, spoliatus, atrociter vulneratus, & semiuiuus relictus, à sacerdote prius, & postmodũ à Leuita transeuntibus non adiutus, tandem à Samaritano viscerosa pietate permoto, vulneribus illius vinum, & oleum infundẽte, & ea dulciter alligante, impositus est in iumento, & inductus in stabulum, studiosè stabulario commendatus est. His præpositis interrogauit Dominus: *Quis horum tibi videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* At ille dixit: *Qui fecit misericordiam in illum*: Et ait illi Iesus: *Vade, & tu fac similiter.* Ecce ad quæstionem primã: Quid faciendo vitam æternam possidebo? præmissum

Exẽ te charitatis procedit misericordia & ietas.

A est documentum de dilectione Dei, & proximi, & orline consequenti subiunctum hortamentum, de operibus misericordiæ faciendis. Nam de fonte charitatis debẽt procedere riuuli pietatis, aliàs nullius essent meciti, vel virtutis. Sicut ait Apost. 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Propter quod bene iunxit Apostolus illa duo, dicens. Hebr. 13. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuiscì. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Moueat ergo te dilectio Dei, & compassio miserię proximi, ad exhibendũ opera pietatis secundum exigentiam necessitatis.

Opera misericordiæ quæ.

HÆC autem opera sunt, nudum vestire, esurientem reficere, sitientem potare, infirmum visitare, peregrinũ B in domo recipere, captiuum redimere, mortuum sepelire & multa talia, secundum quod innumerabilia sunt incommoda pauperum & miserabilium personarum. Ad hæc opera pietatis tenetur quilibet saltem compassionis affectu, vel si adsit facultas etiam miserationis effectu. Vnde 1. Tit. 6. dicit Apost. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarũ: sed in Deo viuo, &c. bene agere, diuites fieri in operibus bonis; facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* De misericordia latius inuenies infra lib. 2. vbi agitur de beatitudinibus.

Opera sapiẽtia agere debet homo.

TERTIO debemus agere opera sapientiæ, loquendo de vera & salutari sapientia, quæ dicitur à sapore. Cõsistit hæc sapientia non tantum in speculatione veritatis; sed potius in quadã degustatione sapida bonitatis, C & etiam in operatione feruida sanctitatis. Est autẽ speculatio in cogitando, studendo, audiendo, legendo ea, quæ ad honorem, laudem, & gloriam Dei pertinent, animęq; salutem. Degustatio autem non in plena fruitione consistit: sed in quadàm prælibatione, ac tenui saporatione diuinæ dulcedinis, prout potest vel modicũ attingere humana fragilitas pro modulo suo, & pro statu miseriæ præsentis, qua peregrinamur à Domino, & detinemur exules in hoc mundo. Hæc degustatio quantũcunq; sit modica, excedit omnes delitias huius mundi, & omnem delectationem, quæ in creatura quacunq; valeat inueniri. Facit etiã omnia carnalia despici, omnia, terrena, seu temporalia vilipendi; ac sicut ait expertus Apostolus, Philip. 3. *velut stercora reputari*, facit D nihilominus spiritualia diligi, ac tota mente, totisque prȩcordijs cœlestia cõcupisci. Nec sufficit subtilis speculatio intellectus, & degustatio affectus, nisi sequatur perfectę operationis effectus. *Sed qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Iac. 1. De hac Sapientia dicitur Sap. 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum illa*, s. Sapientia. *Non enim habet amaritudinẽ conuersatio illius; nec tædium conuictus illius: sed lætitiam, & gaudium.* Sequitur. *In amicitia illius delectatio bona, & in operibus illius honestas sine defectione.* Rursus Eccl. 24. Sapiens introducit sapientem sic loquentem. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient, qui audit me nõ confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebũt.* Si præmissa verba quis seriose vellet exponere, paucis verbis non posset ad eorum indaginẽ peruenire.

Modica degustatio cælestium excedit omnes diuitias huius mundi.

Opera sapiẽtiæ.

DE SAPIENTIA inuenies multa infra lib. 2. Nunc autem sufficiat opera sapientiæ sub breuitate tãgere: quia hoc est, quod à principio proposuimus & promisimus declarare. Sũt autem opera sapientiæ, doctrinã veritatis diligenter audire; exhortationes vtiles ardenter accipere; correctiones libẽter, & vtiliter sustinere; audita memoriter retinere; memoriæ commendata, operibus exercere; vigilanter studere; libros sacros studiosè perlegere; non studendo transcurrere; sed frequenter in memoria ruminare; in studio, nõ verba, sed sensũ & fructũ requirere, falsitates abijcere, vanitates cõtemnere, cu-

riositates

riositates vitare, veritatem inquirere; in dubijs peritos consulere; consulta discutere; Dei voluntatem & mandata perquirere; meditationes sacras amare; audita, lecta, seu etiam cogitata memoranda digerere, nihil per surreptionem agere, nihil temerè iudicare, verba cum debita maturitate proferre; vitam suam & mores seriosius ordinare; subiectos piè, & iustè regere; errata corrigere; errantes reducere; peccantes arguere; pœnitentibus indulgere; defectus aliorum nō culpabiles benignè supportare; hæsitantibus consulere; desolatis solatium exhibere. Quicūque sic fecerit, hic beatus in facto suo erit. Bene ergo dicit Sapientia: *Qui operantur in me non peccabunt*, Eccles. 24.

Iustitia in quatuor consistit.

QVARTO debemus habere opera perfectæ iustitiæ, quæ consistit in quatuor. Primū est abdicatio mundialiū facultatum. Secundum est aspernatio carnaliū voluptatum. Tertium est humilitas obediētiæ. Quartum est strenuitas patientię. De primo Prou. 12. *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm glorioſus & indigens pane.* Et bene iungit Sapiens ista duo scil. pauper & sufficiens. Quia qui satis est quod habet, satis illū constat habere. Vnde dicit Sen. quod maximæ diuitiæ sunt paupertas cum sufficientia. Sicut dicitur Tob. 5. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitiæ cōputarentur.* Ista est vita lætissima, securissima, dulcissima, & perfecta; maximè quando vita talis eligitur; amatur; & sufficit propter Deum. Ideo dicitur Eccl. 40. *Vita operarij sufficientis sibi condulcabitur, & in ea inuenies thesaurum*, scilicet bonorum spiritualium, secundum illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes*, &c. Sequitur: *Et habebis thesaurum in cælo.* Item Iac. 1. *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis*, i. paupertatis, quæ verè libera est, & *permanserit in ea non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.*

Abdicatio diuitiarum.

Contemptus voluptatum.

DE SECVNDO. s. aspernatione carnalium voluptatū, dicitur Eccl. 24. *Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo*, i. corpori. Huius auctoritatis expositionē require infra dist. seq. Sanè victus austeritas requiritur in omnibus, qui volunt illibatam pudicitiam obseruare, & corporis sui membra in sancti Spiritus tēplū dedicare. Sicut ait Apostolus infra 1. Cor. 6. *Nescitis quod membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Ideo Dauid volens templum ædificare, vel expensas præparare dicebat. 1. Paral. 29. *Opus grande est, nec homini præparatur habitatio, sed Deo.* Et Nehæmias ędificās ciuitatem Hierusalem dicebat: Opus grāde ego facio, & non possum descendere, scilicet ad secularia negocia, vel ad carnalia desideria adimplenda.

Humilitas obedientia.

DE TERTIO, scilicet de humilitate obedientiæ dicebat verus obediens, & totius humilitatis & obedientiæ speculum & exemplar. Ioan. 9. *Me oportet operari opera patris mei.* Idem 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, vt perficiam opus eius.* Et ideo religiosis obedientiæ dicitur. Ioa. 8. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ambr. *Cuius opera quisque facit, eius filius vocatur.*

Patientia strenuitas in operando adhibenda est.

DE QVARTO, scilicet de benignitate patiētiæ sciēdum, quod nō sufficit bene se habere in prosperis, nisi strenuè, ac fortiter se habeat in aduersis; nec in trāquillitate bene agere, & in tentatione succumbere, vel in tribulatione deficere. Nam per increpationē dicit Dominus de quibusdam, qui cum gaudio suscipiunt semē bonūm. i. verbum Dei; sed orta persecutione propter verbum, deficiunt. *Hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8. *Omnes autem qui piè volunt viuere, in Christo Iesu persecutionem patiuntur*, ait Apostolus. 1. Tim. 3. Ideo necessariū est nobis agere, sicut faciebant illi, qui de captiuitate reuersi, in angustia temporis in hostium suorum medio reædificabant Hierusalem: De quibus dicitur, quod *vna manu opus faciebant, & altera tenebant gladium.* Nehæ. 4. Sane patientes esse debemus, quis patientia reddit hominem perfectum in statu gratiæ, sicut dicitur Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quia tribulatio patientiam operatur*: *Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo defi-*

A *cientes.* Item cumulat præmium in statu glorię; Sicut ait Apostolus. 2. Cor. 5. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pōdus operatur in nobis.* Ecce aduerte; quod leuissimum est in passione, maximum est in remuneratione; & quod breuissimum est, immo momentaneum in tempore; fit æternum in duratione.

De Operum serie.

DISTINCTIO II.

Quomodo exequenda sunt bona opera.

POstquam declarauimus genus, & speciem nostræ operationis. Nunc videamus modum, & seriē nostræ executionis. Circa quod sciendum est, quòd debemus inchoare celeriter sine dilatione, laborare fideliter ex dilectione, continuare viriliter sine defectione, consummare humiliter sine elatione.

B

Inchoandum celeriter ob temporis breuitatem.

DEBEMVS igitur inchoare çeleriter propter tēporis breuitatem: Breuissimum est omne tempus quo viuimus. Sapient. 2. *Exiguum est & cum tædio tempus vitæ nostræ.* Ideo excitat nos Dominus ad celeriter operandum dicens, Ioan. 9. *Operamini dum dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Et Apostolus Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Non potest bonam dietam facere, qui mane non surgit. Irridendus esset qui tunc veniret ad opus, quando tempus esset de opere exeundi, tunc seminaret quando esset metendum. Ideo Sapiens Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua instanter operare; quia nec opus ad merendum, nec ratio ad excusandum, nec sapientia ad sapide contemplādum, nec scientia ad euadendum erunt apud inferos, quo tu properas.* Nota quod fatuus esset homo, magnum opus habens agere, & tempus breue, si non festinaret, sed iaceret in lecto vsque ad vesperam. Nos autem opus permaximum habemus agere, vnde quilibet vestrum posset dicere illud Nehæ. 6. *Opus grande ego facio, non possum descendere, ne forte negligatur opus.*

C

Simile.

Inchoandum celeriter propter securitatem.

ITEM celeriter inchoare debemus propter securitatem. Aug. *Si vita breuis fuerit, expedit vtique quod bona sit, si autem vita longa fuerit, melius est, quod bona sit.* Si multum haberes de frumento, vino vel oleo, velles quod totum esset bonū, & doleres si pars aliqua esset corrupta. Aug. *Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam habere, vt inter omnia bona tua tu solus sis malus, nūquid plus diligis res tuas quàm te?* Talis iniquus est sibijpsi dum plus vult se malum esse, quàm bonum, infirmum, quàm sanum, mortuum, quàm viuum, seruum, quàm liberum, nihil habentem, quàm bonorum omnium participem. Propter securitatem habendam, ait Sapiens Eccle. 11. *Mane semina semen tuum, & vespere ac cesset manus tua, quia nescis, quid horum magis oriatur. Si autem vtrumque simul, melius erit.* Auis videns sagittarium arcum extentum cum sagitta tenentem, non expectat ictum sagittæ, sed euolat, sed homo fatuus expectat ictum mortis. Contra quod ait Psalmista, Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis*; ita cito moritur vitulus sicut vacca, ita cito frangitur vas nouum sicut vetus, & citius amputatur arbor iuuenis, quàm antiqua. Securius est malū passum vitare, quàm eum cum difficultate transire. Quia sicut ait Sap. Prou. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*; & securius est laqueos euadere, quàm sese magis ac magis fortius irretire. Dicit autem Sap. Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et secutius est in principio ægritudinis medicinam quærere, quàm vsq; ad extremum vitæ terminum expectare. Ideo dicit Sapiens Eccle. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*, lepra inueterata, & gutta inossata curari non possunt. De impio autem dicitur Iob. 20. *Ossa illius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ.*

D

Simile.

ITEM celeriter inchoare debemus propter assuefactionem, vt in ætate tenera caro dometur, vt discat sustinere labores. Equi, canes, vrsi, in iuuentute docentur ludere, & omne bestiarum genus domabile, in iuuentute domatur. Equus, qui diu consueuit trotare, nunquam postea doceri potest aliter ambulare, sic & pueri

E

in ętate tenera docendi ſunt, & in virtutum operibus exercendi. Quia ſcriptum eſt Prou. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*, canis vetus non poteſt teneri in vinculo. *Si poteſt Æthyops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas;* & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Ierem. 13. Deſiderant omnes, & ſperant bonum finem habere, cum totam vitam malam habuerint, dicentes cum Balaam, moriatur anima mea morte iuſtorum, ſed iſta duo non conſonant. Ideo ſeni impijſſimo iudici, dixit Dan. 42. Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius. Quanto diutius fuit in ferro rubigo, tanto vehementius intimatur, & ſemper magis ac magis corrodit ferrum, & inde difficilius eradicatur, & ſordes diu derelictæ in vaſe difficilius amouentur.

Simile.

Sic quanto diutius fuerit quis malis moribus aſſuetus, B
tãto ab eis difficilius euelletur, quia iniquitates ſuæ capiunt impium, vt dictum eſt, ac ſemper fortius detinẽt alligatum. Vnde Anſel. de ſeipſo dicit, in libro confeſſi. *Tenebar non in alieno ferro, ſed mea ferrea voluntate.*

Inchoandum celeriter ob meritorum augmentum & diuinam acceptationẽ.

ITEM celeriter inchoare debemus propter meritorum augmentum, & diuinam acceptationem. Quoniã qui citius incipit, & diutius operatur, & plura merita congregat, & opera in iuuentute facta gratiora ſunt Deo, fructus iuuenis plãtulæ dulciores ſunt, & fructus primitiui temporis cariores, vnde Micheæ. 7. ait Dominus. *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* Et in lege præcepit ſibi offerri omne primogenitum, & primitias frugum terræ, & omnium fructuum. In ſignum, & documentum, quod homo de flore iuuentutis ſuæ debet

Simile.

offerre Deo non de fece: ſtultus eſſet, qui Dominum C
ſuum cibare vellet de pane corrupto, & de furfure vitæ ſuæ; potare de fecibus vini ſui, vel exenium ei facere de pomis corruptis, & alijs fructibus putrefactis. Ideo cõqueritur Dominus Malach. 1. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum, vel languidum, nonne malum eſt?* Si quis per totam vitam ſuã Dominum ſuum nequiter impugnaret, & poſtmodũ confectus ſenio, ſeruitium ſuum ei offerret, Dominus non multum gratanter acciperet, debemus ergo deferre Deo opera pręclara, & electa, quia ſcriptum eſt Eccle. 18. *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, in illo peribit. Omne opus electũ iuſtificabitur, & qui illud operatur honorabitur in illo.* Et ſic patet primum propoſitũ, videlicet, quod opus noſtrum debemus inchoare celeriter.

In incepto laborandum

SECVNDO in incepto debemus laborare fideliter. Fideliter laborat, qui operatur ex affectione amoris. Amor enim facit opus meritorium apud Deum, propter quod dicit Apoſtolus Romano. 8. *Diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum.* Omnia igitur opera veſtra in charitate fiant. Sicut hortatur Apoſtolus. 1. Corinth. 14. Vt in omnibus mereamur. Ait etiam Galata. 5. *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque prępucium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Attende quã pulchra ſocietas fidei, charitatis, & operis. Fides enim eſt bonorum omnium primarium fundamentum. *Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. 11. Fides autem ſine charitate non valet. Sicut ait Apoſtolus. 1. Corin. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero nihil ſum.* Fides etiam ſine opere non valet. Sicut

fideliter.

Pulchra ſocietas fidei, charitatis & operis.

docet Apoſtolus Iaco. 3. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Ita non valet opus, niſi fiat ex charitate, Sicut docet Apoſtolus. 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Similiter nec charitas ſufficit ſine opere, ſicut ait Greg. *Amor Dei nũquam eſt ocioſus, operatur enim magna ſi eſt, ſi autem renuit operari amor non eſt.* Ideo dicit B. Io. 1. Ioã. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Operatio ergo exterior meritum habet ex interiori affectione. Affectio verò probatur ex operatione, ſicut arbor cognoſcitur ex fructu, vita ex motu, ſemen ex germine, lapis precioſus non ex colore, ſed potius ex virtute, & virtus

A medicinæ ex ſanatione. Quia verò charitas primo, & principaliter facit hominem charum Deo, per conſequens facit opus eſſe meritorium, nec opus poteſt placere Deo, niſi prius placeat operator. Ideo beatus Ioãnes, epiſt. 2. ſalubriter exhortatur, dicens: *videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis.*

ITEM fideliter laborat, qui operatur ex intentione honoris diuini, id eſt qui omnia facit propter honorem Dei. Sicut docebat Apoſtolus Coloſſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Ieſu Chriſti facite;* Et infra, *Quodcunque facitis ex animo operemini, ſicut Domino, & non hominibus.* Et Matth. 5. dicitur, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Sic igitur patet, quod operari debemus propter Dei gloriam, ſalutem propriam, ædificationem, & exemplũ proximorũ. Ideo dicit Apoſtolus Hebr. 10. *Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.*

Opera viriliter continuãda.

TERTIO debemus opera noſtra viriliter cõtinuare. Nam operarius in vinea non meretur in ſero mercedẽ accipere, ſi negligẽter, & pigre operetur. Dicitur enim Ierem. 48. ſecundum vnam litteram. *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.* Viriliter, & conſtanter laborãt operarij, quando cogitant, quod cito erit hora dimittendi opus, & magnam expectant mercedem. Nam conſideratio mercedis minuit vim laboris. Ideo dicit Apoſt. 1. Corinth. 15. *Fratres mei ſtabiles eſtote, & immobiles in omni opere bono ſemper ſcientes, quia labor veſter non eſt inanis in Domino.* Attende, quod plus diligit paterfamilias operarium, qui tardè veniens ad opus viriliter operatur, quam illum qui cito veniens remiſſius operatur,

Simile.

ſicut & dux exercitus plus diligit militem, qui fugit in principio, ſed poſtmodum rediens conſtanter pugnat, & ſtrenue; quàm illum qui nunquam fugit, nec vnquã ſtrenui militis opus egit. Nam, ſicut ait Dominus, Lucæ 15. *Maius gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Timeant ſibi negligenter agentes, & tepide, ne de ore Domini velut abominabiles euomantur Quia ſcriptum eſt Apoc. 3. *Quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo.*

Opera humiliter conſummanda.

QVARTO debemus opera noſtra conſummare humiliter. Sanè humiliter operari, & de operibus noſtris humiliter ſentire debemus, quia plura mala, quam bona facimus, & quia ſiqua bona facimus tantæ indeuotioni permixta ſunt, quod non multum poſſumus gloriari. Ideo Pſalmus 38. *Imperfectum meum viderunt oculi tui,* & Iſa. 64. *Quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ,* & quia bona, quæ agimus, non à nobis quaſi ex nobis ſunt, ſed à Deo, Sicut ait Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Et Apoſtolus Phil. 1. *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* Et ipſa veritas, ait Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Ergo quia à Deo ſunt opera noſtra, necnon & ipſa voluntas operandi, & ſecundum gratiam nobis datam, & frequenter oblatam nobis à Deo, negligẽnter, & non ſatis fideliter operamur, ideo non nobis, ſed Deo debemus gloriam attribuere. Cæterum, quia plerũque putamus bonum opus eſſe, quòd malum eſt; & meritorium eſſe, quod non eſt; vel maioris eſſe meriti apud Deum, quam ſit: ideo in

D

E

ſingulis operibus noſtris ſi diligenter conſideremus, non gloriari, ſed potius formidare debemus, propter quod dicebat Iob. 9. *Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parceres delinquenti.* Et ſapiẽs ait Eccleſiaſtici 10. *Noli extollere te in faciendo opere tuo.* Beatus quoq; Paulus Philip. 2. admonet, dicens: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Opera ad finem perducenda.

DEBEMVS autem opera noſtra conſummare, & ad finẽ vſq; perducere. Videmus enim, quòd omnis artifex cum opus aliquod ſuæ artis incæperit, non ceſſat donec illud ad complementũ perduxerit. Sicut oſtẽdit ſapiẽs in multis exemplis, dicens Eccleſiaſtici 38. *Omnis faber, & architectus, qui noctem, tanquam diem tranſigit, cor ſuum dabit ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus. Sic ferrarius ſedens iuxta incudem, & conſiderans opus ferri,*

cor ſuum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cor ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit in perfectionem. Sic figulus ſedens ad opus ſuum, qui in ſollicitudine poſitus eſt, ſuper opus ſuum, & innumera eſt omnis operatio eius. Eodem modo poteſt induci in omnibus aliis. Et ſicut ait Dominus Matth. 10. & 24. Non qui bene cæperit, ſed *qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Sine perſeuerantia namque, nec opus meritum habet, nec labor præmium, nec curſus brauium, nec ſeruitium gratiam, nec pœna quantumcumque afflictiua, coronam. Sicut patet in legenda 40. martyrum de illo, qui cucurrit ad balneum, & ibi deficiens coronam perdidit præparatam: perſeueremus ergo in bono opere, quod cæpimus, exemplo Domini, de quo dicitur Deut. 22. *Dei perfecta ſunt opera.* & de ſeipſo dicit Ioan. 17. *Opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt facerem.* Et tunc ſequitur. *Et ego ad te venio.* ecce ergo Dei filius non peruenit ad Patrem, niſi noſtræ ſalutis opere conſummato. In quo loco clarius nobis oſtenditur, quod nos multo minus ad partem gloriæ peruenire poterimus, niſi in bonis operibus perſeuerantiam teneamus. Vnde Iudæis perfidis deſcenſum de cruce Chriſto ſuadentibus, dum operabatur ſalutem in medio terræ, nullatenus acquieuit, ne noſtræ ſalutis opus relinqueret imperfectum. Vnde Ber. *Dolebat ſane venenati ſerpentis aſtutia exaltatum in deſerto ſerpentem æneum, cuius intuitu animarum noſtrarum vulnera ſanabantur; eo quippe tendebat malitioſa perſuaſio, non vt perfidi Iudæi crederent, dicentes: ſi rex Iſrael eſt deſcendat nunc de cruce, & credimus ei, ſed vt noſtra quoque ſi quę eſſet in eum fides, modis omnibus deperiret. Legentes enim Dei perfecta ſunt opera, quomodo illum fateremur Deum eſſe, qui noſtræ ſalutis opus reliquiſſet imperfectum.* Nos quoque ſi ſequi volumus caput noſtrum, non ceſſemus agere pœnitentiã, non ceſſemus tollere crucem noſtram, perſeuerantes in ea, ſicut ipſe perſeuerauit. Fiduciam habentes in Domino, quod qui cœpit in nobis opus bonum perficiet: Sicut ait Apoſtolus Petrus 1. Pet. 5. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam gloriam ſuã in Chriſto Ieſu modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque, ipſi gloria, & Imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

De operum fine & fructu.

DISTINCTIO III.

Quatuor motiua ad operandum.

POSTQVAM declarauimus genus & ſpeciem noſtræ operationis, modum, & ſeriem noſtræ executionis: Nunc videamus fructum, & finẽ noſtræ intentionis. Sciendum eſt autem, quod propter quatuor ſpecialiter ad operandum moueri debemus, videlicet, propter pericula deuitanda, propter merita cumulanda, propter delectationem internam, & propter retributionem æternam.

1 Ad pericula præcauenda.

PRIMO quidem operari debemus, propter pericula præcauenda. Cum enim cor hominis otioſum eſſe non poſsit, ſed neceſſariò circa aliquid occupetur, ſicut docet Anſelmus, libro de ſimilitudinibus, cor hominis comparans molendino, cuiuś rota voluitur inceſſanter, ſi non fuerit intentum circa aliquod opus bonum, vndique patet aditus vitiorum. Sanè non intẽtum circa vnum, quod eſt neceſſarium, nec ſacris operibus occupatum, euagatur circa plura minus vtilia, & citò defluit ad nociua. Et hoc contingit interdum ex hoſtis inſtigatione, vel ex carnis corruptione, vel ex ipſius cordis euagatione. Ex hoſtis inſtigatione contingit vt plurimum, quia cum magnus ille paterfamilias omni hora, ideſt mane, hora tertia, ſexta, nona, vndecima, mittat operarios in vineam ſuam, ſicut ſcriptum eſt Matt. 20. Quos diabolus in vinea non operantes inuenit, ad opera ſua mittit. Propter quod ait Hiero. *Semper aliquid boni facito, ne te diabolus inueniat otioſum.* Ex carnis vero corruptione frequenter mens hominis à ſpiritualibus, & diuinis retrahitur, & in carnalibus emollitur, niſi ſacris operibus occupetur. Propter quod Sapiens à carnis ſeruitute volens abſtrahere, & ad libertatẽ ſpiritu-

A eleuare, ait Ecc. 33. *Cibaria*, neceſſariæ ſuſtentationis, *& virga*, caſtigationis, *& onus*, operationis, *aſino*, ideſt corpori, *panis*, ne deficiat, *& diſciplina*, ne laſciuiat, *& opus*, vt proficiat, *ſeruo*, ideſt corpori. tam aſini, quam ſerui nominibus carnem ſignificat, quæ durè ſuſtentanda eſt, rigidè refrenanda, & in ſacris operibus occupanda. Sequitur. *Iugum, & lorum curuant collum durum: Et ſeruum inclinant operationes aſſiduæ. Seruo maliuolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem ne vacet. Multam enim malitiam docuit otioſitas. In opere conſtitue illum, ſic enim condecet illum.* Attende, quàm diſtrictè macerauerunt carnem ſuam ſancti Patres, Ioannes Baptiſta, Benedictus, Antonius, Hieronymus, & omnes alij. Paulus ſpecialiter de ſeipſo teſtatur. *Caſtigo* inquiens *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus*
B *efficiar.* 1. Cor. 9. Diligẽter aduerte, ſi Paulus vas electionis, qui tot terras prædicando, circuiuit, tot animas ad Chriſtum conuertit, tot & tanta pro Chriſto ſuſtinuit, ſicut ipſemet teſtatur 1. Cor. 15. *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui.* Et iterum. *In laboribus plurimis, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*; & multa talia ſic enumerat. Denique raptus eſt in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui. Si, inquam, ita eſt, quòd talis ac tantus caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit, ne fortè reprobus efficiatur; Quid nos miſeri dicturi ſumus, qui defectibus pleni ſumus, qui peccata peccatis ſine numero cumulamus, & tamen carnem miſerã in deliciis cõfouemus? Ideo dicit Apoſtolus Gal. 6. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt*
C *cum vitijs, & concupiſcentijs.* Et Rom. 8. *Si ſecundum carnẽ vixeritis, moriemini.* Ex mentis vero euagatione procedunt pericula. Sicut docet Sapiens Prou. 21. *Deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam operari manus eius, tota die concupiſcit, & deſiderat.* Videas hominẽ otioſum nunc verbis effluere, nunc rumores inquirere, nunc ludos perquirere, nunc campos, nunc flumina, nunc nemora vagando inaniter circuire, ſomnum diligere, ciborum delicias, & vinorum varietates concupiſcere, appetere terrena, ſpiritualia faſtidire, diuerſis cogitationibus variari, variis affectionibus transformari, omnimodis paſſionum tranſmutationibus agitari. Et ſic in eo verum eſt, quod dicitur Iob 20. *Cogitationes variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſa rapitur.*

2 Ad merita cumulanda.

SECVNDO operari debemus, propter lucra, ideſt me-
D rita cumulanda, ſiue conquirenda. Videmus enim mercatores, agricolas, & omnes artifices operari ſollicite propter lucrum, & temporales diuitias acquirendas. Quantò magis deberemus totis viribus operari, propter ſpirituales diuitias promerendas. Ideo hortatur Apoſtolus Colo. 3. *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* Penſate verba. *Ambuletis* inquit, .i. de bono in melius proficiatis: *Dignè Deo*, .i. vt ſitis digni Deo: *Per omnia placentes*, .i. vt vos placeatis Deo per omnia opera veſtra, & per vos opera veſtra placeant Deo: *in omni opere bono fructificantes.* Nota vnaquæque arbor vnam ſpeciem fructus profert. Sicut ait Saluator, Luc. 6. *Vnaquæque arbor ex fructu ſuo cognoſcitur.* Neque enim de ſpinis cõlligunt ficus, neque de rubo
E vindemiant vuam. Sed arbor ſpiritualis omnem fructũ bonorum operum ferre debet. Mirabilis eſſet hominibus arbor vna, quæ omnia genera fructuum ex ſe produceret. Sed arbor ſpiritualis non eſt rectè fructifera, niſi ex ſe proferat fructus, ideſt opera omnium virtutũ Sunt namq; nonnulli, qui cõtinent, ſed ab opere bono torpent. Alij, multa bona opẽra faciunt, ſed non continent. Sed ſicut ait Grego. *Nec caſtitas magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate.* Alij cõtinent, ſed non abſtinẽt. Alij èconuerſo. Alij abſtinent quidẽ, & continent, ſed per ſuperbiam intumeſcunt. Alij ſobrij ſunt, caſti & humiles, ſed non cõpatiuntur afflictis; aut cõpatientes, vel verius compati ſe dicentes, pietatẽ in opere non oſtendunt. Sic intellige de aliis operibus virtuoſis. Propter quod bene dicit Apoſtolus in auctoritate præmiſſa. *In omni opere bono fructificantes.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Simile.

NOTA ſicut mercator induſtrius in diuerſis venalium rerum generibus mercationem ſuam exercet, vt in pluribus lucrando, diuitias ſuas plùs augmentet. Sic ſpiritualis mercator debet in omnibus operibus bonis exerceri, vt in omnibus mereatur. Nam qui in omni opere bono fructificat, in omni bono abundat. Ait Sapiens Prouerb. vigeſimoquarto. *In omni opere bono erit abundantia.* Sed, quia in temporalibus abundantes, vt plurimum ſolent carere ſpiritualibus, vel minus præ cęteris abundare: Ideo dicit Apoſtolus 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius ſęculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo diuites fieri in operibus bonis.* Iſtæ ſunt veræ diuitię, quæ & veram ſufficientiam tribuunt, & ineffabiliter locupletant animam, nec in caſu neceſſitatis, vel mortis eam deſerunt, ſed cum ea permanent in æternum. Sicut dicitur Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur illos.* Vnde Bernardus ait: *Verę diuitię non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, vt in perpetuum diues ſiat.* Sed vę filiis Adam mundana cupiditate cæcatis, qui terrena ſapiunt, ſpiritualia paruipendunt, temporales diuitias totis viribus, & modis omnibus quibus poſſunt aggregant, ſpirituales contemnentes, aut operari negligunt, aut quod eſt lõgè deterius, opera nefanda perpetrant, vnde nudi, & rei de mundo exeunt, nihil ſecum præter peccata portantes, & in egeſtatem perpetuam incidẽtes. Quia ſcriptum eſt, Prou. v. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.* Penſa quantam penuriam ſuſtinebat ille diues, qui ardore gehennæ ineffabiliter cruciatus, vnam guttam aquæ non potuit impetrare.

3 Propter delectationem internam.

TERTIO operari debemus propter delectationem internam. Omne enim virtuoſum opus delectationem quandam habet annexam, & qui operatur illud, delectatur in eo. Sicut è contrario, omne malum ſequitur remorſus conſcientiæ. Hæc delectatio eſt quaſi quædam remuneratio, ſed non plena, vel potius quædam prælibatio remunerationis futuræ. *Quis enim plantat vineam, & de fructu illius non edit?* ait Apoſtolus 1. Cor. 9. Nam ſicut ait Sapiens, Prouerb. 12. *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Et 13. *Anima operantium impinguabitur.* Et ipſa veritas, ait Matth. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Quis autem ſit iſte cibus, teſtatur ipſe Ioan. 13. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ad hunc cibum hortatur ipſe, Ioan. 6. dicens: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Nota, quod dicit, *permanet*, quia hic inchoatur, ibi autem non ceſſat, ſed permanet in æternum, hic valde tenuiter præguſtatur, ibi in ſua plenitudine miniſtratur.

4 Propter retributionem æternam.

QVARTO operari debemus propter retributionem ęternã. Magnus enim paterfamilias qualibet hora mittens operarios in vineam, cõuentione facta cum eis ex diurno denario, facto ſero dicit procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem. Paterfamilias eſt Deus Pater, Chriſtus autem huius vineæ procurator. In ſero, id eſt in vltima hora vitæ noſtræ vocat Dominus operarios, non ocioſos, non pigros, non operarios iniquitatis, ſed operarios veritatis. Merces, quæ redditur operariis, eſt diurnus denarius, ideſt æterna Dei viſio ſecundum Auguſti. Ad hanc mercedẽ acquirendam hortat Sapiens Eccle. vlti. *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore ſuo;* id eſt tempore oportuno. Et ipſe Dominus ait Apoc. vlti. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Ex his verbis intellige, quod opus noſtrum eſt breuiſſimum. Quod notatur cum dicit: *Venio cito*, videlicet in ſero mortis ad retribuendum, qui cito ſe vẽturum aſſerit, breui tempore nos innuit operari. merces autem operis eſt æterna: Sicut ſcriptum eſt, Eccle. 18. *Non verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Domini manet in æternum.* Item opus noſtrum eſt leuiſſimum, merces autem immẽſa, & hoc inſinuat cum dicit, *merces mea*, ideſt quam me decet reddere, ipſum autem Dominum largitatis immenſæ, non decet, niſi mercedem immenſam retribuere, quia ipſemet immenſus, & immenſitas eſt ipſa merces. Sicut, ait Abrahæ Gen. 15. *Noli timere ego protector tuus ſum; & merces tua magna nimis.* licet autem hęc merces in ſe ſimpliciter ſit immenſa, tamen proportionaliter redditur vnicuique ſecundum ſuorum operum quantitatem. propter quod ait: *Reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 4. *vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum laborem.*

De operum principio principali.

DISTINCTIO IV.

POSTQVAM declarauimus operum noſtrorum genus, & ſpeciem, modum, & ſeriem, fructum, & finem: Nunc reſtat declarare ortum, & originem. Sciendum autem eſt, quod duplex eſt operum noſtrorum origo, ſiue principium. Quædam enim ſunt principia intrinſeca, & quædam extrinſeca. Principia intrinſeca ſunt potentiæ, habitus, & paſſiones, ſecundum Philoſophum. 2. Ethico. Extrinſeca verò principia poſſunt intelligi, vel ex parte Dei, qui ſolus eſt actor, & motor voluntatis humanæ, vel ex parte obiecti. Ex parte quidem Dei, qui ſolus poteſt mouere principaliter, & directè voluntatem hominis ad volendum; ſumuntur extrinſeca principia multis modis. Deus enim eſt operum noſtrorum principium, principaliter operando, ſpecialiter inſpirando, efficaciter adiuuando, imperialiter aſtringendo, & exemplariter excitando.

Duplex operum origo, ſc. intrinſeca & extrinſeca.

Deus quintupliciter eſt principium operum noſtrorum.

PRIMO quippe Deus eſt operum humanorum principium principaliter operando, quia cauſa prima plus influit in cauſatum, quàm cauſa ſecunda, ſicut habetur propoſitione de cauſis, vnde omnis motus, & omnis actio, tam corporalis, quàm ſpiritualis reducitur in primum mouens, & in primum agens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur eſſe perfecta naturaliter, tamen non poteſt in actum ſuum procedere, niſi moueatur à Deo. Non ſolum autẽ ab ipſo eſt omnis motio, ſicut à primo mouente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis perfectio naturalis, ſicut à primo actu. Sic igitur omnis operatio noſtra dependet à Deo quantum ad duo. Vno modo, inquantum ab ipſo habemus omnem perfectionem naturalem, per quam agere poſſumus. Alio modo, inquantum ab ipſo mouemur ad agendum, propter quod dicitur. Iſa. 20. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* & 1. Corinth. 12. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

Omnis actio dependet a Deo propter duo.

SECVNDO Deus eſt cauſa operum noſtrorum ſpiritualiter inſpirando, vt non ſolum habeamus ab eo operandi poteſtatem, verum etiam voluntatem, ſicut dicitur Phil. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate ſua:* hoc eſt ex mera bonitate ſua, & libera voluntate. Deus ergo ſua gratuita bonitate dat nobis, vt poſſimus bonum agere, dat etiam, vt velimus, *non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis.* 1. Cor. 3. Si igitur non ſumus ſufficientes ex nobiſipſis bonum aliquid cogitare, multo minus ſufficientes ſumus velle, & adhuc minus agere, ſeu perficere.

TERTIO Deus eſt cauſa operum noſtrorum virtualiter adiuuando, infundendo ſcilicet gratiam, & virtutes, vt non tantum poſſimus, nec ſolum, vt velimus, ſed etiam, vt expedite, faciliter, & delectabiliter operemur, vnde Gal. 3. *Qui tribuit nobis ſpiritum*, ideſt voluntatem inſpirat, vel ſpiritum, ideſt gratiam Spiritus ſancti, *operatur & virtutes in nobis.*

QVARTO Deus eſt operum noſtrorum cauſa imperialiter obligando, per legem videlicet, & præcepta, Leuit. 18. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis.* Sequitur. *Cuſtodite leges meas.* Lex autem ſcripta non eſt aliud, quàm explicatio legis naturalis, quæ in cordibus noſtris naturaliter eſt impreſſa. Sic ait Apoſto. Rom. 2. *Cum gentes, quæ legẽ non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt,*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

faciunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. quando primum hominem quem formauerat posuit Deus in Paradiso voluptatis, statim legem dedit ei de operando. Gen. 2. *posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur.* similiter post peccatum. Vnde dicitur ibidem 3. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* Et Ioan. 6. *Operamini cibum, qui non perit.* Et Matth. 20. *Conuentione facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Item Phil. 2. *Salutem vestram operamini.* sic igitur Deus est causa operum nostrorum irrefragabiliter imperando, & per legem, & præcepta firmiter obligando.

QVINTO Deus est causa operum nostrorum exemplariter informando, vnde Christus Deum Patrem, & semetipsum proponit nobis in exemplar. dicens Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Inspice ergo, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Exo. 25. Considerare debemus, quòd illud exemplar altissimum, scilicet Deus Pater, *qui lucem inhabitat inaccessibilem,* 1. Timot. 6. nobis erat improportionatum, & inaccessibile. Ideo Dei filius factus est homo similis nobis passibilis, visibilis, & accessibilis, immo valde familiaris, vt nos, & verbis instrueret, & exemplis operum informaret, qui nos prius instruxerat per legem veterē, quæ nimis grauis homini videbatur. Ideo dedit legem gratiæ valdę leuem, sed quod est incomparabiliter maius, & dulcius, seipsum totum nobis præbuit in exemplar. Nullum profecto aliud exemplar poterat dare nobis, quod nos ad operandum magis accenderet, vel efficacius excitaret. quando enim principes, & aliis maiores in populo manus apponunt ad opus, multum excitant, & animant subditos ad similiter operandum. Vnde Nehæ. 3. *Prouocatum est cor populi ad operandum,* quādo scilicet viderunt principes operātes.

Obiectum mouet voluntatem tripliciter.

Ex parte vero obiecti potest intelligi, quod aliquid potest mouere voluntatem & esse causa operum nostrorum tripliciter. Vno modo ipsum obiectum propositum appetui sensitiuo, vel etiam intellectiuo, mouet aliqualiter, & inclinat, sicut cibus excitat desiderium hominis ad edendum. Alio modo ille, qui proponit, vel offert huiusmodi obiectum. Tertio ille, qui persuadet obiectum propositum habere rationem boni, quia in hoc proponit obiectum proprium voluntati, quod ostendit illud esse bonum verum, vel apparens. Primo igitur modo res sensibiles exterius apparentes mouent voluntatem hominis ad volēdum bonum, vel malum, sicut consideratio creaturarum mouet, & inducit hominem ad laudandum sapientiam, honorādum omnipotentiam, & amandum bonitatem creatoris; & ècontra, delectatio, quæ inuenitur in creaturis, & varietas pulchritudinis, insipientibus est occasio concupiscentiæ, & multiplicis deceptionis, sicut dicitur Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Secundo autem, & tertio modo, potest homo hominem excitare, vel inclinare ad bonum, vel malum agendum. diabolus vero ex intentionis suæ peruersitate nititur, & intendit inducere ad peccatum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi.

Tria sunt principia intrinseca operationum.

INTER principia intrinseca, quæ sunt potentiæ, habitus, & passiones, de solis passionibus fiet hic consideratio, quia de potentiis animæ tractare non intendimus in hoc libro. De habitibus verò virtutum aliqui sunt acquisiti ex actibus, & aliqui diuinitus sunt infusi: habitus acquisiti sunt intrinseca principia actuum humanorum, habitus autem infusi inter extrinseca principia computantur, eo quod ab extrinseco infunduntur. Quia igitur principalis intentio Theologicæ considerationis est agere de virtutibus infusis, quæ nobis infunduntur à Deo, & hominem ordinent ad supernaturalem beatitudinem, & æternam, ideo de virtutibus acquisitis nihil dicemus ad præsens, sed infra cum de infusis agemus. Primo itaque considerandum est de principiis intrinsecis actuum humanorum, secundo de principiis extrinsecis.

DE PASSIONIBVS ANIMÆ IN GENERALI.

De operum principio intrinseco.

DISTINCTIO V.

DE principiis intrinsecis actuum humanorum, id est passionibus animæ: Primo considerandum est in generali. Secundo in speciali. In generali quatuor consideranda sunt. Primo quidem de subiecto earum. Secundo de differentiis earum. Tertio de bonitate, & malitia earum. Quarto de ordine earum adinuicem. Circa primum consideranda sunt tria. Primo vtrum passiones sint in anima, & quomodo. Secundo quod in parte appetitiua magis, quàm in parte apprehensiua. Tertio quod sunt in appetitu sensitiuo magis, quàm in intellectiuo.

Pati capitur dupliciter.

AD PRIMVM patet secundum Philosophū in 3. Ethi. *In anima sunt tria, potentiæ, passiones, & habitus.* Sciendum autem, quod pati dicitur dupliciter. Vno modo communiter secundum quod omne recipere est pati, etiam si nihil abijciatur à re, sicut si dicatur aerem pati, quando illuminatur, hoc autem magis propriè est perfici, quàm pati. Alio modo dicitur pati propriè, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione. Sed hoc conuenit dupliciter. Vno modo quando abijcitur, quod non est conueniens rei, sicut cum corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem ægritudine abiecta. Alio modo quando èconuerso, sicut ægrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas sanitate abiecta, & hic est propriissimus modus passionis. Nam pati dicitur ex eo, quod aliquid trahitur ad agendum, quod autem recedit ab eo, quod est sibi conueniens, maximè videtur ad aliud trahi, & similiter in primo de generatione dicitur, quod quando ex ignobiliori generatur nobilius, est generatio simpliciter, & corruptio secundum quid: Econuerso autem, quando ex nobiliori generatur ignobilius. ex his tribus modis contingit esse passionem in anima, nam secundum receptionem tantum dicitur, quod sentire, & intelligere est quoddam pati, passio autem cum abiectione non est nisi secundum transmutationem corporalem: vnde passio propriè dicta non potest competere animæ nisi per accidens, inquantum, scilicet compositum patitur sed in hoc est diuersitas: Nam quando hniusmodi transmutatio fit in deterius, magis propriè habet nomen passionis, quàm quando fit in melius, vnde tristitia magis propriè est passio, quàm lętitia.

Passiones spectant ad appetitum.

AD SECVNDVM quod *passiones habent esse in parte animæ appetitiua, magis quam in apprehensiua.* Sciendum quod sicut Aug. dicit, 9. de Ciuit. Dei. *Motus animi quos græci pathæ, nostri autē quidam, vt Cicero, perturbationes; quidam, affectiones, vel affectus; quidam verò, sicut in græco expressius, passiones vocant.* Ex quo patet, quod passiones idē sunt quod affectiones; sed affectiones manifestè pertinent ad partem appetitiuam, & non ad apprehensiuam. In nomine enim passionis importatur, quod patiens trahatur ad id quod est agentis, magis autem trahitur anima ad rem per vim appetitiuam, quam per vim apprehensiuam. Nam per vim appetitiuam anima habet ordinem ad ipsas res, prout in seipsis sunt, vt Philosophus dicit in 6. Mętha. quod *bonum, & malum, quæ sunt obiecta appetitiuæ potentię, sunt in ipsis rebus:* vis autem apprehensiua non trahitur ad rem, secundum quod in seipsa est, sed cognoscit eam secundum intentionem rei, quam in se habet, vel recipit secundum proprium modum; vnde & ibidem dicitur, quod *verum, & falsum, quæ ad cognitionem pertinent, non sunt in rebus, sed in mente.* Vnde patet, quod ratio passionis magis inuenitur in parte appetitiua, quàm in parte apprehensiua. hoc autem contrario modo se habet in his, quæ pertine-

perfectionem, & in his, quæ pertinent ad defectum: Nam in his, quæ pertinent ad perfectionem attenditur intensio per accessum ad vnum primum principiũ, quia quanto aliquid est propinquius, tanto est magis intensum; sicut intensio lucidi attenditur per accessum ad aliquid summè lucidum, cui quantò aliquid magis appropinquat, tantò est magis lucidum. Sed in his, quæ ad defectum pertinent, attenditur intensio non per accessum ad aliquod summum, sed per recessum à perfecto, quia in hoc ratio priuationis, & defectus consistit; & ideo quantò minus recedit à primo, tantò est minus intensum; & propter hoc semper in principio inuenitur paruus defectus, qui postea procedẽdo magis multiplicatur; passio autem ad defectum pertinet, quia est alicuius secundum quod est in potentia; vnde in his, quæ appropinquant primo perfecto, scilicet Deo, inuenitur parum de ratione potentiæ, & passionis; in aliis autem conuenienter plus, & sic etiam in priori vi animæ, scilicet in apprehensiua, inuenitur minus de ratione passionis. Licet autem passio propriè loquendo fiat secundum aliquam transmutationem corporalẽ, transmutatio autem corporalis fieri potest, tam in parte animæ apprehensiua, quàm in appetitiua, quia vtraque alligata est organo corporali; nihilominus tamen huiusmodi transmutatio, potest dupliciter fieri, quia organum corporale potest dupliciter transmutari: Vno modo transmutatione spirituali, secundum quod recipit intensionem rei, & hoc per se inuenitur in actu apprehensiuæ virtutis sensitiuæ, sicut oculus immutatur à visibili non ita quod coloretur, sed ita quod recipiat intentionem coloris. Est autem alia materialis transmutatio organi, prout organum transmutatur quantum ad suam naturalẽ dispositionem, puta quod calefit aut infrigidatur, vel alio simili modo transmutatur. Et huiusmodi transmutatio per accidens se habet ad actum apprehensiuę virtutis sensitiuę, puta cum oculus fatigatur ex forti intuitu, vel dissoluitur ex vehementia visibilis: sed ad actum appetitus sensitiui per se ordinatur huiusmodi transmutatio; vnde in diffinitione motuum appetitiuæ partis, materialiter ponitur aliqua materialis transmutatio organi, sicut dicitur, quòd ira est accensio sanguinis circa cor. vnde patet quod ratio passionis magis inuenitur in actu sensitiuæ appetitiuæ, quam in actu sensitiuæ virtutis apprehensiuæ, licet vtraque sit actus organi corporalis.

Transmutatio duplex.

Passio est propriè appetitus sensitiui actus.

Ad tertivm, scilicet quod *passio magis habet fieri in appetitu sensitiuo, quàm in appetitu intellectiuo, quod est voluntas*; quia passio sicut dictum est propriè inuenitur, vbi est transmutatio corporalis, quę quidem inuenitur in actibus appetitus sensitiui, non solum spiritualis, sicut est in apprehensione sensitiua, sed etiam naturalis. In actu autem appetitus intellectiui non reperitur aliqua transmutatio corporalis, quia huiusmodi appetitus non est virtus alicuius organi. Vnde patet, quod ratio passionis magis propriè inuenitur in actu appetitus sensitiui, quàm intellectiui, propter quod Damascenus describens animales passiones, in secundo libro dicit: *Passio est motus appetitiuæ virtutis sensibilis, in imaginatione boni vel mali.*

De Passionum differentia.

DISTINCTIO VI.

Deinde considerandum est de differentia passionum adinuicem. Et circa hoc consideranda sunt tria. Primò, quod passiones, quæ sunt in vi concupiscibili specie differunt ab his, quæ sunt in irascibili. Secundo quomodo sit contrarietas in passionibus irascibilis. Tertiò, quod in eadem potentia possunt esse passiones specie differentes, & non contrariæ adinuicem.

Passiones cõcupiscibilis & irascibilis differunt specie.

Ad primvm dicendum, quod *passiones quæ sunt in irascibili, specie differunt ab his quæ sunt in concupiscibili.* Cum enim diuersarum potentiarum diuersa sint obiecta, necesse est, quod passiones diuersarum potentiarum ad diuersa obiecta referantur. vnde multo magis passiones diuersarum potẽtiarum specie differunt, maior enim differentia obiecti requiritur ad diuersificandum speciem potentiarum, quàm ad diuersificandum speciem passionum, vel actuum. Sicut enim in naturalibus diuersitas generis consequitur diuersitatem potentiæ materiæ, diuersitas autem speciei diuersitatem formæ in eadem materia: Ita in actibus animæ actus ad diuersas potentias pertinentes sunt non solum specie, sed & genere diuersi; actus autem, vel passiones respicientes diuersa obiecta specialia, comprehensa sub vno obiecto vnius potentiæ, differunt sicut species illius: ad cognoscendum ergo, quæ passiones sint in irascibili, quæ in concupiscibili, oportet assumere obiectum vtriusque potentiæ. Obiectum autem potentiæ concupiscibilis est bonum, vel malum, sensibile simpliciter acceptum, quod est delectabile, vel doloroſum. Sed quia necesse est, quod interdum anima difficultatem, vel pugnam patiatur in adipiscendo aliquod huiusmodi bonum, vel in fugiẽdo aliquod huiusmodi malum, inquantum hoc est quodammodo oleuatum supra talem facilem potestatem animalis: Ideo ipsum bonum, vel malum secundum quod habet rationem ardui, vel difficilis, est obiectum irascibilis. Quæcunque ergo passiones respiciunt bonum vel malum absolutè, pertinent ad concupiscibilem, vt gaudium, tristitia, amor, odium, & similia. Quæcunque verò passiones respiciunt bonum vel malum, sub ratione ardui, prout est adipiscibile, vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem; vt audacia, timor, spes & huiusmodi: & quia adhuc vis irascibilis est in animalibus, vt per eam tollantur impedimenta quibus cõcupiscibilis in suum obiectum tendere prohibetur, vel propter difficultatem boni adipiscendi, vel propter difficultatem mali superandi, ideo passiones irascibilis omnes terminantur ad passiones concupiscibilis, & secundum hoc, etiam passiones quæ sunt in irascibili consequitur gaudium, & tristitia, quæ sunt in concupiscibili.

Contrarietas in motu duplex.

Ad secvndvm, scilicet *qualiter sit contrarietas in passionibus, quæ sunt in irascibili.* dicendum, quod cum passio sit quidam motus animi, vt dictum est, oportet cõtrarietatem passionum accipere secundum contrarietatem motuum vel mutationum. Est autem duplex contrarietas in mutationibus, vel motibus, vt dicitur in quinto Physicorum, vna quidem secundum accessum, & recessum ab eodem termino, quæ quidem cõtrarietas est propriè mutationum, id est generationis, quæ est mutatio ad esse, & corruptionis, quæ est mutatio ab esse. Alia autem secundum contrarietatẽ terminorum, quæ propriè contrarietas est motuum, sicut dealbatio, quæ est motus à nigro in album, opponitur denigrationi, quæ est motus ab albo in nigrum: sic igitur in passionibus animę duplex contrarietas inuenitur, vna quidem secundum contrarietatem obiectorum, scilicet boni & mali; alia vero secundum accessum, & recessum ab eodem termino. In passionibus quidem concupiscibilis inuenitur prima contrarietas tantum, quæ scil. est secundum obiectum: in passionibus autem irascibilis inuenitur vtraque. cuius ratio est quia obiectum concupiscibilis est bonum, vel malum sensibile absolutè; bonum autem inquantum bonum non potest esse terminus, vt à quo, sed solum, vt ad quem, quia nihil refugit bonum inquãtum bonum, sed omnia appetunt ipsum: similiter nihil appetit malum inquantum huiusmodi, sed omnia fugiunt ipsum; & propter hoc, malum non habet rationem termini ad quem, sed solum termini à quo. Sic igitur omnis passio concupiscibilis respectu boni, est vt ad ipsum, sicut amor, desiderium, & gaudium, omnis vero passio eius respectu mali, est vt ab ipso, sicut odium, fuga, seu abominatio, & tristitia: vnde in passionibus concupiscibilis non potest esse contrarietas secundum accessum, & recessum ab eodem obiecto. Sed obiectum

Quæ contrarietas passionibus conueniat.

irascibilis

irascibilis est sensibile bonum, vel malum, nō quidem absolutè, sed sub ratione difficultatis, vel arduitatis, vt dictum est. Bonum autem arduum, siue difficile habet rationem, vt in ipsum tēdatur, in quantum est bonum, quod pertinet ad spei passionem, & vt ab ipso recedatur inquantum est arduum, vel difficile, quod pertinet ad passionem desperationis, similiter malum arduum habet rationem, vt vitetur inquantum est malum, & hoc pertinet ad passionem timoris: Habet etiam rationem, vt in ipsum tendatur, sicut in quoddam arduum, per quod scilicet aliquid euadit subiectionem mali, & sic tendit in ipsum audacia, inuenitur ergo in passionibus irascibilis contrarietas secundum contrarietatem boni, & mali, sicut inter spem, & timorem; & iterum secundum accessum, & recessum ab eodem termino, sicut inter audaciam, & timorem.

Colligitur diuersitas passionum.

Ad tertium, scilicet quod *in eadem potentia possunt esse passiones specie differentes, & non contrariæ ad inuicem:* sciendum, quod passiones secundum actiua differunt, quæ sunt obiecta passionum animæ; differentia autem actiuorum potest attendi dupliciter, vno modo secundum speciē, vel naturam ipsorum actiuorū, sicut ignis differt ab aqua. Alio modo secundum diuersam virtutem actiuam, diuersitas autem actiui vel motiui, quantum ad virtutem mouēdi, accipi potest in passionibus animæ secundum similitudinem agentium naturaliū. Omne enim mouēs trahit quodammodo ad se patiēs, vel à se repellit. Trahendo quidē ad se tria facit in ipso. Nam primo quidem dat ei inclinationem, vel aptitudinem, vt in ipsum tendat; sicut cum corpus leue, quod est sursum dat leuitatem corpori generato, per quam habet inclinationem, & aptitudinem ad hoc, quod fit sursum. Secundo si corpus generatum sit extra locum proprium, dat ei moueri ad locum. Tertio dat ei quiescere, in locum cum peruenerit, quia ex eadem causa aliquid quiescit in loco per quam mouebatur ad locū, & similiter intelligendum est de causa repulsionis. In motibus autem appetitiuę partis, bonum habet quasi virtutem attractiuam, malum autem virtutem repulsiuam.

Bonum ergo primo quidem in potentia appetitiua causat quandam inclinationem, seu appetitudinem, siue connaturalitatem ad bonum; quod pertinet ad passionem amoris, cui per contrarium respondet odiū, ex parte mali. Secundo si bonum sit nondum habitum dat ei motum ad assequendum bonum amatum; & hoc pertinet ad passionem desiderij, vel concupiscentiæ; & ex opposito, ex parte mali est fuga, vel abominatio. Tertio cum adeptū fuerit bonum, dat appetitus quietationem quandam in ipso bono adepto, & hoc pertinet ad delectationem quandam, vel gaudium, cui opponitur ex parte mali dolor, vel tristitia. In passionibus autem irascibilis præsupponitur quædam appetitudo, vel inclinatio ad perquirendum bonum, vel fugiendū malum ex concupiscibili, quæ absolutè respicit bonū, vel malum, & respectu boni nondum adepti, est spes, & desperatio; respectu autem mali nondum nocentis, est timor, & audacia; respectu autem boni adepti non est aliqua passio in irascibili, quia iam non habet rationem ardui, vt dictum est: sed ex malo iam iniacente sequitur passio iræ.

Passiones animæ sunt tredecim ad quas cætera reuocantur.

Sic igitur patet, quod sunt quatuor cōiugationes in concupiscibili, scilicet amor, & odium: desideriū, & fuga: gaudiū, & tristitia: delectatio, & dolor. Similiter in irascibili sunt tres, scilicet spes, & desperatio; timor & audacia; & ira, cui nulla passio opponitur, hoc autem singulare est iræ, quod non habeat contrariū, non enim potest habere contrarium, neque secundum accessum, neque secundum recessum, neque secundum contrarietatem boni, vel mali; causatur enim ira ex malo difficili iam iniacēte, ad cuius præsentiam necesse est, quod aut appetitus succumbat, & sic non exit terminos tristitię, quæ est passio concupiscibilis; aut habet motum ad inuadendum malum lęsiuum, quod pertinet ad irā: motum autem ad fugiendum habere non potest, quia iam malum ponitur esse præsens, vel præteritum; & sic motui iræ non contrariatur aliqua passio, secundum contrarietatem accessus, & recessus, similiter etiā, neq; secundum contrarietatē boni: quia malo iam iniacenti, opponitur bonum iam adeptum, quod non potest habere rationem ardui, vel difficilis: nec post adeptionē boni remanet alius motus, nisi quietatio appetitus in bono adepto, quę pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis, vnde motus iræ non potest habere aliquem motum animę contrarium, sed solummodo opponitur ei cessatio à motu. Sicut Philosophus dicit in sua Rhetorica; quod *mitescere opponitur ei, quod est irasci*, quod non est oppositum contrariè, sed negatiuè, vel priuatiuè. Sunt igitur omnes passiones differentes 13. octo in concupiscibili, & quinque in irascibili, sub quibus omnes passiones animæ continentur, puta verecūdia, sub timore; zelus, sub amore; inuidia, sub tristitia; misericordia, sub dolore.

De passionum animæ bonitate, & malitia.

DISTINCTIO VII.

Deinde considerandum est de bono, & malo, circa passiones. Et circa hæc videnda sunt quatuor. Primo vtrum bonum, & malum morale possint in passionibus inueniri. Secundò vtrum omnis passio animę sit mala moraliter. Tertiò vtrum passio addat, vel minuat ad bonitatem, vel malitiam actus moralis. Quartò vtrum aliqua passio sit bona vel mala ex sua specie.

Duplex passionum consideratio.

Ad Primvm, scilicet, *vtrum bonum, vel malum morale, possit in passionibus inueniri*: dicendum quod passiones animæ possunt considerari dupliciter, vno modo secūdum se, & sic non sunt bonæ vel malæ moraliter, sed sunt communes hominibus, & brutis: vnde dicit Philosophus. 2. Ethi. quod *passionibus non laudamur, neque vituperamur*. Alio modo possunt considerari secundum quod subiacent imperio rationis, & voluntatis, & sic est in eis bonum, & malum morale, propinquior enim est appetitus sensitiuus ipsi rationi, & voluntati, quàm membra exteriora, quorum tamē motus, & actus sunt boni, vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarij, vnde multo magis & ipsæ passiones, secundum quod sunt voluntarię, possunt dici bonæ vel malæ moraliter, dicuntur autem voluntariæ, vel ex eo, quod à voluntate non prohibentur, vel etiam ex eo, quod à voluntate imperantur; & sic non sunt cōmunes hominibus, & bestijs, sed sunt homini propriæ, & possunt fieri laudabiles, vel vituperabiles, licet enim non laudetur, vel vituperetur, qui timet, vel irascitur, absolutè loquendo; tamen qui aliqualiter; ideſt secundum rationem, vel præter rationem.

Passiones quædam bonæ moraliter.

Ad Secvndvm, .s. *vtrum omnis passio animæ sit mala moraliter*, dicendum quod circa hanc quęstionē diuersa fuit sententia Stoycorum, & Peripateticorum. Nam Stoyci dixerunt omnes passiones esse malas; Peripatetici vero dixerunt passiones moderatas esse bonas; quæ quidem differentia, licet magna videatur secundum vocem, tamen secundum rem, vel est parua, vel nulla; siquis vtrorumque intentiones consideret. Stoyci enim non discernebant inter sensum, & intellectum, & per consequens, nec inter intellectiuum appetitum, & sensitiuum; vnde non discernebant passiones animæ, à motibus voluntatis, secundum hoc, quod passiones animæ sunt in appetitu sensitiuo; Simplices autem motus voluntatis, secundum hoc, quod passiones animæ, & voluntatis sunt in intellectiuo: Sed omnem rationalem motum appetitiuæ partis vocabant voluntatem; passionem autem dicebant motum progredientem extra limites rationis. Et ideo eorum sententiam sequens Tullius in 3. libr. de Tusculanis quæstionibus omnes passiones animæ vocat morbos; ex quo argumentatur, quòd qui morbosi sunt, sani non sunt, & qui sani non sunt, insipientes sunt, vnde & insipientes

insanos

insanos dicimus. Peripatetici vero omnes motus appetitus sensitiui passiones vocant; vnde eas bonas existimant, cum sunt à ratione moderatæ, malas autem, cum sunt præter moderationem rationis. ex quo patet quòd Tullius in eodem libro, Peripateticorum sententiam (quæ approbauit mediocritates passionum) inconuenienter improbat, dicens quod *omne malum, etiam mediocre vitandum est, nam sicut corpus etiam si mediocriter ægrotat, sanum non est, sic ista mediocritas morborum, vel passionum animæ.* non enim passiones dicuntur morbi, vel perturbationes animæ, nisi cum carent moderatione rationis.

A

Ad tertivm, scilicet *vtrum omnis passio animæ, addat vel minuat ad bonitatem vel malitiam actus moralis*; dicendum quod Stoici, sicut ponebant omnem passionem animæ esse malã; ita ponebant conuenienter omnem passionem animæ diminuere actus bonitatem. Omne enim bonum ex permixtione mali, vel totaliter tollitur, vel fit minus bonum; & hoc quidem verum est, si dicimus passiones animæ solum inordinatos motus appetitus sensitiui, prout sunt perturbationes, vel ægritudines; sed si passiones simpliciter nominemus omnes motus appetitus sensitiui; sic ad perfectionem humani boni pertinet, quod etiam ipsæ passiones sint moderatæ per rationem. Cum enim bonum hominis consistat in ratione, sicut in radice; tanto illud bonum erit perfectius, quanto ad plura, quæ homini conueniunt deriuari potest: vnde nullus dubitat, quin ad perfectionem boni moralis pertineat, quod actus exteriorum membrorum, per rationis regulam dirigantur. vnde cum appetitus sensitiuus possit obedire rationi, vt dictum est, ad perfectionem moralis, siue humani boni pertinet, quod etiam ipsæ passiones animę, sint regulatæ per rationẽ. Sicut igitur melius est, quod homo, & velit bonum, & faciat exteriori actu, ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quod homo ad bonum moueatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitiuum, secundum quod in Psalmo 83. dicitur. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; vt cor accipiamus pro appetitu intellectiuo, carnem autem pro appetitu sensitiuo. Vnde notandum, quod passiones animæ dupliciter se possunt habere ad iudicium rationis. Vno modo antecedenter, & sic cum obnubilent iudicium rationis ex quo dependet bonitas moralis actus, diminuunt actus bonitatem; laudabilius enim est, quod ex iudicio rationis aliquis faciat opus charitatis, quam ex sola passione animæ. alio modo se habent consequenter; & hoc dupliciter; vno modo per modum redundantiæ, quia scilicet cum superior pars animæ intensè mouetur in aliquid, sequitur motum eius etiam pars inferior, & sic passio existens conuenienter in appetitu sensitiuo, est signum intentionis voluntatis, & sic indicat bonitatem moralẽ maiorem; Alio modo per modum electionis, quando scilicet homo ex iudicio rationis, eligit affici aliqua passione, vt promptius operetur cooperante appetitu sensitiuo, & sic passio animæ addit ad bonitatem actionis.

Quomodo passiones augent & minuunt bonitatẽ vel malitiam actus moralis.

B

Ad qvartvm, scilicet *vtrum aliqua passio animæ sit secundum se bona vel mala ex sua specie*; dicendum quod species actus, vel passionis dupliciter potest considerari; vno modo secundum quod est in genere naturæ, & sic bonum vel malum morale, non pertinet ad speciẽ actus, vel passionis; alio modo secundum quod pertinent ad genus moris, prout scilicet participant aliquid de voluntario, & de iudicio rationis, & hoc modo bonum, & malum morale, possunt pertinere ad speciem passionis, secundum quod accipitur vt obiectum passionis aliquid, de se conueniens rationi, vel dissonum à ratione. Sicut patet de verecundia, quæ est timor turpis, & de inuidia, quæ est tristitia de bono alterius, sic enim pertinent ad speciem exterioris actus.

Possunt esse bona vel mala ex sua specie passiones.

C

De passionum animæ ordine.

DISTINCTIO VIII.

D

Deinde considerandum est de ordine passionum ad inuicem. Et circa hæc videnda sunt quatuor. Primò de ordine passionum irascibilis ad passiones concupiscibilis. Secundò de ordine passionum concupiscibilis adinuicem. Tertiò de ordine passionum irascibilis adinuicem. Quartò de quatuor principalibus passionibus.

Ad primvm dicendum, quod *passiones concupiscibilis ad plura se habent, quàm passiones irascibilis.* Namque in passionibus cõcupiscibilis inuenitur aliquid pertinens ad motum, sicut desiderium, & aliquid pertinens ad quietem, sicut gaudium, & tristitia; sed in passionibus irascibilis non inuenitur aliquid pertinens ad quietem, sed solum pertinens ad motum; cuius ratio est, quia id in quo iam quiescitur non habet rationem difficilis, seu ardui, quod est obiectum irascibilis; quies autem cum sit finis motus est prior in intentione, sed est posterior in executione. si ergo comparentur passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis, quæ signant quietem in bono, manifestè videtur, quod passiones irascibilis præcedunt ordine executionis huiusmodi passiones concupiscibilis, sicut spes precedit gaudium: vnde & causat ipsum, secundum id Apostoli Rom. 12. *Spe gaudentes:* sed passio cõcupiscibilis importans quietem in malo, scil. tristitia, mediat inter duas passiones irascibilis: Sequitur enim timorẽ, vtique cum occurrerit malum quod timebatur, causatur tristitia: præcedit autem motum iræ, quia cum ex tristitia præcedente aliquis in vindictam insurgit, hoc pertinet ad motum iræ; & quia rependere vicem malis, apprehenditur vt bonum, cum iratus hoc consecutus fuerit, gaudet; & sic patet, quod omnis passio irascibilis terminatur ad passionem concupiscibilis pertinentem ad quietem, scil. vel ad gaudium, vel ad tristitiam: sed si comparentur passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis, quæ important motum, sic manifestè passiones concupiscibilis sunt priores, eo quod passiones irascibilis addunt supra passiones concupiscibilis, sicut etiã obiectum irascibilis addit supra obiectum concupiscibilis arduitatem, siue difficultatem. Spes enim supra desiderium addit quendam conatum, & quandam eleuationem animi ad consequendum bonum arduum, & similiter timor addit supra fugam seu abominationem, quandam depressionem animi propter difficultatem mali: sic ergo passiones irascibilis mediæ sunt inter passiones concupiscibilis, quæ important motum in bonum vel malum, & inter passiones concupiscibilis, quæ important quietem in bono vel malo. & sic patet quod passiones irascibilis, & principium habent à passionibus concupiscibilis, & in passiones concupiscibilis terminantur.

Passiones cõcupiscibilis ad plura se extẽdit quã irascibilis.

E

Ad secvndvm, scil. *de ordine passionum concupiscibilis ad inuicem*: dicendum quod obiectum concupiscibilis sunt bonum, & malum, naturaliter autem bonum est prius malo, eo quod malum est priuatio boni, vnde omnes passiones, quarum obiectum est bonum, naturaliter sunt priores passionibus, quarum obiectum est malum, vnaquæque scil. sua opposita. quia enim quæritur bonum, ideo refutatur oppositum malum, bonum autem habet rationem finis, qui quidem est prior in intentione, sed posterior in consecutione. potest ergo ordo passionum concupiscibilis attendi, vel secundum intentionem, vel secundum consecutionem. Secundum quidem consecutionem illud est prius, quod primo fit in eo, quod tendit ad finem: manifestum est autem, quod omne, quod tendit ad finem aliquem, primo quidem habet aptitudinem, seu proportionem ad finem, nihil enim tendit ad finem non proportionatum; secundo mouetur ad finem; tertio quiescit in fine post eius consecutionem: ipsa autem aptitudo seu pro-

Ordo passionum concupiscibilis.

seu proportio appetitus ad bonum, est amor, qui nihil est aliud, quàm complacentia boni: motus autem ad bonum est desiderium, vel concupiscentia: quies autem in bono est gaudium, vel delectatio; & ideo secundum hunc ordinem, amor præcedit desiderium, & desiderium præcedit delectationem: sed secundum ordinem intentionis, est èconuerso, nam delectatio intenta causat desiderium, & amorem; delectatio enim est fruitio boni, quæ quodammodo est finis, sicut & ipsum bonum, vt dictum est.

AD TERTIVM, scilicet *de ordine passionum irascibilis*: dicendum quod sicut iam dictum est, omnes passiones irascibilis important motum ad aliquid, motus autem ad aliquid in irascibili potest causari ex duobus; vno modo ex sola aptitudine, seu proportione ad finem, quæ pertinet ad amorem vel odium: Alio modo ex præsentia ipsius boni vel mali, quæ pertinet ad tristitiam, vel gaudium, & quidem ex præsentia boni, non causatur aliqua passio in irascibili, vt dictum est, sed ex præsentia mali causatur passio iræ; quia igitur in via generationis, seu consecutionis, proportio vel aptitudo ad finem, præcedit consecutionem finis; inde est, quod ira inter omnes passiones irascibilis est vltima in ordine generationis. inter alias autem passiones irascibilis, quæ important motum consequentem amorem vel odium boni, vel mali, oportet, quod passiones quarum obiectum est bonum, sicut spes & desperatio, sint naturaliter priores passionibus quarum obiectum est malum, scilicet audacia, & timore; ita tamen quod spes est prior desperatione, quia spes est motus in bonum secundum rationem boni, quod de sua ratione est arbitratiuum, & ideo est motus in bonum per se; desperatio autem est recessus à bono, non secundum quod est bonum, sed secundum aliquid aliud; vnde est quasi per accidens. & eadem ratione timor, cum sit recessus à malo, est prior quàm audacia. Quod autē spes, & desperatio sint naturaliter priores, quàm timor, & audacia, ex hoc manifestum est, quod sicut appetitus boni est ratio quare vitetur malum, ita etiam spes, & desperatio sunt ratio timoris, & audaciæ: nam audacia consequitur spem victoriæ, & timor consequitur desperationem vincendi; ira autem consequitur audaciā: nullus enim irascitur vindictam appetens, nisi audeat vindicare, secundum quod Auicen. dicit in 6. de naturalibus; sic ergo patet, quod spes est prima inter omnes passiones irascibilis. & si ordinem omnium passionum secundum viam generationis scire velimus: Primò occurrunt amor, & odium, Secundò desiderium, & fuga, Tertiò spes, & desperatio, Quartò timor, & audacia, Quintò ira, Sextò & vltimo gaudium, & tristitia; quæ consequuntur ad omnes passiones, vt dicitur in 2. Ethi. Ita tamen, quod amor est prior odio, & desiderium fuga, & spes desperatione, & timor audacia, & gaudium quàm tristitia, vt ex prædictis colligi potest.

Ordo passionum irascibilis.

AD QVARTVM, scilicet *de quatuor principalibus passionibus quæ sunt spes, & timor; gaudium, & dolor*; dicendum, quòd hæ quatuor passiones conuenienter principales esse dicuntur, quarum duæ, scili. gaudium & tristitia, principales dicuntur, quia sunt finales, & completiuæ simpliciter, respectu omnium passionum: vnde ad omnes passiones sequuntur, vt dicitur in lib. 2. Ethicorum. Timor autem & spes, sunt principales, non quidem quasi completiuę simpliciter, sed quia sunt completiuæ in genere motus appetitiui ad aliquid. Nam respectu boni incipit motus in amore, & procedit in desiderium, & terminatur in spe; respectu verò mali, incipit in odio, & procedit ad fugam, & terminatur in timore. & solet harum quatuor passionum numerus accipi secundum differētiam præsentis, & futuri; motus enim respicit futurum, sed quies est in aliquo præsenti: de bono igitur præsenti est gaudium, de malo præsenti est tristitia: de bono vero futuro est spes, de malo futuro est timor: omnes enim aliæ passiones, quæ sunt de bono, vel malo præsenti vel futuro, ad has

Quatuor sūt passiones principales.

A completiue reducuntur. vnde etiam à quibusdam dicuntur principales hæ prædictæ quatuor passiones, quia sunt generales; quod quidem verum est, si spes, & timor designant motum appetitus conuenienter tendentem ad aliquid appetendum, vel fugiendum.

DE PASSIONIBVS CONCVPISCIBILIS.

De amore.

DISTINCTIO IX.

B DEINDE considerandum est de passionibus animæ in speciali, & primo de passionibus concupiscibilis, deinde de passionibus irascibilis. Inter omnes autē passiones, primo dicendum est de amore, & odio. Secundo de desiderio, & fuga, seu abominatione. Tertio de delectatione, & dolore. Quarto de gaudio, & tristitia. Circa amorem considerandа sunt tria, primo de ipso amore, secundo de causa amoris, tertio de effectibus eius. Circa primum considerandа sunt quinque, primo, quod multiplex est genus amoris. secundo vtrum amor sit in concupiscibili. tertio vtrum amor sit passio. quarto de differentia inter amorem, & dilectionem. quinto vtrum amor conuenienter diuidatur in amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ.

C CIRCA primum sciendum est, quod *duplex est amor*, scilicet Amor quo diligimus Deum, & rationalem creaturam propter Deum, qui dicitur Charitas: Et amor quo diligimus creaturam absolute non habito respectu ad Deum: & iste est multiplex. Est enim amor naturalis conuenientiæ, quo amore debent se mutuo diligere omnes homines, propter conformitatem naturæ. Et amor carnalis attinentiæ, qualis est inter parentes, & filios, & econuerso inter fratres, & sorores adinuicem, inter consanguineos, & affines. Et amor spiritualis colligantię, quam facit vnitas professionis, qualis est inter christianos adinuicem, propter vnitatem fidei, & inter religiosos vnius regulæ professores. Et amor legalis conditionis, qualis est inter dominos, & seruos, & econuerso. Et amor coniugalis adhærentiæ, qualis est inter virum, & vxorē. Et amor specialis amicitiæ, qualis est inter amicos. Et amor socialis, qualis est inter socios, vicinos, & conciues simul cohabitantes. Omnes isti amores sunt liciti, & sunt in eis diuersi gradus amoris, & diuersa ratio diligendi. Est autem, & alius amor illicitus, scili. inordinatus amor temporalis opulentiæ, mundialis excellentiæ, & carnalis concupiscentiæ.

Amor naturalis & supernaturalis. Naturalis multiplex.

D AMOR charitatis quo diligimus Deum est optandus, & à Deo postulandus: omnes alij, qui dicti sunt esse liciti, sunt ordinandi & modificandi; tres vltimi abijciendi sunt tanquam illiciti. Hos modos amoris breuiter comprehendit Aug. dicens: *Duo sunt amores, quorum vnus sanctus; alter immundus; alter socialis; alter priuatus; alter communi vtilitati consulens, propter supernam societatem; alter etiam rem communem in propriam potestatem redigens, propter arrogantem dominationem; alter tranquillus; alter turbulentus; alter pacificus; alter seditiosus; alter amitabilis; alter inuidus; alter hoc volens proximo, quod sibi; alter proximum subijcere sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximum; alter propter suam*; hæc Aug. Circa affectionem igitur amoris sic se debent habere omnes homines, quod Deum & bonum eius, ideſt honorem suum primo principaliter propter se, & super omnia debent diligere, & optare, secundo bonum animæ suæ debet vnusquisque diligere, plus quam bonum omnium aliorum, & plusquam aliud quodcunque citra Deum, ita quod propter nullum aliud bonum debet facere aliquid, quod sit in damnum animæ suæ, Sicut ait Saluator Matth. 16. *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* quasi diceret, nihil.

Quis amor optandus.

AD SE-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Appetitus triplex.

AD SECVNDVM .s. *Vtrum amor sit in concupiscibili*: dicendum quod amor est aliquid ad appetitum pertinēs, cum vtriusque obiectum sit bonum. Vnde secundum differentiam appetitus est differentia amoris. Est enim quidam appetitus non consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius, & huiusmodi dicitur appetitus naturalis. Res enim naturales appetunt, quod eis conuenit secundum suam naturam, non per apprehensionem propriam, sed apprehensionem instituentis naturam. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed ex necessitate non est ex iudicio libero, & talis est appetitus sensitiuus in brutis, qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat, inquantum obedit rationi. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secūdum iudicium liberum, & talis est appetitus rationalis, siue intellectiuus, qui dicitur voluntas. In vnoquoque autem horum appetituum, amor dicitur illud quod est principium motus tendēntis in finem amatum. In appetitu autem naturali principium huius motus est cōnaturalitas appetentis ad id in quod tendit, quæ dici potest amor naturalis; sicut ipsa connaturalitas corporis grauis ad locum medium, est per grauitatem, & potest dici amor naturalis; & similiter coaptatio appetitus sensitiui, vel voluntatis ad aliquod bonum .i. ipsa complacentia boni, dicitur amor sensitiuus, vel intellectiuus, seu rationalis. Amor igitur sensitiuus est in appetitu sensitiuo, sicut amor intellectiuus est in appetitu intellectiuo, & pertinet ad concupiscibilem, quia dicitur per respectum ad bonum absolute, non per respectum ad arduum, quod est obiectum irascibilis.

Amor est in concupiscibili

AD TERTIVM .s. *Vtrum amor sit passio*. Dicendū est quod passio est effectus agentis in patiente, agens autem naturale duplicem effectum inducit in patiens. Nam primo quidem dat formam, secundo autem dat motum consequentem formam; sicut generans dat corpori grauitatem, & motum consequentem ipsam: & ipsa grauitas, quæ est in principium motus ad locū connaturalē, propter connaturalitatem potest quodāmodo dici amor naturalis; sic etiam ipsum appetibile, dat primo quidem quādam coarctationem ad ipsum, quæ est complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile: Nam *appetitiuus motus circulo agitur*, vt dicitur in tertio de anima: appetibile enim mouet appetitum, faciens quodammodo in eius intentione, & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, vt sic ibi sit finis motus, vbi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor, quæ nihil aliud est, quam complacentia appetibilis; & ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium; & vltimo quies, quæ est gaudium. Sic igitur cum amor consistat in quadam immutatione appetitus ab appetibili, manifestum est, quod amor est passio, proprie quidem, secundū quod est in concupiscibili, communiter autem, & extenso nomine, secundum quod est in voluntate.

Quid amor formaliter.

AD QVARTVM .s. *de differentia inter amorem, & dilectionem*: Dicendum est, quod quatuor nomina inueniuntur ad idem quodammodo pertinentia, .s. amor & dilectio, charitas, & amicitia: differunt tamen in hoc, quod amicitia secundum Philosophum in 7. Ethi. est quasi habitus, amor autem, & dilectio, signantur per modum actus, vel passionis; charitas autem vtroque modo accipi potest. Differenter tamen signatur actus per ista tria. Nam amor communis est inter ea, omnis enim amor est dilectio, vel charitas, sed non è conuerso. Addit enim dilectio supra amorem, electionem precedentem, vt ipsum nomen sonat; vnde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum; & est solum in sola rationali natura; charitas autē addit supra amorem, perfectionem quandam amoris, inquantum id quod amatur magni pretij æstimatur, vt ipsum nomen designat.

Discrimē inter amorem & dilectionem.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum amor conuenienter diuidatur per amorem amicitiæ, & concupiscentiæ*: Dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 2. Rheto. *amor est velle alicui bonum*. Sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alij; & in id cui vult. Ad illud ergo bonum quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiæ. Ad illud autem cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiæ. Hæc autem diuisio est secundum prius, & posterius. Nam id quod amatur amore amicitiæ, simpliciter, & per se amatur, quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter, & secundum se amatur, sed amatur alteri. Sicut enim ens simpliciter est, quod habet esse, ens autem secundum quid est, quod est in alio, ita bonū quod conuertitur cum ente, simpliciter quidem est, quod ipsum habet bonitatem: Quod autem est bonum alterius, est bonum secūdum quid; & per consequens amor quo amatur aliquis, vt sit ei bonum, est amor simpliciter; amor autem quo amatur aliquid, vt sit bonum alterius, est amor secundum quid.

Quid amor amicitia & concupiscentia.

De causa amoris.

DISTINCTIO X.

DEinde considerandum est de causa amoris. Et primo, vtrum solum bonum sit causa amoris. Secūdo, vtrum cognitio. Tertio, vtrum similitudo. Quarto, vtrum aliqua alia passio animæ.

AD PRIMVM .s. *vtrum solum bonum sit causa amoris*. Dicendum, quod sicut dicit Aug. 8. de Trinit. *Non amatur certe, nisi bonum*; quia sicut dictum est, amor ad appetitiuam potentiam pertinet, quæ est vis passiua, vnde obiectum eius comparatur ad ipsam, sicut causa motus, vel actus ipsius. Oportet igitur, vt illud sit proprie causa amoris, quod est amoris obiectum; amoris autem proprium obiectum est bonum, quia vt dictum est amor importat quandam connaturalitatem, vel complacentiam amantis ad amatum, vnicuique autem est bonum id, quod est sibi connaturale, & proportionatum; vnde relinquitur quod bonum sit propria causa amoris. Malum autem, nunquam amatur, nisi sub ratione boni .s. inquantum est secundum quid bonum, & apprehenditur vt simpliciter bonum; & sic aliquis amor est malus, inquantum tendit in id quod non est simpliciter bonum; & per hunc modum diligit homo iniquitatem, inquantum per iniquitatem adipiscitur aliquod bonum, puta delectationem, vel pecuniam, vel aliquod tale. Pulchrum autem etsi de sui ratione sit amabile, sicut dicit Dyo. 4. de di. no. quod *non solum bonum, sed etiam pulchrum est omnibus amabile*, hoc non obstat prædictis, quia pulchrum est idem cum bono, sola ratione differens: cum enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est, quod in eo quietetur appetitus, sed ad rationem pulchri pertinet, quod in eius aspectu, seu cognitione quietetur appetitus; vnde & illi sensus præcipuè respiciunt pulchrum, qui cognoscitiui sunt; scilicet visus, & auditus rationi deseruientes; dicimus enim pulchra visibilia, & pulchros sonos: in sensibilibus autem aliorum sensuum non vtuntur nomine pulchritudinis, non enim dicimus pulchros sapores, aut odores; & sic patet, quod pulchrum addit supra bonum quendam ordinem ad vim cognoscitiuam, ita quod bonum dicatur id quod semper complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet.

Causa amoris est bonū.

AD SECVNDVM .s. *vtrum cognitio sit causa amoris*: Dicendum, quod sicut dictum est, bonum est causa amoris per modum obiecti, bonum autem non est obiectum appetitus, nisi prout apprehensum, & ideo amor requirit aliquam apprehensionem boni, quod amatur; & propter hoc Philosophus dicit. in 8. Ethi. quod *visio corporalis est principium amoris sensitiui, & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, est principium spiritualis amoris*: sic igitur cognitio est causa amo-

Amor requirit cognitionem boni.

ſa amoris ea ratione qua & bonum, quod non poteſt amari, niſi cognitum.

AD TERTIVM *ſcilicet vtrum ſimilitudo ſit cauſa amoris:* Dicendum quod ſimilitudo propriè loquendo eſt cauſa amoris. Sed conſiderandum eſt, quod ſimilitudo inter aliqua poteſt attendi dupliciter. Vno modo ex hoc, quod vtrumque habet idem in actu, ſicut duo habentes albedinem dicuntur ſimiles. Alio modo quod vnum habet in potentia, & in quadam inclinatione id quod aliud habet in actu. Sicut ſi dicamus, quod corpus graue exiſtens extra ſuum locum habet ſimilitudinem cum corpore graui in ſuo loco exiſtenti, vel etiam ſecundum quod potẽtia habet ſimilitudinem ad actum ipſum: Nam in ipſa potentia eſt quodammodo actus. Primus ergo ſimilitudinis modus cauſat amorem amicitiæ, ſiue beneuolentiæ; ex hoc enim quod aliqui duo ſunt ſimiles, qui habentes vnam formam, ſunt quodammodo vnum in forma illa; ſicut duo homines, ſunt vnum in ſpecie humanitatis, & duo albi, in albedine; ideo affectus vnius tendit in alterum, ſicut in vnum ſibi, & vult ei bonum, ſicut & ſibi. Sed ſecundus modus ſimilitudinis cauſat amorem concupiſcentiæ, vel amicitiam vtilis, ſeu delectabilis, quia vnicuique exiſtenti in potentia, inquantum huiuſmodi ineſt appetitus ſui actus, & in eius conſecutione delectatur ſi ſit ſentiens, & cognoſcens; dictum eſt autem, quod in amore concupiſcentiæ amans propriè amat ſeipſum, cum vult id bonum, quod concupiſcit; magis autem vnuſquiſque ſeipſum amat, quam alium; quia ſibi eſt vnus in ſubſtantia, alteri vero in ſimilitudine alicuius formæ: & ideo ſi ab eo, qui eſt ſimilis ſibi in participatione formæ, impediatur ipſemet à conſecutione boni quod amat, efficitur ei odioſus, non inquantum eſt ſimilis, ſed inquantum eſt boni proprij impeditiuus, & propter hoc figuli corrixantur adinuicem, quia ſeinuicem impediunt in proprio lucro; & inter ſuperbos ſunt iurgia, quia ſeinuicem impediunt in propria excellentia, quam concupiſcunt.

Quomodo ſimilitudo eſt cauſa amoris.

Amor eſt cauſa aliarũ paſſionum & interdum ab illis vicißim cauſatur.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum aliqua alia paſſio animæ ſit cauſa amoris:* Dicendum, quod nulla alia paſſio animæ eſt, quæ non præſupponat aliquem amorem. Cuius ratio eſt, quia omnis alia paſſio animæ, vel importat motum ad aliquid, vel quietem in aliquo, omnis autem motus in aliquid, vel quies, ex aliqua connaturalitate, vel coaptatione procedit, quę pertinet ad rationem amoris; vnde impoſſibile eſt, quod aliqua alia paſſio animæ ſit cauſa naturaliter omnis amoris; contingit tamen aliquam paſſionem eſſe cauſam amoris alicuius, ſicut etiam vnum bonum eſt cauſa alterius, vnde cum quis amat aliquid propter delectationem, amor quidem ille cauſatur ex delectatione, ſed delectatio illa iterum cauſatur ex alio amore præcedente, nullus enim delectatur in re, niſi aliquo modo amata. Item deſiderium alicuius ſemper prę ſupponit amorem illius rei: Sed deſiderium alicuius rei poteſt eſſe cauſa, vt res illa ametur, ſicut qui deſiderat pecuniam, amat propter hoc eum, à quo pecuniam recipit. Spes etiam cauſat, vel auget amorem, & ratione delectationis, quia delectationem cauſat, & etiam ratione deſiderij, quia ſpes deſiderium fortificat. Non enim ita intensè deſideramus, quæ non ſperamus, ſed tamen & ipſa ſpes eſt alicuius boni amati.

De effectibus amoris.

DISTINCTIO XI.

DEINDE conſiderandum eſt de effectibus amoris, & circa hæc quæruntur quatuor. Primo, vtrum vnio ſit effectus amoris. Secundo, vtrum mutua inhæſio. Tertio, vtrum extaſis. Quarto, vtrum zelus.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum vnio ſit effectus amoris.* Dicendum quod duplex eſt vnio amantis ad amatum: vna ſecundum rem, puta cum amatum præſentialiter adeſt amanti, alia vero ſecundum affectum, quæ quidem vnio conſideranda eſt ex apprehẽſione precedenti, nam motus appetitiuus ſequitur apprehenſionem. Cum autem ſit duplex amor, ſ. concupiſcentiæ, & amicitiæ, vterque procedit ex quadam apprehenſione vnitatis amati ad amantẽ, cum enim aliquis amat aliquid, quaſi concupiſcens illud, apprehendit illud quaſi pertinens ad ſui bene eſſe. Similiter cum aliquis amat aliquid amore amicitiæ ei vult bonum, ſicut & ſibi vult bonum, vndę apprehendit eum, vt alterum ſe, inquantum, ſcilicet vult ei bonum, vt & ſibijpſi, & inde eſt quod amicus dicitur alter ipſe, & Aug. dicit in 4. Confeſſ. vnde quidam dixit de amico ſuo, dimidium animę ſuę. Primam ergo vnionem amor facit effectiuæ, quia mouet ad deſiderandum, & quęrendum præſentiam amati, quaſi ſibi conuenientis ad ſe pertinentis; ſecundam vero vnionem facit formaliter, quia ipſe amor eſt talis vnio, vel nexus, vnde Auguſt. dicit in 8. de Trini. quod *amor eſt vita quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens*; amantem, ſcilicet & quod amatur, quod enim dicit *copulans*, refertur ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor, quod vero dicit *copulare appetens*, pertinet ad vnionem realem.

Qualis vnio eſt effectus amoris.

SCIENDVM autem quod vnio tripliciter ſe habet ad amorem, quędam enim vnio eſt cauſa amoris, & hæc quidem vnio eſt ſubſtantialis, quantum ad amorem quo quis amat ſeipſum, quantum vero ad amorem quo quis amat alia, eſt vnio ſimilitudinis, vt dictum eſt. Quædam vero vnio eſt eſſentialiter ipſe amor, & hæc eſt vnio ſecundum cooperationem affectus, qui quidem aſſimilatur vnioni ſubſtantiali, inquantum amans ſe habet ad amatum, in amore quidem amicitiæ, vt ad ſeipſum, in amore autem concupiſcentiæ, vt ad aliquid ſui. Quædam vero vnio eſt effectus amoris, & hæc vnio eſt realis, quam amans quærit de re amata, & hæc quidem vnio eſt ſecundum conuenientiam amoris, vt enim Philoſophus refert in ſecundo Poli. Ariſtophanes dixit quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri vnum, ſed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt vnionem, quæ conuenit, & decet, vt ſcilicet ſimul conuerſentur, & ſimul colloquantur, & in alijs huiuſmodi coniungantur.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum mutua inhæſio ſit effectus amoris.* Dicendum quod effectus iſte mutuæ inhęſionis poteſt intelligi, & quantum ad vim apprehenſiuam, & quantum ad vim appetitiuam. Nam quantum ad vim apprehenſiuam amatum dicitur eſſe in amante, inquantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud Phil. 1. *Eo quod habeam vos in corde:* amans vero dicitur eſſe in amato ſecundũ apprehenſionem, inquantum amans non eſt contentus ſuperficiali apprehenſione amati, ſed nititur ſingula, quæ ad amatum pertinent intrinſecus diſquirere, & ſic ad interiora ejus ingreditur, ſicut de Spirituſancto, qui eſt amor dicitur 2. ad Corint. 2. *Qui ſcrutatur etiam profunda Dei.* Sed quantum ad vim appetitiuam amatum dicitur eſſe in amante. provt eſt per quandam complacentiam in eius affectu, vt vel delectetur in eo, aut in bonis eius apud præſentiam; vel in abſentia, per deſiderium tendat in ipſum amatum, per amorem concupiſcentiæ; vel in bona, quæ vult amato eius per amorem amicitiæ; non quidem ex aliqua extrinſeca cauſa, ſicut cum aliquis deſiderat aliquid propter alterum, vel cum aliquis vult bonum alteri, propter aliquid aliud, ſed propter complacentiam amati intrinſecus radicatam: vnde & amor dicitur intimus, & dicitur viſcera charitatis. Econuerſo autem amans eſt in amato, aliter quidem per amorem amicitiæ, aliter per amorem concupiſcentiæ: Amor enim concupiſcentiæ non requieſcit in quacunque extrinſeca, aut ſuperficiali adeptione, vel fruitione amati, ſed quærit amatum perfecte habere, quaſi ad intima illius

Quomodo mutua inhæſio eſt effectus amoris.

proueniens: In amore vero amicitiæ amans requieſcit in amato, in quantum reputat bona, vel mala amici, ſicut ſua, & voluntatem amici, ſicut ſuam, vt quaſi ipſe in ſuo amico videatur bona, vel mala pati. & affici, & propter hoc proprium eſt amicorum eadem velle, & in eodem triſtari, & gaudere, ſecundum Philoſophum in 9. Ethic. & in ſecundo Rethoricæ: vt ſic, inquantum quæ ſunt amici æſtimat ſua, amans videatur eſſe in amato, quaſi idem factus amato: Inquantum vero econuerſo vult, & agit propter amantem, ſicut propter ſeipſum, quaſi reputans amicum idem ſibi; ſicut amatum eſt in amante. poteſt autem, & tertio modo mutua inhæſio intelligi, in amore amicitiæ ſecundum viam readamationis, inquantum mutuo ſe amant amici, & ſubinuicem bona volunt, & operantur.

A

B

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum extaſis ſit effectus amoris.* Dicendum quod extaſim pati aliquid dicitur cum aliquis extra ſe ponitur, quod quidem conuenit, & ſecundum vim apprehenſiuam, & ſecundum vim appetitiuam. Secundum quidem vim apprehenſiuam aliquis dicitur extra ſe poni, quando ponitur extra cognitionem propriam ſibi; vel quia ad ſuperiora ſublimatur; ſicut homo dum eleuatur ad comprehendendum aliqua, quæ ſunt ſuperiora ad ſenſum, & rationem, dicitur extaſim pati, inquantum patitur extra connaturalem apprehenſionem rationis, & ſenſus: vel ad inferiora deprimitur, puta cum aliquis in furiam, vel in amentiam cadit, dicitur extaſim paſſus. Secundum appetitiuam vero partem dicitur aliquis extaſim pati, quando appetitus alicuius in alterum fertur, exiens quodammodo extra ſeipſum; primam quidem extaſim facit amor diſpoſitiue, inquantum, ſcilicet facit meditari de amato, vt dictum eſt. Intenſa autem meditatio vnius abſtrahit ab alijs: ſed ſecundam extaſim facit amor directe: ſimpliciter quidem amor amicitiæ, amor autem concupiſcentiæ non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Nam in amore concupiſcentiæ quodammodo fertur amans extra ſeipſum, inquantum, ſcilicet non contentus gaudere de bono, quod habet, quærit frui aliquo extra ſe, ſed quia illud extrinſecum bonum quærit ſibi habere, non exit ſimpliciter extra ſe, ſed talis affectio in fine ipſa concluditur; ſed in amore amicitiæ affectus alicuius ſimpliciter exit extra ſe, quia vult amico bonum, & operatur quaſi gerens curam, & prouidentiam ipſius, propter ipſum amicum.

Quomodo extaſis eſt effectus amoris.

C

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum zelus ſit effectus amoris.* Dicendum quod zelus quocunque modo ſumatur ex intentione amoris prouenit. Manifeſtum eſt enim quod quanto aliqua virtus intenſius tendit in aliquid, fortius etiam repellit omne contrarium, vel repugnãs. Cum igitur amor ſit quidam motus in amatum, vt Auguſtin. dicit in lib. 83. quæſtionum: Intenſus amor quærit excludere omne, quod ſibi repugnat: aliter tamen hic contingit in amore concupiſcentiæ, & aliter in amore amicitiæ; nam in amore concupiſcentiæ, qui intenſæ aliquid concupiſcit, mouetur contra omne illud, quod repugnat conſecutioni, vel fruitioni quietæ eius quod amatur, & hoc modo viri dicuntur zelare vxores, ne per conſortium aliorum impediatur ſingularitas, quam in vxore quærunt. Similiter etiam qui quærunt excellentiam mouentur contra eos, qui excellere videntur, quaſi impedientes eorum excellentiam, & iſte eſt zelus inuidiæ, de quo dicitur in Pſalm. 36. *Noli æmulari in malignantibus neque zelaueris facientes iniquitatem.* Amor autem amicitiæ quærit bonum amici: vnde quando eſt intenſus, facit hominem moueri contra omne illud quod repugnat bonis amici, & ſecundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando ſi quæ dicuntur, vel fiunt contra bonum amici homo repellere ſtudet; & per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere ſecundum poſſe conatur, ſecundum illud 3. Reg. 19. *Zelo zelatus ſum*

Quomodo zelus eſt effectus amoris.

D

E

pro domino exercituum. Et ideo ſuper illud. Pſal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*; dicit Gloſſa, quod bono zelo conditur quilibet, qui praua quæ viderit, corrigere ſagit; ſi nequit, tolerat, & gemit.

De odio.

DISTINCTIO XII.

Deinde conſiderandum eſt de odio. Et circa hoc quęruntur ſex. Primo, vtrum obiectum, & cauſa odij ſit malum. Secundo, vtrum odium cauſetur ex amore. Tertio, vtrum odium ſit fortius, quam amor. Quarto, vtrum aliquis poſſit odio habere ſeipſum. Quinto, vtrum aliquis poſſit odio habere veritatem. Sexto, vtrum aliquis poſſit odio haberi in vniuerſali.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum obiectum & cauſa odij ſit malum.* Dicendum, quod cum appetitus naturalis deriuetur ab aliqua apprehenſione, licet non coniuncta, eadem ratio videtur eſſe de inclinatione appetitus naturalis, & appetitus animalis, qui ſequitur apprehenſionem coniunctam. In appetitu autem naturali hoc manifeſtè apparet, quod ſicut vnumquodque habet naturalem conſonantiam, vel appetitudinem ad id quod ſibi conuenit, quæ eſt amor naturalis, ita ad id quod eſt ei repugnans & corruptiuum, habet diſſonantiam naturalem, quæ eſt odium naturale. Sic igitur, & in appetitu animali, ſeu intellectiuo, amor eſt conſonantia quedam appetitus, ad id quod apprehenditur vt conueniens, odium vero eſt diſſonantia quædam appetitus, ad id quod apprehenditur vt repugnans & nociuum; ſicut autem omne conueniens inquantum huiuſmodi habet rationem boni, ita omne repugnans, vel nociuum, inquantum huiuſmodi, habet rationem mali, & ideo ſicut bonum eſt obiectum amoris, ita malum eſt obiectum odij.

Obiectũ odij eſt malum.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum odium cauſetur ex amore.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, amor conſiſtit in quadam conuenientia amantis ad amatũ, odium vero conſiſtit in quadam repugnantia, vel diſſonantia, oportet autem in quolibet prius conſiderare, quid ei conueniat, quã quid ei repugnet, per hoc enim aliquid eſt repugnans alteri quod eſt corruptiuum, vel impeditiuum eius, quod eſt conueniens, vnde neceſſe eſt quod amor ſit prius odio, & quod nihil odio habeatur, niſi per hoc quod contrariatur conuenienti quod amatur, & ſecundum hoc omne odium ex amore cauſatur.

Odium ex amore cauſatur.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum odium fortius ſit amore.* Dicendum quod impoſſibile eſt effectum ſua cauſa eſſe fortiorem, omne enim odium procedit ex aliquo amore, ſicut ex cauſa, vt ſupra dictum eſt, vnde impoſſibile eſt quod odium fortius ſit amore ſimpliciter, ſed oportet vlterius quod amor ſimpliciter loquendo ſit odio fortior. Fortius enim mouetur aliquid in finem, quam in ea, quę ſunt ad finem; receſſus autem à malo, ordinatur ad conſecutionem boni, ſicut ad finem; vnde ſimpliciter loquendo fortior eſt motus animę in bonum, quam in malum, ſed tamen aliquando videtur odium fortius amore propter duo: Primo quidem, quia odium eſt magis ſenſibile, quam amor, cum enim ſenſus perceptio, ſit in quadam immutatione, ex quo aliquid iam immutatum eſt, non ita ſentitur, ſicut quando eſt in ipſo immutari, vnde calor febris ethicæ, quãuis ſit maior, quàm calor tertianæ, nontamen ita ſentitur, ſicut calor tertianæ, quia calor ethicæ iam verſus eſt quaſi in habitum & naturam; propter hoc etiam amor magis ſentitur in abſentia amati, ſicut Auguſtin. dicit in 10. de Trinitat. Quod *amor non ita ſentitur cum non prodit cum indigentia;* & propter hoc etiam repugnantia eius quod oditur, ſenſibilius percipitur, quam conuenientia eius quod amatur. Secundo, quia non comparatur odium ad amorem ſibi correſpondentem; ſecundum enim diuerſitatem bonorum, eſt diuerſitas amorum, in magnitudine & paruitate,

Amor eſt odio fortior ex natura ſua.

quibus

quibus proportionantur oppoſita odia; vnde odium quod correſpondet maiori amori, magis mouet, quàm minor amor.

Nemo poteſt ſeipſum odire niſi per accidens.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum aliquis poſſit odio habere ſeipſum.* Dicendum quod impoſſibile eſt, quod aliquis per ſe loquendo odiat ſeipſum, naturaliter enim vnumquodque appetit ſibi bonum, nec poteſt aliquis aliquid ſibi appetere, niſi ſub ratione boni, nam malum eſt præter voluntatem, vt Dionyſius dicit 4. cap. de di. no. Amare autem aliquem eſt velle ei bonum; vnde neceſſe eſt, quod aliquis amet ſeipſum; & impoſſibile eſt, quod aliquis ſeipſum odiat per ſe loquendo. Per accidens tamen contingit, quod aliquis ſeipſum odio habeat, & hoc dupliciter. Vno modo ex parte boni, quod ſibi vult aliquis. Accidit enim quandoque, quod appetitur vt ſecundum quid bonum, eſſe ſimpliciter malum; & ſecundum hoc aliquis per accidens vult ſibi malum, quod eſt odire. Alio modo ex parte ſui ipſius cui vult bonum. Vnumquodque enim maximè eſt id, quod eſt principalius in ipſo, vnde ciuitas dicitur facere quod Rex facit, quaſi Rex ſit tota ciuitas. Manifeſtum eſt ergo, quod homo maximè eſt mens hominis. Contingit autem quod aliqui æſtimant ſe maximè eſſe, id quod ſunt ſecundum naturam corporalem, & ſenſitiuam, vnde amant ſe ſecundum quod æſtimant ſe eſſe, ſed odiunt id quod verè ſunt, dum volunt contraria rationi, & vtroque modo ille, qui diligit iniquitatem, odit non ſolum animam ſuam, ſed etiam ſeipſum.

Veritas in particulari poteſt odio haberi, non autē in vniuerſali.

Ad qvintvm, ſcilicet, *vtrum aliquis poſſit odio habere veritatem.* Dicendum quod bonum, & verum, & ens, ſunt idem ſecundum rem, ſed differunt ratione. Bonum enim habet rationem appetibilis, non autem ens, vel verum; quia bonum eſt, quod omnia appetunt, & ideo bonum ſub ratione boni, non poteſt odio haberi, nec in vniuerſali, nec in particulari: ens autem, & verum, in vniuerſali quidem odio haberi non poſſunt, quia diſſonantia eſt cauſa odij, & conuenientia cauſa amoris, ens autem, & verum ſunt communia omnibus. Sed in particulari, nihil prohibet quoddam ens, & quoddam verum, odio haberi, inquantum habet rationem contrarij, & repugnantis; contrarietas enim & repugnantia, non aduerſatur rationi entis, & veri, ſicut aduerſatur rationi boni. Contingit autem verum aliquod particulare tripliciter repugnare, vel contrariari bono amato. Vno modo ſecundum quod veritas eſt cauſaliter, & originaliter in ipſis rebus, & ſic homo quandoque odit aliquam veritatem, dum vellet non eſſe verum, quod eſt verum. Alio modo ſecundum quod veritas eſt in cognitione ipſius hominis, quæ impedit ipſum à perſecutione amati; ſicut ſi aliqui vellent non cognoſcere veritatem fidei, vt liberè peccarent. Ex quorum perſona dicitur Iob 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Tertio modo habetur veritas particularis odio, tanquam repugnans, prout eſt in intellectu, alteri; puta cum aliquis latere volens in peccato odit, quod aliquis veritatem circa ſuum peccatum cognoſcat; & ſecundum hoc dicit Auguſt. in 10. Confeſſ. *quod homines amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem.*

Vniuerſale formaliter fit per abſtractionem.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum aliquid poſſit odio haberi in vniuerſali.* Dicendum quod de vniuerſali dupliciter contingit loqui. Vno modo ſecundum quod ſubeſt intentioni vniuerſali. Alio autem modo de natura cui talis intentio attribuitur: Alia enim eſt conſideratio hominis vniuerſalis, & alia hominis, in eo quod homo. Si igitur vniuerſale accipiatur primo modo, ſic nulla potentia ſenſitiuæ partis, neque apprehenſiua, neque appetitiua, poteſt in vniuerſale ferri; quia vniuerſale fit per abſtractionem à materia indiuiduali, in qua radicatur omnis virtus ſenſitiua, poteſt tamen aliqua potentia ſenſitiua, & apprehenſiua, & appetitiua, ferri in aliquid vniuerſaliter, ſicut dicimus, quod obiectum viſus eſt color, ſecundum genus; non quia viſus cognoſcat colorem vniuerſalem, ſed quia quod ſit cognoſcibilis

Quo ſenſu verum quod odium in vniuerſale feratur.

A à viſu, non conuenit colori, inquantum eſt hic color, ſed inquantum eſt color ſimpliciter. Sic igitur odium ſenſitiuæ partis, poteſt reſpicere aliquid in vniuerſali, quia ex natura communi aliquid aduerſatur alteri, & non ſolum ex eo quod eſt particularis, ſicut lupus oui; vnde ouis odit lupum generaliter. Sed ira ſemper cauſatur ex aliquo particulari, quia ex aliquo actu lædentis, actus autem particularium ſunt. Et propter hoc Philoſophus dicit quod *ira ſemper eſt ad aliquid particulare, vel ſingulare; odium vero poteſt eſſe ad aliquid in genere;* ſed odium ſecundum quod eſt in parte intellectiua cum conſequatur apprehenſionem vniuerſalem intellectus, poteſt vtroque modo eſſe, reſpectu vniuerſalis.

Nihil odiendum præter peccatum vel propter peccatum.

B Sciendvm autem quod nihil eſt habendum odio, niſi peccatum, vel propter peccatum. Sicut autem vnumquodque diligitur ratione bonitatis, & illud magis amandum eſt, in quo magis relucet ratio bonitatis; ſic vnumquodque odiendum propter malum, & vbi eſt maior ratio mali, illud eſt amplius odiendum. Primo igitur & principaliter odire debemus peccatum, inquantum eſt contrarium voluntati diuinæ, & inquantum Deus per ipſum contemnitur, dehonoratur, & offenditur. Et ſicut Deum, & eius honorem debemus amare ſuper omnia, ita peccatum, inquantum eſt contra Deum, & eius honorem; ſuper omnia debemus odire. Pſalm. 96. *Qui diligitis dominum odite malum.* Debemus etiam odire omnes dehonorantes Deum. Pſalm. 138. *Nonne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos.* Hoc autem eſt perfectum odium, vt ſic odiantur vitia, vt tamen diligantur homines, ſicut *Deus diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit*; ſicut dicitur Sapient. 11. Odit tamen peccatores, Eccleſ. 12. *Altiſſimus odio habet peccatores*; non naturam, quam condidit, nec animam, quam redemit. Ideo ſtatim ſequitur. *Et miſertus eſt pœnitentibus,* ideſt, ratione naturæ quam diligit, miſeretur peccatori, quam cito peccata dimittit pœnitendo. Peccatum debemus odire, ratione qua contrarium eſt ſaluti noſtræ. Pſalmiſta 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

C Odiamvs ergo peccatum, & omnem hominem, qui ſalutem noſtram impedit, & nos pertrahit ad peccatum. Ait enim Saluator, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, & vxorem & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod exponens, Gregorius ait. *Perunctari licet quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odiſſe, qui iubemur, & inimicos diligere. Sed ſi vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per diſcretionem valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus diligamus, & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Quaſi enim per odium diligitur, qui carnaliter ſapiens, dum praua nobis ingerit non auditur. Sic autem odiſſe debemus proximos, & amicos, ſicut & animam noſtram, quam tunc rectè odio habemus, cum eius appetitum frangimus, inclinationes naturales refrenamus, motus vitioſos reſtringimus, & inhoneſtos mores pœnitus abdicamus. *Qui ſic odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ioann. 12. Quod exponens Auguſtinus ait: *Magna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor, vt pereat; odium, ne pereat. Si male amaueris, tunc odiſti, ſi bene oderis, tunc amaſti. Fœlices, qui oderunt cuſtodiendo, vel cuſtodiunt odiendo, ne perdant amando.*

D Secvndo debemus odire quicquid eſt contrarium, & nociuum Reipublicæ, & bono communi, exemplo Pſalm. 118. dicentis: *A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.* Sequitur: *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Idem. *Facientes prænaricationes odiui.* Et iterum: *Iniquos odio habui.* Et quia cupiditas deteſtanda peruerti-

E

ta Dei myſteria comprehendere, quam hoc modicum cochlear, totum mare exhaurire, vel hæc fouea parua recipere. Quo audito magiſter inſipientiam ſuam cognouit, & ex tunc ab omni curioſa meditatione vel inquiſitione quieuit.

Libri prophetici difficiles.

ITEM aliqua excedunt intelligentiam alicuius, propter materiæ difficultatem, ſicut in libris Propheticis ſunt multæ quæſtiones valde difficiles, quas aliqui non facile, nec ſine multo ſtudio & dolore penetrare poſſunt, nec ad hoc habent aptitudinem propter ſuæ hebetudinem intellectus. Ideo dicit Sapiens, *Fortiorate ne ſcrutatus fueris*. In quo bene reprimit curioſitatem aliquorum, quibus ſcripturæ ſacræ verba deſipiunt, ſententiæ & expoſitiones doctorum faſtidiunt, & Græcas gloſſas optimas arbitrantes, pluris æſtimant vnum verbum Philoſophi proferre, quam multa ſalutaria documenta Pauli vel Chriſti. Et ipſi miſeri decipiunt ſeipſos, quia ſemper diſcentes nunquam ad cognitionem veritatis perueniunt; ſemper vacui, ſemper inſcij, ſemper tandem inflati, euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, omnia diſputantes, de omnibus volunt reddere rationem; quam ſi fortè veram vel apparentem inuenire neſciuerint, reputãt ſe cõfuſos. Vnde de Homero legitur, quod tranſiens iuxta quendam fluuium, ibique paſtores ſe expediculantes inueniens, interrogabat eos quid ibi agerent. Quibus reſpondentibus: Nos quos capimus dimittimus, & quos non capimus portamus nobiſcum. Ille putans quod piſcarentur, & de piſcibus loquerentur, diu quærens ſententiam huius verbi, & per ſe non inueniens, ſentiens ſe confuſum à talibus, & confuſionem ſuam non ferens, in flumine ſe ſubmerſit.

Exemplum. de morte Ariſtotelis & Homeri.

IN eiſdem Chro. dicitur, quod ſcribitur in libris Græcorum, quod Ariſtot. iuxta fluuium quoddam incedens, & aquæ reuolutionem inſpiciens, voluit ſcire cauſam eius, ſed cum eam inuenire non poſſet, aquam intrans voluit ſenſibiliter experiri, cum autem hinc inde curioſè conſpiceret, repente raptus à fluctibus eſt ſubmerſus. Sed alij ipſum aliter mortuum eſſe dicunt.

SEQVITVR. *Et in pluribus eius operibus ne fueris curioſus.* Multa namque ſunt opera Dei quorum non poteſt homo reddere rationem. Sicut, quare de duobus vnum eligit, alium reprobat: quare hunc in innocentia cuſtodit, illum peccare permittit: quare hunc iuſtificat, illum indurat: hunc paupertate & continuis paſſionibus affligit, illum corporis ſanitate, & rerum proſperitate mulcendo nutrit, & ſic de aliis. Si quis in huiuſmodi operibus Dei iuſto quidem ſed occulto iudicio factis rationem quæreret, in vacuum laboraret.

SEQVITVR. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter.* In hoc reprimit ſapiens curioſitatem multorum, qui prætermiſſis vtilibus immo neceſſarijs, totum tempus ſuum amittunt in ſtudendo, legendo, recitando fabulas poetarum, vt dictum eſt. Alij in logicis ſophiſmatibus; Alij in muſicis, vel mathematicis, vel cæteris Philoſophicis diſciplinis, dies ſuos expendunt. Contra quos ait Hieron. *Nonne videtur vobis in vanitate ſenſus & obſcuritate mentis ingredi, qui diebus & noctibus in dialectica arte torquetur, qui phiſicus perſcrutator oculos trans cœlum leuat?* Intelligendum eſt tamen quod ſtudium Philoſophiæ ſecundum ſe licitum eſt & laudabile, propter veritatem quam Phil. perceperunt, Deo eis reuelante; Sicut dicitur Rom. 3. & inquantum viam præbent ad veram & ſummam ſapientiam. Sicut reſpondit Aug. in li. de doc. Chri. quod *ſi aliqua vera dixerunt Philoſophi ab eis ſunt tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribꝰ in vſum noſtrum vendicanda.* Item Hier. ſuper Dan. *Qui de menſa regis noluerunt comedere ne polluerentur, ſi ſcientiam atque doctrinam Babyloniorum ſcirent eſſe peccatum, nũquam acquieſcerent diſcere quod non liceret.* Sed quidam nimis affecti huiuſmodi Philo. & nimis inueterati, abuntur eis ad impugnationem fidei, ideo dicit Apoſtolus Col. 2. *Videte ne quis vos ſeducat per Philo. & inanẽ ſcientiam.* Vel ſaltem non referunt in finem debitũ, ſed ibi conſtituunt finem ſuum, vel per hoc impediuntur à neceſſarijs ad ſalutem. Vnde Seneca. Epiſtol. l. ad Lucillum dicit, quod *cum tempus vitæ noſtræ ſit breuiſsimum, præcioſiſsimum, irrenocabile, & irrecuperabile, & incertum: Si* inquit *multum ſupereſſet ætatis, parce diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſarijs; nunc autem quæ dementia eſt ſuperuacua diſcere, in tanta temporis breuitate?* Intantum autem afficiuntur aliqui in talibus, quod eis verba Prophetarũ, immo etiam Apoſtolorum & Chriſti videntur inſipida & inſulſa.

Exemplum.

VNDE narrauit Hie. de ſeipſo, quod cum ſcripturæ verba quaſi ſimplicia faſtidiret, legeretque in libris Ciceronis, raptus in ſpiritu, & iudici præſentatus, interrogatus cuius conditionis eſſet, reſpondit Chriſtianus ſum, Cui dictum eſt: Tu mentiris, immo Ciceronianus es; iuſſuſque eſt duriſſimè flagellari. Patet ergo quantum curioſitas in talibus ſit vitioſa. Sed longè deterior eſt curioſitas quorundam, qui artes illicitas & nefarias addiſcunt & ſtudent, puta alchymiam, artem notoriam, necromantiam, aliaſque nefarias, in quibus non ſolum tempus ſuum perdunt, ſed & animas damnant. Act. 29. *Cum quidam exorciſtæ coniuraſſent dæmonem in quodam homine exiſtentem, per Ieſum quem Paulus prædicabat, dæmon in eos inſiliit & duriſsimè flagellauit, & factus eſt timor magnus ſuper omnes qui erant Epheſi, ideo multi qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros ſuos, & combuſſerunt.*

Curioſitas in cognitione ſenſitiua eſt duobus modis vitioſa.

SECVNDO quædã curioſitas eſt circa cognitionẽ sẽſitiuã. Sciendũ autẽ quod cognitio sẽſitiua ordinatur ad duo. *Vno modo* ordinatur ad ſuſtentationem & conſeruationem corporis, tam in hominibus, quam in brutis; inquantum tamen homines quam bruta, per huiuſmodi cognitionem vitant nociua, & ea quæ ſibi neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem vitæ procurant. *Alio modo* cognitio ſenſitiua in hominibus ordinatur ad cognitionem intellectiuam, ſpeculatiuam, vel practicam. Ponere ergo ſtudium circa cognitionem ſenſitiuam, poteſt eſſe dupliciter vitioſum. *Vno modo* inquantum cognitio ſenſitiua non ordinatur ad aliquid vtile, ſed potius auertit ab aliqua vtili conſideratione hominem. Vnde dicit Augu. 10. confeſſ. *Canem currentem poſſe leporem iam non ſpectat; at vero in agro ſi caſu tranſeam, auertit me ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe conuertit illa venatio; & iam niſi cito ſenſum amoueam, vanus hereſco,* ſtudioſa ergo inſpectio ludorum in theatris, chorearum in plateis, venationis in campis, vel in aere, eſt curioſitas vitioſa. *Alio modo* cognitio ſenſitiua ordinatur ad aliquid noxium. Sicut inſpectio mulieris ad concupiſcendum, & diligens inquiſitio eorum quæ fiunt ab aliis ad irridendum vel detrahendum. Vnde dicit Auguſt. li. de vera religio. quod *concupiſcentia oculorum reddit homines curioſos.* Beda vero dicit, quod *concupiſcentia oculorum non ſolum eſt in diſcendis magnis artibus, ſed etiam in contemplandis ſpectaculis, & in dignoſcendis & carpendis vitijs proximorum.* Ex curioſitate ſenſuum ortum habuiſſe videtur primæ tranſgreſſionis occaſio. Gen. 3. Nam mulier curioſè ſerpentem audiuit, curioſè vetitum lignum inſpexit, curioſè ſcientiam concupiuit, curioſè voluit experiri vtrum ex tactu ligni vetiti, ſerpentis promiſſio impleta ſequeretur. Dina curioſè mota fuit vt videret mulieres regionis illius, quæ viſa & oppreſſa virginitatem amiſit. Gen. 34. Ad reprimẽdum curioſum aſpectum præcepit Dominus Moyſi quod diceret populo. *Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines eius.* Sequitur, *conteſtare populum ne fortè tranſcendere velint terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Exo. 19. Itẽ Nu. 4. *Cauẽt filij Iſrael ne aliqua curioſitate promoti, videant quæ ſunt in ſanctuario priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* Vnde Bethſamitæ, quia curioſè viderunt arcã Domini, poſtquam redacta fuerat de terra Philiſtinorũ, mortui ſunt. Sicut dicitur 1. Reg. 6. *Percuſſit Dominus de viris Bethſamitis, eo quod vidiſſẽt arcã Domini; & percuſſit de populo 70*

viros

dicit Ambroſius, quod Iulianus Imperator licet eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos multos, quibus cum dicebat. *Producite aciem pro defenſione reipublicæ*, obediebant ei. Sed illo tempore eccleſia in ſui nouitate nondum habebat poteſtatem terrenos principes compeſcēdi; & ideo toleranit fideles Iuliano apoſtatæ obedire in his quæ non erant contra fidem, vt maius fidei periculum vitaretur. Legimus etiam multos ſanctos infidelibus obediſſe & ſeruiſſe: Sicut Ioſeph, Pharaoni: Daniel, Nabuch. Et Mardochæus, Aſſuero. Sed alia ratio eſt de infidelibus, qui nunquam fidē ſuſceperūt, & de apoſtatis, vel hæreticis relapſis, vt dictū eſt.

De ſchiſmate.

DEINDE conſiderandum eſt de ſchiſmate. Circa quod conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum ſchiſma ſit ſpirituale peccatum. Secundo vtrum ſit grauius infidelitate. Tertio de poteſtate ſchiſmaticorum. Quartò de pœna eorum.

AD primum, ſcilicet *vtrum ſchiſma ſit ſpeciale peccatū*, dicendum, quod ſicut Iſid. dicit in lib. Ety. Nomen ſchiſmatis à ſciſſura, vocatum eſt. Sciſſio autem vnitati opponitur. Vnde peccatum ſchiſmatis dicitur, quod directe & per ſe opponitur vnitati. Sicut enim in rebus naturalibus id quod eſt per accidens non conſtituit ſpeciem, ita etiam nec in rebus moralibus; in quibus id quod eſt intentum eſt per ſe. Quod autem ſequitur præter intentionem, eſt quaſi per accidens. Et ideo peccatum ſchiſmatis propriè eſt ſpeciale peccatū, ex eo quòd intendit ſe ab vnitate ſeparare, quam charitas facit, quæ non ſolum alteram perſonam alteri vnit ſpirituali dilectionis vinculo, ſed etiam totam eccleſiam in vnitate ſpiritus. Et ideo propriè ſchiſmatici dicuntur, qui propria ſponte & intentione, ſe ab vnitate eccleſiæ ſeparant, quæ eſt vnitas principalis. Nam vnitas particularis aliquorum adinuicem, ordinatur ad vnitatem eccleſiæ, ſicut compoſitio ſingulorum membrorum in corpore naturali, ordinatur ad totius corporis vnitatem. eccleſiæ autem vnitas in duobus attenditur, ſcilicet in connexione membrorum eccleſiæ ad inuicem, ſeu in communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum eccleſiæ ad vnum caput: ſecundum illud Col. 2. *Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & connexiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* Hoc autem caput eſt ipſe Chriſtus, cuius vicem in eccleſia gerit ſummus pontifex; & ideo ſchiſmatici dicūtur qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici, & qui membris eccleſiæ eidem ſubiectis communicare recuſant.

Schiſma eſt ſpeciale peccatum quia per ſe intendit abvnitate ſeparare eccleſiæ.

Solutio obiect.

PER alia quidem peccata diuiditur homo à Deo, ſicut dicitur Iſ. 49. *Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Sed hoc eſt per accidens, & præter intentionem peccantis accidit, ex inordinata conuerſione eius ad commutabile bonum & ideo non eſt ſchiſma per ſe loquēdo. *Item* licet omne peccatū mortale ſit cæleſtium inobedientia mandatorum, ſicut ait Ambr. tamen non obedire præceptis eccleſiæ cum rebellione quadam conſtituit ſchiſmatis rationem, dico autem cum rebellione, cum & pertinaciter præcepta eccleſiæ contemnit, & iudicia eius ſubire recuſat. Hoc autem non facit quilibet peccator. Vnde non omne peccatum eſt ſchiſma.

Diſcrimē inter ſchiſma & hæreſim.

EST autem differentia inter ſchiſma & hæreſim, quia ſecundum Auguſt. contra Fauſtum. *Schiſma eſt eadem opinantem, atque eodem ritu colentem quæ cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio. Hæreſis vero diuerſa opinatur ab his quæ catholica credit eccleſia.* Diſtinguuntur ergo hæreſis & ſchiſma ſecundum ea, quibus vtrunque per ſe & directe opponitur. Nam hæreſis per ſe opponitur fidei: Schiſma autem per ſe opponitur vnitati eccleſiaſticę charitatis. Et ideo ſicut fides & charitas ſunt diuerſæ virtutes, quamuis quicunque careat fide careat charitate; ita etiam ſchiſma & hæreſis ſunt diuerſa vitia; quamuis quicunque eſt hæreticus ſit etiam ſchiſmaticus, ſed non conuertuntur. Et hoc eſt quod dicit Hier. in epiſtola ad Galatas. *Inter ſchiſma & hæreſim hoc intereſſe arbitror, quod hæreſis peruerſum dogma habet, ſchiſma ab eccleſia ſeparat.* & tamen ſicut amiſſio charitatis eſt via amittendi fidem, ſecundum illud 1. Tim. 6. *A quibus quidam aberrantes*, ſcilicet à charitate, & alijs huiuſmodi, *conuerſi ſunt in vaniloquium*; ita etiam ſchiſma eſt via ad hæreſim. Vnde Hier. ibidē ſubdit, quod *ſchiſma in principio aliqua in parte poteſt intelligi diuerſum ab hæreſi.* Cęterum nullū ſchiſma eſt, niſi ſibi aliquam hæreſim confingat, vt rectè, ab eccleſiæ vnitate receſſiſſe videatur.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum ſchiſma ſit grauius peccatum infidelitate*, dicendum quod grauitas peccati dupliciter poteſt conſiderari. *Vno* modo ſecundum ſuam ſpeciem. *Alio* modo ſecundum circunſtantias. Et quia circunſtantiæ particulares ſunt, & infinitis modis variari poſſunt; quando quæritur in communi de duobus peccatis quod ſit grauius, intelligenda eſt quæſtio de grauitate, quæ attenditur ſecundum genus aut ſpeciē peccati: genus autem aut ſpecies peccati attenditur ex obiecto; & ideo illud peccatum quod maiori bono contrariatur, eſt ex ſuo genere grauius peccatum, ſicut peccatum in Deum, quam peccatum in proximum. Manifeſtum eſt autem quod infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deū, ſecundū quod ipſe eſt veritas prima cui fides innititur; Schiſma autē eſt contra eccleſiaſticam vnionem, quę eſt quoddam bonum participatum, & minus quam ſit ipſe Deus. Vnde manifeſtum eſt quod peccatum infidelitatis ex ſuo genere eſt grauius quam peccatum ſchiſmatis; licet poſſit contingere, quòd aliquis ſchiſmaticus grauius peccet, quam quidā infidelis vel propter maius periculū quod inducit, vel propter aliquid huiuſmodi.

Peccatū infidelitatis eſt grauius quā peccatum ſchiſmatis per ſe loquēdo.

Legitur tamen grauius eſſe punitum peccatū ſchiſmatis, quam peccatum hæreſis vel idolatriæ: quod atteſtari videtur grauitati peccati, ſecundum illud Deu. 26. *Secundum menſuram delicti, erit & plagarum modus.* Quod autem grauius punitū fuerit peccatum ſchiſmatis, patet Num. 26. *Si nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad eos pertinēt, deſcenderintque viuentes in infernum; ſcietis quod blaſphemauerunt dominum.* Item decem tribus quæ vitio ſchiſmatis à regno Dauid receſſerunt, grauiſſimè ſunt punitę, ſicut habetur 4. Reg. 17. Peccatum vero infidelitatis vel idolatriæ, humana manu gladio punitum eſt. Exo. 32. *Cuius* ratio eſt, quia iam manifeſtum erat per legem ſuſceptam quod erat vnus Deus, & quòd non erant alij Dij colendi, & hoc erat apud eos per multiplicia ſigna confirmatum, & ideo non oportebat quod peccantes contra hanc fidem, punirentur miraculoſa aliqua ſola pœna, ſed ſolum communi. Sed non erat ſic notum apud eos quod Moyſes deberet eſſe ſemper eorum princeps; & ideo rebellantes eius principatui, oportebat miraculoſa & inconſueta pœna puniri. Vel poteſt dici, quod peccatum ſchiſmatis quandoq; grauius eſt punitum in populo illo, quia erat ad ſeditiones & ſchiſmata promptus. Dicitur enim Eſdræ 4. *Ciuitas illa à diebus antiquis aduerſus regem rebellat, & ſeditiones & prælia concitantur in ea.* Pœna autem maior quādoq; infligitur pro peccato magis conſueto. Nā pœnæ ſunt medicinæ quædam ad arcendum homines à peccato. Vnde vbi eſt maior pronitas ac peccandū, debet ſeuerior pœna adhiberi. Decem autem tribus non fuerunt ſolum punitæ pro peccato ſchiſmatis, ſed etiam pro peccato idolatriæ.

Solutio obiect.

ITEM ſicut bonum multitudinis eſt maius quā bonum vnius, qui eſt de multitudine; ita eſt minus quam bonum extrinſecum ad quod multitudo ordinatur. Sicut bonum ordinis exercitus eſt minus quam bonum ducis. Et ſimiliter bonū eccleſiaſticæ vnitatis, cui opponitur ſchiſma, eſt minus quam bonum veritatis diuinæ cui opponitur infidelitas.

ITEM licet ſchiſma opponatur charitati, & infidelitas fidei quæ minor eſt, hoc tamen non prohibet quin infidelitas ſit grauior, quia charitas habet duo

obie-

ipse inferior appetitus, suo modo tendat in spirituale bonum, conueniens appetitum superiorem, & etiam ipsum corpus spiritualibus deseruiat, sicut in Psal. 83. dicitur: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum concupiscentia sit passio specialis*. Dicendum, quod sicut dictum est, bonum delectabile secundum sensum, est communiter obiectum concupiscibilis, vnde secundum eius differentiam diuersæ passiones concupiscibilis distinguuntur. Diuersitas autem obiecti potest attendi, vel secundum naturam ipsius obiecti, vel secundum diuersitatem in virtute agendi. Diuersitas autem obiecti actiui, quæ est secundum rei naturam, facit materialem differentiam passionum. Sed diuersitas, quæ est secundum virtutem actiuam, facit formalem differentiam passionum, secundum quam passiones specie differunt. Est autem alia ratio virtutis motiuæ ipsius finis, vel boni, secundum quod est realiter præsens, & secundum quod est absens. Nam secundum quod est præsens, facit in seipso quiescere, secundum autem quod est absens, facit ad seipsum moueri. Vnde ipsum delectabile secundum sensum inquantum appetitum sibi adaptat quodammodo & conformat, causat amorem. Inquantum vero absens; attrahit ad seipsum, & causat concupiscẽtiam, inquantum vero præsens, quietat in seipso, & causat delectationem. Sic igitur concupiscentia est passio differens specie, & ab amore, & à delectatione; sed concupiscere hoc delectabile, vel illud, facit concupiscentias diuersas numero.

Concupiscẽtia differt, specie ab amore & delectatione.

AD TERTIVM, scilicet, *vtrum sint quædam concupiscentiæ naturales, & quædam non naturales*. Dicendum, quod sicut dictum est, concupiscentia est appetitus boni delectabilis. Dupliciter autem est aliquid delectabile. Vno modo, quia est conueniens animalis naturæ, sicut cibus, potus, & huiusmodi; & huiusmodi delectabilis concupiscentia dicitur naturalis. Alio modo est aliquid delectabile, quia est conueniens animali secundum apprehensionem, sicut cum aliquis apprehendit aliquid, vt bonum, & conueniens, delectatur in ipso; & huiusmodi delectabilis concupiscentia dicitur non naturalis, & solet magis dici cupiditas. Primæ igitur concupiscentiæ naturales, communes sunt hominibus, & animalibus; quia vtriusque est aliquid conueniens, & delectabile secundum naturam; & in his etiam omnes homines conueniunt; vnde Philosophus in 3 Ethi. vocat eas omnes, & necessarias. Sed secundæ concupiscentiæ sunt propriæ hominum, quorum proprium est excogitare aliquid, vt bonum, & conueniens, præter id quod natura requirit. Vnde in 1. Rhetoricæ Philosophus dicit *primas concupiscentias esse irrationales, secundas vero cum ratione*. Et quia diuersi diuersimodè ratiocinantur, ideo & secundæ dicuntur in 3. Ethi. propriæ & appositæ, scilicet supranaturales.

Cõcupiscentia alia naturales alia non naturales.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum concupiscentia sit infinita*. Dicendum quod sicut dictum est concupiscentia est duplex, vna naturalis, & alia non naturalis. Naturalis quidem concupiscentia non potest esse infinita in actu. Est enim eius, quòd natura requirit, natura vero semper tendit in aliquid finitum, & certum; vnde nunquam homo concupiscit infinitum cibum, vel infinitum potum. Sed sicut in natura contingit esse infinitum in potentia per successionem, ita huiusmodi concupiscentia contingit in infinitum esse per successionem; vt scilicet post adeptum cibum, iterum alia vice desideret cibum, vel quodcunque aliud natura requirit; quia huiusmodi corporalia bona cũ aduenium non perpetuo manent, sed deficiunt. Vnde dominus dixit Samaritano, Ioan. 4. *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum*. Sed concupiscentia non naturalis omnino est infinita. Sequitur enim rationem, vt dictum est; rationi autem competit in infinitum procedere; vnde qui concupiscit diuitias, potest eas concupiscere, non ad aliquem certum terminum, sed simpliciter diuitem se esse, quantumcunque potest. Potest & alia ratio assignari secundum Philosophum in primo politicæ. Quare quædam concupiscentia sit finita, & quædam infinita. Semper enim concupiscentia finis infinita est, finis enim per se concupiscitur, vt sanitas; vnde maior sanitas magis concupiscitur, & sic in infinitum; sicut si album per se disgregat, magis album magis disgregat; concupiscentia vero eius quod est ad finem, non est infinita, sed secundum illam mensuram appetitur qua conuenit fini; vnde qui finem in diuitijs ponunt, habent concupiscentiam diuitiarum in infinitum. Qui autem diuitias non appetunt, nisi propter necessitatem vitæ, concupiscunt diuitias finitas sufficientes ad necessitatem vitæ, vt Philosophus dicit ibidem. Et eadem ratio est de concupiscentia quarumcumque aliarum rerum.

Cõcupiscentia quarto sensu infinita.

De abominatione.

DISTINCTIO XIV.

DEINDE considerandum est de passione abominationis, vel fugæ. Sicut autem affectionem amoris sequitur desiderium, quia cum aliquid cœpit amari, statim desideratur haberi; sic post passionem odij sequitur abominatio, vel fuga; quia cum aliquid incipit odiri, statim cor incipit illud abominari, & refugere.

SCIENDVM autem, quod solum peccatum abominari debemus; specialiter tamen hypocrisis falsitatem, in regularibus; symoniacam prauitatem, in clericis & prælatis; iniustitiam, in Principibus; detractionis malitiam, in curialibus; ornatus vanitatem & luxuriæ fœditatem, in mulieribus. Specialiter abominari debet anima, hypocrisis falsitatem, & maximè in regularibus; quia & Deus abominatur eam. Sicut dicit Luc. 16. *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*. Item symoniacam prauitatem in clericis. Dan. 9. *Erit in templo abominatio desolationis*. Item Ezech. 8. *Vidi ab Aquilone portæ altaris idolum cæli in ipso introitu. Et dixit ad me, fili hominis putas ne vides tu quid isti faciunt? abominationes magnas quas domus Israel facit hic, vt procul recedam à Sanctuario meo*. Item iniquitatem, & iniustitiam in principibus. Psal. 118. *Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*. Item Prouerb. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominatio est apud Deum*. Idem 11. *Statera dolosa abominatio est ante Deum*. Item detractorum virulentas sęuitias, & adulatorum fraudulentas blanditias in curialibus. Prouerb. 24. *Abominatio est hominum omnis detractor*. Idem 3. *Abominatio est domino omnis illusor*. De vtroque simul, Prouerb. 17. *Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum*; Item ornatus vanitatem, & luxuriæ fœditatem in mulieribus. Vnde dicebat Hester 14. *Tu scis infirmitatem, & necessitatem meam, quòd abominer omne signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in die ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatum, & non portem illud in diebus silentij mei*. Exemplo huius sanctæ Reginæ, abominari debent omnes dominæ, & mulieres honestæ, fastum & etiam indecentiam in ornatu suo. Contra quod loquitur beatus Ioannes, Apoc. 17. *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ; & in fronte eius nomen scriptum, mysterium; Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ*.

Quinque specialiter abominanda.

1. *Hypocrisis.*

2. *Simonia.*

3. *Iniustitia.*

4. *Detractio & adulatio.*

5. *Fastus & luxuria.*

DE FVGA vero sciendum, quod sicut appetitus bene dispositus abominatur malum, inquantum tristabile, vel nociuum, sic etiam fugit, & sicut bonum ratione suæ bonitatis est appetibile, sic malum, in eo quod malum, est fugiendum. Fuga igitur proprie loquendo

Fuga triplex

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quendo est respectu mali, inquantum habet rationem tristabilis, vel nociui. Sciendum tamen quod est quædam fuga miserabilis, quędam detestabilis, & quædā commendabilis.

Fuga miserabilis quæ.

PORRO fuga miserabilis est qua vita nostra præsens continuè fugit. Naturaliter enim homo nititur fugere mortem, sed hoc est miserabile, quod incessanter fugit ad mortem. Dicit enim August. quod *vita nostra nihil est aliud, quam cursus ad mortem.* Item miserabilis est vita nostra, quia multis miserijs cumulatur, sicut dicitur Iob 13. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra &c.* Grego. *Quamuis homo hic diu stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitę, impellitur vt egrediatur, & quia per momenta singula cōpellitur ad mortem, recte dicitur: Et fugit velut vmbra.* Vmbra quippe fugax est, & obscura; & semper moto corpore cuius est vmbra, mouetur, nec teneri potest. Vita igitur nostra dicitur fugere velut vmbra, quia cæcitatem mentis patimur, & si quid cognitionis habemus obscure cognoscimus, & defectum caloris, idest amoris diuini patimur. Item Iob 9. *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum.*

Fuga detestabilis qua & quotuplex.

ITEM est fuga detestabilis, quando scilicet fugit homo id quod verum bonum est & vtile; sibi tamen reputat esse malum. Et hoc fit multipliciter. Primo quidē, quando fugit homo correctionē insipientiæ, sicut puer fugit scholas, discipulus doctorē, filius patrē corripientem, & indeuotus homo fugit ecclesiā & prędicationes; & insolens consortia bonorum. Prouer. 19. *qui affligit patrem suum*, suis malis moribus, vel insolentijs, & *matrem fugit*, docentem, monentem, & corripientem, *ignominiosus erit*; id est ignominia dignus erit; Secundo, quando fugit subiectionem obedientiæ, sicut Agar ancilla Sarai fugit, vt dicitur Gen. 15. *affligente eam Sarai fugam iniit. Cui dixit Angelus Domini, Agar ancilla Sarai, vnde venis, & quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meę fugio. Dixitque ei Angelus Domini, reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu ipsius.* Hanc imitantur inobedientes in claustris, & monasterijs, qui à suis religionibus apostatant, iugum obediētiæ fugientes. Tertio, quando fugit austeritatem pœnitentię, timens scilicet aggredi pœnitentiam, quia dura est. Sed iste incurrit illud poeticum. Decidit in Scyllam, cupiens vitare Carybdim. Et illud Iob 6. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Greg. *Sunt plerique qui recta agere desiderant; sed nonnulla sunt, quæ infirmis eorum mentibus, ex præsenti vita contradicunt. Cumque aduersa in infimis metuunt, in superni iudicij rectitudinē offendunt, dum temporalia aduersa pertimescunt, districtioni animaduersionis ęternæ se obijciunt.* De quibus bene per Psal. 13. dicitur: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Item Iob 20. *Fugiet arma ferrea, & incidet in arcum æreum*: idest, vitabit dura, vel aduersa temporalia, & incidet in æterna, quia qui timore malo, fugit austeritatem pœnitentiæ temporalis, incidet in pœnam miseriæ Gehennalis. Quarto quando fugit austeritatem sustinentiæ, sicut quando ad modicum tentationis impulsum statim vincitur & fugit, vnde de quibusdam dicitur 7. Mach. *Proiecerunt arma sua, & fugerunt.* Et de discipulis domini dicitur, Math. 16. quod *relicto eo fugerunt.* De malo etiam pastore dicitur, Ioh. 10. *Mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Quia pastor qui plus quærit lucra temporalium, quàm salutem fidelium subditorum, videns persecutorem hominem, vel diabolum, gregem sibi creditum, inuadentem fugit, quando consilium, vel præsidium subtrahit. Et quandoque timet homo periculum suspicatum, vbi non est periculum, quia scriptum est Prouer. 28. *Fugit impius nemine persequente.*

Fuga cōmendabilis qua & quotuplex.

TERTIO, quædam est fuga commendabilis, quæ scilicet est respectu veri mali, non solum apparentis. Et ista duplex est, videlicet, vel respectu mali culpæ, vel mali pœnę. Porro malum culpæ summopere est fugiēdum, sicut dicitur Prouer. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Colubro quippe peccatum propriè comparatur, quia coluber serpit, tortuose incedit, venenum silenter infundit, & infundendo occidit. Item coluber solo aspectu horrorem incutit. Nota bene & applica. Nec solum peccata fugienda sunt, quæ verè peccata sunt, verumetiam, quę speciem peccati prętendunt. Sicut docet Apostolus 1. Thessa. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Et hoc fuit bene figuraliter designatum, Exod. 4. Vbi dicitur, quod *virga Moysi versa est in colubrem, ita vt fugeret Moyses.* Coluber ille non creditur habuisse venenum, sed speciem habebat venenati serpentis, & ideo Moyses fugit. Sic quicquid habet speciem, apparentiam, vel colorem peccati, debemus fugere, & vitare. Licet autem peccatum omne sit summa diligentia fugiendum, specialiter tamen peccatum luxuriæ, sicut docet 1. Corint. 6. *Fugite fornicationem.* Glo. *Cum alijs vitijs potest expectari conflictus: Sed hanc fugite ne approximetis, quia non aliter melius potest vinci.* Ideo Ioseph, cum domina sua sollicitaret eum, relicto in manu eius pallio fugit. Genesis 39. & Eccles. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor eius, vincula sunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam.* Et 2. Pet. 1. *Efficiamini consortes diuinæ naturæ fugientes illam, quæ in mundo est concupiscentię corruptionem.* Non solum autem peccata, vel quæ speciem habent. 1. apparentiam peccatorum, fugere debemus, verumetiam quæcunque dare possunt occasiones ad peccādum. Et sunt specialiter tria, videlicet excellentię mūdiales, opulentiæ temporales, & insolentiæ sociales.

Tres sūt speciales peccandi occasiones.

EXCELLENTIÆ quidem mundiales prębent vt plurimum occasiones superbię, fastus, indignationis, præsumptionis, elationis, & multorum talium. Ideo Dominus non tam verbo, quàm exemplo, fugiendam esse docuit excellentiam mundialem; quia cum cognouisset, quod venturi essent vt caperent eum, & facerent regem, fugit ipse in montem. De multis sanctis legimus, quod fugiebant honores, sicut Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Martinus, Basilius, & alij multi. De hoc require infra 3. libro de ambitione.

ITEM multas peccatorum occasiones dant opulentiæ temporales, sicut dicit Apostolus 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Sequitur: *Tu autem homo Dei hoc fuge.* Ideo Mathathias volens mundana deserere, vt Deo liberius seruiret, dixit 1. Mach. 2. *Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me, & fugit ipse, & filij eius in montes, & reliquerunt omnia, quæ habebant in ciuitate.* Item quarto Regum septimo. *Fugerunt Syri, & dereliquerunt tentoria sua, & equos, & mulos, & asinos in castris, fugerunt que animas tantum suas saluare cupientes.*

ITEM multas occasiones peccatorum prębent insolentiæ sociales. Psalmo 7. *Cum peruerso peruerteris.* In vitis patrum legitur dictum esse Arsenio quętēti quomodo posset saluari: Fuge homines, & saluaberis. Tobiæ 1. *Cum irent omnes ad vitulos aureos quos Hieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium.* Bern. ad Fischonem monachum. *Fugit ouis tremebunda, veniente lupo, abscondit se columba, accipite viso, de cauerna mus ęsuriens exire non audet, ambiente catto; & tu cum videbas furem currebas cum eo.* De hoc require infra de vitanda societate malorum.

ITEM fugiendum est malum pœnæ. Multa vero sunt mala pœnæ, quæ fugere debemus, videlicet, persecutiones, perturbationes, tremebundum iudicium, & horrendum inferni supplicium. Persecutiones quidem fugere possumus & debemus, sicut fugit Iacob à facie Esau fratris sui. Genes. 27. & Moyses à facie Pharaonis. Exodi 2. *Quærebat Pharao occidere Moysen, qui fugiens à conspectu eius, moratus est in terra Madian.* Similiter Dauid à facie Saul 1. Reg. 19. *Fugit Dauid & saluatus est.* Sic Helias à facie Iezabel 3. Regum

Quæ pœna fugienda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sic præceperat Angelus Ioseph, Matth. 2. *Fuge in Ægyptum.* Sic Dominus dixit discipulis suis: Marc. 10. *Cum vos persequentur de vna ciuitate, fugite in aliam.* Sic Sancti, Hieronymus, Sylvester, Vrbanus, & alij, persecutiones tyrannorum fugiebant ad tempus. Item fugere debemus perturbationes mentis. Psal. 54. *Elongaui fugiens, &c.* Michææ 2. *Surgite, abite, quia non habetis hîc requiem.* Sic fugiebant sancti inquietudines, & tumultus mundi, vt quieti seruirent Deo, & contemplationi vacarent. Vnde Hierem. 48. *Fugite, saluate animas vestras.* Et eiusdem 51. *Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam.* Item fugere debemus iudicium tremendum, sicut monet. Iob 19. *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis gladius.* Gregorius 14. Moral. capit. vlt. *Faciem glady fugere, est animaduersionis districtæ sententiam antequam oporteat, placare. Vitari namque terror iudicis non nisi ante iudicium potest; vnde necesse est nunc timere iudicem, cum nondum iudicium exercet, cum diu sustinet, cum adhuc mala tollerat quæ videt, ne cum semel manum in retributione vltionis excusserit, tanto districtius in iudicio feriat, quanto ante iudicium diutius expectauit.* Sequitur: *Et scitote esse iudicium.* Et Gregorius ibidem. *Omnis qui peruersè agit, eo ipso quòd hoc timere despicit, Dei iudicium esse nescit. Nam sunt plerique, qui extremum esse iudicium verbotenus sciunt, sed peruersè agendo testantur, quia nesciunt.* Vnde beatus Ioannes Baptista prædicando Iudæis, dicebat: Matth. 3. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira.* Sequitur. *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Item fugere debemus horrendum inferni supplicium. Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini, fugere omnia ista, quæ ventura sunt,* scilicet super impios, quæ tam inæstimabiliter erunt acerba, quòd sicut dicitur Apocal. 9. *Quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Sic econtra dicitur de iustis, Isa. 35. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.*

De delectatione.

DISTINCTIO XV.

DEINDE considerandum est de passione delectationis. Sicut autem ad amorem sequitur desiderium, sic ad desiderium sequitur delectatio, quia *desiderium, si compleatur, delectat animam.* Prouer. 14. Ideo postquam dictum est de passione desiderij, consequenter est de delectatione dicendum. Circa delectationem vero consideranda sunt quatuor. Primo de ipsa delectatione secundum se. Secundo de causis delectationis. Tertio de effectibus eius. Quarto de bonitate, vel malitia eius. Circa primum quæruntur octo. Primo, vtrum delectatio sit passio. Secundo, vtrum sit in tempore. Tertio, vtrum differat à gaudio. Quarto, vtrum sit in intellectiuo appetitu. Quinto de comparatione delectationum superioris appetitus ad delectationem inferioris. Sexto de comparatione delectationum sensitiuarum ad inuicem. Septimo, vtrum sit aliqua delectatio non naturalis. Octauo, vtrum delectatio possit esse contraria delectationi.

Delectatio quid.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum delectatio sit passio.* Dicendum, quòd motus appetitus sensitiui propriè passio nominatur, affectio autem quæcunque ex apprehensione sensitiua procedens, est motus appetitus sensitiui, hoc autem necesse est competere delectationi. Nam sicut Philosophus dicit in primo Rhetor. *delectatio est quidam animæ motus, & constitutio, simul tota & sensibilis, in naturam existentem.* Ad cuius intellectum considerandum est, quòd sicut contingit in rebus naturalibus, aliqua consequi suas perfectiones naturales; ita hoc contingit in animalibus; & quamuis moueri ad perfectionem, non sit totum simul, tamen consequi naturalem perfectionem est totum simul. Hæc autem est differentia inter animalia, & alias res naturales, quòd aliæ res naturales, quando constituuntur in id quod conuenit eis secundum naturam, hoc non sentiunt; sed animalia sentiunt, & ex isto sensu causatur motus quidam animæ in appetitu sensitiuo, & iste motus est delectatio. Per hoc ergo, quod dicitur, quod *delectatio est motus animæ*, ponitur in genere: Per hoc verò, quod dicitur *constitutio in existentem naturam*, id est in illud, quod existit in natura rei, ponitur causa delectationis, scilicet præsentia esse naturalis boni. Per hoc autem, quòd dicitur, *tota simul*, ostendit, quòd constitutio non debet accipi, prout est in constitui, sed prout est in constitutum esse, quasi in termino motus: Non enim delectatio est generatio, vt Plato posuit, sed magis consistit in factum esse, vt dicitur in 7. Ethic. Per hoc autem, quòd dicit *Sensibilis*, excluduntur perfectiones rerum insensibilium, in quibus non est delectatio. Sic ergo patet, quòd cum delectatio sit motus in appetitu animali, consequens apprehensionem sensus, delectatio est passio animæ.

Delectatio est passio animæ.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum delectatio sit in tempore.* Dicendum, quod aliquid contingit esse in tempore dupliciter. Vno modo secundum se, alio modo per aliud, & quasi per accidens. Quia enim tempus est numerus successiuorum; Illa secundum se dicuntur esse in tempore, de quorum ratione est successio, vel aliquid ad successionem pertinens, sicut motus, quies, locutio, & huiusmodi: Secundum vero aliud, & non per se, dicuntur esse in tempore illa, de quorum ratione non est aliqua successio, sed tamen alicui successiuo subiacent. Sicut esse hominem, de sui ratione non habet successionem, non enim est motus, sed terminus motus, vel mutationis, vel generationis ipsius: sed quia humanum esse subiacet causis transmutabilibus, secundum hoc esse hominem, est in tempore. Sic ergo dicendum est, quòd delectatio, secundum se quidem non est in tempore: est enim delectatio in bono iam adepto quod est quasi terminus motus: sed si illud bonum iam adeptum transmutationi subiaceat, erit delectatio per accidens in tempore. Si autem sit omnino intransmutabile, delectatio non erit in tempore, nec per se, nec per accidens.

Delectatio quomodo in tempore.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum gaudium sit idem quod delectatio.* Dicendum, quod gaudium, vt Auicenna dicit in suo lib. de Anima, est quędam species delectationis. Est autem considerandum, quod sicut sunt quędam concupiscentiæ naturales, quædam autem non naturales, sed consequuntur rationem (vt supra dictum est;) ita etiam delectationum quædam sunt naturales, quædam non naturales, quæ sunt cum ratione. Vel sicut Damascen. & Gregor. Nyssen. dicunt, quędam sunt corporales, quædam animales, quod in idem redit. Delectamur enim, & in his, quæ naturaliter concupiscimus, ea adipiscentes; & in his, quæ concupiscimus, secundum rationem. Sed nomen gaudij non habet locum, nisi in delectatione, quæ consequitur rationem, vnde gaudium non attribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis. Omne autem quod concupiscimus secundum naturam, possumus secundum naturam. Possumus etiam cum delectatione rationis concupiscere, sed non econuerso: vnde de omnibus potest esse delectatio. Potest etiam esse gaudium in habentibus rationem, quamuis non semper de omnibus sit gaudium. Quandoque enim aliquis sentit, aliquam delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundum rationem; & secundum hoc patet, quod delectatio est in plus, quàm gaudium.

Discrimen inter delectationem & gaudium.

AD QVARTVM, scilicet, *vtrum delectatio sit in appetitu intellectiuo.* Dicendum (quod sicut dictum est) delectatio quędam sequitur apprehensionem rationis. Ad apprehensionem autem rationis non solum commouetur appetitus sensitiuus per applicationem ad aliquid particulare, sed etiam appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas, & secundum hoc in appetitu intellectiuo,

Quomodo delectatio sit in voluntate

lectiuo, siue in voluntate est delectatio, quæ gaudium dicitur, non autem delectatio corporalis. Hoc tamen interest inter delectationem vtriusque appetitus, quòd delectatio appetitus sensibilis est cum aliqua transmutatione corporali: Delectatio autem appetitus intellectiui, nihil est aliud, quàm simplex motus voluntatis, & secundum hoc Aug. dicit 14. de Ciuit. Dei, quòd *cupiditas, & lætitia non est aliud, quàm voluntas in eorum consecutione, quæ volumus.*

A

AD quintum, scilicet vtrum delectationes corporales *& sensibiles, sint maiores delectationibus spiritualibus.* Dicendum, quod sicut dictum est, delectatio prouenit ex coniunctione sibi conuenientis, quę sentitur, vel cognoscitur. In operibus autem animæ præcipuè sensitiuæ, & intellectiuæ, est hoc considerandum, quòd si non transeant in materiam exteriorem, sunt actus, vel perfectiones operantis scilicet intelligere, sentire, velle, & huiusmodi: Nam actiones, quæ transeunt in exteriorem materiã, magis sunt actiones, & perfectiones materiæ transmutatæ; Motus enim est actus mobilis à mouente, sic igitur prædictæ actiones animæ sensitiuæ & intellectiuę, & ipsæ sunt quoddam bonum operãtis, & sunt etiam cognitæ per sensum, & per intellectum, vnde etiam ex ipsis consurgit delectatio, & non solum ex eorum obiectis. Si igitur comparantur delectationes intelligibiles, delectationibus sensibilibus, secundum quod delectamur in ipsis actionibus, puta in cognitione sensus, & in cognitione intellectus, nõ est dubium, quòd multo sunt maiores delectationes intelligibiles, quã sensibiles. Multo magis enim delectatur homo, de hoc quod cognoscit aliquid intelligendo, quàm de hoc, quod cognoscit aliquid sentiendo, quia intellectualis cognitio, & perfectior est, & magis etiam cognoscitur, quia intellectus magis reflectitur supra actum suum, quam sensus. Est etiam cognitio intellectiua magis dilecta, nullus enim est, qui non magis vellet carere visu corporali, quàm visu intellectuali, eo modo quo bestiæ, vel stulti carent. Sic Aug. dicit in lib. de Ciuit. Dei.

B

C

SED si comparentur delectationes intelligibiles spirituales, delectationibus sensibilibus corporalibus: Sic secundùm se, & simpliciter loquendo, delectationes spirituales sunt maiores. Et hoc appareret secundum tria, quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum coniunctum, & id cui coniungitur, & ipsa coniunctio. Nam ipsum bonum spirituale, & est maius quàm bonum corporale, & est magis dilectum. Cuius signum est, quod homines etiã à maximis corporalibus voluptatibus abstinent, vt non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter ipsa pars intellectiua est multo nobilior, & magis cognoscitiua, quàm pars sensitiua. Coniunctio etiam vtriusque est magis intima, & magis perfecta, & magis firma. Intimior quidem est, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei, Intellectus vero penetrat vsque ad rei essentiam (obiectum enim intellectus est, quod quid est) Perfectior autem est coniunctio, quia coniunctioni sensibilis ad sensum, adiungitur motus; qui est actus imperfectus, vnde & delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransijt, & aliquid expectatur consummandum, vt patet in delectatione ciborum, & venereorum: sed intelligibilia sunt absque motu, vnde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiã firmior; quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & cito deficiunt; bona vero spiritualia sunt incorruptibilia.

Delectatio volũtatis est perfectior quam delectatio appetitus, sed minus vehemens.

SED quo ad nos delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. Primo, quia sensibilia sunt magis nota quo ad nos, quàm intelligibilia. Secundo etiam, quia delectationes sensibiles, cum sint passiones appetitus sensitiui, sunt cum aliqua transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quandam redundantiam à superiori appetitu in inferiorẽ. Tertio, quia delectationes corporales appetuntur, vt medicinę quædã contra corporales defectus, vel molestias, ex quibus tristitię quædã consequuntur; vnde delectationes corporales tristitijs huiusmodi superuenientes, magis sentiuntur; & per consequens magis acceptantur, quã delectationes spirituales, quæ nõ habent tristitias cõtrarias. Ideo autem plures consequuntur delectationes corporales, quia bona sensibilia sunt magis & pluribus nota: & quia homines indigent delectationibus, vt medicinis contra multiplices dolores, & tristitias. Similiter cum plures homines non possint attingere ad delectationes spirituales, quæ sunt propriè virtuosorum, conueniens est, quod declinent ad corporales.

Cur plures quærunt delectationes corporales quam spirituales.

D

AD sextum scilicet *vtrum delectationes quæ sunt secũdum tactum, sint maiores delectationibus secũdum alios sensus.* Dicendum, quod (sicut dictum est) vnumquodque inquantũ amatur efficitur delectabile. Sensus autẽ, vt dicitur in principio Metaph. diliguntur propter duo scilicet propter cognitionem, & propter vtilitatẽ: vnde & vtroque modo contingit esse delectationem secundum sensum. Sed quia apprehẽdere ipsam cognitionẽ, tanquam bonum quoddam est proprium hominis, ideo primę delectationes sensuum, quæ scilicet sunt secundum cognitionem, sunt propriæ hominum: delectationes autem sensuum, inquantum diliguntur propter vtilitatem, sunt communes omnibus animalibus. Si igitur loquamur de delectatione sensus, quæ est ratione cognitionis, manifestum est, quod secundum visum, est maior, delectatio, quàm secundum aliũ aliquem sensum; si autẽ loquamur de delectatione sensus, quæ est ratione vtilitatis, sic maxima delectatio est secundum tactum; vtilitas enim sensibilium attenditur, secundum ordinem ad conseruationem naturæ animalis. Ad hanc autem vtilitatem propinquius se habẽt sensibilia tactus. Est enim tactus cognoscitiuus eorum, ex quibus consistit animal scilicet calidi, & frigidi, & huiusmodi; vnde secundum hoc, delectationes quæ sunt secundum tactum sunt maiores, quasi fini propinquiores; & propter hoc etiam alia animalia, quę non habent delectationem secundum sensum, nisi ratione vtilitatis, non delectantur secundum alios sensus, nisi in ordine ad sensibilia tactus. Neque enim odoribus leporum canes gaudent, sed cibatione; neque leo gaudet voce bouis, sed comestione vt dicitur in 3. Ethic. Cum ergo delectatio tactus sit maxima ratione vtilitatis, delectatio autem visus ratione cognitionis; si quis vtrumque comparare velit, inueniet simpliciter delectationẽ tactus, esse maiorem delectatione visus, secundum quod sistit infra limites sensibilis delectationis; quia manifestum est, quod id quod est naturale in vnoquoque est potentissimũ, huiusmodi autẽ delectationes tactus, sũt ad quas ordinãtur concupiscentiæ naturales, sicut cibi, & venerea, & huiusmodi. Sed si consideremus delectationes visus, secundum quod visus deseruit intellectui, sic delectationes visus erunt potiores, ea ratione qua intelligibiles delectationes sunt potiores sensibilibus.

Delectatio tactus est maior simpliciter quam delectatione sensus.

E

AD septimum, scilicet *vtrum sit aliqua delectatio naturalis.* Dicendũ, quod naturale dicitur, quod est secundum naturam, vt dicitur in 2. Phys. Natura autẽ in homine dupliciter sumi potest. Vno modo, prout intellectus, & ratio, est potissimè natura hominis, quia secundum eam homo in specie potissimè constituitur, & secundum hoc naturales delectationes hominum dici possunt, quæ sunt in eo, quod contingit ei secundum rationem; sicut delectari in contemplatione veritatis, & in actibus virtutum est naturale homini. Alio modo potest sumi natura in homine, secundum quod condiuiditur rationi, illud scilicet quod est cõmune homini & alijs, præcipuæ quod rationi non obedit, & secundũ hoc ea, quæ pertinent ad conseruationẽ corporis, vel secũdũ individuũ, vt cibus, potus, lectus, & huiusmodi, vel secundum speciem, sicut venereorum vsus, dicuntur homini delectabilia naturaliter. Secundum vtrasque autem delectationes contingit aliquas esse in-

Delectatio naturalis quæ dicenda.

naturales

naturales ſimpliciter loquendo, ſed connaturales ſecũdum quid. Contingit enim in aliquo indiuiduo corrumpi aliquod principiorum naturalium ſpeciei, & ſic id, quod eſt contra naturam ſpeciei poteſt fieri per accidens naturale huic indiuiduo, ſicut huic aquæ calefactę eſt naturale, quod calefaciat. Ita igitur contingit, quod id quod eſt contra naturam hominis, vel quantum ad rationem, vel quantũ ad corporis conſeruationem, fiat huic homini connaturale propter aliquã corruptionem naturæ in eo exiſtentem. Quæ quidem corruptio poteſt eſſe, vel ex parte corporis, ſiue ex ægritudine; ſicut febricitantibus dulcia videntur amara, & èconuerſo; vel propter malam complexionem, ſicut aliqui delectantur in comeſtione terræ, vel carbonũ, vel aliquorum huiuſmodi; vel etiã ex parte animę, ſicut propter conſuetudinem aliqui delectantur in comedendo homines, vel in coitu beſtiarum, aut maſculorum, aut aliquorum huiuſmodi, quæ non ſunt ſecũdum naturam humanam.

Delectationes poſſunt eſſe contraria.

Ad octauum, ſcilicet *vtrum delectationi ſit aliqua delectatio contraria.* Dicendum, quod delectatio in affectionibus animę, (ſicut dictum eſt) proportionatur quieti in corporibus naturalibus. Dicuntur autem duæ eſſe quietes contrariæ, quæ ſunt in contrarijs terminis; ſicut quies, quæ eſt ſurſum, ei quæ eſt deorſum, vt dicitur 5. Phyſ. vnde & contingit in affectibus animæ duæ delectationes eſſe contrarias.

De cauſis delectationum.

DISTINCTIO XVI.

DEinde conſiderandũ eſt de cauſis delectationis. Et circa hoc quæruntur octo. Primo, vtrum operatio ſit propria cauſa delectationis. Secundo, vtrum motus ſit cauſa delectationis. Tertio, vtrum ſpes, & memoria. Quarto, vtrum triſtitia. Quinto, vtrum actiones aliorum ſint nobis delectationis cauſa. Sexto, vtrum benefacere alteri ſit cauſa delectationis. Septimo, vtrum ſimilitudo ſit cauſa delectationis. Octauo, vtrum admiratio ſit cauſa delectationis.

Operatio eſt cauſa delectationis.

Ad primum, ſcilicet *vtrum operatio ſit cauſa delectationis.* Dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) ad delectationẽ duo requiruntur ſcilicet cognitio boni conuenientis, & cognitio huiuſmodi adeptionis. Vtrumque autem horum, in quadam cooperatione conſiſtit: nam actualis cognitio operatio quædam eſt; Similiter autem bonum conueniens adipiſcimur aliqua operatione; ipſa autem operatio propria, eſt quoddam bonũ conueniens; vnde oportet, quod omnis delectatio aliquam operationem conſequatur.

Motus eſt cauſa delectationis.

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum motus ſit cauſa delectationis.* Dicendum, quod ad delectationem tria requiruntur, ſcilicet duo, quorum coniunctio eſt delectabilis, & tertium, quod eſt cognitio huiuſmodi coniunctionis, & ſecundum hęc tria, motus efficitur delectabilis, vt Philoſophus dicit in 7. Ethic. & in primo Rhetor. Nam ex parte noſtra qui delectamur, tranſmutatio nobis efficitur delectabilis, propter hoc quod natura noſtra tranſmutabilis eſt; & propter hoc, quòd eſt nobis conueniens nunc, non erit nobis couueniens poſtea, ſicut calefieri ad ignem eſt cõueniens homini in hieme, non autem in æſtate, Ex parte vero boni delectantis, quod nobis coniungitur; fit etiam tranſmutatio delectabilis, quia actio continuata alicuius agentis auget effectum, ſicut cum aliquis diutius appropinquat igni, magis calefit, & deſiccatur. Naturalis autem habitudo in quadam menſura conſiſtit, & ideo quando continuata præſentia delectabilis, ſuperexcedit menſuram naturalis habitudinis, efficitur remotio eius delectabilis. Ex parte vero cognitionis, quia homo deſiderat cognoſcere aliquod totum, & perfectum; cùm ergo non poteſt aliqua nunc apprehendere tota ſimul, delectat in his tranſmutatio, vt vnum tranſeat, & ſic totum ſentiatur. Vnde Auguſt. dicit in 4. Confeſſ. *Non vis vtique ſtare ſyllabam, ſed tranſuolare, vt aliæ veniant, & totum audias.* Ita ſemper omnia, ex quibus vnum aliquid conſtat, & non ſunt omnia ſimul, plus delectant omnia, quam ſingula, ſi poſſint ſentiri omnia. Si ergo ſit aliqua res, cuius natura ſit intranſmutabilis, & non poſſit in ea fieri exceſſus naturalis habitus per continuationem delectabilis, & quæ poſſit totum ſuum delectabile ſimul mouere, non erit ei tranſmutatio delectabilis; & quanto aliquæ delectationes plus adhuc accedunt, tanto plus continuare poſſunt.

Spes & memoria ſunt cauſa delectationis.

Ad tertium, ſcilicet *vtrum ſpes & memoria ſint cauſa delectationis* Dicendum, quod delectatio cauſatur ex præſentia boni conuenientis, ſecundum quod ſentitur, vel qualitercunque percipitur. Eſt autẽ aliquid præſens nobis dupliciter. Vno modo ſecundũ cognitionẽ, prout ſcil. cognitum eſt in agnoſcente, ſecũdùm ſuã ſimilitudinẽ. Alio modo, ſecundũ rem, prout ſcilicet vnũ alteri realiter cõiungitur, vel actu, vel potẽtia, ſecundũ quemcũque coniunctionis modum. Et quia maior eſt coniunctio ſecundum rem, quam ſecundũ ſimilitudinem, quæ eſt coniunctio conditionis; Item, quia maior eſt coniunctio rei in actu, quam in potentia: ideo maxima eſt delectatio, quę fit per ſenſum, qui requirit præſentiam rei ſenſibilis. Secundum autem gradũ tenet delectatio ſpei, in qua non ſolum eſt coniunctio delectabilis, ſecundum apprehenſionem, ſed etiam ſecundum facultatem, vel poteſtatem adipiſcendi bonum, quod delectat. Tertium autem gradum tenet delectatio memoriæ, quę habet ſolam coniunctionem apprehenſionis.

Triſtitia eſt quodammodo cauſa delectationis.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum triſtitia ſit cauſa delectationis.* Dicendum, quod triſtitia poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, ſecundũ quod eſt in actu: alio modo, ſecundum quod eſt in memoria, & vtroque modo poteſt eſſe triſtitia cauſa delectationis. Triſtitia ſiquidem in actu exiſtens eſt cauſa delectationis, inquantum facit memoriam rei dilectæ, de cuius abſentia aliquis triſtatur, & tamen de ſola eius apprehenſione delectatur. Memoria autem triſtitiæ fit delectabilis propter ſequentem euaſionem, nam carere malo accipitur in ratione boni; vnde ſecundum quod homo apprehendit ſe euaſiſſe ab aliquibus triſtibus, & doloroſis, accreſcit ei gaudij materia, ſecundum quod Aug. dicit. 22. de Ciuit. Dei, quod *ſæpe læti triſtium meminimus, & ſani dolorum ſine dolore; & inde amplius læti, & grati ſumus.* Et in 8. Confeſſ. dicit, quod *quanto maius periculum fuit in prælio, tanto erit maius gaudium in triumpho.*

Operatio alterius poteſt eſſe cauſa delectationis tripliciter.

Ad quintum, ſcilicet *vtrum actiones aliorum, ſint nobis cauſa delectationis.* Dicendum, (quod ſicùt iam dictũ eſt) ad delectationẽ duo requiruntur ſcil. cõſecutio proprij boni, & cognitio proprij boni conſecuti. Tripliciter igitur operatio alterius poteſt eſſe delectationis cauſa. Vno modo, inquantum per operationem alicuius conſequimur aliquod bonum, & ſecundũ hoc operationes illorum, qui nobis aliquod bonũ faciunt, ſunt nobis delectabiles, quia bene pati ab alio eſt delectabile. Alio modo, ſecundum quod per operationes aliorum, efficitur nobis aliqua cognitio, vel æſtimatio proprij boni, & propter hoc homines delectantur in hoc quod laudantur, vel honorãtur ab alijs, quia ſcil. per hoc accipiunt æſtimationem in ſeipſis eſſe aliquod bonum, & quia iſta æſtimatio fortius generatur ex teſtimonio bonorum, & ſapientum, ideo in horum laudibus & honoribus homines magis delectantur, & quia adulator eſt apparẽs laudator, propter hoc etiam adulatores ſunt aliquibus delectabiles; & quia amor eſt alicuius boni, & admiratio eſt alicuius magni; iccirco amari ab alijs, & in admiratione haberi eſt delectabile, inquantum per hoc homini fit æſtimatio propriæ bonitatis, vel magnitudinis, in quibus aliquis delectatur. Tertio modo, inquantum ipſæ operationes aliorum, ſi ſint bonæ, æſtimantur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt bonum proprium propter vim amoris, qui facit æstimare amicum, quasi eundem sibi; & per odium, quod facit æstimare bonum alterius esse sibi contrarium, efficitur mala operatio inimici delectabilis. Vnde dicitur 1.Cor.13.quod *charitas non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati.*

A

Benefacere alteri potest tripliciter esse delectationis causa.

Ad sextum, scilicet *vtrum benefacere alteri sit causa delectationis*. Dicendum, quod hoc ipsum, quod est benefacere alteri, potest triplici ratione esse delectationis causa. Vno modo per comparationem ad effectum, quod est bonum in alterum constitutum, & secundum hoc, inquantum bonum alterius reputamus quasi bonum nostrum propter vnionem amoris, delectamur in bono, quod per nos fit alijs præcipuè amicis, sicut in bono proprio. Secundo per comparationem ad finem, sicut cum aliquis per hoc, quod alteri benefacit, sperat consequi aliquod bonum sibiipsi, vel a Deo, vel ab homine, spes autem est delectationis causa. Tertio modo per comparationem ad principium: & sic hoc, quod est benefacere alteri, potest esse delectabile per comparationem ad triplex principium: Quorum vnum est facultas benefaciendi, & hoc per benefacere alteri fit delectabile, inquantum per hoc fit homini quædam imaginatio abundantis boni, in seipso existentis, ex quo possit alij communicare: & ideo homines delectantur in filijs, & in proprijs operibus, sicut quibus communicant proprium bonum. Aliud principium est habitus inclinans, secundum quem benefacere est alicui connaturale, vnde liberales delectabiliter dant alijs. Tertium principium est motiuum, puta cum aliquis mouetur ab aliquo, quem diligit ad benefaciendum alicui. Omnia enim, quę facimus, vel patimur propter amicũ, delectabilia sunt, quia amor est præcipua causa delectationis.

B

C

Similitudo est causa delectationis.

Ad septimum, scilicet *vtrum similitudo sit causa delectationis*. Dicendum, quod similitudo est quædam vnitas, vnde id quod est simile, inquantum est vnum, est delectabile, sicut & amabile: & si id quod est simile proprium bonum non corrumpat, sed augeat, est simpliciter delectabile, puta homo homini, & iuuenis iuueni. Si verò corruptiuum proprij boni sit per accidens, efficitur fastidiosum, vel contristans; non quidem inquantum est simile, & vnum: sed inquantum corrumpit id, quod est magis vnum. Quod autem aliquid simile corrumpat bonum proprium, contingit dupliciter. Vno modo, quia corrumpit mensuram proprij boni per quẽdam excessum; bonum enim præcipuè corporale, vt sanitas in quadam commensuratione consistit, & propter superabundantiã cibi, vel quælibet delectationes corporales fastidiuntur. Alio modo per directam contrarietatem ad proprium bonum, sicut figuli abominantur alios figulos, non inquantum sunt figuli, sed inquantum per eos amittunt excellentiam propriam, siue proprium lucrũ, quæ appetunt, sicut proprium bonum.

D

Admiratio est causa delectationis.

Ad octauum, scilicet *vtrum admiratio sit causa delectationis*. Dicendum, quod adipisci desiderata est delectabile, & ideo quanto alicuius rei amatę magis crescit desiderium, tanto magis per adeptionem crescit delectatio, & etiam in ipso augmento desiderij fit augmentũ delectationis, secundum quod fit etiam spes rei amatæ; sicut dictum est, quod ipsum desiderium ex spe est delectabile. Est autem admiratio desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum, & causam ignorat; vel hoc, quod causa talis effectus excedit cognitionem, aut facultatem ipsius; & ideo admiratio est causa delectationis, inquantum habet coniunctam spem consequendi cognitionem eius, quod scire desiderat; & propter hoc omnia mirabilia sunt delectabilia, sicut quę sunt rara; & omnes representationes rerum, sunt delectabiles: Gaudet enim anima in collatione vnius ad alterum: quia conferre vnum alteri est proprius, & connaturalis actus rationis, vt Philosophus dicit in sua Poetria: & propter hoc etiam liberari à periculis magnis est magis delectabile, quia est admirabile, vt dicitur in primo Rhetor.

E

De effectibus delectationis.

DISTINCTIO XVII.

Deinde considerãdum est de effectibus delectationis. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo, vtrum delectationis effectus sit dilatare. Secundo, vtrum delectatio causet desiderium suiipsius. Tertio, vtrum delectatio impediat vsum rationis. Quarto, vtrum delectatio perficiat operationem.

Effectus delectationis est dilatare.

Ad primum, scilicet *vtrũ delectationis effectus sit dilatare*. Dicendum, quod latitudo est quędã dimensio magnitudinis corporalis: vnde in affectionibus animæ nõ nisi secundum metaphoram dicitur; dilatatio autem dicitur quasi motus ad latitudinem, & competit delectationi secundum duo, quæ ad delectationem requiruntur: Quorum vnum est ex parte apprehensiuæ virtutis, quæ apprehendit coniunctionem alicuius boni conueniẽtis. Ex hac autem apprehensione apprehendit se homo perfectionem quandam adeptum, quæ est spiritualis magnitudo, & secundum hoc animus hominis dicitur per delectationem magnificari, seu dilatari. Aliud autem est ex parte appetitiuę virtutis, quæ assentit rei delectabili, & in ea quiescit, quodammodo se ei præbens, ad eam interius capiendam; & sic dilatatur affectus hominis per delectationem, quasi se tradens ad continendum interius rem delectantem.

Quomodo delectatio causat desiderium suiipsius.

Ad secundum, scilicet *vtrum delectatio causet desiderium suiipsius*. Dicendum, quod delectatio dupliciter potest considerari. Vno modo, secundum quod est in actu. Alio modo, secundum quod est in memoria. Item sitis, vel desiderium, dupliciter accipi potest. Vno modo propriè, secundum quod importat appetitum rei non habitæ, alio modo cõmuniter, secundum quod importat exclusionem fastidij. Secundum igitur quod est in actu, delectatio non causat sitim, vel desiderium suiipsius, per se loquendo; sed solum per accidens: Si tamen sitis, vel desiderium dicatur rei non habitæ appetitus; nam delectatio est affectio appetitus, circa rem præsentem; Sed contingit rem præsentem non perfectè haberi, & hoc potest esse, vel ex parte rei habitæ, vel ex parte habentis. Ex parte quidem rei habitæ, eo quod res habita non est tota simul; vnde successiuè recipitur, & dum aliquis delectatur in eo quod habet, desiderat potiri eo quod restat; sicut qui audit primam partem versus, & in hoc delectatur, desiderat aliam partem versus audire, vt August. dicit 4. Confess. & hoc modo omnes ferè delectationes corporales faciunt suiipsarum sitim quousque consumuntur; eo quod tales delectationes cõsequuntur aliquem motũ, sicut patet in delectationibus ciborum. Ex parte autem ipsius habentis, sicut cum aliquis aliquam rem in se imperfectam existentem, nõ statim perfectè habet, sed paulatim acquirit; sicut in mundo isto percipientes aliquid imperfectè de diuina cognitione, delectamur; & ipsa delectatio excitat sitim, vel desiderium perfectæ cognitionis; secundum quod potest intelligi, quod habetur Eccl.24. *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Si verò per sitim, aut desiderium intelligitur sola intensio affectus tollens fastidium, sic delectationes spirituales maximè faciunt sitim, vel desiderium suiipsarum. Delectationes enim corporales, quæ augmentatæ, vel continuatæ faciunt superexcrescentiam naturalis habitudinis, efficiuntur fastidiosæ, vt patet in delectatione ciborum: & propter hoc, quando iam aliquis peruenit ad perfectum in delectationibus corporalibus, fastidit eas: & quandoque appetit aliquas alias: sed delectationes spirituales non superexcrescunt naturalem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lem habitudinem, sed perficiunt naturam. Vnde cum peruenitur ad consummationem in ipsis, tũc sunt magis delectabiles: nisi fortè per accidens, inquantũ operationi cõtemplatiuę adiunguntur aliquæ operationes virtutum corporalium, quæ per assiduitatem operandi lassantur. Et per hunc etiam modum potest intelligi, quod dicitur Eccl. 24. *Qui bibet me adhuc sitiet*, quia etiam de Angelis, qui perfectè Deum cognoscunt, & delectantur in ipso, dicitur 1. Pet. 1. quod *desiderant in eum conspicere*. Si verò consideretur delectatio, prout est in memoria, & non in actu, sic per se nata est causare suiipsius sitim, & desiderium, quando scilicet homo redit ad illam dispositionem in qua erat sibi delectabile, quod præterijt. Si verò immutatus sit ab illa dispositione memoria delectationis non causat in eo delectationem, sed fastidium; sicut pleno existenti, memoria cibi.

Delectatio de actu rationis non impedit vsũ rationis, sicut delectatio corporalis, sed perficit.

Ad tertium, scilicet *vtrum delectatio impediat vsum rationis*. Dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 10. Ethic. *Delectationes propriæ adaugent operationes, extraneæ verò impediunt*. Est ergo quædam delectatio, quæ habetur de ipso actu rationis, sicut cum aliquis delectatur in contemplando, vel ratiocinando: & talis delectatio non impedit vsum rationis, sedadiuuat ipsum: quia illud attentius operamur, in quo delectamur, attentio autem adiuuat operationem. Sed delectationes corporales impediunt vsum rationis triplici ratione. Primo quidem ratione distractionis; quia (sicut iam dictum est) ad ea, in quibus delectamur, multum attendimus. Cum autem attentio fortiter inhæserit alicui rei, debilitatur circa alias res, vel totaliter ab eis reuocatur; & secundum hoc, si delectatio corporalis fuerit magna, vel totaliter impediet vsum rationis, ad se animi intensionem attrahendo, vel multũ impediet. Secundo ratione contrarietatis. Quædam enim delectationes maximè superexcedentes, sunt contra ordinem rationis: & per hunc modum Philosophus dicit in 6. Ethic. quod *delectationes corporales corrumpunt existimationem prudentiæ: non autem existimationẽ speculatiuam, cui non contrariantur, puta quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*. Secundum autem primum modum vtranque impedit. Tertio modo secundum quandam ligationem, inquantum scilicet ad delectationem corporalem sequitur quædam transmutatio corporalis: maior etiam quàm in alijs passionibus, quanto vehementius afficitur appetitus ad rem præsentem, quàm ad rem absentem: huiusmodi autem corporales perturbationes impediunt vsum rationis, sicut patet in vinolentis, qui habent vsum rationis ligatum, vel impeditum.

Delectatio dupliciter operationem perficit.

Ad quartum, scilicet *vtrum delectatio perficiat operationem*. Dicendum, quod delectatio dupliciter operationem perficit. Vno modo per modum finis, non quidem secundum quod finis dicitur id propter quod est aliquid, sed secundum quod omne bonum complectiuè superueniens, potest dici finis, & secundum hoc dicit Philosophus in 10. Ethic. quod *delectatio perficit operationem, sicut quidam finis superueniens*, inquantum scilicet super hoc bonum, quod est operatio: superuenit aliud bonum, quod est delectatio: quæ importat quietationem appetitus in bono præsuppositio. Secundo modo ex parte causæ agentis, non quidem directè, quia Philosophus dicit in 10. Ethi. quod *perficit delectatio operationem, non sicut medicus sanum, sed sicut sanitas, indirectè autem*: inquantum scilicet agens dum delectatur in sua actione, vehemtiẽus attẽdit ad ipsam, & diligentius ad eam operatur; & secundum hoc dicitur in 10. Ethic. quod *delectationes adaugent proprias operationes, sed impediunt extraneas.*

De bonitate, vel malitia delectationum.

DISTINCTIO XVIII.

Deinde considerandum est de bonitate, vel malitia delectationum. Et circa hoc quęruntur quatuor. Primo, vtrum omnis delectatio sit mala. Secundo, vtrum omnis delectatio sit bona. Tertio, vtrum aliqua delectatio sit optima. Quarto; vtrum delectatio sit mensura, vel regula, secundum quam iudicetur bonum, vel malum in moribus.

Ad primum, scilicet *vtrum omnis delectatio sit mala*. Dicendum, quod sicut dicitur 10. Ethic. aliqui posuerunt omnes delectationes malas. Cuius ratio videtur fuisse, quia intensionem suam referebant ad solas delectationes sensibiles, & corporales, quæ sunt magis manifestę. Nam & in cæteris, intelligibilia à sensibilibus antiqui Philosophi non distinguebant, nec intellectum à sensu, vt dicitur in lib. de Anima. Delectationes autem corporales, arbitrabantur omnes esse malas, vt sic homines, qui ad delectationes immoderatas sunt proni, à delectationibus se retrahentes, ad medium virtutis perueniant: sed hæc æstimatio non fuit conueniens. Cum enim nullus possit viuere sine aliqua sensibili, & corporali delectatione, si illi, qui docent omnes delectationes esse malas, deprehendantur aliquas delectationes suscipere; magis homines ad delectationes erunt procliues, exemplo operum, verborum doctrina prætermissa. In operationibus enim, & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis mouent exempla, quàm verba. Dicendum est ergo aliquas delectationes esse bonas, & aliquas malas. Est enim delectatio quies appetitiuæ virtutis in aliquo bono amato, & consequens aliquam operationem. Vnde huiusmodi ratio duplex accipi potest. Vna quidem ex parte boni, in quo aliquis quiescens delectatur: bonum enim, & malum in moralibus, dicitur secundum quod conuenit rationi, vel discordat ab ea, vt dictum est: sicut in rebus naturalibus, aliquid dicitur naturale ex eo, quod conuenit naturæ: Innaturale verò ex eo, quod à natura discordat: sicut igitur in naturalibus est quædam quies naturalis, quæ scilicet est in eo quod conuenit naturæ, vt cum graue quiescit deorsum; & quædam innaturalis, quæ est in eo quod repugnat naturæ, sicut cum graue quiescit sursum: Ita & in moralibus est quędam delectatio bona, secundum quod appetitus superior, aut inferior requiescit in eo, quod conuenit rationi, & quædam mala, ex eo quod quiescit in eo, quod à ratione discordat, & à lege Dei. Alia ratio accipi potest ex parte operationum, quarum quædam sunt bonę, & quædam malæ. Operationibus autem magis sunt affines delectationes, quę sunt eis coniunctę; quam concupiscentię, quæ tempore eas prȩcedunt; vnde cum concupiscentiæ bonarum operationum sint bonæ, malarum vero malæ, multo magis delectationes bonarum operationum sunt bonæ, malarum vero malæ.

Delectatio alia bona, alia mala.

Ad secundum, scilicet *vtrum omnis delectatio sit bona*. Dicendum, quod sicut aliqui Stoicorum posuerunt omnes delectationes esse malas, ita Epicuri posuerunt delectationem secundum se esse bonam, & per consequens omnes delectationes esse bonas; qui ex hoc decepti esse videntur, quod non distinguebant inter id quod est bonum simpliciter, & id quod est bonum, quo ad hunc. simpliciter quidem bonũ est quod secundum se bonum est: Contingit autem aliquid nõ secundum se bonum, esse huic bonum dupliciter. Vno modo, quia est ei conueniens secundum dispositionem, in qua nunc est; quæ tamen non est naturalis; sicut leproso bonum est, quandoque comedere aliqua venenosa, quæ non sunt simpliciter conue-

nientia

Delectatio alia bona simpliciter alia secundū quid.

nientia cōplexioni humanæ. Alio modo, quia id quod non conueniens, æstimatur vt conueniens. Et quia delectatio est quies appetitus in bono; si sit simpliciter bonum id in quo quiescit appetitus, erit simpliciter delectatio, & simpliciter bona: si autem non sit simpliciter bonum, sed quo ad hunc quidem tunc; nec delectatio est simpliciter, sed huic nec est bona simpliciter, sed bona secundum quid, vel apparens bona.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum aliqua delectatio sit optimum.* Dicendum quod Plato non posuit omnes delectationes esse malas, sicut Stoici; neque omnes esse bonas, sicut Epicuri; sed quasdam esse bonas, & quasdam malas; ita tamen quod nullum sit summum, vel optimum: sed quantum ex eius rationibus datur intelligi, in duobus defecit. In vno quidem, quia cum videret delectationes sensibiles & corporales in quodam motu & generatione consistere; sicut patet in repletione ciborum, & huiusmodi; æstimauit omnes delectationes consequi generationem & motum: vnde cum generatio & motus sunt actus imperfecti, sequebatur quod delectatio non haberet rationem vltimæ perfectionis; sed hoc manifestè falsum apparet in delectationibus intellectualibus. Aliquis enim non solum delectatur in generatione scientiæ, puta cum addiscit aut miratur (sicut dictum est) sed etiam in contemplando secundum scientiam iam acquisitam. Alio vero modo, quia dicebat optimum, id quod est simpliciter bonum summum; quod scilicet est ipsum bonum, quasi abstractum, & non participatum; sicut ipse Deus est summum bonum. Nos autem loquimur de optimo in rebus humanis; optimum autem in vnaquaque re, est vltimus finis; finis autem (vt dictum est) dupliciter dicitur, scilicet ipsa res & vsus rei: sicut finis auari est, vel pecunia, vel possessio pecuniæ; & secundum hoc vltimus finis hominis dici potest, vel ipse Deus qui est summum bonum simpliciter; vel fruitio ipsius, quæ importat delectationem quandam in vltimo fine; & per hunc modum, aliqua delectatio hominis potest dici optimum, inter bona humana.

Delectatio de vltimo fine simpliciter, est quid optimum in rebus humanis.

AD QVARTVM, scili. *vtrum delectatio sit mensura, vel regula boni, vel mali moralis.* Dicendum quod bonitas vel malitia moralis, principaliter in voluntate cōsistit. Vtrum autem voluntas sit bona vel mala præcipuè ex fine cognoscitur. Illud autem habetur pro fine, in quo voluntas quiescit: quies autem voluntatis & cuiuslibet appetitus in bono, est delectatio; & ideo secundum delectationem voluntatis humanæ, præcipuè iudicatur homo bonus vel malus. Est enim bonus & virtuosus, qui gaudet in operibus virtutum; malus autem, qui in operibus malis, delectationes autem appetitus sensitiui, non sunt regula moralis bonitatis vel malitiæ: nam cibus communiter delectabilis est secundum appetitum sensitiuum, bonis & malis: sed voluntas bonorum delectatur in eis secundum conuenientiam rationis, quam non curat voluntas malorum.

Delectatio voluntatis est regula boni vel mali moralis, non autem delectatio appetitus.

Ex prædictis patere potest, quod multiplex est delectatio; est enim *delectatio naturalis*, sicut sensus naturaliter delectatur in præsentia sensibilis sibi conuenientis, vt visus in coloribus, auditus in sonis melodiosis, olfactus in odoribus, & gustus in saporibus, Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua.* Potest enim gustus delectari in cibo delicato, vel potu conuenienti naturæ, sine peccato; & homo sanctus in aspectu picturarum, vel alterius rei pulchræ, ex sola complacentia naturali.

Delectatio multiplex sc. naturalis.

ITEM *est delectatio bestialis*; quando scilicet homo inordinatè delectatur in re, qua non debet, vel vltra quā debet, aut modo quo non debet. Exemplum huius habemus, Gen. 3. *Vidit mulier lignum, quod esset bonum, & ad vescendum suaue, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Hæc delectatio fuit culpabilis, non quia lignum malum esset de se, sed quia prohibitum. Esau etiam in edulio vilis lenticulæ, vltra quam debuit delectatus est, & peccauit ex gula. Isaac autem in delicato cibo hædorum, & delicatè parato, non peccauit. vnde manifestum est, quod in ipsis creaturis non est vitiū, sed in abusu sumentium. Dauid etiam similiter in aspectu Bersabeæ delectatus est, tanquam in re, qua non debuit, & vltra quam debuit. Alij sunt, qui delectantur in rebus omnino malis & illicitis: Sicut in mendaciis & periuriis, in fornicationibus, furtis, rapinis, homicidiis, & huiusmodi. Isaiæ 1. *In abominationibus anima eorum delectata est.* Item Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit innocens.*

Bestialis.

ITEM *est delectatio spiritualis*, & gratiosa, quando scilicet delectatur intellectus in consideratione sapiētiæ, sicut dicitur Sap. 8. *Immortalis in cogitatione sapientia, & in amicitiam illius delectatio bona.* Affectus etiam delectatur in diuinæ dulcedinis degustatione, Psal. 34. *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Idem 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Item in laude Dei, & gratiarum actione. Psal. 103. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum. Iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* Item in sacramēti Eucharistiæ perceptione. Sap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, & omne delectamentum habentem, & omnis saporis suauitatem.* Item in puritate cordis, & bonorum operatione. Ecclesiastici 30. *Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.*

Spiritualis.

ITEM *est delectatio gloriosa*, Psal. 67. *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Idem 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo delectationes in dextera tua vsque in finem.* His visis patet, quomodo vnusquisque debeat se habere, circa delectationem, quia delectatio naturalis est moderanda, ne videlicet excedat, proprios limites excedendo; delectatio bestialis, & vitiosa est omnino fugienda; tamen quanto aliquis magis debet esse sapiens & modestus, & magis elongari à vita bestiali; tanto amplius debet abhorrere tales delectationes; delectatio spiritualis est degustanda, delectatio gloriosa totis præcordiis appetenda.

Gloriosa.

Delectationes quæ amplectēda, quæ fugienda.

De dolore, & tristitia.

DISTINCTIO XIX.

DEINDE considerandum est de dolore, & tristitia, & circa hoc primo considerandum est, de dolore secundum se. Secundo, de causis eius. Tertio, de effectibus eius. Quarto, de remediis eius. Quinto, de bonitate vel malitia eius. Circa primum considerandа sunt octo. Primo, vtrum dolor sit passio animæ. Secundo, vtrum sit idem quod tristitia. Tertio, vtrum tristitia, vel dolor, sit contraria delectationi. Quarto, vtrum omnis tristitia contrarietur delectationi. Quinto, vtrum delectationi contemplationis sit aliqua tristitia contraria. Sexto, vtrum magis sit fugienda tristitia, quam delectatio appetenda. Septimo, vtrum dolor exterior sit maior, quàm dolor interior. Octauo, de diuersis speciebus doloris, seu tristitiæ.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum dolor sit passio animæ.* Dicendum quod sicut ad delectationem duo requiruntur, scilicet coniunctio boni, & perceptio huius coniunctionis; ita etiam ad dolorem duo requiruntur, scilicet coniunctio alicuius mali, quod ea ratione est malum, quia priuat aliquod bonum, & perceptio huius coniunctionis: quicquid autem coniungitur, si non habeat respectu eius cui coniungitur rationem boni, vel mali, non potest causare delectationem, vel dolorem. Ex quo patet, quod aliquid sub ratione boni vel mali est obiectum delectationis & doloris; bonum autem & malum, inquantum huiusmodi, sunt obiecta appetitus: vnde patet quod delectatio & dolor ad appetitum pertinent. Omnis autem motus appetitiuus, seu inclinatio consequens apprehensionem pertinet ad appetitum intellectiuum, vel sensitiuum. Nam in-

clinatio appetitus naturalis, non consequitur apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius. Cum igitur delectatio, & dolor præsupponant in eodem subiecto sensum, vel apprehensionem aliam; manifestum est, quod dolor, sicut & delectatio, est in appetitu intellectiuo, vel sensitiuo. Omnis autē motus appetitus sensitiui, dicitur passio; & præcipuè illi, qui in defectum sonant: vnde dolor secundum quod est in appetitu sensitiuo, propriissime dicitur passio animæ; sicut molestiæ corporales propriè passiones corporis dicuntur, vnde & Aug. 14. de Ciuitate Dei, dolorem spiritualiter ægritudinem nominat. Sciendum autem, quod dolor dicitur esse corporis, quia causa doloris est in corpore, puta cum patimur aliquod nociuum corporis, sed motus doloris semper est in anima. nam corpus non potest dolere, nisi dolente anima, vt Aug. dicit.

Dolor appetitus sensitiui est propriè passio.

Ad secvndvm, scil. *vtrum tristitia sit idem quod dolor.* dicendum quod tristitia & dolor ex duplici apprehensione causari possunt, scilicet ex apprehensione exterioris sensus; & ex apprehensione interiori, siue intellectus, siue imaginationis; interior autem apprehēsio ad plura se extendit, quàm exterior, eo quod quæcunque cadunt sub exteriori apprehensione, cadunt sub interiori, sed non econuerso. Sola igitur illa delectatio, quæ ex interiori apprehensione causatur, gaudium nominatur: & similiter solus ille dolor, qui ex apprehensione interiori causatur, nominatur tristitia: & sicut illa delectatio, quæ ex exteriori apprehensione causatur, delectatio quidem nominatur, non autem gaudium: Ita ille dolor, qui ex exteriori apprehensione causatur, nominatur quidem dolor, non autem tristitia. Sic igitur tristitia est quædam species doloris, sicut gaudium delectationis.

Discrimen inter tristitiam & dolorem.

Et nota, quod quia sensus exterior non percipit, nisi præsens; vis autem cognitiua interior, potest percipere præsens, præteritum & futurum: ideo tristitia potest esse de præsenti, præterito & futuro: Dolor autem corporalis, qui sequitur apprehensionem sensus exterioris, non potest esse, nisi de præsenti.

Solutio obiecti.

Item sensibilia tactus sunt dolorosa, non solum inquantum sunt improportionata virtuti apprehensiuæ, sed etiam inquantum contrariantur naturæ; aliorum vero sensuum sensibilia, possunt quidem esse improportionata virtuti apprehensiuæ, non tamen contrariantur naturæ nisi in ordine ad sensibilia tactus: vnde solus homo, qui est animal perfectum in cognitione, delectatur in sensibilibus aliorum sensuum, secundum seipsa: Alia vero animalia non delectantur in eis, nisi secundum quod referuntur ad sensibilia tactus, vt dicitur in 3. Ethic. Et ideo de sensibilibus aliorum sensuum non dicitur esse dolor, secundum quod contrariantur delectationi naturali; sed magis tristitia, quæ cōtrariatur gaudio animali: sic igitur, si dolor accipiatur pro corporali dolore, quod vsitatius est: dolor ex opposito diuiditur contra tristitiam, secundum distinctionem apprehensionis interioris, & exterioris; licet quantum ad obiecta, delectatio ad plura se extendat, quàm dolor corporalis: si vero dolor accipiatur communiter, sic dolor est genus tristitiæ, vt dictum est.

Ad tertivm, scil. *vtrum dolor contrarietur delectationi.* dicendū, quod sicut Philosophus dicit in 10. Metaph. Contrarietas est differentia secundum formam: forma autem seu species passionis, & motus, sumitur ex obiecto, vel termino: vnde cùm obiecta delectationis & tristitiæ, seu doloris, sint contraria, scili. bonum præsens, & malum præsens, sequitur, quod dolor & delectatio sint contraria.

Dolor & delectatio sunt contraria.

Ad qvartvm, scil. *vtrum omnis tristitia contrarietur omni delectationi:* dicendum, quod sicut dicitur in 10. Metaph. Contrarietas est differentia secundum formā: forma autem est & specialis & generalis: vnde contingit esse aliqua contraria, secundum formam generis, sicut virtus & vitium, & secundum formam speciei, sicut iustitia & iniustitia. Est autem considerandum, quod quædam specificantur, secundum formas absolutas, sicut substantiæ & qualitates; quędam vero specificantur per comparationem ad aliquid extra; sicut passiones & motus, recipiunt speciem ex terminis, siue ex obiectis. In his ergo, quorum species considerantur secundum formas absolutas, cōtingit quidem species, quæ continentur sub contrariis generibus, non esse contrarias, secundum rationem speciei; non tamen contingit, quod habeant alienam affinitatem, vel conuenientiam adinuicem. In temperantiam enim & iustitia, quæ fiunt in contrariis generibus, virtute scilicet & vitio, non contrariantur adinuicem, secundum rationem propriæ speciei; nec habent aliquam affinitatem, vel conuenientiam adinuicem: sed in illis quorum species sumuntur secundum habitudinem ad aliquid extrinsecum; contingit, quod species contrariorum generum non solum non sunt contrariæ adinuicem, sed etiam habent quandam conuenientiam & affinitatem adinuicem; eo quod eodem modo se habere ad contraria, contrarietatem inducit: sicut accedere ad album, & accedere ad nigrum, habent rationē contrarietatis; sed contrario modo se habere ad contraria, habet rationem similitudinis; sicut recedere ab albo, & accedere ad nigrum: & hoc maximè apparet in contradictione, quæ est principium oppositionis: nam in affirmatione & negatione eiusdem, consistit oppositio; sicut album, & non album: In affirmatione autem vnius oppositorum, & negatione alterius, attenditur cōuenientia, & similitudo; vt si dicam nigrum, & non album: tristitia autē & delectatio, cum sint passiones, specificantur ex obiectis, & quidem secundum genus suum, contrarietatem habent: nam vnum pertinet ad prosecutionem: aliud vero ad fugam; quæ se habent in appetitu, sicut affirmatio & negatio in ratione, vt dicitur in 6. Ethic. & ideo tristitia & delectatio, quæ sunt de eodem, habent oppositionem adinuicem secundum speciem: tristitia vero & delectatio de diuersis (si quidem illa diuersa non sint opposita, sed disparata) non sunt opposita adinuicem secundum rationem speciei, sed sunt etiam disparata; sicut tristari de morte amici, & delectari in contemplatione: si vero illa diuersa sint contraria, tunc tristitia & delectatio, non solum habent contrarietatem, secundum rationē speciei; sed etiam habent conuenientiam & affinitatem; sicut gaudere de bono, & tristari de malo.

Qua tristitia contrarietur delectationi, & qua non.

Ad qvintvm, scil. *vtrum delectationi contemplationis sit aliqua tristitia contraria:* dicendum, quod delectatio contemplationis potest intelligi dupliciter, vno modo, ita quod contemplatio sit delectationis causa, & non obiectum, & tunc delectatio non est de ipsa contemplatione, sed de re contemplata: contingit autem contemplari aliquid nociuum contristans, sicut & aliquid conueniens & delectans. Vnde si sic delectatio contemplationis accipiatur, nihil prohibet delectationi contemplationis, esse tristitiam contrariam. Alio modo potest dici delectatio contēplationis, quia contemplatio est eius obiectum & causa; puta cum aliquis delectatur de hoc ipso, quod contemplatur: & sicut dicit Gregorius Nicenus, ei delectationi, quæ est secundum contemplationem, non opponitur aliqua tristitia, & hoc idem Philosophus dicit in 1. Topic. & in 10. Ethi. sed hoc est intelligendum per se loquendo; cuius ratio est, quia tristitia per se contrariatur delectationi, quæ est de contrario obiecto; sicut delectationi, quæ est de calore, contrariatur tristitia, quæ est de frigore; obiecto autem contemplationis nihil est contrarium: contrariorum enim rationes secundum quod sunt apprehensæ, non sunt contrariæ, sed vnum contrarium est ratio cognoscendi aliud: vnde delectationi, quæ est in contemplando, non potest, per se loquendo, esse aliqua tristitia contraria: sed nec etiam habet tristitiam annexam; sicut corporales delectationes, quæ sunt vt medicinæ quædam, contra aliquas molestias; sicut cum aliquis delectatur in potu, ex hoc quod anxiatur siti; quando autem iam tota sitis est repulsa, cessat delectatio

Quomodo delectationi contemplationis, non detur tristitia cōtraria.

potus:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

potus: delectatio enim contemplationis non cauſatur ex hoc, quod excludatur aliqua moleſtia: ſed ex hoc, quod eſt ſecundum ſeipſam delectabilis; non enim eſt generatio, ſed operatio quædã perfecta, vt dictum eſt: per accidens autem admiſcetur triſtitia delectationi apprehenſionis; & hoc dupliciter, vno modo ex parte organi, alio modo ex impedimento apprehenſionis; ex parte autem organi admiſcetur triſtitia, vel dolor apprehenſioni, directè quidem in viribus apprehenſiuis ſenſitiuæ partis, quæ habent organum corporale; vel ex ſenſibili, quod eſt contrarium debitæ complexioni organi, ſicut guſtus rei amaræ, & olfactus rei fætidæ; vel ex continuitate ſenſibilis conuenientis, quod per aſſiduitatem facit ſuperexcreſcentiam naturalis habitus, & ſic redditur apprehẽſio ſenſibilis quæ prius erat delectabilis, tędioſa: ſed hæc duo directè in contemplatione mentis locum non habent; quia mens non habet organum corporale, vnde dicitur Sap. 8. quod *non habet contemplatio mentis, nec amaritudinem, nec tædium:* ſed quia mens humana vtitur in contemplando viribus apprehenſiuis, in quarum actibus accidit laſſitudo, ideo indirectè admiſcetur aliqua afflictio, vel dolor, contemplationi: ſed neutro modo triſtitia contemplationi per accidens adiuncta, contrariatur delectationi eius: nam triſtitia, quæ eſt de impedimento contemplationis non contrariatur delectationi contemplationis, ſed magis habet affinitatem & conuenientiam cum ipſa, vt ex dictis patet: triſtitia vero, vel afflictio, quæ eſt de laſſitudine corporali, non ad idem genus refertur, vnde penitus eſt diſparata: & ſic manifeſtum eſt, quod delectationi, quæ eſt de ipſa contemplatione, nulla triſtitia contrariatur; nec adiungitur ei aliqua triſtitia, niſi per accidens.

Ad sextvm, ſci. *vtrum magis ſit fugienda triſtitia, quam delectatio appetenda.* dicendum quod per ſe loquendo, appetitus delectationis eſt fortior, quam fuga triſtitiæ; cuius ratio eſt, quia delectationis cauſa eſt bonum cõueniens: cauſa autem doloris, ſeu triſtitiæ eſt aliquod malum repugnans; contingit autem eſſe aliquod bonum conueniens abſque omni diſſonantia, non autem poteſt eſſe aliquod malum, abſque omni conuenientia repugnans: vnde delectatio poteſt eſſe integra, & perfecta; triſtitia autẽ ſemper eſt ſecundum partem: vnde naturaliter maior eſt appetitus delectationis, quam fuga triſtitiæ: alia vero ratio eſt: quia bonum, quod eſt obiectũ delectationis, propter ſeipſum appetitur: malum autem quod eſt obiectum triſtitiæ eſt fugiendum, inquantum eſt priuatio boni; quod autem eſt per ſe, potius eſt eo, quod eſt per aliud; cuius etiam ſignum apparet in motibus naturalibus: nam omnis motus naturalis intenſior eſt in fine, cum appropinquat ad terminum ſuæ naturæ conuenientem, quam in principio, cum recedit à termino ſuæ naturæ non conuenienti; quaſi natura magis tendat in id quod eſt ſibi conueniens, quàm fugiat id quod eſt ſibi repugnans: vnde & inclinatio appetitiuæ virtutis per ſe loquendo, vehementius tendit in delectationem, quàm fugiat triſtitiam: ſed per accidens cõtingit, quod triſtitiam aliquis magis fugiat, quàm delectationem appetat, & hoc tripliciter. *Primo quidem* ex parte apprehenſionis, quia vt Auguſt. dicit, 10. de Trini. *Amor magis ſentitur cum eum prodit indigentia.* Ex indigentia enim amati procedit triſtitia, quæ eſt ex amiſſione alicuius boni amati, vel ex incurſu alicuius mali contrarij: delectatio autem non habet indigentiam boni amati, ſed quieſcit in eo iam adepto. Cum igitur amor ſit cauſa delectationis, & triſtitiæ; in tanto magis fugitur triſtitia, quanto magis ſentitur amor, ex eo quod contrariatur amori. *Secundo* ex parte cauſæ contriſtantis, vel dolorem inferentis; quæ repugnat bono magis amato, quam ſit bonum illud, in quo delectamur; magis enim amamus conſiſtentiam corporis naturalem, quam delectationem ciborum, vel aliorum huiuſmodi. *Tertio* ex parte affectus, in quantum ſcilicet triſtitia impedit non vnam tantum delectationem, ſed omnes.

Maior eſt appetitus delectationis, quam fuga triſtitiæ.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum dolor exterior ſit maior, quam interior.* dicendum, quod dolor interior & exterior in vno conueniunt, & in duobus differunt. Conueniunt quidem in hoc quod vterque eſt motus appetitiuę virtutis; differunt autem ſecundum illa duo, quæ ad triſtitiam & delectationem requiruntur, ſcilicet ſecundum cauſam, quæ eſt bonum vel malum coniunctum, & ſecundum apprehenſionem; cauſa autem doloris exterioris eſt malum coniunctum, quod repugnat corpori; cauſa autem doloris interioris eſt malum cõiunctum, quod repugnat appetitui: dolor autem exterior ſequitur apprehenſionem ſenſus, & ſpiritualiter tactus: dolor autem & timor, ſequitur apprehenſionem interiorem, imaginationis ſcilicet vel etiam rationis. Si igitur comparatur cauſa interioris doloris ad cauſam exterioris, vna per ſe pertinet ad appetitum, cuius eſt vterque dolor, aliæ vero per aliud. Nam dolor interior eſt ex hoc, quod aliquid repugnat ipſi appetitui: Dolor autem exterior ex hoc, quod repugnat appetitui quia repugnat corpori; ſemper autem quod eſt per ſe, eſt prius eo quod eſt per aliud: vnde ex parte iſta, dolor interior præeminet dolori exteriori. ſimiliter etiam, & ex parte apprehenſionis, nam apprehenſio rationis, & imaginationis, eſt altior quam apprehenſio ſenſus tactus: vnde ſimpliciter, & per ſe loquendo, dolor interior potior eſt, quã dolor exterior; cuius ſignum eſt, quod etiam dolores exteriores aliquis voluntariè ſuſcipit, vt euitet dolorem interiorem; & inquantum non repugnat dolor exterior, interiori appetitui, fit quodammodo delectabilis & iucundus, interiore gaudio: quandoque tamen dolor exterior eſt cum interiore dolore; & tunc dolor augetur: non ſolum enim dolor interior eſt maior, quam exterior, ſed etiã vniuerſaliter. Quicquid enim eſt repugnans corpori poteſt eſſe repugnans interiori appetitui, & quicquid apprehenditur ſenſu poteſt apprehendi imaginatione, & ratione; ſed non conuertitur. & ideo ſignanter dicitur Eccl. 25. *Omnis plaga triſtitia cordis eſt.* quia etiam dolores exteriorum plagarum, ſub interiori cordis triſtitia comprehenduntur.

Dolor interior, maior eſt quam exterior.

Ad octavvm, ſcili. *de ſpeciebus triſtitiæ.* dicendum quod ad rationem ſpeciei pertinet, quod ſe habeat ex additione ad genus, ſed generi poteſt aliquid addi dupliciter; vno modo quod per ſe ad ipſum pertinet, & virtute continetur in ipſo, ſicut rationale additur animali; & talis additio facit veras ſpecies alicuius generis, vt patet per Philoſophum in 7. & 8. Meth. Aliquid vero additur generi, quaſi aliquid extraneum à ratione ipſius, ſicut ſi album animali addatur, vel aliquid huiuſmodi; & talis additio non facit veras ſpecies generis, ſecundum quod communiter loquimur de genere, & ſpeciebus. Interdum autem aliquid dicitur eſſe ſpecies alicuius generis, propter hoc quod habet aliquid extraneum ad quod applicatur generis ratio: Sicut carbo, & flamma, dicitur ſpecies ignis, propter applicationem naturæ ignis ad materiam alienam; & ſimili modo loquendi, dicuntur Aſtrologia, & perſpectiua, ſpecies Mathematicę, in quantum principia Mathematica applicantur ad materiam naturalem: & hoc modo loquendi aſſignantur hic ſpecies triſtitiæ, per applicationem rationis triſtitiæ ad aliquid extraneum; quod quidem extraneum accipi poteſt, vel ex parte obiecti, vel ex parte effectus; proprium enim obiectum triſtitiæ eſt proprium malum, vnde extraneum obiectum triſtitiæ poteſt accipi, vel ſecundum alterum terminum tantum; quia ſcilicet eſt malum, ſed non proprium; & ſic eſt miſericordia, quæ eſt triſtitia de alieno malo, in quantum tamen æſtimatur vt proprium; vel quantum ad vtrumque, quia neque eſt de proprio, neque de malo, ſed de bono alieno; inquantum tamen bonum alienum æſtimatur vt proprium malum; & ſic eſt inuidia. proprius autem

Species triſtitiæ quomodo aſſignanda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

effectus tristitiæ, consistit in quadam fuga appetitus: vnde extraneum circa effectum tristitiæ potest accipi, quantum ad alterum tantum: quia scilicet tollitur fuga, & sic est anxietas, quæ sic aggrauat animum, vt non appareat aliquod refugium; vnde alio nomine dicitur angustia: si vero intantum procedat talis aggrauatio, vt etiã exteriora membra immobilitet ab opere (quod pertinet ad accidiam) sic erit extraneum quantum ad vtrumque; quia nec est fuga, nec est in appetitu. ideo autem specialiter accidia dicitur vocem amputare, quia vox inter omnes exteriores motus, magis exprimit interiorem conceptum, & affectum, non solum in hominibus, sed etiam in aliis animalibus, vt dicitur in primo Politicæ.

De causis doloris.

DISTINCTIO XX.

DEINDE considerandum est, de causis doloris, & circa hoc quæruntur quatuor. Primo, vtrum bonum amissum sit causa doloris, vel magis malum coniunctam. Secundo, vtrum concupiscentia sit causa doloris. Tertio, vtrum appetitus vnitatis sit causa doloris. Quarto, vtrum potestas cui non potest resisti sit causa doloris.

AD PRIMVM, scil. *vtrum bonum amissum magis sit causa doloris, quam malum coniunctum.* dicendum quod si hoc modo se haberent priuationes in apprehensione animæ, sicut se habent in ipsis rebus, ista quæstio nullius momenti esse videretur; malum enim est priuatio boni, priuatio autẽ in rerum natura nihil aliud est, quàm carentia oppositi habitus; secundum hoc ergo idẽ esset tristari de bono amisso, & de malo habito: sed tristitia est motus appetitus apprehensionem sequentis: In apprehensione autem ipsa priuatio habet rationem cuiusdam entis, vnde dicitur ens rationis. & sic malum cum sit priuatio, se habet per modum contrarij: & ideo quantum ad motum appetitiuum differt, vtrum respiciat principalius malum coniunctum, vel bonum amissum, & quia motus appetitus animalis hoc modo se habet in operationibus animæ, sicut motus naturalis in rebus naturalibus; ex consideratione naturalium motuum, vnitas accipi potest. Si enim accipiamus in motibus naturalibus accessum, & recessum, accessus per se respicit id quod est conueniens naturæ; recessus autem per se respicit id quod est contrarium: sicut graue per se recedit à loco superiori, accedit autem naturaliter ad locum inferiorẽ: sed si accipiamus causam vtriusque motus, scilicet grauitatem; ipsa grauitas per prius inclinat ad locum deorsum, quàm retrahat à loco sursum, à quo recedit, vt deorsum tendat: sic igitur cum tristitia in motibus appetitiuis se habeat per modum fugæ, vel recessus; delectatio autem per modum prosecutionis, vel accessus: sicut delectatio per prius respicit bonum adeptum, quasi proprium obiectum; ita tristitia respicit malum coniunctum: sed causa delectationis, & tristitiæ, scilicet amor; per prius respicit bonum, quàm malum. Sic ergo eo modo, quo obiectum est causa passionis, magis propriè est causa tristitiæ, & doloris, malum cõiunctum, quàm bonum amissum.

Priuatio in apprehensione est ens rationis.

Malum coniunctum magis propriè causat dolorem quã bonũ amissum.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum concupiscentia sit causa doloris.* dicendum quod tristitia est quidam motus appetitus animalis, motus autem appetitus, sicut dictum est, habet similitudinem appetitus naturalis; cuius duplex causa assignari potest: vna, per modum finis; alia, sicut vnde est principium motus; sicut descensionis corporis grauis causa sicut finis, est locus deorsum; principium autem motus, est inclinatio naturalis, quæ est ex grauitate; causa autem motus appetitiui per modum finis, est eius obiectum: & sicut supra dictum est, quod causa doloris, seu tristitiæ est malum coniunctum: causa autem, sicut vnde est principium talis motus, est interior inclinatio appetitus, qui quidem prius inclinatur ad bonum, & ex consequenti ad repudiandum malum contrarium; & ideo huiusmodi motus appetitiui, primum principium est amor, qui est prima inclinatio appetitus ad bonum consequendum: Secundum autem principium est odium, quod est inclinatio prima appetitus ad malum fugiendum: sed quia concupiscentia, vel cupiditas, est primus effectus amoris, quo quis maximè delectatur: Ideo frequenter Aug. cupiditatem, vel concupiscentiam, pro amore ponit; & hoc modo, concupiscentiam dicit esse vniuersalem causam doloris. Sed ipsa concupiscentia secundum propriam rationem considerata, est quidem interdum causa doloris. Omne enim quod impedit motum ne perueniat ad terminum est contrarium motui: id autem quod est contrarium motui appetitus est contristans, & sic per consequens concupiscentia fit causa tristitiæ, in quantum de retardatione boni concupiti, vel totali ablatione tristamur: vniuersalis autem causa doloris esse non potest, quia magis dolemus de subtractione bonorum præsentium, in quibus iam delectamur, quàm futurorum, quæ concupiscimus.

Concupiscẽtia est causa tristitiæ sed non vniuersaliter.

AD TERTIVM, scili. *vtrum appetitus vnitatis sit causa doloris.* dicendum, quod eo modo quo concupiscentia, vel cupiditas boni est causa doloris, etiam appetitus vnitatis, vel amor causa doloris est ponendus: bonum enim vniuscuiusque rei, in quadam vnitate consistit, prout, scilicet vnaquæque res habet in se vnita illa ex quibus consistit eius perfectio: vnde & Platonici posuerunt, vnum esse primum, sicut & bonum: vnde naturaliter vnumquodq; appetit vnitatem, sicut & bonitatem, & propter hoc, sicut amor, vel appetitus boni, est causa doloris, ita & amor, vel appetitus vnitatis.

Appetitus vnitatis est causa doloris.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum potestas maior, cui non potest resisti, sit causa doloris.* dicẽdum, quod sicut dictum est, malum coniunctum est causa doloris, vel tristitiæ per modũ obiecti. Id ergo quod est causa coniunctionis, debet poni causa doloris, vel tristitiæ. Manifestum est autem hoc esse contra inclinationem appetitus, vt malum præsentialiter inhæreat; quod autem est contra inclinationem alicuius nunquam aduenit ei, nisi per actionem alicuius fortioris: & ideo potestas maior, ponitur causa doloris ab Aug. Sed sciendum est, quod si potestas fortior intantum inualescat, quod mutet contrariam inclinationem, in inclinationem propriam; iam non erit aliqua repugnantia, vel violentia; sicut quando agens fortius corrumpendo corpus graue, aufert ei inclinationem qua tendit deorsum: tunc enim ferri sursum non est violentum, sed naturale. sic igitur si aliqua potestas maior in tantum inualescat, quod auferat inclinationem voluntatis, vel appetitus sensitiui, ex ea non sequitur dolor vel tristitia: sed tunc solum sequitur, quando remanet inclinatio appetitus in contrarium; & inde est, quod Augustꝰ. dicit, quod *voluntas resistens potestati fortiori causat dolorem*: si enim non resisteret, sed cederet consentiendo, non sequeretur dolor sed delectatio.

Quo sensu potestas maior causet dolorem.

De effectibus doloris, vel tristitiæ.

DISTINCTIO XXI.

DEINDE considerandum est, de effectibus doloris, vel tristitiæ, & circa hoc quæruntur quatuor. Primo, vtrum dolor auferat facultatem addiscendi. Secundo, vtrum aggrauatio animi sit effectus doloris. Tertio, vtrum dolor vel tristitia, impediat vel debilitet omnem operationem. Quarto, vtrum tristitia noceat corpori, magis quàm aliæ passiones.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum dolor auferat facultatem addiscendi.* dicendum quia omnes potentiæ animæ, in vna essentia animæ radicantur, necesse est, quod quando intentio animæ vehementer trahit ad operationem vnius potentiæ, retrahat ab operatione alterius;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vnius enim potentiæ non potest esse, nisi vna intentio; & propter hoc, si aliquid ad se trahat totam intentionem animę, vel magnam partem ipsius, non compatitur secum aliquid aliud, quod magnam attractionem requirat. Manifestum est autem quod dolor sensibilis maximè trahit ad se intentionem animæ: quia naturaliter vnumquodque tota intẽtione tendit ad repellendum contrarium: sicut etiam in naturalibus apparet. Similiter etiam manifestum est, quod ad addiscendum aliquid de nouo, requiritur studium, & conatus, cum magna intentione; vt patet per illud quòd dicitur Proverb. 1. *Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam, tunc intelliges disciplinam.* & ideo si sit dolor intensus impeditur homo ne tunc aliquid addiscere possit; & tantum potest intendi, quod nec etiam instante dolore, potest homo aliquid considerare, etiã quod prius sciuit. In hoc tamen attenditur diuersitas, secundum diuersitatem amoris quem homo habet ad addiscendum, vel considerandum, qui quanto maior fuerit, magis retinet intentionem animi, ne omnino feratur ad dolorem.

Dolor auſert potestatem addiscendi.

Ad secvndvm, scil. *vtrum aggrauatio animi sit effectus doloris.* dicendum quod affectus passionum animæ quandoque metaphoricè nominatur, secundum similitudinem sensibilium corporum; eo quod motus appetitus animalis, sunt similes ordinationibus, & inclinationibus appetitus naturalis; & per hunc modum feruor attribuitur amori, dilatatio delectationi, & aggrauatio tristitiæ: dicitur enim homo aggrauari, ex eo quod aliquo pondere impeditur à proprio motu. Manifestum est autem ex prædictis, quod tristitia prouenit ex aliquo malo præsenti; quod quidem ex hoc ipso quod repugnat motui voluntatis, aggrauat animum, inquantum impedit ipsum ne fruatur eo quod vult: & si quidem non sit tanta vis mali contristantis, vt auferat spem euadendi: licèt animus aggrauetur quantum ad hoc, quod in præsenti non potitur eo quod vult: remanet tamen motus ad repellendum nociuum contristans. si vero supercrescat vis mali intantum, vt spẽ euasionis excludat, tunc simpliciter impeditur, & interior motus animi angustiatur, vt neque hac neque illac diuertere valeat; & quandoque etiam impeditur exterior motus corporis, ita quod remaneat homo stupidus in seipso.

Dolor aggrauat animã.

Ad tertivm, scil. *vtrum dolor vel tristitia impediat omnem operationem.* dicendum quod sicut dictum est, tristitia quandoque non ita aggrauat, vel absorbet animum, vt omnem motum interiorem, & exteriorẽ excludat, sed aliqui motus quandoque ex ipsa tristitia causantur: sic ergo operatio ad tristitiam potest dupliciter comparari, vno modo sicut ad id de quo est tristitia; & sic tristitia quamlibet operationem impedit, nunquam enim illud quod cum tristitia facimus, ita bene facimus, sicut illud quod facimus cum delectatione, vel sine tristitia; cuius ratio est, quia voluntas est causa operationis humanæ, vnde quando operatio est, de qua aliquis contristatur, necesse est, quod actio debilitetur: Alio modo comparatur operatio ad tristitiam, sicut ad principium, & causam, & sic necesse est, quod operatio talis ex tristitia augeatur; sicut quanto aliquis magis tristatur de aliqua re, tanto magis conatur ad expellendum tristitiam, dummodo spes remaneat expellendi; alioquin nullus motus, vel operatio ex tristitia causaretur.

Tristitia quandã operationẽ impedit, quandam auget.

Ad qvartvm, sci. *vtrum tristitia magis noceat corpori, quàm aliæ passiones.* dicendum quod tristitia inter omnes animæ passiones magis corpori nocet; cuius ratio est, quia tristitia repugnat humanæ vitæ quantum ad speciem sui motus, & non solum quantum ad mensuram seu quantitatem, sicut aliæ passiones: consistit enim humana vita in quadã motione, quæ à corde in cætera membra diffunditur; quæ quidem motio conuenit naturæ humanæ secundum aliquam determinatam mensuram: si igitur ista motio procedat vltra mensuram debitã, repugnabit humanæ vitæ, secundũ quantitatis mensuram, non autem secundum similitudinem speciei; si autem impediatur processus huiusmodi motionis, repugnabit vitæ secundum suam speciem. Est autem attendendum in omnibus animæ passionibus, quod transmutatio corporalis quæ est in eis materialis, est conformis & proportionata motui appetitus qui est formalis, sicut in omnibus, materia proportionatur formæ. Illæ ergo animæ passiones, quæ important motum appetitus ad prosequendum aliquid, non repugnant in tali motione secundum speciem: sed possunt repugnare secundum quantitatem; vt amor, gaudium, desiderium, & huiusmodi: & ideo ista secundum speciem, iuuant naturam corporis; sed propter excessum possunt nocere: passiones autem quæ important motum appetitus cum fuga, vel retractione quadam, repugnant in tali motione non solum secundum quantitatẽ, sed etiam secundum speciem motus; & ideo simpliciter nocent: sicut timor, desperatio, & præ omnibus tristitia, quæ aggrauat animum ex malo præsenti, cuius est fortior impressio quàm futuri.

Tristitia magis nocet corpori quã aliæ passiones.

De remedijs doloris, vel tristitiæ.

DISTINCTIO XXII.

Deinde considerandum est de remediis doloris, vel tristitiæ, & circa hoc quæruntur quinque. Primo vtrum dolor vel tristitia mitigetur per quamlibet delectationem. Secundo vtrum per fletum. Tertio vtrum per compassionem amicorum. Quarto vtrum per contemplationem veritatis. Quinto vtrum per somnum.

Ad primvm, scilicet *vtrum quælibet delectatio mitiget quamlibet tristitiam, vel dolorem.* dicendum quod sicut ex prædictis patet; Delectatio est quædam quies appetitus in bono cõuenienti; tristitia autem est ex hoc quod aliquid repugnet appetitui: vnde sic se habet delectatio ad tristitiam, in motibus appetitiuis; sicut se habet in corporibus quies, ad fatigationem, quæ accidit ex aliqua transmutatione innaturali; nam & ista tristitia, fatigationẽ quandam seu ægritudinem appetitiuæ virtutis importat. Sicut igitur quælibet quies corporis remedium affert, contra quamlibet fatigationem, ex quacunque causa innaturali prouenientem: ita quælibet delectatio remedium affert, ad mitigandum quamlibet tristitiam, ex quacunque causa procedat.

Delectatio mitigat tristitiam.

Ad secvndvm, scil. *vtrum fletus mitiget tristitiam, vel dolorem.* dicendum quod lachrymæ, & gemitus, naturaliter mitigant tristitiam, & hoc duplici ratione. Primo quidem, quia omne nociuum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum: sed quando ad exteriora diffunditur, tunc intentio animæ ad exteriora quodammodo disgregatur, & sic interior dolor minuitur; & propter hoc quando homines qui sunt in tristitiis, exterius suã tristitiam manifestant, vel fletu, vel gemitu, vel etiam verbo, mitigatur tristitia. Secundo, quia semper operatio conueniens homini secundum dispositionem in qua est, est sibi delectabilis; fletus autem, & gemitus sunt quædam operationes conuenientes tristato, vel dolenti: & ideo efficiuntur ei delectabiles; cum ergo omnis delectatio aliqualiter mitiget tristitiam, vel dolorem, vt dictum est: sequitur, quod per fletum, & gemitum tristitia mitigetur.

Qua ratione fletus mitiget dolorem.

Ad tertivm, scil. *vtrum dolor amici compatientis mitiget dolorem.* dicendum quod naturaliter amicus condolens in tristitiis, est consolatiuus; cuius duplicem rationem tangit Philosophus in 9. Ethi. quarum prima est, quia cum ad tristitiam pertineat aggrauare habet rationem cuiusdam oneris, à quo aliquis aggrauatus alleuiari conatur; cum ergo aliquis videt de sua tristitia alios contristatos, fit ei quasi quædam imaginatio, quod illud onus alij cum ipso ferant, quasi conantes ad ipsum ab onere alleuiandum; & ideo leuius fert tristitiæ onus, sicut etiam in portandis

Amicus condolens tristitiã mitigat, duplici de causa.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

oneribus corporalibus contingit. Secunda ratio, & melior est, quia per hoc quod amici contristantur ei, percipit se ab eis amari, quod est delectabile, vt dictum est: vnde cum omnis delectatio mitiget tristitiam, vt dictum est; sequitur quod amicus condolens tristitiam mitiget.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum contemplatio veritatis mitiget dolorem.* dicendum quod sicut supra dictum est, in contemplatione veritatis maxima delectatio consistit, omnis autem delectatio dolorem mitigat, vt dictum est; & ideo contemplatio veritatis mitigat tristitiam, vel dolorem; & tanto magis, quanto magis, aliquis perfectus est amator sapientiæ; & ideo homines ex contemplatione diuina, & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent secundum illud Iaco. 1. *Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis.* & quod est amplius, etiam inter corporis cruciatus huiusmodi gaudium inuenitur: sicut Tyburtius martyr, cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, dixit: videtur mihi, quod super roseos flores incedam, in nomine Iesu Christi.

Contemplatio veritatis mitigat dolorem.

Exemplum.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum somnus, vel balneum mitigent dolorem.* dicendum, quod sicut dictum est, tristitia secundum suam speciem, repugnat vitali motioni corporis; & ideo illa quæ reformant naturã corporalem, in debitum statum vitalis motionis, repugnant tristitiæ, & ipsum mitigant; per hoc etiam, quod huiusmodi remediis reducitur natura ad debitum statum, causatur ex his delectatio: hoc enim est, quod delectationem facit. vnde cum omnis delectatio tristitiam mitiget, per huiusmodi remedia corporalia tristitia mitigatur.

Somnus & balneũ, qua ratione dolorem mitigẽt.

De bonitate vel malitia doloris vel tristitiæ.

DISTINCTIO XXIII.

DEINDE considerandum est, de bonitate vel malitia doloris, vel tristitiæ. Et circa hoc quæruntur sex. Primo vtrum omnis tristitia sit malum. Secundo vtrum possit esse bonum honestum. Tertio vtrum possit esse bonum vtile. Quarto vtrum dolor corporis, sit summum malum. Quinto qualiter omnes homines se debeant habere circa passionem doloris. Sexto qualiter omnes homines se habere debeant circa tristitiæ passionem.

AD PRIMVM, scil. *vtrum omnis tristitia sit malum.* dicendum, quod aliquid potest dici bonum vel malum dupliciter, vno modo simpliciter sicut dictum est, & secundum se; & sic omnis tristitia est quoddã malum. hoc enim ipsum, quod est appetitum hominis anxiari de malo præsenti, rationẽ mali habet: Impeditur enim per hoc quies appetitus in bono. Alio modo dicitur aliquid bonum, vel malum, ex suppositione alterius; sicut verecundia dicitur esse bonum, ex suppositione alicuius turpis commissi, vt dicitur in 4. Ethi. Sic igitur supposito aliquo contristabili, vel doloroso, ad bonitatẽ pertinet, quod aliquis de malo præsenti tristetur, vel doleat: quod enim non contristaretur, vel non doleret, non posset esse, nisi quia vel non sentiret; vel quia non reputaret sibi repugnans; & vtrumq; istorum est malum manifestè; & ideo ad bonitatem pertinet, vt supposita præsentia mali sequatur tristitia, vel dolor; & hoc est, quod Aug. dicit 8. super Gen. ad literam. *Adhuc est bonum, quod dolet amissum bonum; nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullius boni amissi dolor esset in pœna:* sed quia sermones morales sunt in singularibus quorum sunt oppositiones, illud quod suppositione bonum est, debet bonum iudicari; sicut quod est ex suppositione voluntarium, voluntarium iudicatur, vt dicitur in 3. Ethi. & supra habitum est.

Tristitia alia bona, alia mala.

AD SECVNDVM, scil. *vtrum tristitia possit habere rationem boni honesti:* dicendum quod secundum illam rationem qua tristitia est bonum, potest esse bonum honestum. Dictum est enim quod tristitia est bonum, secundum cognitionem, & recusationẽ mali; quæ quidem duo in dolore corporali, attestantur bonitati naturæ; ex qua prouenit, quod sensus sentit, & natura refugit læsiuum, quod causat dolorem. In interiori vero tristitia, cognitio mali quandoque quidem est per rectum iudicium rationis, & recusatio mali est per voluntatem bene dispositam detestantem malum: omne autẽ bonum honestum ex his duobus procedit, scil. ex rectitudine rationis & volũtatis, vnde manifestum est, quod tristitia potest habere rationem boni honesti.

Tristitia potest habere rationẽ boni honesti.

AD TERTIVM, scil. *vtrum tristitia possit esse bonum vtile:* dicendum, quod ex malo præsenti insurgit duplex appetitus motus. Vnus quidem, quo appetitus contrariatur malo præsenti, & ex ista parte tristitia non habet vtilitatem: quia id quod est præsens, non potest esse non præsens. Secundus motus consurgit in appetitu ad refugiendum, vel repellendum malum contristans, & quantum ad hoc tristitia habet vtilitatem, si sit de aliquo quod est fugiendum. Est enim aliquid fugiendum dupliciter. Vno modo propter seipsum, ex contrarietate quam habet ad bonum, sicut peccatum; & ideo tristitia de peccato vtilis est, ad hoc quòd homo fugiat peccatũ; sicut Apostolus dicit 2. ad Cor. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Alio modo est aliquid fugiendum: non quia secundum se sit malum; sed quia est occasio mali, dum vel homo nimis inhæret ei per amorem, vel etiam ex hoc præcipitatur in aliquod malum, sicut patet in bonis temporalibus; & secundum hoc tristitia de bonis temporalibus potest esse vtilis, sicut dicitur Ecclesiastæ 7. *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum.* Ideo autem tristitia in omni fugiendo est vtilis, quia geminatur fugiendi causa: nam ipsum malum secundum se fugiendum est: ipsam autem tristitiam secundum se omnes fugiunt; sicut etiam omnes bonum appetunt, & delectationem de bono. sicut ergo delectatio de bono facit vt bonum auidius quæratur, ita tristitia de malo facit, vt malum vehementius fugiatur.

Tristitia potest esse vtilis.

AD QVARTVM, scil. *vtrum dolor corporis sit summum malum;* dicendum, quod impossibile est aliquem dolorem vel tristitiam esse summum hominis malum. omnis enim tristitia seu dolor aut est de hoc, quod est verè malum, aut est de aliquo apparenti malo, quod est verè bonum; dolor autem seu tristitia, quæ est de verè malo, non potest esse summum malum; est enim aliquid eo peius scilicet vel non iudicare esse malum, illud quod est verè malum; vel etiam non refutare illud. tristitia autem vel dolor, quæ est de apparenti malo, quod est verè bonum, non potest esse summum malum: quia peius esset, omnino alienari à vero bono. vnde impossibile est quod aliqua tristitia vel dolor sit summum hominis malum.

Tristitia non potest esse summum malum.

AD QVINTVM, scilicet *qualiter omnes homines debeant se habere circa passionem doloris;* dicendum est, quod multiplex est dolor, scilicet dolor appetendus, dolor recolendus, dolor sustinendus, dolor præuidendus, dolor præcauendus &c.

Dolor multiplex.

EST enim dolor appetendus, scilicet dolor contritionis, de hoc Oseæ 13. *Colligata est iniquitas Effraym vinculo.* scilicet malæ voluntatis, & prauæ consuetudinis, de qua dicit August. in libro confes. *Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus, & inde catenam sibi fecerat, & constrinxerat me. quippe ex voluntate non refrenata facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis sibimet innexis, me tenebat astrictum.* Sequitur. *Absconditum est peccatum eius, quasi gladius in corpore, venenum in ventre, serpens in sinu, latrones in domo, & ignis in lecto.* Sequitur Ose. 13. *Dolores vt parturientis venient ei.* sicut enim mulier cum delectatione concipit, sed cum maiori dolore parturit; sic peccator cum delectatione peccat, sed cum dolore incomparabiliter maiori, quàm fuerit

Dolor appetendus.

delecta-

delectatio, punire debet; quod bene significatur cum dicitur: *Dolores, vt parturientis*: In parturiente tantus est dolor, vt præ dolore deficere videatur, nec est in ea membrum, quod non angustia repleatur. Sic pœnitens adeo vehementer dolere debet, quasi totus dolore deficiat: Sicut docet Aug. dicens. *Doleat peccator, & de dolore gaudeat, & non satis ei sit, quòd doleat, sed non semper se doluisse doleat*; nimirum certè, quòd de dolore gaudium generatur, & quanto vehementior est dolor, tãto maius gaudium inde consequitur. Item pluraliter dicit *dolores*: quia secundum multitudinem peccatorum debet esse multitudo dolorum: quia de quolibet speciali peccato, debet haberi specialis dolor. Item de quolibet semel facto, non sufficit semel dolere, sed quoties recolit homo se peccasse. Ideo de vno peccato oportet habere multos dolores. Ideo dicitur; Isa. 13. *Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens, dolebunt.*

Dolor recolendus. ITEM est dolor recolendus scilicet dolor Dominicæ Passionis. Ad hoc nos hortatur ipse Dominus. Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis, sicut dolor meus*, in cuius memoriam eius imago in parietibus depingitur, in ecclesiarum medijs quasi in locis potentioribus exaltatur, figuratus in vitreis, & Cruces in viarum compitis eleuantur, vt eius *Simile.* memoria semper vbique & ab omnibus habeatur. Hic dolor designatur per dolorem capitis, cui dolenti condolent omnia membra corporis, nisi sint mortua, vt patet in Paraliticis; vel abscisa, vt patet in mutilatis; ideo bene potest dicere cor deuotum, caput meum doleo. Quantus esse debeat iste dolor in corde cuiuslibet fideliter condolentis, ostenditur Zach. 12. *Dolebat super eum sicut doleri solet super mortem vnigeniti.*

Dolor assumendus. ITEM est dolor assumendus scilicet dolor compassionis, sicut vni membro dolenti condolent omnia membra: cuius signum est, quòd quando dolet vnum membrum, statim os aperitur ad quærendum remedium, auris ad audiendum, oculus ad videndum, manus ad tangendum, vel ligandum. Nos autem omnes sumus membra vnius corporis: Sicut docet Apost. Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo*: Huius compassionis exemplum habemus Iere. 20. *Quare de vulva egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem?* Item Thre. 1. *Attendite vniuersi populi, & videte dolorem meum, iuuenes mei, virgines meæ, abierunt in captiuitatem*: scilicet Diaboli. eos per peccatũ miserabiliter captiuantis; & de captiuitate inhorrẽdum Inferni carcerem pertrahentis: hoc autem vehementius est dolendum, quòd iuuenes, & virgines, in quibus florere deberet innocentię pulchritudo, à Diabolo captiuantur. Item exemplum condolendi fratribus vestris ostendit Apost. Rom. 9, *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Attende quomodo porci sibijnuicem condolentes mutuo se adiuuant *Simile.* si clamat vnus eorum, omnes accurrunt percussum adiuuare, vel detentum liberare nituntur; sed multi sunt sicut canes, qui canem percussum lacerant, persequuntur, & mordent; ita si vnus peccauerit, alij diffamant, & improperant, si in paupertatem deuenerit, clamant, vilipendunt, & derident; & si quid ei remanserit, auferre moliuntur; si diffamatur iniustè, alij statim fidem adhibent infamiæ, verba disseminant, multiplicant, exaggerant, & augmentant; si persecutionem patitur, alij similiter persequuntur. Vnde Psalm. 68. ait. *Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Dolor deponendus. ITEM est dolor deponendus, hic est dolor inuidiæ, qua dolet quis de prosperitate fraterna, sed de hoc dicemus infra diffusius capitulo de inuidia.

Dolor sustinendus. ITEM est dolor sustinendus. Hic est dolor aduersitatis temporalis. De quo Eccl. 2. *In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe*: huius exemplum habemus 2. Mach. 6. De Eleazato, qui tanquam miles strenuus pro lege Dei sustinens passionem dixit. *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam*

A *vero propter timorem tuum libenter hoc patior.* Item exemplum euidentissimum est de Christo, de quo dicitur Isa. 53. *Vidimus eum & non erat aspectus, & desideauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi abscondituus vultus eius, & despectus. Vnde nec reputauimus eum, verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*, si igitur pro nobis dolores sustinuit, multo magis pro nobis-ipsis debemus non solum patienter, immo etiam lætanter sustinere dolores. Item si pro incerta sanitate corporis post modicum morituri, multa grauia sustinemus, quanto magis pro salute animæ immortalis. Item inter ipsos dolores, si ipsos propter Deum voluntariè sustinemus, Deus misericors, multas consolatio-
B nes immittit. Sicut ait Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, & Apost. 2. Corinth. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Item ad hoc mouere nos debet incomprehẽsibilis præmij magnitudo. Nam expectatio præmij minuit vim doloris; *non sunt autem condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

Dolor præuidendus. ITEM est dolor præuidendus scilicet dolor mortis corporalis. Nam sicut dicit Apost. 1. Thes. 5. *Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*, ecce quòd aduentus mortis inopinatus est, & incertus. Nihil enim morte certius, sed nihil incertius hora mortis, nihil venit velocius, nihil inuadit acrius; sicut
C dolor in vtero habentis, ecce quod dolor est grauissimus, in partu ruptis carnibus, vix egreditur fœtus de ventre, sed in morte extrahitur anima de toto corpore. *Et non effugient*, ecce quod dolor perpetuus, & incuitabilis: attende quàm periculosum sit, non præuidere sibi ante mortem: quia tunc dolores intolerabiles corpus excruciant, peccata omnia prius facta subito occurrentia, cum desperatione agendæ pœnitentiæ animum perturbant, infernales pœnæ ad quas anima se videt irremediabiliter descensuram, ineffabiliter ipsam terrent, tandem Dæmones horribiles, & crudeles, eam expectantes, infestant. Quid igitur faciet anima misera sic vndique obsessa, hęc omnia breuiter tangit Psalm. 114. dicens: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes*
D *iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* Hæc ad præsens sufficient, quia infra dicemus latius de morte, & de his quæ ad mortem pertinent.

Dolor præcauendus. ITEM est dolor præcauendus scilicet dolor supplicij infernalis, de hoc Baruth. 2. *Non audierunt vocem tuã Domine, & ecce mortui sunt in doloribus pessimis*, mali sunt hi dolores propter acerbitatem incomparabilem. Ibi enim vlulabunt miseri, sicut lupus in pedica, & sicut canis, qui excoriatur. Vnde Isa. 51. *Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis* Secundo peiores sunt hi dolores propter anxietatem immitigabilem, nulla enim spes erit alleuiationis, vel interpolationis. Vnde Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore, &*
E *blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis.* Item Iere. 30. *Insanabilis est dolor tuus præ multitudine iniquitatum tuarum.* Tertio pessimi sunt propter æternitatem interminabilem: tunc cum derisione dicetur illis; *ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis; in doloribus dormietis*, &c. Isa. 50. Yronicè dicta sunt, quia nec ignis inferni lumen habet, sed est horribiliter tenebrosus, nec reprobi in doloribus dormire poterunt, nec requiem inuenire. Vnde Ierem. 15. dicitur, in persona cuiuslibet damnati. *Quare factus est dolor meus perpetuus?* Sequitur respon. *Et* pro quia, *plaga mea incurabilis renuit curari*, vt poterunt semper dicere, *hęc omnia initia sunt dolorum*, Matth. 24. Quia dolores eorum, semper erunt quasi incipientes, etiam post infinita sæcula, nunquam peruenientes ad finem.

AD SEXTVM, scilicet *qualiter omnes homines se debeant*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tristitia quæ est secundum Deum laudatur, oritur à respectu sui, proximi, & Dei.

habere circa passionem tristitiæ. Notandum est, quod sicut docet Apost. 2. Corinth. 7. Quędam est tristitia secundum Deum, quædam secundum sæculum, prima laudabilis, secunda vituperabilis. Circa primam debemus diligenter attendere, quod si iustus homo sciret, & vellet sapienter aduertere, quod vndique sibi tot occurrerent causæ tristitiæ, nunquam in vita præsenti sine tristitia potest esse. Inuenit enim homo materiam, & rationem tristitiæ, & respectu sui, & respectu Dei, & respectu proximi.

Respectu sui triplicitèr sci. ex languore conditionis.

PRIMO quidem in seipso reperit, & sensibiliter experitur rationem tristitiæ, quę prouenit ex languore conditionis, ex dolore compunctionis, ex angore afflictionis. Ex languore quippe conditionis primariè, oritur tristitia magna valde, & eo maior quo insuperabilis, & inseparabilis est à nobis; vbique enim & semper circumferimus nobiscum tristitiæ rationem. Dicitur autem oriri ex languore conditionis siue corruptionis, quoniam ex peccato primi hominis inest animę nostrę languor quidam & debilitas, vt nec malo possimus, sicut vellemus resistere; nec bonum desideremus sicut expediret agere, aut non sicut oporteret appetimus; propter quod in persona cuiuslibet nostrum Apostolus ingemiscens, exclamat dicens Rom. 7. *Ego carnalis sum venundatus sub peccato, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Inueni igitur aliam legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Video igitur aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me sub lege peccati.* Nonne considerata tali miseria, debet in nobis esse tristitia, vsque ad mortem. Nam & Christus miseriæ nostræ piè compatiens dicit Matt. 26. *Tristis est anima mea vsquè ad mortem.* Non enim propter timorem passionis piè Iesu tristabaris, propter quam perferendam veneras, sed propter nostram miseriam, tristis eras. Ideo bene dicitur Ecclesiastici 7. *Cor sapientis, vbi tristitia*: in seipso inuenit rationem tristitiæ, ideo in seipso debet cor suum conuertere, vt & miseriam suam defleat, & languorem suum excutiat; malum pro posse suo caueat, & bonum agere non tepescat. Hanc miseriam suam Psalm. 37. lamentabiliter deplorando dicebat. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Miser factus sum*, inquit: Miser est, qui quod desiderat non habet, & non desiderat, quod deberet; & multa sibi eueniunt, quæ non vellet. Qui non assequitur, quod delectet; & pati cogitur, quod molestet; qui proficua sibi negligit, vel contemnit, & noxia concupiscit. Omnis homo, qui hæc omnia experitur in se, debet dicere cum dolore, *Miser factus sum. Et incuruatus sum*, inquit, scilicet ad inferiora, adeo inquam incuruatus, vt non rectus incedere, nec ad opus bonum expedite procedere, nec sursum respicere, id est cœlestia valeam contemplari; vnde dicebat Manasses Rex II. Parali. vlt. *Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi*: propter hoc bene subditur in authoritate prędicta, *tota die*, id est toto tempore vitæ meæ. *Contristatus*, id est de prędicta miseria conturbatus, *ingrediebar*, in cor meum, ad status mei pericula explorandum, & meam miseriam deplorandum, & merito debeo tristis esse; *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*, frequenter immissis à Dæmone, *& non est sanitas in carne mea*, id est sustineo tentationes à carne.

Et dolore cõpunctionis.

SECVNDO prouenit in nobis tristitia, ex dolore cõpunctionis, de qua dicit Apostolus 2. Corint. 7. *Contristati estis ad pœnitentiam*, bona est tristitia quæ Deo cedit ad honorem, & animæ prouenit ad salutem, quòd sit ad gloriam Dei. Dicitur Baruch. 2. *Anima quæ tristis est super magnitudine mali*, id est peccati commissi, *& incedit curua, & in infimis*, id est curuata ceruice superbiæ tenet se in infimis humilitatis, infimam se præ cęteris reputando, & infima humilitatis opera exercendo, *& oculi deficientes*, præ lachrymis contritionis quo ad se, compassionis quo ad proximum, deuotionis quo ad Deum, *& anima esuriens*, id est ardenter desiderans opera bona facere, meritum acquirere, diuinam dulcedinem prægustare, & ad æternæ vitæ gaudia peruenire, talis inquã anima, *dat tibi gloriam, & iustitiam Domino*; quoniam iustitiam exercet de seipsa; satisfactionem de peccatis proprijs exoluendo, & honorem Dei, in omnibus suis operibus intendendo: sic ergo patet, quòd hæc tristitia sit ad gloriam Dei. Item quòd hæc tristitia sit ad salutem animæ testatur Apostolus 2. Corinth. 7. dicens. *Quæ secundum Deum est tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, bona est tristitia quæ à Deo infunditur, quæ secundum Deum mouetur, propter Deum operatur, ad Deum ordinatur, & à Deo æternaliter remuneratur. Ista operatur pœnitentiam, id est satisfactionem condignam in salutem stabilem, id est salutem animæ non corporis: quia salus corporis non est stabilis, sed breuis, mutabilis, & incerta.

Ex angore afflictionis.

TERTIO prouenit in nobis tristitia, ex angore afflictionis. Sanè multiplex est in nobis afflictio cordis, & corporis, id est tentationes, tribulationes, angustiæ, oppressiones, & penuriæ, sollicitudines, & labores, & alia multa, sine quibus nõ agitur vita præsens. Ideo dicitur 1. Pet. 1. *Exultabitis modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus*, &c. *exultabitis*, inquam *si oportet*, peccato promerente, Dei iustitia exigente, sapientia ordinante, & clementia faciente; oportet ergo significat necessitatem ineuitabilem, *tristari nunc*, designat temporis breuitatem, *modicum* denotat leuitatem; *quod autem modicum est, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corin. 4. & Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Verè nõ sunt condignæ nec comparabiles passiones huius temporis ad peccatum quod remittitur, ad gratiam quæ infunditur, ad meritum quod acquiritur: ad consolationem quę immittitur, ad æternam pœnam quæ euaditur, ad futuram gloriam quæ promittitur, *in variis tentationibus*: siue sint à Deo probante, siue ab homine molestante, siue à carne instigante; siue à Dæmone infestante. Omnia mala quæ hic patimur tẽtationes quædam sunt, quibus probatur virtus nostra, vel vitium: nunc enim est tempus probationis: tunc, id est in futuro, erit tempus professionis: sicut namque in religione, nouicij primo probantur antequam profiteantur, sic nos in vita præsenti probamur, in qua probatione si bene humiliter, & deuote vixerimus, recipiemur in sacrum Collegium, & Glorioſum Consortium Beatorum; si autem indeuoti, indisciplinati, inobedientes, & rebelles diuinæ voluntati fuerimus, abijciemur, & turpiter expellemur; magnam ergo gratiam facit Deus homini quem in tribulatione probat, vt approbet, & approbatum recipiat, in Collegium Beatorum, vnde dicitur 1. Pet. 2. *Hęc est gratia, si propter conscientiam Dei*, id est conscientiam bonam diuinitus informatam, & à Deo per gratiam, inhabitatã; vel propter conscientiam Dei, id est intentionem honoris diuini; *sustinet quis patienter, sine murmure tristitias*, id est tribulationes quæ sunt occasio, & materia tristitiæ. Aduertendum est autem quòd tristitia quandoque est motus quidã subiectus & subsequens iudicium rationis, & isto modo bene est tristitia in viris iustis, & fuit etiam in Christo, sicut dicitur Matt. 14. *Cæpit contristari, & mæstus esse*, quandoque vero est passio subuertens iudicium rationis, & sic non cadit in virum iustum, sicut dicitur, Prouer. 12. *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.* vnde Tob. 1. dicitur. *Non est contristatus contra Deum quòd plaga cæcitatis euenerit ei.* Et de Christo dicitur Isa. 42. *Non erit tristis neque turbulentus.*

Tristitia in ordine ad proximũ triplex, scilicet correptiua delinquentium.

ITEM occurrunt nobis occasiones tristitiæ, si consideremus ea quę sunt ad proximum, videmus enim frequenter amicos nostros, & proximos delinquentes, aduersa sustinentes, vel de vita decedentes. Debemus autem correctionem delinquentibus, compassionem sustinentibus, affectionem decedentibus. Est ergo tristitia correptiua delinquentium, compassiua sustinentium, & deploratiua decedentium, est inquam tristitia correptiua delinquentium; Nam videntes proximum

delin-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

delinquere, vel audientes deliquisse, debemus eum ex charitate corripere, sicut ait Sapiens, Eccl. 11. *Corripe amicum, sæpe enim fit commissio.* Idem, *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & si intellexerit ne forte iteret.* Hæc autem correptio licèt procedat ex dulcedine charitatis: tamen frequenter expedit eam fieri cum quadam tristitia, idest austeritate vultus, & pondere verborum, & efficacia sermonis, vt ostendatur zelus ad eum qui corripitur, & displicentia peccatorum. Nam si molliter proferatur verbum correptionis, & tepide; non mouet, & penetrat animum delinquentis; vnde nec erubescit de præterito, nec metuit de futuro. Peccant ergo, qui videntes proximum delinquentem, rident, & videntur applaudere, vel cum risu, & quadam verborum mollicie corripiunt, ex timore videlicet aut fauore. Ideo dicitur Eccl. 4. *Melior est ira risu, quoniam per tristitiam vultus, corripitur animus delinquentis.* Corripiens ergo tristitiam vultus ostendat, idest displicentiam peccati; vel si fortè corripere non audeat, propter personæ magnitudinem, vel status celsitudinem, saltem tristitiam vultus ostendat in signum displicentiæ: quia sic corripitur animus delinquentis, vnde Prouerb. 25. dicitur. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Sicut enim cum aliquis detrahit alijs, si rideant auditores, ostendunt sibi detractoria verba placere, & ex hoc præbent detractoribus audaciam detrahendi; sic è contra ostendendo tristitiam vultus reprimunt audaciam obloquendi; & ita est etiam de alijs peccatis. Hæc est ergo tristitia correptiua delinquentium.

Compassiua sustinentium. ITEM est tristitia compassiua sustinentium. Nam secundum Apostolum, si patitur vnum membrum, compatiuntur alia membra. Et si corporibus patientium proximorum debemus compati, quanto magis animabus eorum; vtpote cum videmus animas, Christi sanguine redemptas, peccare; & ad damnationem currere: quas tamen retrahere non valemus. Ideo dicebat Apostolus, zelo charitatis accensus. Rom. 9. *Tristitia mihi magna est, & dolor continuus cordi meo, optabam enim ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,* saluandis scilicet, vel iuuandis, idest, optabam si sine peccato posset optari quòd ad tempus, in vita videlicet vel post mortem, seperarer à Domino Iesu Christo, vt illi non separarentur æternaliter. Simile habemus Exod. 32. Nam cum peccassent filij Israel in deserto vitulum conflatilem adorando, videns Moyses iram Domini grauiter contra eos accensam, orando dicebat: *Obsecro Domine, peccauit populus tuus peccatum magnum, aut dimitte eis noxam hanc: aut dele me de libro tuo quem tu scripsisti.* Ait etiam ipse Christus Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* O Domine Iesu, vnde prouenit tibi ista tristitia? Numquid ex timore passionis instantis? absit hoc à cordibus fidelium cogitare. Non enim propter timorē passionis ad quam perferendam veneras, & quam pro salute nostra summo desiderio peroptabas, tristis erat anima tua sanctissima, sed de damnatione pessimi proditoris, de lapsu Apostolorum, de perfidia Iudæorum, de ingratitudine falsorum Christianorum. Heu quot hodie nobis occurrunt causæ tristitiæ, qui tot pauperes videmus quotidie grauari temporaliter, affligi corporaliter, angustiari mentaliter, insuper innumerabiles animas, Dei timore reiecto, suæ salutis immemores, multiplicare flagitia, & præcipitanter currere ad æterna supplicia.

Deploratiua morientium. ITEM est tristitia deploratiua morientium, & ista quodammodo naturalis est. Naturale enim est quòd homo, de separatione dilecti doleat: cui viuenti conuiuere se gaudebat; nec est possibile quin caro sentiat diuisionem carnis, idest, quin carnalis, sensualiter sentiat separationem proximi coniuncti sibi mentaliter, vel carnaliter attinentis: procedit ergo hęc tristitia ex radice carnalis affectionis, sed officio rationis est mediocriter temperanda, sicut docet Sapiens, Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas ex affectione, & quasi dira passus incipe plorare,* scilicet sine fictione; contra multos, qui seplorare fingunt, vt videantur amici fuisse defuncti; sed illæ lachrimæ vel falsæ sunt, quia non procedunt ex amore; vel dolosæ, procedentes ex gaudio, non dolore. Sequitur. *Et secundum iudicium contege corpus illius:* Secundum iudicium inquam, id est secundum discretionem, & secūdum approbatam consuetudinem patriæ, & secundum modum facultatis suæ, & secundum dignitatem personæ defunctæ. *Et non despicias sepulturam ipsius.* Curandum est enim quod sepeliatur vbi sepulturam elegit, vel in sepulchris maiorum, idest progenitorum suorum, vel vbi maius adiutorium suffragiorum habebit. Hoc autem vltimum in electione sepulturæ, principalius est curādum. *Propter delaturam autem,* idest ne alij te accusent, de inhumanitate & remisso amore; *Amare fer luctum illius vno die, & consolare propter iustitiam,* Dei scilicet cuius volūtati debet voluntas hominis conformari, à qua si secundum rationis iudiciū dissonaret, peccaret; vnde & si secundum motum sensualitatis, non possit homini placere mors amici, tamē secundum iudicium rationis, & deliberatiuum motum voluntatis, debet sibi non displicere; hæc est enim sententia Dei iusta, idest iustè propter peccatum inflicta; vt de mundo isto non nisi per mortis angustiā transeamus; vnde dicit Greg. *amicorum nos amissio tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalitatis expescit.* Item, *consolare propter iustitiam,* defuncti; Nam quantomelius vixit & maioris meriti fuit, tantominus est dolendum: Quanto vero deterioris, vel infamioris vitæ fuit, tanto vehementius est lugendum, vnde sequitur hic statim, *& fac luctum secundum meritum eius, vno die vel duobus.* Et prima Thes. 4. *Non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent,* qui enim non sperant de salute defuncti, magnam habent causam & materiā diutius, & vehementius lamentandi: sed sunt nonnulli qui non lugent mortuos, sed seipsos; non considerantes bonitatem vitæ, sed vtilitatem personæ; neque cogitantes de pœnis quas mortui habent sustinere post mortem, deflent amissionem beneficiorum, auxilij, vel honoris, antea perceptorum, vel in posterum speratorū; nec recogitant quomodo possint eos eleemosynis, ieiunijs, & orationibus adiuuare, sed quomodo bona eorum poterunt obtinere.

VBI DICTVM est supra: *Consolare propter iustitiam,* alia litera communior est, *propter tristitiam,* ne scilicet absorbearis nimia & immoderata tristitia, *à tristitia enim festinat mors,* animę, & corporis, *& cooperit virtutem,* idest facultatem bene agendi, *& tristitia cordis flectit ceruicem,* idest debilitat potentiam sustinēdi. Videns ergo quod immoderata tristitia abbreuiat vitam corporis, & inducit mortem animæ, generat accidiam, & causat impatientiam; Ideo consequenter hortatur sapiens ibidē. *Ne dederis in tristitia cor tuum,* idest non sequaris tristitiæ passionem, nec desolationis impetum prosequaris, *sed repelle eam à te.* Modum autem repellendi docet optimè cum subiungit. *Memento nouissimorum,* idest mortis tuæ; Futuri iudicij, in quo secundum facta tua recipies, Infernalium tormentorum, ne incurras; Cælestium gaudiorum, ne per immoderatam tristitiam illa perdas. Sequitur. *Neque enim est conuersio,* idest ille non conuertetur seu reuertetur ad te, sed tu ibis ad eum. Sicut ait Dauid de filio suo mortuo. *Nunquid potero eum reuocare amplius. Ego vado magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me.* Sequitur. *Et hunc,* idest mortuo, *nihil proderis,* teipsum immoderatè per tristitiam affligendo, *& teipsum pessimabis,* quia & corpus tuum pessimè grauabis, & animam dānificabis pessimè, vel damnabis. Ecclesiastici 30. *Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea.*

Cautēda immoderata tristitia pro defunctis.

ITEM occurrunt nobis causæ tristitiæ, si consideremus ea quæ sunt ad Deum. Nam in deuotis cordibus prouenit tristitia ex recordatione Dominicę passionis, ex æmulatione diuinę dehonorationis, & ex prolōgatione optatæ possessionis. Primo quidem in nobis debet esse tristitia ex recordatione Dominicæ passionis. Nam cum in eo fuerit tristitia imminente passione, sicut ipse testatur, Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque*

Tristitia occasionaturin ordine ad Deum ex tribus scilic.

Ex recordatione Dominicæ passionis

ad mor

ad mortem, non fuit in eo ex timore passionis, quia non timebat proculdubio, sed optabat: sed inter alias rationes tristitiæ fuit vna, ingratitudo nostra; quia videlicet tantum beneficiũ, nec dignè recognoscimus, nec deuotè recolimus, nec gratias agimus, vt debemus. vnde in Psal. 68. conqueritur dicens: *Sustinui*. i. expectaui, *qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni*. Igitur si pius Dominus super ingratitudine nostra tristis erat vsque ad mortem, & nos super indeuotione nostra, & ingratitudine, tristes esse debemus. Eius itaque tristitiam studeamus nobis assumere, & deuotione fideli, totam in nobis suæ passionis tristitiam, excitare, sic ait anima deuota, Thren. 3. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*. Et Psal. 34. dicit. *Quasi lugens, & contristatus sic humiliabar*. Attende quod Dominus discipulis, de passione sua tristibus, & inuicem conferentibus, iunxit se medium & consortem, sicut dicitur Lucæ 24. & ait: *Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes?* scripturas, quæ de ipso erant aperuit, mentes nostras interius illustrauit, & ad amorem suum vehementius inflammauit: Sicut ipsi testantur dicentes. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret scripturas?* sic & nobis piè suam passionem recolentibus, ac de ea cum aliis, vel in corde nostro conferentibus, se dignanter associat, mentes illuminat; & inflammat. Hæc ergo tristitia, quam in nobis assumimus, & excitare satagimus, in gaudium commutatur. Sicut ipse discipulis suis promisit Ioan. 16. *Vos tristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*.

Ex æmulatione diuinæ dehonorationis.

ITEM est tristitia proueniens ex æmulatione diuinæ dehonorationis: quia videlicet leges eius lacerantur, præcepta negliguntur, consilia contemnuntur, nomen eius blasphematur, & honor ei debitus conculcatur; ac per consequens animæ, suo sanguine precioso redemptæ, damnantur. vnde Ioan. 16. discipulis suis ait. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis*, pro mea dehonoratione, *& flebitis*, pro animarum damnatione, *mundus autem gaudebit*, gaudio quodam insano, sicut freneticus ridet & gaudet, medicus autem luget: sic profecto miseri peccatores gaudent in falsa felicitate, & prosperitate mundana, non aduertentes, quod in puncto ad inferna descendunt: *vos autem contristabimini*. Huius tristitiæ exemplum habemus notabile, primi Esdræ 9. vbi dicitur, quod cum ipsi Esdræ nunciatum fuisset filios Israel contra legem Dei vxores alienigenas accepisse, scidit vestimenta sua, & euulsit capillos capitis sui in signum vehementissimi doloris. Dolebat enim tam de transgressione diuinæ legis, quam de offensa Dei; quã etiam de damnatione, idest damnabili peccato populi sui. vnde dicitur ibi. *Ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum*. Et sequitur. *Et in sacrificio vespertino curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum, & dixi: Domine Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum*, idest vsque ad tuę maiestatis contemptum.

Ex subtractione diuinæ cõiunctionis.

ITEM est tristitia proueniens ex subtractione diuinæ coniunctionis. Anima namque sancta diuinæ dilectionis igne succensa, feruenter desiderat Deum habere prẹsentem, siue in præsenti vita, per experimẽtalem gustum suauitatis internæ; siue in futuro, per adeptionem felicitatis æternæ. sicut ait Psal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei* &c. Et quia Deus dispensatiuè præsentiam suam quandoque subtrahit, vt ardentius appetatur, excitetur deuotio, & meritum augeatur: ideo humiliter cõquerendo dicit idem Psal. 42. *Quare oblitus es mei, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* sed quia propter vtilitatem nostram, sic se subtrahit. Ideo dicitur Ioan. 16. *Vado ad eum qui me misit*, idest, præsentiam meam corporalem subtraho: *sed quia hęc locutus sum vobis, tristitia implenit cor vestrum, sed ego dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam*. Sicut autem expediebat Apostolis, quod Christus suam præsentiã corporalem subtraheret, vt scilicet spiritualius, & sublimius, ipsum amare discerent: ita nobis expedit, quod Deus aliquando se à nobis, quasi subtrahere videatur; vt non propter breuem & momentaneam delectationem quæ de ipso sentitur multum exiliter in præsenti, quęramus eum: sed propter immensam, ineffabilem, & æternã. Est igitur in nobis tristitia, quando se spiritualiter subtrahit in præsenti; sed maior est, quia ad fruitionem eius felicem, peruenire differimus in futurum.

Sic ergo declaratum est quod multiplex est causa tristitiæ secundum Deum, quæ est laudabilis. Consequenter videndum est de tristitia quæ est secundum sæculum, & est culpabilis. Hominibus autem mundanis, filiis huius sæculi, multiplex occurrit causa tristitiæ; quoties scilicet vnusquisque non potest assequi quod quærebat, vel amittere cogitur, quod habebat. Oritur autẽ quandoque tristitia, ex tumore superbiæ, vel ex liuore inuidiæ, vel ex furore iracundiæ, vel ex languore accidiæ, vel ex ardore auaritię, vel ex dolosa simulatione, vel ex æterna desolatione.

Tristitia mundana & culpabilis est multiplex.

ORITVR ergo tristitia in ambitiosis, ex tumore superbiæ, quando scilicet quod appetunt adipisci non possunt, sicut luculenter apparet in quotidianis exemplis. Euidentissimum autem exemplum 1. Mach. 6. vbi dicitur, quod cum audisset rex Antiochus, quod deuictus esset eius exercitus, spoliatus & fugatus turpiter à Iudæis, *expauit & commotus est valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non est factum sicut cogitabat; & renouata est in eo tristitia, & arbitratus est se mori*. Sequitur. *Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ sollicitudine, & dixi in corde meo, in quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum*. de superbia & elatione istius dicitur 2. Mach. 9. *Videbatur etiam sibi fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, & sydera cœli contingere se arbitrabatur*. Tales ergo replentur mærore tristitiæ, quando non possunt quod appetunt obtinere.

1. oritur ex tumore superbia.

Exemplum.

ITEM oritur ex liuore inuidię, nam inuidia est tristitia felicitatis alienę. vnde Gen. 4. dixit Dominus ad Cain qui inuidia torquebatur. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Item Nehę. 2. dicitur. *Contristati sunt Sanaballath & Tobias, quia venisset homo qui quærebat prosperitatem filiorum Israel*. de hoc dicetur diffusius infra capitulo de inuidia.

2. ex liuore inuidia.

ITEM oritur tristitia ex furore iracundiæ: & quia ira quandoque solum consistit in corde, quandoque prorumpit exterius in sermone, quandoque vero demonstratur in opere. Ideo dicitur Ecclesiastici 14. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo, ex ore suo*, quantum ad iram quę demonstratur in verbo, *& non est stimulatus tristitia delicti*, quantum ad iram quæ demonstratur in opere: *felix qui non habuit animi sui tristitiam*, quantum ad iram quę consistit in corde, vide infra diffusius, de ira.

3. ex furore iracundia.

ITEM oritur tristitia ex languore accidiæ: nam accidia est quædam tristitia spiritus, & languor mentis, vnde Matth. 26. dicitur. *Inuenit Iesus discipulos suos dormientes præ tristitia*.

4. ex lãguore accidia.

ITEM oritur tristitia ex ardore auaritiæ, sicut dicitur Eccl. 5. *Quid prodest auaro quod laborauit in ventum? cunctis diebus comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia*. Ecce ergo quod tristitia inseparabiliter comitatur auaritiam, & in acquirendo diuitias, & in possidendo, & in vtendo, & in custodiendo. Quod autem in dimittendo, vel amittendo, tristitiam habeat cupidus, vel auarus: patet Matth. 19. *vnus adolescens ait Iesu: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam; & cum dixisset ei Iesus: Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. *Cum audisset adolescens verba hæc, abijt tristis, erat enim multas possessiones habens*.

5. ex ardore auaritia.

ITEM oritur tristitia ex dolosa simulatione. Solent enim hypocritæ simulare maturitatem, honestatem,

6. ex dolosa simulatione.

maciem,

maciem, & triſtem faciem cum pallore, vt videantur ieiuniis, vigiliis, & auſteris abſtinentiis macerari, ſicut dicitur Matth. 6. *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes: Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* de omnibus prędictis triſtitiis verum eſt quod dicit Apoſtolus 2. Cor. 7. *Seculi triſtitia mortem operatur.*

7. ex immẽſa deſolatione.

TANDEM oritur triſtitia ex immenſa deſolatione, quæ inſeparabiliter, inceſſanter, & æternaliter eſt in reprobis, in inferno; ſicut dicitur Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus; quid nobis profuit ſuperbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia tanquam vmbra.* Sequitur. *In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus: talia dixerunt in inferno, hi qui peccauerunt.* Similia verba dicebat ille ſuperbiſſimus Antiochus 1. Mach. 6. qui etiam in hoc mundo ſic eſt atrociter cruciatus, vt infernus eius, dum adhuc viueret, fuerit inchoatus. *In quantam* inquit *tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ?* quaſi diceret, hæc tribulatio quã patior erat mihi inopinabilis, ſeu incredibilis, & fluctus triſtitiæ, qui in me continuè irruunt, & opprimunt me, cooperiunt, obruunt, & ſubmergunt; ſunt inæſtimabiles, & ineffabiles, & interminabiles. Quare vero in tantam triſtitiam inciderit, recognoſcit, & peccata ſua; ſed tardè & inutiliter confitetur, dicens: *Reminiſcor malorum quæ feci, &c. cognoui ergo quod propterea inuenerunt me mala iſta, & ecce pereo triſtitia, in terra aliena.* Attende quod dicit, *pereo*, non dicit perij, quaſi ſit præteritum, nec peribo, quaſi futurum, ſed *pereo* ſemper præſens, quia damnatio ſemper eſt præſens impiis, in inferno, & quaſi ſemper in inchoando.

De gaudio.

DISTINCTIO XXIV.

DEINDE conſiderandum eſt de gaudio. Sciendum autem eſt quod gaudium & delectatio differunt, ſicut magis commune & minus commune. Delectatio enim eſſe poteſt de omnibus, quæ concupiſcimus, ſiue ſecundum ſenſum, ſiue ſecundum rationem: gaudium autem proprie non eſt niſi de his, quę ſecundum rationem appetimus. Vnde in brutis animalibus, bene eſt delectatio, non autem gaudium: in habentibus vero rationem, de omnibus de quibus poteſt eſſe gaudium, poteſt eſſe delectatio, ſed non econuerſo. Quandoque enim aliquis ſentit delectationem ſecundum corpus, de qua tamẽ non gaudet ſecundum rationem, & ſic patet quod delectatio eſt in plus, quam gaudium. Sciendum autem qualiter nos habeamus, & habere debeamus, circa paſſionem ſeu affectionem gaudij.

Gaudiũ triplex, mundanorum, iuſtorum, & beatorum.

1. Reſpuẽdum.

NOTANDVM eſt, quod multiplex eſt gaudium. Eſt enim gaudium reſpuendum ſcili. gaudium mundanorum, & gaudium conſeruandum ſcili. gaudium iuſtorum, & gaudium appetendum ſcil. beatorum.

PRIMVM eſt reſpuendum, quia ſecum habet annexã vanitatem, vnde non eſt verum gaudium, ſed ſophiſticum: de hoc dicitur Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar cunctí.* Item habet admixtam anxietatem. Ioel. 1. *Confuſum eſt gaudium à filijs hominum*, plus enim eſt ibi de labore, ſollicitudine, & tædio, quam de bono, vnde non eſt purum gaudium, ſed multis contrariis ſociatum. Item habet ſociam fatuitatem: ſæpe enim fiunt in iſtis gaudiis multæ fatuitates, quæ aliàs nõ fierent, & quando redit homo ad conſcientiam ſuam, non inuenit ibi niſi fatuitatem. Prouer. 15. *Stultitia gaudium ſtulto.* Item frequenter habet ſecum iniquitatem, gaudent enim aliqui de ſimplicium oppreſſione, Iſa. 32. *Gaudium onagrorum paſcua gregum*; ideſt, gaudent ſuperbi diuites, ſe rapere bona de quibus paſci deberent ſimplices. tale fuit gaudium Iudęorũ qui de traditione Chriſti gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam ſe daturos Matth. 14. Alij de ruina vel de infortunio proximorum, contra quod ait Sap. Prouerb. 24. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei.* Ideo Iob 31. *Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat?* quaſi diceret non. Alij de morte. Contra quod Eccleſiaſtici 8. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere, quoniam omnes morimur.* Alij etiam quod longè deterius eſt, de iniquitatibus ſuis gaudent, ſicut ſcriptum eſt Prouer. 2. *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis:* ſed ſicut Prouer. 19. dicitur, *Qui gaudet in iniquitate, denotabitur*, ideſt diffamabitur, vel infamis efficietur; vel *denotabitur*, ideſt de nota ſeu ſcriptura libri vitę delebitur. Alij iniquè agentibus congaudent adulando, quod eſt contra Deum & charitatẽm. Quia ſicut ait Apoſtolus 1. Cor. 13. *Charitas non gaudet iniquitate, congaudet autem veritati.* Hęc omnia prædicta gaudia malo fine concluduntur. ſicut dicitur Prouerb. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* Item poſt illud Iob 21. *Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad ſonitum organi.* Sequitur. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in punctο ad inferna deſcendunt.* ad vitandum tam horrendum finem hortatur Apoſtolus 1. Cor. 7. *Qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Et Iacob. 4. *Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.* Item Iere. 45. dictum eſt ad Baruch. *Ecce quos ædificaui ego deſtruo, & quos plantaui ego euello, & tu quæris tibi gaudia, noli quærere.* Hactenus de gaudio mundiali.

2. Conſeruandum.

SEQVITVR dicendum de gaudio ſpirituali, quod etiam eſt multiplex: prouenit enim gaudium ſpirituale ex dolore cõtritionis, & feruore delectationis, ex mœrore compaſſionis, ex puritate conſcientiæ, & bonorum operum executione, ex amore iuſtitiæ, & malorum punitione, ex tentationum & tribulationum paſſione.

Gaudiũ ſpirituale, ex dolore cõtritionis.

EST autem gaudium proueniens ex dolore contritionis. de quo dicitur Prouer. 14. *Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus*, ideſt diabolus, vel homo malignus: Deus enim & tota cœleſtis curia congaudent ei, ſicut expreſsè dicitur Lucæ 15. de oue perdita, quam Dominus per deuia quæque requirit, & ſi inuenerit eam, *imponit in humeros ſuos gaudens.* Sequitur. *Gaudium maius erit in cœlo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Tota etiam militans Eccleſia congaudere debet, ſicut dicitur Lucæ 16. de filio prodigo reuertenti. *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Quantum ergo gaudere debet pœnitens de ſua conuerſione cum inde gaudeat Deus altiſſimus, humilitas iuſtorum hominum, necnon etiam ſublimitas angelorum. Debet autẽ gaudere pœnitens, ſicut æger de curatione ſua, obſeſſus de ſua euaſione, damnatus ad mortem, de ſua liberatione. Mirum eſt autem quod de dolore gaudium, de amaritudine dulcedo, & de timore ſecuritas oriatur.

Ex feruore dilectionis.

ITEM eſt gaudium proueniens ex feruore dilectionis, ſicut docet Apoſtolus 1. Cor. 12. *Si patitur* inquit *vnum membrum, compatiuntur omnia membra; ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Item Ro. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.*

Ex mœrore cõpaſſionis.

ITEM eſt gaudium proueniens ex mœrore compaſſionis, ideſt ex memoria Dominicæ paſſionis, cum amaritudine, recordatæ, oritur gaudium deuotionis, ſicut dicitur Iſa. 12. *Haurietis*, de profundo myſterio diuinæ pietatis, *Aquas* .i. abundantiam lachrymarum, in gaudio deuotionis, *De fontibus* .i. de vulneribus, abundanter ſanguinem ſemel producentibus, indeficienter vero gratiam promerẽtibus, *Saluatoris* .i. Chriſti. Item Baruch 5. *Gaudentes in Dei memoria.*

Ex puritate conſcientia.

ITEM eſt gaudium proueniens ex puritate conſcientiæ, & bonorum operum executione. Quantum ad primum dicitur Eccleſiaſtici 30. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Item Rom. 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed gaudium & pax in Spiritu ſancto.* Quantum ad ſecundum poteſt intelligi illud Eccl. 1. *Religioſitas cuſtodiet & iuſtifi*

Ex bonorum operum executione. *iustificabit cor, iucunditatem & gaudium dabit.*

Ex amore iustitiæ. ITEM est gaudium proueniens ex amore iustitiæ & punitione malorum. De hac ait Sap. Prou. 21. *Gaudium est iusto facere iudicium*, quando scilicet exercetur iustitia, non ex libidine vindictæ, sed ex amore iustitiæ, sine qua respublica non posset stare; *& pauor operantibus iniquitatem.* De iustitia enim gaudent iusti propter vtilitatem reipub. sicut ait Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Mali autem videntes, vel audientes iustitiã exerceri, terrẽtur, & ex terrore pœnæ, etsi non ex amore Dei, vel iustitiæ, desistunt à malis, & à suis prauis voluptatibus compescuntur.

Ex tolerãtia passionum. ITEM est gaudium proueniens ex tolerantia passionum, Iacob. 1. *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei nostræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.* Item Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Item Marci. 5. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Ideo dicebat Apostolus, Colo. 1. *Gaudeo in passionibus.* Exemplo Christi qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, Hebr. 12. *Communicantibus igitur Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*

3. Appetẽdum. DICTO de gaudio mundiali & spirituali, dicendum est aliquid breuiter de gaudio cœlesti. Est autem illud purissimum sine contrarij permixtione, plenissimum omnimoda perfectione, perfectissimum æterna duratione. Est igitur gaudium cœleste purissimum, sine contrarij permixtione, Isa. 2. *Gaudium & lętitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Item Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque clamor, neque dolor erit* vltra, quia prima abierũt. *Gaudiũ beatorum, purissimum, plenissimũ, perfectissimum.* Item est plenissimum omnimoda perfectione, Ioan. 16. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Itẽ Isa. 65. *Ecce ego creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium.* Notate verba. Non dicit Dominus creo in in Hierusalem exultationem, vel Hierusalem plena erit exultatione, vel aliquid tale, sed ipsa ciuitas erit exultatio. Nec dicit, dabo populo eius gaudium, vel populus eius erit gaudiosus, sed ipsum gaudium. Sic autem loquitur, ad immensitatem gaudij plenius exprimendam, & expressius designandam. Exemplum: sicut lamina ferri in medio fornacis ardentissimæ, tota & totaliter penetratur ab igne, ita quod de lamina, & de qualibet eius parte, potest dici, quod non tantum est ignita, sed ignis; nec tamen lãmina continet in se, nec comprehendit totum ardorem fornacis; sic quælibet anima beata, sic vndique tota & totaliter penetratur à gloria vel gaudio; quod verè potest dici, non tantum glorioſa, sed ipsa gloria; non tantũ gaudiosa, sed ipsum gaudium; Nec tamen est aliqua adeo glorioſa, quæ totam gloriam comprehendat. Sicut signãter designat Dominus, Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui*, quasi dicat, non in te intrabit gaudium, quia tu non posses illud comprehendere: sed tu intrabis in illud, sicut in abyssum impenetrabilem, & immensam. Item est perfectissimum duratione, quia æternum, vnde Ioan. 16. ait Saluator discipulis suis. *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

DE PASSIONIBVS IRASCIBILIS.

De spe & desperatione.

DISTINCTIO XXV.

POST considerationẽ de passionibus concupiscibilis, Consequenter dicendum est de passionibus irascibilis. Et primo de spe & desperatione. Secundo de timore & audacia. Tertio de ira. Circa primum quęruntur octo. Primo vtrum spes sit idem quod desiderium, vel quod cupiditas. Secundo vtrum spes sit in vi apprehensiua, vel in vi appetitiua. Tertio vtrum spes sit in brutis animalibus. Quarto vtrum spei contrarietur desperatio. Quinto vtrum causa spei sit experientia. Sexto vtrum in iuuenibus, & ebriosis spes abundet. Septimo de ordine spei ad amorem. Octauo vtrũ spes conferat ad operationem.

Quatuor attendenda in obiecto spei. AD PRIMVM, scilicet *vtrum spes sit idem quod desiderium vel cupiditas*; dicendum quod spes passionis ex obiecto consideratur; circa obiectum autem spei quatuor conditiones attenduntur. Primo quidem quod sit bonum. Non enim proprie loquendo est spes nisi de bono, & per hoc differt spes à timore qui est de malo. Secundo vt sit futurum, non enim est spes de præsenti, vel de iam habito; & per hoc differt spes à gaudio, quod est de bono præsenti. Tertio requiritur quod sit aliquid arduum, cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur sperare aliquid minimum, quod statim est in sua potestate vt habeat; & per hoc differt spes à desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute: vnde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Quarto autem quod illud arduum sit possibile adipisci: non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci nõ potest; & secundũ hoc differt spes à desperatione. Sic igitur patet quod spes differt à desiderio, sicut differunt passiones irascibilis, à passionibus concupiscibilis; & propter hoc spes præsupponit desiderium, sicut & omnes passiones irascibilis præsupponũt passiones concupiscibilis.

Spes differt à desiderio. AD SECVNDVM, scilicet *vtrum spes sit in vi apprehensiua, vel appetitiua*, dicendum quod cum spes importet extensionem quandam appetitus in quoddam bonum, manifestè pertinet ad appetitiuam virtutem: Motus enim ad res, proprie pertinet ad appetitum. Actio vero virtutis cognitiuæ perficitur, non secundum motum cognoscentis ad res, sed potius secundum quod res cognitæ sunt in cognoscente, sed quia vis cognitiua mouet appetitiuam, repræsentando ei obiectum suum secundum diuersas rationes obiecti apprẽhensi, subsequuntur diuersi motus in vi appetitiua. Alius enim motus sequitur in appetitu ex apprehensione boni, & alius ex apprehensione mali, & similiter alius motus ex apprehensione præsentis, & futuri, absentis, & ardui, possibilis, & impossibilis; & secundum hoc, spes est motus appetitiuę virtutis, consequens apprehẽsionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci; scilicet extensio appetitus in huiusmodi obiectum.

Spes est in appetitu.

Spes est in brutis. AD TERTIVM, scilicet *vtrum spes sit in brutis animalibus*, dicendum quod interiores passiones animalium ex exterioribus motibus deprehendi possunt, ex quibus apparet quod in animalibus brutis est spes, si enim canis videat leporem, aut accipiter auem nimis distantem, non mouetur ad ipsam, quasi non sperans se eam posse adipisci. Si autẽ sit in propinquo, mouetur quasi sub spe adipiscendi. Vt enim supra dictum est, appetitus sensitiuus brutorum animalium, & etiam appetitus naturalis rerum sensibilium, sequuntur apprehensionem alicuius intellectus, sicut & appetitus naturæ intellectiuæ, qui dicitur voluntas; sed in hoc est differentia, quod voluntas mouetur ex apprehensione intellectus coniuncti; sed motus appetitus naturalis sequitur apprehensionem intellectus separati, qui naturam instituit: & similiter appetitus sensitiuus brutorum animalium, quæ etiam quodammodo instinctu naturali agunt, vnde in operibus brutorum animalium, & aliarum rerum naturalium, apparet similis processus, sicut in operibus artis; & per hunc modum in brutis animalibus est spes, & desperatio.

Spei contrariatur desperatio. AD QVARTVM, scilicet *vtrum desperatio sit contraria spei*, dicendum quod sicut supra dictum est, in mutationibus inuenitur duplex contrarietas, vna secundum accessum ad contrarios terminos, & talis contrarietas sola inuenitur in passionibus cõcupiscibilis, sicut amor & odium contrariantur. Alio modo per accessum & recessum respectu eiusdem termini, & talis cõtrarietas

inuenitur

inuenitur in passionibus irascibilis: obiectum autem spei quod est bonum arduum, habet quidem rationem attractiui prout consideratur cum possibilitate adipiscendi, & sic tendit in ipsum spes, quæ importat quendam accessum. Sed secundum quod consideratur cum impossibilitate obtinendi, habet rationem repulsiui: quia vt dicitur in 4. Ethic. cum ventum fuerit ad aliquid impossibile, tunc homines discedunt; & sic respicit hoc obiectum desperatio. vnde importat motum cuiusdam recessus, & propter hoc contrariatur spei sicut recessus accessui.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum experientia sit causa spei*, dicendum quod sicut supra dictum est, obiectum spei est bonum futurum, arduum, possibile adipisci. Potest ergo aliquid esse spei causa, vel quia facit homini aliquid esse possibile: vel quia facit eum æstimare aliquid esse possibile. Primo modo est causa spei, omne illud quod auget potestatem hominis, sicut diuitiæ, fortitudo, & inter cętera etiam experientia. nam per experientiam homo acquirit facultatem aliquid de facili faciendi: Et ex hoc sequitur spes. vnde Vegetius dicit in libro de re militari. *Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit*. Alio modo est causa spei, omne illud quod facit alicui æstimationem, quod aliquid sit sibi possibile. Et hoc modo doctrina, & persuasio quęlibet potest esse causa spei; & sic etiam experientia est causa spei, in quantum scilicet per experientiam fit homini æstimatio, quod aliquid sit sibi possibile, quod impossibile ante experientiam reputabat; sed per hunc modum experientia potest etiam esse causa defectus spei: quia sicut per experientiam fit homini æstimatio, quod aliquid sit sibi possibile quod reputabat impossibile, ita econtrario per experientiam fit huiusmodi æstimatio, quod aliquid non sit sibi possibile, quod possibile ęstimabat. Sic ergo experientia est causa spei duobus modis. causa autem defectus spei vno modo, & propter hoc magis dicere possumus eam esse causam spei.

Experientia dupliciter est causa spei.

Ad sextvm, scilicet *vtrum in iuuenibus & ebriosis, spes abundet*; dicendum, quod iuuentus est causa spei propter tria, vt philosophus dicit in secundo Rhetor. Et hæc tria possunt accipi secundum tres diuisiones boni, quod est obiectum spei, quod est futurum, & arduum, & possibile, vt dictum est. Iuuenes enim multum habent de futuro, & parum de præterito; & ideo quia memoria est præteriti, spes autem futuri, parum habent de memoria, sed multum viuunt in spe. iuuenes etiam propter caliditatem naturæ, habent multos spiritus, & ita in eis cor ampliatur: Ex amplitudine autem cordis est, quod aliquid ad ardua tendat, & ideo iuuenes sunt animosi, & bonę spei. similiter etiam illi, qui non sunt passi repulsam, nec experti impedimenta in suis conatibus, de facili reputant aliquid sibi possibile; vnde & iuuenes, propter inexperientiam impedimentorum, & defectuum, de facili reputant aliquid possibile; & ideo sunt bonæ spei. duo etiam istorum sunt in ebrijs, scilicet caliditas, & multiplicatio spirituum, propter vinum: & defectus experientiæ in consideratione periculorum, vel defectuum, & propter eandem rationem, etiam omnes stulti, & deliberatione non vtentes, omnia tentant, & sunt bonæ spei.

Cur iuuenes & ebrij spe abundent.

Ad septimvm, scilicet *vtrum spes sit causa amoris*. Dicendum quod spes duo respicit, potest enim respicere sicut obiectum, bonum speratum. sed quia speratum est arduum possibile (fit autem aliquando aliquod arduum, possibile nobis; non per nos, sed per alios.) Ideo spes etiam respicit id, per quod fit nobis aliquid possibile. Inquantum igitur spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur: Non enim est spes, nisi de bono desiderato & amato. Inquantum verò spes respicit illum per quem fit nobis aliquid possibile, sic amor causatur ex spe, & non econuerso. Ex hoc enim quod per aliquid speramus nobis posse prouenire bona, mouemur in ipsum sicut in bonum nostrum, & sic incipimus ipsum amare. Ex hoc enim quod amemus aliquem, non speramus de eo nisi per accidens, inquãtum scil. credimus nos reamari ab ipso; vnde amari ab aliquo, facit nos sperare de eo; sed amor eius causatur ex spe, quam de eo habemus.

Spes est causa amoris, & contra.

Ad octavvm, scil. *vtrum spes adiuuet operationem*, dicendum quod spes per se semper habet quod adiuuet operationẽ, intendẽdo ipsam; & hoc ex duobus. Primo quidem ex ratione sui obiecti, quod est bonum arduũ possibile: Æstimatio enim ardui excitat attentionem; æstimatio vero possibilis, non retardat conatum: vnde sequitur quod homo intentè operetur propter spem. Secũdo vero ex ratione sui effectus, spes enim vt supra dictum est, causat delectationem, quæ adiuuat operationem, vt supra dictum est; vnde spes operationem adiuuat.

Spes adiuuat operationem propter duo.

Exprædictis collige quod spes & est passio, & est virtus, vna videlicet de virtutibus Theologicis. Et conueniunt hæc & illa, quia vtraque est quædam expectatio boni futuri, non cuiuscunque sed ardui. desiderium enim de quo dictum est supra, est respectu boni futuri cuiuscunque, magni, vel parui, ardui, vel non ardui, & timor est respectu mali futuri cuiuscunque, magni, vel parui; sed spes est respectu boni futuri ardui. Differunt autem spes secundum quod est passio, & secundum quod est virtus. quia spes secundum quod est virtus, est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens. sed secundum quod est passio, est expectatio non certa, alicuius boni futuri, ex ratione, vel coniectura probabili, cum confidentia diuinę bonitatis, proueniens. Ex his intellige differentias inter spem secundum quod est virtus, & secundum quod est passio. nam vna est expectatio certa, alia non certa: vna est de bono increato & æterno, alia de bono creato & temporali: vna prouenit ex gratia & meritis: alia non.

Spes est passio & virtus Theologica.

In quo differunt virtus Theologica & spes quæ est passio.

Scivndvm autem est, quod spes aliquando accipitur largè pro expectatione boni futuri cuiuscunque, ardui, vel non ardui: sicut dicimus, quod agricola laborat spe fructus percipiendi, & mercator in spe lucri acquirendi, & generaliter omnis artifex operatur in spe, finis sui operis assequendi. Alio modo dicitur spes proprie, pro expectatione boni futuri ardui vt dictum est: quæ videlicet expectatio prouenit ex aliqua probabili ratione (quæ tamen est minus principalis) & ex confidentia adiutorij diuinæ bonitatis misericorditer affuturi; sicut videmus, quod aliquis iuuenis delicatus, constanter arctissimam religionem ingreditur: Nam suæ debilitatis oblitus, sperat diuinum sibi adiutorium affuturum: Alius austeram assumit pœnitentiam: alius longas peregrinationes, & duras: alius labores, & pericula; quę omnia videntur excedere vires eorum, qui tamen propter firmam spem quam habent in Domino, talia aggredi non verentur. Hoc modo decet omnes homines esse bonę spei, vt videlicet sperent sperenda, de diuina misericordia confidendo, & ei principaliter innitendo, secundum illud Psalm. 27. *In Deo speranit cor meum & adiutus sum*. Ad hanc hortatur Sap. Ecclesiastici. 2. *Respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus speranit in Domino & confusus est*. Maximè vero decet & expedit reges, & principes esse magnæ spei, in magnis arduis, & periculosis negocijs, præsertim cum pro iustitia conseruanda, & vtilitate reipublicæ procuranda, vel defendenda, hæc attentant; & tanto magis decet eos esse bonæ spei, quanto negotia iustiora sunt, & magis communia; quanto etiam potestas ciuilis, abũdantia diuitiarum, & nobilitas generis, eis amplius suffragantur; dummodo non nimis in istis confidant, sed hoc quasi pro nihilo habentes, diuinæ misericordiæ principaliter innitantur. Exẽplo Ilius nobilissimi Principis, Iudæ. s. Machabæi, de quo sic dicitur 2. Mach. 15. *Machabæus semper confidebat cum omni spe, auxiliũ sibi à Domino affuturum, & hortabatur suos ne formidarent ad aduentũ nationum, sed in mente haberent adiutorium sibi factum de cœlo, & nunc sperarent ab omnipotente, sibi victoriam affuturã.*

Spes in Deo collocanda.

Exemplum etiam habemus 2. Parali. 13. Quod cum Hieroboam Rex Israel cum octingentis milibus, venisset ad pugnandum contra Abian regem Iuda, dixit Abia ad Hieroboam & exercitum eius: *Habetis grandem populi multitudinem; in exercitu autem nostro dux Deus. Filij Israel nolite pugnare contra Dominum, quia vobis non expedit.* Sequitur. *Perterruit Deus Hieroboam, & omnem Israel qui stabat ex aduerso Iuda & Abia, & corruerunt ex Israel vulnerati quingenta millia virorum fortium; humiliatique sunt filij Israel in tempore illo, & vehementissime confortati sunt filij Iuda, eo quod speràssent in Domino Deo patrum suorum.* Ad hoc etiam sunt exempla innumera in scriptura sacra, quæ causa breuitatis omittimus.

Spes mundanorũ vana.

SED de mundanis hominibus dicitur Sap. 3. *Vacua est spes illorum.* nec mirum, quia non in Deo sed in vanitate confidunt: videlicet in opulentia diuitiarum temporalium. Sicut de impio dicitur in Psalm. 51. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speràuit in multitudine diuitiarum suarum.* Propter quod Apostolus Timothæum admonet dicens. 1. Tim. 7. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo.* Et Sap. ait Eccl. 31. *Beatus dives, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speràuit in pecuniæ Thesauris.*

Non sperandum in diuitijs.

Non sperandum in potentia.

ALII in potestate ciuili, sicut reges, & principes solent confidere in multitudine virorum militarium. Contra quos Psalm. 43. ait. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis, non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* quasi dicat, sperent alij in multitudine bellatorum, sed ego in Deo meo sperabo. Idem etiam dicit. In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. Item 32. *Non enim saluatur rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.*

Non sperandũ in amicis carnalibus.

ALII sperant in multitudine amicorum carnalium, affinitate, consanguinitate, seu quocunque fœdere coniunctorum. Contra tales ait Dominus per Prophetam Hierem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine: & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Item Isa. 30. *Væ filij desertores, dicit Dominus, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.* Aduerte quod quandocunque filij Israel in necessitatis tempore, quasi de Domino diffidentes, ad humanum auxilium recurrebant; Dominus humiliabat eos coram inimicis suis. Quando vero conuertebantur ad æum, de sua misericordia confidentes, liberabat eos; sicut patet exemplis innumeris in scriptura.

Nõsperandũ in donis naturæ.

ALII sperant in excellentia naturalium, videlicet iuuentute, fortitudine, pulchritudine, sanitate, nobilitate generis, & huiusmodi. Ex his enim quædam spes vana consurgit, qua promittit homo se diu victurum; Magna quidem, sed non ita cito, facturum; honores, & diuitias adepturum; mundi bonis vsurum; & sua iuuenilia desideria impleturum; ante mortem pœnitentiam salutarem acturum; & in morte sensum viuacem, ordinatam memoriam, vsum loquelæ, & actum discretionis necessarię, ac debitę prouidentiæ habiturum; sed reuera vanissima, falsissima, immo nimis erronea est spes ista; cum sit contra Deum, contra rationem, & contra quotidianam experientiam: sicut diligenter intuenti luce clarius innotescit. Ait enim Sapiens Sap. 3. *Spes impij quasi lanugo est, quæ à vento mouetur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius dieì prætereuntis.* Hæc spes adeo seducit homines, vt vix inueniatur aliquis, qui in mortis articulo positus, & iam extremo spiritu constitutus, & ab omnibus desperatus, non speret adhuc euadere, & recuperare corporis sanitatem; qua spe stultissima circumuentus, negligenter agit ea, quæ animæ pertinent ad salutem. Huius exemplum habemus 2. Machab. 9. de impijssimo Antiocho, qui à Deo percussus plaga insanabili, ita vt de corpore impij, vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius, effluerent, odore etiam illius, & fœtore, exercitus grauaretur: dicebat tamen. *Ego infirmitate graui apprehensus necessariam duxi pro communi vtilitate curam habere, non desperans memetipsum, sed multam spem habens effugiendi infirmitatem;* ecce in desperato statu positus, non desperabat. Item de negocijs extrinsecis curam habens, de salute animæ non curabat. Illo modo decipiuntur & excæcantur penè omnes homines in extremis.

Cauenda sũmopere desperatio.

EX PRÆMISSIS satis patet quid sit de desperatione dicendum. Sicut enim expedit omni homini præcipuè Regibus & Principibus sperare speranda, sic expedit non sperare, non speranda. Et sicut sperare non speranda, est præsumptuosa temeritas, sic desperare speranda, est meticulosa timiditas; & si nullos homines decet esse timidos, & pusillanimes, multominùs decet Reges & Principes, quos oportet magna & ardua tractare negocia, & grauia interdum subire pericula pro republica conseruanda: vnde in eis periculosa esset desperatio: Sicut dicitur. 2. Reg. 2. *An ignoras, quod periculosa sit desperatio.* Vere periculosa, quoniam ante aggressionem negocij, deijcit animum, & eneruat virtutem, vt nullum bonum negocium audeat attentare. Sicut dicitur Prouerb. 24. *Si desperaueris, in die angustiæ imminuetur fortitudo tua.* Post aggressionem vero, aut desperatio facit desistere ab incepto, & totum dimittere imperfectum, & terga vertere inimicis in prælio; aut ruptis discretionis habenis, & prorsus iudicio rationis oblito, ad instar beluæ rabie sæuientis, interdum in mortem præcipitat miserum peccatorem, & perditionis Abyssum. Vnde Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicè, in operationem omnis immundiciæ.* Et Hierem. 18. Dicunt impij Domino eos misericorditer reuocanti: *Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali, faciemus.* Nonnunquam etiam homines desperati, & ipsa desperatione creari, in seipsos crudeliter sæuientes, in mortem se precipitant corporalem. Alij namque flammis se perimunt, alij in aquis se submergunt, alij gladio se trucidant, alij præcipitant se, collidunt, & pereunt, alij laqueo se suspendunt; alijsque modis varijs, vitam sibi miseram extorquentes, irremediabiliter sibi, tam corporum quam animarum æternam perditionem, acquirunt. De desperatione require infra libro tertio.

De timore & audacia.

DISTINCTIO XXVI.

DEINDE considerandum est de timore & audacia. Circa timorem consideranda sunt quatuor. Primo de ipso timore. Secundo de obiecto eius. Tertio, de causa. Quarto, de eius effectu. Circa primum quęruntur quatuor. Primo vtrum timor sit passio animæ. Secundo vtrum sit passio specialis. Tertio vtrum sit aliquis timor naturalis. Quarto de speciebus timoris.

Timor post tristitiã maxime obtinet rationẽ passionis.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum timor sit passio animæ.* Dicendum quod inter cæteros animæ motus post tristitiam, timor magis rationem obtinet passionis. Vt enim supra dictum est, ad rationem passionis primo quidem pertinet, quod sit motus passiuæ virtutis, ad quam scilicet comparetur suum obiectum per modũ actiui mouentis, eo quod passio est effectus agentis, & per hunc modum etiam sentire & intelligere dicitur pati: Secundo modo magis propriè dicitur esse passio motus appetitiuæ virtutis, & adhuc magis propriè motus appetitiuæ virtutis habentis organum corporale, qui sit aliqua cum transmutatione corporali; &

adhuc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adhuc proprijssimè illi motus passiones dicuntur, qui important aliquod nocumentum. Manifestum est autem, quod timor cum sit de malo, ad appetitiuam potentiam pertinet, quæ per se respicit bonum & malum; pertinet autem ad appetitum sensitiuum, fit enim cum quadam transmutatione scilicet cum contractione, vt Dam. dicit: Et importat etiam habitudinem ad malum, secundum quod malum habet quodammodo victoriam super aliquem. vnde verissimè sibi competit ratio passionis, tamen post tristitiam, quæ est de malo præsenti: nam timor est de malo futuro, quod non ita mouet sicut præsens.

Timor est passio specialis, quia habet speciale obiectum,

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum timor sit passio specialis*. Dicendum quod passiones animæ recipiunt speciem ex obiectis; vnde specialis passio est, quæ habet speciale obiectum, timor autem habet speciale obiectum sicut & spes. Sicut enim obiectum spei est, bonum futurum, arduum, possibile adipisci, ita obiectum timoris, est malum futurum, difficile, cui resisti non potest; vnde timor est specialis passio animæ.

Motus dicitur naturalis dupliciter.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum sit aliquis timor naturalis*. Dicendum quod aliquis motus dicitur naturalis, quia ad ipsum inclinat natura. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo quando totum perficitur à natura absque aliqua operatione apprehensiuæ virtutis; sicut moueri sursum est motus naturalis ignis, & augeri est motus naturalis animalium & plantarum. Alio modo dicitur motus naturalis, ad quem natura inclinat, licèt non perficiatur nisi per apprehensionem, quia sicut supra dictum est, motus cognitiuæ, & appetitiuæ virtutis, reducuntur in naturam sicut in primum principium: & per hunc modum, etiam ipsi actus apprehensiuæ virtutis, vt intelligere, sentire, & memorari; & etiam motus appetitus animalis, quandoque dicuntur naturales; & per hunc modum potest dici timor naturalis, & distinguitur à timore non naturali secundum diuersitatem obiecti. Est enim vt Philosophus dicit in 2. Rhetor. timor de malo corruptiuo, quod natura refugit propter naturale desiderium essendi, & talis timor dicitur naturalis. Est iterum de malo contristatio, quod non repugnat naturæ, sed desiderio appetitus, & talis timor non est naturalis; sicut etiam supra amor, concupiscentia, & delectatio, distincta sunt per naturale, & non naturale.

Timor quo sensu naturalis, & non naturalis.

Quo sensu quædã passiones possũt dici competere rebus inanimatis.

SED SECVNDVM primam acceptionem naturalis, sciendum est quod quædam de passionibus animæ quandoque dicuntur naturales, vt amor, desiderium & spes; aliæ vero naturales dici non possunt, & hoc ideo, quia amor & odium, desiderium & fuga, important inclinationem quandam ad prosequendum bonum, & fugiendum malum; quæ quidem inclinatio pertinent etiam ad appetitum naturalem; & ideo amor quidem naturalis est, & desiderium, vel spes, potest quodammodo dici etiam in rebus naturalibus cognitione carentibus. Sed alię passiones animæ important quosdam motus, ad quos nullo modo sufficit inclinatio naturalis, vel quia de ratione harum passionum est sensus, seu cognitio; sicut dictum est, quod apprehensio requiritur ad rationem delectationis, & doloris; vnde quæ carent cognitione non possunt dici delectari, vel dolere; aut quia huiusmodi motus sunt contra rationem inclinationis naturalis, puta quòd desperatio refugit bonũ propter aliquam difficultatem, & timor refugit impugnationem mali contrarij, ad quod est inclinatio naturalis; & ideo huiusmodi passiones nullo modo attribuuntur rebus inanimatis.

Colliguntur 7. species timoris ex Damas.

AD QVARTVM, scilicet *de speciebus timoris*: dicendum quod Damas. libr. 2. assignat quinque species timoris, videlicet, segniciem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem. Quorum numerus, & differentia sic sumitur, quia timor sicut dictum est, est de futuro malo, quod excedit potestatem timentis, vt scilicet quod ei resisti non possit, sicut autem bonum hominis, ita & malum, potest considerari vel in operatione ipsius, vel in exterioribus rebus. In operatione autem ipsius hominis, potest dupliciter malum timeri. Primo quidem labor grauans naturam, & sic causatur segnicies, cum aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris. Secundo turpitudo lædens opinionem, & sic si turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia, si autem sit de turpi iam facto, est verecundia. Malum autem quod in exterioribus rebus consistit, triplici ratione potest excedere hominis facultatem ad resistendum. Primo quidem ratione suę magnitudinis, cum scilicet aliquis considerat aliquod magnum malum, cuius exitum considerare non sufficit, & sic est admiratio. Secundo ratione dissuetudinis, quia scilicet aliquod malũ inconsuetum nostræ considerationi offertur, & sic magnũ est in nostra reputatione, & hoc modo est stupor, qui causatur ex insolita imaginatione. Tertio modo ratione improuisionis, quia scilicet præuideri non potest, sicut futura infortunia timentur, & talis timor dicitur Agonia. Et nota quod admiratio & stupor, species sunt timoris, sed admiratio, quæ est de magno malo, & stupor qui est de malo insolito. vnde potest dici quod sicut segnicies refugit laborem exterioris operationis; ita admiratio & stupor refugiunt difficultatem considerationis rei magnę & insolitæ, siue sint bona siue mala; vt hoc modo se habeant stupor & admiratio ad actum intellectus, sicut segnicies ad exteriorem actum. Admirans enim refugit in prędenti dare iudicium de eo quod miratur, timens defectum, sed in futurum inquirit. Stupens autem timet & in præsenti iudicare, & in futuro inquirere. vnde admiratio est principium philosophandi, sed stupor est philosophicæ considerationis impedimentum.

Septem recẽsentur species timoris iuxta communẽ sententiam.

ITEM assignantur à magistris & sanctis septem, species timoris. Est enim timor naturalis, mundanus, humanus, seruilis, initialis, filialis siue castus, & reuerentiæ. Timor naturalis, est quo naturaliter horret homo quicquid est naturæ contrarium vel nociuum: iste non est meritorius, vel demeritorius, sed indifferens: quia non subijcitur libero arbitrio. hoc timore omnis homo timet in mari, & in omni periculo, præcipuè in morte: vnde Christus, vt verum corpus humanum se habere ostenderet, imminente passione *cæpit pauere, & tædere*, sicut dicitur Marci 14. Et ex vehementissimo passionis horrore factus in Agonia, sudorem sanguineum emisit, quando factus est sudor eius *tanquam gutte sanguinis decurrentis in terram*. Lucæ 22. Quia licèt ipse ardentissimo desiderio, pro salute nostra quęreret passionem, secundum iudicium rationis, & imperium diuinitatis; tamen sensualitas naturaliter horrebat mortem, vnde secundum motum sensualitatis orabat: *Pater si fieri potest transeat à me calix iste*. Matth. 26. sed secundum iudicium rationis dicebat, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Isto timore fugit Helias à facie Iezabel. 2. Reg. 18. Istum timorem etiam viri sancti communiter habent in morte, vt si quid est in eis purgandum, ipso pauore purgetur, vel quia timet anima separari à carne, & intrare regionem sibi prius ignotam.

Timor naturalis quid.

Exemplum.

VNDE in vitis Patrum legitur, quod cum quidam pater desideraret videre, quomodo anima iusti de corpore egrederetur; transiens per quandam villam, vidit quendam peregrinum solum in platea iacentem, & quasi in extremis laborantem; & Michaelem & Gabrielem de cœlo descendentes, & ei assistentes; vnus ad dexteram, alter autem ad sinistram; & rogabant animam de præcepto Dei, vt à corpore egrederetur, quæ timens nolebat corpus relinquere: & dixit Michael ad Gabrielem; sume hanc animam vt regrediamur. Respondit Gabriel; missi sumus à Domino, vt sine dolore & violentia eijciatur. Cum hæc clamarent ad Dominum, misit Dominus Cytharistam Dauid, cũ Cantoribus Cœlestis Hierusalem: Quorum cantus audiẽs anima peregrini, inter manus Angelorum exilijt, & cum gaudio in cœlum deducta fuit.

Leo timet septem.

NOTANDVM quod non est mirum si sancti & iusti mortem timent. De quibus Prouerb. 28. *Iustus quasi Leo confidit.* Et 30. eiusdem. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum*: cum ipse Leo vt dicunt naturales septem timeat, vt patet ex libro Isidori, & historia transmarina, scilicet stratam publicam, strepitum rotarum, & ignem, & quoddam animal quod dicitur Lazaimi, à cuius ferocitate vix potest aliqua bestia esse tuta, & quoddam animal paruum quod dicitur Leotopholos, de cuius carnibus comedens Leo intoxicatur à venatoribus, & occiditur, vnde illud animal maximè odiunt Leones; & si possunt illud inuenire occidunt, quia paruum est, non tamen inde gustant. Item timet Leo venatorum ingenia, siue artificia, vt pedicas, & chordas, vnde cauda delet vestigia sua. Item timent Leones suorũ custodum flagella: vnde aliquando catulos innoxios verberant coram eis, vt discant timere. Similiter ista septem debent timere homines scilicet stratam mortis publicam, per quam necesse est omnes incedere, strepitus rotarum, scilicet comminationes, & verba vtriusque testamenti: ignem inferni & purgatorij: feritatem summi iudicis: Toxicum peccati, venatorum ideſt dæmonum astutiã; flagella præsentia bonorum & malorum.

Timor mũdanus quid.

TIMOR mundanus est quo timet homo amittere tẽporalia quę habet, vel non consequi quæ desiderat, & non habet; in tantum quod præeligit aliquid facere contra Deum, quam habita perdere, vel desiderata non consequi. Primo modo peccauit Pharao opprimens filios Israel iniustè, ne multiplicarentur, & adderentur inimicis suis, & damnificarent eum in rebus, Exod. 1. Similiter Herodes occidens pueros, volẽs occidere Iesum, timens ne auferret ei regnum. Matth. 2. Item Iudęi, Io. 11. *Ne fortè veniant Romani, & tollant locum*, &c. Similiter Pilatus timens amittere Præsidentię dignitatẽ, Christum tradidit ad mortem, cum tamen prius per multas vias conatus fuisset liberare eum. Audito enim: *Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*, timuit, sicut dicitur Ioan. 19. Sed tamen audito postea: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: tradidit eum vt crucifigeretur. De hoc Iob 6. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Greg. *Aliquis peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet indigentibus largiri desiderat: sed tamen ne datis rebus egeat, ipse formidat. Cumque carnis subsidia reseruanda trepidus præparat, ab alimentis misericordiæ animam necat: & cum in terra pati inopiam metuit, æternam sibi abundantiam superuæ refectionis abscindit.* Non sic Tobias faciebat, qui potius volebat amittere temporalia, quam opera misericordiæ dimittere, Tob. 1. Sancti ista temporalia quasi nihil reputabant, ideo ea amittere propter Deum non timebant. Hier. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua est, & nihil.* Iob 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Exemplum

ITEM in 4. Dial. 19. Cum quidam malitiosus, incendisset omnia bona Stephani viri Dei, & quidam diceret ei: Væ pater quid tibi contigit. Ille quasi nihil se amisisse reputans, respondens ait: Quid contigit mihi? plangens eius qui fecerat peccatum, nihil reputans damnum suum: sed se potius reputans exoneratum esse. Item dicitur, quod cum quidam Philosophus in ciuitate obsessa, amisisset omnia bona sua, adductus nudus coram Rege, qui ciuitatem cœperat, ridebat: & cum quæreretur quare hoc: respondit, eo quod nihil amiserat: quia sensum suum, & bona interiora sua adhuc integrè habebat. Et cum dicerent assistentes, immo vxorem, & filias, & diuitias; dixit: Non est tuum quod fortuna facit tuum. Ista enim erãt fortunæ, non mea.

ITEM timor mundanus est, quando aliquis propter timorem quem habet, ne deficiant ei temporalia Deum non timet amittere, ea vel iniustè acquirendo, vel retinendo; vt villicus iniquitatis, qui timens defectum horum, defraudabat Dominum suum. Luc. 16. Item seruus inutilis, qui talentum Domini abscondit in terra, Matth. 25. Item de eo qui mnam reposuit in sudario. Luc. 19. Scire autem debent mundani, quod Deus est timentibus se, thesaurus omnium bonorum indeficiens. Vnde Psalm. *Nihil deest timentibus Deum.* Isa. 33. *Timor Dei ipse thesaurus eius.* Item sicut paradisus vbi est abundantia sine defectu. Eccl. 40. *Timor Dei, sicut paradisus Dei in benedictionibus, & super omnem gloriam operuerunt illum*, scilicet timentem Deum, benedictiones: vnde possumus dicere, quod dicitur in Psalm. 33. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, &c. Et Tob. 10. *Omnia in te vno habentes, non debemus te dimittere ire à nobis.* Aug. *Fœlix Christiana religio, quæ omnia possidet in omnium possessore.*

Exemplum.

ITEM in vita Ioannis Eleemosinarij dicitur, quod cum quidam redargueret eum, quod ita largas eleemosinas faciebat, & quod non posset sufficere, dicerent; Ait quod totus populus Alexandriæ, si daret ei, immo totus mundus nõ posset euacuare infinitos thesauros misericordiæ Dei. Idem quanto plus dabat, tanto plus abundabat.

Timor humanus quid.

TIMOR humanus est, quando nimis timet homo pelli suæ, & nascitur ex nimio amore corporis proprij, & vitæ præsentis; iste est culpabilis, quia potius vellet homo peccare, quam vitam perdere, vel quàm grauem dolorem corporis sustinere. A tali timore nos reuocat Dominus, Matth. 10. dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Item Prou. 29. *Qui timet hominem, cito corruit.* Chrysost. *Facilè deuiat à iustitia, qui in causis plus hominem, quam Deum formidat.* Ideo dicebat Psalm. 117. *Non timebo quid faciat mihi homo.* Qui hoc timore terrentur, similes sunt Adæ, Gen. 3. Qui potius voluit facere voluntatem vxoris suæ, quàm Dei; timens, vt dicit Aug. eam contristari. Item Petro, qui timore mortis, vel incommodi temporalis ter negauit Deum. Item discipulis qui hoc timore Iesu relicto fugerunt. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Contra quos Matth. 10. Luc. 2. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

Septẽ rationes cur non sit timenda pœna, propter Deum illata.

ET NOTA, quòd septem rationibus, non sunt timendæ pœnæ, vel mors corporis propter Deum illata. Prima ratio propter diuinam voluntatem, quæ hoc dicit, *Nolite timere*, &c. vt supra, Et super Genes. 22. dicit Iosephus, quod Isaac audiens, quod Deus præceperat hæc patri, & quod vellet eum mori ille, qui eum patri dederat, libenter voluit ligari & immolari.

SECVNDO propter Dei fidelitatem & largitatem, à quo corpus & membra habemus, & qui debet & promisit ista cum multo præmio restituere, si propter eum amiserimus. Sic dicebant illi boni fratres, de quibus 1. Mach. 7. Quorum vnus dixit: *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio: quia ab ipso, me ea receptura spero*: hæc dicebat, membra exponens martyrio.

Exemplum.

ITEM quidam dicebat: Non debeo timere asinum miserum amittere in seruitio Domini fidelissimi, qui pro eo amisso in seruitio eius, reddet mihi nobilissimum dextrarium.

TERTIO propter eiusdem Domini seueritatem, quia aut trademus ei carnem puniendam propter ea quæ fecit temporaliter; aut ipse puniet eam æternaliter.

Exemplum.

VNDE quidam paterfamilias bene se torquebat, de quo in vitis Patrum dicitur, quod cum seruaretur mortuus, circa mediam noctem resurgens, terruit omnes qui aderant, vadens ad ecclesiam Deo gratias agens, res suas in partes tres diuidens: vnam vxori relinquens: aliam filijs: tertiam pro Deo distribuens. Hinc fugit ad eremum, cellam faciens iuxta fluuium congelatum, & vestitus se balneabat, & egrediens vestimenta sinebat congelari ad carnem, postea in balneum calidissimum intrabat, & hoc sustinebat successiuè quãtum poterat, vsque ad mortem: & cum de his, & de alijs ab aspectãtibus argueretur, dicebat: Si vidissetis quæ vidi, eadem vel ampliora mecum faceretis: & referebat, quod in exitu suo à corpore, vir lucidus duxit eum contra ortum Solis, vsque ad vallem infinitę magnitudinis, cuius vnum latus plenum erat flammis feruentibus, aliud gelu & furenti grandine; & erant ipsa latera

plena

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

plena animalibus, quæ cum non possent sustinere ignis vehementiam, transibant ad gelu, & econuerso. Post duxit eum per tenebras densissimas; post disparuit ibi; & vidit globos ignium de barathro ascendentium, & inde ascendentes, & reincidentes homines ignitos, ad fauillarum modum; & fœtorem sensit inde exhalãtem, intollerabilem; & fletum audiuit, etiam eiulatum incomparabilem; & teterrimos dæmones forcipes igneos, & fuscinulas tenentes; & eum capere volentes, & proijcere in fornacem. Tunc is qui eum dimiserat, apparuit ei in medijs tenebris quasi stella, inhibens dæmonibus, ne eum tangerent; quia iudex præceperat eum reduci ad corpus, vbi si vellet pœnitentiam ageret. Quem postquam duxit ad loca requiei, reduxit eum ad corpus. Hoc etiam factum, vel simile, refert Beda in gestis Anglorum 5. lib. 13. cap. Et hunc patremfamilias vocat Driethelmum: & accidit, vt ait ab Incarnatione Domini DC.XCVI. De cuius etiam visione plura alia refert.

Exemplum. IDEM ferè refert Gregor. dial. 4. libr. 32. cap. de quodam Petro facto eremita, qui antequam eremum peteret, in infirmitate grauatus, defunctus est: sed protinus vitæ restitutus, inferni supplicia, & innumera flammarum loca, se vidisse testabatur, & quosdam potentes huius sæculi ibi suspensos vidisse; vbi cum mergeretur, prohibuit Angelus eius dicens, egredere, & qualiter tibi viuendum sit, attende. Qui ad vitam rediens, adeo carnem suam vigilijs, & ieiuniis affligebat, vt si lingua taceret quæ viderat, & audierat, & timuerat, conuersatio loqueretur.

QVARTO propter carnis contrarietatem quam habet cum spiritu, Galat. 5. Hæc enim sibijnuicem aduersantur, vt Iacob & Esau, Genes. 25. *Collidebantur in vtero eius parauli.* Hieronym. *Quocunque me verto mecum inimicum porto.* Vnde quidam sanctus Abbas, cum esset excæcatus, dicebat: Gratias ago Deo, qui vindicauit me de aduersario meo, qui tot mala mihi solebat facere per istos duos proditores, & raptores, scilicet oculos quos destruxit, Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam.*

QVINTO propter animæ pretiositatem, & corporis vilitatem. 2. Corinth. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Multi autem sunt vt rusticus quidam, qui vadens ad forum, ocreas vilissimas portabat super humeros suos, magis volens nudos pedes lædere, quàm ocreas.

Exemplum. ITEM fuit quidam præpositus, cui (vt dicitur parabolicè) quidam Rex commendauit filiam suam, vt eam delicatè nutriret sub periculo vitæ suæ, & canem suum, qualitercunque in vita seruaret, & ligatum teneret, ne in filiam insurgeret. Qui econtrario ita canem omnibus delitijs impinguauit, & filiam ita fame & miseria afflixit, quod canis rupto vinculo, puellam non valentem resistere interfecit. Canis iste est corpus, filia anima, Rex Deus, præpositus homo, vinculum est obedientia, Bernard. *Sic stulti æstimatores de minimis maximam, & de maximis minimam curam gerunt.*

SEXTO propter pœnæ aduersariæ modicitatem & durationem, quia momentanea est virtute, qui nihil potest nisi permissa. Ioan. 19. *Non haberes in me potestatẽ, nisi datum fuisset tibi desuper.*

Exemplum. VNDE, vt dicit Pet. Alphons. cum quidam Rex comminaretur cuidam Philosopho. Respondit: O Rex potestatem tuam non oportet me timere. Non præteritam, quia illa iam non est, nec erit; non præsentem, quia momentanea; si est, statim non est: Non futuram, quia illa nondum est, & dubium est vtrum erit. Vnde B. Hylarius Pictauen. vt legitur in vita eius, respondendo Leoni Papæ Arriano Romæ in concilio, comminanti ei propter hoc, quod stabat prouidè, sic: cum venero, conteram superbiam tuam: Respondit, & si non veneris; qui secedens ad cameram priuatam, mortuus est. Similiter quia mali ad modicum bonos torquent, in æternum torquebuntur ab eis, Psalm. 147. *Exultabunt sancti in gloria:* Et post. *Gladij ancipites in manibus eorum,* &c. Malach. vlt. *Calcabitis impios,* &c. Hoc signatum est. Ios. 10. vbi fecit Iosue calcare filios Israel pedibus, capita Regum inimicorum. De hoc infra de pœna martyricidarum, & diuersis consolationibus martyrum.

SEPTIMO propter præmij immensitatem (de quo infra loquemur) 2. Corinth. 4. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis,* & Gen. 49. *Isachar videns terram: quod esset bona, & requiem quod esset optima, supposuit humeros ad portandum.* Isachar interpretatur, vir mercedem vidit: quia qui videt præmium, portat omnia patienter. Stephanus videns Cœlos apertos posuit genua ad martyrium suscipiendum, Actuum 6. Quasi non timens tortores. Qui enim præponunt carnem spiritui, similes sunt illi, qui præponunt asinum suum sibi, & plus de eo cogitat; & similes sunt illi militi, qui elegit hospitium, vbi prouideretur equo suo, & ipse negligeretur.

Exemplum. VNDE dicitur quod tres milites condixerunt adinuicem, quod quærerent fortunam, quæ dicitur *auentura*, & cum ingrederentur ciuitatem quandam, dictum est eis, quod non erant ibi nisi tria hospitia. In vno equi bene procurabantur, & equites fame moriebantur. In alio erat econtrario. In tertio autem, eques, & equus bene, sed vix erat, quin in exitu eques bene verberaretur. Tres ergo tria hospitia acceperunt; & inuenerunt, vt eis dictum fuerat; tertio excepto, qui non fuerat verberatus; & cum quæreret causam quare non fuerat verberatus, dictum est ei, quod Domino domus bene obediens in omnibus fuerat. Ciuitas est mundus in quo sunt tres hospites, quidam sunt, qui nimiam curam gerunt de equo procurando, neglecto milite; equus, corpus; miles, anima siue spiritus. De his Iob 24. *Obliuiscatur eius misericordia Dei, qui sterilem,* scilicet carnem, *pauit, & viduæ,* idest animæ, *non benefecit.* Alij sunt qui indiscreto zelo corpus atterunt, & spiritualium curam tantum gerunt. Tertij sunt, qui vtrique discrete intendunt, & per omnia Deo obediunt. Hi sine flagello, cum recedunt à mundo, pertranseunt.

Exemplum. CONTRA illos, qui timore mortis vel carnali, peccant; legitur in vitis Patrum, quod cum quidam monachus penetrasset interiorem eremum inuenit paruum tugurium, & intus hominem nudum orantem, qui post plura verba dixit ei, quod fuerat episcopus, & tempore persecutionis timore mortis sacrificauerat idolis, & præ dolore tormentorum fugerat ad solitudinem illã, in qua fuerat solus per octuaginta annos, viuens de fructu palmæ cuiusdam, quę ferebat fructus per menses singulos, & de aqua fontis coniuncti bibens; & cum perseueraſſet ibi tanto tempore in pœnitentia & oratione, non receperat consolationem à Domino suæ salutis, nisi anno illo vltimo; quo orante facies eius fit vt ignis, alium timentem consolatur, rogans vt eum sepeliat; quo mortuo, & sepulto, tugurium statim cecidit, fons defecit, palma aruit. Non sic Eleazarus, de quo 2. Mach. 6. dicitur, quod cum magis voluit mori, quam fingere se comedere carnes suillas contra legem, dixit: *Non enim ætate nostra dignum est fingere, vt multi adolescentes propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitę tẽpus, decipiantur; & per hoc, maculã atque execrationem meæ senectuti conquiram, sed senectute dignus apparebo, & adolescentibus exemplum forte relinquam.*

Timor seruilis quid. TIMOR seruilis secundum Aug. est, quando aliquis timore gehennę non peccat, non habens respectum ad amorem iustitiæ, vel offensam Dei. Aug. *Inaniter inquam se putat victorem esse peccati, qui timore non peccat: quia si non impleuit foris negotium malæ cupiditatis: ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Idem, *inimicus iustitiæ est, qui solo timore pœnæ non peccat: amicus autem eius est, qui eius amore non peccat:* hunc timorem forsitan habent illi, de quibus Apoc. 18. dicitur, quod *propter timorem tormentorum plangent pœnam ciuitatis Babylonis, videntes fumum incendij*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

centij eius. Et Sap.5. dicitur, *Videntes turbabuntur timore horribili.* Tales sunt mirabiliter fatui, qui magis timent pœnam incurrere, quam Deum offendere, vel amittere: quia ex illo timore inordinato fit vt pœnas quas timent non euadant, & peccatum non deponant, & Deum, & Regnum æternum amittant; quod non facerent, si timorem offensæ Dei præponerent, & cum amore, quod faciunt facerent. videtur quod magis velint esse exules, quam hæredes: Serui peccati, & diaboli, quam filij Dei; filij ancillæ, quam liberæ, *non enim est hæres filius ancillæ, cum filio liberæ.* Gen.21. Gal.4. Talis autem timor non liberat à pœna inferni.

Exemplum notabile.

DICITVR quod cum quidam scholaris videretur Parisijs mori valde pœnitens, & compunctus; apparuit post mortem magistro suo, habens cappam de cedulis conscriptam diuersis sophismatibus, & cum quæreret magister qualiter esset ei. Respondit, quod cappa ista plus ponderaret eum, quam aliqua turris de mundo, & quod intus incomparabiliter vreretur; & cum alius diceret, quomodo hoc esset, cum ita mori compunctus visus esset; ait, quod illæ lachrymæ potius ex timore mortis, & gehennæ processerant, quam ex amore Dei, vel ex amissione eius; & cum diceret magister, quod non videretur ita torqueri, extendit ille manum suam, & vnam guttam sudoris sui, proiecit super manum eius, quę statim perforata est, & ipse euanuit. Tunc ipse dicens,

Linquo coax tanus, cras coruis, vanaque vanis:
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

APVD Claramuallem vadens, ibi habitum religionis assumpsit, & arcta pœnitentia se ibi afflixit.

NON solum autem secundum aliquos: seruilis timor est, dimittere peccare timore gehennæ, sed timore alicuius temporalis pœnæ, vnde ibi super Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas,* Glo. Aug. *Viuit in homine peccandi voluntas, & sequeretur opus si speraretur impunitas.* In hoc errant Iudæi seruantes legem timore, non amore, Deut.33. *In manibus eius lignea lex,* vnde lex data est cum timore, & terrore, Exod. 20. *Vt probaret vos Dominus venit,* &c. *Et vt terror eius esset in vobis.* Similiter Antiochus in flagello suo, orabat scelestus Deo, à quo non esset misericordiam consecuturus, &c.2. Mach.9. Similiter Pharao cum reuelaretur ab eo plaga dicebat, *nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Quando autem flagellabatur, promittebat se dimittere filios Israel, Exod.10.

Simile.

QVI AVTEM timore aduersitatis à peccato abstinent, sunt similes pyratis, qui tempore tempestatis timore perterriti, vouent multa; facta tranquillitate, reddere non curant, sed statim currunt ad ludos. Item similes sunt cuidam Britoni, qui cum duceret ad montem sancti Michaelis ad forum vaccam suam, & vitulum, vt eam venderet ibi; videns fluctus maris refluere, & timens, vouit vitulum Beati Michaeli si euaderet. Post recedente fluctu dixit Michaeli, quod fatuus esset si crederet, quod ei suum vitulum daret. Post redeunte fluctu, magis de propè, magis timens, vouit vtrumque dicens, Michael si totum vis, totum habebis. Retrocedente iterum fluctu, cum non crederet de cætero fluctum posse eum attingere, clamauit: Michael, Michael, neque vaccam, neque vitulum, de cætero habebis. Sic est de his qui seruiliter timentes in periculis mortis, vouent primo aliena restituere, postea religionem intrare, vel aliquid simile: Sed cum crederet Brito esse in tuto loco, venit fluctus subito, & eum, & vaccam, & vitulum inuoluit. Similiter mors subito aufert talibus pecuniam, corpus & animam: quia dum dicunt pax, & securitas, tunc repentinus superuenit interitus.

Simile.

Timor initialis quid.

TIMOR initialis est, quo quis timet pœnam, & erubescit culpam commissam; sed plus Dei offensam, Prouerb. 1. Eccl. 1. *Principium sapientię timor Domini.* Prouerb.8. *Timor Dei odit malum,* plus amore iustitiæ; quam timore pœnæ. Hic timor habet duos oculos; dextrum, ad declinandum mala culpæ; sinistrum, ad declinandum infernum: hic figit cum Abraham tabernaculum suum inter Bethel, & Hay. Gen.12. & 13. Inter amorem Paradisi, & timorem Inferni. Hic est Isachar, habitans inter hos terminos, Genes.49. Istæ sunt illæ duæ ancillæ, quæ introducũt Hester ad Assuerum, Hester.15. Timor eleuat, & comprimit defluentia vestimenta virtutum, amor enim eam sustentat. Hi sunt duo Discipuli, Philippus, & Andreas, qui gentiliter viuentes, introducunt ad Iesum Ioan. 12. Hi sunt duo simul currentes ad monumentum, Ioannes pręcurrit. Ioan. 20. Hæ sunt duæ alæ datæ mulieri, per quas volat in desertum pœnitentiæ, & vitæ æternæ. Istæ tres puellæ scilicet timor, pudor, & amor, datæ sunt Thaydi meretrici, timor pœnæ futuræ eam à malo retraxit, pudor culpæ commissæ veniam promeruit, & à peccato eam extraxit: amor iustitię eam ad superna transuexit, & ad bonum prouexit.

Exemplum.

Hę sunt tres puellæ, quæ visæ sunt facere in cœlo lectum eius, de qua dicitur in vitis patrum, quod erat speciosissima meretrix in quadam ciuitate, propter quam multi se occidebant, multi se depauperabant, & audiens Abbas Paphnutius mala quæ faciebat, sæculari habitu venit ad eam, & dato ei solido pro scorti pretio, petiuit locum obscurum vbi non posset videri, & sine verecundia peccaret, & cum duxisset eum ad plura loca, & iste semper diceret, quod timebat videri; duxit eum ad obscurissimum locum dicens, quod non posset eum ibi videre, nisi Deus aut diabolus. De quo verbo, facto ei sermone, & ostenso quo modo deberet aspectum Dei formidare, conuertit eam, quę vocauit omnes amatores suos; & fecit omnia, quæ lucrata fuerat ab eis per peccatum comburi in medio vrbis, ad valorem 400. librarum auri, dicens; quod magis volebat hæc ibi comburi quam in futuro combureretur ab eis; post ad desertum venit, vbi dictus pater in parua cellula eam inclusit, vbi erat sola fenestra parua, per quam propinabatur ei parum panis, & aqua; singulis diebus vrinam iuxta se, & alia necessaria faciebat: quę non audebat nomen Dei nominare, vel manus, vel oculos ad cœlum leuare, quasi polluta; sed conuersa ad Orientem dicebat: Qui plasmasti me miserere mei. Post tres autem annos compassus ei dictus Abbas, iuit ad Beatum Antonium, quærens si adhuc posset eam emittere, & esset ei dimissum peccatum suum. Qui fecit pro hoc orare. Tunc Paulus maior, Discipulus Antonij, in extasi vidit lectum speciosissimum in cœlo à tribus puellis speciosissimis seruatum, & paratum: & cum quęreret si esset locus Beati Antonij, responsum est ei, non; sed Thaydis. Cumque esset exclusa dixit, quod in dicto triennio habuerit peccata sua semper ante oculos, quasi quandam sarcinam, flens superilla quotidie largiter; & dixerunt patres, quòd non propter pœnitẽtiam quam sustinuerat, sed propter peccatorum memoriam, & confusionem, fuerant ei hæc dimissa. Transactis autem post hoc, quindecim diebus, quieuit in pace.

Timor filialis quid.

TIMOR filialis, siue castus est, de quo dicitur, Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater:* iste timor est perfectorum. Notandum, quod iste timor est in quinque. Timent enim perfecti ne sponsus venire nimis differat, ad eorum consolationem. Item, cum venerit ne cito discedat, Thren.1. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens lachrymas, quia longe factus est à me consolator.* Et similiter in eodem ca. supra. *Deposita est vehementer non habens consolatorem.* Isa. 64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes, à facie tua montes effluerent:* scil. speciali dulcedine. Gilbertus. *Timore seruili & filiali timetur sponsus: Seruili ne veniat iudicaturus: Filiali ne tardet; & cum venerit ne discedat.* Item, timet homo perfectus cœlestis Patris iracundiam, licet pœnam sensus, vel damni sibi infligendam non metuat. Vnde Lucæ

Quid timetur timore filiali.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

21. *Virtutes cælorum*, ideſt Angeli, *mouebuntur*, licèt non timeant ſibi. Idem. *Timeat bonus filius, ne in aliquo Patri cæleſti diſpliceat.* Iob 9. *Verebar omnia opera mea.*

Exemplum. VNDE legitur in hiſtoria tripartita li. 6. Mos ſolebat eſſe Romanorum, quod in magnis feſtiuitatibus Imperatores facerent ante ſe poni pro honore imperiali, arulam, & thus apponi, & dabantur apponentibus munera. Iulianus Apoſtata Imperator volens quoſdã Chriſtianos fieri idolatras, occultatis idolis ibi, iuſſit Chriſtianis thus igni apponere. Illi autem non aduertentes Idola, thus appoſuerunt igni pro amore imperiali, & aurum datum receperunt. Cum autem in conuiuiis Chriſtum benedicerent & inuocarent, reſponderunt idolatræ. Quomodo eum modo inuocaſtis, quem paulò ante negaſtis? Tunc Idolum aduertentes, aurum reiecerunt Imperatori; & clamauerunt dexteras ſibi debere amputari, quibus thus in igne poſuerant, & aurum receperant, licet neſcirent Idola, nec in honorem eorum hoc feciſſent, ſed ignoranter, cum eſſent veri Chriſtiani. Hi tanquam boni filij plus volebant (vt ibi legitur) decapitari, quam in modico patrẽ offendere, vel ei diſplicere. Sic Machabæi magis volebant inter feras habitare, & fœnum comedere quam habitare cum ſacrilegis, & in aliquo ab eis inquinari. 2. Macha. 5. Similiter autem Ioannes Baptiſta fugit ad deſerta, puer cum feris; Ne leui ſaltim, maculare vitã, famine poſſet. Lucæ 1. Item hunc timorem habet, qui pro aliquo incommodo quod ſibi timet imminere, nõ dimittit, quin Dei voluntatem faciat; vt Tobias, qui nec timore mortis, aut rerum priuatione, dimittebat mortuos ſepelire. Item hunc forſitan habet timorem, qui poſt poſito timore, zelo ſuccenſus, offenſam Dei non ſuſtinet videre impunitam, vt Matathias 1. Mach. 2. Qui occidit idolatram in periculo corporis, & rerum.

SEPTIMVS eſt timor reuerentiæ. Tamen quidam dicunt, quod iſte eſt filialis, & quod huiuſmodi, vſus habetur in patria. Pſalm. 18. *Timor Domini* ſcilicet, permanet in ſęculum ſæculi. Et notandum, quod iſte timor eſt quando inferior creatura reſpicit Dei magnitudinem, vel ſuperioris; & in ſuam reſiliens paruitatem pertimeſcit, & obſtupeſcit. Sic Ioan. Apoc. 1. Videns filium hominis cecidit. Sic Diſcipuli tres in monte Thabor, Matth. 17. Et Abraham Gen. 18. *Loquar*, ait, *ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Similiter cum tres videris, procidens vnum adorauit. Similiter Angelica natura in cœlo videns ſummam maieſtatem tremit & admiratur, & ſtupet de ſua paruitate ad ſummã magnitudinem, quæ in infinitum maior eſt. Similiter & anima ibi, vel in contemplatione hic. Hoc ſignatum eſt in ſtupore Reginæ Saba, & admiratione Salomonis, 3. Reg. 10. Item in caſu Eſther 15. *Verè admirabilis es Domine.* Similiter Ioannes Baptiſta contremuit baptizans Dominum, ſicut cantatur de ipſo.

Timor reuerentia quid.

Exemplum. HVNC timorem bene habebat ille pater beatiſſimus Syſoi, de quo dicitur in vitis patrum, quod cum inſtaret migratio beatiſſimi Syſoi, conuenerunt multi patres, & ſubito facta eſt facies eius quaſi quodam fulgore radians, & dixit. Conſolamini fratres, ecce Abraham venit ad vos; & poſt: Ecce Chorus Prophetarum; & poſt: Ecce ſancti Apoſtoli; & poſt: Ecce ſancti Angeli. Et cum videretur loqui, & quærerent quid loqueretur, reſpondit: Venerunt ſancti Angeli, tollere animam meam à corpore ſupplico eis, vt paululum propter pœnitentiam agendam ſuſtineant. Et cum dicerent, Abba tu non indiges pœnitentia, ait: In veritate dico vobis, quod necdum principium pœnitentię feciſſe me memini. Et cognouerunt quod perfectus eſſet in timore Domini, bene in ſuam reſiliens paruitatem; quo migrante totus locus, odore mirabili eſt repletus. Ad hunc timorem inducit conſideratio ſingulorum mirabilium Domini & miraculorum. Sic timebant filij Iſrael Exo. 19. & 20. Videntes mirabilia & audientes, quæ faciebat ſuper montem Synai. Pſal. 64. *Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis:* Ion. 1. *Videntes viri quod mare quieuiſſet à feruore ſuo, timuerunt valde Dominum.* Lucæ 7. Reſuſcitato mortuo, *accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* Matt. 9. Videntes turbæ paraliticum ambulantem, *timuerunt & glorificauerunt Deum* &c. Marci 4. Videntes diſcipuli quod impéraſſet ventis & mari, facta tranquillitate, *timuerunt valde* &c.

De obiecto timoris.

DISTINCTIO XXVII.

DEINDE conſiderandum eſt de obiecto timoris. Et circa hoc conſideranda ſunt octo. Primo videndum eſt vtrum obiectum timoris ſit bonum vel malum. Secundo, vtrum malum naturæ ſit obiectum timoris. Tertio, vtrum timor ſit de malo culpæ. Quarto, vtrum ipſe timor timeri poſſit. Quinto, vtrum inſolita vel repentina magis timeantur. Sexto, vtrum illa, contra quæ non eſt remedium, magis timeantur. Septimo, de Deo timendo. Octauo, de timendis periculis huius mundi.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum obiectum timoris ſit malum vel bonum.* Dicendum quod timor eſt motus quidam appetitiuæ virtutis, ad virtutem autem appetitiuã pertinet proſecutio & fuga: vt dicitur in 6. Ethi. Eſt autem proſecutio boni, fuga autem mali: vnde quicunq; motus appetitiuæ virtutis importat proſecutionem, habet aliquod bonum pro obiecto, quicunque autem importat fugam, habet malum pro obiecto. Vnde cum timor importat fugam quandam, primo & per ſe, reſpicit malum ſicut proprium obiectum. Poteſt autem etiam reſpicere bonum ſecundum quod habet habitudinem ad malũm, quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno quidem modo inquantum per malum priuatur bonum, ex hoc autẽ ipſo, eſt aliquid malum, quod eſt priuatiuum boni. vnde cum fugiatur malum quia malum eſt, ſequitur vt fugiatur quia priuat bono, quod quis amando proſequitur. Et ſecundum hoc dicit Aug. quod *nulla eſt cauſa timendi niſi amittatur bonum amatum.* Alio modo bonum comparatur ad malum vt cauſa ipſius, inquantum ſcilicet aliquod bonum ſua virtute, poteſt inducere aliquod nocumentum in bono amato. Et ideo ſicut ſpes, vt ſupra dictum eſt, ad duo reſpicit, ſcilicet ad bonum in quod intendit; & ad illud, per quod ſperat ſe bonum concupitum adipiſci; ita etiam timor ad duo reſpicit, ſcilicet ad malum quod refugit, & ad illud bonum, quod ſua virtute poteſt infligere malum. Et per hunc modum Deus timetur ab homine inquantum poteſt infligere pœnam vel ſpiritualem vel corporalem: per hunc etiam modum timetur poteſtas alicuius hominis, maximè quando eſt læſa, vel quando eſt iniuſta; quia ſic in promptu habet nocumentum inferre: ita etiam timetur ſuper alium eſſe, ideſt inniti alij, vt ſcilicet in eius poteſtate ſit conſtitutum, nobis nocumentum inferre, ſicut ille qui eſt conſcius criminis timetur, ne crimen reuelet.

Proprium obiectum timoris eſt malum; poteſt tamen reſpicere bonum, dicens habitudinẽ ad malum.

AD SECVNDVM, ſcil. *vtrum malum naturæ ſit obiectum timoris*: dicendum quod ſicut Philoſophus dicit in ſecundo Rhetor. Timor prouenit ex fantaſia futuri mali corruptiui vel contriſtatiui. Sicut autem contriſtatiuum malum eſt, quod contrariatur voluntati, ita corruptiuum malum eſt, quod contrariatur naturæ, & hoc eſt malum naturæ; vnde de malo naturę poteſt eſſe timor. Sed cõſiderandum eſt quod malum naturæ quandoque eſt à cauſa naturali, & tunc dicitur malum naturæ, non ſolũ quia priuatur naturæ bonum, ſed etiã quia eſt effectus naturæ, ſicut mors naturalis, & alij huiuſmodi defectus. Aliquando vero malum naturæ prouenit ex cauſa non naturali, ſicut mors, quæ violenter infertur à perſecutore: & vtroque modo malum naturæ quodammodo timetur, & quodammodo non timetur: Cum enim timor prouenat ex fantaſia futuri mali, vt philoſophus dicit, illud quod remouet futuri mali fantaſiam, excludit & timorem. Quod autem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

autem non apparet aliquod malum vt futurum, potest ex duobus contingere. Vno quidē modo ex hoc quod est remotum & distans, hoc enim propter distantiam, imaginamur vt non futurum, & ideo vel nō timemus, vel parum timemus; vt enim Philosophus dicit in secundo Rhetor. quæ valde longæ sunt, non timentur: sciunt enim omnes, quod morientur, sed quia non prope, nihil curant. Alio modo æstimatur aliquod malum quod est futurum, vt non futurum, propter necessitatem quæ facit ipsum æstimari vt præsens; vnde Philosophus dicit in 2. Rhetor. quod illi qui iam decapitantur non timent, videntes sibi necessitatem mortis imminere: sed ad hoc quod aliquis timeat, oportet adesse aliquam spem salutis. Sic igitur malum naturæ non timetur, quia non apprehenditur vt futurum: si vero malum naturæ quod est corruptiuum, apprehendatur vt propinquum, & tamen cum aliqua spe euasionis, tunc timebitur.

Malum natura timetur quando apprehenditur vt propinquum cum spe euasionis.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum timor sit de malo culpæ*: dicendum, quod sicut supra dictum est, sicut obiectum spei est bonum futurum arduum, & quod quidem potest adipisci, ita timor est de malo futuro arduo quod non potest de facili vitari. Ex quo potest accipi, quod illud quod omnino subiacet potestati & voluntati nostræ, non habet rationem terribilis; sed id solum est terribile, quod habet causam extrinsecam; malum autem culpæ propriam causam habet, scilicet voluntatē humanam, & ideo propriè non habet rationem terribilis. Sed quia voluntas humana ab aliquo exteriori potest inclinari ad peccandum, si illud inclinans habebat magnam vim inclinandi, secundum hoc potest esse timor de malo culpæ, inquantum est de exteriori causa: puta cum aliquis timet cōmorari in societate malorum, ne ab eis ad peccandum inducatur. Sed propriè loquendo in tali dispositione magis timet homo seductionem, quam culpam secundum propriam rationē, idest inquantum est voluntaria: sic enim non habet vt timeatur.

Quo sensu sit timor de malo culpæ.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum ipse timor timeri possit.* Dicendum, quod sicut iam dictum est, illud solum habet rationem terribilis quod ex causa extrinseca prouenit, non autem quod prouenit ex voluntate nostra. Timor autem partim prouenit ex causa extrinseca, & partim subiacet voluntati. Prouenit quidem ex causa extrinseca inquantū est passio quædā consequens fantasiam imminentis mali: & secundum hoc potest aliquis timere timorem, ne, scilicet immineat ei necessitas timendi, propter ingruentiam alicuius excellentis mali. Subiacet autem voluntati inquantum appetitus inferior obedit rationi; vnde homo potest timorem repellere: & secundum hoc timor timeri non potest.

Timor potest timeri qua parte prouenit à causa extrinseca, nō quatenus ab intrinseca.

AD QVINTVM, scili. *vtrum insolita & repentina magis timeantur:* Dicendum quod sicut supra dictum est, obiectum timoris est malum imminens, quod non de facili repelli potest. Hoc autem ex duobus contingit, scilicet ex magnitudine mali, & ex debilitate timentis; ad vtrumque autem horum operatur, quod aliquid sit insolitum, & repentinum. Primo quidem facit ad hoc, quod malum imminens magis appareat. Omnia enim corporalia bona & mala quanto magis considerantur, tanto minora apparent: & ideo sicut per diuturnitatem, dolor præsentis mali mitigatur, vt patet per Tullium in tertio de Tuscul. quęsti: Ita etiam ex præmeditatione, minuitur timor futuri mali. Secundo aliquid esse insolitum & repentinum, facit ad debilitatem timentis, inquantum subtrahit remedia, quæ homo potest præparare ad repellendum futurum malum; quæ esse non possunt, quando ex improuiso malum occurrit.

Insolita & repetina magis timētur.

AD SEXTVM, scili. *vtrum illa quę non habent remedium magis timeantur.* Dicendum, quod obiectum timoris est malum: vnde illud quod facit ad augmentum mali, facit ad augmentum timoris. Malum autem augetur non solum secundum speciem illius mali, sed etiam secundum circunstantias, vt ex prædictis apparet. Inter

A cæteras autem circunstantias diuturnitas, vel etiā perpetuitas magis videntur facere augmentum mali. Ea enim quæ sunt in tempore, secundum durationē temporis quodammodo mensurantur: vnde si pati aliquid in tanto tempore, est malum; pati idem in duplo tempore, apprehenditur vt duplatum: & secundum hanc rationem pati idem, in infinito tempore, quod est perpetuo pati, habet quodammodo infinitum augmentum. Mala autem, quæ postquam deuenerint non possunt habere remedium, vel non de facili; accipiuntur vt perpetua, vel diuturna: & ideo maximè redduntur timenda.

Quæ non habent remedium maximè timētur.

CIRCA septimum *de Deo timendo*: sciendum, quod Deum esse timendum ostendunt: Primo, quæ intra nos sunt: Secundo, quæ extra nos: Tertio, quæ infra nos: Quarto, quæ supra nos. Intra nos sunt duo, quæ B Deum ostendunt esse timendum. Primum est lex naturæ, quam intra nos gerimus: Ratio namque naturalis dictat, summè magnum, summè esse timendum. Si ratio naturalis dictat patrem, dominum, & regem temporalem & carnalem, esse timendum, sicut videmus ad sensum: quanto magis timendus est summus ille Pater, de quo dicitur Ephes. 2. *A quo omnis paternitas in cælo & in terra est.* Et Deut. 32. *Nunquid ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* Ideo dicitur Leuit. 19. *Patrem tuum timebis.* Si dominum temporalem, quanto magis Dominum dominorum? Vnde Deut. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi quod timeas eum*, &c. Et subiungit rationem, dicens: *Ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, potens & terribilis.* Item C si regem mortalem timemus, quanto magis timendus est Rex regum, scilicet rector piorum regum, & vltor impiorum? Ideo Hier. 10. *Quis non timebit te, ô Rex gentium?*

Quatuor ostendunt Deum esse timendum.
1. Quæ intra nos.
Lex naturæ.

SECVNDO intra nos ostendunt Deum esse timendum, peccata quæ facimus. Hier. 2. *Arguet te malitia tua*, &c. Sequitur. *Scito, & vide, quia malum & amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te.* Sap. 4. *Venient in cognitione peccatorum suorum timidi.*

Peccata quæ facimus.

ITEM extra nos ostendunt Deum esse timendum creaturæ generaliter, & scripturæ multipliciter. Omnes inquam creaturæ suadent nobis Deum esse timendum, quia nos inuitant ad amandum Deum, qui creauit hæc omnia ad obsequium nostrum: sicut dicit Au- D gust *Respexi cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & omnia mihi clamant vt diligam te Domine.* Cum igitur omnis amans timeat, inuitant nos omnia ad timendum Deum. Vnde Apoc. 14. *Angelus habens Euangelium æternum, clamabat omnibus gentibus, timete Dominum, & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.* Similiter 15. *Sancti qui vicerunt bestiam cantabant, magna & mirabilia sunt opera tua Domine, quis non timebit te?* Item creaturæ inuitant ad timendum Deum, quia omnia elementa & ea quæ in eis sunt, punita sunt in peccato primi hominis. Vnde Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Quod videtur innuere Apostolus Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, quæ liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Si sic punitur creatura, E quæ non peccauit; quātum debet timere ille, qui hanc pœnam moraliter inuexit; ille, qui contra illum iudicem peccauit, qui vt dicitur Sap. 5. *armabit creaturam in vltionem inimicorum.* Qui vt dicitur eiusdem 9. *fecit hominem vt dominaretur vniuersæ creaturę, & disponeret orbem terrarum in æquitate.*

2. Quæ extra nos.
Creaturæ.

SECVNDO extra nos ostendunt scripturæ multipliciter, quod Deum timere debeamus. videlicet suadendo, promittendo, comminando, & flagella seu punitiones peccantium recitando. Primo quidem ostēdunt scripturæ Deum esse timendum suadendo seu præcipiendo. Leuit. 19. *Timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus Deus tuus.* Ibidem. *Time Dominum Deum tuum.* Deut. 16. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* Vel 10. *Quid petit Dominus à te, nisi vt timeas eum,*

Scripturæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

&c. Eccl. 12. *Deum time, & mandata eius obserua: Hoc est omnis homo.* Psal. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius,* &c. Eccl. 7. *In tota anima tua time Deum.* 1. Pet. 2. *Deum timete,* &c. Secundo suadent nobis Scripturæ timere Deum, multa bona timentibus promittendo, Dutero. 5. *Quis mihi det,* ait Dominus, *eos habere talem mentem vt timeant me, & bene sit eis in sempiternum?* Tobiæ 4. *Habebimus multa bona si timuerimus Deum.* Eccl. 1. *Multa promittuntur timenti Deum.* Eiusdem 33. *Timenti Deo, non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum liberabit.* Psal. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* vnde dicitur esse thesaurus bonorum spiritualium. Isa. 33. *Timor Domini ipse thesaurus eius,* scilicet bona spiritualia in tuto loco conseruans. Prou. 22. *Timor Domini diuitiæ, & gloria.* Et non solum in præsenti promittuntur bona, sed etiã in futuro promittuntur æterna. Psalm. 60. *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.* Et Eccl. 1. *Timor Domini gloria, & gloriatio & lætitia, & corona exultationis.* Bern. *Scribit Dominus propositum pacis super metuentes eum, dissimulans mala, remunerans bona, vt miro modo & bona, & mala cooperarentur eis in bonum.* Tertio suadet nobis Scriptura timere Deum, comminando mala, non timentibus eum. Deut. 5. *Dominum Deum timebis.* & sequitur post: *Nequando irascatur furor eius contra te, & auferat te de superficie terræ.* Prou. 1. *Increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo,* &c. Et post. *Tunc inuocabunt, & non exaudiam, mane consurgent ad me, & non inuenient me,* &c. Et post subiungitur causa: *Et timorem Domini non susceperunt.* Hiere. 2. *Scito malum & amarum esse, te reliquisse Dominum, & non esse timorem eius apud te.* Quarto suadet Scriptura timere Deũ, flagella Dei super non timentes eum recitando. Vt enim nobis timorem incutiat, recitat quomodo Deus peccantes Angelos præcipitans, condemnauit. Vnde 2. Pet. 2. *Si enim Angelis peccantibus non* pepercit, primos parentes exhæredauit, humanum genus in diluuio fere deleuit, Sodomitas subuertit & succendit, Israelitas peccantes multis flagellis attriuit, & sic de aliis: nec solum timendus est, quia in præsenti flagellat multipliciter peccatores, sed etiam magis, quia flagellis multis, bonos exponit in præsenti: & maximè per hoc quod filium suum vnigenitum, tot & tantis flagellis exposuit. Iuxta quod, ipse dixit Lucæ 23. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?*

3. Quæ infra nos scil. purgatorium & infernus de quibus infra. 4. Quæ supra nos.

ITEM ostendunt nobis Deum esse timendum quæ infra nos sunt, scilicet purgatorium, & infernus. De quibus require multa inferius in locis suis.

ITEM Deum ostendunt esse timendum, quæ supra nos sunt. i. multæ considerationes attributorum Dei, quæ summè sunt in Deo, & Deum probant esse summè timendum, & eius offensam esse summè cauendã, quæ sunt eius summa essentia, potentia, sapientia, iustitia, puritas seu bonitas, prouidentia & munificentia.

Essentia Dei.

PRIMVM quidem summa eius essentia, quia ipse est causa prima, siue causa causarum omnium, dans omnibus esse, per quod sunt. Sic nominat se Moysi Exo. 3. cum quæreret Moyses, quod est nomen tuum, respondit Dominus; *Ego sum qui sum.* Cuius essentia non habet causam aliam, sed alia ab eo sunt. Vnde Aristo. & alij Philosophi vocant Deum *causam primam, quæ immota mouet alias vt sint, & efficiant ad quod sunt.* Bern. de consideratione li. 5. *Quid est Deus? qui est. Merito quidem, nihil competentius certificat quid Deus est: si enim bonum, si magnum, si beatum, si sapientem dixeris, vel aliud aliquid, in hoc verbo instauratur, quod est.* Ideo summè timẽdus est, à quo sumus quod sumus, ne si eum peccando offendimus se subtrahat à nobis, & nihil simus, quod fiunt homines cum peccant, vt dicit Glossa super Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil. Peccatum nihil est, per quod nihil fiunt homines, cum peccant.* Vnde de illo Lucifero tali, & tanto, de quo in Ezech. 38. dicitur: *Tu signaculum similitudinis Dei,* &c. Post multas gloriosas laudes eius subditur. *Inuenta est iniquitas in te, peccasti, & eieci te de monte sancto Dei, & in fine nihil factus es, & non eris in perpetuum.* In passione Gordiani & Epimachi cum dixisset Gordianus, *Ego adoro Christum qui fecit omnia, non Idola:* Clementius præses ait: *Si fecit omnia, quare ab Imperatore Iuliano proiectus est?* Respondit Gordianus: *Magis ab eo Iulianus proiectus est, quia Deum non timet: imo à Deo proiectus est Saul, dæmonibus expositus, & in nihilum redactus; similiter & Imperator apostata Iulianus.*

Potẽtia Dei.

SECVNDO summè timendus est Deus, propter immensitatem potentiæ. Iob 42. *Scio quod omnia potes,* Matth. 10. & Lucæ 15. *Eum timete qui postquam occiderit, habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam.* Alij potentes qui possunt in corpus, non tamen in anima, nec semper & vbique; hic autem in omnibus semper & vbique, & quomodo, & quando, & quantum vult, & statim cum vult. Bernar. super can. *Qui omnia solo verbo creauit corpora, & spiritus; cui de sola voluntate, celeris suppetit efficientia, tam in creandis rebus, quàm in ordinandis prout voluerit; valet cum vult, quantum vult, quomodo vult.* Idem super can. sermone 51. *Huius omnipotentis arbitrio, præsto est incunctanter quod voluerit, omne opus altum inclinat, omne aduersum cædit, docet sine lingua, præbet & tenet sine manibus; sine pedibus currit, & succurrit pereuntibus, solo spirituali nutu cum vult, ad quæcunque vult agenda cum tempus est.* Idem in expositione super Missus est. *Soli Deo idem est facere quod loqui: idem loqui quod velle, siquidem apud Deum, nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est, nec factum à verbo, quia virtus est, nec modus à facto, quia salus est.* De huiusmodi omnipotentia dicebat Clodoueus rex Francorum, cum audiret tonitrua, & tremeret. *Iste est rectè dicendus Rex potentissimus, qui solo nutu suo, alios reges facit tremere & timere.*

Sapientia Dei.

TERTIO summè timendus est, propter claritatem sapientiæ, quia sicut potest omnia, ita scit omnia. Iob 42. *Omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Vnde dicit Ioan. Damasc. *Deus, Græcè Theos dicitur, à theastæ, quod est considerare siue videre, quia considerat, & videt omnia facta, vel cogitata à nobis: vnde totus videt, & totum videt.* Vnde Bern. dicit eum, *totum oculum, & totum lucem.* in lib. 5. de consolatione. *Solus Deus, solam nescit ignorantiam; totus lex, totus oculus, qui minimè fallitur, quia minimè claditur, quia extra se non quærit lumen vt videat, ipse est qui videt, ipse est vnde videt.* Ideo Eccl. 23. arguit adulterum dicentem. *Quis me videt? tenebræ circundant me, parietes cooperiunt me, delictorum meorum non memorabitur altissimus: & non intelligit, quod omnia videt oculus illius, iste expellit à se timorem Dei; & post non cognouit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda.* ad hoc facit exemplum supra positum de Thayde. vnde bene dicit Boëtius. *Magna vobis indicta est necessitas bonitatis, dum cuncta agitis ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Et quidam verificator. *Cum quid turpe facis quod me spectante ruberes; Cur spectante Deo non magis ipse rubes?*

Seueritas Dei.

QVARTO, timendus est Deus, propter seueritatem iustitiæ, quæ sicut dicit Augustin. *Non finit dedecus culpæ, sine decore vindictæ.* de quo Apoc. 19. Qui veniebat ad iudicium, *vocabatur fidelis, & verax, & in iustitia iudicat & pugnat.* cui in principio capituli clamant voces cælestes: *Iusta & vera iudicia eius, qui iudicauit de meretrice,* &c. quia nec dono nec precio, nec amore, vel fauore, vel odio, flectitur ab æquitate, nec timore. Prouerb 6. *Zelus, & furor viri, non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Bernar. in sermone de Philosophia. *In exilio mansuetus & amabilis, in iudicio iustus & terribilis, in regno gloriosus & admirabilis. In iudicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum.* Hic autem timendus est non solum quia iustè iudicat, sed etiam quia durè vindicat, torquens æternaliter in inferno. Vnde sequitur Apoc. 19. *Ipse calcat torcular iræ Dei.* Eiusdem 14. dicitur. Quod *filius hominis sedens super nubem candidam, misit falcem suam acutam & vindemiauit botros vineæ terræ, & misit eos in lacum iræ Dei magnum,* & calcatus est lacus. Iste lacus, infernus est, vbi mali præcisi, Dei sententia irreuocabili & inflexibili, à consortio beatorum proiicientur, & conculcabuntur à dæmonibus,

nibus, & suppliciis diuersis opprimentur, & atterentur vt acinum in torculari, in quorum supplicio, Deus terribilis & horribilis apparebit. Psalm. 75. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Aug. *Deus est in seipso Alpha & Omega*, idest principium & finis, *in mundo creator, & rector, in Angelo decor & sapor, in electo liberator & adiutor, in reprobo terror & horror.*

Bonitas Dei. QVINTO summè timendus est Deus, propter summam puritatem bonitatis: summa enim est eius puritas, munditia, & bonitas: Ad cuius comparationem bona nostra sordida apparent, Isa. 64. *Facti sumus vt immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Iob 25. *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere? ecce Luna non splendet, & astra non sunt munda in conspectu eius, quanto magis homo putredo,* &c. vel quia summè bonus, odit impios & impietatem. Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Ideo secundum Ioann. Damasc. tertio. *Theos græcè, dicitur ab ethin, quod est ardens* .i. consumens mala. Vnde Deut. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.*

Prouidentia Dei. SEXTO, propter summam prouidentiæ bonitatem, quæ est causa causarum omnium eorum effectuum. ab ipsa enim res omnes præuidentur ab æterno, & in tempore creantur, ordinantur, & disponuntur, & ornantur: res inferiores ad eius nutum generantur, fouentur, nutriuntur, augmentantur, multiplicantur, disponuntur, & administrantur. Ipsa est causa omnium corporalium & spiritualium motuum, actuum, effectuum, meritorum & præmiorum. Ipsa administrat nobis bona temporalia gratuita & æterna. Ipsa creat, & ornat, & conseruat, subuenit, liberat, iustificat, magnificat, & saluat Deum timentes, & supra condignum remunerat. Ipsa merito dicitur summa & prima causa, ipsa dicitur ipse Deus. Ipsa græcè Theos dicitur, vel à thein, quod est currere vel fouere, vt dicit Ioan. Damas. quia ipsa velociter subuenit, gubernat, & disponit, & fouet vniuersa. Sap. 6. *Ipsa summa sapientia circuit quærens dignos se, & in viis suis ostendit se ipsis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Ideo summè timendus, qui nobis omnia prouidet; ne si non timeatur, ipse se & sua beneficia nobis ingratis subtrahat, & omnia amittamus. Eccl. 5. *Ne dicas non est prouidentia, ne fortè iratus Dominus super sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Vel timenda est eius prouidentia, quia quanto plura & maiora exhibet; tanto maiorem & arctiorem rationem exiget. Gregor. *Quanto magis crescunt dona, tanto magis crescunt rationes donorum. Idem: quanto magis quisque accepit in munere, tanto magis obligatur in reddenda ratione.* Eccl. 12. *In bonis sit cor tuum*, &c. Et post. *Et cito pro omnibus istis adducet te Deus ad iudicium.* Hæc est vna causa, secundum quod assignat Glo. Immo præcipua, quæ diuitem epulonem in inferno tradidit, quia in felicitate sua timidus non fuit. Qui plus habent, plus timere debent. De huius prouidentiæ beneficiis, dicit Bern. in lib. 5. de consideratione. *Amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, rutilat vt lux, assistit vt pietas. Quid ergo est Deus? quod ad vniuersos spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, nouit ipse. quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, & incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, viuificans ad sentiendum, efficiens ad appetendum, iustificans ad promerendum, dilatans ad capiendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, informans ad beneuolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationẽ, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circundans ad securitatem.* Hæc omnia, summa Dei prouidet beneuolentia. Ideo summè reuerenda & timenda & diligenda.

Munificentia Dei. SEPTIMO, propter munificentiæ largitatem, summè timenda est eius irritatio, & sui muneris priuatio; de cuius liberalitatis plenitudine dicit Dionys. *Summa liberalitas Domini, dat donum æquale sibi, summa decet dare ipsam.* Hester 2. *Rex Assuerus largitus est dona, iuxta magnificentiam principalem:* donum autem æquale sibi, non non posset ipse dare, nisi se daret, dat autem se timentibus se; in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam. Eccles. 1. *Timor Domini iustificabit & custodiet cor, iucunditatem atque gaudium dabit æternum*; scilicet, iustificat, & seruat cor in præsenti per gratiam, dat iucunditatem & gaudium, quando timentibus se dat Deus in præmium. Psalm. 118. *Qui timent te, videbunt me,* ô Pater, ait Filius, *& lætabuntur*, quia visio diuinitatis Christi & humanitatis, est tota merces, vt dicit August. *Videre est tota merces.* Genes. 15. *Apparuit Dominus Abrahæ per visionem dicens: ego protector tuus, & merces tua magna nimis.*

Quomodo omnia suprædicta ostendit Deum esse timendum. EX præmissis colligitur, quod summè timendus est Deus, non solum quia vbique est, sed quia omnibus præsens est: nec ita timenda esset eius præsentia, si ignoraret, quæ aguntur, vbi præsens est; sed ipse videt & scit omnia: non ita timendus esset si omnia sciret, & omnia non posset, quæ vellet; sed ipse potest omnia, quomodo & quando & quotiens vult: vel si posset omnia, & esset exclusus ab aliquo loco, posset eius potentia euitari; sed ipse in omnibus & super omnia est, vt non sit qui manus eius possit effugere: vel cum omnibus antecedentibus non ita esset timendus, si esset mutabilis de loco ad locum, de scientia in ignorantiam & obliuionem, ab omnipotentia in impotentiam; sed ipse semper idem manet & immutabilis: Nec ita timendus esset, si non prouideret omnia, si possemus habere alium omnium prouisorem; vel si antecedentia concurrent omnia, & esset in aliquo malus, posset malitiam non odire, & amare, si non esset iustissimus, posset dedecus culpæ impunitum relinquere; si non esset summè liberalis & largus, non posset nos summo bono & dono priuare, quo priuat peccantes se non timentes, quod confert solum timentibus se; quia tanto dono soli illi digni sunt, de quibus dicitur Psalm. 60. *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum Domine.* Micheę 6. *Salus erit omnibus timentibus nomen tuum.* Iosephus in Prologo libri antiquitatum ait, *præ omnibus doceantur homines, quia pater omnium est Dominus Deus existens, & vniuersa respiciens, timentibus & sequentibus se, vitam felicissimam præbet, à virtute disgredientes, maximis calamitatibus subdit.* Ex prædictis patet verum quod legitur Eccle. 33. *Nihil melius quàm timere Deum*, quod nobis præstare dignetur ipse Deus, Amen.

Septem vtiliter considerandæ, ad retrahendum hominem à peccato. CIRCA octauum, scilicet *de periculis huius mundi timendis:* considerandæ sunt septem, quorum consideratio & frequens meditatio, multum est vtilis ad retrahendum hominem à peccato: videlicet locus habitationis, tempus peregrinationis, status conuersationis, conditionis humanæ fragilitas, affectionis humanæ fatuitas, malorum hominum euitanda societas, & dæmonum execranda peruersitas.

1. Locus habitationis. LOCVS habitationis est mundus, qui in Scriptura sacra vocatur mare, vocatur etiam exilium vel desertum. Vnde mundus iste periculosus est, ad modum maris, & ad modum deserti. Mundus quippe dicitur mare, sicut ait Psalm. 103. *Hoc mare magnum*, non solum spatiosum, sed super omnia maria periculosum. Eccles. 43. *Qui nauigent mare enarrent pericula eius.* De quo Bern. ait, *Periculum probat transeuntium paucitas, & pereuntium multitudo.* In magno mari Marsiliæ, de quatuor nauibus transeuntibus vix non periclitatur vna. In hoc mundo vix de quadraginta transeuntibus euadit vnus à periculo.

Mundus in quo habitamus assimilatur mari, propter multa. ITEM in magno periculo sunt homines in hoc mari, non solum propter pereuntium multiplicitatem, immo propter periculorum pluralitatem & immensitatem. Sunt enim tot & tam magna pericula, quod qui vult euitare vnum, incidit in aliud. Vnde, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim.* Frequenter volens vitare periculum luxuriæ, absorbetur à voragine, vel

vertigine

vertigine auaritiæ, quaſi à Carybdi 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Et ſequitur: *Mergunt hominem in interitum & perditionem.* Longe plura ſunt pericula in mundo, quam in mari. Inter quæ ſunt octo pericula, quæ Paulus enarrat 2. Cor. 11. *Periculis fluminum*, ideſt voluptatum, quæ currunt ad amaritudinem gehennæ. Eccl. 1. *Omnia flumina intrant mare*, &c. Latrones ſunt dæmones latenter inſidiantes, & ſpoliantes deſcendentem à Hieruſalem in Hiericho. & ſic de aliis. Contra hoc orat Dauid in Pſalm. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ* &c. Et poſt, *Non me demergat tempeſtas aquæ* &c.

ITEM in magno periculo ſunt homines in hoc mari, propter ventorum vehementiam, & contrarietatem. Dan. 7. *Quatuor venti pugnabant in mari*, ſcilicet vanus timor, vana ſpes, vanus dolor, & vanum gaudium; vel præſens proſperitas, ſcilicet Aquilonis, futura, ſcilicet Auſtri; Orientalis, ideſt inſpiratio gratiæ; Occidentalis, ſcilicet ſuggeſtio malitiæ.

ITEM quarto periculoſum eſt hoc mare propter monſtrorum diuerſitatem; quæ monſtra deſignantur Dan. 4. per quatuor beſtias, quæ ſurgebant de mari. Prima, quæ ſimilis erat Leoni, ſignificat ſuperbiam vitæ. Secunda vrſo ſimilis, ſignificat voluptatem carnalis concupiſcentiæ. Tertia ſimilis pardo, ſignificat auaritiam vel terrenam concupiſcentiam. Quarta habens dentes ferreos terribilis &c. ſignificat crudelitatem malitiæ &c. Item in hoc mari ſunt ſyrenarum cantus, quos vt dicit Hieron. debemus ſurda aure tranſire ad modum Vlyſſis ſapientis, qui dicitur pice aures obturaſſe, ne has ſyrenas audiret. Hæ ſyrenæ habentes facies fæmineas, & vnces blandas ſunt adulatores & blandi malorum ſuaſores; ad quorum cantus blandos, proijciunt ſe homines in pericula mundi, niſi obturauerint aures ſuas conſideratione deformitatis, & fætoris peccati, tanquam pice. Eſt ibi ſcylla, ideſt ſaxa latrantia vt canes, ideſt detractores bonis oblatrantes. Eſt etiam ibi de hoc mari conſurgens illa beſtia malitiæ, & nequitiæ, & inobedientiæ: de qua Apocal. 13. *Vidi beſtiam de mari aſcendentem, quæ habebat ſeptem capita, & decem cornua*: ideſt ſeptem capitalium vitiorum, & decem tranſgreſſionum Decalogi, per quæ pugnat contra nauigantes per hoc mare. Item ſunt ibi ſyrtes, loca ſabuloſa interciſa, & aquoſa, profunda nimis, hic & ibi ſine aqua, ex ſuccedente aduerſitate & proſperitate.

ITEM quinto ſunt in hoc mari peccatores in magno periculo, propter peccatorum ponderoſitatem, cum quibus ſunt, & conantur natare per profundiſſimum mare. Quibus expediret potius, vt dicitur Matthæi 18. *quod ſuſpenderetur mola aſinaria ad colla eorum, & demergerentur in profundum*, quàm demergerentur vt lapis proiectus in mare, ideſt in profundum inferni. Apocal. 18. *Et ſuſtulit Angelus lapidem molarem*, &c.

ITEM ſexto ſunt in magno periculo, propter vaſis in quo nauigant qualitatem. Eſt enim corpus humanum fragilius, & paſſibilius omni vitro. Item eſt nauis perforata, ita quod intrant aquæ tentationum, & malarum delectationum vſque ad animam, per foramina quinque ſenſuum. Pſal. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Thren. 3. *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum*, tentationis ſcili. &c.

Exemplum. NAVIGANT peccatores periculoſius quàm ille Epiſcopus & ſui, de quibus dicit Gregor. in 2. Dialog. 34. de Maximiano Epiſcopo, qui cum rediret de Conſtantinopoli Romam, eius nauis in Adriatico mari in rimas fuſa, ex vehementia vndarum, & ventorum, repleta eſt vndis vſque ad ſuperiores tabulas nauis: tunc munierunt ſe confeſſione, & communione corporis & ſanguinis Chriſti, & commendatione animarum ſuarum. Cum autem hæc nauis vſque ad octo dies ſic permanens, ſuum iter ageret, nono die exonerata hominibus, & vltimo Maximiano Epiſcopo, in mari ſubmerſa eſt.

ITEM ſeptimo in magno periculo ſunt in hoc mari peccatores, propter defectum neceſſariorum, & ad nauigandum, & ad viuendum. Ipſi enim peccatores carent virtutibus, per quas quaſi per velum, & malum, & alia inſtrumenta nauis, habent duci: Carent vento gratæ auræ etiam Spiritus ſancti, ſine quo nauis non poteſt procedere in bonum: carent ſpiritualium conſolationem nutrimento, & ſuſtentamento.

Mundus aſſimilatur deſerto propter multa. ITEM timenda ſunt pericula huius mundi, ad ſimilitudinem periculorum quę in deſerto ſunt. Mundus enim eſt deſertum periculoſiſſimum. Deut. 8. *Ductor tuus fuit in ſolitudine, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, & dipſas.* Serpens flatu adurens eſt mundana cupiditas. Scorpio primo blandiens, in fine autem pungens, eſt carnalis concupiſcentia. Dipſas latenter interficiens, eſt ſuperbia vitæ.

SECVNDO ſimilis eſt illi deſerto, per quod filij Iſrael tranſierunt ad terram promiſſionis, vbi tot pericula inuenerunt, quod de tota multitudine, quæ de Ægypto exiens deſertum intrauit, mortis periculum non euaſit, nec ad terram promiſſionis peruenit, niſi Caleph & Ioſue.

TERTIO periculoſus eſt, quia eſt fornax vitiorum, in qua mali ſuccendentes eam ſeptempliciter, cum Chaldæis comburuntur. Danielis 3. 1. Ioann. 5. *Mundus in maligno poſitus eſt*, ideſt malo igni expoſitus.

QVARTO, quia carcer periculoſiſſimus, in quo cum piſtore Pharaonis reſeruantur mali ad mortem, qui nunquam vellent exire hunc carcerem, qui in exitu ſunt ſuſpendendi & occidendi. Gen. 39. Item Act. 12. Herodes ſeruabat Petrum in carcere occidendum, & tradendum hoſtibus poſt Paſcha. id eſt tranſitum à mundo.

QVINTO quia ibi eſt via periculoſiſſima, quia tenebroſa eſt, ſic vt pauci in ea, vias ſuas, aut ſe cognoſcendo, videant. Item lubricoſa, ita vt pauci ſint qui in ea, mortaliter non corruant. Item irretita, ita quod pauci ſunt qui in ea, hoſtes euadant. De his tribus in Pſalm. 34. *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum*, &c.

SEXTO eſt domus ruinoſa, de cuius tota die parietibus, cadunt lapides ſubito, iuxta vel ſupra homines, opprimendo eos, & tamen homines ſunt vt porci, qui *Simile.* licet clament & gruniant, cum vnus ſubito ſecuri percutitur; perterriti parum, tam cito obliti, ad paſtum redeunt, vbi ſimiliter ſubito occiduntur.

ITEM legi, quod cum quidam inter Iudæos, audiret *Exemplum.* doctrinam Gamalielis, in qua ſcriptum eſt, quod non eſt habitandum in domo ruinoſa propter multa pericula, vt lapidum aut lignorum ſubito cadentium, aut ſerpentum; cogitans quod hoc eſſet Iudæa derelicta à Deo, vt dicitur Matth. 21. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*, fugit ab ea, ad eccleſiam.

ITEM eſt domus plena laqueis ad capiendum viros ſpirituales, per ſpirituales tentationes, Eccl. 9. *In medio laqueorum ingredieris.* Hiere. 5. *Inuenti ſunt in populo meo ponentes laqueos*, &c. Poſt ſequitur: *Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ ſunt dolo.* Item eſt plena muſcipulis, ad capiendum illos qui ad modum murium adhærent terræ. Sapientiæ 14. *Creaturæ Dei factæ ſunt in odium, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

ITEM ſeptimo eſt rota molendinaria, & fortunæ, quæ quandiu tempus fluit vt aqua, ſemper voluitur: & vt dicit Gregor. *qui labenti innititur neceſſe eſt, vt cum labente labatur.*

SECVNDO timere debemus, quia tempus eſt periculoſum, quia requirit à nobis Dominus qualiter illud expendimus. Omnia enim momenta conceſſa ſunt nobis ad agendum pœnitentiam, ad impetrandam gratiam, ad acquirenda merita, & gloriam promerendam. Et ideo diſtrictè requiret Dominus à nobis omne

2. *Tempus peregrinationis.*

bis omne tempus nobis impensum, qualiter fuerit expensum: & exiget illud à nobis cum vsuris, sicut ostendetur infra de iudicio. Est autem tempus modernum maxime periculosum, quia valdè aptum est ad generanda spirituales infirmitates, quæ ducunt ad mortem æternam, vt dicitur 1. Tim. 3. *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa*, quia simul & semel est tempus nimis calidum, siccum, & humidum, spiritualiter. ex his contrahuntur omnes infirmitates, ex eo quod istæ qualitates nimis abundant, æstuat tempus ardore inordinato, scilicet desiderio peccandi: Isaiæ 9. *Succensa est quasi ignis impietas.* Item abundat frigiditas ex defectu caloris vitalis & ordinati, scilicet charitatis. De vtroque Matth. 24. *Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum:* hoc scilicet, est in nouissimis temporibus. Hoc etiam ostendit Apostolus 2. Tim. 3. *Erunt in nouissimis diebus tempora periculosa, homines seipsos amantes*, &c. Vbi ostenditur quomodo quasi extinguitur ignis charitatis, & succenditur ignis abundantis iniquitatis, vt patet cum dicitur *Seipsos amantes.* Vix enim in mundo iam aliquid purè amatur propter Deum, sed propter proprium commodum. Vnde amor modernus reflectitur in seipsum; quia in eo quod amant, non Deum sed seipsos amant. Quomodo abundet iniquitas patet cum subditur. *Cupidi, elati, superbi*, &c. Item periculosum est tempus ex abundantia siccitatis spiritualis, quæ fit per ingratitudinem, quæ desiccat humorem vitalem in hoc mundo. Vnde Bernar. *Ingratitudo est ventus vrens rorem gratiæ, fluenta misericordiæ, venas pietatis exiccans.* Vnde subditur in supradicta auctoritate, 2. Tim. 3. *Ingratis, cælesti sine affectione*, &c. Ingratitudo fuit causa destructionis Hierosolymorum, vt dicitur Lucæ 19. *Eo quod non cognouerint tempus visitationis suæ*, &c. Hieremiæ 18. *Miluus cognouit in cælo tempus suum*, &c. *populus autem meus me non cognouit.* Bernar. *Recolens in corde meo torporem teporemque miserabilium horum temporum, in memetipso confundor, cui enim modernorum tantum gaudium ingerat tantorum beneficiorum exhibitio, quantum antiquis patribus sola promissio.* Videtur quod mundus sit iam in pedibus statuæ, de qua Danielis 2. dicitur, *quod coniungebatur ferrum testæ:* quod signat, quod in fine erunt sine fœdere, & sicci ab humore gratiæ. Item periculosum est tempus ex superabundantia noxij humoris, scilicet voluptatum carnalium, in quibus homines pro viribus suis abundant. Vnde sequitur in supradicta auctoritate Timo. *Voluptatum magis amatores quam Dei.* 2. Pet. 2. *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationis & maculæ delicijs affluentes.*

3. *Status conuersationis.* TERTIO timere debemus ratione status, quia status huius mundi est valde periculosus: vndique enim imminet periculum scilicet superius, & inferius, interius & exterius. Superius namque sunt peccatores in maximo periculo, quia Dei iustitia, habens euaginatum gladium super capita eorum, vult eos scindere per medium. Ioann. 8. *Qui incredulus est verbo Dei non habet vitam in se manentem, sed ira Dei manet super eum.* Rom. 1. *Ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam.* Item ex parte inferiori est peccatoribus apertum os putei infernalis, & draconis, qui vult eos absorbere, & securis mortis est ad radicem arboris, vitam scindens de die in diem.

Exemplum. ET NOTA, quod peccator similis est homini, de quo dicit Barlaam Iosaphat, vt dicit Ioannes Damascenus. Qui cum timeret vnicornem sequentem, cecidit in foueam, qui in casu suo adhęsit arbori, quæ de fundo foueę conscendebat; cum inferius aspiceret vidit ad pedem arboris, puteum teterrimum abyssalem, & draconem flammiuomum, arborem cingentem, & eius casum ore aperto expectantem. Item vidit duos mures maximos, vnum album, & alium nigrum, arborem incessanter in radice corrodentes, sensit etiam arborem iam vacillare, & titubare: vidit etiam quatuor viperas à quatuor partibus A spelunçæ procedere, & totam spelunçam flatu mortifero intoxicare: vidit etiam in ramis arboris pomula quædam mortifera, sed gustui aliquantulum delectabilia, & apparentia exterius pulchra, quibus delectatus periculi sui obliuiscitur. Quidam autem amicus audiens causam eius, occurrens ei ex opposito, porrigit ei scalam, per quam egrediatur à periculo, inculcans ei periculum, & quod inde exeat. Iste autem cum diceret se prius velle sinum pomis implere, & differret; arbore corrosa, & cadente, à flatu dictarum viperarum corruptus, cecidit in os draconis, qui descendens in puteum, eum ibi vorauit. Hic homo, est peccator; vnicornis, est mors temporalis; fouea, mundus; arbor, vita peccatrix; poma eius, delectationes peccatorum; puteus, infernus; draco, diabolus; mus albus, dies; niger, nox; quatuor viperæ, quatuor qualitatum intemperantiæ; amicus, Iesus Christus aut prædicator; scala, est consilium pœnitentiæ faciendæ. dum autem differt homo acquiescere salutari consilio, subitò vita deficiente, in os diaboli cadit, qui eum in inferno rapit, deuorat, & depascit.

ITEM ex parte interiori est in magno periculo, quia eius conscientia est lacus Leonum, cum quibus oportet eum morari quamdiu est in peccato mortali. Eccles. 21. *Dentes eius, dentes Leonis interficientis animas hominum.* in maiori periculo est quam Daniel proiectus in lacum Leonum: Daniel. 6. & 14. *Qui Dominum habebat secum consolantem & concludentem ora Leonum:* horum autem Deus est aduersarius. Augustinus. *Audacior est qui in vno peccato mortali dormit, quam qui cum septem hostibus de morte sua, inuicem obligatis.* Item ex parte interiori quantum ad statum, vndique est peccatori periculum, quia vt dicitur Iob 13. *nunquam in eodem statu permanet*, quia modo sanus, modo æger, modo diues, modo pauper, modo lætus, modo tristis, modo timet, modo sperat ex his, quæ exterius sunt. Vnde in magno periculo est, & in magno timore debet esse, qui turrim habet ædificare octo laterum, in qua necesse habet quamdiu vixerit habitare; Quæ talis est conditionis, quod quàm cito ædificauerit vnum latus eius, cadit & aliud, vsquequo turris tota cadat, & habitantem prosternat, & atterat. hæc turris vita præsens est, octo latera eius sunt sanitas, infirmitas, diuitiæ, paupertas, lætitia, tristitia, timor, & spes de rebus præsentibus & vanis, quorum quanto magis ascendit alterum, cadit reliquum, vsquequo corpus obruant, & anima in casu eius opprimatur.

4. *Fragilitas humanæ cõditionis.* QVARTO in maximo periculo sumus in hoc mundo propter conditionis humanæ fragilitatem: habitamus in domo lutea, quæ terrenum habet fundamentum. Iob 13. *Homo natus de muliere breui viuens tempore*, &c. Vbi satis notatur fragilitas conditionis humanæ. patet insuper quod ex qualitate humanę conditionis, est homo in magno periculo; quia cum moretur in domo fragilis corporis, cum eo pugnant quatuor pugiles, assidue sibi aduersantes. Ita quod si vnus omnino à facie alterius succubuerit, domus lutea corruat, & in puluerem reuertatur, & habitator capiatur, vt ad suspendium æternum trahatur. Hæc domus est corpus luteum, in quo compugnant secundum quatuor complexiones eius, calidum, frigidum, siccum, humidum; si alterum istorum omnino ibi succubuerit, necesse habet mori, corpus incinerari, anima ad patibulum trahi.

Exemplum. ET NOTA quod cum quidam rex quæreret à quodam Philosopho quinque quæstiones: respondit ad singulas sic. *Prima fuit, quid est homo?* Respondit, mancipium mortis, hospes loci, viator transiens. Mancipium dicitur quia manum mortis euadere nequit, & quia mors omnes dies eius, & labores rapit, & quia in fine secundum quod homo meruerit, præmium ei soluitur. Item dicitur hospes loci, quia cito obliuioni traditur, licèt cum gaudio recipiatur. Itẽ quia pascens,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& potans,& gratus in mane, de hoſpicio nihil de rebus hoſpicij ſecum portare permittitur, & in hoſpicij introitu, multa ei promittuntur, quæ non ſoluuntur. Item eſt viator tranſiens, nec ad momentum,ſiue dormiendo, ſiue comedendo,à curſu ad mortem acquieſcens. *Secunda quæſtio fuit: cui ſimilis eſt homo?* Reſpondit, aceruo niuis, roſæ matutinæ, pomo nouo. Quia vt aceruus niuis modico calore, cito in aquam de qua fuerat reſoluitur, ſic homo genitus de putredine, modica infirmitate in eam reuertitur. Roſæ matutinæ, quia in iuuentute habens calorem viuidum, in veſpere ſenectutis habet marcidum. Pomo nouo, quia dum in arbore pendens ad crementum debitum peruenire creditur, modico verme interius exorto corroditur, & ſubito corruens inutile efficitur: ſic homo in pueritia ſua ſubita infirmitate, & morte prœuentus, inutilis ſuis efficitur, & ita patet quod vt dicitur in Pſalm. 143. *Homo vanitati ſimilis factus eſt,dies eius ſicut vmbra prætereunt. Tertia quæſtio fuit*, quomodo ſe habet homo? Reſpondit, vt lucerna ad ventum, quæ cito extinguitur; vt ſcintilla in mari, quæ ab vndis cito abſorbetur, & vt dicitur in lib. Sapient. 5. *vt ſpuma gracilis, quæ cito à procella diſpergitur; vt lanugo, quæ ſubito à vento rapitur; vt fumus, qui cito diffunditur*; & ad nihilum redigitur. *Quarta quæſtio eſt, vbi eſt homo?* Reſpondit, quod in bello multiplici & diuerſo: Intra ſe habet bellum inteſtinum remordentis conſcientiæ, vt ſi eſt in peccato à Deo auertatur. In ſe, id eſt in proprio corpore, habet bellum ciuile & vicinum quatuor elementorum, quæ ſibi compugnant adinuicem per contrarias qualitates: calida enim compugnant in humano corpore frigidis, & humentia ſiccis, quodlibet quatuor elementorum vult eum ſibi vindicare de alio: pro hoc pugnat cum alijs vt ei prædominetur, vel vt eum ad nihilum redigat: terra pugnat, vt ei prædominetur per melancoliam: aqua, vt fiat flegmaticus: aër, vt fiat ſanguineus: ignis, vt fiat colericus: quodlibet horum in homine, & pro homine acquirendo, contra alium pugnat, & quodlibet alteri pro viribus repugnat. Tertium bellum eſt extra, rerum ſcilicet concupiſcibilium; & eſt vt à Deo auertant, & ad ſe, illicito amore, conuerti eum faciant. *Quinta quæſtio eſt, cum quibus ſocijs eſt homo?* Reſponſio eſt, quòd cum ſeptem ſocijs eſt homo, qui eum aſſiduè moleſtant, qui ſunt fames, ſitis, calor, & frigus, laſſitudo, infirmitas, & mors, & vt iſtis ſatisfaciat Deum frequenter peccator moleſtat.

5. *Fatuitas affectionis humanæ.*

QVINTO in magno periculo ſunt homines, propter eorum manifeſtam fatuitatem, quæ luculenter apparet in ſeptem.

PRIMO, quia vt Balaam aſſuetus monſtris, monſtra viſa, nec ſtupebat, nec timebat; Ita ipſi, periclitantium viſa pericula,nec vitant,nec formidant,& ſunt ſimiles latronibus, qui cum vident ſuſpendi aliquem de ſocijs ſuis, non propter hæc dimittunt furta ſua; ſed videntes eum ſuſpenſum, dicit vnus alteri, hoc eſt territorium inertium.

ITEM non ſolum videtur, quòd non metuant immo videtur quòd non ſentiant pericula in quibus ſunt, ad modum ebriorum, & dormientium. Sunt enim ſimiles Ionæ propter cuius peccatum nauis periclitabatur: *alij omnes clamabant & timebant,ipſe ſolus in tempeſtate, & periculo, dormiebat*: eiuſdem,id eſt, & ideo alijs innocentibus euadentibus, ipſe ſolus in periculo remanſit. Prou. 23. *Eris quaſi dormiens in mari, & quaſi gubernator amiſſo clauo.*

ITEM non ſolum non ſentiunt periculum, immo etiam ipſum diligunt, adeo quòd in illud ſcienter ſe impingunt,& immergunt; vt qui in mari ſaliunt ſcienter, ad cantus Syrenarum. ita homines currunt ad loca, quæ ſciunt ſibi periculoſa, ad loca vbi ſunt occaſiones peccandi, in ſpectaculis mulierum. Prouerb. 7. *De feneſtra domus meæ proſpexi, & ecce video vecordem iuuenem, & ecce mulier occurrit ei in habitu meretricio.* & poſt: *ſtatim ſequitur eam quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens.* & poſt: *velut ſi auis feſtinat ad laqueum, & neſcit quòd de periculo animæ eius agatur.* Eccleſiaſt. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Item Eccleſ. 3. *Qui amat periculum peribit in illo.*

QVARTO non ſolum pericula amant immo periclitantibus ſe ſic illaqueant, vt ab eis euelli nequeant; ad modum eorum, qui ſubmerſi in aquis extinguuntur.

QVINTO quia cum deberent ſe exonerare, & explicare ab impedimentis in periculo, ad modum nautarum pericula aquarum timentium; vt nudi, & expediti, liberius poſſent nare, & euadere: econuerſo ſe magis implicant, & onerant, rebus temporalibus & nociuis. Item Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, &c.* ſunt ſimiles illis qui derelicta libera & clara aqua, eligunt per herboſam & limoſam aquam, fluuium tranſuadere; qui quando ſe credunt magis expedire, magis ſe impediunt, onerant & illaqueant; vnde ſubito impediuntur, ſubmerguntur, & extinguuntur.

ITEM SEXTO, quia cum ſint in periculo Deum non excitant, nec adiutorium eius inuocant, ſine quo euadere nequeunt, ſed potius iracundiam eius prouocant: dum volentem eos à periculo reuocare, & liberare, contemnunt; & etiam eos quos vident ipſi acquieſcere, & pericula fugere ad eius monita, irrident, & contemnunt. 1. Corinth. 1. *Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt, eis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.*

ITEM dicitur, quòd cum quidam paterfamilias haberet duos filios propter factum ſuum in medio maris proiectos, & videret eos in periculo maris, in medio palpitantes; non immemor paternorum viſcerum, nauicula ſumpta, & manus porrigens eis, cum clamore, & fletu, nitebatur eos à periculo reuocare, & liberare. Alter autem manum patri porrigens liberatus, nauiculæ impoſitus eſt. Alius autem verba patris contemnens, & periculum paruipendens, & cum ſpuma maris ludens, ab vnda ſubito oppreſſus, ſubmerſus, extinctus eſt. Sic Ieſus veniens in mundum, manibus in cruce extenſis, vult liberare naufragos: qui acquieſcunt ei, & adhærent ei & cruci, à periculo liberantur: qui autem contemnunt & vanitatem diligunt, ſubito periclitantur. Non ſic fecit Heſter. 14. quæ confugit ad dominum pauens periculum. Non ſic diſcipuli Matth. 4. Cum nauicula cooperiretur fluctibus, ſed excitauerunt Ieſum dicentes: *domine ſalua nos,perimus.* Item non ſic Petrus, Matth. 14. qui cum cœpiſſet mergi clamauit: *domine ſaluum me fac.*

Exemplum.

ITEM SEPTIMO, non ſolum adiutorium diuinum vel ſanctorum non aduocant, ſed eos ad iracundiam contumelijs prouocant: & vt maris delphines, in tempeſtate ſaltant; & vt frenetici & inſani, in ſuis periculis exultant, & eos quos ſecum non vident inuolui in periculis, inſenſatos,inſanos reputant. Sap. 5. *Nos inſenſati, vitam illorum reputabamus inſaniam, & finem ſine honore.*

6. *Societas malorum.*

SEXTO, timere debemus,quia periculoſa eſt ſocietas malorum, quam multi diligunt, & ſequuntur: quæ maxime eſt declinanda homini deſideranti ſuam ſalutem: exemplo Ioannis Baptiſtę, qui poſtquam venit ad adultam ætatem, magis elegit habitare inter feras quam inter homines. Senon. *Quoties inter homines fui minus homo redij.* Item exemplo Machabæorum qui magis elegerunt habitare in deſertis cum feris, quàm cum gentibus. 2. Mach. 5. Item exemplo domini; qui poſtquam ſurrexit à mortuis, non legitur habitaſſe vel conuerſatus fuiſſe cum aliquibus malis, ſicut fecit tempore illo quo conuerſatus eſt in terris: licet legatur ſæpe apparuiſſe, & fuiſſe cum bonis. Item in vitis patrum legitur, quod cum Arſenius adhuc moraretur in ſęculo in palatio, &

rogaret pro ſua ſalute, vox ad eum ait: fuge homines & ſaluaberis. quod intelligitur de malis, & mundanis: & quia multa mala facit mala ſocietas, eorum aliqua oſtendemus.

Mala ſocietas quindecim mala efficit.

ET notandum, quòd mala ſocietas quindecim mala facit. Primo ab hæreditate excludit: Angelos à cœlo, hominem à Paradiſo, Roboam à regno. De primo Apoc. 12. *Draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum cum cauda.* Prima pars eſt eorum, qui voluerunt Deo contemplando aſſiſtere. Secunda eſt eorum, qui ei miniſtrando parati fuerunt Deo obedire: hi non ceciderunt, ſed in veritate ſteterunt. Tertia pars fuit eorum, qui fuerunt parati Diabolo conſentire: hi cum Lucifero ceciderunt. Adam plus vxori quam Deo obediens exulat à Paradiſo. Roboam quia magis credidit B conſilio iuuenum ſociorum quam ſeniorum, amiſit regnum Iſrael.

SECVNDO ſpoliat, & conſumit bona temporalia, naturalia, & gratuita. Qui incidit in malam ſocietatem, ſimilis eſt illi qui incidit in Latrones. Spoliatur gratuitis bonis Luc. 10. Item ſimilis eſt filio prodigo, cuius bona meretrices conſumpſerunt Lucæ 16.

ITEM tertio peruertit, ſibi ſimiles efficit. Pſalm. 17. *Cum peruerſo peruerteris &c.* Eccl. 13. *Omnis caro ad ſibi ſimilem conuertetur.* Ibidem. *qui communicat ſuperbo induet ſuperbiam.* Prouerb 13. *amicus ſtulti ſibi ſimilis efficietur.* Exod. 23. Deut. 7. *Non inibis cum eis fœdus.* Sen. *Ex conuictu enim mores formantur.* Candido, & innocenti ſocio, rubiginem ſuam malignus comes affricuit. C Dicitur quod Alexander non poterat ſe cohibere, quin incederet ad modum Leonidis hyſtrionis cum quo nutritus fuerat.

QVARTO inficit, & corrumpit, vt grex morbidus ſanum; leproſi, mundum: fructus putridi, ſanum: toxicum, cibum: maſſa, fermentum. 2. Cor. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* vinum corruptum, corrumpit bonum: flatus malus vt baſiliſci, aërem vicinum. 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

QVINTO maculat & polluit, vt pix & carbo, manum tangentis. Leuit. 5. *Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, rea erit.* Num. 19. *Quicquid tetigerit immundus, immundum erit.* Agg. 2. *Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his; nunquid contaminabitur, &c.*

D SEXTO, apoſtatare facit, vt mulieres Salom. 3. Regum 11. Mulier, Petrum ſe calefacientem cum miniſtris: Ioan. 18. Eccl. 19. *vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.*

SEPTIMO ſeducit. Ezech. 3. *Cum ſcorpionibus habitas.* *Simile.* Oſeæ 7. *Effraim quaſi columba ſeducta, non habens cor,* id eſt prudentiam declinandi praua conſortia. Facit Diabolus, vt aucupes, qui ponunt columbas, quæ habent conſutos oculos, in decipula ſua: ad quas accedentes aliæ, non aduertunt eas captas, nec laqueos, & capiuntur cum eis 3. Regum 13. Propheta Domini, quem quia falſus propheta ſeduxit, vt ſequeretur eum; occiſus eſt à Leone. Item Hierem. 18. *Seduxerunt te viri pacifici tui, dimiſerunt te in cœno, & in lubrico pedes tuos; & receſſerunt à te:* hoc dicitur de Sedechia, E qui quia credidit falſis prophetis, à Nabuchodonoſor eſt captus, & exoculatus, & in Babylonem ductus eſt.

Exemplum. DE ſeductione malæ ſocietatis refert Petrus Alfonſi multa exempla. Vnum eſt tale. dicit enim. Cum quidam vellet ire apud Metham per deſerta Ægypti, commendauit cuidam bonæ famæ pecuniam, quam redeunti negauit; qui conſilio cuiuſdam ſapientis, fecit fieri decem cophinos plenos ſabulo, & pulcherrimos ab extra. vnus præceſſit cum muliere, & ſeruo Alij nouem ſequebantur à longe: & dixit mulier illi qui negauerat depoſitum, quod quidam magnus diues de conſilio ſuo volebat bonæ fidei eius, illos committere decem cophinos, plenos pecunia; cui occurrit, & perpendens eum cui negauerat depoſitum ait: A amice, nimis diu dimiſiſti pecuniam tuam apud me: qui cum recepiſſet cophinos, & pecuniam, receſſit.

Exemplum. ITEM idem dicit, quod cum quidam iuuenis haberet domum iuxta diuitem quendã, nec vellet ei vendere pro volũtate ſua, diues precio dato poſuit in ea decẽ tonellos: quorum quinquè pleni erant oleo: alij quinque ſemipleni oleo: & alia pars erat plena aqua. deinde accuſauit iuuenem coram iudice de fraude & oleo furato: qui per conſilium cuiuſdam Philoſophi, qui dicebatur auxilium miſerorum, liberatur: dum docuit iudicem, quòd faceret fæces menſurari, quia fæces reſponderent oleo. Idem Philoſophus ait. *Non emas domum antequam cognoſcas vicinum: & ſi eſt tibi malus, etiam emptam vende; quia qui habet malum vicinum, habet malum matutinum:* vt patet in prædicto exemplo.

Exemplum. ITEM is qui ſupra dixit, quod quidam diues habens ſaccum plenum aureis, amiſit, in quo erat ſerpens aureus; & cum faceret clamari à præcone, quod qui redderet amiſſum, inde haberet decem aureos: pauper qui eam pecuniam inuenerat, inuita vxore reddidit eam. diues autem dolens pro decem aureis quos pauper habebat, accuſauit pauperem coram iudice dicens, quod in dicto ſacco, erant duo ſerpentes aurei. ad hoc conſultus Philoſophus dixit: diues probus homo videtur, & videtur quod non debeat mentiri: pauper qui cum poſſet retinere, reddidit; videtur fidelis, & veridicus; ſed tamen ſecundum dictum diuitis, non eſt iſte ſaccus ſuus retine ergo hunc, & fac clamari, quod qui inuenerit ſaccum, in quo ſunt duo ſerpentes aurei, reddat diuiti: & iſtum reddes, cum inueneris cuius eſſe debeat. Quod audiens diues, detexit dolum ſuum.

Exemplum. ITEM ad idem facit exemplum, de duobus ſapientibus, & tertio ſimplici; qui volentes ſe decipere, ſic decepit. Cum irent per deſertum, & non haberent niſi modicam farinam, duo eorum aſtuti condixerunt, quomodo deciperẽt tertium, qui ſimplex videbatur: & dixerunt quod de farina facerent libum: & cum coqueretur in igne, dixerunt duo, tertio; quod dormirent, & qui mirabiliùs ſomniaret, panem comederet ſupra dictum. Tunc ſimplex fingebat ſe dormire ſtertendo. & alij duo dixerunt adinuicem: tu dices quod ſomniaſti te moriturum, & quod Angeli portarent te in Paradiſum: & ego quod eram mortuus, & Dæmones volebant me portare in infernum. Alius poſt attendens, quod duo dormirent, ſurrexit & comedit libum. duo excitati dixerunt adinuicẽ, quod ſic ſomniauerant, excitantes tertium quęrunt ſomnium eius. Ego ſomniaui ait, quod te mortuum, Angeli ferrẽt in Paradiſum; dæmones, te in infernum: ideo ſurrexi, & libum comedi.

OCTAVO, famam lædit, & virtutes & bona opera occidit. Eccl. 47. Poſtquam in multis mirabiliter commendatus eſt Salomon de eo ſubditur. *Incurvaſti femora tua mulieribus, dediſti maculam in gloria tua.* Ideo Iacob, Eſau dicenti, Gen. 23. *Gradiamur ſimul, ego ero ſocius itineris tui:* Dixit, quod ſi iret cum eo, *morerentur vna die, cuncti greges & paruuli ſimul.*

Exemplum. NONO, à Deo diuidit. Ioſue 10. *Non ero vltra vobiſcum,* ſcilicet quandiu Amorręus eſſet cum eis. Item in vitis patrum legitur, quod quidam petens locum ſolitudinis, & rogans dominum vt oſtenderet ſibi locum aptum, vidit Aquilam, quam ſequitur quaſi Angelum ſibi miſſum: præcedit eum vſque ad locum in quo erat palma, & fons in pede. in quo loco manſit pluribus annis orationi inſtans, de fructibus palmæ comedens, & de folijs ſe veſtiens. tunc diabolus in forma curſoris accedens, cæpit eum admirando inſpicere, dicens: quòd eum quæſierat per eremum multo tempore, quia pater ſuus mortuus erat in ſęculo; & hæreditas ei competebat; pro qua multi parati erant pugnare; qui ei acquieſcens, eum ſecutus eſt, cum ea intentione vt reſtribueret, & poſt rediret. Quo cum veniret diabolus diſparuit, & ille parentes viuos inuenit: &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

societate illorum illectus, ibi remanens, & multis flagitijs se immiscens; in eis miserabiliter mortuus est.

DECIMO Deum offendit. Psal. 25. odiui Ecclesiam malignantium 2. Paral. 19. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris & idcirco iram Domini meberis, &c.*

VNDECIMO, lites, & iurgia nutrit. Gen. 13. *Facta est rixa, &c.* Prouerb. 13. *Inter superbos semper iurgia sunt.*

DVODECIMO, in malum succendit. Psalm. 105. *Ignis exarsit in synagoga eorum.* Eccl. 10. *A modica scintilla augetur ignis.* Iob 30. *Frater fui draconum qui sunt flammiuomi.*

TERTIODECIMO, in periculo inuoluit. Gen. 18. *Surge exi de sodomis.* & subditur. *ne pereas in scelere, &c.* Perierunt generi Loth qui exire noluerunt, sicut ibidem dicitur. Numeri 16. *Discedite à Tabernaculis eorum.* similiter 1. Regum 15.

QVARTODECIMO, ad mortem temporalem adducit. Seneca. *Alter alterum tradimus in mortem.* Philosophus. *Non est transeundum per sedem gentis iniquæ.* Dicit Petrus Alfonsi, quod duo clerici euntes per ciuitatem, audierunt dulcissime cantantes in taberna cum fistulis, inuitantes eos ad potum. tunc vnus dixit alteri, dicit Philosophus. *Non est transeundum per sedem gentis iniquæ;* non ibo ad eos. & his dictis secessit. Inde alius illectus tam dulcedine cantus, quàm auiditate potus, cum declinasset ad eos, venit præpositus cuiusdam villæ, in qua fecerant homicidium: & cœpit omnes & suspendit, & clericum illum cum illis. tunc cum suspenderentur, moto experimento suo & tarde, video inquit clericus quòd fatuus est qui non credit sapienti, de vitando consortio prauorum.

Exemplum.

QVINTODECIMO, in infernum comburit. Matth. 14. *Colligite zizania, & ligate in fasciculos ad comburendum.* Eccl. 21. *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum ignis.* vnus titio in igne comburit alium, sic vnus malus hic, alium; & in futuro, cum alio comburetur.

7. Peruersitas damonum.

SEPTIMO, timenda est Dæmonum impietas, qui summè timendi sunt multis de causis, videlicet propter localem propinquitatem, propinquitatis inuisibilitatem, voluntatis malignitatem, intentionis peruersitatem, actionum crudelitatem, crudelitatis insatiabilitatem, potestatis impietatem, impietatis immensitatem, subtilitatem naturæ, antiquitatem experientiæ, sagacitatem fallaciæ, studiositatem maliciæ, præsumptionem audaciæ, procacitatem impudentiæ, multiplicitatem obtentæ victoriæ, auiditatem nocendi, varietatem fallendi, assiduitatem tentandi, impossibilitatem placandi, & deformitatis horrorem.

Damones timendi propter multa.

DE eorum crudelitate spiritualiter dicitur Iob 16. *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis, &c.* Et plus. *In manibus impij tradidit me, &c.* Prouerb. 5. *Ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli.* Isaiæ 19. *Tradam Ægyptum in manibus impiorum dominorum crudelium.* Hieron. 6. *Crudelis est, & non miserebitur.* Ideo crudelis est iustis, crudelior suis, crudelis sibijpsi. Quod crudelis sit iustis, patet in flagello. Iob 2. *percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis &c.* Ita in flagello Antonij, quem in principio suæ conuersionis, verberauerunt dæmones ad mortem. Item crudelior est suis, in inferno eos deuorando. Hierem. 15. In persona damnati, *comedit me, deuorauit me, absorbuit me, sicut draco repleuit teneritudine mea, ventrem suum.* Et

Exemplum.

Dialog. 40. exemplum de Monacho guloso, qui videbatur valde religiosus & abstinens, sed comedebat in occulto, qui in fine hoc clamauit, quòd diabolus absorberet animam eius vt draco, & quòd pedes eius, & genua iam ligauerat, & animam eius absorbebat, os suum habens in ore suo; hæc dicens, mortuus est.

DE eorum potestate Iob 40. *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari &c.* Eccles. 39. *Sunt spiritus ad vindictam creati, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit eos.* Ioëlis 1. *Dentes eius vt dentes leonum,* si sic contra Deum sortis fuit, eum in cruce occidendo. Hier. 46. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt;* quantomagis contra homines prœualebit? Item Abac. 1. *ipse de regibus triumphauit, & super omnem munitionem ridebit.*

DE multiplici arte nocendi, vel tentandi. 1. Pet. 5. *aduersarius vester diabolus, &c.* Legitur in vita beati Marcialis, quod cum quidam sanctus adiurans dæmonem, qui mirabiliter affligebat quendam arreptum, diceret quomodo vocaretur, dixit quod mille artifex, eo quòd haberet infinitos modos fallendi & nocendi. Iob 20. *Pluet super eos bellum &c.* Ideo in Apocal. 12. Draco dicitur habere *septem capita & decem cornua.* Ideo in vitis patrum sub specie diuersarum ferarum, beato Antonio apparebat; vnde aliquando fingebat diabolus, Leonum rugitus, aliquando sibilos serpentum, vt sic eum ab eremo fugaret. Item Dial. 4. Dicitur, quòd cum Datius Mediol. Episcopus Corinthum aduenisset, intrauit domum, quam multis annis dæmones inhabitantes, inhabitabilem reddiderant; & cum vellet ibi de nocte quiescere, cœpit audire magnis clamoribus rugitus leonum, balatus pecorum, sibilos serpentum, rugitus asinorum, porcorum, & soricum huiusmodi; tunc episcopus ait: *Bene tibi contigit miser, tu es ille qui dixisti, ascendam supra altitudinem nubium,* apud Ioan. *Ero similis altissimo; ecce per superbiam tuam, bis bestijs similis factus es:* ad hęc quasi erubescens diabolus recessit.

Exemplum.

DE deformitate eorum horribili dicitur Iob 20. *vadent & venient super eos horribiles.* Sap. 11. *Potens eras mittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas, &c.* post *quarum non solum læsura poterat eos exterminare, sed aspectus per timorem occidere.* Quidam sanctus in vitis patrum dicebat; puto quòd si quis videret dęmones in illa deformitate in qua vident eos damnati, non posset viuere. Naum. 2. *Aspectus eorum quasi lampades, & quasi fulgura discurrentia, &c.* Igitur secundum quod in passione beati Bartholomæi legitur, quòd Angelus volens ostendere diabolum illis quibus beatus Bartholomæus prędicauerat, pręcepit eis in frontibus fieri signum crucis; & tunc ostendit eis ingentem maurum nigriorem fuligine, facie acuta, barba prolixa, crinibus vsque ad pedes protensis, de oculis igneis scintillas emittentem, ex ore & naribus sulphureum ignem spirantem, iunctis retro manibus.

Exemplum.

ITEM Greg. Dial. 40. dicit de Crisaurio, quòd cum infirmaretur, vidit multitudinem dęmonum horribilium: & cum clamaret inducias, vel vsque mane; & se huc illucque verteret, ne eos videret, nec posset eos non videre, in terrore illo mortuus est. Item beatus Sebastianus ait in eius legenda, peccator à morte perpetua capietur & tenebitur, in qua est iugis flāma, perseuerans tribulatio, & pœna perpetua: hic atroces Angeli commorantur, quorum brachia capita draconum sunt, quorum oculi ex se igneas sagittas iaculant, quorum dentes sicut elephantis, prominent & stimulant ad tormentum, velut cauda scorpionum; quorum voces vt leonum fremitus sonant, quorum aspectus tremorem inducit, ac pariter dolorem & mortem; ad hoc ibi viuitur, vt vita cruciatibus exponatur, & ad hoc vita reintegratur, vt serpentum morsibus membra, iteratis subinde & reparatis, postea attrectentur.

De causa timoris.

DISTINCTIO XXVIII.

DEINDE considerandum est de causa timoris. Et circa hoc considerandа sunt duo. Primo vtrum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

causa timoris sit amor. Secundo vtrum causa timoris sit defectus. A

CIRCA primũ scil. *vtrũ causa timoris sit amor.* sciendum, quòd obiecta passionum animæ se habent ad eas, tanquam formæ ad res naturales, vel artificiales; quia passiones animæ speciem recipiunt ab obiectis, sicut res prædictæ à suis formis. Sicut igitur quicquid est causa formæ, est causa rei constitutæ per ipsam: ita etiam quicquid, & quocunque modo, est causa obiecti, est causa passionis. Contingit autem aliquid esse causam obiecti, vel per modum causæ efficientis, vel per modum dispositionis materialis: sicut obiectum delectationis est bonum apparens conueniens coniunctum, cuius causa efficiens est illud quod facit coniunctionem, vel quod facit conuenientiam vel B bonitatem, vel apparentiam huius boni. Causa autem per modum dispositionis naturalis, est habitus vel quæcunque dispositio, secundum quam fit alicui conueniens, aut apparens, illud bonum quod est ei coniunctum. Sic igitur in proposito obiectum timoris est æstimatum malum futurum propinquum, cui resisti de facili non potest; & ideo illud quod potest inferre tale malum, est causa effectiua obiecti timoris, & per consequens ipsius timoris, illud autem per quod aliquis ita disponitur vt aliquid fit ei tale, est causa timoris & obiecti eius, per modum dispositionis materialis, & hoc modo amor est causa timoris. Ex hoc enim quod aliquis amat aliquod bonum, sequitur quod priuatiuum talis boni sit ei malum, & per consequens quòd timeat ipsum tanquam malum; timor enim C per se & primo, respicit ad malum quod refugit, quod opponitur alicui bono amato, & sic per se timor nascitur ex amore, vnde dicit August. in lib. 83. quæstion. *nulli dubium est, non aliam esse metuendi causam, quam ne illud quod amamus, aut amittamus adeptum, aut non adipiscamur, speratum.* Secundario, timor respicit ad illud, per quod prouenit tale malum, & sic quandoque per accidens inducit timor amorem, inquantum scilicet homo qui puniri timet à Deo, seruat eius mandata; & ex obseruantia mandatorum incipit sperare, & spes inducit amorem: & hoc est quod dicit August. super 1. canon. Io. *Quod sicut seta introducit filum, sic timor introducit amorem; hoc tamen est per accidens vt dictum est.*

Quo pacto amor sit causa timoris.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum defectus sit causa timoris*: dicendum quod sicut dictum est, duplex causa timoris accipi potest. Vna per modum dispositionis materialis ex parte eius qui timet, alia per modum causæ efficientis ex parte eius qui timetur. Quantum igitur ad primum, defectus per se loquendo est causa timoris; ex aliquo enim defectu virtutis contingit, quod non possit repellere imminens malum. sicut enim diuitiæ temporales; & robur corporis; multitudo amicorum, & potestas, & huiusmodi; excludunt timorem, sicut dicitur in secundo Rethoric. sic ex defectu istorum causatur timor: sed ad causandum timorem requiritur defectus cum aliqua mensura: minor est enim defectus, qui causat timorem futuri mali, quam defectus consequens malum præsens, de quo E est tristitia: & adhuc esset maior defectus, si totaliter sensus mali auferretur, vel amor boni, cuius contrarium timetur. Quantum vero ad secundum, virtutis robur per se loquendo est causa timoris: ex hoc enim, quòd aliquid quod apprehenditur vt nociuum, est virtuosum; contingit quòd eius effectus repelli non potest. contingit tamen per accidens, quòd aliquis defectus ex ista parte causat timorem, inquantum ex aliquo defectu contingit, quod aliquis velit nocumentum inferre: puta propter iniustitiam, vel quando ante læsus fuit, vel quia timet se lædi.

Defectus quomodo causa timoris.

De effectu timoris.

DISTINCTIO XXIX.

DEINDE considerandum est de effectu timoris. Sciendum est autem, quòd timor sexdecim effectus habet in anima. Primo namque discutit conscientiam: sicut homo timens ne latrones sint in domo, disquirit & scrutatur omnia latibula, ne ipsum spolient vel iugulent dormientem: sicut obsessi in castro vndique circumeuntes inspiciunt, ne subintrare possint aduersarij, & ipsos dum non aduertunt, occidant: sicut præsidens in Monasterio omnes officinas visitando, circuit omni sero, ne quid contra religionis honestatem fiat ibi. sic homo Deum timens redit ad cor suum, ne quid in eo lateat, quod oculos diuinę maiestatis offendat. Ideo dicitur Eccl. 21. *Qui timet Deum conuertitur ad cor suum.* & eiusdem, primo. *timor domini scientiæ religiositas.*

Sexdecim timoris effectus.

1. *Discutit cõscientiam.*

SECVNDO timor inducit pœnitentiam, sicut patet de Niniuitis Ionæ 2. Qui ad prædicationem Ionæ *timuerunt & pœnitentiam egerunt.* Et de Paulo Actuum 9. *Qui tremens ac stupens, ait; domine quid me vis facere?* Et de Gabaonitis Iosue 9. Qui audientes cuncta, quę fecerat Iosue, &c. *callide cogitantes tulerunt sibi cibaria,* & omnia quæ pertinent ad veros pœnitentes; & subditur. *T'smuimus enim valde, & prouidimus animabus nostris.* Ista pœnitentia delet peccatum Eccl. 1. *Timor domini expellit peccatum.* Ibidem. *Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Item Eccl. 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda sua: & in conspectu illius sanctificabũt animas suas.* Dicunt Philosophi, quod ceruus in angustia positus & timore, inter canes & spicula venatorum, non habens effugium, recurrit ad lachrymas, quas abundanter emittit.

2. *Inducit pœnitentiam.*

Simile.

TERTIO timor inducit vigilantiam, ne scilicet homo recidiuum patiatur. Prouerb. 14. *Timor domini fons vitæ,* in quo scilicet vita gratiæ conseruatur, peccatum abluitur, anima renouatur, feruor fomitis refrigeratur, vt declinet à ruina mortis, spiritualis videlicet, & æternæ. Item Prouerb. 15. *Per timorem Domini, declinat omnis à malo culpæ, & pœnæ.* auis semel capta si potest euadere, diligentius timet laqueos; ceruus, canes; lupus pedicam; & homo per incuriam suam infirmitatem incurrens, postquam conualuit, vigilantius cauet sibi. Ideo Prouerb. 8. *Timor domini odit malum,* vnde de Iob qui interpretatur dolens dicitur Iob 1. *Erat timens Deum, & recedens à malo.* & Exod. 20. dixit Moyses filijs Israël, *venit Deus vt terror eius esset in vobis, & non peccaretis.* Exemplum in Dialog. 40. De Theodoro, qui cum in regione, necessitate compulsus, secutus esset fratrem suum, iuramento firmabat, quòd nunquam assumeret habitum; sed dissolute viuens infirmitate arripitur: in extremis laborans, clamauit fratribus præsentibus, & orantibus: recedite, quia datus sum Draconi ad deuorandum, qui iam me absorbet, sed impeditur orationibus vestris: qui cum magis orarent, clamauit, Deo gratias, quia vestris orationibus liberatus sum; & ex hoc vitam suam emendauit.

3. *Inducit vigilantiam.*

Exemplum.

QVARTO excludit extollentiam. Exemplum de Rege Niniue, qui audita comminatione de subuersione ciuitatis, *deposuit vestimenta Regia, surrexit de solio, indutus est sacco, &c.* Item de Acham 3. Regum 21. *Cum audisset Acham comminationem domini scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauit & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* similiter Luc. 24. *Mulieres cum timerent ad sepulchrum, declinauerunt vultus suos in terram.* & Gen. 18. *Cum audiret Abraham comminationem Dei contra Sodomam ait: loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Quomodo pauo circumspiciens eleuationem caudæ, superbit de pulchritudine rotæ, videns autem turpitudinem pedum dimittit eam, & horribiliter clamat; sic homo respiciens finẽ suum humiliatur.

4. *Excludit extollentiam.*

Simile.

QVINTO timor præstat in tentatione resistentiam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

5. Præstat in tentatione resistentiam.

Eccl. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Nota qui timet & amat dominum suum legitimum, si ab eius aduersario tentatur de damno, de dehonoratione, vel proditione, domino suo facienda, non ei consentit, sicut patet in exemplo de Ioseph, qui tentatus ab Ægyptia, noluit assentire. Genes. 39. Vnde Christus tentatus à Dæmone, Matth. 4. respondit: *Scriptum est, Dominum Deum tuum timebis &c.* & merito qui tentatur timere debet, quia sicut dicitur Eccles. 33. *Timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malo.*

6. Dat in afflictione sustinentiam.

SEXTO timor Dei dat in afflictione sustinentiam, quia sicut dixit Gregorius. *Timor Domini, in via Domini operatur fortitudinem, in via sæculi debilitatem*; nec mirum, quia sicut ait Psalmus 24. *firmamentum est Dominus timentibus eum.* & Eccles. 34. *Qui timet Deum nihil trepidabit, & non timebit, quoniam ipse est spes eius &c.* Sequitur. *Oculi Domini super timentes eum: protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Ideo dicebat Psal. 117. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Idem 22. *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

7. Facit in oratione clamoris vehementiam.

SEPTIMO, timor Dei facit in oratione clamoris vehementiam. Solent enim homines clamare, quando timent periculum. Matth. 15. *Discipuli timentes præ timore clamauerunt.* Hieron. *Incerta vox, & confusus clamor, magni timoris est indicium.* & Matth. 14. *Cœpit Petrus ambulare super aquas vt veniret ad Iesum, videns vero ventum validum venientem timuit, & cum cœpisset mergi clamauit dicens; Domine saluum me fac.* Psalm. 5. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo* Psalm. 144. *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, &c.*

8. Dat confidentiam.

OCTAVO, timor Dei dat de Dei condescensione confidentiam. Quia sicut timor sæculi generat diffidentiam, ita timor Dei, confidentiam. Prouerb. 14. *Timor Domini fiducia fortitudinis.* Psalm. 149. *beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Et bene Psalm. ista duo coniungit, spem videlicet & timorem: quia nec timor sine spe, nec spes esse debet in homine sine timore: ne timor in desperationem deijciat, nec spes sine timore, in præsumptionem extollat, vnde Deuter. 24. *Non accipies loco pignoris, inferiorem & superiorem molam.* Mola inferior est timor: Mola superior est spes, quarum neutra debet homo carere. In figuram huius dicitur Genes. 49. *De benedictionibus cœli desuper, & abyssi iacentis deorsum, erit benedictio tua.* In *benedictionibus cœli* figuratur spes cœlestium, quæ est de cœlestibus bonis: In *benedictionibus abyssi*, figuratur timor qui surgit ex pœnis inferni: inter ista duo debet esse semper vita iusti, vt semper habeat præ oculis gaudia cœli de quibus speret, & pœnas inferni quas timeat: cuius figuram Abraham gerit, de quo legitur Genes. 12. *quòd tetendit tabernaculum suum habens ab occidente Bethel, & ab oriente Hay.* id est, in aduersis debet habere spem quæ est de gaudijs Paradisi, qui figitur in Bethel, quod interpretatur domus, vel habitaculum Dei: In prosperis autem, debet habere timorem peccatorum suorum, vel futuri iudicij, vel tormentorum inferni: quod figuratur in hoc nomine Hay, interpretatur enim vita vallium, quæ est vita sordium, vita peccatorum, vel quæstio vitæ, quæ erit in iudicio, vbi totius vitæ ratio exigetur; vel interpretatur abyssus, in quo notatur timor inferni.

9. Facit in operatione diligentiam.

NONO, timor Dei facit in operatione diligentiam; timor enim solicitat, sicut patet; timentes inopiam solliciti sunt acquirere, timentes sua amittere, solliciti sunt ea custodire; timentes mortem, sollicitè cauent quæ possunt mortem inducere: sic homo timens Deum, sollicitus est quomodo Deo placeat, & quid agere debeat, vnde Iob 9. *Considerans cum timore sollicito.* Eccles. 8. *Qui timet Deum nihil negligit*, ideo dicebat Rex Iosaphat 2. Paral. 20. *sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Sequitur. *Agetis in timore Domini fideliter in corde perfecto.* Eccles. 1. *Qui timent Dominum custodiunt mandata illius, &c.* 15. *Qui timet Deum faciet bona.* & Eccl. 2. *Qui timent Dominum inquirunt, quæ beneplacita sunt illi.*

10. Inducit sapientiam.

DECIMO, timor Dei inducit sapientiam. Eccles. 1. & Prouerb. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*, & Eccl. 1. *Radix sapientiæ timere Deum*, nec solum radix, immo etiam plenitudo, sicut dicitur Eccles. 1. *plenitudo sapientiæ timere Deum.* Insuper Iob 38. *timor Domini ipse est sapientia.*

11. Facit virtutum obseruantiam.

VNDECIMO, timor Dei facit virtutum obseruantiam: custodit enim hominem & omnia bona eius. Psalmus 33. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium est.* Eccles. 1. *Timor Domini scientiæ religiositas*; religiositas custodiet & iustificabit cor, & 15. *Timor Domini super omnia se supponit*, videlicet sicut bonus custos. Vnde Bernard. super Can. *in veritate comperi nihil esse ita efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quam si coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere.* vnde de Iob dixit diabolus. Iob 1. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, & omnem substantiam eius?*

12. Dat bonorũ abundãtiam

DVODECIMO, timor Dei dat bonorum omnium abundantiam. Ideo Psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum,* & Tob. 4. *Habebis multa bona si timueris Deum.*

13. Facit interdum culpæ & pœnæ indulgentiam.

TERTIODECIMO, timor Dei facit interdum, & culpæ, & pœnæ indulgentiam. Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se.* Iob 41. *territi purgabuntur*, vnde 4. dial. 48. dicit Gregor. quod *aliquando sancti timent in morte, vt pauor ille purget si aliquid est in eis purgandum:* & ponit inde duo exempla. Vnum est exemplum de quodam sancto, qui mirabiliter in morte timuit: qui post apparuit cuidam in stola splendidissima, & respondit quærenti quare sic timuerat, quod pauor ille omnino eum purgauerat. Item aliud subiungit de fratre Antonio qui secum in eodem monasterio morabatur, qui in scripturis quotidie meditans, non verba scientiæ, sed compunctionis, & deuotionis lacrymas, quærebat in eis, quibus affluebat iugiter: cui dictum est per nocturnam visionem: paratus esto, quia dominus iussit te migrare, cumque ille, non habere se sumptus ad migrandum diceret: Responsum est ei: si de peccatis tuis agitur dimissa sunt, veni. Quod dum semel audisset, & adhuc magno metu trepidaret, nocte alia eisdem verbis est admonitus, & quinta die post febre correptus, coram fratribus flentibus, & orantibus, emigrauit. Item de Beato Bernardo dicitur, quod in exitu mirabiliter timuit. Item timor pœnam euadit nè infligatur. 3. Regum 21. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me; non inducam malum hoc in diebus eius, & Isa. 38. de Ezechia sanato, & 4. Regum 22. Cum ostenderet dominus mala, quæ inferre volebat habitantibus in Hierusalem, subiunxit, *pro eo quod perterritum est cor tuum &c. non videbunt oculi tui mala, quæ inducturus sum, &c.* Item Exod. 39. *Qui timuerunt Deum de seruis Pharaonis, non sunt læsi à plaga grandinis.* Item timor à pœna iam inflicta liberat ne sentiatur, vnde tres pueri qui timore domini noluerunt idolum adorare, sunt ab ignis incendio liberati Dan. 3. Item Daniel de dentibus Leonum Dan. 6. & 14. Item Susanna à falso testimonio, & a morte Dan. 15. Item Gen. 20. Post quam comminatus est dominus mortem Abimelech & seruis eius, pro vxore Abrahæ quam abstulerat, timuerunt valde, & reddidit eis Dominus sanitatem, & fœcunditatem ablatam.

14. Dat delectationis affluentiam.

QVARTODECIMO, timor Dei dat delectationis affluentiam. Eccleſiast. 5. *Timor Domini dabit delectationem cordis, & gaudium, & lætitiam.* Psalmus 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti*

Exemplum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

abscondisti timentibus te, &c. Eccleſiaſt. 27. *Timor Domini quaſi paradiſus in benedictionibus.*

15. *Præbet Deo reuerentiam.*

QVINTODECIMO, timor Dei præbet Deo reuerentiam. vnde Luc. 7. Viſa mortui ſuſcitatione *accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* Luc. 23. videns centurio, quæ fiebant, *glorificauit Deum*, & actuum 19. *cecidit timor ſuper omnes, &c.* Item Matth. 17. Tres diſcipuli videntes gloriam Domini transfigurati, *timuerunt valde, & ceciderunt in terram, &c.* Item Apocal. 1. *Ioannes cecidit quaſi mortuus ante pedes filij hominis.* Item Daniel viſo Gabriele *corruit* Dan. 8. & 10.

16. *Meretur vitã æternam.*

SEXTODECIMO, timor Dei meretur æternam gloriam, ſicut ait Pſalmus 60. *Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.* Eccleſ. 14. *Timentis Deum, beata erit anima eius.* Ideo dicit Pſalmus 127. *Beati omnes qui timent Dominum.*

De audacia.

DISTINCTIO XXX.

DEINDE conſiderandum eſt de audacia. Et circa hoc conſideranda ſunt quinque. Primo vtrum audacia ſit contraria timori. Secundo quomodo audaciã ſe habeat ad ſpem. Tertio de cauſa audaciæ. Quarto de effectu eius. Quinto de ſpeciebus, vel differentijs ipſius.

Audacia cõtrariatur timori.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum audacia ſit contraria timori*: dicendum, quòd de ratione contrariorum eſt, quòd maximè à ſe diſtent, vt dicitur in 10. Meth. illud autem quod maximè diſtat à timore, eſt audacia: timor enim refugit nocumentum futurum, propter eius victoriam ſuper ipſum timentem, ſed audacia aggreditur periculum imminens, propter victoriam ſui, ſuper ipſum periculum. vnde manifeſtè timori contrariatur audacia.

Audacia cõſequitur ad ſpem.

AD SECVNDVM, ſcilicet *quomodo audacia ſe habeat ad ſpem*: dicendum, quòd ſicut iam pluries dictum eſt, Omnes huiuſmodi animæ paſſiones ad appetitiuam potentiam pertinent, & omnis motus appetitiuæ potentiæ, reducitur ad proſecutionem vel fugam: Proſecutio autem, vel fuga, eſt alicuius per ſe, & per accidens: per ſe quidem eſt proſecutio boni, fuga vero mali: per accidens autem, poteſt eſſe proſecutio mali, propter aliquod bonum adiunctum; Quod autem eſt per accidens ſequitur ad id quod eſt per ſe: & ideo proſecutio mali, ſequitur proſequutionem boni; ſicut & fuga boni, ſequitur fugam mali. Hæc autem quatuor pertinent ad quatuor paſſiones: nam perſecutio boni pertinet ad ſpem; fuga autem mali ad timorem: Inſecutio mali terribilis, pertinet ad audaciam; fuga autem boni, pertinet ad deſperationem. vnde ſequitur, quòd audacia conſequatur ad ſpem. Ex hoc enim, quod aliquis ſperat ſuperare terribile imminens, ex hoc audacter inſequitur ipſum; ad timorem vero ſequitur deſperatio. Ideo enim aliquis deſperat, quia timet difficultatem, quæ circa bonum ſperandum eſt.

Audacia bifariam cauſatur ex ſpe & timoris exciuſione.

AD TERTIVM, ſcilicet *de cauſa audaciæ*: dicendum, quod ſicut dictum eſt, audacia conſequitur ſpem, & contrariatur timori: vnde quæcumque ſunt nata cauſare ſpem, vel excludere timorem, ſunt cauſa audaciæ: quia vero timor, & ſpes, & etiam audacia, cum ſint paſſiones quędam, conſiſtunt in motu appetitus, & in quadam tranſmutatione corporali; Dupliciter poteſt accipi cauſa audaciæ, ſiue quantum ad prouocationem ſpei, ſiue quantum ad excluſionem timoris: Vno quidem modo, ex parte appetitiui motus: alio modo ex parte tranſmutationis corporalis. Ex parte quidem appetitiui motus qui ſequitur apprehenſionem, prouocatur ſpes cauſans audaciam per ea, quæ faciunt æſtimare, quòd poſſibile eſt adipiſci victoriam: vel ſecundum propriam potentiam, ſicut fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, & alia huiuſmodi: ſiue per potentiam aliorum, ſicut multitudo amicorum, vel quorumcumque auxiliantium, & præcipuè ſi homo confidat de auxilio diuino. Vnde illi qui ſe habent bene ad diuina, audaciores ſunt: vt etiam Philoſophus dicit in ſecundo Rhetoricæ. Timor autem excluditur ſecundum iſtum modum, per remotionem terribilium appropinquantium: puta, quia homo non habet inimicos, quia nulli nocuit, quia non videt aliquod periculum imminere. Illis enim videntur maximè pericula imminere, qui alijs nocuerunt. Et parte vero tranſmutationis corporalis cauſatur audacia per prouocationem ſpei, & excluſionem timoris, ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor. vnde Philoſophus dicit in libro de partibus animalium, quod illi qui habent paruum cor ſecundum quantitatem, ſunt magis audaces: & animalia habentia magnum cor ſecundum quantitatem, ſunt timida; quia calor naturalis non tantum poteſt calefacere magnum cor, ſicut paruum: ſicut ignis non poteſt tantum calefacere magnam domum, ſicut paruam, & in libro de problematibus dicit, quod habentes pulmonem ſanguineum, ſunt audaciores, propter caliditatem cordis exinde conſequentem, & ibidem dicit, quod vini amatores magis ſunt audaces, propter caliditatem vini. vnde & ſupra dictum eſt, quod ebrietas facit ad bonitatem ſpei: caliditas enim cordis repellit timorem, & cauſat ſpem propter cordis extenſionem, & amplificationem.

Quihabent paruum cor ſunt magis audaces.

AD QVARTVM, ſcilicet *de effectu audaciæ*: dicendum, quod audacia cum ſit quidam motus appetitus ſenſitiui, ſequitur apprehenſionem ſenſitiuæ virtutis. Virtus autem ſenſitiua non eſt collatiua, nec inquiſitiua ſingulorum, quæ circumſtant rem, ſed ſubitum habet iudicium, contingit autem quandoque, quod ſecundum ſubitam apprehenſionem, non poſſunt cognoſci omnia, quæ difficultatem in aliquo negocio afferunt: vnde ſurgit audaciæ motus ad aggrediendum periculum. Vnde quando iam experiuntur ipſum periculum, ſentiunt maiorem difficultatem quam æſtimauerunt, & ideo deficiunt: ſed ratio eſt diſcuſſiua omnium, quæ afferunt difficultatem negocio: & ideo fortes qui ex iudicio rationis aggrediuntur pericula, in principio videntur remiſſi, quia non paſſi, ſed cum deliberatione debita aggrediuntur: quando autem ſunt in ipſis periculis, non experiuntur aliquid improuiſum, ſed quandoque minora illis, quæ præcogitauerunt; & ideo magis perſiſtunt: vel etiam quia propter bonum virtutis pericula aggrediuntur, cuius boni voluntas in eis perſeuerat, quantacumque ſint pericula: audaces enim ſunt, propter ſolam æſtimationem, facientem ſpem, & excludentem timorem, ſicut dictum eſt.

Audacia præueniens iudicium rationis, eſt remiſſa in opere.

AD QVINTVM, ſcilicet *de differentijs audaciæ*: dicendum quòd, quædam eſt audacia aſſumenda, & quędam deteſtanda. Audacia aſſumenda eſt, in debellando hoſtes per potentiam, ſicut ſcriptum eſt 2. Paral. 17. de rege Ioſaphat, & aduerte quàm prudenter & ordinate ſumpſit audaciam. Primo enim ſumens audaciam in ardua ſanctitatis opera, faciendo; ſumpſit audaciam exterminandi mala, & malos de regno ſuo; & poſtmodum inferendi bona; & tandem adeo factus eſt audax contra hoſtes, vt nullus rebellare præſumeret contra eum, dicitur enim ibi: *conſtituit militum numeros in cunctis vrbibus &c.* Sequitur: *Ambulauit Ioſaphat in vijs Dauid patris ſuis, & ſperauit in Deo patris ſui, & perrexit in præceptis illius.* Sequitur: *Cumque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias domini, etiam excelſa, & lucos abſtulit: miſitque de principibus ſuis qui erudiebant populum. Itaque factus eſt pauor domini ſuper omnia regna terrarum, nec audebant rebellare contra Ioſaphat.* Studeat igitur princeps vitæ bonitatem acquirere, quia propter peccatum principis, legimus aliquando populum corruiſſe 1. Regum vlt. & 2. Reg. vlt. & in multis alijs locis. Secundo de ſola Dei bonitate cõfidere, nõ de meritis ſuis, nec de

sua potestate; sicut faciebant Moyses, Iosue, Dauid, Iosaphat, & alij reges, ante ingressum prælij beneplacitum Domini perquirentes; plus in deuotis precibus, quàm in armatorum multitudine confidentes. Exemplum specialiter habemus. 1. Mac. 4. ait Iudas viris qui secum erant: *Ne timueritis multitudinem eorum: memento te quomodo salui facti sunt patres nostri, & nunc clamemus in cælum.* &c. *Et ceciderunt ex aduersarijs quinque milia.* Et infra dicitur, quod *congregauit Lisias virorum electorũ 60. milia, & equitum quinque milia: Et occurrit eis Iudas cum decẽ milibus viris, & orauit Iudas, & dixit: Benedictus es Domine saluans Israel* &c. Sequitur. *Da illis fortitudinem & tabefac audaciam virtutis eorũ.* Sequitur *& commiserunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lysie quinque milia virorũ: vidẽs autẽ Lysias suorum fugam, & Iudæorum audaciam abijt.* Itẽ assumenda est audacia, puniẽdo malos de regno suo per iustitiam. dicitur enim Ec. 10 *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* sic enim exercenda est iustitia in punitione malorum, vt omnes mali videntes & audientes timeant, & timore saltem pœnæ, si non amore iustitiæ, resipiscant. vnde dicitur Deut. 19. *auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.* Audacia detestanda, deterreri & comprimi habet per iustitiam, de hac dicitur. Iob 12. *abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum.* Greg. *Plerumque mali eo magis superbiunt, quo ab eius largitate etiam contra meritum ditantur, & qui ex bonis perceptis ad meliora proficere debuerunt, donis peiores fiunt.* Sequitur. *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Greg. *Sed quo modo dat Deus quod hi qui prædones sunt nequiter tollunt? Sed sciendum nobis est, quod aliud est quod omnipotens misericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi finit. Nam quod prædones iniuste faciunt, hæc dispensator æquissimus, non nisi iuste fieri permittit, vt & ille qui rapere finitur, cæcatus mente culpam augeat, & ille qui rapinam patitur, in ipso damno rapinæ, pro alia culpa, quam ante perpetrauerat, seriatur.* finaliter, *ille purgatur qui opprimitur, in isto reatus augetur qui opprimit; vt vel de profundo nequitiæ vsque ad pœnitentiam redeat, vel non reuertens, tanto grauius æterna damnatione feriatur, quanto diutius est in sua iniquitate toleratus.*

De ira.

DISTINCTIO XXXI.

DEINDE dicendum est de ira secundũ se. Secundo de causa effectiua. Tertio de effectu eius. Circa primum considerandæ sunt octo. Primo vtrum ira sit passio specialis. Secundo vtrum obiectum iræ, sit bonum vel malum. Tertio vtrum ira sit in concupiscibili. Quarto vtrum ira sit cum ratione. Quinto vtrũ ira sit naturalior quam concupiscentia. Sexto vtrum ira sit grauior quam concupiscentia. Septimo vtrum ira sit solum ad illos ad quos est iustitia. Octauo de speciebus iræ.

AD primum, scilicet *vtrum ira sit passio specialis*; dicendum quod aliquid dicitur generale dupliciter. Vno modo per prædicationem, sicut animal est generale ad omnia animalia. alio modo per causam, sicut sol est causa generalis omnium quæ generãtur in his inferioribus, secundũ Diony. 4. capitulo de di.no. Sicut enim genus continet multas differentias potestate, secundũ similitudinem materiæ; ita causa agens continet multos effectus, secundum virtutẽ actiuam. contingit autẽ aliquem effectum ex concursu diuersarum causarum produci. & quia omnis causa aliquo modo manet in effectu, Potest etiam dici tertio modo, quod effectus ex congregatione multarum causarum productus, habet quandam generalitatem, inquantum continet multas causas quodammodo in actu. Primo ergo modo ira non est passio generalis, sed condiuisa alijs passionibus, vt supra dictum est. Similiter autem nec secundo modo: nõ enim est passionum aliarũ causa; sed per hunc modum potest dici generalis passio, amor; vt patet per Augu. 14. de Ciui. Dei: amor enim est prima radix omnium passionum, vt supra dictum est. Sed tertio modo ira potest dici passio generalis, in quantum ex concursu multarum passionum causatur: non enim insurgit motus iræ nisi propter aliquam tristitiam illatam, & nisi adsit desiderium & spes vlciscendi: quia vt philosophus dicit in secnndo rethoricæ, *Iratus habet spem puniendi.* Appetit enim vindictam vt sibi possibilem: vnde si fuerit multum excellens persona quæ nocumẽtum intulit, non sequitur ira, sed solum tristitia, vt Auic. dicit in libro de anima.

Duo sensu ira dicitur generalis passio.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum obiectum iræ sit malum*: dicendũ quod motus appetitiuę virtutis, sequitur actum virtutis apprehensiuę. Vis autem apprehensiua dupliciter aliquid apprehendit: vno modo per modum incomplexi, vt cum intelligimus quid est homo: alio modo per modum complexi, sicut cum intelligimus album inesse homini: vtroque modo vis appetitiua potest intendere in bonum & malum: per modũ quidem simplicis & incomplexi, cũ appetitus simpliciter inhæret bono, & fugit malum: & tales motus sunt desiderium, spes & delectatio, tristitia, & huiusmodi: per modum autem complexi, sicut cum appetitus fertur in hoc, quod aliquod bonũ vel malũ insit, vel fiat circa alterũ, vt tendendo in hoc, vel refugiendo ab hoc: sicut manifeste apparet in amore, & odio amamus enim aliquẽ, inquantũ volumus ei inesse aliquod bonum: odimus autem aliquem, inquantum volumus ei inesse aliquod malum: & similiter est in ira, quicunque enim irascitur quærit vindictam de aliquo, & sic motus iræ tendit in duo scilicet in ipsam vindictam quam appetit & sperat, sicut quoddam bonum: vnde & de ipsa delectatur: tendit etiã in illum de quo quærit vindictam, sicut contrarium & nociuum, quod pertinet ad rationẽ mali. Est tamen duplex differentia attendenda circa hoc, puta iræ, ad odium, & ad amorẽ. Quarum prima est quod ira semper respicit duo obiecta: amor vero, & odium, quandoque respiciunt vnũ obiectum tantum: Sicut enim dicitur aliquis amare vinum, vel aliquid huiusmodi, aut etiam odire. Secunda est quia vtrumque obiecturum quod respicit amor, est bonum; vult enim amans bonum alicui, tanquam sibi conuenienti: vtrumque vero eorum quæ respiciunt odium, habent rationem mali: vult enim odiens, malum alicui, tanquam cuidam inconuenienti; sed ira respicit vnum obiectum secundum rationem boni, scilicet vindictam quam appetit; & aliud secundũ rationem mali scilicet hominem nociuum de quo vult vindicari, & ideo est passio quodammodo composita ex contrarijs passionibus.

Ira semper respicit duo obiecta, quorum vnum est apparens bonum scilicet vindicta, alterũ malũ, scilicet is cui malum volumus.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum ira sit in vi concupiscibili*: dicendum quod sicut supra dictum est, passiones irascibilis in hoc differunt à passionibus concupiscibilis, quod obiecta passionum concupiscibilis, sunt bonum & malum absolute: obiecta autem passionum irascibilis, sunt bonum & malum, cum quadam eleuatione vel arduitate: dictum est autem quod ira respicit duo obiecta, scilicet vindictam quam appetit, & eũ de quo vindictam quærit, & circa vtrumque quandam arduitatem ira requirit. Non enim insurgit motus iræ, nisi aliqua magnitudine circa vtrumque; quæcunque autem nihil sunt, aut modica valde, nullo digna æstimamus, vt dicit philosophus in 2. Rhetoricæ. vnde manifestum est, quod ira non est in concupiscibili, sed in irascibili.

Ira est in irascibili.

AD QVARTVM, scil. *vtrum ira sit cum ratione*: dicendum quod sicut supra dictum est, ita est appetitus vindictæ, hæc autem collationem importat pœnæ infligẽdæ, ad nocumentum sibi illatum. vnde in 8. Ethic. dicit philosophus, quod *syllogizans, quoniam oportet totalitei oppugnare, irascitur confestim*: conferre enim & syllogizare, rationis est, & ideo ira est quodammodo cum ratione.

Quo sensu ira dicitur cum ratione

AD QVINTVM, scil. *vtrum ira sit naturalior quam con-*

cupiscentia, dicendum quod naturale dicitur id quod
natura causatur, vt patet in secundo Phisic. vnde vtrum
aliqua passio sit magis vel minus naturalis, considerar
non potest, nisi ex sua causa: Causa autem passionis vt
supra dictum est dupliciter accipi potest, vno mo-
do ex parte obiecti, & alio modo ex parte subie-
cti. Si igitur consideretur causa iræ & concupiscen-
tiæ ex parte obiecti, sic concupiscentia, & maxime ci-
borum, & venereorum, naturalior est quam ira; in-
quantum ista sunt magis naturalia, quam vindicta. Si
autem consideretur causa iræ ex parte subiecti; sic
quodammodo ira est naturalior, quam concupiscen-
tia. Potest enim natura alicuius hominis consideri,
vel secundum naturam generis, vel secundum
naturam speciei, vel secundum complexionem propriã
indiuidui: si igitur consideretur natura generis, quæ
est natura huius hominis inquantum est animal; sic
naturalius est concupiscentia, quam ira: quia ex ipsa
natura communi habet homo quandam inclinatio-
nem, ad appetendum ea quæ sunt conseruatiua vi-
tæ, vel secundum speciem, vel secundum indiuiduum.
Ira est homini secundum rationẽ speciei vel indiuidui considerato, naturalior quam concupiscentia, non tamen secundum rationem generis.
Si autem consideremus naturam hominis ex parte
speciei, scilicet inquantum est rationalis; sic ira est ma-
gis naturalis homini, quam concupiscentia, inquan-
tum ira est cum ratione, magis quam concupiscentia.
vnde Philosophus dicit in 4. Ethi. quod *humanius est magis punire, quod pertinet ad iram, quam mansuetum esse*: quia vnumquodque naturaliter insurgit con-
tra contraria & nociua. Si vero consideretur natura
huiusmodi indiuidui secundum propriam complexio-
nem, sic ira naturalior est quam concupiscentia, quia
scilicet habitudinem naturalem ad irascendum quæ
est ex complexione, magis defacili sequitur ira, quam
concupiscentia, vel aliqua alia passio. Est enim homo
dispositus ad irascendum secundum quod habet cho-
lericam complexionem. cholera autem inter alios hu-
mores citius mouetur; assimilatur enim igni, & ideo
magis est in promptu, vt ille qui est dispositus secun-
dum naturalem complexionem ad iram, irascatur,
quam de eo qui est dispositus ad concupiscendum,
quod concupiscat. Et propter hoc philosophus dicit
in 7. Ethi. quod *ira magis traducitur à parentibus in filios, quam concupiscentia.*

Ad sextvm, scilicet *vtrum ira sit grauior quã odium*:
dicendum quod species passionis, & ratio ipsius ex ob-
iecto pensatur, est autem obiectum iræ, & odij, idem
subiecto. Nam sicut odiens appetit malum ei quem
odit; ita iratus ei, contra quẽ irascitur; sed non eadem
ratione: quippe odiens appetit malum inimici, inquan-
tum est malum: Iratus autem appetit malum eius cõ-
tra quem irascitur, non inquantum est malum, sed
inquantum habet quandam rationem boni scil. prout
æstimat illud esse iustum, inquantum est vindicatiuũ.
Vnde supra dictum est, quod odium est per applicatio-
nem mali ad malum. Manifestũ est autem, quod appe-
tere malũ sub ratione iusti, minus habet de ratione ma-
li, quam velle malum alicui simpliciter: velle enim ma-
lũ alicui sub ratione iusti, potest etiã esse secundũ vir-
tutẽ iustitię, si prȩcepto rationis obtemperetur; sed ira
Odium est deterius ira.
in hoc solum deficit, quod non obedit rationis prȩce-
pto, in vlciscendo; vnde manifestum est quod odiũ est
multo deterius & grauius quam ira. Nec obstat quod
quod dicitur Prouer. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*: propter quod in Deo posset ira grauior,
esse, quam odiũ, quod habet quandoque misericordiã;
quia in ira & odio duo possunt considerari scil. ipsum
quod desideratur, & intensio desiderij. Quantũ igitur
ad id quod desideratur, ira magis habet misericordiam
quã odiũ; quia enim odium appetit, malum alterius se-
cundũ se, nulla mensura mali satiatur: Ea enim quȩ se-
cundũ se appetuntur, sine mensura appetuntur, vt Phi-
losophus dicit in primo politicæ, sicut auarus, diuitias.
Vnde dicitur Eccl. 12. *Inimicus si inuenerit tempus, nõ satiabitur sanguine.* sed ira non appetit malũ, nisi sub ratione
iusti vindicatiui, vnde quãdo malũ illatũ excedit men-
surã iustitiæ, secundũ æstimationẽ irascentis, tũc misere-
tur, vnde Philosophus dicit in 2. Rheto. quod *iratus fiant multa miserebitur, odiens autẽ pro nullo.* Quantũ ve-
ro ad intensionem desiderij ira magis excludit miseri-
cordiam quã odium, quia motus irȩ est impetuosior
propter choleræ inflammationem, vnde statim subdi-
tur. *Impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Item diffe-
runt ira & odium in hoc, quod iratus appetit malũ ali-
cuius inquantũ habet rationem iusti vindicatiui, vindi-
cta autem fit per illationẽ pœnæ: Est autem de ratione
pœnæ quod sit contraria voluntati, & quod sit affecti-
ua; & quod pro aliqua culpa inferatur, & ideo iratus
hoc appetit vt ille cui nocumentũ infert, percipiat &
doleat, & quod cognoscat propter iniuriã illatam sibi
hoc prouenire: sed odiẽs de hoc nihil curat, quia appe-
tit malũ alterius inquantũ huiusmodi. Nõ est autẽ ve-
rum quod id de quo quis tristatur sit peius: Iniustitia
enim & imprudentia cũ sint mala, quia tamẽ sunt volũ-
taria, non contristant eos quibus insunt, vt dicit philo-
sophus in secundo rethoricȩ.

Ad septimvm, scil. *vtrum ira sit solum ad illos ad quos est iustitia*: dicendum quod sicut supra dictum est, ira
appetit malum in quantum habet rationem iusti vindi-
catiui, & ideo ad eosdem est ira ad quos est iustitia &
iniustitia: nam inferre vindictam ad iustitiam perti-
net, lædere autem aliquem pertinet ad iniustitiam. Vn-
Ira ad eos propriè pertinet ad quos iustitia & iniustitia.
de tam ex parte causȩ, quæ est lȩsio illata ab alte-
ro; quam etiam ex parte vindictæ, quam appetit iratus;
manifestum est quod ad eosdem pertinet ad quos iu-
stitia, & iniustitia. Quamuis autem ira fit cum ratione
vt dictum est, tamen potest esse in brutis animalibus,
quȩ ratione carent; inquantum naturali instinctu per
imaginationem, mouentur ad aliquod simile operibus
rationis. Sic igitur cum in homine sit & ratio, & ima-
ginatio, dupliciter in homine potest motus iræ insur-
gere. Vno modo ex sola imaginatione nunciante lȩ-
sionem, & sic insurgit aliquis motus iræ etiam ad
res irrationales & inanimatas, secundum similitudi-
nem ipsius motus, qui est in animalibus contra
quodlibet nociuum. Alio modo ex ratione nunciante
lædionem, & sicut philosophus dicit in secundo rhe-
toricæ, nullo modo potest ira ad res insensibiles, neq;
ad mortuos aptari: tum quia non dolent, quod ma-
xime quærunt irati in eis, quibus irascuntur; tum
etiam quia non est vindicta ad eos, cum eorum non
sit iniuriam facere. Item nota quod sicut est quædam
iustitia vel iniustitia hominis ad semetipsum, metha-
phoricè loquendo, sicut philosophus dicit in quinto
ethicorum, inquantum scilicet ratio regit irascibi-
lem & concupiscibilem: secundum hoc etiam homo
dicitur de seipso vindictam facere, & per consequens
sibiipsi irasci; proprie autem & per se non conuenit:
aliquem sibi irasci.

Ad octavvm, scilicet *de speciebus & gradibus iræ.*
Require infra vbi agitur de tertio vitio capitali.

De causa effectiua iræ.

DISTINCTIO XXXII.

Deinde considerandum est de causa effectiua
iræ. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo
vtrum motiuum iræ semper sit aliquid factum contra
illum qui irascitur. Secundo, vtrũ sola parui pensio, vel
despectatio sit motiuum iræ. Tertio de causa iræ ex
parte irascentis. Quarto de causa iræ ex parte eius cõ-
tra quem aliquis irascitur.

Ad primvm, scilicet *vtrum semper irascitur quis propter aliquid contra se factum*: dicendum quod sicut supra
dictum est, Ira est appetitus nocendi alteri, sub ratione
iusti vindicatiui: Vindicta autem locum non habet nisi
vbi præcessit iniuria; nec iniuria omnis ad vindictam
prouocat, sed illa sola quæ ad eum pertinet, qui
vindictam quȩrit. Sicut enim naturaliter vnum-
Motiuũ iræ est semper aliquid factum contra ipsum qui irascitur.

quodq;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quodque appetit propriũ bonũ, ita etiam naturaliter repellit propriũ malum. Iniuria autem ab aliquo facta non pertinet ad aliquem, niſi aliquid fecerit quod aliquo modo ſit contra ipſum. vnde ſequitur, quod motiuum iręalicuius, ſemper ſit aliquid contra ipſum factum.

Omnes cauſa iræ reducuntur ad paruipenſionem.

AD SECVNDVM, ſcil. *vtrum ſola paruipenſio vel deſpectatio ſit motiuum ad iram*: dicendum quod omnes cauſæ iræ reducuntur ad paruipenſionem. Sũt enim tres ſpecies paruipenſionis, vt dicitur in 2. Rheto. ſcil. deſpectus, Epyrreaſmus, id eſt impedimentum voluntatis implendæ; & contumeliatio; & ad hæc tria omnia motiua iræ reducuntur. Cuius ratio poteſt eſſe duplex. Prima eſt quia ira appetit nocumentum alterius, inquantum habet rationem iuſti vindicatiui; & ideo intantum quærit vindictam, inquantum videtur eſſe iuſta: iuſta autem vindicta non fit niſi de eo quod eſt iniuſte factum, & ideo prouocatiuum ad iram, ſemper eſt aliquid ſub ratione iniuſti. vnde dicit philoſophus in 2. Rhetoricæ, quod ſi homines putauerunt eos qui læſerunt eſſe iuſtæ paſſos, non iraſcuntur; non enim fit ira ad iuſtum. Contingit autem tripliciter nocumẽtũ inferri ſcilicet ex ignorãtia, ex paſſione & electione. Tunc enim aliquis iniuſtum facit, quando ex electione, vel ex induſtria, vel certa malitia, nocumentum infert, vt dicitur in 5. Ethic. Et ideo maxime iraſcimur contra illos, quos putamus ex induſtria nobis nocuiſſe, ſi enim putemus aliquos, vel per ignorantiam vel ex paſsione nobis intuliſſe iniuriam, vel non iraſcimur contra eos, vel multominus; agere enim aliquid ex ignorantia, vel ex paſſione, diminuit rationem iniurię, & eſt quodammodo prouocatiuum miſericordiæ, & veniæ. Illi autem qui ex induſtria nocumentum inferunt, ex conceptu peccare videntur, & ideo contra eos maxime iraſcimur: vnde philoſophus dicit in 2. Rheto. quod his qui propter iram aliquid fecerunt, aut non iraſcuntur, aut minus iraſcuntur: non enim paruipenſionem videntur egiſſe. Secunda ratio eſt quia paruipenſio, excellentię hominis opponitur, quæ enim homines putant nullo digna eſſe, paruipendunt, vt dicitur in ſecundo Rheto. ex omnibus autẽ bonis noſtris aliquam excellẽtiam quærimus. Et ideo quodcunq; nocumẽtũ nobis inferatur, in quantum excellentiæ derogat, videtur ad paruipenſionem pertinere.

Quomodo excellentia eſt cauſſa vt aliquis facile iraſcatur.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum excellentia ſit cauſa quare aliquis magis iraſcitur*. Dicendum quod cauſſa irę in eo qui iraſcitur, dupliciter accipi poteſt. Vno modo ſecundum habitudinẽ ad motiuum iræ, & ſic excellentia eſt cauſa vt aliquis de facili iraſcatur. Eſt enim motiuum iræ iniuſta paruipenſio vt dictum eſt. Cõſtat autem quod quanto aliquis eſt excellentior, iniuſtius paruipenditur in hoc in quo excellit, & ideo illi qui ſunt in aliqua excellentia, maxime iraſcuntur ſi paruipenduntur; puta ſi diues paruipenditur in pecunia, & rhetor in loquendo, & ſic de alijs. Alio modo poteſt conſiderari cauſſa iræ in eo qui iraſcitur, ex parte diſpoſitionis quę in eo relinquitur ex tali motiuo, manifeſtum eſt autẽ, quod nihil mouet ad irã, niſi nocumentum quod contriſtat: ea autem quæ ad defectum pertinent maxime ſunt contriſtantia, quia homines defectibus ſubiacentes facilius læduntur; & iſta eſt cauſa quare homines qui ſunt infirmi, vel in alijs defectibus, facilius iraſcantur, quia facilius contriſtantur.

Paruitas eius in quem iraſcimur auget iram.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum defectus alicuius ſit cauſſa quare contra ipſum facilius iraſcimur*. dicẽdum quod ſicut ſupra dictum eſt, indigna deſpectatio eſt maxime prouocatiua iræ; defectus igitur, vel paruitas eius contra quem iraſcimur, facit ad augmentum iræ, inquantum auget indignam deſpectationem. Sicut enim quanto aliquis eſt maior, tanto indignius deſpicitur, ita quanto aliquis eſt minor, tanto indignius deſpicit; & ideo nobiles iraſcuntur, ſi deſpiciantur à ruſticis, & ſapientes ab inſipientibus, vel Domini à ſeruis: ſi vero paruitas vel defectus diminuat deſpectationem indignam, talis paruitas non auget, ſed diminuit iram. Et hoc modo illi qui pœnitent de iniurijs factis, & confitentur ſe male feciſſe, & humiliantur, & veniam petunt, mitigant iram ſecundum illud Prouerb. 15. *Reſponſio mollis frangit iram*, inquantum, ſcilicet tales videntur non deſpicere, ſed magis magnipendere eos, quibus ſe humiliant.

De effectibus iræ.

DISTINCTIO XXXIII.

DEINDE conſiderandum eſt de effectibus iræ. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum ira cauſet delectationem. Secundo vtrum maximè cauſet feruorem in corpore. Tertio vtrum maximè impediat vſum rationis. Quarto vtrum cauſet taciturnitatem.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum ira cauſet delectationem*: dicendum quod ſicut Philoſophus dicit in 7. Ethic. *Delectationes maximè ſenſibiles & corporales, ſunt medicinæ quædam contra triſtitiam*. Et ideo quanto per delectationem contra maiorem triſtitiam vel anxietatem remedium præſtatur, tanto magis delectatio percipitur, ſicut patet quod quando aliquis ſitit, delectabilior ſit ei potus. Manifeſtum eſt autem ex prædictis, quòd motus iræ inſurgit ex aliqua illata iniuria contriſtante: Cui quidem triſtitiæ remedium adhibetur per vindictam; & ideo ad præſentiam vindictæ delectatio ſequitur, & tanto maior, quãto maior fuit triſtitia. Si igitur vindicta fuerit præſens realiter, fit perfecta delectatio, quæ totaliter excludit triſtitiam, & per hoc quietat motum iræ. Sed antequam vindicta ſit præſens realiter, fit iraſcenti præſens dupliciter. Vno modo per ſpem, quia talis non iraſcitur, niſi ſperans vindictam, ſicut ſupra dictum eſt. Alio modo ſecundum continuam cogitationem: vnicuique enim concupiſcenti, eſt delectabile immorari in cogitatione eorum quæ concupiſcit, propter quod etiam & imaginationes ſomniorum ſunt delectabiles, & ideo cum iratus multum in animo ſuo cogitat de vindicta, ex hoc delectatur; tamen delectatio huiuſmodi non eſt perfecta quæ tollat triſtitiam, & per conſequens iram.

Ex ira ſequitur delectatio, poſita vel apprehẽſa vindicta.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum ira cauſet feruorem in corpore*: dicendum quod ſicut dictum eſt, corporalis tranſmutatio quæ eſt in paſſionibus animæ, proportionatur motui appetitus. Manifeſtum eſt autem quod quilibet appetitus etiam naturalis fortius tendit in id quod eſt ſibi contrarium, ſi fuerit præſens; vnde videmus quòd aqua calefacta magis congelatur, quaſi frigido vehementius in calidum agente. motus autem appetitiuus iræ, cauſatur ex aliqua iniuria illata, ſicut ex quodam contrario iniacente, & ideo appetitus potiſſime tendit ad repellendum iniuriam per appetitum vindictæ; & ex hoc ſequitur magna vehemẽtia & impetuoſitas in motu iræ, & quia motus iræ non eſt per modum retractionis, cui proportionatur frigus, ſed magis per modum inſecutionis, cui proportionatur calor; conſequenter fit motus iræ cauſatiuus cuiuſdam feruoris ſanguinis & ſpirituum circa cor, quod eſt inſtrumentum paſſionis animæ: & inde eſt quòd propter magnam perturbationem cordis, quæ eſt ira, maximè apparent in iratis indicia quædam in exterioribus membris. vt enim Gregorius dicit in 5. moral. *Iræ ſuæ ſtimulo accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti, ore quidem clamorem formant, ſed ſenſus quid loquatur ignorat.*

Ira cauſat feruorem ſanguinis circa cor.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum ira impediat rationis vſum*: dicendum, quod mens vel ratio hominis quamuis non vtatur organo corporali in proprio ſuo actu, tamen quia indiget ad ſuum actum quibuſ-

dam

Ira inter omnes passiones maxime impedit iudicium rationis.

dam viribus sensitiuis, quorum actus impediuntur corpore perturbato, necesse est quod perturbationes corporales etiam iudicium rationis impediant, sicut patet in ebrietate & somno: dictum est autem, quod ira maxime facit perturbationem corporalem circa cor, ita etiam vt vsque ad exteriora membra deriuetur. Vnde ira inter cæteras passiones manifestius impedit iudicium rationis, secundum illud Psal. 30. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Nec obstat quod ira est cum ratione vt dictum est; quia à ratione est principium iræ, quantum ad motum appetitiuum qui est in ira, sed perfectum iudicium rationis passio iræ præoccupat, quasi non perfecte rationem audiens, propter commotionem caloris velociter impellentis, quæ est materialis in ira; & quantum ad hoc impedit iudicium rationis. non obstat etiam quod dicit philosophus in 7. Ethi. quod *iracundus non est insidiator sed manifestus*: manifestatio autem diminueretur, si per iram impediretur iudicium rationis: quia iracundus non dicitur esse manifestus, quia manifestè operaretur, vel quia sibi manifestum sit quid facere debeat; sed quia manifestè operatur, non quærens aliquam occultationem, quod partim fit propter impedimentum rationis, quæ non potest discernere quid sit occultandum & quid manifestandum, nec etiam excogitare occultandi vias; partim vero est ex ampliatione cordis, quæ pertinet ad magnanimitatem quam facit ira: vnde & de magnanimo ita philosophus dicit in 3. Ethi. quod *est manifestus oditor & amator, & manifeste dicit & operatur.* Concupiscentia autem dicitur esse latens & insidiosa, quia vt plurimum delectabilia quæ concupiscuntur, habent turpitudinem quandam, & molliciem, in quibus homo vult latere. In his autem quæ sunt virilitatis & excellentiæ, cuiusmodi sunt vindictæ, quærit homo manifestus esse.

Ira causat taciturnitatem.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum ira causet taciturnitatem*: dicendum quod ira sicut iam dictum est, & cum ratione est, & impedit rationem, & ex vtraque parte potest taciturnitatem causare. Ex parte quidem rationis, quando iudicium rationis intantũ viget, quod si non cohibeat affectum ab inordinato appetitu vindictæ, cohibet tamen linguam ab inordinata locutione: vnde Greg. dicit in quinto mor. *Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentium inducit.* ex parte vero impedimenti rationis, quia sicut dictum est, perturbatio iræ vsque ad exteriora membra producitur, & maxime ad illa membra in quibus relucet expressius vestigium cordis, sicut in oculis, & in facie, & in lingua: vnde dictum est *lingua se præpedit, facies ingescit, exasperantur oculi.* Potest ergo esse tanta perturbatio iræ, quod omnino impediatur lingua ab vsu loquendi, & tunc sequitur taciturnitas. Item de ira require multa infra tertio libro, vbi agitur de tertio vitio capitali. De passione inuidiæ require in tertio libro. De mansuetudine require infra. Item de verecundia require infra.

De zelo.

DISTINCTIO XXXIV.

Zelus diuersimode accipitur.

Deinde considerandum est de zelo. Circa quod sciendum, quòd zelus multipliciter accipitur in scriptura. Vno modo idem est quod inuidia, vnde 1. Corin. 3. *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis: Item zelus* idem est quod imitatio, & zelare idem est quod imitari. Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Item zelus* idem est quod amor. Sapient. 1. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ neque acquiratis eam in operibus manuum vestrarum. Item zelus* dicitur intensus amor viri ad vxorem, *qui sustinere* non potest alium ad ipsam accedere. Inde vir dicitur zelotipus vel zelotes, & mulier etiam dicitur zelotipa. vnde Eccl. 26. *Dolor cordis & luctus, mulier zelotipa: In muliere zelotipa, flagellum linguæ omnibus communicans. Item zelus* idem est quod æmulatio, cum quis ea quæ bona sunt nititur æmulari, vnde quando videt alium meliorem se, dolet non de bonitate illius, sed quia ipse non est ita bonus; & ideo quadam æmulatione sancta, illum nititur imitari, vel etiam excedere, vnde Eccl. 51. *zelatus sum bonum & non confundar.*

A similitvdine zeli, id est amoris intensi, qui est inter virum & vxorem, dicuntur viri sancti zelare pro salute animarum, & pro honore diuino. Vnde zelus dicitur vehemens motus animi, quo quis salutem animarum feruenter desiderat & procurat, & contra peccatores mouetur, pro eo quod contra animas suas, & honorem diuinum faciunt, vel salutem impediunt aliorum. Isto zelo motus Christus, eiecit vendentes & ementes de templo, sicut dicitur Ioan. 2. *Et nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Et sequitur. *Recordati vero sunt discipuli eius, quia scriptum est; zelus domus tuæ comedit me.* Item Moyses zelo Dei motus contra filios Israel, qui fecerant & adorauerant vitulum conflatilem, occidit ex eis 23. milia, sicut dicitur Exo. 32. Item cum iratus esset Dominus contra filios Israel, quia fornicati erant cum filiabus Moab, Phinees iram eius placauit, quia occidit illum impudentissimum, qui vidente Moyse & omni turba filiorum Israel, intrauit ad scortum Madyanitem. vnde dixit Dominus ad Moysen: *Phinees auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra ipsos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo: iccirco loquere ad eum: ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam illi quam semini illius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo* Item Elias zelo occidit prophetas Baal, 4. Regum 19. & dixit: *zelo zelatus sum pro Domino Deo, quia dereliquerunt Deum filij Israel.* Item Iehu rex Israel ex zelo fecit occidi septuaginta filios Achab. Et sequitur. *Dixit Iehu ad Ionadab, veni mecum & vide zelum meum pro Domino.* Nota bene Historiam. Item Psalmus 118. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Ex præmissis aduerte quod ex zelo debent corripi peccatores, quasi flagello de funiculis, id est leuiori pœna, si speratur eorum correctio; si autem non possit eos corripere, quia forte potentes sunt, vel quia multitudo est in crimine, vel non speratur eorum correctio, non restat nisi dolere & lugere. Ideo dicebat psalmus. *Tabescere me fecit* &c. Si autem imminet subuersio fidei vel scandalum plurimorum, exterminandi sunt impij, ne totum corpus ecclesiæ corrumpatur, sicut patet in exemplis præmissis. Cauendum est autem ne zelo sancto, amaritudo iracundiæ vel odij misceatur, id est ne homo puniat vel corripiat ex furore iracundiæ, non amore iustitiæ. Ideo Iaco. 3. *Si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari.*

Effectus zeli.

Sciendvm est etiam quod Deus zelare dicitur, & zelotes: quia videlicet facit animæ spiritualiter, quę solet homo zelotipus facere circa vxorem; visitat enim conuersantem, id est circumspicit & considerat vias eius, audire vult verba, videre facta, inquirere affectiones, scire intentiones. vnde Sapient. 1. *Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij, interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, quoniam auris zeli audit omnia.* Item excitat negligentem Zac. 1. *Hæc dicit Dominus, zelatus sum Hierusalem & Syon zelo magno.* Sequitur. *Reuertar in Hierusalem in misericordijs, & domus mea ædificabitur in ea.* Item Zach. 8. *zelatus sum Syon zelo magno, reuersus sum ad Syon, habitabo in medio Hierusalem ciuitas veritatis.* Item corripit delinquentes. Sopho. 1. *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra.* Item Exod. 10. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, &*

quartam generationem, & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me. Item suscipit reuertentem : Hierem. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus, ego suscipiam te.* Item deserit cõtemnentem. Ezech. 6. auferetur zelus meus à te. Item Prouer. 6. *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona.* De verecundia require infra 3. lib. vbi agitur de filiabus inanis gloriæ.

LIBRI I. PARS II.

DE LEGIBVS.

De lege æterna.

DISTINCTIO I.

POSTQVAM dictum est de principijs intrinsecis actuum humanorum, ordine consequenti considerandum est de principijs extrinsecis. Principium extrinsecum inclinans ad malum est diabolus, de cuius tentatione dicemus infra in principio tertij libri. Principium autem extrinsecum mouens ad bonum est Deus, quia nos instruit per legem, & adiuuat per gratiam & virtutes, & alia virtutibus adiuncta, scilicet dona, beatitudines, & fructus. Ideo de his omnibus per ordinem est agendum. Primo quidem de lege. Secundo de gratia. Tertio de virtutibus. Quarto de donis &c. Primo itaque considerandum est de lege æterna. Secundo de lege naturali. Tertio de lege humana. Quarto de lege diuina. Quinto de occasione verborum Apostoli Rom. 7. *video aliam legem in membris meis* &c. Dicendum est de lege peccati. De lege æterna considerãda sunt quinque. Primo quod sit. Secundo quid sit. Tertio quod eius notio omnibus est impressa. Quarto quod omnes aliæ leges deriuantur ab ea. Quinto quod ei subduntur omnia.

Quid lex.

CIRCA primum sciendum quod *lex nihil aliud est quam dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam.* Manifestum autem est, quod (suppositio quod mundus diuina prouidentia regatur) tota communitas vniuersi gubernatur diuina ratione; & ideo ipsa ratio gubernationis rerum, in Deo sicut in principe vniuersitatis existens, legis habet rationem: & quia diuina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, vt dicitur Prouer. 8. inde est quod huiusmodi legem oportet dicere æternam. Licet autem ab æterno non fuerint creaturæ, quibus lex æterna posset imponi, tamen ea quæ in seipsis non sunt, apud Deum existunt, inquantum sunt ab ipso præcognita & præordinata, secundum illud Corin. 3. *Qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Sic igitur æternæ diuinæ legis conceptus, habet rationem legis æternæ, secundum quod à Deo ordinatur ad gubernationem rerum, ab ipso præcognitarum.

Quomodo lex fuit æterna.

Quid lex æterna.

CIRCA secundum, scilicet *quid sit lex æterna*: dicendum secundum Aug. in primo de libero arbitrio. *Lex æterna est summa ratio cui semper obtemperandum est.* Ad cuius euidentiam sciendum est, quod sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum quæ constituuntur per artem, ita etiam in quolibet gubernante, oportet quod præexistat ratio ordinis eorum quæ agenda sunt per eos qui gubernationi subduntur, & sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars vel exemplar rerum artificiatarum, ita etiam ratio gubernantis actus subditorum, rationem legis obtinet: obseruatis alijs quę sunt de legis ratione. Deus autem per suam sapientiam conditor est vniuersarum naturarum, ad quas comparatur, sicut artifex ad artificiata; & etiam gubernator omnium actuum & motionum quæ inueniuntur in omnibus creaturis: vnde sicut ratio diuinę sapientię, in quantum per eam cuncta sunt creata, habet rationem artis vel exemplaris vel ideæ; ita ratio diuinæ sapientię mouentis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis, secundum hoc lex æterna nihil aliud est quam ratio diuinæ sapientiæ, secundum quod est directiuum omnium actuum & motionum: hæc autem ratio diuinæ sapientię est vna, & ideo lex est vna; rationes vero ideales sunt plures in Deo, sicut dicit Aug. in lib. 83. quęstionum, quia fecit Deus singula proprijs rationibus, rationes enim ideales respiciunt proprias naturas singularum rerum, & ideo in eis inuenitur quædam distinctio & pluralitas, secundum diuersos respectos ad res; sed lex dicitur directiua actuum in ordine ad bonum commune. ea autem quæ in seipsis sunt diuersa, considerantur vt vnũ, secundum quod ordinantur ad aliquod commune, & ideo lex ęterna est vna, quæ est ratio huius ordinis.

Cur lex æterna vna, & Ideæ plures.

CIRCA tertium, scilicet *quod notio legis æternæ est nobis impressa.* Sciendum quod aliquid potest cognosci dupliciter. Vno modo in seipso. alio modo in suo effectu, in quo aliqua similitudo eius inuenitur, sicut aliquis non videns solem in sua substantia, cognoscit ipsum in sua irradiatione. Sic igitur dicendum, quod legem æternam nullus potest cognoscere secundum quod in seipsa est, nisi solum beati qui Deum vident per essentiam; sed omnis creatura rationalis cognoscit ipsam secundum aliquam eius irradiationem, vel maiorem, vel minorem, omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio & participatio legis æternę, quæ est veritas incommutabilis, vt Augu. dicit in lib. de vera religione. veritatem autem omnes cognoscunt aliqualiter, vt minus quantum ad principia communia legis naturalis; in alijs vero quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis; & secundũ hoc etiam plus, vel minus cognoscunt legem ęternam. Illa quidem quæ Dei sunt, à nobis cognosci non possunt secundum se, sicut dicit Apostol. 1. Corin. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei,* sed tamẽ in effectibus suis nobis manifestantur, secundum illud Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Nec totaliter potest nobis manifestari lex æterna per suos effectus, & ideo non oportet quod quicumque cognoscit eam, cognoscat totum ordinem rerum, in quo sunt omnia ordinatissima, propter quod dicit Aug. in libr. de vera religione. *Lex æterna est de qua homines iudicare non possunt.* Sciendum tamen quod iudicare de aliquo potest intelligi dupliciter. Vno modo sicut vis cognitiua diiudicat de proprio obiecto, secundum illud Iob 12. *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem,* & secundum istum modum iudicij, philosophus dicit, quod *vnusquisque bene iudicat quæ cognoscit*, iudicando scilicet an sit verum quod proponitur. Alio modo secundum quod superior iudicat de inferiori, quodam practico iudicio, an scil. ita debeat esse, vel non ita, & sic nullus potest iudicare de lege æterna.

Lex æterna non cognoscitur a nobis prout in seipsa est, bene tamen ab omnibus secundum quandam irradiationem maiorem vel minorem.

CIRCA quartum, scilicet *vtrum omnis lex à lege æterna deriuetur*; dicendum quod lex importat rationẽ quandã directiuam actuum ad finẽ, in omnibus autem mouẽtibus ordinatis, oportet quod virtus secundi mouentis, deriuetur à virtute præmouentis; quia mouens secũdum, non mouet nisi inquantum mouetur à primo. vnde & in omnibus gubernantibus idẽ videmus, quod ratio gubernationis à primo gubernante, ad secundos deriuatur, sicut ratio eorum quæ agenda sunt in ciuitate, deriuatur à rege per præceptum in inferiores administratores: & in artificialibus etiam ratio artificialium actuum deriuatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. Cum igitur lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis, quę sunt in inferioribus gubernationibus, à lege æterna deriuentur

Præuia motio statuitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omnes alis leges ab æterna lege deriuantur.

ientur, huiuſmodi autem rationes inferiorum guber A
nationum, ſunt quæcunque aliæ leges præter legem æternam; vnde omnes dicuntur leges, in quantum participant de ratione recta; & propter hoc Aug. dicit in primo de libero arbi. *quod in temporali lege nihil eſt iuſtum ac legitimum, quod non ex æterna homines ſibi deriuauerint.*

CIRCA quintum, ſcilicet *vtrum omnia æternæ legi ſubdantur.* Dicendum eſt, quod duplex eſt modus quo aliquid ſubditur legi. Vno modo inquantum participatur lex æterna per modum cognitionis. Alio modo per modum actionis & paſſionis, inquantum participatur per modum interioris motiui principij; & hoc ſecundo modo ſubduntur legi æternæ irrationales creaturæ, ſed quia rationalis natura, cum eo quod eſt commune omnibus creaturis, habet aliquid ſibi proprium inquantum eſt rationalis; id ſecundum vtrunq; modum, legi æternæ ſubditur; quia & motionem legis æternæ aliquo modo habet; & iterum vnicuique rationali creaturæ ineſt rationalis inclinatio ad id, quod eſt conſonum legi æternæ. Sumus enim *innati ad habendum virtutes*, vt dicitur in 2. Ethic. vterque tamen modus imperfectus quidem eſt, vt pote quodammodo corruptus in malis; in quibus & inclinatio naturalis aliquam virtutem deprauat, per habitum vitioſum; & iterum naturalis cognitio boni in eis obtenebratur, per paſſionis & habitus peccatorum: in bonis autem vterque modus inuenitur perfectior, quia *Omnia ſubduntur legi æterne actiuè vel paſſiuè.* & ſupra cognitionem naturalem boni, ſuperadditur eis cognitio fidei & ſapientiæ; & ſupra naturalem inclinationem ad bonũ, ſuperadditur eis interius motiuum gratiæ & virtutis. ſic igitur boni perfectè ſubſunt legi æternæ, tanquam ſemper ſecundum eam agentes; mali autem ſubſunt quidem legi æternæ, ſed imperfecte cognoſcunt, & imperfecte inclinantur ad bonum: ſed quantum deficit ex parte actionis, ſuppletur ex parte paſſionis; prout ſcilicet intantum patiuntur, quod lex æterna dicatur de eis, inquantum deficiunt facere, quod legi æternæ conuenit. vnde Aug. dicit in primo de libero arbi. *Iuſtos ſub æterna lege agere exiſtimo*, & in lib. de cathecizandis rudibus dicit. *Quod Deus ex iuſta miſeria animarum ſe deſerentium, & conuenientiſſimis legibus, inferiores partes creaturæ ſuæ, nouit ornare.*

Soluuntur obiectiones. ILLVD autem verbum Apoſtoli ad Gal. 5. *Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege*, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo vt eſſe ſub lege intelligatur ille, qui D
nolens obligationem legis, ſubditur quaſi cuidam põderi; vnde gloſa ibidem dicit, quod ſub lege eſt qui timore ſupplicj, quod lex minatur, non amore iuſtitiæ, à malo opere abſtinet: & hoc modo ſpirituales viri, non ſunt ſub lege, quia per charitatem quam ſpirituſſanctus cordibus eorum infundit, voluntarie id quod legis eſt, implent. Alio modo poteſt etiam intelligi, inquantum hominis opera, qui ſpirituſancto agitur, magis dicuntur eſſe opera S. ſancti quam eius: vnde cum ſpirituſſanctus non ſit ſub lege, ſicut nec filius; ſequitur quod huiuſmodi opera inquantum ſunt ſpirituſſancti, non ſint ſub lege, & huic atteſtatur quod Apoſtolus dicit, 2. Corin. 3. *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.*

ITEM prudentia carnis non poteſt ſubijci legi Dei E
ex parte actionis, quia inclinat ad actiones contrarias legi Dei, propter quòd dicit Apoſtol. Rom. 8. *Prudentia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta*, ſubijcitur tamen legi Dei ex parte paſſionis, quia meretur pati pœnam ſecundum legem diuinæ iuſtitiæ, nihilominus tamen in nullo homine ita prudentia carnis dominatur, quod totum bonum naturæ corrumpatur; & ideo remanet in homine inclinatio ad agendum ea, quę ſunt legis æternæ, peccatum enim non tollit totũ bonum naturæ.

Quomodo opera mala legi æterne ſubduntur.

De lege naturali.

DISTINCTIO II.

DEINDE conſiderandum eſt de lege naturali. Circa quam conſideranda ſunt ſeptem. Primo an ſit aliqua lex naturalis. Secundo quid ſit lex naturalis. Tertio quę ſunt præcepta legis naturalis. Quarto vtrum omnes actus virtutis ſint de lege naturali. Quinto vtrum lex naturalis vna ſit apud omnes. Sexto vtrum ſit mutabilis. Septimo vtrum poſſit à mente hominis aboleri.

CIRCA primum ſcilicet *An ſit aliqua lex naturalis*: B
dicendum quod cum lex ſit regula & menſura vt dictum eſt, dupliciter poteſt eſſe in aliquo. Vno modo ſicut in regulante & menſurante. Alio modo ſicut in regulato & menſurato, quia inquantum participat aliquod de regula & menſura, ſic regulatur, & menſuratur; vnde cum omnia quæ diuinæ prudentiæ ſubduntur, à lege æterna regulentur & menſurentur; manifeſtum eſt quòd omnia participant aliqualiter legem æternam, inquantum ſcilicet ex impreſſione eius habent inclinationes in proprios actus & fines. Inter cætera autem rationalis creatura, excellentius quodammodo diuinæ prouidentiæ ſubiacet, inquantum & ipſa fit prouidentiæ particeps, ſibiipſi & C
alijs prouidens, vnde & in ipſa participatur ratio ętterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum & finem; & talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur, vnde cum Pſal. 4. dixiſſet. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.* quaſi quibuſdam quærentibus quæ ſint iuſtitiæ opera, ſubiungit, *multi dicunt quis oſtendit nobis bona*: cui quæſtioni, reſpondens dicit, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quaſi lumen naturalis rationis, quo deſcernimus quid ſit bonum, & malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit quam impreſſio diuini luminis in nobis. Vnde patet quod *lex naturalis nihil aliud eſt quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Vnde ſupra illud Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt:* dicit gloſſa; *& ſi non habent legem ſcriptam, habent tamen legem naturalem, qua quis intelligit & ſibi conſcius eſt, quid bonum, & quid malum.*

Quid lex naturalis.

HÆC autem participatio legis æternæ eſt etiam in creaturis irrationabilibus ſuo modo: Sed differenter eſt in creaturis rationabilibus & irrationalibus. In creaturis enim rationalibus, participatur rationabiliter & intellectualiter: nã ſicut omnis ratiocinatio deriuatur à principijs naturaliter notis, & õnis appetitus eorũ quæ ſunt ad finẽ, ab appetitu finis vltimi deriuatur: ſic etiam oportet quod prima directio actuum noſtrorũ in finem, fiat per legem naturalem; vnde participatio legis æternæ in rationali creatura, proprie lex vocatur. In creatura autem irrationali non participatur rationabiliter, quia ſolo appetitu naturali agit propter finem, vnde non poteſt dici lex niſi per ſimilitudinem.

Quomodo lex naturalis dicitur in creaturis irrationalibus.

CIRCA ſecundum, ſcil. *quid ſit lex naturalis, vtrũ ſcil ſit habitus*: dicendum quod aliquid poteſt dici eſſe habitus dupliciter. Vno modo proprie & eſſentialiter, & ſic lex naturalis non eſt habitus: dictum eſt enim, quod lex naturalis eſt aliquid per rationem conſtitutum, ſicut & propoſitio eſt quoddam opus rationis; non eſt autem idem quod quis agit, & quo quis agit: aliquis enim per habitum grammaticæ, agit orationem congruam. cum igitur habitus ſit, quo quis agit, non poteſt eſſe quod lex aliqua ſit habitus proprie & eſſentialiter. Alio modo poteſt dici habitus id quod habitu tenetur, ſicut dicitur fides id quod fide tenetur; & in hoc modo quia præcepta legis naturalis, quandoque conſiderantur in actu à ratione quandoque autem ſunt in ea habitualiter tantum

Quo ſenſu lex naturalis poſſit dici habitus.

ſecundum

secûdum hunc modum potest dici quod lex naturalis sit habitus, sicut etiam principia indemonstrabilia in speculatiuis, non sunt ipse habitus principiorum, sed sunt principia quorum est habitus. Cùm autem dicit philosophus 2. Ethi. quod in anima sût tria. scilicet habitus, potentiæ, & passiones; enumerat tantum illa quę sunt principia actuum humanorum, quia intendit ibi inuestigare genus virtutis: Manifestû est autem quod virtus est quoddam principium actus, præter hæc autem tria, sunt quædam alia in anima, sicut actus quidam; vt velle est in volente, & etiam cognita sunt in cognoscente, & proprietates naturales animæ insunt ei, vt immortalitas, & huiusmodi.

Ad tertivm, scilicet *de præceptis legis naturalis*: dicendum, quod præcepta legis naturalis hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculatiuam, vtraque enim sunt quędam principia per se nota. Dicitur autem aliquid per se notum dupliciter. Vno modo secundum se; alio modo quo ad nos. Secundum se quidem, quælibet propositio dicitur per se nota, cuius prędicatum est de ratione subiecti. contingit tamen quod ignoranti diffinitionem subiecti, talis propositio non esset per se nota: sicut ista propositio, homo est animal rationale, est per se nota, secundum sui naturam: quia qui dicit hominem, dicit rationale, & tamen ignoranti quid sit homo; hæc propositio non est per se nota. & inde est quod Boetius dicit in libro de dogmatibus. Quædam sunt dignitates, vel propositiones per se notæ communiter omnibus: & huiusmodi sunt illæ propositiones quarû termini sunt omnibus noti, vt omne totum est maius sua parte, & qui vni & eidem sunt æqualia, sibiinuicem sunt æqualia. Quædam vero propositiones sunt per se notę solis sapientibus, qui terminos propositionum intelligunt quid significent; sicut intelligenti quod Angelus non est corpus, per se notum est quod nõ est circumscriptiuè in loco, quod non est manifestum rudibus qui hoc non capiunt. In his autem quæ in apprehensione omnium cadunt, quidam ordo inuenitur. Nam illud quod primo cadit in apprehensione eius, ens: cuius intellectus includitur in omnibus quæcunque quis apprehendit; & ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare & negare, quod fundatur supra rationẽ entis & non entis, & super hoc principio omnia alia fundantur, vt dicitur in 4. Meth. Sicut autem ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni; & ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationẽ boni, quæ est bonum quod omnia appetunt. Hoc est ergo præceptum legis, quod bonum est prosequẽdum & faciendum, & malum vitandum; & super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ; vt scilicet omnia alia facienda vel vitanda, pertineant ad præcepta legis naturæ, quę ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana, quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarij, Inde est quod omnia illa ad quæ habet naturalem inclinationem, ratio, naturaliter apprehendit vt bona, & per consequens in opere prosequenda, & contraria eorum vt mala vitanda.

Præcepta legis naturalis ex generalibus principijs per se notis deducuntur.

Aliquid dicitur de lege naturæ tripliciter ex quo facile intelligitur definitio legis naturalis apud Iustinia.

Secvndvm igitur ordinem inclinationum naturalium, est ordo præceptorũ legis naturæ. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua cõmunicat cũ omnibus substantijs, prout scilicet quælibet substantia appetit conseruationẽ sui esse secundum naturam; & secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conseruatur & contrarium impeditur. Secũdo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in quo communicat cum cæteris animalibus; & secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, vt est cõiunctio maris & fęminę, & educatio liberorũ, & similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonũ secundum naturã rationis, quæ est sibi propria, sicut homo habet naturalem inclinationẽ ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, & ad hoc quod in societate viuat; & secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad huiusmodi inclinationem spectant, vt pote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conuersari, & cætera huiusmodi quæ ad hoc spectant.

Circa quartum, scilicet *vtrum omnes actus virtutũ sint de lege naturæ*. Sciendum quod de actibus virtutis dupliciter loqui possumus. Vno modo inquantũ sunt virtuosi. Alio modo inquãtum sunt tales actus in proprijs speciebus considerati. Si igitur loquamur de actibus virtutum inquantum sunt virtuosi, sic omnes actus virtuosi pertinent ad legẽ naturæ. Dictum est enim quod ad legem naturæ pertinet omne illud, ad quod homo inclinatur secundnm suã naturam. Inclinatur autẽ vnunquodque naturaliter ad operationem sibi conuenientem secundum suã formam, sicut ignis ad calefaciendum; vnde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem, & hoc est agere secundum virtutem. Vnde secundum Bernard. actus omnes virtutũ sunt de lege naturæ. Dictat enim hoc naturaliter vnicuique propria ratio, vt virtuose agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis secũdum seipsos, prout scilicet in proprijs speciebus considerantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturæ. Multa enim secundum virtutem fiunt, ad quę natura non primo inclinat, sed per rationis inclinationem vel inquisitionẽ, ea homines adinuenerunt, quãsi vtilia ad bene viuendum.

Quo sensu verificatur quod omnes actus virtutum sint de lege naturæ.

Circa quintum, scilicet *vtrum lex naturalis sit vna apud omnes*. Sciẽdum quod ad legẽ naturæ pertinẽt ea, ad quæ homo naturaliter inclinatur: Inter quæ homini proprium est, vt inclinetur ad agendũ secundum rationem. Ad rationẽ autem pertinet ex cõmunibus ad propria procedere, vt patet ex primo phi. Aliter tamẽ circa hoc se habet ratio speculatiua, & aliter ratio practica. Quia enim ratio speculatiua præcipue negociatur circa necessaria, quę impossibile est aliter se habere; absque aliquo defectu inuenitur veritas in conclusionibus proprijs, sicut & in principijs communibus. Sed ratio practica negociatur circa cõtingentia, in quibus sunt operationes humanæ, & ideo si in cõmunibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis inuenitur defectus. Sic igitur in speculatiuis est eadem veritas apud omnes, tam in principijs quam in cõclusionibus, licet veritas non apud omnes cognoscatur in cõclusionibus, sed solum in principijs, quæ dicuntur communes conceptiones. In operatiuis autem non est eadem veritas, vel rectitudo practica apud omnes quantum ad communia, & apud illos ad quos est eadem rectitudo in proprijs, non est æqualiter omnibus nota.

Sic igitur patet quod quantum ad cõmunia principia rationis, siue speculatiuæ siue practicę, est eadem veritas siue rectitudo apud omnes, & æqualiter nota: quantum vero ad proprias conclusiones rationis speculatiuę, est eadem veritas. Apud omnes enim verum est quod triangulus habet tres angulos, æquales duobus rectis; quamuis hoc non sit omnibus notum. Sed tamen ad proprias conclusiones rationis practicę, nec est eadem veritas siue rectitudo apud omnes, nec etiam apud quos est eadem, æqualiter nota. Apud omnes enim hoc rectum est & verum, vt secundum rationem agatur, ex hoc autem principio sequitur quasi conclusio propria, quod deposita reddam: & quidem vt in pluribus verum est, sed potest in aliquo casu contingere quod sit damnosum, & per consequens irrationale, si deposita reddam; Puta si aliquis petat ad impugnandum patriam; & hoc tanto magis inuenitur

nitur deficere, quanto magis ad particularia descenditur, puta si dicatur quod depositа reddam, cum tali cautione, vel materia tali. Quanto enim plures conditiones particulares opponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere: vt sit non rectum, vel in reddendo, vel in non reddendo.

Sic igitur dicendum est, quod lex natnræ quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundú notitiam; sed quantum ad principia quæ sunt quasi conclusiones principiorum est quidem apud omnes, vt in pluribus, & secundùm rectitudinem, & secundum notitiam; sed vt in paucioribus potest deficere, & quantum ad rectitudinem, propter aliqua particularia impedimenta (sicut etiam res generabiles & corruptibiles deficiunt vt in paucioribus propter impedimenta) & etiam quantum ad notitiam; & hoc propter hoc, quod aliqui habent deprauatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ, sicut apud germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ, vt refert Iulius Cæsar in libro de bello gallico.

Lex naturæ est eadem apud omnes quoad generalia principia, tam secundum rectitudinem, quam notitiam, sed nõ semper quoad conclusiones.

Circa sextum, scilicet *vtrum lex naturæ possit mutari.* Sciendum quod lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter. Vno modo per hoc quod aliquid ei addatur, & sic nihil prohibet legem naturalem mutari. Multa enim super legem naturalem superaddita sunt, ad humanam vitam vtilia, tam per legem diuinam, quam etiam per leges humanas. Alio modo intelligitur mutatio legis naturalis per modum subtractionis, vt scilicet aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit contra legem naturalem; sic quãtum ad prima principia legis naturæ, lex naturæ omnino est immutabilis, quantum autem ad secunda præcepta, quæ diximus esse quasi quasdam proprias cõclusiones propinquas primis principijs, sic lex naturalis non immutatur, quin vt in pluribus rectum sit semper, quod lex naturalis habet. Potest tamen immutari in aliquo particulari & in paucioribus, propter aliquas speciales causas impedientes obseruantiam talium præceptorum vt dictum est.

Lex naturalis non est mutabilis quoad principia, licet possit dici mutabilis in quibusdã, quoad conclusiones.

Vnde cum super illud Eccl. 17. *addidit eis disciplinam & legem vitæ*, dicit glo. *legem litteræ quantum ad correctionem naturalis, scribi voluit*: Dic quod lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturæ, vel quia per legem scriptam suppletum est, quod legi naturæ deerat; vel quia lex naturæ in aliquorũ cordibus, quantum ad aliqua corrupta erat, intantum vt estimarent bona, quę naturaliter sunt mala: & talis corruptio correctione indigebat.

Soluuntur obiectiones.

Item contra ius vel legem naturæ est occisio innocentis, similiter adulterium, & furtum, quæ tamen videntur esse mutata à Deo, puta quando Deus præcepit Abrahæ, vt occideret filium innocentem Gen 22. Et quando præcepit Iudæis, vt mutuata vasa ægyptiorum surriperent. Exod. 12. Et quando præcepit Oseæ, vt vxorem fornicariam acciperet Ose. 1. Sed sciendum quod quia naturali morte moriuntur omnes communiter, tam nocentes quam innocentes, quæ quidem naturalis mors diuina potestate inducitur propter peccatum originale, secundum illud 1 Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat.* Ideo absque aliqua iniustitia secundum mandatum Dei, potest infligi mors homini, vel nocenti vel innocenti. Similiter etiam adulterium est concubitus cum vxore aliena, quę scilicet non est ei deputata secundum legem diuinitus traditam; vnde ad quamcunque mulierem aliquis accedat ex mandato diuino, non est adulterium, nec fornicatio. Eadem ratio est de furto, quod est acceptio rei alienę, quicquid enim accepit ex mandato Dei qui est dominus vniuersorum non accepit absque voluntate domini, quod est furari; nec solum in rebus humanis quicquid à Deo mandatur hoc ipso est debitum; sed etiam in rebus naturalibus quicquid à Deo fit, est quodammodo naturale. Item sicut dicit Isi. li. Ethy. *communis omnium possessio & libertas, est de iure naturali*; hæc autem videmus esse mutata per leges humanas.

Sed sciendum, quod aliquid dicitur esse de iure naturali dupliciter. Vno modo quia ad hoc natura inclinat, sicut non est iniuria alteri facienda. Alio modo quia natura non induxit contrarium, sicut possemus dicere quod hominem esse nudum, est de iure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinuenit. Et hoc modo communis omnium possessio, & omnium vna libertas, dicitur esse de iure naturali; quia scilicet distinctio possessionum, & seruitus, non sunt inductæ à natura: sed per hominum rationem, ad vtilitatem humanæ vitæ: & sic in hoc lex naturæ non est mutata nisi per additionem.

Circa septimum, scilicet *vtrum lex naturæ possit de corde hominis aboleri.* Dicendum quod sicut dictum est, ad legem naturalem pertinent, Primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota. Quædam autem secundaria præcepta magis propria; quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in vniuersali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter cõcupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter persuasiones malas; eo modo quo etiam in speculatiuis, errores contingunt circa conclusiones necessarias; vel etiam propter consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apostolus dicit Rom. 1.

Quo sensu lex naturæ deleri potest de cordibus hominum.

De lege humana.

DISTINCTIO III.

Deinde considerandum est de lege humana. Circa quam consideranda sunt quinque. Primo vtrum sit aliqua lex humana, vel esse debeat. Secundo de vtilitate eius. Tertio de origine eius. Quarto de qualitate. Quinto de diuisione eius.

Circa primum scilicet. *An sit aliqua lex humana*, sciendum, quod sicut dictum est, lex est quoddam dictamen practicę rationis: Similis autem processus esse inuenitur rationi practicæ & speculatiuæ, vtraque enim ex quibusdam principijs ad quasdam conclusiones procedit. Secundum hoc ergo dicendum est, quod sicut in ratione speculatiua ex principijs indemonstrabilibus naturaliter cognitis, producuntur conclusiones diuersarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inuenta; ita etiam ex præceptis legis naturalis quasi ex quibusdam principijs communibus & indemonstrabilibus, necesse est quod ratio humana procedat ad aliqua particularia magis disponenda; & istę particulares dispositiones adinuentæ secundum rationem humanam, dicuntur leges humanæ, seruatis alijs conditionibus quę pertinent ad rationem legis. Vnde & Tullius dicit in sua rhetorica, quod *initium iuris est à natura profectum: Deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt; & postea res, & à natura profectas, & in consuetudinem prolatas, legum metus, & religio, sapit.*

Ostenditur dari legem humanam.

Circa secundum, scilicet *vtrum vtile fuit aliquas leges humanas instituí.* Sciendum quod homini naturaliter inest quædam aptitudo ad virtutem, sed ipsa virtutis perfectio, necesse est quod homini adueniat per aliquam disciplinam sicut etiam videmus quod per aliquam industriam subuenitur homini in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

suis necessitatibus, puta in cibo & vestitu, quorum initia quædam habet à natura, scilicet rationē & manus; non autem ipsum complementum, sicut cætera animalia, quibus natura dedit sufficienter tegumentum & cibum. Ad hanc autem disciplinam, non de facili inuenitur homo sibi sufficiēs, quia perfectio virtutis præcipue consistit in retrahēdo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas præcipue homines sunt proni; & maxime iuuenes, circa quos efficacior est disciplina; & ideo oportet, quod huiusmodi disciplinam, per quam ad virtutem perueniarur, homines ab alio sortiantur. Et quidem quantum ad illos iuuenes qui sunt proni ad actus virtutum, ex bona dispositione naturæ, vel consuetudine, vel magis diuino munere, sufficit disciplina paterna, quę est per monitiones. Sed quia inueniuntur quidam adeo ad vitia proni, vt verbis de facili moueri non possunt; necessarium fuit, vt per vim & metum cohiberētur à malo, vt saltē sic malefacere desistentes, & alijs quietam vitam redderent, & ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc producerentur, quod voluntarie facerent quæ prius metu implebant, & sic fierent virtuosi. Huiusmodi autem disciplina, cogens metu pœnæ, est disciplina legum; vnde necessarium fuit ad pacem hominum & virtutem, vt leges ponerentur; quia sicut philosophus dicit in 1. politicę, *sicut homo si sit perfectus virtute, est optimum animaliū, sic si sit separatus à lege & iustitia, est pessimum omnium*, quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias & sæuitias, quę non habent alia animalia, & Isido. in lib. Ety. *factæ sunt leges vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, supplicio refrenetur nocendi facultas.* Quidā enim bene dispositi sunt, qui melius inducuntur ad virtutem monitionibus voluntarijs quam coactione, sed quidam male dispositi, non ducuntur ad virtutem nisi cogantur.

Non solum vtilis sed etiam necessaria fuit legum humanarum institutio.

Præterea sicut dicit philosophus in 2. Retho. *Melius est omnia ordinari lege, quam dimittere iudicum arbitrio.* & hoc propter tria. Primo quidem quia facilius est inuenire paucos sapientes, qui sufficiunt ad rectas leges ponendas, quam multos qui requirerentur ad recte iudicandum de singulis. Secundo quia illi qui leges ponunt ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed iudicia de singularibus factis, fiunt ex causis subito exortis; facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam solo ex aliquo vno facto. Tertio quia legislatores iudicant in vniuersali, & de futuris; sed homines iudicijs præsidentes, iudicant de præsentibus, ad quæ afficiuntur amore vel odio aut aliqua cupiditate, & sic eorum deprauatur iudicium. Quia igitur iustitia animata iudicis, non in multis inuenitur, & quia flexibilis est: ideo necessarium fuit, vt in quibuscunque est possibile legem determinare, determinet quid iudicandum sit: & pauciſſima hominum arbitrio committantur.

Cur melius omnia ordinari per legē quam relin qui iudicis arbitrio.

Circa tertium, scilicet *vtrum omnis lex humana deriuetur à lege naturali*: dicendum est, quod sicut dicit Aug. in 1. de libero arbit. *Non videtur esse lex quæ iusta non fuerit*: vnde inquantum habet de iustitia, intantum habet de virtute legis: in rebus autem humanis dicitur aliquid esse iustū, ex eo quod est rectū secundū regulam rationis: rationis autē prima regula est lex naturæ. Vnde omnis lex humanitus posita, intantum habet de ratione legis, inquantum à lege naturæ deriuatur: si vero in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio.

Lex humana à lege naturæ deriuatur vel per modum conclusionis vel per modum determinationis.

Sed sciendum est quod à lege naturali, dupliciter potest aliquid deriuari. Vno modo, sicut conclusiones ex principijs. Alio modo, sicut determinationes quædam aliquorum communium. Primus quidem modus est similis ei, quod in scientijs ex principijs, cōclusiones demonstratiuæ producuntur. Secundo vero modo simile est, quod in artibus, formæ communes determinantur ad quid spirituale; sicut artifex formam communem domus, necesse est quod determinet ad hanc vel illam figuram domus. Deriuantur igitur quædam à principijs communibus legis naturæ per modum conclusionum: sicut hoc quod est, non esse occidendum; vt conclusio quædam deriuari potest ab eo, quod est nulli malum esse faciendum. Quædam vero per modum determinationis, sicut lex naturæ habet quod ille qui peccat puniatur humana vt puniatur tali pœna, & hæc est quædam determinatio legis naturæ. Vtraque igitur inueniuntur lege humana posita, sed ea quæ sunt primi modi, continentur in lege humana, non tanquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali, sed ea quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent.

Circa quartum, scilicet *qualis debeat esse lex*, docet Isidor. dicens: *Erit lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium conscripta.* Conuenienter valde legem describit, quia forma debet esse fini proportionata, sicut forma serræ talis est, qualis conuenit sectioni, vt patet in secundo phi. Quælibet etiam res recta & mensurata, oportet quod habeat formā proportionalem suæ regulæ & mensuræ; lex autem humana vtrumque habet; quia & est aliquod ordinatum ad finem, & est quædam regula vel mensura, regulata quadam superiori mensura, quæ quidem est duplex; scilicet lex diuina, & lex naturæ; finis autem humanæ legis est vtilitas hominum, sicut etiam iurisperitus dicit; & ideo Isidorus in cōditione legis, primo quidem tria posuit scilicet quod *religioni congruat*, inquantum scilicet est proportionata legi diuinæ. *Quod disciplinæ conueniat*, inquantum est proportionata legi naturæ. *Quod saluti proficiat*, inquantum est proportionata vtilitati humanæ. Et ad hæc tria omnes aliæ conditiones quas postea ponit reducuntur, nam quod dicitur *honestā* refertur ad hoc quod religioni congruat. Quod autem subditur, *iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens*, additur ad hoc quod conueniat disciplinæ. Attenditur autem humana disciplina: primum quidem inquantum ad ordinem rationis, quę importatur in hoc quod dicitur iusta. Secundo quantum ad facultatem agentium, debet enim esse disciplina conueniens vnicuique secundum suam possibilitatem, obseruata possibilitate naturæ: Non enim eadē sunt imponenda pueris, quæ imponuntur viris perfectis. Et secundum humanam consuetudinem: non enim potest homo solus, in societate viuere, alijs morem non gerens. Tertio quantum ad debitas circunstantias dicit, loco, temporique conueniens. Quod vero subditur, *necessaria, vtilis*, &c. refertur ad hoc quod expediat saluti, vt necessitas referatur ad remotionem malorum, vtilitas ad consecutionem bonorum, manifestatio vero ad cauēdum nocumentum, Quod ex ipsa lege posset prouenire: & quia lex ordinatur ad bonū cōmune, hoc ipsum in vltima parte determinationis ostenditur.

Qualis debeat esse lex.

Circa quintum, scilicet *de diuisione legis humanæ*. Sciendum quod vnum quodque potest per se diuidi, secundum id quod in eius ratione continetur: sicut in ratione animalis continetur anima, quæ est rationalis vel irrationalis, & ideo animal proprie & per se diuiditur secundum rationale & irrationale, nō autem secūdum album & nigrum, quæ sunt omnino præter rationē eius. Sunt autē multa de ratione legis humanæ, secūdum quorū quodlibet, lex humana proprie & per se diuidi potest. Est enim primo de ratione legis humanæ, quod sit deriuata à lege naturæ: & secundū hoc diuiditur ius positiuum, in ius gentium, & in ius ciuile, per duos modos quibus aliquid deriuatur à lege naturæ, sicut cōclusiones ex principijs, vt iustæ emptiones venditiones, & alia huiusmodi, sine quibus homines adinuicē conuiuere non possent; quod est de lege natu-

Lex humana 1. diuiditur in ius gētium & ciuile.

Discrimen inter ius gētium & ciuile.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

re, quia homo est naturaliter animal sociale, vt probatur in primo politicæ: quæ vero deriuantur à lege naturę per modum particularis determinationis, pertinent ad ius ciuile, secundum quod quælibet ciuitas aliquid sibi accommodum determinat. Secundo est de ratione legis humanæ quod ordinetur ad bonum cõmune ciuitatis, & secundum hoc lex humana dividi potest, secundum diuersitatem eorum, qui spiritualiter dant operam ad bonum commune, sicut sacerdotes, pro populo dominum orantes; principes, populum gubernantes, & milites, pro salute populi pugnantes; & ideo istis hominibus spiritualia quædam iura aptantur. Tertio est de ratione legis humanæ vt instituatur à gubernante cõmunitatem ciuitatis, & secundũ hoc distinguuntur leges humanæ secundum diuersa regimina ciuitatum. Quorum vnum secundũ philosophũ in 3. Poli. est regimen, quandò scilicet ciuitas gubernatur ab vno, & secundum hoc accipiuntur constitutiones principum, aliud vero regnum est Aristocratia, id est principatus optimorum & optimatum, & secũdum hoc sumuntur responsa prudentũ, & etiam senatusconsulta. Aliud regnum est oligarchia, id est principatus paucorum diuitum & potentum, & secundum hoc sumitur ius prætorium, quod etiam honorarium dicitur. Aliud autem regnum est populi, quod nominatur democratia, secundum hoc sumuntur plebiscita. Aliud est tyrãnicum, quod est omnino corruptum, vnde ex hoc consumitur aliqua lex. Est etiam aliquod regnum ex istis commixtum, quod est optimum, & secundum hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerunt, vt Isidorus dicit. Quarto est de ratione legis humanæ quod sit directiua humanorũ actuum, & secundum hoc, secundum diuersa de quibus leges feruntur distinguuntur leges, quę interdum ab actoribus nominantur, sicut distinguitur lex Iulia de adulterijs, lex Cornelia de sicarijs, & sic de alijs non propter actores, sed propter res de quibus sunt.

2. Diuiditur lex iuxta diuersitatem eorum qui specialiter pro bono cõmuni laborant.

3. Secundum diuersa genera regiminum.

Regimen mixtum est optimum.

4 Secundum res de quibus agunt.

De lege diuina veteri.

DISTINCTIO IV.

DEINDE considerandum est de lege diuina. Circa quam considerandã sunt duo. Primo de ipsa lege. Secundo de præceptis eius. Circa primum cõsideranda sunt sex. Primo vtrum necessarium sit esse aliquam legem diuinam. Secundo vtrum sit vna tantũ vel duæ. Tertio vtrum sit bona. Quarto vtrum fuit data à Deo. Quinto vtrum data fuit omnibus, & omnes obliget. Sexto vtrum congruo tempore data fuit.

Cur lex diuina necessaria.

CIRCA primum, scilicet. *An lex diuina sit necessaria*: dicendũ quod præter legem naturalem & legem humanam, necessarium fuit ad directionẽ humanæ vitæ, habere legem diuinam, & hoc propter quatuor rationes. Primo quidem quia per legem dirigitur homo ad actus proprios & in ordine ad vltimũ finem; & si quidem homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, nõ oporteret quod homo haberet aliquid directiuum ex parte rationis, supra legem naturalem, & legem humanitus positam quæ ab ea deriuatur: sed quia homo ordinatur ad finẽ beatitudinis æternę, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo necessarium fuit vt supra legem naturalem & humanam, dirigeretur ad suum finem, lege diuinitus instituta. Secundo quia præter incertitudinem humani iudicij, præcipue de rebus contingentibus & particularibus, contingit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia, ex quibus etiam diuersæ & contrariæ leges procedunt: vt ergo homo absque omni dubitatione scire possit, quid ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit vt in actibus proprijs, dirigeretur per legem diuinitus datam, de qua constat quod nullo modo valeat deuiare. Tertio quia de his potest homo legẽ ferre de quibus potest iudicare: Iudicium autem hominis esse non potest, de interioribus motibus qui latẽt, sed solum de exterioribus actibus qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in vtriusque actibus homo rectus existat, & ideo lex humana non potuit cohibere & ordinare sufficienter interiores act⁹, sed necessarium fuit quod ad hoc procederet lex diuina. Quarto quia sicut Aug. dicit in primo de lib. arbi. *Lex humana non potest omnia quæ male fiunt punire vel prohibere*, quia dum prohibere vel auferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod est necessarium ad conseruationem humanam; vt ergo nullum malum prohibitum & impunitum remaneat, necessarium fuit superuenire legem diuinam, per quam peccata omnia prohibentur. Et iste quatuor causæ tanguntur in Psal. 18. vbi dicit. *Lex domini immaculata*, id est nullam turpitudinem peccati permittens, *conuertens animas*, quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit; *testimonium domini fidele*, propter certitudinem veritatis & rectitudinis; *sapientiam præstans parvulis*, inquantum ordinat hominem ad supernaturalem finem & diuinum.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum lex diuina sit vna tantum*. Sciendum quod dupliciter inueniuntur aliqua distingui. Vno modo sicut ea quæ sunt omnino specie diuersa, vt equus & bos, Alio modo sicut perfectum & imperfectum in eadem specie, sicut puer & vir. Et hoc modo lex diuina distinguitur in legem veterem & legem nouam, vnde Apostolus ad Gal. 3. cõparat statum veteris legis statui pueruli existenti sub pedagogo, statum autem nouæ legis comparat statui virili perfecti, qui iam non est sub pedagogo. Attenditur autem perfectio & imperfectio vtriusque legis, secundum tria quæ ad legem pertinent. Primo enim ad legem pertinet, vt ordinetur ad bonum commune sicut ad finem, quod quidem potest esse duplex, scilicet bonum sensibile & terrenum, & ad tale bonum ordinabat directe lex vetus: vnde statim Exo. 3. in principio legis, inuitatur populus ad regnũ terrenum Chananæorum: Et iterum bonum intelligibile & cœleste, & ad hoc ordinat lex noua: Vnde statim Christus ad regnum cœlorum in suę prædicationis principio inuitauit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum* Matth. 4. Et ideo Aug. dicit in 4. contra Faustũ, quod *temporalium rerum promissiones testamento veteri continentur, & ideo vetus appellatur, sed æternæ vitæ promissio ad nouum pertinet testamentum*. Secundo ad legem pertinet dirigere humanos actus secundum ordinem iustitiæ, in quo etiam superabundat lex noua legi veteri, interiores actus animi ordinando secundum illud Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum*. Et ideo dicitur quod lex vetus cohibet manum, lex noua animum. Tertio ad legem pertinet inducere homines ad obseruantiam mandatorum, & hoc quidem lex vetus faciebat, timore pœnarum: lex autẽ noua facit hoc, per amorẽ, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quæ in noua lege confertur, sed in lege veteri figurabatur; & ideo dicit Aug. contra Adamantinum Manichei discipulum, quod *breuis est differentia legis & euangelij timor & amor*.

Lex diuina est vna specie, duplex secundũ statum perfectionis, scilicet vetus & noua.

Discrimen triplex inter legem veterem & nouam, penes perfectionem & imperfectionem.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum lex vetus fuit bona*. Dicendum quod absque omni dubio lex vetus bona fuit. Sicut enim doctrina ostenditur esse vera ex hoc quod consonat rationi rectæ, ita etiam lex aliqua ostẽditur esse bona ex eo quod cõsonat rationi. Lex autem vetus rationi consonabat, quia concupiscentiam reprimebat, quę rationi aduersatur, vt patet in illo mãdato. *Non concupisces rem proximi tui*, quod ponitur Exo. 20. Ipsa etiam lex omnia peccata prohibebat quæ sũt cõtra rationem, vnde manifestum est quod bona erat; & hoc ratio Apostoli Ro. 7. clare ostendit: *Condelector* inquit *legi secundum interiorem hominem*. Et iterum: *Consentio legi quoniam bonum est*. Sed notandum quod bonũ diuersos gradus habet, vt Dio. 4. ca. de di. no. dicit. Est

Lex vetus fuit bona, sed imperfecta quatenus haud sufficienter perduxit ad finem.

enim

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

enim aliquod bonum perfectum, & aliquod bonũ imperfectum perfecta quidem bonitas est in his quæ ad finem ordinantur, quando aliquid est tale, quod per se sufficiẽs est inducere ad finem. Imperfectum autẽ bonum est, quod operatur aliquid ad hoc quod perueniatur ad finem, non tamen sufficit ad hoc quod ad finem perducat. Sicut medicina perfectè bona est quæ hominem sanat: imperfecta autem est quæ hominem adiuuat, sed tamen sanare non potest.

Quis finis diuinæ legis, quis humanæ.

Est autem sciendum quod alius est finis legis humanæ, & alius legis diuinæ. Legis enim humanæ finis est tẽporalis tranquillitas ciuitatis. Ad quem finẽ peruenit lex, cohibẽdo exteriores actus quantũ ad illa mala quæ posset perturbare pacificũ statũ ciuitatis. Finis autẽ legis diuinæ est perducere hominem ad finem felicitatis ęternæ: qui quidem finis impeditur per quodcunque peccatum, & non solum per exteriores actus sed etiam per interiores. Et ideo illud quod sufficit ad perfectionẽ legis humanæ, vt scilicet peccata prohibeat, & pænã apponat, nõ sufficit ad perfectionẽ legis diuinæ, sed oportet quod hominẽ totaliter faciat idoneum ad participationẽ felicitatis ęternæ. Quod quidem fieri non potest nisi per gratiam spiritussancti, per quã diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ legẽ adimplet. *Gratia enim Dei vita æterna*, vt dicitur Ro. 6. Hanc autẽ gratiã lex vetus conferre nõ potuit. Reseruabatur enim hoc Christo, quia vt dicitur Iob 1. *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christũ facta est*; & inde est, quod lex vetus bona quidem est, sed imperfecta: secundum illud Hebræ. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

Solsuntur obiectiones.

Quod autem dicit dominus Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*: loquitur ibi dominus de præceptis cerimonialibus, quæ quidẽ dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur, cum tamen per huiusmodi se peccatores ostenderẽt. Vnde signãter dicitur. *Et iudicia in quibus non viuent* idest per quæ vitam gratię obtinere non possunt. Et postea subditur. *Et pollui eos in muneribꝰ suis* idest pollutos ostẽdi, cũ offerrẽt õne id quod aperit vuluã propter delicta sua.

Item quod dicit Apostol. Ro. 7. *Sine lege peccatum mortuum erat, ego autẽ viuebam sine lege aliquando, sed cum veniſſet mandatum, peccatũ reuixit, ego autẽ mortuus sum.* & Ro. 5. *Lex subintrauit vt abundaret delictum.* Sed lex dicitur occidisse, non quidem effectiuè, sed occasionaliter, ex sua imperfectione; inquantũ scilicet gratiam nõ conferebat, per quã homines implere possent quod mãdabat, vel vitare quod vetabat, & sic occasio ista nõ erat data, sed sumpta ab hominibus. Vnde & Apostolus ibidem dicit. *Occasione accepta, peccatum per mandatũ seduxit me, & per illud occidit.* Et ex hac etiam ratione dicitur quod *subintrauit vt abundaret delictum*, ly *vt* sũpto constitutiuè, nõ causaliter, inquantũ scilicet homines accipientes occasionem à lege abũdantius peccauerunt; tũ quia grauius fuit peccatum, post legis prohibitionem; tum etiam quia cõcupiscentia creuit, magis enim concupiscimus quod nobis prohibetur.

Circa quartum, scilicet *vtrum lex vetus fuit data à Deo qui est pater domini nostri Iesu Christi.* Dicẽdum incunctanter quod sic. Lex enim vetus homines ordinabant ad Christum dupliciter. Vno modo testimonium Christo perhibendo vnde ipse dicit Luc. vlti. *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege & psalmis & prophetis de mè.* Et Ioh. 5. *Si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Alio modo per modũ cuiusdam dispositionis, sic dum retraheret homines à cultu idolatriæ, concludebat eos sub cultu vnius Dei, à quo saluandum erat humanum genus per Christum vnde Apost. dicit ad Gal. 3. *Priusquã veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.* Manifestum est autẽ quod eiusdem est disponere ad finem, & ad finem perducere, (& dico eiusdem, per se, vel per suos subiectos) Non enim diabolus legem tulisset, per quã homines adducerentur ad Christũ, per quem erat eijciẽdus secũdũ illud Matth. 12. *Si sathanas sathanã eijcit diuisũ est regnũ eius.* Et ideo ab eodẽ Deo, à quo facta est salus hominũ per gratiã Christi, lex vetus data est.

Lex vetus à Deo data est, fuitque perfecta tẽporis & personarum quibus data est licet non simpliciter.

Licet autem fuerit imperfecta simpliciter, fuit tamen perfecta secundũ tẽpus, sicut dicitur aliquis puer perfectus nõ simpliciter, sed secũdum tẽporis cõditionẽ ita etiam & præcepta quæ pueris dantur sunt quidẽ perfecta, secundũ conditionem eorum quibus dantur, etsi nõ sint perfecta simpliciter; & talia fuerunt præcepta legis. Vnde Apostolus dicit ad Gal. 3. *Lex pedagogus vester fuit in Christo.*

Item opera Dei quæ perfecta sunt simpliciter, perseuerãt in æternum: Lex autẽ vetus reprobatur tẽpore perfectionis gratiæ, non tanquã mala, sed tanquã infirma & inutilis pro tẽpore isto; quia vt subditur: *nihil ad perfectum adduxit lex*, vnde & ad Gal. 3. dicit Apostolus. *Vbi venit fides iam non sumus sub pedagogo.*

Lex vetus fuit data à Deo per Angelos, & quare.

Fuit autem data à Deo per Angelos; Ad quod præter generalẽ rationẽ quam assignat Dio. 5. ca. ce. ie. scilicet quod *diuina referri debent ad homines meditantibus Angelis*, fuit ratio spiritualis, quare legem veterem per Angelos dari oportuit. Dictum est enim quod lex vetus imperfecta erat, sed disponebat ad perfectam salutem generis humani, quę futura erat per Christum. Sic autẽ videtur in omnibus potestatibus & artibus ordinatis quod ille qui est superior, principalem & perfectum actum operatur per seipsum, ea vero quæ disponunt ad perfectionẽ vltimam, operatur per suos ministros; sicut nauis factor cõpaginat nauem per seipsum, sed præparat materiã per artifices subministrantes; & ideo conueniens fuit vt lex perfecta noui testamenti, daretur immediate per ipsum Deum hominẽ factum, lex autem vetus per ministros Dei, scilicet per Angelos daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus in principio ad Hebr. probat eminentiam nouæ legis ad veterem, quia in nouo testamento *locutus est nobis Deus in filio.*

Ratio cur Deus solis Iudæis legem dedit.

Circa quintum, s. *vtrum soli populo Iudæorum dari debuit.* Dicendum quod ita propter speciales promissiones Abrahæ factas, præcipuè de Christo ex semine eius nascituro posset etiã secundum aliquos vna ratio assignari, quare potius populo Iudæorum magis data sit quam alijs populis, quia alij ad idolatriam declinãtibus, solus populus Iudæorum in cultu vnius Dei remansit: & ideo alij populi indigni erant legem recipere, ne sanctum canibus daretur. Sed ista ratio conueniens non videtur, quia populus ille, etiam post legem latam, ad idolatriam declinauit, quod grauius fuit, vt patet Exo. 32. & Amos 5. *Nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel, & portastis tabernacula moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, secus Dei nostri quæ fecistis vobis.* Expresse etiam dicitur Deu. 9. *Scito quod non propter iustitias tuas Deus tuus dederit tibi terram hanc in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis populus.* Sed ratio ibi præmittitur, *vt compleret verbum suum dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham Isaac & Iacob.* Quæ autem promissio eis sit facta ostendit Apostolus ad Gal. 3. dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus.*

Deus igitur & legem & alia documenta specialia illi populo exhibuit, propter promissionem eorum patribus factam, vt ex eis Christus nasceretur. Decebat enim vt populus ille ex quo Christus nasciturus erat, quadam spirituali sanctificatione polleret, secundum illud quod dicitur Leui. 19. *Sancti eritis quia ego sanctus sum.* Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, vt talis promissio ei fieret, vt scilicet Christus ex eius semine nasceretur, sed ex gratuitatis electione & vocatione, vnde dicitur. Isa. 41. *Qui suscitauit ab oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur &c.* Sic ergo patet quod ex sola gratuitatis electione, patres promissionem acceperunt, & populus ex eis progenitus legem accepit secundum illud Deu. 4. *Audistis verbum illius de medio ignis,*

Ignis, quia dilexit patres: & elegit ſemen eorum poſt illos.

SI AVTEM rurſus quæratur quare hunc populũ elegit vt ex eo Chriſtus naſceretur; notatur conueniens reſponſio Aug. quam dicit ſuper Ioh. *quare hunc trahat & illum non trahat, Noli velle diiudicare ſi non vis errare.* Decens tamen fuit quod ille populus de quo Chriſtus naſciturus erat: aliquas præ cæteris populis prærogatiuas haberet, ſecundum illud Ro.9. *Quorum* ſcilicet Iudæorum *eſt adoptio filiorum Dei, & teſtimonium, & legiſlatio, quorum patres & ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem.* Nec poteſt dici quod fuerit perſonarum acceptio apud Deum, quia perſonarum acceptio locum habet in his quæ ex debito dantur: in his vero quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum non habet. Non enim eſt perſonarum acceptor, qui ex liberalitate de ſuo dat vni & non alteri, ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundum merita ſingulorum, eſſet perſonarum acceptio. Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex ſua gratia vnde non eſt perſonarum acceptio, ſi quibuſdam præ alijs conferat, vnde dicit Aug. in li. de prædeſtinatione ſanctorum: *omnes quos Deus docet, miſericordia docet, quos autem non docet, indicio non docet.* hoc enim venit ex damnatione humani generis, pro peccato primi parentis.

Alienigenæ non tenebãtur ſeruare legem veterem.

Ex prædictis apparet quod alienigenæ non obligabantur ad obſeruantiam legis veteris; quia lex vetus manifeſtabat præcepta legis naturæ, & ſuperaddebat quædam propria præcepta: quantum igitur ad illa, quæ vetus lex continebat de lege naturæ, omnes tenebãtur ad obſeruantiam legis veteris; non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ; ſed quantum ad illa quæ vetus lex ſuperaddebat, non tenebantur aliqui ad obſeruantiã veteris legis, niſi ſolus populus Iudæorum: cuius ratio eſt, quia lex vetus ſicut dictũ eſt, data eſt populo Iudæorũ, vt quandã prærogatiuã ſanctitatis obtineret propter reuerẽtiã Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat. Quæcunque autẽ ſtatuũtur ad ſpecialẽ aliquorum ſanctificationem, nõ obligant niſi illos, ſicut ad quędã obligantur clerici qui mancipãtur diuino myſterio, ad quę laici non obligantur; ſimiliter etiã & religioſi, ad quædã perfectionis opera obligãtur ex ſua profeſſione, ad quæ ſæculares nõ obligantur ex ſua profeſſione, ſimiliter ad quædã ſpiritualia obligabatur populus ille, ad quæ alij populi nõ obligabãtur, vnde dicitur Denter. 18. *Perfectus eris & abſque macula cũ domino Deo tuo.* & propter hoc etiam quadã profeſſione vtebantur, vt patet Deut. 26. *Profiteor hodie coram domino Deo tuo* &c. nec ex hoc deterioris cõditionis erãt Iudæi prę cæteris populis, ex hoc quod ad obſeruantiã legis aſtricti erant. & nota quia quãto homo Deo magis cõiungitur, tanto efficitur melioris conditionis, & ideo quod populus Iudęorũ erat aſtrictus magis ad diuinum cultum, dignior alijs populis erat. vnde dicitur Deut. 4. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat cerimonias, iuſta iudicia, atque vniuerſam legem.* Et ſimiliter etiã quantũ ad hoc, ſunt melioris cõditionis, clerici quam laici, & religioſi quã ſeculares. Admittebantur autem Gentiles ad ritum Iudæorũ, ſicut patet Exo.12. *Siquis peregrinorum in noſtrã voluerit tranſire coloniam, & facere vaſa domini, circũcidetur prius omne maſculinũ eius, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ.* Admittebantur inquã non quia ſine lege ſaluari nõ poſſent, vel quia ad legis obſeruantiã tenerẽtur, ſed vt perfectius & ſecurius ſalutẽ conſequerentur, ſub obſeruantijs legis, quã ſub ſola lege naturali; & ideo ad eas admittebãtur, ſicut & nunc laici tranſeunt ad clericatum, & ſæculares ad religionem, quamuis abſque hoc poſſint ſaluari.

Lex vetus cur tempore Moyſi data conuenientiſſime.

CIRCA ſextum, ſcilicet *vtrũ congruo tempore data fuerit*; ſciendum, quod cõuenientiſſime data fuit tempore Moyſi; cuius ratio poteſt accipi ex duobus, ſecundum quod quælibet lex duobus generibus hominũ imponitur; imponitur enim quibuſdã duris, & ſuperbis, qui per legẽ compeſcuntur, & domantur: Imponitur etiã bonis, qui per legẽ inſtructi, adiuuantur ad implẽdum, quod intẽdunt. Conueniens igitur fuit legem veterem tali tẽpore dari, ad ſuperbiam hominũ cõtuincendam, de duobus enim homo ſuperbiebat, ſcilicet de ſciẽtia, & de potentia: de ſcientia quidẽ quaſi ratio naturalis ei poſſet ſufficere ad ſalutem; & ideo vt de hoc ſuperbia eius conuinceretur, permiſſus eſt homo regimini ſuæ rationis, abſque adminiculo legis ſcriptæ: Et experimento homo dicere potuit, quia patiebatur rationis defectum; per hoc quod homines ad idolatriã, & turpiſſima vitia, circa tempora Abrahæ prolapſi ſunt: & ideo poſt hæc tempora, neceſſarium fuit legẽ ſcriptam dari, in remedium humanæ ignorantiæ, quia per legem eſt cognitio peccati, vt dicitur Ro.5. ſed poſtquam homo eſt inſtructus per legem, cõuicta eſt eius ſuperbia de infirmitate, dum implere nõ poterat, quod cognoſcebat. Et ideo ſicut Apoſtolus concludit. Ro. 8. *quod impoſsibile erat legi, in qua infirmabatur per carnẽ, miſit Deus filium ſuum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Ex parte vero bonorum lex data eſt in auxilium. Quod quidem tunc primo maximè neceſſariũ fuit, quando lex naturalis obliterari incipiebat, propter exuberantiã peccatorum oportebat autẽ huiuſmodi auxilium quodammodo, vel ordine dari, vt per imperfecta, ad perfectiorem viam duceretur; & ideo inter legem naturæ, & legem gratiæ, oportuit legem veterem dari.

De præceptis legis veteris.

DISTINCTIO V.

DEINDE conſiderandum eſt de præceptis legis, & primo de diſtinctione præceptorum. Secũdo de moralibus ſpiritualiter. Circa primum. Primo conſiderandum eſt vtrum veteris legis fuerunt plura præcepta. Secundo an habuerit præcepta moralia. Tertio an habuerit præcepta cærimonialia. Quarto an iudicialia.

CIRCA primum, ſcilicet. *An veteris legis fuerint plura præcepta* ſciendum, quod præceptum legis cum ſit obligatorium, eſt de aliquo quod fieri debet. Quod autem aliquid debeat fieri hoc prouenit ex neceſſitate alicuius finis: vnde manifeſtum eſt, quod de ratione præcepti eſt, quod importet ordinem ad finem, inquantum, ſcilicet illud præcipitur, quod eſt neceſſarium, vel expediens ad finem. Contingit autem ad vnũ finem multa eſſe neceſſaria, vel expedientia, & ſecundum hoc poſſunt de diuerſis rebus dari præcepta, inquantum ordinantur ad vnum finem. Vnde dicẽdum, quod omnia pręcepta legis veteris ſunt vnum ſecundum ordinem ad vnum finem, ſunt tamen multa ſecundum diuerſitatem eorum, quæ ordinantur ad finem illum: lex igitur, quæ vna eſt propter ordinem ad finẽ vnum, diuerſa præcepta cõtinet ſecũdũ diſtinctionem eorum, quæ ordinat in finẽ. Sicut etiã ars ædificatiua eſt vna ſecundũ vnitatẽ finis, quia tendit ad ædificationem domus, tamẽ cõtinet diuerſa præcepta ſecũdum diuerſos actus ad hoc ordinatos. Similiter & prę-cepta, ſicut ait Greg. *& multa ſunt, & vnũ: Multa per diuerſitatem operis: Vnũ in radice dilectionis.* quia ſicut dicit Apoſt. 1. Ti. 1. *Finis præcepti eſt charitas*, ad hoc enim omnis lex tẽdit, vt amicitiã conſtituat, vel hominum adinuicẽ, vel hominis ad Deũ; & ideo tota lex impletur in hoc vno mãdato: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, Sicut in quodã fine mandatorum omnium, in dilectione enim proximi includitur etiam Dei dilectio, quando proximus diligitur propter Deũ, vnde hic Apoſtolus vnũ præceptũ poſuit pro duobus, quæ sũt de dilectione Dei, & proximi, de quibus Domin⁹ dicit Matth. 22. *In his duobus mandatis pendet omnis lex, & Prophetæ.* Item Matth. 7. dicitur. *Omnia quæcũque vultis, vt faciãt vobis homines, & vos facite illis, hoc. n. eſt lex, & Prophetæ.* in hoc igitur vno omnia cõtinentur, quia ſicut dicitur 9. Ethi. *Amicabilia, quæ ſunt ad alterũ, veniunt ex amicabilibus, quæ ſunt homini ad ſeipſum*, dũ. ſ. homo ita ſe habet ad alterũ ſicut ad ſe, & ideo in hoc quod dicitur, *omnia quæcunque*

Præcepta veteris legis ſunt plura in ſo licet vnum in fine quo referuntur.

vultis,

vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, explicatur quædam regula dilectionis proximi, quæ etiam implicitè continetur in hoc, quod dicitur; *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, vnde eſt quædam explicatio iſtius mandati.

Lex vetus continebat præcepta moralia.

CIRCA ſecundum ſ. *An lex vetus habuerit præcepta moralia* dicendum, quod lex vetus continebat quædam præcepta moralia, ſicut patet Exo. 20. *Non occides, non furtum facies* & hoc rationabiliter, nã ſicut intẽtio principalis legis humanæ eſt, vt faciat amicitiam hominũ adinuicem, ita intentio legis diuinæ eſt, vt conſtituat principaliter amicitiam hominis ad Deum: cum autem ſimilitudo ſit ratio amoris, ſecundum illud Eccl. 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi*: impoſſibile eſt eſſe amicitiam hominis ad Deum, qui eſt optimus, niſi homines boni efficiantur. Vnde dicitur Leuit. 19. *Sancti eritis quoniam ego ſanctus ſum*, bonitas autem hominis eſt virtus, quæ bonum facit habentem, & ideo oportuit præcepta legis veteris, de actibus virtutum dari, & hæc ſunt moralia legis præcepta.

Lex vetus habuit præcepta cæremonialia.

CIRCA tertium ſ. *An lex vetus habuerit præcepta cæremonialia* dicendum, quod lex vetus continebat etiam quędam præcepta cærimouialia. Ad cuius euidentiam notandum ſicut dictum eſt, quod lex diuina principaliter inſtituitur ad ordinandum homines ad Deũ, lex autem humana principaliter ad ordinandum homines adinuicẽ, & ideo leges humanæ nõ curauerũt ſaliquid inſtituere de cultu diuino, niſi in ordine ad bonũ commune hominum: & propter hoc multa confinxerunt circa res diuinas, ſecundum quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum, ſicut patet in ritu gentilium: ſed lex diuina econuerſo homines adinuicem ordinauit, ſecundum quod conueniebat ordini, qui eſt in Deum, quem principaliter intendebat. Ordinatur autem homo in Deum, non ſolum per interiores actus mentis, qui ſunt credere, ſperare, & amare; ſed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo diuinam ſeruitutem profitetur, & iſta opera dicũtur ad cultum Dei pertinere: qui quidem cultus, cærimonia vocatur, quaſi Munia ideſt dona Cereris, quæ dicebatur Dea frugum, vt quidam dicũt, eo quod primo ex frugibus oblationes Deo ferebantur. Siue vt maximus Valerius refert, nomen cærimoniæ introductum eſt ad ſignandum cultum diuinum ad latinos, à quodam oppido iuxta Romam, quod Cæræ vocabatur, eo quod Roma capta à Gallis, illuc ſacra Romanorum ablata ſunt, & reuerentiſſime habita. Sic igitur illa præcepta: quæ in lege pertinent ad cultum Dei, ſpecialiter cerimonialia dicuntur. Præcepta enim legis naturæ, quia communia ſunt, indigent determinatione, determinantur autem per legem humanam, & per legem diuinam: & ſicut ipſę determinationes, quæ fiunt per legem humanam non dicuntur eſſe de lege naturę, ſed de iure poſitiuo, ita ipſæ determinationes præceptorum legis naturæ, quæ fiunt per legem diuinam, diſtinguuntur à præceptis moralibus, quę pertinent ad legem naturę. Colere ergo Deum, cum ſit actus virtutis, pertinet ad prędceptum morale, ſed determinatio huius præcepti, vt ſcilicet colatur talibus hoſtijs, & talibus muneribus, hoc pertinet ad præcepta cærimonialia, & ideo prędcepta cærimonialia diſtinguuntur à præceptis moralibus.

Quid cærimonia.

Lex vetus continebat etiam præcepta iudicialia.

CIRCA quartũ ſ. *An lex vetus habuerit præcepta iudicialia* dicendũ, quod lex vetus continebat etiam quędã præcepta iudicialia: quia ſicut dictum eſt, ad legem diuinam pertinet, vt ordinet homines adinuicem, & ad Deum: vtrunque autem horum, in communi quidem pertinet ad dictamen legis naturæ, ad quod referuntur moralia præcepta; ſed oportet, quod determinetur vtrunque per legem diuinam, & humanam: quia principia naturaliter nota ſunt communia, tam in ſpeculatiuis, quam in actiuis. Sicut igitur determinatio communis præcepti de cultu diuino, fit per præcepta cærimonialia, ſic etiã determinatio cõmunis præcepti de iuſtitia obſeruanda inter homines, determinatur per prędcepta iudicialia; & ſecundũ hoc oportet tria præcepta legis veteris ponere, ſcilicet moralia, quæ ſunt de dictamine legis naturæ: cærimonialia, quæ ſunt determinationes cultus diuini: & iudicialia, quæ ſunt determinationes iuſtitię inter homines obſeruandæ. Vnde cum Apoſtolus Ro. 7. dixiſſet, quod lex eſt ſancta, ſubiungit, quod *mandatum eſt inſtum, & ſanctum, & bonum*, iuſtum quidem, quantum ad iudicialia, ſanctum, quantum ad cærimonialia: nam ſanctum dicitur, quod eſt Deo dicatum; bõnum, ideſt honeſtum quantum ad moralia. Et nota, quod præcepta iudicialia in aliquo communicant cum moralibus: inquantum, ſcilicet à ratione deriuantur: in aliquo cum cærimonialibus, inquantum ſcilicet ſunt quædam determinationes communium præceptorum, & ideo quandoque ſub iudicijs comprehenduntur præcepta moralia, & iudicialia, Sicut Deut. 5. *Audi Iſrael cærimonias atque iudicia.* Quãdoque vero iudicialia, & cærimonialia, ſicut Leui. 18. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis*: vt præcepta ad moralia referantur, iudicia vero ad iudicialia, & cærimonialia. Itẽ nota, quod actus iuſtitiæ in generali pertinet ad præcepta moralia, ſed determinatio eius in ſpeciali pertinet ad præcepta iudicialia. Hæc ergo tria genera præceptorum principaliter continebantur in lege, ſicut dicitur Deuteronomij cap. 6. *Hęc ſunt præcepta cærimoniæ atque iudicia, quæ mandauit ad vos Deus*, & ideo ponuntur in principio legis:

Præter tria genera præceptorum, erant adhuc in lege veteri præambula quædam ſcilicet teſtimonia, iuſtificationes, & mandata, quæ omnia ad præceptorum obſeruantiam ordinabantur.

SED præter hæc, etiam quædam alia continebãtur: in lege enim ponuntur aliqua tanquam præcepta, aliqua vero tanquam ad prędceptorum adimpletionem ordinata. Præcepta quidem ſunt de his, quæ ſunt agẽda ad quorum impletionẽ ex duobus homo inducitur, ſcilicet ex auctoritate præcipientis, & ex vtilitate impletionis, quę quidẽ eſt conſecutio alicuius boni vtilis delectabilis, vel honeſti, aut fuga alicuius mali cõtrarij. Oportuit igitur in veteri lege præponi quædam quæ auctoritatem Dei præcipientis indicarent, ſicut illud Deu. 6. *Audi Iſrael, dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* Et illud Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Et huiuſmodi dicuntur teſtimonia. Oportuit etiam, quod in lege proponerentur quædam præmia obſeruantium legem, & pæna trãſgredientium, vt patet Deu. 28. *Si audieris vocem domini Dei tui, faciet te excellentiorem cunctis gentibus, &c.* Et huiuſmodi dicuntur iuſtificationes, ſecũdum quod Deus aliquos iuſtè punit, vel præmiat; ipſa autem agenda ſub præcepto non cadunt, niſi inquantum habent aliquam debiti rationem. Eſt autem duplex debitum. Vnum quidem ſecũdum regulam rationis, aliud autem ſecundum regulã legis determinãtis, ſicut Philoſophus in 5. Eth. diſtinguit duplex iuſtum, ſcilicet morale, & legale. Debitum autẽ morale eſt duplex. Dictat enim ratio aliquid faciendum, vel tanquã neceſſarium, ſine quo nõ poteſt eſſe ordo virtutis; vel tanquam vtile ad hoc quod ordo virtutis melius conſeruetur, & ſecundum hoc quędam moralium præcisè præcipiuntur, vel prohibentur in lege, ſicut non occides, non furtum facies, & hæc propria dicuntur præcepta. Quædam non præcipiuntur, vel prohibentur quaſi præcisè debita, ſed propter melius, & iſta poſſunt dici mandata: quia quandam inductionem habent, & perſuaſionem, ſicut illud Exo. 22. *Si pignus acceperis veſtimentum à proximo tuo, ante ſolis occaſum reddas ei*, & aliqua ſimilia. Vnde Hiero. dicit quod *in præceptis eſt iuſtitia, in mandatis vero charitas.* Debitum autem ex determinatione legis, in rebus quidem humanis pertinet ad iudicialia, in rebus autem diuinis, ad cærimonialia; quamuis etiam ea, quę pertinent ad pænam, vel præmia, dici poſſunt teſtimonia: inquantũm ſunt proteſtationes quædam diuinæ iuſtitiæ. Omnia vero præcepta legis dici poſſunt iuſtificationes, inquantum ſcilicet ſunt quædam executiones legalis iuſtitiæ. Poſſunt etiã aliter mãdata à præceptis diſtingui vt præcepta dicãtur, quæ Deus per ſeipſũ iuſſit, mãdata autem

Diſcrimen inter præcepta & mandata.

Lex vetus continebat etiam præcepta iudicialia.

quæ per alios mandauit, vt ipſum nomen ſonare videtur. Ex quibus omnibus apparet, quod omnia legis præcepta continentur ſub moralibus, cærimonialibus & iudicialibus. Alia vero non habent rationem præceptorum, ſed ordinantur ad præceptorum obſeruationem, vt dictum eſt.

De moralibus præceptis legis veteris.

DISTINCTIO VI.

DEinde conſiderandum eſt de moralibus præceptis. Circa quæ declaranda ſunt duodecim. Primo, vtrum omnia præcepta moralia veteris legis ſint de lege naturæ. Secundo, vtrum præcepta moralia veteris legis ſint de actibus omnium virtutum. Tertio, vtrum omnia præcepta moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta decalogi. Quarto de diſtinctione præceptorum decalogi. Quinto de numero eorum, Sexto de ordine. Septimo de modo tradendi ipſa. Octauo vtrum ſint diſpenſabilia. Nono vtrum modus obſeruandi virtutem cadat ſub præcepto. Decimo vtrum modus charitatis cadat ſub præcepto. Vndecimo de diſtinctione aliorum præceptorum moralium. Duodecimo vtrum præcepta moralia veteris legis iuſtificent.

CIRCA primum ſ. *An omnia præcepta veteris legis ſint de lege naturæ* ſciendum, quod præcepta moralia à cærimonialibus, & iudicialibus diſtincta ſunt, inquantũ ſunt de illis, quę ſecundum ſe ad bonos mores pertinent. Cum autem humani mores dicantur in ordine ad rationem, quod eſt proprium principium humanorum actuum, illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt, mali autem qui à ratione diſcordant. Sicut autem omne iudicium rationis ſpeculatiuæ procedit à naturali cognitione primorum principiorum, ita etiã omne iudicium rationis practicæ procedit ex quibuſdam principijs naturaliter cognitis, ex quibus diuerſimodè procedi poteſt ad iudicãdum de diuerſis. Quędam enim ſunt in humanis actibus adeo explicita, quod ſtatim cum modica conſideratione poſſunt approbari, vel reprobari per illa cõmunia, & prima principia. Quædam vero ſunt ad quorum iudicium requiritur multa conſideratio diuerſarum circumſtantiarũ, quas conſiderare diligenter non eſt cuiuſlibet, ſed ſapientum: ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum, non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos. Quædam vero ſunt ad quæ dijudicanda indiget homo adiuuari per inſtitutionem diuinam, ſicut eſt circa credenda. Sic igitur patet, quod cum moralia præcepta ſint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem ſunt, quæ rationi congruunt: Omne autem humanæ rationis iudicium, aliqualiter à naturali ratione deriuatur; neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ: ſed diuerſimodè. Quædam enim ſunt quæ ſtatim per ſe, ratio naturalis hominis diiudicat eſſe facienda, vel non facienda: ſicut, honora patrem tuum, & matrem tuam, & non occides, & non furtum facies, & huiuſmodi, ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt quæ ſubtiliori conditione rationis, à ſapientibus iudicantur eſſe obſeruanda, & iſta ſic ſunt de lege naturæ, vt tamẽ indigeant diſciplina, qua minores à ſapientioribus inſtruantur, ſicut illud. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis*, & huiuſmodi. Quædam vero ſunt ad quæ iudicanda ratio humana indiget inſtructione diuina, per quam erudimur de diuinis, ſicut eſt: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, non aſſumes nomen Dei tui in vanum.*

Omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturæ, ſed diuerſimode vt hic habetur.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *vtrum præcepta legis ſint de actibus omnium virtutum.* Sciendum, quod cum præcepta legis ordinentur ad bonum commune, neceſſe eſt, quod præcepta legis diuerſificenter ſecundum diuerſos modos communitatum: vnde Philoſophus in ſua Politica docet, quod *alias leges oportet ſtatuere in ciuitate, quæ regitur rege; & alias in ea, quæ regitur per populum, vel per aliquos potentes de ciuitate.* Eſt autem alius modus communitatis ad quem ordinatur lex diuina, & ad quem ordinatur lex humana. Lex enim humana ordinatur ad communitatem ciuilem, quæ eſt hominum ad inuicem, per exteriores actus quibus homines ſibiinuicem communicant, huiuſmodi autem communicatio pertinet ad rationem iuſtitiæ, quæ eſt propriè directiua communicationis humanæ, & ideo lex humana non proponit præcepta niſi de actibus iuſtitiæ, & ſi præcipiat actus aliarum virtutum, hoc non eſt niſi inquantum aſſumunt rationem iuſtitiæ, vt patet per Philoſophum in 5. Eth. Sed communitas ad quam ordinat lex diuina, eſt hominum ad Deum, vel in præſenti, vel in futura vita; & ideo lex diuina præcepta proponit de omnibus illis, per quæ homines bene ordinentur ad communicationem cum Deo. Homo autem Deo coniungitur ratione ſiue mente, in qua eſt imago Dei, & ideo lex diuina præcepta proponit de omnibus illis, per quæ ratio hominis eſt bene ordinata; hoc autem contingit per actus omnium virtutum: nam virtutes intellectuales ordinant bene actus rationis in ſeipſis, virtutes autem morales ordinant bene actus rationis circa interiores paſſiones, & exteriores operationes: & ideo manifeſtum eſt, quod lex diuina conuenienter proponit præcepta de actibus omnium virtutum, ita tamen quod quædam illorum ſine quibus ordo virtutis, qui eſt ordo rationis obſeruari non poteſt, cadũt ſub obligatione præcepti: quædam vero, quę ſub de bene eſſe virtutis perfectæ, cadunt ſub admonitione conſilij.

Lex diuina vetus ponit conuenienter præcepta vel mandata de actibus omnium virtutum.

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum omnia præcepta moralia veteris legis, reducantur ad decem præcepta decalogi.* Sciẽdum, quod præcepta decalogi ab alijs præceptis differunt in hoc, quod præcepta decalogi per ſeipſum Dominus dicitur populo propoſuiſſe, alia vero præcepta propoſuit per Moyſen. Illa ergo præcepta ad decalogum pertinẽt, quorum notitiam homo habet per ſeipſum à Deo: huiuſmodi vero ſunt illa quæ ſtatim ex principijs communibus primis cognoſci poſſunt, modica conſideratione: & iterum illa, quæ ſtatim ex fide diuinitus infuſa innoteſcunt. præcepta ergo decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa ſcilicet quæ ſunt prima, & communia, quorum nõn oportet aliam inquiſitionem eſſe, niſi quod ſunt ſcripta in ratione naturali & quaſi per ſe nota: ſicut quod nulli debet homo male facere, & alia huiuſmodi: Item illa quæ per diligentem inquiſitionem ſapientium inueniuntur rationi conuenire: hæc enim proueniunt à Deo ad populum, mediante diſciplina ſapientum: Vtraque tamen horum præceptorum cõtinentur in præceptis decalogi: ſed diuerſimode. Nam illa, quæ ſunt prima, & communia continentur in his, ſicut principia in concluſionibus proximis: illa verò, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis econuerſo, ſicut concluſiones in principijs. Illa vero duo præcepta, *Diliges dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum*, ſicut prima & communia præcepta legis naturæ, quæ ſunt per ſe nota rationi humanæ, vel per naturã, vel per fidem. Et ideo omnia præcepta decalogi ad illa duo referuntur, ſicut concluſiones ad principia communia.

Quomodo omnia præcepta moralia ſe habent ad præcepta Decalogi.

CIRCA quartum, ſ. *de diſtinctione præceptorum decalogi.* Sciendũ, quod præcepta decalogi diuerſimode à diuerſis diſtinguuntur. Eſichius enim Leui. 16. ſuper illud, *decem mulieres in vno clibano coquunt panes*, dicit præceptum de obſeruatione ſabbati non eſſe de decẽ præceptis decalogi, quia nõ eſt obſeruandũ ſecundum literam ſecundũ omne tempus. Diſtinguit tamẽ quatuor præcepta pertinentia ad Deum, vt primum ſit. *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Secundum ſit. *Non habebis Deos alienos coram me.* Et ſic etiam diſtinguit hæc duo Hieronymus Oſeæ 10. ſuper illud. *Propter duas iniquitates tuas.* Tertium vero præceptum eſſe dicit. *Non facies tibi ſculptile.* Quartum

vero. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Pertinentia vero ad proximum dicit esse sex, vt primum sit. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Secundum. *Non occides*. Tertium *non mœchaberis*. Quartum. *Non furtum facies*. Quintum. *Non falsum testimonium dices*. Sextum. *Non concupisces*.

Sed primo hoc videtur inconueniens, quod præceptum de obseruatione sabbati, præceptis decalogi interponatur, si nullo modo ad decalogum pertineat. Secundo, quia cum scriptum sit Math. 7. *Nemo potest duobus Dominis seruire*, eiusdem rationis esse videtur, & sub eodem præcepto cadere. *Ego sum Dominus Deus tuus, & non habebis Deos alienos*. Vnde Origenes distinguens etiam quatuor præcepta ordinantia ad Deum, ponit ista duo pro vno præcepto. Secundum vero ponit: *Non facies tibi sculptile*. Tertium: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Quartum: *Memento, vt diem sabbati sanctifices*. Alia vero sex ponit, vt Esichius.

Ponitur distinctio præceptorum Decalogi secundum Aug. qui est magis recepta.

Sed quia facere sculptile, vel similitudinem, non est prohibitum, nisi secundum hoc, vt non colantur pro diis (nam & in tabernaculo Deus præcepit fieri imaginem Seraphin, vt habetur Exo. 25) conuenienter ponit Aug. sub vno præcepto, *non habebis Deos alienos, & non facies sculptile*. Similiter etiam concupiscentia vxoris alienæ ad commixtionem, pertinet ad concupiscentiã carnis; concupiscentia autem aliarum rerum, quæ desiderantur ad possidendum, pertinet ad concupiscentiã oculorum: vnde etiam Aug. ponit duo præcepta, de non concupiscendo rem alienam, & vxorem alienam: & sic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, & septẽ in ordine ad proximum, & hoc melius est.

Circa quintum, s. *de numero præceptorum decalogi*. Dicendum quod sicut dictum est, sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad communitatem humanam, ita præcepta legis diuinę ordinant hominem ad quandam communitatem seu Rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur duo requiruntur, quorum primum est, vt bene se habeat ad eum, qui præest communitati, aliud autem est, vt bene se habeat ad alias communitates, & socios, & comparticipes. Oportet igitur, quod in lege diuina primo ferãtur quędã præcepta ordinantia hominẽ ad Deum, & quædã alia ordinantia ad alios proximos simul conuiuentes cum Deo. Principi autem communitatis tria debet homo. Primo quidem fidelitatem. Secundo reuerentiã. Tertio famulatum. Fidelitas quidem ad dominum in hoc cõsistit, vt honorẽ principatus ad alium non deferat, & quantũ ad hoc accipitur primũ præceptum cũ dicitur, *Non habebis Deos alienos*, reuerentia autem ad dominum requiritur, vt nihil iniuriosum in eum committatur: & quantum ad hoc accipitur secundum præceptũ, quod est, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, famulatus autem debetur domino in recompẽsationem beneficiorum, quę ab ipso præcipiũt subditi: & ad hoc pertinet tertium præceptum, quod est de *sanctificatione sabbati*, in memoriam creationis rerum. Ad proximos autem aliquis bene se habet, & specialiter, & generaliter. Specialiter quidem quantũm ad illos quorum est debitor, vt eis debitum reddat, & quantum ad hoc accipitur præceptũ de *honoratione parentum*. Generaliter autẽ quãtum ad omnes, vt nulli nocumentum inferatur, nec opere, nec ore, nec corde. Opere quidem infertur nocumentũ proximo, quandoque quidem in personã propriã, quantum ad cõsistentiã personæ; & hoc prohibetur per hoc quod dicitur, *nõ occides*: quãdoque autem in personã coniunctam, quantum ad propagationem prolis: & hoc prohibetur cũ dicitur, *nõ mœchaberis*: quãdoque autem in rẽ possessam, quæ ordinatur ad vtrunque: & quãtum ad hoc dicitur, *non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur, *non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*. Nocumentum autem cordis prohibetur cum dicitur, *non concupisces*. Et secundum hanc differentiam possent distinguit tria præcepta ordinantia in Deum, quorũ primum pertinet ad opus, vnde ibi dicitur, *non facies sculptile*. Secundum ad os, vnde ibi dicitur, *non assumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium pertinet ad cor, quia in *sanctificatione sabbati*, secundum quod est morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deum, vel secundum Aug. per primum præceptũ reuereamur vnitatẽ primi principij, per secundum veritatem diuinam: per tertiũ, eius bonitatẽ, qua sanctificamur, & in qua quiescimus sicut in finem.

Aptus est ordo, numerusque præceptorum Decalogi.

Sciendvm autẽ quod non fuit dandum præceptũ de dilectione hominis ad seipsum duplici ratione, primo, quia præcepta decalogi referuntur ad præcepta dilectionis. Fuit autẽ dandum præceptũ hõmini de dilectione Dei, & proximi, quia quantũ ad hoc les naturalis obscurata erat propter peccatum, non autem quãtum ad dilectionẽ suiipsius, quia quantu ad hoc lex naturalis vigebat, vel quia etiam dilectio suiipsius includitur in dilectione Dei, & proximi. In hoc enim homo verè se diligit, quod se ordinat in Deum, & ideo etiam in præceptis decalogi, ponuntur solum præcepta pertinentia ad proximum, vel ad Deum. Aliter potest dici, quod præcepta decalogi sunt illa, quæ immediate populus accipit à Deo, vnde dicitur Deut. 10. *Scripsit in tabulis iuxta id quod prius scripserat, decem verba quæ locutus est ad nos Dominus*. Vnde oportet præcepta decalogi talia esse, quæ statim in mente populi cadere possint, præceptum autem habet rationem debiti: Quod autem homo ex necessitate aliquid debeat Deo, vel proximo, hoc de facili cadere potest in conceptione hominis, & præcipuè fidelis: sed quod aliquid ex necessitate sit debitum homini de his, quæ pertinent ad seipsum etiam non ad alium: hoc non ita in promptu apparet: videtur enim primo aspectũ, quod quilibet sit liber in his, quę ad ipsum pertinent, & ideo præcepta quibus prohibentur inordinationes hominis ad seipsum, perueniunt ad populum mediante instructione sapientum, vnde non pertinent ad decalogum.

Solutio obiectionum.

Cur non fuit datum præceptum de dilectione hominis ad seipsum.

Item sciendum, quod de obseruatione aliarum solemnitatum, non fuit dandum præceptum inter præcepta decalogi, sicut de obseruatione sabbati: quia omnes solennitates veteris legis sunt institutæ in cõmemorationem alicuius diuini beneficij, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati, & similiter propter hoc omnia sacrificia offerebantur. Inter autem omnia beneficia Dei commemorãda, primum & præcipuum erat, beneficium creationis, quod cõmemoratur in sanctificatione sabbati, vnde Exo. 20. Pro ratione huius præcepti ponitur *sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram &c*. Inter omnia autem futura beneficia, quæ erant præfiguranda, præcipuum & finalè erat, quies mentis in Deo, vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam, quæ etiam figurabatur per obseruantiam sabbati, vnde dicitur Isa. 58. *Si auerteris à sabbato pedem tuum & vocaberis sabbatum Domini delicatum, & sanctum Domini gloriosum*. Hæc enim beneficia primo, & principaliter sunt in mente hominum maximè fidelium. Aliæ vero solennitates celebrantur propter aliqua particularia beneficia temporaliter transeuntia, sicut celebratio phasę propter beneficium publicum liberationis in Aegypto, & propter futuram passionem Christi, quæ temporaliter trãsiuit, inducens nos in quietem sabbati spiritualis. Et ideo prætermissis omnibus aliis solemnitatibus, & sacrificijs, de solo sabbato fiebat mentio inter præcepta decalogi.

Cur sola obseruatio sabbati, aliis solemnitatibus omissis, præcipitur in Decalogo.

Item periurium prohibetur inter præcepta decalogi, non autem blasphemiæ, vel falsæ doctrinæ peccatum, quia sicut dicit Apostolus Heb. 6. *Homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum*: & ideo quia iuramentum omnibus est cõmune, propter hoc prohibitio inordinationis circa iuramentum, specialiter præcepto decalogi prohibetur. Peccatum enim falsæ doctrinæ non pertinẽt nisi ad paucos, vnde non oportebat, vt de hoc fieret mentio inter præcepta decalogi, quamuis

Cur periurium potius quam blasphemia vel falsa doctrina in Decalogo prohibeatur.

etiam

etiam ad aliquem intellectum, in hoc quod dicitur, *non assumes nomen Dei tui in vanum* prohibeatur falsitas doctrinæ: vna enim Glossa exponit, nō dices Christum esse creaturam.

Cur non precipiatur vt parentes ament filios, aque ac ecō tra in Decalogo.

ITEM sicut homo naturalem dilectionem habet ad parentes, ita ad filios: præceptum etiam charitatis ad omnes extenditur, & præcepta prohibentia nocumētum inferre proximo, generaliter extenduntur ad omnes. Cuius ratio est, quia ratio naturalis non statim dictat, quod aliquid sit pro alio faciendum, nisi cui homo aliquid debet. Debitum autem filij ad patrem adeo est manifestū, quod nulla tergiuersatione potest negari, eo quod pater est principium generationis, & esse, & insuper educationis, & doctrinæ. Et ideo nō ponitur sub præcepto decalogi, vt aliquod beneficium, vel obsequium alicui impendatur nisi parentibus, B parentes autem non videtur esse debitores filiis propter aliqua beneficia susceptа, sed potius econuerso, filius etiam aliquid patris, & patres amant filios, vt aliquid ipsorum, sicut dicit Philo. 8. Eth. vnde eisdem rationibus non ponuntur aliqua præcepta decalogi pertinētia ad amorem filiorum, sicut neque etiam aliqua ordinantia hominem ad seipsum.

Cur in quibusdam præceptis Decalogi vetantur peccata cordis, in alijs non.

ITEM in quolibet genere peccati conuenit peccare corde, & opere, sed in quibusdam generibus peccatorum, scilicet in furto, & homicidio seorsum prohibetur peccatum operis, cum dicitur, non mœchaberis, nō furtum facies. Et seorsum peccatum cordis, cum dicitur, non concupisces rem proximi tui, & non concupisces vxorem proximi tui. Non sic autem dicitur in peccato homicidij, vel falsi testimonij, cuius ratio est, C quia delectatio adulterij, & vtilitas diuitiarum, sunt per seipsa appetibilia inquātum habent rationem boni delectabilis vel vtilis: & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiā. Sed homicidium, & falsitas, sunt secundum se horribilia (quia proximus, & veritas naturaliter amantur) & non desiderantur nisi propter aliud. Et ideo non oportuit circa peccatum homicidij, & falsi testimonij, prohibere peccatum cordis, sed solum operis.

Ratio ordinis præceptorum Decalogi.

CIRCA sextum, scilicet *de ordinatione præceptorum decalogi*, sciendum quod sicut dictum est præcepta decalogi dantur de his, quæ statim in promptu mens hominis suscipit: manifestum est autem, quod tanto aliquid magis à ratione suscipitur quanto contrarium est grauius, & magis ratione repugnans. Manifestum D est autem quod cum rationis ordo à fine iucipiat, maximè est contra rationem, vt homo inordinate se habeat circa finem, finis autem humanæ vitæ, & societatis est Deus, Et ideo primo oportuit per præcepta decalogi hominem ordinare ad Deum, cum eius contrarium sit grauissimum, sicut etiam in exercitu, qui ordinantur ad ducē sicut ad finem, Primum est quod miles subdatur duci, & huius contrarium est grauissimum. Secundum vero est, vt alijs coordinetur. Inter ipsa autem per quæ ordinamur in Deum, Primum occurrit, quod homo ei fideliter subdatur, nullam participationem cum inimicis habens: Secundum autem est quod ei reuerentiam exhibeat: Tertium autem est, quod ei etiam famulatum impendat. Maiusque peccatum est etiam in exercitu, si miles infideliter agens, E cum hoste pactum habeat, quam si aliquam irreuerentiam duci faciat: & hoc etiam est grauius, quam si in aliquo obsequio ducis, deficiens inueniatur. In præceptis autem ordinantibus ad proximum manifestū est, quod magis repugnat rationi, & grauius peccatum est si homo nō seruet ordinem debitum ad personas quibus magis est debitor & ideo inter præcepta ordinantia ad proximum, primo ponitur præceptum pertinēs ad parentes, inter alia vero præcepta etiam apparet ordo secundum ordinem grauitatis peccatorum: grauius est enim & magis rationi repugnans peccare opere, quam ore: & ore, quam corde; & inter peccata operis grauius est homicidium per quod totaliter vita hominis iam existentis extinguitur, quam adulterium, per quod impeditur certitudo prolis nascituræ; & adulterium grauius, quam furtum, quod pertinet ad bona exteriora; licet autem secūdum viam sensus, proximus sit magis notus, quam Deus, tamen dilectio Dei, est ratio dilectionis proximi, & ita præcepta ordinantia ad Deum fuerunt præordinanda. Item sicut Deus est vniuersale principium essendi omnibus, ita etiam pater est principium quoddam essendi filio. Et ideo conuenienter post præcepta ordinantia ad Deum ponitur præceptum pertinens ad parentes.

Obiectio diluitur.

Sed contra per præcepta affirmatiua imperantur actus virtutum, per præcepta autem negatiua prohibentur actus vitiorum, sed secundum Boetium in Commento prædicamentorum, prius extirpanda sunt vitia, quam inferantur virtutes, ergo inter præcepta pertinentia ad proximum, ponenda fuerunt primo præcepta negatiua, quam affirmatiua. Dicendum, quod ista ratio procedit quando, scilicet affirmatiua, & negatiua pertinent ad idem genus operis, quamuis etiam & in hoc non habeat omnimodam efficaciam; etsi enim in executione operis prius extirpanda sunt vitia, quam inserendæ virtutes, secundum illud Psal. 33. *Declina à malo, & fac bonum*, & Isa. 1. *Quiescite agere peruerse, discite benefacere*; tamen in cognitione prius est virtus, quam peccatum, quia per rectum cognoscitur obliquum, vt dicitur in primo de anima: *per legem autem cognitio peccati*, vt Ro. 5. dicitur; & secundum hoc præceptum affirmatiuum debuisset primo poni: sed non est ista ratio ordinis, sed quæ posita est: quia in præceptis particularibus adduntur, quæ sunt primę tabulæ; Vltimo ponitur præceptum affirmatiuum, quia eius transgressio minorem reatum inducit

Alia obiectio solnitur.

Item peccatum cordis etsi sit prius in executione, tamen eius prohibitio posterius cadit in ratione.

CIRCA septimum, scilicet *de modo tradendi præcepta* decalogi. Sciendum quod in præceptis diuinæ legis maxima sapientia continetur. Vnde dicitur Deu. 4. *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis*. Sapientia autem est omnia debito modo, & ordine disponere. Et ideo manifestum esse debet, quod præcepta legis conuenienti modo tradita sunt. Quædam ponuntur affirmatiua præcepta, & quædam negatiua: quia semper ad affirmationem sequitur negatio oppositi, non autem semper ad negationem vnius oppositi, sequitur affirmatio alterius. Sequitur enim si est album, non est nigrum; nō tamen sequitur si non est nigrum, ergo est album: quia ad plura se extendit negatio, quā affirmatio. Et inde est etiam, quod non esse faciendum iniuriam, quod pertinet ad præcepta negatiua; ad plures personas se extendit secundum primum dictamen rationis, quam esse debitum, vt alicui obsequium, vel beneficium impendatur. Inest autem primo dictamen rationis, quod homo debitor est beneficij, vel exhibendi obsequij, vel à quibus beneficia accepit, si nondum recompensauit. Duo autem sunt quorum beneficium sufficienter nullus recompensare potest scilicet Deus, & pater, vt dicitur in 8. Eth. Et ideo sola duo præcepta affirmatiua ponuntur: vnum de honore parentum, aliud de celebratione sabbati in commemorationem diuini beneficij.

Cur in decalogo duo tantum sint præcepta affirmatiua.

Cur in quibusdam præceptis apponitur ratio, in alijs non.

ITEM in quibusdā ponitur ratio præceptorū, in quibusdam non: quia illa præcepta, quæ sunt purè moralia, habent manifestam rationem: Vnde non oportuit, quod in eis aliqua ratio adderetur. Sed quibusdā præceptis additur cærimoniale, vel determinatiuum præcepti. moralis communis, sicut in primo præcepto: *Nō facies sculptile*, & in tertio præcepto, determinatur dies sabbati, & ideo vtrobique oportuit rationē assignari.

Cur in quibusdam apponitur promissio, in alijs minimè.

ITEM quare nō ponūtur promissiones in omnibus præceptis sicut in primo, & in quarto. Respōsio, quia homines, vt plurimū actus suos ad aliquā vtilitatē ordināt, & ideo in illis præceptis necesse fuit promissionē præmij apponere ex quibus videbatur nulla vtilitas sequi vel aliqua vtilitas impediri. Quia vero parētes sūt iam in recedendo, ab eis non expectatur vtilitas, &

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ideo præcepto de honore parentum additur promiſ- A
ſio: ſimiliter etiam & præcepto de prohibitione idola-
triæ, & per hoc videbatur impediri apparens vtilitas,
quam homines credebant ſe poſſe conſequi per pa-
ctum cum dæmonibus initum.

Cur non in omnibus apponitur comminatio pœna ſicut in 1. & 2.

Item quare non in omnibus ponitur comminatio pœnæ ſicut in primo, & ſecundo. Reſponſio, quia pœnæ præcipuè ſunt neceſſariæ contra illos, qui ſunt proni ad malum, vt diciturin 10. Ethi. & ideo illis ſolis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum. Erant autem homines proni ad idolatriam, propter generalem conſuetudinem gentium. Et ſimiliter etiam ſunt homines proni ad periurium, propter frequentiam iuramẽti, & ideo primis duobus præceptis adiungitur comminatio.

Cur in 3. præcepto dicitur Memẽto potius quam in aliis.

Item quare in ſolo tertio præcepto fit mentio de B
memoria cum dicitur. Memento, vt diem ſabbati ſanctifices. cum omnia Dei præcepta ſint memoriter retinenda, ſecundum illud Proue. 3. *Deſcribe ea in tabulis cordis tui.* Et Eccl. 3. *Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper.* Reſponſio, quia præceptum de ſabbato ponitur, vt commemorationum beneficij præteriti. Et ideo ſpiritualiter in eo fit mẽtio de memoria, vel quia præceptum de ſabbaro habet determinationem adiunctã, quæ non eſt de lege naturæ, & ideo hoc præceptum ſpirituali admonitione indiguit.

Circa octauum, ſcilicet *vtrum præcepta decalogi ſint diſpenſabilia.* Sciendum, quod in præceptis debet fieri diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, in quo ſi verbum legis obſeruetur, contrariatur in- C
tentioni legiſlatoris. Intentio autem legiſlatoris cuiuslibet, ordinatur primo & principaliter ad bonũ cõmune, ſecundo autem ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundum quã bonum cõmune conſeruatur, & ad ipſum peruenitur: ſi quæ ergo præcepta dentur, quę cõtineant ipſam cõſeruationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis: huiuſmodi præcepta continent intentionem legiſlatoris, & ideo indiſpenſabilia ſunt: puta ſi poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus deſtrueret rempublicam, neque proderet ciuitatẽ hoſtibus; ſiue quod nullus faceret aliquid iniuſte, vel malæ, huiuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia. Sed ſi aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad iſta præcepta, quibus exterminantur aliqui ſpirituales modi, in talibus præ- D
ceptis diſpenſatio poſſet fieri, inquantum peromiſſionem huiuſmodi præceptorum in aliquibus communibus, non fieret præiudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legiſlatoris: puta ſi ad conſeruationem Reipublicæ ſtatueretur in aliqua ciuitate, quod de ſingulis vicis aliqui vigilarent, ad cuſtodiam ciuitatis obſeſſæ, poſſet cum aliquibus diſpenſari propter aliquam maiorem vtilitatem. Præcepta autem decalogi continent ipſam intentionem legiſlatoris ſicet Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant hominem ad Deum, continent ipſum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus eſt. Præcepta autem ſecundæ tabulę, continent ipſum ordinem, iuſtitiæ inter homines obſeruandæ, ſcilicet vt nulli fiat indebitum, vt cuilibet reddatur debitum: ſecundum E
hanc igitur rationem intelligenda ſunt præcepta decalogi, & ideo præcepta decalogi ſunt omnino indiſpenſabilia.

Cur præcepta Decalogi ſint omnino indiſpenſabilia.

Licet autem dicat Philoſophus in 5. Eth. quod iuſtum naturale in aliquibus deficit, & mutabile eſt, ſicut & natura humana: ex quo conſequi videtur quod præcepta decalogi, quæ ſunt de iure naturali, poſſunt per diſpenſationem mutari. Dicendum, quod Philoſophus ibi non loquitur de iuſto naturali, quod continet ipſum ordinem iuſtitię (Hoc enim nunquam deficit, iuſtitiam eſſe ſeruandam) ſed loquitur quantum ad determinatos modos obſeruationis iuſtitiæ, quæ in aliquibus fallunt.

Soluuntur obiectiones.

Item etſi homo poſſit diſpenſare in præceptis legis quæ ſtatuit: non tamen poteſt Deus diſpẽſare in præceptis decalogi, quæ dedit. Sicut enim dicit Apoſt. 2. Ti. 2. *Fidelis eſt Deus ſeipſum negare nõ poteſt.* Negaret autẽ ſeipſum, ſi ipſum ordinem iuſtitiæ ſuæ auferret, cũ ipſe ſit ipſa iuſtitia: & ideo in hoc Deus diſpenſare non poteſt, vt homini liceat non ordinate ſe habere ad Deum, vel non ſubdi ordini iuſtitiæ eius, & in his ſecundum quæ homines ad inuicem ordinantur.

Item occiſio hominis prohibetur in decalogo ſecũdũ quod habet rationem indebiti: ſic enim præceptum cõtinet ipſam rationem iuſtitiæ. Lex autẽ humana hoc cõcedere nõ poteſt, quod licitè homo indebitè occidatur: ſed malefactores occidi, vel hoſtes Reipublicæ, hoc nõ eſt indebitũ: vnde hoc nõ cõtrariatur præcepto decalogi, nec talis occiſio eſt homicidiũ, quod præcepto decalogi prohibetur, vt Au. dicit in li. de libe. arbi.

Et vniuerſaliter ſi alicui auferatur quod ſuũ erat, ſi debitũ eſt quod ipſum amittat: hoc nõ eſt furtum, vel rapina, quæ præcepto decalogi prohibentur. Et ideo quando filij Iſrael præcepto Dei tulerunt Aegyptiorum ſpolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex ſentẽtia Dei. Similiter etiã Abraham cũ conſenſerit occidere filiũ, non conſenſit in homicidiũ: quia debitũ erat eũ occidi per mandatũ Dei, qui eſt Dominus vitæ & mortis. Ipſe enim eſt, qui pœnã infligit omnibus hominibus iuſtis, & iniuſtis, pro peccato primi parentis: cuius ſimoniæ ſi homo fit executor auctoritate diuina, nõ erit homicida, ſicut nec Deus. Et ſimiliter Oſeas accedens ad vxorẽ fornicatiã, vel ad mulierem adulteram, non eſt mœchatus, neque fornicatus: quia acceſſit ad eã, quæ ſua erat ſecũdũ mandatum diuinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonij. Sic igitur præcepta ipſa decalogi quantum ad rationẽ iuſtitiæ, quã continent, immutabilia ſunt: ſed quantum ad aliquã determinationẽ per applicationẽ ad ſingulares actus, vt ſcilicet hoc, vel illud ſit homicidiũ, vel furtum, vel adulterium, aut nõ, Hoc quidẽ eſt mutabile, quãdoque auctoritate diuina ſolatin his ſcilicet quæ à ſolo Deo ſũt inſtituta, ſicut in matrimonio, & in alijs huiuſmodi: Quandoque etiã auctoritate humana, ſicut in his quæ ſunt cõmiſſa hominũ iuriſdictioni: quãtũ enim ad hoc homines gerũt vicẽ Dei, non autẽ quãtum ad omnia.

Item quando filij Iſrael excogitauerunt pugnare in die ſabbati, ſicut dicitur 1. Mach. 2. *Cogitauerũt in die illa dicentes, omnis homo quicũque venerit ad nos in bello die ſabbatorum, pugnemus aduerſus eũ:* Illa cogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quã diſpẽſatio. Non enim intelligitur violare ſabbatum, qui facit opus, quod eſt neceſſarium ad ſalutem humanam, ſicut Dominus probat Math. 12.

Circa nonum, ſ. *vtrum modus virtutis cadat ſub præcepto legis:* vt ſcilicet aliquis iuſtè operetur iuſta, & ſequatur fortia, & ſimiliter de alijs virtutibus, ſicut dicitur Deut. 16. *Iuſtè, quod iuſtum eſt exequeris.* Sciendum, quod præceptum legis habet vim coactiuã. Illud ergo directè cadit ſub præcepto legis, ad quod lex cogit. Coactio autẽ legis eſt per metum pœnæ, vt dicitur in 10. Eth. Vnde illud propriè cadit ſub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur. Ad inſtituẽdũ autẽ pœnã aliter ſe habet lex diuina, & lex humana. Non enim pœna legis infligitur niſi pro illis de quibus legiſlator haber iudicare, quia ex iudicio lex punit: homo autem qui eſt legiſlator humanæ, non habet iudicare niſi de exterioribus actibus: quia *homines vident ea, quæ apparẽt*, vt dicitur. Reg. 16. Sed ſolius Dei eſt, qui eſt legiſlator diuinæ, iudicare de interioribus motibus voluntatum, ſecundum illud Pſal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Secundum hoc igitur dicendum eſt, quod modus virtutis quantum ad aliquid reſpicitur à lege humana, & diuina: quantum ad aliquid autem à lege diuina, ſed non à lege humana: quantum ad aliquid autẽ nec à lege humana, neque à lege diuina. Modus autẽ virtutis in tribus cõſiſtit ſecundũ Philoſophum in 2. Eth. quorum primũ eſt, ſi aliquis operetur ſciẽs: hoc autem diiudicatur, & à lege diuina, & à lege humana. Quod enim aliquis ignorans facit, per accidens facit:

Modus virtutis in tribus conſiſtit.

vnde

Quis modus virtutis cadit sub præcepto.

vnde secundum ignorantiam aliqua dijudicantur ad pœnam, vel ad veniam: tam secundum legem humanam, quam secundum legem diuinam. Secundum est, vt aliquis operetur nolens, vel eligens, in quo importatur duplex motus interior, scilicet voluntatis, & intentionis; & ista duo non dijudicat lex humana, sed solum lex diuina: lex enim humana non punit eum, qui vult occidere, & non occidit: punit autem eum lex diuina, secundum illud Math. 6. *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*. Tertium autem est, vt quis firmè, & immobiliter se habeat, & operetur: & ista firmitas propriè pertinet ad habitum, vt scilicet aliquis ex habitu operetur & quantum ad hoc modus virtutis non cadit sub præcepto, neque legis diuinæ, neque legis humanæ: neque enim ab homine, neque à Deo punitur tanquam præcepti transgressor, qui debitum honorem impendit parentibus, quamuis non habeat habitum pietatis. Modus ergo faciendi actum iustitiæ, qui cadit sub præcepto est, vt fiat aliquid secundum ordinem iuris: nõ autẽ vt fiat ex habitu iustitiæ. Item quod aliquis voluntariè, & delectabiliter operetur, bene cadit sub præcepto legis diuinæ. Psal. 99. *Seruite domino in lætitia*, & 2. Cor. 9. *Non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diliget Deus*, Glossa, *quicquid boni facis cum hilaritate fac, & tunc bene facis, si autem cum tristitia facis, tunc de te non tu facis.* Operari ergo sine tristitia actum virtutis, cadit sub præcepto legis diuinę: quia quicunque operatur cum rristitia, non volens operatur: sed delectabiliter operati, siue cum lætitia, aut hilaritate, quodammodo cadit sub præcepto, scilicet secundum quod sequitur delectatio ex dilectione Dei, & proximi, quę cadit sub prȩcepto (cum amor sit causa delectationis) & quodammodo non, secundum quod delectatio consequitur habitum: Delectatio enim operis est signum habitus generati, vt dicitur in 2. Ethi. potest enim aliquis actus esse delectalis, vel propter finem, vel propter conuenientiam habitus.

Circa decimum, scilicet *vtrum modus charitatis cadit sub præcepto legis diuinæ*. Sciendum quod circa hoc fuerunt contrariæ opiniones. Quidam enim dixerunt absolutè modum charitatis esse sub præcepto, nec esse impossibile obseruare hoc præceptum, charitatem non habenti, quia potest se disponere ad hoc, quod charitas ei infundatur à Deo: neque quandocumque aliquis non habens charitatem, facit aliquid de genere bonorum, peccat mortaliter, quia hoc est præceptũ affirmatiuum, vt ex charitate opereretur, & non obligat ad semper, sed pro tempore illo quo aliquis habet charitatem. Alij vero dixerunt, quod modus charitatis non cadit sub præcepto, vterque autem quantum ad aliquid verum dixerunt. Actus enim charitatis dupliciter considerari potest, vno modo secũdum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc spiritualiter datur: *diliges dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum.* Et quantum ad hoc primi verum dixerunt, non enim est impossibile hoc præceptum obseruare, quod est de actu charitatis, quia homo potest se disponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam, potest ea vti. Alio modo potest considerari actus charitatis, secundum quod est modus aliarum virtutum, hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem. quæ est *finis præcepti*, vt dicitur 1. ad Tim. 1. Dictum est enim quod intentio finis, est quidem modus formalis, actus ordinati ad finem: & hoc modo verum est, quod qui dixerunt, quod modus charitatis non cadit sub præcepto: hoc est dictum, quod in hoc præcepto, *honora patrem*, non includitur, quod honoretur pater ex charitate: vnde qui honorat patrem, licet non habens charitatem, non efficitur huius præcepti transgressor, etsi sit transgressor prȩcepti, quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam.

Quo sensu potest dici quod modus charitatis cadit sub præcepto.

Circa vndecimum, scilicet *de distinctione aliorum moralium præceptorum legis præter decalogum*, sciendum, quod sicut ex dictis patet, præcepta iudicialia, & cærimonialia ex sola institutione vim habent; vnde antequam instituerentur, non videtur referre vtrum sic, vel aliter fieret: sed præcepta moralia ex ipso dictamine naturalis rationis efficaciam habent, etiam si nunquam in lege statuãtur. Horum autem triplex est gradus. Nam quædam sunt rectissima, & adeo manifesta, quod editione non indigent: sicut mãdata de dilectione Dei, & proximi, & alia huiusmodi, quæ sunt quasi fines præceptorum: vnde in eis nullus potest errare secundum iudicium rationis. Quædam vero sunt magis determinata, quorum rationẽ statim quisque etiã popularis potest de facili videre, & tamen quia in paucioribus circa huiusmodi contingit iudicium humanum peruerti, huiusmodi editione indigent, & hæc sunt præcepta decalogi. Quædam vero sunt quorum ratio non est adeo cuilibet manifesta, sed solum sapiẽtibus: & ista sunt præcepta moralia superaddita decalogo, à Deo tradita per Moysen, & Aaron: sed ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscẽdi eorum, quæ nõ sunt manifesta. Alia præcepta moralia superaddita decalogo, reducuntur ad præcepta decalogi per modũ cuiusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto decalogi prohibetur cultus alienorum deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiua eorum, quæ ordinantur in cultum idolorum, sicut habetur Deut. 18. *Non inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, nec maleficus atque incantator, nec phitones cõsulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem.* Secundum autem præceptum prohibet periurium, superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ, Leui. 14. prohibitio falsæ doctrinæ, Deut. 13. Tertio vero præcepto superadditur omnia cærimonialia. Quarto autẽ prȩcepto de honore parentum, superadditur præceptum de honoratione senum, secundum illud Leui. 9, *Coram cano capite consurge, & honora personam senis*: & vniuersaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam maioribus: vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus, vel maioribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij, & cuiuslibet violentiæ contra proximum, sicut illud Leui. 19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui, & ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deut, 24. *nec erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicator de filiis Israel*: & iterum prohibitio vitij contra naturam, secundum illud Leui. 16. *cum masculo non misceberis, cum omni pecore non coibis*. Septimo autem præcepto, quod est de prohibitione furti, adiungitur præceptum de prohibitione vsuræ, secundum illud Deut. 18. *non fœnerabis fratri tuo ad vsuram*: & prohibitio fraudis, secundum illud Deut. 25. *non habebis in sacco diuersa pondera*: & vniuersaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ, & rapinæ pertinent. Octauo præcepto, quod est de prohibitione falsi testimonij, additur prohibitio falsi iudicij, secundum illud Exod. 23. *nec in iudicio plurimorum acquiesce sententiæ, vt à veritate deuies*: & prohibitio mendacij, sicut ibi subditur, *mendacium fugies*: & prohibitio detractionis, secũdum illud Leuit. 18 *Non eris criminator, & susurro in populis*. Alijs autem duobus præceptis nulla alia adiunguntur, quia per ea naturaliter omnis mala concupiscentia prohibetur.

Quomodo omnia præcepta moralia spectant ad decalogũ, quædam vt præambula & finis, quædam vt superaddita & inde collecta iuditio sapientum.

Circa duodecimum, scilicet *vtrum præcepta moralia iustificent*. sciendum quod sicut sanum propriè, & primo dicitur, quod habet sanitatem; per posterius autem quod signat sanitatem, vel quod conseruat sanitatem, ita iustificatio, primo & propriè dicitur ipsa factio iustitiæ: secundario vero, & quasi impropriè, potest dici iustificatio signatio iustitiæ, vel dispositio ad iustitiam: quibus duobus modis manifestum est, quod præcepta legis iustificabant, inquantum disponebant homines ad gratiam Christi iustificantem,

tem, quam etiam signant, quia sicut Augustinus dicit contra Faustum, *etiam vita illius populi propheticae erat, & Christi figuratiua.* Sed si loquimur de iustificatione propriè dicta, sic considerandum est, quod iustitia potest accipi prout est in habitu, vel prout est in actu, & secundum hoc iustificatio dupliciter dicetur: vno quidem modo, secundum quod homo fit iustus adipiscens habitum iustitiæ: Alio vero modo, secundum quod opera iustitiæ operatur; vt secundum hoc iustificatio nihil aliud sit, quam iustitiæ executio. Iustitia autem sicut & aliæ virtutes, potest accipi, & acquisita, & infusa; acquisita quidem causatur ex operibus, sed infusa, causatur ab ipso Deo per eius gratias; & hæc est vera iustitia, de qua nunc loquimur, secundum quod aliquis dicitur iustus apud Deum, secũdum illud Ro. 4. *Si Abrahã ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Hæc igitur iustitia causari non poterat per præcepta moralia, quæ sunt de actibus humanis; si quidem præcepta moralia iustificare non poterant, iustitiam causando. Neque vero illa sacramenta veteris legis gratiã cõferebant, sicut cõferunt sacramẽta nouæ legis, quæ propter hoc iustificare dicũtur. Si vero accipiatur iustificatio pro executione iustitiæ, sic omnia præcepta legis iustificabãt, quia cõtinebant id, quod est secundum se iustum. Aliter tamen & aliter, nam præcepta cærimonialia continebant quidem iustitiam secundum se in generali, prout scilicet exhibebantur in cultum Dei: In speciali vero non continebant secundum se iustitiam, nisi ex sola determinatione legis diuinæ, & ideo de huiusmodi præceptis dicitur, quod non iustificabant nisi ex deuotione, & obedientia faciendum. Præcepta vero moralia, & iudicialia, continebant id, quod erat secundum se iustum, vel in generali, vel in speciali: Sed moralia præcepta continebant id, quod est secundum se iustum, secundum iustitiam generalem, quę est omnis virtus, vt dicitur in 5. Ethi: Præcepta vero iudicialia pertinebant ad iustitiam specialem, quæ consistit circa contractus humanæ vitæ, qui sunt inter homines adinuicem.

Quomodo præcepta legis possunt dici iustificare.

De noua lege, secundum se.

DISTINCTIO VII.

DEinde considerandum est de lege noua, quæ est lex Euangelij, & Primo de ipsa secundum se. Secundo de ipsa per comparationem ad legem veterem. Tertio de his, quæ in lege noua continentur. Circa primum consideranda sunt quatuor. Primo qualis sit lex, vtrum scilicet sit scripta, vel indita. Secundo de virtute eius, vtrum iustificet. Tertio de principio eius, vtrum scilicet dari debuerit à principio. Quarto de termino eius, vtrum scilicet duratura sit vsque ad finem mundi, an debeat ei alia lex succedere.

CIRCA primum scilicet *qualis sit lex noua, an scripta, an indita*: sciendum, quod vnaquæque res illud videtur esse, quod est in ea potissimum, vt Philosophus dicit in 9. Ethi. id autem quod est potissimum in lege noui testamenti, & in quo tota virtus eius consistit, est gratia Spiritussancti, quæ datur per fidem Christi; & ideo principaliter lex noua est ipsa gratia Spiritussancti, qui datur Christi fidelibus; & hoc manifestè apparet per Apo. qui ad Rom. 4. dicit. *Vbi est gloriatio tua? exclusa est per legem factorum? non, sed per legem fidei.* Ipsam enim fidei gratiam, legem appellat, & expressius ad Ro. 8. dicitur, *lex spiritus vitæ in quo Iesus liberauit me à lege peccati, & mortis.* Vnde vt Augu. dicit in libro de Spiritu & litera, *quod sicut lex factorum fuit in tabulis lapideis, sta lex fidei scripta est in cordibus fidelium*, & alibi dicit in eodem libro, *quæ sunt leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritussancti?* Habet tamen lex noua quędam sicut dispositiua ad gratiam Spiritussancti, & ad vsum huius gratiæ pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege noua, de quibus oportuit instrui fideles Christi, & verbis, & scriptis, tam circa credenda, quam circa agenda, & ideo dicendum est quod principaliter noua lex, est lex indita, Secundario autem est scripta. In scriptura enim Euangelij non continentur nisi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritussancti, vel sicut dispositiua, vel sicut ordinantia ad vsum huius gratiæ, sicut dispositiua quidem, quantum ad intellectum per fidem, per quam datur Spiritussancti gratia, continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad manifestandam diuinitatem, vel humanitatem Christi: Secundum affectum vero continentur in Euangelio ea, quæ pertinent ad contemptum mundi, per quem homo fit capax Spiritussancti, *mundus* enim idest amatores mundi, *non potest capere Spiritum sanctum*, vt habetur Io. 14. vsus vero spiritualis gratiæ, est in operibus virtutum, ad quæ multipliciter scriptura noui testamenti homines exhortatur.

Lex noua principaliter est lex indita scilicet gratia, secundario vero scripta, ratione scilicet illorum quæ disponũt ad gratiam & vsum eius.

ET nota, quod lex naturalis est indita, sicut dicitur Ro. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt qui habent opus legis scriptum in cordibus suis.* & lex Euangelij similiter est indita, sed differenter, dupliciter enim est aliquid inditum homini. Vno modo pertinens ad naturam humanam, & sic lex naturalis est lex indita homini. Alio modo est aliquid inditum homini, quasi naturæ superadditum per gratiæ donum, & hoc modo lex noua est indita homini, non solum indicans, quid sit faciendum, sed etiam adiuuans adimplendum.

Lex noua alio modo est indita quam lex naturæ.

CIRCA secundum. s. *vtrum lex noua iustificet.* Dicẽdum, quod ad legẽ Euangelij duo pertinent, vnũ quidẽ principaliter. s. ipsa gratia Spiritussancti interius data, & quantũ ad hoc lex noua iustificat. Vnde Aug. dicit in lib. de Spiritu, & litera, *Ibi.* s. in veteri testamento, *lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrentur, hic* scilicet in nouo testamento, *intrinsecus data est, qua iustificarentur:* aliud pertinet ad legem Euangelij secundario, scilicet documenta fidei, & præcepta ordinantia affectũ humanum, & humanos actus: & quantum ad hoc lex noua non iustificat, vnde Apostolus dicit 1. Cor. 3. *litera occidit, spiritus autem viuificat*, & Aug. exponit in li. de Spiritu, & litera, quod per literam intelligitur quælibet scriptura hominis existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Euangelio. Vnde etiam litera Euangelij occideret, nisi esset interius gratia fidei sanans.

Lex noua sumpta pro gratia, iustificat nõ autem si sumatur pro documentis & præceptis.

HÆC autem gratia noui testamenti, etsi adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, vt homo peccare non possit, hoc enim pertinet ad statũ gloriæ. Et ideo si aliquis post acceptã gratiã noui testamenti peccauerit, maiori pœna dignus est tanquã maioribus beneficijs ingratus, & auxilio gratiæ sibi datæ non vtens, secundũ illud Heb. 10. *Irritam quis faciens legẽ Moysi sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratię contumeliam dixerit.* Nec tamen dici debet, quod lex noua iram operatur, sicut de lege veteri dicitur Ro. 4. quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.

LICET autẽ vtraque lex data fuerit ab vno Deo, tamen aliter, & aliter. Nam legem veterẽ dedit scriptam in tabulis lapideis, legẽ autem nouam dedit scriptam in tabulis cordis carnalibus, vt Apostolus dicit 2. Cotin. 3. proinde sicut Aug. dicit in li. de Spiritu, & litera. *Literam istam extra hominem scriptam, & ministrationem mortis & ministrationem damnationis Apostolus appellat: Hanc autem* scilicet noui testamenti legem, *ministrationẽ iustitię dicit, quia per donum Spiritus operamur iustitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur.*

CIRCA tertium, scilicet *vtrum lex noua debuit dari à principio mundi.* Sciendum, quod triplex ratio potest assignari, quare lex noua non debuit dari à principio mundi. Quarum prima est, quia lex noua sicut dictum est, principaliter est gratia Spiritussancti, quæ abundanter dari non debuit antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemp-

Triplex ratio cur lex noua nõ fuit data à principio mundi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

redemptione per Christum. Vnde dicitur Ioh.7. *nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus:* & hanc rationem manifestè assignat Apostolus Ro.8. Vbi postquam præmiserat de lege spiritualis vitæ subiungit. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Secunda ratio potest assignari ex perfectione legis nouæ, non enim aliquid ad perfectum adducitur statim à principio; sed quodam temporalis successionis ordine; sicut aliquis prius fit puer & postmodum vir: & hanc rationem assignat Apostolus Gal. 3. *Lex pedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: At vbi venit fides iam non sumus sub pedagogo.* Tertia ratio sumitur ex hoc quod lex noua est lex gratiæ, & ideo primo oportuit, quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, vt in peccatum cadendo, suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere, & hanc rationem assignat Apo. Ro. 5. dicens. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem superabundauit delictum, superabundauit & gratia.*

CIRCA quartum scilicet *vtrum noua lex duratura sit vsque ad finem mundi*. Sciendum, quod status mundi variari potest dupliciter. Vno modo secũdum diuersitatẽ legis, & sic huic statui nouæ legis nullus alius status succedit. Successit enim status nouæ legis statui, veteris legis tanquam perfectior imperfectiori. Nullus autẽ status præsentis vitæ, potest esse perfectior, quam status nouæ legis: nihil enim potest esse propinquius vltimo fini, quã quod immediatè in finẽ vltimũ introducit, hoc autem facit noua lex. Vnde Apo. dicit ad Heb. 10. *habentes itaque fratres fiduciam in introitũ sanctorũ in sanguinem Christi, qui nunciauit nobis viam nouam qua accedimus ad eum:* vnde non potest esse aliquis perfectior status præsentis vitæ, quam status nouæ legis, quia tanto est vnumquodque perfectius, quanto vltimo fini propinquius. Alio modo status hominũ variari potest, secundum quod homines diuersimodè se habent ad eãdem legem, vel perfectius, vel minus perfectè, & sic status veteris legis frequenter fuit mutatus, cum quandoque leges optimę custodirentur: quandoque omnino prętermitterentur, sic etiã & status nouæ legis diuersificatur secundum diuersa loca, & tẽpora, & personas: inquantũ gratia Spiritussancti perfectius vel minus perfecte ab aliquibus habetur. Non est tamen expectandum, quod sit aliquis status futurus in quo perfectius gratia Spiritussancti habeatur, quam habita fuerit; maximè ab Apostolis, qui primitias Spiritussancti acceperunt, id est in tempore prius, & cæteris abundantius, vt glossa dicit ad Rom.8.

Noua lex nunquã mutabitur quia immediatè ad vltimum finem perduxit.

De comparatione nouæ legis ad veterem.

DISTINCTIO VIII.

DEinde considerandũ est de comparatione nouæ legis ad veterem. Et circa hoc cõsideranda sunt quatuor. Primo, vtrum lex noua sit alia lex à veteri. Secundo, vtrum lex noua impleat veterem. Tertio, vtrũ noua contineatur sub veteri. Quarto, quæ istarum sit grauior.

CIRCA primum. s. *vtrum lex noua sit alia à lege veteri.* Sciendum, quod omnis lex ordinat conuersationẽ humanã in ordine ad aliquem finem. Ea autem, quæ ordinantur ad aliquẽ finem, secundum rationẽ finis dupliciter diuersificari possunt. Vno modo, quia ordinantur ad diuersos fines. Et hæc est diuersitas speciei, maximè si sit finis proximus. Alio modo, secundũ propinquitatẽ ad finem, vel distãtiam ab ipso. Sic patet, quod motus differunt specie secundũ quod ordinantur ad diuersos terminos. Secundũ vero quod vna pars motus est propinquior termino quam alia, attenditur differẽtia secundũ perfectum, & imperfectum. Sic ergo duæ leges distingui possunt. Vno modo quasi omnino diuersæ, vt potè ordinatæ ad diuersos fines; sicut lex ciuitatis quæ esset ordinata ad hoc, quod populus dominaretur, esset specie differens ab illa lege, quæ esset ad hoc ordinata, quod optimates ciuitatis dominarentur. Alio modo duæ leges distingui possunt, secundũ quod vna propinquius ordinat ad finem, alia vero remotius. Puta in vna & eadem ciuitate dicitur alia lex, quæ imponitur viris perfectis, qui statim possũt exequi ea, quæ pertinent ad bonũ commune; & alia lex de disciplina puerorũ, qui sunt instruendi qualiter postmodũ opera virorũ exequantur. Dicendum ergo, quod secundũ primum modum lex noua non est alia à lege veteri, quia vtrique est vnus finis, scilicet vt homines subdantur Deo: Est autem vnus Deus, & noui, & veteris testamenti, secundum illud Rom.4. *Vnus Deus est, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*. Alio modo lex noua est alia à veteri, quia lex vetus est quasi pedagogus puerorum, vt Apostolus dicit ad Gal. 3. Lex autem noua est lex perfectionis, quia est lex charitatis, de qua Apostolus dicit ad Col. 3. Quod est *vinculum perfectionis*.

Lex nouã nõ est alia à veteri secundũ speciem, & finem, sed habet se ad illam vt perfectum ad imperfectũ.

OMNES itaque differentiæ, quæ assignantur inter nouam legem, & veterem, accipiuntur secundum perfectũ, & imperfectũ: præcepta enim legis cuiuslibet dãtur de actibus virtutum. Ad operanda autẽ virtutum opera, aliter inclinantur imperfecti, qui nondũ habent virtutis habitũ; & aliter illi, qui sunt per habitum virtutis perfecti. Illi enim qui nõdũ habẽt habitũ virtutis, inclinãtur ad agendũ virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, Puta ex cõminatione pænarũ, vel ex promissione aliarum extrinsecarum remunerationum, puta honoris, diuitiarum, vel alicuius huiusmodi. Et ideo lex vetus, quæ dabatur imperfectis, idest nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris, inquantum inducebat ad obseruantiam præceptorum per comminationem quarundam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promissa. Illi autem, qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinsecam. Et ideo lex noua cuius principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, & dicitur habere promissa spiritualia, & æterna, quæ sunt obiecta virtutis, præcipuè charitatis, & ita per se in ea inclinatur, non quasi in extranea, sed quasi in propria; & propter hoc etiam, lex vetus dicitur *cohibere manum, non animum:* quia qui timore pœnæ, ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter eius voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas eius, qui amore iustitiæ abstinet à peccato & propter hoc lex noua, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere. Fuerunt tamen aliqui in statu veteris testamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritussancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & æternas, & secundum hoc pertinebant ad legem nouam. Similiter etiam in nouo testamento sunt aliqui carnales, nondum pertinentes ad perfectionem nouæ legis, propter quos etiam oportuit in nouo testamento induci ad virtutis opera, per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promissa. Lex autem vetus etsi præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritussanctus, *per quem diffunditur charitas in cordibus nostris*, vt dicitur Rom.5.

Solutio obiectionum.

Aliqui nomen legis spectãt ad veterem & econtra

SIMILITER secundũ Apostolũ Rom.8. Lex vetus dicitur esse *lex factorum*, lex autẽ noua dicitur *lex fidei*. Sed lex noua dicitur *lex fidei* inquantũ eius principalitas cõsistit in ipsa gratia, quę interius datur credentibus, vnde dicitur gratia fidei. Habet autem secundario aliqua facta, & moralia, & sacramentalia, sed in his non cõsistit principalitas nouę legis, sicut principalitas veteris legis in eis consistebat. Illi autẽ qui in veteri testamẽto, Deo fuerunt accepti per fidem, secundũ hoc ad nouum testamentum pertinebant; non enim iustificabantur nisi per fidem Christi, qui est auctor noui testamenti; vnde & de Moyse dicit Apostolus ad Heb. 11. *Quod maiores diuitias æstimabat, thesauris Ægyptiorum improperium Christi.*

Cur lex noua dicitur lex fidei.

Circa

Lex noua adimplet veterem supplendo quod illi deerat.

Circa secundũ scilicet *vtrũ lex noua impleat legẽ veterẽ*. A dicendum, quod sicut dictum est, lex noua comparatur ad veterem sicut perfectum ad imperfectum. Omne autem perfectũ adimplet illud, quod imperfecto deest, & secundum hoc lex noua adimplet veterem legem, inquantum supplet illud, quod veteri legi deerat. In veteri autem lege duo possunt cõsiderari, scilicet finis, & præcepta contenta in lege, finis autem cuiuslibet legis est, vt homines efficiantur iusti, & virtuosi. Vnde & finis veteris legis erat iustificatio hominum, quã quidem lex efficere non poterat, sed figurabat quibusdam cærimonialibus factis, & promittebat verbis, & quantũ ad hoc lex noua implet veterem legem, iustificãdo virtute passionis Christi; & hoc est, quod Apostolus dicit ad Ro. 8. *quod impossibile erat legi, Deus filiũ suum mittens in similitudinem carnis peccati damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis*, & quantum ad hoc lex noua exhibet quod vetus promittebat secũdum illud 2. Corin. 1. Quotquot promissiones Dei sũt, in illo est, id est in Christo. Et iterum quantum ad hoc etiam complet, quod vetus lex figurabat; vnde ad Col. 2. dicitur de cærimonialibus, quod erant *vmbra futurorum, corpus autem Christi* id est veritas pertinet ad Christum: vnde & lex noua, dicitur lex veritatis; lex autem vetus, vmbræ, vel figuræ. Præcepta veteris legis adimpleuit Christus, & opere, & doctrina. Opere quidem, quia circumcidi voluit, & alia legalia obseruare, quæ erant illo tempore obseruãda, secundum illud Gal. 4. *factum sub lege*. Sua doctrina adimpleuit præcepta veteris legis tripliciter. Primo quidem verũ intellectum exprimẽdo sicut patet in homicidio, & adulterio, in quorum prohibitione, scribæ & pharisæi non intelligebant nisi exteriorem actũ prohibitum; vnde Dominus legem adimpleuit, ostendendo & interiores actus peccatorum cadere sub prohibitione. Secundo adimpleuit Dominus præcepta, ordinãdo quomodo tutius cõseruaretur quod lex vetus statuerat, vt homo non peieraret, quia hoc tutius cõseruatur, si omnino à iuramento abstineatur, nisi in causa necessitatis. Tertio adimpleuit Dominus præcepta legis, superaddẽdo quædam perfectionis cõsilia, vt patet Matth. 19. vbi Dominus, dicẽti se obseruasse præcepta legis veteris, dicit, *vnũ tibi deest, si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes* &c. Inde est, quod cærimonialia nõ cõmemorantur Matth. 5. quia eorum obseruantia totaliter excluditur per impletionem, vt dictum est.

Christus sua doctrina tripliciter adimpleuit præcepta veteris legis.

Solũtur obiectiones.

De iudicialibus vero præceptis cõmemorauit præceptũ talionis, vt quod de hoc diceretur de omnibus alijs esset intelligendum. In quo quidem præcepto docuit, legis intentionem non esse ad hoc, quod pœna talionis quæreretur propter liuorem vindictæ (quam ipse excludit monens, quod homo debet esse paratus etiam maiores iniurias sufferre) sed solũ propter amorem iustitiæ, & sic adhuc in noua lege remanet.

Item etsi videatur Dominus proposuisse quędam præcepta contraria præceptis legis veteris Matth. 5. dicens; *audistis, quia dictum est antiquis, quicunque dimiserit vxorem suam det illi libellum repudij: Ego autẽ dico vobis, qui dimiserit vxorem suam, facit, eam mœchari*. Idem etiam videtur esse in prohibitione iuramẽti, & in prohibitione talionis, & etiam in odio inimicorum. Similiter videtur Dominus excluisse præcepta veteris legis, de discretione ciborum Matth. 15. *Non quod intras coinquinat hominẽ* &c. Sed reuera sicut dicit Aug. contra Faustũ: *præcepta illa Domini non sunt contraria præceptis veteris legis. Quod enim Dominus præcipit de vxore dimittenda, non est contrariũ ei, quod lex præcipit; neque enim ait lex, qui voluerit dimittat vxorem, cui esset contrarium non dimittere, sed vtique noluit dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in diffidium animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret*. Vnde Dominus ad hoc confirmandũ, vt non facile vxor dimittatur, solã causã fornicationis excepit: & idem etiam est dicendum in prohibitione iuramẽti, sicut dictum est; & idem etiam patet in prohibitione talionis. Taxauit enim modum vindictæ lex, vt non procederetur ad immoderatam vindictam, à qua Dominus perfectius remouit eum, quem monuit omnino à vindicta abstinere. Circa odium vero inimicorum remouit falsum, refutans eorum intellectum, nos monens, vt persona odio non haberetur, sed culpa. Circa discretionem vero ciborum, quæ cæremonialis erat, Dominus non mandauit, vt tunc non obseruarentur; sed ostendit, quod nulli cibi secundum suam naturam erant immundi, sed secundum figuram solum, vt dictum est.

Item etsi Dominus in factis videatur legem euacuasse: Sicut quando leprosum tetigit Matth. 8. & sabbatum pluries violasse; tamen non stetit in aliquo contra legem, quia tactus leprosi erat prohibitus in lege, quia ex hoc incurrebat homo quandam irregularitatis iustitiam; vel immunditiam, sicut & ex tactu mortui; sed Dominus qui erat mundator leprosi, immunditiam incurrere non poterat. Per ea autem quæ fecit in sabbato, sabbatum non soluit secundum rei veritatem, sicut ipse multipliciter in Euangelio ostendit; tum quia operabatur miracula, virtute diuina, quæ semper operatur in rebus; tum etiam quia salutis humanæ opera faciebat, cum pharisæi etiam, saluti animalium in die sabbati prouiderent, tum quia etiam ratione necessitatis, discipulos excusauit in sabbato spicas colligentes: Verum videbatur soluere secundum superstitiosum intellectum pharisæorum, qui credebant etiam à salutis operibus, esse in die sabbati abstinendum, quod erat contra intentionem legis.

Noua lex continebatur in veteri non quidẽ actu, sed virtute sicut arbor in semine.

Circa tertium scilicet *vtrum lex noua contineatur in veteri*. Sciendum, quod aliquid continetur in alio dupliciter, vno modo in actu, sicut locatum in loco. Alio modo virtute, sicut effectus in causa, vel sicut genus continet species, potestate, & sicut tota arbor continetur in semine, & per hunc modum noua lex continetur in veteri. Dictum est enim quod noua comparatur ad veterem sicut perfectum ad imperfectum. Vnde Chrisost. exponens illud, quod habetur Marci 4. *Vltro terra fructificat, primo herbam, deinde spicam, deinde plenum fructũ in spica*: Sic dicit, *primo herbã fructificat in lege naturæ, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum fructum in Euangelio*. Sic igitur est lex noua in veteri, sicut fructus in spica, omnia enim quæ credenda traduntur in nouo testamento explicite, & aperte; traduntur credenda in veteri testamẽto, sed implicite sub figura. Et secundum hoc etiam quantum ad credenda, lex noua continetur in veteri. Præcepta etiam nouæ legis dicuntur esse maiora, quam præcepta veteris legis, quantum ad explicitam manifestationem: sed quantum ad ipsam substantiam præceptorum noui testamenti, omnia continentur in veteri testamento; vnde Aug. dicit contra Faustum, quod *penè omnia, quæ monuit, vel præcepit Dominus, vbi adiungebat, ego autem dico vobis, inueniuntur etiam in illis veteribus libris*. Sed quia non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari: & quantum ad huiusmodi manifestationes, præcepta nouæ legis dicuntur maiora præceptis veteris legis, nihil tamen prohibet maius in minori virtute contineri, sicut arbor cõtinetur in semine.

Lex vetus est grauior noua ex parte exteriorũ operum, sed non ex parte interiorum, omni modo.

Circa quartũ scilicet *quæ istarum sit grauior*. Sciendũ, quod circa opera virtutis de quibus præcepta legis dãtur, duplex difficultas attendi potest. Vna quidem ex parte exteriorum operum, quæ ex seipsis habent quandam difficultatem, & grauitatẽ, & quantũ ad hoc, lex vetus est multo grauior, quã noua, quia ad plures actus exteriores obligat quam lex noua quæ præter præcepta legis naturæ, paucissima superaddidit, in doctrina Christi, & Apostolorum. Licet aliqua sunt superaddita postmodum, ex institutione sanctorum patrum. In quibus etiam Aug. dicit, *esse moderationem attendendam, ne conuersatio fidelium onerosa reddatur*: Dicit enim ad inquisitiones Ianuarij de quibusdam, *quod ipsam religionem nostram quam in manifestissimis,*

& paucissimis celebrationum sacramentis, Dei misericordia voluit esse liberam, seruilibus premunt oneribus, adeo vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Alia autem difficultas est circa opera virtutum in interioribus actibus; puta quod aliquis, opus virtutis exerceat prompte, & delectabiliter, & circa hoc difficile, est virtus; hoc enim non habenti virtutem, est valde difficile, sed per virtutem redditur facile; & quantum ad hoc præcepta nouæ legis, sunt grauiora præceptis veteris legis; quia in noua lege prohibentur interiores motus animæ, qui expresse in veteri lege non prohibebantur in omnibus etsi in aliquibus prohiberentur; in quibus tamē prohibendis, pæna non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem, sicut etiam Philosophus dicit in 5. Ethi. Quod *operari ea, quæ iustus operatur facile est; sed operari ea, eo modo quo iustus operatur* scilicet delectabiliter, & promptè, *est difficile non habenti virtutem;* & sic etiam dicitur 1. Ioh. 5. *Quod mandata eius grauia non sunt.* Quod exponens Aug. dicit, quod *non sunt grauia amanti sed non amanti sunt grauia.*

De nouæ legis continentia.

DISTINCTIO IX.

DEinde considerandum est de his, quæ in noua lege continentur, circa quod considerandæ sunt quatuor. Primo, vtrum lex noua debeat aliqua opera exteriora præcipere, vel prohibere. Secundo, vtrum sufficienter se habeat in exterioribus actibus præcipiendis, vel prohibendis. Tertio, vtrum conuenienter quantum ad actus exteriores instituat. Quarto, vtrum conuenienter præceptis consilia superaddat.

Circa primum. s. An lex noua debeat aliquos exteriores actus præcipere vel prohibere: sciendum quod sicut dictum est, principalitas operis nouæ legis est gratia Spiritussancti, quæ manifestatur in fide per dilectionem operante; hanc autem gratiam consequuntur homines, per Dei filium hominem factum, cuius humanitatem primo repleuit gratia, & exinde est apud nos deriuata; vnde dicitur Ioh. 1. *Verbum caro factum est.* Et postea subdit: *Plenum gratiæ, & veritatis,* & infra: *& de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Vnde & subditur quod *gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Et ideo contingit vt per aliqua exteriora sensibilia, gratia à verbo incarnato profluens, in nos deducatur; & ex interiori gratia per quam caro spiritui subditur, exteriora quædam opera sensibilia producuntur. Sic igitur exteriora opera dupliciter ad gratiam pertinere possunt. Vno modo sicut inducentia aliqualiter ad gratiam, & talia sunt opera sacramentorum, quæ in lege noua sunt instituta, sicut baptisma, Eucharistia, & huiusmodi. Alia vero sunt opera exteriora, quæ ex instinctu gratiæ producuntur, & in his est quædā differētia attendenda. Quędā enim habent necessariam conuenientiam, vel contrarietatem, ad interiorem gratiam, quæ in fide per dilectionē operante consistit, & huiusmodi exteriora opera sunt præcepta, vel prohibita in lege noua, sicut præcepta est confessio fidei, & prohibita, negatio eiusdem. Dicitur enim Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo; qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Alia vero sunt opera, quæ non habent necessariam conueniētiam, vel contrarietatem, ad fidem per dilectionem operantem; & talia opera non sunt in noua lege præcepta, vel prohibita, ex ipsa prima institutione, sed relicta sunt à legislatore scilicet Christo, vnicuique, secundum quod aliquis curam gerere debet: Sic vt vnicuique liberum est circa talia determinare quid sibi expediat facere, vel vitare: & cuique præsidenti circa talia ordinare suis subditis, quid sit in talibus faciendū, vel vitandum. Vnde etiā quantū ad hoc dicitur lex Euangelij, lex libertatis, nam lex vetus multa determinabat, & pauca relinquebat libertati hominum determinanda.

Vlla sola externa opera sunt precepta vel prohibita in lege noua quæ habent conuenientiā vel contrarietatē ad gratiam.

Circa secundum scilicet *vtrum conuenienter se habeat in actibus exterioribus præcipiendis vel prohibendis.* Illa solum præcipere debuit, vel prohibere, per quę in gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ vsum ex necessitate: & quia gratiam ex nobis consequi non possumus, sed per Christum solum; ideo sacramenta per gratiam consequimur, ipse dominus instituit per seipsum, scilicet baptismum, Eucharistiam, ordinē ministrorū nouæ legis, instituendo Apostolos, & septuaginta duos discipulos: pænitentiā, & matrimoniū indiuisibile: confirmationem etiam promisit per Spiritussancti missionem, ex eius institutione Apostoli leguntur oleo infirmos vrgentes sanasse, vt habetur Matth. 6. quæ sunt nouæ legis sacramenta rectus autem gratiæ vsus est per opera charitatis, quæ quidē secundum quod sunt de necessitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia, quæ etiam in veteri lege dabantur, vnde quantum ad hoc lex noua super veterem addere non debuit circa exteriora agenda. Determinatio autem prędictorum operum in ordine ad cultum Dei, pertinet ad præcepta ceremonialia legis, in ordine vero ad proximū ad iudicialia. Et ideo, quia istæ determinationes non sunt secundum se, de necessitate interioris gratiæ, in qua lex consistit, idcirco non cadunt sub præcepto nouæ legis, sed relinquuntur humano arbitrio: Quædam quidem quantum ab subditos, quæ scilicet pertinent sigillatim ad vnumquemque, quædam vero ad prælatos tēporales, vel spirituales, quæ scilicet pertinent ad vtilitatem cōmunem. Sic igitur lex noua nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo, vel prohibendo nisi sacramēta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta non esse occidendū, nō esse furandū, & alia huiusmodi quia ea quæ sunt fidei sunt supra rationē humanā. Vnde in ea nō possumus peruenire nisi per gratiā: Et ideo abūdantiori gratia superueniente, oportuit plura credenda explicari, sed ad opera virtutū dirigimur per rationem naturalē, quæ est relatio quædā operationis humanæ, & ideo in his non oportuit aliqua præcepta dari, vltra moralia legis præcepta, quæ sūt de dictamine rationis.

Lex noua super veterē nihil addere debuit circa exteriora agenda præcipiendo aut prohibendo nisi de sacramentis.

Circa tertium scilicet *vtrum conuenienter instituit homines quantum ad actus exteriores.* Sciendum, quod sermo quem dominus in monte proposuit, totam informationem vitæ Christianæ continet in quo perfecte interiores motus hominis ordinātur. Nam post declaratum beatitudinis finē, & commendatam apostolicā dignitatē, per quam erat doctrina Euangelica promulganda, ordinat interiores animi motus: Primo quantum ad seipsum; deinde quantum ad proximum Quantum autē ad seipsum dupliciter, secundum duos interiores hominis motus circa agenda, quæ sunt voluntas de agendis, & intentio fine. Vnde primo ordinat hominis voluntatē secundum diuersa legis præcepta, vt scilicet abstineat aliquis non solum ab exterioribus operibus, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab interioribus, & ab occasionibus malorum: deinde ordinat intentionem hominis, docens quod in his, quę agimus neque quæramus humanam gloriam, neque humanas diuitias, quod est thesaurizare in terra. Consequenter autem ordinat interiorem hominis motum quo ad proximum, vt scilicet eum non temerariè aut iniustè iudicemus, aut præsumptuosè: neque tamen sic simus apud proximū remissi, vt ei sacra committamus, si sit indignus. Vltimò docet modū adimplendi Euangelicam doctrinam, scilicet implorando diuinum auxilium, & conatum apponendo, ad ingrediendum per angustam portā perfectæ virtutis, & cautelam adhibēdo, ne à seductoribus corrumpamur, & quod obseruatio mandatorum eius est necessaria ad virtutem; non autem sufficit sola confessio fidei, vel miraculorum operatio, vel solum auditus.

Christus in noua lege conuenienter instituit homines quoad exteriora.

Cum ergo decem sint præcepta decalogi ordinantia hominem ad Deum, & proximum, solum circa tria illorū aliquid adimpleuit. s. circa prohibitionē homicidij, adulterij & periurij; quia solū circa illa legis præ-

Cur Christus circa tria præceptā tātum aliquid adimpleuit.

cepta

cepta adimpletionē appoſuit, in quibus ſcribæ & phariſæi non rectū intellectū habebāt, & hoc contingebat proprie circa tria præcepta decalogi, nā circa prohibitionem adulterij & homicidij, æſtimabant ſolum exteriorē actum prohiberi. Nā interiorē appetitum licere magis credebant circa homicidium, quā circa furtum, vel falſum teſtimonium, quia motus iræ in homicidiū tendens, & concupiſcentiæ motus, tēdens in adulteriū, videtur aliqualiter nobis à natura eſſe, nō autē appetitus iutādi, vel falſum teſtimonium dicendi. Circa periurium vero habebant falſum intellectum, credentes periurium quidem eſſe peccatum, Iuramētum autem per ſe eſſe appetendum, & frequentandum, quod dicitur ad Dei reuerentiā pertinere: & Dominus oſtēdit iuramentū non eſſe appetendū tanquam bonū, ſed melius eſſe abſque iuramēto loqui niſi neceſſitas cogat.

Quid innouauit Chriſtus in iudicialibus veteris legis.

Itē nihil ordinauit Dominus in Euangelio de præceptis iudicialibus niſi circa repudium vxoris, & circa pœnam talionis, & circa perſecutionem inimicorum; quia circa præcepta iudicialia ſcribæ, & phariſæi dupliciter errabant. Primo quidē, quia quædā quæ in lege Moyſi erant tradita tanquā permiſſiones, æſtimabant eſſe per ſe iuſta. ſ. repudium vxoris, & vſuras accipere ab extraneis, & ideo dominus prohibuit vxoris repudium Matth. 5. & vſurarum acceptionem Luc. 6. dicens, *date mutuum nihil inde ſperantes.* Alio modo errabant credentes quædā, quæ lex vetus inſtituerat facienda propter iuſtitiā eſſe exequēda ex appetitu vindictæ, ex cupiditate tēporalium rerū, vel ex odio inimicorum, & hoc in tribus præceptis. Appetitum enim vindictæ credebant eſſe licitum, propter præceptum datum de pœna talionis, quod quidem fuit datum, vt iuſtitia ſeruaretur, nō vt homo vindictam quæreret; & ideo Dominus ad hoc remouendum, docet animum hominis ſic debere eſſe præparatum, vt ſi neceſſe ſit, etiam paratus ſit plura ſuſtinere, motum autem cupiditatis æſtimabant eſſe licitum propter præcepta iudicialia, in quibus mandabatur reſtitutio rei ablatæ fieri, etiam cum aliqua additione, & hoc quidem lex mandauit propter iuſtitiam obſeruandam, non vt daret cupiditati locum; & ideo Dominus docet, vt ex cupiditate noſtra non repetamus, ſed ſimus parati ſi neceſſe fuerit etiam ampliora dare. Motum vero odij credebant eſſe licitum, propter præcepta legis data de hoſtium interfectione, quod quidem lex ſtatuit propter iuſtitiam implendam, non propter odia exa-
D minanda, vel exſaturanda: Et ideo Dominus docet, vt ad inimicos dilectionem habeamus, & parati ſimus ſi opus fuerit etiam benefacere, hæc enim præcepta ſecundum præparationem animi ſunt accipienda, vt Aug. Exponit.

Item circa præcepta moralia nihil Dominus ordinauit, quia præcepta moralia omnino in noua lege remanere debebant, quia ſecundū ſe pertinent ad rationem virtutis. Præcepta autem iudicialia non remanebāt ex neceſſitate ſecundū modū quem determinauit lex, ſed relinquebatur arbitrio hominū, vtrum ſic, vel aliter eſſet determinandum. Et ideo conuenienter Dominus circa hæc duo genera præceptorū nos ordinauit. Præ-
E ceptorum autem cærimonialium obſeruatio, totaliter per rei impletionē tollebatur, & ideo circa huiuſmodi præcepta in illa communi doctrina nihil ordinauit; oſtendit tamen alibi, quod totus corporalis cultus, qui erat determinatus in lege, in ſpiritualem commutandus erat, vt patet Ioh. 4. vbi dixit, *venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem, ſed veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate.*

Cæremonialia per legem nouam penitus sūt ſublata.

Item cum ad bonam diſpoſitionem mentis pertineat, vt nullum bonum opus faciat propter quemcumque temporalem finem, & multa ſint alia temporalia bona, quam fauor humanus, ſunt etiam alia bona opera, quam ieiunium, oratio, & eleemoſyna; circa hæc tria ſolum docuit dominus gloriam fauoris humani vitari, quia res omnes mundanæ ad tria reducuntur, ſcilicet ad honores, diuitias, & delitias, ſecundum il-
A lud 1. Ioh. 2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt*, quod pertinet ad delicias carnis, *& concupiſcentia oculorum*, quod pertinet ad concupiſcentias, *& ſuperbia vitæ*, quod pertinet ad ambitum gloriæ, & honoris. Superfluas autem carnis delicias lex non repromiſit ſed magis prohibuit; repromiſit autem celſitudinem honoris, & abundantiam diuitiarum. Dicitur enim Deuter. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te excellentiorem cunctis gentibus*, quantum ad primum: Et poſt pauca ſubdit, *abundare te faciet in omnibus bonis*, quantum ad ſecundum. Quæ quidem promiſſa ſic praue intelligebant Iudæi, vt propterea eſſet Deo ſeruiendum, ſicut propter finem. Et ideo Dominus hic remouit primo, quod opera virtutis non ſunt facienda propter
B humanam gloriam. Et ponit tria opera, ad quæ omnia alia reducuntur. Nam omnia, quæ aliquis facit ad refrenandum ſeipſum in ſuis concupiſcentijs reducuntur ad ieiunium; quæcunque vero ſunt propter dilectionem proximi, ad eleemoſynam reducuntur; quæcunque vero propter cultum Dei fiunt, reducuntur ad orationem. Ponit autē hæc tria ſpecialiter quaſi præcipua, & per quæ homines maxime ſolent gloriā venari. Secūdo docuit, quod non debemus finem conſtituere in diuitijs, cum dixit. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.*

Chriſtus docuit fauoré humanū non eſſe in bonis operibus appetendum.

Item cum naturaliter ſit inditum homini vt ſolicitetur circa ea, quæ ſunt ſibi neceſſaria ad viuendum, in
C qua ſolicitudine alia animalia conueniunt cum homine, propter quod dicitur Prouer. 6. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, quæ parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in æſtate, quod comedat:* dominus ſolicitudinem neceſſariam non prohibuit, ſed ſolicitudinem inordinatam: Eſt autem quadruplex ſollicitudo vitanda circa temporalia. Primo quidem vt in eis finem non conſtituamus, neque Deo ſeruiamus propter neceſſaria victus, & veſtitus; vnde dicit, *nolite theſaurizare vobis*, &c. Secundo vt non ſic ſolicitemur de temporalibus cum deſperatione diuini auxilij, vnde dominus dicit: *ſcit pater veſter quia his indigetis.* Tertio ne ſit ſolicitudo præſumptuoſa, vt ſcilicet homo confidat ſe neceſſaria vitę per ſuam ſolicitudinem poſſe procurare abſque diuino auxilio; quod dominus remouet per hoc, *quod homo non poteſt aliquid adijcere ad ſtaturam ſuam.* Quarto per hoc, quod homo ſolicitudinis tempus præoccupat, quia ſcilicet de hoc ſolicitus eſt nūc, quod non pertinet ad curam præſentis temporis, ſed ad curā futuri, vnde dicit, *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.*

Solicitudo inordinata temporaliū prohibita in Euangelio ſed non ordinata & neceſſaria.

Circa quartum, ſcilicet *vtrum conueniēter lex noua ſuperaddat præceptis conſilia.* Sciendum quod hæc eſt differētia inter conſilium, & præceptum. Quod præceptū importat neceſſitatē, conſilium autē in optione ponitur eius cui datur; & ideo cōueniēter in lege noua, quæ eſt lex libertatis, ſupra præcepta ſunt addita cōſilia, nō autem in lege veteri, quæ erat lex ſeruitutis. Oportet igitur, quod præcepta nouæ legis, intelligātur eſſe data de his, quæ sūt neceſſaria ad conſequendū finē æternæ beatitudinis, in quem lex noua immediatè introducit; conſilia vero oportet eſſe de illis per quæ melius, & expeditius poteſt homo conſequi finem prædictū. Eſt autē homo conſtitutus inter res huius mundi, & ſpiritualia bona, in quibus beatitudo æterna conſiſtit, ita quod quanto plus inhæret vni eorum, tanto plus recedit ab altero, & ècontrario. Qui ergo totaliter inhæret rebus huius mundi, vt in eis finem conſtituat, habens eas quaſi rationes, & regulas ſuorum operum; totaliter excidit à ſpiritualibus bonis; & ideo huiuſmodi inordinatio tollitur; & abijcitur totaliter per præcepta. Sed quod homo totaliter ea, quæ ſunt mundi abijciat, non eſt neceſſarium ad perueniendum in finem prædictum; quia poteſt homo vtens rebus huius mundi, dūmodo ſcilicet in eis finē non cōſtituat, ad beatitudinē æternā peruenire, ſed expeditius perueniet, totaliter bona huius mundi abdicando, & ideo de hoc dantur conſilia Euangelij. Bona autem huius mundi, quę per-

Conueniēter in lege noua præceptis ſuperadduntur conſilia.

Diſcrimē inter præcepta & conſilia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tinent ad vſum humanæ vitæ, in tribus conſiſtunt, ſcilicet in diuitijs exteriorũ bonorum, in delitijs carnis, quæ pertinent ad concupiſcentiam carnis; & in honoribus, qui pertinent ad ſuperbiam vitæ, ſicut patet 1. Iohan 2. Hæc igitur tria totaliter derelinquere ſecundum quod poſſibile eſt, pertinent ad conſilia Euangelica; in quibus etiam tribus fundatur hominis religio, qui ſtatum perfectionis profitetur. Nam diuitiæ abdicantur per paupertatem, deliciæ carnis per perpetuam caſtitatem, ſuperbia vitæ, per obedientiæ ſeruitutem. Hæc autem ſimpliciter obſeruata, pertinent ad conſilia ſimpliciter propoſita, ſed obſeruatio vniuſcuiuſque eorum in aliquo ſpeciali caſu pertinet ad cõſilium ſecundũ quid. ſ. in caſu illo, puta cum homo aliquã eleemoſynã dat pauperi, quã dare non tenetur, conſiliũ ſequitur quantum ad factum illud. Similiter etiam quãdo aliquo tẽpore determinato, à delectationibus carnis abſtinet, vt orationibus vacet, conſilium ſequitur pro tempore illo. Similiter quando aliquis non ſequitur voluntatem ſuam in aliquo facto, quod licite poſſet facere, conſilium ſequitur in caſu illo; puta ſi bene faciat inimicis quando non tenetur, vel ſi offenſam remittat cuius iuſtè poſſet exigere vindictã, & ſic etiam omnia conſilia particularia ad illa tria generalia, & perfecta, reducuntur.

Cur tria cõſilia Euangelica.

Licet autem prædicta conſilia quantum eſt de ſe, ſint omnibus expedientia, tum ex indiſpoſitione aliquorum, non ſunt eis expedientia, quia affectus eorum non inclinantur ad hoc. Ideo dominus conſilia Euangelica proponens, ſemper facit mentionem de idoneitate hominum ad obſeruantiam conſiliorum. Dans enim conſilium perpetuæ paupertatis, Matth. 19. præmittit, ſi *vis perfectus eſſe*: Et poſtea ſubdit, *vade & vende omnia quæ habes*, &c. Similiter dans conſilium perpetuæ caſtitatis, cum dixit, *ſunt eunuchi qui caſtrauerunt ſeipſos propter regnum cœlorum*, ſtatim ſubdidit, qui *poteſt capere capiat*: & ſimiliter Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. præmiſſo conſilio virginitatis, dicit: *porro hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis injiciam.*

DE GRATIA DEI.

De neceſſitate gratiæ.

DISTINCTIO X.

DEinde conſiderandum eſt de gratia. Circa quam conſideranda ſunt quinque. Primo de eius neceſſitate. Secundo de eius eſſentia. Tertiò de eius diuiſione. Quarto de eius cauſa. Quinto de eius effectu. Circa primum quæruntur decem. Primo vtrùm homo ſine gratia poſſit aliquam cognoſcere veritatem. Secundo vtrum ſine gratia poſſit aliquod bonum facere vel velle. Tertio vtrum ſine gratia poſſit Deum diligere. Quarto vtrum ſine gratia poſſit mandata legis implere. Quinto vtrum ſine gratia poſſit mereri vitã æternam. Sextò vtrum ſine gratia poſſit ſe ad gratiã præparare. Septimo vtrum ſine gratia poſſit reſurgere à peccato. Octauò vtrum ſine gratia poſſit vitare peccatum. Nonò vtrum gratiam conſecutus poſſit per gratiam abſque diuino auxilio bonum facere, & vitare peccatum. Decimo vtrum poſſit in bono perſeuerare per ſeipſum.

Ad primũ, ſcilicet *vtrum homo ſine gratia poſſit aliquod verum cognoſcere.* Dicendum quod quælibet res creata à Deo, habet efficaciã reſpectu alicuius actus determinati ſecundum proprietatem, & exigentiã ſuæ formæ, vltra autẽ non poteſt niſi per aliquã formam ſuperadditam; ſicut aqua ex forma ſua naturali, frigefacere poteſt, ſed calefacere nõ poteſt, niſi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquã formam, ſcilicet ipſum intellectuale lumẽ, quod eſt de ſe ſufficiẽs ad quædam intelligibilia cognoſcenda, ſcilicet ad ea in quorum notitiam poſſumus per ſenſibilia deuenire. Altiora vero intelligibilia non poteſt intellectus humanus cognoſcere, niſi perficiatur lumine fortiori, ſicut eſt lumen fidei vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, inquantum eſt naturæ ſuperadditum. Sic igitur patet quod intellectus humanus ad cognitionem cuiuſlibet veri, non indiget noua illuſtratione ſuperaddita lumini naturali, ſed in quibuſdam, quæ naturalẽ cognitionẽ excedunt: quandoque tamen Deus miraculosè per gratiam ſuam, aliquos inſtruit de his, quæ per naturalẽ rationem cognoſci poſſunt; ſicut quandoque facit aliqua miraculosè, quę natura facere poteſt. Sic ergo patet, quod ſine gratia poteſt intellectus humanus multa vera cognoſcere, propter quod Aug. lib. 1. retractat. dicit, *non approbo quod in oratione dixi: Deus qui non niſi mundos, verum ſcire voluiſti. Reſponderi enim poteſt, multos non mundos, multa ſcire vera.*

Homo poteſt lumine naturali intelligere ea quæ per ſenſibilia cognoſci poſſunt, altiora vero, non niſi perficiatur lumine fortiore.

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum ſine gratia, poſſit homo bonum aliquod facere ſeu velle.* Dicendum, quod natura hominis dupliciter poteſt conſiderari: vno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum. Alio modo ſecundum quod eſt corrupta in nobis, poſt peccatum primi parentis: ſecundum autem vtrumq; ſtatũ, natura humana indiget auxilio diuino, ad faciendũ vel volendũ quodcũq; bonũ, ſicut primo mouente, vt dictum eſt. Sed in ſtatu naturæ integræ quantum ad ſufficientiam operatiuæ virtutis, poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturę proportionatũ, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autẽ bonum ſuperexcedens quale eſt bonum virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ corruptæ deficit homo ad hoc, quod ſecundum ſuam naturã poteſt, vt non poſſit totũ huiuſmodi bonũ per ſua naturalia implere: quia tamen natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, vt ſcilicet toto bono naturæ priuetur, Poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ corruptæ, per virtutẽ ſuæ naturæ, aliquod bonũ particulare agere, ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia huiuſmodi, nõ tamen totũ bonum ſibi connaturale, ita quod in nullo deficiat, ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquẽ motũ habere nõ tamẽ perfectè poteſt moueri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ. Sicut igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturę indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantũ ad vnũ, ſcilicet quantũ ad volendũ, & operandũ bonum ſupernaturale: ſic in ſtatu naturæ corruptæ quãtum ad duo: ſcilicet vt ſanetur, & vlterius, vt bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritoriũ, vlterius autẽ in vtroque ſtatu, indiget homo auxilio diuino, vt ab ipſo moueatur ad bene agendum.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ nõ poteſt omne bonũ ſuæ naturæ proportionatum operari niſi ſanetur per gratiam, bene tamen aliquod, & in ſtatu naturæ integræ omne, poſito generali Dei concurſu præuio.

Circa tertium, ſcilicet *vtrum homo ex ſolis naturalibus ſine gratia poſſit diligere Deum.* Dicendum quod homo in ſtatu naturæ integræ, bonum aliquod quod eſt ſibi cõnaturale poterat operari virtute ſuæ naturæ, abſque ſuperadditione doni gratuiti, licet non abſque auxilio Dei mouentis: diligere autem Deum ſuper omnia eſt quiddam connaturale homini, & etiam cuilibet creaturæ non ſolum rationali, ſed etiam irrationali, & etiam inanimatæ: ſecundum modum amoris, qui vnicuique creaturæ competere poteſt. Cuius ratio eſt, quia vnicuique naturale eſt, quod appetat, & amet aliquid, ſecundum quod aptum natum eſt eſſe: ſic enim agitur vnumquodque prout aptum natum eſt, vt dicitur in 2. Phiſi. Manifeſtum eſt autem, quod bonũ partis, eſt propter bonum totius: vnde etiam naturali appetitu vel amore, vnaquæque res particularis amat bonum ſuum proprium, propter bonum commune totius vniuerſi, quod eſt Deus: vnde Dionyſius dicit in li. de di.no: *Deus conuertit omnia ad amorem ſuiipſius.* Vnde homo in ſtatu naturæ integræ, dilectionem ſuiipſius, referebat ad amorem Dei ſicut ad finem, & Similiter dilectionem omnium aliarum rerum, & ita Deum diligebat pluſquam ſeipſum, & ſuper omnia. Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ, ſequitur bonum priuatum, niſi ſanetur per gratiam Dei. Et ideo dicendum eſt, quod homo in

Homo in ſtatu naturæ integræ potuit Deum ſuper omnia diligere, ſine vllo dono gratuito naturæ ſuæ ſuperaddito, ſed non in ſtatu naturæ corruptæ.

ſtatu

ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratię ſuperadditę naturalibus donis ad diligendū Deum naturaliter,& ſuper omnia: licet indigeret auxilio Dei, ad hoc eum mouentis. Sed in ſtatu naturæ corruptæ indiget etiam homo ad hoc, auxilio gratiæ naturam ſanantis.

Diligere Deum ſuper omnia ex charitate, excedit vires naturæ integræ.

Sciendum autem, quod diligere Deum ſuper omnia ex charitate eſt ipsū eminētius diligere, quam ex naturali dilectione, quia charitas diligit Deum ſuper omnia eminentius, quā natura; natura enim diligit Deum ſuper omnia, prout, ſcilicet eſt principium, & finis naturalis boni; charitas autem ſecundum quod eſt obiectū beatitudinis. & ſecundū hoc homo habet quandā ſocietatē ſpiritualē cum Deo. Addit etiā charitas ſupra dilectionē naturalē Dei, promptitudinem quādam, & dilectionē; ſicut & quilibet habitus virtutis addit ſupra actum bonum, qui fit ex ſola ratione naturali hominis virtutum habitus non habentis.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum, ſine gratia poſſit homo mandata legis implere*. Dicendum quod mandata legis implere, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo quantū ad ſubſtantiā operū, prout ſcilicet homo operatur iuſta, & fortia, & alia virtutis opera: & hoc modo in ſtatu naturę integrę, potuit omnia mādata legis implere, alioquin non potuiſſet in ſtatu illo nō peccare; cum peccare nihil aliud ſit quam tranſgredi diuina manda-

Potuit homo ſine gratia in ſtatu naturæ integræ implere omnia mādata Dei quoad ſubſtantiā, ſed no quoad modū, ſcilicet vt ex charitate fiāt, in ſtatu vero naturæ corruptæ, neutrum.

ta: ſed in ſtatu naturæ corruptæ, non poteſt homo implere omnia diuina mandata ſine gratia ſanante. Alio modo poſſunt impleri mandata legis, non ſolū quantū ad ſubſtantiā operis, ſed etiā quantū ad modū agendi, vt ſcilicet ex charitate fiant; & ſic neque in ſtatu naturę integræ neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia, legis mādata, vnde Aug. in li. de corre. & gratia, cum dixiſſet, quod *ſine gratia nullum prorſus bonum homines faciunt*, ſubdit: *non ſolum vt miniſtrante ipſa, quid faciendum vt ſciant, verum etiam vt præſtante ipſa, faciant cum dilectione quod ſciunt*. Indigent inſuper in vtroque ſtatu auxilio Dei mouentis ad mandata implenda vt dictum eſt.

Ad quintum, ſcilicet *vtrum ſine gratia poſſit homo mereri vitam æternam*. Dicendum, quod actus perducētes ad finem oportet eſſe fini proportionatos, nullus actus excedit proportionē principij actiui. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res poteſt perficere effectum per ſuam operationē, quin excedat virtutem actiuam. ſed ſolum poteſt producere per operationem ſuā, effectum ſuæ virtuti proportionatum: vita autē æterna eſt finis excedens proportionem humanæ naturæ, vt ex ſupradictis patet: & ideo homo per ſua naturalia, non poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quę eſt virtus gratiæ; & ideo ſine gratia homo non poteſt mereri vitam æternā, poteſt tamen facere operatra perducentia ad aliquod bonum homini connaturale; ſicut laborare in agro, bibere, & manducare & habere amicum, & alia huiuſmodi, vt Aug. dicit in tertia reſponſione contra pelagianos.

Homo ſine gratia non poteſt mereri vitam æternam.

Ad ſextum, ſcilicet *vtrum ſine gratia poſſit ſe homo ad gratiam præparare*. Dicendum quod duplex eſt præparatio humanæ voluntatis ad bonum. Vna quidem qua præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendū & talis præparatio voluntatis non poteſt fieri ſine habituali gratiæ dono, quod ſit principium operis meritorij, vt dictum eſt. Alio modo poteſt intelligi præparatio voluntatis humanæ ad conſequēdum ipſum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem quod præparet ſe ad ſuſceptionem huius doni, non oportet præſupponere aliud donum habituale in anima, quia procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponi auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis ſiue inſpirantis bonum propoſitum; his enim duobus modis indigemus auxilio diuino, vt ſupra dictum eſt. Quod autem hoc indigeamus auxilio Dei mouentis manifeſtū eſt; neceſſe eſt enim cum omne agens agat propter finem, quod omnis cauſa conuertat ſuos effectus ad ſuum finem; & ideo cum ſecundum ordinem agentiū ſiue mouentiū ſit ordo finium, neceſſe eſt, quod ad vltimū finem conuertatur homo, per motionem primi mouentis; ad finem autem proximū, per motionē aliquorū inferiorum mouentiū; ſicut animus militis conuertitur ad quærendum victoriam ex motione ducis exercitus, ad ſequendum autē vexillū alicuius acieī, ex motione tribuni. Sic igitur cum Deus ſit primum mouens ſimpliciter, ex eius motione eſt, quod omnia in ipſum conuertantur ſecundum cōmunem intentionē boni, per quam vnūquodque intendit aſſimilari Deo ſecundū ſuū modū; vnde & Diony. in lib. de Diui. no. dicit, quod *Deus conuertit omnia ad ſeipſum*; ſed homines iuſtos conuertit ad ſeipſum, ſicut ad ſpecialem finem quē intendunt, & cui cupiunt adhærere ſicut proprio bono, ſecundum illud Pſal. 72. *Mihi adhærere Deo bonū eſt*. Et ideo, quod homo cōuertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe niſi Deo ipſum conuertente: hoc autem eſt præparare ſe ad gratiam, ad Deum conuerti ſicut ille qui habet oculum auerſum à lumine ſolis per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos conuertat verſus ſolem: vnde patet quod homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum niſi per auxilium gratuitum Dei interius mouentis.

Vt homo ad gratiam ſe præparet indiget auxilio Dei gratuito actuali interius animā mouente.

Ad ſeptimum, ſcilicet *vtrum ſine gratia poſſit homo reſurgere à peccato*. Dicendum quod homo nullo modo poteſt reſurgere à peccato per ſeipsū ſine auxilio gratiæ, cum enim peccatum tranſiens actu, maneat reatu, vt dictum eſt non eſt, idem reſurgere à peccato, quod ceſſare ab actu peccati; ſed reſurgere à peccato, eſt reparari hominem ad ea, quæ peccando amiſit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, ſcilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ: maculam quidem incurrit inquantum priuatur decore gratiæ ex deformitate peccati, bonum autem naturæ corrumpitur, inquantum natura hominis deordinatur, volūtate hominis Deo non ſubiecta; hoc enim ordine ſublato, conſequens eſt vt tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus autē pœnæ eſt per quem homo peccando mortaliter meretur damnationē æternā. Manifeſtum eſt autem de ſingulis horum triū, quod non poſſunt reparari niſi per Deum. Cum enim decor gratiæ proueniat ex illuſtratione diuini luminis, non poteſt talis decor in anima reparari, niſi Deo denuo illuſtrante: vnde requiritur habituale donū, quod eſt gratiæ lumē. Similiter ordo naturæ reparari non poteſt vt volūtas hominis Deo ſubijciatur niſi Deo voluntatem hominis ad ſe trahente, vt dictū eſt. Similiter etiam reatus pœnæ æternæ remitti non poteſt, niſi à Deo in quem eſt offēſa commiſſa, & qui eſt omnium iudex; & ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo à peccato reſurgat, & quantū ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.

Homo non poteſt reſurgere à peccato ſine auxilio gratiæ.

Ad octauum, ſcilicet *vtrum ſine gratia poſſit homo vitare peccatum*. Dicendum quod de homine dupliciter loqui poſſumus: vno modo ſecundū ſtatū naturæ integræ. Alio modo ſecundū ſtatū naturæ corruptæ. Secūdū ſtatū quidem naturæ integræ, etiā ſine gratia habituali, poterat homo nō peccare, neque mortaliter, neq; venialiter, quia peccare nihil aliud eſt, quā recedere ab eo quod eſt ſecundū naturā, quod vitare homo poterat in integritate naturæ: nō tamē hoc poterat, ſine auxilio Dei in bono conſeruantis, quo ſubtracto etiā ipſa natura in nihilū decideret. At in ſtatu naturæ corruptæ, indiget homo gratia habituali ſanante naturā, ad hoc quod omnino à peccato abſtineat. Quæ quidem ſanatio, primo fit in præſenti vita ſecundū mentē, appetitu carnali nōdum totaliter reparato, vt Apoſtolus ad Ro. 7. & in perſona hominis reparati dicit, *ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*. In quo quidem ſtatu poteſt homo abſtinere à peccato mortali, quod in ratione conſiſtit vt ſupra habitum eſt: non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionē inferioris appetitus ſenſualitatis; cuius motus quidē ſingulos, ratio reprimere poteſt, & ex hoc habēt

Homo in ſtatu naturæ integra potuit ſine gratia ſpeciali, vitare omne peccatum, non autem in ſtatu naturæ corruptæ, quum nec ſanatus per gratiā habitualem poteſt abſtinere ab omni peccato veniali ſed ſtatum à mortali, & ad breue tempus.

Tria ſunt nocumenta peccati, quorum nullum ſine gratia Dei reparatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rationē peccati voluntarij: non autē omnes: quia dum vni reſiſtere nititur, fortaſſis aliud ſurgit; & quia etiam ratio non sēper poteſt eſſe peruigil, ad huiuſmodi motus vitandos. Similiter igitur antequā hominis ratio in qua eſt peccatū mortale, reparetur per gratiā iuſtificātem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundū aliquod tēpus; quia nō eſt neceſſe, quod cōtinuo peccet in actu. Sed quod diu maneat abſque peccato mortali eſſe nō poteſt, vnde Gregorius dicit ſuper Ezech. quod *peccatū, quod mox per pœnitentiā nō deletur, ſuo pōdere ad aliud trahit*, & huius ratio eſt, quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio debet ſubdi Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis: Per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis iudicium, regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut igitur inferiori appetitu non totaliter ſubiecto rationi, non poteſt eſſe quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitiuo, ita ratione hominis non exiſtente ſubiecta Deo, conſequens eſt vt contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cum enim homo nō habet cor ſuum firmatum in Deo, vt pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando, ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa propter quæ conſequenda vel vitanda, homo recedit à Deo, contemnendo præcepta eius, & ita peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis, homo operatur ſecundum finem præconceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem, vt philoſophus dicit in 3. Ethic. quāuis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinē finis præconcepti, & præter inclinationē habitus: ſed quia homo non poteſt eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere vt permaneat, quin operetur ſecun dū cōſequentiā volūtatis deordinatæ niſi à Deo cito per gratiā ad debitū ordinē reparetur.

Ratio cur ſine gratia ſanāte non poteſt homo in ſtatu naturæ corrupta, vitare omnia peccata mortalia, ſed tantū ſingula.

Ad nonum ſcilicet *vtrum ille, qui iam cōſecutus eſt gratiam, poſſit per ſeipſum operari bonum, & vitare peccatum.* Dicendum, quod ad recte viuendum homo, dupliciter indiget auxilio Dei. Vno modo quantum ad aliquod habituale donum per quod natura humana corrupta ſanetur, & ſanata etiam eleuetur ad operandum opera meritoria, vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, vt à Deo moueatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilij modum homo in gratia exiſtens, non indiget alio auxilio gratię quaſi alio aliquo habitu infuſo, indiget tamē auxilio gratiæ ſecundū alium modum, vt ſcilicet à Deo moueatur ad recte agendum. Et hoc propter duo. Primo quidē ratione generali propter hoc quod ſicut dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcūque actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ. Secundo ratione ſpeciali, propter conditionē ſtatus humanæ naturæ, quæ quidē licet per gratiā ſanetur quantum ad mentē, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantū ad carnē per quā ſeruimus legi peccati, vt dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam quædā ignorantiæ obſcuritas in intellectu, ſecundum quā, vt dicitur etiā Rom. 7. quod *oremus ſicut oportet neſcimus* propter varios enim rerum euentus, & quia etiam noſipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenū ſcire quid nobis expediat, ſecundum illuc Sapiētiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentię noſtræ*, & ideo neceſſe eſt nobis vt à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia nouit, & omnia poteſt. Et propter hoc etiā renatis in filios Dei per gratiam, conuenit dicere, *& ne nos inducas in tentationē, & fiat volūtas tua ſicut in cælo, & in terra*, &c. quæ in oratione dominica continentur, ad hoc pertinentia.

Homo ſanatus per gratiā indiget auxilio gratiæ actualis vt operetur bonum & peccatū vitet ad longū tempus.

Perſeuerātia triplex.

Ad decimum, ſcilicet *vtrū homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeuerandū.* Dicendum quod perſeuerātia triplex dicitur. Quādoque enim ſignificat habitū mentis, per quē firmiter ſtat, ne remoueatur ab eo quod eſt ſecundū virtutē, per triſtitias irruentes, vt ſic ſe habeat perſeuerantia ad triſtitias, ſicut continētia ad cōcupiſcentias, & delectationes, vt philoſophus dicit in 8. Ethi. Alio modo poteſt dici perſeuerantia habitus quidam, ſecundum quē habet homo propoſitum perſeuerandi in bono vſque in finē; & vtroque iſtorum modorū perſeuerantia ſimul cum gratia infunditur, ſicut & continentia, & cęteræ virtutes. Alio modo dicitur perſeuerantia cōtinuatio quædam boni, vſque ad finē vitæ, & ad talē perſeuerantiam habendā, homo in gratia cōſtitutus, nō quidem indiget aliqua habituali gratia alia, ſed diuino auxilio ipſum dirigente, & protegente, contra tentationum impulſus, ſicut ex pręcedentibus apparet. Et ideo poſtquam aliquis eſt iuſtificatus per gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeuerantiæ donum, vt ſcilicet cuſtodiatur à malo vſque ad finem vitæ, multis enim datur gratia quibus non datur perſeuerare in gratia.

Homo in gratia conſtitutus, indiget diuino auxilio dirigente & protegente, vt poſſit vſque ad finē vitæ perſeuerare.

De eſſentia gratiæ.

DISTINCTIO XI.

CIrca ſecundum principale ſcilicet de gratia quātum ad eius eſſentiam, quæritūtur quatuor. Primo vtrum gratia ponat aliquid in anima. Secundo vtrum gratia ſit qualitas. Tertio vtrum differat à virtute infuſa. Quarto de ſubiecto gratiæ.

Ad primum, ſcilicet *vtrum gratia ponat aliquid in anima*, Dicendum quod ſecundum communem modum loquendi, gratia tripliciter accipi cōſueuit. Vno modo pro dilectione alicuius, ſicut conſueuimus dicere, quod iſte milēs habet gratiā regis, id eſt rex habet eū gratū. Secundo ſumitur pro aliquo dono gratis dato, ſicut conſueuimus dicere, hanc gratiam facimus tibi. Tertio modo ſumitur pro recompenſatione beneficij gratis dati, ſicut cū dicimur agere gratias beneficiorū. Quorū tritiū ſecundū dependet ex primo: Ex amore enim quo aliquis alium gratum habet, procedit, quod aliquid ei gratis impendat. Ex ſecundo autem procedit tertium, quia de beneficijs gratis exhibitis, gratiarū actio cōſurgit. Quantū ergo ad duo vltima manifeſtū eſt, quod gratia aliquid ponat in eo, qui gratiam accipit. Primo quidē ipſum donum gratis datum. Secundo huiuſmodi doni recognitionē. Sed quātum ad primum, eſt differentia attendenda circa gratiam Dei, & gratiā hominis quia enim bonū creaturæ prouenit ex volūtate diuina, ideo ex dilectione Dei qua vult creaturę bonum, profluit aliquod bonū in creatura; voluntas aut hominis mouetur ex bono præexiſtente in rebus, & inde eſt quod dilectio hominis non cauſat totaliter rei bonitatē, ſed præſupponit ipſam, vel in toto, vel in parte. Patet igitur quod quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura, cauſatum, quidem, non tamen lectioni æternæ coæternum; & ſecundum huiuſmodi boni differentiam, differens conſideratur dilectio Dei ad creaturam. Vna quidem communis, ſecundum quam diligit omnia, quæ ſunt, vt dicitur Sap. 9. ſecundū quā eſſe naturale rebus creatis largitur. Alia eſt dilectio ſpecialis, ſecundū quā trahit creaturā rationalē cōtra conditionē naturæ, ad participationē diuini boni; & ſecundū hāc dilectionē dicitur aliquē diligere ſimpliciter, quia ſecundum hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proueniens, Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipſa æterna Dei dilectio, ſecundum quod dicitur etiam gratia prædeſtinationis, inquantum Deus gratuito, & non ex meritis, aliquos prædeſtinauit ſiue elegit. Dicitur enim ad Heb. 1. *prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum. In laudem gloriæ & gratię ſuę.*

Gratia tripliciter accipitur.

Gratia ſeu dilectio Dei, ponit aliquid in creatura non itē gratia hominis.

Ad ſecundum ſcilicet *vtrum gratia ſit qualitas*. Dicendum quod gratia in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus Dei gratuitæ voluntatis. Dictūm eſt autem ſupra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuuatur. Vno modo inquantum anima hominis mouetur à Deo, ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum; & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non *eſt qualitas ſed*

Concurſus Dei primus non eſt qualitas ſed motus.

tas sed motus quidam animæ; *actus enim mouentis in moto est motus*, vt dicitur in 3. Physi. Alio modo adiuuatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundū quod aliquod habituale donū à Deo animæ infunditur. Et hoc ideo, quia non est conueniens, quod Deus minus prouideat his quos diligit ad supernaturale bonum, quā creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autē naturalibus sic prouidet, vt non solum moueat eas ad actus naturales, sed etiam largitus eis formas, & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, vt secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus; & sic motus quibus à Deo mouentur, fiunt creaturis connaturales, & faciles; secundum illud. Sap. 7. quod *disponit omnia suauiter*. Multo igitur magis illis quos mouet ad sequendum bonum supernaturale æternum infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suauiter, & promptè ab ipso moueantur ad bonum æternum consequendum, & sic donum gratiæ qualitas quædam est.

Donum gratiæ est qualitas.

Ad tertium, scilicet *vtrum gratia differat à virtute infusa*. dicendum quod quidam posuerunt idem esse gratiam, & virtutem, secundum essentiam, sed differre solum secundum rationem, vt gratia dicatur secundum quod facit hominē Deo gratum, vel secundum quod gratis datur; Virtus autē secundū quod perficit ad bene operandum, & hoc videtur sensisse magister in secundo sententiarum. Sed siquis rectè consideret rationem virtutis, hoc stare non potest, quia vt Philo. dicit in 7. Physi. *Virtus est dispositio perfecti*, dico autem perfectū, quod est dispositum secundum naturam. Ex quo patet quod virtus cuiuscunque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, quando scilicet vnūquodque sic est dispositum, secundū quod conuenit suæ naturæ. Manifestū est autē, quod virtutes acquisitæ per actus humanos, de quibus dictū est, sunt dispositiones quibus homo cōuenienter disponitur in ordine ad naturam, qua homo est. Virtutes autem infusæ disponunt hominē altiori modo, & ad altiorem finē: vnde etiā oportet, quod etiam in ordine ad aliquā altiorē naturā; hoc autē est in ordine ad naturā diuinam participatā, secundū quod dicitur 2. Pe. 1. *maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ cōsortes naturæ*, & secundū acceptionē huiusmodi, naturæ dicuntur regenerari in filios Dei. Sicut igitur lumē naturale rationis, est aliquid præter virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine ad ipsum finē, vel lumen naturale; ita etiam ipsum lumen gratiæ, quod est participatio diuinæ naturæ, est aliquid præter virtutes infusas, quæ à lumine illo deriuantur, & ad illud lumen ordinantur, vnde & Apostolus dicit ad Eph. 5. *Eratis aliquādo tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate*. Sicut enim virtutes acquisitæ, perficiunt hominem ad ambulandum congruenter lumini naturali rationis, ita virtutes infusæ perficiunt hominem ad ambulandum congruenter lumini gratiæ.

Gratia differt à virtute infusa.

Ad quartum scilicet *de subiecto gratiæ*. Dicendum, quod ista quæstio ex præcedenti dependet. Si enim gratia sit idem quod virtus, necesse est, quod sit in potētia animæ sicut in subiecto. Nam potentia animæ est proprium subiectum virtutis, vt supra dictū est. Si autem gratia differat à virtute, non potest dici, quod potentia animæ sit gratiæ subiectum, quia omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis, vt supra dictum est. Vnde relinquitur, quod gratia sicut est prius virtute, ita habeat subijci prius, potentijs animæ, ita scilicet quod in essentia animæ. Sicut enim per potentiam intellectiuam, homo participat cognitionem diuinam per virtutem fidei, & secundum potentiam voluntatis, amorem diuinum per virtutem charitatis; ita etiam per naturam animæ, participat secundum quandam similitudinem, naturam diuinam per quandam regeneracionem, siue recreationem.

Gratia subiectatur in essentia animæ.

De diuisione gratiæ.

DISTINCTIO XII.

CIrca tertium principale, scilicet de diuisione gratię, quæruntur quinque. Primo de diuisione gratiæ in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, Secundo de diuisione gratiæ gratum facientis per operantem, & cooperantem. Tertio de eius diuisione in pręuenientem, & subsequentem. Quarto de diuisione gratiæ gratis datę. Quinto de comparatione gratiæ gratum facientis, & gratis datæ.

A D primum scilicet *de diuisione gratiæ in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam*. Dicendum, quod sicut dicit Apostolus Ro. 13. *Quæ à Deo sunt ordinata sunt*. In hoc autem ordo rerum consistit, quod quædā per alia in Deum reducantur, vt Dionysius dicit in li. cele. Hie. Cum igitur gratia ad hoc ordinetur, vt homo reducatur in Deum ordine quodam; hoc agitur vt scilicet quidam per alios in Deum reducantur. Secundum hoc igitur duplex est gratia. Vna quidem per quam ipse homo Deo coniungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens. Alia vero per quam vnus homo cooperatur alteri, ad hoc quod ad Deum reducatur: huiusmodi autem donum vocatur gratia gratis data; quia supra facultatem naturæ, & supra meritū personæ, homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, vt homo ipse per eam iustificetur; sed potius vt ad iustificationem alterius cooperetur, ideo non vocatur gratum faciens, & de hac dicit Apostolus 1. ad Corin. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem aliorum*.

Gratia diuiditur in gratum facientem, & gratis datā.

A D secundum, scilicet *de diuisione gratiæ, in operantē, & cooperantem*. Dicendum quod sicut dictum est, gratia dupliciter potest intelligi: vno modo, diuinum auxilium, quo nos mouet ad bene volendum, & agendum. Alio modo, habituale donū nobis diuinitus inditum: vtroque autem modo gratia dicta, conuenienter diuiditur per operantem, & cooperantem, Operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili, sed mouenti. In illo igitur effectu in quo mens nostra est mota, & non mouens, solus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens nostra, & mouet, & mouetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans. Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem, interior voluntatis, & quantum ad istum actum, voluntas se habet vt mota, Deus autem vt mouens; & præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat, & ideo secundum quod Deus mouet humanam mentem ad hūc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cum à voluntate imperetur, vt supra habitum est: consequens est quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati, & quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuuat, & interius confirmādo voluntatem vt ad actum perueniat, & exterius facultatem operandi præbendo, respectu huius actus dicitur gratia cooperans: vnde Aug. dicit in lib. de gra. & libero arbi. *vt autem velimus operatur. Cum autem volumus vt perficiamus, nobis cooperatur*. Sic igitur si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua mouet nos ad bonum meritorium, conuenienter diuiditur gratia per operantem, & cooperantem. Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, sic etiā duplex est gratiæ effectus, sicut & cuiuslibet alterius formæ. Quorum primus est esse, secundus est operatio, sicut caloris operatio est facere calidum, & exterior calefactio: sic igitur habitualis gratia, inquantum animam sanat, vel iustificat, siue gratiam Deo facit, dicitur gratia operans: inquantum vero est principium operis meritorij, quod etiam ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.

Quid gratia operās, quid cooperans.

Alia acceptio gratiæ operātis & cooperantis.

A D tertiū, scilicet *de diuisione gratiæ in prænuenientē, & subse-*

Quinque effectus gratia.

Quid gratia præueniens, quid ſubſequens.

Explicatur diuiſio gratia gratis data.

Occurritur quibuſdam dubijs contra diuiſionem.

ſubſequentem. Dicendum, quod ſicut gratia diuiditur in operantem & cooperantem, ſecundum diuerſos effectus; ita etiam in præuenientem, & ſubſequentem, qualitercumq; gratia accipiatur. Sunt autē quinque effectus gratiæ in nobis. Quorū primus eſt vt anima ſanetur, Secundus eſt vt bonū velit. Tertius eſt vt bonū quod vult efficaciter operetur. Quartus eſt vt in bono perſeueret. Quintus eſt vt ad gloriā perueniat, & ideo gratia ſecundū quod cauſat in nobis primum effectū, vocatur præueniēs reſpectu ſecundi effectus, & prout cauſat in nobis ſecundum, vocatur ſubſequens reſpectu primi effectus. Et ſicut vnus eſt poſterior, vno effectu, & prior alio: ita gratia poteſt dici, & præueniens & ſubſequens ſecundum eundem effectum, reſpectu diuerſorum; & hoc eſt quod Aug. dicit in li. de natura, & gratia, *præuenit vt ſanemur, ſubſequitur vt ſanati vegetemur; præuenit vt vocemur, ſubſequitur vt glorificemur.*

Ad quartū, ſcilicet *de diuiſione gratiæ gratis datæ*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur vt reducatur ad Deum; homo autem operari ad hoc non poteſt, interius mouēdo (hoc enim ſolius Dei eſt) ſed ſolum exterius docendo, vel perſuadendo. Et ideo gratia gratis data, illa ſub ſe continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum inſtruat in rebus diuinis, quæ ſunt ſupra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis diuinorum, vt ex hoc poſſit alios inſtruere. Secundo vt poſſit confirmare vel probare ea, quæ dicit, alias non eſſet efficax eius doctrina. Tertio vt ea, quę concipit poſſit conuenienter auditoribus proferre. Quantum igitur ad primum tria ſunt neceſſaria, ſicut & apparet in magiſterio humano. Oportet enim quod ille qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientia, primo quidem, vt principia illius ſcientiæ ſint ei certiſſima, & quantum ad hoc ponitur fides, quæ eſt certitudo de rebus inuiſibilibus, quæ ſupponuntur, vt principia in catholica doctrina. Secundo, oportet quod doctor rectè ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ, & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio diuinorum. Tertio, etiam oportet vt abūdet exemplis in cognitione effectuū, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas. Et quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum, quia *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, Ro. 1. Confirmatio autem in his, quæ ſubduntur rationi, eſt per argumenta. In his autem, quæ ſunt ſupra rationem diuinitus reuelata, confirmatio eſt per ea, quæ ſunt virtuti diuinæ propria, & hoc dupliciter. Vno quidem modo vt doctor ſacræ doctrinæ faciat, quæ ſolet Deus facere in operibus miraculoſis, ſiue ſint ad ſalutem corporum; & quantum ad hoc ponitur gratia ſanitatum, ſiue ordinantur ad ſolam diuinæ poteſtatis manifeſtationem, ſicut quod ſol ſtet aut tenebreſcat, quod mare diuidatur; & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo vt poſſit manifeſtare ea quæ, ſolius Dei ſunt ſcire, & hæc ſunt contingentia futura; & quantum ad hoc ponitur prophetia: & etiam occulta cordium, & quantum ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum. Facultas autem pronunciandi poteſt attendi, vel quantum ad idioma in quo aliquis intelligi poſſit, & ſecundū hoc ponuntur genera linguarum, vel quantū ad ſenſum eorū, quæ ſunt proferenda & quantum ad hoc ponitur interpretatio ſermonum.

Sciendum autem, quod fides non numeratur hic inter gratias gratis datas ſecundum quod eſt quædam virtus iuſtificans hominem. Sed ſecundum quod importat quandam ſupereminentiam certitudinis fidei, ex qua homo fit idoneus ad inſtruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent, Spes autem, & charitas pertinent ad vim appetitiuā ſecundum quod per eam homo in Deum ordinatur.

Item gratia ſanitatum diſtinguitur à generali operatione virtutum, quia habet ſpecialem rationem inducendi ad fidem, ad quam aliquis magis promptus redditur per beneficium corporalis ſanitatis, quam per fidei virtutem aſſequitur. Similiter etiam loqui varijs linguis, & interpretari ſermones, habent ſpeciales quaſdam rationes mouendi ad fidem, & ideo ponuntur ſpeciales gratiæ gratis datæ.

Itē ſapientia, & ſcientia non computantur inter gratias gratis datas, ſecundū quod enumerantur inter dona ſpiritus ſancti, prout ſcilicet mens hominis eſt bene mobilis per ſpiritum ſanctum ad ea, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ (ſic enim ſunt dona ſpiritus ſancti, vt dictū eſt) ſed computantur inter gratias gratis datas, ſecundū quod important abundantiā quandā ſapientiæ, & ſcientiæ, vt homo poſſit, non ſolū in ſeipſo rectè ſapere de diuinis, ſed etiā alios inſtruere, & contradicētes reuincere. Et ideo inter gratias gratis datas ſignāter ponitur ſermo ſapiētiæ, & ſermo ſciētiæ, vnde Aug. dicit 14. de Tri. *Aliud eſt ſcire tantūmodo quid homo credere debeat, ad adipiſcendā vitā beatā; aliud eſt ſcire quantum hoc ipſum, vt pijs opituletur, & contra impios defendatur.*

Gratia gratum faciens eſt excellentior gratia gratis data

Ad quintum ſcilicet *de comparatione gratiæ gratum facientis, & gratis datæ*. Dicendū quod vnaquæque virtus tanto excellentior eſt, quanto ad altius bonū ordinatur, sēper autem finis potior eſt his, quę ſunt ad finem, gratia autem gratum faciens, ordinat hominē immediatè, ad coniunctionē vltimi finis, gratiæ autem gratis datæ, ordinant hominē ad quædam præparatoria finis vltimi, ſicut per prophetiam, & miracula, & huiuſmodi per quæ homines inducuntur ad hoc, quod vltimo fini coniungantur: & ideo gratia gratum faciens eſt multo excellentior, quam gratia gratis data.

De cauſa gratiæ.

DISTINCTIO XIII.

CIrca quartum principale, ſcilicet de cauſa gratiæ, quæruntur quinque. Primo, vtrum ſolus Deus ſit cauſa efficiens gratiæ. Secundo, vtrum requiratur aliqua diſpoſitio ad gratiam, ex parte recipientis eam, per actum liberi arbitrij. Tertio, vtrum talis diſpoſitio poſſit eſſe neceſſitas ad gratiam. Quarto, vtrum gratia ſit æqualis in omnibus. Quinto, vtrum aliquis poſſit ſcire ſe habere gratiam.

Solus Deus poteſt gratiā cauſare.

Ad primum, ſcilicet *vtrū ſolus Deus ſit cauſa efficiens gratiæ*. Dicendū quod nulla res agere poteſt vltra ſpeciē ſuā, quia ſemper oportet quod cauſa potior ſit effectu, donum autē gratiæ excedit omnē naturæ creatæ, cum nihil aliud ſit quam quædam participatio diuinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam; & ideo impoſſibile eſt, quod aliqua creatura gratiam cauſet. Sic enim neceſſe eſt, vt ſolus Deus deificet, cōmunicando conſortium diuinæ naturæ, per quandā ſimilitudinis participationem; ſicut impoſſibile eſt, quod aliquid igneat, niſi ſolus ignis.

Ad gratiam habitualem requiritur aliqua præparatio & diſpoſitio per actum liberi arbitrij, non autem ad actualē, ita vt præueniat auxilium Dei

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum requiratur aliqua præparatio ad gratiam ex parte recipiētis eam* &c. dicendū, quod ſicut ſupra dictum eſt, gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipſum habituale Dei donum: quandoque autem ipſum auxilium Dei mouentis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita; ſed ſi loquamur de gratia ſecundum quod ſignificat auxilium Dei mouentis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præueniens diuinum auxilium, ſed potius quæcunq; præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei mouentis animam ad bonū; & ſecundum hoc ipſe bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad bonum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrij moti à Deo; & quantum ad hoc dicitur homo ſe præparare, ſecundum illud Prouer. 16. *Hominis eſt præparare animum*; & eſt principaliter à Deo mouente liberum arbitrium, & ſecundum hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Deo greſſus hominis dirigi.

Ad tertium ſ. *vtrum ex neceſſitate detur gratia, præpa-*

rantī

Dispositio prout à Deo, habet infallibilem connexionem cum gratia, si sit vltima.

rranti se ad gratiam. Dicendum sicut dictum est, præparatio hominis ad gratiã est à Deo sicut à mouente, à libero autem arbitrio sicut à moto. Potest igitur præparatio cõsiderari dupliciter. Vno quidẽ modo secundũ quod est à libero arbitrio, & secundũ hoc nullam necessitatẽ habet ad gratiæ consecutionẽ, quia donum gratiæ excedit omnẽ præparationẽ virtutis humanæ. Alio modo potest cõsiderari secundũ, quod est à Deo mouente, & tunc habet necessitatẽ ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundum quod Aug. dicit in lib. de prædestinatione sanctorum, quod *per beneficia Dei certissimè liberantur, quicunque liberantur*; vnde si ex intentione Dei mouentis est, quod homo cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur, secundum illud Ioh. 6. *Omnis qui audit à patre, & didicerit, venit ad me.*

Gratia nõ est æqualis in omnibus, nisi ex parte obiecti.

A D quartum scilicet *vtrum gratia sit æqualis in omnibus.* Dicendũ quod habitus duplicẽ magnitudinem habere potest. Vnam ex parte finis vel obiecti, secundũ quod dicitur vna virtus alia nobilior, inquantũ ad maius bonũ ordinatur. Aliam vero ex parte subiecti, quod magis vel minus participat habitum inhærentem. Secundum igitur primam magnitudinem gratia gratum faciens non potest esse maior, & minor; quia gratia secundum sui rationem, coniungit hominem summo bono, quod est Deus: sed ex parte subiecti gratia potest susc ipere magis, & minus, prout scilicet vnus perfectius illustratur à lumine gratiæ, quam alius. Cuius diuersitatis ratio quidem est aliqua, ex parte præparantis se ad gratiam, qui enim se ad gratiam magis præparat, pleniorem gratiam accipit sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis, quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo; vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat, ad hoc, quod ex diuersis gradibus, pulchritudo & perfectio ecclesiæ consurgat; Sicut etiam diuersos gradus rerum, instituit, vt esset vniuersum perfectum, vnde Apostolus dicit Eph. 4. postquam dixit: *vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, enumeratis diuersis gratijs subiunxit, *ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi.*

Quæ causa inæqualitatis gratiæ.

A D quintum scilicet *vtrum homo possit scire se habere gratiam.* Dicendum, quod tripliciter potest homo aliquid cognoscere. Vno modo per reuelationem, & hoc modo potest aliquis scire se habere gratiam. Reuelat enim hoc Deus aliquando aliquibus, ex speciali priuilegio, vt securitatis gaudium; & in hac vita in eis incipiat; & confidentius, & fortius, magnifica opera consequantur, & mala præsentis vitæ sustineant; sicut Paulo dictum est 2. ad Corin. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Alio modo homo cognoscit aliquid per se ipsum, & hoc certitudinaliter, & sic nullus potest scire se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit iudicari per propriũ principiũ. Sic enim certitudo habetur de cõclusionibus demõstratiuis per demõstrabilia vniuersalia principia. Nullus autẽ potest scire se habere scientiam alicuius cõclusionis si principium ignoret; principium autem gratiæ, & obiectum eius, est ipse Deus, qui propter sui excellẽtiam est nobis ignotus, secundum illud Iob 36. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*; & ideo eius præsentia in nobis, vel absentia, per certitudinem cognosci non potest, secundum illud Iob 9. *Si venerit ad me non videbo eum, si autem abierit non intelligam* Et ideo homo non potest per certitudinem diiudicare; vtrum ipse habeat gratiam, secundum illud 1. ad Corin. 4. *Sed neque meipsũ iudico, qui autẽ iudicat me, dominus est.* Tertio modo cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa, & hoc modo aliquis potest cognoscere se habere gratiam, inquantũ scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & inquãtum homo non est cõscius sibi alicuius peccati mortalis. Secundum quẽ modũ potest intelligi, quod habetur Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditũ, quod nemo nouit nisi, qui accipit*, quia scilicet ille qui accipit, per quandam experientiã dulcedinis nouit, quam non experitur ille, qui non accipit. Ista tamen cognitio imperfecta est. Vnde Apostolus dicit 1 ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, quia vt dicitur in Psalmo 18. *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine.*

Nullus potest scire se habere gratiam citra ꝑ specialem Dei reuelationem, nisi tantum coniecturaliter.

De effectu gratiæ.

DISTINCTIO XIV.

CIrca quintum principale scilicet de effectu gratię quæruntur duo. Primo, de iustificatione impij, quæ est effectus gratiæ operantis. Secundo, de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis. Circa primum, quæruntur quinque. Primo, quid sit iustificatio. Secundo, vtrum ad eam requiratur infusio gratiæ. Tertio vtrum requiratur motus liberi arbitrij. Quarto, vtrum iustificatio impij sit maximum opus Dei. Quinto, vtrum sit opus miraculosum.

Quid iustificatio.

A D primum, scilicet *quid sit iustificatio impij*, Dicendũ quod iustificatio passiuè accepta, importat motum ad iustitiam, sicut & calefactio motum ad calorem. Cum autem iustitia de sui ratione importat rectitudinem quandam ordinis, dupliciter accipi potest. Vno modo secundum quod importat rectum ordinem in ipso actu hominis, & secundum hoc iustitia ponitur virtus quædam; siue sit particularis iustitia, quæ ordinat actum hominis secundum rectitudinem, in comparatione ad alium singularem hominem; Siue sit iustitia legalis, quæ ordinat secundum rectitudinem actum hominis, in cõparatione ad bonum commune multitudinis, vt patet in 5. Ethi. Alio modo dicitur iustitia prout importat rectitudinẽ quandã ordinis, in ipsa interiori dispositione hominis, prout, scilicet supremũ hominis subditur Deo, & inferioris animæ vires subduntur supremo, scilicet rationi; & hanc etiã dispositionẽ vocat philosophus 5. Ethi. iustitiã Metaphoricè dictã. Hęc igitur iustitia in homine potest fieri dupliciter. Vno quidẽ modo per modum simplicis generationis, quę est ex priuatione ad formã, & hoc modo iustificatio posset cõpetere etiã ei, qui non esset in peccato dum huiusmodi iustitiam à Deo acciperet, sicut Adam dicitur accepisse originalem iustitiã. Alio modo potest fieri huiusmodi iustitia in homine, secundũ rationem motus, qui est de contrario in contrariũ, & secundum hoc iustificatio importat transmutationem quandam de statu iniustitiæ ad statũ iustitiæ prædictę. Et hoc modo loquimur hic de iustificatione impij, secundũ illud Apostoli ad Rom. 4. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium*, &c. Et quia motus magis denominatur à termino ad quem, quam à termino à quo, Ideo huiusmodi transmutatia, quo aliquis transmutatur à statu iniustitiæ, per remissionem peccati, sortitur nomen à termino ad quem, & vocatur iustificatio impij.

Ad remissionem peccati requiritur infusio gratiæ.

A D secundum scilicet *vtrum requiratur infusio gratiæ ad iustificationem.* Dicendũ quod homo peccãdo Deum offendit, offensa autẽ nõ remittitur alicui, nisi per hoc quod animus offensi pacatur offendẽti, & ideo secundũ hoc peccatum dicitur nobis remitti, quod Deus nobis pacatur, quæ quidẽ pax cõsistit in dilectione, qua Deus nos diligit. Dilectio autem Dei quantum est ex parte actus diuini est æterna, & immutabilis, sed quantum ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrũpitur, prout scilicet ab ipso quandoq; deficimus, & quandoq; iterũ recuperamus. Effectus autẽ diuinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua peccatum mortale excludit, & ideo non posset intelligi remissio culpæ nisi adesset infusio gratiæ.

A D tertium scilicet *vtrum requiratur motus liberi arbitrij.* Dicendum quod iustificatio impij, fit à Deo

mouente

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mouente hominem ad iuſtitiam. Ipſe enim eſt qui iuſtificat impium, vt dicitur Rom. 4. Deus autem mouet omnia ſecundum motum vuiuſcuiuſque, ſicut in naturalibus videmus quod aliter mouentur ab ipſo grauia, & aliter leuia, propter diuerſam naturã vtriuſque. Vnde & hominem ad iuſtitiam mouet ſecundum conditionem naturæ humanæ, homo autẽ ſecundum propriã naturã habet, quod ſit liberi arbitrij, & ideo in eo qui habet vſum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad iuſtitiã, abſque motu liberi arbitrij, ſed ita infundit donum gratiæ iuſtificantis, quod etiam ſimul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum, in his qui ſunt huius motionis capaces.

In habente vſum liberi arbitrij requiritur ipſius motus ad iuſtificationem.

Pueri autem non ſunt capaces motus liberi arbitrij, & ideo mouentur à Deo ad iuſtitiam, per ſolam informationem animæ ipſorum; non autẽ hoc fit ſine ſacramento, quia ſicut peccatum originale à quo iuſtificantur, non propria voluntate ad eos peruenit, ſed per carnis originem; ita etiam per ſpiritualẽ regenerationem à Chriſto in eos gratia deriuatur, & eadem ratio eſt de furioſis, & amentibus, qui nunquam vſum liberi arbitrij habuerunt. Sed ſi quis aliquãdo habuerit vſum liberi arbitrij, & poſtmodum eo careat, vel per infirmitatẽ, vel per ſomnum; non conſequitur gratiã iuſtificãtem per baptiſmum exterius adhibitũ, aut per aliquid aliud ſacramentum, niſi prius habuerit ſacramentum in propoſito, quod ſine vſu liberi arbitrij non contingit. Et hoc modo ille de quo loquitur Aug. in 4. confeſſio, renatus fuit quia & prius, & poſtea, baptiſmum acceptauit.

Solutio obiectionum.

SICVT autem in motu locali corpus mobile reſpectum habet ad duos terminos ſcilicet ad terminum à quo recedit, & ad terminum ad quẽ accedit; ſic oportet, quod mens hominis dum iuſtificatur per modum liberi arbitrij recedat à peccato, & accedat ad iuſtitiam. Receſſus autem, & acceſſus in motu liberi arbitrij, accipitur ſecundum deteſtationem, & deſiderium, dicit enim Aug. ſuper Ioh. Exponens illud: *Mercenarius autem fugit. Affectiones noſtræ motus animarum ſunt, lætitia animi progreſſio, triſtitia autem animi fuga eſt, progrederis animo cum appetis, fugis animo cum metuis.* Oportet igitur quod in iuſtificatione impij ſit motus liberi arbitrij duplex, vnus quo per deſiderium tendat in Dei iuſtitiam, & alius quo deteſtetur peccatum.

Ad iuſtificationem requiritur motus fidei.

REQVIRITVR autẽ motus fidei, quia motus liberi arbitrij requiritur ad iuſtificationẽ impij, ſecũdũ quod mens hominis mouetur à Deo; Deus autẽ mouet animã hominis conuertendo eã ad ſeipſum, vt dicitur in Pſal. 84. ſecundum aliã litterã, *Deus tu cõuertens viuificabis nos:* & ideo ad iuſtificationẽ impij, requiritur motus mentis quo cõuertitur in Deum. Prima autẽ converſio in Deum fit per fidem, ſecundum illud ad Heb. 11. *Accedentẽ ad Deum oportet credere, quia eſt*; & ideo motus fidei requiritur ad iuſtificationẽ impij. Ideo dicit Apoſtolus Ro. 5. *Iuſtificati igitur ex fide, pacẽ habeamus ad Deum.* Bene autẽ occurrunt alia, ſcilicet charitas, ſecundum illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ*, Itẽ Eccl. 1. *Timor domini expellit peccatum, nã qui ſine timore eſt nõ poterit iuſtificari* & iterum humilitas Iac. 3. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam*, & iterum miſericordia. Pro. 15. *per miſericordiam, & fidem purgantur peccata.*

Item charitatis & timoris filialis.

QVIA tamẽ prima converſio hominis ad Deum fit per motum fidei, vt dictum eſt; ideo magis attribuitur fidei. Motus tamen fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus, vnde ſimul in iuſtificatione impij cum motu fidei, eſt etiam motus charitatis. Mouetur autẽ liberum arbitrium in Deum ad hoc, quod ei ſe ſubijciat, vnde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis. Cõtingit enim vnum, & eundẽ actũ liberi arbitrij, diuerſarum virtutum eſſe, ſecundũ quod vna imperat, & alia imperatur prout. ſ. actus eſt ordinabilis ad diuerſos fines. Actus autem miſericordiæ operatur contra peccatum, per modum ſatisfactionis, & ſic ſequitur iuſtificationem: Vel per modum præparationis, inquantum miſericordes, miſericordiã cõſequũtur; & ſic etiã poteſt præcedere iuſtificationem; vel etiam ad iuſtificationem concutrere ſimul cum prædictis virtutibus, ſecundum quod miſericordia includitur in dilectione proximi.

Ad iuſtificationẽ impij quatuor requiruntur.

PATET igitur ex prædictis, quod ad iuſtificationem impij quatuor requirantur. ſ. gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & motus liberi arbitrij in peccatum, & remiſſio culpæ. Cuius ratio eſt, quia ſicut dictum eſt, iuſtificatio eſt quidam motus, quo anima mouetur à Deo, à ſtatu culpæ in ſtatu inſtitiæ. In quolibet autem motu quo aliquid ab aliquo mouetur, tria requiruntur. Primo quidẽ motio ipſius mouentis, ſecundo motus mobilis, & tertio conſummatio motus ſiue peruentio ad finem. Ex parte igitur motionis diuinæ, accipitur gratiæ infuſio, ex parte vero liberi arbitrij moti, accipiuntur duo motus ipſius ſecundum receſſum à termino, à quo, & acceſſum ad terminum ad quem; conſummatio vero ſiue peruentio ad terminum huius motus, importatur per remiſſionem culpæ, in hoc enim iuſtificatio cõſumatur.

AD quartum. ſ. *vtrum iuſtificatio impij ſit maximũ opus Dei.* Dicẽdum, quod opus aliquod poteſt dici magnum dupliciter. Vno modo ex parte modi agendi, & ſic maximum eſt opus creationis in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo poteſt dici opus magnũ propter magnitudinem eius quod fit; & ſecundum hoc maius opus eſt iuſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum ęternũ diuinæ participationis; quã creatio cæli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo Aug. exponẽs illud Ioh. 14. *Maiora horum faciet*, cum dixiſſet, quod maius eſt vt ex impio fiat iuſtus, quam creare cęlum & terrã, ſubiungit. *Cælum enim & terra tranſibũt, prædeſtinatorum autem ſalus, & iuſtificatio permanebit.* Sed ſciẽdum eſt, quod aliquid magnum dicitur dupliciter. Vno modo ſecundum quantitatem abſolutam, & hoc modo donum gloriæ eſt maius, quam donum gratiæ iuſtificantis impium; & ſecundum hoc glorificatio iuſtorum eſt maius opus, quã iuſtificatio impij. Alio modo dicitur aliquid magnum quãtitate proportionis, ſicut dicitur mõs paruus, & granum millij magnum, & hoc modo donum gratiæ iuſtificantis impium eſt maius quã donum gloriæ beatificantis iuſtum, quia plus excedit donum gratiæ dignitatem impij, qui erat dignus pæna, quã donum gloriæ dignitatem iuſti, qui ex hoc ipſo, quod eſt iuſtificatus, eſt dignus gloria. Et ideo Aug. ibidem dicit. *Iudicet qui poteſt vtrum maius ſit iuſtos Angelos creare, quã impios iuſtificare, certè ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ.*

Quo ſenſu iuſtificatio impij poſſit dici maximum opus Dei.

AD quintum. ſ. *vtrum iuſtificatio impij ſit opus miraculoſũ.* Dicendum, quod in operibus miraculoſis tria cõſueuerunt inueniri. Quorum vnum eſt ex parte potentiæ agentis, quia ſola diuina virtute fieri poſſunt, & ideo ſunt ſimpliciter mira quaſi habentia cauſam occultam; & ſecundum hoc tam iuſtificatio impij, quam creatio mundi, & vniuerſaliter omne opus, quod à ſolo Deo fieri poteſt, miraculoſum dici poteſt. Secundo in quibuſdam miraculoſis operibus inuenitur, quod forma inducta eſt ſuper naturalem potentiam talis materiæ, ſicut in ſuſcitatione mortui, vita eſt ſupra naturalem potentiam talis corporis; & quantum ad hoc, iuſtificatio impij non eſt miraculoſa, quia naturaliter anima eſt gratię capax, eo enim ipſo, quod facta eſt ad imaginem Dei, capax Dei eſt per gratiam, vt Aug. dicit. Tertio modo in operibus miraculoſis inuenitur aliquid pręter ſolitum, & conſuetum ordinem cauſandi effectũ. Sicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur ſubito, præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit natura vel arte: Et quantum ad hoc iuſtificatio impij quandoque eſt miraculoſa, & quandoq; nõ eſt. Eſt enim iſte cõſuetus, & cõmunis curſus iuſtificationis, vt Deo mouẽte interius animã, homo, cõuertatur ad Deum. Primo quidem cõuerſione imperfecta, vt poſtmodum ad perfectum deueniat, quia

Quomodo iuſtificatio impij poteſt dici miraculoſa, & quomodo non.

charitas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

charitas inchoata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, sicut Auguſt. dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animam mouet, vt ſtatim quandam perfectionem iuſtitiæ aſſequatur, ſicut fuit in conuerſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculosè proſtratione; & ideo conuerſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.

De merito, effectu gratiæ.

DISTINCTIO XV.

CIRCA ſextum principale quantum ad effectum gratiæ, ſcilicet de merito, quæruntur nouem. Primo, vtrum homo poſſit mereri aliquid apud Deum. Secundo, vtrum poſſit mereri vitam æternam ex condigno. Tertio, vtrum gratia ſit principium merendi mediante charitate principaliter. Quarto, vtrum homo poſſit ſibi mereri primam gratiam. Quinto, vtrum poſſit alij mereri primam gratiam. Sexto, vtrum poſſit ſibiipſi mereri reparationem poſt lapſum. Septimo, vtrum poſſit mereri augmentum gratiæ. Octauo, vtrum poſſit mereri perſeuerantiam finalem in bono. Nono, vtrum temporalia bona cadant ſub merito.

AD PRIMVM, ſcili. *vtrum homo poſſit aliquid mereri à Deo.* Dicendum, quod meritum & merces ad idem referuntur. Id enim merces dicitur, quod alicui recompẽſatur pro retributione operis vel laboris quaſi quoddam precium ipſius, vnde ſicut reddere iuſtum preciũ pro re accepta ab aliquo eſt actus iuſtitiæ, ita etiam recompenſare mercedem operis vel laboris eſt iuſtitiæ actus. Iuſtitia autem æqualitas quædã eſt, vt patet per Philo. in 5. Ethic. & ideo ſimpliciter eſt iuſtitia inter eos quorũ eſt ſimpliciter æqualitas, aliorum vero non eſt ſimpliciter iuſtitia, ſed quidam iuſtitiæ modus poteſt eſſe; ſicut dicitur quoddam ius paternum vel dominatiuum, vt in eodem li. Philoſophus dicit. Et ideo in quibus eſt ſimpliciter iuſtum, eſt & ſimpliciter ratio mercedis & meriti. In quibus autem eſt ſecundum quid iuſtum, & non ſimpliciter, in his etiam non ſimpliciter eſt ratio meriti, ſed ſecundum quid, inquantum ſaluatur ibi iuſtitiæ ratio; ſic enim & filius meretur aliquid à patre, & ſeruus à domino. Manifeſtum eſt autẽ quod inter Deum & hominẽ eſt maxima inæqualitas, in infinitum enim diſtant; & totum quod eſt hominis bonum, eſt à Deo; vnde non poteſt hominis ad Deum eſſe iuſtitia, ſecundum abſolutam æqualitatem, ſed ſecundum proportionem quandam, inquantum ſcilicet vterque operatur ſecundum modum ſuum; modus autem & menſura humanæ virtutis, homini eſt à Deo, & ideo meritum hominis apud illum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præſuppoſitionem diuinæ ordinationis, ita ſcil. vt id homo conſequatur à Deo per ſuam operationem quaſi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputauit; ſicut etiã res naturales conſequuntur per proprios motus, & operationes id ad quod à Deo ſunt ordinatæ: differenter tamen; quia creatura rationalis ſeipſam mouet ad agendum per liberum arbitrium, vnde ſua actio habet rationem meriti, quod non eſt in aliis creaturis.

Homo poteſt mereri apud Deũ ex præſuppoſitione diuinæ ordinationis; non aliter, eo quod hominis ad Deũ non eſt iuſtitia ſecũdum æqualitatẽ.

AD SECVNDVM, ſcil. *vtrum poſſit homo mereri vitam æternam ex condigno.* Dicendum, quod opus meritorium hominis conſiderari poteſt dupliciter. Vno modo ſecundum quod præcedit ex libe. arbi. Alio modo ſecundum quod procedit ex gratia Spiritus ſancti. Si conſideretur ſecundum ſubſtantiam operis, & ſecundum quod procedit ex libero arbitrio, ſic non poteſt ibi eſſe condignitas propter maximam inæqualitatem, ſed eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim cõgruum vt homini operanti ſecundum ſuam virtutem Deus recompẽſet ſecundum excellentiam ſuæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio ſecundum quod procedit ex gratia Spiritus ſancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ ex cõdigno; ſic enim attenditur valor meriti ſecundum virtutem Spiritus ſancti mouentis nos in vitam æternam, ſecundum illud Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam.* Attenditur etiam precium operis ſecundum dignitatem gratię, per quam homo conſors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo iure adoptionis, ſecundum illud Rom. 8. *Si filij Dei, & hæredes.*

Operi vt præcedenti ex gratia reſpondet meritum ex cõdigno: vt à libero arbitrio, ex congruo.

AD TERTIVM, ſci. *vtrum gratia ſit principium merendi principalius per charitatem.* Dicendum, quod ſicut ex prædictis accipi poteſt, humanus actus habet rationẽ merendi ex duobus. Primo quidem & principaliter ex diuina ordinatione, ſecundum quod actus dicitur eſſe meritorius illius boni ad quod homo diuinitus ordinatur. Secundo vero ex parte liberi arbitrij, inquantũ ſci. homo habet præ cæteris creaturis vt per ſe agat voluntarius agens; & quantum ad vtrumq; principalitas meriti penes charitatem conſiſtit. Primo equidem cõſiderandum eſt, quod vita æterna in Dei fruitione conſiſtit: Motus autem humanę mentis ad fruitionem diuini boni, eſt proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundum quod aliæ virtutes imperantur à charitate; & ideo meritum vitæ æternę primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundario. Secundo quod eorum actus à charitate imperantur. Similiter etiã manifeſtum eſt, quod id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus, vnde etiam ſecundum quod ad rationem meriti requiritur quod ſit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur.

Ratio cur gratia ſit principium merendi per charitatem.

AD QVARTVM, ſcil. *vtrum homo poſſit mereri primam gratiam ſibiipſi.* Dicendum, quod donum gratiæ poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum rationem gratuiti doni, & ſic manifeſtum eſt, quod omne meritum repugnat gratiæ, quia vt ad Ro. 10. Apoſtolus dicit: *Si ex operibus, iam non ex gratia.* Alio modo poteſt cõſiderari ſecundum naturam ipſius rei, quæ donatur; & ſic etiam non poteſt cadere ſub merito non habẽtis gratiam, tum quia excedit proportionem naturæ, tum etiam quia ante gratiam in ſtatu peccati habet homo impedimentum promerendi gratiam, ſci. ipſum peccatum. Poſtquam autem iam aliquis habet gratiam, non poteſt gratia iam habita ſub merito cadere quaſi merces, quia merces eſt terminus operis, gratia vero eſt principium cuiuſlibet boni operis, vt ſupra dictum eſt. Si vero aliud donum gratuitum quis mereatur virtute gratiæ præcedentis, iam non erit prima; vnde manifeſtum eſt, quod nullus poteſt ſibi mereri primã gratiã.

Nullus poteſt ſibi mereri primam gratiam.

AD QVINTVM, ſci. *vtrum homo poſſit mereri alteri primam gratiam.* Dicẽdum, quod ſicut ex dictis patet, opus noſtrum habet rationem meriti ex duobus. Primo quidẽ ex vi motionis diuinę, & ſic meretur aliquis ex condigno. Alio modo habet rationem meriti ſecundum quod procedit ex libero arbitrio, inquantum voluntariè aliquid facimus; & ex hac parte eſt meritum congrui; quia congruum eſt, vt dum homo benè vtitur ſua virtute, Deus ſecundum ſuperexcellẽtiæ virtutem, excellentius operetur. Ex quo patet, quod merito condigni nullus poteſt alteri mereri primam gratiam, niſi ſolus Chriſtus; quia vnuſquiſque noſtrum mouetur à Deo per donum gratiæ, vt ipſe ad vitam æternam perueniat; & ideo meritum condigni vltra hanc motionẽ non ſe extendit: ſed anima Chriſti mota eſt à Deo per gratiam, non ſolum vt ipſe perueniret ad gloriam vitæ æternæ, ſed etiã vt alios in eam adduceret, inquantum eſt caput Eccleſiæ, & auctor ſalutis humanæ, ſecundum illud Heb. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctor eſt ſalutis,* &c. Sed merito congrui aliquis poteſt alteri mereri primã gratiam; quia enim homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem, congruum eſt ſecundum amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in ſaluatione alterius; licet quandoque poſſet habere impedimẽtum ex parte ipſius cuius aliquis ſanctus iuſtificationem deſiderat, & in hoc caſu loquitur auctoritas Hiere. 15. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

Cur ſolus Chriſtus poſſit alteri mereri primam gratiã ex condigno: alij non niſi ex congruo.

AD SEXTVM, ſci. *vtrum quis poſſit mereri ſibi reparationem poſt lapſum.* Dicendum, quod nullus poteſt ſibi mereri re-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nullus potest sibi de condigno vel cõgruo mereri reparationẽ post lapsum.

reri reparationem post lapsum, neque merito cõdigni, neque merito congrui. Merito quidem condigni hoc sibi mereri non potest, quia ratio huius meriti depẽdet ex motione diuinæ gratiæ, quæ quidem motio interrumpitur per sequens peccatũ. Vnde omnia beneficia, quæ postmodum aliquis à Deo cõsequitur quibus reparatur, non cadunt sub merito, tanquã motione prioris gratiæ, vsque ad hoc se extendente. Meritum etiam congrui quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur ne consequatur effectum, propter impedimẽtum peccati in eo cui quis meretur; Multo igitur magis impeditur talis meriti efficacia, propter impedimentum, quod est in eo, qui meretur, & in eo cui meretur; (vtrumq; enim his in vnam personam concurrit) & ideo nullo modo aliquis potest sibi mereri reparationem post lapsum.

Augmẽtum gratiæ cadit sub meritum condigni.

Ad septimvm, sci. *vtrum homo possit mereri augmẽtum gratiæ.* Dicẽdum, quod sicut supra dictum est, illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit. Motio autẽ alicuius mouentis non solum se extendit ad vltimum terminum motus, sed etiã ad totum progressum in motu; terminus autẽ motus gratiæ est vita ęterna, progressus autẽ in hoc motu, est secundum augmẽtum charitatis vel gratiæ, secundum illud Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*, qui est dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni.

Ad octavvm, sci. *vtrum homo possit mereri finalẽ perseuerantiam.* Dicendũ, quod cum homo naturaliter habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum, & ad malum; dupliciter potest aliquis perseuerantiam in bono obtinere à Deo. Vno quidẽ modo, per hoc quod liberum arbitriũ determinatur ad bonum per gratiã consummatã, quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis diuinæ, quæ hominẽ inclinat ad bonum vsq; ad finem. Sicut autẽ ex dictis patet, illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbi. directi à Deo mouente, sicut terminus; non autem illud, quod comparatur ad prædictum motum, sicut principium: vnde patet quod perseuerantia gloriæ, quæ est terminus prædicti motus, cadit sub merito; perseuerantia autem viæ non cadit sub merito (quia dependet solum ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti) sed Deus gratis perseuerantiæ donum largitur, cuicumque illud largitur.

Donum perseuerantiæ in via, nõ cadit sub merito.

Ad nonvm, sci. *vtrum bona temporalia cadant sub merito.* Dicẽdum, quod id, quod cadit sub merito est præmium vel merces, quod habet rationem alicuius boni. Bonum autẽ hominis est duplex. Vnum simpliciter, & aliud secundum quid. Simpliciter quidem bonum hominis est vltimus finis eius, secundũ illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est*, & per consequens omnia illa, quę ordinantur vt inducentia ad hunc finẽ, & talia simpliciter cadunt sub merito. Bonum autem secundum quid & non simpliciter hominis, est quod est bonum ei vt nunc, vel quod ei est secundum aliquid bonum, & huiusmodi non cadunt sub merito simpliciter, sed secundum quid. Secundũ hoc igitur dicendum est, quod si temporalia bona considerentur prout sunt vtilia ad opera virtutum quibus perducimur in vitam æternam, secundum hoc directè & simpliciter cadunt sub merito, sicut augmẽtum gratiæ, & omnia illa quibus homo adiuuatur ad perueniendũ in beatitudinem, post primã gratiam: tantum enim dat Deus viris iustis de bonis tẽporalibus, & etiã malis, quantum eis expedit ad perueniẽdum ad vitã æternã; & intantum sunt simpliciter bona huiusmodi temporalia, vnde dicitur in Psal. 33. *Inquirentes autẽ Dominum non minuẽtur omni bono.* Et alibi, *Non vidi iustum derelictum.* Si autem considerentur huiusmodi tẽporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid; & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid; inquantum sc. homines mouentur à Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur; Deo faciẽte, vt sicut vita ęterna est simpliciter præmium operum iustitiæ, per relationẽ ad motionem diuinam, vt dictum est; ita temporalia bona in se considerata habeant rationẽ mercedis; vel, habito respectu quantum ad motionem diuinam, qua voluntas hominum mouetur ad hæc prosequenda; licet interdum in his non habeant homines, rectã intentionem.

Bona temporalia cadunt sub merito simpliciter & secundum quid, diuerso respectu.

LIBRI I. PARS III.

DE VIRTVTIBVS IN GENERALI.

De essentia virtutis.

DISTINCTIO PRIMA.

Deinde considerandum est de virtutibus. Et circa hoc cõsiderandum est. Primo in generali. Secundo in speciali. Circa primum considerandа sunt tredecim. Primo De virtutibus quantum ad essentiam. Secundo de subiecto virtutis. Tertio de distinctione virtutum intellectualium. Quarto de distinctione virtutum moralium ab intellectualibus. Quinto de distinctione virtutum moralium per comparationem ad passiones. Sexto de distinctione virtutum moralium ab inuicem. Septimo de distinctione virtutum Cardinalium. Octauo dè virtutibus Theologicis. Nono de causa virtutùm. Decimo de proprietate virtutũ quantum ad earum medium. Vndecimo de connexione virtutum. Duodecimo de qualitate virtutum. Tertiodecimo de duratione earum post hanc vitam. Circa primum sci. de essentia virtutum quæruntur duo. Primo vtrum virtus sit habitus. Secundo de diffinitione eius.

Ad primvm, sci. *vtrum virtus sit habitus.* Dicẽdum, quod virtus nominat quandam perfectionem potẽtiæ. Vniuscuiusque autem perfectio pręcipuè consideratur in ordine ad suum finem, finis autem potẽtiæ actus est; vnde potẽtia dicitur esse perfecta, secundum quod determinatur ad suum actum. Sunt autem quædã potentiæ, quę secundum seipsas sunt determinatæ ad suos actus, sicut potentiæ naturales actiuæ; & ideo huiusmodi potentiæ naturales secundũ seipsas dicuntur virtutes; potentiæ autem rationales, quæ sunt potentiæ propriæ hominis, non sunt determinatæ ad vnum, sed se habent indeterminatè ad multa; determinantur autẽ ad actus per habitus, & ideo virtutes humanæ habitus sunt. Item cum duplex sit potentia, sci. potẽtia ad esse, & potentia ad agere; perfectio vtriusq; potentiæ, virtus vocatur. Sed potentia ad esse se tenet ex parte materiæ, quæ est ens in potentia. Potentia autẽ ad agere se tenet à parte formæ, quę est principium agendi, eo quod vnumquodq; agit inquantum est actu. In constitutione autem hominis, corpus se habet sicut materia, anima vero sicut forma; & quantum quidẽ ad corpus, homo communicat cum aliis animalibus, & similiter quantum ad vires, quæ sunt animæ corporiq; cõmunes; solæ autem illæ vires, quæ sunt propriæ animæ, sci. rationales, sunt hominis tãtum; & ideo virtus humana de qua loquimur non potest pertinere ad corpus; sed pertinet tantum ad id, quod est proprium animæ; vnde virtus humana non importat ordinem ad esse, sed magis ad agere; & ideo de ratione humanæ virtutis est, quod sit operatiuus habitus. de ratione autem eius est, quod sit habitus bonus, quia virtus cuiuslibet rei ordinatur in bonum, propter quod dicit Aug. in li. de moribus ecclesiæ: *Nemo dubitauerit, quod virtus animam facit optimã.* Et philo. 2. Ethi. dicit, quod *virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* vnde patet quod virtus humana est habitus operatiuus, & bonus.

Virtutes humanæ sunt habitus operatiui & boni de ratione sua & essentialiter.

Ad secvndvm, sci. *de diffinitione virtutis.* Sciendum quod hæc diffinitio solet assignari, & sententialiter sumitur ex verbis Aug. 2. de libe. arbi. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Hæc autem diffinitio perfectè

Explicatur diffinitio virtutis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fectè complectitur totam rationem virtutis. Perfecta enim ratio vniuſcuiuſque rei, colligitur ex omnibus cauſis eius. Comprehendit autem prædicta diffinitio omnes cauſas virtutis: cauſa namque formalis virtutis, ſicut & cuiuſlibet rei, accipitur ex eius genere, & differentia, cum dicitur qualitas bona. Genus enim virtutis qualitas eſt, differentia autem bonum. Ea eſt tamen conuenientior diffinitio, ſi loco qualitatis poneretur habitus, qui eſt genus propinquum. Virtus autem non habet materiã ex qua, ſicut nec alia accidentia, ſed habet materiam circa quam, & materiam in qua, ſci. ſubiectum. Materia autem circa quam, eſt obiectum virtutis, quod non potuit in prædicta diffinitione poni, eo quod per obiectum determinatur virtus ad ſpeciẽ. Hic autem aſſignatur diffinitio virtutis in communi, vnde ponitur ſubiectum loco cauſæ materialis, cum dicitur, *quod eſt bona qualitas mentis*: finis autem virtutis, cum ſit habitus operatiuus, eſt ipſa operatio. Sed notandum, quod habituum operatiuorum, aliqui ſunt ſemper ad malum, ſicuti habitus vitioſi: Aliqui vero quandoque ad bonum, & quandoq; ad malum; ſicut opinio ſe habet, & ad verum, & ad falſum. Virtus autẽ eſt habitus ſemper ſe habens ad bonum: & ideo vt diſcernatur virtus ab his, quæ ſe habent ſemper ad malum, dicitur *qua rectè viuitur*. Vt autem diſcernatur ab his quæ ſe habẽt quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur *qua nullus malè vtitur*. Cauſa autem efficiens virtutis infuſæ, de qua diffinitio datur, Deus eſt: propter quod dicitur, *Quam Deus in nobis, ſine nobis operatur*: quæ quidem particula ſi auferatur, reliquum diffinitionis, erit commune omnibus virtutibus, & acquiſitis, & infuſis.

Solutio obiect.

Et nota, quod bonum, quod ponitur in diffinitione virtutis, non eſt bonum quod cõuertitur cum ente, nec eſt in plus, quam qualitas; ſed eſt bonum rationis ſecundum quod dicit Dio. 4. ca. de di. no. quod *bonum animæ eſt ſecundum rationem eſſe*. Hic ergo ponitur *qualitas* pro genere, *bona* vero dicitur, ad differentiam malarum qualitatum animæ, i. vitiorum. Dicitur quoque *bona*, quoniam à Deo bono datur, & bonos facit, & ad bona perducit. *Mentis* dicitur, ad differentiam qualitatum, quę ſunt in corpore. *Qua rectè viuitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus rectè intelligitur, ſicut eſt ſcientia.

Sed nota, quod eſt quædam rectitudo, quæ conſiſtit circa res exteriores, quæ in vſum hominis veniunt, quæ ſunt propriã materia iuſtitiæ, ſicut infra patebit. Alia eſt rectitudo, quæ importat ordinem ad finem debitum, & ad legem diuinam, quæ eſt regula voluntatis humanæ, & iſta communis eſt omni virtuti, & de iſta dicitur, *qua rectè viuitur*.

Item nota, quod virtute poteſt aliquis male vti, tanquam obiecto; puta cum male ſentit de virtute, cum odit eam vel ſuperbit de ea; non autem tanquam principio vſus, ita ſci. quod malus ſit actus virtutis.

Item nota, quod virtus infuſa cauſatur in nobis à Deo ſine nobis agentibus, non tamen ſine nobis conſentientibus, & ſic eſt intelligendũ, quod dicitur; *Quam Deus in nobis ſine nobis operatur*. Quæ vero per nos aguntur Deus in nobis cauſat, non ſine nobis agentibus; ipſe enim operatur in omni voluntate, & natura. Dicitur autem virtus ſecundum etymologiam quaſi *vis intus*, & hæc vis conſiſtit in aggreſſione arduorum, in tolerantia aduerſorum, & in abſtinentia placitorum. Item dicitur virtus quaſi *virorum nitens*, vel dicitur virtus quaſi *virum tuens*, vel virtus quaſi *viri ſtatus*.

De ſubiecto virtutis.

DISTINCTIO II.

Circa ſecundum principale, ſcil. de ſubiecto virtutis quæruntur ſex. Primo, vtrum virtus ſit in potentia animæ ſicut in ſubiecto. Secundo, vtrum vna virtus poſſit eſſe in pluribus potentiis. Tertio, vtrum intellectus poſſit eſſe ſubiectum virtutis. Quarto, vtrũ irraſcibilis, & concupiſcibilis. Quinto, vtrum vires apprehenſiuæ ſenſitiuæ. Sexto, vtrum voluntas.

Ad primvm, ſcil. *vtrum virtus ſit in potentia animæ ſicut in ſubiecto*. Dicendum, quod virtutem pertinere ad potẽtiam animę tribus poteſt eſſe manifeſtum. Primo quidẽ ex ipſa ratione virtutis quę importat perfectionem potentiæ, perfectio autem eſt in eo cuius eſt perfectio. Secundo ex hoc, quod eſt habitus operatiuus, vt ſupra oſtenſum eſt; omnis autem operatio eſt ab anima per aliquam potentiam. Tertio ex hoc, quod diſponit ad optimum; optimum autem eſt finis, qui vel eſt operatio rei, vel aliquid conſecutum per operationem à potentia egredientem: vnde virtus humana eſt in potentia animæ ſicut in ſubiecto.

Probatur quod virtus ſit in potẽtia anima vt in ſubiecto.

Ad secvndvm, ſci. *vtrum vna virtus poſſit eſſe in pluribus potentijs*. Dicendum, quod aliquid eſſe in duobus contingit dupliciter. Vno modo ſic quod exæquo ſit in vtroque, & ſic impoſſibile eſt vnam virtutem eſſe in duabus potentiis, quia diuerſitas potentiarum attenditur ſecundum generales conditiones obiectorum; diuerſitas autem habituum, ſecundum ſpeciales; vnde vbicunque eſt diuerſitas potentiarum, ibi eſt diuerſitas habituum, ſed non conuertitur. Alio modo poteſt aliquid eſſe in duobus, vel in pluribus, non ex æquo, ſed ordine quodam; & ſic vna virtus poteſt pertinere ad plures potentias, ita quod in vna ſit principaliter, & ſe extendat ad alias per modum diffuſionis, vel per modũ diſpoſitionis, ſecundum quod vna potentia mouetur ab alia, & ſecundũ quod vna potentia accipitur ab alia.

Quo pacto vna virtus poſſit dici in pluribus potentijs.

Ad tertivm, ſci. *vtrum intellectus poſſit eſſe ſubiectum virtutis*. Dicendum, quod virtus, ſicut dictum eſt, habitus eſt, quo quis bene operatur. Dupliciter autẽ aliquis habitus ordinatur ad bonum actum. Vno modo inquãtum per huiuſmodi habitum, acquiritur homini facultas ad bonum actum, ſicut per habitum Grãmaticæ habet homo facultatẽ rectè loquendi; non tamen Grammatica facit vt homo ſemper loquatur rectè, poteſt enim Grãmaticus barbarizare, & ſolæciſmum facere: & eadem ratio eſt in aliis ſcientiis, & artibus. Alio modo aliquis habitus nõ ſolum facit facultatem benè agẽdi; ſed etiam facit, quod aliquis rectè facultate vtatur; ſicut iuſtitia nõ ſolum facit, quod homo ſit promptæ voluntatis ad iuſtè operandum, ſed etiam facit vt iuſtè operetur; & quia bonum ſicut & ens, non dicitur ſimpliciter aliquid, ſecundum id quod eſt in potentia, ſed ſecundum id quod eſt actu; Ideo ab huiuſmodi habitibus ſimpliciter, dicitur homo bonũ operari, & eſſe bonus; puta quia eſt iuſtus vel temperatus; & eadẽ ratio eſt de ſimilibus. Et quia virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit; huiuſmodi habitus ſimpliciter dicuntur virtutes, quia reddunt bonũ opus in actu, & ſimpliciter faciunt bonum habentem. Primi vero habitus non ſimpliciter dicuntur virtutes, quia non reddunt bonum opus niſi in quadã facultate, nec ſimpliciter faciunt bonum habentem. Non enim dicitur ſimpliciter aliquis bonus homo, ex hoc quod eſt ſciens vel artifex, ſed dicitur bonus ſolum ſecũdum quid, puta bonus Grammaticus aut bonus faber. Et propter hoc plerumque ſcientia & ars, cõtra virtutem diuiduntur, quandoq; autẽ virtutes dicuntur, vt patet in 7. Eth. Subiectum autẽ habitus, qui ſecundum quid dicitur virtus, poteſt eſſe intellectus, non ſolum practicus, ſed & intellectiuus, abſque omni ordine ad voluntatem. Sic enim philoſophus in 7. Ethi. ſcientiam, ſapientiam, & intellectum, & etiam artem, ponit eſſe intellectuales virtutes. Subiectum vero habitus, qui ſimpliciter dicitur virtus, non poteſt eſſe niſi voluntas, vel aliqua potentia ſecundum quod eſt mota à voluntate. Cuius ratio eſt, quia voluntas mouet omnes potentias quæ aliqualiter ſunt rationales ad ſuos actus, vt ſupra habitum eſt; & ideo quod homo actu bene agat, contingit ex hoc, quod homo habet bonam voluntatem; vnde virtus, quæ facit bene agere in actu, non ſolum in facultate; oportet quod vel ſit in ipſa voluntate, vel in aliqua potentia, ſecundum quod eſt à voluntate mota. Cõtingit autem intellectum à voluntate moueri ſicut

Cur habitus intellectuales nõ ſunt virtutes, ſed tãtum ſecundum quid.

Subiectum virtutis ſimpliciter dictæ, ſemper eſt voluntas, vel aliqua potentia ab ipſa mota.

& alias potentias. Cõsiderat enim aliquis, aliquid actu, eo quod vult, & ideo intellectus secundum quod habet ordinem ad voluntatem, potest esse subiectum virtutis simpliciter dictæ; & hoc modo intellectus speculatiuus vel ratio est subiectum fidei: Mouetur enim intellectus ad assentiendum his quæ sunt fidei, ex imperio voluntatis, nullus enim credit nisi volens. Intellectus autẽ practicus est subiectum prudentiæ; cum enim prudentia sit recta ratio agibilium, requiritur ad prudentiam, quod homo bene se habeat ad principia huiusmodi rationis agẽdorum, quæ sunt fines; ad quos bene se habet homo per rectitudinem voluntatis, sicut ad principia speculabilium per naturale lumen intellectus agentis; & ideo sicut subiectum scientiæ, quæ est ratio recta speculabilium, est intellectus speculatiuus, in ordine ad intellectum agentem: ita subiectum prudentiæ est intellectus practicus, in ordine ad voluntatem rectam.

Quadã virtutes subiectantur in irascibili & cõcupiscibili, inquantum hã potentiã rationi participant & illi subduntur.

Ad qvartvm, sci. *vtrum irascibilis, & concupiscibilis possint esse subiectum virtutis.* Dicẽdum, quod irascibilis, & concupiscibilis dupliciter possunt considerari. Vno modo secundum se, inquantum sunt partes appetitus sensitiui, & hoc modo nõ competit eis, quod sint subiectum virtutis. Alio modo possunt cõsiderari inquantum participant rationem, per hoc quod natæ sunt rationi obedire; & sic irascibilis vel concupiscibilis potest esse subiectum virtutis humanæ; sic enim est principium humani actus, inquantum participat rationem; & etiã in his potẽtiis virtutes necesse est ponere, quod in irascibili, & concupiscibili sint aliqui actus virtutũ. Actus enim qui progreditur ab vna potẽtia secundum quod est ab alia mota, non potest esse perfectus nisi vtraque potentia sit bene disposita ad actum; sicut actus artificis non potest esse congruus, nisi artifex sit bene dispositus ad agendum, & etiam ipsum instrumentum. In his igitur circa quæ operatur irascibilis, & concupiscibilis, secundum quod sunt à ratione motæ, necesse est vt aliquis habitus perficiens ad bene agendum, sit non solum in ratione, sed etiam in irascibili, & concupiscibili; & quia bona dispositio potentiæ motæ, attenditur secundum conformitatem ad potẽtiam mouentem; ideo virtus, quæ est in irascibili, & concupiscibili nihil aliud est, quam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem.

Ad qvintvm, *vtrum vires apprehensiuę sensitiuæ, possint esse subiectum virtutis.* Dicendum, quod in viribus sensitiuis apprehensiuis interius, ponuntur aliqui habitus, quod patet ex hoc præcipuè, quod philo. dicit in lib. de memoria, quod *in memorando vnum post aliud, operatur consuetudo*, quæ est quasi quædam natura. Nihil autem est aliud habitus cõsuetudinalis, quam habitudo acquisita per cõsuetudinem, quæ est in modum naturæ: vnde de virtute dicit Tullius in Rhetorica sua, quod *est habitus in modum naturæ rationi consentaneus.* In homine tamen, id quod ex consuetudine acquiritur in memoria, & aliis viribus apprehensiuis sensitiuis, non est habitus per se, sed aliquid annexum habitibus intellectiuæ partis, vt supra dictum est. Sed tamen si qui sunt habitus in talibus viribus, virtutes dici non possunt. Virtus enim est habitus perfectus, quo non contingit nisi bonũ operari; vnde oportet, quod virtus sit in illa potẽtia, quę est consummatiua boni operis. Cognitio autẽ veri non consummatur in viribus sensitiuis apprehensiuis, sed huiusmodi vires sunt quasi præparatoriæ ad cognitionem intellectiuam; & ideo in huiusmodi viribus, non sunt virtutes quibus cognoscitur verum, sed magis in intellectu vel ratione.

Non dãtur virtus in potentijs apprehensiuis sensitiuis, quia non habent actum consummatum.

Ad sextvm, scil. *vtrum voluntas possit esse subiectum virtutis.* Dicendum, quod cum per habitum perficitur potentia ad agendum, ibi indiget potentia habitu perficiente ad benè agẽdum, (qui quidem habitus est virtus) vbi ad hoc non sufficit propria ratio potẽtię. Omnis autem potentiæ propria ratio, attenditur in ordine ad obiectum: vnde cum sicut dictum est, obiectum voluntatis sit bonum rationis volenti proportionatum, quantum ad hoc non indiget voluntas virtute perficiente; sed si quod bonum immineat homini volendum, quod excedat proportionem volẽtis; siue quantum ad totam speciem humanam, sicut bonum diuinum, quod transcendit limites humanæ naturæ; siue quantum ad indiuiduum, sicut bonum proximi, sibi voluntas indiget virtute: & ideo huiusmodi virtutes, quæ ordinant affectum hominis in Deum, vel proximum, sunt in voluntate sicut in subiecto, vt charitas, iustitia, & huiusmodi.

Q̃ voluntas subiectetur virtutis.

De distinctione virtutum intellectualium.

DISTINCTIO III.

Circa tertium principale. s. de distinctione virtutum intellectualium quæruntur quinque. Primo vtrum habitus intellectus speculatiui sint virtutes. Secundo vtrum sint tres, sci. sapientia, scientia, & intellectus. Tertio vtrum habitus intellectualis, qui est ars, sit virtus. Quarto vtrum prudentia sit virtus distincta ab arte. Quinto vtrum prudentia sit virtus necessaria homini.

Ad primvm, s. *vtrum habitus intellectuales speculatiui sint virtutes.* Dicẽdum, quod cum hominis virtus dicatur in ordine ad bonum, sicut supra dictum est, duplici ratione aliquis habitus dicitur virtus, vt supra dictum est. Vno modo quia facit facultatẽ bene operandi. Alio modo quia cum facultate facit etiam vsum bonum; & hoc sicut supra dictum est, pertinet solum ad illos habitus, qui respiciunt partem appetitiuam, eo quod vis appetitiua animæ est, quæ facit vti omnibus potentiis, & habitibus. Cum igitur habitus intellectuales speculatiui, non perficiant partem appetitiuam, nec aliquo modo ipsam respiciant, sed solam intellectiuã; possunt quidem dici virtutes, inquantum faciunt facultatẽ bonæ operationis, quę est consideratio veri (hoc enim est bonum opus intellectus) non tamen dicuntur virtutes secundo modo, quasi facientes bene vti potẽtia seu habitu. Ex hoc enim quod aliquis habet habitum scientię speculatiuæ, non inclinatur ad vtendum, sed fit potens speculari verum in his quorum habet scientiam, sed quod vtatur scientia habita, hoc est mouente voluntate. Et ideo virtus, quæ perficit voluntatem, vt charitas vel iustitia, facit etiam bene vti huiusmodi speculatiuis habitibus; & secundum hoc, etiam in actibus horum habituum, potest esse meritum si ex charitate fiant, sicut Greg. dicit in 7. Moralium. *Quod vita contemplatiua est maioris meriti, quam actiua.*

Quo sensu habitus speculatiui sunt virtutes.

Ad secvndvm, s. *vtrum conuenienter distinguantur tres virtutes intellectuales speculatiuæ, sci. sapientia, scientia, & intellectus.* Dicendum quod sicut iam dictum est, virtus intellectualis speculatiua, est per quam intellectus perficitur ad cõsiderandum verum, hoc autem est bonum opus eius. Verum autem est dupliciter considerabile. Vno modo sicut per se notum. Alio modo sicut per aliud notum: quod autem est per se notum, se habet vt principium, & percipitur statim ab intellectu: & ideo habitus perficiens intellectũ, ab huiusmodi veri consideratione vocatur intellectus, qui est habitus principiorum: verum autem quod est per aliud notum, non statim percipitur ab intellectu, sed per inquisitionẽ rationis, & se habet in ratione termini. Quod quidẽ potest esse dupliciter, vno modo vt sit vltimum in aliquo genere, alio modo vt sit vltimũ respectu totius cognitionis humanæ; & quia ea quæ sunt posterius nota quo ad nos, sunt priora & magis nota secundum naturam, vt dicitur in 1. Physicorum: Ideo id quod est vltimum, respectu totius cognitionis humanæ, est id quod est primum, & maximè cognoscibile secundum naturam; & circa huiusmodi est sapientia, quæ considerat altissimas causas, vt dicitur in 1. Metaph. Vnde conuenienter iudicat, & ordinat de omnibus; quia iudicium perfectum, & vniuersale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas. Ad id vero quod est vltimum in hoc vel illo genere cognoscibilium, perficit

Conueniẽter distinguũtur tres virtutes intellectuales speculatiuæ.

intelle-

intellectum, ſcientia: & ideo ſecundum diuerſa genera ſcibilium, ſunt diuerſi habitus ſcientiarum, cum tamen ſapientia non ſit niſi vna.

AD TERTIVM, ſ. *vtrum ars ſit virtus intellectualis.* Dicendum quod ars nihil eſt aliud quàm ratio recta aliquorum operum faciendorum: quorum tamē bonum non conſiſtit in eo, quod appetitus humanus aliquo modo ſe habet; ſed in eo, quod ipſum opus quod fit, in ſe bonum eſt. Non enim pertinet ad laudem artificis inquantum artifex eſt, qua voluntate opus faciat, ſed quale ſit opus quod facit. Sic igitur ars propriè loquendo habitus operatiuus eſt; & tamen in aliquo conuenit cum habitibus ſpeculatiuis, quia etiā ad ipſos habitus ſpeculatiuos pertinet, qualiter ſe habeat res quas conſiderant; non autem qualiter ſe habeat appetitus humanus ad illas. dummodo enim geometer verum demonſtret, non refert qualiter ſe habeat ſecundum appetitiuam partem, vtrum ſci. ſit lætus vel iratus: ſicut nec in artifice refert, vt dictum eſt; & ideo eo modo ars non habet rationem virtutis, ſicut nec habitus ſpeculatiui; inquantum ſcil. nec ars nec habitus ſpeculatiuus, faciunt bonum opus quantum ad vſum (quod eſt proprium virtutis perficiētis appetitum) ſed ſolum quantum ad facultatem bene agendi.

Ars non eſt propriè virtus, ſicut vti ſcientia, & alij habitus intellectuales.

AD QVARTVM, ſ. *vtrum prudentia ſit virtus diſtincta ab arte.* Dicendum quod vbi inuenitur diuerſa ratio virtutis, ibi oportet virtutes diſtingui. dictum eſt autem quod aliquis habitus habet rationē virtutis, ex hoc ſolum, quod facit facultatem boni operis; aliquis autem, ex hoc quod facit non ſolum facultatem boni operis, ſed etiam vſum. Ars autem facit ſolam facultatē boni operis, quia non reſpicit appetitum: prudentia autem non ſolum facit facultatem boni operis, ſed etiā vſum. Reſpicit enim appetitum tanquā præſupponens rectitudinem appetitus. Cuius differentiæ ratio eſt, quia ars eſt recta ratio factibilium: prudētia vero eſt recta ratio agibilium. Differt autem facere, & agere, quia vt dicitur in 9. Metap. *Factio eſt actus tranſiens in exteriorem materiam*, ſicut ædificare, ſecare, & huiuſmodi: *Agere autem eſt actus permanens in ipſo agente*, ſicut videre, vel velle, & huiuſmodi. Sicut igitur hoc modo ſe habet prudentia ad huiuſmodi actus humanos, qui ſunt vſus potentiarum, & habituum; ſic ſe habet ars ad exteriores factiones. Perfectio autem & rectitudo rationis, depēdet ex principiis, ex quibus ratio ſumitur; ſicut dictum eſt, quod ſcientia dependet ab intellectu, qui eſt habitus principiorum, & præſupponit ipſum. In humanis autē actibus ſe habent fines, ſicut principia in ſpeculatiuis, vt dicitur in 7. Ethi. Et ideo ad prudentiam, quæ eſt recta ratio agibilium, requiritur quod homo ſit bene diſpoſitus circa fines; quod quidem eſt per appetitum rectum; & ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus per quam fit appetitus rectus: bonum autem artificialium nō eſt bonum appetitus humani: ſed bonum ipſorum operum artificialium; & ideo ars non præſupponit appetitum rectum. Et inde eſt quod magis laudatur artifex qui volens peccat, quàm qui nolens peccat: Magis autem contra prudentiam eſt, quod aliquis peccet volens quam nolens, quia rectitudo voluntatis eſt de ratione prudentiæ, non autē de ratione artis. ſic igitur patet quod prudentia eſt virtus diſtincta ab arte.

Prudentia eſt virtus diſtincta ab arte; & quidem virtus proprie dicta, inquantum dat bonum vſum.

AD QVINTVM, ſ. *vtrum prudentia ſit virtus neceſſaria homini.* Dicendum quod prudentia eſt virtus maxime neceſſaria ad vitam humanam. Bene enim viuere conſiſtit in bene operari. Ad hoc autem quod aliquis bene operetur, non ſolum requiritur quid, ſed quomodo faciat: vt, ſci. ſecundum electionem rectam operetur, non ſolum ex impetu aut paſſione. Cum autem electio ſit eorum, quæ ſunt ad finem, rectitudo electionis duo requirit, ſcil. debitum finem, & id quod conuenienter ordinatur in debitum finem. Ad debitum autē finem, homo conuenienter diſponitur per virtutem, quę perficit partem animæ appetitiuam, cuius obiectum eſt bonum, & finis. Ad id autem quod ordinatur in finem debitum, oportet quod homo directè diſponatur per habitum rationis, quia conſiliari, & eligere (quæ ſunt eorum, quæ ſunt ad finem) ſunt actus rationis, & ideo neceſſe eſt in ratione eſſe aliquam virtutē intellectualem per quam perficiatur ratio, ad hoc quod conuenienter ſe habeat ad ea, quæ ſunt ad finem, & hæc virtus eſt prudentia: vnde prudentia eſt virtus neceſſaria ad bene viuendum.

Prudentia eſt virtus neceſſaria homini ad bene viuendum.

De diſtinctione virtutum.

DISTINCTIO IV.

CIRCA quartum principale, ſcil. de diſtinctione virtutum moralium ab intellectualibus quæruntur quinque. Primo vtrum omnis virtus ſit moralis. Secundo vtrum virtus moralis diſtinguatur ab intellectuali. Tertio vtrum virtus ſufficienter diuidatur per intellectualem, & moralem. Quarto vtrum virtus moralis poſſit eſſe ſine intellectuali. Quinto vtrum econuerſo intellectualis poſſit eſſe ſine morali.

AD PRIMVM, ſci. *vtrum omnis virtus ſit moralis.* Dicendum quod ad huius euidentiam conſiderare oportet quid ſit mos; ſic enim ſcire poterimus, quæ ſit moralis virtus. Mos autem duo ſignificat, quandoq; enim ſignificat conſuetudinem, ſicut dicitur Act. 15. *Niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteritis ſalui fieri.* Quandoq; vero ſignat inclinationem quandam naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum: vnde etiā brutorum animalium dicuntur aliqui mores. vnde dicitur 2. Mach. 11. quod *quaſi Leonum more irruentes in hoſtes proſtrauerint eos.* & ſic accipitur mos in Pſal. vbi dicitur. *Qui habitare facit vnius moris in domo.* & hæ quidem duæ ſignificationes in nullo diſtinguuntur apud Latinos quantum ad vocem. In Græco autem diſtinguuntur: nam Ethos quod apud nos morem ſignificat, quandoque habet primam longam: & ſcribitur per illam literam Græcam η. Quandoque autem habet primam correptam, & ſcribitur per ε. Dicitur autem virtus moralis à more, ſecundum quod mos ſignificat quandam inclinationem naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum, & huic ſignificationi moris, propinqua eſt alia ſignificatio qua ſignificat conſuetudinem. Nam conſuetudo quodammodo vertitur in naturam, & facit inclinationem ſimilem naturali. Manifeſtum eſt autem quod inclinatio ad actum propriè conuenit appetitiuæ virtuti, cuius eſt mouere omnes potentias ad agendum, vt ex ſupradictis patet: & ideo non omnis virtus dicitur moralis, ſed ſolum illa, quæ eſt in vi appetitiua.

Quid mos.

Virtus moralis vnde dicta, & quæ ſit moralis materia.

AD SECVNDVM, ſci. *vtrum virtus moralis diſtinguatur ab intellectuali.* Dicendum quod omnium humanorum operum principium primum, ratio eſt, & quæcunque alia principia humanorum operum inueniantur, quodammodo rationi obediunt; diuerſimodè tamen. Nam quædam obediunt rationi omnino ad nutum, abſque omni contradictione, ſicut corporis membra ſi fuerint in ſua natura conſiſtentia: ſtatim enim ad imperium rationis manus aut pes mouetur ad opus. vnde Philoſophus dicit in primo Politicæ, quod *anima regit corpus deſpotico principatu*, ideſt, ſicut dominus ſeruum, qui ius contradicendi non habet. Poſuerunt igitur quidam, quod omnia principia actiua, quæ ſunt in homine, hoc modo ſe habent ad rationem: quod quidem, ſi verum eſſet, ſufficeret, quod ratio eſſet perfecta, ad bene agendum: vnde ſequeretur quod virtus, cum ſit habitus quo perficimur ad bene agendum, in ſola ratione eſſet: & ſic nulla virtus eſſet niſi intellectualis. Et hæc fuit opinio Socratis, qui dixit omnes virtutes eſſe prudentias, vt dicitur in 6. Ethic. vnde ponebat, quod homo, ſcientia in eo exiſtente, peccare non poterat: ſed ſi quicunque peccabat, propter ignorantiam peccabat; hoc autem procedit ex ſuppoſitione falſi. Pars enim appetitiua obedit rationi non omnino ad nutum, ſed cum aliqua contradictione, vnde Phil. dicit in 1. Polit. quod *ratio imperat appetitui, principatu politico*, quo ſcili. aliquis præeſt liberis, qui habent ius in aliquo contradicendi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicendi. Vnde Aug. dicit, *quod interdum cum præcedit intellectus: sequitur tardus, aut nullus affectus:* intantũ, quod quandoque passionibus, vel habitibus appetitiuæ partis, hoc agitur, vt vsus rationis in particulari impediatur; & secundum hoc aliqualiter verum est, quod Socrates dixit, quod *scientia præsente non peccatur*, si tamen hoc extendatur vsque ad vsum rationis in particulari eligibili. Sic igitur ad hoc, quod homo bene agat, requiritur, quod non solum ratio sit bene disposita, per habitum virtutis intellectualis: sed etiam, quod vis appetitiua sit bene disposita, per habitum virtutis moralis. Sicut igitur appetitus distinguitur à ratione, ita virtus moralis distinguitur ab intellectuali. Vnde sicut appetitiuum, est principium humani actus, secundum quod participat aliqualiter rationem; ita habitus moralis habet rationem virtutis humanæ, inquantum rationi conformatur.

Virtus moralis distinguitur ab intell. ctuali, estq; illa præstantior.

Commendabilis est autem virtus moralis plusquam intellectualis, ratione exempli; quia Christus, & omnes sancti magis studuerunt inducere homines ad morales, quam ad intellectuales, & magis exercitauerunt se in istis, quam in illis. Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros.* Sequitur: *Homines magni virtute*, &c. Item ratione effectus, quia virtus expellit peccatum, scientia non. Item ratione originis, quia virtus à Deo infunditur, scientia per studium acquiritur. Item ratione finis, quia finis virtutis est, gloria; non scientiæ. Item ratione obiecti, quia obiectum virtutis est bonũ, scientiæ vero, verum. Item ratione securitatis, quia securius est esse bonum, quam esse philosophum. Item ratione mali vitandi, quia si primi parentes manum extendissent ad lignum vitæ, sicut ad lignum scientiæ, non incurrissent tot mala in se, & in posteris.

Ad tertivm, scili. *vtrum virtus sufficienter diuidatur per intellectualem & moralem.* Dicendum, quod virtus humana est quidam habitus perficiens hominẽ ad bene operandum. Principium autem humanorum actuum in homine non est nisi duplex, scilicet intellectus, siue ratio, & appetitus: hæc enim sunt duo mouentia in homine, vt dicitur in 3. de Ani. vnde omnis virtus humana, oportet, quod sit perfectiua alicuius istorum principiorum. Si igitur sit perfectiua intellectus speculatiui, vel practici, erit virtus intellectualis; si autem sit perfectiua partis appetitiuæ, erit virtus moralis: vnde relinquitur, quod omnis virtus humana, vel est intellectualis, vel moralis.

Omnis virtus humana vel est intellectualis, vel moralis.

Ad qvartvm, sci. *vtrum virtus moralis possit esse sine intellectuali.* Dicẽdum, quod virtus moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus, sicut sine scientia, sapientia, & arte; non autem potest esse sine intellectu, & prudentia. Sine prudẽtia quidem esse non potest moralis virtus, quia moralis virtus est habitus electiuus, i. faciens bonam electionẽ. Ad hoc autem quod electio sit bona, duo requiruntur. Primo, vt sit debita intentio finis, & hoc fit per virtutem moralem, quæ vim appetitiuam inclinat ad bonum conueniens rationi, quod est finis debitus. Secundo quod homo rectè accipiat ea quæ sunt ad finem, & hoc non potest esse nisi per rationem rectè consiliantem, iudicantem, & præcipientem, quod pertinet ad prudentiam, & ad virtutes sibi annexas, vt supra dictum est. vnde virtus moralis sine prudentia esse non potest, & per consequens neque sine intellectu: per intellectum enim cognoscuntur principia naturaliter nota, tam in speculatiuis, quam in operatiuis, vnde sicut recta ratio in speculatiuis, in quantum procedit ex principiis naturaliter cognitis, præsupponit intellectum principiorum; ita etiam prudentia quæ est recta ratio agibilium.

Virtus moralis non potest esse sine prudentia, & intellectu principiorũ.

Ad qvintvm, sci. *vtrum intellectualis virtus possit esse sine morali.* Dicendum, quod aliæ virtutes intellectuales sine virtute morali esse possunt, sed prudentia sine morali virtute esse non potest. Cuius ratio est: quia prudentia est recta ratio agibilium, non autem solum in vniuersali, sed in particulari, in quibus sunt actiones; recta autem ratio præexigit principia ex quibus procedat; oportet autem rationem circa particularia procedere, non solum ex principiis vniuersalibus, sed etiam ex principiis particularibus. Circa principia quidẽ vniuersalia agibilium, homo rectè se habet per naturalem intellectum principiorum, per quem cognoscit, quod nullum malum est agendum; vel etiam per aliquam scientiã practicam: sed hoc non sufficit ad rectè ratiocinandum circa particularia. Contingit enim quandoque, quod huiusmodi principium vniuersale cognitum per intellectum vel scientiam, corrumpatur in particulari per aliquam passionẽ; sicut concupiscenti, quando concupiscentia vincit, videtur hoc esse bonum quod concupiscit; licèt sit contra vniuersale iudicium rationis; & ideo sicut homo disponitur ad rectè se habendũ circa principia vniuersalia per intellectum naturalem, vel per habitum scientiæ: ita ad hoc quod rectè se habeat circa principia particularia agibilium, quæ sunt fines; oportet quod perficiatur per aliquos habitus, secundum quos fiat quodammodo homini connaturale, rectè iudicare de fine; & hoc fit per virtutẽ moralem. Virtuosus enim rectè iudicat de fine virtutis, quia *qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei*, vt dicitur in 4. Ethi. & ideo ad rectam rationẽ agibilium, quæ est prudẽtia, requiritur quod homo habeat virtutem moralem.

De distinctione virtutum moralium per ordinem ad passiones.

DISTINCTIO V.

Circa quintum principale scil. de distinctione virtutum moralium per comparationem ad passiones quęruntur quinque. Primo vtrum virtus moralis sit passio. Secundo vtrum virtus moralis possit esse cũ passione. Tertio vtrum possit esse cũ tristitia. Quarto vtrum virtus moralis possit esse circa passionẽ. Quinto vtrum aliqua virtus moralis possit esse sine passione.

Ad primvm, scil. *vtrum moralis virtus sit passio.* Dicendum quod virtus moralis non potest esse passio, & hoc patet triplici ratione. Primo quidẽ quia passio est motus quidam appetitus sensitiui, vt supra dictum est; virtus autem moralis non est motus aliquis, sed magis principium appetitiui motus, habitus quidam existẽs. Secundo, quia passiones ex seipsis, non habent rationem boni, vel mali: bonum enim vel malum hominis, est secundum rationem: vnde passiones secundum se consideratæ, se habent & ad bonum, & ad malum, secundum quod possunt conuenire rationi, vel non conuenire: nihil autem tale potest esse virtus, cum virtus solum se habeat ad bonũ, vt supra dictum est. Tertio, quia dato quod aliqua passio se habeat solum ad bonum, vel solum ad malum, secũdum aliquem modum; tamen motus passionis in quantum passio est, principium habet in ipso appetitu, & terminum in ratione, in cuius conformitatem, appetitus tendit. Motus autem virtutis est econuerso, principium habens in ratione, & terminum in appetitu, secundum quod à ratione mouetur. vnde in diffinitione virtutis moralis dicitur in 2. Ethic. quod *est habitus electiuus in medietate consistens, determinata ratione*, prout sapiens determinabit.

Virtus moralis non est passio.

Ad secvndvm, s. *vtrum virtus moralis possit esse cum passione.* Dicendum quod circa hoc fuit discordia inter Stoicos, & Peripateticos, sicut Aug. dicit in 9. de Ciuit. Dei. Stoici enim posuerunt, quod passiones animæ, non possunt esse in sapiente siue virtuoso. Peripatetici vero, quorum sectam Aristoteles instituit, vt Aug. dicit in 8. de Ciui. Dei, posuerunt, quod passiones simul cum virtute morali esse possunt, sed ad medium reductæ. Hæc autem diuersitas, sicut Aug. dicit ibidem, magis erat secundum verba, quam secundum rerum sententias: quia enim Stoici non distinguebant, inter appetitum intellectiuum, qui est voluntas, & inter appetitum sensitiuum, qui per irascibilem, & concupiscibilem diuiditur; nec distinguebant in hoc passiones animæ ab aliis affectionibus humanis, quod passiones animæ sint motus appetitus sensitiui, Aliæ vero affe-

Omnes virtutes intellectuales excepta prudẽtia, possunt esse sine moralibus.

ctiones

ctiones quæ non sunt passiones, sint motus appetitus intellectiui, qui dicitur voluntas, sicut Peripatetici distinxerunt: sed solum quantum ad hoc quod passiones esse dicebant, quascunq; affectiones rationi repugnantes, quæ si ex deliberatione oriantur, in sapiente seu virtuoso esse non possunt: si autem subito oriantur, hoc in virtuoso potest accidere, eo quod animi visa, quæ appellant fantasias, non sunt in potestate nostra, vtrum aliquando incidant animo; & cum veniunt ex terribilibus rebus, necesse est vt sapientis animum moueant, ita vt paulisper paueſcat, vel metu, vel tristitia contrahatur, tanquam his passionibus præuenientibus rationis officium; nec tamen approbant ista, eisque consentiunt sapientes, vt Aug. narrat in 9. de Ciuit. Dei, ab A. Gellio dictum. Sic igitur si passiones dicantur inordinatæ affectiones, non possunt esse in virtuoso, ita quod post deliberationem eis consentiatur, vt Stoici posuerunt. Si vero passiones dicantur quicunque motus appetitus sensitiui, sic possunt esse in virtuoso, secundum quod sunt à ratione ordinatæ. Vnde Arist. dicit in 2. Ethi. quod *non bene quidam determinant virtutes, impassibilitates quasdã, & quietes; quoniã simpliciter dicunt:* sed deberent dicere quod sunt quietes à passionibus, quæ sunt vt non oportet, & quãdo non oportet.

Virtus moralis potest stare cum passione ordinata.

Ad tertivm, scil. *vtrum virtus moralis possit esse cum tristitia.* Dicendum quod sicut Aug. dicit 14. de Ciuit. Dei, Stoici voluerunt pro tribus perturbationibus in animo sapientis, esse tres eupaticas, i. tres bonas passiones, pro cupiditate scilicet voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Pro tristitia vero negauerunt posse aliquid in animo sapientis esse, duplici ratione. Primo quidem quia tristitia est de malo quod iam accidit, nullum autem malum æstimant posse accidere sapiẽti; crediderunt enim quod sicut solum hominis bonum est virtus, bona autem corporalia, nulla bona hominis sunt; ita solum hominis inhonestum est malum, quod in virtuoso esse non potest: sed hoc irrationabiliter dicitur, cum enim homo sit ex anima & corpore compositus, id quod confert ad vitam corporis conseruandum, aliquod bonum hominis est; non tamen maximum, quia eo potest homo malè vti: vnde & malum huic bono contrarium, in sapiente esse potest, & tristitiam moderatam inducere. Præterea etsi virtuosus sine graui peccato esse possit, nullus tamen inuenitur qui absque leuibus peccatis vitam ducat, secundum illud 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Tertio quia virtuosus, etsi peccatum graue non habeat, fortè quandoque habuit, & de hoc laudabiliter dolet, secundum illud 2. ad Corin. 7. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quarto, quia potest etiam dolere laudabiliter de peccato alterius: vnde eo modo quo virtus moralis compatitur alias passiones ratione moderatas, compatitur etiam tristitiam. Secundo mouebantur ex hoc, quod tristitia est de præsenti malo, timor autem de malo futuro, sicut delectatio est de bono præsenti, desiderium vero de bono futuro. Potest autem hoc ad virtutem pertinere, quod aliquis bono habito fruatur, vel non solum habitum, habere desideret: vel quia etiam malum futurum caueat, sed quod malo præsenti animus hominis minimè substernatur; quod quia fit per tristitiam, omnino videtur contraria rationi: vnde cum virtute esse non potest. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Est enim aliquod malum, quod potest esse virtuoso præsens, vt dictum est; quod quidem malum ratio detestatur. vnde appetitus sensitiuus in hoc sequitur detestationem rationis, quod de huiusmodi malo tristatur, moderatè tamẽ secundum rationis iudicium. Hoc autem pertinet ad virtutem, vt appetitus sensitiuus rationi conformetur, vt dictum est. Vnde ad virtutem pertinet, quod tristetur moderatè in quibus tristandum est, sicut & Philosophus dicit in 2. Ethic. & hoc etiam vtile est ad fugiendum mala, sicut enim bona propter delectationem promptius quæruntur, ita mala propter tristitiam fugiuntur fortius. Sic igitur dicendum est, quod tristitia de his quæ cõueniunt virtuti nõ potest simul esse cũ virtute; quia virtus in propriis delectatur; sed de his quæ quocunq; modo repugnant virtuti, virtus moderatè tristatur.

Virtus moralis potest esse cum tristitia moderata.

Ad qvartvm, scil. *vtrum omnis virtus moralis sit circa passiones.* Dicendum, quod virtus moralis proficit appetitiuam partem animæ, ordinando ipsam in bonum rationis. Est autem rationis bonum, id quod est secundum rationem, moderatum seu ordinatum; vnde circa omne id quod contingit ratione ordinari, & moderari, contingit esse virtutem moralem; ratio autem ordinat non solum passiones appetitus sensitiui, sed etiã operationes appetitus intellectiui, qui est voluntas: quæ non est subiectum passionis, vt supra dictũ est: Et ideo nõ omnis virtus moralis est circa passiones, sed quædã circa passiones, quædam circa operationes.

Non omnis virtus moralis est circa passiones, sed quadã circa operationes.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum virtus moralis possit esse sine passione.* Dicendum, quod si passiones dicamus affectiones inordinatas, sicut Stoici posuerunt, sic manifestum est, quod virtus perfecta, est sine passionibus: Si vero passiones dicamus omnes motus appetitus sensitiui, sic planum est, quod virtutes morales, quæ sunt circa passiones, sicut circa propriam materiam, sine passionibus esse non possunt. Cuius ratio est: quia secundum hoc sequeretur, quod virtus moralis faceret appetitum sensitiuum omnino ociosum. Non autem ad virtutẽ pertinet, quod ea quæ subiecta sunt rationi, à propriis actibus vacent, sed quod exequantur Imperiũ rationis proprios actus agendo: vnde sicut virtus, membra corporis ordinat ad actus exteriores debitos, ita appetitũ sensitiuum ad motus proprios ordinatos. Virtutes vero morales quæ non sunt circa passiones, sed circa operationes, possunt esse sine passionibus (& huiusmodi virtus est iustitia) quia per eas applicatur voluntas ad proprium actum, qui non est passio: sed tamen ad actum iustitiæ sequitur gaudium (ad minus in voluntate) quod est passio, & sic, hoc gaudium multiplicetur per iustitiæ perfectionem, & fiet gaudij redundantia vsque ad appetitum sensitiuum, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorem, vt supra dictum est; & sic per redundantiam huiusmodi, quanto magis fuerit perfectior, tanto magis passionem causabit.

Quadã virtutes possunt esse sine passionibus, quadã non.

De distinctione virtutum moralium ab inuicem.

DISTINCTIO VI.

Circa sextum, scil. de distinctione virtutum moralium ab inuicem quæruntur quinque. Primo vtrum sit vna virtus moralis tantum. Secundo vtrum virtutes morales, quæ sunt circa passiones, distinguantur ab illis, quæ sunt circa operationes. Tertio vtrum circa operationes sit tantum vna virtus moralis. Quarto vtrum circa diuersas passiones, sint diuersæ virtutes morales. Quinto vtrum virtutes morales distinguantur secundum diuersa obiecta passionum.

Ad primvm, s. *vtrum sit tantum vna virtus moralis.* Dicendum, quod sicut supra dictum est, virtutes morales sunt habitus quidam appetitiuæ partis, habitus autem specie differunt secundum speciales differẽtias obiectorum, vt supra dictum est; species autem obiecti appetibilis, sicut & cuiuslibet rei, attenditur secundum formam specificã quæ est ab agente. Est autẽ considerandum, quod materia patientis se habet ad agens dupliciter. Quãdoq; enim recipit formã agentis secundũ eandem rationẽ prout est in agẽte, sicut est in omnibus agentibus vniuocis: & sic necesse est, quod si agens est vnum specie, quod materia recipiat formam vnius speciei, sicut ab igne non generatur vniuocè, nisi aliquid existens in specie ignis. Aliquando vero materia recipit formam ab agente, non secundum eandem rationem prout est in agente, sicut patet in generantibus nõ vniuocis, vt animal generatur à sole; tunc formæ receptæ in materia ab eodem agente, non sunt vnius speciei, sed diuersificãtur secundum diuersam proportionem materiæ, ad

teriæ, ad recipiendum influxum agentis, ſicut videmus quod ab vna actione Solis, generantur per putrefactionem, animalia diuerſarum ſpecierum, ſecũdum diuerſam proportionẽ materiæ. Manifeſtum eſt autẽ quod in moralibus, ratio eſt ſicut imperans, & mouens; vis autem appetitiua eſt, ſicut imperata, & mota. Non autem appetitus recipit impreſſionem rationis quaſi vniuocè, puta non ſit rationale per eſſentiam, ſed per participationem, vt dicitur in 1. Ethi. vnde appetibilia ſecundum motionem rationis, conſtituuntur in diuerſis ſpeciebus, ſecundum quod diuerſimodè ſe habent ad rationem, & ita ſequitur quod virtutes morales ſint diuerſæ ſecundum ſpeciem, & non vna tantum.

Virtutes morales ſunt diuerſæ ſecundum ſpeciem.

AD SECVNDVM, ſ. *virum virtutes morales diſtinguantur per hoc, quod quædam ſunt circa operationes, & quædam circa paßiones.* Dicendum quod operatio, & paſſio dupliciter poteſt comparari ad virtutẽ. Vno modo ſicut effectus, & hoc modo omnis virtus moralis habet aliquas operationes bonas, quarum eſt productiua; & delectationem aliquam vel triſtitiam quę ſunt paſſiones, vt ſupra dictum eſt. Alio modo poteſt comparari operatio ad virtutem moralem, ſicut materia circa quam eſt, & ſecundum hoc oportet alias eſſe virtutes morales circa operationes, & alias circa paſſiones. Cuius ratio eſt, quia bonum & malum in quibuſdam operationibus, attenditur ſecundũ ſeipſas, qualitercunque homo afficiatur ad eas, in quantum ſcil. bonum in eis & malum, accipitur ſecundum rationem cõmenſurationis ad alterũ; & in talibus oportet, quod ſit aliqua virtus directiua operationum ſecũdum ſeipſas, ſicut ſunt emptio, venditio, & omnes huiuſmodi operationes, in quibus attenditur ratio debiti, vel indebiti, ad alterum: & propter hoc iuſtitia, & partes eius, propriè ſunt circa operationes, ſicut circa propriã materiam. In quibuſdam vero operationibus bonum & malum, attenditur ſolùm ſecundum cõmenſurationem ad operantem: & ideo oportet in his bonum & malum conſiderari, ſecundum quod homo bene vel male afficitur circa huiuſmodi; & propter hoc oportet, quod virtutes in talibus ſint principaliter circa interiores affectiones, quæ dicuntur animæ paſſiones, ſicut patet de temperantia, fortitudine, & aliis huiuſmodi. Contingit autem quod in operationibus quæ ſunt ad alterum, prætermittatur bonum virtutis propter inordinatam animi paſſionem; & tunc in quantum corrumpitur commẽſuratio exterioris operationis, eſt corruptio iuſtitiæ. In quantum autem corrumpitur commẽſuratio interiorum paſſionum, eſt corruptio alicuius alterius virtutis: ſicut cum propter irã, aliquis alium percutit, in ipſa percuſſione indebita corrumpitur iuſtitia, In moderantia vero iræ, corrumpitur manſuetudo; & idem patet in aliis.

Virtutes morales alia ſũt circa paſſiones, alia circa operationes.

AD TERTIVM, ſ. *vtrum ſit tantum vna virtus moralis circa operationes:* Dicendum quod omnes virtutes morales quæ ſunt circa operationes, conueniunt in quadã generali ratione iuſtitiæ, quæ attenditur ſecundum debitum ad alterum, diſtinguuntur autem ſecundum diuerſas ſpeciales rationes. Cuius ratio eſt, quia in operationibus exterioribus ordo rationis inſtituitur ſicut dictum eſt, non ſecundum proportionẽ ad affectionem hominis, ſed ſecundum cõuenientiam rei in ſeipſa; ſecundum quam conuenientiam accipitur ratio debiti, ex quo conſtituitur ratio iuſtitiæ. Ad iuſtitiã enim pertinere videtur, vt quis debitum reddat; vnde omnes huiuſmodi virtutes quę ſunt circa operationes, habent aliquo modo rationem iuſtitiæ, ſed debitum non eſt vnius rationis in omnibus. Aliter enim debetur aliquid æquali, aliter ſuperiori, aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promiſſo, vel beneficio ſuſcepto; & ſecundum has diuerſas rationes debiti, diuerſæ ſumuntur virtutes. Puta religio eſt, per quam redditur debitum Deo; pietas eſt per quam redditur debitum parentibus vel patrię, gratia eſt per quam redditur debitum benefactoribus, & ſic de aliis.

Virtus quæ reſpicit operationem nõ eſt vnius rationis ſpecifica, ſed generica.

AD QVARTVM, ſ. *vtrum circa paßiones ſint diuerſæ virtutes morales:* Dicendum quod non poteſt dici, quod circa omnes paſſiones ſit vna ſola virtus moralis. Sunt enim quædã paſſiones, ad diuerſas potentias pertinentes: aliæ namque pertinent ad iraſcibilem, aliæ ad concupiſcibilẽ, vt ſupra dictũ eſt; nec tamen oportet quod omnis diuerſitas paſſionum ſufficiat ad virtutes morales diuerſificandas. Primo quidẽ quia quædã paſſiones ſunt, quæ ſibi opponuntur ſecundum contrarietatem, ſicut gaudium, & triſtitia; timor, & audacia; & alia huiuſmodi. & circa huiuſmodi paſſiones ſic oppoſitas, oportet eſſe vnam, & eãdem virtutem. Cum enim virtus moralis in quadã medietate conſiſtat, medium in contrariis paſſionibus ſecundum eandem rationem conſtituitur, ſicut & in naturalibus, idem eſt medium inter contraria, vt inter album & nigrum. Secundo, quia diuerſæ paſſiones inueniuntur ſecundum eundẽ modum rationi repugnantes, puta ſecundum impulſum ad id quod eſt cõtra rationẽ, vel ſecundum retractionem ab eo quod eſt ſecundum rationẽ. Et ideo diuerſæ paſſiones concupiſcibilis, non pertinent ad diuerſas virtutes morales; quia eorum motus ſecundum quẽdam ordinẽ ſe inuicem conſequuntur; vtpote ad idẽ ordinati. ſ. ad conſequendum bonum, vel fugiẽdum malum; ſicut ex amore procedit concupiſcentia, & ex concupiſcentia peruenitur ad delectationem; & eadem ratio eſt de oppoſitis, quia ex odio ſequitur fuga, vel abominatio, quæ producit ad triſtitiam. Sed paſſiones iraſcibilis nõ ſunt vnius ordinis, ſed ad diuerſa ordinantur: Nam audacia, & timor ordinantur ad aliquod magnũ periculũ; ſpes, & deſperatio, ad aliquod bonũ arduum: Ira autem ad ſuperandũ aliquod contrarium quod nocumentum intulit. Et ideo circa has paſſiones diuerſæ virtutes ordinãtur, vtpote tẽperantia, circa paſſiones cõcupiſcibilis; fortitudo, circa timores, & audacias; magnanimitas, circa ſpem, & deſperationem; manſuetudo circa iras.

Cur pro diuerſis paſſionibus non ſunt diuerſæ virtutes.

AD QVINTVM, ſ. *vtrum virtutes morales diſtinguantur ſecundum obiecta paßionum.* Dicendũ quod perfectio virtutis ex ratione dependet, perfectio autem paſſionis ex ipſo appetitu ſenſitiuo; vnde oportet quod virtutes diuerſificentur ſecũdum ordinem ad rationem, paſſiones autẽ ſecundum ordinem ad appetitum. Obiecta igitur paſſionum, ſecundum quod diuerſimodè cõſiderantur ad appetitũ ſenſitiuum, cauſant diuerſas paſſionis ſpecies. Secundum vero quod comparantur ad rationem, cauſant diuerſas ſpecies virtutum. Nõ autem eſt idem motus rationis, & appetitus ſenſitiui; vnde nihil prohibet aliquam differentiam obiectorum, cauſare diuerſitatem paſſionum, quæ non cauſat diuerſitatẽ virtutum (ſicut quando vna virtus, eſt circa multas paſſiones, vt dictum eſt) Et aliquam etiam differentiam obiectorũ, cauſare diuerſitatem virtutum, quę non cauſat diuerſitatem paſsionum; cum circa vnam paſsionem, puta delectationem, diuerſæ virtutes ordinẽtur. Et quia diuerſæ paſsiones ad diuerſas potentias pertinentes, ſemper pertinent ad diuerſas virtutes, vt dictum eſt: ideo diuerſitas obiectorum, quæ reſpicit diuerſitatem potentiarum, ſemper diuerſificat ſpecies virtutum; puta quod aliquid ſit bonum abſolutè, & aliquid bonum cum aliqua arduitate; & quia ordine quodam, ratio, inferiores hominis partes regit, & etiam ſe ad exteriora extendit; ideo etiam quod vnum obiectum paſſionis apprehenditur ſenſu, vel imaginatione, aut etiam ratione; & etiam ſecundum quod pertinet ad animam, corpus, vel res exteriores, diuerſam habitudinẽ habet ad rationem, & per conſequens natum eſt diuerſificare virtutes. Bonum igitur hominis quod eſt obiectum amoris concupiſcentiæ, & delectationis, poteſt accipi, vel ad ſenſum corporis pertinens, vel ad interiorem animæ apprehenſionem; & hoc ſiue ordinetur ad bonum hominis in ſeipſo, vel quantũ ad corpus, vel quantum ad animam; ſiue ordinetur ad bonum hominis in ordine ad alios; & omnis talis diuerſitas, propter diuerſum ordinem ad rationem, diuerſificat virtutem. Sic igitur ſi conſideretur aliquod bonum, ſi quidem ſit per ſenſum tactus apprehenſum, & ad conſiſtentiam humanæ vitę pertinens in indiuiduo, vel in ſpecie, ſicut

Obiecta paſſionum comparata ad rationẽ, cauſant diuerſas ſpecies virtutum, propter diuerſũ ordinem quẽ dicunt ad rationem.

Circa paſſiones varia ſũt virtutes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sicut sunt delectabilia ciborum, & venereorum; erit pertinens ad virtutem temperantiæ. Delectationes autem aliorum sensuum, cum non sint vehementes, non præstant aliquam difficultatẽ rationi: & ideo circa eas non ponitur aliqua virtus, quæ est circa difficile, sicut & ars, vt dicitur in 2. Ethi. Bonum autem, non sensu, sed interiori virtute apprehensum, ad ipsum hominem pertinens secundum seipsum est, sicut pecunia & honor, quorum pecunia ordinabilis est de se ad bonum corporis, honor autem consistit in apprehensione animæ. Et hæc quidem bona considerari possunt, vel absolutè, secundum quod pertinent ad concupiscibilem, vel cum arduitate quadam, secundum quod pertinent ad irascibilem. Quæ quidem distinctio locum non habet, in bonis quæ delectant tactum: quia huiusmodi sunt quædam infima, & competunt homini, secundum quod conuenit cum brutis.

Circa bonum igitur pecuniæ absolutè sumptum, secundum quod est obiectum concupiscentiæ, vel delectationis, aut amoris, est liberalitas. Circa bonum autẽ huiusmodi, cum arduitate sumptum, secundũ quod est obiectum spei, est magnificentia. Circa bonum vero quod est honor, si quidem sit absolutè sumptum, secundum quod est obiectum amoris, sic est quædã virtus quæ vocatur Philotinia, i. amor honoris. Si vero cum arduitate consideretur, secundum quod est obiectum spei, sic est magnanimitas: vnde liberalitas, & Philotinia, videntur esse in cõcupiscibili. Magnificentia vero, & magnanimitas, in irascibili. Bonũ vero hominis in ordine ad alium, non videtur arduitatẽ habere; sed accipitur, vt absolutè sumptum, prout est obiectum passionum concupiscibilis. Quod quidem bonum potest esse alicui delectabile, secundũ quod præbet se alteri, vel in his quæ serio fiunt, i. in actionibus per rationẽ ordinatis in debitum finem, vel in his quæ ioco, i. in actionibus ordinatis ad delectationem tantum; quæ non eodem modo se habent ad rationẽ, sicut prima. In seriis autẽ exhibet se aliquis dupliciter. Vno modo, vt delectabilem decentibus verbis, & factis; & hoc pertinet ad quãdam virtutem, quã Arist. nominat amicitiam, & potest dici affabilitas. Alio modo prębet se aliquis alteri, vt manifestũ per dicta, & facta; & hoc pertinet ad aliam virtutẽ, quam nominat veritatẽ: manifestatio enim propinquius accedit ad rationem, quã delectatio; & seria, quam iocosa. Vnde & circa delectationes ludorum est alia virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat. Sic igitur patet, quod secundum Aristo. sunt vndecim virtutes morales circa passiones, scil. fortitudo, tẽperantia, liberalitas, magnificentia, Philotinia, mansuetudo, amicitia, magnanimitas, veritas, & eutrapelia. Et distinguuntur secundum diuersas materias, vel secundum diuersas passiones, vel secundum diuersa obiecta. Si igitur addatur iustitia quæ est circa operationes, erunt omnes vndecim.

Virtutes morales sunt decem circa passiones, & iustitia circa operationem.

De distinctione virtutum Cardinalium.

DISTINCTIO VII.

Circa septimum principale, scil. de distinctione virtutum Cardinaliũ quæruntur quinque. Primo vtrum virtutes morales debeant dici Cardinales vel principales. Secundo de numero earum. Tertio quæ sint. Quarto vtrum differant ab inuicem. Quinto vtrum conuenienter diuidantur in virtutes Politicas, purgatorias, & purgati animi, & exemplares.

Ad primvm, s. *vtrum virtutes morales debeant dici Cardinales.* Dicendum, quod cum simpliciter de virtute loquimur, intelligimus loqui de virtute humana; virtus autem humana, vt dictum est, secũdum perfectam rationem virtutis dicitur, quæ requirit rectitudinem appetitus: huiusmodi enim virtus non solum facit facultatem bene agendi, sed etiam vsum boni operis causat: sed secundum imperfectam rationem virtutis, dicitur virtus, quæ non requirit rectitudinem appetitus; quia solum facit facultatem bene agendi, non autem causat boni operis vsum: constat autem quod perfectum est principalius imperfecto: & ideo virtutes quæ cõtinent rectitudinem appetitus, dicuntur principales. Huius modi autẽ sunt virtutes morales; & inter intellectuales, sola prudentia; quæ est quodammodo moralis, secundum materiam, vt ex supradictis patet. Vnde conuenienter inter virtutes morales ponuntur illæ, quæ dicuntur principales seu Cardinales.

Virtutes morales cur dicenda Cardinales.

Ad secvndvm, s. *de numero earum.* Dicendum quod numerus aliquorum accipi potest, aut secundum principia formalia, aut secundum subiecta; & vtroq; modo inueniuntur quatuor Cardinales virtutes. Principium enim formale virtutis, de qua nunc loquimur, est rationis bonum. Quod quidẽ dupliciter potest considerari, vno modo secundum quod in ipsa ratione cõsideratio consistit, & sic erit vna virtus principalis quæ dicitur prudentia. Alio modo secundũ quod circa aliquid ponitur rationis ordo, & hoc vel circa operationes, & sic est iustitia; vel circa passiones, & sic necesse est esse duas virtutes. Ordinẽ enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem, quæ quidẽ potest esse duplex. Vno modo secundum quod passio impellit ad aliquid cõtrarium rationi, & sic necesse est, quod passio reprimatur, & ab hoc denominatur temperantia. Alio modo secundum quod passio retrahit ab eo quod ratio dictat, sicuti timor periculorũ, vel laborũ, & sic necesse est, quod firmetur homo in eo quod est rationis ne recedat, & ab hac denominatur fortitudo. Similiter secundum subiecta idẽ numerus inuenitur. Quadrupliciter enim inuenitur subiectum huius virtutis, de qua loquimur, sci. rationale per essentiam, quod prudentia perficit, & rationale per participationem: quod diuiditur in tria, sci. in voluntatem, quæ est subiectum iustitiæ, & in concupiscibilem, quæ est subiectum temperantiæ, & in irascibilem quæ est subiectum fortitudinis.

Virtutes Cardinales sũt quatuor.

Ad tertivm, s. *quæ dici debent Cardinales.* Dicendum quod sicut supra dictũ est, huiusmodi quatuor virtutes Cardinales accipiuntur secundum quatuor formales rationes virtutis, de qua loquimur, quæ quidem in aliquibus actibus, vel passionibus principaliter inueniuntur, sicut bonum consistens in consideratione rationis, principaliter inuenitur in ipso imperio rationis, non autem in consilio, neque in iudicio, vt dictum est. Similiter etiam bonum rationis prout ponitur in operationibus secundum rationem recti, & debiti, principaliter inuenitur in commutationibus, vel distributionibus quæ sunt ad alterum cum æqualitate: bonum autem refrenãdi passiones, principaliter inuenitur in passionibus, quas maximè difficile est reprimere, scili. in delectationibus tactus: bonum autẽ firmitatis ad standum in bono rationis contra impetum passionum, præcipuè inuenitur in periculis mortis, contra quod difficillimum est stare.

Sic igitur prædictas quatuor virtutes dupliciter cõsiderare possumus. Vno modo secundum cõmunes rationes formales, & secũdum hoc dicuntur principales, quasi generales ad omnes virtutes; vtputa quod omnis virtus, quæ facit bonum in cõsideratione rationis dicatur prudentia; & quod omnis virtus, quæ facit bonum debiti, & recti in operationib⁹ dicatur iustitia; & omnis virtus quæ cohibet passiones, & deprimit, dicatur temperantia; & omnis virtus, quæ facit firmitatem animi contra quascunque passiones animi, dicatur fortitudo; & sic multi loquuntur de istis virtutibus tam sacri Doctores, quam etiam Philosophi, & sic aliæ virtutes sub ipsis cõtinentur, vnde cessant omnes obiectiones. Alio vero modo possunt accipi secũdum quod ipsæ virtutes denominantur ab eo quod est principium in vnaquaq; materia, & sic sunt speciales virtutes contra alias diuisę; dicuntur tamẽ principales respectu aliarum propter principalitatem materiæ, puta quod prudentia dicatur, quæ est præceptiua; iustitia, quæ est circa actiones debitas inter æquales; temperantia, quæ reprimit concupiscentias delectationum tactus; fortitudo, quæ firmat contra pericula mortis; & sic etiã cessant aliæ obiectiones, quia

Virtutes Cardinales quo sensu generales, & quo sensu speciales.

nes, quia aliæ virtutes poſſunt habere aliquas alias principalitates, ſed iſtæ dicuntur principales ratione materiæ, vt dictum eſt.

AD QVARTVM, ſci. *vtrum virtutes prędictæ differant abinuicem.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, prędictæ quatuor virtutes dupliciter à diuerſis accipiuntur. Quidã enim accipiunt eas prout ſignant quaſdam generales conditiones humani animi, quæ inueniuntur in omnibus virtutibus; ita ſci. quod prudentia nihil aliud ſit quam quædã rectitudo diſcretionis in quibuſcunque actibus, vel materiis. Iuſtitia vero ſit quædam rectitudo animi, per quã operatur, quod debet, in vnaquaque materia. Temperantia vero ſit quædam diſpoſitio animi, quæ modum quibuſcunq; paſſionibus, vel operationibus imprimit, vel imponit, ne vltra debitũ efferantur. Fortitudo vero ſit quædam diſpoſitio animi, per quam firmetur in eo quod eſt ſecundum rationem, contra quoſcunque impetus paſſionum, vel operum labores. Hæc autem quatuor ſic diſtincta, non important diuerſitatem habituum virtuoſorum quãtum ad iuſtitiam, temperantiam, & fortitudinem: cuilibet enim virtuti morali, ex hoc quod eſt habitus conuenit quædam firmitas, vt à contrario non moueatur, quod dictum eſt ad fortitudinẽ pertinere: ex hoc vero quod eſt virtus, habet quod ordinetur ad bonum in quo importatur ratio recti, vel debiti, quod dicebatur ad iuſtitiam pertinere. In hoc vero quod eſt virtus moralis rationem participans, habet quod modum rationis in omnibus ſeruet, & vltra non ſe extendat, quod dicebatur pertinere ad temperantiam: ſolum autem hoc quod eſt diſcretionẽ habere, quod attribuebatur prudentiæ, videtur diſtingui ab aliis tribus, in quantum hoc eſt ipſius rationis per eſſentiam; Alia vero tria, important quandam rationis participationẽ per modum applicationis cuiuſdam ad paſſiones, vel operationes. Sic igitur ſecundum prædicta, prudentia quidem eſt virtus diſtincta ab aliis tribus, ſed aliæ tres non eſſent virtutes diſtinctæ ab inuicem. Manifeſtum eſt autem quod vna & eadem virtus, & eſt habitus, & eſt virtus, & eſt moralis. Alij vero, & melius, accipiũt has quatuor virtutes, ſecundum quod terminantur ad materias ſpeciales, vnaquæq; quidem illarum ad vnam materiam, in qua principaliter laudatur illa generalis conditio à qua nomen virtutis accipitur, vt ſupra dictum eſt, & ſecundum hoc manifeſtum eſt, quod dictæ virtutes ſunt diuerſi habitus, ſecundum diuerſitatem obiectorum diſtincti.

Virtutes Cardinales propriè acceptæ ab inuicem differunt.

AD QVINTVM, ſcil. *vtrum conuenienter diuidantur in Politicas, purgatorias, purgati animi & exemplares.* Dicendum, quod ſicut Aug. dicit in lib. de mori. eccle. oportet, quod anima aliquid ſequatur, ad hoc quod ei virtus poſſit innaſci, & hoc eſt Deus, quem ſi ſequimur bene viuimus. Oportet igitur quod exemplar humanæ virtutis in Deo præexiſtat, ſicut & in eo præexiſtũt omnium rerum rationes; ſic igitur virtus poteſt conſiderari, vel prout eſt exẽplariter in Deo, & ſic dicuntur virtutes exemplares, ita ſcilicet, quod ipſa diuina mens in Deo dicatur prudentia: Temperantia vero, conuerſio intentionis diuinæ ad ſeipſum; ſicut in nobis temperantia dicitur per hoc, quod concupiſcibilis conformatur rationi: fortitudo autem Dei eſt eius immutabilitas, iuſtitia vero Dei eſt obſeruatio legis æternæ in ſuis operibus, ſicut Plotinus dixit. Et quia homo ſecundum ſuam naturã eſt animal politicum, virtutes huiuſmodi prout in homine exiſtunt, ſecundum conditionem ſuæ naturæ, politicæ vocantur; prout ſci. homo ſecundum has virtutes rectè ſe habet in rebus humanis gerendis, ſecundum quem modum hactenus de his virtutibus locuti ſumus. Sed quia ad hominem pertinet vt etiam ad diuina ſe trahat quantum poteſt, vt etiam Philoſophus dicit in 10. Ethi. & hoc nobis in ſacra ſcriptura multipliciter commendatur, vt eſt illud Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, neceſſe eſt ponere quaſdam virtutes medias inter politicas, quę ſunt virtutes humanæ; & exemplares, quæ ſunt virtutes diuinæ; quæ quidem virtutes diſtinguuntur ſecundum diuerſitatem motus, & termini: ita ſcilicet quod quædam ſunt virtutes tranſcendentium, & in diuinam ſimilitudinem tendentium, & hæ vocantur virtutes purgatorię, ita ſcili. quod prudentia omnia mundana diuinorum contemplatione deſpiciat, omnemq; animi cogitationem in ſola diuina dirigat: temperantia vero relinquat inquantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit: fortitudinis autem eſt vt anima non terreatur propter receſſum à corpore, & aſcenſum vel acceſſum ad ſupernaturalia: Iuſtitia vero eſt, vt tota anima cõſentiat ad huius propoſiti viam. Quædam vero ſunt virtutes iam aſſequentium diuinã ſimilitudinem, quę vocantur virtutes purgati animi. Ita ſcilicet quod prudentia ſola diuina intueatur, temperantia terrenas cupiditates neſciat, fortitudo paſſiones ignoret, iuſtitia cum diuina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando; quas quidem virtutes dicimus eſſe beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſſimorum.

Virtutes Cardinales rectè diſtinguuntur per politicas, purgatorias, purgati animi & exemplares.

De virtutibus Theologicis.

DISTINCTIO VIII.

CIRCA octauum, ſcil. de virtutibus Theologicis, quæruntur quatuor. Primum vtrum ſint aliquæ virtutes Theologicæ. Secundo vtrum virtutes Theologicæ diſtinguãtur ab intellectualibus, & moralibus. Tertio quot & quę ſint. Quarto de origine earum.

AD PRIMVM, ſci. *vtrum ſint aliquæ virtutes Theologicæ.* Dicendum, quod per virtutem perficitur homo ad actus quibus in beatitudinem ordinatur, vt ex ſupradictis patet. Eſt autem duplex hominis beatitudo ſiue fælicitas, vt dictum eſt. Vna quidem proportionata naturæ humanæ, ad quam ſcili. homo peruenire poteſt, per principia ſuæ naturæ. Alia eſt beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo ſola diuina virtute poteſt peruenire, ſecundum quandam diuinitatis participationẽ, ſecundum quod dicitur 2. Pet. 2. *per Chriſtum facti ſumus conſortes diuinæ naturæ.* Et quia huiuſmodi beatitudo proportionem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit ad bene agendum ſecundum ſuam proportionẽ, non ſufficiunt ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam: vnde oportet quod ſuperaddantur homini diuinitus aliqua principia, per quæ ita ordinetur ad beatitudinem ſupernaturalẽm, ſicut per principia connaturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen abſque adiutorio diuino. & hæc principia dicuntur virtutes Theologicæ, tum quia habent Deum pro obiecto, inquantum per eas rectè ordinamur in Deum; tum etiam quia à ſolo Deo nobis infunduntur; tum tertio quia ſola diuina reuelatione in ſacra ſcriptura huiuſmodi virtutes traduntur.

Cur ponenda virtutes Theologicæ.

AD SECVNDVM, ſci. *vtrum virtutes Theologicæ diſtinguantur à virtutibus intellectualibus, & moralibus.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, habitus ſpecie diſtinguuntur, ſecundum formalem differentiam obiectorum. Obiectum autem virtutum Theologicarum, eſt ipſe Deus, qui eſt vltimus rerum finis, prout noſtræ rationis cognitionem excedit. Obiectum autem virtutum intellectualium & moralium, eſt aliquid quod humana ratione comprehendi poteſt. Vnde virtutes Theologicæ ſpecie diſtinguuntur à moralibus, & intellectualibus.

Virtutes Theologicæ ſpecie differunt ab intellectualibus & moralibus.

AD TERTIVM, ſci. *quot & quæ ſunt virtutes Theologicæ.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictũ eſt, virtutes Theologicæ hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per naturalem inclinationẽ ordinatur homo in finem ſibi connaturalem. Hoc autem contigit ſecundum duo. Primo quidem ſecundum rationem vel intellectum, inquantum continet prima principia vniuerſalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in ſpeculãdis, quam in agẽdis. Secundo per rectitudinem voluntatis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

naturaliter tendentis ad bonum rationis. Sed hæc duo deficiunt ab ordine beatitudinis ſupernaturalis, ſecundum illud 1.ad Corinth.12. *Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* vnde oportuit quod quãtum ad vtrumq; aliquid homini ſupernaturaliter adderetur, ad ordinandum ipſum in finẽ ſupernaturalem: & primo quidẽ quantum ad intellectum, adduntur homini quædam principia ſupernaturalia, quæ diuino lumine capiuntur, & hæc ſunt credibilia, de quibus eſt fides. Secundo vero voluntas ordinatur in illum finẽ, & quantum ad motum intentionis in ipſum tendentem, ſicut in id quod eſt poſſibile conſequi, quod pertinet ad ſpem; & quantum ad vnionem quandam ſpiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem. Appetitus enim vniuſcuiuſque rei naturaliter mouetur & tendit in finem ſibi connaturalem, & iſte motus prouenit ex quadam conformitate rei ad ſuum finem.

Cur ſtatuenda tres virtutes Theologicæ.

Ad qvartvm, ſci. *de ordine earum.* Dicendum quod duplex eſt ordo, ſci. generationis, & perfectionis; ordine quidem generationis, quo materia prior eſt forma & imperfectum perfecto; in vno & eodem fides præcedit ſpem, & ſpes charitatẽ ſecundum actus (nam habitus ſimul infunduntur) nõ enim poteſt in aliquid motus appetitus tendere, vel ſperando, vel amando, niſi quod eſt apprehenſum ſenſu aut intellectu; per fidem autem apprehendit intellectus, ea quæ ſperat & amat. vnde oportet quod ordine generationis fides præcedat ſpem & charitatẽ. Similiter autem ex hoc homo aliquid amat, quod apprehẽdit illud vt bonum ſuum: per hoc autem quod homo ab aliquo ſperat ſe bonum cõſequi poſſe, reputat ipſum in quo ſpem habet, quoddam bonum ſuum: vnde ex hoc ipſo quod homo ſperat de aliquo, procedit ad amandum ipſum; & ſic ordine generationis ſecundum actus, ſpes præcedit charitatem. ordine vero perfectionis, charitas præcedit & ſpem, & fidem, eo quod tam ſpes, quam fides, per charitatem formatur, & perfectionẽ virtutis acquirit. Sic enim charitas eſt mater omnium virtutum & radix, inquãtum eſt omnium virtutum forma, vt infra dicetur.

Fides eſt prima ordine generationis, vltima ordine perfectionis.

De cauſa virtutum.

DISTINCTIO IX.

Circa nonum, ſci. de cauſa virtutum quæruntur quatuor. Primo, vtrum virtutes ſint in nobis à natura. Secundo, vtrum aliqua virtus cauſetur in nobis ex aſſuetudine operum. Tertio, vtrum aliquæ virtutes morales ſint in nobis per infuſionem. Quarto, vtrum virtus quam acquirimus aſſuetudine operum, ſit eiuſdem ſpeciei cum virtute infuſa.

Ad primvm, ſci. *vtrum virtutes ſint in nobis à natura.* Dicendum quod circa formas corporales dixerunt aliqui, quod totaliter ſunt ab intrinſeco, ſicut ponentes latitationẽ formarum. Aliqui vero quod totaliter ſint ab extrinſeco, ſicut ponentes formas corporales eſſe ab aliqua cauſa ſeparata. Aliqui vero quod partim ſunt ab intrinſeco, inquantũ ſcil. præexiſtunt in potentia in materia; & partim ab extrinſeco, inquantum reducuntur ad actum per agens. Ita etiam circa ſcientias & virtutes, aliqui quidem poſuerunt eas totaliter eſſe ab intrinſeco, ita ſcil. quod omnes virtutes, & ſcientiæ naturaliter præexiſtunt in anima, ſed per diſciplinam & exercitium, impedimẽta ſcientiæ & virtutis tolluntur, quæ adueniunt animæ ex corporis grauitate: ſicut cum ferrum clarificatur per limationem, & hæc fuit opinio Platonicorum. Alij vero dixerunt quod ſunt totaliter ab extrinſeco .i. ex influentia intelligentiæ agentis, vt ponit Auicen. Alij vero dixerunt quod ſecũdum aptitudinem ſcientiæ & virtutes, ſunt in nobis à natura, non autem ſecundum perfectionẽ, vt philoſophus dicit in 2. Ethi. & hoc verius eſt. Ad cuius manifeſtationẽ oportet conſiderare quod aliquid dicitur alicui homini naturale dupliciter; vno modo ex natura ſpeciei: alio modo ex natura indiuidui. & quia vnumquodque habet ſpeciem ſecundum ſuam formam, indiuiduatur vero ſecundum materiam; forma vero hominis, eſt anima rationalis, materia vero corpus: Ideo quod conuenit homini ſecundum animam rationalem, eſt ei naturale ſecundum rationem ſpeciei, id vero quod eſt ei naturale ſecundum determinatam corporis cõplexionem, eſt ei naturale ſecundum naturã indiuidui. quod enim eſt naturale homini ex parte corporis ſecundum ſpeciem, quodammodo refertur ad animam, inquantum ſcili. tale corpus eſt tali animę proportionatum. vtroque autẽ modo virtus eſt homini naturalis ſecundum quandam inchoationem. Secundum quidem naturam ſpeciei, inquantum ſci. in ratione hominis naturaliter inſunt quædam principia naturaliter cognita tã ſcibilium quam agendorum, quæ ſunt quædam ſeminalia intellectualium virtutũ & moralium; & inquantum in voluntate, ineſt quidam naturalis appetitus boni, quod eſt ſecundum rationẽ. Secundum vero naturã indiuidui, inquantum ex corporis diſpoſitione aliqui ſunt diſpoſiti vel melius vel peius, ad quaſdã virtutes; prout ſcilicet vires quædam ſenſitiuæ, actus ſunt quarundam partium corporis, ex quarum diſpoſitione adiuuantur vel impediuntur huiuſmodi vires in ſuis actibus, & per conſequens vires rationales quibus huiuſmodi ſenſitiuæ vires deſeruiunt. & ſecũdum hoc, vnus homo habet naturalem aptitudinem ad ſciẽtiam, alius ad fortitudinem, alius ad temperantiam, & his modis tam virtutes intellectuales, quam morales, ſecundum quãdam aptitudinis inchoationem, ſunt in nobis à natura: non autem conſummatio earum, quia natura determinatur ad vnum, conſummatio autem huiuſmodi virtutum non eſt ſecundum vnum modum actionis, ſed diuerſimodè ſecũdum diuerſas materias in quibus virtutes operantur, & ſecundum diuerſas circumſtantias. Sic igitur patet quod virtutes in nobis ſunt à natura, ſecundum aptitudinem & inchoationem, non autem ſecundum perfectionem, præter virtutes Theologicas, quæ ſunt totaliter ab extrinſeco.

Virtutes inſunt nobis à natura ſecũdum aptitudinem & inchoationẽ, non autem ſecundum perfectionẽ.

Ad secvndvm, ſci. *vtrum omnes virtutes poſſint in nobis cauſari ex aſſuetudine operum.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, virtus perficit hominem ad bonum: cum autem ratio boni conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine, vt Aug. dicit in lib. de natura boni, ſiue in numero, pondere, & menſura, vt dicitur Sap. 11. oportet quod bonum hominis ſecundum aliquam regulã conſideretur: Quæ quidẽ eſt duplex, vt ſupra dictum eſt; ſcil. ratio humana, & lex diuina. & quia lex diuina ſuperior eſt regula, ideo ad plura ſe extendit, ita quod quicquid regulatur ratione humana, regulatur etiam lege diuina, ſed non conuertitur. Virtus ergo hominis ordinata ad bonum, quod modificatur ſecũdum regulam rationis humanæ, poteſt ex actibus humanis cauſari, in quantum huiuſmodi actus procedunt à ratione, ſub cuius poteſtate & regula tale bonum conſiſtit. Virtus vero ordinans hominem ad bonum ſecundum quod modificatur per legem diuinam, & non per rationem humanam; non poteſt cauſari per actus humanos, quorum principium eſt ratio; ſed cauſatur ſolum in nobis per operationem diuinam: & ideo huiuſmodi virtutem diffiniens Aug. poſuit in diffinitione virtutis, *quam Deus in nobis, ſine nobis operatur.*

Virtus regulata ratione humana poteſt noſtris actibus cauſari, non autem illa quæ regulatur per legem diuinam.

Ad tertivm, ſcil. *vtrum virtutes morales ſint in nobis per infuſionem.* Dicendum, quod effectus oportet eſſe proportionatos ſuis cauſis, & principiis. Omnes autẽ virtutes, tam intellectuales, quam morales, quæ ex noſtris actibus acquiruntur; procedunt ex quibuſdã naturalibus principiis in nobis præexiſtentibus, vt ſupra dictum eſt, loco quorum naturalium principiorum, cõferuntur nobis à Deo virtutes Theologicæ, quibus ordinamur ad finem ſupernaturalem, vt ſupra dictum eſt; vnde oportet, quod his virtutibus Theologicis proportionaliter reſpondeant alij habitus diuinitus cauſati in nobis, qui ſic ſe habeant ad virtutes Theologicas,

Virtutes quæ Theologicis proportionãtur, inſunt nobis per infuſionem.

gicas, ſicut ſe habent virtutes intellectuales & morales, ad principia naturalia virtutum.

AD QVARTVM, ſcili. *vtrum virtutes infuſæ ſpecie differant ab acquiſitis.* Dicendum, quod habitus dupliciter diſtinguuntur ſpecie. Vno modo ſicut prædictum eſt, ſecundum ſpeciales & formales rationes obiectorum. Obiectum autem cuiuſlibet virtutis, eſt bonum conſideratum in materia propria; ſicut temperantiæ obiectum, eſt bonum delectabilium in concupiſcentiis tactus, cuius quidem obiecti formalis ratio eſt à ratione, quæ inſtituit modum in his concupiſcentiis; materiale eſt id quod eſt ex parte concupiſcentiarum. Manifeſtum eſt autem, quod alterius rationis eſt modus impoſitus in huiuſmodi concupiſcentiis ſecundum regulam rationis humanæ, & ſecundum regulam diuinam: puta in ſumptione ciborũ, ratione humana modus inſtituitur, vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum: ſecundum autẽ regulam legis diuinæ requiritur quod homo caſtiget corpus ſuũ, & in ſeruitutem redigat per abſtinentiam cibi & potus, & aliorum huiuſmodi: vnde manifeſtum eſt, quod temperantia infuſa & acquiſita, differant ſpecie; & eadem ratio eſt de aliis virtutibus. Alio modo habitus diſtinguuntur ſpecie ſecundum ea ad quæ ordinantur; non enim eſt eadem ſpecies, ſanitas hominis & equi, propter diuerſas naturas, ad quas ordinantur. Et eodẽ modo dicit Phil. in 3. Politicæ, quod diuerſæ ſunt virtutes ciuium, ſecundum quod bene ſe habent ad diuerſas politias; & per hunc etiam modum, differunt ſpecie virtutes morales infuſæ, per quas homines bene ſe habent in ordine ad hoc quod ſint ciues ſanctorum, & domeſtici Dei; & aliæ virtutes acquiſitæ, ſecundum quas homo bene ſe habet in ordine ad res humanas.

Virtutes infuſa differũt ſpecie ab acquiſitis tum ex parte obiecti formalis, tum ex parte eorum ad quæ ordinantur.

De connexione virtutum.

DISTINCTIO X.

CIRCA decimum principale, ſcili. de connexione virtutum quæruntur quinque. Primo, vtrum virtutes morales ſint ad inuicem connexæ. Secundo, vtrum virtutes morales poſſint eſſe ſine charitate. Tertio, vtrum charitas poſſit eſſe ſine eis. Quarto, vtrum fides & ſpes, poſſint eſſe ſine charitate. Quinto, vtrum charitas poſſit eſſe ſine fide & ſpe.

AD PRIMVM, ſcili. *vtrum virtutes ſint ad inuicem connexæ.* Dicendum, quod virtus moralis poteſt accipi vel perfecta, vel imperfecta. Imperfecta quidem moralis virtus, vt temperantia, vel fortitudo, nihil eſt aliud quam aliqua inclinatio in nobis exiſtens, ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, ſiue talis inclinatio ſit in nobis à natura, ſiue ex aſſuetudine; & hoc modo accipiendo virtutes morales, non ſunt cõnexæ. Videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua aſſuetudine, promptum eſſe ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera caſtitatis. Perfecta autem virtus moralis, eſt habitus inclinãs ad bonum opus bene agendum; & ſic accipiendo virtutes morales, dicimus eas eſſe connexas, vt ferè ab omnibus ponitur. Vnde Ambroſ. dicit ſuper Lucam. *Connexæ ſibi ſunt concatenatæque virtutes, vt qui vnam habet plures habere videatur.* Aug. etiam dicit in 6. de Trinit. quod *virtutes quæ ſunt in humano animo, nullo modo ſeparantur ab inuicem.* Et Greg. dicit in 22. moralium, quod *vna virtus ſine alijs aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.* Tullius dicit in 2. de Tuſc. quæſt. *Si vnam virtutem confeſſus es te non habere, nullam neceſſe eſt te habiturum.* Cuius ratio aſſignatur duplex, ſecundum quod diuerſimodè aliquæ virtutes Cardinales diſtinguuntur. Vt enim dictum eſt, quidam diſtinguunt eas ſecundum quaſdam generales conditiones virtutum, vtpote quod diſcretio pertineat ad prudentiam, rectitudo ad iuſtitiã, moderantia ad temperantiam, firmitas animi ad fortitudinem, in quacunque materia iſta conſiderentur. Et ſecundum hoc manifeſtè apparet ratio connexionis: non enim firmitas habet laudem virtutis ſi ſit ſine moderatione, vel rectitudine aut diſcretione. Et eadem ratio eſt de aliis: & hanc rationem cõnexionis aſſignat Gregor. 22. moral. quod *virtutes ſi ſunt diſiunctæ non poſſunt eſſe perfectæ ſecundum rationem virtutis, quia nec prudentia vera eſt, quæ iuſta, temperans, & fortis non eſt.* & idem ſubdit de aliis virtutibus. & ſimilem rationẽ aſſignat Aug. in 6. dę Trinit. Alij vero diſtinguunt prædictas virtutes ſecundum materias, & ſecundum hoc aſſignatur ratio connexionis ab Ariſt. in 6. Ethi. quia ſicut ſupra dictum eſt, nulla virtus moralis poteſt ſine prudentia haberi, eo quod proprium virtutis moralis eſt facere electionem rectam, cum ſit habitus electiuus: Ad rectam autem electionem non ſolum ſufficit inclinatio in debitum finem, quod eſt directè per habitum virtutis moralis, ſed etiã quod aliquis directè eligat ea quæ ſunt ad finem, quod fit per prudentiam, quæ eſt conſiliatiua, & iudicatiua, & præceptiua, eorum quæ ſunt ad finem. Similiter etiam prudentia non poteſt haberi niſi habeantur virtutes morales, cum prudẽtia ſit recta ratio agibilium; quæ ſicut ex principiis procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis rectè ſe habet per virtutes morales. Vnde ſicut ſcientia ſpeculatiua, non poteſt haberi ſine intellectu principiorum, ita nec prudentia ſine virtutibus moralibus: ex quo manifeſtè ſequitur virtutes morales eſſe connexas.

Virtutes morales perfectæ, ſci. quæ inclinant ad bene agendũ, ſed connexæ ad inuicem dupliciter.

SCIENDVM autem, quod virtutum moralium quædam perficiunt hominem ſecundum communem ſtatum, ſci. quantum ad ea quæ communiter in omni vita hominum occurrunt agenda: vnde oportet quod homo ſimul exercitetur, circa materias omnium virtutũ moralium: & ſi quidem circa omnes exercitetur bene operando, acquiret habitus omnium virtutum moralium: ſi autem exercitetur bene operando circa vnam materiam, non autem circa aliam, puta bene ſe habendo circa iras, non autem circa concupiſcentias, acquiret quidem aliquem habitum ad refrenandum iras: qui tamẽ non habebit rationem virtutis propter defectum prudentiæ, quæ circa concupiſcentias corrũpitur; ſicut etiam naturales inclinationes, non habent perfectam rationem virtutis, ſi prudentia deſit. Quædam vero virtutes morales ſunt quę perficiunt hominem ſecundum aliquem eminentem ſtatum, ſicut magnificentia & magnanimitas. Et quia exercitium circa materias harum virtutum nõ occurrit vnicuique communiter, poteſt aliquis habere alias virtutes morales, ſiue hoc quod habitus harum virtutum habeat actu, loquendo de virtutibus acquiſitis. Sed tamen acquiſitis aliis virtutibus, habet iſtas virtutes in potentia propinqua. Cum enim aliquis per exercitium adeptus eſt liberalitatẽ circa mediocres donationes, & ſumptus, ſi ſuperueniat ei ſuperabundantia pecuniarum, modico exercitio acquiret magnificentiæ habitum; ſicut geometer modico ſtudio acquirit ſcientiam alicuius concluſionis, quam nũnquam conſiderauit. Illud autem habere dicimur, quod in promptu eſt, vt habeamus, ſecundum illud Philoſophi in 2. Phiſi. *quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur.*

Soluuntur obiectiones.

ITEM virtutes intellectuales ſunt circa diuerſas materias adinuicem non ordinatas, ſicut patet in diuerſis ſcientiis, & artibus; & ideo non inuenitur in eis connexio, quæ inuenitur in virtutibus moralibus, exiſtentibus circa paſſiones, & operationes, quæ manifeſtè habent ordinem adinuicem. Nam omnes paſſiones in quibuſdam primis procedentes, ſcili. amore & odio, ad quaſdam alias terminantur, ſcilicet delectationem, & triſtitiam. Et ſimiliter omnes operationes quæ ſunt virtutis moralis, naturaliter habent ordinem adinuicẽ, & etiam ad paſſiones; & ideo tota materia moralium virtutum, ſub vna ratione prudentiæ cadit. Habent tamen omnia intelligibilia ordinem ad prima principia, Et ſecundum hoc omnes virtutes intellectuales, dependent ab intellectu principiorum, ſicut prudentia à virtutibus moralibus, vt dictum eſt. Principia autem vniuerſalia quorum eſt intellectus principiorum, non dependent à concluſionibus, de quibus ſunt reliquæ intellectuales virtutes, ſicut morales dependent à prudentia;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dentia; eo quod appetitus mouet quodammodo rationem, & ratio appetitum, vt supra dictum est.

Virtutes morales acquisitæ possunt esse sine charitate nó autem infusæ.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum virtutes morales possint esse sine charitate.* Dicẽdum, quod sicut supra dictum est, virtutes morales prout sunt operatiuæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri, & sic acquisitę, sine charitate esse possunt, sicut fuerunt in multis gentibus. Secundum autem, quod sunt operatiuæ boni in ordine ad vltimum finem supernaturalem, sic perfectè & verè se habent ad rationem virtutis, & non possunt actibus humanis acquiri, sed à Deo infundntur, & huiusmodi virtutes morales sine charitate esse non possunt. Dictum est enim, quòd aliæ virtutes morales non possunt esse sine prudentia; prudentia autem non potest esse sine virtutibus moralibus, in quãtum virtutes morales faciunt bene se habere ad quosdam fines, ex quibus procedit ratio prudentiæ. Ad rectam autem rationem prudentiæ multomagis requiritur, quòd homo bene se habeat circa vltimum finem, quod fit per charitatem, quàm circa alios fines, quod fit per virtutes morales: Sicut ratio recta in speculatiuis, maximè indiget primo principio indemonstrabili, quod est, contradictoria non esse simul vera. vnde manifestum fit, quòd nec prudentia infusa potest esse sine charitate, nec aliæ virtutes morales consequenter, quæ sine prudentia esse non possunt.

Solæ virtutes infusæ sunt simpliciter virtutes & quare.

Patet igitur ex prædictis, quod solæ virtutes infusæ sunt perfectæ, & solæ simpliciter dicendæ virtutes: quia bene ordinant hominem ad finem vltimum simpliciter. Aliæ vero virtutes scilicet acquisitæ sunt secundum aliquid virtutes, non autem simpliciter. Ordinant enim hominem bene respectu finis vltimi in aliquo genere, non autem respectu vltimi finis simpliciter. Vnde Rom. 14. super illud. *Omne quod non est ex fide peccatum est,* dicit ibi Glos. Augustini, *vbi deest agnitio veritatis, falsa est virtus, etiam in bonis moribus.*

Cum charitate infunduntur omnes virtutes morales.

Ad tertivm, scilicet *vtrum charitas possit esse sine virtutibus moralibus.* Dicendum quod cum charitate infunduntur omnes virtutes morales. Cuius ratio est, quia Deus non minus perfectè operatur in operibus gratię, quam in operibus naturæ. Sicut autem videmus in operibus naturæ, quod non inuenitur principium aliquorum operum in aliqua re, quin inueniãtur in ea quæ sunt necessaria ad huiusmodi opera perficienda; sicut in animalibus inueniuntur organa quibus perfici possunt opera, ad quæ peragenda anima habet potestatem. Manifestum est autem quod charitas in quantum ordinat hominem ad finem vltimum, est principiũ omnium operum bonorum, quæ in finem vltimum ordinari possunt. Vnde oportet quod cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales quibus homo perficit singula genera bonorum operum. Et sic patet, quod virtutes morales infusæ, non solum habent connexionem propter prudentiam sed etiam propter charitatem; & quod qui amittit charitatem per peccatum mortale, amittit omnes virtutes morales infusas.

Fides & spes possunt esse sine charitate, licet non ita vt habeãt perfectũ esse virtutis.

Ad qvartvm, scilicet, *vtrum fides & spes, possint esse sine charitate.* Dicendum quod fides & spes sicut & virtutes morales, dupliciter considerari possunt. Vno modo secundum inchoationem quandam. Alio modo secundum perfectum esse virtutis. Cum enim virtus ordinetur ad bonum opus agendum, virtus quidem perfecta dicetur in hoc, quod potest in opus perfectè bonum; quod quidem est, dum non solum bonum est quod fit, sed etiam bene fit. Alioquin si bonũ sit quod fit, non autem bene fiat, non erit perfectè bonum. Vnde nec habitus, qui est talis operis principium, habebit perfectè rationem virtutis. sicut si aliquis operetur iusta, bonum quidem facit, sed non erit opus perfectæ virtutis, nisi hoc bene faciat .i. secundum electionem rectam, quod est per prudentiam; & ideo iustitia sine prudentia nõ potest esse virtus perfecta. Sic igitur fides & spes, sine charitate possunt quidem aliqualiter esse; perfectæ autem virtutis rationem sine charitate non habent. Cum enim fidei opus sit credere Deo, credere autem sit aliquem propria voluntate assentire; si non debito modo velit, nõ erit fidei opus perfectum, quod autem debito modo velit, hoc est per charitatem, quæ perficit voluntatem. *Omnis enim rectus motus voluntatis, ex recto amore procedit,* vt Aug. dicit. 14. de ciuit. Dei. Sic igitur fides est, quidem sine charitate, sed non perfecta virtus, sicut temperantia, vel fortitudo, siue prudentia. Et similiter dicendum est de spe. Nam actus spei est expectare futuram beatitudinem à Deo, qui quidẽ actus perfectus est, si fiat ex meritis quæ quis habet, quod nõ potest esse sine charitate; si autem hoc expectet ex meritis quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus, & hoc potest esse sine charitate; & ideo fides, & spes, possunt esse sine charitate; sed tunc propriè loquendo virtutes non sunt, nam ad rationem virtutis pertinet, vt non solum secundum ipsam aliquod bonum operemur, sed etiam bene, vt dicitur in 2. Ethic.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum charitas possit haberi sine fide & spe.* Dicendum quod charitas non solũ significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quę quidem super amorem addit mutuam reamationem cum quadam mutua communicatione, vt dicitur in 8. Ethi. Et quod hoc ad charitatem pertineat, patet per illud quod dicitur 1. Io. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* & 1. ad Cor. 1. dicitur. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius.* Hæc autẽ societas hominis ad Deum, est quędam familiaris conuersatio cum ipso: Inchoatur quidem hic in præsenti per gratiam, perficietur autem in futuro in gloria; quorum vtrunque fide & spe tenetur. vnde sicut aliquis nõ posset cum aliquo amicitiam habere, si diffideret, vel desperaret se posse habere aliquam societatem, vel familiarem conuersationem cum ipso; ita aliquis nõ potest habere amicitiam ad Deum quæ est charitas, nisi fidem habeat per quam credat huiusmodi societatem, & conuersationem hominis cum Deo, & speret se ad hanc societatem pertinere: & sic charitas sine fide, & spe nullo modo esse potest.

Charitas sine fide & spe esse non potest.

De æqualitate virtutum.

DISTINCTIO XI.

Circa vndecimvm, scilicet de æqualitate virtutum quæruntur sex. Primo vtrum virtus possit esse maior, vel minor. Secundo vtrum omnes virtutes in eodem existentes sint æquales. Tertio de comparatione virtutum moralium ad intellectuales. Quarto de comparatione virtutum moralium adinuicem. Quinto de comparatione virtutum intellectualium adinuicem. Sexto de comparatione virtutum Theologicarum adinuicem.

Ad primvm, scilicet *vtrum virtus possit esse maior, vel minor.* Dicendum quod cum quæritur vtrum vna virtus sit maior alia, dupliciter intelligi quæstio potest. Vno modo in virtutibus specie differentibus, & sic manifestum est, quod vna virtus est alia maior, semper enim causa est potior suo effectu, & in effectibus tanto aliquid est potius, quanto est causæ propinquius. Manifestum est autem ex dictis, quod causa & radix humani boni est ratio. Et ideo prudentia quæ perficit rationem, præfertur in bonitate alijs virtutibus moralibus perficientibus vim appetitiuam in quantum participat rationem; & in his etiam, tanto est vna altera melior & maior, quanto magis ad rationem accedit. vnde & iustitia quæ est in voluntate, prefertur alijs virtutibus moralibus, & fortitudo quæ est in irascibili, præfertur temperantiæ quæ est in concupiscibili, quę minus participat rationem, vt patet in 7. Ethic. Alio modo potest intelligi in virtute eiusdem speciei, & sic secundũ ea quę supra dicta sunt,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum de intentionibus habituum ageretur, virtus dupliciter potest dici maior & minor: vno modo, secundum seipsam; alio modo, ex parte participantis subiecti. Si igitur secundum seipsam consideretur, magnitudo vel paruitas eius attenditur secundum ea ad quæ se extendit. quicunque autem habet aliquam virtutem, puta temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia ad quæ se temperantia extendit, quod de scientia & arte non conuenit; Non enim quicunque est Grammaticus, scit omnia quæ ad Grammaticam pertinent. Et secundum hoc bene dixerunt Stoici, vt Simplicius dicit in commento prædicamentorum, quod virtus non recipit magis, & minus, sicut scientia vel ars, eo quod ratio virtutis consistit in maximo. Si vero consideretur virtus ex parte subiecti participantis, sic contingit virtutem esse maiorem vel minorem, siue secundum diuersa tempora in eodem, siue in diuersis hominibus; quia ad attingendum medium virtutis, quod est secundum rationem; vnus est melioris dispositionis quam alius, vel propter maiorem assuetudinem, vel propter meliorem dispositionem naturæ, vel propter perspicacius iudicium rationis; aut etiam propter maius gratiæ donum, quod vnicuique donatur secundum mensuram donationis Christi, vt dicitur ad Ephes. 4. Et in hoc deficiebant Stoici, æstimantes nullum esse virtuosum dicendum, nisi qui fuerit summè dispositus ad virtutem: non enim exigitur ad rationem virtutis, quod attingat rectæ rationis medium in indiuisibili sicut Stoici putabāt; sed sufficit prope medium esse, vt dicitur in 2. Ethic. Idem etiam indiuisibile signum, vnus promptius attingit quam alius, sicut etiam patet in sagittatoribus trahentibus ad certum signum.

Virtus potest intendi & remitti non autem extēdi, sicut scientia & ars.

Virtutes in eodem non sunt æquales secundū speciem, bene tamen secūdum gradū intensionis.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum omnes virtutes in vno & eodem sint æquales*. Dicendum quod quantitas virtutum sicut ex dictis patet, potest attendi dupliciter. Vno modo secundum rationem speciei; & sic non est dubium quod vna virtus hominis est maior quam alia, sicut charitas fide & spe. Alio modo potest attendi secundum participationem subiecti, prout scilicet intenditur vel remittitur in subiecto; & secundum hoc omnes virtutes vnius hominis sunt æquales, quadam æqualitate proportionis, inquantum scilicet æqualiter crescunt in homine; sicut digiti manus sunt inæquales secundum quantitatem, sed sunt æquales secundū proportionem, cum proportionaliter augeātur. huius autem æqualitatis oportet eodem modo rationem accipere, sicut & connexionis. Æqualitas enim est quædam connexio virtutum secundum quantitatem. Dictum est autem supra, quod ratio connexionis virtutum potest dupliciter assignari. Vno modo secundum intellectum eorum, qui intelligunt per has quatuor virtutes, quatuor generales cōditiones virtutum, quarum vna simul inuenitur cum alijs in qualibet materia. Et sic virtus in quacunque materia, non potest æqualis dici, nisi habeat omnes istas æquales conditiones. Et hanc rationem æqualitatis virtutum assignat August. in 6. de Trinit. dicens. *Si dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia, sequitur quod huius fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando est illius fortitudo prudentior.* atque ita de cæteris virtutibus inuenies, si omnes eadem consideratione percurras. Alio modo assignata est ratio connexionis virtutum, secundum eos qui intelligunt huiusmodi virtutes habere materias determinatas; & secundum hæc, ratio connexionis virtutum moralium accipitur ex parte prudentię, & ex parte charitatis, quantum ad virtutes infusas, non autem ex parte inclinationis, quæ est ex parte subiecti, vt supra dictum est. Sic igitur & ratio æqualitatis virtutum potest accipi ex parte prudentiæ, quantum ad id quod est formale in omnibus virtutibus moralibus; existente enim ratione æqualiter perfecta in vno & eodem, oportet quod proportionaliter secundum rationem rectam, medium constituatur in qualibet materia virtutum.

A Quantum vero ad id quod est materiale in virtutibus moralibus, scilicet inclinationem ipsam ad actum virtutis, potest esse vnus homo magis promptus ad actum vnius virtutis, quam ad actum alterius, vel ex natura vel consuetudine, vel etiam ex dono gratiæ.

Ad tertivm, scilicet *vtrum virtutes morales præemineant intellectualibus*. Dicendum quod aliquid potest dici maius, vel minus dupliciter; vno modo simpliciter; alio modo secundum quid; nihil enim prohibet aliquid esse melius simpliciter vt philosophari, quam ditari, quod tamen non est melius secundum quid, id est necessitatem patienti. Simpliciter autem consideratur vnumquodque quando consideratur secundum propriam rationem suæ speciei: habet autem virtus speciem ex obiecto, vt ex dictis patet. Vnde simB pliciter loquendo illa virtus nobilior est, quæ habet nobilius obiectum. Manifestum est autem quod obiectum rationis est nobilius, quam obiectum appetitus: Ratio enim apprehendit aliquid in vniuersali, sed appetitus tendit in res, quæ habent esse particulare. vnde simpliciter loquendo virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sunt nobiliores, quam morales, quę perficiunt appetitum. Sed si consideretur virtus in ordine ad actum; sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cuius est mouere alias pōtentias ad actum, vt supra dictum est, nobilior est; & quia virtus dicitur ex eo quod est principium alicuius actus, cum sit perfectio potentiæ, sequitur etiam quod ratio virtutis magis competat virtutibus moralibus, quam virtutibus intellectualibus, quamuis virtutes intellectuales, sint C nobiliores habitus simpliciter.

Virtutes intellectuales sunt simpliciter nobiliores moralibus; excedūtur tamen in ratione virtutis à moralibus.

Ad qvartvm, scilicet *de comparatione virtutum moralium adinuicem*. Dicendum, quod virtus aliqua secundum suam speciem potest dici maior, vel minor, vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter quidem dicitur virtus maior, secundum quod in ea maius bonum rationis relucet, vt supra dictum est; & secundum hoc iustitia inter omnes virtutes morales præcellit tanquam propinquior rationi, quod patet ex subiecto, & ex obiecto. Ex subiecto quidem, quia est in voluntate, sicut in subiecto; voluntas autem est appetitus rationis, vt ex dictis patet: secundum autem obiectum, siue materiam; quia est circa operationes, quibus homo ordinatur non solum in seipso, sed etiam ad alterum; vnde iustitia est præclarissima virtutum, D vt dicitur in 5. Ethic. Inter alias autem virtutes morales quæ sunt circa passiones, tanto in vnaquaque magis relucet rationis bonum, quanto circa maiora appetitus motus subditur rationi. Maximum autem in his quæ ad hominem pertinent est vita, à qua omnia alia dependent. Et ideo fortitudo quæ appetitum motum subdit rationi, in his quæ ad mortem & vitam pertinent, primum locum tenet inter virtutes morales quæ sunt circa passiones, tamen ordinatur infra iustitiam. Vnde Philosophus dicit in primo Rhetoric. quod necesse est maximas esse virtutes, quæ sunt alijs honoratissimæ. Siquidem est virtus potentia benefactiua; propter hoc fortes & iustos maximè honorant, hæc quidem in bello, scilicet fortitudo; hæc autem scilicet iustitia, in bello & in pace vtilis est. Post fortiE tudinem autem ordinatur temperantia, quæ subijcit rationi appetitum circa ea', quæ immediatè ordinantur ad vitam, vel in eodem secundum numerum, vel in eodem secundum speciem scilicet in cibis, & venereis; & sic istæ tres virtutes simul cum prudentia, dicuntur esse principales etiam dignitate. Secundum quid autem dicitur aliqua virtus esse maior secundum quod adminiculum vel ornamentum præbet principali virtuti', sicut substantia est simpliciter dignior accidente; aliquod tamen accidens est secundum quid dignius substantia, in quantum perficit subiectum in aliquo esse accidentali.

Inter virtutes morales primum locū tenet iustitia, sequitur fortitudo, huic temperantia succedit.

Ad qvintvm, scilicet *de comparatione virtutum intellectualium adinuicem*. Dicendum quod sicut dictum est, magnitudo virtutis secundum suam speciem consideratur

Sapientia est suprema inter virtutes intellectuales

siderat ex obiecto: Obiectum autem sapientiæ præcellit inter obiecta omnium virtutum intellectualium: cõsiderat enim causam altissimam quæ Deus est, vt dicitur in principio Metha. & quia per causam iudicatur de effectu, & per causam superiorem de causis inferioribus; Inde est, quod sapientia habet iudicium de omnibus alijs virtutibus intellectualibus, & eius est ordinare omnes, & ipsa est quasi architectorica respectu omnium.

A

AD SEXTVM, scilicet *de comparatione virtutum Theologicarum.* Dicendum quod sicut dictum est, magnitudo virtutis secundum suam speciem consideratur ex obiecto; Cum autem tres virtutes Theologicæ respiciant Deum sicut proprium obiectum, non potest vna earum dici maior altera, ex eo quod sit circa maius obiectum, sed quia vna se habet propinquius ad obiectum quam alia, & hoc modo charitas est maior alijs. Nam aliæ important in sui ratione quandam distantiam ex obiecto; est enim fides de non visis, spes autem de non habitis; sed amor charitatis est de eo quod iam habetur, est enim amatum quodammodo in amante, & etiam amans per affectum trahitur ad vnionem amati, propter quod dicitur 1. Io. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

Charitas est maior inter virtutes Theologicas.

B

De medio virtutum.

DISTINCTIO XII.

CIRCA duodecimum principale, scilicet de medio virtutum, quæruntur quatuor. Primo vtrum virtutes sint in medio. Secundo vtrum medium virtutis, sit medium rei, vel rationis. Tertio vtrum virtutes intellectuales consistant in medio. Quarto vtrum virtutes Theologicæ consistant in medio.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum virtus moralis consistat in medio.* Dicendum quod sicut ex supra dictis patet, virtus de sui ratione ordinat hominem ad bonum, moralis autem virtus propriè est perfectiua appetitiuæ partis animę, circa aliquam determinatam materiam: Mensura autem & regula appetitiui motus circa appetibilia est ipsa ratio; bonum autem cuiuslibet mensurati & regulati consistit in hoc quod conformetur suæ regulæ, sicut bonum in artificiatis est, vt consequatur regulam artis; malum autem per consequens in huiusmodi est per hoc quod aliquid discordat à sua regula, vel mensura. Quod quidem contingit, vel per hoc quod superexcedit mensuram, vel per hoc quod deficit ab ea, sicut manifestè apparet in omnibus mensuratis, & regulatis, & ideo patet, quod bonum virtutis moralis consistit in adæquatione ad mensuram rationis. Manifestum est, autem quod inter excessum & defectum, medium est æqualitas siue conformitas, vnde manifestè apparet, quod moralis virtus in medio consistit.

C

Virtus moralis consistit in medio.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum medium virtutis moralis, sit medium rei, vel rationis.* Dicendum quod mediũ rationis dupliciter potest intelligi: Vno modo secundum quod medium in ipso actu rationis existit, quasi ipse actus rationis ad medium reducatur, & sic virtus moralis non perficit actum rationis, sed actum virtutis appetitiuæ; & isto modo medium virtutis moralis non est medium rationis. Alio modo potest dici medium rationis, id quod à ratione ponitur in aliqua materia, & sic omne medium virtutis moralis est medium rationis; quia sicut dictum est, virtus moralis consistere dicitur in medio, per conformitatem ad rationem rectam. Sed quandoque contingit, quod medium rationis est etiam medium rei; & tunc oportet, quod virtutis moralis medium sit medium rei, sicut est in iustitia. Quandoque autem medium rationis non est medium rei, sed accipitur per comparationem ad nos, & sic est medium in omnibus alijs virtutibus moralibus. Cuius ratio est, quia iustitia est circa operationes quæ consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum instituì debet simpliciter & secundum se, vt supra dictum est. Et ideo medium rationis in iustitia est idem cum medio rei, in quantum scilicet iustitia dat vnicuique quod debet, & non plus nec minus. Alię vero virtutes morales consistunt circa passiones interiores, in quibus non potest rectũ constitui eodem modo, propter hoc quod homines diuersimode se habent ad passiones; & ideo oportet, quod rectitudo rationis in passionibus, instituatur per respectum ad nos, qui afficimur secundum passiones.

D

Virtutes morales quada habent medium rei & rationis vt iustitia, reliqua medium rationis tãtum.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum virtutes intellectuales consistant in medio.* Dicendum, quod bonum alicuius rei consistit in medio, secundum quod conformatur regulæ, vel mensuræ, quam contingit transcendere, & ab ea deficere, vt dictum est: virtus autem intellectualis ordinatur ad bonum, sicut & moralis, vt supra dictum est. Vnde secundum quod bonum virtutis intellectualis se habet ad mensuram, sic se habet ad rationem medij; bonum autem virtutis intellectualis est verum; speculatiuæ quidem virtutis, verum absolutè, vt in 6. Ethic. dicitur; practicæ autem virtutis, verum secundum conformitatem ad appetitum rectum. Verum autem intellectus nostri absolutè consideratum, est sicut mensuratum à re: Res enim est mensura intellectus nostri, vt dicitur in 9. Methap. Ex eo enim quod res est, vel non est, est veritas & in opinione, & in oratione. Sic igitur bonum virtutis intellectualis speculatiuæ, consistit in quodam medio per conformitatem ad ipsam rem, secundum quod dicit esse, quod est; vel non esse, quod non est; in quo ratio veri consistit. Excessus autem est secundum affectionem falsam, per quam dicitur esse, quod non est; defectus autem accipitur secundum negationem falsam, per quam dicitur non est, quod est. verum autem virtutis intellectualis practicę, comparatum quidem ad rem, habet rationem mensurati; & sic eodem modo accipitur medium per conformitatem ad rem, in virtutibus intellectualibus practicis, sicut & in speculatiuis, sed respectu appetitus habet rationem regulæ, & mensuræ: vnde idem mediũ, quod est virtutis moralis etiam est ipsius ptudentię, scilicet rectitudo rationis: sed prudentiæ quidem est istud medium, vt regulantis, & mensurantis; virtutis autem moralis, vt mensuratæ, & regulatæ; & similiter excessus, & defectus, accipitur diuersimodè vtrobique.

E

Virtutes intellectuales consistunt in medio.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum virtutes Theologicæ consistant in medio.* Dicendum quod sicut dictum est, medium virtutis accipitur per conformitatem ad suam regulam, vel naturam, secundum quod contingit ipsam transcendere, vel ab ea deficere. Virtutis autem Theologicæ dupliciter potest accipi mensura, vna quidem secundum ipsam rationem virtutis, & sic mensura & regula virtutis Theologicæ, est ipse Deus: Fides enim nostra regulatur secundum veritatem diuinam, charitas autem secundum bonitatem eius, spes autem secundum magnitudinem omnipotentiæ, & pietatis eius; & ista est mensura excellens omnem humanam facultatem. Vnde nunquam potest homo tantum diligere Deum quantum debet diligi, nec tantum credere aut sperare in ipsum quãtum debet, vnde multominus potest ibi esse excessus; & sic bonum talis virtutis non consistit in medio, sed tanto est melius, quanto magis acceditur ad summũ. Alia vero regula virtutis Theologicæ est, ex parte nostra, quia etsi non possimus in Deum ferri quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando, & amando, secundum mensuram nostræ conditionis. Vnde per accidens potest in virtute Theologica considerari medium & extrema, ex parte nostra.

In virtute Theologica est medium per accidens seu ex parte nostra non autem per se.

De virtutum duratione.

DISTINCTIO XIII.

CIRCA decimumtertium principale, scilicet de duratione virtutum post hanc vitam, quærũtur sex.

Primo vtrum virtutes morales maneant poſt hanc vitam. Secundo vtrum virtutes intellectuales. Tertio vtrum fides. Quarto vtrum maneat ſpes. Quinto vtrũ aliquid fidei, vel ſpei maneat. Sexto vtrum maneat charitas.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum virtutes morales maneant poſt hanc vitam*. Dicendum quod ſicut Auguſt. dicit in 14. de Trinita. Tullius poſuit poſt hanc vitam quatuor virtutes Cardinales non eſſe, ſed in alia vita, homines eſſe beatos, ſola cognitione naturæ; in qua nihil eſt melius aut amabilius (vt Aug. ibidem dicit,) ea natura qua creauit Deus omnes naturas. Ipſe autem determinat poſtea huiuſmodi quatuor virtutes in futura vita exiſtere, tamen alio modo. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quod in huiuſmodi virtutibus aliquid eſt formale, & aliquid quaſi materiale. Materiale quidem eſt in his virtutibus inclinatio quædam partis appetitiuæ ad paſſiones vel operationes, ſecundum aliquem modum, ſed quia iſte modus determinatur à ratione, ideo formale in omnibus virtutibus eſt ipſe ordo rationis. Sic igitur dicendum quod huiuſmodi virtutes morales in futura vita non manent, quantum ad id quod eſt materiale in eis (non enim habebunt in futura vita locum, concupiſcentiæ & delectationes ciborum, & venereorum: neque etiam timores, & audaciæ circa pericula mortis, neque etiam diſtributiones, & communicationes rerum quæ conueniunt in vſum præſentis vitæ) ſed quantum ad id quod eſt formale, remanebunt in beatis perfectiſſimè poſt hanc vitam, inquantum ratio vniuſcuiuſque rectiſſima erit circa ea, quæ ad ipſum pertinent ſecundum ſtatum illum, & vis appetitiua omnino mouebitur ſecundum ordinem rationis, in his quæ ad ſtatum illum pertinent. Vnde Auguſt. ibidem dicit, quòd *prudentia ibi erit ſine vllo periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum, temperantia ſine repugnatione libidinum, vt prudentiæ ſit nullum bonum Deo præponere vel æquare: fortitudinis ei firmiſſimè cohærere, temperantiæ nullo defectu noxio delectari*. De iuſtitia vero manifeſtius eſt quem actum ibi habebit, ſcilicet eſſe ſubditum Deo, quia etiam in hac vita ad iuſtitiam pertinet eſſe ſubditum ſuperiori.

Virtutes morales manebunt poſt hãc vitã quoad formale, ſed non quoad materiale.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum virtutes intellectuales maneant*. Dicendum quod quidam poſuerunt, quod ſpecies intelligibiles non permanent in intellectu poſſibili niſi quamdiu actu intelligit, nec eſt aliqua conſeruatio ſpecierum ceſſante conſideratione actuali, niſi in viribus ſenſitiuis, qui ſunt actus corporalium organorum, ſcilicet in imaginatiua & memoratiua, huiuſmodi autem vires corrumpuntur corrupto corpore. Et ideo ſecundum hoc, ſcientia nullo modo poſt hanc vitam remanebit corrupto corpore, neque aliqua alia intellectualis virtus. Sed hæc opinio eſt cõtra ſententiam Ariſtotelis, qui in tertio de anima dicit, quod *intellectus poſſibilis eſt in actu cum ſit ſingula ſicut ſciens, cum tamen ſit in potentia ad conſiderandum in actu*. Eſt etiam contra rationem, quia ſpecies intelligibiles recipiuntur in intellectu poſſibili immobiliter, ſecundum modum recipientis. Vnde & intellectus poſſibilis dicitur locus ſpecierum, quaſi ſpecies intelligibiles conſeruans. ſed fantaſmata, ad quę aſpiciendo homo intelligit in hac vita applicando ad ipſas ſpecies intelligibiles, corrumpuntur corpore corrupto. Vnde quantum ad ipſa fantaſmata, quæ ſunt quaſi materialia in virtutibus intellectualibus, virtutes intellectuales deſtruuntur deſtructo corpore. ſed quantum ad ſpecies intelligibiles quę ſunt in intellectu poſſibili, virtutes intellectuales manent: ſpecies autem ſe habent in virtutibus intellectualibus, ſicut formalitates, vnde intellectuales virtutes manent poſt hanc vitam, quantum ad id quod eſt formale in eis, non autem ad id quod eſt materiale, ſicut & de moralibus dictum eſt.

Virtutes intellectuales manent poſt hanc vitam quantum ad formale, non autem quantum ad materiale.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum fides maneat*. Dicendum quod oppoſitio eſt per ſe & propria cauſa quod vnum excludatur ab alio: inquantum ſcilicet in omnibus oppoſitis, includitur oppoſitio affirmationis & negationis. Inuenitur autem in quibuſdam oppoſitio ſecundum contrarias formas; ſicut in coloribus album & nigrum: In quibuſdam autẽ ſecundum perfectum & imperfectum: vnde in alterationibus magis & minus accipiuntur vt contraria, cum de minus calido, fit magis calidum, vt dicitur in 5. Phyſic. & quia perfectum & imperfectum opponuntur, impoſſibile eſt quod ſimul ſecundum idem, ſit perfectio & imperfectio. Eſt autem conſiderandum quod imperfectio quidem quandoque eſt de ratione rei, & pertinet ad ſpeciẽ ipſius, ſicut deffectus rationis pertinet ad rationem ſpeciei equi vel bouis, & quia vnum & idem nnmero manens, non poteſt transferri de vna ſpecie in aliam, inde eſt quod tali perfectione ſublata tollitur ſpecies rei, ſicut iam non eſſet bos vel equus, ſi eſſet rationalis, quandoque vero imperfectio non pertinet ad rationem ſpeciei, ſed accidit indiuiduo ſecundum aliquid aliud: Sicut alicui homini quandoque accidit defectus rationis, inquantũ impeditur in eo rationis vſus, propter ſomnum vel ebrietatem, vel aliquid huiuſmodi. Patet autem quod tali imperfectione remota, nihilominus ſubſtãtia rei manet. Manifeſtum eſt autem quod imperfectio cognitionis eſt de ratione fidei, ponitur enim in eius diffinitione: *fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*, vt dicitur ad Heb. 11. Et Aug dicit, *quid eſt fides, niſi credere quod non vides?* Quod autem cognitio ſit ſine viſione & apparitione, hoc ad imperfectionem cogitationis pertinet, & ſic imperfectio cognitionis eſt de ratione fidei. Vnde manifeſtum eſt quod fides non poſſet eſſe perfecta cognitio eadem numero manens.

SED vlterius conſiderandum eſt, vtrum poſſit ſimul eſſe cum cognitione perfecta, nihil enim prohibet aliquam cognitionem imperfectam, ſimul eſſe aliquãdo cum cognitione perfecta. Eſt igitur conſiderandum quod cognitio poteſt eſſe imperfecta tripliciter: vno modo ex parte obiecti cognoſcibilis; alio modo ex parte medij; tertio modo ex parte ſubiecti. Ex parte quidem obiecti cognoſcibilis, differunt ſecundum perfectum & imperfectum, cognitio matutina & veſpertina in Angelis. nam cognitio matutina eſt de rebus ſecundum quod habent eſſe in verbo, cognitio autem veſpertina eſt de eis ſecundũ quod habent eſſe in propria natura, quod eſt imperfectum reſpectu primi eſſe. Ex parte vero medij differunt ſecundum perfectum & imperfectum, cognitio quæ eſt de aliqua concluſione per medium demonſtratiuum, & per mediũ probabile. Ex parte vero ſubiecti differunt ſecundum perfectum & imperfectum, opinio, fides, & ſcientia. nam de ratione opinionis eſt, quod accipiatur vnum cũformidine alterius oppoſiti, vnde non habet firmam inhęſionem. De ratione vero ſcientiæ eſt, quod habeat firmã inhæſionem cum viſione intellectiua; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum: fides autem medio modo ſe habet: excedit enim opinionem in hoc, quod habet firmam inhæſionem: deficit vero à ſcientia in hoc, quod nõ habet viſionem. Manifeſtum eſt autem quod perfectũ & imperfectum non poſſunt ſimul eſſe ſecundum idem: ſed ea quæ differunt ſecundum perfectum & imperfectum, ſecundum aliquid idẽ poſſunt ſimul eſſe in aliquo alio eodem. Sic igitur cognitio perfecta & imperfecta ex parte obiecti, nullo modo poſſunt eſſe de eodem obiecto, poſſunt tamen conuenire in eodem medio, & in eodem ſubiecto. Nihil enim prohibet, quod vnus homo ſimul & ſemel per vnum & idem medium, habeat cognitionem de duobus, quorum vnum eſt perfectum, & aliud imperfectum, ſicut de ſanitate & ægritudine; & bono, & malo. Similiter etiam impoſſibile eſt, quod cognitio perfecta & imperfecta ex parte medij conueniant in vno medio: ſed nihil prohibet, quin conueniant in vno obiecto, & in vno ſubiecto. Poteſt enim vnus homo cognoſcere eandem concluſionem per medium probabile, & demonſtratiuum, &

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

similiter impossibile est, quod cognitio perfecta & imperfecta ex parte subiecti sint simul in eodem subiecto: Fides autem in sui ratione habet imperfectionē, quæ est ex parte subiecti, vt scilicet credens non videat id quod credit: beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subiecti, vt scilicet beatus videat id quo beatificatur, vt supra habitum est. Vnde manifestum est, quod impossibile est, quod fides maneat simul cum beatitudine in eodem subiecto.

Fides nō potest manere post hanc vitam.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum spes maneat*. Dicendum, quod sicut dictum est, id quod de sui ratione importat imperfectionem subiecti, non potest simul stare cum subiecto opposita perfectione perfecto: sicut patet, quod motus in sui ratione importat imperfectionem subiecti; Est enim actus existentis in potentia, inquantum huiusmodi: vnde quando illa potentia reducitur ad actum, iam cessat motus: non enim adhuc albatur, postquam iam aliquid factum est album, spes autem importat motum quendam in id quod non habetur, vt patet ex his, quę supra de passione spei diximus: & ideo quando habebitur id quod speratur, scilicet diuina fruitio, iam spes esse non poterit.

Spes nō manet post hāc vitam.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum aliquid fidei, vel spes maneat*. Dicendum, quod quidam dixerunt, quod spes totaliter tollitur, fides autem partim tollitur, scilicet quantum ad ænigma, & partim manet, scilicet quantum ad substantiam cognitionis. Quod quidem si sic intelligatur, quod maneat non idem numero, sed idem genere, verissimè dictum est: fides enim cum visione patriæ conuenit in genere, quod est cognitio: spes autem non conuenit cum beatitudine in genere: comparatur enim spes ad beatitudinis fruitionem, sicut motus ad quietem in termino. Si autem intelligatur, quod eadem numero cognitio, quæ est fidei maneat in patria, hoc est omnino impossibile: non enim remota differentia alicuius speciei, remanet substantia generis eadem numero; sicut remota differentia constitutiua albedinis, non remanet eadem substantia coloris numero, vt sic idem numero color sit quandoque albedo, quandoque vero nigredo; non enim comparatur genus ad differentiam, sicut materia ad formam, vt remaneat substantia generis eadem numero differentia remota, sicut remanet eadem numero substantia materiæ, remota forma: genus enim & differentia, non sunt partes speciei, alioquin non prædicarentur de specie: sed sicut species significat totum, idest compositum ex forma & materia in rebus materialibus, ita differentia significat totum, & similiter genus; sed genus denominat totum ab eo quod est, sicut materia: differentia vero ab eo quod est, sicut forma: species vero ab vtroque, sicut in homine, natura sensitiua materialiter se habet ad intellectiuam, Animal autem dicitur, quod habet naturam sensitiuam, rationale quod habet intellectiuam: homo vero quod habet vtrumque, & sic idem totum signatur per hæc tria, sed non ab eodem. Vnde patet, quod cum differentia non sit nisi designatiua generis, remota differentia non potest substantia generis eadem remanere. Non enim remanet eadem animalitas, si sit alia anima constituens animal: vnde non potest esse, quod eadem numero cognitio, quæ prius fuit ænigmatica, postea fiat visio aperta. Et sic patet, quod nihil idem numero, vel specie, quod est in fide, remanet in patria, sed solum idem genere.

Nihil fidei aut spei manet in patria prater rationem quandā generică cognitionis in fide.

AD SEXTVM, scilicet *vtrum charitas maneat*. Dicendum, quòd sicut supra dictum est, quando imperfectio alicuius rei non est de ratione speciei ipsius, nihil prohibet idem numero, quod prius fuit imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur, & albedo per intensionem. Charitas autem est amor, de cuius ratione non est aliqua imperfectio: potest enim esse habiti, vel non habiti, & visi, & non visi: vnde charitas non euacuatur per glorię perfectionem, sed eadem numero manet.

Charitas eadem numero manet in patria, quia imperfectio quā hic habet non est de eius ratione, vti in fide & spe.

DE VIRTVTIBVS IN SPECIALI.

POST consideratione habitam de virtutibus in generali dicendum est de eisdem in speciali. Et primo de Theologicis. Secundo de moralibus. In prosequendo autem de virtutibus Theologicis. Primo dicendum erit de fide. Secundo de spe. Tertio de charitate. De fide vero considerandæ sunt quinque. Primo de eius obiecto. Secundo de eius actu. Tertio de ipso fidei habitu. Quarto de eius subiecto. Quinto de eius effectu.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

ET I. DE FIDE ET VITIIS OPPOSITIS.

De obiecto fidei.

DISTINCTIO XIV.

CIRCA primum considerandæ occurrunt sexdecim. Primo, vtrum obiectum fidei sit prima veritas. Secundo vtrum obiectum fidei sit verum complexum, vel incomplexum. Tertio, vtrum obiecto fidei possit subesse falsum. Quarto, vtrum obiectum fidei possit esse aliquid visum. Quinto, vtrum aliquid scitum. Sexto, vtrum aliquid opinatum. Septimo vtrum credibilia debeant distingui per certos articulos. Octauo, quot sunt articuli, & quomodo distinguantur. Nono, vtrum in Symbolo Apostolorum sufficienter contineantur omnia, quæ necessarium est credere ad salutem. Decimo de comparatione Symboli Apostolorum ad alia duo symbola. Vndecimo, cuius sit condere symbolum fidei. Duodecimo, vtrum ante Christi Aduentum fuerit necessarium ad salutem credere mediatorem. Tertiodecimo, vtrum omnibus, qui secuti sunt Aduentum Christi fuerit necessarium ad salutem explicitè credere omnes articulos fidei. Quartodecimo, vtrum eadem fides sit eorum, qui fuerunt ante Aduentum Christi, & eorum, qui secuti sunt. Quintodecimo, vtrum fides creuerit quantum ad numerum credendorum. Sextodecimo, vtrum certius credatur per fidem modernorum, quam per fidem eorum, qui Aduentum Christi præcesserunt.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum obiectum fidei sit veritas prima*: dicendum, quod de obiecto fidei contingit loqui dupliciter, aut de eius obiecto materiali, quod est creditum; aut de formali, quod est ratio credendi. Primo modo obiectum fidei non tantum est verum increatum, sed etiam creatum. Sic enim esse plura obiecta respectu vnius habitus non est inconueniens, nec plures habitus esse respectu eiusdem obiecti. Idem enim potest esse creditum per credulitatem acquisitam, & per fidem infusam, nec mirum: Videmus enim scitum posse esse obiectum materiale diuersorum habituum scientiæ. Verbi gratia, per habitum scientiæ naturalis, scit homo terram esse rotundam; & hoc idem scit alius per habitum scientiæ metaphysicè: formalia tamen obiecta, quę sunt rationes sciendi, hoc est ipsa media per quæ probatur prædicta conclusio, sunt specie differentia. Si autem loquamur de formali obiecto fidei; sic dico, quod est tantum verum increatum, quia tale est ratio credendi, cui innititur, fidelis in assentiendo vero credito: ista autem ratio est tantum prima veritas. Quicquid enim per fidem credimus, ideo credimus, quia credimus, quod prima veritas hoc reuelauit; nec potest dici, quod tale obiectum sit obiectum acquisitæ credulitatis.

Obiectū formale fidei est veritas prima, materiale verò tam Deus, quam alia inquantum in Dīō efferuntur.

AD SECVNDVM, ſcil. *vtrum obiectum fidei ſit verum complexum, vel incomplexum.* Dicendum, quod cognita ſunt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis. Modus autem proprius intellectus humani eſt, vt in componendo & diuidendo veritatem cognoſcat: Et ideo ea, quæ ſunt ſecundum ſe ſimplicia, intellectus humanus cognoſcit per quãdam complexionem; ſicut intellectus diuinus econuerſo, incomplexè cognoſcit ea, quæ ſunt ſecundum ſe complexa. Sic igitur obiectũ fidei dupliciter conſiderari poteſt; vno modo ex parte ipſius rei creditæ, & ſic obiectum fidei eſt aliquid incomplexũ, ſcil. res ipſa, de qua fides habetur; alio modo ex parte credentis, & ſecundum hoc obiectum fidei eſt aliquid complexum per modum enunciabilis, & ideo vtrunque verè opinatum fuit apud antiquos, & ſecundum aliquid vtrunque eſt verum.

Obiectũ fidei ex parte rei creditæ eſt incomplexũ, ex parte credentis, complexum.

AD TERTIVM, ſcil. *vtrum obiecto fidei poſſit ſubeſſe falſum.* Dicendum, quod fidei non poteſt ſubeſſe falſum. Fides enim nõ poteſt intellectum determinare ad credendum aliquid, quod non ſit conſonũ formali rationi ſui obiecti, quia illi rationi innititur fides in credendo quicquid credit: iſta autem ratio (vt ſuperius oſtẽſum eſt) prima veritas eſt, cui non poteſt concordare niſi verum. Vnde etſi fidelis poſſit credere aliquid falſum, hoc non eſt inquantum fidelis: quia hoc non poteſt per fidem, ſed per opinionem, vel ſuſpicionem, quam ipſe vel alia creatura ſibi formauit.

Fidei non poteſt ſubeſſe falſum.

APPARET autem multipliciter noſtræ fidei veritas. Primo enim ratio bene diſpoſita, fidem noſtram eſſe veram fidem oſtendit. Philoſophi namque per naturales rationes ad cognitionem Dei venerunt tripliciter. Primo per comparationem cauſæ ad effectus. Secũdo per collationem ſectarum & diſcuſſionem fidei. Tertio per virtutis ſenſum.

Fidei veritas ex multis apparet.

1. *Ex ratione & hoc tripliciter.*

PRIMO per comparationem, quia comparantes cognouerunt cauſam meliorem eſſe effectui ſuo; & quod ſi illa eſſet ab alia, melior ſemper eſſet illa, à qua alia erat; & ſic eſſet procedere in infinitum; vel retrocedere, vt & idem eſſet cauſa alicuius, & cauſatum ab eo, quod erat impoſſibile; vel erat deuenire vſque ad aliquam cauſam, à qua cauſarentur alia; & vltra quam nõ eſſet progredi, & quę à nullo cauſaretur, ſed eſſet ſumma & ſine principio, non creata à ſe, vel ab alio; & illa eſſet optima. Conſiderantes enim rerum immenſitatem, iudicauerunt eam potiſſimam: conſiderantes rerum ordinem & pulchritudinem, cognouerũt horum opificem & cauſam ſapientiſſimam; à rerum bonitate & vtilitate, iudicauerunt horum cauſam ſupremam, optimam. Et ſic ſummam cauſam aut principium, iudicauerunt ſummam potentiam, ſapientiam, & bonitatem, quam nos Deum dicimus, Trinum, & Vnum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; ponentes Deũ illud, quo maius excogitari non poteſt, Sap. 13. *A ſpecie enim & magnitudine creaturæ, cognoſcibiliter poterat eorũ creator videri.* Aug. *Da mihi qui faciat alium cælum & terram: & dicã, quia eſt Deus.* Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Et poſt. *Qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt.* Multi etiam Gentiles, ſiue per naturalem rationem, ſiue per reuelationem de eis, quæ pertinent ad fidem noſtram, & dixerunt, & ſcripſerunt, vt poſt dicemus.

SECVNDO, ratio probat & approbat fidem noſtram per collationem ad alias ſectas, quando videt ſcriptas poſitiones & aſſertiones earum. Multi enim Saraceni conferentes euangelia cum Alchorano, legem Mahumeti irriſibilem & contemptibilem naturali ratione iudicantes ad Deum conuerſi ſunt: ſapientiores etiam eorum, cum in ſecreto auris confertur cum eis, noſtrã fidem iudicant meliorem, & in ſecreto fatentur; ſed in aperto non audent, propter mortis timorem, quam incurrunt deprehenſi: vel propter amorem voluptatum, in quibus ſunt enutriti, ſicut auditum eſt ab illis fratribus, qui fuerunt inter illos: & multi in ſecreto baptiſmum recipiebant.

IN HISTORIA tranſmarina legitur, quod ſenex quidam, cum eſſet ſapiens, & multa videret in Alchorano, ſiue in lege Mahumeti inhoneſta & irrationabilia; recipiens ſimiliter legem Iudæorum, non approbauit; recipiens autem euangelia & conferens de fide Chriſti, nihil videns ſecundum eam fieri niſi dignum & honeſtum, contulit cum ſuis maioribus, oſtendens eis, quomodo lex eorum eſſet carnalis & inhoneſta, & ipſi decepti; quibus auditis ipſi confeſtim legem Mahumeti reprobauerũt, & noſtram approbauerunt. Dein cõmuni conſilio miſit ad Patriarcham Latinum, & Regem Hieroſolimorum, rogans quod mitteret eis viros & ſacerdotes peritos, qui eos in fide noſtra inſtruerent, quam volebant ſuſcipere, iudicãtes eam omnibus meliorem. Cum autem Rex prædictus & Patriarcha nuncios eorum honorificè ſuſcepiſſent, & plurima munera eis dediſſent, & promiſiſſent eis mittere quæ mandauerant: Cum nuncij dicti redirent, quidam filij diaboli eos ſecuti, ſpoliauerunt & occiderunt: vnde indignati dicti viri, dixerunt non eſſe credendum de cætero proditoribus Latinis.

Exemplum.

ITEM quidam fuit permagnus Princeps in Aluernia dictus Marcheſius de monte Ferrando, acutiſſimi ingenij naturalis, & antiquiſſimæ ætatis, qui cum crederetur bene ſex vigintiannorum, & multa feciſſet dictamina de Regibus & Principibus & ſtatibus diuerſorũ hominum ſui temporis, penè per 50. annos poſuerat curam & diligentiã congregare libros omnium ſectarum, quaſcunque audiebat eſſe per vniuerſum orbem, cum multo ſumptu; quos diligenter legebat & legi ſibi faciebat, cum autem eſſet infirmus infirmitate, qua mortuus eſt: fratres quidam viſitauerunt eum, qui hoc dixerunt: cum autem inter alia, quę dixerunt ei, hoc auribus eius ingeſſiſſent, quod timor habitus eſt de eo, ne eſſet hæreticus propter libros eorum, quos audiuerant eum & audiſſe & legiſſe, & affinitate quam habebat terra ſua cum terra Albigenſium: Reſpondit, verum eſt, curioſus fui per 40. annos cum multis ſumptibus libros ſectarum omnium colligere, & legere, & ſtudere in eis; quia videbam, quod cum plus ibi aſpicerem, plus in fide catholica roborabar, & plus hæreſes abominabar; videns fallaciam traditionis eorum, & inſignum huius vilipenſionis quam habebam ad alias ſectas à fide, feci fieri ſcrinium ligneum, quod feci poni ſub pedibus meis, quando ſedebã in ſede cameræ meæ priuatæ, quaſi non poſſem ipſas ſectas magis vilipendere, niſi pedibus meis ſubeſſent, quando ſedeo vile naturæ officium expleturus, euangelia autem Domini mei multo honore ſeruaui. Ideo autem legi libros diuerſarum ſectarum, quia terræ meæ affines ſunt hæretici Albigenſes, vt mihi ab eorum verſutijs ſcirem cauere, & eos ſi mecum de ſuis loquerentur erroribus, ſuis iaculis repercuterem, & eos confutarem per ſuas poſitiones & aſſertiones. Fecit autem dictos hæretico rum libros extrahi de loco dicto, & in oculis ſuis comburi, qui multis annis ante mortem ſuam in memoriã paſſionis Chriſti, & fidei: ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portauerat, cum alijs pœnitentijs, quas faciebat, in memoriam paſſionis Domini, cum quibuſdam clauis carnem ſuam ſingulis ſextis ferijs vſque ad ſanguinis effuſionem configebat,

Exemplum.

ITEM in eccleſiaſtica hiſtoria li. 7. c. 7. legitur, quod cum Dionyſius Alexandrinus Patriarcha legeret diligenter libros hæreticorum, arguebatur à quibuſdam conſacerdotibus ſuis de hoc, licet diceret ſe pro hoc facere, vt fallacias eorum per hoc deprehenderet, & hæreticorum falſitatem, & vt per ſcripta ſua, eos confutare & vincere poſſet; eo autem propter aliorũ reprehenſiones legere timente, & deſiſtente; facta vox ad eum eſt dicens, lege quæcunque manus tua inuenire poteſt, quia probare & diſcernere omnia potes. Per hoc enim fideles poſſunt in fide roborari, & hæretici confutari.

Exemplum.

ITEM ratio probat & approbat fidei articulos per ſenſum, ſicut in euangelijs legitur, infirmi qui ſentiebant in ſe virtutem fidei credebant. Item verba fidei & medita-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

meditat io credendorum, efficiunt in homine aliquãdo quãdam nouam immutationem ſenſibilem, per quam clamat ratio, ſentiens virtutis efficaciam, iſta eſt vera fides & acquieſcite ei. Eccl. 25. *Fidei initium agglutinandum eſt ei*, quando dat Deus voci ſuæ vocem virtutis ſpiritualiter, vel corporaliter ſenſibilem.

Exemplum. SICVT legitur in primo libr. Hiſtoriæ Tripartitę, cum Conſtantinus Magnus conuocaſſet Nicenum Concilium contra hæreſes, erat ibi quidam Philoſophus, qui omnes verbis dialecticis confundebat, fidem improbando rationibus, tunc ſurrexit contra eum quidam epiſcopus ſimplex & ſanctus petens audientiam, qua obtenta ait, audit Philoſophe: Chriſtus & Sancti Apoſtoli non artem dialecticam aut ſophiſticam, ſed fidem puram & doctrinam euangelicam tradiderunt hominis operibus comprobandam, & conſeruandam: Audi ergo dogmata veritatis, & numerauit fidei articulos prout in ſymbolo continentur; & quæſiuit, ſi ita crederet: tunc ſentiens in verbis fidei virtutem & cordis immutationem, reſpondit; credo firmiter ita eſſe. Cui ſanctus. Si ita credis proſequere, quod fateris fidē operibus complendo, & ſacramentum fidei ſuſcipiendo. Tunc conuerſus ad diſcipulos ſuos Philoſophus & ad alios ait, quam diu fuerunt verba, reddidi verba pro verbis in quibus abundabam, ſed quamcito venit virtus Dei iſto loquente, cui non poſſum reſiſtere, me victum gaudeo, & qui mecũ vult gaudere me ſequatur, quo conuerſo multi ſunt eum ſecuti, & baptizati cum eo. Per hunc modũ ſunt conuerſi quinquaginta Rhetores ad verba B. Catharinę virtute Dei operante.

Exemplum. IN EODEM libro & loco legitur, quod cum Conſtãtinus veniſſet Conſtantinopoli, conuenerunt Philoſophi Greci conquerentes de hoc, quod propter irrationabiles aſſertiones Chriſtianorum, quod parati erant probare omnibus, deſtrueret ioſe antiquorũ traditiones. Qui cum conuocaſſet Alexandrum dictæ vrbis epiſcopum ſimplicem: ait dictus epiſcopus, quod eligerent quemcunque vellent peritiorem, & ille diſputaret contra eum. Quod cum feciſſent, ait (cum retuliſſet articulos fidei) in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi ô Philoſophe; vt contra hoc omnino aut loqui nõ audeas, aut obmuteſcas: quod ità factum eſt, & ad hoc multi ſunt conuerſi. Cum autem ibidem quidam pater de fide loqueretur; vis verbi lapides diuiſit.

Exemplum. ITEM cum quidam Philoſophi veniſſent ad B. Antonium vt tentarent eum, & de fide rationẽ poſcerent, ait: Quomodo huc ad hominem fatuum veniſtis. Cum autem ipſi reſpõderent, quod non venerant ad fatuum, ſed ad ſapientem, intulit dicens: Si ad fatuum veniſtis, fatuos vos demonſtratis: ſi autem ad ſapientem, iudicio veſtro aut vos fatuos demonſtratis, aut mutari debetis, quàm Chriſtianum ſapientem iudicatis. Cum autem mirarentur, quomodo illiteratus homo ſic rationabiliter loqueretur, quæſiuit ab eis quis horum prius fuiſſet, ſenſus aut littera: & cum reſponderent, quod ſenſus, qui litteras adinuenit, concluſit; ſi ex ſenſu litteræ procedunt, cui ſenſus incolumis, litteras non requirit. Item cum quidem alij Gentiles obijcerent cõtra fidem de paſſione Chriſti & cruce, quam Chriſtiani colebant, intulit: Nunquid magis credi debet ei, qui ex ſumma benignitate, propria voluntate, pro amicis ſuis Deus in mundum venit, & pro eis liberandis crucem ſubijt, & mortem ſuſtinuit, honeſta omnia, & fecit, & docuit: quam hominibus, quos Deos colitis, qui ſtupra & adulteria, & ad alia, quæ vos in alijs, morte damnatis, & fecerunt, & docuerunt nunquid magis eſt rationabile crucem colere nobis, à qua mundi redemptionem & ſalutem noſtram profeciſſe profitemur, quam vobis colere homines quaſi Deos, quos adulteros, & inceſtuoſos, & corruptores, & proditores hominum profitemur? Ex his admirati & confutati diſceſſerunt.

2. Per teſtimonium ſcripturarum. SECVNDO probatur fides noſtra per teſtimonium ſcripturarũ veteris & noui teſtamenti, ſecundum quod oſtendit Dominus Iudæis, Io. 5. *Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Diſcipulis euntibus in Emaus, probauit fidei articulos, incipiens à Moyſe, de omnibus prophetis & ſcripturis interpretabatur eis omnia, quæ in eis ſcripta erant de eo, Luc. 24. *Hæc locutus ſum vobis, cum adhuc eſſem vobiſcum, quia oportebat impleri ea, quæ ſcripta erant in lege & prophetis, & pſalmis de me.* Miſit Deus diſcipulos Ioannis ad prophetiam Iſa. 25. dicẽtis. *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos tunc aperientur oculi cæcorum*, &c. Hanc prophetiam viderunt ipſi completam per ſigna, quæ fecerat coram eis, Matth. 11. *Dicite Ioanni, quæ vidiſtis & audiſtis, cęci vident*, &c.

3. Ex figuris. TERTIO probatur figuris. Omnes enim ritus veteris legis & ſacrificia figuræ erant noſtræ fidei, vt dicit Apoſt. *Omnia contingebant illis in figura.* 1. Cor. 10. *Hæc autem in figura facta ſunt*, &c. ibidem Heb. 10. *Vmbram habuit lex bonorum futurorum*, &c.

4. Per teſtes omni exceptione maiores. QVARTO fides probatur per multos teſtes omni exceptione maiores, vt per Deum Patrem, Filium, Spiritum ſanctum; per Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, & per eccleſiam generalem, & per ſanctos iam beatos, & per omnes fidei inimicos. Probat fidem pater, Mat. 3. & Luc. 3. *Hic eſt filius meus* Io. 5. *Qui miſit me pater teſtimonium perhibet de me.* Filius Io. 8. *Ego ſum lux mundi.* Idem 8. *Ego principiũ qui & loquor vobis.* Spiritus ſanctus. Luc. 3. cum deſcendit ſuper Chriſtum baptizatum in ſpecie colũbæ. Similiter eius opera. Io. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo*; *Pater* dans filium credentibus; *verbum*, eis prędicans, & eos informans, *Spiritus ſanctus*, eos illuſtrans. Sanguis, quo eos filius redemit. Aqua, quę eos ſanctificauit, & cui vim regeneratiuam dedit. Item idē Chriſtus Dei ſapientia probat Iudæis ſuum teſtimonium eſſe verum, & patris ſui qui miſit illum, Io. 8. Et quod ſit Dei filius, Act. 10. Petrus ait: *Præcepit nobis Ieſus Chriſtus prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum.* Sunt autem duodecim teſtes rationabilium rerum diuerſi, omni exceptione maiores, per quos fides noſtra irrefragabiliter contra hæreticos poteſt probari.

Sunt duodecim teſtes fidei rationales.

1. Deus. PRIMO igitur inter omnes res rationales, & ſupra omnes perhibet teſtimonium Beata Trinitas, & Ieſus Chriſtus ſumma ſapientia, Io. 2. *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit, hoc teſtatur*, &c.

2. Angeli. SECVNDO probatur teſtimonio Angelorum qui fuerunt miniſtri vel nuncij, vel erunt aſſiſtentes omnibus rebus, de quibus ſunt articuli fidei, vt Beatę Trinitatis, & vnitatis, quam præſentauerunt dicentes, Iſa. 7. Ter, *Sanctus*, &c. Vel Geneſ. 18. *Quando Abraham tres vidit, & vnum adorauit.* Similiter in Incarnatione, Natiuitate, Reſurrectione, & Aſcenſione, & Paſſione Chriſti, in quibus omnibus, Angeli fuerunt ibi Nuncij, vt Incarnationis, Natiuitatis, Reſurrectionis, & iudicij, Act. 1. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*, &c. Paſſioni eius affuit Angelus, de cælo confortans eum. cum factus eſſet ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis, &c. Lucæ 17. Erunt miniſtri & aſſeſſores iudicij & futuræ reſurrectionis, ſicut legitur Matt. 22. Matth. 25. *Omnes Angeli eius venient cum eo.* Act. 10. Cornelius per denunciationem Angeli deuenit ad fidem.

3. Eccleſia iuſtorum. TERTIO, teſtis fidei eſt eccleſia iuſtorum, quæ eandem fidem tenet & prędicat per totum orbem, & hanc teſtantur omnes filij Dei. Eccl. 3. *Filij ſapientiæ eccleſia iuſtorum, & natio eorum obedientia*, fidei maximè, *& dilectio*, in obſeruatione mandatorum, in quibus matri eccleſiæ debent obedire, ſicut probat Greg. Dialog. 1. cap. vbi probat per exemplum mulieris in carcere poſitæ, ibique parientis, & nutrientis, cui puer adultus credere debet, de his quę mater vidit in luce, & de ſua Natiuitate, & de ſuis progenitoribus. Quiſque credit vicinis ſuis, & matri, licet neſciat quando fuit genitus ab illo patre, & natus ab illa matre; tamen requiſitus ſtatim incunctanter reſpondet, talem eſſe ſuum patrem, & talem ſuam matrem, talem auum ſuum, licet neſciat niſi ex

nisi ex auditu suorum, nec alienis crederet de contrario. Sic per peccatum Adæ in hoc carcere nati & nutriti, debemus credere matri ecclesiæ, & vicinis sanctis filijs eius, de his quæ pertinent ad fidem, licet ea non viderimus; non extraneis ab ea hæreticis si contrarium dicant, qui sunt extranei à patre luminum.

4. Patres veteris & noui testamenti.

QVARTO, fidei perhibent testimonium patres antiqui veteris, & nouæ legis, quod significatur, Apoc. 4. dum vigintiquatuor Seniores attestantes confessioni quatuor animalium ceciderunt in facies suas adorantés viuentem in sæcula sæculorum, hoc probat Apostolus, Heb. 11. cõcludens *Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.*

5. Omnes prophetæ.

QVINTO omnes prophetæ, vt dicit Petrus Act. 10. *Hi omnes testimonium perhibent*, &c. Cuius testimonium Spiritussanctus confirmauit cadens in signo visibili super omnes quibus hoc prædicabat statim. De prophetis circumcisionis planum est: sed & multi gentilium philosophorum, & vates, de Christo & eius fide vacinitati sunt, vt Sybilla quæ tam egregie prædixit de eius aduentu, & passione & iudicio, & malorum supplicio, & beatorum præmio, quasi si loqueretur de re iam gesta. Virgil. Poeta qui circa eius aduẽtum fuit, vt dicit Hier. de Christo vaticinauit, dicens in bucol. eglo. 4.

Vltima Cumei venit nunc carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Et noua progenies, cælo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet. ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue &c.

Et B. Iob 19. cap. dicens. *Credo quod redemptor meus viuit*, &c. Et multa alia de Christo & ecclesia prophetauit.

Exemplum. ITEM legitur in gestis Romanorum quod temporibus Theodosij Imperatoris, cum quidam hæretici mouissent quæstionem de resurrectione futura, dum effoderetur terra pro quibusdam fundamentis iaciẽdis, inuentum est quoddam antiquissimum sepulchrum cuiusdam Græci Philosophi qui diu fuerat ante Incarnationem Christi, quo aperto inuenerunt intra Epitaphium in lapide scriptum, in quo fides eius continebatur, quod credebat in Dei filium in mundum propter salutem hominum venturum & passurum &c. & quod eum in die nouissimo à mortuis suscitaret. & in fine erat scriptum quod tempore Theodosij Imperatoris sepulchrum eius aperiretur, & ossa eius soli paterent: & eo viso, multi sunt hæretici, qui dicebant non esse mortuorum Resurrectionem, confutati, & Catholici in fide roborati.

LEGITVR in epistola quam scripserunt Bragmanni Alexandro, in qua arguebant eum & alios gentiles, de idolatria & vitijs suis diuersis, hoc inseruerunt per Dãdamum dydascallum. In verbo maxime homo similis est Deo, quia Deus verbum est: & verbum illud omnia creauit, & per illud verbum omnia viuunt. Hoc colimus, hoc adoramus, hoc amamus. Nam Deus spiritus & mens est, ideo non amat nisi mundum mentem, vos tot Deos vobis asseritis quot membra habetis. Mineruam Deã capitis dicitis, & natam de cerebro Iouis, quia fuit inuentrix operum multorum. Iunonem, quia fuit iracunda dicitis Deam cordis. Martem quia fuit bellicosus, dicitis Deum pectoris; & sic de alijs membris, & dijs quo eis dedicabant. Item Ioannes Baptista non solum multa de eo prophetauit, sed etiam eum digito demonstrauit, & alijs certissimis indicijs, Io. 1. *Hic venit in testimonium.*

6. Duodecim Apostoli.

SEXTO, hanc fidem testati sunt duodecim Apostoli, qui ad hoc à Christo electi, per Spiritum sanctum confirmati sunt, sicut dicitur Act. 1. *Per Spiritum sanctum quos elegit*, &c. Et post: *Eritis mihi testes in omni Iudæa & Samaria*, &c. Act. 20. *Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Deus*, &c. Et post ait Petrus, *& nos testes sumus omnium quæ fecit* Canonica Ioan. 1. *Quod audiuimus & vidimus & manus nostræ*

A *attrectauerunt de verbo vitæ, testamur, & manifestamus vobis*, &c. Dicitur, quod B. Apostoli post confirmationem receptam Spiritus sancti concilium tenuerunt: in quo symbolum, quod dicitur Apostolorum communi concilio statuerunt, & composuerunt; quod dicitur minor credo, in quo 12. articulos, siue radices posuerũt, vel secundum alios 14. In quo sunt sex articuli pertinentes ad diuinitatem, vel septem; & totidem ad humanitatem, secundum quod in eodem symbolo patet. Et symbolum quasi communis bolus dicitur, quia quilibet de Apostolis posuit ibi bolum suum, idest articulum, & normam fidei: & dicitur articulus, quia ita arctat ad credendum quodlibet eorum, quod impossibile est discredentem saluari. Hęc sunt 12. fundamenta ciuitatis Ierusalem, idest ecclesiæ, supra quæ fundata

B est, per orbem vniuersum, Apoc. 21. *Fundamenta ciuitatis duodecim.* Super hæc domus non fundata corruit, Matth. 7.

Symbolum vnde dictũ. Articulus vnde.

7. Euangelistæ.

SEPTIMO, B. Euangelistæ, secundum quod est figuratum in figura eorum Apoc. 4. Vbi ter sanctus clamare non cessant, quia incessanter fidem Trinitatis prædicant, & testantur Ezec. 1. *Audiebam sonum alarum quatuor animalium, quasi vocem aquarum multarum, & quasi sonum sublimis Dei*, &c. Ideo B. Ioannes Euangelista, cum Romæ ductus esset, & diceret ei Domitianus Imperator quod Christum negaret, & à prædicatione eius cessaret, alioquin mitteretur in dolium feruentis olei, quod sibi paratum erat ante portam Latinam: Respondit, Christum non negabo, & à prædicatione fidei non cessabo, donec compleam cursum ministerij mei

C quod accepi; magis eligens in oleo concremari, quam cessare à prædicatione fidei.

8. Martyres.

OCTAVO, sunt beati martyres, qui in articulo mortis moriendo, immo omnia tormentorum genera pro ipsa fide sustinendo, eam confessi sunt; nullus enim in hora mortis sani capitis, libenter mentiendo perhibet testimonium de falsitate. Ipsi autem martyres pro fide, de futura beatitudine certi, pro ea testificanda omnia tormentorum genera sustinebant, secundum quod dicitur Hebr. 11. *Sancti ludibria & verbera experti*, &c. Et post. *Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.* Item Vincentius ad Datianum, cui ait Vincentius. *Fide nostra nihil certius*, vt dicit Petrus de Natalibus; *Probatio fidei nostræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inuenitur in laudem & gloriam*, &c.

9. Cõfessores & Doctores.

D NONO, beati Confessores & Doctores pro eius defensione, exilia & pericula sustinentes, vt B. Hilarius, & Martinus, secundum quod legitur in vitis eorum; & B. Athanasius per totum orbem ab hæreticis & Imperatoribus persecutus, ita vt vix posset latitare alicubi, Sicut legitur in ecclesiastica historia, quę multa refert de eius persecutione: pro hac etiam B. Aug. & alij Doctores laborauerunt, scripturas exponendo, scribendo, contra hæreticos disputando, & persecutiones patiendo, & etiam mẽbrorum mutilationes, & insidias multiplices. De B. Aug. legitur, quod hæretici posuerunt ei insidias multoties in vijs suis, vt eum occiderent, à quibus semper eum Dominus liberauit. De B. Ambrosio legitur in vita eius, quod cum contra hæreticos prædicaret & dissereret, quidam hæreticus vidit Angelum

E ei assistentem, & ministrantem quicquid loquebatur, qui ad fidem conuersus est. Item Aug. *Ideo diuina prouidentia hæreticos esse permittit, vt cum nos interrogant ea, quæ nescimus; discutiamus pigritiam, vt diuinas scripturas capiamus.*

10. Virgines.

DECIMO, testimonium fidei nostræ perhibuerunt B. Virgines, regnum mundi, & omnem ornatum eius pro fide contemnentes, carnalem copulam postponentes, Christo fide adhęrentes; vt patet, si facta beatarum virginum discurramus. Sicut dicebat B. Agnes cum eius nuptias filius Romani Præfecti deposceret. *Annulo fidei subarrauit me, & ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.*

11. Beati iam mortui.

VNDECIMO beati & iusti etiam iam mortui corporaliter. Sicut legitur in vita B. Siluestri, quia B. Petrus

& Pau-

& Paulus apparuerunt Constantino Imperatori leproso, monentes eum, vt fidem Christianam reciperet, & baptizaretur, & instrueretur à Siluestro Papa, & curaretur. Quod ita factum est. In passione B. Ceciliæ Valeriano sponso eius apparuit senex lucidus, cum vestibus niueis, ostendens librum aureum, in quo erat aureis litteris scriptum, *vnus Deus, & vna fides, & vnum baptisma*, &c. A quo, cum quæreret, si ita crederet. Respondit, nihil esse sub cælo, quod verius posset credi. Item de B. Lazaro fratre B. Marthæ, quem Dominus suscitauit à mortuis, legitur, quod propter fidem, patriam contemnens, & exul factus, mare transiens, in prouinciam Galliæ veniens, fidem prædicauit, pro qua etiam caput posuit martyrium suscipiens, cuius sepulchrum ostenditur in ciuitate Eduensi in Ecclesia Cathedrali, vbi corpus eius esse dicitur: Et in villa Aualone caput eius esse perhibetur.

Exemplum. In libro, qui intitulatur de gestis Saluatoris, legitur, quod Carinus & Leuntius, duo filij Simeonis iusti, qui Dominum in vlnas suas suscepit, fuerunt de illis mortuis, quos Dominus suscitauit, de quibus in Matt. legitur, *quod multa corpora sanctorum surrexerunt, & apparuerunt multis*, qui iusti & notissimi fuerunt inter Iudæos, qui adducti in Ierusalem in Synagoga, vt veritatem de Christo faterentur, petierunt chartas; vt stabilius esset eorum testimonium, & scripserunt in eis separatim, quomodo Iesus esset Dei filius in lege promissus, missus in mundum, & de virtute passionis eius, & de descensu ad inferos, & liberatione sanctorum, & de eius Resurrectione, & Ascensione futura, quam expectabãt, vt cum eo cœlos ascenderent; & multa scripserunt in chartis, dicentes hoc esse eorum testimonium, quas tradiderunt iudicibus separatis, qui conferentes adinuicem, neque plus, vel minus quoad literas, vel syllabas inuenerunt in vna, quam in alia; quorum testimonia, vt dicit Horosius, & Greg. Turon. & Hugo de S. Victore in Cronicis suis, Pilatus scripsit ad Tyberium & Senatum Romanum, & de miraculis Christi, & Passione, & Resurrectione eius, & quod ab hominibus Deus habetur & colitur. Tyberius autem cum magno fauoris suffragio vt pro Deo haberetur dictas epistolas detulit ad Senatum. Senatus aurem dixit, quod nullus deorum suorum tam mirifica fecisset, tamen licet merito esset inter Deos computandus, quia legem dederant, ne aliquis nisi per eos Deus reputaretur, quia non processerat prius de eorum iudicio sed Tiberij noluerunt, quod inter Deos computarentur.

Exemplum. Item in vitis Patrum legitur, quod cum quidam hæreticus venisset ad discipulos B. Macharij, volens subuertere fidem eorum, nec posset superari verbis; ait assistentibus Macharius, veniamus ad argumenta fidei: & eis annuentibus duxit eos ad cęmiterium fratrum, dicens hęretico, quod in virtute fidei suæ, vtrum esset vera, vocaret aliquem de fratribus, & quæreret in qua fide saluatus esset. Cui hæreticus ait: Tu hoc prius fac. Cum autem fratrem mortuum suscitasset inuocatione fidei, & quæreret in qua fide saluatus esset, ait: In fide Macharij, & non hæretici; hæreticus cum confusione est fugatus.

12. Inimici fidei. scili. peruersi homines & Dæmones. Dvodecimo, testimonium perhibent peruersi homines & ipsi dæmones, quia multi prius peruersi, & fidei persecutores, conuersi facti sunt fidei defensores, vt dicit Aug. in libr. de symbolo. Et qui alios ad martyrium trahebant, postea voluntarij martyrium suscipiebant, sanguinem Christi fundere prius sitierunt, & postea credentes illum biberunt, & suum pro Christo fuderunt, sicut patet de Paulo, & de pluribus alijs in passionibus sanctorum, qui per ea, quæ circa martyrizatos videbant conuersi, martyres effici volebant. Item quia omnes, sectam post suam, nostram iudicant meliorem: Meliorem enim iudicant Iudęi nostram fidem, quam Saracenorum, vel aliorum Paganorum, vel hæreticorum, quod satis patet, quia omnes Pagani, qui ferè totum mundum occupabant, facti sunt Christiani, & plurimi Iudęorum & Saracenorum. Cum autem eis in recto iudicio non debeat valere testimonium suum datum pro se, sed potius probet pro nobis, quod testãtur pro nobis, cum ipsi aduersarij fidei nostrę sint. (Vehementissimum enim argumentum est, quod ab aduersario elicitur, vt dicit ius.) Maximè probat fidem nostram esse veram, & certum est testimonium, quod aduersarij eius perhibent pro ea, & de ea. Item ipsi dæmones testimonium perhibent pro fide nostra, qui per eius articulos adiurati, de suis habitaculis expelluntur, secundum quod Dominus prędixerat Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eijcient*, &c. quod patet in Exorcistis, quod maximè fiebat in primitiua ecclesia ad inuocationem articulorum, & nominis Christi: sanctum & terribile est nomen Christi dęmonibus.

Exemplum. In passione Cyriaci, Largi & Smaragdi legitur, quod cum essent illata multa eis supplicia, & in carcere detinerentur; Arthemia filia Diocletiani à dæmonio vexata clamabat, quod non exiret nisi per Cyriacum Diaconum; qui eductus inuocato nomine Iesu expulit dæmonem, dicentem: Si eijcis faciam te in Babyloniã venire. Arthemia expulso dæmone clamauit, quod Deum quem prædicabat Cyriacus videret & mox cõuersa vna cum matre baptizata est. Deinde venerunt nuncij Saporis Regis Babylonię, rogantes vt Diocletianus mitteret Cyriacum in Babylonem, quia eius filia vexata eum clamabat, quid fecit. Cumque præciperet in nomine Domini vt exiret, ait dæmon, vt ipse prius pausaret fatigatus. Cum Cyriacus diceret: Non sum fatigatus, sed vbique Dei auxilio & sanctorum Angelorum gubernatus. Respondit dæmon, quod eum illuc perduxerat vt voluerat; ait Cyriacus: imperat tibi Iesus Christus, vt exeas dęmon: ad hoc statim exiuit clamans, ô nomen terribile, quod me coarctat exire. Cyriacus autem baptizata puella, cum multis Romam rediens, à Maximiano fratre Arthemię martyrio cum socijs eius est consummatus.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum obiectum fidei aliquid visum possit esse.* Dicẽdum, quod visum sensibili visione non potest esse obiectum fidei sub ratione qua visum est, sicut patet ex verbis Apostoli in diffinitione positis Heb. 11. quia scilicet fides est non apparentium, sed visio est apparentium. Item Aug. in lib. de videndo Deo dicit. *Præsentia videntur, creduntur absentia.* Et infra. *Præsentia hic intelligamus dicta illa, quæ præsto sunt sensibus, siue animi, siue corporis.* Idem super illud Ioan. 14. *Si abiero & præparauero vobis locum*, dicit, *fides quæ non videt credit: nam si videt, non est fides*, & hoc rationabile est: De ratione enim fidei est esse cum ænigmate respectu rei non apparentis: quod autem sensibiliter videtur, quantum ad id quod videtur, clarè & præsentialiter cognoscitur: quia tamen aliqua res secundum aliquid sui sensibiliter potest esse visa, & secundum aliud non, sicut apparet in Christo: visu enim Thomas apprehendit ipsum hominem, non tamen vidit sensibiliter illum hominem esse Deum. Similiter discipuli illum hominem sensibili visione viderunt ascendentem in cælum: sed sensibiliter non viderunt illum esse Deum qui ascendebat. vnde Thomas per fidem, illum quem videbat, Deum confessus est dicens: Dominus meus, & Deus meus, discipuli etiam illum quem ascendentem viderunt, esse Deum per fidem crediderunt. Beata etiam virgo, illum quem experimento certo, sciebat se concepisse sine virili semine, per fidem credidit esse Deum. Articulus autem de Ascensione Christi in cœlum est, quod filius Dei homo ascendit in cœlum. Similiter articulus de conceptione est, quod filius Dei inquantum homo, fuit conceptus per Spiritum sanctum in virgine. Vnde idem secundum aliquid sui potest esse sensibiliter visum & etiam secundum aliquid creditum.

Creditũ qua parte est creditum, debet esse non visũ.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum obiectum fidei possit esse aliquid scitum.* Dicendum quod scitum ab vno potest esse obiectum fidei in alio: Beati enim omnes articulos fidei sciunt, qui sunt fidei nostræ obiectum. Similiter scitum ab vno, prius potuit esse creditum ab

eodem.

eodē. Sicut homines beati articulos quos modo ſciūt: prius in hac vita crediderunt. Quidam etiam in hac vita credunt aliquid, quod alij ſciunt: verbi gratia. Deum eſſe creditur à ſimplicibus, vnde Aug. 11. de ciuit. Dei cap. 4. *Deum eſſe credimus*: hoc tamen ab aliquibus demonſtratiohe ſcitur, procedente ex principijs per ſe notis quo ad nos, per noſtrum lumen naturale; vel ſaltem per aliquod lumen ſupernaturale, quo non tantum poſſet demonſtrari Deum eſſe, ſed Deum eſſe trinum & vnum. Cum enim dicat Ricardus primo lib. de Tri. cap. 4. *Ad quorumlibet explanationem quæ neceſſe eſt credere, non modo probabilia, immo etiam neceſſaria argumenta non deeſſe, quamuis iſta interim contingat noſtram latere induſtriam*, poſſet nobis à Deo infundi ſupernaturale lumen quo veritates aliquæ vltro ſe offerrent intellectui noſtro, per quas poſſemus Deum eſſe trinum & vnum, neceſſaria, & euidenti etiam quo ad nos, ratione probare. Idem etiam ab eodem homine in hac vita pimo poteſt eſſe creditum, & poſtea per demonſtrationem ſcitum. Dico tamen quod ſi aliquid ſit ſcitum per demonſtrationem procedentem ex principijs per ſe notis quo ad nos, ita quod vltro ſe offerāt intellectui noſtro: illud idem & ſecundum idem non poteſt ſimul ab eodem homine eſſe creditum, ſi accipiantur ſcire & credere ſecundum actū; quia impoſſibile eſt quod intellectus actu aſſentiat vni & eidem veritati de neceſſitate, & non de neceſſitate ſimul; ſed quia per demonſtrationem in via non poſſumus ſcire aliquid creditum tali ſcientia, quæ perfectè tollat omne ęnigma, ſicut facit viſio patriæ, Ideo mihi videtur dicendum & probabiliter, quod in via aliquid poteſt eſſe à nobis ſimul ſcitum & creditum ſecundum habitum: nec enim inconueniēs eſt quod reſpectu alicuius veritatis ſcire habeamus habitum quo illam crederemus ſi eam neſciremus, & quo poſſumus exire in actum credendi, quando non ſumus in actu ſciendi.

Idem nō poteſt eſſe ſimul creditū & ſcitum ſecundum actū ſed tantum ſecundum habitum.

A

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum obiectum fidei poſsit eſſe aliquid opinatum*, dicūt quidam quod duplex eſt opinio, vna eſt acceptio vnius partis, cum formidine alterius; alia quæcunque conceptio ex probabili ratione cauſata, prima in eodem intellectu & reſpectu eiuſdem obiecti non poteſt ſimul ſtare cum fide, quia credens per fidem adhæret vni parti, ſine alterius partis formidine. ſed ſecunda opinio poteſt ſimul ſtare cum fide, quia ad ea quæ fidei ſunt poſſunt rationes probabiles haberi. Sed contra hoc arguunt aliqui ſic; opinans inquantum opinans, eſt incertus de veritate quam opinatur, quia inquantum opinans rationi probabili innititur, quæ non facit certitudinem; qui autem non eſt certus de aliqua re vel veritate, de illa dubitat: & qui de vna parte dubitat, formidat ne pars oppoſita vera ſit, ergo omnis opinio eſt acceptio partis vnius, cum formidine partis alterius. Huic etiam concordat Bern. 5. de conſide. c. 6. dicens, quod *opinio falli poteſt*, & quod *opinio ambiguum habet*. Et ſecundum ſententiam philoſophi primo poſterorū: de ratione opinionis eſt, quod ille qui opinatur ęſtimet rē poſſe aliter ſe habere. Et ideo mihi videtur dicēdum: quod quamuis reſpectu diuerſorum obiectorum poſſit ſimul eſſe, in eodem intellectu fides & opinio, & in diuerſis intellectibus reſpectu eiuſdē obiecti, & in eodem intellectu tēporibus diuerſis, tamen in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti, & ſecundum idem, nō poſſunt ſimul eſſe actus opinandi & actus credendi, quia de ratione actus credendi eſt aſſentire veritati creditæ ſine alterius partis formidine. Quia ſicut dicit Bern. 5. de conſid. c. 6. *Fides ambiguum non habet, aut ſi habet, fides non eſt*: vnde credens, ita determinate aſſentit veritati creditæ, quod tenet hoc impoſſibile aliter ſe habere, per comparationem ad primam veritatem cui innititur. De ratione autem opinionis eſt, quod ille qui opinatur, rei opinatæ aſſentiat cum alterius partis formidine, vt ſuperius oſtenſum eſt, non eſt autem poſſibile quod idem intellectus eidem veritati aſſentiat cum formidine & ſine formidine ſimul.

Non poſſunt eſſe ſimul de eode fides & opinio quoad actum.

B

C

D

E

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum credibilia debeant diſtingui per certos articulos*. Dicendum quod nomen articuli ex Græco videtur eſſe deriuatum. Archion enim in Græco, quod articulus dicitur in Latino, ſignificat quandam coaptationem aliquarū partiū diſtinctarum: & ideo particulæ corporis ſibiinuicem coaptatæ dicuntur membrorum articuli; & ſimiliter in grammatica apud Græcos dicuntur articuli quædam partes orationis coaptatæ alijs dictionibus ad exprimendum earum genus, numerum, vel caſum, & ſimiliter in Rhetorica articuli dicūtur quædam partium coaptationes. Dicit enim Tullius in 2. libr. Rheto. quod articulus dicitur cum ſingula verba interuallis diſtinguuntur cæſa oratione. Verbi gratia. Acrimonia, voce, vultu, aduerſarios perterruiſti. vnde & credibilia fidei Chriſtianæ, dicuntur per articulos diſtingui, inquantum in quaſdā partes diuiduntur, habentes aliquam coaptationem adinuicem. Eſt autem obiectum fidei aliquid non viſum circa diuina, vt ſupra dictum eſt: & ideo vbi occurrerit aliquid ſpirituali ratione non viſum, eſt ibi ſpiritualis articulus. vbi autem multa ſecundum eandem rationē ſunt cognita vel incognita, ibi non ſunt articuli diſtinguendi. ſicut aliam difficultatem habet ad videndum quod Deus ſit paſſus, & aliā quod mortuus reſurrexit, Et ideo diſtinguitur articulus reſurrectionis ab articulo paſſionis. ſed quod ſit mortuus, paſſus, & ſepultus, vnam & eandem difficultatem habet, ita quod vno ſuſcepto, non eſt difficile alia ſuſcipere; & propter hoc omnia hæc pertinent ad vnum articulum.

Quid ſignificat articulus.

Vnde petēda diſtinctio articulorum fidei.

Scivndvm eſt quod aliqua ſunt credibilia, de quibus eſt fides ſecundum ſe: Aliqua vero ſunt credibilia de quibus non eſt fides ſecundum ſe, ſed ſolum in ordine ad alia. Sicut etiam in alijs ſcientijs quædam proponuntur vt per ſe intenta, & quædam ad manifeſtationem aliorum; quia vero fides principaliter eſt de his, quæ videnda ſperamus in patria ſecundum illud Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*: Ideo per ſe ad fidem pertinent illa, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam: ſicut ſunt tres perſonę, omnipotentia Dei, myſterium incarnationis Chriſti: & talia huiuſmodi; Et ſecundum hoc diſtinguuntur articuli fidei. Quædam vero proponuntur in ſacra ſcriptura vt credenda, non quaſi principaliter intenta, ſed ad prædictorum manifeſtationem, ſicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum oſſium Eliſæi ſuſcitatus eſt mortuus, & alia huiuſmodi, quæ narrantur in ſacra ſcriptura in ordine ad manifeſtationem diuinæ maieſtatis, vel incarnationis Chriſti. & ſecundum talia huiuſmodi non oportet articulos diſtinguere. Item nota quod non diſtinguuntur articuli ſecundum materialem diſtinctionem credibilium, quæ quaſi in infinitum fieri poſſit, ſed ſecundum rationem formalem obiecti. Sed formalis ratio obiecti poteſt accipi dupliciter. Vno modo ex parte ipſius rei creditæ, & ſic ratio formalis omnium credibilium eſt vna, ſcil. veritas prima: & ex hac parte articuli nō diſtinguuntur. Alio modo poteſt accipi ratio formalis credibilium ex parte noſtra, & ſic ratio formalis credibilis eſt vt ſit non viſum: & ex hac parte articuli fidei diſtinguuntur vt viſum eſt.

Ad octavvm, ſcilicet *de numero & diſtinctione articulorum*. Dicendum quod illa per ſe pertinent ad fidem, quorum viſione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducemur in vitam æternam. Duo autem nobis ibi videnda proponuntur, ſcilicet occultum diuinitatis, cuius viſio nos beatos facit; & myſterium humanitatis Chriſti, per quod etiam ad gloriam filiorum Dei acceſſum habemus, vt dicitur Rom. 5. Vnde dicitur Io. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum vnum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Et ideo prima diſtinctio credibilium eſt, quod quædam pertinent ad maieſtatem diuinitatis, quædam vero pertinent ad myſterium humanitatis Chriſti, quod eſt pietatis ſacramentum, vt dicitur 1. ad Tit. 14. Circa maieſtatem autem diuinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo

Colligitur numerus articulorum fidei.

quidem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quidem vnitas diuinitatis, & ad hoc pertinet primus articulus. Secundo Trinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli secundum tres personas. Tertio vero proponuntur nobis opera diuinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturæ, & sic proponitur nobis articulus creationis. Secundum vero pertinet ad esse gratiæ, & sic proponuntur nobis sub vno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Tertium vero pertinet ad esse gloriæ: & sic ponitur alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna: & ita sunt septem articuli ad diuinitatem pertinentes. Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli, quorum Primus est de incarnatione siue conceptione Christi. Secundus de natiuitate eius ex virgine. Tertius, de passione eius & morte & sepultura. Quartus de descensu ad inferos. Quintus, de resurrectione. Sextus, de ascensione. Septimus, de aduentu ad iudicium, & sic in vniuerso sunt quatuordecim.

Qua ratione ponuntur duodecim articuli, & qua ratione quatuordecim.

QVIDAM tamen distinguunt duodecim articulos fidei: sex pertinentes ad diuinitatem, & sex ad humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio trium personarum. Articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet in resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum conceptionis, & natiuitatis, coniungunt in vnum. Sciendum autem quod Patris, & Filij, & Spiritussancti est vna cognitio quantum ad vnitatem essentiæ quę pertinet ad primum articulum; quantum vero ad distinctionem personarum, quæ est per relationes originis, quodammodo in cognitione patris, includitur cognitio filij; non enim esset pater si filium non haberet, quorum nexus est Spiritussanctus; & quantum ad hoc bene moti sunt qui posuerunt vnum articulum trium personarum. sed quia circa singulas personas sunt aliqua attendenda, circa quæ contingit esse errorem. Quantum ad hoc de tribus personis, possunt poni tres articuli. Arrianus enim credidit patrem omnipotentem & æternum, sed non credidit filium coæqualem, & consubstantialem Patri; & ideo necessarium fuit apponere articulum de persona Filij, ad hoc determinandum. Et eadem ratione contra Macedonium necesse fuit ponere articulum tertium de persona Spiritus sancti: & similiter etiam conceptio Christi & Natiuitas, & etiam resurrectio & vita æterna, secundum vnam rationem possunt comprehendi sub vno articulo inquantum ad vnum ordinantur, & secundum aliam rationem possunt distingui inquantum seorsum habent spirituales difficultates.

AD NONVM, scilicet *virum in symbolo Apostolorum sufficienter contineantur omnia, quæ necessarium est credere ad salutem.* Dicendum, quod eorum quę necessarium est credere ad salutem, quędam sunt de dictamine rationis naturalis, quæ scilicet potest elicere intellectus per lumen naturale ex principijs, quæ vltro se offerunt cognitioni, quamuis enim respectu prędictorum principiorum non sit actus credendi propter eorum euidẽtiam, tamen respectu conclusionum ex illis principijs sequentium, potest esse actus credendi in illis, qui eas elicere nesciunt. Quædam autem sunt ad quæ credenda directè, & principaliter dirigit habitus fidei, & isti sunt articuli fidei. Quædam autem sunt consequentia ad illos articulos, vt sunt veritates salutiferæ, quæ ex illis articulis possunt probari. Dicendum ergo quod loquendo de credendis, quę sunt articuli fidei, omnia sufficienter, & plene, & explicitè, continentur in symbolo Apostolorum vt ex præcedentibus patet. Ad illud enim symbolum componendum conuenit vniuersitas Apostolorum, quibus completè reuelatum erat quæ ponenda erant in symbolo ad fidei complementum, & vt haberet maiorem firmitatem, singuli posuerunt ibi suas partes. Petrus. Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. Andreas. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum. Ioannes. Qui conceptus est de Spiritussancto natus ex Maria Virgine. Iacobus maior. Passus sub pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Iacobus minor. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Philippus. Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos. Bartholomæus. Credo in Spiritum sanctum. Matthæus. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Chananæus. Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Thadeus. Carnis resurrectionem. Mathias. Vitam æternam Amen. Paulus, & Barnabas nihil ibi posuerunt, quia electi fuerunt post missionem Apostolorum ad prædicandum, & symbolum debuit constitui ab omnibus simul congregatis in vnum, antecedentia autem & consequentia ad articulos, in symbolo non continentur nisi per quandam reductionem.

Omnia ad quæ principaliter & directe dirigit habitus fidei, ponũtur in symbolo Apostolorũ.

AD DECIMVM, scilic. *de comparatione symboli Apostolorum ad alia duo symbola.* Dicendum, quod illorum trium vnum dicitur symbolum Apostolorum aliud symbolum Niceni concilij, & aliud symbolum Athanasij. Symbolum Apostolorum in conclaui ab Apostolis, ante dispersionem eorum fuit compositum ad veritatis breuem & necessariam expressionem. Sic enim dicitur Hebr. 11. *Accedentem oportet credere*: non potest autem aliquis credere nisi veritas, quam credit, proponatur eidem. Et ideo necesse fuit veritatem fidei in vnum colligi, vt facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam à fidei veritate deficeret, & ab huiusmodi collectione sententiarum, nomen symboli est acceptum. In sacra namque scriptura veritas fidei diffusè valde, & in aliquibus locis obscurè, & modis varijs continetur, ita quod ad eliciendum certam fidei veritatem, longum studium & exercitium requiritur, ad quod vix possunt peruenire omnes illi quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique alijs negocijs occupati, studio vacare non possunt, & ideo fuit expediens, vt ex scripturæ sacræ sententijs, summariè colligeretur aliquid manifestum, quod proponeretur omnibus ad credendum. Symbolum vero Nicenum quod dicitur in missa, fuit factum in concilio ad istius symboli explanationem, & ad quarundam Hæresum confutationem. Symbolum autem Athanasij compositum fuit maxime ad confutandum hæresim Arrianam. Vnde multum fuit Athanasius sollicitus ibi diligenter exprimere vnitatem essentiæ, cum distinctione & æqualitate personarum. In omnibus ergo symbolis eadem fidei veritas edocetur: sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, vbi insurgunt errores, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa quare necesse fuit plura condere symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quod in vno plenius explicantur, quę in alio implicite continentur, secundum quod hæreticorum instantia requirebat. Inter omnia autem symbolum Apostolorum est principalius, & dicitur esse maius, non quia plus contineat in quantitate scripturæ, sed quia articulos fidei continet plenius. (Omnes enim articuli continentur in eo) & quia de sententia plus continet in virtute, & quia conditum fuit ab Apostolis, qui maiores fuerunt auctoritate, quam patres illi qui Nicenum symbolum condiderunt; & quam Athanasius, qui tertium symbolum composuit, quia autem symbolum Apostolorum fuit conditum tempore veritatis nondum publicatæ, ideo submissę dicitur. In prima tamen & completorio dicitur, ad signandum confessionem fidei maximè fuisse necessarium in primitiua ecclesia, & fore necessarium in temporibus vltimis, & ad signandũ confessionem fidei, in baptismo, & in morte; & in prosperitate, & in aduersitate. Symbolum autem Niceni concilij factũ fuit tempore veritatis propalatæ, & ideo alta voce dicitur, & in missa in diebus solemnibus post Euangelium, & ante communionem, quia tractum est

Tria sunt symbola sed solũ differunt penes hoc quod est magis aut minus explicite continere eiidem doctrinam.

Cur symbolũ Apostolorum ceteris præcellat.

de Euan-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de Euangelio, & est præparatio ad communionem. Symbolum autem Athanasij conditum fuit tempore veritatis propalatæ concussæ & prævalentis, ideo dicitur alta voce post noctem finitam, in prima hora diei. Ista autem prædicta symbola, symbola dicuntur, quia multæ sententiæ in quolibet eorũ simul collectæ sunt. vnde dicitur symbolum à Syn, quod est simul, & bolæ quod est sententia. Et sic patet quod symbolum Niceni concilij & Athanasij ex rationabili causa condita sunt, & si insurgeret necessitas, vtpote si insurgerent nouæ hæreses adhuc posset ecclesia facere aliud symbolum, vt trahi potest ex sententia Anselmi in libro de processione Spiritussancti, ante finem. Sed nulli alij nisi Romanæ Ecclesiæ hoc liceret ad quam causæ maiores vniuersalis Ecclesię referendæ sunt. vnde ad ipsam solam pertinet congregatio generalium conciliorum, vt habetur dist. 17. generalia: & maxime ad ipsam referenda est dubitatio de via salutis si oriretur, vt habetur e. di. c. nec licuit.

Symbolum vnde dictum et à quo fieri poterit.

Solus Papa potest symbolum condere.

AD VNDECIMVM, scilic. *cuius sit symbolum fidei condere.* Dicendum quod noua editio symboli necessaria est ad vitandum errores insurgentes: ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatẽ pertinet sententialiter determinare ea quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur extra de baptism. cap. maiores. vnde & Dominus Lucæ 24. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit. *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et huius ratio est, quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. Corint. 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata*, quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta, determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet noua editio symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiæ vnitatem, vt congregare synodum generalem, & alia huiusmodi.

Soluitur obiectio.

ILLA ERGO anathematis sententia quę in gestis primæ Ephesinæ synodi cõtinetur, scilicet quod perlecto symbolo Nicenæ synodi, decreuit sancta synodus, nulli licere aliam fidem conscribere, componere, vel proferre, præter diffinitum à sanctis Patribus, qui in Nicena synodo cõgregati sunt à Spiritusancto. & subditur ibi anathematis pœna: Et idem etiam reiteratur in gestis synodi Calcedonensis. Illa inquam prohibitio vel sententia, ad priuatas tantum personas se extendit, quarum non est determinare de fide: non enim per huiusmodi sententiã, ablata est potestas sequenti synodo, nouam editionem symboli facere, non quidem fidem aliam continentem, sed eandem magis expositam. Synodus enim quælibet hoc seruauit, vt sequens synodus aliquid exponeret, supra id quod præcedẽs exposuerat, & hoc propter necessitatem alicuius hæresis insurgentis. Ad summum ergo Pontificem pertinet, cuius auctoritate synodus congregatur & eius sentẽtia confirmatur. Intelligendum est igitur quod Athanasius, qui non fuit summus Pontifex, sed Alexandrinus Patriarcha non composuit manifestationem fidei per modũ symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinæ, sicut satis apparet ex ipso modo loquendi. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breuiter continebat, auctoritate summi Pontificis est recepta, vt quasi regula fidei habeatur.

Athanasius non composuit symbolũ formaliter sed doctrinaliter.

AD DVODECIMVM, scilicet *vtrum omnibus, qui Christi præcesserunt aduentum fuit necessarium ad salutem, credere mediatorem.* Dicendum quod necessarium fuit ad salutẽ ante aduentum Christi credere mediatorem implicite, vel explicite .i. sub velamine, vel sine velamine. Ad hoc enim quod homines essent digni salute æterna, necessarium erat eis, vt illam modo debito intenderent; ad quod necessarium erat, vt eam modo debito desiderarent, & sperarent, quę præsupponebat vt illam salutem in se, & se posse ad illam pertingere, debito modo cognoscerent, quod esse non poterat, nisi de via pertingendi ad illam salutem, aliquam cognitionem haberent: nullus enim cognoscit se posse peruenire ad aliquem terminum, nisi habeat aliquam cognitionem in generali, vel in spirituali, de via pertingendi ad illum terminum: ergo necessarium ad salutem fuit illis qui aduentum Christi præcesserunt, vt cognoscerent in generali, vel in spirituali, viam pertingendi ad æternam salutem. Cum autem illam salutem cognoscerent esse supernaturalem, oportebat vt cognoscerent se non posse ad illam pertingere via naturali, sed tantum via supernaturali, generi humano à Deo prouisa, & quia Deus prouiderat electos saluandos per mediatorem, quapropter dicit Saluator Ioan. 14. *Ego sum via.*

SEQVITVR, quod necessarium fuit ad salutem eis credere mediatorem, saltem implicite; & quia illa cognitio nõ erat clara, nec respectu rei præsentis; sed erat ænigmatica, sequitur quod oportebat quod illa cognitio esset per fidem. Præterea sicut dicit Hugo primo libro de sacramentis parte 10. cap. 5. Semper in ecclesia Dei ab initio fuit fides, & cognitio incarnationis & passionis Christi, quia ab initio nunquam defuerũt qui hoc cognouerunt, & hoc patet quia semper fuerunt aliqui qui Deo sacrificia offerebant, Christum signantia, & ipsius passionem. Illis autem per reuelationem Deus iusserat; vt alios de via salutis, per illa sacrificia, & aliquibus modis alijs, sub quodam velamine instruerent, quousque per mediatorem, via salutis absque velamine ostenderetur. Illi autem viri tantæ erant perfectionis, & tantam cum Deo familiaritatem habentes, & tanta pro eis Deus faciebat, sicut patuit in Noe & Moyse, & pluribus alijs; quod alij, concurrente supernaturali illustratione interiori, quam habebat quilibet, cuius intellectum non velabat malitia voluntatis; tenebantur eis, de via salutis credere, & eorum sacrificia à Deo instituta esse, ad signandum viam salutis, à Deo prouisam. Certum est autem, quod illi maiores quibus hoc Deus reuelauerat, tenebantur habere fidẽ de mediatore non velatam. Alij autem in hoc quod tenebantur maioribus assentire, tenebantur saltem ad fidem velatam; ergo omnibus fidelibus, qui aduentum Christi præcesserunt, necessarium fuit credere mediatorem cum velamine, vel sine; vel explicite, vel implicite, vnde Augustin. in Enchiridio. cap. penult dixit quod *nec antiquorum quicumque iustorum, præter Christi fidem salutem potuit inuenire.* Item in epistola ad Optatum. *Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem siue maioris, siue paruulæ & recentis ætatis, liberari ab obligatione mortis antiquæ & contagione peccati, quod prima Natiuitate contraxit, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum.*

Semper fuit necessaria ad salutem cognitio mediatoris saltem implicita, per fidem.

Patriarchæ quibus Deus misteriũ mediatoris reuelauit habebant de eo fidem explicitã a'ij autem tenebantur illis credere eo modo quo rẽ ijs propalarũt explicite vel implicite.

AD DECIMVMTERTIVM, scilicet *vtrum omnibus, qui Christi præcesserunt aduentum, necessarium fuit ad salutem explicite credere mediatorem.* Dicendum quod eorum qui aduentum Christi præcesserunt, quidam sunt sub lege scripta: quidam sub lege naturæ, non sub lege scripta; & istorum quidam fuerunt viri eminentis perfectionis, quibus reuelata erant explicite multa, vel omnia, de mediatore credenda: & hi tenebantur ad habendum de mediatore fidem explicitam, secundum mensuram & modum reuelationis sibi factæ; alij autem ad habendum fidem explicitam de mediatore non tenebantur, sed sufficiebat eis credere, quod in præcedentibus dictum est. Similiter hi qui fuerunt sub lege scripta, quidam fuerunt viri perfectionis eminentis, quibus reuelata erant explicite multa, vel omnia de mediatore credenda: & hi ad fidem explicitam de mediatore tenebantur secundum modum reuelationis sibi factę. Alij autem non tenebantur ad credendum explicite aliquid de mediatore, nisi hoc quod Deus mitteret personam mediatoris, & redemptoris; sed vtrum esset Angelus, vel homo purus, vel Deus & homo,

Quilibet qui Christum præcesserunt tenebantur de mediatore credere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

homo, credere explicite non tenebantur. Et his expreſſe concordat Hugo li. de ſac. parte 10. c. 5. dicens: *Ante legem Deus creator credebatur, & ab eo ſalus, & redemptio expectabatur; per quem vero, & quomodo eadem ſalus implenda ac perficienda foret, exceptis paucis quibus ſingulariter hoc ſcire in munere datum erat, à cæteris etiam fidelibus non cognoſcebatur. Sub lege autem perſona redemptoris mittenda prædicabatur & ventura expectabatur, quæ autem ipſa perſona foret, hoc eſt homo, vel Angelus, vel Deus, nondum manifeſtabatur. ſoli hoc cognouerunt, qui per Spiritum ſanctum ſingulariter ad hoc illuminati fuerunt.*

Si autem inueniantur aliquę auctoritates Auguſtini vel aliorum Doctorum quæ videantur ſonare quod fideles, qui præceſſerunt Chriſti aduentum diſtinctius, & magis in ſpirituali tenerentur credere mediatorem quam dictum eſt, exponi poſſunt ſecundum ſentẽtiam Hug. primo libro de ſacris. parte 10. c. 6. vbi dicit hoc modo. *Sano intellectu dici poteſt, omnes ab initio iuſtos ſaluatoris fidem habuiſſe, & omnes in fidem redemptionis venturæ, iuſtificatos fuiſſe; quia eandem redemptionem, vel venturam cognouerunt, vel cognoſcentibus, & credentibus crediderunt, & cum hac fide ſacramenta ipſius redemptionis, quę ab initio inſtituta ſunt ad ſanctificationem ſuſceperunt, & in ipſis iam redemptionem ſuam, quaſi in vmbra & figura portauerunt.*

Ad decimvmqvartvm, ſcil. *vtrum omnibus qui ſecuti ſunt aduentum Chriſti neceſſarium fuerit ad ſalutem credere explicite omnes articulos fidei.* Dicendum quod illorum qui aduentum Chriſti ſecuti ſunt, quidã ſunt maiores, quibus vel ratione officij, vt Doctoribus; vel ratione miniſterij, vt prædicatoribus; vel ratione gradus dignitatis, vt prælatis, vel alicuius ſpiritualis interioris illuminationis, vt prophetis; incumbit non tantũ dare operam vt ſeipſos diſponant ad hoc vt perducantur in finem, quamuis ad hoc principalius teneantur; ſed etiã incumbit eis dare operã quantum in eis eſt, vt alij perducantur in finem. Alij ſunt minores, ad quos de lege cõmuni mediantibus maioribus, à Deo doctrina fidei deriuata eſt; & ſicut videmus, quod quia diuinæ illuminationes deriuantur ad Angelos inferiores mediantibus ſuperioribus, oportet quod ſuperiores de rebus diuinis habeant notitiam pleniorem. A ſimili dico aliqualiter, quod oportet ſuperiores in eccleſia habere notitiam de fide pleniorem quam inferiores, vnde ſuperiores prędictos credo teneri ad credendum omnes articulos fidei explicite, quamuis nõ teneatur quilibet eorum credere numerum, vel artificialem diſtinctionẽ eorum. Minores vero etſi teneantur explicite credere aliquos articulos, qui magis ſunt neceſſarij ad dirigendum in finem, & qui in eccleſia ſolennizantur communiter & publicè: vt ſunt articuli pertinentes ad perſonas, & articulus pertinens ad vnitatem eſſentiæ, vt Chriſti Natiuitas, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, aduentus ad iudicium; non tamen tenentur ad credendum omnes articulos explicite. Si autẽ ſunt vel eſſent aliqui, quibus non eſt Chriſtus locutus, nec per ſe, nec per Apoſtolos, nec per prædicatores aliquos; nec eis reuelauerit per aliquam interiorẽ inſpirationem, quid credendum; tales non tenerentur ad credendum explicite, niſi illud quod credebatur ſub lege naturæ: vnde de Iudæis dicit Saluator Ioan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem,* peccatum non haberent, ſcilicet de hoc quod non credebant in eum, ſecundum gloſſam ibidẽ.

Ad decimvmqvintvm, ſ. *vtrum eadem ſit fides modernorum & eorum qui fuerunt ante Chriſti aduentum.* Dicendum, quod fides poteſt accipi vel pro his quæ creduntur, vel pro habitu quo creduntur, vel pro actu credendi. Primo modo loquendo de fide, eadem fides fuit ſecundum numerum fidelium, qui aduentũ Chriſti præceſſerunt, & qui ſecuti ſunt; quia eandem veritatem in numero, quam illi implicite crediderunt, iſti explicite credunt. Secundo modo & tertio loquendo de fide dico, quod eadem fides in ſpecie eſt iſtorum & illorum, quia eidem rationi formali, ſcilicet ſummæ veritati cui iſti in credendo innituntur, etiam illi qui aduentum Chriſti præceſſerunt innitebantur; vnitas autem habitus ſecundum ſpeciem attenditur ex ſui comparatione ad formalẽ rationem ſui obiecti, & prẽterea vt iam dictum eſt, ipſa credita ſunt eadem, quamuis ab illis eſſent credita implicite, & ab iſtis explicite. vnde ſicut eadem diliguntur per eandem charitatem in ſpecie, ab vno implicite, ab alio explicite, per eandem tamen rationem formalem; ſic rectè dicitur, quod per eandem fidem in ſpecie, à fidelibus antiquis & modernis, eadem ſunt credita ab illis implicite, & ab iſtis explicite, per eandem tamen rationem formalem.

Ad decimvmsextvm, ſ. *vtrum fides creuerit quantum ad numerum credendorum.* Dicendum, quod ex dictis in quæſtione præcedenti ſatis haberi poteſt, quod fides non creuit quãtum ad credendorum multitudinem, per nouorum articulorum additionem, ſed ſolum per implicitorum explicationem, quia quæ aliquo tempore implicite proponebantur credenda, & implicite credebantur; poſtea proceſſu temporis explicite ſunt ad credendum propoſita, & explicite credita.

Fides non creuit quoad numerum credendorum, ſed tantum quoad modũ credendi.

Ad decimvmseptimvm, ſ. *vtrum certior ſit fides modernorum quam fuerit antiquorum.* Dicendum, quod ſi fiat comparatio modernorum ad illos, qui aduẽtum Chriſti præceſſerunt, quantum ad ſingulares perſonas; ſic dico quod aliquæ perſonæ ante Chriſti aduentum certius crediderunt credenda quam multi qui aduentum Chriſti ſunt ſecuti. Sed ſi comparetur communitas ad communitatem, credenda certius credita ſunt per fidem modernorum, quam per illorum fidẽ qui Chriſti præceſſerunt aduentum. Credere enim eſt intellectu aſſentire ad Imperium voluntatis, non viſæ veritati. Certior ergo elicitur actus credendi; & per voluntatis imperantis maiorem perfectionẽ, & per habitum charitatis maiorem, & per maiorem intellectus, & habitus fidei determinationem, & per veritatis creditæ maiorem manifeſtationem. Poſt Chriſti autem aduentum per meritum paſſionis Chriſti iam exhibitæ, & per plures interceſſiones ſanctorum, charitas abundantius infunditur voluntati, & fides intellectui. Veritas etiam credita magis eſt manifeſtata, per veritates articulorum aliquorum adimpletionem, per quam alij articuli probari poſſunt à nobis efficacius, & propter Chriſti & Apoſtolorum & Doctorum doctrinam, per quam ſcriptura ſacra patet apertius, & credibilia intellectui repræſentantur diſtinctius, & ordinatius, & expreſſius, & etiam propter teſtium idoneorum multiplicationẽ, ſecundum Apoſtolum ad Heb. 12. vnde Ricardus primo li. de Tri. *Vtinam attenderent Iudæi, vtinam animadverterent pagani, cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte, ad diuinum iudicium poterimus accedere; nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus, Domine ſi error eſt à teipſo decepti ſumus: Nam iſta in nobis tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt, certè à ſummæ ſanctitatis viris ſunt nobis tradita, & cum ſumma & Autentica atteſtatione probata, teipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Certior eſt fides ſubſequentium Chriſtum quam præcedentium per ſe loquendo.

Quid à quolibet poſt Chriſtũ credendum.

Eadem ſunt credita ante aduentum Chriſti & poſt, licet diuerſimode; fuitque fides omni tempore eiuſdem ſpeciei.

De actu fidei.

DISTINCTIO XV.

Circa ſecundum principale, ſcilicet de actu fidei, conſiderandum eſt. Primo de actu eius interiori, qui eſt credere. Secundo de actu exteriori. Circa primum conſideranda ſunt nouem. Primo quid ſit credere, & quot modis dicatur. Secundo vtrum credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem. Tertio vtrum credere illa ad quæ ratio naturalis pertingere poteſt, ſit neceſſarium. Quarto, vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem explicite aliqua credere. Quinto vtrum ad credendum explicite omnes æqualiter teneantur. Sexto vtrum explicite credere myſterium incarnationis Chriſti, ſit de neceſſitate ſalutis. Septimo vtrum credere Trinitatem explicite ſit de neceſſitate ſalutis. Octauo vtrum actus fidei meritorius ſit. Nono vtrum ratio humana diminuat de merito fidei.

Quid credere.

AD PRIMVM, ſcilicet *quid ſit credere*. Dicēdum quod ſecundum Aug. credere eſt cum aſſenſione cogitare. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt quod cogitare tripliciter ſumitur. Vno modo communiter pro qualibet actuali cōſideratione intellectus, ſicut Aug. dicit in 14. de Tri. *hanc nunc dico intelligentiam quam intelligimus cogitantes*. Alio modo dicitur cogitare propriè magis, conſideratio intellectus, quæ eſt cum quadam inquiſitione antequam perueniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem viſionis, & ſecundum hoc Aug. in 15. de Tri. dicit, quod *Dei filius non cogitatio dicitur, ſed verbum Dei dicitur, cogitatio quippe noſtra perueniens ad id quod ſcimus, atque inde* formata, verbum noſtrum eſt: & ideo verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi, non autem aliquid habens formale, quod poſſit eſſe informe. & ſecundum hoc cogitatio dicitur motus animi deliberantis, nondum perfecti per plenam veritatem viſionis, vel viſionem veritatis. Sed quia talis motus poteſt eſſe, vel animi deliberātis circa intētiones vniuerſales, quod pertinet ad intellectiuam partem; vel circa intentiones particulares, quod pertinet ad partem ſenſitiuam, Ideo cogitare ſecundo modo ſumitur pro actu intellectus deliberantis. Tertio modo pro actu virtutis cogitatiuæ. Si igitur cogitare ſumitur communiter ſecundum primum modum, ſic hoc quod dicitur cum aſſenſione cogitare, non dicit totā rationem eius quod eſt credere; nam per hunc modum qui conſiderat ea quę ſcit vel intelligit, cum aſſenſione cogitat. Si vero ſumatur cogitare ſecundo modo, ſic in hoc intelligitur tota ratio huius actus, qui eſt credere. Actuum enim ad intellectum pertinentium, quædam habent firmam aſſenſionem abſque tali cogitatione, ſicut cum aliquis conſiderat ea quæ ſcit vel intelligit; talis enim conſideratio iam eſt formata. quidam vero actus intellectus habent cogitationem informem abſque firma aſſenſione, ſiue in neutram partem declinent, ſicut accidit dubitanti; ſiue in vnam partem magis declinent, ſed tenentur aliquo leui ſigno, ſicut accidit ſuſpicanti; ſiue vni parti adhæreant tantum, cum formidine alterius, quod accidit opinanti. Sed actus iſte qui eſt credere habet firmam adhæſionem ad vnam partē, in quo conuenit credens cum ſciente & intelligente; & tamen eius cogitatio non eſt perfecta per maximam viſionem, in quo conuenit cum dubitante, ſuſpicante, & opinante; & ſic proprium eſt credentis vt etiā cum aſſenſu cogitet, & per hoc diſtinguitur iſte actus qui eſt credere, ab omnibus actibus intellectus, qui ſunt circa verum vel falſum.

Quomodo differunt credere Deo, credere Deū, & credere in Deum.

ET NOTA quod differt credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Hanc diſtinctionem ponit Aug. ſuper Io. Actus enim cuiuſlibet potentiæ vel habitus accipitur ſecundum ordinem potentiæ vel habitus ad ſuum obiectum. Obiectum autem fidei poteſt tripliciter conſiderari: cum enim credere ad intellectū pertineat prout eſt à voluntate motus ad aſſentiendum, vt dictum eſt, poteſt obiectum fidei accipi vel ex parte ipſius intellectus, vel ex parte voluntatis intellectum mouētis. Si quidem ex parte intellectus, ſic in obiecto fidei duo poſſunt conſiderari, ſicut ſupra dictum eſt: quorum vnum eſt materiale obiectum fidei, & ſic ponitur actus fidei credere Deo: quia ſicut ſupra dictum eſt, nihil proponitur nobis ad credendum niſi ſecundū quod ad Deum pertinet. Aliud eſt autem formalis ratio obiecti quod eſt ſicut medium, propter quod tali credibili debeamus aſſentire, & ſic ponitur actus fidei credere Deum, quia ſicut ſupra dictum eſt, formale obiectum fidei eſt veritas prima, cui inhæret homo vt propter eam creditis aſſentiat. Si vero conſideretur tertio modo obiectum fidei, ſecundum quod intellectus eſt motus à voluntate, ſic ponitur actus fidei credere in Deum: Veritas enim prima ad voluntatem refertur ſecundum quod habet rationem finis.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem*: Dicendum quod in omnibus naturis ordinatis, inuenitur quod ad perfectionem inferioris naturę duo occurrunt. Vnum quidem quod eſt ſecundum proprium motum, aliud autem quod eſt ſecundum motum ſuperioris naturæ: ſicut aqua ſecundum motum proprium mouetur ad centrum; ſecundum autem motum Lunæ, mouetur circa centrum ſecundum fluxum & refluxum. Similiter etiam orbes planetarum mouentur propriis motibus ab Occidente in Orientem; motu autem primi orbis, ab Oriente in Occidentem. ſola autem natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deū; quia cęteræ creaturæ nō attingunt ad aliquid vniuerſale, ſed ſolum ad aliquid particulare, participantes diuinam bonitatem, vel in eſſendo tantum, ſicut inanimata; vel etiam viuendo & cognoſcendo ſingularia, ſicut plantæ, & animalia: Natura autem rationalis inquantum cognoſcit vniuerſalē boni & entis rationē, habet immediatum ordinē ad vniuerſale eſſendi principium. perfectio igitur rationalis creaturæ, non ſolum conſiſtit in eo quod ei competit ſecundum ſuam naturam, ſed etiam in eo quod ei attribuitur, ex quadam ſupernaturali perfectione diuinæ bonitatis. vnde & ſupra dictum eſt, quod vltima beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali Dei viſione: ad quam quidē viſionem homo pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis à Deo Doctore, ſecundum illud Io. 6. *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me*. huius autem diſciplinæ fit homo particeps non ſtatim, ſed ſucceſſiuè ſecundum modum ſuæ naturæ. Omnis autem talis addiſcens oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam ſcientiam perueniat: Sicut etiam Philoſophus dicit quod oportet addiſcentem credere. vnde ad hoc quod homo perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo, tanquam diſcipulus magiſtro docenti.

Credere aliquid ſupra rationē naturalem, eſt neceſſarium ad ſalutem.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum ea quæ naturali ratione probari poſſunt, ſit neceſſarium credere*. Dicendum, quod neceſſe eſt accipere per modum fidei, non ſolum ea quæ ſunt ſupra rationem, ſed etiam ea quę per rationem cognoſci poſſunt: & hoc propter tria. Primo quidem vt citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum eſſe, & alia huiuſmodi de Deo, vltimo hominibus addiſcenda proponitur, præſuppoſitis multis aliis ſcientiis, & ſic non niſi poſt multum tempus vitæ ſuæ, homo ad Dei cognitionem perueniret. Secundo autē vt cognitio Dei ſit communior: multi enim in ſtudio ſcientiæ proficere non poſſunt vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, & neceſſitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiſcendi. qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, niſi proponerentur eis diuina per modum fidei. Tertio, propter certitudinem: ratio enim humana in rebus diuinis eſt multum deficiens, cuius ſignum eſt quia philoſophi de rebus humanis naturaliter inueſtigantes, in multis errauerunt, & ſibiipſis contraria ſenſerunt. Vt ergo eſſet indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod diuina eis per modum fidei traderentur quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.

Illa quæ naturali lumine probari poſſunt, credenda ſunt propter tria.

AD QVARTVM, ſcil. *vtrum teneatur homo aliquid explicite credere*. Dicendum, quod præcepta legis quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui ſunt via perueniendi ad ſalutem. Actus autem virtutis ſicut ſupra dictum eſt, ſumitur ſecundum habitudinē habitus ad obiectum. Sed in obiecto cuiuſlibet virtutis poſſunt duo conſiderari, ſcil. id quod eſt propriè & per ſe virtutis obiectum, quod neceſſarium eſt in omni actu virtutis, & iterum id quod per accidens ſiue conſequenter ſe habet, ad propriam rationem obiecti. Sicut ad obiectum fortitudinis propriè & per ſe pertinet, ſuſtinere pericula mortis, & aggredi hoſtes cum periculo, propter bonum commune, ſed quod homo armetur vel ſe percutiat in bello iuſto, aut aliquid huiuſmodi faciat, reducitur quidem ad obiectum fortitudinis, ſed per accidens. Determinatio igitur virtuoſi

actus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

actus, ad proprium & per ſe obiectum virtutis, eſt ſub neceſſitate præcepti: ſicut & ipſe virtutis actus. Sed determinatio actus virtuoſi ad ea quæ accidentaliter, vel ſecundario ſe habent, ad proprium & per ſe obiectum virtutis, non cadit ſub neceſſitate præcepti, niſi loco & tempore. Dicendum eſt igitur quod fidei obiectum per ſe, eſt id quo homo beatus efficitur, vt ſupra dictum eſt. Per accidens vel ſecundario, ſe habent ad obiectum fidei, omnia quæ in ſcripturis diuinitus tradita continentur: ſicut quod Abraham habuit duos filios: quod Dauid fuit filius Iſai: & alia huiuſmodi. Quantum igitur ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, ſicut & tenetur habere fidem: quantum autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicite credere, ſed ſolum implicite, vel in præparatione animi, inquantum paratus eſt credere quicquid in diuina ſcriptura continetur; ſed tunc ſolum ea tenetur explicite credere, quando hoc ei conſtiterit in Doctrina fidei contineri.

Tenetur homo explicite credere articulos fidei, cætera implicite.

Ad qvintvm, ſcili. *vtrum omnes æqualiter teneantur explicite credere.* Dicendum quod explicatio credendorum fit per reuelationem diuinam; credibilia enim naturalem rationem excedunt: reuelatio autem diuina, ordine quodam fit per ſuperiores, ſicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per ſuperiores, vt patet per Diony. 3. Cæl. Hier. Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet quod perueniat ad inferiores homines per maiores. Et ideo ſicut ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus diuinis, quam inferiores, vt dicit Diony. 12. ca. cæl. Hierar. Ita etiam ſuperiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicite credere.

Quidam tenentur habere pleniorem notitiã credendorum quam alij.

Ad sextvm, ſcil. *vtrum explicite credere myſterium Incarnationis Chriſti ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, Illud propriè & per ſe pertinet ad obiectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur: via autem hominibus veniẽdi ad beatitudinem eſt myſterium Incarnationis Chriſti & paſſionis; dicitur enim Actuum 4. *Non eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et ideo myſterium Incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit omni tempore eſſe traditum apud omnes, diuerſimode tamen, ſecundum diuerſitatem temporum & perſonarum. Nam ante ſtatum peccati homo habuit explicatam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per paſſionem & reſurrectionem; quia homo non fuit præſcius peccati futuri, videtur tamen Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe, per hoc quod dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, vt habetur Gen. 2. & hoc Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit, *ſacramentum magnum eſſe in Chriſto & Eccleſia*, quod quidem ſacramentum non eſt credibile primum hominem ignoraſſe. Poſt peccatum autem fuit explicite creditum myſterium Chriſti, non ſolum quantum ad Incarnationem, ſed etiam quantum ad paſſionem & reſurrectionẽ, quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſſionem quibuſdam ſacrificiis, & ante legem, & ſub lege; quorum quidẽ ſacrificiorum ſignificatum, explicite maiores cognoſcebãt: minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credentes ea diuinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant fidem velatam. & ſicut ſupra dictum eſt, ea quæ ad myſteria Chriſti pertinent tanto diſtinctius cognouerunt, quanto propinquiores Chriſto fuerunt. poſt autẽ tempus gratiæ reuelatę tam maiores, quàm minores, tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti, præcipuè quantum ad ea quæ communiter in Eccleſia ſolennizantur, & publicè proponuntur; ſicut ſunt articuli Incarnationis, de quibus ſupra dictum eſt. Alias autem ſubtiles conſiderationes, circa Incarnationis articulos, tenentur aliqui magis vel minus explicite credere, ſecundum quod conuenit ſtatui & officio vniuſcuiuſque.

Fides Incarnationis quomodo omni tempore extitit.

Ad septimvm, ſcil. *vtrum explicite credere Trinitatem ſit de neceſſitate ſalutis.* Dicendum, quod myſterium Incarnationis Chriſti, explicitè credi non poteſt, ſine fide Trinitatis: quia in myſterio Chriſti hoc continetur, quod filius Dei carnem aſſumpſerit; quod per gratiam Spiritus ſancti mundum renouauerit: & iterum quod de Spiritu ſancto conceptus fuerit. Et ideo eo modo quo myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum, fuit quidem explicitè creditum à maioribus, implicitè autem & quaſi obumbratè à minoribus, ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ diuulgatæ, tenentur omnes ad explicitè credendum myſterium Trinitatis, & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, adipiſcuntur hoc per inuocationem Trinitatis, ſecundum illud Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Omnes iam tenentur explicite credere myſterium Trinitatis.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum actus fidei ſit meritorius.* Dicendum, quod actus noſtri ſunt meritorij, inquantum procedunt ex libero arbitrio, ſi ſit motum à Deo per gratiam: vnde omnis actus humanus, qui ſubiicitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt eſſe meritorius; ipſum autem credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati diuinæ, ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam, & ſic ſubiacet libero arbitrio in ordine ad Deum, vnde actus fidei poteſt eſſe meritorius.

Actus fidei poteſt eſſe meritorius.

Ad nonvm, ſcili. *vtrum ratio humana, inducta ad ea quæ ſunt fidei, diminuat meritum.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, actus fidei poteſt eſſe meritorius, inquantum ſubiacet voluntati, non ſolum quantum ad vſum, ſed etiam quantum ad aſſenſum. Ratio autem humana inducta ad ea quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt ſe habere ad voluntatem credentis; vno quidem modo, ſicut præcedens: Puta cum quis aut non haberet voluntatem, aut non haberet promptam voluntatem ad credendum, niſi ratio humana induceretur: & ſic ratio humana inducta diminuit meritum fidei; ſicut etiã ſupra dictum eſt, quod paſſio præcedens electionem in virtutibus moralibus, diminuit laudẽ virtuoſi actus. Sicut enim homo actus virtutum moralium debet exercere propter iudicium rationis, non tamen propter paſſionem; ita credere debet homo ea quæ ſunt fidei, non propter rationem humanam, ſed propter auctoritatem diuinam. Alio modo ratio humana poteſt ſe habere ad voluntatem credentis conſequenter: cum enim homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & ſuper ea excogitat & amplectitur, ſi quas rationes ad hoc inuenire poteſt: & quantum ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei; ſed eſt ſignum maioris meriti, ſicut etiam paſſio conſequens in virtutibus moralibus eſt ſignum promptioris voluntatis, vt ſupra dictum eſt: & hoc ſignificatur Ioann. 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana ſignatur, dixerunt: *Iam non propter tuam loquelam credimus.*

Quo ſenſu ratio humana inducta minuat meritum fidei.

De actu exteriori fidei.

DISTINCTIO XVI.

Deinde conſiderandum eſt de actu exteriori fidei. Et circa hoc videnda ſunt duo. Primo, vtrum confeſſio ſit actus fidei. Secundo, vtrum confeſſio ſit neceſſaria ad ſalutem.

Ad primvm, ſcil. *vtrum confeſſio ſit actus fidei.* Dicendum, quod actus exteriores propriè ſunt illius virtutis, ad quorum fines ſecundum ſuas ſpecies referuntur, ſicut ieiunare ſecundum ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtinentiæ, quæ eſt compeſcere carnem: & ideo eſt actus abſtinentiæ: cõfeſſio autem eorum, quæ ſunt fidei, ſecundum ſuam ſpeciem ordinatur ſicut ad finem, ad id quod eſt fidei, ſecundum illud, 2. ad Cor. 4.

Confeſſio exterior eſt actus fidei.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Habentes eundem ſpiritum fidei, propter quod & loquimur. Exterior enim locutio ordinatur ad ſignificandum id quod in corde concipitur: vnde ſicut conceptus interior eorum quæ ſunt fidei, eſt propriè fidei actus, ita etiam & exterior confeſſio.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum confeſsio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem.* Dicendum, quod ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, cadunt ſub præceptis diuinæ legis: confeſſio autem fidei, cum ſit quiddam affirmatiuum, non poteſt cadere niſi ſub præcepto affirmatiuo: vnde eo modo eſt de neceſſariis ad ſalutem, quo modo poteſt cadere ſub præcepto affirmatiuo diuinæ legis. Præcepta autem affirmatiua, vt ſupra dictum eſt, non obligant ad ſemper; etſi ſemper obligent: obligant autem pro loco & tempore, & ſecundum alias circunſtantias debitas, ſecundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod ſit actus virtutis: ſic igitur confiteri fidem, non ſemper, nec in quolibet loco, eſt de neceſſitate ſalutis: ſed aliquo loco & tempore, quando ſcilicet per omiſſionem huiuſmodi confeſſionis, ſubtraheretur honor debitus Deo, vel etiam vtilitas proximis impendenda; puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide: in huiuſmodi enim caſibus, confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis.

Confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis aliquo loco & tempore.

De habitu fidei.

DISTINCTIO XVII.

CIRCA tertium principale, ſcilicet de ipſo habitu fidei conſideranda ſunt octo. Primo, quid ſit fides. Secundo, vtrum ſit virtus. Tertio, vtrum ſit vna virtus. Quarto, vtrũ ſit homini infuſa à Deo. Quinto, vtrum forma eius ſit charitas. Sexto, vtrum eadem numero ſit fides formata & informis. Septimo, de ordine eius ad alias virtutes quantum ad primitatem. Octauo, de comparatione certitudinis eius ad certitudinem virtutum intellectualium.

PRIMO ergo quæritur, *vtrum diffinitio fidei quam ponit Apoſtolus Hebr. 11. ſit conueniens:* hæc ſcilicet, *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Ad hanc quæſtionem dicendum, quod licet aliqui dicant prædicta Apoſtoli verba, non eſſe diffinitionem fidei, quia diffinitio indicat quid eſt eſſe rei: tamen ſi aliquis rectè conſideret, omnia ex quibus fides poteſt diffiniri, in prædicta diffinitione ſiue deſcriptione tanguntur, licet verba non ordinentur ſub forma diffinitionis; ſicut etiam apud philoſophos prætermiſſa ſyllogiſtica forma, ſyllogiſmorum principia tanguntur.

Explicatur definitio fidei quæ habetur Heb. 11.

AD CVIVS euidentiam conſiderandum eſt, quod cum habitus cognoſcantur per actus, & actus per obiecta: fides, cum ſit habitus quidam, debet diffiniri per proprium actum in comparatione ad proprium obiectum. Actus autem fidei eſt credere; qui ſicut ſupra dictum eſt, actus eſt intellectus determinati ad vnum, ex imperio voluntatis. Sic ergo actus fidei habet ordinem ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum & finis, & ad obiectum intellectus, quod eſt verum: & quia fides, cum ſit virtus Theologica, ſicut ſupra dictum eſt, habet idem pro obiecto & fine; neceſſe eſt, quod obiectum fidei & finis, proportionaliter ſibi correſpondeant. Dictum eſt autem ſupra, quod veritas prima eſt obiectum fidei, ſecundum quod ipſa eſt non viſa, & ea quibus propter ipſam inhæretur. Secundum hoc oportet, quod ipſa veritas prima ſe habeat ad actum fidei per modum finis, ſecundum rationem rei non viſæ, quod pertinet ad rationem rei ſperatæ, ſecundum illud Apoſt. Rom. 8. *Quod non videmus, ſperamus.* Veritatem enim videre, eſt ipſam habere: Non autem ſperat aliquis id quod iam habet: ſed ſpes eſt de hoc, quod non habetur, vt ſupra dictum eſt. Sic igitur habitudo actus fidei ad finem, qui eſt obiectum voluntatis, ſignificatur in hoc, quod dicitur: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.* Subſtantia enim ſolet dici prima inchoatio cuiuſlibet rei, & maximè quando tota res ſequens, continetur virtute in primo principio: puta ſi dicamus, quod prima principia indemonſtrabilia ſunt ſubſtantia ſcientiæ, quia ſcilicet primum quod in nobis eſt de ſcientia, ſunt huius principia, & in eis virtute continetur tota ſcientia. Per hunc ergo modum dicitur fides eſſe ſubſtantia rerum ſperandarum, quia ſcilicet prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas. In hoc enim ſperamus beatificari, quod videbimus aperta viſione veritatem, cui per fidem adhæremus, vt patet per ea, quę ſupra de fide dicta ſunt. Habitudo autem actus fidei ad obiectum fidei intellectus, ſecundum quod eſt obiectum fidei, deſignatur in hoc quod dicitur; *argumentum non apparentium:* & ſumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad adhærendum alicui vero: vnde ipſa firma adhæſio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hic argumentũ: vnde alia littera habet conuictio, quia ſcilicet per auctoritatem diuinam intellectus credentis conuincitur ad aſſentiendum his quæ non videt. Si quis ergo in formam diffinitionis huiuſmodi verba reducere velit, poteſt dicere, quod *fides eſt habitus mentis, quæ inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus:* per hoc autem fides ab omnibus aliis diſtinguitur, quæ ad intellectum pertinent: per hoc enim, quod dicitur argumentum, diſtinguitur fides ab opinione, ſuſpitione, & dubitatione, per quæ non eſt adhæſio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur, *non apparentium*, diſtinguitur fides à ſcientia, & intellectu, per quę aliquid fit apparens. Per hoc autem quod dicitur, *ſubſtantia rerum ſperandarum*, diſtinguitur virtus fidei à fide communiter ſumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem ſperatam.

OMNES autem aliæ diffinitiones quæcunque de fide dantur, explicationes ſunt huius, quam Apoſtolus ponit. Quod autem dicit Aug. *Fides eſt virtus qua creduntur quæ non videntur.* Et quod dicit Damaſcenus, quod *fides eſt non acquiſitus conſenſus.* Et quod alij dicunt, quod *fides eſt certitudo quædam animi de abſentibus ſupra opinionem & infra ſcientiam*; idem eſt ei, quod Apoſtolus dicit, *argumentum non apparentium.* Quod vero Dionyſ. 7. cap. de Diui. no. dicit, quod *fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipſis veritatem:* idem eſt ei, quod dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum.*

Soluuntur obiectiones.

EX dictis patet, quod ſubſtantia non ſumitur hic propriè, ſecundum quod eſt genus generaliſſimum: ſed ſecundum quod in quolibet genere inuenitur ſimilitudo ſubſtantiæ, prout ſcilicet primum in quolibet genere, continens in ſe alia in virtute, dicitur eſſe ſubſtantia illorum. Magis autem dicitur fides eſſe ſubſtantia rerum ſperandarum, quàm diligendarum (licet charitas ſit forma fidei, non ſpes, ſicut infra dicetur) quia dilectio poteſt eſſe viſorum, & non viſorum, præſentium, & abſentium: Et ideo res diligenda non ita propriè adaptatur fidei, ſicut ſperanda; cum ſpes ſit ſemper abſentium, & non viſorum.

ITEM licet argumentum, ſecundum quod ſumitur ex propriis rei principiis, faciat rem eſſe apparentem, tamen ſecundum quod ſumitur ex auctoritate diuina, non facit rem eſſe apparentem, & ſic accipitur in diffinitione fidei.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum fides ſit virtus.* Dicendum, quod ſicut ex ſupradictis patet, virtus humana eſt, per quam actus humanus redditur bonus: vnde quicunque habitus, eſt ſemper principium boni actus, poteſt dici virtus humana; talis autem habitus eſt fides formata. Cum enim credere ſit actus intellectus aſſentientis vero ex imperio voluntatis: ad hoc, quod iſte actus ſit perfectus, duo requiruntur, quorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Fides formata est virtus, non autem fides informis.

vnum est, vt infallibiliter intellectus tendat in suum bonum, quod est verum: aliud est, vt infallibiliter ordinetur ad vltimum finem, propter quem assentit voluntas vero; & vtrumque inuenitur in actu fidei formatæ. Nam ex ratione ipsius est, quod intellectus semper feratur in verum, quia fidei non potest subesse falsum, vt supra dictum est. Ex charitate autem, quæ format fidem, habet anima, quod infallibiliter voluntas ordinetur ad bonum finem: & ideo fides formata est virtus. Fides autem informis non est virtus, quia etsi habeat perfectionem debitam, actus informis fidei, ex parte intellectus; non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis. sicut etiam si temperantia esset in concupiscibili, & prudentia non esset in rationali, temperantia non esset virtus, vt supra dictum est; quia ad actum temperantiæ requiritur & actus rationis, & actus concupiscibilis, sicut ad actum fidei requiritur & actus voluntatis, & actus intellectus.

NOTA tamen, quod fides connumeratur inter gratias gratis datas, 1. Cor. 12. Et similiter inter fructus, Galat. 5. & ex hoc inter virtutes, sicut dictum est. Sed quidam ponunt, quod fides, quæ connumeratur inter gratias gratis datas, est fides informis, quod non est conuenienter dictum, quia gratiæ gratis datæ, quæ ibi enumerantur, non sunt communes omnibus membris

Solutio obiect.

Ecclesiæ: vnde Apostolus ibi dicit: *Diuisiones gratiarum sunt.* Et iterum: *alij datur hoc, alij illud.* Fides autem informis cõmunis est omnibus membris Ecclesiæ, quia informitas eius non est de substantia eius, secundum quod est donum gratuitum. Vnde dicendum, quod fides ibi sumitur pro aliqua fidei excellentia, sicut pro constantia fidei, vt dicit Glos. vel pro sermone fidei. Ponitur autem fides inter fructus, secundum quod habet aliquam delectationem in actu suo, ratione certitudinis: vnde Gal. 5. Cum enumerantur fructus, exponitur fides, idest de inuisibilibus certitudo.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum fides sit vna virtus.* Dicendum, quod fides, si sumatur pro habitu, dupliciter potest considerari; vno modo ex parte obiecti, & sic est vna fides: obiectum enim formale fidei est veritas prima, cui inhærendo credimus quęcunque sub fide continentur; alio modo ex parte subiecti: & sic fides diuersificatur, secundum quod est diuersorum. Manifestum est autem, quod fides, & quilibet alius habitus ex formali ratione obiecti habet speciem, sed ex substantia indiuiduatur. Et ideo si fides sumatur pro habitu quo credimus: sic fides est vna specie, differens numero in diuersis: si vero sumatur pro eo quod creditur, sic etiam est vna fides, quia idem est quod ab omnibus creditur; etsi sint diuersa credibilia, quæ communiter omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad vnum.

Fides est vna virtus specie.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum fides sit virtus infusa:* Dicendum quod sic, sicut expressè dicit Apost. Eph. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis ne quis glorietur, Dei enim donum est.* Ad cuius euidentiam sciendum, quod ad fidem duo requiruntur: quorum vnum est, vt homini credibilia proponantur, quod requiritur ad hoc, quod homo aliquid explicitè credat. Aliud autem quod ad fidem requiritur est assensus credentis ad ea, quæ proponuntur. Quantum igitur ad primum horum, necesse est quod fides sit à Deo. Ea enim quæ sunt fidei, excedunt rationem humanam: vnde non cadunt in contemplatione hominis, nisi Deo reuelante: sed quibusdam quædam reuelantur immediatè à Deo, sicut sunt reuelata Apostolis, & Prophetis; quibusdam autem proponuntur à Deo mittẽte fidei prædicatores, secundum illud Roman. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Quantum vero ad secundum, scilicet ad assensum hominis in ea quæ sunt fidei, potest considerari duplex causa; vna quidem exterius inducens, sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem; quorum neutrum est sufficiens causa: videntium enim vnum & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt: & ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quæ mouet hominem interius ad assentiendum his, quæ sunt fidei. Hanc autem causam Pelagiani ponebãt solum liberum arbitrium hominis. & propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis, inquantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ sunt fidei: sed consummatio est à Deo, per quem nobis proponuntur ea, per quæ credere debemus. Sed hoc est falsum, quia cum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, eleuetur supra naturam suam: oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius mouente, quod est Deus. Et ideo fides quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, est à Deo interius mouente per gratiam.

Fides non solum formata, sed etiam informis, est infusa à Deo

DE fide informi etiam teneas, quod est Dei donum, & à Deo, sicut dicit quædam Glossa 1. Cor. 14. *Quod fides quæ est sine charitate, est donum Dei.* Cum autem informitas sit priuatio: considerandum est, quod priuatio quandoque pertinet ad rationem speciei, quandoque autem non: sed superuenit rei iam habenti propriam speciem, sicut priuatio debitæ commensurationis humorum, est de ratione speciei ipsius ægritudinis; tenebrositas autem non est de ratione speciei ipsius diaphani, sed superuenit: quia igitur, cum assignatur causa alicuius rei, intelligitur assignari causa eius, secundum quod in propria specie existit; ideo quod non est causa priuationis, non potest dici causa illius rei, ad quam pertinet priuatio, sicut existens de ratione speciei ipsius. Non enim potest dici causa ægritudinis, quod non est causa distemperantiæ humorum; potest tamen dici aliquid causa diaphani, quamuis non est causa obscuritatis, quæ non est de ratione speciei ipsius diaphani. Informitas autem fidei non pertinet ad rationem speciei ipsius fidei, cum fides dicatur informis propter defectum cuiusdam exterioris formæ, sicut dictum est. Et ideo illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictæ; hoc autem est Deus, vt dictum est: vnde relinquitur, quod fides informis sit donum Dei, quæ etsi non sit perfecta simpliciter, perfectione virtutis, est tamen perfecta quadam perfectione, quæ sufficit ad fidei rationem. Deformitas autem actus vitiosi, est de ratione speciei ipsius actus, secundum quod est actus moralis, vt supra dictum est: dicitur enim actus deformis per priuationem formæ intrinsecæ, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus. Et ideo non potest dici causa actus deformis Deus, qui non est causa deformitatis, licet sit causa actus, inquantum est actus. Vel dicendum, quod informitas non solum importat priuationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem: vnde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem: & ideo sicut actus deformis non est à Deo, ita nec aliqua fides falsa; & sicut fides informis est à Deo, ita etiam actus qui sunt boni ex genere, quamuis non sint charitate formati, sicut plerunque in peccatoribus contingit.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum forma fidei sit charitas.* Dicendum, quod sicut ex superioribus patet, actus voluntarij speciem recipiunt à fine, qui est voluntatis obiectum, id autem à quo aliquid speciem sortitur, se habet ad modum formę in rebus naturalibus. Et ideo cuiuslibet actus voluntarij, forma quodammodo est finis, ad quem ordinatur, tum quia ex ipso recipit speciem, tum etiam quia modus actionis oportet, quod respondeat proportionaliter fini. Manifestum est autem ex prędictis, quod actus fidei ordinatur ad obiectum voluntatis, quod est bonum, sicut ad finem: hoc autem bonum, quod est finis fidei, scilicet bonum diuinum, est proprium obiectum charitatis. Et ideo charitas dicitur forma fidei, inquantum per charitatem actus fidei perficitur & formatur.

Charitas est forma fidei.

AD SEXTVM, scilicet *vtrum eadem sit fides formata & informis.* Dicendum, quod circa hoc diuersæ fuerunt opinio-

opiniones. Quidam enim dixerunt, quod alius est habitus fidei formatæ, & alius fidei informis: sed adueniente fide formata, tollitur fides informis; & similiter in homine post fidem formatam peccante mortaliter, succedit alius habitus fidei informis à Deo infusus. Sed hoc non videtur esse conueniens, quod gratia adueniens homini, aliquod Dei donum excludat, neque etiam, quod aliquod Dei donum homini infundatur, propter peccatum mortale. Et ideo alij dixerunt, quod sunt quidem diuersi habitus fidei formatæ & informis: sed tamen adueniente fide formata, non tollitur habitus fidei informis: sed simul manet in eo cum habitu fidei formatæ. Sed hoc etiam videtur inconueniens, quod habitus fidei informis in habente fidem formatam, remaneat otiosus. Et ideo aliter dicendum est, quod idem est habitus fidei formatæ, & informis. Cuius ratio est, quia habitus diuersificatur secundum id, quod per se ad habitum pertinet. Cum autem fides sit perfectio intellectus, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum; quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita quod per hoc diuersificari possit habitus fidei. Distinctio autem fidei formatæ & informis, est secundum id quod pertinet ad voluntatem, ideſt secundum charitatem, non autem secundum id, quod pertinet ad intellectum: vnde fides formata, & informis, non sunt diuersi habitus.

Fides formata & informis, non sunt diuersi habitus.

Ad septimvm, scilicet *de ordine fidei ad alias virtutes.* Dicendum, quod aliquid potest esse prius altero dupliciter; vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem inter omnes virtutes prima est fides. Cum enim in agibilibus finis sit principium, vt supra dictum est: necesse est virtutes Theologicas, quarum obiectum est vltimus finis, esse priores cæteris virtutibus. Ipse autem finis vltimus oportet, quod prius sit in intellectu, quam in voluntate; quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum. Vnde cum vltimus finis sit quidem in voluntate per spem & charitatem, in intellectu autem per fidem: necesse est, quod fides sit prima inter omnes virtutes; quia naturalis cognitio non potest attingere ad Deum, secundum quod est obiectum beatitudinis, prout tendit in ipsum spes & charitas. Sed per accidens potest aliqua virtus esse prior fide: causa enim per accidens, est per accidens prior: remouere autem prohibens, pertinet ad causam per accidens, vt patet per Philos. in 8. Physic. & secundum hoc aliquę virtutes possunt dici per accidens priores fide, inquantum remouent impedimentum credendi; sicut fortitudo remouet inordinatum timorem impedientem fidem; humilitas autem superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei; & idem potest dici de aliquibus aliis virtutibus, quamuis non sint veræ virtutes, nisi præsuppositа fide, vt patet per Aug. in lib. contra Iulianum.

Fides est simpliciter prima inter omnes virtutes, licet aliæ possint esse priores secundum quid.

Ad octavvm, scilicet *vtrum fides sit certior scientia, & alijs virtutibus intellectualibus.* Dicendum, quod virtutum intellectualium duæ sunt circa contingentia, scilicet prudentia, & ars; quibus præfertur fides in certitudine ratione suæ materiæ, quia est de æternis, quæ non contingunt aliter se habere. Tres autem reliquę intellectuales virtutes, scilicet sapientia, scientia, & intellectus, sunt de necessariis, vt supra dictum est. Sed sciendum est, quod sapientia, scientia, & intellectus, dupliciter dicuntur; vno modo, secundum quod ponuntur virtutes intellectuales à Philos. in 6. Ethi. alio modo secundum quod ponuntur dona Spiritus sancti. Primo igitur modo dicendum est, quod certitudo potest considerari dupliciter; vno modo ex causa certitudinis: & sic dicitur esse certius illud, quod habet certiorem causam: & hoc modo fides est certior tribus prædictis, quia fides innititur veritati diuinæ: tria autem prædicta innituntur rationi humanæ: alio modo potest considerari certitudo ex parte subiecti: & sic dicitur esse certius, quod plenius consequitur intellectus hominis: & per hunc modum, quia ea quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea quæ subsunt tribus prædictis: ideo ex hac parte fides est minus certa. Sed quia vnumquodque iudicatur simpliciter quidem secundum suam causam; secundum autem dispositionem quæ est ex parte subiecti, iudicatur secundum quid; Inde est quod fides simpliciter certior est: sed alia sunt certiora, secundum quid, scilicet quo ad nos. Similiter autem si accipiantur tria prædicta, secundum quod sunt dona præsentis vitæ, comparantur ad fidem, sicut ad principium, quod præsupponunt: vnde secundum hoc fides est eis certior.

Fides est simpliciter certior scientia, & alijs virtutibus intellectualibus.

De subiecto fidei.

DISTINCTIO XVIII.

Circa quartum principale, scilicet de subiecto fidei considerandа sunt sex. Primo, vtrum fides sit in intellectu, sicut in subiecto. Secundo, vtrum sit in intellectu speculatiuo, vel practico. Tertio, vtrum Angelus, vel homo in prima sui conditione, habuerit fidem. Quarto, vtrum dęmones habeant fidem. Quinto, vtrum hæretici errantes in vno articulo fidei, habeant fidem de aliis articulis. Sexto, vtrum habentium fidem alius alio maiorem fidem habeat.

Ad primvm, scilicet *vtrum fides sit in intellectu, sicut in subiecto.* Dicunt aliqui, quod fides non tantum est in intellectu, sicut in subiecto, nec tantum in affectu, sed in vtroque. Quod bene potest intelligi: credere enim est voluntariè assentire primæ veritati nondum visæ: Vnde Bernar. 5. de consideratione cap. 7. *Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis.* Quod ideo dictum est, quia actus credendi, & ab intellectu elicitur, & à voluntate imperatur. Si ergo notitia Dei comprehendat non tantum habitum, quo determinatur intellectus ad actum credendi eliciendum: sed etiam habitum, quo determinatur voluntas ad actum imperandum: sic fides est intellectu & voluntate, sicut in subiecto. Quod certum est de fide formata, quia charitas per quam determinatur voluntas ad imperandum actum credendi formatum, in voluntate est sicut in subiecto; & etiam secundum multos, verum est de fide informi: Dicunt enim multi, quod ad hoc, quod intellectus eliciat actum fidei informem, non tantum requiritur habitus existens in ipso, ipsum determinans ad actum credendi eliciendum: sed etiam aliquis habitus informis in voluntate, ipsam determinans ad prædictum actum imperandum. Quamuis autem ad actum credendi præexigatur voluntatis actus, non tamen est de essentia illius habitus, quo determinatur intellectus ad eliciendum actum credendi. Et ideo cum habitus fidei propriè loquendo sit ille, quo determinatur potentia ad eliciendum credendi actum: & ille habitus sit tantum in intellectu, sicut in subiecto: ideo melius videtur concedendum, quod fides sit tantum in intellectu, sicut in subiecto, inquantum tamen est mobilis à voluntate; quam quod sit in intellectu & voluntate, sicut in subiecto.

Fides in intellectu subiectatur.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum sit in intellectu speculatiuo, vel practico:* Dicunt aliqui, quod fides est in intellectu practico, sub praxi comprehendendo dilectionem. Sicut enim scientia non iudicatur speculatiua vel practica principaliter ex parte obiecti, sed ex parte proximi finis: quapropter Philosophus 2. Metaph. speculatiuam distinguit à practica penes finem dicens, quod *theoricæ finis est veritas, & practicæ, opus*; ita habitus intellectualis non debet iudicari speculatiuus vel practicus, principaliter ex sui comparatione ad obiectum, sed ex comparatione actus sui ad finem proximum non accidentalem, quem constituit intentio con-

tio considerantis; sed essentialem, quem principalius respicit habitus quantum est ex parte sua. Quamuis autem obiectum fidei sit verum sub ratione qua verum est, tamen finis proximus est dilectio veritatis illius; Assentimus enim primæ veritati credendo, vt ipsam modo debito diligamus: & ideo habitus fidei principalius practicus est, quam speculatiuus: sed habitus practicus est in intellectu practico, sicut in subiecto. Præterea cum ille habitus sit in intellectu, inquantum est mobilis à voluntate, non tantum iudicatur actus credendi practicus, ex sui comparatione ad motum voluntatis, ad quem disponit, seu inclinat: sed etiam ad actum voluntatis à quo imperatur, & ita aliquam habet rationem praxis ex parte principij, quamuis principalius eam habeat ex parte proximi finis. Alij autem dicunt, quod fides principalius est in intellectu speculatiuo, quia non ita debet iudicari habitus practicus per sui comparationem ad principium imperans actum, nec per comparationem actus sui ad finem proximum, sicut ex sui comparatione ad formale obiectum. Quod sic patet; habitus enim constituitur in specie, ex sui comparatione ad formalem rationem sui obiecti: per illud autem, per quod habitus constituitur in specie, conuenit ei esse speciem habitus speculatiui, vel practici. Obiectum autem fidei est verum sub ratione qua verum, non visum, in quo solo intellectus potest beatificari; hoc autem obiectum est speculabile, non operabile; non enim dependet ex aliqua nostra actione: ergo fides principaliter est habitus speculatiuus: & ex consequenti sequitur, quod sit tanquam in subiecto in intellectu speculatiuo.

Fides est simpliciter habitus speculatiuus, atque adeo subiectatur in intellectu speculatiuo.

Ad tertivm, scilicet *vtrum Angelus ante confirmationem, & homo ante lapsum, fidem habuerunt*. Dicunt quidam quod non, propter manifestam contemplationem, quæ tunc erat de rebus diuinis: sed cum fides sit argumentum non apparentium secundum Apostolum: & per fidem credantur ea, quæ non videntur, vt Augustinus dicit; Illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel visum, id de quo principaliter est fides: principale autem obiectum fidei est veritas prima, cuius visio beatos facit, & fidei succedit. Cum igitur Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum, non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur: manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei. Vnde quod non habuerit fidem hoc esse non potuit, nisi quia penitus erat ei ignotum illud, de quo est fides: & si homo, & Angelus fuerunt creati in puris naturalibus (vt quidam dicunt) fortè posset teneri, quod fides non fuit in Angelo ante confirmationem, nec in homine ante peccatum. Cognitio enim fidei est supra naturalem cognitionem de Deo non solum hominis, sed etiam Angeli: sed quia homo & Angelus creati sunt cum dono gratiæ: ideo necesse est dicere, quod per gratiam acceptam, & nondum confirmatam, vel consummatam, fuerit in eis inchoatio quædam speratæ beatitudinis, quæ quidem inchoatur in voluntate per spem & charitatem: sed in intellectu per fidem, vt supra dictum est. Et ideo necesse est dicere, quod Angelus ante confirmationem habuerat fidem, & similiter homo ante peccatum.

Angelus ante confirmationem, & homo ante lapsum habuerunt fidē.

Sed tamen considerandum est, quod in obiecto fidei est aliquod quasi formale, scilicet veritas prima, super omnem naturalem cognitionem creaturæ existens. Est etiam aliquid materiale, sicut id, cui assentimus, inhærendo primæ veritati. Quantum ergo ad primum horum, communiter fides est in omnibus habentibus cognitionem de Deo, futura beatitudine nondum adepta, inhærendo primæ veritati Sed quantum ad ea, quæ materialiter credenda proponuntur, quædam sunt credita ab vno, quæ sunt manifestè scita ab alio, etiam in statu præsenti, vt supra dictum est. Et secundum hoc etiam potest dici, quod Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum, quædam de diuinis mysteriis, manifesta cognitione cognouerunt, quæ nunc non possumus cognoscere nisi credendo.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum dæmones habeant fidem* Dicendum, quod fides tripliciter potest accipi; vno modo pro quadam credulitate exorta per euidentiam signorum testificantium illam veritatem quam credit sancta Ecclesia; alio modo pro habitu infuso determinante intellectum ad actum credendi non formatum; tertio modo pro fide formata. Primo modo in intellectu diaboli est fides: talia enim signa vident testificantia veritatem quam credit sancta Ecclesia, quod velint nolint intellectus eorum credit esse verum, quod Ecclesia credit: illam tamen veritatem non vident; & sic intelligitur illud verbum, Iaco. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Secundo modo & tertio, loquendo de fide dico, quod in intellectu diaboli non est fides. Sic enim loquendo de fide non habuerunt fidem ante lapsum, quia non infunditur sine gratia, quam illi nunquam habuerunt; nec post lapsum eis infusa est, quia digni non sunt.

Dæmones nō habent habitum fidei, sed tantum credulitatem ortā ex euidentia signorum.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum sit fides in hæreticis errantibus in vno articulo fidei*. Dicendum, quod hæreticus qui discredit vnum articulum fidei, non habet habitum fidei, neque formatæ, neque informis. Cuius ratio est, quia species cuiuslibet habitus dependet ex formali ratione obiecti, qua sublata, species habitus remanere non potest. Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ. Vnde quicunque non inhæret, sicut infallibili, & diuinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea quæ sunt fidei, alio modo tenet, quam per fidem; sicut si aliquis tenet mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius coucluſionis; manifestum est, quod non habet eius scientiam, sed opinionem solum. Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit quæ Ecclesia docet: alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet; non iam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hęreticus, qui pertinaciter discredit vnum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ; si enim non pertinaciter, iam non est hæreticus, sed solum errans. Vnde manifestum est, quod talis hęreticus, qui discredit circa vnum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem.

Hæreticus discredens pertinaciter vnum articulum, non habet fidem de reliquis, sed opinionē quādam secundum propriā voluntatem.

Ad sextvm, scilicet *vtrum habentium fidem, alius alio maiorem fidem habeat*, ideſt, *vtrum fides possit esse maior in vno, quam in alio*. Dicendum, quod qualitas habitus ex duobus attendi potest; vno modo ex obiecto, alio modo secundum participationem subiecti. Obiectum autem fidei potest considerari dupliciter; vno modo secundum formalem rationem; alio modo secundum ea, quæ materialiter credenda proponuntur. Formale autem obiectum fidei est vnum, bonum, & simplex, scilicet veritas prima, vt supra dictum est. Vnde ex hac parte fides non diuersificatur in credentibus, sed est vna species in omnibus, vt supra dictum est. sed ea quę materialiter credenda proponuntur, sunt plura, & possunt accipi vel magis vel minus explicitè: & secundum hoc, vnus homo potest plura explicitè credere, quam alius: & sic in vno potest esse maior fides, secundum maiorem fidei explicationem. Si vero consideretur fides secundum participationem subiecti, hoc contingit dupliciter. Nam actus fidei procedit ex intellectu, & ex voluntate, vt supra dictum est. Potest igitur fides in aliquo dici maior; vno modo,

Duo sensu fides dicitur maior in vno quam in alio.

modo, ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem & firmitatem; alio modo, ex parte voluntatis, propter maiorem promptitudinem, seu deuotionem, vel confidentiam.

De effectu fidei.

DISTINCTIO XIX.

Varij sunt effectus fidei.

CIRCA quintum principale, scilicet de effectu fidei: considerandum est, quod fides multos effectus habet in anima.

1. Vinificat.

PRIMO namque *fides vinificat.* Omnis enim anima sine fide mortua est; sed infusa ei fide, infunditur ei vita. Abac. 2. *Qui incredulus est, non est anima eius recta cum eo: Iustus autem ex fide viuit.* Ioan. 3. *Qui incredulus est, non habet vitam in se manentem*, &c. Ioan. 11. *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.*

Exemplum.

ITEM in vita B. Siluestri, cum Constantinus esset factus Christianus, adhuc Helena nondum Christiana, sed à Iudæis circumuenta, reprobaret fidem; congregati sunt sapientissimi Iudæorum, & S. Siluester cum pluribus Episcopis catholicis; qui cum elegissent duos sapientissimos paganos iudices, & philosophos, Græconem, & Zenobolum, & iudices inter eos Iudæos, plurimos; Cumque B. Siluester rationibus confutasset eos; vnus inter eos opposuit de hoc, quod Christiani adorabant Crucifixum; dicens, quod sciebat vnum nomen Dei, cuius vim non poterant ipsa saxa ferre. Qui etiam dixit, quod si adduceretur ei taurus ferocissimus, virtutem illius nominis non posset sustinere: quo facto, cum in aure eius nescio quod nomen murmuraret, mortuus est statim taurus. Quod cum omnes mirarentur, ait Siluester, quod non erat magnum occidere taurum, cum hoc possent araneæ, & ferè modicum veneni; & quod illud quod dixerat, non erat nomen Dei, cuius erat viuificare: sed dæmonis, cuius erat occidere. Sed si virtute illius nominis taurum viuere faceret, tunc esset nomen Dei. Cum autem iudices vrgerent Iudæum, vt taurum suscitaret, & ipse renueret, dicens se hoc non posse: Siluester inuocato crucifixi nomine, Christianis separatim orantibus, præcepit tauro in nomine dicto, vt surgeret, & in pace abiret: Qui statim hoc fecit. Iudei autem hoc viso, sicut dixerant, baptizati sunt cum Helena, & conuersi sunt vna die plusquam tria millia, cum Helenæ familia tota.

Exemplum.

ITEM refert Ioannes Belet in summa sua, & quidam etiam alius Doctor se legisse meminerat, quod B. Petrus ad prædicandum Teutonicis, misit tres discipulos suos, Eucharium scilicet, Valerium, & Maternum. Cum autem transirent alpes, altero eorum ibi mortuo, alij ad B. Petrum redierunt, dicentes quod acciderat. Qui tradidit eis baculum suum dicens, quod in virtute fidei eum humatum tangerent, præcipientes vt surgeret, & irent quo missi erant. Qui hoc fecerunt, post 40. dies postquam mortuus fuerat, ad sepulchrum eius venientes. Qui surrexit, & cum eis iuit. Qui postea successiuè dicuntur fuisse Episcopi in Colonia ciuitate, quę tunc Agrippina dicebatur.

2. Illuminat.

SECVNDO *fides mentem illuminat.* Est enim quoddam lumen spirituale manuducens animam ad assentiendum his, quæ prima veritas sibi dictat esse credenda. Isaiæ 7. secundum litteram. *Si non credideritis, non intelligetis.* Et Matth. 9. dixit Dominus cæcis: *Creditis, quod hoc facere vobis possum? & tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis: & aperti sunt oculi eorum.* Aug. *Quid est fides nisi credere, quod non vides? credimus vt cognoscamus*, &c.

ITEM in historia Francorum lib. 2. & cap. 2. legitur, De persecutione Wandalorum, quod cum facti Arriani, vastantes Galliam, & Hispaniam, & aliquos Episcopos secum captos ducerent, per eos Dominus multa faciebat miracula, cæcos illuminando, &c.

A Quidam autem Episcopus Cerula nomine, Arrianus hæreticus, hoc audiens & videns, confundebatur rationibus, & disputationibus catholicorum, & maximè fama miraculorum; qui dedit cuidam suæ sectæ 50. aureos eo pacto, vt cæcum se fingeret, & ab eo illuminatum: cum autem transiret Dominus Cerula, cum exercitu Wandalorum, & Episcopis captiuis catholicis, clamauit dictus homo: Audi me, beatissime Cerula, & respice cæcitatem meam; & experiar virtutem tuam, qui reddis cæcis visum, surdis auditum, leprosos enim mundas, mortuos suscitas; tunc Cerula trahens eum ad partem ait, tangens eius oculos: secundum fidem nostram, qua rectè credimus in Deum, aperiantur oculi tui, & videas; quo dicto, incæperunt oculi miseri hominis inflari, & tantus dolor eum arripuit, vt vix posset digitis suis eos comprimere quin creparentur; & præ dolore eiulans, omnibus dolum detexit, & clamabat proiiciens aureos: Ecce aurum tuum, redde mihi visum meum: tunc bono vsus consilio, clamans & eiulans proiecit se ad pedes Episcoporum catholicorum, abnegans Arrianam perfidiam, & profitens fidem catholicam: tunc B. Eugelio Episcopo crucem eius oculis imprimente, sanitatem & visum recepit. Videns Honoricus Rex VVandalorum sectam suam confundi, & fidem exaltari, sanctos diuersis suppliciis lacerauit, quo facto, Sol obscuratus est, & dictus Honoricus à diabolo arreptus, propriis dentibus se lacerauit, & indignam vitam hoc digno cruciatu finiuit. *Exemplum.*

C ITEM in gestis Anglorum, Beda 1. libro 18. cap. Cum missus fuisset B. Germanus Episcopus Antisiodo. & B. Lupus Trecensis, à concilio Episcoporum Galliæ, contra Pelagianam hæresim in Britanniam, & hæretici conuenissent ornati vestibus in verbis, coram principibus clero & populo, nec possent conuinci verbis, ait B. Germanus: veniamus ad vltimum, ad argumenta fidei, adducatur aliquis infirmus quacunque ægritudine, & notus. Annuentibus iudicibus adductus est cęcus notus de gente eorum, cuius cum oculis nihil proficerent hęretici, B. Germanus arripiens reliquias sanctorum martyrum, quas ad collum suum portabat, eis tetigit oculos dicti cęci, in fide ipsorum martyrum quam prædicabat præcipiens vt videret, qui statim vidit; & per hoc, & per alia miracula D plura, quæ sancti fecerunt ibi, hæretici sunt confutati, & infideles illuminati. *Exemplum.*

ITEM in 2. libro cap. 2. legitur idem feciſſe B. Augustinus Episcopus Anglorum, missus à B. Gregorio Papa pro Anglicis conuertendis, quibus pro magna parte conuersis, erat schisma inter eum, & socios suos, contra Episcopos Britones, qui dissentiebant ab Ecclesia Romana, alio tempore Pascha celebrantes, & celebrari illud docentes, & in aliis ritibus suis multis. Cum autem diu disceptasset verbis coram Regibus, & aliis; & hęretici illi verbis abundarent: & B. Aug. petiuisset adduci infirmos, vt fides vera probaretur, & Episcopi schismatici cęcum adductum non possent illuminare, ipse fidei inuocatione eum statim illuminauit, & corda multorum. *Exemplum.*

E CVM quidam hæreticus fuisset combustus, & quidam eorum credens, cineres eius pro reliquiis collegisset. Cum quidam aliquantulum patiens in oculis, de consilio dicti credentis, qui ei sanitatem promittebat, de dicto puluere in suis oculis posuisset, statim omnino excæcatus est.

ITEM ad hoc facit exemplum B. Dionysij quod habetur in historia Scholastica. Cum B. Paulus prædicaret apud Athenas, dixit ei Dionysius: videns cæcum à natiuitate transeuntem, quod si illum illuminaret sine magicis verbis, virtute fidei suæ, crederet; cui Paulus dixit, quod ipsemet diceret verba hæc: *In nomine Iesu Christi concepti, nati ex Maria virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit, & ascendit in cælum, præcipio tibi cæce vt videas.* Quæ cum diceret Dionysius illumi-

illuminatus est in corpore, & Dionysius in mente credendo.

3. Ædificat. TERTIO *fides ædificat*: est enim spiritualis ædificij, & omnium bonorum primarium fundamentum. Hebræ. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum*, ideſt substratum immobile fundamentum. Omnis homo sine fide quantacunque opera faciat, vel torméta sustineat, non constructt, sed destruit, non ædificat spiritualem fabricam, sed ruinam, sicut dicitur Matth. 7. de illo, qui ædificat super arenam: & de viro sapiente, qui ædificat super petram. Hoc fundamentum collocauit Christus, Matth. 16. quando dixit Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Eccl. 40. *Iniquitas delebitur, fides in æternum stabit.* Hebr. 6. *Fundamentum fidei stat.* Hoc fundamentum collocauerat Apostolus 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, &c. Super hoc fidei fundamentum videat vnusquisq; qualiter superædificet. Nam alij ædificant lignum, fœnum, & stipulam: alij autem aurum, argentum, & lapides pretiosos: nota bene, & expaue. Et aduerte, quod sicut posito fundamento excitatur & animatur homo ad superædificandum; alioquin superuacuum est fundamentum: sic fidei fundamento stabiliter collocato, excitatur homo fidelis ad viriliter operandum; Galat. 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Iac. 3. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Ibidem. *Sicut corpus sine anima mortuum est, sic fides sine operibus mortua est.*

4. Gratificat. QVARTO, *fides Deo gratificat*, quia sicut dicitur Heb. 2. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et infra. *Fide Abel plurimam hostiam obtulit Deo.* Scriptum est autem Genes. 3. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: Ad Cain vero & ad munera eius non respexit.* Item Eccl. 1. *Beneplacitum est Deo fides & mansuetudo.* Nec mirum, si fides reddit animam gratam Deo puritatis auctori: quia videlicet fides purificat: sicut ait beatus Petrus Act. 15. *Fide purificans corda.* Et Hieremiæ 5. *Circuite vias Ierusalem.* Et sequitur: *Si inueneritis quærentem fidem, propitius ero ei.* Prouerb. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* De hoc exemplum habetur Ionæ 3. *Viri Niniuitæ crediderunt, & misericordiam obtinuerunt.* Act. 10. *Omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, eos qui credunt.* Matth. 9. dicitur de paraliticum portantibus: *Vt vidit Iesus fidem eorum ait paralitico: Dimittuntur tibi peccata tua.* Glossa. *Ecce quantum valet apud Deum fides propria, apud quem tantum valuit aliena.* Adeo etiam fides gratificat, quod filios Dei facit. Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. Fides etiã copulat animam Deo, & facit charissimam eius sponsam, quia fides est virtus, qua anima subarratur Christo. Vnde dixit B. Agnes: *Annulo fidei suæ subarrauit me*, &c. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Considera quomodo Synagogam, quam desponderat sibi Dominus, quamdiu Deo credidit, & fidem eius seruauit, super omnes nationes de mundo multipliciter exaltauit. Quod patuit in terra quam eis dedit, & lege, & regno, templo, & victoriis, & miraculis, signis, & prophetiis, & cultu, & beneficiis. Postquam autem Christum negauerunt & fidem abiecerunt, nulla gens magis fuit vilificata, & depressa, & abiecta, oppressionibus tyrannorum, latronum, sichariorum, schismatibus, depopulationibus mutuis, dissensionibus & obsidionibus, pestibus, cladibus, gladio, fame, captiuitate, incendio, & strage, seruitute, ludibriis, venditione, & desperatione, &c. vt liqueat super eos euenisse omnes legis maledictiones, quæ liquidius videre potest, qui legit finem Iosephi, & quinque libros Egesippi, vel quendam librum Petri Alphonsi, in quo dicitur, quomodo capti dati sunt triginta pro denario vno, quamdiu inuenti sunt emptores. Postea multi in nauibus positi compellebantur comedere quæ egesserant, in captiuitate libros legis non habere, & filios non circuncidere, compellebantur. Quando etiam contrahebant, antequam vxores suas cum quibus contraxerant auderent cognoscere, sub pœna capitalis sententiæ, adducebant eas ad gentiles iudices, vt eas primo cognoscerent, vel aliis eas traderent, vt eas sibi haberent quantum vellent. Si etiam cessaret omnis scriptura loquens de eorum cladibus, patet hoc vbicunque humanis oculis, quod gens quæ quondam fuit pulcherrima, forma nobilissima, modo patet abiectissima, vilissima, & turpissima, debilis, & meticulosa super omnes. Similiter etiam de aliis hæreticis, in quibus tantum timorem posuit Dominus, quod vix audent se manifestare, nisi in latebris & de nocte, similes noctuæ omnes timentes. 1. Reg. 2. *Qui honorificauit me, glorificabo eum, qui autem me contemnunt, erunt ignobiles.* Similiter Ecclesiam Christianam, quæ fidem recepit, & seruat, Christus multipliciter exaltauit, & in æternum seruabit.

5. Examinat. QVINTO *fides examinat*; nam in tribulatione probantur fideles. 1. Pet. 1. *Probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* Iudith 8. *Tentati sunt patres nostri, vt probaretur, si verè colerent Deum.* Et post: *Omnes qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles.*

Exemplum. ITEM probat etiam aliquando Dominus fidem per ignem, & approbat; hæresim reprobat. Sicut legitur fecisse tempore B. Dominici in terra Albigensium, in qua cum venissent hæretici disputantes contra Catholicos coram iudicibus communibus, & multa essent verba hinc & inde: de mandato iudicis, quilibet libros scripserunt, inter quos iudex prælegit rationes B. Dominici, & cum adhuc vacillarent iudices, consenserunt vt fieret ignis in medio, & proiicerentur in eum duo libelli, ille B. Dominici, & alius qui videbatur fulcitus melioribus rationibus ex parte hæreticorum, vt ignis probaret quæ fides & melior, & certior esset. Cum autem liber B. Dominici proiiceretur, resiliit ter illæsus: Liber autem hæretici continuo vt iniectus est, totus combustus est.

Exemplum. ITEM in vita Eugeniæ virginis legitur de quodam sancto Episcopo, qui eam recepit inter monachos vt monachum; qui cum esset puer, in signum fidei & innocentiæ, prunas ardentes portabat in vlnis suis, nec lędebatur ab igne. Cum autem quidam hęreticus venisset ad populum cui præerat, pestiferos errores disseminans, quos disputando coram populo defendere volebat: ait sanctus. Veniamus ad argumentum fidei, & fiat ignis, vt probet cuius sit fides vera. Cum hoc factum esset, & hæreticus nollet intrare; sed diceret, quod prior intraret Episcopus; facto signo crucis, sanctus prior intrauit, stans & orans illæsus in medio flammæ, quasi per duas horas. Cum autem hęreticus nollet intrare, populi hoc videntes intus proiecerunt eum. Sanctus autem eum semiuiuum, antequã omnino esset suffocatus, ab igne extraxit, & eum cum dedecore à patria eiecit. In sancto autem Episcopo nullum ignis vestigium fuit. Idem videtur exemplum, quod ponit Hierony. in vitis Patrum de sancto Coprete & hęretico Manichæo.

6. Liberat. SEXTO *fides à periculis liberat*. Deus enim merito fidei eripuit homines à periculis animarum & corporum; sicut Abraham, vt dicunt Hebræi, de igne Chaldæorum, in quo proiecerunt eum, quia nolebat adorare ignem quem ipsi colebant. Similiter tres pueros de fornace Chaldæorum. Dan. 3. dixit Nabuchodonosor. *Benedictus Deus qui liberauit seruos suos, quia crediderunt in eum*, &c. Similiter Daniel. 6. Liberauit Danielem de lacu leonum. Et dicitur ibi: *Nulla læsio inuenta est in Daniele, quia credidit in Deo suo.* Similiter in nouo testamento, vel tempore gratiæ, merito fidei à diuersis periculis, secundum quod sibi & aliis erat vtile, eos Dominus liberauit, ex ipsis, & in ipsis periculis, aduersarios incredulos puniendo. Hebræorum 11. *Sancti per fidem*, &c. *obturauerunt ora leonum*, &c. Et post: *Et omnes hi testimonio fidei probati inuenti sunt.* Glos. *Melius tunc liberat, quando patientiam in tribulatione præstat.* E contra increduli periculis opprimuntur, vt dicitur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Baruch 1. de Iudæis. *Quia eramus incredibiles ad Deum noſtrum, & diſſipati receſſimus ne audiremus, aduenerunt nobis multa mala & maledictiones*, &c. Credentes autem liberat Deus, vt dicitur Tob. 3. *Hoc habet pro certo omnis qui colit te*, &c.

7. *Superat.* SEPTIMO *fides hoſtes ſuperat tam corporales, quam ſpirituales.* De ſpiritualibus dicitur 1. Petr. 5. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* De corporalibus Heb. 11. *Omnes hi per fidem vicerunt regna*, &c. Hoc fuit antiquitus probatum multis & mirabilibus victoriis.

Exempla. PRIMO, quia Deus per paucos ſimplices & debiles, ſuperauit & acquiſiuit omnia regna mundi, & ſuæ fidei ſubiugauit. Item Conſtantinus, poſtquam fidem ſuſceperat, vexillo crucis armatus, Maxentium ſuperauit, & imperium obtinuit. In paſſione Ioannis & Pauli, cum votum feciſſet Gallicanus, quod ſi vinceret infinitam multitudinẽ barbarorum, quod in Chriſtum crederet, prius deſperans de victoria, vicit eos fidei virtute. Similiter in vita B. Remigij, & 2. libro hiſtor. Francorum. Gregor. Turon. dicit, quod cum Clodoueus primus Francorum Rex, videret ſuos vinci, deſperans de victoria, vouit ſi vinceret, quod fieret Chriſtianus; qui ſtatim vicit Alemannos omnes.

Exemplum. In Exaltatione S. Crucis legitur, quod cum filius Coſdroe Rex Perſarum contra Heraclium Imperatorem pugnaret, condixerunt duellum duo principes ſuper pontem, tali conditione, quod exercitus ſequeretur principem, cuius fides vera, ex victoria monſtraretur. Vicit & occidit tyrannum Heraclius virtute fidei, & Perſæ facti ſunt Chriſtiani.

Exemplum. ITEM legitur in Tripartita hiſtoria libro 2. quod Hunni, qui venerant de Scithia frequentes irruptiones faciebant contra Burgundiones, qui habitabant iuxta ripas Rheni, qui tunc gentiles erant, & fabri lignarij. Cum autem eos ſæpe vincerent & diriperent, habuerunt mutuum colloquium, quod non homini, ſed alicui Deo ſe conferrent, potente eos à dictis hoſtibus defendere, & ei ſeruirent, & in hoc recedit eorum conſilium, quod illi Deo ſe conferrent, qui erat cæteris potentior, & ille videbatur eſſe Deus Romanorum, qui iam erant Chriſtiani, per quem omnia vincebant; & venientes in vnam ciuitatem Galliæ, vt addiſcerent ibi quomodo eum colerent, inſtructi ſunt ab Epiſcopo eius in fide, & baptizati; & cum fide ſumentes audaciam, armati cum tribus milibus, occurrerunt exercitui Hunnorum, & decem millia cum Rege eorum occiderunt, & alios fugauerunt omnes.

Fides noſtra excedit fidẽ Iudæorũ & Hæreticorũ. ITEM quod prævalet fides noſtra, fidei Iudęorum patet; quia quamdiu fidem Dei tenuerunt opere & veritate, ſemper vicerunt: quia angelicas virtutes ſecum habuerunt in præliis, ſicut patet in Regum quatuor libris, Ioſue, & Machabæorum. Sed ex quo Chriſtum negauerunt, ſemper poſtea à Chriſtianis victi fuerunt, & angelicæ virtutes ab eis receſſerunt, quæ auditæ ſunt de nocte clamare in templo, vt dicitur in 5. Egeſippi, & in Ioſepho, & Eccleſiaſtica hiſtoria: *Tranſeamus ab his ſedibus.*

Exemplum. Quod melior ſit fides noſtra, credentia hæreticorum, patet ex multis victoriis Theodoſij contra Imperatores, & populos Arrianos. Legitur in geſtis Francorum, vt dicit B. Gregorius Turonenſis, lib. 2. 35. cap. quod cum Clodoueus factus eſſet Chriſtianus, & videret Arrianos dominari per totam Burgundiam, & Hiſpaniam, & per totam fere Galliam, ait ſuis principibus, qui nuper fidem receperant, valde moleſtè fero, quod video hæreticos Arrianos occupantes partes maximas Galliarum, impugnemus Regem eorum Alaricum, qui eſt apud Pictauim: ſed ſciamus primo Dei voluntatem. Miſit ergo ſolennes nuncios Turonis cum muneribus ad B. Martinum, qui ibi iacebat ſepultus, vt rogaret Dominum, quod daretur ei ſignum aliquod diuinæ voluntatis. Cum autem obtuliſſent nuncij, quæ ibi mittebantur; cum orarent reſponſo aut ſigno certificari, incæpit præcentor Antiphonam ſubito, *Et præcinxiſti me virtute ad bellum*, &c. Admirati nuncij, hoc, gratias agentes, domino ſuo retulerunt, pro reſponſo accipientes totam ſeriem verborum ſequentium, confiſi de victoria, arma mouerunt. Cum autem non poſſent tranſire fluuium quendam, timuerunt, & orante Clodoueo, miſit Deus in exercitu, ceruam miræ magnitudinis, quę eos præceſſit, vadum docens. Cumque obſiderent vrbem Pictauim: fax ignita & ſplendens, viſa eſt egredi de Eccleſia B. Hilarij, & venire ſuper Clodoueum; in ſignum quod B. Hilarius, qui lux patriæ fuerat, & ſæpe contra hæreticos conflixerat, lumine ſuæ conſolationis adiuuans, faceret eum vincere acies hæreticorum; qui confiſus viſo, pugnauit & obtinuit vrbem, & theſauros Alarici, ipſumque & ſuos occidit & vicit.

8. *Cauſat fiduciam.* OCTAVO, *fides inducit fiduciam impetrandi.* Iaco. 1. *Si quis veſtrum indiget*, &c. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Matth. 21. *Quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Exemplum. ITEM cum in quibuſdam partibus oppreſſiſſent gentiles Catholicos, & compuliſſent eos viuere ſub tributo. Cum rector illius terræ conuocaſſet Epiſcopos & ſacerdotes, vt de fide rationem redderent; & noſtri confutarent gentiles, & de fide rationem reddendo, & eorum errorem confutando; hoc quæſiuit dictus iudex eorum, ſi dixerat Chriſtus: Si habueritis fidem & dixeritis huic monti, tolle, & mitte te in mare, fiet: Matth. 21. Reſpondentibus quod ſic: ergo aut vos tali die montem illum, qui eſt in terra mea, in mare ſecundum legem veſtram transferetis, aut lex veſtra falſa apparebit: & vos, ſicut infideles, capitalem ſententiam ſuſtinebitis. Cum autem dies ad hoc eſſet aſſignata, & indixiſſent Catholici ieiunium & orationem, cum ad diem venirent mæſti clerici & ſacerdotes, quæſiuit cauſam, & audiens eam quidam faber catholicus, martello aſſumpto ad locum pedis montis iuit, vbi erat aſſignata, & quæſiuit ab Epiſcopis, ſi hoc diceret Dominus. Et ipſis reſpondentibus quod ſic, ait: Quomodo ergo vos ſuper hoc trepidi dubitatis? & accedens ad montem fide ſecurus ait: Montem feriens de martello; In nomine Domini IESV qui hoc dixit, prępcipio tibi vt hinc te transferas ô mons in mare. Qui ſtatim ſubito præceptum impleuit.

9. *Præſtat conſtantiam.* Econtra infidelitas non impetrat quod petit. Iac. 1. *Non æſtimet homo qui hæſitat in fide, quod accipiat aliquid.* Matth. 17. De dæmone lunatico, quem non potuerunt diſcipuli eiicere propter incredulitatem ſuam. Et poſt: *Amen dico vobis ſi habueritis fidem*, &c.

NONO *fides præſtat conſtantiam ſuſtinendi.* Nam virtute fidei fideles patienter ſuſtinent tribulationes, afflictiones, infirmitates, & huiuſmodi. Virtute etiam fidei martyres horrenda & exquiſita tormenta ſuſtinuerunt, non ſolum patienter, ſed & gaudenter. Iuxta illud Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes*, &c. Et Hebr. 11. *Sancti ludibria, & verbera experti*, &c. Et de beata Agatha dicitur, quod *lætiſſime & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata.*

10. *Facit caduca paruipendi.* DECIMO *fides facit omnia caduca & temporalia paruipendi*, 1. Ioann. 4. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Hierony. *Fideli totus mundus diuitiarum eſt.* Hebr. 11. *Fide Abraham obediuit Deo, relinquens terram, cognationem, & patriam, neſciens quo iret. Fide Moyſes grandis effectus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*, &c. Fidem Franciſcus, Benedictus, & alij ſancti, mundum, & mundialia contemnentes, & tanquam ſtercora reputantes, paupertatem voluntariam elegerunt.

11. *Mirificat.* VNDECIMO *fides mirificat*, ideſt, mira ſigna, & prodigia facit. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes tranſferam*, &c. Matth. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis*, feruidam, ſcilicet patientem, fortem, & humilem, *nihil impoſſibile vobis erit.* De hoc require ſupra octauo.

12. Saluat & glorificat.

DVODECIMO *fides saluat & glorificat.* Lucæ 7. dixit Dominus beatæ Mariæ Magdalenæ: *Fides tua saluam te fecit.* Et in multis aliis locis in Euangelio, multis aliis idem dixit 1. Pet. 1. *Reportantes finem fidei nostræ salutem animarum nostrarum.* Mar. vlti. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Tobiæ 3. *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Dominus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo.* Apostolus ad Hebr. 11. *Fide Enoch translatus est in Paradisum.* Denique latroni credenti fideliter dixit Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

De vitiis oppositis fidei.

DISTINCTIO XX.

POST considerationem de fide videndum est de vitiis oppositis fidei. Et primo de infidelitate quæ opponitur fidei. Secundo de blasphemia, quæ opponitur actui fidei qui est confessio fidei. Circa primum considerandum est primo de infidelitate in communi. Secundo de hęresi. Tertio de Apostasia à fide. Circa primum considerandæ sunt duodecim. Primo vtrum infidelitas sit peccatum. Secundo in quo sit sicut in subiecto. Tertio vtrum sit maximum peccatorum. Quarto vtrum omnis actio infidelium sit peccatum. Quinto de speciebus infidelitatis. Sexto de comparatione eorum ad inuicem. Septimo vtrum cum infidelibus sit de fide publicè disputandum. Octauo vtrum sint cogendi ad fidem. Nono vtrum sit communicandum cum eis in aliquo. Decimo vtrum Christianis possint infideles præesse. Vndecimo vtrum ritus infidelium sint tollerandi. Duodecimo vtrum pueri eorum sint inuitis parentibus baptizandi.

Infidelitas contraria est peccatum, nō autem negatiua.

AD PRIMVM, scil. *vtrum infidelitas sit peccatum.* Dicendum, quod infidelitas dupliciter accipi potest. Vno modo secundum puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem. Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem, quia scil. aliquis repugnat auditui fidei, vel etiã contemnit ipsam, secundum illud Isa. 50. *Quis credidit auditui nostro?* Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis: & secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur infidelitas secundum negationẽ puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati sed magis pœnæ, quia talis ignorantia diuinorum, ex peccato primi parentis subsecuta est. Qui autem sic sunt infideles damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Vnde Dominus dicit Ioan. 9. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Quod exponens Aug. dicit, quod loquitur de illo peccato quo non crediderunt in Christum.

Infidelitas est in intellectu sicut in proximo subiecto, in voluntate sicut in primitiuo.

AD SECVNDVM, sci. *in quo sit sicut in subiecto.* Dicendum, quod peccatum quodlibet est in illa potentia, quæ est principium actus peccati. actus autem peccati potest esse duplex principium. Vnum quidẽ primum & vniuersale, quod importat omnes actus peccatorũ. & hoc principium est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium. Aliud autem principium actus peccati est proprium, & proximum, quod elicit peccati actum: sicut concupiscibilis est principium gulæ & luxuriæ. Et secundum hoc gula & luxuria dicuntur esse in concupiscibili. Dissentire autem qui est proprius actus infidelitatis, est actus intellectus, sed moti à voluntate, sicut & assentire. Et ideo infidelitas, sicut & fides, est quidem in intellectu sicut in proximo subiecto, in voluntate autem sicut in primitiuo: & secundum hoc dicitur esse omne peccatum in voluntate, vt supra dictum est.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum infidelitas sit maximum peccatum.* Dicendum, quod omne peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vt dictum est: vnde tanto aliquod peccatum est grauius, quanto per ipsum homo magis à Deo separatur. per infidelitatem autem maxime homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionẽ habet. per falsam autem cognitionẽ ipsius, non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur. Nec potest esse, quod quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de ipso habet, quia id quod ipse opinatur, non est Deus. Vnde manifestum est, quod peccatum infidelitatis est maius omnibus peccatis, quę contingunt in peruersitate morum. Secus autem est de peccatis oppositis aliis virtutibus Theologicis, vt infra dicetur.

Peccatum infidelitatis est maximũ.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum quælibet actio infidelis sit peccatum.* Dicendum quod sicut supra dictum est, peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Vnde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ Vnde manifestum est quod infideles non possunt operari opera bona, quæ sunt ex gratia, s. opera meritoria, tamen opera bona ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqua operari possunt. Vnde non oportet, quod in omni opere suo peccent, sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita infidelis potest aliquem bonum actum facere, in eo quod non refert ad finem infidelitatis.

Nō quælibet actio infidelis est peccatum.

AD QVINTVM, scil. *quæ & quot sunt species infidelitatis.* Dicendum quod quælibet virtus consistit in hoc quod attingit aliquam regulam cognitionis, vel operationis humanæ, vt supra dictum est. attingere autem regulam est vno modo circa vnam materiam; sed à regula deuiare, contingit multipliciter; & ideo vni virtuti, multa vitia opponuntur. Diuersitas autem vitiorum, quæ vnicuique virtuti opponitur, potest consiserari dupliciter. Vno modo secundum diuersam habitudinem ad virtutem; & secundum hoc determinatæ sunt quædam species vitiorum, quæ opponuntur virtuti; sicut virtuti morali opponitur vnum secundum excessum ad virtutem, & aliud vitium secundum defectum à virtute. Alio modo potest considerari diuersitas vitiorum oppositorum vni virtuti, secundum corruptionem diuersorum quæ requiruntur ad virtutem: & secundum hoc vni virtuti, puta temperantię, vel fortitudini; opponuntur infinita vitia, secundum quod infinitis modis contingit diuersas circunstantias virtutis corrumpi, vt à rectitudine virtutis recedatur. Vnde & pytagorici malum posuerunt infinitum. Sic ergo dicendum est quod si infidelitas attendatur secundum comparatione ad fidem, diuersæ sunt infidelitatis species & numero determinatæ. Cum enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nondum susceptæ, & talis est infidelitas paganorum siue gentilium: aut renititur fidei Christianæ susceptæ, vel in figura, & sic est Iudæorum: vel in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas hæreticorum. Vnde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis. Si vero distinguantur infidelitatis species, secundum errorem in diuersis quæ ad fidem pertinent, sic non sunt determinatæ species infidelitatis. Possunt enim errores in infinitum multiplicari, vt patet per Aug. in lib. de hæresibus.

Tres sũt species infidelitatis per cõparationem ad fidẽ, cum alioqui possunt in infinitum multiplicari.

AD SEXTVM, scil. *de comparatione specierum infidelitatis ad inuicem.* Dicendum quod in infidelitate possunt duo considerari. Quorum vnum est comparatio eius ad fidem: & ex hac parte aliquis grauius contra fidem peccat, qui fidei renititur susceptæ; sicut grauius peccat, qui non implet quod promisit, quam si non impleat, quod nunquam promisit. & secundum hoc infidelitas hæreticorum qui profitentur fidem Euangelij, & ei renituntur corrumpentes ipsam, grauius peccant quàm Iudæi, qui fidem Euangelij

Infidelitas hæreticorum est grauissima intensiuè licet non extensiuè.

nunquam

nunquam ſuſceperunt. Sed quia ſuſceperunt eius figuram in veteri lege quam male interpretantes corrumpunt, ideo etiam eorum infidelitas eſt grauius peccatum, quam infidelitas gẽtilium, qui nullo modo fidem euangelij ſuſceperunt. Aliud quod in infidelitate conſideratur, eſt corruptio eorum, quæ ad fidem pertinẽt: & ſecundum hoc, cum in pluribus errent Gentiles, quam Iudæi; & Iudæi, quam hęretici: grauior eſt infidelitas Gentilium, quam Iudæorum; & Iudæorum, quam hæreticorum; niſi fortè quorundam, puta Manichæorum, qui etiam circa credibilia plus errant, quã Gentiles. Harum tamen duarum grauitatum, prima præponderat ſecundæ quantum ad rationẽ culpæ, quia infidelitas habet rationem culpæ, vt ſupra dictum eſt, magis ex hoc, quod renititur fidei; quam de hoc, quod non habet ea quæ fidei ſunt. Hoc enim videtur, vt dictum eſt, magis ad rationẽ pœnæ pertinere. Vnde ſimpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum eſt peſſima.

Ad ſeptimvm, ſcil. *vtrum cum hæreticis, vel alijs infidelibus ſit publicè diſputandum.* Dicendum, quod in diſputatione fidei duo ſunt conſideranda: vnum quidem ex parte diſputantis: aliud autem ex parte audientium. Ex parte quidem diſputantis, eſt cõſideranda intentio: ſi enim diſputet tanquam de fide diſputans, & veritatẽ fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, proculdubio peccat tanquam dubius de fide diſputans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, proculdubio peccat tanquam dubius de fide & infidelis. Si autem diſputet aliquis de fide, ad confutandum errores; vel etiam ad exercitium, laudabile eſt. Ex parte verò audientium conſiderandum eſt, vtrum illi, qui diſputationem audiunt, ſint inſtructi & firmi in fide; aut ſimplices & in fide titubantes; & coram quidẽ ſapientibus in fide firmis, nullum periculum eſt diſputare de fide. Sed circa ſimplices eſt diſtinguendum, quia aut ſunt ſollicitati, ſiue pulſati ab infidelibus, puta Iudæis, vel hæreticis, ſiue Paganis, intendentibus, vel nitentibus corrumpere in eis fidem; aut omnino non ſunt ſollicitati ſuper hoc, ſicut in terris, in quibus non ſunt aliqui infideles. In primo caſu neceſſarium eſt publicè diſputare de fide, dummodo inueniantur aliqui ad hoc ſufficientes & idonei, qui errores confutare poſſunt. Per hoc enim ſimplices in fide firmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas: & ipſa taciturnitas eorum qui reſiſtere deberent peruertentibus fidei veritatem, eſſet eorum confirmatio. Vnde Greg. in 2. paſto. *Sicut enim incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* In ſecundo vero caſu periculum eſt publicè diſputare de fide coram ſimplicibus, quorum fides ex hoc eſt firmior, quod nihil diuerſum audierunt, ab eo quod credunt. & ideo non expedit eis vt verba infidelium audiant diſputantium contra fidem.

Quando licet diſputare de fide, & quando non.

Ad octavvm, ſcil. *vtrum infideles ſint ad fidem compellendi.* Dicendum, quod infidelium quidam ſunt qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſicut Gentiles, & Iudæi: & tales nullo modo ſunt ad fidem compellendi vt ipſi credant, quia credere voluntatis eſt. ſunt tamen compellendi à fidelibus ſi facultas adſit, vt fidem non impediant, vel blaſphemiis, vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſecutionibus. Et propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum mouent, non quidem vt eos ad credẽdum cogant (quia etiamſi eos viciſſent, & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerẽt an credere vellent) ſed propter hoc vt eos compellant ne fidem Chriſti impediant. Alij vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, vel quicunque apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, vt impleãt quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt.

Illi qui ſemel fidem ſuſceperunt, ſunt ad fidē compellendi, non autem alij infideles.

Ad nonvm, ſcil. *vtrum cum infidelibus ſit communicandum.* Dicendum, quod communio alicuius perſonę interdicitur fidelibus dupliciter. Vno modo in pœnam illius cui communio fidelium ſubtrahitur. Alio modo ad cautelam eorum quibus interdicitur ne alij cõmunicent: & vtraque cauſa ex verbis Apoſtoli accipi poteſt. 1. Cor. 5. Nam poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, ſubdit pro ratione. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Et poſtea rationem ſubdit ex parte pœnæ per iudicium Eccleſiæ illatæ, cum dicit: *Nonne de his quæ ſunt intus vos iudicatis?* Primo igitur modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidẽ Chriſtianam receperunt, ſcili. paganorum, vel Iudæorum, quia non habet de eis iudicare ſpirituali iudicio, ſed temporali; in caſu cum inter Chriſtianos commorantes, aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniuntur. ſed iſto modo, ſcilicet in pœnam, interdicit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium, qui à fide ſuſcepta deuiant, vel corrumpendo fidem fidelium, ſicut hæretici, vel etiam totaliter à fide recedendo, ſicut apoſtatæ. In vtroque enim horum excommunicationis ſententiam profert Eccleſia. Sed quantum ad ſecundum modum videtur eſſe diſtinguendum, ſecundum diuerſas cõditiones perſonarum, & negociorum, & temporum. Si enim aliqui ſint firmi in fide, ita quod ex communicatione eorum cum infidelibus, conuerſio infidelium magis ſperari poſſit quã fidelium auerſio, non ſunt prohibẽdi infidelibus communicare qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet paganis, vel Iudæis; & maximè ſi neceſſitas vrgeat. Si autem ſint ſimplices, & infirmi in fide, de quorum ſubuerſione probabiliter timeri poſſit, prohibendi ſunt ab infidelium communione; & præcipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent.

Quo caſu licet cum infidelibus cõmunicare.

Ad decimvm, ſ. *vtrum infideles poſſint habere prælationem, vel dominium ſuper fideles.* Dicendum, quod circa hoc dupliciter loqui poſſumus. Vno modo de dominio vel prælatione infidelium ſuper fideles, de nouo inſtituenda: & hoc nullo modo permitti debet. Cedit enim hoc in ſcandalum & in periculum fidei. De facili enim illi qui ſubmittuntur aliorum iuriſdictioni, immutari poſſunt ab eis quibus ſubſunt, vt ſequantur eorum imperium, niſi qui ſubſunt fuerint magnæ virtutis: & ſimiliter infideles contemnunt fidem ſi fidelium defectus cognoſcant. Et ideo Apoſtolus prohibuit quod fideles non contendant iudicio, coram iudice infideli. & ideo nullo modo permittit Eccleſia, quod infideles acquirant dominium ſuper fideles, vel qualitercunque eis præficiantur in aliquo officio. Alio modo poſſumus loqui de dominio vel prælatione iam præexiſtenti. Vbi conſiderandum eſt, quod dominium & prælatio introducta ſunt ex iure humano. Diſtinctio autem fidelium eſt ex iure diuino: ius autem diuinum quod eſt ex gratia, non tollit ius humanum quod eſt ex naturali ratione. Ideo diſtinctio fidelium, & infidelium ſecundum ſe conſiderata, non tollit dominium vel prælationem infidelium ſuper fideles. Poteſt tamẽ iuſtè per ſententiam, vel ordinationem Eccleſiæ auctoritatem Dei habentis, tale ius vel dominium prælationis tolli, quia infideles merito ſuæ infidelitatis, merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui tranſferuntur in filios Dei. ſed hoc quidem Eccleſia quandoque facit, quandoque autem non facit. In illis enim infidelibus qui etiam temporali ſubiectione ſubiiciuntur Eccleſiæ, & membris eius, hoc ius Eccleſia ſtatuit, vt ſeruus Iudæorum ſtatim factus Chriſtianus liberetur, nullo pretio dato, ſi fuerit vernaculus .i. in ſeruitute natus. Et ſimiliter ſi infidelis exiſtens, fuerit emptus ad ſeruitium. Si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum infra tres menſes exponere ad vendendum: nec in hoc iniuriam facit, quia cum ipſi Iudæi ſint ſerui Eccleſiæ, poteſt diſponere de rebus eorum: ſicut & principes ſeculares multas leges ediderunt erga ſuos ſubditos in fauorem libertatis. In illis vero infidelibus qui temporaliter Eccleſiæ vel eius membris non ſubiacent, prædictum

Infideles habentes prælationem ſuper fideles, valide præſunt, donec ab eccleſia iuſtè priuẽtur, inſtitui autem non debent.

ius Eccleſia

ius Ecclesia nō statuit,licet posset instituere de iure: & hoc facit ad scandalum vitandum. Sicut etiam dominus Matth.17.ostendit,quod poterat se à tributo excusare,quia liberi sunt filij : sed tamen mandauit tributum solui ad scādalum vitandum. Ita etiam Paulus cum dixisset quod *serui dominus suos honorarent*,subiungit:*ne nomen domini & doctrina blasphemetur.*

Qua decau. se ritus infidelium possunt tolerari.

Ad vndecimum,s.*vtrum sint ritus infidelium tolerādi.* dicendum quod humanum regnum deriuatur à diuino regimine,& ipsum debet imitari. Deus autē quāuis sit omnipotens & summè bonus,permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur.Sic igitur etiam in regimine humano illi qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur,vel etiam ne aliqua mala peiora incurrant,sicut Aug.dicit in li.de ordine.*Auser meretrices de rebus humanis,turbaueris omnia libidinibus.* Sic igitur quamuis infideles in suis ritibus peccent, tolerari tamen possunt,vel propter aliquod bonum quod ex eis prouenit,vel propter aliquod malum quod vitatur.Ex hoc autem quod Iudæi ritus suos obseruant in quibus olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus,hoc bonum prouenit,quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus:& quasi in figura nobis repræsentatur quod credimus : & ideo in suis ritibus tolerantur.Aliorum vero infidelium ritus qui nihil veritatis aut vtilitatis afferunt,non sunt aliqualiter tolerandi,nisi forte ad aliquod malum vitandum , scilicet ad vitandum scandalum vel dissidium , quod ex hoc posset prouenire : vel impedimentum salutis eorum qui paulatim sic tolerati,conuertuntur ad fidem propter hoc etiam hæreticorum, & paganorum ritus aliquando Ecclesia tolerauit,quando erat magna infidelium multitudo.

Cur pueri ante vsum rationis; inuitis parentibus non sunt baptizandi.

Ad duodecimum,scilicet *vtrum pueri infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.*dicendum,quod maximam habet auctoritatē Ecclesiæ consuetudo, quæ est semper in omnibus æmulanda; quia & ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Vnde magis est standum auctoritati Ecclesiæ quā auctoritati Aug.vel Hieronymi vel cuiuscunque doctoris.Hic autem Ecclesiæ vsus nunquam habuit, vt Iudæorum filij inuitis parentibus baptizarentur, quamuis fuerint retroactis temporibus multi Catholici principes potentissimi.vt Constantinus, Theodosius,quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, vt Siluester, Constantino:& Ambrosius, Theodosio:qui nullo modo prætermisissent ab eis hoc impetrare , si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de nouo inducere vt prætei consuetudinem in ecclesia hactenus obseruatam, Iudæorum inuitis parentibus filij baptizarentur. Et huius est duplex causa: vna quidem propter periculum fidei.Si enim pueri nondum vsum rationis habentes, baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectā ætatem peruenirent,de facili possent à parentibus induci , vt relinquerent quod ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum . Alia vero ratio est,quia repugnat iustitiæ naturali:filius enim naturaliter est aliquid patris.Et primo quidem à parentibus non distinguitur secundum corpus, quandiu in matris vtero continetur.Postmodum vero postquam ab vtero egreditur antequam vsum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura,sicut sub quodam spirituali vtero: quandiu enim vsum rationis non habet puer,non differt ab animali irrationali.vnde sicut bos vel equus est alicuius vt vtatur eo cum voluerit secundum ius ciuile,sicut proprio instrumento: ita de iure naturali est, quod filius antequam habeat vsum rationis sit sub cura patris . Vnde contra iustitiam naturalem esset , si puer antequam habeat vsum rationis à cura parentum subtrahatur , vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus.Postquam autem incipit habere vsum liberi arbitrij,iam incipit esse suus,& potest quantum ad ea quę sunt iuris diuini vel naturalis, sibiipsi prouidere:& tunc est inducendus ad fidem nō coactione,sed persuasione. Potest etiam inuitis parentibus assentire fidei & baptizari,non autem antequam habeat vsum rationis. Vnde de pueris antiquorum patrum dicitur,quod saluati sunt in fide parentum : per quod datur intelligi,quod ad parentes pertinet prouidere filijs,de sua salute:præcipue antequam habeant vsum rationis.*De hæresi & apostasia,& blasphemia, require infr.tertio li.*

DE SPE.

De habitu Spei.

DISTINCTIO XXI.

COnsequenter post fidem considerandum est de spe.Circa quam considerandа sunt quatuor.Primo de habitu spei.Secundo de eius obiecto. Tertio de eius subiecto.Quarto de vitiis oppositis.Circa primum considerandа sunt quatuor. Primo vtrum spes sit virtus.Secundo vtrum sit virtus Theologica. Tertio de distinctione eius ab alijs virtutibus Theologicis. Quarto de ordine eius ad fidem, & ad charitatem.

Ad primum,scilicet *vtrum spes sit virtus* dicendum quod spes potest quadrupliciter accipi,scilicet pro spe secundum quod est passio , pro lætitia, pro actu sperandi , & pro habitu per quem elicitur actus sperandi. Tribus primis modis non est virtus. Quarto autem modo adhuc distinguendum est.Ille enim habitus potest considerari aut inquantum est informis, aut inquantum est formatus. Primo modo non attingit ad plenam rationem virtutis,quæ est perficere habentem & actum eius,& ipsum referre debito modo in vltimum finem:voluntas enim in sperando est mouens & mota:& quamuis sit bene mobilis ad actum sperandi per habitum spei,non tamen est debito modo perfecta ad mouendum, nisi per habitum charitatis. Ad debitam autem perfectionem actus , non tamen requiritur debita dispositio mobilis , sed etiam debita perfectio mouentis.voluntas etiam actum suū debito modo referre non potest in vltimum finem, nisi debito modo se habeat ad finem illum , quod fine charitate esse non potest.secundum tamen quod virtus large accipitur, pro quocunque habitu determinante potentiam ad aliquem actum respectu obiecti debiti,sic habitus spei informis, virtus dici potest. Si autem loquamur de habitu spei vt est formatus, sic dico quod virtus est simpliciter,quia sibi conueniunt omnia, quæ requiruntur ad plenum esse virtutis habentem enim perficit,& actum eius bonum reddit, & per ipsam refertur ipse actus, modo debito in vltimum finem:quod quidem referri, est per id quod est quasi materiale in spe formata , & per eius formam, quæ est charitas completiue.

Spes formata charitate est virtus simpliciter non autem informis.

Ad secundum,scilicet *vtrum spes sit virtus Theologica.*dicendum quod sic,quia inter virtutes Cardinales & Theologicas, est hæc vna differentia inter alias, quod omnis virtus appetitiuæ partis Deum habens pro obiecto , Theologica est : quæ autem creaturam habet pro obiecto est moralis , sed virtus spei Deum habet pro principali obiecto , & formali: siue accipiamus eius obiectum rem speratam , quia per spem extenditur affectus , seu erigitur principaliter ad habendum Deum : siue accipiamus obiectum spei illud,per cuius adiutorium speramus nos habituros rem speratam.Per spem enim in solo Deo principaliter confidimus, vt obtineamus rem speratam & amatam,quæ est Deus in se: qui enim confidit se hoc posse per hominem principaliter obtinere, maledictus est,Iuxta illud Iere.17.*Maledictus est homo,*

Spes est virtus Theologica.

Qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum..

Solutio obiect.

Quomodo spes dicitur media inter præsumptionem & desperationem, cum virtuti theologicæ non conueniat esse in medio.

LICET autem spes sit media inter duo vitia, scilicet præsumptionem, & desperationem, quod est proprium virtutum moralium, quia virtus Theologica non consistit in medio duorum vitiorum, vt supra dictum est: hoc tamen non tollit quin sit virtus Theologica, quia medium accipitur in regulatis & mensuratis, secundum quod regula vel mensura attingitur: secundum autem quod exceditur regula, est superfluum: secundum autem defectum à regula, est diminitum. In ipsa autem regula vel mensura, non est accipere medium, & extrema. Virtus autem moralis est circa ea, quæ ratione regulantur, sicut circa proprium obiectum: & ideo per se conuenit ei esse in medio, ex parte proprij obiecti: sed virtus Theologica est circa ipsam regulam primam, non regulatam alia regula, sicut circa proprium obiectum: Et ideo per se, & secundum proprium obiectum non conuenit virtuti Theologicæ esse in medio, sed potest sibi competere per accidens, ratione eius quod ordinatur ad principale obiectum: sicut fides non potest habere medium & extrema, in hoc quod innitatur primæ veritati, cui nullus potest nimis inniti: sed ex parte eorum quæ credit, potest habere medium & extrema: sicut vnum verum est medium inter duo falsa. Et similiter spes non habet medium & extrema, ex parte principalis obiecti, quia diuino auxilio nullus potest nimis inniti: sed quantum ad ea quæ confidit aliquis se adepturum, potest ibi esse medium, & extrema, inquantum vel præsumit ea, quæ sunt supra suam proportionem, vel desperat de his, quæ sunt sibi proportionata.

AD tertium, scilicet *de distinctione spei ab alijs virtutibus Theologicis*, dicendum quod virtus aliqua dicitur Theologica ex hoc quod habet Deum pro obiecto cui inhæret. Potest autē aliquis alicui rei inhærere dupliciter vno modo propter seipsum. Alio modo inquantum ex eo ad aliud deuenit. Charitas igitur facit hominem Deo inhærere propter seipsum, voluntatem hominis vniens Deo per affectum amoris: spes autem & fides, faciunt hominem inhærere Deo, sicut quidam principio, ex quo aliqua nobis proueniūt. De Deo autem prouenit nobis, & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides igitur facit hominem Deo adhærere, inquantum est nobis principium cognoscendi veritatem: credimus enim ea vera esse quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est nobis principium perfectæ bonitatis, inquantum scilicet per spem, diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.

Discrimen inter spem fidem, & charitatem.

AD quartum, scilicet *de ordine spei ad fidem, & charitatem* dicendum quod fides absolutè præcedit spem, obiectum enim spei est bonum futurum arduum, possibile haberi. Ad hoc ergo quod aliquis speret, requiritur quod obiectum spei proponatur ei vt possibile. Sed obiectum spei est vno modo beatitudo æterna, & alio modo auxilium diuinum, vt ex prædictis patet: & vtrumque eorum proponitur nobis per fidem, per quam nobis innotescit, quod ad vitam æternam possumus peruenire, & quod ad hoc paratum est nobis auxilium, secundum illud Heb. 11. *Accedentem ad Deū oportet credere, quia est, & quia diligentibus se remunerator est*: vnde manifestum est quod fides præcedit spem, charitatem vero præcedit spes, vno modo: & alio modo non. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod duplex est ordo: vnus quidem secundum viam generationis & naturę, secundum quam imperfectum prius est perfecto: alius autē ordo perfectionis est & formæ, secundum quem perfectum naturaliter prius est imperfecto. Secundum igitur primum ordinem, spes est prior charitate, quod sic patet: spes & omnis appetitiuus motus ex amore deriuatur vt supra habitum est, cum de passione ageretur: Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidē amor est, quo aliquid secundum se amatur, vtpote cui aliquis vult bonum: sicut homo amat amicum. Imperfectus autem amor, quo aliquis aliquid amat, non secundum ipsum, sed vt id bonum sibiipsi proueniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor Dei pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum: sed spes pertinet ad secundū amorem quia ille qui sperat, sibi aliquid obtinere intendit, & ideo in via generationis spes est prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc quod omnes recedentes ab ipso punit, vt Aug. dicit super primam can. Ioan: ita etiam & spes introducit ad charitatem, inquantum sperans remunerari à Deo attrahitur ad amandum Deum, & seruandum præcepta eius: sed secundum ordinem perfectionis charitas naturaliter prior est. Et ideo adueniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus. & hoc modo dicit Ambrosius *quod spes est ex charitate.*

charitatem præcedit, non perfectionis

De obiecto spei.

DISTINCTIONE XXII.

CIRCA secundum principale, scilicet de obiecto spei, consideranda sunt tria. Primo vtrum beatitudo æterna sit obiectum spei. Secundo vtrum possit aliquis sperare beatitudinem alterius. Tertio vtrum possit aliquis licite sperare in homine.

AD primum, scilicet *vtrum obiectum spei sit æterna beatitudo.* dicendum, quod sicut dictum est, spes de qua loquimur, attingit ad Deum innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum: oportet autem effectum esse proportionatū, & ideo bonum quod proprie & principaliter sperare debemus, est bonum infinitum quod proportionatur virtuti Dei adiuuantis. Nam infinitæ virtutis est proprium, ad infinitum bonum perducere: hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit: non enim minus aliquid à Deo sperandum est, quam sit ipse: cum non sit minor eius bonitas per quam bona creaturæ communicat, quam eius essentia; & ideo proprium & principale obiectum spei, est beatitudo æterna.

Proprium obiectum spei est vita æterna.

AD secundum, scilicet *vtrum possit homo sperare beatitudinem alterius.* dicendum quod spes potest esse alicuius dupliciter. Vno modo quidem absolute, & sic est solum boni ardui ad se petinentis. Alio modo ex præsumptione alterius: & sic potest esse etiam eorum qui ad alium pertinent. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod amor & spes in hoc differunt, quod amor importat quandam vnionem amantis ad amatum, spes autem importat quendam motum, siue protensionem appetitus in aliquod bonum arduum, vnio autem est aliquorum distinctorum. Et ideo amor directe potest respicere alium, quem sibi aliquis vnit per amorem, habens eum sicut seipsum: motus autem semper est ad proprium terminum proportionatum mobili: & ideo spes respicit directe proprium bonum, non autem id quod ad alium pertinet: sed præsupposita vnione amoris ad alterum, iam aliquis potest desiderare & sperare aliquid alteri sicut sibi: & secundum hoc aliquis potest sperare alteri vitam æternam inquantum est ei vnitus per amorem. & sicut est eadem virtus charitatis qua quis diligit Deum, seipsum, & proximum: ita est eadem virtus spei, qua quis sperat sibiipsi, & alij.

Quo sensu potest homo sperare beatitudinem alterius.

AD tertium, scilicet *vtrum licite possit aliquis sperare in homine.* dicendum, quod spes sicut dictum est duo respicit scilicet bonum quod obtinere intendit, & auxilium per quod illud bonum obtinetur. bonum autē quod quis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis: auxilium autem per quod sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis. In genere autem vtriusque causæ, inuenitur principale, & secunda-

Fides est prior spe, spes autem via generationis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cundarium. principalis enim eſt finis vltimus: ſecundarius autem finis, eſt bonum quod eſt ad finem. Similiter principalis cauſa agens eſt primum agens ſecundaria vero cauſa efficiens, eſt agens ſecundarium inſtrumentale, ſpes autem reſpicit beatitudinem æternam, ſicut vltimum finem, diuinum autem auxilium ſicut primam cauſam inducentem ad beatitudinem. Sicut igitur non licet ſperare aliquod bonum, præter beatitudinem ſicut vltimum finem, ſed ſolum ſicut id quod eſt ad finem beatitudinis ordinatum: ita non licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura ſicut de prima cauſa mouente in beatitudinem. Licet autem ſperare de aliquo homine, vel aliqua creatura, ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquid adiuuatur ad quæcunque bona conſequenda in beatitudine ordinata: & hoc modo ad ſanctos conuertimur, & ab hominibus aliqua petimus; & vituperantur illi de quibus aliquis cõfidere non poteſt ad auxilium ferendum.

Quo ſenſu dicitur eſt ſperare in homine.

De ſubiecto ſpei.

DISTINCTIO XXIII.

CIRCA tertium principale, ſcilicet de ſubiecto ſpei conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum virtus ſpei ſit in voluntate ſicut in ſubiecto. Secundo vtrum ſit in beatis. Tertio vtrum ſit in damnatis. Quarto vtrum in viatoribus habeat certitudinem.

AD primum, ſcilicet *vtrum ſpes ſit in voluntate ſicut in ſubiecto*, dicendum quod ſicut ex dictis patet, habitus cognoſcuntur per actus: Actus autem ſpei eſt quidam motus appetitiuę partis, cum ſit obiectum eius bonũ. Cum autem ſit duplex appetitus in homine, ſcilicet appetitus ſenſitiuus qui diuiditur per iraſcibilem, & concupiſcilem: & appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas, vt ſupra habitum eſt, illi motus qui ſunt in appetitu inferiori cum paſſione, ſunt in ſuperiori ſine paſſione, vt ex ſupra dictis patet. Actus autẽ virtutis ſpei non poteſt pertinere ad appetitum ſenſitiuum, quia bonum quod eſt obiectum principale huiuſmodi virtutis, non eſt aliquod bonum ſenſibile, ſed bonum diuinum. Et ideo ſpes, eſt in appetitu ſuperiori qui dicitur voluntas, ſicut in ſubiecto: non autem in appetitu inferiori, ad quem pertinet iraſcibilis.

Spes ſubiectatur in voluntate.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum ſpes ſit in beatis* dicendum quod ſubtracto eo quod dat ſpeciem rei, ſoluitur ſpecies, & res non poteſt eadem remanere: ſicut remota forma corporis naturalis, non remanet idem ſecundum ſpeciem. ſpes autem recipit ſpeciem à ſuo obiecto principali, ſicut & cæteræ virtutes, vt ex ſupra dictis patet, obiectum autem principale eius, eſt beatitudo æterna, ſecundum quod eſt poſſibilis haberi ex auxilio diuino, vt ſupra dictum eſt: quia bonum arduũ poſſibile non cadit ſub ratione ſpei, niſi ſecundũ quod eſt futurum. ideo cum beatitudo iam non fuerit futura, ſed præſens: non poteſt ibi eſſe virtus ſpei: & ideo ſpes, ſicut & fides, euacuatur in patria, & neutrum eorum eſſe poteſt in beatis.

Cur ſpes nõ poteſt eſſe in beatis.

AD tertium, ſcilicet *vtrum in damnatis in inferno poſſit eſſe ſpes*. dicendum quod ſi nomen inferni ita generaliter accipiatur quod extendatur ad locum purgatorij, & limbum in quo ſancti patres erant ante aduentum Chriſti, concedendum eſt quod in inferno fuit ſpes. In exiſtentibus enim in limbo erat virtus ſpei, cũ gratiam haberent gratum facientem, nec ante mortem Chriſti Deum clare viderent. Similiter dicendum eſt de illis qui ſunt in purgatorio, quamuis enim illi eſſent certi de ſua ſalute futura, & iſti ſimiliter non propter hoc neganda eſt in eis ſpes fuiſſe. Securitas enim conſequendi bonum arduum ſpei non repugnat, ſed magis concordat, cum ſpei conueniat certitudo ſecuritatis, quantum eſt ex parte ſua, & ratione eius cui innititur: quamuis ſperans dubitare poſſit, & timere de abſolutâ conſecutione rei ſperatæ, propter liberi arbitrij vertibilitatem in malum, quæ non eſt in exiſtentibus in purgatorio, nec erat in exiſtentibus in limbo. Si autem reſtringatur nomen inferni ad infernum damnatorum: ſic dicendum quod in inferno nũquam fuit ſpes, quia damnati ad cumulũ damnationis ſuæ, certi ſunt de perpetuitate ſui ſupplicij, & impoſſibilitate conſequendi ſalutem, ſpes autem non eſt reſpectu boni ardui niſi abſentis, apprehenſi vt poſſibile adipiſci. Eſt enim obiectum ſpei bonum ſummè arduum; apprehenſum vt abſens poſſibile adipiſci.

In damnatis non poteſt eſſe ſpes, bene tamẽ in exiſtentibus in purgatorio vel lymbo patrum.

AD quartum, ſcilicet *vtrum in viatoribus ſpes habeat certitudinem*, dicendum quod certitudo inuenitur in aliquo dupliciter, ſcilicet eſſentialiter, & participatiue. Eſſentialiter quidem inuenitur in vi cognitiua. Participatiue autem in omni eo, quod à vi cognitiua mouetur infallibiliter ad finem ſuum: ſecundum quem modum dicitur quod natura certitudinaliter operatur tanquam mota ab intellectu diuino, certitudinaliter mouente vnumquemque ad ſuum finem: & per hunc etiam modum, virtutes morales certius arte dicuntur operari, inquantum per modum naturæ mouentur à ratione ad ſuos actus: & ſic etiam ſpes certitudinaliter tendit ad ſuum finem, quaſi participans certitudinem à fide, quæ eſt in vi cognoſcitiua. De vitiis oppoſitis ſpei videlicet præſumptione, & deſperatione, require infra tertio libro.

Spes in viatoribus quãdam certitudinem obtinet.

DE CHARITATE, EIVSQVE ACTIBVS, ET VITIIS OPPOSITIS.

De charitate ſecundum ſe.

DISTINCTIO XXIV.

CONSEQVENTER conſiderandum eſt de charitate. Circa quam conſideranda ſunt ſex. Primo de charitate ſecundum ſe. Secundo de charitate per cõparationem ad ſubiectum. Tertio de obiecto charitatis ideſt de diligendis ex charitate. Quarto de ordine diligendorum. Quinto de actibus charitatis. Sexto de vitijs oppoſitis. Circa primum, ſcilicet de charitate ſecundum ſe, conſideranda ſunt octo. Primo vtrum charitas ſit idem quod amicitia. Secundo vtrum charitas ſit quid creatum in anima. Tertio vtrum ſit virtus. Quarto vtrum ſit virtus ſpecialis. Quinto vtrum ſit vna virtus. Sexto vtrum ſit maxima virtutum. Septimo vtrum ſine charitate poſſit eſſe ſalus vel vera virtus. Octauo vtrum ſit forma virtutum.

AD primum, ſcilicet *vtrum charitas ſit amicitia*, dicendum quod ſecundum philoſophum 8. Ethi. *Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, ſed amor qui eſt cum beneuolentia*, quando ſcilicet ſic amamus aliquem, vt ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, ſed ipſum eorum bonum velimus nobis, ſicut dicimur amare vinum, aut equum, vel aliquid huiuſmodi, non eſt amor amicitiæ, ſed cuiuſdam concupiſcẽtiæ: Ridiculũ enim eſt dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equum. Sed nec beneuolentia ſufficit ad rationem amicitiæ, ſed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus, eſt amico amicus. Talis autem mutua beneuolentia, fundatur ſuper aliqua communicatione. Cum igitur ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundum quod nobis ſuam beatitudinem communicat, ſuper hac communicatione oportet aliquam amicitiam fundari. de qua quidem communicatione dicitur 1. ad Corin. 1. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* Amor autem ſuper hac communicatione fundatus, eſt charitas. vnde manifeſtum eſt, quod charitas amicitia quædam eſt, hominis ad Deum.

Charitas eſt amicitia hominis ad Deum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum charitas ſit quid creatum in anima*. dicendum quod magiſter perſcrutatur hanc quæſtionem in 17. diſt. primi libri ſimonarum, & ponit quod charitas non eſt aliquid creatum in anima, ſed eſt ipſe ſpirituſſanctus mentem inhabitans, nec eſt ſua intentio, quod iſte motus dilectionis quo Deum diligimus ſit ipſe ſpirituſſanctus, ſed quod iſte motus dilectionis eſt à ſpirituſſancto, non mediante aliquo habitu, ſicut à Spirituſancto ſunt alij actus virtuoſi, mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu ſpei, aut fidei, aut alicuius alterius virtutis: & hoc dicebat propter excellentiam charitatis, ſed ſiquis recte conſideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum. Non enim motus charitatis ita procedit à ſpirituſancto mouente humanam mentem, quod humana mens ſit mota tantum, & nullo modo ſit principium huius motus, ſicut cum aliquod corpus mouetur ab aliquo exteriori mouente: hoc enim eſt contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipſo eſſe, ſicut ſupra dictum eſt. Vnde ſequeretur quod diligere non eſſet voluntarium, quod implicat contradictionem: cum amor de ſui ratione importet, quod ſit actus voluntatis. Similiter etiam non poteſt dici, quod ſic moueat ſpirituſſanctus voluntatem ad actum diligendi, ſicut mouetur inſtrumentum, quod etſi ſit principium actus non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere. Sic enim etiam tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti. Cum tamen ſupra habitum ſit, quod dilectio charitatis eſt radix merendi. ſed oportet quod ſic voluntas moueatur à ſpirituſſancto ad diligendum Deum, quod etiam ipſa ſit efficiens hunc actum: nullus autem actus perfectè producitur ab aliqua potentia actiua, niſi ſit ei connaturalis per aliquam formam, quæ ſit principium actionis. vnde Deus qui omnia mouet ad debitos fines, ſingulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines ſibi præſtitutos à Deo, & ſecundum hoc diſponit omnia ſuauiter, vt dicitur ſap. 8. Manifeſtum eſt autem, quod actus charitatis excedit naturam potentiæ voluntatis. Niſi ergo aliqua forma ſuperadderetur naturali potentiæ, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, ſecundum hoc eſſet actus iſte imperfectior actibus naturalibus, & actibus aliarum virtutum, nec eſſet facilis & delectabilis. Quod patet eſſe falſum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad ſuum actum ſicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Vnde maximè neceſſe eſt quod ad actum charitatis exiſtat in nobis aliqua habitualis forma, ſuperaddita potentiæ naturali, inclinans ipſam ad charitatis actum, & faciens eam prompte & delectabiliter operari.

Neceſſe eſt vt charitas ſit quid creatum in anima.

AD tertium, ſcilicet *vtrum charitas ſit virtus*, dicendum quod actus humani bonitatem habent ſecundum quod regulantur debita regula & menſura. Et ideo humana virtus quæ eſt principium omnium bonorum actuum hominis, conſiſtit in attingendo regulam humanorum actuum. Quæ quidem eſt duplex vt ſupra dictum eſt, ſcilicet humana ratio & ipſe Deus, vnde ſicut virtus moralis diffinitur per hoc, quod eſt ſecundum rationem rectam, vt patet in 2. Ethi. ita etiam attingere Deum, conſtituit rationem virtutis, ſicut etiam ſupradictum eſt de fide, & ſpe. Vnde cum charitas attingat Deum, quia coniungit nos Deo: vt pater per auctoritatem Auguſtini in libro de moribus eccleſiæ, dicentis: Charitas *Eſt virtus quæ (cum natura rectiſſima affectio eſt) coniungit nos Deo, qua cum diligimus*: Conſequens eſt charitatem eſſe virtutem.

Charitas eſt virtus.

AD quartum ſcilicet *vtrum charitas ſit virtus ſpiritualis*, dicendum quod actus & habitus ſpecificantur per obiecta, vt ex ſupradictis patet: proprium autem obiectum amoris eſt bonum, vt ſupra habitum eſt: & ideo vbi eſt ſpiritualis ratio boni, ibi eſt ſpiritualis ratio amoris. bonum autem diuinum inquantum eſt beatitudinis obiectum habet ſpecialem rationem boni: Et ideo amor charitatis quæ eſt amor huius boni, eſt ſpiritualis amor: vnde charitas eſt ſpecialis virtus.

Charitas eſt ſpecialis virtus.

AD quintum, ſcilicet *vtrum ſit vna virtus*, dicendum quod charitas eſt ſicut quædam amicitia hominis ad Deum: diuerſæ autem amicitiarum ſpecies, accipiuntur quidem vno modo ſecundum diuerſitatem finis: & ſecundum hoc dicuntur tres ſpecies amicitiæ, ſcilicet amicitia vtilis, delectabilis, & honeſti. Alio modo ſecundum diuerſitatem communicationum in quibus amicitiæ fundantur: ſicut alia ſpecies amicitiæ eſt conſanguineorum, & alia conciuium, aut peregrinantium: Quarum vna fundatur ſuper communicatione naturali, alia ſuper communicatione ciuili, vel peregrinationis, vt patet per philoſophum in 8. Ethi. Neutro autem iſtorum modorum charitas poteſt diuidi in plura. Nam charitatis finis eſt vnus, ſcilicet diuina bonitas: eſt etiam vna communicatio beatitudinis æternæ, ſuper quam hæc amicitia fundatur. Vnde relinquitur quod charitas eſt vna virtus ſimpliciter, non diſtincta in plures ſpecies.

Charitas eſt vna virtus ſpecie.

AD ſextum, ſcilicet *vtrum charitas ſit excellentiſſima virtutum*, dicendum quod cum bonum in humanis actibus attendatur, ſecundum quod regulantur debita regula, neceſſe eſt quod virtus humana quæ eſt principium omnium bonorum actuum, conſiſtat in attingendo humanorum actuum regulam. Eſt autem duplex regula humanorum actuum, vt ſupra dictum eſt, ſcilicet ratio hũmana, & Deus: ſed Deus eſt prima regula, qua etiam humana ratio regulanda eſt. Et ideo virtutes theologicæ quæ conſiſtunt in attingendo illam regulam primam, eo quod eorum obiectum eſt Deus: excellentiores ſunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quæ conſiſtunt in attingendo rationem humanam, propter quod oportet, vt etiam inter ipſas virtutes theologicas illa ſit potior, quæ magis Deum attingit: ſemper autem id quod eſt per ſe, maius eſt eo, quod eſt per aliud. Fides autem & ſpes attingunt quidem ipſum Deum, ſecundum quod ex ipſo prouenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni: ſed charitas attingit ipſum Deum vt in ipſo ſiſtat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et ideo charitas eſt excellentior fide & ſpe, & per conſequens omnibus alijs virtutibus: ſicut etiam prudentia quæ attingit rationem ſecundum ſe, eſt excellẽtior quam aliæ virtutes morales, quæ atingunt rationem ſecundum quod ex ea medium conſtituitur in operationibus, vel paſſionibus humanis.

Charitas eſt excellentiſſima virtutẽ.

AD ſeptimum, ſcilicet *vtrum ſine charitate poſſit eſſe vera ſalus, vel virtus*. dicendum quod virtus ordinatur ad bonum vt ſupra habitum eſt; bonum autem principaliter eſt finis, nam ea quæ ſunt ad finem, non dicuntur bona niſi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex eſt finis, vnus vltimus, & alius proximus: ita etiam eſt duplex bonum, vnum quidem vltimum, & aliud proximum & particulare: vltimum quidem & principale bonum hominis eſt Dei fruitio, ſecundum illud pſalmi 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt*: & ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem ſecundarium, & quaſi particulare hominis, poteſt eſſe duplex. Vnum quidem quod eſt vere bonum, vtpote ordinabile quantum in ſe eſt, ad principale bonum quod eſt vltimus finis. Aliud autem eſt bonum apparens & non verum, quia abducit à finali bono. Sic igitur patet quod vera virtus eſt illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis, ſicut & philoſophus in 8. phiſi. dicit, quod *virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*: & ſic nulla vera virtus poteſt eſſe ſine charitate. Sed ſi accipiatur virtus ſecundum quod eſt in ordine ad aliquem finem particularem, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod bonum particulare. Sed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens: virtus etiam quæ eſt in ordine ad hoc bonum, erit non vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis: ſicut non eſt vera virtus auarorum

Nulla eſt vera virtus ſine charitate ſimpliciter loquendo.

rorum prudentia, qua excogitant diuersa genera lucrorum;& auarorum iustitia, qua grauium damnorum metu,contemnunt aliena; & auarorum temperantia,qua luxuriæ quæ sumptuosa est cohibent appetitum:& auarorum fortitudo,qua vt ait Horatius, *per mare pauperiem fugiunt,per saxa,per ignes*.vt Aug. dicit in 4.lib.contra Iulianum.Si vero illud bonum particulare sit verum bonum,puta conseruatio ciuitatis, vel aliquod huiusmodi:erit quidem vera virtus, sed imperfecta:nisi referatur ad finale & perfectum bonum: & secundum hoc simpliciter vera virtus,sine charitate esse non potest.

Ad octauum,scilicet *vtrum charitas sit forma virtutum*,dicendum quod in moralibus,forma actus attenditur principaliter ex parte finis.Cuius ratio est, quia principium moralium actuum est voluntas,cuius obiectum & quasi forma,est finis:semper autem causa actus consequitur formam agentis. Vnde oportet quod in moralibus,id quod dat actui ordinem, det ei etiam formam.Vnde manifestum est secundum prædicta,quod per charitatem ordinatur actus omnium aliarum virtutum ad vltimum finem. & secundum hoc,ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur esse forma virtutum: Nam & ipsæ virtutes dicuntur,in ordine ad actus formatos.

Charitas est forma omnium virtutum.

De charitate per comparationem ad subiectum.

DISTINCTIO XXV.

Circa secundum principale, scilicet de charitate per comparationem ad subiectum considerandasunt octo. Primo vtrum charitas sit in voluntate sicut in subiecto. Secundo vtrum causetur in homine ex actibus vel ex infusione. Tertio vtrum infundatur secundum capacitatem naturalium. Quarto vtrum augeatur, & quomodo. Quinto vtrum charitas viæ possit esse perfecta.Sexto de diuersis gradibus charitatis. Septimo vtrum charitas possit diminui. Octauo vtrum habita semel possit amitti.

Ad primum,scilicet *vtrum charitas sit in voluntate sicut in subiecto*, dicendum quod cum duplex sit appetitus, scilicet sensitiuus, & intellectiuus qui dicitur voluntas,vtriusque obiectum est bonum,sed diuersimode;nam obiectum appetitus sensitiui est bonum per sensum apprehensum: obiectum vero appetitus intellectiui vel voluntatis, est bonum sub communi ratione boni, prout est apprehensibile ab intellectu charitatis autem obiectum non est aliquod bonum sensibile,sed bonum diuinum, quod solo intellectu: cognoscitur. Et ideo charitatis subiectum, non est appetitus sensitiuus,sed appetitus intellectiuus, idest voluntas.

Subiectum charitatis est voluntas

Ad secundum, scilicet *vtrum charitas sit in homine ex infusione*.dicendum quod charitas est amicitia hominis ad Deum, fundata super communicationem beatitudinis æternæ:hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita,quia vt dicitur Ro.6. *Gratia Dei vita æterna*: vnde & ipsa charitas facultatem naturę excedit.Quod autem excedit naturæ facultatem,non potest esse neque naturale,neque per potentias naturales acquisitum, quia naturalis effectus non transcendit suam causam;vnde charitas non potest, neque naturaliter nobis inesse,neque per vires naturales est acquisita: sed per infusionem spiritussancti qui est amor patris & filij,cuius participatio in nobis est ipsa charitas creata,sicut supra dictum est.

Charitas est virtus infusa.

Ad tertium,scilicet *vtrum infundatur secundum capacitatem naturalium*.dicendum quod quantitas vniuscuiusque dependet à propria causa rei, quia vniuersalior causa effectum maiorem producit:charitas autem cũ superexcedat proportionem naturæ humanæ vt dictũ est,non dependet ex aliqua naturali virtute,sed ex sola gratia spiritussancti ea infundentis.Et ideo quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis: sed solum ex voluntate spiritussancti distribuentis sua dona prout vult. vnde & Apostolus dicit ad Eph.4.*vnicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*.

Perfectio charitatis non respondet perfectioni naturæ.

Ad quartum,scilicet *vtrum charitas augeatur*. dicendum quod charitas viæ potest augeri,sicut dicit Aug super Ioh.*Charitas meretur augeri,vt aucta mereatur & perfici*. Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus,qui est vltimus finis nostræ beatitudinis.In hac autem vita tantomagis procedimus, quãto Deo magis appropinquamus: cui non appropinquatur passibus corporis,sed affectibus mentis: hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo vnitur: & ideo de ratione charitatis viæ est,vt possit augeri:si enim non posset augeri, iam cessaret viæ processus Et ideo Apostolus charitatem viam nominat dicens 1.Corin.12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*.Dixerunt autem quidam charitatem secundum suam essentiam non augeri, sed solum secundum radicationem in subiecto, vel secundum feruorem: sed hi propriam vocem ignorauerunt.Cum enim sit accidens,eius esse est inesse: vnde nihil est aliud,ipsam secundum essentiam augeri, quãeam magis inesse subiecto.quod est eam magis radicari in subiecto. Similiter etiam ipsa essentialiter est virtus ordinata ad actum, vnde idem est augeri secundum essentiam, & ipsam habere efficaciam ad producendum feruentioris dilectionis actum. Augetur ergo essentialiter,non quidem ita quod esse incipiat vel esse definat in subiecto, sed ita quod magis in subiecto esse incipiat.

Charitas augeri potest secundum essentiam.

Vtrum augeatur per additionem vel quomodo: sciendum quod omnis additio est alicuius ad aliquid: vnde in omni additione,oportet saltem præintelligere distinctionem eorum, quorum vnum additur alteri, ante ipsam additionem.Si igitur charitas addatur charitati,oportet præsupponi charitatem additam, vt distinctam à charitate cui additur;non quidem ex necessitate secundum esse, sed saltem secundum intellectum.Posset enim Deus etiam quantitatem corporalem augere, addendo aliquam magnitudinem non prius existentem,sed tunc causatam: quæ quamuis nõ fuerit prius in rerum natura,habet tamen in se, vnde eius distinctio intelligi possit à quantitate cui additur. Si igitur charitas addatur charitati,oporteret præsupponere ad minus secundũ intellectum,distinctionem vnius charitatis ab alia. Distinctio autem in formis est duplex,vna quidem secundum speciem, alia secundũ numerum. Distinctio quidem secundum speciem in habitibus,est secundum diuersitatem obiectorum.Distinctio vero secundum numerum,est secundum diuersitatem subiecti. Potest igitur contingere quod aliquis habitus per additionem augeatur,dum extenditur ad quædã obiecta,ad quæ per prius se nõ extendebat: & sic augetur scientia geometriæ, in eo qui de nouo incipit scire aliqua geometralia quæ prius nesciebat.Hoc autem non potest dici de charitate, quia etiam minima charitas extendit se ad omnia illa, quæ sunt ex charitate diligenda. Non ergo talis additio in augmento charitatis potest intelligi præsuppositadistinctione secundum speciem charitatis additæ, ad eam cui superadditur. Relinquitur ergo quod si fiat additio charitatis ad charitatem,quod hoc fit præsuppositadistinctione secundum numerum, quæ est secundum diuersitatem subiectorum, sicut albedo augetur per hoc quod album additut albo,quamuis hoc augmento non fiat aliquid magis album. sed hoc in proposito dici non potest, quia subiectum charitatis non est nisi mens rationalis, vnde tale charitatis augmentum fieri non posset nisi per hoc quod vna mens rationalis alteri adderetur,quod est impossibile: quãuis etiamsi esset possibile,tale augmentum faceret ma-

Charitas non augetur per additionem charitatis ad Charitatem.

iorem diligentem animam, non autem magis diligentem. Relinquitur ergo quod nullo modo charitas augeri poteſt, per additionē charitatis ad charitatem, ſicut quidam ponunt. Sic ergo charitas augetur ſolum per hoc quod ſubiectum magis ac magis participat charitatem, ideſt ſecundum quod magis reducitur in actum illius, & magis ſubditur illi. Hic enim eſt modus augmenti proprius cuiuſlibet formæ quæ intenditur, eoquod eſſe huiuſmodi formæ, totaliter conſiſtit in eo quod inhæret ſuſceptibili. Et ideo cum manitudo rei conſequitur eſſe ipſius, formam eſſe maiorem eſt eam magis ineſſe ſuſceptibili: non autem aliam formam aduenire, hoc enim eſſet ſi forma haberet aliquam quantitatem ex ſeipſa, non per comparationem ad ſubiectum. Sic igitur & charitas augetur per hoc quod intenditur in ſubiecto, & hoc eſt ipſam augeri ſecundum eſſentiam, non autem per hoc quod charitas addatur charitati: Sicut eſt in augmento quantitatis corporalis. Quantitas enim corporalis habet aliquid inquantum eſt quantitas, & aliquid inquantum eſt forma accidentalis. Inquantum eſt quantitas habet quod ſit diſtinguibilis ſecundum ſitum, vel ſecundum numerum. Et ideo hoc modo conſideratur augmentum magnitudinis per additionem, vt patet in animalibus: inquantum vero eſt forma accidentalis, eſt diſtinguibilis ſolum ſecundum ſubiectum & ſecundum hoc habet proprium augmentum, ſicut aliæ formæ accidentales, per modum intenſionis eius in ſubiecto, ſicut patet in his quæ rarefiunt, vt probat philoſophus in 4. Phiſi. Et ſimiliter etiam ſcientia habet quantitatem, inquantum eſt habitus, ex parte obiectorum, & ſic augetur per additionem inquantum aliquis plura cognoſcit: habet etiam quantitatem inquantum eſt quædam forma accidentalis, ex eo quod ineſt ſubiecto & ſecundum hoc augetur in eo qui certius eadem ſcibilia cognoſcit nunc, quam prius. Similiter etiam & charitas habet duplicem quantitatem, ſed ſecundum eā quę eſt ex parte obiecti, non augetur, vt dictum eſt: vnde relinquitur quod per ſolam intenſionem augeatur.

Diſcrimen inter quantitatem & alias formas accidentales quoad intenſionem.

Item attende quod prima infuſio charitatis importat mutationem ſecundum habere & non habere, ideo oportet quod aliquid adueniat quod prius non infuit: ſed augmentatio charitatis importat mutationem ſecundum minus habere, aut magis: & ideo non oportet quod aliquid inſit quod prius non infuerit: ſed quod magis inſit, quod prius minus inerat: & hoc eſt quod facit Deus charitatem augendo, ſcilicet quod magis inſit, & quod perfectius ſimilitudo ſpirituſſancti participetur in anima. Nec eſt intelligendum quod augmentum charitatis ſit continuum, ita quod quilibet actus augeat charitatem: quia augmentum ſpirituale charitatis, quodammodo ſimile eſt augmento corporali. Angmentum autem corporale in animalibus & plātis, non eſt motus cōtinuus, ita ſcilicet quod ſi aliquid tantum augeatur in tanto tempore, neceſſe ſit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, ſicut contingit in motu locali: ſed per aliquid temporis natura operatur diſponens ad augmentum, & nihil augens in actu, & poſtmodum producit in effectu id ad quod diſpoſuerat, augendo animal vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu charitatis, charitas actu augetur, ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, inquantum ex vno actu charitatis, homo redditur promptior iterum ad agendum ſecundum charitatem, & habilitate creſcente, homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.

Augmentum charitatis non eſt continuum.

Nullus terminus præfigi poteſt augmento charitatis in hac vita.

Hvic autem charitatis augmento, nullus terminus præfigi poteſt in via: nunquam enim tantum augetur quin amplius poſſit augeri. Terminus enim in augmento alicuius formæ, poteſt præfigi tripliciter. Vno modo ex ratione ipſius formæ quæ habet terminatam menſurā, ad quā cum peruentū fuerit non poteſt vltra procedi in forma, ſed ſi vltra proceſsū fuerit, peruenitur ad aliā formā; ſicut patet in pallore, cuius terminos per cōtinuā alterationē aliquis tranſit, vel ad albedinē vel ad nigredinem peruenies. Alio modo ex parte agentis, cuius virtus non ſe extendit ad vlterius augendum formam in ſubiecto. Tertio modo ex parte ſubiecti, quod non eſt capax ampliōris perfectionis. Nullo autem horum modorum imponitur terminus augmento charitatis in ſtatu viæ: ipſa enim charitas ſecundum rationem propriæ ſpeciei, terminum augmenti non habet. Eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt ſpirituſſanctus. Similiter etiam cauſa augens charitatem eſt infinitæ virtutis, ſcilicet Deus. Similiter etiam ex parte ſubiecti, terminus huic augmento præfigi non poteſt, quia ſemper charitate creſcente, ſuper excreſcit habilitas ad vlterius augmētum: vnde relinquitur quod charitatis augmento, nullus terminus præfigi poſſit in hac vita.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum charitas viæ poſsit eſſe perfecta*. dicendum quod perfectio charitatis poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ex parte diligibilis. Alio modo ex parte diligentis. Ex parte quidem diligibilis perfecta eſt charitas, vt diligatur aliquid quantum diligibile eſt. Deus autem eſt tantum diligibilis quātum bonus eſt, bonitas autem eius eſt infinita, vnde infinitè diligibilis eſt. Nulla autem creatura poteſt eum infinitè diligere, cū quęlibet virtus creata ſit finita. vnde per hunc modum nullius creaturæ, poteſt charitas eſſe perfecta, ſed ſolum charitas Dei qua ſeipſum diligit. Ex parte vero diligentis charitas dicitur eſſe perfecta, quando aliquis ſecundum totum ſuum poſſe diligit: quod quidem cōtingit tripliciter. Vno modo ſic quod totum cor hominis actualiter ſemper feratur in Deū: & hæc eſt perfectio charitatis patriæ: quæ non eſt poſſibilis in hac vita, in qua impoſſibile eſt propter humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo, & moueri dilectione ad ipſum. Alio modo vt homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo, & rebus diuinis; prætermiſſis alijs, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit: & iſta eſt perfectio charitatis, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt cōmunis omnibus charitatem habentibus. Tertio modo ita quod habitualiter aliquis, totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcilicet quod nihil cogitet vel velit, quod ſit diuinæ dilectioni contrarium: & hæc eſt perfectio communis omnibus charitatem habentibus.

Ex parte diligibilis ſola charitas Dei eſt perfecta, ex parte vero diligentis non ſolum charitas beatorum ſed etiam ſuo modo charitas viæ

Ad ſextum, ſcilicet *de gradibus charitatis, qui ſunt charitas incipiens, proficiens, & perfecta*. Sciendum quod augmentum charitatis conſiderari poteſt quantū ad aliquid ſimile corporalis hominis augmento: quod quidem quamuis in plurimas partes diſtingui poſſit, habet tamen aliquas determinatas diſtinctiones, ſiue determinatas actiones, vel ſtudia, ad quæ homo perducitur per augmentum. Sicut infantilis ætas dicitur, antequam habeat vſum rationis. poſtea autem diſtinguitur alius ſtatus hominis quando iam incipit loqui & ratione vti. Iterum tertius ſtatus eius eſt pubertatis quando iam incipit poſſe generare, & ſic inde quouſque peruenatur ad perfectum. Ita etiam diuerſi gradus charitatis diſtinguuntur ſecundum diuerſa ſtudia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini ſtudium principale, ad recedendum à peccato, & reſiſtendum concupiſcentijs eius, quæ in contrarium charitatis mouent, & hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda, & fouenda, ne corrumpatur. Secūdum autem ſtudium ſuccedit vt homo principaliter intendat ad hoc, quod in bonis proficiat, & hoc ſtudium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, vt in eis charitas per augmentum roboretur. Tertiū autē ſtudiū eſt, vt homo ad hoc principaliter intēdat, vt Deo inhæreat, & eo fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiūt diſſolui & eſſe cū Chriſto. Sicut etiā videmus in motu corporali, quod primū eſt receſſus à termino, ſecundū autē eſt appropinqua-

Tres ſunt gradus charitatis ſecūdum diuerſa ſtudia ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum.

tio ad

tio ad alium terminũ,tertium autẽ quies in termino.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum charitas poſſit diminui*,dicendum quod quantitas charitatis quam habet in comparatione ad obiectum proprium, minui non poteſt, ſicut nec augeri, vt ſupra dictum eſt. Sed cum augeatur ſecundum quantitatem quam habet per cõparationem ad ſubiectum, hic oportet conſiderare vtrum ex hac parte diminui poſſit. ſi autẽ diminuatur oportet vel quod diminuatur per aliquem actum, vel per ſolam ceſſationem ab actu. Per ceſſationẽ quidem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus acquiſitæ, & quandoque etiam corrumpuntur, vt ſupra dictum eſt. Vnde de amicia philoſophus dicit in 8. Ethi. quod *multas amicitias inappellatio ſoluit*, id eſt non appellare amicum,& non colloqui ei:ſed hoc ideo eſt,quia conſeruatio vniuſcuiuſque rei,dependet ex ſua cauſa;Cauſa autẽ virtutis acquiſitæ eſt actus humanus, vnde ceſſantibus humanis actibus,virtus acquiſita diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur; ſed hoc in charitate locum non habet, quia charitas non cauſatur ab humanis actibus, ſed ſolum à Deo, vt ſupra dictum eſt: vnde relinquitur quod etiam ceſſante actu, propter hoc nec diminuitur nec corrumpitur, ſi deſit peccatum in ipſa ceſſatione.

Relinquitur ergo quod diminutio charitatis non poſſit cauſari,niſi vel à Deo, vel ab aliquo peccato. A Deo quidem non cauſatur aliquis defectus in nobis, niſi per modum pœnæ,ſecundum quod ſubtrahit gratiam in pœnam peccati, vnde nec ei competit diminuere charitatem,niſi per modum pœnę. Pœna autem debetur peccato:vnde relinquitur quod ſi charitas diminuatur,quod cauſa diminutionis eius ſit peccatum, vel effectiuè,vel meritoriè. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit charitatem,ſed totaliter corrumpit ipſam & effectiuè, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati, vt infra dicetur; & etiam meritoriè, quia qui peccando mortaliter aliquid cõtra charitatem agit, dignum eſt vt Deus ei ſubtrahat charitatem. Similiter etiã nec per peccatum veniale charitas diminui poteſt,neque effectiuè, neque meritoriè. Effectiuè quidem non; quia ad ipſam charitatem non attingit. Charitas enim eſt circa finem vltimum. Veniale autem peccatum eſt quædam inordinatio circa ea quæ ſunt ad finem, non autem diminuitur amor finis,ex hoc quod aliquis inordinationem quandam cõmittit,circa ea quæ ſunt ad finem;ſicut aliquando contingit quod aliqui infirmi multum amantes ſanitatem, inordinatè tamen ſe habent circa dietæ obſeruationem:Sicut etiam in ſpeculatiuis, falſæ opiniones circa ea quæ deducuntur ex principijs, non diminuunt certitudinem principiorum. Similiter etiam veniale peccatum,non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Deus enim non plus ſe auertit ab homine, quam homo ſe auertat ab ipſo. vnde qui inordinatè ſe habet circa ea quæ ſunt ad finẽ, non meretur detrimentum pati in charitate,per quam ordinatur ad vltimum finem.vnde conſequens eſt quod charitas nullo modo diminui poſſit directe loquendo;poteſt tamen indirecte loquendo dici diminutio charitatis diſpoſitio ad corruptionem ipſius, quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per ceſſationem ab exercitio operum charitatis.

Charitas nõ poteſt diminui niſi tantũ diſpoſitiue, & indirecte.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum charitas ſemel habita poſſit amitti*.dicendum quod per charitatem ſpiritusſanctus in nobis habitat,vt ex ſupra dictis patet. Tripliciter ergo poſſumus conſiderare charitatem. Vno modo ex parte ſpiritusſancti mouentis animam ad diligendũ Deum; & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute ſpiritusſancti, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit; vnde impoſſibile eſt hęc duo ſimul eſſe vera, quod ſpiritusſanctus aliquẽ velit mouere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatẽ amittat peccando. Nam donum perſeuerantiæ computatur inter beneficia Dei,quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur, vt Aug. dicit in lib. de prædeſti. ſanctorum. Alio modo poteſt conſiderari charitas ſecundum propriam rationem; & ſic charitas non poteſt niſi id,quod pertinet ad charitatis rationem. Vnde charitas nullo modo poteſt peccare,ſicut nec calor poteſt infrigidare. Et ſic etiã iniuſtitia nõ poteſt bonũ facere, vt Aug. dicit in lib. de ſermone domini in mõte. Tertio modo poteſt conſiderari charitas ex partẽ ſubiecti, quod eſt vertibile ſecundum arbitrij libertatem. Poteſt autem attendi comparatio charitatis ad hoc ſubiectum, & ſecundum vniuerſalem rationem quo cõparatur forma ad materiam, & ſecundum ſpiritualem rationem quo comparatur habitus ad potentiam. Eſt autẽ de ratione formæ quod ſit in ſubiecto amiſſibiliter,quando non replet totam potẽtialitatem materiæ; ſicut patet in formis generabiliũ & corruptibiliũ, quia materia horum ſic recipit vnã formam, quod remanet in ea potentia ad aliam formam,quaſi non repleta tota potentialitate materiæ per vnam formã,& ideo vna forma poteſt amitti per acceptionem alterius:ſed forma corporis cæleſtis,quia replet totam materiæ potẽtialitatem,ita quod non remanet in ea potentia ad aliã formã,inamiſſibiliter ineſt. Sic igitur charitas patriæ, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis (inquãtũ ſcilicet omnis actualis motus eius,refertur in Deum) inamiſſibiliter habetur. Charitas autem viæ non ſic replet potentialitatem ſui ſubiecti, quia non ſemper actu fertur in Deum; vnde quãdo actu in Deũ non fertur,poteſt aliquid occurrere per quod charitas amittatur: habitui vero proprium eſt vt inclinet potentiam ad agendum; quod conuenit habitui inquantum facit id videri bonum, quod ei conuenit, malum autem, quod ei repugnat, ſicut enim guſtus diiudicat ſapores ſecundum ſuam diſpoſitionem, ita mens hominis diiudicat de aliquo faciendo, ſecundum habitualem ſuam diſpoſitionem, vnde & philoſophus dicit in tertio Ethic. quod *qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei*. Ibi ergo charitas inamiſſibiliter habetur, vbi id quod conuenit charitati, non poteſt videri niſi bonum, ſcilicet in patria, vbi Deus per eſſentiam videtur, qui eſt ipſa eſſentia bonitatis, & ideo charitas patriæ amitti non poteſt. Charitas autem viæ in cuius ſtatu, non videtur ipſa eſſentia bonitatis Dei, poteſt amitti. Amittitur enim per actum cuiuſlibet peccati mortalis,quia cum nullo peccato mortali ſtare poteſt. Vnum enim contrarium per aliud contrarium ſuperueniens remouetur. Quilibet autẽ actus peccati mortalis, contrariatur charitati ſecundum propriã rationẽ, quæ cõſiſtit in hoc quod Deus diligatur ſuper omnia, & quod homo totaliter ſe illi ſubijciat, omnia ſua referendo in ipſum.

Charitas viæ poteſt amitti, non autem charitas patriæ.

Est igitur de ratione charitatis vt ſic diligat Deũ, quod in omnibus velit ſe ei ſubijcere,& præceptorum eius regulam in omnibus ſequi. Quicquid enim contrariatur præceptis eius, manifeſte contrariatur charitati, vnde de ſe habet quod charitatem excludere poſſit. Et ſiquidẽ charitas eſſet habitus acquiſitus ex virtute ſubiecti dependens;non oporteret quod ſtatim per vnum actum contrarium tolleretur. Actus enim non directe contrariatur habitui, ſed actui. Conſeruatio autem habitus in ſubiecto, non requirit cõtinuitatem actus vnde ex ſuperueniente contrario actu, non ſtatim habitus acquiſitus excluditur. Sed charitas cum ſit habitus infuſus dependet ex actione Dei infundentis,qui ſic ſe habet in infuſione, & conſeruatione charitatis, ſicut ſol in illuminatione aeris, vt dictum eſt: & ideo ſicut lumen ſtatim ceſſaret eſſe in aere, ſi aliquod obſtaculum opponeretur illuminationi ſolis, ita etiam charitas ſtatim deficit eſſe in anima; quando aliquod obſtaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in animam. Manifeſtum eſt autem quod per quodlibet peccatum mortale, quod diuinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infuſioni obſtaculum, quia ex hoc ipſo quod homo eligendo præfert peccatum diuinæ amicitiæ,

Charitas per peccatum mortale perditur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quæ requirit vt Dei voluntatem sequamur; consequẽs A est vt statim per vnum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur. Vnde & Aug. dicit 8. super Genesim ad litteram, quod *homo Deo sibi presente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum interuallis, sed voluntatis auersione discedit.*

Soluitur obiectiones. Nec te moueat quod dicit Orig. in peryarchon. *Si aliquando satietas capit aliquem ex his qui in summo perfectoque conssiterint gradu, non arbitror quod ad subitum quis euacuetur aut decidat, sed paulatim & per partes decidere necesse est.* Hoc enim verbum Orig. sic est intelligẽdum, quod homo qui est in statu perfecto, non subito procedit in actum peccati mortalis, sed ad hoc disponitur per aliquam negligentiam precedentem; vnde & peccata venialia dicuntur esse dispositio ad mortale, sicut B supra dictum est. Sed tamen per vnum actum peccati mortalis, si eum commiserit decidit, charitate amissa, sed quia ipse subdit, si aliquis breuis lapsus acciderit, & cito resipiscat, non pœnitus ruere videtur. Potest aliter dici quod ipse intelligit eum penitus euacuari, & decidere, qui sic decidit vt ex malitia peccet; quod non statim in viro perfecto à principio contingit.

Item non moueat quod dicit Leo Papa in sermone de passione Petrum alloquens: *vidit in te dominus non fidem incertam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam; abundauit fletus, vbi non defecit affectus, affectus charitatis lauit verba formidinis.* Ex hoc forte Bernard. accepit, quod in Petro dixit non fuisse charitatem extinctam sed sopitam. Sed ad hoc dicendum C est, quod charitas amittitur dupliciter. Vno modo directe per actualem contemptum, & hoc modo Petrus charitatem non amisit. Alio modo indirectẽ, quando committitur aliquid contrarium charitati, propter aliquam passionem concupiscentiæ vel timoris; & hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperauit.

Sic igitur patet quod charitas per vnum peccatum mortale amittitur, non sic autem fides, & spes; quia charitas importat vnionem quandam ad Deum, non autem fides, neque spes. Omne autem peccatum mortale consistit in auersione à Deo, vt supra dictum est. Et ideo omne peccatum mortale non contrariatur fidei vel spei, sed quædam determi- D nata peccata, per quæ habitus fidei & spei tollitur, sicut & per omne peccatum mortale habitus charitatis; vnde patet quod charitas non potest remanere informis, cum sit vltima forma virtutum, ex hoc quod respicit Deum in ratione finis vltimi, vt dictum est.

De obiecto charitatis.

DISTINCTIO XXVI.

Circa tertivm principale, scilicet de obiecto charitatis considerandæ sunt decem. Primo vtrum solus Deus sit ex charitate diligendus vel etiam proximus. Secundo vtrum charitas sit ex charitate diligenda. Tertio vtrum creaturę irrationales. Quarto vtrũ homo possit seipsum ex charitate diligere. Quinto vtrum peccatores sint ex charitate diligendi. Sexto vtrum peccatores seipsos diligant. Septimo vtrum inimici sint ex charitate diligendi. Octauo vtrum sint eis signa amicitię exhibenda. Nono vtrum Angeli sint ex charitate diligendi. Decimo de enumeratione diligendorum.

Ad primvm, scilicet *vtrũ solus Deus sit ex charitate diligendus.* dicendum quod sicut supra dictum est, habitus non diuersificatur nisi ex hoc quod variat speciẽ actus; omnis enim actus vnius speciei, ad eundẽ habitũ pertinet. Cum autẽ species actus ex obiecto sumatur, secundum formalem rationem ipsius; necesse est quod idem specie sit actus, qui fertur in rationem obiecti, & qui fertur in obiectum sub tali ratione; sicut est eadem specie visio qua videtur lumen, & qua videtur color secundum luminis rationem; ratio autem diligendi proximum Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere. vt in Deo sit. Vnde manifestum est quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus; & propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.

Charitas se extendit non solum ad dilectionẽ Dei sed etiam ad dilectionem proximi.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum charitas sit ex charitate diligenda.* dicendum quod charitas amor quidam est, amor autem ex natura potẽtiæ cuius est actus, habet quod possit supra seipsum reflecti; quia enim voluntatis obiectum est bonum vniuersale, quicquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actu volũtatis, & quia ipsum velle est quoddam bonum, potest velle se velle; sicut etiam & intellectus, cuius obiectũ est verum, intelligit se intelligere; quia hęc est etiam quoddam verum. sed amor etiam ex ratione propriæ speciei, habet quod supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis in amatum; vnde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare. Sed charitas non est simplex amor, sed habet rationem amicitiæ, vt supra dictum est. Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter: vno modo sicut ipse amicus ad quem amicitiam habemus, & cuius bona volumus; alio modo sicut bonum quod amico volumus; & hoc modo charitas per charitatem amatur, & non primo; quia charitas est illud bonum quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus, & eadem ratio est de beatitudine, & de alijs virtutibus.

Charitas nõ amatur ex charitate vt quod sed vt id quod amico volumus.

Ad tertivm, scilicet *vtrum creaturæ irrationales sint ex charitate diligendæ.* dicendum quod charitas est amicitia quædam. Per amicitiã autem amatur, Vno quidem modo amicus, ad quem amicitia habetur. Alio modo bona, quæ amico optantur. Primo igitur modo nulla creatura irrationalis potest ex charitate amari; & hoc triplici ratione, quarum duæ pertinent communiter ad amicitiam quæ ad creaturas irrationales haberi non potest. Primo quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum; non autem proprie possumus velle bonum creaturæ irrationali, quia non est eius proprie habere bonum, sed solum creaturæ rationali, quæ est domina vtendi bono quod habet per liberum arbitrium. Et ideo philosophus dicit in 2. phi. quod huiusmodi rebus non dicimus aliquid bene vel male contingere, nisi secundum similitudinem. Secundo quia omnis amicitia fundatur super aliquam communicationem vitæ, nihil enim est ita proprium amicitiæ sicut bona vitæ, vt patet per philosophũ, in 8. Ethi. Creaturę autẽ irrationales non possunt cõmunicationẽ habere in vita humana quæ est secundũ rationem: vnde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi forte secundũ methaphorã. Tertia ratio est propria charitati, quia charitas fundatur super cõmunicatione beatitudinis æternæ, cuius creatura irrationalis capax non est. Vnde amicitia charitatis nõ potest haberi ad creaturã irrationalẽ. Possũt tamẽ ex charitate diligi creaturæ irrationales, sicut bona quæ alijs volumus, inquantum scilicet ex charitate volumus eas cõseruari ad honorem Dei, & vtilitatem hominum, & sic etiam ex charitate Deus eas diligit.

Charitas nõ extendit se ad creaturas irrationales, nisi inquãtũ sunt quadã bona quæ amico volumus.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum homo ex charitate seipsum possit diligere.* dicendũ quod cum charitas sit amicitia quædã, sicut dictũ est, dupliciter possumus de charitate loqui. Vno modo sub cõmuni ratione amicitiæ, & secundũ hoc dicendũ est quod amicitia proprie nõ habetur ad seipsum, sed aliquid maius amicitia, quia amicitia vnionẽ quãdã importat. Dicit enim Diony. quod *amor est virtus vnitiua.* Vnicuique autem ad seipsum est vnitas, quæ est potior vnione; vnde sicut vnitas quæ est potior, est principium vnionis; ita amor quo quis diligit seipsum, est forma & radix amicitiæ. In hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad

Charitas nõ proprie extẽditur ad habentem, sed inquantũ est quid ad Deum pertinens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eos nos habemus ſicut ad noſipſos. Dicitur enim in 9. Ethi. Quod *amicabilia quæ ſunt ad alterum, venerunt ex his quæ ſunt ad ſeipſum.* Sicut etiam de principijs non habetur ſcientia, ſed aliquid maius, ſcilicet intellectus. Alio modo poſſumus loqui de charitate ſecundū propriam rationem ipſius, prout ſcilicet eſt amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex conſequenti ad ea quæ ſunt Dei inter quæ etiam eſt ipſe homo qui charitatem habet, & ſic inter cætera quæ ex charitate diligit, quaſi ad Deū pertinētia, ſe ipſam etiā ex charitate diligit id eſt animā ſuam. De corpore autem proprio, diſtinguendum eſt: Poteſt enim corpus noſtrum conſiderari dupliciter, vno modo ſecundum eius naturam: alio modo ſecundum corruptionē culpæ & pœnæ. Natura autem corporis noſtri non eſt à malo principio creata, vt Manichæi fabulātur, ſed eſt à Deo. vnde poſſumus eo vti ad ſeruitium Dei, ſecundum illud Ro. 6. *Exhibete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.* Et ideo ex dilectione charitatis qua diligimus Deum, debemus etiam corpus noſtrum diligere; ſed imperfectionem culpæ & corruptionem pœnæ in corpore noſtro diligere non debemus, ſed potius ad eius remotionem anhelare deſiderio charitatis.

Corpus noſtrū quomodo ex charitate diligendum.

Licet autem corpus noſtrum Deo frui non poſſit, cognoſcendo & amando ipſum, tamen per opera quę per corpus agimus, ad perfectam Dei fruitionem poſſumus venire vnde & ex fruitione animæ redundat quædam beatitudo ad corpus, ſcilicet ſanitatis & incorruptionis vigor. vt Aug. dicit in Epiſtola ad Dyoſcorum. Et ideo quia corp⁹ aliquo modo eſt particeps beatitudinis, poteſt dilectione charitatis amari.

Peccatores ſecundum naturam ſuam ſunt ex charitate diligendi, ſecundū culpam odiendi.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum peccatores ſint ex charitate diligendi.* dicēdum quod in peccatoribus duo poſſunt conſiderari, ſcilicet natura & culpa. Secundum naturam quidem quam à Deo habent, capaces ſunt beatitudinis, ſuper cuius cōmunicatione charitas fundatur, vt ſupra dictum eſt; & ideo ſecundū naturā ſuā, ſunt ex charitate diligendi; ſed culpa eorum Deo contrariatur, & eſt beatitudinis impedimentum; vnde ſecundum culpam qua Deo aduerſantur, ſunt odiendi quicunque peccatores, & patet, & mater, & propinqui, vt habetur Luc. 14. Debemus in peccatoribus odire quod peccatores ſunt, & diligere quod homines ſunt beatitudinis capaces, & hoc eſt vere eos ex charitate diligere propter Deum.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum peccatores ſeipſos diligāt.* dicendum quod amare ſeipſum, vno modo commune eſt omnibus, alio modo proprium bonorum, tertio modo proprium eſt malorum. Quod enim aliquis amet id quod ſeipſum eſſe æſtimat, hoc commune eſt omnibus. Homo autem dicitur aliquid eſſe dupliciter. Vno modo ſecundū ſuā ſubſtantiā & naturam, & ſecundum hoc omnes æſtimant ſe eſſe id quod ſunt, ſcilicet ex anima & corpore cōpoſitos. Et ſic etiam omnes homines boni, & mali, diligunt ſeipſos, inquātum diligunt ſui ipſorū cōſeruationem. Alio modo dicitur homo aliquid eſſe ſecundum principalitatē, ſicut princeps ciuitatis dicitur eſſe ciuitas; vnde quod principes faciunt dicitur ciuitas facere. Sic autem non omnes æſtimant ſe eſſe id quod ſunt: Principale enim in homine eſt mens rationalis, ſecundarium autem eſt natura ſenſitiua & corporalis: quorum primū Apoſtolus nominat interiorem hominem, ſecundum exteriorem, vt patet 2. ad Cor. 5. Boni autem æſtimant principale in ſeipſis rationalem naturam, ſiue interiorem hominem. Vnde ſecundum hoc æſtimant ſe eſſe quod ſunt. mali autem æſtimant principale in ſeipſis naturam ſenſitiuā & corporalem, ſcilicet exteriorem hominem. vnde non recte cognoſcentes ſeipſos, non vere ſeipſos diligunt, ſed tamen diligunt id quod ſeipſos eſſe reputāt. boni autem vere cognoſcentes ſeipſos, vere ſeipſos diligunt. Et hoc probat philoſophus in 5. Ethi. per quinque quæ ſunt amicitiæ propria. Vnuſquiſque enim amicus quidem, primo vult ſuum amicum eſſe & viuere; Secundo vult ei bona; Tertio operatur bona ad ipſum. Quarto conuiuit ei delectabiliter. Quinto cōcordat cum ipſo quaſi in ijſdem delectatus & contriſtatus, & ſecundum hoc boni diligunt ſeipſos quantum ad interiorem hominem, quia etiam volunt ipſū ſeruari in ſua integritate, & optant ei bona eius, quæ ſunt bona ſpiritualia, & etiam ad aſſequenda opera impendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeūt; quia ibi inueniunt & bonas cogitationes in præſenti, & memoriam bonorum præteritorum, & ſpem futurorum bonorum, ex quibus delectatio cauſatur. Similiter etiam non patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſenſionem, quia tota anima eorum tendit in vnum. Ecōtrario autem mali non volunt conſeruari integritatem interioris hominis, neque appetunt ſpiritualia eius bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile eſt eis ſecum conuiuere redeundo ad cor, quia inueniunt ibi mala & præſentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent. Neque etiā ſibiipſis concordant propter conſcientiam remordentem, ſecundum illud pſalmi 49. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Et per eadem probari poteſt quod mali amant ſeipſos ſecundū corruptionem exterioris hominis, ſic autem boni non amant ſeipſos.

Aliter amāt ſeipſos boni aliter mali.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum inimici ſint ex charitate diligendi.* dicendum quod dilectio inimicorum poteſt tripliciter conſiderari. Vno quidem modo vt inimici diligantur inquātum ſunt inimici, & hoc eſt peruerſum & charitati repugnāns, quia hoc eſt diligere malum alterius. Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturā, ſed in vniuerſali; & ſic dilectio inimicorū eſt de neceſſitate charitatis, vt ſcilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos ſuos nō excludat. Tertio modo poteſt conſiderari dilectio inimicorū in ſpeciali, vt ſcilicet aliquis in ſpeciali moueatur motu dilectionis ad inimicum, & iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolute; quia nec etiam moueri motu dilectionis in ſpeciali, ad quoſlibet homines ſingulariter, eſt de neceſſitate charitatis, quia hoc eſſet impoſſibile; eſt tamen de neceſſitate charitatis ſecundum præparationem animi; vt ſcilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret. ſed quod abſque articulo neceſſitatis; homo etiam hoc actu impleat, vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionē charitatis. Cū enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem oſtendit, nulla inimicitia impediente; ſicut ſi aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipſius filios eius amaret, ſibi etiam inimicos. Et ſecundum hunc modum loquitur Aug. in Enchi. dicens, quod *cum magnum bonū ſit diligere inimicos, non eſt tantæ multitudinis quantam credimus exaudiri, cum dicitur in oratione: dimitte nobis debita noſtra.*

Quomodo inimici ſunt ex charitatè diligendi.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum inimici ſint ſigna & effectus charitatis exhibenda.* dicendum quod ſigna & effectus charitatis, ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum in communi eſt quidem de neceſſitate præcepti abſolute, in ſpeciali tamen eſt non abſolute, ſed ſecundum præparationem animi, vt ſupra dictum eſt. Sic igitur dicendum eſt de effectu vel ſigno dilectionis exterius exhibendæ. Sunt enim quædam beneficia vel ſigna dilectionis quæ exhibentur proximis in communi: Puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis ſigna, inimicis exhibere, eſt de neceſſitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad liuorem vindictæ, contra id quod dicitur Leui. 19. *Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum.* Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis; & talia beneficia, vel dilectionis

Quo ſenſu peccatores dici poſſint ſeipſos diligere.

Quæ ſigna dilectionis ſunt inimicis exhibenda.

ctionis ſigna, inimicis exhibere, non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum prę-
A parationem animi; vt ſcilicet ſubueniatur ei in articulo neceſſitatis, ſecundum illud Prouer. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potũ da illi*, ſed quod per articulum neceſſitatis, huiuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis; per quam aliquis non ſolum cauet vinci de malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt etiã perfectionis, dum ſcilicet non ſolum cauet propter iniuriam ſibi illatam, trahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia, inimicum intendit pertrahere ad ſuum amorem.

AD NONVM, ſcilicet *vtrum Angeli boni vel mali ſint à nobis ex charitate diligendi*. dicendum quantum ad bonos quod ſic, quia amicitia charitatis fundatur ſuper communicationem beatitudinis æternæ, in cuius par-
B ticipatione, communicant cũ Angelis homines. Dicitur enim Matth. 22. *quod in reſurrectione erunt homines ſicut Angeli in cælo*. Et ideo manifeſtum eſt quod amicitia charitatis, etiam ad Angelos ſe extendit. continẽtur autem ſub dilectione proximi, quia proximus non ſolum dicitur cõmunicatione ſpeciei, ſed etiam communicatione beneficiorum pertinentium ad vitam æternam, ſuper qua communicatione, amicitia charitatis fundatur. Quantum vero ad malos Angelos, dicendum eſt ſecundum præmiſſa, quod aliquis ex charitate diligitur dupliciter. Vno modo ſicut ad quem amicitia habetur, & ſic ad illos ſpiritus, amicitiã charitatis habere non poſſumus. Pertinet enim ad rationem amicitię, vt amicis noſtris bonum velimus. Illud autẽ
C bonum vitæ æternæ quod reſpicit charitas, ſpiritibus illis à Deo æternaliter damnatis, ex charitate velle nõ poſſumus; hoc enim repugnaret charitati Dei, per quã eius iuſtitiam approbamus. Alio modo diligitur aliquid, ſicut quod volumus permanere vt bonum alterius; per quem modum ex charitate diligimus irrationales creaturas, inquantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum, vt ſupra dictum eſt. Et per hunc modum, etiã naturam dæmonũ ex charitate diligere poſſumus, inquantum ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſeruari, ad gloriam Dei.

Angeli boni ſunt ex charitate diligẽdi, non autẽ mali, niſi inquantum volumus illos permanere ad gloriã Dei.

AD DECIMVM, ſcilicet *de numero diligendorum ex charitate*. dicendum quod ſecundum Aug. primo de doctrina Chriſtiana, quatuor ſunt diligenda ex charitate. Vnum quod ſupra nos eſt, ſcilicet Deus. Alterũ quod
D nos ſumus. Tertium quod iuxta nos eſt, ſcilicet proximus. Quartum quod infra nos eſt, ſcilicet corpus proprium. Quia ſicut dictum eſt amicitia charitatis ſuper communicatione beatitudinis fundatur, in qua quidẽ communicatione, vnũ quidem eſt quod conſideratur influens beatitudinem, ſcilicet Deus: Aliud eſt beatitudinem directe participans ſcilicet homo, & Angelus: Tertium autem id, ad quod per quandam redundantiã beatitudo deriuatur, ſcilicet corpus humanum. Id quidem quod eſt beatitudinem influens, eſt ea ratione diligibile, quia eſt beatitudinis cauſa: id autem quod eſt beatitudinem participans, poteſt eſſe dupliE ci ratione diligibile, vel quia eſt vnum nobiſcum, vel quia eſt nobis conſociatum in beatitudinis participatione; & ſecundum hoc ſumuntur duo ex charitate diligibilia, prout ſcilicet homo diligit & ſeipſum, & proximum.

Quatuor ſũt ex charitate diligenda.

De ordine charitatis.

DISTINCTIO XXVII.

CIRCA QVARTVM principale. ſ. de ordine charitatis cõſiderãda ſunt tredecim. Primo vtrum ſit aliquis ordo in charitate. Secundo vtrũ homo debeat Deũ diligere plus quã proximũ. Tertio vtrũ plus Deũ quam ſeipſum. Quarto vtrum ſe plus quã proximum. Quinto vtrum proximum plus quam corpus propriũ. Sexto vtrũ plus vnum proximum quam aliũ. Septimo vtrum plus debeamus diligere meliores quam cõiunctiores. Octauo vtrum magis coniunctum nobis ſecundum carnis affinitatem, vel ſecundum alias neceſſitudines. Nono vtrum plus filium quam patrem. Decimo vtrũ matrẽ plus quam patrem. Vndecimo vtrũ vxorẽ plus quam patrẽ vel matrem. Duodecimo vtrũ plus benefactorẽ quam beneficiatum. Tertiodecimo vtrum ordo charitatis manebit in patria.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum ſit aliquis ordo in charitate*: dicendum quod ſicut philoſophus dicit in 8. Ethic. Prius & poſterius dicitur ſecundum relationem ad aliquod principium. Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris, vnde oportet quod vbicunque eſt aliquod principium, ſit etiam aliquis ordo. Dictum eſt autem ſupra quod dilectio charitatis tẽdit in Deum ſicut in principium beatitudinis, in cuius communicatione amicitia charitatis fundatur. Et ideo oportet quod in his quæ ex charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo, ſecundum relationem ad primum principium huius dilectionis, quod eſt Deus.

In charitate eſt ordo.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum Deus magis ſit diligendus quam proximus*: dicendum quod vnaquæque amicitia principaliter reſpicit id, in quo principaliter inuenitur illud bonum in cuius communicatione fundatur; ſicut amicitia politica principalius reſpicit principem ciuitatis à quo totum bonum commune ciuitatis dependet: vnde & ei maxime debetur fides & obedientia à ciuibus. Amicitia autẽ charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, quæ conſiſtit eſſentialiter in Deo ſicut in primo principio, à quo deriuatur in omnes qui ſunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter & maxime Deus eſt ex charitate diligendus. Ipſe enim diligitur ſicut beatitudinis cauſa; proximus autem ſicut beatitudinem ſimul nobiſcum ab eo participans.

Deus eſt principaliter ex charitate diligendus.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum homo plus debeat diligere Deum, quam ſeipſum*: dicendum quod à Deo duplex bonum accipere poſſumus, ſcilicet bonum naturæ & bonum gratiæ, ſuper communicatione autem bonorũ naturalium nobis à Deo facta, fundatur amor naturalis; quo non ſolũ homo in ſua integritate naturæ ſuper omnia diligit Deũ, etiam plus quã ſeipſum; ſed hoc etiã quælibet creatura ſuo modo, ideſt vel intellectuali, vel rationali, vel animali vel ſaltem naturali amore: ſicut lapides & alia quæ cognitione carẽt: quia vnaquæque pars naturaliter plus amat commune bonũ totius, quã particulare bonum propriũ. Quod manifeſtatur ex opere. Quælibet enim pars habet inclinationem principalem ad actionem communem vtilitati totius. Apparet autem & hoc in politicis virtutibus, ſecundũ quas ciues pro bono communi, & diſpendia propriarũ rerum, & perſonarũ interdum ſuſtinent. Vnde multomagis hoc verificatur in amicitia charitatis, quæ fundatur ſuper communicatione donorum gratiæ, & ideo ex charitate debet magis homo diligere Deum, qui eſt bonum commune omnium, quam ſeipſum; quia beatitudo eſt in Deo ſicut in communi & fontali omnium principio, qui beatitudinẽ participare poſſunt.

Homo debet plus Deũ diligere quam ſeipſum.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum debeat homo ex charitate plus diligere ſeipſum, quam proximum*: dicendũ quod in homine duo ſunt, ſcilicet natura ſpiritualis, & natura corporalis. Per hoc autẽ homo dicitur diligere ſeipſum, quod diligit ſe ſecundũ naturam ſpiritualem, vt ſupra dictum eſt; & ſecundum hoc, debet homo magis ſe diligere poſt Deum, quam quemcunque alium. Et hoc patet ex ipſa ratione diligẽdi. Nam ſicut ſupra dictum eſt, Deus diligitur vt principium boni ſuper quo fundatur dilectio charitatis, homo autem diligit ſeipſum ex charitate ſecundum rationem qua eſt particeps prædicti boni, proximus autem diligitur ratione ſocietatis in iſto bono: conſociatio autem eſt ratio dilectionis ſecundũ quandam vnionẽ in ordine ad Deũ. Vnde ſicut vnitas potior eſt quã vnio, ita quod homo ipſe participat bonũ diuinũ, eſt potior ratio diligendi, quam quod alius aſſocietur ſibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate dicitur magis ſeipſum diligere

Homo debet ex charitate plus ſeipſum quam proximum diligere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gere quam proximum; & huius signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato.

Debemus plus ex charitate diligere proximũ quam corpus proprium.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum debeamus plus ex charitate diligere proximum, quam corpus proprium:* dicendum quod illud magis est ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate, vt dictum est: consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum; est maior ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus; & ideo proximum quantum ad salutem animæ, magis debemus diligere, quam corpus proprium.

AD SEXTVM, scilicet *vtrum debeamus ex charitate diligere vnum proximum, plus quam alium*: dicendum quod circa hoc fuit duplex opinio. Quidam enim dixerunt quod omnes proximi sunt æqualiter ex charitate diligendi quantum ad affectum, sed non quantum ad exteriorem affectum; ponentes ordinem dilectionis, esse intelligendum secundum exteriora beneficia, quę magis debemus impendere proximis quam alienis; non autem secundum interiorem affectum, quem æqualiter debemus impendere omnibus etiam inimicis. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Non enim minus est ordinatus affectus charitatis qui est inclinatio gratiæ, quam appetitus naturalis qui est inclinatio naturæ; vtraque enim inclinatio, ex diuina sapientia procedit. Videmus autem in naturalibus quod inclinatio naturalis proportionatur actui vel motui qui conuenit naturæ vniuscuiusque, sicut terra habet maiorem inclinationem grauitatis quam aqua, quia competit ei esse sub aqua. Oportet igitur quod etiam inclinatio gratiæ quæ est affectus charitatis, proportionetur his quæ sunt exterius agenda; ita scilicet vt ad eos intensioris charitatis affectum habeamus, quibus conuenit nos magis beneficos esse. Et ideo etiam dicendum est, quod etiam secundum affectum oportet magis vnum proximum quam alium diligere. Et ratio est, quia cum principium dilectionis sit Deus, & ipse diligens; necesse est quod secundum propinquitatem maiorem ad alterum istorum principiorum, maior sit dilectionis affectus. Sicut enim supra dictum est, in omnibus in quibus inuenitur aliquod principium, ordo attenditur secundum comparationem ad illud principium.

Oportet etiã secundum affectũ magis vnũ proximum quã alium diligere.

AD SEPTIMVM, scilicet *vtrum ex charitate plus debeamus diligere meliores, quam coniunctiores*; dicendum quod omnis actus oportet quod proportionetur & obiecto & agẽti, sed ex obiecto habet speciẽ, ex virtute autẽ agẽtis habet modum suæ intẽsionis; sicut motus habet speciẽ ex termino ad quẽ est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis, & virtute mouẽtis. Sic igitur dilectio, speciẽ habet ex obiecto; sed intẽsionem habet ex parte ipsius diligentis; obiectum autem charitatiuæ dilectionis Deus est, homo autem diligens est. diuersitas ergo dilectionis quæ est secundum charitatem, quantum ad speciem est attendenda in proximis diligendis secundum comparationem ad Deum: vt scilicet ei qui est Deo propinquior, maius bonum ex charitate velimus; quia licet bonum quod omnibus vult charitas, scilicet beatitudo æterna, sit vnum secundum se, habet tamen diuersos gradus secundum diuersas beatitudinis participationes, & hoc ad charitatem pertinet vt velit iustitiam Dei seruari, secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant, & hoc pertinet ad speciem dilectionis. Sunt enim diuersæ dilectionis species, secundum diuersa bona quæ optamus his quos diligimus; sed intensio dilectionis est attenda per comparationem ad ipsum hominem qui diligit, & secundum hoc illos qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligit homo ad illud bonum ad quos eos diligit, quam meliores ad maius bonum. Est etiam ibi alia differentia attendenda. Nam aliqui proximi sunt propinqui nobis secundum naturalem originem à qua discedere non possunt, quia secundum eam sunt id quod sunt. Sed bonitas virtutis secundum quam aliqui appropinquant Deo potest accedere & recedere, augeri & minui; vt ex supra dictis patet; ideo possum ex charitate velle, quod ille qui est mihi coniunctus sit melior alio, & sic ad maiorem beatitudinis gradum peruenire possit.

Quo pacto ex charitate magis diligendi meliores quam cõiunctiores.

EST AVTEM & alius modus quo plus diligimus ex charitate nobis magis coniunctos, quia pluribus modis eos diligimus. Ad eos enim qui non sunt nobis coniuncti, non habemus nisi amicitiam charitatis. Ad eos autem qui sunt nobis magis coniuncti, habemus aliquas amicitias secundum modum coniunctionis eorum ad nos. Cum enim bonum super quod fundatur quælibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum super quod fundatur charitas, consequens est vt charitas imperet actum cuiuslibet alterius amicitiæ; sicut ars quæ est circa finem, imperat arti quę est circa ea quæ sunt ad finem; & sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus, vel quia coniunctus est, vel quia conciuis, vel propter quodcunque huiusmodi aliud licitum, ordinabile in finem charitatis, potest à charitate imperari, & ita ex charitate tam eliciente quam imperante, pluribus modis diligimus magis nobis coniunctos.

AD OCTAVVM, scilicet *vtrum debeamus plus diligere nobis coniunctos secundum carnis affinitatem, quam secundum alias necessitudines*: dicendum quod illi qui sunt nobis magis coniuncti, sunt ex charitate magis diligendi; tum quia intensius diliguntur, tum quia pluribus rationibus diliguntur. Intensio autem dilectionis, est ex coniunctione dilecti ad diligentem. Et ideo diuersorum dilectio est mensuranda, secundum diuersam rationem coniunctionis; vt scilicet vnusquisque diligatur magis, in eo quod pertinet ad illam coniunctionem secundum quam diligitur. Et vlterius comparanda est dilectio dilectioni, secundum cõparationem coniunctionis ad coniunctionem. Sic igitur dicẽdum est, quod amicitia consanguineorum, fundatur in coniunctione naturalis originis, amicitia autem conciuium in communicatione ciuili; & amicitia comilitãtium, in communicatione bellica. Et ideo in his quæ pertinent ad naturam plus debemus diligere consanguineos, in his autem quæ pertinent ad ciuilem conuersationem, plus debemus diligere cõciues, & in bellicis plus comilitones. Vnde & philosophus dicit in 9. Ethic. *quod singulis propria & congruentia est attribuẽdum*; sic autem & facere videntur, qui ad nuptias quidẽ vocant cognatos. Videbitur vtiq; & nutrimẽto parẽtibus oportere maxime sufficere, & honorem paternum, & simile etiam in alijs. Si autem comparemus coniũctionem ad coniunctionem, constat quod coniunctio naturalis originis est prior & immobilior, quia est secundum id quod pertinent ad substantiam, aliæ autẽ coniunctiones sunt superueniẽtes, & remoueri possunt; & ideo amicitia consanguineorum est stabilior; sed aliæ amicitię possunt esse potentiores, secundum id quod est proprium vnicuique amicitiæ.

Ex diuersa ratione coniunctionis dilecti ad diligentem mẽsurandae est dilectio charitatis.

AD NONVM, scilicet *vtrum plus debeamus ex charitate diligere filium quam patrem*: dicendũ quod sicut dictũ est, gradus dilectionis ex duobus pensari potest. Vno modo ex parte obiecti, & secundum hoc, id quod habet maiorẽ rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius; sic pater est magis diligendus, quam filius; quia scilicet patrem diligimus sub ratione principij, quod habet rationẽ eminẽtioris boni & Deo similioris. Alio modo cõputãtur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis; & sic magis diligitur quod est magis coniunctum, & sic magis filius est diligendus quam pater, vt philosophus dicit in octauo Ethicorum. Primo quidem quia parentes diligunt filios, vt aliquid

Quo sensu pater est magis diligẽdus quam filius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliquid ſui exiſtentes: pater autem non eſt aliquid filij, & ideo dilectio ſecundum quam pater diligit filium, ſimilior eſt dilectioni qua quis diligit ſeipſum. Secundo quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios, quam econuerſo. Tertio quia filius eſt magis propinquus parenti, vtpote pars exiſtens, quam pater filio, ad quem habet ſimilitudinẽ principij. Quarto quia parentes diutius amauerunt, nam pater ſtatim incipit diligere filium, filius autem tempore procedẽte incipit diligere patrem. Dilectio autem quanto diuturnior, tanto eſt fortior; ſecundum illud Eccl. 9. *Non derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi.*

Pater per ſe loquendo magis diligendus eſt quã mater.

AD DECIMVM, ſcilicet *vtrum debeat homo plus diligere matrem quam patrem*: dicẽdum quod in iſtis comparationibus id quod dicitur eſt intelligendum per ſe, vt videlicet intelligatur eſſe quæſitum de patre, inquantum eſt pater, an plus diligendus ſit matre, inquãtum mater eſt. Poteſt enim in omnibus huiuſmodi tanta eſſe diſtantia virtutis & malitiæ, vt amicitia ſoluatur vel minuatur, vt philoſophus dicit in 8. Ethi. & ideo vt Ambro. dicit, *boni domeſtici ſunt malis filijs præponendi*; ſed per ſe loquendo, magis pater eſt amandus quã mater. Amantur enim pater & mater vt principia quædam naturalis originis; pater autem habet excellentiorem rationem principij quam mater, quia pater eſt principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis & materiæ, & ideo per ſe loquẽdo pater eſt magis diligendus.

Qua ratione magis diligenda vxor quam pater.

AD VNDECIMVM, ſcilicet *vtrum debeat homo plus diligere vxorem, quam patrem & matrem*: dicendum quod ſicut dictum eſt, gradus dilectionis attendi poteſt & ſecundum rationem boni, & ſecundum coniunctionem ad diligentem. Secundum igitur rationem boni, quod eſt obiectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes quam vxor, quia diliguntur ſub ratione principij & eminentioris cuiuſdam boni. Secundum autem rationem coniunctionis magis diligenda eſt vxor, quia vxor coniungitur viro, vt vna caro exiſtens, ſecundum illud Matth. 19. *Itaque non ſunt duo, ſed vna caro:* & ideo intenſius diligitur vxor, ſed maior reuerentia eſt parentibus exhibenda.

Quo ſenſu magis diligendus beneficiarius quam benefactor.

AD DVODECIMVM, ſcilicet *vtrum debeat homo magis diligere benefactorem, quam beneficiatum*; dicendũ quod ſicut ſupra dictum eſt, aliquid magis diligitur dupliciter. Vno modo quidem, quia habet rationem excellẽtioris boni. Alio modo, ratione maioris coniunctionis. Primo quidem modo benefactor eſt magis diligẽdus, quia cum ſit principium boni in beneficiato, habet excellentioris boni rationem, ſicut & de patre dictum eſt. Secundo autem modo magis diligimus beneficiatos, vt philoſophus probat in 9. Ethi. per quatuor rationes. Primo quidem quia beneficiatus eſt quoddam opus benefactoris; vnde conſueuit dici de aliquo, iſte factura illius eſt: naturale autem eſt cuilibet, quod diligat opus ſuum, ſicut videmus quod poëtæ diligunt poëmata ſua. Et hoc ideo, quia vnumquodque diligit ſuum eſſe, & ſuum viuere, quod maxime manifeſtatur in ſuo agere. Secundo quia vnuſquiſque naturaliter diligit illud in quo inſpicit ſuum bonum, habet quidem igitur & benefactor in beneficiato aliquod bonum & econuerſo; ſed benefactor inſpicit in beneficiato ſuum bonum honeſtum, beneficiatus in benefactore ſuum bonum vtile, bonum autem honeſtum delectabilius conſideratur, quam bonum vtile; tum quia eſt diuturnius (vtilitas enim cito tranſit, & delectatio memoriæ non eſt ſicut delectatio rei præſentis) tum etiam, quia bona honeſta magis cum delectatione recolimus, quam vtilitates quæ nobis ab alijs prouenerunt. Tertio quia ad amantem pertinet agere, vult enim & operatur bonum amato: ad amatum autem pertinet pati, & ideo excellentioris eſt amare, & propter hoc ad benefactorem pertinet vt plus amet. Quarto quia difficilius eſt beneficia impendere quam recipere, ea vero in quibus laboramus magis diligimus: quæ vero nobis de facili prouenium, quodammodo contemnimus.

Ordo charitatis quo modo manebit in patria.

AD TERTIVMDECIMVM, ſcilicet *vtrum ordo charitatis manebit in patria*: dicendum quod neceſſe eſt ordinem charitatis remanere in patria, quantum ad hoc, quod Deus eſt ſuper omnia diligẽdus; hoc enim ſimpliciter tunc erit quando homo perfectè eo fruetur. Sed de ordine ſuiipſius ad alios diſtinguendum videtur; quia ſicut ſupra dictum eſt, dilectionis gradus diſtingui poteſt, vel ſecundum differentiam boni quod quis alij exoptat, vel ſecundum intentionem dilectionis. Primo quidem modo plus diliget meliores quam ſeipſum, minus vero minus bonos: volet enim quilibet beatus, vnumquemque habere quod ſibi debetur ſecundum diuinam iuſtitiam, propter perfectam conformitatem voluntatis humanæ ad diuinam; nec tunc erit tempus perficiendi per meritum ad maius præmium, ſicut nunc accidit, quando homo poteſt meliorem virtutem & præmium deſiderare; ſed tunc voluntas vniuſcuiuſque infra hoc ſiſtet, quod eſt determinatum diuinitus. Secundo vero modo aliquis ſeipſum plus diliget, quam proximum etiam meliorem, quia intenſio actus dilectionis prouenit ex parte ſubiecti diligentis, vt ſupra dictum eſt. Et ad hoc etiam donum charitatis vnicuique confertur à Deo, vt primo quidem mentem ſuam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem ſuiipſius. Secundario vero ordinem aliorum in Deum velit, vel etiam operetur ſecundum ſuum modum. Sed quantum ad ordinẽ proximorum adinuicem, ſimpliciter quis magis diliget meliorem, ſecundum charitatis amorem. Tota enim beata vita conſiſtit in ordinatione mentis ad Deum, vnde totus ordo dilectionis beatorum conſeruabitur per comparationem ad Deum, vt ſcilicet ille magis diligatur & propinquior ſibi habeatur ab vnoquoque qui eſt Deo propinquior. Ceſſabit enim tunc prouiſio quæ eſt in præſenti vita neceſſaria, qua neceſſe eſt vt vnuſquiſque magis ſibi coniuncto ſecundum quamcunque neceſſitudinem prouideat magis quam alieno; ratione cuius in hac vita, ex ipſa inclinatione charitatis, homo plus diligit magis ſibi coniunctum cui magis debet impendere charitatis affectum. Contingit tamẽ in patria, quod aliquis ſibi cõiunctũ pluribus rationibus diliget, non enim ceſſabunt ab animo beati, honeſtæ dilectionis cauſæ; tamen omnibus iſtis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, quæ ſumitur ex propinquitate ad Deum.

De actu charitatis.

DISTINCTIO XXVIII.

CIRCA quintum principale, ſcilicet de actu charitatis, conſideranda ſunt tria. Primo de actu principali charitatis, qui eſt dilectio. Secundo de actibus interioribus conſequentibus actum principalem. Tertio de actibus exterioribus conſequentibus actum principalem. Circa primum conſideranda ſunt octo. Primo quid ſit magis proprium charitatis, vtrum ſcilicet amari vel amare. Secundo vtrum amare prout eſt actus charitatis, ſit idem quod beneuolentia. Tertio vtrum Deus ſit per ſeipſum amandus. Quarto vtrum poſſit in hac vita immediate amari. Quinto vtrum poſſit amari totaliter. Sexto vtrum eius dilectio habeat modum. Septimo quid ſit melius, vtrum diligere amicum, vel inimicum. Octauo vtrum ſit magis meritorium diligere proximum quam diligere Deum.

Magis proprium eſt charitatis amare quam amari.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum magis ſit proprium charitatis amare quam amari* dicendum quos charitas cum ſit virtus, ſecundum ſuam eſſentiam habet inclinationem ad proprium actum, amari auten non eſt actus charitatis ipſius qui amatur, ſed actus charitatis eius eſt amare. Amari autem competit ei ſecundum

com-

communē rationem boni, prout ſcilicet ad eius bonum alius per actum charitatis mouetur. vnde manifeſtum eſt quod charitati magis cōuenit amare quam amari, magis enim conuenit vnicuique quòd conuenit ei per ſe & ſubſtantialiter, quam quod conuenit ei per aliud. Et huius duplex eſt ſignum. Primum quidem, quia amici magis laudantur ex hoc quod amantur; quin immo ſi non amant & amantur, vituperantur. Secundo quia matres quæ maxime amant, plus quærunt amare quam amari: quædam enim vt philoſophus dicit in eodem lib. dant filios ſuos nutrici, & amant quidem; reamari autem non quærunt, ſi non contingat.

A

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum amare ſecundum quod eſt actus charitatis ſit idem quod beneuolentia*: dicendū quod beniuolentia proprie dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus; hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tam ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitiuo, quam etiam ſecundum quod eſt in appetitu intellectiuo, qui eſt voluntas; amor enim qui eſt in appetitu ſenſitiuo, paſſio quædam eſt: Omnis autem paſſio cum quodam impetu inclinat in ſuum obiectum. Paſſio autem amoris hoc habet quod non ſubito exoritur, ſed per aliquam aſſiduam inſpectionem rei amatæ. Et ideo philoſophus in 9. Ethi. oſtendens differentiam inter beneuolentiam & amorē qui eſt paſſio dicit, quod *beneuolentia non habet diſtenſionem & appetitum*. ideſt aliquem impetum inclinationis, ſed ex ſolo iudicio rationis homo vult bonū alicui. Similiter etiam talis amor eſt ex quadam conſuetudine, beneuolentia autē interdum oritur ex repentino, ſicut accidit nobis de pugilibus qui pugnant, quorum alterū vellemus vincere. Sed amor qui eſt in appetitu intellectiuo, etiam differt à beneuolentia. Importat enim quandam vnionem ſecundum affectum amantis ad amatum, inquantum ſcilicet amans æſtimat amatum, quodammodo vt vnum ſibi, vel ad ſe pertinens; & ſic mouetur in ipſum. Sed beneuolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta vnione affectus ad ipſum. Sic igitur in dilectione ſecundum quod eſt actus charitatis, includitur quædam beneuolentia, ſed dilectio ſiue amor, addit vnionē affectus. & propter hoc philoſophus dicit ibidem, quod *beneuolentia eſt principium amicitiæ*.

B

Diſcrimen inter beneuolentiā & amorem.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum Deus ſit propter ſeipſum amandus*: dicendum quod ly *propter* importat habitudinem alicuius cauſæ. Eſt autem quadruplex genus cauſæ, ſcilicet finalis, formalis, efficiens, & materialis, ad quod reducitur etiam materialis diſpoſitio, quæ non eſt cauſa ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Et ſecundum hæc quatuor genera cauſarum, dicitur aliquid propter alterum diligi. Secundum quidem genus cauſæ finalis, ſicut diligimus medicinam propter ſanitatem. Secundum autem genus cauſæ formalis, ſicut diligimus hominem propter virtutem, quia ſcilicet virtute formaliter eſt bonus, & per conſequens diligibilis. Secundum autem cauſam efficientem, ſicut diligimus aliquos inquantum ſunt filij talis patris. Secundum autem diſpoſitionem, quæ reducitur ad genus cauſæ materialis, dicimur diligere aliquid propter id quod nos diſpoſuit ad eius dilectionem, puta propter aliqua beneficia ſuſcepta: quamuis poſtquam iā amare incepimus; non iam propter illa beneficia amemus amicum, ſed propter eius virtutem. Primis igitur tribus modis Deum non diligimus propter aliud, ſed propter ſeipſum. Non enim ordinatur ad aliud, ſicut ad finem, ſed ipſe eſt finis vltimus omnium: neque etiam informatur aliquo alio ad hoc quod ſit bonus, ſed etiam ſubſtantia eius eſt eius bonitas, ſecundum quam exemplariter omnia bona ſunt, neque iterum ei ab altero bonitas ineſt, ſed ab ipſo omnibus alijs. Sed quarto modo poteſt diligi propter aliud, quia ſcilicet ex aliquibus alijs diſponimur adhoc quod in Dei dilectione proficiamus, putà per beneficia ab eo ſuſcepta, vel etiam per præmia ſperata, vel per pœnas quas per ipſum vitare intendimus.

C

Quot modis diligimus Deū propter ſeipſū, & quo modo propter aliud.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum Deus in hac vita poſſit immediate amari*; dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, actus cognitiuæ virtutis, perficitur per hoc quod cognitum eſt in cognoſcente, actus autem virtutis appetitiuæ perficitur per hoc, quod appetitus inclinatur in rem ipſam; & ideo oportet quod motus appetitiuæ virtutis ſit in res ſecundum conditionem ipſarum rerum, actus autem cognitiuæ virtutis eſt ſecundum modum cognoſcentis. Eſt autem ipſe ordo rerum talis ſecundum ſe, quod Deus eſt propter ſeipſum cognoſcibilis, vtpote eſſentialiter exiſtens ipſa veritas & bonitas, per quam alia cognoſcuntur & amantur; ſed quo ad nos, quia noſtra cognitio à ſenſu ortum habet, prius ſunt cognoſcibilia, quæ ſunt ſenſui propinquiora, & vltimus terminus cognitionis eſt in eo, quod eſt maximè à ſenſu remotum. Secundum hoc ergo dicendum eſt, quod dilectio quæ eſt actus appetitiuæ virtutis, etiam in ſtatu viæ tendit in Deum primo, & ex ipſo deriuatur ad alia, & ſecundum hoc charitas immediate Deum diligit, alia vero mediante Deo. In cognitione vero eſt econuerſo, quia ſcilicet per alia Deum cognoſcimus, ſicut cauſam per effectus, vel per modum eminentiæ aut negationis, vt patet per Dionyſium in 2. lib. de diui. no.

D

Deus in hac vita poteſt immediatè amari, ſed nō immediatè cognoſci.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum Deus in hac vita poſſit amari totaliter*; dicendum quod cùm dilectio intelligatur quaſi medium inter amantem & amatum, cum quæritur an Deus poſſit totaliter diligi, tripliciter poteſt intelligi. Vno modo vt modus totalitatis referatur ad rem dilectam, & ſic Deus eſt totaliter diligendus, quia quicquid ad Deum pertinet, homo diligere debet. Alio modo poteſt intelligi ita quod totalitas referatur ad diligentem, & ſic Deus etiam totaliter diligi debet, quia ex toto poſſe ſuo, debet homo Deum diligere; & quicquid habet ad Dei amorem ordinare, ſecundum illud Deutero. 6. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Tertio modo poteſt intelligi ſecūdum comparationem diligentis ad rem dilectam, vt ſcilicet modus diligentis adæquetur modo rei dilectæ, & hoc non poteſt eſſe. Cum enim vnumquodquè intantum diligibile ſit, quantum eſt bonum, Deus cuius bonitas eſt infinita, eſt infinitè diligibilis; nulla autem creatura poteſt Deū infinite diligere, quia omnis virtus creaturæ, ſiue naturalis, ſiue infuſa eſt finita.

E

Quo ratione Deus dicitur totaliter diligendus.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum diuinæ dilectionis ſit aliquis modus:* dicendum quod ſicut dicit Bern. in lib. de diligendo Deo: cauſa diligendi Deū, Deus eſt; modus, ſine modo diligere. Modus enim importat quandam menſuram, ſicut dicit Aug. 4. ſuper Gen. ad litteram. *Modus eſt quem vnicuique propria menſura præfigit*; huius autem menſuræ determinatio inuenitur & in menſūra, & in menſurato; aliter tamen & aliter. In menſura enim inuenitur eſſentialiter, quia menſura ſecundum ſeipſam eſt determinatiua & modificatiua aliorum. In menſuratis autem inuenitur menſura ſecundum aliud, ideſt inquantum attingunt menſuram. Et ideo in menſura nihil poteſt accipi immodificatum, ſed res menſurata eſt immodificata, niſi menſuram attingat; ſiue deficiat, ſiue excedat. In omnibus autem appetibilibus & agibilibus, menſura eſt finis, quia eorum quæ appetimus & agimus, oportet propriam menſuram ex fine accipere, vt patet per philoſophum in 2. phyſi. Et ideo finis ſecundum ſeipſum habet modum, ea vero quæ ſunt ad finem, habēt modū ex eo quod sūt fini proportionata. Et ideo ſicut philoſophus dicit in 1. politi. *Appetitus finis in omnibus artibus eſt abſque fine & termino*; eorum autem quæ ſunt ad finem, eſt aliquis terminus; nō enim medicus imponit aliquē terminum ſanitatis, ſed facit eam perfectā quātumcūq; poteſt; ſed medicinę imponit terminū; nō. n. dat tātū de medicina quātū poteſt, ſed ſecūdū proportionē ad ſanitatē, quā quidē proportionē ſi medicina

F

Qualis reperiatur modus in dilectione Dei.

excederet, vel ab ea deficeret, eſſet immoderata: finis autem omnium actionum humanarum & affectionũ eſt dilectio, per quam maximæ attingimus vltimum finem, vt ſupra dictum eſt. Et ideó in dilectione Dei non poteſt accipi modus, ſicut in re menſurata, vt ſit in ea accipere plus & minus, ſed ſicut inuenitur modus in menſura; in qua non poteſt eſſe exceſſus, ſed quanto plus attingitur regula, tanto melius eſt; ità quanto plus Deus diligitur, tanto eſt dilectio melior.

Ad septimvm, ſcilicet *quid ſit melius diligere amicũ, vel inimicum:* dicendum quod ratio diligendi proximũ ex charitate Deus eſt, ſicut ſupra dictum eſt. Cũ ergo quęritur quid ſit melius vel magis meritorium, vtrum diligere amicum, quam inimicum, dupliciter iſtæ dilectiones comparari poſſunt. Vno modo ex parte proximi qui diligitur. Alio modo ex parte rationis propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus eſt melior, & magis coniunctus. vnde eſt materia magis conueniens dilectioni; & propter hoc actus dilectionis ſuper hanc materiam tranſiens, melior eſt. vnde & eius oppoſitum eſt deterius; peius enim eſt odire amicũ, quã odire inimicum. Secundo autem modo dilectio inimici, præeminet dilectioni amici propter duo. Primo quidẽ, quia dilectionis amici poteſt eſſe alia ratio quã Deus; ſed dilectionis inimici, ſolus Deus eſt ratio. Secundo quia ſuppoſito quod vterque propter Deum diligatur, fortior oſtenditur eſſe dilectio Dei quæ animum hominis ad remotiora extendit, ſcilicet vſque ad dilectionem inimicorum. ſicut virtus ignis tanto oſtenditur fortior eſſe quanto ad remotiora diffundit ſuum calorem: tanto etiam oſtẽditur diuina virtus eſſe fortior, quanto propter ipſam difficiliora implemus; ſicut etiam & virtus ignis, tanto eſt fortior, quanto comburere poteſt materiam minus combuſtibilẽ. ſed ſicut idem ignis in propinquiora fortius agit quam remotiora, ita etiam charitas feruentius diligit coniunctos, quam remotos: & quantum ad hoc dilectio amicorum ſecundum ſe conſiderata, feruentior & melior eſt, quam dilectio inimicorum.

Quo ſenſu ſit melius diligere amicum quã inimicum, & contra.

Ad octavvm ſcilicet, *vtrum diligere proximum ſit magis meritorium quam diligere Deum;* dicendum, quod comparatio iſta poteſt intelligi dupliciter. Vno modo vt ſeorſum conſideretur vtraque dilectio; & tunc non eſt dubiũ quod dilectio Dei eſt magis meritoria. Debetur enim ei merces propter ſeipſam, quia vltima merces eſt frui Deo in quem tendit diuinæ dilectionis motus; vnde & diligenti Deum merces promittitur, Io. 14. *Si quis diligit me, diligetur à patre meo & manifeſtabo ei meipſum.* Alio modo poteſt attendi ipſa comparatio, vt dilectio Dei accipiatur ſecundum quod ſolus Deus diligitur; dilectio autem proximi accipiatur, ſecundum quod proximus diligitur propter Deum; & ſic dilectio proximi includet dilectionem Dei; ſed dilectio Dei, non includet dilectionẽ proximi; vnde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extenditur ſe etiam ad proximum, ad dilectionem Dei inſufficientem & imperfectam: quia hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Et hoc ſenſu dilectio proximi præeminet.

Quo ſenſu dilectio proximi excedat dilectionem Dei.

De gaudio.

DISTINCTIO XXIX.

Deinde conſiderandum eſt de effectibus conſequentibus actum principalem charitatis, quæ eſt dilectio. Et primo de effectibus interioribus. Secundo de exterioribus. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo enim conſiderandum eſt de gaudio. Secundo de pace. Tertio de miſericordia. Quarto de zelo. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum gaudium ſit effectus charitatis. Secundo vtrum gaudium compatiatur ſecum admixtionem triſtitię. Tertio vtrum gaudium huiuſmodi poſſit eſſe plenum. Quarto vtrum gaudium ſit virtus.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum gaudium ſit effectus charitatis.* Dicendum, quod ex amore procedit & gaudiu & triſtitia, ſed contrario modo. Gaudium enim ex amore cauſatur vel propter præſentiam boni amati, vel etiam propter hoc quod ipſi bono amato propriũ bonum ineſt & conſeruatur; & ſecundum hoc maxime pertinet ad amorem beneuolentiæ, per quam ſcilicet aliquis gaudet de amico proſpere ſe habente, ſi ſit etiã abſens. Econtrario autem ex amore ſequitur triſtitia, vel propter abſentiam amati, vel propter hoc quod cui volumus bonum, ſuo bono priuatur, aut aliquo modo deprimitur. Charitas autem eſt amor Dei, cuius bonum immutabile eſt, quia ipſe eſt ſua bonitas, & ex hoc ipſo quod amatur, eſt in amante per nobiliſſimum ſui effectum, ſecundum illud 1. Ioh. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* & ideo ſpirituale gaudium quod de Deo habetur, ex charitate cauſatur.

Gaudium eſt effectus charitatis.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum gaudium ſpirituale quod ex charitate cauſatur, recipiat admixtionem triſtitię.* Dicendum, quod ex charitate cauſatur duplex gaudium de Deo, ſicut ſupra dictum eſt. Vnum quidem principale quod eſt proprium charitatis, quo ſcilicet gaudemus de bono diuino ſecundum ſe conſiderato, & tale gaudium charitatis, permixtionem triſtitiæ non patitur, ſicut nec illud bonum de quo gaudet, poteſt aliquam mali admixtionem habere. Et ideo Apoſtolus dicit ad Phil. 4. *Gaudete in domino ſemper.* Aliud autem gaudium eſt charitatis, quo gaudet quis de bono diuino ſecundum quod participatur à nobis, hæc autem participatio poteſt impediri per aliquod contrarium; & ideo ex hac parte, gaudium charitatis poteſt habere permixtionem triſtitiæ; prout ſcilicet aliquis triſtatur de Deo, quod repugnat participationi diuini boni in nobis, vel in proximis, quos tanquam noſipſos diligimus.

Gaudium charitatis poteſt habere admixtionẽ triſtitia.

Ad tertivm, ſcilicet, *vtrum ſpirituale gaudiũ quod ex charitate cauſatur, poſſit in nobis impleri.* Dicendũ, quod plenitudo gaudij poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ex parte rei de qua gaudetur, vt ſcilicet tantũ gaudeatur de ea, quantum eſt dignum de ea gauderi; & ſic ſolum Dei gaudium eſt plenum de ſeipſo, quia gaudium eius eſt infinitum; & hoc eſt condignum infinitę bonitati Dei; cuiuſlibet autem creaturæ gaudiũ oportet eſſe finitum. Alio modo poteſt intelligi plenitudo gaudij ex parte gaudentis. Gaudium autem cõparatur ad deſiderium ſicut quies ad motum, vt ſupra dictum eſt cum de paſſione ageretur. Eſt autem quies plena, cum nihil reſtat de motu. Vnde tunc eſt gaudium plenum, quando iam nihil deſiderandum reſtat. Quandiu autem in hoc mundo ſumus, non quieſcit in nobis deſiderij motus, quia adhuc reſtat quod Deo magis appropinquemus per gratiam, vt ex ſupradictis patet. Sed quando iam ad beatitudinem perfectam peruentum fuerit, nihil deſiderandum reſtabit, quia erit Dei plena fruitio, inquantum homo obtinebit quicquid etiam circa alia bona deſiderauit, ſecundum illud Pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et ideó quieſcet deſiderium, non ſolum quo deſideramus Deum, ſed etiam erit omnium deſideriorum quies. vnde gaudium beatorum eſt perfecte plenum, & etiam ſuperplenum; quia plus obtinebunt, quam deſiderare ſuffecerint. *Non enim in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe,* vt dicitur 1. Cor. 2. Et hoc eſt quod dicitur, Luc. 6. *Menſuram bonam & ſuperfluentem dabunt in ſinus veſtros.* Quia tamen nulla creatura eſt capax gaudij de Deo ei condigni, inde eſt quod illud gaudium omnino plenum non intrat in hominem, ſed potius homo intrat in ipſum. ſecundum illud Matth. 26. *Intra in gaudium domini tui.*

Quomodo gaudiũ ſpirituale dicatur in nobis impleri.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum gaudium ſit virtus.* Dicendum, quod virtus eſt habitus quidam operatiuus, vt dictum eſt; & ideo ſecundum propriam rationem habet inclinationem ad aliquem actum. Eſt autem contingens ex vno habitu plures actus eiuſdem rationis ordinatos prouenire, quorum vnum ſequatur ex altero: & quia poſteriores actus non procedunt ab habitu virtutis niſi per actum priorem, inde eſt quod virtus non diffinitur, nec denominatur niſi ab actu priori, quamuis etiam alii actus ab ea conſequantur. Manifeſtum eſt autem ex his, quæ ſupra de paſſionibus dicta ſunt, quod amor eſt prima affectio appetitiuæ potentię, ex qua ſequitur & deſiderium, & gaudiũ: & ideo habitus virtutis idem eſt qui inclinat ad diligendum, & deſiderandum bonum diuinum dilectum, & ad gaudendum de eo. ſed quia dilectio inter hos actus eſt prior, inde eſt quod virtus non denominatur à gaudio, nec à deſiderio, ſed à dilectione, & dicitur charitas. Sic ergo gaudium non eſt aliqua virtus à charitate diſtincta, ſed eſt quidam charitatis actus ſiue effectus: & propter hoc connumeratur inter fructus, vt patet Gal. 5.

Gaudium non eſt virtus, ſed charitatis actus ſeu effectus.

De pace.

DISTINCTIO XXX.

Deinde conſiderandum eſt de pace. Et circa hoc conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum pax ſit idem quod concordia. Secundo vtrum omnia appetant pacem. Tertio vtrum pax ſit effectus charitatis. Quarto vtrum pax ſit virtus.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum pax ſit idem quod concordia.* dicendum quod pax includit concordiam, & aliquid addit, vnde vbicumque eſt pax, ibi eſt concordia: non tamen vbicunque eſt concordia ibi eſt pax, ſi nomen pacis propriè ſumatur. Concordia enim propriè ſumpta eſt ad alterum, inquantum ſcilicet diuerſorum cordium voluntates, ſimul in vnum conſenſum conueniunt. Contingit etiam vnius hominis cor tendere in diuerſa, & hoc dupliciter: vno quidem modo ſecundum diuerſas potentias appetitiuas, ſicut appetitus ſenſitiuus plerumque tendit in contrarium rationalis appetitus: ſecundum illud Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Alio modo inquantum vna & eadem vis appetitiua, in diuerſa appetibilia tendit, quæ ſimul aſſequi non poteſt. vnde neceſſe eſt eſſe repugnantiam motuum appetitus. vnio autem horum motuum eſt quidem de ratione pacis: nõ enim homo habet pacatũ cor quandiu non habet id quod vult. Et ſi habeat aliquid quod vult, tamen adhuc reſtat ei aliquid volendum quod ſimul habere non poteſt. Hæc autem vnio non eſt de ratione concordiæ: vnde concordia importat vnionem appetituum diuerſorum appetẽtium: pax autem ſuper hanc vnionem, importat etiam vnius appetentis vnionem.

Diſcrimen inter pacem & cõcordiã.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum omnia pacem appetant.* dicendum quod ex hoc ipſo quod homo aliquid appetit, conſequens eſt ipſum appetere eius quod appetit aſſecutionem, & per conſequens remotionem eorum quæ conſecutionem impedire poſſunt. Poteſt autem impediri aſſecutio boni deſiderati per cõtrariũ appetitum, vel ſuiipſius, vel alterius, & vtrumque tollitur per pacem, ſicut ſupra dictum eſt. Et ideo neceſſe eſt quod omne appetens appetat pacem, inquantũ ſcilicet omne appetẽs appetit tranquille & ſine impedimẽto peruenire ad id quod appetit, in quo conſiſtit ratio pacis, quam Aug. diffinit tranquillitatem cordis.

Omnia pacẽ appetunt.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum pax ſit effectus charitatis:* dicendum quod duplex vnio eſt de ratione pacis, ſicut dictum eſt: quarum vna eſt ſecundum ordinationem propriorum appetituum in vnum. Alia vero eſt ſecundum vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius, & vtramque vnionem efficit charitas. Primã quidem vnionem ſecundum quam Deus diligitur ex toto corde, vt ſcilicet omnia referamus in ipſum; & ſic omnes appetitus noſtri in vnum feruntur. Aliam vero prout diligimus proximum ſicut noſipſos. Ex quo cõtingit quod homo vult implere voluntatẽ proximi, ſicut & ſuiipſius: & propter hoc inter amicabilia, vnum ponitur identitas electionis: vt patet in 9. Ethi. Et Tullius dicit in lib. de amicitia, quod *amicorum eſt idem velle & nolle.*

Pax eſt effectus charitatis.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum pax ſit virtus:* dicendũ, quod ſicut ſupra dictum eſt: cũ omnes actus ab agente ſecundũ eandem rationẽ procedentes, ſe inuicẽ cõſequãtur, õnes huiuſmodi actus ab vna virtute procedũt: nec habẽt ſinguli ſingulas virtutes à quib⁹ procedant: vt patet in rebus corporalibus, quia enim ignis calefaciendo liquefacit, & rarefacit, non eſt in igne aliqua virtus liquefactiua, & alia rarefactiua, ſed omnes actus hos operatur ignis, per vnam ſuam virtutem calefactiuam. Cum igitur pax cauſetur ex charitate ſecũdum ipſã rationẽ dilectionis Dei & proximi, vt oſtenſum eſt, non eſt alia virtus cuius pax ſit proprius actus niſi charitas, ſicut & de gaudio dictum eſt.

Pax non eſt virtus ſed actus à charitate procedens.

De miſericordia.

DISTINCTIO XXXI.

Deinde conſiderandum eſt de miſericordia. Circa quam quatuor videnda ſunt. Primo vtrum malum ex parte eius cuius homo miſeretur, ſit cauſa miſericordiæ. Secundo vtrum defectus ſit cauſa miſerendi, ex parte miſerentis. Tertio vtrũ miſericordia ſit virtus. Quarto vtrum ſit maxima virtutum.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum malum ex parte eius cui fit miſericordia, ſit ratio miſercudi.* Dicẽdũ, quod ſicut Aug. dicit in 9. de ciui. Dei. *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſsio, qua vtique ſi poßemus ſubuenire compellimur.* Dicitur enim miſericordia, ex eo quod aliquis habet miſericordiam ſuper miſeriam alterius: miſeria autem felicitati opponitur. Eſt autem de ratione beatitudinis ſiue felicitatis, vt aliquis potiatur eo quod vult: nam ſicut Aug. dicit 13. de trini. *Beatus eſt qui habet omnia, quæ vult & nihil mali vult.* Et ideo econtrario ad miſericordiam pertinet, vt homo potiatur quæ non vult. Tripliciter autem vult aliquis aliquid. Vno quidem modo appetitu naturali, ſicut omnes homines volunt eſſe, & viuere. Alio modo homo vult aliquid, per electionem ex aliqua præmeditatione. Tertio modo homo vult aliquid, non ſecundum ſe, ſed in cauſa ſua. Puta qui vult comedere nociua, quodammodo dicimus eum velle infirmari. Sic igitur motiũ miſericordiæ eſt tanquam ad miſeriam pertinens. Primo quidem, quia illud contrariatur appetitui naturali volentis, ſcilicet mala corruptiua, & contriſtantia: quorum contraria homines naturaliter appetunt: vnde Philoſophus dicit in 2. retho. quod *miſericordia eſt triſtitia quædam, ſuper apparenti malo corruptiuo, vel contriſtatiuo.* Secundo huiuſmodi efficiuntur magis ad miſericordiam prouocantia, ſi ſint contra voluntatem electionis. Vnde & Philoſophus ibi dicitur quod *illa mala ſunt miſerabilia quorum fortuna eſt cauſa*; vt puta cum aliquod malum eueniat, vnde ſperabatur bonum. Tertio autem ſunt adhuc magis miſerabilia ſi ſunt contra totam voluntatem. Puta ſi aliquis ſemper ſectatus eſt bona, & eueniunt ei mala: & ideo Philoſophus dicit in eodem libro, quod *miſericordia maxime eſt ſuper malum eius, qui indignus patitur.* propterea malum culpæ, ſecundum hoc quod eſt voluntarium, non habet rationem miſerabilis, ſed magis rationem puniẽdi. Sed quia culpa poteſt eſſe aliquo modo pœna, inquantũ ſcilicet habet aliquid annexũ quod eſt contra voluntatem peccantis: ſecundũ hoc poteſt habere rationẽ miſerabilis: & ſecundũ hoc miſeremur, & compatimur peccantibus. Sicut Greg. dicit in homelia 34. in Euang. quod *vera iuſtitia non habet dedignationem*, ſ. ad peccatores, *ſed compaſsionem.* Et Matth. 9. dicitur:

Miſeria ex parte eius cui fit miſericordia eſt ratio miſerendi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicitur: *Videns Ieſus turbas miſertus eſt eis, quia erant* A *vexati, & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem.*

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum defectus ex parte miſerentis ſit ratio miſerendi.* Dicendum quod cum miſericordia ſit paſſio quædam, ſuper miſericordia aliena, vt dictum eſt, ex hoc contingit quod aliquis miſereatur, ex quo contingit quod de miſeria aliena doleat: quia autem triſtitia ſeu dolor eſt de malo proprio, intantum aliquis de miſeria aliena triſtatur aut dolet, inquantum miſeriam alienam apprehendit vt ſuam. Hoc autem contingit tripliciter. Vno modo ſecundum vnionem affectus, quod fit per amorem: quia enim amans reputat ſeipſum amicum, malum ipſius reputat tanquam malum ſuum; & ideo dolet de malo amici ſicut de ſuo: & inde eſt quod Philoſophus in 9. Ethi. inter alia amicabilia ponit hoc quod eſt B condolere amico: & Apoſtolus dicit Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus.* Alio modo contingit ſecundum vnionem realem, vtpote cum malum aliquorum ita propinquum eſt, vt ab eis ad nos tranſeat. Et ideo Philoſophus dicit in 2. Rhet. *Homines miſerentur ſuper illos qui ſunt eis coniuncti, & ſimiles:* quia per hoc fit eis æſtimatio, quod ipſi etiam poſſunt ſimilia pati. Et inde eſt quod ſenes & ſapientes qui conſiderant ſe poſſe in mala incidere, & debiles, & formidoloſi, magis ſunt miſericordes. Econtrario autẽ illi qui reputant ſe eſſe felices, & intantum potentes quod nihil mali putant ſe pati poſſe, non ita commiſcerentur. Sic igitur ſuper defectus eſt ratio miſerendi, vel inquantum aliquis defectum alicuius reputat ſuum, propter vnionem amoris, vel C propter poſſibilitatem ſimilia patiendi.

Defectus ex parte miſerentis eſt ratio miſerẽdi.

Cur ſenes, ſapientes & formidoloſi, ſunt magis miſericordes.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum miſericordia ſit virtus.* Dicendum quod miſericordia importat dolorem de miſeria aliena. Iſte autem dolor poteſt nominare vno quidem modo motum appetitus ſenſitiui: & ſecundum hoc miſericordia paſſio eſt, & non virtus. Alio modo poteſt nominare motum appetitus intellectiui, ſecundum quod alicui diſplicet malum alterius. Hic autem poteſt eſſe ſecundum rationem regulatus: & poteſt ſecundum hunc modum ratione regulatum, regulari motus inferioris appetitus; vnde Aug. dicit in 9. de ciuitate Dei, quod *iſte motus animi* ſcilicet miſericordia, *ſeruit rationi, quando ita præbetur miſericordia, vt iuſtitia conſeruetur ſiue cum indigenti tribuitur, ſiue cum ignoſcitur pœnitenti*: & quia ratio virtutis humanæ conſiſtit in hoc quod motus animi ratione regulatur, vt ex ſuperioribus patet, conſequens eſt miſericordiam eſſe virtutem. D

Miſericordia quo ſenſu eſt virtus.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrũ miſericordia ſit maxima virtutũ.* Dicendũ quod aliqua virtus poteſt eſſe maxima dupliciter. Vno modo ſecundum ſe. Alio modo per comparationem ad habentem. Secundum ſe miſericordia quidem maxima eſt. Pertinet enim ad miſericordiam quod alij effundat, & quod plus eſt, quod defectus aliorum ſubleuet: & hoc eſt maxime ſuperioris. Vnde & miſereri ponitur proprium Deo, & in hoc maxime dicitur eius omnipotentia manifeſtari. Sed quantum ad habentem, miſericordia non eſt maxima, niſi ille qui habet ſit maximus, qui nullum ſuper ſe habeat, ſed omnes ſub ſe. Ei enim qui ſupra ſe aliquem habet, maius & melius eſt coniungi ſuperiori, E quam ſupplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem qui habet Deum ſuperiorem, charitas per quam Deo vnitur, eſt potior quam miſericordia, per quam defectus proximorum ſupplet, ſed inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent potiſſima eſt miſericordia, ſicut etiam eſt potioris actus. Nam ſupplere defectum alterius inquantum eſt huiuſmodi, eſt ſuperioris & melioris. De zelo require ſupra vbi agitur de paſſionibus.

Miſericordia quo ſenſu dicitur maxima virtutũ.

De beneficentia.

DISTINCTIO XXXII.

Deinde conſiderandum eſt de exterioribus effectibus charitatis. Et primo de beneficentia. Secundo de eleemoſyna. Tertio de correctione fraterna, quæ eſt quædam eleemoſyna. Circa primum quæruntur quatuor. Primo vtrum beneficentia ſit actus charitatis. Secundo vtrum omnibus ſit benefaciendũ. Tertio vtrum magis benefaciendum ſit his, qui ſunt nobis magis coniuncti. Quarto vtrum beneficentia ſit virtus ſpecialis.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum beneficentia ſit actus charitatis.* Dicendum, quod beneficentia nihil aliud importat quam facere bonum alicui. Poteſt autem hoc bonum conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum communem rationem boni, & hoc pertinet ad communem rationem beneficentiæ: ex hoc enim eſt actus amicitiæ, & per cõſequens charitatis. Nã in actu dilectionis includitur beneuolentia, per quam aliquis vult bonum amico, vt ſupra habitum eſt: voluntas autem eſt effectiua eorum quæ vult, ſi facultas adſit. Et ideo ex conſequenti, benefacere amico ex actu dilectionis conſequitur; & propter hoc beneficentia ſecundum communem rationem, eſt amicitiæ, vel charitatis actus. Si autem bonum quod quis facit alteri, accipiatur ſub aliqua ſpeciali ratione boni, ſic beneficentia accipiet ſpecialem rationem, & pertinebit ad aliquam ſpecialem virtutem.

Beneficentia eſt charitatis actus.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum omnibus ſit benefaciẽdum.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, beneficentia conſequitur amorem, ex ea parte qua mouet ſuperiora ad prouiſionem inferiorum, gradus autem in hominibus non ſunt immutabiles ſicut in Angelis, quia homines poſſunt pati multiplices defectus. Vnde qui eſt ſuperior ſecundum aliquid, vel eſt vel poteſt eſſe inferior ſecundum aliud. Et ideo cum dilectio charitatis ſe extendat ad omnes, beneficentia debet ſe extendere ad omnes, pro loco tamen & tempore: omnes enim actus virtutum ſunt ſecundum debitas circunſtantias limitandi.

Benefaciẽdũ eſt omnibus pro loco & tempore.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum magis benefaciendum ſit his, qui nobis magis coniuncti ſunt:* dicendum quod gratia & virtus imitatur naturæ ordinem, qui eſt ex diuina ſapientia inſtitutus. Eſt autem talis ordo naturæ, vt vnumquodque agens naturale per prius magis diffundat ſuam actionem ad ea, quæ ſunt ſibi propinquiora, ſicut ignis calefacit magis rem ſibi magis propinquã: & ſimiliter Deus in ſubſtantias ſibi propinquiores per prius & copioſius, dona ſuæ bonitatis diffundit. vt patet per Dion. 4. cap. ce. hierar. Exhibitio autẽ beneficiorum eſt quædam actio charitatis in alios. Et ideo oportet quod ad magis propinquos ſimus magis benefici. Sed propinquitas vnius hominis ad alium poteſt attendi ſecundum diuerſa, in quibus ſibi adinuicẽ homines communicant: vt conſanguinei naturali cõmunicatione, conciues in ciuili, fideles in ſpirituali, & ſic de alijs. & ſecundum diuerſas coniunctiones, ſunt diuerſimode diuerſa beneficia diſpenſanda. nam vnicuique eſt magis beneficium exhibendum pertinẽs ad eandem rem, ſecundum quam eſt nobis magis cõiunctus ſimpliciter loquendo: tamẽ hoc poteſt variari ſecundum diuerſitatẽ locorum & tẽporum & negociorum: nã in aliquo caſu eſt magis ſubueniendum extraneo: puta ſi ſit in extrema neceſſitate, quam etiam patri non tantam neceſſitatem patienti.

Magis benefaciendum eſt magis coiunctis, ceteris paribus.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum beneficẽtia ſit ſpecialis virtus*: dicendum quod virtutes diuerſificantur ſecundum rationes obiecti: eadem autem eſt ratio formalis obiecti charitatis, & beneficentiæ. Nam vtraque reſpicit communem rationem boni, vt ex ſupradictis patet. Vnde beneficentia non eſt alia virtus à charitate, ſed nominat quendam charitatis

Beneficentia eſt actus charitatis & nõ virtus ab illa diſtincta.

actum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

actum. De eleemoſyna require infra inter partes ſatisfactionis.

de correctione fraterna.

DISTINCTIO XXXIII.

DEINDE conſiderandum eſt de correctione fraterna. Circa quod videnda ſunt octo. Primo vtrum correctio fraterna ſit actus charitatis. Secũdo vtrum ſit ſub præcepto. Tertio vtrum hoc præceptum extendat ſe ad omnes, vel ſolum ad prælatos. Quarto vtrum ſubditi ex hoc præcepto teneantur corripere prelatos. Quinto vtrum peccator poſſit corripere. Sexta vtrum corripi debeat ille qui ex correctione fit deterior. Septimo vtrum ſecreta correctio debeat precedere denunciationem. Octauo vtrum teſtium inductio debeat præcedere denunciationem.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum fraterna correctio ſit actus charitatis:* dicendum quod correctio delinquentis eſt quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius. Peccatum autem alicuius dupliciter conſiderari poteſt. Vno quidem modo, inquãtum eſt nociuum ei qui peccat. Alio modo, inquantũ vergit in nocumentum aliorum qui ex eius peccato læduntur, vel ſcandalizantur: & etiam inquantum eſt in nocumentum boni communis, cuius iuſtitia per peccatum perturbatur. Duplex ergo eſt correctio delinquentis: vna quidem, quę adhibet remedium peccato, inquantum eſt quoddam malum ipſius peccantis: & iſta eſt proprie fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis; remouere autem malum alicuius, eiuſdem rationis eſt, & bonum eius procurare. Procurare autem fratris bonum, pertinet ad charitatem, per quam volumus & operamur bonum amico: vnde etiam correctio fraterna eſt actus charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, ſcilicet peccatum: cuius remotio pertinet ad charitatem, magis quam etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporis nocumenti; quanto contrarium bonum virtutis, magis eſt affinis charitati, quam bonum corporis vel exteriorum rerum. Vnde correctio fraterna magis eſt actus charitatis quam curatio infirmitatis corporalis, vel ſubuentio per quam excluditur exterior egeſtas. Alia vero correctio eſt, quæ adhibet remedium peccati delinquentis, ſecundum quod eſt in nocumentum aliorum & præcipuè in nocumentum boni communis; & talis correctio eſt actus iuſtitiæ, cuius eſt conſeruare rectitudinem iuſtitiæ vnius ad alium.

Correctio fraterna eſt actus charitatis.

Correctio fraterna cadit ſub præcepto in debitis circumſtantijs.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum correctio fraterna ſit in præcepto:* dicendum quod ſic: ſed conſiderandum eſt quod ſicut præcepta negatiua legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmatiua inducunt ad actus virtutum. Actus autem peccatorum ſunt ſecundum ſe mali, & nullo modo bene fieri poſſunt, nec aliquo tempore aut loco, quia ſecundum ſe ſunt coniuncti malo fini. vt dicitur in 2. Ethi. Et ideo præcepta negatiua obligant ſemper & ad ſemper. Sed actus virtutis non quolibet modo fieri debent, ſed obſeruatis debitis circunſtãtijs, quæ requiruntur ad hoc quod ſit actus virtuoſus, vt ſcilicet fiat vbi debet, & quãdo debet, & ſecundum quod debet: & quia diſpoſitio eorum quæ ſunt ad finem, attenditur ſecundum rationẽ finis, In iſtis circunſtantijs virtuoſi actus, præcipuè attendenda eſt ratio finis, qui eſt bonum virtutis. Si igitur talis ſit omiſſio aliqua alicuius circunſtantiæ circa virtuoſum actũ, qui totaliter tollat bonũ virtutis, hoc contrariatur præcepto. Si autẽ ſit defectus alicuius circunſtãtiæ, quæ nõ totaliter tollat virtutẽ, licet nõ perfectè attingat ad bonũ virtutis, nõ eſt contra præceptũ. Vnde Philoſophus dicit in 2. Ethi. quod ſi parũ diſcedatur à medio, nõ eſt cõtra virtutẽ, ſed ſi multũ diſcedatur, corrumpitur, virtus in ſuo actu, correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt neceſſaria ad iſtum finem, non autem ita quod quolibet loco vel tempore, frater delinquens corrigatur.

Correctio fraterna quæ eſt actus charitatis ad omnes pertinet, quæ vero eſt actus iuſtitiæ ad ſolos prælatos.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum ſolum pertineat ad prælatos.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, duplex eſt correctio. Vna quidem quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſiue ſit ſubditus, ſiue ſit prælatus. Eſt autem alia correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non ſolum procuratur per admonitionem fratris, ſed etiam interdum per punitionem, vt alij à peccatis timentes deſiſtant, & talis correctio pertinet ad ſolos prælatos qui non ſolum habent admonere, ſed etiam corrigere puniendo.

Subditus poteſt & debet prælatum corrigere, ſed cum reuerentia.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum aliquis ſubditus teneatur corripere prælatum ſuum.* Dicendum, quod correctio quę eſt actus iuſtitiæ per coarctionem pœnæ, non competit ſubdito reſpectu prælati. Sed correctio fraterna quæ eſt actus charitatis, pertinet ad vnumquemque reſpectu cuiuſlibet perſonæ ad quam charitatem debet haberi; ſi in eo aliquid corrigibile inueniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentia procedens, ſe extendit ad omnia quę continentur ſub obiecto illius potentiæ; vel habitus, ſicut viſio ad omnia quæ continentur ſub obiecto viſus. Sed quia actus virtuoſus debet eſſe moderatus debitis circunſtantijs, ideo in correctione qua ſubditi corrigunt prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt ſcilicet non cum proteruia, & duritia; ſed cum manſuetudine, & reuerentia corrigantur. Vnde Apoſtolus dicit 1. Ti. 4. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem tuum.* Et ideo Dio. redarguit Demophilum monachum, quia ſacerdotem irreuerenter correxerat, eum percutiens, & de Eccleſia eijciens.

Peccator poteſt ſubditũ delinquentẽ corrigere licet per peccatum ſiat indignus propter tria.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum peccator debeat corripere.* Dicendum, quod correctio delinquentis pertinet ad aliquem, inquantum viget in eo rectum iudicium rationis. Peccatum autem vt ſupra dictum eſt, nõ tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iudicio rationis: & ſecundum hoc poteſt competere ſibi in ſubditis; delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens, impedimentũ quoddam huic correctioni affertur propter tria. Primo quidem, quia ex peccato præcedenti indignus redditur vt alium corrigat; & præcipuè ſi maius peccatum commiſit, non eſt dignus vt corrigat alium de minori peccato. Vnde ſuper illud Matth. 7. *Quid vides feſtucam,* &c. dicit Hiero. *De his loquitur qui cum mortali crimine delinquentes obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt.* Secundo redditur indebita correctio, propter ſcãdalum, quod ſequitur ex correctione, ſi peccatum corripientis ſit manifeſtum; quia videtur quod ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, ſed magis ad oſtentationem. Vnde ſuper illud Matth. 7. *Quomodo dicis fratri tuo,* &c. exponit Chryſo. *In quo propoſito; putas ex charitate, vt ſalues proximum tuum: non; quia teipſum ſaluare. Vis ergo non alios ſaluare, ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudem ab hominibus quærere.* Tertio modo, propter ſuperbiam corripientis, inquantum ſcilicet aliquis propria peccata paruipendens, ſeipſum proximo præfert in corde ſuo, peccata eius auſtera ſeueritate diiudicans, ac ſi eſſet ipſe iuſtus. Vnde Aug. dicit in lib. de ſermone domini in monte. *Accuſare vitia officium bonum eſt, quod cum mali faciunt, alienas partes attingunt.* Et ideo Aug. dicit in eodem. *Cogitemus cum aliquem reprehendere nos neceſſitas coegerit, vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe, vel tale, quod habuimus, & iam non habemus; & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correctionem, non odium, ſed miſericordia prætedat. Si autem inueniremus nos in eodem vitio eſſe, non obiurgemus,*

ſed congemiſcamus, & aliqualiter deponendum inuitemus. Ex his igitur patet, quod peccator ſi cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec ſibi nouam condemnationem acquirit; licet per hoc, vel in conſcientia fratris, vel ſaltem ſua, pro peccato præterito condemnabilem ſe eſſe oſtendat.

A correctione deſiſtendū eſt quando non iperatur emenda.

AD SEXTVM, ſcilicet *vtrum debeat quis à correctione ceſſare, ſi timet quod ille fiat ex correctione deterior.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, duplex eſt correctio delinquentis. Vna quidem pertinens eſt ad prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam; & talis correctio non eſt dimittenda, propter turbationem eius qui corripitur; tum quia etſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt per pœnas vt peccare deſiſtat; tum etiam, quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc prouidetur bono communi, dum ſeruatur ordo iuſtitiæ, & exemplo vnius alij deterrentur, vnde iudex non prætermittit ferre ſententiam damnationis in peccantem, propter timorem turbationis ipſius, vel etiam amicorum eius. Alia vero correctio eſt fraterna, cuius finis eſt emendatio delinquentis, non habens citationem, ſed ſimplicem admonitionem; & ideo vbi probabiliter æſtimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, ſed ad peiora labatur; eſt ab huiuſmodi correctione deſiſtendum: quia ea quæ ſunt ad finem, debent regulari ſecundum quod exigit ratio finis.

Peccata publica ſunt publice arguenda, occulta vero quæ in proximorū nocumentum non vergunt, non niſi prauia ſecreta monitione.

AD SEPTIMVM, ſcilicet *vtrum de neceſſitate præcepti, ſecreta correctio debeat præcedere denunciationem.* Dicendum, quod circa publicam denunciationem peccatorum diſtinguendum eſt; aut enim peccata ſunt publica, aut ſunt occulta; ſi quidem ſint publica, non eſt tantum adhibendum remedium ei qui peccauit, vt melior fiat, ſed etiam alijs in quorum notitiam deuenit, vt non ſcandalizentur; & ideo talia peccata ſunt publice arguenda, ſecundum illud Apoſtoli ad Ti. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt timorem cæteri habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis ſicut Aug. dicit in lib. de verbis domini. Si vero ſint peccata occulta, ſic videtur habere locum, quod dominus dicit: *Si peccauerit in te frater tuus*, quando enim te offendit publice coram alijs, iam non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios quos turbat. Sed quia etiam in occultis peccatis, poteſt parari proximorum offenſa, ideo adhuc diſtinguendum videtur. Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ adhuc ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale. Puta ſi aliquis occulte tractet quomodo ciuitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat: & quia ille qui occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios; oportet ſtatim ad denunciationem procedere, vt huiuſmodi nocumentum impediatur; niſi forte aliquis firmiter æſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi malū impedire. Quædam vero peccata ſunt quę ſunt ſolum in malū peccantis, & ei in quem peccatur, vel quia à peccante læditur, vel ſaltem ex ſola notitia: & tūc ad hoc ſolum tendendum eſt, vt fratri peccanti ſubueniatur. Et ſicut medicus corporalis ſanitatem debet ægro inferre ſi poteſt, ſine alicuius membri abſciſione; ſi autem non poteſt, abſcidit membrum minus neceſſarium, vt vita totius conſeruetur; ſic ille qui ſtudet emendationi fratris, debet ſi poteſt ſic emendare fratrem quantum ad conſcientiam, vt fama eius conſeruetur. Quæ quidem eſt vtilis; Primo quidem etiā ipſi peccanti, non ſolum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimētum amiſſa fama, ſed etiam quantum ad ſpiritualia; quia præ timore infamiæ, multi à peccato retrahuntur; vnde quando ſe infamatos conſpiciunt, irreffrænate peccant. vnde Hiero. dicit. *Corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem aut verecundiam amiſerit, permaneat in peccato.* Secundo debet conſeruari fama fratris peccantis, tum quia vno infamato, alij infamantur, ſecundum illud Aug. in Epiſtola ad plebem Hipponenſem. *cum de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inflant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.* tum etiam quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccatum. Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit dominus vt ſaltem cum diſpendio famæ, fratris conſcientia per publicam denunciationem à peccato liberetur. Vnde patet de neceſſitate præcepti eſſe, quod ſecreta admonitio publicam denunciationem præcedat.

Inductio teſtium debet præcedere denunciationē.

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum teſtium inductio debeat præcedere denunciationem?* dicendum, quod de vno extremo ad aliud extremum conuenienter tranſitur per medium, in correctione autem fraterna dominus voluit, quod principium eſſet occultum, dum frater corriperet fratrem inter ſe & ipſum ſolum; finem autem voluit eſſe publicum, vt ſcilicet eccleſiæ denunciaretur; & ideo conuenienter in medio, teſtium ponitur inductio; vt primo paucis indicetur peccatum fratris, qui poſſint prodeſſe, & non obeſſe, vt ſaltem ſic, ſine multitudinis infamia emendetur.

De præceptis charitatis.

DISTINCTIO XXXIV.

CIRCA ſextum principale, ſcilicet de præceptis charitatis, conſideranda ſunt ſex. Primo vtrum de charitate fuerunt danda præcepta. Secundo vtrum vnum vel duo. Tertio vtrum conuenienter præcipiatur, quod Deus ex toto corde diligatur. Quarto vtrū præceptum poſſit in hac vita cōpleri. Quinto de hoc præcepto, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Sexto vtrum ordo charitatis ſit in præcepto.

AD primum, ſcilicet *vtrum de charitate fuerunt danda præcepta*: dicendum quod præceptum importat rationem debiti, in tantum ergo aliquid cadit ſub præcepto inquantum habet rationem debiti: eſt autem aliquid debitum dupliciter; vno modo per ſe, alio modo per aliud. Per ſe quidem debitum eſt in vnoquoque negocio, id quod eſt finis, quia habet rationem per ſe boni. Propter aliud autem eſt debitum id, quod ordinatur ad finem: ſicut medico per ſe debitum eſt vt ſanet, propter aliud autem vt det medicinam ad ſanandum: finis autem ſpiritualis vitæ eſt, vt homo vniatur Deo, quod fit per charitatem: & ad hoc ordinantur ſicut ad finem omnia, quę pertinent ad ſpiritualem vitam. Vnde & Apoſtolus dicit 1. ad Ti. 1. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Omnes enim virtutes de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur ad purificādum cor à turbinibus paſſionum, ſicut virtutes quæ ſunt circa paſſiones; vel ſaltem ad habendum bonam cōſcientiam, ſicut virtutes quæ sūt circa operationes; vel ad habendā rectam fidem, ſicut illa quæ pertinet ad diuinū cultum; & hæc tria requiruntur ad diligendū Deum. Ñā cor impurū à Dei dilectione abſtrahitur, propter paſſionē inclinantem ad terrena; conſciētia vero mala facit horrere diuinā iuſtitiam, propter timorē pœnæ. Ficta autem fides trahit affectum in id quod de Deo fingitur, ſeparās à Dei vnitate. In quolibet autē genere id quod eſt per ſe potius eſt eo quod eſt propter aliud; & ideo maximum præceptum eſt de charitate, vt dicitur Matth. 22.

Maximum præceptū eſt de charitate.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum vnum tantum præceptum dandum fuit vel duo*: dicendum quod ſicut dictum eſt, hoc modo ſe habent præcepta in lege, ſicut propoſitiones in ſcientijs ſpeculatiuis, in quibus concluſiones virtute continentur in primis principijs; vnde qui perfectè cognoſceret principia ſecundum totam ſuam virtutem, non opus haberet, vt ei concluſiones ſeorſum proponerentur. Sed quia non omnes qui cognoſcunt principia, ſufficiunt conſiderare quicquid in principijs virtute continetur, neceſſe eſt propter eos, vt in ſcientijs ex principijs concluſiones deducantur. In operabilibus autem in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rationem principij, vt ſupra dictum eſt. Dilectio autem Dei finis eſt ad quem dilectio proximi ordinatur. Et ideo non ſolum oportet dari præceptum de dilectione Dei, ſed etiam de dilectione proximi; propter minus capaces, qui non de facili conſiderant vnum horum præceptorum ſub alio contineri. Sufficiunt autem duo, nec fuit neceſſe plura dari: quia ſicut ſupra dictum eſt, charitas eſt amicitia quædam, amicitia autem ad alterum eſt. Vnde Greg. dicit in homilia 17. in Euang. *Minus quam inter duos, charitas haberi non poteſt.* Quomodo autem ex charitate aliquis ſeipſum diligit, ſupra dictum eſt. Cum autem dilectio, & amor, ſit boni, bonum autem ſit vel finis, vel id quod eſt ad finem conuenienter de charitate duo præcepta ſufficiunt. Vnum quidem quo inducimur ad Deum diligendum ſicut finem. Aliud autem eſt quo inducimur ad diligendum proximum propter Deum ſicut propter finem.

Duo tantũ ſunt præcepta charitatis.

A

B

Ad tertium, ſcilicet *vtrum conuenienter præcipiatur Deus diligi ex toto corde*, &c. Dicendum, quod præcepta dantur de actibus virtutum. Hoc ergo modo aliquis actus cadit ſub præcepto, ſecundum quod actus eſt virtutis. Requiritur autem ad actum virtutis, non ſolum quod cadat ſuper determinatam materiam, ſed etiam quod veſtiatur debitis circunſtantiis, quibus ſit proportionatus tali materiæ: Deus autem eſt diligendus ſicut finis vltimus, ad quem omnia ſunt referenda. Et ideo totalitas quædam fuit deſignãda circa præceptum de dilectione Dei. Inuenitur autem hoc præceptum diuerſimodè traditum in diuerſis locis. Nam ſicut dictum eſt, Deut. 6. ponuntur tria, ſcilicet ex toto corde, & ex tota anima & ex tota fortitudine. Matthæi 22. ponuntur duo horum, ſcilicet ex toto corde, & in tota anima: & omittitur, ex tota fortitudine, ſed additur in tota mente. Sed Mar. decimoſecundo ponuntur quatuor, ſcilicet ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute, quæ eſt idem fortitudini. Et hæc etiam quatuor tanguntur Luc. 10. Nam loco fortitudinis ſeu virtutis ponitur, Ex omnibus viribus tuis. Et ideo horum quatuor eſt ratio aſſignãda, nam quod alicubi vnum horum omittitur, hoc eſt quia vnum intelligitur ex alijs. Eſt igitur conſiderandum, quod dilectio eſt actus voluntatis, qui hic ſignificatur per cor. Nam ſicut cor corporale eſt principiũ omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & maximè quantum ad intentionẽ finis vltimi, quod eſt obiectum charitatis, eſt principium omnium ſpiritualium motuum. Tria autem ſunt principia motuum ſiue actuum, quæ mouentur à voluntate, ſcilicet intellectus, qui ſignificatur per mentem, vis appetitiua interior, quæ ſignificatur per animam: & executiua exterior quæ ſignificatur per fortitudinem, & virtutem, ſiue vires. Præcipitur ergo nobis vt tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt ex toto corde. Et quod intellectus noſter ſubdatur Deo quod eſt ex tota mente. Et quod appetitus noſter reguletur ſecundum Deũ quod eſt ex tota anima. Et quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus, Deum diligere. Chryſ. tamen ſuper Matt. accipit è contrario cor, & animam, quam dictum ſit Aug. vero in primo de doctrina Chriſtiana, refert cor ad cogitationes, & animam ad vitam, mentem ad intellectum. Quidam autem dicunt ex toto corde, ideſt intellectu, anima ideſt voluntate, mente ideſt memoria. Vel ſecundũ Greg. Nice. per cor ſignificat animam vegetabilem: per animam, ſenſitiuam: & per mentem, intellectiuam: quia hoc quod nutrimur, ſentimus, & intelligimus, debemus ad Deum referre.

Quo ſenſu intelligitur illud: dilige Deum ex toto corde tuo &c.

C

Ad quartum, ſcilicet *vtrum hoc præceptum poſſit impleri in hac vita.* Dicendum, quod præceptum aliquod dupliciter impleri poteſt. Vno modo perfecte alio modo imperfectè. Perfecte quidem impletur præceptum, quando peruenitur ad finem, quem intendit præcipiens. Impletur autem ſed imperfectè, quando etſi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem: ſicut ſi dux exercitus præcipiat militibus vt pugnent; ille perfectè implet præceptum, qui pugnando hoſtem vincit; quod dux intendit. Ille autem implet, ſed imperfectè, cuius pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra diſciplinam militarem agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, vt homo Deo totaliter vniatur, quod fiet in patria quando Deus erit omnia in omnibus, vt dicitur 1. ad Corin. 15. Et ideo plene & perfecte in patria implebitur hoc præceptum. In via vero impletur imperfecte: & tamen in via tanto vnus alio perfectius implet quanto magis accedit per quandam ſimilitudinem ad patriæ perfectionem.

Præceptum charitatis in via impletur imperfecte: in patria vero perfecte

Ad quintum, ſcilicet *de hoc præcepto: Diliges proximum tuum*, &c. Dicendum, quod hoc præceptum conuenienter traditur, tangitur enim in eo, & diligendi ratio, & dilectionis modus. Ratio quidem diligendi tangitur, ex eo quod proximus nominatur: propter hoc enim ex charitate debemus alios diligere, quia nobis ſunt proximi, & ſecundum naturalem Dei imaginem, & ſecundum capacitatem gloriæ. Nec refert vtrum dicatur proximus, vel frater vt habetur 1. Ioh. 4. vel amicus, vt habetur Leui. 19. Quia per omnia hæc, affinitas eadem deſignatur. Modus autem dilectionis tãgitur cũ dicitur, ſicut teipſum. Quod non eſt intelligẽdum quantum ad hoc, quod aliquis carnaliter ſibi diligat, ſed ſimiliter ſibi: Et hoc triplicit er. Primo quidẽ ex parte finis, vt ſcilicet aliquis diligat proximum propter Deum, ſicut & ſeipſum propter Deum debet diligere: vt ſic ſit dilectio proximi ſancta. Secundo ex parte regulæ dilectionis, vt ſcilicet aliquis non cõdeſcendat proximo in aliquo malo, ſed ſolum in bonis: ſicut & ſuę voluntati ſatisfacere debet homo, ſolum in bonis, vt ſic ſit dilectio proximi iuſta. Tertio ex parte rationis dilectionis, vt ſcilicet non diligat aliquis proximum propter propriam vtilitatem, vel delectationẽ: ſed ea ratione, quod velit proximo bonum ſicut ſibiipſi vult bonum, vt ſit dilectio proximi vera. Nam cum quis diligit proximum propter ſuam delectationem vel vtilitatem, non vere diligit proximum, ſed ſeipſum.

Præceptum dilectionis proximi apte aſſignatur.

Ad ſextum, ſcilicet *vtrum ordo charitatis ſit in præcepto.* Dicendum, quod modus qui pertinet ad rationem actus virtuoſi, cadit ſub præcepto quod datur de actu virtutum. Ordo autem charitatis pertinet ad ipſam rationem virtutis, cum accipiatur ſecundum proportionem dilectionis ad diligibile, vt ex ſupradictis patet: vnde manifeſtum eſt, quod ordo charitatis debet cadere ſub præcepto.

Ordo charitatis cadit ſub præcepto.

D

De ſcandalo.

Circa ſeptimum principale ſupra poſitum, conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis charitati. Et primo de odio, quod oppoñitur ipſi dilectioni. Secundo de accidia, & inuidia, quæ opponuntur gaudio charitatis. Tertio de diſcordia, & ſchiſmate: quæ opponuntur paci. Quarto de offenſione, & ſcãdalo: quæ opponuntur beneficentiæ, & correctioni fraternæ. De his omnibus require infra in 3. li. vbi de ſingulis agitur ſuis locis. De ſcandalo nunc dicemus. Circa quod cõſideranda ſunt octo. Primo quid ſit ſcandalum. Secundo vtrum ſcandalum ſit peccatum. Tertio vtrum ſit ſpeciale peccatum. Quarto vtrum ſit peccatũ mortale. Quinto vtrum perfectorum ſit ſcandalizari. Sexto vtrum ſcandalum actiuum ſit in vitis perfectis. Septimo vtrum ſpiritualia bona ſint propter ſcandalum dimittenda. Octauo vtrum propter ſcandalum ſint temporalia dimittenda.

E

Ad primum, ſcilicet *quid ſit ſcandalum*, ſciendum quod ſuper illud Matth. 15. *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt*, &c. dicit Hiero. *quando legimus, quicumque ſcandalizauerit*, &c. *hoc intelligimus, quia dicto vel facto occaſionem ruinę dederit.* Quod enim Græce ſcandalon dicitur, nos offenſionem vel ruinam, vel impa-

impactionem pedis poſſumus dicere. Vnde diffinit ſic: *ſcandalum eſt dictum vel factum minus rectum, prębens aliꝭ occaſionem ruinæ.* Contingit enim quãdoque, quod aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum. Et ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis, contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem, per dictum vel factum alterius: inquantum ſcilicet aliquis ſua admonitione, vel inductione, aut exemplo, alterum trahit ad peccandum: & hoc proprie dicitur ſcandalum. Nihil autem ſecundum propriam rationem diſponit ad ſpiritualem ruinam, niſi quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod eſt perfectè rectum, magis munit hominem contra caſum, quam ad ruinam inducat: & ideo conuenienter dicitur, quod dictum vel factum minus rectum, prębens occaſionem ruinæ ſit ſcandalum.

Quid ſcandalum.

Quid ſcandalum actiuum.

Quid ſcandalum paſſiuum.

Et nota, quod dictum vel factum alicuius poteſt eſſe alteri cauſa peccandi dupliciter, vno modo per ſe alio modo per accidens. Per ſe quidem, quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto, intendit alium ad peccandum inducere: vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet quod ſit inductiuum ad peccandum: puta quod aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille, qui huiuſmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ: vnde vocatur ſcandalum actiuum. Per accidens autem, verbum vel factum vnius, eſt alteri cauſa peccandi, quando & præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus, ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum, vel ad operandum; puta cum aliquis inuidet bonis aliorum: Et tunc ille, qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem ruinæ, quantũ in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem, ſecundum illud Ro. 7. *Occaſione autem accepta*, &c. Et ideo hoc eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo, quia ille qui recte agit, quantum eſt de ſe, non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque ergo contingit, quod etiam ſit ſimul ſcandalum actiuum in vno, & paſſiuum in alio: puta cum ad inductionem vnius, alius peccat. Quãdoque autem eſt ſcandalum actiuum ſine paſſiuo: puta cum aliquis inducit verbo, aut facto, alium ad peccandum, & ille non conſentit. Quandoque vero eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo, ſicut iam dictum eſt.

Explicatur definitio ſcãdali.

Item nota, quod cogitatio, vel concupiſcentia, quia latent in corde, non proponuntur alicui vt obex diſponens ad ruinam: ideo dicitur dictum vel factum. Item dicitur minus rectum, non per comparationem ad aliud, à quo ſuperetur in rectitudine; ſed quia habet aliquem defectum rectitudinis, vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut peccatum, vel quia habet ſpeciem mali, ſicut cum aliquis recumbit in idolo, quamuis enim hoc ſecundum ſe non ſit peccatum, ſi aliquis hoc non corrupta intentione faciat; tamen quia habet quandã ſpeciem vel ſimilitudinem venerationis idoli, poteſt alteri prębere occaſionem ruinæ. Et ideo Apoſtolis monet. 1. ad Theſ. 5. *Ab omni mala ſpecie abſtinete vos.* Et ideo conuenienter dicitur minus rectum, vt comprehendantur tam illa, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ideſt peccata, quam illa, quæ habent ſpeciem mali. Item prębẽs occaſionem ideo dicitur, quia nihil poteſt eſſe homini ſufficiens cauſa peccati, quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria voluntas. Et ideo dicta vel facta alterius hominis, poſſunt eſſe cauſa aliqualiter inducens ad ruinã: & propter hoc non dicitur dans cauſam ruinæ, ſed dans occaſionem: quod ſignat cauſam imperfectam, & non ſemper cauſam per accidens: & tamẽ nihil prohibet in quibuſdam diffinitionibus poni id, quod eſt per accidens: quia id quod eſt ſecundum accidens vni, poteſt per ſe alteri conuenire: ſicut in diffinitione fortunæ ponitur cauſa per accidens, in ſecundo Phyſi.

Scandalum quando peccatum.

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum ſcandalum ſit peccatum*: dicendum, quod ſicut iam dictum eſt, duplex eſt ſcandalum, ſcilicet paſſiuum, in eo qui ſcandalizatur: & actiuum, in eo qui ſcandalizat, dans occaſionem ruinę. Scandalum igitur paſſiuum ſemper eſt peccatum in eo qui ſcandalizatur non eum ſcandalizatur, niſi inquantum aliqualiter ruit ſpirituali ruina. quæ eſt peccatum. Poteſt tamen eſſe ſcandalum paſſiuũ, ſine peccato eius, ex cuius facto aliquis ſcandalizatur ſicut cũ aliquis ſcandalizatur de his, quæ alius facit bene. Similiter etiam ſcandalum actiuum ſemper eſt peccatũ in eo, qui ſcandalizat: quia vel ipſum opus quod facit eſt peccatũ; vel etiam ſi habeat ſpeciẽ peccati, dimittendũ eſt ſemper, propter proximi charitatem, de qua vnuſquiſque tenetur ſaluti proximi prouidere, & ſic qui non dimittit, contra charitatem agit: poteſt tamen eſſe ſcandalum actiuum ſine peccato alterius, qui ſcãdalizatur, ſicut ſupra dictum eſt.

Scandalum quando ſpeciale peccatũ

Ad tertium, ſ. *vtrum ſcandalum ſit ſpeciale peccatum*, dicendum, quod ſicut dictum eſt, duplex eſt ſcandalum, ſcilicet actiuum, & paſſiuum. Paſſiuum quidem ſcandalum, nõ poteſt eſſe ſpeciale peccatum: quia ex dicto vel facto alterius, aliquem ruere contingit, ſecundum quodcũque genus peccati: nec hoc ipſũ, quod eſt occaſionem peccandi ſumere ex dicto vel facto alterius, ſpecialem rationem peccati conſtituit: quia non imponit ſpecialem deformitatem, ſpeciali virtuti oppoſitã. Scandalum autem actiuum poteſt accipi dupliciter, per ſe ſcilicet & per accidens. Per accidens quidem, quando eſt præter intentionem agentis: puta cum aliquis ſuo facto vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occaſionem ruinæ, ſed ſolũ ſuę ſatisfacere voluntati. Et ſic etiam ſcandalum actiuum, non ſemper eſt peccatum ſpeciale; quia quod eſt ens per accidens, non conſtituit ſpeciem. Per ſe autem eſt actiuum ſcãdalum, quando aliquis ſuo inordinato dicto vel facto, intendit alium trahere ad peccatum, & ſic ex intentione ſpecialis finis ſortitur rationem ſpecialis peccati: finis enim dat ſpeciem in moralibus, vt ſupra dictũ eſt. Vnde ſicut furtum eſt ſpeciale peccatum, aut homicidium, propter ſpeciale nocumentum proximi, vel propter hoc quod intenditur, ita etiam ſcandalum eſt ſpeciale peccatum propter hoc quod intenditur ſpeciale proximi nocumentũ, & opponitur directe correctioni fraternæ, in qua intẽditur ſpecialis nocumẽti remotio.

Scandalum quãdo mortale peccatũ.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum ſcandalum ſit mortale peccatum*. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ſcandalum importat impactionem quandam, per quam aliquis diſponitur ad ruinam. Ideo ſcandalum paſſiuum quãdoque quidem poteſt eſſe peccatum veniale, quaſi habens impactionem quandam tantum; puta cum aliquis ex inordinato dicto vel facto alterius, commouetur motu venialis peccati. Quandoque vero eſt peccatum mortale, quaſi habens cum impactione ruinam: puta cum aliquis ex inordinato dicto vel facto vel verbo alterius, procedit vſque ad peccatum mortale. Scãdalum autem actiuum ſi ſit quidem per accidens, poteſt eſſe quandoque peccatum veniale: puta cũ aliquis vel actum peccati venialis committit, vel actum qui non eſt ſecundum ſe peccatum, ſed habet aliquam ſpeciem mali cum aliqua leui indiſcretione. Quandoque vero eſt peccatum mortale, ſiue quia committit actum peccati mortalis, ſiue quia contemnit ſalutem proximi, vt pro ea conſeruanda non prætermittat aliquid facere, quod ſibi libuerit. Si vero ſcandalum actiuum ſit per ſe, puta cum intendit inducere alium ad peccandum, ſi quidem intendit ipſum inducere ad peccandum mortaliter, eſt peccatũ mortale, & ſimiliter ſi intendat inducere ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis. Si vero intẽdat inducere proximũ ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, eſt peccatum veniale.

Ad quintum ſ. *vtrum ſcandalum paſſiuum ſit etiam in viris perfectis*. Dicendum, quod ſcandalum paſſiuum importat quandam commotionem animi à bono, in eo qui ſcãdalum patitur: nullus autem commouetur, qui rei immobili firmiter inhæret: maiores autem ſiue

perfe-

Scandalum non inuenitur in viris perfectis.

perfecti, ſoli Deo inhærent, cuius eſt incommutabilis bonitas: quia etiam ſi inhæreant ſuis prælatis, non inhærent eis, niſi inquãtum illi inhærent Chriſto, ſecundum illud 1. ad Corin. 4. *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Vnde quantumcumque videant alios inordinate ſe habere, dictis vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt, ſecundum illud Pſal. 124. *Qui confidunt in domino ſicut mons ſyõ, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.* Et ideo in his, qui perfectè Deo inhærent per amorem, ſcandalum nõ inuenitur, ſecũdum illud Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.*

Ad ſextũ, ſ. *vtrum ſcandalum actiuum poſsit inueniri in viris perfectis.* Dicendum, quod ſcandalum propriè eſt cũ aliquis tale aliquid dicit vel facit, quod de ſe tale eſt, vt alterum natũ ſit inducere ad ruinam. Quod quidem eſt ſolũ id, quod inordinatè fit vel dicitur. Ad perfectos autẽ pertinet ea quæ agunt, ſecundum regulam rationis ordinare, ſecundũ illud 1. ad Corin. 14. *Omnia honeſtè, & ſecundũ ordinem fiant in vobis.* Et præcipue hãc cautelam adhibent in his, in quibus non ſolum ipſi offenderent, ſed etiam alijs offenſionem pararent. Et ſi in eorum manifeſtis dictis vel factis, aliquid ab hac moderatione deſit, hoc prouenit ex infirmitate humana, ſecundum quam à perfectione deficiunt: non tamẽ intantum deficiunt, vt multum ab ordine rationis recedatur: ſed modicum & leuiter, quod nõn eſt tã magnum vt ex hoc rationabiliter poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio.

Ad ſeptimũ, ſ. *vtrum bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda.* Dicendum, quod duplex ſit ſcandalũ. Actiuum ſcilicet & paſſiuũ. Quæſtio iſta nõ habet locũ de ſcandalo actiuo: quia cum ſcandalũ actiuum ſit dictũ vel factum minus rectum, nihil eſt cum ſcandalo actiuo faciendum. Habet autem locum quæſtio, ſi intelligatur de ſcandalo paſſiuo. Conſiderãdum eſt igitur quid ſit dimittendum, ne alius ſcandalizetur. Eſt autem in ſpiritualibus bonis diſtinguendum. Nã quædã horum ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ prætermitti non poſſunt ſine peccato mortali. Manifeſtum eſt autem, quod nullus debet mortaliter peccare, vt alterius peccatũ impediat: quia ſecundum ordinem charitatis, plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quã alterius; & ideo ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debẽt propter ſcandalũ vitandum. In his autẽ ſpiritualibus bonis quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguẽdum: quia ſcandalũ quod ex eis oritur, quãdoque ex malitia procedit, cũ ſcilicet aliqui volũt impedire huiuſmodi ſpiritualia bona, ſcãdala concitando: & hoc eſt ſcandalũ Phariſęorum, qui de doctrina domini ſcandalizabãtur. Quod eſſe cõtemnendũ dominus docet Mar. 15. Quando vero procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huiuſmodi ſcandalum eſt puſillorũ, propter quod ſpiritualia opera vel occultanda vel etiam interdũ differenda ſunt, vbi periculum non imminet, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autẽ poſt redditam rationem huiuſmodi ſcandalum duret, iam videtur ex malitia eſſe, & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittenda.

Bona ſpiritualia non dimittenda propter ſcandalum.

Ad octauum, ſ. *vtrum propter ſcandalũ ſint temporalia bona dimittenda.* Dicendũ, quod circa tẽporalia bona diſtinguendum eſt: aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruãdum pro alijs cõmiſſa, ſicut bona eccleſiæ cõmittuntur prælatis, & bona cõmunia cuiuſcunque reipub. rectoribus: & tãlũ conſeruatio, ſicut & depoſitorũ imminet his quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate, & ideo non ſunt propter ſcandalũ dimittenda, ſicut nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Temporalia vero quorum nos ſumus domini dimittere, ea tribuendo, ſi penes nos ea habeamus, vel non repetẽdo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalũ quandoque quidem debemus, quandoque autẽ non. Si enim ſcandalum ex hoc oritur propter ignorantiã, vel infirmatem aliorum quod ſupra diximus eſſe ſcandalũ puſillorum; tunc vel tõtaliter dimittenda ſunt tẽporalia, vel aliter ſecundum ſcandalum, ſcilicet per aliquam admonitionẽ: vnde Aug. dicit in li. de ſermone domini in monte, *Dandũ, eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat quantum ab homine tradi poteſt: & cum negaueris quod petit, iudicanda eſt ei iuſtitia: & melius ei aliquid dabis, cum petentem iuſte, correxeris.* Aliquando vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſeorum: & ſic propter eos, qui ſic ſcãdala concitant non ſunt tẽporalia dimittẽda, quia hoc etiã noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occaſio, & noceret ipſis rapientibus, qui retinẽdo alia in peccato remanerẽt. vnde Greg. dicit in Moralib. *Quidam dum tẽporalia nobis rapiunt ſolummodo ſunt tolerandi: quidam verò ſeruata æquitate proh il endi: non ſolã cura ne noſtra ſubtrahantur ſed ne rapientes non ſua, ſemetipſos perdant.*

Temporalia bona quando propter ſcandalum dimittenda

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS ET PRIMO DE PRVDENTIA EIVSQVE PARTIBVS ET VITIIS OPPOSITIS.

De prudentia.

DISTINCTIO XXXV.

POst virtutes Theologicas conſiderandum eſt de virtutibus cardinalibus. Inter quas, Primo dicendum eſt de prudentia. Secũdo de iuſtitia. Tertio de tẽperantia. Quarto de fortitudine. Circa prudentiã conſideranda ſunt tria. Primo de prudentia ſecundum ſe. Secundo de partibus eius. Tertio de vitijs oppoſitis. Circa primum conſideranda ſunt quatuordecim. Primo quid ſit prudentia. Secundo vtrum prudentia ſit in ratione vel in voluntate ſicut in ſubiecto. Tertio ſi eſt in ratione, vtrum ſit in ratione ſpeculatiua vel practica. Quarto vtrum ſit virtus ſpecialis. Quinto vtrum præſtituat finem alijs virtutibus moralibus. Sexto vtrum conſtituat in eis medium. Septimo vtrum præcipere ſit proprius actus eius. Octauo vtrum prudentia ſe extendat ad regimen multitudinis. Nono vtrum prudẽtia, quæ eſt reſpectu boni proprij, ſit eadem ſpecie cũ ea, quæ ſe extendit ad bonum commune. Decimo vtrum prudentia ſit in ſubditis, vel ſolũ in principibus. Vndecimo vtrum inueniatur in bonis omnibus. Duodecimo vtrum ſit in omnibus habentibus gratiã. Tertiodecimo vtrum inſit nobis à natura. Quartodecimo vtrum perdatur per obliuionem:

Prudentia varie accipitur.

Circa primum, ſcilicet *quid ſit prudentia*, ſciendum eſt, quod nomen prudentiæ multipliciter ſumitur in ſcriptura: quandoque enim large ſumitur, pro quodã inſtinctu vel ſolertia naturali: & ſic extenditur etiã ad bruta animalia, & ſic dicitur prudentia naturalis, quæ ſcilicet indita eſt animalibus à natura; vt quod agnus ſtatim natus, naturaliter agnoſcat balatum matris, & quod fugiat lupum, quem aliàs nunquam vidit. Vnde frequenter homines monentur conſiderare prudentiam animalium. Sicut Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te,* & Prou. 6. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducẽ, qui oſtẽdat, nec præceptorem, qui iubeat, nec principem qui compellat, præparat in æſtate cibum ſibi.* Dicitur etiam, quod de grano germen reſecat, ne in herbam germinet, & inaneſcat, aceruum fouea vallat, net ẽpore pluuiæ putreſcat. In multis etiam alijs quæ prudenter agit naturaliter edocta, nos inſtruit, vt nos per rationẽ edocti ſimiliter faciamus, videlicet vt in præſenti, pro futuro præmio laboremus; germen malæ intentionis, de noſtris operibus præſcindamus, & vt bona congregata humilitate vallemus: & ſic in bonis ſpiritualibus congregadis, & conſeruandis, formicæ prudentiam habeamus. Item Matth. 10, Saluator Diſcipulis ſuis ait. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, &c. vt ſicut ſerpens ſuper omnia membra caput cuſtodit, & omnia alia mẽbra pro tuẽdo capite, à quo vitã habet, exponit: ſic nos pro Chriſto capite, per quem vitam gratiæ, & vitã gloriæ, ſperamus

1. *Pro ſolertia naturali.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ramus nos finaliter habituros, vitam noſtram corporalem debemus exponere: multomagis membra corporis, & om nia bona temporalia, non ſolum dare liberaliter; ſed tanquam ſtercora reputare debemus. Secundo ſicut ſerpens renouari debemus, ieiunando ſcilicet maximè à vitijs, aquam fontis viui, id eſt Doctrinæ Sacræ, hauriendo in arcto foramine, pellem veteris hominis, id eſt malæ conſuetudinis exuendo: nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt induendo: venenum peccati in confeſſione totaliter enuomendo. Tertio contra incantatorem diabolum, aures cordis obturando ſicut aſpis, quæ vnam aurem obturat cauda, aliam vero terra, ſic nos debemus tentationes diaboli euadere, conſideratione finis noſtri, & terrenæ fragilitatis. Pſalmus 57. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet voces incantantium.* Quarto ſicut ſerpẽs ob inimicitias quas habet cũ homine, fugit, & ſub ſpinis latitat, & habitat in deſertis: ſic propter odium mundi, & inſidias, viri ſancti fugiũt ad deſerta clauſtri, & latent ſub aſperitate pœnitentiæ. Quinto ambulans & natans per aquam leuat corpus ne totus ſubmergatur; ſic viri ſancti, caput mentis eleuãt ad ſuperna, ne præſentibus delitijs ſub mergantur.

2. *Pro aſtutia peruerſorum.*

SECVNDO abuſiue ſumitur prudentia, pro aſtutia peruerſorum: vnde prudentes dicuntur homines callidi, & ſubtiles ad fallendum, vel nocendum Gen. 3. *Serpens callidior cunctis animantibus.* Gloſſa, *quia plenus erat dæmone.* Iere. 4. *Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Gloſſa, *malitioſi.* De hac prudentia dicitur Eccleſiaſtici 19. *Non eſt cogitatus bonus peccatorũ prudentia, eſt prudentia nequitiæ, & in ipſa execratio.* Iſa. 39. *Peribit ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium reprobabitur.* Sequitur, *Væ qui profundi eſtis corde, vt à domino abſcondatis conſilium.*

3. *Pro prudentia mundanorum.*

TERTIA eſt prudentia mundanorum, quæ conſiſtit circa acquiſitiones, obſeruationes, & aggregationes terrenorum. Baruch. 3. *Filij Agar exquiſierunt prudentiã, quæ de terra eſt, negociatores terræ,* &c. Et quia mundani homines, magis ſtudent circa terrena, quam viri ſpirituales, circa diuina, ideo dicitur Luc. 16. *Filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.*

4. *Pro prudentia carnali.*

QVARTA eſt prudentia carnalis, ſiue animalis, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ſuauia, & delectabilia carni, de qua Ro. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Glo. *Prudentiam carnis habet, qui quæ ſuę carnis ſunt ſtudioſius implet.* Hanc Chriſtus non docuit, ſed tam verbo, quam exemplo, contemnendam eſſe monſtrauit. Sicut Bernardus dicit in quodam ſermone de natali dicens. *Chriſtus Dei virtus, & ſapientia naſcitur, in cuius erat arbitrio quodcunque vellet eligere, quod moleſtius eſt elegit, præſertim tempus hyemis aſperrimum: noctis medio tenebras, & horrorem, matrem pauperem, quæ vix habebat pannos ad inuoluẽdum, præſepe ad reclinandum: Vbi nullam audio de pellibus fieri mentionem non eſt tale iudicium mundi, aut iſte fallitur, aut mundus errat: ſed diuinam impoßibile eſt falli ſapientiam, merito ergo carnis prudentia ſtultitia iudicatur. Quid enim Chriſtus, qui non fallitur, elegit quod eſt moleſtius? Id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum. Quiſquis alius aliud doceat, ab eo tanquam à ſeductore cauendum.* in prudentia carnis videntur clerici noſtri témporis abundare, eligentes de omni genere rerum, quod eſt in eis carni ſuaue, & delectabile reſpuentes, quod eſt carni laborioſum, vel durum. Sicut oſtendit Bernardus dicens. *Habent ſingula quæque genera hominum, aliquid laboris, & aliquid voluptatis.* Aduertenda autem eſt aliquorum prudentia miranda, non imitanda, quomodo quodam artificio miro diſcernentes, & ſequeſtrantes: totum quod carnem delectat eligunt, & amplectuntur: quod moleſtum eſt, fugiunt, & declinant.

5. *Pro prudentia iuſtorũ.*

QVINTA eſt prudentia virtuoſa, laudabilis, appetẽda, quæ dicitur prudentia iuſtorum. De qua Luc. 1. de Iohanne Baptiſta dicitur. *Hic venit vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* Hæc eſt prudentia ſpiritualis de qua Ro. 8. *Prudentia ſpiritus & vita, & pax.* Hæc eſt virtus, & inter virtutes cæteras prima reputatur: de hac ſola conſiderare proponimus. Sciendum igitur, quod hoc modo ſumpta, *prudentia,* ſecundum Macrobium, *eſt ad rationis normam, quæ cogitat, & quę agit, vniuerſa dirigere, ac nihil præter rectum, velle vel facere.* Secundum Aug. in lib. de mori. Eccl. *Prudentia eſt amor, ea quibus adiuuamur in Deum, ab his, quibus impedimur, ſagaciter eligens,* Tullius vero in libro de offi. dicit. *Prudentia eſt appetendarum fugiendarumque rerum, cognitio.* Hæc virtus diſcernit bona à malis, & de bono quid melius, & de malo quid peius. Et notãdum quod prudentia non ſolum eſt ſcientia, vel cognitio: quia non ſolum illuminat intellectum, ſed mouet, & inflammat affectum: ſicut radius veri ſolis, mouens voluntatem, & docens vt ſciat, & velit, quid, qualiter, quando, & quomodo ſit agendum.

Quid prudentia proprie dicta.

SCIENDVM eſt autem, quod eſt prudẽtia cordis, id eſt quæ latet, & conſiſtit in corde. De qua Sen. ſic ait. *Si prudens es, opiniones tuæ iudicia ſint. Cogitationes vagas ſomnio ſimiles non recipies, quibus ſi animum tuum oblectaris, cum omnia diſpoſueris, triſtis remanebis. Cogitatio tua ſtabilis ſit & certa, ſiue deliberet, ſiue quærat, ſiue contempletur, non recedat à vero. Si prudentiam amplectéris, vbique idem eris, & prout rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes: ſicut manus, quæ eadem eſt, & cum in palmum extenditur, & cũ in pugnum aſtringitur. Non ſemper in actu ſis, ſed interdum animo tuo requiem dato, & requies tua ſit plena ſapientiæ ſtudijs, & cogitationibus bonis. Prudens enim nunquam ocio marcet.* Prouerb. 11. *In corde prudentis requieſcit ſapientia.*

Prudentia, alia in corde alia in ore, alia in opere.

ITEM eſt prudentia in ore, ideſt quæ declaratur in ſermone. De qua Sen. ait, *Prudens fallere non vult, falli non poterit.* Et ſequitur. *Sermo tuus non ſit inanis, ſed aut ſuadeat, aut moueat, aut conſoletur aut præcipiat, laudato parce, parcius vitupera. Similiter enim reprehenſibilis eſt nimia laudatio, vt immoderata vituperatio. Illa ſiquidem adulatione, iſta vero malignitate ſuſpecta eſt. Teſtimonium veritati non amicitiæ reddas: Cum conſideratione promitte. Plenius, quam promiſeris redde. Prudentis proprium eſt examinare conſilia, & non cito facili credulitate ad falſa prolabi. De dubijs non diffinias, ſed ſuſpenſam tene ſententiam, nihil affirmes, quia non omne veriſimile ſtatim verum eſt: ſicut & ſæpius, quod primo incredibile videtur, non continuo falſum eſt.* De prudentia in locutione tenenda, dicitur Prouerb. 10. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* Et Eccle. 1. *Verba prudentium ſtatera ponderabuntur.*

Prudentia alia monaſtica, alia œconimica alia politica.

ITEM eſt prudentia in opere. De qua Sen. ait. *Prudens nunquam ocio marcet, accelerat tarda, prolixa expedit, dura mollit, ardua exaquat. Scit enim quid & qua via aggredi debeat, & cito ſingula, & diſtinctè videt.* Idem. *Cuiuſque facti cauſam require, cum initia inueneris, exitus cogitabis. Scito te in quibuſdam perſeuerare, quæ vel quantum cæpiſti. Quædam vero, nec incipere, in quibus perſeuerare ſit noxium.* Idem, *Id quære, quod potes inuenire: id diſce, quod potes ſcire, id opta, quod coram te omnibus optari poteſt. Ne altiori rei te ponas, in qua ſtanti tibi tremendum, deſcendenti cadendum eſt. Tunc ſalubria conſilia aduoca, cum tibi aludit vitæ proſperitas, tunc te velut in lubrico retinebis, & ſiſtes. Nec tibi dabis impetus liberos, ſed circumſpicies, quo eundum ſit, & quouſque. Ait enim ſapiens, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te.*

ITEM nota, quod eſt prudentia monaſtica, œconomica, & politica. Monaſtica dicitur, quæ mores quo ad ſeipſum inſtruit. Oeconomica familiam diſponit. Tertia, ſcilicet politica, vrbes, & regna regit. Monaſtica igitur docet regere ſemetipſum. Et de hac dicitur 1. Reg. 18. *Dauid in omnibus prudenter ſe agebat.* Oeconomica docet regere domum ſuam Prou. 24. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.* Et de Abygail dicitur 1. Reg. 25. *Erat mulier illa prudentiſſima.* Politica docet regere regna, vnde hæc præcipuè neceſſaria

saria est regibus,& principibus. Ait enim sapiens Pro. 28. *Dux indigens prudentia multos opprimet*, vnde hanc petebat Dauid pro Salomone filio suo. Sic dicitur. 1. Paral. 22. *Det tibi Deus prudentiam, vt regere possis Israel, & custodire legem domini Dei tui.* Et 1. Reg. 4. *Dedit dominus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis.*

AD secundum, scilicet *vtrum prudentia sit in ratione vel voluntate*; dicendum quod sicut Isido. dicit in libro Etimo. *Prudens dicitur quasi porro videns. Perspicax enim est, & incertorum videt causas.* Visio autem non est virtutis appetitiuæ, sed cognoscitiuæ. Vnde manifestum est, quod prudentia directe pertinet ad vim cognoscitiuam: non autem ad vim sensitiuam, quia per eam cognoscuntur solum ea, quæ præsto sunt, & sensibus offeruntur: Cognoscere autem futura, ex præsentibus vel præteritis, quod pertinet ad prudẽtiam, propriæ rationis est, quia hoc per quandam collationem agitur. Vnde relinquitur quod prudentia proprie sit in ratione. Licet autem secundum Aug. Prudentia dicatur esse amor sagaciter eligens ea, quibus adiuuamur in Deum, ab his quibus impedimur: tamen non est intelligendum quod prudentia sit amor essentialiter, sed inquantum amor mouet ad actum prudentiæ. Vnde postea subdit Aug. *quod prudentia est amor bene discernens ea, quibus adiuuetur ad tendendum in Deum, ab his quibus impediri potest.* Dicitur autem amor discernere, inquantum mouet rationem ad discernẽdum. Item prudens considerat ea quæ sunt procul, inquantum ordinatur ad adiuuandum vel impediendum ea, quæ sunt præsentialiter agenda: vnde patet quod ea, quæ considerat prudentia, ordinantur ad alia sicut ad finem, eorum autem, quæ sunt ad finem, est consilium in ratione, & electio in appetitu: quorum duorum, consilium magis propriè pertinet ad prudentiam. Dicit enim Philosophus in 6. Ethi. *quod prudens est bene consiliativus*, sed quia electio præsupponit consilium (est enim appetitus præconsiliati, vt dicitur in 3. Ethic.) ideo etiam eligere, potest attribui prudentiæ consequenter, inquantum scilicet electionem per consilium dirigit.

Prudentia est propriè in ratione.

AD tertium, scilicet *vtrum Prudentia pertineat ad rationem speculatiuam vel practicam*: dicendum quod sicut philosophus dicit: Prudentia est bene posse consiliari, consilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda, in ordine ad aliquem finem: ratio autem eorum, quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica. Vnde manifestum est, quod prudentia non consistit nisi in ratione practica.

Prudentia consistit in ratione practica.

AD quartum, scilicet *vtrum prudentia sit virtus*: dicendum quod sicut supra dictum est. Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Bonum autem potest dici dupliciter. Vno modo materialiter, pro eo quod est bonum. Alio modo formaliter, secundum rationem boni: bonum autem inquãtum huiusmodi, est obiectum appetitiuæ virtutis. Et ideo si qui habitus sunt, qui faciunt rectam considerationem rationis, non habito respectu ad rectitudinem appetitus, minus habent de ratione virtutis, tanquam ordinantes ad bonum materialiter: ideſt ad id, quod est bonum, non sub ratione boni. Plus autem habent de ratione virtutis habitus illi, qui respiciunt rectitudinem appetitus: quia respiciunt bonum non solum materialiter, sed etiam formaliter, ideſt id quod est bonum, sub ratione boni. Ad prudentiam autem pertinet sicut dictum est, applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto: & ideo prudentia non solum habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales, sed etiam habet rationem virtutis, quam habent virtutes morales, quibus etiam connumeratur. Item cum actus, & habitus, recipiant speciem ex obiectis, vt ex supradictis apparet, necesse est quod habitus cui respondet speciale obiectum, ab alijs distinctum, specialis sit habitus: & si est bonus est specialis virtus. Speciale autem obiectum dicitur, non secundum materialem cõsiderationem ipsius, sed magis secundum formalem rationem, vt ex su pradictis patet. Nam vna & eadem res cadit sub actu diuersorũ habituum, & etiam diuersarum potentiarum, secundũ rationes diuersas: maior autem obiecti diuersitas, requiritur ad diuersitatem potentiæ, quam ad diuersitatem habitus: cum plures habitus inueniantur in vna potentia vt supra dictum est. Diuersitas ergo rationis obiecti, quæ diuersificat potentiam, multomagis diuersificat habitum. Sic igitur dicendum est, quod cum prudentia sit in ratione vt dictum est, diuersificatur quidẽ ab alijs virtutibus intellectualibus, secundũ materialẽ diuersitatẽ obiectorum. Nã sapiẽtia & scientia & intellectus sunt circa necessaria; ars autem, & prudentia, circa contingentia: sed ars circa factibilia quæ scilicet in exteriori materia cõstituuntur, sicut domus, cultellus, & huiusmodi: Prudentia autẽ est circa agibilia, quę scilicet in ipso operante consistunt, vt supra dictum est. Sed à virtutibus moralibus distinguitur prudentia, secundum formalem rationem potentiarum distinctiuam, scilicet intellectum, in quo est prudentia: & appetitum, in quo est virtus moralis. Vnde manifestum est prudentiã esse virtutẽ specialẽ, ab omnibus alijs virtutibus distinctam.

Prudentia cur virtus specialis.

Prudentia est virtus nõ solum intellectualis sed & moralis ab alijs distincta.

AD quintum, scilicet *vtrum prudentia præstituat finem alijs virtutibus moralibus.* Dicendum, quod finis virtutum morálium est bonum humanum, bonum autem humanæ animæ est secundum rationem esse, vt patet per Dio. 4. ca. de Diui. no. Vnde necesse est, quod fines moralium virtutum præexistant in ratione; sicut autem in ratione speculatiua, sunt quędam vt naturaliter nota, quorum est intellectus, & quædam quæ per illa innotescunt, scilicet conclusiones, quarum est scientia ita in ratione practica, existũt quædã principia vt naturaliter nota (& huiusmodi sũt fines virtutum moraliũ: quia finis se habet in operabilibus, sicut principiũ in speculatiuis, vt supra habitum est) & quædã sunt in ratione practica, vt conclusiones & huiusmodi sunt ea, quæ sunt ad finem, in quæ peruenimus ex ipsis finibus: & horum est prudentia applicans vniuersalia principia, ad particulares conclusiones operabilium. Et ideo ad prudentiam non pertinet, præstituere finem moralibus, sed solum disponere de his quæ sunt ad finem.

Prudentia non præstituit finem alijs virtutibus moralibus, sed solũ disponit de his quæ sũt ad finem.

AD sextum, scilicet *vtrum prudentia constituat medium in alijs virtutibus.* Dicendum, quod hoc ipsum, quod est conformari rationi rectæ, est finis proprius cuiuslibet virtutis moralis: temperantia autem hoc intendit, ne propter concupiscentias, homo diuertat à ratione: & similiter fortitudo, ne à recto iudicio rationis diuertat, propter timorem, vel audaciam: & hic finis præstitutus est homini, secundum naturalem rationem: natutalis enim ratio dictat vnicuique, vt secundum rationem operetur: sed qualiter, & per quæ, homo in operando attingat medium rationis, pertinet ad dispositionem prudentiæ. Licet enim attingere medium sit finis virtutis moralis, tamen per rectam dispositionẽ eorum quæ sunt ad finem medium inuenitur.

Quomodo prudentia dicitur constituere medium in alijs virtutibus.

AD septimũ, s. *vtrũ præcipere sit proprius actus prudentiæ.* Dicendum, quod prudentia est recta ratio agibilium, vt supra dictum est. vnde oportet, quod ille sit actus præcipuus prudentiæ, qui est præcipuus actus rationis agibiliũ. Cuius quidem sunt tres actus, quorũ primus est consiliari, quod pertinet ad inuentionem: nã consiliari est quærere, vt supra habitũ est. Secũdus actus est iudicare de inuentis, & hoc facit speculatiua ratio: sed practica ratio, quę ordinatur ad opus procedit vlterius: & est tertius actus eius, præcipere, qui quidem actus consistit in applicatione consiliatorum, & iudicatorum ad operandum: & quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est, quod iste est principalis actus rationis practicæ, & per consequens prudẽtiæ. Et huius signũ est, quia perfectio artis consistit in iudicãdo, non autem in præcipiendo. Ideo reputatur melior artifex, qui volens peccat in arte, quasi habens rectũ iudicium, quam qui peccat nolens, quod

Tres sunt actus rationis agibilium quorũ præcipuus est præcipere, qui est præcipuus actus prudentiæ.

vide.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videtur esse ex defectu iudicij. Sed in prudentia est A
è conuerso, vt dicitur in 6. Ethi. Imprudentior enim
est, qui volens peccat, quasi deficiens in principali actu
prudentiæ, qui est præcipere, quam qui nolens peccat.

Prudentia non solum respicit bonum vnius sed etiam multitudinis.

Ad octauum. s. *vtrum prudentia se extendat ad regimen multitudinis.* Dicendum, quod sicut philosophus dicit in 6. Ethi. quidam posuerunt quod prudentia non se extendit ad bonum commune, sed solum ad bonum proprium. Et hoc ideo, quia existimabant, quod non oportet hominẽ quærere nisi proprium bonũ: sed hæc existimatio repugnat charitati, quę nõ quærit quæ sua sunt, vt dicit 1. ad Corinth. 13. Vnde & Apostolus de seipso dicit primo ad Cor. 10. *Nõ quæro, quod mihi vtile sit, sed quod multis, vt salui fiant.* Repugnat etiã rationi rectæ, quæ hoc iudicat, quod bonũ commune sit melius, quã bonum vnius, quia igitur ad prudentiam pertinet rectè cõsiliari, & iudicare, & præcipere de his, per quæ peruenitur ad debitum finẽ; manifestum est, quod prudentia non solum se habet ad bonũ priuatũ vnius hominis, sed etiã ad bonum commune multitudinis.

Prudentia est monastica, œconomica & politica specie differunt.

Ad nonum. s. *vtrum prudentia quæ est respectu boni proprij, sit eadem specie cum illa, quæ se extendit ad bonũ commune.* Dicendũ, quod sicut supra dictum est, species habituum diuersificãtur secundũ diuersitatẽ obiecti, quę attẽditur penes rationẽ formalẽ ipsius, ratio, autẽ formalis, omniũ quæ sunt ad finẽ, attẽditur ex parte finis, sicut ex supradictis patet, Et ideo necesse est, quod ex relatione ad diuersos fines, diuersificentur species habitus: diuersi autem fines sunt bonũ proprium vnius, & bonum familiæ, & bonum ciuitatis, & regni. Vnde necesse est, quod prudentiæ differant specie secũdum differentiã horum finiũ; vt. s. vna sit prudentia simpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonũ proprium. Alia autẽ Economica, quæ ordinatur ad bonum commune domus, vel familiæ. Et tertia politica, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis vel regni.

Prudentia principalius in principe quam subdito.

Ad decimum. s. *vtrum prudentia sit in subditis.* Dicendum, quod prudentia in ratione est; regere autem, & gubernare, propriè rationis est, & ideo vnusquisq; inquantum participat de regimine, & gubernatione; intantum conuenit sibi habere rationem prudẽtiæ. Manifestum est autem, quod subditi; inquantum est subditus, & serui, inquantum est seruus, non est regere, & gubernare, sed magis regi, & gubernari. Et ideo prudentia non est virtus serui, inquantum est seruus, nec subditi, inquantum est subditus: sed quia quilibet homo inquantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, intantum conuenit ei prudẽtiam habere; vnde manifestum est, quod prudentia quidem in principe est, ad modum artis architectonicæ, vt dicitur in 6. Ethi. in subditis autem, ad modum artis manu operantis.

Prudentia est in peccatoribus.

Ad vndecimum, s. *vtrum prudentia sit in peccatoribus.* Dicendũ, quod prudentia tripliciter dicitur. Est enim quædam prudentia falsa, vel per similitudinem dicta. Cum enim prudens sit, qui bene disponit ea, quæ sunt agenda propter aliquem bonum finem, ille qui propter malum finem aliqua disponit congruentia illi fini, habet falsam prudentiam: inquantum s. id quod accipit pro fine, non est verè bonum, sed secundum similitudinem, sicut dicitur aliquis bonus latro. Hoc enim modo potest secundum similitudinem, dici prudens latro, qui conuenientes vias adinuenit ad latrocinandum. Et huiusmodi est prudentia de qua Apostolus dicit ad Ro. 8. *Prudentia carnis mors est*, quæ scilicet finem vltimum constituit in delectatione carnis. Secunda autem prudentia est quidem vera, quia adinuenit vias accommodatas, ad finem vere bonum. Sed est imperfecta duplici ratione. Vno modo quia id bonum quod accipit pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicuius specialis negocij. Puta cum aliquis adinuenit vias accommodatas ad negociandũ, vel ad nauigandum, dicitur prudens negociator vel nauta. Alio modo, quia deficit in principali actu prudentiæ, puta cum aliquis bene consiliatur, &, cæter in- B C D E dicat, etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit. Tertia autem est prudentia vera, & perfecta, quę ad ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, iudicat, & præcipit: & hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest. Prima autem prudentia est in solis peccatoribus. Prudentia autem imperfecta est communis bonis & malis, maximè illa, quæ est imperfecta propter finem particularem, nam illa quæ est imperfecta propter defectum principalis actus, nõ est nisi in malis.

Prudentia proprie accepta non potest esse in peccatoribus.

Ad duodecimum, scilicet *vtrum prudentia sit in omnibus habentibus gratiam*: dicendum, quod necesse est virtutes esse connexas, ita vt qui vnam habet, habeat omnes, vt supra ostensum est. Quicunque autem habet gratiam, habet charitatem, vnde necesse est, quod omnes habeat alias virtutes; & ita cum prudentia sit virtus, vt ostensum est, necesse est, quod habeat prudentiam.

Prudentia est in omnibus habentibus gratiã.

Ad tertiumdecimum, s. *vtrum prudentia insit nobis à natura*: dicendum quod sicut ex præmissis patet, prudentia includit cognitionem vniuersalium, & singularium operabilium, ad quæ prudens, vniuersalia principia applicat. Quantum igitur ad vniuersalem cognitionem, eadem ratio est de prudentia, & de scientia speculatiua: quia vtriusque prima principia vniuersalia sunt naturaliter nota, vt ex supradictis patet: nisi quod principia communia prudentiæ, sunt magis connaturalia homini. Vt enim philosophus dicit in 10. Ethic. *Vita quæ est secundum speculationem est melior, quam quæ est secundum actionem.* Sed alia principia vniuersalia posteriora, siue sint rationis speculatiuæ, siue practicæ, non habent per naturam, sed per inuentionem, secundum viam experimentalem, vel per disciplinam. Quantum autem ad particularem actionem, vel cognitionem eorum circa quæ operatio consistit, est iterum distinguendum. Quia operatio consistit circa aliquid, vel sicut circa finem, vel sicut circa ea, quæ sunt ad finem. Fines autem recti humanæ vitæ sunt determinati: & ideo potest esse naturalis inclinatio respectu horum finium, sicut supra dictum est, quod quidã habent ex naturali dispositione quasdam virtutes, quibus inclinantur ad rectos fines, & per consequens etiam habent naturaliter rectum iudicium de huiusmodi finibus. Sed ea quæ sunt ad finem in rebus humanis non sunt determinata, sed multipliciter diuersificantur secundum diuersitatem personarum, & negociorum. Vnde quia inclinatio naturæ semper est ad aliquid determinatum, talis cognitio non potest homini inesse naturaliter, licet ex naturali dispositione, vnus sit aptior ad huiusmodi discernenda, quam alius; Sicut etiam accidit circa conclusiones speculatiuarum scientiarum. Quia igitur prudentia non est circa fines, sed circa ea, quæ sunt ad finem, vt supra habitum est, ideo prudentia non est naturalis.

Prudentia non inest nobis a natura

Ad quartumdecimum, scilicet *vtrum prudentia possit per obliuionem amitti.* Dicendum, quod obliuio respicit cognitionem tantum, & ideo per obliuionem potest aliquis artem totaliter perdere, & similiter scientiam, quæ in ratione consistunt: sed prudentia non cõsistit in sola cognitione, sed etiam in appetitu: quia vt dictum est principalis actus eius est præcipere, quod est applicare cognitionem habitam ad appetendum, & operandum. Et ideo prudentia non directe tollitur per obliuionem, sed magis corrumpitur per passiones. Dicit enim philosophus in 6. Ethi. quod *delectabile, & triste, peruertit existimationem prudentiæ*, vnde Dan. 13. dicitur. *Species decepit te, & concupiscentia decepit cor tuum.* & Exo. 23. dicitur. *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes.* Obliuio tamen potest impedire prudentiam inquantum procedit ad præcipiendum ex aliqua cognitione quæ per obliuionem tolli potest.

Prudentia non potest directe per obliuionem tolli.

De partibus prudentiæ in generali.

DISTINCTIO XXXVI.

DEINDE considerandum est de partibus prudentiæ. Et primo de partibus eius in generali. Secundo de partibus eius integralibus. Tertio de partibus eius subiectiuis. Quarto de partibus eius potentialibus.

CIRCA PRIMVM, scil. *de partibus prudentiæ in generali*, sciendum, quod Tullius in secundo Rheto. ponit tres partes prudentiæ, scil. memoriam, intelligentiam, & prouidentiam. Macrobius autē secundum sententiam Platonis ponit sex, scilicet rationem, intellectum, circumspectionem, prouidentiam, solertiam, & cautionem. Sciendum autē, quod triplex est pars alicuius, scil. integralis, vt paries, tectum, & fundamentum sunt partes domus: subiectiua, sicut bos & leo, sunt partes animalis: potētialis, vt nutritiuum, & sensitiuum, sunt partes animæ. Tribus igitur modis possunt assignari partes alicui virtuti. Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illæ dicantur esse partes alicuius virtutis quas necesse est cōcurrere ad perfectum actum illius. Et sic ex omnibus enumeratis, possunt accipi duodecim partes prudentiæ; illæ sex quas enumerat Macrobius, quibus addenda est eustochia, quam ponit Arist. in 6. Ethi. Item studiositas, docilitas, & consiliū, & consideratio, & solicitudo siue vigilantia. Quarum septem pertinent ad prudentiam, secundum quod est cognoscitiua, scil. memoria, ratio, intellectus, studiositas, docilitas, solertia, & consideratio. Alia verò pertinent ad eam, secundum quod est præceptiua, applicando cognitionem ad opus, scilicet prouidentia, cautio, circumspectio, solicitudo, & disciplina. Quorum diuersitatis ratio patet ex hoc, quod circa cognitionem tria sunt consideranda. Primo quidē ipsa cognitio, quæ si sit præteritorū, sic est memoria; si verò præsentium, sic est intelligentia, siue intellectus. Secundo consideranda est ipsa cognitionis acquisitio quæ fit vel per disciplinam; & ad hoc pertinet studium, & docilitas, vel per intentionem; & ad hoc pertinet consideratio, & eustochia quæ est bona coniecturatio, huius autē pars est solertia, quæ est velox coniecturatio medij, vt dicitur in primo posteriorū. Tertio considerandus est vsus cognitionis, scil. secundum quod ex cognitis, aliquis procedit ad alia cognoscenda, siue iudicanda; & hoc pertinet ad rationem. Ratio autem, ad hoc quod rectè præcipiat, tria debet habere. Primo quidem, vt ordinet aliquid accommodum ad finem; & hoc pertinet ad prouidentiam. Secundo vt attendat circunstantias negocij; quod pertinet ad circumspectionem. Tertio vt vitet impedimenta; quod pertinet ad cautionem.

Partes integrales prudentiæ sunt duodecim.

Partes subiectiuæ prudentiæ sunt duæ in generali.

PARTES autem subiectiuæ alicuius virtutis, dicuntur species eius diuersæ; & hoc modo partes prudentiæ sunt prudentia, per quam aliquis regit seipsum; & prudentia per quam aliquis regit multitudinem; quę differunt specie vt dictum est. Iterum prudentia, quæ est multitudinis regitiua, subdiuiditur secundum diuersas species multitudinis. Est autem multitudo adunata, & ordinata ad aliquod speciale negocium, vt exercitus congregatus ad pugnandum, cuius regitiua est prudentia militaris. Quædam vero est multitudo ad totam vitam, sicut multitudo totius domus vel familiæ, cuius regitiua, est prudentia œconomica. Et est multitudo vnius ciuitatis vel regni, cuius quidem directiua, est in principe regnatiua; in subditis autem politica simpliciter dicta.

Partes potentiales prudentia sunt tres.

PARTES autem potentiales alicuius virtutis, sunt virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes ęquam potentiam principali virtuti; & secundum hoc ponuntur partes prudentiæ eubulia, quæ est circa consilium; & synęsis, quæ est circa iudicium particularium operabilium; & gnomen, quę est circa iudicium eorum, in quibus oportet quandoque à communi lege recedere. Prudentia verò est circa principalem actum, qui est præcipere.

De partibus integralibus prudentiæ.

DISTINCTIO XXXVII.

DEINDE considerandum est de partibus prudentiæ quasi integralibus. Et circa hoc consideranda sunt vndecim. Primo de studiositate. Secundo de docilitate. Tertio de consideratione. Quarto de memoria. Quinto de intellectu, vel intelligentia. Sexto de solertia. Septimo de ratione. Octauo de prouidentia. Nono de circumspectione. Decimo de cautione. Vndecimo de solicitudine, vel vigilantia.

CIRCA PRIMVM, scilicet *de studiositate*: sciendum, quod qui vult esse prudens. necesse est quod sit studiosus, & diligens, circa inquisitionem veritatis; & ad hoc vehementer debet animum suum applicare. Est enim studium, vehemens applicatio animi ad aliquid agendum. Vnde qui desiderat esse prudens, debet orando, legendo, studendo, & audiendo, inquirere veritatem. Prouerb. 1. *Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis eam, tum intelliges timorem domini, &c.* Sic Salomon inuenit sapientiam, sicut dicit Eccl. 2. *Magnus effectus sum, & præcessi sapientia omnes, qui fuerunt ante me, dedique cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam.* Sen. in lib. de quatuor virtutibus, de prudentia loquens ait. *Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, & requies ipsa plena sit sapientiæ studijs, & cogitationibus bonis. Prudens enim nunquam ocio marcet.* Infra. *Illud quære quod potes inuenire: id disce, quod potes scire.* Modum autem studendi docet, epistola secunda ad Lucillum. *Illud vide ne lectio habeat aliquid vagum, & instabile, certis ingenijs immorari, & nutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. Vitam in peregrinatione agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidere necesse est his, qui nullius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim, & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus egeritur. Nihil æquè sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non coalescit planta, quæ cito transfertur. Nihil tam vtile est, vt in transitu prosit. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt & diuersa: inquinant, & non alunt. Cum multa percurreris, vnum decerpe, quod illo die decoquas.*

Quanta studij necessitas ad prudentiam acquirendam.

SVNT autem sex studia detestanda, summopere viro studioso cauenda, studere volenti circa sapientiam salutarem. Primum est studium gulosorum, qui non inueniunt sapientiam, sed amittunt, sicut dicitur Prouerb. 13. *Cui væ, cuius patri væ, cui suffossio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?* Econtra qui volunt sapientiam veram acquirere debent non ebrietati, sed abstinentiæ, & sobrietati studere. Sicut Daniel & socij eius, quibus dedit Deus sapientiam, & prudentiam, præ cęteris sapientibus Babylonis: & Salomon *qui abstraxit à vino carnem suam, vt animam suam transferret ad sapientiam.* Eccles. 2. *dedit Deus sapientiam, & prudentiam multam nimis.* 3. Regum. 3. Secundum est studium libidinosorum, qui velut porci student voluptatibus, & inusitatos luxuriæ modos adinuenire nituntur, & eos experiri in se ac per eos corrumpere cæteros, & corrumpi. Psalm. 13. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Econtra iusti studeant munditiæ castitatis. Prouer. 20. *Ex studijs suis intelligitur puer, virum recta & munda sint opera eius.* Tertium est studium cupidorū: ad hoc studium cōfluunt multi studentes, clerici, milites, & burgenses: sicut omnes qui cōcurrunt ad scientia

Sex genera studiorum euitanda.

lucratiuas, mercationes, & alijs modis innumeris tem poralia congreganda. Hier. 6. *A maiore vſque ad minorem omnes auaritiæ ſtudent.* Huius ſtudij ſcholares vel magiſtri ſunt omnes, qui ſtudent rapínis, furtis, fraudibus, exactionibus, & vſuris. Quartum eſt ſtudium malignantium, qui ſtudent ad nocendum alijs in corpore, rebus, vel anima: Exemplo diaboli, cuius totum ſtudium eſt decipere, vel nocere. Tale fuit Iudęorum ſtudium contra Chriſtum, ſicut patet ex multis Euangeliorum exemplis. Et ante Chriſti aduentum, ſicut dicitur Neæ. 9. *Reges noſtri, & principes, ſacerdotes, & patres noſtri, non ſeruauerunt legem tuam, &c.* Et infra. *Non ſeruierunt tibi, nec ſunt reuerſi à ſtudijs ſuis peſſimis.* Ideo eiecit eos dominus, & diſperſit, ſicut prędixit eis. Hierem. 44. *Non poterit dominus portare vos vltra, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.* Quintum eſt ſtudium peruerſorum, qui difficilè corriguntur, id eſt hæreticorum, qui nituntur ſcripturas peruertere, & homines ſubuertere. Iob. 33. *Fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum.* 2. Tim. 2. *In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Tales ſunt qui ſtudent magicis artibus, & ſuperſtitioſis; puta Necromantiæ, Diuinationibus, Sortilegijs, & huiuſmodi. Econtra iuſti non erroribus, ſed veritati ſtudent. Iuxta illud Prouerb. 27. *Studè ſapientiæ fili mi, vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem;* id eſt hęretico reſiſtere, opponendo, reſpondendo, veritatem fidei defendendo. Sextum eſt ſtudium vanitatis, ſicut in figmentis, & fabulis poetarum; in vanis, & curioſis ſcientijs philoſophorum; ſicut multi ſpretis ſacris literis, ſtudent in libris gentilium. Contra quos decretorum. diſtin. 37. per totum.

NOTA quomodo fuit Hieron. flagellatus, ſicut ipſe de ſeipſo teſtatur. Econtra Hieremiæ 7. *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum.* Et idem 18. *Dirigite ſtudia veſtra, &c.*

De docilitate.

SECVNDA pars prudentiæ eſt docilitas, actiuè ſcilicet & paſſiuè. Actiuè, quidem, vt ſit homo habilis ad competenter & promptè docendum. Paſſiuè verò, vt ſit homo habilis, & voluntarius ad diſcendum. Ad prudentiam enim pertinet docilitas paſſiuè; quia cum prudentia ſit circa particularia operabilia, in quibus ſunt quaſi infinitæ diuerſitates, quæ non poſſunt ſufficienter ab vno homine conſiderari, ſine doctrina aliorum, nec per modicum tempus ſciri; ſed per diuturnitatem temporis; ideo in his, quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri, & præcipuè ex ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt, circa fines operabilium. vnde Philoſophus dicit in 6. Ethi. *Oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentum indemonſtrabilibus enunciationibus & opinionibus, non minus, quam in demonſtrationibus.* Propter experientiam enim vident principia. Vnde & Prouerb. 4. dicitur. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Eccl. 6. *In multitudine presbyterorum, id eſt ſeniorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere.* Hoc autem pertinet ad docilitatem, vt aliquis ſit bene diſciplinæ ſuſceptiuus, & ideo conuenienter ponitur docilitas, pars prudentiæ. Hæc autem docilitas ſecundum aptitudinem quidem, eſt à natura; ſed ad eius conſummationem, plurimum valet humanum ſtudium, dum ſcilicet homo ſollicitè, frequenter, & reuerenter, animum ſuum applicat documentis maiorum; non negligens ea per ignauiam, nec contemnens ea per ſuperbiam. Item ad prudentiam pertinet docilitas actiuè dicta, quia ad prudentes pertinet eſſe aptos, & habiles ad docendum ſubditos, vt ſint doctores, & rectores idonei. Hanc Salomon præcipuè poſtulauit à Domino, ſicut legitur. 3. Reg. 3. *Dabis ſeruo tuo cor docile, vt poſſim iudicare populum tuum, & diſcernere inter bonum, & malum.*

Docilitas tam actiuè quam paſſiuè ſumpta pertinet ad prudentiam.

De conſideratione.

TERTIA pars prudentiæ eſt conſideratio, de qua dicit Bernar. 2. de conſideratione. Conſideratio dici poteſt intenſa ad aliquid inueſtigandum cogitatio, vel vehemens intentio animi inueſtigantis verum.

DEBET autem vir prudens conſiderationem ſuam conuertere ad Deum, ſeipſum, & proximum. In Deo conſiderare debet ſummam potentiam, quæ patet in mundi creatione; ſummam ſapientiam, in mundi gubernatione, & nuda omnium cognitione; ſummam miſericordiam, in hominis redemptione, iuſtificatione, & glorificatione: Summam dulcedinem, in gubernatione, & glorificatione: Summam æquitatem, in malorum punitione. Debet etiam conſiderare futurum iudicium, inferni ſupplicia, & gaudia beatorum. De tribus iſtis vltimis require infra libr. 2.

Quid conſideratio & quorum eſſe debet.

ITEM CONSIDERET homo prudens ſeipſum, vt poſt Dei cognitionem veniat in cognitionem ſui, quod orabat Auguſt. dicens. *Domine nouerim te, nouerim me.* quia cognitio ſui, poſt cognitionem Dei, maximè neceſſaria eſt homini, quia eſt donum ſpirituale Dei noſtri. Philoſophus. *de cœlo deſcendit cognitio ſui. Multi enim* vt dicit Bernard. *multa ſciunt, ſe autem neſciunt; & quid valet alia ſcire, & ſe ignorare.* Et de conſideratione in libr. 1. *A te tua inchoet conſideratio, ne fruſtra intendas, & extendaris in alia te neglecto. Nam quid proficit tibi, ſi totum mundum lucreris, teipſum perdens? nam licet omnia myſteria noueris, lata terræ, profundum abyſſi, & alta cœli; ſi te neſcieris eris ſimilis homini ædificanti ſine fundamento, & quicquid extruxeris extra te, erit ad inſtar congeſti pulueris ventis obnoxium: à te ergo incipiat, & in te finiatur: quocumque euagatur, ad te reuocabis eum, cum ſalutis fructu; primus tibi, tu vltimus, vt quicquid non aliquo modo ad ſalutem tuam pertinet, reſpuendum.*

IN conſideratione autem tui debes quatuor attendere. Primo, quid es ſecundum corporis fragilitatem, & miſeriam. Secundo, quid es ſecundum animæ dignitatem, & gratiam. Tertio, quid es ſecundum Dei miſericordiam. Quarto, quid es ſecundum culpæ malitiam. Eccl. 18. *Quid eſt homo?* ſcilicet ſecundum corporis fragilitatem, & miſeriam, *aut quid gloria eius?* ſecundum animæ dignitatem, & gratiam. *Quid eſt bonum eius?* ſecundum Dei miſericordiam: *aut quid nequam?* ſecundum malitiæ culpam. Ad primum, ſcilicet quid eſt homo ſecundum corporalem miſeriam. Reſpondet Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, &c.* Bern. 2. lib. de conſid. *Conſideranti tibi quid ſis, occurret tibi, quod es homo nudus, pauper, miſer, & miſerabilis. Quòd ſis homo dolens, erubeſcens; quod nudus, plorans; quia natus, murmurans, quia ad laborem, non ad honorem; natus de muliere, ideo cum reatu: breui viuens tempore, ideo cum metu: repletur multis miſerijs, ideo viuens cum fletu, natus in peccatis corpore fragili, mente ſterili, cum infirmitate corporis, fatuitate mentis, traductione ſordis, additione mortis.* Idem in ſermone de paſſione Domini. *In ſordibus generamur, in tenebris conſouemur, in doloribus parturimur, ante exitum miſeras matres oneramus, in exitu quaſi viperarum fœtus eas laceramus, & mirum eſt quomodo non ipſi cum ipſis pariter laceramur; primum egreſſi plorationis vocem damus, vtpote vallem plorationis ingreſſi; recole primordia, attende media, memorare nouiſſima. Hæc pudorem illa dolorem afferunt, hæc timorem incutiunt. Cogita ergo vnde venis, & erubeſce; vbi es, & ingemiſce: quo vadis, & contremiſce.* Item Bernard. in lib. meditationum. *O anima propter carnem, alienatibi peccata imputantur; omnes iuſtitiæ tuæ, quaſi pannus menſtruatæ reputantur; propter hanc, quaſi nihilum & inane reputata es; nihil aliud eſt caro, cum qua tanta tibi familiaritas, niſi ſpuma caro facta, fragili veſtita decore. Sed quid erit cadauer putridum, & fœtidum? eſca vermium, vas ſtercorum: nam quoquo*

In conſideratione ſui quatuor attendenda.

1. *Quid homo ſecundum corporalem miſeriam.*

extollatur, semper caro est; & si consideres, quid per os, & per aures, & nares, cæteroſque corporis meatus egreditur, vilius sterquilinium non vidisti, si singulas carnis miserias consideres, quam sit onerata peccatis, irretita vitijs, patens concupiscentijs, corrupta passionibus, polluta illusionibus, prona semper ad malum, eam plenam omni confusione, & ignominia inuenies: & quod propter carnem homo vanitati similis factus est. Idem ibidem. *Attende homo quid fuisti ante ortum, quid sis ab ortu vsque ad occasum, & quid eris post mortem: vtique fuisti, quando non eras de vili materia conceptus, vili sanguine menstruali nutritus, vili pelle secundina pro tunica vestitus, sic ornatus venisti ad nos.* Idem post: *Quid superbis puluis, & cinis? cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia. Cur carnem tuam pracioſis impinguas & ornas, quam post paucos dies deuoraturi sunt vermes? & animam non curas, quæ cito Deo, & angelis præsentanda est? cur carnem præponis? ancillam dominari, & dominam ancillari, magna abusio est.*

2. *Quid homo secundum animæ dignitatem.*

Secvndo in consideratione tui debes attendere quid es secundum animæ dignitatem, quam qui attenderet, non eam vilipenderet. Hanc enim Deus super omnes creaturas nobilitauit, & dignificauit; quia eam cum maiori deliberatione creauit, imagine sua illustrauit, similitudine decorauit, & ne euanesceret in superbiam, limo corporis vilissimo, eam copulauit. Hanc etiam virtute ornauit, scilicet iustitia origini, & immortalitate, secundum suam primam conditionem. Huic etiam donauit libertatis arbitrium, rationis fastigium, inferiorum dominium, intellectus disciplinam, discernendi scientiam, legis naturalis & scriptæ peritiam, spiritussancti gratiam, Angelorum custodiam. Hanc elegit sibi beata Trinitas in habitaculum, filius Dei desponsauit sibi in matrimonium, Spiritussanctus consecrauit sibi templum. Pro hac denique filius Dei in mundum venit, carnem passibilem accepit, mala mundi sustinuit, documenta Euangelica proposuit, sacramenta instituit, sanctitatis exempla exhibuit, mirabilia opera ostendit. Pro hac redimenda sanguinem suum effudit, pro hac viuificanda mortem pertulit, pro hac liberanda ad inferos descendit, pro hac spe confortanda humanitatem à se assumptam resuscitauit & glorificauit, pro hac illuminanda & docenda Spiritum sanctum misit, pro hac reuocanda ab erroribus, & prouocanda ad fidei veritatem, discipulos per mundum dispersit; pro hac exaltanda, & hæreditanda, cœlos ascendit; & regnum æternæ beatitudinis præparauit. Hæc qui attendit, merito non eam vilipendit, nec pro vili peccati commercio, eam venalem diabolo exponit. Horum multa notantur Eccles. 17. *Deus de terra creauit hominem, secundum imaginem suam fecit illum.* Et cætera multa sequuntur in quibus animæ dignitas secundum creationem denotatur, & secundum gratiam multiplicem ei à Deo exhibitam. De hac dignitate Bernard. in libr. Meditationum. *O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, particeps beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et post multa. *Totus siquidem mundus iste, ad vnius animæ precium, æstimari non potest, pro qua Christi sanguis effusus est, & quæ nisi Christi sanguine redimi non potuit.*

3. *Quid homo secundum culpam & malitiam suam.*

Tertio in consideratione sui debet homo considerare quid sit secundum culpam, vel eius malitiam. Est enim pantheon omnium dæmoniorum, vt in pluribus. Vt Babylon facta habitatio omnium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & volucris immundæ, & odibilis sentina sordium; & receptaculum, & habitaculum omnium vitiorum. Bern. in sermone de dedicatione. *Cogitans de anima mea iuxta rei veritatem, intueor nihil verius de ea sentiri posse, quam quod ad nihilum sit redacta. Quid enim necesse est singulas eius miserias recitare, quam sit onerata peccatis, confusa tenebris, irretita illecebris, patens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper in malum, & in vitium cadere proclivis; confusione, & ignominia plena.* Patet ergo, quod secundum culpam, homo vanitati similis est factus, & ad nihilum redactus.

4. *Quid homo secundum Dei misericordiam.*

Qvarta consideratio sui, est considerare quid est homo, secundum Dei misericordiam. Bernard. in eodem sermone. *O pater misericordiarum, quid est homo, quia magnificas eum. O miserorum pater, quid apponis, & erga quos apponis cor tuum? scio vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: nihil sum in iudicio veritatis tuæ, quia omnes gentes quasi non sint, sic sunt ante te; quasi nihilum, & inane, reputatæ sunt in iudicio tuæ veritatis, sed non afflictu tuæ pietatis. Quid est homo, quia magnificas eum? magnus vtique, sed apud eum à quo magnificatur: quomodo non magnus est apud eum, qui tanta cura est de eo?* Item. *Vide quam magnificati sumus, pro quibus tam sollicita sit tanta maiestas, vt apponat ergo nos cor suum: mittit enim nobis filium suum, immittit in nobis spiritum suum, promittit nobis vultum suum, mittit nobis angelos suos. Omnes enim sunt administratorij spiritus ad ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.*

Prudentis est considerare sermonem ne temere loquatur.

Prvdentis etiam est considerare sermones suos, ne temere quid loquatur, ne plus, aut minus, aut nociuum verbum, sibi, vel alijs, loquatur. Sed iuxta verbum Senecæ, priùs veniat sermo ad limam rationis, & considerationis, quam ad linguam pronunciationis. quia vt dicitur Prouerb. 13. *Qui custodit os suum ab indebita, & incauta locutione, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prouerb. 10. *In multiloquio non deest peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.* & 17. eiusdem. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.*

Prudentis est considerare actus suos.

Item prudentius est considerare actus suos, vt de malis actibus suis pœniteat, & vt eos in posterum committere timeat, & caueat; & vt actus suos consideratione præueniat, & in Deum, ordine dirigat, & disponat; & secundum eius beneplacitum omnes actus suos componat, vt in omnibus vijs suis, palpebræ considerationis, præcedant gressus operationis. Ad hoc facit, quod dicit Bernard. 1. libr. de consider. *Si quod vivis, quod sapis, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te: in hoc non laudo. Certè nec ipsi actioni expedit consideratione non præueniri. Et primum quidem ipsam meniem de qua oritur, purificat consideratio; deinde dirigit affectus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, ordinat confusa, hyantia tegit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera inuestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat, agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente residcat incorrectum, vel correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis aduersa præsentit, & aduersa quasi non sentit; quorum alterum est prudentiæ, alterum fortitudinis. Hæc inter voluptates media quidem arbitra sedens, vtrinque certis terminat limitibus; formans ex eis virtutem, quam temperantiam vocant. Et ad iustitiam exhibendam, quę est vna de quatuor; necesse est de consideratione mentem præueniri, vt se formet in ea. Se enim necesse est prius cogitet, vt ex se normam ducat iustitiæ, ne factura sit alij, quod non vult sibi fieri.*

Triplex consideratio debet omnem actionem nostram præuenire.

Triplex autem consideratio, vt dicit Bern. in lib. 3. de consideratione, debet præuenire omnem actionem nostram. Ait enim *vir spiritualis, qui omnia iudicat, & à nemine iudicatur, omne opus suum trina consideratione præuenit; an liceat, an deceat, an expediat. Nam etsi constat in Christiana vtique Philosophia, non decere, nisi quod licet, non expedire, nisi quod decet, non continuè tamen, omne quod licet, decere aut expedire conueniens erit; aut quomodo non indecens erit voluntate pro lege vti, potestatem exercere, negligere rationem; non est tam electi, quam deiecti animi, & quasi rationis inexpertis, non per rationem, sed libitu agere; non iudicio agi, sed appetitu.*

Tertio debet vir prudens considerare, quæ sunt proximi, videlicet profectus, & defectus. Profectus:

Prudens debet conſiderare profectus & defectus proximi.

ctus conſiderat vir prudens, vt ex eis proficiat, & ſuos eos faciat, eis congaudendo, promouendo, fouendo, tuendo, & exemplum in eis accipiendo. Sicut legimus feciſſe B. Iohannem Euangeliſtam 2. Ioh. 2. *Gauiſus ſum valde, quia inueni de filijs tuis ambulantes in charitate.* Et 3. eiuſdem. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos ambulare in veritate.* Sicut & legimus feciſſe Paulum Philip. 4. *Gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Qui bonis, & de bonis proximi gaudet, coronam ſibi acquirit de eis, & ſic ea ſua facit. Item noſtra debemus bona proximi facere, non ſolum ea diligendo, ſed nobis eorum exempla incorporando, vt bona apis, mel de floribus colligendo, & fauum ſibi conficiendo. Sic B. Antonius legitur feciſſe in initio conuerſionis ſuæ, viſitans habitacula fratrum, in ſingulorum profectibus proficiebat, & ſingulorum gratias hauriebat, iſtius humilitatem, illius patientiam, alterius māſuetudinem, & ſic de alijs. Debemus etiam defectus pœnæ, & culpæ proximi conſiderare, ſubueniendo, compatiendo, & de miſerijs, & peccatis aliorū, noſtrum bonum facere.

De memoria.

DISTINCTIO XXXVIII.

QVARTA pars prudentiæ eſt memoria. Eſt autem memoria reſpectu præteritorum, ſicut intelligentia reſpectu præſentium. Ad memoriam præteritorum habendam, hortatur nos ſapiens Eccl. 41. *Memento, quæ ante te fuerunt.* Memoriæ viuunt mortua, & ſunt quaſi preſentia. Illa pars vitæ noſtræ quæ præterijt, memoriæ manet; ſine hac, quaſi mortua eſt. Iuxta illud Senecæ. *Qui nihil de præterito cogitat, vitam perdidit.* Memoria eſt theſaurus omnium cognoſcibilium, in quo veritas ſeruatur, quam ratio inueſtigans cœpit, memoria fideliter retinet, & cuſtodit. *Animus obliuioſus, eſt quaſi locus in quo quicquid repoſitum fuerit, moritur.* Greg. 1. Mor. *Cibus mentis ſermo Dei eſt; quaſi cibus acceptus languente ſtomacho, reijcitur, quando ſermo in ventre memoriæ non retinetur. Quiſquis alimenta non retinet, huius profecto vita deſperatur.*

Laudabilis eſt memoria trium ſcilicet Dei, ſui, & proximi.

Beneficia Dei memoranda.

SCIENDVM autem, quod laudabilis eſt memoria quorundam reſpectu Dei, & quorundam reſpectu ſui, & quorundam reſpectu proximi. Multum laudabilis eſt memoria reſpectu Dei, quantum ad quatuor. Laudabilis, immo neceſſaria eſt memoria diuinorum beneficiorum, ad regratiandum; mandatorum, ad exequendum; diuinæ iuſtitiæ, contra præſumptionem; & diuinæ clementiæ, contra deſperationem. Laudabilis inquam eſt memoria diuinorum beneficiorum, vtpote creationis. Deut. 32. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te, memento dierum antiquorum.* &c. Eccle. 12. *memento creatoris tui*, &c. Item beneficij redemptionis. Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* Ad hanc memoriam habendam monet ipſe Dominus Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis, & abſinthij, & fellis.* Et reſpondet anima deuota. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Bern. *Super omnia te mihi reddit amabilem, bone Ieſu, calix quem bibiſti*, &c. Sequitur. *Memor ero quam diu vixero, laborum quos pertuliſti in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrimarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum tuorum, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clauorum, horumque ſimilium, quæ per te, & ſuper te, abundantius tranſierunt. Alioquin exquiretur à me ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, ſi ingratus fuero tantæ charitati.* Ad hanc memoriam iugiter in cordibus noſtris habendam, inſtituit Dominus ſacramentum altaris quotidie celebrandū, ſicut dicitur Math. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioan. Eccl. 29. *Fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris: Dedit enim pro te animam ſuam.* Bern. ad fratres de monte Dei. *Scit, qui ſenſum Dei habet, quantū chriſtianę fidei expediat, ſeruum Dei ſeruum redemptionis, vna ſaltem diei hora, paßionis ipſius ac redemptionis colligere beneficia, ad fruendum.* Conſiderare debemus, quod etiā bruta animalia, beneficiorum memoriā retinent acceptorum. De hoc require infra, *gratitudo.*

Mandata Dei memoranda.

SECVNDO laudabilis eſt memoria mandatorum Dei, ad exequendum. Pſal. 102. *Memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea.* Deut. 6. *Erunt quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis* &c. Numeri 15. *Dices filijs Iſrael, vt faciant ſimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes vittas, hiacinctinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Dei.* Eccl. 3. *Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper.*

Diuina iuſtitiæ memoranda.

TERTIO laudabilis eſt memoria diuinæ iuſtitiæ, contra ipſum peccatorem. Pſ. 70. *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Idem Pſ. 17. *Omnia iudicia eius in conſpectu meo.* Sequitur. *Et ero immaculatus cum eo.* Memento, quam diſtricte puniuit peccatum angelorū in cœlo peccantium, primi hominis peccantis in Paradiſo terreſtri; & tūc puniuit, & adhuc quotidie punit in nobis Mundum deleuit diluuio; Sodomitas, ignis & ſulphuris exterminio; Ægyptū, diuerſis plagis flagellans, tandem regem, & totum eius exercitū deſtruxit naufragio; filios Iſrael pluries in deſerto, & in terra promiſſionis, & extra, fame, peſte, morte, & gladio. In diuerſis mundi partibus, vrbes ſubuertit, regna tranſtulit, nationes exterminando deſtruxit. Cæterum quāta quotidie non ceſſet exercere iudicia, quis enarrare ſufficiat. Pſal. 118. *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum.* Sed vnde tibi conſolationis occaſio, quia profecto, quædam ſunt iudicia ad correctionem, quædam ad punitionem, & quędam ad augmentum, & cumulum meritorum. Item quia memorando Dei iudicia timet homo, & præcauet à peccato, & punit in ſe peccata præterita ne puniatur eternaliter in futuro; & ſtimulatur ad bonum, & ſic extremum iudicium præueniens, nō damnatur. Itē iuſtus homo meditādo Dei iudicia, cognoſcit eius iuſtitiam, cui voluntatē ſuam conformare conatur, & ideo conſolatur, & gaudet, iuxta illud. Pſ. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*, &c.

Diuina clementia memoranda.

QVARTO laudabilis eſt memoria diuinę clementiæ, contra deſperationem. Qui enim ſolius ſeueritatis & iuſtitię, memor eſſet, & miſericordiam non attenderet, occaſionem deſperationis haberet. Ideo Eccl. 51. *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine* &c. De miſericordia Dei require infra in loco proprio. Et infra de ſpe. Etiam require lib. 3. in diſt. de deſperatione.

Peccata propria memoranda.

CÆTERVM laudabilis, & multum vtilis eſt memoria reſpectu ſui, & rerum pertinentium ad ſeipſum. Primo namque non ſolum vtilis, immo neceſſaria eſt memoria peccatorum. Pſal. 37. *Cogitabo pro peccato meo.* Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos*, &c. Et Apoc. 2. *Memor eſto vnde excideris* &c. Require infra de pœnitentia lib. 3. Secundo laudabilis eſt memoria votorum, & omnium bonorum conceptuum Domino promiſſorum 2. Eſdræ 4. *Memor eſto voti, quod promiſiſti ædificare Ieruſalem* &c. Tertio laudabilis eſt memoria eorū, quæ quis ſtuduit, vel audiuit, vel inſpirante Domino cogitauit. Seneca. *Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Idem. *Cum multa percurreris, vnum excerpe, quod illa die decoquas.* Item Bern. ad fratres de monte Dei. *Non tantummodo agendum, vt cum aliqua, vel ſine grandi nauſea dies tranſigatur, ſed etiam deperacta dieta ad perfectum mentis aliquid in conſcientia reſideat, aliquid quotidie in theſauris cordis congeratur.* Idem in eodem. *De quotidiana lectione, aliquid in ventre memoriæ dimittendum eſt, quod fidelius digeratur, & ſurſum reuocatum,*

Vota memoranda.

Audita & percepta memoranda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

catum crebrius ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat. Sed quia fatuum eſt propter memoriæ confidentiam, nihil ſcripto commendare, quia vt ait Seneca: *In memoriam primo ſenectus incurrit*; ideo defectum memoriæ debet ſupplere ſcriptura. Eccleſ. 38. *Sapientiam ſcribe in tempore vanitatis.* vt dominus ſcripſit decalogum lapideis tabulis Iudæis. Exod. 32. & 34. Sunt reprehenſibiles, qui nihil ponunt in memoria, ſed omnia in ſcripto. Pitagoras. *Caue ne armarium doctius, quam pectus feras.* Seneca. *Diſtrahit librorum multitudo, itaque cum legere non poſsis quantum habueris, ſatis eſt habere quantum legas.* Quarto vtilis eſt memoria præteritæ proſperitatis in aduerſitate; Et econuerſo. Eccleſ. 18. *Memento paupertatis in die abundantiæ.* Item Eccl. 11. *In die malorum, ne immemor ſis bonorum, & in die bonorum, ne immemor ſis malorum*; ſicut monebat Mardochæus, Heſter. *Memor eſto dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita ſis in manu mea.*

Præterita proſperitas in aduerſitate memoranda & contra.

Exemplum.

Sicvt etiam dicitur feciſſe quidam dives homo Pariſius, qui cum de maxima paupertate ad magnas diuitias deueniſſet, pro magno theſauro cuſtodiens diſcum, in quo paupertatis ſuæ tempore, carnes de macello deportare ſolebat ad domos ementium; in magnis feſtis, & conuiuijs faciebat in conſpectu ſuo poni, in Speculum & memoriam præteritæ paupertatis. Quinto tempore afflictionis, & deſolationis, vtilis eſt memoria bonorum, quæ facit homo, ne cadat in deſperationem. Sicut feciſſe legitur Iob 31. per totum. Vel ad diuinæ miſericordiæ implorationem, ſicut fecit Ezechias. Iſa. 37. & 4. Reg. 20. *Memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto &c.* Vel ad aliorum ædificationem. Sicut legitur Apoſtol. 2. Cor. 11. *In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego: Hebræi ſunt, & ego:* & cætera multa. Sexto vtilis eſt memoria nouiſſimorum. Eccleſ. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.*

Bona quæ facit homo tempore afflictionis memoranda.

Nouiſſima memoranda.

Deniqve laudabilis eſt memoria multorum reſpectu proximi, Primo memores eſſe debemus miſerorum ad miſerendum, ſicut rogabat Ioſeph Pincernam. Gen. 44. *Memento mei dum bene tibi fuerit.* Et latro Euangelicus. Lucæ 24. *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Secundo memores eſſe debemus defunctorum ad ſuccurrendum, ſicut petit mortuus à viuente. Eccl. 38. *memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum.* & 2. Reg. 1. *Conſidera Iſrael pro his, qui mortui ſunt.* Tertio memores eſſe debemus virorum illuſtrium, ad imitandum; ſicut nobilibus pueris replicatur nobilitas parentum, & probitas; vt honeſtè, & fortiter agant; aliorum largitas, aliorum benignitas, pietas, & cętera huiuſmodi, vt mores eorum commendabiles imitentur. Vnde Dominus improperauit Iudęis Abrahæ ſanctitatem. Ioann. 8. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite,* & Iſa. 51. *Attende ad petram ex qua exciſi eſtis.* Et poſt. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum.* Item ait quidam ſapiens: *nobilitatis ad hoc tantum memineris, vt claritatem generis, morum nobilitate tranſcendas, & cum nobilitate corporis, animi nobilitate proficiaas.* Multomagis igitur ſanctitatem virorum ſpiritualium imitari debemus, tam in ſanctè conuerſando, quam aduerſa huius mundi viriliter ſuſtinendo 1. Machab. 4. *Mementote operum patrum veſtrorum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Ibidem. *Memores eſtote quomodo ſalui facti ſunt patres veſtri.* Gregor. *Si facta præcedentium conſideremus, non erunt grauia, quæ toleramus.* Ioan. 15. *Mementote ſermonis mei: non eſt ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Quarto memorari debemus ruinas debilium ad euitandum, id eſt eorum, qui in bello ſpirituali, id eſt in tentatione corruerunt: ſicut Adam, Moyſes, & Aaron; Dauid, & Salomon, & etiam princeps Apoſtolorum Petrus, vt nullus de ſua bonitate confidat. Hieron. *Nunquam in præterita caſtitate confidas, quia nec Dauid ſanctior, nec Salomone ſapientior, nec Sanſone fortior, nec Petro feruentior eſſe potes. Memento ſemper, quod paradiſi colonum, mulier de ſua poſſeſſione dejecerit.* Ideo dicitur Ioan. 41. *Memento belli, & vltra non addas loqui:* ſcilicet verba iactantiæ, vel verba confidentiæ ſanctitatis.

Miſeri memorandi.

Defuncti memorandi.

Viri illuſtres memorandi.

Debilium ruina memoranda.

De intelligentia.

Qvinta pars prudentiæ eſt intellectus ſiue intelligentia. Sed aduertendum, quod intellectus non ponitur hic pro potentia intellectiua, ſed provt importat quandam rectam ęſtimationem alicuius extremi principij, quod accipitur, vt per ſe notum; ſicut prima principia demonſtrationum intelligere dicimur. Omnis autem deductio rationis, procedit ab aliquibus, quæ accipiuntur vt prima. Vnde oportet, quod omnis proceſſus rationis, ab aliquo intellectu procedat. Quia igitur prudentia eſt recta ratio agibilium, ideo neceſſe eſt, quod totus proceſſus prudentiæ, ab intellectu deriuetur, & propter hoc intellectus ponitur pars prudentiæ. Hic autem intellectus reſpectum habet ad præſentia quę ordinat, ſicut memoria reſpicit præterita, & prouidentia futura. Vnde Seneca. *Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur; præſentia ordina, futura prouide, præterita recordare.* Tullius. *Intelligentia eſt per quam animus proſpicit ea quæ ſunt; vir prudens, & intelligens, ex apertis obſcura æſtimat, ex paruis magna, ex proximis remota, ex partibus tota.* Seneca. *Prudens nunquam ocio marcet. Aliquando animum remiſſum habet, nunquam ſolutum, accelerat tarda, prolixa expedit, dura mollit, ardua exæquat. Sic enim quid qua via aggredi debeat, & cito ſingula, & diſtinctè videt.* Idem. *Quiſquis prudentiam ſequi deſideras, tunc per rationem rectè viues, ſi omnia prius æſtimes, & propenſes; & dignitatem rebus, non ex opinione multorum, ſed ex carum natura conſtituas: nam ſcire debes, quæ videntur bona eſſe, & non ſunt; & quę non videntur bona eſſe, & ſunt. Quęcunque autem ex rebus tranſitorijs poſſides, non memineris; nec magni æſtimes, quod caducum eſt; nec apud te quæ habes, tanquam aliena ſeruabis; ſed pro te tanquam tua, & diſpenſes, & vtaris. Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris, ac provt rerum, & temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori. Nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes, ſicut manus; quę eadem eſt, & cum in palmum extenditur, & cum in pugnam æſtringitur.* Ad hanc partem prudentię, id eſt intelligentiam, hortatur Pſalm. 2. dicens. *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram; ſeruite domino in timore, &c.* ſed heu, *quia homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis, &c.* Pſalm. 48.

Intellectus principiorum eſt pars prudentia.

De ſolertia.

Sexta pars prudentiæ eſt ſolertia. Circa quam ſciendum eſt, quod prudentis eſt rectam exiſtimationem habere de operandis. Recta autem exiſtimatio ſiue opinio, acquiritur in operatiuis, ſicut in ſpeculatiuis, dupliciter. Vno modo quidem per ſe inueniendo. Alio modo ab alio addiſcendo: ſicut autem docilitas ad hoc pertinet, vt homo bene ſe habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio, ita ſolertia ad hoc pertinet, vt homo recte ſe habeat in acquirendo rectam exiſtimationem, per ſeipſum: Ita tamen vt ſolertia accipiatur pro Euſtochia cuius eſt pars: nam Euſtochia eſt bene coniecturatiua de quibuſcumque. Solertia autem eſt facilis & prompta coniecturatio, circa inuentionem medij, vt dicitur in primo poſteriorum. Tamen ille Philoſophus, qui ponit ſolertiam partem prudentiæ, accipit eam communiter, pro omni Euſtochia. Vnde dicit, quod ſolertia eſt habitus, qui prouenit ex repentino, inueniens quod conuenit: puta cum aliquis videns aliquos alicui factos amicos; coniecturat ex hoc, inimicos fuiſſe eiuſdem; & huiuſmodi.

Quid ſolertia & quomodo ſe habeat ad Euſtochiam.

De ratione.

Ratio ſumpta pro actu inquiſitionis aut diſcurſus eſt pars prudentiæ.

SEPTIMA pars prudentiæ eſt ratio. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod ratio non ponitur hic pro ipſa potẽtia rationis, ſed pro bono vſu eius. Opus enim prudentis eſt eſſe bene conſiliatiuum, vt dicitur in 6. Ethic. Conſilium autem inquiſitio quædam eſt, ex quibuſdam ad alia procedens, hoc autem videtur eſſe opus rationis. Vnde ad prudẽtiam neceſſariũ eſt, quod homo ſit bene ratiocinatiuus: & quia ea, quę exiguntur ad perfectionem prudentię dicuntur quaſi integrales partes prudentiæ; Inde eſt, quod ratio inter partes prudentiæ connumerari debet. Licet autem intellectus & ratio, non ſint diuerſæ potentiæ eſſentialiter, tamen denominantur à diuerſis actibus. Nomen enim intellectus ſumitur ab intima penetratione veritatis, nomen autem rationis ab inquiſitione, & diſcurſu: Et ideo vtrumque eſt pars prudentiæ, ſicut ex prædictis apparet.

De prouidentia.

DISTINCTIO XXXIX.

Prouidentia eſt præcipua pars prudentiæ.

OCTAVA pars prudentiæ eſt prouidentia. Circa quod ſciendum eſt, quod prouidentia propriè eſt circa ea, quæ ſunt ad finem, & hoc ad eius officium proprie pertinet, vt ad finem debite ordinentur, & quamuis aliqua neceſſaria ſint propter finem, quæ ſubijciuntur diuinæ prouidentiæ: humanę tamen prudẽtiæ non ſubijciuntur, niſi contingentia operabilia, quę per hominem poſſunt fieri propter finẽ. Præterita autẽ in neceſſitatem quandam tranſeunt, quia impoſſibile eſt non eſſe, quod factum eſt: ſimiliter etiam & præſentia inquantũ huiuſmodi, neceſſitatẽ quandã habẽt: neceſſe eſt enim. Sortem ſedere dum ſedet. Vnde cõſequẽs eſt, quod contingentia futura, ſecundũ quod ſunt per hominẽ, in finẽ humanæ vitæ ordinabilia, pertineãt ad prudentiã: vtrumq; autẽ horũ importatur in nomine prouidentiæ. Importat enim prouidentia reſpectũ quendam alicuius diſtantis, ad quod ea quæ in præſenti occurrũt, ordinanda ſunt. Vnde prouidentia eſt pars prudentiæ; immo inter omnes partes eius eſt principalior, quia omnia alia, quæ requiruntur ad prudentiã, ad hoc neceſſaria ſunt, vt aliquid recte ordinetur in finem. Quandocunque enim multa requiruntur ad vnũ, neceſſe eſt vnum eſſe principale, ad quod omnia ordinantur, & in quolibet toto, neceſſe eſt eſſe vnã partem principalem formalem, & prædominantem, à qua totum vnitatem habeat. Vnde & nomen prudentię ſumitur à prouidentia, tanquam à principaliori ſui parte. Dicitur enim prudens, quaſi porro, vel procul videns. Sicut Iſidor. dicit in li. Ethy. Similiter, & prouidens.

Prouidentia circa plura vtilis.

1. Circa futura pericula.

EST autem prouidentia multum vtilis, immo neceſſaria. Primo, quia debet homo conſiderare futura pericula, vt ea prouideat, & caueat; vel ad ea toleranda, ſi oportet tolerare, ſe muniat. Eccl. 41. *Memento, quæ ſuperuentura ſunt tibi.* Grego. *Minus lædunt iacula quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra ea per clipeum prouidentiæ communimur.* Se. *Si prudens eſſe cupis, in futura proſpectum intende, & quæ poſſunt contingere, in animo tuo cuncta propone. Nihil tibi ſubitum ſit, ſed totum ante proſpicies; nam qui prudens eſt non dicit non putaui hoc fieri; quia non dubitat, ſed expectat; non ſuſpicatur, ſed cauet. Cauſam cuiuſcunque rei perquire, & cum initia inueneris, exitus cogitabis.* Idem. *Si prudens eſſe cupis in futura præuide, nam qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Propone in animo tuo bona futura, & mala; vt mala tolerare poſſis, bona moderari.*

2. Circa ſuas fraudes.

SECVNDO debes prouidere futura, vt fraudes videas, & caueas. Seneca. *Prudens fallere non vult, & falli non poteſt, quia prouidet fallacias, & vitat.* Prouer. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum;* quia homines virtutibus pennati, proſpiciunt fraudes, & fugiunt.

3. Circa rationem reddendam.

TERTIO debes prouidere futura, vt tibi de ratione reddenda ſummo iudici prouideas, & hoc debes facere maximè tu, qui habes curam, & regimen animarum. Greg. in homil. illa. Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. *Veniet, veniet profecto, nec longe eſt dies illa, quando paſtor paſtorum, à ſuis ſeruis rationem exiget; & qui per prælatos modo ſubditorum peccata vlciſcitur, per ſemetipſum prælatorum facta contemnet.* Ideo Abac. 2. dicitur. *Contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me?*

4. Circa nouiſſima.

QVARTO, debet homo prouidere nouiſſima, vt peccare timeat, & caueat peccatum. Eccleſ. 7. *In omnibus tuis, memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Qui gubernare vult bene nauem, ſemper reſidet in parte eius nouiſſima vt pericula viæ, quæ ſunt ante ſe, per quam habet ire, prouideat, & caueat ſibi, & alijs quos gubernat. ſic rectores Eccleſiarum debent ſtare in conſideratione nouiſſimorum, & præuidere quomodo euitent ſibi & ſuis, nouiſſimorum mala. Sunt autem iſta nouiſſima mala, quæ ſępe meditata, timorem in corde hominis generant, & peccati odium, & fugam; mortis exitum, diſtrictum Dei iudicium, inferni ſupplicium. Prouerb. 8. *Timor Domini odit malum*, eiuſdem 14. *Sapiens timet, vt declinet à malo,* & 15. *Timore Domini declinatur à malo.* O vtinam prælati ſibi, & ſuis præuiderent. Deut. 32. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent,* ita quod à malo recederent. Qualiter autem horum memoria à malo reuocet. Require libro 2. vbi agitur de morte, & vbi de purgatorio, & vbi de inferno.

5. Circa finem ſuarum actionum.

QVINTO, debet homo conſiderare futura, vt omnium viarum ſuarum, & operationum ſuarum finem attendat; & quod inde ſequi poſſit, ſiue bonum, ſiue malum ſit, diligenter attendat, & præuideat. Prouerb. 14. *Aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Boëtius. *Non ſolum, quod eſt ante oculos, verumetiam rerum exitus, prudentia tuetur.* Seneca, de quatuor virtutibus. *Non tibi dabis impetus liberos, ſed circumſpicies quo eundum eſt, & quousque.* Idem in eodem. *Prudens omnia præuidet, accelerat tarda, prolixa impedit, & dura mollit, ardua exæquat. Sicut enim quid qua via aggredi debeat, & ſingula diſtincte videt.* Idem in eodem. *Quiſquis prudentiam aſſequi deſideras, tunc per rationem rectè viues, ſi omnia prius æſtimes, & propenſes, & dignitatem rebus non ex multorum opinione, ſed ex earum natura conſtituas.*

6. Circa converſationem ſuam coram alijs.

SEXTO debet homo prouidere, & maximè prælatus, quomodo in ſubditis ſuis bona in futurum prouideat, vt coram Deo, & hominibus, commendabilem converſationem habeat. Rom. 12. *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus;* prouidentes, ſcilicet vt ad honorem Dei, & vtilitatem animarum veſtrarum, & proximorum, beatam vitam habeatis, bonum exemplum exhibeatis, bona temporalia, & ſpiritualia, bene diſpenſetis, ſingulis provt neceſſe, & dignum eſt, diſtribuatis; & quę ſunt animabus eorum vtilia; eis prouidere ſtudeatis.

7. Circa futuros rerũ euentus.

SEPTIMO, futuros rerum euentus attendere, & tempora futura numerare debent, maximè prælati, ſecundum ea quæ prædicta ſunt à prophetis, tam veteris, quam noui teſtamenti, & de eis ſubditos præmunire. Galat. 5. *Prophetias nolite ſpernere.* 2. Pet. 1. *Habetis firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facietis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat,* &c. Ipſi enim prophetæ tempora futura, & pericula, & præuiderunt, & nunciauerunt, & prædixerunt eorum pericula, vt Apoſto. 1. Timot. 4. *In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris,* &c. Idem Tim. 3. *Hoc autem ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa,* &c. Prophetæ autem, tam veteris, quam nouæ legis, ſignificati ſunt per nudos numerantes, qui in vrbe Romana deſcripti ſunt. Legitur in geſtis Romanorum, & in li-

Exemplum.

bro Imperatorum, deſcriptio Romanæ vrbis, quod tempore Tyberij Imperatoris ſub quo Dominus prędicauit, & paſſus fuit, venerunt Romam duo ſapientiſſimi viri Philoſophi Praxidelis, & Pſidia, quos propter ſapientiam ſuam ſibi charos habuit Imperator in palatio ſuo, qui Imperatori quicquid in aure ſuis ſecretarijs diceret, ſiue de die, ſiue de nocte, vſque ad vnum verbum repetebant; qui promiſit ſe daturum quicquid peterent, qui eius munera reſpuerunt. Sed vnum memoriale in vrbe fieri petierunt in memoriam ſui, & euentuum futurorum; vt ſcilicet fierent in euidenti loco vrbis, duo homines nudi, habentes brachia eleuata, & digitos incuruatos, ad modum numerantium, & habentes ante ſe duos caballos nudos ab omni ornatu, marmoreos; & ante equos, mulierem ſerpentibus circundatam; & ante eam, concham; ad quam non poterat quis accedere, niſi per concham. Per quod ſignificabatur, vt ipſi prædixerunt, quod veniret Rex potentiſſimus, habens equos fortiſſimos contemnentes ornamentum mundi, & conculcantes omnem terrenam poteſtatem. Per quos deſignati ſunt Apoſtoli Chriſti. per homines nudos numerantes futura tempora, & euentus; prophetas vtriuſque teſtamenti deſignauerunt; quibus omnis ſcientia ſalutaris, nuda, & aperta fuit. Per mulierem circundatam ſerpentibus, deſignatam voluerunt Eccleſiam, circundatam diuerſis tribulationibus, tentationibus, & perſecutionibus. Ad quam nullus poteſt accedere, niſi ablutus in concha baptiſmatis, fluminis, aut ſanguinis, aut flaminis.

8. *Circa futura præmia.*

Octavo, prudens homo prouidet quomodo bona vera, & æterna, ſibi congreget in futuro præmiorum; congregando ſibi in præſenti diuitias meritorum, per quæ acquirat ſibi theſauros præmiorum, iuxta conſilium domini. Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, &c.* De hac materia multa habentur exempla, & auctoritates infra 3. lib. de eleemoſyna, quod eleemoſyna theſaurizat in cœlo. Bernard. *Non ſunt condigna, quæ homines in præſenti patiuntur, aut quicquid ab eis agitur, ad præteritam culpam, quæ eis remittitur; & ad futuram gloriam, quæ eis promittitur, & in cœlo reſeruatur.*

De circumſpectione.

DISTINCTIO XL.

Circumſpectio merito ponitur pars prudentiæ.

Bona pars prudentiæ eſt circumſpectio. Circa quã conſiderandum eſt, quod cum ad prudentiam pertineat rectè aliquid ordinare in finem, quod non ſit, niſi & finis ſit bonus, & id quod ordinatur ad finem, ſit etiam bonum, & conueniens fini, ſed prudentia ſicut dictum eſt, circa ſingularia operabilia eſt, in quibus multa occurrunt: Contingit enim aliquid ſecundum ſe conſideratum eſſe bonum, & conueniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur, vel malum, vel non opportunum ad finem. ſicut oſtendere ſigna amoris alicui ſecundum ſe conſideratum, videtur eſſe conueniens, ad alliciendum eius animum ad amorem: Sed ſi contingat in animo illius ſuperbia, vel ſuſpicio adulationis, non erit hoc conueniens ad finem; & ideo neceſſaria eſt circumſpectio ad prudentiam, vt ſcilicet homo id, quod ordinatur ad finem, comparet etiam cum alijs, quæ circumſtant. Sicut enim ad prouidentiam pertinet proſpicere id, quod eſt per ſe conueniens fini; ita ad circumſpectionem pertinet conſiderare an ſit conueniens fini, ſecundum ea quæ circumſtant. vtrumque autem horum habet ſpecialem difficultatem, & ideo vtrumque eorum ſeorſum ponitur pars prudentiæ.

Circumſpectio alia vitioſa alia virtuoſa.

Sciendvm autem, quod eſt multiplex circumſpectio. Eſt enim quædam circumſpectio vitioſa, & quædam virtuoſa. Vitioſa quidem eſt iudicium vagi cordis, & vani; ſicut patet in illis, qui girouagos habent oculos, & ſunt in moribus incompoſiti: ſignum enim eſt incontinentiæ, propter quod dicitur Eccl. 9. *Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius; auerte faciem tuam à mulicre compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam.* Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Alia eſt circumſpectio virtuoſa, & laudabilis, de qua Seneca dicit. *Tunc conſilia ſalubria aduoca, cum tibi alludit vitæ proſperitas; tunc te velut in lubrico retinebis ac ſiſtes, nec tibi dabis impetus liberos, ſed circumſpicies, quo cundum ſit, & quouſque.*

Quid circũſpiciendum.

Debet autem homo prudens circumſpicere ſuperius, & inferius, interius, & exterius, dextrorſum, & ſiniſtrorſum. Superius quidem ad Deum videlicet contemplandum, tanquam ſpeculatorem omnia contuentem. Sicut dicitur Prouerb. 15. *Oculi Domini contemplantur bonos, & malos,* & Iob 13. *Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Ideo dicit Boe. *Magna vobis indita neceſſitas probitatis, dum omnia ante oculos agitis iudicis, cuncta cernentis.* Et Eccl. 14. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & in iuſtitia meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei,* id eſt quod Deus omnia circumſpicit; Actus ſcilicet, ſenſus, geſtus, ac etiam cogitatus. Vnde contra fatuum, & iniquum dicitur Eccl. 23. *Quis me videt? tenebræ circundant me, parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit, quem vereor?* Sequitur, *Et non cognouit, quoniam oculi Domini multo lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes,* & Eccl. 7. *Eſt qui humiliat, & exaltat, circumſpector Deus.* Sic igitur debemus ſurſum reſpicere, vt timeamus. Item debemus ſurſum reſpicere, videlicet ſupernam patriam, vt appetamus. Gen. 15. *Dixit Dominus ad Abraham, vide à loco in quo nunc es, & circumſpice ad Aquilonem. Omnem terram in qua dormis tibi dabo, & ſemini tuo.* Baruch. 4. *Circumſpice Ieruſalem ad Orientem, & vide iucunditatem à Deo venientem.* & eiuſdem 5. *Exurge Ieruſalem circumſpice ad Orientem.*

1. *Superius ad Deum vt timeamus & appetamus.*

2. *Inferius ad mundi prauitatem vt aſpernemus.*

Secvndo circumſpicere debemus inferius, mundi ſcilicet prauitatem ad aſpernendum. Et dico inferius, quoniam homo iuſtus debet mundum contemnere, & eum tenendo ſub pedibus conculcare, quoniam ſi bene conſiderat non inuenit in eo niſi cæcitatem: ſicut dicitur Marci 3. *Circumſpiciens Ieſus eum ira, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum.* Item non inuenit pietatem. Iſa. 42. *Circumſpexi, & non erat auxiliator.* Item non inuenit niſi vanitatem, vel potius nihilitatem, ideo compellitur oculum intentionis in Deum conuertere. Sicut bene ſignatum eſt Marci 9. *Circumſpicientes neminem viderunt, niſi Ieſum tantum:* quia poſtquam dulcedinem bonitatis eius ſenſerant, & viderant claritatem, omnia quæ infra ipſos erant, quaſi nihilum reputabant.

3. *Interius ad cõſcientiam, vt eam diſcutiamus.*

Tertio circumſpicere debemus interius, id eſt conſcientiam noſtram diſcutere, & omnes eius latebras viſitare: ne forte aliquid in ea lateat, quod mentem corrodat, & mordeat, & oculos diuinæ maieſtatis offendat. In ſignum huius quatuor animalia deſcribuntur intus eſſe plena oculis. Apoc. 4. & Ezech. 1. *Totum corpus plenum erat oculis,* videlicet circumſpectionis. Gloſſ. *Qualem Argum fuiſſe fabulæ poetarum deſcribunt, quem Iuno ob negligentem ſui cuſtodiam, in Pauonem conuertit.*

4. *Exterius ad conuerſationem noſtram externam, vt ſit irreprehẽſibilis.*

Qvarto circumſpicere debemus exterius, vt non ſolum intra nos inſpiciamus cõſcientiam, verumetiam omnes actiones, locutiones, & totam conuerſationem extrinſecam, ne in facto, verbo, geſtu, inceſſu, riſu, & huiuſmodi, ſit aliquid vitioſum, vel in conſpectu hominum reprehenſibile videatur. vnde Ezech. 1. Animalia ſancta non ſolum intus, ſed etiam in circuitu dicuntur oculis eſſe plena. vnde dicitur ibi. *In circuitu, & intus plena ſunt oculis:* ſcilicet circumſpectionis Gloſſ. *Exemplo alios informant, & in circuitu, id eſt in conſpectu hominum, irreprehenſibiles ſunt.* Alia Gloſſa. *Vita ſanctorum ex omni parte circumſpecta, eſt plena oculis.* Vnde de Anna vxore Tobiæ dicitur. Tob. 10. *Exiens circumſpiciebat omnes vias.* Anna, quæ interpretatur gratia, vel reſpon

dens, signat animam gratiosam, quæ considerans quod de omnibus factis, verbis, & huiusmodi, habet coram summo iudice respondere; circumspicit omnes vias, id est omnes sensus suos, sermones, & actus.

5. A dextris all sanctorum vitas vt in sanctis moribus informemur.

QVINTO circumspicere debemus à dextris, videlicet sanctorum vitas, & exempla bona conspicere, vt per ea in sanctis moribus informemur, eisque in virtuosis operibus conformemur. vnde Iob 39. dicitur de Onagro, per quem vir iustus, vel religiosus designatur. *Contemnit multitudinem ciuitatis*, id est tumultum, & pressuram mundi: Fugit, vt effugiat eius pericula: *Et vocem exactoris*, id est diaboli tentatoris, *Non audit. Circumspicit montes*, id est sanctorum vitam eminentes *pascuæ suæ*, quia in his pascitur, & delectatur mens eius: *Et virentia quæque*, id est opera virore virtutum amœna, *Perquirit:* vt videlicet in eis delectetur, & delectabiliter foueatur.

6. A sinistris ad aduersitatem, vt solum Deum adiutorem agnoscamus.

SEXTO debemus circumspicere à sinistris aduersitatis, quomodo scilicet aduersitatis tempore, in mundo non inuenimus adiutorem, sed qui prosperitatis tempore videbantur amare fideliter, deficiunt in aduersis. Sicut dicitur in Psalm. 68. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; qui consolaretur, & non inueni: sed potius dederunt in escam meam fel, &c.* Et Isa. 63. *Circumspexi, & non erat auxiliator.* Ideo non in mundo, sed in Deo debemus fiduciam nostram figere, & eius misericordiam implorare. Exemplo Iosaphat regis, qui dicebat 2. Para. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus*, & Matth. 9. *Circumspicientes neminem viderunt nisi Iesum tantum;* quia in ipsum solum, spem nostram, & intentionem debemus figere, & quia ipsum solum fidelem amicum, & adiutorem pium inuenimus. A sinistris etiam circumspicientes, videmus hostium tentationes, & insidias, vt vitemus; ne mortis gladios, & deceptionum laqueos, incurramus. Ad modum auiculæ, quæ dum in via pabulum suum quærit, vndique circumspicit, & se circunuolando custodit. Si vero videat aliquid periculosum, statim euolat, & euadit. Prouerb. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* De homine vndique obsesso, & ex omni parte vidente pericula, & fere de euasione periculorum innumerabilium diffidente, dicitur Iob 15. *Non credit, quod possit reuerti de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium.* Et quoniam *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & in desideria multa, quæ demergunt hominem in interitum, & perditionem.* 1. Tim. 6. Ideo dicitur Mar. 10. *Circumspiciens Iesus discipulos suos ait; quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.*

De cautione.

DECIMA pars prudentiæ est cautio, de qua dicitur Ephes. 5. *Videte quomodo caute ambuletis.* Illa enim circa quæ habet esse prudentia sunt contingentia operabilia, in quibus sicut verum potest commisceri falso, ita etiam malum bono, propter multiformitatem huiusmodi operabilium; in quibus bona plerumque impediuntur à malis, & mala habent speciem boni. Et ideo necessaria est cautio ad prudentiam, vt sic accipiantur bona, quæ vitentur mala.

Necessaria est cautio ad prudentiam.

EST igitur cautio necessaria, vt homo caueat ab his, per quæ actus virtutum impediri possunt; quæ tamen quandoque speciem habent boni, quod vitia multam similitudinem habent cum virtutibus, & ipsa se mentiuntur esse virtutes. Dicit enim auarus se largum esse, & prodigus similiter. Et quandoque seueritatem exercens, dicit se iustitiam exercere, quia sub colore iustitiæ latet seueritas, & remissio videtur esse clementia, & sic de alijs. Cautio igitur facit, vt homo via recta virtutum incedat, non declinans ad dexteram, vel sinistram vitiorum. Sed dicit cum poeta. *Medio tutissimus ibis.* Sapient. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas virtutum, non declinans hinc inde per deuia vitiorum.* Behincus. *Est virtus medium vitiorum vtrinque reductum.*

A *In vitium ducit fuga culpæ, si caret arte*, scilicet cautionis, sine qua dum stulti vitant vitia, incidunt in contraria, vt dum vitant temeritatem, incidunt in timiditatem, nisi cautio ponat medium, scilicet fortitudinem. Dum vitant desperationem, incidunt in præsumptionem, nisi cautio ponat medium, scilicet spem, & sic de alijs.

AD cautionem etiam pertinet vitare aliqua impedimenta extrinseca, quæ possunt accidere, immo quæ frequenter occurrunt. Vnde licet ad eandem virtutem pertineat prouidere, vel prosequi bona, & vitare mala opposita; sicut eiusdem artis est facere sanitatem, & vitare ægritudinem; tamen vitare aliqua mala, vel impedimenta, quæ possunt ab extrinseco contingere, non est eiusdem rationis cum eo, quod est prosequi bona.

B Et ideo cautio cuius est vitare impedimenta virtutis, merito distinguitur à prudentia, cuius est prouidere bona.

Cautio differt à prudentia.

DEBET autem homo cauere omne impedimentum salutis, immo omne peccatum, & occasiones omnium peccatorum. Peccatum quidem, & interius in corde, & exterius in ore, & opere. Item tam peccatum commissionis, quam omissionis. De peccato consensus & affectionis vitando, dicitur Tob. 4. *Caue ne quando peccato consentias.* De peccato locutionis Gen. 31. dictum est ad Laban. *Caue ne quicquam durius loquaris contra Iacob.* Et Num. 22. *Caue ne quid aliud loquaris, quam quod præcepero tibi.* De peccato commissionis, vel operis, dicitur Iob 36. *Caue ne declines ad iniquitatem.* De peccato omissionis Hester 6. *Caue ne quicquam eorum quæ dixisti, prætermittas.* Item debet homo cauere occasiones peccatorum, id est locum suspicionis. Genes. 24. *Caue ne quando filium meum reducas illuc.* Verbum est Abrahæ ad procuratorem domus suæ, prohibentis ne filium Isaac reduceret in terram, de qua dominus ipsum eduxerat. Item cauere debet cœtum seductionis. Exod. 35. *Caue ne cum habitatoribus terræ illius, iungas amicitiam.* De cauenda societate malorum. Require infra lib. 3.

Qua cauenda.

C

ITEM cauere debet primum impulsum tentationis. Nam quam cito sentit homo tentationis impulsum, debet eam repellere, ne si diu tenuerit in corde, fortius inualescat, & cum inualuerit, superare non possit. *Beatus* enim *qui tenebit, & allidet paruulos suos*, id est motus tentationis, dum adhuc paruuli sunt, *ad petram*, id est Christum. Psalm. 136. Ideo dicitur Deut. 11. *Cauete ne forte decipiatur cor vestrum*, scilicet per malitiam tentatoris, *& recedatis à Domino* per culpam transgressionis. De tentatione, quare, & quomodo sit cauenda, Require infra lib. 3.

Cauendus primus impulsus tentationis.

D

Licet autem omne peccatum summopere sit cauendum, tamen præcipuè suadet scriptura sacra, cauere superbiam reginam omnium vitiorum. Exod. 19. *Cauete ne ascendatis in montem*, scilicet superbiæ. Et Mar. 12. *Cauete à scribis, qui volunt in scholis ambulare, & salutari in foro.* Item inobedientiam, pessimam eius prolem. Iosue 6. *Cauete ne de his, quę præcepta sunt vobis quippiam contingatis, & sitis prauaricationis rei.* Item irreuerentiam respectu sacrorum. Exod. 34. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Dic Aaron, & filijs eius, vt caueant ab his, quæ consecrata sunt*, ne scilicet indigne, & irreuerenter tractent ea. Item ingratitudinem beneficiorum. Deut. 6. *Caue ne obliuiscaris dominum, qui eduxit te de terra Ægypti, &c.* Item transgressionem votorum, seu quorumcumque domino promissorum. Deut. 4. *Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod videlicet ipse tecum pepigit, & tu cum eo.* Item hypocrisis falsitatem. Matth. 16. *Cauete à fermento Pharisęorum, quod est hipocrisis.* Item auaritiæ cæcitatem. Luc. 12. *Videte, & cauete ab omni auaritia*, quasi diceret nisi eam caueritis non videbitis, quia ipsa vestræ mentis oculos excæcabit. Nec solum excæcat, verumetiam illaqueat. 4. Ti. 2. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, &c.* Et Prou. 10. dicitur. *Qui cauet laqueos, securus erit.*

Cauenda superbia, inobedientia &c.

E

De

De ſolicitudine.

DISTINCTIO XLI.

VNDECIMA pars prudentiæ, eſt ſolicitudo, circa quam ſciendum, quod ſicut Iſid. dicit in lib. Eti. Solicitus dicitur quaſi ſolercitus, inquantum ſcilicet aliquis ex quadam ſolertia animi, eſt velox ad proſequendum ea, quæ ſunt agenda. Hoc autem pertinet ad prudentiam, cuius præcipuus actus, eſt circa agenda præcipere, de conſiliatis, & præiudicatis. Vnde Philoſophus dicit in 6. Ethi. quod *oportet operari quidem velociter conſiliata, conſiliari autem tarde.* Et inde eſt, quod ſolicitudo propriè ad prudentiam pertinet. Et propter hoc Auguſt. dicit in lib. de moribus Eccleſiæ, quod *prudentiæ ſunt excubiæ atque diligentiſſima vigilantia, ne ſurrepta paulatim, mala ſuaſione fallamur.*

Solicitudo quadruplex.

NOTANDVM autem quod multiplex eſt ſolicitudo. Etenim ſolicitudo, quam inducit neceſſitas, alia quam producit cupiditas, alia quam generat carnalitas, alia quam imperat charitas. Prima eſt excuſabilis. Secunda damnabilis. Tertia culpabilis. Quarta eſt laudabilis.

1. *Ex neceſſitate.* De prima dicitur 1. Corint. 6. *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat mundo.* Qui enim vxorem habet, liberos, & familiam, neceſſitate compellitur ſollicitari pro ſe, vxore, liberis, & tota familia. Et in hoc oſtendit Apoſtolus ſtatum coniugij minus eſſe perfectum, minus quietum, vel liberum, quam ſtatum continentium. Vnde dicit ibidem, *volo vos ſine ſolicitudine eſſe.*

2. *Ex cupiditate.* DE ſecunda ſolicitudine, ſcilicet quam parit cupiditas, dicitur Eccl. 2. *Peccatori dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluam, vt addat & congreget, ſed & hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis.* Huius vanitatem, fatuitatem, & miſeriam, oſtendit idem ſapiens ibidem, parum ante. *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſollicitus ſui.* Sciendum autem quod iſta ſolicitudo perturbat conſcientiam, ſicut patet ex præmiſſis verbis, & Hierem. 49. *Præ ſolicitudine quieſcere non potuit.* Secundo excludit Dei gratiam, ſicut dicitur Luc. 8. *Solicitudo iſtius ſæculi, & fallacia diuitiarum, ſuffocat verbum, &c.* Tertio inducit inopiam ſpiritualem ſemper, & interdum etiam temporalem. Nam cupidi timentes famem, & inopiam temporalem, ſollicitantur de diuitijs acquirendis. Sed iuſto Dei iudicio, quanto plus aggregant temporalia, tanto plus ſpiritualibus vacuantur, ac interdum diuerſis, & inopinatis caſibus emergentibus, egeſtatem temporalem incurrunt. Sicut dicitur Hierem. 42. *Fames pro qua ſolliciti eſtis, adhærebit vobis.* Quarto perducit ad æternam miſeriam: propter quod dicitur Prouer. 11. *Expectatio ſollicitorum peribit.* Expectant cupidi, quod diu viuant, quod in fine pertineant, quod aliena reſtituant, quod ſua diſtribuant, quod veniam conſequantur, & gratiam. Sed hæc expectatio eſt mala ſolicitudo, quia nec verè pœnitent, nec reſtituunt aliena, nec diſtribuunt ſua. Quod ſi forte faciunt quandoque, fruſtra hoc faciunt, quia nec gratiam conſequuntur, nec veniam; ſed in æternam miſeriam deuoluuntur.

3. *Ex carnalitate.* DE tertia ſolicitudine, ſcilicet quam generat carnalitas, dicitur Matth. 6. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini,* non eſt intelligendus hic Dominus prohibere neceſſarium, licitum, & moderatum actum prouiſionis humanæ, quantum ad neceſſarium, vel decentem victum, & veſtitum; ſed illicitum, & immoderatum. Vnde excludit immoderatum ſtudium, & ſuperfluam curam in procuratione guloſitatis, quod eſt contra illos, qui nimis ſunt ſolliciti de præparandis, vel procurandis conuiuijs, feſtis, & cibarijs delicatis, qui timere videntur ne fame moriantur, vel quod non habeant delicias, vel voluptuoſa, quæ appetant. Talibus comminatur dominus Hierem. 42. *Fames pro qua ſolliciti eſtis, adhærebit vobis.* Tales ſemper famem patiuntur, vt canes; nam cum in mane fuerunt ſaturati, cogitant quomodo ęque lautè, vel lautius epulentur in ſero; & in ſero ſollicitantur de craſtino, & ſic ſemper. Alia eſt ſollicitudo, quam inducit voluptas libidinis. Sicut patet de duobus ſenibus impudicis. Dan. 13. *Obſeruabant quotidie ſolliciti videre eam.*

4. *Ex charitate & hac triplex.* DE quarta ſolicitudine, videlicet quam imperat charitas. Sciendum, quod ſicut charitas vna eſt eſſentialiter, ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum, ſed multiplex in effectu; ſic multiplex eſt ſolicitudo prouenies ex vno habitu charitatis. Eſt enim ſolicitudo

1. *Solicitudo reſpectu ſui.* quædam reſpectu ſui, quædam reſpectu Dei, & quædam reſpectu proximi. Eſt inquam ſolicitudo hominis ad ſeipſum. Primo quidem peccata præterita puniendi. Exemplo illorum quibus dicit Apoſt. 2. Corint. 7. *Ecce hoc ipſum, contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem,* ſcilicet pœnitentiam agendi. Secundo eſt ſolicitudo puritatem conſcientiæ conſeruandi, ſicut præcepit Dominus Deut. 6. *Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicite.* Cuſtodi inquam temetipſum, ne peccato conſentias, ne in tentatione ſuccumbas. ne in tribulatione deficias, ne pigritiæ languore torpeſcas. Tertio ſolicitudo eſt virtuoſa opera faciendi, & merita acquirendi; ſicut mundani ſolliciti ſunt pro victualibus, & alijs neceſſarijs acquirendis, viriliter operari. Sicut dicitur Eccl. 38. *Figulus ſedens ad opus ſuum, vertens pedibus ſuis rotã, & in ſolicitudine poſitus eſt propter opus ſuum.* Et ibidẽ ante, ponit alia exempla multa, de alijs artificibus, dicens. *Omnis faber, & architectus, noctem quaſi diem tranſigit &c.* Si igitur iſti ſunt ita ſolliciti pro lucro tẽporali, pro victu quotidiano, pro neceſſarijs ſibi impoſterũ prouidẽdis, & diuitijs tẽporalibus & acquirẽdis, quãto magis deberemus eſſe ſolliciti pro ſpirituali lucro, pro meritis, & ſpiritualibus animæ diuitijs acquirendis.

2. *Solicitudo reſpectu Dei.* RVRSVS eſt ſolicitudo hominis ad Deum, ad quam mouere nos debet timor punitionis, pudor confuſionis, amor complacentiæ, honor reuerentiæ. Ad ſolicitudinem in his, quæ ad Deum pertinent habendam, mouere ſolet quandoque timor punitionis, ſicut timore pœnè multi, vel retrahuntur à malo, vel ad bonum aliquod attrahuntur. vnde Iob 23. *A facie eius turbatus ſum, conſiderans eum, timore ſollicitor.* Turbatus ſum inquit, ſed non perturbatus, turbatus inquam, non turbatione rationem excæcante, vel iudicium ſubuertente, vel voluntate peruertente, ſed turbatione admirationis. Sicut beata virgo turbata eſt, in ſermone Archangeli Gabrielis. Luc. 1. Sequitur, *& conſiderans eum timore ſollicitor,* in iudicando diſtrictiſſimum, in puniendo ſeueriſſimum; timore initiali, vel filiali, ſollicitor ad peccatum deteſtandum, ad conſcientiam diſcutiendum, ad iudicium metuendum, ad ſupplicium præcauendum, & ad bonum vbique faciendum. Ideo dicitur Ioſue 23. *Eſtote ſolliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis.* Secundo ſollicitare ſolet cor hominis pudor confuſionis, ſicut patet in multis, qui ne confuſionem ſuſtinere cogantur, faciunt aliqua bona, alias non facturi, vnde 2. Ti. 2. *Sollicite cura, teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem,* id eſt ſic ſtudeas operari, vt non confuſione dignus appareas, ſed potius approbatione diuina. Qui enim confuſione res dignas gerit, & in conſcientia ſua, etiam nullo ſciente confunditur, & confuſione dignus iudicabitur in diuino iudicio, & confuſibiliter condemnabitur. Ideo animæ peccatrici dicitur Iſa. 57. *Viam manus tuæ inueniſti,* ſcilicet confuſionem, *ſicut manus tua,* id eſt opera tua, *meruerunt. Propterea non rogaſti pro quo ſollicita timuiſti.* Tertio ſollicitare ſolet cor hominis, amor complacentiæ, ſicut patet, quod homines ſollicitè ſeruiunt hiquos amant, & quibus placere deſiderant. Ideo 1. Cor 12. *Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes* Et 1. Corint. 7. *Qui ſine vxore eſt,* ſcilicet carnali, vel ſine concupiſcentia mundiali, *ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt quomodo placeat Deo.* Quarto ſollicitare ſolet co

hominis,

hominis, honor reuerentiæ, ſicut ſolliciti ſunt filij, parentes ſuos, ſerui, dominos honorare; vbique ambulantes cum eis, vt eis honorem exhibeant. Micheæ 6. *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Qui autem Deum honorant, & ei placere deſiderant, & Eccleſiam ſanctam, & miniſtros eius honorant, & etiam loca ſancta in quibus Deus principaliter honoratur. Sicut faciebant illi de quibus dicitur 2. Mach. 15. *Erat eis pro vxoribus, & liberis, itemque pro fratribus, & cognatis minor ſolicitudo; maximus autem & primus pro ſanctitate, timor erat templi.*

3. *Solicitudo reſpectu proximi.*

ITEM eſt ſolicitudo hominis ad proximum, & hoc eſt multiplex in effectu, videlicet miniſtrando egentibus ſubſidium pietatis, ſeruando conuiuentibus conſortium vnitatis, præſtando ignorantibus conſilium veritatis, præbendo laborantibus ſuffragium ſanctitatis. De primo Gal. 2. *pauperum memores eſſemus.* Sequitur. *Sollicitus ſui hoc ipſum facere,* & Luc. 10. *Martha Martha ſollicita es,* ſcilicet Chriſto, & eius diſcipulis miniſtrando. item Tob. 1. *Eſurientes alebat, nudis veſtimenta præbebat, mortuis atque occiſis, ſepulturam ſollicitus exhibebat.* De ſecundo dicitur Eph. 4. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* De tertio. Colo. 2. *Volo vos ſcire qualem ſolicitudinem habeam pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiciæ, vt conſolentur ipſorum corda, inſtructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitione miniſterij Dei.* De quarto, Colo. 4. *Salutat vos Epaphras, ſollicitus pro vobis in orationibus.* & Phil. 2. *Timotheus ſyncera affectione pro vobis ſollicitus eſt.* Ad hanc ſolicitudinem præcipuè tenentur prælati, ſicut dicitur Rom. 12. *præeſt in ſolicitudine.* 2. Cor. 11. *Inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Et 1. Mach. 16. *Simon perambulans ciuitates, & ſolicitudinem gerens earum, deſcendit.* Simon, qui interpretatur audiens, deſignat principem, vel prælatum, qui ad hoc debet perambulare per ciuitates, & caſtra; vt audiat ſi ſit in eis aliquid corrigendum; ſollicite debet inquirere, omnes ſubditos patienter audire. Iuxta illud Deut. 1. *Ita paruum audietis, vt magnum.* Debet autem deſcendere in Iericho, ad defectus videlicet corrigendum.

De diſciplina.

DISTINCTIO XLII.

Diſciplina triplex.

1. *Scientia.*

DVODECIMA pars prudentiæ eſt diſciplina. Ad cuius euidentiam ſciendum, quod diſciplina tripliciter accipitur in ſcriptura. Vno modo dicitur diſciplina idem realiter, quod ſcientia, differens ratione. Dicitur enim ſcientia, ſecundum quod eſt habitus cognitionis firmatus in anima, & dicitur à ſciendo. Diſciplina vero dicitur, per comparationem ad diſcipulum, & dicitur à diſcendo. Sicut doctrina dicitur, per comparationem ad doctorem, & dicitur à docendo. Vnde Prouer. 12. *Qui diligit diſciplinam diligit ſcientiam.* & eiuſdem 19. *Suſcipe diſciplinam, vt ſis ſapiens.*

2. *Correctio.*

SECVNDO modo dicitur diſciplina correctionis. Prouer. 22. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam.* Ibidem. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, ſed virga diſciplinæ effugabit eam.* Ad hanc ſuſcipiendam hortatur ſapiens. Prouerb. 3. *Diſciplinam Domini, fili mi ne abijcias, neque deficias cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus corripit,* &c. Heb. 12. *In diſciplina perſeuerate filij.* Sequitur. *Quis enim filius quem non corripiat pater? quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filij eſtis.* De his duobus ſimul dicitur in Pſalm. 17. *Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.* Diſciplinam correctionis patienter ſuſtinere debemus exemplo Chriſti. De quo dicitur Iſa. 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Ipſe ſui gratia pro nobis ſuſcepit duriſſimam diſciplinam, vt nemo pro peccatis ſuis, quantumlibet aſperam ſuſtinere recuſet.

3. *Ordinata morum compoſitio.*

TERTIO modo dicitur diſciplina ordinata morum compoſitio. Vnde aliquis diſciplinatus dicitur, homo, A ſcilicet vndique bene moribus ordinatus. hanc peteoat Pſalm. 118. dicens. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Bonitatem quantum ad gratiam interiorem, diſciplinam quantum ad exteriorem morum compoſitionem honeſtam, ſcientiam quantum ad intellectus illuſtrationem; per hæc tria peruenitur ad beatitudinem. Ricardus de Sancto Victore diffinit eam ſic. *Diſciplina eſt conuerſatio bona, & honeſta, cui parum eſt malum non agere, ſed ſtudet etiam in his quæ bene facit, per omnia irreprehenſibilis apparere.* Idem. *Diſciplina eſt membrorum omnium motus bene ordinatus, & diſpoſitio decens in omni habitu, & actione.* Idem. *Diſciplina eſt compes cupiditatis, malorum deſideriorum carcer, frænum laſciuiæ, elationis iugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, læuitatem ligat; atque omnes inordinatos & illicitos mentis ſuffocat appetitus. Et ſicut per inconſtantiam mentis, naſcitur inordinata motio corporis; ita quoque per diſciplinam cum corpus aſtringitur, animus ad conſtantiam ſolidatur, & paulatim mens ad quietem componitur, cũ per diſciplinæ cuſtodiam, malis motus foris fluere non ſinuntur.* Ideo bene dicit ſapiens. Prouerb. 15. *Qui abijcit diſciplinam deſpicit animam ſuam.* Sap. 3. *Sapientiam & diſciplinam qui abijcit, infelix eſt.* quia ſimilis eſt illi de quo loquitur Salomon Prouerb. 5. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculo, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, omni tempore iurgia ſeminat.*

Quid diſciplinam.

Item Ricardus. *Quatuor ſunt præcipuè in quibus conſideranda eſt diſciplina, in habitu, in geſtu, in locutione, & commeſtione. In habitu quinque modis diſciplina cuſtoditur; in genere, & qualitate; in colore, in formatione, & coaptatione. In genere, ne ſint nimis præciosa. In qualitate, ne ſint nimis ſubtilia, vel mollia. In colore, ne nimis nitida, vel aliquo modo, ſupra quam diſciplina religioſæ conuerſationis expedit, fucata. In formatione ne ſint nimis dependentia, aut fluxa, aut nimis ſtricta, ſiue quolibet alio modo, ſecundum ſæculi vanitatem detorta. Coaptatio ad modum portandi pertinet. Et ſunt mille modi quibus homines ſuauiſſimi, ſpectaculum de ſe, intuentibus facere concupiſcunt.* Idem Ricard. *Veſtimenta appetant ſerui Dei plus vilia, quam pretioſa: plus groſſa, quam ſubtilia; plus aſpera, quam mollia; plus fuſca, quam nitida; plus neglecte, quam compoſita accuratè.* Idem Ricar. *Beatus eſt modus, & figuratio corporis & membrorum, ad omnem agendi & habendi modum. Hic ſex modis reprehenſibile inuenitur, ſcilicet ſi eſt aut mollis, aut diſſolutus, aut tardus, aut procax, aut turbidus. Mollis ſignificat laſciuiam, diſſolutus negligentiam, tardus pigritiam, eſtatus inconſtantiam, procax ſuperbiam, turbidus iracundiam.* Idem Ricardus. *Diligenter obſeruandum eſt vt ſingula membra ſuum teneant officium: vt id agat horum quodlibet, ad quod factum eſt; nec vnum vſurpet officium alterius, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium aſſumat, & ſic de alijs. Sunt enim quidam qui audire vel auſcultare neſciunt, niſi buccis patentibus, quaſi per os audiant. Alij labia velut molam circumdant. Alij vt canes ſitientes linguam extrahunt. Alij loquendo digitum extendunt, & ſupercilia erigunt. Alij oculos in orbem rotant, & ſic de alijs.* Idem. *Alij naues rugant, alij labia contorquent, alij ore dimidio loquuntur, alij brachijs nauigando, alij pedibus per terram ambulando, & alij lacertis in aëre volitant. Mirabile monſtrum, quod fingit in ſe hominis inceſſum, nauis remigium, auis volatum.* Item idem Ricard.

In quatuor præcipuè conſideranda eſt diſciplina.

1. *In ſubitu.*

SECVNDA *eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu, vt vnumquodque membrorum id quod facit, eo modo ac menſura faciat, quo faciendum eſt. Hoc eſt videre ſine aſpectione dentium, videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuum, & intenſione digitorum, ſine contorſione labiorum, incedere ſine modulatione greſſuum, ſine ventilatione brachiorum, ſine geſticulatione ſcapularum, ſedere ſine diuaricatione crurium, ſine alterutra ſuperiectione pedum, ſine extenſione vel agitatione tibiarum, ſine altera cumulatione laterum, iacere ſine deiectione membrorum; & vt de his finem loquendi faciamus, geſtus hominis in omni actu debet eſſe gratioſus, ſine mollitie; quietus ſine diſſolutione; gratus ſine tarditate; alacer, ſine inquietudine; maturus, ſine proteruia;* & ſine turbulentia ſeuerus.

2. *In geſtu.*

TERTIO ſecundum eundem Ricar. *In locutione ſeruanda eſt diſciplina, vt attendat homo quid, oui, vbi, quomodo, quando,*

3. *In locutione.*

quando, quare loquatur, & quantum. Quòd verba vera & vtilia, & nunquam ociosa habeantur. Ociosa autem sunt omnia, quæ sunt aut nociua, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilia sunt quæ nec audientibus, neque loquentibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ vel illius, qui loquitur; vel illius, cui loquitur; vel de quo loquitur, dignitati non conueniunt. Nociua sunt quæ suis suasionibus animos auditorum siue ad errorem, siue ad prauitatem inducunt. Qualitas autem personæ cui loquendum est, quatuor modis consideratur, secundum ætatem, secundum scientiam, secundum officium, secundum conditionem. Secundum ætatem, quia aliter conuenit loqui senibus, aliter iuuenibus, aliter sapientibus, aliter simplicibus, aliter actiuis in negocijs secularibus, aliter contemplatiuis in spiritualibus, aliter dominis; aliter seruis, aliter prælatis, aliter subditis. Idem. *Considerandum est quibus sit loquendum, non stultis, & ebriosis, & dormientibus, & contemnentibus, &c. Vbi, quando, quomodo, quare, quantum.* Idem.

4. *In comestione.* In *mensa autem debet esse duplex custodia disciplinæ. Prima in gestu suo. Secunda in cibo suo. His tribus modis inter epulas in gestu suo, debet homo seruare disciplinam in semetipso, videlicet vt linguam à loquacitate restringat, & oculos suos à circumspectione coerceat, & vt cetera membra cum modestia & quiete contineat. Triplex etiam obseruantia debet esse in cibo, vt attendat homo quid sumat, quantum, & quomodo sumat. Quid sumat, vt non nimis delicata & pretiosa, aut nimis rara aut insolita, aut nimis accuratè & lautè præparata, concupiscat. In quantitate sumendi habenda est custodia disciplinæ, vt neque contra honestatem, neque supra necessitatem, sumatur cibus. Non enim omnis venter est idem. Alteri enim sufficit minus, & ille leditur superfluitate cito; alter pluribus indiget, & plura requirit: & in hoc sæpe honestas comedendi læditur; & ideo priusquam ad superfluitatem veniatur, prius caueat superfluitatem, & attendat honestatem. In modo sumendi habenda est disciplina, vt homo cibum mundè sumat, & temperatè; mundè vt in sumendo caueat homo ab omni immunditia, & inhonestate. Temperatè vt caueat à cibi & potus superfluitate & sumendi nimis festinatione, & mora nimia in comedendo.*

De speciebus prudentiæ.

DISTINCTIO XLIII.

DEINDE considerandum est de partibus prudentię subiectiuis. Et quia de prudentia per quam aliquis regat semetipsum, iam dictum est; restat dicendum de speciebus prudentiæ, quibus multitudo gubernatur. Circa quas quæruntur quatuor. Primo vtrum regnatiua debeat poni species prudentiæ. Secundo vtrum politica. Tertio vtrum œconomica. Quarto vtrum militaris.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum regnatiua debeat poni species prudentiæ*: dicendum, quod sicut ex supradictis patet, ad prudentiam pertinet regere & præcipere. Et ideo vbi inuenitur specialis ratio regiminis præcepti, in humanis actibus, ibi inuenitur specialis ratio prudentiæ. Manifestum est autem, quod in eo qui non solum seipsum habet regere, sed etiam communitatem perfectam ciuitatis, vel regni inuenitur Ipecialis & perfecta ratio regiminis. Tanto enim perfectius regimen est, quanto est vniuersalius, & ad plura se extendens, & vniuersaliorem finem attingens. Et ideo regi, ad quem pertinet regere ciuitatem, vel regnum, prudentia competit, secundum specialem & perfectissimam sui rationem. Et propter hoc regnatiua ponitur species prudentiæ. Quamuis autem regnatiua ordinetur ad iustitiam, sicut dicitur 5. Ethi. *Princeps est custos iustitiæ*; tamen magis ponitur species prudentiæ, quam iustitiæ, quia omnia quæ sunt virtutum moralium, pertinent ad prudentiam, sicut ad dirigentem. Vnde & ratio recta prudentiæ, ponitur in diffinitione virtutis moralis, vt supra dictum est. Et ideo etiam executio iustitiæ, provt ordinatur ad bonum commune, quæ pertinet ad officium regiminis, indiget directione prudentiæ. Vnde istæ duæ virtutes sunt maximè propriæ Regi, scilicet prudentia, & iustitia, secundum illud Hier. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra*: quia tamen dirigere magis pertinet ad regem, exequi vero ad subditos, ideo regnatiua magis ponitur species prudentiæ, quæ est directiua, quam iustitiæ, quæ est executiua.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum politica sit species prudentiæ*: dicendum, quod seruus per Imperium mouetur à domino, & subditus à principante, aliter tamen quam irrationalia & inanimata, moueantur à suis motoribus. Nam inanimata & irrationalia, aguntur solum ab alio, non autem agunt seipsa, quia non habent dominium sui actus per liberum arbitrium. Et ideo rectitudo regiminis ipsorum, non est in ipsis, sed solum in motoribus. Sed hòmines, serui, vel quicumque subditi, ita aguntur ab alijs per præceptum, quod tamen agunt seipsos per liberum arbitrium, & ideo requiritur in eis quædam rectitudo regiminis, per quam seipsos dirigant, in obediendo principantibus; & ad hoc pertinet species prudentiæ, quæ politica vocatur.

Politica est species prudentiæ.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum œconomica sit species prudentiæ*: dicendum quod ratio obiecti diuersificata secundum vniuersale & particulare, vel secundum totum & partem, diuersificat artes, & virtutes; secundum quam diuersitatem, vna est principalis respectu alterius. Manifestum est autem quod domus medio modo habet se, inter vnam singularem personam, & ciuitatem, vel regnum. Nam sicut vna singularis persona est pars domus, ita vna domus est pars ciuitatis, vel regni. Et ideo sicut prudentia communiter dicta, quæ est regnatiua vnius, distinguitur à Politica prudentia, ita oportet quod œconomica distinguatur ab vtroque.

Oeconomica est species prudentiæ à cæteris distincta.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum militaris sit species prudentiæ*: dicendum quod ea quæ secundum artem & rationem aguntur, conformia oportet esse his, quæ sunt secundum naturam, quæ à ratione diuina sunt instituta. Natura autem ad duo intendit. Primo quidem ad regendum vnamquamque rem in seipsa. Secundo vero ad resistendum extrinsecis impugnantibus, & corruptiuis. Et propter hoc non solum dedit animalibus vim concupiscibilem, per quam moueantur ad ea quæ sunt saluti accommodata eorum, sed etiam vim irascibilem per quam animal resistit impugnantibus. Vnde & in his, quæ sunt secundum rationem, non solum oportet esse prudentiam politicam, per quam conuenienter disponantur ea, quæ pertinent ad bonum commune, sed etiam militarem per quam hostium insultus repellantur.

Militaris est species prudentiæ.

De eubulia, synesi, & gnomene.

DISTINCTIO XLIIII.

DEINDE considerandum est de virtutibus adiunctis prudentiæ, quæ sunt quasi partes potentiales ipsius. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum eubulia sit virtus. Secundo vtrum sit specialis virtus à prudentia distincta. Tertio vtrum synesis sit specialis virtus. Quarto vtrum gnome sit specialis virtus.

Prudentia specialiter conuenit regibus, & ideo regnatiua est species prudentiæ.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum eubulia sit virtus*: dicendum quod sicut supra dictum est, de ratione virtutis humanæ est, quod faciat actum hominis bonum. Inter cæteros autem actus hominis, proprium est consiliari; quia hoc importat quandam rationis inquisitionem circa agenda, in quibus consistit vita humana: nam vita speculatiua est supra hominem, vt dicitur in 10. Ethi. Eubulia autem importat bonitatem consilij. Dicitur enim ab æu, quod est bonum, & boly quod est consilium; quia bona cõsiliatio, vel potius bene consiliatiua: vnde manifestum est, quod eubulia est virtus humana.

Eubulia est virtus humana bene consiliatiua.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum sit virtus distincta à prudentia*: dicendum quod sicut dictũ est supra; Virtu

prudentiæ ordinatur ad actum quem reddit bonum. Et ideo oportet ſecundum differentiam actuum, eſſe diuerſas virtutes; & maximè quando non eſt eadem ratio bonitatis in actibus quia ſi eſſet eadem ratio bonitatis in eis, tunc ad eandem virtutem pertinerent diuerſi actus. ſicut ex eodem dependent bonitas amoris, deſiderij, & gaudij: Et ideo omnia iſta pertinent ad eandem virtutem charitatis. Actus autem rationis ordinati ad opus, ſunt diuerſi actus, nec habent eandem rationem bonitatis. Ex alia enim efficitur homo bene conſiliatiuus, & bene iudicatiuus, & bene præceptiuus. Quod patet ex hoc, quod iſta aliquando ab inuicem ſeparantur. Et ideo oportet aliam eſſe virtutem eubuliam, per quã homo eſt bene conſiliatiuus, & aliam prudentiam per quam homo eſt bene præceptiuus. Et ſicut cõſiliari, ordinatur ad præcipere, tanquam ad principalius; ità etiam eubulia ordinatur ad prudentiam, tanquam ad principaliorem virtutem, ſine qua nec virtus eſſet; ſicut nec morales virtutes, ſine prudentia; nec cæteræ virtutes, ſine charitate. Licèt autem Eubulia & prudentia, ordinentur ad eundem finem, vt dicitur, 6. Ethi. id eſt non ad quendam finem particularem, ſed ad communem finem totius vitæ; ex hoc non ſequitur, quod ſint vna virtus; quia ad vnum finem vltimum, quod eſt bene viuere, ordinantur diuerſi actus, ſecundum quendam gradum. Nam præcedit conſilium, ſequitur iudicium, & vltimum eſt præceptum, quod immediatè reſpectum habet ad finem vltimum. Alij autem duo actus remote; qui tamen habent quoſdam proximos fines: conſilium quidem inuentionem habet eorum quæ agenda ſunt, iudicium autem certitudinem. Vnde ex hoc non ſequitur quod Eubulia & prudentia non ſint diuerſæ virtutes, ſed quod Eubulia ordinetur ad prudentiam, ſicut virtus ſecundaria ad principalem.

Eubulia eſt virtus diſtincta à prudentia.

A

B

C

D

E

Ad tertium, ſcilicet *vtrum Syneſis ſit virtus:* dicendum, quod ſyneſis importat rectum iudicium, non quidem circa ſpeculabilia, ſed circa particularia operabilia, circa quæ eſt etiam prudentia. vnde ſecundũ Syneſim dicuntur aliqui in Græco ſyneti, ideſt ſenſati; vel euſyneti, id eſt homines boni ſenſus. Sicut econtrario qui carent hac virtute dicuntur aſſyneti, id eſt inſenſati. Oportet autẽ quod ſecundũ differẽtiam actuum, qui non reducuntur in eandem cauſam, ſit etiam diuerſitas virtutum. Manifeſtum eſt autem quod bonitas conſilij, & bonitas iudicij, non reducuntur in eandẽ cauſam. Multi autẽ ſunt bene conſiliatiui, qui non ſunt tamen bene ſenſati, quaſi rectè iudicantes; ſicut etiam in ſpeculatiuis, aliqui ſunt bene inquirentes, propter hoc quod ratio eorũ prompta eſt ad diſcurrendũ per diuerſa: Quod videtur prouenire ex diſpoſitione imaginatiuæ virtutis, quæ de facili poteſt formare diuerſa fantaſmata; & tamẽ huiuſmodi quandoq; non ſunt boni iudicij, quod eſt propter defectũ intellectus, qui maximè contingit ex mala diſpoſitione cõmunis ſenſus, nõ bene iudicantis. Et ideo oportet præter Eubuliam eſſe aliam virtutem, quæ eſt bene iudicatiua, & hæc dicitur Syneſis. Sciendum autẽ quod rectum iudicium in hoc conſiſtit, quod vis cognoſcitiua apprehendat rem aliquã, ſecundum quod in ſe eſt. Quod quidem prouenit ex recta diſpoſitione virtutis apprehenſiuæ, ſicut in ſpeculo ſi fuerit bene diſpoſitum, imprimuntur formæ corporum ſecundum quod ſunt: ſi vero fuerit ſpeculum male diſpoſitum, apparent ibi imagines diſtortæ, & prauè ſe habentes. Quod autem virtus cognoſcitiua ſit bene diſpoſita, ad recipiendum res ſecundũ quod ſunt, contingit quidem radicaliter ex natura, conſummatiuè autẽ ex exercitio, vel ex munere gratiæ, & hoc dupliciter. Vno modo directè, ex parte ipſius cognoſcitiuæ virtutis, puta quia non eſt imbuta prauis cõceptionibus, ſed veris, & rectis; & hoc pertinet ad ſyneſim ſecũdũ quod eſt ſpecialis virtus. Alio modo indirectè, ex bona diſpoſitione appetitiuę virtutis, ex qua ſequitur quod homo bene iudicet de appetibilibus; & ſic bonum virtutis iudicium, cõſequitur habitus virtutũ moraliũ, ſed circa fines; ſyneſis autẽ eſt magis circa ea quæ ſunt ad finem.

Syneſis eſt virtus, bene iudicatiua, à prudentia quidem diſtincta.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum gnome ſit virtus diſtincta à prudentia:* dicendum quod habitus cognoſcitiui diſtinguuntur ſecũdum altiora, vel inferiora principia; ſicut ſapientia in ſpeculatiuis, altiora principia conſiderat, quam ſcientia: Et ideo ab ea diſtinguitur; & ita etiam oportet eſſe in actiuis ſicut in ſpeculatiuis. Manifeſtum eſt autem, quod illa quę ſunt pręter ordinem inferioris principij, ſiue cauſę, reducuntur quandoque in ordinem altioris principij; ſicut monſtruoſi partus animalium, ſunt pręter ordinem virtutis actiuæ inſemine, tamen cadunt ſub ordine altioris principij, ſcil. cœleſtis corporis, vel alterius prouidentiæ diuinæ. Vnde ille qui conſideraret virtutẽ actiuam in ſemine, non poſſet iudicium certum ferre de huiuſmodi monſtris; de quibus tamen poteſt iudicari, ſecundum conſiderationem diuinæ prouidentiæ. Contingit autem quandoque eſſe aliquid faciendum, pręter communes regulas agendorum: puta cum impugnatori patrię non eſt depoſitũ reddendũ, vel aliquid aliud huiuſmodi. Et ideo oportet de huiuſmodi iudicare, ſecundũ aliqua altiora principia, quàm ſint regulę cõmunes, ſecundum quas iudicat ſyneſis. Et ſecundũ illa altiora principia, exigitur altior virtus iudicatiua. Vocatur autem gnomyn, quę importat quandam perſpicacitatem iudicij.

Gnome eſt virtus bene iudicatiua ſecundum altiora principia, atque adeo à prudentia diſtincta.

De diſcretione.

Qvia tam Syneſis, quam Gnome, important rectum iudicium, vt ex præmiſſis apparet. Rectum autem iudicium fit per virtutem diſcretionis, ideo de diſcretione videndum eſt, quid ſit diſcretio. & ad quæ ſit vtilis. *Eſt autem diſcretio,* ſicut dicit Papias, *diſcuſſio quarumlibet rerum, & conſideratio ad quid tendant.* Item quidam ſapiens ait. *Diſcretio eſt in iudicandis rerum cauſis, prouida inſanorum motuum moderatrix.* Sciendum autem quod diſcretio neceſſaria eſt in conſcientijs dirigendis, in eloquijs proponendis, in conſilijs tribuendis, in iudiciis proferendis, & in myſterijs cognoſcendis.

Quid diſcretio.

Est inquam diſcretio neceſſaria *in conſcientijs dirigendis.*. Ipſa ſiquidem diſcernit verum à falſo, bonum à malo, vtile à non vtili, expediens à non expedienti; malum reſpuit, bonum eligit & diligit, virtutes dirigit, & erigit corda; virtutibus ornat ea, & motus & actus virtutum ordinat: extrema temperat, moderata conſeruat, & exceſſus euitat: ignota diſcutit, & incerta expedit, & diffinit. Bern. *Homini opus eſt diſcretionis ſcientia, quæ Zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.* Diſcretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, & etiam perpetuitatem. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix, & conſummatio perfectionis: tolle hanc, vitium erit ipſa etiam affectio naturalis. Hanc autem diſcretionem facit in corde, verbum diuinum inſpiratum diuinitus, & infuſum. De quo dicitur Hebræor. 4. *Viuum eſt verbum Dei & efficax,* Sequitur. *Et diſcretor cogitationum & intentionum cordis,* hoc eſt cibus ſolidus perfectorum, qui exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni & mali.

Diſcretio ad quæ neceſſaria.

1. *Ad conſcientiam dirigendam.*

Secvndo diſcretio eſt neceſſaria *in eloquijs proponendis, vel exponendis.* Magna quippe diſcretio requiritur in loquendo: quia ſicut dicitur Iac. 3. *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* nam prudens homo, primo debet habere verbum in corde, circumcidens illud prius lima rationis, quam veniat ad linguam incautæ prolationis. Senec. *Primo veniat ſermo ad limam quam ad linguam.* ſecundum quod dicitur in Pſal. 36. *Os iuſti meditabitur ſapientiam & lingua eius loquetur iudicium.* Eccleſ. 21. *Verba prudentum ſtatera ponderabuntur,* quia ponderate & deliberate loquentur. *In ore ſtuorum cor eorum, & in corde ſapientium, os eorum:* quia ſapientes, & diſcreti, prius diſcernendo in corde deliberant, quam loquantur: ſtulti econtrario.

2. *In eloquijs proponendis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sicut beata virgo cogitabat qualis esset Angelica salutatio, & pastorum verba, & Simeonis, & Annæ, conferens in corde suo, antequam responderet, vt legitur Lucę 1.

A

Nec solum in collocutione sociali vel singulari, sed multomagis in prædicatione verbi diuini, in qua Doctor vel prædicator debet attendere, quæ, quibus, qualia, & qualiter sint proponenda. Quia debet attendere quod altioribus altiora, maioribus maiora, minoribus vero, ideſt simplicibus, plana & facilia, & modo grossiori debent proponi, vt audita melius capere possint, & facilius retinere. Item aliquos mouere debet per rationes, aliquos per blandas admonitiones, aliquos per duras increpationes, aliquos per virtutum exempla. Per rationes, & auctoritates, plenus spiritu discretionis Petrus, in prima prædicatione sua post receptum spiritum sanctum, de crucifixoribus Domini conuertit circa tria millia, qui *compuncti corde baptizati sunt*; vt legitur. Actor. 2. Dura increpatione, duros & obstinatos Pharisæos, Ioannes Baptista alloquebatur. Matth. 3. *videns Ioannes multos Pharisæorum & Saducæorum*, ait, *Genimina viperarum* &c. Isidor. in libr. 4. de sentent. eius. *Non eadem omnibus competit doctrina, sed pro diuersitate morum, diuersa erit exhortatio Doctorum, sicut diuersis infirmitatibus diuersa competunt remedia, non omnibus vna. Nam quosdam corrigit increpatio dura, quosdam vero exhortatio blanda. Sic Ioannes Baptista diuersis diuersa, secundum quod eis competebat, prædicabat salutis remedia. Aliter enim prædicabat & consulebat Pharisæis, aliter turbis, aliter militibus.* Item Isid. ibidem. *Prima quippe prudentiæ virtus, est eam quam docere oportet æstimare personam. Rudibus populis, & carnalibus plana atque communia, quia si eis proponuntur, quæ capere non possunt, indiscretè altiora aut detrahunt, aut negligunt, aut contemnunt; & potius per summa & ardua opprimuntur, quam eruditur.* Corui non dant pullis suis cibum solidum, vsquequo sint sibi similes, & solidiores effecti nigrescant; tunc pascunt eos suo solido cibo. sic Doctores boni, quos iam vident sibi similes, & per pœnitentiam nigrescere, hos iam prouectos pascunt solido cibo.

B

Simile.

Exemplum.

Ad hoc autem facit exemplum quod refert Beda de gestis Anglorum, libr. 4. & dicitur quod Osualdus rex Anglorum cum esset baptizatus in Scotia, rogauit Episcopos Scotiæ, vt mitterent ei prædicatorem qui prædicaret Anglicis adhuc paganis; qui miserunt ei vnum Episcopum, qui cum esset magnus clericus, & prædicabat rudi populo nimis alta, & ardua; & rex eum pro viribus iuuabat, interpretando eius verba. Ipse autem quia indiscretè, & nimis austere prædicabat, nihil proficiens, in Hyberniam de qua erat, redijt: cum autem Episcopi conuocato consilio quærerent quę esset causa, quare non profecisset dictus Episcopus in gentem prædictam, quidam dictus Adam respondit, quod hoc fuit propter indiscretam prædicationem suam, quia populo rudi & infideli, non proposuerat plana & communia, sed nimis ardua. Omnes autem patres illius sententiæ consenserunt dicentes, quod omnium virtutum mater est discretio, & eum qui locutus fuerat Episcopum ordinauerunt, & ibi miserunt; qui virtutibus ornatus, & præcipuè discretione, grossa, leuia, & communia eis, & quę possent capere prædicauit, & vadens cum rege per quatuor Prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas diuiditur scilicet Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglicorum, per discretam prædicationem suam, omnes Christo, & regi subiecit. Fiducia enim est sicut æstus grandis à cuius facie omnes fugiunt, qui arborum fructus omnes corrumpit. Fiducia nulla est peior passio, quę est nutrix omnium passionum; huic autem opponit discretio, Domini timorem, qui generat humilitatem conseruatricem, & nutricem omnium bonorum temporalium, & spiritualium.

C

D

E

Item discretio necessaria est *in consilijs tribuendis.* Præcipuè in foro pœnitentiæ, & in his quæ ad salutem pertinent animarum. Nam discretio illuminat rationem ad discernendum de singulis. Sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 3. *Spiritualis homo iudicat omnia.* Sine discretionis lumine homo efficitur animalis, non percipiens ea, quæ Spiritus Dei sunt; stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Vt dicitur ibidem. Vnde sacerdotibus dicitur Leuitic. 20. *Habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum.* Sacerdotes enim indiscreti, quæ debent mundare, & sanctificare, contaminant; quę debent seruare, animas scilicet exterminant; quæ debent diligere, & eligere, contemnunt; quę debent mundare, polluunt; quæ debent iudicare, non discernunt, quæ debent cognoscere, non intelligunt. Quod notatur Ezechiel. 22. *Sacerdotes contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum, non habuerunt distantiam, inter pollutum & mundum, non intellexerunt*, &c. Per discretionem homo discretius requirit, & examinat consilia; discernit iusta, expedit & diffinit iudicia dubia, & perplexa; hoc potest dicere, quod dicit Sapient. Prouerb. 8. *Ego sapientia habito in consilijs, & eruditis interfum cogitationibus.*

3. *In consilijs tribuendis.*

Qvarto discretio necessaria est *in iudicijs proferendis.* Vnde potest dicere illud Prouerb. 8. *Meum est consilium, & æquitas; mea est prudentia, & fortitudo; per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ideo Salomon discretionis gratiam postulauit à Domino 3. Regum 4. dicens: *Dabis seruo tuo cor docile, vt possit iudicare populum tuum, & discernere inter bonum, & malum;* & per hanc cognouit, & iudicauit de duabus meretricibus, quæ esset vera mater pueri, quem viuum præceperat diuidi, & medietatem dari vni, & aliam alteri &c. Et post, *timuit omnis Israel regem, videntes Dei Sapientiam in eo, ad faciendum iudicium.* Item discretionis plenus Dauid, iudicauit æquam portionem dandam de prędа eis, qui lassi remanserant ad sarcinas, & eis qui venerant ad prælium; & factum est hoc iudicium, quasi præfinitum, & constitutum; & quasi lex in Israel, in die illa, & deinceps 2. Regum 30. Item hoc spiritu plenus Daniel, duos senes quæ Susannam condemnauerant, ad mortem conuicit, iudicauit, & condemnauit, vt legitur Dan. 13.

4. *In iudicijs proferendis.*

Qvinto discretio necessaria est *in misterijs cognoscendis.* Hoc maximè competit viris spiritualibus, & perfectis, vt sciant discernere inter reuelationes, & illusiones. Angelus enim Sathanæ quandoque transfigurat se in Angelum lucis, illudens viris sanctis, reuelans eis secreta mysteria, vel futura prędicens; sed vt plurimum veritati multas falsitates admisoet, vt decipiat, & in errorem inducat. Ideo 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.*

5. *In mysterijs cognoscēdis.*

Beatvs Martinus Spiritum discretionis habuit, qua Diabolum cognoscere in quamcunque formam, vel speciem se transformaret; sicut nouit eum, & deceptionis suæ fallaciam, quando apparuit ei in similitudine Christi, purpura, & diademate renitentis.

Exemplum.

Item in vitis Patrum, quidam fratres venerunt ad Beatum Antonium, vt quęrerent ab eo de fantasijs suis, quas credebant reuelationes, quorum asinus mortuus est in via; qui cum quæreret ab eis de asino suo, quomodo mortuus fuisset; & illi mirantes quærerent ab eo, quomodo hoc sciret; ait, quia Dęmones hoc ei reuelauerant; & sumpta occasione de asino, respondit quomodo fantasiæ suę non erant Dei reuelationes, sed Dęmonum illusiones.

Exemplum.

De imprudentia.

DISTINCTIO XLV.

DEINDE conſiderandum eſt, de vitijs oppoſitis prudentiæ. Dicit autem Aug. in 4. contra Iulianum, quod *omnibus virtutibus non ſolum ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria, ſicut prudentiæ temeritas; verumetiam vicina quodammodo; nec veritate, ſed quadam ſpecie fallente, ſimilia; ſicut ipſi prudentiæ aſtutia.* Primo ergo conſiderandum eſt, de vitijs quę manifeſtè contrarietatem habent ad prudentiam, quæ ſcilicet vitia proueniunt ex defectu prudentiæ, vel eorum quę ad prudentiam requiruntur. Secundo de vitijs quæ habent quandam ſimilitudinem falſam cum prudentia, quæ ſcilicet contingunt per abuſum eorum quæ ad prudentiam requiruntur. Quia vero ſollicitūdo ad prudētiam pertinet, ideo circa primum conſideranda ſunt duo. Primo quidem de imprudentia. Secundo de negligentia quæ ſollicitudini opponitur. Circa primum quæruntur ſex. Primo de imprudentia vtrum ſit peccatum. Secundo vtrum ſit ſpeciale peccatum. Tertio de præcipitatione ſiue temeritate. Quarto de inconſideratione. Quinto de inconſtantia. Sexto de origine horum vitiorum.

Imprudentia ſumitur priuatiue & cōtrarie 1. modo eſt peccatū ratione negligentia, 2. ratione oppoſitionis cum prudentia.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum imprudentia ſit peccatum.* Dicendum quod imprudentia dupliciter accipi poteſt, vno modo priuatiuè, alio modo contrariè. Negatiuè autem non propriè dicitur, ita ſcilicet quod importat ſolam carentiam prudentiæ, quę poteſt eſſe ſine peccato. Priuatiuè quidem imprudentia dicitur, in quantum aliquis caret prudentia, quam natus eſt & debet habere, & ſecundum hoc imprudentia eſt peccatum ratione negligentię qua quis non adhibet ſtudium ad prudentiam habendam. Contrariè vero accipitur imprudentia, ſecundum quod ratio prudentiæ econtrario modo mouetur vel agit. Puta ſi recta ratio prudentię agit conſiliando, imprudens conſilium ſpernit: & ſic de alijs quæ in actu prudentis conſeruanda ſunt: & hoc modo imprudentia eſt peccatum, ſecundum rationem propriam prudentiæ. Non enim poteſt hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, niſi diuertens à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur. Vnde ſi hoc contingat per auerſionem à regulis diuinis, eſt peccatum mortale, puta cum aliquis quaſi contemnens, & repudians omnia documenta, præcipitanter agit, ſi vero præter eas agat aliquid abſque contemptu, & abſque detrimento eorum quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt peccatum veniale.

Imprudentia quādo mortalis.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum imprudentia ſit peccatum ſpeciale.* Dicendum quod aliquod peccatum poteſt dici generale dupliciter. Vno modo abſolutè, quia ſcil. eſt generale reſpectu omnium peccatorum. Alio modo quia eſt generale reſpectu quorundam vitiorum, quæ ſunt ſpecies eius. Primo autem modo poteſt dici aliquod vitium generale dupliciter. Vno modo per eſſentiam, quia prædicatur ſcilicet de omnibus peccatis; & hoc modo imprudentia non eſt generale peccatum, ſicut nec prudētia generalis virtus, cum ſint circa actus ſpeciales, ſcilicet circa ipſos actus rationis. Alio modo per participationem; & hoc modo imprudentia eſt generale peccatum. Sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum eſt directiua earum, ita & imprudentia in omnibus vitijs, & peccatis. Nullum enim peccatnm accidere poteſt. niſi ſit defectus in aliquo actu rationis dirigentis, quod pertinet ad imprudentiam. Si vero dicatur peccatum generale non ſimpliciter, ſed ſecundum aliquod genus, quia ſcilicet continet ſub ſe multas ſpecies diuerſas, ſic imprudentia eſt generale peccatum. Continet enim ſub ſe diuerſas ſpecies tripliciter: Vno quidē modo per oppoſitum ad diuerſas partes ſubiectiuas prudentiæ: ſicut enim diſtinguitur prudentia in monaſticā quæ eſt regitiua vnius, & in alias ſpecies prudētiæ, quæ ſunt multitudinis regitiuæ, vt ſupra habitum eſt, ita etiam imprudentia. Alio modo ſecundū partes quaſi potentiales prudentiæ, quæ ſunt virtutes adiunctæ, & accipiuntur ſecundū diuerſos actus rationis. Et hoc modo quantum ad defectum conſilij, circa quod eſt eubulia, eſt præcipitatio ſiue temeritas imprudētiæ ſpecies. Quantum vero ad defectum iudicij, circa quod ſunt ſyneſis, & gnome: eſt inconſideratio. Quantum vero ad ipſum præceptum, quod eſt proprius actus prudentiæ; eſt inconſtantia, & negligentia. Tertio modo poſſunt ſumi per oppoſitum ad ea quæ requiruntur ad prudentiam, quæ ſunt partes quaſi integrales prudentiæ: ſed quia omnia illa ordinantur ad dirigendum prędictos tres rationis actus; inde eſt quod omnes defectus oppoſiti, reducuntur ad quatuor prædictas partes; ſicut incautela, & incircumſpectio, includitur ſub inconſideratione. Quod autem aliquis deficiat à docilitate, vel memoria, vel ratione, pertinet ad præcipitationem. Improuidentia vero & defectus intellectus, vel intelligentię, & ſolertiæ, pertinent ad negligentiam, & ad inconſtantiam.

Imprudentia quo modo generale peccatum & quo modo ſpeciale.

Imprudentia tripliciter ſub ſe diuerſas ſpecies continet.

ET NOTA quod imprudentia quæ opponitur prudentiæ, ponitur eſſe peccatum ſpeciale, non autem ignorantia quæ opponitur ſcientiæ: quia enim ſcientia magis eſt remota à moralibus quam prudentia, ſecundum propriam rationem vtriuſque; inde eſt quod ignorantia non habet de ſe rationem peccati mortalis, ſed ſolum ratione negligentiæ præcedentis, vel effectus ſequentis; & propter hoc ponitur inter generales cauſas peccati: ſed imprudentia ſecundum propriam rationem, importat vitium mortale, & ideo magis poteſt poni ſpeciale peccatum.

Cur imprudentia eſt potius ſpeciale peccatū quā ignorantia.

ITEM NOTA quod licet multa requirantur ad prudentiam ſcilicet ratio, intellectus, docilitas, &c. quæ ſupra dicta ſunt, non tamen ſunt diuerſę ſpecies imprudentiæ ex defectu, vel corruptione huiuſmodi circunſtantiarum: quia quando corruptio diuerſarum circūſtantiarum habet idem motiuum, non diuerſificantur ſpecies peccati: ſicut eiuſdem ſpeciei eſt peccatum, vt aliquis accipiat non ſua, vbi non debet, & quando non debet: ſed ſi ſint diuerſa motiua, tūc eſſent diuerſę ſpecies, puta ſi vnus acciperet vbi non deberet, vt faceret iniuriam loco ſacro, quod faceret ſpeciem ſacrilegij: alius quando non debet, propter ſolum ſuperfluum appetitum habendi, quod eſſet ſimplex auaritia; & ideo defectus eorum quæ requiruntur ad prudentiam, non diuerſificant ſpecies, niſi quatenus ordinantur ad diuerſos actus rationis, vt dictum eſt.

Solnitur obiectio.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum præcipitatio ſit ſpeciale peccatum ſub imprudentia contentum.* Dicendum, quòd præcipitatio in actibus animæ metaphoricè dicitur, ſecundum ſimilitudinem à corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari ſecundum corporalem motum, quod à ſuperiori in ima peruenit, ſecundum impetum quendam proprij motus, vel alicuius impellentis, non ordinatè incedendo per gradus. Summum autem animæ, eſt ipſa ratio: Imum autem eſt operatio per corpus exercitata: Gradus autem medij per quos debet ordinatè deſcendere, ſunt memoria pręteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas per quam aliquis acquieſcit ſententijs maiorum. Per quos quidem gradus aliquis ordinatè deſcendit rectè conſiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel paſſionis, pertranſitis huiuſmodi gradibus, erit præcipitatio. Cum ergo inordinatio conſilij ad imprudentiam pertineat, manifeſtum eſt, quòd vitium præcipitationis ſub imprudentia continetur. Differt autem præcipitatio, & temeritas: quia illa dicuntur fieri temere quæ ratione non reguntur. Quod quidem poteſt contingere dupliciter. Vno modo ex impetu voluntatis, vel paſſionis. Alio modo ex con-

Præcipitatio ſub imprudentia continetur & differt à temeritate.

temptu

temptu regulæ dirigentis: & hoc propriè importat temeritas; vnde dicitur ex radice ſuperbiæ prouenire, quæ refugit ſubeſſe regulæ alienæ. Præcipitatio autem ſe habet ad vtrumque; vnde temeritas ſub præcipitatione continetur: quamuis præcipitatio magis reſpiciat primum.

ITEM licèt in conſiliãdo contingat eſſe peccatum, non ſolum per hoc quod aliquis nimis eſt feſtinus; ſed etiam per hoc, quod aliquis eſt nimis tardus: tamen quia ſoluitur obiectio in inquiſitione conſilij, multa particularia ſunt conſideranda: Et vt ait Philoſophus in 6. Ethic. *Oportet conſiliari tarde*: ideo præcipitatio directius opponitur rectitudine conſilij, quàm tarditas ſuperflua, quæ habet quandam ſimilitudiuem recti conſilij.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum inconſideratio ſit ſpeciale peccatum, in imprudentia contentum*. Dicendum quod conſideratio importat actum intellectus veritatem rei intuentis. Sicut autem inquiſitio pertinet ad rationem, ita iudicium pertinet ad intellectum. Vnde & in ſpeculatiuis, demonſtratiua ſcientia dicitur iudicatiua, inquantum per reſolutionem in prima principia intelligibilia, de veritate inquiſitorum diiudicatur. Et ideo conſideratio maxime pertinet ad iudicium. vnde & defectus recti iudicij, ad vitium inconſiderationis pertinet, prout ſcilicet aliquis in recte diiudicando deficit, ex hoc quòd contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit. vnde manifeſtum eſt quod inconſideratio eſt peccatum.

Inconſideratio eſt ſpeciale peccatum ſub imprudentia contentum.

SCIENDVM autem quod inconſideratio hic accipitur, non ſecundum quod pertinet ad intellectum ſpeculatiuum, ſed ad practicum intellectum ſecũdum determinatam materiam, ſcilicet ſecundum agibilia humana, in quibus plura ſunt attendenda ad recte iudicandum, quàm in ſpeculatiuis, quia operationes ſunt in ſingularibus.

Soluũtur duæ obiectiones.

ITEM SCIENDVM, quod quando Dominus diſcipulis ſuis dixit Matth. 10. *Dum ſteteritis ante reges & præſides cogitare noliteꝛ quomodo aut quid loquamini*. Non eis prohibet conſiderare ea quæ ſunt agenda, vel dicenda, quando homo habet opportunitatem; ſed dat fiduciam ſingulis, in verbis inductis, vt deficiente ſibi opportunitate, vel propter imperitiam, vel quia ſubito præoccupantur, in ſolo diuino confidant conſilio: *quia cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum reſiduꝫ habeamus vt oculos noſtros dirigamus ad Deum*, ſicut dicitur Paral. 20. Alioquin ſi homo prætermittat facere quod poteſt, ſolum diuinum auxilium expectãs, videtur tentare Deum.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum inconſtantia ſit peccatum ſub imprudentia contentum*. Dicendum, quod inconſtantia importat receſſum quendam in bono propoſito diffinito. Huiuſmodi autem receſſus, principium quidem habet à vi appetitiua. Non enim aliquis recedit à priori propoſito, niſi propter aliquid, quod ſibi inordinate placet: ſed iſte receſſus non conſummatur niſi per defectum rationis, quæ fallit in hoc, quod repudiat id quod recte acceptauerat: & quia cum poſſit reſiſtere impulſui paſſionum, ſi non reſiſtat, hoc eſt ex debilitate ipſius, quæ non tenet ſe firmiter in bono concepto. Et ideo inconſtantia quantum ad ſui conſummationem, pertinet ad defectum rationis practicæ. Sicut autem omnis rectitudo rationis practicæ, pertinet aliqualiter ad prudentiam, ita omnis defectus eius, pertinet ad imprudentiam. Et ideo inconſtantia ſecundum ſui conſummationem, ad imprudentiam pertinet. Et ſicut præcipitatio eſt ex defectu circa actum conſilij, & inconſideratio circa actum iudicij, ita inconſtantia circa actum præcepti. Ex hoc enim dicitur aliquis inconſtans, quando ratio deficit præcipitando ea quæ ſunt conſiliata & iudicata.

Inconſtantia conſummata ad imprudẽtiam pertinet eſt quo ex defectu circa actum præcepti.

AD SEXTVM, ſcilicet *vtrum prædicta vitia oriantur ex luxuria*. Dicendum quod ſicut Philoſophus dicit in 6. Ethic. delectatio maxime corrumpit exiſtimationem prudentiæ, & præcipue delectatio quæ eſt in venereis, quæ totam animam abſorbet, & trahit ad ſenſibilem delectationem. Perfectio autem prudentiæ, & cuiuſlibet intellectualis virtutis, conſiſtit in abſtractione à ſenſibilibus, vnde cum prædicta vitia pertineant ad defectum prudentię, & rationis practicæ, ſicut ſupra habitum eſt, ſequitur quod ex luxuria maxime oriantur. Deinde conſiderandum eſt de negligentia, de hoc require infra libro tertio inter partes accidiæ.

Prædicta vitia oriuntur maxime à luxuria.

De vitijs oppoſitis prudentiæ.

DISTINCTIO XLVI.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis prudentiæ, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum ipſa. Et circa hoc conſideranda ſunt octo. Primo vtrum prudentia carnis ſit peccatum. Secundo vtrum ſit peccatum mortale. Tertio vtrum aſtutia ſit peccatum ſpeciale. Quarto de dolo. Quinto de fraude. Sexto de ſollicitudine temporalium rerum. Septimo de ſollicitudine futurorum. Octauo de origine horum vitiorum.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum prudentia carnis ſit peccatum*. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, prudentia eſt circa ea, quæ ſunt ad finem totius vitæ. Et ideo prudentia carnis propriè dicitur, ſecundum quod aliquis bona carnis habet, vt vltimum finem ſuæ vitę. Manifeſtum eſt autem quod hoc eſt peccatum; per hoc enim homo deordinatur circa vltimum finem, qui non conſiſtit in bonis corporis, ſicut ſupra dictum eſt: & ideo prudentia carnis eſt peccatum.

Prudentia carnis eſt peccatum.

ET NOTA quod licet prudentia ſit virtus nobilior quam iuſtitia, vel temperantia, vel aliæ virtutes morales, vtpote omnium regitiua; tamen quia iuſtitia & temperantia in ſui ratione, important id vnde virtus laudatur, ſcilicet æqualitatem, & concupiſcentiarum refrenationem, nunquam accipiuntur in malo. Sed nomen prudentiæ ſumitur à prouidendo, ſicut ſupra dictum eſt, quod poteſt etiam extẽdi ad mala. Et ideo licet prudentia ſimpliciter dicta, in bono accipiatur, in aliquo tamen addito, poteſt accipi in malo, & ſecundum hoc dicitur prudentia carnis eſſe peccatum.

Soluũtur obiectiones.

ITEM NOTA, quod caro eſt propter animam, ſicut materia propter formam, & inſtrumentum propter principale agens; & ideo ſic licite diligitur caro, vt ordinetur ad bonum animæ, ſicut ad finem. Si autem in ipſo bono carnis, conſtituatur vltimus finis, erit inordinata & illicita dilectio: & hoc modo ad amorem carnis, ordinatur prudentia carnis.

ITEM NOTA, quod diabolus nos tentat non per modum appetibilis, ſed per modum ſuggerentis, & ideo cum prudentia importet ordinem ad aliquem finem appetibilem, non ita dicitur prudentia Diaboli, ſicut prudentia reſpectu alicuius mali finis, ſub cuius ratione tentat nos mundus & caro; inquantum ſcilicet proponuntur nobis ad appetendum bona mundi, vel carnis: & ideo dicitur prudentia carnis, & prudentia mundi, ſecundum illud Lucæ 17. *Filij huius ſæculi, prudentiores ſunt in generatione ſua* &c. Apoſtolus autem totum comprehendit ſub prudentia carnis, quia etiam exteriores res mundi appetimus propter carnem: poteſt tamen dici, quod quia prudentia quodammodo dicitur ſapientia, vt ſupra dictum eſt; ideo ſecundum tres tentationes, poteſt intelligi tripliciter prudentia; Vbi dicitur Iacob. 3. *Sapientiam eſſe terrenam, animalem, & diabolicam*, vt ſupra expoſitum eſt, cum de ſapientia ageretur.

AD SECVNDVM, ſc. *vtrum prudentia carnis ſit peccatum mortale*; dicẽdũ quod ſicut ſupra dictũ eſt, prudẽs dicitur aliquis dupliciter. Vno modo ſimpliciter ſcil. in ordine ad finem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Prudentia carnis quãdo peccatũ mortale, quando veniale.

ad finem totius vitæ. Alio modo ſecundum quid, ſcilicet in ordine ad finem aliquem particularem; puta ſicut dicitur aliquis prudens in negociatione, vel in aliquo huiuſmodi. Si enim prudentia carnis accipiatur ſecundum abſolutam prudentiæ rationem; ita, ſcilicet quod in cura carnis conſtituatur vltimus finis totius vitæ, ſic eſt peccatum mortale: quia per hoc homo auertitur à Deo, cum impoſſibile ſit eſſe plures fines vltimos, vt ſupra habitum eſt. Si vero prudentia carnis accipiatur ſecundum rationem particularis prudentiæ, ſic prudentia carnis eſt peccatum veniale. Contingit enim quandoque quod aliquis inordinatè afficiatur ad aliquod delectabile carnis, abſque hoc quod auertatur à Deo per peccatum mortale. Vnde non conſtituit finem totius vitæ in dilectione carnis, & ſic adhibere ſtudium ad hanc dilectionem conſequendam B eſt peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis. Si vero aliquis actu curam carnis referat in finem honeſtum, puta cum aliquis ſtudet comeſtioni propter corporis ſuſtentationem, non vocatur prudentia carnis, quia ſic vtitur homo cura carnis vt ad finem.

A *iubentur.* Alio modo poteſt eſſe temporalium ſollicitudo illicita, propter ſuperfluum ſtudium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à ſpiritualibus, quibus principalius inſeruire debet, retrahitur. Et ideo dicitur Matth. 3. quod *ſollicitudo ſæculi ſuffocat verbum.* Tertio modo ex parte timoris ſuperflui, quando ſcilicet aliquis timet ne faciendo quod debet, neceſſaria ſibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit. Primo propter maiora beneficia homini præſtita diuinitus abſque ſua ſollicitudine, ſcilicet corpus, & animam. Secundo propter ſubuentionem, qua Deus animalibus, & plantis ſubuenit, abſque opere humano, ſecundum proportionem ſuæ naturæ. Tertio ex diuina prouidẽtia; propter cuius ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda, principalius ſollicitantur. Et ideo concludit, quod principalis noſtra ſollicitudo debet eſſe de ſpiritualibus bonis; ſperantes, quod etiam temporalia nobis prouenient ad neceſſitatem, ſi fecerimus quod debemus.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum aſtutia ſit ſpeciale peccatum.* Dicendum quod prudentia eſt recta ratio agibilium; ſicut ſcientia eſt recta ratio ſcibilium. Contingit autem contra rectitudinem ſcientię dupliciter peccari in ſpeculatiuis. Vno quidem modo quando ratio inducitur ad aliquam concluſionem falſam, quæ apparet vera. Alio modo ex eo quod ratio procedit ex aliquibus falſis, quæ videntur eſſe vera, ſiue ſint ad concluſionem veram, ſiue ad concluſionem falſam. C Ita etiam aliquod peccatum poteſt eſſe contra prudentiam, habens aliquam ſimilitudinem eius dupliciter: vno modo ſecundum quod ſtudium rationis ordinatur ad finem qui non eſt vere bonus, ſed apparens: & hoc pertinet ad prudentiam carnis. Alio modo inquantum aliquis in finem aliquem conſequendum, vel bonum, vel malum, vtitur non veris vijs, ſed ſimulatis, & apparentibus: & hoc pertinet ad peccatum aſtutiæ. Vnde eſt quoddam peccatum prudentiæ oppoſitum, à prudentia carnis diſtinctum.

Aſtutia eſt peccatũ ſpeciale à prudentia carnis diſtinctum.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum dolus ſit peccatum ad aſtutiam pertinens.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, ad aſtutiam pertinet aſſumere vias non veras, ſed ſimulatas & apparentes, ad aliquem finem proſequendum vel bonum, vel malum. Aſſumptio D autem harum viarum poteſt dupliciter conſiderari. Vno quidem modo in ipſa excogitatione viarum huiuſmodi: & hoc proprie pertinet ad aſtutiam, ſicut excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam. Alio modo poteſt conſiderari talium viarum aſſumptio ſecundum executionem operis; & ſecundum hoc pertinet ad dolum; & ideo dolus importat quandam executionem aſtutiæ, & ſecundum hoc ad aſtutiam pertinet.

Dolus eſt peccatũ ad aſtutiam pertinens.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum fraus ad aſtutiam pertineat.* Dicendum quod ſicut dolus conſiſtit in executione aſtutiæ, ita etiam & fraus: ſed in hoc differre videntur, quod dolus pertinet vniuerſaliter ad executionem aſtutiæ, ſiue fiat per verba, ſiue per facta: fraus autem magis propriè pertinet ad executio- E nem aſtutiæ, ſecundum quod fit per facta.

Fraus ad aſtutiã pertinet.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum licitum ſit ſollicitudinem habere de temporalibus.* Dicendum quod ſollicitudo importat ſtudium quoddam adhibitum ad aliquid conſequendum. Manifeſtum eſt autem quod maius ſtudium adhibetur vbi eſt timor deficiendi, & ideo vbi eſt ſecuritas conſequendi, minor interuenit ſollicitudo. Sic ergo ſollicitudo temporalium rerum, tripliciter poteſt eſſe illicita. Vno quidem modo ex parte eius de quo ſollicitamur, ſi ſcilicet temporalia tanquam finem quæramus: vnde Auguſt. dicit in libr. de operibus monachorum: *cum Dominus dicit; Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: hoc dicit, vt non iſta intueantur, etiam propter iſta faciant, quicquid in Euangelij prædicatione facere*

Sollicitudo temporalium quomodo illicita.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum aliquis debeat eſſe ſollicitus in futurum.* Dicendum quod nullum opus poteſt eſſe virtuoſum niſi debitis circumſtantijs veſtiatur; inter quas vna eſt debitum tempus, ſecundum illud Eccl. 8. *Omni negocio tempus eſt & opportunitas.* Quod non ſolum in exterioribus operibus, ſed etiam in interiori ſollicitudine locum habet. Vnicuique enim tempori competit propria ſollicitudo, ſicut tempori æſtatis competit ſollicitudo metendi, tempori autumni ſollicitudo vindemiæ. Si quis ergo tempore æſtatis, de vindemia iam eſſet ſollicitus, ſuperflue præoccuparet futuri temporis ſollicitudinem: vnde huiuſmodi ſollicitudinem tanquam ſuperfluam Dominus Matth. 6. prohibet dicens: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, vnde ſubdit; *Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibiipſi*, id eſt ſuam propriam ſollicitudinem habebit, quę ſufficiet ad animum affligendum. Et hoc eſt quod ſubdit: *Sufficit diei malitia ſua*, ideſt afflictio ſollicitudinis.

Sollicitudo futurorum quomodo licita.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum prædicta vitia oriantur ex auaritia.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, prudentia carnis, & aſtutia cum dolo, & fraude, quandam ſimilitudinem habent cum prudentia in aliquali vſu rationis; præcipuè autem inter alias virtutes morales, vſus rationis rectè apparet in iuſtitia, quæ eſt in appetitu rationali. Et ideo vſus rationis indebitus, etiam maxime apparet in vitijs oppoſitis iuſtitiæ. Opponitur autem ſibi maximè auaritia, & ideo prædicta vitia maximè ex auaritia oriuntur. De curioſitate, quæ opponitur ſtudioſitati, require infra 3. libro inter filias inanis glorię.

Prædicta vitia maxime oriuntur ab auaritia.

DE IVSTITIA EIVSQVE PARTIBVS ET VITIIS OPPOSITIS

De obiecto iuſtitiæ.

DISTINCTIO XLVII.

Conseqventer poſt prudentiam conſiderandum eſt de iuſtitia. Circa quam occurrit triplex conſideratio. Prima eſt de iuſtitia. Secunda de partibus eius. Tertia de pręceptis ad iuſtitiam pertinentibus. Circa iuſtitiam vero conſideranda ſunt quatuor. Primo quidem de iure. Secundo de ipſa iuſtitia. Tertio de iniuſtitia. Quarto de iudicio. Circa primum, ſcilicet de iure conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ. Secundo vtrum ius conuenienter diuidatur in ius naturale, & poſitiuum. Tertio vtrum ius gentium ſit idem quod ius naturale. Quarto vtrum ius dominatiuum, & paternum, debeant ſpecialiter diſtingui.

Ad pri-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

AD PRIMVM, ſcil. *vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ.* Dicendum quod ſicut dicit Iſid. in lib. Ethic. *ius dictum eſt, quia eſt iuſtum*. Conſtat autem quod iuſtum eſt obiectum iuſtitiæ: ſicut dicit Philoſophus 5. Ethi. *Omnes talem habitum volunt dicere iuſtitiam, à quo operatiui ſunt iuſtorum*. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod iuſtitiæ proprium eſt inter alias virtutes, vt ordinet hominem in his, quæ ſunt ad alterum. Importat enim æqualitatem quandam, vt ipſum nomen demonſtrat. Dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur, iuſtari, æqualitas autem ad alterum eſt. Aliæ autem virtutes perficiunt hominem ſolum in his, quæ ei conueniunt ſecundum ſeipſum. Sic igitur id quod eſt rectum in operibus aliarum virtutum, ad quod tendit intentio virtutis, quaſi in proprium obiectum, non accipitur niſi per comparationem ad agentem: rectum vero quod eſt in opere iuſtitiæ, etiam præter comparationem ad agentem, conſtituitur per comparationem ad alium. Illud enim in opere noſtro dicitur eſſe iuſtum, quod reſpondet ſecundum aliquam æqualitatem alteri, puta recompenſatio mercedis debitæ, pro ſeruitio impenſo. Sic igitur iuſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem iuſtitiæ, ad quod terminatur actio iuſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter ab agente fiat. Sed in alijs virtutibus non determinatur aliquid rectum, niſi ſecundum quod aliqualiter fit ab agente. Et propter hoc, ſpecialiter iuſtitiæ præ alijs virtutibus, determinatur ſecundum ſe obiectum, quod vocatur iuſtum; & hoc quidem eſt ius. Vnde manifeſtum eſt, quod ius eſt obiectum iuſtitiæ.

Ius eſt obiectū iuſtitiæ inquantum idē eſt quod iuſtum.

ET NOTA, quod conſuetum eſt, quod nomina à ſui prima impoſitione detorqueantur ad alia ſignificanda, ſicut nomen medicinæ impoſitum eſt primo ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad ſanandum: deinde tractum eſt ad ſignificandum artem qua hoc fit. Ita etiam hoc nomen ius, primo impoſitum eſt ad ſignificandum ipſam rem iuſtam; poſtmodo autem eſt determinatum ad artem, qua cognoſcitur quid ſit iuſtum; & vlterius ad ſignificandum locum in quo ius redditur, ſicut aliquis dicitur comparere in iure; & vlterius dicitur etiam ius, quod redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iuſtitiam facere, licet etiam id quod decernit, ſit iniquum.

Varia iuris acceptiones.

ITEM NOTA, quod ſicut eorum, quæ per artem fiunt exterius, quędam ratio in mente artificis præexiſtit, quæ dicitur regula artis; ita etiam illius operis iuſti, quod ratio determinat, quędam ratio præexiſtit in mente, quaſi quædam prudentiæ regula; & hoc ſi in ſcriptum redigatur, vocatur lex. *Eſt enim lex* ſecundum Iſidor. *conſtitutio ſcripta*. Et ideo lex non eſt ius propriè loquendo, ſed aliqualis ratio iuris.

Quomodo lex à iure diſtinguatur.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum ius conueniēter diuidatur in ius naturale, & poſitiuum.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, ius ſiue iuſtum, eſt aliquod opus adæquatum alteri, ſecundum aliquem æqualitatis modum. Dupliciter autem alicui homini poteſt aliquid eſſe adæquatum. Vno quidem modo ex ipſa natura rei, puta cum aliquis tantum dat, vt tantumdem recipiat, & hoc vocatur ius naturale. Alio modo aliquid eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſiue ex communi placito; quando ſcilicet aliquis reputat ſe contentum, ſi tantum accipiat. Quod quidem poteſt fieri dupliciter. Vno modo per aliquod priuatum condictum, ſicut quod firmatur aliquo pacto, inter priuatas perſonas. Alio modo ex condicto publico, puta ſi totus populus conſentit, quod aliquid habeatur quaſi adæquatum, & commenſuratum alteri; vel cum hoc ordinat princeps, qui curam populi habet, & eius perſonam gerit; & hoc dicitur ius poſitiuum. Voluntas enim humana ex communi condicto, poteſt aliquid facere iuſtum, in his quæ ſecundum ſe non habent aliquam repugnantiam ad iuſtitiam naturalem; & in his habet locum ius poſitiuum. Vnde Philoſophus dicit in 5. Ethic. quod *legale iuſtum eſt, quod ex principio quidem, nihil differt ſic, vel aliter fieri; quando autem ponitur, differt*. Sed ſi aliquid de ſe repugnantiam habeat ad ius naturale, non poteſt voluntate humana fieri iuſtum; puta ſi ſtatuatur quod liceat furari, vel adulterium committere, vnde dicitur Iſa. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas.*

Ius conueniēter diuiditur in naturale & poſitiuū.

Quid iuſtū legale ſeu ius poſitiuum.

ET NOTA, quod ius naturale quantum eſt de ſe ſemper eſt idem, & immutabile. Illud enim quod eſt naturale, habenti naturam immutabilem, oportet quod ſit ſemper, & vbique tale. Natura autem hominis eſt mutabilis; & ideo id, quod naturale eſt homini, poteſt aliquando deficere; ſicut naturalem æqualitatem habet, vt deponenti depoſitum reddatur: Et ſi ita eſſet, quod natura humana ſemper eſſet recta, hoc eſſet ſemper ſeruandum. Sed quia quandoque contingit, quod voluntas hominis depraua-tur, eſt aliquis caſus, in quo depoſitum non eſt reddendum, ne homo peruerſam voluntatem habens male eo vtatur; vtputa ſi furioſus, vel hoſtis Reipublicę, arma depoſita repoſcat.

Quid ius diuinum naturale & quid diuinum poſitiuum.

ITEM NOTA, quod ius diuinum dicitur, quod diuinitus promulgatur; & hoc quidem partim eſt de his, quæ ſunt naturaliter iuſta, ſed tamen eorum iuſtitia homines latet: partim autem eſt de his, quæ fiunt iuſta inſtitutione diuina: vnde & ius diuinum per hæc duo diſtingui poteſt, ſicut & ius humanum. Sunt enim in lege diuina quædam præcepta, quia bona; & prohibita, quia mala; quædam vero bona, quia præcepta; & mala, quia prohibita.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum ius gentium ſit idem cum iure naturali*. Dicendum quod ius, ſiue iuſtum naturale eſt, quod ex ſua natura eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri. Poteſt autem hoc contingere dupliciter: vno modo ſecundum abſolutam ſui conſiderationem, ſicut maſculus ex ſui ratione habet commenſurationem ad fœminam, vt ex ea generet; & parens ad filium, vt eum nutriat. Alio modo aliquid eſt naturaliter alteri commenſuratum, non ſecundum abſolutam ſui rationem, ſed ſecundum aliquid quod ex ipſo conſequitur, puta proprietas, poſſeſſionum. Si enim conſideretur iſte ager abſolute, non habet vnde magis ſit huius, quàm illius; ſed ſi conſideretur ad opportunitatem colendi, & ad pacificum vſum agri; ſecundum hoc habet quandam commenſurationem ad hoc, quod ſit vnius, non alterius; vt patet per Philoſophum in 2. Pol. Abſolute autem apprehendere aliquid, non ſolum conuenit homini, ſed etiam alijs animalibus. Et ideo ius, quod dicitur ius naturale, ſecundum primum modum, commune eſt nobis, & alijs animalibus. A iure autem naturali, ſic dicto, recedit ius gentium, vt iuriſconſultus dicit; quia illud ommibus animalibus, hoc ſolum hominibus inter ſe, commune eſt. Conſiderare autem aliquid, comparando ad id, quod ex ipſo ſequitur, eſt proprium rationis; & ideo hoc quidem eſt naturale homini, ſecundum rationem naturalem, quæ hoc dictat. Et ideo dicit Gaius iuriſconſultus, *quod naturalis ratio inter homines conſtituit, id apud omnes gentes cuſtoditur, vocaturque ius gentium.*

Ius naturale duplex.

Ius naturale & ius gentiū, quomodo differunt.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum ſpecialiter diſtinguì debeat ius dominatiuum, & paternum*. Dicendum, quòd ius ſiue iuſtum, dicitur per commenſurationem ad alterum. Alterum autem poteſt dici dupliciter: vno modo, quod ſimpliciter eſt alterum, ſicut quod eſt omnino diſtinctum; ſicut apparet in duobus hominibus, quorum vnus non eſt ſub altero, ſed ambo ſunt ſub vno Principe ciuitatis; & inter tales ſecundum Philoſophum in quinto Ethicorum, eſt ſimpliciter iuſtum. Alio modo dicitur aliquid alterum; non ſimpliciter, ſed quaſi aliquid eius exiſtens; & hoc modo in rebus humanis, filius eſt aliquid patris, quia quodammodo eſt pars eius: vt dicitur in 1. Poli. Et ideo patris ad filium, non eſt comparatio ſicut ad ſimpli-

Ius dominatiuum, & paternum, differunt à iusto simpliciter, atque etiam inter se.

simpliciter alterum: & propter hoc non est ibi simpliciter iustũ, sed quoddam iustum, scilicet paternum. & eadem ratione nec inter dominum & seruum, sed est inter eos dominatiuum iustum. Vxor autem quamuis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum sicut ad proprium corpus, vt patet per Apostolum ad Ephes. 5. tamen magis distinguitur à viro, quam filius à patre, vel seruus à Domino. Assumitur enim in quandam socialem vitam matrimonij; & ideo Philosophus dicit, quod inter virum & vxorem, plus est de ratione iusti, quam inter patrem, & filium: vel Dominum; & seruũ; quia cum vir & vxor habeant immediatam relationem ad domesticam communitatem, vt patet in 1. Poli. ideo inter eos non est simpliciter etiam politicum iustum, sed magis iustum œconomicum.

De iustitia.

DISTINCTIO XLVIII.

DEINDE considerandum est de iustitia, circa quam videnda sunt duodecim. Primo quid sit iustitia Secundo vtrum semper sit ad alterum. Tertio vtrum sit virtus. Quarto vtrum sit in voluntate sicut in subiecto. Quinto vtrum sit virtus generalis. Sexto vtrum secundum quod est generalis, sit idem in essentia cum omni virtute. Septimo vtrum sit aliqua iustitia particularis. Octauo vtrum iustitia particularis habeat propriam materiam. Nono vtrum sit circa passiones, vel operationes tantum. Decimo vtrum medium iustitiæ sit medium rei. Vndecimo vtrum reddere vnicuique quod suum est, sit actus iustitiæ. Duodecimo vtrum iustitia sit præcipua inter alias virtutes morales.

Quid iustitia secũdum Iurisconsultos.

AD PRIMVM, scilicet *quid sit iustitia*. Dicendum quod à iurisperitis diffinitur sic: *Iustitia est constans, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens*. Hæc autem diffinitio cõueniens est, si rectè intelligatur; cum enim omnis virtus sit habitus, qui est principium actus; necesse est quod virtus diffiniatur per actum bonum, circa propriam materiam virtutis. Est autem iustitia circa ea quæ sunt ad alterum, sicut circa propriam materiã, vt infra patebit. Et ideo actus iustitię per comparationem ad propriam materiam & obiectum tãgitur, cum dicitur, *ius suum vnicuique tribuens*. Quia vt Isid. dicit in lib. Ethic. *iustus dicitur, quia ius custodit*. Ad hoc autem quod aliquis actus circa quamcũque materiam sit virtuosus, requiritur quod sit voluntarius, & quod sit stabilis, & firmus. Quia Philosophus dicit in 2. Ethic. quod *ad virtutis actum requiritur primò quidem, quod operetur sciens. Secundo autem quod eligens, & propter debitum finem. Tertio quod immobiliter operetur*. Primum autem horum includitur in secundo, quia quod per ignorantiam agitur, est inuoluntarium, vt dicitur in 4. Ethic. Et ideo in diffinitione iustitiæ, primo ponitur voluntas; ad ostendendũ, quod actus iustitiæ debet esse voluntarius. Additur de constantia, & perpetuitate, ad designãdum actus firmitatem; & ideo prędicta diffinitio est completa diffinitio iustitię, nisi quod actus ponitur pro habitu, qui per actum specificatur: habitus enim ad actus dicitur. Et ideo si aliquis vellet in debitam formam diffinitionis reducere, posset sic dicere; quod *iustitia est habitus secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate, ius suum vnicuique tribuit*. Et quasi est eadem diffinitio cum ea quam Philosophus ponit in 5. Ethic. dicens, quod *iustitia est habitus secundum quem aliquis dicitur operatiuus secundum electionem iusti*. Quare ergo dicitur, quod iustitia est voluntas? Dicas, quod voluntas hic nominat actum, non potentiam. Est autem consuetum, quod apud auctores, habitus per actus diffiniantur. Sicut August. dicit super Ioan. quod *fides est credere quod non vides. Cum autem additur perpetua*; dicas quod voluntas potest dici perpetua dupliciter. Vno modo ex parte ipsius actus, qui perpetuo durat; & sic solius Dei voluntas est perpetua. Alio modo ex parte obiecti, quia scilicet aliquis vult perpetuo facere aliquid; & hoc requiritur ad rationem iustitiæ. Non enim sufficit ad rationem iustitiæ, quod aliquis velit ad horam in aliquo negocio seruare iustitiam, quia vix inuenitur aliquis qui velit in omnibus iniustè agere; sed requiritur quod homo habeat voluntatem perpetuo, & in omnibus iustitiam conseruare. & quia perpetuum non accipitur secundum durationem perpetuam actus voluntatis, non superflue additur constans; vt sicut per hoc quod dicitur perpetua voluntas, designatur quod aliquis gerat in proposito, perpetuò iustitiam conseruandi; ita etiam per hoc quod dicitur constans, designatur quod in hoc proposito, firmiter perseueret.

Solutio obiectionis.

ET NOTA quod iudex reddit quod suum est vnicuique, per modum imperantis, & dirigentis; quia iudex est iustum animatum, *& princeps est custos iusti*, vt dicitur in 5. Ethi. sed subditi reddunt quod suum est vnicuique, per modum executionis.

Iustitia semper est ad alterum proprie loquendo.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum iustitia semper sit alterum*. Dicendum, quod sicut supra dictum est, cum nomen iustitiæ æqualitatem importet, ex sua ratione iustitia habet quod sit ad alterum; nihil enim sibi est æquale, sed alteri. Et quia ad iustitiam pertinet actus humanos ratificare, vt dictum est; necesse est quod alietas ista quam requirit iustitia, sit diuersorum agere potentium. actiones autem sunt suppositorum, & totorum; non autem propriè loquendo partium, & formarum, seu potentiarum. Nõ enim propriè dicitur, quod manus percutiat, sed homo per manum; neque propriè dicitur, quod calor calefaciat, sed ignis per calorem, secundum tamen similitudinem quandam hæc dicuntur. Iustitia ergo propriè dicta requirit diuersitatem suppositorum, & ideo non est nisi vnius hominis ad alium. sed secundum similitudinem accipiuntur in vno & eodem homine, diuersa principia actionum, quasi diuersa agentia; sicut ratio, & irascibilis, & concupiscibilis. Et ideo metaphoricè in vno & eodem homine, dicitur esse iustitia, secundum quod ratio imperat irascibili, & concupiscibili; & secundum quod hæ obediunt rationi, & vniuersaliter secundum quod vnicuique parti hominis attribuitur, quod ei conuenit. Vnde Philosophus in 5. Ethic. hanc iustitiam appellat secundum Metaphoram dictam.

Iustitia est virtus.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum iustitia sit virtus*. Dicendum, quod virtus humana est, quæ bonum reddit actum humanum; & ipsum hominem bonum facit. Quod quidem conuenit iustitiæ. Actus enim hominis bonus redditur ex hoc, quod attingit regulam rationis, secundum quam humani actus rectificantur: vnde cum iustitia operationes humanas rectificet, manifestum est, quod opus hominis bonum reddit, & vt Tullius in 1. de offi. *Ex iustitia præcipue viri boni nominantur*. vnde sicut ibidem dicit. *In ea virtutis splendor est maximus*.

Soluũtur obiectiones.

ET NOTA quod cum aliquis facit quod debet, non semper affert vtilitatem lucri illi, cui facit quod debet, sed solum abstinet à damno eius. vnde Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*. Sibiipsi tamen affert vtilitatem, inquantum spontanea, & prompta voluntate facit quod debet, quod est agere virtuosè. Vnde Sap. 8. dicitur. Quod *sapientia Dei sobrietatem docet, & iustitiam, prudentiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est hominibus in vita*, scilicet virtuosis. Dicit enim Ambros. in 3. de officijs, *vtilitatem non pecuniarij lucri æstimationem accipimus, sed acquisitionem pietatis*.

Propria definitio iustitia.

ITEM reddere alij quod suum est, quod pertinet ad iustitiam, est necessitatis. Sed duplex est necessitas, vna coactionis; & hæc quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti. Alia autem est necessitas ex obligatione præcepti, siue ex necessitate finis; quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis nisi hoc faciat: & talis necessitas non excludit rationem meriti, inquãtum aliquis hoc quod sic est necessarium, voluntariè agit: excludit tamen gloriam supererogationis, secundum illud 1. ad Corint. 9. *Si Euangelizauero non est mihi gloria,*

gloria, neceſsitas enim mihi incumbit.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia ſit in voluntate ſicut in ſubiecto*. Dicendum quod illa potentia eſt ſubiectum virtutis, ad cuius potentiæ actum rectificãdum, virtus ordinatur. Iuſtitia autem non ordinatur ad dirigendum aliquem actum cognoſcitiuum: non enim dicimur iuſti ex hoc, quod recte aliquid cognoſcimus: & ideo ſubiectum iuſtitiæ non eſt intellectus, vel ratio, quæ eſt potentia cognoſcitiua: ſed quia iuſti dicimur ex hoc, quod rectè aliquid dicimus, vel agimus; proximum autem principium actus, eſt vis appetitiua: neceſſe eſt, quod iuſtitia ſit in aliqua vi appetitiua, ſicut in ſubiecto. Eſt autem duplex appetitus, ſcilicet voluntas, quæ eſt in ratione, & appetitus ſenſitiuus cõſequens apprehenſionem ſenſus, quæ diuiditur per iraſcibilem, & concupiſcibilem, vt ſupra habitum eſt. *Subiectum iuſtitiæ eſt voluntas.* Reddere autem vnicuique quod ſuum eſt, non poteſt procedere ex appetitu ſenſitiuo, quia apprehenſio ſenſitiua non ſe extendit ad hoc, quod conſiderare poſſit proportionem vnius ad alterum, ſed hoc eſt proprium rationis. Vnde iuſtitia non poteſt eſſe ſicut in ſubiecto in iraſcibili, vel concupiſcibili, ſed ſolum in voluntate. Et ideo Philoſophus diffinit iuſtitiam per actum voluntatis, vt ex ſupradictis patet.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia ſit virtus generalis*. Dicendum quod iuſtitia, ſicut dictum eſt, ordinat hominem in comparatione ad alium. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ad alium ſingulariter conſideratum. Alio modo ad alium in communi, ſecundum ſcilicet quod ille, qui ſeruit alicui communitati, ſeruit omnibus hominibus, quæ ſub communitate illa continentur: Ad vtrunque igitur ſe poteſt habere iuſtitia, ſecundum propriam rationem. Manifeſtum eſt autem, quod omnes qui ſub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem, ſicut partes ad totum; pars autem id quod eſt, totius eſt; vnde & quodlibet bonum partis, eſt ordinabile in bonum totius. Secundum hoc igitur bonum cuiuſlibet virtutis, ſiue ordinantis aliquem hominem ad ſeipſum, ſiue ordinantis ipſum ad alias aliquas perſonas ſingulares, eſt referibile ad bonum commune, ad quod ordinat iuſtitia; & ſecundum hoc actus omnium virtutum poſſunt ad iuſtitiam pertinere, ſecundum quod ordinat hominem ad bonum commune, & quantum ad hoc iuſtitia dicitur virtus generalis. *Quo ſenſu iuſtitia dicitur virtus generalis.* Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, vt ſupra habitum eſt; inde eſt, quod iuſtitia prædicto modo generalis, dicitur iuſtitia legalis, quia ſcilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.

AD SEXTVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia ſecundum quod eſt virtus generalis ſit idem cum omni virtute*. Dicendum, quod generale dicitur aliquid dupliciter. Vno modo per prædicationem, ſicut animal eſt generale ad hominem & equum, & alia huiuſmodi; & hoc modo generale, oportet quod ſit idem eſſentialiter cum his ad quę eſt generale, quia genus pertinet ad eſſentiam ſpeciei, & cadit in diffinitione eius. Alio modo dicitur aliquid generale ſecundum virtutem, ſicut cauſa vniuerſalis eſt generalis ad omnes effectus, vt ſol ad omnia corpora, quæ illuminantur, vel immutantur, per virtutem ipſius. Et hoc modo generale, non oportet quod ſit idem cum his ad quæ eſt generale, quia non eſt eadem eſſentia cauſæ, & effectus. Hoc autem modo ſecundum prędicta, iuſtitia legalis dicitur eſſe generalis virtus, inquantum ſcilicet ordinat actus aliarum virtutum ad ſuum finem, quod eſt mouere per imperium omnes alias virtutes. Sicut enim charitas poteſt dici virtus generalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum, ita etiam iuſtitia legalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Sicut ergo charitas, quæ reſpicit bonum diuinum, vt proprium obiectum, eſt quædam ſpecialis virtus ſecundum eſſentiam ſuam, ita etiam iuſtitia legalis eſt quædam ſpecialis virtus, ſecundum ſuam eſſentiã. *Iuſtitia legalis eſt ſpecialis virtus, &*

A ſecundum quod reſpicit commune bonum, vt proprium obiectum: & ſic eſt in principe principaliter, & quaſi architectonice, In ſubditis autem ſecundario, & quaſi miniſtratiue. Poteſt tamen quælibet virtus ſecũdum quod à prædicta virtute, ſpeciali quidem in eſſentia, generali autem ſecundum virtutem, ordinatur ad bonum commune, dici iuſtitia legalis; & hoc modo loquendi, iuſtitia legalis, eſt idem in eſſentia cum omni virtute; differt autem ratione; & hoc modo loquitur Philoſophus. *primario in principe exiſtit.*

AD SEPTIMVM, ſcilicet *vtrum ſit aliqua iuſtitia generalis poſt iuſtitiam legalem*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, iuſtitia legalis non eſt eſſentialiter omnis virtus, ſed oportet præter iuſtitiam legalem, quę ordinat hominem immediatè ad bonum commune, eſſe aliàs virtutes, quæ immediatè ordinant hominem circa particularia bona, quę quidem poſſunt eſſe, vel ad ſeipſum, vel ad alteram ſingularem perſonã. Sicut igitur præter iuſtitiam legalem, oportet eſſe aliquas virtutes particulares, quæ ordinant hominem in ſeipſo, puta temperantiam, & fortitudinem; ita etiam præter iuſtitiam legalem, oportet eſſe quandam particularem iuſtitiam; quę ordinet hominem circa ea, quæ ſunt ad alteram ſingularem perſonam. *Præter iuſtitiam legale datur adhuc alia iuſtitia ſpecialis.*

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia ſpiritualis habeat materiam ſpecialem*. Dicendum quod omnia quæcũque rectificari poſſunt per rationem, ſunt materia virtutis moralis, quæ diffinitur per rationem rectam, vt patet per Philoſophum in 2. Ethic. Poſſunt autem per rationem rectificari, & interiores animæ paſſiones, & exteriores actiones, & res exteriores, quæ in vſum hominis veniunt. Sed tamen per exteriores actiones, & per exteriores res, quæ ſibiinuicem homnines communicare poſſunt, attenditur ordinatio vnius hominis ad alium. Secundum autem interiores paſſiones, rectificatur conſideratio hominis in ſeipſo. Et ideo cum iuſtitia ordinetur ad alterum, non eſt circa totam materiam virtutis moralis, ſed ſolum circa exteriores actiones, & res, ſecundum quandam rationem obiecti ſpecialem, prout ſcilicet ſecundum eas vnus homo alteri coordinatur. *Iuſtitia ſpecialis habet materiam ſpecialem.*

AD NONVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia ſit circa paſſiones*. Dicendum quod huius quæſtionis veritas ex duobus apparet. Primo quidem ex ipſo ſubiecto iuſtitiæ, quod eſt voluntas; cuius motus, vel actus, non ſunt paſſiones, ſed ſolum motus appetitus ſenſitiuæ, paſſiones dicuntur. Et ideo iuſtitia non eſt circa paſſiones, ſicut temperantia, & fortitudo, quæ ſunt iraſcibilis, & concupiſcibilis, in quibus ſunt paſſiones. Alio modo ex parte materię, quia iuſtitia eſt circa ea, quæ ſunt ad alterum; non autem per paſſiones interiores, immediate ad alterum ordinamur: & ideo iuſtitia circa paſſiones non eſt, ſed circa operationes, ſicut dicit Philoſophus 5. Ethic. Operationes autem exteriores mediæ ſunt quodammodo, inter res exteriores, quæ ſunt earum materia; & inter paſſiones interiores, quæ ſunt earum principia. Contingit autem quandoque eſſe defectum in vno eorum, ſine hoc quod ſit de neceſſitate in alio defectus; ſicut ſi aliquis ſurripiat rem alterius, non cupiditate habendi, ſed voluntate nocendi; vel econuerſo, ſi quis alterius rem concupiſcat, quam tamen ſurripere non velit. Rectificatio igitur operationum ſecundum quod ad exteriora terminantur, pertinet ad iuſtitiam, ſed rectificatio earum ſecundum quod à paſſionibus oriuntur, pertinet ad alias virtutes morales, quæ ſunt circa paſſiones. vnde ſurreptionem alienę rei iuſtitia impedit, inquantum eſt contra æqualitatem in exterioribus conſtituendam; Liberalitas vero inquántum procedit ab immoderata concupiſcentia diuitiarum. ſed quia operationes exteriores non habẽt ſpeciem ab interioribus paſſionibus, ſed magis à rebus exterioribus, ſicut obiectis; ideo per ſe loquendo, operationes exteriores magis ſunt materia iuſtitiæ, quã aliarum virtutum moralium. *Iuſtitia non eſt circa paſſiones ſed circa operationes.*

NEC OBSTAT, quod Philoſophus dicit in 2. Ethic. quod

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quod circa voluptates, & triſtitias eſt virtus moralis, quia non intendit Philoſophus dicere, quod omnis moralis virtus ſit circa voluptates, & triſtitias, ſicut circa materias: nam fortitudo eſt circa timores, & audacias; ſed omnis virtus moralis ordinatur ad delectationē, & triſtitiam, ſicut ad quoſdam fines conſequentes, quia vt Philoſophus dicit in 6. Ethic. *delectatio & triſtitia, eſt finis principalis animæ, ad quem reſpicientes, vnumquodque hoc quidem bonum, hoc quidem malum dicimus*, & hoc modo etiam pertinent ad iuſtitiam, quia *non eſt iuſtus, qui non gaudet iuſtis operationibus*, vt dicitur in 1. Ethic.

AD DECIMVM, ſcilicet *vtrum remedium iuſtitiæ ſit medium rei.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, aliæ virtutes morales conſiſtunt principaliter circa paſſiones, quarum rectificatio non attenditur, niſi ſecundum comparationem ad ipſum hominem cuius ſunt paſſiones, ſecundum ſc. quod iraſcitur, & concupiſcit, prout debet ſecundum diuerſas circumſtantias. Et ideo medium talium virtutum, non accipitur ſecundum proportionem vnius rei ad alteram, ſed ſolum ſecundum comparationem ad ipſum virtuoſum: & propter hoc in ipſis eſt medium ſolum ſecundum rationem quo ad nos. Sed materia iuſtitiæ eſt exterior operatio, ſecundum quod ipſa res cuius eſt vſus, debitam proportionem habet ad aliam perſonam. Et ideo medium iuſtitiæ conſiſtit in quadam proportionis æqualitate, rei exterioris, ad perſonam exteriorem. Æquale autem eſt realiter medium inter maius, & minus, vt dicitur in 10. Meth. vnde iuſtitia habet medium rei.

Medium iuſtitia eſt medium rei.

AD VNDECIMVM, ſcilicet *vtrum actus iuſtitiæ ſit reddere vnicuique quod ſuum eſt.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, materia iuſtitię eſt operatio exteriorum, ſecundum quod ipſa, vel res, qua per eam vtimur, proportionatur alteri perſonæ, ad quam per iuſtitiam ordinamur. Hoc autem dicitur eſſe ſuum vnicuique perſonæ, quod ei ſecundum proportionis æqualitatem debetur. Et ideo proprius actus iuſtitiæ nihil eſt aliud, quam reddere vnicuique, quod ſuum eſt. vnde dicit Ambroſ. in libr. de offic. Iuſtitia eſt, quæ vnicuique, quod ſuum eſt tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem cuſtodiat æqualitatem.

Proprius actus iuſtitia eſt reddere vnicuique quod ſuũ eſt.

AD DVODECIMVM, ſcilicet *vtrum iuſtitia præmineat inter cæteras virtutes morales.* Dicendum quod ſicut dicit Tullius in lib. 1. de offic. *In iuſtitia virtutis ſplendor eſt maximus, ex qua boni viri nominantur.* Nam ſi loquamur de iuſtitia legali, manifeſtum eſt, quod ipſa eſt præclarior inter omnes virtutes morales, inquantum bonum commune, præeminet bono ſingulari vnius perſonæ. Et ſecundum hoc in 5. Ethic. Philoſophus dicit, quod *præclariſſima virtutum videtur eſſe iuſtitia; Et neque eſt veſperus neque lucifer ita admirabilis.* Sed etiam ſi loquamur de iuſtitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales duplici ratione; quarum prima poteſt ſumi ex parte ſubiecti, quia ſcilicet eſt in nobiliori parte animæ, ideſt in appetitu rationali, ſcilicet voluntate; alijs virtutibus exiſtentibus in appetitu ſenſitiuo, ad quem pertinent paſſiones, quæ ſunt materia aliarum virtutum moralium. Secunda ratio ſumitur ex parte obiecti, nam aliæ virtutes laudantur ſolum, ſecundum bonum ipſius virtuoſi actus. Iuſtitia autem laudatur, ſecundum quod virtuoſus ad alium bene ſe habet; & ſic *iuſtitia quodammodo eſt bonum alterius*, vt dicitur in 5. Ethi. Et propter hoc Philoſophus dicit in 1. Rhetor. *Neceſſe eſt eſſe maximas virtutes eas, quę ſunt alijs honeſtiſſimæ: ſi quidem eſt virtus potentia benefactiua.* propter hoc fortes, & iuſtos, maximè honorant; quoniam Fortitudo eſt vtilis alijs in bello, Iuſtitia autem, & in bello, & in pace.

Iuſtitia præeminet ceteris virtutibus.

A

De iniuſtitia.

DISTINCTIO XLIX.

DEINDE conſiderandum eſt de iniuſtitia. Circa quam videnda ſunt quatuor. Primo vtrum iniuſtitia ſit ſpirituale vitium. Secundo vtrum iniuſta agere ſit proprium iniuſtitiæ. Tertio vtrum aliquis poſſit iniuſtum pati volens. Quarto vtrum iniuſtitia ex ſuo genere ſit peccatum mortale.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum iniuſtitia ſit ſpirituale vitium.* Dicendum quod iniuſtitia eſt duplex. Vna quidem legalis, quæ opponitur legali iuſtitiæ; & hoc quidem ſecundum eſſentiam eſt ſpirituale vitium, inquãtum reſpicit ſpirituale obiectum, ſcilicet bonum commune, quod contemnit; ſed quantum ad intentionem eſt vitium generale, quia per contemptum boni communis, poteſt ad omnia peccata homo reduci; & ſic etiam omnia vitia, inquantum repugnant bono communi, iniuſtitiæ rationem habent, quaſi ab iniuſtitia deriuata; ſicut & ſupra de iuſtitia dictum eſt. Alio modo dicitur iniuſtitia ſecundum inæqualitatem quandam ad alterum, prout ſcilicet homo vult habere plus de bonis, puta diuitijs, & honoribus; & minus de malis, puta laboribus, & damnis: & ſic iniuſtitia habet materiam ſpecialem, & ſic eſt particulare vitium iuſtitiæ particulari oppoſitum.

Iniuſtitia quomodo ſpeciale vitium.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum aliquis dicatur iniuſtus, ex hoc quod faciat iniuſta.* Dicendum quod ſicut obiectum iuſtitiæ eſt aliquid æquale in rebus exterioribus, ita etiam obiectum iniuſtitiæ eſt aliquid inęquale, prout ſcilicet alicui attribuitur plus, vel minus, quàm ſibi competat, Ad hoc autem obiectum comparatur habitus iniuſtitiæ, mediante proprio actu, qui vocatur iniuſtificatio. Poteſt ergo contingere, quod qui facit iniuſtum, non eſt iniuſtus dupliciter: vno modo propter defectum comparationis operationis ad propriũ obiectum, quæ quidem recipit ſpeciem, & nomen à per ſe obiecto, non autem ab obiecto per accidens. In his autem quæ ſunt propter finem, per ſe dicitur aliquid, quod eſt intentum, per accidens autem, quod eſt præter intentionem. Et ideo ſi aliquis faciat aliquid quod eſt iniuſtum, non intendens iniuſtum facere, puta cum hoc facit per ignorantiam, non æſtimans ſe iniuſtum facere, tunc non facit iniuſtum per ſe, & formaliter loquendo; ſed ſolum per accidens, & quaſi materialiter, faciens id quod eſt iniuſtum; & talis operatio non denominatur iniuſtificatio. Alio modo poteſt cõtingere, propter defectum comparationis ipſius operationis ad habitum. Poteſt enim iniuſtificatio procedere, quandoque quidem ex aliqua paſſione, puta iræ, vel concupiſcentiæ; quandoque autem ex electione, quando ſcilicet ipſa iniuſtificatio per ſe placet: & tunc propriè procedit ab habitu, quia vnicuique habenti aliquem habitum, eſt ſecundum ſe acceptum, quod conuenit illi habitui. facere ergo iniuſtum ex intentione, & electione eſt proprium iniuſti, ſecundum quòd iniuſtus dicitur, qui habet iniuſtitiæ habitum. Sed facere iniuſtum præter intentionem, vel ex paſſione, poteſt aliquis abſque habitu iniuſtitię.

Non eſt ſemper iniuſtus qui facit iniuſta.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum aliquis poſſit iniuſtum pati volens.* Dicendum quòd actio de ſui ratione procedit ab agente, paſſio autem ſecundum propriam rationem eſt ab alio. Vnde non poteſt eſſe idem ſecundum idem agens & patiens, vt dicitur in 3. & 8. Phyſic. proprium autem principium agendi in hominibus eſt voluntas & ideo illud propriè, & per ſe homo facit, quod facit volens: & econtrario, illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem ſuam patitur; quia inquãtum eſt volens, principium eſt ex ipſo, & ideo inquantum eſt huiuſmodi, magis eſt agens, quam patiens. Dicendũ eſt ergo, quod iniuſtum per ſe, & formaliter loquẽdo, nullus poteſt facere niſi volens, nec pati niſi volens. Per accidens autem, & quaſi materialiter loquendo,

Nullus poteſt iniuſtũ facere aut pati per ſe, niſi volens, bene tamen per accidens & materialiter.

poteſt

poteſt aliquis id, quod eſt de ſe iniuſtum; vel facere volens; ſicut cum quis præter intentionem operatur; vel pati volẽs, ſicut cum quis plus alteri dat ſua voluntate, quam debeat.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum iniuſtitia ex ſuo genere ſit peccatum mortale*. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, cum de differentia peccatorum ageretur, peccatum mortale eſt, quod contrariatur charitati, per quam eſt animę vita. Omne autem nocumentum alteri illatum, ex ſe charitati repugnat, quæ mouet ad volendum bonum alterius. Et ideo cum iniuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere iniuſtum ex genere ſuo, eſt peccatum mortale.

Iniuſtitia ex genere ſuo eſt peccatũ mortale.

De iudicio.

DISTINCTIO L.

Deinde cõſiderandum eſt de iudicio. Circa quod quæruntur ſex. Primo vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ. Secundo vtrum ſit licitum iudicare. Tertio vtrum per ſuſpiciones ſit iudicandum. Quarto vtrum dubia ſint in meliorem partem iudicanda, vel interpretanda. Quinto vtrum iudicium ſemper ſit ſecundum leges ſcriptas proferendum. Sexto vtrum iudicium per vſurpationem peruertatur

Ad primvm, ſcilicet *vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ*. Dicendum quod iudicium propriè nominat actum iudicis, inquantum eſt iudex. Iudex autem dicitur quaſi ius dicens. Ius autem eſt obiectum iuſtitiæ, vt ſupra habitum eſt; & ideo iudicium importat ſecundum primam nominis impoſitionem, diffinitionem, vel determinationem iuſti, ſiue iuris. Quod autem aliquis bene diffiniat in operibus virtutis, propriè procedit ex habitu virtutis, ſicut caſtus rectè determinat ea, quæ pertinent ad caſtitatem. Et ideo iudicium, quod importat rectam determinationem eius quod eſt iuſtũ, propriè pertinet ad iuſtitiam. Propter quod Philoſophus dicit in 5. Ethic. quod *homines ad iudicem fugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam.*

Iudicium eſt actus iuſtitiæ.

Sciendvm, quod nomen iudicij, quia ſecundum primam impoſitionem ſignificat rectam determinationem iuſtorum, ampliatum eſt ad ſignificandum rectam determinationem in quibuſcunque rebus, tam in ſpeculatiuis, quam in practicis. In omnibus tamen ad rectum iudicium duo requiruntur, quorum vnum eſt ipſa virtus proferẽs iudicium, & ſic iudicium eſt actus rationis; dicere enim vel diffinire, aliquid rationis eſt. Aliud autem eſt diſpoſitio iudicãtis, ex quo habet idoneitatem ad recte iudicandum; & ſic in his, quæ ad iuſtitiam pertinent, iudicium procedit ex iuſtitia, ſicut & in his, quæ ad fortitudinem pertinent, ex fortitudine. Sic ergo iudicium, eſt quidam actus iuſtitiæ, ſicut inclinantis ad rectè iudicandum, prudentiæ autem, ſicut iudicium proferẽtis. vnde & ſyneſis ad prudentiam pertinens, dicitur bene iudicatiua, vt dictum eſt.

Ad rectũ iudicium duo requiruntur.

Item nota, quod iuſtitia in principe quidem eſt, ſicut virtus architectonica, quaſi imperans, & pręcipiẽs quod eſt iuſtum; in ſubditis autem eſt tanquam virtus executiua, & miniſtrans; & ideo iudicium, quod importat diffinitionem iuſti, pertinet ad iuſtitiam, ſecundum quod eſt principaliori modo in præſidente.

Iudiciũ ſpectat ad iuſtitiam prout in principe.

Ad secvndvm, ſcil. *virum ſit licitum iudicare*. Dicendum quod iudicium intantum eſt iuſtum, inquantum eſt iuſtitiæ actus. Sicut autem ex ſupradictis patet, ad hoc quod iudicium ſit actus iuſtitię, tria requiruntur. Primo quidem, vt procedat ex inclinatione iuſtitiæ. Secundo quod procedat ex auctoritate Præſidentis. Tertio quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentię. Quodcunque autem horum defuerit, eſt iudicium vitioſum, & illicitum. Vno quidẽ modo quando eſt contra rectitudinem iuſtitiæ; & ſic dicitur iudicium peruerſum, vel iniuſtum. Alio modo, quando homo iudicat in his, in quibus non habet auctoritatem; & ſic habetur iudicium vſurpatum. Tertio quando deeſt certitudo rationis, puta cum aliquis de his iudicat, quę ſunt dubia, vel occulta, per aliquas leues coniecturas, & ſic dicitur iudicium ſuſpicioſum, vel temerarium; & tale iudicium prohibet Dominus Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini* &c.

Ad rectũ iudicium tria requiruntur.

Item illi, qui ſunt in grauibus peccatis non debent iudicare eos, qui ſunt in eiſdem, vel minoribus peccatis; ſicut dicit Chryſoſt. ſuper illud Matth. 7. *Nolite iudicare*. Et Rom. 2. *Inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas, eadem enim agis, quę iudicas*, & præcipuè hoc intelligendum eſt quando illa peccata ſunt publica, quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum. Si autèm non ſunt publica, ſed occulta; & neceſſitas iudicandi immineat propter officium; poteſt cum humilitate, & timore; vel arguere, vel iudicare. Vnde Auguſt. dicit in lib. de Sermone Domini in monte. *Si inuenerimus nos in eodem vitio eſſe, congemiſcamus, & ad pariter conandum inuitemus. Nec tamen propter hoc homo ſic ſeipſum condemnat, vt nouum condemnationis meritum ſibi acquirat; ſed quia condemnans alium oſtendit ſe ſimiliter condemnabilem eſſe, propter idem peccatum, vel ſimile.*

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum iudicium ex ſuſpicione procedens, ſit illicitum*. Dicendum quod ſicut Tullius dicit, *ſuſpicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit*. Et contingit ex tribus. Vno quidem modo ex hoc, quod aliquis in ſeipſo malus eſt, & quod ex hoc ipſo, ſibi conſcius ſuæ maliciæ, faciliter de alijs malum opinatur, ſecundum illud Eccl. 10. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat*. Alio modo prouenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum. Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem; aut iraſcitur, vel inuidet ei, ex leuibus ſignis, opinatur mala de ipſo; quia vnuſquiſque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo prouenit ex longa experientia; vnde Philoſophus dicit in 2. Rhetor. quod *ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi, quia multotiens experti ſunt aliorum defectus*. Primæ autem duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſtè pertinent ad peruerſitatem affectus. Tertia vero cauſa diminuit rationem ſuſpicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis; & ideo ſuſpicio vitium quoddam importat, & quanto magis procedit ſuſpicio, tanto magis eſt vitioſum.

Suſpitio ex tribus cauſis potiſſimum oritur.

Iudicium ex ſuſpicione eſt illicitum.

Est avtem triplex gradus ſuſpicionis; primus quidem gradus eſt, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leue peccatum, pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur, vt habetur in Gloſſa ſuper illud 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare. Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indicijs, & hoc ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine contemptu proximi. Vnde Gloſſa ibidem ſubdit. *Etſi ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus: indicia tamen id eſt diffinitiuas firmaſque ſententias, continere debemus*. Tertius gradus eſt, cum aliquis iudex ex ſuſpicione procedit, ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniuſtitiam pertinet: vnde eſt peccatum mortale.

Tres ſunt ſuſpicionis gradus, primus venialis, reliqui mortales.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum dubia ſint in meliorem partem interpretanda*. Dicendum quod ſic: ſicut expreſsè dicit Gloſſ. ſuper illud Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non iudicet. Dubia*, inquit, *in meliorem partem interpretanda*. Quia ſicut dictum eſt, ex hoc ipſo, quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, iniuriatur ei; & cõtemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum inferre quodcunque abſque cauſa cogente. Et ideo vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debemus eum, vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt. Poteſt tamen contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur, ſed melius eſt, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem

Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda.

de aliquo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.

ITEM NOTA, quod interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter: vno modo per quandam ſuppoſitionem; & ſic cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſiue noſtris, ſiue alienis; expedit ad hoc, vt ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod deterius eſt; quia remedium quod eſt efficax contra magis malum, multo magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum, diffiniendo, ſiue determinando. Et ſic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc, vt interpretetur vnumquodque ſecundum quod eſt; in iudicio autem perſonarum, vt interpretetur in melius, vt dictum eſt.

In ordine ad remediũ apponendũ expedit ſupponere quod deterius eſt circa iudicium tamen.

ITEM ALIVD EST, iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercunque iudicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum iudicantis, ſi vere iudicet, vel malum ſi falſo; quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, vt dicitur in 6. Ethic. Et ideo vnuſquiſque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet ſecundũ quod ſunt. Sed in iudicio quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, vel malum, ex parte eius de quo iudicatur; quia in hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, ſi iudicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonũ, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem homini iudicanti falſum iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius, ſicut nec ad eius perfectionem pertinet ſecundum ſe, cognoſcere veritatem ſingularium contingentium, ſed magis pertinet ad bonũ affectum.

Aliter de perſonis aliter de rebus iudicandum.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum ſemper ſecundum leges ſcriptas ſit iudicandum*: Dicendum quod ſicut dictum eſt, iudicium nihil aliud eſt, niſi quædam diffinitio, vel determinatio eius, quod iuſtum eſt. Fit autem aliquid iuſtum dupliciter; vno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur ius naturale alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur ius poſitiuum, vt ſupra habitum eſt. Leges autem ſcribuntur ad vtriuſque iuris declarationem, aliter tamen, & aliter. Nam legis ſcriptura, ius quidem naturale continet, ſed non inſtituit; non habet enim robur ex lege, ſed ex natura. Ius autem poſitiuum, ſcripturam legis, & cõtinet, & inſtituit; dans ei auctoritatis robur. Et ideo neceſſe eſt, quod iudicium fiat ſecundum legis ſcripturã: alioquin iudicium deficeret, vel à iuſto naturali, vel à iuſto poſitiuo.

Non ſemper ſecundum legem ſcriptã iudicãdum.

SCIENDVM TAMEN quòd ſicut leges iniquæ ſecundum ſe contrariantur iuri naturali, vel ſemper, vel vt in pluribus; ita etiam leges quæ ſunt rectè poſitę, in aliquibus caſibus deficiunt, in quibus ſi ſeruarentur eſſet contra ius naturale; & ideo in talibus non eſt ſecundum literam legis iudicandum, ſed recurrendum eſt ad æquitatem, quam intendit legiſlator. Vnde iuriſperitus dicit; *Nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum, producamus ad ſeueritatem*, & in talibus etiam legiſlator aliter iudicaret; & ſi conſideraſſet, lege determinaſſet.

AD SEXTVM, ſcilicet *vtrum per vſurpationem iudicium reddatur iniuſtum.* Dicendum quod cum iudicium ſit ferendum ſecundum leges ſcriptas, vt dictum eſt; ille qui iudicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur, applicando ipſum ad particulare negociũ. Cum autem eiuſdem auctoritatis ſit, legem interpretari, & legem condere; ſicut lex condi non poteſt niſi publica auctoritate, ita etiam nec ferri poteſt, niſi publica auctoritate, quæ quidem ſe extendit ad eos, qui communitati ſubduntur. Et ideo ſicut iniuſtum eſſet, vt aliquis conſtringeret alium ad legem ſeruandam, quæ non eſſet publica auctoritate ſancita; ita etiam iniuſtum eſt, ſi quis aliquem compellat ferre iudicium, quod publica auctoritate non fertur.

Per vſurpationem iudiciũ redditur iniuſtum.

LICET AVTEM non legatur expreſſe, quod Moyſes publicam auctoritatem haberet, quando occidit Ægyptium. Exod. 2. Nec Phinees filius Eleazari, quãdo occidit Zambri filium Salomi. Sicut legitur Num. 25. Tamen Moyſes videtur Ægyptium occidiſſe, quaſi ex inſpiratione diuina, auctoritatẽ adeptus, vt videtur per hoc quod dicitur Actuum 7. *Quod percuſſo Ægyptio æſtimabat Moyſes intelligere fratres ſuos, quoniam Dominus per manum ipſius daret Iſrael ſalutem.* Vel poteſt dici, quod Moyſes occidit Ægyptium, defendendo eum qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Ambr. dicit in lib. de officijs. Quod *qui non repellit iniuriam à ſocio cum poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit.* Et inducit exemplum Moyſi in eodem loco. Vel poteſt dici ſicut Aug. dicit in quæſtionibus Exod. quod *ſicut terra ante vtilia ſemina, herbarum inutilium fertilitate laudatur, ſic illud Moyſi factum, vitioſum quidem fuit, ſed magnæ fertilitatis ſignum gerebat; inquantum ſcilicet erat ſignum virtutis eius, qua populum liberaturus erat.* De Phinees autem dicendum, quod ex inſpiratione diuina, zelo Dei motus hoc fecit: vel quod licet nondum eſſet ſummus ſacerdos, erat tamen filius ſummi ſacerdotis, & ad eum hoc iudicium pertinebat, ſicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum.

Soluũtur obiecta.

De partibus ſubiectiuis iuſtitiæ.

DISTINCTIO LI.

DEINDE conſiderandum eſt de partibus iuſtitiæ. Et primo de partibus ſubiectiuis, quæ ſunt ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet diſtributiua, & commutatiua. Secundo de partibus quaſi integralibus. Tertio de partibus quaſi potentialibus, ſcilicet de virtutibus adiunctis. Circa primum occurrit duplex conſideratio. Primo de ipſis iuſtitiæ partibus. Secundo de vitijs oppoſitis. Et quia reſtitutio videtur eſſe actus iuſtitiæ commutatiuę, primo conſiderandum eſt de diſtinctione iuſtitię cõmunitatiuæ & diſtributiuæ. Secũdo de reſtitutione. Circa primum quærũtur quatuor. Primo vtrũ duę ſint ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua. Secundo vtrum eodem modo medium accipiatur in eis. Tertio vtrum ſit earum vniformis, vel multiplex materia. Quarto vtrum ſecundum aliquam earum ſpecierum, Iuſtum ſit idem, quod contra paſsũ.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum conuenienter ponantur duæ ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua.* Dicendum quod Philoſophus in 5. Ethic. ponit has duas ſpecies iuſtitiæ: & dicit quod vna eſt directiua in diſtributionibus: alia in commutationibus. Sicut enim dictum eſt ſupra, iuſtitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam perſonam, quæ comparatur ad communitatem ſicut pars ad totum. Poteſt autem ad aliquam partem duplex ordo attendi: vnus quidem partis ad partem, cui ſimilis eſt ordo vnius priuatæ perſonæ ad aliam; & hunc ordinem dirigit commutatiua iuſtitia, quæ conſiſtit in his quæ mutuo fiunt, inter duas perſonas ad inuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes; & huic ordini aſſimilatur ordo eius, quod eſt commune ad ſingulas perſonas: Quem quidem ordinem dirigit iuſtitia diſtributiua, quæ eſt diſtributiua communium ſecundum proportionalitatem. Et ideo duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua.

Duæ ſunt iuſtitia ſpecies ſcilicet commutatiua & diſtributiua.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum eodem modo accipiatur in eis medium.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, in diſtributiua iuſtitia datur aliquid alicui priuatę perſonæ, inquãtum id quod eſt totius, eſt debitum parti. Quod quidem tanto maius eſt, quanto ipſa pars maiorẽ principalita-

cipalitatem habet in toto. & ideo in diſtributiua iuſtitia, tanto plus alicui de bonis cõmunibus datur, quanto illa perſona maiorem principalitatem habet in communitate; quæ quidem principalitas in Ariſtocratica communitate, attenditur ſecũdum virtutem; in oligartica, ſecundum diuitias; in democratica, ſecundum libertatem; & in alijs aliter. Et ideo in iuſtitia diſtributiua, non accipitur medium ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed ſecundum proportionem rerum ad perſonas; vt ſcilicet ſicut vna perſona excedit aliam, ita etiã res quæ datur vni perſonæ, excedit rem quæ datur alij. Et ideo dicit Philoſophus, quod tale medium eſt ſecũdum Geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundũ proportionem. Sicut ſi dicamus, quod ſicut ſe habent ſex ad quatuor, ita ſe habent tria ad duo; quia vtrobiq; eſt ſeſquialtera proportio; in qua maius habet totum minus, & mediam partem eius; non autem eſt æqualis exceſſus ſecundum quantitatem, quia ſex excedunt quatuor in duobus, tria vero excedunt duo in vno. Sed in commutationibus redditur aliquid alicui ſingulari perſonę, propter rem eius quę accepta eſt; vt maximè patet in emptione, & venditione, in quibus primo inuenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adęquare rem rei, vt quanto iſte plus habet quam ſuum ſit, de eo quod eſt alterius, tantundem reſtituat ei cuius eſt; & ſic fit æqualitas ſecundum Arithmetricam medietatem, quæ attenditur ſecundum parem quantitatis exceſſum; ſicut quinq; eſt medium inter ſex, & quatuor: in vnitate enim excedit, & exceditur. Si ergo à principio vterque habeat quinque, & vnus eorum accepit vnum de eo, quod eſt alterius; vnus ſcil. accipiens habebit ſex, & alij relinquentur quatuor. Erit igitur iuſtitia, ſi vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnũ ab eo qui habet ſex, & detur ei qui quatuor habet; ſic enim vterque habebit quinque, quod eſt medium.

Medium diſtributiuæ accipitur ſecundum proportionẽ rerũ ad perſonas; cõmutatiuæ vero ſecundũ æqualitatem rei ad rem.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum earum ſit eadem, vel diuerſa materia*. Dicendum quod ſicut dictum eſt ſupra, iuſtitia eſt circa quaſdam operationes exteriores, ſcilicet diſtributionem, & commutationem; quæ quidem ſunt in vſus quorundam exteriorum, vel rerum, vel perſonarum, vel etiam operum. Rerum quidem, ſicut cum aliquis, vel refert, vel reſtituit alteri rem ſuam. Perſonarum autem, ſicut cum aliquis in ipſam perſonam hominis iniuriam facit; puta percutiendo, vel conuitiando, aut etiam cum irreuerentiam exhibet. Operum autem, ſicut cum quis iuſte ab alio exigit, vel alteri reddit aliquod opus. Si igitur accipiamus vt materiam vtriuſque iuſtitiæ, ea quorum operationes ſunt vſus; eadem eſt materia diſtributiuæ & commutatiuæ iuſtitiæ; nam & res & diſtribui poſſunt à communi in ſingulos, & communicari, vel commutari de vno in alium. Et eſt etiam quædam diſtributio laborioſorum operum, & recompẽſatio. Si autem accipiamus vt materiam vtriuſque iuſtitiæ, actiones ipſas principales quibus vtimur perſonis, rebus, & operibus; ſic inuenitur vtrobique alia materia. Nam diſtributiua iuſtitia, eſt directiua diſtributionis: commutatiua vero iuſtitia, eſt directiua commutationum, quæ attendi poſſunt inter duas perſonas, quarum quædam ſunt inuoluntarię, quædam vero voluntariæ.

Quomodo materia vtriuſque iuſtitiæ eſt eadẽ & quo modo diuerſa.

Involvntariæ quidem, quando aliquis vtitur re alterius, vel perſona, vel opere, eo inuito. Quod quidem contingit quandoque occultè per fraudem, quãdoque etiam manifeſtè per violentiam: vtrunque autem contingit, aut in rem, aut in perſonam propriam, aut in perſonam coniunctam. In rem quidem, ſi vnus occultè rem alterius accipiat, & vocatur furtum; ſi autem manifeſtè, vocatur rapina. In perſona autem, vel quantum ad ipſam conſiſtentiam perſonæ, vel quantum ad dignitatem ipſius. Si autem quantum ad conſiſtentiam perſonæ, ſic læditur aliquis occultè, per doloſam occiſionem, ſeu perſecutionem, & exhibitionem veneni. Manifeſtè autem per occiſionem manifeſtam, aut per incarcerationem, aut verberationem, ſeu membri mutilationem. Quantum ad dignitatem perſonæ, læditur aliquis occulte, per falſa teſtimonia, ſeu detractiones, quibus aliquis aufert famam ſuam, & per alia huiuſmodi. Manifeſtè autem per accuſationem in iudicio, ſeu per conuitij illationem. Quantum autem ad perſonam coniunctam, læditur aliquis in vxore, vt in pluribus occulte per adulterium. In ſeruo autem, quando aliquis ſeruum ſeducit, vt à Domino diſcedat. Et hęc etiam poſſunt manifeſtè fieri; & eadem ratio eſt de alijs perſonis coniunctis, in quas poſſunt etiam omnibus modis iniuriæ committi, ſicut & in perſonam principalem. Sed adulterium, & ſerui ſeductio, ſunt propriè iniurię circa has perſonas: tamen quia ſeruus eſt poſſeſſio quædam, hoc refertur ad furtum.

Cõmutationes quæ voluntariæ quæ inuolũtariæ.

Volvntariæ autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntariè transfert rem ſuam in alterum: & ſiquidem ſimpliciter in alterum transferat rem ſuam abſque debito, ſicut in donatione, non eſt actus iuſtitiæ, ſed liberalitatis. Intantum autem ad iuſtitiam volũtaria tranſlatio pertinet, inquantum eſt ibi aliquid de ratione debiti: quod quidem contingit multipliciter; vno modo quando aliquis tranfert ſimpliciter rem ſuam in alterum, pro recompenſatione alterius rei, ſicut accidit in venditione, & emptione. Secundo modo, quando aliquis tradit rem ſuam alteri, concedens ei vſum rei, cum debito recuperandi rem, & ſi quidem gratis concedit vſum rei, vocatur vſus fructus, in rebus quæ aliquid fructificant; vel ſimpliciter mutuũ ſeu accommodatum, in rebus quę non fructificant; ſicut ſunt denarij, vaſa, & huiuſmodi. Si vero nec ipſe vſus gratis concedatur, vocatur locatio, & conductio. Tertio modo aliquis tradit rem ſuam, vt recuperandam, non ratione vſus, ſed vel ratione conſeruationis, ſicut in depoſito; vel ratione obligationis, ſicut cum aliquis rem ſuam pignori obligat, ſeu cũ aliquis pro alio fideiubet. In omnibus autem huiuſmodi actionibus, ſiue voluntarijs, ſiue inuoluntarijs, eſt eadem ratio accipiẽdi medium ſecũdum æqualitatem recompenſationis. Et ideo omnes iſtæ actiones ad vnam ſpeciem iuſtitiæ pertinent, ſcilicet ad commutatiuam.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum iuſtum ſit idem quod contrapaſſum*. Dicendum, quod hoc quod dicitur cõtrapaſſum, importat ęqualem recompenſationem paſſionis ad actionem precedentem. Quod quidem proprijſſimè dicitur in paſſionibus iniurioſis, quibus aliquis perſonam proximi lædit; puta ſi percutit, quod repercutiatur: & hoc quidem iuſtum determinatur in lege. Exod. 21. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo* &c. Et quia auferre rem alterius eſt quoddam iniuſtum facere; ideo ſecundario etiam in his, dicitur contrapaſſum, prout, ſcilicet aliquis qui damnum intulit, in re ſua ipſe etiam damnificatur, & hoc etiam iuſtum damnum continetur in lege: Exod. 21. *Si quis furatus fuerit ouem aut bouem, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues, pro vna oue*. Tertio vero transfertur nomen contrapaſſi ad voluntarias commutationes, in quibus vtriuſque eſt actio, & paſſio; ſed voluntarium diminuit de ratione paſſionis, vt dictum eſt. In omnibus autẽ his, debet fieri ſecundum rationem iuſtitię commutatiuę, recompenſatio ſecundum æqualitatem, vt ſcilicet paſſio recompenſata ſit æqualis actioni; non autem ſemper eſſet æqualis, ſi idẽ ſpecie aliquis pateretur, quod fecit. Nam primo quidem cum quis iniuriosè lædat alterius perſonam maiorem; maior eſt actio, quam paſſio eiuſdem ſpeciei quam ipſe pateretur. Et ideo ille qui percutit principẽ, non ſolum repercutitur, ſed multo grauius punitur. Similiter etiam cum quis aliquem inuoluntarium in re ſua damnificat, maior eſt actio, quam eſſet paſſio, ſi ſibi ſola res illa auferretur; quia ipſe qui damnificauit alium, in re ſua nihil damnificaretur; & ideo punitur in hoc quod multiplicius reſtituat; quia etiam non ſolum damnificauit perſonam priuatam, ſed rempublicã; eius tutelam, & ſecuritatem infringendo, ſimiliter etiam nec in cõmutationi bus volũtarijs, ſemper eſſet ęqualis

paſſio,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Contrapaſſũ eſt idẽ quod commutatiuum iuſtum.

paſſio, ſi aliquis daret rem ſuam, accipiens rem alterius, quia forte res alterius eſt multo maior, quam ſua. Et ideo oportet ſecundum quandam proportionatam commenſurationem, adæquare paſſionem actioni in commutationibus, ad quod inuenta ſunt nummiſmata, & ſic contrapaſſum eſt commutatiuum iuſtum. In diſtributiua autem iuſtitia locum non habet, quia in diſtributiua non attenditur æqualitas ſecundum proportionem rei ad rem, vel paſſionis ad actionem, vnde dicitur contrapaſſum; ſed ſecundum proportionalitatem rerum ad perſonas, vt ſupra dictum eſt.

De reſtitutione.

DISTINCTIO LII.

DEINDE conſiderandum eſt de reſtitutione. Circa quam conſideranda ſunt octo. Primo vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ. Secundo vtrum neceſſe ſit ad ſalutem omne ablatum reſtitui. Tertio vtrum multiplicatum oporteat reſtitui. Quarto vtrum oportet reſtitui illud, quod quis non accepit. Quinto vtrũ oporteat reſtitui ei à quo acceptum eſt. Sexto vtrum oporteat eum reſtituere, qui accepit. Septimo vtrum aliquem alium. Octauo vtrum ſit ſtatim reſtituendum.

Quid reſtitutio.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ*. Dicendum quod reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ; & ita in reſtitutione attenditur æqualitas iuſtitię ſecundum recompenſationem rei ad rem, quæ pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Et ideo reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ, quando ſcilicet res vnius ab alio habetur; vel per voluntatem eius, ſicut in mutuo, & depoſito; vel contra voluntatem eius, ſicut in rapina, vel furto.

Reſtitutio eſt actus cõmutatiua iuſtitia.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem, quod fiat reſtitutio eius, quod ablatum eſt*. Dicendum quod reſtitutio ſicut dictum eſt, eſt actus iuſtitię commutatiuæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit. Et ideo reſtituere importat redditionem illius rei, quæ iniuſtè ablata eſt: ſic enim per iteratam eius exhibitionem, æqualitas reparatur. Si verò iuſtè ablatum ſit, inæqualitas erit, ſi ei reſtituatur; quia iuſtitia in æqualitate cõſiſtit. Cum igitur ſeruare iuſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt quod reſtituere id quod iniuſtè ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.

Reſtituere iniuſtè ablatũ eſt de neceſſitate ſalutis.

HOC TAMEN intellige ſi res ablata eadem numero, vel aliquid æquiualens poteſt reſtitui. In quibus autem non poteſt æquiualens reſtitui, ſufficit quod recompenſetur, quod poſſibile eſt; ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes, vt Philoſophus dicit in 8. Eth. Et ideo quando id quod ablatum eſt, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt; puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore; conſiderata conditione vtriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium probi viri. Si autem auferat aliquis alteri famam, diſtinguendum eſt; quia famam poteſt aliquis alteri tripliciter auferre. vno modo verum dicendo, & iuſtè; puta cum aliquis crimen alicuius prodit, ordine debito ſeruato; & tunc non tenetur ad reſtitutionem famæ. Alio modo falſum dicendo, & iniuſtè; & tunc tenetur reſtituere famam confitendo ſe falſum dixiſſe. Tertio modo verum dicendo, ſed iniuſtè; puta cum aliquis prodit crimen alicuius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ quantũ poteſt, ſine mendacio tamẽ; vtpote, quod dicat ſe male dixiſſe, vel quia iniuſtè eum diffamauerit, vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut & in alijs dictum eſt.

Quomodo reſtituẽdum membrum, honor, fama &c.

ITEM ille qui impedit aliquem ab aliquo bono conſequendo, poteſt eum multipliciter impedire. Vno modo iuſtè, puta ſi intendens honorem Dei, vel vtilitatem Eccleſię, procuret quod detur alicui perſonæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo iniuſtè, puta ſi intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi: & tunc ſi impedit ne præbenda detur digno, conſulens quod non detur antequam ſit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negocij, ſecundum arbitrium ſapientis; non tenetur tamen ad æquale, quia ille nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero iam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter cauſam indebitam procuret quod reuocetur, idem eſt ac ſi iam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.

Quid reſtituendum illi quę quis impediuit iniuſtè, à conſecutione beneficij.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum illud multiplicatum oporteat reſtitui, vel ſufficiat reſtituere ſimplum*. Dicendum, quod cũ aliquis iniuſtè accepit rem alienam, duo ſunt ibi cõſideranda. Quorum vnũ eſt inæqualitas ex parte rei, quę quandoq; eſt ſine iniuſtitia, vt patet in mutuis. Aliud autem eſt iniuſtitiæ culpa, quę poteſt eſſe etiam cum æqualitate rei, puta cum aliquis intendit inferre violentiam, ſed non prævalet. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per reſtitutionem inquantum ei æqualitas reparatur; ad quod ſufficit, quod reſtituat tantum quantum habuerit de alieno; ſed quantum ad culpam adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem; & ideo antequam ſit condemnatus per iudicem, non tenetur plus reſtituere, quam accepit: ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſoluere.

Ante condẽnationem iudicis nemo tenetur plus reſtituere quã accepit.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum aliquis teneatur reſtituere, quod non abſtulit*. Dicendum, quod quicunque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipſum damnificat: damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet quam debet habere, ſecundum Philoſophum in 5. Ethic. & ideo homo tenetur ad reſtitutionem eius, in quo aliquem damnificauit. Sed damnificatur aliquis dupliciter? vno modo, quia aufertur ei, quod actu habebat: & tale damnum ſemper eſt reſtituendum, ſecundum recompenſationem æqualis, puta ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum quantum valet domus. Alio modo damnificat aliquis aliquem impediendo vt adipiſcatur, quod erat in via habendi: & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo, quia minus eſt habere aliquid in virtute, quam habere in actu: qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel potentiam: & ideo ſi redderetur ei, vt haberet hoc in actu, reſtitueretur ei quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum, quod non eſt ex neceſſitate reſtitutionis, vt dictum eſt, tenetur tamen aliquam reſtitutionem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negociorum.

Nemo tenetur reſtituere quod nõ abſtulit.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum ſemper oporteat reſtitutionem fieri ei à quo acceptum eſt*. Dicendum, quod per reſtitutionem ſit reductio ad æqualitatem commutatiuæ iuſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione, ſicut dictum eſt, huiuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei qui minus habet quam quod ſuum eſt, ſuppleatur quod deeſt; & ad hanc ſuppletionem faciendam, neceſſe eſt vt ei fiat reſtitutio à quo acceptum eſt.

SI TAMEN res reſtituenda apparet eſſe grauiter noxia ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri: non ei debet tunc reſtitui: quia reſtitutio ordinatur ad vtilitatem eius cui reſtituitur: omnia enim quæ poſſidentur ſub ratione vtilis cadunt, nec tamen debet ille qui rem alienam detinet, ſibi appropriare: ſed vel reſeruare, vt congruo tempore reſtituat: vel etiam alibi tradere tutius conſeruandam.

Quid faciẽdum quando res reſtituenda eſt noxia illi cui reſtituenda eſt.

ITEM ſi ille cui eſt reſtitutio facienda ſit ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dãdo in eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſiue ſit mortuus,

ſiue

ſiue ſit viuus: permiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona eius, cui eſt reſtitutio facienda. Si vero ſit mortuus ille cui reſtitutio eſt facienda, debet reſtitui hæredi eius, qui computatur quaſi vna perſona cum ipſo. Si vero ſit multum diſtans, debet ſibi tranſmitti, quod ei debetur; & præcipuè ſi ſit res magni valoris, & poſſit commodè tranſmitti, alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, vt pro eo conſeruetur, & domino ſignificari.

Quid faciendum quando Dominus rei eſt ignotus.

ITEM ſi aliquis illicitè dat alij, illa datio poteſt eſſe illicita dupliciter: vno modo, quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem; ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit: & talis meretur amittere, quod dedit. Vnde non debet ei reſtitutio fieri, ille etiam qui accepit, quia contra legem accepit; non debet ſibi retinere, ſed debet in pios vſus conuertere. Alio modo aliquis illicitæ dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipſa datio non ſit illicita; ſicut cum quis dat meretrici propter fornicationem: vnde & mulier poteſt ſibi retinere, quod eſt ei datum: ſed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem, vel dolum extorſiſſet, tenetur eidem reſtituere.

Quid debet facere Prælatus qui rem Eccleſiæ ſurripit.

ITEM ſi prælatus rem Eccleſiæ ſurriperet, hoc poſſet eſſe tripliciter: vno modo ſi rem Eccleſiæ non ſibi deputatam, ſed alteri, ſibi vſurparet; puta ſi Epiſcopus vſurparet ſibi rem capituli: & tunc planum eſt, quod debet reſtituere, ponendo in manus eorum, ad quos de iure pertinet. Alio modo ſi rem Eccleſiæ ſuæ cuſtodię deputatam, in alterius dominium transferat; puta conſanguinei, vel amici: & tunc debet Eccleſiæ reſtituere, & ſub ſua cura habere, vt ad ſucceſſorem perueniat. Alio modo poteſt prælatus Eccleſiæ rem ſurripere, ſolo animo, dum, ſcilicet incipit habere animum poſſidendi eam vt ſuam, & non nomine Eccleſiæ; & tunc debet reſtituere talem animum deponendo.

AD SEXTVM, ſcilicet, *vtrum ſemper teneatur reſtituere ille qui accepit*: dicendum quod circa illum, qui rem alienam accepit, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſa res accepta, & ipſa acceptio. Ratione autem rei, tenetur eam reſtituere quamdiu eam apud ſe habet; quia quod habet vltra id quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari cui deeſt, ſecundum formam commutatiuæ iuſtitiæ: ſed ipſa acceptio rei alienæ poteſt tripliciter ſe habere quandoque enim eſt iniurioſa, ſcilicet contra voluntatem exiſtens eius, qui eſt rei dominus; vt patet in furto & rapina, & tunc tenetur ad reſtitutionem, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione iniurioſæ actionis, etiamſi res apud ipſum non remaneat. Sicut enim qui percutit principem aliquem, tenetur recompenſare iniuriam paſſo, quamuis nihil apud ipſum remaneat; ita etiam qui furatur vel rapit, tenetur ad recompenſationem damni illati, etiamſi nihil inde habeat: & vlterius pro iniuria illata debet puniri. Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem ſuam, abſque iniuria, cum voluntate, ſcilicet eius cuius eſt res, ſicut patet in mutuis; & tunc ille qui accepit, tenetur ad reſtitutionem eius quod accepit, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiamſi rem amiſerit; tenetur eum recompenſare ei qui gratiam fecit: quod non fiet, ſi per hoc damnum incurrat. Tertio aliquis accipit rem alterius abſque iniuria, non pro ſua vtilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille qui ſic accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis; quinimmo accipiendo impendit obſequium, tenetur autem ratione rei, & propter hoc ſi ei ſubtrahatur res, abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem; ſecus tamen eſſet, ſi cum magna culpa ſua rem depoſitam amitteret.

Quando reſtituendum ratione acceptionis, & quando ratione rei acceptæ.

Non ſolum qui accepit ſed etiam qui eſt cauſa efficax iniuſtæ acceptionis tenetur reſtituere.

AD SEPTIMVM, ſcilicet *vtrum ille qui non accepit aliquando reſtituere teneatur*: dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolum ratione rei alienę quã accepit, ſed etiã ratione iniurioſę acceptionis; & ideo quicũque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directe, ſcilicet & indirectè. Directe quidẽ, quando inducit aliquis alium ad accipiendum, & hoc quidem tripliciter. Primo quidem mouendo ad ipſam acceptionem; quod quidem fit præcipiendo, conſulẽdo, conſentiendo, & expreſſe laudando aliquem quaſi ſtrennuum de hoc, quod aliena accipit. Alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum receptat, vel qualitercunque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet eſt particeps furti, vel rapinæ, quaſi ſocius maleficij. Indirectè vero, quando aliquis non impedit, cum poſſit & debeat impedire; vel quia ſubtrahit præceptum ſiue conſilium, impediens furtum vel rapinam; vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſit obſiſtere, vel quia occultat poſt factum. Quæ his verſibus comprehenduntur.

B

IVSSIO, *conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.*
PARTICIPANS, *mutus, non obſtans, non manifeſtans.*

SCIENDVM tamen quod quinque præmiſſorum sẽper obligant ad reſtitutionem. Primo iuſſio, quia ſcilicet ille qui iubet, eſt principaliter mouens; vnde ipſe principaliter tenetur ad reſtitutionem. Secundo conſenſus, in eo, ſcilicet, ſine quo rapina fieri non poteſt. Tertio recurſus, quando ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat. Quarto participatio, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda. Quinto tenetur ille qui non obſtat, cum obſtare teneatur: ſicut principes qui tenentur cuſtodire iuſtitiam in terra, ſi per eorum defectũ latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur, quia redditus quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, vt iuſtitiam conſeruent in terra. In alijs tamen caſibus enumeratis, non ſemper obligatur aliquis ad reſtitutionem, non enim ſemper conſilium, vel adulatio, aut aliquid huiuſmodi, eſt efficax cauſa rapinæ. Vnde tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, id eſt, adulator ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex huiuſmodi cauſis, fuit iniuſta acceptio ſubſecuta.

C

PRINCIPALITER autem tenetur reſtituere ille, qui eſt principalis in facto. Principaliter quidem præcipiens, ſecundario exequens, & conſequenter alij per ordinem. Vno tamen reſtituente illi qui paſſus eſt dãnum, alius eidem reſtituere non tenetur. Sed illi qui ſunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur alijs reſtituere, qui reſtituerunt. Quando autẽ aliquis præcipit iniuſtam acceptionem, quæ non ſubſequitur, non eſt reſtitutio facienda; cum reſtitutio principaliter ordinetur ad reintegrandam rem eius, qui iniuſte eſt damnificatus.

D

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum ſtatim teneatur homo reſtituere*: dicendum quod ſicut accipere rem alienam, eſt peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam inuito domino, impedit eum ab vſu rei ſuæ, & ſic ei facit iniuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur ſtatim peccatum deſerere, ſecundum illud Eccleſiaſt. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum*. Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt vſum rei concedere.

E

Homo tenetur ſtatim reſtituere vel petere dilationem.

De perſonarum acceptione.

DISTINCTIO LIII.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis prædictis iuſtitiæ partibus. Et primo de perſonarum acceptione, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ. Secundo de peccatis, quæ opponuntur iuſtitiæ commutatiuæ. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum perſonarum acceptio ſit peccatum. Secundo vtrum locum habeat in diſpenſatione ſpiritualium. Tertio vtrum in exhibitione donorum. Quarto vtrum in iudicijs.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum perſonarum acceptio ſit peccatum*: dicendum, quod perſonarum acceptio opponitur diſtributiuæ iuſtitiæ. Conſiſtit enim æqualitas diſtributiuæ iuſtitię in hoc, quod diuerſis perſonis diuerſa tribuuntur, ſecundum proportionem ad dignitates perſonarum. Si igitur aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ propter quam id quod ei confertur, eſt ei debitum; non erit acceptio perſonarũ, ſed cauſæ, vnde Glo. ſuper illud Ephe. 6. *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum*: dicit quod *Deus iudex iuſtus, cauſas diſcernit, non perſonas*, puta ſi aliquis promoueat aliquem ad magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ, hic attenditur cauſa debita, non perſona. *Quid acceptio perſona.* Si autem aliquis conſideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod, id quod ei datur, eſſet proportionatum ei vel debitum; ſed ſolum hoc, quod eſt iſte homo, puta Petrus vel Martinus; eſt hic acceptio perſonæ, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam, quæ faciat eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ. Ad perſonam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono, puta ſi aliquis promoueat aliquem ad prælationem, vel magiſterium, quia eſt diues, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt acceptio perſonæ. Contingit tamen aliquam conditionem perſonæ, facere eam dignam reſpectu vnius rei, & non reſpectu alterius; ſicut conſanguineitas facit aliquem dignum ad hoc, quod inſtituatur hęres patrimonij, non autem ad hoc, quod ei conferatur prælatio eccleſiaſtica, & ideo eadem conditio perſonæ in vno negocio conſiderata, facit acceptionem perſonę, in alio autem non facit. *Acceptio perſ na opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, atque adeo eſt peccatũ.* Sic igitur patet, quod perſonarum acceptio opponitur iuſtitię diſtributiuæ in hoc, quod propter diſtributionem agitur, nihil autem opponitur virtuti niſi peccatum, vnde conſequens eſt, quod perſonarum acceptio ſit peccatum.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum perſonarum acceptio locum habeat in diſpenſatione ſpiritualium*: dicendum, quod perſonarum acceptio peccatum eſt, inquantum contrariatur iuſtitiæ; quanto autem in maioribus aliquis iuſtitiam tranſgreditur, tanto grauius peccat. Vnde cũ ſpiritualia ſint temporalibus potiora, grauius peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quam in diſpenſatione temporalium. *Acceptio perſonarũ grauius peccatũ eſt in ſpiritualibus quã in temporalibus.* Et quia perſonarum acceptio eſt cum aliquid perſonæ attribuitur, præter proportionem dignitatis ipſius, conſiderare oportet, quod dignitas alicuius perſonæ poteſt attendi dupliciter: vno modo ſimpliciter, & ſecundũ ſe; & ſic maioris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille qui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel induſtriam ſingularem, vel propter aliquid huiuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium rerum, principalius ordinantur ad vtilitatem communem, ſecundum illud 1. ad Corin. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, ideo quandoque abſque acceptione perſonarum, in diſpenſatione ſpiritualium, illi qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur; ſicut etiam Deus, gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis. *Qui reputãdi magis digni pro beneficijs Eccleſiaſticis.*

FIT autem perſonarum acceptio, vel in beneficiorum collationibus, vel diſpenſationibus, id eſt, iuris relaxationibus, vel in electionibus. In diſtributionibus quidem beneficiorum, quia vt plurimum prelati conferunt ea conſanguineis ſuis. Sed circa conſanguineos prelati diſtinguendum eſt, quia quandoque ſunt minus digni ſimpliciter, etiam per reſpectum ad bonum commune; & ſic ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione ſpiritualium, quorum prælatus eccleſiaſticus non eſt dominus, vt poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſator. 1. ad Corinth 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Quandoque vero conſanguinei Prelati Eccleſiaſtici, ſunt æque digni vt alij, & ſic licite poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos præferre; quia ſaltem in hoc præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, vt vnanimiter ſecum negocia Eccleſiæ tractent. Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ne ex hoc aliqui exemplum ſumerent, etiam præter dignitatem, bona Eccleſię conſanguineis dandi.

IN diſpenſationibus vero ad matrimonium, nota quod diſpenſatio matrimonij contrahendi, principaliter fieri conſueuit propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis eſt neceſſarium communi vtilitati, circa perſonas excellentes; & ideo cum eis facilius diſpenſatur, abſque peccato acceptionis perſonarum.

IN electionibus autem ſciendum, quod quandoque mediocriter bonus meliori præfertur, quia quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro iudiciali ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur; oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam, quæ quidem ſi pertineat ad negocium, quantum ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus: ſi vero non pertineat ad negocium, id quod conſideratur vt cauſa, erit manifeſtæ acceptio perſonæ. *Electo in cõſcientia tenetur eligere digniorem; habito reſpectu ad vtilitatem communem.*

IN electionibus etiam aliquis mediocriter bonus, de gremio Eccleſię exiſtens, prefertur multis melioribus, de gremio eiuſdem non exiſtentibus; quia ille qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam in qua eſt nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuteronom. 17. *Non poteris alterius gentis facere regem, qui non ſit frater tuus.*

AD TERTIVM, ſcilicet, *vtrum acceptio perſonarum conſiſtat in exhibitione honorum*: dicendum quod honor eſt quoddam teſtimonium de virtute eius qui honoratur, & ideo ſola virtus eſt debita cauſa honoris. *Sola virtus propria vel aliena eſt cauſa honoris.* Sciendum tamen quod aliquis poteſt honorari non ſolum propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutẽ alterius; ſicut principes, & prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, inquantum gerunt perſonam Dei, & communitatis, cui præſiciuntur; ſecundum illud Prou. 26. *Sicut qui immittit lapidem in acervum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem*, quia enim gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator quandoque mittit vnum lapillum loco centum marcarum; ita etiam honoratur inſipiens, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis. Et eadem ratione parentes & domini ſunt honorandi, propter participationem diuinæ dignitatis, qui eſt omnium pater, & Dominus. Senes autem ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus; licet hoc ſignum quandoque deficiat. Vnde vt dicitur Sap. 4. *Senectus eſt venerabilis non diuturna, nec annorum numero computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita eſt immaculata.* Diuites autem honorandi ſunt propter hoc, quod maiorem locum in communitatibus obtinent: ſi autem ſolum intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis perſonarum. *Contingit acceptio perſonarum in exhibitione honoris.*

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum perſonarum acceptio locum habeat in iudicijs*: dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, iudicium eſt actus iuſtitiæ, prout iudex ad æqualitatem iuſtitiæ reducit ea, quæ inæqualitatẽ facere poſſunt oppoſitã. Perſonarũ autẽ acceptio inæqualitatẽ quandam habet, inquantũ attribuitur alicui perſonę aliquid præter proportionem ſuam, in qua conſiſtit æqualitas iuſtitiæ, & ideo manifeſtum eſt,

quod

Acceptione perſonarum iudicium corrumpitur.

quod perſonarum acceptione iudicium corrũpitur.

SCIENDVM autem, quod iudicium dupliciter poteſt accipi, vno modo quantum ad ipſam rem iudicatam; & ſic iudicium ſe habet communiter ad commutatiuã, & ad diſtributiuam iuſtitiam; poteſt enim in iudicio diffiniri, qualiter aliquid commune ſit diſtribuendum multis,& qualiter vnus alteri reſtituat, quod ab eo accepit. Alio modo conſiderari poteſt, quantum ad ipſam formam iudicij, prout, ſcilicet iudex etiam in ipſa commutatiua iuſtitia, ab vno accipit, & alteri dat, & hoc pertinet ad diſtributiuã iuſtitiam, & ſecundũ hoc in quolibet iudicio, locum habere poteſt perſonarum acceptio. Eſt ergo perſonarum acceptio, quando iudex plus punit vnum iniuriantem, quam alium, cæteris paribus. Tamen quando punitur grauius aliquis propter iniuriam in perſonam maiorem commiſſam, non eſt perſonarum acceptio; quia ipſa diuerſitas perſonæ, facit quantum ad hoc diuerſitatem rei, vt ſupra dictum eſt. Similiter eſt perſonarum acceptio, quando iudex plus vnum ſuſtinet,vel defendit,quàm alium, vel quando plus miſeretur vni,quàm alteri,cæteris paribus. Debet tamen iudex plus in iudicio pauperi ſubuenire, quantum fieri poteſt, tamen ſine læſione iuſtitiæ; alioquin habet locum illud, quod dicitur Exo.23. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.*

De iniuſtitia iudicis.

DISTINCTIO LIIII.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis commutatiuę iuſtitiæ. Et primo conſiderandum eſt de peccatis, quę committuntur circa inuoluntarias commutationes. Secundo de peccatis, quæ committuntur circa commutationes voluntarias. Committuntur autem peccata ſecundum inuoluntarias commutationes, per hoc quod aliquod nocumentum proximo infertur contra eius voluntatem. Quod quidem fieri poteſt dupliciter, facto, ſcilicet & verbo. Facto quidem cum proximus læditur, vel in propria perſona, vel in perſona coniuncta, vel in proprijs rebus. De his igitur per ordinem conſiderandum eſt. Et primo de homicidio, per quod maximè nocetur proximo. Secundo de iniurijs minoribus, quæ proximo inferuntur, ſcilicet de mutilatione membrorum, verberatione, & incarceratione. Tertio de peccatis, quæ per nocumentum inferuntur proximo in rebus ſuis, ſcilicet de furto, & rapina. Sed de his omnibus agitur infra, vbi agitur de peccatis capitalibus, & filiab. eorum. Sed hic agetur de peccatis oppoſitis commutatiuæ iuſtitiæ, quæ conſiſtunt in verbis quibus læditur proximus. Et primo de his, quæ pertinent ad iudicium. Secundo de nocumentis verborum, quæ fiũt extra iudicium. Circa primum quinque conſideranda ſunt. Primo de iniuſtitia iudicis in iudicando. Secundo de iniuſtitia accuſatoris in accusãdo. Tertio de iniuſtitia rei in ſua defenſione. Quarto de iniuſtitia teſtis in teſtificando. Quinto de iniuſtitia aduocati in patrocinando. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum aliquis poſſit iudicare eum qui non eſt ei ſubditus. Secundo vtrum iudici liceat iudicium proferre contra veritatem quam nouit, propter illa quæ ſibi proponuntur. Tertio vtrum iudex poſſit iuſte condemnare non accuſatum. Quarto vtrum poſsit pœnam licite relaxare.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum poſſit aliquis iudicare illum, qui non eſt ſibi ſubditus:* dicendum, quod ſententia iudicis eſt quædam particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo ſicut lex generalis debet habere vim coactiuã, vt patet per Philoſophũ 10. Eth. ita etiam & iuſtitia iudicis, debet habere vim coactiuam, per quam conſtringatur vtraque pars ad conſeruandam ſententiam iudicis; alioquin iudicium non eſſet efficax. Poteſtatem autem coactiuam non habet licite in rebus humanis, niſi ille qui fungitur publica poteſtate; & qui ea funguntur, ſuperiores reputantur reſpectu eorum, in quos ſicut in ſubditos poteſtatem accipiunt, ſiue habeant ordinariè, ſiue per commiſsionem. Et ideo manifeſtum eſt, quod nullus poteſt iudicare aliquem, niſi ſit aliquo modo ſubditus eius, vel per commiſsionem, vel per poteſtatem ordinariam.

Nemo poteſt iudicare non ſubditum.

PER POTESTATEM quidem ordinariam, poteſt iudex omnes ſubditos ſuos licite iudicare, niſi tale factũ commiſerint, propter quod oporteat ad ſuperiorem recurrere. Sicut patet quod propter maiora crimina, oportet recurrere ad Epiſcopum, vel ad Papam; vel vbi per appellationem, cauſa ſubditi ad ſuperioris iudicium defertur. Item per ordinariam poteſtatem, poteſt aliquis iudicare eum qui non erat ſubditus, ratione delicti. Nam Epiſcopus in cuius diœceſi aliquis non ſubditus ſuus, delinquit; efficitur ſuperior eius, ratione delicti, etiam ſi ſit exemptus; niſi fortè delinquat in re aliqua exempta, puta in adminiſtratione bonorum alicuius monaſterij exempti. Sed ſi aliquis exemptus, committat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiuſmodi, poteſt per ordinarium iuſte condemnari.

ITEM per commiſsionem poteſt aliquis iudicare non ſubditum ſuum tripliciter, ſcilicet per commiſsionem diuinam, ſicut Moyſes iud cauit Ægyptium iniuriantem Hebræum, & occidit eum, Exo. 2. Et Daniel accepit poteſtatem ad iudicandum duos ſenes iudices impudicos, quaſi cõmiſſam ex inſtinctu diuino. Quod ſignificatur per hoc, quod ibi dicitur. *Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris.* Vel per commiſsionem humanam, & hoc poteſt fieri dupliciter. Vno modo, quia iudex ordinarius poteſtatem ſuã committit alicui, ſicut quotidie epiſcopi, vel alij iudices committunt: vel in temporalibus, vel in ſpiritualibus, vices ſuas. Alio modo, quia aliqui ſponte ſua poſſunt ſe ſubijcere aliorum iudicio, quamuis non ſint eis ſuperiores; ſicut patet in his qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde eſt, quod neceſſe eſt arbitrium pœna vallari, quia arbitri qui non ſunt ſuperiores, non habent de ſe plenariam poteſtatem coërcendi. Sic igitur & Chriſtus, propria ſponte humano ſe iudicio ſubdidit. Sicut etiam Leo Papa, iudicio ſe Imperatoris ſubdidit.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum iudici liceat iudicare contra veritatem quam nouit, &c.* dicendum quod iudicare pertinet ad iudicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate, & ideo informari debet in iudicando, non ſecundum illud quod ipſe nouit, tanquam priuata perſona; ſed ſecundum illud quod ſibi innoteſcit, tanquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi, & in communi, & in particulari. In communi quidem per leges publicas, vel diuinas, vel humanas, contra quas probationes nullas admittere debet. In particulari autem negocio aliquo, per inſtrumenta, & teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in iudicando magis quam id quod ipſe nouit tanquam priuata perſona; ex quo tamen ad hoc adiuuari poteſt, vt diſtrictius diſcutiat probationes inductas, vt poſſit earum defectum inueſtigare, quod ſi ea non poſſit de iure repellere, debet ſicut dictum eſt, eas in iudicando ſequi.

Iudex debet iudicare ſecundum probata, contra veritatem quam nouit.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum iudex poſſit iudicare non accuſatum:* dicendum, quod iudex eſt interpres iuſtitiæ, vnde ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. *ad iudicem confugiunt ſicut ad quandam iuſtitiam animatam*, iuſtitia autem ſicut ſupra habitum eſt, non eſt ad ſeipſum, ſed ad alterum, & ideo oportet quod iudex inter aliquos duos dijudicet, quod quidem fit cum vnus eſt accuſator, & alius reus. Et ideo in criminibus non poteſt aliquem in iudicio condemnare iudex, niſi habeat accuſatorem, ſecundum illud Actuum. 25. *Non eſt conſuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijcebantur.*

Iudex non poteſt condẽnare niſi accuſatum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

DEVS autem in iudicio ſuo vtitur conſcientia peccantis quaſi accuſatore, ſecundum illud Rom. 2. *Inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium*, vel etiam euidentia facti, quantum ad ipſum, ſecundum illud Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, procedit etiam in iudicio ex tota ſcientia veritatis, non autem homo, vt ſupra dictum eſt. Et ideo homo non poteſt ſimul eſſe accuſator, & iudex, & teſtis, ſicut Deus: Daniel autem accuſator fuit ſimul & iudex, quaſi diuini iudicij executor, cuius inſtinctu mouebatur vt dictum eſt.

Publica infamia locum tenet accuſatoris.

NOTA etiam quod in humano iudicio, publica infamia locum tenet accuſatoris. Vnde ſuper illud Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui, &c.* dicit Gloſſ. *Euidentia patrati ſceleris, accuſatore non eget.* In denunciatione vero, ſicut ſupra dictum eſt, non intenditur punitio peccantis, ſed emendatio; & ideo nihil agitur contra eum, cuius peccatum denunciatur, ſed pro eo; & ideo non eſt ibi neceſſarius accuſator.

ITEM ſi iudex videt aliquid punitione dignum, non poteſt procedere ad ferendam ſententiam, & inferendam pœnam, quia cauſa & ſententię, & pœnæ, debent eſſe eccleſiæ manifeſta. Non eſt autem Eccleſiæ manifeſta per hoc, quod iudex videt, quia non videt vt publicam poteſtatem habens, ſed vt perſona ſingularis extra iudicium.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum iudex poſsit pœnam relaxare:* dicendum quod ſicut ex dictis patet, duo ſunt quantum ad propoſitum pertinet, circa iudicem conſideranda. Quorum vnum eſt, quod ipſe habet iudicare inter accuſatorem & reum. Aliud autem eſt, quod ipſe non fert iudicij ſententiam quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica poteſtate. Duplici ergo ratione impeditur iudex, ne reum à pœna abſoluere poſsit. Primo quidem ex parte accuſatoris, ad cuius ius quandoque pertinet vt reus puniatur, puta propter aliquam iniuriam in ipſum commiſſam, cuius relaxatio non eſt in arbitrio alicuius iudicis, quia quilibet iudex tenetur ius ſuum reddere vnicuique; Alio modo impeditur ex parte reipub. cuius poteſtate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur. Sed tamen quantum ad hoc, differt inter inferiores iudices, & ſupremum iudicem, ſcil. principem, cui eſt plenariè poteſtas publica commiſſa. Iudex enim inferior non habet poteſtatem abſoluendi reum à pœna, cõtra leges à ſuperiori ſibi impoſitas. Vnde ſuper illud Ioa. 19. *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam*, dicit Aug. *Talem Deus dederat Pilato poteſtatem, vt eſſet ſub Cæſaris poteſtate, ne ei omnino liberum eſſet accuſatum abſoluere.* Sed princeps qui habet plenariam poteſtatem in repub. ſi ille qui paſſus eſt iniuriam, velit eam, & pœnam remittere, poterit eum licite abſoluere, ſi hoc publicę vtilitati viderit non eſſe nociuum.

Iudex non poteſt pœnã relaxare, niſi quando relinquitur eius arbitrio.

VNDE quia Deus habet ſupremam poteſtatem iudicandi, & ad ipſum pertinet quicquid contra aliquẽ peccãt; ideo liberũ eſt ei pœnam remittere: præcipuè cum peccato ex hoc, pœna maximè debeatur, quod eſt contra ipſum: non tamen remittit pœnam, niſi ſecundum quod decet ſuam bonitatem, quæ eſt omnium legum radix.

NOTA etiam, quod miſericordia iudicis habet locũ in his, quæ arbitrio iudicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, vt ſit diminutiuus pœnarum, ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. In his autẽ, quæ ſunt determinata ſecundũ legem diuinam, vel humanam, non eſt ſuum miſericordiam facere. Si. n. inordinatè pœnã remitteret, nocumentũ inferret etiam cõmunitati, cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur, vnde Deut. 13. Poſt pœnam ſeductoris ſubditur: *vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quiſpiam huius rei ſimile.* nocet etiam perſonę cui eſt illata iniuria, quæ recompenſationem accipit, per quandam reſtitutionem honoris in pœna iniuriantis.

De iniuſta accuſatione.

DISTINCTIO LV.

DEINDE conſiderandum eſt de his, quæ pertinẽt ad iniuſtam accuſationem. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum homo accuſare teneatur. Secundo vtrum accuſatio facienda ſit in ſcriptis. Tertio quomodo ſit accuſatio vitioſa. Quarto qualiter male accuſantes ſint puniendi.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum homo teneatur accuſare:* dicendum quod hæc eſt differentia inter denunciationem, & accuſationem, quia in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accuſatione autem attenditur punitio criminis. Pœnæ autem præſentis vitæ non per ſe expetuntur, quia non eſt hic vltimum retributionis tempus, ſed inquantum ſunt medicinales, conferentes vel ad emendationem perſonæ peccantis, vel ad bonum reipublicæ cuius quies procuratur per punitionem peccantium. Quorum primum intenditur in denunciatione, ſicut dictum eſt; ſecundum autem proprię pertinet ad accuſationem. Et ideo ſi crimen fuerint tale, quod vergat in detrimentum reipu. tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare, quod pertinet ad officium accuſatoris; puta cum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam, corporalem, ſeu ſpiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandum accuſationem, quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere.

Diſcrimen inter denunciationem & accuſationem.

Quãdo quis tenetur accuſare.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum accuſatio debeat fieri in ſcriptis*: dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, quando in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator inſtituitur pars; ita quod iudex inter accuſatorem, & eum qui accuſatur, medius conſtituitur ad examen iuſtitiæ; in quo oportet quantum poſſibile eſt, ſecundum certitudinem procedere. Quia vero ea quæ verbotenus dicuntur, facile labuntur à memoria, non poſſet iudici eſſe certum, quid & qualiter dictum ſit, cum debet proferre ſententiam, niſi eſſet in ſcriptis redactum; & ideo rationabiliter inſtitutum eſt, vt accuſatio, ſicut & alia quæ in iudicio aguntur, redigatur in ſcriptis.

Cur accuſatio debet fieri in ſcriptis.

AD TERTIVM, ſcilicet *quomodo & per quæ accuſatio reddatur vitioſa:* dicendum, quod accuſatio ordinatur ad bonum commune, quod intenditur per cognitionem criminis, nullus autem debet alicui nocere iniuſtè vt bonum commune promoueat, & ideo in accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum. Vno modo ex eo, quod iniuſte agit contra eum qui accuſatur, falſa crimina ei imponendo, quod eſt calumniari: alio modo ex parte reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accuſatione; dum ſcilicet aliquis impedit malitiosè punitionem peccati. Quod iterum dupliciter contingit: vno modo fraudem in accuſatione adhibendo, & hoc pertinet ad præuaricationem; nam præuaricator quaſi varificator, qui aduerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt tergiuerſari. In hoc enim qnod deſiſtit ab hoc, quod cæperat, quaſi tergum vertere videtur.

Quot modis accuſatio redditur vitioſa.

ET NOTA, quod non debet aliquis accuſationem proponere, niſi de re ſibi omnino certa, in quo ignorantia facti locum non habeat, nec tamen qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur; ſed ſolum qui ex malitia, in falſam accuſationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex ipſa animi leuitate ad accuſationem procedere, quia ſcilicet nimis faciliter credit quod audiuit, & hoc temeritas eſt. Aliquando autẽ ex iuſto errore mouetur aliquis ad accuſãdũ; quæ omnia ſecundũ prudẽtiã iudicis debẽt diſcerni, vt nõ pronũciet

ciet eum calumniatum fuiſſe, qui vel ex leuitate animi, vel ex iuſto errore in falſam accuſationem prorupit.

Quid preuaricari.

ITEM nota, quod non quicunque abſcondit vera crimina, prævaricatur; ſed ſolum ſi fraudulenter abſcondit ea, de quibus accuſationem proponit, colludens cum reo, proprias reprobationes diſſimulando, & falſas excuſationes admittendo.

Quid tergiuerſari.

ITEM nota, quod tergiuerſari eſt ab accuſatione deſiſtere, omnino animum accuſandi deponendo, non qualitercunque, ſed inordinatè. Contingit autem aliquem ab accuſatione deſiſtere ordinate abſque vitio dupliciter: vno modo ſi in ipſo accuſationis proceſſu, cognouerit falſum eſſe id de quo accuſabat; & ſic pari aſſenſu ſe abſoluunt accuſator & reus. Alio modo ſi princeps ad quem pertinet cura boni communis, quid per accuſationem intenditur, accuſationem abſoluerit.

Quid accuſando in probatione deficit, meretur pœnam talionis niſi iuſta ignorantia excuſet.

AD QVARTVM, ſcilicet, *vtrum ille qui accuſando in probatione deficit, teneatur ad pœnam talionis:* dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, accuſator in cauſa accuſationis, conſtituitur pars intendens ad pœnam accuſati; ad iudicem autem pertinet, vt inter eos iuſtitiæ æqualitatem conſtituat. Iuſtitię autem æqualitas hic requirit, vt nocumentum quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecundum illud Exod. 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Et ideo iuſtum eſt, quod ille qui per accuſationem, aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur, vnde extra de accuſationibus dicit Adrianus Papa, *ſi non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulit, ipſe patiatur.* Sed ſicut dicit Philoſophus in 5. Ethi. *Iniuſtitiæ non ſemper competit contra paſſum ſimpliciter*, quia multum differt, an aliquis voluntariè, vel inuoluntariè alium lædat; voluntarius autem meretur pœnam, ſed inuoluntario debetur venia. Et ideo quando iudex cognouerit aliquem de falſo accuſaſſe, non voluntate nocendi, ſed inuoluntariè propter ignorantiam ex iuſto errore, non imponit pœnam talionis.

ET NOTA, quod ille qui malè accuſat peccat, & contra perſonam accuſati, & contra rempub. vnde propter vtrumque punitur. Et hoc eſt quod dicitur Deute. 19. *Cumque diligentiſſime perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit;* quod pertinet ad iniuriam perſonę. Et poſtea quantum ad iniuriam reipub. ſubditur, *& auferes malũ de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.* Specialiter tamen perſonæ accuſati facit iniuriam, ſi de falſo accuſet. Et ideo accuſatus ſi innocens fuerit, poteſt ei iniuriam ſuam remittere, maximè ſi non calumniosè accuſauerit, ſed ex animi leuitate. Si vero ab accuſatione innocentis deſiſtat, propter aliquam colluſionem cum aduerſario, facit iniuriam reipublicę; & hoc non poteſt ei remitti ab eo qui accuſatur, ſed poteſt ei remitti per principem qui curam reipublicę gerit.

ITEM nota, quod pœnam talionis meretur accuſator in recompenſationem nocumenti, quod proximo inferre intentat; ſed pœna infamiæ ei debetur propter malitiam ex qua calumniosè alium accuſat. Et quandoque quidem princeps remittit pœnam, ſed non abolet infamiam: quandoque autem pariter infamiam abolet, vnde & Papa poteſt huiuſmodi infamiam abolere. Et quod dicit Gelaſius Papa *infamiam abolere non poſſumus*, intelligendum eſt vel de infamia facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit; vel etiam loquitur de infamia irrogata per iudicem ciuilem, ſicut dicit Gratianus.

De iniuſtitia ex parte rei.

DISTINCTIO LVI.

DEINDE conſiderandum eſt de peccatis, quę ſunt contra iuſtitiam ex parte rei. Et circa hoc conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum aliquis negando veritatem per quam condemnaretur, peccet mortaliter. Secundo vtrum alicui liceat ſe calumniosè defendere. Tertio vtrum ſubterfugere iudicium appellando. Quarto vtrum condemnato liceat per violentiam ſe defendere, ſi adſit facultas.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum aliquis negando veritatem, per quam condemnaretur, peccet mortaliter.* Dicendum, quod quicunque facit contra debitum iuſtitiæ, mortaliter peccat, ſicut ſupra dictum eſt. Pertinet autem ad debitum iuſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo ſuperiori, in his ad quæ ius prælationis ſe extendit. Iudex autem vt ſupra dictum eſt, eſt ſuperior reſpectu eius, qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accuſatus, iudici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam iuris exigit. Et ideo ſi confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel eam mendaciter negauerit, mortaliter peccat. Si vero iudex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem iuris, non tenetur ei accuſatus reſpondere, ſed poteſt vel per aliquam appellationm, vel aliter licite ſubterfugere, mendacium tamen dicere non licet. Qui enim mentitur in iudicio ſe excuſando, facit contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium; & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat; tum etiam ex parte accuſantis, qui punitur ſi in probatione deficiat, vnde & in Pſalmo 140. dicitur. *Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Vbi dicit Gloſſ. *Hæc eſt conſuetudo impudentium, vt deprehenſi per aliqua falſa ſe excuſent.* Et Greg. 22. Mora. exponens illud Iob. 31. *ſi abſcondi vt homo peccatum meum*, dicit, *vſitatum humani generis vitium eſt, & libendo peccatum committere, & negando commiſſum abſcondere, & commiſſum defendẽdo multiplicare.*

Accuſatus tenetur ſub mortali veritatem iudici exponere quam ſecundum formam iuris exigit.

ET nota, quod quando mentitur aliquis, vt alium morte, vel alio malo liberet, ſine iniuria alterius, mendacium eſt officioſum, & eſt veniale peccatum, ſed quando mentitur, vt vnum à morte liberet, cum iniuria alterius; non eſt mendaciũ ſimpliciter officioſũ ſed habet aliquid de pernicioſo admixtũ, ideo nõ eſt veniale, ſed mortale peccatũ. Simili modo dicas, quod ſi mentitur quis excuſando ſe vt à morte liberet, & hoc extra iudicium, ita quod in nullius iniuriam hoc faciat, peccat venialiter, quia plus tenetur homo ſibi, quam alteri. Sed quando mentitur aliquis in iudicio excuſando ſe, iniuriam facit illi, cui obedire tenetur, dum ſibi denegat, quod ei debet, ſcilicet confeſſionem veritatis. Nec obſtat verbum Chryſoſtom. dicentis. *Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud aliquos te accuſes;* quia quando ſecundum ordinem iuris aliquis interrogatur à iudice, non ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur, dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur per eum cui obedire tenetur.

Quando mẽtiri in iudicio eſt mortale, quando veniale.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum accuſato liceat calumniosè defendere ſe:* dicendum quod aliud eſt veritatẽ tacere, aliud eſt falſitatem proponere, quorum primum in aliquo caſu licet. Non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, ſed illam ſolum quam ab eo poteſt; & debet requirere iudex, ſecundum ordinem iuris; puta cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa iudicia apparuerunt, vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena. Falſitatem tamen imponere, in nullo caſu licet alicui, ad id autem quod licitum eſt, poteſt aliquis procedere per vias licitas, & fini intẽto accõmodatas, quod pertinet ad prudentiam;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dentiam; vel per aliquas vias illicitas, & propoſito fine incongruas, quod pertinet ad aſtutiam, quæ exercetur per fraudem, & dolum, vt ex dictis patet, quorum primum eſt laudabile, ſecundum vero vitioſum. Sic igitur reo qui accuſatur, licet ſe defendere veritatem occultando quam confiteri non tenetur, per aliquos conuenientes modos, puta quod non reſpondeat ad quæ reſpondere non tenetur: Hoc autem nõ eſt calumnioſe ſe defendere, ſed magis prudenter euadere, non autem licet ei, vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur, neque etiam aliquam fraudem vel dolum adhibere; quia fraus, & dolus, vim mendacij habent, & hoc eſt calumnioſe ſe defendere.

Accuſato nõ licet ſe defendere calumnioſe.

ET NOTA quod ſi accuſator colludat cum accuſato, punitur ſecundum iura, pœnam recipiens legibus cõſtitutam, vt dicitur 2. q. 6. Sed non imponitur pœna accuſato, ſi cum accuſatore colludat, quod eſt calumnioſe ſe defendere. Hæc autem eſt ratio, quia non fit hoc peccatum, ſicut illud, ſed multa ſecundum leges humanas impunita relinquuntur, quæ ſecũdum diuinum iudicium ſunt peccata; ſicut patet in ſimplici fornicatione, quia lex humana non exigit ab homine omnimodam virtutem, quæ paucorum eſt, & nõ poteſt inueniri in tanta multitudine populi, quantam lex humana ſuſtinere habet neceſſe. Quod autem aliquis nõ velit aliquod peccatum committere, vt mortẽ cõporalem euadat, cuius periculũ ibi in cauſſa ſanguinis imminet reo, eſt perfectæ virtutis, quia *omnium terribilium, maximè terribile eſt mors*, vt dicitur in 3. Ethic. Et ideo ſi reus in cauſa ſanguinis corrumpat aduerſarium ſuum, peccat quidem inducendo eum ad illicitum, non autem huic peccato lex ciuilis adhibet pœnam, & pro tanto licitum eſſe dicitur. Tamen cum inducere aliquem ad peccandum ſit peccatum, vel qualitercunque peccati participem eſſe, cum Apoſtolus dicat dignos morte eos, qui peccantibus conſentiunt; manifeſtum eſt quod etiam reus peccat, cum aduerſario colludendo. Nõ tamẽ ſecundũ leges humanas imponitur ſibi pœna, propter rationes iam dictas.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum accuſato liceat ſubterfugere iudicium appellando*: dicendum quod ex duplici cauſſa contingit aliquem appellare; vno quidem modo confidentia iuſtę cauſæ, quia videlicet iniuſtè à iudice grauatur, & ſic licitum eſt appellare. Hoc enim eſt prudenter euadere, ſicut Paulus Cæſarem appellauit, ſicut legitur actuum. 25. Vnde 2. q. 6. dicitur *Omnis oppreſſus, libere ſacerdotum, ſi voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur.* Omnis enim inferior, ſuperiori poteſtati in tantum debet eſſe ſubiectus, inquantum ipſa poteſtas ordinem ſuperioris obſeruat, à quo ſi exorbitauerit, ei ſubijci non oportet, puta ſi aliud iuſſerit proconſul, & aliud imperator, vt patet per Gloſſam Rom. 13. Cum autem iudex iniuſte aliquem grauat, quantum ad hoc relinquit ordinem ſuperioris poteſtatis, ſecundum quem neceſſitas ſibi iuſte iudicandi imponitur. Et ideo licitum eſt ei, qui contra iuſtitiam grauatur, ad directionem ſuperioris poteſtatis recurrere, appellando vel ante ſententiam, vel poſt. Et quia non præſumitur eſſe rectitudo, vbi fides non eſt; ideo non licet catholico, ad infidelẽ iudicem appellare, ſecundum illud 2. q. 6. *Catholicus, qui cauſam ſuam ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, ad iudicium alterius fidei iudicis prouocauerit, excommunicetur.* Nam & Apoſtolus arguit eos, qui iudicio contendebant apud infideles. Alio modo aliquis appellat cauſa afferendæ moræ, ne contra eum iuſta ſententia proferatur; & hoc eſt calumnioſe ſe defendere, quod eſt illicitum ſicut dictum eſt; facit enim iniuriam, & iudici, cuius officium impedit, & aduerſario ſuo, cuius iuſtitiam quantum poteſt perturbat. Sicut enim dicitur 2. q. 6. *Omni modo puniendus eſt cuius iniuſta appellatio pronunciatur.*

Licet iniuſtè grauato ſubterfugere iudicium appellãdo, modo non appellet ad iudicẽ infidelem.

ET nota quod ſecũdum iura, à iudicibus arbitrarijs non licet appellare, licet tamen à iudicibus ordinarijs; cuius ratio eſt, quia ex proprio defectu vel negligentia procedit, quod aliquis ſua ſponte ſe alterius iudicio ſubijciat, de cuius iuſtitia non confidat. Leuis etiam animi eſſe videtur, vt non permaneat in eo, quod ſimul approbauit: & ideo rationabiliter denegatur ſubſidium appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui non habent poteſtatem, niſi ex conſenſu litigantium. Sed poteſtas iudicis ordinarij, non dependet ex conſenſu illius, qui eius iudicio ſubditur, ſed ex auctoritate regis, & principis, qui eum inſtituit. Et ideo contra eius iniuſtum grauamen, lex tribuit appellationis ſubſidium; ita quod etiam ſi ſit ſimul ordinarius & arbitrarius iudex, poteſt ab eo appellari, quia videtur ordinaria poteſtas occaſio fuiſſe, quod arbiter eligeretur. Nec debet ad defectum imputari eius qui conſenſit in eum ſicut in arbitrum, quem princeps iudicem ordinarium dedit.

Nõ licet appellare à iudice arbitrario niſi ſimul ſit ordinarius.

AD QVARTVM ſcilicet *vtrum condemnato ad mortem liceat ſe defendere*: dicendum quod aliquis condemnatur ad mortem dupliciter; vno modo iuſtè, & ſic non licet condemnato ſe defendere; licitum eſt enim iudici eum reſiſtentem impugnare: vnde relinquitur, quod ex parte eius, ſit bellum iniuſtum, vnde indubitanter peccat. Sicut expreſſe dicit Apoſtol. Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationem acquirit.* Alio modo condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundum illud Ezech. 22. *Principes eius in medio eius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem.* Et ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis principibus, niſi fortè, propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.

Iniuſtè ad mortem condemnato, licet ſe defendere ſi poſſit ſecus ſi iuſtè condemnetur.

De iniuſtitia teſtium.

DISTINCTIO LVII.

DEINDE conſiderandum eſt de iniuſtitia pertinente ad perſonam teſtis. Et circa hoc videnda ſunt quatuor. Primo vtrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum. Secundo vtrum duorum vel trium teſtimonium ſufficiat. Tertio vtrum teſtimonium alicuius abſque culpa eius repellatur. Quarto vtrum falſum teſtimonium perhibere ſit mortale peccatum.

AD PRIMVM ſcilicet *vtrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum*: dicendum, quod in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt, quia aliquando requiritur teſtimonium alicuius, aliquando non requiritur: ſi requiritur teſtimonium alicuius ſubditi, auctoritate ſuperioris, cui in his quæ ad iuſtitiam pertinent obedire tenetur, non eſt dubium quin teneatur teſtimonium ferre, in his in quibus ſecundum ordinem iuris teſtimonium ab eo exigitur, puta in manifeſtis, & in his de quibus infamia præceſſit. Si autem exigatur ab eo teſtimonium in alijs, puta in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum. Si verò requiritur eius teſtimonium non auctoritate ſuperioris cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt; quia ſi teſtimonium requiritur ad liberandum hominem, vel ab iniuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel falſa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi eius teſtimonium non requiritur, tenetur facere quod in ſe eſt, vt veritatem denunciet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe, dicitur enim in Pſalm. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*, & Prouer. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*, & Rom. 1. dicitur. *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vbi dicit Gloſſa, quod *conſentire eſt tacere, cum poſſis redarguere.* Super his vero quæ pertinent ad condemnationem alicuius, non tenetur ferre teſtimonium, niſi cum à ſuperiori compellitur ſecundum

In quibus caſibus teneatur homo ferre teſtimonium.

ordinem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ordinem iuris, quia ſi circa hoc veritas occultetur, Nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur: vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum, quia ipſe ſe, in illud periculum ſponte ingeſſit. Alia vero ratio eſt de reo, cui imminet periculum eo nolente.

Quæ cõmiſſa ſub ſecreto non poſſunt reuelari.

Sed nota ſollicite, quod de illis quę commiſſa ſunt homini ſub ſecreto per confeſſionem, nullo modo debe teſtimonium ferre; quia huiuſmodi non ſcit vt homo, ſed tanquam Dei miniſter; & maius eſt vinculum ſacramenti, quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quę aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis veniunt homo ea manifeſtare tenetur; puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonę; vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi, quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denuntiando, & contra hoc debitum, obligari non poteſt per ſecreti commiſſum, quia in hoc non frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque vero ſunt talia quæ quis prodere non tenetur, vnde poteſt obligari ex hoc, quod ſibi ſub ſecreto committitur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto ſuperioris, quia ſeruare fidem eſt de iure naturali. Nihil autem poteſt præcipi homini, contra id quod eſt de iure naturali.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum duorum vel triũ teſtimonium ſufficiat.* Dicendum, quod Deut. 17. dicitur. *In ore duorum vel trium teſtium, peribit qui interficietur.* Et infra 19. *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quia ſecundum Philoſophum in 1. Ethi. *Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia.* In actibus enim humanis ſuper quibus conſtituuntur iudicia, & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtratiua, eo quod ſunt circa contingentia, & variabilia; & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, & ſic à veritate in paucioribus deficiat. Eſt autem probabile, quod magis veritatem continet dictum multorum, quàm dictum vnius; & ideo cum reus ſit vnus qui negat, ſed multi teſtes aſſerunt idem cum actore, rationabiliter inſtitutum eſt iure diuino, & humano, quod dicto teſtium ſtetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, ſcilicet principio, medio, & fine. Vnde ſecundum Philoſophum in 1. de cælo. *Omne & totum, in tribus ponimus.* Ternarius quidem conſtituitur aſſerentium, cum duo teſtes conueniunt cum actore vel accuſatore; & ideo requiritur binarius teſtium, vel ad maiorem certitudinem vt ſit ternarius, qui eſt multitudo perfecta in ipſis teſtibus, vnde & Eccleſiaſtici 4. dicitur *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Aug. autem dicit ſuper illud Ioan. 8. *Duorum hominum teſtimonium verum eſt; quod in hoc eſt Trinitas ſecundum myſterium commendata,* in qua eſt perpetua firmitas veritatis. Hac igitur ratione, determinauit lex diuina, pariter & humana, duos vel tres ſufficere ad teſtimonium perhibendum: quia quantacumque multitudo teſtium determinaretur, poſſet quandoque teſtimonium eſſe iniquum, cũ ſcriptum ſit Exo. 24. *Ne ſequaris turbam ad faciendum malum.* Nec tamen quia non poteſt in talibus fallibilibus certitudo haberi, debet negligi certitudo quæ probabiliter haberi poteſt per duos vel tres teſtes, vt dictum eſt.

Duorum vel trium teſtimonium ſufficit, niſi in caſibus iure expreſſis, & rationabiliter exceptis.

Hoc tamen ſecundum iura canonica non tenet, quantum ad aliquas perſonas in dignitatibus conſtitutas, ſicut legitur 2. q. 5. vbi dicitur *Preſul non damnetur niſi ſi ſeptuaginta duobus teſtibus. Presbyter autem Cardinalis niſi ſi ſeptuaginta duobus teſtibus. Diaconus cardinalis vrbis Romæ niſi in 28. teſtibus non condemnabitur. Subdiaconus, acolitus, exorciſta, lector, oſtiarius, niſi in ſeptem teſtibus non condemnabitur.* Sed magis eſt periculoſum peccatum eius, qui in maiori dignitate conſtitutus eſt, & ita minus eſt tolerandum; ergo nec in aliorum condemnatione ſufficit duorum vel trium teſtimonium. Sed illud locum habet ſpecialiter in epiſcopis, preſbyteris, diaconibus, & clericis Eccleſiæ Romanæ, propter eius dignitatem, & hoc triplici ratione. Primo quidem quia in ea tales debent inſtitui, quorum ſanctitati plus credatur, quam multis teſtibus. Secundo quia homines, qui habent de alijs iudicare, ſæpe propter iuſtitiã multos aduerſarios habent, vnde non eſt paſſim credendum teſtibus contra eos, niſi magna multitudo conueniat. Tertio quia ex condemnatione alicuius eorum, derogaretur in opinione hominum, dignitati illius eccleſiæ, & auctoritati; quod eſt periculoſius, quam in ea telerare aliquem peccatorem, niſi valde publicum & manifeſtum, de quo graue ſcandalum oriretur.

Et nota, quod quia teſtes inuicem diſcordare contingit, propter quod teſtimonium illorum, vel minus certum efficitur, vel penitus eneruatur, ideo ſciendũ, quod diſcordia teſtiũ in aliquibus principalibus circũſtantijs, quæ variant ſubſtantiam facti, puta in tẽpore, vel loco, vel perſonis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam teſtimonij: quia ſi diſcordant in talibus, videntur ſingulares eſſe, in ſuis teſtimonijs, & de diuerſis factis loqui; puta ſi vnus dicat hoc factum eſſe in tali tempore, vel loco, & alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Non tamen præiudicatur teſtimonio, ſi vnus dicat ſe non recordari, & alius aſſerat determinatum tempus, vel locum. Et ſi in talibus omnino diſcordauerint teſtes actoris, & rei, ſi ſint æquales numero, & pares dignitate, ſtatur pro reo, quia facilior debet eſſe iudex ad abſoluendum, quam ad condemnandum; niſi forte in cauſis fauorabilibus, ſicut eſt cauſſa libertatis, & huiuſmodi. Si vero teſtes eiuſdem partis diſſenſerint, debet iudex ex motu ſui animi percipere, cui parti ſit ſtandum, vel ex numero teſtium; vel ex dignitate eorum. vel ex fauorabilitate cauſæ, vel ex conditione negocij, & dictorum, Multo autem magis teſtimonium vnius repellitur, ſi ſibiipſi diſſideat, interrogatus de viſu, & ſcientia; non autem ſi diſſideat interrogatus de opinione, & fama; quia poteſt ſecundum viſa diuerſa & audita, diuerſimode motus eſſe ad reſpondendum. Si vero ſit diſcordia teſtimonij in aliquibus circunſtantijs non pertinentibus ad ſubſtantiam facti, puta ſi tempus fuerit nubiloſum vel ſerenum, vel ſi domus fuerit picta aut non, vel aliquid huiuſmodi; diſcordia talis non præiudicat teſtimonio, quia homines non conſueuerunt circa talia multum ſollicitari, vnde facile à memoria elabuntur, quinimmo aliqua diſcordia in talibus facit teſtimonium credibilius, vt Chryſoſt. dicit. ſuper Matt. quia ſi ita omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem ſermonem proferre, quod tamen prudentię iudicis relinquitur diſcernendum.

Quod faciẽdum quando teſtes diſcordant in circunſtantijs principalibus vel alijs.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum aliquis ſine culpa à teſtimonio repellatur;* dicendum quod teſtimonium ſicut dictum eſt, non habet infallibilem certitudinem, ſed probabilem. Et ideo quicquid eſt, quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit teſtimoniũ inefficax. Redditur autem probabile, quod aliquis in veritate teſtificanda nõ ſit firmus; quandoq; quidẽ propter culpã, ſicut infideles, & infames; item illi, qui publico crimine rei ſunt, qui nec accuſare poſſunt: quandoq; autẽ abſque culpa, & hoc vel ex defectu rationis, ſicut patet de pueris, amentibus, & mulieribus; vel quandoq; ex affectu, ſicut patet de inimicis, & de perſonis cõiunctis, & domeſticis, vel etiam exteriori conditione, ſicut ſunt pauperes, ſerui, & illi quibus imperari poteſt, de quibus probabile eſt, quod facile poſſunt induci ad teſtimonium ferendum contra veritatem. Et ſic patet, quod teſtimonium alicuius repellitur, & propter culpam, & abſque culpa.

Quinam citra culpam ſunt à teſtimonio repellendi, & qui ex culpa.

Ad qvartvm, ſcil. *vtrum falſum teſtimoniũ ſemper ſit peccatum mortale:* dicendum quod falſum teſtimo-

Falſum teſtimonium ex duobus titulis poteſt eſſe peccatū mortale.

nium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex periurio, quia teſtes non admittuntur niſi iurati, & ex hoc eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione iuſtitiæ; & hoc eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & quælibet iniuſtitia. Et ideo in præcepto decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium, cum dicitur. Exo. 20. *Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Non enim contra aliquem facit, qui eum ab iniuria facienda impedit, ſed ſolum qui ei ſuam iuſtitiam tollit. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt peccatum; & ex hoc non habet falſum teſtimoniū, quod ſemper ſit peccatum mortale.

De iniuſtitia aduocatorum.

DISTINCTIO LVIII.

DEINDE conſiderandum eſt de iniuſticia, quæ fit in iudicio ex parte aduocatorum. Et circa hoc conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum aduocatus teneatur præſtare patrocinium cauſæ pauperum. Secundo vtrum aliquis debeat arceri ab officio aduocati. Tertio vtrum aduocatus peccet iniuſtam cauſam defendendo. Quarto vtrum peccet accipiendo pecuniam pro ſuo patrocinio.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum aduocatus teneatur patrocinium præſtare cauſæ pauperum:* dicendum, quod cum præſtare patrocinium cauſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat, idem eſt hic dicendum, quod & ſupra dictum eſt de alijs miſericordiæ operibus. Nullus enim ſufficit omnibus indigentibus miſericordiæ opus impendere; & ideo ſicut Aug. dicit in primo de Doctrina Chriſtiana *cum omnibus prodeſſe non poſsis, his potißime conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum oportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur.* Dicit *pro locorum opportunitatibus*, quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes quibus ſubueniat, ſed ſufficit ſi eis, qui ſibi occurrunt, miſericordiæ opus impendat. vnde dicitur Exo. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum.* Addit etiam, *& temporum*, quia homo non tenetur futuræ neceſſitati alterius ſubuenire; ſed ſufficit ſi præſenti neceſſitati ſuccurrat. Vnde dicitur 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem ſuum neceßitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo*, &c. ſubdit autem, *vel quarumlibet rerum*, quia homo ſibi coniunctis quacumque neceſſitudine, maxime debet curam impendere, ſecundum illud primæ ad Thim. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem neganit.* Quibus tamen concurrentibus conſiderandū reſtat, vtrum aliquis tantam neceſſitatem patiatur, quod non in promptu appareat, quomodo ei poſſit aliter ſubueniri, & in tali caſu tenetur ei opus miſericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat quomodo ei aliter ſubueniri poſſit, vel per ſeipſum, vel per aliam perſonam magis coniunctam, aut maiorem facultatem habentem, non tenetur ex neceſſitate indigenti ſubuenire, ita quod nō faciendo peccet, quamuis ſi ſubuenerit abſque tali neceſſitate, laudabiliter faciat. Vnde aduocatus non tenetur ſemper cauſæ pauperum patrocinium præſtare, ſed ſolum concurrentibus conditionibus prædictis: alioquin oporteret eum omnia alia negocia prætermittere, & ſolis cauſis pauperum tuuandis intendere, & idem dicendum eſt de medico, quantum ad curationem pauperum.

Quo caſu tenetur aduocatus patrocinium præſtare cauſæ pauperum

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum aliquis arceri debeat ab officio aduocandi*: dicendū quod aliquis impeditur ab aliquo actu, duplici ratione. Vno modo propter impotentiam. Alio modo propter indecentiā. Sed impotētia ſimpliciter excludit aliquē ab actu; indecentia autē nō excludit omnino, quia neceſſitas indecentiam tollere poteſt. Sic igitur ab officio aduocatorum prohibentur quidam propter impotentiam, eo quod deficiunt enſu, vel interiori ſicut furioſi, & impubes; vel exteriori, ſicut ſurdi, & muti. Eſt enim neceſſaria aduocato, & interior peritia, qua poſſit conuenienter iuſtitiam aſſumptæ cauſæ oſtendere; & exterior loquela cum auditu, vt poſſit pronunciare, & audire, quod ei dicitur. Vnde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne ſint aduocati, nec pro ſe, nec pro alijs. Decentia autem huius officij exercendi tollitur dupliciter; vno modo ex hoc, quod aliquis eſt rebus maioribus obligatus: vnde Monachos & presbyteros non decet, in quacumque cauſa aduocatos eſſe, neque clericos in iudicio ſeculari, quia huiuſmodi perſonæ ſunt rebus diuinis aſtrictę. Alio modo propter defectum perſonæ, vel corporalem, vt patet de cæcis qui conuenienter iudici aſtare non poſſent; vel ſpiritualem, non enim decet vt alterius iuſtitiæ patronus exiſtat, qui in ſeipſo iuſtitiam contempſit. Et ideo infames, infideles, & damnati de grauibus criminibus, non decenter ſunt aduocati; tamē huiuſmodi indecentiæ, neceſſitas præfertur. Et propter hoc, huiuſmodi perſonæ poſſunt pro ſeipſis, vel pro perſonis ſibi coniunctis, vti officio aduocati; vnde & clerici pro eccleſijs ſuis poſſunt eſſe aduocati, & Monachi pro cauſa monaſterij ſui, ſi abbas præceperit.

Qui arcendi ab officio aduocati.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum aduocatus peccet iniuſtam cauſam defendendo*: dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſiue conſulendo, ſiue adiuuando, ſiue qualitercumque conſentiendo; quia conſilians, & coadiuuans, quodammodo eſt faciens. Et Apoſtolus dicit Rom. 1. *Quod digni ſunt morte non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vnde etiam ſupra dictum eſt, quod omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod aduocatus, & auxilium & conſilium præſtat ei, cuius cauſæ patrocinatur. Vnde ſi ſcienter iniuſtam cauſam defendat, abſque dubio grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur huius damni, quod contra iuſtitiam per eius auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniuſtam cauſam defenderit, putans eſſe iuſtam, excuſatur ſecundum modum quo ignorantia excuſare poteſt.

Grauiter peccat aduocatus iniuſtam cauſā ſcienter defendendo.

AD QVARTVM, *ſcilicet vtrum aduocatus peccet pro ſuo patrocinio pecuniam accipiendo:* dicendum, quod non, ſicut expreſſe dicit Auguſtin. ad Macedonium, *aduocatus*, inquiens, *licite vendit iuſtum patrocinium, & iuriſperitus verum conſilium.* Et ratio huius eſt, quia illa quæ quis non tenetur alteri exhibere, iuſte poteſt pro eorum exhibitione recompenſationem accipere. Manifeſtum eſt autem, quod aduocatus non ſemper tenetur patrocinium præſtare, aut conſilium dare cauſis aliorum. Et ideo ſi vendat ſuum patrocinium, ſiue ſuum conſilium, non agit contra iuſtitiam. Et eadem ratio eſt de medico opem ferente ad ſanandum, & de omnibus alijs huiuſmodi perſonis, dum tamen moderatè accipiant, conſiderata conditione perſonarum, & negociorum, & laboris, & conſuetudine patriæ, ſi autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra iuſtitiam, vnde Auguſtin. dicit ad Macedonium, *quod ab his extorta per immoderatam improbitatem, repeti ſolent; data per tolerabilem conſuetudinem, non ſolent.*

Aduocatus poteſt capere pecunias pro ſuo patrocinio, moderatas tamen.

QVAMVIS autem ſcientia iuris ſit quoddam ſpirituale, tamen vſus eius ſit opere corporali, & ideo pro eius recompenſatione, licet pecuniam accipere; alioquin nulli artifici liceret de arte ſua lucrari.

Soluit obiectiones.

NOTA tamen, quod neciudex, nec teſtis, poſſunt accipere, ſicut dicit Auguſt. ad Macedonium; *non debet*, inquit, *iudex vendere iuſtum iudicium, nec teſtis verum eſtimonium.* Cuius cauſa eſt, quia iudex, & teſtis, ſunt perſonæ communes vtrique parti, quia iudex tenetur iuſtam ſententiam dare, & teſtis verum teſtimo-

monium

monium dicere. Iuſtitia autem, & veritas non declinant in vnam partem, magis quàm in aliam. Et ideo iudicibus de publico, ſunt ſtipendia laborum ſtatuta, & teſtes accipiunt, non quaſi precium teſtimonij, ſed quaſi ſtipendium laboris, expenſas; vel ab vtraque parte, vel ab ea qua inducuntur; quia *nemo militat ſtipendijs ſuis vnquam*, vt dicitur. 1. ad Corinth. 9. Sed aduocatus alteram partem tantum defendit, & ideo licite poteſt precium accipere à parte quam adiuuat.

DEinde conſiderandum eſt de iniurijs verborum, quæ inferuntur extra iudicium. Primo de contumelia. Secundo de detractione. Tertio de ſuſurratione. Quarto de deriſione. Quinto de maledictione. Sed de his omnibus, require infra libro tertio.

DEinde conſiderandum eſt de peccatis, quæ fiunt circa voluntarias commutationes. Et primo de fraudulentia, quæ fit in emptionibus, & venditionibus. Secundo de vſura, quæ fit in mutuis. Circa alias commutationes voluntarias non inuenitur aliqua ſpecies peccati, quę diſtinguatur à rapina, & furto. De fraudulentia, & vſura require infra libro tertio.

De integralibus iuſtitiæ partibus.

DISTINCTIO LIX.

DEINDE conſiderandum eſt de partibus integralibus iuſtitiæ, quę ſunt facere bonum, & declinare à malo, & de vitiis oppoſitis. Circa quę conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum duo prædicta ſint partes iuſtitiæ. Secundo vtrum tranſgreſſio ſit ſpeciale peccatum. Tertio vtrum omiſſio ſit ſpeciale peccatum. Quarto de comparatione omiſſionis ad tranſgreſſionem.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum facere bonum, & declinare à malo, ſint partes iuſtitię*: dicendum, quod ſi loquamur de bono & malo in communi, facere bonum & vitare malum, pertinet ad omnem virtutem. Et ſecundum hoc non poſſunt poni partes iuſtitiæ, niſi fortè iuſtitia accipiatur prout eſt omnis virtus. Quamuis etiam iuſtitia hoc modo accepta, reſpiciat quandam rationem boni ſpecialem, vt ſcilicet eſt debitum in ordine ad legem diuinam vel humanam. Sed iuſtitia ſecundum quod eſt ſpecialis virtus, reſpicit bonum ſub ratione debiti ad proximum. Et ſecundum hoc ad ſpecialem iuſtitiam pertinet, facere bonum ſub ratione debiti, in comparatione ad proximum, & vitare malum oppoſitum, ſecundum quod eſt nociuum proximo. Ad iuſtitiam verò generalem pertinet, facere bonum debitum, in ordine ad communitatem, vel ad Deum, & vitare malum oppoſitum. Dicuntur autem hæc duo, partes iuſtitiæ generalis & ſpecialis, quaſi integrales; quia vtrumque eorum requiritur ad perfectum actum iuſtitiæ. Ad iuſtitiam enim pertinet æqualitatem conſtituere in his quę ſunt ad alterum, vt ex ſupradictis patet, eiuſdem autem eſt aliquid conſtituere, & conſtitutum conſeruare. Conſtituit autem aliquis æqualitatem iuſtitiæ faciendo bonum, ideſt reddendo alteri, quod ei debetur. Conſeruat autem æqualitatem iuſtitiæ iam conſtitutæ, declinando à malo, id eſt nullum nocumentum proximo inferendo. Bonum ergo & malum hic accipiuntur ſub ſpeciali ratione, per quam appropriantur iuſtitiæ.

Bonum & malum ſpecialiter accepta ſunt partes integrales iuſtitiæ.

IDEO tamen hęc duo ponuntur partes iuſtitię, ſecundum aliquam propriam rationem boni & mali, non autem alterius alicuius virtutis moralis; quia virtutes morales aliæ conſtituuntur circa paſſiones, in quibus facere bonum eſt venire ad medium, quod eſt declinare ab extremis quaſi à malis; & ſic in idem redit quantum ad alias virtutes facere bonum, & declinare à malo. Sed iuſtitia conſiſtit circa operationes, & res exteriores, in quibus aliud eſt facere æqualitatem, & aliud eſt factam non corrumpere.

Solutio obiectionum.

ITEM declinare à malo non importat negationem puram, quæ eſt non facere malum, hoc enim non meretur palmam, ſed ſolum vitat pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, vt ipſum nomen declinationis oſtendit: & hoc eſt meritorium, præcipuè quando aliquis impugnatur, vt malum faciat, & reſiſtit.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum tranſgreſſio ſit ſpeciale peccatum*: dicendum, quòd nomen tranſgreſſionis, à corporalibus motibus, ad morales actus deriuatum eſt. Dicitur autem aliquis ſecundum corporalem motum tranſgredi, ex eo quod tranſgreditur terminum ſibi præfixum. Terminus autem præfigitur homini vt vltra non tranſeat in moralibus, per præceptum negatiuum; & ideo tranſgreſſio propriè dicitur ex eo, quod aliquis agit aliquid contra præceptum negatiuum. Quod quidem materialiter poteſt eſſe commune omnibus ſpeciebus peccatorum, quia per quamlibet ſpeciem peccati mortalis, homo tranſgreditur aliquod præceptum Diuinum. Sed ſi accipiatur formaliter, ſcilicet ſecundum hanc ſpecialem rationem, quod eſt facere contra præceptum negatiuum, ſic eſt ſpeciale peccatum dupliciter: Vno quidem modo ſecundum quod opponitur ad genera peccatorum oppoſita alijs virtutibus: ſicut enim ad propriam rationem iuſtitiæ legalis pertinet, attendere debitum præcepti; ita ad propriam tranſgreſſionis rationem pertinet, attendere contemptum præcepti. Alio modo ſecundum quod diſtinguitur ab omiſſione, qua contrariatur præcepto affirmatiuo.

Tranſgreſſio formaliter ſumpta eſt ſpeciale peccatum.

ET NOTA, quod ſicut iuſtitia legalis eſt omnis virtus ſubiectiuè & quaſi materialiter; ita etiam iuſtitia legalis eſt materialiter omne peccatum. Et hoc modo peccatum diffiniuit Ambro. lib. de Parad. ca. 8. ſcilicet ſecundum rationem iuſtitię legalis, dicens: *Peccatum eſt tranſgreſſio legis Diuinæ, & cæleſtium inobedientia præceptorum.*

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum omiſsio ſit ſpeciale peccatum*: dicendum, quod omiſſio importat prætermiſſionem boni, non autem cuiuſcunque, ſed boni debiti, bonum autem ſub ratione boni debiti, pertinet propriè ad iuſtitiam. Ad legalem quidem, ſi debitum accipiatur in ordine ad legem Diuinam vel humanam. Ad ſpecialem autem iuſtitiam, ſecundum quod debitū conſideratur in ordine ad proximum. Vnde eo modo quo iuſtitia eſt ſpecialis virtus, vt ſupra habitum eſt, etiam omiſſio eſt ſpeciale peccatum, diſtinctum à peccatis quæ opponuntur alijs virtutibus. Et eo modo quo facere bonum, cui opponitur omiſſio, eſt quędam ſpecialis pars iuſtitiæ diſtincta à declinatione mali, cui opponitur tranſgreſſio, etiam omiſsio à tranſgreſsione diſtinguitur.

Qua ratione omiſsio dicitur ſpeciale peccatum iuſtitiæ oppoſitum.

OMISSIO igitur opponitur ſpeciali virtuti, ſcilicet iuſtitiæ, vt dictum eſt. Non enim eſt omiſsio boni alicuius virtutis, niſi ſub ratione debiti, quod pertinet ad iuſtitiam. Plus autem requiritur ad actum virtutis meritorium, quàm ad demeritum culpæ, quia bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus. Et ideo ad iuſtitiæ meritum requiritur actus, non autem ad omiſsionem.

Solutio obiect.

DICITVR autem omiſsio peccatum actuale, non quia habeat aliquem actum ſibi eſſentialem ſed ſecundum quod negatio actus reducitur ad genus actus; & ſecundum hoc non agere, accipitur vt agere quoddam, vt ſupra dictum eſt.

ITEM nota, quod ſicut peccatum tranſgreſsionis opponitur pręceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo; ita peccatum omiſsionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinent ad faciendum bonum. Peccata autem affirmatiua non obligant ad ſemper, ſed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omiſsionis incipit eſſe

eſſe. Poteſt tamen contingere, quod aliquis tunc ſit impotens ad faciendum quod debet, quod quidem ſi ſit præter eius culpam, non omittit vt dictum eſt: ſi vero ſit propter culpam eius præcedentem, puta cum aliquis de ſero ſe inebriauit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, vt debet; tunc dicunt quidam quod tunc incepit peccatum omiſſionis, quando aliquis applicat ſe ad actum illicitum, non compoſſibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret: vnde patet quod præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Vnde dicendum eſt, quod omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, ſed tamen propter cauſam precedentem ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.

Omiſſio incipit imputari, quando fuit tempus operandi.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum peccatum tranſgreſſionis, ſit grauius quam peccatum omiſſionis*: dicendum quod peccatum in tantum eſt grauius, in quantum à virtute diſtat: Contrarietas autem eſt maxima diſtantia, vt dicitur in 10. Metha. Vnde contrarium magis diſtat à ſuo contrario, quàm ſimplex eius negatio, ſicut nigrum plus diſtat ab albo, quam ſimpliciter non album, omne enim nigrum eſt non album, ſed non conuertitur. Manifeſtum eſt autem, quod tranſgreſſio contrariatur actui virtutis: omiſſio autem importat negationem ipſius, puta peccatum omiſſionis eſt, ſi quis parentibus debitam reuerentiam non exhibeat. Peccatum autem tranſgreſſionis, ſi contumeliam, vel quamcunque iniuriam eis inferat. Vnde manifeſtum eſt, quod ſimpliciter & abſolutè loquendo, tranſgreſſio eſt grauius peccatum, quam omiſſio: licet aliqua omiſſio poſsit grauior eſſe aliqua tranſgreſsione.

Tranſgreſſio ſimpliciter loquendo eſt grauius peccatum quã omiſſio.

De iuſtitiæ annexis virtutibus.

DISTINCTIO LX.

DEINDE conſiderandum eſt de virtutibus annexis iuſtitiæ. Et circa hoc conſideranda ſunt duo. Primo quæ virtutes iuſtitiæ annectantur. Secundo de ſingulis earum in ſpeciali.

AD PRIMVM, ſcilicet *qualiter aſsignentur virtutes annexæ iuſtitiæ*. Et videtur quod inconuenienter aſsignẽtur. Tullius enim enumerat ſex, ſcilicet religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, veritatem. Vindicatio autem videtur eſſe ſpecies commutatiuæ iuſtitiæ, ſecundum quam illatis iniurijs vindicta rependitur, vt ex ſupradictis patet: non ergo debet poni inter virtutes iuſtitiæ annexas.

Obiectiones. 1.

PRÆTEREA Macrobius ſuper ſomnium Scipionis, ponit ſeptem, ſcilicet innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectionem, humanitatem, quarum plures à Tullio prætermittuntur; ergo videtur inſufficienter enumeratas eſſe virtutes iuſtitiæ adiunctas. 2.

PRÆTEREA à quibuſdam alijs ponuntur quinque partes iuſtitiæ, ſcilicet obedientia reſpectu inferiorum, diſciplina reſpectu inferioris, æquitas reſpectu æqualium, fides & veritas reſpectu omnium, de quibus à Tullio non ponitur niſi veritas; ergo videtur inſufficienter enumeraſſe virtutes iuſtitiæ annexas. 3.

PRÆTEREA Andronicus peripateticus, ponit nouem partes iuſtitiæ annexas, ſcilicet liberalitatem, benignitatem, vindicatiuam, eugnomoſynam, euſebiam, Euchariſtiam, ſanctitatem, bonam commutationem, legiſpoſitiuam. Ex quibus etiam Tullius manifeſtè non ponit niſi vindicatiuam, ergo videtur inſufficienter enumeraſſe. 4.

PRÆTEREA Ariſt. in 5. Ethi. ponit epeikiam iuſtitiæ adiunctam, de qua in nulla præmiſſarum aſsignationum videtur mentio eſſe facta, ergo inſufficienter ſunt enumeratæ virtutes iuſtitiæ annexæ.

RESPONSIO, dicendum quod in virtutibus quæ adiunguntur alicui principali virtuti, duo ſunt conſideranda. Primo quidem quod virtutes illæ in aliquo cum principali virtute conueniant; ſecundo quod in aliquo deficiant à perfecta ratione ipſius: quia vero iuſtitia ad alterum eſt, vt ex ſupradictis patet, omnes virtutes quę ad alterum ſunt, poſſunt ratione conuenientiæ iuſtitiæ annecti. Ratio vero iuſtitiæ conſiſtit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur, ſecundum æqualitatem, vt ex ſupradictis patet. Dupliciter autem aliqua virtus ad alterum exiſtens, à ratione iuſtitiæ deficit. Vno quidem modo in quantum deficit à ratione æqualis, alio modo in quantum deficit à ratione debiti. Sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, ſed non poſſunt reddere æquale. Et primo quidem quicquid ab homine Deo redditur, debitum eſt; non tamen poteſt eſſe æquale, vt ſcilicet tantum homo ei reddat quantum debet, ſecundum illud Pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi?* Et ſecundum hoc adiungitur iuſtitiæ religio, quæ vt Tullius dicit, *ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, ceremoniamque vel cultum affert*. Secundo parentibus non poteſt ſecundum æqualitatem recompenſari, quod eis debetur, vt patet per Philoſophum in 8. Ethi. Et ſic adiungitur iuſtitię pietas, per quam, vt Tullius dicit, *ſanguine iunctis, patriæque beneuolis, officium & diligens tribuitur cultus*. Tertio non poteſt ſecundum æquale præmium, recompenſari ab homine virtus, vt patet per Philoſophum in quarto Ethicorum. Et ſic adiungitur iuſtitiæ obſeruantia, *per quam* vt Tullius dicit, *homines aliqua dignitate antecedentes, quodam cultu & honore dignamur*.

Colliguntur virtutes iuſtitiæ annexæ quæ dicũtur part. s potentiales eius.

A RATIONE vero debiti iuſtitiæ, defectus poteſt attendi, ſecundum quod eſt duplex debitum, ſcilicet morale & legale. Vnde & Philoſophus in 8. Ethi. ſecundum hoc duplex iuſtum aſſignat, debitum quidem legale eſt, ad quod reddendum aliquis lege aſtringitur; & tale debitum proprie attendit iuſtitia, quæ eſt principalis virtus, debitum autem morale eſt, quod aliquis debet ex honeſtate virtutis. Et quia debitum neceſſitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum. Quoddam enim eſt ſic neceſſarium, vt ſine eo honeſtas morum conſeruari non poſſit: & hoc habet plus de ratione debiti, & poteſt hoc debitum attendi ex parte ipſius debentis, & ſic ad hoc debitum pertinet, quod homo talem ſe exhibeat alteri verbis & factis, qualis eſt: & ita adiungitur iuſtitiæ veritas, per quam, vt Tullius dicit, *immutata ea quæ ſunt, fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur*. Poteſt etiam attendi ex parte eius cui debetur, prout, ſcilicet aliquis recompenſat alicui ſecundum ea quę fecit; quandoque quidem in bonis, & ſic adiungitur iuſtitiæ gratia, *in qua*, vt Tullius dicit, *amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur alterius*. Quandoque vero in malis, & ſic adiungitur iuſtitiæ vindicatio, *per quam*, vt Tullius dicit, *vis aut iniuria, & omnino quicquid obſuturum eſt, defendendo aut vlciſcendo propulſatur*. Aliud vero debitum eſt neceſſarium, ſicut conferens ad maiorem honeſtatem, ſine quo tamen honeſtas conſeruari poteſt. Quod quidem debitum attendit liberalitas, affabilitas, ſiue amicitia, & alia huiuſmodi, quæ Tullius prætermittit, in prædicta enumeratione, quia parum habent de ratione debiti.

Iuſtitia reſpicit debitũ legale; partes vero potẽtiales eius, debitũ morale.

Debitũ morale duplex.

AD PRIMVM ergo dicendum quod vindicta quæ fit auctoritate publicæ poteſtatis ſecundum ſententiã iudicis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam; ſed vindicta quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis à iudice requirit, pertinet ad virtutem iuſtitiæ adiunctam.

Solutio obie.

AD SECVNDVM dicendum, quod Macrobius videtur attendiſſe ad duas partes integrales iuſtitiæ, ſcilicet declinare à malo, ad quod pertinet innocentia, & facere bonum, ad quod pertinent ſex alia; quorum duo videntur pertinere ad æquales, ſcilicet amicitia in exteriori conuictu, & concordia interius;

duo

duo vero pertinent ad ſuperiores, pietas ad parentes & religio ad Deum; duo vero ad inferiores; ſcilicet affectus, inquantum placent bona eorum; & humanitas, per quam ſubuenitur eorum defectibus. Dicit enim Iſidor. in libro ethym. quod *humanus dicitur aliquis, quod habeat circa hominem, amorem, & miſerationis affectum.* Vnde humanitas dicta eſt, qua nos inuicem tenemur: & ſecundum hoc amicitia ſumitur, prout ordinat exteriorem conuictum, ſicut de ea philoſophus tractat in 4. Ethi. Poteſt etiam ſumi ſecundum quod propriè reſpicit affectum, prout determinatur à Philoſopho, in 8. & in 9. Ethi. Et ſic ad amicitiam pertinent tria, ſcilicet beneuolentia, quæ hic dicitur affectus; & concordia; & beneficentia, quæ hic vocatur humanitas. Hæc autem Tullius prætermiſit, quia parum habent de ratione debiti, vt dictum eſt.

Quid humanitas & quotuplex.

A

B

Ad tertium dicendum, quod obedientia includitur in obſeruantia, quam Tullius ponit; nam præcellentibus perſonis debentur, & reuerentia honoris, & obedientia. Fides autem per quam fiunt dicta, includitur in veritate, quantum ad obſeruantiam promiſſorum. Veritas autem in plus ſe habet, vt infra patebit. Diſciplina autem non debetur ex debito neceſſitatis, quia inferiori non eſt aliquis obligatus inquantum eſt inferior: tamen poteſt aliquis ſuperior obligari, vt inferioribus prouideat, ſecundum illud Matth. 24. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuprà familiam ſuam:* & ideo à Tullio prætermittitur. Poteſt autem contineri ſub humanitate quam Macrobius ponit. Æquitas vero ſub epeikia vel amicitia.

Ad quartum dicendum, quod in illa enumeratione ponuntur quædam pertinentia ad veram iuſtitiam: ad particularem quidem, bona commutatio, de qua dicit, quod eſt habitus in commutationibus æqualitatem cuſtodiens. Ad legem autem iuſtitiam, quantum ad ea quæ communiter ſunt obſeruanda, ponitur legiſpoſitiua, quæ vt ipſe dicit, eſt ſcientia commutationum politicarum, ad commutationem relatarum. Quantum vero ad ea quæ quandoque particulariter agenda occurrunt præter communes leges, ponitur eugnomoſyna, quaſi bona gnome, quæ eſt in talibus directiua, vt ſupra habitum eſt in tractatu de prudentia. Et ideo dicit de ea, quod eſt voluntaria iuſtificatio; quia ſcilicet ex proprio arbitrio id quod iuſtum eſt, homo ſecundum eam ſeruat, non ſecundum legē ſcriptam. Attribuuntur autem hę duæ, prudentiæ ſecundum directionem iuſtitię, non ſecundum executionem. Euſebia vero, dicitur quaſi bonus cultus, vnde eſt idem quod religio. Ideo de ea dicit quod eſt ſcientia Dei famulatus; & loquitur ſecundum modum quo Socrates dicebat omnes virtutes eſſe ſciētias. Et ad idē reducitur ſanctitas, vt poſtea dicetur. Euchariſtia autem idem eſt quod bona gratia, quam Tullius ponit, ſicut & vindicatiuam. Benignitas autem videtur eſſe idem cum affectu, quem ponit Macrobius. Vnde & Iſid. dicit in libro ethym. quòd *benignus, eſt vir ſponte ad benefaciendum paratus, & dulcis ad eloquium.* Et ipſe Andronicus dicit, quod *benignitas eſt habitus voluntariè benefactiuus*, liberalitas autem videtur ad humanitatem pertinere.

Quid benignitas.

C

Ad quintum dicendum quod epeikia non adiungitur iuſtitiæ particulari, ſed legali, & videtur eſſe idem cum ea quæ dicta eſt eugnomoſyna.

De religione.

DISTINCTIO LXI.

Deinde conſiderandum eſt, de ſingulis prædictarum virtutum quantum ad præſentem intentionem pertinet. Et primo conſiderandum eſt de religione. Secundo de pietate. Tertio de obſeruantia. Quarto de gratia. Quinto de vindicta. Sextò de veritate. Septimo de amicitia. Octauo de liberalitate. Nono de epeixia. De alijs autem hic enumeratis ſupra dictum eſt, partim in tractatu de charitate, ſcilicet de concordia & alijs huiuſmodi; partim in hoc tractatu de iuſtitia, ſicut de bona commutatione, & innocentia; de legepoſitiua autem, in tractatu de prudentia. Circa religionem autem tria conſideranda occurrunt. Primo quidem de religione ſecundùm ſe. Secundo de actibus eius. Tertio de vitijs oppoſitis. Circa primum quæruntur octo. Primo, vtrum religio conſiſtat tantum in ordine ad Deum. Secundo, vtrum religio ſit virtus. Tertio, vtrum religio ſit vna virtus. Quarto vtrum religio ſit ſpecialis virtus. Quinto, vtrum religio ſit virtus Theologica. Sexto, vtrum religio ſit præferenda alijs virtutibus moralibus. Septimo, vtrum religio habeat exteriores actus. Octauo, vtrum religio ſit eadem ſanctitati.

D

E

Ad primum, ſcilicet *vtrum religio conſiſtat tantum in ordine ad Deum*: dicendum quod ſicut Iſid. dicit in li. ethym. *Religioſus*, vt ait Cicero, *eſt à religione appellatus, qui retractat & tanquam reeligit ea, quæ ad cultum diuinum pertinent.* Et ſic religio videtur dicta à reeligendo ea quę ſunt diuini cultus, quia huiuſmodi cultus ſunt frequenter in corde reuoluenda, ſecundum illud Proue. 3. *In omnibus vijs tuis cogita illam.* Quamuis etiam poſſit intelligi, quod religio ex hoc dicta eſt, quod *Deum reeligere debemus, quem amiſeramus negligentes*, ſicut Aug. dicit. 10. de ciui. Dei. Vel poteſt intelligi religio, à religando dicta. Vnde Aug. dicit in lib de vera religione. *Religet vos religio, vni omnipotenti Deo.* Siue autem religio dicatur à frequenti relectione, ſiue ex iterata electione eius quod negligenter amiſſum eſt, ſiue à religatione, religio propriè importat ordinem ad Deum. Ipſe enim eſt cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam noſtra electio aſſiduè dirigi debet, ſicut in vltimum finem, quem etiam ſi negligenter peccando amittimus; & credendo, & fidē proteſtando, recuperare debemus.

Religio propriè importat ordinem ad Deum, vndecunque eādem deriuetur.

Sciendum autem quod religio duplices actus habet, quoſdam quidem proprios & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad ſolum Deum, ſicut ſacrificare, adorare, & alia huiuſmodi facere. Alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos in diuinam reuerentiam, quia ſcilicet virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea quæ ſunt ad finem. Et ſecundum hoc, actus religionis per modum Imperij ponitur eſſe, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, quod eſt actus elicitus à miſericordia. Immaculatum autem cuſtodire ſe ab hoc ſæculo, imperatiuè quidem eſt religionis, electiuè autem temperantię, vel alicuius huiuſmodi virtutis.

Solutio obie

Actus religionis alij elicuti, alij imperati.

Item nota quod cum ſeruus dicatur ad damnum, neceſſe eſt quod vbi eſt propria & ſpecialis ratio Dominij, ibi ſit ſpecialis, & propria ratio ſeruitutis. Manifeſtum eſt autem quod dominium conuenit Deo ſecundum propriam & ſingularem quandam rationem, quia ſcilicet ipſe omnia fecit, & quia ſummum in omnibus rebus obtinet principatum. Ideo ſpecialis ratio ſeruitutis ei debetur, & talis ſeruitus nomine latriæ deſignatur apud Græcos, & ideo ad religionem propriè pertinet.

Item nota quod licet religioſi dici poſſint communiter omnes qui Deum colunt, ſpecialiter tamen religioſi dicūtur, qui totā vitam ſuam diuino cultui dedicant, à mundanis negociis ſe abſtrahentes. Sicut etiam contemplatiui dicuntur, non qui contemplantur, ſed qui contemplationi totam vitam ſuam deputant. Huiuſmodi autem non ſe ſubiiciunt homini propter hominem, ſed propter Deum, ſecundum illud Apoſtoli Gal. 4. *Sicut Angelum excepiſtis me, ſicut Ieſum Chriſtum.*

Ad secvndvm, ſcilicet, *vtrum religio ſit virtus* dicēdū, quod virtus eſt quæ bonū facit habentem, & opus

eius

eius bonum reddit. Et ideo neceſſe eſt dicere, omnem actum bonum ad virtutem pertinere. Manifeſtum eſt autem, quod reddere debitum alicui, habet rationem boni: quia per hoc quòd aliquis alteri debitum reddit, conſtituitur in proportione conuenienti reſpectu ipſius, quaſi conuenienter ordinatus id ipſum. Ordo autem ad rationem boni pertinet, ſicut & modus, & ſpecies, vt patet per Aug. in lib. de natura boni. Cum igitur ad religionem pertineat, reddere honorem debitũ alicui, ſcilicet, Deo, manifeſtum eſt quod religio virtus eſt.

Religio eſt virtus.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum religio ſit vna virtus:* dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, habitus diſtinguuntur ſecundum diuerſam rationem obiecti. Ad religionem autem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo ſecundum vnam rationem, inquantum, ſcilicet eſt primum principium creationis, & gubernationis rerum: vnde ipſe dicit Mal. 1. *Si ego Pater, vbi honor meus?* patris enim eſt producere & gubernare. Et omnino manifeſtum eſt quod religio eſt vna virtus.

Religio eſt vna virtus.

VNDE quia tres diuinæ perſonæ ſunt vnum principium creationis, & gubernationis rerum, ideo eis vna religione ſeruitur. Diuerſæ autem rationes attributorum concurrunt ad rationem primi principii, quia Deus producit omnia, & gubernat, ſapientia, voluntate, & potentia bonitatis ſuæ, & ideo religio eſt vna virtus.

Solutio obie.

LICET autem religio multos actus videatur habere, ſcilicet adorare, colere, ſeruire, vouere, ſacrificare, & huiuſmodi, iſti tamen actus non diuerſificant habitum religionis, quia eodem actu homo ſeruit Deo, & colit ipſum. Nam cultus reſpicit Dei excellentiam, cui reuerentia debetur: ſeruitus autem reſpicit ſubiectionem hominis, qui ex ſua conditione obligatur ad exhibendũ reuerentiam Deo. Et ad hæc duo pertinẽt omnes actus, qui religioni attribuuntur, quia per omnes, homo proteſtatur diuinam excellentiam, & ſubiectionem ſui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei, vel iterum aſſumendo aliquid diuinum.

ITEM nota, quod imaginibus non exhibetur adoratio, vel religionis cultus, ſecundum quod in ſeipſis conſiderantur quaſi res quædam, ſed ſecundũ quod ſunt imagines ducentes in Deum incarnatum. Motus autem qui eſt in imaginem, prout eſt imago, non ſiſtit in ipſa, ſed tendit in id, cuius eſt imago. Et ideo ex hoc quod imaginibus Chriſti exhibetur religionis cultus, non diuerſificatur ratio latriæ, nec virtus religionis.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum religio ſit ſpecialis virtus:* dicendum, quod cum virtus ordinetur ad bonũ, vbi eſt ſpecialis ratio boni, oportet ibi eſſe ſpecialẽ virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur religio, eſt exhibere Deo debitũ honorẽ; honor autem debetur alicui ratione excellẽtię. Deo autem competit ſingularis excellentia, inquantum omnia in infinitum tranſcẽdit, ſecundũ omnimodum exceſſum; vnde ei debetur ſpecialis honor, ſicut in rebus humanis videmus, quod diuerſis excellẽtiis perſonarum, diuerſus honor debetur; alius autem patri, alius autem Regi, & ſic de aliis. Vnde manifeſtum eſt quod religio eſt ſpecialis virtus.

Religio eſt ſpecialis virtus.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum religio ſit virtus Theologica*: dicendum, quod ſicut dictum eſt, religio eſt quę Deo debitum cultum affert. Duo igitur in religione conſiderantur. Vnum quidem quod religio Deo affert, ſcilicet cultus; & hoc ſe habet per modum materiæ & obiecti, ad religionem. Aliud autem eſt id cui affertur, ſcilicet Deus cui cultus exhibetur, non quaſi actus, quibus Deus colitur, ipſum Deum attingunt, ſicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus; propter quod ſupra dictum eſt, quod Deus eſt fidei obiectum, non ſolum inquantum credimus Deum, ſed inquantum credimus Deo. Affertur autem Deo debitus cultus, inquantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reuerentiam fiunt, puta ſacrificiorum oblationes, & alia huiuſmodi. Vnde manifeſtum eſt, quod Deus nõ cõparatur ad virtutem religionis, ſicut materia vel obiectum, ſed ſicut finis. Et ideo religio nõ eſt virtus Theologica, cuius obiectum eſt vltimus finis; ſed eſt virtus moralis cuius obiectum eſt, eſſe circa ea quæ ſunt ad finem.

Religio non eſt virtus Theologica ſed moralis & quare.

AD ſextum, ſcilicet *vtrum religio ſit omnibus alijs virtutibus præferenda.* Dicendum quod ea quæ ſunt ad finẽ ſortiuntur bonitatem ex ordine in finem. Et ideo quãto ſunt fini propinquiora, tanto ſunt meliora. Virtutes autem morales, vt ſupra dictum eſt, ſunt circa ea quæ ordinantur in Deum, ſicut in finem. Religio autẽ magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliæ virtutes morales, inquantum operatur ea, quæ directe & immediate ordinantur in timorem diuinum. Et ideo religio præeminet inter alias virtutes morales.

Religio præeminet inter virtutes morales.

AD ſeptimum, ſcilicet *vtrum religio habeat aliquos exteriores actus*, dicendum, quod Deo reuerentiam & honorem exhibemus, non propter ſeipſum, quia in ſeipſo eſt plenus gloria, cui nihil à creatura adijci poteſt; ſed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deũ reueremur & honoramus, mens noſtra ei ſubiicitur, & in hoc eius perfectio conſiſtit. Quælibet enim res perficitur propter hoc, quod ſubditur ſuo ſuperiori; ſicut corpus per hoc quod viuificatur ab anima, & aer per hoc quod illuminatur à ſole: mens autem humana indiget, ad hoc quod coniũgatur Deo, ſenſibilium manuductione, quia *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, vt Apoſtolus dicit Rom. 1. Et ideo in diuino cultu neceſſe eſt aliquibus corporalibus vti, vt eis quaſi ſignis quibuſdam, mens hominis excitetur ad ſpirituales actus, quibus Deo coniungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quaſi principales, & per ſe ad religionem pertinentes: exteriores vero actus quaſi ſecundarios, & ad interiores actus ordinatos.

Religio habet actus tã interiores quam exteriores.

AD octauum, ſcilicet *vtrum religio ſit idem ſanctitati:* dicendum quod nomen ſanctitatis duo videtur importare; vno quidem modo munditiam; & huic ſignificationi competit nomen Græcum, dicitur enim Agios, quaſi ſine terra. Alio modo importat firmitatem; vnde apud antiquos ſancta dicebantur quæ legibus erant munita, vt violari non deberent: vnde & dicitur eſſe aliquid ſanctum, quia eſt lege firmatum. Poteſt etiam ſecundum Latinos hoc nomen ſanctus, ad munditiam pertinere, vt intelligatur ſanctus, quaſi ſanguine tinctus, eo quod antiquitus illi qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebãtur, vt Iſid. dicit. in lib. etym. Et vtraque ſignificatio competit, vt ſanctitas attribuatur his, quæ diuino cultui applicantur, ita quod non ſolum homines, ſed etiam templum, & vaſa, & alia huiuſmodi, ſanctificari dicantur ex hoc quod cultui diuino applicantur. Mundicia enim neceſſaria eſt ad hoc quod mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus iungitur; ſicut quælibet res ex immixtione peioris ſordeſcit, vt argentum ex immixtione plumbi. Oportet autẽ, quod mens ab inferioribus rebus abſtrahatur, ad hoc quod ſupremæ rei poſſit coniungi: & ideo mens ſine munditia, Deo applicari non poteſt: vnde ad Heb. vlt. dicitur: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Firmitas etiam exigitur ad hoc, quod mens Deo applicetur: applicatur enim ei ſicut vltimo fini, & primo principio. Huiuſmodi autem oportet maximè immobilia eſſe. Vnde dicebat Apoſt. ad Ro. 8. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, ſeparabit me à charitate Dei.* Sic igitur ſanctitas dicitur, per quam hominis mens, ſeipſum, & ſuos actus, applicat Deo: vnde non differt à religione ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ratione. Nam religio dicitur, ſecundum quod exhibet Deo debitum famulatum, in his quæ pertinent ſpecialiter ad cultum diuinum; ſicut in ſacrificiis, in oblationibus, & alijs huiuſmodi. Sanctitas autem dicitur, ſecundum quod homo non ſolum hęc, ſed aliarum virtutum opera, refert in Deũ: vel ſecundũ quod homo ſe diſponit per bona opera, ad cultũ diuinum pertinentia.

Vnde dicatur ſãctitas.

Religio & ſanctitas ſolaratione differunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De deuotione, & contemplatione.

DISTINCTIO LXII.

DEINDE conſiderandum eſt de actibus religionis. Et primo de actibus interioribus, qui ſunt principaliores. Secundo de actibus exterioribus, qui ſunt ſecundarij. Interiores autem actus religionis videntur eſſe deuotio, & oratio. Et ideo primo de deuotione, ſecundo de oratione dicendum eſt. Circa primum conſideranda ſunt tria. Primò, vtrum deuotio ſit ſpecialis actus religionis. Secundò, vtrum contemplatio ſit cauſa deuotionis. Tertiò de eius effectu.

Quid deuotio.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum deuotio ſit ſpecialis actus religionis.* Dicendum, quod deuotio dicitur à deuouendo; vnde deuoti dicuntur, qui ſeipſos quodammodo Deo deuouerunt, vt ei ſe totaliter ſubdant, propter quod & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui ſeipſos idolis deuouebant in mortem, pro ſui ſalute exercitus, ſicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat. Vnde deuotio nihil aliud eſſe videtur, quam *voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Vnde Exod. 25. dicitur, quod *multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino.* Manifeſtum eſt autem, quod voluntas promptè faciendi, quod ad Dei ſeruitium pertinet, eſt quidam ſpecialis actus: vnde deuotio eſt ſpecialis actus voluntatis. Ad eandem autem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia vtriuſque actus, idem eſt obiectum. Propter quod Philoſoph. dicit in 5. Ethic. *Iuſtitia eſt qua volunt homines, & operantur iuſta.* Manifeſtum eſt autem, quod operari ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, ſeu famulatum, pertinet propriè ad religionem, vt ex prædictis patet. Vnde etiam ad eum pertinet, habere promptam voluntatem ad huiuſmodi exequenda, quod eſt eſſe deuotum. Et ſic patet, quod deuotio eſt actus religionis, & etiam charitatis, ſed differenter. Ad charitatẽ enim pertinet immediatè quod homo tradat ſeipſum Deo, adhærendo ei per quandam ſpiritus vnionem. Sed quod homo tradat ſeipſum Deo ad aliqua opera diuini cultus, hoc immediatè pertinet ad religionem, mediatè autem ad charitatem, quæ eſt religionis principium.

Deuotio eſt actus religionis & ſimul etiam charitatis ſed diuerſimodè.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum contemplatio, ſeu meditatio ſit cauſa deuotionis*: dicendum, quod cauſa deuotionis extrinſeca & principalis, eſt Deus. De quo dicit Ambr. ſuper Lucam. Quod *Deus quos dignatur, vocat; & quem vult religioſum, facit: & ſi voluiſſet Samaritanos, ex indeuotis deuotos feciſſet.* Cauſa autem intrinſeca ex parte noſtra, oportet quòd ſit meditatio, ſeu contemplatio. Dictum eſt enim, quod deuotio eſt quidam voluntatis actus, ad hoc quod homo promptè ſe tradat ad diuinum obſequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua conſideratione procedit, eo quod bonum intellectum eſt obiectum voluntatis. Vnde Auguſtin. dicit in lib. de Trinitat. quòd *voluntas oritur ex intelligentia*: & ideo neceſſe eſt, quod meditatio ſit deuotionis cauſa, inquantum ſcilicet per meditationem homo concipit, quod ſe tradat diuino obſequio: Ad quod quidem inducit duplex conſideratio; vna quidem, quæ eſt ex parte diuinæ bonitatis, & beneficiorum ipſius, ſecundum illud Pſalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Et hæc conſideratio excitat dilectionem, quæ eſt proxima deuotionis cauſa. Alia verò eſt ex parte hominis conſiderantis ſuos defectus, ex quibus indiget, vt Deum intueatur, ſecundum illud Pſalm. 120. *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum, & terram.* Et hæc conſideratio excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo ſe ſubijciat, dum ſuæ virtuti innititur.

Meditatio eſt deuotionis cauſa.

Solutio obiect.

VNDE conſideratio, ſeu contemplatio eorum, quæ nata ſunt dilectionem Dei excitare, deuotionẽ cauſant. Subtiles verò meditationes intelligibilium, ad amorem Dei non pertinentium, frequenter deuotionem impediunt, & mentem à deuotione diſtrahunt. altiores etiam contemplationes circa diuina, licet ex natura ſui maximè natæ ſint excitare dilectionem Dei, & per conſequens deuotionem, quia Deus eſt ſuper omnia diligendus; tamen ex debilitate mentis prouenit, quod indiget manuductione ad cognitionem diuinorum, & ſimiliter ad dilectionem, per aliqua ſenſibilia nobis nota, inter quæ principaliter eſt humanitas Chriſti, ſecundum quod in præfatione dicimus, Vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, maximè deuotionem excitant per modum manuductionis. Frequenter enim maior deuotio excitatur ex conſideratione paſſionis Chriſti, & alijs humanitatis eius myſterijs, quam ex conſideratione diuinæ magnitudinis; cum tamen deuotio principaliter circa ea, quæ ſunt diuinitatis, exiſtat. Vnde manifeſtè videmus, quod aliqui apti ſunt ad contemplationem, non ſic autem ad deuotionem, & econuerſo. In quibuſdam ſimplicibus, & viris, & mulieribus abundat deuotio, qui nihil aut modicum de contemplatione nouerunt.

Quomodo lætitia ſequitur deuotionem.

AD TERTIVM, ſcilicet *de deuotionis effectu, vtrum ſcilicet ſpiritualis lætitia ſit deuotionis effectus*: dicendum, quod deuotio per ſe quidem & principaliter ſpiritualem lætitiam mentis cauſat, ex conſequenti autem & per accidens, cauſat triſtitiam. Dictum eſt enim, quod deuotio ex duplici conſideratione procedit, principaliter quidem ex conſideratione diuinæ bonitatis, quia iſta conſideratio pertinet quaſi ad terminum motus voluntatis, tradentis ſe Deo; & ex iſta conſideratione per ſe quidem ſequitur delectatio, ſecundum illud Pſalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Sed per accidens hæc conſideratio triſtitiam quandam cauſat in his, qui nondum plenè Deo fruuntur, ſecundum illud Pſalm. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum viuum:* & poſtea ſequitur. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ, &c.* Secundario verò cauſatur, vt dictum eſt, ex conſideratione propriorum defectuum. Nam hæc conſideratio pertinet ad terminum, à quo homo per motum voluntatis deuotè recedit, vt ſcilicet non in ſe exiſtat, ſed Deo ſe ſubdat. Hæc autem conſideratio, èconuerſo ſe habet ad primam. Nam per ſe quidem nata eſt triſtitiam cauſare, recogitando proprios defectus; per accidens autem lætitiam, ſcilicet propter ſpem diuinæ ſubuentionis. Et ſic patet, quòd ad deuotionem primo & per ſe conſequitur delectatio: ſecundario autem & per accidens, triſtitia, quæ eſt ſecundum Deum. *De oratione require infra lib. 3. vbi agitur de partibus ſatisfactionis.*

De adoratione.

DISTINCTIO LXIII.

DEINDE conſiderandum eſt de exterioribus actibus latriæ. Et primo de adoratione, per quam aliquis ad Deum venerandum exhibet corpus ſuum. Secundo de illis actibus, per quos aliquæ res exteriores Deo offeruntur. Tertio de illis actibus, quibus ea quæ Dei ſunt, aſſumuntur. Circa primum conſideranda ſunt tria. Primò, vtrum adoratio ſit actus latriæ. Secundò, vtrum adoratio importet actum interiorem, vel exteriorem. Tertio, vtrum adoratio requirat determinationem loci.

Adoratio eſt actus religionis.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum adoratio ſit actus latriæ*: dicendum, quòd adoratio ordinatur in reuerentiam eius, qui adoratur. Manifeſtum eſt autem ex dictis, quòd religionis proprium eſt reuerentiam Deo exhibere. Vnde adoratio, qua Deus adoratur, eſt religionis actus. Deo enim debetur reuerentia propter eius excellentiam, quæ aliquibus creaturis

communicatur non ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum quandam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, & alia ratione quaſdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam, de qua poſt dicetur. Et quia ea quæ exterius aguntur, ſigna ſunt interioris reuerentiæ; quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia, exhibentur excellentioribus creaturis, inter quæ maximum eſt adoratio. Sed aliquid eſt, quod ſoli Deo exhibetur, ſcilicet ſacrificium. Vnde Auguſt. dicit in 10. de Ciuit. Dei. Multa de cultu diuino vſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera: ita tamen, vt quibus ea deferentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi; ſi autem multum additur, & adorandi. Quis vero ſacrificandum cenſuit niſi ei, quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit? Secundum reuerentiam igitur, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid. Secundum autem reuerentiam, quæ Deo debetur, Mardochęus noluit adorare Aman, *timens ne honorem Dei transferret ad hominem*, vt dicitur Heſt. 14. Et ſimiliter ſecundum reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelos: & etiam Ioſue, vt legitur Ioſ. 5. Quamuis poſſit intelligi, quòd adorauerit adoratione latriæ, Deum, qui in perſona Angeli apparebat, & loquebatur. Secundum autem reuerentiam quæ debetur Deo, prohibitus eſt Ioannes Angelum adorare. Apocal. vltim. tum ad oſtendendum dignitatem hominis, quam adeptus eſt per Chriſtum, vt Angelis æquetur: Vnde ibidem ſubditur: *Conſeruus tuus ſum, & vnus fratrum tuorum*: Cùm ad excludendum idolatriæ occaſionem vnde ſubditur, *Deum adora.*

Solutio obiect.

Et quantum vna eſt excellentia trium perſonarum in diuinis, vnus honor & reuerentia eis debetur, & per conſequens vna adoratio; in cuius figuram legitur de Abraham. Geneſ. 18. quòd cum viri tres ei apparuerint, adorans, vnum alloquitur, dicens: *Domine ſi inueni gratiam, &c.* Trina autem genuflexio ſignum eſt trinarij perſonarum, non autem diuerſitatis adorationum.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum adoratio importet actum exteriorem, vel interiorem*: dicendum, quod ſicut Damaſcen. dicit in 4. lib. *quia ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali, ſcilicet & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem*, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione, *& corporalem*, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius, refertur ad id quod eſt interius, ſicut ad principalius; ideo ipſa adoratio exterior, fit propter interiorem, vt videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubijciendum ſe Deo; quia connaturale eſt nobis, vt per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus.

Exterior actus adorationis refertur ad interiorẽ & propterillum fit.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum adoratio requirat determinatũ locum:* dicendum, quod ſicut dictum eſt de adoratione, principalior eſt interior deuotio mentis; ſecundarium autem eſt, quod pertinet ad corporalia ſigna exterius. Mens autem interius apprehendit Deum quaſi non comprehenſum in aliquo loco; ſed corporalia ſigna, neceſſe eſt quod in determinato loco & ſitu ſint. Et ideo determinatio loci non requiritur ad orationem principaliter, quaſi ſit de neceſſitate ipſius, ſed ſecundum quandam decentiam, ſicut & alia corporalia ſigna. Eligitur ergo determinatus locus ad adorandum, non propter Deum, qui adoratur, quaſi loco concludatur, ſed propter ipſos adorantes. Et hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci conſeruationem, ex qua ſpiritualem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur, ſicut patet ex adoratione Salomonis. 3. Reg. 8. Secundo propter ſacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. Tertio propter concurſum multorum adorantium, ex quo

Quo pacto adoratio dicitur exigere determinatum locum.

ſit adoratio magis exaudibilis, ſecundum illud Matth. 18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum.* Item verſus Orientem adoramus, propter quandam decentiam. Primo quidem propter diuinæ maieſtatis indicium, quæ nobis manifeſtatur in motu cœli, qui eſt ab Oriente. Secundo propter paradiſum in Orientem conſtitutum, vt legitur Gen. 2. ſecundum litteram Septuag. interpr. quaſi quæramus ad paradiſum redire. Tertio propter Chriſtum, qui eſt lux mundi, & oriens nominatur, Zachariæ 6. *Et qui aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem.* Et ab oriente etiam expectatur venturus, ſecundum illud Matth. 24. *Sicut fulgur ab Oriente exit, & apparet vſque ad Occidentem, ita erit aduentus filius hominis.*

De ſacrificio.

DISTINCTIO LXIIII.

Deinde conſiderandum eſt de actibus, quibus aliquæ res exteriores Deo offeruntur. Circa quos occurrit duplex conſideratio. Primo quidem de his, quæ Deo à fidelibus dantur. Secundo de votis, quibus ei aliqua promittũtur. Circa primum conſiderandum eſt de ſacrificijs, oblationibus, primitijs, & decimis. Circa ſacrificia quæruntur quatuor. Primò, vtrum offerre Deo ſacrificium, ſit de lege naturæ. Secundò, vtrum ſoli Deo ſit ſacrificium offerendum. Tertiò, vtrum offerre ſacrificium ſit ſpecialis actus virtutis. Quartò, vtrum omnes teneantur ad ſacrificium offerendum.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum offerre ſacrificium Deo, ſit de lege naturæ*: dicendum, quod naturalis ratio dictat homini, quod alicui ſuperiori ſubdatur propter defectus, quos in ſeipſo ſentit, in quibus ab aliquo eget adiuuari, & dirigi. Et quicquid illud ſit, hoc eſt quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus, naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini, ſecundum naturalem inclinationem, vt ei quod eſt ſupra hominem, ſubiectionem & honorem exhibeat, ſecundum ſuum modum. Eſt autem modus conueniens homini, vt ſenſibilibus ſignis vtatur ad aliqua exprimenda, quia ex ſenſibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibuſdam ſenſibilibus rebus vtitur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis & honoris, ſecũdum ſimilitudinem eorum, qui Dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionẽ dominij. Hoc autem pertinet ad ſacrificij rationem, & ideo oblatio ſacrificij pertinet ad ius naturale.

Oblatio ſacrificij eſt de lege naturæ.

Sed nota, quod aliqua in communi ſunt de iure naturali, quorum determinationes ſunt de iure poſitiuo; ſicut quod malefactores puniantur, hoc habet lex naturalis: ſed quod tali pœna puniantur, eſt ex inſtitutione diuina, vel humana: ſimiliter etiam oblatio ſacrificij in communi eſt de lege naturali, & ideo in hoc omnes conueniunt: ſed determinatio ſacrificiorum eſt ex inſtitutione diuina, vel humana, & ideo in hoc omnes differunt.

Solutio obiect.

Item nota, quod nec Adam, nec Iſaac, leguntur ſacrificia obtuliſſe. Probabiliter tamen credendum, immo firmiter eſt tenendum, quod ipſi, ſicut & alij iuſti, Deo ſacrificium obtulerunt, ſecundum ſui temporis congruentiam, vt patet per Greg. qui dicit, quod *apud antiquos per ſacrificiorum oblationem remittebatur pueris originale peccatum.* Non tamen de omnibus iuſtorum ſacrificijs fit mentio in ſcriptura, ſed ſolum de illis, circa quæ aliquid ſpeciale accidit. Poteſt tamen eſſe ratio, quare Adam non legitur ſacrificium obtuliſſe, ne quia in ipſo notatur origo peccati, ſimul etiam in eo ſanctificationis origo ſignaretur. Iſaac verò ſignificabat Chriſtum, inquantum ipſe oblatus eſt in ſacrificium. Vnde non oportebat quod ſacrificaret, quaſi ſacrificium offerens.

Cur Adam & Iſaac non leguntur ſacrificia obtuliſſe.

Ad secvndvm, ſcil. *vtrum ſoli Deo ſit ſacrificium offe-*

rendum:

rendum: dicendum, quod ſicut dictum eſt, oblatio ſacrificij fit ad aliquid ſignandum: ſignificat autem ſacrificium quod offertur exterius, ſpirituale ſacrificium quo anima ſeipſam offert Deo, ſecundum illud Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: quia ſicut ſupra dictum eſt, exteriores actus religionis, ad interiores ordinantur. Anima autem ſe offert Deo in ſacrificium, ſicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis. Secundum autem fidem, ſolus eſt Deus creator animarum noſtrarum. In ſolo etiam eo, animæ noſtræ beatitudo conſiſtit, vt ſupra dictum eſt. Et ideo ſicut ſoli ſummo Deo, debemus ſacrificium ſpirituale offerre, ita etiam ſoli ei, debemus offerre exterius ſacrificium. Sicut etiam orantes, atque laudantes, ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus, offerimus, vt Auguſt. dicit in 10. de Ciuit. Dei. Hoc enim videmus in omni republica obſeruari, quod ſummum rectorem aliquo ſigno ſingulari honorant, quod ſi cuicumque alteri deferretur, eſſet crimen læſæ maieſtatis. Et ideo in lege diuina ſtatuitur pœna mortis his, qui diuinum honorem alijs exhibent.

Soli Deo offerendum eſt ſacrificium.

A

B

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum oblatio ſacrificij ſit ſpecialis actus virtutis*. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, quod quando actus vnius virtutis ordinatur ad alterius finem virtutis, participat quodammodo ſpeciem eius; ſicut cum quis furatur, vt fornicetur, ipſum furtum accipit quodammodo fornicationis deformitatem, ita quod etiam ſi aliàs non eſſet peccatum, ex hoc iam peccatum eſſet, quod ad fornicationem ordinatur. Sic igitur ſacrificium eſt ſpecialis virtus, laudem habens ex hoc, quod in diuinam reuerentiam fit, propter quod ad determinatam virtutem pertinet ſcilicet ad religionem. Contingit autẽ etiam ea, quæ ſecundum alias virtutes fiunt in diuinã reuerentiã ordinari, puta cũ aliquis eleemoſynam facit de rebus proprijs propter Deũ, vel cum aliquis proprium corpus alicui afflictioni ſubijcit, propter diuinã reuerentiam: Et ſecundũ hoc etiã actus aliarũ virtutum, ſacrificia dici poſſunt. Sunt tamẽ quidam actus, qui non habent ex alio laudẽ, niſi quia fiunt propter reuerentiam diuinam, & iſti actus propriè ſacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem religionis.

Oblatio ſacrificij eſt ſpecialis actus virtutis.

C

Triplex ſacrificium reſpondens triplici bono hominis.

Est autem triplex bonum hominis. Primũ quidem eſt bonum animæ, quod Deo offertur interiori quodam ſacrificio, per deuotionem & orationem, & alios huiuſmodi interiores actus, & hoc eſt principale ſacrificium. Secundum eſt bonũ corporis, quod Deo quodammodo offertur per martyrium, & abſtinentiam, ſeu continentiam. Tertium eſt bonum exteriorum rerum, de quo ſacrificium offertur Deo. Directè quidẽ quando immediatè res noſtras Deo offerimus, mediatè autem quando eas cõmunicamus propter Deũ proximis.

D

Quid ſacrificium exteriorum, & quotuplex.

De rebus autem exterioribus offeruntur Deo ſacrificia, oblationes, primitiæ, decimæ. Quæ ſic differunt, quia ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, ſicut quod animalia occidebantur, quod panis frangitur, & benedicitur: & hoc ipſum nomen ſonat. Nam ſacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid ſacrum. Oblatio autem directè dicitur cum Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat. Sicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari, circa quos nihil fit. Vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non econuerſo. Primitiæ autem oblationes ſunt, quia Deo offeruntur, vt legitur Deuter. 26. Non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa eas fiebat. Decimæ autem propriè loquendo non ſunt neque ſacrificia, neque oblationes, quia non immediatè Deo, ſed miniſtris diuini cultus exhibentur.

E

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum omnes teneantur ad ſacrificia offerenda*. Dicendum, quod duplex eſt ſacrificium, ſicut dictum eſt: quorum primum eſt principale ſacrificium interius, ad quod omnes tenentur: omnes enim tenentur Deo deuotam mentem offerre. Aliud autem eſt ſacrificium exterius, quod in duo diuiditur. Nam quoddam eſt, quod ex hoc ſolum habet laudem, quod Deo aliquid exterius offertur in proteſtationem diuinæ ſubiectionis. Et ad hoc, aliter tenentur illi qui ſunt ſub lege noua, vel veteri; aliter illi, qui non ſunt ſub lege: nam illi, qui ſunt ſub lege, tenentur ad determinata ſacrificia offerenda ſecundum legis præcepta: illi vero qui non erant ſub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem diuinum, ſecundum condecentiam ad eos inter quos habitabant, non autem determinatè ad hæc, vel ad illa. Aliud verò eſt exterius ſacrificium, quando actus exteriores aliarum virtutum, in diuinam reuerentiam aſſumuntur. Quorum quidam cadunt ſub præcepto, ad quod omnes tenentur. Quidam verò ſunt ſupererogationis, ad quos non omnes tenentur.

Omnes tenẽtur ad ſacrificium principale interius, quod fit per ſubiectionem mentis ad Deum, nõ ad cætera.

De oblationibus, & primitijs.

DISTINCTIO LXV.

Deinde conſiderandum eſt de oblationibus, & primitijs. Et primò, vtrum aliquæ oblationes ſint de neceſſitate præcepti. Secundò, quibus oblationes debeantur. Tertiò, de quibus rebus fieri debeant. Quartò, ſpecialiter de oblationibus primitiarum: vtrum omnes de neceſſitate teneantur ad eas.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum aliquæ oblationes ſint de neceſſitate præcepti*. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, nomen oblationis commune eſt ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur. Quòd ſi aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quaſi in aliquod ſacrum quod inde fieri debeat, conſumendum; eſt oblatio, & ſacrificium: Vnde dicitur Exod. 19. *Offeret totum arietem, incenſum ſuper altare: oblatio eſt Domino ſuauiſſimus odor victimæ Dei.* Et Leuit. 2. dicitur: *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio*. Si verò ſic exhibeatur, vt integrum maneat diuino cultui deputandum, vel in vſus miniſtrorum expendendum; erit oblatio, & non ſacrificium: ergo huiuſmodi oblationes de ſui ratione habent, quod voluntariè offerantur, ſecundum illud Exod. 25. *Ab homine qui offert vltroneus, accipietis eas*. Poteſt tamen contingere, quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. Primo quidem ex præcedenti conuentione, ſicut cum alicui conceditur aliquis fundus Eccleſiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem cenſus. Secundo propter precedentem deputationem, ſiue promiſſionem: ſicut cum aliquis offert donationem inter viuos, vel cum reliquit in teſtamento Eccleſiæ, aliquam rem mobilem ſiue immobilem, in poſterum ſoluendam. Tertio modo propter Eccleſiæ neceſſitatem, puta ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent vnde ſuſtentarentur. Quarto modo propter conſuetudinem: Tenentur enim fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas oblationes conſuetas: tamen in his duobus vltimis caſibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, ſcilicet quantum ad quantitatem, vel ſpeciem rei oblatæ.

Quatuor modis contingit aliquẽ ad oblationes teneri.

Ad secvndvm, ſcilicet *quibus oblationes debeantur*: Dicendum, quod ſacerdos quodammodo conſtituitur ſequeſter & medius, inter populum, & Deum. Sicut de Moyſe legitur Deut. 5. Et ideo ad eum pertinet, diuina dogmata, & ſacramenta exhibere populo: & iterum ea quæ ſunt populi, puta preces & ſacrificia & oblationes, per eum domino debent exhiberi, ſecundum illud Apoſt. ad Heb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Et ideo oblationes, quæ à populo Deo exhibentur, ad ſacerdotes pertinent, non ſolum vt eas in ſuos vſus conuertant: verumetiam vt eas fideliter diſpenſent: partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum diuinum; partim verò in his, quæ pertinent ad proprium victum: quia qui altari deſeruiunt, cum altar;

Oblationes pertinent ad ſacerdotes, in pios vſus diſtribuendos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

participantur, vt dicitur 1. ad Cor. 9. partim etiam in vſus pauperum, qui ſunt quantum fieri poteſt, de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi, quia & Dominus in vſus pauperum loculos habebat, vt Hieronym. dicit ſuper Matth.

POSSVNT autem monachi, vel alij religioſi oblationes recipere tripliciter; vno modo, ſicut pauperes, per diſpenſationem ſacerdotis, vel ordinationem Eccleſiæ; alio modo, ſi ſint miniſtri altaris: tunc poſſunt accipere oblationes ſponte oblatas: tertio modo ſi parochiæ ſint eorum, & tum ex debito poſſunt accipere oblationes tanquam Eccleſiæ rectores.

AD TERTIVM, ſcilicet *de quibus rebus debeant oblationes fieri*. Dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini. *Si deprædareris aliquem inualidum, & de ſpolijs eius dares alicui iudici, ſi pro te iudicaret, tanta vis eſt iuſtitiæ, vt tibi diſpliceret: non eſt talis Deus tuus, qualis non debes eſſe, nec tu.* Et ideo dicitur Eccleſ. 24. *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.* Vnde patet, quod de iniuſtè acquiſitis, & poſſeſſis non poteſt oblatio fieri. In veteri autem lege, in qua figuræ ſeruiebatur, quædam propter ſignificationem reputabantur immunda, quæ offerre non licebat. Sed in noua lege, omnis creatura Dei reputatur munda, vt dicitur ad Tit. 1. & ideo quantum eſt de ſe, de quolibet licitè poſſeſſo, poteſt oblatio fieri. Per accidens tamen contingit, quod de aliquo licitè poſſeſſo, oblatio fieri non poteſt: puta ſi vergat in detrimentum alterius, vt ſi filius aliquid offerat Deo, vnde debet patrem nutrire; Quod Dominus improbat, Matth. 15. vel propter ſcandalum, vel propter contemptum, vel aliquid aliud huiuſmodi. Vnde in veteri lege prohibebatur oblatio de mercede proſtibuli, propter immunditiam: in noua lege autem propter ſcandalum, ne videatur Eccleſia facere peccata, ſi de lucro peccati oblationem recipiat.

Oblatio non poteſt fieri de rebus iniuſtè acquiſitis vel aliter indecentibus.

CANIS autem ſecundum legem reputabatur animal immundum: alia animalia tamen immunda redimebantur, & eorum precium poterat offerri, ſecundum illud Leuit. vltim. *Si immundum animal eſt, redimet qui obtulerit.* Sed canis non offerebatur, nec redimebatur, tum quia idolatræ canibus vtebantur in ſacrificijs idolorum, tum etiam quia ſignificat rapacitatem, de qua non poteſt fieri oblatio: ſed hæc prohibitio ceſſat in noua lege.

Solutio obiect.

OBLATIO verò animalis claudi vel cæci; reddebatur illicita tripliciter. Vno modo ratione eius, ad quod offerebatur. Vnde dicitur Malach. 1. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt?* Sacrificia autem oportebat eſſe immaculata. Secundo ex contemptu: vnde ibidem ſubditur: *Vos polluiſtis nomen meum in eo quod dicitis: menſa Domini contaminata eſt: & quod ſuperponitur, contemptibile eſt.* Tertio modo ex voto precedenti, ex quo obligatur homo vt integrum reddat quod vouerat. Vnde ibidem ſubdit: *Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Et eædem cauſæ manent in lege noua, quibus tamen ceſſantibus non eſt illicitum.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum ad primitias offerendas omnes homines teneantur.* Dicendum, quod primitiæ ad quoddam genus oblationis pertinent, quia Deo exhibentur cum quadam profeſſione, vt habetur Deuter. 26. vnde & ibidem ſubditur: *Suſcipiet cartallum ſacerdos, ſcilicet primitiarum, de manu eius qui defert primitias, & ponet ante altare Domini Dei tui.* Et poſtea mandatur ei, quod dicat. *Idcirco offero primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi.* Offerebantur autem primitiæ ex ſpeciali cauſa, ſcilicet in recognitionem diuini beneficij, quaſi aliquis profiteatur ſe à Deo fructus terræ percipere, & ideo ſe teneri ad aliquod huiuſmodi Deo exhibendum; ſecundum illud. 1. Paral. vlt. *Quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Et quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum eſt: ideo primitias quaſi præcipuum aliquid de fructibus terræ, præceptum fuit Deo offerre. Et quia ſacerdotes conſtituuntur pro populo, in his quæ ſunt ad Deum: ideo primitiæ à populo oblatæ, in vſum ſacerdotum cedebant. Vnde dicitur Numer. 18. *Locutus eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum.* Pertinet autem ad ius naturale, vt homo ex rebus ſibi datis à Deo, aliquid exhibeat ad eius honorem. Sed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus terræ, aut in tali quantitate: hoc quidem fuit in veteri lege, iure diuino determinatum. In noua autem lege diffinitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur, vt primitias ſoluant ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiæ miniſtrorum Eccleſiæ.

Oblatio primitiarum nõ eſt de iure naturæ ſed de iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

De decimis.

DISTINCTIO LXVI.

DEINDE conſiderandum eſt de decimis. Et primo, vtrum homines ad ſoluendas decimas, ex neceſſitate præcepti teneantur. Secundo, de quibus rebus dandæ ſint decimę. Tertio, quibus debeant dari. Quarto, quibus competat eas dare.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum homines teneantur dare decimas ex neceſsitate præcepti.* Dicendum, quod decimæ in veteri lege dabantur ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei. Vnde dicitur Malach. 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea.* Vnde præceptum de ſolutione decimarum, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione, partim autem erat iudiciale, ex diuina inſtitutione robur habens. Quòd enim his, qui diuino cultui miniſtrabant, ad ſalutem totius populi, populus neceſſario victui miniſtraret, ratio naturalis dictat. Sicut his, qui communi vtilitati inuigilant, ſcilicet principibus, & militibus, & alijs huiuſmodi, ſtipendia victus debentur à populo. Vnde & Apoſtolus hoc probat. 1. ad Corinth. 9. per humanas conſuetudines dicens. *Quis militet ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit?* Sed determinatio partis exhibendæ miniſtris diuini cultus, non eſt de iure naturali: ſed introducta eſt inſtitutione diuina, ſecundum conditionem illius populi cui lex dabatur. Qui cum in duodecim Tribus eſſet diuiſus, duodecima Tribus, ſcilicet Leuitica, quæ tota diuinis obſequijs erat mancipata, poſſeſſiones non habebat. Vnde conuenienter inſtitutum eſt, vt reliquæ vndecim Tribus, decimam partem ſuorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabilius viuerent, & quia etiam aliqui per negligentiam erant tranſgreſſores futuri. Vnde quantum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale, ſicut & alia multa ſpecialiter in illo populo inſtituta erant, ad æqualitatem inter homines adinuicem conſeruandam, ſecundum populi illius conditionem, quæ iudicialia pręcepta dicuntur, licet ex conſequenti aliquid ſignificarent in futurum, ſicut & omnia eorum facta, ſecundum illud, 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* In quo conueniebant cum ceremonialibus præceptis, quæ principaliter inſtituta erant ad ſignificandum aliquid futurum: vnde & præceptum de decimis perſoluendis, hic ſignificat aliquid in futurum. Qui enim decimam dat, quæ eſt perfectionis ſignum (eo quòd denarius eſt quodammodo numerus perfectus, quaſi primus limes numerorum, vltra quem numerum non procedunt, ſed reiterantur ab vno) nouem ſibi partibus reſeruatis; proteſtatur quaſi in quodam ſigno, ad ſe pertinere aliquid imperfectionis: Perfectionem verò, quæ erat futura per Chriſtum, eſſe expectandam à Deo. Nec tamen propter hoc, eſt cerimoniale præceptum, ſed iudiciale, vt dictum eſt. Eſt autem hæc differentia inter cerimonialia & iudicialia legis pręcepta, vt ſupra diximus, quod cerimonialia illicitum eſt obſeruare tempore nouæ legis: iudicialia vero etſi non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſeruari abſque peccato, & ad eorum obſeruantiam

Præceptum de decimis partim eſt naturale, partim iudiciale, aut ex inſtitutione Eccleſiæ, nõpe quoad quotum.

aliqui

aliqui obligantur, si statuatur auctoritate eorum, quorum est condere legem: sicut præceptum iudicialis veteris legis est, quod qui furatus fuerit ouem, reddat quatuor oues, vt legitur Exod. 23. Quod si ab aliquo Rege statuatur, tenentur eius subditi obseruare. Ita etiam determinatio decimæ partis soluendæ, est auctoritate Ecclesiæ, tempore nouæ legis instituta, secundum quandam humanitatem, vt scilicet non minus populus nouæ legis, ministris noui testamenti exhiberet, quam populus veteris legis, ministris veteris testamenti exhibebat, cum populus nouæ legis ad maiora obligetur, secundum illud Matth. 3. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, vel Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et cum ministri noui testamenti, sunt maioris dignitatis, quam ministri veteris testamenti, vt probat Apost. 1. ad Cor. 3. Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum tenentur homines, partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ compensatis oportunitatibus temporum, & personarum, posset partem aliam determinare soluendam.

Solutio obiect.

ET NOTA, quod ante tempus veteris legis, non erant determinati ministri diuini cultus. Sed dicitur, quod primogeniti erant sacerdotes, qui duplicem portionem accipiebant. Et ideo etiam non erat determinata aliqua pars, exhibenda ministris diuini cultus: sed vbi aliquis occurrebat, vnusquisque dabat ei propria sponte, quod sibi videbatur; sicut Abraham quodam prophetico instinctu dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi, vt dicitur Genes. 14. Et similiter etiam Iacob Genes. 28 vouit decimas se daturum, quamuis non videatur decimas vouisse quasi aliquibus ministris exhibendas, sed in diuinum cultum, puta ad sacrificiorum consummationem. Vnde signanter dicit. *Decimas offeram tibi.*

Ante legem scriptam non erat determinata pars pro sacerdotibus.

ITEM in veteri lege tenebantur ad triplices decimas soluendas, quarum quasdam soluebant Leuitis: dicitur enim Numer. 28. *Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in vsus eorum, & necessaria separaui.* Erant quoque aliæ decimæ, de quibus legitur Deut. 18. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis quę nascuntur in terra, per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus.* Erant quoque & tertiæ decimæ aliæ; De quibus ibi subditur: *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & reponas intra ianuas tuas, venietque Leuites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, aut pupillus, & vidua, qui inter ianuas tuas sunt, & comedēt & saturabuntur.* Sed ad secundas, & tertias decimas, homines non tenentur tempore gratiæ. Secundæ enim decimæ, quæ seruabantur ad sacrificia offerenda, locum in noua lege nō habēt, cessantibus legalibus victimis. Tertiæ verò decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant in noua lege, augentur per hoc, quod Dominus non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi, secundum illud. Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam.* Ipsæ etiam decimæ quæ ministris Ecclesię dantur per eos, debent in vsus pauperum dispensari.

Triplex decima in lege veteri, tempore gratiæ sublata.

Quibus casibus ministri ecclesiæ omittunt laudabiliter, decimas requirere.

ITEM nota, quod præceptum de solutione decimarum, quantum ad id, quod erat morale, datum est in Euangelio à Domino. Vbi dicitur Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et etiam ab Apost. 1. ad Cor. 10. Sed determinatio certę partis, est reseruata ordinationi Ecclesiæ.

ITEM quia ministri Ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promouendorum, quam temporalium colligendorum; ideo voluit Apost. vti potestate sibi à domino tradita, vt scilicet acciperet stipendia victus ab his quibus Euangelium prędicabat, ne daretur aliquid impedimentum Euangelio Christi: nec tamen peccabant illi, qui ei non subueniebant; alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirūt, vbi sine scandalo requiri non possent, vel propter dissuetudinē, vel propter aliam causam aliquam: nec tamen sunt in statu damnationis, qui non soluunt in locis illis, in quibus Ecclesia nō petit, nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non soluendi, etiam si ab eis peterentur.

AD SECVNDVM, scilicet *de quibus homines debeant decimas dare.* Dicendum, quod de vnaquaque re præcipuè est iudicandum, secundum eius radicem. Radix autem solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, secundum illud Apost. 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum non est, si carnalia vestra metamus.* Super hoc enim, determinatio fundata est, solutionis decimarum. Omnia autem quęcunque homo possidet, sub carnalibus continentur, & ideo de omnibus possessis decimę sunt soluendæ.

De omnibus possessis decima sunt soluenda.

CVM autem quædam sint decimæ personales, & quędam prædiales: specialis ratio fuit, quare in veteri lege non fuit datum præceptum de personalibus decimis, secundum conditionem illius populi; quia omnes aliæ Tribus certas possessiones habebant, de quibus poterant sufficienter prouidere Leuitis, qui carebant possessionibus. Non autem interdicebatur eis, quin de alijs operibus honestis lucrarentur, sicut & alij Iudæi. Sed populus nouæ legis, est vbique per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones non habent: sed de aliquibus negotijs viuunt; à quibus nihil conferretur ad subsidium ministrorum Dei, si de eorum negotijs, decimas non soluerent. Ministris etiam nouæ legis arctius interdicitur ne se ingerant negotijs lucratiuis, secundum illud 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo se implicat sæcularibus negotijs.* Et ideo in noua lege tenentur homines ad decimas personales, secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum: vnde Aug. dicit, & habetur 16. q. 1. cap. 10. *De militia, & de negocio, & de artificio, vel de decimis.*

Solutio obiect.

DE multis autem minutis, quæ homini proueniunt, sicut sunt herbæ, quæ nascuntur in horto, & huiusmodi non determinauit lex vetus decimas esse soluendas, nisi solum de frugibus & pomis arborum, & animalibus, quę sub pastoris virga transeunt, Leuit. vlt. quia solutio decimarum est debita non propter se, sed propter ministros, quorū honestati non conuenit, vt etiam minima exacta diligentia requirant: hoc enim in vitium cōputatur, vt patet per Phil. in 4. Eth. & ideo lex vetus non determinauit, vt de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur, sed reliquit hoc arbitrio dare volentium, quia minima quasi nihil computantur. Vnde Pharisæi quasi perfectam legis iustitiam sibi ascribentes, etiam de his minutis decimas soluebant, nec de hoc reprehenduntur à domino: sed solum de hoc, quod maiora, ideſt spiritualia præcepta contemnebant. Magis autem de hoc eos secundum se commendabiles esse ostendit, dicēs: *hoc oportuit facere*, scilicet tēpore legis, vt Chrysost. exponit. quod etiam videtur magis in quandam decentiam sonare, quam obligationem: Vnde & nunc de huiusmodi minutis non tenentur homines decimas dare; nisi fortè propter consuetudinem patriæ.

De minutis non tenentur homines decimas dare.

ITEM de male acquisitis non debet fieri oblatio, sicut dictum est supra. Oblationes autem, quæ immediatè exhibentur Deo, magis pertinere videntur ad diuinum cultum, quam decimæ, quæ ministris exhibentur: vnde patet, quod nec de malè acquisitis decimæ solui debent. Distinguendū tamen videtur, quia aliqua malè acquirūtur dupliciter; vno modo, quia ipsa acquisitio est iniusta, puta si acquiruntur per rapinā aut vsuram, quę homo tenetur restituere, non autē de eis decimas dare. Tamen si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere. Quędam verò dicuntur malè acquisita, quia acquiruntur de turpi causa, sicut de meretricio & de hystrionatu, & alijs huiusmodi, quæ non tenentur restituere: vnde de talibus tenentur decimas reddere secundum modum aliarum personalium decimarū: tamen Ecclesia nō debet recipere

De quibus male acquisitis sunt danda decimæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

recipere quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare: ſed poſtquam pœnituerint, poſſunt ab eis de his recipi decimæ.

ITEM nota, de his quæ furto, vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur, decimas ſoluere non tenetur, antequam recuperet; niſi fortè propter culpam, vel negligentiam ſuam, damnum incurrerit; quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari, ſi vero vendat triticum non decimatum; poteſt Eccleſia decimas exigere, & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam; & à venditore, qui quantum eſt de ſe, fraudauit Eccleſiam. Vno tamen ſoluente alius non tenetur. Debentur autem decimę de fructibus terrę, inquantum proueniunt ex diuino munere. Et ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa & precium operariorum, quam ſoluantur decimæ: ſed ante omnia debent decimæ ſolui ex integris fructibus.

Decimæ ſunt ſoluendæ ante deductionem tributi, vel mercedis operariorum.

AD TERTIVM, ſcilicet *quibus ſint dandæ decimæ.* Dicendum, quod circa decimas duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum ius accipiendi decimas, & ipſæ res, quæ nomine deciniæ dantur. Ius autem accipiendi decimas ſpirituale eſt: conſequitur enim illud debitum, quo miniſtris altaris, debentur ſumptus de miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur tẽporalia, quod ad ſolos clericos pertinẽt habentes curam animarum. Et ideo eis ſolis competit hoc ius habere. Res autem quæ nomine decimæ dantur, corporales ſunt: vnde poſſunt in vſum quorumlibet cedere, & ſic poſſunt etiam ad laicos peruenire. Sicut autem res nomine decimarum acceptas, poteſt eccleſia alicui laico tradere, ita etiam poteſt ei concedere, vt dandas decimas ipſi accipiant, iure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſeruato, ſiue pro neceſſitate Eccleſiæ (ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur in feudum, per Eccleſiam conceſſæ) ſiue etiam ad ſubuentionem pauperum, ſicut aliquibus religioſis laicis, vel non habentibus curam animarum, aliquæ decimæ ſunt conceſſæ, per modum eleemoſynæ: quibuſdam tamen religioſis competit accipere decimas, ex eo quod habent curam animarum.

Soli clerici habentes curam aliorũ habẽt ius ad decimas.

Solutio obiecti.

DEBENT autem decimæ perſonales dari illi Eccleſiæ, in qua homo habitat. Decimæ verò prædiales, rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cuius terminis prædia ſita ſunt: Tamen iura determinant, quod in hoc ſeruetur conſuetudo diu obtenta. Paſtor autem, qui diuerſis temporibus in duabus parochijs gregem paſcit, debet proportionaliter vtrique Eccleſiæ decimas ſoluere, & quia ex paſcuis fructus gregis proueniunt, magis decima debetur illi Eccleſię, in cuius territorio grex paſcitur, quam illi, in cuius territorio ouile locatur.

AD QVARTVM, ſcilicet *quibus competat decimas dare.* Dicendum, quod idem non poteſt eſſe cauſa dandi & recipiendi, ſicut nec cauſa agendi, & patiendi. Contingit autem ex diuerſis cauſis, & reſpectu diuerſorum, eundem eſſe dantem & recipientem, ſicut agentem & patientem. Clericis autem inquantum ſunt miniſtri altaris, ſpiritualia populo ſeminantes, decimæ à fidelibus debentur. Vnde tales clerici, inquantum ſunt clerici, id eſt inquantum poſſeſſiones habent, eccleſiaſticas decimas ſoluere non tenentur. Ex alia vero cauſa, ſcilicet propter hoc quod poſſident proprio iure, vel ex ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quocumque alio modo, ad huiuſmodi decimas ſoluendas obligati ſunt. Quia clerici de proprijs prædijs tenentur ſoluere decimas parochiali Eccleſiæ, ſicut & alij, etiam ſi ipſi ſint Eccleſiæ eiuſdem clerici, quia eſt aliud habere aliquid vt proprium, aliud vt commune. Prædia verò eccleſiæ non ſunt ad decimas ſoluendas obligata, etiam ſi ſint infra terminos alterius parochiæ. Religioſi verò clerici, ſi habent curam animarum, ſpiritualia populo ſeminantes, non tenentur decimas dare, ſed poſſunt eas recipere. De alijs vero religioſis, etiam ſi ſint clerici, qui non diſpenſant populo ſpiritualia, alia eſt ratio. Ipſi enim tenentur de iure communi decimas

Quam clerici & religioſi tenentur decimas ſoluere

dare; habent tamen aliquam immunitatem ſecundum diuerſas conceſſiones eis à Sede Apoſtolica factas.

De voto.

DISTINCTIO LXVII.

DEINDE conſiderandum eſt de voto, per quod aliquid Deo promittitur. Et circa hoc conſideranda ſunt duodecim. Primo quid ſit votum. Secundo quid cadat ſub voto. Tertio de oblatione voti. Quarto de vtilitate vouendi. Quinto, vtrum ſit actus latrię, vel religionis. Sexto, vtrum magis meritorium ſit facere aliquid ex voto, quam ſine voto. Septimo, de ſolemnitate voti. Octauo, vtrum vouere poſſunt illi, qui ſunt ſubiecti alterius poteſtati. Nono, vtrum pueri poſſunt obligari ad religionis ingreſſum. Decimo, vtrum votum ſit diſpenſabile. Vndecimo, vtrum in ſolemni voto continentiæ poſſit diſpenſari. Duodecimo, vtrum in diſpenſatione voti requiratur ſuperioris auctoritas.

AD PRIMVM, ſcilicet *quid ſit votum.* Dicendum, quod votũm quandam oblationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Obligat autem homo ſe homini ad aliquid per modum promiſſionis, quæ eſt rationis actus, ad quam pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando, ordinat quodammodo quid ſibi ab alijs fiat, ita promittendo ordinat, quid ipſe pro alio facere debeat. Sed promiſſio quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel quęcunque exteriora ſigna. Deo autem poteſt fieri promiſſio, per ſolam interiorem cogitationem. Quia, vt dicitur 1. Reg. 16. *Homo videt ea quæ apparent, ſed Deus intuetur cor.* Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad ſuiipſius excitationem, ſicut circa orationem dictum eſt; vel ad alios conteſtandum, vt non ſolum deſiſtat à fractione voti propter timorem Dei, ſed etiam propter reuerentiam hominum. Promiſſio autem procedit ex propoſito faciendi. Propoſitum autem aliquam deliberationem præexigit, cum ſit actus voluntatis deliberatæ. Sic igitur ad votum tria requirũntur ex neceſſitate. Primò quidem deliberatio. Secundò propoſitum voluntatis. Tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur vero quandoque & alia duo ad quandam voti confirmationem, ſcilicet pronunciatio oris, ſecundum illud Pſalm. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Et iterum, teſtimonium aliorum. Vnde magiſter dicit 38. diſt. quarti lib. Sentent. quod *votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo & de his quæ ſunt Dei fieri debet.* quamuis teſtificatio poſſit ad interiorem teſtificationem propriè referri.

Ad votum tria neceſſario requiruntur.

AD SECVNDVM, ſcilicet *quid cadat ſub voto.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, votum eſt promiſſio Deo facta, promiſſio autem eſt alicuius, quod aliquis pro aliquo voluntariè facit: non enim eſſet promiſſio, ſed comminatio, ſi quis diceret ſe contra aliquem facturum. Similiter vana eſſet promiſſio, ſi quis alicui promitteret id, quod ei non eſſet acceptum: Et ideo cum omne peccatum ſit contra Deum, nec aliquod opus ſit Deo acceptum, niſi ſit virtuoſum: conſequens eſt, quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti, debeat fieri votum: ſed ſolum de aliquo actu virtutis. Sed quia votum promiſſionem voluntariam importat, neceſſitas autem voluntatem excludit, id quod eſt abſolutè neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo cadit ſub voto. Stultum enim eſſet, ſi quis voueret ſe eſſe moriturum, vel ſe non eſſe volaturum. Illud vero quod non habet abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis; puta quia ſine eo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto, inquantum voluntariè fit, non autem inquantum eſt neceſſitatis. Illud autem, quod neque cadit ſub neceſſitate abſoluta, neque ſub neceſſitate finis, eſt voluntarium; & ideo hoc proprijſſimè cadit ſub voto. Hoc autem dicitur eſſe maius bonum, in com-

Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono Deo grato.

parationę

parationead bonum, quod communiter eſt ex neceſſitate ſalutis. Et ideo propriè loquendo votum dicitur eſſe de meliori bono.

Vnde patet, quod ſub voto baptiſmatis poteſt cadere abrenunciare pompis diaboli, & fidem Chriſti ſeruare, quia voluntariè fit, licet ſit de neceſſitate ſalutis. Similiter poteſt dici de voto Iacob, qui Gen. 28. vouiſſe legitur, quod Dominus eſſet ei in Deum, quamuis etiam poſſit intelligi, quod Iacob vouit ſe habere fidem in Deum per ſpecialem cultum, ad quem non tenebatur, ſicut per decimarum oblationem, & alia huiuſmodi, quæ ibi ſubduntur.

Solutio obiect.

Bonum neceſſarium ad ſalutem poteſt cadere ſub voto quatenus voluntariè fit.

ITEM nota, quod quędam ſunt in omnem euentum bona, ſicut opera virtutis; & talia bona abſolutè poſſunt cadere ſub voto: quædam verò in omnem euentum ſunt mala, ſicut ea quæ ſecundum ſe ſunt peccata: & hæc nullo modo poſſunt ſub voto cadere. Quædam verò ſunt quidem in ſe conſiderata bona, & ſecundum hoc poſſunt cadere ſub voto; poſſunt tamen habere malum euentum, in quo non ſunt obſeruanda. Et ſic accidit in voto Iephte: qui, vt dicitur Iud. 11. *Votum vouit Domino dicens: Si tradideris filios Amon in manus meas: quicunque primus egreſſus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti in pace, eum offeram holocauſtum Domino.* Hoc enim poterat malum euentum habere, ſi occurreret ei aliquod animal non immolatiuum, ſicut aſinus, vel homo, quod etiam accidit. Vnde & Hiero. dicit. *In vouendo fuit ſtultus, quia diſcretionem non adhibuit, & in reddendo impius.* Præmittitur tamen ibidem, quod factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini; quia fides & deuotio ipſius, ex qua motus eſt ad vouendum, fuit à Spiritu ſancto. propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam quam obtinuit: quia probabile eſt eum pœnituiſſe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.

Votum Iephteillicitum

ITEM nota, quod maceratio corporis, puta per vigilias & ieiunia, non eſt Deo accepta, niſi inquantum eſt opus virtutis. Quod quidem eſt, inquantum cum debita diſcretione fit, ſcilicet vt concupiſcentia refrenetur, & natura non nimis grauetur; & ſub tali tenore poſſunt huiuſmodi ſub voto cadere. Propter quod Apoſt. Rom. 12. poſtquam dixerat: *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*, addidit: *Rationabile ſit obſequium veſtrum.* Sed quia in his, quæ ad ſeipſum pertinent, de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius ſecundum arbitrium ſuperioris ſunt vel ſeruanda, vel prætermittenda: ita tamen, quod ſi ex obſeruatione talis voti, magnum & manifeſtum grauamen ſentiret, & non eſſet facultas ad ſuperiorem recurrendi, non debet homo tale votum ſeruare. Vota vero, quæ ſunt de rebus vanis & inutilibus, ſunt magis deridenda, quam ſeruanda.

Quæ vota non ſeruanda.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum omne votum obliget ad ſui obſeruationem.* Dicendum, quod ad fidelitatem hominis pertinet, vt ſoluat id quod promiſit: vnde ſecundum Auguſt. *fides dicitur ex eo, quod fiunt dicta.* Maximè autem debet homo fidelitatem Deo, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij ſuſcepti. Et ideo maximè obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti, eſt quædam infidelitatis ſpecies: vnde Salomon rationem aſſignans, quare ſint vota reddenda, dicit Eccl. 5. *Quæcumque* voueris redde: *Diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio: Multoque melius eſt non vouere, quam poſt votum, promiſſa non ſoluere.*

Homo obligatur implere vota Deo facta.

Si tamen illud quod quis vouerit, ex quacunque cauſa reddatur impoſſibile, debet homo facere quod in ſe eſt, vt ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt. Vnde ille qui vouit monaſterium aliquid ingredi, debet dare operam quantum poteſt, vt ibi recipiatur: & ſi quidem intentio ſua fuit, ſe obligare ad religionis ingreſſum principaliter; & ex conſequenti, elegit hanc religionem, vel hunc locum quaſi ſibi magis congruentem, tenetur ſi non poteſt recipi ibi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit ſe obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum, propter ſpecialem complacentiam huiuſmodi religionis, vel loci; non tenetur aliam religionem intrare, ſi illi eum recipere nolunt. Si vero incidit in impoſſibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur inſuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere: ſicut mulier, quæ vouit virginitatem, ſi poſteà corrumpatur, non ſolum debet ſeruare quod vouit, ſcilicet perpetuam continentiam: ſed etiam de eo quod amiſit peccando, pœnitere.

Solutio obiect.

Ad quid tenetur qui vouit religionem, ſi non admittatur.

ITEM nota, quod quia oblatio voti ex propria voluntate, & intentione cauſatur, ſicut dicitur Deut. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & ex propria voluntate, & ore tuo locutus es*: ideo ſi in intentione & voluntate vouentis eſt, obligare ſe ad ſtatim ſoluendum, tenetur ſtatim ſoluere: ſi autem ad certum tempus, vel ſub certa conditione, non tenetur ſtatim ſoluere, ſed nec debet tardare, vltra quam intendit ſe obligare. Dicitur enim ibidem: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Votum ſtatim adimplendum ſecundum intentionem vouentis.

AD QVARTVM, ſcilicet *de vtilitate vouendi, vtrum expediat aliquid vouere.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, votum eſt promiſſio Deo facta. Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter eius vtilitatem, cui vtile eſt, & quod ei aliquid exhibeamus, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus. Sed promiſſionem Deo facimus, non propter eius vtilitatem, ſed propter noſtram. Vnde Auguſt. dicit in epiſt. ad Armentarium, & Paulinam: *Benignus eſt exactor non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores.* Et ſic id quod damus Deo, non eſt ei vtile, ſed nobis; quia *quod ei redditur, reddenti additur*, vt Auguſt. ibidem dicit: ita etiam promiſſio, qua Deo aliquid vouemus, non cedit in vtilitatem eius, qui à nobis certificari non indiget, ſed ad vtilitatem noſtram, inquantum vouendo, voluntatem noſtram immobiliter firmamus, ad id quod expedit facere. Et ideo expediens eſt vouere.

Eſt valde expediens vouere.

NEC iſta firmatio voluntatis diminuit libertatem voluntatis humanæ, quia ſicut nos poſſe peccare, non diminuit libertatem; ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum, non diminuit libertatem, vt patet in Deo, & in beatis: & talis eſt neceſſitas voti, ſimilitudinem quandam habens, cum confirmatione beatorum. Vnde Auguſt. in eadem epiſt. dicit, quod *fœlix neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

Solutio obiect.

Votum firmat voluntatem, non minuens libertatem.

NEC ille qui vouet, exponit ſe periculo, ſicut dicunt aliqui, ex malitia ſua retrahentes à voto, & ſicut Auguſt. videtur dicere in epiſt. prędicta: *quia*, inquit, *Deo vouiſti, te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet; non talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes, ſi nihil tale vouiſſes: minor & tunc eſſes, non peior: modo autem, quod abſit, tale miſerior, ſi fidem Deo fregeris; quanto beatior, ſi perſolueris.* Sed de periculo diſtinguendum, quia aut periculum naſcitur ex ipſo facto, & tunc illud factum non eſt expediens, puta quod aliquis per pontem ruinoſum tranſeat fluuium. Sed ſi periculum immineat ex hoc, quod homo deficiat ab illo facto, non definit propter hoc eſſe expediens, ſicut expediens eſt aſcendere æquum, quamuis periculum immineat cadenti de æquo. Alioquin oporteret ab omnibus bonis ceſſare, quæ per accidens ex aliquo euentu poſſunt eſſe periculoſa. Vnde & dicitur Eccleſ. 11. *Quòd qui obſeruat, ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquam metet.* Periculum autem vouenti non imminet ex ipſo voto: ſed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat tranſgrediens votum. Vnde Auguſt. dicit in eadem epiſt. *Non te vouiſſe pœniteat, immo gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet.*

Periculum violandi votum non debet à vouendo retardare.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum votum ſit actus latriæ, vel religionis.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt,

opus virtutis ad religionem seu latriam pertinet, per modum imperij, secundum quod ad diuinam reuerentiam ordinatur, quod est proprius finis latriæ. Ordinare autem alios actus in suum finem, pertinet ad imperantem virtutem, non ad virtutes imperatas: & ideo ipsa ordinatio actuum cuiuslibet virtutis in seruitium Dei, est proprius actus latriæ. Manifestum est autem ex dictis, quod votum est quædam promissio facta Deo, & quod promissio nihil est aliud, quàm ordinatio quædam eius quod promittitur, in eum cui promittitur. Vnde votum est ordinatio quędam eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, seu obsequium. Et sic patet, quod vouere est actus latriæ, seu religionis. Vnde Isa. 19. *Colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt domino, & soluent.*

Vouere est actus latriæ seu religionis.

Solutio obiecti.

SCIENDVM autem, quod illud, quod cadit sub voto, quandoque quidem est actus alterius virtutis, sicut ieiunare, continentiam seruare; quandoque vero est actus religionis, sicut sacrificium offerre, vel orare, vtrorumque tamen promissio Deo facta, ad religionē pertinet ratione iam dicta. Vnde patet, quod votorum, quoddam pertinet ad religionem ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti: quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est materia voti.

Qua ratione promissiones quæ fiũt sanctis dicuntur vota.

ITEM nota, quod votum propriè loquendo soli Deo fit: sed promissio etiam homini potest fieri, & ipsa promissio quæ fit homini, potest cadere sub voto inquantum est quoddam virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votũ quo quis vouet sanctis peregrinationem, ieiunium, & aliquas particulares orationes; vel prędatis, religiosi professentes, vouent obedientiam; vt ipsa promissio facta sanctis, vel prælatis cadat sub voto materialiter, scilicet inquãtum homo vouet Deo se impleturum, quod sanctis, vel prælatis promittit.

AD SEXTVM, scilicet *vtrum sit magis laudabile, & meritorium, facere aliquid cum voto, quam sine voto.* Dicendum, quod triplici ratione facere idem opus cum voto, est melius & magis meritorium, quam facere sine voto. *Primò quidem*, quia vouere, sicut dictum est, est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales: nobilioris autem virtutis est opus melius, & magis meritorium: vnde actus inferioris virtutis, est melior & magis meritorius ex hoc, quod Imperator à superiori virtute, cuius actus fit per imperium; sicut actus fidei, vel spei, melior est si imperetur à charitate. Et ideo actus aliarum virtutum moralium, puta ieiunare, quod est actus abstinentiæ: & continere, quod est actus charitatis; sunt meliora, & magis meritoria si fiant ex voto; quia sic iam pertinent ad diuinum cultum quasi quædam Dei sacrificia. Vnde Augustᵘˢ. dicit in lib. de virginitate, *quod neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quam vouet & seruat continentia pietatis.* *Secundò*, quia ille, qui vouet aliquid, & facit; plus se Deo subijcit, quam ille, qui solum facit. Subijcit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem; quia de cætero aliud non potest facere. sicut *plus daretur homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum*, vt dicit Anselm. in lib. de similitudinibus. Et inde etiam est, quod promittentibus, gratiæ aguntur, vt dictum est. *Tertiò*, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum: facere autem autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet per Phil. in 2. Ethic. Sicut peccare mente obstinata aggrauat peccatum: & dicitur peccatum in Spiritum sanctum, vt supra dictum est.

Ex triplici capite opus quod fit ex voto est laudabilius & magis meritorium, quam quod fit sine voto.

ILLE quidem, qui facit aliquid sine voto, habet immobilem voluntatem respectu illius operis singulacis quod facit: & tunc quando facit, non manet voluntas eius omnino confirmata in futurum, sicut vouentis, qui suam voluntatem obligauit ad aliquid faciendum, & antequam faceret illud singulare opus, & fortasse ad pluries faciendum. Huiusmodi autem firmatio voluntatis per vorum inducit quandam necessitatem immutabilitatis, vt videlicet voluntas hominis immutabiliter permaneat in proposito, & deuotionem augeat faciendi in futurum quod promisit: non autem inducit necessitatem coactionis, quæ inuoluntarium causat, & deuotionem excludit. Et de tali necessitate loquitur Prosper. in lib. 2. de vita contemplatiua dicens: *Sic abstinere, & ieiunare debemus, vt non nos necessitati ieiunandi subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus.* Hęc autem necessitas coactionis, tristitiam causat; quam à nobis excludi, & excuti monet Apostolus. 1. ad Corinth. 9. *Et vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Necessitas autem voti in his, qui sunt bene dispositi, inquantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudiũm. Vnde Augustᵘˢ. dicit in epist. ad Armentarium, & Paulinam: *Non te vouisse pœniteat, immo gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.* Si tamen ipsum opus secundum se consideratum triste & inuoluntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc magis est meritorium, quam si fieret sine voto, quia impletio voti est actus religionis, quæ est potior virtus, quam abstinentia, cuius actus est ieiunare.

Solutio obiecti.

AD SEPTIMVM, scilicet *de solemnitate voti.* Dicendum, quod vnicuique rei solemnitas adhibetur secundũm illius rei conditionem, sicut alia est solemnitas nouæ militiæ, scilicet in quodam apparatu æquorum & armorum, & concursu militum; & alia solemnitas nuptiarum, quæ consistit in apparatu sponsi & sponsæ, & conuentu propinquorum. Votum autem est promissio Deo facta: vnde solẽnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quòd ad Deum pertineat, id est secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel per consecrationem, quę ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, vt Dionys. dicit in 2. cap. Eccleſiast. Hierach. Et huius est ratio, quia solemnitates non consueuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim solemnitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonij, quando vterque coniugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis, diuino mysterio applicatur, & in professione certæ regulæ, quando per renunciationem sæculi, & propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit.

Votum solemne differt à simplici per aliquid spirituale cuius Deus est auctor, ratione cuius fortius obligat quàm simplex.

HVIVSMODI autem solemnitas pertinet non solum ad homines, sed etiam ad Deum, inquantum habet aliquam spiritualem benedictionem, seu consecrationem, cuius Deus est auctor, etsi homo sit minister, secundum illud Num. 6. *Inuocabunt nomen tuum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Et ideo votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex: & grauius peccat, qui illud transgreditur. Quòd autem dicitur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc, quod vtriusque transgressor peccat mortaliter.

Solutio obiect.

NOTA etiam, quod aliqua vota particularia, ex hoc quod fiunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem & diuinã; sicut habent vota præmissa, etiam si coram paucis fiant. Vnde aliud est votum esse publicum, & aliud est esse solemne.

Votum publicum & solemne differunt.

AD OCTAVVM, scilicet *vtrum illi qui sunt alterius potestati subdui, vouere possint.* Dicendum, quod sicut dictum est, votum est promisio quędam Deo facta. Nullus autem potest per promisionem se firmiter obligare ad illud, quod est in potestate alterius; sed solum ad illud, quod est omnino in sua potestate. Quicunque autem est subiectus alicui, quantum ad illud in quo est subiectus, non est suæ potestatis facere quod vult: sed dependet ex voluntate alterius; & ideo non

So'utio obiect.

potest

Nemo poteſt vouere id quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione ratihabitionis.

poteſt per votum obligare ſe firmiter in his in quibus alteri ſubijcitur, ſine conſenſu ſui ſuperioris. Eſt enim contra rationem virtutis, vt id quod eſt alterius, homo offerat Deo, vt ſupra dictum eſt. Et ideo non poteſt ſaluari omnino ratio voti, cum quis in poteſtate conſtitutus, vouet id quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet, non contradicat.

NOTA tamen, quod filiusfamilias, ex quo peruenit ad annos diſcretionis, vel pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis quantum ad ea quæ pertinent ad ſuam perſonam, puta quod obliget ſe religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpenſationem domeſticam: vnde circa hoc non poteſt aliquid vouere quod ſit ratum, ſine conſenſu patris. Seruus autem, quia eſt in poteſtate Domini etiam quantum ad perſonales operationes, non poteſt ſe voto obligare ad religionem, per quam ab obſequio, vel officio Domini ſui abſtraheretur.

Solutio obiect.

NOTA etiam, quod religioſus ſubditus eſt prælato quantum ad ſuas operationes, ſecundum profeſſionem regulæ. Et ideo ſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur à prælato, tamen quia nullum tempus eſt exceptum, in quo prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prælati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec vxoris, niſi ſit de conſenſu viri. Sicut expreſsè dicitur Num. 30.

Votum religioſi qualiter exponẽdum.

ITEM nota, quod licet votum eorum, qui ſunt alterius poteſtati ſubiecti, non ſit firmum ſine conſenſu eorum, quibus ſubijciuntur; non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, ſcilicet ſi ſuis ſuperioribus placuerit, vel non renitantur.

AD NONVM, ſcilicet *vtrum pueri poßint ſe obligare per votum, ad religionis ingreſſum.* Dicendum, quod ſicut ex dictis patet, duplex eſt votum, ſcilicet ſimplex, & ſolemne. Et quia ſolemnitas voti in quadam ſpirituali benedictione & conſecratione conſiſtit, vt dictum eſt, quæ fit per miniſterium Eccleſiæ, ideo ſolemnizatio voti ſub diſpenſatione Eccleſiæ cadit. Votum autem ſimplex efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis ſe obligare intendit. Quòd autem talis obligatio robur non habeat, poteſt dupliciter contingere; vno quidem modo, propter defectum rationis, ſicut patet in furioſis, & amentibus, qui ſe voto non poſſunt obligare ad aliquid, dum ſunt in furia, vel amentia; alio modo, quia ille qui vouet, eſt alterius poteſtati ſubiectus, vt ſupra dictum eſt. Et iſta duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia etiam patiuntur rationis defectum, vt in pluribus; & ſunt naturaliter ſub cura parentum, vel tutorum, qui ſunt eis loco parentum. Et ideo eorum vota ex duplici cauſa robur non habent. Contingit tamen propter naturæ diſpoſitionem, quæ legibus humanis non ſubditur, in aliquibus licet paucis, accelerari rationis vſum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur à cura parentum, quę ſubiacet legi humanæ, reſpicienti ad id quod frequentius accidit. Eſt ergo dicendum, quod ſi puer, vel puella, ante pubertatis annos, nondum habeat vſum rationis, nullo modo ſe poteſt ad aliquid voto obligare. Si verò ante annos pubertatis attigerit vſum rationis, poteſt quidem quantum in ipſo eſt, ſe obligare: ſed votum eius poteſt irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc ſubiectus. Quantumcumque tamen ſit doli capax ante annum pubertatis, non poteſt obligari voto ſolemni religionis, propter Eccleſiæ ſtatutum, quod reſpicit id quod in pluribus accidit. Poſt annos autem pubertatis poſſunt iam ſe voto religionis obligare, vel ſimplici, vel ſolemni, abſque voluntate parentum.

Pueri quomodo poſſunt ſe voto obligare.

AD DECIMVM, ſcilicet *vtrum in voto diſpenſari poſſit.* Dicendum, quod diſpenſatio voti intelligenda eſt, ad modum diſpenſationis, quæ fit in obſeruantia alicuius legis: quia, vt ſupra dictum eſt, lex ponitur reſpiciendo ad id, quod in pluribus videtur bonum: ſed quia contingit hoc in aliquo caſu non eſſe bonum, oportuit per aliquem determinari, in illo particulari caſu, legem non eſſe ſeruandam, & hoc propriè eſt diſpenſare in lege. Nam diſpenſatio, vt videtur, importat commenſuratam quandam diſtributionem, vel applicationem alicuius communis, ad ea quæ ſub ipſo continentur, per quem modum dicitur aliquis diſpenſare cibum familiæ. Similiter autem ille, qui vouet, quodammodo ſibi ſtatuit legem, obligans ſe ad aliquid, quod eſt ſecundum ſe, & in pluribus bonum. Poteſt autem contingere, quod in aliquo caſu, ſit vel ſimpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum; quod eſt contra rationem eius, quod cadit ſub voto, vt ex ſupra dictis patet. Et ideo neceſſe eſt, quod determinetur in tali caſu, votum non eſſe ſeruandum, & ſi quidem abſolutè determinetur aliquod votum non eſſe ſeruandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti: ſi autem pro hoc quod ſeruandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Vnde minus eſt votum commutare, quam in voto diſpenſare; vtrumque tamen in poteſtate Eccleſiæ conſiſtit.

Quid diſpenſatio.

Diſcrimen inter diſpenſationem & commutationem voti.

DE commutatione tamen in voto facienda, videtur eſſe contrarium, quod habetur Leuit. 27. *Animal quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit, nec mutare poterit, nec melius malo, nec peius bono:* ſed dic, quod animal quod immolari poterat, ex hoc ipſo quod vouebatur, ſanctum reputabatur, quaſi diuino cultui mancipatum. Et hæc erat ratio, quare non poterat commutari, ſicut nec modò poſſet aliquis, rem quam vouit iam conſecratam, puta calicem, vel domum, commutare in melius, vel in peius. Animal autem, quod non poterat ſanctificari, & quod non erat immolatiuum, redimi poterat, & debebat. Sicut ibidem lex dicit. Et ita etiam nunc commutari poſſunt vota, ſi conſecratio non interueniat.

Solutio obiect.

Similiter de diſpenſatione nota, quod in his, quæ ſunt de lege naturæ, & in prȩceptis diuinis, non poteſt per hominem diſpenſari, etiam prȩcipuè in prȩceptis primæ tabulæ, quę directè ordinantur ad dilectionem Dei, qui eſt vltimus finis omnium præceptorum. Sed ſicut ex iure naturali, & prȩcepto diuino, tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eiſdem obedire ſuperiorum legi, vel mandato; & tamen cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit vt legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mandatum diuinum: Sed fit vt hoc quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu: & ita etiam auctoritate ſuperioris diſpenſantis fit, vt hoc quod continebatur ſub voto, non contineatur, inquantum determinatur in hoc caſu, hoc non eſſe congruam materiam voti. Et ideo cum prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto iuris naturalis, vel diuini: ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere.

Qui diſpenſat in voto non diſpẽſat in præcepto iuris naturalis aut diuini ſed tantum determinat materiam voti in tali caſu non eſſe congruam.

AD VNDECIMVM, ſcilicet *vtrum in voto ſolemni continentiæ poßit fieri diſpenſatio.* Dicendum, quod in ſolemni voto continentiæ, poſſunt tria conſiderari. Primo quidem materia voti, ſcilicet ipſa continentia. Secundo perpetuitas voti, ſcilicet cum aliquis voto ſe aſtringit ad perpetuam obſeruantiam continentiæ. Tertio ipſa ſolemnitas voti. Dicunt ergo quidam, quod votum ſolemne eſt indiſpenſabile, ratione ipſius continentiæ, quę non recipit condignam recompenſationem, vt patet extra de ſtatu monachorum in fine illius decretalis. *Cum ad monaſterium.* vbi dicitur: *Abdicatio proprietatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec ſummus Pontifex poßit indulgere.* Cuius rationem quidam aſſignant, quod per continentiam homo triumphat de domeſtico

ſtico inimico, vel quia per continentiam homo perfectè conformatur Chriſto, ſecundum puritatem animæ & corporis, ſed hoc modo non videtur efficaciter dici, quia bona animæ, vtpote contemplatio, & oratio, ſunt multo meliora, bonis corporis, & magis nos Deo conformant; & tamen poteſt diſpenſari in voto orationis, & contemplationis. Vnde non videtur eſſe ratio, quare non poſſit diſpenſari in voto continentiæ, ſi reſpiciatur abſolutè, ad ipſam continentiæ dignitatem, præſertim cum Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ad continentiam inducat propter contemplationem, dicens: quod *mulier innupta cogitat, quæ Dei ſunt*: finis autem potior eſt his, quæ ſunt ad finem. Et ideo alij rationem huius aſſignant ex perpetuitate, & vtilitate huius voti. Dicunt enim, quod votum continentiæ non poteſt prætermitti, niſi per id quod eſt omnino contrarium, quod nunquam licet in aliquo voto. Sed hoc eſt manifeſtè falſum, quia ſicut vti carnali copula, eſt continentiæ contrarium; ita comedere carnes, vel bibere vinum, eſt contrarium abſtinentiæ à talibus; & tamen in huiuſmodi votis poteſt diſpenſari. Et ideo alijs videtur, quod etiam in voto ſolemni continentiæ poſſit diſpenſari, propter aliquam communem vtilitatem, ſeu neceſſitatem, vt patet de pacificatione terrarum ex aliquo matrimonio contrahendo, puta ſi quando per contractum matrimonij aliquarum perſonarum quæ continentiam vouerint, poſſet pax patriæ procurari.

Pontifex non poteſt diſpenſare in voto ſolemni continentia religioſorum.

Sed quia decretalis inducta expreſsè dicit, quod nec ſummus Pontifex, poteſt contra cuſtodiam caſtitatis monacho licentiam dare: ideo aliter videtur dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt: & habetur Leuit. vltim. illud quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios vſus commutari. Non autem poteſt facere aliquis Eccleſiæ prælatus, vt id quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis; puta quod calix conſecratus, deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. Vnde multo minus hoc poteſt facere aliquis prælatus, vt homo Deo conſecratus, quamdiu viuit, conſecratus eſſe deſiſtat. Solemnitas autem voti conſiſtit in quadam conſecratione, ſeu benedictione vouentis, vt dictum eſt; & ideo non poteſt fieri per aliquem prælatum Eccleſiæ, quod ille qui votum ſolemne emiſit, deſiſtat ab eo ad quod eſt conſecratus: puta quòd ille qui eſt ſacerdos, non ſit ſacerdos; licet poſſet prælatus ob aliquam cauſam, executionem ordinis inhibere. Et ſimili ratione, Papa non poteſt facere, quod ille qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus; licèt quidam Iuriſtę ignoranter contrarium dicant.

Debitum continentiæ non eſt eſſentialiter connexum ordini ſacro, & ideo in voto ex ordine extracto poteſt diſpenſari.

Est autem conſiderandum, vtrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei, ad quod votum ſolemnizatur; quia ſi non eſt ei eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolemnitas conſecrationis, ſine debito continentiæ, quod non poteſt contingere, ſi ſit eſſentialiter annexum ei, ad quod votum ſolemnizatur. Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Vnde videtur, quod per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis. Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenunciat ſęculo, totaliter Dei ſeruitio mancipatus, quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quę ad hoc requiruntur. vnde Apoſtol. dicit. 1. ad Corinth. 7. *Ille qui eſt quidem cum vxore, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori*, & diuiſus eſt: vnde nomen monachi ab vnitate ſumitur, per oppoſitum ad diuiſionem. Et ideo in profeſſione ſolemnizata per votum religionis, non poteſt per Eccleſiam diſpenſari. Et rationem aſſignat decretalis, quia *caſtitas eſt annexa regulæ monachali*, extra de ſtatu monachorum, in fine illius decretalis. *Cum ad monaſterium*, ergo nec propter pacem inter aliquos reformandam, nec propter bonum quodcumque multitudinis, vel regni, diſpenſari poteſt cum aliquibus, qui continentiam vouerunt, quod contrahere poſſint, vel contra votum ſuum facere quoquo modo. Humanarum enim rerum periculis obuiandum eſt per res humanas, non autem per hoc, quòd res diuinæ conuertantur in vſum humanum. Profeſſi autem religionem mortui ſunt mundo, & viuunt Deo, vnde non ſunt reuocandi ad vitam humanam, occaſione cuiuſcumque euentus.

Solutio obiect.

Sed ſicut in voto temporalis abſtinentiæ, vel oblationis, vel ſacrificij Deo offerendi per actum latriæ, quæ virtus nobilior eſt quam caſtitas, diſpenſari poteſt: ſic etiam in voto continentiæ temporalis. Sed quod in voto continentiæ per profeſſionem ſolemnizato, non poſſit diſpenſari; hoc non eſt, inquantum eſt actus caſtitatis, ſed inquantum incipit ad latriam pertinere, per profeſſionem religionis.

Cur potius in voto abſtinentiæ quàm caſtitatis poteſt diſpẽſari.

Item in voto abſtinentiæ diſpenſari poteſt, quia cibus directè ordinatur ad conſeruationem perſonæ: & ideo abſtinentia cibi, directè poteſt vergere in periculum perſonæ. Vnde ex hac ratione recipit votum abſtinentiæ diſpenſationem. Sed coitus non ordinatur propriè ad conſeruationem perſonæ, ſed ad conſeruationem ſpeciei: vnde directè abſtinentia coitus per continentiam, non vergit in periculum perſonæ: ſed ſi per accideus ex ea aliquod periculum perſonale accidit, poteſt aliter ſubueniri, ſcilicet per abſtinentiam, vel per alia corporalia remedia.

Religioſus factus epiſcopus, non eſt à votis abſolutus.

Item religioſus, qui ad epiſcopatum aſſumitur, ſicut non abſoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, ſed ſicut diſpenſator communium bonorum Eccleſiæ. Similiter etiam non abſoluitur à voto obedientiæ, ſed per accidens obedire non tenetur, ſi ſuperiorem non habeat; ſicut & Abbas monaſterij, qui tamen non eſt à voto obedientiæ abſolutus.

Nec obſtat, quod dicitur Eccleſ. 26. *Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis*, quia auctoritas illa intelligenda eſt quantum ad hoc, quod nec fœcunditas carnis, nec aliquid corporale bonum, eſt comparandum continentiæ, quæ inter bona animæ computatur, vt Auguſtin. dicit in libr. de ſancta virginitate. Vnde ſignanter dicitur, *animæ continentis*, non carnis continentis.

Cur ad diſpenſationem voti requiratur Superioris auctoritas.

Ad duodecimvm, ſcilicet *vtrum ad commutationem, vel diſpenſationem voti, requiratur ſuperioris auctoritas.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, votum eſt promiſſio Deo facta, de aliquo quod ſit Deo acceptum. Quid ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei cui promittitur, ex eius dependet arbitrio. Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei; & ideo in commutatione, vel diſpenſatione votorum, requiritur prælati auctoritas, qui in perſona Dei, determinat quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud. 2. ad Corinth. 2. *Nam & ego propter vos donaui in perſona Chriſti.* Et ſignanter dicit, *propter vos*, quia omnis diſpenſatio petita à prælato, debet fieri ob honorẽ Chriſti, in cuius perſona diſpenſat; vel ad vtilitatem Eccleſiæ, quæ eſt eius corpus.

Solutio obiect.

Dixervnt autem aliqui, quòd prælati poſſunt in votis pro libito diſpenſare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas prælati ſuperioris; vt ſupra dictum eſt, quod in votis ſubditorum, puta ſerui, vel filij, intelligitur conditio, ſi placuerit domino, vel patri, vel ſi non renitatur: & ſic ſubditus abſque omni remorſu conſcientiæ, poſſet votum prætermittere, quandocumque ſibi à prælato diceretur. Sed prædicta poſitio falſo innititur, quia cum poteſtas prælati ſuperioris, qui non eſt Dominus, ſed diſpenſator, ſit in ædificationem data, & non in deſtructionem, vt patet 2. ad Corinth. 10. Sicut prælatus non poteſt imperare ea quæ ſecundum ſe Deo diſplicent, ſcilicet peccata; ita non poteſt prohibere ea quæ

Nomen monachi vnde dictum.

ſecundum

Diſpenſatio ſine cauſa probabiliter iuſta, non valet.

ſecundum ſe Deo placent, ſcilicet virtutis opera. Et ideo abſolutè poteſt homo ea vouere. Ad prælatum tamen ſpectat dijudicare quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum. Et ideo in manifeſtis, diſpenſatio prælati non excuſat à culpa, puta ſi prælatus diſpenſaret cum aliquo, ſuper voto de ingreſſu religionis, nulla apparenti cauſa obſtante. Si autem eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare iudicio prælati diſpenſantis, vel commutantis, non tamen iudicio proprio, quia ipſe non gerit vicem Dei, niſi fortè in caſu, in quo id quod vouit eſſet manifeſtè illicitum, & non poſſet opportunè ad ſuperiorem recurrere.

Maiora vota Papa reſeruantur.

ITEM quia ſummus Pontifex gerit plenariè vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus votis. Alijs autem inferioribus prælatis, committitur diſpenſatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti diſpenſatione, vt habeant de facili homines ad quem recurrant; ſicut ſunt vota peregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiuſmodi. Vota vero maiora, puta continentiæ, & peregrinationis terræ ſanctæ, reſeruantur ſummo Pontifici.

Per ingreſſū religionis abſolvitur homo à particularibus votis.

ITEM nota, quod per religionis ingreſſum, abſoluitur homo ab omnibus votis particularibus, quia omnia alia vota ſunt quorundam particularium operum, ſed per religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat: particulare autem in vniuerſali includitur. Et ideo decretalis dicit, quod *reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam religionis obſeruantiam commutat.* nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota, vel ieiuniorum, vel orationum, vel aliorum huiuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit, quia religionē ingrediens, moritur priori vitæ, & etiam ſingulares obſeruantiæ religioni non competunt, & religionis onus onerat ſatis hominem, vt alia ſuperaddere non oporteat.

De iuramento.

DISTINCTIO LXVIII.

DEINDE conſiderandum eſt de actibus exterioribus latriæ, quibus aliquid diuinum aſſumitur ab hominibus, quod eſt vel aliquod ſacramentum, vel ipſum nomen diuinum. Sed de ſacramenti aſſumptione, non eſt hic intentio noſtra tractare. De aſſumptione autem diuini nominis nunc agendum eſt. Aſſumitur autem diuinum nomen ab homine tripliciter; vno modo per modum iuramenti, ad propria verba confirmanda; alio modo per modum adiurationis, ad alios inducendum. Tertio modo per modum inuocationis, ad orandum, vel laudandum. Primo ergo de iuramento agendum eſt. Circa quod quæruntur decem. Primò quid ſit iuramentum. Secundò, vtrum ſit licitum. Tertiò qui ſint comites iuramenti. Quartò, cuius virtutis ſit actus. Quintò, vtrum ſit appetendum & frequentandum, tanquam vtile & bonum. Sextò, vtrum liceat iurare per creaturam. Septimò, vtrum iuramentum ſit obligatorium. Octauò, quæ ſit maior oblatio vtrum iuramenti, vel voti. Nonò, vtrum in iuramento poſſit diſpenſari. Decimò, quibus & quando liceat iurare.

Iurare eſt teſtem Deum inuocare.

AD PRIMVM, ſcilicet *quid ſit iuramentum*. Dicendum, quod *iurare eſt teſtem Deum inuocare*: vnde Auguſtin. in quodam ſermone de periurio dicit. *Quid eſt, per Deum, niſi teſtis eſt Deus*: ſicut enim dicit Apoſto. Heb. 6. *Iuramentum ad confirmationem ordinatur.* Confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter vera. Sed particularia facta contingentia hominum, non poſſunt per rationem confirmari: & ideo ea quę de his dicūtur, ſolent confirmari per teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad huiuſmodi confirmandum propter duo. Primo quidem, propter defectum veritatis humanæ; quia plurimi in mendacium labuntur, ſecundum illud Pſalm. 16. Os eorum locutum eſt mendacium. Secundo propter defectum cognitionis, quia homines non poſſunt cognoſcere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam abſentia; de quibus homines tamen loquuntur, & expedit rebus humanis vt certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo neceſſarium fuit recurrere ad diuinum teſtimonium, quia Deus neque mentiri poteſt, nec eum aliquid latet falſum. Aſſumere autem Deum in teſtem, dicitur iurare, quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum autem teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum preſentia, vel præterita; & hoc dicitur iuramentum aſſertorium. Quandoque autem inducitur diuinum iuramentum, ad confirmandum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promiſſorium. Ad ea vero quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inueſtiganda, non inducitur iuramentum. Deriſibilis enim videretur, ſi quis in diſputatione ſcientiæ, vellet propoſitum per iuramentum probare.

Iuramentum duplex ſcilicet aſſertoriū & promiſſorium.

Solutio obiect.

ET nota quod aliud eſt vti diuino teſtimonio, quod fit cum aliquis auctoritatem ſacræ ſcripturæ inducit; & aliud eſt teſtimonium Dei implorare, vt exhibendum; quod fit in iuramento.

Duplex iurandi modus ſcilicet per ſimplicem Dei conteſtationem, & per execratione.

ITEM nota, quod alicuius teſtimonium inuocatur ad hoc, quod teſtis inuocatus veritatem manifeſtet circa ea quæ dicuntur. Deus autem manifeſtat, an verum ſit quod dicitur, dupliciter; vno modo ſimpliciter, reuelando veritatem, vel per internam inſpirationem, vel etiam perfecti denudationem; dum ſcilicet producit in publicum ea, quę erant occulta; alio modo per pœnam mentientis, & tunc ſimul eſt & iudex, & teſtis; dum puniendo mendacem manifeſtat mendacium, & ideo duplex eſt modus iurandi; vnus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem, ſicut cum quis dicit: *Eſt mihi Deus teſtis*, vel, *Coram Deo loquor*, vel, *Per Deum*, quod idem eſt, vt dicit Auguſt. Alius modus iurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens, ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicitur.

Iuramētum ſecundum ſe eſt licitum.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum licitum ſit iurare*. Dicendum, quod iuramentum in aliquibus caſibus eſt licitum, ſicut infra declarabitur: Et Deuter. 6. dꝺcetur. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Sed nihil prohibet aliquid ſecundum ſe bonum eſſe, quod tamen cedit in malum eius qui non vtitur eo conuenienter; ſicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, & tamen qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat & bibit, vt dicitur 1. ad Cor. 15. Sic igitur in propoſito dicendum eſt, quod iuramentum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum. Quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem, & prouiſionem. Ex fine quidem, quia iuramentum eſt introductum ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt dicitur ad Heb. 6. Sed iuramentum cedit in malum alicui ex eo, quod malè vtatur eo, & ſine neceſſitate & cautela debita. Videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum periurij, quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundum illud Iac. 3. *Si quis in verbis non offendit, hic perfectus eſt vir*: vnde & Eccleſ. 23. dicitur: *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa.*

Solutio obiect.

QVOD autem Dominus iuramentum vniuerſaliter prohibere videtur. Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Et Iac. 5. dicitur. *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare.* Reſpondent quidam, quod Hieron ſuper Matth. dicit. *Conſidera quod Saluator, non prohibuerit per Deum iurare, ſed per cœlum & terram. Hanc enim pei elementa iurandi peſſimam conſuetudinem habere Iudæi noſcuntur.* ſed iſta ratio non ſufficit, quia Iacobus addit

neque

Duo ſenſu in Euangelio prohibetur iuramentum & dicitur à malo eſſe.

neque per aliud quodcumque iuramentum. Et ideo dicendum eſt, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. contra mendacium, quod Apoſtolus in epiſtolis ſuis iurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt: *Dico vobis non iurare omnino*, ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine, in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iuraſſe niſi ſcribens, vbi conſideratio cautior, non habet linguam præcipitem.

ITEM nota, quod Dominus neceſſitatem iurandi non dixit ſimpliciter eſſe malam, ſed ex malo eſſe Matth. 5. *Sit autem ſermo veſter: Eſt eſt: Non non. Quòd autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quod exponens Auguſtin. dicit in lib. de Sermone Domini in monte. *Si iurare cogeris: ſcias de neceßitate venire infirmitatis eorum, in quibus aliquid ſuades, quæ vtique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit, quod amplius eſt, malum eſt, tu enim non malum facis, qui bene vteris iuratione, vt alteri perſuadeas, quod vtiliter perſuades: ſed à malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris.*

AD TERTIVM, ſcilicet *qui & quot debeant eſſe comites iuramenti.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, iuramentum non eſt bonum, niſi ei qui bene vtitur iuramento. Ad bonum autem vſum iuramenti, duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis ex parte iurantis. Secundò quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vt ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt: & iuſtitia per quam confirmat quod licitum eſt: iudicio autem caret iuramentum incautum, veritate autem iuramentum mendax, Iuſtitia autem iuramentum iniquum, ſiue illicitum quia ergo in iuramento multa ſunt pericula, tum propter Dei magnitudinem, cuius teſtimonium inuocatur; tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur; ideo huiuſmodi magis requiruntur ad iuramentum, quàm ad alios humanos actus.

QVAMVIS autem requirantur alia multa, ſcilicet deuotio, & reuerentia diuini nominis; & fides, per quã credimus Deum omnia ſcire & mentiri non poſſe: Hęc tamen omnia comprehenduntur ſub iudicio, quod pertinet ad debitum modum iurandi. Alia vero duo, ſcilicet iuſtitia, & veritas, pertinent ad rem de qua iuratur, quamuis poſſet dici, quod iuſtitia pertinet ad cauſam pro qua iuratur.

Solutio obiect.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum iuramentum ſit actus religionis, vel latriæ.* Dicendum, quod ſicut ex dictis patet: ille qui iurat, inuocat diuinum teſtimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur niſi per aliquid, quod certius eſt & potius. Et ideo in hoc ipſo quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, vtpote cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio vniuerſalis: & ſic aliquo modo Deo reuerentiam exhibet: vnde & Apoſtolus dicit ad Hebr. 6. quòd *homines per maiores ſe iurant.* Et ideo Hieron. dicit ſuper Matth. *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat.* Philoſophus etiam dicit in 1. Metaph. quòd *iuramentum eſt honorabiliſſimum.* Exhibere autem reuerentiam Deo pertinet ad religionem, ſiue latriam, Vnde manifeſtum eſt, quòd iuramentum eſt actus religionis ſiue latriæ.

Iuramentum eſt actus religionis ſiue latria.

AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum iuramentum ſit appetendum & frequentandum tanquam vtile & bonum.* Dicendum, quod illud quod non quæritur niſi ad ſubueniendum alicui defectui, non numeratur inter ea quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea quæ ſunt neceſſaria; ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati. Iuramentum autem quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quod ſcilicet vnus homo alteri diſcredit. Et ideo iuramentum eſt habendum non inter ea quæ ſunt per ſe appetenda,

Iuramentum non eſt per ſe expetendum, ſed pro tempo neceſſitatis.

A ſed inter ea quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebitè vtitur, quicunque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis. Vnde Auguſtin. dicit in libr. de ſermone Domini in monte. *Qui intelligit non in bonis* id eſt per ſe appetendis, *ſed in neceſſarijs, iurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt vt non ea vtatur niſi neceßitas cogat.* vnde Eccleſ. 33. dicitur. *Iurationi non aſſueſcat os tuum.* Et infra. *Vir multum iurans replebitur iniquitate,* Item Auguſtin. dicit in lib. contra mendacium, quod *præceptum Domini de prohibitione iuramenti ad hoc poſitum eſt, vt quantum in te eſt non affectes, non quaſi pro bono, cum aliqua delectatione, appetas iuſiurandum.* Sicut enim medicina eſt vtilis ad ſanandum, & tamen quanto
B eſt virtuoſior, tanto maius inducit nocumentum, ſi non debite ſumatur; ita etiam iuramentum, vtile quidem eſt ad confirmationem, tamen quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis periculoſum, ſi indebite inducatur. quia vt dicitur Eccleſ. 23. *Si fruſtrauerit, id eſt deceperit fratrem, delictum illius ſupra ipſum erit; & ſi diſſimulauerit,* quod fit per ſimulationem, iurando falſum; *delinquit dupliciter;* quia ſcilicet ſimulata æquitas, eſt duplex iniquitas. *Et ſi in vanum iurauerit,* id eſt ſine debita cauſa & neceſſitate, *non iuſtificabitur.*

AD SEXTVM, ſcilicet *vtrum liceat iurare per creaturas.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, duplex eſt iuramentum. Vnum quidem quod fit per ſimplicem conteſtationem, inquantum ſcilicet Dei teſtimonium inuocatur, & hoc iuramentum innititur diuinæ veritati, ſicut & fides. Fides autem per
C ſe quidem & principaliter de Deo eſt, qui eſt ipſa veritas; Secundario autem eſt de creaturis, in quibus veritas Dei relucet, vt ſupra habitum eſt. Et ſimiliter iuramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cuius teſtimonium inuocatur. Secundario autem aſſumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ; ſed non ſecundum ſe, ſed inquantum in eis diuina veritas manifeſtatur. ſicut iuramus per Euangelium, id eſt per Deum, cuius veritas in Euangelio manifeſtatur; & per ſanctos, qui hanc veritatem crediderunt & obſeruauerunt. Alius autem modus iu- *Quo ſenſu licet iurare per creaturas.*
D randi eſt per execrationem; & in hoc iuramento inducitur aliqua creatura, vt in qua diuinum iudicium exerceatur; & ſic ſolet homo iurare per caput ſuum, vel per filium ſuum, aut per aliquam aliam rem quam diligit. Sicut & Apoſtolus iurauit. 2. ad Corinth. 1. dicens; *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam.* Quod autem Ioſeph per ſalutem Pharaonis iurauit, vtroque modo poteſt intelligi; vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaonis obligauerit Deo, vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem diuinæ iuſtitiæ, Ad cuius executionem Principes terræ conſtituuntur.

DOMINVS ergo prohibuit iurare per creaturas, ita quod eis exhibeatur reuerentia diuina. Matth. 5. *Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neque per caput tuum iuraueris.* Quod exponens Hieronym. dicit. *Conſidera quod hoc dicens ſaluator, non prohibuerit* E *iurare per Deum, ſed per cœlum & terram, &c.* Et ibidem ſubdit Hieronym. *Quod Iudæi per Angelos & cætera huiuſmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore.* Et eadem ratione punitur ſecundum canones clericus, per creaturam iurans, quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet. Vnde dicitur 22. quæſtion. 1. *Clericum per creaturas iurantem, acerrime obiurgandum, & ſi perſtiterit excommunicandum placuit.* Et in ſequenti capitulo dicitur. *Si quis per capillum Dei, vel per caput eius iurauerit, vel alio modo blaſphemia contra Deum vſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico eſt ordine deponatur.* *Solutio obiect.*

AD SEPTIMVM, ſcilicet *vtrum iuramentum habeat vim obligandi.* Dicendum, quod obligatio refertur ad aliquid quod eſt faciendum, vel dimittendum. Vnde non videtur reſpicere iuramentũ aſſertorium, quod eſt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de præſenti, vel de præterito; neque etiam iuramẽtum de his, quæ ſunt per alias cauſas fienda; ſicut ſi quis iuramento aſſereret, quod cras pluuia eſſet futura; ſed ſolum in his quæ ſunt fienda per illum qui iurat. Sicut autem iuramentum aſſertorium quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem; ita etiam & iuramentum de his quæ ſunt fienda à nobis in futurum; & ideo vtrumque iuramentum habet quandam obligationem, diuerſimode tamen: quia in iuramento quod eſt de præterito, vel præſenti, obligatio eſt, non reſpectu rei quæ iam fuit, vel eſt, ſed reſpectu actus ipſius iurandi, vt ſcilicet iuret id quod iam verum eſt, vel fuit. Sed in iuramento quod præſtatur de his quæ ſunt fienda à nobis, obligatio cadit econuerſo, ſuper rem quam aliquis firmauit iuramento. Tenetur enim aliquis vt faciat verum eſſe id quod iurauit, alioquin deeſt veritas iuramento. Si autem eſt talis res quæ in eius poteſtate non ſit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium; niſi forte quod erat poſſibile quando iurauit, reddatur ei impoſſibile per aliquem euentum: puta cum aliquis iurauit ſe pecuniam ſoluturum, quæ ei poſtmodum vi, vel furto, ſubtrahitur; tunc enim videtur excuſatus eſſe, à faciendo quod iurauit, licet teneatur facere quod in ſe eſt. Sicut etiam ſupra circa obligationem voti diximus. Si vero ſit quidem poſſibile fieri, ſed fieri non debeat, vel quia eſt per ſe malum, vel quia eſt boni impeditiuum, tunc iuramento deeſt iuſtitia: & ideo iuramentum non eſt ſeruandum, in eo caſu quo eſt peccatum, vel boni impeditiuum; ſecundum enim vtrumque horum, vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum quod quicunque iurat aliquid ſe facturum, obligatur ad illud faciendum ad hoc, quod veritas impleatur, ſi tamen alij duo comites adſint, ſcilicet iudicium & iuſtitia.

Omne iuramentum habet vim obligandi, aliter tamen aſſertorium, aliter promiſſorium.

Quibus caſib. non obligat iuramẽtum promiſſorium.

Solutio obiect.

Potest autem iuramentum vergere in deteriorem exitum dupliciter. *Vno modo*, quia ab ipſo principio habet peiorem exitum; vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut cum aliquis iurat ſe patraturum adulterium; vel quia eſt maioris boni impeditiuum, puta cum aliquis iurat ſe non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet prælationem in caſu in quo expedit eum accipere, vel ſi quid eſt aliud huiuſmodi. Huiuſmodi enim iuramentum à principio eſt illicitum: differenter tamen; quia ſi quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, & peccauit iurando, & peccauit iuramentum ſeruando. Si quis autem iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur: peccat quidem iurando, inquantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; tamen non peccat iuramentum ſeruando, ſed multo melius facit ſi non ſeruet. *Alio modo* vergit in deteriorẽ exitum propter aliquid quod de nouo emerſerat, quod fuit impræmeditatum. Sicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ ſaltanti, quod petiſſet, ſe daturum. Hoc enim iuramentum poterat eſſe à principio licitum, intellecta debita conditione, ſcilicet ſi peteret quod dare deceret; ſed impletio iuramenti fuit illicita. Vnde Ambr. dicit in primo de offi. *Eſt contra officium nonnunquam promiſſum ſoluere ſacramentum, ſicut Herodes qui necem Ioannis præſtauit ne promiſſum negaret.*

Iuramẽtum vergens in peiorem exitum nõ obligat.

Et nota quod ſi quis inuitus compellitur ad iurandum, duplex eſt obligatio. *Vnaquidem*, qua obligatur homini cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit hoc meretur, vt ei promiſſum non ſeruetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur vt impleat quod per nomen eius promiſit. Et talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſoluit, vel prælato denunciare, non obſtante quod contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Romani autem pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines abſoluerunt, non quaſi decernentes huiuſmodi iuramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi huiuſmodi obligationes ex iuſta cauſa relaxantes.

Iuramẽtum coactũ obligat donec relaxetur, non tamen ad nõ denunciandum.

Item nota quod quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iuratur, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum ſanum ſeruari ſecundum intellectum eius cui iuramentum præſtatur. Vnde Iſid. dicit, *quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur intelligit.* Et quod hoc intelligitur de doloſo iuramento, patet per id quod ſubditur. *Dupliciter reus ſit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem iurantis. Vnde Greg. dicit 27. lib. moral. *Humanæ aures, talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant; diuina vero iudicia, talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Qui doloſe iurat, obligatur ſecundum intellectum eius cui iurat; alias ſecundũ propriam intentionem.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum maior ſit obligatio iuramenti, quam voti.* Dicendum quod vtraque obligatio, ſcilicet iuramenti & voti, cauſatur ex aliquo diuino; aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti cauſatur ex animi fidelitate quem Deo debemus, vt ſcilicet ei promiſſum ſoluamus. Obligatio autem iuramenti cauſatur ex reuerentia quam debemus ei, ex qua tenemur quod verificemus, id quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet, ſed non conuertitur. Videtur enim infidelitas ſubiecti ad Dominum, eſſe maxima irreuerentia. Et ideo votum ex ratione ſua, magis eſt obligatorium quam iuramentum.

Votum ex ratione ſua magis obligat quã iuramentum.

Ad nonvm, ſcil. *vtrum diſpenſari poſſit in iuramento.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, neceſſitas diſpẽſationis tam in lege, quam in voto, eſt propter hoc, quod id quod in ſe vel vniuerſaliter conſideratum eſt vtile vel honeſtum, & ſecũdum aliquem particularem euentum poteſt eſſe inhoneſtum & nociuum, non poteſt cadere nec ſub lege, nec ſub voto. Quod autem aliquid ſit inhoneſtum vel noxium, repugnat his quæ debent attendi in iuramento: nam ſi ſit inhoneſtum, repugnat iuſtitiæ, ſi ſit noxium, repugnat iudicio. Et ideo pari ratione etiam in iuramento diſpenſari poteſt.

Diſpenſatio tamen quæ fit in iuramento, non ſe extendit ad hoc quod aliquid contra iuramentum fiat. Hoc enim eſt impoſſibile, cum obſeruatio iuramenti cadat ſub præcepto diuino, quod eſt indiſpẽſabile. Sed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, vt id quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramẽto non cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti, ſicut etiam de voto ſupra diximus. Materia autem iuramenti aſſertorij quod eſt de præterito vel præſenti in quandam neceſſitatem iam tranſijt, & immutabilis facta eſt. Et ideo diſpenſatio non refertur ad materiam, ſed refertur ad ipſum actum iuramenti. Vnde talis diſpenſatio directe eſſet contra præceptum diuinum. Sed materia iuramenti promiſſorij, eſt aliquid futurum quod variari poteſt, ita ſcilicet quod in aliquo euentu poteſt eſſe illicitum & nociuum, & per conſequens non eſſe debita materia iuramenti. Et ideo diſpenſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti obſeruatione.

In iuramẽto promiſſorio poteſt diſpenſari propter mutabilitatẽ materiæ.

Solutio obiect.

Et nota quod in iuramẽto promiſſorio poteſt aliquis promittere alteri ſub iuramento dupliciter. *Vno modo* quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius, puta ſi ſub iuramento promittebat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum. Et à tali promiſſione poteſt abſoluere ille, cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim iam ei ſoluiſſe debitum promiſſum, quando facit de eo, ſecundum eius vtilitatem. *Alio modo* promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorẽ Dei, vel ad vtilitatem aliorum, puta ſi aliquis iuramento promittat alicui ſe intraturum religionẽ, vel aliquod opus pietatis facturum; & tunc ille cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo. Niſi fortè ſit ei inter-

Is cui aliquid ſub iuramento promittitur, poteſt iuramẽtũ relaxare quando res promiſſa ſpectat ad eius vtilitatem, non autem quando ſpectat ad honorem Dei vel vtilitatẽ aliorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

posita conditio, scilicet si illi videbitur cui promittit, vel aliquid aliud tale.

ITEM illud quod cadit sub promissorio iuramento, quandoque est aliquid repugnans iustitiæ, vel quia est peccatum, sicut cum aliquis iurat se facturum homicidium; vel quia est maioris boni impeditiuum, sicut cum quis iurat se religionem non intraturum, & tale iuramentum dispensatione non indiget. Sed in primo casu tenetur aliquis tale iuramentum non seruare. In secundo autem casu licitum est seruare & non seruare, vt supra dictum est. Quandoque vero aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est vtrum sit licitum, vel illicitum; proficuum, vel nociuum; aut simpliciter, aut in aliquo casu. Et in hoc potest quilibet Episcopus dispensare. Quandoque vero sub iuramẽto promittitur aliquid, quod est manifestè licitum & vtile. Et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio, vel commutatio, nisi aliquod melius occurrat ad communem vtilitatem: Quod maxime videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ: vel etiam absoluta relaxatio, quod tamen ad Papam pertinet in omnibus generaliter quæ ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis. Sicut & ad vnumquemque pertinet, irritare iuramentum quod à sibi subdito factum est, circa ea quæ eius potestati subduntur, sicut pater potest irritare iuramentum puellæ, & vir vxoris, vt dicitur Numeri 30. Sicut & supra de voto dictum est.

Iuramẽtum quo promittitur aliquid manifestè licitum & vtile, non est dispensabile nisi à Papa.

AD DECIMVM, s. *quibus & quando liceat iurare.* Dicendum quod in iuramento duo sunt consideranda. *Vnum quidem* ex parte Dei cuius testimonium inducitur, & quantum ad hoc debetur iuramento maxima reuerentia. Et propter hoc à iuramento excluduntur, & pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad iurandum, quia nondum habent perfectum vsum rationis, quo possint cum debita reuerentia iuramẽtum præstare. Et iterum periuri, qui ad iuramentum non admittuntur, quia ex retroactis præsumitur, quod debitam reuerentiam iuramento non exhibebunt. Et propter hoc etiam vt iuramento debita reuerentia exhibeatur, dicitur 22. q. 5. *Honestum est vt qui in sanctis audet iurare, hoc iesunus faciat cum omni honestate & timore Dei.* *Aliud autem* est considerandum ex parte hominis, cuius dictum est iuramento confirmatum. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, vt dubitetur de veritate eius, quod dicit. Et ideo personis magnæ dignitatis non conuenit iurare. Propter quod dicitur 2. q 4. ca. *Si quis presbyter Sacerdos ex leui causa iurare non debet*; tamen pro aliqua necessitate, vel magna vtilitate licitum est ei iurare; & præcipuè pro spiritualibus negociis, pro quibus etiam iuramenta competit præstari in solẽnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum. Non autem tunc sunt iuramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi fortè ex magna necessitate.

Pueri, periuri, &c. non debent ad iuramentum admitti; sed nec conuenit sacerdotibus aut personis in dignitate iurare.

De assumptione diuini nominis per adiurationem.

DISTINCTIO LXIX.

DEINDE considerandum est de assumptione diuini nominis per modum adiurationis. Et primo, vtrum liceat adiurare homines. Secundo, vtrum liceat adiurare dæmones. Tertio, vtrum liceat adiurare irrationales creaturas.

AD PRIMVM, scil. *vtrum liceat adiurare homines.* Dicendum quod ille qui iurat iuramento promissorio, per reuerentiam Dei vel diuini nominis, quod ad confirmationem suæ promissionis inducit, seipsum obligat ad faciendum quod promittit. Quod est seipsum immobiliter ordinare ad aliquid agẽdum. Sicut autem homo seipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam & alios; superiores quidem deprecando, inferiores autem imperando, vt ex supradictis patet. Cum igitur vtraque ordinatio per aliquod diuinum confirmatur, est adiuratio. Tamen in hoc differt, quia homo est suorum actuum dominus, non est autem dominus eorum quæ sunt ab alio agenda; & ideo sibiipsi potest necessitatem imponere, per diuini nominis inuocationem: Non autem hanc necessitatem potest aliis imponere nisi subditis, quos potest ex debito præstiti iuramẽti compellere. Si igitur aliquis per inuocationem diuini nominis, vel cuiuscunque rei sacræ, alicui non sibi subdito adiurando, necessitatem agendi aliquid, imponere intendat, sicut imponit sibiipsi iurando; talis adiuratio illicita est, quia vsurpat potestatẽ in alium quam non habet. Tamen propter aliquam necessitatem, superiores suos inferiores tali genere adiurationis constringere possunt. Si vero intendit solummodo per reuerentiam diuini nominis, vel alicuius rei sacræ, aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione, talis adiuratio licita est respectu quorumlibet.

Quid adiuratio.

Quæ adiuratio licita.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum liceat adiurare dæmones.* Dicendum, quod sicut dictum est, duplex est adiurandi modus. Vnus quidem per modum deprecationis, vel inductionis, ob reuerentiam alicuius sacri. Alius autem per modum compulsionis. Primo autem modo non licet dæmones adiurare, quia ille modus adiurandi videtur ad quandam beneuolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones vti. Secundo autem adiurationis modo, qui est per compulsionem, licet nobis ad aliquid vti, & ad aliquid non licet. Dæmones enim in cursu huius vitæ nobis aduersarij constituuntur: non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed dispositioni diuinæ & sanctorum Angelorum. Quia vt Augustinus dicit in 3. de Trinit. *Spiritus desertor regitur per spiritum iustum.* Possumus ergo dæmones adiurando per virtutem diuini nominis, tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant, vel spiritualiter, vel corporaliter, secundum potestatem datam à Christo, secundum illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil nocebit vobis.* Non tamen licitum est eos adiurare, ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam. Nisi fortè ex speciali instinctu, vel reuelatione diuina, aliqui sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione vtantur. Sicut legitur de beato Iacobo, qui per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci.

Adiuratio duplex, scil. per modum deprecationis, & per modum cõpulsionis; & hoc 2. modo licet dæmones adiurare, non 1.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum liceat adiurare irrationales creaturas.* Dicendum, quod creaturæ irrationales ab alio aguntur ad proprias operationes. Eadem autem actio est eius quod agitur & mouetur, & eius qui agit & mouet; sicut motus sagittæ est etiam operatio quædam sagittantis. Et ideo operatio irrationalis creaturæ, non solum ipsi attribuitur, sed principaliter Deo, cuius dispositione omnia mouentur. Pertinet etiam ad diabolum, qui permissione diuina, vtitur aliquibus irrationalibus creaturis ad nocendum hominibus. Sic ergo adiuratio, qua quis vtitur ad irrationalem creaturam, potest intelligi dupliciter. *Vno modo* vt adiuratio referatur ad ipsam creaturam irrationalem secundum se, & sic vanum esset irrationalem creaturam adiurare. *Alio modo* vt referatur ad eum à quo irrationalis creatura agitur & mouetur. Et sic dupliciter adiuratur irrationalis creatura. *Vno modo* per modum deprecationis ad Deum directæ, quod pertinet ad eos qui diuina inuocatione miracula faciunt. *Alio modo* per modum compulsionis, quæ refertur ad diabolum, qui in nocumentum nostrum vtitur irrationalibus creaturis, & talis est modus adiurandi Ecclesię exorcismis, per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis. Adiurare autem dęmones ab eis auxilium implorando non licet.

Quomodo liceat creaturas irrationales adiurare.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Dei Laudibus.

DEINDE conſiderandum eſt de inuocatione diuini nominis, quod fit per operationem, vel per laudem. De oratione quidem infra dicetur, modo de laude reſtat dicendum. Circa quod conſideranda ſunt tria. Primo, vtrum Deus ſit ore laudandus. Secundo, vtrum in eius laudẽ ſit cantus aſſumendus. Tertio, quare ſit laudandus.

AD PRIMVM, ſcil. *vtrum ſit Deus ore laudandus.* Dicendum, quod verbis alia ratione vtimur ad Deum, & alia ratione ad hominem. Ad hominẽ quidem vtimur verbis, vt conceptum noſtri cordis quem non poteſt cognoſcere, verbis ei exprimamus. Et ideo laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei, vel aliis innoteſcat, quod bonam opinionem de laudato habemus; vt per hoc, & ipſum qui laudatur ad meliora prouocemus, & alios apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reuerentiam, & imitationem ipſius, inducamus. Sed ad Deum verbis vtimur, non quidem vt ei, qui inſpector eſt cordiũ, noſtros conceptus manifeſtemus, ſed vt noſiipſos & alios audientes, ad eius reuerentiam inducamus. Et ideo neceſſaria eſt laus oris, non quidem propter Deũ, ſed propter ipſum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipſius, ſecundum illud Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Et inquantum homo per diuinam laudem affectu aſcendit in Deum, intantum per hoc retrahitur ab his quæ ſunt contra Deum, ſecundum illud Iſa. 48. *Laude mea infrænabo te ne intereas.* Proficit etiam laus oris ad hoc, quod aliorum affectus prouocetur in Deum. Vnde dicitur in Pſal. 53. *Semper laus eius in ore meo.* Et poſtea ſubditur: *Audient manſueti & lætentur, magnificate Dominum mecum.*

Cur Deus ore laudandus.

AD SECVNDVM, ſcil. *vtrum in Dei laude ſit cantus aſſumendus.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, Laus vocalis ad hoc neceſſaria eſt, vt affectus hominis prouocetur in Deum. Et ideo quæcunque ad hoc vtilia eſſe poſſunt, in diuinas laudes congruentes aſſumuntur. Manifeſtum eſt autem, quod ſecundum diuerſas melodias ſonorum, animi audientium diuerſimodè diſponuntur, vt patet per Philoſ. in 8. Poli. & per Boetium in Prologo muſicæ. Et ideo ſalubriter fuit inſtitutum, vt in diuinas laudes, cantus aſſumerentur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. Vnde Aug. in 10. confeſ. *adducor cantandi conſuetudinem approbari in Eccleſia, vt per oblectamentum aurium, infirmorum animus in affectu pietatis aſſurgat.* Et de ſeipſo dicit in regiſtro confeſſ. *Fleui in hymnis & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter.* De tertio, *Quare ſcil. ſit laudandus. Et de motiuis ad orandum.* Require infra li. 3. parte decima, diſ. 31. per totum.

Cantus cur in diuinis laudibus introductus.

DEinde conſiderandum eſt de vitiis religioni oppoſitis. Et primo de illis quæ cum religione conueniunt, ex hoc quod exhibent cultum diuinum. Secundo de vitiis manifeſtam contrarietatem ad religionem habentibus, per contemptum eorum quæ pertinent ad cultum diuinum. Primum horum pertinet ad ſuperſtitionem. Secundum pertinet ad irreligioſitatem. Vnde primo conſiderandum eſt, de ſuperſtitione & partibus eius. Secundo de irreligioſitate & partibus eius. Circa primum conſiderandum eſt primo, vtrum ſuperſtitio ſit vitium religioni contrarium. Secundo, vtrum habeat plures partes vel ſpecies. De his require infra libro tertio, parte tertia.

DEinde conſiderandum eſt de ſpeciebus ſuperſtitionis. Et primo de ſuperſtitione in cultu veri Dei. Secundo de ſuperſtitione idolatriæ. Tertio de ſuperſtitione diuinationum. Quarto de ſuperſtitione obſeruationũ. De his omnibus require infra tertio libro.

DEinde conſiderandum eſt de vitiis religioni oppoſitis, qui manifeſtam cõtrarietatem habent ad religionem. Vnde ſub irreligioſitate continentur. Huiuſmodi autem ſunt quæ pertinent ad cõtemptum ſiue irreuerentiam Dei, & rerum ſacrarum. Ergo dicendum eſt primo, de vitiis quæ directè pertinent ad irreligioſitatem per irreuerentiam Dei. Secundo de his quæ pertinent ad irreuerẽtiam rerum ſacrarum. Circa primum occurrit conſiderandum de tentatione qua Deus tentatur: & de periurio quo nomen Dei irreuerenter aſſumitur. De his ſimiliter require infra tertio libro.

DEinde conſiderandum eſt de vitiis ad irreligioſitatem pertinentibus, per quæ rebus ſacris irreuerentia exhibetur. Et primo de ſacrilegio. Secundo de ſymonia. De his etiam omnibus require infra tertio libro.

De pietate.

DISTINCTIO LXX.

DEinde poſt religionem conſiderandum eſt de pietate cuius vitia oppoſita ex ipſius conſideratione innoteſcunt. Circa pietatem conſideranda ſunt quatuor. Primo ad quos pietas ſe extendit. Secundo quid per pietatem ſit aliquibus exhibendum. Tertio vtrum pietas ſit ſpiritualis virtus. Quarto vtrum religionis obtentu ſit pietatis officium prætermittendum.

AD PRIMVM, ſcili. *ad quos pietas ſe extendit.* Dicendum quod homo ſit aliis debitor diuerſimodè, ſecundum eorum diuerſam excellentiam, & diuerſa beneficia ab eis ſuſcepta. In vtroque autem Deus ſummum obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & eſt nobis eſſendi & gubernationis primum principium. Secundario vero noſtri eſſe & gubernationis principium, ſunt parentes & patria, à quibus, & in qua nati, & nutriti ſumus. Et ideo poſt Deum, maxime eſt homo debitor parentibus & patriæ. Vnde ſicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita ſecundo gradu ad pietatem pertinet, exhibere cultum parentibus & patriæ. In cultu autem parentum, includitur cultus omnium conſanguineorum, quia etiam conſanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eiſdem parẽtibus proceſſerunt, vt patet per Philoſ. in 8. Ethi. In cultu autem patriæ intelligitur cultus conciuium, & omnium patriæ amicorum; & ideo ad hos principaliter pietas ſe extendit.

Pietas ſe extendit ad parentes & patriam.

AD SECVNDVM, ſ. *quid per pietatem ſit parentibus exhibendum.* Dicendum quod parentibus aliquid debetur dupliciter. Vno modo per ſe, alio modo per accidens. *Per ſe quidem* debetur eis, id quod decet patrem inquantum eſt pater, qui cum ſit ſuperior, & principium filij exiſtens, debetur ei à filio reuerentia & obſequium. *Per accidens autem* aliquid debetur patri, quod decet eum accipere ſecundum aliquid quod accidit ei; puta ſi ſit infirmus, quod viſitetur, & eius curationi intendatur; & ſi ſit pauper, quod ſuſtentetur, & ſic de aliis huiuſmodi, quę omnia ſub debito obſequio continentur. Et ideo Tullius dicit, quod *pietas exhibet & officium & cultum*, vt officium referatur ad obſequiũm, cultus vero ad reuerentiam, ſiue honorem: quia vt Aug. dicit in 10. de ciuit. Dei. *dicimur colere homines quos honorificatione, vel recordatione, vel præſentia frequentamus.*

Parentibus à filio per pietatem debetur officium & cultus.

AD TERTIVM, ſ. *vtrum pietas ſit ſpecialis virtus.* Dicendum quod virtus aliqua eſt ſpecialis ex hoc, quod reſpicit aliquod obiectum ſecundum aliquam rationẽ ſpecialem. Cum autem ad rationem iuſtitiæ pertineat, quod debitum alij reddat; vbi inuenitur ſpecialis ratio debiti alicui perſonæ, ibi eſt ſpecialis virtus. Debetur autem aliquid ſpecialiter alicui, quia eſt connaturale principium, producens ineſſe & gubernans. Hoc autem principium reſpicit pietas, inquantum parentibus & patriæ, & his qui ad hæc ordinantur, officium & cultum impendit; & ideo pietas eſt ſpecialis virtus à religione diſtincta. Sicut enim religio eſt quædam proteſtatio fidei, ſpei, & charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum, ita etiam pietas eſt quædam proteſtatio charitatis, quam quis habet ad parentes & ad patriam.

Pietas eſt virtus ſpecialis à religione diſtincta.

Solutio obiect.

LONGE autẽ excellentiori modo Deus eſt principiũ eſſendi & gubernationis, quam pater vel patria. Et ideo alia virtus eſt religio, quæ cultum Deo exhibet, à pietate quæ exhibet cultum parentibus & patriæ: ſed ea quæ ſunt creaturarum per quandam ſuperexcellentiam & cauſalitatem transferuntur in Deum, vt Dionyſ. dicit 3. ca. de di. no. Vnde per excellentiam pietas cultus Dei nominatur: Sicut Deus excellenter dicitur pater noſter.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum occaſione religionis prætermittendum ſit officium pietatis.* Dicendum quod religio & pietas ſunt duę virtutes, nulla autem virtus alij virtuti contrariatur aut repugnat: quia ſecundum Philoſophum in prædicamentis, bonum non eſt bono contrarium. Vnde non poteſt eſſe, quod pietas & religio ſe mutuo impediant, vt propter vnam, alterius actus excludatur. Cuiuſlibet enim virtutis actus, vt ex ſupra dictis patet, debitis circunſtantiis limitatur, quas ſi prætereat, non erit iam virtutis actus, ſed vitij. Vnde ad pietatem pertinet officium & cultum parentibus exhibere, ſecundum debitum modum. Non eſt autem modus debitus, vt plus homo intendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum. Sed ſicut Ambro. dicit ſuper Lucam. *Neceſſitudini generis, diuinæ religionis pietas antefertur.* Si ergo cultus parentum, abſtrahat nos à cultu Dei, non eſſet pietatis parentum inſiſtere cultu, contra Deum. Vnde Hieronymus dicit in epiſtola ad Heliodorum. *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis euola: Summum genus pietatis eſt, in hac re fuiſſe crudelem.* Et ideo in tali caſu dimittenda ſunt officia in parentes, propter diuinum religionis cultum. Si vero exhibendo debita obſequia parentibus, non abſtrahamur à diuino cultu; hoc iam pertinebit ad pietatem, & ſic non oportebit propter religionem, pietatem differre.

Propter religionem prætermittenda ſunt officia pietatis, puta quãdo parentes nos retardãt à cultu Dei.

Vnde illud verbum Domini Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios,* adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: exponit Gregor. quod *parentes & alios carnaliter propinquos quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Si enim parentes noſtri nos prouocent ad peccandum vel abſtrahant à cultu diuino, debemus eos quantum ad hoc deſerere, & odire. Et hoc modo dicuntur leuitæ ſuos conſanguineos ignoraſſe. Deuter. 33. vbi dicitur in eorum laudem, *qui dicunt patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos; Hi cuſtodierunt eloquium tuum:* quia ſcilicet idolatris ſecundum mandatum Domini non pepercerunt, vt habetur Exodi 32.

Solutio obiect.

Sciendum etiam quod ſi parentes ſufficienter habeant vnde viuant, vel ſi ſunt alij, qui illis indigentibus poſſint & debeant neceſſaria miniſtrare, poteſt homo parentes deſerere propter diuinæ religionis cultum, puta religionis ingreſſum. Vnde Iacobus & Ioannes laudantur Ioan. 4. Quod *relictis retibus & patre, ſecuti ſunt Chriſtum.* Laudantur autem non quia pater eorum ipſos prouocaret ad malum, ſed quia ſciebant eum, vitam poſſe tranſigere, ipſis ſequentibus Chriſtum.

Item Matth. 8. & Lucæ 9. dicitur quod Dominus dicenti ſibi, *Permitte mihi primum ire & ſepelire patrem meum.* Reſpondit: *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade & annuncia regnum Dei:* quia ſicut exponit Cyrillus ſuper Lucam. Diſcipulus ille non petiit, quod patrem iam defunctum ſepeliret, ſed quod adhuc viuentem in ſenectute ſuſtentaret vſquequo ſepeliret, quod Dominus non conceſſit, quia erant alij qui eius curam habere poterant, linea parentali aſtricti.

Quo caſu nõ licet intuitu religionis parentes deſerere.

Sed ſi parentibus noſtris obſequia noſtra ſunt neceſſaria, vt ſine his commode ſuſtentari non poſſint, nec nos ad aliquid contra Deum inducant, non debemus intuitu religionis eos deſerere. Si autem ſine peccato, eorum obſequiis vacare non poſſumus, vel etiam ſi abſque noſtro obſequio poſſunt ſuſtentari, licitum eſt eorum obſequia prætermittere, ad hoc quod amplius religioni vacemus.

A NOTA tamen quod aliud eſt dicendum de illo qui adhuc eſt in ſęculo conſtitutus, & aliud de eo qui eſt iam in religione profeſſus. Ille enim qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet parentes qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis, religionem intrare, quia tranſgrederetur præceptum de honorificatione parentum. Quamuis quidam dicant quod etiam in hoc caſu licite poſſet eos deſerere, eorum curã Deo committens. Sed ſi quis recte conſideret, hoc eſſet tentare Deum, cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret, ſub ſpe diuini auxilij. Si vero ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſet ei, deſertis parentibus, religionem intrare; quia filij non tenentur ad ſuſtentationem parentum, niſi cauſa neceſſitatis vt dictum eſt. Ille vero qui iam eſt in religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo. Vnde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto ſepelitur, & ſe iterum ſæcularibus negociis implicare; tenetur tamen, ſalua ſui prælati obedientia, & ſuæ religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur.

Filius iam in religionem profeſſus non debet exire vt parentibus ſubueniat, ſed alio modo de licẽtia prælati illis ſuccurrere ſi poteſt.

De obſeruantia.

DISTINCTIO LXXI.

DEINDE conſiderandum eſt de obſeruantia & partibus eius., per quæ de vitiis oppoſitis erit manifeſtum. Circa obſeruantiam autem conſideranda ſunt tria. Primo, vtrum obſeruantia ſit ſpecialis virtus ab aliis diſtincta. Secundo quid obſeruantia exhibeat. Tertio de comparatione eius ad pietatem.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum obſeruantia ſit virtus ſpecialis.* Dicendum quod ſicut ex dictis patet, neceſſe eſt vt eodem modo per quendam ordinatum deſcenſum diſtinguantur virtutes, ſicut & excellentia perſonarum quibus eſt aliquid reddendum. Sicut autem carnalis pater, particulariter participat rationem principij, quæ vniuerſaliter inuenitur in Deo; ita etiam perſona, quæ quantum ad aliquid prouidentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris, quia pater eſt principium generationis, & educationis, & diſciplinæ, & omnium quę ad perfectionem humanę vitæ pertinent. perſona autem in dignitate conſtituta, eſt ſicut principium gubernationis, reſpectu aliquarum rerum; ſicut princeps ciuitatis in rebus ciuilibus, dux autem exercitus in rebus bellicis, magiſter autem in diſcipulis, & ſimile in aliis. Et ideo eſt quod omnes tales perſonæ patres appellantur, propter ſimilitudinem curæ. Sicut 4. Reg. 4. ſerui Naaman dixerunt ad eum: *Pater, & ſi grandem rem dixiſſet tibi propheta* &c. Et ideo, ſicut ſub religione per quam cultus tribuitur Deo, quodam ordine inuenitur pietas, per quam coluntur parentes; ita ſub pietate inuenitur obſeruantia, per quam cultus & honor exhibetur perſonis, in dignitate conſtitutis.

Obſeruantia eſt virtus ſpecialis, ſub pietate contẽta, per quã cultus & honor exhibetur perſonis in dignitate conſtitutis.

ET SICVT religio per quandam ſupereminentiam pietas dicitur, & tamen pietas proprie dicta à religione diſtinguitur, ita etiam pietas per quandam excellentiam poteſt dici obſeruantia, & tamen obſeruantia proprie dicta à pietate diſtinguitur. Vnde Tullius dicit in ſua Rhetorica, quod obſeruantia eſt per quam homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu, & honore dignantur.

ITEM ſciendum quod aliquis ex hoc quod eſt in dignitate conſtitutus, non ſolum quandam ſtatus excellentiam habet, ſed quandam poteſtatem gubernandi ſubditos. Vnde competit ſibi ratio principij, prout eſt aliorum gubernator. Ex hoc autem quod aliquis habet perfectionem ſcientiæ vel virtutis, non ſortitur rationem principij quantum ad alios, ſed ſolum quandam excellentiam in ſeipſo; & ideo ſpiritualiter quædam virtus determinatur, ad exhibendum honorem

Solutio obiect.

& cultum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& cultum his, qui ſunt in dignitate conſtituti. Verum quia per ſcientiam, & virtutem, & omnia alia huiuſmodi, aliquis idoneus redditur ad dignitatis ſtatum, reuerentia quæ propter quãcunque excellentiã aliquibus exhibetur, ad eandem virtutem pertinet.

AD SECVNDVM, ſcilicet *quid obſeruantia debeat exhibere*. Dicendum quod ad eos qui ſunt in dignitate conſtituti, pertinet gubernare ſubditos: gubernare autem eſt mouere aliquos in debitum finem, ſicut nauta gubernat nauem, ducendo eam ad portum. Omne autem mouens, habet excellentiam quandam & virtutem, ſupra id quod mouetur. Vnde oportet quod in eo qui eſt in dignitate conſtitutus, Primo conſideretur excellentia ſtatus, cum quadam poteſtate in ſubditos. Secundo, ipſum gubernationis officium. Ratione igitur excellentiæ, debetur eis honor, qui eſt quædam recognitio excellentiæ alicuius. Ratione autem officij gubernationis, debetur eis cultus, qui in quodam obſequio conſiſtit, ſcil. dum aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficiis eorum, pro ſuo modo rependit.

Obſeruantia debet exhibere honorem & cultum, ratione diuerſorum.

AD TERTIVM, ſcil. *de comparatione obſeruantiæ ad pietatem*. Dicendum quod perſonis in dignitate conſtitutis, poteſt aliquid exhiberi dupliciter. Vno modo in ordine ad bonum commune, puta cum aliquis ei ſeruit in adminiſtratione reipub.: & hoc iam non pertinet ad obſeruantiam, ſed ad pietatem, quæ cultum exhibet, non ſolum patri, ſed etiam patriæ. Alio modo exhibetur aliquid perſonis in dignitate conſtitutis, pertinens ſpecialiter ad dignitatem, vel perſonalem eorum vtilitatem, & gloriam; & hoc proprie pertinet ad obſeruantiam, ſecundum quod à pietate diſtinguitur. Et ideo comparatio obſeruantiæ ad pietatem neceſſe eſt quod attendatur, ſecundum diuerſas habitudines diuerſarum perſonarum ad nos, quas reſpicit vtraque virtus. Manifeſtum eſt autem, quod perſonæ parentum & eorum qui ſunt nobis ſanguine coniuncti, ſubſtantialius nobis coniunguntur, quam perſonæ quæ ſunt in dignitate conſtitutæ. Magis enim ad ſubſtantiam pertinet generatio, & educatio, cuius principium eſt pater; quam exterior gubernatio, cuius principium ſunt illi qui in dignitate conſtituuntur: & ſecundum hoc pietas obſeruantiæ præeminet, inquantum cultum reddit perſonis magis coniunctis, quibus magis obligantur.

Pietas eſt virtus nobilior quã obſeruantia, quia reſpicit perſonas magis coniunctas.

De dulia.

DISTINCTIO LXXII.

DEINDE conſiderandum eſt de partibus obſeruantiæ. Et primo de dulia per quam perſonis ſuperioribus honor, & cætera ad hoc pertinentia exhibentur. Secundo de obedientia per quam præſidentis imperiis obeditur. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo, vtrum honor ſit quid ſpirituale vel corporale. Secundo, vtrum honor debeatur ſuperioribus. Tertio, vtrum dulia per quam exhibetur honor & cultus ſuperioribus, ſit ſpecialis virtus diſtincta à latria. Quarto, vtrum per ſpecies diſtinguatur.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum honor importet aliquid corporale vel ſpirituale*. Dicendum quod honor teſtificationem quandam importat de excellentia alicuius. Vnde homines qui volunt honorari, teſtimonium ſuæ excellentiæ quærunt, vt patet per Philoſophum in 8. Ethi. Teſtimonium autem redditur vel coram Deo, vel coram hominibus. Coram quidem Deo qui inſpector eſt cordium, teſtimonium conſcientiæ ſufficit. Et ideo honor quo ad Deum, poteſt conſiſtere in ſolo interiori motu cordis, dum ſcilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo. Sed quo ad homines, aliquis nón poteſt teſtimonium ferre, niſi per aliqua ſigna exteriora; vel verborum, puta cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicuius: vel factis, ſicut inclinationibus, obuiationibus & aliis huiuſmodi: vel etiam exterioribus rebus, puta in enceniorum vel munerum oblatione, aut imaginum inſtitutione, vel aliis huiuſmodi. Et ſecundum hoc, honor in ſignis exterioribus, & corporalibus conſiſtit.

Honor eſt proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius.

DIFFERT autem honor & reuerentia, quia reuerentia ex vna parte, eſt principium motiuum ad honorandum, inquantum ſcilicet aliquis ex reuerẽtia quam habet ad aliquem, eum honorat. Ex alia vero parte eſt honor finis, inquantum ſcilicet ad hoc aliquis honoratur, vt in reuerentia habeatur ab aliis.

Solutio obiectionum.

Diſcrimen inter honorẽ & reuerentiam.

ITEM laus diſtinguitur ab honore dupliciter. Vno modo, quia laus conſiſtit in ſolis ſignis verborum, honor autem in quibuſcunque exterioribus ſignis, & ſecundum hoc, laus in honore includitur. Alio modo, quia per exhibitionem honoris, teſtimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius abſolutè. Sed per laudem teſtificamur de bonitate alicuius in ordine ad finem; ſicut laudamus bene operantes propter finem. Honor autem etiam eſt optimorum, quæ non ordinantur ad finem, ſed iam ſunt in fine, vt patet per Philoſophum in ptimo Ethi. Gloria autem eſt effectus honoris & laudis, quia ex hoc quod teſtificamur de bonitate alicuius, clareſcit eius bonitas in notitia plurimorum, & hoc importat nomen gloriæ. Nam gloria dicitur quaſi claria, vnde Ro. 1. dicit quædã Gloſſa Ambroſij, quod *gloria eſt clara cum laude notitia.*

Laus diſtinguitur ab honore dupliciter.

Quid gloria.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum honor debeatur ſuperioribus*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, honor nihil aliud eſt quam quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius. Poteſt autem alicuius excellentia conſiderari, non ſolum per comparationem ad honorantẽ, vt ſcilicet ſit excellentior eo qui honoratur; ſed etiam ſecundum ſe, vel per comparationem ad aliquos alios; & ſecũdum hoc honor ſemper debetur alicui, propter aliquam excellentiam vel ſuperioritatem. Non enim oportet quod ille qui honoratur, ſit excellẽtior honorante, ſed fortè quibuſdam aliis, vel etiam ipſo honorante quantum ad aliquid, & non ſimpliciter: ſicut priuatæ perſonæ interdum honorantur à regibus. Sicut Tob. 1. legitur, quod habebat decem talenta quibus fuerat honoratus à rege. Et Heſt. 6. dicitur, quod Aſſuerus honorauit Mardocheum, & corã eo fecit proclamari; hoc honore dignus eſt, quem cunq; rex honorare voluerit. Sic ergo inferiores honorãtur à regibus, non quia ſint eis ſuperiores ſecundum ordinem dignitatis, ſed propter aliquam excellentiam virtutis ipſorum. Et quia in quolibet poteſt aliquid inueniri, vnde poteſt eum aliquis ſuperiorẽ reputare; ſecundum illud Phil. 2. *In humilitate ſuperiores inuicem arbitrantes:* Ideo etiam omnes ſe debent inuicem honoribus præuenire. Rom. 12. & 1. Pet. 2. *Omnes honorate.*

Honor nõ debetur alicui niſi propter aliquam excellentiã vel ſuperioritatẽ ſaltè ſecundum quid.

ET NOTA quod ſuperiores ſi mali ſunt, non honorantur propter excellentiam propriè virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundum quam ſunt Dei miniſtri; & in eis etiam honoratur tota communitas cui præſunt. Dæmones autẽ ſunt irreuocabiliter mali, & pro inimicis habendi, magis quam honorandi.

Solutio obiect.

ITEM nota, quod Angelus prohibuit Ioannem non à quacunque honoratione, ſed ab honoratione adorationis latriæ quæ debetur Deo; vel etiam ab honoratione duliæ, vt oſtenderet ipſius Ioannis dignitatem, qua per Chriſtum erat Angelis adequatus, ſecundum ſpem gloriæ filiorum Dei: & ideo nolebat ab eo adorari tanquam ſuperior.

AD TERTIVM, ſci. *vtrum dulia ſit ſpecialis virtus*. Dicendum quod ſicut Aug. dicit 10. de Ciuit. Dei. Alia eſt ſeruitus quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit Apoſtolus, ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe, quæ ſci. Græcè dulia dicitur. Alia vero latria, quæ dicitur ſeruitus pertinens ad colendum Deum; quia vbi eſt alia ratio debiti, ibi neceſſe eſt quod ſit alia virtus quæ debitum reddat. Alia autem ratione debetur ſeruitus Deo, & homini; ſicut alia ratione dominum eſſe competit Deo, & homini. Nam Deus plenarium & principale habet dominium, reſpectu totius & cuiuſq; creaturę, quæ totaliter eius ſubiicitur poteſtati. Homo autem

motor omnium quę naturaliter mouentur; ita etiam eſt primus motor omnium voluntatum, vt ex ſupradictis patet. Et ideo ſicut naturali neceſſitate omnia naturalia ſubduntur diuinæ motioni, ita etiam quadam neceſſitate iuſtitiæ, omnes voluntates tenentur obedire diuino imperio.

Solutio obiect.

SICVT autem Deus nihil operatur contra naturam, quia hoc eſt natura vniuſcuiuſque rei, quod in ea Deus operatur, vt habetur in Glo. Rom. 11. Operatur tamen aliquid contra ſolitum curſum naturæ; ita etiam Deus nihil poteſt præcipere contra virtutem, quia in hoc principaliter cõſiſtit virtus & rectitudo voluntatis humanæ, quod Dei voluntati conformetur, & eius ſequatur imperium, quamuis ſit contra conſuetum virtutis modum. Secundum hoc ergo præceptum Abrahæ factum, quod filium innocentem occideret, non fuit contra iuſtitiã, quia Deus eſt auctor mortis & vitę. Similiter nec fuit contra iuſtitiam quod mandauit Iudæis, vt res Ægyptiorum acciperent, quia eius ſunt omnia, & cui voluerit dat illa. Similiter etiam non fuit contra caſtitatem præceptum Oſeæ factum, vt mulierem adulteram acciperet, quia ipſe Deus eſt humanæ generationis ordinator. Et ille eſt debitus modus mulieribus vtendi, quem Deus inſtituit. Vnde patet quod prædicti, nec obediendo Deo, nec obedire volendo, peccauerunt.

ITEM nota quod non peccauerunt duo cæci illuminati à Domino, quibus præcepit, *videte ne quis sciat: Illi autem exeuntes diffamauerunt eum per totam terram illam.* Matth. 9. Quia Dominus præcepit illis vt miraculum occultarent, non quaſi intendens eos per virtutem diuini præcepti obligare, ſed ſicut Greg. dicit 19. moral. *ſeruis ſuis ſe ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti.*

AD QVINTVM, ſcil. *vtrum ſubditi teneantur ſuperioribus ſuis in omnibus obedire.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, obediens mouetur ad imperium præcipientis, quadam neceſſitate iuſtitiæ: ſicut res naturalis mouetur ex virtute ſui motoris, neceſſitate naturæ. Quod autẽ aliqua res naturalis non moueatur à ſuo motore, poteſt contingere dupliciter. Vno modo propter impedimentum quod prouenit ex fortiori virtute alterius mouẽtis, ſicut lignum non comburitur ab igne, ſi fortior vis aquæ impediat. Alio modo ex defectu ordinis mobilis ad motorem, quia etſi ſubijciatur actioni eius quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia; ſicut humor quandoq; ſubijcitur actioni caloris quantum ad calefieri, non autem quantum ad exiccari ſiue conſumi. Et ſimiliter ex duobus poteſt cõtigere, quod ſubditus ſuo ſuperiori non teneatur in omnibus obedire. Vno modo propter præceptum maioris poteſtatis. Vt enim dicitur Rom. 13. ſuper illud: *Qui poteſtati reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, dicit Gloſſa. *Si quid iuſſerit curator, nunquid tibi faciendum eſt, ſi contra proconſulem iubeat?* Rurſum. *Si aliquid Proconſul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur illo contempto, illi eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo obtemperandum eſt Deo.* Alio modo non tenetur inferior ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat in quo ei non ſubdatur. Dicit enim Sen. in 3. de beneficiis. *Errat ſiquis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere; pars enim melior excepta eſt: corpora obnoxia ſunt, & aſcripta dominis, mens quidem eſt ſui iuris.* Et ideo in his quę pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſoli Deo. Tenetur autẽ homini in his quæ exterius per corpus ſunt agẽda; in quibus tamen etiam ſecundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſoli Deo. Quia omnes homines natura ſunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Vnde non tenentur nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire, de matrimonio cõtrahendo, vel virginitate ſeruanda, aut aliquo alio huiuſmodi. Sed in his quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire, ſecundum rationem ſuperioritatis, ſicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum: ſeruus domino, in his quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda: filius patri, in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam, & ſic de aliis.

Ex duobus prouenit ſubditum nõ teneri ſuperiori obedire.

Solutio obiect.

RELIGIOSI vero profitentur obedientiam quantum ad regularem conuerſationem, ſecundum quam ſuis prælatis ſubduntur; & ideo quantum ad illa ſola obedire tenentur, quę poſſunt ad regularem conuerſationem pertinere, & hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis; dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra perfectionem ſeu profeſſionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita.

Obedientia triplex.

Poteſt ergo ſic triplex obedientia diſtingui. Vna ſufficiens ad ſalutem, quę ſcilicet obedit in his ad quæ obligatur. Alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis. Alia indiſcreta, quę etiam in illicitis obedit.

AD SEXTVM, ſci. *vtrum Chriſtiani teneantur ſecularibus poteſtatibus obedire.* Dicendum quod fides Chriſti eſt iuſtitiæ principium & cauſa, ſecundum illud Ro. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti.* Et ideo per fidẽ Chriſti non tollitur ordo iuſtitiæ, ſed magis firmatur. Ordo autem iuſtitię requirit vt inferiores ſuis ſuperioribus obediãt: aliter enim non poſſet humanarum rerum ſtatus conſeruari. Et ideo per fidem Chriſti non excuſantur fideles, quin principibus ſecularibus obedire teneantur. Et ideo dicit Apoſtolus Ro. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi à Deo: itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et 1. Tim. 3. *Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe.* Et. 1. Pet. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis*, &c.

Chriſtiani tenẽtur principibus ſecularibus obedire.

Solutio obiect.

SERVITVS autem qua homo homini ſubijcitur, ad corpus pertinet, non ad animã, quæ libera manet: nunc autem in ſtatu huius vitę, per gratiã Chriſti liberamur à defectibus animæ, non à defectibus corporis, vt patet per Apoſtolum Rom. 7. qui dicit de ſeipſo quod *mente ſeruit legi Dei, carne autem legi peccati.* Et ideo illi qui fiunt filij Dei per gratiã, liberi ſunt à ſpirituali ſeruitute peccati, non autem à ſeruitute corporali, qua temporalibus dominis tenentur aſtricti, vt dicit Glo. ſuper illud 1. ad Tim. 7. *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui*, &c.

DEINDE conſiderandum eſt de inobedientia. Et primo, vtrum ſit peccatum mortale. Secundo, vtrum ſit grauiſſimum peccatum. De hoc require infra tertio libro.

De gratitudine.

DISTINCTIO LXXIV.

DEINDE conſiderandum eſt de gratia ſiue gratitudine, & de ingratitudine. Circa gratiam ſiue gratitudinẽ conſideranda ſunt ſex. Primo, vtrum gratia ſit ſpecialis virtus. Secundo, quis magis teneatur ad gratiarum actiones, vtrum ſcilicet innocens, vel pœnitens. Tertio, vtrum ſemper teneatur homo ad gratias humanis beneficiis reddendas. Quarto, vtrum ſit retributio gratiarum differenda. Quinto, vtrum retributio gratiarum ſit menſuranda ſecundum acceptum beneficium, vel ſecundum dantis affectum. Sexto, vtrum oporteat aliquid maius rependere.

AD PRIMVM, ſ. *vtrum gratia ſit ſpecialis virtus.* Dicẽdum quod ſicut ſupra dictũ eſt, ſecundũ diuerſas cauſas ex quibus aliquid debetur, neceſſe eſt diuerſificari debiti reddendi rationẽ, ita tamen quod ſemper in maiori, illud quod minus eſt contineatur. In Deo autem primo & principaliter inuenitur cauſa debiti, eo quod ipſe eſt primũ principiũ omnium bonorum noſtrorũ. Secundario autem in patre, quia eſt proximum noſtræ generationis & diſciplinæ principium. Tertio autẽ in perſona quæ dignitate aliqua præcellit, ex qua cõmunia beneficia procedunt. Quarto autẽ in aliquo benefactore,

factore, à quo aliqua particularia & priuata beneficia recipimus, pro quibus particulariter ei obligamur. Quia igitur non quicquid debemus Deo, vel patri, vel perſonæ dignitate præcellenti, debemus alicui benefactorum, à quo aliquod particulare beneficium recepimus; inde eſt quod poſt religionē qua debitum cultū Deo impendimus, & pietatem qua colimus parentes, & obſeruantiam qua colimus perſonas dignitate præcellentes, eſt gratia ſiue gratitudo, quæ benefactoribus gratiam recompenſat. Et diſtinguitur à præmiſſis virtutibus, ſicut quælibet poſteriorum diſtinguitur à priori quaſi ab eo deficiens.

Gratia ſiue gratitudo eſt ſpecialis virtus, & reſpicit benefactorem.

AD SECVNDVM, ſcilicet *quis magis teneatur ad gratias reddendas, vtrum innocens, vel pœnitens.* Dicendum quod actio gratiarum in accipiente reſpicit gratiam dantis. Vnde vbi eſt maior gratia ex parte dantis, ibi eſt maior gratiarum actio ex parte recipientis. Gratia autem eſt quod gratis datur. Vnde dupliciter poteſt eſſe ex parte dantis maior gratia. *Vno modo* ex quantitate dati & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuatum cæteris paribus abſolute loquendo. *Alio modo* poteſt dici maior gratia, quia magis datur gratis, & ſecundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones, pœnitens quam innocens, quia magis gratis datur illud, quod ei datur à Deo. Cum enim eſſet dignus pœna, datur ei gratia; & ſic licet illud donum quod datur innocenti, ſit abſolute conſideratum maius, tamen donum quod datur pœnitenti, eſt maius in comparatione ad ipſum; ſicut & paruum donum pauperi datum, ei eſt maius, quam diuiti magnum: & quia actus circa ſingularia ſunt, in his quæ agenda ſunt; magis conſideratur quod eſt hic vel nunc tale, quā quod eſt ſimpliciter tale; ſicut Philoſophus dicit in 3. Ethi. de voluntario & inuoluntario.

Magis tenetur ad gratias reddendas, pœnitens quam innocens.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum homo ſemper teneatur ad gratias pro humanis beneficiis reddendas.* Dicendum quod omnis effectus naturaliter ad ſuam cauſam conuertitur. Vnde Dionyſius dicit 3. cap. de di. no. quod *Deus omnia in ſe conuertit tanquam omnium cauſa.* Semper enim oportet quod effectus ordinetur ad finem agētis. Manifeſtum eſt autem quod benefactor inquantum huiuſmodi, eſt cauſa beneficiati. Et ideo naturalis ordo requirit, vt ille qui ſuſcipit beneficium, per gratiarum recompenſationem conuertatur ad benefactorem ſecundum modum vtriuſque. Et ſicut de patre ſupra dictum eſt, Benefactori quidem inquantum huiuſmodi debetur honor & reuerentia, eo quod habet rationem principij; ſed per accidens debetur ei ſubuentio, vel ſuſtentatio, ſi indigeat.

Solutio obiect.

SCIENDVM tamen quod ſicut Sen. dicit in 5. de beneficiis. *Sicut non eſt liberalis qui ſibi donat, nec clemens qui ſibi ignoſcit, nec miſericors qui malis ſuis tangitur, ſed qui alienis: ita etiam nemo ſibiipſi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret, quæ mouet ad reſutanda nociua, & appetenda proficua.* Vnde in his quæ ſunt ad ſeipſum, non habet locum gratitudo, & ingratitudo. Non enim poteſt homo ſibiipſi aliquid denegare, niſi ſibi retinendo. Metaphoricè tamen illa quæ ad alterum proprie dicuntur, accipiuntur in his quæ ſunt ad ſeipſum, ſicut de iuſtitia Philoſophus dicit in 5. Ethi. inquantum ſcilicet accipiuntur diuerſæ partes hominis, ſicut diuerſę perſonæ.

Non eſt gratitudo hominis ad ſeipſum.

ITEM nota, quod boni animi eſt, vt magis attendat ad bonum quam ad malum. Et ideo ſi aliquis beneficium dedit, non eo modo quo debuit, non omnino debet recipiens à gratiarum actione ceſſare, minus tamen quam ſi modo debito præſtitiſſet; quia etiam beneficium minus eſt, quia vt Sen. dicit in 2. de beneficiis, *multum celeritas fecit, multum abſtulit mora.*

ITEM nota quod ſicut Seneca dicit in 6. de beneficiis; *multum intereſt vtrum aliquis beneficium nobis det ſua cauſa, an ſua & noſtra. Ille qui totus ad ſeſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt; eo mihi loco habendus videtur, quo qui pecori ſuo pabulum proſpicit. Si me in conſortium admiſit, ſi duos cogitauit, ingratus ſum & iniuſtus, niſi gaudeo hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi. Summę malignitatis eſt non vocare beneficium, niſi quod dantem aliquo incommodo afficiat.*

ITEM ſicut Seneca dicit in 3. de beneficiis, *quamdiu ſeruus præſtat quod à ſeruo exigit, ſolum miniſterium eſt; vbi plus quam à ſeruo neceſſe eſt, beneficium eſt; vbi enim in affectum amici tranſit, incipit vocari beneficium.* Et ideo etiam ſeruis vltra debitum facientibus, gratiæ ſunt habendæ.

ITEM nota quod pauper ingratus non eſt, ſi faciat quod poſſit. Sicut enim beneficium magis in affectu conſiſtit quam in effectu, ita etiam recompenſatio magis in affectu conſiſtit. Vnde Seneca dicit in 2. de beneficiis, *qui gratè beneficium accipit, primam eius penſionem ſoluit. Quod gratè autem ad nos beneficia perueniunt, iudicemus effuſis affectibus, quod non ipſo tantum audiente, ſed vbique teſtemur.* Et ex hoc patet quod quantumcunque in felicitate exiſtenti, poteſt recompenſatio beneficij fieri, per exhibitionem reuerentiæ & honoris. Vnde Philoſophus dicit in 8. Ethi. quod *ſuperexcellenti quidem debet fieri honoris retributio, indigenti autem retributio lucri.* Et Seneca dicit 5. de beneficiis. *Multa ſunt per quæ quicquid debemus, reddere & felicibus etiam poſſumus, fidele conſilium, aſſidua conuerſatio, ſermo communis, & ſine adulatione iucundus.* Et ideo non oportet vt homo optet indigentiam eius ſeu miſeriam, qui beneficium dedit, ad hoc quod beneficium recompenſetur; quia vt Seneca dicit in 6. de beneficiis, *Si hoc tibi optares cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum*, quanto inhumanius erit votum, ſi hoc ei optas, cui beneficium debes? Si autem ille qui beneficium dedit, in peius mutatus eſt, debet tamen ſibi fieri recompēſatio ſecundum ſtatum ipſius, vt ſcilicet ad virtutem reducatur ſi ſit poſſibile. Si autem ſit inſanabilis propter malitiam, tunc alter eſt effectus quam prius erat. Et ideo non debetur ei recompenſatio beneficij, ſicut prius, & tamen quantum fieri poteſt, ſalua honeſtate, memoria debet haberi priſtini beneficij, vt patet per Philoſophum in 9. Ethi.

AD QVARTVM, ſcil. *vtrum homo ſtatim debeat beneficium recompenſare.* Dicendum quod ſicut in beneficio dando duo conſiderantur, ſcil. affectus, & donum, ita etiam hæc duo conſiderantur in recompenſatione beneficij, & quantum quidem ad effectum, ſtatim recō penſatio fieri debet. Vnde Seneca in 2. de beneficiis. *Vis reddere beneficium? benignè accipe.* Quantum autē ad donum, debet quidem expectari tempus quo recompenſatio ſit benefactori oportuna. Si autem non conuenienti tempore, ſtatim aliquis velit munus pro munere reddere, videtur eſſe mutuoſa recompenſatio, vt enim Seneca dicit in 4. de beneficiis. *Qui nimis cito cupit ſoluere, inuitus debet; & qui inuitus debet, ingratus eſt.* Vnde ſicut beneficia ſunt oportuno tempore danda, & tunc non eſt amplius tardandum, dum oportunum tempus aduenerit. Sicidem etiam obſeruari oportet in beneficiorum recompenſatione.

Beneficium eſt ſtatim recompenſandum quoad affectum, ſed non quoad donum, niſi in tempore opportuno.

Solutio obiect.

NOTA tamen quod debitum legale eſt ſtatim ſoluendum, alioquin non eſſet conſeruata iuſtitiæ equalitas, ſi vnus retineret rem alterius abſque eius voluntate, ſed debitum morale dependet ex honeſtate debentis. Et ideo debet reddi debito tempore, ſecundum quod exigit rectitudo virtutum.

AD QVINTVM, ſcil. *vtrum recompenſatio beneficiorum menſuranda ſit ſecundum acceptum beneficium vel ſecundum dantis affectum.* Dicendum quod recompenſatio beneficij poteſt ad tres iudices pertinere, ſc. ad iuſtitiam, ad gratiam, & amicitiam. Ad iuſtitiā quidē pertinet, quando recompēſatio habet rationem debiti legalis, ſicut in mutuo, & in aliis huiuſmodi. Et in tali, recompenſatio debet attendi ſecundum quantitatem dati. Ad amicitiā autem pertinet recompēſatio beneficij, & ſimiliter ad virtutem gratiæ, ſecundum quod habet rationē debiti moralis, aliter tamen, & aliter. Nam in recōpenſatione amicitiæ, oportet reſpectū haberi ad amicitiæ cauſam. Vnde in amicitia vtilis, debet recompenſatio fieri, ſecundum vtilitatem quam quis eſt ex beneficio conſecutus. In amicitia autem honeſti, debet in recompenſatione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſatione haberi reſpectus ad electionẽ, ſiue ad affectum dantis, quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem, vt dicitur in 8. Ethi. Et ſimiliter quia gratia reſpicit beneficium ſecundum quod eſt gratis impenſum, quod quidem pertinet ad affectum. Ideo etiam gratiæ recõpenſatio, attendit magis affectum dantis, quam effectum. Omnis enim actus moralis ex voluntate dependet. Vnde beneficium ſecundum quod eſt laudabile, prout ei gratiæ recompenſatio debetur, materialiter quidem conſiſtit in effectu, ſed formaliter & principaliter in voluntate. Vnde Seneca dicit in 1. de beneficiis. *Beneficium non in eo quod fit aut datur conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo.*

Recompenſatio gratiæ attendit magis affectum dantis quam effectum.

Solutio obiect.

ANIMVM autem hominis vel affectum per ſe quidẽ ſolus Deus videt, ſed ſecundum quod per aliqua ſigna manifeſtatur, poteſt etiam ipſum homo cognoſcere. Et hoc modo affectus benefacientis cognoſcitur, ex ipſo modo quo beneficium tribuitur, puta quia gaudenter & promptè aliquis beneficium impendit.

AD SEXTVM, ſcil. *vtrum oporteat aliquem plus exhibere quam recepit.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, recompenſatio gratiæ reſpicit beneficium ſecundum voluntatem benefacientis. In qua quidem præcipuè hoc cõmendabile videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur; & ideo qui beneficium accepit, ex hoc obligatur ex debito honeſtatis, vt ſimiliter gratis aliquid impendat. Non autem videtur gratis aliquid impẽdere, niſi excedat quantitatem accepti beneficij; & quandiu recompenſat minus vel æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit. Et ideo gratiæ recompenſatio, ſemper tendit vt pro ſuo poſſe aliquid maius retribuat.

Gratia recõpenſatio tendit vt magis reddat quam accepit.

Solutio obiect.

SICVT enim in iuſtitia, quæ eſt virtus Cardinalis, attenditur æqualitas rerum; ita in gratitudine æqualitas voluntatum; vt ſcilicet ſicut ex promptitudine voluntatis, beneficus aliquid exhibuit, ad quod non tenebatur; ita etiam ille qui ſuſcepit beneficium, aliquid ſupra debitum recompenſet.

ITEM in recompenſatione beneficij, magis eſt conſiderandus affectus quam effectus. Si ergo conſideremus effectum beneficij, quod filius à parentibus accepit, ſcilicet eſſe & viuere, nihil æquale filius recompẽſare poteſt, vt Philoſophus dicit. Si autem attendamus ad ipſam voluntatem dantis & retribuentis, ſic poteſt filius aliquid maius patri retribuere, vt Seneca dicit in 3. de beneficiis. Si tamen non poteſt, ſufficit ad gratitudinem recompenſandi voluntas.

Filius ex parte affectus poteſt plus reddere patri quam accepit, licet non ex parte effectus.

DEINDE conſiderandum eſt de ingratitudine. Et primo vtrum ingratitudo ſit peccatum. Secundo vtrum ſit peccatum ſpeciale. Tertio vtrum ſit peccatum mortale. Quarto vtrum ingrato ſint beneficia ſubtrahenda, &c. Require infra libro tertio.

De vindicatione.

DISTINCTIO LXXV.

DEINDE conſiderandum eſt de vindicatione. Et primo vtrum vindicatio ſit licita. Secundo vtrum ſit ſpiritualis virtus. Tertio de modo vindicãdi. Quarto in quos ſit vindicatio exercenda.

AD PRIMVM, ſcil. *vtrum vindicatio ſit licita.* Dicendum quod vindicatio ſit per aliquod malum pœnale inflictum peccanti. In vindicatione ergo ſumenda cõſiderandum eſt aliud ex parte vindicantis, aliud ex parte peccantis, & aliud ex parte illatę iniuriæ. *Ex parte quidem* vindictam inferentis, conſiderandus eſt ſtatus & animus. *Status* quippe conſiderandus eſt, quia ſi ſit perſona ſingularis non habens publicam poteſtatem, non eſt ſibi licitum vindicare, ſicut dicitur Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Talis enim vſurpat ſibi quod Dei eſt, ſicut habetur Deutero. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis,* &c. Alia litera eſt: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Si vero poteſtatem habens, ſecundum gradum ſui ordinis, & ſuæ limites poteſtatis, vindictam exercet in malos, non vſurpat ſibi quod Dei eſt, ſed vtitur poteſtate ſibi diuinitùs conceſſa. Dicitur enim Rom. 13. de principe terreno, quod *Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit.* Si autem præter ordinem diuinæ inſtitutionis aliquis vindictam exerceat, vſurpat ſibi quod Dei eſt, & ideo peccat. *Conſiderandus etiam eſt animus* vindicantis: ſi enim eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindicta ſumitur, & ibi quieſcit, non eſt omnino licitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere; nec aliquis excuſatur ſi malum intendat illius, qui ſibi iniuſtè intulit malum, ſicut non excuſatur aliquis per hoc quod odit ſe odientem. Non enim debet homo in alium peccare, propter hoc quod ille peccauit prius in ipſum, hoc enim eſt vinci à malo. Quod Apoſtolus prohibet Rom. 12. dicens: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum ad quod peruenitur per pœnam peccantis, putà ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem, poteſt eſſe vindicatio licita, aliis circunſtantiis debitis ſeruatis.

Vindicatio qua bona, & qua mala.

EX PARTE PECCANTIS ſimiliter cõſiderandum eſt, vtrum ſit perſona ſingularis, vel multitudo populi: in primo caſu eſt vindicta exercenda. Si vero ſit peccatum multitudinis, aut multitudo tota peccat, aut magna pars multitudinis. In primo caſu eſt de ea ſumenda vindicta, Vel quantum ad totam multitudinem, ſicut Ægyptij ſubmerſi ſunt in mari rubro perſequentes filios Iſraal, vt habetur Exod. 14. Et ſicut Sodomitæ perierunt; Vel quantum ad magnam multitudinis partem, ſicut patet Exo. 12. In pœna eorum qui vitulum adorauerunt. Quandoque vero ſi ſperatur multorum correctio, debet ſeueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores, quibus punitis cæteri terreantur. Sicut Dominus Numeri 25. mandauit ſuſpendi principes populi, pro peccato multitudinis. Si autem non tota multitudo peccauit, ſed pro parte; tunc ſi poſſunt mali ſecerni à bonis, debet in eos vindicta exerceri, ſi tamen hoc fieri poſſit ſine ſcandalo aliorum: alioquin parcendum eſt multitudini, & detrahendum ſeueritati. Et eadem ratio eſt de principe, quem ſequitur multitudo. Tolerandum enim eſt peccatum eius, ſi ſine ſcandalo multitudinis puniri non poteſt; niſi forte eſſet tale peccatum principis, quod magis noceret multitudini, vel ſpiritualiter, vel temporaliter, quàm ſcandalum quod exinde timeretur.

Quomodo peccatum multitudinis vindicandũ.

EX PARTE VERO INIVRIÆ conſiderandum eſt, quia ſi inferatur iniuria in perſonam iudicis, debet eam patienter ſuſtinere. Sicut dicit Chryſoſt. ſuper Matth. *Diſcamus exemplo Chriſti noſtras iniurias ſuſtinere; Dei autem iniurias nec vſque ad auditum ſufferre.* Item *in proprijs iniurijs eſſe quempiam patientem laudabile eſt: Iniurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium.* Vnde ſi iniuria illata perſonæ iudicis vel alterius, redundat in Deum & Eccleſiam, tunc debet aliquis propriam iniuriam vlciſci. Sicut patet de Elia qui fecit ignem deſcendere ſuper eos qui venerunt ad ipſum capiendum, vt legitur 4. Reg. 1. Et ſimiliter Eliſæus maledixit pueris ipſum irridentibus, vt habetur 4. Reg. 3. Et Silueſter Papa excommunicauit eos qui eum in exilium miſerunt, vt habetur 23. q. 3. Inquantum vero iniuria in aliquem illata ad eius perſonam pertinet, debet eam tolerare patienter ſi expediat. Huiuſmodi enim præcepta patientiæ intelligenda ſunt ſecundum præparationem animi, vt Aug. dicit in li. de ſermone Domini in monte.

Iudex debet patienter ſuſtinere iniuriam ſibi illatam, niſi redundet in Deum, vel Eccleſiam.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum vindicatio ſit virtus ſpiritualis.* Dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit in 2. Ethic. *Aptitudo ad virtutem ineſt nobis à natura, licet complementum virtutis ſit per aſſuetudinem vel per aliquam aliam cauſam.* Vnde patet quod virtutes quæ perficiunt nos ad proſequendum debito modo

incli-

inclinationes naturales, pertinent ad ius naturale. Et ideo ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam, ordinatur aliqua ſpecialis virtus. Eſt autē quædam ſpecialis inclinatio naturæ ad remouendum nocumentum. Vnde & animalibus datur vis iraſcibilis, ſeparatim à vi concupiſcibili. Repellit autem homo aliquod nocumentum, per hoc quod ſe defendit contra iniurias ne ei inferantur, vel iam illatas iniurias vlciſcitur; non intentione nocendi, ſed intentione remouendi nocumenta. Hoc autem pertinet ad vindicationem. Dicit enim Tullius in ſua Rhetorica, quod *vindicatio eſt, per quam vis aut iniuria & omnino quicquid obſcurum eſt*, ideſt ignominioſum, *defendendo aut vlciſcendo propulſatur*. Vnde vindicatio eſt ſpecialis virtus.

Vindicatio quid.

Sciendum autem quod ſicut recompenſatio debiti legalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, recōpenſatio autem debiti moralis, quæ naſcitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ. Ita etiam punitio peccatorum, ſecundum quod pertinet ad publicam iuſtitiam, eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ; ſecundum autem quod pertinet ad immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, à quo iniuria propulſatur, pertinet ad virtutem vindicationis. Virtuti autem vindicationis opponuntur duo vitia: vnum quidem per exceſſum, ſcilicet peccatum crudelitatis vel ſæuitiæ, quæ excedit menſuram in puniendo: aliud autem eſt vitium quod conſiſtit in defectu, ſicut cum aliquis nimis remiſſus eſt in puniendo. Vnde dicitur Prouer. 13. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum*. Virtus autem vindicationis conſiſtit, vt homo ſecundum omnes circunſtantias, debitam menſuram in vindicando conſeruet.

Vindicatio eſt virtus ſpecialis media inter crudelitatē, & lenitatem pimiam.

Ad tertivm, ſcilicet *de modo vindicandi*. Dicendum quod vindicatio in tantum licita eſt & virtuoſa, inquantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui à peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua quę plus amant, quam illa quæ peccando adipiſcuntur, aliàs timor non compeſceret peccatum. Et ideo per ſubtractionem omnium quæ homo maxime diligit, eſt vindicta de peccatis ſumenda. Hęc autem ſunt quæ homo maxime diligit, vitam, incolumitatem corporis, libertatem ſui, Et bona exteriora, puta diuitias, patriam, & gloriam. Et ideo vt Aug. refert 21. de Ciuit. Dei. Octo genera pœnarum in legibus eſſe deſcribit Tullius, ſcilicet mortem, per quam tollitur vita; verbera, & talionem, vt ſcilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit corporis incolumitatem; ſeruitutem, & vincula, per quæ perdit libertatem; exilium, per quod perdit patriam; damnum, per quod perdit diuitias; ignominiam, per quam perdit gloriam.

Vindicatio facienda per ſubtractionem eorum quæ homo maxime diligit.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum vindicta ſit exercenda in eos qui non peccauerunt*. Dicendum quod pœna dupliciter poteſt conſiderari. *Vno modo* ſecundum rationem pœnæ, & ſecundum hoc pœna non debetur niſi peccato, quia per pœnam reparatur æqualitas iuſtitiæ, inquantum ille qui peccando nimis ſecutus eſt ſuam voluntatem, aliquid contra ſuam voluntatem patitur. Vnde cum omne peccatum ſit voluntarium, etiā originale, vt ſupra habitum eſt, conſequens eſt quod nullus punitur hoc modo, niſi pro eo quod voluntariè factum eſt. *Alio modo* poteſt conſiderari pœna inquantum eſt medicina, non ſolum ſanatiua peccati præteriti, ſed etiam præſeruatiua à peccato futuro, & promotiua in aliquod bonum. Et ſecundum hoc aliquis interdum punitur ſine culpa, non tamen ſine cauſa.

Pœna ſub ratione pœnæ, non eſt infligēda niſi pro culpa, bene tamen prout medicina.

Sciendum tamen quod nunquam medicina ſubtrahit maius bonum, vt promoueat minus: ſicut medicina carnalis nunquam cæcat oculum, vt ſanet calcaneum. Quandoque infert nocumentum in minoribus, vt melioribus auxilium præſtet. Et quia bona ſpiritualia ſunt maxima bona, bona autem temporalia ſunt minima: ideo quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis abſque culpa: cuiuſmodi ſunt plures pœnæ præſentis vitæ diuinitus inflictæ, ad humiliationem, vel probationem. Non autem punitur aliquis in ſpiritualibus bonis, ſine propria culpa, neque in præſenti, neque in futuro; quia ibi pœnæ non ſunt medicinæ, ſed conſequuntur ſpiritualem damnationem. Pœna inquam ſpirituali nunquam vnus homo punitur pro peccato alterius, quia pœna ſpiritualis pertinet ad animā, ſecundum quam quilibet eſt liber ſui. Pœna autem temporali quandoque vnus punitur pro peccato alterius, triplici ratione. *Primo quidem*, quia vnus homo temporaliter eſt res alterius, & ita in pœnam eius & ipſe punitur, ſicut filij ſunt ſecundum corpus, quædam res patris, & ſerui quędam res dominorum. *Alio modo* inquantum peccatum vnius deriuatur in alterum; vel per imitationem, ſicut filij imitantur peccata parentum, & ſerui peccata dominorum, vt audacius peccent; vel per modum meriti, ſicut peccata ſubditorum merentur peccatorem prælatum, ſecundum illud Iob 33. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Vnde & pro peccato Dauid populum numerantis, populus Iſrael punitus eſt, vt habetur 2. Reg. vlti. Siue etiam per aliqualem conſenſum ſeu diſſimulationem, ſicut etiam interdum boni ſimul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt, vt Auguſtinus dicit in primo de Ciuit. Dei. *Tertio* ad commendandum vnitatem humanæ ſocietatis, ex qua vnus debet pro alio ſollicitus eſſe ne peccet, & ad deteſtationem peccati, dum pœna vnius redundat in omnes, quaſi omnes eſſent vnum corpus, vt Auguſtinus dicit in peccato Achan. Quod autem Dominus dicit: *viſitans peccata parentum in filios, vſque ad tertiam, vel quartam generationem*, magis videtur ad miſericordiam, quam ad ſeueritatem pertinere, dum ſtatim vindictam non adhibet, ſed expectat in poſterum, vt ſaltem vel poſteri corrigantur: ſed creſcente malitia poſterorum, neceſſe eſt vltionem inferri.

Nemo punitur in ſpiritualibus bonis ſine propria culpa, ſed bene in tēporalibus, & hoc tripliciter.

Item nota, quod ſicut Auguſtinus dicit, *iudicium humanum debet imitari iudicium diuinum, in manifeſtis Dei iudiciis, quibus homines ſpecialiter damnat pro proprio peccato. Occulta vero Dei iudicia, quibus temporaliter aliquos punit abſque culpa, non poteſt humanum iudicium imitari, quia homo non poteſt comprehendere horum iudiciorum rationes, vt ſciat quid expediat vnicuique*. Et ideo nunquam ſecundum humanum iudicium aliquis debet puniri ſine culpa, pœna flagelli vt occidatur, vel vt mutiletur, vel verberetur. Pœna autem damni punitur aliquis, etiam ſecundum humanum iudicium, etiam ſine culpa, ſed non ſine cauſa. Et hoc tripliciter. *Vno modo* ex hoc quod aliquis, infamis vel ineptus redditur ſine ſua culpa, ad aliquod bonum habendum, vel conſequendum; ſicut propter vitium lepræ, aliquis remouetur ab adminiſtratione Eccleſiæ, & propter bigamiam, vel iudicium ſanguinis, aliquis impeditur à ſacris ordinibus. *Secundo* quia bonum in quo damnificatur, non eſt proprium bonum, ſed commune; ſicut quod aliqua Eccleſia habeat Epiſcopatum, pertinet ad bonum totius ciuitatis, non autem ad bonum clericorum tantum. *Tertio* quia bonum vnius dependet ex bono alterius, ſicut in crimine læſę maieſtatis, filius amittit hæreditatem pro peccato parentis.

Pœna ſenſus nemo debet puniri ſine culpa ſecundum humanum iudiciū, reſtè tamen pœna damni, & hoc tripliciter.

De veritate.

DISTINCTIO LXXVI.

Deinde conſiderandum eſt de veritate, & vitiis oppoſitis. De veritate autem quatuor conſideranda ſunt. Primo, vtrum veritas ſit virtus. Secundo, vtrum ſit virtus ſpecialis. Tertio, vtrum ſit pars iuſtitiæ. Quarto, vtrum declinet in minus.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum veritas ſit virtus*. Dicendum, quod veritas dupliciter accipi poteſt. *Vno modo* ſecundum quod veritate aliquid dicitur verum, & ſic veritas non eſt virtus, ſed obiectum, vel finis virtutis. Sic enim accepta veritas, non eſt habitus, quod eſt genus virtutis, ſed æqualitas quędam intellectus, vel ſigni ad rem intellectam & ſignatam; vel etiā rei, ad

Veracitas eſt virtus.

ſuam

ſuam regulam. *Alio modo* poteſt dici veritas, qua aliquis verum dicit, ſecundum quod per eã aliquis dicitur verax, & talis, neceſſe eſt quod ſit virtus, quia hoc ipſum quod eſt dicere verum, eſt bonus actus. Virtus autem eſt, quæ facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit.

Solutio obiect. Non eſt autem veritas virtus Theologica, quia non habet Deum pro obiecto, ſed res temporales. Dicit enim Tullius quod veritas eſt, per quam immutata ea quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Sed eſt virtus moralis, cõſiſtens in medio inter ſuperfluum & diminutum, dupliciter: Vno quidem modo ex parte obiecti: Alio autem modo ex parte actus. Ex parte quidem obiecti, quia verum ſecundum ſuam rationem importat quandam æqualitatem, æquale autem eſt medium inter magis & minus. Vnde ex hoc ipſo quod aliquis verum dicit de ſeipſo, medium tenet inter eum qui maiora dicit de ſeipſo, & inter eum, qui minora. Ex parte autem actus medium tenet, inquantum verum dicit quando oportet, & ſecundum quod oportet. Superfluum autem conuenit illi qui importunè ea quæ ſcit manifeſtat, defectus autem competit illi qui occultat quando manifeſtare oportet.

Veritas non eſt virtus Theologica aut intellectualis, ſed moralis, media inter ſuperfluum & diminutum.

Ad ſecvndvm, ſcilicet *vtrum veritas ſit virtus ſpecialis.* Dicendum quod ad rationem virtutis humanæ pertinet, quod opus hominis bonum reddat. Vnde vbi in actu hominis inuenitur ſpecialis ratio veritatis, vel bonitatis, neceſſe eſt quod ad hoc diſponatur homo per ſpecialẽ virtutem. Cum autem bonum ſecundum Aug. libro de natura boni, conſiſtat in ordine, neceſſe eſt ſpecialem rationem boni conſiderari ex determinato ordine. Eſt autem ſpecialis quidem ordo, ſecundum quod exteriora noſtra vel verba, vel facta, debite ordinantur ad aliquid, ſicut ſignum ad ſignatum; & ad hoc perficitur homo per virtutem veritatis. Vnde manifeſtum eſt quod veritas eſt ſpecialis virtus.

Veritas eſt ſpecialis virtus.

Licet autem verum, & bonum conuertantur ſecundum Philoſophum, tamen bonitas non ponitur eſſe virtus ſpecialis ſicut veritas, quia omnis virtus eſt bonitas, ſed veritas eſt virtus ſpecialis ratione iam dicta.

Solutio obiect. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod verum & bonum ſubiecto quidem cõuertuntur, quia omne verum eſt bonum, & omne bonum eſt verum, ſed ſecundum rationem inuicem ſe excedunt, ſicut intellectus & voluntas inuicem ſe excedunt. Nam intellectus intelligit voluntatem, & multa alia, & voluntas appetit ea quæ pertinent ad intellectum, & multa alia. Vnde verum ſecundum rationẽ propriam in qua eſt perfectio intellectus, eſt quoddam particulare bonum, inquantum eſt quoddam appetibile. Et ſimiliter bonum ſecundum propriam rationem prout eſt finis appetitus, eſt quoddum verum, inquantum eſt quoddam intelligibile. Quia ergo veritas ineludit rationem bonitatis, poteſt eſſe quod veritas ſit ſpecialis virtus, ſicut verum eſt ſpeciale bonum; non autem poteſt eſſe quod bonitas ſit ſpecialis virtus, cum magis ſecundum rationem ſit genus virtutis.

Cur potius veritas ſit ſpecialis virtus, quam bonitas.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum veritas ſit pars iuſtitiæ.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, ex hoc aliqua virtus iuſtitiæ annectitur, ſicut ſecundaria principali, quod partim quidem cum iuſtitia conuenit, partim autem deficit ab eius perfecta ratione. Virtus autem veritatis cõuenit quidem cum iuſtitia in duobus. Vno quidem modo in hoc quod eſt ad alterum. Manifeſtatio enim quam diximus eſſe actum veritatis, eſt ad alterum, inquantum ſcilicet ea quæ circa ipſum ſunt, vnus homo alteri manifeſtat. Alio modo inquantum iuſtitia æqualitatem quandam in rebus conſtituit; & hoc facit virtus veritatis: adęquat enim ſigna rebus exiſtentibus circa ipſum. deficit autem à propria ratione iuſtitiæ, quantum ad rationem debiti. Non enim hæc virtus attendit debitum legale, quod attendit iuſtitia; ſed potius debitum morale, inquantum ſcilicet ex honeſtate, vnus homo alteri debet veritatis manifeſtationem. Vnde veritas eſt pars iuſtitiæ, inquantum annectitur ei, ſicut virtus ſecundaria principali.

Veritas eſt pars iuſtitiæ, quia ei annectitur ſicut virtus ſecundaria, principali.

Ex hoc enim quod homo eſt animal ſociale, naturaliter debet alteri id, ſine quo ſocietas humana conſeruari non poteſt: non autem poſſent homines ad inuicem conuiuere, niſi ſibiinuicem crederent, tanquam ſibiinuicem veritatem manifeſtantibus; & ideo virtus veritatis, aliquo modo attendit rationem debiti.

Solutio obiect.

Sciendum autem, quod cum ſit triplex veritas ſecundum Hiero. ſcilicet veritas vitæ, iuſtitiæ, & veritas doctrinæ. Veritas de qua nunc loquimur, differt à veritate vitæ, quia veritas vitæ continet in ſe omnem virtutem. Veritas autem iuſtitiæ dicitur dupliciter. *Vno modo* ſecundum quod ipſa iuſtitia eſt rectitudo quædam regulata ſecundum regulam diuinæ legis, & ſecundum hoc differt veritas iuſtitiæ à veritate vitæ, quia veritas vitæ eſt ſecundum quam aliquis rectè viuit in ſeipſo: Veritas autem iuſtitiæ, ſecundum quam aliquis rectitudinem legis in iudiciis quæ ſunt ad alterum ſeruat: & ſecundum hoc veritas iuſtitiæ non pertinet ad veritatem de qua nunc loquimur, ſicut nec veritas vitæ. *Alio modo* poteſt intelligi veritas iuſtitiæ, ſecundum quod aliquis ex iuſtitia veritatem manifeſtat. Puta cum aliquis in iudicio verum confitetur, aut verum teſtimonium dicit; & hæc veritas eſt quidam particularis actus iuſtitiæ, & non pertinet directè ad veritatem de qua nunc loquimur; quia ſcilicet in hac manifeſtatione veritatis, principaliter homo intendit ius ſuum alteri reddere, vnde Philoſophus in 4. Ethi. de hac veritate determinans dicit: *Non de veridico in confeßionibus dicimus, neque quæcunque ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam contendunt.* Veritas autem doctrinæ conſiſtit in quadam manifeſtatione verborum de quibus eſt ſcientia. Vnde nec iſta veritas directè pertinet ad hanc virtutem, vel veritatem: ſed ſolum veritas qua aliquis in vita & ſermone, talem ſe demonſtrat qualis eſt, & non alia quàm circa ſeipſum ſint, nec maiora, nec minora. Veruntamen quia moralia inquantum ſunt à nobis cognita, circa nos ſunt, & ad nos pertinent, ſecundum hoc veritas doctrinæ poteſt ad hanc virtutem pertinere, & quæcunque alia veritas qua quis manifeſtat verbo, vel facto, quod cognoſcit.

Triplex veritas à Hiero. inſinuata quarum nulla ad præſens ſpectat.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum veritatis virtus declinet in minus.* Dicendum, quod declinare in minus à veritate contingit dupliciter. *Vno modo* affirmando, puta cum aliquis non manifeſtat totum bonum quod in ipſo eſt, puta ſcientiam, vel ſanctitatem, vel aliquid huiuſmodi, quod ſit ſine præiudicio veritatis, quia in maiori eſt & minus, & ſecundum hoc hæc virtus declinat in minus. Hoc enim vt philoſophus dicit in 4. Ethic. videtur eſſe prudentius propter oneroſas ſuperabundantias, homines enim qui maiora de ſeipſis dicunt quam ſint, ſunt alijs oneroſi, quaſi excellere alios volentes. homines autem qui minuta de ſeipſis dicunt, gratioſi ſunt, quaſi aliis condeſcendentes per quandam moderationem. Vnde Apoſtolus dicit 2. Cor. 12. *Si voluero gloriari non ero inſipiens, veritatem enim dicam; parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* *Alio modo* poteſt aliquis declinare in minus negando, vt ſcilicet neget ſibi ineſſe quod ineſt; & ſic non pertinet ad hanc veritatem declinare in minus, quia per hoc incurreret falſum; & tamen hoc ipſum eſſet minus repugnans veritati, non quidem ſecundum rationem propriam veritatis, ſed ſecundum rationem prudentiæ, quã oportet ſaluari in omnibus virtutibus. magis enim repugnat prudentiæ (quia periculoſius eſt, & oneroſius aliis) quod aliquis æſtimet, vel iactet ſe habere quod non habet, quam quod exiſtimet, vel dicat ſe non habere quod habet.

Virtus veritatis declinat in minus tacendo quod quis habet, nõ negando.

Deinde conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis. Et primo de mendacio. Secundo de ſimulatione ſiue hypocriſi. Tertio de iactantia, & oppoſito vitio. Circa mendaciũ conſiderandũ eſt primo, vtrum mendacium

dacium ſemper opponatur veritati, quaſi ſcilicet continens falſitatem. Secundo de ſpeciebus mendacij. Tertio vtrum mendacium ſemper ſit peccatũ. Quarto vtrum ſit peccatum mortale. De hoc require infra 3. l. De ſimulatione ſiue hypocriſi. Similiter require infra 3. l.

De iactantia.

DISTINCTIO LXXVII.

DEinde conſiderandum eſt de iactantia, & ironia, quæ ſunt partes mendacij ſecundum philoſophum 4. Eth. De iactantia autem conſiderandum eſt. Primo cui virtuti opponatur. Secundo vtrum ſit peccatum mortale.

AD primum ſ. *vtrum iactantia opponatur virtuti veritatis* dicendũ iactãtia propriè importare videtur, quod homo verbis ſe extollat, illa enim quæ homo vult lõgè iactare, in altum eleuat. Tũc autem propriè aliquis ſe extollit, quando de ſe aliquid ſupra ſe dicit. Quod quidem contingit dupliciter. *Vno modo* quando aliquis loquitur de ſe, nõ quidem ſupra id quod in ſe eſt, ſed ſupra id quod de eo omnes opinantur. Quod apoſtolus refugiens dicit 2. Cor. 12. *Parco autem ne quis exiſtimet me ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* *Alio modo* aliquis per verba ſe extollit, loquẽs de ſe, ſupra id quod eſt in ſe, ſecundum rei veritatem: & quia magis eſt aliquid iudicandum ſecundum id quod in ſe eſt, quã ſecundũ quod eſt in opinione aliorũ: Inde eſt, quod magis proprie dicitur iactantia, quando aliquis effert ſe ſupra id quod in ſeipſo eſt, quã quando effert ſupra id quod eſt in opinione aliorum, quamuis vtroq; modo iactantia dici poſſit. Et ideo iactantia propriè dicta opponitur veritati per modum exceſſus.

Iactantia proprie eſt quando quis ſe effert ſupra id quod eſt in ſe, & ideo opponitur veritati per modum exceſſus.

SCIENDVM tamen, quod peccatum iactãtiæ poteſt conſiderari dupliciter. *Vno modo* ſecundum ſpeciem actus, & ſic opponitur veritati per modum exceſſus: vt dictum eſt. *Alio modo* ſecũdũ cauſam ſuam, ex qua etſi non ſemper, tamen frequentius accidit: & ſic procedit quidem ex ſuperbia: ſicut ex cauſa interius motiua & impellente. Ex hoc enim quod aliquis interius per arrogantiã ſupra ſeipſum eleuatur: ſequitur plerumque quod exterius maiora quædam de ſe iactet: licet quãdoque non ex arrogantia, ſed ex quadam vanitate, aliquis ad iactantiã procedat, & in hoc delectetur, quia talis eſt ſecundum habitũ. Et ideo arrogantia per quã aliquis ſupra ſeipſum extollitur, eſt ſuperbiæ ſpecies: non tamen eſt idem iactantiæ, ſed vt frequentius eius cauſa. Et propter hoc Greg. ponit iactantiam ſuperbię ſpeciem. Tendit autem iactator plerũque ad hoc, quod gloriã conſequatur per ſuam iactãtiã. Et ideo ſecundũ Greg. Ex inani gloria oritur ſecundum rationem finis.

Iactantia oritur plerũque ex arrogantia.

AD ſecundum, ſ. *vtrum iactantia ſit peccatum mortale.* Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, peccatũ mortale eſt, quod charitati contrariatur. Dupliciter ergo iactantia conſiderari poteſt. *Vno modo* ſecundũſe prout eſt mendacium quoddam, & ſic quãdoque eſt peccatum mortale: quandoque veniale. Mortale quidẽ, quãdo quis iactanter de ſe profert quod eſt contra gloriã Dei: ſicut ex perſona regis Tyri dicitur Ezec. 28. *Eleuatum eſt cor tuum & dixiſti Deus ego ſum.* Vel etiam contra charitatem proximi: ſicut cum aliquis iactando ſeipſum, prorumpit in contumelias aliorum: ſicut habetur Lucæ. 18. de phariſæo qui dicebat: *non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Quandoque vero eſt peccatum veniale, quãdo, ſcilicet aliquis de ſe talia iactat, quæ neque ſunt cõtra Deum, neque contra proximum. *Alio modo* poteſt cõſiderari ſecundum cauſam ſuam, ſcilicet ſuperbiã, vel appetitum lucri, aut inanis glorię: & ſic ſi procedat ex ſuperbia, vel inani gloria, quæ ſit peccatum mortale, etiam ipſa iactantia erit peccatum mortale, alioquin erit peccatum veniale. Sed quandoque aliquis prorũpit in iactantiam, propter appetitum lucri: & hoc modo videtur pertinere ad proximi deceptionem vel dãnum. Et ideo talis iactantia eſt maius peccatum mortale. Vnde, & Philoſophus dicit in 4. ethi. quod *turpior eſt qui ſe iactat cauſa lucri: quàm qui ſe iactat cauſa gloriæ vel honoris:* non tamen ſemper eſt peccatum mortale, quia poteſt eſſe tale lucrum, ex quo alius non damnificatur

Quando iactantia ſit mortalis.

De Ironia.

DEINDE conſiderandum eſt de Ironia. Et primũ vtrum ironia ſit peccatum. Secundo vtrum ſit maius peccatum quam iactantia.

AD primum, ſ. *vtrum Ironia ſit peccatum.* Dicendum quod ad hoc quod aliqui minora de ſe dicant, poteſt contingere dupliciter. *Vno modo* ſalua veritate: dum ſ. maiora quæ ſunt in ſeipſis reticent: quædam vero minora detegũt & de ſe proferunt, quæ tamen in ſe eſſe recognoſcunt. Et ſic minora de ſe dicere non pertinet ad Ironiam: nec eſt peccatum ſecundum ſuum genus, niſi per alicuius circunſtantiæ corruptionẽ. *Alio modo* aliquis dicit minora, à veritate declinans: puta cũ aſſerit de ſe aliquid vile, quod in ſe non recognoſcit: aut cum negat de ſe aliquid magnum, quod tamen percipit in ſeipſo eſſe: & ſic pertinet ad Ironiam: & eſt ſemper peccatum.

Ironia eſt cum quis dicat aliquid vile de ſe, quod in ſe non recognoſcit, vel negat aliquid boni quod in ſe cognoſcat & ſic ſemper eſt peccatum.

AD ſecundum, ſ. *de comparatione Ironiæ ad Iactantiam.* Dicendum quod vnum mendacium eſt grauius altero: quandoque quidem ex materia: ſicut mendacium quod fit in doctrina religionis eſt grauiſſimũ: quandoque autem ex motiuo ad peccandum: ſicut mendaciũ pernicioſum, eſt grauius quam officioſum, vel iocoſum. Ironia autem & iactantia circa idem mentiuntur vel verbis vel factis, vel quibuſcunque exterioribus ſignis, ſcilicet circa conditionem perſonæ. Vnde quantum ad hoc æqualia ſunt. Sed vt plurimum iactantia ex turpiori motiuo procedit, ſcilicet ex appetitu lucri, vel honoris. Ironia vero ex hoc quod fugit (licet inordinate) per elationem aliis grauis eſſe; & ſecundũ hoc Phil. dicit, quod iactantia eſt gtauius peccatum quam Ironia. Contingit tamen quandoque quod aliquis minora de ſe fingit, ex aliquo alio motiuo: puta ad doloſè decipiendum: & tunc Ironia eſt grauior.

Ironia ſecũdum ſeſe leuius peccatũ quam iactãtia.

De hac plura require infra inter gradus ſuperbiæ libro tertio.

De Affabilitate.

DEINDE conſiderandum eſt de amicitia, quæ affabilitas dicitur: & de vitijs oppoſitis, quæ ſunt adulatio & litigium. Circa amicitiam ſeu affabilitatem Primo conſiderandum eſt, vtrum ſit ſpecialis virtus. Secundo vtrum ſit pars iuſtitiæ.

AD primum ſ. *vtrum amicitia ſit ſpecialis virtus.* Dicendum quod ſicut dictum eſt: cum virtus ordinetur ad bonum, vbi occurrit ſpecialis ratio boni, ibi oportet eſſe ſpecialem rationem virtutis: bonum autem in ordine conſiſtit, ſicut ſupra dictum eſt. Oportet autem hominem conuenienter ad alios ordinari in communi conuerſatione, tam in factis, quàm in dictis, vt ſcilicet ad vnumquenque ſe habeat ſecundum quod decet. Et ideo oportet eſſe ſpecialem quandam virtutem, quæ hanc conuenientiam ordinis obſeruet: & hæc vocatur amicitia ſeu affabilitas.

Amicitia ſeu affabilitas eſt virtus Solutio obiect.

SCIENDVM autem quòd Philoſophus in 8. ethi. de duplici amicitia loquitur: quarum vna conſiſtit principaliter in affectu, quo vnus alium diligit: & hæc poteſt conſequi quamcunque virtutem. Quæ autem ad hanc amicitiam pertinent, ſupra de charitate dicta ſunt. Aliam vero amicitiam ponit quæ conſiſtit in ſolis exterioribus verbis, vel factis: quæ quidem non habet perfectam rationem amicitiæ, ſed quandam eius ſimilitudinem, inquantum ſcilicet quis decenter ſe habet ad illos cum quibus conuerſatur.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum amicitia ſit pars iuſtitiæ.* Dicendum quod hæc virtus eſt pars iuſtitiæ, in-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quantum ei adiungitur ſicut principali virtuti. Conuenit enim cum iuſtitia in hoc quod ad alterum eſt: ſicut etiam iuſtitia. Deficit autem à ratione iuſtitiæ: quia non habet plenam debiti rationem, prout aliquis alteri obligatur, vel debito legali, ad cuius ſolutionem lex cogit, vel etiam aliquo debito proueniente ex aliquo beneficio ſuſcepto: ſed ſolum attẽdit quoddam debitum honeſtatis quod magis eſt ex parte ipſius virtuoſi, quam ex parte alterius; vt ſcilicet faciat alteri quod decet eum facere.

Amicitia eſt pars potentialis iuſtitia.

Solutio obiect.

QVIA autẽ homo eſt naturaliter animal ſociale, debet ex quadã honeſtate, veritatis manifeſtationẽ alijs hominibus: ſine qua ſocietas hominum durare non poſſet. Sicut autem non poſſet viuere homo in ſocietate, ſine veritate: ita nec ſine delectatione: quia ſicut Philoſophus dicit in 8. ethi. *Nullus poteſt perfecte morari cum triſti, neque cum non delectabili*: & ideo homo tenetur ex quodam debito honeſtatis naturalis, vt ipſe aliis delectabiliter conuiuat: niſi propter aliquam cauſam neceſſe ſit alios vtiliter aliquando contriſtare.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis. Et primo de adulatione. Secundo de litigio. De adulatione videndum eſt primo, vtrum ſit peccatum. Secundo vtrum ſit peccatum mortale. De his omnibus require infra libro tertio. Deinde conſiderandum eſt de litigio. Et primo vtrum opponatur virtuti amicitiæ. Secundo de comparatione eius ad adulationem. De his omnibus require infra libro tertio.

De liberalitate.

DISTINCTIO LXXVIII.

DEINDE conſiderandum eſt de liberalitate & vitiis oppoſitis ſcilicet auaritia & prodigalitate. Circa liberalitatem conſiderandum eſt primo, vtrum ſit virtus. Secundo de materia eius. Tertio de actu ipſius. Quarto vtrum ad eam magis dare quàm accipere pertineat. Quinto vtrum liberalitas ſit pars iuſtitiæ. Sexto de comparatione eius ad alias virtutes.

AD primum, ſcilicet *vtrum liberalitas ſit virtus*. Dicendum, quod ſicut Augu. dicit in libro de libero arbitrio: *Bene vti his quibus male vti poſſumus, pertinet ad virtutem*. Poſſumus autem bene & male vti non ſolum his quæ intra nos ſunt, ſcilicet potentijs, & paſſionibus animæ; ſed etiam his quæ extra nos ſunt, ſcilicet rebus huius mundi, conceſſis nobis ad ſuſtentationem vitæ. Et ideo cum bene vti his rebus pertineat ad liberalitatem, conſequens eſt, quod liberalitas ſit virtus.

Liberalitas eſt virtus.

Solutio obiectionum.

SICVT enim dicunt Ambroſius, & Baſilius, ſuperabundantia diuitiarum datur aliquibus à Deo, vt meritum bonæ diſpenſationis acquirant, pauca autem vni ſufficiunt. Et ideo liberalis, plura laudabiliter in alios expendit, quàm in ſeipſum. Debet autem homo ſemper ſibiipſi magis prouidere in ſpiritualibus bonis, in quibus vnuſquiſque ſibi præcipuè ſubuenire poteſt. Et tamen in temporalibus rebus, non pertinet ad liberalem vt ſic alijs intendat, quod omnino ſe, & ſuos deſpiciat. Vnde Ambroſius dicit in primo de officijs. *Eſt illa probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi ægere cognoſcas.*

AD liberalem etiam non pertinet ſic diuitias emittere, vt non ſibi remaneat vnde ſuſtentetur, & vnde virtutis opera exequatur, quibus ad felicitatem peruenitur, vnde Philoſophus dicit in 4. ethi. quod *liberalis curat propria, volens per hoc quibuſdam ſufficere*. Et Ambroſius dicit in libro de officijs, quod *dominus non vult ſimul effundi opes ſed diſpenſari*. Niſi forte vt Helyſeus, qui boues ſuos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura tenetur domeſtica, quod pertiuet ad ſtatum perfectionis ſpiritualis vitæ, de quo infra dicetur. Et tamen ſciendum eſt, quod hoc ipſum quod eſt ſua liberaliter largiri, inquantum eſt actus, virtutis ad beatitudinem ordinatur.

ITEM ſciendum, quod ſicut Philoſophus dicit in 3. Ethi. *illi qui conſumunt multa per intemperantias non ſunt liberales ſed prodigi*. & ſimiliter quicunque effundit quæ habet propter quæcunque alia peccata. Vnde Ambro. dicit in primo de officijs. *Si adiuues eum qui poſſeſſiones aliorum eripere conatur, non probatur largitas. Nec illa perfecta eſt liberalitas ſi iactantiæ cauſa magis quam miſericordiæ, largiaris*. Et ideo illi qui carent alijs virtutibus licet in aliqua opera multa expendant, non ſunt liberales. Nihil etiam prohibet ali quos multa in bonos vſus expendentes, habitum liberalitatis non habere: ſicut & aliarum virtutum opera faciunt homines antequam virtutis habitum habeant, licet non eo modo quo virtuoſi, vt ſupra dictum eſt. Similiter etiam nihil prohibet aliquos virtuoſos, licet ſint pauperes, eſſe liberales. Vnde Philoſophus dicit in 4. Ethi. *ſecundum ſubſtantiam*, ideſt facultatem diuitiarum, *liberalitas non dicitur, non enim conſiſtit in multitudine datorum: ſed in dãtis habitu*. Et Ambroſius dicit in 1. de officijs: quod *affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit*.

Qui carent alijs virtutibus non ſunt liberales, imo poteſt quis multa in bonos vſus expendere, ſine habitu liberalitatis.

AD ſecundum, ſcilicet *de materia liberalitatis*. Dicendum, quod ſecundum Philoſophum in 4. Ethi. *Liberalis non eſt acceptiuus pecuniæ, nec cuſtoditiuus, ſed emiſſiuus*. Vnde & alio nomine liberalitas largitas nominatur: quia quod largum eſt, non eſt retentiuum, ſed eſt emiſſiuum, & ad hoc idem pertinere videtur etiam liberalitatis nomen. Cum enim aliquis à ſe emittit, quodammodo illud à ſua cuſtodia & dominio liberat, & animum ſuum ab eius affectu liberum eſſe oſtendit. Ea vero quæ emittenda ſunt ab vno homine in alium, ſunt bona poſſeſſa, quæ nomine pecuniæ ſignificantur. Et ideo propria materia liberalitatis eſt pecunia.

Liberalitas vnde dicta

QVIA tamen ſicut dictum eſt liberalitas non attẽditur in quantitate dati; ſed in affectu dantis: affectus autẽ dantis diſponitur ſecundum paſſiones amoris, & concupiſcentiæ, Et per conſequens delectationis, & triſtitiæ, ad ea quæ dantur: ideo immediata materia liberalitatis, ſunt interiores paſſiones: ſed pecunia exterior, eſt obiectum ipſarum paſſionum.

Propria materia liberalitatis eſt pecunia, immediata vero paſſiones.

AD tertium, ſcilicet *vtrum vti pecunia ſit actus liberalitatis*. Dicendum, quod ſpecies actus ſumitur ex obiecto vt ſupra habitum eſt. Obiectum autem ſiue materia liberalitatis eſt pecunia, & quicquid pecunia menſurari poteſt, vt dictum eſt. Et quia quælibet virtus conuenienter ſe habet ad ſuum obiectum, conſequens eſt vt cum liberalitas ſit virtus, actus eius ſit proportionatus pecuniæ: pecunia autem cadit ſub ratione bonorum vtilium: quia omnia exteriora bona ad vſum hominis ſunt ordinata. Et ideo actus propriùs liberalitatis, eſt pecunia vel diuitiis vti.

Solutio obiect.

SCIENDVM ergo quod ad liberalitatem pertinet, bene vti diuitiis in quantum huiuſmodi, eo quod diuitiæ ſunt propria materia liberalitatis. Ad iuſtitiam autem pertinet vti diuitijs, ſecundum aliam rationem, ſcilicet ſecundum rationem debiti, prout ſcilicet res exterior debetur alteri. Ad magnificẽtiam autem pertinet vti diuitijs, ſecundum quandam ſpiritualem rationem, ideſt ſecundum quod aſſumuntur in alicuius magni operis expletionem: vnde & magnificẽtia quodammodo ſe habet ex additione ad liberalitatem, vt infra dicetur.

Actus proprius liberalitatis eſt diuitijs vti.

Solutio obiect.

Iuſtitia & magnificentia, alia ratione vtuntur diuitijs quam liberalitas.

ITEM ſicut dictum eſt propinqua materia liberalitatis, ſunt interiores paſſiones, ſecundum quas homo afficitur circa pecuniam. Et ideo ad liberalitatem præcipuè pertinet, vt homo propter inordinatam affectionem ad pecuniam, non prohibeatur à quocunque debito vſu eius. Eſt autem duplex vſus pecuniæ. Vnus ad ſeipſum, qui videtur ad ſumptus, vel expenſas pertinere. Alius autem quo quis vtitur ad alios, quod pertinet ad dationes. Et ideo ad liberalitatẽ pertinet, vt neq; propter immoderatum amorem pecuniæ, aliquis impediatur à conuenientibus expenſis, neque à conuenienti-

Duplex vſus pecuniæ.

uenientibus dationibus. Vnde circa dationes, & ſumptus, liberalitas conſiſtit, ſecundum Philoſophum in 4. Ethi. Verbum autem Senecæ in 5. de beneficiis, intelligendum eſt de liberalitate, ſecundum quod ſe habet ad dationes. Non enim dicitur aliquis liberalis, ex hoc quod ſibi aliquid donat.

Ad liberalē magis pertinet dare quā accipere vel circa ſeipſum expendere.

Ad quartum, ſ. *vtrum ad liberalem magis pertineat dare quam accipere.* Dicēdum quod proprium eſt liberalis vti pecunia, vſus autem pecuniæ eſt in emiſſione ipſius; nam acquiſitio pecuniæ, magis aſſimilatur generationi quam vſui; cuſtodia vero pecuniæ, in quantum ordinatur ad facultatē vtendi, aſſimilatur habitui. Emiſſio autem alicuius rei, quanto fit ad aliquid diſtantius, tanto à maiori virtute procedit: ſicut patet in his quæ proijciuntur. Et ideo ex maiori virtute procedit, quod aliquis emittat pecuniam dando eam alijs, quam expendendo eam circa ſeipſum. Proprium eſt autem virtutis, vt præcipuè tendat in id quod perfectius eſt. Nā virtus eſt perfectio quædā, vt dicitur in 7. Phi. Et ideo liberalis maximè laudatur ex datione.

Cvm autem liberalitas à prudentia dirigatur, ſicut etiam quælibet alia virtus moralis, ad prudentiam pertinet cuſtodire pecuniam ne ſurripiatur, aut inutiliter expendatur. Sed vtiliter eam expendere, non eſt minoris prudentiæ, quàm vtiliter eam conſeruare, ſed maioris: quia plura ſunt attendenda circa vſum rei, qui aſſimilatur motui; quàm circa conſeruationem, quæ aſſimilatur quieti. Quod autem illi, qui ſuſceperunt pecunias ab alijs acquiſitas, liberalius expendūt, quaſi exiſtentes inopiæ inexperti, ſi propter ſolum hanc inexperientiam liberaliter expenderent, non haberent liberalitatis virtutem: ſed quandoque huiuſmodi inexperientia ſe habet ſolum, ſicut tollens impedimentum liberalitatis, ita quod promptius liberaliter agant. timor enim inopiæ ex eius experientia procedens, impedit quandoque eos qui acquiſierunt pecuniam, ne eam conſumant liberaliter agendo. Et ſimiliter amor quo eam amant tauquam proprium effectum, vt Philoſophus dicit in 4. Ethi.

Ad quintum, ſ. *vtrum liberalitas ſit pars iuſtitiæ.* Dicendum, quod liberalitas non eſt ſpecies iuſtitiæ: quia iuſtitia exhibet alteri quod eius eſt, liberalitas autem exhibet id quod eſt ſuum. Habet tamen quandam cōuenientiam cum iuſtitia in duobus. Primo quidem, quia principaliter eſt ad alterum, ſicut & iuſtitia. Secundo, quia eſt circa res exteriores, ſicut & iuſtitia, licet ſecundum aliam rationem, vt dictum eſt. Et ideo liberalitas à quibuſdam ponitur pars iuſtitiæ, ſicut virtus ei annexa vt principali.

Liberalitas eſt pars potētialis iuſtitiæ

Ad ſextum, ſ. *de comparatione liberalitatis ad alias virtutes.* Dicendum quod quælibet virtus tendit in aliquod bonū. Vnde quāto aliqua virtus in melius bonū tēdit, tanto melior eſt: liberalitas autem tendit in aliquod bonum dupliciter. Vno modo primo & per ſe. Alio modo ex conſequenti. Primo quidem & per ſe tendit, ad ordinandum propriam affectionem circa poſſeſſionem pecuniarum in vſum: & ſic ſecundum hoc præfertur liberalitati & temperantiæ, quæ moderatur concupiſcentias & delectationes pertinentes ad proprium corpus, & fortitudo & iuſtitia, quæ ordinātur quodammodo in bonum commune, vna tempore pacis, alia tempore belli: & omnibus præferuntur virtutes quæ ordinant in bonum diuinum. Nam bonum diuinum præeminet cuilibet bono humano, & in bonis humanis, bonum publicum præeminet bono priuato, in quibus bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum. Alio modo ordinatur liberalitas ad aliquod bonum ex conſequenti: & ſecundum hoc liberalitas ordinatur in omnia bona prædicta. Ex hoc enim quod homo non eſt amatiuus pecuniæ, ſequitur quod de facili vtatur ea, & ad ſeipſum, & ad vtilitatem aliorum, & ad honorem Dei: & ſecundum hoc habet quandam excellentiam, ex hoc quod vtilis eſt ad multa. Et quia vnumquodque magis iudicatur per illud quod primo & per ſe competit ei, quam ſecundum id quod conſequenter ſe habet; ideo dicendum eſt, liberalitatē non eſſe maximam virtutum. *De virtus oppoſitis, ſcilicet auaritia, & prodigalitate. Require infra li. 3.*

Liberalitas ex conſequēti habet quādam præeminentiam inter virtutes, per ſe tamen cedit & temperantiæ, & fortitudini & iuſtitiæ &c.

De Epijkya.

Deinde conſiderandum eſt de epijkya, & primo vtrum ſit virtus. Secundo vtrum ſit pars iuſtitiæ.

Ad primum ſ. *vtrum epijkya ſit virtus*: conſiderandū quod quia actus humani de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. ſed legiſlatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum hoc legem ferentes: quam tamen in aliquibus caſibus ſeruare, eſt contra æqualitatem iuſtitię, & contra bonum commune, quod lex intendit. ſicut lex inſtituit quod depoſita reddantur, quia hoc vt in pluribus iuſtum eſt: contingit tamen aliquando eſſe nociuum, puta ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat dum eſt in furia, vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad patriæ impugnationem. In his enim & ſimilibus caſibus, malum eſſet ſequi legem poſitam: bonum autem eſt, prætermiſſis verbis legis, ſequi id quod poſcit iuſtitiæ ratio, & communis vtilitas; & ad hoc ordinatur ad epijkyam, quæ apud nos dicitur æquitas. Vnde patet quod epijkya eſt virtus.

Epijkya eſt virtus.

Epiikya enim non aufert iuſtum ſimpliciter, ſed iuſtum quod eſt lege determinatum: neque etiam opponitur ſeueritati, quæ ſequitur veritatem legis in quibus oportet, ſequi autem verba legis in quibus non oportet, vitioſum eſt. vnde dicitur in codice de legibus & conſtitutionibus principum: *non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem.*

Ad ſecundum, ſ. *vtrum epijkya ſit pars iuſtitiæ.* Dicēdum quod ſicut ſupra dictum eſt: virtus aliqua habet triplicem partem ſubiectiuam, integralem & potentialem. Pars autem ſubiectiua eſt, de qua eſſentialiter prædicatur totum, & eſt in minus. Quod quidem cōtingit dupliciter. Quandoque enim aliquid prędicatur de pluribus ſecundum vnam rationem, ſicut animal de equo, & boue. quandoque autem prædicatur ſecundum prius, & poſterius, ſicut ens prędicatur de ſubſtātia, & accidente. Epijkya ergo eſt pars iuſtitiæ communiter dictæ, tanquam iuſtitia quædam exiſtens, vt dicit Phil. in 5. Ethi. Vnde patet quod epijkya eſt pars iuſtitiæ ſubiectiua, & de ea iuſtitia per prius dicitur, quam de legali: nam legalis iuſtitia dirigitur ſecundū epijkyam. Vnde epijkya eſt quaſi ſuperior regula humanorum actuum.

Epijkya eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ, & nobilior legali.

De præceptis iuſtitiæ.

DISTINCTIO LXXIX.

Deinde conſiderandum eſt de præceptis iuſtitię. Et circa hoc cōſideranda ſunt ſex. Primo vtrum præcepta decalogi ſint præcepta iuſtitiæ. Secundo de primo præcepto decalogi. Tertio ſe ſecundo. Quarto de tertio. Quinto de quarto. Sexto de aliis ſex. Ad primum, ſcilicet *vtrum præcepta decalogi ſint præcepta iuſtitiæ*. Dicendum quod præcepta decalogi ſunt prima præcepta legis, & quibus ſtatim ratio naturalis aſſentit ſicut manifeſtiſſimis. Manifeſtiſſimè autem ratio debiti, quæ requiritur ad præceptum, apparet in iuſtitia, quæ eſt ad alterum: quia in his quæ ſpectant ad ſeipſum, videtur primo aſpectu quod homo ſit ſui dominus, & qnòd liceat ei facere quodlibet. Sed in his quæ ſunt ad alterum, manifeſte apparet quod homo eſt alteri obligatus, ad reddendum ei id quod debet ei. Et ideo præcēpta decalogi oportuit ad iuſtitiam pertinere. Vnde tria præcepta prima ſunt de actibus religionis, quæ eſt potiſſima pars iuſtitiæ. Quartum autem præceptum eſt de actu pietatis, quæ eſt pars iuſtitiæ ſecunda. Alia vero ſex dantur de actibus iuſtitiæ

Præcepta decalogi ſunt præcepta iuſtitiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

communiter dictæ,quæ inter æquales attenditur.

AD ſecundum,ſ.*de primo præcepto decalogi*.Dicendum quod ad legem pertinet facere homines bonos , & ideo oportet prima præcepta legis ordinari ſecundum ordinem generationis,qua ſ.fit homo bonus. In ordine autem generationis,duo ſunt attendenda:quorum primum eſt:quod prima pars primo conſtituitur:ſicut in generatione animalis,primo generatur cor:& in domo fit primo fundamentum . In bonitate autem animæ,prima pars eſt bonitas voluntatis , ex qua aliquis homo bene vtitur qualibet alia bonitate. Bonitas autem voluntatis attenditur ad obiectum ſuum , quod eſt finis. Et ideo in eo qui erat per legem inſtituendus ad virtutem,primo oportuit iacere quoddam fundamentum religionis,per quam homo debite ordinatur in Deum,qui eſt vltimus finis humanæ voluntatis.Secundo attendendum eſt in ordine generationis , quod primo contraria & impedimenta tolluntur : ſicut agricola primo purgat agrum, poſtea proijcit ſemina, ſecundum illud Hiere.4. *Nouate vobis nouale, & nolite ſeminare inter ſpinas,& tribulos*.Et ideo circa religionem primo erat homo inſtituendus, vt impedimenta veræ religionis excluderet . Præcipuum autem religionis impedimentum eſt,quod homo falſo Deo inhæreat, ſecundum illud Matth. 7. *Non poteſtis ſeruire Deo & mammonæ*.Et ideo in primo præcepto legis excluditur cultus falſorum Deorum.

Primũ præceptum decalogi apte ponitur primo loco.

Solutio obiect.

CVLTVS autem alienorum Deorum dupliciter apud antiquos obſeruabatur . Quidam enim quaſdam creaturas pro Dijs colebant,abſque inſtitutione imaginum.Vnde Varro dicit,quod antiqui Romani diu ſine ſimulachris Deos coluerunt.Et hic cultus prohibetur primo,cum dicitur:*Non habebis Deos alienos*. Erat autem apud alios cultus falſorum Deorum ſub quibuſdam imaginibus . Et ideo opportune prohibetur ipſarũ imaginũ inſtitutio,cũ dicitur:*Nõ facies tibi ſculptile*.Et imaginũ ipſarũ cultus,cũ dicitur. *Nõ coles ea &c*.

AD tertium,ſ.*de ſecundo præcepto decalogi*, quodeſt, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Sciendum quod oportet prius impedimenta veræ religionis excludere, in eo qui inſtituitur ad virtutem , quam eum in vera religione fundare. Opponitur autem veræ religioni aliquid dupliciter. Vno modo per exceſſum , quando ſcilicet id quod eſt religionis , alteri indebite exhibetur,quod pertinet ad ſuperſtitionem. Alio modo quaſi per defectum reuerentiæ,cum ſcilicet Deus contẽnitur,quod pertinet ad vitium irreligioſitatis, vt ſupra habitum eſt. Superſtitio autem impedit religionem, quantum ad hoc,ne ſuſcipiatur Deus ad colendum. Ille autem cuius animus implicatus eſt indebito cultu non poteſt ſimul debitum Dei cultum ſuſcipere , ſecundum illud Iſa.23. *Anguſtatum eſt ſtratum vt alter decidat*.ſcilicet Deus verus & falſus in corde hominis: *& pallium breue vtrumque operire non poteſt*. Per irreligioſitatem autem impeditur religio,quantum ad hoc,ne Deus poſtquam ſuſceptus eſt,honoretur.Prius autem eſt Deum ſuſcipere ad colendum, quam eum ſuſceptum honorare.Et ideo prætermittitur præceptum in quo prohibetur ſuperſtitio. Secundo præcepto quo prohibetur periurium ad irreligioſitatem pertinens.

Secundum præceptum recte ſequitur ad primum.

AD quartum,ſcilicet *de tertio præcepto*,quod eſt:*Memento vt diem Sabbati ſanctifices*.Sciendum quod remotis impedimentis veræ religionis per primum præceptum & ſecundum decalogi,vt ſupra dictum eſt,conſequens fuit vt tertium præceptũ poneretur,per quod homines in vera religione fundarentur . Ad religionẽ autem pertinet cultum Deo exhibere. Sicut autem in ſcriptura diuina myſteria traduntur nobis,ſub aliquibus corporalium rerum ſimilitudinibus,ita cultus exterior Deo exhibetur,per aliquod ſenſibile ſignum.Et quia ad interiorem cultum qui conſiſtit in oratione & deuotione,magis inducitur homo ex interiori ſpiritus ſancti inſtinctu,præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu,ſecundum aliquod ſenſibile ſignum. Et quia præcepta decalogi ſunt quaſi quędam prima & communia principia,vel præcepta legis, ideo in tertio præcepto decalogi præcipitur exterior Dei cultus ſub ligno communis beneficij,quod pertinet ad omnes, ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, à quo requieuiſſe dominus dicitur ſeptima die. In cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda,ideſt deputanda ad vacandum Deo.Et ideo Exo.20.pręmiſſo præcepto de ſanctificatione Sabbati aſſignatur ratio, quia ſex diebus fecit Deus cœlum & terram, & in die ſeptimo requieuit.

Cur ſabbathum fuit diuino cultui dicatum.

SCIENDVM autem quod præceptum de ſanctificatione Sabbati literaliter intellectum,eſt partim morale,partim autem cerimoniale.*Morale quidem* quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum diuinis.Ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod quilibet rei neceſſe deputetur aliquod tempus,ſicut corporali refectioni,ſomno,& aliis huiuſmodi. Vnde etiam ſpirituali refectioni qua mens hominis in Deo reficitur ſecundum dictamen naturalis rationis,aliquod tempus deputatur homini: & ſic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis,cadit ſub præcepto morali. Sed inquantum in hoc pręcepto determinatur ſpirituale tempus in ſignum creationis mundi, ſic eſt præceptum cerimoniale.*Similiter etiam* cerimoniale eſt , ſecundum allegoricam ſignificationem,prout fuit figura quietis Chriſti in ſepulchro,quę fuit ſeptima die, & ſimiliter ſecundum moralem ſignificationem, prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo,& ſecundum hoc quodammodo eſt præceptũ generale.*Similiter etiam* cerimoniale eſt ſecundum ſignificationem anagogicam, prout ſcilicet præfigurat quietem fruitionis Dei,quæ erit in patria. Vnde præceptum de ſanctificatione Sabbati,ponitur inter præcepta decalogi inquantum eſt pręceptum morale, nõ inquantum eſt cerimoniale.

Solutio obiect.

Tertiũ præceptũ eſt partim morale partim ceremoniale.

ITEM ſciendum,quod in obſeruatione Sabbati duo ſunt conſideranda.Quorum vnum eſt ſicut finis , & hoc eſt quod homo vacet rebus diuinis , quod ſignificatur in hoc quod dicit, *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*.Illa autẽ ſanctificari dicuntur in lege, quæ diuino cultui applicantur. Aliud eſt autẽ ceſſatio operũ, quæ ſignificatur cum dicitur,*Septima die domini Dei tui, non facies omne opus*.Sed de quo opere intelligatur apparet per id quod exponitur Leui.33. *Omne opus ſeruile non facietis in eo*. Opus autem ſeruile dicitur à ſeruitute. Eſt autem triplex ſeruitus. Vna quidem qua homo ſeruit peccato.Iuxta illud: *Qui facit peccatum , ſeruus eſt peccati* , & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſeruile.*Alia ſeruitus* eſt qua homo ſeruit homini . Eſt autem homo alterius ſeruus, non ſecundum mentẽ, ſed ſecundum corpus,vt ſupra habitum eſt.Et ideo opera ſeruilia ſecundum hoc dicuntur opera corporalia,in quibus vnus homo alteri ſeruit . *Tertia autem* eſt ſeruitus Dei, & ſecundum hoc opus ſeruile poſſet dici opus latriæ,quod pertinet ad Dei ſeruitium. Si autem ſic intelligatur opus ſeruile non prohibetur in die Sabbati,quia hoc eſſet contrarium fini obſeruationis Sabbati.Homo enim ad hoc ab alijs operibus abſtinet in die Sabbati, vt vacet operibus ad Dei ſeruitutem pertinentibus.Et inde eſt quod dicitur Io.7. *Circumciſionem homo accipit in Sabbato , vt non ſoluatur lex Moyſi*. Inde etiam eſt quod ſicut dicitur Matth. 12. *Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant*, ideſt corporaliter in Sabboto operantur,& ſine crimine ſunt. Et ſic etiã Sacerdotes in Sabbato circumferentes arcam,nõ trãgrediebantur præceptum de obſeruatione Sabbati; ſimiliter etiam nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſeruantiam Sabbati , Puta ſi quis doceat verbo vel ſcripto . vnde Numeri 28. dicit gloſſa quod *faber & huiuſmodi artifices ociantur in die ſabbati.Lector autem diuinæ legis,vel doctor , ab opere ſuo non deſinit,nec tamen contaminatur ſabbatum:ſicut ſacerdotes in templo ſabbatum violant , & ſine crimine ſunt* . Sed alia opera ſeruilia , quæ dicuntur ſeruilia primo

Seruitus triplex.

Quodnam opus ſeruile in die ſabbathi prohibitum.

vel

Qui facit opus peccati mortalis in ſabbatho magis peccat quam qui exercet opus ſeruile licitum.

vel ſecundo modo, contrariantur obſeruantiæ ſabbati, inquantum impediunt applicationem hominis ad diuina. Et quia magis impeditur homo à rebus diuinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamuis ſit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die feſto, quam qui aliquod corporale opus licitum facit. Vnde Aug. dicit in lib. de decem chordis. *Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquid vtile, quã ſi in theatro ſeditioſus exiſteret: & melius fœminæ eorum die ſabbati lanam facerent, quam tota die in neomenijs ſuis impudice ſaltarent.* Non enim qui peccat venialiter in ſabbato contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit ſanctitatem. Opera enim corporalia ad ſpiritualem cultum non pertinentia intantum ſeruilia dicuntur, inquãtũ proprie pertinent ad ſeruiẽtes: inquãtũ vero ſunt communia tam ſeruis quam liberis, ſeruilia non dicuntur. Quilibet autem tam ſeruus, quam liber, tenetur in neceſſarijs prouidere, non tantum ſibi, ſed etiam proximo; præcipuè quidem in his, quæ ad ſalutem corporis pertinent, ſecundum illud Prouer. 13. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Secundario in damno rerum vitando: ſecundum illud Deutero. 22. *Non videbis ouem & bouem fratris tui errantem & præteribis, ſed reduces fratri tuo.* Et ideo opus corporale pertinens ad conſeruandam ſalutem proprij corporis non violat ſabbatum. Non enim eſt contra obſeruantiam ſabbati, quod aliquis comedat, & alia huiuſmodi faciat, quibus ſalus corporis conſeruatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt ſabbatum, pugnantes ad ſui defenſionem die ſabbati, vt legitur 1. Mach. 2. Similiter nec Helyas etiam, fugiens à facie Iezabel in die ſabbati. Et propter hoc etiam dominus Matth. 12. Excuſat diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas in die ſabbati; propter neceſſitatem quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non eſt contra obſeruantiam ſabbati. Vnde Dominus dicit Iob. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem ſaluum feci in ſabbato.* Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat ſabbatum. Vnde Dominus dicit Matth. 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habet vnam ouem, & ceciderit in ſabbato in foueã, nonne tenebit, & releuabit eam.*

Non eſt tam arcta prohibitio operãdi in die dominica ac fuit in die ſabbathi.

ITEM nota quod obſeruatio diei Dominicæ in noua lege ſuccedit obſeruantiæ ſabbati, non ex neceſſitate legis, ſed ex conſtitutione populi Chriſtiani, nec etiam huiuſmodi obſeruatio eſt figuralis, ſicut fuit obſeruatio ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita arcta prohibitio operãdi in die Dominica, ſicut in die ſabbati, ſed quædam opera conceduntur in die Dominica quæ in die ſabbati prohibebantur, ſicut decoctio ciborum, & alia huiuſmodi. Et etiam in quibuſdam opetibus prohibitis, facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in noua quam in veteri lege, quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem ſecundum ſe conſiderata, immutari poſſunt pro loco & tempore.

Poſt præcepta ordinantia in Deum recte ſequitur præceptũ de honoratione parentum

AD quintum, ſcilicet *de quarto præcepto quod eſt de honoratione parentum.* Dicendum quod præcepta decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi. Inter proximos autem maximè obligamur parentibus. Et ideo immediate poſt præcepta ordinantia nos in Deũ ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui ſunt particulare principium noſtri eſſe, ſicut Deus eſt vniuerſale principium: & ſic eſt quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ.

AD ſextum, ſcilicet *de alijs ſex præceptis:* ſciendum quod ſicut per partes iuſtitiæ, debitum redditur aliquibus determinatis perſonis, quibus homo ex aliqua ſpeciali ratione obligatur, ita etiam per iuſticiam propriè dictam, aliquis debitum reddit communiter omnibus. Et ideò poſt præcepta tria pertinentia ad religionem, qua redditur debitum Deo, & poſt quartum præceptum quod eſt pietatis, qua redditur parentibus debitum, in quo concluditur omne debitum quod ex aliqua ſpeciali ratione debetur: neceſſe fuit quod ponerentur conſequenter alia præcepta pertinentia ad iuſtitiam proprie dictam, quæ indifferenter omnibus debitum reddit.

Sex vltima præcepta congrue præcedentia ſubſequuntur.

Solutio obiect.

SCIENDVM autem quod omnia nocumenta quę proximis inferuntur, poſſunt ad iſta reduci quæ his præceptis prohibentur, tanquam ad quędam communiora, & principaliora. Nam omnia nocumenta quæ in perſonam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio ſicut in principaliori. Quæ vero inferuntur in perſonam coniũctam, & maxime per modum libidinis, intelligũtur prohiberi ſimul cum adulterio. Quæ verò pertinent ad damna in rebus illata, intelligũtur prohiberi ſimul cum furto. Quæ autem pertinent ad locutionem, ſicut detractiones, blaſphemiæ, & ſi quæ huiuſmodi intelliguntur prohiberi falſo teſtimonio, quod directius iuſtitiæ contrariatur.

Omnia nocumẽta quæ proximis inferuntur ad ſex vltima præcepta reuocari poſſunt.

ITEM quia homicidium ſecundum ſe non eſt concupiſcibile, ſed magis horribile, quia non habet de ſe rationem alicuius boni: adulterium vero de ſe habet aliquam rationẽ boni, ſcilicet vtilis: Bonum autem de ſe habet rationem concupiſcibilis: ideò fuit ſpecialibus præceptis prohibenda concupiſcentia furti & adulterij, non autem concupiſcentia homicidij.

DE FORTITVDINE, EIVSQVE PARTIBVS, ET VITIIS OPPOSITIS.

De fortitudine ſecundum ſe.

DISTINCTIO LXXX.

CONSEQVENTER poſt iuſtitiam conſiderandum eſt de fortitudine. Circa quam cõſideranda ſunt quatuor. Primo de ipſa fortitudine. Secundo de præcipuo actu eius ſcilicet de martyrio. Tertio de vitijs oppoſitis fortitudini. Quarto de partibus eius. Circa primum conſideranda ſunt quatuordecim. Primo quomodo fortitudo laudabilis à reprobabili diſtinguatur. Secundo quæ valent ad commendationem fortitudinis, & oſtendunt eam eſſe laudabilem. Tertio per quæ fortitudo iuuetur. Quarto vtrum fortitudo ſit virtus. Quinto vtrum ſit virtus ſpiritualis. Sexto vtrum ſit circa timores, & audacias. Septimo vrtum ſit ſolũ circa timorem mortis. Octauo vtrum ſit ſolum in rebus bellicis. Nono vtrum ſuſtinere ſit præcipuus actus eius. Decimo vtrum habeat delectationem in actu ſuo. Vndecimo vtrum fortitudo maximè conſiſtat in repentinis. Duodecimo vtrum vtatur ira in actu ſuo. Tredecimo vtrum ſit virtus cardinalis. Quartodecimo de comparatione eius ad alias virtutes.

Fortitudo duplex laudabilis & vitioſa.

CIRCA primum ſciendum, quod *eſt quædam fortitudo laudabilis, & virtuoſa: quædam vero reprobabilis, & vitioſa.* Prima bonorum. Secunda malorum. Mali namque ſunt fortes in carnis operibus, debiles in ſpiritualibus. Econtra boni, fortes ſunt in ſpiritualibus, debiles in carnalibus. Fortes ſunt mali ad acquirenda temporalia, debiles ad æterna. Fortes inquam ſunt boni in operibus virtuoſis: ſicut dicitur Iſa. 61. *Vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum,* ideſt ad ęternam gloriam acquirendam. Econtra mali ſunt fortes in vitijs perpetrandis. Hiere. 23. *Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo diſſimilis,* ſcilicet à fortitudine bonorum. De vtraque fortitudine loquens Grego. ait ſuper illud Iob. 6. *Quæ eſt enim fortitudo mea vt ſuſtineam, aut patientia mea, vt fortiter agam? Notandum eſt,* inquit, *quod alia eſt fortitudo iuſtorum, alia reproborum. Iuſtorum eſt fortitudo carnem vincere, proprys voluntatibus contrarias delectationes vitæ præſentis extinguere, mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis*

ſperitatis blandimenta contemnere: aduerſitatis metum in cor- A *de ſuperare. Reproborum vero fortitudo eſt tranſitoria ſine ceſſatione diligere: contra flagella cõditoris inſenſibiter perdurare, ab amore temporalium nec aduerſitate quieſcere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ argumenta quærere, bonorum vitam non ſolum lingua & moribus ſed etiam gladijs impugnare, in ſemetipſis ſpem ponere, iniquitatem quotidiè ſine vllo deſiderij defectu perpetrare. An non fortes ſunt reprobi, qui ad præſentis vitæ concupiſcentiam, tot laboribus currunt, tot periculis ſe audaciter obyciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus ſui libidine, nulla victa contrarietate reſiluunt, percuſſionibus decertant, & mala mundi tollerant: pro mundo, & eius gloria, & fallaci promiſſione, vt ita dixerim; gaudia quærentes perdunt. Nec tamen hoc perpendentes fatigantur, vbi quaſi in abſinthio inebriantur. At cõtra vir iuſtus* B *ad mundi pericula pro mundo toleranda, gaudet eſſe debilis: finem ſuum conſpicit, vita præſens quam ſit tranſitoria attendit: pro eo labores perpeti renuit, cuius intrinſecus delectationem vincit.*

Ad hoc facit verbum beati Bernar. ſuper illud Cãti. 5. *Innixa ſuper dilectum: qui ſtas inquit da gloriam Deo: cuius manu erigeris, neceſſe habes, vt eius manu tenearis: multum opus virtute habes, ſed qua induaris ex alto. Ipſa enim ſi perfecta fuerit, facilè facit animum victorem ſui, & ſic inuictum reddit ad omnia. Quid eſt fortitudo vel virtus? eſt quippe vigor animi, cedere neſcius pro curanda ratione.* Vel ſic, *eſt vigor animi, quantum in ſe eſt omnia ad rationem ducens & dirigens. Quid, niſi quia omnia ſunt poſsibilia, innitenti ſuper eum qui omnia poteſt. Nihil enim potentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant. an non omnipotens eſt, cui omnia poſsibilia ſunt? ita animus ſi non præſumat de ſe, ſed confortetur à Deo, poterit dominari ſibi, ſi non dominetur ei omnis iniuſtitia. Ita namque Deo innixum, nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit, vel ſtantem deijcere, vel ſubijcere dominantem. Alioquin fruſtra nititur, ſi non innititur.*

Hæc autem quæ de virtute dicta ſunt, fortitudini ſpecialiter conueniunt: quæ etiam virtutis nomine deſignatur. Sap. 8. Vbi inter quattuor Cardinales virtutes, virtutem vocat fortitudinem, dicens: *Sobrietatem docet, & prudentiam, & iuſtitiam, & virtutem.* Fortitudo enim multum eſt neceſſaria ad exercitium bonorum operum. Bernardus in ſermone rogationum; *Veritate, charitate, & fortitudine, me egere multum fateor: deficit ratio mea præ ignorantia veritatis, languet voluntas præ deſidia* D *affectionis, caro infirmatur præ inopia fortitudinis. Nam ratio minus intelligit quę agenda ſunt, & voluntas minus diligit intellecta, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vt non quæ volumus illa faciamus. Neque enim pateremur hunc defectum, ſi ratio eſſet iugiter exercitata in inquiſitione veritatis, voluntas in deſiderio charitatis, caro in operatione virtutis.*

Cõmendatur fortitudo. Circa ſecundum ſciendum, Primo quod *ad commendationem fortitudinis valet huius nominis interpretatio.* Secundo *ſcripturæ ſacræ multiplex exhortatio.* Tertio *ſtatus in quo ſumus conſideratio.* Quarto *multiplex effectuum eius meditatio.* Primum autem quod facit ad commẽdationem fortitudinis, eſt ipſum nomen eius, quod vt dicit Papias, dicitur, vel à fero fers, vel à ferro, quia eſt virtus ferrea, omnia mala valens ferre. Et quia virtus in- E uincibilis eſt, & turris fortiſſima, in qua dependet omnis armatura fortis, quæ ſunt in ea munimenta omnia, contra omnium tentationum machinamenta, & inſultus hoſtiles. Per hanc enim virtus omnis habet vincere, & reſiſtere à vitio ſibi contrario. vnde dicit *Tullius*, *Soli fortitudini nomen virtutis attribuebant antiqui*: quia Virtus quaſi virum tuens dicitur: quod ſpecialiſſime competit fortitudini, qua armatus homo non poteſt vinci, niſi eam abiecerit. Vnde dicit Philoſophia Boetio. *Talia tibi contuleramus arma, quod vinci non potuiſſes, niſi abiecisſes.* Hæc eſt armatura qua armauit ſumma philoſophia Chriſtus, pugiles, & pares duodecim, qua erant parati ad vincendum, & ſubiugandum totum mundum, vt dicitur Luc. in fine. *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.* Per hanc armaturam, lupi miſſi inter lupos, ſubiugauerunt lupos; & locuſtæ, gigantes. Dicunt exploratores terræ promiſſionis, Numeri 13. *Vidimus homines quibus comparati quaſi locuſtæ eramus.* Ibi Origenes. *Nouit Dominus mirabilia facere, de locuſtis ſuperare gigantes.* Hæc armatura facit verè hominem virum, à vi mentis vel vigore ſic dictum: ſicut ait Seneca. *Facilius eſt vnam gentem, quam vnum virum ſuperare.* Volens autem Dominus Chananæos vincere, & gigantes terræ promiſſionis delere, mittens Ioſue ad hoc agendum, inuitat eum ad hanc armaturam, qui ait Ioſ. 1. *Confortare & eſto robuſtus, tu enim diuides terram filys Iſrael, pro qua iurani vt darem eam eis.* Hac armatura omnes vicit, & deiecit, & inuincibilis permanſit, ſicut oſtenditur Eccleſiaſtici 46. *Fortis in bello Ioſue*, & cætera multa ad hoc.

Secvndo ad commendationem fortitudinis facit multiplex exhortatio ſcripturæ ſanctæ. Deutero. 31. *Viriliter agite & confortamini, & nolite timere, neque paueatis ad conſpectum inimicorum veſtrorum*, dixit Moyſes filijs Iſrael. Et poſt Ioſue ait, *viriliter age & confortetur cor tuum* &c. Pſalm. 26. *Viriliter agite & confortetur cor veſtrum.* Idem habetur Daniel. 10. Similiter idem primo Corinth. 6. Similiter Hebre. 11. *Eſtote fortes in bello*, &c. 2. *Comendatur ex ſcriptura.*

Tertio facit ad commendationem fortitudinis, locus & ſtatus in quo ſumus. Sumus enim in mundo iſto in campo certaminis, in C medio inimicorum, in quo habemus vincere cum gloria, vel vinci cum ignominia; & vincere non poſſumus, ſine hac armatura. Baruch. 3. *Quid eſt Iſrael, quod in terra inimicorum es?* &c. In hoc campo, vt dicitur. Thren. 1. *Abierunt abſque fortitudine, ante faciem ſubſequentis.* Multi ſcilicet tanquam puluis, quem proijcit ventus tentationis, ante faciem ſubſequentis diaboli, qui vincitur ſine aliqua reluctatione. 3. *Comendatur ex loco & ſtatu in quo ſumus.*

Qvarto commendabilem reddit fortitudinem, multiplex eius vtilitatis effectus. *Primus effectus* eius eſt, quia à peccato & à ſeruitute diaboli, fortitudo educit, & liberat. Pſal. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine* &c. diaboli enim cor eſt ſimile cordi Pharaonis, de quo legitur in Exodo. *Induratum eſt cor Pharaonis*, ipſe non dimittebat quos tenebat niſi in manu forti. Iud. 6. Dicit dominus Gedeoni. *Vade, in hac fortitudine tua liberabis Iſrael de manu Madian.* Sic dominus per prædicatorem fortem, liberat peccatores à ſeruitute diaboli. Sampſon quamdiu fortitudinem habuit, ſe ſemper de manu Philiſtinorum liberauit, & eorum vincula, & clauſuras dirupit Iud. 15. & 16. Item per manum fortis, liberauit Deus Iſrael, à Golyath, & Philiſtæorum ſeruitute 1. Reg. 17. 4. *Comendatur ex eius vtilitate multiplici.* 1. *A peccato liberat.*

Secvndo fortitudo diabolum ſuperat, & fugat. Pſalm. 17. *Præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inimicos meos ſubtus me; & inimicos meos dediſti mihi dorſum.* Bern. *Virtus ex alto in homine, ſi perfecta fuerit, facile facit animum victorem ſui, & ſic eum inuictum reddit ad omnia.* Sic Sampſon Philiſtæos quamdiu fortitudinem ſeruauit ſemper ſuperauit, qua amiſſa, deiectus & abiectus eſt à fœmina, & ab aduerſarijs captus. & excæcatus, Numeri 24. Hæreditas Seyr cedit inimicis ſuis; quia iure hæreditario, Iſrael, qui interpretatur fortis cum Deo, fortiter agit. Iacob. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*: quia vt Greg. ait: *Debilis eſt hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentem.* 2. *Diabolum ſuperat.*

Tertio fortitudo ex victoria prẽmiũ ſperat, & obtinet ex victoria gloriã. Paral. 15. *Cõfortamini & nõ diſſol-* 3. *Gloriã obtinet.*

uantur

uantur domus veſtrę, erit enim merces operi veſtro. Vnde Apoſt. Corinth. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem. & dabo tibi coronam vitæ.* Iac. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quantum comprobatus fuerit: accipiet coronam vitæ, &c.* Iſa. 61. *Vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio domini ad glorificandum.*

4. *Deum lætificat.* QVARTO fortitudo eorum qui vacant Dei ſeruitio fortes in eo, Deum lætificat, Neh 8. *Gaudium domini eſt fortitudo noſtra.* Ideo Pſal. 58. dicebat: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam,* vt de ea gaudeas, & mihi retribuas.

5. *Deũ placat.* QVINTO fortitudo virilium operum Deo placet, & eum placat ſicut Rex multum amat militem qui aliquãdo ei fortiter reſtitit, vel caſtrum forte fortiter impugnauit; quãdo ad eum redit, & ei fideliter ſeruit, & fortiter pro eo pugnans, hoſtes eius fortiter impugnat. Sicut fecit Paulus, qui de peſſimo perſecutore, factus eſt fortiſſimus, & fideliſſimus propugnator eccleſiæ, & fideliſſimus Chriſti prædicator.

Exemplum. LEGITVR in Egeſip. li. 1. de Cladibus Iudæorum, quod cum Herodes Aſchalonita fuiſſet amiciſſimus Pompei, & pugnaſſet fortiter contra Cęſarem pro eo, Pompeio mortuo, cum haberetur ei exoſus, veniens ad Cæſarem, confeſſus fidelitatem amicitiæ quam habuerat ad Pompeium, & quanta ſuſtinuerat pro Romanis; & vt oſtenderet non ſolum verbis, ſed factis, expoliauit ſe dicens: Ceſſent verba, loquantur vulnera fidelitatem quam habeo ad amicos. Et oſtendit Cæſari cicatrices multorum & magnorũ vulnerum, quæ ſuſtinuerat pro fidelitate amoris Pompei, & Romanorum. Quem amorem paratus erat cum Cæſare, ſi ei placeret, ſeruare. Quod adeo Cæſari placuit, quod eum ex tunc amiciſſimũ habuit, & Iudeæ totius procurationem ei commiſit.

AD idem etiã facit exẽplum B. Magdalenæ Luc. 7. Quæ ante conuerſionem ſuam ita fortiter Deum impugnauit, quod de ſe munitionem ſeptem principalibus Dæmonibus munitam, contra Deum fecit. Quæ propter hoc quod ita fortiter fleuit, & pœnituit, quod lachrymis domini pedes lauit, Deum adeo placauit, vt omnibus ſibi peccatis dimiſſis ab eo, in pace rediret. Similiter latro in Cruce.

Exemplum. AD hoc etiam facere poteſt exemplum quod refert God. Permanſenſis in lib. de geſtis Imperatorum dicens, quod anno domini nongenteſimo triceſimo-ſexto, imperante Otthone primo, accidit in eius curia in die Paſchę, quod cum quidam puer filius cuiuſdam comitis, porrexiſſet manum ad fercula quæ portabat coaqus, percuſſit eũ ſic baculo, quod deiecit eũ quaſi mortuum. Miles quidã cuſtos pueri gladio coquum occidit; capeus, ducitur ante Imperatorẽ. Qui cũ vellet rationem reddere facti ſui, noluit eum audire Imperator, ſed præcedit eum occidi. Miles audiens irruit in Imperatorem, eum per capillos ad pedes ſuos proijciens. Quem cum ducerent ad mortem, prohibuit Imperator, faciens eum adduci ad ſe, quærens cauſam tantæ præſumptionis. Qui ait quod ideo fecerat: quia contra leges Imperiales eum ad mortem iudicauerat, nolens audire ſuam rationem. Qua ſibi oſtenſa, ait Imperator, eum fuiſſe iuſtum vltorem ſuæ iniuſtitiæ; & præcepit ne coram eo compareret, & vt ſibi dimitteretur. Cum autem Imperator aliquãdo in tentorio ſuo æſtiuo tẽporaliter dormiret, & hoſtes ſui latenter venirent ad eum occidendum; & videret hoc miles balneans ſe, nudus exiuit, aſſumpto clypeo & enſe, mouens clamorem in caſtris, & occurrens eis, fugauit; timentes cum alijs, qui ad eius clamorem excitati, parauerunt ad arma. Quod cum audiret Imperator, non ſolum rancorem priſtinum ei remiſit, ſed etiam in curia ſua eum fecit amicum, & Principem.

SIC quantum ad hoc poteſt ſimilitudo ad hoc aptari, quod Deus quemcunque ſuum inimicum, quantumcunque ei iniuriam intulerit, ſi reatum ſuum confeſſus fuerit, facti ſui pœnitens, ſimiliter hoſtes ſuos impetierit, fortiter his reſiſtens, & maximè his qui pro eo diuitijs temporalibus nudantur, & ſcuto armantur fidei, & gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, Dæmonem & membra eius impetunt, vitia fortiter impugnando; non ſolum eos ad pacem, & amicitiam recipit; ſed eos in curia ſua cœleſti magnos efficit. Placat ergo tremendum iudicem humiliter pœnitens, & opera pœnitentiæ fortiter agens, *manum ad fortia remittens.* Prouerb. 30. Bern. *O humilitas pœnitentium, obedientia confitentium, ſpes confitentium, quam cito vincis inuincibilem, quam cito tremendum iudicem vertis in clementiſſimum patrem.*

6. *Ditat.* SEXTO fortitudo ditat fortiter agentem. Prouerb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.* Idem in eodem 11. ca. *Robuſti habebunt diuitias.* Prou. 21. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia, omnis autem piger ſemper in egeſtate.*

7. *Confortat.* SEPTIMO fortitudo hominem confortat. Ephe. 6. *Confortamini in domino, & in potentia virtutis eius.* Qui viriliter agunt ex hoc habent confortari. Pſalm. 26. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum. Idem 1. Corin. 16.

8. *Mala æquanimiter tolerat.* OCTAVO mala præſentia æquanimiter portat: vt faciebat Paulus. 2. ad Corin. 4. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non angustiamur,* &c. Phil. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Sicut faciebat Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Act. 6. Seneca de quatuor virtutibus: *Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri de inimico tuo, ſed dices, non nouit, & ſi nocendi animum habuit; & cum illum in poteſtate tua habueris, vindictam putabis vindicari potuiſſe. Scito enim maius vindicandi genus, ignoſcere. In hoc enim homo vincit ſe fortem, & cor ſuum vehementer reſiſtentem ſubijcit.* Sicut legitur feciſſe Iulius Cæſar, qui ait cuidam ſe ſibi opponenti. Dignum te Cęſaris ira, nullus honor faciet.

Exemplum. LEGITVR in geſtis Alexandri, quod cum quidam offendiſſet eum, nec vellet ei parcere, probante ſibi Arist. magiſtro ſuo, quod victor eſſet glorioſior vincendo cor ſuum, quam quod vicerat, & ſubiecerat ſibi totum mundum; tunc vicit cor ſuum quod fuit maximæ fortitudinis, & remiſit illi, qui ipſum offenderat, iniuriam.

9. *Glorificat.* NONO glorificat; quia facit glorioſè dominari ſibi, & vincit. Prouer. 12. *Manus fortium dominabitur, remiſſa autem tributis ſeruiet.* 1. Mach. 2. *Filij,* dixit Mathathias, *confortamini, & viriliter agite in lege, & cum feceritis ea quæ in ea ſcripta ſunt, in ipſa glorioſi eritis.* Iſa. 61. *Vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio domini ad glorificandum.*

10. *Seruat bona tẽporalia & ſpiritualia in pace.* DECIMO bona ſpiritualia, & temporalia ſeruat in pace. Luc. 11. *Dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet.*

11. *Regnũ cælorũ impetrat. Multa iuuãt ad fortitudinem.* VNDECIMO regnum cœlorum impetrat. Matth. 10. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

CIRCA tertium ſciendum, quod *multa ſunt quæ iuuant hominem ad fortiter agendum, & ſtrenue ſuſtinendum.* Primum quod iuuat fortitudinem eſt Dei gratia: ſine qua omnis virtus infirma eſt & impotens bona agere, vel mala vincere, ad ſalutem & meritum vitæ æternæ. Gratia vero Spiritus ſancti virtutem fortitudinis adiuuat, vt omnia magna & ardua quantum expedit implere poſſit, & omnia aduerſa & aſpera ſuperare. Pſal. 67. *Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ;* per quam facilius & expeditius, bona & ardua peragat, & mala patiatur & vincat. Huius generis donum, Deo attribuebat Apoſt. 1. Corin. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Et 1. Corin. 15. *Plus omnibus laborauí, non autem ego ſolus ſed gratia Dei mecum.* Hæc autem fortitudo, eſt vigor infuſus à Deo in animo, in quo eſt gratia, quæ facit animam in Deo per ſpem & amorem firmiter inniti, vt per eum cui innititur omnia poſſit. Phil. 4. *Omnia poſſum in eo qui*

1. *Gratia Dei.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

me confortat. Bern. *Omnia ſunt poſsibilia credenti, inniteti ſuper eum qui omnia poteſt, nihil enim clariorem reddit Dei omnipotentiam, quam quod omnipotentes reddit omnes qui in ſe ſperant.*

2. *Conſideratio ruinæ per peccati lapſum.*

SECVNDVM quod adiuuat fortitudinem, eſt conſideratio grauis ruinæ quæ eſt in peccati caſu. Miles enim fortiter in bello ſtudet agere, ne in ſeruitute redigatur hoſtium, & ne in carcerem detrahatur teterrimum, vel in mortem ignominioſam: At qui in bello ſpirituali vincitur, in ſeruitute Dæmonũ redigitur, in latrinam & ſentinam vitiorum demergitur, tandem in Inferni carcerem victus, detrudetur. 1. Reg. 4. dicunt Philiſtæi, *Confortamini, & bellate, ne ſeruiatis Hebræis.*

Exemplum.

MVLTO fortius, viriliter debemus agere, ne Dæmonibus ſeruiamus, ſicut ille faciebat, de quo legitur in vitis patrum, quod de peccatis ſuis dolẽs, & pœnitens, intrauit ſe in quodam ſepulchro, ſe ibi mactãs fletibus; ad quem cum veniſſent Dæmones, ei diuitias, & delitias, & honores promittentes, ſi ad eorum rediret obſequium; & cũ ipſe immobilis in luctu perſeueraret, verberauerunt eum vſque ad mortem dicentem, quod magis volebat mori quàm eorum ſeruituti de cætero ſubijci: qui ex tunc adeo gratia eſt cumulatus, quod inter homines quaſi Dei Angelus appareret, quem cum in pugna inueniſſent Dæmones inter flagella immobilem, victi clamauerunt, fugientes ab eo confuſi, dicentes, monache viciſti.

Exemplum.

ITEM Egiſippus de Cladibus Iudæorum lib. 5. dicit, quod cum Titus in obſidione Ieruſalem hortaretur Romanos milites, vt eſſent viriles, & agerent in bello fortiter, ne ſubijcerentur viliter victi, in confuſione humanæ probitatis, Iudæorum populo: & ne victi, & occiſi, mitterentur in infernum, propoſuit eis exemplum Leonidæ. Qui cum eſſet in pugna cum trecentis Lacedæmonijs quibus præerat, contra infinitã multitudinem Perſarum, ait eis; prandeamus ante pugnam in terris, quia ſi victi fuerimus, cænaturi ſumus apud inferos. Quod tantum valuit apud eos, quod victores Perſas, vel occiderunt, vel fugauerunt, & quod nullus in bello cecidit, vno excepto.

3. *Exhortatio maiorum.*

TERTIVM quod iuuat fortitudinem eſt exhortatio maiorum, ſicut præmiſſum eſt in exẽplo Titi, & Leonidæ exhortatione. Item Deutero. 20. *Appropinquante prælio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur. Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & contra aduerſarios veſtros dimicabit, & eruet vos à periculo.* 2. Mach. 15. *Iudas Machabæus hortabatur ſuos ne formidarent aduentum hoſtium.* Et poſt. *Alloquutus eſt eos de lege, & Prophetis, &c. ſingulos eorum armauit, non haſta, & clipeo, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus, &c.* Et nota alia quæ poſtea ſequuntur ad hoc facientia.

4. *Exempla virorum robuſtorum.*

QVARTVM eſt exempla virorum robuſtorum. 1. Mach. 2. *dixit Mathathias filijs ſuis: Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis.* Quorum oſtendit eis multa exempla. Item Iocob. 5. *Exemplum accipite exitus mali, & longanimitatis, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine domini.* Et poſt. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt.* Et Hebr. 11. *Hi,* Prophetæ ſcilicet, *per fidem vicerunt regna,* &c. Et poſt, *fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.* 2. Mach. 6. *dixit Eleazarus adoleſcentibus: Exemplum fortè relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus, honeſta morte perfungar.* Et poſt: *iſte hoc modo vita diſceſſit non ſolum iuuenibus ſed etiam vniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ, exemplum virtutis, & fortitudinis, derelinquens.*

5. *Fides.*

QVINTO fides iuuat fortitudinem. Hæbr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* 1. Pe. vlt. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Gloſſa. *Quæ eſt tanquam murus: Per hanc vicerunt Martyres omnia ſupplicia.*

6. *Spes.*

SEXTO iuuat ſpes. Iſa. 40. *Qui ſperant in domino mutabunt fortitudinem,* &c. Hæbr. 6. *Fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Gloſſa. *Quod nos faciat in omni tribulatione fortes: volentes ad præſens, vel horam pati, vt in æternum regnemus.*

7. *Charitas.*

SEPTIMO iuuat fortitudinem charitas. 1. Corin. 13. *Charitas omnia ſuffert.* Can. vlt. *Fortis, vt mors dilectio.* Et ibidem: *Aquæ multæ,* id eſt tribulationes, *non potuerunt extinguere charitatem.*

8. *Timor.*

OCTAVO timor. Prouer. 14. *In timore domini fiducia fortitudinis.* Iob. 4. *Vbi eſt timor tuus, vbi eſt fortitudo tua.* Gloſſa. *Sicut in via ſæculi, audacia fortitudinem, timor debilitatem parit; ita in via domini, timor fortitudinem.*

9. *Clamor orationis.*

NONO clamor orationis: quia vt dicit Iudas ſuis dicentibus: *Quo poterimus ieiuni, & pauci, ſuperare tantam multitudinem, & tam fortem? Ait. Nolite timere: quia de cælo fortitudo eſt.* 1. Mach. 3. Dominus enim dat virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ. Item 1. Macha. 3. *Dixit Iudas: Impetum inimicorum ne formidetis: mementote quomodo ſalus facti ſunt patres veſtri; & nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Deus, & conteret exercitum iſtum,* quod & fecit. Exod. 17. *Eleuante Moyſe manus in cælum & orante, vincebatur Amalech.*

10. *Temperãtia.*

DECIMVM quod iuuat for. eſt temperantia, & abundantia. Greg. in Mora. *Nulla aduerſitas deiecit, quod proſperitas nulla corrumpit in hac vita.* vt ait idem: *Qui nulla proſpera appetit, nulla aduerſa pertimeſcit.* Ebrij, & nimis cibis repleti, cito deijciuntur, ſicut patet 3. Reg. 20. vbi legitur, quod cum Benadab Rex obſediſſet Samariam, cum triginta duobus Regibus, qui cum eo erant, cum innumera multitudine, cum biberent vinum, temulenti victi ſunt viliter, per centum triginta pediſſequos Principum Prouinciarum.

Exemplum.

ITEM refert Oroſius in li. de Cladibus ſęculorum, quod cum Cyrus Rex potentiſſimus pugnaret contra Scithas, Thamaris eorum regina, videns quod non poſſet reſiſtere ei vi: congregato exercitu ſuo fugiens à facie eius, hac arte vſa eſt, ſciens eius exercitum afflictum fame, tetendit tentoria, in locis amænis ponens, & vini vaſa in multa copia, & fercula delicata, in locis per quæ debebat Cyrus tranſire, & eius exercitus; quaſi ſi Scithæ fugiſſent à facie exercitus Cyri perterriti, relictis cibis ſibi præparatis, intactis. Cum autem inueniſſet Cyrus & eius exercitus loca tentoriorum, cibaria, & pocula pręparata, crediderunt quod ea Scithæ ſibi præparaſſent, & terrore eorum commoti ea intacta reliquiſſent, ſederunt & comederunt. Et cum cibis eſſent onerati, & inebriati quieſcerent, exeuntes ſubito Scithæ de inſidijs, ſuper eos irruerunt. Thamaris autem dicta, amputato Cyri capite, poſuit illud in vtre ſanguinis humani dicens: Sanguinem ſitiſti, modo de eo ſatis bibe. Item Iudith. 13. Poſt orationem, & lachrymas fuſas ad Deum caput ambutauit inebriati Holofernis. Similiter Iahel Siſaram lacte repletam occidit Iud. 14.

11. *Continentia.*

VNDECIMO iuuat for. carnis continentia: Iudith. *Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris.* Prouer. 31. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum.* Iob. 17. *Mundis manibus addet Deus fortitudinem.*

Exemplum.

CVM Godfredus de Bullione, qui primus de Francis regnauit in Ieruſalem, cæpiſſet Antiochiam, & Ieruſalem, & terram Syriæ, occiſis & expulſis Saracenis obſcenis, cum mirarentur eius fortitudinem cui nullus Saracenus poſſet reſiſtere, nec ictum manus eius ſuſtinere, tempore Treugæ Turcorum, admirati miſerunt ei munera, viſitantes eum, & quærentes, vnde tanta eius manibus eſſet fortitudo? qui coram eos enſe ſuo ſcidit vno ictu equi caput. Et cum dicerent, quod erat virtute & bonitate enſis ſui, accepto enſe de eis ſibi tradito, idem fecit de alio equo, & tunc cum quærerent, vnde hæc virtus ei, cum ipſe non eſſet

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

maior alijs hominibus? ait, quod manus suæ nunquam carnes tractauerant meretricis, nec luxuria fuerant inquinatæ.

12. *Sapientia.* DVODECIMO iuuat fortitudinem sapientia. Prouer. 14. *Vbi sapiens fortis est, & vbi doctus robustus, & validus.* Addit enim multum sapientia ad vires, *cum melior sit sapientia quam vires*, vt Eccl. 9. Vnde vbi viguit sapientia, tamdiu ibi viguit militia. Primo apud Chaldæos. Post apud Græcos. Post apud Romanos. Tandem apud Francos.

13. *Eleemosyna.* TREDECIMO iuuat fortitudinem eleemosyna data pro Deo. Prouer. 22. *Victoriam & honorem acquirit, qui dat munera.* Eccl. 17. & 29. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Et post: *Super scutum potentis & lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Exemplum. VNDE Ludouicus Rex Franciæ dixit optimũ verbum, cum pauperes essent congregati in curia sua, expectantes eleemosynam, & crederetur quod ipse dormiret in camera sua, alijs dormientibus, ipse exiuit de camera sua solus, cum vno famulo portãte maximam quantitatem denariorum, quam in habitu scutiferi distribuebat manu sua egenis, & largius eis quos credebat magis egere. Quo completo cum ipse retruderet se in cameram suam, occurrit ei frater quidam, qui hoc de fenestra inspexerat, dicens ei: Domine Rex ego bene vidi factum vestrum. Cui Rex satis verecundè ait: Frater charissime isti sunt stipendiarij, qui pro nobis pugnant contra aduersarios nostros, & seruant nobis Regnum Francię in pace, quibus non soluistus stipendia, vt meruerunt.

14. *Caro domita per disciplinam.* QVARTODECIMO iuuat fortitudinem caro edomita per disciplinam, quia vt dicit Greg. *electi Dei, dum carnem domant, Spiritum roborant, & Dæmonibus imperant.* Eccl. 33. *Cibaria, virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus, seruo.* Et post: *Seruo maleuolo tortura, & compedes; mitte istum in opus ne vacet.* Greg. *Quid si hoste per disciplinam debilitato, tu fortior efficiaris.*

15. *Mercedis cõsideratio.* QVINTODECIMO mercedis consideratio. Greg. *Consideratio præmij minuit vim flagelli.* Gen. 49. *Isachar asinus fortis videns requiem, quod esset bona, & terram quod esset optima: supposuit humeros ad portandum, factusque est tributis seruiens.*

16. *Consideratio dominicæ passionis.* DECIMOSEXTO iuuat forti. consideratio Dominicæ Passionis. Hebr. 12. *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Et post. *Recogitate eum*, &c. 1. Pet. 4. *Passo Christo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Exemplum. HAC armatus quidam Martyr in tormentis insuperabilis, requisitus quare sic inuenirẽtur fortes Christiani in supplicijs? Respondit, quia Passionem Christi habebant impressam in cordibus suis. Tortor autem volens hoc experiri in eo occiso, extrahens ab eo cor eius & diuidens, in quotcunque partes diuisit, in omnibus Crucifixi similitudinem, vt in speculo relucentem, inuenit.

17. *Consideratio inspicientiũ.* DECIMOSEPTIMO iuuat fortitudinem consideratio inspicientium certamen nostrum, & remunerantium, & gaudentium de probitate nostra. 1. Corin. 4. *Spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus.* Boetius 5. de consolatione. *Magna nobis incumbit bene agendi necessitas, qui omnia agimus coram oculis cuncta cernentis.* Titus, vt refert Iosephus, cum moneret suos, vt in bello Iudaico agerent fortiter, inter alias rationes quas ostendebat eis, vt acueret eos ad viriliter agendum, fuit, hoc quod pugnarent in oculis Imperatoris, & inuictæ militiæ Romanorum, qui simul esset, & testis, & laudator eorum probitatis, & remunerator.

18. *Consideratio diuini adiutorij.* DECIMOOCTAVO est adiutorium cõsideratio Dei, & sanctorum; plures enim sunt nobiscum quam cum eis, & iuuantes nos ad bene agendum, & gaudentes de nostra probitate, sicut ostendit Helisæus ministro suo timenti, & videnti contra se venientem exercitum Syrorum. 4. Reg. 6. *Noli, ait, timere, plures sunt nobiscum, quam cum illis; & ostendit ei Deus montem plenum curruum igneorum*, &c.

19. *Laus & honor & merces.* DECIMONONO iuuat fortitudinem, laus & honor, & merces fortis bonique pugilis; honori quem Rex summus voluerit honorare pro victoria, similis erit honori quem iudicauit Assuerus exhibendum Mardocheo. Hest. 6. Quia Christus in iudicio ducet eum in consortio suo, indutum vestibus regijs, & gloria, & honore coronatum, proclamabit honorãdum ab omnibus. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis*, ait Apost. 1. Corinth. 4.

20. *Consideratio confusionis.* VIGESIMO iuuat fortitudinem, consideratio confusionis, quam confundentur pugiles inertes coram omnibus, victi à vilissimis Dæmonibus, & membris eorum. Hiere. 20. ca. *Confundentur vehementer qui non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur*, quando scilicet Deus dicet. *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. Matth. 25. Confundentur, vt confusi sunt Iudęi, victi à Tito, vt refert Egisippus. 6. lib. de Cladibus Iudæorum; vbi dicit, quod Iudæi victi, & capti à Tito, ducebantur per singulas ciuitates, in ludibrium, & opprobrium, ante Imperatorem ligati, & cathenati; & diuersis contumelijs, & iniurijs afficiebantur. Tandem bestijs ferocissimis occidendi & vorandi tradebãtur coram omnibus, in ciuitatibus cunctis per quas Tytus Imperatoris Vespasiani filius, victor transibat, vt omnibus ludibrio & horrori essent. Sic in iudicio coram Christo, adducentur reprobi condemnandi & illudendi, & à tormentis infernalibus deuorandi.

Pertitudo est virtus quæ remouet impedimenta bene operãdi. AD quartum, scilicet *vtrum fortitudo sit virtus*: dicendum, quod secundum philosophum in 2. Ethi. *Virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Bonum autem hominis est secundum rationem esse*, secundum Diony. ca. 4. de diuinis nominibus. Et ideo ad virtutem humanam pertinet, vt faciat hominem & opus eius, secundum rationem esse. Quod quidem tripliciter contingit. Vno modo secundum quod ipsa ratio rectificatur, quod fit per virtutes intellectuales. Alio modo secundum quod ipsa rectitudo rationis in rebus humanis instituitur, quod pertinet ad iustitiam. Tertio secundum quod tollẽtur impedimenta huius rectitudinis in rebus humanis. Dupliciter autem impeditur voluntas humana ne rectitudinem rationis sequatur. Vno modo per hoc quod attrahitur ab aliquo delectabili ad aliquid aliud, quam rectitudo rationis requirat. Et hoc impedimentum tollit virtus temperantiæ. Alio modo per hoc quod voluntatem repellit ab eo quod est secundum rationem, propter aliquid difficile quod incumbit. Et ad hoc impedimẽtum tollendum requiritur fortitudo mentis, qua scilicet huiusmodi difficultatibus resistat; sicut & homo per fortitudinem corporalem, impedimenta corporalia superat & repellit. Vnde manifestum est quod fortitudo est virtus, inquantum facit hominem secundum rationem esse.

Solutio obiect. SCIENDVM autem quod aliqui exteriorem virtutis actum efficiunt, sicut habentes virtutem; ex alia tamẽ causa quam ex habitu virtutis. Vnde philosophus in 4. Ethic. ponit quinque modos eorum qui similitudinariè dicuntur fortes, quasi exercentes actum fortitudinis præter virtutem. Quod quidem contingit tripliciter. Primo quidem quia feruntur in id quod est difficile, ac si non esset difficile. Quod in tres modos diuiditur. Quandoque enim hoc accidit propter ignorantiam, quia scilicet homo non percipit magnitudinẽ periculi. Quandoque autẽ hoc accidit propter hoc quod homo est bonæ spei ad pericula vincẽda, puta cum expertus est se sæpe pericula euasisse. Quandoque autem hoc accidit propter scientiam & artem quandam, sicut patet in militibus, qui propter peritiam armorum & exercitium, non reputant grauia

Tripliciter contingit aliquem exercere actum fortitudinis sine virtute.

pericula

pericula belli, æſtimantes ſe per ſuam artem poſſe cõtra ea defendi. Sicut Vegetius dicit libro primo de re militari; *nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit.* Alio modo agit aliquis actum fortitudinis ſine virtute, propter impulſum paſſionis, vel triſtitiæ, quã vult repellere, vel etiam iræ. Tertio modo propter electionem finis, non quidem debiti, ſed alicuius temporalis commodi acquirendi; puta honoris, voluptatis, vel lucri; vel alicuius incommodi vitandi, puta vituperij, vel damni, vel afflictionis.

A

Ad quintum, ſcilicet *vtrum fortitudo ſit virtus ſpecialis*. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, nomen fortitudinis dupliciter accipi poteſt. Vno modo ſecundum quod abſolutè importat quandam animi firmitatem, & ſecundum hoc eſt generalis virtus, vel potius conditio cuiuſlibet virtutis. Quia ſicut philoſophus dicit in 2. Ethi. *ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari.* Alio modo poteſt accipi fortitudo ſecundum quod importat firmitatem animi in ſuſtinendis & repellendis his, quibus maxime difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in aliquibus periculis grauibus. Vnde Tullius dicit in ſua rheto. quod *fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.* & ſic fortitudo ponitur ſpiritualis virtus, vtpote materiam determinatam habens.

B

Fortitudo ſpeciatim accepta eſt ſpecialis virtus. Solutio obiect.

Sciendvm autem ſecundum philoſophum in primo de cæ. & mun. *Nomen virtutis refertur ad vltimum potentiæ.* Dicitur autem vno modo potentia naturalis, ſecundum quam aliquis poteſt reſiſtere corrumpentibus. Alio modo ſecundum quam eſt principium agẽdi, vt patet in 5. meth. Et ideo quia hæc acceptio eſt communior, nomen virtutis ſecundum quod importat vltimum talis potentiæ, eſt commune. Nam *virtus communiter ſumpta nihil aliud eſt quam habitus quo quis poteſt bene operari.* Secundum autem quod importat vltimum potentiæ primo modo dictæ, qui quidem eſt modus magis ſpiritualis, attribuitur ſpirituali virtuti, ſcilicet fortitudini, ad quam pertinet firmiter ſtare contra quæcumque impugnantia. Vnde Ambro. in primo de offi. dicit. *Non mediocris eſt animæ fortitudo, quæ ſola defendit ornamenta virtutum omnium, & integra cuſtodit; quæ inexpugnabili priuilegio aduerſus omnia vitia decertat, inuicta ad labores fortis ad pericula, rigidior aduerſus voluptates, auaritiam fugat tanquam labem quandam quæ virtutem effœminat.* Accipit autem hic Ambro. fortitudinem large, ſecundum quod importat animi firmitatem, reſpectu quorumcunque impugnantium; & tamen ſecundum quod eſt ſpiritualiter virtus habens determinatam materiam, coadiuuat ad reſiſtendum impugnationibus omnium vitiorum. Qui enim poteſt firmiter ſtare in his, quæ ſunt difficilia ad ſuſtinendum, conſequens eſt quod ſit idoneus ad reſiſtendum alijs, quæ ſunt minus difficilia.

C

D

Ad ſextum, ſcilicet *vtrum fortitudo ſit circa timores, & audacias.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad virtutem fortitudinis pertinet remouere impedimẽtũ, quo retrahitur voluntas à ſequela rationis. Quod autẽ aliquis retrahitur ab aliquo difficili, pertinet ad rationẽ timoris, qui importat receſſum quendã à malo difficultatẽ habente, vt ſupra habitum eſt cum de paſſionibus ageretur. Et ideo fortitudo principaliter eſt circa timores difficiliũ rerum, quæ trahere poſſunt voluntatem à ſequela rationis. Oportet autẽ huiuſmodi rerum difficiliũ impulſum, non ſolum firmiter tollerare, cohibendo timorem; ſed etiam moderatè aggredi, quando ſcilicet oportet ea exterminare ad ſecuritatem impoſterum habendam, quod videtur pertinere ad rationem audaciæ. Et ideo fortitudo eſt circa timores, & audacias quaſi cohibitiua timorum, & audaciarum moderatiua.

E

Fortitudo eſt circa timores & audacias, illos cohibendo, has moderando. Solutio obiect.

Vnde Tullius dicit in ſua rhetorica, quod *ad fortitudinem pertinet, ſuſceptio periculorum, & perpeſſio laborũ.* Sed quia res periculoſæ, & actus laborioſi, non retrahunt voluntatem à via rationis, niſi inquantum timẽtur, ideo oportet oportet quod fortitudo ſit immediatè circa timores, & audacias; mediate autẽ circa pericula & labores, ſicut circa obiecta prædictarũ paſſionum.

Ad ſeptimum, ſcilicet *vtrum fortitudo ſit circa pericula mortis.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad virtutem fortitudinis pertinet, vt voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur à bono rationis, propter timorem mortis, vel mali corporalis. Oportet autem bonũ rationis firmiter tenere contra quodcunque malum, quia nullum bonum corporale æquiualet bono rationis; & ideo oportet quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra mala maxima: quia qui ſtat firmus contra maiora, conſequens eſt quod ſtet firmus cõtra minora, ſed non conuertitur. Et hoc etiam ad rationem virtutis pertinet, vt reſpiciat vltimum. Maximè autem terribile inter omnia corporalia mala, eſt mors, quæ tollit omnia corporalia bona. Vnde Aug. dicit in li. de moribus eccl. quod *vinculum corporis, ne concutiatur atque vexetur laboris atque doloris, ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quantit.* Et ideo virtus fortitudinis eſt circa timores periculorum mortis.

Virtus fortitudinis eſt circa pericula mortis.

Timor autem quia ex amore naſcitur, quæcunque virtus moderatur timorẽ contrariorum bonorum, cõſequens eſt vt moderetur timorem contrariorum malorum: ſicut liberalitas, quę moderatur amorem pecuniarum, per conſequens etiam moderatur timorem amiſſionis earum. Et idem apparet in temperantia, & in alijs virtutibus. Sed amare propriam vitam eſt tẽporale vel naturale, & ideo oportuit eſſe ſpecialem virtutem quæ moderetur timores mortis.

Solutio obiect.

Ad octauum, ſcilicet *vtrum præcipuus actus fortitudinis, ſit ſuſtinere.* Dicendum, quod ſicut philoſophus dicit in 3. Eth. *Foreitudo magis eſt circa timores reprimẽdos, quam circa audacias moderandas*: Difficilius enim eſt timorem reprimere, quam audaciam moderari; eo quod ipſum periculum quod eſt obiectum audaciæ & timoris, de ſe confert aliquid ad repreſſionem audaciæ, ſed operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinem ſecundum

Quo ſenſu fortitudo dicitur circa pericula mortis quæ ſunt in bello tantũmodo.

quod

Principalius ad fortitudinē ſpectat ſuſtinere quā aggredi quia difficilius.

quod moderatur audaciam, ſed ſuſtinere ſequitur repreſſionem timoris; & ideo principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere immobiliter, id eſt ſiſtere in periculis, quam aggredi. Difficilius enim eſt ſuſtinere, quā aggredi, triplici ratione. *Primo quidem*, quia ſuſtinere videtur aliquis, ab aliquo inuadente. Qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris. Difficilius autem eſt pugnare cum fortiori, quam cum debiliori. *Secundo*, quia ille qui ſuſtinet, iam ſentit pericula imminentia; ille autem qui aggreditur habet ea quaſi futura. Difficilius autem eſt non moueri à præſentibus, quam à futuris. *Tertio*, quia ſuſtinere, importat diuturnitatem temporis, ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu. Difficilius autem eſt diu manere immobilem, quam ſubito motu moueri ad aliquid arduum. Vnde philoſophus dicit 13. Eth. Quod *quidam ſunt præuolantes ante pericula, in ipſis autem diſcedant: fortes autem econtrario ſe habent.*

A

Ad decimum, ſcilicet *vtrum fortis habeat delectationem in actu ſuo.* Dicendum, quod duplex eſt delectatio. Vna quidem corporalis, quæ conſequitur actum corporalem. Alia autem animalis, quæ conſequitur apprehenſionem animæ: & hoc modo proprie conſequitur opera virtutum, quia in eis cōſideratur bonum rationis. Principalis vero actus fortitudinis eſt ſuſtinere aliqua triſtia ſecundum apprehenſionem animæ, puta quod homo amittat corporalem vitam, quam virtuoſus amat, non ſolum inquantum eſt quoddam bonum naturale, ſed etiam inquantum eſt neceſſaria ad opera virtutum, etiam quæ ad ea pertinent; Et iterum ſuſtinere aliqua dolorosa ſecundum tactum corporis, puta flagella & vulnera. Et ideo fortis ex vna parte habet vnde delectetur ſecundum delectationem animalem, ſcilicet de ipſo actu virtutis, & de fine eius. Ex alia vero parte habet vnde doleat, dum cōſiderat amiſſionem propriæ vitæ corporaliter. Vnde legitur 2. Mach. 6. quod Eleazarus dixit. *Diros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam vero propter timorem tuum, libenter hæc patior.* Senſibilis autem dolor corporis, facit non ſentiri animalem delectationem virtutis, niſi forte propter abundantem Dei gratiam, quę fortius eleuat animam ad diuina in quibus delectatur, quam corporalibus pœnis afficiatur. Sicut beatus Tyburtius cum ſuper carbones incenſos nudis plantis incederet, dixit quod *videbatur ſibi ſuper Roſeos flores ambulare.* Facit tamen virtus fortitudinis, vt ratio non abſorbeatur à corporalibus doloribus. Triſtitiam vero animalem ſuperat delectatio virtutis, inquantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuſcunque ad eam pertinentibus. Et ideo philoſophus dicit in 3. Eth. quod à forti non requiritur vt delectetur, quaſi delectationem ſentiens, ſed ſufficit quod nō triſtetur. Vehementia enim actus, vel paſſionis vnius potentiæ, impedit aliquam potentiam in ſuo actu; & ideo per dolorem ſenſus, impeditur mens fortis, ne in propria operatione delectationem ſentiat: licet enim opera virtutum ſint delectabilia, præcipue propter finem; poſſunt tamen ex ſui natura eſſe triſtia, & præcipuè hoc contingit in fortitudine. Vnde philoſophus dicit in 3. Ethi. quod non in omnibus virtutibus operari delectabiliter exiſtit præterquam inquantum finē attingit, ſed quia dolor corporalis eſt ſenſibilior, & apprehenſio ſenſitiua magis eſt homini in manifeſto; inde eſt, quod à magnitudine corporalis doloris quaſi euaneſcit delectatio ſpiritualis, quæ eſt de fine virtutis.

B

C

Quomodo fortis in ſuo actu delectetur.

Ad vndecimum, ſcilicet *vtrum fortitudo maximè conſiſtat in repentinis.* Dicendum, quod in operatione virtutis duo ſunt conſideranda. Vnum quidem quantum ad electionem ipſius, & ſic fortitudo non eſt circa repentina. Eligit enim fortis præmeditari pericula quæ poſſunt imminere, vt eis reſiſtere poſſit, aut facilius ea ferre. Quia vt Greg. dicit in quadam Homilia. *Iacula quæ præuidentur minus feriunt; & nos mala mundi facilius ferimus, ſi contra ea Clypeo præſcientiæ præmunimur.* Aliud vero conſiderandum eſt in operatione fortitudinis, quātum ad manifeſtationem virtuoſi habitus; & ſic fortitudo maxime eſt circa repentina, quia ſecundum philoſophum in 3. Ethi. *In repentinis periculis maxime manifeſtatur habitus fortitudinis.* Habitus enim agit in modum naturæ: vnde quod aliquis abſque præmeditatione faciat ea quæ ſunt virtutis, cum neceſſitas imminet propter repentina pericula, hoc maxime manifeſtat quod ſit fortitudo habitualiter in anima confirmata. Poteſt autem aliquis etiam qui habitu fortitudinis caret, ex diuturna præmeditatione animum ſuum contra pericula prępparare, qua præparatione etiam fortis vtitur cum tempus adeſt.

D

Quomodo dicitur in repētinis maximè cōſiſtere.

Ad duodecimum, ſcilicet *vtrum fortis vtatur ira in ſuo actu.* Dicēdum, quod de ira & alijs animæ paſſionibus, ſicut ſupra dictū eſt, aliter locuti ſunt perypatetici, & aliter Stoici. Stoici enim, & irā & alias animę paſſiones, ab animo ſapientis ſiue virtuoſi excludebant. Perypatetici vero quorum princeps fuit Ariſtoteles, iram & alias animæ paſſiones attribuebant virtuoſis, ſed moderatas ratione; & forte quantum ad rem non differebant, ſed ſolum quantum ad modum loquendi. Nam peripatetici omnes motus appetitus ſenſitiui qualitercunque ſe habentes, paſſiones animæ nominabant, vt ſupra habitum eſt. Et quia appetitus ſenſitiuus mouetur per Imperium rationis, ad hoc quod cooperetur ad prōptius agendū; idcirco ponebant irā & alias animæ paſſiones aſſumendas eſſe à virtuoſis, moderatas ſecundum Imperium rationis. Stoici vero vocabant paſſiones animæ, immoderatos quoſdam affectus appetitus ſenſitiui, vnde nominabant eos ægritudines, vel morbos, & ideo penitus eos à virtute ſeparabant. Sic ergo iram moderatam aſſumit fortis ad ſuum actum, non autem iram immoderatam.

E

Fortis aſſumit irā moderatam ad ſuos actus aggrediendi. Solutio obiect.

Cvm autem fortitudo ſicut dictum eſt, habeat duos actus, ſcilicet ſuſtinere & aggredi; non aſſumit iram ad actum ſuſtinendi, quia tunc actum ſola ratio per ſe facit; ſed ad actum aggrediendi: ad quem magis aſſumit iram quam alias paſſiones, quia ad iram pertinet inſilire in rem contriſtantem, & ſic directè cooperatur fortitudini in aggrediendo. Triſtitia autem ſecundum propriam rationē ſuccūbit nociuo: ſed per accidēs coadiuuat ad aggrediendū, vel inquātū triſtitia eſt cauſa iræ, vt ſupra dictū eſt: vel inquantum aliquis pecauſa iræ, vt ſupra dictū eſt: vel inquantum aliquis periculo ſe exponit vt triſtitiam fugiat. Similiter etiā cōcupiſcentia ſecundum propriam rationem tendit in bonum delectabile, cui per ſe repugnat aggreſſio periculorum; ſed per accidens quandoque coadiuuat ad aggrediendum inquantum ſcilicet aliquis potius vult in pericula incidere, quam delectabili carere. Et ideo philoſophus dicit in 3. Eth. quod *inter fortitudines, quæ ſunt ex paſſione, naturaliſſima eſſe videtur quæ eſt per iram, & accipiens electionem, & cuius gratia,* ſecundū debitum finem, *fortitudo ſit vera.*

Ad tredecimum, ſcilicet *vtrum fortitudo ſit virtus Cardinalis.* Dicendum, quod Greg. 22. Mor. & Ambro. ſuper Lucam & Aug. in li. de mo. ec. numerant fortitudinem inter quatuor Cardinales, ſeu Principales virtutes. Quia ſicut dictum eſt, virtutes Cardinales, ſeu Principales dicuntur, quæ præcipuè ſibi vendicant id quod pertinet communiter ad virtutes. Inter alias autem communes virtutis conditiones, vna ponitur firmiter operari, vt patet in 2. Eth. Laudem autem firmitatis potiſſime ſibi vendicat fortitudo. Tanto enim magis laudatur qui firmiter ſtat, quanto habet grauius impellens ad cadendum, vel retrocedendum. Impellit autem hominē ad diſcedendum ab eo quod eſt ſecundum rationem, & bonum delectans, & malum affligēs, ſed grauius impellit dolor corporis, quam voluptas. Dicit enim Aug. in li. 83. quæſtionum. *Nemo eſt qui non magis dolorē fugiat, quā affectet voluptatem.* Quandoque quidē videmus etiā immaniſſimas beſtias, & maximis voluptatibus deditas, exterreri dolorū metu. Et inter dolores animę & pericula, maxime timētur ea quę du-

Quid virtus Cardinalis. Fortitudo eſt virtus Cardinalis.

cunt

cunt ad mortem, contra quæ firmiter ſtat fortis, vnde A fortitudo eſt virtus Cardinalis.

Ad quartumdecimum, ſcilicet *de comparatione fortitudinis ad alias virtutes.* Dicendum, quod ſicut Aug. dicit in 6. de Tri. *in his quæ non mole magna ſunt, idem eſt eſſe maius, quod melius.* Vnde tanto aliqua virtus maior eſt. Bonum autem rationis eſt hominis bonum, ſecundum Dio. 4. ca. de di. no. Hoc autē bonum eſſentialiter quidem habet prudentia, quæ eſt perfectio rationis. Iuſtitia autē eſt huius boni factiua, ſcilicet inquātum ad ipſam pertinet, ordinē rationis ponere in omnibus rebus humanis. Aliæ autem virtutes ſunt conſeruatiuæ huius boni, inquantum ſcilicet moderantur paſſiones ne abducant hominem à bono rationis. Et in ordine harum fortitudo tenet locum prȩcipuum, quia timor periculorū mortis, maxime efficax eſt ad hoc, B quod hominem faciat recedere à bonis rationis: poſtquam ordinatur temperātia, quia etiam delectationes tactus, maxime inter cætera impediunt bonum rationis. Illud autem quod eſſentialiter dicitur potius, eſt eo quod dicitur effectiue; & hoc etiam potius eſt eo quod dicitur conſeruare ſecundum remotionem impedimenti. Vnde inter virtutes Cardinales prudentia eſt potior, ſecunda iuſtitia, tertia fortitudo, quarta temperantia, & poſt has cæteræ virtutes.

Ratio cur fortitudo nō niſi tertium locum inter virtutes Cardinales obtineat.

De martyrio.

DISTINCTIO LXXXI.

DEinde conſiderandum eſt de martyrio. Et primo C vtrum martyrium ſit actus virtutis. Secundo de perfectione eius. Tertio de pœna martyrij, vtrum ſcilicet mors ſit de ratione martyrij. Quarto de cauſa martyrij.

Ad primum, ſcilicet *vtrum martyrium ſit actus virtutis.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad virtutem pertinet quod aliquis in bono rationis conſeruetur. Conſiſtit autem bonum rationis in veritate, ſicut in proprio obiecto, & in iuſtitia ſicut in proprio effectu, ſicut ex ſupradictis patet. Pertinet autem ad rationem martyrij vt aliquis firmiter ſtet in veritate & iuſtitia, contra perſequentium impetus. Vnde manifeſtum eſt quod martyrium eſt actus virtutis.

Martyrium eſt actus virtutis.

Cvm autem actus virtutis ſit voluntarius, dixerunt quidam quod innocentibus occiſis pro Chriſto, D quos vt veros Martyres Eccleſia veneratur, acceleratus eſt miraculosè vſus liberi arbitrij, ita quod voluntariè martyrium paſſi ſunt, ſed quia hoc per auctoritatem ſcripturę non comprobatur, ideo melius dicendū eſt, quod martyrij gloriam quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occiſi, Dei gratia ſunt aſſecuti. Nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmi. Vnde ſicut prius baptizatis, per gratiam baptiſmi, meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam; ita in occiſis propter Chriſtum, meritum martyrij Chriſti, operatur ad palmam martyrij conſequendam. Vnde Aug. dicit in quodam ſermone de Epiphania, quaſi eos alloquens: *Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui paruulis baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti; non habebatis ætatem qua in paſſurum Chriſtum crederetis, ſed habebatis carnem in qua pro Chriſto paſſuro, paſſionem ſuſtineretis.* E

Solutio obiecti.

Innocentes per gratiam Dei martyrij meritum sūt conſecuti.

De illis autem qui ſeipſos occidiſſe leguntur, ſicut dicit Aug. primo de ciui. Dei, quod quædam ſanctæ fœminæ tempore perſecutionis, vt inſectatores ſuæ pudicitiæ deuitarent, ſe in fluuium deiecerunt, eoque modo deiecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earumque martyria in catholica eccleſia veneratione celeberrima frequentantur. Dicendum ſicut Aug. dicit ibidem, poſſibile eſſe quod aliquibus fide dignis teſtificationibus, diuina perſuaſit auctoritas eccleſiæ, vt dictarum ſanctarum memoriam honorarent.

Cvius autem virtutis, *actus martyrij?* dicendum: Præcipuè dici debet actus fortitudinis, quia ſicut ex ſupradictis patet, ad fortitudinem pertinet vt confirmet hominem in bono virtutis, contra pericula, & præcipuè contra pericula mortis: & maxixime eius, qui in bello eſt. Manifeſtum eſt autem quod in martyrio, homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem & iuſtitiam non deſerit, propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à perſecutoribus imminent. Vnde Cyprianus dicit in quodam ſermone. *Vidit admirans præſentium multitudo cœleſte certamen, & in prælio ſtetiſſe ſeruos Chriſti voce libera, mente incorrupta, virtute dominica.* Vnde manifeſtum eſt, quod Martyrium eſt fortitudinis actus. Et propter hoc de Martyribus legit eccleſia. Fortes facti ſunt in bello.

Martyriū eſt fortitudinis actus.

In actu tamen fortitudinis duo ſunt conſideranda, quorum vnum eſt bonum in quo fortis firmatur, & hoc eſt fortitudinis finis. Aliud eſt ipſa firmitas qua quis non cedit contrarijs prohibentibus ab illo bono, & in hoc conſiſtit eſſentia fortitudinis. Sicut autem fortitudo ciuilis firmat animum hominum in iuſtitia humana; propter cuius obſeruationem mortis pericula ſuſtinent; ita etiam fortitudo gratuita, firmat animum hominis in bono iuſticiæ Dei, *quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti*, vt dicitur Rom. 3. Et ſic martyrium comparatur ad fidem, ſicut ad finem in quo aliquis firmatur; Ad fortitudinem autem ſicut ad habitum elicientem.

Eſſentia fortitudinis cōſiſtit in firmitate qua quis non cedit contrarijs prohibentibus.

Ad actum etiam martyrij inclinat charitas: ſicut primum principale motiuum, per modum virtutis imperantis. Fortitudo autem ſicut motiuum, proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde etiam eſt, quod martyrium eſt actus charitatis, vt imperantis; fortitudinis autem vt elicientis: & inde eſt, quod vtramque etiam virtutem manifeſtat. Quod autem ſit meritorium habet ex charitate, ſicut & quicunque virtutis actus. Et ideo ſine charitate non valet.

Charitas imperat martyrium, fortitudo elicit quod autē ſit meritoriū à charitate habet, vti etiam quiuis actus virtutis.

Item principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere ſicut dictum eſt, ad quem pertinet martyrium, non autem ad ſecundarium actum eius, qui eſt aggredi. Et quia patientia deſeruit fortitudini ex parte actus principalis, qui eſt ſuſtinere: inde eſt, quod concomitanter in martyribus patientia commendatur.

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum martyrium ſit actus maximæ perfectionis.* Dicendum, quod ſicut dicit Aug. in lib. de virgin. *Præfertur martyrium virginitati, quę ad perfectionem pertinere videtur.* Sciendum autem quod de aliquo actu virtutis loqui poſſumus dupliciter vno modo ſecundum ſpeciem actus ipſius, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipſum: & ſic non poteſt eſſe, quod martyrium quod conſiſtit in debita tollerantia mortis, ſit perfectiſſimus inter virtutis actus; quia tolerare mortem non eſt laudabile ſecundum ſe, ſed ſolum ſecundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, puta ad fidem, & dilectionem Dei. Vnde ille actus virtutis, cum ſit finis, melior eſt. Alio modo poteſt cōſiderari actus virtutis, ſecundum quod comparatur ad primum motiuum, quod eſt amor charitatis: & ex hac parte præcipuè, aliquis actus habet, quod ad perfectionem vitæ pertineat. Quia vt Apoſt. dicit ad Collo. 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis.* Martyrium autem inter omnes actus virtuoſos, maximè demonſtrat perfectionem charitatis: quia tanto magis oſtenditur aliquis, aliquam rem amare, quāto pro ea rē magis amatam contemnit, & rē magis odioſam eligit pati. Manifeſtū eſt autem quod inter omnia alia bona præſentis vitæ, maximè amat homo ipſam vitā, & ecōtrario maximè odit ipſam mortē, & prȩcipue cū doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta

animalia

Martyrium est ceteris actibus humanis perfectior secundū genus suum quia maximæ charitatis signum.

animalia maximis voluptatibus abstrahūtur, vt Aug. dicit in li. 83. qu. Et secundum hoc patet, quod martyrium inter cæteros actus humanos, est perfectior secundum suum genus, quasi maximæ charitatis signū, secundum illud Ioh. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

MARTYRIVM etiam complectitur id quod esse potest summum in obedientia, vt s. aliquis obediēs sit vsque ad mortem, sicut de Christo legitur, quod *factus est obediens vsque ad mortem.* Vnde patet, quod martyrium secundum se, est perfectius quam obediētia absolutè dicta. (Licet per obedientiam dicatur homo dare animam suam Deo, & per martyrium corpus: Propter quod Greg. dicit vlt. moral. quod obedientia cunctis victimis præfertur) quia per martyrium non solum dat homo corpus suum Deo, verum etiam animam, multo perfectius quam per obedientiam citra mortem. Vnde 1. Pet. 4. *Qui patiuntur propter voluntatem Dei, fideli creatori commendant animas suas.*

Solutio obiect.

AD tertium, s. *vtrum mors sit de ratione martyrij*. Dicendum, quod sicut dictum est, martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur vt dicitur Hæb. 11. Ad martyrium ergo pertinet, vt homo testificetur fidem, se opere ostendens temporalia cuncta despicere, vt ad futura & inuisibilia bona perueniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nōdum opere se ostendit temporalia cuncta despicere, Cōsueuerātenim homines cōsāguineos, & omnia bona possessa contēnere, & etiā dolores corporis pati, vt vitā cōseruēt. Vnde & Sathan, cōtra Iob, induxit. Pellem pro pelle, & cuncta quæ homo habet, dabit pro anima sua, & pro vita corporali. Et ideo ad perfectam rationem martyrij requiritur, quod aliquis mortem sustineat propter Christum. Fortitudo enim principaliter consistit circa pericula mortis: Circa alia autem consequenter. Et ideo nec martyrium propriè dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ, vel diuitiarū nisi fortè secūdū quod ex his sequitur mors

Mors est de ratione perfecti martyrij.

AD quartum, s. *vtrum sola fides sit causa martirij*. Dicendum, quod sicut dictum est, martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem, testimonium perhibent veritati, non cuicunque, sed veritati quæ secundum pietatē est, quæ per Christum nobis innotuit vnde & martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei. Et ideo cuiuslibet martyrij causa, est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio. Quæ quidem fit non solum per verba quibus aliquis confitetur fidem, sed per facta quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Iac. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Vnde & de quibusdam dicitur Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ideo omnium virtutum opera secūdū quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quas nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & secundum hoc possunt esse martyrij causa. Vnde & beati Ioannis Baptistæ martyrium in ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit.

Omnia virtutum opera possunt esse causa martyrij, inquātum relata in Deum sunt fidei protestationes.

De timore.

DISTINCTIO LXXXII.

DEINDE considerandum est de vitijs oppositis fortitudini. Et primo de timore. Secundo de intimiditate. Tertio de audacia. Circa primum considerāda sunt quatuor. Primo vtrum timor sit peccatum. Secundo vtrum opponatur fortitudini. Tertio vtrum sit peccatum mortale. Quarto vtrum excuset vel diminuat peccatum.

AD primum, s. *vtrum timor sit peccatum*. dicendum, quod aliquid dicitur esse peccatum in actibus humanis propter inordinationem. Nam bonum actus humani in ordine quodam existit, vt ex supradictis patet Est autem hic debitus ordo, vt appetitus regimini rationis subdatur. Ratio autem dictat aliqua esse fugiēda, & aliqua esse prosequenda. Et inter fugienda, quædam dictat esse magis fugienda, quam alia. Et similiter inter prosequenda, quædam dictat esse magis prosequenda, quam alia; & inquantum bonum est prosequendum, tantum est aliquod oppositum malum fugiēdum. Inde est quod ratio dictat quædam bona esse magis prosequenda, quam quædam mala fugienda. Quando ergo appetitus fugit ea quæ non dictat esse sustinenda, ne desistat ab alijs, quæ magis prosequi debet, timor inordinatus est, & habet rationem peccati. Quando vero appetitus timendo refugit id quod est secundum rationem fugiendum, tunc appetitus non est inordinatus, nec peccatum.

Quis timor inordinatus est peccatū.

Solutio obiect.

SCIENDVM tamen quod timor communiter dictus, secundum suam rationē importat vniuersaliter fugā. Vnde quantum ad hoc non importat rationem boni vel mali, & similiter etiā de qualibet alia passione. Et ideo philosophus dicit, quod passiones nō sunt laudabiles, neque vituperabiles: quia s. non laudantur neque vituperantur, qui irascuntur vel timent, sed qui circa hoc aut ordinatè, aut inordinatè se habent.

ITEM mala quibus non potest homo resistere, & ex quorum sustinentia nullum bonum prouenit homini, ratio dictat esse fugienda. Et iuo timor talium non est peccatum. Vnde dicit philosophus 3. Eth. *Erit aliquis insanus, vel sine sensu doloris, si nihil timeat neque terræmotum, neque inundationes.*

AD secundum, s. *vtrum peccatū timoris, opponatur fortitudini*: dicendum, quod sicut dictum est supra, omnis timor ex amore procedit. Nullus enim timet nisi cōtrarium eius, quod amat. Amor autem non determinatur ad genus virtutis, vel vitij. Sed amor ordinatus includitur in qualibet virtute. Quilibet enim virtuosus, amat proprium bonum virtutis. Amor ante inordinatus includitur in quolibet peccato; ex amore enim inordinato, procedit inordinata cupiditas. Vnde similiter inordinatus timor includitur in quolibet peccato, sicut auarus timet amissionem pecuniæ, intemperatus amissionem voluptatis, & sic de alijs. Sed timor præcipuus est periculorum mortis, vt probatur in 3. Eth. & ideo talis timoris inordinatio, opponitur fortitudini, quę est circa pericula mortis. Propter hoc Antonomasticè dicitur timiditas fortitudini opponi.

Timor periculorum mortis opponitur fortitudini.

AD tertiū, s. *vtrum timor sit peccatum mortale*. Dicendum, quod sicut dictum est, timor peccatū est, secundū quod est inordinatus, prout s. refugit quod non est secundum rationem fugiendū. Hæc autem inordinatio timoris, quandoque quidem consistit in solo appetitu sensitiuo, non superueniente consensu rationalis appetitus: & sic non potest esse peccatum mortale, sed solū veniale. Quādoque vero huiusmodi inordinatio timoris pertingit vsque ad appetitū rationalē, qui dicitur voluntas: quæ ex libero arbitrio refugit aliquid nō secundū rationē: & talis inordinatio timoris, quandoque est peccatū mortale quādoque veniale. Si enim aliquis propter timorē quo refugit periculū mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic disposītus est vt faciat aliquod prohibitū, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege diuina, talis timor est peccatum mortale, alioquin erit peccatū veniale.

Timor quādo peccatū mortale, quando veniale.

AD quartum s. *vtrum timor excuset à peccato*. Dicendum, quod sicut supra dictū est, timor intantum habet rationem peccati, inquantum est contra ordinē rationis. Ratio autē iudicat quædam mala esse magis alijs fugiēda. Et ideo quicūque vt fugiat mala, quæ sunt secūdū rationē magis fugiēda, nō refugit mala quæ sunt secūdū rationē minus fugienda, non est peccatū. Sicut magis est fugienda mors corporalis, quam amissio rerū. Vnde siquis propter timorē mortis, latronibus aliquid promitteret aut daret, excusaretur à peccato quod incurreret, si sine causa legitima prætermissis bonis, quibus

Quis timor a peccato excusat & quis non.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus eſſet magis dandum, peccatoribus largiretur. Si autem aliquis propter timorem, fugiens mala quæ ſecundum rationem ſunt minus fugienda, incurrat mala quæ ſecundum rationem ſunt magis fugienda, non poſſet totaliter à peccato excuſari; quia timor talis inordinatus eſſet. Sunt autem magis timenda mala animæ quã mala corporis, & mala corporis, quam mala exteriorum rerum. Et ideo ſiquis incurrat mala animę id eſt peccata, fugiens mala corporis puta flagella, vel mortem, aut mala exteriorum rerum, puta damnum pecuniæ; aut ſi ſuſtineat mala corporis, vt vitet damnum pecuniæ; non excuſatur totaliter à peccato, diminuitur tamen ſecundum aliquid eius peccatum, quia minus voluntarium eſt, quod ex timore agitur. Imponitur enim homini quædam neceſſitas aliquid faciendi, propter imminentem timorem. Vnde philoſophus in 10. Ethi. Quæ timore fiunt, dicit eſſe non ſimpliciter voluntaria, ſed mixta ex voluntario & inuoluntario.

De intimiditate.

DEinde conſiderandum eſt de intimiditate. Et primo vtrum intimidum eſſe ſit peccatum. Secundo vtrum opponatur fortitudini.

Ad primum ſcilicet *vtrum intimiditas ſit peccatum.* Dicendum, quod quia timor ex amore naſcitur idem iudicium videtur eſſe de amore, & de timore quo mala temporalia timentur, qui prouenit ex temporalium bonorũ amore. Iudicium autem eſt vnicuique naturaliter, vt propriam vitam amet, & ea quæ ad ipsã ordinantur. Debito tamen modo, vt. ſ. amentur huiuſmodi non quaſi finis conſtituatur in eis, ſed ſecundũ quod vtendũ eſt eis propter vltimũ finẽ. Vnde quod aliquis deficiat à debito modo amoris ipſorũ, eſt contra naturalem inclinationẽ, & per conſequens eſt peccatũ. Nunquã tamen à tali amore totaliter aliquis decidit, quia id quod eſt naturæ, totaliter perdi non poteſt. Propter quod Apoſtolus dicit ad Eph. 5. *Nemo vnquã carnem ſuã odio habuit.* Vnde etiam illi qui ſeipſos interimunt, ex amore carnis ſuæ hoc faciunt, quia volunt à præſentibus anguſtijs liberari. Vnde contingere poteſt quod aliquis minus quã debeat timeat mortem, & alia tẽporalia mala, propter hoc quod minus debito amet ea. Sed quod nihil horum timeat, non poteſt ex totali defectu amoris contingere, ſed ex eo quod exiſtimat mala oppoſita bonis quę amat, ſibi ſuperuenire non poſſe. Quod quandoque contingit ex ſuperbia animi mi de ſe præſumentis, & alios contemnentis, ſecundũ quod dicitur Iob. 41. *Factus eſt, vt nullum timeret: omne ſublime videt.* Quandoque autem contingit ex defectu rationis, ſicut philoſophus dicit in 3. Eth. 9. *Certè propter ſtultitiam nil timent.* Vnde patet quod eſſe impauidũ, eſt vitioſum, ſiue cauſetur ex defectu amoris, ſiue cauſetur ex elatione animi, ſiue cauſetur ex ſtoliditate, quæ tamen excuſat à peccato, ſi ſit inuincibilis.

Intimiditas eſt vitium vndecumq; oriatur.

Ad ſecundum ſcilicet *vtrum impauidum eſt opponatur fortitudini.* Dicendum, quod ſicut ſupradictum eſt, fortitudo eſt circa timores, & audacias. Omnis autem virtus Moralis, ponit modum rationis in materia circa quam eſt. Vnde ad fortitudinem pertinet timor moderatus ſecundum rationem, vt. ſ. homo timeat quod oportet, & quando debet, & ſimiliter de alijs huiuſmodi. Hic autem modus rationis corrumpi poteſt, ſicut per exceſſum timoris, ita per defectum. Vnde ſicut timiditas opponitur fortitudini per exceſſum timoris ſcilicet inquantum homo timet quod non oportet, vel ſecundum quod non oportet, ita etiam impauiditas opponitur ei per defectum timoris, inquantum ſcilicet non timet aliquis quod oportet timere.

Intimiditas opponitur fortitudini per defectũ.

De audacia.

DEinde conſiderandum eſt de audacia. Et primo vtrum audacia ſit peccatũ. Secundo vtrum opponatur fortitudini.

Ad primũ. ſ. *vtrum audacia ſit peccatum.* Dicendũ, quod audacia eſt paſſio quædã, paſſio autẽ quandoque quidẽ eſt moderata ſecundũ rationẽ, quandoque autem caret modo rationis, vel per exceſſum, vel per defectũ. Et ſecundum hoc paſſio eſt vitioſa. Sumuntur autem quandoque nomina paſſionum à ſuperabundãti, ſicut ira dicitur non quæcunque, ſed ſuperabundans, prout ſcilicet eſt vitioſa; & hoc etiam modo, audacia per ſuperabundantiam dicta, ponitur eſſe peccatum.

Audacia ſuperabundãs eſt peccatũ.

Ad ſecundum ſcilicet vtrum audacia opponatur fortitudini. Dicendum quod ſicut dictum eſt ad virtutem Moralem pertinet modum rationis obſeruare in materia circa quam eſt. Et ideo omne vitium quod importat immoderantiam circa materiam alicuius virtutis Moralis, opponitur illi virtuti Morali, ſicut immoderatum moderato. Audacia autem ſecundum quod ſonat in vitium, importat exceſſum paſſionis, quę audacia dicitur. Vnde manifeſtum eſt quod opponitur virtuti fortitudinis, quæ eſt circa timores, & audacias, vt ſupra dictum eſt.

Audacia immoderata opponitur fortitudini per exceſſũ.

De partibus fortitudinis in generali.

DISTINCTIO LXXXIII.

DEinde conſiderandum eſt de partibus fortitudinis. Et primo in generali. Secundo, de ſingulis earum in ſpeciali.

Circa primum ſciendum, quod Tul. ponit in rhe. ſua quatuor partes fortitudinis. ſ. magnificentiam, fiduciam, patientiam, & perſeuerantiam. Macrobius autem ponit ſeptem partes fortitudinis, ſcilicet magnanimitatem, fiduciam, conſtantiam, ſecuritatem, magnificentiam, tolerantiam, firmitatem. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod ſicut ſupra dictum eſt, alicuius virtutis poſſũt eſſe triplices partes ſcilicet ſubiectiuæ integrales & potentiales. Fortitudini autẽ ſecundũ quod eſt ſpecialis virtus, nõ poſſunt aſſignari partes ſubiectiuæ, eo quod non diuiditur in multas virtutes ſpecie differentes, quia eſt circa materiam valde ſpecialem. Aſſignãtur autem ei partes quaſi integrales & potentiales. Integrales quidem ſecundum ea quæ oportet concurrere ad actum fortitudinis. Potentiales autẽ, ſecundũ quod ea quæ fortitudo obſeruat circa difficillima. ſ. pericula mortis. Aliquæ aliæ virtutes obſeruãt, circa materias quaſdam alias, minus difficiles; Quæ quidem virtutes adiunguntur fortitudini, ſicut ſecundariæ principali.

Fortitudo nõ habet partes obiectiuas eo quod eius materia eſt valde ſpecialis, habet tamen integrales & corporales.

Eſt autem ſicut ſupra dictum eſt duplex fortitudinis actus ſcilicet aggredi & ſuſtinere. Ad actũ autem aggrediendi duo requiruntur. Quorum primum pertinet ad animi præparationem, vt ſcilicet aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum: & quantum ad hoc ponit Tul. fiduciam, vnde dicit quod *fiducia eſt per quam magnis & honeſtis rebus, multum ipſe animus in ſe fiduciæ cum ſpe collocauit.* Secundum autem pertinet ad operis executionem, ne ſcilicet aliquis deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter inchoauit; & quantum ad hoc ponit Tul. magnificentiam. Vnde dicit quod *magnificentia eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida proportione, cogitatio atque miniſtratio* id eſt executio, vt ſcilicet amplo propoſito adminiſtratio non deſit. Hæc igitur duo ſi coarctentur ad propriam naturam fortitudinis, ſcilicet ad pericula mortis, erunt quaſi partes integrales ipſius, ſine quibus fortitudo eſſe non poteſt. Si autem referantur ad aliquas alias materias in quibus eſt minus difficultatis, erunt virtutes diſtinctæ à fortitudine ſecundum ſuam ſpeciem, tamen adiungentur ei, ſicut ſecundariũ principali. Sicut magnificẽtia à philoſopho in 4. Eth. ponitur circa magnos sũptus. Magnanimitas autem, quæ videtur eſſe idem fiduciæ, circa magnos honores. Ad aliũ autem actũ fortitudinis, qui eſt ſuſtinere, duo requirũtur. Quorum primũ eſt ne difficultate imminentium malorum, animus frangatur per triſtitiam, & decidat à ſua magnitudine; & quantum ad hoc ponit patientiam, vnde dicit, quod patientia

Deducuntur quatuor partes integrales fortitudinis, quæ tamen extra materiam fortitudinis ſunt partes eius; potentiales.

eſt

est honestatis aut vtilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio Aliud est autem, vt ex diuturna difficilium passione, homo non fatigetur, vsque ad hoc quod desistat secundum illud Hebr. 12. *Non fatigemini animis vestris deficientes:* & quantum ad hoc ponit perseuerantiam. Vnde dicit quod *perseuerantia est in ratione bene considerata, stabilis & perpetua permansio.* Hæc etiam duo si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius. Si autem ad quascunque materias difficiles referantur erunt virtutes à fortitudine distinctæ, & tamen ei adiungentur sicut secundariæ principali.

Conciliatur macrobius cum Tullio quo ad numerum partium fortitudinis.

MACROBIVS autē ponit quatuor prædicta à Tullio posita, scilicet fiduciam, magnificentiam, tolerantiam, quam ponit loco patientiæ; & firmitatem, quam ponit loco perseuerantiæ. Superaddit autem tria quorum duo, scilicet magnanimitas & securitas, à Tullio sub fiducia comprehēduntur. Sed Macrobius magis distinguit per spiritualia. Nam fiducia importat spem hominis ad magna, spes autem cuiuslibet rei, presupponit appetitum in magna protensum per desiderium, quod pertinet ad magnanimitatem. Dictum est autem supra quod spes præsupponit amorem & desiderium rei speratæ. Vel melius potest dici, quod fiducia pertinet ad fidei certitudinem, magnanimitas autem ad magnitudinem rei speratę, spes autem firma esse non potest, nisi amoueatur contrarium. Quandoque enim aliquis quantum ex seipso est speraret aliquid: sed spes tollitur per impedimentum timoris; timor autem quodammodo spei contrariatur vt supra habitum est. Et ideo Macrobius addit securitatem, quæ excludit timorem. Tertium autem addit, scilicet constantiam, quæ sub magnificentia comprehendi potest. Oportet enim in his, quæ magnificè aliquis facit, constantem animum habere. Et ideo Tullius dicit ad magnificentiam pertinere, non solum administrationē rerum magnarum, sed etiam animi amplam excogitationem ipsarum. Potest autem constantia ad perseuerantiam pertinere, vt perseuerans dicatur aliquis, ex eo quod non desistit propter diuturnitem. Constans autem ex eo quod non desistit propter quæcumque alia repugnantia.

Solutio obiect.

ADVERTENDVM est autem, quod magnificentia, quæ videtur esse circa pecunias, sicut & liberalitas (vnde *necesse est magnificum, liberalem esse*, sicut dicit philosophus 3. Ethi.) videtur esse pars iustitiæ, non fortitudinis. Sed magnificentia circa materiam liberalitatis, addit quandā magnitudinem, quæ pertinet ad rationem ardui, quod est obiectum irascibilis, quā perficit principaliter fortitudo: & ex hac parte pertinet ad fortitudinem.

Differunt spes & confidentia.

ITEM sciendū, quod spes & confidentia differunt, quia spes qua quis confidit de Deo, ponitur virtus Theologica: sed per fiduciam quæ ponitur pars fortitudinis homo habet spem in seipso, tamen sub Deo.

ITEM sciendum, quod licet magnificentia & fiducia, de sui ratione non importent aliquam habitudinē ad pericula, tamen quascūque res magnas aggredi, videtur esse periculosum, eo quod in his deficere est valde nociuum. Vnde etsi magnificentia & fiducia, circa quæcunque alia magna, operanda vel aggredienda ponantur, habent affinitatem cum fortitudine, ratione periculi imminentis.

ITEM sciendum quod patientia inquantum est circa pericula mortis, ponitur esse pars integralis fortitudinis. Inquantum vero est circa alia quæcumque difficilia vel periculosa, sic ponitur esse virtus adiuncta fortitudini. Vlterius nota quod perseuerantia secundum quod dicit continuitatem boni operis vsque in finem est circunstantia cuiuslibet virtutis. Sed pars fortitudinis ponitur, eo modo quo dictum est.

Quinque sunt modi fortitudinis.

PRÆTEREA philosopus in 3. Ethic. ponit quinque modos fortitudinis: Quarum prima est politica, quæ fortiter operatur propter timorem exhonorationis vel penæ. Secunda est militaris, quæ fortiter operatur propter artem vel experientiam rei bellicæ. Tertia est fortitudo quæ fortiter operatur ex passione, præcipuè iræ. Quarta est fortitudo quæ fortiter operatur propter consuetudinem victoriæ. Quinta est quæ fortiter operatur propter ignorantiam periculorum. Has autē fortitudines nulla prædictarum diuisionum continet, ergo prædictæ enumerationis partium fortitudinis videntur esse inconuenientes. Sed ista quinque deficiunt à vera ratione virturis, quia etsi conueniant in actu fortitudinis, tamen deficiunt in motiuo: & ideo nō ponūtur partes fortitudinis, sed quidam modi fortitudinis.

De magnanimitate.

DISTINCTIO LXXXIV.

DEINDE considerandum est de singulis partibus fortitudinis, ita tamen vt sub quatuor principalibus quas ponit Tul. alias comprehēdamus, nisi quod magnanimitatem de qua etiam tractat philosophus, loco fiducię ponemus. Primo ergo considerandum erit de magnanimitate. Secundo de magnificētia. Tertio de patientia. Quarto de perseuerantia. Item primo considerandum erit de magnanimitate. Secundo de vitijs oppositis. Circa primum videndum est primo vtrum magnanimitas sit circa honores. Secundo vtrum sit circa magnos honores. Tertio vtrum sit virtus. Quarto vtrum sit specialis virtus. Quinto vtrum sit pars fortitudinis. Sexto quomodo se habeat ad fiduciam. Septimo quomodo se habeat ad securitatem. Octauo quomodo se habeat ad bona fortunæ.

AD primum, scilicet *vtrum magnanimitas sit circa honores.* Dicendum quod magnanimitas ex suo nomine importat quandam extensionem animi ad magna. Consideratur autem habitudo virtutis ad duo, Vno quidem modo ad materiam circa quam operatur. Alio modo ad actum proprium, qui consistit in debito vsu talis materiæ. Et quia habitus virtutis principaliter ex actu determinatur, ex hoc principaliter aliquis dicitur magnanimus, quod habet animum ad aliquem magnū actum. Aliquis autem actus potest dici dupliciter magnus. Vno modo secundum proportionem. Alio modo absolutè. Magnus quidem potest dici actus secundum proportionem, etiam qui consistit in vsu alicuius rei paruæ vel mediocris, puta si aliquis illa re optime vtatur. Sed simpliciter & absolutè magnus actus est, qui consistit in optimo vsu rei maximæ. Res autē quæ in vsum hominis veniunt, sunt res exteriores, inter quas simpliciter maximum est honor: tum quia propinquissimum est virtuti, vtpote testificatio quædam existens, de virtute alicuius, vt supra habitum est: tum etiam, quia Deo & optimis exhibetur, tum etiam quia homines propter honorem consequēdum & vituperium vitandum, alia omnia postponunt. Sic autē aliquis dicitur magnanimus ex his quæ sunt magna simpliciter & absolutè; Sicut dicitur fortis aliquis ex his, quæ sunt difficilia simpliciter. Et ideo consequens est, quod qui contemnunt eos laudabiles sūt: sed quia illi qui contemnūt honores, hoc modo quod pro eis adipiscendis, nihil inconueniens faciunt, nec eos nimis appretiantur, laudabiles sunt. Siquis autem hoc modo contemneret honores, quod non curaret facere ea quæ sunt honore digna, hoc vituperabile esset: & hoc modo magnanimitas est circa honores, vt videlicet studeat facere ea quæ sunt honore digna: nō tamen sic, vt pro magno æstimet humanum honorem

Magnanimitas versatur circa honores seu circa res honore dignas

AD secundum scilicet *vtrum magnanimitas sit circa magnos honores.* Dicendum, quod secundū philosophū in 5. Eth. Virtus est perfectio quædam, & intelligitur esse perfectio potentiæ, ad cuius vltimum pertinet, vt patet in primo de cælo. Perfectio autem potentiæ nō attēditur in qualibet operatione, sed in operatione quę habet aliquam magnitudinem, aut difficultatē. Quælibet enim potentia imperfecta, potest in aliquā operationem modicam & debilem. Et ideo ad rationem

virtutis pertinet, vt ſit circa difficile & bonum, vt dicitur in 2. Ethic. Difficile autem & magnum quæ ad idem pertinent in actu virtutis, poſſunt attendi dupliciter. Vno modo ex parte rationis, inquantuum. ſ. difficile eſt modum rationis adinuenire, & in aliqua materia ſtatuere; & iſta difficultas ſola inuenitur in actu virtutum intellectualium, & etiam in actu iuſtitiæ. Alia autem eſt difficultas ex parte materiæ, quæ de ſe repugnantiam habere poteſt ad modum rationis, qui eſt circa eam ponendus. Eſt iſta difficultas præcipuè attenditur in alijs virtutibus Moralibus, quæ ſunt circa paſſiones, quia paſſiones pugnant contra rationem, vt Dionyſius dicit 4. c. de di. no.

Circa quas conſiderandum, quod quædam paſſiones ſunt quæ habent vim magnam reſiſtendi rationi, principaliter ex parte paſſionis. Quædam vero principaliter ex parte rerum quæ ſunt obiecta paſſionum. Paſſiones autem non habent magnam vim repugnandi rationi niſi fuerint vehementes, eo quod appetitus ſenſitiuus in quo ſunt paſſiones, naturaliter ſubditur rationi. Et ideo virtutes quæ ſunt circa huiuſmodi paſſiones, non ponuntur niſi circa illud quod eſt magnum in ipſis paſſionibus: ſicut fortitudo eſt circa maximos timores, & audacias. Temperantia autem circa maximarum delectationum concupiſcentias. Et ſimiliter manſuetudo eſt circa maximas iras. Paſſiones autem quædam habent magnam vim repugnandi rationi ex ipſis rebus exterioribus, quæ ſunt paſſionum obiecta, ſicut amor, vel cupiditas pecuniæ, ſeu honoris. Et in iſtis oportet eſſe virtutem, non ſolum circa id quod eſt maximum in eis, ſed etiam circa mediocria, vel minora; quia res exterius exiſtentes etiam ſi ſint paruæ, ſunt multum appetibiles, vtpote neceſſariæ ad hominis vitam. Et ideo circa appetitum pecuniarum, ſunt duæ virtutes. Vna quidem circa mediocres & moderatas, ſcilicet liberalitas. Alia autem circa maximas pecunias, ſcilicet magnificentia. Similiter etiam circa honores ſunt duæ virtutes. Vna quidem ſecundum mediocres honores, quæ innominata eſt; nominatur tamē ex ſuis extremis quæ ſunt Philothimia, id eſt amor honoris, & aphilothimia. i. ſine amore honoris. Laudatur. n. quandoque qui amat honorē, quandoq; autē qui non curat de honore, prout. ſ. vtrumq; moderatè poteſt fieri. Circa magnos autem honores eſt magnanimitas; & ideo dicendum eſt, quod propria materia magnanimitas eſt magnus honor, & ideo ad ea tendit magnanimus quæ ſunt maximo honore digna.

Materia magnanimitatis eſt magnus honor.

Ad tertium, ſcilicet *vtrum magnanimitas ſit virtus.* Dicendum, quod ad rationē virtutis humanæ pertinet, vt in rebus humanis bonum rationis ſeruetur, quod eſt propriū hominis bonum. Inter cęteras autē res humanas exteriores, honores præcipuum locum tenent, ſicut dictum eſt, & ideo magnanimitas quæ modum rationis ponit circa magnos honores, eſt virtus.

Magnanimitas eſt virtus.

Proprietates autem magnanimi, quas ponit Philoſophus tertio Ethi. licet prima facie vituperabiles videantur. Primo quidē, quod magnanimus non eſt memor beneficiorū. Secūdo, quod eſt otioſus, & tardus. Tertio quod vtitur ironia ad multos. Quarto, quod non poteſt cōuiuere familiariter niſi ad amicos. Quinto quod vult magis habere infructuoſa, quam vtilia. Iſtæ tamen proprietates ſecundū quod ad magnanimū pertinent, non ſunt vituperabiles, ſed potius laudabiles excellenter. Quod enim in primo dicitur, quod magnanimus nō habet memoriā à quibus beneficia recipit, intelligendum eſt quantū ad hoc, quod nō eſt ſibi delectabile, quod ab aliquibus beneficia recipiat, quin ſibi maiora recōpenſet, quod pertinet ad perfectionem gratitudinis, in cuius actu vult ſuperexcellere, ſicut & in actibus aliarum virtutum. Similiter etiam ſecundo dicitur, quod eſt otioſus, & tardus; nō quia deficiat ab operando ea, quæ ſibi conueniunt; ſed quia non ingerit ſe quibuſcunque operibus ſibi non conuenientibus, ſed ſolū magnis, qualia decent eum. Dicitur etiā tertio quod vtitur ironia, non ſecundū quod opponitur veritati, vt. ſ. dicat de ſe aliqua vilia quæ non ſunt, vel neget aliqua magna quæ ſunt: Sed quia non totam magnitudinē ſuam monſtrat, maximè quantū ad inferiorū multitudinē: quia ſicut Philoſophus ibidem dicit, ad magnanimum pertinet magnū eſſe ad eos, qui in dignitate & bonis fortunæ ſunt, ad medios autem moderatum. Quarto etiam dicitur, quod ad aliquos nō poteſt conuiuere. ſ. familiariter, niſi ad amicos, quia omnino vitat adulationē & ſimulationem, quæ pertinēt ad animi paruitatem. Conuiuit tamen omnibus, & magnis & paruis, ſecundū quod debet, vt dictū eſt. Quinto etiam dicitur, quod vult habere magis infructuoſa, quam fructuoſa, non quæcunque ſed bona. i. honeſta. Nam in omnibus præponit honeſta vtilibus, tanquam maiora. Vtilia enim quæruntur ad ſubueniendum alicui defectui, qui magnanimitati repugnat.

Ad quartum ſcilicet *vtrum magnanimitas ſit virtus ſpiritualis.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictū eſt, ad ſpiritualē virtutem pertinet, quod modum rationis in aliqua determinata materia ponat. Magnanimitas autē ponit modū rationis circa determinatam materiam, ſ. circa honores, vt ſupra dictū eſt; honor autē ſecundū ſe conſideratus, eſt quoddā bonum ſpirituale, & ſecundū hoc magnanimitas ſecundum ſe conſiderata, eſt ſpiritualis virtus quædam. Sed quia honor eſt cuiuſlibet virtutis præmium, vt ex ſupra dictis patet, ideo ex cōſequenti ratione ſuæ materiæ, reſpicit omnes virtutes.

Magnanimitas eſt virtus ſpecialis, licet ex conſequēti ratione ſuæ materia reſpiciat omnes virtutes.

Ad quintū. ſ. *vtrum magnanimitas ſit pars fortitudinis.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, principalis virtus eſt, ad quam pertinet aliquem generalem modum virtutis conſtituere, in aliqua materia principali. Inter alios autem generales modos virtutis, vnus eſt firmitas animi: quia firmiter ſe habere, in omni virtute requiritur, vt dicitur in 4. Ethi. Præcipuè tamen hoc laudatur in virtutibus quæ in aliquid arduum tendūt, in quibus difficillimum eſt firmitatē ſeruare. Et ideo quanto difficilius eſt in aliquo arduo firmiter ſe habere, tanto principalior eſt virtus quę circa illud firmitatem præſtat animo. Difficilius autem eſt firmiter ſe habere in periculis mortis, in quibus confirmat animum fortitudo, quam in maximis ſperandis vel adipiſcendis, ad quæ confirmat animum magnanimitas, quia ſicut homo maximè diligit vitam ſuam, ita maximè refugit mortis pericula. Sic ergo patet quod magnanimitas conuenit cum fortitudine, in quantum confirmat animum circa aliquid arduum: Deficit autem ab ea in hoc quod firmat animum in eo, circa quod facilius eſt firmitatem ſeruare. Vnde magnanimitas ponitur pars fortitudinis: quia adiungitur ei ſicut ſecundaria principali.

Magnanimitas eſt pars fortitudinis, annexa. ſ. ei vt virtus ſecundaria principali.

Fortitudo tamen & magnanimitas pro eodem accipi poteſt: quia ſicut dicit Philoſophus 2. Ethi. Carere malo, accipitur in ratione boni. Vnde non ſuperari ab aliquo graui malo, puta à periculo mortis, accipitur quodammodo pro eo, quod eſt attingere ad magnum bonum. Quorum primum pertinet ad fortitudinem, ſecundum ad magnanimitatem. Vnde Senec. in lib. de quatuor virtutibus dicit; *magnanimitas, quæ & fortitudo dicitur, ſi inſit animo tuo, cum fiducia magna vitus.* Et Tullius dicit in primo de officijs. *Viros fortes magnanimos eſſe volumus eoſdem veritatis amicos, minimeque fallaces.* Et ſic patet, quod Seneca, & Tullius, fortitudinem & magnanimitatem pro eodē accipiunt: quia tamen alia ratio difficultatis eſt in vtroque prædictorum, ideo propriè loquendo, Philoſophus magnanimitatem ponit aliam eſſe virtutem à fortitudine.

Solutio obie.

Quo ſenſu magnanimitas & fortitudo pro eodem accipiuntur.

Ad ſextum. ſ. *vtrum fiducia pertineat ad magnanimitatem.* Dicendum quod nomen fiducię ex fide ſumptum eſſe videtur ad fidem autem pertinet aliquid, & alicui credere. Pertinet autem fiducia ad ſpem, ſecundum illud Iob. 11. *Habebis fiduciam propoſita tibi ſpe.* Et ideo nomen fiduciæ hoc principaliter videtur ſignare, quod aliquis ſpem concipiat, ex hoc quod credit

Explicantur proprietates magnanimitatis ab Ariſtia.

verbis

verbis alicuius auxilium promittentis. Sed quia fides dicitur opinio vehemens, contingit autem aliquid vehementer opinari, non solum ex eo quod est ab alio dictum, sed etiam ex eo quod in alio consideratur; Inde est quod fiducia potest dici, qua aliquis spē alicuius rei concipit ex aliquo considerato, quandoque quidē in seipso, puta cū aliquis videns se sanū confidit se diu victurum; quandoque autem in alio, puta cum aliquis considerans alium amicum suum esse & potentem, fiduciam habet adiuuari ab eo. Dictum est autem supra quod magnanimitas propriè est circa speciē alicuius ardui, & ideo quia fiducia importat quoddam robur spei, proueniens ex aliqua consideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono assequendo; Inde est quod fiducia ad magnanimitatem pertinet.

Fiducia pertinet ad magnanimitatem.

Ad septimum, scilicet vtrum securitas pertineat ad magnanimitatem. Dicēdum, quod sicut Philosophus dicit in secundo Rethoric. *Timor facit homines consiliatiuos*; in quantum scilicet curam habent qualiter possint ea euadere quam timent. Securitas autem dicitur per remotionē huiusmodi curę, quam timor ingerit; Et ideo securitas importat quādam perfectam quietē animi à timore, sicut fiducia importat quoddam robur spei. Sicut autem spes directè pertinet ad magnanimitatem, ita timor directè pertinet ad fortitudinē; & ideo sicut fiducia immediatè pertinet ad magnanimitatem, ita securitas immediatè ad fortitudinē. Considerandum tamen est, quod sicut spes est causa audaciæ, ita timor est causa desperationis, vt supra habitum est, cū de passionibus ageretur. Et ideo sicut fiducia ex consequenti pertinet ad fortitudinem, in quantum vtitur audacia; ita & securitas ex consequenti pertinet ad magnanimitatem, in quantum repellit desperationem.

Securitas pertinet ad magnanimitatē ex consequenti in quantum repellit desperationem.

Ad octauum scilicet *vtrum bona fortunę pertineant ad magnanimitatem.* Dicendum, quod sicut ex supradictis patet, magnanimitas ad duo respicit, ad honorem quidem sicut ad materiam, & ad aliquid magnum operādum sicut ad finem. Ad vtrumq; autem istorum bona fortuna cooperantur. Quia enim honor virtuosis, non solum à sapientibus sed etiā à multitudine exhibetur, quæ maxima reputat huiusmodi exteriora bona fortunæ; sic ex consequenti cooperātur vt ab eis maior honor exhibeatur his, quibus adsunt exteriora bona fortunæ Similiter etiam ad actus virtutum, organicè bona fortunæ deseruiunt; quia per diuitias, & per potentiam, & amicos, datur nobis facultas operandi. Et ideo manifestum est quod bona fortunæ conferunt ad magnanimitatem.

Bona fortuna conferunt ad magnanimitatem.

DEinde considerandum est de vitijs oppositis magnanimitati. Et primo, de illis quæ opponūtur ei per modum excessus, quæ sunt tria, scilicet: Præsumptio, ambitio, & inanis gloria. De his omnibus require inf. in 3. li. De præsumptione require infra parte tertia distinctione 26. De ambitione require infra parte tertia distinctione 9. De inani gloria, require parte tertia distinctione 8. Secundo de pusillanimitate quæ opponitur ei per modum defectus. De hac require parte sexta distin. 4.

De magnificentia.

DISTINCTIO LXXXV.

DEinde considerandum est de magnificentia, & de vitijs oppositis. Circa magnificentiam considerāda sunt quatuor. Primo vtrum magnificentia sit virtus. Secundo vtrum sit virtus specialis. Tertio, quæ sit eius materia. Quarto vtrum sit pars fortitudinis.

Ad primum scilicet *vtrum magnificentia sit virtus.* Dicendum quod sicut dicitur in primo de cœlo, & mundo. Virtus dicitur per comparationē ad vltimum in quod potentia potest, non quidem vltimum ex parte defectus, sed ex parte excessus, cuius ratio consistit in magnitudine. Et ideo operari aliquid magnum ex quo sumitur nomen magnificentiæ, propriè pertinet ad rationem virtutis, vnde magnificentia nominat virtutem.

Magnificētia est virtus.

Ad secundum, scilicet *vtrum magnificentia sit specialis virtus.* Dicendum, quod ad magnificentiam pertinet facere aliquod magnum, sicut ex ipso nomine apparet. Facere autem dupliciter potest accipi. Vno modo proprie. Alio modo communiter. Propriè autem facere dicitur operari aliquid in exteriori materia, sicut facere domum vel aliquid aliud huiusmodi. Communiter autem facere dicitur, pro quacumque actione, siue transeat in exteriorem materiam, sicut vrere & secare; siue maneat in ipso agente, sicut intelligere & velle. Si igitur magnificentia accipiatur secundum quod importat factionem alicuius magni, prout factio proprie dicitur, sic magnificentia est specialis virtus. Opus enim factibile producitur ab arte. In cuius quidem vsu, potest attendi vna specialis ratio bonitatis, quod ipsum opus factum per artem sit magnum, scilicet in quantitate, pretiositate vel dignitate, quod facit magnanimitas; & secundum hoc magnificentia est specialis virtus. Si vero nomen magnificentiæ accipiatur ab eo quod est facere bonum vel magnum, secundum quod facere communiter sumitur, sic magnificentia non est specialis virtus.

Magnificentia proprie accepta est specialis virtus.

Ad tertium scilicet *de materia magnificentię.* Dicendum, quod ad magnificentiā, sicut dictum est, pertinet tendere ad aliquod magnum opus faciendum. Ad hoc autem quod aliquod magnum opus conuenienter fiat, requiruntur proportionati sumptus. Non enim possunt magna opera fieri nisi cum magnis expensis. Vnde ad magnificentiam pertinet magnos sumptus facere, ad hoc quod opus magnum conuenienter fiat. Vnde & philosophus dicit in 4. Ethic. quod *magnificus ab equali* id est proportionato sumptu, *opus faciet magis magnificum.* Sumptus autem est quædam pecuniæ emissio, à qua potest aliquis prohiberi per superfluum amorem pecuniæ, & ideo materia magnificentiæ potest dici & ipsi sumptus quibus vtitur magnificus ad opus magnum faciendum, & ipsa pecunia qua vtitur ad sumptus magnos faciendos, & amor pecuniæ quē moderatur magnificus, ne sumptus magni impediantur.

Materia magnificentiæ sunt magni sūptus, pecunia & amor pecuniæ quāuis diuerso sensu.

Vnde nota quod vsus pecuniæ aliter pertinet ad liberalem, & aliter ad magnificum. Ad liberalem enim pertinet secundum quod procedit ex ordinato affectu circa pecunias. Et ideo omnis vsus debitus pecuniæ, cuius impedimentum tollit moderatio amoris pecuniæ, pertinet ad liberalem, scilicet dona & sumptus. Sed vsus pecuniæ pertinet ad magnificum, in ordine ad opus aliquod magnum quod faciendum est; & talis vsus non potest esse fine sumptu siue expensa. Magnificus etiam dat dona vel exenia, vt dicitur in 4. Ethi. Non tamen sub ratione doni, sed potius sub ratione sumptus ordinati ad aliquod opus faciendum, puta ad honorandum aliquem, vel ad faciendum aliquid, vnde proueniat honor toti ciuitati: sicut cum facit aliquid ad quod tota ciuitas stndet.

Solutio obie.

Item quia principalis actus virtutis est interior electio, quam virtus potest habere absque exteriori fortuna, ideo pauper potest esse magnificus. Sed ad exteriores actus virtutum, requiruntur bona fortunæ sicut quædam instrumenta, & secundum hoc pauper non præter exteriorem actum magnificentiæ exercere in his quæ sunt magna simpliciter, sed fortè in his quę sunt magna per comparationem ad aliquod opus, quod etsi in se sit paruum, tamen potest magnificè fieri, secundum proportionem illius generis. Nam paruum, & magnum dicuntur relatiuè, vt Philosophus dicit in prædicamentis.

Pauper potest esse magnificus quoad internam electionē, sed non quoad exteriorem actum.

Ad quartum scilicet *vtrum magnificentia sit pars fortitudinis.* Dicendum quod magnificentia secundum quod est spiritualis virtus, non potest poni pars subiectiua fortitudinis, quia nō conuenit cum ea in materia:

Magnificentia est pars potétialis fortitudinis, quia est illi annexa vt secundaria principali.

ſed ponitur pars eius in quantum adiungitur ei, ſicut virtus ſecundaria principali. Ad hoc autē quod aliqua virtus adiungatur alicui principali duo requiruntur, vt ſupra dictū eſt, Quorum vnum eſt, vt ſecundaria conueniat cum principali. Aliud autem eſt, vt in aliquo excedatur ab ea. Magnificentia autē conuenit cum fortitudine, in hoc, quod ſicut fortitudo tendit in aliquod arduum & difficile, ita etiam magnificentia: vnde etiā videtur eſſe in iraſcibili, ſicut & fortitudo. Sed magnificentia deficit à fortitudine in hoc, quod illud arduū in quod tendit fortitudo, habet difficultatē propter periculū quod imminet perſonę. Arduū autē in quod tendit magnificentia, habet difficultatē propter diſpēdium rerum, quod eſt multū minus quā periculū perſonæ; & ideo magnificentia ponitur pars fortitudinis.

Solutio obie.

Et nota, quod magnificentia conuenit in materia cū liberalitate, vt dictum eſt; & tamen liberalitas non eſt pars fortitudinis, ſicut magnificentia, ſed eſt pars iuſtitiæ. Cuius ratio eſt: quia iuſtitia reſpicit operationes ſecundum ſe, prout in eis conſideratur ratio debiti: ſed liberalitas & magnificentia, conſiderant operationes ſumptuum, ſecundum quod comparantur ad paſſiones animę, diuerſimodè tamen. Nam liberalitas reſpicit ſumptus per comparationem ad amorem, & cōcupiſcentiam pecuniarū: quę ſunt paſſiones concupiſcibilis, quibus nō impeditur liberalis à dationibus & ſumptibus faciendis: Vnde eſt in concupiſcibili. Sed magnificentia reſpicit ſumptus per comparationē ad fidē, & ſpem, attingendo ad aliquid arduum, nō ſimpliciter, ſicut magnanimitas, ſed in determinata materia, ſcilicet in ſumptibus. Vnde magnificentia videtur eſſe in iraſcibili, ſicut & magnanimitas.

Magnificentia & magnanimitas ſunt in iraſcibili.

Porro etſi magnificentia non conueniat cum fortitudine in materia, conuenit tamen cum ea in conditione materiæ, inquantum ſcilicet tendit in aliquid arduum circa ſumptus, ſicut fortitudo in aliquid arduum circa timores.

De paruificentia.

DISTINCTIO LXXXVI.

DEinde conſiderandū eſt de vitijs oppoſitis magnificentiæ. Et primo vtrum paruificentia ſit vitium. Secundo de vitio ei oppoſito.

Ad primum ſcilicet *vtrum paruificentia ſit vitiū*. Dicēdum quod Moralia ſpeciem ſortiuntur à fine, vnde & à fine vt pluries nominātur. Ex hoc ergo dicitur aliquis paruificus, quod intendit ad aliquod paruum faciendū; paruum autē & magnum ſecundū philoſophū in prædicamētis relatiuè dicuntur. Vnde cum dicitur quod paruificus intendit aliquid paruum facere intelligendum eſt in comparatione ad genus operis quod facit. In quo quidem, magnum & paruum poteſt attēdi dupliciter. Vno modo ex parte operis fiendi: Alio modo ex parte ſumptus. Magnificus igitur principaliter intendit magnitudinem operis. Secundario intēdit magnitudinem ſumptus, quā non vitat, vt faciat magnum opus. Vnde philoſophus dicit in 4 Eth. Quod *magnificus ab æquali ſumptu facit opus magis magnificum*, paruificus autem econuerſo principaliter quidem intendit paruitatem ſumptus. Vnde philoſophus dicit in 4. Ethi. Quod *intendit qualiter minimum conſumat*: ex conſequenti autem intendit paruitatem operis, quam ſcilicet non recuſat, dūmodo paruum ſumptū faciat. Vnde philoſophus ibidem dicit, quod *paruificus maxima conſumens in paruo* puta quod non vult expendere, *bonum perdit*. ſ. magnifici operis. Sic ergo patet, quod paruificus deficit à proportione quæ debet eſſe ſecundū rationem, inter ſumptum & opus: defectus autem ab eo quod eſt ſecundum rationem, cauſat vitij rationem. Vnde manifeſtum eſt quod paruificentia vitium eſt.

Paruificētia eſt vitium.

Ad ſecundū, ſcilicet *vtrum paruificentiæ aliquod vitium opponatur*. Dicendum, quod paruo opponitur magnum: Paruum autem & magnum vt dictū eſt, relatiuè dicuntur. Sicut autem contingit ſumptum eſſe paruum in comparatione ad opus, ita etiam contingit eſſe magnum in comparatione ad opus, vt ſcilicet excedat proportionem quæ debet eſſe ſumptus ad opus, ſecundum rationis regulam. Vnde manifeſtum eſt quod vicio paruificentiæ qua aliquis deficit à proportione debita expenſarum, intendens minus expendere, quam dignitas operis inquirat, opponitur vitium quo quis dictā proportionē excedit, vt plus ſcilicet expendat quam ſit operi proportionatum. Et hoc vitium quidem græcè dicitur bannauſea à furno dicta, quia videlicet ad modum ignis qui eſt in furno, omnia conſumit: vel dicitur Apyrocalia, id eſt ſine bono igne, quia ad modum ignis omnia conſumit, non propter bonum. Vnde latinè hoc vitium nominari poteſt conſumptio.

Paruificētia opponitur alind vitiū quod dici poteſt conſumptio.

De patientia.

DISTINCTIO LXXXVII.

DEinde conſiderandum eſt de patientia, circa quā conſideranda ſunt nouem. Primo, vtrum patiētia ſit virtus. Secundo, vtrum ſit maxima virtutum. Tertio, vtrum poſſit haberi ſine gratia. Quarto, vtrum ſit pars fortitudinis. Quinto, vtrum ſit idem cum longanimitate. Sexto, oſtendemus, quam multipliciter dicatur. Septimo quod multipliciter impugnatur. Octauo, qualiter & à quibus adiuuatur. Nono qualiter infirmitates corporis patienter debeant tolerari, & de multiplici vtilitate tribulationis.

Ad primum ſcilicet *vtrum patientia ſit virtus*: Dicendum, quod ſicut dictum eſt ſupra, virtutes morales ordinantur ad bonum, inquantum conſeruant bonum rationis contra impetus paſſionum. Inter alias autem paſſiones, triſtitia efficax eſt ad impediendum bonum rationis, ſecundum illud 2. ad Corin. 7. *Seculi triſtitia mortem operatur*. Et Eccleſiaſtici 13. *multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa*. Vnde neceſſe eſt habere aliquam virtutē, per quam bonum rationis conſeruetur contra triſtitiam, ne. ſ. ratio triſtitiæ ſuccūbat, hoc autē facit patientia. Vnde Augu. dicit in lib. de patientia quod *patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus* id eſt ſine perturbatione triſtitiæ, *ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus*. Vnde manifeſtū eſt patientiā eſſe virtutem. Vnde dicit Aug. in li. de patientia: *virtus animi quæ patientia dicitur, tam magnum donum Dei eſt, vt etiam ipſius qui nobis eam largitur, patientia prædicetur*. Tullius etiam inter partes fortitudinis eam connumerans, dicit in prima rhetorica ſua. *Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa, verum arduarum terribiliumque voluntaria ac diuturna perpeſſio*. Honeſtatis cauſa, vt cum quis per fidē Chriſti potius mori eligit, quā eam negando, vitam ſeruare vtilitatis cauſa, vt cū quis paſtor Eccleſiæ pro gregis ſalute mori elegit, voluntaria dicitur, quia nemo omnino inuitus, nec laudem acquirit, nec meritum. Diuturna dicitur, quod ad rationem patientiæ pertinet, vt in ipſa perſeueretur.

Patiētia eſt virtus.

Solutio obie.

Sumitur autem patientia quandoque largè, ſecundum quod eſt circa omne difficile, & circa omnem tentationem, ſtrictè vero ſumitur ſecundum quod eſt circa paſſiones extrinſecus illatas; actus vero patientiæ recipit paſſionem, ita quod animus non ſuccumbat, neque vindictam inferentis appetat.

Et nota, quod patientia inter virtutes ponitur, & inter fructus ab Apoſtolo numeratur. Gal. 5. quia fructus de ſui ratione importat quandam delectationem. Sunt autem operationes virtutum delectabiles ſecundū ſeipſas, vt dicitur in primo Eth. Conſuetum eſt autem, vt nomine virtutum etiam virtutum actus ſignificentur; & ideo patientia quantum ad habitū, ponitur virtus, quantum autem ad delectationem quam habet in actu, ponitur fructus; & præcipuè quantum

Patientia quoad habitum eſt virtus quoad delectationē in actu eſt fructus.

ad hoc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad hoc quod per patientiam animus præseruatur, ne obruatur tristitia.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum patientia sit maxima virtutum:* dicendum, quod virtutes secundum iam dicta ordinãtur ad bonum. Est enim virtus quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit; vt dicitur in 2. Eth. vnde oportet quod tanto principalior sit virtus & potior, quanto magis & directius ordinat in bonum; directius autem ad bonum ordinant hominem virtutes quæ sunt constitutiuæ boni, quam illæ quæ sunt impeditiuæ eorum, quæ abducunt à bono; & sicut inter illas quæ sunt constitutiuæ boni, tanto aliqua potior est, quanto in maiori bono cõstituit hominem; sicut fides, spes, & charitas; quam prudentia & iustitia; ita etiam inter illas quæ sunt impeditiuæ retrahentium à bono, tanto aliqua est potior, quanto id quod ab ea impeditur magis à bono retrahit. Plus autem à bono retrahunt pericula mortis, circa quæ est fortitudo; vel delectationes tactus, circa quæ est temperantia; quam quæuis aduersa, circa quæ est patientia: & ideo patientia non est potissima virtutum, sed deficit non solum à virtutibus Theologicis, vt prudentia & iustitia, quæ directè statuunt hominem in bono; sed etiam à fortitudine, & temperantia, quæ retrahunt à maioribus impedimentis.

Patientia nõ est potissima virtutum.

Sciendvm autem quod in tolerandis, quæ sunt obiectum patientiæ, Primo procedit tristitia, quam moderatur patientia. Secundo ira, quam moderatur mãsuetudo. Tertio odium, quod tollit charitas. Quarto iniustum nocumentum, quod prohibet iustitia. tollere enim principium vniuscuiusq; est perfectius: nec tamen sequitur, si in hoc patientia est perfectior, quod sit perfectior simpliciter.

Solutio obiect.

Item nota, quod secundum Greg. in quadam Homil. patientia est radix & custos omnium virtutum, non quasi directè eas causando & conseruando, sed solum prohibens remouendo.

Ad tertivm, scilicet *vtrum patientia possit haberi sine gratia:* dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de patientia: *via desideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum; & nemo nisi pro eo quòd delectat, sponte suscipit quod cruciat.* Et huius ratio est, quia tristitiam & dolorem secundum se abhorret animus; vnde nunquam eligeret eam pati propter se, sed solũ propter finem: ergo oportet quod illud bonum, propter quod aliquis vult pati mala, sit magis volitum, & amatum, quam illud bonum, cuius priuatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus. Quod autem aliquis præferat bonum gratiæ omnibus naturalibus bonis, ex quorum amissione potest dolor causari, pertinet ad charitatem, quæ diligit Deum super omnia. Vnde manifestum est, quod patientia secundum quod est virtus à charitate causatur 1. Corin. 13. *Charitas patiens est.* Manifestum est autem quod charitas non potest haberi, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vnde patet quod patientia sine auxilio gratiæ non potest haberi.

Patientia inquantũ est virtus à charitate causatur & ita nõ potest esse sine gratia.

In natura enim humana si esset integra, prævaleret inclinatio rationis; sed in natura corrupta, prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine damnatur; & ideo pronior est homo ad sustinendum mala, in quibus concupiscentia delectatur præsentialiter, quam tolerare mala propter bona futura, quæ secundum rationem appetuntur; quod tamen pertinet ad veram patientiam. vnde dicit August. in li. de patientia, quod *multa mala in laboribus & doloribus sustinent homines, propter illa quæ vitiosè diligunt.*

Solutio obiect.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum patientia sit pars fortitudinis:* dicendum, quod patientia est pars fortitudinis quasi potentialis, quia adiungitur fortitudini, sicut virtus secundaria principali. ad patientiam enim pertinet, aliena mala æquanimiter perpeti, vt Greg. dicit in quadam Homil. In malis autem quæ ab alijs inferuntur, præcipua sunt & difficilia ad sustinendum illa, quæ pertinent ad pericula mortis, circa quæ est fortitudo. Vnde patet, quod in ista materia principalitatem tenet fortitudo quasi vendicans sibi id, quod principalius est in hac materia, & ideo patientia adiũgitur fortitudini, sicut secundaria virtus principali; quia ad fortitudinem pertinet, non aliquodcunque sustinere difficile, sed illud quod est summè difficile in sustinendo; scilicet sustinere pericula mortis; ad patientiam autem pertinere potest sustinentia quorumcunque malorum.

Patientia est pars potentialis fortitudinis.

Item actus fortitudinis non solum consistit in hoc, quod aliquis in bono perlistat contra timores futurorum periculorum, sed etiam vt non deficiat propter præsentium tristitiam seu dolorem; & ex hac parte habet affinitatem cum fortitudine patientia: fortitudo tamen principaliter est circa timores, ad quorum rationem pertinet fugere, quod vitat fortitudo: patientia vero principalius est circa tristitias, nam patiens aliquis dicitur, non ex hoc quod non fugit, sed ex hoc quod laudabiliter se habet in patiendo, quæ principaliter nocent, vt scilicet non inordinatè ex eis tristetur; & ideo fortitudo propriè est in irascibili, patiẽtia autẽ in concupiscibili: nec hoc impedit quin patientia sit pars fortitudinis, quia adiunctio virtutis ad virtutem, non attenditur secundum subiectum, sed secundum materiam vel formam. nec tamen patientia ponitur pars temperantiæ, quamuis vtraque sit in concupiscibili, quia temperantia est solum circa tristitias, quæ opponũtur delectationibus tactus, puta quæ sunt ex absentia ciborum, vel venereorum, sed patientia est præcipuè circa tristitias, quæ ab alijs inferuntur. & iterum ad temperantiam pertinet refrenare huiusmodi tristitias, sicut & delectationes contrarias: ad patientiã autẽ pertinet, vt propter huiusmodi tristitias quantæcunque sint, homo non recedat à bono virtutis.

Solutio obiect.

Fortitudo est circa timores, patientia circa tristitias & ideò hæc est in cõcupiscibili, illa in irascibili.

Potest autem patientia quantum ad aliquid sui, poni pars integralis fortitudinis, prout scilicet aliquis patienter sustinet mala, etiam quæ pertinent ad pericula mortis; nec est contra rationem patientiæ, quod aliquis, quando opus fuerit, insiliat in eum qui mala facit, quia vt Crysost. dicit super illud Matth. 7. *Vade Satana. In iniurijs proprijs patientem esse laudabile est: Iniurias autem Dei patienter sustinere nimis est impium.* Et Aug. dicit in quadam Epistola ad Marcellin. quod *præceptæ patientiæ nõ contrariantur bono reipub. pro quo cẽseruando contra inimicos impugnatur.* Secundum vero quod patientia se habet circa quæcunque alia mala, adiungitur fortitudini, vt virtus secundaria principali.

Patientia est peccatũ aliquid sui, pars integrãlis fortitudinis.

Ad quintum, scilicet *vtrum patientia sit idem cum longanimitate:* dicendum, quod sicut magnanimitas dicitur per quam aliquis habet animum tendendi in magna, ita etiam longanimitas dicitur per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum distat, & ideo sicut magnanimitas magis respicit spem tendẽtem in bonum, quã audaciam, & timorem, siue tristitiam, quæ respicit malũ, ita etiam & longanimitas: Vnde & lõganimitas maiorẽ conuenientiã videtur habere cum magnanimitate, quam cũ patientia: potest tamen habere cum patientia conuenientiam duplici ratione. Primo quidem, quia patientia, sicut & fortitudo, sustinet, aliqua mala, propter aliquod bonũ, quod si ex propinquo expectetur, facilius est sustinere: Si autem in longinquum differatur, difficilius est quata mala oportet in præsenti sustinere. Secundo, quia hoc ipsum quod est differri bonum speratum, natum est causare tristitiam, secundum illud Prouerb. 14. *Spes quæ differtur affligit animam.* Vnde & in sustinendo huiusmodi afflictionem, potest esse patientia, sicut & in sustinendo quascunque alias tristitias. Sic ergo dicendum est, quod secundum quod sub ratione mali circumstantis, potest comprehendi & dilatio boni sperati, quæ pertinet ad longanimitatem, & labor quem homo sustinet in continuata executione boni operis, quod pertinet ad constantiam; tam longanimitas, quam etiam constantia, sub patientia comprehenduntur. Vnde Tullius diffiniens patientiam dicit, quod

Longanimitas conuenit dupliciter cũ patientia. sed magis, cum magnanimitate.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

patientia eſt honeſtatis, aut vtilitatis cauſa, voluntaria & diuturna perpeſsio rerum arduarum & difficilium: quod dicit arduarum, pertinet ad conſtantiam in bono: quod dicit difficilium, pertinet ad grauitatem mali quam propriè reſpicit patientia:quod addit,& diuturna,pertinet ad longanimitatem ſecundum quod conuenit cum patientia.

De diuiſione patientiæ & quomodo impugnatur.

DISTINCTIO LXXXVII.

Patientia eſt multiplex.

CIRCA ſextum ſciendum, quod patientia multipliciter inuenitur. Eſt enim patientia euidenter ſcelerata,hoc eſt patientia peruerſorum,qui multa mala ſuſtinent,pro ſuis ſceleribus adimplendis.Iere.9.*Vt iniquè agerent laborauerunt.*hoc in inferno recognoſcunt impij. Sic dicitur Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis,ambulauimus vias difficiles,*&c.

1. *Euidenter ſcelerata,*

2. *Fraudulenter ſimulata.*

ITEM eſt patientia *fraudulenter ſimulata*, hoc eſt patientia fictorum & hypocritarum,qui ſe ſimulant multa pati, vt videantur hominibus eſſe iuſti. Matth.11. *Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes:*multa quidem patiuntur,ſed intentione ſiniſtra, & ideo cum latrone ſiniſtro damnantur.

3. *Impatienter inflata.*

ITEM eſt patientia *impatienter inflata*,quando ſcilicet aliquis aſpera & dura aduerſitatis ſuſtinet, cum murmure vel dolore cordis; ſicut Symon Cyreneus, *qui crucem domini portauit in angaria.* Mat. 26. Similiter & multi religioſi,ſed parum deuoti,frequenter ieiunant, vel alia religionis onera perferunt, qui bene vellent à talibus abſtinere,vel aliud facere ſi liceret. de talibus dici poteſt illud pſalmi 58.*Famem patiẽtur vt canes,*&c. Si vero non fuerint ſaturati,& murmurabunt. Similiter & ſeruus multa patitur à domino ſuo, conuitia, vincula, verbera,in corde quidem murmurãs, ſed non audens oſtendere ſignum impatientiæ,ex timore videlicet,vel pudore. Sic & multi patiuntur ægritudines, & dolores,ſed ex neceſſitate, non ex deuotione, quia non poſſunt aliud facere, & aliqui multa patiuntur, vt ab illis liberentur, ſicut mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur, 12. annis. Matth.9. & Marc. 5. *Mulier quæ erat in profluuio ſanguinis annis 12, & fuerat multa perpeſſa à pluribus Medicis, & erogauerat omnia ſua nec quicquam profecerat,ſed magis deterius habebat,*&c.& Matt.17.*Miſerere filio meo,quia lunaticus eſt,& male patitur.*

4. *Affectanter acceptata.*

ITEM eſt patientia *affectanter acceptata*, hoc eſt patientia iuſtorum,qui ſuſtinent propter Deum,& illos etiam propter Deum diligunt, qui perſecutionem eis inferunt,ſicut ait Greg. Hom.15. Euang. parte prima: *patientia vera,eſt aliena mala æquanimiter perpeti, cõtra eum quoque qui irrogat,nullo dolore morderi. Nam qui ſic proximi mala portat, vt tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat,patientiam non exhibet,ſed oſtendit. Scriptum quippe eſt,charitas patiens eſt,benigna eſt: patiens quippe eſt, vt aliena mala toleret, benigna vero, vt ipſos quoque quos portat, amet.*

Patientia iuſtorum triplex,ſcilicet in corde, ore & opere.

HÆC autem patientia triplex eſt. Videlicet cordis, oris,& operis.In corde quidem debet haberi patientia,vt homo propter Deum voluntariè patiatur. Eccleſiaſtici 7.*Melior eſt patiens arrogante.* Et Prou.17. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Greg. Homil. Euang. 15. parte prima. *Minor eſt victoria vrbes expugnare,quia extra ſunt qui vincuntur. Maius autem eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubiecit, quando eum patientia in humilitate ſternit.* ſed plerumque contingit,ſicut ibidem dicit Greg. quod *aliqui eo tempore quo patiuntur aduerſa, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulſentur; & ſic patientiam exhibent,quod etiam innocentiam cordis ſeruant:poſtmodum,quando qui pertulerunt ad memoriam reuocant, igne vehementiſsimi doloris inſtigantur, argumenta vltionis inquirunt, manſuetudinem qui tolerantes habuerant,amittunt. callidus enim hoſtis, contra duos bellum commouet: Vnum inflammans, vt contumelias prior inferat: alterum vero prouocans,vt contumelias,læſus reddat.ſed quia iam victor extitit, quem ad contumelias proferendas commouit; contra illum actus dolet,quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. quietis ergo tẽporibus ad victoris animum rediens,vel damna rerum, vel iniuriarum iacula ad memoriam reducit, cuncta quæ ſibi illata ſunt vehementer exaggerans,intolerabilia fuiſſe oſtendit,& quieſcentis animum tanto furore conturbat, vt plerumque vir patiens, illa ſe toleraſſe, poſt victoriam erubeſcat.Iſti ſunt ſimiles illis, qui per fortitudinem in bello victores ſunt.ſed per negligentiam poſtmodum, intra vrbis mœnia capiuntur. Vel illis quos irruens grauis lãguor à vita non ſubtrahit, ſed leuiter veniens recidiua febris, occidit.Ille ergo verè patientiam ſeruat, qui ad tempus aliena mala ſine dolore tolerat, & hæc eadem pertractans, exultat ſe talia pertuliſſe,ne quietis temporibus, bonum patientiæ pereat, quod in perturbationibus cuſtoditur.* Sic ergo ſeruanda eſt patientia in corde.

Patiẽtia ſeruanda in ore

ITEM eſt patientia ſeruanda in ore,ſicut docet Apoſtolus 1.Tim.4. *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Prælatis præcipuè neceſſaria eſt patientia in ore, quia ſicut dicit Greg. vbi ſupra, *per impatientiæ vitium, ipſa virtutum nutrix doctrina diſſipatur. Scriptum namque eſt* Prouerb. 19. *doctrina viri per patientiam dignoſcitur. Tanto ergo vnuſquiſque minus doctus oſtenditur, quanto conuincitur minus eſſe patiens:*neque enim poteſt veraciter bona docendo impendere, ſi viuendo neſciat æquanimiter aliena mala tolerare.

Patiẽtia ſeruanda in opere.

ITEM ſeruanda eſt patientia in opere 1.Theſ.4. *Patientes eſtote ad omnes.*Rom.12. *In tribulatione patientes.*& 2. Corin. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia.* & Iacobi. 5. *Patientes eſtote.* Greg.vbi ſupra. *Seruate fratres in mente patientiam, camq; cum res exigit exercitate in operatione.*

Patientia quatuor modis exercetur ſeu impugnatur.

CIRCA ſeptimum, ſcilicet *quod patientia multipliciter impugnatur,vel exercitatur*, ſicut ait Gregor. vbi ſupra. Sciendum quod quatuor modis virtus patientiæ exerceri ſolet,alia namque à Deo,alia ab antiquo aduerſario,alia à proximo, & alia à nobisipſis ſuſtinemus; ab his enim tribulatio vel afflictio ortũ habet. A Deo namque nobis infliguntur infirmitates corporũ, amiſſiones rerum, & etiam amicorum, hæc autem omnia patienter ſuſtinere debemus, ſcientes, quod hæc eſt diſciplina patris pijſſimi & amantiſſimi, quam dat filijs,in ſignum clementiæ & amoris, pro correctione noſtra,& vtilitate multiplici,Apo.3. *Ego quos amo,arguo & caſtigo.*Heb.12.*Fili noli negligere diſciplinam patris; quẽ enim diligit dominus, corripit, caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.*& infra. *Quis enim filius, quem non corripiat pater, & ſi extra diſciplinam eſtis, ergo non filij, ſed adulteri eſtis.* glo. *qui vult exceptus eſſe à diſciplina flagellorum,exceptus erit à numero filiorum.*

1. *A Deo.*

2. *A demone.*

SECVNDO patientiæ virtus impugnatur à dæmone per tentationes varias.Greg.*Aſſidua tentatione Diabolus pulſat,vt ſaltem tædio vincat.*eius tentatio dicitur Aquil. Iere.1. *Ab Aquilone pandetur omne malum, hic eſt ventus veniens à regione deſerti,*id eſt à Diabolo,qui Deum deſerens,& à Deo deſertus,cœlum deſeruit,& nos à cœleſti regione nititur excludere.De multiplici tentatione Diaboli, require infra li.3. diſt.1.

3. *A proximo.*

TERTIO patientiæ virtus exercitatur à proximo, dum nobis infert læſionem corporum, damna rerum, contumelias verborum.De primo Heb.11.*Sancti ludibria & verbera experti,inſuper & vincula,& carceres,lapidati ſunt,ſecti ſunt,tentati ſunt,in occiſione gladij mortui ſunt* &c. Hymnus. *Cæduntur gladijs more bidentium; non murmur reſonat, non querimonia; ſed corde tacito, mens bene conſcia; conſeruat patientiam.*Sic dominus in flagellis,ludibrijs,& huiuſmodi:immo & in Crucifixione ſua,patientiam exhibuit, & quod longe maius eſt, pro ſuis Crucifixoribus exorauit, eos etiam excuſando, Io.19. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Sic & B. Stephanus, in ſua lapidatione, Act.7. Similiter & B. Iacobus frater domini pro inimicis ſuis legitur exoraſſe.De patientia exhibenda in corporis læſione,ponantur exempla quæ ſequuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REFERT. B. Greg. 1. Dial. 4. de Libertino (qui tantæ fuit virtutis, quod Deus per eum cuiusdam viduæ mulieris filium suscitauerat) in hunc modum. Pater monasterij aliquando contra dictum Libertinum grauius inardescens, cum manibus percussisset, cædens etiam eum in capite & facie scabello subpedaneo; grauiter percussit, & totam eius faciem tumentem & liuidam reddidit; quod cum tacitus sustineret; in crastinum venit ad lectum dicti Abbatis, petens orationem humiliter, & benedictionem, quia habebat ire pro negotijs monasterij: ille autem humilitatem & patientiam dicti viri, & asperitatem & duritiam & iniuriam quam intulerat tanto viro, confusus & compunctus, procidit ad pedes eius, se reum confitens, petijt veniam. Econtra Libertinus ad terram se prostrauit, sibi imputans quod pertulerat, non eius seuitiæ. Inde factum est vt ad maximam mansuetudinem dictus Abbas deueniret, & vt humilitas discipuli, magistra fieret magistri, & cum quæreretur à Libertino, quomodo sic haberet faciem tumidam & liuidam; peccatis meis exigentibus, respondebat, in scabello subpedaneo impegi. *Exemplum.*

Item in vitis Patrũ legitur, quod philosophi venerunt probare Monachos, & videntes vnum transeuntem vestitum bene stola alba; dixerunt, tu veni huc: ille indignatus, iniurijs aggressus est eos, transeunti autem Monacho magno, dixerunt ei; tu monache male senex, veni huc: quo adueniente ad eos, dabant ei alapas: qui cæsus in vna maxilla porrexit eis aliam, quod videntes philosophi illi, statim adorauerunt eum dicentes: Vere ecce hic Monachus, & fecerunt eum sedere in medio sui, quærentes: quid plus facitis à nobis, quia ieiunamus, & corpora nostra castigamus, sicut & vos. Respondit senex, in gratia Dei speramus, & mentem nostram custodimus. Responderunt philosophi, hoc non possumus facere, & recesserunt bene ædificati. *Exemplum.*

Item dicit Hie. in epistola ad Rusticum Monachum, quod in quadam congregatione erat rusticus quidam, qui nimio ardore carnalis concupiscentiæ inflammabatur, & à diabolo tentabatur ad fornicandum, quem cum non posset pater monasterij reuocare à tentatione illa, verbera attentauit, iniungens cuidam Fratri Seniori, vt eum iniurijs afficeret, & de eo, ei clamorem in capitulo offerret, & occasionem accusandi eum semper daret alijs. Vnde cum ille eum sæpe accusaret, & pater eum verberaret assidue; vocauit eum pater monasterij secreto, quærens si adhuc à spiritu fornicationis vexaretur: cui respondit: Papa viuere mihi non licet, & fornicari liberet, & ita pater ille per flagellum verberum, curauit vulnus tentationis.

De impulsione tentationis diabolicę loquitur Bern. super Canti. *Impulsor hominis ad malum est diabolus, mundus, & homo, diabolus, liuore malicię, mundus, vento vanitatis; homo pondere suæ corruptionis impellit, sed non euertit, si tuum ei negaueris auxilium & consensum. Impellit mundus, quia in maligno positus est, sed solos euertit suos amicos, & consentaneos sibi. Noli ergo esse amicus mundi, ne constituaris inimicus Dei, & cadas quo nullus casus grauior.* De multiplici tentatione diaboli dicemus infra 3. li. quomodo diabolus per suas diuersas conditiones, & proprietates diuersimodè tentat, de hoc sunt multæ auctoritates, rationes, & exempla.

Secundo patiuntur iusti ab impijs ex damnificatione rerum: in quo probatur eorum patientia, ipsi vero patienter sustinentes, lucra spiritualia acquirunt, & æternum præmium consequuntur, vnde de lucro tanto gaudent sicut illi de quibus dicitur Heb 10. *Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscepistis.*

In vit. pa. ti. de patientia legitur, quod cum in cella cuiusdam senis venissent latrones, & quæreret quid vellent, dixerunt, quod tollere omnia quæ in cella eius erant, venerant, qui respondit: quantum vobis videtur filioli tollite, qui cum tollerent omnia præter sacculum quendam absconditum, clamauit post eos: ecce filioli, tollite sacculum quem obliti estis, qui admirantes senis patientiam, restituerunt ei omnia, pœnitentiam agentes. *Exemplum.*

Item 3. Dial. 20. cá. Cum quidam Sanctus nomine Stephanus paupertatis amator, patientiam in aduersis custodiens amore Cælestium, audisset messem suam quam seminauerat & collegerat ad opus anni, succensam à quodam malitioso: & dixisset ei quidam, væ pater Stephane, quid contigit tibi? cui ille statim mente placita respondit: vę potius illi qui hoc fecit, magis enim illi condolebat, qui hoc fecerat, quam sibi; magis vt dicit Greg. plangens, id quod culpæ reus perdebat intetius, quam quod ipse perdiderat exterius. *Exemplum.*

Item tertio persequuntur mali bonos contumelijs verborum, in quibus eorum patientia probatur; sicut legitur Semei fecisse semel Dauid, cum fugeret à facie Absalon, lapides post eum iacens, & dicens: *egredere vir sanguinum, vir Belial*, &c. 2. Re. 16. ipse autẽ tanquã surdus non audiebat, & sicut mutus non aperiens os suum, nisi quod inhibebat suis, ne aliquid malum inferrent ei, dicens, quod Deus hoc ei præceperat, vt sibi malediceret: sed ei nihil respondit. Sic dominus in passione in contumelijs nihil respondebat, saturatus opprobrijs, sic sancti verborum contumelias sustinent patienter & libenter, propter domini promissum Mat. 5. *beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint vobis*, &c. *Gaudete & exultate* &c. Item propter domini exemplum, & patientiæ lucrum, sicut fecit Constantinus mansionarius, de quo legitur Dial. 40. quod cum esset tantæ sanctitatis, quod cum in ecclesia vbi seruiebat, non posset habere oleum ad lampades illuminandas, posuit ibi aquam quæ officium olei suppleuit, vt in ea ignis sicut in oleo luceret. Vnde cum propter hoc & alia eius fama se diffunderet, & multi venirent ad eum visitandum; venit ibi ad hoc quidam rusticus, & inueniens illum lampades succẽdentem & videns pusillum statura, atque despectum corpore, quem tam magnum audiuerat fama, despexit eum & derisit dicens: ego grandem credidi inuenire, iste autem nihil habet de homine, quod audiens vir sanctus dimissis lampadibus quas aptabat, cucurrit in amplexus & oscula dicti rustici gaudens & gratias agens, & dicens: tu solus in me apertos oculos habuisti, & de me rectè iudicasti: vbi dicit Greg. *qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat.*

Item in collationibus patrum lib. 12. legitur quod quædam recluſa Alexandriæ, petijt ab episcopo quod traderet ei sociam aliquã, quę esset cum ea insolatium, qui tradidit ei viduam honestate pollentem, mitem, dulcem, in oratione persistentem, obedientem, & sibi deuote seruientem, quæ conquesta est episcopo dicẽs, quod non esset ei vtilis: qui dedit ei aliam duram, & verbosam, & litigiosam, & rebellem, & eam multis conuitijs afficientem, de qua non est conquesta, sed eam pacifice sustinuit vsquequo cũ ea exercitata, eius iniurijs addisceret perfectam patientiam, pro quo admirans episcopus, cum quæreret quomodo esset ei, & ipsa diceret, quod in pace: & quæreret quomodo in maiori pace erat cum ista, quam cum prima: Respondit, quod prima erat ita dulcis & ita pacifica, quod nihil lucrabatur eius patientia: cum secunda autem exercitabatur, & multis iniurijs perfectam didicerat patientiam habere. *Exemplum.*

Item in li. 2. de vit. pa. Cum Abbas Moyses esset niger, & ordinaretur ab episcopo presbyter, operuit eum pallio albo dicens, ecce Abba totus albus factus es. Cui ille, putasne pater quod aliquando penitus sic albus fieri possum. Tunc episcopus præcepit clericis, quod cum egrederetur ab altari, expellerent eum cum iniuria dicentes: egredere foras Æthiops, tunc ille hoc secum dicebat: Iuste hoc tibi fecerunt, quia cum non sis homo præsumpsisti intrare inter homines.

Quarto patitur homo tribulationem à seipso, & periculosius quam ab alio, Bern. super cant. *homo siquidem suipsius impulsor est, & præcipitator, intantum vt non possit sine se impellente, precipitari ab alio impulsore si proprias* *A seipsa.*

à ſeipſo manus continuerit & conſenſum, & non dederit mẽbra ſua ſeruire iniquitati ſuæ, alieno impulſu cadere poteſt homo, abſque ſuo cadere non poteſt, & ideo ei fortiſſimè reſiſtendum eſt, qui ſolus deijcere poteſt, ſine ipſo autem alij poſſunt nihil. A ſeipſo autem impugnatur homo, à ſua carne ſcilicet & à mente vel corde. à carne autem ſua impugnatur, & tribulatur; ſcilicet à carnis ſuæ concupiſcentia, quæ eſt in omnibus ſuis, quæ eſt lex peccati, omnia enim membra ſua militant contra eum. Rom. 5. *Video enim iam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, &c. Bern. in quibuſdam ſenten. *Maximum plane eſt delictum concupiſcentia, lex peccati, quæ in membris omnibus inuenitur. Inde enim riſus, inde oculorum petulantia, inordinata voluptas, inordinata edacitas, & in toto corpore ſenſus mollicies, & libido pernicioſa tangendi; videtur intus in anima ebrietas deſideriorum malorum, & fornax ambitionis, auaritiæ, iracundiæ, contumaciæ, omnibus vitiorum affectibus vehementer accenſa.*

A quibus iuuatur patientia.

DISTINCTIO LXXXVIII.

Multa ſunt quæ patientiã roborant.

CIRCA ſeptimum ſciendum, quod multa ſunt per quæ patientia roboratur, & ex quorum conſideratione iuuatur. Primum eſt neceſſitas impoſſibilis euitari; ſumus enim in terra tribulationis, in agro laboris, in campo certaminis, & tyrocinio probationis, Vbi Tyrones probantur. Bern. *in campo certaminis ſumus, vbi qui plagam, vel liuorem non ſuſtinuerit, miles inglorioſus apparebit.* in hoc mundo tot emergunt caſus, imminent aduerſitates, infirmitates, deſolationes, & moleſtiæ, quod homo velit nolit habet ſuſtinere. ſicut nauis in medio maris, vndique procelloſis fluctibus agitatur, & concutitur; nec eſt in voluntate gubernatoris ſedare ſæuitiam tempeſtatis, nec commotiones fluctuum mitigare. Infirmus corporaliter neceſſe habet ſuſtinere dolores velit nolit, quos ſi impatienter ſuſtinet grauatur dolor, quia cum afflictione corporis, eſt etiam deſolatio cordis, & ſuæ facit animæ detrimentum. Si autem haberet patientiam, leuius ſuſtineret, citius & facilius curaretur, & infirmitas ſibi fieret in meritum & ſalutem. Sic in his quæ patimur, faciamus de neceſſitate virtutem, vt quæ nobis eſſent damnationis occaſio, fiant nobis materia exercendæ virtutis, & acquirendæ ſalutis. Vnde Iudith. 8. ſcribitur, *illi qui tentationes non ſuſceperunt cum timore domini, & impatientiam ſuam & improperium murmurationis ſuæ contra Deum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpente perierunt.*

1. Conſideratio neceſſitatis ineuitabilis.

2. Conſideratio diuinæ voluntatis cui debemus cõformari.

SECVNDO patientiam iuuat & roborat diuina voluntas, cui debemus conformari. Porro quantumcũque ſenſualitas repugnet duris & aſperis quę patimur, tamen voluntate regulata per rationem patienter ſuſtinere debemus, exemplo domini Saluatoris, qui imminente ſua paſſione, dixit. Matth. 16. *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte, verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* nos ergo eius exemplo commoniti, voluntatem noſtram debemus diuinæ ſubdere voluntati, accipiẽtes quod noſtrũm cuilibet eſſet dictum illud 1. Reg. 18. *quod pateris fecit tibi Dominus*, tu autem quis es, vt contradicas Deo? nunquid vas contra figulum, aut ſecuris mouebitur cõtra eum, qui ſecat in ea? quomodo ergo creatura contra creatorem murmurare præſumet? *quis eſt filius quem non corripiat pater?* Hebr. 12. Nunquid non pius dominus ſeruum ſuum, & pater miſericordiarum filium ſuũ caſtigabit? Ideo Prouer. 3. *Diſciplinam domini fili mi ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis; quem enim diligit dominus, corripit; & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Ideo dicit Apoſtolus Hebr. 10. *patientia vobis neceſſaria eſt vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.*

3. Conſideratio peccatorum quæ ſunt origo omnis aduerſitatis.

TERTIO patientiam iuuat & roborat conſideratio peccatorum, quibus debet omnis aduerſitas quam datimur imputari. Poëta. *Quod merito pateris patienter ferre memento.* Sic fratres Ioſeph cognoſcebant ſe propter peccata ſua datos ad tribulationem Gen. 42. *Merito hæc patimur quia peccauimus in fratrem noſtrum; idcirco venit ſuper nos tribulatio.* Mach. 7. *Iram domini portabo: quia peccaui ei.* Similiter latro dexter. Lucæ 13. *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recepimus.* Item Greg. in ſecunda parte moralium, *qui multiplicitatem delictorum ſuorum intelligit cuncta quæ patitur minora perpendit; & per hoc quod pondus culpæ cognoſcitur, afflictionis pœna leuigatur.* Item: *patienter iniuriam illatam tolerat, qui pie reſpicit, quod ipſe habet in quo tolerari debeat.* Idem. *Infirmitatis propria mala, nobis excuſat aliena.* Item in vitis pa. legitur, quod quidam frater iniuriam ſibi factam ſibi renunciauit ſeni; cui ait, non tibi fecit ille iniuriam, ſed peccata tua, in omni tribulatione, qui tibi videtur eam inferre, auctor enim eſt, ſed peccata tua, propter quæ tibi inferuntur.

4. Exẽplorum præclaritas quæ debemus imitari.

QVARTO patientiam iuuat exemplorum præclaritas, quæ debemus imitari. meminiſſe debemus quãtam patientiam habuerunt patres antiqui: & quam euidens exemplum nobis dederint. Abel à Cain fratre ſuo petimitur, de quo Grego. ait: *Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet.* Abraham à Chaldæis; Loth à Sodomitis, Iſaac ab Iſmaele, Iacob ab Eſau, perſecutiones patiuntur. Ioſeph à fratribus venditus, & patiens ſuſtinuit, & clementer indulſit: immo, & bona pro malis reddidit. Moyſes à Pharaone, & Egyptijs, nec non à filijs Iſrael in deſerto, multa, & multoties ſuſtinuit, & ſemper eorũ mores grauiſſimos ſupportauit, & pro tranſgreſſionibus eorum adeo feruenter orauit, vt diceret Exo. 22. *Domine aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro tuo.* Dauid à Saule, & Abſalon filio ſuo, & à Semei patitur, nec turbatur. Iob & Tobias, exempla patientiæ præbuerunt, ſicut dixit Angelus Tobiæ 12. *quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tẽtatio probaretur; vt poſteris daretur exemplum patientiæ, ſicut & ſancti* Iob. Similiter Iſaias, Ieremias, Zacharias, Helyas, & omnes prophetæ pro veritate dicenda, diuerſa ſuſtinuêre ſupplicia. Eleazarus etiam vir nobiliſſimus Iudæorum, miram exhibuit patientiam. De quo 2. Mach. 6. dicitur, quod *glorioſiſſimam mortem, magis quam odibilem vitam eligens, voluntariè præibat ad ſupplicium; patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita, propter vitæ amorem. Et cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit, domine tu ſcis quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam vero propter timorem tui, libenter hæc patior, & hoc modo deceſſit, exemplum virtutis, & fortitudinis relinquens.* Fratres 7. cum matre venerabili, miram patientiam oſtenderunt. Tres pueri in camino. Daniel in lacu Leonum. Mathathyas & eius filij. Et omnes quotquot ante nos fuerunt per multas tribulationes tranſierũt. Vnde dicit B. Iacobus, 5. *exemplum accipite, fratres, exitus mali, & longanimitatis, & patientiæ, & laboris, Prophetas.* Et Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Sequitur. *lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione glady mortui ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti*, &c.

Chriſtus patientiæ exẽplar à nobis imitandus.

SED iam ad patres nouit teſtamenti, & ſanctos noſtri temporis veniamus. Primo Chriſtus exemplar patientiæ, voluntate non neceſſitate, ſuſtinuit famem, ſitim, calorem, & frigus; labores, & fatigationes; vigilias, & pernoctationes; contumelias, blaſphemias, opprobria, ludibria, colaphos, alapas, ſputa, coronam ſpineam, & flagella: inſuper & acerbiſſimum genus mortis, videlicet mortem crucis. Vnde b. Petrus ait *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius* 1. Pe. 2. & Paulus ait Heb. 12. *deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Iſtud exemplum præcipuè iuuat, & roborat, ſicut dicitur Tre. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*, & 1. Petr. 4. *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini*, quia vt dicit Ber. *Deuotus miles*

bene

Vtilis eſt memoria paſſionis Chriſti.

bene armatus, vulnera non ſentit, dum benigni ducis vulnera inſpicit. Idem ſuper cant. *vtrumque es mihi domine Ieſu & ſpeculum patiendi, & præmium patientiæ: tu doces manus meas, in cruce ſcilicet expanſus, ad prælium, & vehementer accendis ad patiendum, propter patientiæ præmium.* Ante oculos debemus habere paſſionis Dei memoriam, tanquam ſpeculum, vt per eam animemur ad prælium hoc eſt ſanguis vuæ & mori, quem oſtendebant Elephantibus, vt acuerent eos ad prælium, vt legitur 1. Mac. 6. Hoc eſt myrrhæ faſciculus, dulcorans omnem amaritudinem, poſitus in corde & præ oculis memoriæ collocatus Bern. *oportet habere myrrhæ faſciculum, non retro in humeris, ſed ante præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat.* Chriſtus eſt vas nouum, in quo fuit reconditum ſal diuinæ ſapientiæ, quod in aquis Hiericho amaris & mortiferis poſitũ, eas dulcorauit. Sic ergo expoſitus tribulationibus pœnitentibus, virtute memoriæ ſuæ paſſionis reddit eas nobis ſalutiferas, & tolerabiles. Grego. *Si paſſio domini ad memoriam reducitur, nihil eſt ita durum, quod non æquanimiter toleretur.* Bern. ſuper cant. *Dolores, labores Chriſti, & ea omnia quæ pro nobis ſuſtinuit meditari dixi ſapientiã, hæc me in aduerſis erigunt, in proſperis reprimunt; inter aduerſa triſtiaque huius ſæculi, via regia incedenti, tutum præbent vtrobique ducatũ, hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum Angelicis poteſtatibus, figurant mitem & humilem, hæc mea ſumma philoſophia ſcire Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Idem ſuper Cant. Columba mea in foraminibus petræ, &c. *In hac petra eſt firmitas atque ſecuritas à caſu & ab hoſte: & vera tutaque eſt infirmis requies, in vulneribus Saluatoris: tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſaluandum: præmit corpus, fremit diabolus, mundus inſidiatur; non cado, fundatus ſuper hanc petrã.* Idem: *peccati peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quia vulnerum domini recordabor, quid enim tam efficax ad curãdum conſcientiæ vulnera, ad purgandum aciem, quam frequens vulnerum Chriſti meditatio? quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte medeatur? Si igitur in mentem veniat tam efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri; quod ex me mihi deeſt, præſumo ex vulneribus Ieſu Chriſti, quæ affluunt miſericordia, nec deſunt foramina per quæ effluat: patet id magnum pietatis ſacramentũ, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri.*

Exemplum.

Refert magiſter Iacobus exemplum ad hoc, quod memoria paſſionis Chriſti, mitiget & curet turbationem mentis, & peccatorum vulnera. Cum quidam occidiſſet filium cuiuſdam iudicis, & pater ſequeretur eum cum manu armata, in die paraſceues; ille videns ſe fugiendo non poſſe effugere, proſtrauit ſe in forma crucis, dicens patri occiſi filij: Domine, ſcio apud te mortem merui, ſed rogo pro illo, qui hodie mortuus eſt in cruce pro te, vt tu parum antequam occidar audias me, quo concedente: Domine ait, ſcio quia dignus ſum morte, ſed rogo te per illum, qui hodie mortuus eſt pro te, vt hodie non occidas me, ſed da mihi ſpacium confitendi: vel ſi plus vis facere pro amore illius qui dixit, dimittite & dimittetur vobis; & qui pro ſuis crucifixoribus orauit; & vt habeatis in die iudicij aliquod magnum quod pro eo feceritis, quod ei poſſitis oſtendere, remittatis mihi ne occidar, & ego omnibus diebus vitæ meæ, pro vobis & pro anima veſtri filij peregrinabor, ille autẽ motus ad dominicæ paſſionis memoriam, eum liberũ abire permiſit, & cum veniſſet oſculari crucem ipſa die, Crucifixus eum viſus eſt amplexari, in ſignum pacis, & remiſſionis peccatorum.

3. Patientiam noſtram iuuant exempla Sanctorum.

Item patientiam noſtram iuuant & roborant exempla ſanctorum: ſancti enim Apoſtoli, ſua patientia, totum mundum ſubiugauerunt fidei: & vincentes Tyrãnicam feritatem, omniumque principum poteſtatem; Eccleſiam ſuo ſanguine fundauerunt poſt eos S. martyres in diuerſis mundi partibus, innumerabilia ſuſtinuere tormenta, & quod eſt mirabilius, etiam virgines iuuenculæ, & aliæ ſanctæ venerabiles mulieres, in ſexu fragili, ſuæ fragilitatis oblitæ, acerbiſſima tormenta

A

B

C

D

E

lætiſſime & conſtantiſſime felici commercio, vitam ſibi mercabantur æternam. Ideo dicitur Iac. 5. *Exemplum, accipite fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas &c.* ſuos amicos exponit Deus tribulationibus, vt alijs ſint in exemplum patientiæ. Tob. 2. *Hanc tentationem ei Deus euenire permiſit, vt alijs eſſet exemplum patientiæ, ſicut & S. Iob.* Hier. *Quis ſanctorum ſine patientia coronatus eſt, à cunabulis Eccleſiæ non defuit iniquitas præmens, & iuſtitia patiens.* Greg. *ſi factu præcedentium patrum conſideramus, non erunt nobis grauia quæ toleramus.*

4. Patientiam iuuant exẽpla malorũ.

Item patientiam noſtram iuuant exempla malorum, qui per tot, & tantas tribulationes & tormenta quæ ſuſtinent, adimplendo ſua flagitia, acquirunt ſibi æterna tormenta, quod in inferno cognoſcunt dicentes Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles,* Eccl. 12. *via peccantium complantata lapidibus,* id eſt duris, & aſperis tribulationibus, *& in fine illorum, inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Ber. *Quid ignauia, chariſſimi, ardentius amant mali pernitioſa, quam nos vtilia; alacrius currunt ad mortem, quam nos ad vitam.*

Adiuuant nihilominus patientiam noſtram exempla mundanorum, qui pro rebus temporalibus acquirendis & cuſtodiendis, ſunt in aſſiduis doloribus & laboribus, quæ portant patienter. Ber. Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, patienter ferentes labores graues & aſſiduos, propter lucra modica terrenorum Iaco. 5. *agricola patienter expectat præcioſum terræ fructum,* &c. Eccl. 2. *Quid proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt, cuncti dies eius laboribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente quieſcit,* & hæc omnia propter lucra terrena patienter portant, quæ tamen frequenter labore multo congregata ſubito amittuntur. Propter iuſtitiam autem nihil volunt ſuſtinere, ſed mercedem temporalem plus diligunt quam iuſtitiam, imo magis volunt perſecutionem quam iuſtitiam, ſuſtinere, quia iuſtitia eſt contraria operibus eorum. Cæterum propter auaritiam & ambitionem, paratos videas eos diſſimulare opprobria, negligere maledicta, vt acquirant ſibi temporales diuitias, & eminentias ſæcularium dignitatum, & aliquando antequam peruenerint per multa mala ad id quod intendunt, in via moriendo deficiunt, vel non aſſequuntur id, ſed illius contrarium, quod intendebant.

Exemplum.

Ad conſiderationem autem tribulationis mundanorum, quæ accidit eis ex inſperata fortuna, confortabat ſe pauper quidam, de quo legitur in lib. de vitis patrum quod cũ in hiemalis frigoris aſperitate iaceret ſub diuo, non habens niſi vnã hattam, cuius medietatem habebat ſupra, & aliã infra cum media nocte ſurgeret ad vrinam, & ad nattam rediret, ſe conſolabatur dicens: Gratias ago tibi domine. Quanti ſunt hodie diuites, afflicti pro ſuis diuitijs, qui etiam aſtricti tenentur ferro, & cõpedibus qui nec vrinã ſuã libere poſſũt facere: ego autẽ velut Imperator extendo pedes meos ſub iſta natta, vbi volo me vertens. Quod audientes quidam patres, qui ibi propè ad nocturnam orationem ſurrexerant, ædificati ſunt.

5. Patientiam iuuat clamor orationis.

Quinto patientiam noſtram iuuat clamor orationis, præcones in tyrocinijs clamando animant tyrones ad fortiter agendum, & pugnantes in prælio, exclamando, & vociferando, confortantur ad virilius militandum; & obſeſſi in caſtro, quando clamando, & prætendendo auxilium, ſperant ſe poſſe audiri à Principe cuius caſtrum cuſtodiunt, & pro quo bellum gerunt, confortantur, ſibi ſperantes auxilium affuturum. Sic vir patiẽs clamare debet ad dominũ, qui eſt auctor patientiæ. Pſal. 61. *Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea, nã & ipſe Deus meus, & ſaluator meus, adiutor meus* &c. Hanc patientiam, & hoc adiutoriũ, dat ipſe orantibus, pro ſe vel alijs, liberando à tribulatione, vel dando fortitudinẽ patienter toletandi aduerſa Pſal. 98. *Inuocauit me, & ego exaudiam eum.* Idem pſal. 119. *Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Lucæ 11.

Docet

Docet dominus diſcipulos ad orationem recurrere dicens. Vigilate & orate, vt digni efficiamini effugere omnia mala hæc.

Exemplum. In vitis pa.ti.de patientia. Venerũt quidã fratres ad B. Ant. petẽtes verbũ per quod ſaluarẽtur, qui ait. Qui vos percuſſerit in vnã maxillã, poteritis præbere aliam? Dicũt, nõ. & poteritis ſuſtinere, vt iterũ percutiamini in eadem? non, & vultis non reddere malũ pro malo, à quo malũ accepiſtis? Dicunt: Nolumus; ſed volumus malũ pro malo reddere. Tũc ait miniſtro. Vade fac eis eſcã, quia valde infirmi ſũt. & ait ad illos: Si alterũ iſtorũ nõ vultis, & alterũ nõ poteritis: neceſſaria eſt vobis oratio, per quã veſtræ impatientiæ infirmitas ſanetur.

Exemplum. Item in eod. lib. legitur. Quod cum Abbas Beſeream ambularet iuxta mare, & eius diſcipulus grauiter ſitiret, iuſſit haurire aquam de mari, & facta oratione à dicto Abbate, dictæ aquæ impotabiles, cõuerſæ ſunt in dulcedinem: in quo ſignificatur, quod virtute orationis fiunt tribulationes dulces, & tolerabiles Deut. 33. *Inundationes maris ſugent*, &c.

6. Patientiam iuuat amor affectionis. Sexto potentiã noſtrã iuuat & roborat, amor affectionis 1. Corin. 13. *Charitas patiens eſt.* Sequitur, *Omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Aug. *Omnia ſæua & aſpera, facilia & propè nulla, facit amor. Hic eſt, qui fecit B. Stephano lapides torrẽtis eſſe dulces: hic martyribus omnia dulcorauit ſupplicia, hic eſt qui facit infatigabilẽ, currentẽ poſt Deũ, & omnia quæ in via ſũt aſpera, cõtẽnere, & trãſilire: donec perueniat ad Deũ, & requieſcat in eo, qui finis eſt deſideriorum eius.* Bern. *Finis præcepti charitas, finis charitatis Deus, ad quem cũ peruenerit foris intentio, nõ habet vlterius quo tendat: ſed ibi requieſcit.*

In lib. de vit. pat. dixit quidam ſenex. Intueri debet qui vult conſequi dominum canes, qui ſequuntur leporem quem vident. Illi enim latrando inſequuntur leporem, alij videntes eos currere, & audientes eos, ſequuntur, & fatigati, vnus redit poſt alium. Ille autẽ qui vidit leporem, non impeditur intentione, propter reuertentes: nec de ſpinis neque pe præcipitijs cogitat: & licet à ſpinis & vepribus pungatur, non quieſcit donec comprehendat. ſic qui Chriſtum quærit, licet multi retrocedant, non debet ceſſare, donec Chriſtum habeat amans Deum patiendo conſiderat, quod flagellatur à Deo, filium verberante: hæc eſt enim diſciplina patris amantiſſimi. De hoc, require ſupra. Hæc eſt virga aurea Aſſueri, quam qui oſculatur euadit mortem, quam porrigit his quos vult ſaluare, & à morte liberare. Aſſuerus interpretatur beatus, & ſignificat Deum regem beatum, qui illis quos ſeruare vult, porrigit virgam præſentis tribulationis, ad eorum correctionẽ, quam, qui oſculatur gratanter gratias agendo, euadit mortem æternã, & virgam ferream iuſtitiæ inflexibilis. Hanc oſculata Heſter, non ſolum mortem euaſit: ſed quod petijt obtinuit, & à morte populum ſuum liberauit. Heſter. 5. Apo. 3. *Ego quos amo arguo, & caſtigo.* He. 12. *Fili noli negligere diſciplinam, quem enim diligit Deus caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit gl. qui non vult eſſe receptus à diſciplina flagellorum, erit exceptus à numero filiorum.* Et poſt ibidem. *In diſciplina perſeuerate: tanquam filiis offert ſe vobis Deus, quis eſt filius quem non corripit pater? quod ſi extra diſciplinam eſtis, non eſtis filij ſed adulteri.*

Simile. Attende quod quando puer verberatur à patre, ſi patienter ſuſtinet, pater ei compatiens ceſſat à verbere: ſi autem clamat, & murmurat: durius verberatur, & pater offenditur, & amplius prouocatur. Similiter filii Iſrael quandocunque impatienter contra dominum murmurabant, iratus dominus contra eos nũc gladio, nunc incendio, nunc ſerpentibus, nunc fame, nunc peſte, & alijs modis varijs conſumebat. vnde Eccl. 2. *Væ illis qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Item conſiderare debet vir patiẽs, quod pugnat coram Deo ſpectante. Deus enim, Angeli, & homines, certamen noſtrum conſiderantes attendunt; Deus & Angeli gaudent, homines ædificantur, & ad patientiam animantur. 1. Corin. 4. *Spectaculum facti ſumus huic mundo, Angelis, & hominibus.* Heb. 10. Magnum certamen paſſionũ ſuſtinuiſtis, opprobriis, & tribulationibus ſpectaculũ facti. Boe. de conſo. *Magna nobis incumbit bene agendi neceſſitas, qui omnia facimus coram oculis cuncta cernentis.* *Exemplum.*

In vitis. pa. & B. Ant. legitur, quod cum dæmones verberaſſent B. Ant. vſque ad mortem, & ipſe immobilis perſeueraret in bono propoſito ſuo, Deum inuocans, lux emiſſa à Deo, dæmones fugauit, Ant. ſananit, Ieſum Chriſtum ſibi aſtantem ei demonſtrauit. cui Ant. Vbi eras ô bone Ieſu, cum dęmones ita malè me tractarent. Ego, ait Deus, eram iuxta te, cernens, & gaudens de victoria patientiæ tuę. Iuxta eſt enim Deus his, qui tribulato ſunt corde, iudex feriens, & teſtis aſpiciens, & patienti mercedem tribuens. Vnde Iſid. *diuinæ ſapientiæ ſubtilitas, ſicut interius eſt teſtis & ſcrutator conſcientiæ; ita exterius irrogat pœnas, vt verũ ſit teſtimoniũ Prophetæ; quia idem iudex eſt, & teſtis. Miſerere, ait, domine miſero Iſidoro, indigna agenti, & digna patienti, & tua flagella quotidie ſuſtinenti.* Ad hoc autem poteſt valere, quod legitur Ioſephi li. 19. Romanos ad virtutem hortabatur cõſuetudo vincendi, qui vinci non conſueuerant; & Imperij magnitudo: ſuper omnia Titus Imperator, vbique præſens ſemper, & quod graniſſimum ſcelus iudicabatur, eo præſente & ſpectante, eſſe inertẽ. & ei qui decertaſſet teſtis aderat, qui repẽderet præmiũ; & magnus fructus in certamine, laudis pręconium, & ibi cognoſci virũ probum, & fortẽ, & multos in certamine, virtutis exẽplo, reddere fortitudinis æmulatores. Vbi notãtur decẽ cauſæ, quæ animãt in certamine tribulationũ, ad viriliter agẽdũ, & patiendum. aſſiſtunt etiam Angeli ſancti patientibus.

Legitvr in paſſione B. Euffemiæ, quod cum ipſa in Macedonia pateretur, Soſthenes, & Victor, qui eius aderant Paſſioni, apertis ſibi diuinitus oculis, audierũt circa eam Angelorum exercitum, & Virginũ choros, propter quod ad dominũ ſunt cõuerſi; qui multa ſupplicia perferẽtes, ad vltimũ in oratione, & exhortatione mutua, necati, ſanctas animas domino reddiderũt. *Exemplum.*

Item cõſiderari debet homo, quod patitur cũ Deo, ipſum benignè & multipliciter adiuuante; ait enim in Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* O quam gloriosum eſt talẽ habere ſociũ; bonus & fidelis eſt iſte ſocius, qui multipliciter adiuuat patientem, videlicet vires, & fortitudinem augmẽtando, ſicut ait. Pſal. 9. *Adiutor in oportunitatibus in tribulatione.* & Eſa. 40. *Qui dat laſſo virtutẽ, & his qui non ſunt,* ideſt qui deficere videntur, *fortitudinem & robur multiplicat.* Vnde de multis ſanctis legimus, quod cum in tormentis iam deficere viderentur, iterum inuocato nomine Ieſu, vires eis reparabãtur ad pugnã, ac ſi nihil mali ante ſenſiſſent. Sicut patet de B. Vincen. & alijs multis. vnde diuina virtute ſibi aſſiſtente, erant inſuperabiles; nec mirũ, quia Deus omnipotens ſupportabat debilitatem eorum, & virtus minima fortiori virtuti coniuncta, multa poteſt quæ per ſe non poterat. Ideo Pſal. 59. in perſona martyrum dicit. *In domino faciemus virtutẽ.* Idem: *dominus fortitudo plebis ſuæ.* Miles in tyrocinio, vallatus auxilio virorũ fortium, qui ipſum de equo eijci non permittunt, multa ſuſtinet, quæ per ſe ſuſtinere non poſſet, & agit viriliter, ac inde acquirit famã, & gloriam triũphalem. Puer nutricis manibus ſuſtẽtatur; & infirmus, qui propter infirmitatẽ non poſſet incedere, brachijs alicuius ſani hominis ſupportatur. Et mulier delicata quæ propter debilitatem corporis, & teneritudinem complexionis, ſe vix ſuſtinere poteſt, brachijs deducentis eam ſubleuatur per latera. Hi omnes cum adiutorio fortioris adiuncti, ſuſtinere poſſunt, vel facere, quæ per ſe non poſſent facere. Sic iuſtus fideli deuotione, & cõfidentia, Deo iunctus, magna & mira facere potẽſt, aut etiam ſuſtinere, quæ virtute propria nunquam poſſet: ſed illa poteſt ſuſtinere ex virtute diuina, cui innititur. Ideo ait Pſal. 59. *In Deo faciemus virtutem.* quaſi dicat non virtute propria ſed diuina. *Deus iuuat patientẽ, vires augendo. Multũ iuuat ad patientiã conſideratio diuini auxilij quod præſto eſt.*

Item cõſiderare oportet quod Deus eſt qui mittit tribulationes pro vtilitate noſtra Eccl. 2. *Omne quod applicitum tibi fuerit accipe.* ideſt ad te cape. ſ. ad vtilitatem tuã conuerte, ſiue ſint bona, ſiue mala. Nã bona debes

recipere

recipere cum timore, ne sint tibi pro retributione & pagamento pro bonis, si quæ feciſti; vel ne non digne facias inde debitum tuum. Item bona accipe cum amore, & deuota gratiarum actione. Mala vero debes accipere cum patientia: quia sicut ait Iob. *Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala autem quare non ſuſtineamus.* Videmus manifeſtè quod canis quantumcunque ſit ferox extraneis, tamen quando verberatur à domino ſuo, omni ferocitate depoſita, caput & caudam demittit, & totum corpus humiliat, non latrans, non mordens, & vix audens plangere, ſed ſolum relaxationem verberum poſtulare. Similiter videmus in alijs beſtijs, quod à dominis ſuis qui eas nutriunt, fuſtigationes & verbera multa recipiunt. quanto magis igitur nos ratione vigentes, qui tanta Dei beneficia à Deo patre, & Saluatore noſtro accipimus inceſſanter mala, quæcunque ſint, propter eum ſuſtinere debemus. Et quia quidam plus timent afflictiones pœnales, quàm deiectiones, & opprobria; quidam conuerſo; Ideo dicit ſapiens poſt verba præmiſſa. *in dolore ſuſtine*; quantum ad primum: *Et in humilitate tua patientiam habe* quantum ad ſecundum. Vnde Chriſtus exemplar patientiæ, acerbiſſimam & ignominioſiſſimam ſuſtinuit paſſionem.

Eccl. 2.

Simile. Patientia roboratur dũ cõſideramus quod à Deo patre noſtro mittuntur.

Eccl. 2. Afflictio pro bono noſtro.

ITEM Deus adiuuat patientem ſupplicium mitigando. hic eſt enim, qui deſcendens cum pueris in fornace ignis ardentis, ideſt acerbiſſimæ tribulationis, facit medium fornacis, quaſi ventum roris flantẽ. Eccle. 18. *Nonne ardorem refrigerabit vos*. Vnde dicebat Decio B. Lau. *Diſce miſer, quia carbones tui, non ardorem, ſed refrigerium mihi præſtant.* & B. Tyburtius cum ſuper prunas ardentes iuberetur incedere nudis pedibus dicebat. *Videtur mihi quod ſuper roſeos flores ingrediar.* Ad B. Agatham miſſus eſt B. Petrus, ad ſanandum, & leniendum dolorem mammillarum.

Deus adiuuat patientẽ, ſuppliciũ mitigando.

Patientem conſolando.

ITEM adiuuat conſolando. Pſalmus 85. *Tu domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.* Idem: *ſecundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Ipſe eſt enim *pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*, 2. Cor. 1.

Item protegendo & liberando.

ITEM adiuuat protegendo, & liberando. Sicut Dauid de manu Saul. 1. Re. in multis locis. ſicut Ezechiam, & populum liberauit. Iſa. 38. Sicut Chriſtinam, Catherinam, & alios multos de ſupplicijs. Pſal. 90. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum*, &c. B. Bern. *Quid ei nocere poterit eorum quæ ſub cælo ſunt, quem Deus cæli protegere, & conſeruare voluerit. q. d. nihil.*

7. *Patientiam iuuat puritas conſcientiæ.*

SEPTIMO patientiam noſtram iuuat, & roborat, cõſciẽtiæ puritas illibata 1. Pe 2. *hæc eſt gratia ſi propter Deũ ſuſtinet quis.* Gre. in Mor. *Bonis mentibus hæc ipſa fiunt proſpera, quæ videntur aduerſa*. Item idem in Homil. *Mens iuſtorum bonis eſt in adiutorium, malis in teſtimonium.* De beatis martyribus dicit Hymnus Ambroſij. *Cæduntur gladijs more bidentium*, &c. Et poſt. *Corde tacito mens bene conſcientia, conſeruat patientiam.* Item Bern. in li. 3. de conſi. *inter anguſtias quæ non deſunt, fruaris bono conſcientiæ; magis autem ſcias, quid deſit tibi. Nam cui non deſit, nemo eſt; omnia enim illi deſunt, qui nihil ſibi deeſſe putat.* Idem ſuper Cant. *nihil hac luce clarius, nihil hoc glorioſius teſtimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt*, pudicam, verecundam, pauidam, circumſpectam, nihil penitus admittentem, quod euacuet teſtimonium conſcientiæ; in nullo conſcientiam grauans quo erubeſcat præſentiam veritatis; hoc plane eſt ſuper omnia bona animæ, & Diuinos oblectans aſpectus. Idem in ſermone de annunciatione. *Teſtimonium conſcientiæ eſt, cum Spiritus ſanctus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro; hoc eſt teſtimonium Spiritus ſancti, cum dicit tibi in corde tuo, per eum tibi dimiſſa peccata tua; & quod credis, quod ipſe eſt & nõ alius, qui condonat peccata, donat & merita, & præmia redonat. Cum hoc teſtimonio Chriſti Martyres ibant gaudentes ad ſupplicia vocati, ſicut ſi eſſent ad nuptias inuitati. Vnde Agatha, lætiſſime & glorioſè ibat ad carcerem, & quaſi ad nuptias inuitata agonem ſuum domino comendabat.*

8. *Patientiam iuuant conſideratio multiplicis vtilitatis inde orta.*

OCTAVO patientiam noſtram iuuat, & roborat multiplex vtilitas expectata. Sciendum enim quod patientia eſt Gubernatrix doctiſſima, Propugnatrix fortiſſima, Mercatrix prudentiſſima, Conſeruatrix fideliſſima. Patientia dico eſt gubernatrix doctiſſima, nobis quidem rectè nos gubernare inſinuat, in hoc mari magno, ideſt in mundo pleno periculis ſcandalis, & præſſuris quaſi turbinibus procelloſis, amaritudinibus, & hominibus monſtruoſis, cuius pericula probat pereuntium multitudo: Tranſeuntium paucitas: & portus ad quem perueniendum eſt incertitudo. In mari magno de 40. nauibus tranſeuntibus, vix non periclitatur vna. In hoc mundo de 10. nauigantibus, vix euadit vnus, qui directe perueniat ad portum optatę ſalutis. multum igitur eſt neceſſarium homini, gubernaculum tenere fortiter, & vitam ſuam vigilantiſſimè gubernare. Patientia autem eſt gubernaculum vitæ noſtræ. Sicut dicitur. Prou. 14. *Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia*. Gubernator in fine nauis exiſtens, vndique conſiderat pericula & ne incidat in ea, ne impingat in ſaxum, vel terram, vel ſabulum, declinando vitat ventum contrarium. Sic homo patiens debet eſſe vndique circumſpectus, pericula declinando, ne nauis animæ frangatur per impatiẽtiam. Greg. *tanto quiſque minus doctus oſtẽditur, quãto minus patiens eſſe cõmincitur.* Pro. 14. *qui impatiẽs eſt operatur ſtultitiã.* magna ſapientia eſt, ſcire euadere maris naufragium, ignis incendium, verſutias hoſtium, ferarum rabiem, morſus venenatorum animalium. De mundi periculis, re. infra li. 3. Par. 3.

1. *Eſt gubernatrix doctiſſima. Simile.*

PATIENTIA eſt quaſi anchora mentis, firmans eam & tenens immobilem in tempeſtate aduerſitatis, Sicut B. Lucia ſtetit immobilis corpore, ſicut à fide erat immobilis mente. & B. Agatha ſic erat immobilis, quod facilius eſſet ferrum molliri, & ferrum in plumbi molliciem conuerti, quam ipſam à Chriſtiana intentione reuocari. Patientia ſimilis eſt cuidam piſci, qui dicitur Echinus, de quo legitur in hiſtoria tranſmarina, quod ſi adhæſerit naui, reddit eam immobilem. Refert magiſter Geruaſius in li. de mirabilibus terrarum, quod in prouincia Othithenſi in caſtro quod dicitur Remelinum, conuenire ſolent ſcarabei in magna multitudine; qui maioris ſunt quantitatis quam alij, & plures eorum cornuti ſunt: & circa feſtum ſancti Ioh. pugnantes adinuicem, & contra turrim impetum facientes, illa ſtante immobili & illæſa, ſe occidunt. Sic de patientia, quæ eſt turris animæ fortiſſima, qua ſtante immobili, omues in eam impetum facientes, ſpiritualiter occiduntur. Talis erat Iob qui dicebat. *Iuſtificationem, quam cœpi tenere non deſeram.* Et Tobias de quo legitur eiuſdem 2. *Non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenißet ei, ſed in timore domini ſemper immobilis permanebat.*

Simile.

2. *Patientia eſt propugnatrix fortiſſima.*

SECVNDO patientia eſt propugnatrix fortiſſima, per patientiam enim vincit homo totum mundum. Sicut Apoſtoli ſancti, & Martyres, vicerunt omnem ſapientiam mundanorum, & potentiam tyrannorum. Sicut Vincentius, Datianũ. Laurentius, Decium. Petrus, & Paulus, Neronem. Catherina Maxentium, & ſic de alijs. Vincit autem patientia, & de hoſte reportat victoriam, non pugnando, non repercutiendo; ſed ſolum ictus, & verbera ſuſtinendo. Sicut ait Aug. de B. Stephano in ſermone, *vſque adeo inter frementes remanſit intrepidus, & inter lapidum fuit cruciamenta ſecurus, vt incredulitatem Iudæorum fidenter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret; lapidantes, non repercutiens, ſed patiens, ſuperaret: inſuper occiſus, aulam regni cæleſtis, victus, & coronatus intraret. Patiens, non gladium, non manum, non baculum, immo nec feſtucam leuat contra aduerſarios ſuos; ſed potius amat, compatitur eis, & orat.* Vnde verè dicitur.

Nobile vincendi genus eſt patientia. vincit
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

ITEM, *Maxima virtutum patientia pugnat inermis;*
Armatoſque ſolet vincere ſæpe viros.

Nec ſolum ſic ſuperat patiencia, verumetiam ipſorum iacula retundit in eos. Iniuriantes enim prius lædunturin corde per peccatum, vel per motum commotionis; quam lædant ipſos iniuriam patientes, in corporibus eorum,aut rebus. Vnde in Pſalm. 36. *Gladius eorum intret in corda ipſorum*, &c.

Patientia conuertit infideles ad fidem.

ITEM patientia ſic nobiliter vincit aduerſarios, quod eos facit credere in Deum ſuum, ideſt conuertit ad fidem incredulos, vel ad pœnitentiam conuertit impios Chriſtianos. Sicut patet in legendis Agnetis, Catherinæ, Chriſtinæ, Margaritæ, & ſic de alijs. Patientia ſic pugnat viriliter, & conſtanter, quod Martyres facit. Greg. *Sine ferro & flammis, Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter ſeruauerimus*. Hos beatos Martyres ornat patientia, ornatu decentiſſimo. Eſt enim patientia veſtis purpurea, cum qua Chriſtus victor aſcendit, laureatus in cælum. Pro. 31. *Byſſus & purpura indumentum eius*. cuius pulchritudinem admirantes virtutes cæleſtes, clamabant: Iſa. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edon?* &c. Et poſt. *Iſte formoſus in ſtola ſua*. Hac ornati Sancti Martyres, ſecuti ſunt eum, de quibus dicitur, Apoc. 7. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*. Et in Apocriſis Eſdræ additur. *Hi ſunt, qui mortales depoſuerunt tunicas, & modo coronantur, & accipiunt palmam*. Vidit Eſdras exercitum Angelicum, ſuper montem maximũ, vbi præſidebat iuuenis ſpecioſiſſimus, & coram eo innumera multitudo iuuenum, quibus ſingulis coronas imponebat, & palmas dabat; & cum quæreret Eſdras ab Angelo, qui eſſent hi? Reſpondit vt ſupra dictum eſt, hi ſunt &c. Ad hoc ornamentum monet nos Apoſtolus Col. 3. *Induite vos ſicut electi Dei, Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*.

Patientia fecit miracula.

ITEM ſic pugnat patientia, quod miracula facit, & ſignis, & miraculis præcellit. Hæc enim fecit locuſtas ſuperare gigantes, agnos vincere lupos; Apoſtolos, & Martyres, & Virgines, ſuperare mundi poteſtates, potentes, & tyrannos. Orig. *nouit Dominus mirabilia facere, & de locuſtis ſuperari gigantes; infirma enim huius mundi elegit Deus, vt fortia confundat*. De hoc dicit Bern. *Licet Deus in mundum veniens multa mirabilia fecerit, hoc indicto meo præ omnibus emicuit, quod per paucos ſimplices, & illiteratos pauperes, & infirmos, totam altitudinem mundanæ ſapientiæ & potentiæ, ſuperauit, & ſibi ſubiugauit. Hæc maximè fecit, propter eorum patiẽtiam; vel patientia facit, quod ſi mortiferum biberint, non eis nocebit, ſed proficiet ad ſalutem; quia venenum mortiferum conuertit in animæ medicamentum; tenebras & noctem aduerſitatis, in diem, & lucem gratiæ*.

Patientia præcellit miraculis.

ITEM miraculo præcellit virtus patientiæ 1. Dialo. 4. ca. *Ego*, dicit Greg. *Signis & miraculis, virtutem patientiæ maiorem credo*. Hoc dicit pro Libertino, qui cum mortuum precibus ſuſcitaſſet, magis admirabatur virtutem patientiæ ſuæ, quàm miraculum, eo quod à ſuo rectore grauiter percuſſus in facie ſcabello ſubpedaneo, contra eum non murmurauit, ſed ſuis peccatis humiliter imputauit.

Per patientiam homo vincit ſeipſum.

ITEM per patientiam vincit homo ſeipſum, ideſt animi ſui impetum. Prouer. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*. Gregorius. *Minor eſt victoria vrbes expugnare, quia extra ſunt qui vincuntur: Maius autem eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur*. vnde Brachmani ſcripſerunt Alexandro, quod pugnabat contra hoſtes exteriores quos vincebat, vt nutriret hoſtes interiores, à quibus vincebatur; quos dicebant animi ſui impetus, & cupiditates. Ariſtoteles contra Alexandrum, cum nollet cuidam iracundiam remittere, probauit ei, quod nobiliorem triumphum acquireret, vincendo ſeipſum; quam in eo quod vicerat, & ſibi ſubiecerat totum mundum; quod ſi ſe, vel animum ſuum non vinceret; non erat victor, ſed victus; ob quam rationem vicit eum Ariſtoteles. Item Sene. in lib. de naturalibus quæſtionibus: *quamplures, immo innumerabiles fuerunt, qui populos & vrbes in ſua habuerunt poteſtate, pauciſſimi autem qui ſe*. Idem, *facilius eſt gentem vnam, quam hominem vnum vincere, ſcilicet ſe*.

ITEM in vitis pa. venerunt quidam fratres ad quendam ſanctum ſenem in ſolitudine ſedentem (iuxta quem paſcebant pueri pecora) clamosè & inhoneſtè aliquando loquentes, qui dixerunt ei: Quomodo potes abba, portare verba puerorum iſtorum, & non præcipis eis vt taceant? Qui reſpondit, volui, iamdiu eſt, ſed vici cogitationem meam, dicens: Si hoc modicum non potes portare, quomodo ſi venerit tibi maior portabis? Iob. 4. *vbi eſt fortitudo tua?* Glo. *Qui ſe vincit, contra omnia fortis eſt*. Item Sen. *conſilio, melius quam iracundia, vinces*.

Per patientiam homo vincit dæmones.

ITEM per patientiam vincit homo dæmones Gre. in lib. Mor. *Inimicus hominum callidè inſidians, fraudem quam contra ſanctum Iob parauerat, pertulit; quia quot ſancto viro occaſiones intulit, tot cauſas victoriæ miniſtrauit*.

Exemplum.

ITEM de vitis patrum. Quidam frater quæſiuit ab Abbate Iſaac, quare dæmones eum tantum timerent. Reſpondit. Ex quo factus ſum Monachus, ſtatui apud me, ne impatientiæ vel iracundiæ verbum extra guttur meum exiret. Item in vitis patr. fert Iohan. eremita de quodam flagitioſiſſimo, qui reuerſus ad cor, intruſit ſe in quodam ſepulchro, ſe pœnitentia mactans, ad quem cum veniſſent dæmones, volentes eum blanditijs, & minis, & promiſſionibus reuocare, & non valentes, per tres noctes, flagellauerunt eum vſque ad mortem. Cumque nec ſic eum poſſent vincere, ſed diceret; quod magis volebat penitus occidi, quam eis vlterius obedire, confuſi clamauerunt, recedentes: Viciſti Monache, viciſti. Ille autem omni virtute ornatus, quaſi Angelus Dei eſt poſtea conuerſatus. Item in vitis pa. cum quidam arreptus à dæmone quendam patrem percuſſiſſet in maxilla, & ille præberet ei aliam; dæmon eius patientia victus ab eo diſceſſit.

Per patientiam homo vincit Deũ.

ITEM per patientiam vincit homo Deum inuincibilem. Nam licet Deus ſit homini offenſus propter culpam, tamen quando Deo faciente vel permittente, dura flagella ſuſtinet patienter, placatur ei Deus, ſicut dicitur Prou. 19. *patientia lenietur princeps*. ideſt Chriſtus *princeps regum terræ*. Apo. 3. Quando ſeruus dominum, filius patrem, vel amicus amicum offendit in aliquo, ſi poſtea libenter & patienter ſuſtineat aliquis iſtorum, ab eo vel pro eo, ſedatur ira, placatur animus, & reconciliatur: & ſic inter eos pax, & amicitia reformatur. Similiter quando miles qui fugit de acie, poſtmodum cum dolore, & rubore recognoſcens ſe malefeciſſe reuertitur fortiusque pugnat quam cæteri, qui ſemper cum principe exercitus remanſerunt reconciliatur principi, ac amorem recuperat, & honorem. Ideo dicitur. Eccl. 2. *Qui timent dominum cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt, vſque ad inſpectionem illius dicentes. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei & non in manus hominum*.

3. *Patientia eſt conſeruatrix fideliſſima.*

TERTIO patientia eſt conſeruatrix fideliſſima: cuſtodit enim virum patientem, ſicut arma militem, & ſicut arca theſaurum. Ideo Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Greg. prima parte Euange. Homil. 15. *Idcirco poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, cuſtoſque virtutum, eſt patientia. Per patientiam enim poſſidemus animas noſtras, quia dum nobiſipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere, quod ſumus*. multum diligit homo, & ſæpe viſitat arcam in qua theſaurum ſuum ſecure cuſtodit, quia vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Diligit etiam illum, qui gratis fabricat talem arcam. Tribulatio autem eſt huius arcæ materia. Ideo dicit Apoſt. Ro. 5. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur*.

Deus

Deus autem est artifex huius arcæ, sicut dicit Psalm. 61. *Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea; quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus.*

Simile. ATTENDE, quod latrones libenter inuadunt loca in quibus sciunt esse Thesaurum, & cum arcam fregerint, Thesaurum rapiunt, & furantur. Sic dæmones libentius, & vehementius impugnant viros iustos habentes Thesaurum, idest copiam meritorum, & cum cor fregerint per impatientiam, totus Thesaurus virtutum, & meritorum amittitur; quia cor fatui quasi vas confractum. Bene seruantur viri iusti per patientiam, quia sicut dicitur 1. Pe. 4. *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli domino commendant animas suas.* in secura manu ponuntur, quæ fidelitati Dei, quasi in depositio commendantur. Ideo dicitur Apo. 3. *quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, seruabo te ab hora tentationis, &c.*

4. Patientia est mercatrix prudentissima. QVARTO patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter, & copiosè magnis meritis animam locupletat; nec mirum, quia multam & magnam inuenit in mundo materiam, spirituales diuitias acquirendi; omnes aduersitates, tribulationes, desolationes, iniurias, & contumelias huius mundi. Item fames, sitis, æstus, & frigora, infirmitates, & mors, sunt nobis materia merendi, & merita cumulandi. Præterea patientia res viles in pretiosas conuertit. Inuenit enim in vili fabulo, aurum; immo fabulum conuertit in gemmas pretiosas (vt B. Iob legitur fecisse in Ecclesiastica Historia) & virgas in aurum; quia verba dura, & verbera, vilipensiones, & opprobria, conuertit in pretiosa merita, quibus homines spiritualiter ditantur. Hi sunt Thesauri absconditi in agro, hæ sunt gemmæ, & aurum, de quibus mali, bonis fabricant coronam æternam, Psalm. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, coronam scilicet æternam, flagellando me.

Exemplum. CVM quædam mulier litigiosa, cuidam bonæ mulieri diceret verba contumeliosa, porrexit ei pallium suum, dicens: proijcias hic satis de lapidibus istis pretiosis, vt de eis possim ditari, & coronari. Tantæ etiam prudentię est hæc benedicta mercatrix, quod amara facit dulcia, aspera suauia, dura mollia, grauia leuia. Patientes enim ad modum piscium marinorum, *inundationes maris quasi lac sugunt*, vt legitur Deu. 33. Ad modum Salamandrę in igne tribulationis viuunt; ad modum strutionis, ferro, duris & asperis scilicet verbis, & iniurijs, reficiuntur; ad modum asinorum, carduis asperis & pungitiuis pascuntur, & delectantur. Ad modum existentis in aqua, gratia Dei, & eius subsidio, & beneficio, leuiter eleuantur. Omnia enim vt dicit Aug. *sæua, & grauia, & immania; leuia, & prope nulla, facit amor.*

Patienti culpa remittitur & pœna relaxatur. HIS diuitijs vir patiens debita sua soluit de aliena bursa, sine fraude, & sine sui detrimento; quoniam & culpa remittitur, & pœna debita relaxatur. Culpa quidem remittitur, sicut dicitur Tht. 3. *Cum iratus fueris domine, misericordiam facis, & peccata hominum in tribulatione dimittis his qui inuocant te.* Bern. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur.* Item Isid. in li. de Synonimi. *Tribulatio & angustia præsentis temporis, salus est animæ, quoniam pius, & misericors Deus, remittit peccata in tempore tribulationis, omnibus inquirentibus eum in veritate.* De hoc require supra.

NEC ei solum culpa remittitur, sed & pœna relaxatur; æterna quidem totaliter: purgatoria, vel in toto, vel in parte. Vnde Aug. *Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc æternam euadere non formidant.* Item Isido. in lib. de Synon. *Ordinata est Dei prouidentia, quæ prius per flagella homines hic emendat, & postea, eos ab æterno supplicio liberat; nequaquam enim delinquentibus parcit Deus; quoniam peccatorem aut hic ad emendationem ferit, aut in æterno iudicio æternaliter punitendum relinquit.* Ideo dicit Aug. super illud Psal. Domine ne in furore tuo, &c. *Domine hic vre, hic seca, hic percute, vt in æternum parcas.* Iudith 8. *Non vlciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella domini, quibus quasi seruos corripimur ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.* Sic fratres Ioseph dicebant Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Sic tres pueri in camino ignis. Dan. 3. quicquid patiebantur imputabant peccatis suis dicentes. *Iudicia vera fecisti, iuxta omnia quæ induxisti super nos; quia in veritate, & in iudicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra, &c.* Sic illi 7. fratres Machabęi. 2. Mach. 7. *Nos propter nosmetipsos patimur, peccantes in Deum nostrum.* Denique ille latro pendens in cruce iuxta dominum, dixit socio suo. *Nos quidem digna factis recipimus.*

Patientia magnũ thesaurum meritorum acquirit. ITEM patientia non solum debita sua soluit, verũetiam magnum Thesaurũ meritorũ acquirit, vnde 2. Ti. 1. *secundum gratiam Dei, quæ data est nobis à Christo, &c. hæc patior, sed non confundor: scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare.* Nota quando proponit & incipit aliquis benefacere, nititur eum diabolus impedire: deridet & dissuadet mundus, retrahit caro, retinet quandoque consuetudo, & ideo necessaria est patientia. Ideo de iustis dicitur Lucæ 8. *fructum afferunt in patientia.* Nam sicut semen iactum in terrã exponitur ventis, & glaciebus, & niuibus, & huiusmodi, quæ postquam sustinuerit, fructificat, & crescit: sic semen spirituale, quod est verbum Dei interius inspiratum, vel exterius prædicatum: in terra deuoti cordis, profert fructum bonorum operum, & multiplicatur in magnum cumulum meritorũ: si tamen constanter steterit in incepto, ita quod nec dissuasionibus, nec derisionibus, neque molestijs quibuscumque desistat, quoniam si perstiterit nõ cessabit cumulare merita, donec ad statum perfectionis adducat. Vnde super illud. Iob. 4. *vbi est timor tuus, fortitudo tua, patiẽtia, & perfectio viarum tuarum?* dicit Glo. *à patientia perfectio nascitur:* perfectus enim dicitur homo ex integritate membrorum omnium; & quæ potest agere operationes perfectas; nam puer potest esse perfectus primo modo, sed non secundo modo. Miles vero strenuus, & robustus, vtroque modo. Alię virtutes primo modo perficiunt hominem, patientia vero secundo modo: quia qui patientiam habet, omnes virtutes habet: & sic est perfectus ex omni integritate virtutum: agit etiam operationes magnas & perfectas, quasi operationes strennui militis, & audacis. Ideo dicit. B. Iacobus: 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei nostræ, patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.*

Exempla. IN vitis Pat. quidam frater requisiuit senem quẽdam, dicens: dic mihi pater vnam rem quam faciam, vt saluer per ipsam. Respondit: Si potueris ferre iniurias & contumelias, & tacere, magna est res, & super omnia mandata. Item alius ibidem, idem interrogatus: pallium suum sub pedibus suis conculcauit, dicens: Nisi quis fuerit conculcatus, perfectus Monachus esse non potest. Item, ibidem. Quidam cum aliquis contumeliam ei dicebat, vel iniuriam inferebat, gaudebat, dicens: Isti sunt qui vos iuuant ad perfectũ, qui autem nos iustificant, ipsi nos decipiunt. Item alius cum audisset aliquem sibi detraxisse, si prope erat, eum remunerabat per se: si erat longe, munera ei mittebat.

Patientia acquirit vitã æternam. ITEM non solum spirituales diuitias, & Thesaurum meritorum acquirit patiẽtia, verumetiam æterna gaudia præmiorum 1. Petr. 2. *Si quid patimini propter iustitiam, beati:* scilicet hic in spe, tandem in re. Et propter spem istam Apostolus Ro. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* 1. Petr. 4. *Communicãtes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis.* Act. 5. *Ibant Apostoli*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poſtoli gaudentes,&c. Matth.5.*Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ.* Propter iuſtitiam inquit, quia martyrem non facit pœna,ſed cauſa. Multi multa patiuntur propter ſuas malas voluntates adimplendas.Iſti ſunt martyres diaboli. Ideo dicit Petrus 1. Pe. 3. *Nemo veſtrum patiatur quaſi homicida aut fur, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat.* Alij multas aduerſitates, & inedias patiantur, non ſponte, ſed voluntate potius murmurante. Iſti ſuum faciunt incommodum de hoc, vnde mereri poterant regnum cælorum. Vnde Pro.10. *Qui impatiens eſt ſuſtinebit damnum.* Qui autem voluntariè patiuntur, & propter iuſtitiam faciendam,docendam,ſeu etiam defendendam, beati ſunt hic in ſpe, tandem in re; *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,* iure ſcilicet acquiſitionis, ſicut miles ſtrenuus acquirit regnum vel terram aliquam iure belli: *regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Exemplum. IN vitiſpatrum legitur, quod Abbas Ioan. ait: *Via quæ ducit ad vitam, & anguſta porta regni cælorum,quæ eſt ſupernæ ciuitatis, eſt patientia in tribulatione.* Et dicebat tale exemplum.Cuiuſdam philoſophi diſcipulus peccauit: dum ſibi peteret dimitti, dixit ei Philoſophus; nõ indulgeo tibi, niſi tribus annis aliorum onera portaueris. Quo facto ait iterum Philoſophus: Nec indulgeo tibi, niſi tribus annis alijs dederis mercedem his qui te iniurijs & conuitijs affecerunt.Quo facto dixit ei Philoſophus: Veni modo ingredere ciuitatem Athenienſium, vt illic ſapientiam addiſcas. Ad portam autem vrbis erat quidam ſenex ſapientiæ ſtudioſus, qui omnes ingredientes experiendi cauſa,conuitijs afficiebat, & iniurijs. Quod cum dicto iuueni faceret, ipſe riſit.Cui ſenex: Quomodo cum ego iniuriam tibi faciam,tu rides? Reſpondit iuuenis. Quod tribus annis mercedem dedi pro hoc,quod tu gratis impendis. Tunc ſenex ait: Ingredere ciuitatem, quia dignus es. Sic ciuitatem cæleſtem intrare digni ſunt,qui iniurias patienter ſuſtinent, & gaudenter. Patientia meretur coronam gloriæ ſpiritualem. Tobi.3. *hoc habet pro certo omnis qui colit te, quoniam vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur.* Iac. 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.

Exemplum. IN vitiſpa. legitur, quod Cronius Vitriæ presbyter referebat, quod quidam Scholaſticus Eulogius, audiens de immortalitate animæ,ſæculo abrenunciauit, partem pecuniæ retinens de qua ſibi prouideret, quia laborare neſciebat. Et cum non poſſet in monaſterio degere, nec in ſolitudine morari, vidit leproſum totum morbo Elephantino occupatum, ita quod nec manus, nec pedes videretur habere, in ſola lingua autem potens erat. Cui compaſſus, vt eius obſequio acquireret ſalutem, ſuſcepit eum cura, ſeruiens ei per annos quindecim in cibo, & potu, & lecto, & neceſſarijs. Econtra leproſus ingratus, conuitijs eum afficiebat, vocans eum furem,proditorem,&c.& petebat vt emitteretur. Econtra Eulogius ei blandiebatur, vocans eum dominum,veniam petens ab eo, ſi in aliquo eum offenderat;& quanto magis ei blandiebatur, leproſus magis ad iracundiam prouocabatur. ille ſtudebat ſeruire in cibis,& balneis, & medicinis, & quibus poterat: ille econtra magis erat impatiens, & petebat cum contumelijs, vt reduceretur ad locum à quo aſſumptus fuerat. Super quo cõſuluerunt fratres Eulogium dictum, vt iret ad Beatum Anto. quod cum feciſſet conſuluit Beatus Anto. ne Eulogius dimittat leproſum cui ſeruiebat Chriſti vice; & leproſo ne dimittat Eulogium,qui vice Chriſti adminiſtrabat ei,ne dimittendo eum,Chriſtum dimittat,qui ſibi prouidiſſet per eum.Addidit etiam,quod cum eſſent prope finem ſuum,maximè inſidiabatur eis diabolus,quomodo auferret patientiam,& patientiæ ſuæ coronam,quã ipſi cito ſi patienter ſe ferentes eſſent,accepturi erant. Cum autẽ pace reformata rediret, ſtatim mortuus eſt Eulogius, leproſus poſt eum per tres dies.Nota etiam

A exemplum de 60. martyribus.

De vtilitate aduerſitatum.

DISTINCTIO LXXXIX.

CIRCA nonum ſciendum, quod tam infirmitates corporales, quam aduerſitates temporales cum multa debent patientia ſuſtineri, quia patienter ſuſtinentibus vtiles ſunt in multis, & impatienter ferentibus multipliciter ſunt nociuæ.

Aduerſitatis temporalis multiplex vtilitas.

PRIMO quidem infirmitates corporales, vel aduerſitates temporales, patienter ſuſtinere debemus, quia per eas Deus delinquentes caſtigat, negligentes inſtigat, reos ſibi conciliat, arrogantes humiliat. Per hæc inquam Deus delinquentes caſtigat,videlicet auerſos B ad conuerſionem, conuerſos ad correctionem, peruerſos ad punitionem.

Per eam caſtigat Deus auerſos ad conuerſionẽ.

CASTIGAT auerſos ad conuerſionem,ſicut ait Pſal. 117. in perſona peccatoris. *Caſtigans caſtigauit me dominus. & morti non tradidit me.* Et Tobiæ. 13. Poſtquam Deus filios Iſrael multis modis afflixerat, fame, ſiti, peſte, gladio, & captiuitatis erumna,dixit Tobias. *Caſtigauit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.* Et infra. *Hieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te dominus in operibus manuum tuarum.* Ad hoc autem ſic caſtigat, vt ad ſe conuertat auerſos. Sic dominus ſeruum ſuum fugitiuum & rebellem, caſtigat vinculis & flagellis, vt reuocet, & reducat. Pſal. 77. *Cum occideret eos quærebant eum.* Idem 31. *Conuerſus ſum in ærumna mea,*&c. C Idem 82. *Implefacies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Deus.* Item Iſa. 26. *Domine in anguſtia requiſierunt te.* Oſeæ 6. *In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.* Ion. 2. *Cum angustiaretur in me anima mea, domini recordatus ſum.* Paral. 33. *Conuerſus eſt Manaſſes Rex malignißimus, in vinculis & carcere.* Et filius prodigus, fame & miſeria afflictus, in longinqua regione. Ionas in cæti ventre. Paulus proſtratus, & excæcatus in ſua vocatione.

2. *Cõuerſos ad correctionẽ.*

ITEM caſtigat conuerſos ad correctionem; *quoniam enim in multis offendimus omnes,*ſicut dicitur, Iaco.3.*Non eſt aliquis in quo* Deus non inueniat aliquid corrigendum. Ideo dicit Iere. 33. *Caſtigabo te in die iudicij,vt non tibi videaris innoxius.* Apoca. 3. *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Hebre. 13. *Quem diligit dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Pſal.88. *Viſitabo iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.*

3. *Peruerſos ad punitionem.*

TERTIO caſtigat dominus peruerſos ad punitionem. Greg. 1. Moral. *Alia eſt percuſſio qua peccator percutitur, vt ſine retractione puniatur; alia qua percutitur, vt corrigatur.* De prima. Iere.30. dicitur ad Iudæam. *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ: dura facta ſunt peccata tua, quid clamas ad me ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus.* Aug. 1. de Ci. Dei. *Manet ſub ſimilitudine paſſionum, diſſimilitudo paſſorum, & licet ſub eodem tormento, Non eſt idem virtus, & vitium, nam ſub eodem igne, aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula palea comminuuntur, & frumenta purgantur.* Sequitur: *vna eademque vis, bonos probat, purificat, & eliquat: malos damnat, vaſtat, & exterminat.* vnde in eadem afflictione mali deteſtantur, & blaſphemant; boni autem præcantur, & laudant: nam pari modo exagitatum; exhalat horribiliter ſcenum,& ſuauiter fragrat vnguentum.obdurati,& morte peſſima morientes, hic incipiunt ſuum infernum, quo æternaliter cruciantur, ſicut patet de Antio. 2. Mach. 9. vbi dicitur, quod *de curru cadendo, omnibus membris caſſatus: ita vt de corpore impij vermes ſcaturirent, & viuentis in doloribus carnes eius effluerent; odore etiam illius, & fœtore totus exercitus grauaretur,* &c. *orabat ſceleſtus dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Item Actu. 12. De Herode, quem Angelus percuſſit, & conſumptus à vermibus expirauit. Item de Ioram rege Iuda dicitur 2. Paral. 41. quod Helyas ſcripſit ei

litteras

litteras in quibus inter cætera dicebat. *Quoniam ambulasti non rectè*, &c. *Ecce dominus percutiet te plaga magna*, &c. *tu autem ægrotabis pessimo languore ventris tui, donec egrediantur viscera tua paulatim per singulos dies.* & infra. *longa consumptus est tabe, ita vt ægereret viscera sua, mortuusque est in infirmitate pessima, & tamen non legitur pœnituisse, & ideo nec inter reges alios est sepultus.* Item de Pharaone, qui multipliciter flagellatus, inter flagella legitur obduratus. Itē de Herode Ascalonita, sub quo dominus natus est, qui propter nimia scelera sua, & occisionem innocentium, & vxoris suæ Mariannes, percussus est à domino infirmitatibus pessimis, & deterior semper fiebat, intantum quod desperans, occidere se tentauit. Sic ergo patet, quod dominus delinquentes castigat.

Deus per aduersitate negligentes instigat ad tria.

1. *Ad agēdum pœnitentiam.*

SECVNDO negligentes instigat, & hoc multipliciter ad diuersa. Instigat enim & stimulat, Ad agendum pœnitentiam, ad seruandam patientiam, ad tenendā prouidentiam. Instigat quidem ad agendum pœnitentiā. Stimulus asinum, & æquum calcaria, festinare compellunt; & dormiens quandoque cum virga, vel baculo, excitatur vt surgat ad opus. *Angelus percusso latere Petri excitauit eum dicens; surge velociter*, scilicet de somno pigritiæ, de vinculis peccatorum, & de carcere Herodis, ideſt diaboli seruitute. Psalm. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraueerunt.*

2. *Ad patiētiā.*

ITEM per infirmitates & afflictiones, instigat dominus ad patientiam. Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur.* Homines enim qui diu fuerunt sani, nesciunt patienter ægritudinem sustinere; & qui diu fuerunt in prosperitate, & nihil experti sunt aduersi, statim per impatientiam perturbantur: postquam vero fuerit homo exercitatus in talibus, discit patientiam obseruare, videns quia durum est contra stimulum calcitrare, & oportet eum facere de necessitate virtutem. Miles exercitatus in prælijs, melius nouit sustinere ictus, & hostes repercutere. Hebræ. 12. *Omnis disciplina, in præsenti quidem, non est gaudij, sed mœroris, postea fructum pacatissimum, exercitatis per eam, reddere iustitiæ.* Vnde in Col. patrum, legitur, quod ingressuri religionem monachorum primo anno probabantur sic. occupabantur in exterioribus officijs, & imperabantur eis dura & aspera, vt discerent patientiam. secundo recipiebantur interius; & tradebantur iis, qui imperabant eis, illa maximè quæ credebant voluntatibus eorum esse contraria, vt sic assuefierent ad patientiam, & suas frangerent voluntates. vnde de quibusdam dicit Apostolus 2. Corint. octauo. *Ex multo experimento tribulationis, eorum gaudium fuit.* quia non solum patienter, sed etiam gaudenter sustinebant tribulationes, quia ex multo experimento erant in talibus assueti.

3. *Ad prouidē-tiam.*

ITEM per infirmitates & aduersitates, alios instigat dominus; ad prouidentiam; generat enim terrorem in homine, quia quando mali vident flagellari bonos in præsenti, qui non meruerunt, timent sibi, quia mala meruerunt, iuxta quod dicit dominus, Luc. 23. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Ierc. 25. *Si in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, incipio affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes.* Verberatur catulus innocens coram oculis leonis, qui magistrum suum offendit, vt leo timeat, qui verbere catuli metuit, conscius sibi. Grego. *Si Deus tam aspere percutit, vbi parcet, quam aspere percutiet, vbi non parcet?* Idem. *Pensandum est quanta districtione districtus iudex in futuro feriet quos reprobat, qui hic sic cruciat quos amat.*

ITEM generat timorem in bonis, qui videndo præsentia flagella, quæ sunt futurorum quædam signa, & iudicia, æstimant futura sine comparatione grauiora, & timent ne incurrant ea. Isid. in Sent. eius. *Quamuis præsentia flagella, iustum à peccato absoluant, tamen sub metu vindictæ turbatur, timens ne instantes ei pœnæ non sufficiant ad purganda delicta: prouide ergo patientia pati-*

A *tur, vnde futura pertimescit.* & iste timor sollicitat hominem cogitare de morte, Deum timere, & eius horrendum iudicium; pœnas purgatorij, & inferni; facit hominem confiteri, condere testamentum, & sibi prouidere de necessarijs ad salutem. Ideo dicitur Here. 30. *Tempus tribulationis Iacob, & ex ipso saluabitur* quia tribulatio erit ei occasio procurandæ salutis. Item Iob. 15. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium*, qui scilicet est in magna sollicitudine de his, quæ sunt necessaria ad defensionem, & salutem sui, & populi sui præparandis.

Deus per aduersitates reos sibi conciliat.

TERTIO Deus per infirmitates corporales, & aduersitates temporales, reos sibi conciliat. Sicut quandō paterfamilias contra seruum suum offensus, donec B ipsum verberauerit vel punierit nō placatur, sed postquam puniuit eum iuxta cor suum, tunc animus ei sedatur sic etiam Deus sicut dicitur Isa. 6. *In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui.* Pro. 25. *Patientia lenietur princeps.* Ideo dicitur in Psal. *Apprehendite disciplinam ne quando irascatur dominus*, &c. Quando Deus offensus erat contra Iudæos, affligebat eos multipliciter, & quando ipsi plagam domini cognoscentes misericordiam petebant, reconciliabatur eis, sicut patet in Iosue, & in lib. Regum. Ideo dicitur. 2. Mach. 1. *Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur.*

Deus per aduersitates arrogantes humiliat.

QVARTO Deus per hæc arrogantes humiliat, sicut Paulum per stimulum 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me*, &c. Iob. 6. *Sagittæ domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* C Greg. 7. Moralium ca. 3. *Quid est spiritus hominis nisi spiritus elationis. Sagittæ domini Spiritum hominis ebibunt, cum superuæ auimaduersione sententiæ, afflictam mentem ab elatione compescunt.*

Tribulatio viuificat, purificat, fortificat & certificat.

ITEM dicas, quod tribulatio temporalis, vel infirmitas corporalis, viuificat, purificat, fortificat in afflictione, certificat de electione. Interiorem quidem hominem viuificat. Psalm. 22. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.* Greg. *Homo per cibum sibi mortem intulit, per disciplinam reductus ad veniam melius viuit:* Idem: *mens viuificatur interius ex vulnere, quæ mortua iacebat ex crimine.* 2. Cor. 4. *Licet qui foris est vetus homo corrumpatur, interior autem de die in diem renouatur.* Sydonius. *Maximum vitæ remedium est nostri* D *interioris hominis, si in hac area mundi, variis passionū flagellis homo exterior cruciatur.*

Viuificat interiorem hominem. Purificat animā ab omni cōtagione, & hoc tribus modis scilicet per modū ablutionis, conflationis, & medicationis.

SECVNDO infirmitas & tribulatio, purificat animā ab omni contagione. Tobiæ. 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* Fit autem ista purificatio, vel *per modum ablutionis*, sicut pannus vel vestis mundatur aqua. Ezech. 16. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Nume. 31. *Quicquid ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.* Per aquam tribulatio minor, per ignem maior intelligitur. Vel *per modum conflationis.* Mal. 3. *Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & conflabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Hiero. *Rubigo peccati, sine igne tormenti, consumi non potest.* Greg. *Ignem tribulationis dominus apponit, & per hunc in nobis vitiorum rubiginem con-* E *sumit. Fornax enim tribulationis, ligna vitiorum concremat, & aurum virtutum purgat.* Aug. *Quod lima ferro, fornax auro, flagellum grano, hoc facit tribulatio viro iusto, quia purgat eum.* Et Greg. in Mora. *Aurum ad naturæ suæ claritatem proficit, dum in fornace sordes amittit. Flagella quippe bonorum, aut vitia perpetrata purgant, aut ea quæ poterant committi, deuitant.*

Exemplum.

AD hoc facit exemplum Mauricij Imperatoris, qui imperauit sexagesimus ab Augusto, cui Tyberius Cōstantinus vt dicit Beatus Greg. Turon. dedit vnigenitam filiam in vxorem, & ei imperium reliquit, vt habetur in li. dicti Grego. de gestis Francorum 5. li. ca. 4. Qui primus fuit Imperator Græcus. Hic cum Beatum Gregorium Papā nō cessaret persequi. XXXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Imperij ſui anno, vidit in viſione Monachum ſe perſequentem, gladio extracto, & dicentem ſibi: morieris. Quo territus ſcripſit beato Gregorio Papæ, & multis epiſcopis,& Abbatibus,vt pro eo rogarent dominum,vt ſic eum puniret in præſenti, ne damnaretur in futuro. Cum autem hoc ipſe rogaſſet,vidit in ſomnis ſe eſſe ante crucifixum, & æream portam palatii Imperialis. Qui dicebat ei terribiliter cum clamore, date Mauricium, date Mauricium Phocæ. Et poſt dicebat ei. Vbi vis Maurici, reddatur tibi ſecundum exigentiam meritorum tuorum, hic vel in futuro? Qui reſpondit. Hic volo reddatur mihi ſecundum exigentiam meritorum. Tunc iunxit eum cum vxore, & liberis, & tota cognatione ſua. Cum autem mane facto, hoc referret Philippo genero ſuo, & ille eum irrrideret,& ſtultitiã imputaret, quod in ſomnis crederet; & ſe diceret nullum cognoſcere, qui Phocas vocaretur. Mane facto, redeuntes nuncij quos ipſe miſerat ad B. Papam Grego. & alios ſanctos viros, retulerunt ei idem eſſe ſanctis, quibus miſſi fuerant, reuelatum. Cum autem ipſe miſiſſet exercitum ſuum contra ſibi rebellantes,& propter ſuam auaritiam,exercitus eius, fame, & inedia laboraret,verſi in ſeditionem,elegerunt contra eum Phocam. quod cum audiſſet factum,dictus Mauricius fugit cum vxore,& liberis, & tota progenie ſua: & cõprehenſus iuxta Calcedoniam, patienter mortem ſuſcipiens,& peccatum ſuum confitens, & recognoſcens, cum ſuis omnibus decapitatus eſt. Vel *per modum medicationis*, ſicut quãdo in humano corpore abundant humores mali ſanguinem corrumpentes, datur ei medicinalis curatio. Oſeæ. 6. *Percutiet,& curabit nos*, ille ſcilicet qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Eccl. 38. *Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Greg. *Per amarum poculum peruenitur ad ſpem ſalutis.* Idem. *Si dulcia quærimus, neceſſe eſt amara toleremus.* Vulnerat dominus vt bonus chirurgicus partem hominis indigniorem, ſcilicet corpus; vt curet digniorem, ſcilicet animam. vt fecit B. Benedictus vt dicitur in Dialo. 2. quem cum diabolus tentaret tentatione luxuriæ, in ſpem auis merulæ, ſe proiecit nudum inter ſpinas, & per vulnera carnis,curauit vulnera mentis. Item in Morali. *Electi timentes,ne vltio quæ ſuſpenditur grauior in fine ſeruetur, feriri paterna correctione deſiderant; & dolorem vulneris, ſalutarem medicinam putant.* Huius patris correctio, eſt curatio,de qua Eccle. 10. *Curatio ceſſare faciet maxima peccata.* Greg. *durum non æſtimes eſſe, quod pateris; quia exterioribus cruciatibus, ab interna paſſione liberaris.* Idem, *Quis neſciat,quod melius eſt ardere flammis febrium, quam æſtu vitiorum; & tamen cum febre corripimur, vitiorum æſtum qui occupare nos poterat, conſiderare negligimus, qui de percuſſione murmuramus.* Idem: *Diuina diſpenſatione agitur, vt prolixiora vitia, prolixior ægritudo exurat.*

Purificat aduerſitas à pœna peccato debita.

Nec ſolum à contagione peccati purgat infirmitas corporalis,vel aduerſitas temporalis,verũ etiam à pœna debita pro peccato. eſt enim quoddam purgatoriũ, quo purgantur animæ in hoc mũdo,vel in toto, vel in parte. Et quanto libentius, & cum maiori voluntate quis patitur, tanto plus de pœna remittitur, & anima plus purgatur. Debet ergo conſiderare patiens, quot, & quanta commiſit peccata, pro quibus patitur,& quantas pœnas meruit in purgatorio,vel inferno, & videbit, quod incomparabiliter grauiores, ac etiam longiores,vel etiam æternas. Ideo debet dicere illud Iere. 10. *Peſſima eſt plaga mea, & dixi hæc infirmitas mea eſt*, ideſt mihi debita pro peccatis, *& ego portabo illam.* Mich. 7. *Iram domini portabo, quia peccaui ei.* Ira æqua eſt flagellũ eius,multa.n. ſunt flagella peccatoris. Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus*, &c. Iudi. 8. *Reputemus peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia, & minora eſſe flagella domini.* Maria ſoror Moyſi pro peccato ſuo percuſſa eſt lepra. Nu. 12. & rex Ozias. 2. Paral. 26.

Nota quã libẽter debet homo afflictiones huiuſmodi ſuſtinere,quia iſtæ ſunt longe leuiores,& breuiores pœnis purgatorij,& lõgè vtiliores; quia iſtæ ſunt metitoriæ,ille nõ. Magnã gratiam faceret homo debitori ſuo,ſi fabas quibus fit cõputus,acciperet pro Marchis auri. Sed verè minor eſt cõparatio afflictionũ præſentiũ ad illas,quã vnius fabæ ad M. Marchas. Item quãdo patiens libenter,vel ſine murmure ſuſtinet, leuior eſt ſibi dolor,& minus affligitur,& citius curatur, & Deus eſt cum eo confortans eum. Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Ro. 8. *Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum, habitat in nobis*, ſequitur. *Ipſe enim ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Iſa. 40. *Qui dat laſſo virtutem*, &c. Sequitur. *Qui ſperant in domino mutabunt fortem.* 2. Corinth. 13. *Nos infirmi viuimus in illo.* nihil horum eſt in purgatorio. Et ideo deberet homo lætiſſime, & cum gratiarum actione, præſentes afflictiones ſuſtinere: tum quia offenſa Diuina remittitur:tum quia pro modico, à magnis debitis liberatur:tum quia roboratur à Deo & dulciter conſolatur; tum quia feliciter & abunde remunerari meretur. Iſido. in Sent. *Iuſto, temporalia flagella, ad æterna proficiunt gaudia.* Idem. *Quanto quiſque aut in corpore, aut in mente, grauiora flagella ſuſtinet, tanto in fine magis remunerari meretur.*

Fortificat in afflictione tripliciter.

1. *Ad operandum.*

Tertio infirmitas vel tribulatio,fortificat in afflictione: ſicut ignis materialis conſolidat & fortificat: & hoc tripliciter, ſcilicet ad operandum, ad tolerandum, ad ſuperandum. Ad operandum quidem, ſicut equus piger & aſinus, ſtimulati, citius currunt; & ſeruus quãdo verberatur, fortius operatur. Ideo dicitur Eccleſiaſti. 33. *Cibaria, & virga, & onus aſino* &c. Pſalm. 34. Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, &c. Pſal. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſtea acceleraverunt.*

2. *Ad tolerandum.*

Item fortificat ad tolerandum 1. Reg. 3. *Infirmi accincti ſunt*, &c. Hebræ. 11. *Conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello.* Sicut enim ignis materialis conſolidat & fortificat laterem, ita ignis tribulationis iuſti mentem. Dicebat Agatha in tribulationibus ſuis. *Mens mea conſolidata eſt in Chriſto*, propter hoc dicebat Apoſtolus 2. Corin. 12. *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, & perſecutionibus, & angustijs pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Sic cum Apoſtoli eſſent molles,& non volentes ſuſtinere tribulationes, ante aduẽtum ſpiritusſancti; eo recepto in die Penthecoſtes quanto maioribus tribulationibus obuoluebantur, tanto fortiores inueniebantur in tribulationibus. Sic Beati Martyres, vt grana ſynapis, quanto magis atterebantur, tanto fortiores in flagellis inueniebantur; vt Laurentius,& Vincen. & alij.

Exemplum.

Legitvr de Marcelliano,& Marco fratribꝰ, quod cum eſſent Romæ pro fide ſtipitibus ligati, & clauis acutiſſimis affixi, iudici dixerunt: *Nunquam ita bene epulati ſumus; modo incipimus eſſe fixi in amore Chriſti; vtinam quamdiu viuimus, ita maneamus.* Qui cum ſic perſeueraſſent per diem integrum & noctem, laudantes Deum, lanceis confoſſi coronantur.

3. *Ad ſuperãdũ omnem tentationem.*

Item fortificat ad ſuperandum omnem tentationem. Eccl. 11. *Malitia*, ideſt afflictio, *vnius horæ, obliuionem facit luxuriæ.* Maximè ſicut patet in exemplo ſupra poſito illius qui tentabatur à ſpiritu fornicationis inceſſanter, cum, patre monaſterij procurante, aſſiduè accuſaretur. & diſciplinaretur, Abbate quærente quomodo eſſet ei, reſpondit: Papa viuere non licet, & fornicari liberet? Pro. 10. *Liuor vulneris abſterget mala plagæ, in ſecretioribus ventris.* Sicut patet in exemplo beati Benedicti, qui ſe proijciens nudum inter ſpinas & vrticas, per vulnera carnis, ſanabat vulnera mentis.

Exemplum.

In vitiſpatrum legitur, quod cum quidam arreptus à dæmone, percuſſiſſet quendã eremitã in maxilla, & ipſe ei præbuiſſet aliã ſecundũ Euangelium,dæmon exiens ait: Per patientiã iſtius amiſi,quem diu firmiter poſſedi. Item extinguit ignem peccati, & ignea iacula diaboli,& ignẽ inferni,& homines perducit ad patriã. Item tribulatio ſicut aqua ſubmergit omnem exercitum Pharaonis. Exo. 15. *Submerſi ſunt*, &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tribulatio certificat de electione.

QVARTO certificat de electione. Ostendit enim homines esse gratos, & acceptos Deo, &c. Psal. 33. *Multæ tribulationes iustorum.* Tobi. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, quod tentatio probaret te.* Iudith. 8. *Omnes quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Et 2. Tim. 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, electos enim filios & dilectos, flagellat paterfa. Eccle. 30. *Qui diligit filium, assiduat ei flagella, vt lætetur in nouissimo suo.* Heb. 12. *Quem diligit Deus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et post. *Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis*, Augustin. *Si exceptus es à passionibus flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Idem. *Noli esse in sensu puerili, vt dicas, plus diligit pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quam me: quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio. Potius gaude flagellis, quia tibi seruatur hæreditas: illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit.* Idem. *Quid mirum si flagellat Deus custodiens paruulos, quos grandes quærit hæredes?* Greg. in Mora. *Nisi dominus hereditatem dare disponeret, erudire eos per flagella non curaret*, & Aug. *Ne timeas flagellari, sed exhæredari.* Desperatis ægris consueuerunt medici dare quicquid petunt, & ea quæ negant eis, de quorum salute sperant.

Exemplum.

IN vitis pa. quidam pater qui singulis annis consueuerat infirmari, cum vno anno sine infirmitate transisset, molestè ferebat, dicens: Reliquisti me domine, & noluisti me isto anno more solito visitare.

Item aduersitas, cæcitatē intellectus illuminat ad plurima necessaria cognoscenda.

ITEM dicas, quod infirmitas corporalis, vel aduersitas temporalis, cæcitatem illuminat, ficcitatem emollit, examinat probitatem, sanctitatem extollit. Primo quidem illuminat oculos intellectus: prosperitas quippe mundialis excæcat, vt non cognoscat seipsum, nec enormitatem peccati, nec grauitatem pænæ, nec vanitatem mundi, nec incertitudinem mortis suæ, nec Diuinæ misericordiæ bonitatem, nec seueritatem horrendi iudicij. Aduersitas vero illuminat oculos intellectus, ad cognoscendam suam nullitatem, peccati vilitatem, pænæ debitæ grauitatem, mundi & mundialium vanitatem, vitæ propriæ breuitatem, mortis vicinitatem, Diuinæ misericordiæ bonitatem; & è cõtra suæ iustitiæ seueriſſimam æquitatem. Ideo sicut necessaria est talis illuminatio, sic expediens est tribulatio Hie. 31. *Castigasti me domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus*, &c. Isa. 28. *Sola vexatio dabit intellectum* secundum 70. *per multa flagella erudieris Israel.* Pro. 29. *Virga atque correctio tribuit sapientiam*, Item Au. in 1. li. de Ci. Dei. *Patientia Dei sicut ad pœnitentiam inuitat malos, sic flagellum eius ad patientiam erudit bonos.* Item idem in eodem: *ostendit Deus sæpe in rebus distribuendis operationem suam, vt veros erudiat. Nam si omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil vltimo seruari putaretur.* Et rursum: *si nullum peccatum puniret aperte, nulla esse Diuina prouidentia crederetur. Angelo Laodiciæ, qui dicebat se diuitem, & nullius egere*: Apoc. 3. *scribit dominus, quod erat pauper, cæcus, & nudus.* Et post. *Collirio inunge oculos tuos, vt videas.* Collirium amaritudine sua oculos pronocat, & significat tribulationem. Collirium primo pungit oculum, & ad tempus turbat, & prouocat ad lachrymas, sed postea eos efficit clariores. Sic tribulatio oculos mentis illuminat, vt statum suum videat, doleat, & lugeat cæcitatem suam, & bonorum spiritualium egestatem. Trenorum tertio. *Ego vir videns paupertatem meam, & virga indignationis eius.* Iob 36. *Reuelabit in tribulatione aures eius.* Ibi Gregorius *Oculos mentis quos prosperitas claudit, aduersitas aperit.* Item Ephes. 5. *Omne quod arguitur à lumine manifestatur.* Gregor. *Asperitas correctionis, origo fit luminis.* Tobias qui stercoribus hirundinum est excæcatus, felle linitus in oculis, est illuminatus. Hirundinum stercora sunt temporalium affluentia, quæ sancti stercora sunt arbitrati. Item Nabuchodonosor in prosperitatis superbia sensum amisit Dan. 4.

Cor durum aduersitas emollit, ad compunctionem, compassionem & deuotionem.

SECVNDO infirmitas, vel aduersitas, cor durum & aridum emollit, sicut ignis ceram, & quodlibet metallum. Emollit autem ad compunctionem, compassionem, & deuotionem. Ad amaritudinem compunctionis emollit cor, quia dicit Iob. 23. *Deus emollijt cor meum, & omnipotens conturbauit me.* Gregorius decimosexto Moralis. *Ex Diuino munere cor iusti dicitur emolliri, quando superni iudicij timore penetratur. Molle est enim quod penetrari potest durum quod penetrari non potest. Non autem secura, sed perturbata sunt corda bonorum, quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hic habere non appetunt, securitatem suam discretionis intima consideratione perturbant.*

1 *Ad amaritudinem cõpunctionis.*

SECVNDO emollit cor hominis ad teneritudinem compassionis. Infirmus enim experimento nouit infirmis compati, pauper pauperi, & afflictus afflicto. Medicus, qui non sentit infirmitatem, infirmitatibus nescit compati: Ideo Christus ex his quæ passus est, didicit compati per experientiam. Heb. 4. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum per omnia*, &c. magister enim compatientibus compatitur similia passus.

2 *Ad teneritudinem compassionis.*

TERTIO emollit cor hominis ad sollicitudinem orationis. Ignis in domo, aqua nauem intrans, & tempestas vehemens, excitant homines ad clamandum, & adiutorium postulandum. Matth. 8. *Domine salua nos perimus.* Augustinus. *Premuntur iusti in ecclesia, vt præsi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum.* Psalm. 114. *Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui.*

3 *Ad sollicitudinem orationis.*

TERTIO infirmitas vel tribulatio examinat, Iudicum octauo. *Abraham per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est.* Sic & Tobias eiusdem duodecimo, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt probaret te tentatio*, sic & Iob. 22. *Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Prouerbiorum 17. *Sicut igne probatur argentum & aurum: ita corda probat Deus.* Sic Martyres de quibus Sapientiæ 3. *In igne probatur aurum & argentum, & homines receptibiles in camino humiliationis.* Idem 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Sic Laurentius Psalm. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte*, &c. Gloss. *Nemo vires suas in pace cognoscit: si bella desunt, virtutum experimenta non proderunt.* Item Gregorius. *Improuidus miles est, qui se fortem in pace gloriatur. Nemo quippe quantum proficit, nisi inter aduersa cognoscit.* Augustinus. *Si vis probare, qui sunt in ecclesia Dei granum vel palea, adhibe oris iudicem*, idest persla aliqua conuicia: *si steterit, granum est, si palea recedit in altum: & quanto minor & leuior, tanto magis in altum ascendit*, idest magis mouetur, & superbe respondet.

Probitatem aduersitas examinat.

Exemplum.

QVIDAM Stoicus, vt dicit Boetius, in porta Athenienſi stabat, vt probaret qui essent Philosophi ingredientes, & egredientes: & cum quidam conuiciatus ab eo durè respondisset, ait ei, si tacuisses, Philosophus esses.

EXAMINANDO autem tentat hominem vtrum veraciter Deum amat. Deuteronomij decimotertio *Tentauit vos dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* De Beatis Martyribus dicitur Sapientiæ tertio. *Deus tentauit illos & inuenit illos dignos se tanquam aurum in fornace probauit illos.* Gregorius. *Pœna interrogat, si quis in aduersitate positus, Deum veraciter amat.*

Aduersitas animam extollit ad tria

QVARTO infirmitas vel tribulatio animam extollit. Ad confidentiam sperandorum: Ad eminentiam meritorum. Ad excellentiam gaudiorum. Primo ad confidentiam sperandorum Iob decimo tertio. *Etiam si occiderit me in eo sperabo.* Grego. 11. Morali. *Nunquam patientiæ virtus est in prosperis. Ille autem*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

autem vere est patiens, qui aduersis atteritur: & tamen à spei suę rectitudine, non curuatur. Idem tanto spes in Deo solidior surgit, quanto quis pro eo grauiora pertulit. Augustinus. *Iudex fixæ spei tribulatio est.* Sapien. tertio Et *si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Merito potest sperare de regno cœlorum habendo, qui monetam habet qua possit emi. Hæc moneta tribulatio est. Matthæi quinto. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam &c.* Gregorius. *Electorum desideria, dum hic premuntur aduersitate, crescunt. Sicut ignis flatu premitur vt crescat: & vnde extingui creditur, inde roboratur.*

Ad opulentiam meritorum.

ITEM extollit ad opulentiam meritorum. Tribulatio namque facit bona spiritualia abundare, multiplicans ea & dilatans, sicut aurum malleatione dilatatur. Exodi 1. *Filij Israel quanto magis opprimebantur, tanto magis crescebant, & multiplicabantur.* Auget enim merita, quia virtutes perficit, sicut dicitur. 2. Corint. 11. *Virtus infirmitate perficitur,* & Iaco. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Sicut patet de sancta Petronella filia sancti Petri, & de Romula.

3. An excellentiam gaudiorum.

ITEM extollit animam ad excellentiam gaudiorum quia glorificat, & perducit ad regna cælorum. Mat. 5. Beati qui persecutionem patiuntur &c. Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* 2. Corin. 4. *id enim quod in præsenti est momentaneum & leue, tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternæ gloriæ pondus operabitur in bonis.* Item Bern. in sermone de ramis palmarum. *Tribulatio recens est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni.* Isid. super Psal. Qui habitat. *Vtilis est tribulatio, quæ probationem operans, ducit ad gloriam. Est tribulatio necessaria, quæ in gloriam vertitur: tristitia quæ in gaudium mutatur: gaudium sane verum, & summum, & longum, quod cum semel acceperimus, nemo tollet à nobis.* Gloriemur ergo in tribulatione, in qua est spes gloriæ; immo in ipsa est gloria, sicut spes fructus in semine, in hunc modum regnum Dei intra nos est, ingens thesaurus in vase fictili, in agro vili absconditus. Hæc est via recta, & compendiosa per quam Christus intrauit. Luc. 24. *Oportebat pati Christum & ita intrare in gloriam suam.* Hæc est angusta porta, & arcta via paradisi, de qua Matt. 7. *Intrate per angustam portam,* & post: *angusta est porta & arcta via, quę ducit ad vitã,* quod patet in eius angustia. Paulus dimisit, & amisit caput, quasi caputium. Beata Agatha, mammas, B. Bartholomeus pellem, quasi tunicam. Sic qui transit per arctum locum cum pressura, aliquando dimittit & amittit ibi capucium, aliquando manicas, aliquãdo pallium. Sic Martyres in hac porta, & arcta via, quæ est pressura, & passio præsentis temporis, diuersi diuersa membra amiserunt, & dimiserunt, & maximè pelle omnium temporalium, & corporis; & animas exhalauerunt in hac pressura. De hac porta siue via dicitur Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Hæc est via per quam,* vt dicitur Eccl. 4. *de carcere & catenis, ingreditur ad regnum.* Hic est turbo, scilicet præsens tribulatio, per quam Helyas, ideſt vir iustus, ascendit in cælum 4. Regum 2. *Ascendit Helyas per turbinem in cælo.* Hæc est virga aurea quam nobis porrigit Assuerus, quam osculata Hester, gratias de tribulatione agendo, intrat secura in beatitudinem visionis Dei, qui per Assuerum qui beatus interpretatur, designatur. Beati enim sunt qui habitant in domo tua domine. De hac virga, Hester. 4. & 15. Item Bern. in sermone de ramis palmarum. *Præsens tribulatio est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni,* quod significatur Mat. 20. Cum mater filiorum Zebedei petuisset pro filijs suis regni confessionem: respondit Iesus eius filijs. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* quasi dicat per calicem passionis venitur ad honorem meæ confessionis. Glo. *Per calicem peruenitur ad maiestatem.* Pauci vero sunt qui per istam viam velint sequi dominum, vt beatus Bernar. dicit super Cant. *Quam pauci sunt o bone Iesu, qui post te ire velint, cum tamen ad te peruenire, nemo sit qui nolit: scientibus cunctis, quantum delectationes sunt in dextera tua vsque in finem. Ideo volunt omnes te frui, at non ita imitari: conregnare cupiunt, sed non compati: non curant quærere, quem desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi.*

Rursum aduersita quatuor efficit.

ITEM dicas, quod infirmitas vel tribulatio, retrahit per timorem, extrahit per dolorem, attrahit ad amorem, pertrahit per dulcorem. Retrahit à peccato per timorem, quia sentiens homo se affligi propter peccata sua timet ea committere: ne qui temporaliter affligitur propter præterita, pro futuris si cõmittat æternaliter puniatur. Aduersitas custodit hominem à peccato, sicut myrrha corpus à putrefactione custodit etiam sicut sepes hortum Oseæ. 2. *Sepiam vias tuas spinis tribulationum.* Apoc. 3. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ seruabo te ab hora tentationis.* Glo. *Homo per cibum sibi mortem intulit, per disciplinam reductus ad veniam, melius viuit.* Greg. in Pasto. *Cor Salomonis idcirco funditus sapientia deseruit, quia ipsum exterius nulla disciplina exercuit,* scilicet afflictionis, *quæ eum interius custodiret.*

1 Retrahit à peccato per timorem.

Exemplum.

AD hoc facit exemplum de quodam clerico, qui cum fuisset in iuuentute socius sancti Aymundi, audiens transitum eius, & miracula, quæ per eum dominus faciebat, venit Pontinguiacum ad eius tumulum visitandum. Cum autem ægrotare cepisset, rogauit sanctum per amicitiam quam ad ipsum quondam habuerat, vt ei sanitatem apud dominum impetraret. Facta oratione, continuo sentiens se sanatum, & reuertens cum gaudio, sensit se pronum ad peccandum, proinde stultum se reputans, quia simpliciter petisset corporis sanitatem, denuo reuersus ad sanctum, rogauit eum vt sibi procuraret suis precibus apud Deum id quod magis Deo placeret, & animæ suæ vtilius esse sciret. Statimque redijt infirmitas, quam cum gratiarum actione recepit; certus existens, quod vtilior esset ei, tam ad vitandum peccatum, quam ad augmentum meriti salutaris.

Exemplum.

AD idem valet exemplum de milite quodam indeuoto mundano & lubrico, qui sanus existens, erat omni deditus vanitati, nec Deum timere, nec de sua salute curare, vel recolere videbatur: sed quandocumque dominus ipsum per infirmitatem aliquam visitabat, timebat, confitebatur, orabat, orationum suffragia mendicabat. Cum autem ipso ægrotante, clericus quidam qui aquam benedictam portare consuerat, domũ eius intrasset, petijt aquam benedictam, panem ei dari præcepit, & quod pro eo oraret ad dominum, humiliter supplicauit; rogans vt pro sanitate sua, Deum supppliciter oraret. Audiens hoc clericus obstupuit, quia nec orationes petere, nec panem ei dare, vel dari facere solebat, sed magis conuitia & mala verba dicere, tempore sanitatis. Respondit igitur militi: Domine libenter orabo dominum, quod teneat vos in illo statu, quem animæ vestræ vtiliorem, & saluti vestrę magis nouerit expedire.

2 Extrahit à mundo per dolorem.

Secundo extrahit à mundo, & mundialibus, per dolorem. Nam aliqui sic mundo vehementer adhærent, quod non sine dolore magno, possunt inde diuelli. Ideo Deus pius & misericors, per dolores infirmitatum, & afflictionum temporalium, extrahit eos, sicut paterfamilias filium insolentem de taberna vel societate mala violenter extrahit, vel per capillos, vel per brachia, vel per pedes, cum verberibus & vinculis ad se trahens. Vnde Luc. 14. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet eum?* Et Iob. 29. *Conterebam malos iniqui,* ideſt diaboli, *& de dentibus eius auferebam prædam.* Hierem. 38. *Extraxerunt eum de lacu in quo non erat aqua, sed lutum, quia virum iustum extrahunt Deus, & prædicatores sui, de lacu miseriæ, & de lutofecis, in quo non est aqua refrigerans vel abluens, sed lutum inquinans, & fetens.* Similiter Dan. 14. *Extraxerunt Danielem de lacu leonum* ideſt de mundo, in quo sunt leones ideſt dęmones, vel homines superbi, & crudeles

ambo

ambo iſti erant in lacu, non ſine afflictione, & timore mortis: nec ſine pœna, precibus, & labore, inde fuerunt extracti: ita iuſti in profundo lacu mundanæ conuerſationis, non ſunt ſine pœna, dolore, & afflictione cordis, & corporis, nec inde extrahuntur, niſi per infirmitates corporum, afflictiones cordium valde multas propterea gaudent ſancti in tribulationibus, ſcientes, quod ſic de lacu miſetiæ, de carcere, cateniſque extrahentur ad regnum.

DOMINA quędam pulchra facie, ſed pulchrior fide, deuota Deo, pia pauperibus, & eleemoſynis aſſueta, cum à piiſſimo patre Deo, tanquam filia chariſſima percuſſa fuiſſet, ſubit plaga lepræ tota facie deformata: plangentibus omnibus qui videbant eam, ipſa ſola gaudebat, gratias agens Deo, viſitans autem ea quidam epiſcopus, & videns eam ſic horribiliter deturpatam, quæ tam ſpecioſa fuerat, & tam ſancta dicebatur ab omnibus, flere cœpit, & Dei iudicium admirari. Illa vero ridens, interrogauit eum quare fleret. Reſpondit epiſcopus, quod ex compaſſione non poterat à lachrymis continere, inquirenti vero epiſcopo, quare ipſa riſiſſet: Reſpondit; Domine ſi quis detineretur in carcere tali pacto, quod nunquam exiret inde, donec muri funditus corruiſſent. Si videret muros paulatim corruere, pro ſua liberatione gauderet. vnde cum anima teneatur in carcere corporis, gaudere debet quando videt corpus ſuum deficere, & ad finem ſuum tendere: gaudet proculdubio ſciens exitus ſui tempus propinquare, vt ad ſui redemptoris aſpectum libera reuertatur.

3. *Aduerſitas attrahit animam per amorem.*

TERTIO infirmitas vel tribulatio, attrahit animam per amorem; quando cogitat homo quod Deus, ipſum paterna charitate caſtigat, ſecundum illud Apoc. 3. *Ego quos amo arguo, & caſtigo.* Frequenter vulnus infirmitatis in carne, generat vulnus charitatis in mente. In Sen. Iſid. *Gemina eſt ſagitta diuina, vna qua percutitur homo, vt in carne emendetur, alia qua vulnerat in conſcientia charitate, vt Deus ardentius diligatur.* Pſal. 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus*, &c. de B. Au. legitur quod vulnerauerat charitas Chriſti cor eius, & geſtabat in viſceribus verba eius, quaſi ſagittas acutas. Item in paſſione Marcelliani, & Marci legitur, quod cum ipſi pro fide Chriſti eſſent ſtipitibus acutiſſimis clauis ligati, dixerunt iudici: nunquam ita bene fuit nobis, nec ita bene epulati ſumus: modo incipimus eſſe in amore Dei qui cum per diem, & noctem, ſic perſeuerarent in Dei laudibus, lanceis confoſſi coronati ſunt.

Exempla.

NOTA ignis nunquam ita bene accenditur ſicut igne, nec amor Diuinus in anima, ſicut amore diuino, & ideo tribulatio, quæ ex amore diuino infligitur, vrit, & accendit corda dura in amorem Dei. Quod bene legitur figuratum Iudit. 6. quando dominus ſummitate virgæ quam tenebat in manu, tetigit carnes, exiuit ignis de petra, & carnes conſumpſit, quando enim dominus virga correctionis præſentis, tangit carnem hominis affligendo, de duro corde quaſi lapideo, ſuccenditur ignis amoris, & amorem carnalem quæ habebat ad mundum, commutat in ſpiritualem ad Deum. Pſalm. 9. *Dum ſuperbit impius*, perſequendo, *incenditur pauper*, in amorem, & animatur ad aduerſa toleranda pro Chriſto, vnde Iere. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te.* Iſte tractus eſt tribulatio, per quam Deus nos ad ſe trahit, quaſi violenter. Grego. *Mala quæ nos hic premunt ad Deum nos ire compellunt.* Oſeę 11. *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Funiculi Adam ſunt penalitates pœnitentes, quibus propter peccatum Adæ ſumus aſtricti. Bern. ſuper. Cant. *cum tribulationibus, & tentationibus exercemur.*

4. *Aduerſitas trahit per dolorem.*

QVARTO pertrahit per dolorem; ſicut dulcedine vini trahitur homo ad tabernam. Augu. *Ramum viridem oſtendis oui, & trahitur: nuces puero, & trahitur. Sic per dulcedinem conſolationis, quam infundit Deus tribulationem patientibus, trahit eos ad tolerantiam paſſionum.* Pſal. 93. *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Idem 22. *virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Tob. 2. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrimationem, & fletum exultationem infundis.* Iſa. 60. *Spiritus Domini dimiſit me, vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem conſolationem lugentibus Syon*, &c. Iob. 6. *Hæc ſit conſolatio mea vt affligens me dolore, non parcat.* Micheæ 6. *Afflictam cõſolabor*, &c. Num. 1. *Bonus dominus confortans in die tribulationis.* 2. Cor. 1. *Pater miſericordiarum, conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, & poſt. *Sicut abundant paſſiones in nobis, ita & per Chriſtum abundant conſolationes noſtræ.* Bern. *Quantum abundat tribulatio noſtra pro Deo, abundat conſolatio noſtra per eum.* B. Aegidius noluit à plaga ſua curari, vt frequentius conſolatione à domino viſitaretur. Item B. Martinus cum incidiſſet in latrones, & quærerent ab eo ſi non timeret. Reſpondit ſe nunquam magis fuiſſe ſecurum, ſciens Dei conſolationem adeſſe ſperantibus in ſe in tribulatione. Iſtas autem conſolationes cauſat Deus ex præſentia ſua, quam exhibet tribulatis. Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Idem 22. *Si ambulauero in medio tribulationis, non timebo mala, quantum tu mecum es.* Iſai. 43. *Si tranſieris per aquas tecum ero*, &c. Pſal. 33. *Iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Bern. ſupra Qui habitat, *vnde ſcimus quod nobiſcum ſit Dominus: ex eo vtique quod ſumus in tribulatione. Quis enim ſuſtineret, aut quis ſufficeret ſine eo, bonum eſt mihi Domine tribulari, dummodo ſis mecum, quam regnare ſine te, epulari ſine te. ſine te gloriari, bonum eſt mihi Domine in tribulatione magis complecti te, & in camino habere te mecum, quam eſſe ſine te, vel in cœlo.* Et poſt. *Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum: ſeuit ignis, ſed Dominus eſt nobiſcum, in plenitudine gratiæ eſt nobiſcum & in plenitudine gloriæ erimus nos cum illo.* In plenitudine gratię fuit Deus cum tribus pueris in fornace, faciens medium fornacis quaſi ventum rotis flantem. Dan. 3. Species quarti, quem vidit Nabuchodo. cum eis in fornace, ſimilis erat filio Dei.

Exemplum.

SIC erat cum B. Antonio de quo legitur, quod cum eum non poſſent Dæmones ſuperare, per multas & varias tentationes, & flagellaſſent eum vſque ad mortem, cum inuocaret, & peteret Dei adiutorium, lux cæleſtis circunfulſit eum, & Dæmones effugauit. Et cum iuxta eum Dominus appareret, ait: VIA eras bone Ieſu, cum ſic Dæmones me torquerent. Reſpondit: Ego iuxta te eram, expectans victoriam tuam.

ITEM Deus quandoque ex eo, quod hominem affligit, vehementer inflammat cor eius, ad conſolationem diuinam petendam, vel vitam beatam, vbi eſt requies poſt laborem. ſicut quando quis grauiter infirmatur, vehementius deſiderat ſanitatem; & quanto magis eſt famelicus, ardentius appetit cibum, & potum ſitibundus. Aug. *Cum moleſtiæ in huius vitæ fragilitate crebreſcunt, æternam requiem nos deſiderare compellunt. Mundus quippe iſte periculoſior eſt, blandus quam moleſtus*, & magis cauẽdus eſt, cum ſe illicit diligi, quã cum admonet cogitque contemni. Et Greg. in mor. *Mali bonos magis ab huius mundi deſiderijs expediunt, dum eos affligunt: quia dum multa hæc moleſta ingerunt, feſtinare eos ad æterna compellunt.*

De Perſeuerantia.

DISTINCTIO XC.

DEINDE conſiderandum eſt de perſeuerantia, & de vitijs oppoſitis. Circa perſeuerationem autem conſideranda ſunt quinque. Primo vtrum perſeuerantia ſit virtus. Secundo vtrum ſit pars fortitudinis. Tertio quomodo ſe habet ad conſtantiam. Quarto

to vtrum indigeat auxilio gratiæ. Quinto, quæ mouere nos debent ad perseuerantiam obseruandam.

A Ad primum, s. *vtrum perseuerantia sit virtus.* Dicēdū quod secundum Philosophum in 2. Eth. virtus est circa difficile & bonum: & ideo vbi occurrit specialis ratio difficultatis vel boni ibi est specialis virtus. Opus autem virtutis potest habere bonitatem & difficultatem ex duobus. Vno quidem modo ex ipsa specie actus, quæ accipitur secundum rationem proprij obiecti. Alio modo ex ipsa diuturnitate temporis. Nã hoc ipsum, quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet, & ideo diu persistere in aliquo bono vsque ad consummationem, pertinet ad speciem virtutis. Sicut ergo temperantia & fortitudo sunt speciales virtutes, eo quod altera earum, moderatur delectationes tactus, quod de se difficultatem habet; altera autem moderatur timores & audacias, circa pericula mortis, quod etiam secundum se difficile est: ita etiam perseuerantia est quædam specialis virtus, ad quam pertinet in his, vel in aliis virtuosis operibus, diuturnitatem sustinere prout necesse est, & in bono persistere vsque ad finem.

Perseuerantia est virtus specialis.

Sed sciendum, quod hoc potest alicui virtuti dupliciter conuenire. Vno modo ex propria intentione finis, & sic diu persistere in bono vsque ad finem, pertinet ad specialem virtutem, quæ dicitur perseuerãtia, quæ hoc intendit sicut specialem finem. Vnde dicit Tul. in sua Rheto. quod *perseuerantia est in fine bene considerata, stabilis & perpetua permansio.* Alio modo ex comparatione habitus ad subiectum. Et sic immobiliter persistere, consequitur quamlibet virtutem, inquantum est qualitas difficile mobilis, sicut dicit Philosophus 3. Eth.

Solutio obiect.

Quid perseuerantia.

Sciendvm autem quod eodem nomine quandoque nominatur, & virtus, & actus virtutis. Sicut Aug. dicit super Ioh. *Fides est credere, quod non vides.* Potest tamen contingere, quod aliquis habeat habitum virtutis, qui non exercet actum: sicut aliquis pauper habet habitum magnificentiæ, cum tamen actum non exerceat. Quandoque quidem aliquis habens habitum, incipit quidem exercere actum, sed non perficit, puta si edificator incipiat ædificare, & non compleat domum. Sic ergo dicendum, quod nomen perseuerantiæ quandoque sumitur pro habitu, pro quo quis perseuerare eligit: quandoque autem pro actu quo quis perseuerat; & quandoque quidem habens habitum perseuerantiæ, eligit quidem perseuerare, & incipit exequi aliquandiu persistendo, non tamen complet actum, quia non persistit vsque in finem. Est autem duplex finis. Vnus quidem, qui est finis operis: alius autem qui est finis humanæ vitæ. Per se autem ad perseuerantiam pertinet, vt aliquis perseueret vsque ad terminum virtuosi operis: sicut quod miles perseueret vsque ad finem certaminis, & magnificus vsque ad consummationem operis. Sunt autem quędam virtutes, quarum actus per totam vitam debet durare, sicut actus fidei, spei, & charitatis; quia respiciunt vltimum finem totius humanæ vitæ, & ideo respectu harum virtutum, quæ sunt principales, non consummatur actus perseuerantiæ vsque ad finem vitæ & secundum hoc Aug. in li. de perseuerantia. *Nemo potest dici perseuerantiam habere quamdiu viuit, nisi perseueret vsque ad mortem:* accipiens perseuerantiam pro actu perseuerantiæ consummatæ.

Perseuerãtia non semper exigit persistentiam in bono opere vsque ad finem vitæ.

Ad secundum, scilicet *vtrum perseuerantia sit pars fortitudinis.* Dicendum quod sicut supra dictum est, virtus principalis est cui principaliter ascribitur aliquid quod pertinet ad laudem virtutis, in quantum scilicet exercet illud circa propriam materiam, in qua difficillimum & optimum est illud obseruare. Et secundum hoc dictum est, quod fortitudo est principalis virtus, quia firmitatem seruat in his in quibus difficillimum est diu persistere firmiter, scilicet in periculis mortis. Et ideo necesse est, quod fortitudini adiungatur, sicut secundaria virtus principali, omnis virtus, cuius laus consistit in sustinendo firmiter aliquid difficile. Sustinere autem difficultatem, quę prouenit ex diuturnitate temporis boni operis, dat laudem perseuerantiæ. Nec hoc est ita difficile sicut sustinere pericula mortis, & ideo perseuerantia adiungitur fortitudini, sicut secundaria virtus principali.

Perseuerantia est pars potentialis fortitudinis.

Ad tertium, scilicet *quomodo perseuerantia se habeat ad constantiam.* Dicendum quod perseuerantia & constantia, conueniunt quidem in fine, quia ad vtramque pertinet firmiter persistere in aliquo bono difficili. Differunt autem secundum ea quæ difficultatem auferunt ad persistendum in bono. Nam virtus perseuerantiæ propriè facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quæ prouenit ex ipsa diuturnitate actus. Constantia autem facit firmiter perseuerare in bono, contra difficultatem quæ prouenit ex quibusdam alijs exterioribus impedimentis: & ideo principalior pars fortitudinis est perseuerantia quam constantia: quia difficultas quæ est ex diuturnitate actus, est essentialior actui virtutis, quam illa quæ est ex exterioribus impedimentis: exteriora autem impedimenta persistendi in bono, præcipue sunt illa quæ tristitiam inferunt. Circa tristitiam autem est patientia, vt dictum est: & ideo constantia secundum finem conuenit cum perseuerantia, secundum autem ea quæ difficultatem inferunt, conuenit cum patientia; finis autem potior est, & ideo constantia magis pertinet ad perseuerantiam, quam ad patientiam.

Diſcrimen inter perseuerantiam & constantiam.

Ad quartum, scilicet *vtrum perseuerantia indigeat auxilio gratiæ.* Dicendum quod sicut ex dictis patet, perseuerantia dupliciter dicitur. Vno modo pro ipso habitu perseuerantiæ, secundum quod est virtus, & hoc modo indiget dono gratiæ habitualis, sicut & cęteræ virtutes infusæ. Alio modo potest accipi pro actu perseuerantiæ durante vsque ad mortem, & hoc modo indiget, non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, conseruantis hominem in bono vsque ad finem vitæ, sicut supra dictum est, cum de gratia ageretur: quia cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate eius, quod hoc eligat: plerunque, enim cadit in potestate nostra electio, non autem executio.

Perseuerãtia indiget gratia actuali & habituali.

Ad quintum, scilicet *quæ mouere nos debent ad perseuerantiam conseruandam.* Sciendum quod perseuerantia omnes virtutes ad finem producit optatum, & omnia bona consummat, dans omnibus complementum: quia sine perseuerantia nec labor præmium, nec seruitium gratiam, nec cursus brauium, nec pugna victoriam, nec opus quodcunque finem optatum consequitur; nec etiam pæna martyrij, quantuncunque afflictiua, coronam. Quid enim iuuat in stadio currere, & ante terminum defecisse? & quid prodest pugnare viriliter, & ante victoriam terga vertere? aut quid valet diu nauigasse fæliciter, & ad portum debitum non venire? Ambro. *Lauda nauigantis fælicitatem, sed cum peruenerit ad portum; lauda ducis virtutem, sed cum productus est ad triumphum.*

Debemus autem perseuerare finaliter, in operando, in tolerando, in pugnando, & in orando. In operando quidem, vt omnia opera nostra ad perfectionem debitam perducamus, exemplo summi opificis, de quo dicitur Deutero. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Et Ioh. 5. *Pater meus operatur vsque modo, & ego operor.* Et Dei filius Ioh. 17. dicit. *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem.* Exemplo etiam naturæ, quæ non cessat operari, donec perfecit opus suum: sicut patet in herbis, & arboribus; auibus, & cæteris animalibus. Vnde Eccl. 3. *Omnia opera Domini perseuerant in eternum.* Item exemplo artificum singulorum, qui vsque ad consumma-

Perseuerandum quadrupliciter.
1.
In operando

tionem

tionem operum ſuorum perſeuerandò perſiſtunt, ſicut dicitur Eccl.38.*Omnis faber, & architectus, noctem tanquam diem tranſigit.* Sequitur.*Vigilia ſua perficiet opus.* *Sic faber ferrarius ſedens, &c, Cor ſuum dabit in conſummationē operum, &c. Sic figulus ſedens ad opus ſuum, &c.* Si igitur propter lucrū tēporale iſti perſeuerant manualiter operando quanto magis homo iuſtus, propter lucrū ſpirituale & æternum prēmium, perſeuerare debet. Ideo Gal.6.*Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Operantes in vinea, non niſi in ſero denarium diurnum receperunt. Math. 20. Greg.1.moral.c.28.*Incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur, quia fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metam veniat deficit.* Hinc Ioſeph inter fratres; ſolus talarem habuiſſe tunicam perhibetur. Nā quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata Hinc eſt etiā quod in ſacrificio domini, cauda animalis præcipitur immolari Leui.3.

2. *In tolerando*

SECVNDO perſeuerare debemus in tolerando. Math.10.*Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte afficient eos: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Vnde dominus vt perſeuerantiam facto doceret, noluit de Cruce deſcēdere, licet deriſoriè dicerent ei Iudæi.*Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Vnde Bern. ait. *Hac prærogatiua*, ſ. perſeuerantia Chriſti, *ſpoliare ſatagebāt Eccleſiam, qui dicebant. Si Rex Iſrael eſt*, &c. *Dolebat venenati ſerpētis aſtutia exaltatum in deſerto ſerpētem æneū, cuius intuitu ſanabantur vulnera, quæ inflixit. Nam virtute Crucis emutilari ſe ſentiens imimicus, ſera ducitur præſentia: & quos inſtigauerat ad crucifigendum, inſtigat ad ſuadēdum, vt de Cruce deſcendat. Hæc planè ſerpentis aſtutia, hæc adinuentio fuit nequitiæ ſpiritalis. eo quippe tendebat malitioſa perſuaſio, non vt ipſi crederent, ſed vt noſtra quoque ſi qua erat fides in cum, modis omnibus deſperaret. legentes enim Dei perfecta ſunt opera: quomodo credemus Deum eſſe, qui opus noſtræ ſalutis relinqueret imperfectū? Nos quoque qui ſequimur caput noſtrum, non ceſſemus agere pœnitentiam, non ceſſemus tollere Crucem noſtram, perſeuerantes in ea, ſicut ipſe perſeuerauit: neminem audiamus fratres, deſcenſum de Cruce ſuadentem, perſiſtamus in Cruce, moriamur in Cruce.*

Exemplum

IN legenda 40. Martyrum dicitur, quod cùm nocte quadam in ſtagni congelati frigore torqueren ur, vnus eorum puſillanimis effectus, recurrit ab balneum ſed calorem balnei ſuſtinere non valēs, confeſtim ſpiritūm exalauit. Cuſtos autem carceris videns in ipſa nocte profunda, claritatem maximam deſcendere de cælo ſuper eos, ac in ipſa claritate 39. coronas præfulgidas ſuper eorum capita deſcendentes 40. inquit ſunt corona vnius, vbi eſt? Reſponderunt illi, quod vnius ad balneum confugiens, & expirans ibidem: pro eo quod non perſeuerauerat, coronam gloriæ perdidiſſet. Quo audito, volens ille mereri quod alius perdiderat, proſiluit in ſtagnum, vt ſocius paſſionis effectus, ipſorum etiam conſors in gloria fieri mereretur.

3. *In orando.*

TERTIO perſeuerare debemus in orando, exemplo Moyſi. qui de ſeipſo dicit Deu. 9. *Perſeueraui in monte 48. diebus, & 40. noctibus.* Apoſtoli perſeuerantes in oratione vnanimiter, cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius, Spiritum ſanctum in plenitudine receperunt, ſicut dicitur Act.1.& 2. Ad hanc perſeuerantiam hortatur nos dominus, verbo pariter, & exemplo Luc.11.*Si perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit ſurgens, eo quod amicus eius ſit: propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi, &c.* Vnde Petro qui perſeuerabat pulſans, apertum eſt oſtium, & intrauit. Multi ergo non obtinent quod petunt, quia non perſeuerant in petendo.

4. *In pugnādo.*

QVARTO perſeuerare debemus in pugnando. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Iob.7. Miles autem quātumcunque pugnet viriliter, non reportat gloriam triumphalem, niſi perſeueret in pugna 2. Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitime certauerit.* Ioſue. 14. *In me fortitudo perſeuerat, tàm ad bellandum, quàm ad gradiendum.* In bello ſpirituali, fortiſſimus pugnandi modus, eſt virtus orationis deuotæ. Sicut exemplum habemus euidens Exo.17. de oratione Moyſi; de qua Chryſoſto. *Stabat Moyſes in monte, non armis, ſed precibus pugnaturus.* Et infra. *Fit Moyſe orante, pugna occulta, ſed manifeſta victoria, perſeuerante prece, perſeuerans victoria roboratur.* Multos Diabolus ſua improbitate diutiſſime tentat, vt tædio vincat, & auferat eis perſeuerantiam, ſicut habentur exempla infra lib.3. de tentatione.

De vitijs oppoſitis perſeuerantie.

DEINDE conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis perſeuerantiæ. Primo de mollicie. Secundo de pertinacia. Ad primum ſic proceditur. Videtur, quod mollicies non opponatur perſeuerantiæ, quia ſuper illud 1.ad Corin. 6. Nec adulteri, nec molles, nec maſculorum concubitores. Glo. exponit, *molles ideſt patici, ideſt muliebria patientes.* Sed hoc opponitur caſtitati, ergo mollicies non eſt vitium oppoſitum perſeuerātiæ. Præterea Philoſophus dicit in 7. Ethico, quod delicia mollicies quædam eſt: ſed eſſe delicioſum videtur pertinere ad intemperantiam, ergo mollicies non opponitur perſeuerantiæ. Præterea Philoſopus dicit in 7. Eth. quod luſiuus eſt mollis; ſed eſſe immoderatè luſiuum opponitur Eutrapeliæ, quæ eſt virtus circa delectationes ludorum, vt dicitur in 4. Eth. ergo mollicies non opponitur perſeuerātiæ. Sed contra eſt, quod Philoſophus dicit in 8. Eth. quod molli opponitur perſeueratiuus. Reſponſio. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, laus perſeuerantiæ in hoc conſiſtit, quod aliquis non recedat à bono, propter diuturnam tollerantiam difficilium, & laboriоſorum, cui directe videtur opponi, quod aliquis de facili recedat à bono, propter aliqua difficilia, quæ ſuſtinere nō poteſt, & hoc pertinet ad rationem mollicici. Nam molle dicitur quod facilè cedit tangenti, non autem iudicatur aliquid molle ex hoc, quod cedit fortiter impellenti; Nam & parietes cedunt machinæ percutiēti, & ideo non reputatur aliquis mollis, ſi cedat aliquibus valde graviter impellentibus. Vnde Philoſophus dicit in 7. Eth. quod *ſi aliquis à fortibus, & ſuperexcellentibus delectationibus vincitur, vel triſtitijs: non eſt admirabile, ſed condonabile, ſi contra tendat.* Manifeſtum eſt autem, quod grauius impellit metus periculorum, quā cupiditas delectationum. Vnde Tul. dicit in 1. de offi. *Non eſt conſentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate: nec qui inuictum à labore ſe præſtiterit, vinci à voluptate.* Ipſa etiam voluptas fortius mouet attrahendo quam triſtitia de carentia voluptatis retrahendo, quia carentia voluptatis eſt purus defectus. Et ideo ſecundum Philoſophum, propriè mollis dicitur, qui recedit à bono propter triſtitias cauſatas ex defectu delectationum quaſi cedens debili mouenti.

Mollities eſt vitium perſeuerantiæ oppoſitum, inquantum inclinat ad receſſum à bono ob parvum motiuū. Solutio obiecti.

AD primum ergo dicendum, quod prædicta mollicies cauſatur dupliciter. Vno modo ex conſuetudine, cum enim aliquis aſſuetus eſt voluptatibus frui, difficilius poteſt earum abſentiam ſuſtinere. Alio modo ex naturali diſpoſitione, quia videlicet habent animum minus conſtantem, propter fragilitatem complexionis; & hoc modo comparantur fœminæ ad maſculos, vt Philoſophus dicit in 7. Ethi. Et ideo illi qui muliebria patiuntur, molles dicuntur, quaſi muliebres effecti.

AD ſecundum dicendum, quod voluntati corporali opponitur labor, & ideo res laborioſæ tātum impediunt voluptates. Delicioſi autem dicuntur, qui non poſſunt ſuſtinere aliquos labores, nec aliquid quod voluptatem diminuat. Vnde dicitur Deut. 28. *Tenera mulier, & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter molliciem;* & ideo delicia, quædam mollicies dicitur. Sed mollicies proprie reſpicit defectum delectationum; deliciæ autem cauſam impeditiuam dele-

ctationis

ctationis puta laborem, vel aliquid huiuſmodi.

AD tertium dicendum, quod in ludo duo eſt conſiderare. Vno quidem modo delectationem, & ſic inordinatè ludus Eutrapeliæ opponitur. Alio modo in ludo conſideratur quædam remiſſio ſiue requies, quæ opponitur labori: & ideo ſicut non poſſe ſuſtinere laborioſa, pertinet ad mollitiem; ita etiam nimis appetere remiſſionem ludi, vel quãcunque aliam quietem

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum pertinacia opponatur perſeuerantiæ*. Dicendum, quod ſicut Iſido. dicit in lib. Ety. *Pertinax dicitur aliquis qui eſt impudenter tenens*, quaſi omnia tenens: & hic idem dicitur pertinax, eo quod in propoſito ſuo ad victoriam perſeuerat. Antiqui enim dicebant vitiam, quod nos victoriam: & hoc Philoſophus vocat in 7. Ethi. Iſchyrognomenes, ideſt fortis ſentẽtię, vel ydiognomenes, ſcilicet propriè ſententiæ, quia ſcilicet perſeuerat in propria ſententia pluſquam oportet: mollis autem minus quam oportet: perſeuerans autem, ſecũdum quod oportet. Vnde patet, quod perſeuerantia laudatur ſicut in medio exiſtens: pertinax autem vituperatur, ſecundum exceſſum medij, mollis autem ſecundum defectum.

Pertinacia opponitur perſeuerantiæ.

Solutio obiect.

ET quia quandoque nimis perſiſtit aliquis in propria ſentẽtia quia per hoc vult ſuam excellentiam manifeſtare, Ideo pertinacia oritur ex inani gloria, ſicut dicit Greg. 31. moralium. Dictum eſt autem ſupra, quod oppoſitio vitiorum ad virtutes, non attenditur ſecundum cauſam, ſed ſecundum ſpeciem. De hoc require infra lib. 3. diſt. 91.

DE TEMPERANTIA, EIVSQVE PARTIBVS, ET VITIIS OPPOSITIS.

De temperantia ſecundum ſe.

DISTINCTIO XCI.

VLTIMO inter virtutes Cardinales, conſiderandum eſt de temperantia. Circa quam conſideranda ſunt tria. Primo quidem de ipſa temperãtia. Secundo de vitijs oppoſitis. Tertio de partibus eius. Circa primum, primo videndum eſt vtrum temperantia ſit virtus. Secundo vtrum ſit virtus ſpecialis. Tertio vtrum ſit circa concupiſcentias. Quarto vtrum ſit circa delectationes tactus. Quinto vtrum ſit circa delectationes guſtus, inquantum eſt guſtus; vel ſolum ſecundum quod eſt tactus quidam. Sexto, quæ ſit regula temperantiæ. Septimo vtrum ſit virtus Cardinalis, ſiue principalis. Octauo vtrum ſit potiſſima virtutum.

AD primum, ſ. *vtrum temperantia ſit virtus*. Dicendũ quod ſicut ſupra dictum eſt, de ratione virtutis eſt, vt inclinet hominem ad bonum: bonum autem hominis eſt ſecundum rationem eſſe, vt Diony. dicit in 4. ca. de di. no. & ideo virtus humana eſt, quæ inclinat ad hoc quod eſt ſecundum rationem: Manifeſte autem ad hoc inclinat temperantia. Nam in eius nomine importatur quædam moderatio, ſeu temperies, quam ratio facit. Et ideo temperantia eſt virtus.

Temperantia eſt virtus

HINC non contrariatur temperantia inclinationi naturæ hominis, inquantum homo eſt, quia cum homo inquantum huiuſmodi, ſit rationalis, conueniens eſt, quod delectationes illæ ſint huiuſmodi conueniẽtes, quę ſunt ſecundum rationem, & ab his non retrahit temperantia, ſed potius ab his, quæ ſunt contra rationem. Vnde patet, quod temperantia non contrariatur inclinationi naturæ humanę, ſed conuenit, cum ea: contrariatur tamen inclinationi naturæ beſtialis, & non ſubiectæ rationi.

Solutio obiectionis.

AD ſecundum, ſ. *vtrum temperantia ſit ſpecialis virtus*. Dicendum quod ſecundum conſuetudinem humanæ locutionis, aliqua nomina communia reſtringuntur ad ea, quæ ſunt præcipua inter illa, quæ ſub tali communitate continentur, ſicut nomen vrbis accipitur antonomaſicè, pro Roma. Sic igitur nomẽ temperantię dupliciter accipi poteſt: vno modo ſecundũ communitatem ſuæ ſignificationis, & ſic temperantia non eſt virtus ſpecialis, ſed generalis, quia nomen temperantiæ ſignificat quandã temperiem, ideſt moderationẽ, quã ratio ponit in humanis operationibus, & paſſionibus, quod eſt cõmune in omni virtute morali. Differt tamen ratione tẽperãtia à fortitudine, etiã ſecũdũ quod vtraque ſumitur vt virtus cõmunis. Nã temperantia retrahit ab his, quæ contra rationẽ appetitum alliciunt: fortitudo autem impellit ad ea ſuſtinenda vel aggredienda, propter quæ homo refugit bonum rationis. Si vero cõſideretur antonomaſice temperantia, ſecundũ quod refrenat appetitum hominis ab his quę maxime alliciunt hominem, ſic eſt ſpecialis virtus; vtpote habens ſpecialem materiam, ſicut & fortitudo.

Temperantia antonomaſice ſumpta eſt ſpecialis virtus.

ET ſicut ipſum nomen dupliciter poteſt ſumi, vno modo communiter, alio modo excellenter; ita & integritas, quam Aug. attribuit temperantiæ, dicens in li. de moribus Eccleſiæ. *Temperantia eſt amor, ſeſe Deo integrum incorruptumque conſeruans*, quia etiam temperantia eſt circa illa, quæ maxime poſſunt animum inquietare, propter hoc quod ſunt homini eſſentialia, vt infra dicetur ideo tranquillitas animi per quandã excellentiam attribuitur temperantiæ, quamuis conueniat communiter omnibus virtutibus.

Solutio obiect.

ET nota quod licet pulchritudo conueniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiæ duplici ratione. *Primo quidem* ſecundũ cõmunẽ rationẽ tẽperantiæ, ad quam pertinet quędam moderata & cõueniens proportio, in quo conſiſtit ratio pulchritudinis, vt patet per Diony. 4. c. de di. no. *Alio modo*, quia ea quibus refrænat temperantia, ſunt infirma in homine, conuenientia ſibi ſecundum naturam beſtialem, vt infra dicetur; & ideo ex eis maxime natus eſt homo deturpari, & per conſequens pulchritudo temperantiæ attribuitur, quæ præcipue turpitudinem hominis tollit, & ex eadem ratione, etiam honeſtum maximè attribuitur temparantiæ. Dicit enim Iſido. in lib. Etymo. *Honeſtus dicitur, qui nihil habet turpitudinis*. Nam honeſtus dicitur quaſi honoris ſtatus, qui maximè cõſideratur in temperantia, qua repellit vitia maximè opprobrioſa, vt infra dicetur.

AD tertium, ſ. *vtrum temperantia ſit circa concupiſcentias, & delectationes*. Dicendum quod ſicut ait Iſido. in lib. Etymo. *Temperantia eſt, qua libido concupiſcentiaque refrenatur*. Sicut enim dictum eſt ſupra, ad virtutem moralem pertinet conſeruatio boni rationis, contra paſſiones rationem repugnantes. Motus autem paſſionũ animæ eſt duplex, vt ſupra dictum eſt, cum de paſſionibus ageretur. Vnus quidem ſecundum quod appetitus sẽſitiuus proſequitur ſenſibilia & corporalia bona. Alius autem ſecundum quod refugit ſenſibilia & corporalia mala. Primus autem motus appetitus ſenſitiui præcipue repugnat rationi per immoderantiam: nam bona ſenſibilia & corporalia ſecundum ſuam ſpeciem conſiderata nõ repugnant rationi, ſed magis ſeruiunt ei, ſicut inſtrumenta quibus homo vtitur ad conſeruationem proprij finis, repugnant autem ei præcipue, ſecundũ quod appetitus ſenſitiuus in ea tendit, non ſecundũ modum rationis. Et ideo ad virtutem moralem pertinet propriè moderari huiuſmodi paſſiones, quæ importãt proſecutionem boni. Motus autem appetitus ſenſitiui refugiẽtis mala ſenſibilia, præcipuè contrariatur rationi, non quidem ſecundum ſui immoderantiam, ſed maximè ſecundum ſuum diſceſſum, prout ſcilicet quis refugiendo mala ſenſibilia & corporalia, quæ interdum concomitantur bonum rationis, per conſequens diſcedit ab ipſo bono rationis, & ideo ad virtutem moralem pertinet in huiuſmodi diſceſſu firmitatem præſtare in bono rationis. Sicut ergo virtus fortitudinis, de cuius ratione eſt firmitatẽ præſtare, præcipue conſiſtit circa paſſionem pertinentem ad fugam malorum corporalium, circa ſ. timorẽ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Temperãtia moderatur concupiſcentiam & delectationem

ex conſequenti autem circa audaciam, quæ aggreditur terribilia ſub ſpe alicuius boni; ita etiam temperantia, quæ importat moderationem quandam conſiſtit circa paſſiones tendentes in bona ſenſibilia, ſcilicet circa concupiſcentiam, & delectationem; ex conſequenti autem circa triſtitias, quæ contingunt ex abſentia talium delectationum. Nam ſicut audacia præſupponit terribilia, ita etiam triſtitia talis prouenit ex abſentia delectationum prædictarum.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum temperantia ſit ſolum circa delectationes tactus*. Dicendum, quod ita eſt temperantia circa delectationes, & concupiſcentias; ſicut fortitudo circa timores, & audacias. Fortitudo autem eſt circa timores & audacias, reſpectu maximorum malorum quibus natura extinguitur, quæ ſunt pericula mortis. Vnde ſimiliter temperantia, B oportet quod ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum. Et quia delectatio conſequitur operationem connaturalem, tanto aliquæ delectationes ſunt vehementiores, quanto conſequuntur operationes magis naturales. Maximè autem naturales animalibus ſunt operationes, quibus conſeruatur natura Indiuidui per cibum, & potum; & natura ſpeciei per coniunctionem maris, & fœminæ, & ideo circa delectationes ciborum & potuum, & circa delectationes venereorum, eſt proprie temperantia. Huiuſmodi autem delectationes conſequuntur ſenſum tactus, vnde relinquitur, quod temperantia ſit circa delectationes tactus.

Temperãtia propriè eſt circa delectationes tactus.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum temperantia ſit circa delectationes guſtus, inquantum eſt guſtus*, vel ſolum ſecundum quod eſt tactus quidam. Dicendum quod ſicut C dictum eſt, temperantia conſiſtit circa præcipuas delectationes, quæ maximè pertinent ad coeſeruationem humanæ vitæ, vel in ſpecie, vel in indiuiduo; in quibus aliquid conſideratur principaliter, aliquid autem ſecundario. Principaliter autem ipſe vſus rei neceſſariæ; puta vel fœminæ, quæ eſt neceſſaria ad conſeruationem ſpeciei, vel cibi, vel potus, quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationem indiuidui. Et ipſe vſus horum neceſſariorum, habet quandam eſſentialem delectationem adiunctã. Secundario autẽ conſideratur circa vtramque vſum aliquid, quod facit ad hoc, quod vſus ſit magis delectabilis: ſicut pulchritudo, & ornatus fœminæ; & ſapor delectabilis in cibo, & etiam odor. Et ideo principaliter temperan- D tia eſt circa delectationes tactus, quæ per ſe conſequuntur ipſum vſum rerum neceſſariarum, quarum omnis vſus eſt in tangendo, circa delectationes autem, vel guſtus, vel olfactus, vel viſus, eſt temperantia, & intemperantia. Secundario inquantum ſenſibilia horum ſenſuum, conferunt ad delectabilem vſum rerum neceſſariarum, quæ pertinet ad tactum, quia tamen guſtus propinquior eſt tactui, quam alij ſenſus, ideo temperantia magis eſt circa guſtum, quam circa alios ſenſus.

Temperãtia eſt principaliter circa delectationes tactus.

Ad ſextum, ſcilicet *quæ ſit regula temperantiæ*. Dicendum, quod ſicut ex dictis patet, bonum virtutis moralis præcipuè conſiſtit in ordine rationis. Nam bonum hominis eſt circa rationem eſſe, vt Diony dicit 4. c. de di. no. Præcipuus autem ordo rationis conſiſtit in hoc, quod aliqua in finem ordinat, & in hoc E ordine maximè conſiſtit bonum rationis. Nam bonum habet rationem finis, & ipſe finis eſt regula eorum, quę ſunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quæ in vſum rationis veniunt, ordinantur ad aliquam vitæ huius neceſſitatem, ſicut ad finem; & ideo temperantia accipit neceſſitatem huius vitæ, ſecundum regulam delectabilium, quibus vtitur; vt ſcilicet tantum eis vtatur, quantum neceſſitas huius vitæ, requirit. Vnde dicit Aug. de mo. Eccl. *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam vtroque teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt vſurpet, vtentis modeſtia*, non amantis affectu.

Regula temperantiæ ſũt ipſa delectabilia prout cadunt in neceſſitatem huius vitæ.

Et nota, quod neceſſitas humanæ vitæ dupliciter poteſt attendi. Vno modo, ſecundum quod dicitur neceſſarium id, ſine quo res nullo modo eſſe poteſt, ſicut cibus eſt neceſſarius animali. Alio modo ſecundum quod dicitur neceſſarium, id ſine quo res non poteſt conuenienter eſſe. Temperantia autem non ſolum attendit primam neceſſitatem, ſed etiam ſecundam. Vnde Philo. dicit in 2. Ethi. quod *temperatus appetit delectabilia propter ſanitatem, vel propter bonam habitudinem*. Alia vero quæ ad hæc non ſunt neceſſaria, poſſunt ſimpliciter ſe habere. Quædam enim ſunt impedimenta ſanitatis, vel bonæ habitudinis: & his nullo modo temperatus vtitur, hoc enim eſſet peccatum contra temperantiam. Quædam vero ſunt, quæ non ſunt his impedimenta, & his moderatè vtitur pro loco & tempore & congruentia eorum quibus conuiuit. Et ideo ibidem Philoſophus dicit, quod *etiam temperatus appetit alia delectabilia*, quæ ſcilicet non ſunt neceſſaria ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem; *non impedimenta his exiſtentia.*

Solutio obie

Item conuenientia vitæ attenditur non ſolum ſecundum conuenientiam corporis, ſed etiam ſecundum conuenientiam exteriorum rerum, puta diuitiarum, & officiorum, & multomagis ſecundum conuenientiam honeſtatis: & ideo Philoſophus ibidem ſubdit, quod *in delectabilibus quibus temperatus vtitur, non ſolum conſiderat, vt non ſint impeditiua ſanitatis, & bonę habitudinis corporalis, ſed etiam vt non ſint præter bonum* id eſt contra honeſtatem, *& quod non ſint ſupra ſubſtantiam*, ideſt ſupra facultatem diuitiarum. Et Aug. dicit in lib. de moribus Eccleſiæ, quod *temperatus reſpicit non ſolum neceſſitatem huius vitæ, ſed etiam officiorũ.*

Ad ſeptimum, ſcilicet *vtrum temperantia ſit virtus Cardinalis, ſeu principalis*. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, virtus principalis ſeu Cardinalis dicitur, quæ principalius laudatur de aliquo eorum, quæ communiter requiruntur ad rationem virtutis. Moderatio autem quæ in omni virtute requiritur, præcipuè laudabilis eſt in delectationibus tactus circa quę eſt temperantia, tum qui tales delectationes ſunt magis naturales nobis, & ideo difficilius eſt ab eis abſtinere, & concupiſcentias eorum refrænare; tum etiam, quia earum obiecta magis ſunt neceſſaria præſenti vitæ, ſicut ex prædictis patet. Et ideo temperantia ponitur virtus principalis, ſeu Cardinalis.

Temperantia eſt virtus cardinalis.

Ad octauum, ſcilicet *vtrum temperantia ſit maxima virtutum*. Dicendum quod ſicut Philoſophus dicit in 1. Ethi. *bonum multitudinis diuinius eſt, quam bonum vnius*: & ideo quanto aliqua virtus magis pertinet ad bonum multitudinis, tanto melior eſt. Iuſtitia autem & fortitudo, magis pertinent ad bonum multitudinis, quam temperantia; quia iuſtitia conſiſtit in communicationibus, quæ ſunt ad alterum, fortitudo autem in periculis bellorum, quæ ſuſtinentur pro ſalute communi; temperantia autem moderatur ſolum concupiſcentias, & delectationes earum, quæ pertinent ad ipſum hominem, vnde manifeſtum eſt, quod iuſtitia & fortitudo ſunt excellentiores, quam temperantia, quibus prudentia, & virtutes Theologicæ ſunt potiores.

Temperãtia cadit iuſtitiæ & fortitudini in perfectione.

De vitijs oppoſitis temperantiæ.

DISTINCTIO XCII.

DEinde conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis temperantiæ. Et primo vtrum inſenſibilitas ſit peccatum. Secundo vtrum intemperantia ſit vitium puerile. Tertio de comparatione intemperantiæ ad timiditatem. Quarto vtrum vitium intemperantię ſit maximè opprobrioſum.

Ad primum, ſcilicet *vtrum inſenſibilitas ſit vitium*. Dicendum quod omne id quod contrariatur ordini naturali, eſt vitioſum; natura autem delectationem apposuit operationibus neceſſarijs ad vitam hominis, & ideo naturalis ordo requirit, vt homo intantum huiuſmodi delectationibus vtatur, quantum neceſſa-

Insensibilitas est vitiũ quo quis intantum refugit delectationem vt praetermittat quae sũt necessaria ad cõseruationẽ naturae.

rium est saluti humanæ, vel quantum ad conseruationem indiuidui, vel quantum ad conseruationem speciei. Si quis ergo intantum delectationem refugeret, quod prætermitteret ea quæ sunt necessaria ad conseruationem naturæ, peccaret quasi ordini naturali repugnans,& hoc pertinet ad vitium insensibilitatis.

Sciendum tamẽ,quod ab huiusmodi delectationibus consequẽtibus huiusmodi operationes, quandoq; laudabile est vel necessarium abstinere, propter aliquem finem;sicut ob sanitatem corporalem,aliqui abstinent à quibusdã delectationibus in cibis, & potibus, & venereis;& etiã propter alicuius officij executionem, sicut athletas & milites necesse est à multis delectationibus abstinere,vt officium proprium exequantur;& similiter penitentes, ad recuperandam animæ salutem, abstinentia delectabilium quasi quadam dicta vtuntur;& homines volentes contemplationi & rebus diuinis vacare, oportet quod se magis à carnalibus abstrahant, nec aliquid prædictorum ad insensibilitatis vitium pertinet, quia sunt secundũ rationẽ rectã,vnde Daniel,vt se idoneũ redderet ad reuelationes diuinas, abstinebat se ab huiusmodi delectationibus, sicut dicitur Dan.10.*Lugebam trium hebdomadarum diebus,panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vsus sum* Eccl. 2. *Cogitaui à vino abstrahere carnem meam,vt animum meum transferrem ad sapientiam.* Et Dan.1.dicitur quod *pueris illis*,scilicet Danieli & socijs eius, *Deus dedit scientiam & disciplinam in omni libro*,&c.

Solutio obie.

Et nota,quod quia homo non potest vti ratione sine potentijs sensitiuis, quæ indigent organo corporali; necesse est vt homo sustentet corpus, ad hoc quod ratione vtatur: sustentatio autem corporis fit per operationes delectabiles, vnde non potest esse bonum rationis in homine,si abstineat ab omnibus delectabilibus. Secundũ tamen quod homo in exequendo actũ rationis,plus vel minus indiget corporali virtute,secũcum hoc plus vel minus necesse habet homo, delectabilibus corporalibus vti;& ideo homines qui officium hoc assumpserunt, vt contemplationi vacent: & bonum spirituale, quasi quadam spirituali propagatione, in alios transmittant; à multis delectabilibus laudabiliter se abstinent, à quibus illi quibus ex officio competit operibus corporalibus & generationi carnali vacare,laudabiliter se non abstinerent.

Intemperantia dicitur peccatum puerile similitudinariè, & hoc propter tria.

Ad secundum, scilicet *vtrum intemperantia sit peccatum puerile.* Dicendum, quod aliquid dicitur esse puerile dupliciter; *vno modo*, quia conuenit pueris, & sic non intendit Philosophus dicere, quod peccatum intemperantiæ sit puerile. *Alio modo* secundum quandam similitudinem; & hoc modo peccata intemperantiæ puerilia dicuntur. Peccatum enim intemperantiæ est peccatum superfluę concupiscentiæ,quæ similatur puero quantum ad tria. *Primo quidem* quantum

1. *Quantum ad id quod vterque appetit.*

ad id quod vterque appetit, sicut enim puer, ita & concupiscentia, appetit aliquid turpe: cuius ratio est. quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid ordinatur secundum rationem. Vnde Tullius dicit in 1.de officijs. Quod *pulchrum est, quod consentaneum est hominis excellentię in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differt.* Puer autem non attendit ad ordinem rationis, & similiter concupiscentia non audit rationem,vt dicitur in 2.Ethi.*Secundo* quantum ad

2. *Quantum ad euentum*

euentum, puer enim si suæ voluntati dimittitur, crescit in voluntate propria. Vnde dicitur Eccl. 30. *Equus indomitus euadit durus,& filius remissus euadit præceps.* Ita etiam & concupiscentia,si ei satisfiat, maius robur accipit. Vnde Aug.dicit in 7.confes. *Dum seruitur libidini facta est consuetudo;& dum consuetudini non resistitur,facta est necessitas. Tertio* quantum ad remedium, quod vtrique prębetur,Puer enim emendatur per hoc quod

3. *Quantum ad remediũ*

coercetur. Vnde dicitur Prouer. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam.tu virga percuties eum,& de inferno liberabis.* Similiter dum concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod Aug. dicit in 6. Musi. quod *mente in spiritualia suspensa atque infixa & manẽte, cõsuetudinis* scilicet carnalis concupiscentiæ,*impetus frangitur,& paulatim repressus extinguitur.Maior enim erat cum insequeremur;non omnino nullus, sed certè minor,cum refrænamus*, & ideo Philosophus dicit in 3.Ethi. quod *quemadmodum puerum oportet secundum præceptam pedagogi viuere, sic & concupiscibile consonare rationi.*

Solutio obie.

Et nota,quod concupiscentia aliqua potest dici naturaliter dupliciter. Vno modo secundum suum genus, & sic temperantia & intemperantia, sunt circa concupiscentias naturales. Sunt enim circa concupiscentias ciborum, & venereorum, quæ ordinantur ad conseruationem naturæ. Alio modo potest dici concupiscentia naturalis,quantum ad speciem eius, quod natura ad sui conseruationem requirit: & sic non multum contingit peccare circa naturales concupiscentias. Natura enim non requirit nisi id per quod subuenitur necessitati naturæ: in cuius desiderio non contingit esse peccatum, nisi solum secundum quantitatis excessum:& secundum hoc solum peccatur circa naturalem concupiscentiam,vt Philosophus dicit in 3. Ethi. Alia vero circa quæ plurimum peccatur sunt quædam concupiscentiæ incitamenta quæ hominum curiositas adinuenit, sicut curiosè cibi præparati, & mulieres ornatæ,& quamuis ista non multũ requirunt pueri,nihilominus tamen intemperantia dicitur puerile peccatum ratione iam dicta.

Intemperantia est grauius vitiũ quam timiditas tã ex parte materiæ quam ex parte ipsius hominis peccantis.

Ad tertium scilicet *de comparatione intemperantiæ ad timiditatem.* Dicendum quod vnum vitium potest alteri comparari dupliciter. Vno modo, ex parte materiæ, vel obiecti. Alio modo,ex parte ipsius hominis peccantis:& vtroque modo intemperantia est grauius vitium,quam timiditas. Primo namque ex parte materię,vel obiecti. Nam timiditas refugit pericula mortis,ad quæ vitanda,inducit maxima necessitas conseruandæ vitæ. Intemperantia autem est circa delectationes, quarum appetitus non est adeo necessarius ad vitæ conseruationem: quia vt dictum est,intemperantia magis est circa quasdam oppositas delectationes, seu concupiscentias: quam circa concupiscentias, seu delectationes naturales: quanto autem illud quod monet ad peccandum, magis videtur esse necessarium, tanto peccatum leuius est. Et ideo intemperantia est grauius vitium quam timiditas, ex parte obiecti, seu materiæ mouentis. Similiter etiam ex parte ipsius hominis peccantis, & hoc triplici ratione. *Primo quidem*, quia quanto ille qui peccat, magis est compos suæ mentis,tanto grauius peccat,vnde alienatis non imputantur peccata. Timores autem & tristitiæ graues, & maximè in periculis mortis, stupefaciunt mentem hominis, quod non facit delectatio, quæ mouet ad intemperantiam.*Secundo*,quia quanto peccatum est magis voluntarium, tanto & grauius. Temperantia autem habet plus de voluntario,quam timiditas: & hoc duplici ratione. Vno modo,quia ea quæ per timorem fiunt,principium habent ab exteriori impellente, vnde non sunt simpliciter voluntaria. Alio modo quia ea quæ intemperata sunt,magis sunt voluntaria in particulari, minus autem voluntaria in vniuersali. Nullus enim vellet intemperatus esse; allicitur tamen homo à singularibus delectationibus, quæ intemperatum faciunt hominem.Propter quod ad vitandam intemperantiam,maximum remedium est vt non immoretur homo circa singularium considerationem, sed in his,quæ pertinent ad timiditatem est econuerso: Nam singularia quæ imminent, sunt minus voluntaria, vt abijcere clypeum,& alia huiusmodi. Sed ipsum commune est magis voluntarium, puta fugiendo saluari, hoc autem simpliciter magis voluntarium est, quod est magis voluntarium in singularibus in quibus est actus. Et ideo intemperantia cum sit simpliciter magis voluntaria quam timiditas,est maius vitium.

Tertio, quia contra intemperantiam potest magis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de facili remedium adhiberi, quam contra timiditatem; eo quod delectationes ciborum, & venereorum, circa quæ est intemperantia, per totam vitam occurrunt, & sine periculo potest homo circa ea exercitari, ad hoc quod sit temperatus, sed pericula mortis rarius occurrunt, & periculosius homo in his exercitatur ad timiditatem fugiendam. Et ideo intemperantia est maius simpliciter peccatum, quam timiditas.

Solutio obie. Itē nota, quod excellentia fortitudinis supra temperantiam potest considerari dupliciter. Vno modo ex parte finis, quod pertinet ad rationem boni; quia scilicet fortitudo magis ordinatur ad bonum commune, quam temperantia. Ex hac etiam parte, timiditas habet quandam excellentiam supra intemperantiam, inquantum scilicet per timiditatem aliqui desistunt à defensione boni communis. Alio modo ex parte difficultatis, inquantum scilicet difficilius est subire pericula mortis, quam abstinere à quibusdam delectationibus: vt quantum ad hoc non oportet quod timiditas præcellat intemperantiam. Sicut enim maioris virtutis est non vinci à fortiori, ita etiam à contrario minoris vitij est à fortiori vinci, & maioris vitij est à debiliori superari.

Intemperantia est maximè exprobrabilis propter duo. Ad quartum scilicet *vtrum peccatum intemperantiæ sit maximè exprobrabile.* Dicendum quod exprobratio opponi videtur honori & gloriæ: honor autem excellentiæ debetur, vt supra habitum est, gloria autem claritatem importat. Est ergo intemperantia maximè exprobrabilis propter duo. *Primo quidem* quia maximè repugnat excellentiæ hominis, est enim circa delectationes communes nobis & brutis, vt supra habitum est. Vnde & in Psal. 48. dicitur. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Secundo,* quia maximè repugnat eius claritati, vel pulchritudini, inquantum in delectationibus circa quas est intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua est tota claritas, & pulchritudo virtutis, vnde & huiusmodi delectationes dicuntur maximè exprobrabiles.

De partibus temperantiæ in generali.

DISTINCTIO XCIII.

DEinde considerandum est de partibus temperantiæ. Et primo de istis partibus in generali. Secundo de singulis in speciali.

Circa primum sciendum, quod Tullius in sua Rhetorica, assignat partes temperantiæ, continentiam, modestiam, clementiam. Macrobius autem super somnium Scipionis ponit modestiam, verecundiam, continentiam, castitatem, honestatem, moderationem, parcitatem, sobrietatem, & pudicitiam. Andronicus vero dicit, quod familiares temperantiæ sunt austeritas, continentia, humilitas, simplicitas, ornatus, bona ordinatio, per se sufficientia.

Duæ sunt partes integrales temperantiæ s. verecundia & honestas. Ad euidentiam horum sciendum est, quod sicut dictum est supra, alicuius virtutis Cardinalis triplices partes possunt esse, scilicet integrales, subiectiuæ, & potentiales, & dicuntur *partes integrales* alicuius virtutis, conditiones quas necesse est concurrere ad virtutem, & secundum hoc duæ sunt partes integrales temperantiæ, scilicet verecundia per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam; & honestas, per quam scilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiæ, nam sicut ex dictis patet, præcipuè temperantia inter virtutes, vendicat sibi quendam decorem, & vitia intemperantiæ maximè turpitudinem habent, *partes autem subiectiuæ* alicuius virtutis, dicuntur species eius. Oportet autem diuersificare species virtutum, secundum diuersitatem materiæ obiecti. Est autem temperantia circa delectationes tactus, quæ diuiduntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum, & in his quantum ad cibum, est abstinentia, quantum autē ad potum, propriè sobrietas.

Partes subiectiuæ temperantia sunt abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia.

Quædam vero ad vim generatiuam ordinantur; & in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus, est castitas, quantum autem ad delectationes circunstantes, puta quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia, *partes autem potentiales* alicuius virtutis principalis, dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum quem principalis virtus obseruat, circa aliquam principalem materiam; ipse obseruant in quibusdam alijs materijs, in quibus non est ita difficile. Pertinet igitur ad temperantiam moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari. Vnde quæcunque virtus moderationem quandam operatur in aliqua materia, & refrænationem appetitus in aliquid tendentis, potest poni pars temperantiæ, sicut virtus ei adiuncta: quod quidem contingit tripliciter. Vno modo in interioribus motibus animi. Alia modo in exterioribus motibus, & actibus corporis. Tertio modo in exterioribus rebus, præter motum autem concupiscentiæ, quam moderatur & refrænat temperantia, tres motus inueniuntur in anima, tendentes in aliquid. Primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis: & hunc motum refrænat continentia: ex qua fit, vt licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincitur. Alius autem motus interior in aliquid tendens, est motus spei, & audacię, quæ ipsam consequitur, & hunc motum moderatur siue refrænat humilitas. Tertius autem motus est iræ tendentis in vindictam, quem refrænat mansuetudo siue clementia, circa autem motus & actus corporales, moderationem & refrænationem facit modestia, quam Andronicus in tria diuidit, ad quorum primum pertinet discernere, quod sit faciendum, & quid dimittendum, & quid quo ordine sit agendum: & in hoc firmum persistere: & quantum ad hoc ponit bonam ordinationem aliud autem est, quod homo in eo quod agit, decentiam obseruet, & quantum ad hoc ponit ornatum. Tertium est autem in colloquijs amicorum, vel quibuscunque alijs: & quantum ad hoc ponitur austeritas, circa exteriora autem duplex moderatio est adhibenda. *Primo quidem,* vt superflua non requirantur, & quantum ad hoc ponitur à Macrobio parcitas, & ab Andronico per se sufficientia. *Secundo vero,* vt homo non minus exquisita requirat, & quantum ad hoc ponit Macrobius moderationem, Andronicus vero simplicitatem.

Partes potentiales temperantiæ sūt continentia, humilitas, mānsuetudo, clementia, modestia &c.

De partibus temperantiæ in speciali, & 1 de verecundia.

DEinde considerandum est de partibus temperantię in speciali, & primo de partibus quasi integralibus, quæ sunt verecundia, & honestas. Circa verecundiam consideranda sunt quatuor. Primo, vtrum verecundia sit virtus. Secundo de quibus sit verecundia. Tertio à quibus homo verecundetur. Quarto quorum sit verecundari.

Quid verecundia. Ad primum scilicet *vtrum verecundia sit virtus.* Dicendum, quod virtus dupliciter accipi potest, propriè scilicet & communiter. Propriè quidem virtus perfectio quædam est, vt dicitur in 7. Phy. Et ideo omne illud quod repugnat perfectioni, etiamsi sit bonum, deficit à ratione virtutis, verecundia autem repugnat perfectioni, timor enim est alicuius turpis, quod scilicet est exprobrabile, Vnde Damas. dicit, quod *verecūdia est timor de turpi actu,* sicut autem spes est de bono possibili & arduo, vt supra habitum est, cum de passionibus ageretur, ita etiam timor est de possibili, & arduo ille autem qui est perfectus secundum habitus virtutis, nō apprehēdit aliquid exprobrabile & turpe ad faciendū, vt possibile, & arduum, id est difficile ad vitandum: neque etiam facit actu aliquid turpe vnde opprobrium timeat, vnde verecundia propriè loquendo non est virtus, deficit enim à perfectione virtutis. Cōmuniter autem virtus dicitur omne quod est bonum & laudabile in humanis actibus, & passionibus: & secundum hoc verecundia quandoque dicitur virtus, cum sit quædam laudabilis passio. Sicut dicit Ambro lib. de officijs, quod *verecundia socia ac familiaris est mentis placiditati protertiam fugitans, ab omni luxu aliena, sobrietatem diligit,*

Verecundia propriè loquendo non est virtus sed quædam laudabilis passio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

diligit, honeſtatem fouet, & decorum requirit. Deficit tamen A
à ratione virtutis, quia ſicut habetur 2. Eth. *virtus eſt habitus electiuus in medietate conſiſtens*, licet autẽ verecundia in medio conſiſtere videatur, tamen verecundia nõ nominat habitum, ſed paſſionẽ; neq; motus eius eſt ex electione, ſed ex impetu paſſionis.

Ad ſecundum. ſ. *vtrum verecundia ſit de turpi*. Dicendum quod ſicut dictum eſt ſupra, timor eſt de malo arduo, quod. ſ. difficile vitatur: eſt autẽ duplex turpitudo. Vna quidẽ vitioſa, quæ. ſ. conſiſtit in deformitate actus voluntarij, & hæc propriè loquendo nõ habet rationẽ mali ardui; quod. n. in ſola voluntate conſiſtit, non videtur eſſe arduum, & eleuatũ ſupra hominis poteſtatẽ; & propter hoc non apprehenditur ſub ratione terribilis, & propter hoc Philoſophus dicit in 3. Rhe. quod *horum malorum non eſt timor*. Alia autẽ eſt B
turpitudo quaſi pœnalis, quæ quidẽ conſiſtit in vituperatione alicuius; ſicut quæda claritas glorię conſiſtit in honoratione alicuius, & quia etiã vituperiũ habet rationẽ mali ardui, ſicut huiuſmodi honor habet rationẽ boni ardui; verecundia, quæ eſt timor turpitudinis, primo & principaliter reſpicit vitium, ſeu opprobriũ: & quia vituperiũ propriè debetur vitio, ſicut honor virtuti; ideo etiã ex conſequenti verecundia reſpicit turpitudinẽ vitioſam, vnde Philoſophus dicit in 2. Rhet. quod *minus homo verecũdatur ex defectibus, qui non ex eius culpa proueniunt*. Reſpicit autẽ verecundia culpã dupliciter; vno modo, vt aliquis deſinat vitioſa agere propter timorem vituperij. Alio modo, vt homo in turpibus quę agit, vitet conſpectus publicos propter timorẽ vituperij, quorũ primum ſecundum Greg. Nicenũ C
pertinet ad erubeſcentiã, ſecundum etiã ad verecundiã. Vnde ipſe dicit, quod *qui verecundatur, occultat ſe in his quæ agit, qui vero erubeſcit timet incidere in ingloriationẽ*. Verecundia autem vel erubeſcentia propriè reſpicit ingloriationẽ, ſecundum quod debetur culpæ, quæ eſt defectus voluntarius, vnde Philoſophus dicit in 2. Rheto. quod *omnia illa homo verecũdatur magis, quorũ ipſe eſt cauſa*, opprobrioſa autẽ quæ inferuntur alicui propter virtutem, virtuoſus quidẽ contemnit, quia indignè ſibi irrogantur, ſicut de magnanimis Philo. dicit in 4. Eth. Et de Apoſtolis dicitur Act. 5. quod *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu Chriſti contumeliam pati*. Ex imperfectione autem virtutis contingit quod aliquis verecundetur de opprobrijs, quæ ſibi inferuntur propter virtutem; D
quia quanto aliquis eſt magis virtuoſus, tanto magis cõtemnit exteriora bona, vel mala, vnde dicitur Iſa. 51. *Noli timere opprobrium hominum*.

Ad tertium. ſ. *à quibus homo verecundetur*. Dicendum quod cum vituperium opponatur honori, ſicut honor importat teſtimoniũ quoddam de excellẽtia alicuius, & præcipuè quæ eſt ſecundũ virtutẽ; ita etiam opprobriũ cuius timor eſt verecundia, importat teſtimoniũ de defectu alicuius, & præcipuè ſecundum aliquã culpam. Et ideo quanto teſtimonium alicuius reputatur maioris ponderis, tanto ab eo aliquis magis verecũdatur. Poteſt autem teſtimoniũ aliquid maioris ponderis reputari, vel propter eius certitudinem veritatis, vel propter effectũ: certitudo autẽ veritatis adeſt teſtimonio alicuius propter duo; vno quidem modo, propter E
certitudinẽ iudicij: ſicut patet de ſapiẽtibus & virtuoſis à quibus homo, & magis deſiderat venerari, & magis verecũdatur, vnde à pueris & beſtijs nullus verecũdatur, propter defectũ recti iudicij, qui eſt in eis. Alio modo propter cognitionẽ eorum de quibus eſt teſtimoniũ, quia vnuſquiſq; bene iudicat, quæ cognoſcit: & ſic magis verecundamur, à perſonis coniunctis quæ magis facta noſtra conſiderant. A peregrinis autẽ, & omnino ignotis ad quos facta noſtra non perueniunt, nullo modo verecũdamur, ex affectu autẽ eſt aliquid teſtimoniũ magni ponderis, propter iuuamentum vel nocumentum ab eo proueniẽs. Et ideo magis deſiderant homines honorari ab his qui poſſũt eos iuuare: & magis verecũdantur ab eis qui poſsũt nocere, & inde

Verecundia reſpicit turpitudinem vitioſam.

Homo magis verecundatur à perſonis coniũctis quam peregrinis.

etiã eſt, quod quantũ ad aliquid, magis verecundamur à perſonis coniunctis, cũ quibus sẽper ſumus conuerſaturi, quaſi ex hoc nobis perpetuũ proueniat detrimentum, quod autem prouenit à peregrinis tranſeuntibus, cito pertranſit.

Similis autẽ eſt ratio, quare verecũdamur à melioribus, & à perſonis coniunctis, quia ſicut meliorum teſtimoniũ reputatur magis efficax, propter vniuerſalẽ cognitionẽ quam habent de rebus, & incõmutabilẽ ſententiam veritatis, ita etiã familiarium perſonarũ teſtimonium, videtur magis efficax, propter hoc quod magis cognoſcunt particularia, quæ circa nos ſunt. *Solutio obie.*

A perſonis vero nobis ſimilibus in peccato, nõ verecundamur, quia non eſtimamus quod defectum apprehendant, ſicut aliquid turpe. A propalantibus autẽ verecundamur propter nocumentum idem proueniens, quod eſt diffamatio apud multos.

Ab illis etiã inter quos nihil mali fecimus, magis verecundamur propter nocumentũ ſequens, quia. ſ. per hoc amittimus bonã opinionem, quã de nobis habebant, & etiã quia contraria iuxta ſe poſita maiora videntur, vnde cũ aliquis ſubito de aliquo, quem bonũ æſtimauit, aliquid turpe percipit, apprehendit hoc vt turpius, ab illis autem à quibus de nouo aliquid poſtulamus, vel quorum nũc primo volumus eſſe amici, magis verecũdamur propter nocumentum inde proueniens, quod eſt impedimentum implendæ petitionis, & amicitiæ conſummandæ.

Ad quartum. ſ. *quorum ſit verecundari*. Dicendo quod ſicut dictũ eſt, verecundia eſt timor alicuius turpitudinis. Quod autẽ aliquod malũ non timeatur, propter duplicem rationẽ poteſt contingere. Vno modo quia non æſtimatur vt malũ. Alio modo, quia nõ æſtimatur vt poſſibile, vel vt difficile vitari: & ſecundũ hoc verecũdia in aliquo deficit dupliciter. Vno modo, quia ea quæ ſunt erubeſcibilia, nõ apprehendũtur etiã turpia, & hoc modo carent verecundia homines in peccatis profundati, quibus ſua peccata nõ diſplicent, ſed magis gloriãtur de eis. Alio modo, quia nõ apprehendũt turpitudinẽ vt poſſibilẽ ſibi, vel quaſi nõ facilè vitabilẽ: & hoc modo ſenes, & virtuoſi, verecundia carent, ſunt tamẽ diſpoſiti ſic, vt ſi in eis eſſet aliquid turpe, de hoc verecundarentur, vnde Philoſophus dicit in 4. Ethi. quod *verecundia eſt ex ſuppoſitione ſtudioſi*.

Homines demerſi in peccatis, ſenes & virtuoſi, non facile verecundantur.

De honeſtate.

DEinde conſiderãdum eſt de honeſtate. Et primo quomodo honeſtum ſe habeat ad virtutẽ. Secundo quomodo ſe habeat ad decorẽ. Tertio quomodo ſe habeat ad vtile & delectabile. Quarto vtrum honeſtas ſit pars temperantiæ.

Ad primum. ſ. *quomodo honeſtas ad virtutẽ ſe habeat*. Dicendũ quod ſicut Iſid. dicit honeſtas dicitur quaſi honoris ſtatus, vnde ex hoc videtur aliquid dici honeſtũ, quod eſt honore dignũ, honor autẽ vt ſupra dictũ eſt, excellentiæ debetur, excellentia autẽ hominis maximè conſideratur ſecundũ virtutem, *quæ eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*, vt dicitur in 7. Phi. Et ideo honeſtũ propriè loquendo, in idem refertur cum virtute. *Honeſtas & virtus idem ſunt realiter*

Et nota, quod eorũ quæ honorantur præter virtutẽ, aliquid virtute eſt excellentius. ſ. Deus, & beatitudo, & huiuſmodi nõ ita nobis per experientiã nota ſũt ſicut virtutes ſecũdũ quas quotidie operamur. Et ideo virtus magis ſibi vendicat nomen honeſti. Alia vero quæ ſunt infra virtutem, honorantur inquantũ coadiuuant ad operationem virtutis, ſicut nobilitas, potentia, & diuitiæ, vt. n. Philo. dicit. 4. Eth. *huiuſmodi honorantur à quibuſdã, ſed ſecundũ veritatem ſolus bonus eſt honorandus*, bonus autem eſt aliquis ſecundũ virtutem. Et ideo virtuti quidẽ debetur laus, ſecundũ quod eſt appetibilis propter aliud, honor autẽ prout eſt appetibilis propter ſeipſum, & ſecundum hoc habet rationem honeſti. *Solutio obie.*

Item nota quod radicaliter honeſtas eſt in interiori

electione,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

electione, signatiuè autem in exteriori conuersatione, quia honestum sicut dictum est, importat debitum honoris, honor autem est quædam attestatio de excellentia alicuius. Testimonium autem non profertur nisi de rebus notis: interior autem electio non innotescit, nisi per exteriores actus. Et ideo exterior conuersatio habet rationem honesti, secundum quod est interioris rectitudinis ostensiua, propter hoc quod dicit Apostolus 1. Corin. 14. *Omnia honestè, & secundum ordine fiant in vobis.*

Item quia secundum vulgarem opinionem excellentia diuitiarum facit hominem dignum honore; Inde est quod quandoque nomen honestatis ad exteriorem prosperitatem transfertur, secundum illud Eccle. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.* Et post sequitur. *Potens est Deus subito honestare pauperem,* id est ditare.

Ad secundum. s. *quomodo honestas se habeat ad decorem:* dicendum quod sicut accipi potest ex verbis Diony. 4. cap. de di.no. Ad rationem pulchri siue decori, concurrit & claritas, & debita proportio: dicit enim quod Deus dicitur pulcher, sicut vniuersorum consonantiæ & claritatis causa. Vnde pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habet membra corporis bene proportionata, cum quadam debiti coloris claritate, & similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod cõuersatio hominis, siue actio eius, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus idem esse virtuti, quæ secundum rationem moderatur omnes res humanas; & ideo honestum est idem spirituali decori. Vnde Aug. dicit in lib. 73. quæstionum, *honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos propriè dicimus.* Et postea subdit, quod *sunt multa pulchra visibilia, quæ minus propriè honesta appellantur.*

Ad tertium, scilicet *quomodo honestas se habeat ad vtile & delectabile.* Dicendum quod honestum concurrit in idem subiectum cum vtili & delectabili, à quibus tamen differt ratione. Dicitur enim aliquid honestum sicut dictum est, inquantum habet quendam decorem ex ordinatione rationis? hoc autem quod est secundum rationem ordinatum, est naturaliter conueniens homini, vnumquodque autem naturaliter delectatur in suo conuenienti. Et ideo honestum est homini naturaliter delectabile, sicut de operatione virtutis Philosophus probat in 5. Ethi. Non tamen omne delectabile est honestũ; quia potest etiam aliquid esse conueniens secundum sensum, non secundum rationẽ, sed hoc delectabile est præter hominis rationẽ, quæ perficit naturã ipsius. Ipsa etiam virtus, quæ secundum se honesta est, refertur ad aliud sicut ad finem, scilicet ad fœlicitatem: & secundum hoc idem subiecto est honestum, & vtile, & delectabile, sed ratione differunt. Nã honestum dicitur secundũ quod aliquis habet quandam excellentiam dignam honore propter spiritualẽ pulchritudinẽ. Delectabile autem inquantum quietat appetitum, vtile autem inquantum refertur ad aliud, in pluribus tamen est delectabile, quam vtile, & honestum; quia omne vtile & honestum, est aliqualiter delectabile, sed non conuertitur, vt dicitur in 2. Ethi.

Ad quartum. s. *vtrũ honestas debeat poni pars temperantiæ.* Dicendũ quod sicut dictum est honestas est quædã spiritualis pulchritudo, pulchro autẽ opponitur turpe, opposita autem maximè se inuicem manifestant. Et ideo spiritualiter ad temperantiam honestas pertinere videtur, quæ id quod turpissimum est homini, & indecentissimum, repellit. s. brutales voluptates, vnde & in ipso nomine temperantiæ, maximè intelligitur bonum rationis, cuius est moderari, & temperare concupiscentias prauas. Sic igitur honestas prout speciali quadam ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars eius, non quidem subiecta, vel sicut virtus adiuncta, sed pars integralis ipsius, sicut quædam eius conditio.

Quid pulchritudo.

Honestum identificatur spirituali decori.

Honestum vtile & delectabile sũt idẽ subiecto sed ratione differunt.

Honestas est pars integralis temperantiæ.

De partibus subiectiuis temperantiæ.

DISTINCTIO XCIV.

DEinde considerandum est de partibus subiectiuis tẽperantiæ. Et primo de illis quæ sunt circa delectationes cyborũ. Secundo de illis quæ sunt circa delectationes venereorũ. Circa primũ considerandũ est primo de abstinentia, quæ est circa cibos & potus. Secundo de sobrietate, quę est specialiter circa potũ. Circa abstinentiã considerandum est primo de ipsâ abstinentia. Secundo de actu eius, quod est ieiuniũ. Tertio de vitio opposito, quod est gula. De abstinentia videndum est primo vtrum sit virtus. Secundo vtrum sit specialis virtus.

Ad primũ. s. *vtrum abstinẽtia sit virtus.* Dicendũ quod abstinentia ex suo nomine importat subtractionẽ ciborũ. Dupliciter autẽ nomen abstinẽtiæ accipi potest. Vno modo secundũ quod absolutè abstractionẽ ciborũ designat; & hoc modo abstinentia non designat, neque virtutem, neque actum virtutis, sed quiddã indifferens. Alio modo potest accipi secundũ quod est ratione regulata: & hoc potest fieri dupliciter, *vno modo* per comparationem corporis, & sic moderatio ciborum secundũ quantitatẽ & æqualitatem, pertinet ad artẽ medicinæ. *Alio modo* secundũ interiores affectiones, in cõparatione ad bonũ rationis; & sic pertinet ad virtutẽ. Vnde Aug. in li. de quęstionibus Euangelij dicit: *Non interest omnino.* s. ad virtutẽ, *quid alimentorũ, vel quantum quis accipiat, dũmodo id faciat pro congruentia hominum cum quibus viuit, & personę suæ, & pro valitudinis suę necessitate: sed quanta facilitate, & serenitate animi his careat, cum oportet, vel necesse est carere.*

abstinentia est virtus.

Et nota, quod ad temperantiam pertinet refrænare delectationes quæ nimis animum ad se alliciunt, sicut ad fortitudinem pertinet firmare animum contra timores, à bono rationis repellentes, & ideo sicut laus fortitudinis consistit in quodam excessu; & ex hoc denominantur omnes partes fortitudinis; ita & laus temperantiæ consistit in quodã defectu: & ex hoc ipsa, & omnes partes eius denominantur, vnde & abstinentia, quia pars est tẽperantiæ denominatur à defectu, & tamen consistit in medio inquantum est secundum rationẽ rectam. Ratio. n. recta facit abstinere sicut oportet. s. cum hilaritate mentis: & propter quod oportet scilicet propter gloriã Dei, non propter gloriam suam.

Salutio obie.

De his quæ faciunt ad commendationẽ abstinentiæ require infra, vbi agitur de vitio gulæ, nã quæ dicũtur ibi ad detestationẽ gulæ, per oppositũ faciunt ad commendationem abstinentiæ, & quæ dissuadent gulam, suadent abstinentiam.

Ad secundũ. s. *vtrum abstinentia sit specialis virtus,* dicendũ quod sicut dictũ est virtus moralis cõseruat bonũ rationis contra impetus passionũ, & ideo vbi inuenitur specialis ratio qua passio abstrahat à bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutẽ. Delectationes autẽ ciborũ natæ sũt abstrahere hominẽ à bono rationis, tũ propter magnitudinẽ earum, tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conseruationẽ, quã maximè homo desiderat: & ideo abstinentia est specialis virtus. De ieiunio, quod est actus abstinentiæ, require infra, vbi agitur de partibus satisfactionis. *De vitio gulæ oppositio abstinentię, require infra, vbi agitur de sexto vitio capitali in 3. libro.*

Abstinentia est specialis virtus.

De sobrietate.

DEinde considerandum est de sobrietate, & vitio oppositio. s. ebrietate. Circa sobrietatem primo considerandum est, quæ sit materia sobrietatis. Secundo vtrũ sobrietas sit specialis virtus. Tertio vtrũ vsus vini sit licitus. Quarto quibus præcipuè competat sobrietas.

Ad primum, scilicet *quæ sit materia sobrietatis.* Dicen-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dum, quod virtutes quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam ſpecialiter ſibi vendicant, in qua difficillimum & optimum eſt conditionem huiuſmodi obſeruare; ſicut fortitudo circa pericula mortis, & temperantia circa delectationes tactus: nomen autem ſobrietatis ſumitur à menſura. Dicitur enim aliquis ſobrius, quaſi briam, ideſt menſuram ſeruans, & ideo illam materiam ſibi ſpecialiter ſobrietas aſcribit, in qua maximè laudabile eſt menſuram ſeruare, huiuſmodi autem eſt potus inebriare valens, quia eius vſus menſuratus, multum confert: & modicus exceſſus, multum lędit, quia impedit vſum rationis, magis etiam quam exceſſus cibi, vnde dicitur Eccleſiaſtici 31. *Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus, vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Et ideo ſpecialiter ſobrietas attenditur circa potum, non quemcunq; ſed eum qui ſua fumoſitate natus eſt caput conturbare; ſicut vinum, & omnia quæ inebriare poſſunt. Communiter autem ſumēdo nomen ſobrietatis, poteſt in quacunque materia dici; ſicut ſupradictum eſt de fortitudine, & tēperantia.

Materia ſobrietatis propriè eſt potus qui inebriare poteſt.

Solutio obie

Et nota, quod ſicut vinum materiale corporaliter inebriat: ita etiam metaphoricè, cōſideratio ſapientiæ dicitur potus inebrians, propter hoc quod ſua delectatione animum allicit, ſecundum illud pſalmi 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Et ideo circa contemplationem ſapientiæ, per ſimilitudinem quandam, ſobrietas dicitur Rom. 12. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum ſobrietas ſit ſpiritualis virtus.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad virtutem moralem pertinet obſeruare bonum rationis, contra ea quibus poteſt impediri: & ideo vbi inuenitur ſpirituale impedimentum rationis, ibi neceſſe eſt eſſe ſpiritualem virtutem ad illud remouendum, potus autem inebrians habet ſpecialem rationem impediendi rationis vſum, inquantum ſcilicet perturbat cerebrum ſua fumoſitate. Et ideo ad remouendum hoc impedimentum rationis, requiritur ſpiritualis virtus, quæ eſt ſobrietas.

Sobrietas eſt ſpecialis virtus.

Ad tertium, ſcilicet *vtrum vſus vini ſit licitus.* Dicendum, quod nullus cibus, vel potus, ſecundum ſe conſideratus, eſt illicitus, ſecundum ſententiam Domini dicentis Matth. 15. *Nihil quod intrat in os coinquinat hominem.* Et ideo bibere vinum, ſecundum ſe loquendo non eſt illicitum: poteſt tamen illicitum reddi per accidens, quandoque quidem ex conditione bibentis, qui à vino de facili lædit̃: vel qui eſt ex ſpeciali voto obligatus, ad vinum non bibendum: quandoque autē ex modo bibendi, quia ſcilicet menſuram in bibendo excedit: quandoque autē ex parte aliorum, qui ex hoc ſcandalizarentur.

Vſus vini ſecundum ſe eſt licitus.

Ad quartum ſcilicet *quibus præcipuè competat ſobrietas.* Dicēdum, quod virtus habet habitudinem ad duo. *Vno quidem modo*, ad contraria vitia quę excludit, & concupiſcentias quas refrēnat. *Alio modo* ad finem in quem perducit. Sic igitur aliqua virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione. *Vno modo* quia in eis eſt maior pronitas ad concupiſcentias, quas oportet per virtutem refrænari; & ad vitia, quæ per virtutem tolluntur, & ſecundum hoc ſobrietas maximè requiritur in iuuenibus, & mulieribus: quia in iuuenibus viget concupiſcentia delectabilis, propter feruorem ætatis: in mulieribus autem non eſt ſufficiens robur mentis, ad hoc quod concupiſcentijs reſiſtant, vnde ſecundum Maximum Valerium, mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. *Alio vero modo* ſobrietas magis requiritur in aliquibus, vtpote magis neceſſaria ad propriam operationem ipſorum: vinum autē immoderatè ſumptum præcipuè impedit vſum rationis. Et ideo Senibus in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, vt in epiſcopis, ſeu quibuſlibet eccleſiæ miniſtris, qui mente deuota debent ſpiritualibus officijs inſiſtere, & regibus, qui per ſapientiam debent populum ſubditum gubernare,

Sobrietas maxime requiritur in iuuenibus, mulieribus, prælatis & Regibus.

ſpecialiter ſobrietas indicitur. *De ebrietate require infrà libro tertio.*

De caſtitate.

DISTINCTIO XCV.

DEinde conſiderandum eſt de caſtitate. Et primo de ipſa virtute caſtitatis. Secundo de virginitate, quæ eſt pars caſtitatis. Tertio, de luxuria, quæ eſt vitium oppoſitum caſtitati. Circa primum conſideranda ſunt quinque. Primo vtrum caſtitas ſit virtus. Secundo vtrum caſtitas ſit virtus generalis. Tertio vtrum ſit virtus diſtincta ab abſtinentia. Quarto quomodo ſe habeat ad pudicitiam. Quinto oſtendetur, quæ ſuadent caſtitatem.

Ad primum ſcilicet *vtrum caſtitas ſit virtus.* Dicendum quod nomen caſtitatis ſumitur ex hoc, quod per rationem concupiſcentia caſtigatur, quæ ad modum pueri eſt refrenanda, vt patet per philoſophum in 3. Ethi. In hoc autē ratio humanæ virtutis conſiſtit, quod ſit aliquid ſecundum rationem modificatum, vt ex ſupradictis patet, vnde manifeſtum eſt caſtitatem eſſe virtutem.

Caſtitas eſt virtus.

Eſt autem caſtitas in anima ſicut in ſubiecto, ſed materiam habet in corpore. Pertinet enim ad caſtitatem, vt ſecundum iudicium rationis, & electionem voluntatis, aliquis moderatè vtatur corporalibus membris, quibus etſi violentia inferatur, nihilominus manet in anima habitus caſtitatis, ſicut de mulieribus violenter oppreſſis, dicit Aug. de ciui. Dei. *propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit; nec ipſi corpori aufert caſtitatem violentia libidinis alienæ, quam ſeruat perſeuerantia continentiæ ſuę*, & ibidem dicit, quod *eſt virtus animi, quæ comitem habet fortitudinem, qua potius, quælibet mala tolerare, quam malo conſentire decreuit.*

Solutio obie.

Ad ſecundum ſcilicet *vtrum caſtitas ſit virtus generalis.* Dicendum, quod nomen caſtitatis dupliciter accipitur: *vno modo* proprię, & ſic eſt quædam ſpiritualis virtus, habens ſpiritualem materiam, ſcilicet concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis. *Alio modo* nomen caſtitatis accipitur Metaphoricè, ſicut enim in corporis commixtione conſiſtit delectatio venereorum, circa quam propriè eſt caſtitas, & vitium oppoſitum, ſcilicet luxuria: ita etiam in quadam ſpirituali coniunctione mentis ad res aliquas, conſiſtit quædam delectatio, circa quam eſt quædam ſpiritualis caſtitas metaphoricè dicta, vel etiam ſpiritualis fornicatio ſimiliter metaphoricè dicta. Si enim mens hominis delectetur in ſpirituali coniunctione ad id cui debet coniungi, ſcilicet ad Deum, & abſtineat ſe ne delectabiliter alijs coniungatur, contra debitum diuini ordinis, dicetur caſtitas ſpiritualis, ſecundum illud 2. Cor. 11. *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Si autem delectabiliter contra debitum terminum ordinis, coniungatur mens quibuſcumque alijs rebus, dicetur fornicatio ſpiritualis, ſecundum illud Hiere. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et hoc modo accipiendo caſtitatem, Caſtitas dicitur generalis virtus, quia per quamlibet virtutem, retrahitur mens humana, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur. Principaliter tamen ratio huius caſtitatis conſiſtit in charitate, & in alijs virtutibus Theologicis, quibus mens hominis coniungitur Deo.

Caſtitas propriè dicta eſt virtus ſpecialis, metaphoricè vero accepta generalis.

Ad tertium, ſcilicet *vtrum caſtitas ſit virtus, diſtincta ab abſtinentia.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, temperantia propriè eſt circa concupiſcentias delectationum tactus. Et ideo oportet vt vbi ſunt diuerſæ rationes delectationis, ibi ſint diuerſæ virtutes ſub tēperātia cōprehenſę. Delectationes autē proportionantur operationibus quarum ſunt perfectiones, vt dicitur in 10. Ethi. Manifeſtum eſt autem, quod alterius generis ſunt operationes pertinentes ad vſum ciborum, quibus natura indiuidui conſeruatur, & operationes pertinentes ad vſum venereorū, quibus cōſeruatur natura ſpeciei.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Castitas est virtus distincta ab abstinentia quia non est circa delectationes ciborum vt illa, sed venereorum.

ciei. Et ideo castitas, quæ est circa delectationes venereorũ, est virtus distincta ab abstinentia, quæ est circa delectationes ciborũ, delectationes autẽ venereæ, vehementiores sunt, & magis opprimẽtes rationẽ, quam delectationes ciborum: & propter hoc magis indigent castigatione, & refrænatione; quia si eis cõsentiatur, magis ex hoc increscit vis concupiscentiæ, & deijcitur virtus mentis. Vnde Aug. dicit in primo soliloquiorũ. *Nihil esse sentio, quod magis deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumq; ille contactus, sine quo vxor haberi non potest.*

Ad quartũ. s. *vtrum pudicitia pertineat ad castitatẽ spiritualiter.* Dicendũ, quod nomen pudicitiæ à pudore sumitur, in quo verecundia significatur; & ideo oportet quod pudicitia propriè sit circa illa, de quibus homo magis verecundatur: maximè autẽ verecundantur homines, de actibus venereis, vt Aug. dicit in 14. de ciui. Dei, intantũ quod etiã concubitus coniugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundia nõ careat. Et hoc ideo, quia motus genitaliũ membrorũ, nõ subditur imperio rationis, sicut motus aliorũ exteriorũ mẽbrorum. Verecũdatur autẽ homo non solũ de illa mixtione venerea, sed etiam de quibuscumque signis eius, vt philosophus di. in 2. Rhetor. Et ideo pudicitia attenditur proprie circa venerea, & præcipuè circa signa venereorũ, sicut sunt aspectus impudici, oscula, tactus, & quia hæc magis solẽt deprehẽdi, ideo pudicitia magis respicit exteriora signa huiusmodi: Castitas autẽ magis respicit ipsam venereã commixtionẽ. Et ideo pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam. Interdum tamen vnum pro alio ponitur.

Castitas non est virtus distincta à pudicitia, sed eadẽ prout respicit exteriora signa venereorũ. s. oscula, tactus &c.

Castitas triplex. s. virginalis, vidualis, & coniugalis.

Sciendũ autẽ quod castitas diuiditur in virginalem, vidualẽ, & coniugalẽ. Castitas coniugalis magna virtus est: vidualis maior, quæ est cũ proposito de cætero nõ contrahendi, nec corpus suũ alio modo polluendi; virginalis est maxima, quę nec carne polluta est, & habet propositũ, incorruptionẽ carnis propter Deum perpetuo conseruandi. De castitate coniugali nihil in speciali proponimus hic dicere, nisi quod rationes quę in sequenti capitulo ponuntur, ad amorẽ & custodiam castitatis vidualis, adaptari possunt, ad amorẽ & custodiã castitatis coniugalis. Itẽ infra, vbi agitur de luxuria ponuntur multa quæ dissuadent adulteriũ: & econtra probant & ostendũt commendabilem castitatem cõiugalẽ, sed hic spiritualiter est dicẽdũ de castitate, quæ habenda & seruanda est post corruptionẽ carnis, siue post experientiã operis carnalis: quæ nõ habet nomen propriũ, sed cõmuni nomine castitas appellatur: sicut est castitas viduarum, vel regulariũ, vel ecclesiasticorũ virorũ, vel in sacris ordinibus promotorum. De talibus dicit saluator Matth. 18. *Sunt qui se castrauerunt propter regnũ cælorũ &c.* Papias dicit, quod *castitas est carnis incorruptio, vel post corruptionẽ eius abrenũtiatio*, vnde castus primo à castigatione dictus est, postea placuit veteribus eos castos vocari, qui perpetuam libidinis abstinentiam pollicentur.

Quid castitas.

Multa mouent ad custodiam castitatis.

Ad conseruationem autẽ, & diligentẽ custodiam castitatis quod quinto loco proposui tractandum, multa nos mouere debent. Primũ est exhortatio sacræ scripturæ & sanctorum. Paulus. n. ad hoc nos monet verbo & exemplo 1. Cor. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsũ* Idem ibidem. *Dico autem non nuptis, sed viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut ego* 1. Thess. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere, in sanctificatione & honore.* 1. Tim. 5. *Teipsum castum custodi.*

1. *Exhortatio scriptura & sanctorum.*

Secundo suadet seruare castitatem, natura aliquatũ auium Prouer. 30. *Gallus succinctus lumbos suos est homo, & præcipuè sacerdos castus.* Lucæ. 12. *Sint lumbi vestri præcincti*: præ alijs sacerdotibus veteris legis, quæ cohibebant manum. i. peccati actum, non voluntatem. Christus autẽ prohibet & cohibet, & actũ & voluntatẽ, & punit Ephe. 6. *State succincti lumbos mẽtis vestræ in veritate*, vt cor & volũtas respõdeat exteriori mũdiciæ

2. *Natura quarundã auium.*

A Item natura turturis, quæ suo compari, casto amore adeo coniungitur, quod nulli alteri, neque etiam post mortem copulatur; sed volat soliuaga, & declinat consortia aliarum auium, nec volat cum eis. sic anima casta debet inseparabiliter adhærere Christo, ad cuius mortis & sanguinis memoriam, debet frequẽtare gemitus, vt faciebat Magdalena. Debet etiam dimittere virorẽ prosperitatis mundanæ, & vitæ sæcularis, & declinare consortia leuium personarum. Item dicit Aris. in li. de natura animaliũ, quod turtur latet in hyeme, ita quod vix inuenitur: In æstate autem libenter tenet loca frigida. Sic anima casta debet occultare se contra mundi pericula, & declinare à locis calidis, & ea quæ nutriunt carnis incẽtiuum. *Item* admonet ratio naturã, vt homo ratione vigens, sit ad modũ Angeli mundè viuens, con- B formando se non brutis animalibus, Bern. *Nihil bestialius homine, qui est ratione vigens, & nõ ratione vtens. Item* quidam Philo. attendens animam suã cœlestis esse nobilitatis, & dignitatis Angelicæ, & diuinę consortẽ naturæ, nõ fœditatis porcinę: cũ tentatus vellet cum muliere peccare, ait: Erubesce cælum, intrare in cænum: non est dignũ, vt locũ debitũ Deo & Angelis, debens habere in cœlo, in terris iaceat cum porcis, in immunditiæ carnalis cæno.

Similc.

Exemplum.

Tertio suadent seruare castitatẽ, exemplа plurima. Primo exemplũ Christi, & suorum Apostolorum, qui adeo castitatem amauit, quod voluit esse summè castus, & de matre castissima, & sine immunditiæ opere concipi, & nasci, & viuere semper; qui etiam discipulos suos voluit à coniugibus separari, quasi ferè omnes: vt C dicit Amb. qui etiã vxores relinquentibus propter se, vitam promisit æternam Matth. 19. *Omnis qui reliquerit vxorem, &c. propter nomen meum, centuplum, accipiet, & vitam æternam possidebit.*

3. *Exempla Christi & sanctorum.*

Item ad hoc facit etiam exemplũ Ioseph, de quo dicitur Gen. 39. cui cum diceret vxor Putipharis, dormi mecũ; nequaquã acquieuit operi nefario, sed ait: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meũ*, &c. Et post mulier molesta erat adolescenti, & ipse recusabat stuprum, de quo dicit Iosephus in principio libri 2. quod dicta mulier sollicitauit eum blandimentis, promissis, & minis, & inardens in amorem eius, fingens se infirmam, remansit à festiuitate publicæ celebritatis: & ostendit iuueni ardorẽ suum, incitans & rogans cum fletibus vt secum dormiret. Sed nec mulieris miseria, nec pietatis misericordia, nec rogãtis instantia, D nec metus, nec promissio, nec minæ, nec blandimenta, nec aliqua incitamenta, potuerunt animum iuuenis emollire, nec à castitate recedere persuaserũt, sed præces & promissa respuit, nec minis cessit.

Item exemplum Iudith, de qua eiusdem 15. *Confortatum est cor tuum, eo quod amaueris castitatem; & post virum tuum, alterum nescieris; Ideo benedicta eris in æternum.* Vnde habetur quod merito castitatis, & hostes vicerit, & Holofernem occiderit: quo occiso, cum esset caput exercitus, alij sunt victi, & in fugam conuersi, & Iudæi liberati. *Item* exemplum trium puerorum, quorum Sarahala in fornace Babyloniæ non fuerunt combusta: quia eorum genitalia non fuerant per luxuriam inquinata aut inflammata vt dicitur Danie. 3. *Ad hoc facit* exemplum Susannæ, quæ maluit mortem incurrere, quam castitatem amittere. Vnde ait: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam delinquere in legem Dei mei.*

Item ad hoc facit exemplũ Raziæ, de quo legitur 2. Mach. 14. quod multis temporibus continentiæ propositũ tenuerat in Iudaismo, paratus corpus & animã tradere pro perseuerãtia; hic magis voluit vitã amittere, quã continentiã. *Itẽ* ad hoc facit exemplũ Annæ, de qua legitur Luc. 2. quod postquã vixisset cũ viro suo per 7. annos, permãserat vidua vsque ad 84. annos, seruiẽs Deo in tẽplo die ac nocte, nõ discedens ab eo ieiunijs & obsecrationibus vacãs, vnde per hoc meruit Christũ videre, & cognoscere corporaliter, & spũaliter de eo Prophetare, hoc ostẽdit exẽplo, quomodo bonæ

E

viduę debent,& viuere,& agere,& caſtitatem ſeruare?

Item ad caſtitatis cuſtodiam facit exemplum B. Benedicti,qui vt legitur Dial.2.cũ tẽtaretur à ſpiritu fornicationis ſub ſpecie merulæ,proiecit ſe nudũ volutãs inter aculeos ſpinarum in vepribus vt per vulnera carnis excuteret tentationes libidinis,& caſtitatem inuiolatam ſeruaret. *Item* exemplum B. Ber. Clareuallenſis, qui cum iuuenis tẽtaretur,& inflammaretur caro eius libidine,intenſione cuiuſdam mulieris; ſurgens de lecto proiecit ſe nudũ in ſtagno gelido,vt flammam libidinis extingueret,& caſtitatem ſuam à periculo cuſtodiret.

Item ad hoc facit exemplum, quod legitur in vita Pauli Primi eremitæ,quod ſub perſecutione Decij & Valeriani,cum perſecutores non poſſent quendã iuuenem tormentis ſuperare,fecerunt ei lectũ in horto florido delicatiſſimũ & nobiliſſimũ, inter rubentes roſas, & lilia candentia,aliaſque horti amenitates: & reſupinũ in lecto, ne ſe poſſet quoquã vertere & excutere, blandis funibus nexuerunt, introducta ſpecioſa meretrice,quæ cum nuda cum eo ſe poneret,& eius membra contrectaret, vt eum ad libidinẽ prouocaret, ipſe dentibus linguam ſibi præcidit,& ipſam cum ſanguine in faciem eius proiecit, & ſic motum libidinis doloris magnitudine compeſcuit.

4. *Figura caſtitatis.*

Quarto ſuadent ſeruare caſtitatem figuræ. Figurabatur enim per circunciſionem carnis caſtitas,quæ eſt circunciſio carnis,& cordis;remouẽs non ſolũ à carne ſed etiã à corde noxias delectationes,quia vt dicitur in Ezechielis 44. *Incircunciſi carne, & incircunciſi corde non intrabunt in ſanctificationem* ſcilicet Paradiſi & Hieremiæ 4. *Circuncidimini domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, hæc autem* duplex caſtitas carnis, & cordis,ſignantur in duplici cingulo religioſorum, cum vno debent religioſi dormire,ſcilicet interiori,vt ſemper habeant in corde propoſitũ caſtitatis, & reijciant à ſe omnes cogitationes & delectationes noxias Iſa.11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius*, vt iuſtitia coerceat à delectationibus prauis carnem, ne procedat ad actum illicitum; fides cor teneat per amorem æterni præmij,& timorẽ æterni ſupplicij, ne procedat vſque ad illicitum cõſenſum. *Item* milites Chriſti figurantur per milites Salomonis, quorum vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, quia contra carnales & nocturnas tentationes pugnant, & repugnant eis Cant 3.

Ad hoc facit exemplum,quod legitur in vitiſp. Cũ quidam ſolitarius tentaretur de accipienda vxore,deſcripſit eam in Sabulo dicens: Modo habes vxorem, & oportet te dupliciter laborare.ſ.vt acquiras tibi & ſibi neceſſaria. Poſt finxit ſibi filiam,& triplicauit ſibi laborem propter filiam: & ſic ſecundũ quod ſibi fingebat filios vel filias,augebat ſibi laborem,pro vxoris & filiorũ prouiſione. Cum autẽ labor multiplicatus eſſet ei intolerabilis,ait: ergo cũ non poſſis de vniuerſo labore tuo,tot filijs prouidere,non habes neceſſe nubere,& ſic quieuit tentatio.

5. *Vt præparetur S ſancto habitaculũ.*

Quinto ſuadet viuere caſte,corporis & cordis mũditia;vt ſpiritui ſancto, qui in mũdis habitat cordibus & corporibus,mundũ tẽplum præparetur 1.Cor.6. *Neſcitis quoniã mẽbra veſtra templũ ſunt Spiritus sãcti & ſpiritus ſanctus habitat in vobis?* qui quieſcit in flore cordis,& corporis floridi Iſa 11. *Et requieſcit ſuper florẽ ſpiritus Domini* Pſal.27. *Et refloruit caro mea*, floruit in virginitate, refloruit in caſtitate poſt lapſum, vt oſtendit viſio B. Martini,qui videns pratum, cuius partem porci effoderant. Aliam boues depauerant,& redibant ad ſuum virorem,& florem: Tertia pars erat intacta,& diuerſis floribus quaſi gemmis varijs picturata. Prima typum tenet incontinentium. Secũda caſtorum poſt lapſum. Tertia ſtatum ſignat virginum, munda igitur debent eſſe corpus & anima illorum, qui volunt eſſe Spiritus ſancti habitaculum, & cælestis ſapientiæ receptaculum,qui dicitur ſanctus,id eſt mundus,*Sãcti eſtote, quia ego ſanctus ſum*,de quo dicitur in Pſal.*Tu autem in ſancto habitas*, id eſt in mundo: quia columba per quam Spiritus ſanctus ſignatur,in lutoſis non inuenit,vbi requieſceret pes eius, vt dicitur Gen.8. Sap.1. *Non habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Multiplex caſtitatis vtilitas in præſenti.

Sexto ſuadet ad amorem & cuſtodiã huius virtutis, multiplex vtilitas ipſius in præſenti. Ipſa ſiquidẽ facit animã pretioſam,pulchram,mundam,domeſticã, Angelicam,dignam,fœcundam,ſecuram,ſanam honeſtã, & beatam. De pretioſitate Eccl. 26. *Non eſt digna ponderatio animæ continentis.* De alijs Bern. & Iſid. Bern. in epiſt. *quid caſtitati decorius,quæ mundum de immundo conceptum ſemine facit,de hoſte domeſticum, de homine Angelũ? Differunt enim inter ſe homo pudicus,& Angelus: ſed fœlicitate, non virtute: ſed & illius caſtitas fœlicior, huius fortior eſſe dignoſcitur.* Item Iſid.in li.de Simon. *Amanda eſt pulchritudo caſtitatis, eſt enim fructus ſuauitatis, & pulchritudo inuiolata: ſecuritas mentis,& ſanitas corporis.* Dicit S. Baſilius. *Caſtẽ fili in omnibus teipſũ cuſtodi,vt videas dominũ in gloria cõſiſtentẽ,mentẽ tuã,& mẽbra tua dedicaſti domino, ne commiſceas ea cum mulieribus meretricibus, reflecte amorem tuum ab amore mulierem,ne te ab amore Dei excludant.* Item Alcuinus *O quam pulchra eſt iuuenum pudica caſtitas, & Deo amabilis, & ad omne bonum vtilis.* Qui filios habet ſpirituales vẽl carnales, nutriat eos in caſtitate Dei, non in luxuria diabolo. Quid prodeſt homini filium habere, amare, & nutrire, ſi eum æternis nutriat tormentis? Qui in caſtitate viuunt, Angelicam in terris habent conuerſationem. Caſtitas hominem cœlo coniungit,& Angelorum facit conciuem. Item. Omnibus caſtitas neceſſaria eſt, ſed maximè miniſtris altaris Chriſti, quorũ exemplum aliorũ debet eſſe eruditio, & aſſidua ſalutis prædicatio. Tales decet dominũ habere miniſtros,qui à nullo carnis contagio corrũpantur; ſed potius continentia carnis reſplendeant, & totius honeſtatis in populo fulgeant exemplis.

Timor pœnarũ præſentium & futurarum.

Octauo timor præſentium pœnarum,retrahit à luxuria,& inducit in amorem caſtitatis. Legitur in quibuſdam chronicis,quod Pithagoras Phyſicus & Philoſophus de Athenis,iuit apud Ægyptum, & Babiloniam,ad addiſcendum motus ſyderum,qui rediens inuenit populũ gulæ datum,ebrietati,& luxuriæ, & ornatui,& laſciuię;qui adeo prędicauit eis frugalitatẽ,ſobrietatem,& caſtitatem,aſſerens quod viderat multas ciuitates ſubuerſas pro vitijs, quod ita ſunt conuerſi, quod quaſi virgines viuerent caſtè,& ſobriè,& laſciuiæ ornamenta,& ſuperbiæ reiecerunt. Itaque ſuadet caſtitatem nocumentum quod eius amiſſio infert, vel quod ſuum contrarium confert in præſenti,& tormẽta quæ confert,maximè in futuro,in morte,& iudicio, & præcipuè in Inferno. Dè hoc require multa infra 3. lib. vbi agitur de luxuria.

Multiplex præmium quo caſtitas remuneratur.

Nono ſuadet ad amorem & cuſtodiã caſtitatis,multiplex præmium quo in futuro caſtitas remuneratur Matth.19. *Omnis qui reliquerit vxorẽ propter nomen meũ, centuplũ accipiet,& vitã æternam poſſidebit.* Matth.5. *Beati mundo corde,quoniã ipſi Deum videbunt*:cuius viſio magna merces. Et Matth.19. *Sunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnũ Cœlorum*,hi ſunt qui propter regnũ Cœlorum acquirendũ,caſtè viuũt,quare per hoc regnũ Cœlorum acquirunt Iſa.56. *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridũ: quia hoc dicit dominus Eunuchis:qui cuſtodierunt ſabbatum meũ,& quæ volui elegerunt,& tenuerunt fœdus meũ; dabo eis in domo mea,& in muris meis nomẽ,& locum melius à filijs,& filiabus,& nomẽ ſempiternũ eis dabo, quod nunquã peribit.* Ad hoc faciũt multa exẽpla de tranſitu ſanctorum,quæ ponit Greg.2.Dial.4. lib. de quibus ſufficiat duo ponere.

Exemplum.

Refert enim de Vrſino presbytero qui quandã eccleſiã cũ timore domini regebat,quod quãdã presbyterã, quã ante ordinationẽ ſuã habuerat, fugiebat vt hoſtẽ licet diligeret eã vt ſororẽ, nec vnquam eam ad ſe ſinebat accedere. Cum autẽ in extremis videretur laborare,& tenuem & quaſi nullũ videretur ſpiritũ efflare, acceſſit dicta mulier cõpaſſionis cauſa iuxta nares eius vt videret ſi adhuc ſpiritum efflaret:quod ſentiẽs ille,

recollecto

recollecto ſpiritu feruoris & voce, ait : Recede hinc mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle: qua recedente, cum tota virtute corporis & lætitia magna, cæpit clamare: bene venerint domini mei, bene venerint domini mei, bene venerint domini mei, qui ad tantillũ ſeruum dignamini venire: venio, venio, gratias ago. Cũ autem aſtantes quærerent, quid videret, cur hoc diceret, ait: nunquid non videtis ſanctos aduenisſe, nũquid non videtis hic principes Apoſtolorum aduenisſe, Petrum, & Paulum? & repetens hæc verba. Ecce venio, ecce venio, emisit in his ſpiritum.

Exemplum. Itẽ 14. li. c. 4. dicit, quod Galla nobiliſſima Romanorum, defuncto viro poſt annũ; licet Phyſici dicerẽt ei, inſpecto rubore faciei, quod niſi contraheret, & à viro cognoſceretur, Barbã virilẽ haberet; & licet multas haberet diuitias, & arrideret omnis proſperitas quę eam ad contrahendũ inuitabat, maluit in caſtitate ſeruire domino, & ei nubere, quã homini. Reiecto itaque ſeculari habitu, & religioſo sũpto, ſeſe monaſterio B. Petri Apoſtoli tradidit, religioni ſtudẽs, & eleemoſynis verecundiã barbæ aduenientis nõ timens, ſed ſolũ quomodo Deo placeret. Cũ autẽ labores eius vellet omnipotens Deus æterna mercede remunerare, percuſſa eſt in mãmilla vlcere cancri. Cũq; iaceret de nocte inter duo cãdelabra, quæ ante ſe lucẽtia habebat, amica lucis vidit aſtare B. Petrũ Apoſtolũ & ait, nõ perterrita ſed læta. Quis es domine Sũt ne mihi dimiſſa peccata mea? cui ille benigniſſime inclinato capite ait. Dimiſſa sũt, veni. Cui illa veniat inquit mecum ſoror Benedicta. Cui ille. Non veniet modo, ſed die 30. ſed alia talis, dixit ipſe, veniet tecum. Quod cum reuelaſſet matri monaſterij, migrauit ad Deum, quam aliæ ſicut ſupradictum eſt, ſunt ſecutæ.

Debet autẽ euitare qui affectat caſtè viuere, ea quæ ſunt incitamenta ad peccatum luxuriæ, & fugere quæ ſunt deſideria carnis, ne.ſ. euret vel procuret ea, quæ caro deſiderat. *Curam carnis ne feceritis in deſideriis.* Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, debet etiam attendere, & cauere multiplices tentationes, & fraudes, & aſtutias Satanæ, & quomodo inſidiatur caſtitati. Incitantia ad peccatum carnis, ſunt deliciæ, victus, & veſtitus; & ioci, & ocia, ſocietates leues 1. Tim. 5. *Vidua quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt.* de quibus 1. Tim. 5. *Otioſæ diſcũt circuire domos; non ſolum autẽ otioſæ, ſed verboſæ, & curioſæ.* Quia filij Iſrael occaſiones luxuriæ non euitauerunt, & ideo de conſilio Balaam, & fraude Balach, in deſerto caſtitatem diu ſeruatam amiſerunt, & perierunt, vt legitur Num. 24. & 25. & dicit Ioſephus li. 3. Antiquitatum, quod conſilium fuit Balaam, quod Balaah mitteret in exercitu filiorum Iſrael virgines, quarum pulchritudine & ornatu poſſet ſubdi, & deuinci ex rerum venalium copijs, qui hoc fecit. Quæ illexerunt eos ad libidinem ludis, & oſtenſionibus & rerum copia, vocantes eas ad feſta ſua, & conuiuia, & concubitũ. Quæ cum vellent recedere, & illi rogarent cum fletibus quod remanerent; illę reſponderunt, quod nulla ratione poſſent hoc facere, niſi relicta lege ſacrificarẽt dijs ſuis. Quod ipſi ſe facturos iurauerunt, vtentes cibis; & ſacrificijs earum, legem Dei, & ſacrificia, & feſta relinquentes, pro quo cum nollent, admoniti per Moyſen, ſe corrigere, occiſi ſunt tam gladio, quam peſte immiſſa à domino, tam hi qui hoc fecerant, quam illi qui eos corrigere debebant, & non fecerant.

Ad euitandas carnis illecebras, & dæmonum inſidias, Ponemus duo exempla duorum deceptorum per carnis illecebram, & dæmonis fallaciã in mulieris ſpecie ſe transfigurantis, & per carnis illecebrã, ab altitudine caſtitatis, & ſanctitatis deijcientis, duos eremitas, qui finem tamen diſſimilem habuerunt. De vno refert Sanctus Iohannes in vitiſpatrum quod erat quidam ſolitarius in eremo Monachus. Cuius domus ſpelunca fuit, vir ſummæ abſtinentiæ, labore manuum ſibi victum quærens, die ac nocte in orationibus perſiſtens, cunctis animi virtutibus florens; quem cum videret de hoc præſumentem tẽtator, laqueos parat; fingit ſe ſpeciosam mulierem per eremum obertantem, & pulſans ad ſpeluncæ hoſtium, rogat vt eam miſerationis intuitu, ad angulum cellulæ pernoctare dimittat, ne fiat prę-
Quæ ſunt incitamenta ad luxuriã. da ferarum: qui pietate fictionis ſuæ conſentit, & eam introducit: & cauſas viæ, & erroris ſui; per eremum fingit aſtutas, & accedens propius, poſt verborum figmenta, & oſcula manuum, quaſi reuerentia tangit barbam, amplexatur caput, verbis & factis concitat ad libidinem. Hic autem laborum priorum immemor, & æſtuans ardore libidinis, cum irrueret in fædos amplexus dęmõ inclinatis lacertis inter manus amplexantis, cum clamore horribili, & fædiſſima illuſione elabitur. & multitudo dæmonum quæ ad hoc ſpectaculum conuenerat, cum ingẽti cachinno clamauit. O Monache, Monache, qui te vſque ad cælũ extollebas, quomodo demerſus es vſque ad infernum. Hic autem confuſus, non pœnitens, ſed deſperans, notoſque fugiens, ad ſæculum rediens, releuamẽ, & colloquia bonorum declinans, amplius præda dæmonum, & gaudium perfectum, efficitur.

Item ad idem aliud exemplũ de Calendario Bedæ Legitur de victorio Martyre. Victorinus, & Seuerinus mortuis parentibus ſuis vendiderunt omnia quæ habebãt, & pauperibus erogantes, vt Deo liberius ſeruirent, ſibi ad inuicem ſucceſſiue ſeruiebant, & cum nihil haberent, faciente Deo, nihil eis deerat. Victorinus autem aliquid perfectius volens agere, ſeceſſit ad ererum, ſedens in excelſo rupis ſpecu, cui ſubterfluebant aquæ: vbi ita erat arctus locus, quod vix eum poſſet capere, qui ſedens poſſet dormire, ſi alterum reciperet. *Exemplum.* Aſſiduus in oratione, & lectione, ſtat diabolus ad oſtiũ ſub ſimilitudine ſimulatæ perſonæ: dicit & plangit ſe errabundam, & metuentem noctis tenebras, & incurſus ferarum: allegat ſe debere recipi ſolius noctis ſpacio, alioquin dicit mortem ſuam imputandam Victorino. Quam cum motus compaſſione recepiſſet, incepit ei blandiri verbis, ſignis & geſtu, & tactu. Victorinus victus, ſcelus perficit, hoſtis euaneſcit, irridens cum cachinno victum Victorinum, hic primo factus velut exanguis, poſt ad ſe reuerſus, fratrem ſuum adijt, caſum ſuum ei referat: ipſe ſibi pœnam indicit, arborem findens, & per fiſſuras, remotis ramis, in modum crucis, manus ſibi aſtringens. Seuerinus epiſcopum ad fratrem adducit, nec ei Victorinus vt inde recedat acquieſcit. Quod videns epiſcopus, ei benedicens inde recedit, hic ſolo die dominico, coactus à fratre, modicum panis, & aquæ recipiebat, frater autem pro eo, ſimili cibo, & ieiunio ſe macerabat, poſt triennium autem vix acquieuit ab hac pœnitẽtia egredi, carnibus eius iam ferè conſumptis. Poſtea autem ab epiſcopõ cũ ſanctiſſimè viueret, & multa miracula dominus per eum faceret, Amittitinę vrbis ſit ſacerdos. Nerua autẽ imperante, ab Arriano iudice primo exilio relegatus eſt: poſt ad locum, qui Catilias vocatur, ſuper aquas putentes ex ſulphure, per triduum ſuſpenſus, capite deorſum verſo, dira paſſus ſupplicia, Martyrio coronatus eſt. De caſtitate clauſtralium notandum, quod illa quæ ſuadent caſtitatem perſonis eccleſiaſticis in Sacris promotis, & quæ diſuadent peccatum luxuriæ in eis, poſſunt ſuaderem clauſtralibus caſtitatis amorem, & obſeruantiam, & diſſuadere eis luxuriæ vitium, quæ infra in 3. libro notata ſunt, vbi agitur de his, quæ diſſuadent luxuriam in clauſtralibus, & per contrarium ſuadent eis caſtitatem: Et de circunſtantijs, quæ aggrauant luxuriam monialium, quæ debent eas incitare ad amorem, & cuſtodiam caſtitatis promouere.

Exemplum.

De virginitate.

DISTINCTIO XCVI.

DEinde conſiderandum eſt de virginitate. Circa, quã videnda ſunt quinq;. Primo in quo conſiſtit virginitas. Secundo vtrum ſit virtus. Tertio de

excellentia

excellentia eius respectu matrimonij. Quarto de excellentia eius respectu aliarum virtutum. Quinto quæ mouere debent ad virginitatem seruandam.

Ad primum, scilicet *in quo consistit virginitas*. Dicendum quod nomen virginitatis à virore sumptum videtur. Et sicut illud dicitur virens & in suo virore persistere, quod non est, ex superabundantia caloris, adustionem expertum; ita etiam virginitas hoc importat, quod persona cui inest, immunis sit à concupiscentię adustione, quæ esse videtur in consummatione, maximè delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio. Vnde Ambrosius dicit in libro de virginitate, quod *castitas virginalis est expers contagionis integritas*. In delectatione autem venereorum tria est considerare. *Vnum quidem*, quod est ex parte corporis, scilicet violatio signaculi virginalis. *Aliud* est autem illud, in quo coniungitur id quod est animæ, cum eo quod est corporis, scilicet ipsa resolutio seminis delectationem sensibilem causans. *Tertium* autē est solū ex parte animæ. s. propositum perueniendi ad talem delectationē. In quibus tribus, id quod est primo positū, per accidens se habet ad moralem actū, qui non consideratur per se, nisi secundū ea quæ sunt animæ. Secundū vero materialiter se habet ad actū moralem. Nā sensibiles passiones sunt materia moralium actuū. Tertium vero se habet formaliter & cōpletiuè: quia ratio moralium in eo quod est rationis completur, quia igitur virginitas dicitur per remotionē prędictæ corruptionis; consequens est quod integritas mēbri corporalis per accidens se habeat ad virginitatem, ipsa autem immunitas à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, se habet materialiter, ipsum autē propositum perpetuo abstinendi à tali delectatione, se habet formaliter & completiuè in virginitate, & hæc tria tangit Aug. in diffinitione virginitatis, dicens, in libro de nuptijs, & concupiscentia. *Virginitas, est in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio.* Hæc autem diffinitio tangit in recto illud quod est formale in virginitate. Nam per *meditationem* intelligitur propositum rationis. Quod autem additur *perpetua*, non sic intelligitur, quod oporteat virginem semper actualem meditationem habere; sed quia hoc debet in proposito gerere, vt perpetuo in hoc perseueret. Id vero, quod est materiale tangitur in obliquo, cum dicitur, *Incorruptionis in carne corruptibili*; quod additur ad ostendendum virginitatis difficultatem, Nam si caro corrumpi non posset, non esset difficile perpetuam incorruptionis meditationem habere.

Sciendum est autem quod si integritas membri corporalis, aliquo casu per alium modum quam per concubitum corrumpatur, non magis præiudicat virginitati, quam si corrumperetur manus vel pes, vnde dicit Aug. 1. de ciui. Dei, quod *membra illa possunt diuersis casibus vulnerata vim perpeti. Et medici aliquando salutis opitulantes, hoc ibi faciunt, quæ horret aspectus. Obstetrix etiam virginis cuiusdam integritatem manu velut explorans, dum inspicit perdidit.* Et subdit. *Non opinor quenquam tam stultè sapere, vt huic perijsse aliquid existimet, etiam de ipsius corporis sanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita.*

Item sciendum, quod delectatio quæ est ex seminis resolutione, dupliciter potest contingere; *vno modo* vt prodeat ex mentis proposito; & sic tollit virginitatem, siue fiat per concubitum, siue absque concubitu. Facit tamen mentionē Aug. de concubitu, quia huiusmodi resolutio, cōmuniter, & naturaliter ex concubitu causatur. *Alio modo* potest prouenire præter propositum mentis, vel dormiendo, vel per violentiam illatā, cui mens non consentit, quamuis caro delectationem experiatur; vel ex infirmitate etiam naturæ, vt patet in his qui fluxum seminis patiuntur: & sic non perditur virginitas, quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit.

Ad secundum scilicet *vtrum virginitas sit virtus*. Dicendum quod in humanis actibus illud est vitiosum, quod est præter rationē rectā: hoc autē habet ratio recta, vt his quæ sunt ad finē, vtatur aliquis secundū eam mensuram, quæ congruit fini. Est autem triplex honnis bonum, vt dicitur in 1. Eth. Vnū quidem, quod cōsistit in exterioribus rebus, puta diuitijs, aliud autem quod consistit in bonis corporis. Tertium autem est, quod consistit in bonis animæ; inter quæ etiam bona contēplatiuæ vitæ, sunt potiora bonis vitæ actiuæ, vt probat Philosophus in 10. Ethi. Et dominus dicit Luc. 5. *Maria optimam partem elegit*. Quorum bonorum exteriora quidem ordinantur ad ea quæ sunt corporis: ea vero quæ sunt corporis, ad ea quæ sunt animæ: & vlterius ea quæ sunt vitæ actiuæ ad ea quæ sunt cōtemplatiuæ. Pertinet igitur ad rectitudinē rationis, vt aliquis vtatur exterioribus bonis, secundū mensurā quæ competit corpori, & similiter de alijs. Vnde si quis abstineat ab aliquibus possidendis, quæ alias esset bonū possidere, vt consulat saluti corporali, vel contēplationi veritatis, non esset hoc vitiosum, sed secundū rationem rectā. Et similiter si aliquis abstineat à delectationibus corporalibus, vt liberius vacet contēplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc autē pia virginitas, ab omni delectatione venerea abstinet, vt liberius diuinæ cōtēplationi vacet, dicit enim Apostolus primæ ad Cor. 7. *Mulier innupta & virgo, cogitat quæ sunt domini, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mūdi, quomodo placeat viro.* Vnde relinquitur quod virginitas non est aliquid vitiosum, sed potius laudabile.

Quod autem sit specialis virtus sit colligitur, quia in virginitate est aliquid formale & completiuum, scilicet propositum abstinendi, ab omni delectatione venerea; quod quidem propositū laudabile redditur ex fine, inquantum scilicet hoc fit ad vacandū rebus diuinis. Materiale autē in virginitate est integritas carnis, absq; omni experimento delectationis venereæ. Manifestum est autē, quod vbi est specialis materia habēs specialē excellentiam, ibi inuenitur specialis ratio virtutis, sicut patet in magnificentia, quæ est circa magnos sumptus, & ex hoc est specialis virtus à liberalitate distincta, quæ communiter se habet circa omnem pecuniarū vsum. Hoc autem quod est seruare se immunem ab experimento venereæ voluptatis, habet quandam excellentiam laudis, supra hoc quod est cōseruare se immunē ab inordinatione venereæ voluptatis, & ideo virginitas est quędā specialis virtus, habēs se ad castitatem, sicut magnificentia ad liberalitatem.

Et nota quod virginitas quantū ad id quod est materiale ipsi inest nobis à natura, quia omnes homines ex sua natiuitate, habēt id quod est materiale in virginitate. s. integritatē carnis, immunē ab experimēto venereorum: non tamē habent id quod est formale in virginitate, vt. s. habeant propositū seruādi huiusmodi integritatem propter Deum, & ex hoc habet rationem virtutis, vnde Aug. dicit in lib. de virg. *Nec nos in virginibus prædicamus, quod virgines sunt. Sed quod Deo dicatæ sunt pia continentia virgines.*

Item virginitas quantum ad id quod est materiale, per pænitentiā reparari non potest, sed quantū ad id quod est formale in ipsa: non. n. si quis magnificus cōsumpsit suas diuitias, per pęnitentiā peccati, restituūtur ei diuitiæ, & similiter ille qui peccādo virginitatē amisit, per pænitentiā non recuperat virginitatis materiā, sed recuperat virginitatis propositū. Circa materiā autem virginitatis, est aliquid quod miraculosè reparari poterit diuinitus. s. integritas mēbri quam diximus accidentaliter ad virginitatem se habere. Aliud est autē, quod nec miraculo reparari potest, vt scilicet qui expertus est voluptatē veneream, fiat non expertus, nō. n. Deus potest facere, vt ea quæ sunt facta, nō sint facta. Itē licet id quod est materiale, possit amitti sine peccato. s. per matrimoniū, nō tamē potest amitti virginitas secūdū quod est virtus, quia virginitas secūdū quod est virtus, importat propositū voto firmatū integritatis perpetuo seruandæ. Dicit. n. Aug. in lib. de virginitate,

quod

Virginitas à virore dicta.

Virginitas est expers cōtagionis integritas.

Virginitas consistit formaliter & completiue in proposito perpetuo abstinendi à delectatione ex seminis resolutione.

Alia virginitatis definitio.

Solutio obie.

Virginitas perditur per omnem illā delectationē ex seminis resolutione, qua ex mentis proposito procedit, siue fiat per contubitum, siue absque concubitu.

Virginitas est quid laudabile.

Virginitas est specialis virtus.

Solutio obie.

Quo sensu virginitas reparari non potest.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod *per virginitatem, integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis, vouetur, consecratur, seruatur.* Vnde virginitas secundum quod est virtus, nunquam amittitur nisi per peccatum.

Consistit autem virtus virginitatis in medio rationis, non rei: ille enim qui ab omnibus delectationibus abstinet, præter rationem rectam, quasi delectationes per se abhorrens, est insensibilis, Virgo autem non abstinet se ab omni delectatione, sed solum à delectatione venerea: & ab hac abstinet se, secundum rationem rectam, vt dictum est, medium autem virtutum, non secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam determinatur vt dicitur in secundo Ethi. Vnde de magnanimo dicitur in 4. Ethi. quod *est magnitudine extremus, eo quod vt oportet, medius.*

Nec est virginitas contra præceptum legis naturæ, B
quod scilicet est ad conseruationem speciei, sicut habetur Gen.1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* quia præceptum habet rationem debiti. Dupliciter autem est aliquid debitum: vno modo vt impleatur ab vno: & hoc debitum sine peccato prꝛteriri non potest. Aliud autem est debitum implendum à multitudine: & ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim sunt multitudini necessaria ad quę implenda vnus non sufficit: sed implentur à multitudine, dum vnus hoc, alius illud facit. Prꝛceptum igitur legis naturę homini datum de cõmestione, necesse est quod ab vnoquoque impleatur. Aliter enim indiuiduum cõseruari non posset. Sed præceptum datum de generatione, respicit totã multitudinem hominum, cui necessarium est, non solum C
quod multiplicetur corporaliter, sed etiam spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter prouidetur humanę multitudini, si quidam carnali generationi operã dent, quidã vero ab hoc abstinentes, contẽplationi diuinorũ vacent, ad totius humani generis pulchritudinẽ, & salutem. Sicut etiam in exercitu, quidã castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladijs decertant: quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per vnum impleri non possunt.

Prꝛceptum de generatione respicit multitudinem & ideo nõ obligat singulos.

Ad tertium scilicet *de comparatione virginitatis ad matrimonium.* Dicendum, quod sicut patet in libro Hier. contra Iouinianum, hic error fuit Iouiniani, qui posuit virginitatẽ non esse matrimonio prꝛferendã, qui quidẽ error prꝛcipuè destruitur, & exẽplo Christi, qui matrẽ virginẽ elegit, & ipse virginitatem seruauit: & ex doctrina Apostoli, qui primæ ad Cor.7. virginitatẽ cõsuluit, tanquã melius bonũ & etiã ratione, tum quia bonũ Diuinum est potius bono humano: tũ quia bonum animæ prꝛfertur bono corporis: tum etiã, quia bonũ contẽplatiuæ vitæ, prꝛfertur bono actiuæ. Virginitas autem ordinatur ad bonũ animæ, secundũ vitã contẽplatiuam, quod est cogitare ea quæ sunt Dei, coniugiũ autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, & pertinet ad vitã actiuam, quia vir & mulier in matrimonio viuentes, necesse habent cogitare quæ sunt mundi, vt patet per Apostolum primæ ad Corin.7. Vnde indubitanter virginitas prꝛferenda est continentiæ coniugali.

Virginitas prꝛfertur matrimonio.

Quia tamen meritum non solũ pensatur ex genere E
actus, sed magis ex animo operantis, hinc est, quod sicut dicit Aug. in li. de bono coniugali, *non impar est meritum continentiæ in Iohanne, qui nullas expertus est nuptias: & in Abrahã, qui filios generauit,* quia Abrahã habuit animum sic dispositũ vt paratus esset seruare virginitatẽ, si esset tempus congruum, ex quo meritũ continentiæ cõiugalis in ipso, æquatur merito cõtinentiæ virginalis in Iohanne, respectu prꝛmij substãtialis, non autẽ respectu prꝛmij accidentalis, vnde Aug. dicit in li. de bono cõiugali, quod *Iohannis cælibatus, & Abrahæ connubiũ, per temporũ distributionẽ Christo militauit; sed continentiam etiam Iohannes in opere, Abraham in solo habitu habebat.*

Solutio obie.

Item licet virginitas sit melior, quam continentia coniugalis, potest tamen coniugatus esse melior quam virgo, duplici ratione. *Primo quidem* ex parte ipsius castitatis. s. si ille qui est coniugatus habeat animum magis paratum ad virginitatẽ seruandã si oporteret, quã ille qui actu est virgo, vnde Aug. instruit virginẽ in li. de bono coniugali, vt dicat: *Ego non sum melior quam Abraham. Sed melior est castitas cælibum, quam castitas nuptarũ,* & rationẽ postea subdit. *Quod enim nunc ago, melius illi egissent, si tunc agendum esset, quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, etiam si nunc agendum esset. Secundo* quia fortè ille qui non est virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem, vnde Aug. dicit in li. de virginitate. *Vnde scit virgo, quamuis sollicita quæ sunt domini, ne fortè propter aliquam incognitam infirmitatem, non sit etiam matura Martyrio; illa vero mulier cui se prꝛferre gestiebat, iam possit bibere calicem dominicæ passionis.*

Coniugatus potest esse melior virgine dupliciter.

Item bonum commune potius est bono priuato, si B
sit eiusdem generis: sed potest esse quod bonum priuatum sit melius secundum suum genus, & hoc modo virginitas Deo dicata, prꝛfertur fecunditati carnali, vnde Aug. dicit in li. de virginitate, quod *fœcunditas carnis, etiam illarum quæ in hoc tempore, nihil aliud in coniugio quàm prolem requirunt, quã mancipẽt Christo, pro amissa virginitate compensare non posse, credenda est.*

Ad quartũ. s. *de comparatione virginitatis ad alias virtutes.* Dicendum, quod aliquid potest dici excellentissimum dupliciter: *vno modo* in aliquo genere, & sic virginitas est excellentissima in genere castitatis: transcẽdit enim & castitatem vidualem, & coniugalem, & quia castitati antonomasicè attribuitur decor, Ideo virginitati per consequens attribuitur excellentissima pulchritudo: vnde Ambrosius dicit in libro de virginitate. *Pulchritudinem quis potest maiorem æstimare decore virginis, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo?* Et Cyprianus in libro de virginitate. *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, maior & cura. Flos inquam est ille, ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi:* scilicet per comparationem ad viduas, & coniugatas. Secundum hunc modum intelligendum est, quod fructus centesimus debetur virginitati secundum Hieron. propter excellentiam quam habet ad viduitatem, cui attribuitur sexagesimus: & ad matrimonium, cui attribuitur tricesimus. Sed sicut Aug. dicit in lib. de Quæstionibus Euang. *centesimus fructus est martyrum, sexagesimus virginum, & tricesimus coniugatorum.* Vnde ex hoc non sequitur, quod virginitas sit simpliciter maxima virtutum omnium, sed solũ alijs gradibus castitatis. Dicũtur etiam virgines sequi agnum quocunq; ierit, quia imitantur agnum Christum, non solum in integritate mẽtis, sed in integritate carnis, vt Aug. dicit in lib. de virginitate. Et ideo in pluribus, sequuntur agnum: non tamẽ oportet quod magis de propinquo; quia aliæ virtutes faciunt propinquius inhærere Deo per imitationẽ mentis. Canticum autem nouũ, quod solæ virgines cantant, est gaudium de integritate carnis seruata, *alio modo* potest dici aliquid excellentissimum simpliciter: & sic virginitas non est excellentissima virtutum. Semper enim finis excellit id quod est ad finem; & ideo quanto efficacius aliquid ordinatur ad finem, tãto melius est: finis autem, ex quo virginitas laudabilis redditur, est vacare rebus diuinis, vt dictum est. Vnde ipsæ virtutes Theologicæ, & etiam virtutes religionis, quarum actus est ipsa occupatio circa res diuinas, prꝛferuntur virginitati. Similiter etiam vehementius operantur ad hoc quod inhæreant Deo martyres, qui ad hoc postponunt propriam vitam: & viuentes in monasterijs, qui ad hoc postponunt propriam voluntatem, & omnia quæ possunt habere; quam virgines, quæ ad hoc postponunt venereas voluptates. Et ideo virginitas non simpliciter est maxima virtutũ.

Virginitas est excellentissima in genere castitatis nõ autẽ simpliciter inter virtutes.

Solutio obie.

Ad quintum. s. *de his quæ mouere debent ad amorem, & custodiam virginitatis.* Sciendum, quod septem sunt
causæ, propter quas virginitas est seruanda. Prima est scripturarum exhortatio. Secunda est eius, ad alios castitatis gradus, comparatio. Tertia est Dei, ad vir-

Septem causa virginitatis seruandæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad virgines ſumma cura & dilectio. Quarta eſt Angelorum ad virgines amor, & obſequium. Quinta eſt, quia multis & diuerſis, in ſcriptura ſacra, virginitas comparatur. Sexta eſt multiplex vtilitas, quam virginitas eam ſeruantibus efficit in præſenti. Septima cauſa eſt maxima merces, quæ præparatur virginibus in futuro.

1. Exhortatio cripturarũ.

Primum ergo quod mouere debet ad virginitatem ſeruandam, eſt conſilium & exhortatio ſcripturarum. Apoſt. 2. Cor. 11. *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Glo. *virginitas carnis corpus eſt intactum, & impollutum à luxuria.* Item idem Paulus 2. Cor. 7. *De virginibus mandatum Domini non habeo, conſilium autem do.* Glo. *à Spiritu ſancto mihi inſpiratum*, vt ſcilicet permaneant in virginitate, & non nubant. ibidem. *Qui matrimonio non iungit virginẽ ſuam, melius facit quam qui iungit.* Ibi gl. *Bona eſt pudicitia coniugalis, ſed melior virginalis, vel vidualis.* Vnde ſequitur: *Beatior erit ſi ſic permanſerit, ſecundum conſilium meum.*

Exemplum.

Legitur in paſſione B. Theclæ virginis, quod cum eſſet nobiliſſima Iconiorum, & Paulus ibi veniẽs eſſet receptus in domo Honifiori, & prædicaret in ea omnibus aduenientibus de omnium virtutum fructibus. Cum domus parentum Theclæ eſſet coniuncta illi, de feneſtra domus paternæ audiuit Paulum prædicantem, allecta eius prædicationis adeo dulcedine, quod nec comedere nec bibere vellet per triduum, niſi eum audiret. Vnde cum receſſiſſet inde apud Antiochiam, Paulum eſt ſecuta, amore prædicationis eius audiendæ, & virginitatis ſeruandæ: in cuius prædicatione fructum audiuerat pro fide, & virginitate ſeruanda. Et cum eſſet virgo ſpecioſiſſima, lenonum inſultus, ignium incendia, ferarum pugnas & rabiem, & multa tormentorum ſupplicia ſuſtinens, & vincens ad inſtructionem multorum, Seleuciam veniens quieuit in pace. Quam ad amorem ſeruandæ virginitatis perpetuæ, & tolerantiam poſſionum, animauit, & inflammauit, ſacra Pauli Apoſt. doctrina.

2. Comparatio virginitatis ad alios caſtitatis gradus.

Secundum quod incitat ad ſeruandam virginitatem, & amandum, eſt iſtorum trium adinuicem comparatio ſcilicet virginitatis, viduitatis, & coniugalitatis. Dominus enim comparat coniugalem caſtitatem terræ bonæ; vidualem meliori; virginalem optimæ. Et hoc ideo, quia prima fert fructum triceſimum; ſecunda ſexageſimum; tertia centeſimum. Hiero. *Laudo coniuges, magis autem virgines; quia de ſpinis roſam, de terra aurum, de concha eligo margaritam.* Ex comparatione patet quantum virginitas præualet coniugalitati, quantum ſcilicet roſa ſpinæ, aurum terræ, margarita conchæ.

Exemplum.

Item legitur in vita & paſſionibus B. Victoriæ & Anathaliæ virginum, quod cum Victoria virgo Romę eſſet deſponſata Eugenio Pagano nobili, nec vellet eum accipere; miſſa eſt ad eam Anathalia virgo, vt ſuaderet illi vt conſentiret ei qui eam deſponſauerat, quę ait illi: Ego ſum Chriſtiana ſicut & tu; & ſcio quod Deus præcepit nuptias hominibus, dicens: *Creſcite, & multiplicamini*, &c. Cui ait Victoria. Ego ex eo die quo vendidi ornamenta mea ad dandum pauperibus, vidi iuuenem auro radiantem, ſplendidum, inſignitum diademate, in veſtibus purpureis, atque gemmatis; qui grata facie, & vultu hilari me inſpiciens, ait: *O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ à morte perpetua liberas, quæ numquam in tenebris, ſed ſemper in lumine verſaris*: & eo diſcedente cæpi flere, &c. Et proiecit ſe dicta virgo ſuper pauimentum, & orauit Dominum vt ei idem Angelus, qui ei loquebatur verba dulciſſima, apparet: qui ſub ea forma ſub qua prius, ei apparuit, & virginitatem multipliciter commendauit, & eam ad eius cuſtodiam prouocauit verbis multiplicibus. Ad cuius Victoriæ ſcilicet virginis exemplum. Anathalia prouocata, & exemplo, & verbis; omnia ornamenta ſua vendidit, & pauperibus erogauit, in virginitatis propoſito confirmata. Quod cũ feciſſet, apparuit ei *idem Angelus, & ait ei. Inter alia habent ſuas coparationes, virginitas, caſtitas, coniugalitas: virginitas comparatur auro, caſtitas argento, coniugalitas ſerramento. Virginitas diuitie, caſtitas mediocritas, cõiugalitas paupertas. Virginitas pax, caſtitas redemptio, coniugalitas captiuitas. Virginitas Sol, caſtitas aurora, coniugalitas Luna. Virginitas regina, caſtitas portus, coniugalitas pelagus. Virginitas caro ſana, caſtitas cicatrix, coniugalitas vulnus.* Poſt hoc autem, cum in virginitatis propoſito perſeuerarent, nec vellent Idolis immolare, nec cum ſponſis conſentire; diuerſis ſupplicijs, præcipiente Imperatore Decio, afflictæ; & poſt multa miracula, gladio conſummatæ ſunt. Spiculator autem earum, lepra percuſſus, infra ſex dies vermibus conſumptus, expirauit.

3. Summa Dei dilectio erga virgines. Deus virginitatem honorificat.

Tertium quod incitat ad amorem, & cuſtodiã virginitatis eſt maximus amor quem Deus habet ad virgines; cuius amor maximus ad eas, perpẽditur à meritis. Primo, quia Chriſtus eſt amator virginum, quod patet in eo, quod ſuper omnes mulieres elegit habere in matrem B. Virginem; & quia prę alijs purior, & mundior: & quia ea primo ei obtulit votum virginitatis elegit enim eam Deus, & præelegit eam, ſicut Aſſuerus Heſter inter alias virgines, & adamauit eam ſuper omnes mulieres: & inuenit gratiam & miſericordiam in oculis eius: & fecit eam regnare, ſicut legitur Heſt. 2. Item B. Ioannes virginitatis ſuæ priuilegio, inter cæteros diſcipulos à Domino magis legitur eſſe dilectus. Quod ex multis ſignis patuit, Ioannis vltimo. Item Beda ſuper Lucam. *Sicut Chriſtus in ſumma pace natus eſt, vt ſe pacem diligere oſtenderet: ſic natus de Virgine eſt, vt ſe virginitatem diligere demonſtraret.* Incorruptio autem facit proximum Deo, quia facit animam Deo ſororem, & ſponſam, & amicam, & immaculatam, quod oſtenditur Can. 4. & 5. *Aperi mihi* (ait Dominus) *ſoror mea*, &c.

Item amor iſte, quem Dominus habuit ad virgines incorruptas mente & corpore, apparet, quia ſunt ſponſæ eius. Sponſus enim amat ſponſum, vt dicitur de B. Catherina, & maximè quando inuenit eam fidelem. Oſeæ 2. *Sponſabo te in fide; & ſcies quia ego Dominus* Cant. 4. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa*, ſcilicet amore tuo. *Soror*, quia me ſicut ſe diligit: *ſponſa*, quia caſta fuit. Bene fuit hoc figuratum, Leuit. 21. in hoc quod ſummus Sacerdos, qui erat ſine legis macula, immaculatam elegit ſibi ſponſam, & non aliam niſi virginem; ſicut immaculatus Dominus, immaculatam elegit ſponſam, ſicut legitur in paſſione B. Agathæ.

Item de B. Agnete legitur, quod cum Romanæ vrbis præfecti filius eam adamaret, ei promittens multa, ſi eius coniugio conſentiret, Reſpondit: Diſcede à me pabulum mortis, fomes peccati, nutrimentum facinoris, quia iam ab alio amatore præuenta ſum, qui ſatis mihi meliora contulit ornamenta, qui annulo fidei ſuæ ſubarrauit me, &c. Et poſt; Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.

Item hæc deſponſatio ſignantur Heſt. 2. Quærenti Regi, dicunt miniſtri Aſſuero (qui interpretatur beatus) ideſt Angeli Chriſto: *quęrantur puellæ virgines ſpecioſæ.* Et poſt: *Multę pulchræ puellæ adductæ ſunt Regi Aſſuero in Suſam*, quæ interpretatur lætitia gratiæ, vel gaudium doni. Virginitate peruenitur ad Dei gratiæ lætitiam, & ad donum ſuperni gaudij.

Item dixit B. Margaritã dæmoni, quem ſub ſuis pedibus conculcabat, quod ideo talis ei poteſtas erat hoc faciendi, quia ſponſa Chriſti erat, cuius nomen & poteſtas permanet in ſæcula ſæculorum. Arripuerat enim dæmonem per capillos, ſub pedibus ſuis eum conculcans, qui venerat in carcere ad eam tentandam, in ſpecie nigri Æthiopis.

Deus virginitatem honorificat.

Secundo, Deus virginitatem honorificat, quia de virgine voluit naſci, & nutriri, & à Ioſeph, qui virgo creditur, cuſtodiri; ſed & virgo creditur permãſiſſe, & pręcurſorẽ virginem habuiſſe, & dilectũ ſuũ Ioannem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt virgo permaneret, à coniugio & nuptijs reuocasse. Honorauit virgines multis miraculis in præsenti, & in futuro: & multis glorioſis triumphis habitis à dæmonibus, & hominibus. Quod patet in vitis Sanctorum, & in ministerio Angelorum: quin virgines innocentes fecit primo signiferos in hoc mundo. Non solum autem animas honorat in cælo: sed etiã corpora multis miraculis, & exemplis, & Angelorum ministeriis, in terra: sicut legitur fecisse de corpore B. Catherinæ, quod angeli detulerant, & sepelierant in Sinai vertice qui longè erat à lòco suæ passionis, plusquam viginti dietas. Similiter corpus B. Agathæ, quod cum sepeliretur, sepulturæ eius affuit iuuenis speciosissimus, & ornatissimus; ducens secum plusquam centum pueros speciosissimos, & ornatissimos, qui nunquam discesserunt à loco, vsquequo clausum fuit eius sepulchrũ, & tunc dictus iuuenis posuit ad caput tumuli eius, titulum marmoreum, in quo erat scriptum. *Mentem sanctam*, scilicet habuit, *spontaneum honorem dedit*, scilicet Deo, *& patriæ liberationem*, quo titulo posito, cum his qui cum eo erant, discessit, qui nec antea, nec postea visi fuerunt: & creditur fuisse, qui dictum titulum ibi posuit, Angelus eius.

Deus virgines protegit & adiuuat.

TERTIO, Deus virgines honorat, quia in eo totam spem suam ponunt; in necessitate adiuuat, & protegit, & eruit à tribulatione. Eccl. 51. Et canitur de virginibus. *Collaudabo te dominum Deum Saluatorem meum, quia adiutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus à perditione*: maximè virginitatis. Et notantur multa ibi, à quibus liberat, & in quibus adiuuat, *à laqueo linguæ iniquæ*, scilicet à tentationibus dæmonum, à sollicitationibus hominum peruersorum, & dolosorum: ab instantia Imperatorum, & minis, & fœuitiis eorum: & à multis tribulationibus persecutorum. Et post: *Quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manu angustiæ*, quando scilicet deficit humanum auxilium, vt liberauit tres pueros de camino ignis Dan. 3. Et Danielem virginem de lacu leonum. Vnde Rex Babylonis scripsit omnibus prouinciis, Deum Danielis esse omnipotentem, & quod erat Saluator, & quod æstimarent eum, qui liberauerat Danielem de lacu leonum. Dan. 6. Et vltimo, in fine.

Exemplum.

Hoc beneficium recognoscebat B. Agatha de restitutione mammillarum suarum: cum quidam qui erant in carcere, viso lumine cœlitus misso ei in carcere (quo viso custodes perterriti fugissent, dimisso aperto carcere) dicerent ei, quod recederet; Respondit: absit à me, vt ego fugiendo coronam meam perdam, & custodes meos in tribulatione relinquam. ego adiuta à domino, permanebo in confessione eius, qui me saluam fecit, & consolatus est me.

Exemplum.

ITEM in passione Eufemiæ virginis legitur, quod cum ipsa esset speciosissima Phosofonis Senatoris filia, & accusata confessa fuisset se Christianam: venit ad eam Priscus iudex in carcere, volens eam opprimere: ipsa autẽ orãs ait: *Adiuua me Iesu spes mea, Saluator mundi*, ipsa autẽ Christi adiutorio inualui. Tũc Priscus indignatus, quod à muliere victus esset, fecit fieri rotas terribiles, in quibus virginem contereret, cumque ministri ipsam confitentem Christum, & dicentem. *Saluator mundi adiuua me, & libera me*, rotas voluerent, & ossa eius atterent, Angelus descendit de cœlo, rotas illas atterens, eam illæsam reddens liberatam, ministri autem percussi sunt paralisi, & facie immutati. Cum autem præsens confusus comminaretur ei, quod mitteret eam in fornacem ardentem, Respondit: *Non timeo habens adiutorem Christum: sed conculcabo adiutorio eius omnes tyrannicos terrores tuos*. Cum autem iuberet tyrannus eam proijci in fornacem quam parauerat maximam: minister cui præceperat hoc, ei dixit quod non posset in eam manum mittere: quia videbat circa fornacem candidatorum exercitum expectantem eam. Secundus autem cui hoc præcepit Victor nomine, ait quod non posset hoc facere, quia videbat circa fornacem viros glorioſos, paratos fornacem dispergere, & illæsam, & immaculatam custodire hi autem carcere custoditi, tandem martirio coronati sunt. Tunc proiectam super ignem, susceperunt eam Angeli Dei, dispergentes ignem huc atque illuc: propter hoc in carcere per sex dies per capillos suspensa est, negato ei cibo, & potu, & quotidie ab Angelo refecta est. Postea posita est inter maximos lapides, qui Dei adiutorio in puluerem sunt comminuti. Postea cum superasset, missa in foueam vrsi & leonis, illæsa ab his, à carnifice gladio transfixa, ad Deum migrauit. Percussor autem eius à leone deuoratur. Priscus autem & Appellius, in furiam statim conuersi, & seipsos comedentes, mortui inuenti sunt. Et de hoc, cum multa sint alia exempla sufficiant.

Virginitas facit Deo habitationẽ sanctam.

QVARTO, virginitas facit Deo habitationem sanctam, & mundam. Alcuinus. *Virginitas est vita angelica, quæ sit cum humilitate fuerit, Spiritus sancti merebitur habitationem.* Econtra dæmonum habitatio est mens immunda: vnde dæmones expulsi ab eo quem inhabitabat legio dæmonum, petierunt vt concederetur eis vt intraret in porcos. Matthæ. 8. Mar. 5. Luc. 8. Glo. *Nisi more porci quis vixerit, in eo diabolus potestatem non habebit.* Psalm. 21. *Tu autem Domine in sancto habitas*, ideſt mundo: sanctus enim est idem quod mundus. Psalm. 10. *Dominus in templo sancto suo*, ideſt mundo corde 1. Cor. 6. *Templum sanctum Dei etia quod estis vos.*

Exemplum.

IN passione S. Luciæ legitur, quod ipsa orante, apparuit B. Agatha cum choris Angelorum dicens, exauditam orationem suam, quia in sua virginitate iucundum Deo habitaculum præparauerat; & continuo sanata est mater eius à fluxu sanguinis, vt petebat. Et post: Respondit Lucia Paschasio. *Castæ mentes templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in eis.* Et cum vellet eam facere trahi ad lupanar, vt exponeretur lenonibus, & fugaretur sic ab ea Spiritus sanctus, qui eam docebat: tanto pondere fixit eam, in signum quod eam inhabitabat, quod nec aliquo tractu, nec per multa paria houm posset moueri. Item in passione S. Margaritæ dixit ei dæmon, quem conculcabat sub pedibus: video Christum in te habitantem, & ideo contremisco, & non sum ausus resistere tibi.

In virginibus triumphat Christus.

QVINTO, in virginibus triumphat Christus. Greg. *Quanto fragilius est vasculum, quod de hoste portat triumphum, tanto diabolus maioris confusionis opprobrio inducitur, & tanto in pugnatricibus suis Dominus glorioſior inuenitur.* Serpenti dixit Deus Gen. 3. *illa mulier*, scilicet virgo, *conteret caput tum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vnde in passione B. Margaritæ dicitur, quod diabõũ apparentem sibi in carcere in forma Æthiopis, accepit per capillos, conterens caput eius sub pedibus suis 1. Cor. 1. *Non multi sapientes, non potentes multi, non multi nobiles*, supple secundum carnem, vocati sunt à Domino: *sed quæ stulta sunt mundi, elegit Dominus, vt confundat fortia*, scilicet sapientiam, & potentiam dęmonum, & hominum, Regum & principum, & mundi terrenorum, quæ superauit per virgines, maximè in sexu, & ætate, & sapientia mundi debiles & infirmas, sicut patet in prædicta Eufemia, & Margarita, & præcipue In B. Catherina, quæ superauit Dei virtute, Rhetores sapientissimos mundi in philosophia disputando, & eos conuertit ad Christum: pro cuius amore incendio sunt extincti voluntarij: non tamen nec eorum vestes, aut capilli igne sunt concremati. Vicerunt etiam virgines Imperatores, & diuersa supplicium genera, immo Christus in eis, earum propugnator.

Deus virgines magnificat miraculis & meritis.

SEXTO, virginum est Deus magnificator in præsenti miraculis & meritis: quarum status transcendit aliorum statum, vt pote superior pars ecclesię. Prima enim pars sunt coniugati. Secunda continentes. Tertia virgines, quibus merito aureolæ & fructus centesimi debentur, scilicet excellentiores. Coniugatis debetur fructus triceſimus, continentibus 60. virgini-

gimbus centesimus. In futuro etiã videntur habere statum eminentiorem. Apoc.14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit. hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo, & agno,* &c. Indutæ sunt purpura regia, & coronatæ cum virginis filio, tanquam speciales eius sponsæ. Cant.4. Ait sponsus virgini, in exitu huius exilij. *Vem de libano sponsa mea, veni coronaberis.* libanus interpretatur candidatio, & significat candorem virginitatis: & his dicitur, propter duplicem candorem mentis & carnis. In sent. Isid. *virgo carne & non mente non habet præmium in retributione,* Angelus ad Victoriam Virginem secundo apparens, ait: *Virginitas est purpura regalis, quam qui indutus fuerit, cæteris eminentior erit. Virginitas est gemma preciosissima in thesauris regij. Virginitas thesaurus preciosissimus & immensus est Regis summi, cui fures insidias tendunt: hunc vigili sollicitudine custodi, hunc quantum plus te habere cogitas, diligentius custodi ne perdas.*

Christus ornat virgines & vestit vt sponsus.

Septimo Christus ornat virgines, & vestit vt spõsus, Eze.16. *Ingressus sum pactũ tecũ, & facta es mihi vxor: laui te aqua, mundaui sanguinem tuum à te, vnxi te oleo gratiæ, vestiui te discoloribus,* varietate scilicet virtutum, *calciaui te hyacintho, ornaui te ornamento,* &c. post: *Et coronam decoris posui super caput tuum: & profecisti in regnum.* hæc autem ornamenta sponsæ Christi non sunt corporalia, sed spiritualia, virtutis & gratiæ, quibus ornauit Apostolos in die Pentecostes, inducos virtute ex alto. de quibus Coloss.3. *Induite vos sicut electi Dei sãcti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem modestiam, patientiam,* &c.

De B. Agnete legitur, quod cum filius Romani præpositi offerret ei ornamenta pretiosissima, vt consentiret in amorem suum: respuit ea vt lutum, dicens se ab alio amatore præuentam, qui longè meliora iam ei dederat ornamenta, & genere, & dignitate. Christo scilicet qui *dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, qui circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis pretiosis, qui induit me ciclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me.* Hæc sunt ornamenta Spiritus sancti (quorum solus ipse est operator & donator, cum patre, & filio) phaleris charitatis deaurata, & cæterarum virtutum, qui quia ornant & illuminant pretiosam reddunt animam, & eius operationes dicuntur lapides preciosi: & quia eam à vitijs restringũt & coarctant, dicuntur monilia. Spiritus sanctus significatur per Egeum, qui dat ornamenta preciosa virginibus quæ introducendæ sunt ad cubiculum Assueri, qui interpretatur beatus. Et Christum significat, qui nutrit & fouet eas, antequam introducantur ad æternam requiem, vnguentis charisinatum, & pigmentis diuinarum, & spiritualium consolationum. Ecc. 38. *Nunquid vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis.* Egeus lætus & festinus, sanctũ spiritum significat, quia dat spiritualem lætitiam, & festinus est hospes animæ.

Christus est vltor eorum qui violant virgines.

Octavo, vltor eorum qui eis violentiam inferunt, est Christus Iob.24. *Animæ vulneratorum clamabunt, & Deus multum abire non patitur,* sicut qui volebãt deuorari Danielem virginem à leonibus, deuorati sunt ab eis, Dan. 7. Sicut etiam patet in passionibus virginum, quod ferè omnes oppressores earum, & impetitores, morte turpissima sunt perempti. *Sicut patet* de B. Lucia, quia ipso die, quo migrauit ad Dominũ, Diocletianus ab Imperio est expulsus, Maximianus mortuus; & Paschasius, antequam ipsa moreretur, ferro vinctus, Romam ductus, capitali simonia damnatus est, à quibus, vel sub quibus passa est. *Item* in passione beatę Agnetis, iuuenis volens eam corrumpere, à diabolo suffocatus est. *Item* ad sepulchrum dictæ Agnetis, cum multitudo Gentilium venisset, & Christianos ibi orantes lapidibus impeterent & fugarent: Emerentianam virginem collactaneam eius eos arguẽtem, iuxta eius sepulchrum lapidauerunt. Vnde factum est, vt sereno cælo tanta facta sunt subito tonitrua & fulgura, quod pene omnes ab his sunt occisi.

Item de Quintiano legitur, quod cum post martyrium B. Agathæ iret ad inquirendum de facultatibus suis, & ad omnes de parentela sua accipiendum, dum transiret in naui fluuium, calcibus duorum equorum suorum in flumen iactatus, nusquam postea comparuit. *Simili* morte etiam Maxentius interiit, qui B. Catherinam martirizauit, qui cum transiret ad pugnam contra Constantinum supra pontem quem de nauib. fecerat super Tyberim, ab equo suo in Tyberim præcipitatus, nunquam postea comparens, inuentus non est: sed amisit vitam, & imperium, quod obtinuit aduersarius eius Constantinus, ecclesiam Dei exaltans.

Christus est defensor & conseruator virginum.

Nono, Christus defensor est virginum, & liberator Ecc.51. *Adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione.* Similiter etiam conseruator, & ductor. Hierem. 4. *Vocame, dicit Dominus, pater meus es tu, dux virginitatis meę.* Aliquando etiam per feras defendit virgines, & seruat. In passione Chrisanti & Dariæ, cum scelestissimus prefectus vrbis Romanæ afflixisset eos diuersis supplicijs, qui erant virgines matrimonio coniuncti, & ab omnibus supplicijs liberasset eos Dominus illæsos, Dariam fecit præses poni in lupanari, mittens ad eam corrumpendum lenones, vbi cũ prosterneretur orans, leo subito prorumpens de cauea, intrauit lupanar, & iuxta prostratam prosternitur, & defendit eam à lenonibus. *Item* Spiritus sanctus, Luciam: vt non posset trahi à lenonibus.

Exemplum.

Ad hoc autem quod persecutores virginitatis grauiter puniantur, confundantur, illudantur, cæcitate, & morte subita, & æterna: Facit exemplum, quod legitur in passione B. Anastasiæ, quæ cum esset nobilissima Romanorum, instructa B. Crisogono, quem in carcere visitabat, & necessaria ministrabat, postquam multa fuisset passa à sponso, quia eius copulę consentire nolebat, eo subito mortuo, & ea è carcere liberata, accusatæ sunt tres eius sociæ, & traditæ ab Imperatore cuidam præposito vt illas faceret diis immolare, qui cum inclusisset eas in quadam camera, vbi erant vasa coquinæ, ingressus est ad eas nocte, volens corrumpere eas, & dum illæ orabant, ille tota nocte amplexatus est ollas, & cacabos, & osculatus. In mane exiens, totus veste & facie denigratus reputatus est insanus à familia sua, quæ cum fugisset ab eo, Imperatoris curiam adijt credens se vestitum vestibus mundis & candidis, reputatus est & ibi insanus, irrisus, & flagellatus, & vix ad domum reductus est, & cognoscens se delusum, remisit eas ad alium præpositum, quæ cum nollent idolis immolare, præcepit eas duci ad scortum; ipsi autem cum hoc crederent facere, duxerunt eas ad supercilium montis cuiusdam, vbi cum vellet præpositus ascendere non valuit: sed tota die montem girauit, qui non sustinens se delusum, alteram sagitta occidi fecit, duas in ignem proijci: quo extincto illæ illæsę ab eo, in oratione spiritum emiserunt, quidam autem ab Imperatore obtinuit, vt S. Anastasia vxor ei daretur; promittens quod eam à Christianitate reuocaret. Quod cum multipliciter attentasset promissis, minis, & suppliciis: & ipsa in camera quadam immobilis per triduum permansisset, sine cibo, & potu, & somno: dictus vir intrans ad eam, cum vellet eam amplecti, excæcatus circuibat per cameram, nec valebat exire vnde cum clamaret præ dolore oculorum, intrantes famuli emiserunt eum, & ad idola duxerunt, vt peteret responsum à dæmonibus, vtrum curaretur ab infirmitate sua. Qui responderunt ei quod non: sed propter hoc quod fecerat Anastasiæ: sciret ipse, quod infra triduum esset cum eis in inferno æternaliter cruciandus. Qui exterritus, & supra modum turbatus, cum reduceretur inter manus famulorum, subito mortuus est, ipsa autem Anastasia

nastasia post multas afflictiones pro Christo, carceris,& exilij,& incendij,& extensionis corporis super quattuor palos,spiritum reddidit.

Deus consolatur virgines spiritualiter,easque vestit & ornat.

DECIMO, misericors & miserator Dominus,eis in necessitate positis consolator cordium, dat præ cæteris spirituales consolationes,quia propter ipsum contempserunt carnales. Berna. *Delicata est diuina consolatio,quæ non datur admittentibus alienam.* Vestit in nuditate virgines,sicut B. Agnetem,cum fustigaretur nuda crine soluto,tantam densitatem crinium dedit ei Deus,& longitudinem:quod potius,pulchriusque ornaretur crinibus quam vestibus. Et cum esset nuda posita in patibulo, Dominus vestiuit eam lumine sicut vestimento. *Item* de B. Eulalia legitur, quod post multa supplicia,quæ pertulit à Daciano præside,cuius corpus iussu tyranni,dum per triduum nudum maneret in patibulo suspensum. Deus vestiuit illud vestitu niueo misso de cælo: & animam morientis viderunt astantes ascendere in cælum,in similitudinem columbæ niueæ. *Item* non solum induit in præsenti Deus miserator B. virgines corporaliter in præsenti, aut spiritualiter ornamento gratiæ, sed in futuro ornamento gloriæ, adeo vt possint dicere verba Isaiæ 61. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ*, vel lætitiæ, idest vestimento gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: quæ potest dici indumentum iustitiæ debitæ sibi pro meritis, & solutæ sibi in gloria.

Deus par seipsum & angelos suos virgines pascit visitat & curat. Exemplum.

ITEM nota, Deus solus miserator eas non solum vestit,& ornat,sed in suis necessitatibus per seipsum pascit, eas visitat,& curat, & confortat, & per nuncios suos,qui vestit lilia agri,& pascit: & vestit volucres cæli, vt legitur Matth 6. *Item* pascit, & visitat Dominus,& conforrat virgines per seipsum quãdo sunt in arcto famis positi, sicut legitur fecisse Eugeniæ virgini,quæ cum multa supplicia sub Galieno Imperatore sustinuisset,ignis, & aquæ, & aliorum tormentorum:& superasset, euasissetque illæsa, tandem clausa detinetur in obscurissimo carcere, sine omni cibo,& lumine:in quo Dominus eam visitauit, & pauit pane candidissimo,& carcerem immenso lumine illuminauit;& cum crederetur mortua,apparuit corpulentior,& pulchrior,quam prius.

Exemplum

ITEM in passione B. Catherinæ legitur, quod post diuersa supplicia,& scorpionum verbera Maxentius iubet B. Catherinam detrudi in obscurissimum carcerem sine omni cibo,& lumine:quam Angeli visitantes, & vnguentis,& aro natibus vulnera eius vngentes & refouentes, curauerunt. Per columbam etiam Dominus de cælo singulis diebus misit ei cibũ. Duodecimo autem die visitauit eam ipse Dominus cum discipulis suis, in choro virginum;monens vt viriliter ageret,nec timeret, duodecimo autem die cum crederetur mortua fame,& euocata de carcere appareret pulchrior: cũ crederet Imperator cibum ei ab aliquo ministratum, & præcepisset torqueri carceris custodes:miserta eorum ait virgo. *Ego cibum ab homine non accepi,sed qui confortat suos in tribulatione, per suum Angelum me nutriuit*, &c. *Item* per suum Apostolum Petrum visitauit B. Agatham,qui de cœlo veniens, & vnguenta deferens,eius vulnera curauit, & mammillas eius abscisas,reparauit ei.

Exemplum.

ITEM in passione B. Anastasiæ, de qua supra dictum est,legitur quod post multa supplicia detrusa est in imo carcere,& detenta sine cibi administratione per 30. dies. Cui misit Dominus vnam de sociabus suis prius martyrizatis,quæ apponebat ei mensam singulis diebus refertam omnibus,cui cum dixisset Anastasia. Quomodo huc venisti soror, quæ iam martyrium suscepisti pro Christo. Illa respondit: Dominus dat libenter licentiam sanctis suis visitandi & confortandi eos,qui puro corde adhærent ei eductam autem de carcere,inuenta est pulchrior, & fortior. Habens autem præses suspectos custodes,adhuc per meusem in eodem carcere eam inclusit, signans hostia sigillo suo: & post mensem inuenta est, vt prius,&c.

ITEM Danielem virginem in lacu leonum visitauit Dominus per Angelum suum,qui conclusit ora leonum vt ei non nocerent,& qui ei deportauit de Iudæa in Babylonem per Abacuc prophetam cibum, quem parauerat dictus Abacuc messoribus: & cum ille dedisset eum,in momento per capillum capitis sui, impetu suo,sicut eum deportauerat in babylonẽ,reportauit vbi eum assumpserat.

Deus illuminat intellectum virginis.

VNDECIMO, oculus virginei intellectus meretur à Domino illuminari intelligentiæ gratia, & in præsenti,& in futuro. Qui quanto purior,tanto perspicacior ad cognoscendum Deum,& creaturas; & maximè ad intelligentiam spiritualium: Vnde Matth. 5. *Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt*: quanto cor mundius,tanto videbit perspicacius. Dicitur de B. Martino,quod cordis oculum habuit purissimum in carne,maximè ab omni luxuria alienum: quia legitur carne fuisse vitro purior,lacte candidior: & ideo perspicacissimi fuisse intellectus ad spiritualia. Dicitur etiam quod nigromantici puros virgines ponunt in adiurationibus dæmonum, vt limpidius videre possint in corporibus conspicuis, vt speculis & sputis dæmonum,transformationes & representationes. *Item* virginitas meretur obtinere donũ prophetiæ, vt patet Dan. 2. De visione statuæ. Et 12. *Gabriel fac intelligere visionem. Item* in vitis pa. Poemen virgo,& innocens & maximæ abstinentiæ fuit: & ideo, vt dicitur ibi,meruit donum prophetiæ obtinere,& scientiã futurorum,quæ cum moraretur cum matre sua in quodam vico Ægypti,in summa abstinentia & puritate: quidam de alia villa, collecta maxima multitudine hominum,veniebant ad exterminandum eos de vico suo;quod sibi per Angelum fuit reuelatum. Vnde veniens ad sacerdotes illius villæ aduentum & propositum dictorum hostium eis reuelauit; & consuluit & monuit eos,quod ipsi exirent eis obuiam, & placarent eorum furorem;ne & homines occiderent,& vicum destruerent. Quod illi facere non sunt ausi,timentes eorum furorem: sed ei supplicauerunt flexis genibus,quod ipsa hoc faceret:quod ipsa se facturam negauit. Ipsa autem in domum suam se inclusit orans Deũ, vt eos ita retineret ligatos,ne possent accedere ad exterminium eorum, & destructionem vici sui. Et statim oratione completa ita steterunt vbi erant, prope dictum vicum sic immobiles, ac si ibi fuissent clauis affixi. Qui rogauerunt per nuncios aduenientes ibi,illos de dicto vico de pace,dicentes: Gratias agite Deo, & virgini eius Poemen, cuius oratio impediuit nos à destructione vestra, sicut nobis est reuelatum.

Exemplum.

ITEM de passione Luciæ virginis legitur,quod cum esset vulnerata ad mortem,ait astantibus Christianis: Agite gratias Deo,qui mihi hoc reuelauit, quia hodie reddita est pax ecclesiæ, Diocletiano & Maximiano iam non imperantibus. Alter enim mortuus est, & alter de Imperio iectus,& Paschasius Romæ vinctus ducitur, vt pro factis sententiam ibi accipiat capitalem: quod ita factum est ipsa die, vt ipsa prædixit.

Deus animas virginũ in morte suscipit, & glorificat.

DVODECIMO suscipit Dominus animas virginũ in morte,vt eas glorificet,vt possint dicere ipsi, obuiam cum Angelis aduenienti: *Tu autem Domine susceptor meus es,gloria mea,& exaltans caput meum* Eccl. 15. *Qui continens est iustitiæ*, scilicet propter iustitiam, *apprehendet illã,& obuiabit ei*, ipsa sapientia Christus,*quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet eam*, sapientia Dei Christus; De qua loquitur ibi. quia virgines continentiam seruantes,propter iustitiam acquirendam gratiæ,& consequendam: vt iustum est mercedem gloriæ apprehendent, illam sapientiam Dei pro mercede;qui obuiat illis quasi mater honorificata,in consortio filiorũ honorabiliorum, & aliorũ se concomitantium. Et suscipiet virginem in morte,

cum ſocus Sanctorum & Angelorum, ſicut ſuſcipitur mulier virgo honorifice à ſponſo à virginitate ſua, ideſt propter virginitatem ſuam, propter quam eam deſponſauit. Mat. 15. Quinque prudentes virgines ſuſceptæ ſunt à ſponſo, & intrauerunt cum eo ad nuptias & ſignificant illas quæ ſeruauerunt puritatem affectionum, conſenſuum, & intentionum interius: & exterius munditiam ſenſuum, & operationum. Finaliter quæ venerunt ornatæ lampadibus bonorum operum, quia, vt dicit Iſid. *Virgo carne & non mente, non habet præmium in repromiſſione.* Vnde fatuis virginibus dicit Dominus: *Neſcio vos*, quia nihil prodeſt incorruptio carnis, vbi non eſt integritas mentis. Neceſſe eſt etiam, vt prauis operibus abſtineant. vnde idem: *Qui recte de virginitate gaudere volunt, neceſſe eſt, vt prauis operibus non ſeruiant*: ſic ſuſcipitur mente virgo & corpore, in exitu ſuo ab hoc mundo, ſicut ſuſcipitur Heſter ab Aſſuero: de qua ſuſceptione Heſt. 2. *Ducta eſt heſter*, virgo ſcilicet humilis, *ad cubiculum Aſſueri*, ad Regis beati requiem æternam, *& habuit gratiam, & miſericordiam coram eo, & poſuit diadema regni in capite eius, & fecit eam regnare ſecum*, ſcilicet in Suſis, quæ interpretatur gaudium meum, vel lætia aſſumpta à Deo, ſcilicet lætitia æterna, quæ eſt ſuper eorum caput. Sic ſuſceptus B. Ioannes Euangeliſta, virgo & electus à Domino, cui ante obitum ſuum apparuit Dominus cum diſcipulis ſuis, dicens: *Veni dilecte mi: quia tempus eſt vt epuleris in conuiuio meo, cum fratribus tuis.* Qui cum vocaſſet, & docuiſſet populum, & celebraſſet, deſcendens in foueam orans: lumine autem ſibi miſſo deſuper videri non potuit, & recedente lumine non eſt poſtea inuentus. Vnde creditur à quibuſdam, quod in anima ſimul & corpore, in cœlo ſit aſſumptus, cum Chriſto glorificatus.

Exemplum. ITEM ad hanc ſuſceptionem faciunt exempla multa. dial. 15. de tranſitu Romulæ refert Greg. quod cum maneret cum quadam ſua magiſtra nomine Redempta, plena virtutibus, percuſſa paralyſi, & membrorum officio deſtituta, in ſumma patientia degens, aſſiduè orabat. Nocte autem quadam vocauit magiſtram, & aliam condiſcipulam, quæ ſurgentes aduenerunt; tunc tantus fulgor locum repleuit, vt corda aſtantium inæſtimabili pauore perſtringeret, & ita vt corpora eorum obrigeſcerent: & cæperunt audire ſtrepitum maximæ multitudinis domum ingredientis, & neminem videbant, & quia pauor eas depreſſerat, & ſplendor tantæ claritatis eos reuerberabat, quam lucem mira ſuauitatis fragrantia eſt ſubſecuta, quæ perterritos refouit & confortauit; Confortauit Romula Redempta, dicens: *Noli timere mater, non morior modo.* Luce autem paulatim recedente, odor remanſit per triduum. Nocte autem quarta, magiſtram ſuam Redemptam vocauit, viaticum petijt, & accepit: & cito poſt, ante hoſtium cellulæ duo chori pſallentium aſtiterunt: & videbatur aſtantibus, quod pſalmodiã dicebant viri, & fœminæ reſpondebant. Ad quam vocem, illa ſancta anima carne ſoluta eſt, & dicta vox pſallentium cum Dei ancilla aſcendente ad cælum, minus & minus cæpit audiri, & odor ſentiri, vſquequo omnino deficeret.

Exemplum. ITEM de Carſilla ſacra virgine, & amita ſua, refert idem Gregor. ibidem quod Fælix Romanæ eccleſiæ Antiſtes attauus B. Greg. defunctus, ei apparuit, & manſionem æternæ claritatis ei oſtendit, dicens: *Veni in hac manſione te ſuſcipio.* Quæ ſequente nocte febre correpta eſt. Cum autem in extremis vitę, multi eius circundarent lectum, incœpit clamare: *Recedite, recedite, quia Ieſus venit.* Et cum in eum intenderet quem videbat, anima eius carne ſoluta eſt, & ſtatim tanta ſuauitatis fragrantia aſperſa eſt, vt pateret illic ſuauitatis auctorẽ fuiſſe. Quæ cũ lauaretur, ex aſſiduo vſu orationis, iuuenta eſt in genibus & cubitis, admodum cameli callos contraxiſſe.

Exemplum. ITEM de hoc facit, quod ibidem ponitur exemplũ Muſæ puellæ, cui B. virgo apparuit cum choro virginum dicens: quod ſi vellet cum eis coniungi, abſtineret à leuitatibus, riſu, & iocis, & die 30. ſi hoc faceret, eis aſſociaretur, quæ ſubito mutata fuit. Parentes eius hoc videntes, cauſam requirunt, quæ eis eam retulit 25. die febre correpta, cum die 30. appropinquaret hora exitus ſui, vidit B. virginem eam vocantem cum choro virginum. Cui reſpondit: *Ecce domina venio, ecce domina venio*: & hoc dicto, de virgineo corpore, ad B. virginem, & ad alias ſacras virgines exiit: hoc eſt quod dicitur Hiere. 31. *Lætabitur virgo in choro*, &c.

Exemplum. AD hanc ſuſceptionem pertinet, quod legitur de B. Margarita, poſt multa ſupplicia quæ vicit, & orationem, vox de cœlo facta eſt ad eam, dicens: *Veni Margarita in requiem Chriſti tui, veni in regnum cœlorum: beata es, quæ virginitatem deſiderauiſti, & dilexiſti, & coronam vitæ meruiſti.* Ad quam vocem crediderunt in Domino 5. millia hominum, qui & pro Chriſto decollati ſunt. In hora autem decollationis ſuæ, dixit ſpiculator. Miſerere Margarita. Video enim Chriſtum circa te cum multitudine Angelorum expectantium te, cum autem oraſſet, factum eſt tonitruum maximum, & columba niuea apparuit deſcendens de cœlo dicens ei, quod omnino petitiones ſuæ eſſent exauditæ. *Veni ergo celerius ad locum tibi paratum, ego ſum tecum, ego aperiam tibi regnum cœlorum* decapitata autem ea, viderunt qui aderant, ſanctos Angelos deſcendentes, & ſtantes ſuper corpus eius, glorificantes Deum, & aſcendentes ſuper nubem, deducebant ſpiritum eius, cantantes: *non eſt ſimilis tui in diis domine*, &c. Dæmones autem torquebantur, & infirmi à diuerſis languoribus curabantur. Ad hoc etiam facit, quod ſupra poſitum eſt proximè de ornamento, quo Chriſtus virgines ornat. Glorificat autem virgines glorioſis triumphis meritis, documentis, & exemplis, ſed præmiorum excellentia præ cæteris, quia aureola. Iſa. 56. *Non dicat eunuchus: lignum ſum aridum: quia hoc dicit Dominus eunuchis, qui elegerunt quæ ego volui.* ſcilicet qui ſe caſtrauerunt, ideſt caſtè viuere elegerunt, *& tenuerunt fœdus meum*, votum ſcilicet virginitatis, vel caſtitatis, *dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen à filijs, & filiabus, & nomen ſempiternum, quod non peribit*, & erit in hoc, quod omnes in fructu 60. cognoſcent qui fuerunt continentes, in centeſimo qui fuerunt virgines, ſcilicet in aureola virginitatis.

4. *Amor quem habent Angeli ad virginem.*

QVARTVM motiuũm ad amorem virginitatis, eſt maximus amor quem habent Angeli ſancti ad virgines, qui dicuntur eorum: Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris*, non ſolum autem ſunt virginũ amici, ſed etiam ſeruiũ; in multis enim ſeruiunt eis. Hęc autem omnia ſatis patent ex præcedentibus. Quod autem Angelus ſit amator virginum, patet; quia, vt dicit Hiero. *Virginitas ſoror eſt Angelorum*: Quod vita virginalis eſt angelica, reuelat Hieron. dicens. *In carne præter carnẽ viuere, eſt angelicæ naturæ, non humanæ.* Dixit B. Cecilia Valeriano: *Angelum Domini habeo amatorem, qui nimio zelo corpus meum cuſtodit.*

Exemplum. ITEM legitur, quod cum B. Theodora confortaret martyres in agone ſuæ paſſionis, tradita eſt cuidam iuueni ludificanda, & poſt ſcorto publico omnib. exponenda; quam cum vellet impudicè tangere, cœpit emittere maximum ſanguinem de naribus, & clamauit iudici, ſtat iuxta eam iuuenis ſpecioſiſſimus deauratis indutus veſtibus, de cuius manu pugnum in naribus accepi. Ipſa autem B. Theodora, cum nollet ſacrificare idolis, martyrio ignis conſummata, coronata eſt.

Exemplum. ITEM quod cum Serapia virgo conuertiſſet S. Sabinam, poſt plurima ſupplicia tradita eſt duobus laſciuis iuuenibus ludificanda, quã cum vellent impudicè tangere factus eſt terræmotus maximus, & ceciderunt exanimes in terra, membris omnibus reſoluti, qui in mane ſic inuẽti ſunt. Et nunciatũ eſt hoc præſidi, & ei portati; & virgo adducta eſt corã eo, quæ oratione facta, præcepit eos in nomine Domini Ieſu Chriſti ſurgere,

surgere,& stare supra pedes suos. Quod cum fecissent, quæsiuit iudex quomodo fecisset virgo, quod sic resoluti essent;dixerunt,cum vellemus eam tangere,ingressus est quidã iuuenis mira magnitudine decorus, vt Sol corruscans totus, stans inter nos & hanc puellam, cuius claritatis tremor & timor defectione nos concussit. Virgo autẽ post multa supplicia quæ vicit; gladio consummata est. Ex his patet,quomodo Angeli diligũt,& custodiũt virgines,& puniũt earũ inuasores.

5. *Illa quibus virginitas in scriptura sacra comparatur.*

QVINTVM incitatiuum ad amorem, & custodiam virginitatis, sunt diuersa quibus in scriptura sacra virginitas comparatur. Primo ad amorẽ virginitatis debet allicere hoc,quod virginitas comparatur flori fragrãtissimo,& specialissimo,& suauissimo,& mundissimo, & fructuosissimo, super quem quiescit spiritus Domini septiformis,& hoc quando ad obseruantiam eius mouet incendium charitatis. *Bern. Comparatur lilio campi: sicut lilium inter spinas tentationum:sic amica mea inter filias, quo magis pungitur tribulationibus, & tentationibus;meliorem Deo odorem reddit*,hoc lilium debet habere sex folia temperanda. Tria intus,& tria extra. Intus debet habere puritatem cogitationum, vt malis cogitationibus non consentiat;affectionum,vt delectationes nõ recipiat noxias;& intentionũ,vt propter Deum virginitatem custodiat. Tria folia extra sunt munditię, scilicet sensuum, actuum, & exemplorum. Hoc lilium debet habere candorem exteriorem & interiorem, puritatis scilicet, cordis, & corporis; rubotem interiorem internæ charitatis & perfectum typum vere humilitatis. Istæ tres virtutes debent esse coniunctæ, virginitas, humilitas, & charitas secundum B. Bern. in epistol. ad Henricum Sennon. Archiepiscopum. *Charitas, humilitas, castitas, nullius, quidem coloris sunt: sed nullius deteoris,nec mediocris,sed qui diuinos oblectare possit aspectus. Quid castitate pulchrius, quæ mundum facit de immundo conceptum semine, de hoste domestícum, de homine angelum? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus: sed felicitate, non virtute, illius felicior, istius fortior castitas esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis statu, & tempore,& loco,statum immortalis gloriæ repræsentat. sola inter nuptiarum solemnia morem illius vendicat regionis, vbi nec nubent nec nubentur, veruntamen cum in talibus venustas præemineat castitatis, sine charitate tamen nec meritum habet,nec præmium. castitas sine charitate, sine oleo lampas est: tolle oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet. sed cum his duabus virtutibus necessaria est humilitas, vt absque illa aliæ, nec virtutes esse videntur. nempe vt casti & casi dicantur, humilitas hoc meretur, quia Deus humilibus dat gratiam, seruat acceptam (quia nec requiescit Spiritus sanctus, nisi super quietum,& humilem)* Seruatam etiam consummat. *Nam virtus in infirmitate perficitur*, ideſt in humilitate: nam inimicam totius gratiæ, à se & ab aliis virtutibus propulsat scilicet superbiam. Idem super Missus est. *Pulchra coniunctio virginitatis, & humilitatis, quia nec Mariæ placuisset virginitas, nisi ea coniuncta fuisset humilitas*,hunc florem virginitatis bene seruauerat intactum B. Dominicus, de cuius tumulo, cum post multos annos à sepultura sua aperiretur, exuberauit inusitata & mira suauitatis fragrãtia, vt de eo canitur. *O quam probat carnis florem, omnem superans odorem, tumuli eius fragrantia*

1. *Virginitas comparatur flori fragrãtissimo.*

Exempla.

ITEM hunc florem benè legitur seruasse F. Mercu lus, de quo 2. Dial. 1. refert Greg. (cui in nocturna via sione apparuit) scilicet quod de albis floribus corona de cœlo descendebat. Qui mox absque corporis molestia, cum magna securitate defunctus est, & hilaritate animi. De cuius sepulchro, cum Abbas monasterij vellet facere ibi sepulchrum, tanta odoris fragantia exiuit,ac si ibi florum omnium odoramẽta essent congregata. Hic autem erat miræ compassionis, & deuotionis, & assiduæ orationis.

AD hoc etiam facit exemplum, quod legitur in passione B. Ceciliæ virginis; vbi legitur, quod cum ad prædicationem Ceciliæ Valerianus promisisset se seruaturum virginitatem, & fuisset purificatus; Angelus Domini descendit, & apparuit ei, & Ceciliæ apportans duas coronas de rosis, & liliis paradisi, quæ nunquam marcescebant, nec decorem amittebant. Quarum odorem sentiens Tiburtius frater Valerij, ad fidem est conuersus,& harum coronarum odore & decore, virgines & martyres,per multa supplicia transierunt, & eas in perpetuum acquisierunt. Maximus autem Coruscularius, qui eos custodierat in carcere, Prefectus vrbis Romæ, eis promiserat,quod in Christum crederet, si eum certum facerent de futura vita,quam ei prædicabant. Qui dixerunt, quod in hora passionis certificaretur. Cum autem decapitati essent,idem Maximus cum fletu & iuramento asserebat his qui aderant, quod viderat in hora passionis eorum, animas eorum egredi de corpore, & Angelos Dei lucidiores Sole, eas suscipientes, tanquam sponsas egredientes de thalamo,in gremio suo;& sub tegmine alarum suarum eas deportari ab eis in cœlum. propter quam assertionem multi crediderunt, & martyrium susceperunt:& ipse Maximus pro resurrectionis & futuræ vitæ gloria, tamdiu plumbatis est cæsus, vsquequo spiritum exhalaret. B. autem Cecilia corpus eius sepeliuit in sarcophago nouo, faciens super illud sculpi auem phœnicem, quæ amore vitæ veteris deponendæ, & nouæ suscipiendæ, spontaneæ morti se exponit. Sic fecerat dictus Maximus.

VEL ad hoc potest pertinere, quod legitur in inuentione reliquiarum S. Stephani, vbi legitur, quod B. Gamaliel Pauli nutritor,& Magister Apostolorum, apparuit Luciano præsbytero,in cuius parochia fuerat sepultus cum B. Stephano; reuelans ei locũ, vbi ipse, & B. Stephanus,& Nicodemus nepos suus,& Abibas filius, sepulti erant.& vt fidem ei faceret,& de eorum merito, & sepulturæ eorum situ, in secunda apparitione ostendit ei tres calathos aureos; quorum vnus, quem posuit ad dexteram eius, habebat rosas purpureas, quibus erat plenus. Duo alij habebant rosas albas·& quartus argenteas, rosis croceis & fragrantissimis plenus; quibus manus extendens ad collum, coram eo deposuit: Et dixit ei, quod primus purpureas habẽs rosas,significabat loculum B. Stephani, qui virtute charitatis circumfultus vndique (quod in calatho aureo significatur) solus inter eos martyrio meruit coronari, sanguine proprio laureatus, & rubricatus. Alij duo calathi pleni rosis albis, loculum suum, & Nicodemi, qui amore Christi circumfulti, iniurias & persecutiones Iudęorum contempserunt,qui ab Apostolo fide instructi, baptismum susceperunt Christi, mundati ab ec; & in operibus innocentiæ, & munditiæ perseuerauerunt, & in illis adhuc neophiti, ad dominum in baptismali munditia migrauerunt. Abibas autem cum patre suo Gamaliele baptizatus, in virginitate immaculatus semper corpore, similiter post baptismum ad dominum migrauit. Quod significabatur in hoc, quod eius calathus erat argenteus: & in croco fragrantissimo feruor charitatis eius,& carnalis fragantia, designabatur,vt ei S. Gamaliel exponebat.

SECVNDO, virginitas comparatur ebori. Sicut enim ebur latens sub panno lineo, conseruat eum à combustione carbonis ignei superpositi: sic virginitas latens in corde,seruat corpus fragile ab incentiuo luxuriæ;& ne succendatur à diabolica suggestione, cuius halitus prunas ardentes facit,vt dicitur in Iob. 40. *Item* virginitas est thronus eburneus, in quo regnat,& quiescit verus Salomon Christus, de quo 3. Reg. 10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem,& vestiuit eum auro fulno nimis*, &c.

2. *Virginitas comparatur Ebori.*

TERTIO, comparatur pretioso lapidi illi Margaritæ, qua inuenta, cælestis negociator dedit omnia quæ habuit, & comparauit eam Margaritam. Ros cœli, quia cochis marinis recipitur, & inibi seruatur, in pretiosum lapidem mutatur & candidum, sic gratia Dei de cœlo descendens, in conchis cordium humilium propositum virginitatis seruandæ ibi generat, & in eis perseuerantiam, quasi in lapidem preciosum

3. *Margarita.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

induratus, qui eſt dignus comparari regno cœlorum vel margarita valet contra caducum morbum, & virginitas contra luxuriæ caſum.

Proprietas topazij impedire ebullitionem olla.

ITEM ſimilis eſt topazio, qui inter lapides præcioſos eſt ſpecioſiſſimus, & precioſiſſimus, quanto rarius inuenitur: de quo debent naturales, quod poſitus in olla cuſtodit eam ab ebullitione, & etiam ebullitiones ollæ bullientis ſedat, & ſeruat ollam ab effuſione. Sic latens in corde virginitas, temperat & ſedat, ebullitiones tentationis carnis, ne homo effluat ſuper luxuriam & effundatur vt Ruben, de quo dicitur Geneſ. 49. *Effus es ſicut aqua, ideo non creſcas.*

4. Theſauro abſcondito in agro.

QVARTO, virginitas cõparatur theſauro. Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum, theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcõdit, & præ gaudio illius vadit, & vẽdit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Ager virgo, in cuius corde abſconditus theſaurus virginitatis, per firmitatem in propoſito ſeruando; in cuius carne manet per eius integritatem. Homo dans omnia pro redemptione virginis, vt eam ſibi ſponſam vendicet. Chriſtus eſt qui dedit pro agro & theſauro, ſe, redemptionis pretium; ſuos Angelos, in cuſtodiæ conſortium; gratiam ſuam, ad benefaciendum, adiutorium, & gloriam ſuam, in premium theſauro comparatur, quia theſaurus fit de rebus vtilibus, & delectabilibus & raris, & precioſis, & durabilibus & cautè, & ſollicitè occultandis, & cuſtodiendis. Eſt autem virginitas res pulchra, & delectabilis; quia eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* Sapient. 7. Quia à luce gratiæ, quæ venit ab æterno Deo, eſt candor iſte: & iſte eſt theſaurus, de quo Iob 38. *Nunquid ingreſſus eſt theſaurus niuis, & grandinis.* Niuis theſaurus dicitur, propter perſecutionem dæmonis, & immiſſionem tentationum, quas cum immittit per ſe, & per ſuos: earum victoria maximam vtilitatem confert in augmento gratiæ, & acquiſitione coronæ: ſicut maximè cernitur in B. Agatha, cuius virginitatis, & fidei propoſitum, cum non poſſet diabolus tentationibus aliquibus revocare per ſe, vel per Quintianum Ciciliæ præfectum; tradidit eam cuidam meretrici, quæ habebat 9. filias meretrices, vt ipſa erat, quæ non ceſſauerunt per 30. dies blandimentis, minis, & promiſſis conari, quomodo propoſitum eius immutarent, vel ipſis multiplicibus tormentis. Quod cum non poſſent, ipſa magis ac magis, gratiam, & præmium acquiſiuit.

Exemplum.

ITEM theſaurus comparatur virginitati, quia theſaurus fit in rebus vtilibus, raris & pretioſis. Eccl. 6. *Non eſt digna ponderatio alicuius rei.* ſcilicet pretioſæ, *animæ continentis.* Iſidor. *Prælata eſt virginitas nuptiis, quia nuptiarum coniugium bonum eſt, virginitas optimum: coniugium eſt conceſſum, virginitas non eſt iuſſa, ſed admonita, quia eſt res nimis excelſa, & pretioſa*, qui cognoſcunt huius pretioſitatem, plangunt & flent amiſſionem; & timent ne amittant, potius volentes amittere corporalem vitam, quam eam: cauentes eius corruptores tanquam latrones, ſpoliatores, & occiſores animarum, quando eſt ſine coniugio; & qui auferunt tam pretioſum theſaurum. De hoc theſauro Prouerb. 21. *Theſaurus deſiderabilis.* ſcilicet virginitas, *& oleum gratiæ in habitaculo iuſti, & vir imprudens diſſipabat illum.*

Exemplum.

HVIVS pretioſitatem benè cognoſcebat B. Bernard. Clareuall. qui cum eſſet iuuenis, & pulcher in ſæculo, in quodam hoſpitio receptus; & hoſpita ſua de nocte ter ſurrexiſſet, intrans lectum eius; ipſe clamauit, latrones, latrones, & ſic eam à ſe ter fugauit. In mane ſocijs ſuis ab eo quærentibus, cur clamauerat: Reſpondit, quod verè inuenerat latronem, qui theſaurum impretiabilem, & irrecuperabilem virginitatem, ſibi arripere volebat. Huius pretioſitatem cognoſcebant benè ſanctæ virgines, Cecilia, Agnes, Agatha, Catherina, & aliæ; quæ magis voluerunt omnia tormentorum genera ſuſtinere, & vitam corporalem amittere, quam illum theſaurum.

Exemplum.

ITEM illa virgo, & aliæ, de quibus legitur in vitis Sanctorum, quod fuit in ciuitate Cappadociæ virgo ſpecioſiſſima, & iuſtiſſima, & inſtructiſſima ab origine, apud quam ipſe latuit pluribus diebus tempore perſecutionis: quam cum iudex non poſſet inflectere, vt ei conſentiret, tradidit eam cuidam lenoni, vt poneret eam in lupanari, tali conditione, quod exponeret eam omnibus, & de lucro ſuo daret ei ſingulis diebus 3. ſolidos. Quæ cum quidam vellet ad eam accedere, flebat; dicens ſe vulnus habere in ſecretiori parte corporis, quod ſi diſcooperiretur, fœtore ſuo occideret eos, & eos repulit. Quidam autem Chriſtianus diues hoc audiens, amore virginitatis ſeruandæ in ea, poſuit ſe in corporis periculo, dans 5. ſolidos lenoni cui erat tradita, vt eam dimitteret cum eo pernoctare: qui cum eſſet cum ea, ſuaſit ei fugam, tradens ei habitum ſuum: quæ facto ſigno crucis, receſſit incognita. Ille autem pro ea captus, impoſito ſibi Chriſtianitatis nomine Fontiſſus, beſtijs traditus, duplici martyrio eſt coronatus, & pro eo quod ſuſtinuit pro fide, & pro hoc, quod pro ſeruanda virginitate, & ſalute proximi, morti ſe expoſuit. Quod audiens virgo, quod pro ea ſuſtinuiſſet martyrium, ad ſtadium reuerſa, cum ipſo martyrio eſt coronata.

Exemplum.

HVIVS theſauri pretioſitas bene videtur agnouiſſe quædam, de qua refert B. Gregor. Turon. in geſtis Francorum, quod temporibus Honorij & Archadij Imperatorum, & B. Martini Turonenſis epiſcopi, quidam iuuenis de nobilioribus Senatorum Romanorum, contraxit cum quadam virgine de nobiliſſimis, & digniſſimis parentibus Alumnorum. Cum autem ſimul adducti eſſent in vno cubili, puella verſa ad parietem cœpit amariſſime flere. Cùm autem adiurata fuiſſet à iuuene, quod fateretur ei cauſam tanti fletus: ait ſe miſeram, eo quod debebat amittere maximum virginitatis theſaurum, quod Deo obtulerat, & deuouerat, coronam virginum, paradiſi gaudium, agni conſortium. Cùm autem iuuenis ei diceret, quod conſideranda erat proles, quæ ſuſcipitur à coniugio, quæ erat parentum gaudium, hæres bonorum, pax patriæ, & conſanguineorum: illa econtra oſtendit ei multis rationibus nihil eſſe, mundũ contemnendum, quod erat caducum & tranſitorium, appetendum bonum æternum, conſeruandum virginitatis bonum, viliſſimum voluptatis vitium, & adeò efficaciter ei prædicauit, quod ſibi dexteras dederunt, de ſeruanda virginitate mutua. Cum autem diu in hoc propoſito permanſiſſent in eodem thoro, nullo ſciente, puella migrauit ad Chriſtum. Expleto autem funeris officio, cum clauderetur in tumulo, ait vir: Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte: quia hunc theſaurum quem mihi commiſiſti, ſicut commiſiſti integrum, & immaculatum, tibi reſtituo. At illa de ſepulchro ſubridens, audientibus aſtantibus, Reſpondit: Cur loqueris, quæ non interrogaris? Non poſt multum verò temporis, vir dictus migrauit ad dominum, & cum ſepeliſſent eum in ſepulchro ſeparato longè ab illo in quo vxor eius fuerat poſita, inuenerunt in mane ſibi ad inuicem coniunctos, vt quos coniunctos non ſeparat cœlum, ſepultorum corporum non ſeparet monumentum. Incolæ autem terræ illius, illos vocare conſueuerunt duos amantes.

Exemplum.

ISTA autem bene cognoſcebat pretioſitatem huius theſauri, quæ regnum mundi, & omnem ornatum eius contempſit propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, de qua legitur in quibuſdam Chronicis ſic, Cùm Sigiſmundus Rex Lotharingiæ feciſſet ſibi adduci vnam nobiliſſimam, & ſpecioſiſſimam Virginem de Alemannia, vt eam deſponſaret ſibi, & coronaret reginam, cum eſſet ad hoc adducta in eccleſia B. Stephani, incæpit flere, & aſſerere, quod nullum nunquam haberet ſponſum niſi Chriſtum,

cui

cui se offerebat, currens ad altare, & amplexans. Videns autem Rex eius firmum propositum, ait, quod nolebat facere iniuriam domino suo, cui se deuouerat: & ait, quod non erat dignum, quod cum minori solemnitate ei desponsaretur, quam sibi. Fecit ergo eam indui vestibus regijs, & corona: & velum superimponi, & sic eam domino consecrari, & regali conuiuio expleto, fecit eam in ecclesia S Petri monialium collocari.

Exemplum. ITEM de quadam alia dicitur, quod cum Rex Angliæ Richardus, vidisset in quadam Abbatia regni sui, quandam speciosissimã monialem, concupiuit eam; & cum non posset eã inflectere aliquo pacto ad turpe opus, voluit eam rapere violenter. Quod cum sciret illa, fecit inquiri, quid vidisset in ea, quod ita incitasset eum in eius amorem. Respondit, quod super omnia hoc fecerat pulchritudo oculorum suorum. Illa autem benedicta, magis volens priuari oculis, quam tanto thesauro virginitatis: ipsamet eruit sibi oculos, vt sic euaderet, & misit quasi xenium, vt se satiaret pulchritudine eorum, & eam in pace dimitteret. Quod videns & audiens ille, confusus recessit.

Exempla. NON sic fecit quædam maledicta, quæ cum à quodam impeteretur, & vellet eam matrimonio rapere: cum à monialibus ita esset occultata, quod non posset eam inuenire: & illa eum recedere videret, adeo clamauit post eum *kuku*, quod ipse sciuit vbi erat, & ab alijs eam rapuit, & thesaurum deripuit virginalem.

ITEM de quadam alia dicitur, quod cum quidam impeteret eam, pro promisso pretio dimisit se à quodam iuuene deflorari. Cum autem post factum negaret ei iuuenis quod promiserat: illa obtulit clamorem iudici, quod violenter eam oppressérat. Iudex autem, negante eo quod hoc fecerat ea iuuita, iudicauit quod die assignata veniret, daturus ei quandam summam pecuniæ, vel vt eam acciperet in vxorem. Iuuenis autem magis eligens dare pecuniam, ei tradidit. Cum autem illa in sinu suo eam posuisset & recederet: ait iuueni iudex, vt iret post eam, & ei eam auferret, & si posset recuperaret. Quam cum toto conatu suo non posset ei auferre: adeo se defendens, quod nihil valuit iuuenis, sed malè tractatus ab ea rediret ad iudicem: iudex eam reuocans, fecit pecuniam reddi iuueni, dicens: quod patebat eam mentitam, quia si sic seruasset virginis thesaurum vt pecuniam, nunquam esset ei ablatus.

THESAVRVS autem virginitatis abscondendus est sub tegumento humilitatis. Vnde Matth. 13. *Hunc qui inuenit, abscondit.* Glos. *Nempe à malignis spiritibus, & humanis laudibus; vt si sit opus in publico, intentio recta maneat in occulto*; vt scilicet propter Deum, non propter laudem hominum seruetur. quia vt dicit Greg. ibi: *hunc à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui eum ab humanis laudibus non abscondit. maligni spiritus in præsenti vita, quasi quidam latrunculi obsident; deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* ideo quia Ezechias nuncijs Babylonicis publicauit ad gloriam, amissi sunt thesauri, & deportati in Babyloniam. Ideo dixit Angelus ad Anataliam virginem cui apparebat: Virginitas est thesaurus Regis immensus, cui fures insidias tendunt: hunc tu vigilans sollicitè custodi, hunc quantum plus id habere cogitas, instantius custodi ne perdas.

Exemplum. HVNC autem thesaurum bene custodiebat sub tegumento humilitatis Eukarius pastor, de quo legitur in vitis patrum, quod duo magni eremitę rogabant Deum, vt ostenderet eis, in quam mensuram peruenerant: & responsum est eis, quod nondum peruenerant ad mensuram Eukarij pastoris, & vxoris eius Mariæ, qui sunt in tali villa Ægypti, vbi venientes ad cellam eius, non inuenientes eum, & requirentes, ait eis vxor, quod oues pasceretur, & recepit eos vxor in domo. Cumque venisset vir, parauit eis cibum. At ipsi dixerunt, quod nec comederent, nec pedes lauarent, nisi diceret operationem suam. & cum diceret se simplicem & pastorem, & illam vxorem suam: cumque perseuerarent, & ille nollet eis reuelare, dixerũt se missos à domino, quo audito timuit, & ait, quod oues habebant à parentibus suis, & quicquid ex eis aliunde lucro suo habere poterant, in tres partes diuidebant: vnam dabant pauperibus, alteram in susceptione peregrinorum; tertiam ad vsum suum retinebant, & ex quo acceperat vxorem, nũquam pollutus fuerat cum illa: sed virgo erat, & iacebant separatim abinuicem, & noctibus induti iacebant saccis, in die induebantur vestibus suis, & nullus vsque tunc sciuerat. Quod audientes & admirantes, glorificauerunt Deum.

Exemplum. ITEM hunc thesaurum bene occultauerat quædam anus, de qua similiter ibidem dicitur, quod ne virginitatis suæ thesaurus periculum pateretur, in mundi vanitatibus, in malorum societatibus, in carnis voluptatibus, mundum fugit, eremum adijt, & se viuam in spelunca quasi sepeliuit, vtens per 38. annos, quasi pabulo iumentino. Dicitur enim ibi, quod quidam magni senes ambulabant per eremum, & audientes vocem plangentis, & quærentes inuenerunt, introierunt intus, & nihil inuenerunt, nisi anum illam plangentem. Cum autem quærerent ab ea quis eam ibi introduxisset, & quare, & quando ibi venerat, ait, quod 38. annos habebat, ex quo ibi manserat, nec hominem ibi viderat: herbas comedens, & Christum sequens: & misit vos modo Deus huc, vt sepeliatis corpus meum, quo dicto quieuit in pace. Ipsi autem Deum glorificantes, illius corpus sepelierunt, & abierunt.

Exemplum. HVNC thesaurum etiam seruauit bene, sub humilitatis tegumento B. Eugenia virgo: quia vt legitur in lib. de passione & vita eius, pater eius Philippus Romanæ vrbis genere nobilissimus missus à Conrado Imperatore ad Alexandrinam vrbem, vt esset ibi Præfectus, artes magicas ibi exterminauit, & Iudæorum nomen & Christianos, ab vrbe expulit: sed & filiam suam Eugeniam instrui fecit doctrinis liberalium artium, & philosophorum, & Græco eloquio, & Latino. Cum autem illa curiosè scrutaretur documenta antiquorum, & venisset ad manum eius, doctrina Pauli Apostoli, exarsit in amorem Christianitatis, & seruandæ virginitatis. cum autem pater suus vellet eam desponsare cuidam nobili, filio Senatoris: ipsa petita & obtenta licentia à parentibus suis, cum eunuchis Protho & Hiacintho, 15. annorum existens, iuit ad visitanda paterna prædia, & suburbia, vbi audiens Christianos cantantes, *Omnes dij gentium dæmonia sunt*, probauit hoc duobus prædictis eunuchis, & conuertit eos. & cum consentirent, & eam ducerent ad desertum Ægypti, attonsam, vt virum indutam, & dicerent eam fratrem suum Eugenium, venerunt cõmuni consensu ad domum religiosam, in quæ præerat S. Helenus episcopus, ab infantia Christianus, & tantæ puritatis & innocentiæ, quod cum puer mitteretur ad ignem quendam, apportabat illum in vlnis suis vestibus illæsis. Quendam etiam hæreticum quem cum non posset propter astutiam suam & artes, superare verbis, superauit oratione & miraculo: igne facto in medio, communi cõsensu assistentium, ad probationem veræ fidei, intrault S. Helenus, & mansit illæsus: vbi cum proiecissent hæreticum, & cõburetetur: sanctus eum extraxit de igne semiustum, & expulsus est de terra. hic autem venientem ad se cognouit Eugeniam, & socios, vnde venerant, & quare, & qui essent: & suscepit eam in monachum dicens, quod multa oporteret eam sustinere pro seruanda fide, & virginitate. Post obitum dicti Heleni eligitur in Abbatem, in omnibus se exhibens humilem, & seruientem. cum autem bonis operibus miraculis, & fama, & in habitu viri fulgeret, & exem-

plis curauit à languore febrium, quandam mulierem magna opulentia plenam, quæ inarſit in concupiſcentia eius; quem cum non poſſet inflectere muneribus, aut blanditijs, vt cum ea contraheret, finxit ſe infirmã, mittens ad Abbatem, vt eam cauſa ſalutis viſitaret. Quod cum feciſſet, ipſa ſe ſolam videns, arripuit eum, volens violenter eum trahere ad turpem commixtionem. Cum autem ſe excuſſiſſet ab ea fugiens, ipſa cõtempta clamauit, imponens ei, quod vellet ei violentiam inferre, vadit ad Alexandriam, accuſat Abbatem talem, & monachos, apud patrem Eugeniæ; vocantur, & capiuntur, & teſtes falſi cõtra eos apud Alexandriã producuntur. Cum autem iudicarentur ad pœnas; Eugenia remoto caputio, & ſciſſis veſtibus, oſtendit ſe fęminam, & iudicis filiam Eugeniam, & amore aſſequẽdæ Chriſtianitatis, & ſeruandæ virginitatis, hoc conſilium habuiſſe, vt ſub tali habitu lateret, & Chriſto ſeruiret. Hæc autem poſtquã patrem, & fratres, & magnam partem vrbis ad Chriſtum conuertiſſet, pater eius fit vrbis epiſcopus; quem quidam Gentiles in oratione poſitum, proditiosè gladio percuſſerunt, & occiderunt. poſtmodum mater eius, & fratres, cũ ipſa reuerſi ſunt Romam, & honorificè à Senatu recepti. vbi B. Eugenia poſt multorum conuerſionem, ſeditione orta inter Chriſtianos, ſub Imperio Galieni poſt paſſionem Prothi, & Hiacinthi, poſt multam ſagittationem, in tyberim cum ſaxo proiecta eſt, euadens Dei virtute illæſa. Similiter proiecta in fornacem euadens illæſa; ſuperatis etiam beſtijs fortiſſimis, in carcere 20. diebus, ſine cibo eſt detenta, apparente ſibi Chriſto, pane candidiſſimo eſt refecta ab eo, & cæleſti lumine confortata; ibidem tandem in die natalis domini decollata eſt.

5. Virginitas comparatur cibo quo Deus paſcitur.

QVINTO virginitas comparatur cibo quo Deus paſcitur & delectatur. eſt enim ſimilis api, quæ paſcitur in floribus & hortis: Similiter Deus in mundis cordibus, & puris affectionibus, & cogitationibus. Cant. 2. *Qui paſcit inter lilia.* Cant. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolas aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.*

6. Lecto ſuauiſſimo.

SEXTO comparatur lecto ſuauiſſimo, in quo Deus cum ſancta conquieſcit, de quo Cant. 1. *Lectus noſter floridus.* ſpiritus domini requieſcit in flore, ideſt cor de virgineo. Pſal. 131. *Super ipſum efflorebit ſanctificatio mea.*

7. Terra fructifera.

SEPTIMO virginitas comparatur terræ benedictæ fructiferæ, ſimul & florigeræ, cuius fructus non tollit florem; de qua Matth. 13. legitur, quod terra in qua ſeminatum fuit verbum Dei, tulit fructum centeſimum, Bona eſt coniugij terra, ferens fructum triceſimum. Melior vidualis caſtitas, quę fructum fert ſexageſimum. Optima virginitas, quæ fructum fert centeſimum, aureolam promerendo. Vel virginitas eſt ager plenus, ſcilicet floribus, fructibus, odoribus, cui benedixit dominus.

ITEM virginitas eſt illa pars prati, floribus picturata, & intacta à porcis; de qua legitur in vita beati Martini, quod cum ambularet cum monachis, vidit pratum quod in parte erat effoſſum à porcis, depaſtum, & diſſipatum. Alia pars ſimilis fuerat, ſed virore graminis, & flore depoſito, gramen retinens, virore ſuo prati partem veſtiebat. Tertia pars à porcis intacta manebat, grata aſpectibus, virens graminibus, picturata floribus, fragrans odoribus. Et dicebat ſanctus monachis, quod prima pars à porcis euerſa, ſignificabat ſtatum incontinentium, in quibus fœdi dæmones per luxuriam inhabitant, & ab eis omnium bonorum ſpiritualium germina eradicant. Secunda pars ſignificat ſtatum illorum, qui per pœnitentiam ad ſtatum continentiæ poſt peccatum redeunt. Tertia pars ſtatum ſignificat virginum intactarum, in quarum aſpectu Dei filius delectatur. Bern. *Amat florigera flos de radice Ieſſe.*

8. Balſamo.

OCTAVO virginitas balſamo comparatur. Eccl. 24. *Quaſi balſamum non permixtum odor meus.* hoc balſamo corpora incorrupta ſeruantur, maxime quando non admittitur ibi infectio male intentionis, vel affectionis; & redduntur diuinis & Angelicis naribus benè redolentia, & etiam humanis quandoque; ſicut corpus virgineum beati Dominici eleuatum à terra (& multorum aliorum ſanctorum & ſanctarũ) effudit circumquaque miri odoris fragrantiam. Hoc balſamum reddit corpora virginea quandoque ad literam imputribilia, & incorrupta ſeruat; ſemper autem ſpiritualiter, niſi inficiatur à putredine luxurię & fetore. vnde Bern. ad Henr. ſen. epiſc. *Sola caſtitas quæ in hoc mortalitatis loco & tempore, ſtatum immortalis gloriæ repræſentat; ſola inter nuptiarum ſolemnia, morem illius beatæ vendicat regionis, vbi neque nubent neque nubentur.* Vas vitreum fragile quod portamus, in quo & peregrinamur tenet caſtitas in ſanctificatione (ad inſtar balſami, quo condita cadauera, ſeruantur incorrupta) ſenſus & artus continet & conſtringit, ne diſſoluantur; laucijsvè corrumpantur deſiderijs, aut carnis voluptatibus computreſcant.

Exemplum. DE hoc ponit Beda exemplum in geſtis Anglorum lib. 3. quod aliquando etiam incorruptionem carnis oſtendit Deus miraculo. Vnde refert quod in terra Cantuariæ erat quædam abbatiſſa, quæ Deo vt vouerat perpetuam virginitatem, ita incorruptam ſeruauit. Cum autem incepiſſet ædificare eccleſiam in honorem 12. Apoſtolorum; morte præuenta, ſepulta eſt extra, qua conſummata & dedicata, cum vellent oſſa prædictæ abbatiſſæ transferre intra, inuenerunt corpus in veſtibus incorruptum, & illęſum ab omni putredine, ſicut à peccatis carnis fuerat intactum.

Exemplum. ITEM corpus beatri Petri martyris Mediolan. de ordine prædicatorum, poſt annum à ſepultura ſua, inuentum eſt integrum, & incorruptum, & in eadem recentia in qua fuit ibi poſitum; in teſtimonium, contra hæreticos, ſuæ incorruptæ virginitatis, & fidei, ſanctitatis, & integritatis; pro cuius defenſione, paſſus eſt glorioſus virgo, prædicator & martyr. vnde & meruit triplici aureola decorari.

Exemplum. ITEM idem Beda lib. 4. in geſtis Anglorum refert, quod Anthea rex orientalium Saxonum, dedit Elderidam filiam ſuam vxorem cuidam principi, qui poſt connubium cito defunctus eſt: quam poſt dedit regi Herfrido vxorem, cum quo manſit per 12. annos, in in perpetua virginitate. Quo mortuo, cum eam multi peterent in coniugem, & pater eam eis promitteret; ipſa noluit conſentire, ſed ſpretis carnalibus nuptijs, adhæſit ſponſo Chriſto, ſum ens monachorum habitum, regulam profitendo, vbi in mirabili perſeuerauit humilitate, & abſtinentia. Prædixit mortem ſuam, & omnium aliarum quæ è ſuo monaſterio eſſent euocandæ. Cum autem mortua fuiſſet, & ablutum eſſet corpus eius, poſita eſt in locello ligneo, in quo manſit per 12. annos. Cum autem aſcendiſſent nauim, inuenerunt iuxta quoſdam muros, ſepulchrum vacuum, de candidiſſimo marmore. quod deportantes, volentes transferre oſſa eius in marmoreum illud ſepulchrum, inuenerunt corpus eius, & veſtes, ita recentia, ſicut primo fuerant ibi poſita; & ſepulchrum dictum ita aptatum fuiſſe eius corpori, ac ſi pro ea fuiſſet fabricatum. Et iterum fuit ablutum, & alijs veſtibus indutum: & cum habuiſſet inflaturas ſub maxilla in gutture, de qua fuit ſciſſa, & mortua cum aperto vulnere, inuenta eſt plaga clauſa, ibi cicatrice remanente, de qua inflatura dicebat in vita gratias agendo, quod merito talia patiebatur, propter ornamenta talium lapidum pretioſorum, quæ ibi portauerat, & auri. Fuit autem iterum abluta tertio, & alijs veſtibus induta: cuius perpetuæ virginitatis teſtimonium, dedit epiſcopus confeſſor ſuus, & ſoror ſua abbatiſſa; & aliæ mulieres, quæ lauerunt, & tractauerunt corpus eius.

ITEM de ſancta Brigida legitur quod cum tetigiſſet lignum altaris, viruit in teſtimonium eius perpetuæ virginitatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Aulæ mundæ diuinæ habitationis.

ITEM nono virginitas comparatur aulæ mundæ habitationis diuinæ, sicut supra monstratum est.

6. Multip'ex virginitatis vtilitas ad castitatem monet.

SEXTVM incitamentum ad amorem & custodiam virginitatis, est multiplex vtilitas, quã virginitas facit, eam seruantibus efficaciter in præsenti & in futuro. Et de hoc require, infra lib. tertio in fine.

7. Maxima merces.

SEPTIMVM incitamentum ad amorem virginitatis est maxima merces, quæ præparatur virginibus in futuro, in omnibus ferè membris suis; & ornamenti nobilitate, & in nobili societate, & in sponsi agni propinquitate, & similitudinis eius conformitate, remunerabuntur in capite, vbi non solum habebũt coronam, sed etiam singularem virginibus debitam virginitatis aureolam.

ITEM in ore, in cantici nouitate & singularitate. Apoc. 14. *Cantabant canticum nouum.* Glossa, *quod de integritate animæ & corporis gaudebant.* Item ibidem *nemo poterat dicere canticum nouum coram agno, nisi illa 144.* &c. Et post, *virgines enim sunt. Item* in pedibus, *sequuntur agnum quocunque ierit.* Item vt videatur in oculis, quia cęteris videntur fuisse corde & corpore mundiores, quem si beati mundo corde, vident, videtur quod qui puriorem & limpidiorem habuerunt oculum mentis, limpidius eum videbunt. In sponsi propinquitate, quia innocentes adhærent ei in beata virginũ societate, vt matris domini, & aliarum. vnde Hiere. 31. *Lætabitur virgo in choro ludentium.* In totius corporis & membrorũ puritate, quæ munda seruauerunt & incorrupta, propter Deum. de mercede autem earum supra habitum est, vbi dictum est, quomodo Deus est susceptor, & glorificator, & remunerator virginum. In Christi & Angelorum maiori conformitate, & beatæ virginis, qui virgines sunt & virginitatem diligunt specialiter, sicut Christus præ cæteris Iohannem dilexit familiarius & tenerius, quod patuit in multis inditijs amoris.

DEINDE considerandum est de luxuria quæ opponitur castitati & de partibus luxuriæ. Sed de his requi. infra lib. tertio vbi agitur de septimo vitio capitali.

De partibus temperantiæ potentialibus & 1. de continentia.

DISTINTIO XCVII.

DEINDE cõsiderandum est de potentialibus partibus temperantiæ. Et primo de continentia. Secundo de clementia. Tertio de modestia. Circa primum considerandum est de continentia, & incontinentia. Circa continentiam cõsideranda sunt quatuor. Primo vtrum continentia sit virtus. Secundo quæ sit eius materia. Tertio de eius subiecto. Quarto de comparatione eius ad temperantiam. Quinto de his quæ faciunt ad commendationem eius.

AD primum, scilicet *vtrum continentia sit virtus.* Dicendum quod nomen continentiæ dupliciter sumitur à diuersis. Quidam enim continentiam nominant, per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet. *Continentia dupliciter accipitur.* vnde & Apostolus Gal. 5. Continentiam castitati cõiungit. & sic continentia perfecta principalis quidem est virginitas, Secundaria vero viduitas. vnde secundũ hoc, eadẽ ratio est de continentia, quæ de virginitate, quam supra diximus virtutem. Alij vero dicunt, continentiam esse, propter quam aliquis resistit concupiscentijs prauis, quæ in eo vehementes existunt: & hoc modo accipit philosophus continentiam in 7. Ethi. Et hoc etiam modo accipitur continentia in collationibus patrum. hoc autem modo continentia habet aliquid de ratione virtutis, inquantum scilicet ratio firmata est contra passiones, ne ab eis deducatur, non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam etiam appetitus sensitiuus subditur rationi, sic vt in eo non insurgant vehemẽtes passiones *Continentia propriè loquendo non est virtus quod præsupponit vehementes concupiscentias* rationi cõtrariæ, & ideo philosophus dicit in 4. Ethi. quod cõtinentia nõ est virtus, sed quædã mixta, inquãtum s. aliquid habet de virtute, & in aliquo deficit à virtute. Largius tamen accipiendo nomẽ virtutis, pro quolibet principio laudabilium operum, possumus dicere continentiam esse virtutem.

AD secundum, scilicet *quæ sit materia continentiæ.* Dicendũ quod dicit philosophus. 7. Ethi. quod cõtinẽtia & incontinentia sunt circa eadẽ, circa quę temperãtia & intemperantia; tẽperantia autem & intẽperantia sũt circa cõcupiscentias delectationũ tactus, vt dictũ est, nomẽ vero cõtinentiæ refrenationem quandã importat, inquãtum s. tenet se aliquis, ne passiones sequatur. Et ideo propriè cõtinentia dicitur circa illas passiones quæ impellũt ad aliquid prosequendũ, in quibus laudabile est vt ratio recta retrahat hominẽ à prosequendo. nõ autem proprie est circa illas passiones, quæ important retractionẽ quãdam, sicut timor & alia huiusmodi. In his. n. laudabile est firmitatẽ seruare in prosequendo, quod ratio dictat, vt supra dictum est. Est autẽ cõsiderandum quod naturales inclinationes, principia sunt omniũ superuenientiũ, vt supradictũ est; & ideo passiones tãto vehementius impellunt ad aliquid prosequendum, quanto magis sequuntur inclinationẽ naturæ, quæ præcipuè inclinat ad ea quæ sunt sibi necessaria; vel ad conseruationẽ indiuidui, sicut cibi: vel ad conseruationẽ speciei, sicut sunt actus venerei, quorũ delectationes ad tactũ pertinent. Et ideo cõtinentia & incontinentia, proprie dicũtur circa cõcupiscentias delectationum tactus. *Cõtinẽtia est proprie circa cõcupiscẽtias delectationũ tactus.*

SICVT autẽ nomen tẽperantiæ potest communiter accipi in quacunq; materia, propriè tamẽ dicitur in illa materia, in qua est optimum hominẽ refrænari: ita etiã cõtinentia propriè dicitur in materia in qua est optimũ & difficillimũ continere, scilicet in cõcupiscentijs delectationũ tactus. Cõmuniter autẽ & secundũ quid, potest dici in quacũque alia materia, & hoc modo vtitur Ambrosius nomine cõtinentiæ, dicens in primo de officijs: *Generale decorum ita est, ac si formam æquabilem atque vniuersitatem honestatis habeat in omni actu suo continentem.*

AD tertium, scilicet *de subiecto continentiæ.* Dicendũ, quod omnis virtus in aliquo subiecto existens, facit illud differre à dispositione quã habet, dũ subijcitur opposito vitio. concupiscibilis autẽ eodẽ modo se habet in eo qui est cõtinens, & in eo qui est incõtinens: quia in vtroque prorũpit ad concupiscentias prauas vehementes. vnde manifestũ est quod continentia non est in concupiscibili sicut in subiecto. Similiter etiam ratio eodem modo se habet in vtroque: quia tã cõtinẽs quã incõtinẽs, habet rationẽ rectã, & vterq; extra passionẽ existens, gerit in proposito, cõcupiscentias illicitas non sequi. Prima autẽ differentia eorũ inuenitur in electione, quia continens quãuis patiatur vehementes concupiscentias, tamen eligit nõ sequi eas propter rationẽ. Incontinens autẽ eligit sequi eas non obstante cõtradictione rationis. Et ideo oportet quod cõtinentia sit sicut in subiecto, in illa vi animæ cuius est electio, & hoc est voluntas, vt supra habitum est. *Continentia subiectatur in voluntate.*

AD quartũ, s. *de comparatione eius ad temperantiam.* Dicendum, quod sicut dictum est, nomẽ cõtinentiæ dupliciter accipitur: *Vno modo* secũdũ quod importat cessationẽ ab omnibus delectationibus venereis; & sic sumendo nomen continentiæ, continentia est potior tẽperantia simpliciter dicta; vt patet ex his quæ supradicta sunt, de præeminentia virginitatis ad castitatem simpliciter dictam. *Alio modo* potest accipi nomen cõtinentiæ secundum quod importat resistentiam rationis ad concupiscentias prauas, quæ sunt in homine vehementes: & secundũ hoc tẽperantia est multo potior quã continentia. quia bonũ virtutum laudabile est ex eo quod est secundũ rationẽ, plus autem viget bonũ rationis in eo qui est tẽperatus, in quo etiã ipse appetitus sẽsitiuus est subiectus rationi, & quasi à ratione edomitus: quã in eo qui est continens, in quo appetitus *Continentia communiter sumpta est imperfectior tẽperantia.*

sensitiuus

ſenſitiuus vehementer reſiſtit rationi per concupiſcentias prauas. Vnde continentia comparatur ad temperantiam ſicut imperfectum ad perfectum.

Solutio obiect.

QVOD autem dicitur Eccl. 24. *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*; dupliciter poteſt intelligi. Vno modo ſecundum quod accipitur continẽtia prout abſtinet ab omnibus venereis; & hoc modo dicitur quod omnis ponderatio non eſt digna animæ cõtinentis in genere caſtitatis, quia nec etiam fæcunditas carnis quæ quæritur in matrimonio, adæquatur continentiæ viduali; vel virginali, vt ſupra dictum eſt. Alio modo poteſt intelligi ſecundum quod nomen continentiæ accipitur communiter pro omni abſtinentia à rebus illicitis, & ſic dicitur quod *omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis, quia non reſpicit æſtimationem auri, vel argenti, quæ commutantur ad pondus.*

Qua debilitas concupiſcẽtia augeat meritum & qua non.

B ET nota quod magnitudo concupiſcentiæ ſeu debilitas eius ex duplici cauſa procedere poteſt. Quandoque enim procedit ex cauſa corporali: quidam enim ex naturali complexione magis ſunt proni ad cõcupiſcendum quam alij. Iterum quidam habent oportunitates delectationum concupiſcentiam inflammantes magis paratas quam alij: & talis debilitas concupiſcentiæ diminuit meritum, magnitudo vero auget. Quandoque autem debilitas vel magnitudo cõcupiſcentiæ prouenit ex cauſa ſpirituali laudabili, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis; ſicut eſt in homine temperato: & hoc modo debilitas concupiſcentiæ auget meritum ratione ſuæ cauſæ, magnitudo vero minuit.

Continentia cõmendatur.

1. A magnitudine dantis.

C AD quintum, ſcilicet *de commendatione continentiæ.* Dicendum, quod commendatur primo continentia à magnitudine dantis, quia ſolius Dei donum eſt. Sap. 8. *Scio quia non poſſum eſſe continens, niſi dederit Deus.* hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cuius erat hoc donum, pro quo dono obtinendo multum eſt rogandus dator huius muneris. Vnde ſequitur. *Adij dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis.* Exod. tertio. *Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis.*

Exemplum.

HOC donum virtute orationis dedit Deus Abbati Equitio, de quo legitur dial. 1. Quod cum iuuenis, fatigaretur nimis carnis ſuæ incentiuo, continuis precibus Deum omnipotentem exorabat, vt eum ab incentiuo carnis liberaret. vnde poſt orationem, quadam nocte ab Angelo ſibi apparente in ſomnis, ſe eunuchari vidit: & videbatur ei quod omnẽ motum ex D membris genitalibus abſcinderet, & ex tunc ita alienus factus eſt à carnis tentatione, ac ſi ſexum non haberet.

Exemplum.

ITEM de quodam clerico legitur quod cum frequentiſſime in carnis vitium laberetur, frequenter confitebatur, & cum confiteretur cuidam ſecundo viro, & multum litterato, conſuluit ei, quod frequenter pro hac peſte dominum precaretur, & præcipuè beatam Mariã virginem. Quam cum pro hoc frequẽter oraret, & eam frequenter ſalutaret, cum fatigatus quadã nocte dormiret, apparuit ei beata virgo perſpiciẽs eum, & videbatur ei in ſomnis à veteri pelle excoriari. cuius dolore excitatus, inuenit ſe totum immutatum, & ita à carnis incentiuo liberatũ, vt poſtea non ſentiret motus carnis.

2. Cõmendatur continentia quia facit hominem ſuiipſius victorem.

E ITEM ſecundo per continentiam eſt homo ſuiipſius victor, & cultor animi ſui, circũcidẽs ab eo ſuperflua; ſicut cultor vineæ à vinea amputat ſuperflua, & nutrit & fouet vtilia. Hier. 4. *Circumcidimini domino & auferte præputia cordium veſtrorum.* Præputia ſunt ſuperfluæ cogitationes & affectiones mentis, quas circuncidit continentia, dum facit continere cor ab eis. Sen. *Continentiam ſi diligis circuncide ſuperflua, & in altum deſideria conſtringe.*

ITEM facit ſuiipſius verũ victorem, ideſt animi ſui, cuius magis victor eſt, qui vincit animi ſui cõcupiſcẽtiarum impetus, quam ſi vinceret totum mundũ. Sicut probaſſe dicitur Ariſt. Alexandro cui cum moueretur contra quẽdam qui eum offenderat, nec vellet aliquibus precibus remittere, dicens quod non poterat inuenire in corde ſuo, quin iniuriam ab eo ſibi factã puniret; ait Ariſt. *Docebo te glorioſiorem eſſe victorem, quam fueris vincendo totum mundum. Quis tantum vicit & ſubiecit totum mundum, niſi magnanime cor tuum; quod ſi viceris glorioſior victor eris quam quando totum mundum vicisti per ipſum. Si autem ſecutus fueris eius voluntates & concupiſcentias, non es victor glorioſus, ſed ignominioſe victus.* Eccl. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: ſi præbes animæ tuæ concupiſcentias eius, dabit te in gaudium inimicis tuis.* Eccl. 5. *Ne ſequaris concupiſcentiam cordis tui.*

Item cordis ſui poſſeſſorẽ. Exemplum.

ITEM hæc virtus facit hominẽ verum animi ſui dominatorem, & cordis ſui poſſeſſorem, quia ſubijcit & vincit voluntatem cordis. Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Prou. 7. *Melior eſt patiẽs viro forti, & qui dominatur animo ſuo, propugnatore vrbium.* talis eſt homo tẽperatus, cõtinẽs, & mitis. Glo. Matth. 5. Beati mites, quoniam poſſidebũt terrã. *mentis mites ſunt qui malis moribus dominantur, perfecta virtus eſt morũ poſſeſſio.* Vel alia glo. *mitis eſt qui nec irritat, nec irritatur, nec nocet nec nocere appetit.* Veros autem victores & animi dominatores & cordis poſſeſſores facit continentia, quæ refrenat motus illicitos cordis ſui: ſiquidem virtuti continentiæ ſubijciuntur omnia membra, quæ habent obedire cordi, & qui dominus eſt cordis eſt omnium dominus, & vincit omnia ſibi aduerſantia.

Exemplum.

CVM nuncij Alexandri tranſirent iuxta quandam ſiluam, ſecuti ſunt fontis riuulum ducentem ad fontem, iuxta quem inuenerũt philoſophum nudum cõtemplantem naturas rerum, & cum quæreret qui eſſent; Reſponderunt quod erant nuncij domini totius mundi Alexandri, & cum illi quærerent quis ipſe eſſet: Reſpondit quod ipſe eſſet dominus domini ſui. Et cum ipſi arctarẽt eum ad reſpondendum quis ipſe eſſet. Reſpondit quod ipſe eſſet dominus domini ſui. Et cum ipſi arctarent eum ad reſpondendum quis eſſet ille dominus, quia nullus Alexandro maior eſſet. Reſpondit quod cor ſuum, quod ei dominabatur, & ipſe ita erat cordis ſui ſeruꝰ, quod quicquid ei cor ſuũ imperabat, Alexander omnia faciebat, licet iniuſta eſſent & iniqua. Ipſe vero philoſophus, vt dicebat, ita cor ſuum domauerat, & ſibi ſubdiderat; quod eius rationi cor in omnibus obediebat vt domino; Alexander vero cordis ſui concupiſcentijs obediebat vt ſeruus.

Exemplum.

ITEM cum idem Alexãder ſcriberet Dandamo regi Brachmannorum ſe eſſe dominum dominorum; quæſiuit reſcribens, quomodo poterat ſe vocare dominũ, qui ſeruus erat infinitorũ dominorũ; cum animus dominabatur ei, cui dominabantur infinitæ cupiditates cordis ſui, ita quod omnes res mũdi non potuerãt, nec poterunt ſatiare. Item ſcripſit ei in Epiſtola quadam, quod ſeruus erat tot dominorũ, quot habebat officia membrorum; & dicebat, quomodo vos inquit mineruam, quia inuẽtrix fuit multorum operum, Deam capitis dicitis. Iunonem, quia fuit iracunda, Deam cordis aſſeritis. Martem, quia fuit bellicoſus, Deum pectoris. Mercurium, quia multiloquus, Deum linguę. Herculẽ quia fuit fortis, Deum brachiorum. Bacchum, quia inuentor & amator ebrietatis fuit, Deum gutturis. Cupidinem, quia inflammator fuit libidinis, Deum iecoris. Cererem, quia inuenit agriculturam, aſſeritis Deũ ventris. Venerem, quia fuit luxurioſa, aſſeritis Deam genitalium, & ſic de alijs: & ita in vobis nullum mẽbrum relinquitis vobis liberum, quandoquidem ſerui dæmonum ſitis & vitiorum.

Virtus continentia facit hominẽ Deo placitum & gratioſum.

NON ſic autẽ ſancti patres, ſed quia iugũ ſeruitutis diabolicæ à ſe excuſſerunt, & cor ſuũ ſibi ſubdiderunt, miracula de mẽbris ſuis agere potuerunt, & dominari eis; & mira pati, & ſuſtinere in eis. Virtus aut continẽtiæ facit hominẽ Deo placitum, & gratioſum, & eius amicum Prou. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum, amicum habebit regem.* gratæ ſunt talium Deo orationes.

ITEM mundorum corde eſt anima Deo pretioſa,

quia

quia nullus thesaurus est ei componderabilis. Eccl. 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.*

ITEM hæc virtus facit animam Deo proximam, & eius sponsam. Sap. 6. *Incorruptio proximum facit esse Deo.* quia facit animam Deo dilectam, sororem, & sponsam, & immaculatam, & columbam suam. Aug. in lib. confes. *Per continentiam colligimur in vnum, à quo in multum defluximus, minus enim te amat domine, qui tecũ aliquid amat, quod non propter te amat.* Item Aug. de moribus ecclesiæ, dicit, quod *est amor Deo sese integrum incorruptumque seruans, quia Deo seruat integrum cor, quod maxime Deus requirit.* Prouer. 24. *Fili præbe mihi cor tuum.* quod qui habet, totum habet, & prædia, & rusticum. Similiter vt dicitur vulgariter. Qui habet rusticum,& prædia.quia qui dominus est cordis,dominus est membrorũ corporis,actuum,& appetituum.

Continentia virtus facit animam mundam.

ITEM continentiæ virtus facit animam mũdam & puram, & oculos mundos & puros mentis eius, vt possint videre Deum. Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam Deum videbunt.* Glos. *mundo corde sunt quos non arguit conscientia peccatorum.*vel mundi corde sunt,qui habent, non oculos Lyæ lippos à prauis cogitationibus & affectionibus; sed limpidos ad modũ Rachel, quæ interpretatur videns principium Domini; quia beati mundo corde, q.d. videbunt purificato oculo intellectus à prauis delectationibus. Glo. super illud, Deum videbunt; *virtus continentiæ vtrumque purificat oculum affectus, ne per illicitas delectationes effluat: ego autem non ab ea tantum quæ abhominabilis est, sed ab omni voluntate carnis, continendum dico.*

ITEM oculus intellectus debet esse purus & mũdus ab omni mala cogitatione quæ cum consensu est, & ab omni praua intentione. Bern. super cant. *Continentia illa est apud Deum; & ideo maximè opus est puritatem intentionis habere, qua soli Deo placere cupiat, vt ei valeat adhærere: neque enim aliud est Deum videre, quam ei inhærere, quod solis mundis corde singulari fælicitate donatur.* Hãc continentiam & munditiam cordis, bene seruauerat Sara, quæ dicebat. To. 4. *Tu scis domine, quia nunquam concupiui virum, sed mundam seruaui animã meam ab omni concupiscentia* &c. Similiter & Iob dicens. 27. *Donec desinam, non recedam ab innocentia mea; iustificationem quam cæpi tenere, non deseram.*

Continentia virtus facit videre Deũ.

ITEM virtus continentiæ dum cohibet motus malos, facit animam non solum mundam vt Deum in præsenti per speculum in ænigmate cõtemplando videat, sed etiam facit vt in fonte purissimo conscientiæ, pacate & pure resultent limpidissimę Dei reuelationes,& rerum scibilium imagines; vt intelligat inuisibilia Dei,per ea quæ facta sunt: & Deum videat in præsenti tanquam in speculo, & sicuti est facie ad faciem in futuro. & etiam facit animam pacatam & quietam, vt in ea diuina sapientia intret, & habitet, & quiescat cuius in pace factus est locus. Sap. 8. *Intrans in domum meam conquiescam in ea, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.*

HÆc etiam virtus facit virum pacificum, & beatum, & Dei filium. Vnde Matth. 5. *Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur.* veri continentes sunt beati pacifici. Glossa Bedæ. *Beati pacifici sunt, qui omnes motus animæ componunt, & rationi subiiciunt; quia his nihil repugnat, sed similes sunt patri suo, quia est summa quies & pax qualis fuit in arca Noe, in quo omnia animalia fuerunt pacata.* Similiter in mẽte iusti debent esse motus brutales subditi rationi. Item alia glo. *Postquam spiritus iustus imperat, vt totus homo spiritum seruat, tunc pax quæ intus est ad alios deriuatur, vt quantum est in nobis pacem habeamus cum alijs.* Beata est illa domus quæ similis est arcæ, vbi omnes bestiæ sunt pacificæ, quando omnis motus interior rationi obtemperat, & tota familia interior facit quod ipsa imperat. De qua Iob. 5. *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, & scies quia pacem habeat tabernaculum tuum.* quia si vitiorum tentationes seruiant intus, pacem non turbant, quin omnia subiecta fiant, tanquam rectori domus. Glos. supra. Beati pacifici; *in præsenti homo pacificus, & si bellum gerat cum vitijs, in nullo tamen pacem abrumpit quam Deus dedit.*

De incontinentia.

DEINDE considerandum est de incontinentia. Et primo vtrum incõtinentia pertineat ad animam vel ad corpus. Secundo vtrum incontinentia sit peccatum. Tertio de comparatione incõtinentiæ ad intemperantiam. Quarto quis sit turpior, vtrum incõtinens iræ vel incontinens concupiscentiæ.

AD primum, scilicet *vtrum incontinentia pertineat ad animam vel ad corpus.* Dicendum quod vnumquodque magis attribuitur ei quod est causa per se, quam ei quod solam occasionẽ præstat; id autem quod est ex parte corporis,solum occasionem incontinentiæ præstat. Ex dispositione enim corporis potest contingere, quod insurgant passiones vehementes in appetitu sẽsitiuo, qui est virtus corporei organi. sed huiusmodi passiones quantumcunque vehementes,non sunt sufficiens causam incontinẽtiæ,sed occasio sola;eo quod durante vsu rationis, semper potest homo passionibus resistere. Si vero passiones adeo increscant quod totaliter auferant vsum rationis (sicut accidit in his qui propter vehementiam passionũ amentiam incurrunt) non remanebit ratio continentię neque incontinentiæ; quia non saluatur in eis iudicium rationis, quod continens seruat, & incontinens deserit: & sic relinquitur quod per se causam incontinentiæ sit ex parte animæ, quæ ratione passionibus non resistit. Quod quidem fit duobus modis, vt philosophus dicit in 7. Eth. *Vno modo* quando anima passionibus cedit antequam ratio consilietur, quæ quidem vocatur infrænata incontinentia, vel præuolatio. *Alio modo* quando non permanet homo in his quæ cõsiliata sunt, eo quod debiliter est firmatus in eo quod ratio iudicauit. Vnde & hæc incõtinentia vocatur debilitas, & sic patet quod incontinentia principaliter ad animam pertinet. Sequitur tamen incontinentia complexionem corporis, sicut dicit philosophus 7. Ethi. quod maximè acuti,idest cholerici & melancholici, secundum irrefrænatam concupiscẽtiã sunt incontinentes, quia videlicet ex impetu passionis contingit, quod aliquis statim passionem sequatur, ante consiliũ rationis. Impetus autem passionis prouenire potest, vel ex velocitate,sicut in cholericis;vel ex vehemẽtia, sicut in melancholicis, qui propter terrestrem cõplexionẽ vehementissime inflãmantur;sicut & ecõtrario contingit quòd aliquis non persistat in eo quod consiliatũ est ex eo quod debiliter inhæret propter mollicię cõplexionis,vt de mulieribus dictum est. Quod etiam videtur in phlegmaticis contingere propter eandem causam, sicut & in mulieribus. Hæc autẽ accidunt,inquantum ex complexione corporis, datur aliqua incontinentiæ occasio,non autem causa sufficiens,vt dictum est.

Incontinetia pertinet principaliter ad animam.

QVALITER autem intelligatur verbum philosophi ibidem,quod mulieres non dicũtur cõtinentes,neque incontinentes. Dicendũ quod anima humana,quæ est forma corporis, habet quasdã vires corporeis organis vtentes, quarũ operationes aliquid cõferũt etiã ad illa opera animæ quæ sũt sine corporeis instrumẽtis, idest ad actũ intellectus,& volũtatis:inquãtũ. s. intellectus à sensu accipit,& voluntas impellitur à passione appetitus sensitiui.& secundũ hoc,quia fœmina secundum corpus habet debilem cõplexionem,fit vt in pluribus, quod etiam debiliter inhæreat quibuscunque inhæret;Etsi raro in aliquibus aliter accidat,secundũ illud. Prouer. vlti. *Mulierem fortem quis inueneri?* Et quia id quod est paruum & debile, reputatur quasi nullum, inde est quod philosophus loquitur de mulieribus, quasi non habentibus iudicium rationis firmum, quamuis in aliquibus mulieribus contrarium accidat. Et propter hoc dicit, quod mulieres non dicimus continentes, quia non ducuntur quasi habentes soli-

Solutio obiect.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dam rationem, ſed ducuntur quaſi de facili ſequentes paſſiones.

Incontinẽtia qua eſt cõtra rectam rationem eſt peccatum.

Ad ſecundum, ſcilicet *vtrum incontinentia ſit peccatum*. Dicendum, quod incontinentia poteſt attendi circa aliquid tripliciter. *Vno modo* proprie & ſimpliciter, & ſic incontinentia attenditur circa concupiſcentias delectationum tactus, ſicut & intemperantia, vt ſupra dictum eſt de continentia. Et hoc modo incontinentia eſt peccatum duplici ratione. Vno modo ex eo quod recedit ab eo quod eſt ſecundum rationem. Alio modo ex eo quod ſe immergit aliquibus turpib. delectationibus, & ideo philoſophus dicit in 7. Ethi. quod incontinentia vituperatur, non ſolum ſicut peccatum, quod ſcilicet eſt per receſſum à ratione, ſed ſicut malitia quædam, inquantum ſcilicet prauas concupiſcentias ſequitur. *Alio modo* incontinentia dicitur circa aliquid propriè quidem, inquantum homo recedit ab eo quod eſt ſecundum rationem, ſed nõ ſimpliciter: puta cum aliquis non ſeruat modum rationis in concupiſcentia bonorum, diuitiarum, & aliorũ huiuſmodi, quæ ſecundum ſe videntur eſſe bona; circa quæ non eſt incontinentia ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſicut ſupra de continentia dictum eſt. & ſic incontinentia eſt peccatum, non ex eo quod aliquis ingerat ſe prauis, concupiſcentijs, ſed eo quod non ſeruat modum debitum rationis, etiam in concupiſcentia rerum per ſe appetendarum. *Tertio modo* incontinentia dicitur eſſe circa aliquid, non proprie, ſed ſecundum ſimilitudinem; puta circa concupiſcentias eorũ quibus non poteſt aliquis male vti. Puta circa concupiſcentias virtutum, circa quas poteſt dici aliquis eſſe incontinens per ſimilitudinem; quia ſicut ille qui eſt incontinens, totaliter ducitur per concupiſcentiam malam, ita aliquis totaliter ducitur per concupiſcentiam bonam quod eſt ſecundum rationem; & talis incontinentia non eſt peccatum, ſed pertinet ad perfectionem virtutis.

Intẽperatus plus peccat quã incontinens.

Ad tertium, ſcilicet *de comparatione incontinentiæ ad intemperantiam*, ſcilicet quis plus peccet, vtrum incontinens vel intemperatus. Dicendum quod peccatum ſecundum Aug. præcipue in voluntate conſiſtit, voluntas enim eſt qua peccatur & rectè viuitur; & ideo vbi eſt maior inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi grauius eſt peccatum. In eo autem qui eſt intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito. In eo autem qui eſt incontinens, volũtas inclinatur ad peccandum ex aliqua paſſione, & quia paſſio cito trãſit, habitus autem eſt qualitas difficile mobilis. Inde eſt quod continens ſtatim pœnitet tranſeũte paſſione. Quod non accidit de intemperato, quin immo gaudet ſe peccaſſe, eo quod operatio peccati eſt ſibi facta connaturalis ſecũdum habitum, vnde de his dicitur Prou. 2. *Quod lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peßimis*. Vnde patet quod intemperatus eſt multo peior, quam incontinens. vt etiam philoſophus dicit in 7. Ethi.

Solutio obiect.

Licet autem incontinens magis contra ſcientiam agere videatur, quam intemperatus, ſicut dicit philoſophus 7. Ethi. Incontinens enim ſciens quã praua sũt quæ concupiſcit, nihilominus agit propter paſſionem. Intemperatus autem credit ea quæ concupiſcit eſſe bona & ſic magis videtur ignorans, quam incontinẽs. Ignorantia autem diminuit peccatum. Dicendũ quod ignorantia intellectus, quandoque quidem præcedit inclinationem appetitus, & cauſat eam; & ſic quanto eſt maior ignorantia, tanto magis diminuit, vel totaliter excuſat, inquantum cauſat inuoluntarium. Alio modo econuerſo, ignorantia rationis ſequitur inclinationem appetitus; & talis ignorantia quanto eſt maior, tanto peccatum eſt grauius, quia oſtenditur inclinatio appetitus eſſe maior. Ignorantia autem tam incontinentis quam intemperati prouenit ex eo quod appetitus eſt in aliquid inclinatus, ſiue per paſſionem, ſicut in incontinentia: ſiue per habitum, ſicut in intẽperato. maior autem ignorantia cauſatur ex hoc in intemperato, quam in incontinente. Et vno quidem modo quantum ad durationem, quia in incontinente durat illa ignorantia ſolum paſſione durante, ſicut acceſſio febris tertianæ durat, durante commotione humoris. ignorantia autem in intemperato durat aſſidue, propter permanentiam habitus. Vnde aſſimilatur phthiſi, vel cuicunque morbo continuo, vt philoſophus dicit in 7. Ethi. Alio autem modo eſt maior ignorantia intemperati, quantũ ad id quod ignoratur. Nam ignorantia incontinentis attenditur quãtum ad aliquod particulare eligibile, prout ſcilicet eſtimat hoc nunc eſſe eligendum: ſed intemperatus habet ignorãtiam circa ipſum finem, inquantũ ſcilicet iudicat hoc eſſe bonum, vt irrefrænate concupiſcentias ſequatur. Vnde Philoſophus in 7. Ethi. dicit, quod incontinens eſt melior intemperato, quia ſaluatur in eo optimum principium, ſcilicet recta æſtimatio de fine.

Exemplum.

Item etſi peccatum incontinentis inſanabilius videatur, quia peccatum alicuius ſanatur per admonitionem & correptionem, quæ nihil videtur conferre incontinẽti, qui ſcit ſe male agere, & nihilominus male agit: intemperato autem videtur quod bene agat & ſic aliquid ei poſſet cõferre admonitio. Dicendũ quod ad ſanationem incontinentis, non ſufficit ſola cognitio, ſed requiritur interius auxilium gratiæ concupiſcẽtiam mitigantis; & adhibetur etiam exterius remedium admonitionis & correctionis, ex quibus aliquis incipit concupiſcentijs reſiſtere, ex quo concupiſcentia debilitatur, vt ſupra dictum eſt. Et ijſdem modis poteſt ſanari intemperatus: ſed difficilior eſt eius ſanatio propter duo, quorum primum eſt ex parte rationis, quæ corrupta eſt circa æſtimationem vltimi finis, quod ſe habet ſicut principium in demonſtratiuis: difficilius autem reducitur ad veritatem ille, qui errat circa principium; & ſimiliter in operatiuis ille, qui errat circa finem. Aliud autem eſt ex parte inclinationis appetitus, qui intemperato eſt ex habitu qui difficile tollitur. Inclinatio autem incontinentis eſt ex paſſione, quæ facilius reprimi poteſt.

Item incontinens peccat ex maiori libidine quã intemperatus, quia maiores habet concupiſcẽtias. Dicendum tamẽ quod libido voluntatis quæ auget peccatum maior eſt in intemperato, quam in incontinente, vt ex dictis patet; ſed libido concupiſcentiæ appetitus ſenſitiui quandoque maior eſt in incontinente, quia incontinens non peccat niſi à graui concupiſcentia. Sed intemperatus etiã ex leui concupiſcentia peccat, & quandoque eam præuenit, & ideo philoſophus dicit in 7. Eth. quod *magis intemperatum vituperamus, quia non concupiſcens, vel quiete* (ideſt remiſſe cõcupiſcens) *perſequitur delectationes*. quid enim faceret ſi adeſſet concupiſcentia iuuenilis.

Incẽtinentia cõcupiſcentiæ eſt quodammodo turpior incontinẽtia iræ, & quodammodo minus turpis.

Ad quartum, ſcilicet *quis ſit peior, vtrum incontinens iræ, vel incontinens concupiſcentiæ*. Dicẽdum quod peccatũ incontinentię poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ex parte paſſionis ex qua ratio ſuperatur; & ſic incontinentia concupiſcentiæ eſt turpior quam incõtinentia iræ; quia motus concupiſcentiæ habet maiorem inordinationem quam motus iræ. Et hoc propter quatuor, quæ philoſophus tangit in 7. Eth. Primo quidem, quia motus iræ participat aliqualiter rationẽ; inquantum ſcilicet iratus tendit ad vindicandum iniuriam ſibi factam, quod aliqualiter ratio dictat; ſed non perfectè, quia nõ intendit debitum modum vindictæ. ſed motus concupiſcentiæ totaliter eſt ſecundum ſenſum, & nullo modo ſecundũ rationẽ. Secũdo quia motus iræ magis ſequitur corporis cõplexionem, propter velocitatem motus choleræ, quæ incendit ad iram. Vnde magis eſt in prõptu, quod ille qui eſt ſecũdũ complexionẽ corporis diſpoſitus ad iraſcendũ, iraſcatur; quã ille qui eſt diſpoſitus ad cõcupiſcendũ, cõcupiſcat. Vnde & frequentius ex iracũdis naſcũtur iracũdi, quã ex concupiſcentib. cõcupiſcentes. Quod autẽ prouenit ex naturali corporis diſpoſitione reputatur

magis venia dignum. Tertio quia ira quærit manifestè operari, sed concupiscentia quærit latebras, & dolosè subintrat. Quarto quia concupiscens delectabiliter operatur, sed iratus quasi quadam tristitia præcedente coactus. Alio modo potest considerari peccatum incontinentiæ quantum ad malum, in quod quis incidit, à ratione discedens; & sic incontinentia iræ vt plurimum grauior est, quia ducit in ea quæ pertinēt ad proximi nocumentum.

De clementia, & mansuetudine.

DISTINCTIO XCVIII.

DEINDE considerandum est de clementia & mansuetudine, & vitijs oppositis. Circa ipsas autem virtutes consideranda sunt sex. Primo vtrum clementia & mansuetudo sint idem. Secundo vtrum vtraque earum sit virtus. Tertio vtrum vtraque earum sit pars temperantiæ. Quarto de comparatione earum ad alias virtutes. Quinto specialiter de clementia, quæ sunt scilicet illa quæ ad clementiam mouere debent. Sexto de mansuetudine.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum eadem sint clementia & mansuetudo.* Dicendum, quod sicut dicitur in 2. Ethic. Virtus moralis consistit circa passiones & actiones, passiones autem interiores sunt actionum exteriorum principia, aut etiam impedimenta; & ideo virtutes quæ moderantur passiones exteriores, quodammodo concurrunt in eundem effectum, cum virtutibus quæ moderantur passiones interiores, licet specie differant. Sicut ad iustitiam propriè pertinet cohibere hominem à furto, ad quod aliquis inclinatur per inordinatum amorem, vel concupiscentiam pecuniæ, quæ moderatur per liberalitatem, & ideo liberalitas concurrit cum iustitia in hoc effectu, qui est abstinere à furto; & hoc etiam est considerandum in proposito. Nam ex passione iræ prouocatur aliquis ad hoc quod grauiorē inferat pœnam, ad clementiam autem pertinet directè, quod sit diminutiua pœnarum, quod quidem impediri posset per excessum iræ; & ideo mansuetudo inquantum refrænat impetum iræ, concurrit in eundem effectum cum clementia. Differunt tamen ab inuicem, inquantum clementia est moderatiua exterioris punitionis, mansuetudo autem propriè diminuit passionem iræ. Vnde mansuetudo propriè respicit ipsum vindictę appetitum, sed clementia respicit ipsas pœnas quæ exterius adhibentur ad vindictam.

Clemētia & mansuetudo partim conueniunt partim differūt.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum vtraque istarum sit virtus.* Dicendum, quod ratio virtutis moralis consistit in hoc quod appetitus rationi subdatur, vt patet per Philos. in 1. Eth. Hoc autem seruatur tam in clementia, quam in mansuetudine. Nam clementia in diminuendo pœnas, aspicit ad rationem. vt Sen. dicit, in 13. de clement. Similiter etiam mansuetudo, secundū rationem rectam moderatur iras, vt dicitur in 4. Ethic. Vnde manifestum est, quod tam clementia quam mansuetudo est virtus.

Mansuetudo & clementia sunt virtutes.

DIRECTE autē nō opponitur māsuetudo seueritati. Quia mansuetudo est circa iras, seueritas autem attenditur circa exteriorem inflictionem pœnarū. Vnde secundum hoc videretur magis opponi clementiæ, quæ etiam circa exteriorem punitionem consideratur vt dictum est: non tamen opponitur, eo quod vtrumque est secundum rationem rectam. Nam seueritas inflexibilis est circa inflictionem pœnarum, quando hoc recta ratio requirit, clementia autem diminutiua est pœnarum, etiam secundum rationem rectam, quando scilicet oportet, & in quibus oportet, & ideo non sunt opposita, quia non sunt circa idem.

Solutio obiect.

ET NOTA, quod tam mansuetudo, quam clementia, in diminutione quadam consistit. māsuetudo enim est diminutiua iræ, clementia vero diminutiua pœnarum. Habitus autem qui medium tenet in ira, est innominatus, & ideo virtus nominatur à diminutione iræ, quæ signatur nomine mansuetudinis; eo quod virtus propinquior est diminutioni quam superabundantiæ, propter hoc quod naturalius est homini appetere vindictam iniuriarū illatarū, quā ab hoc deficere; quia *vix alicui nimis paruæ videntur iniuriæ illatæ*, vt dicit Salustius. Clementia autē est diminutiua pœnarū, non quidē in respectu ad hoc quod est secundum rationē rectā, sed in respectu ad id quod est secundū legem communem, quā respicit iustitia legalis. sed propter aliqua particularia considerata, clementia diminuit pœnas, quasi decernens hominē non esse magis puniendū. Vnde dicit Sen. in 2. de clem. *Clementia hoc primum præstat, vt quos dimittit, nil aliud illos pati debuisse pronunciat.* Venia vero debitæ pœnæ remissio est: ex quo patet quod clementia comparatur ad seueritatē, sicut epijkia ad iustitiam legis; cuius pars est seueritas, quantum ad inflictionem pœnarum secundum legem. Differt tamen clementia ab Epijkia vt infra dicetur.

Clementia comparatur ad seueritatem sicut epijkia ad iustitiam.

ITEM nota quod māsuetudo siue mititas, inter beatitudines ponitur. Mat. 5. Et inter fructus. Gal. 5. Inter virtutes etiam numeratur, quia beatitudines sunt actus virtutum, fructus autem sunt delectationes de actibus virtutum. Et ideo nihil prohibet mansuetudinem poni, & virtutem, & beatitudinem, & fructum.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum vtraque istarum sit pars temperantiæ.* Dicendum quod partes assignantur virtutibus principalibus, secundum quod imitantur ipsas in aliquibus materijs secundarijs, quantum ad modum ex quo principaliter dependet laus virtutis: vnde & nomen accipit. Sicut modus & nomen iustitiæ, in quadam æqualitate consistit: fortitudinis autem, in quadam firmitate; temperantiæ autem, in quadam refrænatione inquantum scilicet refrænat concupiscentias vehementissimas delectationum tactus. clementia autem & mansuetudo, similiter in quadam refrænatione consistunt: quia scilicet clementia est diminutiua pœnarum; mansuetudo vero est mitigatiua iræ, vt ex supradictis patet. Et ideo tam clementia quam mansuetudo adiunguntur temperantiæ, sicut virtuti principali, & secundum hoc ponuntur partes ipsius.

Clementia & mansuetudo sunt partes potentiales temperantiæ.

ET nota quod in diminutione pœnarum duo considerāda sunt: vnum est, quod diminutio pœnarum fiat secundū intentionem legislatoris, licet non secundum verba legis; & secundum hoc pertinet ad Epijkiam. Aliud autem est, quędam moderatio affectus, vt homo non vtatur sua potestate in inflictione pœnarum: & hoc propriè pertinet ad clementiam. propter quod Senec. dicit, quod *clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi.* & hæc quidem moderatio animi, prouenit ex quadā dulcedine affectus, qua quis abhorret omne illud quod potest aliū tristare. & ideo dicit Sen. quod *clementia est quædā lænitas animi*, nā ècontrario austeritas animi videtur esse in eo, qui nō veretur alios cōtristare.

Solutio obiect.

ITEM nota quod adiunctio virtutum secundariarum ad principales, magis attenditur secundum modum virtutis, qui est quædam forma eius, quam secundum materiam. Mansuetudo autem & clementia conueniunt cum temperantia in modo vt dictum est, licet non conueniant in materia.

AD QVARTVM, scilicet *de comparatione clementiæ & mansuetudinis ad alias virtutes.* Dicendum quod nihil prohibet aliquas virtutes non esse potissimas simpliciter, nec quo ad omnia, sed secundum quid, & in aliquo genere, non est autem possibile quod clemētia & mansuetudo sint potissimæ virtutes simpliciter, quia laus earum attenditur in hoc quod retrahunt à malo, inquantum scilicet diminuunt iram, vel pœnam: perfectius autem est persequi bonum, quam carere malo: & ideo virtutes quæ simpliciter ordinant hominē in bonum, sicut fides, spes, & charitas; & etiam prudentia, & iustitia, sunt simpliciter maiores virtutes, quā clementia & mansuetudo, sed secundum quid, nihil prohibet mansuetudinem & clementiam habere quandā excellentiam inter virtutes quę resistūt affectionibus prauis. Nam ira, quam mitigat mansuetudo, propter suum impetum,

Clementia & mansuetudo non sunt potissimæ virtutes quæ-uis in aliquo excellant.

petum, maximè impedit animum hominis, ne liberè iudicet veritatem. propter hoc manſuetudo maximè facit hominem eſſe compotem ſui. vnde dicitur Eccl. 10. *Fili in manſuetudine ſerua animam tuam.* quamuis concupiſcentię delectationum tactus ſint turpiores, & magis continuè infeſtent: propter quod temperantia magis ponitur virtus principalis, vt ex dictis patet. clementia vero in hoc quod diminuit pœnas, maximè videtur accedere ad charitatem, quæ eſt potiſſima virtutum, per quam bona operamur ad proximos, & eorum mala impedimus.

Quid clementia.

AD QVINTVM, ſcilicet *de motiuis ad clementiam.* Nota quod ſecundum Tullium *clementia eſt virtus, per quam animus alicuius, temere concitatus in odium alicuius, benignitate quietatur.* Vel ſecundum Sene. *Clementia eſt temperantia animi in poteſtate vlciſcendi:* vel *lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in pœnis conſtituendis.* Item Sen. *Sicut magni animi non eſt, qui de alieno liberalis eſt, ſed qui quod alij donat, ſibi ſubtrahit; ita clementem voco, non in alieno dolore facilem, ſed in ſuo magni animi eſt, iniurias ſuas in ſumma patientia pati: nec quicquam eſt, gloriosius principe impune læſo.* Hæc autem virtus, licet ſit neceſſaria omnibus, tamen maximè neceſſaria principibus & prælatis, quibus ſubſunt alij.

Motiua ad clementiam.

Octo motiua ad clementiam.

SVNT autem octo quæ principes debent mouere ad clementiam. Primum quod debet mouere omnes Chriſtianos ad clementiam, & maximè omnes principes & reges, tam ſæculares quam eccleſiaſticos, eſt vnctio qua vnguntur in baptiſmate, & confirmatione, & alijs conſecrationibus, per quam præ cæteris debent eſſe ſuaues exterius, quæ etiam ſignificat vnctionem ſpiritualem, quam debent habere interius; de qua 1. Ioan. 1. *Vnctionem habetis à Sancto.* Bern. ſuper cant. *Eſt intus vnctio ſpiritus, nec mirum ſi anima vngitur, quæ vnctum complectitur:* anima ſcilicet quæ per amorem inhæret Chriſto. Idem. *Crede mihi non inueni Chriſtum curantem cauterio, ſed vnguento.*

1. Vnctio baptiſmatis & aliarum conſecrationū, quæ lenitatem ſignificat.

SECVNDVM quod debet mouere hominem ad clementiam, eſt natura multiplex: *primo natura hominis,* quia homo vt ait Philoſophus *eſt animal manſuetū natura.* Item natura facit eum, non armatum feritate, vt leoninis rictibus, ferinis dentibus, vnguibus, aut cornibus, ſed animal riſibile. Ideo contra natura eſt, eſſe ferinum & crudelem. *Contra naturam humanam,* vt dicit Sen. *eſt catenarum delectari ſonis. quocumque ventum eſt multum ſanguinem effundere, aſpectu ſuo terrere, & fugare.* quæ alia vita eſſet, ſi leones vrſique regnarent; ſi ſerpentibus in nos, aut noxioſiſſimo animali cuique, daretur poteſtas in nobis: *ipſa enim rationis inexperta natura,* abſtinet à ſuis, & eſt tuta ab eis. Inter feras enim ſimilitudo morum eſt, leo leënam non comedit, nec ſerpens ſerpentem. Ariſt. in lib. de natura animalium. *Non eſt auium vnius ſpeciei vt ſe comedant.* Item Senec. *Ferina rabies eſt ſanguine & vulneribus gaudere, & abiecto homine, in Syluestre animal tranſire.* *Item* ad clementiam debet mouere naturalis nobilitas animorum humanorum. Sen. *Remiſſius imperanti melius paretur. Nam contumax eſt animus humanus, in contrarium atque arduum tendens, facilius ſequitur quam trahatur.*

2. Natura hominis, & naturalis animi nobilitas.

TERTIVM quod debet mouere principes ad clementiam, eſt ſua pax & ſecuritas. Clementia facit principes dilectos, & ſecuros ab hominibus; crudelitas odioſos reddidit. Eccleſ. 3. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris.*

3. Pax & ſecuritas ſui ipſius.

DE TITO quia erat clementiſſimus imperator, legitur quod fuit ab hominibus omnibus dilectiſſimus: vnde plangebant eum ſui mortuum, & quod epitaphium ſuperpoſuerunt ei hoc eſt. *Hic eſt amor & deliciæ totius mundi.* Hic cum videret diem tranſiſſe, in qua non feciſſet aliquod opus liberalitatis & clementiæ, vertens ſe ad amicos ſuos dicebat. O amici qualiter diem iſtum perdidimus, in qua nihil clementiæ & liberalitatis fecimus. Econtra propter crudelitatem ſuam, Herodes filijs proprijs exoſus, cum inſidiarentur ei, occiſi ſunt tres eorum ab eo, de quo dixit Imperator Auguſtus. *Mallem eſſe Herodis porcus quam filius, quia dum proſelitus ſit, ipſe porcos nutrit, & filios ſuos occidit.* Similiter propter crudelitatē ſuam quam ad omnes exercebat, omnibus odioſus effectus eſt, etiam à ſuis ad mortem quæſitus, & fugatus, ſibijpſi crudelis extitit, vt homines vitaret fugiens ad ſiluas, vt dicit Egyſippus & Oroſius; facto de lignis manigulo, ait cuidam ſuo liberto qui ſecum fugerat: Nunquam vidiſti ita bonum artificem ſuæ necis, ſicut me videbis hodie. Quo dicto de facto manigulo ſe iugulauit, cuius corpus poſtea à canibus dicitur fuiſſe deuoratum.

SIMILITER Domitianus frater Titi imperator, cum eſſet crudeliſſimus, qui beatum Ioannem Euangeliſtā viuum voluit frigere, viuum ponens in feruentis olei doleum: vbi cum Dei gratia manſiſſet illæſus, & exiſſet inunctus, non exuſtus; miſſus in Pathmos inſulam, vbi humano deſtitutus auxilio moreretur, quia nolebat vel Chriſtum negare, vel ab eius prædicatione ceſſare. Hic autem Domitianus fruſtratus ſpe ſua, propter crudelitates ſuas multiplices, ſuis & alijs odioſus effectus eſt. Et tandem, vt dicit Oroſius, à veſpilonibus, nullo ſibi auxilium ferente raptus & captus, per latrinas diſtractus eſt extra vrbem, omni carens honore & ſepultura; & etiam poſt mortem eius, omnia à ſenatu vrbis & populo facta & dicta caſſata ſunt, & deducta in irritum. Vnde etiam beatus Ioannes ab exilio reuocatur.

SENECA in exemplis. *Alieno ſanguini tanquam proprio parcit clementia.* Qui non parcit alijs, nec alij parcunt ſibi, & qui fecit omnes crudelia ſua timere, merito poteſt timere omnes. Sicut faciebat Alexander, de quo legitur in lib. de vita Brachmanorum, quod cum mandaſſet Damdamo Didaſcolo Brachmanorū, quod propter ſapientiam ſuam vellent eum videre, & quod veniret ad eum, multa promittens ſe ei daturū, ipſe contempſit eius dona, & tunc Alexander depoſito regio habitu, venit cum aliquibus paucis amicis ad ſiluā eius, in qua inuenit eum nudum iacentem ſub ilice; ſalutauit eum, ſedens ad pedes eius, rogans quod impartiretur ei donum ſapientiæ. Qui reſpondit, quod ipſe cuius cor innumeræ cupiditates repleuerant, non poterat tale donum accipere, cum non haberet in quo. Et quomodo poſſum cordi tuo ſatisfacere, cui totus mundus ſatisfacere non potuit? Cui poſt multa quæ dixit ei; ait Alexander, quomodo omnes timebat, cū eum omnes timerent. Scio inquit Alexander te verum dicere, ego inquit inter tumultus & formidines viuo, plurimos ex ipſis qui me cuſtodiunt timeo, & maior ſuper mihi metus eſt ab amicis, quam ab hoſtibus quos vereor; eorum conſtipatione cuſtodior, diebus totis varias gentes perſequor & fatigo, noctibus ſomnus me turbat & fatigat; timeo ſuper ne quis inimicus in me irruens repente me occidat, &c. Et poſt multa, ait Damdamus. Tu ergo cum ſis mortalis, quare tot mala faciendo diſcurris.

Exemplum.

VIDI ego latronem quendam ſpoliatorem ſtratarum publicarum cum ſatellitibus, quem homines habitantes in partibus illis, & tranſeuntes per ſtratam publicam timebant omnes: qui vt mihi confeſſus eſt, per annos plurimos non audebat ſe alicui committere, nec audebat in villa aliqua morari, nec in domo aliqua quieſcere, ſed ſiluis morabatur æſtate & hyeme, iacens in hyeme ſuper niuē per multos annos, ita quod nemini de amicis & ſocijs audebat ſe committere; nec ſuſtinere quod in aliquo appropinquaret ei, vel in menſa; vel in lecto; omnes habens ſuſpectos de proditione ſua. Et ita excors factus eſt. Qui cum eſſet maximus corpore, quidam paruus homo, in quem irruebat portans merces venales, eum cœpit, & ligauit, & poteſtati ſæculari eum tradidit puniendum.

Exemplum.

ITEM Gregor. Nazianzenus cuidam Imperatori ſcribit. *A Chriſto tibi in homines vitæ venia mortiſque*

poteſtas

potestas indulta est, & gladius tibi datus est, non tam vt operueris, quam vt commineris, quem vtinam quasi depositum quoddam impollutum & incruentum restituas committenti tibi.

4. *Exempla Christi & Sanctorum.*

QVARTO ad clementiam debent nos prouocare sanctorum exempla; & exemplum Christi, de quo legitur Hier. 20. *Ego quasi agnus mansuetus qui portatus ad victimam.* Isa. 17. *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ.* Matth. 21. *Rex tuus venit tibi mansuetus. Item* Moyses quem propter mansuetudinem præfecit filijs Israel. Num. 12. *Erat Moyses mansuetissimus super omnes. Item* exemplum Dauid, qui hanc virtutem allegat præ cæteris. Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* 2. Reg. 22. *Mansuetudo mea multiplicauit me. Item* Assueri Hest. 13. *Nolui potestatis abuti magnitudine, sed clementia & lenitate regere subiectos.* Reg 20. *Audiuimus*, dicunt Syri, *quod Reges domus Israelis clementes sunt.*

Exemplum.

ITEM non solum Christianorum exempla, sed etiam gentilium debent principes Ecclesiæ ad clementiam prouocare. Legitur de Adriano Imperatore quod tantum sciuit clementiam principi necessariam, quod factus Imperator, omnes quos prius habuerat inimicos, postea fecit amicos eos sibi reconcilians. Et cuidam inimico suo, cui factus Imperator obuiauit, fertur dixisse: *Hodie euasisti mortem.*

ITEM de Antonio Pio legitur, quod pius dictus propter clementiam est, & primas, & pater patriæ. Hic factus Imperator videns multos oppressos debitis, in regnis Romanorum, omnes cautiones in dicto regno combussit, omnia debita relaxauit. Hic fertur dixisse Scipionis exemplo. *Malo vnum seruare ciuem, quam perdere mille hostes & occidere.*

ITEM notandum quod ad clementem principem pertinet, populum subditum modestè & leniter tractare, vt faciebat Assuerus. Hester 13. vt Tyberius Imperator, cui cum dicerent sui, quod deberet à populis exigere vel extorquere. Respondebat: *Boni pastoris est ouem tondere leniter, non excoriare; & quod nullus deberet ab imperatore recedere vacuus.* Hic vt dicit Iosephus, nec accusationes aliorum de facili recipiebat, nec officiales de facili mutabat: reddens rationem de his, ne alij haberent occasionem alios de facili accusandi, & calumniandi, & vexandi; & ipse etiam in hoc vexaretur, & quia etiam noui officiales, qui veniunt ad se ditandum, consueuerunt populo esse acriores exactores, quam iam ditati. Ponebat ad hoc etiam exemplum de vulnerato, qui conquerebatur de eo qui ab eius vulneribus abigebat muscas priores; quibus succedebant aliæ, tanto acriores, quanto macilentiores.

Exemplum.

Simile.

ITEM Iosephus lib. 22. Commendat Philippum fratrem Herodis de clementia, dicens: quod 32. annis ita mansuete rexit quatuor prouincias, quod nullas oppressiones subditis fecit, & cum paucis & grauibus maturitate & scientia visitauit, & ad portas processit, proferens iusta & deliberata iudicia in causis. Si alicuius oppressionem audiebat, statim sedens in solio causam eius audiebat, iustæ partis adiutor, iniustæ punitor. In itinere occurrentibus & ope egentibus impigrè subueniebat.

ITEM ad clementem principem pertinet, iniurias sibi illatas patienter pati, sicut Dauid conuicia Semei. 2. Reg. 16. Sicut Iulius Cæsar verba cuiusdam Romani qui se ei opponebat, dicens, quod non intraret erarium publicum, nisi per ventrem suum: cui respondit Cæsar. *Dignum te Cæsaris ira nullus honor faciet.* Item ad clementem pertinet, eis qui intulerunt sibi iniurias, supplicibus, parcere, ad exemplum dicti Dauid qui pepercit Semei suppliciter veniam petenti. 1. Reg. 18. Et Ioseph Genes. 45. Qui cum fratres eius qui eum vendiderant, essent timore perterriti, audientes eum esse Ioseph qui eis loquebatur, ait eis clementer. *Accedite ad me nolite pauere &c.* Hic non solum iniuriam remisit, sed bona pro malis reddidit. Ad hoc etiam debet mouere leonis exemplum, qui vt dicunt naturales, supplicibus consueuit parcere & rebelles impugnare & domare, de quo dicitur.

Parcere subiectis scit nobilis ira leonis:

TALIS *enim feritas debet inesse bonis.* De his poëta. *gaudent infigere tauros, prædas contemnunt humiles.* Item ad clementiam pertinet, molestias animæ maximè humiles placare. Sicut legitur fecisse Leo Papa: quia qui eos molestat, & Deum; & qui eis satisfacit, satisfacit & Deo: sicut legitur fecisse dictus Leo in gestis Romanorum Pontificum, cum enim intraret palatium suum, inuenit in porta pauperem, vt videbatur ei improbè petentem, quem cum molestasset in introitu suo, regressus vt eum placaret, introduxit eum in cameram suam, & posuit eum in lectum suum vt ibi quiesceret, vsquequo de negocijs quæ eum vrgebant, rediret, & eum placaret satisfaciendo, ferans ostium cameræ suæ cum claue. Qui ad eum rediens, inuenit ostium firmatum vt dimiserat, & dictum pauperem ibi non esse. Vnde præsumpsit illum esse Dominum, qui etiam molestatur in molestia pauperis, & placatur eius reconciliatione, vt dicitur Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, &c.*

5. *Hominum dignitas & eorum sanguinis pretiositas.*

QVINTVM quod debet temperare homines à crudelitate, & reddere clementes ad homines, est hominum dignitas, & eorum sanguinis pretiositas. Sene. in epist. *Clementia sanguini alieno, non proprio parcit, sed & docet hominem esse homine non prodige vtendum.* Idem in persona principis clementis dicit: *apud me conditum, immo strictum habeto gladium, cum summa parsimonia; sanguis enim mitissime fundendus est.* Item Gregorius Nazianzenus ad Imperatorem. *A Christo tibi in hominis vita, veniæ mortisque potestas indulta est, & gladius tibi datus est, non tam vt operaueris, quam vt commincris. Quem vtinam quasi depositum quoddam incruentum & impollutum restituas commendati, cum deliberatione multa.* Si funditur sanguis exigente iustitia est fundendus, ne ex iræ impetu fundatur.

Exemplum.

IDEO vt legitur, Theodosius Imperator contra quosdam ciues, quorum quidam eum offenderant, motus ira, tulit mortis sententiam contra illos subito, & inuentum est quosdam innoxios occisos. Vnde cum venisset apud Mediolanum ab Ambrosio super hoc duriter est argutus, & ab ecclesia iectus, nec receptus quousque egisset publicam pœnitentiam, qui etiam pro hoc legem sanxit, vt nullius mortis sententia ferretur, nisi post triginta dies, vt esset deliberata sententia, & cũ pacato animo ferretur. Cum deliberatione multa & discretione effundendus est sanguis humanus, & medicinæ acutæ dandæ, quando non potest leuius adhiberi remedium; & incisiones faciendæ membrorum, quando putredo & eorum infectio, ad membra alia se extendit. Sen. *Non minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera.* potestatem dedit Deus, *non in destructionem, sed in ædificationem*, vt dicitur 1. Cor. 10. Debent principes imitari agricolas, qui non omnes arbores excidunt, sed alias transplantant, alias erigunt, alias appodiant, alias inclinant, & alias circumcidunt, vt fructificent, & crescant.

6. *Quia crudelitas cogit patientes ad multa mala audenda.*

SEXTVM dissuadens crudelitatem, & clementiam suadens, est hoc; quia qui læditur sæpe ad audendum mala, & ad deteriora prouocatur; & studet quomodo lædat lædentem se, & audet facere vnde se vindicet qualitercumque, quando videt se in mortis discrimine. Ingenium enim, dicit poëta, mala sæpe mouent. Senec. *Temperatus timor cohibet animos; assiduus vero & acer ad extrema admonens, in audaciam iacentes animos excitat, & omnia experiri suadet.*

Exemplum.

LEGITVR in quibusdam chronicis, quod cum Philostratus Rex Athenienſium mortuus, reliquisset duos filios successores, quorum alter Diocles est dictus, alter Lupias, cum Diocles constuprasset virginem, frater virginis occidit eum. Cum autem Lupias tormentis vrgeret occisorem fratris captũ, vt fateretur si qui essent consciij illius homicidij: ille videns se non posse euadere,

dere, accuſauit amicos omnes maximos Lupiæ in tormentis, volens ſic de eis ſe vindicare, quibus occiſis omnibus, cum adhuc torqueretur, inquiſitus ſi adhuc plures eſſent conſcij qui ſupereſſent. Reſpondit, neminem volo occidi amplius præterquam teipſum.

7. *Bonum quod facit ei cui inest.*

SEPTIMVM quod ſuadet clementiam eſt bonum quod facit ei in quo eſt; primo quidem Deo aſſimilatur, qui vt dicitur Ioel. 3. *Eſt benignus & miſericors.* Ioan. 4. *Scio Domine quod tu clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiam.* Dicit Barlaam ad Ioſaphat: *datorem poteſtatis poterit princeps imitari, ſi nihil aliud indicauerit, quam miſereri pretioſius.*

ITEM commotionem populi ad principem mitigat, & eos ei ſe ſubijcit, ſicut patet. 2. Par. 10. *Dixerunt ſenes Roboam. Si lenieris populum concitatum verbis clementibus ſeruient tibi omnibus diebus.* Quod quia non fecit, ſed magis eos exaſperauit verbis ſuperbis, iuxta conſilium iuuenum, amiſit dominium decem tribuum. *Item* fœcundat. Prouerb. 15. *In hilaritate vultus regis vita & clementia; qui imber ſerotinus qui fructus maturat & perficit.* *Item* regnum roborat. Prouerb. 20. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & clementia roborabitur thronus eius.* Item dicitur. Prouerb. 11. *Clementia præparat vitam, inſectatio malorum mortem.* Quia qui clementer ſe habet ad populum ſubditum, diligitur ab eo & cuſtoditur, contra malicioſos ſæpe fiunt conſpirationes, & ſæpe turpiter occidunt.

8. *Conſideratio diſtricti iudicij Dei qui ſeuerus erit crudelibus.*

VLTIMO ſuadet clementiam, conſideratio diſtricti iudicij Dei, & timor eius qui ſeuerus erit crudelibus, & clemens clementibus. Sap. 7. *Duriſſimum iudicium fiet his qui præſunt.* Luc. 7. *Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.*

Exemplum.

BENE autem hoc ad memoriam reduxit quidam nobilis, de quo referebat magiſter Iacob. de Viterbio, quod cum quidam plebeius occidiſſet filium ſuum, & quæreret eum manu armata in die paraſceues, obuiauit ei peregrinanti: qui videns quod non poſſet effugere, proſtrauit ſe ad pedes dicti nobilis, dicens: rogo te Domine, vt pro amore crucifixi audias duo verba quæ tibi dicam: ſcio me dignum morte, ſed pro amore illius qui pro te mortuus eſt, da mihi modicum vitæ ſpacium vt confitear; & ſi tibi plus pro eo facere placet, vt dimittas mihi miſericorditer vitam, ad agendum pœnitentiam pro me, & pro filio tuo; vt toto tempore vitæ meæ peregriner pro eo, cum mors mea nec tibi nec animæ filij tui proficiat, & vt habeas opus magnæ clementiæ, quod poſſis in iudicio Dei ipſi exhibere pro peccatis tuis, vt tibi clemens fiat; parce mihi, vt tibi parcat Deus. Ille autem motus pietate dimiſit eum; Et cum veniret eadem die ad adorandum crucem dictus nobilis, cum obſcularetur crucem eum amplexatus eſt crucifixus. *Item* ad deteſtationem crudelitatis, ad commendationem clementiæ, & amorem eius per contrarium, faciunt multa quæ habentur infra tertio libro vbi agitur de ira.

Manſuetudinem ſuadent exempla Chriſti & ſanctorũ.

AD SEXTVM, ſcilicet *de manſuetudine ſpecialiter:* ſciendum, quod cum per clementiam ſuperiores contemperare ſe debent ſuis inferioribus, vt eos temperate & amicabiliter regant: Sic ſubditi per tractabilitatem manſuetudinis, debent ſe temperare ſuis ſuperioribus, vt bene regantur ab eis, ad hanc autem virtutem debent mouere ſubditos, & exempla; & ea quæ hæc virtus facit, bona; & durorum, & rebellium peccata. Primo ſuadet tractabilitatem, exemplum Chriſti qui dicit. *Quæ placita ſunt patri facio.* *Item* exemplum B. Virginis quæ ait Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* *Similiter* & militia cœleſtis Angelorum, qui ad nutum Domini, quocumque innuerit, pergunt miniſtri eius. Bar. 3. *Stellæ vocatæ dicunt, aſſumus.* Ibidem. *Qui emittit lumen, & vadit. & vocat illud, & obedit ei.* in quo intelligi poteſt obedibilitas Angelicæ naturæ, & creaturarum omnium. Omnia enim animalia, ab homine & dæmone, ei obediunt, & ſeruiunt. Iob 38. *Nubes luſtrant cuncta per circuitum, quocumque voluntas gubernantis direxerit &c.* *Item* exemplum. B. Pauli, qui ſtatim dixit. *Domine quid me vis facere:* quia paratus ſum ad omnia. *Item* exemplum Centurionis, immo & militum. Matth. 8. *Habeo*, dixit Centurio, *ſub me milites, & dico vni vade, & vadit; & alij veni, & venit; & ſeruo meo fac hoc, & facit.* Hæc autem tractabilitas merito poteſt dici manſuetudo, id eſt manuum ſuauitas, quia ſuaues ſunt ad tractandum, vt Iacob, non hiſpidæ vt Eſau: qui dictus eſt Eſau quod ſic interpretatur, de quo Geneſ. 26. *Iacob ait matri: Noſti quod Eſau ſit homo piloſus & ego lenis.*

Manſuetudo à manuum ſuauitate dicta.

HÆC autem virtus impetrat ſcripturarum intelligentiam. Eccleſ. 5. *Fili eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei vt intelligas &c.* Item impetrat miſericordiam, per quam ſaluetur homo, Iacob 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum in cordibus veſtris, quod ſaluare poterit animas veſtras.* Item impetrat Dei gratiam. Eccl. 1. *Beneplacitum eſt Deo, fides & manſuetudo.* Iudith. 10. *humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio.* Prouerb. 12. *Manſuetis gratiam dabit.* Item facit Dei & hominum amicitiam. Eccleſ. 3. *In manſuetudine perfice opera tua, & ſuper hominum gratiam diligeris.* *Item* ſeruat animam. Eodem. *In manſuetudine ſerua animam tuam.* Acquirit verbi Dei intelligentiam. Eccleſiaſt. 5. *Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas.* Pſalmus 24. *Docebit mites vias ſuas.* *Item* impetrat ſalutem, miſericordiam, & veniam peccatorum. Pſalmus 149. *Exaltauit manſuetos in ſalutem.* Daniel. 3. *Fac nobis iuxta manſuetudinem tuam.* *Item* facit bonorum abundantiam. 2. Reg. 22. *Manſuetudo mea multiplicauit me,* Pſalmus 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* *Item* dat poſſeſſionem æternam Matth. 5. *Beati mites quoniam poſſidebunt terram.* Pſalmus 36. *Manſueti hæreditabunt terram*, ſcilicet viuentium.

Multa impetrat manſuetudo.

MVLTI autem ſunt adeo immites & intractabiles, quod non blande poſſunt tractari, niſi cum armata manu flagellorum, ſimiles ſpinis, quæ pungunt & cruentant manus inermes, de quibus. 2. Reg. 23. *Prauaricatores quaſi ſpinæ euelluntur, quæ non tolluntur manibus,* & ſi quis eos tangere voluerit, armabitur ligno lanceato, igneque ſuccenſo comburuntur in nihilum. *Item* multi ſunt Iudæis ſimiles, qui manſuete tractabantur & apoſtatabant. Ezech. 2. *Gentes apoſtatrices filij dura ceruice, & indomabili corde:* ad verba, ſcilicet Chriſti, & ſanctorum, ſicut de eis dicit B. Stephanus. Act. 7. *Dura ceruice, &c. tamen cum occideret eos, quærebant enm, &c.* Hi à prælatis tractari non poſſunt, niſi cum violentia flagellorum. De his, quæ reddunt manſuetudinem commendabilem, Re. infra *de ira*, vbi ponuntur multæ rationes, quæ oſtendunt iram eſſe deteſtabilem, & econtra manſuetudinem eſſe commendabilem.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis, & primo de iracundia, quæ opponitur manſuetudini. Secundo de crudelitate, quæ opponitur clementiæ. De vtraque iſtarum, Re. infra, vbi agitur de tertio vitio capitali. 3. libr.

De modeſtia.

DISTINCTIO XCIX.

DEINDE conſiderandum eſt de modeſtia. Et primo de ipſa. Secundo de ſingulis contentis ſub ea. Circa primum conſideranda ſunt duo. Primo vtrum modeſtia ſit pars temperantiæ. Secundo, quæ ſit eius materia.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum modeſtia ſit pars temperantiæ.* Dicendum, quod temperantia moderationem adhibet circa ea, in quibus difficillimum eſt moderari, ſcilicet circa concupiſcentias delectationum tactus. Vbicumque autem eſt aliqua virtus ſpecialiter circa

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aliquod maximũ, oportet esse aliquam aliam virtutem circa ea quæ modiocriter se habent; eo quod oportet quantum ad omnia vitam hominis secundum virtutes regulatam esse: sicut supra dictũ est, quod magnificentia est circa magnos sumptus pecuniarum, præter quã est liberalitas necessaria, quæ fit circa mediocres sumptus. Vnde necessarium est, quod sit quædam virtus moderatiua in alijs mediocribus, in quibus non est ita difficile moderari. Et hæc virtus vocatur modestia, & adiungitur temperantiæ sicut principali, *aliqua* enim indigent temperatione propter suam vehementiam, sicut vinum forte temperatur, sed moderatio requiritur in omnibus, & ideo temperantia magis se habet ad passiones vehementes, modestia vero ad mediocres.

Modestia est quædã virtus adiuncta temperantiæ sicut secundaria principali.

A

Et nota, quod nomen commune quandoque appropriatur his quæ sunt infima; sicut nomen cõmune Angelorum appropriatur infimo ordini Angelorũ, ita etiam & modus qui communiter obseruatur in qualibet virtute, appropriatur specialiter virtuti, quæ in minimis modum ponit. Vnde 2. Ti. 2. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem.* Accipitur enim hic modestia à modo communiter sumpto, prout requiritur in omnibus virtutibus.

Solutio obiect.

B

Ad secundvm, scilicet *quæ sit materia modestiæ*. Dicendum, quod sicut dictũ est, modestia differt à temperantia in hoc, quod tẽperantia est moderatiua eorũ quæ difficillimũ est refrænare, modestia autẽ est moderatiua eorum quę in hoc mediocriter se habent. Diuersimode autẽ aliqui de modestia vidẽtur esse locuti, vbicunq; enim considerauerunt aliquã specialẽ rationẽ boni, vel difficultatis in moderãdo, illud subtraxerunt modestiæ, relinquentes modestiã circa minora. Manifestum est autem omnibus, quod refrænatio delectationũ tactus, specialem quandã difficultatẽ habet. Vnde omnes temperantiam à modestia distinxerũt. Sed prẹter hoc Tullius considerauit quoddam speciale bonum esse in moderatione pœnarum; & ideo etiam clementiam subtraxit modestiæ, ponens modestiam circa omnia, quæ relinquuntur moderanda. Quæ quidẽ videntur esse quatuor; quorum vnum est motus animi ad aliquã excellentiam, quam moderatur humilitas. Secundũ autem est desiderium eorum quæ pertinent ad cognitionem, & in hoc moderatur studiositas, quę opponitur curiositati. Tertium autem, est quod pertinet ad corporales motus, & actiones, vt scilicet decenter & honestè fiant, tam in his quæ serio, quã in his quę ludo agũtur. Quartum est quod pertinet ad exteriorem apparatũ, puta in vestibus, & alijs huiusmodi. Sed circa quædam eorum, alij posuerunt quasdam speciales virtutes; sicut Andronicus mansuetudinem, simplicitatẽ, & humilitatem, & alia huiusmodi, de quibus supra dictum est. Arist. etiam circa delectationes ludorum posuit Eutrapeliam, quæ omnia continentur sub modestia, secundum quod à Tullio accipitur, & hoc modo modestia se habet non solum circa exteriores actiones, sed etiam circa interiores.

Modestia est moderatiua eorũ quæ sunt mediocria in moderando, temperãtia vero eorum quæ difficilia.

C

Solutio obiect.

Vnde nihil prohibet modestiam esse circa ea, quæ requirunt diuersas virtutes; & tamen non est tanta diuersitas inter partes modestiæ adinuicem, quanta est iustitiæ, quæ est, circa operationes, & temperantia, quæ est circa passiones; quia in actionibus in quibus non est aliqua excellens difficultas ex parte materiæ, sed solum ex parte moderationis, non attenditur virtus nisi vna, scilicet secundum rationem moderationis.

D

E

De speciebus modestiæ, & primo de humilitate.

DISTINCTIO C.

Deinde considerandum est de speciebus modestiæ. Et primo de humilitate, & superbia, quæ ei opponitur. Secundo de modestia, secundum quod est in verbis. Tertio de modestia, secundum quod est circa exteriores motus corporis. Quarto de modestia, secundum quod est circa exteriorem cultum. Quinto de modestia circa res exteriores. Circa humilitatem considerandа sunt septem. Primo vtrum humilitas sit virtus. Secundo vtrum sit in appetitu, vel in iudicio rationis. Tertio vtrum per humilitatem aliquis se debeat omnibus subijcere. Quarto vtrum humilitas similiter pars modestiæ, vel temperantiæ. Quinto vtrum sit potissima virtutum. Sexto de gradibus humilitatis. Septimo, quę possunt & debent ad humilitatem, nos inducere, vel mouere.

Ad primvm, scilicet *vtrum humilitas sit virtus* Dicendum, quod sicut supra dictum est cum de passionibus ageretur, bonum arduum habet aliquid, vnde attrahit appetitum, scilicet ipsam rationem boni; & habet aliquid retrahens, scilicet ipsam difficultatem adipiscendi: secundum quorum primum, insurgit motus spei; & secundum aliud, motus desperationis. Dictum est autem supra, quod circa motus appetitiuos, qui se habent per modum impulsionis, oportet esse virtutem moralem moderantem, & refrẹnantem: circa illos autem qui se habent per modum retractionis, oportet esse virtutem moralem firmantem, & impellentem, & ideo circa appetitum boni ardui, necessaria est duplex virtus. vna quidem, qua temperet, & refrænet animã, ne immoderatè tendat in excelsa: & hoc pertinet ad virtutem humilitatis, alia vero, quæ firmat animum contra desperationem, & impellit ipsum ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam: & hæc est magnanimitas, & sic patet, quod humilitas est quædam virtus.

Humilitas est virtus.

Dicitvr autem humilis, sicut dicit Isidor. in lib. Eth. quasi humi accliuis, id est imis inhærens. Quod quidem contingit dupliciter. *Vno modo* ex principio extrinseco, puta cum aliquis ab alio deijcitur; & sic humilitas est pœna, & dicitur verius humiliatio, quam humilitas. *Alio modo* à principio intrinseco: & hoc potest fieri quandoque quidem bene; Puta, aliquis considerans suum defectum, tenet se in infimis secũdum suum modum; sicut Abraham dixit ad Dominum, Gen. 28. *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis*, & hoc modo humilitas ponitur virtus. Quandoque autẽ potest fieri malè: puta, cum homo honorem suum non intelligens, comparat se iumentis insipientibus, & fit similis illis. Ex dictis patet, quod humilitas secundum quod est virtus, importat quandam sui laudabilem dejectionem ad ima. Hoc autem quandoque fit solum secundum signa exteriora secundum fictionem. Vnde hæc est falsa humilitas, de qua August. dicit in quadam Epistola, quod est magna superbia: quia scilicet videtur tendere ad excellentiam gloriæ, quandoque autem fit secundum interiorem modum animæ, & secundum hoc humilitas propriè ponitur virtus, quia virtus non consistit in exterioribus, sed principaliter in interiore electione mentis, vt patet per Philosophũ in lib. 2. Eth.

Humilitas vnde dicta.

Solutio obiect.

Qua humilitas laudanda.

Porro humilitas reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundum rationem rectam. Vnde patet, quod magnanimitas non opponitur humilitati, sed conueniunt in hoc, quod vtraq; est secundum rationem rectam.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum humilitas consistat circa appetitum*. Dicendum quod sicut dictum est, ad humilitatem propriè pertinet, vt aliquis reprimat seipsum ne ferant in ea, quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est, vt aliquis cognoscat id in quo deficit à proportione eius quod suam virtutẽ excedit. Ideo cognitio proprij defectus, pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter, & ideo dicendum est, quod humilitas est propriè moderatiua motus appetitus. *Est igitur humilitas*, sicut ait Bern. *virtus, qua homo verissima sui cognitione sibijpsi vilescit.* Nam cum homo semetipsum sine dissimulatione considerat, considerando sine adulatione se iudicat, veraciter iudicando nihil se reputat apud Deum, parum valere, in multis offendere,

Humilitas est in appetitu, cuius motus moderatur.

Quid humilitas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

offendere, & facere pauca bona, talis cognitio facit hominem ſibi vileſcere, & in paruitatem propriam reſilire. Pſal. 118. *In veritate tua humiliaſti me.*

Solutio obiect.

ET NOTA, quod in fortitudine inuenitur eadem ratio refrænandi audaciam, & firmandi animum contra timorem, vtriuſque ratio ex hoc eſt, quod homo debet bonũ rationis, periculis mortis præferre. Sed in refrænando præſumptionem ſpei, quod pertinet ad humilitatem; & firmando animum contra deſperationem, quod pertinet ad magnitudinem; eſt alia, & alia ratio. Nam ratio firmandi animum contra deſperationem, eſt adeptio boni proprij; ne ſcilicet deſperando, homo ſe indignum reddat bono, quod ſibi competebat, ſed in reprimendo præſumptionem ſpei, ratio pręcipua ſumitur ex reuerentia diuina, ex qua contingit, vt homo non plus ſibi attribuat, quam ſibi competat, ſecundum gradum quem eſt à Deo ſortitus. Vnde humilitas præcipuè videtur importare ſubiectionem hominis ad Deum, & propter hoc Aug. in lib. de ſer. Domini in monte; humilitatem, quam intelligit per paupertatem ſpiritus, attribuit dono timoris, quo homo Deum reueretur: & inde eſt, quod fortitudo aliter ſe habet ad audaciam, quam humilitas ad ſpem. Nam fortitudo plus vtitur audacia, quam eam reprimat. Vnde ſuperabundantia eſt ei ſimilior, quam defectus, humilitas autem plus reprimit ſpem, vel fiduciã de ſeipſo, quam ea vtatur, vnde magis opponitur ſibi ſuperabundantia, quam defectus.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum homo per humilitatem debeat ſe omnibus ſubijcere.* Dicendum quod in homine poſſunt duo conſiderari, ſcilicet id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis, hominis eſt autem quicquid pertinet ad defectum; ſed Dei eſt quicquid pertinet ad ſalutem, & perfectionem, ſecundum illud Oſeæ 12. *Perditio tua ex te Iſrael: ex me tantum auxilium tuum eſt.* Humilitas autem ſicut dictum eſt, propriè reſpicit reuerentiam, qua homo Deo ſubijcitur, & ideo quilibet homo ſecundum id quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubijcere, quantũ ad id quod eſt Dei in ipſo. Non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis illud quod eſt Dei in ſeipſo, ſubijciat ei quod apparet eſſe Dei in altero. Nam illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt ſe ea habere, ſecundum illud 1. ad Corinth. 2. *Vt ſciamus, quæ à Deo ſunt donata nobis*, & ideo abſque præiudicio humilitatis, poſſunt dona quæ ipſi acceperunt, præferrè donis Dei, quæ alijs apparent collata, ſicut Apoſt. ad Epheſ. 3. dicit. *Alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius.* Similiter etiam non hoc requirit humilitas, vt aliquis id quod eſt ſuum in ſeipſo, ſubijciat ei quod eſt hominis in proximo, alioquin oporteret, vt quilibet reputaret ſe magis peccatorem, quolibet alio: cum tamen Apoſtolus abſque præiudicio humilitatis dicat, Galath. 2. *Nos ex natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet: vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt: ex quo poteſt ei ſe ſubijcere per humilitatem.

Humilis debet ſe cuilibet ſubijcere quoniam ad id quod eſt Dei in ipſo, non autem quæ ſunt Dei in ſeipſo.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum humilitas ſit pars modeſtiæ.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, in aſſignando partes virtutibus, præcipuè attenditur ſimilitudo, quantum ſcilicet ad modum virtutis, modus autem temperantiæ ex quo maximè laudem habet, eſt refrænatio vel repreſſio impetus alicuius paſſionis. Et ideo omnes virtutes refrænantes ſiue reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes, ponuntur partes temperantiæ. Sicut autem manſuetudo reprimit motum iręe, ita etiam humilitas reprimit motum ſpei, qui eſt motus ſpiritus in magna tendentis: & ideo ſicut manſuetudo ponitur pars temperantiæ, ita & humilitas. Vnde & Philo. in 4. Eth. Eum qui tendit in parua ſecundum ſuum modum, dicit non eſſe magnanimũ, ſed temperatum; quẽ nos humilem dicere poſſumus, & inter illas partes tẽperantię, ratione ſuperius dicta, continetur ſub modeſtia, provt Tullius

Humilitas eſt pars potentialis temperantiæ, & ſub modeſtia continetur.

A de ea loquitur; inquantum ſcilicet humilitas nihil eſt aliud, quam quædã moderatio ſpiritus. Vnde, & primæ Pet. 3. dicitur. *In incorruptibilitate quieti, ac modeſti ſpiritus.*

Solutio obiect.

LICET autem magnanimitas & humilitas in materia conueniant, differunt tamen in modo, ratione cuius magnanimitas ponitur pars fortitudinis; Humilitas autem pars temperantiæ.

ITEM nota, quod virtutes aliquæ virtutibus principalibus aſſignãtur vt partes, non ſecundũ conuenientiam in ſubiecto, vel in materia. Sed ſecundum conuenientiam in modo formali, vt dictum eſt, & ideo licet humilitas ſit in iraſcibili ſicut in ſubiecto, ponitur tamen pars modeſtiæ, & temperantiæ, propter modum.

B AD QVINTVM, ſcilicet *vtrum humilitas ſit potiſſima virtutum.* Dicendum quod bonum humanæ virtutis in ordine rationis conſiſtit, quæ quidem principaliter attenditur reſpectu finis, vnde virtutes Theologicæ, quæ habent vltimum finem pro obiecto, ſunt potiſſimę. Secundario autem attenditur, provt ſecundum ordinem finis ordinantur ea quæ ſunt ad finem, & hæc quidẽ ordinatio eſſentialiter conſiſtit in ipſa ratione ordinante; participatiuè autem in appetitu per rationem ordinato, quam quidem ordinationem vniuerſaliter facit iuſtitia, præſertim legalis, ordinationi autem facit hominem bene ſubiectum humilitas in vniuerſali, quantum ad omnia: Quælibet autem alia virtus, quãtum ad aliquam ſpecialẽ materiam. Et ideo poſt virtutes Theologicas, & virtutes intellectuales, quæ reſpiciunt ipſam rationem; & poſt iuſtitiam, præſertim legalem,

Quem locũ teneat humilitas inter aliæ virtutes.

C potior cæteris eſt humilitas.

Soluto obiect.

DICITVR autem humilitas eſſe fundamentum aliarum virtutum, ſicut dicit Aug. in lib. de verbis Domini. *Cogitans magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento cogita humilitatis*, ſicut enim ordinata virtutum congregatio, per quandã ſimilitudinem ædificio comparatur; ita etiam illud quod eſt primum in acquiſitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio iacitur, virtutes autem verè infunduntur à Deo. Vnde primum in acquiſitione virtutum, poteſt accipi dupliciter. *Vno modo* per modum remouentis prohibens: & ſic humilitas primũ locum tenet, inquantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit; & præbet hominem ſubditum & patulum ad ſuſcipiendum influxum diuinæ gratiæ, inquantum euacuat

D inflationem ſuperbiæ, vt dicitur Iac. 4. Quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, & ſecundũ hoc humilitas dicitur ſpiritualis ædificij fundamentũ. *Alio modo* eſt aliquid in virtutibus directè, per quod ſcilicet iam ad Deum acceditur. Primus autem acceſſus ad Deum eſt per fidẽ, ſecundum illud Heb. 12. *Accedentem ad Deum oportet credere*, & ſecundum hoc fides ponitur fundamentum nobiliori modo, quam humilitas.

Quo ſenſu humilitas dicitur fundamentum ſpiritualis ædificij, potius quam fides.

IDEO autem Chriſtus humilitatem nobis præcipuè commendauit, quia per hoc maximè remouetur impedimentum ſalutis humanæ; quæ conſiſtit in hoc, quod homo ad cœleſtia & ſpiritualia tendat; à quibus homo impeditur, dum in terrenis magnificari ſtudet. Et ideo Deus, vt impedimentum ſalutis auferret, exteriorẽ celſitudinem contemnendam monſtrauit per humilitatis exempla. Et ſic humilitas eſt quaſi quædam diſpoſitio ad liberum acceſſum hominis in ſpiritualia, & diuina bona. Sicut ergo perfectio eſt potior diſpoſitione, ita etiam charitas, & alię virtutes, quibus homo directè

E mouetur in Deum, ſunt potiores humilitate.

ET NOTA, quod ſicut contemnenti terrena promittuntur cœleſtia, ſic contemnenti diuitias terrenas, promittuntur cœleſtes theſauri, ſecundum illud Matt. 5. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ſed theſaurizate vobis theſauros in cœlo*, & ſimiliter contemnentibus mundi gaudia, promittuntur conſolationes cæleſtes, ſecundum illud Matt. 5 *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, & eodem modo humilitati promittitur ſpiritualis exaltatio, non quia ipſa ſola eam mereatur; ſed quia eius eſt proprium contemnere ſublimitatem terrenam, vnde Auguſt. dicit in lib. de Pœnitentia. *Ne putes*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eum qui se humiliat semper tacere, cum dictum sit, exaltabitur; & ne opineris eius exaltationem in oculis hominum, per sublimitates corporales fieri.

A

Ad sextvm, scilicet *de gradibus humilitatis.* Sciendum quod in regula B. Benedicti ponuntur duodecim gradus, quorum primus est, *corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus.* Secnndus, *vt pauca verba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce.* Tertius, *vt non sit facilis, aut promptus in risum.* Quartus, *taciturnitas vsque ad interrogationem.* Quintus, *tenere quod habet communis monasterij regula.* Sextus, *credere & pronunciare se omnibus viliorem.* Septimus, *ad omnia indignum & inutilem se confiteri, & credere.* Octauus, *confessio peccatorum.* Nonus, *per obedientiam in duris & asperis patientiam amplecti.* Decimus, *vt cum obedientia se subdat maiori.* Vndecimus, *vt voluntatem propriam non delectetur implere.* Duodecimus, *vt Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit.*

B

Præterea Anselmus in libr. de similitudinibus, ponit septem humilitatis gradus. Quorum primus est, *contemptibilem se esse cognoscere.* Secundus, *de hoc dolere.* Tertius, *hoc confiteri.* Quartus, *hoc persuadere*, vt scilicet velit hoc credi. Quintus, *vt patienter sustineat hoc dici.* Sextus, *vt patiatur contemptibiliter se tractari.* Septimus, *vt hoc amet.*

Præterea Matthæi 3. dicit Glo. *Perfecta humilitas tres habet gradus.* Primus est, *subdere se maiori, & non præferre se æquali*, quæ est sufficiens. Secundus, *subdere se æquali nec præferri se minori*, & hoc dicitur abundans. Tertius gradus est, *subesse minori*, in quo est omnis iustitia.

C

Sciendvm autem quod sicut ex supradictis patet, humilitas essentialiter in appetitu consistit, secundum quod aliquis refrænat impetum animi sui, ne inordinatè tendat in magna; sed regulam habet in cognitione, vt scilicet aliquis non existimet se esse supra id quod est, & vtriusque principium & radix, est reuerentia quam quis habet ad Deum, ex interiori autem dispositione humilitatis, procedunt quædam exteriora signa in verbis, & in factis, & gestibus, quibus id quod interius latet manifestatur; Sicut & in cæteris virtutibus accidit. *Nam ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei, sensatus*, vt dicitur Eccles. 19. Et ideo in prædictis gradibus humilitatis, ponitur aliquid quod pertinet ad humilitatis radicem, scilicet duodecimus gradus, qui est vt homo Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit. Ponitur etiam aliquid pertinens ad appetitum, ne scilicet in propriam excellentiam inordinatè tendat. Quod quidem fit tripliciter. *Vno modo*, vt non sequatur homo propriam voluntatem; quod pertinet ad vndecimum gradum. *Alio modo*, vt regulet eam secundum superioris arbitrium; quod pertinet ad duodecimum gradum. *Tertio modo*, vt ab hoc non desistat propter dura vel aspera quæ occurrunt; & hoc pertinet ad nonuũ. Ponuntur etiam quędam pertinentia ad existimationem hominis recognoscentis suũ defectum; & hoc tripliciter. *Vno quidẽ modo*, per hoc quod proprios defectus recognoscat & confiteatur, quod pertinet ad octauũ. *Secundo*, vt ex consideratione sui defectus, aliquis se insufficientem existimet ad maiora, quod pertinet ad septimum. *Tertio*, vt quantum ad hoc sibi alios prę ferat, quod pertinet ad sextum. Ponuntur etiam quædam, quæ pertinent ad exteriora signa; quorum vnum est etiam in factis, vt scilicet homo non recedat in suis operibus à via communi, quod pertinet ad quintum. Alia duo sunt in verbis, vt scilicet homo non præcipiat tempus loquendi, quod pertinet ad quartum: nec excedat modum in loquendo, quod pertinet ad secundum. Alia vero consistunt in exterioribus gestibus: puta in reprimendo extollentiam oculorum, quod pertinet ad primũ: & in cohibẽdo exterius risum, & alia inepta signa lætitiæ, quod pertinet ad tertium.

D

E

Defenditur & explicatur diuisio humilitatis in 12. gradus, quæ habetur in reg. S. Benedicti.

Omnes autem gradus quos Anselmus ponit, reducuntur ad opinionem, & manifestationem, & voluntatem propriæ abiectionis. Nam primus gradus pertinet ad cognitionem proprij defectus: sed quia vituperabile esset, si quis proprium defectum amaret, hoc per secundum gradum excluditur, sed ad manifestationem sui defectus, pertinent tertius, & quartus gradus; vt scilicet aliquis non solum simpliciter suum defectum enunciet, sed etiam persuadeat. Alij autem tres gradus pertinent ad appetitum, qui excellentiam exteriorem non quærit: sed exteriorem abiectionẽ, vel æquanimiter patitur, siue in verbis, siue in factis, quia sicut Greg. dicit in regist ro, *non grande est his nos non esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc sæculares quilibet faciunt; sed illis humiles maximè esse debemus, à quibus aliqua patimur*, & hoc pertinet ad quintum, & ad sextum gradũ, vel etiam desideranter exteriorem abiectionem amplectitur; quod pertinet ad septimum gradum, & sic omnes gradus isti continentur sub sexto & septimo, superius enumeratis.

Quo sensu D. Anselmo ponsint septem gradus tantummodo, & Glo. tres.

Illi vero, qui ponuntur in Glo. Matth. 3. accipiuntur, non ex parte ipsius rei, id est secundum naturã humilitatis; sed per comparationem ad gradus hominũ, qui sunt, vel maiores, vel minores, vel æquales.

Circa septimum, scilicet *de motiuis ad humilitatem*: sciendum, quod ad humilitatem multa nos debent inducere, vel mouere. Videlicet vilitas humanæ conditionis. Vitæ præsentis calamitas erumnosa. Claritas exemplaris instructionis. Fructus sequentis vtilitas copiosa.

Primo quidem mouere debet vilitas humanæ conditionis, quæ luculenter apparet in multis; videlicet si consideretur materia primæ formationis, *quia primo*, non de aliquo nobili oleo, nec absolutè de terra; quæ tamen est vilior, obscurior, & inferior omnibus elementis; sed de limo terræ, sicut dicitur Gen. 2. Et Iob 10. dicitur. *Memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Et 30. *Comparatus sum luto &c. Secundo* apparet hæc vilitas, si consideretur materia propriæ conceptionis, quæ longe vilior est quam prima. Concipitur enim homo de semine fædo & fætido & infecto. Iob 13. *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine?* profecto immundum, fætidum, & infectum, est semen conceptionis humanæ, ex cuius contactu, anima quæ creatur à Deo pura & pulchra, contrahit fæditatem, turpitudinem, & fætorem originalis peccati; & ex coniunctione sui cum leprosa carne, contrahit lepram iniquitatis, & adeo rea efficitur, vt gloriosa Dei visione priuetur perpetuo, nisi per sanctæ regenerationis lauacrum emundetur. Sicut enim ex vase corrupto, liquor infusus corrumpitur; & pollutum tangens, ex ipso contactu polluitur; sic ex contactu polluti seminis & maculati, anima maculatur. Ideo Iob ait 15. *Quid est homo vt immaculatus sit, & iustus appareat, natus ex muliere?* *Tertio*, si consideretur quo cibo conceptus homo nutriatur in vtero; nam videbitur quod vilissimo, scilicet sanguine menstruali; de quo dicunt Philosophi, quod ex eius contactu fruges non germinant, arescunt arbusta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, & animalia fætus suos: si canes inde comederint, in rabiem conuertuntur. De hac materia melius esse tacendum censeo, quam diffusius differendum. *Quarto* si considerentur ea quæ egrediuntur de corpore. Nam si diligenter inspicias, quid per os, quid per nares, cæteroſque meatus corporis egreditur, vilius sterquilinium nunquam vidisti: Herbæ quippe & arbores, de se producunt frondes, flores, & fructus; & tu de te lẽdes, pediculos, & lumbriculos emittis, illæ de se effundunt oleum, vinum, & balsamum; & tu de te, sputum, vrinam, & stercus. Illæ de se spirant suauitatem odoris, & tu de te, abominationem fætoris. Ex his omnibus apparet quam verè dicatur, Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui.*

1. *Vilitas humanæ conditionis.*

Simile.

Vilitas menstrualis sanguinis.

Secvndo ad humilitatem debet nos mouere, vitæ prę sentis calamitas erumnosa; in qua continuè subiectus est homo infirmitatibus, desolationibus, molestijs, & angustijs; tẽtationibus, & periculis infinitis. De

2. *Calamitas vitæ præsentis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

præterito, meminit se peccasse, de quibus doleat. In præsenti, sentit in se pronitates ad malum, tentationes hostium, societates hominum impiorum, pertrahentes iugiter ad peccatum. De futuro, videt sibi superesse multa quæ timeat: certus est quod peccauit, sed non est certus si vnquam Deus suam pœnitentiam acceptauit; nescit vtrũ amore vel odio dignus sit; nescit quando vel quomodo morietur; nescit vtrum finaliter saluabitur, vel æternis supplicijs adijcietur. Quis igitur ita profunde considerans, non humilietur? Vnde Psal. 43. *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Idem 142. *Persecutus est inimicus animam meam &c.*

3. *Claritas exemplaris instructionis.*

TERTIO mouere nos debet claritas exemplaris instructionis. Videmus enim quòd humiliant se pauperes coram diuitibus, serui coram magnatibus, rei coram iudicibus, nobiles æqualibus. Pauperes inquam coram diuitibus, magnas humiliationes ostendunt, supplicationes faciunt, egestates allegant, infirmitates demonstrant, infortunia sua narrant, vt corda diuitum ad dulcedinem compassionis, & ad opera pietatis inclinent. Vnde Eccl. 19. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant voces suas.* Si igitur pauperes hoc faciunt, pro re minima temporali impetranda, quantomagis anima se sentiens egenam gratia, pauperem meritis, tota mente humiliare se debet coram Deo, qui dies est in misericordia, dies inquam in omnes qui inuocant illum. Et hoc pro spirituali & impretiabili venia peccatorum, vel gratia meritorum.

Pauperes se humiliant coram diuitibus.

TALES qui bene humiliare se nouerunt, impetrant in oratione à Domino quicquid volunt. Dicitur enim Iudith 8. *Superbi non tibi placuerunt à principio; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Psal. 101. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Ideo dicitur Eccles. 7. *Humiliare Deo & expecta vias eius,* sicut pauper videns quòd pia mulier manum ponit ad bursam, vel aperit arcam; expectat, & respicit manus eius, sperans se eleemosynam accepturum. Ideo dicit Psal. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Serui se humiliant coram magnatibus.

SECVNDO humiliant se serui coram magnatibus, & valde diligenter, humiliter & letanter seruiunt domicelli dominis suis, regibus, principibus, & prælatis; & vigilanter assistunt, mundi nitidi & ornati, flexis genibus, curuatis ceruicibus, & totis corporibus inclinatis ministrant eis in mensis & alibi, habentes aures erectas ad audiendum, oculos intentos ad inspiciendum, pedes ad currendum. manus ad operandum, & animos ad hilariter exequendum Domini voluntatem.

Ex his discant diuites & potentes huius mũdi, quam sollicitè & attentè Deo seruire debeant ex toto corde, tota anima, tota cordis intentione, ac humiliter obedire. Documentum autem humilis obsequij, dixit Angelus ad Agar. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius.* Gen. 16. Ideo dicit beatus Petr. 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Humiles enim honorant Deum; sicut dicitur Eccl. 3. *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

PROPTEREA sancti viri coram Deo totis viribus humiliare se solent, sicut patet de Abraham. Genes. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* *Item* ex humilitate, Moyses ducatum populi refugiens; quinquies excusauit se antequam vellet illum recipere, quem ei Dominus imponebat; nec acquieuit donec Dominum intellexit stratum. Exod. 4. *Iratus Dominus in Moysen, &c.* *Item* Gedeon Angelo dicenti sibi: *Vade, in hac fortitudine liberabis Israel. Respondit humiliter, ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Iudicum 6. *Item* ex humilitate recusauit dominium, cum enim dicerent ei filij Israel; *dominare nostri tu, & filius tuus.* Respondit humiliter. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, &c.* Iudicum 8.

A ITEM Dauid valde fuit humilis, sicut patet in multis. Humilis fuit coram patre, quia licet per Samuelem vnctus esset in regẽ, tamen ex mandato patris portauit victualia fratrib. suis, quibus fuerat prælectus. 1. Reg. 19. *Item* humilis fuit coram domino suo rege, quando dicebat; *non sum dignus fieri gener regis.* *Item* 1. Reg. 22. *egrediens & regrediens & pergens ad imperium regis.* *Item* psallens coram eo, quando malignus eum spiritus agitabat. *Item* furorem eius declinans humiliter, quando volebat eum lancea perforare. *Item* benigne parcens ei, quando poterat eum occidere. *Item* ex humilitate fugiens pluries, & tandem exiens regnum eius, humiliando se dicebat, *quem persequeris Rex Israel, quem persequeris? canem mortuum & pulicem viuum.* 4. Reg. 24. *Item*

B humiliter se habuit coram Semei seruo suo, quando insultabat ei maledicens, & lapides iaciens, & contumelias irrogans. *Item* fuit humilis coram Deo, quando saltabat coram arca Domini, 2. Reg. 6. *Ludam & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis &c.* Greg. 27. li. Mor. 29. Multa loquens de eius humilitate sic ait. *Ego Dauid saltantem magis stupeo quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino, semetipsum deuicit.* *Item* de seipso dicit in Ps. 130. *Domine non est exaltatum cor meum. Si non humiliter sentiebam &c.* *Item* humiliatus est coram Domino, Achab sceleratissimus. 3. Reg. 22. *Item* Ezechias 2. Paral. 32. *De his Re. infra.*

ITEM humiliter excusauit se Iere. quando dixit eis Dominus, *Propheta in gentib. dedi te.* Ait enim Ier. 1. *Ecce nescio loqui quia puer ego sum.* Ioan. Baptista cum tantæ

C sanctitatis esset & famæ, vt Christus ab omnibus putaretur, ait; *non sum Christus, non sum Helyas, non propheta.* Sed quid? *Ego vox clamantis in deserto.* Ioan. 1. Et iterum, *non sum dignus soluere calceamenta eius.*

BEATISSIMA virgo ab Angelo tam venerabiliter salutata, & mater filij altissimi nuncupata; audiens se singulariter prælectam, & virtute Spiritus sancti fæcundatam; non inde superbit, non mundi dominam, non Dei matrem se nominat, sed ancillam. *Item* non mandat pro sancta Elizabeth, sed vadit humiliter ad illam: prior salutat, tanquam iunior & humilior. Cum autem sancta Elizabeth Spiritu sancto repleta, cognouisset quæ fecerat Deus in ea; ipsa diuinam potentiam & misericordiam commendauit dicens. *Magnificat anima mea Dominum. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1.

D Bern. super missus est. Hom. 3. *Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat, non mediocris uerera humilitatis insigne est, oblata tanta gloria, non obliuisci humanitatem, non magnum est humilem esse, in abiectione magna; prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Similiter omnium electorum proprium esse solet, humilia de se sentire. Sicut dicitur Romanor. 12. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.*

NOTA de humilitate beati Petri, qui cum ad præceptum Domini conclusisset piscium multitudinem copiosam, procedit ad genua Iesu dicens. *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Lucæ 5. *Item* interrogatus à Domino, *Simon Ioannis diligis me plus his?* Respondit humiliter dicens: *Tu scis Domine quia amo te.* *Item* de humilitate Pauli dicentis. *Non sum dignus vocari Apostolus,*

E *quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Corinth. 15. & 1. Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Et Philipp. 4. *Scio humiliari.* Nota etiam de humilitate Pauli primi Eremitæ, Antonij, Benedicti, Francisci, Dominici, & huiusmodi.

Rei se humiliant coram iudicibus.

TERTIO humiliant se rei coram iudicibus. Attende quomodo deprehensus in furto vel alio crimine, corã iudice seculari, humiliando se ex totis intimis cordis sui, flexis genibus, complosis manibus, fusis lachrymis, voce lamentabili, petit veniam, promittit correctionem, paratus ad pœnam quantam & qualem iudex voluerit ei imponere sustinendam. Ideo Dauid, Psal. 37. in persona pœnitẽtis sic ait. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

Sequitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sequitur. *Quoniam in flagella paratus sum.* Idem Psal. 34. *quasi lugens & contristatus sic humiliabar.* Item Psalm. 50. *sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

CONSIDERET anima Christiana, quod si tantum humiliatur homo coram mortali iudice, pro morte corporis, vel pœna temporali vitanda; quanto magis humiliare se debet homo peccator, coram summo, & summè iusto iudice, pro vitanda morte animæ, & pœna intolerabili & æterna. Ideo dicitur Ecclesiast. 7. *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Cæterum seruus ante Dominum, filius ante patrem, multum se humiliant cũ eos offenderint, vt eorum animos pacificent; nec possunt mentes eorũ quiescere, donec sciant se in pacem & amicitiam pristinam esse receptos; quantomagis anima quotidie se videns delinquere, & multa quæ Deo non placent incessanter cõmittere, humiliare se debet, orare, gemere, lachrymari, donec in pacem & amicitiam sit recepta.

Humiliant se nobiles coram æqualibus & minoribus.

QVARTO humiliant se nobiles coram æqualibus, vel etiam coram minoribus; sicut videmus quod domicelli generosi & curiales, ex quadam vrbanitate ciuili, seruiunt socijs suis; & aliquando minoribus, & diuitijs, & generis claritate, assurgant & ministrant, amotis caputijs, & flexis genibus; & quanto nobiliores sunt moribus, & genere, tanto humilius hoc faciunt, secundum consilium sapientis. Ecclesiast 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Sic spirituales viri humiliter seruiunt, non solum Deo, sed etiam Christi pauperibus propter Deum: sicut docet B. Petrus. 1. Pet. 3. *Estote cõpatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.* Item aliquando pascunt eos manibus suis, & lauant pedes eorum, & manus, ac alia faciunt eis opera pietatis.

Præcipua humilitatis exempla à Christo petenda.

PRÆCIPVA humilitatis exempla accipere possumus & debemus, in Domino nostro Iesu Christo; qui vt in omnibus humilitatem ostenderet & doceret, in despecta patria concipi voluit, scilicet in Galilæa, de qua Ioan. 7. *Scrutamini scripturas, & videte, quia à Galilea Propheta non surgit.* Vnde Nathanael admirando dixit. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* De matre humili, & in pæruula ciuitate, & in humili loco nasci. Luc. 2. *Reclinauit eum in præsepio, &c.* *Item* quasi per annos 30. latuit in mundo, ita quod nihil legitur de ipso, nisi quod cum factus esset annorum 12. remansit in Hierusalem, & inuentus est in templo in medio doctorum, audiens, & interrogans. Lucæ 2. quod est contra præsumptuosos, qui nimis festinè prorumpunt ad officium docendi vel prædicandi. Sequitur ibi. *Venit Nazareth, & erat subditus illis.* scilicet Deus hominibus. *Item* humiles elegit discipulos, & cum eis humiliter conuersatus, de humilitate præcipuè docuit eos, verbo pariter & exemplo. Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Quærentibus discipulis, quis maior esset in regno cœlorum; Respondit dicens: *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* Matth. 18. Exemplum humilitatis inducit Lucæ 14. *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco &c.* *Item* aliud exemplum inducit de Pharisæo superbo, & humili publicano, Lucæ 18. *Item* ad vitandum iactantiam, & humilitatem sectandam, prohibebat sua miracula reuelari, sicut patet in leproso mundato Matth. 8. *vade nemini dixeris &c.* *Item* de duobus cæcis illuminatis Matth. 11. *Item* de surdo & muto Marc. 7. *Item* de sui transfiguratione dixit: *Nemini dixeritis visionem &c.* Matth. 17. *Item* pauperibus nuptijs & humilibus interfuit, vbi vinum defecit; Ioan. 2. non autem festis, vel conuiuijs magnatorum. Ad seruum Centurionis sanandum obtulit se venturum Matth. 8. Non autem ad filium reguli. Ioan. 4. *Item* didragma quasi seruus aut alienus soluit. Matth. 17. *Item* non habebat vbi caput reclinaret Lucæ 9. *Item* ciuitates vel castella circuiens, pedes ibat; & ex itinere fatigatus, sedit super fontem, & à muliere Samaritana bibere petijt Ioann. 4. *Item* sciens quod venturi erant vt facerent eum regem, fugit Ioan. 6. *Denique* de hoc mundo transiturus ad patrem, volens relinquere speciale humilitatis exemplum, discipulorum pedes lauit, & linteo quo præcinctus erat, extersit. Ioan. 13. *Postremò* in passione nimis humiliauit se, permittens se viliter à vilibus personis illudi, conspui, colaphis cædi &c. Vnde Isa. 52. *nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.* *Item* condemnatus, crucifixus & mortuus. Phil. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, non quamcumque, sed crucis, quæ erat genus mortis turpissimum. Sic igitur Christus tanquam generosus nobilis, multipliciter humiliauit se, non coram æqualibus, sed coram minoribus, non solum amicis, verum ingratis, inimicis & persequentibus, propter hæc exempla eius, multi sancti & nobiles seruiunt, non solum æqualibus, sed etiam pauperibus & abiectis propter Deum, *de his Rc. infra, lib. 3. vbi agitur de eleemosyna.*

4. *Magna humilitatis vtilitas.*

QVARTO debet nos inducere ad humilitatem, fructus sequentis vtilitas copiosa. Per humilitatem quippe consequuntur rei remissionem, pauperes consolationem, serui liberationem, nobiles exaltationem. Humiliemur ergo coram Domino, sicut rei coram iudicibus, vt obtineamus remissionem, sicut docet illa sancta Iudith. 8. *Indulgentiam eius cum lachrymis postulemus, & humiliemus illi animas nostras.* *Item* humiliemus nos coram Domino, sicut pauperes coram diuitibus, vt inueniamus consolationem; sicut dicitur Iudith 8. *Expectemus humiles consolationem eius.* Et 2. Corinth. 1. *Qui consolatur humiles, consolatur vos Deus.* Intantum Deo placet vera humilitas, quod apud ipsum impetrat quicquid petit, sicut patet ex prædictis. Ideo dicitur Eccl. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit &c.* Requi. huius auctoritatis expositionem *infra lib. 3. de oratione* quod debet esse humilis.

1. *Obtinet remissionem.*

2. *Inuenit consolationem.*

ITEM humiliemur coram Domino, sicut serui coram magnatibus, vt impetremus liberationem, scilicet ab omni malo, & periculo animarum & corporum. Humilitas enim vera præseruat animam à vindicta Dei, placans eius offensam, & sententiam reuocans, sicut patet de Achab rege pessimo. 3. Reg. 21. vbi dicitur: *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est vt faceret malum in conspectu Domini, & abominabilis factus est, intantum vt sequeretur idola.* Cum autem Helyas ex præcepto Domini prædixisset ei, quod ipsum & totam domum eius destrueret, scidit vestem suam, & operuit cilicio suam carnem; ieiunauitque, & dormiuit in sacco &c. Sequitur. *Factus est igitur sermo Domini ad Helyam dicens: Numquid vidisti Achab humiliatum coram me? igitur quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Exemplum etiam de Ezechia, de quo dicitur 2. Paral. 32. *Humiliatus est, eo quod exaltatum fuisset cor eius, & ideo non venit in eum ira Domini.* Exemplum etiam de Niniuitis, quia cum eis prædicasset Ionas ex præcepto Domini, *adhuc 40. dies, & Ninive subuertetur*, humiliati sunt, & perpercit Dominus toti ciuitati. Sic quotiescunque filij Israel propter iniquitates suas flagellabantur à Domino, vel inimicorum suorum manibus tradebantur, humiliatis parcebat, & de omni afflictione liberans eos, mirabiliter exaltabat, sicut habemus in libris iudicum, Regum, Iudith, Hester, & Macha. Psal. etiam 114. dicit: *Humiliatus sum & liberauit me.* & 2. Paral. dicitur, quod Semeias propheta dixit ad Roboam & principes eius. *hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos. Qui consternati dixerunt. Iustus est Dominus, cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factum est verbum Domini ad Semeiam dicens: eo quod humiliati sunt non disperdam eos.*

3. *Impetrat liberationem.*

ITEM humiliemur coram Domino sicut nobiles coram æqualibus, vt assequamur exaltationem, quia sicut dicitur Lucæ 18. *Qui se humiliat exaltabitur.* Iustum enim est quod qui se æqualibus, vel inferioribus, subijciunt propter Deum, ab ipso sublimiter exaltentur: & sicut finis superbiæ est ignominiosa deiectio, sic finis humilitatis est sublimatio glorioſa. Iob 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.*

4. *Obtinet exaltationem.*

Item

Rursum humilitatis vtilitas est multiplex.

ITEM dicas, quod humilitatis vtilitas est multiplex: humilitas est enim spiritualis ædificij firmissimum fundamentum, sicut ait Bernard. *fundus bonus est humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum in Domino.* Idem, *virtutum siquidem firmum, & stabile fundamentum est humilitas. Nempe si nutet illa, aggregatio virtutum non nisi ruina est.* Quisquis igitur voluerit altum magnum & nobile ædificium spirituale, scilicet virtutum, & bonorum operum, fabricare, studeat humilis esse. Nam quanto profundius foderit, & iecerit fundamentum, tanto maius & firmius erit ædificium, sicut scriptum est Matth. 18. *Accesserunt ad Iesum discipuli dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? & adducens Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum: quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum,* id est in Ecclesia militante, & etiam in Ecclesia triumphante.

1. Est fundamentum ædificij spiritualis.

2. Est ornamẽtum animæ.

ITEM humilitas est animæ sponsæ Christi decentissimum ornamentum. Dat enim ei Deus ornamentum gratiæ. Prouerb. 3. *Ornamentum gratiæ accipias.* Bernard. super missus est. *Semper solet diuinæ gratiæ familiaris virtus esse humilitas: Deus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam.* Idem. *Decor animæ est humilitas. Asperges me hyssopo & mundabor &c. humilis herba est, & pectoris purgatiua, humili item signans: hac se lauari post grauem lapsum Rex Propheta confidit, & sic niueum quendam recuperare candorem. Verum in eo qui peccauit, etsi amanda, non tamen admiranda est humilitas, at si quis innocentiam retinet, ac simul humilitatem iungit, nonne videtur geminum animæ possidere decorem?* idem ad Euge. lib. 2. *Humilitas maior in maioribus, & in clarioribus clarior approbatur, nulla splendidior, præcipuè in omni ornatu summi pontificis. Quantò enim celsior cæteris, eo in humilitate apparet illustrior.*

3. Est potentissimum tutamentum.

ITEM humilitas est potentissimum tutamentum. Emollit enim hominum duram superbiam, sicut frequentibus patet exemplis, quod homines iusti humilitate sua emoliunt duritiam superborum. Exemplum. Genes. 32. vbi dicitur, quomodo Iacob humiliando se coram Esaü, compescuit iram eius. Item Iudicum 8. dicitur, quod Gedeon sedauit, sua mansueta & humili responsione, viros Effraim iurgantes fortiter contra eum. Item exemplum de B. Francisco, qui cum à quodam episcopo humiliter peteret pro se & fratribus suis, quod de beneplacito suo possent in eius diœcesi prædicare & confessiones audire; episcopus dure sibi respondit & turpiter, sed vir Dei patiens & humilis patienter egressus, statim humiliter est regressus. Cui cum episcopus arroganter & impatienter diceret, quare rediisset, eum iam ei suam voluntatem planius expressisset. Respondit humiliter. *Domine, si pater iratus filio, per vnum ostium expulerit eum, per aliud reintrandum est.* Quo audito, episcopus ipsum benigniter amplexatus, concessit ei quicquid petierat, dicens, quòd humilitas eius sancta, cor eius in mansuetudinem conuecterat, nec fas erat ei aliquid denegare, nec debet esse mirum si feritatem humanam emollit, cum & bestialem feritatem conuertat in mansuetudinem, sicut ait Isidorus in lib. Etim. *Patet leonum natura exemplis assiduis, prostratis enim parcunt, captiuos repatriare permittunt, non nisi læsi quærunt irasci.*

4. Eneruat dæmonum proteruiam, & Deum vincit.

ITEM humilitas eneruat dæmonum diram proteruiam. De multis enim sanctis legimus, quod seipsos & alios de periculis animarum & corporum, humilitatis suæ meritò liberabant: quia dæmones superbi, virtutem humilitatis non ferentes, confusi fugiebant. *In vita* legimus, quod cum B. Anton. totum mundum plenum laqueis domino reuelante vidisset: inquirenti, quis posset laqueos illos euadere; responsum est quod humilis. *Ad hoc* facit exemplum de illo, qui quandocumque tentabatur à diabolo, dicebat. Vbi sunt nunc peccata tua? & sic dæmones eius humilitate confusi continuo fugiebant. *Item* exemplum de illo, cui diabolus apparens, dixit se esse Gabrielem. Re. de hoc duo *Exemplum.*

A exempla, *infra lib. 3. de tentatione. Item* non solum homines, vel dæmones, vincit humilitas; verum etiam ipsum Deum, præseruans hominem ab vltione diuina, &c. vt patet ex supra dictis.

5. Est confidentissimum tegumentum.

ITEM humilitas est confidentissimum tegumentum. est enim custos omnium virtutum, sicut operimentum sub quo spiritualis thesaurus animæ conseruatur, ne furtim tollatur à furibus, vel hostibus rapiatur. Sicut igitur magnæ fatuitatis est, thesaurum suum latronibus vel hostibus palam ostendere. (Quod vtique facit superbia, elatio, vel iactantia.) Sic magnæ sapientiæ est, thesaurum suum sub tegumento humilitatis abscondere. vnde Gregor. *Thesaurus absconditur vt seruetur, thesaurum autem animæ à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hunc ab humanis laudibus non abscondit.* Item sicut puluis à vento rapitur, nisi sub operimento ponatur; sic ab elationis vento virtutes cæteræ disperguntur, nisi sub humilitate tegantur. vnde Greg. *Qui virtutes cæteras sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum portat.* Sicut ergo prima stultitia Angeli fuit superbia, sic vera hominis sapientia est humilitas. Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi & sapientia,* & Eccl. 11. *Sapientia humiliantis exaltabit caput illius,* in præsenti quidem, exaltatione gratiæ; & in futuro, exaltatione gloriæ.

B

DEINDE considerandum est de superbia. Et primo de superbia in communi. Secundo de peccato primi hominis, quod ponitur esse superbia. *De his Re. infra 3. lib. vbi de hoc diffuse agetur.*

C

De modestia in verbis.

DISTINCTIO CI.

DEINDE considerandum est de modestia quę consistit in verbis, quæ potest dici taciturnitas, quæ est respectu verborum, quæ temperat & refrænat linguam à verbis inutilibus. Poëta Cato, *virtutem primam esse puto compescere linguam,* à verbis, scilicet superfluis, & inutilibus, quia vt dicitur Prouerb. 10. *In conuiuijs loquacitas cumulatur; & in multiloquio non deerit peccatum, qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Idem 17. *Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur.* Ad taciturnitatis virtutem amandam & seruandam, & vitium loquacitatis euitandum, valent & faciunt ea quæ posita sunt *infra lib. 3. de vitio linguæ & vtilitate silentij.* Hęc autem virtus sermones limat, ita vt ante veniant ad limam quam ad linguam, vt nihil in eis sit superfluum, vel inutile aut nociuum. Sen. *Prius veniat sermo ad limam rationis, quam ad linguam locutionis.* Vnde Eccl. 21. *Verba sapientis stateræ ponderantur.* Eccl. 28. *Verbis tuis facito stateram, & frenos oris tuo rectos,* vt scilicet ponderes quid sit tacendum, quid loquendum.

D

Exemplum.

QVOD non fecit quidam Philosophus dictus. Secundus, de quo legitur in quibusdam chronicis, quod cum diu studuisset apud Athenas temporibus Adriani Imperatoris, & audisset in scholis, quod mulier omnis fornicaretur. Cum venisset de scholis, mortuo patre suo, voluit experiri in matre sua: in cuius domo cum tanquam extraneus fuisset hospitatus, fecit eam sollicitari per ancillam domus, data pecunia. Cum autem illa ei consentiret, & esset cum eo parata ad hoc opus, ait Secundus. Quomodo inquinabo locum vnde exiui? Quod audiens mater, & eum agnoscens, præ pudore & dolore mortua est. Ipse autem hoc videns, ait. Quid est optimum, nisi verbum optimum discretè & vtiliter prolatum? & quid est pessimum nisi verbum incautum & nociuum. Et ex tunc perpetuo silentio se damnauit. Cum autem Imperator Adrianus vellet extorquere ab eo vt loqueretur, vix voluit, comminanti & intentãti mortem, ad quæsita, pauca & discreta, cum deliberatione respondere.

E

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De modestia circa externum corporis motum.

DEINDE considerandum est de modestia secundum quod consistit circa exteriores motus corporis. Et circa hoc considerandа sunt quatuor. Primò, vtrum in motibus exterioribus corporis qui seriò aguntur, possit esse virtus & vitium. Secundo, vtrum possit esse aliqua virtus circa actiones ludi. Tertio de peccato quod sit in excessu ludi. Quarto de peccato ex defectu ludi.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum in motibus corporis qui serio aguntur, possit esse virtus & vitium.* Dicendum quod virtus moralis consistit in hoc, quod ea quæ sunt hominis per rationem ordinantur. Manifestum est autem quod exteriores motus hominis, sunt per rationem ordinabiles, quia ad imperium rationis exteriora membra mouentur. Vnde manifestum est quod circa horum motuum ordinationem, virtus moralis consistit ordinatio autem horum motuum attenditur quantum ad duo. Vno quidem modo secundum conuenientiam personæ. Alio modo secundum conuenientiam ad exteriores personas, negocia seu loca. Vnde Ambro. dicit in 1. lib. de officijs, *hoc est pulchritudinem tenere viuendi, conuenientia cuicumque sexui & personæ reddere.* & hoc pertinet ad primum. Quantum autem ad secundum subditur. *Hic ordo gestorum optimus, hic ordinatus ad omnem actionem accommodus,* & ideo circa huiusmodi exteriores motus ponit Andronicus duo; scilicet ornatum, qui respicit conuenientiam personæ; Vnde dicit quod *est scientia circa decens in motu, & habitudine;* & bonum ordinem, qui respicit conuenientiam ad diuersa negotia, & ea quæ circumstant; Vnde dicit quod *est experientia separationis,* id est distinctionis, *actionum.*

Datur virtus moralis circa externos corporis motus.

Solutio obiect.

MOTVS enim exteriores sunt quædam signa interioris dispositionis, secundum illud Eccl. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enunciant de illo.* & Ambr. dicit in primo de officijs, quod *habitus mentis in corporis statu cernitur,* & quod *vox quædam animi est motus corporis.* Interior autem dispositio præcipuè attenditur secundum animæ passiones, & ideo moderatio exteriorum motuum, requirit moderationem interiorum passionum. Vnde Ambr. dicit in primo de officijs, quod *hinc* scilicet ex motibus exterioribus, *homo cordis nostri abscondstur, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior; aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Per motus etiam exteriores, alij homines de nobis iudicium capiunt, secundum illud Eccl. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu facici cognoscitur sensatus.* Et ideo moderatio exteriorũ motuum quodammodo ad alios ordinatur, secundum illud quod Aug. dicit in regula. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiuscumque offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* & ideo moderatio exteriorum motuum potest reduci ad duas virtutes, quas Philosophus tangit in 4. Ethic. Inquantum enim per exteriores motus ordinamur ad alios, pertinet exteriorum motuum modetatio ad amicitiam vel affabilitatem, quæ attenditur circa delectationes & tristitias, quæ sunt in verbis & factis, in ordine ad alios quibus homo conuiuit. Inquantum vero exteriores motus sunt signa dispositionis interioris, pertinet eorum moderatio ad virtutem veritatis, secundum quam aliquis talem se exhibet in verbis & factis, qualis est interius.

Moderatio exteriorum motuum pertinet ad amicitiam, veritatem aut maturitatem.

VNDE potest dici quod pertinet dicta moderatio ad virtutem, quæ dicitur maturitas, quæ scilicet refrenat omnes impetus animæ, ne aliquis præcipitanter attentet, sed omnia cum deliberatione prequia operetur. Item motus exteriores componit, ne in eis aliquid dissolutũ vel remissum appareat, aut quod sit indecens honestati. Hæc enim maturitas in grauitate morũ & honestate consistit; quæ attenditur in incessu, & gestu, & habitu, & motu, verbo, & actu ordinato, & cum pondere deliberationis facto. De hac maturitate dicitur in Psal. 34. *In populo graui laudabo te*; graui, id est maturo. Hęc maturitas est contraria ariditati gratiæ, & leuitate puerilis lasciuiæ. De hac maturitate commendatur Tobias eiusd. id est. *Cum esset Tobias iunior omnibus in tribu Nepthalim, nihil tamen puerile gessit in opere.* Simliter & Sara, eiusdem 3. *Tu scis domine quod mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia; nunquam cum ludentibus me miscui neque his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Ad hanc virtutem pertinet, præuidere initio operum, finem eorum; & temperare opus vt tendat honestè ad debitum finem, & contemperare se in agendo bonum, secundum quod competit honestati actionis, & loci, & societatis.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum in ludis possit esse aliqua virtus.* Dicendum, quod sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quod non potest continuè laborare, propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur; ita etiam est ex parte animæ, cuius est etiam virtus finita, ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando vltra suum modum in aliquas operationes se extendit, laborat; & ex hoc fatigatur, præsertim quia in operationibus animæ simul laborat corpus; inquantum scilicet anima etiam intellectiua, vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona sensibilia connaturalia homini. Et ideo quando anima supra sensibilia eleuatur, operationibus rationis intenta, nascitur exinde quædam fatigatio animalis, siue homo intendat operationibus rationis practicæ, siue speculatiuæ, magis tamen si operationibus contemplationis intendat, quia per hoc magis à sensibus eleuatur. Quamuis forte in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ, maior labor corporis existat, in vtrisque tamen tanto aliquis magis animaliter fatigatur, quanto vehementius operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis soluitur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fatigatio animalis soluatur per animæ quietem, quies autem animæ est delectatio, vt supra habitum est cum de passionibus ageretur, & ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis, sicut in collationibus patrum legitur, quòd beato Ioanne Euangelista, cum quidam scandalizarentur quod cum suis discipulis ludentem inuenerunt, dicitur mandasse vni eorum qui arcum gerebat, vt sagittam traheret: quod cũ pluries fecisset, quæsiuit vtrum hoc continuè facere posset. Qui respondit quod si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. vnde beat. Ioan. subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam à sua intentione relaxaretur. Huiusmodi autem dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel iocosa: & ideo necesse est talibus interdum vti quasi ad quandam quietem animæ. Et hoc est quod Philosophus dicit in 4. Ethic. quod in huius vitæ conuersatione quędam cum ludo requies habetur, & ideo oportet interdum aliquibus talibus vti.

Anima fatigata, est reparabilis per delectationem.

Exemplum.

Ludus est laudabilis ad reparandam defatigationem animæ.

CIRCA quæ tamen tria videntur præcipuè esse cauenda, quorum *primum & principale est*, quod prędicta delectatio non quęratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus, vel nociuis. Vnde Tullius dicit in primo de officijs, quod *vnum genus iocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Aliud autem* attendendum est, ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Vnde Ambr. dicit in primo de officijs. *Caueamus ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentũ quendam bonorum operum.* Et Tullius dicit in primo de officijs; quod *sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena; sic in ipso loco aliquod ingenij probi lumen eluceat. Tertio autem* est attendendum (sicut & in omnibus alijs humanis actibus) vt congruat personæ & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debitè ordinetur, vt scilicet sit & tempore & homine dignus, vt Tullius ibidem dicit. huiusmodi autẽ secundum iudicium rationis ordinantur, habitus autem secũdum rationẽ operans est virtus

Tria in ludo præcipuè cauenda.

moralis;

Circa ludos potest esse virtus moralis quæ eutrapelia dicitur, & sub modestia cõtinetur.

moralis; & ideo circa ludos potest esse aliqua virtus, quam philosophus eutrapeliam nominat. & dicitur aliquis eutrapelus à bona conuersatione, quia scilicet bene conuertit aliqua dicta, vel facta, in solatium, & quantum per hanc virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum in superfluitate ludi possit esse peccatum*. Dicendum quod in omni eo quod est dirigibile secundum rationem, superfluum dicitur quod regulam rationis excedit. Diminutum autem dicitur aliquid, secundum quod deficit à regula rationis. dictum est autem quod ludicra siue iocosa, verba vel facta, sunt dirigibilia secundum rationem; & ideo superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis, quod quidem potest esse dupliciter. *Vno modo* ex ipsa specie actionum quæ assumuntur in ludis; quod quidem ludendi genus secundum Tullium, dicitur esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; quando scilicet vtitur aliquis causa ludi, turpibus factis, vel verbis, vel etiam his quæ vergunt in proximi nocumentum; quæ de se sunt peccata mortalia, & sic patet quod excessus in ludo est peccatum. *Alio modo* potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circumstantiarum, puta cum aliqui vtuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter conuenientiam negocij, seu personæ, & hoc quidem quandoque potest esse peccatum mortale, propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptũ Dei, vel ecclesiæ, talibus ludis vti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale, puta cum aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc vellet aliquid contra Deum committere.

Qualepeccatum superfluitas ludi.

Solutio obiect.

Hæc autem ludi superfluitas pertinet ad ineptam lætitiam quæ secundum Gregor. 21. moralium est filia gulæ. Vnde Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

SCIENDVM tamen quod ludi necessarij sunt, vel vtiles ad conuersationem humanæ vitæ: ad omnia autem quæ sunt vtilia conuersationi humanæ vitæ, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium hystrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, id est non vtendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negocijs & temporibus indebitis, & quamuis in rebus humanis non vtantur alio officio, per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad seipsos & ad Deum, alias habent seriosas & virtuosas operationes, puta dum orant, & suas passiones & operationes componunt; & quandoque etiam pauperibus eleemosynas largiuntur. Vnde illi qui moderate eis subueniunt non peccant, sed iustè faciunt, mercedem ministerij eorum eis tribuendo. Si qui autẽ superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos hystriones qui illicitis ludis vtuntur, peccant quasi eos in peccato fouentes. Vnde August. dicit super Iob. *Donare res suas hystrionibus superfluè, vitium est immane*; nisi forte hystrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subueniendum. Dicit enim Ambr. in lib. de officijs. *Pasce fame morientem; si non paueris, occidisti. Quisquis enim pascendo seruare poteris, si non paueris occidisti.*

Hystriones debite vtẽtes suo officio non peccant.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum in defectu ludi possit esse peccatum*. Dicendum, quod omne quod est contra rationem in rebus humanis vitiosum est. Est autem contra rationem vt aliquis se alijs onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam delectationes aliorum impedit. vnde Seneca dicit: *sic te geras sapienter, vt nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem*, illi autem qui in ludo deficiunt, neque dicunt aliquod ridiculum; & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt; vitiosi censendi sunt; & dicuntur duri & agrestes, vt Philosophus dicit in 4. Ethic. Sed quia ludus est vtilis

Defectus ludi potest esse peccatũ, minus tamen quam excessus.

A propter delectationem & quietem, delectatio autem & quies non propter se quæruntur in humana vita, sed propter operationem, vt dicitur in 10. Ethic. Defectus ludi minus est vitiosus, quam ludi superexcessus. Vnde Philosophus dicit in 10. Ethi. quod *pauci amici propter delectationem sunt habendi*, quia parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento; Sicut parum de sale sufficit in cibo.

Solutio obiect.

SCIENDVM autem quod austeritas secundum quod est virtus, non excludit omnes delectationes, sed superfluas & inordinatas. Vnde videtur pertinere ad affabilitatem, quam Philosophus amicitiam nominat, vel ad eutrapeliam siue iucunditatem. & tamen nominat & diffinit eam Andronicus esse habitum secundum B quam aliqui neque afferunt alijs delectationes collocutionum neque ab ijs recipiũt, considerando, scilicet eius conuenientiam ad temperantiam, cuius est delectationes reprimere.

LVDI autem caueri debent, quandoque ratione status, sicut pœnitentibus quibus luctus indicitur pro peccatis, interdicuntur ludi: sicut dicit August. de pœnitente loquens. *Cohibeat se à ludis & spectaculis sæculi, quicumque vult perfectam consequi remissionis gratiam.* Hoc tamen non pertinet ad vitium defectus, quia hoc ipsum est secundum rationem, quod ludi diminuantur in eis. quandoque ratione temporis: Sicut Ierem. 15. *Non sedi in consilio ludentium*, vbi dicit Hieron. quod Ieremias loquitur secundum congruentiam temporis, cuius status amaritudine plenus erat.

C

De modestia in ornatu.

DISTINCTIO CII.

DEINDE considerandum est de modestia secundum quod consistit in exteriori apparatu. Et primo vtrum circa exteriorem apparatum possit esse virtus & vitium. Secundo vtrum mulieres peccent in superfluo ornatu. Tertio ostendendum est rationibus, auctoritatibus & exemplis, quam multipliciter peccent mulieres in superfluo ornatu.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum circa exteriorem apparatum possit esse virtus & vitium*. Dicendum quod in ipsis rebus exterioribus quibus homo vtitur non est aliquod vitium, sed ex parte hominis qui immoderate D vtitur eis, quæ quidem immoderantia potest esse duplex. *Vno modo* quidem per comparationem ad consuetudinem hominum cum quibus aliquis viuit, vnde dicit August. in 3. confessionum, *quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis & gentis, consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim est omnis pars, vniuerso suo non conueniens. Alio modo* potest esse immoderatio in vsu talium rerum, ex inordinato affectu vtentis. Ex quo quandoque contingit, quod homo nimis libidinose talibus vtatur, siue secundum consuetudinem eorum cum quibus viuit, siue etiam præter eorum consuetudinem. Vnde August. dicit in 3. de doctr. Christian. *in vsu rerum abesse oportet libidinem, quæ* E *non solum ipsa eorum inter quos viuit consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines eius egressa, fœditatem suam quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.*

Duplex vestium immoderatio.

CONTINGIT autem ista inordinatio affectus tripliciter, quantum ad superabundantiam. *Vno modo* per hoc quod aliquis ex superfluo cultu vestium, hominum gloriam quærit, provt scilicet vestes & alia huiusmodi pertinent ad quendam ornatum. vnde Gregor. dicit in quadam homilia. *Sunt nonnulli qui in cultu subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum, quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquetur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, scilicet excedentia proprium statum, nisi ad inanem gloriam quærit. Alio modo* secundum quod homo per superfluum

Triplex inordinatio affectus circa ornatum per excessum.

cultum

cultum vestium quærit delitias, secundum quod vestis ordinatur ad corporis fomentum. *Tertio modo* secundum quod nimiam sollicitudinem apponit ad exteriorem vestium cultum, etiam si non sit aliqua inordinatio ex parte finis. Et secundum hoc Andronicus ponit tres virtutes circa exteriorem cultum, scilicet humilitatem, quę excludit intentionem gloriæ: Vnde dicit quod *humilitas est habitus, non superabundans in sumptibus & præparationibus.* & per se sufficientiam, quæ excludit intentionem deliciarum: Vnde dicit quod *per se sufficiētia est habitus contentus quibus oportet, & determinatiua eorum quæ ad viuere conuenit.* secundum illud Apocal.1. ad Tim.vltimo. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et simplicitatem, quæ excludit superfluam sollicitudinem talium: Vnde dicit quod *simplicitas est habitus contentus his quæ contingunt.*

Duplex inordinatio per defectum.

EX PARTE autem defectus, similiter potest esse duplex inordinatio secundum affectum. *Vno modo* quidem ex negligentia hominis, qui non adhibet studium vel laborem ad hoc, quod exteriori cultu vtatur secūdum quod oportet. Vnde Philosophus dicit in 8. Eth. quod *ad molliciem pertinet, quod aliquis trahat vestimentum per terram, vt non laboret eleuando ipsum.* Alio modo ex eo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat. Vnde dicit August. in lib. de sermone Domini in monte, *non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus & luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem quo sub nomine seruitutis Dei decipit.* Et Philosophus dicit in 4. Ethic. quod *superabundantia & inordinatus defectus ad iactantiam pertinet.*

Solutio obiect.

ILLI autem qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus quam cæteri induuntur, non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerij, vel cultus diuini: Et ideo in eis non est vitiosum. vnde Aug. dicit in 3. de doctrina Christiana. *Quisquis sic vtitur exterioribus rebus, vt metas consuetudins bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est,* dum scil. propter delitias vel ostentationem talibus vtitur. Similiter etiam ex parte defectus contingit esse peccatū; non tamen semper, qui vilioribus quam cæteri vestibus vtitur, peccat; sed si hoc faciat propter iactantiam, vel superbiam; vel vt cæteris præferatur, vitium superstitionis est. Si autem hoc faciat propter macerationē carnis, vel humiliationem spiritus, ad virtutem temperantiæ pertinet. Vnde Aug. dicit in 3. de doctr. Christia. *Quisquis restrictius rebus vtitur, quam se habeant mores eorū cum quibus viuit, aut temperans, aut superstitiosus est.* Præcipue autem competit vestimentis vilibus vti his, qui alios & exemplo & verbo ad pœnitentiam hortātur, sicut fuerunt Prophetæ. De quibus loquitur Apo. Heb. 11. *Circuierunt in melotis* &c. Vnde & quædam Glo. dicit: Mat. 3. *Qui pœnitentiā prædicat, habitū pœnitentiæ prætēdat.*

Quomodo peccent mulieres in superfluo ornatu.

AD SECVNDVM, sc. *vtrum mulieres peccent in superfluo ornatu.* Dicendum quod circa ornamenta mulierū sunt eadem attendenda, quæ supra communiter dicta sunt circa exteriorem cultum, & insuper quoddam aliud speciale, quod scilicet muliebris cultus viros ad lasciuiam prouocat, secundum illud Prouerb. 7 *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Potest tamen mulier licite operam dare, ad hoc quod viro suo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur. Vnde dicitur primæ ad Corinth. 7. *Mulier quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et ideo si mulier coniugata ad hoc se ornet, vt viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illę autem mulieres quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum; quia hoc est dare eis incentiuum peccandi; & si quidem hac intentione ornent se, vt alios prouocent ad concupiscendum, mortaliter peccant. Si autē ex quadam leuitate, vel etiam ex vanitate, propter quandam iactantiam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. & eadem ratio quātum ad hoc est de viris. vnde Aug. dicit in Epistola ad Possidium. *Nolo vt de ornamētis auri vel vestis, propriam habeas in prohibendo sententiam; nisi in eos qui neque coniugati sunt, neq; coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeāt Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis; nisi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare iubet Apostolus, nec maritatas decet.* in quo tamen possent aliquæ à peccato excusari, quādo hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamuis talis cōsuetudo non sit laudabilis.

Solutio obiect.

DE ISTO superfluo ornatu super illud primæ Pet. 3. *Quarum*, scil. mulierum, *sit non extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:* Dicit Glo. Cypriani. *Serico & purpura indutæ, Christum sincere induere non possunt. auro & margaritis ornatæ, & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.* Sed sicut ibidem dicit Cyprianus; *mulieres eorum qui in tribulatione erant, contemnebant viros; & vt alijs placerent sepulchrè ornabāt;* quod fieri Apostolus prohibet. in quo etiam casu loquitur Cyprianus; non autē prohibet mulieribus coniugatis ornari, vt placeant viris, ne dent eis occasionem peccandi cum alijs. Vnde primæ Tim. 2. dicit Apostolus. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste pretiosa.* Per quod datur intelligi, quod sobrius & moderatus ornatus, nō prohibetur mulieribus, sed superfluus, & inuerecundus, & impudicus.

ITEM idem Cyprianus in libro de habitu virginum. *Non virgines tantum, aut viduas, sed etiam nuptas: Puta etiā omnes omnino fœminas admonēdas, quod corpus Dei & factura eius & plasma, adulterare nullo modo debeant, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet, lineamenta natiua corrumpente, medicamine.* Et postea subdit. *Manus Deo inferunt, quando illud quod ille formauit reformare contendunt. Impugnatio ista est diuini operis præuaricatio, & veritatis; Deum videre non poterit, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura.* Sed sciendum quod mulierum fucatio, de qua Cyprianus loquitur, est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato. vnde Aug. dicit in Epistola ad Possid. *fucari pigmentis, quod rubicūdior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito, etiam ipsos maritos se nolle decipi; quibus solis permittendæ sunt fœminę ornari, secundum veniam, non secundū imperium.* non tamen semper talis fucatio est cum peccato mortali; sed solum quando fit per lasciuiam, vel in Dei contemptum; in quibus casibus loquitur Cyprianus. Sciendum tamen quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud est occultare turpitudinem ex aliqua causa prouenientem; Puta ęgritudine, vel aliquo huiusmodi. hoc enim est licitum; quia secūdum Apost. 1. Cor. 12. *Quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus.*

Quale peccatum fucatio.

ET sciendū quod si esset aliqua ars ad faciendum aliqua opera, quibus homines vti non possent absq; peccato; per consequens artifices talia faciendo peccarent; vtpote prębentes directe alijs occasionem peccandi. Puta si aliquis fabricaret idola, vel aliqua ad cultū idolatrię pertinētia. Si qua vero ars sit, cuius operibus homines possunt bene & male vti, sicut gladij, sagittæ, & alia huiusmodi, vsus talium artium non est peccatū; & hæ solæ artes sunt dicendæ. Vnde dicit Chrysost. super Matth. *eas solas oportet artes vocare, quæ necessariorum, & eorum quæ continent vitam nostram, sunt tributiuæ & constructiuæ.* si tamen operibus alicuius artis vt pluries aliqui male vterentur, quamuis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium principis à ciuitate extirpādę, secundū documenta Platonis. quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel vt conseruent decentiam sui status, vel aliquid superaddere vt placeant viris; consequēs est quod artifex talium ornamentorū, non peccat in vsu talis artis; nisi forte inueniendo aliqua superflua & curiosa. vnde Chrysost. dicit super Matth. Quod *etiam ab arte calceatorum & textorum, multa abscindere oportet.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Etenim ad luxuriam deduxerunt, neceſsitatem corrumpentes, artem male arti commiſcentes.

De æquanimitate.

DISTINCTIO CIII.

DEINDE conſiderandum eſt de modeſtia quæ conſiſtit circa vſum rerum exteriorum. Et primo de æquanimitate. Secundo de parſimonia. Tertio de mũdi contemptu. Quarto de voluntaria paupertate.

Quid æquanimitas. CIRCA primum, ſ. *de æquanimitate.* Sciendum quod æquanimitas eſt animi æqualitas, qua ſcil. homo æqualiter ſe habet in proſperis & aduerſis, etiã in ſubita mutatione fortunæ proſperæ & aduerſæ. Æquanimitas enim tenet animum, & temperat ne extollatur in proſperis, & ne deijciatur in aduerſis, ſed ſtabiliter permaneat in vtriſque. Hæc in proſperitatis tempore, facit animam memorem malorum, & in aduerſis bonorum. Iuxta illud Eccle. 11. *In die malorum ne immemor ſis bonorum, & die bonorum ne immemor ſis malorum.* vt vinum præſentis lætitiæ, temperes aqua futuræ, quæ poteſt tibi accidere, męſtitiæ & tribulationis. Ad hanc æquanimitatẽ monet Angelus Tobiam in tribulatione ſua eiuſdem .v. *Gaudium*, ait, *tibi ſit ſemper:* cui Tobias, *quale gaudium mihi eſſe poteſt*, &c. Et Angelus; *æquo animo eſto, quia in proximo eſt, vt à Deo cureris.* Homo debet eſſe ſicut homo Silueſter, de quo dicitur, quod mæſtitiam quam habet de temporis pluuioſi intemperie, temperat futuræ ſerenitatis ſpe; & econuerſo, lætitiam ſerenitatis, timore intemperiei futuræ. De hac æquanimitate commendatur Anna 1. Reg. 1. *Amplius vultus Annæ non ſunt in diuerſa mutati.* Eccle. 27. *Homo ſanctus in ſapientia ſua permanet ſicut ſol: ſtultus vt Luna mutatur*, ſcilicet ſecundum mutationẽ temporis & fortunæ. In geſtis Romanorum Imperatorum commendatur Antonius ſeuerus, quia dicitur, quod aliqua fortuna proſpera vel aduerſa, nunquam apparuit triſtior aut lætior in mutatione vultus. Ideo Seuerus dicebatur, quia vultus auſteritatem nullo caſu deponebat.

De parſimonia.

DEINDE conſiderandum eſt de parſimonia, quæ eſt moderatrix in vſu rerum temporalium, quæ ſcilicet frugalitas dicitur. Eccle. 31. *Vtere quaſi homo frugis his quæ tibi apponuntur.* Sicut faciebat B. Aug. cuius menſa ſemper frugalis erat: Veſtimenta nec nimis ſordida, nec nimis pretioſa; & ſic in omnibus aliis, moderationis menſuram & regulam obſeruabat.

De mundi contemptu.

DEINDE conſiderandum eſt de contemptu mundi, qui refrænat appetitum ne immoderatè mundum, vel mundialia diligamus: propter quod dicitur 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Conſiderandus eſt ergo mundus vt cognoſcatur, & cognitus contemnatur. Contemnendus eſt ergo mundus propter vanitatem conſiſtentiæ, abundantiam fæditatis, viſcoſitatem inhærentiæ, inundantiam iniquitatis, anxietates dolorum lamentabilium, diuerſitates periculorum innumerabilium.

Contemnendus mundus propter multa.

1. Propter vanitate conſiſtentiæ.

PRIMO quidem contemnendus eſt mundus propter vanitatem conſiſtentiæ, vanus eſt enim mundus, & vana ſunt omnia quæ ſunt in eo, ſicut dicitur Eccle. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Mundus non dicitur ſolum vanus eſſe, ſed vanitas emphaticè loquendo; quia vaniſſimus eſt pluſquam poſſet dici, vanus etiam efficiens amatores ſuos, ſicut dicitur Iere. 2. *Ambulauerunt poſt vanitatem & vani facti ſunt.* Verè vanus eſt mundus, & omnia mundialia vana ſunt; non enim replent diligentem: ſicut nec vacuitas. Geneſ. 1. *Terra erat inanis & vacua*, omnia mundana vacua ſunt. Ideo non replent, ſed magis euacuant. *Item* non replent, quia non ſunt in corde ſed extra. Vnde arcam poteſt quis replere pecunia, ſed non mentem. *Item* non replent, quia cor hominis tantæ capacitatis factum eſt, vt nihil minus Deo poſſit illud implere. Ideo Eccleſ. v. *Auarus non implebitur pecunia.* Vana ergo ſunt mundialia, quia non replent ambientem.

Mundana nõ replent.

ITEM vana ſunt, quia non ditant poſſidentem; ſicut nec ſomnia. Iſa. 29. *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit experrectus vacua eſt anima eius. Et ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & vacua eſt anima eius. Sic erit multitudo omnium gentium.* Pſal. 75. *Dormierunt ſomnum & nihil inuenerunt*, &c. Nec eſurientem reficiunt, ſicut nec aura. Ber. *Non plus ſatiabitur cor auro, quam corpus aura.* *Non ditant.*

Inuenientem non fulciunt vel ſuſtinent, ſicut nec fumus, vel baculus arundineus: mundana ſubito tranſeunt ſicut fumus, & ſicut aquæ cum impetu defluentes, quæ ſæpe rapiunt omne quod male radicatum inueniunt. Sic mundi concupiſcentia, rapit male radicatos in fide & charitate, trahens & mergens in mare amaritudinis æternæ. Corin. 7. *Præterit figura huius mundi.* Ioan. 2. *Tranſit mundus & concupiſcentia eius.* Si vis ne te trahat decurſus tẽporalium, tene te ad lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, i. ad Chriſtum Mundialium breuem & leuem tranſitum, quẽ hic non nouerũt mundi amatores, cognoſcunt in inferno plangentes: vbi habetur Sapient. 5. *Quid nobis*, aiunt, *profuit ſuperbia, quid diuitiarum iactantia? Omnia tranſierunt tanquam vmbra, & ſicut nuncius præcurrens, & ſicut nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam* &c. Ber. *Certa eſt mundialium breuitas: Et ipſius breuitatis finis incertus. Sæpe enim dimittunt viuentem, raro autem ſequuntur morientem.* Gregor. in Moral. *Fugit omne quod cernitur, & manſura ſunt quæ ſequuntur.* Idem. *Si ea quæ iam tranſacta ſunt ad memoriam reducimus, patenter cognoſcimus quam celeriter hoc quoque fugiat quod tenemus. Nemo valet mobilia diligere, & ipſe immobilis ſtare. Qui enim mobilia amplectitur, eo ipſo per curſum ducitur, quo decurrentia complectitur.* Idem. *Qui labenti innititur, neceſſe eſt vt cum labente labatur.* *Non fulciũt.*

Non ſtabiliunt, non dant ſecuritatem.

ITEM confidentem non ſtabiliunt, non dant ſecuritatem, ſed decipiunt confidentes, Pſal. 51. *Deus deſtruet te in finem, euellet te*, &c. Sequitur. *Videbunt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt & dicent, ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum* &c. Idem 145. *Nolite confidere in principibus; in filijs hominum in quibus non eſt ſalus.* Sane vix inuenitur hodie vir fidelis, de quo poſſit homo confidere. propter quod Iere. 9. dicitur. *Vnuſquiſq; à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciã: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet; vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquetur*, &c.

Simile.

PROPTER inſtabilem vanitatem, immo continuam volubilitatem, poteſt dici mundus rota molendinaria, quę voluitur & mouetur ad curſum continuum aquæ fluentis; ſic mundus ad continuum fluxum temporis mũdani voluitur & mouetur, & omnia quæ in eo ſunt. Eſt rota molẽdinaria circa cuius negocia & opera, quaſi equi exceęcati diſcurrunt mundani, Pſal. 11. *In circuitu impij ambulant.* In huius rotæ circuitu rotat diabolus inimicos veri Dauid, ideſt Chriſti. Et ſicut lapis rotatur in funda vt proiiciatur, ſic diabolus per fas & nephas, per diuerſos circuitus mundanæ impietatis facit malos diſcurrere in acquiſitione temporalium, vt eos ſic diu rotatos, longe à Deo eiiciat, & ſubito proiiciat in infernum. dixit Abigail ad Dauid 1. Reg. 25. *Anima inimicorum tuorum Domine rotabitur, quaſi impetu & circulo fundæ:* quod fit cum per diuerſas ſollicitudines, & deſideria terrenorum, animæ eorum circunuoluuntur, & deiiciuntur in infernum. Ad hunc circuitum vt dicitur Iudi. 16. Sampſon à Philiſtęis captus & exoculatus & incarceratus, ad molendum ponitur, vt ſit ludibrium Philiſtinorum. *Mundus eſt rota molendinaria.*

ITEM in mundo iſto ſunt duæ rotę ſibi altrinſecus aduerſãtes, plenæ gladiis: & ſunt ſimiles illis rotis, quas fecit Maxentius ad dilacerãdum corpus B. Catherinæ, quarum altera poteſt dici fortuna proſpera, altera aduerſa. *Altera* voluitur à ſiniſtra aduerſitatis, & vertit homines de ſiniſtra aduerſitatis, ad dexterã proſperitatis. huius gladij diuerſi, ſunt varietates cõcupiſcibiles,

quæ

quę vulnerant & lacerant animas, per diuerſas concupiſcentias & ſollicitudines ſuas. *Alia rota* aduerſitatis, tendens à dextra in ſiniſtram, habet pro gladiis vulnerantibus corda, diuerſos caſus infortunij temporalis & ſpiritualis.

Mundus eſt rota fortunæ.

ITEM mundus eſt rota fortunæ, quæ quoſdam gloriantes extollit in ſummo gradu proſperitatis, & alios multos deijcit & deprimit in imo extremæ aduerſitatis; alios eleuat ab imo, alios à gradu ſummo. Secundũ has quatuor differentias totum mundum vertit. Qui ſtat in ſummo rotæ, poteſt dicere quod dixit quidam verſificator, *Glorior elatus*, qui incipit deijci poteſt dicere, *Deſcendo glorificatus*. Qui ſtat in imo depreſſus ſub rota, poteſt dicere, *Subſum proſtratus*. Quartus dicere poteſt, *Surgo prius attenuatus*.

2. *Propter abũdantia ſeditatis.*

SECVNDO cõtemnendus eſt mundus propter abundantiam ſęditatis. Hic eſt lacus miſeriæ, & lutum fęcis. In lacum iſtum proiiciunt dæmones hominẽ mundanum. Sicut fuit Hieremias miſſus in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum. Iere. 38. Hęc eſt ſententia omnium ſordium, ad quam confluunt omnes ſordes, & fluunt omnes immunditię, quæ tangentes & adhærentes maculant, ſicut lutum & ſtercora, quibus mundana cõparantur à ſanctis. Phil. 3. *Hæc omnia arbitratus ſum vt ſtercora.* Sap. 14. *Hæc omnia commixta ſunt in mundo, ſci. ſanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, periurium, tumultus, bonorum Domini immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.* Matt. 20. *Homicidia, furta, adulteria, fornicationes, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Ideo in tanto mundi contagio, qui tot & tantis & tam diuerſis immunditiis inquinat amantes ſe, beatus eſt ille qui inuentus eſt ſine macula peccati mortalis. Ideo Thren. 4. *Recedite polluti, clamauerunt*, ſ. omnes ſcripturæ, & ſancti, *recedite, abite, & nolite tangere*, ſ. mundum, vel mundana à mundo polluta: propter immunditias peccatorum & ſordium abluendas, immiſit Deus diluuium, & quinq; ciuitates euerſione damnauit. Sicut dicitur 2. Pet. 2. *Originali mundo non pepercit Deus; Sed octauum Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorreorum in cinerem redigens, euerſione damnauit; exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens.* Sicut autem in diluuio pauciſſimi, i. octo animæ ſaluatę ſunt: omnes alij in iniquitatibus & flagitiis ſuis ſubmerſi ſunt; ita nunc ſaluãtur pauciſſimi reſpectu dãnatorum. Sicut expreſſe dicit B. Petrus 1. Pet. 3. *In arca pauci .i. octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma.* Et in euerſione quinque ciuitatum, ſolus Loth cum duabus filiabus ſuis ereptus eſt.

3. *Propter viſcoſitatẽ adherentiæ.*

TERTIO contemnendus eſt mundus, immo potius fugiendus, propter viſcoſitatem adhærẽtiæ. Mundana enim adeo ſunt viſcoſa, & ſic amatores ſuos inuiſcant, quod vix poſſunt ab eo auolare, & ad cæleſtia volare. Aug. *Amor terrenorum viſcus eſt ſpiritualium pennarum.* Eius amatores poſſunt dicere: *Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Sic enim adhærent terrenis, vt non poſſint ab eis ſeparari, licet videant mortem ſibi imminere eis quæ iniuſtè detinent, per quæ detinentur à diabolo. Aug. *Detines alienum, & detineris à diabolo.* Sunt enim aues inuiſcatæ in manu aucupis diaboli, & magis ac magis ſe inuiſcant in hoc mundo, in quo ſunt multi putei bituminis (quod eſt gluten tenaciſſimum) qui detinent multos, adeo vt nõ poſſint ab eis ſeparari, niſi per amaræ mortis gladium. Gen. 14. *Vallis illuſtris*, i. mundus, *multos habet puteos bituminis*, in hac valle multi ſubmerguntur, & ſubuertuntur in his, & ab his puteis, cũ Sodoma & Gomorrha. Aug. in li. de ſymbolo. *Ecce tot calamitatibus repleuit Deus mundum; ecce amarus eſt, & ſic amatur; ecce ruinoſus eſt, & ſic habitatur: quid faceremus ſi ſtabilis & dulcis eſſes, ô munde immunde & tenebras pariens; ſi tranſiens ſic detines, quid faceres ſi maneres? ſi amarum ſic decipis, quem non deciperes ſi dulcis eſſes?*

4. *Propter inũdantiã iniquitatis.*

QVARTO fugiendus ac etiam odiendus eſt mundus, propter inundantiam iniquitatis. Inundant iniquitates & flagitia in mundo iſto, pluſquam aquæ materiales inundauerunt in diluuio. Vnde Oſee 4. dicitur: *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*: cum enim feciſſet Deus mundum; Sicut dicitur Actu. 17. *Deus fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt*; diabolus per aſtutiam ſuam hominem tentando, prævaluit, totumque genus humanum ſubiiciens, factus eſt princeps mundi, id eſt omnium mundanorum, ſicut dicitur Io. 16. *Venit princeps mundi huius*, &c. Et 1. Pet. 2. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*, i. in poteſtate maligni, qui totum mundum malignitate repleuit. Et ſicut ſolent hoſtes facere quã do obtinuerunt victoriam, quod totam terram aduerſarij ſui crẽmant: ſic diabolus obtenta victoria contra primum hominem, totum mundum incendio concremauit. vnde totius mundus in maligno, i. in malo igne poſitus eſt. Hæc eſt fornax Babylonis ſuccenſa ſeptuplum, i. ſeptemplici igne ſeptem capitalium vitiorum. De hoc incendio tres pueri, i. puritatem cordis, oris, & operis conſeruantes, exeunt, & euadunt illæſi, ſolutis vinculis amoris mundani; ſed Chaldæi in hoc incendio deuorantur.

Quomodo Deus ſtuduit mundum ad ſe reuocare.

ISTE princeps malignus excæcauit hominis intellectum, vt DOminum ſuum verum non cognoſceret, nec recognoſceret; & deprauauit affectum, vt ipſum non diligeret, nec timeret. Deus autem miſericors mũdum ad ſe multipliciter ſtuduit reuocare, videlicet per Prophetas, Patriarchas, & Angelos; tandem per filium ſuum. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum ſuum daret*, &c. Filius ipſe venit. 1. Tim. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere*, ipſi vero nec eum recipere, nec recognoſcere ſicut Dominũ voluerunt. Io. 1. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus ipſum non cognouit: in propria venit, & ſui eũ non receperunt.* *Item* prædicauit, & monuit vt redirent ad ſe, ſed prædicationem eius contemſerunt. Ioan. 3. *Ego lux veni in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.* *Item* corpus ſuum proprium dedit eis in cibum, & ſanguinem in potum. Io. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Et ibidem. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* *Item* ſeipſum dedit in precium redemptionis & ſalutis. Ioa. 3. *Non miſit Deus filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Sed hæc omnia non ſolum contemſerunt, verum inſuper filium occiderunt: Patrem etiam qui filium ſuum miſerat, dederat, & morti tradiderat, recognoſcere noluerunt. Io. 17. *Pater iuſte mundus te non cognouit.* *Item* recedẽs à mundo, Spiritum ſanctum miſit, ſed nec ipſum recipere voluerunt. Io. 14. *Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere.* *Denique* miſit Apoſtolos ſuos, diſcipulos, & alios multos; & illos iniuriis, ludibriis, vinculis, flagellis, & ſuppliciis, multiſque mortis generibus, occiderunt. De miſſione dicitur Mar. 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium*, &c. Et Ioan. 17. *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* De ſuppliciis vero quæ mundus eis intulit dicitur Heb. 11. *Ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Sequitur. *Quibus dignus non erat mundus.*

Inueteratum eſt odiũ inter mundum & Deum.

SIC igitur apparet iniquitas mundanorum contra Chriſtum & ſuos, quomodo maligno principi adhæſerunt, quomodo Deum ſummum principem ſuum, & ſuos, multipliciter impugnauerunt. Non igitur mirum eſt, ſi mundus odit & perſequitur ſanctos qui modo ſunt, quia inueteratum eſt odium inter mundum & Deum, & omnes amicos ſuos. Vnde dicebat Chriſtus ſuis, Ioan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorẽ vobis odio habuit.* Itẽ 17. *Mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego de mundo non ſum.* Item 16. *In mundo preſſuram habebitis.* Hac ergo ratione fugiẽdus eſt mundus & odiẽdus tanquam hoſtis publicus Dei & ſuorũ. 1. Io. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Et Iaco. 4. *Adulteri neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo;*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Deo; quicunque ergo voluerit amicus esse huius mundi, inimicus constituitur Dei.

ET NOTA quod sicut amicitia mundi, est Dei inimicitia, vt dictum est: sic mundi sapientia, est insipientia. 1.Cor.3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Sic opulentia facultatum est inopia. 1.Tim.6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Mundus enim in exitu domus suæ, inexorabilem constituit ianitorem, scil. mortem, quæ nec prece nec pretio, nec alio quouis modo, aliquid inde deferri permittet. Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Sicut igitur homo, pauper & nudus mundum ingreditur; ita pauper & nudus egreditur. sed etiam plurimi, pauperiores exeunt quam intrauerint: quia sci. pluribus peccatis irretiti recedunt, nihil secum præter peccata portantes. *Item* mundi deliciæ sunt fæditas, vt dictum est, quæ in supplicium conuertentur. Apoc.18. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Ideo dixit Apost. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus crucifixus est,* &c. *Item* honores mundi in ignominiã conuertentur. Phil.4. *Gloria in confusionem eorum qui terrena sapiunt.* Ideo Matth. 4. Cum diabolus Christum tentans de gloria mundiali, ostenderet ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, dicens: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me,* dixit ei: *Vade sathana, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis,* &c. *Item* gaudium mundi conuertitur in mærorem. Sicut dicitur Ioa. 16. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Per quod innuit quod gaudium conuertetur in tristitiam & mærorem.

1. Propter calamitates dolorum lamẽtabilium.

QVINTO contemnẽdus est mundus, propter anxietates & calamitates dolorum lamentabilium. Mundus enim est vallis lachrymarum, ad quam cõfluunt causæ doloris & gemitus, quas qui prudenter considerat, potest dicere illud Psal. 39. *Circundederunt me mala, quorum non est numerus.* Licet autem omnes humanæ vitæ miserias, nullus perfectè describere, enarrare, vel enumerare sufficiat; omnes tamen ad quatuor reduci possunt.

Miseria humana vita quadruplex.

Est namq; miseria connaturalis, quã nascendo contrahimus. Secunda est miseria contemporalis, quam viuendo perferimus. Tertia est miseria criminalis, quam peccando acquirimus. Quarta est miseria gehennalis, quam moriendo incurrimus. Prima grauis est. Secunda grauior. Tertia grauissima. Quarta supergrauissima. Prima est ineuitabilis, & ideo miseranda. Secunda tolerabilis, & ideo sustinenda. Tertia detestabilis, & ideo fugienda. Quarta intolerabilis, & ideo metuenda.

1. Connaturalis.

MISERIA connaturalis quam contrahimus, est cum qua ex vtero nascimur: omnes enim nascimur eiulãtes, vt futuram exprimamus miseriam. Vnde Aug. ait: *Puer à ploratu incipit, nec videre potest, statim natus plorat, prophetat; calamitatis suæ lachrymæ, testes sunt futuræ miseriæ: nondum loquitur, & iam prophetizat.* Ideo Sap.9. *Similem vocem omnibus emisi plorans.* Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis exordium: misera profecto & miserabilis est hominis nascentis conditio. Omnes enim nascimur sine scientia, sine verbo, sine virtute, sine corporis indumento, nisi fortè indumentum eius volueris appellare vilissimum tegumentum, quo inuolutus exit ex vtero, turpe dictu, turpius auditu, turpissimum visu; scil. pellicula fęda, sanguine cruentata. Nascimur inquam flebiles, debiles, & miserabiles, parum à brutis differentes, & in multis minus habentes. Nam bruta statim cum nata sunt, gradiuntur & currunt: nos autẽ nõ solum pedibus non ambulamus erecti, verumetiam incuruati, manibus non reptamus. Quidam etiã quod miserabilius est, deformes & prodigiosi nascuntur, quibus melius fuisset prouisum, si nunquam processissent ad visum. Quoniam vt monstra monstrantur, & ostenta ostenduntur: pleriq; vero diminuti membris, & sensibus corrupti, nascuntur; in parentum verecundiam, & tristitiam propinquorum.

2. Contemporalis.

SECVNDA est miseria contemporalis, quæ ideo contemporalis dicitur, quia totum vitæ nostræ tẽpus comitatur. Hanc miseriam grauem reddunt quatuor, sine quibus vita nostra non agitur. Quorum primum est naturalis fragilitas, qua pænaliter aggrauatur. Secundum est temporalis aduersitas, qua iugiter molestatur. Tertium est corporalis infirmitas, qua grauiter anxiatur. Quartum est hostilis malignitas, qua nequiter impugnatur.

Hanc miseriã quatuor grauem reddunt.

PRIMVM inquam est naturalis fragilitas qua pœnaliter aggrauatur. De qua loquitur B. Grego. exponens illud Iob. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs,* dicens: *Si breuiter consideretur, omne quod hic agitur, pœna est & miseria; carnis enim corruptioni seruire ad necessaria, atq; concessa, miseria est: vt contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, cõtra æstum frigora requiruntur, quod cum multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, & amissa cum graui labore reparatur; & tamen reparata semper in dubio est: quod hic aliud quã mortalis vitæ miseria est, quod amissa cælesti patria repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat: quod denique priuatus est æterno lumine, & cum dissimulat suam perpeti cæcitatem, quid hoc aliud quam de pœna nostra nata miseria est.* Hanc miseriam Psal.37. deplorat, dicens: *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem.*

1. Naturalis fragilitas.

SECVNDVM quod cõtemporalem miseriam grauem reddit, est temporalis aduersitas qua iugiter molestatur, quæ multiplex est. O quãta mortales angit anxietas, sollicitat cura, sollicitudo molestat, metus exterret, tremor concutit, dolor affligit, conturbat tristitia, cõtristat turbatio, pauper & diues, seruus & dominus, coniugatus & continens, bonus & malus, & omnes generaliter mundanis cruciatibus affligũtur. Quis vnquam vnicam diem totam habuit, ex sua delectatione iucundam, quam iactura aliqua, vel offensa, seu passio non commouerit: quam visus, vel auditus, vel actus aliquis non offenderit. Semper enim mundanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, & quod incepit in gaudio, desinit in mærorem. Mundana quippe fælicitas multis amaritudinibus est respersa. Nouerat hoc Sapiens, qui dicit Eccle 2. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Bern. in ser. de ramis palmarum. *Videte seculares & intelligite, quia extrema gaudij luctus occupat; hic est finis lætitiæ secularis, hic fructus gloriæ temporalis.* Subito enim dum nõ aduertimus, nec timemus, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus inuadit, mors intercipit, quam nullus euadit: ergo ne glorieris in crastinum, ignorans quid de te ventura pariat dies. Nec solum aduersitates nobis euenientes nos conturbant, verumetiã proximorum miseriæ nos contristant. O quanto dolore turbamur, quanto terrore concutimur, cum amicorum damna sentimus, cum parentum pericula formidamus. Cuius cor tam lapideum, cuius pectus tam ferreum, vt gemitus non exprimat, lachrymas non effundat, cum proximi, vel amici morbum, vel interitum intuetur. Ipse IESVS cum vidisset Mariam & Iudæos, qui cum eo venerant ad Lazari monumentum, plorantes; infremuit spiritu, turbauit semetipsum, & lachrymatus est, nec fleuisse credẽdus est, quia Lazarus mortuus erat: sed quia mortuum ad vitæ miserias reuocabat. Præterea vt totum tempus vitæ nostrę miseriis repleatur, nihilq; sine miseria & calamitate pertranseat; etiã tempus quieti concessum, non conceditur esse quietum, quia terrent somnia, visiones conturbant; & licet non sint in veritate tristia, vel terribilia seu laboriosa, quæ videntur in somniis; tamen in veritate terrentur, tristantur, & fatigantur dormientes, intantum quod aliquando lachrymantur, & clamantes euigilant, & euigilantes sæpissimè conturbantur.

2. Temporalis aduersitas.

TERTIVM quod hanc miseriam reddit grauem, est corporalis infirmitas qua grauiter anxiatur, quæ etiam multiplex est. Quis enim numeret quot morborum genera, quot species passionũ, quot diuersitates cogitur humana fragilitas tolerare dolorũ. Profectò plures experimur ægritudinum differentias, quã sint humani corporis membra; nec dudum à sæculis industria medicorum, tot morborum species potuit indagare, quot

3. Corporalis infirmitas.

miserias

miſerias homo naſcitur ſuſtinere. hoc autem mirabile, miſerabile, & lamentabile, & dolore plenum eſt, quod ſolum corpus hominis, pluribus malis & paſſionibus ſubiacere dignoſcitur, quam tota vniuerſitas creaturarum cum homine productarum.

4. *Hoſtilis malignitas.*

QVARTVM quod hanc miſeriam grauem reddit, eſt hoſtilis malignitas, qua nequiter impugnatur. Hoſtes enim noſtri vndique nobis inſidiantur, vt rapiant, perſequantur, & puniant, &c. *Require ſupra de mundi periculis.*

3. *Criminalis.*

TERTIA eſt miſeria criminalis, quæ longè deterior eſt præmiſſis; quia aliæ pertinent ad corpus, & faciunt corpus miſerum: iſta ad animam, ipſam faciens infelicem. & ſicut dignitas animæ incomparabiliter excellit cuiuſque corporis dignitatem, ſic miſeria animæ abſq; vlla cõparatione, peior & vilior eſt quam miſeria corporalis. O grauis neceſſitas! O infelix conditio: antequam peccemus, peccato conſtringimur: antequã aliquid boni, vel mali fecerimus; filij iræ, rei mortis & perditionis efficimur. Hanc ergo miſeriam non per actum proprium, nec ex propria voluntate, ſed ex neceſſitate originis contrahimus: poſtmodum autem ab hac miſeria liberati, & ab originali peccato mũdati; & opera noſtra, & conſenſu propriæ voluntatis, noſipſos miſeros efficimus. Nam poſt nitorem baptiſmi, poſt collatum nobis piæ regenerationis candorem, poſt acquiſitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem: in peccatorum cæno relapſi, & in antiqua criminũ volutabra reuoluti; niueum veſtimentum, tetris iniquitatum & libidinum contagiis, ſordidamus: & poſt ſingularem Domini noſtri indulgentiam, innouata fædamus, integra reſcindimus, expiata violamus, repetẽtes, non iam vndis purganda, ſed flammis. De hac animæ miſeria dicit Sap. Prou.14. *Miſeros facit populos peccatum.* Heu quam miſera fit anima per peccatum, turpis ſcil. & horrida: cuius turpitudine nihil horridius; fœda & fetida. nullum enim cadauer putridum adeo fetet corã hominibus, ſicut peccatrix anima coram Deo. *Item* fit anima per peccatum debilis, & ad omne opus bonum infirma; pauper, inops, & omni bono vacua, cæca, muta, & fatua, Deo, ſanctis & Angelis odioſa; æterno regno priuata, æternis inferni ſuppliciis deputanda. Pro hac miſeria deplorat Pſal.37. dicens: *Iniquitates meę ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me: putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meę à facie inſipientiæ meę. Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar* &c.

NOTA quod ſicut beatus eſt qui habet quicquid vult, & nihil vult male: ita miſer eſt ille, qui non habet quod vult, & multa vult malè. Peccator igitur rectè miſer eſt, qui multa vult in malum ſuum, & illa nõ deſiderat, quæ eſſent ad bonum ſuum. Multa etiam vult quę non cõſequitur, vel implere nõ poteſt. Heu quanta miſeria peccatoris, qui per ſe poteſt cadere, ſed non reſurgere: maculare, non lauare: vulnerare, non ſanare: occidere, non viuificare: malum ſuum velle poteſt, non bonum: & ſi quandoque velit bonum, tamen cõſequi, vel implere nõ poteſt. Voluntariè currit ad interitum, & damnationem ſuam clare conſpiciens, reſilire non poteſt. Vnde Bernar. *Ex quo peccare cœpi, nunquam diem vnum ſine peccato tranſire potui, nec adhuc peccare ceſſo: ſic de die in diem peccata peccatis addo, & ea præ oculis habeo, nec gemo; erubeſcenda video, nec erubeſco; dolenda video, nec doleo; quod eſt mortis ſignum, & damnationis initium, vel indicium. Membrum enim quod dolorem non ſentit, mortuum eſt: & morbus inſenſibilis, eſt incurabilis: leuis ſum & diſſolutus, nec me corrigo; ad peccata quæ confeſſus ſum, quotidie redeo: nec caueo foueam in quam cecidi, vel alium cadere vidi: cumque plorare & orare deberem pro malis quæ feci, & pro bonis quæ facere neglexi; proh dolor verſus eſt mihi in contrarium: nam tepui & frigui à feruore orationis, & iam frigidus ſine ſenſu remanſi; & ideo meipſum flere non poſſum, quia fons lachrymarum receſſit à me.* Eſt alia miſeria peccatoris, qui quandoque putat ſe bonum eſſe, qui malus eſt; & ſaluari ſperat, qui æternaliter eſt damnandus. De hoc B.Ioan.in Apoc.3. dicit: *Tu dicis quia diues ſum & locupletatus, & nullius egeo,* diues ſci. gratia & virtutibus, locupletatus bonis operibus; & nullius conſilio, doctrina, vel orationib. egeo: quia ſcil. per me ſum ſufficiens ad ſalutem: *& tu neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & nudus & cæcus:* miſer, propter defectum gratię: miſerabilis, propter vilitatem ignominiæ: pauper, quia ſine meritis operum: nudus, quia ſine veſtitu virtutum: & cæcus, quia ignorans miſeriæ tuæ ſtatum.

4. *Gehennalis.*

QVARTA eſt miſeria gehennalis, de qua Pſal. 139 dicit, *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* Carbones hic intelligi poſſunt increpationes æterni iudicis, quibus reproborũ facies confundentur, & conſcientię exurentur. Ignis vero de quo dicitur hic, *in ignem deijcies eos*, eſt atrociſſimum incendium ineffabiliter crucians tam animas, quam corpora damnatorum. De quo dicitur Matth.25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Sequitur, *In miſerijs non ſubſiſtent*, pluraliter dicit miſeriis, quia ſunt innumerabiles, inenarrabiles, inexcogitabiles, intollerabiles, & interminabiles. Sed mirum quod dicitur, *non ſubſiſtent*, cum miſeri æternaliter in miſeriis viuere compellantur. Sed reuera diuina iuſtitia exigente, ſemper ſeruantur in ſuppliciis, vt ſine fine crucientur, & tamen ex immenſa acerbitate pœnarum, ad extremum debilitatis deducuntur, vt omnino deficere videantur. viuunt ergo vt ſemper moriantur, & tamen mori non poſſunt, vt ſemper iniquitas puniatur. Horrendum eſt ergo in hanc miſeriã incidere, quæ & tollerari non poterit, & tamen non poterit terminari. De hac liberari petebat Iob 10. dicens: *Dimitte me vt plangã paululum dolorem meum antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum*, &c. *De hac require diffuſius infra libro tertio per totum.*

6. *Propter diuerſitates periculorum.*

SEXTO fugiendus eſt mundus propter diuerſitates periculorum innumerabilium. Tot ſunt pericula & periculorum occaſiones, quod vix poteſt aliquis euadere, quin capiatur, irretiatur, & inuoluatur: vnde Matt.18. *Væ mundo à ſcandalis*, i. propter ſcandala quæ præbent omnibus occaſionem ruinæ. *De his require ſupra de mundi periculis.*

De paupertate.

DISTINCTIO CIV.

DEINDE conſiderandum eſt de voluntaria paupertate quam generat contemptus mundi, quia ex eo quod aliquis mundum contemnit, incipit diligere paupertatem: hæc enim in nobis amorem cõtemperat terrenorum, & refrenat vel extinguit cupiditatem eorum. Circa paupertatem conſideranda ſunt tria. Primo quid ſit paupertas, maximè illa quę dicitur voluntaria, ſiue paupertas ſpiritus quæ bonos facit. Secundo quomodo paupertate aliquis, vel in bonum bene vtitur, vel in malum male vtitur, ſecundum quod ſunt diuerſa genera paupertatis. Tertio per quæ homo ad amorem paupertatis inducitur.

Paupertas eſt carentia diuitiarum.

CIRCA primum, ſci. *quid ſit paupertas.* Sciendũ quod paupertas eſt carentia diuitiarum; ſecundum quod dicit Auguſt. *Inueſtiganti ſingulas rerum naturas, non occurret quid ſit paupertas, nuditas, aut foramen, niſi priuationes.* Priuationes autem, multorum bonorum quandoque ſunt occaſiones. per has enim homines à multis elõgantur vitiis: quia vt dicit Poëta, *non habet vnde ſuum paupertas paſcat amorem.* Non enim habẽt tantam materiam peccandi, nec occaſionẽ, pauperes ſicut diuites. Greg. *Habent ſancti hoc proprium vt ſemper ab illicitis longe ſint; & à ſe licita abſcindant plerumque, ne per ea poſſint cadere in illicita.*

Paupertas ſumitur quandoque pro cõtemptu diuitiarũ; quandoque pro amore paupertatis.

QVANDOQVE autem dicitur paupertas contemptus diuitiarum, ſecundum quod dicit Seneca: Nemo eſt dignus Deo qui opes non contempſit. *Tertio* dicitur paupertas amor paupertatis. Bernardus in Epiſto. *Non paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor. Denique: Beati pauperes, non rebus, ſed ſpiritu.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem. *Volo te esse amicum pauperum, magis autem amatorem paupertatis, & pauperum imitatorem. Amicitia enim pauperum amicos Regis constituit: Amor paupertatis Reges facit.* Matth. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

CIRCA secundum notandum, quod sunt diuersa genera pauperum, secundum quod homines hic, Dei dono male vtuntur, aut bene. Sunt enim tria genera hominum, qui male vtuntur paupertate, qui sunt mali, peiores, pessimi. Alij qui bene vtuntur ea, sunt aliqui boni, aliqui meliores, alij optimi, alij indifferentes.

Septē gratia pauperum.

HORVM septem generum pauperum qui possunt distingui: *Primi* possunt dici mali, quia cum paupertatem habent, non eam ad Deum retorquent, vt eam propter Deum ferant, sed in ea sunt querulosi & impatientes, & ignorantes, viam Domini sciré, & tenere negligentes. De quibus Iere. 5. *Pauperes sunt, & stulti, & ignorantes viam Domini, & iudicium Dei sui. Secundi* sunt qui aliquod peccatū habent, quod aufert eis paupertatis suæ meritum; vt quando sunt superbi & vani, glorioſi aut præsumptuosi. Eccl. 10. *Qui gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia.* Eccl. 15. *Odit Deus pauperem superbum.* Qualis erat Episcopus Laodiceæ, Apoc. 3. *Dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Tales sunt vt pauper somnians se Imperatorem, qui excitatus inuenit se in veritate in clibano iacentem, nudum, & pauperem.

1. *Pauperes querulosi.*

2. *Pauperes superbi.*

Tertij sunt pessimi, scilicet qui de nouo paupertatis contra Deum murmurant, & de dono salutari quod dedit eis ad salutem acquirendam, se occidunt; & vnde gratias Deo reddere debuerunt, eum impugnant, & blasphemant, Eccl. 13. *Nequissima paupertas in ore impij:* quia de ea se nequiter occidunt, & Deum blasphemant. *Item* nequissima est paupertas illorum, qui non solum de ea, vel in ea, Deum impugnant; sed alios pauperes opprimunt & spoliant molestiis, fraudibus, & furtis, & aliis iniuriis. De quibus Prouer. 28. *Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames*, i. tempestati quæ omnia atterit, quia acriores sunt aliis; sicut ciniphes, aut muscæ macilentiores.

3. *Pauperes cōtra Deum murmurantes, & alios opprimentes.*

VNDE refert Iosephus quod Tyberius Imperator non libenter mutabat præpositos, nec de pauperibus eos libenter faciebat, reddens causam, quia quanto erant pauperiores, consueuerunt esse aliis acriores. Reddit exemplum de muscis, & de vulnerato sedente ad muscas; quas cum quidam amicus suus vellet ab eo abigere, ait: Parce, quia istis quæ iam sunt satiatæ, succedunt aliæ; quæ quanto sunt aliis macilentiores, tanto mihi erunt acriores. Sic sunt pauperes dominium exercentes in alios. tales deteriores sunt leonibus, aut lupis, aut serpentibus, qui non comedent (vt dicit Sene.) tes suæ speciei. Namque *omne animal diligit sibi simile*, vt dicitur in Eccles. 13. Primi sunt insipientes, quia lucrum paupertatis & patientiæ amittunt. Secundi magis, quia bonum paupertatis superbia sua, vel alio suo peccato inficiunt, vel materiā humilitatis quæ debet esse paupertas, in suum contrarium conuertunt, quando de ea superbiunt. Tertij pessimi, qui datori huius boni cui gratias agere deberent, non solum ingrati sunt, sed ei contumeliam inferunt; & proximis quibus magis deberent compati tanquam similioribus, iniurioſi magis sunt: similes illi latroni siniſtro cum Domino crucifixo, qui cum esset in eadem damnatione, ei contumeliam inferebat, eum blasphemando.

4. *Pauperes indifferentes, qui scil. non propter Deū, sed ob alium finem indifferētem pauperes fiunt.*

SVNT autem pauperes quarti, quorum paupertas nec habet meritum nec demeritum, quia non propter Deum onera diuitiarum reijciunt, & sollicitudines; sed vt liberius vacent Philosophiæ studiis, & secularibus scientiis, quas non retorquent ad Deum. De quibus dicit beatus Bernard. in serm. de omnibus sanctis. *Philosophi sua omnia reliquisse leguntur, vt vacarent liberius studio vanitatis;* quos *decernit cum dicit*, spiritu, ideſt *spirituali voluntate, propter solum Dei beneplacitum, & animæ salutem;* quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sunt

A alij quorum paupertas non habet meritum, qui propter hoc solum diuites fieri nolunt, & diuitias habitas reijciunt, ne earum curis & sollicitudinibus, & oneribus affligantur; non propter Deum, & suarum salutem animarū. Sicut legitur fecisse Diogenes Philosophus, qui cum haberet pecuniam, quam ad caput suum posuerat vt dormiret; & quidam latro hoc perciperet; insidiabatur ei de nocte consurgens, quomodo dormiēti eam surriperet. Et ille econtra hæc aduertens, præ sollicitudine custodiendi eam, cum affligeretur & dormire nequiret; vocato latrone, & accepta pecunia, illam proiecit ei, dicens: *Tolle miser, & vtcunque me sine dormire.* *Item* Maximianus Imperator purpuram imperialē deposuit, & imperium dimisit; nihil esse difficilius dicens, quam imperare, propter sollicitudines diuersorum negociorum: & elegit vitam priuatam apud Mediolanum ducerę, ne diuersis angustiaretur curis. Tamen in aliquibus chronicis legitur, quod tam ipse, quā Diocletianus, qui fuerunt Ecclesiæ pessimi persecutores, diuino iudicio à dæmone sunt arrepti; Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum, eadem die, qua simul imperauerunt, imperium relinquentes. De Diocletiano legitur hoc commendabile, quod factus Imperator suos parētes ita moderatè ditauit, vt nec nimia paupertate depressi, nimis affligerentur; & ne diuitiis accumulati, in superbiam extollerentur. Horum paupertas sine merito fuit, & imperij dimissio, & diuitiarum; quia non propter Deum has abiecerunt.

Exemplum.

B

ITEM est paupertas bona, ipsam patienter ferētium,

C eorum scilicet qui sunt pauperes necessitate. Secunda est melior, eam non solum patienter ferentium, sed etiam lætanter, & est optima eorum, qui omnia mundana abijciunt & temporalia propter Deum, & sustinent paupertatem libenter. Prouer. 12. *Melior est pauper sufficiens sibi, quam diues gloriosus indigens pane.* Tob. 5. *Sufficiebat nobis paupertas nostra.* hæc facit diuites, quia nullus potest esse diues, nisi satis habeat, sed vt dicitur: *Cui satis est quod habet, satis illum constat habere.* Eccl. 11. *Est homo abundans paupertate, & oculus Domini respexit illum in bonum,* &c. Et post: *Paupertas & honestas à Domino Deo sunt.*

5. *Pauperes boni, & horum quadam patienter ferunt propter Deū, quadā etiam lætanter, & quadā omnia pro Deo abijciunt.*

DE his autē qui sunt pauperes necessitate, qui onus paupertatis patienter portant, dicit Bern. *Sunt pauperes miserabili necessitate, laudabili voluntate; quibus tamen apud*

D *Dei misericordiam profuturam spero hanc ipsam suam miseriā. Scio tamen non de his esse dictum: Beati pauperes spiritu; sed de his qui possunt dicere, voluntariè sacrificabo tibi, scil. qui de necessitate faciunt virtutem, eam sibi inflictam patienter portando; vel eam, cum eam non habeant, voluntariè, spretis temporalibus diuitijs, suscipiendo.* Bonus pauper fuit Lazarus, qui portatus est mortuus ab Angelis in sinum Abrahę, de quo quidam senex ait in vitis pa. *Nihil reperimus scriptum de Lazaro paupere quod aliquam virtutē fecerit, nisi quod nunquam aduersus diuitem murmurauit, qui nullam ei misericordiam impendebat, sed cum gratiarum actione, laborem sustinebat paupertatis, sibi à Domino inflictum.* *Item* meliores videntur esse pauperes cum vitę innocentia & simplicitate, quā multas habere diuitias, quas possent & scirent acquirere, lucris temporalibus inhiando, & mundi negocia exercendo, Prouer. 28. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam diues prauis itineribus.*

Pauperes necessitate, boni.

E

ITEM similiter meliores quam primi videntur, qui non solum paupertatem sibi datam à Deo patiēter sustinent, sed etiā de necessariis vitæ suæ sibi subtrahunt, & ea quæ possunt pro Deo tribuunt. vt faciebat illa vidua euangelica, quæ de penuria sua in gazophilacium miserat duo minuta, quæ Domini iudicio plus omnibus misit. Mar. 21. Luc. 21. *Item* de melioribus dici possunt, qui omnia sibi subijciunt temporalia, ea contemnendo. Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Qui sunt similes Dauid, Abrahæ, & aliis Patriarchis sanctis, qui non fuerunt pecuniarum auari congregatores, sed fideles dispensatores: quorum manibus de bonis Domini, nihil adhærere contigit, quod sibi retinerent. Vt

Pauperes voluntate, meliores.

faciebat

faciebat beatus Nicolaus, & beatus Ioannes Eleemosynarius, & alij; qui vitæ necessaria solum sibi retinebant ad vsus necessarios, & omnia alia pro Deo erogabant, non retinendo aliqua superflua.

Pauperes qui omnia abijciit, optimi.

Optimi autem pauperes sunt, qui omnia temporalia propter Deum abiiciunt, & seipsos seruituti perpetuæ subiiciunt; vt illi de quibus Matth. 19. dicitur. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, &c. Bern. in ser. de passione. *Homines bonæ voluntatis, qui christiana pietate, diuitias in paupertatem commutant; & etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter Christum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos; sequuntur agnum quocunque ierit.* Idem in ser. de omnibus sanctis. *Verè martyrij genus est paupertas voluntaria. Quod enim martyrium grauius quam inter epulas esurire, inter vestes algere, paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat appetitus? An non merito coronabitur qui sic certauerit?* Idem in quibusdã dictis. *Paupertas voluntaria suos à gemina impugnatione, qua huiusmodi mundi diuites impugnantur, reddit securos: scil. à propria inuidia & aliena. Paupertas enim dum putatur miseria aliena, caret inuidia: & quia est voluntaria, nemini quicquã inuidet.* Hæc autem paupertas bonos facit, tam per rerum abdicationẽ, quam per paupertatis donum: & ex eo quod non solum paupertatis defectus portat homo patienter, sed etiam libenter, & gaudenter; non cum murmuratione, sed cum gratiarum actione. Bern. in serm. de omnibus sanctis. *Vis obtinere cælum, paupertatis voluntatem amplectere, & tuum erit, non enim tam paupertas virtus reputatur, quam amor paupertatis. amicitia pauperum, amicos Regis æterni facit; amicitia paupertatis, reges: regnum enim cælorum pauperum est. Beatus ergo qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa excruciant.* Idẽ in sermone de aduentu Domini. *Magna quædam est penna paupertatis, per quam tam cito volatur in cælum, quod paupertati non tam promittitur, quam datur.* Videmus enim pauperes alios, qui si veram haberent paupertatẽ, adeo pusillanimes non inuenirentur & tristes, vtpote reges cæli: sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto vt nihil eis desit; & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.

Exemplum.

Non talis erat B. Arsenius, qui paupertatis defectus non solum ferebat patiens, sed etiam libenter, & gaudenter. De quo legitur in vi. pa. quod cum fuisset Romæ de magnis senioribus, & in curia Imperatoris in delitiis nutritus; amore paupertatis & Christi, relictis omnibus, fugit ad Ægypti solitudinem; vbi factus est eremita probatissimus: vbi cum quidam de Roma attulisset ei testamentum patris sui defuncti, vbi amplissima relinquebatur ei hereditas; tantus amator paupertatis fuit, quod testamentum patris noluit vel accipere, vel videre, dicens: Pater meus in cœlis, est Deus. Ego autem fui mortuus ante illum, de quo mihi facis mentionem. Hic autem non solum paupertatem suam tulit libenter, sed etiam cum gratiarum actione gaudenter. Nam cum infirmaretur, & pro sua cura, paucis egeret nummis; cum eos pro Deo petiuisset, ait: Gratias ago tibi Domine, quia me dignum fecisti pro tuo nomine, eleemosynam petere & accipere. Tales fuerunt pauperes primitiui Christiani, qui omnia quæ possidebant vendebant, & pretium ante pedes Apostolorum proiiciebant, vt ex eos cõuenientius supplereturfidelium necessitas; secundũ quod legitur Act. 4.

Quatuor ad paupertatem nos mouere debent.

Circa tertium notandum quod ad amorem paupertatis mouere nos debent, naturalis conditio. Mortis necessitas festinanter adueniens. Exemplaris instructio. Ingens vtilitas incunctanter proueniens. *Primo quidem* ad amorem paupertatis mouere debet naturalis conditio, quæ nos nudos & pauperes in hunc mundum introducit, & educit, nec aliquid temporale nos exportare permittit. 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec aliquid auferre possumus.* hoc bene recognoscebat Iob dicens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Ideo de bonorum suorum amissione benedicebat Dominum, dicẽs:

1. Naturalis conditio.

Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Item natura, secundum philosophos & medicos, paucis cõtenta, saluatur in paucitate, grauatur & periclitatur in superfluitate. *Item* natura fecit pedes hominis infra, quibus calcaret terram; caput supra, & sensus omnes; in quo significatur homini, quod terrena debet contemnere, cælestia appetere, & ad ea totis viribus anhelare. lutum & stercora sunt temporalia, non amplexanda, sed naturaliter conculcanda, affectibus mentis cõtemnendo & abiiciẽdo. Phil. 3. *Hæc omnia arbitratus sum vt stercora.*

2. Mortis necessitas festinanter adueniens.

Secundo ad amorem paupertatis mouere debet, mortis necessitas festinanter adueniens, quæ omnia diuitibus subito surripit, violenter & inexorabiliter. Vnde quidam sapiens ait: *Mors sceptra ligonibus æquat.* Item alius: *Mundus sibi in exitu domus suæ, inexorabilem constituit ianitorem*, mortem scilicet, *quæ nullis supplicationibus aut precibus, aliquid sinit deferre.* Ad hoc ostendendum ponentur infra *li. 3. par. 1. 101. dist. vbi agetur de morte timenda*, auctoritates, rationes, & exẽpla, quæ hoc monstrant. Eccl. 17. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum: quia à mane vsque ad vesperam immutabitur tempus*, sci. tibi per mortem, quia quod tuum est in mane, alterius erit ante vesperã. In mane aliquis dies est, & morte interueniente traditur perpetuæ paupertati, vt patet Lucæ 15. de diuite Epulone; & de alio qui dicebat: *Destruam horrea mea*, &c. Cui Dominus respondit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ congregasti cuius erunt?* De mundanis diuitiis quam velociter transeundo fugiunt, require infra *li. 3. de auaritia.* Similiter de malis quæ faciunt amatoribus suis, & quam difficile saluantur qui temporalia diligunt, *ibidem.*

3. Exemplaris instructio, & præcipuè Christi, qui paupertatem amauit plurimum.

Tertio monere debet exemplaris instructio. Specialiter autem & principaliter amor Christi, qui propter ea factus est pauper, vt nos ad amorẽ paupertatis prouocaret. Hier. *Facile contemnit omnia, amor Christi, & timor gehennæ.* 1. Corin. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam cum esset dives, pro vobis egenus factus est, vt eius inopia diuites essetis.* Hier. in Epistolis. *Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* Et Aug. *Summa religionis est imitari quem colus.* Quantum Christus dilexerit dominam paupertatem, patet in multis, scil. quia de regalibus sedibus & diuitiis, ad vallem miseriæ pro hac innouanda, venit; formam serui accipiens, pauper natus, pauperior in mundo conuersatus, pauperrimus mortuus. fuit enim de paupere virgine natus, & loco paupere, & tempore hyemali, & pauperibus pannis inuolutus, & lacte virgineo alitus. Sed pauperior vixit, quando non habebat quid comederet sepe, nec vbi caput reclinaret. Matth. 8. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: filius vero hominis non habet vbi caput reclinet.* In cruce autem fuit pauperrimus, vbi nec habuit vbi se verteret, nec caput reclinaret, vbi pependit sine cibo & operimento, nudus. De huius paupertate Bernar. in ser. de omnibus sanctis. *Fortè aliquis arbitraretur, filij Dei sublimia esse quærenda palatia, vt cum gloria susciperetur: sed non propter hoc ille à regalibus sedibus venit*, in cuius dextera diuitiæ & gloria, *in sinistra longiturnitas vitæ: horum bonorum omnium in cælo affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porro nimis abundabat & superabundabat hæc species in terris, & nesciebat homo pretium. Ad hanc itaque filius Dei descendit, vt eam sua æstimatione nobis redderet pretiosam.* Item Aug. in serm. de resurrect. *Descendit ab inenarrabilibus cæli diuitijs, & veniens in hunc mundum, nec istas qualescunque diuitias habere voluit: sed in tanta paupertate vixit, vt natus continuo poneretur in præsepio. Magna abusio & verè magna, vt dives velit esse vermiculus, propter quem Deus maiestatis & Dominus Sabaoth voluit esse pauper.* Sic etiam viuens in mundo docuit terram contemnere, & diligere paupertatem: quia eius tempore, non fuerunt diuitiæ alicuius pretij, quia docuit eas dimitti pro nihilo paupertatis. Hoc est illud nihilum, pro quo beati pauperes salui facti sunt. Psal. 55. *Pro nihilo* quo beati pauperes salui facti sunt. Psal. 55. *Pro nihilo saluos facies illos:* Ps. 105. *Pro nihilo habuerunt terram desi-*

rabilem, paradiſi cœleſtis regni. 3. Reg. 10. *Argentum nullius pretij reputabatur, in diebus* veri *Salomonis* Chriſti, quando commutabatur in nihilum paupertatis. Sicut patet in Matthęo & aliis Apoſtolis, qui relictis omnibus diuitiis ſecuti ſunt eum, eius imitando paupertatē. *qui tantæ fuit paupertatis*, vt dicit Glo. Matth. 18. vbi miſit Petrus ad piſcandum pro ſoluendo tributo, quod *non haberet vnde tributum ſolueret*. Similiter alia Gloſſa Mar. 11. *Circunſpectis omnibus cum iam veſperatura eſſet hora, exijt in Bethaniam cum* 12. ibi Glo. Circunſpectis: *Si quis eum hoſpitio ſuſciperet*. In cruce autem nobis depingitur nudus, ſuſpenſus patibulo, & vulneratus in loco neruorum, in extremitatibus, vbi conueniunt & venę & nerui; vt nos in his reducamus ad memoriam ſuæ ſummæ paupertatis, qui pepēdit nudus; & ſummę ſuæ vilitatis, qui pependit in viliſſimo crucis patibulo; & ſummæ eius anxietatis & amaritudinis, qui vulneratus eſt in pedibus & manibus, in locis neruoſis; vnde dolor per membra omnia diffunderetur de facili, abſciſſis & læſis neruis. Ideo vt incitemur ad memorandā ſummam eius paupertatem, & vilitatem, & dolorem carnis & cordis, ait Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ tranſgreßionis, abſinthij & fellis.*

Paupertas Patriarcharū, imitāda.

ITEM ad amorem paupertatis debent nos prouocare exēpla antiquorum Patriarcharum, vt Moyſi; de quo Hebręi. 11. *Fide Moyſes grandis effectus, negauit ſe filium filiæ Pharaonis*, &c. Et poſt: *Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.* Et dicitur ibi de omnibus patribus antiquis. *Sancti non receperunt repromiſſiones*, &c. ſed *confitebantur quod peregrini & hoſpites erant ſuper terram. Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*, &c. *Item* exemplum beati Iob, qui in rerum amiſſione benedicebat Dominum, dicens: 1. cap. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

Item paupertas Apoſtolorū ad paupertatē mouet.

ITEM exemplum beatorum Apoſtolorum, qui omnia propter Chriſtum reliquerunt. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, dixit Petrus ad Ieſum. Item Act. 2. *Primitiui credentes, poſſeßiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illas omnibus.* Actor. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, &c. Actor. 20. Paulus ait: *Argentum & aurum & veſtes, nullius veſtrum concupiui. Item* in paſſione beati Bartholomæi legitur, quod cum liberaſſet à dæmonio filiam Polemij regis, miſit ei camelos oneratos auro & argento, & gemmis & veſtibus, quæ reducta ſunt ad palatium regis, ipſo non inuento tota die. In mane vero apparuit ei, dicens: *Quæ miſiſti mihi heri, illorum ſunt qui terrena quærunt; ego autem nihil terrenum quæro, nihilque carnale, ad exemplum filij Dei.*

Itē paupertas Martyrum.

ITEM exemplum beatorum martyrum, incitat ad amorem paupertatis, de quibus dicitur Hebr. 11. quod *fuerunt egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes.*

Exemplum.

De quibus vnicum ponamus exemplum. Cum quædā mulier, bona ſua fere omnia expendiſſet in medicos, Palladia nomine; nec ei aliquid profuiſſet, curata eſt à B. Damiano. Ipſe enim & frater ſuus, ſanctus Coſmas, omnes infirmitates curabant; tanti zelatores paupertatis, quod nihil volebant accipere ab aliquo. Dicta autē mulier cum curata eſſet, & offerret munera ſancto Damiano, & nollet ea accipere; obtulit ei munuſculum, quod non congrueret cupiditati, ſed ſanctitati; adiurās eum propter nomē Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod illud acciperet; quod propter eius adiurationem accepit, quaſi compulſus. Sed cum ſciret frater ſuus ſanctus Coſmas, ſupra modum doluit, & præcepit ne ſecum ſepeliretur. Cum autem martyrium ſimul ſuſcepiſſent, & propter adiurationem ſancti Coſmę, nollent eum ſepelire: miſit eis Dominus camelum, voce humana loquentem, & dicentem eis in nomine Domini, quod eos in ſepultura non ſepararent; quia munus quod acceperat ſanctus Damianus, non læſerat eius paupertatis virtutem: quia eum ſuſceperat propter charitatem adiuratus, non propter cupiditatem; & ne videretur contemnere nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.

A ITEM cum beatus Ambr. oraret in loco vbi ſepulta fuerant, & diu occultata corpora beatorum martyrum Geruaſij & Prothaſij, factus in extaſi quaſi ſemidormiens, vidit duos iuuenes ſpecioſiſſimos, collobio & pallio candidiſſimis indutos, eleuatis manibus ſecum pariter orantes. Quo excitato, & orante, & ieiunio ſe affligente, apparuerunt iterum ei vt prius. Tertia nocte & vice, vigilanti & ſtupenti, apparent cum tertia perſona, quam recognouit eſſe Paulum Apoſtolum, qui ait ei: Iſti ſunt qui monita mea ſecuti ſunt; qui reſpuentes diuitias, & prædia, ſecuti ſunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nihil terrenū aut carnale concupiſcentes. Sic in Mediolanenſi vrbe per decennium perdurantes in Dei ſeruitio, ad palmam martyrij peruenerunt, quorum corpora inuenies in loco, in quo B ſtas & oras, in arca marmorea repoſita, ad quorum caput ſcriptam inuenies vitam eorum & paſſionē. Qui faciens vt beatus Paulus ei dixerat, inuenit fodiens, dictam arcam, & corpora ſanctorum, cum Epiſcopis vicinis conuocatis: & inuenerunt ſanctorum corpora ita recentia, ac ſi eodem die fuiſſent ibi poſita, miro odore fragrantia; & libellum ad caput eorū, in quo ſcriptum erat, quod patre eorum Vitale mortuo, familiam ſuam ingenuam fecerunt; & domos & poſſeſſiones vendentes, pro Chriſto omnia erogauerunt: & per decem annos in ſolario quodam incluſi, ieiuniis & orationibus vacantes; accuſati à ſacerdotibus principi Romanorum, eo quod deos contemnerent & offenderent: cum eis nollent ſacrificare, martyrio ſunt conſummati.

Exemplum.

Itē paupertas Confeſſorum & Eremitarum.

ITEM ad amorem paupertatis debent nos prouocare exempla beatorum Confeſſorum & Eremitarum; C vt Pauli primi Eremitæ, qui vt legitur in vit. pa. fugiēs mundi pericula, per multos annos latuit in ſpelunca, quæ illi erat pro domo; folia palmarum pro veſtimento, aqua pro poculo; panis quem ei coruus deferebat, pro cibo; nullum omnino hominem, per multa curricula annorum videns; vel eorum conſolationē habens; nihil omnino poſſidens. Cum autem ad hunc viſitandum iret beatus Anto. Domino ſibi hoc reuelante; inuentum in via diſcum argenteum, cognouit diaboli figmentum: & cum diceret diabolo, pecunia tua tecum ſit in perditionem, euanuit vt fumus. *Item* maſſam auri inuentam in via, fugit vt incendium. De amore quem habebant ſancti Patres ad paupertatem, leguntur in vit. pa. multa exempla.

Exemplum.

CVM Abbas Siluanus exiuiſſet à cella ſua, diſcipulus eius, remouēs ſepem, ampliauit hortum eius, quod cum rediſſet inueniens, accepto veſtimento ſuo voluit recedere, nec cellam ſuam voluit intrare, donec ſepes poſita eſt in loco ſuo. *Item* ſenex quidam vadens vendere opera manuum, inuenit in via ſacculum pecuniæ, cum centum ſolidis, & ſtetit eodem loco, ſi fortè veniret ille cuius eſſet pecunia, ad quem cum veniret plorans, acceſſit inquirens interſignia, eiq; exhibuit. Cum autem ille vellet partem dare, & ille nullatenus vellet accipere, clamabat aduenientibus. Venite ad hominem Dei, videte quid fecit. Ille autem fugit, ne agnoſceretur, & honoraretur.

Exempla.

ITEM cum in vrbe quadam, quidam pauper inueniſſet ſacculum cum multis aureis, tulit ad domum ſuam, vt ſeruaret illi qui amiſerat. Cum autem præco E clamaret, ſi quis inueniſſet pecuniam talis mercatoris, ſi eam redderet, medietatem ei daret ille qui amiſerat. Audiens hæc pauper ille, adduxit eum ad domum ſuā, & agnito quod ſua eſſet, reddidit ei pecuniam integrè. Ille autem attendens viri paupertatem, & fidelitatem, & familiæ ſuæ, cogitans quod melius eam non poſſet erogare, totam ei dabat, cum autem nollet accipere, vel eam, vel de ea aliquid: Ille egreſſus domum, proiecit eam intus, abiens. Cum autem nollet recipere pauper, clamauit poſt eum: Latrones, vterque iudici preſentantur; requiſitus cur ſic reclamaſſet poſt mercatorem, ait: Verè latronem exhibeo, quia mihi volebat ſurripere duo de maioribus bonis quæ habeā, paupertatem ſcil. & fidelitatem; proiiciens in domo mea pecuniam

cuniam quam sibi restitueram ex fidelitate mea: & voluit quod eam retinerem, vt paupertatem meam, & fidelitatem amitterem. Ad hoc faciunt multa exempla *infra lib. 3. de auaritia*, quæ dissuadent auaritiam, & per consequens suadent paupertatem.

Item paupertas philosophorum paganorum.

ITEM ad hoc faciunt exempla philosophorum paganorum, qui non propter æternæ retributionis præmiũ, sed propter vanæ laudis commercium, & vanæ philosophiæ liberius habendum studium, paupertatem elegerunt. In vita B. Ioannis Euangelistæ legitur, quod cum in quadã ciuitate Asiæ, quidã philosophus Chrato nomine, cuidam iuueni qui gẽmas habebat pretiosissimas, ita prędicauit contemptum mundi & diuitiarum, quod coram omni populo eas fregit, redigens in fragmenta parua. Vbi cum superuenisset B. Ioannes, doctrinam hanc ostendit reprehensibilem esse, ex eo quod non propter veram Dei gloriam, sed propter vanam, hoc factum est: & quod potius gẽmæ fuissent vendendæ, & pretium pro Deo erogandum pauperibus, quam frangendæ. cui cum promisissent tam iuuenis quam philosophus, quod ad Christum conuerterentur, & consilium suum de hoc facerent, si eas precibus reintegraret: facta oratione coram omni populo, eas in integrum reparauit.

Exemplum.

ITEM refert Hiero. de quodam, quod cum pergeret ad Athenas, ad philosophiam addiscendam, & virtutes acquirendas; maximam auri massam quam secum ferebat (considerans quod non posset simul aurum & virtutes possidere) à se proiecit, dicens: *O diuitiæ, abite hinc procul à nobis.* Itẽ Diogenes vt melius philosophiæ vacaret, degebat in dolio iuxta fontem, habens dolium pro tecto, olera pro cibo; resecans à se omnem superfluitatem: & sic sibi sufficiens, locupletẽ ducebat vitę paupertatem. Ad quem cum venisset quidam aulicus, & inuenisset eum ad fontem, olera sua lauantem, ait ei: Cum sapiens sis philosophus, si mihi credidisses, non olera lauares, sed in aula regia, summus princeps mecum maneres. Cui respondens ait: Et tu si mihi credidisses, & paupertate mediocriter vti noluisses, nõ oporteret te regibus adulando blandiri, & mentiri. *Hic etiam* cum vidisset quendam veniẽtem ad fontem, & aquam fontis bibentem cum duabus manibus, proiecit vasculum quod ad bibendum habebat dicens: *Nesciebam naturam mihi de cypho prouidisse.* *Item* alius cum ferret aurum, proiecit in mari, dicens: *Ite pessimæ diuitiæ, malo submergere vos, quam submergi à vobis.*

ITEM ad hoc facit exemplum Brachmannorum, de quibus B. Hiero. in prologo Bibliæ mentionem facit, qui dicuntur nudi sapientes; de quibus Papias ait, quod Brachmanni sunt Indi, religiosam vitam ducentes in plaga orientali, quæ est versus paradisum. de quibus dicitur in hystoria transmarina, quod sunt populi timidi, habitantes in India, de herbis & fructibus viuentes, & aquam fluminis bibentes, separatim à suis vxoribus habitantes, & ad eas per fluuium venientes, nec cum eis coeuntes nisi semel in anno, tẽpore ad hoc certo, causa prolis procreandæ. Vxores autẽ si pepererint filios, postquam educati fuerint, eos à se separant, & relinquunt suis patribus: si fœminas, eas apud se matres detinent. Hi nec habent domos, nec agros, nec possessiones, nec causas, nec lites: quia nec habent proprium. totus eorum labor est, vacandi diuinæ sapiẽtiæ & summæ. Vnde eorum sapientiorem eligunt, quem sibi dydascalum, & regem constituunt, quem docentẽ de diuinis naturis, & de moribus, audiunt, & ei obediunt. De quibus cum audisset Alexander loqui, scripsit Dandamo eorum dydascalo, quod volebat eos honorare propter suam sapientiam, & quod ipse paratus erat eis dare quicquid ab eo petissent. Inter alia autẽ quæ scripsit ei Dandamus, scripsit hoc. Nos nec guerras nec lites habemus, quia nec possessiones, nec propria habemus, sed de terræ graminibus, & radicibus, & fructibus, cõmuniter accipimus, prout indigemus ad cibum; & aquã fluminum ad potum: & quia superfluitates non habemus, infirmitates non habemus. Nos Brachmani,

Mores & vita Brachmãnorum.

A ait, simplicem & puram vitam ducimus, nihil volumus habere plus, nisi quantum nostra natura exigit: omnia cum patientia sustinemus, necessariis ad vitam cõtenti sumus: & id iudicamus necessarium, quod non est superfluum. hostes interiores occisos habemus, vnde exteriores non timemus corpora de foliis arborum operimus, de quorum fructibus ea reficimus. lac comedimus, & aquam de fluuio bibimus. laudes Deo semper canimus, & desideramus vitã futuri seculi. diuitias non amamus, quia insatiabilis est earum cupiditas. quæ ad paupertatem solent adducere, possunt acquirendi finẽ facere. Et post multa huiusmodi, ait Dandamus. Rogamus te vt cum moriemur omnes, des nobis immortalitatem, quam super omnia desideramus, & tibi in perpetuum seruiemus. Cum autẽ rescripsisset Alexander: Ego cum sim mortalis, hoc quod petitis quomodo vobis conferre possum. Rescripsit ei dictus Dandamus. Tu ergo cum sis mortalis, quare tot mala faciendo discurris. Quidam dicunt quosdam istorum vocari gymnosophistas, & nudos sapientes, qui habitant in speluncis in partibus illis nudi, vacantes summæ philosophiæ, i. gymnasiis sapientiæ vel sophiæ.

B

ITEM in lib. de vita Brachmannorum legitur, quod cum Alexander Magnus penetrasset interiora Indiæ, & venisset ad siluã Dandami regis & dydascauli Brachmannorum, misit nuncios ad eum, qui inueniẽtes eum iuxta fontem, sub quadam arbore super folia, in pace quiescentem & meditantẽ: dicunt ei, quod Alexander Magnus humani generis dominus, miserat eos vt ei dicerent, quod veniret ad eum in pace, plura munera susceperus; & quod si non veniret, capite plecti faceret contemptorem. Qui ait: Iste solus dominus meus est, qui homicidia vetat, & bella non concitat. Alexander autem & bella concitat, & homicidia facit. Quare munera sua alij promittat, quia de eis non curo: quia sunt inutilia. ego mori non timeo, sed si caput abstulerit, animã auferre non potest. hoc minetur Alexãder his, & spondeat, qui diuitias appetunt, & mori metuunt: ego autem nec quicquam eorum quæ ad ipsum pertinent appeto, aut mori timeo. Quod cum audisset Alexãder, quod nulla eorum quæ sua erant volebat aut eis indigebat; & quod ipse ad eum non veniret, quia nec suo nec suorum aliquo indigebat: sed ipse si eo indigeret, ad eum veniret; exarsit ad eum videndum, & latenter cum paucis iuit ad eum: & inueniens eũ vbi erat prius, sedit ad pedes eius Alexãder. Cui ait Dandamus: Quid tu de nostris sollicitudinibus affectas, quia quod vos cupitis, nos non curamus; quod nos habemus, vobis non esse necessarium iudicatis. nos honoramus Deum, amamus homines, negligimus aurum, mortẽ contemnimus: vos econtra timetis mortem, honoratis & appetitis aurum, & cõtemnitis Deum. Et post multa alia sequitur. Omnia possidemus quæcunque cupimus; ferocissima pestis est cupiditas, quæ solet eos quos capit egenos efficere, dum finem acquirendi non inuenit, sed magis quo locupletata fuerit, magis mendicat &c. & per contrarium amor paupertatis, quanto magis habetur, magis efficit locupletes.

C

D

E

Quarto ad amorem paupertatis mouere debet ingẽs vtilitas incunctanter proueniens. Paupertas enim reddit hominẽ puriorem, promptiorem, lætiorem, quietiorem. *Primo quidem* paupertas reddit hominẽ puriorem: purgat enim sordes mentis, sicut ait Greg. hom. 20. secundæ partis Euangel. vbi loquens de Lazaro ait: *Mala Lazari purgauit inopia, & bona diuitis remunerauit fælicitas præsentis vitæ.* Illum paupertas afflixit, & creuit: istum abundãtia remunerauit, & repulit &c. Sequitur. *Cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis: nolite despicere, nolite desperare; quia forsitan quod superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat.* Sequitur. *Eorum vitam magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinẽ perducat.* Vnde paupertas dicitur fornax vel caminus. Isa. 48. *Eligite* .i. electum & purum facite, *in camino paupertatis.* Apoc. 1. *Pedes filij hominis* .i. Angeli qui tenebat figurã Christi, *erãt similes aurichalco,*

4. *Ingens vtilitas ex paupertate prouenions.*

1. *Paupertas reddit hominem puriorẽ.*

sicut in

ſicut in camino ardenti. Pedes eius pauperes ſunt, qui ſunt in corpore myſtico præſentis Eccleſiæ, inferiora membra & abiectiora; quæ in præſenti, paupertate purgantur. Item in vitiſpa. dixit ſancta Sinclatica. *Perfectum bonum eſt in hoc mundo nihil poſſidere: quia qui nihil poſſident, tribulationem carnis habent, ſed mentis requiem tenent.* Sicut fortia veſtimenta pedibus cõculcantur, & dealbantur; ſic fortis anima per voluntariam paupertatem purificatur, & fortius confirmatur.

2. *Paupertas reddit hominem prõptiorem.*

Secundo paupertas facit hominẽ promptiorem; exonerat enim à pondere terrenorum, faciens hominem leuem & agilem ad ſequendum Chriſtum; liberum & expeditum à præſentibus periculis multis: quod patet ſanctorum multis auctoritatibus. Greg. in Moral. *Liberius ad patriam tendimus, eo quod in via pondere caremus.* Idem: *Terrena ſubſtantia æternæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium.* Item Aug. de verbis Domini: *Abite, abite onera diuitiarum, abite vincula voluntaria, abite anxietates & tædia, quæ te plurimis annis inquietant.* Item Hiero. in Epiſt. *Si habes, vade & vende & da pauperibus: ſi non habes, à grandi opere liberatus es.* Item Greg. *Qui mihi onus diuitiarum abſtulit, me ad currendum citius expediuit.* Item Bern. *Paupertas leuem facit hominẽ vt currat, humilitas modicum vt lateat, patientia fortem vt ſuſtineat: diabolus onerat hominem diuitijs & vitijs, vt corruat; inflat per altam viam incedens, vt decidat; frangit, vt deficiat.* Et ſuper illum locum Apoſt. 2. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & laqueos diaboli*, &c. dicit: *Heu quam paucos inuenies qui ab hoc laqueo exultẽt ſe liberari; ſed quam multos qui dolent, quia parum ſibi vident irretiri: & ab hoc quantum poſſunt, ſe magis magiſq; inuoluere irretireq; laborant.*

Sapientes nautæ vt euadent periculum maris & tẽpeſtatum, & ad portum optatum poſſint peruenire; ſcientes ſe nimis oneratos, proiiciunt in mari quæcunque pretioſa. vt ille philoſophus, qui nauigans per mare cum diuitiarum pondere, in tempeſtate timens ſubmergi, proiecit eas in mari, dicens: *Ite peſſimæ diuitiæ, malo ſubmergere vos, quam ſubmergi à vobis.* Sic ſapientes timentes pericula mundi, & tempeſtatem futuri iudicij, ne cum eis ſubmergantur in inferno, proiiciunt eas propter Deum, eis abrenunciando, ne mergant eos in infernum, & perditionem. Deut. 17. *Non habebit rex auri & argenti immenſa pondera.* Gloſ. ibi. *Ad infernum mergentia.* Ion. 1. *Miſerunt nautæ in tempeſtate vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt nauis alleuiaretur & euaderent tempeſtatem.* Similiter Actor. 27. *Nautæ videntes ſe in periculo tempeſtatis, propter onus nauis iactabant triticum in mari, vt alleuiaretur nauis, & euaderent.*

3. *Reddit hominem latiorem.*

Tertio paupertas reddit hominem lętiorem. Nempe quia ſancti viri non habent in mundo iſto, quod inordinatè diligant, & amant paupertatem; de defectu vel amiſſione temporalium non dolent, quia ſic augetur quod diligunt. Vnde Iſa. 29. *Pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.* Et Hebr. 12. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Et Iob 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit* &c. *ſit nomen Domini benedictum.* Non ſic auari, qui quaſi ſe, immo pluſquam ſe, diuitias diligunt. vnde quando comburuntur res ſuæ, dicunt ſe combuſtos; cum tẽpeſtantur, contẽpeſtatos: quia propter amoris adhęrentiã, quod res eorum patiũtur, dicunt ſe paſſos.

Exemplum.

Vnde cum in quadam parrochia attriuiſſet tẽpeſtas bona omnia, & veniſſent ad eccleſiam ſequenti Dominica parrochiani, & murmurarent contra Deum: quidam eorum lætus Domino benedicebat. Cum autem alij quęrerent quare non doleret; reſpondit, quod ſocium habebat, cum quo ſi fidelis eſſet, nihil poterat amittere: & iſte erat Deus, qui ita ei erat ligatus, quod nihil faciebat niſi quod ipſe vellet. Cum autẽ eum accuſarent coram Capellano ſuo, tanquam loquentem erronea; reſpondit, quod verum diceret: quia ipſe in corde ſuo ſtatuerat, quod ſe in omnibus voluntati diuinæ conformaret, prout poſſet & ſciret, nec de aliquo facto ſuo murmuraret, nec in aliquo ei contradiceret: ſed quod ipſe vellet facere tanquam Dominus, hoc ei gratum eſſet: & quia nihil volebat niſi quod Deus volebat, Deus faciebat quicquid ipſe volebat; quia Deus faciebat hoc totum, & nihil contrarium.

Veri pauperes ſunt læti quando non habent vnde ſint ſolliciti, nec timent amittere, nec dolent vel curant de rerum amiſſione: vt ille adoleſcens faciebat, de quo Matth. 19. cum dixiſſet ei Dominus: *Vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus.* Subditur. *Abijt triſtis: multas enim habebat poſſeſſiones.* Sen. *Sæpe pauper fidelius ridet, nulla enim in alto ei eſt ſollicitudo.* Idẽ. *Qui fælices vocantur, in eis hilaritas falſa eſt, & grauis triſtitia; eo quidem grauior intra, quia interdum non licet eis palam eſſe miſeros, ſed interdum cor ipſum excedentes, neceſſe habent agere ſelicem.*

Exemplum.

Aug. in lib. Confeſſ. loquitur de quodam mendico exhilarato. *Ille* inquit *lætabatur, ego autem anxius eram; nimirum nõ tantum quia hilaritate perfundebatur, cum ego curis vrerer: verum quod ille bene operando vinum acquiſierat, ego autem mentiendo quærebã ciphum.* Item bene felix læta paupertas, ſicut paupertas cuiuſdam, de quo legitur in vitiſpa. quod cum veniſſent quidam patres ad quandam vrbem, & eſſent in ſolario; & quidam eorum exiuiſſet ad feneſtram, audiuit quendam pauperem, qui exiuerat ad vrinam in hyemali frigore, qui iacebat in napta: cum rediret ad eam dicebat; gratias ago tibi Deus, quia quam multi ſunt reges & magni, conſtricti cõpedibus in inferno, vel alibi capti; qui non poſſunt ſe extendere, aut pedem mouere: ego autem quaſi vnus Imperator, ſub napta iſta, quomodo volo me extendo.

Exemplum.

Item ad idem facit, quod quidam diues valde pecunioſus, habebat domum ſuã maximam cõiunctam tugurio pauperis cuiuſdam laboratoris. Cum autẽ diues in loco ſuo & camera, præ ſaturitate & ſolicitudine torqueretur, nec poſſet dormire: audiebat pauperem iuxta igniculum ſuum cum pueris ſuis lætãtem, & per reſiduum noctis in pace dormiẽtem, vſquequo in mane, eũ vxor ſua excitaret à ſomno vix ad laborẽ. Quod audiens diues inuidẽs eius lætitiæ, cogitauit quod eum faceret participem ſollicitudinum & miſeriarum ſuarum: & ſurgens de nocte aperuit oſtium domus pauperis, quod non erat multum ſerratum; & burſam pecuniæ pependit ad oſtij cauillam; quẽ mane inueniens pauper, & videns quod erat pecunia, noluit ire ad laborẽ ſolitum, timens ne ſibi furaretur: ſed gemens & ſollicitus quid inde faceret, vt vicini ſui vel vxor ſua neſcirent eum inueniſſe illam, & vnde veniſſet, Poſuit eã in ſtramine lecti ſui, fingens ſe infirmum, iacens ſupra vſque quo deliberaſſet quid inde faceret, & dũ per plures dies ſic affligeretur, nec cantaret de nocte more ſolito; intrauit domum eius diues, quærens eum: & cum vxor ſua eum aſſereret infirmum in renibus; ego inquit ſcio vnde curem eum: & accedens ad eum, ait ei in ſecreto; redde mihi pecuniam meam quam in tali loco accepiſti, alioquin faciam te ſuſpendi: qui timens reddidit pecuniam, & recuperauit ſolitam lætitiam.

Maxime autem in morte conſueuerunt lætari beati pauperes: Scientes quod liberantur à preſenti miſeria, & ſperantes de mercede ſibi debita, & lætitia futura: econtra diuites dolere, pro diuitiarũ amiſſione, & paupertatis futuræ metu. Eccl. 16. *O mors quam amara eſt memoria tua homini iniuſto, pacem habenti in ſubſtantijs ſuis*, &c. Et poſt ecõtra. *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti*, &c. Confidit enim de amico fideli Chriſto, cui fuit ſocius in paupertate fidelis, vt ſit ei ſocius in cõſolatione. Eccl. 22. *Fidem poſſide cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis illius poſtea lęteris: in tempore tribulationis permane illi fidelis, vt in hæreditate illius cohæres ſis.*

Exemplum.

Item ad hoc facit exẽplum poſitum ſupra de timore naturali, de paupere peregrino, de quo legitur in vitis Patrum, quod cum quidam pauper rogaſſet Deum, vt ei oſtenderet qualiter egrederetur ab hoc ſeculo, anima iuſti pauperis; affuit ei lupa, ducens eum per veſtẽ vſque ad villam: in cuius platea vidit pauperẽ peregrinum iacentem, ſine alicuius auxilio, in extremis laborantem; ad cuius tranſitum vidit miſſos duos Archangelos Michaelem & Gabrielem, vnum ad eius dexterã, & alium ad ſiniſtram, expectantes animam vt exiret de

corpore:

corpore: & cum illa timeret naturaliter egredi, & differret; ait Michael Gabrieli vt eã tolleret, & redirent. Respõdit quod à Domino receperat in mandatis, quod sine omni pœna ei deferret, quia satis in mundo de pœna sustinuerat: tunc ea dolente egredi, missus est Dauid de cælo cum cythara & cantoribus suis: Ad cuius cantici dulcedinem, anima illa cum lætitia statim exiliit à corpore, inter manus Angelorum, cum quibus est ad cælum cum gaudio deducta.

ITEM ad hoc facit hoc quod dicit B. Greg. 4. dial. 15. de transitu seruuli. *Sæpe animabus electorũ exeuntibus, dulcedo solet laudis erumpere cælestis; vt dum illã libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire, minime permittuntur.* Et *Exemplum.* ponit exemplum de seruulo paupere rebus, sed diuite meritis, qui Romæ iacebat in quodam porticu paraliticus, gratias agens, & eleemosynas sibi datas aliis largiens, qui cum præsentiret exitum propinquare, monuit assistentes secum Psalmos cantare: cumque cum eis psalleret, psallentes cõpescuit cum voce magni clamoris dicẽs: Tacete, tacete, nunquid non auditis quã tæ resonent laudes in cælo? Et dum ad easdem laudes quas intus audierat, aures cordis intenderat, sancta eius anima carne soluta est, & omnes qui affuerunt inæstimabili suauitatis fragrantia odoris sunt repleti.

4. Paupertas reddit hominem quietiorem. *Quarto* paupertas reddit hominem quietiorem, quia facit eum esse quietum in se; auferendo sollicitudines rerum mundialium, quæ mentem hominis inquietant: sicut patet per exẽplum suprapositum, de diuite & paupere vicino: & facit quietum esse cum aliis; sicut ait Seneca. *Quietissime viuerent homines, si hęc duo pronomina, meum & tuum, tolerentur de medio*, i. si non haberent proprium. Ideo Brachmani, vt scripsit eorũ rex Alexandro, quietissimẽ viuebant, nec guerras, nec lites, nec causas inter se habebant; quia nihil propriũ habere volebãt: secundum etiã Bern. *meum & tuum fecit infernum.* Quoniam autem paupertas liberum facit & quietum, à causis, & guerris, & curis (nullus enim pro ea obtinenda litigat, aut mouet guerras, cum omnes vere refugiant, & laborent quomodo eam effugiãt, licet sit bona) mirabile dicit de ea quidam philosophus nomine Secundus, *paupertas est bonum odibile, mater sanitatis, curarum remotio, reparatrix sapientiæ, negocium sine damno, possessio sine calumnia, sine sollicitudine fælicitas.* Ipsa enim sanitatẽ generat, quã superfluitas exterminat, & cum curas abijciat, sapientiæ libere vacat, est negociatio in qua nullus amittit suum capitale, & nullus alium laborat circunuenire, nec decipere; aut furari ei paupertatem suam. Ideo possessio est sine calũnia, & fælicitas, pro qua custodienda non oportet esse sollicitum, quia nullus vel rarus ei inuidet, aut insidiatur vt eã alicui surripiat. Ideo nonnulli elongãt se à mundo, fugientes ad solitudines claustri & eremi, vt ibi in paupertate degentes, liberi & quieti sint à curis rerum mundi, à quibus mundani diuersimode afficiuntur. vnde quia paupertas exonerat, faciens hominem expeditum & promptum ad currendum post Christum, vt dictum est, facit etiam hominẽ quietum. Ideo Christus posuit eam primarium fundamentũ christianæ religionis, dicens Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* Collocauit enim eam quasi primariũ lapidẽ in fundamento. Similiter & sancti patres nostri Franciscus, & Dominicus, religiones suas sanctas fundauerunt super fundamentum solidum paupertatis, exemplo Christi, qui dicit. *Qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram* idest supra Christum pauperem, quam nõ potuerunt euertere, nec pluuia irruens, nec vẽti, nec flumina, vt dicitur Matth. 7. Sed quæ fundata est super arenam idest super terrenas possessiones, subtracto temporaliũ fundamento, cito corruit.

Paupertas primarium fundamentũ Christianæ religionis.

Paupertas est mater & nutrix & custos religionis. ITEM notandum quod paupertas est mater & nutrix & custos religionis. Religio autem reperit diuitias & possessiones; quia pro remedio animarum suarum, possessiones relinquebant homines, & diuitias; & dabant vbi religio apparebat, & vbi maior, libentius maiores; diuitiæ autem & possessiones temporales, pauperes religiosos fugauerunt: & vt Iudæi Stephanum, qui regula interpretatur) religionem occiderũt, & regulares obseruantias lapidauerunt. Iam enim in claustris non est studium sacrorum librorum, sed strepitus causarum & litigiorum terrenorum. In capitulis non est tam correctio culparum, quam computatio rerum terrenarum, plus sunt ibi virgæ ad ostentationem, quam ad vitiorum fugationẽ. In ecclesijs & choris plus habẽt multi affectionem ad temporalia, quam ad spiritualia, vel Dei verba, plus cogitant & vacant terrenorum occupationi, quam orationi, in refectorio plus dominatur ferculorum & potuum superfluitas, quam temperantiæ sobrietas, plures sæpe introducit ibi Simon magus, quam Simon Petrus; vel pactum temporalis commodi, quã amor Dei. Aliqui etiam nobiles sicut canes qui catulos suos nutrire non sufficiunt, qualicunque prece vel pretio, vel carnis intuitu, eos ibi reijciunt, etiam adeo multi non curant de religione, & honestate, quod potius videntur Goliardi quam monachi; quia nihil habent de monacho, nisi floccitum & tonsuram, vel possessiones & diuitias. *Similes* sunt pullis vulturũ, de quibus dicunt naturales, quod postquam increuerũt, enutriti à parentibus, qui sibi prædas suas subtraxerunt, vt eos nutrirent; postquam patres debilitati sunt & attenuati, & pulli ditati & augmentati & roborati, eos à nido suo expellunt; quem expulsis eis occupant. sic diuitię temporales, religionem & paupertatẽ propter quas datæ sunt locis sacris, ipsam religionem & paupertatẽ eiecerunt, curis & occupationibus temporalibus ibi introductis. *Simile.* *Item* dicitur quod auis qui dicitur cuculus in *Simile.* nido cuiusdam auis paruæ, ponit oua sua, & illius oua absorbet: auicula autem fouet oua cuculi, & nutrit vt proprios, pullos eius; qui postquam creuerunt, & inualuerunt, occidunt auiculam quæ eos nutriuit. Sic mundus, temporales possessiones, & curas temporaliũ, ponit in locis religiosis, fouendas; quæ postquam fortes sunt & augmentatæ, suis sollicitudinibus religionem suffocant. Hæ sunt spinæ sollicitudinum diuitiarũ, quæ postquam creuerunt in religione, suffocauerunt triticum spiritualium bonorum. hæ sunt zizaniæ discordiarum, quę generant lites, & æmulationes, & suffocationem tritici, de quibus Matt. 13. & Luc. 15.

Paupertas generat securitatem, opulentiam, humilitatẽ & patientiam. ITEM dicas, quod paupertas sancta, generat securitatem & opulentiam, humilitatem & patientiam, hæc est enim sponsa Regis altissimi quã non decet esse solam, sed habet istas comites ante dictas. *Primo quidem,* *1. Securitatem.* domina paupertas sociam habet securitatẽ, immo ipsa facit homines securos à latronibus & calũniatoribus. est enim vt dicit Secundus philosophus, *bonum odibile, negocium sine damno, possessio sine calumnia.* quia dicit Poëta: *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Sen. *Nudos, latrones transmittunt, & obsessa via pauperi pax est.*

Exemplum. IN vit. pa. legitur, cum beatus Hylarion relictis omnibus, puer ad exemplum beati Antonij, ad eremum confugisset, vt ibi in summa paupertate, sibi facto tugurio viueret, latrones volentes eum inde fugare conuenerunt, & tota nocte circa eius tuguriũ errauerunt. In mane autem eo inuento, dixerunt ei; quid faceres si venirent ad te latrones? ait, non timeo eos, quia nudus latrones non timet. & cum illi dicerent, possent te occidere; ait, nec sic eos timeo, quia mori paratus sum.

Exemplum. ITEM legitur de quodam Rege, misso à Romanis ad explorandum quasdam terras, qui vt securius iret per mare & terras, reliquit regem in litore, i. regium habitũ; & sumpto rupto & vili, iuit securus in eo. Vnde de eo dicitur *Regẽ parere iubenti Ardua non pinguis, positisque insignibus aulæ Egreditur; ruptos famuli indutus amictus. In dubiis tutum est, inopem similare tyranno.* *Exemplum.* Quanto igitur mundi Dominus securius, cum verus pauper, agit. q.d. securius viuit verus pauper, dominis mundi, cum confinxit dictus rex paupertatem, propter habendam securitatem, dę quo subdit, *dimissoque in litore rege*, i. regio habitu, ipse per Britanniæ scopulos, & per alia loca multa quæ subdit, iuit securus in simulata paupertate.

AD hoc facit exẽplum quod legitur in libro de vita Brachma-

Brachmanorum: vbi dicitur quod audiens Alexander de paupertate, & vita, & moribus & ſapiẽtia Brachmanorum. Latenter cum paucis, ſci. cum decem ſuis ſpecialibus amicis, depoſito regio habitu, venit ad Dandamum, & ipſum inueniens, ſalutauit eum reuerenter, & ſedens ad pedes eius, rogauit eum, vt ſibi impartiretur de data ſibi à Deo ſapientia. Cum autem Dandamus ei multas ſui ſtatus miſerias & malitias retuliſſet, recognouit ita eſſe vt ipſe aſſerebat, dicẽs: Ego, inquit, inter tumulta & formidines viuo: plurimos ex ipſis qui me conſtipant & cuſtodiunt timeo: maior mihi ſemper ab amicis metus venit, quam ab hoſtibus quos vereor: eorum cõſtipatione ſemper cuſtodior: diebus totis varias gentes perſequor & fatigo, noctibus ſomnus me turbat & fatigat: timeo ſemper ne quis inimicus repẽtinus in me impetum faciat, & cætera multa. Securius ille pauper Dandamus viuebat Alexandro, iacens ſcil. ſuper terram ſub arbore nudus, quam Alexander gẽmis & purpura & auro ornatus; ſicut dicit Glo. Aug. 2. Corin. 8. ſupra illud: *Chriſtus cum eſſet dives factus eſt pauper. Pauper in arca, dives in conſcientia, ſecurius dormit in terra, quam dives in auro & purpura.*

Exemplum.

Paupertas reddit abinuidia ſecuros.

ITEM paupertas voluntaria facit ſecuros à duplici impugnatione diaboli per peſtem inuidiæ. Ber. in quibuſdã dictis. *Paupertas voluntaria à gemina pugna diuitum huius mundi ſecuros reddit, à propria ſcil. inuidia, & aliena.* Paupertas enim dum pura miſeria, aliena caret inuidia: & quia eſt voluntaria, nemini quicquam inuidet. *Sola*, vt dicit Boët. *miſeria caret inuidia. Item* paupertas ſecuriores facit pauperes in præſenti ab hoſtibus ſpiritualibus, i. dæmonibus & vitiis, quam diuites; quorum procedit iniquitas, quaſi ex adipe diuitiarum & deliciarum. quia abundantia diuitiarum & deliciarum, ſunt incitamenta & fomenta vitiorum & tentamentorum, & materia eorum; quæ vbi deficiunt, extinguitur ignis malarum concupiſcentiarum. Prou. 26. *Cum defecerint ligna extinguitur ignis.*

Item reddit ſecuros ab hoſtibus ſpiritualibus, & in futuro iudicio.

ITEM paupertas voluntaria reddit pauperes in futuro iudicio ſecuros; quia ſicut vulgariter dicitur, *Qui nihil habet, nihil cadet ei*; ita qui nihil habuit, & qui omnia propter Deum reliquit, nihil exigetur ab eo. Cum de omnibus bonis tẽporalibus ratio diſtricta à diuitibus, quibus cõmiſſa ſunt, exigetur; à dictis pauperibus, non ſolum non exigetur, ſed vt dicitur Iob 26. *Deus pauperibus iudicium tribuit.* Hiero. in epiſt. ad Eliodorũ ait: *Ecce de cælo tuba canit, ecce debellaturus mundum Imperator ſummus egreditur, & de ore eius gladius bis acutus, à via quoque deuiantes aggreditur: tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis*, &c. Et poſt ibi. *Reges potentiſſimi quondam nudo latere palpitabunt: tunc tu pauper ruſticanus, videbis, ridebis, & dices: Ecce Deus meus, ecce Saluator meus, filius cuiuſdã paupercule quæſtuarię; Deus hominem fugiens in Ægyptum, iudicabit orbem terrarum; hic qui quondam indutus eſt coccino, & ſentibus coronatus.* Securi erunt qui poterunt dicere ibi Domino, quod dixit Petrus Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Exemplum.

ITEM cum quidã monitus fuiſſet ad ordinis introitum, & deliberaret apud ſe, quid ei ſuper hoc expediret: & videretur quod in ſecuro ſtatu & bono eſſet; qui ſatis, vt videbatur ei, ſobriè & caſtè & piè in ſeculo viueret, & bene temporalia ſibi credita diſpenſaret: apparuit ei Dominus dicens: Et ego propter te, tot & tanta dimiſi, tot & tanta ſuſtinui, & quid reſpondebis mihi, & quid pro me dimiſiſti aut ſuſtinuiſti? recordare paupertatis meæ, tranſgreſſionis meæ, & vilitate abſinthij, & fellis, & doloris corporis, & cordis anxietate. At ille cum non haberet quid reſponderet ad hoc, obmutuit, & erubuit, & hæc confuſio, eum ad ſecuriorem & perfectiorem ſtatum adduxit.

2. Paupertas dat opulentiam.

SECVNDO paupertas dat opulentiã, faciens hominẽ diuitem & abundantem, quia ſufficit ei id quod habet: ſine ſufficientia autẽ nemo poteſt eſſe dives, cum hac nemo pauper. Vnde verſus. *Cui ſatis eſt quod habet, ſatis illum cõſtat habere.* Prou. 13. *Eſt quaſi dives cum nihil habeat, & quaſi pauper cum in multis diuitijs ſit.* Itẽ idem 15. *Melius*

A *eſt parum cum timore Domini, quam multi theſauri inſatiabiles.* Pſal. 36. *Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorũ multas.* Aug. Fælix chriſtiana religio in qua facilis eſt tranſitus, ad omnium contẽptum diuitiarum. 1. Cor. 6. *Tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes:* quia ſibi ſufficientes, putabantur omnia poſſidere, non ſolum ſpiritualia, ſed etiam temporalia, quia *nihil deeſt timentibus Deum.* Hæc enim fuit gloria Apoſtolorum, nihil poſſidere, ſine ſollicitudine eſſe, & tam res, quam dominos earum poſſidere; quia omnia ante pedes eorum ponebantur, & ipſi eis ſubdebantur. 2. Cor. 8. *Altiſſima eorum paupertas, abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* Amare autem paupertatẽ, & ſibi ſufficere in illa, facit maximè exẽplum Chriſti charitatis, & paupertatis eius. 2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Glo. id eſt charitatẽ; B *quoniam propter vos egenus factus eſt, cum dives eſſet, vt eius inopia diuites eſſetis. & conſilium in hoc do: Hoc enim vtile vobis eſt.* Gloſ. *Paupertatem aſſumpſit, & diuitias non amiſit, intus dives, foris pauper, latens Deus in diuitijs, apparẽs homò in paupertate, vt diuites eſſemus in ſpiritualibus per illius paupertatẽ: abiecimus pannos iniquitatis, vt indueremur ſtola immortalitatis, omnes diuites ſacti ſunt in paupertate, Chriſtum credentes.* Nemo igitur ſe contẽnat, pauper in cella, dives in conſcientia. Securius pauper dormit in terra, quam dives in auro & purpura. Non igitur expaueſcas ad eum accedere cum tua mendicitate, qui indutus eſt tua paupertate; *vbi ſe depauperauit, nos ditauit.*

TALIS pauper, ſ. temporalibus diuitiis, & dives meritis, & ſpe mercedis, erat Epiſcopus Smyrniæ, cui ſcripſit Dominus per B. Ioannẽ Apoc. 2. *Scio tribulationem* C *tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es.* Glo. *Spe remunerationis.* Vnde poſt. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Item* talis eſt ille de quo Eccl. 11. *Eſt homo marcidus abundans paupertate* &c. quia de ea poteſt habere quantum deſiderat. Tales fuerunt B. Dominicus, & B. Franciſcus, qui nullam prouiſionem poſſeſſionum, aut in communi, aut in particulari, retinuerunt ſibi vel ſuis, ſed in Deo omnem ſuam ſollicitudinem proiecerunt. *Item* Dandamus rex Brachmanorum Alexandro venienti ad ſe, ait inter multa alia. Omnia poſſidemus quæcunque non cupimus, quia de eis habemus quantum deſideramus. Eſt enim ferociſſima peſtis cupiditas, quę conſueuit quos capit egenos efficere, dum finem acquirendi non inueniunt, ſed quo magis fuerint locupletati, eo magis mendicantes & cupidi.

D VERE diuites facit ſancta paupertas voluntaria, quia theſaurizat in præſenti Chriſtum & gratiã eius, in cælo gloriam, vt dicit Aug. ſuper 2. Cor. 8. Chriſtus factus eſt egenus, vt eius inopia diuites eſſetis. *Pauper in cella, dives eſt in conſcientia, Chriſtum habens intra ſe, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientię Dei abſconditi.* Hier. in epiſtola, cuidam de cibo cogitanti. *Si Deus famem non patitur, affatim dives eſt qui cum Chriſto pauper eſt.* Prou. 21. *Theſaurus deſiderabilis* ſcil. gratiæ & virtutum, *& oleum* mundæ conſcientiæ *in habitaculo iuſti.* Bern. *O mira nouitas eius qui omnia noua facit, tollens iugum inuenit requiem, relinquens omnia habet centuplum*, Chriſtum ſcil. & gratiã eius, in centuplum plus valentem. In vitiſpa. requiſitus ſenex quid cogitandum in iuuentute. Reſpondit: Chriſtus acquirendus eſt, in quo vno habentur omnia, E tuum eſt eligere Deum aut mammona.

HVNC theſaurum quidam volentes emere, ſe vẽdiderunt, vt Chriſtum emerent ſui pretio. de quo refert Ioannes eleemoſynarius duo exempla. *Vnum* de Petro Telonario, qui viſione facta ſibi terribili, de paupere cui ex improbitate ſua dedit ſiliquam panis, cum dixiſſet ſibi iudex qui eum debebat iudicare & damnare, nihil inueniens in libra quod deberet ei valere niſi ſiliquam; reuertere ad vitam propter iſtam ſiliquam, & ſi vis ſaluari adauge ad eam: ex eo ſanus factus, cum venditis omnibus erogaſſet pauperibus; obuians nudo pauperi, exuit exoforium ſuum pretioſum, rogans vt veſtiens, eo vteretur, & oraret pro eo, cum eum videret. pauper autem erubeſcens pretioſitatem, vendidit eum. quod ſciens dictus ſanctus, flebat ſe non

Exemplum.

fuiſſe

fuisse dignum vt pauper sua vteretur veste. cui apparuit Dominus speciosior sole, super caput habens crucem; quærens si eum agnosceret, & exoforium s. quo indutus erat: quo respõdente quod sic; Ait Dominus: Noli flere, quia ex quo hoc vestimentum dedisti pauperi pro me, eo sum vestitus. qui ad se reuersus, paupe res beatificans, cogitauit quomodo eos imitaretur. qui venditis omnibus, & erogatis, Vno seruo retento, quẽ libertati donauit, per eum se fecit vendi in loco ignoto, & genti; & pretium erogari, vt eo Christum emeret. & annis pluribus pauper Christi seruiuit in coquina emptoris sui, pauper pro Christo, & diues meritis.

Exemplum. ITEM simile refert idem Ioannes eleemosynarius de sancto Serapione, qui Sidonius appellatus est, qui obuians pauperi, dedit ei amictum suum; post alteri nudo, tunicam suam; nihil retinens nisi Euangelium. sed cum nudus esset, quærentibus cur sic esset, ait, vendo & do pauperibus. quo facto etiam seipsum vendidit quibusdam smyrnis græcis, dans pretium sui pro Christo emendo. quibus cum seruisset diu humillime verbo, & vitæ exemplo, ad Dominum conuertit eos, acquirens hic gratiam, & gloriam in futuro.

Paupertas thesaurizat in cælo. ITEM paupertas thesaurizat in cælo. Matth. 19. dixit Dominus adolescenti: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Item Lucæ 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynas; facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesauros indeficientes, quo fures non appropiant, nec tinea corrumpit.*

Exemplum. SIMILIS est, eligens voluntariè paupertatem, illi filio diuitis, de quo refert Ioannes Damascenus in Barlaam, quem proposuit Barlaam regis filio Iosaphat, in exemplum dicens: Quod cum quidam diues desponsasset filio suo puellam nobilem & pulchram, timens iuuenis quod sibi poterat imminere periculum; antequam contraheret, à patre elabitur, fugiens & veniens, hospitio est receptus in domo cuiusdam agricolæ, qui rebus videbatur pauper, moribus & honestate diues. Attendens autem iuuenis, rogat & obtinet vt moretur cum eo, volens experiri & se informare eius moribus. Hic autem filiam habebat sibi, quã cum iuuenis videret sedẽtem in domo patris, laborantem assidue & laudantem Deum, quæsiuit ab ea quid & quare sic diceret. Cui illa respondit, quod Deum laudabat, cui nec sufficere valebat gratias agere pro susceptis iam beneficiis, multo minus pro maioribus quæ sperabat adhuc ab eo suscipere. & cum quęreret quę, cum nec esset dies, aut multum pulchra aut nobilis; respondit, quod de eo ipso nõ dolebat, quia in hoc subtraxerat ei Deus malam causam superbiendi; & quod non sufficeret pro solis beneficiis creationis, iustificationis, & redemptionis. Ad quarum occasionem attendens iuuenis eius sapientiam, postulauit eam à patre sibi dari in coniugem. Pater autẽ volens experiri eius constantiã & mores per annum; post, eam dedit ei vxorem. postea ducens in secretum cubiculum suum, ostendit ei thesaurorum suorum immensas copias & pondera quas habebat, præ cunctis diuitibus & glorioſis terræ, in quibus debebat fieri hæres suus. Sic qui contẽnunt honores & diuitias pro paupertate cui cõtrahunt in professione religionis, in fine obtinebunt infinitos thesauros patris Christi, qui hic apparuit pauper, secundum quod ipse ostendit in scripturis in præsenti, & exhibebit in fine.

3. Paupertas generat humilitatem. *Tertio* paupertas generat humilitatem: nam & vilitas habitus & victus, compellunt hominem ad sui humiliationem. Item homines mundani paruipendunt & abiiciunt pauperes, & sic eos cõpellunt resilire in propriã paruitatẽ. si petit eleemosynã mẽdicando propter Christum, necesse habet humiliter petere, quia scriptum est Prouerb. 19. *Cum obsecrationibus loquetur pauper.* Si loquitur inter magnos contemnitur. Sicut dicitur Eccl. 13. *Locutus est pauper, & dicunt* despectiuè scilicet, *quis est hic?* Si sapienter consulit, vilipenditur. Sicut dicitur Eccl. 9. *In ciuitate obsessa à Rege magno & potenti, inuentus est vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam.* Sequitur ibi quod *sapientia pauperis contempta est.*

A Super omnia autem quod mouere debet pauperem ad hoc quod sit humilis, est quia & mundus abominatur, & Deus ipse, superbiam paupertum detestatur. Eccl. 30. *Tres species odiuit anima mea, pauperem superbum,* &c. Item pauperes tanquam leues & expediti, sequuntur Christum relictis omnibus; & ideo ipsum in beatitudine prẽmij etiam consequuntur. sequuntur per viam perfectionis, consequuntur in mercede retributionis ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Vnde dixit Dominus Abrahæ Gen. 15. *Nolì timere, protector tuus ego sum, & merces tua magna nimis.* Pro hac mercede consequenda, Apostoli relictis omnibus secuti sunt eum. Lucę 5. *Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, & Leui siue Matthæus.* Bern. in ser. *Homines bonæ voluntatis, qui christiana pietate diuitias paupertate commutarunt, vel non habitas tanquam habitas cõtempserunt,* B *relinquentes omnia propter Christum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Bern. in ser. *Bene,* inquit, *Petre & nõ ad insipientiam tibi. Aliter enim gigantem sequi non poteras, qui exultauit ad currendam viam.* Bern. super Can. Trahe me post te, *libenter sequar, libẽtius fruar; trahi sua dulcedine est cum sequi, consequi est eo frui. Multi autem volunt Christum consequi, sed pauent sequi.* Idẽ Bern. super Cant. Quod *pauci post te Domine irę volunt, cum tamen ad te peruenire nemo sit qui nolit; scientibus cunctis, quoniam delectationes in dextera sunt, vsque ad finem. Volunt omnes te frui, sed non ita imitari; regnare cupiunt, sed non compati: non curant quærere, quantum desiderant inuenire; cõpati cupiunt, sed non pati.* Item Bern. in quibusdam sentẽtiis: C *Quidam non sequuntur Christum, sed fugiunt: quidam non sequuntur, sed præcedunt: quidã sequuntur, sed non consequuntur: quidam sequuntur, & consequuntur.* Nõ sequuntur sed fugiunt, qui peccare non desistunt. de quibus in Ioãne. *Qui male agit, odit lucem* &c. Ps. 72. *Qui elongant se à te peribunt.* Prẽcedunt qui magistrorum sententiis, suas præferunt. Nõ consequuntur, qui segniter & remisse agũt, vel qui vsque in finẽ non perseuerant, de medio itinere reuertentes. Cõsequuntur autem, qui viam humilitatis & paupertatis eius perseueranter imitantur, cuius imitationis fructus, est adeptio æternæ beatitudinis. Item sequi eum est imitari eum. Ber. *Imitemur eum inquantum possumus, qui sic dilexit paupertatem, quod licet in manu eius essent omnes fines terræ, nihil tamen habuit vbi caput reclinaret.*

D QVARTO paupertas comitem debet habere patientiam. Eccl. 13. *Diues iniustè egit & tremebit, pauper autẽ læsus tacebit.* Frequenter oportet pauperes contumelias audire, damna & iniurias sustinere, quia sicut dicitur Eccl. 13. *Venatio leonis onager in eremo, & pascua diuitũ pauperes.* Et Isa. 3. contra diuites impios dicitur. *Vos depasti estis vineã meã, & rapina pauperis in domo vestra.* Cõtra impios principes & iudices, qui leges iniquas instituunt in damnum & præiudicium pauperum, dicitur Isa. 10. *Vę qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt; vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium,* &c. Sed sicut ait Psal. 9. *Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.* Greg. homil. Euang. 15. primæ partis. *Quasi perisse patientia pauperum cernitur, cum nihil in hac vita pro illa recompensatur: sed patientia pauperum non peribit in finem; quia tunc eius gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Seruate ergo fratres in mente patientiam, eamque cum res exigit exercete in operatione. nulli vestrum contra proximum contumeliosa verba commoueant, nulla perituraru rerum damna perturbent. Si enim fixa mente mansura damna pertimescetis, damna transeuntium rerum grauia non putatis. Si æternæ retributionis gloriam conspicitis, de temporali iniuria non doletis.* *4. Paupertas generat patientiam.*

ITEM dicas quod amorem paupertatis mouere debet, quia veri pauperes habent Deum prouisorem, adiutorem, promotorem, susceptorem. Habent, inquam Deum prouisorem, qui in necessitate prouidet eis de vestimentis, alimentis, medicamentis, & huiusmodi, secundũ quod eis expedit. Propter quod 1. Pe. 5. *Omnem sollicitudinem nostram proiscientes in eum, quoniam* *Pauperes habent Deum prouisorem.*

ipſi cura eſt de nobis. Pſ.9. *Tibi derelictus eſt pauper* &c. Ideo dicit Matt. 6. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini* &c. Sequitur. *Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis*. Ipſe per coruos pauit Heliam, quia deferebant ei panem & carnes, mane & veſpere. Et per viduam mulierem. 3. Reg. 17. Multos etiam ſanctorum in carcere clauſos, & ab humano auxilio deſtitutos, pauit per ſemetipſum, eis apparendo, vt beatum Dionyſium & ſocios eius. per Columbam, vt beatam Catherinam. per Angelos, vt Heliam in deſerto, & Danielem in carcere, apportans ei Abacuc de Iudæa cũ cibis quos parauerat meſſoribus ſuis. Pſa. 67. *Paraſti cibum in dulcedine tua pauperi Deus.*

Exemplum. QVOD ſatis patet per exemplum Hyſnardi, Domini caſtri Dalfini, quod eſt in prouincia prope Folqualquerium. Cum enim dictus Dominus iuiſſet ad terram tranſmarinam, motus deuotione, tranſiuit vltra montem carmeli, vt ibi pro peccatis ſuis ageret vitam eremiticam, ibi degens in ſumma paupertate in deſerto. Cum autẽ conſumpſiſſet ibi paucos panes ſiccos, conuertit ſe ad herbas crudas comedendum, pro quarum cruditate & amaritudine, languidus & infirmus, conuertit ſe ad orationem, vt infirmitati ſuæ Deus miſereretur. cui compaſſus Deus, miſit coruũ, qui vnguibus & roſtro extraxit herbæ cuiuſdam radicem, quam ei exhibuit cognoſcendam; qua guſtata, ſenſit in ea mirã dulcedinem, & ſaporis ſuauitatem; & de illa aſſidue viuebat conualeſcens, & de riuo aquæ bibens. Cum autem quidam de ſeruis ſuis poſt ſeptẽnium transfretaſſet, iuit ad deſertum in quo degebat, inquirens eum; & inueniens, poſt mutuam agnitionem & allocutionem de multis; appoſuit ei menſam, radicem pro cibo, & aquã pro potu. & poſtea cum nollet redire dictus princeps, nec dimittere gratiam quam Deus ei fecerat, retulit ei ſupradicta, & remiſit eum. Dictus autem ſeruus aſſerebat, quod radix dulcedine & ſuauitate ſuperabat carnarium ferculorum delitias. Hoc refert magiſter Geruaſius in libro, quem fecit de mirabilibus terrarũ, & imperialibus ſolatijs. Ad hoc faciunt multa exẽpla ſupra de timore mundano. Et ſimiliter de timore humano: De Epiſcopo, qui timore humano, & afflictione ſuppliciorum, idolis immolans, fugit ad eremum; vbi per 80. annos vixit in fletu & oratione, pro peccato ſuo pœnitens, viuens de palma & fonte in tugurio, quod Deus parauerat ei. quo defũcto & ſepulto à fratre, qui ibi ſuperuenit, fons & palma ſtatim aruerunt, & tugurium cecidit. *Item* ad idem faciunt multa exempla infra poſita de gradibus miſericordiæ Dei, quomodo paſcit, & curat, & veſtit ſuos pauperes, atque ditat; de Paulo primo eremita, & Antonio, & de ſancto Frontonio & ſuis, & de monacho lapſo fugiente ad eremum, & cibo ſibi prouiſo, & hepate eius curato. *Item* ad hoc quod Dominus habeat curam pauperes ſuos paſcẽdi, & potandi, facit quod habetur infra de oratione, & panibus multiplicatis; quomodo ſcilicet oratio multiplicat, quomodo oratio paſcit, & potat. *Item* ad idem faciunt multa exẽpla illorum pauperum, qui recipere nolebant ſibi oblata, ne amitterent prouiſionem Dei, qui erat procurator eorum pauperum. de quibus habetur infra de auaritia, capitulo de acceptione munerum. *Item* de proprietate clauſtralium, habentur multa exempla, quomodo Deus prouidet victum, veſtitum & medicamentum. *Item* ad hoc facit quod legitur dial. Greg. libr. 2. cap. 3. Vbi legitur quod cum beatus Benedictus fugiens mundum, lateret in ſpecu, & diabolus fregiſſet campanam eius, ad cuius pulſationem Romanus monachus panem ei porrigebat; in die Paſchæ apparuit Dominus cuidam præsbytero, dicens. Tu tibi delitias præparaſti, & ſeruus meus tali loco fame cruciatur. qui ſurgens portauit ei quę præparauerat ſibi, & comedit cum eo, oſtendens quod eſſet paſcha.

Exemplum. ITEM in vitiſpatrum de quodam eremita legitur, qui congregauerat pecuniam, vt ſi forte contingeret eum infirmari, haberet vnde ſibi de cura prouideret. paſſus autem pedis infirmitatem, expendit quod congregauerat, & nihil ei profecit, ſed dixit ei medicus, quod niſi ſibi faceret pedem amputari, quam citius totum corpus inficeretur, & ipſe moreretur ſtatim. In ipſa autem nocte fleuit pœnitens, & Angelus Domini apparuit ei dicens, quod niſi confiſus fuiſſet in pecunia ſua, curaſſet eum ſummus medicus: quem compunctum curauit Angelus. In mane autem veniens medicus ad pedem amputandum, eum ſanatum inueniens, ſua ferramenta reportauit.

Pauperes habent Deum adiutorem. SECVNDO pauperes habent Dominum adiutorem, Pſal. 9. *Factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in oportunitatibus in tribulatione.* Idem 106. *Adiuuit pauperem de inopia.* adiuuat autem eos conſeruando, ne ſcilicet cadant in tentationem, vel deſperationem. Iob. 5. *Saluum facies egenum à gladio oris eorum*, id eſt à tentatione. Item vires & fortitudinem tribuendo. Iſa. 15. *Factus eſt Domine fortitudo pauperi, fortitudo egeno, in tribulatione ſua, Eſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Item* ab anguſtijs liberando. Pſal. 71. *Liberabit pauperem à potente* &c. Idem 14. *eripiens inopem de manu fortiorum eius* &c. *Item* conſolando. Iſa. 59. *Conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.* quia non habent conſolationes carnales vel temporales, ideo dat eis ſpirituales. quia ſecundum Bern. *Delicata eſt diuina conſolatio, nec conceditur admittentibus alienam.*

Pauperes habent Deum promotorem quoad multa ſc. quia vota eorum exaudit & qua illis fiunt ſibi reputat. TERTIO pauperes habent Deum promotorem, petitiones eorum exaudiendo. Pſal. 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus* &c. Eccl. 11. *Deprecatio pauperis ex ore, vſque ad aures peruenit, & iudicium feſtinatum adueniet illi.* Idem. *Non deſpiciet Dominus preces pupilli & viduæ, ſi effundat loquelam gemitus. Item* beneficium factum pauperi ſibi pręſtitum reputando. Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis*. Quod patet in pallio beati Martini, quod dimidium dedit pauperi algenti, & vidit ipſa nocte Deum eo indutum, Angelis dicẽtem: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte contexit.* credidit decurtaſſe ſuam clamidem, & adeo augmentauit, vt vnus eius angulus eſſet in terra ſuper humeros Martini, & alius in cælo ſuper humeros Chriſti. Bern. de hoc. *Puto ô Martine quod ſi ſcuiſſes quibus humeris, non ei dimidiaſſes, ſed integrum dediſſes. Ad idem* facit exemplum ſupra poſitum Petri Telonarij, qui naufrago nudo dedit ſuum exoforium, quo vidit Dominum indutum.

Itẽ quia bona æterna illis reſeruat. ITEM, æterna bona pauperibus reſeruando. Pſal. 9. *Nõ in finem obliuio* &c. Videtur Dominus obliuiſci pauperes in præſenti, bona terrena dans diuitibus, ſed non eſt ita, ſed ſicut paterfamilias videtur obliuiſci propriũ filium pro hoſpitibus extraneis; ſed hoc non facit niſi ad horam, quia in mane recedentes, nihil de bonis eius ſecum deferunt. ita diuites cum hinc recedunt, nihil ſecum deferunt de bonis temporalibus præter ſtercora peccatorum ſuorum. filius autẽ licet ad tempus videatur pauper, in fine ſuper omnia bona patris conſtituitur Dominus, & hęreditas eorum ſcilicet cæleſtis, debet eſſe pręclara eis, quia eſt pater orphanorum, in teſtamento ſuo iam eis legauit, conficiens ſuper hæc literas Euangelij inuiolabilis, & adhibens ſuper hæc teſtes acceptione maiores, ſenatum Apoſtolorum, ſigillans imagine filij ſui, pro hoc in cruce pendenti; & ſeptem ſigillis intus, & totidem foris, quibus vidit teſtamẽtum ſignatum beatus Ioan. Apoc. 5. Quę aperuit agnus qui occiſus eſt. & ſunt ſignacula forinſecus, ſeptem articuli fidei, quæ pertinent ad eius humanitatem; intrinſecus ſeptem, quæ ad eius pertinent diuinitatẽ, qui in ſymbolo continentur.

DICEBAT magiſter Guilerinus alumnus, Epiſcopus Pariſ. quod rex regum viſitans mundum iſtum, conuocauit curiã vt munera largiretur peccatoribus, ad hoc omnes vocans. quòd audientes tam diuites quam pauperes, ad curiã venerunt; ſed diuites cum equis ſuis venientes, videntes agros, prata, ſiluas, iumenta, & villas, & rerum iſtarum pulchritudinem, non credentes alia bona iſtis eſſe potiora, hoc à rege petierunt; qui & cõceſſit eis, qui læti redeũtes in equis obuios ſibi pauperes pedites irridebant, quaſi inutiliter laborarẽt eundo

ad curiam, vbi nihil obtinerent, credentes data sibi omnia bona. Pauperes autem nihilominus ad curiam accesserunt, postulantes vt si aliquid remansisset, eis misericorditer conferretur. rege autem asserente, quod habebat bona sine comparatione meliora & maiora, scilicet æterna; ea pauperibus concessit, ea conditione, quod est modicum patientes expectarent, & cum vocaret generalem curiam, coram omnibus eos in plena poneret possessione. Cum autem redirent & denunciarent diuitibus magnitudinem muneris sibi facti, redierunt diuites ad regem, petentes bona æterna. Qui ait, quæ dedi pauperibus eis non auferam, sed emite vobis ab eis, quia vobis dedi temporalia, vnde emere potestis quæ petitis. Iste est Dominus Iesus qui dat diuitibus temporalia quę petunt in euangelio, spondens pauperibus æterna Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, cõplacuit patri meo dare vobis regnum* cæleste; i. hos in generali iudicio ponet in plena possessione; quod si emerit diuites dando eis eleemosynas, poterunt habere.

Deniq; quia sedẽ in iudicio eis ad iudicandum prabebit.

ITEM sedem eis iudicij præbendo Iob 26. *Iudicium pauperibus tribuit.* Matt. 19. *Vos qui reliquistis omnia sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Glo. *Iudicabuntur & saluabuntur boni imperfecti, iudicabuntur & damnabuntur fideles mali, non iudicabuntur & damnabuntur infideles, quia qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: iudicabunt & non iudicabuntur, sed saluabũtur, perfecti viri; & hoc merito, quia mundus eos deprimit, & vilipendit.* 1. Reg. 2. *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat, suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem.* Eccl. 11. *Deficiens virtute, abundans paupertate; oculus Domini respexit illum in bonum, & erexit eum ab humilitate, & mirati sunt in eo vniversi.* Sicut patet in beato Dominico & Francisco, quos Deus de tam maxima humilitate & paupertate exaltauit ad tantam miraculorum operationem, ad tãtam filiorum multiplicationẽ, ad tantam totius ecclesiæ venerationem, ad tantam populi Christiani deuotionem, & gloriæ sublimationem, quod stupeat inde mundus. Ad confusionẽ autem eorum qui vilipẽdunt pauperes sapientes, est illud quod legitur Eccl. 9. *Est ciuitas parua, & viri pauci in ea* &c. Hanc autem cũ nullus posset liberare aliquibus viribus, inuentus est in ea vir pauper & sapiens, qui eam ab obsidione liberauit per sapientiam suam, & nemo postea recordatus est illius pauperis.

Exemplum.

ITEM ad hoc valet quod legitur in Chronicis, quod circa raptum Helenæ Homerus poeta floruit, qui cum in habitu vili vellet intrare apud Athenas curiã regis, est prohibitus; qui sumpto pretioso habitu, statim intrauit, honorifice receptus, obtinuit quicquid petiuit. Quid: ad confusionem regis & suorum, vestes coram omnibus exuit, & eas honorauit & adorauit, gratias eis referẽs de obtento quod valuerant apud regem, quod non valuerat sapientia aut bonitas obtinere. *Idem* dicitur fecisse magister Petrus Abalardi, in confusionem aliquorum monachorum, qui cum venisset in quandã abbatiam, relinquens alibi equos & ornatum, cũ cappa paupere, vix est ibi receptus; & cum ribaldis positus in hospitio, & viliter tractatus. postea autem veniens ibi cum summarijs & pompa, cum maximo honore est ibi receptus & tractatus; & ad loquẽdum in eorum capitulo inuitatus. vbi multum confutauit eos dicens, quod si venisset ad eos Christus pauper, & pedes, fuisset male tractatus, & eius sapientia repudiata. & de bono hospitio quod ibi habuit, non agens sibi gratias, sed suis phaleratis equis, & ornatui, & pompæ superbiæ.

Pauperes habent Deum susceptorem.

QVARTO pauperes habent Deum susceptorem, sicut patet de Lazaro. Luc. 16. Recipit enim in domũ suam eos, qui suas proprias reliquerunt: & quia Dei est domus pauperum, ideo præcepit seruo suo, Luc. 14. *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc in cænam meam.* Ad hanc etiã cænam vidit beatus Antonius recipi Paulum primum eremitam, qui ad eremum tempore persecutionis fugerat, omnia relinquens, cum rediret de eius visitatione; quem vidit, vt legitur in vitis Patrum, recipi & in cælum deduci, inter choros Angelorum, & Prophetarum, & Apostolorum, & aliorum sanctorum. Ad hoc faciunt exempla multa, videlicet, Ambrosij, Francisci, Dominici, & huiusmodi.

Exemplum.

FACIET Dominus in futuro pauperibus, sicut fecisse legitur Otto imperator filius Ottonis, qui vt refert Godefredus Parmensis, libro scilicet de gestis imperatorum, cum esset coronatus in vrbe Romana, clamari fecit vt omnes sub pæna mortis seruarent pacem adinuicem, nec deprędarent pauperes, nec iniuriarentur eis. qui cum recessisset in Theutoniam, inceperunt in vrbe vt consueuerant guerras facere, bona pauperum dissipare, & eos destruere. Quod cum audisset, fecit inquiri, qui & quæ fecissent, & scribi. Cum autem redisset ad vrbem, conuocauit maximam curiam: ad quã cum venissent vndique maiores, & præparatum esset maximum conuiuium, & residerent, fecit venire maximam multitudinem armatorum, & præconizari sub pœna mortis, quod nullus se moueret: & fecit, conuocatis ex nomine malefactoribus, & iudicatis, & recitatis eorum iniurijs, ibi coram se & alijs decapitari, & capita eorum poni coram se & omnibus, pro speculis & ferculis, illos autem qui non erant malefactores, fecit ibi secum refici multis delitijs; & sic pauperes vindicauit, & pacem terræ dedit. Sic faciet Dominus in iudicio, malefactores pauperum, morte æterna occidet, & à se & suis separabit. Pacificos secum æternis delitijs reficiet, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, vt dicitur Matt. 5.

Deus pauperes in cælo coronat.

IPSOS etiám pauperes, gloria & honore coronat in cælo, & super solium regni cęlestis collocat cum Apostolis suis. Psalm. 112. *Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem,* humilitatis & vilitatis, *vt collocet eum cum principibus populi sui.* Item 1. Reg. 2. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.* Iob 36. *Reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur; si fuerunt in catenis & vinciantur funibus paupertatis.* Pauperibus spiritu Dominus dat regnum, & martyribus, quia quoddam genus martyrij est volũtaria paupertas. Bern. in serm. de omnibus sanctis. *Quod martyrij genus grauius, quam inter epulas esurire, inter vestes algere,* paupertate *premi inter diuitias quas confert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat appetitus; nonnè merito coronabitur qui sic certauerit; ideo qui in hoc certamine perseuerat merito coronatur.* Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Item in sermone de omnibus sanctis, *vis obtinere cælum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. non enim paupertas virtus reputatur sed paupertatis amor; amicitia pauperum regis amicos facit, amor paupertatis reges. Regnum denique cælorum pauperum est.*

LIBRI I. PARS IV.

DE DONIS ET FRVCTIBVS

De donis, in generali.

DISTINCTIO I.

CONSEQVENTER considerandum est de donis. De quibus primo considerandum est in generali. Secundo de singulis in speciali. De donis in generali considerandæ sunt octo. Primo vtrum dona differunt à virtutibus. Secundo de necessitate donorum. Tertio vtrum dona sint habitus. Quarto quæ & quot sint. Quinto vtrum dona sint connexa. Sexto vtrum maneant in patria. Septimo de comparatione eorum adinuicem. Octauo de comparatione eorum ad virtutes.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum dona differant à virtutibus*. Dicendum quod si loquamur de dono & virtute secundum nominis rationẽ, sic nullam oppositionem

habent adinuicem. Nam ratio virtutis ſumitur ſecundum quod perficit hominem ad bene agendum, vt ſupra dictum eſt. Ratio autem doni ſumitur ſecundum comparationem ad cauſam à qua eſt; nihil autem prohibet id quod eſt ab alio vt donum, eſſe perfectiuum alicuius ad bene operandum, præſertim cùm ſupra diximus, quod virtutes quędã, nobis ſunt infuſæ à Deo. Vnde ſecundũ hoc donum à virtute diſtingui non poteſt. & ideo quidam poſuerunt, quod dona non eſſent à virtutibus diſtinguenda ſed in eis remanet non minor difficultas, vt ſcil. rationem aſſignent, quare quædã virtutes dicantur dona, & non omnes, & quare aliquæ cõputantur inter dona, quæ non computantur inter virtutes, vt patet de timore.

VNDE alij dixerũt, dona à virtutibus eſſe diſtinguẽda, ſed non aſſignauerunt conuenientem cauſam diſtinctionis, quæ ſcilic. ita cõueniret virtutibus, quod nullo modo donis, aut econuerſo. Conſiderantes ſcil. aliqui, quod inter ſeptem dona quatuor pertinent ad rationẽ, ſcil. ſapientia, ſcientia, & intellectus, & conſiliũ; & tria ad vim appetitiuam, fortitudo, pietas, & timor poſuerunt quod dona perficiebant liberum arbitrium, ſecũdum quòd eſt facultas rationis; virtus vero, ſecundum quod eſt facultas volũtatis. quia inuenerunt ſolas duas virtutes in ratione vel intellectu, ſcil. fidem, & prudentiam, alias vero in appetitiua vel affectiua. oporteret autem ſi hæc diſtinctio eſſet conueniens, quòd omnes virtutes eſſent in vi appetitiua, & õnia dona in ratione.

QVIDAM vero conſiderantes quod Greg. dicit in ſecundo Moralium, quòd *donum Spirituſſancti, quod in mente ſibi ſubiecta format prudentiam, iuſtitiam, temperantiã, & fortitudinem, eandem mentem munit contra ſingula tentamenta, per ſeptem dona*: dixerunt quòd virtutes ordinantur ad bene operandum, dona vero ad reſiſtendum tentationibus. Sed nec iſta diſtinctio ſufficit, quia etiam virtutes tentationibus reſiſtunt inducentibus ad peccata, quæ contrariantur virtutibus. Vnumquodque enim reſiſtit naturaliter ſuo contrario; quod præcipue patet de charitate, de qua dicitur Cant. 8, *Aquæ multæ non potuerunt charitatem extinguere.*

ALII vero conſiderantes quòd iſta dona tradũtur in ſcriptura, ſecundum quod fuerunt in Chriſto, vt patet Iſa. 11. Dixerũt quod virtutes ordinantur ſimpliciter ad bene operãdum, ſed dona ordinantur ad hoc quòd per ea conformentur Chriſto, præcipuè quantum ad eą quę paſſus eſt, quia in paſſione eius pręcipuè huiuſmodi dona reſplenduerunt. Sed hoc etiam non videtur eſſe ſufficiens, quia ipſe Dominus præcipuè nos inducit ad ſui conformationem ſecundum humilitatem & manſuetudinem Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*; & ſecundum charitatem, *vt* Ioan. 10. *Diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Et hæ etiam virtutes præcipuè in paſſione Chriſti refulſerunt; & ideo ad diſtinguendum dona à virtutibus, debemus ſequi modum loquendi ſcripturæ, in qua nobis traduntur, non quidẽ ſub nomine donorum, ſed magis ſub nomine ſpirituũ. Sic enim dicitur Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientię & intellectus* &c. Ex quibus verbis manifeſte datur intelligi, quòd iſta ſeptem enumerantur ibi, ſecundum quòd ſunt in nobis ab inſpiratione diuina. Inſpiratio autẽ ſignificat quandã motionem ab exteriori.

EST ENIM conſiderandum, quòd in homine eſt duplex principium mouẽs. Vnum quidem interius quod eſt ratio, aliud autem exterius quod eſt Deus, vt ſupra dictum eſt; & etiam Philoſophus dicit in capitulo de bona fortuna. Manifeſtũ eſt autem quòd omne quod mouetur, neceſſe eſt proportionatum eſſe motori; & hæc eſt perfectio mobilis inquantum mobile, diſpoſitio qua diſponitur ad hoc quod bene moueatur à ſuo motore. quanto igitur mouens eſt altior, tanto neceſſe eſt quòd mobile perfectiori diſpoſitione ei proportionetur. ſicut videmus quod perfectius oportet eſſe diſcipulum diſpoſitum, ad hoc quod altiorem doctrinã capiat à docente. Manifeſtum eſt autem quod virtutes humanæ perficiunt hominem, ſecundum quod homo

A natus eſt moueri per rationem, in his quæ interius vel exterius agit. oportet igitur ineſſe homini altiores perfectiones, ſecundum quas ſit diſpoſitus ad hoc quod diuinitus moueatur. & iſtæ perfectiones vocãtur dona, non ſolum quia infunduntur à Deo, ſed quia ſecundũ ea homo diſponitur, vt efficiatur prompte mobilis ab inſpiratione diuina. ſicut legitur de Iſa. 60. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij.* Et philoſophus dicit in capitulo de bona fortuna, quod *his quæ mouentur per inſtinctum diuinum, non expedit conſiliari ſecundum rationem humanam, ſed quod ſequantur interiorem inſtinctum, quia mouentur à meliori principio quam ſit ratio humana.* & hoc eſt quod quidam dicunt, quod dona perficiunt hominem ad altiores actus, quam ſit actus virtutum. *In quo differant dona à virtutibus.*

B HVIVSMODI autem dona quandoque nominantur virtutes, ſecundum communem rationem virtutis; habent tamen aliquid ſupereminens rationi cõmuni virtutis, in quantum ſunt quædam diuinæ virtutes, perficientes hominem inquantum eſt à Deo motus. Vnde & Philoſophus in 7. Eth. Supra virtutem communem ponit quandam virtutem heroicam, vel diuinam, ſecũdum quam dicuntur aliqui diuini viri. vnde Greg. primo Mor. exponens illud Iob 1. Nati ſunt ei ſeptem filij, dicit. *Septem filij nobis naſcuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis, Spiritus ſancti ſeptem in nobis virtutes oriũtur.* Et inducit illud Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ* &c. vbi enumerantur ſeptem dona Spirituſſancti. *Soluitio obiect.*

C AD SECVNDVM, ſcilicet *virtutum dona ſint neceſſaria ad ſalutem*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, dona ſunt quædam hominis perfectiones, quibus homo diſponitur ad hoc, quod bene ſequatur inſtinctum diuinũ. Vnde in his quibus non ſufficit inſtinctus rationis, ſed eſt neceſſarius Spirituſſancti inſtinctus, per conſequens etiam eſt neceſſarium donũ. Ratio autem hominis eſt perfecta à Deo dupliciter. Primo quidem naturali perfectione ſcil. ſecundum lumen naturale rationis. Alio modo quadam ſupernaturali perfectione per virtutes Theologicas, vt ſupra dictum eſt. & quãuis hæc ſecunda perfectio ſit maior quam prima, tamen prima perfectiori modo habetur ab homine, quaſi plena poſſeſſio. Secunda autem habetur quaſi imperfecte, Imperfecte enim diligimus & cognoſcimus Deum. Manifeſtũ eſt autem quod vnumquodque quod perfecte habet naturam, vel formam aliquam, aut virtutem, poteſt per ſe ſecundum illam operari: non tamen excluſa operatione Dei, qui in omni natura & volũtate interius operatur. ſed id quod imperfectè habet naturam aliquam, vel formam, aut virtutem, non poteſt per ſe operari, niſi ab altero moueatur. ſicut ſol, quia eſt perfecte lucidum, per ſeipſum poteſt illuminare, luna autem in qua eſt imperfecte natura lucis, non illuminat niſi illuminata. Medicus etiã qui perfecte nouit artem medicinę, poteſt per ſe operari: ſed diſcipulus eius qui nõdum eſt plene inſtructus, non poteſt per ſe operari, niſi ab eo inſtruatur. Sic igitur quãtum ad ea quæ ſubſunt humanæ rationi, in ordine ſcil. ad finem connaturalem homini, poteſt homo operari per iudicium rationis: Si tamẽ etiam in hoc homo adiuuetur à Deo per ſpecialẽ inſtinctum, hoc erit ſuperabundantis bonitatis. Vnde ſecundum Philoſophos, non quicunque habebant virtutes morales acquiſitas, habebant virtutes heroicas, vel diuinas. ſed in ordine ad finem vltimum ſupernaturalem, ad quem ratio mouet, ſecũdum quòd eſt aliqualiter & imperfecte informata per virtutes Theologicas, non ſufficit ipſa motio rationis, niſi deſuper adſit inſtinctus & motio Spirituſſancti, ſecundũ illud Rom. 8. *Quiſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt, & filij & hæredes.* Et in Pſalmo dicitur. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: quia ſc. in hæreditatem illius terræ beatorum, nullus poteſt peruenire, niſi moueatur, & ducatur à Spirituſancto, & ideo ad illum finem conſequẽdum, neceſſarium eſt homini habere donum Spirituſſancti. *Ratio humana perficitur naturaliter & ſupernaturaliter.*

D EXCEDVNT autem dona communem perfectionem virtutum *Nota ſententiam D. Th. de concurſu Dei.* *Dona ſunt neceſſaria ad ſalutem.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Solutio obiect.

virtutum, non quantum ad genus operum, eo modo quo consilia excedunt præcepta, quia ad perfectionem consiliorum non tenetur homo de necessitate salutis, vnde sine ipsis potest homo consequi salutem, sed dona excedunt perfectionem virtutum, quantum ad modum operandi, secundum quòd mouetur homo ab altiori principio.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum dona sint habitus*. Dicendum quòd sicut dictum est, dona quędam sunt perfectiones hominis, quibus disponitur ad hoc quòd homo bene sequatur instinctum Spiritussancti. Manifestum est autem ex supradictis quod virtutes morales perficiunt vim appetitiuam, secũdum quòd participat aliqualiter rationem, inquantum scilicet nata est moueri per imperium rationis, hæc igitur dona Spiritussancti habent se ad hominem, in comparatione ad Spiritum sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vim appetitiuam, in comparatione ad rationem. Virtutes autem morales habitus quidam sunt, quibus vires appetitiuæ disponuntur ad prompte obediendum rationi. vnde & dona Spiritussancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto.

Dona sunt habitus quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto.

Solutio obiect.

ET NOTA, quod duo sunt genera donorum Spiritussancti, quædam sine quibus ad salutem peruenire nõ potest; sicut sunt ista, de quibus nunc loquimur: quædã vero sunt, sine quibus potest homo peruenire ad vitã, quia non sunt de necessitate salutis; sicut est donum Prophetiæ & huiusmodi, quæ dicuntur gratię gratis datæ. *Prima dona* sunt habitus manentes in homine, & in talibus donis, Spiritussanctus in electis omnibus semper manet. Sicut dicitur Ioan. 14. Vbi Dominus, discipulis suis de Spiritusancto loquens ait: *Apud vos manebit, & in vobis erit. Alia vero dona* non sunt habitus, nec semper manent in homine. Spiritus enim Prophetiæ non semper adest Prophetis. Sicut dicit Greg. prima homil. super Ezec. Sic etiam est de alijs huiusmodi donis. Vnde proprium est Christi, quod omnia dona Spiritussancti requiescant in eo, vt dicitur Isa. 11. Et Io. 1. dicitur: *Super quem videris Spiritũ descendentem & manẽtem super eum, hic est qui baptizat.* quod exponens Greg. li. 2. mora. ait: *In cũctis fidelibus Sanctus spiritus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet.*

Dona duplicia sc. quędã necessaria ad salutem, & quędã non.

AD QVARTVM, scilicet *quæ & quot sint dona*. Dicendum quod sunt septem, quę enumerantur Isa. 11. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, & spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Ad cuius euidentiam sciendum quod dona sunt quidam habitus perficiẽtes hominem ad hoc quod promptè sequatur instinctum Spiritussancti. Sicut virtutes morales pèrficiunt vires appetitiuas ad obediendum rationi. Sicut autem vires appetitiuæ natę sunt moueri per imperium rationis, ita omnes vires humanę natæ sunt moueri per instinctum Dei, sicut à quadam superiori potentia. Et ideo in omnibus viribus hominis quæ possunt esse principia humanorum actuum, sicut sunt virtutes, ita etiã sunt dona scilicet in ratione, & in vi appetitiua. Ratio autẽ est & speculatiua & practica, & in vtraque consideratur apprehensio veritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & iudiciũ de veritate. Ad apprehẽsionem igitur veritatis perficitur speculatiua ratio per intellectũ, practica vero per consilium, ad rectè autem iudicandum, speculatiua quidem per sapientiã, practica vero per scientiã perficitur. appetitiua autem virtus in his quidem quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem. In his quæ sunt ad seipsum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum. contra concupiscentiam vero inordinatam delectãbiliũ, per timorem Domini; secundũ illud Pro. 16. *per timorem Domini declinat omnis homo à malo.* & in Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* & sic patet quod hæc dona extendunt se ad omnia, ad quæ extẽdũt se virtutes, tã intellectuales, quã morales.

Septem sunt dona Spiritusãcti, quorum quatuor pertinent ad virtutes intellectuales, tria ad morales.

Solutio obiect.

IN hac enim enumeratione ponuntur quatuor pertinentia ad virtutes intellectuales scilicet sapientia & intellectus, sciẽtia, & consilium (quod pertinet ad prudentiam) sed nihil ponitur quod pertineat ad artẽ, quæ est quinta virtus intellectualis, quia dona perficiũt hominem in his quæ pertinent ad bene viuendum, ad quę non ordinatur ars, sed ad exteriora factibilia. Est enim ars ratio recta non agibilium, sed factibiliũ, vt dicitur in 6. Eth. Potest tamen dici quod quantum ad infusionẽ donorum, ars pertinet ad Spiritũ sanctum, qui est principaliter mouens: non autẽ ad homines qui sunt quædam organa eius, dum ab eo mouẽtur. Similiter in hac enumeratione ponitur aliquid pertinens ad iustitiã scil. pietas, & aliquid pertinens ad fortitudinẽ scil. donum fortitudinis. Temperãtiæ autẽ respondet quodãmodo donum timoris. Sicut enim ad virtutem temperantiæ pertinet secundum eius propriam rationem vt aliquis recedat à delectabilibus prauis, propter bonum rationis, ita ad donum pertinet quod aliquis recedat à delectationibus prauis propter Dei timorem.

Dona extendunt se ad omnia ad quæ virtutes se extendunt.

ET NOTA, quod circa fortitudinem non ponitur aliqua pars eius quod sit donum, sicut circa iustitiã ponitur pietas, quæ est pars eius. Sed pro fortitudinis virtute, ponitur etiã fortitudo donum, ita quod eodẽ nomine tenetur virtus & donum ei respondens; non sic autem ponitur iustitia, Sed pietas quæ est quædam pars eius. quia nomen iustitiæ à rectitudine rationis imponitur, & ideo est nomen virtutis conuenientius, quam nomen doni. sed nomen pietatis importat reuerentiam quam habemus ad patrem, & patriam: & quia pater omnium Deus est, etiam cultus Dei pietas nominatur, vt dicit Aug. 10. de ciu. Dei. Et ideo conuenienter, donum quo aliquis propter reuerentiam Dei bonum operatur ad omnes, pietas nominatur.

Cur dona nõ pertinent ad virtutes Theologicas.

NON ponuntur autem aliqua dona pertinentia ad virtutes Theologicas, quæ tamen maximè ordinãt nos in Deũ; quia animus hominis non mouetur à Spiritusancto, nisi ei secundum aliquem modum vniatur; sicut instrumentum non mouetur ab artifice, nisi per contactum, aut per aliquam aliam vnionem. Prima autẽ vnio hominis est per fidem, & charitatem. vnde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quędã donorũ. vnde omnia dona pertinent ad has tres virtutes, sicut quædam deriuationes prædictarum virtutum.

ITEM NOTA, quod intellectui adiungitur sapientia, quæ regit ipsum, fortitudini consilium, pietati scientia; timori vero qui singulariter nominatur, non ponitur aliud directiuum, nisi ipsa sapientia. quia per sapiẽtiam dirigitur hominis intellectus, & hominis affectus, & ideo ponuntur duo correspondentia sapientiæ, tãquam directiuo; ex parte quidẽ intellectus, donũ intellectus, ex parte autem affectus, donum timoris. Ratio enim timendi Deum præcipuè sumitur ex consideratione excellentiæ diuinæ, quam considerat sapientia.

AD QVINTVM, scil. *vtrum dona sint connexa*. Dicẽdum quod huius quæstionis veritas de facili ex præmissis potest haberi: dictum est autem supra, quod sicut vires appetitiuæ disponuntur per virtutes morales, in cõparatione ad regimen rationis; ita omnes vires animæ disponuntur per dona, in comparatione ad Spiritum sanctum mouẽtem. Spiritus autem sanctus habitat in nobis per charitatem, secundum illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis:* sicut & ratio nostra perficitur per prudentiã. vnde sicut virtutes morales cõnectũtur sibiinuicẽ in prudẽtia: ita dona Spiritussancti cõnectũtur sibiinuicẽ in charitate: ita. s. quod qui charitatẽ habet, õnia dona Spiritussãcti habet; quorũ nullũ sine charitate haberi potest.

Sicut omnes virtutes connectuntur in prudẽtia ita omnia dona in charitate.

VNDE Greg. primo moral. dicit, quod *minor est sapiẽtia si intellectu careat; & valde inutilis est intellectus, si ex sapientia non subsistat. Vile est consiliũ, cui opus fortitudinis deest, & valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur. nulla est scientia si vilitatem pietatis non habet, & valde inutilis est pietas, si scientiæ discretione caret. timor quoque ipse, si non has virtutes habuerit, ad nullum opus bonæ actionis assurgit.* sicut autem connexio virtutum cardinalium probatur, vno modo per hoc quod vna earum perficitur quodãmodo

Solutio obiect.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

per aliam, vt ſupra dictum eſt: Ita Gregor. eodem modo vult probare cõnexionem donorum per hoc, quod vnum ſine alio non poteſt eſſe perfectum. Vnde præmittit, dicens: *Valde ſingula quælibet deſtitui, ſi non vna virtus alij virtuti ſuffragetur*. Non ergo datur intelligi quod vnum donum non poſſit eſſe ſine alio; ſed quia ſi eſſet ſine ſapientia, non eſſet donum; ſicut temperantia ſi eſſet ſine iuſtitia, non eſſet virtus.

Vnum donũ ſine alio non eſt donũ; nec vna virtus ſine alia eſt virtus.

Et nota quod ſapientia & ſcientia vno modo poſſunt conſiderari ſecundum quòd ſunt gratiæ gratis datæ: prout ſcilicet aliquis intantum abundat in cognitione diuinorum & humanorum, vt poſſit infideles inſtruere, & aduerſarios confutare; & ſic de eis loquitur Apoſtolus 1. Cor. 12. *Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ. Alij ſermo ſcientiæ*, &c. Vnde ſignanter fit mentio de ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, & iſto modo ſapientia & ſcientia non ſunt connexæ. Alio modo poſſunt accipi prout ſunt dona Spiritusſancti, & ſic ſapiẽtia & ſcientia nihil aliud ſunt quam quædam perfectiones humanę mentis, ſecundum quas diſponitur ad ſequendum inſtinctus Spiritusſancti in cognitione diuinorum vel humanorum. & ſic patet quod huiuſmodi dona ſunt in omnibus charitatem habentibus.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum dona Spiritusſancti maneant in patria*. Dicẽdum quod de donis dupliciter poſſumus loqui. Vno modo quantum ad eſſentiam donorum; & ſic perfectiſſimè erunt in patria. vnde Ambr. dicit in libro de Spiritusſancto. *Ciuitas Dei illa Hieruſalem cæleſtis, non meatu alicuius fluuij terreſtris abluitur, ſed ex vitæ fonte procedens Spiritusſanctus, cuius nos breui ſatiamur hauſtu, in illis cæleſtibus ſpiritibus redundantius videtur affluere, pleno ſeptem virtutum ſpiritualium feruens meatu.* Cuius ratio eſt, quia dona Spiritusſancti perficiunt mentem humanam ad ſequendum vnctionem Spiritusſancti; quod præcipuè erit in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, vt dicitur 1. Cor. 15. Et quando homo totaliter erit ſubditus Deo. Alio modo poſſunt conſiderari quantum ad materiam circa quam operantur; & ſic in præſenti habent operationem circa aliquã materiam, circa quam non habebunt operationem in ſtatu gloriæ; & ſecundum hoc non manebunt in patria, ſicut ſupra de virtutibus cardinalibus dictum eſt.

Dona manẽt in patria quantum ad eſſentiam, ſed non ſecundũ operationem circa eãdem materiam.

Vnde de donis ſecundum quod competunt ſtatui præſenti, dicit Greg. in ſecundo moral. quod *Spiritusſanctus contra ſingula tentamenta ſeptem donis erudit mentem*, ſed in ſtatu gloriæ, ceſſantibus malis, per dona perficimur in bono. Vnde in ſingulis donis ponit Gregor. aliquid quod tranſit cum ſtatu præſenti, & aliquid quod permanet etiam in futuro. Dicit enim quod *ſapientia mẽtem de æternorum ſpe & certitudine reficit*. quorum duorum ſpes tranſit, ſed certitudo remanet. Et de intellectu dicit, quod *in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illuſtrat*. quorum auditus tranſit, quia *non docebit vir fratrem ſuum*, vt dicit Hier. 31. Sed illuſtratio mentis manebit. de conſilio autem dicit, quod *prohibet eſſe præcipitem*, quod eſt neceſſarium in præſenti: & iterum, quod *ratione animum replet*, quod eſt neceſſarium etiam in futuro. De fortitudine vero dicit, quod *aduerſa non metuit*, quod eſt neceſſarium in præſenti; & iterũ, quod *confidentiæ cibos apponit*, quod permanet etiam in futuro. De ſcientia vero vnum tantum ponit, ſcilicet quod *ignorãtiæ ieiunium ſuperat*, quod pertinet ad ſtatum præſentẽ. Sed quod addit, *in ventre mentis*, poteſt figuraliter intelligi, quod repletio cognitionis pertinet etiam ad ſtatum futurum. De pietate vero dicit, quod *cordis viſcera miſericordiæ operibus replet*; quod quidem ſecundum verba, pertinet tantum ad ſtatum præſentem, ſed ipſe intimus affectus proximorum, per viſcera deſignatus, pertinet etiam ad ſtatum futurum; in quo pietas non exhibebit miſericordiæ opera, ſed congratulationis affectum. De timore vero dicit, *quòd premit mentem ne de præſentibus ſuperbiat*; quod pertinet ad ſtatum præſentem, & quòd *de futuris, cibos ſpei confortat*, quod etiam pertinet ad ſtatum præſentem quantum ad ſpem; & poteſt etiam ad ſtatum futurum pertinere, quantum ad confortationem de rebus hic ſperatis, & ibi obtentis.

Solutio obiect.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum dignitas donorum attendatur ſecundum ordinem enumerationis quæ habetur* Iſa. 11. Dicendum quod dignitas donorum dupliciter poteſt attendi. Vno modo ſimpliciter, ſcilicet per comparationem ad proprios actus, prout procedunt à ſuis principijs. Alio modo ſecundum quid, ſcilicet per cõparationem ad materiam. Simpliciter autem loquendo de dignitate donorum, eadem eſt ratio comparationis in ipſis, & virtutibus. quia dona ad omnes actus potentiarum animæ perficiunt hominem, ad quos perficiunt virtutes, vt ſupra dictum eſt. Vnde ſicut virtutes intellectuales pręferuntur virtutibus moralibus, & in ipſis virtutibus intellectualibus, contemplatiuæ præferuntur actiuis, vt ſapientia & intellectus & ſcientia, prudentiæ & arti; ita tamen quod ſapientia præfertur intellectui, & intellectus ſcientiæ, ſicut prudentia & ſyneſis eubuliæ; ita etiam in donis, ſapientia & intellectus, ſcientia & conſilium, præferuntur fortitudini, pietati, & timori; in quibus etiam pietas præfertur fortitudini, fortitudo timori; ſicut iuſtitia fortitudini, & fortitudo temperantiæ. Sed quantum ad materiam, fortitudo & conſilium præferuntur ſcientiæ & pietati; quia ſcilicet fortitudo & conſilium, in arduis locum habent, Scientia autem & pietas etiam in communibus. Sic igitur donorum dignitas, ordini enumerationis reſpondet, partim quidem ſimpliciter, ſecũdum quòd ſapientia & intellectus omnibus præferuntur, partim autem ſecundum ordinem materiæ, ſecundum quòd conſilium & fortitudo præferuntur ſcientiæ & pietati.

Dignitas donorũ reſpondet ordini enumerationis.

Ad octavvm, ſcilicet *de comparatione donorum ad virtutes*. Dicendum quòd ſicut ex dictis patet, virtutes in tria genera diſtinguuntur. Sunt enim quædam virtutes Theologicæ, quædam intellectuales, quædam morales. Virtutes quidem Theologicæ, ſunt quibus mens humana Deo coniungitur. Virtutes autem intellectuales ſunt quibus ratio ipſa perficitur. Virtutes autem morales ſunt quibus vires appetitiuæ perficiũtur ad obediendum rationi. Dona autem Spiritusſancti ſunt, quibus omnes virtutes animæ diſponuntur ad hoc quòd ſubdatur motioni diuinæ. Sic ergo eadem videtur eſſe comparatio donorum ad virtutes Theologicas, per quas homo vnitur ſpirituiſancto mouenti, ſicut virtutum moraliũ ad virtutes intellectuales, per quas perficitur ratio quę eſt virtutũ moraliũ motiua. Vnde ſicut virtutes intellectuales pręferũtur virtutibꝰ moralibus & regulant eas; ita virtutes Theologicæ pręferuntur donis Spiritusſancti, & regulant ea. vnde Greg. dicit in primo Mor. quòd *neque ad denarij perfectionem ſeptem filij*, id eſt ſeptem dona, *peruenirent, niſi in ſpe & fide & charitate fuerit omne quod agunt*. Sed ſi comparemus dona ad alias virtutes intellectuales vel morales, dona præferuntur virtutibus; quia dona perficiũt vires animę in comparatione ad Spiritum ſanctum mouẽtem: virtutes autem perficiunt, vel ipſam rationem, vel alias vires in ordine ad rationem. Manifeſtum eſt autem, quòd ad altiorem motorem oportet maiori perfectione mobile eſſe diſpoſitum. Vnde perfectiora ſunt dona virtutibus.

Dona ſe habẽt ad virtutes Theologicas, ſicut virtutes morales ad intellectuales.

Dona ſunt perfectiora virtutibus omnibus excepti Theologicis.

De donis in ſpeciali, & primo de timore.

DISTINCTIO II.

Deinde conſiderandum eſt de donis in ſpeciali, & primo de dono timoris. Secundo de dono pietatis. Tertio de dono ſcientiæ. Quarto de dono fortitudinis. Quinto de dono conſilij. Sexto de dono intellectus. Septimo de dono ſapientiæ. Circa primum de dono timoris conſideranda ſunt duodecim. Primum eſt vtrum Deus ſit timendus. Secundum eſt de diuiſione ti-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ne timoris. Tertium est de timore naturali. Quartum est de timore humano. Quintum est de timore mundano. Sextum est de timore seruili Septimum est de timore initiali. Octauum est de timore filiali. Nonum est vtrum timor sit initium sapientiæ. Decimum est vtrũ timor sit donum Spiritussancti. Vndecimum est vtrum crescat crescente charitate. Duodecimum vtrum maneat in patria.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum Deus timeri possit*. Dicendum quòd sicut spes habet duplex obiectum, quorum vnum est ipsum bonum futurum, cuius adeptionem quis expectat ; Aliud est auxilium alicuius per quod expectat illud adipisci quod sperat: ita etiam timor duplex obiectum habere potest, quorum vnum est ipsum malum quod homo refugit; aliud est à quo malum prouenire potest. primo ergo modo Deus qui est ipsa bonitas, obiectum timoris esse non potest, sed secundo modo potest esse obiectum timoris, inquantum scilicet ab ipso, vel per comparationem ad ipsum, nobis potest aliquod malum imminere, ab ipso quidē potest nobis imminere malum pœnæ; quod non est simpliciter malum, sed secundum quid; bonum autem simpliciter. Cum enim bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importet huius ordinis priuationem; illud est malum simpliciter, quod excludit ordinem à fine vltimo, quod est malum culpæ: malum autem pœnæ est quidem malum, inquantum priuat aliquod particulare bonum: est tamen bonum simpliciter, inquantum dependet ab ordine finis vltimi. per comparationem autem ad Deum potest nobis malum culpæ prouenire si ab eo separamur, & per hunc modum Deus potest & debet timeri.

Deus potest timeri inquãtum est id à quo malum prouenire potest tàm pœnæ quam culpæ.

IN DEO enim est considerare iustitiam, secundum quam peccantes punit: & misericordiam, secundum quam nos liberat. Secundum igitur considerationem iustitiæ ipsius, insurgit in nobis timor. Secundum autem considerationem misericordiæ, consurgit in nobis spes: & ita secundum diuersas rationes, Deus est obiectum spei & timoris.

Solutio obiect.

ET NOTA quod malum culpæ non est à Deo sicut ab actore, sed est à nobis ipsis, inquantum à Deo recedimus: malum autem pœnæ est quidem à Deo actore, inquantum habet rationem boni, prout scilicet est iustũ. sed quod iuste nobis pœna infligatur, hoc primordialiter ex merito nostri peccati contingit, secundum quē modum dicitur Sap. 1. quod *Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis accersierunt illam.*

Malum pœnæ est à Deo actore nõ autẽ mali culpæ.

AD SECVNDVM, scilicet *de diuisione timoris* (quam ponit magister sententiarum lib. 3. dist. 34.) *in filialem, initialem, seruilem, & mundanum*. Sciendum quod de timore nunc agimus secundum quod per ipsum aliquo modo ad Deum conuertimur, vel ab eo auertimur. Cum enim obiectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala quæ timet à Deo recedit; & iste dicitur timor humanus, vel mundanus. quandoque autem homo per mala quę timet ad Deum conuertitur, vt ei inhæreat; quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si igitur aliquis conuertatur ad Deum & ei inhęreat, propter timorem pœnę, est timor seruilis. Si autem propter timorem culpæ, est timor filialis; nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter vtrunque, est timor initialis, qui est medius inter vtrunque timorem. Vtrum autem malum culpæ possit timeri, supra habitum est, cum de passione timoris ageretur.

Timor rectè diuiditur in filialem, initialem, seruilẽ & mũdanum.

ET NOTA, quod timor naturalis non connumeratur inter alios timores in hac diuisione contentos, quia timor naturalis non est bonus nec malus bonitate vel malitia morali, sed præsupponitur vtrique. Omnes autem isti timores important vel bonum morale, quod pręcipuè consistit in conuersione ad Deum, vel malum morale quod præcipuè consistit in auersione à Deo.

Solutio obiect.

ITEM NOTA, quod licèt alia sit habitudo filij ad patrem, & vxoris ad virum, & serui ad Dominum: tamen timor castus, qui est per comparationem vxoris ad virum, non distinguitur à timore filiali, qui est per comparationem filij ad patrem; sicut distinguitur à timore seruili, qui est per comparationem serui ad Dominum. Cuius ratio est, quia habitudo serui ad Dominum, est per potestatem Domini ad seruum se sibi subijcientis: sed habitudo filij ad patrem, vel vxoris ad virum, est econuerso per affectum filij se subdentis patri, vel vxoris se coniungentis viro vnione amoris. vnde timor filialis & castus ad idem pertinent; quia per charitatis amorem Deus pater noster efficitur, secundum illud Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater*. Et per eandem charitatem dicitur etiam sponsus noster, secundum illud 1. ad Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*. Timor autem seruilis ad aliud pertinet, quia charitatem in sua resurrectione non includit.

ITEM NOTA, quod isti tres timores, scilicet mundanus, seruilis, & initialis, respiciunt pœnam, sed diuersimodè. Nam timor mundanus siue humanus respicit pœnam à Deo, auertentem, quam quandoque inimici Dei infligunt, vel comminantur. Sed timor seruilis & initialis respiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum, diuinitus infligtam vel comminatã. Quam quidem pœnam principaliter timor seruilis respicit: timor autem initialis secundario.

ITEM NOTA, quod sicut alia est concupiscentia oculorum, qua concupiscit homo bona mundi. Alia concupiscentia carnis, qua quis dilectionem proprij corporis concupiscit; ita aliud est malum quod respicit timor mũdanus, scilicet amittere bona mundana: Aliud quod respicit timor humanus, scilicet amittere delectationem, vel incolumitatem proprij corporis. quia tamen eadem ratione homo à Deo auertitur, propter timorem amittendi bona mundana, & propter timorem amittendi incolumitatem proprij corporis, (quia bona exteriora ad corpus pertinent) ideo vterque timor hic pro eodem computatur, quamuis mala quæ timentur sint diuersa, sicut & bona quæ concupiscuntur. Ex qua quidem diuersitate prouenit diuersitas peccatorum secundum speciem, quibus tamen omnibus commune est à Deo abducere.

AD TERTIVM, scilicet *de timore naturali*. Et ad quartum, scilicet *de timore humano*: Require supra vbi agitur de passione timoris.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum timor mundanus semper sit malus, & quid sit*. Sciendum quod sicut ex supra dictis patet, actus morales & habitus ex obiectis, & nomen, & speciem habent: proprium autem obiectum appetitiui motus est bonum finale; & ideo à proprio fine omnis motus appetitiuus, & specificatur, & nominatur. Si quis enim cupiditatem nominaret amorem laboris, quia propter cupiditatem homines laborant, non rectè nominaret. Non enim cupidi laborem quærunt sicut finem, sed sicut illud quod est ad finem; sicut finem autem quærunt diuitias. Vnde cupiditas rectè nominatur, desiderium vel amor diuitiarũ, quod est malum. & per hunc modum amor mundanus propriè dicitur, quo aliquis mundo innititur tanquam fini; & sic amor mundanus semper est malus. timor autem ex amore nascitur: illud enim homo timet amittere quod amat, vt patet per Aug. in lib. 83. quæst. Et ideo timor mundanus est, qui procedit ex amore mundano, tanquam à mala radice: & propter hoc etiam ipse timor mundanus semper est malus.

Timor mũdanus semper est malus.

SCIENDVM autem quod naturale est homini quod refugiat proprij corporis detrimentum, vel etiã damna temporalium rerum, sed quod homo propter ista recedat à iustitia est contra rationem naturalem. Vnde etiam Philosophus dicit in 3. Ethic. quod *quædam sunt*, scilicet, peccatorum *opera, ad quæ nullo timore aliquis debet cogi*, quia peius est huiusmodi peccata committere quam pœnas quascunque pati.

Solutio obiect.

AD TIMOREM humanum pertinere videtur, quod homines reuereamur. Sed dupliciter potest aliquis homines

mines reuereri. Vno modo inquãtum in eis eſt aliquid diuinum, puta bonum gratiæ, vel virtutis; vel ſaltem naturalis Dei imaginis:& hoc modo vituperantur,qui homines non reuerentur. Sicut iudex iniquus, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. Lucæ 18. Alio modo poteſt aliquis homines reuereri in quantum Deo contrariantur; & ſic laudantur qui homines non reuerentur, ſecundum illud Eccl. 48. *In diebus ſuis non pertimuit principem.* Et Matth.10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus* &c.

A D timorem mundanum pertinere videntur pœnæ,quæ per poteſtates ſæculares infliguntur. Poteſtates autem quandoque infligunt pœnas ad retrahẽdum à peccato in hoc quod Dei miniſtri ſunt:ſecundum illud Rom.13.*Miniſter Dei eſt iudex in iram ei, qui male agit:* & ſecundum hoc timere poteſtatem ſæcularem non pertinet ad timorem mundanum, ſed ad timorem ſeruilem, vel initialem. quando vero pœnas infligunt cõtra iuſtitiam,homines perſequendo, vel bona temporalia rapiendo;ſic ad timorem mundanum pertinet timere poteſtatem ſæcularem. & ex huiuſmodi timore prouenit, quod homo plus vult iuſtitiam deferre, vel Deum offendere, quam temporalia bona perdere. *De hoc re. vbi ſupra.*

CIRCA SEXTVM, ſcilicet *de timore ſeruili*, conſideranda ſunt tria. Primo vtrum timor ſeruilis ſit bonus. Secundo vtrum ſit idem cum timore filiali. Tertio vtrum remaneat cum charitate.

AD PRIMVM,ſcilicet *vtrum timor ſeruilis ſit bonus.* Dicendum quod timor ſeruilis ex parte ſeruilitatis, habet quod ſit malus:ſeruilitas enim opponitur libertati.vnde cum liber ſit qui cauſa ſui eſt,vt dicitur in principio Metaphyſicę; ſeruus eſt qui non cauſa ſui operatur, ſed quaſi ab extrinſeco motus. quicunque autem ex amore aliquid facit quaſi ex ſeipſo operatur, quia ex propria inclinatione mouetur ad operandum; & ideo contra rationem ſeruilitatis eſt quod aliquis ex amore operetur. Sic igitur timor ſeruilis inquantum ſeruilis eſt, charitati contrariatur. Si igitur ſeruilitas eſſet de ratione timoris, oporteret quod timor ſeruilis ſimpliciter eſſet malus, ſicut adulterium ſimpliciter eſt malum: quia id ex quo contrariatur charitati,pertinet ad adulterij ſpeciem: ſed prædicta ſeruilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſeruilis, ſicut nec infirmitas ad ſpeciem fidei informis. Species enim moralis habitus vel actus, ex obiecto accipitur; obiectum autem timoris ſeruilis eſt pœna, cui accidit quod bonũ cui contrariatur pœna,ametur tanquam finis vltimus: & per conſequens pœna timeatur tanquam principale malũ, quod contingit in non habente charitatem:vel quod ordinetur in Deum, ſicut in finem; & per conſequens pœna non timetur tanquam principale malum: quod contingit in habente charitatem. non enim tollitur ſpecies habitus per hoc quod eius obiectum, vel finis, ordinatur ad vlteriorem finem, & ideo timor ſeruilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus, ſed ſeruilitas eius eſt mala.

Timor ſeruilis ſecundũ ſuã ſubſtantiam eſt bonus ſed eius ſeruilitas eſt mala.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum timor ſeruilis ſit idem in re cum timore filiali.* Dicendum quod propriè obiectum timoris eſt malum, & quia actus & habitus diſtinguuntur ſecundum obiecta, vt ex dictis patet, neceſſe eſt quod ſecundum diuerſitatem malorum etiam timores ſpecie differant. Differt autem ſpecie malum pœnæ quod refugit timor ſeruilis, & malum culpæ quod refugit timor filialis, vt ex ſupradictis patet. Vnde manifeſtum eſt, quod timor ſeruilis & filialis non ſunt idem ſecundum ſubſtantiam, ſed differunt ſpecie.

Timor filialis reſpicit malũ culpa, ſeruilis vero malum pœnæ & ideo differunt ſpecie.

VNDE Aug. ſuper primam canonicam Ioannis,dicit duos eſſe timores: Vnum ſeruilem, & alium filialem, vel caſtum.licèt autem vterque timor reſpiciat Deum, quia vtroque timemus Deum; non tamen ſub eadem habitudine. Nam timor ſeruilis reſpicit Deum ſicut principium inflictiuum pœnarum: timor autem filialis reſpicit Deum, non ſicut principium actiuum culpæ, ſed potius ſicut terminum à quo refugit ſeparari per culpam. Et ideo ex hoc obiecto quod eſt Deus, non conſequuntur identitatem ſpeciei: quia etiam motus naturales ſecundum habitudinem ad aliquem terminum, ſpecie diuerſificantur: non enim eſt idem motus ſpecie qui eſt ab albedine, & qui eſt ad albedinem.

Solutio obiect.

PER iſtam eandem rationem dicas, quod fides formata, & informis, ſecundum obiectum non differunt: vtraque enim fides & credit Deo,& credit Deum; ſed differunt ſolum per aliquid intrinſecum,ſcilicet ſecundum præſentiam & abſentiam charitatis; & ideo non differunt ſecundum ſubſtantiam. ſed timor filialis & ſeruilis differunt ſecundum obiecta, & ideo non eſt ſimilis ratio.

SIMILITER eadem eſt ſpes, qua ſperamus frui Deo, & aliqua alia beneficia obtinere ab eõ. non tamen eſt idem timor quo timemus ſeparari à Deo, & ab eo puniri. quia ſpes reſpicit Deum ſicut principium,tam reſpectu fruitionis diuinæ, quam reſpectu cuiuſcunque alterius beneficij; non ſic autem eſt de timore, & ideo non eſt ratio ſimilis.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum timor ſeruilis ſimul maneat cum charitate*. Dicendum quod timor ſeruilis ex amore ſui cauſatur,quia eſt timor pœnæ quæ eſt detrimentum proprij boni. Vnde hoc modo timor pœnæ poteſt ſtare cum charitate, ſicut & amor ſui. eiuſdem enim rationis eſt, quod homo cupiat bonum ſuum; & quod timeat priuari eo. Amor autem ſui tripliciter ſe poteſt habere ad charitatem. Vno enim modo contrariatur charitati,ſecuudum quod aliquis in amore proprij boni,finem conſtituit. Alio modo includitur in charitate, ſecundum quod homo ſe propter Deum, & in Deo diligit. Tertio modo à charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur; puta cum aliquis diligit quidem ſeipſum ſecundum rationem proprij boni: ita tamen quod in hoc proprio bono non conſtituat finem: ſicut etiam & ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpiritualis dilectio, præter dilectionem charitatis,quæ fundatur in Deo; dum proximus diligitur,vel ratione conſanguinitatis,vel alicuius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad charitatem. Sic igitur timor pœnæ includitur. Vno modo in charitate. Nam ſeparari à Deo eſt pœna quędam, quam charitas maxime refugit; vnde hoc pertinet ad timorem caſtum. Alio autem modo contrariatur charitati ſecundum quod aliquis refugit pœnam contrariam bono ſuo naturali,ſicut principale malum contrarium bono,quod diligitur vt finis;& ſic timor pœnę non eſt cum charitate. Alio modo timor pœnæ diſtinguitur quidem ſecundum ſubſtantiam à timore caſto, quia ſcilicet homo timet malum pœnale,non ratione ſeparationis à Deo,ſed inquantum eſt nociuum proprij boni;nec tamen in illo bono conſtituitur eius finis: Vnde nec illud malum formidatur tanquam principale malum.& talis timor poteſt eſſe cum charitate.ſed iſte timor pœnæ non dicitur eſſe ſeruilis, niſi quando pœna formidatur ſicut principale malum, vt ex dictis patet; & ideo timor inquantum ſeruilis, non manet cum charitate:Sed ſubſtantia timoris ſeruilis cum charitate manere poteſt, ſicut amor ſui manere poteſt cum charitate. *De hoc etiam require vbi ſupra.*

Timor ſeruilis ex amore ſui cauſatur, qui quidem tripliciter ſe habet ad charitatem.

Timor ſeruilis ſecundum ſubſtantiam poteſt manere cum charitate, non autẽ vt ſeruilis.

CIRCA SEPTIMVM, ſcilicet *de timore initiali. Require vbi ſupra*,vbi agitur de paſſione timoris.

CIRCA OCTAVVM, ſcilic. *de timore filiali. Require vbi ſupra*. Ad illud autem, *An timor initialis ſecundum eſſentiã differat à timore filiali*. Dicendum quod timor initialis dicitur ex eo quod eſt initium; ſed cum & timor filialis, & timor ſeruilis, ſint aliquo modo initium ſapientiæ, vterque poteſt aliquo modo initialis dici. ſed ſic non accipitur initialis, ſecundum quod diſtinguitur à timore ſeruili & filiali; ſed accipitur ſecundum quod competit ſtatui incipientium; in quibus inchoatur quidam timor filialis per inchoationem charitatis: nõ tamen eſt in eis timor filialis perfecte, quia nondum

peruene-

Timor initialis stricte sumpta habet se ad filialem sicut charitas imperfecta ad perfectam. Solutio obiect.

peruenerunt ad perfectionem charitatis. & ideo timor initialis hoc modo, se habet ad filialem, sicut charitas imperfecta ad perfectam. Charitas autem perfecta & imperfecta, non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum; & ideo dicendum est, quòd timor initialis prout hic sumitur, non differt secundum essentiam à timore filiali.

ET NOTA, quod timor seruilis timet pœnam, & timor initialis timet pœnam, sed non eodem modo; quia timor seruilis respicit pœnam sicut obiectum proprium: timor autem initialis non timet pœnam sicut proprium obiectum, sed inquantum habet aliquid de timore seruili adiunctum; qui secundum substantiam manet quidem cum charitate, seruilitate remota, sed actus eius manet quidem cum charitate imperfecta in eo, qui non solum mouetur ad bene agendum ex amore iustitiæ, sed etiam ex timore pœnæ. Sed iste actus cessat in eo, qui habet charitatem perfectam, quæ *foras mittit timorem* habentem pœnam, vt dicitur 1. Ioan. 4.

CIRCA NONVM, scilicet *vtrum timor sit initium sapientiæ*. Sciendum quod initium sapientię potest aliquid dici dupliciter. Vno modo quia est initium ipsius sapientiæ quantum ad eius essentiam: Alio modo quãtum ad eius effectus; sicut initium artis secundum eius essentiam, sunt principia ex quibus procedit ars. Initium autem eius secundum artis effectum, est vnde incipit ars operari. Sicut si dicamus quod principium artis ædificatiuæ est fundamentum, quia ibi incipit ædificator operari. cum autem sapientia sit cognitio diuinorum, vt infra dicetur; aliter consideratur à nobis, & aliter à Philosophis. quia enim vita nostra ad diuinam fruitionem ordinatur, & dirigitur secundum quandam participationem diuinæ naturæ, quę est per gratiam, Sapientia secundum nos, non solum consideratur vt est cognoscitiua Dei, sicut apud Philosophos; sed etiã vt est directiua humanæ vitæ, quę non solum dirigitur secundum rationes humanas; sed etiam secundum rationes diuinas, vt patet per Aug. de Trin. Sic igitur initium sapientię secundum eius essentiam, sunt prima principia sapientię, quę sunt articuli fidei; & secundum hoc fides dicitur initium sapientiæ. Sed quantum ad effectum, initium sapientiæ est vnde sapientia incipit operari: & hoc modo timor est initium sapientię. Aliter tamen timor seruilis, & aliter timor filialis. timor enim seruilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, inquantum aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & per hoc habilitatur ad sapientiæ effectum, secundum illud Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* timor autem castus vel filialis, est initium sapientiæ, sicut primus sapientiæ effectus. Cum autem ad sapientiam pertineat quod humana vita regularetur secundum rationes diuinas; hinc oportet sumere principiũ, vt homo Deum reuereatur, & se ei subijciat. Sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur.

Initium sapientia secũdum eius essentiam est fides, secundũ effectum vero timor.

Solutio obiect.

DICITVR autem timor initium sapientiæ, & ipsa sapientia, Iob 28. *Timor Dei ipse est sapientia*; quia timor comparatur ad sapientiam sicut radix ad arborem. Vnde dicitur Eccl. 1. *Radix sapientiæ timere Deum.* & ideo sicut radix virtute dicitur esse tota arbor, ita timor Dei dicitur esse sapientia. Ex dictis patet quod fides alio modo est principium sapientiæ, & alio modo timor. Vnde dicitur Eccl. 25. *Timor Domini initium dilectionis eius; initium autem fidei agglutinandum est ei.*

Solus timor filialis est donum Spiritus sancti.

CIRCA SEPTIMVM, scilicet *vtrum timor sit donum Spiritussancti.* Dicendum quod multiplex est timor, vt supra dictum est. Timor autem humanus, vt dicit Aug. in libro de gratia & libero arbittio, nõ est donum Dei (hoc enim timore Petrus negauit Christum) sed ille timor de quo dictum est; *illum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* Similiter etiam timor seruilis non est numerandus inter septem dona Spiritussancti, licèt sit à Spiritussancto: quia vt Aug. dicit in lib. de natura & gratia, potest habere annexam voluntatem peccandi: dona autem Spiritussancti non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine charitate, vt dictum est supra. Vnde relinquitur quod timor Dei qui numeratur inter septem dona Spiritussancti, est timor filialis siue castus. dictũ est enim supra, quod dona Spiritussancti sunt quędam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritussancto: sicut à virtutibus mobilibus, potentiæ appetitiuæ redduntur bene mobiles à ratione. ad hoc autem quod aliquid sit bene mobile ab aliquo mouente, primo requiritur vt sit ei subiectum non repugnans; quia ex repugnantia mobilis ad mouens, impeditur motus. hoc autem facit timor filialis, vel castus, inquantum per ipsum Deum reuereremur, & refugimus nos ipsi subducere. & ideo timor filialis, quasi primum locum tenet ascendendo, inter dona Spiritussancti: Vltimum autem descendendo, sicut Aug. dicit in libr. de serm. Domini in monte.

Solutio obiect.

ISTE autem timor filialis non contrariatur virtuti spei: non enim per timorem filialem timemus ne nobis deficiat quod speramus obtinere per auxilium diuinum, sed timemus ab hoc auxilio nos subtrahere; & ideo timor filialis & spes, sibiinuicem cohærent, & seinuicem perficiunt.

Licet charitas sit principiũ timoris tamen sunt distincti habitus, & amor magis habet rationẽ virtutis.

NEC est idem timor Dei cum charitate: non enim ex hoc quod amor est principium timoris, sequitur quod non sit habitus distinctus à charitate, quæ est amor Dei: quia amor est principium omnium affectionum, & tamen in diuersis habitibus perficimur circa diuersas affectiones. ideo tamen amor magis habet rationem virtutis, quam timor; quia amor respicit bonũ, ad quod principaliter virtus ordinatur secundum propriam rationem; vt ex supradictis patet; & propter hoc etiam spes ponitur virtus: timor autem principaliter respicit malum, cuius fugam importat: vnde aliquid minus est virtute Theologica.

Timor filialis crescit crescente charitate, non autem timor seruilis.

CIRCA VNDECIMVM, scilicet *vtrum crescente charitate crescat timor.* Dicendum quod duplex est timor Dei sicut dictum est. Vnus quidem filialis, quo quis timet offensam ipsius, vel separationem ab ipso. Alius autem est seruilis timor, quo quis timet pœnam. Timorem autem filialem necesse est crescere crescente charitate, sicut effectus crescit crescente causa: quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, & ab eo separari. Sed timor seruilis quãtum ad seruilitatem totaliter tollitur charitate adueniente: remanet tamen secundum substantiam timor pœnæ, vt dictum est, & iste timor diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum; quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet Deum. Primo quidem quia minus attendit ad bonum proprium cui contrariatur pœna. Secundo quia firmius inhærens magis confidit de præmio, & per consequens minus timet de pœna. & sic intelligit Aug. quando dicit super primam canonicam Ioannis, quod *quantum charitas crescit tantum timor decrescit.*

Solutio obiect.

SIMILITER spe crescente diminuitur timor pœnæ, sed ea crescente crescit timor filialis, quia quanto aliquis certius expectat alicuius boni consecutionem per auxiliũ alterius, tãto magis veretur eum offendere, vel ab eo separari.

Timor seruilis non manebit in patria, bene tamen filialis, licet nõ quoad eundem actum quem modo habet.

CIRCA DVODECIMVM, scilicet *vtrum timor permaneat in patria.* Dicendum quod timor seruilis, siue timor pœnæ, nullo modo erit in patria. Excluditur enim timor talis per securitatẽ æternæ hæreditatis vel beatitudinis, quę est de ipsius beatitudinis ratione, sicut supra dictum est. Timor autem filialis si augetur augmẽtata charitate, ita charitate perfecta perficietur. vnde non habebit in patria omnino eundem actum quem habet modo. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod proprium obiectum timoris est malum possibile, sicut proprium obiectum spei est bonum possibile. & cum motus timoris sit quasi fugę; timor importat fugam mali ardui possibilis; parua enim mala timorem non inducunt. Sicut autem bonum vniuscuiusque est vt in suo ordine consistat, ita malum vniuscuiusque est vt

suum

uum ordinem deſerat. ordo autem creaturæ rationalis eſt, vt ſit ſub Deo,& ſupra cæteras creaturas. Vnde ſicut malum creaturæ rationalis eſt vt ſubdat ſe creaturę inferiori per amorem: ita etiam malum eius eſt, ſi non Deo ſe ſubijciat; ſed in ipſum præſumptuosè inſiliat, vel contemnat. hoc autem malum creaturæ rationali ſecundum ſuam naturam conſideratæ poſſibile eſt, propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem; ſed in beatis fit non poſſibile, per gloriæ perfectionem. fuga igitur mali quod eſt Deo non ſubijci, vt poſſibilis naturæ, impoſſibilis autem beatitudini, erit in patria. In via autem eſt fuga huius mali, vt omnino poſſibilis. Et ideo Greg. dicit 17. moral. exponens illud Iob 26. *Columnæ contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Ipſe inquit, *virtutes cœleſtium quæ hunc ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa contemplatione contremiſcunt. ſed idem tremor ne eis pœnalis ſit, non timoris eſt, ſed admirationis*: quia ſcilicet admirantur Deum, vt ſupra ſe exiſtentem, & eis incomprehenſibilem. Aug. autem in 14. de ciu. Dei: hoc modo ponit timorem in patria, quamuis hoc ſub dubio derelinquat. *Timor*, inquit, *ille caſtus permanens in ſæculum ſæculi, ſi erit, in futuro ſæculo, non erit timor exiens à malo quod accidere poteſt, ſed tenens in bono quod amitti non poteſt: vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò ſi dici poteſt, mali cauendi timor ſecurus eſt. timoris quippe caſti nomine, ea voluntas ſignata eſt, quam nos neceſſe erit nolle peccare; & non ſollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis cauere peccatum. aut ſi nullus omnino generis timor ibi eſſe poterit, ita fortaſſe timor in ſęculum ſæculi dictus eſt permanens, quia id quidem permanebit, ad quod timor ipſe perducit.*

Solutio obiect. SPES autem non manebit in patria, quia ſpes importat quendam defectum, ſcilicet abſentiam beatitudinis, quæ tollitur in eius præſentia. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ, ſecundum quod in infinitum diſtat à Deo, quod etiam in patria remanebit, & ideo timor non euacuabitur totaliter.

De dono pietatis.

DISTINCTIO III.

DEINDE conſiderandum eſt de dono pietatis, *vtrum* ſcil. *pietas ſit donum Spiritusſancti.* Dicēdum quod ſicut ſupra dictum eſt, dona Spiritusſancti ſunt quędam habituales animæ diſpoſitiones, quibus eſt promptè mobilis à Spiritusſancto. Inter cætera autem mouet nos Spiritusſanctus ad hoc quod affectum quēdam filialem habeamus ad Deum, ſecundum illud Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* & quia ad pietatem proprie pertinet, officium & cultum patri exhibere? Conſequens eſt, quod pietas per quam cultum & officium exhibueris Deo vt patri, per inſtinctum Spiritusſancti, ſit donum.

Pietas eſt donū Spiritusſancti.

Solutio obiect. ET NOTA, quod differt pietas quæ eſt virtus, à pietate quę eſt donum: quia pietas quæ eſt virtus exhibet officium & cultum Deo vt patri: & ſicut per pietatem quę eſt virtus, exhibet homo officium & cultum, non ſolum patri corporali, ſed etiam omnibus ſanguine iūctis, ſecundum quod pertinent ad patrem: ita etiam pietas ſecundum quod eſt donum, non ſolum exhibet cultum & officium Deo, ſed omnibus quæ pertinent ad Deum. & propter hoc ad ipſam pertinet honorare ſanctos, non contradicere ſcripturæ, ſiue intellectæ, ſiue non intellectæ, ſicut Aug. dicit in lib. de doctr. Chriſtiana. Ipſa etiam ex conſequenti ſubuenit in miſeria conſtitutis. & quamuis iſte actus non habeat locum in patria, præcipuè poſt diem iudicij: habebit tamen locum præcipuus actus eius, qui eſt reuereri Deum affectu filiali, quod pręcipuè tunc erit, ſecundum illud Sap. 5. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.* erit etiam mutua honoratio ſanctorum adinuicem. nunc autem ante diem iudicij, miſerentur horum qui in ſtatu huius miſeriæ ſunt.

A *De dono ſcientiæ.*

DEINDE conſiderādum eſt de dono ſcientiæ, quod eſt tertium inter dona. Et circa hoc conſideranda ſunt tria. Primo vtrū ſcientia ſit donum. Secūdo vtrū ſit circa diuina. Tertio vtrū ſit ſpeculatiua vel practica.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum ſcientia ſit donum.* Dicēdum, quod gratia perfectior eſt quam natura. Vnde nō deficit in his in quibus homo per naturam perfici poteſt. Cum autem homo per naturalem rationem aſſentit ſecūdum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam. Primo quidem quia capit eam. Secundo quia de ea certum iudicium habet. & ideo ad hoc quod intellectus humanus perfectè aſſentiat veritati fidei, duo requiruntur, quorum vnum eſt, quod ſanè capiat ea quæ proponuntur, quod pertinet ad donum intellectus, vt ſupra dictum eſt: Aliud autem eſt, vt habent certum iudicium de veritate, per diſcurſum rationis, & rectum, de eis, diſcernendo ſcil. credenda à non credendis; & ad hoc eſt neceſſarium donum ſcientiæ.

Scientia eſt donum Dei quo diſcernimus credēda à non credēdis.

B

Solutio obiect. CIRCA credenda autem poteſt haberi duplex ſciētia; vna quidem per quam homo ſcit, quid credere debeat: diſcernens credenda à non credendis; & ſecūdum hoc ſcientia eſt donum, & conuenit omnibus ſanctis. alia vero eſt ſcientia circa credenda, per quam homo non ſolum ſcit quid credere debeat, ſed etiam ſcit fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere, & contradictores reuincere: & iſta ſcientia ponitur inter gratias gratis datas, quæ non dantur omnibus ſed quibuſdam. vnde Aug. 13. de Trin. poſtquam dixerat, quod

C *ſcientia non pollent plurimi, quamuis polleant ipſa fide.* ſubiungit ibidem: *Aliud eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat? Aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur.*

EX DICTIS patet quomodo differt ſcientia quæ eſt donum, à ſciētia quę ponitur inter gratias gratis datas. differt autem à ſcientia quæ eſt habitus intellectualis animæ, eſt effectus naturalis rationis, quia certitudo cognitionis in diuerſis naturis inuenitur diuerſimode, ſecundum diuerſam conditionem vniuſcuiuſque naturæ. Nam homo conſequitur certum iudicium de veritate per diſcurſum rationis, & ideo ſcientia humana ex ratione demonſtratiua acquiritur. ſed in Deo eſt certum iudicium veritatis abſque omni diſcurſu, per ſimplicem intuitum & ideo diuina ſcientia non eſt diſcurſiua vel ratiocinatiua, ſed abſoluta & ſimplex: cui ſimilis eſt ſcientia, quæ ponitur donum Spiritusſancti, cum ſit quædam participatiua ſimilitudo ipſius.

D

ET NOTA, quod virtuti fidei reſpondet donum intellectus, & etiam donum ſcientiæ. quia licèt dona ſint perfectiora virtutibus moralibus & intellectualibus, non ſunt autem perfectiora virtutibus Theologicis, ſed magis communia dona ad perfectionem Theologicarum virtutum ordinantur ſicut ad finem. & ideo non eſt inconueniens ſi diuerſa dona, ad vnam virtutem Theologicam ordinantur.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum donum ſcientiæ ſit circa diuina.* Dicendum quod certum iudicium de re aliqua maximè datur ex ſua cauſa. Et ideo ſecundum ordinem cauſarum oportet eſſe ordinem iudiciorum. Sicut enim cauſa prima eſt cauſa ſecundæ, ita per cauſam primam iudicatur de ſecunda cauſa. De cauſa autem prima non poteſt iudicari per aliam cauſam; & ideo iudicium quod fit per primam cauſam, eſt primum, & perfectiſſimum. In his autem in quibus eſt aliquid perfectiſſimum, nomen commune generis appropriatur his quæ deficiunt à perfectiſſimo: ipſi autem perfectiſſimo, adaptatur aliquod ſpeciale nomen, vt patet in Logicis. Nam in genere conuertibilium, illud quod ſignificat id quod quid eſt, ſpeciali nomine diffinitio vocatur. extrema autem quæ ab hoc deficiunt, conuertibilia exiſtentia, nomen cauſæ ſibi retinent, ſcilic. quod propria dicuntur. Igitur quia nomen ſcientiæ importat quandam rectitudinem iudicij, vt dictum eſt. (Si quidem certitudo iudicij ſit per altiſſimam cauſam illius

E

generis)

generis) habet ſpeciale nomen, quod eſt ſapientia. dicitur enim ſapiens in vnoquoque genere, qui nouit altiſſimam cauſam illius generis, per quam poteſt de omnibus iudicare. ſimpliciter autem ſapiens dicitur, qui nouit iudicare altiſſimam cauſam, ſcilic. Deum; & ideo cognitio diuinorum vocatur ſapientia. Cognitio vero rerum humanarum, vocatur ſcientia, quaſi communi nomine importante certitudinem iudicij, appropriato ad iudicium quod fit per cauſas ſecundas: & ideo ſic accipiendo nomen ſcientiæ, ponitur donum diſtinctum à dono ſapientię. Vnde donum ſcientiæ eſt ſolum circa res humanas, vel circa res creatas. licèt enim ea de quibus eſt fides, ſint res diuinæ & æternę; tamen ipſa fides eſt quoddã temporale in anima credentis. & ideo ſcire quid credendum ſit, pertinet ad donum ſcientiæ. Scire autem res ipſas creditas ſecundum ſeipſas, ſecundum quandam vnionem ad ipſas, pertinet ad donum ſapiẽtiæ. vnde donum ſapientiæ, magis reſpondet charitati. quæ vnit mentem hominis Deo.

Donũ ſcientia eſſe ſolũ circa res humanas vel creatas.

De fortitudine.

DISTINCTIO IV.

DEINDE conſiderandum eſt de quarto dono quod dicitur fortitudo, ſcil. *vtrum fortitudo ſit donum*: & dicendum quod fortitudo importat quandam animi firmitatem, vt ſupra dictum eſt. Et hęc quidem firmitas requiritur in bonis faciendis, & in malis perferendis; & præcipuè in arduis bonis, vel malis. Homo autem ſecundum proprium, & connaturalem ſibi modum, hãc firmitatem in vtroque poteſt habere, vt non deficiat à bono propter difficultatem, vel alicuius ardui operis implendi, vel alicuius mali grauis perferendi; & ſecundum hoc fortitudo ponitur virtus ſpecialis vel generalis, vt ſupra dictum eſt. ſed vlterius à Spirituſſancto mouetur animus hominis ad hoc, quod perueniat ad finem cuiuſlibet operis inchoati, & euadat quæcunque pericula imminentia, quod quidem excedit naturã humanam. Quandoque enim non ſubeſt poteſtati hominis, vt conſequatur finem boni operis, vel euadat mala, ſeu pericula; cũ quandoque opprimatur ab eis in morte: ſed hoc operatur Spirituſſanctus in homine, dum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt finis omnium bonorum operum, & euaſio omnium periculorum. & huius rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus- D ſanctus, contrarium timorem excludens; & ſecundum hoc fortitudo donum Spirituſſancti ponitur. Dictum eſt enim ſupra, quod dona reſpiciũt motionem animæ à Spirituſſancto.

Fortitudo eſt donum Spirituſſancti ſub aliaratione quã virtus. Solutio obiect.

EX DICTIS patet, quod & quomodo differt fortitudo quæ eſt virtus, à fortitudine quæ eſt donũ, quia fortitudo quæ eſt virtus, perficit animum ad ſuſtinendum quæcunque pericula; ſed non ſufficit dare fiduciã euadendi quæcunque pericula, ſed hoc pertinet ad fortitudinem, quæ eſt donum Spirituſſancti. præterea donũ fortitudinis reſpicit virtutem fortitudinis, non ſolum ſecundum quod conſiſtit in ſuſtinendo pericula, ſed etiam ſecundum quod conſiſtit in quocunque arduo opere faciendo. & ideo donum fortitudinis dirigitur à dono conſilij, quod videtur præcipue eſſe de melioribus bonis.

ITEM NOTA, quod donum fortitudinis manebit in patria, ſed nec donum fortitudinis, nec alia, habẽt eoſdẽ actus in patria quos habent in via. Actus enim fortitudinis in via eſt dare fiduciam trepidanti cõtra aduerſa, quæ nulla erunt in patria. Sed actus eius in patria erit perfrui plena ſecuritate à laboribus & malis.

De dono conſilij.

DEINDE cõſiderandũ eſt de dono quinto, quod eſt conſiliũ. Circa quod conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum conſiliũ debeat poni inter dona. Secũdo vtrũ reſpõdeat virtuti prudẽtiæ. Tertio vtrum maneat A in patria. Quarto de effectibus cõſilij in anima viri iuſti.

AD PRIMVM, ſc. *vtrum conſilium ſit donum*. Dicendum quod dona ſpiritus, vt ſupra dictum eſt, ſunt quædam diſpoſitiones quibus redditur anima bene mobilis à Spirituſancto; Deus autem mouet vnumquodque ſecundum motum eius quod mouetur, ſicut creaturam corporalem mouet per tempus, & locum: creaturã autem ſpiritualem per tempus, & nõ per locum, vt Aug. dicit 8. ſuper Gen. ad litteram. Eſt autem proprium rationalis creaturæ, quod per inquiſitionem rationis moueatur ad aliquid agendũ, quæ quidem inquiſitio conſilium dicitur; & ideo Spiritusſanctus per modum cõſilij creaturam rationalem mouet, & propter hoc conſilium ponitur inter dona Spiritusſancti.

Cõſilium eſt donum Spiritusſancti. Solutio obiect.

DIFFERT autem cõſilium quod acquirit homo per B virtutem prudẽtię, vel eubuliæ, & per donum Spiritusſancti; quia prudentia, vel eubulia, ſiue ſit acquiſita, ſiue infuſa dirigit hominem in inquiſitione conſilij, ſecundum ea quæ ratio comprehendere poteſt. Vnde homo per prudentiam vel eubuliam fit bene conſiliatiuus, vel ſibi vel alij. ſed quia humana ratio non poteſt comprehendere ſingularia cõtingentia quę occurrere poſſunt, fit quod *cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ*, vt dicitur Sap. 9. Et ideo indiget homo in inquiſitione conſilij dirigi a Deo, qui omnia comprehendit, quod fit per donum conſilij, per quod homo dirigitur, quaſi conſilio à Deo accepto. Sicut etiam in rebus humanis, qui ſibiipſis non ſufficiunt in inquiſitione conſilij, à ſapientioribus conſilium requirunt.

ET NOTA, quod ad gratiam gratis datam pertinere C poteſt, quod aliquis ita boni conſilij ſit, quod alijs conſilium præbeat in agendis. Sed quod aliquis à Deo cõſilium habeat, in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutẽ, hoc eſt commune omnium ſanctorum.

AD SECVNDVM, ſcilic. *vtrum donum conſilij reſpondeat prudẽtiæ*. Dicendum quod principium motiuũ inferius, præcipuè adiuuatur & perficitur per hoc, quod mouetur à ſuperiori motiuo principio, ſicut corpus in hoc quod mouetur à ſpiritu. Manifeſtum eſt autem quod rectitudo rationis humanæ, comparatur ad rationem diuinam, ſicut principium motiuum inferius ad ſuperius: ratio enim æterna, eſt ſuprema regula omnis humanæ rectitudinis. & ideo prudentia quæ importat rectitudinem rationis, maximè perficitur & iuuatur, ſecundum quod regulatur & mouetur à Spiritusſancto; D quod pertinet ad donum conſilij vt dictum eſt. vnde donum conſilij reſpondet prudentiæ; Sicut ipſam adiuuans & perficiens.

Donum conſilij reſpondet prudetiæ, ſi quam quid adiuuans & perficiens ipſam.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum donum conſilij maneat in patria*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, dona Spiritusſancti ad hoc pertinẽt, vt creatura rationalis mouetur à Deo. Circa motionem autem humanæ mentis à Deo, duo conſiderari oportet. *Primo quidem*, quia alia eſt diſpoſitio eius quod mouetur, dum mouetur; & alia dum eſt in termino. & quidem quando mouens ſolum eſt principium mouendi, ceſſante motu, ceſſat actio mouentis ſuper mobile, quia iam peruenit ad terminum: ſicut domus poſtquam ædificata eſt, non vlterius ædificatur ad ædificatore. ſed quando mouens non ſolum eſt cauſa mouendi, ſed etiam eſt cauſa ipſius formæ ad E quam eſt motus; tunc non ceſſat actus mouentis. etiã poſt adeptionem formæ; ſicut ſol illuminat aerem, etiã poſtquam eſt illuminatus. & hoc modo Deus cauſat in nobis virtutem & cognitionem, non ſolũ quando primo acquiritur, ſed etiã quamdiu in eis perſeueramus. & ſic cognitionem agendorum cauſat Deus in beatis, non quaſi in ignorantibus, ſed quaſi continuando in eis cognitionem eorum, quę agenda ſunt. Tamen quædã ſunt quæ beati, vel Angeli, vel homines, non cognoſcunt; quæ non ſunt de eſſentia beatitudinis, ſed pertinent ad gubernationem rerum ſecundum diuinã prouidentiam. & quantum ad hoc eſt aliud *conſiderandum*, ſc. quod mens beatorum aliter mouetur à Deo, & aliter mens viatorum. Nam mens viatorum mouetur à Deo in agendis, per hoc quod ſedatur anxietas dubita-

tionis in

tionis in eis præcedens: in mente vero beatorum circa ea quę non cognoſcunt, eſt ſimplex neſcientia à qua etiam Angeli purgantur ſecundum Dion.7.c.Cæleſtis hierarc. Non autē præcedit in eis inquiſitio dubitationis, ſed ſimplex conuerſio ad Deum. & hoc eſt Deum conſulere, ſicut Aug. dicit ſuper Gen.ad literam, quod *Angeli de inferioribus Deū conſulunt.* vnde inſtructio qua ſuper hoc à Deo inſtruuntur, conſilium dicitur, & ſecundum hoc donum conſilij eſt in beatis, inquantū in eis à Deo continuatur cognitio eorum quæ ſciunt, & inquantū illuminantur de his quæ neſciūt circa agēda.

Donū conſilij eſt in beatis duplici ratione.

Soluitio obiect.

LICET autem conſilium ſecundum ſtatum viæ ſit de his quæ ſunt ad finem, & omnes beati iam fine vltimo potiantur; tamen in eis poteſt eſſe conſiliū, ſicut & alij actus ordinati in finē; qui ſunt in beatis, vel quaſi procedentes ex conſecutione finis; ſicut quod Deum laudant; vel quibus alios pertrahunt ad finem, quem ipſi ſunt conſecuti; ſicut ſunt miniſteria Angelorum, & orationes ſanctorum. & quantum ad hoc, habet in eis locum donum conſilij. *Item* licet conſilium ſecundum ſtatum viæ præſentis dubitationem importet, non tamen ſecundum quod eſt in patria.

Conſilium duplex.

CIRCA QVARTVM, ſc. *de excellentia huius doni, & de effectibus eius.* Sciēdum quod conſilium duobus modis accipitur. *Vno modo* large dicitur conſilium, deliberatio eorum quæ à nobis fienda ſunt, valentium ad finē eorum quæ intendimus. vt ſi quis velit ędificare domum, deliberat vbi, quando, quomodo, per quos, de qua materia, & quomodo habebit expenſas &c. *Alio modo* ſtrictè dicitur conſilium, deliberatio de rebus excellentibus adimplendis, ad quæ nō tenemur ex prędcepto, niſi ad eorum obſeruantiam obligauerimus nos voto: talia ſunt cōſilia perfectionis Euangelicę, quæ Angelus magni conſilij, admirabilis cōſiliarius, Dei filius, attulit in hunc mundum. Ad quę implenda quidam ſe obligant voto, & profeſſione ſolēmni, vt viuant continenter in obedientia, & ſine proprio propter Deum; & vt alias regulas Euangelicæ perfectionis obſeruent, & ſtatuta maiorum ſuorum. Alij vero diuinitus illuſtrati, etiam ſine obligatione voti, ſequi volunt monita & pia veſtigia Saluatoris. Non ſolum adimplendo præcepta, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis; verumetiam eius conſilia. & ſic conſilium dicitur mentis illuminatio, vel inſpiratio diuini beneplaciti. De his quæ pertinent ad perfectionis Euangelicæ complementum, Bernard. ad fratres de monte Dei. *Attendamus non ſolum quæ Deus præcipiat, ſed quæſit voluntas eius bona, beneplacens, & perfecta.* Aug *ſi conſilio vti volueris, maius bonum adipiſceris; non mali aliquid perpetrabis.*

Conſilium, quatuor animæ confert.

1. Peritiā eligendi & diſcernēdi, quid bonum, quid malum.

SCIENDVM autem quod conſilium dat animæ peritiam eligendi, lætitiam congaudendi, conſtantiam perſiſtendi, fiduciam obtinendi. Dat inquam peritiam eligendi, & diſcernendi quid bonum, quid malum; quid melius, quid optimum; quid expediens, quid dānoſum; quid facile, quid difficile; quid certum, quid incertum; quid ſecurum, quid periculoſum; & ſic de alijs circunſtantijs. præeligit autem bonum à malo, expediens à damnoſo, certum ab incerto, tutum à periculoſo, facile à difficili. ideo monet ſapiens Eccl.37. *Ante omnia verbū veræ præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Et Tob.4. *Pete ab eo*, ideſt Deo, *vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Et Eccl.22. *Sine conſilio nihil facias.* Hoc dono illuminatus, omnes fraudes & dolos, tam dæmonum, quam hominum, ſcit cognoſcere & cauere. Greg.1.moral. *Conſilium cautum reddit.* Prou.13. *Aſtutus omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam ſuam.* Aſtutia ſumitur hic in bono, pro quadā ſolertia cognoſcendi & cauendi omnes fraudes & malitias, quæ nocere poſſunt animæ, & eius impedire ſalutem.

2. Lætitiā ſpiritualem.

SECVNDO conſilium dat animæ lætitiam ſpiritualem: ſicut dicitur Prou.12. *Qui pacis ineunt conſilia, ſequetur eos gaudium.* pacis inquam primo & principaliter cū Deo, ſine quo non poteſt pax haberi. Iob 9. *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* certe nullus. pacis etiā cum proximo, ſicut hortatur Apoſtolus Heb. 12. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Idē Rom.12. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Pacis denique in ſeipſo, quam nunciauerunt Angeli Chriſto nato. Luc.2. *In terra pax hominibus bonę voluntatis.* qui huius pacis triplicis ineunt cōſilia, ſequitur eos gaudium conſcientiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. nec mirum ſi tales gaudium habent in conſcientia, cum quibus habitat Deus pacis. Hiere. 7. *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum.* Exod.18. *Audite verba mea, atque conſilia, & Dominus erit tecum.* Prou.8. *Ego ſapientia habito in conſilijs.*

3. Conſtātiam perſiſtendi in bono propoſito.

TERTIO cōſilium dat conſtantiam perſiſtendi, ideſt animi firmitatem in bono propoſito, vt non ſit homo ſicut arundo mobilis omni vento. Sine iſto dono frequenter homo multa bona proponit, ſed non perficit quod incæpit, vel forte etiam non incipit. Vnde Prou. 15. *Diſſipantur cogitationes*, ideſt bona propoſita, *vbi non eſt conſilium. Vbi vero ſunt plures conſiliarij*, ſc. Deus, Angelus bonus, & prelatus, *confirmantur.* Prou.20. *Cogitationes conſilij roborantur.* Econtra de impijs dicitur in Pſal. 20. *Cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire.* Idem 32. *Dominus diſſipat conſilia gentium* &c. Sequitur: *conſilium autem Domini in ęternum manet.*

4. Fiduciā obtinendi æternum præmiū.

QVARTO conſilium dat animæ fiduciam obtinendi, ſcilicet æternum præmium. Prou.11. *Salus vbi multa conſilia.* Nota, donum conſilij vnum eſt in eſſentia, ſed multiplex in effectu, quia vno Dei conſilio mouetur & excitatur anima ad multa magnificè faciendum: vbi ergo multa ſunt conſilia, ibi ſalus animæ, nunc in ſpe, poſtmodum in re.

Omnia conſilia Euangelica ad quatuor reuocantur.

SCIENDVM eſt etiam, quod licet multa ſint conſilia perfectionis Euangelicæ, tamen ad quatuor omnia reducuntur. Primum eſt propter Deum terrena cuncta deſpicere, ex amore paupertatis. Sciendum eſt oblectamenta carnis abiicere, pro candore caſtitatis. Tertiū eſt ſeipſum homini propter Deum ſubiicere, abnegando propriam voluntatem. Quartum eſt aduerſa mundi lætanter ſuſcipere, contemnendo omnimodam voluptatem. Iſta autem ſunt conſilia diuinæ ſapientiæ, quæ mundi iudicio ſtultitia reputantur, ſed diuino iudicio ſumma ſapientia iudicantur. Prouerb.13. *Qui omnia agunt cum conſilio, multa reguntur ſapientia.*

Primum cōſilium eſt omnia terrena deſpicere ex amore paupertatis.

PRIMVM ergo conſilium, quod dedit Angelus magni conſilij, eſt bene, prudenter, & ſine fraude mercari; dare ſcil. pro paruis magna, pro paucis multa, pro centuplis ſimpla, pro terrenis emere ſpiritualia, pro caducis & temporalibus ſempiterna. Vnde dixit Angelus magni conſilij, Matth.19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Luc.12. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* Donum conſilij illuminat hominem vt ſequatur viam perfectionis Chriſti, omnia propter eum relinquendo, & religionem intrando, & ei ad vota profeſſionis obligando ſe. Prouerb.12. *Qui ineunt pacis conſilia*, vouendo viuere ſine proprio, continenter, & obedienter, *ſequetur eos gaudium.* Eccl.40. *Aurum, & argentum eſt conſtitutio pedum & ſuper vtrunque conſilium beneplacitum.* pro quo implendo, relinquunt homines, dono conſilij inſpirati, aurum & argentum, & ſtatum bonorum ſæcularium, & intrant religionem. quibus dicit Dominus Matth.19. *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael: & omnis qui reliquerit* &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Paral.30. *Mittente Ezechia Rege nuncios curſores ad filios Iſrael, vt venirent in Hieruſalem ad placandum Dominum; alijs ſubſannantibus: quidam viri ex Aſer, & Zabulon, & Manaſſe acquieſcentes conſilio venerunt in Hieruſalem.* Sic multi de tribus mundi plagis, relicta carnis concupiſcentia, vitę ſuperbia, & concupiſcentia oculorum, veniunt ad religionem: & ibi contra iſta tria, emittunt triplex votum, continentiæ, obedientiæ, & paupertatis voluntariæ.

ISTA SVNT magnifica conſilia, quæ dat Angelus magni conſilij, conſiliarius Deus, Bern. *Vocat te Angelus*

magni con-

magni consilij, dicens: Sequere me; & tu aliud consilium præstolaris: amicos consulat, qui non legit, inimici hominis domestici eius. Idem ad fratres de monte Dei. *Attendamus probantes quæ sit voluntas Dei beneplacens, & perfecta.* De his consilijs dicit Sen. in epistolis: *Bonus vir sine Deo nemo est, non potest aliquis supra fortunam, nisi ab eo adiutus exsurgere.* Ille dat magna consilia & recta. Ista consilia dat Deus per pastores gregis sui. Per filium suum consilia Euangelicæ perfectionis, per B. Aug. Benedictum, Dominicum, Franciscum, & per alios huiusmodi, consilia dedit regularis perfectionis: de quibus dicitur sub Typo filiorum Isachar, Paral. 12. *De filijs vero Isachar fuerunt viri eruditi, qui nouerunt* in gula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, *& omnis reliqua tribus, eorum consilium sequebatur.* Sed istud Dei consilium contemnunt cupidi mundialium amatores: sicut habetur Lucæ 7. *Pharisæi autem & legisperiti spreuerunt consilium Dei in semetipsis*, quia scilicet erant auari, sicut dicitur Lucæ 16. *Audiebant autem eum Pharisæi qui erant auari, & deridebant eum.*

Secundum consilium est castitatis.

SECVNDVM est consilium purissimæ castitatis: de qua Dominus Matth. 18. *Sunt eunuchi qui semetipsos castrauerunt propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat.* Hoc propter perfectionem non præcipitur, sed in hominis voluntate relinquitur. Aliqui tamen ad hoc voluntate deuota se obligant, castitatis voto se perpetuo obligantes, seu etiam virginitatis professionem solemniter vouentes: de quibus dicit Apostolus 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. &c.*

Tertium est obedientia perfecta.

TERTIVM est consilium obedientiæ perfectæ, quo quis sponte & deuotè propriam abnegat voluntatem, volens obedire homini propter Deum, *qui factus est obediens vsque ad mortem &c.* De hoc potest intelligi illud Prou. 3. *Qui omnia agunt cum consilio*, dicitur scilicet de voluntate prælati, *multa reguntur sapientia*, quia scilicet in omnibus merentur. Ideo Eccl 22. Viro religioso consulitur: *Sine consilio nihil facias.* Idem: *Omnia fac cum consilio &c.*

Quartum est inuicta patientia.

QVARTVM est consilium perfectæ & inuictæ patientiæ hoc consilio homo diuinitus illustratus, eligit aduersa pati propter Christum, qui pro nobis aduersa pati voluit in hoc mundo, vt nobis exemplum patiendi præberet hoc exemplum dedit nobis, & in principio, id est in suæ natiuitatis exordijs: Sicut ait Bernar. in serm. de Natali Domini. *Quid est, Christus Dei virtus & sapientia eius, nascisturus, in cuius arbitrio erat quodcumque vellet eligere, elegit quod molestius est, præsertim paruulo pauperis matris filio, tempus hyemis asperrimum, noctis mediæ tenebras & horrorem, matrem pauperem quæ vix haberet pannos ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum, vbi nullam audio pellium fieri mentionem. Non est tale iudicium mundi: aut iste fallitur, aut mundus errat; sed diuinam impossibile est falli sapientiam. Merito ergo carnis prudentia mors, & ipsa inimica est Deo; & sæculi prudentia stultitia iudicatur: quid enim, Christus qui non fallitur, elegit quod erat carni molestius: id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum. Et quisquis alius aliud doceat, aut suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum.* Idem ibidem. *Age pœnitentiam, per hanc appropinquat Regnũ Dei. hãc Christus prædicat, & stabulũ suggerit, præsepe clamat, hæc membra infantilia illa loquuntur, hoc pueri lachrymæ, & vagitus euangelizant. lachrymæ Christi pudorem mihi parunt, & dolorem, ludebam foris in plateis, & ecce in secreto regalis cubiculi, mortis sententia contra me ferebatur, audiuit hoc regis vnigenitus, exijt posito diademate, sacco indutus, aspersus cinere caput, nudis pedibus flens, & eiulans; quod damnatus esset morti seruulus eius &c.* Et post. *Ex qualitate remedium periculi mei æstimo quantitatem: sanus mihi videbar, & ecce matris virginis & altissimi Dei filius iubetur occidi, vt vulneribus meis, pretioso sanguinis eius balsamo, medeatur: Agnoscẽ homo quam grauia sunt vulnera pro quibus necesse fuerit Christum Deum vulnerari. Si non essent ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio, Dei filius moreretur, & in medio suæ conuersationis; sustinendo videlicet irrisiones, detractiones, contumelias, & opprobria multa nimis. Habuit enim obseruatores in factis, contradictores in verbis, etiam derisores in signis: sustinuit enim famem, sitim, frigora, caumata, fatigationes, & vigilias, & huiusmodi.* Sustinentes etiam pro eius nomine beatos esse dixit. Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur &c.* Ad patiendum nos inuitat B. Petrus 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Sicut faciebant sancti martyres de quibus dicitur Psalm. 43. *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Et ille qui dicebat. Psalm. 115. *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi; calicem* tribulationis *salutaris accipiam*, pro eò qui bibit pro me calicem passionis, & mortis. Sicut illi faciebant, de quibus dicitur Actuum 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

De dono intellectus.

DISTINCTIO V.

DEINDE considerandum est de sexto dono Spiritussancti, de dono scilicet intellectus. Circa quod consideranda sunt sex. Primo vtrum intellectus sit donum Spiritussancti. Secundo vtrum possit esse simul in eodem cum fide. Tertio vtrum intellectus qui est donum, sit speculatiuus tantum, vel practicus. Quarto vtrum qui sunt in gratia, habeant donum intellectus. Quinto vtrum hoc donum inueniatur in aliquibus absque gratia. Sexto quomodo se habeat donum intellectus ad alia dona.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum donum intellectus sit donum Spiritussancti.* Dicendum quod nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat: Dicitur enim intelligere, quasi intus legere; & hoc manifestum est considerantibus differentiam intellectus & sensus. Nam cognitio sensitiua occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiua, penetrat vsque ad essentiam rei. obiectum enim intellectus est quod quid est, vt dicitur in 3. de anima. Sunt autem multa genera eorum quæ intus latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rerũ substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus & figuris latet veritas figurata, (res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores, respectu rerum sensibilium quæ exterius sentiuntur) & in causis latent effectus, & è conuerso Vnde respectu horum omnium potest dici intellectus. Sed cum cognitio hominis à sensu incipiat, quasi ab exteriori; Manifestum est quòd quanto lumen est fortius, tanto potest magis ad intima penetrare. lumen vero naturale nostri intellectus est finitæ virtutis; vnde vsque ad determinatum aliquod pertingere potest. indiget igitur homo supernaturali lumine, vt vlterius penetret ad cognoscendum quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non valet: & illud lumen supernaturale homini datum, vocatur donum intellectus.

Donum intellectus est lumen supernaturale diuinitus collatum, vt homo possit cognoscere quæ per lumen naturale cognoscere non valet.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum donum intellectus simul sit in eodem cum fide.* Dicendum quod hic duplici distinctione opus est. Vna quidem ex parte fidei. Alia ex parte intellectus. Ex parte quidem fidei distinguẽdum est; quia quædam per se & directè cadunt sub fide, quę rationem naturalem excedunt: sicut Deum esse trinum & vnum; & filium Dei esse incarnatum, quædam vero cadunt sub fide, quasi ordinata ad ista, secundum aliquem modum: Sicut omnia quæ in scriptura diuina continentur. Ex parte vero intellectus distinguendum est, quod dupliciter dici possumus aliqua intelligere. *Vno modo* perfectè, quando scilicet pertingimus ad cognoscendum essentiam rei intellectæ, & ipsam veritatem enunciabilis intellectu, secundum quòd in se est. & hoc modo ea quæ directè cadunt sub fide intelligere non possumus, durante fidei statu: sed quædam alia ad fidem etiam ordinata, hoc modo intellini possunt.

Donum intellectus poteſt ſtare cũ fide quoad ea quæ indirectè cadunt ſub fide, & etiam quoad alia quod nõ pugnent cũ ratione.

Alio modo contingit aliquid intelligi imperfectè, quando ſcilicet ipſa eſſentia rei, vel veritas propoſitionis, non cognoſcitur quid ſit, aut quomodo ſit. Sed tamen cognoſcitur, quòd ea quæ exterius apparent, veritati non contrariantur, inquantum ſcilicet homo intelligit, quod propter ea quæ exterius apparent, non eſt recedendum ab his quæ ſunt fidei. & ſecundum hoc nihil prohibet durante ſtatu fidei, intelligere etiam ea quę per ſe ſub fide cadunt.

Donum intellectus eſt primario ſpeculatiuus ſed ſecundario practicus

Ad tertium, ſcilicet *vtrum intellectus qui eſt donum, ſit ſpeculatiuus vel practicus.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, donum intellectus non ſolum ſe habet ad ea quæ primo & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad omnia quæ ad fidem ordinantur. Operationes autem bonæ quendam ordinem ad fidem habent. Nam *fides dilectionem operatur*, vt Apoſtolus dicit ad Gal. 5. Et ideo donum intellectus etiam ad quædam operabilia ſe extendit; non quidem vt circa ea principaliter verſetur, ſed inquantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conſpiciendis & conſulendis, ſecundum. Auguſt. 12. De tri. Inhæret ſuperior ratio, quæ dono intellectus perficitur.

Donum intellectus eſt in omnibus habentibus gratiam.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum donum intellectus ſit in omnibus habentibus gratiam.* Dicendum quod in omnibus gratiam habentibus neceſſe eſt eſſe rectitudinem voluntatis, quia per gratiam præparatur voluntas hominis ad bonum, vt Aug. dicit. Voluntas autem non poteſt rectè ordinari in bonum, niſi præexiſtente aliqua cognitione veritatis; quia obiectum voluntatis eſt bonum intellectus, vt dicitur in 3. de anima. Sicut autem per donum charitatis, Spiritus ſanctus ordinat voluntatem hominis, vt directè moueatur in bonum quoddam ſupernaturale; ita etiam per donum intellectus illuſtrat mẽtem hominis, vt cognoſcat veritatem quandam ſupernaturalem, in quam oportet tendere voluntatem rectam, & ideo ſicut donum charitatis eſt in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ita etiam donum intellectus. Et licet non omnes habentes gratiam, intelligant omnia quæ proponuntur credenda, intelligunt tamen eſſe ea credenda, & quod ab eis pro nullo eſt deuiandum.

Solutio obiect.

Et nota quod donum intellectus nunquã ſubtrahitur à ſanctis circa ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutẽ, ſed circa alia interdum ſe ſubtrahit, vt non omnia ad liquidum per intellectum penetrare poſſit, ad hoc quod ſuperbiæ materia ſubtrahatur, ſicut dicit Greg in 2. Mor. *dũ ſublimia intelligendo ſe in elationem animus erigit, in rebus imis & vilibus graui ægritudine vel hebetudine pigreſcit.*

Donũ intellectus nullus habet ſine gratia gratũ faciente.

Ad ſextum, ſcilicet *vtrum donum intellectus diſtinguatur ab alijs donis.* Dicendum quod diſtinctio huius doni ab alijs tribus donis, ſcilicet pietate, fortitudine, & timore manifeſta eſt, quia donum intellectus pertinet ad vim cognoſcitiuam, illa vero tria pertinent ad vim appetitiuam. Sed differentia huius doni ad alia tria, ſcilicet ſapientiam, ſcientiam, & conſilium, quæ etiam ad vim appetitiuam pertinent, non eſt adeo manifeſta.

A Videtur autem quibuſdam quod donum intellectus diſtinguatur à dono ſcientiæ & conſilij per hoc, quod illa duo pertineant ad practicam cognitionem, donum vero intellectus ad ſpeculatiuam. A dono vero ſapientiæ, quod etiam ad ſpeculatiuam cognitionem pertinet; diſtinguitur in hoc, quod ad ſapientiam pertinet iudicium, ad intellectum vero capacitas intellectus eorum quæ proponuntur, ſiue penetratio ad intima eorum: & ſecundum hoc ſupra, numerum donorũ aſſignauimus. Sed diligenter intuenti, donum intellectus non ſolum ſe habet circa ſpeculanda, ſed etiam circa operanda, vt dictum eſt. & ſimiliter etiam donũ ſcientiæ circa vtrumque ſe habet, vt infra dicetur, & ideo aliter oportet eorum diſtinctionem accipere, omnia B enim hęc quatuor dicta, ordinantur ad ſupernaturalem cognitionem, quæ in nobis per fidem fundatur: fidęs autem eſt ex auditu, vt dicitur Rom. 10. Vnde oportet aliqua proponi homini ad credendum, non ſicut viſa, ſed ſicut audita, quibus per fidem aſſentiat. Fides autẽ primo quidem & principaliter ſe habet ad veritatem primam Secundario ad quædam circa creaturas conſideranda; & vltetius ſe extendit etiam ad directionem humanorum operum, ſecũdum quod per dilectionem operatur, vt ex dictis patet. Sic igitur circa ea quæ proponuntur fidei credẽda, duo requiruntur ex parte noſtra. Primo quidem vt intellectu penetrentur vel capiantur, & hoc pertinet ad donum intellectus. Secundario autem oportet vt de eis homo habeat iudicium rectum, vt ęſtimet his eſſe inhærendum, & ab eorum C oppoſitis recedendum. hoc igitur quantum ad res diuinas pertinet ad donum ſapientiæ, quantum vero ad res creatas, pertinet ad donum ſcientiæ, quantum vero ad applicationem ad ſingularia opera, pertinet ad donum conſilij. Prædicta autem differentia quatuor donorum, manifeſtè competit diſtinctioni eorum quæ Greg. ponit eis eſſe oppoſita in 2. Moral. dicens. *Sapientiæ opponitur ſtultitia, hebetudini intellectus, præcipitationi conſilium, ignorantiæ ſcientia.* Hebetudo enim acuitati opponitur: Dicitur autem per ſimilitudinem intellectus acutus, quoniam poteſt penetrare ad intima eorũ quæ proponuntur. Vnde hebetudo mentis eſt, per quam ad intima penetrare non ſufficit. Stultus autem dicitur ex hoc, quod peruerſe iudicat circa omnem finem vitæ, & ideo propriè opponitur ſapientiæ, quæ facit rectum iudicium circa vniuerſalem finem. Ignorantia vero importat defectum mentis circa quæcumque particularia: & ideo opponitur ſcientiæ, per quam homo habet rectum iudicium circa particulares cauſas, ſcilicet circa creaturas. Præcipitatio vero manifeſtè opponit conſilio, per quod homo ad actionem procedit ante deliberationem rationis.

Diſtinctio inter donum intellectus & alia dona.

D

De dono ſapientiæ.

DISTINCTIO VI.

E

Deinde conſiderandum eſt de ſeptimo dono, ſcilicet ſapientiæ. Circa quod conſideranda ſunt ſeptem. Primo vtrum ſapientia ſit donum Spiritus ſancti. Secundo in quo ſit tanquam in ſubiecto. Tertio vtrum ſapientia ſit ſpeculatiua tantum, vel etiam practica. Quarto vtrum donum ſapientiæ poſſit eſſe cum peccato mortali. Quinto vtrum ſit in omnibus habentibus gratiam gratum facientem. Sexto de dignitate ſapientiæ. Septimo de effectibus eius.

Ad primum, ſcilicet *vtrum ſapientia ſit donum Spiritus ſancti.* Dicendum, quod ſecundum philoſophum in principio metha. ad ſapientem pertinet cõſiderare cauſam altiſſimam, per quam de alijs certiſſime iudicatur, & ſecundum quam omnia ordinari oportet. Cauſa autem altiſſima dupliciter accipi poteſt, vel ſimpliciter, vel in aliquo genere. Ille igitur qui cognoſcit cauſam altiſſimam in aliquo genere, & per eam poteſt de omnibus quæ ſunt illius generis iudicare & ordinare, dicitur eſſe ſapiens in illo genere; vt in medicina, vel in

archi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

architectura, ſecundum illud 1. ad Cor. 3. *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui*. Ille autem qui cognoſcit cauſam altiſſimam ſimpliciter, quæ eſt Deus dicitur ſapiens ſimpliciter, inquantum per regulas diuinas omnia poteſt iudicare & ordinare. Huiuſmodi autem iudicium conſequitur homo per Spiritum ſanctum, ſecundum illud. 1. ad Cor. 2. *Spiritualis iudicat omnia*, quia ſicut ibidem dicitur, *ſpiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*. Vnde manifeſtum eſt quod ſapientia eſt donum Spiritus ſancti.

Sapientia eſt donũ Spiritus ſancti.

Solutio obiecti.

Et nota quod ſapientia dicitur dupliciter, vno modo verè & propriè: *alio modo* impropriè & abuſiuè. Sicut & bonum dupliciter dicitur. Vno modo quod verè eſt bonum, & ſimpliciter perfectum. Alio modo dicitur aliquid eſſe bonum, ſecundum quãdam ſimilitudinem, quod eſt in malitia perfectum: ſicut dicitur bonus latro, vel perfectus latro; vt patet per philoſophum in 5. metha. Et ſicut circa ea quæ ſunt verè bona, inuenitur aliqua altiſſima cauſa, quæ eſt ſummum bonum, quod eſt vltimus finis, per cuius cognitionem homo dicitur verè ſapiens; ita etiam in malis eſt inuenire aliquid, ad quod alia referuntur ſicut ad vltimum finem, per cuius conſtitutionem homo dicitur ſapiens ad male agendum, ſecundum illud Hier. 4. *Sapientes ſunt vt faciant inala, bene autem facere neſcierunt*. Quicumque autem auertitur à fine debito, neceſſe eſt quod aliquem finem indebitum ſibi præſtituat; quia omne agens agit propter finem. Vnde ſi præſtituat ſibi finem in bonis exterioribus terrenis, vocatur terrena ſapientia. Si autem in bonis corporalibus, vocatur ſapientia corporalis, vel animalis. Si autem in aliqua excellentia, vocatur ſapientia diabolica, propter imitationem ſuperbiæ diaboli: de quo dicitur Iob 41. *Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*.

Item nota, quod ſapientia quæ eſt donum, differt ab ea quæ ponitur eſſe intellectualis acquiſita. Nam illa acquiritur ſtudio humano: Hæc autem eſt *deſurſum deſcendens*, vt dicitur Iac. 3. Similiter etiam differt à fide. Nam fides aſſentit veritati diuinæ ſecundum ſeipſam. Sed iudicium quod eſt ſecundum veritatem diuinam, pertinet ad donum ſapientiæ; & ideo donum ſapientię præſupponit fidem; quia vnuſquiſque bene iudicat quæ cognoſcit, vt dicitur in primo Eth.

Recte iudicare de rebus diuinis ex quadam connaturalitate pertinet ad donum ſapientia.

Ad secvndvm, ſcilicet *in quo ſit ſapientia ſicut in ſubiecto*. Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, ſapientia importat quandam rectitudinem iudicij, ſecundum rationes diuinas. Rectitudo autem iudicij poteſt contingere dupliciter. *Vno modo* ſecũdum perfectum vſum rationis. *Alio modo* propter connaturalitatem quandam ad ea de quibus ſam eſt iudicandum: ſicut de his quæ ad caſtitatem pertinent, per rationis inquiſitionem rectè iudicat ille qui didicit ſcientiam moralem; ſed per quandam connaturalitatem ad ipſa, rectè iudicat de eis ille qui habet habitum caſtitatis. Sic igitur circa res diuinas ex rationis inquiſitione, rectum iudicium habere pertinet ad ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis: ſed rectum iudicium habere de eis ſecundum quandam connaturalitatem ad ipſa; pertinet ad ſapientiam, ſecundum quod eſt donum Spiritus ſancti, ſicut dicit Diony. in 2. ca. de di. no. quod *Hierotheus factus eſt in diuinis non ſolum diſcens, ſed & ſapiens, & patiens diuina*. Huiuſmodi autem compaſſio ſiue connaturalitas ad res diuinas, fit per charitatem, quæ quidem vnit nos Deo, ſecundum illud 1. ad Cor. 6. *Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt*. Sic igitur ſapientia quæ eſt donum, cauſam quidem habet in voluntate, ſcilicet charitatem: ſed eſſentiam habet in intellectu, cuius eſt actus rectè iudicare, vt ſupra habitum eſt.

Donum ſapientia eſt in intellectu vt in ſubiecto.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum ſapientia quæ donum eſt, ſit ſpeculatiua vel practica*, dicendum, quod ſicut Aug. dicit in 12. de Trin. *ſuperior pars rationis ſapientiæ deputatur; inferior autem ſcientiæ. Superior autem ratio*, vt ipſe in eodem dicit, *intendit rationibus ſupernis*, ſcilicet diuinis; & conſpiciendis, & conſulendis. Conſpiciendis quidem, ſecundum quod diuina in ſeipſis contemplatur. Conſulendis autem ſecundum quod per diuina iudicat de humanis, per diuinas regulas dirigens actus humanos. Sic igitur ſapientia ſecundum quod eſt donum, non ſolum eſt ſpeculatiua, ſed etiam practica.

Sapientia eſt ſimul ſpeculatiua & practica.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum ſapientia poſſit eſſe cum peccato mortali*. Dicendum, quod ſapientia quæ eſt donum Spiritus ſancti, ſicut dictum eſt, facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, vel per regulas diuinas de alijs, ex quadam connaturalitate ſiue vnione ad diuina, quæ quidem per charitatem fit, vt dictum eſt, & ideo ſapientia de qua loquimur præſupponit charitatem. Charitas autem non poteſt eſſe cum peccato mortali, vt ex ſupradictis patet, vnde relinquitur, quod ſapientia de qua loquimur, non poteſt eſſe cum peccato mortali.

Donum ſapientia non poteſt eſſe cũ peccato mortali.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum donum ſapientiæ ſit in omnibus habentibus gratiam*. Dicendum quod ſapientia de qua loquimur, ſicut dictum eſt, importat quandam rectitudinem iudicij circa diuina, conſpicienda, & conſulenda; & quantum ad vtrumque, ex vnione ad diuina ſecundum diuerſos gradus, aliqui ſapientiam ſortiuntur. quidam enim tantum ſortiuntur de recto iudicio, tam in contemplatione diuinorum, quã etiam in ordinatione rerum humanarum ſecundum diuinas regulas; quantũ eſt neceſſarium ad ſalutem. & hoc nulli deeſt ſine peccato mortali exiſtenti per gratiam gratũ facientem; quia ſi natura non deficit in neceſſarijs, multo minus gratia. Vnde dicitur 1. Ioan. 2. *Vnctio docet de omnibus*. Quidam autem altiori gradu percipiunt ſapientiæ donum, & quantum ad contemplationem diuinorum, inquantum ſcilicet altiora quędã myſteria & cognoſcunt, & alijs manifeſtare poſſunt; & etiam quantũ ad directionem humanorũ ſecundum regulas diuinas; inquantum poſſunt ſecundum eas, non ſolum ſeipſos, ſed etiam alios ordinare. & iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus ſanctus diſtribuit prout vult; ſecundũ illud 1. ad Cor. 12. *Alij datur per ſpiritum, ſermo ſapientiæ, &c.*

Donum ſapientiæ ſecũdũ aliquem gradum eſt in omnibus habentibus gratiam ſed non quoad omnem perfectionis gradum.

Circa ſextum, ſcilicet *de dignitate ſapientiæ*. Sciendum quod multiplex eſt ſapientia, ſicut teſtatur B. Iacobus, ſcilicet terrena, animalis, diabolica, & alia deſurſum deſcendens. Iacob. 3. Sapientia terrena conſiſtit in aggregatione diuitiarum temporalium. Illi ſcilicet dicuntur ſapientes in hoc mundo, qui ſciunt per quaſcumque vias, bonas vel malas, diuitias aggregare. Sed ſicut dicit Apoſtolus. 1. ad Corinth. 3. *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*. Ideo ſi quis vult ſapiens eſſe in hoc mundo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens: nam bona ſua pauperibus erogare, & omnino relinquere propter Deum, eſt ſatuitas apud mundum, ſed eſt ſapientia apud Deum. Sed ſapientia Chriſti pauperis contempta eſt. Iſte eſt pauper & ſapiens, *qui liberauit vrbem*, id eſt mundum *per ſapientiam ſuam*. Quia vero mundus non nouit per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes; quia *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*.

Sapientia eſt quadruplex.

Terrena quæ conſiſtit in aggregatione diuitiarũ.

Sapientia animalis eſt ſapientia quę cõſiſtit in cuſtodia carnis & corporis, & in degustatione delectationum carnalium. Sed ſicut dicit Apoſto. *Sapientia carnis mors eſt*. *Sapientia diabolica* eſt in oppreſſione pauperum, in excogitatione malitiarum, & vindicatione iniuriarũ. De qua ſapientia loquitur Hier. ca. 4. dicens: *Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierũt*. vnde Greg. *Sapientia huius mundi eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa monſtrare. Hæc vſu in iuuenibus ſcitur; hæc à pueris pretio diſcitur. Hanc qui ſciunt cæteros deſpiciunt, & deſpiciendo ſuperbiunt. Hanc qui neſciunt ſtulti & timidi ab alijs vocantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine paliato diligitur, dum mentis peruerſitas vrbanitas vocatur. Hæ ſibi obſequentibus præcipit bonorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate, gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere, cum vires ſuppetunt nullis reſiſtentibus cedere, cum virtutis poſſibilitas deeſt, quicquid implere non valet per malitiam, hoc velut in pacifica bonitate ſimulare.*

Sapientia animalis quid

Diabolica quid.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sapientia deſurſum deſcendens eſt ſapientia iuſtorum.

SAPIENTIA deſurſum deſcendens eſt ſapientia iuſtorum: de qua Greg. ait: *Sapientia iuſtorum eſt nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam ſuſtinere, lucrum putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas deridetur, quia hæc à mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Quid enim ſtultius videtur mundo, quam mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimilare, nullas pro contumelijs iniurias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere?* De hac ſapientia B. Iacobus cap. 3. ait. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, non iudicans, ſine ſimulatione.* Apparet igitur diguitas huius ſapientiæ, quæ videlicet deſurſum deſcendit, ſicut dicitur Eccleſ. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt &c.* Et infra: *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Ideo Iacob. 1. *Si quis indiget ſapientia poſtulet illam à Deo, &c.*

HANC ſapientiam debet homo feruenter appetere; deuotè & humiliter poſtulare, quia ſapientia nihil pretioſius, nihil ſpecioſius, nihil delectabilius, nihil honorabilius, tandem nihil fructuoſius. *Nihil inquam* ſapientia pretioſius, ſicut ſcriptum eſt Prouerb. 8. *Sapientia pretioſior eſt cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile, ei non poteſt comparari.* Ideo dicit Sapiens 8. *Sapientiam præpoſui regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius, ſuper ſalutem & ſpeciem dilexi eam, & propoſui pro luce habere illam.*

Sapientia nihil pretioſius.

ITEM ſapientia nihil ſpecioſius. Scriptum eſt enim Sap. 6. *Clara eſt & quæ nunquam marceſcit ſapientia.* vnde claram & ſpecioſam reddit animam, ſicut claritas ſolis vel aliarum ſtellarum, reddit eas toti mundo ſpecioſas. Et ſicut amota claritate ſolari, totus mundus redderetur tenebroſus & horridus, & omnes homines eſſent indicibiliter deſolati, & omnia quæ in mundo ſunt ſuam amitterent pulchritudinem: ſic excluſa à Rege ſapientia, qui ſolus fulget in regno, ſicut ſol in cœlo; totum regnum efficitur deſolatum. Per ſapientiam anima illuſtratur interius, & mirabiliter decoratur. vnde ait Sapient. Eccleſ. 51. *In ſapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit.*

Sapientia nihil ſpecioſius.

Sapientia nihil delectabilius.

ITEM ſapientia nihil eſt delectabilius: dat enim quietem, iucunditatem, & pacem cordis. Vnde ait Sapient. 8. *Intrans in domum meam*, ſcilicet conſcientiæ, *conquieſcam cum illa*, ſcilicet ſapientia. *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium*, hanc delectationem non experti, ſapientiam paruipendunt. Sicut ait Sapiens Eccl. 6. Quòd *amara eſt ſapientia indoctis hominibus & non permanebit in ea excors. Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen eſt eius*, id eſt ſapida eſt, & nomen habet ex ſapore, *ſed non multis eſt manifeſta; quibus autem agnita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei.* Sequitur. *Inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.* Quam ſtulti ergo ſunt, qui delectationes & ſolatia quærunt exterius in rebus viſibilibus, id eſt venationibus & aucupijs, alijſque ludis, inutilibus & vanis, in quibus eſt labor & fatigatio corporis, & plerumque periculum: imò pericula multa animis, amiſſio temporis, diſtractio cordis, & finaliter nullus fructus. In ſapientia autem quies mentis, & corporis delectatio, animi non periculum ſed ſecuritas, non diſtractio ſed pacis tranquillitas, non amiſſio temporis ſed acquiſitio meritorum.

Sapientia nihil honorabilius.

ITEM ſapientia nihil honorabilius: vnde ſcriptum eſt Eccl. 37. *Sapiens in populo hæreditabit honorem.* & iterum inquit Sap. 8. *Habebo propter ſapientiam claritatem ad turbas, & honorem apud ſenores. Iuuenis & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium amabilis ero; & facies principum mirabuntur me; tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, ori ſuo manus impo-*

A

nent. Vnde Salomon propter ſapientiam ſuam, apud omnes nationes factus eſt honorabilis, & famoſus, ſicut ſcriptum eſt. 2. Par. 9. *Magnificatus eſt Salomon ſuper omnes reges terræ diuitijs & ſapientia & gloria, & vniuerſa terra deſiderabat videre faciem Salomonis.*

Acquiritur ſapientia diligenter audiendo.

ACQVIRITVR autem ſapientia per doctrinam, diligenter & humiliter audiendo. Ait enim ſapiens. *Auris bona cum omni concupiſcentia audit ſapientiam*, & iterum: *auris ſapientium quæris ſapientiam.* Nec mirum, ſicut ſapiens dicit: *Si dilexeris audire ſapiens eris.* Et rurſum. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Ideo hortatur ſapiens dicens, *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Audi tacens ſimul & quærens.* In ſignum huius inuentus eſt Ieſus in templo in medio doctorum, audiens illos & interrogans.

B

Item legendo & ſubtiliter meditando.

ITEM acquiritur & augetur ſapientia per ſtudium, in legendo, & ſubtiliter meditando. Ideo ait ſapiens. *Stude ſapientiæ fili mi, & cor meum lætifica.* Libri enim ſunt pro memoriæ labilis ſupplemento. Parum eſſet audire & interrogare ſine memoria; nec memoria ſufficeret omnia retinere ſine ſtudio. Item ſine doctoris præſentia poteſt homo recordari de auditis. In libris etiam inueniuntur quandoque quæ homo alias non audiuit, præterea viſus certiorem reddit hominẽ, quã auditus; verbum enim auditũ tranſit, litera ſcripta manet. Antiqui principes inſtrui voluerunt, & vigilantiſſime ſtuduerunt in ſcientijs humanis, & aliqui etiam in diuinis: vt patet in Ptolomæo rege, qui licet eſſet gentilis, vocauit ſeptuaginta interpretes, vt haberet notitiam diuinæ legis, eamque communicaret ſapientibus regni ſui. Alexander ab Ariſtotele fuit inſtructus, & inter inſignia Philippi Macedonis patris eius hoc fuit præcipuum, quod ſtudium literarum, ad vnicum quẽ regni & felicitatis ſuæ ſperabat heredem futurum, tranſmittere curauit. Vnde Alexandro nato miſit epiſtolã Ariſtoteli, hæc & ſimilia continẽtem. Philippus Ariſtoteli ſalutem. Dedit mihi Deus filium mihi genitũ. Scio ergo quod pro eo quidẽ Deo debemus gratiam, non tam proinde quia natus eſt, quam pro eo quod eum naſci contigit temporibus tuis. Spero enim fore, quod educatus eruditusque à te, dignus exiſtat nobis, & regni ſuſceptione, & ad illud pertinentium. Similiter & alij principes, & de ſe ſtudioſi fuerũt, & magiſtros qui eos inſtruerent habuerunt. Sic Nero Senecam, Traianus Plutarcum & ſic de alijs. De Theodoſio legimus, per diem exercitari armis, ſubiectorumque negocia, diſceptare, iudicare ſimul & agere, modo ſeorſum modo publice quę erant agenda cõſiderare, noctibus vero libris incũbere. Conſimiliter legitur de Carolo Magno, quod quod fuit ſtudioſus in liberalibus ſcientijs, & eas miro modo in palatio ſuo depingi fecit, provt habetur in geſtis eius. Studioſus etiam fuit in libris diuinis, & ſtudiũ transferri fecit de Roma vſq; Pariſios. Quando tales principes, ſcilicet ſapientes regnabãt, illud ſeculũ dicebatur aureũ. Iſti enim cohibebãt malos, honorabãt bonos, ac per hoc ad melius excitabãt, ſuadebãt, diſſuadebant. quia & vtilia, & inutilia monſtrabant, horũ prudentia, ne quid ſuis deeſſet ſagaciter prouidebat, fortitudo arcebat pericula, beneficia largitas augmentabat, nõ erat cuiquã animus iniuriandi vel cauſa, cũ bene imperanti bene pareretur, nihilque grauius aut maius poſſet Rex male parentibus cõminari, quam vt de regno recedere cogerentur, vere felix eſt reſpublica, quando ipſam ſtudioſi regunt, vel eius rectores circa ſapientiæ ſtudium occupantur: nullus enim eſt, quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire, quam principem, cuius ſapientia debet omnibus prodeſſe ſubiectis.

C

Sapientia requieſcit in cordis habitatione.

SCIENDVM eſt autẽ quod ſapientia requieſcit in cordis habitatione, declaratur in locutione, demonſtratur in conuerſatione & probatur in operatione. *Requieſcit* inquam in cordis habitatione, ſicut dicitur Prouerb. 14. *In corde prudentis requieſcit ſapientia, & dirigit cogitationes.* Ideo ſapiens hortatur dicens. *Attende fili mi ſapientiam, vt cuſtodias cogitationes tuas.* Vnde Seneca dicit. *Opiniones tuæ iudicia ſint. Cogitatio tua ſit ſtabilis & certa,*

D

E

ſiue

siue deliberet, siue quærat, siue contempletur, non recedat à vero. Cogitationes somnio similes non recipies, quibus si animum delectaueris, cum omnia disposueris, tristis remanebis.

Sapientia declaratur in locutione.

ITEM sapientia declaratur in locutione. Nam sapientia docet oportuno tempore loqui; *quia tempus tacendi, & tempus loquendi.* Aliquando enim est sapientiæ tacere: Sicut docet sapiens: *stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur.* Et iterum: *est tacens & ipse sapiens.* Et iterum: *Sapiens tacebit vsque ad tempus; fatuus autem non obseruabit tempus; tempus autem & responsionem, cor sapientis intelligit. Docet etiam* sensate loqui. Sicut scriptum est: *In labijs sapientis inuenitur sapientia, quia scilicet cor sapientis erudit os eius.* Ideo Psalm. *Os iusti meditabitur sapientiam. Docet etiam* loqui moderate, quia *in corde sapientium os illorum, & in ore insipientium cor eorum est.* Sapientes habent os in corde, quia nihil ore proferunt, quod non prius deliberauerint, ponderauerint, & examinauerint in corde, sed fatui siue stulti, habent cor in ore, quia ante proferunt verba sua quam corde deliberauerint. Nam impræmeditati loquuntur: & hoc reprehenditur in scriptura cum dicitur in Iob. *Nunquid sapiens respondit, quasi in ventum loquens?* quasi diceret, non. Non est contemnenda ista sapientia, quia sicut ait sapiens. *Non erudietur qui non est sapiens in verbo. Sapiens autem in verbis se amabilem facit.* Senec. *Sermo tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat.* De circumstantijs in locutione seruandis, dictum est supra.

Sapientia habet os in corde, stultus cor in ore.

Sapientia demonstratur in conuersatione.

ITEM demonstratur sapientia in conuersatione; sicut ait sapiens. *In facie hominis lucet sapientia.* Quid per faciem, nisi notitia, id est exterior cõuersatio, per quam homo interior innotescit, designatur. Vnde beatus Iacobus ait; *quis sapiens & disciplinatus inter vos, ostendat conuersationem suam in mansuetudine sapientiæ.*

Sapientia probatur in operatione.

ITEM probatur sapientia in operatione, nam ex fructu arbor cognoscitur. Ille enim verè sapiens est, qui bene se habet in suis operibus exequendis. Ideo dicebat Moyses ad filios Israel. *Scitis quod docuerim vos præcepta atque iustitias. Si facietis, & ea obseruabitis, & complebitis opere, hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis.* Diligenter attende quod si Rex vel princeps non habeat notitiam de agendis, non est dignus tali dignitate, quia non est homo, sed bestia. Si autem notitiam habens non operatur secundum sapientiam suam, non est dignus, non quidem propter ignorantiam, sed propter negligentiam nimis crassam & reprehensibilem, vel peruersam animi voluntatem. vnde talis incomparabiliter plus peccat, & minus est excusabilis, quam si cognitionem sapientiæ non haberet. Ait enim beatus Iacobus. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.*

Exemplum.

EXEMPLVM de quodam Rege, qui elegantissime dotatus naturalibus, & superadiectis gratijs excellentissime cumulatus, miro intellectus acumine & memoriæ viuacitate præpollens, audiebat quidem satis benigniter & attente causas, negocia, & querelas, & in ipsa hora videbatur moueri Sed cito post, quasi oblitus omnino, nihil aut pauca exequebatur opere. propter quod habebatur contẽptui, nec timebatur à malis, nec amabatur à bonis, sed ab omnibus dãnabilis iudicabatur, & super innumeris malis quæ fiebant in regno, inexcusabilis dicebatur. Tandem infirmitate graui correptus, & in extasim raptus, videbat se trahi ad iudiciũ. cui iudex, aspectu terribilis, & increpatione durus, & in punitione seuerus, apparuit dicens. Quare gratijs meis non es vsus? Quare neglectis regni negocijs, venationibus, & aucupijs, & alijs vanitatibus intendisti? Quare grauatis, pauperibus, & oppressis, ad te clamantibus non misertus, sicut oues inter lupos dimisisti? Quare talentum sapientiæ non propter te solum, sed propter populum meum tibi commissum abscondisti? Quare quod videbas agendum dimisisti? Quare suos tuos timuisti, & plus eos honorasti quam me? Contra conscientiam tuam eorũ voluntatibus & iniquis consilijs acquiescere voluisti. nonne sapientiam & intelligentiam tibi dederam vt scires, potentiam vt non timeres, multitudinem gratiarum vt non obmitteres? & tu post tergum tuum, abiectis omnibus negligenter egisti. Iniquos exactores, raptores, fures, & impios exaltasti. Inter hęc obiurgationis verba, tortoribus traditus, & durissime & diutissime flagellatus, iacens obmutuit. Iudice autem volente sententiam damnationis eius proferre, ecce sanctus vnus cum multitudine aliorum, supplicans rogauit iudicem, vt anima ad corpus suum reuertente, spacium emendandi se haberet. Cui iudex intercedentium precibus inclinatus, misericorditer concessit tempus pœnitentiæ, grauiora comminans ei supplicia, si deinceps negligenter ageret, tam seueræ castigationis oblitus. Debet ergo Rex & Princeps, diligens esse in operatione. Ait enim Sen. *Sapiens nunquam otio marcet, aliquando animum remissum habet, nunquam solutum. Accelerat tarda, prolixa expedit, dura mollit, ardua exequitur. Scit enim quid qua via aggredi debeat, cito singula & distinctè videt; ex apertis obscura æstimat, ex paruulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota.*

Sapientia nihil est fructuosius.

CIRCA septimum, scilicet *de vtilitate sapientiæ, & effectibus eius.* Sciendum quod sapientia nihil est fructuosius, cuius fructus multiplex est & innumerabilis; nam sicut ait sapiens. Prouer. 8. *Fructus eius pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Possumus autem dicere compendiose, quod vtilitas sapientiæ est in dirigendis conscientijs. Sapiens enim primo & principaliter debet ædificare domum conscientiæ suæ, & semetipsum primitus ordinare. Vnde in commendationem animæ sapientis, dicitur Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Et iterum, Prou. 21. *Sapientia ædificabitur domus.* Ait etiam saluator Matth. 7. *Qui audit verba mea & ea facit, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram.* Nam supra petram quæ est Christus, debemus ædificare domum nostram, vt immobiliter permaneat, tanquam supra immobile fundamentum. Similiter hic potest ædificari domus pulcherrima, fortis & alta, & omnibus bonis plena. Sed sicut ait Sapiens. Tanquam domus exterminata sic fatuo sapientia, quia videlicet fatuus non plus vult manere cum sapientia, quam in domo exterminata, id est ruinosa, vacua, fœda, & fœtida. & ideo domus eius, id est conscientia est sicut domus exterminata, id est ruinosa, quia quotidie corruit in peccatum, vacua meritis, & omnibus bonis, fœda per immundiciam, fœtida per infamiam.

Sapientia est vtilis in conferendis consilijs.

ITEM sapientia est vtilis in conferendis consilijs. Scriptum est enim Prou. 8. *Ego sapientia habito in consilio.* Quanto enim homo sapientior est, tanto libentius tractat consilia sua cum sapientibus. Vnde Dauid habuit secum Nathan Prophetam, & Sadoch sacerdotem, Chusi, & Achitophel, qui fuerunt homines sapientissimi. Et Salomon similiter viros expertissimos. Et Tobias docens filium suum ait, Tob. 4. *Consilium à sapiente perquire.* Vnde Rex quantumcumque sit sapiens, debet habere consiliarios sapientes.

Sapientia est vtilis in proferendis iudicijs.

ITEM sapientia est vtilis in proferendis iudicijs. Vnde Salomon sapientiam petens à Domino ait. 3. Reg. 3. *Tu Domine fecisti me Regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est quam puluis terræ, da mihi sapientiam & intelligentiam. Quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est iudicare?* De eodem dicitur. *Timuerunt Regem, audientes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.*

In perferendis molestijs.

ITEM sapientia vtilis est in perferendis molestijs. Nam tribulationes & aduersitates huius mundi, siue à Deo siue ab homine inferantur, multum sunt vtiles & meritoriæ, si quis eas ad salutem suam nouerit ordinare. Vnde magnæ sapientiæ est scire vti eis in bonum, & ad salutem suam conuertere. Propter quod ait sapiens *Qui patiens est, multa gubernabitur sapientia.* Reuera magna est sapientia de malis eligere bona, de damnis lucra, de duris suauia, de amaris dulcia. *Qui autem impatiens est*

sustinebit damnum, quia siue sit afflictio corporis, siue rei temporalis amissio, siue quæcumque desolatio cordis; Hæc impatienti animo, inferunt maiores angustias, & mens eius vehementius cruciatur; & nihilominus perdit meritum, & suæ facit animæ detrimentum.

In propellendis iniurijs. ITEM vtilis est sapientia in propellendis iniurijs. Si Regi vel Principi fiat iniuria, magna discretione opus est in repellendo, dissimulando, tollerando etiam, vel vindicando; quia sicut ait Sapiens, Prou. 24. *vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus, quia cum dispositione initur bellum.* Et iterum. *Gubernaculis tractanda sunt bella.* vnde qui sapientior est in talibus, est fortior & potentior cæteris paribus. Scriptum est enim: *Maior est sapientia quàm arma bellica.* Et iterum. *Melior est sapientia quàm vires.* Et iterum. *Omnium potentior est sapientia.*

In præcauendis insidijs. ITEM vtilis est sapientia in præcauendis insidijs. Nam & dæmones suis tentationibus nos multipliciter circumuenire contendunt, & homines per astutias suas nos multipliciter seducere moliuntur. Ideo opus est esse hominem vndique circumspectum, & ex omni parte multiformiter oculatum, nam inter tot & tantas hostis antiqui insidias, & inter tam exquisitas hominũ malignorum versutias, plures oculos nos opus esset habere, quàm Argus secundum fabulas habuisse dicatur; qui tamen centum fingitur habuisse. Vnde in Apoc. dicuntur *animalia sancta plena oculis ante & retro.* In Ezech. vero dicitur, quod *totum corpus eorum plenum erat oculis.* Et iterum ibidem. *Omne corpus eorum, & colla, & manus, & pennæ, plena erant oculis.* Ideo scriptum est. *Sapiens timet & declinat à malo, tamen sapientiam non vincit malicia.* Vnde de Iacob dicitur. Sap. 10. *In fraude circumuenientium illi affuit* sapientia, *& honestum fecit illum: custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum.*

Per sapientiam cognoscimus quæ supra nos sunt. SCIENDVM etiam quod per sapientiam cognoscimus quæ supra nos sunt, id est Deum ad diligendum, quia *dilectio Dei honorabilis est sapientia.* Eccl. 1. Et cœlestia ad appetendum, sicut hortatur Apostolus dicens Col. 3. *Quæ sursum quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite*, hæc est vera sapientia, id est cognitio sapida; hæc maximè delectabilis est, sicut superius dicebatur.

Quæ intra nos sunt. ITEM quæ intra nos sunt, id est nosipsos, & ea quæ in nobis sunt, id est mores bonos vel malos, merita vel demerita, vel Dei beneficia & nostra maleficia; hæc omnia nos ad humilitatem inclinant. *Vbi autem humilitas ibi sapientia.* Prouerb. 11. Hæc sapientia maximè necessaria est homini ad salutem. Vnde Bernard. *Stude nosse te, quia melior es & laudabilior, si te noueris, quàm si te neglecto, scires cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, omniumque cœlestium, & terrestrium haberes scientiam. Licèt enim noueris omnia mysteria, alta cœli, lata terræ, profunda maris &c Si te nescieris, eris similis hominis ædificanti domum suam sine fundamento; ruinam faciens, non structuram. Quicquid enim extra te extruxeris, erit instar aggesti pulueris ventis expositi.*

Quæ circa nos sunt. ITEM quæ circa nos sunt, id est proximos, vt sciamus qui boni, qui mali; qui seductores & duplices, qui veraces; qui sapientes, qui fatui; qui amici, qui inimici. Et per consequens quos diligere, & nobiscum assumere; & quos vitare, vel à nobis elongare debeamus. Hoc maximè necessarium est Principi, vt sciat de quibus possit confidere, quos in consilium suum vocare, vel in alijs officijs instituere; quos amare feruentius, & amplius debeat honorare. *Item* quæ infra nos sunt, id est mundum & omnia mundialia, tanquam transitoria, parum vtilia, & dilectoribus suis plerumque nociua. *Verè enim sapiens eris*, sicut ait Sen. *si dignitatem rebus, non opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Nam scire debes, quod quædam videntur esse bona, & non sunt; & quædam videntur esse bona, & sunt; quæcumque autem ex rebus transitorijs possides, non mireris, nec magni æstimes, quod caducum est; nec apud te quæ habes, tanquam aliena seruabis, sed pro te tanquam tua, dispenses & vtaris.*

Sapiens debet præsentia ordinare. ITEM Sen. *Si sapiens es, animus tuus tribus temporibus dispensetur, præsentia ordina, futura prouidè, præterita recordare. Præsentia* quippe debet sapiens ordinare: vbi enim non est ordo, ibi est confusio. debet ergo semetipsum, & vitam suam, totum tempus suum, & omnia facta sua, prudenter & vtiliter ordinare; ministros in domo, officiales in regno, pensatis conditionibus personarum, temporum & terrarum. Hanc sapientiam habuit Salomon, sicut scriptum est: *Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat per singulos dies, non habebat vltra spiritum.*

Sapiens debet præterita recordari. PRÆTERITA debet sapiens recordari, videlicet diuina beneficia ad regratiandum, mandata ad exequendum, iudicia districta quæ iam fecit, & vltiones quas exercuit, ad timendum; quomodo scilicet propter peccata deleuit totum mundum diluuio, Sodomam & Gomorram & finitimas ciuitates incendio, Ægyptios multipliciter flagellauit; & tandem eos omnes, filios Israel persequentes, submersit in mari rubro: filios Israel multoties & multipliciter occidit in deserto & in terra promissionis, temporibus iudicum, & diebus regum, sicut multa legimus exempla in scriptura. Quis etiam recordari sufficit, qualia iudicia exercuerit Deus in diuersis terrarum partibus, temporibus retroactis? Debet etiam recordari peccata sua propria, ad pœnitendum, & lachrymis diluendum: facta etiam antiquorum Regum & Principum, scilicet probitates, largitates, sapientiam, pietatem, iustitiam, & alia huiusmodi, ad imitandum: mala etiam facta scripta sunt ad correptionem nostram, ne similia facientes, in pœnas similes incidamus, vnde ait sapiens. Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant faciem eius spinæ, & ex hoc didici sapientiam.* Idem *pestilenté flagellato stultus sapientior erit.*

FVTVRA similiter præuidere debet vir sapiens, sicut docet Sen. *Qui nihil de futuro præmeditatur, incautus in omnia incidit, propone autem animo tuo & mala futura, & bona, vt illa sustinere possis, illa moderari.* Idem *si sapiens esse cupis, in futura prospectum imendes, & quæ possunt contingere in animo tuo cuncta propone, nihil tibi subitum sit, sed ante totum prospicias: nam qui prouidus est, non dicit non putaui hoc fieri; quia non dubitat, sed expectat; non suspicatur, sed timet.* Hanc sapientiam spiritualiter habuit Ioseph, qui contra famem futuram septem annis prouidendo, Ægyptum & multas alias regiones saluauit. Ideo dixit ei Pharao Rex Ægypti. *Nunquid sapientiorem te peterimus inuenire? tu eris super domum meam.*

De fructibus.

DISTINCTIO VII.

DEINDE considerandum est de fructibus. Et circa hoc consideranda sunt quinque. Primo vtrum fructus sit actus. Secundo vtrum differat à beatitudinibus. Tertio de numero eorum. Quarto de oppositione eorum ad opera carnis. Quinto quæ mouere debent ad producendum fructus.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum fructus sint actus.* Sciendum quod nomen fructus à corporalibus ad spiritualia est translatum. Dicitur autem in corporalibus fructus, qui ex planta producitur, cum ad perfectionem peruenerit, & quandam in se suauitatem habet, qui quidem fructus ad duo comparari potest, scilicet ad arborem producentem fructum ipsum, & ad hominem qui fructum ex arbore adipiscitur. Secundum hoc ergo nomen fructus in rebus spiritualibus dupliciter accipere possumus. Vno modo vt dicatur fructus hominis, quasi arboris, id quod ab eo producitur. Alio modo vt dicatur fructus hominis, id quod homo adipiscitur, non autem omne id quod adipiscitur homo, habet rationem fructus, sed id quod est vltimum delectationem habens. Habet enim homo & agrum & arborem, qui fructus non dicuntur, sed solum id quod est vltimum

quod

quod ſcilicet ex arbore & agro, homo intendit habere, & ſecundum hoc fructus hominis dicitur vltimus hominis finis quo debet frui. Si autem dicatur fructus hominis id quod ex homine producitur, ſic ipſi actus humani fructus dicuntur: operatio enim eſt actus ſecundus operantis, & delectationem habet, ſi ſit conueniens operanti. Si igitur operatio hominis procedat ab homine ſecundum facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur eſſe fructus rationis. Si vero procedat ab homine ſecundum altiorem virtutem, quæ eſt virtus ſpiritus ſancti; ſic dicitur operatio hominis, fructus ſpiritus ſancti, quaſi cuiuſdam diuini ſeminis. Dicitur enim 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.*

Fructus Spiritus ſancti ſunt actus hominis ex virtute Spiritus ſancti procedentes.

Solutio obiect.

A

NOTANDVM autem quod licet fructus habeat rationem vltimi finis, vt dictum eſt, tamen nihil prohibet alicuius fructus eſſe alium fructum, ſicut finis ordinatur ad finem; dicitur enim Sapient. 4. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*, & Ioan. 4. *Qui metet mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Opera igitur noſtra inquantum ſunt effectus ſpiritus ſancti operantis in nobis, habent rationem fructus; ſed inquantum ordinantur ad finem vitæ æternæ, ſic magis habẽt rationem florum. Vnde dicitur Eccl. 24. *Flores mei fructus honoris & honeſtatis.*

B

ITEM cum fructus à fruendo dicatur; ſecundum autem Auguſt. 10. de Trinitate, *fruimur cognitis in quibus voluntas propter ſe delectata conquieſcit*; ſciendum eſt quod voluntas hominis poteſt in aliquo propter ſe delectari dupliciter. *Vno modo* ſecundum quòd ly propter dicit cauſam finalem; & ſic propter ſe non delectatur aliquis niſi in vltimo fine. *Alio modo* ſecundum quod deſignat cauſam formalem, & ſic propter ſe aliquis delectari poteſt in omni eo quod eſt delectabile ſecundum ſuam formam; ſicut patet quod infirmus delectatur in ſanitate propter ſe, ſicut in fine: In medicina autem ſuaui, non ſicut in fine, ſed ſicut in habente ſaporem delectabilem: in medicina autem auſtera, nullo modo propter ſe, ſed ſolum propter aliud. Sic igitur dicendum eſt, quod in Deo delectari debet homo, non propter ſe, ſed propter vltimum finem. In actibus autem virtuoſis, non ſicut propter finem, ſed propter honeſtatem quę continet delectabile in virtuoſis. Vnde Ambroſ. dicit quod *opera virtutum dicuntur fructus, quia ſuos poſſeſſores ſancta & ſincera delectatione reficiunt.*

C

ITEM nota, quod dum aliquæ virtutes enumerantur ab Apoſtolo inter fructus, puta charitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas, quæ non ſunt actus ſed habitus; Nomina virtutum ſumuntur pro actibus earum: ſicut apud Auguſt. qui dicit quod *fides eſt credere quod non vides*: & *charitas eſt motus animi ad diligendum Deum & proximum.*

D

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum fructus differant à beatitudinibus.* Dicendum, quod plus requiritur ad rationem beatitudinis, quam ad rationem fructus. Nam ad rationem fructus ſufficit quod ſit aliquid habens rationem vltimi & delectabilis, ſed ad rationem beatitudinis vlterius requiritur quòd ſit aliquid perfectum & excellens, vnde omnes beatitudines poſſunt dici fructus, ſed non cõuertitur. Sunt enim fructus quęcũq; virtuoſa opera in quibus homo delectatur, ſed beatitudines dicuntur ſolũ opera perfecta, quæ etiã ratione ſuæ perfectionis magis attribuuntur donis quam virtutibus.

Fructus ſunt quæcunque virtuoſa opera in quibus homo delectatur, beatitudines vero opera perfecta.

E

AD TERTIVM, ſcilicet *de numero fructuum.* Sciendum, quòd Apoſtolus valde conuenienter enumerat duodecim fructus ſpiritus. Gal. 5. Et poſſunt ſignificari per duodecim fructus de quibus dicitur Apocal. vlt. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Quia vero fructus dicitur quod ex aliquo principio procedit, ſicut ex ſemine vel radice; attendenda eſt diſtinctio horum fructuum, ſecundum diuerſum proceſſum Spiritus ſancti in nobis, qui quidem proceſſus attenditur ſecundum hoc, vt primo mens hominis in ſeipſa ordinetur, ſecundo vero ordinetur ad ea quæ ſunt ſupra vel iuxta, tertio vero ad ea quæ ſunt infra. *Tunc autem* bene mens hominis diſponitur in ſeipſa, quando mens hominis bene ſe habet, & in bonis, & in malis. Prima autem diſpoſitio mentis humanæ ad bonum, eſt per amorem, qui eſt prima affectio & omnium affectionum radix. Et ideo inter fructus ſpiritus primo ponitur charitas, in qua ſpecialiter Spiritus ſanctus datur ſicut in propria ſimilitudine, cum & ipſe ſit amor. Vnde dicitur Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ad amorem autem charitatis ex neceſſitate ſequitur gaudium. Omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati. Charitas autem ſemper habet prẽſentem Deum quem amat, ſecundum illud 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* Vnde ſequela charitatis eſt gaudium, perfectio autem gaudij eſt pax, quantum ad duo. Primo quidem quantum ad quietem ab exterioribus conturbantibus. Non enim poteſt perfectè gaudere de bono amato, qui in eius fruitione ab alijs perturbatur. Et iterum, Qui perfectè cor habet in vno pacatum, à nullo alio moleſtari poteſt, cum aliud quaſi nihil reputet. Vnde dicitur in Pſal. 118. Pax multa diligentibus nomen tuum, Et non eſt illis ſcandalum, quia ab exterioribus non perturbantur, quin Deo fruantur. Secundo quantum ad ſedationem deſiderij fluctuantis. Non enim perfectè gaudet de aliquo, cui non ſufficit id de quo gaudet. Hæc autem duo importat pax, ſcilicet vt neque ab exterioribus perturbemur, & vt deſideria noſtra conquieſcant in vno. Vnde poſt charitatem & gaudium, tertio ponitur pax. In malis autem bene ſe habet mens quantum ad duo. Primo quidem vt non perturbetur mens per imminentiam malorum, quod pertinet ad patientiam. Secundo vt non perturbetur in dilatione bonorum, quod pertinet ad longanimitatem. Nam carere bono habet rationem mali, vt dicitur in 5. Eth.

AD id autem quod eſt iuxta hominem, ſcilicet proximum, bene diſponitur mens hominis. Primo quidẽ quantum ad voluntatem benefaciendi, & ad hoc pertinet bonitas. Secundo quantum ad beneficientiæ executionem, & ad hoc pertinet benignitas. Dicuntur enim benigni quos bonus ignis amoris, feruere facit ad benefaciendum proximis. Tertio quantum ad hoc quòd æquanimiter tollerentur mala ab eis illata, & ad hoc pertinet manſuetudo, quæ cohibet iras. Quarto quantum ad hoc vt non ſolum per iram proximis non noceamus, ſed etiam neque per fraudem, vel per dolum; & ad hoc pertinet fides, ſi pro fidelitate ſumatur. Sed ſi ſumatur pro fide qua creditur in Deum, ſic per hanc ordinatur homo ad id quod eſt ſupra ſe, vt ſcilicet homo intellectum ſuum Deo ſubijciat, & per conſequens omnia quæ ipſius ſunt.

SED ad id quod infra eſt, bene diſponitur homo. Primo quidem quantum ad exteriores actiones per modeſtiam, quæ in omnibus dictis & factis modum obſeruat, quantum ad interiores concupiſcentias, per continentiam & caſtitatem: ſiue hæc duo diſtinguantur, per hoc quod caſtitas refrænat hominem ab illicitis, continentia vero etiam à licitis, ſiue per hoc quòd continens patitur concupiſcentias, ſed non deducitur: caſtus autem neque patitur, neque deducitur.

ET NOTA, quod cum ipſe Apoſtolus vnum ſolum fructum ponere videatur Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem.* Et Iſa. 27. dicitur: *Hic omnis fructus eſt vt auferatur peccatum.* Hoc non eſt contra enumerationem prędictam; quia ſanctificatio fit per omnes virtutes per quas etiam peccata tolluntur. vnde fructus ſingulariter ibi nominatur propter virtutem generis, quod in multas ſpecies diuiditur, ſecundum quas dicuntur multi fructus.

Conuenienter aſſignatur numerus duodenarius fructuum ab Apo.

Gal. 5.

Solutio obiect.

ITEM Dominus Matth. 13. ponit triplicem fructum terræ bonæ, ſcilicet centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum; ſed iſta non diuerſificantur ſecundum diuerſas ſpecies virtuoſorum actuum, ſed ſecundum diuerſos perfectionis gradus, etiam vnius virtutis: ſicut continentia coniugalis dicitur ſignificari per fructum triceſimum,

ceſimum, continentia vidualis per ſexageſimum, virginalis autem per centeſimum. & alijs etiam modis ſancti diſtinguunt tres Euangelicos fructus, ſecundum tres gradus virtutis: & ponuntur tres gradus, quia cuiuſlibet rei perfectio attenditur ſecundum principium, medium, & finem.

ITEM cum fructus habeat rationem vltimi, fides etſi accipiatur provt eſt fundamentum, habet quãdam rationem vltimi, & delectabilis, ſecundum quod continet certitudinem. vnde Glo. exponit, fides, id eſt de inuiſibilibus certitudo.

ITEM cum fructus habeat rationem delectabilis; patientia tamen, & longanimitas, quæ habent eſſe in rebus contriſtantibus, dicuntur eſſe fructus, quia hoc ipſum quod eſt non perturbari in triſtitijs, habet delectabilis rationem.

AD QVARTVM, ſcilicet *de oppoſitione fructuum ad opera carnis*. Sciendum quòd opera carnis & fructus ſpiritus, poſſunt accipi dupliciter. *Vno modo* ſecundum communem rationem; & hoc modo in communi fructus Spiritus ſancti contrariantur operibus carnis: Spiritus enim ſanctus, mouet humanam mentem ad id quod eſt ſecundum rationem, vel potius ad id quod eſt ſupra rationem: appetitus autem carnis, qui eſt appetitus ſenſitiuus, trahit ad bona ſenſibilia quæ ſunt infra hominem. vnde ſicut motus ſurſum, & motus deorſum, contrariantur in naturalibus; ita in operibus humanis, contrariantur opera carnis fructibus ſpiritus. *Alio modo* poſſunt conſiderari ſecundum proprias rationes ſingulorum fructuum enumeratorum, & operum carnis: & ſic non oportet quòd ſingula ſingulis contraponantur: quia ſicut dictum eſt, Apoſtolus non intendit enumerare omnia opera ſpiritualia, nec omnia opera carnalia. ſed tamen ſecundum quandam adaptationem, Aug. ſuper epiſtolam ad Gal. contraponit ſingulis operibus carnis, ſingulos fructus. Sicut fornicationi, quæ eſt amor explendæ libidinis, à legitimo connubio ſolutus, opponitur charitas, per quam anima coniungitur Deo, in qua etiam eſt vera caſtitas. Immunditiæ autem ſunt omnes perturbationes de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem ſeruitus, propter quam bellum geſtum eſt aduerſus Euangelium Dei, opponitur paci. Contra veneficia autem, & inimicitias, & contentiones, & æmulationes, animoſitates, & diſſenſiones; opponuntur longanimitas ad ſuſtinendum mala hominum inter quos viuimus, & ad curandum benignitas, & ad ignoſcendum bonitas. Hæreſibus autem opponitur fides, inuidiæ, manſuetudo; ebrietatibus & comeſſationibus, continentia.

Fructus Spiritus quodammodo opponuntur operibus carnis.

CIRCA quintum, ſcilicet *quæ mouere debent ad fructus ſpirituales proferendum*. Sciendum quod fructum multiplicem legimus in ſcriptura. Eſt enim quidam fructus prohibitus, quia venenoſus, & mortem inferens, & ideo ſollicitè fugiendus, de quo Pro. 10. Fructus impij ad peccatum. De prohibitione fructus huius, & quantum ſit venenoſus, & mortem inferens, habemus expreſſe Gen. 2. *De ligno ſcientiæ boni & mali, ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Serpens autem*, id eſt diabolus in ſpecie ſerpentis apparens, *dixit ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier. De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur, de ligno autem quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus, ne forte moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: nequaquam moriemini &c.* Sequitur. *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* (Hoc cognouit ex odoratu.) *Et pulchrum oculis* (ecce aſpectus.) *Tulitque de fructu* (ecce tactus.) *Et comedit.* (ecce guſtus.) Et ſic in Eua completum eſt peccatum inobedientiæ, ad quod tamen multæ deordinatæ circunſtantiæ concurrerunt. Sequitur. *Deditque viro ſuo* (ecce iniqua ſuggeſtio.) *Qui comedit.* Et ſic conſummata eſt tranſgreſſio in vtroque. Iſte proceſſus qui fuit in peccato primorum parentum materialiter, ſolet eſſe ſpiritualiter in peccato vnius hominis. Nam aſpectus eſt in cogitatione, & odoratus in delectatione, tactus in conſenſu, guſtus in perpetratione. *Conſidera* quã mortiferum ſit venenum peccati, quod non ſolum ex guſtu occidit hominem. verum etiam ex viſu, odoratu, & tactu. De hoc fructu loquitur Apoſtolus Rom. 5. *quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis. Nam finis illorum mors eſt.*

Fructus multiplex.

1. *Prohibitus quia venenoſus de quo Gen. 2.*

ITEM eſt alius fructus nobis exhibitus ad medendum & auferendum virus mortiferum primi fructus. Pſal. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob &c.* Sequitur. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra*, id eſt virgo beata, quæ ex cœleſti benedictione eſt ſuſcepta, *dabit fructum ſuum.*

2. *Exhibitus ad medendũ qui eſt Chriſtus.*

FRVCTVS iſte eſt ſummè ſpecioſus, ſaporoſus, pretioſus, & copioſus, *primo quidem* ſpecioſus eſt, ineſtimabilis in decore, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius ſpecie cœleſtes Angeli rapiuntur; *in quem* ſicut ait Apoſtolus Petrus, *deſiderant Angeli proſpicere*, 1. Petr. 1. hunc igitur fructum ſumamus nobis, ſicut dicitur Leuitic. 23. *Sumetis vobis die primo in principio*, id eſt ex quo incipietis vſum diſcretionis habere, vel ex quo dies gratiæ vobis cœperit illuceſcere; *vobis* .i. ad vtilitatem veſtram, ſcilicet ad informationem intellectus, refectionem affectus, & directionem effectus, *Fructus arboris pulcherrimæ*, id eſt virginis glorioſæ: pluraliter dicit fructus, quia licet ſit vnicus in perſona, tamen eſt valde multiplex in effectu, ſicut patet ſubtiliter intuenti, & deuote meditanti. Beata virgo bene dicitur arbor pulcherrima, pulchra quidem in matris vtero, propter ſanctificationem; pulchrior in mundo, propter vitæ perfectionem; pulcherrima in cœlo, propter glorificationem. Item pulchra, propter corporis & cordis integritatem illibatiſſimam; pulchrior, propter humilitatem profundiſſimam; pulcherrima, propter fæcunditatem beatiſſimam.

Chriſtus eſt fructus ſummè ſpecioſus.

SECVNDO fructus iſte eſt pretioſus, ineſtimabilis in valore. Reddit enim vitam gratiæ perditam per peccatum. Prouer. 17. *Fructus iuſti ad vitam.* Dicamus ergo virgini glorioſæ: *Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus.* Et illud Luc. 2. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideo ille benedictus, ſed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis. De qua benedictione Pſal. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* & ſequitur multiplex effectus huius benedicti fructus: *auertiſti captiuitatem Iacob; remiſiſti iniquitatem &c.* vſque illuc, *conuerte nos.*

Chriſtus eſt fructus ſummè pretioſus.

TERTIO fructus iſte eſt ſaporoſus, inenarrabilis in dulcore. Ca. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Et Eccl. 11. *Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius. Initium* inquit, quia licet in ſe dulcorem habeat infinitum, tamen quicquid poteſt ab homine viatore ſentiri, non eſt niſi initium illius dulcedinis, quam deguſtant ſancti in patria.

Chriſtus eſt fructus ſummè ſaporoſus.

QVARTO fructus iſte copioſus eſt, & indefectibilis in vigore. Dan. 4. *Videbam & ecce arbor in medio terræ, altitudo eius nimia, magna arbor & fortis, & proceritas eius cœlum contingens, aſpectus eius vſque ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea &c.* Hic ſpiritualiter intelligendo notantur in Virgine glorioſa ſeptem conditiones nobiliſſimæ, propter quas eſt à nobis ſummopere veneranda. *Primo namque* deſcribitur quantum ad ſitus aptitudinem, in medio terræ. *Deus enim Rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* vnde beata virgo dicitur eſſe in medio terræ, tanquam omnium mediatrix. Vnde Bernard. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ: In vtero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcanum Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negocium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cœlo ſunt, & qui habitant in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur. Illi qui ſunt in cœlo, vt reſartiantur. Illi qui ſunt in inferno, vt eripiantur. Qui præceſſerunt, vt Prophetæ tui fideles*

Chriſtus eſt fructus copioſus.

Septem conditiones B. Virginis ob quas eſt à nobis veneranda.

inueniantur. Nos qui sumus, vt gratiam consequamur. Illi qui sequuntur, vt glorificentur. Secundo describitur quantũ ad eius celsitudinẽ. *Altitudo eius nimia, & proceritas eius contingens cœlum. Tertio* quantum ad sui latitudinem. *Aspectus eius vsque ad terminos vniuersæ terræ. Quarto* quantum ad eius fortitudinem. *Arbor magna & fortis. Quinto* quantum ad foliorum pulchritudinem. *Folia eius pulcherrima. Sexto* quantum ad sui plenitudinem. *Et fructus eius nimius.* Copiosus quidem est, quia potest animam vnam reficere, quam totus mundus, diuitijs delitijs & honoribus plenus, satiare non posset. Copiosior, quia toti mundo sufficere potest. Copiosissimus, quia nunquam potest deficere. Sed nimius, quia si essent infiniti mundi, & semper durarent, omnibus sufficeret iste fructus, & semper excederet. *Septimo* describitur quantum ad vsus promptitudinem. *Esca vniuersorum in ea.* O esca delicatissima, esca reficiens, palatum animæ ad saporem afficiens, cunctis sufficiens, & in te nunquam deficiens, & sumentem in bono perficiens.

3. *Requisitus sub interminatione pœnæ aternæ scilicet bona opera.*

TERTIO est alius fructus quem debemus producere, & quem Deus requirit à nobis sub interminatione damnationis æternæ. Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ita omnis homo qui non facit opera bona, excidetur à consortio Dei & sanctorum, & in ignem gehennæ mittetur. Chrysostom. *Duæ quidem sunt pœnæ, ignis gehennæ, & casus gloriæ. Nonimus autem quod multi gehennam solum abhorrent. Ego autem casum gloriæ, multo amariorem gehenna esse dico. Intollerabile quidem malum est gehenna; sed si decies mille gehennas ponat quis, nihil tale dicturus est, quale est ab illa gloria excidere.* Terror huius comminationis horribilis, animos nostros excitare deberet ad fructus copiosos bonorum operum proferendum. Nota quod ficulnea quæ esuriente Domino ficus non habuit, maledicta fuit à Domino, & statim aruit. Matth. 21.

Quidam homines nullũ fructum proferunt, quidã mortiferum, quidam bonum.

NOTANDVM autem quòd sicut sunt quædam arbores infructuosæ, vt quercus, vlmus, & huiusmodi, quæ fructum non faciunt; vel si quem faciunt, non humano esui aptum, sed porcino: quędam autem proferunt fructum mortiferum, quædam fructum vtilem & suauem: Item *quidam sunt*, velut arbores infructuosæ quæ nullum fructum proferunt, sicut homines ociosi, desidiosi, quasi spiritum non habentes; vel si fructum afferunt, id est opera faciunt, non humano esui apta sunt, sed porcino. tales sunt filij huius sęculi, qui in commessationibus & ebrietatibus, ludis & choreis, in venationibus & aucupijs, vitam agunt. De talibus dicitur Sap. 3. *Vana est spes eorum, & labores sine fructu.* Et infra 4. *Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Quidam autem* mortiferum fructum ferunt. De quibus Matth. 7. *Mala arbor fructus malos facit.* Sap. 10. *In testimonium nequitiæ fumigabunda extat deserta terra.* Verè cor miseri peccatoris, est velut terra deserta, inculta scilicet, sicca, sterilis, & non habitata. Est etiam fumigabunda, euaporans, scilicet fumum fætidum & corruptiuum infamiæ; quia Deus frequenter occulta peccata punit per infamiam manifestam. Sequitur. *Et in certo tempore fructus habentes arbores.* In Sodomis dicuntur esse quædam arbores, exterius quidem pulcherrimos fructus habentes, qui si aperiantur, exit inde fumus & cinis: sic ex vita & operibus impiorum, exit fumus obscurus & fætidus, & cinis combustionis æternæ. *Quidam vero* bonum fructum proferunt. De quibus Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit.*

SED quare in fructuosas arbores distinguimus à malis arboribus, cum Dominus non distinguat nisi duo genera. Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit. Mala autem arbor fructus malos facit,* & Matth. 12. *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut arborem malam & fructum eius malum: Siquidem ex fructu arbor cognoscitur.* quia arbor dicitur mala quę non producit fructus quos debet.

NOTANDVM autem quod ad hoc quod arbor fructificet, quatuor requiruntur. *Primum* est localis congruentia, vnde de viro iusto dicitur in Psal. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et Ezech. 17. dicitur de vinea. *In terra bona super aquas multas plantata est, vt faciat frondes & portet fructum, vt sit in vineam grandem.* Ad hoc est exemplum de semine, cuius vna pars cecidit secus viam. Alia inter spinas. Alia inter petras. Alia in terram bonam. Lucæ 8. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* sed Matth. 13. dicitur. *Alia ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, & aliud tricesimum.*

Vt arbor fructificet quatuor requiruntur.

1. *Localis congruentia.*

SECVNDO requiritur radicis adhærentia. Isa. 37. *Mittet id quod saluatum est de domo Iuda, & quod relictum est radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* & Ioann. 15. Dicit saluator: *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* sed de quibusdam dicitur in canonica Iudæ. *Hi sunt arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ eradicatæ.* Nota arbores autumnales dicimus, id est in autumno plantatæ, quarum radix non potest figi firmiter in terra, quia tunc non est tempus idoneum ad plantandum; ideo sunt infructuosæ: & quod peius est, dicitur quod sunt mortuæ, quia non habent principium vitæ, scilicet charitatem. Gregor. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Item mortuæ sunt quia mortiferum fructum ferunt, & tam sibi quam alijs multis, mortem inferunt.

2. *Radicis adhærentia.*

TERTIO requiritur culturæ diligentia, puta transplantatio. Nam quæ in vno loco minus bene fructificant, in alio loco scilicet aptiori, melius fructificant, vnde de viro iusto dicitur Iere. 17. *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.* Sequitur. *nec aliquando desinet facere fructum.* Item quandoque requiritur insertio, Arbor enim fructum amarum faciens & siluestrem, quando inseritur in arborem fructiferam, dat fructum bonum & sapidum: sicut dicit Apostolus Rom. 11. *Tu autem cum oleaster esses, insertus es in bonam oliuam, & factus es socius,* id est particeps *radicis*, scilicet patriarcharum & prophetarum, *& pinguedinis oliuæ*, id est dulcedinis gratiæ Spiritus sancti. Exemplum de Nabuch. Dan. 4. *Succidite arborem, & dissipate eam, attamen germen radicum eius in terra finite.* Iste fructum ferebat amarissimum & mortiferũ, scilicet idolatriæ & tyrannidis; ideo succisus est de regno suo, & ablata est tota malitia arboris, & inserta in bonam. Nam sequitur. *Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui. Item* requiritur putatio & superfluorum amotio. Cantic. 2. *Tempus putationis aduenit.* & Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Item* quandoque requiritur circumfossio, & appositio nutrimenti. Lucæ 13. *Arborem fici habebat quis plantatam in vinea sua, & dixit Dominus vineæ procuratori suo: ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? at ille respondens, dixit illi; Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam,* & mittam stercora, nota, & expone. *Item* quandoque requiritur irrigatio vnde Eccl. 2. *Feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem siluam lignorum germinantium,* & Eccl. 24. dixit: *Rigabo ortum meum plantationum, & inebriabo partus meos fructum.*

3. *Culturæ diligentia.*

DENIQVE requiritur custodiæ vigilantia, quia non minor est virtus quærere, quam parta tueri. Prou. 27. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius.* Tres autem custodes adhibendi sunt, videlicet clausura disciplinæ, id est murus vel sepes spinosa, per quam asperitas vitæ significatur. vnde Matth. 21. *Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei &c.* Nota totum. Item Isa. 5. *Vinea facta est &c.* Sequitur. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Secundus* custos est timor, de quo dicitur Eccl. 1. *Plenitudo sapientiæ timere Deum, & plenitudo à*

Custodia vigilantia.

Tres custodes adhibendi, scilicet clausura disciplinæ, timor Dei, & humilitas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fructib. illius. Sequitur. *Corona ſapientiæ timor Domini, replẽs pacem & ſalutis fructum.* Tertius cuſtos eſt humilitas per hanc, oliua, ficus, & vitis, fructus ſuos cuſtodire volentes, recuſauerunt regiam dignitatem, & noluerunt inter ligna cætera promoueri. Iudicum 9. Nota bene quod dicitur ibi. Et ideo Eccl. 6. *Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedas, & fructus tuos perdas, & relinquaris velut lignum aridum.*

4. *Cœleſtis influentia.*

QVARTO ad hoc quod arbor fructificet neceſſaria eſt cœleſtis influentia, ſcilicet calor ſolaris, & humor pluuialis, vnde quia in verè ſolet eſſe caloris ſolis influentia plus quam in hyeme, ideo arbores tunc incipiunt producere frondes, flores, & fructus. Lucæ 21. *Videte ficulneam & omnes arbores cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas,* videmus quod in eadem arbore, poma quæ ſunt verſus ſolem, meliora ſunt alijs in colore, odore, & ſapore, pariter & valore. Ideo Deut. 33. In benedictione Ioſeph dicitur, *de benedictione Domini terra eius.* Sequitur. *De pomis fructuum ſolis & lunæ.* Et Oſee 14. *ex me fructus eius inuentus eſt.* Et Ioann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.*

Motiua ad fructũ bonorum operum.

AD fructum bonorum operum proferendum excitari debemus multiplici ratione. *Primo quidem* propter internæ refectionis dulcorem, vnde Hierem. 29. *Plantate hortos & comedite fructum eorum.* Et 4. Re. 19. Seminate & metite, plantate vineas, & comedite fructum earum. Nam ſicut ait Apoſtolus. 2. Timoth. 2. *laborantem agricolam oportet primo de fructibus ſuis percipere. Secundo* propter diuinæ glorificationis honorem. Ioann. 15. *In hoc clarificatus eſt pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* gaudet magiſter de profectu diſcipulorum, & pater de profectu filiorum, & cultor horti vel vineæ de fructuum vbertate. vnde ſponſa dilectum ſuum inuitat ad viſitandum hortum ſuum, vt in eius fructibus delectetur. Can. 5. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum.* Et infra 7. *Veni dilecte mi, &c.* Sequitur. *Videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturunt. Tertio* propter multiplicationem ſpiritualium theſaurorum, id eſt vt efficiamur ſpiritualiter ditiores. Pſal. 4. *A fructu frumenti vini & olei ſui, multiplicati ſunt.* Expone. Vt autem vberius multiplicari poſſumus in omni opere bono, fructificare debemus, iuxta illud Col. 1. *Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei. Quarto* propter ædificationem intuentium proximorum. Non enim nobis ſolis debemus proficere, ſed & proximos verbis pariter & exemplis ædificare debemus. Vnde Ezech. 47. *Montes Iſrael ramos veſtros germinetis,* id eſt multiplicando dilatetis, & dilatando extendatis ad alios; *& fructum veſtrum afferatis populo meo,* id eſt ad vtilitatem populi mei. *Quinto* mouere debet iudicialis comminatio damnationis æternæ. Matt. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, &c.* Require ſupra. *Sexto* mouere debet fiducialis expectatio retributionis ſupernæ. Iacob. 5. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum, patientes eſtote & vos fratres. Debet in ſpe fructus percipiendi, qui arat arare.* Exploratores miſſi per Moyſen ad conſiderandum terram promiſſionis, oſtenderunt filijs Iſrael fructus terræ dicentes; *venimus in terram ad quam miſiſtis nos, quæ reuera fluit lacte & melle, ſicut ex his fructibus cognoſci poteſt.*

Quadruplex fructus.

VLTERIVS eſt notandum quod multiplicem fructum legimus, videlicet fructum pœnitentiæ, in ſeipſo punientis peccata. Fructum iuſtitiæ, in proximo corrigentis errata. Fructum ſapientiæ dirigentis: & fructum patientiæ ſuſtinentis aduerſa. *De primo* dicit beatus Ioannes Baptiſta. *Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Luc. 3. Super quo verbo ait Gregor. *Aliud eſt fructum pœnitentiæ facere. Aliud eſt dignos fructus pœnitentiæ facere.* Sequitur. *Neque par debet eſſe fructus boni operis, eius qui minus, & eius qui amplius deliquit. Per hoc ergo quod dicitur; Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora ſibi intulit damna per culpam; & tanto magis à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe.* Quod pretioſi ſunt fructus pœnitentiæ patet ex hoc quod per pœnitentiam peccatum diluitur, ſicut dicitur Iſa. 27. *Iſte omnis fructus eius vt auferatur peccatum:* Liberatur etiam homo à ſeruitute diaboli grauiſſima & viliſſima, & recipitur in ſeruitium Dei ſummi, quod eſt nobiliſſimum, quia ſeruire Dei regnare eſt. *Iugum enim eius ſuaue, & onus eius leue.* Item ſanctificatur, & in ſanctorum numerum computatur. tandem æterna vita confertur. De his omnibus ait Apoſtolus, Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.*

1. *Pœnitentia.*

2. *Iuſtitia.*

DE SECVNDO, ſcilicet fructu iuſtitiæ, dicitur Phil. 1. *Repleti fructu iuſtitiæ.* Iuſtitia ſecundum Philoſophum eſt virtus ad alterum. Per iuſtitiam enim debemus Deo obedientiam in præceptis; propter quod dicitur Iob 22. *Acquieſce ei, & habeto pacem, & per hoc habemus fructus optimos,* gratiarum actionem pro beneficijs. Sicut docet Apoſtolus Hebr. 13. *Chriſtus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Sequitur. *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo,* id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius. *Item* honorem & gloriam in cunctis operibus noſtris, in cuius ſignum iubentur ſolui decimæ: quia omnem imperfectionem nobis, Deo vero perfectionem debemus aſcribere, quæ per denarium numerum deſignatur. vnde Deut. 14. *Decimam partem de cunctis fructibus tuis ſeparabis per annos ſingulos. Item* per iuſtitiam debemus proximo, amicitiam pacem & concordiam. Gal. 5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax.* Et Iacob. 5 *Fructus in pace ſeminatur.* Ad hoc ſpecialiter tenentur principes & prælati, & omnes iudices, vt verbis operibus & exemplis, procurent pacem inter ſubditos conſeruari. Exemplo ſummi principis, de quo dicitur Hierem. 32. *Oculi tui aperti ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundum vias ſuas. & ſecundum fructum adinuentionum eorum.* De malis & iniquis iudicibus dicitur Amos 6. *Conuertiſti in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthium,* quod vtique faciunt qui amore vel odio, prece vel pretio, pauperes opprimunt, iudicium & iuſtitiam peruertendo.

Per iuſtitiam debemus Deo obedientiã, gratiarum actionem & honorem.

Proximo amicitiam pacem & concordiam.

3. *Sapientia.*

DE TERTIO fructu, ſcilicet ſapientiæ, dicitur Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, &c.* Sequitur. *Primi & puriſſimi fructus eius.* fructus ſapientiæ ſunt lectio, meditatio, & oratio. Iſti ſunt puriſſimi. Puri quidem in lectione, puriores in meditatione, puriſſimi in oratione. Vel puri ſunt in corde meditando puriores in ore prædicando, puriſſimi in opere exequendo: propter quod comparantur auro, & argento, & lapidi pretioſo. Aurum quidem eſt in meditatione; argentum ſonorum in prædicatione, lapides pretioſi in operatione. Tamen his omnibus melior & purior eſt fructus ſapientiæ. Prouerb. 8. *Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & gemma mea argento electo.*

4. *Patientia.*

DE QVARTO fructu, ſcilicet patientiæ, dicitur Cant. 7. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius.* palma quidem aſpera eſt in cortice, & in ſtatura ſublimis; & ideo difficilis ad aſcendendum, ſed in eius ſummitate fructus magnæ dulcedinis inuenitur. Ideo bene dicit Apoſtolus Hebr. 12. *Omnis diſciplina in præſenti quidem eſſe non videtur gaudij, ſed mœroris, fructum autem pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Nota, *qui verbum Dei retinent corde perfecto & optimo, fructum afferunt in patientia.* Lucæ 8. *Granum etiam frumenti cadens in terram niſi mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioann. 12. *Palmitem quoque qui fert fructum purgat paterfamilias, vt fructum plus afferat.* Ioan. 15.

4. Fructus vita aterna.

QVARTVS est fructus quem debemus acquirere, ad quem debemus ex totis præcordijs aspirare. Iste est fructus vitæ qui colligitur de ligno vitæ. Prou. 11. *Fructus iusti lignum vitæ*, de quo dicitur Apoc. 22. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructuum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* huius auctoritatis expositionem require infra inter contemplationes, contemplatione prima, quæ est de vita æterna, ad idem videtur esse quod dicitur Ezech. 47. *Super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte, omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius; per menses singulos afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam,* nos in Ecclesia militante non habemus nisi folia ligni vitæ, quæ tamen sunt in morborum omnium spiritualium medicinam. Beati vero in patria, habent fructus eius in cibum summè delectabilem, cuius delectationis suauitas omnino est incomprehensibilis gustui beatorum.

Quatuor producunt ad fructum vitæ aternæ.

AD huius fructus gustum & suauitatem plenissimam perueniunt puritas illibata, charitas inflammata, humilitas conculcata, pœnalitas affectata. *De primo*, sapientiæ 3. *Fœlix est sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* & hoc iustè, quia enim non quęsiuit fructum de suo mortali corpore temporalem, habebit fructum spiritualem & pœnitus immortalem. *De secundo* Gal. 5. *Spiritus est charitas*, & Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. De tertio*, id est de humilitate dicitur Isa. 7. *Erit germen Domini in magnificentia & gloria*; id est Dei filius in incarnatione sua humiliatus, & factus paruulus corporaliter, sicut germen paruuli est in vtero matris: Istud inquam germem erit in magnificentia & gloria. Phil. 2. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens &c. in gloria est Dei patris.* Sequitur. *Et fructus terræ*, id est virginis gloriosæ *eius sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel*, id est humilibus quasi dicat Christus humilis erit merces & gloria humilium. *De quarto*, id est asperitate pœnali: Sapientiæ quarto: *Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

DE BEATITVDINIBVS.

De beatitudinibus in communi.

DISTINCTIO VIII.

DEINDE considerandum est de beatitudinibus. Et primo in generali. Secundo in speciali. In generali quidem considerandæ sunt quatuor. Primo vtrum beatitudines à virtutibus & donis distinguantur. Secundo de numero beatitudinum. Tertio de præmijs beatitudinum, vtrum scilicet pertineant ad hanc vitam. Quarto de conuenientia præmiorum quę eis attribuuntur.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum beatitudines à donis & virtutibus distinguantur.* Dicendum quod sicut dictum est, beatitudo est vltimus finis humanę vitæ. Dicitur autem aliquis iam finem habere, propter spem finis obtinendi. vnde Philosophus dicit in 1. Eth. quod *pueri dicuntur beati propter spem.* & Apost. dicit Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Spes autem de fine consequendo insurgit, ex hoc quod aliquid conuenienter mouetur ad finem, & appropinquat ad ipsum, quod quidem fit per aliquam actionem. Ad finem autem beatitudinis mouetur aliquis & appropinquat per operationes virtutum, & præcipuè per operationes donorum; si loquamur de beatitudine æterna, ad quam ratio non sufficit, sed in eam reducit Spiritus sanctus, ad cuius obedientiam & sequelam per dona perficimur. & ideo beatitudines distinguuntur quidem à virtutibus, & à donis, non sicut habitus distincti ab eis, sed sicut actus distinguuntur ab habitibus. vnde Augustinus & Ambrosius attribuunt beatitudines donis & virtutibus, sicut actus attribuuntur habitibus, dona autem sunt eminentiora virtutibus cardinalibus, sicut supra dictum est. Et ideo Ambrosius exponens beatitudines turbis propositas, attribuit eas virtutibus cardinalibus. Aug. autem exponens beatitudines discipulis propositas in monte tanquam perfectioribus, attribuit eas donis Spiritus sancti.

Beatitudines differunt à virtutibus & donis.

AD SECVNDVM, scilicet *de numero beatitudinum.* Dicendum quod beatitudines conuenientissime enumerantur. Ad cuius euidentiam considerandum est quod triplicem beatitudinem aliqui posuerunt: quidam enim posuerunt beatitudinem in vita voluptuosa, quidam in vita actiua, quidam vero in vita contemplatiua. Hæ autem tres beatitudines diuersimodè se habent ad beatitudinem futuram, cuius spe dicuntur hic beati. Nam beatitudo voluptuosa, quia falsa est & rationi contraria, impedimentum est beatitudinis futuræ. Beatitudo vero vitæ actiuæ, dispositiua est ad beatitudinem futuram. Beatitudo vero contemplatiua si sit perfecta, est essentialiter ipsa futura beatitudo; si autem sit imperfecta, est quædam inchoatio eius. Et ideo Dominus primo quidem posuit quasdam beatitudines quasi remouentes impedimentum voluptuosæ beatitudinis. Consistit enim voluptuosa vita in duobus. *Primo* quibus in affluentia exteriorum bonorum, siue sint diuitiæ, siue honores: A quibus quidem retrahitur homo per virtutem, sic vt moderate eis vtatur. Per donum autem excellentiori modo, vt scilicet homo totaliter ea contemnat, vnde prima beatitudo ponitur. *Beati pauperes spiritu.* Quod potest referri vel ad contemptum diuitiarum, vel ad contemptum bonorum, quod fit per humilitatem. *Secundo* vero voluptuosa vita consistit in sequendo proprias passiones, siue irascibilis, siue concupiscibilis. A sequela autem passionum irascibilis retrahit virtus, ne homo in eis superfluat secundum regulam rationis. Donum autem excellentiori modo, vt scilicet homo secundum voluntatem diuinam totaliter ab eis tranquillus reddatur. Vnde secunda beatitudo ponitur. *Beati mites.* A sequela vero passionum concupiscibilis retrahit virtus, moderate huiusmodi passionibus vtendo. Donum vero eas si necesse fuerit totaliter abijciendo; quinimo si necessarium fuerit voluntarium luctum assumendo. Vnde tertia beatitudo ponitur. *Beati qui lugent.*

Octo beatitudines conuenientissime enumerantur.

ACTIVA vero vita in his præcipuè consistit quæ proximis exhibemus, vel sub ratione debiti, vel sub ratione spontanei beneficij: & ad primum quidem nos virtus disponit, vt ea quæ debemus proximis, non recusemus exhibere, quod pertinet ad iustitiam. Donum autem ad hoc ipsum abundantiori quodam affectu nos inducit, vt scilicet feruenti desiderio iustitiæ opera impleamus, sicut feruenti desiderio esuriens & sitiens cupit cibum vel potum. Vnde quarta beatitudo ponitur. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Circa spontanea vero dona nos perficit virtus, vt his donemus quibus ratio dictat esse donandum. Puta amicis aut alijs nobis coniunctis, quod pertinet ad virtutem liberalitatis. Sed donum propter Dei reuerentiam, solam necessitatem considerat in his quibus gratuita beneficia præstat. Vnde dicitur Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos aut fratres tuos, &c. sed voca pauperes & debiles, &c.* quod propriè est misereri. Et ideo quinta beatitudo ponitur. *Beati misericordes.*

EA vero quæ ad contemplatiuam vitã pertinẽt; vel sunt ipsa beatitudo finalis, vel aliqua inchoatio eius. Et ideo non ponuntur in beatitudinibus tanquã merita, sed tanquam præmia. Ponuntur autem tanquam merita effectus actiuæ vitæ, quibus homo disponitur ad vitam contemplatiuam. Effectus autem actiuæ vitæ quantum ad virtutes & dona quibus homo perficitur in seipso, est mundicia cordis, vt scilicet mens hominis passionibus non inquinetur. Vnde sexta beatitudo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ponitur. *Beati mundo corde.* Quantum vero ad virtutes & dona quibus homo perficitur in comparatione ad proximum, effectus actiuæ est pax, ſecundum illud Iſa. 30. *Opus iuſtitiæ pax.* Et ideo ſeptima beatitudo ponitur. *Beati Pacifici.*

Solutio obiect.

SCIENDVM autem quod in attributione beatitudinum ad dona poſſunt duo conſiderari. Quorum vnum eſt conformitas materiæ; & ſecundum hoc omnes quinque primæ beatitudines poſſunt attribui ſcientiæ & conſilio, tanquam dirigentibus. Sed inter dona exequentia diſtribuuntur, ita ſcilicet quod eſuries & ſitis iuſtitiæ, & etiam miſericordia pertineant ad pietatem, quæ perficit hominem in his quæ ſunt ad alterum; mititas autem ad fortitudinem. Dicit enim Ambr. ſuper Lucam, quòd *fortitudinis eſt iram vincere, indignationem cohibere.* Et enim fortitudo circa paſſiones iraſcibilis, paupertas vero & luctus ad donum timoris, quo homo ſe retrahit à cupiditatibus & delectabilibus mundi. Alio modo poſſumus in his beatitudinibus conſiderare motiua ipſarum; & ſic quantum ad aliqua eorum, oportet aliter attribuere; præcipuè enim ad manſuetudinem, mouet reuerentia ad Deum, quæ pertinet ad pietatem. Ad lugendum autem mouet præcipuè ſcientia, per quam homo cognoſcit defectus ſuos, & rerum mundanarum, ſecundum illud Eccl. 1. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Ad eſuriendum autem iuſtitiæ opera, præcipuè mouet animi fortitudo. Ad ſeruiendum verò, præcipuè mouet conſilium Dei; ſecundum illud Dan. 4. *Conſilium meum regi placeat, peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Et hunc modum attributionis ſequitur Aug. in lib. de ſerm. Domini in monte.

ITEM ſciendum, quod omnes aliæ beatitudines quæ in ſacra ſcriptura continentur, ad has beatitudines reducuntur, vel quantum ad merita, vel quantum ad præmia: quia neceſſe eſt quòd omnes pertineant aliquo modo, vel ad vitam actiuam, vel ad vitam contemplatiuam. Vnde quod dicitur: *Beatus vir qui non corripitur à domino;* pertinet ad beatitudinem luctus. Quod vero dicitur. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum,* pertinet ad cordis mundiciam. Quod vero dicitur. *Beatus vir qui inuenit ſapientiam, pertinet ad præmium ſeptimæ beatitudinis.* Et idem patet de omnibus alijs quæ poſſent induci.

Octaua beatitudo ad ſeptem præcedentes pertinet.

ITEM ſciendum, quòd octaua beatitudo eſt quædam confirmatio & manifeſtatio omnium præcedentium. Ex hoc enim quòd aliquis eſt firmatus in paupertate ſpiritus, & mititate, & alijs ſequentibus, prouenit quòd ab his bonis propter nullam perſecutionem recedit. Vnde octaua beatitudo quodammodo ad ſeptem præcedentes pertinet.

DENIQVE nota quòd Matthæus enumerat octo beatitudines Matth. 5. Lucas vero ponit tantum quatuor, ſicut patet Luc. 6. Cuius ratio eſt, quia Matthæus recitat ſermonem Domini in monte factum diſcipulis tanquam perfectioribus. Lucas vero narrat ſermonẽ Domini factum eſſe ad turbas. vnde beatitudines numerantur ab eo ſecundum capacitatem turbarum, qui ſolam voluptuoſam, & temporalem, & terrenam beatitudinem nouerunt. vnde Dominus per quatuor beatitudines, quatuor excludit quæ ad prædictam beatitudinem pertinere videntur: quorum primum eſt abundantia exteriorum bonorum, quam excludit per hoc quòd dicit, *beati pauperes.* Secundum eſt quòd ſit bene homini quantum ad corpus, in cibis, & potibus, & alijs huiuſmodi: & hoc excludit per ſecundum quod ponit, *Beati qui eſuritis.* Tertium eſt quòd ſit homini bene, quantum ad cordis iucunditatem; & hoc excludit tertio dicens. *Beati qui nunc fletis.* Quartũ eſt exterior hominum fauor, & hoc excludit quarto, dicens. *Beati eritis cũ vos oderint homines,* & ſicut Ambr. dicit. *Paupertas pertinet ad temperantiam, quę illecebroſa non quęrit: eſuries ad iuſtitiam, quia qui eſurit compatitur, & patiendo largitur;* fletus ad prudentiam, quia cuius eſt flere, eius eſt & patiodium hominum ad fortitudinem.

Cur Matthæus octo, Lucas vero quatuor tantum beatitudines recitant.

A

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum præmia quæ attribuuntur beatitudinibus, pertineant ad hanc vitam.* Dicendum quòd circa iſta præmia, expoſitores ſacræ ſcripturæ diuerſimodè ſunt locuti; quidam enim omnia iſta præmia ad futuram beatitudinem pertinere dicunt, ſicut Ambroſius ſuper Lucam. Auguſt. vero dicat ea ad præſentem vitam pertinere. Chryſoſtom. autem in ſuis homilijs, quædam eorum dicit pertinere ad futuram vitam, quædam autem ad præſentem. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd ſpes futuræ beatitudinis poteſt eſſe in nobis propter duo. *Primo* quidem propter aliquam præparationem vel diſpoſitionẽ ad futuram beatitudinem, quod eſt per modum meriti. *Alio modo* per quandam inchoationem imperfectam

B

futuræ beatitudinis in viris ſanctis, etiam in hac vita. Aliter enim habetur ſpes fructificationis arboris, cum vireſcit frondibus, & aliter cum iam primordia fructuum incipiunt apparere. Sic ergo ea quæ in beatitudinibus tanguntur tanquam merita, ſunt quędam præparationes vel diſpoſitiones ad beatitudinem, vel perfectam, vel inchoatam, ea vero quæ ponuntur tanquam præmia, poſſunt eſſe, vel ipſa beatitudo perfecta, & ſic pertinent ad futuram vitam; vel aliqua inchoatio beatitudinis, ſicut eſt in viris perfectis; & ſic præmia pertinent ad præſentem vitam. cum enim aliquis incipit proficere in actibus virtutum, & donorum, poteſt ſperari de eo quòd perueniet, & ad perfectionem viæ, & ad perfectionem patriæ. Omnia ergo illa præmia perfectè quidem conſummabuntur in vita

C

futura, ſed interim in hac vita quodammodo inchoantur, nam regnum cœlorum, vt Auguſt. dicit, poteſt intelligi perfectæ ſapientiæ initium, ſecundum quòd incipit in eis ſpiritus regnare, poſſeſſio etiam terræ ſignificat affectum bonum animæ requieſcentis per deſiderium, in ſtabilitate hæreditatis perpetuæ, per terram ſignificatæ, conſolantur autem in hac vita per Spiritum ſanctum, qui paraclitus, id eſt conſolator dicitur, participando, ſaturantur etiam in hac vita illo cibo, de quo Dominus dicit: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei.* in hac etiam vita conſequuntur homines miſericordiam Dei, in hac etiam vita, purgato oculo per donum intellectus, Deus quodammodo videri poteſt. Similiter etiam in hac vita qui motus ſuos pacificant ad ſimilitudinem Dei accedentes, filij Dei nominantur: tamen hoc perfectius erit in patria.

Præmia quæ attribuuntur beatitudinibus inchoatiue ſpectant ad hanc vitam, completiùs ad futuram.

D

AD QVARTVM, ſcilicet *de conuenientia præmiorum quæ attribuuntur beatitudinibus.* Dicendum quòd præmia iſta conuenientiſſimè aſſignantur, conſiderata conditione beatitudinum, ſecundum tres beatitudines ſupra aſſignatas. Tres enim primæ beatitudines accipiuntur per retractionem ab his in quibus voluptuoſa beatitudo conſiſtit, quam homo deſiderat; quærens id quod naturaliter deſideratur, non vbi quærere debet, ſcilicet in Deo, ſed in temporalibus & caducis, & ideo præmia trium primarum beatitudinum accipiuntur ſecundum ea, quæ in beatitudine terrena aliqui quęrunt. Quærunt enim homines in rebus exterioribus, ſcilicet diuitijs & honoribus, excellentiam quandam & abundantiam; quorum vtrumque importat regnum cœlorũ, per quod homo conſequitur excellentiam & abun-

E

dantiam bonorum in Deo; & ideo regnum cœlorum dominus pauperibus ſpiritu promiſit. Quærunt autem homines feroces & immites, per litigia & bella, ſecuritatem ſibi acquirere, inimicos ſuos deſtruendo. Vnde dominus repromiſit mitibus, ſecuram & quietam poſſeſſionem terræ viuentium; per quam ſignificatur ſoliditas ęternorum bonorum: Quęrunt autem homines in concupiſcentijs & delectationibus mundi, habere conſolationem contra preſentis vitę labores; & ideo dominus çonſolationem lugentibus repromittit. Aliæ vero duæ beatitudines, pertinent ad opera actiuæ beatitudinis, quæ ſunt opera virtutum ordinantium hominem ad proximum, à quibus operibus aliqui retrahuntur, per inordinatum amorem proprij boni; & ideo dominus illa preęmia attribuit his beatitudinibus,

Præmia beatitudinum conuenientiſſime aſſignantur.

propter

propter quæ homines ab eis discedunt. Discedunt enim aliqui ab operibus iustitiæ, non reddentes debitum, Sed potius aliena rapientes, vt bonis temporalibus impleantur: & ideo dominus esurientibus iustitiam, saturitatem repromisit. Discedunt etiam aliqui ab operibus misericordiæ, ne se immisceant miserijs alienis; & ideo dominus misericordibus repromittit misericordiam, per quam ab omni miseria liberentur. Aliæ vero duæ vltimæ beatitudines, pertinent ad cõtemplatiuam felicitatem seu beatitudinem; & ideo secundum conuenientiam dispositionum quæ ponũtur in merito, præmia redduntur. nam munditia oculi, disponit ad clare vidẽdum: vnde mundis corde diuina visio repromittitur. constituere vero pacem, vel in seipso vel inter alios, manifestat hominem esse Dei imitatorem, qui est Deus mititatis & pacis; & ideo pro præmio redditur ei gloria diuinæ filiationis, quæ est in perfecta coniunctione ad Deum, per sapientiam consummatam.

Solutio obiect. SCIENDVM autem quod sicut dicit Chrysost. Omnia ista præmia vnum sunt in re, scilicet ipsa beatitudo æterna; quam intellectus humanus non capit. Et ideo oportuit quod per diuersa bona nobis nota, describeretur obseruata conuenientia ad merita, quibus præmia attribuuntur. Sicut autem octaua beatitudo est firmitas quædam omnium beatitudinum, ita debentur sibi omnium beatitudinum præmia; & ideo redit ad caput, vt intelligantur sibi consequenter omnia præmia attribui. Vel secundum Ambro. pauperibus spiritu repromittitur regnum cœlorum, quantum ad gloriam animæ, Sed passis persecutionem in corpore, quantum ad gloriam corporum.

Hoc etiam nota quod præmia secundum additionem se habẽt ad inuicem. Nam plus est possidere terram regni cœlorum, quam simpliciter habere. Multa enim habemus, quæ non firmiter & pacifice possidemus. Plus est etiam consolari in regno, quam habere & possidere. Multa enim cum dolore possidemus. Plus est etiam saturari, quam simpliciter consolari; nã saturitas abundantiam consolationis importat. misericordia vero excedat saturitatem, vt plus scilicet accipiat homo quam meruerit, vel desiderare potuerit. Adhuc autem maius est Deum videre, sicut maior est qui in curia regis nõ solum prandet, sed etiam faciem regis videt. Summam autem dignitatem in domo regia, filius regis habet.

De paupertate spiritus.

DISTINCTIO IX.

DEINDE considerandum est de beatitudinibus in speciali. Et primo de paupertate spiritus. Secundo de secunda, Beati mites &c. & sic de alijs per ordinem. Circa primam quæ est paupertas considerandæ sunt quinque. Primo quid sit paupertas, maxime illa quæ dicitur paupertas spiritus, & quę beatos facit. sicut dicitur Matth. 5. *Beati pauperes spiritu* &c. Secunde quomodo aliquis paupertate, vel in bonum bene vtitur, vel in malum abutitur, secundum quod sũt diuersa genera pauperẽ. Tertio per quæ ad amorẽ paupertatis aliquis adducitur. Quarto de bonis quę paupertas in anima facit. Quinto de diuersis signis amoris quæ Deus ostendit pauperibus, per quę probantur esse vere beati. *De his omnibus require supra vbi agitur de paupertate.*

De mititate.

Mititas est appetẽda ratione diuinæ imitationis, instructionis, consolationis, &c CIRCA secundam beatitudinem, scilicet. *Beati mites.* Sciendum, quod appetenda est mititas & amanda, ratione diuinæ imitationis. Ad hanc enim nos inuitat dominus Matth. 11. Seipsum proponens in exemplum imitationis dicens. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Hanc lectionem summus doctor singulariter commendauit, & ad eam retinendam in corde, & imitandam in opere, singulariter inuitauit. *Secundo* ratione diuinæ instructionis. Mites enim specialiter docet dominus de agendis & necessarijs ad salutem. Psalm. 24. *Docebit mites vias suas.* Beati qui talem habent doctorem. *Tertio* ratione diuinę consolarionis Psalm. 85. *Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die, lætifica animam serui tui,* &c. Sequitur. *Quoniam tu domine suauis & mitis* &c. Et ideo dicitur Isa. 29. *Addent mites in domino lætitiam. Quarto* ratione conuersationis. Talium enim conuictus & conuersatio gratiosa est & amabilis. Prouer. 15. *Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis. Quinto* ratione diuinæ promotionis. Mites enim promouet dominus, & sublimat interdum etiam temporaliter. Sicut patet de beatis Nicolao, & Martino, & alijs: Specialiter etiam de Moyse, quem super totum populum suum, principem & rectorẽ instituit. De quo dicitur Numeti 12. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines* &c. Similiter etiam de Dauid, qui de seipso dicit. Psalm. 131. *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius.* Et Eccl. 10. *Sedere fecit mites pro eis. Sexto* ratione beatæ possessionis. Matth. 5. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

De luctu.

Luctus multiplex. CIRCA tertiam beatitudinem scilicet. *Beati qui lugent.* Sciẽdum, quod luctus inuenitur multiplex in scriptura. Est enim luctus naturalis affectionis, sicut mater dolet & luget pro morte vnigeniti filij sui, vel amicus amici: vt Iacob multo tempore luxit pro filio suo Ioseph, quem mortuum æstimabat. Gen. 37. Et Dauid luxit pro morte filii sui Amnon multis diebus 2. Reg. 13. Et filium suum Absalon. 2. Regum 19. *Nunciatum est Ioab quod rex lugeret filium suum* &c. Iste luctus moderandus est, sicut docet Sapiens Eccl. 22. *Luctus mortui septem dies.* Et Eccl. 38. *Modicum plora super mortuum.*

1. Naturalis affectionis, & iste moderandus.

ITEM luctus temporalis afflictionis. Et iste est sustinendus. Iob. 30. *Versa est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.* Et Baruch. quarto. *Adduxit mihi dominus luctum magnum.*

2. Temporalis afflictionis, & iste sustinendus.

ITEM est luctus amaræ compunctionis. Iacob. 4. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis,* &c. Sequitur. *Miseri estote,* ideſt miseros vos esse scitote, *& miseriam vestram dolete & lugete, antequam in miseriam descendatis æternam.* Et ibidem. *Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem.* Et Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij.* Item Iob. 14. dicitur de pœnitente, *Caro eius dum viuit dolebit,* ideſt pœnitens debet in carne sumere & facere pœnitentiam dolorosam, *& anima eius in seipso lugebit,* ideſt pœnitens semper debet in corde habere luctus compunctionis.

3. Amaræ cõpũctionis, & iste continuandus.

QVARTVS est luctus compassionis; sicut ex compassione *lugebat Samuel Saul,* primo Regum. 15. Et. 2. Esdræ. 1. *In tota Iudæa lugebant Iosiam.* Et primo Esdræ. 10. *Lugebat pro transgressione eorum qui de captiuitate venerant.* Et Neemiæ 1. *Luxi multis diebus & ieiunani,* scilicet pro destructione Hierusalem. Et Tob. 2. *Manducauit panem suum in luctu.* Item Ioel. 1. *Luxerunt sacerdotes ministri domini.* Et Eccl. septimo. *Ne desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.*

4. Cõpassionis, & iste frequentandus.

QVINTVS est luctus recolendus, scilicet luctus deuotionis, quem assumit homo ex memoria dominicæ passionis. De quo Tre. 3. *Recordare paupertatis meæ, & absinthij, & fellis* &c. & Iere. 7. *Luctum vnigeniti fac planctum amarum.* Et 2. Esdræ 1. *In tota Iudæa lugebant Iosiam,* ideſt Christum, quia Iosias interpretatur incensus Domini, vel sacrificium, vel salus domini. Christus autem

5. Deuotionis, & iste recolendus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

autem ſemetipſum obtulit deo patri. in incenſum inflammationis, vel inflammatæ deuotionis; ex incēdio dilectionis, in ſacrificium reconciliationis, & in ſalutem æternæ glorificationis.

6. Dilationis, & iſte in gaudiū conuertendus.

SEXTVS eſt luctus dilationis. Pſalm. 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* & de iſto ſpiritualiter dicitur Matth. 5. *Beati qui lugent.* Et Ier. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium.* Et Iſa. 61. *Spiritus domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me* &c. *vt conſolarer omnes lugentes in Syon.* & 66. *Gaudete cum ea* ſcilicet Hieruſalem, *vniuerſi qui lugebatis ſuper eam.*

7. Æterna dānationis & iſte horrendus.

SEPTIMVS eſt luctus æternæ damnationis. Lucæ. 6. *Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis.* Prouer. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* & Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

B

De fame & ſiti iuſtitiæ.

Eſuries eſt quintuplex. 1. Deteſtanda, & hac multiplex.

CIRCA quartam beatitudinem, ſcilicet *Beati qui eſuriunt & ſitiunt* &c. Sciendum quod multiplicem inuenimus eſuriem in ſcriptura. Eſt enim eſuries deteſtanda, metuenda, ſuſtinenda, miſeranda, & appetenda. Eſuries deteſtanda, quia culpabilis & vitioſa, multiplex eſt. *Eſt enim* eſuries ambitioſorum, qui deſiderant honores, & apparētiam faſtuoſam; qui propter faſtum plus expendunt quam habeant, multiplicauit ſibi equos & familiam multam nimis, dant veſtes & iocalia, celebrant conuiuia ſumptuoſa, & vt hæc & alia multa continuare poſſint, opprimunt pauperes, & tyrannice dominantur, ſicut dicitur Pro. 14. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.*

C

ITEM eſt eſuries cupidorum, qui quanto plus aggregant diuitias, tanto plus eſuriunt. Pſalm. 33. *Diuites eguerunt & eſurierunt*: & bene dicit eguerunt, quia ſicut dicit Hier. *Auaro deeſt tam quod habet, quam quod non habet: nam creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Eſt enim auaritia *hydropiſis quædam ſpiritualis*, ſicut ait Greg. Et ſi ex diuitijs aggregatis, quandoque videatur eius eſuries aliqualiter ſedari, non tamen vere ſed fantaſticè ſatiatur; ſicut homo famelicus quando ſomniat ſe comedere, & delitiis abundare. vnde dicitur Iſa. 23. *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit experrectus vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc bibit, & anima eius vacua eſt.* De cupido dicitur, Iſ. 44. *Declinabit ad terram, & eſuriet.* Iſta eſuries ad multa mala pertrahit animam infælicem; videlicet ad furta, fraudes, rapinas, & huiuſmodi. Vnde de cupido dicitur Prouer. 6. *Furatur vt eſurientem impleat animam.*

D

ITEM eſt eſuries accidioſorum. De qua dicitur Prouer. 18. *Animæ effæminatorum eſurient*, Et. 19. *Anima diſſoluta eſuriet.* Accidioſi namque patiuntur caſum appetitus, quæ eſt infirmitas periculoſa, ſicut in pſal. dicitur, *eſurientes, & ſitientes anima eorum in ipſis defecit.*

2. Metuenda.

ITEM eſt eſuries metuenda, ſcilicet fames calamitatis æternæ. De qua dicitur Iſa. 62. *Serui mei comedent, & vos eſurietis. Serui mei bibent, & vos ſitietis* &c. Nota de ſiti diuitis Epulonis, Lucæ. 16. Econtra de iuſtis dicitur. Iſa. 69. *Non eſurient neque ſitient amplius.* Apo. 7. *Non eſurient neque ſitient amplius.* & Ier. 29. *Erit anima eorum quaſi hortus irriguus, & vltra non eſuriet.* Et Ioh. 6. *Qui venit ad me non eſuriet.*

E

3. Suſtinenda.

ITEM eſt eſuries ſuſtinenda, ſcilicet eſuries temporalis egeſtatis. Gen. 44. *In cuncta Ægypto erat fames, qua vrgente clamauit populus.* Et Matth. 13. *Eſurientes diſcipuli cæperunt cuellere ſpicas* &c. & Mar. 4. *Dauid eſuriit & qui cum illo erant.* Iſta eſt indifferens, quia poteſt homo ea vti bene vel male, quoniam ſi ſuſtineatur, cum murmure, demeritoria eſt. Iſa. 8. *Cum eſurierit irascetur & maledicet Deo ſuo.* Pſalm. 58. *Famem patientur vt canes: ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt.* Exemplum de Iudæis. Exo. 26. Et in multis alijs locis. Si autem ſuſtineatur patienter, meritoria eſt. Sicut dicit apoſtolus de ſeipſo Phi. 4. *Vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare*, & penuriam pati.

A

Aſſumenda eſuries temporalis.

HÆC eſt eſuries aſſumenda, exemplo Chriſti, qui voluntariè ieiunauit, *& cum ieiunaſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſuriit.* Baruch. 2. *Anima eſuriens dabit gloriam Deo.* De iſta ſpecialiter dicitur Matth. 5. *Beati qui eſuriunt* &c. Et Lucæ. 6. *Beati qui nunc eſuritis.* Et Lucæ. 2. *Eſurientes impleuit bonis.* Pſalm. 106. *Animam eſurientem ſatiauit bonis.* Idem 145. *Dat eſcam eſurientibus.*

4. Miſeranda.

ITEM eſt eſuries miſeranda, & miſericorditer releuanda, ſcilicet eſuries pauperum, de qua Tob. 1. *Eſurientes alebat.* Et 4. *panem tuum cum eſurientibus, & egenis comede.* Iſ. 68. *Frange eſurienti panem tuum* &c. Sequitur. *cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua* &c. *& requiem dabit tibi Deus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam* &c. Item Eccleſ. 4. *Animam eſurientem ne deſpexeris.* de hoc ſpecialiter diſceptabit Chriſtus in iudicio, dicens impijs; *eſurijui & non dediſtis mihi manducare* &c. Iuſtis vero dicet: *eſurijui & dediſtis mihi manducare* &c.

5. Appetenda.

ITEM eſt eſuries appetenda, ſcilicet ardens deſiderium delitiarum ſpiritualium, & etiam æternarum, vel etiam feruens deſiderium benefaciendi, & ſemper in melius proficiendi, & de iſta ſpiritualiter dicitur Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam* &c. Et Eccleſ. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient* &c. Ait enim. Greg. *Hoc diſtare inter delitias corporis & cordis ſolet, quod corporales delitiæ cum non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt, cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales delitiæ cum non habentur, in faſtidio ſunt; cum vero habentur, in deſiderio, tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto ab eſuriente amplius comeduntur.*

De effectibus miſericordiæ Dei.

DISTINCTIO X.

CIRCA quintam beatitudinem, ſcilicet. *Beati miſericordes*, &c. Aduertendum eſt, quod Deus qui ſummè miſericors eſt, & ſuper omnia vult de miſericordia prædicari, ad miſericordiam nos inuitans, ſemetipſum proponit in exemplar euidentiſſimum, veraciſſimum, & perfectiſſimum; per quod habeamus doctrinaliter informari, per quod debeamus veraciter reformari, & cui ſtudeamus exemplariter conformari, & in quod habeamus deformiter transformari. Ait enim Lucæ 6. *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Sciendum igitur quod licet Dei vna ſit eſſentialiter miſericordia, ſicut & Deus vnus eſt. Pſalm. 58. *Deus meus miſericordia mea*; tamen multiplex eſt in effectu. Pſalm. 118. *Miſericordiæ tuæ multæ domine.* Et 2. Reg. 24. *Multæ miſericordiæ eius.* Et vere tam multæ ſunt, vt enarrare non poſſint. Pſalm. 106. *Quis ſapiens & intelliget miſericordias Domini.*

Duodecim effectus miſericordiæ Dei.

QVAMVIS autem effectus diuinæ miſericordię ſint innumerabiles abſolutè loquendo, libet tamen ad præſens de duodecim facere mentionem. *Primus eſt*, in peccatorem ad pœnitentiam longanimiter expectãdo. *Secundus eſt*, in ipſum multipliciter reuocando. *Tertius eſt*, in reuerti volentem liberando, & obicem remouendo. *Quartus eſt*, reuertentem benigne recipiendo. *Quintus eſt*, clementer indulgendo. *Sextus eſt*, indeſolatum pro ſpe veniæ conſolando. *Septimus eſt*, in damna & deperdita reſtituendo. *Octauus eſt*, in neceſſarijs prouidendo. *Nonus*, in pugnanti ſuccurrendo. *Decimus*, in bonum promouendo. *Vndecimus*, in donis ſuis magnum efficiendo. *Duodecimus*, introducendo in cœlum, & ſupra condignum remunerando.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

1. *Expectatio peccatoris ad pœnitendum.*

PRIMVS igitur effectus diuinæ misericordiæ est, quod peccantem diu expectat ad pœnitẽtiam. Sap. 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Isa. 30. *Propterea expectat dominus vt misereatur nostri.* Rom. 2. *an ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Bern. *Magna plane omnino misericordia domini in expectatione est.* Non enim peccantem angelum expectauit, sed præcipitauit è cœlo; hominem peccantem non distulit, sed protinus expulit eum è paradiso; nunc autem expectat, dissimulat, sustinet decem annis, aut viginti, & vsque ad senectutem & senium; & hæc est gratia Christi, & virtus crucis eius, qui ait. *Viuo ego dicit dominus: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* sic dominus Pharaonem diu expectauit, ad vltimũ submersit in mari. Ex. 14. Sic Iudæos vt ab idolatria redirent, tandem per Babilonios captiuauit. vt pœniterent de hoc quod Christum occiderant, vt legitur in ecclesiastica historia, per quadraginta annos; ad vltimum impœnitentes gladio Romanorum tradidit, & per mundum dispersos, sempiterno opprobrio. Similiter Isa. 5. Cum dominus diu expectasset vineam vt faceret vuas, nec faciebat nisi labruscas, eam dissipationi & destructioni exposuit.

2. *Reuocatio peccatoris.*

SECVNDVS effectus diuinæ misericordiæ est, quia peccatorem multipliciter reuocare conatur, videlicet corripiendo flagello, blandiendo promisso, vocando prædicationis vel locutionis verbo, incitando reclamando & inspirando interno consilio, increpando aliquo terribili signo. Hæc omnia notantur. Prouer. 1. *Conuertimini ad correctionem meam*, ecce primum, *en proferam* &c. Ecce secundum &c. Ecce quam sollicitus est dominus ad reuocandum peccatores, misit enim legem & prophetas, vt patet Isa. 6. *Ecce ego, mitte me.* Ier. 1. *Ad omnia quæ mittam te, ibis* &c. Item Ezech. 2. *Nõ ad populum ignotæ linguæ ego mittam te.* Item Apostolos. Matth. in fine. *Ite prædicate euangelium omni creaturæ*, &c.

Exemplum.

ITEM in ecclesiastica historia legitur, quod cum dominus expectasset Iudæos ad pœnitentiam per 40. annos post passionẽ suam, auditi fuerunt angeli Iudæos exponentes, qui fuerant eorum custodes, & clamabãt, transeamus ab his sedibus, & sic recesserunt, portæ templi per se apertæ sunt, superliminare templi scissum est, vacca quæ debebat immolari, inter manus sacerdotis agnum peperit, quidam homo iuit per ciuitatem Hierusalem clamare non cessans, & frequenter, replicans inter clamores. Væ væ tibi Hierusalem. hic nec minis nec verberibus poterat compesci; & cum laceratus esset à Iudæis vsque ad mortem, hoc moriẽdo clamauit signis comminatorijs in Iudæos.

3. *Liberatio ab ijs quæ conuersionem impediunt.*

TERTIVM beneficium diuinæ misericordiæ circa peccatores est, quia volentes redire, ab impedimentis explicat & liberat; vt Israel de ergastulo Ægypti, & de manu Pharaonis, & exercitu eius. Exo. 14. vt Ionã de ore piscis Ion. 3. & in multis alijs locis in Biblia. *Item* in vitis pa. de monacho flagitioso, qui cum nollet redire ad domum, & intrusisset se in quodã sepulchro, vt ibi pœnitentiam ageret, venerunt dæmones ad eum, volentes eũ retrahere, primo blandimentis, deinde promissis diuitiarum, delitiarum, scortorum nobilium, & cum nec sic proficerent, attriuerunt eum per triduum flagellis vsque ad mortem; & cũ ille in corde semper eis contradiceret, in extremo spiritu constitutus, dominus eum, misso lumine desuper, confortauit, & liberauit, & dæmones effugauit, clamantes, vicisti monache vicisti; & eum ita commutauit, vt quasi angelus Dei ex tunc inter homines appareret.

4. *Benigna susceptio pœnitentis.*

QVARTVM beneficium est, quod reuertẽtes benigne recipit, & pro reditu eorũ gaudet, vt dicitur Lucę. 15. De filio prodigo gaudenter recepto à patre. & probat hoc ibi dominus, per triplicis parabolæ exẽpla, s. ouis perdite, quæ reperta ad ouile cum gaudio reducitur: dragmæ, quæ amissa & diligẽter quæsita & reperta, cũ gaudio erigitur & custoditur: filij, qui reuersus, cũ gaudio recipitur à patre, & pro receptione sua, magnũ gaudiũ amicis & vicinis exhibetur. per hoc probat dominus quod magnũ gaudium est angelis Dei in cælo, & Deo similiter, super vno peccatore pœnitẽtiã agente. vnde Iere. 3. Dicit dominus, *si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa.* Ibi ostendit quam benigne suscipiat peccatorem, dum adulteram quæ fornicata est cum amatoribus multis, se recepturum promittit, dicens; *tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.*

Exemplum.

HVIVS exemplum voluit B. Bern. imitari, de quo legitur in vita sua, quod quendam in monachum receperat, qui lusor fuerat, qui cum omnino vellet exire ordinem, quæsiuit sanctus quid facere sciret, vnum victum suum acquireret. At ille ait se nihil scire facere, nisi cum talis ludere. Ad hoc sanctus Bernard. & si tibi capitale commisero, volo vt singulis annis venias computare mihi, & lucrum diuidere, esto inquit, & accipiens triginta sol dos lætus abijt, post modicũ tempus perdidit, & confusus ad portam redijt, quod audiens B. Bern. lætus illuc perrexit, & gremium suum illi porrexit, vt lucrum sunm simul diuiderent. At ille ait, nihil lucratus sum, sed solidos vestros amisi; sed si vultis me recipere, potestis me habere pro vestro capitali. Ad hoc sanctus. Melius est vt te recipiam, quam totum simul perdam: & recipit eum gaudens de eius recuperatione, hæc receptio signatur j. Reg. 22. *Conuenerunt ad Dauid in Odolam*, quæ interpretatur testimonium eorum, vel testimonium approbationis, *omnes qui constituti erant in angustia, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps*, per quos signantur pœnitentes ad Christum reuertentes, ad testimonia misericordiæ. hæc receptio pœnitentis signatur 2. Re. 19. in receptione Semei ad pacem venientis, & veniam postulantis. Item 2. Re. 14. *Non vult Deus perire animam*, &c. In receptione & reconciliatione Absalonis. *Item* quanto castrum aliquod fortius & magis munitum videt rex contra se fortius rebellare, tanto magis gaudet de eius reditione ad beneplacitum regiæ voluntatis. Sic de peccatore quanto rebellauit acrius contra Deum, tanto de eius conuersione voluntaria magis gaudet. *Item* quanto venatores regis feram magis siluestrem capiunt & maiorem, & in aliquo magno festo regi & curię suæ offerunt, rex magis lętatur cum tota curia sua. Sic Deus quando prædicatores maiorem peccatorem diuinæ curiæ repręsentant, magis lætatur cum cælesti curia tota. *Item* quanto morbus est grauior & desperatior, tanto efficitur medicus lætior, si per manum eius infirmus desperatissimus curatur: sic Christus pro peccatore desperatissimo pœnitente. *Item* quanto filius à patre pio recessit sit longius, tanto eum videt libentius, & lætantius recipit redeuntem; vt filium prodigum euangelicus pater Lucę 15. *Item* mater habens duos filios quorum vnum audit cecidisse in lutum leniter, & alium in profundissimũ puteum, currit ad magis periculosum, citius subuenit pro viribus, plangit pro eo fortius, recipit eum gratantius. Sic Christus eos qui de maiori periculo euadunt.

Simile. *Simile.* *Simile.* *Simile.*

5. *Clemens indulgentia peccatorum.*

QVINTVM beneficium est, quod pœnitenti veniam petenti clementer indulget. Eccl. 18. *Magna misericordia Dei, & propitiatio illius conuertẽtibus ad se* Isa. 44. *Deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ezech. 18. *quod si impius egerit pœnitentiam*, &c. Huius exempla multa habemus, in nouo & veteri testamento, vt de Dauid dicente, *peccaui: cui Nathan, & dominus transtulit à te peccatum tuum* 2. Re. 12. Item Matth. 1. Dixit paralitico. *Remittuntur tibi peccata.* Item Lucæ 7. *Fides tua te saluum fecit, vade in pace*, &c. Item, *dimissa sunt ei peccata multa* ibidem. Item Matth. 15. Chananæa clamanti, miserere mei, respondit, fiat tibi sicut petisti. In cuius signum filia eius à dæmonio liberabatur. Item Ioann. 8. respondit adulteræ, *nec ego te condemnabo, vade iam amplius no-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

li peccare. Item Lucæ 18. Publicanum iudicauit iuſtificatum. Lucæ 23. ait latroni, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Act. 10. Paulus conuerſus dicitur *vaſelectionis.*

ITEM nullum ſanauit dominus, quem integre non ſanauerit, nulli remittit quin integrè remittat, quantum ad culpam; & ſi integram agat pœnitẽtiam, quantum ad culpam & pœnam, integre remittit. Bern. *Verè benignus & miſericors eſt, integre remittendo: quia nec puuit integre & perfectè, pœnitentem vindicando, nec confundit exprobrando, nec minus diligit rancorem retinendo, nec imputat beneficium retrahendo.* De his multa exẽpla ſunt.

Exemplum. IN vitiſpa. dicitur quod quidam frater manens in eremo ſuaſu ſeniorum iuit in Ægyptum, vbi habebat ſororem carnalem, quæ multis erat cauſa perditionis. quæ cum audiret eum aduenire, occurrit ei, relictis amatoribus, nudato capite, & diſcalciata, volens eum amplecti. qui cum eam arguerec, quęſiuit ipſa ſi adhuc ſpes ſupereſſet ei: qui ait quod ſic. illa petit quod permittat eam ſecum in deſertum. Ille ait quod prius vadat calciare ſe, & cooperire caput. illa dicit quod non rediret de cetero ad officium peccati ſui; illa eum ſequitur ad deſertum. cum autem viderent homines, ne male ædifirarentur dixit ei, quod per aliam viam vadat. cum autem rediret ad eam, inuenit eã mortuam, habentem pedes plenos ſpinis, & ſanguine: & reuelatũ eſt patribus, quod Deus acceptaſſet eius pœnitentiam, maxime pro feruore ſuo, quia non fuit reuerſa, etiam quaſi non ſentiens dolorem, iter arreptum non dimiſerat.

6. Conſolatio pœnitentis. SEXTVM beneficium eſt, quod deſolato pro timore veniæ conſolationem immittit. Iob. 5. *Mœrentes ſpiritu erigit ſoſpitate.* Iſa. 61. *vt darem conſolationem lugentibus Syon* &c. In ſignum huius, Matth. 27. dicit angelus, *dicite diſcipulis eius & Petro.* Ipſum ſpecialiter nominat ad eum conſolandum, qui, vt dicitur in ſcholaſtica hiſtoria, à paſſione domini, in ſpelũca quę dicitur gallicantus, flens pro eo quod Deum negauerat, & pro paſſionis compaſſione, permãſit, vſquequo dominus ei apparuit confortans eum. *Item* apparuit Mariæ Magdalenæ primum ad conſolandum eam, & erigendum ad ſpem. Mar. 16. & Matth. 20.

Exemplum. ITEM in vitis pa. dicitur, quod quidam ſolitarius magnæ vitæ, faciebat ſportellas, quas quidam prouidentes quieti eius, vendebant ei in proxima ciuitate. quibus volens parcere in labore, ſuadente diabolo, ipſemet iuit; & videns ibi mulierem in eam incurrit. & cum rediret, videt iuxta flumen dæmones gaudentes & tripudiantes pro eius ruina. quod aduertens, cogitauit præ dolore in flumen ſe ſubmergere. Sed cogitans quod de hoc perfectum faceret eis gaudium, incluſit ſe in arcta pœnitentia, habens ante ſe lucernam extinctam in cacabo, flens frequenter. anno finito in vigilia paſchæ, volens experiri ſi forte remiſiſſet ei Dominus, eleuato capite inuenit ardentem lucernam poſt annum.

7. Reſtitutio amiſſi. SEPTIMVM beneficium eſt, quod amiſſa reſtituit. Ezech. 36. *Reſtituam vos ſicut à principio, boniſque dotabo maioribus, quam habuiſtis ante.* Ioel. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, brucus, & eruca, & rubigo* &c. Leuit. 25. *in anno iubilæo redibant omnes ad amiſſas poſſeſſiones.* Hoc ſignatur per diuerſa exempla bibliæ. Gen. 40. Viſio vitis in qua erant tres propagines, ſignum fuit pincernæ Pharaonis, quod reuerteretur in gradum priſtinum, & quod recuperaret amiſſa. Vitis pœnitentiam ſignificat, quæ vino compunctionis inebrians, Deum lætificat; tres progagines, tres partes eius. Item 4. Reg. 20. pœnitente & flente Ezechia, vita ei prolongatur, ſanitas datur, & ſol reuertitur. Item 2. Paral. 34. Manaſſe pœnitente, de cuius ſceleribus & flagitijs enormibus, in carcere & vinculis regis Babylonis, Deus eum liberauit, & in Hieruſalem reduxit, & ablata reſtituit. Similiter Dan. 4. Cum Nabuchodonoſor propter peccata ſua mutatus in beſtiam eiectus eſſet à regno, & per ſeptennium exul, cum eleuaret oculos ſuos ad cælũ ad dominum, ſenſus ſuus redditus eſt ei, & reuocatus eſt ad regnum, & recuperauit amiſſa bona ſua.

Exemplum. ITEM in vitiſpatrum dicitur, quod cum quidam eremita impugnatus à fornicatione, veniſſet in quandam ciuitatem Ægypti, & videret ibi filiam ſacerdotis idolorum, adamauit eam; & petiuit à patre quod daret eam ſibi in vxorem. qui de conſilio diaboli in idolo loquentis, dixit quod non daret eam ei, niſi baptiſmum & Deum negaret, & propoſitum monachi. quod vt fecit vidit columbam de ore ſuo egrediẽtem, & in cœlum aſcendentẽ, nec ſic adhuc voluit dare ei, niſi cõſulto Deo ſuo: qui ait, non dabis ei: quia Deus chriſtianorum, etſi ipſi negent eum: non negat eos, ſed adiuuat. Quod cum referret ei ſacerdos, compunctus & reuerſus ad cor, redijt ad eremum ad magnum quendam ſenem, cui hoc oſtendit. qui cum data ſibi pœnitentia perſiſteret per hebdomadam in ieiunio & oratione, in fine redijt ad ſenem. qui cum orarent, vident in cælo columbam ſuper caput eius, ſed nõdum deſcendentem. In fine ſecundæ hebdomadæ, vident eam appropinquantem: in fine tertiæ, in os eius intrantem.

8. Prouiſio neceſſariorum. OCTAVVM beneficium eſt, quia conuerſis prouidet neceſſaria ad vtilitatem, vt alimentum, veſtimentum, documentum, medicamentum: ſicut fecit filiis Iſrael in deſerto, poſt exitum Ægypti, & tranſitum maris rubri, manna, & aquam de petra, dedit eis pro alimento, dedit durabilitatem eorum veſtimento & calciamento per quadraginta annos. pro documento dedit legem pro medicamento æreum ſerpentem. de his omnibus legitur Deutro. 8. Mar. 8. *miſereor ſuper turbam, quia iam triduo,* ſcilicet pœnitentiæ, *me ſuſtinent* &c. Matth. 6. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ* &c. quia qui paſcit volatilia, dabit alimentum: qui veſtit lilia, dabit veſtimentum: qui dat creſcere herbas & arbores, dabit augmentum. Quod autem ſuos paſcit habemus exemplum 4. Reg. 17. Heliam pauit per coruum & mulierem Sareptanam. & eiuſdem 19. Eundem paſcit per angelum. Dan. 14. Danielem paſcit per Abacuc.

Exemplum. IN vitiſpatrum dicitur, quod cum fieret grauiſſima perſecutio chriſtianorum, timens Paulus primus eremita periculum, fugit in deſertum, vbi parauit ei Deus ſpeluncam ad habitandum, per quadraginta annos, folia palmæ ad veſtiendum, fontem ante os ſpeluncæ ad bibendum, dimidium panem albiſſimum ad veſcendum, & hoc ſingulis diebus per illud tempus. Cũ autem beatus Antonius veniſſet per reuelationem ad eum, coruus apportauit panem integrum. eo autem mortuo cum beatus Antonius non haberet quomodo ei ſepulturam faceret, leones duo pedibus eam fecerunt; & ea facta, petita & habita benedictione Antonij recedunt.

Exemplum. IN vitiſpa. cum beatus Frontonius eſſet in quadam ciuitate, vbi habebat in conuentu triginta monachos, ſuaſit eis vt irent ad eremum pro pœnitentia facienda, relictis delitijs ciuitatis: quod faciunt, ſecum ferentes ſarculos & ſemina. cumque ſocij murmurarẽt pro defectu cibi, verbis eos conſolabatur. Angelus autem domini apparuit cuidam diuiti, arguens eũ quod delicatè viueret, & Dei ſeruos fame mori permitteret. Item ſecundo apparuit comminando: tertio eum grauiter flagellauit, mortem minans, niſi dictis monachis prouideret. Qui cum neſciret vbi eſſent, conſuluerũt amici eius, quibus vulnera ſua oſtẽdebat, quod ſeptuaginta camelos ſuos victualibus oneraret, & extra ciuitatem conduceret, & in cuſtodiam angeli eos cõmitteret; quod fecit, cũ autem monachi afflicti fame Deũ laudarent, audiunt campanulas camelorum, camelos recipiunt, lauant pedes & reficiunt, medietatem onerum eorum retinent, & aliam remittunt in camelis. Cùm autem die quarta dies ille lugeret, credens amiſiſſe camelos, recipit eos; quæ reportauerunt dedit pauperibus, hoc faciebat ſingulis annis, quouſque monachi ſunt reperti.

Exemplæ ſcripturæ.

ITEM

Exempla.

ITEM cum quidam frater esset in eremo & comederet herbas, licet essent dulces, ita dissoluebant eum, quod fere moriebatur. & cum ieiunasset per 7. dies, timens omnes herbas: quædã bestia dicta dorcas, apportauit ei fasciculum de non nociuis, vt per eas cognosceret quibus vesci deberet. *Item* cum beata Agnes esset nudata, vestiuit eam Deus condensitate crinium suorum solutorum. *Item* veste candidissima sibi missa per angelum. *Item* beatæ Agathæ prouidit, misso medicamento per beatum Petrum Apostolum. *Item* in vitispa. quidam frater intrans interiora deserti, inuenit speluncam, & vidit quendam venientem cum grege bubalorum: qui post adiurationem dixit ei, quod fuerat monachus in congregatione. post inde recesserat, & hospitale ædificauerat, & hospites recipiebat, viuens de textura, fit familiaris virgini sacræ: cum qua per septem menses post missa munera & visitationes, peccauit. post pœnitens, fugit ad eremum habitans cum feris, vbi cum præ dolore hepatis, nec stare, nec orare posset, clamauit ad dominum. adest vir. tangit digitis locum doloris, scindit, & vlcus abradit, & ei ostendit, & hepar in loco suo reponit, & sanauit: nec post per aliquam intemperiem doluit.

9. Subuentio tribulati & tentati.

NONVM beneficium est, quod pugnanti vel impugnato subuenit, custodiens & eripiens eum, si in tentatione vel tribulatione confidenter ad ipsum confugiat. sicut Ezechiam, ab obsidione Sennacherib. & suos, eripuit & protexit 4. Reg. 19. Et 2. Paral. 32. *Æsa clamante ad dominum, perterruit dominus Ægyptios & Ethiopes, qui domino cædente, contriti sunt & prostrati* &c. eiusdem 20. *Orante Iosaphat, & dicente: Cum ignoremus hoc solum residui habemus*, &c. *hostes in semetipsos versi, mutuis se concidêre vulneribus.* Iob. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Nota quæ ibi sunt.

Exemplum.

DE hoc habetur exemplum in vita beati Antonij, de quo legitur in vitispa. quod cum reliquisset omnia propter Deum, vadens in quodam agello tentauit eũ ibi diabolus diuersimode per spiritum luxuriæ, blasphemiæ, & alijs occultæ, & post per somnia, diuersimode: post aperte sub forma parui Ethiopis, dicens ei, quod ei assentiret, & quomodo multos seduxerat. In omnibus autem tentationibus viriliter resistebat dicens, quod de eo non curabat, quia sua obscuritas & paruitas, signa erant suæ deformitatis & impotentiæ. Cum autem iuisset ad loca vbi erant sepulchra, vt ibi vitam solitariam duceret: dæmones videntes quod nõ præualuerunt ei occultè tentando, verberauerunt eũ ad mortem, frater autem qui ministrabat ei, & visitabat eum inueniens eum quasi mortuum, reportauit eum ad locum vnde venerat. vbi cum venissent fratres quasi ad exequias funeris, resumpto spiritu, caput eleuans, videns se vbi erat, rogabat vt reduceretur ad priorem locum. quo facto veniunt dæmones tentantes eum, perterrere volentes eum sub omni specie ferarum & reptilium, & irruentes in eum, & domum eius diruentes, eum iterum ad mortem flagellantes. Sed cum immobilis perseueraret, clamant se victos; & fugientes recedunt, aduenientes Christo cum lumine, & domum eius reparante. à quo cum quæreret; vbi eras ô bone Iesu: Respondit, quod iuxta eum erat, eius triumphum de dæmonibus aspiciens & congaudens. *Cum* solus fugeret ad desertum, discum argenteum inuenit, qui vt fumus euanuit. *Item* massam auri inuentam fugit vt incendium. In loco deserti vbi fuerat, castrum desertum fuit per viginti annos, ad quem frequenter veniebant dæmones in forma militum armatorum, nunc vrsorum, nunc leonum, quos confutabat, & adiuuante domino vincebat, & cruce fugabat.

10. Promotio in bonum.

DECIMVM beneficium est, quod in bonum promouet & nutrit. psal. 33. *Oculi domini super iustos.* Greg. *Cito bonum perditur, quod à largitore non custoditur. Exemplum huius habetur.* Gen. 28. Dixit dominus ad Iacob. *Ero custos tuus in omnibus viis tuis*, &c. Item Iob: 1. *Dixit Sathan ad dominum, vallasti Iob & domum eius, & vniuersam substantiam eius*, &c. Ita quod non potuit diabolus potestatem habere in vnica ouicula eius, nisi permissus. Dixit diabolus beato Bartholomæo, vt legitur in passione eius, quod dominus adeo custodiebat eum & angeli eius, quod non poterat contingere aut lædere minimam formicam in lecto eius. Custodit dominus per seipsum vt Iob, per angelos vt Iacob, qui vidit castra Dei. Gen. 32. Aliquando etiam per suos, ne cadant in peccatum; vt beatum Hylarium per beatum Martinum. de quo habetur hoc exemplum, quod cum b. Hylarius festinaret contra hæreticos pro fidei defensione pedes, adiunxit se diabolus ei, in specie cuiusdam seruientis, portans ei cappam & alia, multum se ingerens in eius obsequium; quasi compatiendo. rogat eum primo vt vinum minus limpharet, vt laborem viæ melius sustineret. quod cum ad eius instantiam fecisset, Postea roganit, vt sine aqua biberet: Post vt carnes comederet. Et sic eius pœnitentia paulatim imminuta, cum venissent in quandam siluam, dicit ei diabolus, quod ibi erat quędam religiosa mulier, quæ multum affectabat ei loqui. procurante ergo ita diabolo, pluries locuta est ei: quæ sic sanctum virum verbis & factis allexit, quod commotus fuisset ad casum, nisi Deus hoc opus diaboli, beato Martino reuelasset: qui occurrens subito dæmonem effugauit, & propalauit, & Hylarium liberauit.

11. Prouectio peccatorum ad magna. Exemplum.

VNDECIMVM beneficium est, quod conuersum ad se frequenter ad magna prouehit, adeo quod *vbi abundauit delictum superabundet & gratia.* Rom. 5. vt patet de Maria Magdalena, Petro, & Paulo. *Item* in vitispa. legitur quod cum Mustius esset princeps latronum & gentilis, & venisset ad domum cuiusdam sacræ virginis ad spoliandum eam, dormiens vidit quędam in habitu regio dicentem sibi, quod cessaret ab his maleficijs, homicidijs, & furtis, & faceret eum ducem & principem militiæ spiritualis monachorum. Hic promittit libenter se facturum, quærit à virgine monasterium, baptizatur, & quærit mandata salutis: docent eum tres primos versus psalterij: dicunt eos posse ei sufficere ad salutem, vadit ad eremum perseuerans in fletibus & orationibus, viuit ibi diu de radicibus, post redijt versus dictos monachos perfectus opere & sermone. Post ad eremum reuersus, dominicis diebus panem diuinitus sumebat, pater multorum extitit postea monachorum, & operator multorum miraculorum &c.

Exemplum.

ITEM inter miracula beati Ioannis euangelistæ, legitur in historia ecclesiastica lib. tertio cap. 23. Quod cum ecclesias circuiret, vidit quendam iuuenem fortem & pulcherrimum ferocis animi, quem sub testimonio Christi & ecclesiæ, cuidam episcopo commendauit nutriendum, & baptizandum, & informandum in seruitio Christi. quod cum fecisset, postea cum alijs laxauit habenas, & recedens ab episcopo, omnibus flagitijs se admiscens, fit princeps latronum, omnino desperans. Post aliquantum tempus, beatus Ioan. rediens, requirit ab episcopo commissum, à stupente requirit iuuenem, quem cum diceret mortuum in anima, & vbi esset, percusso capite, ascendit equum, insequitur; & inuentus est à latronibus. quærit ab eis suum principem, quo adducto, eum agnoscens, fugit armatus. Ioannes oblitus ætatis suæ, eum insequitur clamans, quid fugis fili dilectissime, patrem senem non armatum; noli timere, ego pro te Christo rationem reddam, Paratus pro te mori; crede mihi quia Christus me misit. tunc ille stetit, vultum demisit, arma deposuit, & amarissime fleuit. Veniam postulanti, & dexteram nimiæ cædis consciam occultanti, pollicetur Ioannes quasi sub sacramento, se ei veniam impetraturum, & pedibus iuuenis prouolutum, manum eius quasi per pœnitentiam purgatam osculatur, ad ecclesiam eum reducit, veniam

quam promiſerat ei, ieiunijs & orationibus impetrauit, nec deſtituit, vſque dum emendatum per pœnitentiam perfecit.

12. *Introductio in gloriam.*

DVODECIMVM beneficium eſt, quod introducit in gloriam, & ſupra condignum remunerat, pſalm. 102. *Benedic anima mea domino. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Deutero. 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam,* &c. Et 15. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ,* &c. Sicut fecit latroni, Lucæ. 24. *In vitiſpa.* legitur, quod cum rediret b. Anton. de viſitatione Pauli primi eremitæ, audiuit choros angelorum cantantes, & animam dicti Pauli introducentes.

Exemplum.

ITEM in vitis pa. cum beatus Paphnutius oraret, reſpondit ei angelus, quod ſimilis foret cuidam ſymphoniaco qui in vico quodam cantaret, quo quæſito & inuento, quæſiuit de merito ſuo, qui dixit ſe fuiſſe latronem. adiurauit vt diceret ei ſi tunc aliquid boni fecerat. Ille dixit quod virginem ſacratam & flentem, vi rapuerat de manibus ſociorum ſuorum, & intactam reſtituit in loco ſuo. Item requiſitus vltra: Reſpondit ſe mulierem laſſam inueniſſe in ſilua, quæ nec per triduum comederat; quæ ait quod fugerat propter tortores, qui virum ſuum propter fiſcale debitum in carcere detinebant & pueros ſuos, & ipſam ad hoc requirebant, & quod eam duxit ad foueam ſuam, & refecit, & 300. dedit ei ſolidos, ad virum & filios liberandos, & reduxit eam ad locum ſuum. Qui ſuaſus ad vitam eremiticam, abiectis fiſtulis, pro muſica ſpirituali ſecutus eſt Paphnucium. & per tres annos arctiſſime ſe affligens, inter choros ſanctorum, & angelorum, tradidit ſpiritum. quod Paphnucio eſt reuelatum, audiẽti eum ab eis in cœlum deportari. Item cum Paphnucius dictus poſt arctius ſe affligeret: Reſpõſum eſt ei, quod ſimilis foret primario vici illius. vadit ad eum, ſuſcipitur honorifice; adiuratus, refert quod per triginta annos cum vxore ſua manens continuerat, nec eam ante cognouerat, niſi cauſa prolis; & quod nunquam ab hoſpitalitate ceſſauit, adueniente peregrino prior occurrit, & quod viaticum in receſſu ſuo ſemper dedit, & quod pauperem nullum deſpexerat, ſed neceſſaria pro poſſe ſuo eis dederat, perſonam in iudicio non acceperat, alieni fruges in domum ſuam non introierant, litẽ videns nõ præterierat, ſed ad pacẽ pro viribus reduxerat, famulos ſuos nemo in foreſto ſuo inueuerat, greges ſui alienas fruges nõ læſerant, quantum potuerant inferiorẽ opprimi nõ ſuſtinuerat, sẽper ſtuduerat neminẽ contriſtare, & à nemine contriſtari, in iudicio neminem condemnauit, ſed pacificauit. Ad hoc Paphnucius ait. Hoc vnum tibi deeſt, vt abneges temetipſum, tollas crucem tuam, & ſequaris Chriſtũ. qui ſtatim obediuit factus monachus. Quadam autem die dum in cella ſua reſideret Paphnucius, vidit animã dicti primarij, recipi à multitudine angelorum pſallentium: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti domine, inhabitabit in atrijs tuis.* Itẽ poſt hoc arctius ſe affligẽs, quis ſibi adhuc foret ſimilis; audiuit quod cuidã negociatori Alexandrino. hic decẽ ſaccos plenos leguminũ deferebat, quæ dabat viris religioſis quos viſitabat, quorũ orationibus ſe committebat. Huic occurrit Paphnucius amplexans eum, & dicens; quid tibi cum his negocijs ô deo digna & pretioſiſſima margarita. Ille autem ſtatim eum ſequitur, iubens omnia quæ ducebat, dari pro Deo; qui poſt breue tempus ad dominum aſſumptus eſt. Poſtea autem ait angelus Paphnucio oranti, eras venies in æterna tabernacula. Tunc vocato ſacerdote reuelauit ei ante dicta, & ſuſcipit ſacramenta. tunc emiſſo ſpiritu, qui aderant viderunt animam eius ſuſcipi ab angelis & ſanctis; hymnum canentibus.

Exemplum.

ITEM legitur quod quidam rex in terra ſua habens quendam diuitem ſapientem, non inueniens occaſionem quomodo eius pecuniam extorqueret, quæſiuit ab eo tres quæſtiones, quod niſi eas ſolueret, multam pecuniam ei daret, quæ videbantur inſolubiles. Prima fuit, vbi erat medium terræ quaſi centrum. Alia, quot modij aquæ erant in mari. Tertia, quam magna erat miſericordia Dei. Cum autem die aſſignata, coram regis curia, à carcere deduceretur, in quo detinebatur vt ſe redimeret, & dictas quęſtiones ſolueret; de conſilio cuiuſdam philoſophi dicti, auxilium miſerorum, aſſumpto baculo, in terra infixit dicens, hic eſt centrũ terræ, & medium; improba ſi potes. Si vis vt menſurem modios maris, retine flumina & aquas alias ne ſubintrent illic, quouſque menſurauerim, & tibi dicam numerum modiorum. Tertiam ſoluere potero, ſi tradideris mihi veſtes tuas & ſolium, ad hoc iudiciũ faciendum, quo facto cum eſſet in ſublimi ſolio, in apparatu regio, ait: Audite & videte ſublimitatem miſericordiæ Dei; quia parũ ante eram ſeruus, modo ſubito factus ſum quaſi rex; ante pauper, modo quaſi diues; ante in imo, modo in alto; ante in catenis & carcere, modo in libertate &c. Sic centrum miſericordiæ Dei eſt vbique in præſenti vita, *miſericordiæ eius nõ eſt numerus,* ſublimitas & immenſitas eius eſt, quod de carcere & vinculis peccatorum, per pœnitentiam modicam, venit peccator ad regnum cælorum.

De incarnatione filij Dei.

DISTINCTIO XI.

DE miſericordiæ Dei nobis exhibita per filiũ pro nobis miſericorditer incarnatum, libet aliqua conſiderare breuiter, ad ipſius ſummi Dei laudem & gloriam, & noſtram vtilitatem per maximam. nihil enim dulcius ad cogitandum, nihil vtilius ad ſciendum, nihil efficacius ad amorem eius in nobis vehementius inflammandum, nihil magis à malo retrahit, nihil æque ad bonum attrahit, nihil ita diſponit ad gratiam, nec ad concipiendam ſpei fiduciam, nec ad gloriam acquirendam. Sciendum itaque quod Deus pater miſericordiarum, filium ſuum miſit, & ipſe filius ſeipſum dedit nobis, in ſolatium noſtræ peregrinationis, In conſilium noſtræ directionis, In remedium noſtræ curationis, In ſubſidium noſtræ reconciliationis, In præſidium noſtræ defenſionis, In conuiuium noſtræ refectionis, In precium noſtræ redemptionis, In præmium noſtræ glorificationis.

Chriſtus eſt ſolatium noſtræ peregrinationis.

EST igitur nobis Chriſtus in ſolatium tãquam noſtræ dilectionis reparator. Cum enim eſſet homo per peccatum de ſtatu ſublimitate deiectus, de paradiſi amęnitate eiectus, in exilium proiectus, & diabolo vili ſeruitute ſubiectus, Chriſtus homo factus eſt; & ſic eum de tam vili deiectione miſericorditer releuauit, dum naturam diuinam humanæ naturæ tam mirabiliter copulauit, quod factus eſt nobis amicus, ſocius, frater, & ſponſus. Sicut ante promiſerat antiquis patribus, ſpecialiter Abrahæ dicens: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes,* quod eſt Chriſtus. Et Dauidi. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ideo dicitur Micheæ. 7. *Dabis veritatem Iacob, miſericordias Abraham, quæ iuraſti patribus antiquis noſtris.* Hanc miſericordiam petebat Dauid dicens. Pſalm. 84. *Oſtende nobis domine miſericordiam tuam,* oſtende inquam vt videamus, *& ſalutare tuum da nobis* vt teneamus. ſed dilatione incarnationis velut impatiens, dicebat. *Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua? Memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum.* De iſta promiſſione dicitur Iſa. 55. *Feriam vobiſcum pactum ſempiternum miſericordias Dauid fideles,* ideſt fideliter repromiſſas. Et Luc. 2. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum qui à ſeculo ſunt prophetarum eius* &c. *ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorare, teſtamenti ſui ſancti. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* Hunc petebat in fratrem anima ſancta Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, & iam me nemo deſpiciat.* vnde poſſumus ei dicere illud Eccl. 29. *Hoſpitio,* ſ. vẽtris virginei, *factus es mihi frater.* Quod autẽ fieri vellet ſpõſus

dulciſſi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dulcissimus animarum, dicit Oseæ *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Nota quando rex aliquis magnus & potens, aliquam puellam de humili plebe ducit in matrimonium, tota progenies honoratur, omnis infamia tollitur, seruitus aboletur, libertas redditur, & in dignitatem nimiam sublimatur. Bernard super can. *Puto iam me contemnere non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea.*

Exemplum. In vit. pa. legitur quod quædam mulier venit ad.b. Hylarionem quæ cum esset sterilis rogabat sanctum vt ei fœcunditatis gratiam suis precibus, impetraret. sed cum ipse fugeret eam, clamauit illa, non esse contemnendum hunc sexum, qui genuit & peperit saluatorem. Quo audito expectauit, eã & patiẽter audiuit, eique fœcunditatis gratiam impetrauit. Bernard. *Quomodo non te moueat, si recordatus fueris, quod ille qui erat in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendore sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura Dei substantiæ, venit al carcerem tuum, ad limum tuum: Infixus vt dicitur vsque ad cubitos, in limo profundi.* Idem. *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Nonne si conferentur in me omnes vitæ filiorum Adam omnes dies seculi, labores omnium hominum, qui fuerunt, & qui sunt, & qui erunt; nihil esset ad comparationem illius corporis, quod spectabile & stupendum est virtutibus supernis, in conceptu de spiritu sancto, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentia, in coruscatione miraculorum, in reuelationibus Sacramentorum? Cum ergo ei deuouero quicquid sum, quicquid possum: nonne sic est sicut stella ad solem, stilla ad flumen, scintilla ad fornacem, lapis ad montem, granum ad aceruum, atomus ad totum mundum?* Idem super missus est. Homil. 1. *Sed verto me ad conceptum & partum virginis, hanc reperio nouitatem. Ibi enim agnoscetur longitudo breuis, & latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens, ibi videbis regi potentiam, institui sapientiam, sustentari virtutem; Deum lactantem, sed angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem.* Item Cassiodorus. *O quanta misericordia nostri conditoris, quæ fecit vt Deus immortalis homo fieret mortalis, quod panis esuriret, fons sitiret via fatigaretur, virtus infirmaretur, vita moreretur, quæ fecit creari creatorem, seruire dominatorem, vendi redemptorem, mori viuificatorem.*

Exemplum. Monialis quædam religionem egressa, facta publica meretrix, post multos annos ad suum monasterium est reuersa; quæ pœnitens quando de Dei iudicio cogitabat, & de pœnis inferni, fere desperabat se posse veniam obtinere, quando de domini passione, quanta mala Christus sustinuerat, & econtra quanta mala ipsa commiserat, quasi desperans anxia nimis erat, & sic de alijs quæ Christus fecerat vel quæ facta fuerant circa Christum. In natali autem domini cæpit cogitare, quia puer natus est nobis, & quod pueri pro modico placantur; coram imagine beatæ virginis cæpit cogitare de infantia saluatoris, & tot perfusa est lachrymis quod fere moriebatur, adiurans puerum per benignitatem infantię sue, quod misereretur eius, mox audiuit vocem dicentem sibi, quod per benignitatem illius infantiæ, quam allegabat, sciret ipsa sibi dimissa omnino peccata sua. Denique fratres scitote, quia puer cito donat, cito condonat: pro vno pomo potest placari; quare pomum est pœnitentia nostra. Item quædam glo. *Puer quam cito placatur, Iesus non meminit.*

Christus est cõsilium nostra directionis. Secvndo Christus factus est consilium nostræ directionis. *Ipse enim est magni consilij angelus.* Lucæ 2. *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros.* Quia enim primus homo à summa luce peccando recesserat, cæcus factus in tenebris ambulat; sed Deus misericors lucẽ sapiẽtiæ misit, vnde factus est legislator. Is.33. *Dominus legifer noster* qui nobis attulit legem gratiæ, legem amoris, legem libertatis. Hanc legem Christus docuit & verbis suæ prædicationis, & factis suæ sanctissimæ conuersationis, & signis miraculorum clarissimis, & exemplis, Eccl. 18. *Qui misericordiam habet, docet, & erudit.*

Christus est remedium nostra curationis. Tertio factus est nobis in remedium nostræ curationis; nam per peccatum à tanta sublimitate collapsi, facti sumus infirmi. Ideo psalm. 6. *Miserere mei domine quoniam infirmus sum.* Exemplum Luc. 10. de illo qui incidit in latrones, *Samaritanus iter faciens, & videns illum, misericordia motus est.* Nota benè totam parabolam, vbi ad quæstionem *quis horum trium videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* Respondetur, *qui fecit misericordiam in illum.* Quis est iste Samaritanus, idest custos, nisi Christus, qui nobis factus est proximus, & fraternitate carnis assumptæ, & affectu dilectionis immensæ, & effectu miserationis impensæ? Voluit enim per omnia fratribus assimilari vt misericors fieret, non solum autem infirmitates corporum & animarum sanauit dum viueret, verumetiam sacramenta, idest spirituales medicinas instituit, vt medico personaliter in cœlum ascendente, Sacramentorum remedia perpetuo remanerent. Vnde ad Timoth. 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos non fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti.* O quam pius medicus qui venit personaliter ad ægrotum, non vocatus se ingerit, cum expensis propriis curam assumit, quicquid infirmus sustinere deberet, ipse in corpore suo sumit. Puta si oportet ægrotũ ieiunare, vigilare, sudare, amaram potionem bibere, flebotomiam sustinere: Hæc omnia Christus assumpsit.

Christus est subsidiũ nostra reconciliationis. Qvarto factus est nobis in subsidium nostræ reconciliationis, quia est pacis nostræ conuenientissimus mediator: quia videlicet Deus & homo, ideo inter Deum & hominem, pacem potuit reformare. Cùm enim in curia diuina cõtrouersia tractaretur, pro parte Dei allegabat veritas, concludens contra hominem; iustitia vero pro eius punitione & condemnatione, sententiam prõferebat, pro homine vero misericordia veniam implorabat; & pax non pœnam subterfugiens, petebat fieri compromissum, & quod esset aliquis fidelis & pius mediator. Adinuenta est hæc via pro bono communi, quod filius Dei, media scilicet in Trinitate persona, naturam humanam assumeret, vt inquantum Deus, Dei conseruaret honorem inquantum homo pacẽ & bonum hominis procuraret, vnde *misericordia & veritas obuiauerunt* inuicem concordantes, *iustitia & pax osculatæ sunt*, insignum reconciliationis & fœderis sempiterni. Vnde pace reformata, consolatur Deus hominem dicens, Isa. 54. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Sequitur. *Misericordia mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miserator tuus dominus.*

Christus est præsidiũ nostra defensionis. Qvinto factus est in præsidium nostræ defensionis, quia est pro nobis fortissimus propugnator, profecto reformata pace inter Deum & hominem, expediens erat quod homo defenderetur ab hoste, ne amplius sæuiret in eum, nec tyrannicè dominaretur ei, sicut fecerat subijciens eum sibi, & opprimens grauissima seruitute. Ideo Is. 43. *Qui est iste qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra?* Et respondet. *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum &c.* Vere multum expediebat quod fortem haberemus propugnatorem, quoniam hostes fortissimos & ferocissimos habebamus. Ideò Tren. 3. *Misericordiæ domini, quia non sumus consumpti* &c. psalm. 105. *Dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* Et Hier. 42. *Nolite timere à facie regis Babilonis,* idest diaboli. Sequitur: *Dabo vobis misericordias, & miserebor vestri.* Iste igitur est rex noster, qualem nobis expediebat habere, qui scilicet nobis esset piissimus, & cõtra aduersarios nostros fortissimus, vnde Ps. 114. exclamat dicens: *O domine libera animam meam misericors dominus & iustus* &c. Nobis etiam est modo misericors, sed iustus & seueriſsimus in futuro,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

futuro illis videlicet qui modo eius miſericordia abuntur. vnde Iſa. 16. *Præparabitur in miſericordia ſolium eius, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt.* nunc itaque tenet thronum miſericordiæ, in futuro tenebit thronum iuſtitiæ. Ideo iuxta conſilium apoſtoli. Heb. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt gratiam inueniamus, & miſericordiam conſequamur in auxilio oportuno.*

Chriſtus eſt nobis viaticũ interna refectionis.

SEXTO Chriſtus factus eſt nobis viaticum internæ refectionis, qui ſeipſum dat nobis quotidie in cibum & poculum animarum, videlicet in euchariſtiæ Sacramento, de quo pſal. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſerator & miſericors, dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Expone.

Chriſtus eſt pretiũ noſtræ redemptionis

SEPTIMO ſeipſum dedit in pretium noſtrę redemptionis. pſ. 129. *Apud dominum miſericordia & copioſa, apud eum redemptio*, vere copioſa, cuius copiæ, non eſt numerus nec menſura. Vnde B. Bern. ait. *Conſidera filium virginis deturpatum ſputis, liuidum plagis, confixum clauis. Attende cœli rectorem, ſtantem in cruce, pallidum morte, deformem carne, ne per tranſeas dominum angelorũ, virum percuſſum à Deo & humiliatum, virum quaſi leproſum & omnibus detrimentis expoſitum. Conſidera apud eum copioſam redemptionem, vere copioſam: quia per quinque partes corporis eius, vnda ſanguinis emanauit, cum tamen ad redemptionẽ totius orbis vna gutta ſanguinis ſufficeret, ſed ideo data eſt gratis copioſa, vt virtus gratitudinis in beneficia redundante clareſceret. Et hoc egit vt tibi oſtenderet, quantum te diligeret, qui non aliter quam ſic moriendo, à morte te voluit liberare.*

De paſsione domini.

DISTINCTIO XII.

Octo circa Chriſti paſſionem diligenter conſideranda.

CIRCA paſſionem itaque domini ſaluatoris, per quam talis & tanta redemptio facta eſt, conſideranda ſunt octo, cordibus noſtris medullitus, imprimenda cum gratiarum actione iugiter recolenda. Primum eſt in factis multiplex oſtenſio pietatis. Secundum eſt in verbis multiplex inſtructio veritatis. Tertium eſt circa paſſionem multiplex afflictio attendenda. Quartum eſt pœnas inferentium conditio deteſtanda. Quintum eſt Chriſti patientis ſublimitas veneranda. Sextum eſt paſſionis atrocitas doloroſa, & doloris immenſitas exceſſiua. Septimum eſt compatientium Chriſto deuotio imitanda. Octauum eſt paſſionis Chriſti vtilitas appetenda.

I. Multiplex in factis pietatis oſtenſio nempe in vltima cœna.

CVM multa deuotione conſiderare debemus, quomodo Chriſtus tanquã totius bonitatis fontale principium, pietatis ſuæ viſcera multotiens, multipliciter, & in multis oſtendit. *Primo quidem* in cœnæ & paſchæ typicæ celebratione: quam humiliter & benigne cænauit cum diſcipulis cum quanto deſiderio illud vltimum paſcha celebrauit cum eis: quomodo pedes eorum, etiam & proditoris ſui lauit: quomodo permagnificum conuiuium in ſuo receſſu parauit, ideſt corpus ſuum ſacratiſſimum in cibum, & ſanguinem pretioſum in poculum propinauit: quomodo tam venerabile Sacramentum, in ſuæ paſſionis benedictæ memoriam, & in ſummæ dilectionis euidentiam, pro ſalute noſtra inſtituit: quomodo poteſtatem conficiendi, ipſis & ipſorum ſucceſſoribus ordinauit, quomodo contra imminentem tribulationem, eis diu multipliciter & efficaciter futura reuelando, ad patientiam, & in fide conſtantiam roborauit, exhortando, conſolando, promittendo.

In orationes, in cœna & in horto.

SECVNDO pietatem ſuam multipliciter oſtendit in oratione. *Primo quidem* in cœna patrem orando pro diſcipulis, vt eos amodo ſeruaret, ſanctificaret, & conſummaret in bono, ſibique inſeparabiliter vniret, & eis vitam largiretur æternam. *Item* in horto cœpit triſtari & mæſtus eſſe, nõ pro ſua paſſione quam ardẽter optabat, ſed pro peccatis noſtris & miſeria, ſicut ait Ambroſius. *Doles domine non tua ſed noſtra vulnera, non tuam mortem ſed noſtram infirmitatem*, vnde plus compatiebatur noſtræ miſerię, quam paſſioni ſuæ. *Item* quando ſe ter in oratione proſtrauit, non vt pro ſe impetraret, ſed vt Deo patri reuerentiã exhiberet, & nobis præberet exemplũ ſuper eminente neceſſitate quacũque ad orationis eſſe ſuffragium recurrendum.

In viſitatione diſcipulorum & reſignatione ſui ſudoreque ſanguineo.

ITEM pietatem ſuam oſtendit, quod licet in illa oratione totus eſſet attentus, tamen pius dominus ſeruos ſuos, pius magiſter diſcipulos obliuiſci non potuit, ſed ex compaſsione piè eos viſitans, dormientes excitans, negligentes arguens, ne in tentationem inciderent, animauit. *Item* in illa oratione, licet ſenſualitas mortem naturaliter exhorreret, tamen & carnem ſpiritui, & ſpiritum paternę voluntati ſubiecit. *Item* in agonia poſitus & orans prolixius, ſudorem ſanguineum ex toto corpore ſic abundanter emiſit, quod guttæ ſanguinis decurrebant in terram; vt ardorem ſpiritus, & vehementiam ſui doloris oſtenderet, & compaſsionis ardorem, quæ ſacrum ſanguinem ſic ebulire faciebant, ipſo facto monſtraret.

In voluntaria ſui oblatione, & benignitate iudam & ſocios.

ITEM pius dominus pietatem ſuam oſtendit in ſui voluntaria oblatione, quando ſcilicet proditori & furentibus inimicis, ſponte ſe obtulit, eiſque non agnitus obuiauit, proditoris oſculum non recuſans, amicum vocans eum tanquam diligens non dilectus; vt ex hoc iniquitatem ſuã conſideret, & ad amicitiam redeat, ſic allectus. *Item* ipſum piè corripit, vt rubore perfuſus recordaretur quod in pſ. 89. dicitur: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me*, ideſt intus cor meum crepare faciet ex dolore. Item illud pſ. 89. *ſuperuenit manſuetudo & corripiemur. Item* pietatem ſuam oſtendit, quando quos ſola voce proſtrauerat; & proſtratos velut in cæcitatem conuerterat, vt eum non agnoſcerent, nec tangere vel appropinquare valerent, & priſtinam virtutem reſtituit, & cognoſci ſe fecit, & obtulit capiendum. *Item* pietatem ſuam oſtendit quando diſcipulorum infirmitati cõpatiens, ſe ſolum capi permiſit, ipſoſque nec tangi nec lædi præcepit: *ſi me* inquiens *quæritis, ſinite hos abire. Item* pietatem ſuam oſtendit quando non armis vel gladiis ſe defendi, ſed gladiũ extrahentem, & vnum de aſtantibus vulnerantem corripuit, ſicque paſſionem ſuam impediri, vel ſeditionem moueri prohibuit. Inſuper & vulneratum ſaluifico tactu ſuo ſanauit. *Item* pietatem ſuam oſtendit quando proditores & homicidas piè & manſuete & humiliter increpauit dicens: *Tanquam ad latronẽ exiſtis &c. Item* pietatem oſtendit quando cum ab impiis cæderetur, conſpueretur, derideretur, vinculis alligaretur, Petrum qui iam ter ipſum negauerat, non deſpexit, ſed oculo pio reſpiciens, cognitionem peccati, & compunctionis lachrymas ei dedit. *Item* pietatem oſtendit quando mulieres plangentes, vt ſeipſas & filios ſuos plangerent, propter peccata quæ fecerant, & miſerias quæ eis imminebant, admonuit. *Item* pietatẽ oſtendit quando pendens in cruce pro crucifixoribus ſuis impiis exorauit, piis allegationibus, excuſationibus, vulnerum ſuorum oſtenſione, brachiorum extẽſione, manuum & pedum confixione, veniam implorando. Bern. *Flagellis cæſus, ſpinis coronatus, clauis conſtrictus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus omnium tamen dolorum immemor*, ait: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Item* pietatem oſtendit quando non ſolum ciuitatem reſpiciens, fleuit ſuper eam, verumetiam in cruce, videns ingratitudinem peccatorum, fleuiſſe ſuper eorum cæcitate & miſeria perhibetur.

In excitatione Petri ad pœnitẽtiam, & oratione pro per crucifigentibus.

ITEM pietatem oſtendit quando latroni confitenti non ſolum tantum quod petebat conceſſit, verumetiam & peccata remiſit, & pœnas eis iuſtè pro ſceleribus ſuis inflictas, in martyrij palmam computans, paradiſi coronam & ſocietatis ſuæ gloriam repromiſit, eodemque die quod promiſerat adimpleuit. *Hodie* inquit *mecum eris in paradiſo.* Amb. *Vita eſt eſſe cum Chriſto, quia vbi Chriſtus, ibi regnũ.* Idem, *Pius dominus plus tribuit quam petat*, Anſel. *Latro qui pro ſuis ſceleribus tecum crucifixus eſt*

In condonatione & præmiatione latronis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ô Domine Ieſu, vſque ad ipſius animæ ſuæ ſingultum, ſemper in peccatis fuit, ſed tamen in ipſa hora expirationis ſuæ, quia ſuam malitiam confeſſus eſt, & miſericordiã inuenit, & tecum ipſo die in paradiſo fuit. Aug. De ſymbolo *latro confitetur, & Petrus turbatur: Hîc cognouit, Petrus negauit: quorum alterum eſt contra deſperantes, alterum contra præſumentes. Verè mirabile fuit valdè huius latronis negocium, hic enim Chriſtum credidit, quando ſui à fide eeciderunt; hic adhæſit quando ſui relicto eo fugerunt, hic quomodo potuit ipſum lingua defendit, quando alij quantum poterant impugnauerunt, hic quicquid habuit liberum, ſcilicet cor & linguam Chriſto dedit, quando aduerſarij ſpoliauerunt, hic ſolus iuſtificabat eum, quando alii reum mortis proclamauerunt, hic regnum cælorum petijt ſibi dari ab eo, quem videbat morte damnari, poſtulauit habere ſui memoriam, quem videbat pati mortis anguſtiam: Iuſtam dicebat pœnam ſibi inflictam, Chriſti vero iniuſtam, plus plangens ſupplicium Chriſti, quam proprium.*

In cõſolatione matris, & ſiti ſalutis noſtræ.

ITEM pius dominus pietatem oſtendit, quando matrem ſuam deſolatiſſimam aſtanti diſcipulo, in cuſtodiam conſolationem, & prouidentiam commendauit, dicens. *Mulier, ecce filius tuus. Item* pietatem oſtendit, quando ſe derelictum planxit, in hoc intelligens ruinam ſuorum, qui fugientes ipſum ſolum reliquerant, vel detentionem eorum qui in limbo tamdiu fuerant derelicti, vnde Aug. ſuper illud. Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me ait. *Caput loquitur pro membris derelictis, vnde derelictionem eorum ſuam reputans, ſe dicebat derelictum.* Item pietatem oſtendit, quando dixit ſitio; quod non de materiali vel corporali ſiti debemus intelligere principaliter eſſe dictum, ſed de ſpirituali, vt ſit ſenſus: *Sitio*, id eſt ardenter deſidero fidem veſtram.

De verbis domini in paſsione.

DISTINCTIO XIII.

2. Multiplex in verbis veritatis inſtructio & præcipue in tredecim verbis ante paſſionem prolatis ſex primis quia Crucem aſcenderet & ſeptem in cruce.

SEcundo circa paſſionum domini conſideranda eſt in verbis multiplex inſtructio veritatis. Aug. *Lignũ vbi fixa ſunt membra Chriſti morientis, fuit cathedra magiſtri docentis.* Notandum autem quod circa paſſionem eius à cœna vſque ad mortem, fuerunt verba 13. digna memoria & recordatione deuota, quorum 6. verborũ genera fuerunt antequam crucem aſcenderet. Alia vero 7. fuerunt in ipſa cruce prolata. *Primum* itaque verbum ſummi doctoris fuit verbum piæ exhortationis, non ſolum in cœna, verumetiam in horto, quando diſcipulis ſuis dixit, *vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Multum enim in illo ſuo diſcrimine compatiebatur eis, & eorum pugnæ. Ideo frequenter eos ad vigilantiam, orationem, & cõſtantiam hortabatur. *Secundum* fuit verbum piæ condeſcenſionis cum dixit: *Dormite iam & requieſcite.* Sciebat eos mæſtitia prægrauatos, & quod cito malam haberẽt requiẽ, ideo compatiẽs eis dixit. Dormite, &c. *Tertium* fuit verbũ pię orationis cum dixit. *Pater, ſi fieri poteſt tranſeat à me.* &c. In hoc oſtendit ſe verum corpus habere, & naturaliter mortem horrere. Sed vicit naturam pietas, cum dixit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et *fiat voluntas tua.* Dat nobis exemplum obedientiæ, vt in arduis & periculoſis diſcamus nihil propriæ voluntatis habere, ſed carnem ſpiritui, & ſpiritum Deo ſubijcere. Rabanus. *Tribus vicibus orauit dominus, vt nos à præteritis malis veniam, à præſentibus tutelam, à futuris cautelam oremus, hanc domini orationem præceſſit pauor, comitatur agonia & ſudor, ſequitur angelica conſolatio. Quartum* fuit verbum piæ oblationis, quia ſe obtulit vt liberarentur ſui, Ioan. 18. Cum dicit, *ego ſum. ſi me quiritis ſinite eos abire.* Aries capitur, & traditur pro Iſaac liberando Gen. 22. Agnus immolatur pro populo Iudęorũ Exodi 12. *Quintum* genus verborũ fuerunt verba piæ reprehẽſionis, cũ dixit: *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum*, & cum dixit: *amice ad quid veniſti?* ex ſumma pietate, amicum vocat ſuum proditorem. Ioan. 18. *Si male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo.* Item, *tanquam ad latronem* &c. *Sextum* fuit verbum benignæ reſponſionis: vt Annæ; *ego palam locutus ſum* &c. Item Matth. 26. Cayphæ: tu dixiſti Lucæ 23. *Si vobis dixero non credetis mihi*, &c. Ad Pylatum. Ioan. 19. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Iſta fuerunt verba domini ſaluatoris antequam crucem aſcenderet.

Septem verba in cruce prolata.

SEQVVNTVR verba quæ protulit in cruce. *Primum* fuit. Verbum piæ interpellationis, quando pro crucifixoribus orauit dicens. *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*, de hoc Req. ſupra. *Secundum* fuit verbum piæ remiſſionis, cum dicit latroni iuxta ſe pendenti. *Amen dico tibi hodie*, &c. Req. ſupra. *Tertium* fuit verbum piæ conſolationis deſolatiſſimæ matri ſuæ, cum dixit. *Mulier ecce filius tuus.* Deinde dicit diſcipulo; *ecce mater tua*, Anſelm. *O domina mea miſericordiſſima, quos fluctus lachrymarum, quos gemitus, quos ſingultus, dicam de tuis pudicíſſimis viſceribus erupiſſe, vultumq; tuũ piiſſimũ perfudiſſe, cum attenderes vnigenitum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, mactari, in cruce ſine culpa extendi, & carnem de carne tua crudeliter ab impijs dilacerari, cum audires ab eo: Mulier, ecce filius tuus: cum acciperes in filium, ſeruum pro domino, diſcipulum pro magiſtro, creaturam pro creatore, hominem pro Deo: tamen quod in hoc mundo charius relinquebat, ſuo charíſſimo commendauit. Quartum* fuit verbum piæ compaſſionis, maximè pro eis qui erant in lymbo, quorum miſeriam & detentionem diutinam, ſuam eſſe dicebat, cum ait: *Deus meus, Deus meus* &c. *Quintum* fuit verbum feruentis dilectionis, cum dixit: *Sitio. Sextum* fuit verbum conſummatæ perfectionis, cum dixit, *conſummatum eſt. Septimum* fuit verbum diſcretæ prouiſionis, cum dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hæc verba Chriſti quæ præmiſimus, magnis & deuotis ſententiis ſunt fœcunda, ſed breuiter perſtringendo potius quam exponendo tetigimus, dantes ea legentibus materiam cogitandi.

De afflictione paſsionis Domini multiplici.

DISTINCTIO XIV.

3. Multiplex afflictio, præſertim quoad 7.

TErtiò circa Domini paſſionem eſt afflictio multiplex attendenda. Hæc autem meditatio continet ſeptem articulos Dominicæ paſſionis, qui ſunt eius venditio, venditi capti illuſio, illuſi flagellatio, flagellati condemnatio, condemnati crucifixio, crucifixi occiſio. Hæc ſunt ſeptem ſignacula, ideſt ſeptem myſteria libri ſignati, quæ aperuit agnus qui occiſus eſt Apo. 5.

Chriſti venditio.

PRIMA igitur meditatio dominicæ paſſionis eſſe debet circa eius venditionem, qualiter ſcilicet æterna Dei ſapientia quæ pretioſior eſt cunctis opibus, cui omnia quæ deſiderantur non valent comparari, quaſi pro nullo pretio ſit venalis expoſita, cum Iudas dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Glo. *quaſi vile mancipium pretium poſuit in emptionem optatione.* Cogita igitur quis, quibus, & qualiter ſit venditus; quia ſcilicet agnus lupis, innocens homicidis, amicus inimicis, pius impiis, iuſtus iniuſtis. O quantum mouere poteſt ad pietatem, ſi cogitemus quam viliter mundi pretium, & pretioſus vir, & ſpecioſus forma præ filijs hominum, ſit venalis expoſitus, pro tam modico pretio ſit venditus, à quam ingrato diſcipulo ſit traditus, cum quanta ingratitudine & fallacia, ſit à proditore proditus, à quam crudelibus mercatoribus ſit emptus, ex quantæ charitatis radice, ex quantis pietatis viſceribus vendi voluit, vt per eius venditionem mundus eſſet redemptus, Auguſt. in lib. de ſymbolo. *Exulta chriſtiane, quod Iudæus emit, Iudas vẽdidit tu obtinuiſti in hoc commercio* inimicorũ tuorum, quia venditus redemit te, occiſus dilexit te, quia mori voluit pro te.

Chriſti apprehenſio.

SECVNDA meditatio dominicæ paſſionis eſt circa venditi captionem, debet enim mens deuota meditari, quam voluntarie ſaluator noſter ſe obtulit, quam violenter & crudeliter cum gladiis & fuſtibus captus & detentus fuerit, quam efficaciter volentibus diſci-

pulis

pulis gladio percutere, & captionem ſuam impedire, A ne percuterent, prohibuit, quam duriter ligatus & conſtrictus fuit, quam viliter deductus de loco ad locum & vinctus, quaſi vilis latro per vicos & plateas fuſtigatus fuit. Iuxta quod in Tren. 4. dicitur; *ſpiritus oris noſtri Chriſtus dominus, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus, ſub vmbra tua viuemus.* Maximè autē mouere debet conſideratio cauſæ pro qua ligari voluit, ſcilicet vt nos compeditos, à vinculis culpæ & pœnæ abſolueret. Auguſt. *ligatur qui ſoluit compeditos.* Anſelm. *quomodo lætabor de libertate mea, quæ non eſt niſi de vinculis tuis? qualiter gratulabor de ſalute mea, cum non ſit niſi de doloribus tuis? quomodo gaudebo de vita mea, quæ non eſt niſi de morte tua?* Hîc etiā conſiderandum eſt quòd dominus in ſeptē locis fuit ligatus; In præſepio, in horto in domo Annę, in domo Cayphę, & in domo Pylati; in B prætorio ad columnam, in crucis patibulo, In ſepulchro; vt à nexibus ſeptem vitiorum capitalium nos diſſolueret, & vincula noſtra diſrumperet, vt Sampſon ſeptem funes philiſtinorum Iudic. 16.

Chriſtus ſeptem in locis fuit ligatus.

Chriſti illuſio.

Chriſtus quatuor in locis fuit illuſus.

Tertia meditatio dominicæ paſſionis eſt circa capti & detenti illuſionem. Notandum autem quòd illuſus fuit in quatuor locis, in domo Cayphæ, Pylati, Herodis, & cruce. O quantum nos mouere ad compaſſionem debet, qualiter in domo Cayphæ facies ſole ſpecioſior, fuit ſputis viliſſimis Iudæorum inquinata, alapis cæſa, blaſphemiis inhoneſtata; In ludibrium velata, de prophetatione eum cædentium palmis interrogata. O quantum ſit ſummo regi compatiendum, qui in Pilati atrio pro nobis, veſtimentis propriis exuitur, & in ludibrium tanquam rex fatuorum purpura circundatur, ſpinis coronatur, falſo adoratur, & rex Iudæorum vocitatur, & tanquam non valens ſaluare, & longè à ſalute ſua falſo ſalutatur, & arundine caput eius, angelis tremendum, & venerandum ſpiritibus beatis percutitur, & tanquam fragilis vel nulla ſit eius potentia, baculus arundineus in manu eius dextera, pro ſceptro regio ponitur, & tanquam ſit vermis viliſſimus & immundiſſimus conſpuitur, & tanquā ab omnibus ſit contemnendus, conuocata tota cohorte Iudæorum, ab ipſis & gentibus illuditur multipliciter, & irridetur, altiſſimus Dei altiſſimi filius, rex regum, dominus Sabaoth, & gloria angelorum, & ſalus iuſtorum, & decus beatorum. O quantum nos ad compatiendum perurgere debet angelorum & cœlorum regis illuſio, facta coram Herode D terreno & iniquo rege, cum ab ipſo & toto eius exercito contemnitur, & tanquam fatuus indutus veſte alba & illuditur & irridetur, & à curia eius ejcitur, & Pylato iudicandus remittitur. O quantum viſcera Chriſtiana, debet concutere illuſio quarta, quæ fuit cum Rex Iſraël & pater miſericordiarum, miſericordia hoc faciente, affixus eſt in cruce, pendens & effundens viſcera miſericordiæ ſuæ, ob ſalutem & redemptionem noſtram, vbi à principibus & ſummis ſacerdotibus & ſenioribus, ſcribis, & populis, militibus, & etiam ab ipſis condemnatis, & cum eo crucifixis latronibus, à pretereuntibus & caput commouentibus, felle & aceto in ſiti ſua potatur, ſubſannatur, blaſphematur, irridetur, & vituperatur. O vtinam bone ſenſu opprobria exprobrantium tibi ſuper me E cadant, vt cor meum durum ad compunctionem commoueant.

Chriſti flagellatio.

Qvarta meditatio dominicæ paſſionis eſſe debet circa illuſi flagellationem, debet enim anima Chriſtiana profundius cogitare qualiter fuit Chriſtus flagellatus multipliciter & attritus, videlicet flagellis linguarum blaſphemantium, alaparum cædentium, ſpinarum pungentium, ſputorum deturpantium, flagellorum diſrumpentium, arundinis, & lanceæ. Iſa. 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* O vtinam bone Ieſu diſciplina tua me doceat, me moueat, me ſanet, & ideo pacificet. Hîc anima Chriſtiana Chriſti ſanguine pretioſo redempta diutius immoretur, profuſius meditetur, quam viliter ſit cōſputus, quā nequiter alapis & colaphis laniatus, quā crudeliter ligatus ad ſtipitē, & virgis & funiculis toto corpore laceratus. Quomodo illa caro virginea innocens & tenella, vndique in membris omnibus ſit dirupta, & ſuo ſanguine cruentata, hæc eſt regis noſtri veſtis purpurea, cruore Chriſti roſeo rubricata. Habuit etiam rex noſter arundinem pro ſceptro, ſicut legitur, *percutiebant caput eius arundine.* Habuit & coronam non auream vel argenteam, non lapidibus pretioſis ornatam, ſed ſpinis pungentibus fabrefactam; non in honore perſonæ vel capitis ornamentum, ſed potius in ignominiam, opprobrium, ac etiam cruciatum.

Chriſti condemnatio.

Chriſtus in quatuor curijs condemnatus eſt.

Qvinta meditatio dominicæ paſſionis eſt circa flagellati condemnationem, fuit enim dominus mendaciter & nequiter accuſatus, iudicatus, & cōdēnatus iniuſtè in quadruplici curia. In curia Annæ iudicatus eſt percutiēdus. In curia Cayphæ morte dignus, In curia Herodis irridendus tanquā fatuus, & tanquam impotens contemnendus. In curia Pylati crucifigendus. Qui autem ab hominibus iniuſtè iudicatus eſt, iuſtè homines iudicabit. Iob. 36. *Cauſa tua tanquam impij iudicata eſt, iudicium cauſamque recipies.* Qui compatitur iniuſtè iudicato, iuſtè iudicanti conregnabit. Et qui non compatitur, tanquam ingratus tanto beneficio, ab ipſo iuſte iudicante condemnabitur.

Chriſti crucifixio.

Sexta meditatio dominicæ paſſionis eſt circa condemnati crucifixionem; circa quam quatuor amaranimis, & compaſsione digniſsima, conſiderare debemus. Primum eſt crucis baiulatio, quia videlicet propriis humeris crucis patibulum baiulauit, ille ſub quo curuantur qui portant orbem. Ioan. 19. *Exit ergo Ieſus portans ſibi neam coronam & purpureum veſtimentum, & baiulans ſibi crucem,* &c. Nota quid reſponderit illis ſanctis mulieribus, quæ plangebant & lamentabantur ſequentes eum: *Filiæ Hieruſalem nolite flere* &c. Secundum eſt eius omnimoda denudatio, Pſal. 21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,* &c. O quam verecundum fuit ei coram tanta populi multitudine denudari, cum eſſet honeſtiſſimus, maturus, & virgo pudiciſſimus: longe grauius ei fuit toto corpore denudari, quam ad columnam ligatum, membris omnibus flagellari, & carnem ſuam teneram diſſipari. Tertium eſt aceti & fellis amara potio, Pſalm 68. *Dederunt in eſcam meam fel* &c. Quartum eſt dolorosa crucis affixio, Pſal. 21. *fœderunt manus meas.* Cuius eſt cor tam ſaxeum, vel pectus tam ferreum, quod tam acuta non penetret, & tam pungitiua non compungant.

4° Crucifigentium conditio deteſtanda.

In Chriſti paſſione apparuit execranda Iuda cupiditas.

Septima meditatio dominicæ paſſionis eſt circa crucifixi occiſionem. Iſa. 53. *Tradidit in mortem animam ſuam* &c. Phil. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens,* &c. O quam crudelis fuit mors illa quæ vitæ peremit auctorem, quæ tam iucundum conſortium, tam amabile connubium, id eſt animæ ſanctiſſimæ & corporis nexum, tanto federe copulatum, diſſoluit; quam amariſſima fuit mors illa, per quam inebriata & repleta fuit amaritudine, dulciſſima mundi vita Bern. *Heu fratres, captiuorum libertas traditur, gloria angelorum illuditur, Deus omnium flagellatur, candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, conſputitur* &c. *vita omnium viuentium occiditur. Quid ergo reſtat nobis miſeris agendum, niſi vt eamus & moriamur cum eo?* Ioann. 11.

Chriſti occiſio.

De conditione deteſtanda pœnas inferentium.

DISTINCTIO XV.

Qvartò conſideranda eſt pœnas inferentium conditio deteſtanda. Ad hanc autem paſſionem inferendam pariter concurrerūt in proditore cupiditas, In Iudæis inuidentia, In Pylato timiditas, In Romanis truculentia.

In Iuda quidem fuit cupiditas execranda, quæ adeo cor eius irretiuit, & oculos excęcauit, vt omnium

beneſi-

beneficiorum ſibi factorum immemor & ingratus, & ſuæ ſalutis oblitus, Deum venderet, magiſtrum proderet, ſalutis auctorem morti traderet, ac per hoc viam ſalutis ſibi præcluderet, & finaliter deſperando ſeipſum laqueo ſuſpenderet, vnde Matth.26. *Videns Iudas quod damnatus eſſet*, &c. Sequitur *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Infelix mercator qui impretiabil pro pretio vili vendidit, & non ſolum pretium quod receperat perdidit, ſed etiam ſemetipſum, & incomparabiliter plus offendit dominum deſperando, quam Dei filium vendendo & tradendo.

Maxima Iudæorum inuidia.

IN Iudæis fuit inuidentia. Matth. 27. *Sciebat Pilatus quod per inuidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes.* Iſti bene oſtenderunt ſe filios eſſe diaboli, ſicut prædixit eis dominus, Io.8. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Scriptum eſt autem Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* imitantur autem eum qui ſunt ex parte illius. *Iſti fuerunt* ſtultiſſimi, ſummam ſapientiam contemnendo, vel potius odiendo Deutero.32. *Hæccinè reddis Domino populeſtulte & inſipiens?* Sap.15. *Inſipientes, & maligni oderunt ſapientiam. Fuerunt* amariſſimi, vinum myrrhatum propinando. Ier.2. *Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis aliena.* Oſeæ 12. *Ad iracundiam me prouocauit Effraim, in amaritudinibus ſuis. Item* fuerunt viliſſimi, pretioſum pretium contemnendo; ſanctum datum eſt canibus, pretioſa Margarita proiecta eſt ante porcos. Iſ. 53. *Abſconditus eſt vultus eius, & deſpectus, nec reputauimus eum.* hoc dicit in perſona crucifigentium. *Item* fuerunt crudeliſſimi, mortuo non parcendo, Ier. 22. *Facta eſt mihi hæreditas quaſi leo in ſilua* &c. *Item* fuerunt ſceleratiſſimi in ſanctum Iſraël, manus violentas & ſacrilegas iniiciendo. Iſa.1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate ſemini nequam filijs ſceleratis, dereliquerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël*, &c. *Item* fuerunt ingratiſſimi, & peruerſiſſimi, malum pro bono reddendo, & bona in malum peruertendo. Deutero.32. *Generatio prauа atque peruerſa.* Ier. 18. *Nunquid redditur pro bono malum? Item* fuerunt inſaniſſimi, in manus medici mordendo, medicinas conculcando, & ipſum medicum occidendo. Auguſt. *O cæcitas Iudæorum ô furor freneticorum, dicentium:* Noli dimittere hunc, ſed Barrabam. Gen.49. *Maledictus furor eorum quia pertinax; & indignatio, quia dura.*

Pilati timiditas.

IN Pylato fuit timiditas: timuit enim Cæſarem offendere, & perdere principatum, & non timuit ſummum imperatorem offendere, & ſummum principem per quem principes imperant, comdemnare. Chriſo. *Facile deuiat à iuſtitia, qui in cauſis plus hominem quam Deum formidat.* De Timore mundano, Require ſupra.

Romanorũ truculentia.

IN Romanis fuit truculentia, manibus ſuis flagellando, conſpuendo, colaphis cædendo, corona ſpinea coronando, veſtibus ſpoliando, crucifigendo, aceto & felle potando, latus aperiendo, & huiuſmodi. Hæc enim omnia fecerunt Romani, ſed ad inſtantiam Iudæorum, ſicut dicit ipſe dominus Matth.20. *Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

De comparatione paſſionis ad ipſum parientem.

DISTINCTIO XVI.

5. Chriſti patientis ſublimitas veneranda.

QVinto conſideranda eſt Chriſti paſſio per comparationem ad ipſum patientem. Sunt autem circa hæc ſ. ptem attendenda. Quorum primum eſt patientis excellentia ſumma, & econtra paſſionis ſumma deiectio. De ſumma eius excellentia. Phil. 2. *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* De ſũma eius abiectione ſtatim ſubdit, *exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*, &c vſq; illuc, *mortẽ autem crucis.* Gl. *Exinaniuit ſemetipſum vſque ad incarnationem, vſque ad mortalitatis humanæ participationem, vſque ad diaboli tentationem, vſque ad populi deriſionem, vſque*

Chriſti ſumma abiectio.

A *ad ſputa & vincula, alapas & flagella, & ſi hoc parum eſt aliquid de genere mortis addendum eſt, non cuiuſcunque, ſed crucis, quæ cæteris ignominioſior.* Item Bern. *quanto minorem ſe fecit humilitate, tanto maiorem ſe oſtendit in bonitate; & quanto fuit vilior, tanto mihi eſt charior.* Idem ſuper can. *O humilem & ſublimem, ô altiſſimum & nouiſſimum, ô opprobrium hominum & gloriam angelorum, nemo ſublimior, & nemo deſpectior.* De vtilitate eius idem Bern. *Eſto vilis quantum poteris, nunquam Chriſto vilior eris. Ipſe ſiquidem rex regum & dominus dominantium, ſuit viliſſimo pretio venalis expoſitus, à viliſſimo populo viliſſima paſſus in viliſſimo loco crucifixus, & viliſſimo crucis ſupplicio traditus, & inter latrones poſitus, cum iniquis & viliſſimis hominibus deputatus, & modo viliſſimo eſt tractatus. Etenim tanquam malefactor bonus dominus capitur,*

B *tanquam furioſus manſuetus vinculis conſtringitur, tanquam peſtifer ſaluator accuſatur & arguitur, & tanquam fatuus Dei ſapientia irridetur, tanquam homicida vita hominum morti damnatur, tanquam leproſus & immundus mundator criminum extra menia ejcitur, tanquam latro crucifigitur, tanquam flagitioſiſſimus confutandus ab omnibus, & intuendus ab omnibus nudatur, & confuſione indutus, ab omnibus fuſtigatur, & tanquam vermis viliſſimus ſummus dominus conſpuitur, abijcitur, occiditur, & conculcatur.*

Chriſti innocentia, & puritas.

SECVNDO conſideranda eſt circa perſonam patientis, innocentia & omnimoda puritas, ſeu immunitas à peccato. Ipſe eſt enim *qui peccatum non fecit*, &c. prima Pe.2. Et tamen morti traditur pro peccato, innocens occiditur, & peccator liberatur. *Deus enim qui dites eſt in miſericordia, propter nimiã charitatem ſuam qua dilexit nos, filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum.* Ro. 8. Hîc eſt ſerpens æneus habens quidem ſimilitudinem ſerpentis, ſed non venenum. Sic Chriſtus habet ſimilitudinem carnis peccati, ſed non habet peccatum: & ſicut qui mordebantur à ſerpentibus, aſpicientes illum, ſanabantur à morſibus ſerpentum, ſic qui deuota fide reſpiciunt Chriſtum pendentem in cruce, ſanantur à morſibus peccatorum. Mirum valdè eſt & ſtupendum, quod Deus ſummè iuſtus, vnigenitum ſuum dilectiſſimum innocentem occidi voluerit pro liberatione omnium peccatorum. Anſelm. *O amantiſsime iuuenis quæ fuit cauſa vt ſic patereris? Certè ego cauſa ſum, doloris tui* Iſ.53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, & infrà. *Ipſe peccatum multorum tulit.* 1.Pe.2. *Peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuo ſuper lignum.* vnde benè præfiguratus eſt per hyrcum emiſſarium, qui peccata populi portabat in deſertum, de quo dicitur Leui. 16 *Quod Sacerdos omnes iniquitates filiorum Iſraël, & vniuerſa delicta atque peccata eorum, imprecans capiti eius, emittebat eum.* & hoc eſt quod dicitur Iſa. 55. *Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrũm.* Dauid quando vidit populum innocentem pro culpa ſua occidi, pro eius liberatione mori poſtulauit, econtra Chriſtus innocens mori voluit pro populo peccatore, vt qui mortem meruerat non moreretur, & qui mortem non meruerat; moreretur.

Chriſti mira patientia.

TERTIO circa perſonam patientis conſideranda eſt eius mira patientia; ad quam declarandam dicitur in perſona eius Ier. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*, & Iſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Item Iſa.42. *Non erit triſtis neque turbulentus*, &c. Cæterum quod voluntariè pateretur, oſtendit multipliciter; quia quærentibus ſe occurrit, non agnitus, ſe obtulit, agnoſci ſe fecit, volentes impedire prohibuit, non fugit, non diuertit, non murmurauit, non ſe defendit, nec defendi permiſit, accuſantibus ipſum mendaciter, non reſpondit, quin potius ipſe ſeipſum tradidit & expoſuit paſſioni. Tren.3. *Dabit percutienti ſe maxillam.* Iſ. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Et Iſa. 53. *Tradidit in mortem animam ſuam.* Item Epheſ.5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemeipſum pro nobis oblationem & ho-*

ſtiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtiam Deo &c. Hæc etiam prædixit Sybilla. *Conuenient* ait *ſacerdotes Hebræorum contra illum qui multa ſigna faciet, & comprehendent eum; dabunt autem alapas Deo manibus inceſtis, & in vultu ſacro conſpuent venenata ſputa: dabit vero ad verbera ſimpliciter dorſum ſuum, & colaphos accipiens tacebit. Ad cibum autem ſel, & ad ſitim acetum dabunt, & ſuſpendent eum in ligno, & nihil valebit eis, quia tertia die reſurget.* Vnde Iſa. 42. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui.* Et ſap. 15. *Tu autem Deus noſter ſuauis & verax es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia.* Benè opus noſtræ ſalutis in miſericordia diſpoſuit, quando pro crucifixoribus ſuis orabat, dicens: *Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt,* Vnde Bern. *Caput tremendum cæleſtibus ſpiritibus, ſpinarum denſitate configitur, oculi nitidiores ſole in morte caligant. Aures audientes cantus angelicos audiunt peccatorum inſultus, dicentium, crucifige crucifige eum, os quod docet angelos, felle & aceto potatur; facies ſpecioſa præ filijs hominum, ſputis Iudæorum deturpatur; manus quæ cœlos fundauerunt, cruci clauis affixæ extenduntur; pedes quorum ſcabellum adorandum, quia ſanctum eſt, cruci clauis aſtringuntur. Quid plura, linguam habuit liberam ad orandum, & matrem ſuam dilecto ſuo diſcipulo commendandum.*

Chriſti perfecta obedientia.

QVARTO circa perſonam patientis conſideranda eſt inuicta obedientia, de qua dicitur Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens,* &c. O vere mira pietas Dei patris, quæ ex amore nimio, filio ſuo obedientiam talem dedit; & nimis miranda charitas filii, qui tam duram & tam aſperam obedientiam, piè iucunde & deſiderabiliter impleuit, quam ardenter appeteret paſſionem exprimebat, dicens Lucæ. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* Et Ioan. 4. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.*

Chriſti omnium Domini extrema penuria, vt patet ex 7

QVINTO circa perſonam patientis conſideranda eſt ſumma bonorum omnium affluentia quantum ad dominium, & extrema penuria quantum ad poſſeſſionem & vſum. Nam ipſe qui eſt rex regum & dominus dominantium, immo qui creator & dominus eſt omnium, ſicut nudus egreſſus eſt de vtero matris ſuæ, ſic nudus egreditur, nihil terrenum vel temporale prorſus retinens, nihil habens, ideo Tren. 3. *Recordare paupertatis meæ.* quod maxime patet, & patuit in his ſeptem. In nullius theſauri vel pecuniæ poſſeſſione, quia nō habuit vnde vitā ſuam redimeret. In amicorū amiſſione, quia non fuit qui pro ipſo coram iudice ſtaret. In veſtium nudatione, quia non habuit quo carnem operiret. In terræ ſubtractione, quia non habuit de ea vbi pedem figeret. In cibi & potus ſublatione, quia non habuit quid biberet aut comederet, pauper fuit à domo & lecto ſibi deficientibus, quia in cruce non habuit vbi caput reclinaret, pauper fuit à membrorum incolumitate & libertate, quia non habuit membrum à paſſione liberum de quo ſe iuuare poſſet, niſi linguam aceto & felle ad vltimum impeditam.

Chriſti immenſa charitas.

SEXTO circa perſonam patientis conſideranda eſt immenſa affectio charitatis; nam domina charitas, quę mater eſt & regina virtutum omnium, ipſum plene & poteſtatiue poſſedit, ex cuius inæſtimabili fornace progrediens zelus ardentiſſimus animarum, ipſum de cœlis eduxit, in hoc exilium mundanum adduxit, tunicula noſtræ carnis & mortalitatis veſtiuit, paupertatem extremam induit, cum peccatoribus conuerſari fecit tanquam medicum cum infirmis, pro nobis ieiunare, vigilare & in orationibus pernoctare, prædicando diſcurrere, & diſcurrendo fatigari; eſurire, ſitire, frigora & caumata ſuſtinere, contumelias, blaſphemias, opprobria, ludibria, contradictiones in verbis, inſidias mortis, & tentationes in factis, tandem & ipſius mortis ſupplicium ſuſtinere, & pro nobis animam ſuam ponere, & à ſacratiſſimo ſuo corpore ſeparare. 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei in nobis, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit. Maiorem autem dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* Ioan. 15. Reuera dulciſſime Ieſu, tu maiorem habuiſti, qui tuam beatiſſimā animam pro inimicis, actualiter nequiſſima voluntate perſequentibus poſuiſti, pro te deridentibus, blaſphemantibus, & crucifigentibus exoraſti, & plus iniquitatibus eorū quam tibipſi compatiens longè plus de ipſorum ingratitudine & damnatione, quam de paſſionis tuæ ſupplicio doluiſti. Vnde ait quidam. *Homo vide quæ pro te patior, ad te clamo qui pro te morior: vide clauos quibus confodior & dolores quibus afficior, cum ſit tantus dolor exterior, intus tamen planctus eſt grauior, tam ingratum te dum experior.* Propter paſſionem ſuam nunquam Chriſtus fleuiſſe legitur, ſed pluries ex compaſſione pro nobis, qui etiam mulieribus, ipſum ad paſſionem ſequentibus & flentibus dixit, quod non de ſua paſſione dolerēt, ſed ſuper ſeipſas & ſuper filios ſuos flerent. Ber. in perſona animæ ſanctæ dixit. *Neſciui quod me tantum diligeret Deus, amplius mihi vilis eſſe non debeo, qui Deum pro me crucifigi & mori conſpicio; qui tantum ei placui, vt pro me mori eligeret ne me perderet.* Auguſt. de ſymbolis. *Hic pro amore tuo non timuit Iudæos armatos venientes, nec iudices iniuſte iudicantes, nec coronam ſpineam imponentes, nec veſtimenta diuidentes, nec fel & acetum propinantes, nec milites irridentes, nec inimicos ſubſannantes, nec crucem, nec lanceam, nec mortem; & hæc cum fierent, Deus virtutum negocium tuum agebat, quæ non rapuerat, tunc exoluebat.*

Chriſti ſumma largitas.

SEPTIMO circa perſonam patientis conſideranda eſt ſumma diffuſio largitatis, ex ſumma enim charitatis affectione proceſſit, quod omnia ſua, ſuos, & ſe totum nobis exhibuit, & expendit Bernard. *Totus expenſus eſt agnus in vſus noſtros: ex extenſione enim brachiorum & membrorum oſtendit, quod tantum nos dilexit, quantum diligere potuit: cuius dilectionis formam puer parvulus* cum fari incipit, interrogatus ab aliquo quantum eum diligat, poſt quam reſpondit plura, ad vltimum extenſis brachiis & manibus quantum potuit, & inclinato capite in modum crucifixi, dixit; tantum vos diligo; quaſi dicet, totū me expono amori veſtro, & exhibeo vobis quicquid ſum, quicquid poſſum; tantum vos diligo quod exprimere nequeo verbo; ideo quod indicibile eſt, exprimo ſigno. Quomodo ſe totum diuerſimodè dedit nobis, videlicet in fratrem, ſocium, & amicum &c. *Re. ſupra de beneficio incarnationis.* Hic eſt exceſſus amoris & amoroſiſſimæ largitatis, de qua loquebantur *Moyſes & Helyas viſi in maieſtate,* ſicut dicitur Lucæ 9. Vide quanta fuit eius charitas qui in paſſione ſua & cruce, de ſe & de ſuis, tot fecit xenia largitatis. Etenim corpus dedit crucifixoribus, dorſum flagellatoribus, faciem cædentibus & conſpuentibus, genas percutientibus, barbam vellentibus cor redire volentibus, veſtes dedit luſoribus, ſanguinem reis, ſudorem infirmis, fontem lateris immundis, lachrymas perditis, diſcipulo matrem, Symoni Cyreneo crucem, paradiſum latroni, animam patri, vitam morti. Item quidam de verbis Bern. quædam accipiens & addens, ait. *Vere largus eſt ille diſpenſator, qui carnem ſuā dedit in cibum & ſanguinē in potum, animam in pretium, vulnera in remedium, brachia in refugium, crucem in clypeum, cor in amoris iudicium, aquam in balneum, ſudorem in medicamentum, clauos in ſalſamentum, ſpinam coronam in ornamentum, verba in documentum, vitam & mortem vtrunque in exemplum.* Hi ſunt duodecim fructus ligni vitæ. Apoc 22. Et duodecim panes in menſa propoſitionis Leuit. 24.

De acerbitate paſſionis Chriſti.

DISTINCTIO XVII.

6. Dolor exceſſiuus Chriſti in paſſione.

SExto circa ipſam Domini paſſionem conſideranduſ eſt acebitas doloroſa, & doloris immenſitas exceſſiua Hier. 8. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.* Tren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Apparet autem maximus & grauiſſimus fuiſſe dolor iſte multiplici ratione. Primo quidem fuit

dolor

dolor passionis Christi grauissimus, ratione personalis conditionis. Secundo ratione complexionis. Tertio ratione diffusionis. Quarto ratione præcognitionis Quinto ratione separationis. Sexto ratione paruipensionis.

Acerbitas doloris Christi, oritur 1. ex conditione personæ.

PRIMO quidem fuit dolor acerbissimus ratione conditionis personæ,& econtra passionis inflictæ;videlicet quòd tam magnus nobilis & excellens,tractaretur tam viliter;tam pius,tam crudeliter;tam innocens,tam dure;tantus amator, tam hostiliter; tam voluntariè se offerens,tam violenter. De quo vide supra, vbi agitur de passione, per comparationem ad personam patientis.

2. ex nobilissima complexione.

SECVNDO fuit dolor grauissimus ratione complexionis nobilissimæ.Quanto enim complexio melior,& caro magis à corruptione remota,tanto pugna est durior,dissolutio grauior,& angustia maior. Cum igitur in Domino Iesu Christo,caro fuerit mundior & viuacior, & à corruptione peccati prorsus immunis; & complexio conuenientior quam in cæteris hominibus; Ideo maior fuit sensus doloris in eius læsione, maior doloris violentia, & vehementior angustia passionis. propter quod ad considerationem huius doloris inuitat dicens,Thren.1.*O vos omnes qui transitis* &c.Et infra. *Attendite vniuersi populi,& videte dolorem meum,*

3. ratione diffusionis.

TERTIO dolor Dominicę passionis fuit grauissimus ratione diffusionis, quia passio fuit generaliter in omnibus membris eius; non enim habuit dolorem particularem in vnico solum membro,sed dolor vehementissimus se transfudit per omnes eius artus, & per totũ corpus. Vulneratus est enim in locis,vbi venę & nerui totius corporis conueniunt, scilicet in manibus & pedibus & corde;quibus disruptis sanguis de toto corpore effusus est, & dolor per totum corpus diffusus. Cui competit quod dicitur Ier.10. *tabernaculum meum vastatum est*,ideſt corpus,*omnes funiculi eius disrupti sunt*, funiculi venæ & nerui sunt. in signum huius generalis doloris, cum omnia membra eius fuissent passione afflicta,sola lingua videbatur immunis derelicta. Ideo quã cito fel & acetum lingua degustauit, statim *consummatum est* proclamauit, & spiritum, inclinato capite emisit.

4. ratione præcognitionis.

QVARTO fuit dolor grauissimus ratione præcognitionis apertissimæ; præcognouit enim Christus quantus esset dolor futuræ passionis & mortis,cuius appropinquantis imaginatio,vsque ad sudorem sanguineum eum arctauit. non enim bibit passionis calicem oculis clausis, vt non prę uideret internam amaritudinem, vt faciunt qui mortem non timent, qui angustias eius nõ vident; sed visum exhorruit cum pro salute nostra bibit.

5. ratione separationis amarissima.

QVINTO fuit dolor acerbissimus ratione separationis amarissimæ; quanto enim aliqua duo magis sibi inuicem copulantur,tanto cum maiori dolore,& non nisi maiori violentia separantur. Cum igitur maiori & fortiori vinculo naturalis amoris, corpus & anima in Christo pluſquam cæteris hominibus fuerint copulata,maior & vehementior fuit dolor in separatione. Videmus sensibiliter quòd quanto quis habet vxorem magis dilectam, promptius obedientem sibi,& melius seruientem,& ad nutum suum omnia facientem, tanto magis dolet de morte eius, vel separatione: sic Dominus Iesus Christus habens carnem omnino subiectam spiritui, & super omnes homines obedientem ei, super omnes pro separatione eius dolere debuit, nisi quia dolorem illius minuit & detinuit ineffabilis eius pietas,& amor nostræ salutis.

6. ratione paruipensionis ingratissima.

SEXTO fuit dolor passionis acerbissimus ratione paruipensionis ingratissime, cui tunc ingrati fuerunt Iudęi,& sunt adhuc hodie Christiani. Videbat quidem manifeste ingratitudinem Iudæorum quos ab ergastulo Ægypti liberauerat, mare transduxerat, manna parauerat, legem docuerat, in columna præcesserat, hostes eorum prostrauerat, terram optimam eis dederat, Prophetas eis miserat, & post multa alia beneficia, ad complementum omnium;ipse ad salutem eorum Saluator omnium venerat. Post prædicationis eius instructionem, post perfectionis viarum demonstrationem, post regni cœlestis expositionem, post miraculorum tantam coruscationem, post infirmitatum suarum tantam curationem, post sacramentorum salutis tam salutarem institutionem;manus sacrilegas in eum proijcientes, ceperunt, ligauerunt, illuserunt,flagellauerunt, dãnauerunt, crucifixerunt, & occiderunt. Ierem.18.*Nunquid redditur pro bono malum?* Psal.37. Retribuunt mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meę. Glo.ibi.*Ego attuli fœcunditatem, illi reddebant sterilitatem; ego honores,ipsi contumelias;& ego medicinas,& ipsi vulnera; ego vitam,& ipsi mortem intulerunt.*

MAXIME autem doluit pro ingratitudine populi Christiani, pro quo maiora facturus erat, quod præuidebat;quibus daturus erat legis nouæ documenta,gratiæ sacramenta,virtutum ornamenta,salutis munimenta;tot probitatis & sanctitatis exempla, pro quibus effudit tot viscera misericordiæ, tot fluenta gratiæ; quibus dedit tot refugia pugnę, tantam spem veniæ; tot aperuit semitas iustitiæ,tot ostendit signa amicitiæ, tot remouit impedimenta gloriæ,tot dedit solatia præsentis miseriæ, tot contulit ad victoriam laboris pœnitentiæ,tot cooperantia futuræ coronæ. Contra ingratitudinem Christianorum,maximè circa beneficium Dominicæ passionis,potest dici illud Bern. *O bone Iesu quã dulciter cum hominibus conuersatus es, quam magna & abundanter eis largitus es, quam dura & aspera pro eis passus es,dura verba, duriora verbera,durissima & horrendissima crucis tormenta.* Idem.*Non valuit opus suum reparare nisi cum ista difficultate; valuit quidem,sed maluit cum iniuria sui,ne odiosum vitium ingratitudinis vltra in homine reperiret, sed vt multæ dilectionis debitorem hominem faceret, commoueretque ad gratiarum actionem, quem minus fecerat gratum felicitas creationis, vbi dixit & facta sunt, mundum & creata sunt.* Idem.*Sub spinato capite non debet corpus luxuriare:ego coronam spineam,& tu in capite habes sertum de floribus; ego clauos defixos, & tu cyrothecas habes in manibus;tu in albis vestibus tripudias,& ego in albis vestibus ab Herode fui derisus; tu tripudias cum pedibus,& ego laborani pro te clauis defixis in pedibus; ego habui pro te brachia extensa ad crucis patibulum, tu in choreis ad modum crucis brachia extendis in meum opprobrium; ego in cruce dolui,& tu in chorea exultas,tu habes latus apertum,& pectus, in signum inanis glorię & luxuriæ, & ego pro te latus fossum habui mucrone diræ lanceæ; veruntamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego recipiam te.* Item Bern. *Respice oculo mentali ô homo quanto remunerationis debito astringaris Domino patienti pro te. Respice sanguineum sudorem, alaparum contumeliã flagellorum instantiam,coronam spineam, sputa, ludibria, crucis angariam, & patibuli suspendium,oculos languidos,oris pallorem,fellita cibaria, acida poculà, caput inclinatum, geniculationes, irrisiones, titulum famosum,sortem vestimentorum,geminatum crucifige.Et quid plura, vilißimum mortis supplicium, & probra nefandißima.* Idem.*Hic profundit Saluator noster totius suæ charitatis profluuium, & totius pietatis suæ plenitudinem; nihil est vnde magis appareat quod ingrati sunt, quàm qui tantæ gratiæ ingrati existunt.* Ideo dicitur Eccles. 29. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim animam suam pro te.* Inde ergo tanti negociatoris dolor est maximus, quod impretiabilis eius sanguis ab ingratis ita turpiter vilipenditur, immo viliter conculcatur,& non solum non recognoscitur, verumetiam iniquis operibus impugnatur. hoc etiam dolorem eius nimis exaggerat, quod de tam pretiosis suis mercibus, fructum tam modicum reportauit.

De deuotione compatientium Christo.

DISTINCTIO XVIII.

Deuotio viscerosa compatientium Christo.

SEPTIMO circa Domini passionem consideranda est compatiẽtium Christo deuotio viscerosa. Multum mouere solet ad fletũ in aliquo funere vox lamentantium

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tantium & mærentium. Sic à nobis debent lachrymas extorquere, & cordium noſtrorum duritiam penetrare. Primo compaſſio pia fidelium, qui præſentes in paſſione fuerunt. Secundo etiam aliquorum infidelium ſeu gentilium, qui viderunt. Tertio compaſſio Angelorum. Quarto compaſſio ſanctorum, qui à mortuis reſurrexerunt. Quinto Prophetarum, qui prædixerunt. Sexto ſanctorum noui teſtamenti, qui Chriſtum patiẽtem non viderunt. Septimo irrationabilium creaturarum, quæ ſigna compaſſionis aliqualiter oſtenderunt.

Compaſſio præſentiũ S. B. Virginis.

DE paſſione fidelium dicit Bern. *Expanſis in cruce manibus dedit triſtum malignantibus, & fletum fidelibus, factuſque eſt omnibus deriſus, qui ſolus poterat eſſe terrori.* Mouere autem debet nos maximè iſtorum piorum pietas compaſſionis, ſcilicet B. Mariæ matris Domini, Beati Petri Apoſtoli, latronis dextri, Ioſeph & Nicodemi, mulierum ſequentium, mulierum ad monumentum venientium, & præcipuè B. Mariæ Magdalenæ. Cuius autem pectus ferreum non vrgeat, cor ſaxeum non emolliat, mentem non concutiat, viſcera non commoueat, commotio viſcerum tuorum, & effuſio lachrymarum, ô dulciſſima domina, ô mater miſericordiarum piiſſima, ô Maria benigniſſima; cum ante oculos tuos cerneres prolem tuam tam nobilem, pati tam ignobilia; tam piam, tam impia; tam manſuetam & innocentem, tam dira atque dura! quis poſſit dignè cogitare, vel lingua exprimere, quam maximus fuit dolor tuus, quam profunda credantur eſſe tua ſuſpiria, amariſſimus gemitus, immẽſi cordis tui rugitus, inundatiſſimi lachrymarum tuarum fluctus, vehementiſſimæ anguſtiæ, ſingultus violentiſſimi, viſcerum tuorum diuulſus, quando iuxta iuſti Simeonis vaticinium, paſſionis Chriſti gladius acutiſſima tua viſcera penetrauit, mors eius amariſſima tuam ipſius animam tranſuerberauit. O quam accumulauit ſuper te, qua te opprimeret compaſſionis vehementiam, & quaſi parturientis anguſtiam Deus; & qui te lætam & ab omni anguſtia immunem in partu tuo virgineo effecit, & de te Deus & homo natus, te ſuper parturientis anguſtiam dolor eius affecit, quando coram oculis tuis, benedictus fructus ventris tui, paſſus, crucifixus, & occiſus eſt, vt merito poſſes dicere quod dicebat illa vetus Noemi quondam, Ruth 1. *Nolite me vocare Noemi*, ideſt pulchram, *ſed vocate me Mara, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Credo veraciter quod ex paſſionis vehementia fuiſſet mortua, niſi ſpes certa propinquæ reſurrectionis eius dolorem refrenaſſet.

B. Petri.

CONTRITIO etiam beati Petri, & paſſionis Chriſti compaſſio, & luctus eius amariſſimus, ad compaſſionem & fletum nos debet prouocare, quem oculi Domini lucidiores ſole reſpicientes illuminauerunt, vt peccatum trinæ negationis ſuæ aduerteret, erubeſceret, & doleret, & vt Regem gloriæ tam ignominioſè & dura pati attenderet, & ei condoleret. Glo. *Dominus inter flagella Petrum lachrymantem oculo miſericordiæ reſpexit, quaſi diceret: Plus doleo de peccato tuo, quam de meo flagello.* vnde quaſi ſi eius paſſionem aſpicere non valeret, foras exiuit, vt habenas lachrymis liberius laxaret; nec ſolum foras exiit, immo etiam in ſpelunca ſe incluſit, vbi ab amaritudine fletus non ceſſauit, vſquequo eum Dominus reſurgens & apparens confortauit. Vnde dicit magiſter Petrus comeſtor, & legitur in Clementis itinerario, quod audito galli cantu Petrus ſemper ad orationem ſolebat ſurgere, & recolere ſuam negationem, & Domini paſſionem, lachrymaſque vberrime effundere.

Latronis.

TERTIO quis non ſtupeat dextri latronis tantam fidei illuminationem & firmitatem, vt cum viſo Domino in tanto paſſionis diſcrimine, vt omnia cœli luminaria, excepta beata Virgine, à firmamento fidei ceciderint ipſe in eum credat? Quem non moueat eiuſdem, Regis cæleſtis, recognitio; & ad eum conuerſio, & eius adhæſio, quãdo ſui relicto eo fugerunt? Quem non pietatis viſceribus emolliat eiuſdem defenſio Domini, & iuſtificatio, & ſui accuſatio, cum diceret ei qui à ſiniſtris Domini blaſphemabat: *Neque tu Deum times cum in eadem damnatione ſis: & nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit?* Quem non moueat pia ad Deum conuerſio, & humilis & deuota ſupplicatio eius, & petitio, dicentis: *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum?*

Sanctarum mulierum.

QVARTA compaſſio fuit filiarum Hieruſalẽ. Quis Chriſtianus non lamentetur cum lamentantibus, & fleat cum flentibus filiabus Hieruſalem, ſi cordis greſſibus, ſequatur cum ſequentibus Dei filium, pro ſuis peccatis ductum ad ignominioſum crucis ſuſpendium?

Ioſephi & Nicodemi.

QVINTO compaſſi ſunt Domino Ioſeph & Nicodemus. Quis enim non moueatur qui recogitet cum quanta audacia & inſtantia, ille Ioſeph Decurio nobilis, corpus IESV à Pilato petierit; & cum quanta cordis lætitia, munus illius nobilis funeris ſibi datum accepit, cum quanta deuotione credendum eſt, quod illud corpus Dominicum de patibulo depoſuerit, cum quam charis amplexibus illud deportauerit, quam reuerenter tractauerit illud Dei templum, quam dulciter oſculatus fuiſſe credendus eſt illud Dei ſanctuarium, quantis lachrymis aſperſiſſe creditur, & lauiſſe loca vulnerum, cum quanta diligentia creditur abſterſiſſe & retinuiſſe ſtillas & aſperſiones ſanguinum eius: cum quanta pietate creditur aſpexiſſe liuores flagellorum, cum quanta deuotione ligaſſe, in munda ſindone inuoluiſſe, & in nouo ſepulchro poſuiſſe. De quo Anſelm. *Vtinam cum fælice Ioſeph Dominum meum de cruce depoſuiſſem, aromatibus condidiſſem, in ſepulchro collocaſſem; aut ſaltem proſecutus eſſem, vt tanto funeri non deeſſet aliquid officij mei.* Quis cogitet cum quanta deuotione Nicodemus tot libras myrrhę & aloës attulit, quibus corpus, quod tot paſſiones pertulerat, non ſine multa lachrymarum admixtione liniuit, vt æſtimo.

Amicorũ & notorum.

SEXTO inter fideles compaſſi ſunt Domino amici eius & noti qui à longe ſtabant, & paſſionem eius cernebant; quia forſitan præ dolore paſſionem eius cernere de prope non valebant. quanto piè credi poſſunt pietatis ſigna oſtendiſſe, & lachrymarum fluenta, viſa eius paſſione effudiſſe, & eius vulneribus infudiſſe, & eius ſanguini admiſcuiſſe; quot lamenta planctus & gemitus, in eius exequiis & ſepultura ingeminaſſe & inculcaſſe credantur. Anſelmus. *O benigniſſime & ſuauiſſime Domine & ſereniſſime, quando reſtaurabis mihi quia carnis non vidi tuæ paſſionem, quia non ſum deoſculatus loca vulnerum, fixuras clauorum, quia non vidi illam beatam tuæ carnis incorruptionem, quia non reſpexi lachrymas, cicatrices, veri corporis teſtes.*

Mariæ Magdalenæ & aliarum Mariarum.

SEPTIMO fuit piarum compaſſio Mariarum, quæ parauerunt aromatica vnguenta vt delinirent Domini IESV noua vulnera; quarum compaſſio perdendi poteſt ex vehementia amoris, quæ omnia reliquerunt, patriam, familiam, & domum propriam, propter IESVM, vt audire poſſent ſermonis eius dulcedinem, videre poſſent conuerſationis eius pulchritudinem, operum eius manſuetudinem, & miraculorum eius multitudinem. Et ſequebantur eum miniſtrantes de facultatibus ſuis, vt conſequerentur per eius miniſterium, miſericordiæ ſuæ manſuetudinem, & gratiæ plenitudinem. Et quanto maior erat ad eum dilectio, tanto maior in paſsione eius erat doloris accumulatio. Patet etiam eorum pia cõpaſsio ex ſepulchri eius crebra viſitatione, ex paſsionis inſpectione, in vnguentorum deportatione, ex temporis cõſideratione & loci; vti quando inuenerunt ex diligenti Domini inquiſitione, ex pedum eius adoratione & detẽtione. Illa autẽ beata peccatrix quæ præ cæteris factam in ſe magnã miſericordiã Dei ſciebat, præ cæteris ardebat, & præ cæteris incõſolabiliter flebat, ſecundum quod tangit Anſel. *Quis enim explicet ô beata ſponſa Dei, quam benigna familiaritate & familiari benignitate, cuius amore flagrabas, quem ad monumẽtum flebas quærendo, & flendo quærebas, ipſe te quam conſolari venerat magis attẽdebat, ipſe ſe videnti celabat, & ſe nõ videnti,*

ſe oſtendit, cum quem quęreres & cur fleres quærebat. O dulciſſime Domine cur quæris, QVID PLORAS? *nonne viderat te cor ſuum, dulcem vitam animæ ſuæ, crudeliter mactari, quodam ligno expandi, clauis ferreis affigi, velut latronem ad ludibrium impiorum ſuſpendi & occidi, & quia nequiuerat iuuare ne te occiderent, volebat corpus tuum diu ſeruare vnguentis ne putreſceret, vt ſaltem mortuum diu flere poſſet, & cum corpus ipſum quod gaudebat ſibi dimiſſum, credit amiſſum; & tu quæris,* MVLIER CVR PLORAS? *O ſingulare gaudium eius, cur concitas dolorem eius? non enim ignorabas amorem quem inſpirabas; ſed ô bone Domine magiſter benigne, ecce fidelis ancilla, ecce diſcipula tua nuperrimè redempta tuo ſanguine, ecce deſiderio tui anxiatur & æſtuat, circumſpicit & interrogat, & nuſquam apparet quem deſiderat; diſplicet ei quicquid videt, quia te ſolum quem aſpicit non videt, & tu quæris,* QVID PLORET?

Cõpaſſio infidelium qui viderunt.

SECVNDVM genus compatientium fuit ipſa credulitas infideliũ crucifigẽtium, clamat enim eo moriente Centurio, eum eſſe Dei filium, & vere fuiſſe iuſtum: turba circumſpiciẽtium, eo moriente pectora ſua percutiunt & recedunt: qui aliorum crura frangebant, videntes eum mortuum, os eius non comminuunt.

Cõpaſſio Angelorum.

TERTIVM genus compatientium fuit multitudo cæleſtium Angelorum. O quantam & quam piam cõpaſſionem de Rege cœlorum & Domino habuit cæleſtis Angelus, qui eo in agonia facto de cœlo deſcendit, & ei aſtitit, & pietatis fontẽ, & Deum totius conſolationis confortauit. O quanta fuit beatorum Angelorum circa Dominum ſuum deuotio & pia cõpaſſio: quanta circa eius aduerſarios eorundem indignatio, cum eorum (vt in Euangelio Nazareorum legitur; & idem ſcribit Ioſephus, vt legitur in 19. lib. de bello Iudaico, in tertia parte eiuſdem libri de ſignis euerſionis Hieruſalẽ) Auditæ fuerunt voces, dicentium: *Tranſeamus ab his ſedibus*; & eos quos prius cum tanta diligentia cuſtodierunt, ſacrilegos & vere excommunicatos reliquerunt: & qui prius erant eorum defenſores & propugnatores, facti ſunt eorum perſecutores. extunc (vt dicitur) beatus Michael qui Princeps & dux erat Iudæorum, factus eſt Princeps militiæ Chriſtianorum; & præpoſitus Eccleſiæ, qui prius præerat ſynagogæ.

Compaſſio mortuorum.

QVARTVM genus compatientium fuit multitudo ſanctorum mortuorum, quorum multa corpora ſurrexerunt, & de eius paſſione & reſurrectione teſtimonium viuis perhibuerunt.

Cõpaſſio prophetarum.

QVINTVM genus eſt Prophetarum beatorum qui aduentũ Domini præceſſerunt, qui etſi corporali præſentia paſſionem Domini non viderunt, tamẽ prophetali ſpiritu pręuiderunt & prædixerunt. Quę enim lingua exprimere bene ſufficit compaſſiones eorum circa Chriſtum paſſum, & acta, pia cantica, & lugubria carmina, verba fletus, & planctus, & lamentationes ad paſſionem Chriſti pertinentia, quæ ipſi prædixerunt, & ſcripta reliquerunt, vt Dauid, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Iob, & alij.

Compaſſio ſanctorum Martyrum Confeſſorum & Virginũ.

SEXTVM genus eſt cõpaſſio ſanctorum Martyrum, Confeſſorum, & Virginum; qui etſi paſſionis Chriſti tempore non fuerunt, nec eam oculis corporeis viderunt, tamen de ea audientes, & eam in prophetiis & Euangelijs legentes, & mente eam recolentes, pro effuſo Chriſti ſanguine lachrymas innumerabiles effuderunt, mundi ſolatia & proſpera ſpreuerunt, poſſeſſiones huius temporis ad paſſionis eius memoriã contẽpſerunt, aduerſa quæq; ad paſſionis memoriam confecta pati elegerunt, & ea amore eius tanquã colligẽtes de ſpinis vuas, & de tribulis ficus, dulcia reputauerunt.

Compaſſio creaturarum irrationabilium.

SEPTIMVM genus compatientium Chriſto fuit in paſſione eius multitudo irrationabilium creaturarum. Sol enim patiente Domino obſcuratur, aër obtenebratur, velum templi ſcinditur, ſuperliminare templi finditur, lapides cæſi ſunt, monumenta aperta ſunt, mortui ſurrexerunt. commotis igitur creaturis irrationabilibus pro Domino paſſo, quomodo non commouebitur rationalis creatura, pro qua terra tremuit, creator patitur.

De vtilitate paſſionis Domini.

DISTINCTIO XIX.

Copioſa paſſionis Chriſti vtilitas.

OCTAVO circa Domini paſſionem conſideranda finaliter occurrit eius vtilitas copioſa, quæ licèt propter immenſitatem ſui, nec verbis explicari, nec humana poſſit intelligentia comprehendi; pauca tamen ad deuotionem fidelium excitãdam breuiter percurrendo dicamus. paſſio Saluatoris reuocat oberrantes, reuertentes viuificat, prouocat torpeſcentes, pœnitentes pacificat, intellectum illuminat, & allicit ad amorem, omnium culpam eliminat, & afficit ad dulcorem; In aduerſis examinat, & theſauros amplificat; omnes hoſtes exterminat, & in cælis glorificat. Iſti ſunt duodecim fructus Dominicæ paſſionis, ad quos omnes alij reduci poſſunt.

Duodecim fructus paſſionis Chriſti.

1. *Reuocat oberrantes.*

PRIMO Chriſtus ſua paſſione reuocat oberrantes. Nam de carne ſua ſuo ſancto ſanguine rubricata, fecit reclamatorium ad reuocandum aues venaticas, quæ de manu nobilis euolarunt. Oſee 9. *Effraym quaſi auis auolauit*: quę nimis impinguata ſi non redeat, nec pro voce reclamantis, nec pro reclamatorio oſtendentis, dimittit eam diabolo. Prouer. 1. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, &c. Sequitur. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Iſaiæ 44. *Reuertere ad me, quoniam redemi te.* Hiere. 3. *Reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.* Hebr. 12. *Acceßiſtis ad ſanguinem melius loquentem quam Abel, videte ne recuſetis loquentem.*

Exemplum.

CVM quidam clericus ſcholaris Pariſius multum eſſet vitio carnis ſubditus, & procraſtinaret pœnitentiam facere, quadam nocte apparuit ei Dominus in ea forma in qua crucifixus eſt, oſtendens vulnera ſua cruentata dicens, quod hæc pro peccato ſuo pertulerat, & eorum cicatrices retinuerat, ad coruos maxime, ideſt procraſtinatores faciendæ pœnitentiæ, ad faciendam pœnitentiam aduocandos, & à peccato reuocandos. Qui ad hanc viſionem motus religionem intrauit, qui vitã bono fine conſummauit. *Item* Mach. 5. oſtendebant elephantis ſanguinem vuæ & mori, ideſt Chriſti, vt acuerent eos in prælium: hoc fuit acumen martyrum ad bene agendum, pugnandum, patiendum. Auguſt. de ſymbolo: *Antidotum Chriſti crucifixi ſanguine confectum martyres Chriſti biberunt, & qui prius erant Eccleſię perſecutores, eius facti ſunt defenſores, ſanguinem eius biberunt, & pro eo ſanguinem ſuum fuderunt.* Hiero. ad Heliod. *Licèt paruulus nepos ex collo tuo pendeat, licèt ſparſo crine, ſciſſis veſtibus, vbera quibus te nutriuit mater exhibeat, licèt in limine pater iaceat; per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & exemplo Chriſti ad vexillum crucis euola: hoc genus pietatis, pium eſt in hac re eſſe crudelem.*

Exemplum.

QVOD autem & à malo reuocet & ad bonum prouocet, oſtendit exemplum beati Euſtachij, qui cum eſſet paganus & princeps militiæ Romanorum, & venans in ſilua, ſequeretur ceruum quendã, in grege ceruorum maiorem; cum eſſet à ſociis elongatus ſtetit ceruus, & apparuit inter eius cornua Dominus crucifixus, loquens ei per os cerui: *O Placide quid me perſequeris? ego enim ſum Ieſus*, &c. Et quod ipſe eſſet creator cæli & terræ dixit ei, & fidei articulos docuit alios, & quod faceret ſe baptizari cũ vxore ſua & filiis, & quod poſtea ad eum rediret. Qui rediens dixit hoć vxori ſuę, quæ dixit ſimiliter ei ſe vidiſſe conſimilem viſionem: ideo baptizati ſunt cum filiis ſuis. Sequẽti die rediit ad venandum, & vbi viderat ceruum crucifixum videt iterum. Qui dixit eum non ex facto ſuo beatum eſſe, ſed oporteret eum multa ſuſtinere propter Deum, & quod eligeret vel tunc vel poſt; elegit tunc pati, dummodo daret patientiam ei. Moriuntur in breui omnes ſerui eius, & tota familia; poſſeſſiones diripiuntur; nocte fugit cum vxore & filiis, pauper intrat nauẽ, pro nauclero retinetur eius vxor; ipſe dolẽs tranſijt fluuiũ: altero trãſportato, cum ad alterum puerorum ſuorum rediret, & eſſet in medio fluminis; alterum rapit leo,

alterum lupus, quos paſtores eripientes, tradiderunt diuerſis dominis tunc in eodem vico nutriendos. Euſtachius autem per 15. annos in paupertate maxima cuſtodiuit agrum cuiuſdam hominis. Nauclero autem mortuo, vxor eius munda eſt à domino cuſtodita. Cum autem ingruerent bella contra Romanum Imperatorem, omnes clamant quod ſi Placidus (qui nominatus eſt Euſtachius in baptiſmate) adeſſet, omnes vincerentur barbari. Cum autem per mundum mitteret Imperator milites, veniunt ad locum vbi morabatur. Quos vt cognouit, inuitauit eos ad quieſcēdum ad domum domini ſui, & recolens dignitatem flebat egrediens, & lota facie redibat, & ſeruiebat eis. Qui eum cōſiderantes & cognoſcentes à cicatricibus eius, arripuit eum, ducunt eum ad Imperatorem, & filios ſuos pro tyronibus, quos venuſtos forma indicabat. vincit hoſtes: filios ſuos habuit ſocios & chariſſimos, propter probitatem & naturalem ſtrenuitatem. Cum autem nutu Dei veniſſet pater cum filiis ad domum domini ſui, vbi vxor eius hoſpitabatur; iunior frater incępit quærere in horto vbi erant à fratre ſuo, vnde eſſet; qui retulit ei, quod neſciebat aliud, niſi quòd pater ſuus princeps militum, ſic cum matre ſua de Roma exiens fugit; & omnia de proceſſu vię alteri narrauit. alter proſiliens oſculatus eſt eum, dicens: Per Deum ait audi, frater meus es. Mater hęc audiens & admirans, rogat eos vt faciant eam loqui cum principe ſuo: ad quem cum adducta eſſet, notans eum, cognouit eum; rogans flexis genibus, vt diceret ſi eſſet Placidus. Agnoſcunt ſe mutuo, quærunt de pueris. Cum autem diceret quid actum eſſet, dicit illa quod audiuerat à iuuenibus dictis, qui mutuo ſe noſcentes & narrantes omnia, lætificauerunt totum exercitum. Adrianus Imperator audiens eos Chriſtianos, cum nollent ſacrificare idolis, & cum dati leonibus incolumes remanerent, fecit eos in boue æreo per quatuor dies concremari: ipſi autem emiſſi, inuenti ſunt integri, nec eorum capillus aduſtus eſt. & hæc omnia ſuſtinuerunt patienter ad Dominicæ paſſionis commemorationem.

ITEM nota quod ad bonorum prouocationē ad benefaciendum, & reuocationem malorum à malo, ponitur crucifixus in medio Eccleſiæ. In hiſtoria tripartita legitur, quod Conſtantinus crucis ſignum faciebat præferri ſuo exercitui pro Imperiali ſigno, vt militibus pugnantibus paſſionis memoria robur daret. In hyſtoria Antiochena legitur quod Chriſtiani lanceam Domini (quam inuenerunt diuina reuelatione ſub altare ſancti Petri, vbi eam dicitur occultaſſe in memoriam paſſionis) vt animarentur ad bene pugnandum, deportabant ante oculos pugnantium.

Exemplum. ITEM quod paſſio Domini à malo reuocet, & prouocet ad bonum, ponitur exemplum in hiſtoria Antiochena, vbi dicitur, quod cum ciuitas Antiochiæ diuino miraculo fuiſſet capta à Chriſtianis, multis eorū cum mulieribus Sarracenis peccantibus, ſic ſunt obſeſſi à Turcis, & tanta fame prægrauati, quod ipſi credebant quod nullatenus euadere poſſent: tunc cuidam ſacerdoti nomine Stephano in quadam Eccleſia vigilanti, & oranti, & flenti pro morte ſibi & aliis imminenti, apparuit Dominus Ieſus Chriſtus ſuper omnem pulchritudinem ſpecioſus, quærens ab eo cauſam ſui fletus. & cum ille eam ei diceret, ſubito crux Sole ſplendidior apparuit circa eum, & dixit ei quod erat Dominus virtutum potens in prælio, quem offenderat populus Chriſtianus peccando: & dixit quod diceret Epiſcopo quod prędicaret populo: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & cum ad pugnā irent, dicerent: *Congregati ſunt inimici noſtri & gloriantur in virtutibus ſuis* &c. & quod vſque ad quinq; dies miſereretur eorum, ſi pœniterent: quo facto victoriam inæſtimabilem contra Sarracenos obtinuerunt.

Exemplum. ITEM ibidem dicitur, quod cuidam Britoloneo, ſcilicet illi cui facta eſt reuelatio de lancea Domini inuenienda, apparuit Dominus in cruce duorum lignorum nigrorum rotundorum impolitorum, in ea forma qua crucifixus eſt, & Petrus, & Andreas, & quidam tertius crucem eius ſuſtentantes, & oſtendebat vulnera ſua quinque propter quinque genera hominum, quæ erant in exercitu, vt alios ad benefaciendum animaret, & alios à malo reuocaret. Primum genus vt dicebat erant illi, qui ad exemplum illius nullum genus gladiorum vel aduerſitatum propter eum timebant; & illi cum obeunt ad eius dexteram collocantur. Alij ſunt qui prioribus ſubſidium impendunt, & eos à tergo in pugna cuſtodiunt, & refugientes recipiunt. Hi ſimiles ſunt eis qui Chriſtum ſequebantur. Tertij ſunt qui pugnantibus prioribus, lapides tela & arma pugnæ neceſſaria miniſtrant. Hi vt dicebat Dominus, ſimiles erant eis qui eum pati videbant & dolebant, & pectora percutiebant, iniuriam ei fieri proclamantes. Quarti ſunt hi, qui cum clamorem belli audiunt, intrudunt ſe in domibus ſuis, & ad negocia ſua ſe conuertunt, non credentes in virtute Dei bella conſiſtere. Et hi ſimiles ſunt illis qui in paſſione clamauerunt: *Reus eſt mortis, & Crucifigatur.* Quinti ſunt qui clamorem belli audiunt, & cauſas inquirunt; & ignauię non virtutis aliis exempla relinquunt; & alios à prælio, & conſtantia animi, & confidentia in Deo, retrahunt. hi Iudæ proditori, & Pilato, & aliis crucifixoribus ſimiles ſunt.

QVIDAM magnus clericus prædicator crucis hoc prædicabat, quod legitur in hiſtoria Arthuri; quòd conſuetudo eius erat, quod differebat comedere quouſque aliquid nouum & mirabile veniret ad curiam ſuam. Cum autem expectarent hoc, ecce nauis quædam applicuit ſine gubernatore, & ductore: mirantes & occurrentes milites, inuenerunt in naui illa militem ibi iacentē vulneratum, & lanceatum, & cruentatum. Cum autem reſpicerent in eius eleemoſynariam, inuenerunt ibi literas vbi continebatur, quod defunctus ille petebat iuſtitiam à curia ab eis ibi contentis, qui iniuſtè eum occiderant: quæ literæ totam curiam animauerunt, ad ſumendum arma in vltionem ſanguinis innocentis. Hoc autem ſi non fuit ad literam verum, tamen ſimilitudinariè quia Chriſtus pugil noſter in nauicula crucis apparet, pro nobis innocens occiſus à Iudæis, & gentibus, quod oſtenderunt nobis Euangelia ſacra, quæ de cordis eleemoſynaria, tanquam huius proditionis literæ exierunt: hoc ad accipiendum arma pro hac proditione vindicanda, corda nobilia debet multum mouere.

2. *Viuificat reuertentes.* SECVNDO reuertentes viuificat; peccatores enim quaſi filij prodigi, abeuntes in regionem longinquam, & omnia bona ſua conſumentes, ſpiritualiter moriuntur: dicitur enim Lucæ 16. *Mortuus fuerat & reuixit.* Ad hoc enim Chriſtus mortuus eſt vt nos viuificaret, vnde Thren. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus, ſub vmbra tua viuemus.* Pſ. 101. *Similis factus ſum pelicano*, &c. de qua dicitur quod eſt auis nimiæ maciei, quæ pullos ſuos cum offendunt eam, occidit, & præ dolore eos mortuos per triduum plangit, & roſtro ſe perforans, eos mortuos ſanguine ſuo rigat, & virtute ſanguinis viuificat: Sic Chriſtus nos viuificat virtute crucis & ſanguinis effuſi. vnde ad effuſionē ſanguinis eius, multa corpora ſanctorum de morte ſurrexerunt. hoc ſignificatur 4. Reg. 17. De puero ſuſcitato ſuper lectum Heliæ, in trina dimenſione eius ſuper puerum. lectulus Heliæ crux Chriſti eſt: prima dimenſio Chriſti quam fecit de eo charitas eſt, ſecundum longum, eum in cruce extendens à vertice vſque ad pedes. ſecundum latum eſt ſecunda dimenſio, qua charitas brachia eius extendit. Secundum baſſum fuit tertia dimenſio, quando vnus militum lancea latus eius aperuit; quia vt dicitur in Prouerb. 4. *Ex corde vita procedit.* Item hoc figuratur 2. Reg. 4. De ſuſcitatione pueri in lectulo Heliſæi, ſuper quem puerum incuruatus eſt, ponens os ſuum ſuper os pueri, & oculos ſuper oculos eius, & ſic de aliis membris: quia omnia membra ſua pro noſtris viuificandis, morti expoſuit. Crux enim Domini eſt arbor vitæ in medio Paradiſi. Prouer. 3. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam* &c.

de quo

de quo triplex vita colligitur, videlicet naturæ: vnde corporaliter mortui, ſuſcitati ſunt tempore paſſionis. Item vita gratiæ, quod notatur in hoc, quod multi conuerſi ſunt ad fidem. Item vita gloriæ, quod notatur in hoc, quod latroni datum eſt regnum cœlorum. Bern. *Arbor crucis ſi eſt qui colligat, vitam germinat, iucunditatem fructificat, oleum ſtillat, balſamum fundit ſpiritualium charismatum; non eſt arbor ſilueſtris, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam, arbor ſalutifera, lignum crucis.*

3. *Prouocat torpeſcentes.*

TERTIO Chriſtus ex virtute paſſionis prouocat torpeſcentes, ad bonum ſcilicet faciendum. propter hoc imago crucifixi ponitur in medio Eccleſiæ, ad pigros ſcilicet excitandum. Ideo Hebr.12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes: nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* Torporem noſtrum excitare debent aculei ſpinarum, & ſtimuli paſſionum: nam paſſio Chriſti labores leuigat, & dolores mitigat. Thren. 4. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Pſal.87. *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Bern. *Quid non ſuaue tibi erit, ſi colligeris omnes amaritudines Domini Dei, & renemoraberis. Primum quidem illarum infantilium neceſsitatum. Deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo; poſtremo periculorum in falſis fratribus, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clauorum, & horum ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis triginta tribus annis operatus eſt in medio terræ. Hic eſt* FASCICVLVS MYRRHÆ, Canticorum 1. PONENDVS INTER VBERA NOSTRA.

4. *Pacificat panitentes.*

QVARTO Chriſtus virtute ſuæ paſſionis pœnitentes pacificat. *Ipſe enim eſt pax noſtra,* Epeſ.2. *pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Coloſ. 1. ideſt pacem faciens inter homines & Deum, inter homines & Angelos. Item pacem faciens in terris, ideſt vt homines cum hominibus, & homines in ſeipſis pacem habeant. & merito pax plenè fuit reformata inter Deum & homines Chriſto paſſo, & primæ præuaricationes emendatę: tunc enim *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, tunc iuſtitia & pax oſculatę ſunt.* Pacem igitur habeamus ad Deum, per Dominum Ieſum Chriſtum, & de tam immenſo beneficio gaudeamus, ac Deo gratias infinitas agamus.

5. *Illuminat intellectum.*

QVINTO Chriſtus per paſſionem ſuam intellectum illuminat: hoc eſt collirium quo inungendi ſunt oculi vt videant. Apoc.3. Item hæc eſt virga, de cuius ſummitate guſtato melle illuminatur Ionathas 1. Reg. 14. *Guſtans guſtaui*, &c. Item fel piſcis, quo liniti oculi cęci curantur. Tobię 6. *Fel eius*, &c. *In paſsione* Longini martyris dicitur, quod cum eſſet cæcus, aſtans paſſioni Domini, inſtigantibus aliis latus Domini lancea aperuit, & caſu fortuito oculos manu humida tangens, illuminatus, conuerſus eſt ad Dominum, & poſt in Capadocia prædicans & miracula faciens, martyr efficitur glorioſus. *Item* in exaltatione ſanctæ Crucis legitur, quod cruce reducta in Hieruſalem per Heraclium, quindecim cæci ibi ſunt illuminati. *In paſsione* ſancti Sixti, & ſancti Laurentij legitur, quod beatus Laurentius ſigno crucis cæcos illuminabat, & ad fidem per hoc eos, & alios conuertebat.

Paſſio Chriſti illuminat ad cognitionē Dei, ſuiipſius, & peccati.

ILLVMINAT autem ad cognitionē Dei, ſui, & peccati. *Dei quidem*, quia per hoc manifeſtè cognoſcimus quanta ſit miſericordia Dei circa nos; & quantum diligat nos. De hoc infra. *Sui vero*, quia clare videmus quam pretioſæ ſunt animæ noſtræ Dei iudicio; qui corpus, & ſanguinem, & vitam propriam in hac ſtatera poſuit, vt animas noſtras hoc pretio pretioſo redimeret, & quantum nos diligeret, & quantum valeamus nobis oſtenderet, qui nos iſtis præpoſuit & præponderat, ne nos viliſſimo peccati pretio de cætero nos vendamus. Prouer. 16. *Ponderator ſpirituum eſt Dominus.* Auguſt. *Ne tibi vileſcas, ô homo, appende te ex pretio.* Bernardus. *Væ mihi ſi talentum mihi traditum negligenter tractauero, pretioſo ſanguine agni incontaminati Chriſti appretiatum. Peccati vero*, quia luculenter oſtendit Deus, quantum odit peccatum, pro quo deſtruendo, nec Pater filio ſuo pepercit quin illum mori præciperet, nec ipſe filius ſibiipſi. Patet etiam ex hoc quantum debeamus odire & deteſtari peccatum, & ſtudere cauere: quia ſi Deus Pater, filio ſuo non pepercit, & nobis non parcet. Lucæ 23. *Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?* Itē qui peccatum facit renouat cauſam mortis ſuæ, & quantum in ſe eſt Dei filium crucifigit. Heb. 16. *Rurſum filium Dei crucifigentes.*

6. *Allicit ad amorem.*

SEXTO Chriſtus per paſſionem ſuam nos allicit ad amorem. Iure ſibi nos vendicat, attrahit & inflammat, ſicut ipſe dicit Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra*, ſcilicēt in cruce, *omnia attraham ad meipſum. Hoc autem dixit*, &c. Anſelmus. *Domine quia totum me feciſti, totum me debeo amori tuo, quia totum te mihi dediſti, totum me debeo amori tuo: immo tanto plus debeo me tibi totum, quanto tu me maior es, qui pro me dediſti teipſum totum.* Item Bernard. ſuper Cantica. *Super omnia te mihi reddunt amabilem, ô bone* IESV, *calix quem bibiſti pro nobis, opus redemptionis noſtræ frequenter numeratum: hoc ſæpe excogitatum facile ſibi noſtrum vendicat amorem: nihil deuotionem noſtram blandius allicit, iuſtius exigit, arctius ſtringit, vehementius efficit. Multum quidem laborauit, nec in omni machina mundiali tantum ſibi fatigationis aſſumpſit. Sic auctor vitæ; ibi enim habuit in dictis contradictores, in factis obſeruatores, in tormentis irriſores, in morte exprobratores.* Item Bern. in ſermone. *O quam indebita miſeratio, quam gratuita & probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam ſtupenda dulcedo, quam inuicta manſuetudo; Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo ſeruo crucifigi.* Idem: *Cum ego deuouero quicquid ſum, quicquid poſſum; nonne ſic eſt ſicut ſtella ad Solem, ſcintilla ad fornacem, ſtilla ad flumen, lapillus ad montem, granum ad aceruum, atomus ad totum mundum. Ideo non habeo Domine niſi duo minuta, immo minutiſſima, corpus & animam. Vel potius minutum vnicum, ſcilicet voluntatem: & non dabo pro voluntate illius, qui tantus tantillum tantis beneficijs me præuenit, qui toto ſe totum me comparuit? alioquin ſi illa retinuero qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conſcientia vado ad viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & video perfodi illud fortiſsimum propugnaculum quo cuſtoditur Iſrael; & ſtillas illius, non guttas, ſed vndas, à quinque corporis partibus in meum pretium detorquere.*

NOTA, quod crux eſt menſura, quæ oſtendit & menſurat quantus eſt amor Dei ad nos, qui tantum extendit vnigenitum ſuum in ea, quantum poterat extendi, ad dexteram & ſiniſtram, ſurſum & deorſum; ac ſi diceret, tantum vos amo quantum amare valeo, qui in amorem veſtrum, totum ex omni parte me extendo. Eccleſ. 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Bernardus. *Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Ipſe pro inimicis, & iniuſtis mortuus eſt, eligens exulare à cœlis, vt nos ad cœlos reportaret; amicus dulcis, conſiliarius prudens, adiutor fortis. Reſpice, ô homo, oculo mentali quanta remunerationis debito aſtringaris Domino patienti pro te: reſpice ſudorem ſanguineum, alaparum contumeliam, flagellorum inſtantiam, coronam ſpineam, ſputa, ludibria, crucis angariam, patibuli ſupplicium, oculos languidos, oris pallorem, fellica cibaria, acida pocula, caput inclinatum, geniculationes, irriſiones, titulum famoſum, ſortem veſtimentorum, geminatum crucifige: & quid plura, viliſsimum mortis ſupplicium, & probra nefandiſsima: & hoc egit, vt oſtenderet tibi quantum te diligeret, qui non aliter quam ſic moriendo, à morte te voluit liberare.*

Exemplum.

DE fidelitate illius amici, & maximo eius amore, legitur in Barlaam, qui dixit ad Ioſaphat, quòd quidam habuerat quatuor amicos, quorum tres plus quā ſe dilexerat, & negocia ſua pro eis dimiſerat, pro quarto valde pauca facere voluerat. Cum autem à terribilibus regis ſeruis caperetur pro decem millibus talentorum quæ debebat, datis ſibi indutiis vt amicos rogaret pro dicti debiti ſolutione, vt ſic à ſuſpendio liberaretur. Primus rogatus ab eo reſpōdit, quod ex quo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in illo diſcrimine cecidiſſet, non daret ei niſi lintheolum, quo ductus ad ſuſpendium inuolueretur. Secundus dixit, quod hanc ſolam gratiam ei faceret, quod cum duceretur, eum conduceret, vt honorabilius ad ſuſpendium duceretur. Tertius dixit quod pro ſeruitio quod ei fecerat, eum ad ſuſpendium duceret, & eum ſuſpenderet. Quartus autem hoc audiens, pro quo parum fecerat, dixit ei: Licèt pro me parum feciſti, quia tamen ad me recurris in neceſſitate, & me diligere de cætero proponis, pro te ne ſuſpendaris venalem me exhibeo, & ſuſpendi volo. Primus amicus falſus eſt mundus, à quo homo in morte non recipit niſi ſudarium. Secundus ſunt amici mundi, qui conducunt vſque ad ſepulchrum. Et tertius eſt diabolus, qui hominem ſuſpendit, ſi ad eum recurrat. Quartus Chriſtus, qui pro homine ſuſpendi eligit.

7. *Eliminat omne peccatũ.*

SEPTIMO Chriſtus per paſſionem ſuam omne peccatum eliminat, & ſic mundando ſanctificat. Vnde DOminus paſſionem ſuam vocat baptiſmum. Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiã illud. Baptiſmus*, vt dicit Greg. *eſt ablutio, qua fœdi decori fiunt.* Zacha. 3. *Ecce lapis, & celabo ſculpturam eius, & auferam iniquitatem terræ.* Per ſculpturas lapidis huius, riui ſanguinis exierunt ad emundationẽ peccatorum, ſculpturæ eius ſunt vulnera eius. Heb. 9. *Sanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras.* 1. Ioan. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato*, &c. Ideo in ſignum huius dicitur 4. Reg. 5. *Lauare ſepties in Iordane.* Per ſeptẽ ablutiones Iordanis Naaman leproſus mundatur à lepra, quia per ſeptem effuſiones ſanguinis Chriſti, peccator à ſeptem maculis mortalium peccatorum mundatur. Vt ſingula ſingulis reſpondeant per quandam appropriationem, ſic effuſio facta in circunciſione de membro à quo luxuria maxime exercetur ab hominibus, fuit ad purgandum in nobis peccatum luxuriæ. In ſudore maxime contra peccatum gulæ nos toxicata comedimus, & Adam pater noſter pomum vetitum: vnde pro nobis habuit Chriſtus ſudare vſque ad ſanguinem. Contra peccatum inuidiæ fuit effuſio de liuore flagellorum, inuidos enim bona viſa flagellant, & liuidos faciunt. Contra peccatum pigritię fuit effuſio pedum, quod peccatum maxime regnat in pedibus. Contra peccatum iræ & odij fuit apertio lateris, & vulneratio cordis Chriſti. Contra peccatum auaritiæ & rapinæ fuit effuſio manuum. Contra peccatum ſuperbiæ, quæ maxime apparet in capite, fuit vulneratio ſpinarum, & effuſio ſanguinis vt creditur, de puncturis earum. Nota quomodo Conſtantinus Imperator fuit curatus à lepra corporali & ſpirituali, virtute ſanguinis Chriſti veraciter innocentis, qui prius habuerat conſilium lauari in ſanguine innocentium puerorum. Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo.*

8. *Afficit ad dulcorem.*

OCTAVO Chriſtus per paſſionẽ ſuam afficit ad dulcorem: licèt enim anima meditando dolores, & opprobria dilectiſſimi ſponſi ſui, doloroſis amaritudinibus repleatur, tamen dum cogitat amoris immẽſi dulcedinem, & fructum ſacratiſſimæ paſſionis, i. redemptionem humani generis, & omnia bona quæ ex ipſa paſſione proueniunt, ineffabili gaudio & conſolatione perfunditur. Vnde poſt illud Cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Sequitur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Et Cant. 2. dicitur: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vnde Chriſtus pro ſalute noſtra patiens, animas deuotas afficit ad dulcorem, ſi ſciant colligere de ſpinis coronæ Dominicæ vuas inebriantis deuotionis, & de tribulis, id eſt puncturis & aculeis flagellorum, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, & huiuſmodi, ficus miræ conſolationis. Huius paſſionis fructus multiplices deguſtare deſiderans anima ſancta, dicit Cant. 1. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*

Hæc eſt arbor illa mirabilis de qua dicitur Dan. 4. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ*, &c. Cuius dignitas glorioſa in duodecim commendanda deſcribitur. *Primo* in ſitu, quia in medio terræ ſita. Pro eo quod per eã operatus eſt Dominus ſalutem in medio terrę, vt ſit commune refugium & remedium, omnibus vbicunq; confugientibus ad eam. *Secundo* commendatur in altitudine nobilitatis ſummæ, quia altiſſimus altiſſimi filius, glorioſus ventris Virginis fructus in ea pependit. Vnde ſequitur: *Altitudo eius erat nimia*, ferendo ſcilicet tam altum fructum. *Tertio* in magnitudine dignitatis, quia filios Dei conſignat, & in frontes eorum tranſiẽs, regno cœlorum eos dignos oſtendit. Aug. *Magna crucis dignitas, quæ de patibulis latronum tranſit ad frontes Imperatorum.* Vnde ſequitur: *Magna arbor.* *Quarto* in fortitudine, per quam infernum fregit, mortem deſtruxit, & virtutem diaboli, & dominium peccati opprimit, & ad nihilum redigit. Vnde ſequitur: *Et fortis.* *Quinto* in rectitudine, quia cœlos aperuit, & tanquam pons tornatilis, & ſcala Paradiſi, quia humiles ab imo in ſublime cœlorum habitaculum tranſuehit. Hoc eſt quod dicitur: *Summitas eius contingens cœlum.* *Sexto* in latitudine virtutis, & poteſtatis, quæ per totum mundum ſe extendit. Vnde ſequitur: *Aſpectus illius erat vſq; ad terminos terræ vniuerſæ.* *Septimo* in pulchritudine frondium & florum, id eſt verborum & exẽplorum virtutis, quæ in ea Chriſtus exhibuit. Vnde dicitur: *Folia eius pulcherrima*, quia vita virida, & floribus bonorum exemplorum ornata. *Octauo* in fructuum multitudine, ſcilicet multiplicis vtilitatis quam mundo multipliciter impẽdit. Vnde ſequitur: *Fructus eius nimius.* *Nono* commendatur in neceſſitate quam de ea habemus, quia in ea carnem ſuam in vſum & alimentum omnium, Chriſtus præparauit. Vnde ſequitur: *Et eſca vniuerſorum in ea.* *Decimo* in ſecuritate & capacitate vmbræ, quia virtute ſua religioſos & ſeculares munit & cuſtodit. Vnde ſequitur: *Subter eam habitabant animalia & beſtiæ.* *Vndecimo* in iucunditate contemplationis & compaſſionis. Vnde per paſſionis iugem meditationem, poſt lachrymarum abundantiam ex compaſſione paſſionis Dominicæ, multam contemplantibus paſſionem effundit cordis lætitiam & exultationem. Vnde: *Et in ramis eius*, id eſt in diuerſis paſſionum eius generibus, *conuerſabantur*, Iugiter meditando circa ea, *Volucres cæli*, viri contemplatiui, diuerſos cantus inde promendo, diuerſas affectiones pietatis & conſolationis inde recipiendo. *Duodecimo* in conſolatione & mitigatione tribulationum, quia in ea caro Chriſti eſt afflicta & attrita diuerſis tribulationum flagellis, & conſideratio attritionis carnis Chriſti, multam recipit flagelli ſui mitigationem, & diuinæ gratiæ conſolationem. Vnde ſequitur: *Ex ea veſcebatur omnis caro.* De hac dicit B. Bern. *Quis miſericordiæ tuæ, ô crux benedicta dignè queat inueſtigare longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum. Nam longitudo tua vſque ad diem nouiſſimum ſubuenit vniuerſis inuocantibus eam: latitudo tua repleuit omnem orbem terrarum, ſublimitas tua ſupernæ ciuitatis inuenit reſtaurationem, profundum tuum ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, obtinuit redemptionem.*

Chriſtus aſſimilatur arbori ſita in medio terra propter duodecim rationes.

9. *Dat in afflictione ſolatium.*

NONO Chriſtus per paſſionem ſuam dat in afflictione ſolatium, vt ſit homo imperturbabilis. Virtus enim paſſionis eius, omnem amaritudinem conuertit in dulcedinem. Sicut ait Aug. *Temporalis afflictionis quod nobis propinat aduerſitas nihil dolemus, ſi conſideremus quid pro nobis bibit ad patibulum, qui nos inuitat ad præmium.* Hoc eſt lignum amarum, quod Dominus oſtendit Moyſi, quod poſitum in aquis Marath, omnem earum amaritudinem dulcorauit. Eccl. 48. *Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara*, ideſt à paſſione & cruce, præſens tribulatio. Hoc eſt quod dicitur 4. Reg. 2. *Vas nouum*, ideſt corpus Chriſti, in quo poſitum erat ſal ſapientiæ diuinæ, *poſitum in aquis Iericho, reddit eas dulces & potabiles*, ideſt præſentes tribulationes. Hæc eſt farina facta de grano frumenti in cruce comminuto, quam miſit Eliſæus in ollam, de qua nemo guſtare poterat, ſed *clamauerunt filij prophetarum, mors in olla vir Dei.* 4. Reg. 4. Quid non ſuaue tibi erit, ſi collegeris omnes amaritudines &c. *Require ſupra.*

Exemplum. RELIGIOSVS quidam cum propter duritiam & asperitatem ordinis, maximè in cibis & potibus, proponeret religionem exire, cogitauit quod de proditione posset merito argui, si redderet castrum pro aliqua indigentia, nisi prius ea exposita, & petito adiutorio à Domino principali, à quo castrum tenetur. Vnde venit ad crucifixum coram quo orare consueuerat, exponens necessitates suas, & petens eius adiutorium, quia non poterat ciborum duritiam sustinere, quia fuerat in sæculo delicatus. tunc visum fuit ei, quod diceret ei crucifixus: Intinge buccellam tuam in aceto passionis meæ, & fac tuum de meis vulneribus salsamẽtum. Qui extunc recepit tantam consolationem, quòd omnia dura cibaria visa sunt ei dulcia.

10. *Præstat intẽtationepræsidium.* DECIMO Christus per passionem suam præstat in tentatione præsidium vt sit insuperabilis. Ipse enim est virtus & fortitudo pugnantium. Psal. 67. *Dominus dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Ideo monet idem 47. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Ab ipso similiter est victoria, sicut dicitur 1. Cor. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ipse nempe virtutem pugnantis adiuuat sanando, & virtualiter roborando. *Item* arma fortissima ministrando. *Item* hostes debellando, & turpiter effugando. *De primo* quidem quod pugnantem adiuuat eius virtutem sanando, & virtualiter roborando, dicitur Eccl. 38. *Altissimus de terra,* id est de terreno corpore Saluatoris, *creauit medicinam.* Hoc bene figuratum est in serpente Æneo Num. 22. *Qui solo aspectu sanabat à morsibus serpentum.* Quòd autem per hunc fuit figuratus, ipse testatur Io. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Si figura tantam virtutem habuit, vt omnes à serpentibus vulneratos, solo visu sanaret; non est mirum si veritas figurata, sanat à morsibus serpentum spiritualium.

Simile. NOTA, quòd Christus in passione sua fuit similis scaladrio, qui applicatur infirmo agrotanti ad mortem, si alis extentis in eum oculos proijcit, infirmitatem eius bibit, & ægrotat pro infirmo, & eger liberatur: Tamen vt dicitur, per istum modum auis curatur: quia ad ardorem Solis eleuatur, alas extendit, & cum sudore emisso infirmitatem emittit. sic Christus quos respicit de cruce oculis misericordiæ, curat sudore suo sanguineo. Eccl. 18. *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Amicus iste fidelissimus est Christus, qui omnia medicamentorum genera pro nostra curatione spirituali, in corpore suo sacro dignanter exercuit, sicut patet deuotè meditanti. Contra napium acutum auaritię, sanguinem sudauit, contra humores subcutaneos hypocrisis, fuit quasi scarificatio sine scarpulo, idest carnis minuta incisio, in flagellatione & spinarum punctione. Contra apostemata superbiæ, & iræ, & odij; fuerunt vulnerum incisiones, fellica potio. Contra vitium ebrietatis, minutio. Contra vitium luxuriæ, dieta. Contra gulam, emplastrum fecit de carne attrita & resina sanguinis, diffusa super pellem agni. Contra casus & contritiones impatientiæ & iracundiæ, balneum fecit de aqua lateris. Contra fœditates infamiæ, inunctiones misericordię fecit. Contra crudelitatem inuidiæ, fundendo lachrymas compassionis & pietatis. Electuaria fecit etiã contra vitium accediæ, ex dulcedine verborum quæ protulit in passione. Mortem etiam gustauit, ne moreretur ægrotus.

QVOD autem passio Christi & crux sanet, multa habemus exempla. Lucę 4. *In occasu Solis curat omnes adductos ad se.* Item Matt. 9. Sanguiflua tangens fimbriam vestimenti Domini curatur; per quod passio significatur, nam fimbria finis est vestimenti, in quo significatur finis corporis Christi. Legitur in tripartita historia libr. 5. quòd quædam imago Christi fuit in Cæsarea Philippi, vbi erat imago mulieris tangentis fimbriam vestimenti imaginis Christi; vbi crescebat quædam herba à medicis incognita, quæ quando creuerat adeo quòd tangebat vestimenti imaginis fimbriam, habebat vim curandi de ista infirmitate, aliter non. Hanc imaginem cum Iulianus apostata fecisset remoueri, & suam, vt honoraretur, loco eius apponi, fulgur cadens caput illius imaginis Iuliani amputauit. *Item,* in Nicopoli, quæ quondam Emaus dicta est, fons (vt dicitur eodem libro) est vbi Christus transiens cum discipulis lauit pedes, & ad tactum pedis eius vim accedit curandi de diuersis infirmitatibus: multo fortius crux debet hoc habere.

Exempla. ITEM ibidem dicitur, quod in Thebaida Hierapoli erat arbor, persybolis nomine, sub quo propter eius speciositatem posita erant diuersa idola, quæ corruerũt cum Christus fugeret in Ægyptum, & arbor Christo inclinans, & eum obumbrans, ad tactum eius vim accepit, vt quicunque portet ad collum de eius folijs, fructibus, ligno, cortice, vel radice, fiat ei salutare medicamentum; multo fortius hoc debet habere crux.

Item lib. 2. tripartitæ historiæ legitur: Cum quidam Probianus nomine, de Pagano factus esset Christianus, hoc solum videbatur abominabile ei, quòd crux adoraretur, in qua taliter Dominus esset tractatus. cum autem podagra laboraret, nec curari posset. vidit Angelos & sanctos in visione, crucem adorantes super altare, & dicentes ei, quod aliter nunquam curaretur, nisi crucem adoraret. Cum autem rediens à visione crucem adorasset, statim curatus est.

Exempla. ITEM quòd crux sanat, dicitur in festo Philippi, quòd cum captus esset, ductus fuit ad templum Martis, vt ibi idolum adoraret. vbi cum Philippus adorasset, draco exiuit de sub base idoli multos occidens; & cum multi flatu eius infirmarentur, dixit ei Philippus, quòd loco statuæ altare facerent, & crucem superpositam adorarent, & curarentur. Quod ita fuit factum, & infirmi fuerunt omnes curati, & mortui eorum suscitati. *Item* in exaltatione Sanctæ Crucis, cum reduxisset Heraclius crucem in Hierusalem, fuit vnus mortuus suscitatus, paralytici tres curati, leprosi decem mundati, cęci illuminati, infirmi multi curati.

Exemplum. ITEM ibidem legitur, quod cum quidam Christianus mansisset ibi iuxta Iudæorum synagogam, transferens mansionem suam alibi, imaginem crucifixi quã iuxta lectum suum infixerat vt coram eo oraret, quæ erat mirabiliter bene composita, ibi reliquit. Cum autem quidam Iudæus domum illam conduxisset, & quendam suum contribulem inuitasset, aduertit imaginem esse ibi, & significauit hoc alijs Iudæis, qui cum dictum Iudæum qui ibi habitabat verberassent, & de synagoga sua eiecissent; licèt se assereret imaginem dictam ignorare, Crucifixum illum clauis confixerunt, & alia passionis Domini facta innouauerunt. cum autem latus eius lancea aperirent, exiuit inde sanguis & aqua, quæ recipientes in vase stupefacti, infirmos suos de illo liquore tetigerunt, & omnes curati sunt. Quo viso miraculo, factum Episcopo loci retulerunt, & baptizati sunt omnes, & eorum synagogę in ecclesias dedicatæ sunt. Inquisitus & requisitus Christianus cuius fuerat imago, & vbi eam acceperat, & quis eam sic pulchre composuerat: Respondit hanc ei fuisse traditam ab antecessoribus suis, & quod eam composuit Nicodemus, qui moriens reliquit eam Gamalieli, Gamaliel Zacheo, iste Iacobo, & ita per diuersas successiones ad eum venerat. *Ideo bene* de ipso dicitur Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Vnde quantum fuerit quis in bello spirituali plagatus, nihilominus decurrat ad medicum & curabitur; vt cum beata Agatha posset dicere. *Qui me dignatus est ab omni plaga curare, ipsum inuoco Deum viuum.*

Christus suis discipulis arma ministrat. DE SECVNDO, scil. quòd Christus discipulis suis arma ministrat: Dictum est Boetio, sicut legitur in lib. 3. de consolatione. *Talia tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te in firmitate tuerentur.* Ideo dicitur Eph. 6. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.* Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli; habemus ergo pro galea coronam spineam, pro gladijs clauos manuum, pro scuto trianguleam, pro gladijs clauos manuum, pro scuto trianguleo crucem opertam pelle agni, & rubricatam sanguine eius,

eius, vbi depingitur roſarium Paradiſi, in quo dependent quinque roſæ, aperturæ ſcilicet vulnerum. Pro calcaribus clauos pedum, pro lorica liuores flagellorum, pro equo crucem, ſecundum quod portauit Dominum, pro clypeo, ſecundum quod baiulatur ab eo. Ioã. 19. *Baiulans ſibi crucem exiuit* &c. Accipiamus etiam ipſam lanceam quæ latus, Domini eius aperuit, vt per eam transfodiamus aduerſarium.

Exempla. His armis munita fuit beata Catherina contra Maxentium, & contra quinquaginta Rhetores congreſſura, quibus contra omnes nobiliter triumphauit. *Item* beatus Martinus quando dixit: *Ego ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea; hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Item* dicitur in tripartita hiſtoria, quod Conſtantinus in prælijs ſignum crucis habebat pro Labaro, ideſt pro Imperiali ſigno. *Item* milites ſuos in armis ſuis faciebat muniri ſigno crucis. *Item* habebat luſtratores qui portabant ſignum crucis tectum auro, & lapidibus; & per illud acies ſuas perluſtrando muniebat, ne hoſtes eas poſſent irrumpere: & hoc ante etiam quam in fide eſſent omnes inſtructi. *Dicitur ibi*, quod cum quidam portaret vexillum crucis timens impetus hoſtium, tradidit illud cuidam ſocio ſuo portandum, vt euadere poſſet. Ipſe autem dimiſſo crucis ſigno, ſolus in exercitu occiſus eſt. Et dicitur quod ille qui vexillum hoc portabat, irruentibus in eum telis & ſagittis, à nullo eſt læſus, quia ſignum crucis omnia in ſe tela immiſſa recipiebat & ſagittas, ita quod nullum læderent in exercitu.

Chriſtus per paſſionẽ ſuã hoſtes ſpirituales fugat. De tertio, ſcilicet quod Chriſtus per paſſionem ſuam hoſtes ſpirituales effugat ſpoliat & confundat, dicitur Ephe. 2. *Per crucem interficiens inimicitias* &c. Col. 1. *Per ſanguinem crucis eius ſpolians principatus & poteſtates.* Vnde ſolo ſigno crucis agnito dæmones effugantur. *Exemplum* de Iuſtina virgine, quæ per ſignum crucis ab omni tentatione, & infeſtatione dæmonum, ſe penitus liberabat. Cum autem Cyprianus quæreret à principe

Exempla. dæmonum, quare non poſſent Iuſtinam virginem ſuperare, reſpondit; Vidi ſignum crucis & extimui; & dixit quòd ex quo Chriſtus in cruce pependerat, per ſignum crucis tabefacti ilico fugiebant; quia ibi attrita fuit eorum fortitudo, per paſſionem crucifixi. *Item* in vitiſpatrum legitur, quod cum beatus Antonius ſolus in eremo habitaret, & dæmones ſub diuerſarum ſpecierum ſimilitudine in eum irruerent, ſigno crucis eos abigebat. Item cum ad eum venirent homines perterriti per ſolitudinem à diuerſis horroribus, & illuſionibus dæmonum, dicebat eis: *Signate vos & abite ſecuri.* Item, *ſignate domos veſtras & eritis ſecuri.* Aſſumunt diuerſas ſpecies, ſed ſtatim facto ſigno crucis ſoluuntur, & in nihilum rediguntur: metuunt enim, ait, illud trophęum ſalutis. *Item* cum quidam Philoſophi miſiſſent dæmones, perurgente inuidia, ad B. Antonium, vt eum de cella ſua eijcerent, & ipſi eum acerrimè tentarent, per crucem & orationem eos repellebat, & eorum tẽtationes: & cum redirent confuſi, videntes Philoſophi quod ei non prævalerent dæmones; ad eum venientes veritatem ſunt confeſſi, & ad Deum conuerſi.

Exemplum. Item dicitur in Barlaam, quod cum Ioſaphat rex dimiſiſſet regnum & penetraret eremum, in quo plus quam per duos annos oberrauit, quærens magiſtrum ſuum ſanctum Barlaam: poſtquam multas immiſerat ei diabolus tentationes de gloria quam dimiſerat, & de delicijs & regno & amicis, nec prævaleret, nec per aſperitatem, nec per paupertatem & difficultatem viæ quam ſuſtinebat, ad vltimum apparuit ei euaginatum tenens gladium, mortem ei intentans & comminans, niſi rediret; & aſſumens diuerſarum ferarum formas horribilium, perterrere nitebatur eum. Sed hæc omnia Dei ſeruus crucis opponens ſignaculum vincebat, & dæmones & aſſumptas formas fugabat, & etiam dracones & ſerpentes & feras & monſtra materialia quæ occurrebant ſigno crucis fugabat.

Exemplum. Item cum quidam iuuenis pauper & nobilis, cupiens eſſe dites; ductus ad principem dæmonum pe-

A quemdam magnum, requireretur homagium faciendo dicere; Abnego Patrem & Filium & Spiritum ſanctum; obſtupuit,, horruit, & dexteram quam extenderat vt homagium faceret, retraxit; ſignans ſe & dicens: Ego me reddo Deo Patri, Filio & Spiritui ſancto. Quo facto tota dæmonum multitudo cum maximo ſtrepitu receſſit, & caſtrum, quod ibi videbatur eſſe, cum omnibus ædificijs & ornamentis funditus corruit, ita vt nullum ibi veſtigium remaneret.

11. *Theſauros amplificat.*

Vndecimo Chriſtus per paſſionem ſuam theſauros amplificat. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. In hoc theſauro accipit Eccleſia remiſſiones & indulgentias quæ communicantur fidelibus. Iſa. 3. *Non eſt finis theſaurorum eius.* Chriſtus in paſſione ſua, ſalutis apothecam aperuit, in curationem infirmorum; horreum & B cellarium cæleſte, in refectionem famelicorum; & theſaurum paradiſi, in redemptionem captiuorum; diuinum præſidium, in refugium fugitiuorum; tot miſericordiæ incitamenta, in reconciliationem reorum; per tot oſtia ſuam miſericordiam nobis aperuit, quando viſcera miſericordiæ Dei, nobis tam multipliciter & tam abundanter, & per tot foramina, tam miſericorditer effudit.

Præconia vulnerum Chriſti. Svnt vulnera Domini, apothecæ ſalutis diſſipatæ ob curationem noſtrã, Ioel. 1. *Diſſipatæ apothecæ.* Iſa. 53. *Cuius liuore ſanati ſumus.* ſunt horrea quæ aperuit Ioſeph Gen. 41. ad famelicos paſcendum. Vnde dicunt Ægyptij famelici: *Salus noſtra in manu tua eſt.* Gen. 47. *Item* ſunt cellæ vinariæ apertæ & attabernatæ, vt inebrientur animæ charitate. Can. 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua* &c. Can. 3. *Bibite & inebriamini chariſſimi.* Ibi *ſugunt mel de petra, & ſanguinem vuæ bibunt meraciſſimum.* Deut. 32. *Item* ſunt theſauri redemptionis noſtræ. Bernar. *Fodiendas Domine præbuiſti manus tuas, vt procederet nobis de eis theſaurus ſalutis qui in eis latebat.* Idem. *Ego fidens quod ex me mihi deeſt, vſurpo de vulneribus Domini mei Ieſu, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant; meum plane meritum eſt miſericordia Domini. Non ſum meriti inops quamdiu ille miſerationum lacus non defuerit. Patet arcanum cordis per foramen corporis. Patet magnum pietatis Sacramentum. Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Item ſunt fortiſſimum præſidium fugitiuorum, ſicut quinque ciuitates refugij in terra promiſſionis. ſunt foramina petræ, & cauerna macerię, columbarium ſanctarum animarum contra accipitres infernales. Debent igitur ad illud confugere in tentationibus ſuis. Cantic. 2. *Columba mea, veni in foraminibus petræ, in cauerna macerię.* Bern. *Vbi tuta firma que requies, niſi in vulneribus ſaluatoris?* Idem. *Bona & deſiderabilis vmbra ſub alis Domini Ieſu, ibi tutum fugientibus refugium, gratum feſſis refrigerium.* Idem. *Paſſio tua Domine eſt vltimum refugium, ſingulare remedium. Deficiente ſapientia, ſuccumbente iuſtitia, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, ſuccurrit illa. Item* Chriſti vulnera ſunt apud Deum, reconciliationis incitamenta. Bern. *Securum habes acceſſum ô homo ad Deum* &c. *vbi habes ante filium matrem, & filium ante patrem. Mater oſtendit filio pectus & vbera, filius oſtendit patri latus & vulnera, nec vlla poterit eſſe repulſa, vbi tot incurrunt charitatis inſignia.* Hæc ille.

12. *In cælis glorificat.*

Dvodecimo Chriſtus per paſſionem ſuam nos in E cœlis glorificat; nam paſſio vel crux eius eſt via per quã dirigimur, Pons per quem tranferimur, ſcala per quam progredimur, nauis per quam tranſuehimur, ſignum per quod diſtinguimur. *Primo quidem* hęc eſt via regia recta & compendioſa perueniendi ad cælum. Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Vnde vere poteſt dicere: *hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* *Item* hic eſt pons per quem transferimur. Pons inquam, quem fecit nobis *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum.* Hebr. 9. In quo fecit tres arcus, ſcilicet ſummæ pænalitatis, paupertatis, vilitatis, contra concupiſcentiam carnis, contra concupiſcentiam oculorum, contra ſuperbiam vitæ; quæ ſunt tria pericula generalia præſentis vitæ, quæ mergunt animas in perdi-

Paſſio Chriſti eſt via, pons, ſcala, nauis, & ſignum.

tionem

tionem inferni. Est etiam crux *nauis institoris de longe portans panem suum*, scilicet corpus Christi qui est panis vitæ, Prou. 31. *De longe*, quia de mortalitate ad immortalitatem. In hac summus institor, merces pretiosas exhibuit pro vilibus quas assumpsit in ea. Aug. *Venit ad nos cælestis negociator accipere paupertatem, dare diuitias; accipere contumeliam, dare honores; subire labores, dare requiem; accipere dolores, dare salutem; subire mortem, dare vitam.*

A

Est etiam scala per quam in cœlum ascenditur: de qua Gen. 28. *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram, cuius cacumen attingebat cælum, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Per hanc cœlos ascendunt Angeli animas deducendo, & introducendo in cœlum; descendunt etiam ad ministerium & adiutorium seruorum crucis. *Est etiam* porta cœli per quam ingredimur, vt dicitur Genes. 28. Vnde in morte summi Pontificis, redibant homines exules ad hæreditates suas. Similiter nos ascendimus per mortem Christi ad cœlum. Item in vita beati Bernardi, dicitur, quòd aliquãdo ei ęgrotanti est visum, quòd præsentaretur ante tribunal Christi iudicandus, quem cum diabolus multis quæstionibus & accusationibus propulsaret, Respondit: *Fateor quod ex proprijs meritis non sum dignus obtinere regnum cælorum: sed duplici iure illud obtinet Dominus meus, scilicet hæreditate patris, & merito suæ passionis; altero ipse sibi contentus est, alterum illud mihi donat, cuius merito passionis & dono, non confundor illud mihi vendicare.* Ad hoc diabolus confusus obmutuit, & sanctus de extasi redijt. Est etiam signum per quod distinguimur.

B

Passio Christi est signũ multiplex.

Vnde notandum quod est signum multiplex. Est enim signum distinctiuum, distinguit enim monetas Christianas ab infidelibus, oues Christi à diaboli. Matt. 22. *Cuius est hęc imago, & hæc suprascriptio?* Et post: *Redde quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt Dei Deo.* Moneta quæ in iudicio Dei inuenietur sine hac superscriptione, reddetur diabolo qui est Cæsar, idest princeps possidens mundanos, vt tanquam faber infernalis, in fornace inferni, eam comburendam ponat. Christiana autem moneta hoc signum Dei viui habens, redditur ei in cęlestes thesauros reponenda. *Item* est signũ ouiũ Christi, quo cœlestis pastor eas cognoscit Ioan. 10. *Ego cognosco oues meas. Item* est signum domorum Dei, & hospitalariorum, & templariorum, qui hoc signo significantur habitaculum, & templum Dei. Vnde ex hoc distinguuntur domus consecratæ à non consecratis, in hoc distinguuntur milites Dei. *In tripartita* historia, & ecclesiastica 9. libr. 9. cap. dicitur quòd Constantinus statuit vt crux imprimeretur in monetis Christianis, & quòd hoc signo signarentur arma militum suorum. *Item* in historia Antiochena legitur, quod Vrbanus Papa apud Claramontem statuit, quòd omnes qui vellent facere peregrinationem transmarinam pro Deo, hoc signo distinguerentur.

C

D

Exemplum.

Item in primitiua Ecclesia cum hoc signo, Catholici se cognoscebant. Vnde legitur in miraculis Mariæ Magdalenæ, quòd cum ipsa venisset apud Marsiliam, cum sancta Martha sorore sua, & alijs pluribus; & prædicaret ibi articulos fidei, & audiretur libenter, tum propter suam nouitatem, & eorum quæ prædicabat, vel propter suam pulchritudinem, vel eloquij gratiam, & dulcedinem; Et ipsa & sui multam penuriam paterentur; vxor principis ciuitatis, quæ ad eam audiendam aliquando conuenerat, perterrita est de visione horribili, & vir eius vltimo similiter, & dictum est eis, quòd nisi membris Christi fame afflictis & penuria, cito necessaria prouiderent, cito punirentur. qui cum eis inuentis loquerentur beatæ Mariæ Magdalenæ, promiserunt quòd crederent in Christum quem Maria prædicabat, & obedirent ei si eis obtineret prolis fœcunditatem; & quòd visitarent beatum Petrum qui apud Antiochiam præsidebat, & terram sanctam. Cum autem vxor dicta quæ diu fuerat sterilis esset pręgnans, & propinqua partui; præ gaudio voluit statim princeps soluere promissum, & ire apud Antiochiam; vxor autem eius noluit remanere. vnde beata Magdalena in signum recognitionis, dedit eis cruces in vestibus. Cum autem nauigarent, vxor dicta peperit, & post partum mortua est: gaudet vir pro nato filio, sed magis dolet pro vxoris morte, & pro filio cito morituro. Cum autem nautæ vellent eam in mari proijcere, obtinet Dominus ille vt applicent ad propinquam insulam, vbi vxorem suam dimittens in lecto parato, & puerum viuum inter eius vbera, commendauit eos custodiæ beatæ Magdalenæ, quę eum ei obtinuerat, vt ea etiam esset pueri nutrix & custos. Cum venisset apud Antiochiam, signum crucis cognitum est à Christianis, instructus est autem ille à beato Petro, & baptizatus. Postquam visitauerat terram sanctam cum beato Petro, redijt post annum, & applicans ad locum vbi vxorem suam mortuam reliquerat, videt puerum ludentẽ cum lapillulis littoris; qui videns eos fugit sub coopertura ad vbera matris, quasi catulus cum quatuor pedibus: vbi inueniunt puerum viuum & sanum, & mulierem ita iacentem vt dimiserant eam. adiurant eam, vt virtute fidei quam Petrus docebat, surgat; & merito beatæ Mariæ Magdalenæ. Quę statim quasi de somno surrexit, & ei narrauit quomodo ipsa fuerat per omnia loca suæ peregrinationis, & quòd doctrinam Petri Apostoli cum ipso audierat. Deinde gaudentes ad propria redierunt. Propter hoc bene dicit Psalmus 102. *Benedic anima mea Domino &c, qui coronat te in misericordia.* Idem. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo; quoniam in æternum misericordia ædificabitur in cælis.* Idem 35. *Domine in cælo misericordia tua.*

E

De misericordia hominis ad hominem.

DISTINCTIO XX.

Dicto de misericordia Dei, considerandum est de misericordia hominis ad hominem. Circa quam sciendum est, quod ad misericordiam faciendam multa nos mouere debent. Sicut in multis locis legimus in scriptura. *Primo quidem* nos inuitat ad misericordiam faciendam diuinæ voluntatis complacentia; quia Deo qui summè misericos est summè placet, sicut dicitur Prou. 21. *Facere misericordiam magis placet Deo quam victimæ.* Et Oseę 6. *Misericordiam volo & non sacrificium.* Nullum enim materiale sacrificium tantum placet Deo, quantum misericordia propter Deum facta pauperibus, ex visceribus pij cordis. Vnde Matth. 9. dicit Saluator: *Discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium.*

Multa nos debẽt ad misericordiam inuitare.

1. Diuina voluntatis complacentia.

Secvndo diuinæ legis obseruantia. Hanc enim legem Deus instituit. vt qui fecerit misericordiam, misericordiam consequatur, & qui non, non, Iac. 3. *Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam.* Et Eccl. 28. *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & pro delictis suis deprecabitur?* q.d. frustra deprecabitur. Exẽplum Matth. 18. *Serue nequam omne debitum dimisit tibi quoniam rogasti me; nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.* Nota bene quod sequitur ibi. Ideo dicit hic: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

2. Diuina legis obseruantia.

Tertivm est curialis exhortatio. Multipliciter enim hortatur nos Deus & inuitat ad misericordiam faciendam, tam per se quam per sanctos suos. Lucæ 6. *Estote misericordes &c.* Et 1. Pet. 3. *Estote inuicem misericordes, modesti, humiles.* Item Ephes. 4. *Estote inuicem misericordes, benigni, donantes vobismetipsis &c.* Col. 3. *Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ &c.*

3. Curialis exhortatio.

Qvarvm est exemplaris imitatio. Imitari namque debemus exemplar verissimum, clarissimum, & perfectissimum, nobis exhibitum & ostensum. Primo exemplar Dei patris, Lucæ 6. *Estote misericordes sicut & pater vester misericors est.* Vnde de filio prodigo dicitur Lucæ 15. *Videns eum pater misericordia motus est.* Nota

4. Exemplaris imitatio.

quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod ſequitur: Vnde antonomaſicè *Pater miſericordiarum* nuncupatur. 1.Cor.1. *Benedictus Deus*,&c. *Pater miſericordiarum, & Deus conſolationis.* Item exemplar filij qui de ſeipſo dicit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Qui nos ad miſericordiam iuuitando dicebat Matth.9. *Diſcite quid eſt, miſericordiam volo & non ſacrificium.* Attende quam ſignāter dicit, *diſcite*, q. d. hanc lectionem vobis ſpecialiter ſuper omnes commendo, & in cordibus veſtris indelebiliter imprimi volo, & opere fideliter adimpleri. Exemplum de miſericordia Filij ponitur euidentiſſimum Lucæ 10. de illo qui incidit in latrones, de quo dicitur ibi, quod *Samaritanus iter faciens, & videns eum, miſericordia motus eſt.* Nota bene totam parabolam: vbi ſpecialiter ad quæſtionem ibi factam. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones?* Reſpondetur: *Qui fecit miſericordiam in illum.* Quis eſt iſte Samaritanus, ideſt cuſtos, niſi Chriſtus qui nobis factus eſt proximus, & fraternitate carnis aſſumptæ, & affectu dilectionis immenſæ, & effectu miſerationis impenſæ? *Voluit enim per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret.* Hebr. 2. ideſt vt ipſe qui ex diuinitate eſſentialiter eſt miſericors ab æterno, ex infirmitatibus & paſſionibus noſtris aſſumptis in carne, deberet eſſe miſericors experimentaliter ſuſtinendo. Iac. 5. *Patientiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors eſt Dominus.* Exemplar etiam Spiritusſancti imitari debemus. Cui Pſal. 58. ait: *Deus Deus miſericordia mea.* Idem 85. *Tu Domine ſuauis ac mitis, & multæ miſericordiæ inuocantibus te.*

5. *Diuini honoris exhibitio.*

QVINTVM quod mouere debet ad miſericordiam exhibendam eſt diuini honoris exhibitio; qui enim honorat ſeruum propter dominum, non eſt illum principaliter, ſed dominum honorare. Omnis enim honor, obſequium, & beneficium impenſum ſeruo, indubitanter ipſi domino principalius exhibetur. Sicut ipſe teſtatur Matth. 25. *Quandiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Et Prou. 14. *Honorat Dominum qui miſeretur pauperis.*

6. *Peccatorum remiſſio.*

SEXTVM eſt peccatorum remiſſio. Prou.15. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* Et eiuſdem 16. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Eccl.3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Dan.4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.*

7. *Meritorium acquiſitio.*

SEPTIMVM eſt acquiſitio meritorum. Multa enim & magna acquirit homo miſericors; quia pro omni miſeria proximorum quibus piè ſubuenit, vel pio corde compatitur, meretur. Præterea quicquid dat pauperi, Deo accommodat ad vſuram: vnde Pſal. 36. de viro iuſto & pio dicit: *Tota die miſeretur & commodat.* Et Sapiens dicit Prouer. 19. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperi.* Attende quanta ſit ſapientia Domino fœnerari: ipſe enim fideliter ſoluit vſuras; in manu ſecura reponitur, quod ei cum fœnore commodatur. Soluit etiam abundanter, quia pro quolibet obolo pluſquam cēties milleſies mille marchas O terreni & cupidi filij Adā, quare non aduertitis, quare non negociamini, quare non præſtatis ad tantas vſuras ſine peccato, & pro ineffabili lucro? Quare ad fideles mercationes & nundinas quæſtuoſiſſimas, auaritia mundanorum intepuit & obdormiuit in terra? Cui Iudęo, cui ſacrilego, dare paruum pro maximo, temporale pro æterno, corruptibile pro incorruptibili, vile pro impretiabili cunctareris? Ideo Tobias exhortans filium ſuum ad has vſuras, dicebat: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si autem exiguum, illud exiguum libenter impartiri ſtude: præmium enim bonum theſaurizas tibi in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras.* Ad hunc theſaurum hortatur Dominus Matth. 6 dicens: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo corrodit, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* & bene dicit Tobias *in die neceſſitatis*, ſcilicet in morte & poſt mortem: tunc enim indiget homo maximè miſericordia. *Sola autem miſericordia eſt comes defunctorum*, ait Ambr. Vnde diues Epulo qui Lazari pauperis non eſt miſertus dum viueret, nec in morte, nec poſt mortem, miſericordiam inuenit, vt vnicam aquæ guttulam impetraret. Magna igitur eſt ſapiētia pauperibus propter Deum miſericorditer erogare, hæc eſt ſapientia non terrena, animalis, & diabolica, ſed ſapientia quæ deſurſum eſt. De qua Iac. 2. *Quæ deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt*, &c. *plena miſericordia & fructibus bonis.* Iſta ſapientia non tantum eſt miſericors, ſed plena miſericordia, quia miſericordia facit eam plenam, replendo meritis, & ſpiritualibus bonis, & fructibus, ideſt operibus ſanctis. vnuſquiſque enim noſtrum eſt in horto Domini, ideſt Eccleſia, ſicut arbor fructifera. Vnde dicit Dominus Matth. 6. *Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.* Homo vero miſericors, eſt ſicut oliua fructifera, habens in ſe fructus ſuauiſſimos, ex qua procedit oleum dulciſſimum vnctionis, quod quidem valet ad mitigandum dolores, ad ſanandum languores, ad condimentum ſaporis, & nutrimentum ardoris. Vnde Pſal. 51. in perſona miſericordis hominis dicit: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini.* Sanè tot fructus producit hęc oliua, tot exhibet opera pietatis.

8. *Amicorum acquiſitio.*

OCTAVVM eſt acquiſitio amicorum: homo namq; miſericors acquirit ſibi amicos, & multiplicat interceſſores pro ſe ad Deum; obligat, & in cauſa ſua congregat aduocatos. Ideo dicit Dominus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* nec ſolum homines acquirit amicos, ſed quod longe maius eſt, ipſum Deū, ſicut dicitur Eccl.3. *Eleemoſynā pauperis ne deſi audes* &c. Et poſt multa pietatis opera, ſubdit: *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater* &c. *Et eris tu velut filius altiſſimi, & miſerebitur tibi magis quam mater.*

NONVM eſt in afflictione conſolatio. Pſal.93. *Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabit me.* Idem 118. *Fiat miſericordia tua vt conſoletur me.* Deus enim miſericors illos conſolatur & liberat, & à tribulatione, & à miſeria, qui miſeros conſolantur, & eorum compatientes miſerijs, miſerentur. vnde Aug. *Beatos dicit eſſe Dominus, qui ſubueniunt miſeris: quoniam eis ita rependitur, vt à miſeria liberentur.* Pſal. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

10. *Pœnæ debitæ relaxatio.*

DECIMVM eſt pœnæ debitæ relaxatio: quia pœna quam ſoluere debet aliquis in purgatorio; propter opera miſericordiæ relaxatur: Sicut homo dando de ſuis aliqua, procurat ſe à pœna carceris liberari. Vnde regi Nabuch. cui Deus in ſomno per viſionem oſtenderat, & per Danielem prædixerat, *ejcient te ab hominibus, & cum beſtijs, ferisque erit habitatio tua, fœnum vt bos comedes* &c. Dixit Daniel, *quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Econtra. Seruo nequam qui noluit conſeruo ſuo miſereri, & debitum ſibi remittere, dixit Dominus eius. *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* & iratus tradidit eum tortoribus, quouſque redderet vniuerſum debitum.

11. *Diſtrictæ rationis exactio.*

VNDECIMVM, eſt diſtricta rationis exactio: Chriſtus enim in iudicio de operibus miſericordiæ diſceptabit, & rationem exquiret, ſicut dicitur Matth.25. Tunc dicet impijs qui à ſiniſtris eius erunt: *Eſuriui & nō dediſtis mihi manducare, ſitiui & non dediſtis mihi bibere* &c. Et ſequitur ſententia nimis terribilis, & horrenda: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Dicit enim B.Iacobus: *Iudicium ſine miſericordia fiat illi qui non fecerit miſericordiam.* Miſericordibus autem dicet: *Eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere* &c Et ſequitur ſententia deſiderabilis, & amanda: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Iſtud horrendum iudicium præueniens Micheas Propheta, ait 6. *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſollici-*

tum

tum ambulare cum Deo tuo.

12. Multiplex benedictio.

DVODECIMVM est multiplex benedictio. Propter quod dicitur Prouerb.22. *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur.* A quibus? Profecto à recipientibus, à videntibus, & audientibus: sed quod est principaliter appetendum, à Deo benedictionem gratiæ in præsenti, & benedictionem gloriæ in futuro iudicio, quando dicet iustis: *Venite benedicti* &c. Necnon & statim post mortem quando recipietur in cœlo. Ideo dicitur Prou.21. *Qui sequitur misericordiam & iustitiam, inueniet vitam & gloriam.* Et eiusdem 13. *Qui miseretur pauperi beatus erit.*

Misericordia duplex scilic. corporalis & spiritualis: & vtraque multiplex.

VLTERIVS sciẽdum quod duplex est misericordia. Est enim misericordia quædam corporalis, & quædam spiritualis. Misericordia corporalis est multiplex, videlicet esurientem reficere, sitientem potare, nudum vestire, infirmum vel in carcere existentem visitare, captiuum redimere, vagum in domum recipere, mortuum sepelire. De omnibus istis excepto vltimo habetur simul Matth. 25. De tribus eorum, & sepultura mortuorum, dicitur specialiter Tobiæ 1. *Esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Similiter misericordia spiritualis multiplex est; videlicet ignorantes instruere, negligentes exhortari, in dubijs consulere, peccantes corripere, afflictos seu mæstos consolari, & eis ex animo condolere; pœnitentibus indulgere, defectus aliorum non culpabiles supportare, pro omnibus etiam inimicis orare. Versus: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Debemus igitur esse misericordes, ignorantes instruendo, delinquentes exhortando, in dubijs consulendo. Vt dicitur Eccles. 18. *Qui misericordiam docet, & erudit sicut pastor gregem suum. Item* peccantes arguendo. Psal. 104. *Corripiet me iustus in misericordia. Item* afflictos consolando. Eccl. 7. *Ne desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Iob 31. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat* &c. Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam* &c. Et si afflictis corporaliter condolere debemus, multo magis compati debemus peccatoribus, & lugere miserias eorum ex zelo, sicut Psal. qui dicit Psalm. 118. *Vidi prævaricantes & tabescebam* &c. Idem ibid. *Tabescere me fecit zelus meus* &c. *Item* misericordes debemus esse, pœnitentibus indulgendo, & illatas nobis iniurias remittendo. Lucæ 6. *Dimittite & dimittemini.* Et Matth. 18. *Pater vester cœlestis non dimittet vobis peccata vestra, nisi dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Propter quod Apostolus Eph. 4. dicit: *Estote inuicem benigni, misericordes* &c. *donantes vobismetipsis* &c. *Item* misericordes esse debemus pro inuicem orando. Iac. 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.* Sic Moyses orabat pro populo, sic Aaron, Samuel, & cæteri, sicut habetur in locis innumeris in scriptura. Matth. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Exemplo Domini, qui pro suis crucifixoribus orauit. Lucæ 23. *Pater ignosce illis* &c. Exemplo etiam beati Iacobi Minoris, qui præcipitatus de pinnaculo templi, dum adhuc superuiueret, flexis genibus orauit pro illis qui præcipitauerant eum. De B. Francisco legitur, quod pro peccatoribus in oratione flendo clamabat, & animarum perditionem cum tanta teneritudine deplorabat, vt præ dolore totus deficere videretur, ac si eas in Christo quotidie parturiret. De his quæ ad misericordiam pertinent, *require infra libro 3. de eleemosyna. Item* misericordes esse debemus defectus aliorum non culpabiles supportando Col. 3. *Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ* &c. *supportantes inuicem in charitate.* De hac materia require in libro 3. de eleemosyna.

De munditia cordis.

DISTINCTIO XXI.

CIRCA sextam beatitudinem: Beati mundo corde &c. consideranda sunt tria. Primo quomodo possit munditia cordis acquiri. Secundo quomodo possit custodiri. Tertio quæ debent nos mouere ad munditiam acquirendam vel seruandam.

CIRCA primum sciendum, quod munditiam cordis nemo potest per se acquirere, nec habere; sed solus Deus qui potest animas creare, potest mũdare. Iob 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: Nonne tu qui solus es?* Nam anima licet à Deo creata, sit munda de se; tamen in ipsa creationis hora & infusionis maculatur, & quasi leprosa efficitur ex contactu leprosi seminis & infecti. Ideo desiderans anima munditiæ sanitatem, dicat illud verbum quod dixit leprosus Domino Iesu Christo, Matth. 8. *Domine si vis potes me mundare.* Qui continuo respondebit *Volo, mundare.*

Triplex lauacrum. 1. Baptismatis.

SCIENDVM quod Deus mundat animam abluendo, sicut res aliqua corporalis ablutione mundatur. Primo quidem lauacro baptismali. Intantum enim ostendit se velle nostram munditiam, quod seipsum pro nobis tradidit, & morti exposuit; vt ex suo corpore benedicto, lauacrum nostræ mundationis produceret: sicut ait Apostolus Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, mundans lauacro.* Et ad Tit. 2. *Christus dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Attende proinde rationalis anima quanto pretio sis redempta, quam pretioso lauacro sis mundata. Attende etiam quantum desiderare debes hanc habere munditiam, quam Christus tanto desiderauit ardore. quanto quoque studio debeas eam custodire, ineffabili procuratam amore. Sed heu, (sicut dixit Maximus in sermone.) *Nos post nitorem baptismi, post collatum nobis piæ regenerationis candorem, post acquisitam indumenti nuptialis Angelicam dignitatem, in peccatorum cano relapsi, & in antiquæ criminum volutabra reuoluti, niueum vestimentum tetris inquinatum ac libidinum contagijs sordidamus* &c.

2. Pœnitentia cuius tres sint partes.

SED quid agemus, quia non est iterabilis emũdatio baptismalis? Ideo Deus cuius misericordiæ non est finis, aliud nouę lauacrum emundationis nobis instituit, vt qui perdidimus munditiam baptismalem, per pœnitentiam emundari possemus. & hæc emundatio quæ fit per pœnitentiam plures habet vias, sicut sunt plures pœnitentiæ partes, videlicet contritio, confessio, & satisfactio. *Primo* igitur mundatur anima ablutione contritionis. Sed aquam huius ablutionis habere non possumus, nisi nobis diuinitus infundatur. Ideo Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Naaman lauando mundatus est à lepra 4. Reg. 5. *Vade & lauare septies in Iordane, & sanitatem recipiet caro tua, atque mundaberis.* Septies lauare præcipitur, quia à septem capitalibus vitijs emũdatur. In Iordane quod interpretatur riuus iudicij lauatur, qui ex consideratione diuini iudicij quod formidat; vel proprij iudicij, quo se reum, & damnatione dignũ considerat, riuus lachrymarum effundit; quibus & caro sanatur à feruore libidinis, & anima mundatur funditus à peccatis. *Secundo* mundatur anima virtute confessionis, sicut mundatur corpus euacuatione & expulsione malorum humorum, & sicut mundatur granum expulsione palearum. Matth. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam.* & sicut mundatur domus, quando scopando, fæces & pulueres emittũtur. Matt. 12. *Inuenit domum scopis mundatam & ornatam.* Ideo dicitur Paral 29. *Mundate domum Domini,* ideſt conscientiam, *vt fiat habitaculum Deo dignum.* & sicut scinditur & aperitur apostema, vt ejecta sanie, sanitas restauretur.

Tres partes satisfactionis scil. ieiunium oratio & eleemosyna.

TERTIO mundatur anima virtute satisfactionis, cuius tres sunt partes, scilicet ieiunium, oratio, & eleemosyna. Per ieiunium autem intelligitur quicquid est corporis afflictiuum: Col. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam* &c. De Iudith dicitur, quod *habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel.* Iudith 8. & infra. *Munda manebat in tabernaculo.* De oratione vero dicitur ibidem: Et Leuit. 13. dicitur de muliere purificanda post puerperium;

rium; *orabit pro ea sacerdos & sic mundabitur*. Si per alterius orationem mundatur aliquis, multo magis per orationem propriam; nam orando cor homo dirigit in Deum, & eleuat, eleuando mundificat. Iob 8. *Si omnipotentem ſueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit*; ad te exaudiendum, ſcilicet & conſolandum, ac etiam protegendum. De eleemoſyna vero dicitur Lucæ 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Et Iac. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*.

Ad cuſtodiendam munditiam requiritur clauſura ſenſuum.

Circa ſecundum, ſcilicet qualiter poſſit munditia cuſtodiri. Sciendum quod requiritur diſciplinata clauſura ſenſuum, tam interiorum, quam exteriorum, ne ex aliqua parte immunditia admittatur. Vnde Leuit. 15. *Docebitis filios Iſrael, vt caueant immunditias*. Debet igitur homo habere munditiam in opere. Prouerb. 21. *Qui mundus eſt rectum eſt opus eius*. Iob 21. *Saluabitur innocens: Saluabitur autem in munditia manuum ſuarum*; id eſt operum: non enim ſufficit quantacumque munditia interior, ſi non habeat opera. Quando enim diabolus domum conſcientię inuenit vacantem, licèt ſcopatam & ornatam inueniat, *tamen aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi*, Sicut dicitur Matt. 12. Debet enim homo à puero inchoare, & tunc erit ei facile munditiam cuſtodire. Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*. Prouerb. 20. *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi recta & munda ſunt opera eius*.

Item lingua munda & oculi mundi, cæteriq; ſenſus, ſed ſuper omnia cor.

Item debet eſſe lingua munda; quia ipſa ſi mundanon fuerit, maculat totum corpus. Iaco. 3. Ideo dicitur Eph. 4. *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. Item* oculi debent eſſe mundi. Abacuc. 1. *Mundi ſint oculi tui, ne videant malum*. Multas immunditias contrahit anima per oculos, *Require infra de cuſtodia oculorum lib.* 3. Similiter tactus, & omnes alij ſenſus debent eſſe mundi. Prouerb. 6. *Qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam*, ſcil. oſculando, amplexando, vel alias tangendo. *Super omnia* autem debet cor mundè ſeruari; *ex corde enim exeunt cogitationes malæ* &c. Matth. 15. Arguit etiam Dominus Phariſæos, quia munditiam prætendebant exterius tantum, dicens Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & catini, intus autem pleni eſtis rapina, & omni immunditia*. Iac. 2. *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo*. In hac autem munditia perſeuerare oportet, ſicut dicitur Iſa. 1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. Greg. *Lauatur & mundus eſſe negligit, qui poſt lachrymas, vitæ innocentiam non cuſtodit*. Iob 22. *Tenebit iuſtus viam ſuam, & mundus manibus addet fortitudinem*.

Requiritur etiam occaſionum euitatio.

Secvndo ad cuſtodiam perfectæ munditiæ requiritur omnium occaſionum euitatio, videlicet quod homo caueat à conſortijs malis, à ludis & ſpectaculis. Vnde Tobię 3. Dicebat Sara quæ fuit vxor Tobiæ iunioris: *Mundam ſeruauit animam meam ab omni concupiſcentia; nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui*. Iacob. 1. *Religio munda & immaculata hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Tertio* ad ſeruandam munditiam multum valet ſacrę lectionis frequentatio. Io. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Nota de illo cui præcepit ſenex quod calatum immundum reportaret plenum aqua, quem pluries immergendo, mundum, licet aqua vacuum, reportauit. *Quarto* ad ſeruandam munditiam multum valet Dominicæ paſſionis deuota meditatio 1. Ioan. 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Nota populo Iudæorum data eſt aqua expiationis, qua mundaretur aſperſus ab immunditijs corporum. Numer. 10. *Qui aqua expiationis non eſt aſperſus immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum*. Nobis autem dedit Dominus Ieſus Chriſtus ſuum ſanguinem pretioſum ad purgandum immunditias animarum. Hebr. 9. *Si enim ſanguis hyrcorum aut vitulorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram* &c.

Sacræ lectionis frequentatio.

Chriſti paſſionis meditatio.

Multa mouent ad mũditiam conſeruandam.

Circa tertivm, quæ ſcilicet mouere nos debent ad munditiam conſeruandam. Sciendum quód ad hoc moueri debemus multiplici ratione. *Primo* ſi conſideremus pretium noſtræ mundationis, quod eſt ſanguis Chriſti. *Secundo* ſi conſideretur difficultas, immo impoſſibilitas recuperationis quantum eſt ex nobis, quia nec per nos, nec ex nobis recuperare poſſumus, ſed ſolus Deus poteſt nobis eam reddere. *Tertio* debet nos mouere animæ noſtræ ſanitas, quia recuperando munditiam recuperamus pariter ſanitatem, ſicut quando corpus mũdatur à malis humoribus quæ cauſant ægritudinem, recipit ſanitatem.

Qvarto mouere nos debet optata tranquillitas, quia non habet pacem conſcientia quouſque fuerit emundata. Peccata enim pacem turbant. Iſa. 48. *Non eſt pax impijs dicit Dominus*. ſicut paterfamilias non eſt in pace, nec poteſt quieſcere quamdiu ſcit latrones vel inimicos ſuos mortales eſſe in domo. Puer iacens in cunis quamdiu dormit in fœcibus ſuis, non clamat nec aduertit, ſed quam cito fuerit excitatus, clamat & eiulat donec extractus fuerit à fœcibus. ſic peccator dormiens in fœcibus peccatorum, non clamat per confeſſionem; ſed excitatus per gratiam, non habet pacem quouſque fuerit munditiæ reſtitutus.

Qvinto mouere nos debet ad idem, quia recuperãdo munditiam, diuinum recuperamus amorem. Neminem poteſt Deus diligere niſi mundum, quia ipſe eſt totius puritatis amator. Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam* labiorum habebit amicum regem. In mũdis corde facit ſuam manſionem, ſicut in templo ſuo ſancto. Ideo dicitur: 2. Par. 29. *Auferte omnem immunditiam à ſanctuario meo*. Ibidem. *Mundate domum Domini Dei. vos autem eſtis templum Dei viui, dicit Dominus*, 2. Cor. 6 *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*. Sequitur, *Immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Has igitur habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini*.

Sexto mouere nos debet ad munditiam conſeruãdam, quia acquirendo & recuperando munditiam, acquirimus, vel recuperamus ſplendorem cognitionis. Aer, aqua, oculus, vel ſpeculum, quodlibet iſtorum, quanto mundius, tanto clarius; ſic & intellectus quanto affectus mundior, tanto clarior ad videndum, & ſpiritualia contemplandum. Sap. 7. *Spiritus intelligentiæ mũdus ſubtilis, & quanto mundior tanto ſubtilior*. Ideo dicitur hic. *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt*; in præſenti quidem per gratiam contemplando, & in futuro per gloriam, clare & nude facie ad faciem intuendo.

Septimo mouere nos debet ad idem, quia acquirendo munditiam, acquirimus dulcorem deuotionis, & cuiuſdam præguſtationis. Quod figuraliter præſignatur Leuit. 22. *Qui tetigerit immundum cuius tactus eſt ſordidus, immundus erit, & non veſcetur his quæ ſanctificata ſunt, ſed cum lauerit carnem ſuam aqua*, ſcilicet compunctionis, *& occubuerit Sol*, ſcilicet iuſtitiæ, qui eſt Chriſtus, occubuerit inquam in cruce, *tunc mundatus* ſanguine Chriſti *veſcetur ſanctificatis*, id eſt eccleſię ſacramentis: non tantum ſacramentaliter, ſicut communiter recipiunt omnes, ſed etiam ſpiritualiter, quod non eſt niſi iuſtorum. Per munditiam etiam acquirimus dulcorem fruitionis æternæ, quę etiam comprehenditur ſub nomine viſionis; quia ſecundum Aug. *viſio eſt tota merces*, quia videlicet fruitionis dulcedinem comprehendit. Bene ergo dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*.

De pace.

DISTINCTIO XXII.

Pax duplex ſcilicet bona & mala.

CIRCA ſeptimam beatitudinem, ſcilicet Beati pacifici, &c. Sciendum quod eſt pax multiplex. Quædam mala, & culpabilis, quædam bona & laudabilis. Niſi enim eſſet aliqua pax mala, non diceret dominus. Matth. 10. *Nolite putare quoniam veni pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium.* Hieronym. *Bellum miſſum eſt bonum, vt rumperetur pax mala.*

Pax mala triplex.

PAX autem mala multiplex eſt: quædam enim eſt pax phantaſtica, quædam ſophiſtica, quædam diabolica.

1. Phãtaſtica, quale habẽt mundani in diuitijs & carnis delitijs.

PAX phantaſtica non vera eſt, quam credunt & dicunt homines mundani ſe habere in terrenis diuitijs, in mundanis faſtigijs, & in carnis delitiis: ſed vere non eſt pax in iſtis, ſicut dicit dominus Ioan. 18. *In mundo preſſuram habebitis: in me autem pacem.* Bene erat pax phantaſtica quam habebat ciuitas Hieruſalem. Luc. 19. *Videns ciuitatem flenit ſuper illam, dicens; quia ſi cognouiſſes & tu, & nunc in hac die tua quæ ad pacem tibi*, &c. Videbatur ciuitas pacis proſperitate gaudere, & non videbat ſibi excidium imminere. Si igitur pacem ſibi videantur habere, non eſt vera, ſed phantaſtica.

Non eſt pax in diuitijs niſi phantaſtica.

QVOD enim non ſit pax in terrenis diuitijs ſatis patet, licet enim diuites videantur dominari populis, & in mundo non eſſe quod timeant, ac per hoc pacem putantur habere, profecto pax iſta ſemper cum conſcientia litigat, & rixatur interius; & ſi non habeat hoſtem exterius, ſecum ipſa decertat. Diuitiæ namque materiam litium adminiſtrant, inquietudinibus, & erumnis, licet ſentire non videantur laborantes hoc morbo, quia non conſiderant circa diuitias, quantus ardor eſt in acquirendo, labor in diſcurrendo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo, anxietas in relinquendo. Timet auarus potentem ne rapiat, pauperem ne furetur, vermes ne corrodant, incendium ne conſumat, & huiuſmodi, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Iob. 15. *Nulla ibi vera tranquillitas, vbi nunquam mens ſine ſollicitudine vigilat, neque corpus recreat vera ſomni ſuauitas.* Quandoque rapiuntur, extorquentur, vel incendio deuorantur diuitiæ, vt ſubito deſolatus appareat, qui ſe tanta pollere fælicitate putabat. Cæterum *deſiderium ſi compleatur, delectat animam.* Prouerb. 14. Ergo ſi non compleatur, non delectat, ſed pacem tollit, cruciat, & fatigat. Sed auarus (ſecundum ſententiam Sapientis Eccleſ. 5.) *nunquam implebitur pecunia.* Ergo continue deſiderans, continue cruciatur, nam ipſi diuites ſi totum mundum ſinguli poſſiderent, tamen adhuc deſiderijs arderent. Viget enim in eis ignis, qui nunquam dicit, ſufficit. Prouerb. 30. *Quiiã* fere totam huius mundi ſiluam ſic inuaſit; quod nec amicitiarum, nec propinquitatis, nec interdum filiorum, nec coniugij, amorem habeant, dum retinent cupiditatis ardorem, niſi quod videtur eis dulce, in tantis ardoribus habitare, in curis & ſollicitudinibus laborare, & ſe in talibus reuoluere, ſicut delectatur ſcarabæus in fimo & ſtercore. Dicit Apoſtolus 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum & tentationem*, &c.

PRODVCANTVR in medium illi quinque frænetici quos beatus Bernard. inducit: *Vidi* inquit *quinque fræneticos, quorum vnus arenam maſticabat maris. Alius aſtans lacui ſulphureo exhalantem vaporem fœtidiſſimum geſtiebat haurire. Tertius incubans fornaci vehementer accenſæ, micantes ſcintillas ore aperto lætabatur accipere. Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, ventum ore attrahebat, ventum flabello commouens, ac ſi ſperaret ſe totum aerem deglutire. Quintus ſeorſum poſitus cæteros irridebat, qui carnes proprias deuorare laborans, nunc brachium, nunc partes alias applicabat. Quid iſta ſignant, niſi miſerorum miſerabilium famem, quam hi cibi qui naturales non ſunt, magis prouocant quam extinguant, capacem Dei animam, quicquid Deo minus eſt, implere non poteſt.* Immo ſicut dicit Auguſt. in lib. de confeſſ. Egeſtas eſt omnis copia quæ Deus non eſt. Peregrinis etiam quæ vere pacis patriam quærunt, oneroſæ ſunt diuitiæ, quas ne grauentur in via relinquunt, ſufficiunt enim vt ſuſtententur, & defectus neceſſarios ſuppleant, & motus noxios reprimant: & laſciuos, ſicut ſcriptum eſt 1. Mach. 14. *Vnuſquiſque colebat terram ſuum in pace. De hac materia req. infra lib. 3. Auaritia.* Aduertendum eſt, quod non omnes diuitias nec diuites execramus, quia non ſunt in culpa diuitiæ, ſed abuſus. Vnde ſunt licitæ ſi ſine prauitate acquirantur, ſi cum humilitate & timore Dei ſeruentur, ſi cum ſobrietate & frugalitate in vſus neceſſarios & licitos expendantur, ſi cum pietate pauperibus erogentur.

Non eſt vera pax in delitijs.

ITEM non eſt pax vera in delitiis, niſi iudicio illorum qui eſſe ſub ſentibus delitias computant. Nam ſicut ait quidam, habet hoc omnis, voluptas, quod ſtimulis agit fruentes, aculeus ſub melle latitat. In appetitu viget anxietas, & pœnitudinem habet ſatietas, ibi nulla requies, nulla iucunditas. More brutorum voluptuoſi laſciuiunt diſtentis ventribus, ſed eorum voluptates turpes habent exitus. *propter crapulam multi perierunt.* Eccl. 37. *Et cum dixerint pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperuenit interitus.* 1. Theſſ. 4. Quid Salomoni delitiæ profuerunt, quæ ſibi præ cæteris abundantius affluxerunt? *Vadam*, inquit Eccl. 2. *& effluam delitijs & fruar bonis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in eis. Habebat pacem ex omni parte* 3. Reg. 4. *Sed ſuſcitauit contra eum dominus ſeruum ſuum* 3. Reg. 11. Inducit vita voluptuoſa dolorem, laborem, paupertatem, & mortem. Indurandus eſt igitur animus & à voluptatibus abſtrahendus, debellandæ ſunt corporeæ voluptates, quia multi vicerunt aduerſarios ſuos fortiſſimos, quos tandem voluptates, & vitia vicerunt. *De hac materia require ſupra. Abſtinentia.* Et infra, *Gula.* Rom. 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Sic tractandum eſt corpus vt ſeruiat, non vt rebellet, aut laſciuiat. Habenda eſt cura carnis in neceſſarijs, non fouenda in deſiderijs, ſed exercenda ſalutaribus diſciplinis. Cibus quanto honeſtius & ordinatius ingeritur, tanto facilius digeritur; & corpus dulcius conſopitur, & ſomniorum honeſtas exoritur, ac cum minoris afflictionis tædio ſurgitur, & robuſtius laboratur. Omnia cum diſcretione præſentia ſic agantur, ne retardentur ſpiritualia, deficiente ſpiritu, & corpore langueſcente. Ideo dicitur Eccl. 41. *Diſciplinam & pacem conſeruate.*

Non eſt vera pax in faſtigijs.

ITEM non eſt pax vera in faſtigijs. Semper enim vt cancer ſerpit ambitio, qua creſcente tanto ſe longius à pace ſe homo reperit, quanto magis in mundanis honoribus deſiderium ſuum ponit. Ad honorem verum facilius ille pertingit, & pacem, qui ſpernit omnia, quam qui anfractuoſa via circuiens, mendicat ſuffragia, vt ad optatam perueniat dignitatem. Adepta etiam dignitate, quietudo vel pax non ſequitur, ſed magis ac magis creſcit ambitio. Quam temporibus noſtris in tantum videmus excreſcere, quod quidam tanquam impudentiſſimi canes, appetunt eſſe paſtores; qui nec verbo, nec exemplo, nec ſubſidio, ſibi commiſſas oues dominicas paſcere ſciunt, & ideo non eſt eis pax. Sicut nec Abſalon, qui libidine dominandi ſuccenſus, patris ſui regnum conatus eſt nequiter vſurpare. 3. Reg. 17. Tales in ſe pacem non habent, nec fouent in aliis, quia *viam pacis non cognouerunt, ſed contri-*

tio & infœlicitas in vijs eorum, nec eſt timor Dei ante oculos eorum, quia non ſic impudenter ad honores, & eccleſiaſticas dignitates currerent plurimi, ſi timerent, ſi terreret eos mentis impuritas, corporalis virtutis imbecillitas, oneris difficultas. *De hac materia reg. infra Ambitio.* Sic igitur declaratum eſt, quod quædam pax eſt phantaſtica.

2. *Sophiſtica, qualis eſt inter fictos amicos.*

SECVNDO quædam eſt pax ſophiſtica, puta in vulgaribus amicitiis & mundanis: quoniam inter amiciſſimos videmus quandoque graues inimicitias ſuboriri, quæ priſtinam dulcedinem abolentes, inexpreſſibilem amaritudinem pariebant. Pſalm. *Homo pacis meæ in quo ſperabam, magnificabit ſuper me ſupplantationem.* Et Hiere. 9. *De fictis & ſophiſticis amicis, ſic dicitur. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.* Pſalm. 27. *Loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.* Et ſequitur: *Da illis ſecundum opera eorum, &c.* Idem 34. *mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* In iſtis igitur non eſt pax vera, ſed timor & ſuſpitio deceptionis, & fraudis.

3. *Diabolica, qualem habent peccatores in ſuis voluptatibus.*

ITEM eſt pax diabolica, quam ſcilicet ſe dicunt peccatores habere, quando poſſunt voluptates ſuas impias adimplere, *qui lætantur cum malefecerint & exultant in rebus peßimis: ſed non eſt pax impijs dicit dominus.* Iſa. 47. Mentem enim corruptam vitijs, quam remordet conſcientiæ vermis, quæ vt in pluribus diſtrahitur cogitationibus vanis, & noxijs: quamdiu latet in ſpinis, pacem habere & in pace quieſcere, impoſſibile eſt, habentes tamen cordis oculos obſcuratos (quia excæcauit eos malitia) multi magna, & grauia, & horrenda flagitia, in ſuis conſcientijs non recognoſcunt, nec recognoſcere cupiunt, ne doleant, & compungantur. Alij vellent quidem cognoſcere, ſed ad hoc laborare non curant, ſicut de iniuſto dicit Pſalm. *Noluit intelligere vt bene ageret*, tales in magno conſcientiæ bello, tot & tam magna mala, pacem appellant. Sed quomodo pacem poteſt habere, qui gladium portat in corde; qui iacet in ſpinis, cuius lectus plenus eſt ſerpentibus venenoſis, qui inter leones, & dracones verſatur, qui latrones habet in domo, qui ſuos hoſtes ſæuiſſimos ſentit contra ſe crudeliſſime ſæuientes, & ipſum qualibet hora deuorare volentes; qui videt gladium vltionis diuinæ vibrari ſuper ſe, & horrendam foueam abyſſalem igne & ſulfure ſuccenſam infra ſe paratam ipſum miſerum peccatorem protinus abſorbentem. Denique quomodo pacem habebit, qui pacis auctori reſiſtit Iob. 3. *Quis enim ei reſtitit & pacem habuit?* Gregor. *Peruerſa mens vnde contra ſe erigit actorem inde ſe in ſemetipſa confundit*, habere ergo pacem reſiſtens non poteſt, quia dum ſuperbiam confuſio ſequitur, quod ſtultè per culpam geritur, in agentis pœnam mirabiliter ordinatur.

ITEM diabolica eſt pax peccatorum, qui quantumcunque inter ſe diſſentiant odio vel rancore, quandoque conſentiunt in pauperum oppreſſione, aut in Dei, vel eccleſiæ impugnatione, ſicut Pilatus & Herodes facti ſunt amici in dominica paſſione. De tali pace talium, ex magno zelo dolebat Pſalm. 72. dicens: *Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

NVNC videndum eſt de pace bona & laudabili, de qua dicit Aug. 19. de ciui Dei: *Tantum eſt bonum pacis, vt in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poßit melius inueniri: tantum eſt pacis bonum, vt nihil ſine pace ſit bonum. Denique tantum eſt pacis bonum, vt Deus ipſe ſit, & ſe vocari faciat, Deum pacis.* Iſa. 9. vocatur *Princeps pacis.* Et Theſſ. 5. *Deus pacis ſanctificet vos,* &c. Ipſe eſt pacis lator, pacis dator, æmulator, propugnator, præmiator.

Pax bona triplex.

SCIENDVM autem quod eſt pax interna, pax fraterna, & pax ſuperna. Pax interna, quam debet habere quilibet in ſeipſo, eſt affectuosè quærēda, & ſtudiosè ſeruāda. Quod autē ſit affectuosè quærenda, patet ex hoc, quod quælibet creatura naturaliter pacem appetit, & quietem. Si enim lapis iaciatur ſuperius, ſemper nititur inferius deſcendere; & ignis ſurſum aſcendere, licet quandoque violenter inferius teneatur, ſi oleo ſuperiuſfunderis liquores alios, ipſum quaſi ſuæ deiectionis impatiens exilit, & donec ſe ſuperpoſuerit non quieſcit, ſic videri poteſt in omnibus creaturis, quod omnes naturaliter quietem ſuam appetunt, & donec locum ſuę pacis iuuenerint non quieſcunt, ſic anima rationalis naturaliter pacem appetit, & donec pacem inuenerit, appetitus eius terminari non poteſt. Ideo Pſalm. 33. *Quis eſt homo qui vult vitā, diligit dies videre bonos?* Sequitur, *inquire pacem & perſequere eam.* Ex his verbis aduerte, quod qui non habet pacem, non habet vitam, nec poteſt bonum diem habere vbi autem inquirenda ſunt & qualiter, inſinuat cum ait. *Inquire*, &c. *Inquire*, ideſt intus in animo tuo quære, non extra, te, ideſt in creaturis extrinſecis non inuenies pacem, ſed potius miſeriam & dolorem. Dictum eſt enim ſupra, quod nec in diuitijs, nec in delitiis, nec in excellentiis, nec etiam in amicitijs huius mundi, poteſt pax vel requies inueniri. Ideo conuertere anima mea in requiem tuam, ab omnibus extrinſecis creaturis auertere. Ad cor tuum reuertere, & clauſis ſenſuum exteriorum oſtiis & feneſtris, diſcute, viſita, perſcrutare cor tuum, ne forte aliquid in eo lateat quod oculos diuinæ maieſtatis offendat, quia locum mundum & quietum quærit ſponſus & diligit, non ſordidum ſpurcitia vitiorum, nec inquietum tumultuoſis diſcurſibus circunſtrepentium vanitatum. Tunc enim ſponſus aduenier in ſecretarium cordis tui, cum clauſo oſtio nihil in eo dimiſeris quod conſcientiam tuam remordeat; nihil inquietum, nihil inordinatum remanſerit, ſed omnia pacata ad inſtar domus & familiæ quietiſſimæ, & in omnibus ordinatæ. Tunc inquam Chriſtus aduenier dicens. *Pax huic domui*: Matth. 10. Ad diſcipulos ſuos orantes clauſis ianuis aduenies. dixit eis, *pax vobis* Ioan. 20 Quod quietum locum diligat, ait Pſalm. 75. *Factus eſt in pace locus eius.* Quod pulchre figuratum eſt 2. Reg. 7. Et 1. Paral. 22. Licet enim Dauid ſanctus eſſet & gratus Deo, noluit tamen dominus quod ei ædificaret domum. Sed Salomon filius eius pacificus, hoc fuit priuilegio ſpecialiter honoratus. Benè ergo dicit Pſalm. 33. *Inquire pacem*, quia difficilis eſt ad inueniendum: ſed quia longe difficilior eſt ad tenendum. Ideo ſubdit: *Et perſequere eam*, quaſi ſcilicet fugientem.

1. *Interna: & hæc eſt affectuoſe quærenda.*

Multa pacē noſtram perturbant.

MVLTA ſunt enim quæ pacem noſtram impediunt & perturbant. Primo quidem hoſtilis malignitas. Dæmones nempe de ſtatu pacis & fœlicitatis electi, pacem noſtram multipliciter perturbare nituntur, prima Petri 5. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit*, &c. Pſalm. 29. *inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.* Ideo neceſſaria eſt ſtrenuitas ad defendendum: quia ſicut dicitur Luc. 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poßidet*, ideſt, cum vir iuſtus fortis per gratiam, armatus virtutibus, cuſtodit atriū cordis ſui, ne ex aliqua ſui parte diabolus ingreſſum inueniat, tunc *in pace ſunt omnia quæ poßidet*, i. omnia bona ſpiritualia, quæ ſunt animæ vera poſſeſſio. Et Iob 5. dicitur. *Beſtiam terræ non formidabis*, ideſt diabolum, ſecundum Gregor. & *Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi, non dicit pacatæ*, ait Gregor. *ſed pacificæ; videlicet non quia pacem habeant tecum, aut tu debeas pacem habere cum eis, ſed quia pacem tuam cum Deo faciunt. Hoſtes quippe callidi dum inſidiantur affligunt,*

1. *Hoſtilis malignitas.*

ſed mens afflicta tanto magis ad æternam patriam redi- A *tum diligit, quanto in hoc erumnoſo exilio laborioſius vi-uit, ſed verius ſe gratiæ adiutoris humiliat, cum contra inſidias hoſtium acriores penſat. Inde ergo nobis pax cum Deo robuſtior oritur, vnde nobis ab aduerſarijs pugnæ durior generatur.*

2. *Pœnalis aduerſitas.* SECVNDO pacẽ noſtrã perturbat pœnalis aduerſitas, ideſt multiplex afflictio, tribulatio, & deſolatio cordis, & infirmitas corporalis, & huiuſmodi. Hier. 8. *Expectauimus pacem & non erat, bonum tempus medelæ, & ecce formido.* Vnde de falſis prophetis qui populum ſeducebant, dicitur ibidem: *ante ſanabant contritionem filiæ populi mei, dicentes; pax, cum non eſſet pax.* Ad hoc igitur quod homo poſſit in aduerſitatibus huius mundi pacem habere, neceſſaria eſt patientia ad ſuſtinendum, vt inter fluctus pelagi, nauis cordis inconcuſſa permaneat, & quieta. Vnde beato Iob in multis tribulationibus exiſtenti dictum eſt. *Acquieſce ei, & habeto pacem, & per hoc habebis fructus optimos.* Multi ſunt enim & optimi patientiæ ſanctæ fructus. Heb. 12. *Omnis diſciplina, in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed meroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* B

3. *Peruerſa ſocietas impiorum.* TERTIO pacem noſtram perturbat peruerſa ſocietas hominum ſcilicet impiorum. Sed de hoc patebit infra, cum dicemus de pace fraterna. *Quarto* pacem noſtram perturbat ſtatus noſtri dubietas. Graue debet eſſe cuilibet quod ignorat quando vel quomodo morietur, vt ſit in ſtatu ſalutis vel damnationis, quia *neſcit homo vtrum amore vel odio dignus ſit*, quòd ſemper in periculo ſit viuens & moriens. Ideo dicitur Zach. 8 C *Neque introeunti* ſupple in mundum, *neq; exeunti de mundo erat pax*; videlicet propter incertitudinem ſui ſtatus, prima Theſſ. 5. *Cum dixerint pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperueniet interitus.*

4. *Status noſtri dubietas.*

5. *Affectionum varietas.* QVINTO pacem noſtram perturbat affectionum varietas. Quam variis & innumeris modis affectiones animam inquietant quis narrare ſufficiat. Motus enim beſtiales inſurgentes in carne, frequenter animam inquietant: ſicut oſtendit Apoſtolus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati & mortis* &c. Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, &c. Ideo Pſal. 37. clamat. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis*, &c. Propter hoc opus eſt carnem ſubijcere ſpiritui, & eius concupiſcentias edomare, vt ſub- D *acto interiori aduerſario, pax reddatur.* Vnde ſuper illud Iob. 5. *Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi*, dicit Greg. *Per terræ beſtias poſſunt motus carnis intelligi, qui dum mentem noſtram irrationabilia ſuadendo laceſcunt, contra nos beſtialiter inſurgunt, ſed cum cor ſub diuina lege deprimitur, carnis incentiua detumeſcunt, vt etſi tentando ſubmurmurant, non tamen vſque ad effectum operis, quaſi ad aperti morſus rabiem exurgant. Quis enim in hac corruptibili carne ſubſiſtens, has terræ beſtias plene edomet, cum ille ad tertium cœlum raptus, egregius prædicator dicat, video aliam legem in membris meis*, &c. *Sed aliud eſt has beſtias in campo operis ſæuientes aſpicere, aliud intra cordis caueam frementes tenere. Redacte namque intra clauſtra continentiæ, etſi adhuc tentando rugiunt, vſque ad morſum tamen (vt diximus) actionis illicitæ non excedunt. Quamuis per hoc quod* E *pacificæ dicuntur, Et id quod de malignis ſpiritibus diximus, non inconuenienter accipitur. Motus enim carnis pacem nobis cum Deo faciunt, dum tentando contradicunt. Nam mens iuſti dum ad ſuperna dirigitur, ex corruptibili carne, graui bello fatigatur, quæ ſi quando à deſideriis cæleſtibus huius mundi, qualibet minima delectatione tardatur, ipſo bello ſuæ tentationis impellitur, vt illud toto corde diligat, quod contradictio nulla perturbat: conſiderare enim vnuſquiſque compellitur, vnde & quo eccidit, qui poſtquam pacem Dei deſeruit, vixa ſibi cõtra ſe exurgere intra ſemetipſum ſentit: & tunc verius videt de ſecura Dei delectatione quid perdidit, quando ad ſe dilapſus, ſuam in ſe contumeliam inuenit.* Sequitur. *Et ſcies quod pacem habeat tabernaculum tuum; quiacum mentẽ Deo & carnem menti ſubiugamus, tabernaculum noſtrum pacem habere dicitur. Rurſus, quia non ſufficit motus beſtialis carnis reſtringere, ſed & alias animæ paſſiones ſub rationis regula refrænare: Ideo ſequitur. Et viſitans ſpeciem tuam non peccabis.* Neceſſarium enim eſt omnes animæ latebras perſcrutando viſitare, ne paſſiones ſuas ſequendo irrationabiliter moueatur in aliquo; ne ſcilicet regnet in ea ſuperbia, ne vana gloria, ne ambitio, præſumptio vel aliquid huiuſmodi dominetur, ne tabeſcat inuidia, ne turbetur iracundia, ne torpeſcat accidia, ne cupiditate rerum mundialium diſtrahatur, & ſic de aliis. Sicut enim pater familias domum ſuam viſitat ne latrones lateant, ne ignis noceat, ne aliqua feneſtra, vel oſtium apertum remaneat, ne aliquid inhoneſtum vel illicitum ibi fiat. Sic vir iuſtus conſcientiæ ſuæ ſedulus explorator, debet omnes cordis ſui vias & motus perquirere, & ſecundum rationis regulam ordinare; & quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia. Sed heu quia tanta eſt mobilitas & vanitas cordis noſtri, quod vix etiam à viris ſpiritualibus, teneri poſſit in vinculo pacis, ſed ſemper extra ſe nititur euolare, ſicut auis in cauea per omnia foramina circunſpiciens circuit, quærens ſi poſſit euadere clauſuram, & libere peruagari. Vnde beatus Bern. in medita. ſuis ait. *Nihil fugacius corde meo, quod quoties me deſerit, & per prauas cogitationes effluit, toties Deum omnipotentem offendit, cor meum cor vanum, vagum & inſtabile, dum toties ducitur ſuo arbitrio, & diuino caret conſilio, in ſe non poteſt conſiſtere, ſed omni mobili mobilius, per infinita diſtrahitur, & hac illacque diſcurrit per innumerabilia. Dum & per diuerſa requiem quærit, non inuenit, ſed in labore miſerum, & à requie vacuum manet, ſibi non concordat, à ſe diſſonat, à ſe reſilit, voluntatem alternat, conſilia mutat, ædificat noua, deſtruit vetera, deſtructa iterum reædificat, eademque iterum & iterum alio & alio modo mutat & ordinat, quia vult & non vult, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Sicut enim molendinum cito volnitur & nihil reſpuit, ſed quicquid ei imponitur molit, ſi autem nihil apponitur ſeipſum conſumit: ſic cor meum ſemper eſt in motu, & nunquam requieſcit, ſed ſiue dormiam ſiue vigilem, ſomniat, & cogitat quicquid illi occurrit: & ſicut molendinum arena, ſi imponatur exterminat, pix inquinat, palea occupat: ſic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita cor meum dum cæleſte non curat gaudium, neque diuinum quærit auxilium, ab amore cæleſtium elongatur, & in amore terreſtrium occupatur. Cumque elongatur ab illis, & inuoluitur in iſtis, vanitas illud recipit, curioſitas deducit, cupiditas allicit, voluptas ſeducit, luxuria, polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, circuit triſtitia, ſicque miſeris caſibus ſubmergitur omnibus vitijs, quoniam vnum Deum qui ei ſufficere poterat, dimiſit,* vide ergo quam neceſſarium ſit pacem perſequi ſic mirabiliter fugientem. Ideo bene dicit Pſal. 33. Inquire pacem & perſequere eam.

Pax cordis cuſtoditur in puritate conſcientiæ. VLTERIVS ſciendum eſt quod pax cordis cuſtoditur, in puritate conſcientiæ, feruore dilectionis, claritate ſapientiæ, dulcore deuotionis. Primo quidem pax cuſtoditur in puritate conſcientiæ; ſicut dicitur Iob. 8. *Si mundus in cogitatione, & rectus in intentione vel opere inceſſerit, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ.* Pacem & ſanctimoniam coniungit Apoſtolus Heb. 12. *Pacem ſequimini & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Item beatus Apoſtolus, pacis ſapiens æſtimator, in omnibus epiſtolis ſuis, paci gratiam præmittebat dicens: gratia vobis & pax; per hoc dans intelligere, quod nunquam pax vera ſine gratia poteſt haberi. Vnde illis quos Chriſtus tam mẽte quam corpore ſanauerat dicebat, *vade in pace* Mar. 5. Luc. 7. & 8. Item nato domino nunciant Angeli pacem, ſed tantum hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. *Gloria in excelſis Deo: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Domine dabis pacem nobis.* Iſa. 26. Dicat ergo deuota anima. Gloriam tuam vſurpare non debeo, quoniam dixiſti: *Gloriam meam alteri non dabo.* Iſa. 40. Mecum bene agitur, ſi mihi pacem dederis, conſcientia ſeruata.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pax custoditur in feruore dilectionis in claritate sapientiæ ac dulcore deuotionis.

SECVNDO pacis tranquillitas custoditur in feruore dilectionis, Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Lex Dei est lex amoris, secundum illud Roman. 13. *Plenitudo legis est dilectio,* Dei scilicet & proximi. *Tertio* custoditur pacis tranquillitas per claritatem sapientiæ. Iac. 3. *Quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica.* Et Eccles. 1. *Corona sapientiæ timor domini, replens pacem, & salutis fructum. Quarto* custoditur & nutritur in dulcore deuotionis, Isa. 57. *Creauit fructum labiorum pacem.* fructus labiorum est confessio peccatorum, instructio proximorum, virtutum exhortatio, obiurgatio vitiorum, frequens, & feruens oratio, gratiarum actio, & vox laudis. In hac pace specialiter requieſcit iustus dicens cũ Ps. 41. *In pace in idipsum dormiã & requiescam.*

Pace nihil vtilius nil iucundius.

HAC pace nihil vtilius, nihil iucundius, nihil securius. *Nihil inquam vtilius*, quia per hanc acquiritur opulentia meritorum; sicut quando pax est in aliqua terra, mercantur homines, & excolunt terras suas, & recipiunt fructus, colligunt, & recondunt. Psalm. 121. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Sap. 3. *Donum & pax est electis Dei,* Deus enim dando bonum pacis, quod est bonum præcipuũ, dat etiam alia multa dona. *Item* pace nihil iucundius. Roman. 14. *Non est regnum Dei esca & potus, sed pax & gaudium in Spiritu sancto*, vide quod pacı gaudium sociatur. Item Gal. 5. *Fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax.* Et Colo. 2. *pax Christi exultet in cordibus vestris. Item* pace nihil securius, loquendo scilicet de securitate quæ potest haberi in vita præsenti, vnde Lucæ 24. *Stetit Iesus in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Item Ioseph fratribus suis, dixit Genes. 44. *Pax vobiscum, nolite timere.* Et Angelus Gedeoni. Iud. 6. *Pax tecum, ne timeas non morieris.* Pro his omnibus. 2. Cor. 13. *Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.*

Nihil securius.

2. *Pax fraterna, in qua multa seruanda.*

ITEM est pax fraterna, quæ est pax hominis ad hominem, de qua Marc. 9. *Pacem habete inter vos.* Debemus autem seruare vnitatem in conueniendo, sanctitatem in exemplando, patientiam in tolerando, & prudentiam in declinando. *Primo* quidem reseruare debemus vnitatem inuisibilem. Tota enim ecclesia fidelium vnum est corpus, cuius caput est Christus: nos autem singuli, huius corporis membra sumus. Roman. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus: Omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Sicut autem in corpore naturali, si membrum vnum locum suum reliquerit, vel disiunctum fuerit violenter, magnum dolorem ingerit, quia totius corporis vnitas impeditur, & donec illud membrum ad locum suum redierit, vel reductum fuerit, non quiescit: sic quando discordat, vel contentioſe dissentit ab alijs vnus homo, quantum in se est diuidit vnitatem corporis, & dolorem ingerit omnibus alijs, & ideo non debet quiescere, donec redierit ad corporis, vnitatem. Ideo dicit Apostolus Eph. 4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

1. *Vnitas indiuisibilis.*

2. *Sanctitas in exemplando.*

SECVNDO debemus habere sanctitatem in exemplando Roman. 12. *Proinuicem sollicita sint membra,* vnde si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, & si gaudeat vnum membrum, congaudent omnia membra, vnum etiam aliud adiuuat miro modo in actibus suis. Sic in corpore Christi mystico debemus inuicem congaudere & compati, & mutuo nos iuuare, non solum in temporalibus; immo multo magis in spiritualibus, sanctitatis & ædificationis exempla inuicẽ ostendendo, ad alios prouocandum. Sicut docet Apost. Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt inuicẽ custodiamus.* Heb. 10. *Consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.*

3. *Patientia in sustinendo.*

TERTIO debemus habere patientiam in sustinendo. Si enim molestet nos aliquis, iniurietur, vel contumeliam inferat, non statim debemus vltionem repetere nec nos verbis contentiosis, vel contumeliosis, aut gladijs vindicare. Sed oportet multa patienter tolerare, quicunque pacem suam & aliorum desiderat custodire, vnde dicebat Psalm. 119. *Cum his qui oderant pacem eram pacificus.* &c. De fratribus Ioseph dicitur Genes. 37. *Quod oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui,* tamen ipse patienter sustinuit. Ideo quia difficile est cum talibus pacem habere, Dicit Apostolus Heb. 12. *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Signanter dicit si fieri potest, scilicet salua conscientia, salua iustitia, debemus semper facere quod in nobis est, vt non ex nobis proueniat defectus pacis.

4. *Prudetia in declinando.*

QVARTO debemus habere prudentiam in declinando, quia si sunt aliqui sic proterui, rationis expertes, & omnis iustitiæ inimici, quod non possint ad pacem adduci, nec rationem reddendo, nec exhortando, nec corripiendo, nec etiam patiendo: tunc si vis pacem habere, necesse habes talium conuictum, consortium, commercia, & colloquia declinare. Quidam enim pacem perturbant apertè. De quibus dicitur Eccles. 28. *Homo iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Alii occulte, scilicet detractores: de quibus Eccl. 28. *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes* Psalm. 27. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Idem 34. *Mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terra loquentes dolos cogitabant.* &c. Et Hier. 12. *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est. In ore suo pacem cum proximo suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Primi cauendi sunt tanquam aperti pacis & concordiæ turbatores. Alij vero fugiendi tanquam pessimi proditores.

Pax fraterna duplex scilicet domestica & politica.

PRÆTEREA sciendum quod pax fraterna duplex est. Est enim pax domestica, & pax politica. Pax domestica, quam debet paterfamilias procurare, & fouere in domo sibi commissa; siue domus intelligatur eius hospitium, siue collegium ecclesiasticum, vel etiam cænobium regulare, nam quilibet in domo & familia sua, episcopus in collegio sibi subdito, abbas vel prior in monasterio suo, debet vnitatem pacis & concordiæ procurare, pro viribus, & nutrire. Vnde in commẽdationem antiquorum patrum dicitur Eccles. 48. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros,* &c. Sequitur: *Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, Pax vero* politica est pax reipublicæ, quæ summè desiderari debet in regnis & prouinciis, & tanto vehementius debet optari, & diligentius obseruari, quanto plura bona ex ipso proueniunt, & pluribus, & quanto ex eius contrario plura mala procedunt.

Vt sit pax politica tria præcipue requiruntur.

AD hoc autem quod in republica sit pax, tria præcipuè requiruntur, videlicet ad summum principẽ id-est Deũ reuerentia cum timore. In rege vel principe, prouidentia cum amore. In subditis obedientia cum honore. *Primo* quidem requiritur reuerentia cum timore, videlicet quod tam princeps quam populus domini, reuereatur & timeat ipsum offendere, & cum eo pacem habere studeat & prẽseruare, vnde dominus Hier. 15. dicit: *Quis miserebitur tui Hierusalẽ, aut quis contristabitur pro te, aut quis ibit ad rogandũ pro pace tua? tu enim dereliquisti me dicit dominus.* Item Leuit. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis,* &c. promittens eis abundantiam bonorum omnium. Pacem specialiter promittit eis tanquam præcipuum bonum, dicens: *Dabo pacem in finibus vestris,* &c. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, &c. comminatur eis bonorum omnium egestatem, famem, pestilentias, intemperiem aëris, siccitatem, corruptiones, ardorem, guerras gladium, & terrores, & alia multa mala. Quomodo regibus & populo pacem habentibus cum Deo, ipse semper pacem dederit, patet exemplis innumeris. Salomon quamdiu Deum dilexit, & coluit, habuit pacem ex omni parte, sicut dicitur

1. *Reuerentia cum timore.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

3. Reg. 4. Sed quãdo depranatum est cor eius per mulieres, vt Deos coleret alienos, suscitauit ei dominus aduersariũ. 3. Re. 11. Asa Rex Iuda, quia *fecit quod placitum erat, in conspectu Dei, & subuertit aras peregrini cultus.* &c. *regnauit in pace.* 2. Paral. 14. Sequitur: *Quietus erat & nulla temporibus eius bella surrexerunt, pacem domino largiente.* Itẽ de Iosaphat dicitur 2. Paral. 20. Qui postquam terram purgauit, & populo prædicauit, vt quæreret dominum, *quieuit regnum Iosaphat, & præbuit ei dominus pacem per circuitum.* *Item* temporibus Iudicum quoties relinquebant dominum, dabat eos in manus hostium; quando vero conuertebantur ad eum misericordiam postulantes, liberabat eos, largiens eis pacem, Prouer. 16. *Cum placuerint domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Cæterum quanta nunc sustinet ille populus Israël videamus. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es, inueterasti in terra aliena? confide veraciter, & cognosce: nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Baruch. 3. Perdidisti propriam terram expulsus cum ignominia, terram incolis alienam, duram & vilem sustinens seruitutem, qui prius oppressiones Ægyptiacas euasisti, legem Dei recipiens; magistros, & iudices habuisti, fundebas ad dominum multas preces, nocte & die præcedebat populum ignis & nubes, cælum ministrabat cibum esurientibus, petra potum sitientibus, mare sub tuis pedibus solidatum cedebat fugientibus, fluenta Iordanis obsequium præbuerunt transeuntibus, & multa mira fecit tibi Deus; terram opulentam & inclitam tibi dedit, exterminauit ante te Barbaras nationes, subiecit tibi populos; regnum, diuitias, & gloriam dedit tibi. Ac vero subintrante discordia, diuisus est populus & tumultuare cœperunt, puer contra senem, & ignobilis contra nobilem: dereliquit populus dominum, & traditi sunt Babylonicæ captiuitati, tandem liberatus non cessauit eius malitia, successit Antiochus in populũ exercens tyrannidem, postmodum à Babyloniis destruitur ciuitas illa sancta cum tẽplo, sanctuaria pollutis manibus conculcantur, trucidãtur sine miseratione senes & iuuenes, matres & virgines. Mulieres etiam filios suos vt comederent occiderunt; multa quoque alia quæ narrare non possumus sustinere compulsi sunt, Tyto & Vespasiano regnantibus, sicut Iosephus & Ægysippus referunt de cladibus Iudæorum. Quicunque igitur rex, vel princeps, in terra sua pacem habere desiderat, cum Deo pacem habere studeat, & populus eius similiter; quia quandoque propter peccata populi, quandoque propter peccata principis, Reipublicæ pax turbatur.

2. *Prouidentia cum amore.*

Secvndo requiritur regis vel principis prouidentia cum amore. 2. Mach. 4. *Sine regali prouidentia impossibile est pacem rebus dari.* Et Ester. 15. *Quoniam malis quorundam suggestionibus, regum studia deprauantur, prouidendum est paci omnium prouinciarum.* Debet ergo princeps prudens & prouidus, habere dulcorem clementiæ, in subiectos benevolos gubernando, feruorem astutiæ in corrigenda diligentius inquirendo, rigorem iustitiæ in maleficos acrius puniendo, vigorem constantiæ in aduersarios expugnando. *Primo* quidẽ princeps debet habere dulcorem clementię beniuolos begnius gubernando, exemplo regis Assueri, qui dicit Hester 12. *Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, nolui nequaquam potentiæ abuti magnitudine; sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* *Secundo* debet princeps habere feruorem astutiæ corrigenda vitia disquirendo, vnde debet terram suam sollicite visitare, & per viros fideles facere visitari, & inquestas fieri super bailliuos, præpositos; & huiusmodi Isa. 60. *Ponam visitationem tuam pacem;* quasi diceret ex tali visitatione tota terra reducetur ad pacem. *Tertio* debet princeps habere rigorem iustitię maleficos puniendo: frustra enim fierent visitationes, nisi punitio sequeretur, ex punitione vero malorum pacem turbantium reditur pax in terra Isa. 32. *Erit opus iustitiæ pax.* Psalm. 84. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Idem 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* *Quarto* debet princeps habere vigorem constantiæ aduersarios expugnando; sicut fecit Dauid hostes expugnando vndique, quousque pacem reddidit in tota terra. Quantum autem laborauerunt ipse Dauid, Ezechias, Iosias, Iosaphat, & alij reges, Imperatores, iudices, potestates, pro pace procuranda, seruanda, ac etiam defendenda, innumerabilia sunt exempla, tam in scriptura sacra, quam in aliis historiis, & scripturis. Debet igitur omnis princeps pacem habere cum suo superiori, idest Deo. Cum suo homine interiori, cum quolibet inferiori, ac etiam cum quolibet exteriori, debet pacem habere cum subditis, omnesque subditos ad pacem deducere, vt pacem habeant inuicem, & ad omnes. Item debet pacem habere cum omnibus extraneis, propinquis, & remotis, si potest fieri (iustitia semper salua) nec vnquam debet cum extraneis, maximè Christianis, bellum incipere, sed nec illis prouocantibus debet guerras mouere, nisi prò ardua valde causa & necessitate. Sollicite deliberare debet, & diligenter aduertere, quanta mala fiant in guerris, quanta pericula tam rerum quam corporum immineant reipub. quanta turbatio animorum, quantæ oppressiones pauperum, destructiones bonorum, vastationes vinearum & segetum, combustiones villarum, euersiones castrorum, exterminia ciuitatum, strages hominum, labores corporum, terrores mentium, rancores & inimicitiæ in futurum, & damnationes innumerabilium animarum. In his aliisque pluribus, debita consideratione pensatis, diligenter attendat prudens princeps, quam inuitè guerras mouere debeat, vel motas ab aliis acceptare. Dicit enim. Sapiens Prouerb. 12. *Qui pacis ineunt consilia sequitur eos gaudium.* Deut. 20. Præcepit dominus, *si accesseris ad expugnandum aliquam ciuitatem, primum offeres eis pacem: cui si consenserint; pacis & amicitiæ fœdera sociabis,* scilicet si fieri potest, salua iustitia permanente. Nisi forte sint aduersarii fidei, cum quib. nec pacis pacta, nec fœdus amicitiæ debent habere fideles, domino prohibente, Deuter. 7. *Non inibis cum eis fœdus nec misereberis eorum, neque sociabis cum eis coniugia.* Et primo Esdræ 9. *Non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum, vsque in sempiternum,* Et 2. Esdr. 8. *Non quæratis pacem habere cum eis omni tempore,*

Princeps debet habere Clementiam in gubernando.

Astutiam in vitia disquirendo.

Iustitiam in puniendo.

Constantiã in expugnãdo.

3. *Obedientia cum honore.*

Tertio ad pacem reipub. requiritur subditorum ad principem obedientiam cum honore: non enim posset princeps rempub. regere, nisi subditi fideliter & ex corde sibi parerent, propter hoc Hebr. 14. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Et prima Thess. 5. *Rogamus vos fratres vt noueritis eos qui laborant in vobis & præsunt, vt habeatis eos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem habentes cum eis.* Sed iusto Dei iudicio fit frequenter vt populus male obediat principi, si ipse male obediat summo regi; nec ipse cum populo, nec populus inter se pacem habet, nisi ipse cum summo principe pacem seruet.

4. *Pax superna & hac duplex scilicet inchoata & cõsummata.*

Pax superna dicitur, quam habemus, & habere debemus respectu supernorum. Et hæc est duplex, vna quam habemus ad Deum in Ecclesia militante, alia quam speramus nos habituros in Deo, & cum Deo, in ecclesia triumphante. Vna est pax inchoata, alia consummata. Vtramque dominus nobis insinuat dicens Io. 15. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Primam nobis reliquit quasi sub fœdere testamenti dicens: *Pacem relinquo vobis*, videlicet in hoc sæculo, in quo per fidem ambulemus, & per quam iustificamur. *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deũ* Ro. 5. Ex fide inquam non ficta vel mortua, sed viua, firma; probata, per dilectionem operante. Hanc pacem diligere, & inuiolabiliter obseruare nos mouent: Primo inclinatio naturalis. Secundo inuitatio curialis. Tertio redemptio copiosa. Quarto adeptio fructuosa. *Primo* quidem mouẽt nos inclinatio naturalis.

Ad pacem inchoatam in via quatuor nos mouent.

1. *Inclinatio naturalis.*

2. *Inuitatio curialis.*

3. *Redemptio copiosa.*

4. *Adeptio fructuosa.*

Pacis cõsummatæ in patria octo sunt conditiones.

Naturaliter enim omnis creatura obtemperat creatori, & omnia pacem appetunt & in vnum pacis principium reducuntur, vnde pacem habemus ad Deum si mandata eius in reuerentia teneamus Prou.13. *Qui timet præceptum in pace versabitur.* Naturaliter patrem, filius, & seruus dominum reueretur. Si quis igitur libenter seruat pacem domini sui (alioquin nec de rebus suis, nec etiam de corpore suo securus est) quanto magis debet homo custodire pacem cum Deo, cuius nec manum effugere, nec sapientiam latere, nec potentiam superare, nec sententiam potest aliquatenus reuocare. *Secundo* mouere debet ad hoc inuitatio curialis. Attende homo peccator quanta sit Dei benignitas, qui nos seruos contumaces, & ingratos, rogat de pace reformanda cum eo, postquam offendimus eum, dicens Isa.27. *Pacem faciet mihi, faciet pacem mihi.* O quanta confusione dignus est, qui hanc pacem violat, & ad hanc pacem inuitatus, venire dissimulat, vel recusat. *Tertio* mouere debet ad idem redemptio copiosa, summa Dei sapientia, quæ nouit pacis hoc pretium æstimare, pati voluit & mori, vt nobis acquireret bonum pacis Isa. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum*, &c. Sequitur. *Tradidit in mortem animam suam pro hac sanguinem suum effudit.* Col. j. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.* Attende quam chare debemus eam diligere, quã tam chare emit æterna sapientia Dei patris. Cogita quam impretiabilis sit, quam impretiabili sanguine comparauit. *Quarto* mouere debet ad idem adeptio fructuosa. Vere magni & innumerabiles sunt fructus pacis nostræ cum Deo, sicut patet aliqualiter ex prædictis. Iob.22. *Acquiesce & habeto pacem, & per hoc habebis fructus optionis.*

PACEM plenam & perfectè consummatam & æternam, promittit nobis dominus in futuro, dicens: *Pacẽ meam do vobis.* Hęc prorsus est ineffabilis, & incõprehẽsibilis Phil.4. *Pax Dei quę exuperat omnẽ sensũ.* Quã elegãter describit Isa.32. *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulẽta.* Nota septem conditiones laudabiles huius pacis: promittit enim dominus quantum ad statum dignitatem fastigij. Nam sedere regnantium est. Matth.9. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes*, &c. *Secundo* promittit iucunditatem consortij, cum dicit: *Populus meus.* O quam beatus populus, ô quam sanctum, quam amabile, & gloriosum consortium, sicut ait Psal.32. *Beata gens cuius est dominus Deus eorum, populus quem elegit in hæreditatem sibi.* Et Leuit.26. *Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis populus meus.* Et Apoc. 21. Loquens de beatis dicit: *Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, esse igitur in consortio sanctorum, est esse in consortio Dei, quia Deus est in quolibet eorum. Sequitur *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* O fælices lachrymæ quas abstergere dignabitur suauissima pietas pijssimi redemptoris. *Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra.* *Tertio* promittit refulgentiam claritatis, tam loci, quam habitatorũ eius Magna & mirabilis est pulchritudo palatij. Eccl. 43. *Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius in visione gloriæ.* Maior est pulchritudo sanctorum, ideſt ecclesiæ triumphantis, de qua Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem.* Et Cant. 7. *Quam pulchra es, & quam decora charissima in deliujs.* Sed maxima & merito supermaxima est pulchritudo sponsi. Cant. 2 *Ecce tu pulcher es dilecte mi* &c. Eccl. 43. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus.* *Quarto* promittit omnimodã concordiam vnitatis, cum dicit pacis. Aug *Pax cœlestis ciuitatis est ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo, & se inuicem in Deo* Psal. 36. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Idẽ: 147. *Lauda Hierusalem dominum, quoniam posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat. te.* Filij nempe Hierusalem quæ sursum est mater vestra, paleas non comedent, quod est pabulum iumentorum, sed frumenti A fruuntur adipe, quod purissimam dicimus similam, quod est edulium Angelorum. O fœlices catelli tui domine, de mensa dominorum suorum reliquias colligentes, ne famelici remaneant, & deficiant in via egestate, & fame steriles. Sic enim de tantis delitiis, panis micam, vini stillam, ignis scintillam immittit, quasi de reliquijs ciuium tuorum, vt attendas desiderium, & in reliquijs tuis præpares vultum eorum. Omnes enim qui hanc internam dulcedinem vel tenuiter gustauerunt, quicquid extrinsecus transitoriæ delectationis occurrit, despiciunt: & ad illas delitias superplenas, tota mentis auiditate percurrunt, vt sicut adipe & pinguedine eorum animæ repleantur. *Quinto* promittit distinctiones, & ordines mansionum secundum differentias meritorum; cum dicit, *in tabernaculis* B Io. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Ibi erit tabernaculorum distinctio, sicut ait Psal.83. *Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum.* Et Num.24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob.* *Sexto* promittit securitatẽ in terrore hostium, cum dicit: *Fiducię.* Osex 2. *Dormire eos faciam fiducialiter.* Leuitic. 26. *Absque pauore habitabitis in terra vestra, dabo pacem in finibus vestris, dormietis & non erit qui exterreat.* *Septimo* promittit quietudinis firmitatem, cum dicit, in requie. ibi erit suauis & perfecta requies post laborem. Apoc.14. *ammodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis:* & Isa.58 *Requiem dabit tibi dominus Deus tuus semper.* *Octauo* promittit plenitudinis vbertatem, cum dicit, *opulentam.* Isa.33. *Oculi tui videbunt ciuitatem opulentam*, vbi scilicet est plenitudo bonorum omnium quæcunque desiderari possunt aut excogitari, quia *nec oculus vidit, nec* C *auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę præparauit Deus his qui diligunt eum*, primę Cor 2.

De 7. & 8. beatitudine.

FActa digressione, sed non inutili ficut puto, tractando, de pace secundum considerationes diuersas, ad propositum redeamus. In septima beatitudine dicit dominus: *Beati pacifici* &c. August. *in pace perfectio est vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniã nihil resistit Deo, & filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, omnesq; concupiscentias habentes ẽdomitas, sint regnum Dei; in quo ita ordinata sunt omnia, vt id quod est* D *in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus; & id quod excellit, subdatur potiori, quod est prima veritas, filius Dei, nec imperare inferioribus potest, nisi superioribus subjciatur & hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, Maximam autem dignitatem habent pacifici, sicut qui filius Regis dicitur, in domo regia summus est.*

In octaua beatitudine sumitur iustitia pro omni virtute.

CIRCA octauam beatitudinem qua dicitur. *Beati qui persecutionem patiuntur*, &c. Chryso. *Posita pacificorum beatitudine, ne aliquis æstimaret, quod semper sibi pacem quærere sit bonum, Subdit: Beati qui persecutionem.* &c. Hîc autem accipitur iustitia generaliter pro omni virtute. Nam beati sunt qui persecutionem patiuntur propter veritatem, vel propter defensionem aliorum, vel propter pietatem. Signãter addidit propter iustitiam, quia multi propter peccata sua persecutionem patiuntur, & non sunt iusti. *De hoc req. supra. Patientia.* Hæc autem octaua beatitudo ad caput redit, quia tanquam consummatum perfectumque ostendit & probat. Itaque in prima, tertia, & octaua, nominatum est regnum cœlorum. Septem enim sunt qui perficiunt, octaua clarificat, & perfectum demonstrat. Nec mireris, ait Chriso. *si secundum vnamquamque beatitudinem regnum non audis: nam cum dicit consolabuntur, & misericordiam consequentur* &c. *Per hoc omnia nihil aliud quam regnum cælorum occultè insinuat, vt nihil sensibile expectes, neque eum beatus est, qui in his coronatur, quæ cum præsenti vita descedunt.*

De beatitudinum correſpondentia donis.

DISTINCTIO XXIII.

DEINDE conſiderandum eſt quomodo prædictæ beatitudines reſpondeant donis, ideſt quæ beatitudo cuique dono reſpondeat. Et primo ſciendum, quod prima beatitudo quæ eſt paupertas ſpiritus, reſpondet dono timoris, ſicut dicit Aug. in li. de ſermone domini in monte: *Timor Dei congruit humilibus, de quibus dicitur: Beati pauperes ſpiritu.* Cum enim ad timorem pertineat, Deo reuerentiam exhibere, & ei ſubiectum eſſe, illud quod ex huiuſmodi ſubiectione cõſequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem quod aliquis Deo ſe ſubijcit, deſinit quærere in ſeipſo, vel in aliquo alio magnificari, niſi in Deo: hoc enim repugnaret perfectæ ſubiectioni ad Deum. Vnde dicit in Pſal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.* Et ideo ex hoc, quod aliquis perfecte timet Deum, conſequens eſt, quod non quærat magnificari in ſeipſo per ſuperbiam: neque etiam quęrat magnificari in exterioribus bonis, ſcilicet honoribus & diuitiis, quorum vtrumque pertinet ad paupertatem ſpiritus; ſecundum quod paupertas ſpiritus intelligi poteſt, vel exinanitio inflati & ſuperbi ſpiritus, vt Aug. exponit: vel etiam abiectio temporalium rerum, quæ fit ſpiritu, ideſt propria voluntate per inſtinctum Spiritusſancti, vt Ambr. & Hiero. exponunt. *Et nota* quod timor importat motum ſecundum habitudinem receſſus à termino à quo: ſpes autem importat motum ſecundum habitudinem acceſſus ad terminum ad quem teuditur: & ideo vltima beatitudo quæ eſt ſpiritualis, eſt perfectionis terminus, congruè reſpõdet ſpei; ſed prima beatitudo quæ eſt per receſſum à rebus exterioribus impedientibus diuinam ſubiectionem, congrue reſpondet timori. *Item nota* quod in fructibus illa quæ pertinẽt ad moderatum vſum, vel abſtinentiam à rebus temporalibus, videntur dono timoris conuenire, ſicut modeſtia, continentia, & caſtitas.

Prima beatitudo ſcilicet paupertas ſpiritus reſpondet dono timoris.

Secunda ſcilicet mititas reſpondet dono pietatis.

DONO pietatis reſpondet ſecunda beatitudo ſcilicet Beati mites, ſicut dicit Aug. in lib de ſermone domini in monte: *pietas congruit mitibus.* Sed ſciendum quod in aptatione beatitudinis ad dona duplex conuenientia poteſt attendi, vna quidem ſecũdum rationem ordinis, quam videtur Aug. fuiſſe ſecutus. vnde primam beatitudinem attribuit infimo dono, ſcilicet timori: Secundam autem ſcilicet *Beati mites*, attribuit pietati, & ſic de aliis. Alia conuenientia poteſt attendi ſecundum propriam rationem beatitudinis, & ſecundum hoc oporteret adaptare beatitudines donis ſecũdum obiecta & actus; & ita actui pietatis magis reſpondet quarta, & quinta beatitudo, quam ſecunda. tamen ſecunda beatitudo habet aliquam conuenientiam cum pietate, inquantum ſcilicet per manſuetudinem tolluntur impedimẽta actuum pietatis. In fructibus autem bonitas, & benignitas, directè poſſunt attribui pietati, manſuetudo autem indirectè, inquantum tollit impedimenta actuum pietatis, vt dictum eſt.

Tertia ſcilicet luctus reſpondet dono ſcientia.

DONO ſcientiæ reſpondet tertia beatitudo: *Beati qui lugent*, ſicut Aug. dicit in ſermone domini in monte: *Scientia congruit lugentibus.* Ad ſcientiam enim pertinet rectum iudicium creaturarum, creaturæ autem ſunt ex quibus homo occaſionaliter à Deo auertitur, ſecundum illud Sap. 13. *Creaturæ factæ ſunt in odium & muſcipulam pedibus inſipientium*, qui ſcilicet rectum iudicium ex his non habent, dum æſtimant in eis perfectum bonum eſſe. vnde in eis finem conſtituendo peccant, & verum bonum perdunt; & hoc damnum hominis innoteſcit per rectum iudicium de creaturis, quod habetur per donum ſcientiæ: & ideo beatitudo luctus ponitur reſpondere dono ſcientiæ.

A DONO fortitudinis reſpondet quarta beatitudo, quæ eſt: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*: ſicut dicit Aug. in lib. de ſermone domini in monte. *Fortitudo congruit eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, qui laborant deſiderantes gaudium de veris bonis: amorem à terrenis auertere cupientes.* Quia Aug. beatitudines attribuit donis ſecundum ordinem enumerationis, conſiderata tamẽ aliqua conuenientia. Et ideo quartam beatitudinem ſcilicet *eſurire & ſitire iuſtitiam* attribuit quarto dono ſcilicet dono fortitudinis. eſt tamen ibi aliqua conuenientia, quia ſicut dictum eſt, fortitudo in arduis conſiſtit; Eſt autem valde arduum, quod aliquis non ſolum opera virtuoſa faciat, quæ communiter debentur opera iuſtitiæ: ſed quod faciat ea cum inſatiabili quodam deſiderio, quod poteſt ſignificari per famem & B ſitim iuſtitiæ. Sicut autẽ dicit Chriſoſt. ſuper Matth. Iuſtitia hic poteſt accipi non ſolum particularis, ſed etiam vniuerſalis, quæ ſe habet ad omnium virtutum opera, vt dicitur in 5. eth. in quibus arduum intendit fortitudo quæ eſt donum. Inter fructus ponũtur duo, quæ reſpondent dono fortitudinis, ſcilicet patientia, quæ reſpicit ſuſtinentiam malorum; & longanimitas quæ reſpicit diuturnam expectationem, & operationem bonorum.

Quarta ſcilicet fames & ſitis iuſtitiæ, reſpondet fortitudini.

DONO conſilij reſpondet quinta beatitudo, quæ eſt: *Beati miſericordes* &c. Sicut dicit Aug. in libro de ſermone domini in monte. *Conſilium conuenit miſericordibus, quia vnicum remedium eſt de tantis malis erui, dimittere & dare.* Conſilium enim propriè eſt de his, quę ſunt vtilia ad finem, vnde ea quæ maximè debent correſpondere dono conſilij ſunt bonum vtile, hoc autem eſt miſericordia, ſecũdum illud ad Timo. 4. *Pietas ad omnia vtilis eſt.* Et ideo ſpecialiter, dono conſilij reſpondet beatitudo miſericordiæ, non ſicut elicienti, ſed ſicut dirigenti.

Quinta ſcilicet miſericordia reſpõdet dono cõſilij.

DONO intellectus reſpondet ſexta beatitudo ſcilicet. Beati mundo corde. Sicut dicit Aug. in lib. de ſermone domini in monte. *Sexta operatio Spiritusſancti, qui eſt intellectus, conuenit mundis corde, qui purgato oculo poſſunt videre quod oculus non vidit.* In ſexta autẽ beatitudine (ſicut & in aliis) duo continentur, vnum per modum meriti, ſcilicet munditia cordis, & aliud per modum præmii ſcilicet viſio Dei, vt ſupra dictum eſt, & vtrumque pertinet aliquo modo ad donum intellectus. Eſt enim duplex munditia. Vna quidem præambula, & diſpoſitiua ad Dei viſionem: quæ eſt deputatio affectus ab inordinatis affectionibus: & hæc quidem munditia cordis fit per virtutes & dona, quæ pertinent ad vim appetitiuam. Alia vero mũditia cordis eſt, ſcilicet quæ eſt quaſi completiua reſpectu viſionis diuinæ. Et hæc quidem eſt munditia mentis depuratæ à phantaſmatibus & erroribus, vt ſcilicet ea quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, neque ſecundum hæreticas peruerſitates; & hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter & duplex eſt viſio Dei. Vnam quidem perfecta, per quam videtur Dei eſſentia. Alia vero imperfecta, per quam etſi non videamus de Deo quid eſt: videmus tamen quid non eſt; & tanto in hac vita Deũ perfectius cognoſcimus, quanto magis intelligimus eum excedere quicquid intellectu E comprehenditur: & vtraque Dei viſio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus conſummatum, ſecundum quod erit in patria. Secunda vero ad donum intellectus inchoatum, ſecundum quod habetur in via.

Sexta ſcilicet mũditia reſpondet dono intellectus.

In beatitudinibus continẽtur duo, vnum per modum meriti, alterum per modum præmij.

IN fructibus autem fides quæ eſt fructus, reſpondet dono intellectus, quia ſicut dictum eſt, fructus ſpiritus dicuntur vltima, & delectabilia, quæ in nobis prouenium ex virtute Spiritusſancti. Vltimum autem delectabile habet rationem finis, qui eſt proprium obiectum voluntatis, & ideo oportet quod id quod eſt vltimum & delectabile in voluntate, ſit quodammodo fructus omnium aliorum quæ pertinent ad alias potentias. Secundum hoc igitur, doni vel virtutis perfi-

Fides inter fructus reſpondet dono intellectus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cientis aliquam potentiam, poteſt accipi duplex fructus. Vnus quidem pertinēs ad ſuam potentiam, alius autem quaſi vltimus pertinens ad voluntatem. Et ſecūdum hoc dicendum eſt quod dono intellectus reſpondet pro proprio fructu fides, ideſt fidei certitudo, & pro vltimo fructu reſpondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem. Et nota quod cognitionis practicæ fructus non poteſt eſſe in ipſa, quia talis cognitio non ſcitur propter ſe, ſed propter aliud; ſed cognitio ſpeculatiua habet fructum in ſeipſa, ſcilicet certitudinem eorum quorum eſt. & ideo dono conſilij quod pertinet ſolum ad practicam cognitionem non reſpōdet aliquis propriè fructus: donis autem ſapieniæ, intellectus, & ſcientiæ, quæ poſſunt etiam ad ſpeculatiuam cognitionem pertinere, reſpōdet ſolus vnus fructus, qui eſt certitudo ſignificata nomine fidei. plures autem fructus ponuntur pertinentes ad partem appetitiuam; quia ſicut iam dictum eſt, ratio finis quæ importatur in nomine fructus, magis pertinet ad vim appetitiuam quam intellectiuam.

Septima beatitudo ſcilicet pax reſpondet dono ſapientia.

Dono ſapientiæ reſpondet ſeptima beatitudo, quę eſt: *Beati pacifici* &c. Sicut dicit Aug. in lib. de ſermone domini in monte. *Sapientia conuenit pacificis, in quibus nullus motus eſt rebellis, ſed omnes obtemperant rationi.* Cōgruè autem poteſt beatitudo ſeptima adaptari dono ſapientiæ, & quantum ad meritum, & quantum ad præmium. Ad meritum quidem pertinet quod dicitur: *Beati pacifici*. Pacifici autem debentur quaſi pacem facientes, vel in ſeipſis vel alijs, quorum vtrumque contingit in hoc, quod ea in quibus pax conſtituitur, ad debitum ordinem rediguntur. *Nam pax eſt tranquillitas ordinis*, vt Aug. dicit 19. de ciuit. Dei. Ordinatio autem pertinet ad ſapientiam, vt patet per philoſophum in principio meth. Et ideo eſſe pacificum conuenienter attribuitur ſapientiæ. Ad prēmium autē pertinet quod dicitur, *filij Dei vocabuntur*. Debentur autem aliqui filij Dei in quantum participant ſimilitudinem filij vnigeniti & naturalis; ſecundum illud Rom. 8. *Quos præſciuit conformes fieri imaginis ſui filij*; qui quidem eſt ſapientia genita; & ideo præcipiendo donum ſapientiæ, ad Dei filiationem homo pertingit.

Ad ſapientiā pertinet non ſolum contēplari diuina, ſed etiam regulare humanos actus vnde vt auertat à malo requirit timore tanquā initium.

Et nota, quod ad ſapientiam ſecundum quod eſt donum, pertinet non ſolum contemplari diuina, ſed etiam regulare humanos actus, in qua quidē directione, Primo occurrit amotio à malis, quæ contrariantur ſapientiæ; vnde & timor dicitur eſſe initium ſapiētię, inquantum facit recedere à malis; vltimum autem eſt ſicut finis, quod omnia ad debitum ordinem rediganturquod pertinet ad rationem pacis. & ideo conuenienter Iacobus dicit, quod *ſapientia quæ deſurſum eſt* (quæ eſt donum, Spiritusſancti) *primum eſt pudica*, quaſi vitans corruptelas peccati: *Deinde autem pacifica*, quod eſt finalis effectus ſapientiæ, propter quod ponitur beatitudo. Iam vero omnia quæ ſequuntur manifeſtant ea, per quæ ad pacem ſapientia perducit, & ordine congruo. Nam homini per pudicitiam à corruptelis recedenti, Primo occurrit quod quantum ex ſe poteſt in omnibus modum teneat; & quantum ad hoc dicitur modeſtia. Secundo vt in his in quibus ipſa ſibi non ſufficit, aliorum monitis acquieſcat; & quantum ad hoc ſubdit, *ſuadibilis*. Et hæc duo pertinent ad hoc quod homo conſequatur pacem in ſeipſo. Sed vlterius ad hoc quod homo ſit pacificus etiam alijs; Primo requiritur vt bonis eorum non repugnet, & hoc eſt quod dicit *bonis conſentiens*. Secundo quod defectibus proximi compatiatur in affectu, & ſubueniat in effectu, & hoc eſt quod dicitur, *plena miſericordia & fructibus bonis*. Tertio requiritur vt charitatiue emendare peccata ſatagat, & hoc eſt quod dicit, *iudicans ſine ſimulatione*, ne ſcilicet per correctionem præcedens odium intendat explere.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS

LIBRI II. PARS I.

DE QVATVOR NOVISSIMIS ET PRIMO DE MORTE.

De nouiſſimis generatim.

DISTINCTIO I.

ERMINATO per Dei gratiã primo voluminis huius libro: in quo oſtendit ſapiens excludendam eſſe negligentiã, ac per hoc aſſumendã eſſe diligentiam agendorũ, vbi oſtẽdimus, quid, quare, & qualiter ſit aliquid operandum, & de principiis intrinſecis actuum humanorũ, ideſt de paſſionibus ſeu affectionibus animæ: rurſus de principijs extrinſecis, ideſt de lege & præceptis, de gratia, & habitibus virtutum: nunc ſumma Dei ſapientia dirigẽte, conſiderandum eſt de prouidentia futurorum. Ad quam nos Sapiens hortatur, cum dicit: *Memorare nouiſſima tua.*

Oportet locũ nouiſſimum tenere vt docet ſcriptura.

DEBEMVS autem aduertere, quod in ſcriptura ſacra docemur locum nouiſſimum tenere. Tempus nouiſſimum præcauere. Et finem nouiſſimum præuidere. *Primo quidem* docemur nouiſſimum locum tenere, quia profectio hæc eſt directa via perueniendi ad culmen ſummæ ſublimitatis, ſicut ſumma Dei ſapientia docet Lucæ 14. *Cum vocatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco* &c. *Sed cum vocatus fueris vade & recumbe in nouiſſimo loco, vt dicat tibi qui te inuitauit: Amice, aſcende ſuperius, & erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.* Nos igitur ad cœleſtes nuptias inuitati non quæramus primũ locũ tenere, nec gerere principatũ, ne fortè depellat nos in locum nouiſſimum dominus nuptiarum. Sed per humilitatem locum nouiſſimum eligamus, vt ad ſublimitatem gloriæ conſcendamus. Et merito locum nouiſſimum decet eum eligere, qui ſe debet inter alios nouiſſimum reputare. Exemplo capitis noſtri, de quo dicitur Iſa. 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus: & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum.* In terra voluit eſſe nouiſſimus virorum, qui in cælis eſt gloria beatorum, & dominos angelorum, vt exemplo ſuo monſtraret verum eſſe quod dicitur Matth. 20. *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Hoc autem multipliciter poteſt intelligi. Vno modo ſic. Qui ſe nouiſſimos, ideſt humiles & abiectos fecerint propter Deum: iſti erunt primi, ideſt ſanctitate præcipui, & inter primos amicos Dei in regno cœlorum merito computandi. *Et primi nouiſſimi,* ideſt qui volunt eſſe primi reputatione, vel principatum habere ſuper alios in aliqua dignitate: *iſti erunt nouiſſimi,* ideſt viles & abiecti diuino iudicio, & viliſſimi in inferno. Et hoc eſt quod dicitur Luc. 14. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Alio modo. *Erunt nouiſſimi primi,* &c. ideſt qui viliores ſunt, iſti ſunt qui ardentius & impudentius ambiunt dignitates. Qui vero primi ſunt, ideſt cæteris meliores, magis ſe humiliant & aſpernantur honores. Alio modo. *Erunt nouiſſimi primi,* &c. ideſt qui tardius pœnitere, & benefacere cæperunt: feruentius agendo primi fiunt, & meritis præcellunt illos, qui citius inchoantes negligenter egerunt. Vnde in vinea domini tardius venientes, prius diurnum denarium receperunt. Quod apertiſſimè declaratur. Matth. 22. vbi dicitur. *Cum ſero factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Exemplum habemus in latrone, qui iuxta dominum pendens, credens, pœnitens, & diuinam confitens maieſtatem, primus meruit obtinere paradiſi præbendam. Cui dictum eſt. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Lucæ 23.

Oportet tempus nouiſſimum præcauere.

SECVNDO docemur tempus nouiſſimum præcauere; quia tempus nouiſſimum ætatis mundi eſt in quo *abundat iniquitas, & charitas magis ac magis continuè refrigeſcit,* ſicut prædixit dominus Matth. 24. Summè periculoſum eſt, ſicut prædixit Apoſtolus 2. Tim. 3. *Hoc autem ſcito quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.* Quæ autem & quãta ſint pericula deſcribit dicens: *Erunt homines ſeipſos amantes.* Sed quid ſibi vult Apoſtolus, aut quod malum eſt ſeipſum amare, cum plus teneatur homo ſeipſum diligere, quam totum mundum? Quare ergo dicit Apoſtolus, quod erunt periculoſa tempora, pro eo quod erunt homines ſeipſos amantes. Sciendum eſt igitur quod ſecundum Aug. *duo ſunt amores. Alter mundus, alter immundus. Alter ſocialis, alter priuatus. Alter communi vtilitati conſulens, propter ſupernam ſocietatem; alter rem etiam communem in propriam poteſtatem redigens, propter arrogantem dominationem. Alter tranquillus, alter turbulentus. Alter pacificus, alter ſeditioſus. Alter amicabilis, alter inuidus* &c. *Et diſtinxerunt conditas in genere humano duas ciuitates.* Idem: *Ciuitates duas fecerunt amores duo. Ciuitatem Dei amor Dei,*

mor Dei, vsque ad contemptum sui. Ciuitatem diaboli amor sui, vsque ad contemptum Dei. Sicut autē ex amore Dei, omnes virtutes aliæ, & affectiones laudabiles generātur: prout ait Greg. *vt enim multis arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur*: ita omnia vitia, & omnes deordinatæ affectiones, ex amore sui, proprio vel priuato, radicaliter oriuntur. Et hoc bene insinuat Apostolus, qui postquā dixerat, *erūt homines seipsos amātes*, amore suo inordinato, amore, proprio, vel priuato, subiungit; *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace; criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, timidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Et quia cum talibus habitare periculosum est, ideo subdit: *Et hos deuita.* Sed difficile, immo impossibile est istos penitus euitare, quin cum eis interdum oporteat conuersari: ideo summopere cauendum est homini ne seducatur à talibus, aut conformetur eis in moribus, vel ne saltem ab eis mendaciter infametur.

Oportet finē nouissimum præuidere.

TERTIO docemur finem nouissimum præuidere. Exemplum accipiamus in singulis artificibus, qui antequam opus suæ artis incipiant, præstituunt sibi finem, & secundum exigentiam finis prosequuntur opus, donec ad finem intentum perueniant. Sed ab ista ordinatione operum nostrorum in finem vltimum abducuntur aliqui, vehementi passione, seu delectatione illecti. Sicut innuit Sapiens Prou. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.* Mulier ista est carnalis concupiscentia, quæ emolliendo mentem, efficit muliebrem. Dicitur autem meretrix, quia animam prostituit. Sequitur: *Nouissima autem illius amara quasi absinthium.* Itē Prou. 23. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus veniet a diffundet.* Per vinum intellige delectationem carnalem, quæ mentē inebriat, & à se quodammodo alienat, vt non videat nec consideret quid sit finis huius delecta tionis. Alij à consideratione finis vltimi abducuntur, ignorantia seducti. Sicut innuit Sapiens. Prou. 14. *Est via quæ videtur homini recta, nouissima eius deducunt ad mortem.* Alij per malitiam obfirmati, sicut Balaam ex sola malitia perseuerabat in malis, & tamen dicebat: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Mortem optabat similem iustis, & tamen habebat vitam dissimilem. Similiter multi vitam eius pessimam imitantes, Deum orant, quod det eis mortem prouidam, & vitam æternam. Quod tamen nunquam aut valde raro contingit, vt qui sanus, & sanis sensibus sibi non prouidit, in mortis angustia ligatis iam sensibus, & deficientibus sibi salubriter prouidere possit. Cum dicat Psal. 6. *Non est in morte qui memor sit tui.* Et B. Aug. ait: *Percutitur hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* Nec vitam æternam meretur miser homo peccando, vel in peccato manendo, sed mortem æternam. Sicut ait Apostolus Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Magna igitur est fatuitas; immo dementia detestanda post malam vitam sperare bonam mortem. Ideo prudēter & ordine debito monet Sapiens. Prou. 19. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, & esto sapiens in nouissimis tuis.* Attēde quam breuiter & ordinate procedit. Primum est enim vt consilium sanum requiras & audias reuerenter. Secundum vt illudad impleas diligenter, ideſt vt vitam ordinatam habeas, & vndique regulatam. Et tunc sequitur ordinate tertium, vt scilicet sis *sapiens in nouissimis tuis.* In hoc quippe consistit sapientiæ complementū. Non enim qui sapienter incipit opus grande, sed qui sapienter consummat laudandus est. Sicut ait Ambrosius: *Lauda nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenerit ad portum. Lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quid enim prodest bene, & diu nauigasse, & in portu perire? Et quid valet cum hostibus fortiter dimicasse, & in ipsa hora victoriæ defecisse.*

Raro cōtingit vt qui Deum in vita sua negligunt, bene moriantur.

NON pigeat hic exemplum sub breuitate tangere, de quadraginta martyribus, quorum vnus post multa supplicia recurrens ad balneum, pusillanimis effectus, deficiēs emisit spiritum, & coronam perdidit iam paratam. Quid igitur prodest in tēporalium rerum dispositione sapientem esse, & circa finem desipere; cum finis consideratio debeat esse principalis, & intentione cuiuslibet operantis, & ex bonitate finis dependeat bonitas operis. Ideo dominus insipientiam nostrā redarguens, & ad verā sapientiā nos exhortans, ait Deut. 32. *Gens absque consilio, & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Notate verba. Aliqui consilio non egentes, propria prudentia diriguntur. Alij prudentiam non habentes, consilio sapientiore reguntur; & vtrique sapientia sua, vel aliena saluantur. Qui vero nec prudentiam habent, nec consilium quærunt, vel negligunt, quomodo saluabuntur. Multominus profecto patere potest via salutis illis hominibus qui prudentiam habent, nec eā ad opus applicant, sed contraria potius operantur. Et rursus habentes consilium, nullatenus acquiescunt. *Vtinam* inquit *saperent*, id est saporarent cœlestia, *& intelligerent*, id est intus legerent interna conscientiæ secreta, merita videlicet vel demerita, cogitationes, affectiones, & intentiones, & etiam pronitates. Sequitur: *Ac nouissima prouiderent.*

Exemplum.

Prouisio nouissimorum ad multa vtilis.

SANE in prouisione nouissimorum præcipuè consistit, & totius vitæ præteritæ erratorum correctio, & periculorum futurorum euasio, ac procuratio sufficiens necessariorum, seu expedientium ad salutē. Nouissimorum autem prouisionem seu prouidam meditationem, dominus tam viscerosè, quā misericorditer nobis optat, dicens: *Vtinam nouissima prouiderent.* Et sapiens ad eorum iugem memoriam nos inuitat, dicens: *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima*, quæ sūt quatuor, videlicet, Pœnale mortis diuortium, Finale Dei iudicium, damnatio reproborum, Remuneratio beatorum. Mortem vocaui diuortium, quia imminente mortis articulo confligentibus elementis harmonia dissipatur, & illud corporis & animæ separatur matrimonium, quod tanto fuerat nexu concordiæ fœderatum. Antequam istud diuortium celebretur: debemus nos sollicite præparare per timorem domini: quo cuncta noxia declinemus. Et per sapientiam qua operemur salubria, & cœlestia degustemus. De primo dicit Sapiens Prou. 23. *Ne æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore domini esto tota die, quia habebis in nouissimo spē, & præstolatio tua non auferetur.* De secundo dicit idem 44. *Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimū gutturi tuo, sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cū inueneris habebis in nouissimo spē, & spes tua non peribit.* & de muliere sancta dicitur. Prou. 31. *Ridebit in die nouissimo.*

De morte naturæ.

DISTINCTIO II.

Mors quadruplex scilicet naturæ, culpæ, gratiæ & gehennæ.

IN scriptura sacra mortē quadruplicē inuenimus. Est enim mors naturæ; ad quā nos præparare debemus, quia periculosa: de qua ait Psal. 88. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem, eryet animam suam de de manu inferi?* Primum est impossibile. Secundum valde difficile, Attende, multum esset meticulosus, vbi non posset homo euadere quin aliquod membrum amitteret, quantumcunque sibi sollicite præcaueret: si vero negligenter ageret, vitam perderet corporalem, sic est de transitu mortis, quam impossibile est hominem euadere quantumcunque diligentia ipsam effugere vel differre conetur. Sed si prudenter sibi prouiderit, animam suam de pœnis inferi liberabit. Si vero malè sibi præcauerit, corporis simul & animæ vitam perdet. *Secunda* mors est culpæ, quam declinare debemus, quia dānosa, de qua dicitur Oseæ 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Tertia* est mors gratiæ, quam de-

bemus optare, quia fructuosa. De qua dicit Apostolus Ro.6. *Æstimate vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo. Quarta* est mors gehennæ, quam debemus formidare, quia dolorosa. De qua dicitur Baruch 2. *Mortui sunt in doloribus pessimis.*

Circa mortem naturæ quatuor cõsideranda.

CIRCA mortem naturæ considerare debemus moriendi sententiam, Morientis angustiam, Mortis præsentiã. Et mortuorum differentiam. Moriendi sententia à sũmo legislatore profertur. Gen. 2. vbi dominus ad Adam ait: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Signanter autem dicit, *morte morieris*, videlicet quia mortuus in anima, mortis etiam corporalis sententiæ subiacebis. O sententia generalis, rationabilis, medicinalis, irreuocabilis. *Verè generalis* sententia à qua nullus excipitur, vt nullus superbiat. Vnde 2. Regum 14. *Omnes morimur.* Eccleſiastes 2. *moritur doctus pariter & indoctus.* Bern. *mors nullius inopiæ miseretur, nec diuitias reueretur, nec generi cuiuslibet aut moribus, non ipsi denique parcit ætati.* Mors est sicut cyphus illius qui proclamat vinum in taberna, qui adeo communis est, quod omnibus cõmunicatur. Nã ipse omnibus porrigit cyphũ suum, vt omnes alliciat. Similiter est sicut latro dans potũ transeuntibus vt sopiantur, & sic eos spoliet dormiendo: sic mors omnibus transeuntibus vias præsẽtis vitæ, porrigit potum amaritudinum suarum, vt dormiant somnum sempiternum.

1. Sentẽtia moriendi, qua est generalis.

Simile.

Exemplum.

DICEBAT quidam quod si haberet iudicem fidelem eligere, mortem præ ceteris eligeret, eo quod nõ est personarum acceptio apud eam: nec miseretur pupillo, nec defert seniori, nec timet potentem, nec veretur nobilem, nec horret pauperem aut ignobilẽ, nec dimittit diuitem, nec contemnit infirmum aut debilem, nec euitat fortem, nec parcit sapienti, nec condonat insipienti. Sed vt dicitur.

Mors sceptra ligonibus æquat.
Est commune mori, mors nulli parcit honori.
Nobilis & fortis, veniunt ad funera mortis. Eccl. 41. *O mors bonum est iudicium tuum.*

Exemplum.

DICITVR quod cum dominus de Mugorri haberet filium nouum militem, eũtem ad tyrocinium, & trãseuntem per Claramuallem, videns ibi Dei milites, beatæ virgini militantes, cogitans quis finis est vtriusque militiæ, & quod in vtraq; posset mori, quia mors communis erat his & illis, iunioribus & senioribus, intrauit ibi ordinem. Cum autem pater suus veniret, minans quod abbatiam destrueret nisi rediret, ait, quod filius rediret cum hac conditione, si vnam consuetudinem quæ erat in terra sua remoueret, quod si non faceret, eum in pace dimitteret. Hoc pater annuit. Filius consuetudinem patriæ declarauit, quæ erat quod æque morerentur ibi iuuenes sicut senes. Ex his patet quod mors est ineuitabilis, propter quod ait Aug. *Nõ importune nec incongrue arbitror accidisse, & si non humana industria, diuino fortasse iudicio, vt hoc verbum quod est moritur in latina lingua, nec grammatici declinare potuerunt, ea regula qua cætera declinantur. Ab eo namque quod est oritur, fit verbum præteriti temporis quod est, ortus est; & si qua sunt similia. quæ per temporis præteriti participia declinantur. ab eo autem quod est moritur, si quæramus præteriti temporis verbum; Responderi solet, mortuus est, v litera geminata. Sic enim dicitur mortuus quomodo fatuus, arduus, cæruus, conspicuus, & si qua sunt similia, quæ non sunt præteriti temporis, sed quoniam nomina sunt, sine tempore declinantur: illud autem quasi vt declinetur quod declinari non potest, pro participio præteriti temporis, ponitur nomen. Conuenienter itaque factum est, vt quemadmodum id quod significat, non potest vitari agendo, ita verbum non potest loquendo declinari.* Hæc Aug. Hæc autem ineuitabilis moriendi necessitas, est homini ratio humiliandi, vnde Bern. ad Eugenium ait. *Considerauti duo hæc, rationale scilicet & mortale, is tibi exinde occurrit fructus; vt mortale quod est in te, rationale humiliet: Et rursum rationale, mortale confortet. Quorum neutrum neglectui est huiusmodi circumspecto. nam etsi superbierit ex rationali, quod ei commune est cum angelis; ex mortali fit humilis, quod participat cum iumentis: quoniã homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

ITEM mortis sententia est rationabilis. *Nam sicut per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors; ita mors in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.* Ait apostolus Ro. 5. Natura enim humana quę in primis parentibus tota fuit, ipsorum inobedientia creatori suo contumeliã fecit, quæ toti humano generi iustè debuit imputari. Cũ enim in semine sit virtualiter tota arbor, vitium seminis, vitiũ dicetur & arboris. Sicut autẽ fluuius vitiatur in fonte, fructus in semine, sic tota posteritas vitiatur in origine. Nõne pro quibusdam criminibus, vtpote homicidijs, sacrilegijs, & huiusmodi, quæ cõmittuntur à patribus tota progenies mortis supplicio condemnatur, vel in exilium deportatur. posteritatem suam pater occidit, cum committendo flagitium morte dignum, filijs nõ præcauit. Sic in Adæ peccato intelligendum est, quod persona corrupit naturã, & natura corrupta corrũpit personam. Vnde cũ tota humana natura fuerit in Adã quãdo peccauit, totam naturã corrupit; quæ tota corrupta, non potest nisi filios corruptos generare. & quia peccando originalem iustitiam & immortalitatẽ perdidit, non nisi iniustos & mortales filios generauit.

Sentẽtia moriendi rationabilis propter peccatum Adæ quod naturam corrupit. Simile.

ITEM mortis sententia medicinalis est. Mors quidẽ Christi est medicinalis; quia deletiua culpæ causaliter; mors autẽ nostra nobis est medicinalis occasionaliter. Nã per mortẽ Christi deletur originale peccãtum in paruulis, quod suo põdere ipsos trahebat ad tartarũ, vt qui per alterius voluntatem & factũ, ideſt, Adæ amisit originalem iustitiã & reus erat obligatus ad pænã dãni, ideſt carentiam diuinæ visionis; per alterius voluntatẽ & remedium, rediret ad innocentiam, & reduceretur ad gloriã. vt sicut *primo vnius delicto, regnauit mors per vnum*, sicut dicit apostolus Rom. 5. *multomagis vita rediret per vnum*, Iesum Christum, *qui mortuus est & resurrexit, immo qui & interpellat pro nobis.* Nec solũ delet originale peccatũ in paruulis, verumetiã actuale diluit in adultis, cooperãte fide & libera voluntate. In deletione enim actualis peccati requiritur motus liberi arbitrij, sicut ipsum actuale peccatũ cõmittitur per sensum propriũ ipsius peccantis. vnde ait Apost. Ro. 5. *Si vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abũdauit. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multomagis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum:* qui in cruce manus expandit, mẽbra distẽdit, dilatat viscera, pectus porrigit; latus aperuit, vt sãguine suo viuificet sobolẽ, vt recurrat, non tã filius paruulus ad vbera piæ matris, quã adultus, velut filius prodigus ad viscera pij patris. Vt lucidè videamus, & viuaciter sentiamus, quod claui eius quibus mortẽ nostram moriẽdo destruxit, non tam illius confixerunt mẽbra, quã nostra viscera trãsfixerunt; nec tã illi infixere dolorem, quã in nobis infixerunt amorẽ: extensio siquidẽ corporis, in argumẽtũ fuit & indicium dilatationis amoris.

Sententia mortis est medicinalis.

Mors nostra est medicinalis occasionaliter quia iustos educit de periculo, & iniustis imponit finẽ peccandi, atque ita minuit reatum.

RVRSVS mors nostra occasionaliter nobis est medicinalis. Iustis quidẽ medicinalis est, quia *placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est*, sic dicitur Sap. 3. & quare. *Raptus est ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Quia enim placita erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Vnde ait quidã, iusti mors subita, quã præcessit bona vita, nõ aufert merita, si moriatur ita. Iniustis autẽ medicinalis est mors. Nã mors est eis finis peccati, reatus diminutio. Nam si esset vita prolixior, esset forsitan & culpa numerosior. expedit igitur impio mori, magis quam viuere; ne si diutius viueret, peccaret amplius, & acerbius puniretur.

Sententia mortis est irreuocabilis.

ITEM mortis sententia est irreuocabilis, vnde Sap. 2. dicitur: *Non est agnitus, qui sit reuersus ab inferis.* & Iob. 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescit, &*

& rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorē atque germinabit &c. homo vero cum mortuus fuerit, nudatus, atq; cōsumptus; vbi quæso est? quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacue factus arescat: sic homo cū dormierit, non resurget. ideo dicitur 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertentur.* Sed cum resurrectionē omnium generalē credamus, & dicat Apostolus 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus*; quomodo verū est quod hic dicitur: *Homo cū dormierit nō resurget?* Responsio. Quia quidam hæretici posuerunt, quod homo pluries moreretur & pluries resurgeret ad vitam corruptibilem & mortalem, qualē vtique nunc habemus. Alij vero posuerunt, quod homo semel mortuus, nūquam resurgeret in æternū. Ideo contra primos dicit. Iob 14. *Homo cum dormierit, non resurget.* Contra secundos vero dicit Apostol. *Omnes resurgemus.* Et hoc probat multipliciter, sicut patet ibidem.

Similr. Est ex his ratio vanum gaudium contēnendi. Mirū est enim, cū homo sit sicut latro, qui lata cōtra se sententia mortis, velatis oculis & ligatis manibus ducitur ad suspendium, quomodo ridet aut gaudet? Tales erāt ciues Hierusalem, quorum fatuam cęcitatem vidēs & arguens dominus, fleuit. Lucæ 19. *videns ciuitatem fleuit super illam, dicēs; quia si cognouisses & tu,* supple fleres. Ad hoc valet exemplum de fratre regis, qui timore mortis inconsolabiliter flebat, nec à fletu poterat aliqua musicorum dulcedine cohiberi. *Hoc exemplū require infra de iudicio. c. 3.* Si sic flebat ille pro sententia regis terreni fratris sui, pro morte corporis: cum tamen non esset sibi cōscius criminis alicuius; quantū homo flere debet pro sentētia iudicis æterni, iusta & irreuocabili; pro morte nō corporis tantū, sed animæ simul & corporis, non temporali, & momentanea; sed æterna?

De mortis angustia.

DISTINCTIO III.

2. *Considerāda morientis angustia. Mors à morsu pomi vetiti nomen habet. Mortis angustiā ostendit amor vnionis.*

Post mortis sentētiam videamus mortis angustiā. Mors quippe à morsu vel amaritudine nomē habet, quia primus homo per inobedientiā, lignum vetitum tetigit, & per morsum mortem amaram incurrit. Mortis autem angustiam ostendunt, Amor vnionis, Dolor passionis, Terror damnationis.

Amor vnionis ostendit mortis angustiam: quoniam amor vitę prędentis ita cunctos deuinxit, quod omnis homo destitutionem corporis sui plangit: & vnitā proportione mirabili, corporis & animæ harmoniam, dissolui ingemiscit. Per mortem autem dissoluitur matrimonium, quod tanto fuerat nexu concordiæ copulatum. *Siccinè separat amara mors* 1. Reg. 15. Quantumcunque autem quis desideret, voluntate per gratiā ordinata, ad æternæ vitæ gloriam peruenire: tamen appetitu naturali refugit & horret separationē animæ à corpore: vnde idem Apostolus, qui dicit Phil. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo:* dicit 1. Cor. 15. *Nos qui sumus in tabernaculo isto, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari. sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita.* Petro quoque dixit dominus, Io. 21. *Cū esses iunior, cingebas te, & ambulabas quo valebas. Cū autē senueris, alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Ecce Petrus etiam senex nō prorsus abiecerunt hunc affectum, quin mortem horreret: ducendus videlicet quo non vellet. Hic est affectus quem ostēdit Christus proximus passioni, dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26. Et iterū: *pater mi, si possibile est transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Cū igitur hic affectus tam inseparabiliter nobis inhæreat, manifestū est quod non sine angustia possunt corpus & anima, tāto fedēre copulata, seiūgi. Deponitur autē in morte corpus, & ab anima separatur, ac destituitur à sua pulchritudine, quia vt dicit Ber. *Cuius erat ante gratissimus amplexus, fit eius in morte horribilis aspectus.*

Exemplum. Vnde legitur in vitis patrum, quod cum quidam eremita tentaretur de pulchritudine cuiusdam mulieris, audiens eam mortuam, post paucos dies cucurrit ad sepulchrum eius, vt videret qualis esset amor eius, & aperto sepulchro, absterfit saniem de corpore cum pallio suo, & deformitatem & saniem opponebat tentationi suæ, dicens. *Vide qualis est amor tuus.*

Corpus humanū mortuū est horribile & fatidum. Post separationem corporis sequitur etiam eius corruptio in carnis putrefactione & tabefactione. Sicut enim de putrefactione seu putredine concipitur & nutritur, ita in putredine ipsum corpus reuertitur. Iob. 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Idem 17. cap. *Putredini dixi, pater meus es, & mater mea.* Quia de nobilitate parentū nihil habet homo nisi putredinem, ad quam redit nobile corpus. Vnde est similis glaciei, quæ aquæ filia, generat eam, quia in eam resoluitur; vnde

Simile. *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.* Sic mater corporis humani est putredo, quam postea ipsum generat, dum in eam resoluitur tabefactum 2. Mach. 2. *Gloria peccatoris stercus & vermis, hodie extollitur & cras non inuenietur.* Eccl. 28. *tabitudo & mors imminent.* vnde cuidam dictum est in somnis.

Exemplum. *Diuide quicquid habes, fies cito liuida tabes.* Quod cum fecisset, volens eum diabolus facere desperare, & pœnitere de bono facto respondit ei per somnium.

Somnia ne cures, quia fallunt plurima plures.

Item corruptio patet in vermium corruptione, & corrosione. Vnde filius hominis vermis: homo vermes de se generat, quantumcunque nobilis extiterit. Eccl. 10. *Homo cum morietur hereditabit serpentes bestias & vermes.* quia vt dicitur, de cerebro corporis buffo post mortem nascitur, de renibus serpens, de ventre lumbrici, de carne vermes, de lingua astalabus, de pelle tinea. Et hæc de nobili corpore hominis nascuntur, & illud consumunt. Fuit quidam nobilissimus homo, cuius cum sepulchrum pretiosum euolutum ostēderetur, subito insilijt de sepulchro illius, buffo rufus & maximus super marmoreum pauimentum ecclesiæ; quem aliunde habuisse originem non æstimo, nisi à carne ilius nobilissimi ibi sepulti.

Exemplum humilitatis ex putredine corporis. Ex ista vermium generatione debent humiliari homines nobiles, & potentes, quibus dicit beatus Bern. *Quid fœtidius humano cadauere, quid horribilius mortuo? cuius erat in vita gratissimus amplexus, fit in morte horribilis aspectus. Quid ergo prosunt diuitiæ, quid delitiæ, quid honores? Diuitiæ non liberant hominem à morte; delitiæ non liberant hominem à vermē; honores non liberant eum à fœtore. quia qui modo sedebat diues & gloriosus in throno, modo iacet pauper in tumulo. Qui modo delitijs vescebatur, nunc à vermibus in sepulchro consumitur. Qui paulo ante in aula gloriosus astabat, modo in tumba ignominiosus, sepultus iacet. Memorare ergo nouissima tua & in æternum non peccabis.* Idem Bern. *Non solum nouissima, sed & prima, & media. Vide prima & erubesce. Vide media & ingemisce. Vide nouissima & contremisce vel pertimesce. Prima inducunt homini pudorem. Secunda dolorem. Nouissima timorem.* Habetur autem huius corruptionis & tabefactionis exemplum 2. Mach. 9. de subita percussione regis Antiochi, de quo ibi dicitur, quod *apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara intestinorum tormenta.* Et post. *Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, & viuentes in doloribus carnes eius effluerent; odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur* &c. Item actuum. 22. *Herodes autem vestitus veste regia concionabatur ad populum* &c. Et post. *Angelus autem domini percussit eum confestim, & consumptus à vermibus, expirauit.* De cuius corruptione, carnis tabefactione & consumptione, satis tangitur in historia ecclesiastica & scholastica.

Corpus humanū redit in cineres. Item ex corruptione surgit corporis incineratio. Iob. 34. cap. *Deficiet omni. caro simul, & homo in cinerem reuertetur.* In signum huius superponuntur ei cineres in capite ieiunij. Et dicitur ei. Memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Gen. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dixit Abraham ad Dominum, loquar ad Dominum Deum meum cum sim puluis & cinis. Huius elegans exemplum legitur de exercitu Sennacherib, quem Angelus Domini percussit, & in spacio vnius noctis in cinerem retegit, vt legitur in historia scholastica. Quod & tangitur Isa. 37. Et 4. Reg. 19. 2. Paralip. 32.

ITEM dolor passionis ostendit mortis angustiam, quantum in morte solent concurrere varia morborum genera, & membra sic occupare singula, vt plures quãdoque sint morbi quam mẽbra. Dolores etiam irruunt tam vehementer intensi, vt vires corporis eneruent, sõnum auferant, quietem impediant, animum inquietẽt, sensus omnes perturbent, appetitum destituant, obtũdant memoriam, obnubilent intellectum, animam totam occupent & distrahant, vt nihil aliud ei cogitare liceat, quã dolores. Vnde Greg. *Tanta est ibi vis doloris, quod alibi non posset referri impetus cogitationis.* Quod multum deberent aduertere qui cogitant in fine pœnitere, & tunc primo de salute animæ suæ cogitare, quia quãdo aliquis habet aliquem amicissimum, quem semper habuit præ oculis, & eum videt anxium ad mortem, & habet vicinum infirmum, de cuius incommodo nũquam aut parum cogitauit, quem non habet præ oculis; non est mirum si minus dilectum quem non videt, tradat obliuioni, pro eo quem maxime dilectum, mori videt. Amicus quem carnales maximè dilexerunt corpus eorum est, minimè dilectus & qui non videtur, spiritus est; qui tunc obliuioni traditur, & Deus ipse. Psal. 6. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Aug. in quadã Homil. *Percutitur hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* Itẽ debent cogitare quod ita inexorabilis est mors, quod pro toto mundo non daret vnam diem aut horã de inducijs, vel aliquam moram: aut propter aliquem reuocaret, precibus aliquibus aut pretio, grauedinem infirmitatis.

Dolores mortis vehemẽtes.

Differre pœnitentiã vsq; ad mortem periculosissimum.

Simile.

VNDE cum quidam, vt dicebat Mat. Iacobus, longo tempore seruisset cuidam magno principi, & grauiter ægrotaret; cum astaret ei Dominus suus dicens, quod multum ei condoleret, & quod si quo indigeret, hoc ab eo peteret. Dixit æger, quod petebat pro omni seruito quod ei fecerat, quod liberaret eum ab infirmitate, vel saltem ad horam, & cum diceret quod hoc nõ posset facere, nisi solus Deus, ait eger: & ego illi qui solus facere potest hoc promitto, quòd si me liberet, ei soli in perpetuum seruiam; quod & fecit.

Exemplum.

ITEM Rex Franciæ laborans ad mortem, & desperatus à medicis, & positus in cinerem, vocauit omnes astantes, dicens, Ecce ego qui ditissimus eram, & nobilissimus de mundo, & potentissimus, pro omnibus diuitiis meis & potentia & amicis, non possum extorquere à morte inducias ab hac infirmitate per vnicam horam. Quid ergo valent ista omnia? Et hoc dicens, omnes audientes concitauit ad fletum. Ipse contra spem à Domino curatus, cum crederetur mortuus, resurgens, & Deo gratus existens, crucem accepit. Iob. 16. *Ego quondam opulentus, repente contritus sum.*

Exemplum.

NON sic fecit quidam vsurarius, qui dum in extremis laboraret, fecit apportari ante se vasa aurea & argẽtea, promittens animæ suæ illa, & multo ampliora, vt agros, domos & alia; si adhuc cum eo remaneret. Et cum magis vrgeret eum dolor infirmitatis ait; ex quo non vis mecum morari, reddo te diabolo, & hoc dicens, expirauit.

CVM autem mors corporis ad pœnam purgatoriam pertinere credatur (nam per dolores huiusmodi, nonnunquam in toto purgantur animæ, vel saltem in parte) ideo plerumque electi durius moriuntur: quoniam in eorum morte tenduntur quandoque dolores, per quos venialia resecantur. Sic purgatus est in vita Lazarus vlceribus plenus, vt mortuus ab Angelis in sinũ Abrahæ cum iubilo portaretur; & dives moriens apud inferos sit sepultus Lucæ 16. Diues variis crapulatus ferculis, auribus obturatis, præcordijs obturatis, clamorem pauperis contempsit. Sed ecce post modicum vritur, ardet & æstuat in inferno, qui mendicanti misericordiam denegauit. Vbi sunt dies cellaria tua, vinorum tam annositate, quam varietate repleta? vbi sunt horrea, tantis granorum copijs cumulata. Non te purpura defendit à frigore, non byssus tibi subuenit ab ardore. Nunquam quæ pateris incurrisses, si de tantis horreis micam, si de tantis cellarijs guttam, pauperi misericorditer impendisses. Sic ergo pater quòd Lazarus pauperem vitam ducendo, & mortem durã & miserabilem sustinendo, purgatus est. Similiter virum Dei missum ab Hieroboam in Bethel, leo propter culpam inobedientiæ purgandum, occidit; quem purgatum in morte, vltra tangere non præsumpsit; quin potius tam ipsius mortui, quam eius asini, custos fuit. Nõ igitur mirari debemus, si iustos dure mori, & impios transire leuius audiamus: quomodo iusto Dei iudicio, iusti quandoque dure moriendo purgantur in hoc mũdo, ne puniantur acrius in futuro. Impij vero si quid boni fecerunt, quasi pro remuneratione leniter moriũtur: pro malis autem quæ fecerunt, puniendi perpetuo reseruantur.

Exemplum.

Electi nonnunquam durius moriuntur quã reprobi, vt in hac vita purgentur.

NOTA in vitis pa. de viro iusto, pio & simplici, qui duram mortem sustinuit, & propter pluuias tempestates & grandines, vix potuit corpus eius ad locum sepulturæ deferri, vxor vero eius mulier impudica, cum serenitate aëris, & populi multa frequentia, iuit ad Ecclesiam honorificè deportata.

Terror desperationis mortis ostendit angustiam.

ITEM terror desperationis mortis ostendit angustiã. Imminente nempe mortis articulo, videntes dæmones quia modicum tempus habent, & si hominem illa hora perdiderint, non eum vltra recuperare valebunt, experiuntur plus solito vires suas, tentantes acrius, & proteruius infestantes, miserum hominem in desperationis foueam præcipitare conantes, vt eum ad pœnalia loca pertrahant, & illi sint tortores in pœnis, cuius fuerunt suasores in vitiis, propter quod bene dicitur, Eccles. 8. *Non est in hominis dittione prohibere spiritum*; scilicet exeuntem à corpore. Non enim potest homo mortem suam impedire vel differre. Sed tunc quasi reus de carcere, rapitur ad tribunal iudicis, propria corporis recepturus, secundum illud 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Sequitur. *Nec habet potestatem sui,* scilicet vel disponendi sua in die mortis, anxietate morbi & debilitate corporis impeditus. *Nec sinitur quiescere ingruente bello,* id est in cursu dæmonum. Ait enim B. Bern. *hostium nostrum malignus spiritus obsident, & aduentum nostrum illæ horrendæ effigies præstolantur.* Idem. *Quomodo non mors peccatorum pessima, vbi non subuenit vita? formido exire, & in ipso contremisco portus ingressu, dum non confido prope assistere qui excipiat exeuntem. Quid enim, secure non exeo, si non Dominus ipse custodiat exitum meum, heu ero ludibrio dæmonum intercipientium me, non assistente qui redimat, neque qui saluum faciat.* De mortis angustia, tam ex dolore passionis, quam ex terrore damnationis, Ps. pulchre loquitur Ps. 17. dicẽs. *Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis cõturbauerunt me, dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.*

Quatuor coangustant hominem tẽpore mortis.

DILIGENTER attẽde quatuor quæ mortis tempore infelicem animam coangustant. Primum est multiplex corporalis infirmitas, quæ notatur cum dicitur: *Circumdederunt me dolores mortis.* Ecce quod irruunt infirmitates variæ vndique circundantes, vt quandoque plura sint dolorum genera, quam membra. Item cum hoc quòd multæ sunt, & graues sunt, dolorosæ & grauiter affligentes, & adeo sunt dolores vehementer intensi, quòd harmoniam corporis omnino destruunt, & animam à corpore separari compellunt. Secundũ est multiplex occurrens iniquitas, quod notatur cum dicit. *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Ibi iniquitates omnes quas feci, rapide & fortiter irruẽtes. Iusto enim Dei iudicio fit, vt qui in vita pœnitere noluit, nec de suis cogitare peccatis, de omnibus tunc simul irruentibus

1. Corporalis infirmitas.

2. Occurrens iniquitas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

desperabiliter conturbetur. Vnde Dominus per Psal. ait misero peccatori Psal. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Tertium* est consideratio supplicij infernalis, quod notatur cum dicit: *Dolores inferni circundederunt me.* Et hoc rectè sequitur ad præcedens, ex quo namque considerat omnia peccata sua, de quibus non egit pœnitentiam, nec deinceps se sperat agere posse; nō restat aliud nisi quod pro omnibus æternaliter crucietur. Pluraliter autem dicit *dolores*, quia non solum secundum mensuram culpæ erit & mensura pœnæ, verum etiam singulis peccatis, pœnæ singulæ respondebunt; vt aliæ pro aliis, diuersę pro diuersis, & grauiores pro grauioribus infligantur. *Quartum* est aspectus dæmonum nimis terribilis. Quod notatur cum dicit: *Præoccupauerunt me laqueimortis.* Dæmones nominantur laquei mortis, quia infelicem animam illaqueant, ne pęnitere possit, & veniam postulare; & sic illaqueatam, ad mortem perttahant infernalem. Quando enim illaqueant dæmones per consensum proprium & consuetudinem, tunc fortissimæ detinent alligatam, vt ad pœnitentiam se mouere non possit: dicit autem, *præoccupauerunt*, videlicet ante prolationem damnationis à iudice, & ante separationem animæ à corpore. Dæmones nempe tantæ sunt præsumptionis & proteruiæ, vt non expectent miserum peccatorem sibi tradi à iudice per sententiam diffinitiuam; Sed in eo dominium & potestatem, quasi de iure acquisitam vsurpant, vnde saluator loquens Hierusalem in persona peccatorum; Luc. 19. ait. *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo.* Inimici sunt maligni spiritus, qui animam à corpore exeuntem obsident, quam vallo circundant; quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant, vt in ipsa extremitate vitæ posita, & à quibus hostibus circumcluſa sit videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit: quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contempsit. De quibus apertè sequitur, *& circundabunt te, & coangustabunt te vndique* quoniam ei non solum operis, verum etiam locutionis atque insuper cogitationis iniquitates replicant, vt quę prius dilatauit in scelere, ad extremum de omnibus coangustetur in retributione.

Considerat. supplicij infernalis.

Aspectus dæmonum

B

C

Sciendvm quòd sicut docet Greg. 4. lib. Dial. huiusmodi terribiles visiones quandoque ad vtilitatem & correctionem ipsorum videntium, quandoque vero ad vtilitatem audientium ostenduntur; sicut declarat B. Greg. per exempla. *Ait enim.* Inquietus valde Theodorus nomine puer fuit, qui in meum monasterium fratrem suum necessitate magis quam voluntate secutus est, cui graue erat si quis ei de salute sua aliquid loqueretur: bona autem non solum facere sed etiam audire non poterat, nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo, testabatur. Cum autem perductus ad mortem extremum spiritū ageret, conuenerunt fratres vt eius exitum orando protegerent, iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum, in solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat, fratres autem tanto cæperunt enixius orare, quanto eum videbant sub celeritate discedere, cum repente cæpit clamare, magnisq; vocibus orationes eorum interrumpere, dicens. Recedite, recedite: Ecce draconi ad deuorandū datus sum, qui propter vestram præsentiam me deuorare non potest. Iam in ore suo caput meum absorbuit, date locum ne amplius me cruciet, sed faciat quod facturus est. Dicentibus autem ei fratrib. Frater quod loqueris, signum tibi sanctæ crucis imprime? Ille cum magnis clamoribus respondebat. Signare me volo, sed nō possum, quia squamis huius draconis premor. Tūc fratres in terram prostrati cęperūt pro ereptione illius vehemēter orare. Et ecce subito cæpit æger magnis vocibus clamare dicens, Gratias ago Deo, quia draco qui me deuorandum acceperat, orationibus vestris expulsus, stare non potuit. Modo pro peccatis meis intercedite, quia paratus sum conuerti, & funditus habitum relinquere secularem. Postquam vero toto ad Deum corde conuersus est, diuque flagellis attritus, tunc eius anima carne soluta est. Constat proculdubio quòd isti pro vtilitate sua, hæc visio à pio domino misericorditer est ostensa.

Exemplum.

D

At contra Crisaurius nomine, tantum plenus vitiis, quantum rebus, superbia tumidus, carnis voluptatib. subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus, cum Dominus tot vitiis finem imponere decreuisset, corporali molestia percussus est. Qui ad extremū veniens, eadem hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit nigerrimos spiritus corā se assistere, & vt eum ad inferni claustra perducerent vehemēter vrgere. Cæpit ille tremere, pallescere, sudare, magnisque vocibus inducias petere, filiumque suum nomine Maximum (quem ipse iam monachus monachū vidi) nimis turbatis clamoribus vocare, dicens. Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit lugens, & perstrepens familia conuenit. Ipsi autē malignos spiritus quos ille grauiter insistentes tollerabat, videre non poterant: sed eorum prędentiam, in confusione, pallore, ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetrarum earum imaginum huc illucque vertebatur, in lectulo iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumque constrictus nimis, relaxari se posse desperaret, cæpit magnis vocibus acclamare, Inducias vel vsque mane. Sed cum sic clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suę carnis emissus est. De quo nimirum constat, quia ista pro nobis non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat.

Exemplum.

E

Idem. Monachus quidam magnæ æstimationis bonis moribus videbatur, & in omni sua actione compositus. Sed sicut ex fine patuit, longe aliter quam apparebat fuit. Nam cum se ieiunare cum fratribus demonstraret, occulte manducare consueuerat. Quod eius vitium, omnino fratres nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad extrema perductus, fratres omnes qui in monasterio erant, ad se congregari fecit. At illi à tali vt putabant viro conuocati, magnum quid ac delectabile se ab eo crediderunt audire. Quibus ipse afflictus ac tremens compulsus est dicere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum ieiunare credebatis, occulte comedebam, & nūc ecce ad deuorandum draconi sum traditus, qui cauda sua pedes meos & genua colligauit, caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens abstrahit. Quibus dictis statim defunctus est, & vt pœnitendo liberari posset à dracone quem viderat, expectatus non est. Constat quod ad solam vtilitatem audientium non suam hoc viderit, qui hostem cui traditus fuerat & innotuit, & non euasit.

Exemplum.

Item narrat Beda de gestis Anglorum, quod Rex Enrendus, quendam iuuenem grauiter ægrotantem vt confiteretur admonuit. Qui respondit quod hoc in infirmitate non faceret, quia sodales insultarent ei, quod hoc non ex deuotione, sed timore mortis, & defectu cordis egisset; sed postquam conualuisset libenter hoc faceret. Cum autem infirmitate amplius aggrauata Rex eum iterum visitasset; dixit ille, quòd tūc nec deinceps esset aliqua visitationis eius vtilitas, eo quod duo iuuenes pulchri & albi ad eum intrauerant, quorum vnus portabat librum pulchrum paruulum, in quo scripta erant bona quę fecerat, sed perpauca. Postea vero innumerabilis exercitus malignorum spirituum, quorum maior protulit librum enormis magnitudinis, ponderis importabilis, & deformitatis horrendæ, in quo scripta erant teterrimis litteris omnia scelera quęcunque fecerat, & cogitauerat æger ille. Dixerunt autem maligni spiritus illis albis. Quid statis hic? Recedite, quia noster est iste. Qui-

bus

bus illi dixerunt, verum est. Ducite eum in damnationis abyssum. Duoque malignorum spirituum percusserunt me, ait infirmus, vnus in caput, alius in pedes. Cum autem ad cor peruenerint moriar, & portatus à dæmonibus pertrahar ad infernum. Quod & factum est. Non pro se vidit ista, quæ sibi non profuerunt, sed pro alijs, ne similiter pœnitere differant, ait Beda.

Exemplum. IDEM etiam narrat de quodam fabro, qui propter necessitatem operum, in quodam monasterio sustentatus à fratribus, irreligiose viuebat, ebrietati ac alijs vitijs seruiebat, magisque nocte in officina sua consueuerat residere, quàm ad orandum ire. Qui infirmatus & ad extrema perductus, vocatis ad se fratribus, narrauit se videre inferos apertos, & Sathanam demersum in profundum, & Caypham cum cæteris qui Christum dominum occiderunt, sibique locum præparatum cum eis. Cunque fratres hortarentur eum ad pœnitentiam, desperans respondit, quòd iam non erat ei tempus immutandi vitam: ex quo iudicium suum viderat iam completum. Qui sine viatico obiẽs, extra monasterium est proiectus. Hæc vidit, vt desperata salute miserabilius periret, sicut beatus Stephanus vidit Cælos apertos, vt sustineret constantius & illuc lætius peruenire.

De præsentia mortis.

DISTINCTIO IV.

3. Consideranda mortis præsentia. POST mortis sententiam & mortis angustiam videamus mortis præsentiam, quæ bene notatur 2. Regum 14. *Omnes morimur.* Ex virtute enim verbi præsentis temporis, mortis præsentia designatur. Et amplius dicit. 1. Corin. 15. *Quotidie morior.* Nam media vita in morte sumus. Mors enim quotidie tollit portionem aliquotam vitæ nostræ. Nam si crescimus, vita decrescit: Quia secundum August. *Quicquid viuitur, de spacio viuendi demitur, & quotidie fit minus minusque quod restat, vt omnino nihil aliud sit tempus vitæ huius, quàm cursus ad mortem.* Consideremus igitur mortis præsentiam, Horis omnibus meditandam, Locis omnibus expectandam, Cunctis mentibus metuendam, Modis omnibus tolerandam. Quoniam autem horis omnibus à morte carpimur, ideo mortem horis omnibus meditemur.

Meditatio mortis ad multum vtilis.

1. Horrorem incutit. SCIENDVM est autem quod meditatio mortis multum est vtilis, profunde non perfunctoriè meditanti. *Primo* quidem horrorem incutit. Non est enim tam prophanus, tam insanus, tam insensibilis, aut tam miserabilis, qui non vehementer horreret, si diligenter inspiceret, & in corde suo profundius ruminaret quod morietur, & nescit vbi, quando, vel quomodo; vtrum sensus, memoriæ, vel loquelæ facultatem habebit: an conscientiam suam discutere, an peccata sua recolere, an gratiam compunctionis obtinere valebit. Tunc enim forsitan nec de Deo, nec de seipso cogitare licebit; quia secundum August. *percutitur hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* Tunc ô miser homuncio, circundabunt te dolores corporis, angustiæ mortis, terror iudicij; horror inferni. Tunc te miserum, maligni spiritus obsidebunt; tunc exitum tuum horrendæ illæ effigies expectabunt, tunc secundum Euangelicam veritatem, circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te vndique, & ad terram prosternent te. Tunc si poterunt, te in desolationis abyssum, & in baratrum desperationis immittent. Rursus tunc ante faciem tuam reuoluetur horrenda congeries omnium peccatorum &c. *Requi. supra.* O miser homuncio, quis te tunc exeuntem excipiet? quis recognoscet, quis consolabitur, quis comitabitur, quis hospitabit? *Exemplum.* *Iuuenis* quidam dux Lotharingiæ cum esset in extremis, respiciens domos suas & castra, dicebat. O Domine Deus quantum contemnendus est mundus iste, quia ego qui tot habeo castra & palatia, & tot potui hospitare, nescio quo adhuc in nocte hac debeo ire, aut quis me debet hospitare.

2. Torporem excutit. SECVNDO meditatio mortis torporem excutit. Hic est stimulus pungens asinum, & calcar lasciuum & discolum vrgens equum. Ideo monet sapiens Eccl. 9. *Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec opus &c.* Eccl. 14. *Si habes benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memento ire quoniam mors non tardabit.* Nota bene & expone.

3. A peccato reuocat. TERTIO meditatio mortis à peccato reuocat. Facit enim hominem dimittere, & detestari peccatum, secundum illud Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Qui recolit de morte, cogitare debet quod causa mortis peccatum est. Gen. 2. *Quacunque die comederis morte morieris.* Dicitur in historia transmarina, Quòd cum Bragmanni ab *Exemplum.* Alexandro peterent immortalitatem sibi dari, & ipse se hoc non posse dare diceret, cum ipse esset mortalis, dixerunt: tu ergo cum sis mortalis, quare tot mala faciendo discurris? quasi dicerent, ab his malis mors te deberet reuocare.

4. Ad pœnitentiã prouocat. QVARTO memoria mortis ad pœnitentiam agendum prouocat. *Quia enim* secundum Gregor. *minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare,* non sufficit ad salutem à peccatis perpetratis cessare, vel perpetranda cauere, nisi & studeat homo de perpetratis pœnitentiam agere; secundum illud Matth. 4. *Genimina viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Quod autem memoria mortis prouocet ad pœnitentiam, patet per illud Isa. 39. Ezechias enim audito, *morieris tu & non vines,* fleuit. Item Niniuitæ audita comminatione subuersionis & mortis, pœnitentiam egerunt 1. Ion. 3. Item dicitur in vitis patrum, quòd quidam sanctus Abbas dicebat, *Memor esto semper exitus tui, & ne obliuiscaris extremi iudicij, & non erit delictum in anima tua.* Et beatus Gregor. ait. *Cum culpa animum tentat, necesse est vt breuitatem suæ delectationis aspiciat, ne ad viuacem mortem iniquitas rapiat.*

Exemplum. EXEMPLVM de quodam diuite peccatore, qui cum diu male vixisset, & semel ad confessionem veniens, nullam à confessore pœnitentiam recipere vellet; dicens quod pœnitentias agere nec consueuerat nec valeret, tandem confessor vix ab eo potuit extorquere, quod quolibet die faceret sibi dici mane quando surgeret, & sero quando lectum intraret: Domine vos moriemini, vel aliquid æquipollens. Quod cum multis diebus dictum ei fuisset, nec nomen mortis auditum, eius animum pœnetraret, tandem diuino nutu compunctus expauit, aduertens quod indubitanter decederet, sed ignorabat quando vel quomodo ex hac vita migraret. Hoc autem constabat ei, quod nisi vitam suam corrigeret, sine fine periret. Confestim igitur confessus, omnino se mandatis confessoris exposuit, vitamque suam in melius commutauit.

Exemplum. ITEM cum quidam pyratę essent in tempestate positi, vouerunt quod confiterentur si euaderent. Euadẽtes confitentur cuidam eremitæ. Cumque suasu aliquorum, eidem confiteretur magister eorum, arguitur ab eo de flagitijs suis, & ad Papam mittitur. Ille autem eum occidit, Idem fecit de alio. Tertio autem confitẽs tractatur blande, & iniungitur ei, cum non posset euelli à malitia sua, vt saltem hoc faceret, quod quotiescunque aliquis moreretur, si posset adiuuaret eum poni in terra, & cogitaret qualis fuisset mortuus, & qualis ipse esset futurus, & quod idem fieret de eo cito. Qui cum sæpe hoc faceret, & de morte frequenter cogitaret: horruit statum suum, & fugiens ad eremum arctissimam pœnitentiam egit.

5. Ad liberalitatem prouocat. QVINTO memoria mortis prouocat ad munera largitatis. Alexander vt cognouerat quod moreretur, dimisit regnũ pueris suis, 1. Mach. 1. Multi timore mor-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tis condunt & ordinant teſtamenta, & dant eleemoſynas, & amicos ſibi faciunt, & interceſſores acquirunt, ſecundum conſilium Domini, Luc. 6. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Ambroſ. *Non ſunt hominis bona quæ ſecum portare non poteſt, ſola autem miſericordia comes eſt defunctorum.* Dicitur quod quidam Burgenſis Pariſien. parauit feretrum ſuum in camera ſua, in quo deferretur cum moreretur, vt per hoc mortis memoriam haberet, & prouocaretur ad opera miſericordiæ, & in die defunctorum replebat illud panibus, quos pauperibus dabat, dicens. Ecce cito moriar, & quis memorabitur mei?

6. *Opera vanitatis reprobat.*

Sexto reprobat opera vanitatis. Omne mundi gaudium, & omnem ineptam lætitiam, & huiuſmodi contemnit, qui de mortis amaritudine recordatur, ſecundum illud Eccl. 2. *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Idem 7. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. In illa enim finis docetur omnium.* Idem 11. *Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum malorum, quis cum venerint vanitatis arguentur omnia quæ in mundo ſunt.*

7. *Ad cupiditatis cõtemptum excitat.*

Septimo in meditatione mortis contemnitur mundi cupiditas. Ad contemptum mundi & omnium terrenorum multum valet meditatio mortis. Iob. 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Idem 27. *Diues cum dormierit nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet.* Pſal. 48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo &c.* Ideo Hieron. *Facile contemnit omnia qui ſe ſemper cogitat moriturum. Vnde* legitur in Barlaam, quod cum videret Ioſaphat ſenem decrepitum, audiens quod omnes ſi diu viuant, habent ad hanc miſeriam deuenire, niſi prius morte præueniantur, incepit cogitare de morte, & inde delectabilia abhorrere.

Exemplum.

Dicitvr quod cum frater Greg. audiens legi in Biblia de antiquis, ille vixit tot annis, & iſte tot, & mortuus eſt, mundum contemnens intrauit ordinem prædicatorum, vbi factus eſt maximus magiſter in Theologia, & contemptor mundi & ſui.

Exemplum.

Item cum Eccleſia conſecraretur in qua erat comes ſepultus, & deberet inde extrahi propter conſecrationem, patefacto eius ſepulchro, apparuit immaniſſimus bufo ſuper faciem eius eum corrodens, & alij vermes & ſerpentes; ad quorum aſpectum & horrorem omnes reſilierunt. Filius autem dicti comitis iuuenis, hoc audiens acceſſit, & viſa carnis paternæ ſanie & vermium diuerſitate & horrore, incæpit meſtus cogitare de morte, & quam vanæ ſunt mundi diuitiæ & deliciæ & honores. Vnde relictis omnibus fugit, cogitans ſe beatum fore, ſi pauper fieret pro Chriſto. Quidam autem domicelli citius eum ſequentes & inuenientes, nec eum reuocare valentes, venditis equis, & rebus, & pro Deo erogatis ad monitionem eius, eum pauperem pauperes ſequebantur, multa conuitia propter Deum ab omnibus ſuſtinentes. Poſtea Romam venit, vbi factus eſt carbonarius, & ſecretum ſuum cuidam cardinali, cui confeſſus eſt, & ſtatum ſuum reuelauit. Cum autem poſt plures annos ſemel vrbem intraſſet ad vendendum carbonem, & in domum dicti cardinalis confeſſoris ſui carbones deportaſſet, arreptus ibi infirmitate, poſt ſuſcepta ſacramenta omnia, pauper iacens ſub gradu ad Dominum migrauit. Quo facto, omnes campanæ vrbis per ſe ſonuerunt. Quod cum Papa miraretur, Cardinalis confeſſor eius reuelauit cauſam, homines autem terræ ſuæ exeuntes in curiam, audientes hoc, quem viuum quærebant, mortuum inuenerunt.

Exemplum.

Ad idem facit exemplum quod ponit Barlaam ad Ioſaphat, de homine, qui fugiens vnicornem, incidit in barathrum, in quo arbuſcula apprehendens, vidit in eius radice duos mures, vnum album, alium nigrum, radicem arboris continue corrodentes, in fundo vidit draconem horribilem aperto ore ipſum deuorare volentem. Eleuatis autem oculis, vidit ille modicum mellis in arboris ſummitate. Qui omnium prædictorum oblitus, totum ſe contulit ad mellis dulcedinem. Sed dum non aduertit, arbore corroſa à muribus, in profundum ſubito corruente draco cõtinuo ipſum deuorauit. Vnicornis eſt mors. Barathrum mundus. Arbuſcula, vitæ præſentis miſeria, quæ albo & nigro mure, 1. die & nocte conſumitur inceſſanter. Draco expectans, diabolus, inſidians & exitum noſtrum deſiderãs ad perdendum.

8. *Ad humiliatem mouet.*

Octavo in meditatione mortis inſtruitur cordis humilitas, vnde antiqui humiliare ſe volentes, ponebant cinerem ſuper capita ſua, in memoriam quod cinis eſſent, Eccl. 10. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.* Cum Alexander nauigaret per quendam fluuium Paradiſi, vt veniret ad hortum eius; quidam ſenex de rupe apparens ei, ſuaſit ei regreſſum, & dedit ei lapidem precioſum pulcherrimũ dicens ei quod in eius pondere cognoſceret valorem ſuum. Lapis ergo ille poſitus in ſtatera nudus, omnia ponderabat quæcunque in alia lance ponebantur: coopertus puluere nihil ponderabat, ſed ei præponderabat feſtuca vna. In hoc dabatur ei intelligi, quod viuus aliis omnibus præpõderabat, mortuus autem & opertus ſepulchro, nihil. *Item* homo ad modum pauonis viſis pennis ſuperbit, & rotam caudæ viſis pedibus deponit, ſcilicet viſo fine.

Exemplum de lapide qui omnia ponderabat.

Simile.

Item legitur in vita Ioannis eleemoſynarij patriarchæ Conſtantinopolitani, quod conſuetudo Imperatorum erat, cum eſſent electi prima die coronationis ſuæ, veniebat latomus ferens in manu ſua tres aut quatuor partes marmoris diuerſorum colorum, dicens. Iubeat imperator, de quo genere marmoris velit ſibi fieri monumentum. Per hoc inſinuantes, quod tanquam mortalis homo cogitaret de morte, curam animæ ſuæ ageret, piè regeret regnum ſuum, ſubditos ſuos non contemneret, nec ſe ſuper alios arroganter efferret.

Exemplum.

Idem Ioannes eleemoſynarius factus Patriarcha, fecit fieri ſepulchrum imperfectum, & in præcipuis ſolemnitatibus ſtatuit quendam qui ei diceret, cum eſſet in loco honoris ſui. Domine imperfectum eſt ſepulchrum tuum. Iube illud perfici, quia neſcis qua hora fur veniet. *Item* dicitur, cum Papa conſecratur, & in ſummum honorem extollitur, quod ſtuppa comburitur in eius oculis, & ei dicitur, ſic tranſit gloria mundi, quaſi diceret, cogita te cinerem & mortalem.

Exempla.

Item ad hoc facit exemplum de Achab. 3. Reg. 21. qui cum audiret mortem ſibi imminere, quam minabatur ei Helyas indutus eſt ſacco, & ambulabat demiſſo capite, & dicit Dominus ad Helyam, *nonne vides Achab humiliatum coram me? &c.* Cogitãs enim de morte, inuenit in ſe materiam humiliationis, & cauſam; fragilitatem ſuam conſiderans, & ſciens ſe cito in puluerem redigendum, omni gloria mundiali, opulentia temporali, pulchritudine & robore corporali poſt modicum ſpoliandum: ac ſic non intumeſcit per ſuperbiam, ſed potius per humilitatem veram comprimitur in ſeipſum. Quis enim tam ſuperbus, præſumptuoſus, elatus, ſi profunde cogitet quod quamcito anima ſeparatur à corpore, corpus marceſſit & corrumpitur; fitque cadauer, quo nihil vilius, nihil fædius, nihil fœtidius, nihilque horribilius inuenitur. Quid enim verbi gratia ſic aerem inficit, tam graues exhalationes emittit, olfactum hominis ſic contriſtat, aſpectumque moleſtat, vel eius complexionem tam vehementi alteratione corrumpit. Nullus vnquam fuit ita charus homini dum viuebat, cuius aſpectum conſortiumque cadaueris mortui, non horreſcat.

Carnem edomat.

Nono in mortis meditatione carnis feruor deprimitur. Grego. *Nihil adeo valet ad edomanda carnis deſideria, quam cogitare qualis mortua ſit futura.* Sicut mulier volens filium ablactare, aliquid amarum apponit vberibus, vt puer amaritudinem ſentiendo, ab vbere abſtrahatur: ſic homo mortis amaritudinem præuidens, à delitijs carnis retrahitur. Eccleſiaſtic. 41.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

O mors quam amara est memoria tua homini iniusto. Nota exemplum de eremita abstergente saniem à muliere mortua, & apponente narib. suis cum tentaretur. Iob 2. *Sedens in sterquilinio, testa*, id est mortis memoria, & fragilitatis, & fractione corporis, *saniem*, tentationis, scilicet peccati, *radebat*. Hoc autem prætermittendum non est quod tanto viliora fœtidioraque sunt cadauera, quanto delicatius in crapulis & luxuriis fuerint enutrita. Nam caro quæ nunc delicatis cibis alitur, paulo post scaturire vermibus agnoscetur, vt in sepulchro sit esca vermium, quæ delectabiliter saginatur affluentia ferculorum, & quanto nunc sibi procurat suauiorem ciborum molliciem, tanto grauiorem exhalabit putrefacta fœtorem, sicut euidenter ostenditur, 2. Mach. 9. Vbi de superbissimo & impijssimo Antiocho dicitur, quod *de corpore impij vermes scaturiebant, & viuentes in dolore carnes effluebant, ita vt odore eius & fœtore, totus eius exercitus grauaretur, nec ipse etiam fœtorem suum ferre posset*.

CVIVSDAM ducis Venetiarum vxor delicata nimis, communibus aquis sese dedignabatur abluere, sed procurabat sibi fieri balneum de collecto laboriosius cæli rore: cibos concisos minutius à famulorum manibus, propriis non tangebat, sed ori suo fuscinulis aureis adhibebat, redolebat, vel fœtebat potius, eius corpus & cubiculum, multo vapore aromatum diuersorum. Sed vibrato super eam mucrone diuini iudicij, corpus eius omne computruit, nec fœtorem eius quisquam ferre potuit, nisi quòd ex ancillis vna, non sine multarum specierum auxilio, raptim dominæ ministrabat, & protinus fugiens abscedebat, & sic miserabiliter cruciata, diem clausit extremum, cunctis lætantibus, relinquens posteris meditationis exemplum, vt carnis delicias abhorrentes, iugiter habeamus ante cordis oculos finem nostrum.

10. *Vitam præsentem dirigit. Simile.*

DECIMO per meditationem mortis vita præsens dirigitur: quia qui de morte cogitat, est ad modum nauigantis, qui regendo nauem in fine se ponit. Item ad modum iumenti, quod cauda se defendit. Item ad modum auis, quæ cauda in volando se regit. Vnde Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi*.

11. *Ad mortis supplicium euitandum iuuat.*

VNDECIMO meditatio mortis valet ad mortis supplicium euitandum, cuius ista mors, non nisi vmbra reputatur & introitus. In passione sancti Andreæ dicitur. Egrediuntur homines à corpore rei & nudi, nihil secum præter peccata portantes.

12. *Ad vitæ æternæ desiderium accendendum.*

DVODECIMO valet ad æternæ vitæ desiderium accendendum, cuius ipsa mors est introitus, Iob 3. *Quasi effodientes thesaurum vehementer gaudent, cum inuenerint sepulchrum*. Eccl. 41. *O mors quam bonum est iudicium tuum &c.* Et post. *Noli metuere iudicium mortis*. Sap. 3. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. Sic igitur euidenter apparet quanta bona prouenient ex meditatione mortis. Vnde Hierony. dicit; *Sententia Platonis est, quod summa philosophia est mortis meditatio*. Et in vitis patrum dicitur, quod Theophilus Episcopus moriens dixit; *Beatus es abba Arseni, quia semper hanc horam ante oculos habuisti*. Semper igitur habeat homo memoriam mortis ante oculos cordis sui; sicut speculum in quo se videat, vitam suam consideret, & attendat.

Mors esse omni loco expectanda.

CONSIDEREMVS etiam mortis præsentiam locis omnibus expectandam, quoniam eius aduentus nobis est inopinabilis & incertus. Nihil enim morte certius, nihil incertius hora mortis, nihil venit velocius, nihil inuadit acrius, nihil potest crudelius impugnare. Ille in locis omnibus nos expectat, & nos si sapientes fuerimus eam vbique expectare debemus.

Circa mortē quatuor sunt incerta scilicet status, locus, tempus, & modus.

CIRCA mortem autem quatuor sunt incerta, scilicet status, locus tempus, & modus, siue genus. *Status*, quia nescit homo in quo statu morietur, in bono vel in malo, in charitate, vel extra. Eccl. 9. *Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit*. Item nescit vtrum iuuenis, vel senex; diues, vel pauper; compos mentis, vel mente alienatus. *Item* dubium est ei de loco. Nescit homo vtrum moriatur in mari aqua vel terra, in aere vel igne. Ideo Dominus noluit mortis diem esse certum, vt in omni loco timeretur mors. Sen. *Mors insidiatur tibi in omni loco, & tu eam in omni loco securus expecta*. *Debemus* facere sicut miles, qui cum pugnaret cum aduersario suo in duello, & vterque videret quod non posset alium superare, nocte superueniente communi consensu egressi sunt campum, tali conditione quod vterque diffidauit alterum, ita quod vbicunque eum inueniret, si posset eum occideret. Ideo alter timens fortitudinem aduersarij & violentiam, in nullo loco volebat incedere sine armis. Ita debet quilibet vbique ferre arma pœnitentiæ 1. Corinth. 6. *Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris*. *Item* tempus mortis voluit Dominus incertum esse, vt omnis hora suspecta haberetur. Matth. 24. *Vigilate quia nescitis horam neque diem*. Si enim intrares domum, & scires quod aliquis in domo illa accederet & te occideret, proculdubio ad te omnes accedentes timeres & suspectos haberes. Sic tu intrans in mundum hunc, certus debes esse, quod aliqua hora te occidet, & nescis quæ sit illa, & ita omnes debes suspectas habere. Item incertum est genus mortis, quia homo res est fragilissima, quæ præ nimia fragilitate potest infinitis modis occidi. Hominem enim potest occidere, vel vnus morsus, vt canis rabidi, vel serpentis; vel vna etiam punctura, vt dypsis vel scorpionis aculeus; vel tactus alicuius venenati, vel haustus veneni; vel flatus, vt situlæ & reguli; vel visus, vt basiliscī; vel defectus modici aeris, vel morsellus alicuius venenosi; quia intra delicatum morsellum inueniunt diuites sæpe subitam & improuisam mortem.

Exemplum.

Simile.

VNDE frequenter faciunt diuites sicut cocodrillus, qui est maximum animal, potens in aqua & terra, durissimam pellem habens, qui mirabiliter odit hydrum serpentem, quem si percipit alicubi, conculcat eum & atterit, conculcatus autem abscondit se, & inuoluit in herba in loco in quo nouit illum venire ad pastum; & dum glutit herbam viridem, glutit ipsum, qui interiora eius perforat, & intoxicat, & occidit. Sic diues duri cordis, habet super omnia mortem odiosam, quam cum perpendit in aliqua accessione vel distemperantia febrili, multis medicaminibus eam atterit & conculcat. Cum autem aliquando credit se comedere cibum gratum & delectabilem, in aliquo morsello glutit mortem, quæ subito & ex improuiso eum perforat & occidit. Vnde dicitur. *Frigidus latet anguis in herba*. *Vita* hominis est sicut lucerna ad ventum, quæ cito & subito extinguitur. Prouerb. 27. *Lucerna hominis spiraculum eius*. Prouer. 13 *Lucerna impiorum extinguetur*. *Item* vita hominis est quasi tela aranea, quæ ad modicum flatum venti rumpitur. Immo fragilior est quam filum araneę. Citius enim extinguitur ab irruente aduersitate, quam filum illud à vento rumpatur. In magno periculo sunt peccatores, qui ad filum tam debile dependent supra puteum inferni. Vnde quidam ait. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo; Et subito casu quæ valuere ruunt*. Nota exemplum supra positum de homine fugiente vnicornem.

Simile.

Exemplum.

ITEM cum dixisset quidam Dionysio tyranno quòd valde felix videretur esse status eius, puta qui multis populis imperabat, qui diuitijs, delitijs & honoribus abundabat, fecit ei Dionysius magnum conuiuium præparari, mensam autem poni fecit super foueam profundam & horridam, in qua erat ignis magnus accensus, super caput vero sedentis in mensa, gladius acutissimus cum filo tenui dependebat, qui singulis horis super caput eius cadere videbatur. Cum ergo multa fercula delicatissima in vasis aureis & argenteis faceret ei Dionysius propinari, & inuitans eum ad iucunde & hylariter epulandum, non poterat ille nec comedere, nec lætari, quia ex vna parte timebat, ne in foueam & ignem subito corrueret; ex alia parte, ne gladius ille

terribilis in caput eius decidens, ipsum scinderet medium, formidabat. Tunc dixit ei Dionysius. Ecce felicitas mea quam ita desiderabilem, delectabilem, & amabilem reputabas. Cum enim ex vna parte timeam in profundissimam foueam inferni, & ignis æterni supplicium, repente corruere; ex alia parte gladium æterni iudicis super caput meum eximprouiso cadere perhorrescam, quomodo in auro argento & epulis, & omni gloria mundiali, delectari potero vel gaudere?

Exemplum. ITEM homo peccator similis est illi qui somniabat (vt postea dixit) quod aduersarius suus existens in cœlo, tenebat clauam in manu dimissam inferius, in qua ipse manibus se tenebat inferius, & dictus aduersarius eum in abyssum qui ei suberat proijcere volebat, qui præ timore dormiendo clamabat, vsque quo excitaretur à somno, & sic liberaretur ab imaginato periculo. Sic est de peccatore, quem Deus, cuius est aduersarius tenet, cuius vita in manu eius est, quem cum per iudicialem sententiam Deus cadère dimiserit in abyssum inferni, non clamat adiutorium bonorum, quo excitatus à peccato, liberetur à periculo.

Homo fragilior vase vitreo, luteo, ligneo, vel lapideo. ITEM fragilior est homo aliquo vase vitreo, luteo, ligneo, lapideo: quia si vas vitreum potest aliquo duro frangi, non tamen potest submersum extingui. Item ligneum si potest vri, aqua non læditur, si submergitur. Item luteum aquam tenet, & igne solidatur, homo autem ab omnibus istis læditur & destruitur. Potest enim homo lapide frangi, igne exuri, aqua extingui, per corruptum aerem infici & corrumpi. *Item* C magnæ fragilitatis est homo, quia punctura vnius acus eum occidit, vel accessio vnius febris. Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Punctus iste est aculeus mortis, vt dicitur vulgariter. Per vnum punctum perdidit Martinus asinam suam; id est homo ad punctum mortis, corpus suum. Propter hoc hortatur Sapiens Ecc. 5. *Ne tardes conuerti, ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim venit ira illius &c.* Et Dominus Apoc. 3. *Si non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te,* & Matth. 24. *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Debet ergo quilibet esse paratus omni hora, quasi nunc esset absque dubio moriturus. Propterea nempe voluit D Deus finem nostrum nobis esse incertum, vt dum incerti sumus qua die vel hora vel quomodo moriamur, semper ad mortem parati inueniri sollicite studeamus.

Oportet multis modis ad mortem nos esse paratos. DEBEMVS autem ad mortem esse parati multipliciter. *Primo* sicut boni prouisores, ad necessaria, id est merita congregandum. Sicut dispensatores ad rationem domino suo reddendum. Sicut strenui bellatores ad nos & nostra defendendum. Sicut fideles serui ad Aduentum Domini expectandum. Sicut sponsæ dilectæ ad nuptias properantes.

1. *Tanquam boni prouisores colligendo fructum bonorum operũ.* DEBEMVS inquam esse parati sicut prouidi mercatores qui præparant merces ad nundinas profecturi. Et sicut prudentes œconomi qui prouident sibi necessaria pro victu suo, & familiæ suæ. Videmus enim quod homines in messe mane surgunt, instanter colligunt, nec ante noctem dimittunt: sic debet quisque fidelis E congregare manipulos meritorum. Sicut ait Sapiens Prouerb. 10. *Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autẽ stertit in æstate filius cõfusionis.* Idẽ Prou. 6. *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, præparat in æstate cibum sibi & congregat in melle quod comedat.* Vide quod homines sapientes prouident sibi necessaria pro anno, eo tempore quo possunt sibi conuenientius & vtilius prouidere; aliquando pro vno solo mense. Pauperes vero qui non possunt ad longum tempus sibi prouidere, saltem pro septimana prouident sibi. Diuites etiam quando volunt facere magnum festum, per multos dies ante, prouident quæ necessaria sunt ad festum. Quanto magis deberent sibi merita congregare non pro die, mense, vel anno, sed pro vita æterna. Etsi mundani solliciti sunt de thesauris pecuniæ congregandis, quanto magis quisque fidelis deberet esse sollicitus de thesauris spiritualibus acquirendis. Sicut docet Saluator. Matth. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Ad hoc exhortans Barlaam tale ponit exemplum. *In ciuitate* quadam mos fuit quolibet anno vnum sibi principem instituere, quem in fine anni nudare, & in exilium mittere consueuit. Sapiens autem quidam & prouidens, electus in principem, & legem audiens, bona sua transmisit ad exilium; ad quod veniens, finito tempore principatus, inuenit sufficientia sibi, ita quod bonis omnibus abundauit.

Exemplum.

2. *Tanquã serui reddituri Domino rationem.* ITEM debemus esse parati ad mortem, sicut serui reddituri Domino suo rationem de receptis pecunijs, & aliis bonis domini sui. De seruitiis omissis, & de transgressionibus commissis, & de temporis aliarumque rerum abusu, & de lucris temporalibus augmentandis. Tales præ sollicitudine rogitant, vigilant, scribunt singula, de quibus reddituri sunt rationem; ne si deficiant minus fideles reputentur, confusionem habeant, ac etiam puniantur. Vnde Saluator Matth. 25. *Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua &c. Post multum vero temporis, venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Ibi nota quomodo boni remunerati sunt, seruus vero malus & piger reprobatus. Et Luc. 16. *Paterfamilias vocauit villicum dicens ei. Redde rationem villicationis tuæ.* Ibi nota quomodo prouidit sibi, & laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet; non quia iniquitatem approbet Dominus, sed illius prouidentiam, quam pro se habuerat, commendauit. Vnde subdit. *Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

3. *Tanquã boni & strenui bellatores.* ITEM debemus esse parati, sicut boni & strenui bellatores, qui in iugi pugna sumus cum multis hostibus fortibus & malignis. Aduerte quomodo obsessi in castro abstinent, vigilant, circunspicientes cauent pericula, castrum circumeunt, ruinas resarciunt, infirmiora defendunt; & semper timentes, semper solliciti, vix audent comedere, vix dormire. Etsi semper habeamus pugnare cum multis, sicut ait Apostolus Eph. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potentes,* &c. imminente tamen morte, longe prauior & periculosior instat pugna. Tunc namque hostes maligni totas exerceunt vires suas, quantum permittuntur à Deo, scientes quia modicum tempus habent, & si illa hora perdiderint hominem, alias recuperare non poterunt. Si vero lucrati fuerint, in perpetuum non amittent.

4. *Tanquã ministri suum dominũ expectantes.* ITEM debemus esse parati sicut ministri suum Dominum expectantes: sicut ait Dominus Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs.* In renibus accinctis castitas, in lucernis ardentibus ardor charitatis & splendor bonorum operum designatur. In expectatione Domini venientis à nuptiis intelligitur expectatio mortis; in qua Dominus de cœlo, quasi de palatio festiuali & thalamo nuptiali veniens, visitat amicos suos in morte. Cui curialiter venienti, & per ægritudines pulsanti ad ostium nostrum, mortemque proximam nuncianti, debemus esse parati per consensum cordis, ostium aperire; vt de carcere, id est de corpore mortis huius, nos educens, & cum gaudio nos deducens, ad gaudia sempiterna perducat.

5. *Tanquã sponsa ad nuptias profecturæ.* ITEM debemus esse parati ad mortem, sicut sponsæ ad nuptias profecturæ, quæ se parant vt placeant sponsis suis. Vnde Apoc. 19. dicitur; *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se.* Et Matth. 5. *Venit spon-*

sus,

ſus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua; fatuis, ſcilicet nouiſſimè venientibus, & congruo, id eſt mortis tempore non paratis. Ideo ait Dominus Luc. 12. *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.*

Mors ab omnibus tam bonis quam malis formidanda.

Considerемvs etiam mortis præſentiam cunctis mentibus formidandam, tam bonis quam malis. Quod enim malis timenda ſit mors, docet Pſalm. 33. dicens. *Mors peccatorum peſſima*, vere peſſima. Mala, quia in morte eis omnia delectabilia auferuntur. Peior quia omnia triſtabilia infliguntur. Peſſima, quia nulla ſolatia vel remedia conceduntur, ſicut patet de diuite Epulone Luc. 16. Ad maiorem deſolationem aliquorum morientium impiorum oſtendit eis Deus pœnas infernales, aut exitum ex hac vita, ſicut patet per exempla aliqua ſupra ſcripta. Cum autem quadruplex ſit mors ſecundum Auguſtin. videlicet mors corporis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore. Et mors animæ, quæ eſt ſeparatio Dei ab anima per peccatum. Et mors animæ poſt hanc vitam, ſcilicet pœna ipſius ſolius ante iudicium, qualis fuit pœna diuitis Epulonis. Et mors quarta, quæ eſt pœna corporis & animæ ſimul in inferno poſt iudicium. Si mors corporis eſt adeo metuenda vt dictum eſt, quæ tamen non eſt niſi vmbra mortis, ſicut Gregor. ſuper illo verbo Iob 13. *Producit in lucem vmbram mortis.* (Dicitur etiam ſomnus, ſicut dicit Gregor. ſuper illo verbo Iob. 14. *Nec conſurget de ſomno ſuo*) Quanto magis aliæ mortes timendę ſunt, in quibus omnibus Deus ab anima ſeparatur. Quanto ergo Deus melior eſt anima, tanto deterior eſt ſeparatio animæ à Deo, quam animæ à corpore. Præterea mors animæ ſolius in inferno ante iudicium, vel animæ cum corpore poſt iudicium (quarum vtraque dicitur mors ſecunda) ſunt incomparabiliter plus metuendæ, ſicut docet Auguſtin. ſic dicens. *Prima mors*, ſcilicet corporis, *Animam nolentem pellit de corpore, ſecunda animam nolentem tenet in corpore. Et ideo ſempiterna mors, quando nec anima viuere poterit Deum non habendo, nec doloribus carere corporis moriendo: nec anima ibi viuere dicenda eſt, quæ à vita Dei alienata erit; nec corpus, quod æternis doloribus ſubiacebit; ac per hoc durior, quia finiri morte non poterit.* Ob hoc autem præcipuè prima mors eſt timenda, quia ex ea fit tranſitus ad ſecundam.

Mors quadruplex.

Item alia prima, alia ſecunda.

B

C

D

Mors à iuſtis timenda.

Non ſolum autem malis & impijs eſt timenda, ſed etiam iuſtis, ſicut oſtendit Gregor. in Mor. ſuper illo verbo Iob. 33. *Hæc operatur tribus vicibus:* vbi loquens de timore electorum in morte ait; *Cum de omnibus ſemper diuina iudicia pertimeſcant, tunc tamen vehementer metuunt, cum ad ſoluendum humanæ conditionis debitum, veniente diſtricto iudice, propinquare fecerunt; & ſit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Conſiderandum enim quia nec hoc quidem ſine aliquo reatu eſt quod laudabiliter geſſimus, ſi remota pietate iudicemur.* Ideo Dauid dicit Pſalm. 142. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine.* Et Iacob. 1. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioh. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus.* Et merito debet quiſque timere. Tum propter defectuum & peccatorum multitudinem. Tum etiam quia multa latere poſſunt in conſcientia, quorum memoriam vel notitiam non habemus, vnde Paulus 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Tum tertio quia quædam forte grauiora ſunt, quam putemus. Tum quarto quia eorum remiſſionem per gratiam ignoramus. Tum quinto propter bonorum noſtrorum impuritatem. Nam ſicut dicitur Iſa. 64. *Quaſi pannus menſtruatæ, omnes iuſtitiæ noſtræ.* Et Iob 9. *Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me.* Mala enim noſtra pura ſunt mala, ſed bona non ſunt pura bona, ſed multis impuritatibus ſunt admixta, propter quod ait Gregor. *Væ laudabili vitæ hominum, ſi remota pietate iudicetur, quia vnde ante oculos iudicis ſe placere ſuſpicatur, obruitur.*

Iuſti mortem timent propter multa.

E

Timenda mors ob inflexibilē iudicis æquitatem, & dæmonum tunc inſidiātium fraudulentiam.

Præterea timere debet homo propter inflexibilem æterni iudicis æquitatem, quia neſcit homo quam diſtrictè iudicat, & quam ſeuere. Prou. 6. *Zelus & furor viri, non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Tum etiam propter hoſtium malignorum tunc inſidiantium fraudulentiam & infeſtationem proteruam, vnde Bernard. ait. *Oſtium noſtrum maligni ſpiritus obſident, & aduentum noſtrum illæ horrendæ effigies præſtolantur. Ideo formido exire, & in ipſo contremiſco portus ingreſſu, dum non confido prope aſſiſtere qui excipiat exeuntem. Secure enim non exeo, ſi non Dominus ipſe cuſtodiat exitum meum. Heu ego ludibrio dæmonum intercipientium me, non aſſiſtente qui redimat, neque qui ſaluum faciat.*

Exempla.

In vita eiuſdem dicitur, quod cum infirmaretur, & extremum trahere ſpiritum videretur, ſatan aſtitit ei improbis accuſationibus eum pulſans. Sed vir Dei imperterritus reſpondit; *Fateor non ſum dignus, nec poſſum regnum cœlorum proprijs meritis obtinere. Cæterum duplici iure illud obtinet Dominus meus Ieſus Chriſtus. ſ. hæreditario iure patris, & merito paſſionis: alierū horū mihi donabit, ex cuius dono illud mihi iure vendicans, non confundor.* Hoc dicto, malignus hoſtis abſceſſit. *Item* beato Martino legitur aſtitiſſe, vt eum in extremis poſitum tentaret. Cui vir Dei dixiſſe refertur. *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in meſuneſte reperies. De beato* quoque Hylarione legimus quod moriens, & animæ ſuæ loquens, dicebat. *Anima Chriſtiana quid dubitas, 70. annis ſeruiſti Chriſto, & mori times?*

Exempla.

In vitis etiam patrum inuenimus ſanctos Patres hora mortis multum timuiſſe. Vnde dicebat Abbas Helias. Tres res timeo. Vna eſt quando anima egreſſura eſt à corpore. Alia quando ſum occurſurus Deo. Tertia quando aduerſum me erit ſententia proferenda. *Et de Abbate* Agathone dicitur, quod cum moriturus eſſet, per tres dies manſit immobilis, apertos tenens oculos. Ad quem fratres. Abba vbi es? Qui reſpondit, in conſpectu diuini iudicij aſſiſto. Et illi. Et tu times? Et ille. Laboraui virtute qua potui, in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed & homo ſum, neſcio ſi placuerunt opera mea coram Deo, quia aliter ſunt iudicia hominum, aliter Dei; nec præſumo, niſi venero ante Deum. *De beato* etiam Auguſtino legimus, quod ante proximum diem obitus ſui, libros à ſe dictatos & editos recenſuit, & quicquid in eis minus bene inuenit, correxit. Iuſſit autem pſalmos pœnitentiales affigi in pariete, quos attente reſpiciens & legens, vbertim flebat iugiter. & ne eius intentio impediretur ab aliquo, ante decem dies ferme quam exiret de corpore, poſtulauit ne quis ingrederetur ad eum, niſi tantum horis quibus intrabant medici, vel cum ei refectio inferretur. Si ergo mortis tempore timuerunt ſancti, ſicut oſtenſum eſt, quomodo nos miſeri peccatores non multo plus timere debemus? Vnde bene ait Gregorius in Mor. ſuper illo verbo Iob 26. *Columnæ cæli contremiſcent aduentum eius. Quid facient tabulæ, ſi tremunt columnæ? aut quomodo arbuſta immobilia ſtabunt, ſi huius pauoris turbine cæli etiam quatiuntur?* Denique ſuper illud Tob. 6. *Exiuit ad deuorandum eum*, dicit Glo. *Domino in cruce paſſo, diabolus, quo mouente crucifixus erat, aduenit, quærens ſi quid peccati in eo forſitan inueniret.* Quis ergo tunc poterit aut debebit eſſe ſecurus, ſi ad mortem eius qui eſſentialiter bonus eſt, qui ſua morte benedicta mortem noſtram deſtruxit, aduenire præſumpſit.

Mors ab omnibus metuēda, quia poſt mortem nullus ſupereſt meriēdi locus: nec eſt facultas ad corpus reuertendi aut aliter de rebus ſuis diſponendi.

Prædictis rationibus adde quod mors eſt omnibus metuenda, quia poſt mortem non eſt facultas meritum acquirendi. Sicut dicitur Ecc. 9. *Viuentes ſciunt ſe eſſe morituros*, corporaliter, ſcilicet & etiam æternaliter, niſi ſibi caueant & abſtineant à peccatis: *mortui autem nihil nouerunt amplius*, ſcilicet proficuum ad ſalutem; *nec habent vltra mercedem*, quam ſcilicet poſſint poſt mortem acquirere, quia tunc nihil poſſunt meritorium operari. *Item* poſt non eſt poteſtas ad corpus vel

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſeculum reuertendi. Dicitur enim Sap. 2. *Non eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis*, & Iob. 14. *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant. Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, vbi quæſo eſt? quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat, ſic homo cum dormierit non reſurget*: ſupple ad vitam illam mortalem, quia ſcio quod reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Non reſurgent etiã, quantum eſt de lege communi, & hoc dico, quia multos ſcimus miraculoſe corporaliter ſuſcitatos. *Item* poſt mortem non eſt poteſtas de rebus ſuis aliter diſponendi, & ideo ſi teſtamentum ſuum homo non condidit, ſi debita non reddidit, ſi forefacta non emendauit, ſi male acquiſita non reſtituit, nec de mammona B iniquitatis amicos ſibi fecit, nec bona ſua pauperibus erogauit, non reuertetur amplius ad prædicta faciendum. Ideo dictum eſt Ezechiæ: *Diſpone domui tuæ quia morieris tu & non viues*, Iſa. 38. Et Eccl. 11. *Eſt qui locupletatur parte agendo, & hæc pars mercedis eius in eo quod dicit; inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus; & neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis & moriatur.* Ideo bene dicitur Prou. 11. *Mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes*, ſcilicet pœnitendi, pœnitentiam agendi, merendi, reuertendi, vel rebus ſuis aliter diſponendi. Declaratum eſt igitur quod mors eſt cunctis hominibus metuenda.

Hoc autem aduertendum eſt, quod ſicut dicit B. Greg. 4. Dial. *Plerumque de culpis minimis ipſe ſolus pauor egredientes animas iuſtorum purgat*, ſicut narrat ibi de quodam viro ſancto, qui veniens ad mortem vehementer expauit, ſed poſt mortem diſcipulis ſuis in candida ſtola apparuit, & quam præclare ſuſceptus fuerit indicauit. Nonnunquam vero omnipotens Deus, trepidantium mentes, quibuſdam prius reuelationibus reparat, vt in morte minime pertimeſcant; ſicut ibidem declarat Greg. per exempla.

Mors eſſe patienter tolerãda.

CONSIDEREMVS denique mortis preſentiam modis omnibus tollerandam. Cum enim nobis inſit neceſſitas moriendi, faciamus de neceſſitate virtutem, & dum tributum naturæ perſoluimus, apud Deum meritum acquiramus. Velis nolis neceſſario morieris, ſed ſi voluntatem tuam diuinæ conformare volueris, & pœnales anguſtias leuius ſuſtinebis, & pacem conſcientiæ obtinens, purgatorium tuum facies hic in mundo; ſoluendo videlicet pœnas debitas pro peccatis, ac inſuper D æternæ vitæ brauium aſſequeris. Nonne latro pendens iuxta Dominum filius mortis erat, & pœnas iuſtè pro ſceleribus ſuis luebat, & tamen quia voluntariè ſuſtinens pœnas inflictas peccatis ſuis impoſuit, non tantũ veniam impetrauit, ſed & triumphalem gloriam martyrij reportauit. Ipſum enim martyrem eſſe, aſſerit doctor egregius Aug. Certum eſt quod moriemur: cur ergo murmuramus? prorſus eadem mihi videtur ſtultitia, dolere quia non vixeris antequam ipſe vixiſti, & quia non viues poſtquam vixiſſe deſieris: paria ſunt hæc, nec in tua poſita poteſtate. Tolerat Chriſtus mortem, tolerant martyres; ex quibus vnus qui Chriſtum non audierat incarnatum, ait 2. Mach. 6. *Tu Domine qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſte tu ſcis quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Chriſtum & martyres reuoluas animo; & quicquid in E carne toleras, leuius eſſe credas eorum tormentis. Quid ſi moriaris in terra propria vel etiam aliena, cum omne ſolum forti ſit patria; niſi quod in propria moriens plus conſolationis habeas temporalis, ſed in aliena cæteris paribus amplius ſpiritualis? Quid ſiue iuuenis ſiue ſenex, cum numerus annorum nec miſerum faciat nec beatum? Nonne mors eſt humani generis terminus, non ſcopulus in quem impingas, ſed portus quem libenter attingas, ad quem ſi quis infra primos annos applicuerit, non querimoniam agat quaſi minus vixerit, ſed gaudeat quia citius nauigauit.

De differentia morientium.

DISTINCTIO V.

QVIA ſuperius dictum eſt mortem omnibus eſſe timendam, cuius contrarium verum eſſe videtur, cum aliqui mortem legantur & inueniantur optaſſe. Sciendum eſt quod impij cum anguſtia, iuſti cum ſpei fiducia, perfecti vero cum lætitia moriuntur. Ideo primi mortem vehementer abhorrent. Secundi patienter tolerant. Tertij feruenter deſiderant. Impij debent mortem non ſolum metuere ſed horrere, ſicut patet ex dictis ſupra de mortis anguſtia propter timorem damnationis. Et merito debent horrere, cum eis dicat Sapiens. Eccleſiaſt. 41. *Væ vobis viri impij qui dereliquiſtis legem altiſſimi, quia ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra.* Maledicti ergo ſunt in vita pariter & in morte, ſed longe peius eſt ipſis in morte quam in vita. Quia ſicut dicitur Eccl. 10. *Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes beſtias & vermes.* Serpentes ſunt filij & nepotes imitatores ſcelerum paternorum, quia de venenatis parentibus venenati filij generantur. Vnde beatus Ioannes Baptiſta ait Luc. 14. *Genimina viperarum, quis oſtendit vos fugere à ventura ira?* Et Pſalm. 62. ait de impijs, *Introibunt in inferiora terræ*, id C eſt, in infernum, *Partes vulpium erunt*, id eſt temporalia bona cedent in partes vulpium, id eſt hæredum malitioſorum & fætentium. Et aduerte quod vulpeculę cum parentes eis prædam attulerint, pugnant ad inuicem dentibus, & vnguibus mordent & lacerant ſe mutuo, quę prius antequam prædam haberent diuidere, colludebant & ſtabant in pace. Per beſtias intelligite dæmones, qui animam rapiunt. Vermes ad literam cadauer deuorant & corrodunt. Et ſic bona impiorum in tres partes diuiduntur in morte, anima dæmonibus, cadauer vermibus, & temporalia bona vulpibus, id eſt hæredibus aſſignantur. Non eſt ergo mirum ſi cum anguſtia moriuntur qui de temporali ad perpetuam pertrahuntur.

Impij merito mortem horrent quod moriuntur cũ anguſtia.

Bona impiorum in tres partes diuiduntur in morte.

MORIVNTVR iuſti cum fiducia, quoniam etſi morientes conſiderant multitudinem peccatorum & paucitatem meritorum, omnino tamen expedit quod in illa hora ſumant fiduciam, qua malignus hoſtis ad deſperationis abyſſum conatur eos pertrahere; conſiderando ſuffragia ſanctorum pro eis intercedentium, preſidium Angelorum morituris aſſiſtentium, theſaurum Chriſti pro ſuis tempore neceſſitatis expoſitum, & immenſam diuinæ pietatis abyſſum. Exemplo beati Bernardi qui in extremis agens, diabolo aſſiſtenti & improbe accuſanti, reſpondiſſe fertur. *Fateor non ſum dignus &c.* vt ſupra diſt. 4. Vnde dicit Sapiens Prouer. 14. *Sperat iuſtus in morte ſua.* Licet enim fidelis quilibet ante mortem plus debeat timere quam confidere, & in ipſa mortis hora præcipuè formidare propter rationes ſuperius aſſignatas; & ſic inter ſpem ambulet & timorem: neceſſe tamen eſt vt illa hora vltima, ſpiritus aſſumpta fiducia, ne deficiat roboretur. Multa enim ſunt quæ tunc ad interitum & deſperationis barathrum pertrahunt deſolatum, Ideo talem ſic depreſſum mæſtitia, per ſpei conſolationem ſubleuare conatur Sapiens Eccleſiaſt. 41. *Noli metuere iudicium mortis.* Quis enim fiduciam ſpei non aſſumat, ſi deuota mente recogitet, quod immenſa Dei pietas, Petrum poſt trinam negationem, paſtorem Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti fecit: Paulum perſecutorem miſericordiam conſecutum, doctorem gentium & lumen orbis effecit: Matthęum thelonarium, Apoſtolum & Euangeliſtam inſtituit: Publicanum orantem iuſtificauit: Zacheum hoſpitẽ Chriſti facere non contẽpſit: Euangelicã peccatricẽ, ſpecioſiſſimã Chriſto reddidit:

Iuſti moriũtur cum fiducia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Filium prodigum, consumpta substantia & libidine consummata, reuertentem recepit: Dauid post adulterium & homicidiú, eximium prophetarum constituit Manassen post tam cruenta flagitia, reduxit in regnum suum: Et Niniuem ciuitatem à subuersione saluauit. Ipse enim qui diues est in misericordia, cuius misericordiæ non est numerus neque finis, cui proprium est misereri semper & parcere, nulli vnquam misericordiam suam denegat, fideli mente petenti, sicut ipse per prophetam suum proclamat. *Quãcunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Hoc exemplum clarissimum luculenter apparet in latrone euangelico, cui Christum confitenti ipsa hora promisit & contulit paradisum.

Perfecti moriuntur cum latitia.

MORIVNTVR perfecti cum lætitia. Ait enim Apostolus Philipen. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Sane perfectis est mori lucrum, quia de labore transeunt ad quietem, de vilitate ad gloriam, de paupertate ad regnum, de timore ad securitatem, de dolore ad gaudium, de morte ad vitam. Ideo bene dicitur Eccl. 41. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti.* De muliere sancta dicitur Prouerb. 31. *Ridebit in die nouissimo.* Deus enim totius consolationis, sanctis suis agonizantibus multas consolationes immittit, & salutis suæ reuelationes ostendit aliis iustis assistentibus, & plerunque etiam in remotis agentibus glorificationis eorum signa demonstrat: sicut B. Greg ostendit per multa exempla, 4. dial.

Quatuor reddunt iustis mortem desiderabilem.

CONSIDERANDVM est autem, quod etsi mors viris iustis formidanda sit multiplici ratione, sicut est superius declaratum, tamen timorem istum vincunt & pœnę euacuant quatuor, propter quæ mors eis redditur magis desiderabilis quam timenda; videlicet timor transgressionis, dolor afflictionis, feruor emulationis, dulcor prægustationis. *Primum* ergo propter quod mors desideratur à iustis est timor transgressionis, qui timor continuè sollicitat animam viri iusti, sicut pulchrè docet Apostolus Rom. 7. *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonum; nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: inuenio enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Et ideo exclamat idem Apostolus personam cuiuslibet nostrûm in se exprimens, cum dixit. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et sapiens Eccl. 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis.* *Melior* id est certior, ait Hieronym. *quia in morte patet qualis fuit qui moritur, sed in natiuitate nescitur qualis erit qui nascitur, bonus scilicet vel malus, damnandus finaliter vel saluandus.* Infinita sunt pericula inter quæ iugiter ambulamus. Quid nos inter dæmonum laqueos, hominum gladios, carnis motus illicitos remanere delectat? Vbi quotidie mundus labitur, reatus augetur, virtus minuitur, corpus multis pœnis & laboribus & mortis doloribus subiugatur. Ruinosum est domicilium corporis in quo viuimus, procellosum est mundi pelagus intra quod currimus, periculosum est quicquid terrenum diligimus; quæ omnia nobis suadent, vt de tot periculis non inuiti, sed alacres exeamus. Quia semper in periculis victitamus, & semper est status noster dubius & incertus, ideo dicitur Eccl. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*, Glos. *Stultum est laudare pugnantem, quasi iam victorem.* Et beatus Ambrosius, *Illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio vocet, nec laudatum tentat elatio.* Lauda ergo, sed prius periculum prædica securum; lauda nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenit ad portum; lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis enim viuens tuto possit & sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere quod doleat, & de futuro videt sibi superesse quod timeat? Quis etiam in hoc corpusculo positus debeat sibi quicquam vendicare de meritis, quorum iter vitæ occulta dæmonum infestatio, velut latronum obsidet multitudo; quibus per omnes vias supplantatores inuisi, animarum laqueos tendunt, innumerabilium mortibus expaueſcendos. Nauigantibus enim nobis per hoc mare magnum & spacioſum, in quo reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla & magna, id est, diuersa inimicorum genera, nobis valde pertimescendum est, ne nauem nostram aut procella tempestatis arripiat, aut fluctus absorbeat, aut in æternam prædam pyrata crudelis abducat.

1. Timor trãsgressionis.

SECVNDVM propter quod mors desideratur à iustis, est dolor afflictionis. Innumeris enim modis eueniunt infirmitates, sollicitudines, anxietates, persecutiones, tedia, & huiusmodi; quæ adeo cruciant, molestant, & viri iusti animum inquietant, vt magis desideret mori quam viuere, sicut patet in beato Iob; qui postquam facultates, liberos, & corporis sanitatem amiserat, ab vxore & amicis multipliciter molestatus, obiurgatus, linguarum gladijs transfossus mentaliter, plus vellet mori quàm viuere. Similiter Tobias qui à Domino cæcitate percussus, & postmodum vxoris obiurgationibus molestatus, dixit. *Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quàm viuere.* Et perfectissimus virorum Apostolus dixit, 2. Corint. 1. *Supra modum grauati sumus super virtutem, ita vt tederet nos etiam viuere, sed & ipsi in nobis responsum mortis habuimus vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos.* Si igitur viri perfecti præ tædijs & grauaminibus mortem desiderant, & vitam odiunt temporalem; quid facient peccatores, viri mulierbres & tepidi; debiles, imperfecti, qui à peccatoribus huius mundi molestantur, opprimuntur, spoliantur bonis suis, grauantur angariis, & iniustis calumnijs infestantur. Ex alia parte damna rerum inferunt latrones, incendia, erugines & vermes, niues, & glacies, inundationes aquarum, ardores solis, fulgura, tempestates. Ex alia parte languores & infirmitates innumeræ, corpus proprium affligentes; mortes etiam liberorum, parentum, aliorumque charorum animos eorum transuerberant, & penè tam hęc quam omnia supradicta, in foueam desperationis inducunt. Propter quod bene dicit Sapien. Eccl. 30. *Melior est mors quam vita amara.* Non autem sine causa Deus omnipotens præsentem vitam tantis malis impleuit, sed secundum altitudinem sapientiæ suæ misericorditer ordinauit, vt per temporalia mala quæ patimur, & purgemur à peccatis præteritis, & caueamus diligentius à futuris; retundatur nostra superbia, negligentia seu vecordia propellatur, humilientur corda, & merita augeantur; immo compellamur mundum contemnere, vitam caducam non diligere discamus; animos ad Deum, mentesque & desideria subleuare, vitamque gloriosam totis præcordiis præoptare.

2. Dolor afflictionis.

TERTIVM propter quod iusti mortem desiderant, est feruor æmulationis. Considerantes namque viri iusti omnia mala quæ sub sole geruntur, quod videlicet multiplicantur peccata, regnat iniustitia, veritãs conculcatur, dehonoratur Deus, animæ damnantur, pauperes opprimuntur, iusti despiciuntur, & impij dominantur; dolent, gemunt, & dolore tabescunt, mori quam viuere prędoptantes. Vnde vnus eorum Matathias dixit. 1. Mach. 2. *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic cum datur in manus inimicorum. &c.* Item Hieron. 20. *Maledicta dies in qua natus &c.* Et Psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Idem 118. *Defectio tenuit me propeccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Idem ibidem. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Item 3. Reg. 19. *Helyas petijt animę suæ, vt moreretur, & ait. Sufficit mihi Domine, tolle animã meam.* Sequitur. *Zelo zelatus sũ pro Domino Deo exercituũ &c.* Deniq; ait Sap. Ecc. 4. *vidi calũnias*, id est falsas accusationes, & iniquas ligationes, *quæ sub sole geruntur, lachrymas, innocentium*

3. Feruor æmulationis.

centium, pro calumnijs & opressionibus iniquorum, & neminem consolatorem oppressorum, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Sequitur. Et laudaui magis mortuos quam viuentes.

4. Dulcor præguſtationis.

QVARTVM propter quod iusti mortem desiderant, est dulcor præguſtationis. Sancti namque qui illius cęlesti gloriæ dulcedinis vel modicum gustauerunt, omnia terrena fastidiunt, mundi delitias abhorrent, etiam ipsam vitam despiciunt, ac ad abyssum dulcedinis totis præcordiis aspirant. Sicut vnus eorum de seipso testatur dicens Psalm. 41. *Quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. &c.* Idem. Psal. 83. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Idem. Psal. 119. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. &c.* Et Apostolus Phil. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Sequitur. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* Et sapiens ait Eccles. 41. *O mors bonum est iudicium tuum. &c.* Sanctis profecto bonum est iudicium mortis, quia mors non est aliud quam exitus de carcere, finis exilij, laborum consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis terminus, grauissimi oneris, id est corporis depositio, de domo ruinosa liberatio, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio, debiti naturæ solutio, reditus ad patriam, ingressus ad gloriam. Ad quam nos perducat Dominus Iesus Christus, qui viuit & regnat &c.

De morte subita.

DISTINCTIO VI.

Deus inflixit mortem subitam ob peccatū inobedientiæ & alia quod arguit illa esse grauissima.

QVONIAM mors subita periculosa nimis est & horrenda, constat illud peccatum esse grauissimum, & summopere detestandum, propter quod Deus homini mortem subitam legitur inflixisse. Inuenimus autem hanc inflictam esse propter peccatum inobedientiæ, sicut exemplum habemus Leui. 10. *Arreptisque Nadab & Abiu filijs Aaron thuribulis suis, imposuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum:* quod eis præceptum non fuerat, immo prohibitum: D *Egressusque ignis à Domino deuorauit eos; Et mortui sunt coram Domino.* Hiero. *Ignem alienum accendit, qui temporalis cupiditatis, vel torpore voluntatis, ignem in sacrario cordis nutriens, audet altaribus Domini propinquare, quæ non recipiunt accessionem, nisi ignis quem Dominus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi.* Luc. 12.

Secundū propter quod mortē subitā inflixit fuit peccatum murmurationis.

SECVNDO propter peccatum murmuris & impatiētiæ. Sicut scriptum est Numeri 11. *Ortum est murmur populi contra Dominum, quasi dolentium pro labore.* Sequitur. *Accensus in eos ignis Domini, deuorauit extremam castrorum partem.* Item Nume. 16. *Murmurauit vniuersa multitudo filiorum Israel contra Moysem & Aaron,* dicens *Vos interfecistis populum Domini.* Sequitur. *Stans Aaron inter mortuos & viuentes,* quos scilicet vastabat incendium, *pro populo deprecatus est. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum & septingenti.*

Tertiū fuit peccatum irreuerentiæ circa diuina.

TERTIO propter peccatum irreuerentiæ circa diuina. Puniebat enim Dominus illos tali morte, qui vasa sanctuarij contrectabāt indignè, vel etiam quod maius est, qui ex curiositate spectabant. De indigno contactu habemus inhibitionem expressam Numer. 4. vbi ait Dominus. *Non tangant vasa sanctuarij ne moriantur,* scilicet filij Caath. Vnde quia Oza licet esset sacerdos, temere plaustrum tetigit, in quo erat arca Domini, percussit eum Dominus. 1. Reg. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Domini, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque Dominus contra Ozam, percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi.* Greg. *Sacerdos qui temere arcam tetigit, reatum sui ausus immatura morte purgauit.* Vbi intuendum est quantum delinquat qui ad corpus Domini reus accedit, si ille morte mulctatur, qui arcam Domini corporis figuram, minori quàm debuit veneratione attrectauit. De curioso aspectu dedit Dominus inhibitionem expressam, Numer. 4. dicens. *Aaron & filij eius intrabunt sanctuarium, ipsisque deponent opera singulorum; alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, alioquin morientur,* propter quod percussit Dominus Bethsamitas, sicut dicitur 2. Reg. 6. *Percussit Dominus de viris Bethsamitis, eo quòd vidissent arcam Domini. Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Si ergo tantam reuerentiam requirebat Dominus in ministris veteris testamenti, & tam seuere puniebat indignos, propter illa quæ non erant nisi vmbra & figura sacrosancti corporis Domini Iesu Christi, B quantum munditiam nunc requirit in ministris nouæ legis, qui ipsum sanctum sanctorum verbis consecrāt, manibusque contrectant. Quanta etiam pœna digni sunt, qui indignè & irreuerenter accedunt. Tales enim similes sunt Iudæ pessimo proditori, qui exterius ostēdunt signa dilectionis & pacis, interius autem pleni dolo & fallacia, contumeliam faciunt creatori. Vnde scriptum est, Hebræ. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Bernard. *In multis multipliciter regnat luxuria, qui puritatis auctori impuro corde & corpore ministrantes, non verentur non modo ante Angelum Domini, qui secet eos medios & dispердat, sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Saluatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes pro dolor meretricias attrectarunt: sic altaria circuire, sic frequentare psalmos, cum huiusmodi laus sit execrabilis, & oratio in peccatum.*

Venerabile Sacramentū digne tractandum.

Quartum fuit peccatū seditionis.

QVARTO propter peccatum seditionis. Exemplum manifestum habemus Numeri. 16. De Chore, Dathan, & Abiron, & complicibus eorum, quorum aliquos terra deglutiuit, alios incendium deuorauit. Dicitur enim ibi. *Ecce autem Chore, Dathan, & Abiron surrexerunt contra Moysem: alijque filiorum Israel ducenti quinquaginta.* Sequitur. *Si consueta hominum morte interierit, non me misit Dominus. Confestim ergo vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit eos.* Sequitur. *Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentaquinquaginta viros qui offerebant incensum.*

Quintū fuit peccatū impia oppressionis.

QVINTO propter peccatum impię oppressionis. Exemplum de Ægyptijs, quorum primogenita prius vna nocte & vna hora pariter sunt occisa, sicut dicitur Exo. 12. *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis vsque ad primogenitum captiuæ &c. Ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus.* Postea patres mortui sunt in mari rubro. Exod. 14. *Viderunt filij Israel Ægyptios mortuos super litus maris.*

Sextum fuit peccatū effrenatæ luxuriæ.

SEXTO propter peccatum effrenatæ luxuriæ. Exemplum: de Holoferne, Iudith. 14. & 15. Quem Iudith. dormientem occidit. Item exemplum de effrenata luxuria etiam in coniugio. Tob. 3. *Sara tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodeum occiderat illos.* Ideo timebat Tobias iunior illam ducere in vxorem, sicut dicitur Tob. 6. *Vnde dixit Angelo Raphaeli. Audiui quod tradita est septem viris, & mortui sunt, sed & hoc audiui quod dæmonium occiderit illos.* Exemplum etiam de duobus filijs Iudæ, scilicet Her & Onam, quos percussit Dominus & occidit. Gen. 38.

Septimū fuit voti transgressio.

SEPTIMO propter voti transgressionem. Exemplum Act. 5. De Anania & Saphyra, qui partem de pretio agri sui venditi retinentes, quem tamen Deo deuouerant, subito mortui sunt. Dicitur enim ibi. *Audiens Ananias hæc verba Petri,* scilicet increpantis, *cecidit & expirauit.* Et infra de Saphira. *Confestim cecidit & expirauit. Intrantes autem iuuenes qui veniebant de sepeliendo virum eius, inuenerunt illam mortuam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Octauũ fuit blasphemia.

OCTAVO propter peccatum blasphemiæ. Exemplum 4. Reg. 19. de exercitu Sennacherib: cui inquit Dominus. *Exprobrasti & blasphemasti, & contra quem leuasti manum tuam, & eleuasti oculos tuos contra sanctum Israel, per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino.* Sequitur: *In illa nocte venit Angelus Domini & percussit in castris Assyriorum centum octingintaquinque milia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia cadauera mortuorum.* De illius blasphemia habetur plenius 2. Paralippom. 32.

Nonum fuit desperatio.

NONO propter desperationem. Exemplum Ezech. 11. *Dum prophetarem*, ait Ezechiel, *Phathyas filius Banaye mortuus est.* Hier. *Sunt multi qui peccatorum conscientia, salutem desperant, & dicunt: Ciuitas hæc in qua versamur lebes est, nos autem carnes, & Babyloniæ consumemur, ardore eius scilicet cuius iacula ignita sunt, volentes agere pœnitentiam, & desperantes salutem.* De talibus erat iste Phathyas, immo princeps eorum, sicut dicitur ibidem.

Decimũ fuit peccatũ pusillanimitatis.

DECIMO propter peccatum pusillanimitatis & sõnolentiæ. Exemplum Iudicum 4. de Sysara, qui hostes fugiens, in tanto periculo obdormiuit, soporem morti socians, expirauit. Exemplum de Hysboseth, de quo 2. Reg. 4. *Dormiebat super stratum suum meridie, hostiaria domus obdormuit* &c. Sequitur. *Et percutientes eum Baana & Rachab interfecerunt eum.* De multis alijs percussis & occisis satis legitur in Biblia, in legendis sanctorũ, & vitispatrum, & videmus frequenter in quotidianis exemplis.

Exempla.

IN MIRACVLIS sancti Andreæ legitur, quòd cum quædam mulier interpellaret filium de stupro & nollet consentire, sed adhæreret beato Andreæ. Ipsa accusauit eum apud præpositum. Et cum nollet crimẽ matris reuelare, submergi iubetur in sacco, pro quo orante beato Andrea, mater subito fulgure percussa est. *Item* cum pater sanctæ Barbaræ eam decapitasset, subito à fulgure percussus est. *Item* in passione Simonis & Iudæ legitur, quod cum essent occisi à Pontificibus idolorum, duo magi Zaroen & Arphaxat, qui eis persecutionem intulerunt, cœlo existente sereno, fulguribus cadentibus percussi, in carbones sunt versi, & templũ idolorum trifariam est ipsis fulguribus diuisum. *Item* in passione sancti Alexandri Papæ dicitur, quod cum vellet insurgere contra martyres mortuos Aurelius, virga ignea de cœlo missa cecidit ante eum, & vox ad eum dixit. Accipe præmium meritorum, & in infernum scias te mittendum. Qui furendo & præ doloribus linguam suam manducando, mortuus est. *Item* in passione Timothei & Appolinaris dicitur, quod cum Lampadius decapitasset eos, iaculum igneum de cœlo descendens, dextrum eius humerum perforauit, & statim à diabolo est turpiter occisus. *Item* ignis à domino missus Sodomitas subito concremauit. Gen. 19. *Pluit Deus super Sodomam &c. Item* Leui. 10. *Egressus ignis à Domino deuorauit Nadab & Abiu. Item* Num. 16. *Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros. Item* eodem. *Percussi sunt incendio quatuordecim millia virorum & octingenti &c. Item* 3. Reg. 1. *Et ignis deuorauit duos quinquagenarios missos ad vocandum Helyam.*

Exempla.

ITEM in passione beatæ Catharinæ dicitur, quod illi qui parauerant ei quatuor rotas, quæ puellam dissiparent, ab Angelo rotas dissipante, emisso cœlesti igne, sunt occisi. *Item* non solum mali in bonorum persecutionem igne aut fulgure concremantur, sed etiam frequenter in aqua ex insperato extinguuntur; vt patet de illis qui in diluuio perierunt, & de Pharaone & de exercitu eius. Et de Maxentio in passione beatæ Catharinæ. Qui cum post eius martyrium iret per pontẽ, cum equo corruit & submersus est. *Item* in Septembri in passione beatæ Luciæ & Geminiani dicitur, quod cũ torsisset eos Diocletianus diuersis pœnis, exiens de vrbe per nauigium cum mille trecentis quadraginta sex, omnes in flumine sunt submersi & perempti, eo solo euadente, vt duriori iudicio forsitan puniretur. *Item* in passione beati Iacobi Apostoli, vt dicit Ioannes beleth, milites reginæ cuius palatium petierant discipuli B. Iacobi ad sepeliendum corpus eius, sequentes eosdem discipulos ad perimendum, de ponte cadentes subito sunt submersi.

Exempla.

ITEM multi alij non in igne & aqua perierunt, sed in aere, vt qui præ tristitia & desperatione se suspenderunt, vt Achitophel. 2. Reg. 27. Et Iudas proditor Act. 1. ca. qui laqueo se suspendit. *Item* alij præ desperatione & dolore propriis manibus se peremerunt, vt Saul & seruus eius, 2. Reg. in fine. Et de Põtio Pilato dicitur in decollatione sancti Ioa. Bap. quod accusatus à Iudæis, in opprobrium sui generis mittitur apud Lugdunum in exilium damnandus, vbi vt dicitur damnatus est sic vt nihil comederet. Qui ibidem vbi oriundus fuerat, vt dicitur, præ dolore se occidit. Alij dicunt quod Lugduni est suspendio adiudicatus, & apud Viennam est suspensus. Et ostenditur adhuc ibi in Ecclesia B. Mariæ vncus ferreus, in quo dicitur fuisse suspensus; & ibi prope in monte supra Sanitcha mon in puteo proiectus; vbi quando lapis proijcitur, fumus inde egredi dicitur, de quo tempestas concitatur.

Exempla.

ITEM aliqui à terra sunt absorpti, vt Dathã & Chore &c. Num. 16. *Item* in passione beati Georgij dicitur, quod dum Pontifices idolorum eum duxissent ad tẽplum eorum, vt ibi idolis immolaret; oratione eius ignis descendit de cœlo vorans eos, & terra dehiscens absorbuit eos cum templo. *Item* ibidem dicitur, quod cum Datianus rediret à decollatione eius, igne emisso de cœlo, cum omnibus eius complicibus est deuoratus. *Item* alij sunt à dæmone suffocati subito, vt in passione sanctæ Agnetis dicitur, quod iuuenis volens corrumpere eam à diabolo suffocatur. *Item* in passione sancti Vrbani Papæ dicitur quod cum Carpasius rediret à cæde martyrum, & idolis gratias ageret, arreptus à Diabolo idola blasphemabat, & inuitus Christianos inuictos prædicans, à diabolo suffocatur. *Item* in Augusto in passione Timothei & Apolinaris, & in passione B. Bartholomæi: & in Septembri in passione Euphemiæ virginis; & in Februario in passione Iulianæ virginis, & in multis aliis locis legitur, quomodo ipsi dæmones tormentauerunt & occiderunt tortores bonorum. *Item* alij à Sanctis & Angelis ipsis, ipsi sunt perempti, vt Sodomitæ. Gen. 19. Et Babilonij succedentes fornacem pro tribus pueris. Dan. 3. Et illi de exercitu Sennacherib. Isa. 27.

Exemplum.

ITEM in miraculis assumptionis beatæ Mariæ in tripartita historia legitur, quod sicut vidit sanctus Basilius, qui populum conuocauerat ad Ecclesiam B. Virginis, vt orarent contra minas Iuliani apostatæ; Beata virgo in multitudine sanctorum conquesta est de Iuliano apostata: quærens, quis eam de blasphemo illo vindicaret. Tunc surrexit Mercurius martyr nouus & miles de sepulchro; & assumptis armis suis & equo, quæ adhuc in Ecclesia dicti Basilii seruabantur, cum esset dictus Iulianus cum exercitu suo comminans Christianis; dictus Mercurius per medium exercitum transcurrens, lancea sua transuerberauit illum; qui blasphemando, & sanguinem suum contra Deum ad cœlum proiiciendo, & dicendo, vicisti Galilee, vicisti, mortuus est. Dicitur in Ecclesiastica historia quod de sepulchro eius fætor intolerabilis apud Constantinopolim egrediebatur.

Iusti interdũ morte subita rapiuntur ob bonum illorum.

SCIENDVM est, quod etiam propter aliqua alia peccata Deus quandoque subita in mortẽ inflixit aliquibus, & frequenter infligit: necnon etiam iustis hominibus, licet iusto semper iudicio, sed non semper cognito, ignorata videlicet ratione. Hoc autem indubitanter tenendum est, quod si iustus morte subita rapiatur: talis non solum ei non obstet, verũ etiã nonnunquã prodest. Sicut scriptũ est, Sap. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et sequitur. *Raptus est ne malicia immutaret intellectũ eius, aut ne ficto deciperet animam illius. Alia ratio est*, quia si quid in eo purgandum est,

est, tali morte purgatur. Sicut patet de viro Dei qui missus fuerat ad Ieroboam, 3. Reg. 12. & contra inhibitionem diuinam comedit ibi, falsi prophetæ mendacio circunuentus, cuius inobedientiam purgasse credendum est Deus, cum iussu diuino occidit eum leo, ipsum enim viuum ab inobedientiæ reatu purgandum occidere potuit; quem mortuum, & morte purgatum, tangere non præsumpsit. Et de Oza ait Greg. *Sacerdos qui arcam domini temere tetigit, reatum sui ausus immatura morte purgauit*, vt dictum est supra. *Alia quoque ratio est*, vt omnes homines improuisi timeant inueniri, scientes etiam iustos à morte sic subito præueniri.

Mors subita accidens peccatori non arguit illum esse damnatum, licet parua sit spes pœnitentiæ in tali statu.

SI AVTEM peccatoribus infligatur, non est de eorum salute pœnitus desperandum: nec de ipsorum dānatione temere iudicandum: cum in ipsa mortis hora, possit homo quasi in instanti, id est tempore imperceptibili, pœnitere. Deus autem semper est paratus gratiā suam infundere pœnitenti. Hoc tamen est rarissimum: & valde difficile est, quod peccator nullam habens dispositionem præambulam: immo non solum dispositionem, sed & habitum cōtrarium, & habitudinē repugnantem, & demerita impedientia: subito se disponat. Ideo talis mors peccatoribus est horrenda. Impijs autē quos non pœnituros præuidet Deus, mortem istam infligit; vel quia tot & tanta sunt eorum flagitia, quod nō merentur habere nec tempus, nec gratiam pœnitendi, vel quia præuidet eos si diutius viuerent, semper deteriora facturos, & sic damnationis suę cumulum iugiter adaucturos; vel quia compatitur Deus pauperibus & personis miserabilibus quos opprimunt, & si viuerent, opprimere non cessarent. Nec quenquam permoueat quod in exemplis supra positis, aliqui non subito & in instanti mortui sunt, sed aliqua mora licet breuis temporis interuenit. Quia sicut ait Gregor. super illud Iob 34. *Subito morientur, Quamtumlibet sero de hac vita ruant iniqui, subito & repente tolluntur; quia finem suum cogitando præuidere nesciunt. Subitum autem est homini, quod ante cogitare non potuit. Subito dives ille sublatus est, qui horrea quæ præparauerat deseruit, & inferni locum quem non præuidebat inuenit.*

De morte gratiæ.

DISTINCTIO VII.

POSTQVAM dicta sunt aliqua de morte naturæ ad quam debemus nos pręparare, quia periculosa. Dicendum est de morte gratiæ, quam debemus optare, quia fructuosa. De qua Bernar. ait. *Bona mors quæ vitam non aufert, sed mutat in melius; per quam corpus non cadit, sed anima subleuatur.* Necesse est enim vt in via moriamur vitijs, vt melior sit dies mortis die natiuitatis. Moriamur ergo interim peccato, si viuere desideramus Christo, *quasi morientes*, ait Apostolus. j. Corinth. 6. *& ecce viuimus*. Ad similitudinem autem morte naturali morientium, consideremus in morte spirituali progressum. Moriturus igitur in principio infirmatur & dolet, dolor augmentatur & languet, languor figuratur & pallet. Cum autem amplius inualescit infirmitas, motus destruitur, sensus obtunditur. In morte vero nexus dissoluitur, Spiritus egreditur, corpus mortuum sepelitur, sepultum resoluitur. His 9. gradibus spiritualiter intellectis peccato morimur. Quorum tres primi ad virtutis ingressum, duo medij ad progressum, alij vero vltimi ad statum perfectum animæ referuntur.

Sunt nouem gradus quibus homo spiritualiter moritur peccato.

1. *Infirmatur per attritionem, & dolet per contritionem.*

MORITVRVS ergo spiritualiter infirmatur per attritionem, & dolet per contritionem. Attritionem intelligo quando anima per gratiam gratis datam infirmatur, id est, ab illicitis refrænatur. Contritionem quando per gratiam gratum facientem dolet de peccatis, & corde perfecto compungitur & pœnitet, quæ contritio similitudinem mortis tenet. Peccatum enim quod peccanti dulce fuerat ad momentum, amarum postea pœnitentr conuertitur in lamentum. Et dum eum fœtor culpæ sollicitat, dum conscientiæ dolor instigat, dum pudor offensæ diuinæ cor penetrat, dum horror extremi iudicij inquietat, suspirat & gemit, in spiritu vehementi clamans & dicens. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26. Et illud Psal. 114. *Circundederunt me dolores mortis, & (pro quia) pericula inferni inuenerunt me.* Vel illud Ps. 17. *Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me &c.*

2. *Dolor in desiderii surgit & in dilectionem transit.*

IN secundo gradu dolor corporis per singula membra diffusus ægrum in lectum deijcit & languorem inducit: Sic contritionis dolor in desiderium surgit, & in dilectionem igneſcit Et sicut languor inducitur ex dolore: sic amor gignitur ex contritione. Vnde Can. 4. *Si inueneritis dilectum, annuncietis ei quia amore langueo.* Videas languidum nunc in lecto iacentem, nunc aliquantulum ad surgendum pro viribus enitentem. Nonne sic se habet conuersio pœnitentis dum in eo vices alternat affectio doloris & amoris. Dolor enim deorsum deprimit, quem erigere nititur amor sursum. Nam quanto per amoris impetum collectis viribus conatur erigi, tanto repressus memoria peccatorum cogitur reclinari. Sed bene cum eo agitur, si nec pœnitus prostratus, nec erectus in lecto sedeat, & cum lachrymis gemitibus & suspiriis, gratiam visitantem expectet. Nemo enim ex graui infirmitate resurgens, subito in vigorem pristinum conualescit.

3. *Dilectione inualescente caro maceratur.*

IN tertio gradu pallor nascitur ex languore, sic maceratio carnis ex inualescente dilectione. *Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.* Vnde sponsa decoloratam se clamat ex amore dilecti. Can. 1. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Hoc pallore in ianuis mortis afficimur, dum ex amore Christi caro nostra iugiter maceratur. Vnde Psal. 43. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis:* vt nosipsos Domino in sacrificium offerentes, sicut in holocausto arietum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum, vt placeat ante Deum. Vnde clamat Apostol. Col. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Nam secundum eundem Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Mortificetur igitur caro, vt spiritus viuat. Quia sicut ait Apostolus Petrus. 1. Pet. 4. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Semel mori Domino satis fuit, qui peccatum non fecit, qui vna oblatione sua sufficientissima & superabundantissima, pro omnibus satisfecit. Nos autem peccantes quotidie, peccato mori quotidie debemus. Et quia fomes vel libido carnis radicaliter semper manet, nec semel ita mortificari potest, vt totaliter destruatur semel, ideo carnem non semel, sed continuè mortificare debemus.

4. *Motus tam exterioris operationis quam interioris affectionis destruitur.*

IN quarto gradu motus destruitur. Motus inquam tam exterioris operationis, quàm interioris affectionis. Adeo namque fit homo immobilis ad peccatū, vt nec ipsum operetur, nec in eius imaginatione vel memoria delectetur, vel illius recipiat etiam primum motum. Nam quemadmodum *statutum est hominibus semel mori*, Heb. 11. Sic nos debemus esse semel mortui peccato, vt non vltra reuiuiscamus in eo, scientes quod *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur.* Sequitur. *Ita & vos existimate vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autē Deo.* Glo. *Sicut Christus mortuus est semel, ita peccatum in vobis moriatur semel, vt non oporteat iterari. Et sicut Christus semper viuit, ita semper etiam vos viuatis virtutibus.* Si enim mortui sumus peccato, scilicet per gratiam Dei; quomodo adhuc post tantum beneficium viuemus in illo, & reddemus vires hosti. Cum enim hoc præstiterit gratia vt moreremur peccato, quid aliud facimus si viuimus in eo, nisi vt gratiæ simus ingrati. Vis videre spiritum innouatum, & hominem in virum alterum immutatum: hic est qui non suam sed Domini quęrit

facere

facere voluntatem, carnis mundiciam, cordis amplectitur puritatem, seruat silentium nisi verbum proferat ordinatum, nihil toruum videbit in oculis, nihil inordinatum in gressu, nihil offensiuum in gestu, nihil lasciuum in risu, nihil in auribus quod ad pruriginem pertineat leuitatis, nihil in toto corpore quod prætendat motum aliquem vanitatis.

5. *Sensus per patientiam retunditur.*

In QVINTO gradu sensus obtunditur, & per patientiam velut insensibilis reputatur. Vnde in filio Sunamitis qui mortuus iacebat in lectulo, non erat vox neque sensus. 4. Reg. 4. Sic martyres velut insensibiles effecti, omnia tormentorum genera contemnebant, quasi penitus non sentirent, quia Christum mentaliter recedebant. Sic Apostolus clamat *se configuratum morti Christi, si quo modo pertingat ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Quoniam partes debent congruere suo toti, & membra suo capiti conformari, necesse est formam patientiæ ad nos à Christo capite deriuari. Vnde Christus in crucis patibulo moriens, dorsum suum scissum verberibus, vellicatas genas, faciem specioſi præ filijs hominum sputis illitam hominum immundorum, caput corona spinea sauciatum, latus sanguine rubricatum, manus & pedes clauis confossos, & tanquam agnus mansuetissimus iugulatori suo non respondens; In crucis cathedra patientiam efficaciter docet, verbo pariter & exemplo. *Pater* inquit *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nouum docendi genus, nouus magister assumpsit. Reos excusat, factũ attenuat, & ad patientiam miro modo fideles suos informat. Moyses iniurias suas prosequitur, & lege talionis vlciscitur, & absque vlla miseratione, legis suæ contemptor occiditur. Christus autem gladium in vaginam reponi præcipit, nec fratri permittit irasci, nec racha nec fatue dici: in quibus tribus, iram, conuitium, & contemptum pænitus interdixit. *Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente.* (Iudæos vocat antiquos quos furor vindictę sic freneticos fecerat, sic reddiderat effrænatos, vt pro oculo caput, pro dente vitam expeterent; vnde lex eos ad vindictæ vicissitudinem refrænabat, vt tantum exigerent vltionis, quantum vis furentis intulerat læsionis.) *Ego autem dico vobis*, ait Christus Matth. 6. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Vult Dominus non vitia vitijs vindicari, sed virtutibus superari; & iræ scintillam in ipso principio, ne in furoris incendium prorumpere permittatur, extingui. Si ergo vitia superare volueris, arma patientiæ sume, non furoris. Nonne dominante cholera, febre acrius a stuante, plerumque videmus freneticum fieri ægrotantem? Frendet dentibus, percutit pugno, morsibus impetit obsequentes. sed medicus armatus patientia, non respicit iniurias, morsus sustinet, vt à pœna liberet laborantem. Cum igitur inferentes nobis iniurias laborare freneſi cognoscamus, furentium morbos & morsus, virtute patientiæ superemus, & velut insensibiles facti, quasi mortui taceamus. Exemplo Dauid qui Saul persequenti dicebat: *Quem persequeris Rex Israel, quem persequeris? canem mortuum persequeris & culicem viuum.* Attende quàm signanter loquitur, canis viuus latrat, clamat & mordet, si potest; sed canis mortuus nihil horum facit. Videas aliqua animalia pedibus, vnguibus, dentibus, & cornibus, sese defendere; quædam aliquibus prædictorum; sed verus patiens est velut canis mortuus, aut culex viuus. Idem quoque dicit in Psalm. 43. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*

6. *Nexus affectus cum rebus temporalibus dissoluitur.*

In SEXTO gradu, corporis & animæ nexus dissoluitur, quia subtractis sensibus, velut insensibilis mens effecta, nullis temporalium rerum nexibus, nullius corruptibilis creaturæ vinculis, per affectionem amoris illiciti, detinetur. Vnde Can. 8. dicitur. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Mors naturalis, separat animam à corpore; mors spiritualis, à rei corruptibilis affectione, in hoc gradu separatur anima ab omnibus quibus ante fuerat per affectionem vnita, vt soli sponso inhæreat per amorem, propter quod amor morti merito comparatur. *Dura sicut infernus æmulatio.* Infernus quos recipit, non dimittit. Sicut ergo amor dicitur esse similis morti, propter perfectam separationem, ita dicitur similis inferno, propter perpetuam cum Christo vnionem. *Lampades eius &c.* In lampade lux & ardor. Ardet mens interius deuotione, lucet exterius coram hominibũs opinione. Sic ardet Deo per desiderium, vt luceat foris hominibus ad virtutis exemplum. Dictam separationem mortis proponit Apostolus in seipso dicens: Phil. 1. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.*

7. *Spiritus liber egreditur ad cœlestia meditanda.*

In SEPTIMO gradu, spiritus liber egreditur, quia nullis rei creatæ retinaculis impeditur. In hoc gradu mens ad cœlestia meditanda liberè subleuatur. Facilitèr enim per meditationem in Deum erigitur, qui temporalium affectione non inuiscatur; nec solicitudine distrahitur, nec pondere prægrauatur. Aues suarum leuitate pennarum subleuantur in altum, aut ad cibum quærendum, aut ad laqueos euadendum, aut ad delectabiliter spaciandum. Sic anima ad cœlestia sustollitur, quandoque pro spirituali refectione quærenda. Sic hortatur Apostolus, Col. 3. *Quæ sursum sunt quærite, quę sursum sunt sapite, non quæ super terram, mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* quandoque pro delectatione gustanda: & quandoque pro quietis tranquillitate inuenienda; & plerumque pro tentatione fugienda. Et de vtroque istorum ait Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam: ecce elongaui fugiens, &c.* Solent animalia terrena quibusdam lusibus saltus dare, & corpora sua quantulumcunque in aëra saliendo transcendere: sic & pisces super aquas saliunt, & terminos suæ habitationis excedunt. Sic anima semetipsum debet excedere, & per meditationem ad cœlestia se leuare, vt mundo mortua, viuat in Deo. Vnde Aaron moriturus iubetur in montem ascendere, quia per meditationem debemus ad excelsa transire. Paucorum est in hunc montem ascendere, paucorum vero stare in vertice, sed pauciſſimorum illi morari, & quiescere, propter quod ait, Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Quinimo Psalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in loco sancto tuo?* Ascensus habet difficultatem, status sublimitatem, requies voluptatem. De diuinis siquidem meditari, mentibus inconsuetis ad talia, oculis caligantibus ad cœli luminaria, magnæ est difficultatis. Exerceri tamen in eis, & meditationibus sacris scopare & purgare spiritum, magnę est dignitatis. Quiescere autem & non reuocari ad inferius, magnæ est voluptatis.

Simile.

Discrimen inter cogitationem & meditationem.

NOTABILE autem est quod dicitur, quod Aaron .i. montanus; in supercilio montis Or, moritur. Or interpretatur lumen, quia in vertice montis, luminis, & visionis; mundo, carni, & etiam sibijpsi, moritur vir contemplatiuus. Et aduerte verbum Domini, Aaron inquit colligetur, & morietur ibi. Mens enim quæ per vana desideria spargitur, quæ varijs cogitationibus huc illucque distrahitur, in hoc monte non moritur. Discat igitur mens humana prius ad seipsam intrare, & in se consistere, quatenus in hunc montem possit ascendere. Colligat anima cogitationes suas, vt exurgat in meditationem, meditatio proficiat in contemplationem, contemplatio inducat exultationem, exultatio dilatetur in admirationem, admiratio transeat in alienationem, alienatio terminetur in mortem spiritualem. *Est autem* differentia inter cogitationem & meditationem. Quia cogitatio est improuidus mentis obtutus, ad euagationem pronus. Meditatio aut est prouidus mentis obtutus, circa veritatis inquisitionem vehementius occupatus.

8. *Quies ex meditatione consurgit.*

IN OCTAVO gradu mortuus sepelitur, quia cum per meditationem mens sursum erigitur, pacis serenitas obtinetur, vnaquæque res non quiescit, nisi cum ad

locum proprium peruenerit. Quare cum locus animæ sit Deus, quamdiu amor noster ad multa spargitur, vel ad ima deriuatur, nunquam ad veram pacem perducitur. Ideo dicit Augustinus: *Inquietum est Domine cor nostrum donec requiescat in te.* Ibi ergo sit mens, & hic erit requies. Ibi mortuus sepelitur. Hoc est sepulchrũ quod Ioseph Domino præparauit, in quo Christus mortuus requieuit. Moriturus Moyses montem ascendit, terram promissionis aspicit, in vertice montis Phasgas moritur, sepelitur à Domino, cuius sepulchrum omnibus hominibus est ignotum. Ascendit in montem per mentis eminentiam, contemplatur promissam fidelibus patriam, moritur cum efficitur quodammodo deiformis per gratiam, sepelitur à Domino per infusam sibi lętitiam, sed sepulchrum illius nullus agnoscit hominum, quoniam illa pax exuperat omnem sensum.

9. Propria vilitas in diuino lumine cernitur, & inde humiliatio oritur.

In nono gradu, corpus sepultum resoluitur. Quia cum mens in lumine diuino semetipsam clarius intuetur, recognoscens se, quantum ad animam, creatam ex nihilo, & sic quantum est de se simpliciter nihil esse; quantum autem ad corpus se puluerem esse & cinerem, immo vilissimum sterquilinium, saccus stercorum, & cibum vermium; necessario humiliari compellitur. Sicut ait Psal. 72. *Inflammatum est cor meum* ad dilectionem, *& renes mei commutati sunt* quantum ad delectationem; quia in renibus consistit delectatio, *& ego ad nihilum redactus fuy*, scilicet in mei reputatione, in verissima mei cognitione, me nihil esse cognoui. Attende quod quanto plus proficit quis in Dei cognitione, tanto in diuino lumine cognoscit se verius, & tanto amplius se conspicit nihil esse. Vnde Apostolus 1. Corinth. 4. dicit. *Puto quod Deus nos nouissimos*, id est vilissimos, quasi de quibus non curet, *ostendit, tanquam morti destinatos*, quasi ad nullam vtilitatem, sed mori reseruatos. Sequitur. *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Et Dauid ex humilitate se cani mortuo comparauit. Attende quòd sicut ignis in suo cinere, qui est vltimus suæ resolutionis terminus, conseruatur, sic anima in humilitate, quæ resoluitur vsque ad minima, & vsque ad vltima, custoditur. Et sicut phœnix congregatis aromatibus incendit ignem, quo concremata & in cinerem redacta, renouatur; & per talem renouationem perpetuus conseruatur; sic anima charitatis igne succensa, ac in humilitatis cinere resoluta, conseruatur in gratia, ac de die in diem per gratiam renouatur.

De morte culpæ.

DISTINCTIO VIII.

Post mortem naturæ & gratiæ, videndum est de morte culpæ, quam vitare debemus, quia est detestabilis & damnosa. Cum enim *omnis creatura Dei bona sit*, sicut dicitur 1. Tim. 4. *Deus tamen mortem non fecit.* Sap. 3. Nec obstat huic illud quod dicitur Eccl. 11. *Bonum & malum, vita & mors à Deo sunt*: quia illud est intelligendum de morte corporali, quam Deus inflixit homini propter peccatum. Vnde Rom. 5. *Per hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Mors igitur corporalis, id est necessitas moriendi, pro tanto dicitur esse à Deo, quia impedimento mortalitatis ablato, & homine relicto proprijs naturalibus, remansit homo de necessitate mortalis. Mors naturæ, id est necessitas moriendi, est ineuitabilis vt dictum est; sed mors culpæ est euitabilis, & est in hominis libertate. Sicut dicitur Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors*: vita inquam gratiæ, & mors culpæ, & propter hoc est culpabilis. Si enim vitari non posset; culpabilis non esset. Quia sicut dicit Augustinus. *Nemo peccat in eo quod vitare non potest.*

Mors culpæ est maximè vitãda quia detestabilis & damnosa

Mors culpæ consistit in corde ore & opere.

Sciendvm autem quòd hęc mors quandoque consistit in corde tantum, scilicet in cogitatione, delectatione, vel consensu. Vnde in persona hominum impiorum dicitur Isa. 28. *Percussimus fœdus cum morte*: hoc fœdus committitur in consensu. Quandoque consistit in ore, quando scilicet prorumpit in deordinatam locutionem. Dicitur enim Prou. 18. *Mors & vita in manibus linguæ*, quia lingua nostra in lubrico posita est, & per illam frequenter labimur in peccatum. Ideo dicitur Iacob. 3. *Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum & volucrum & serpentum, & cæterorum animalium domatur, linguam autem nullus hominum domare potest, Est enim inquietum malum, plena veneno mortifero.* Et Eccl. 28. Post multa mala quæ ex lingua prouenire testatur, ait. *Mors illius, mors nequissima: & vtilis infernus potius quam illa.* Ideo salubriter exhortando dicit. *Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos. Attende ne forte labaris in lingua tua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Quandoque progreditur ad operationem. Sicut dicitur Sap. 1. *Iniustitia est mortis acquisitio, impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Et ibidem ante: *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.* In signum huius triplicis mortis, Christus tres mortuos suscitauit, licet enim innumerabiles suscitasse credatur, de tribus tantum euangelistæ faciunt mẽtionem. Puellam suscitauit in domo, Matth. 19. Ad designandum spiritualem suscitationem, quam facit quotidie à morte peccati existentis interius in affectione. Iuuenem suscitauit in porta, Lucæ 7. Ad indicandum suscitationem à morte peccati prorumpentis in locutione. Lazarum suscitauit in sepulchro, ad figurandum suscitationem à morte peccati existentis in operatione. Ioan. 11.

Progressus peccati cernitur in peccato primorum parentum.

Progressvs autem peccati, quomodo serpit, & serpendo procedit, proximè declaratur in primo peccato proximorum patẽtum. Gen. 3. *Dixit serpens ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier. De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu vero quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd quocumque die de eo comederitis aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Attende quòd Deus dixerat assertiuè & comminatoriè, *quocumque die comederitis &c.* mulier addidit verbum hæsitationis, scilicet *forte*, serpens constanter negauit, dicens: *Nequaquam moriemini.* Ecce diabolus posuit in quęstione. Mulier respondit cum hæsitatione, & ex hoc dedit diabolo viam & audaciam negandi, quòd Deus dixerat cum assertione. Nisi enim mulier hæsitasset, diabolus verbum Domini negare minimè pręsumpsisset. Nisi etiam mulier diabolo plusquam Deo credidisset, nequaquam cibum vetitum tetigisset. Sequitur. *Vidit igitur mulier quòd lignum esset bonum ad vescendum*; Hoc cognouit ex odoratu: & *pulchrum oculis*, ecce aspectus; *Tulitque de fructu*, ecce tactus; *Et comedit*, ecce gustus. Et sic completum est in Eua peccatum inobedientiæ, ad quod tamen multæ deordinatæ circumstantiæ concurrerunt. Postmodum *dedit mulier viro suo*, ecce iniqua suggestio; *Qui comedit*, ecce Adæ prævaricatio. Et sic consummatum est peccatum in vtroque. Iste processus qui fuit in peccato primorum parentum materialiter, solet esse in peccato vnius hominis spiritualiter. Nam aspectus est in cogitatione, odoratus in delectatione, tactus in consensu, gustus in perpetratione. Aduerte quam mortiferus est iste fructus, qui non solum ex gustu infert mortem sicut animalia venenosa, verumetiam ex visu, odoratu, tactu, & gustu.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De modis moriendi.

DISTINCTIO IX.

SICVT ait sapiens Sap. 1. *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum*. Ideo namque diabolus inuidit homini, quia vidit eum illuc per humilitatē posse pertingere, vnde per superbiam se nouerat corruisse. Inuidens autem homini, tentauit; tentando deuicit, & deuictum subiecit, ac subiecto iniquè & tyrannicè dominari præsumpsit. Sicut autem tyrannus impijssimus subiectos suos sine misericordia affligit, opprimit, ac eis exquisita genera mortis infligit; sic diabolus omni tyranno crudelior, varijs mortis generibus, miseros quos in seruitutem suam redigit, mori facit.

Diabolus peccatores varijs mortis generibus interimit.

ALIOS namque mori facit suspendio, scilicet per superbiam. Superbos enim suspendit in altum vanitatis, vt postmodum præcipitet in profundum miseriæ gehennalis, sicut solent facere luctatores, quorum vnus alium eleuat à terra, vt sub pedibus suis deijciat eleuatum. Hunc modum præcipitij prius expertus fuerat in seipso. Nam cum ipse leuari vellet per superbiam, Deus ipsum deiecit in profundum abyssi. Sicut dicitur Isa. 14. *Dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo; verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Et ante. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Et Lucæ 10. dicitur de eodem. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Sicut igitur diabolum, quia se per superbiam extollere voluerat, Deus præcipitauerat in infernum; sic ipse tractatu consimili, conatur homines primo quidem in altum extollere, vt postmodum præcipitet in profundum. Exemplum de Achitophel, qui de sapientia sua præsumens, vidēs quòd non esset factum consilium suum, quod scilicet dederat contra Dauid, suspendio interijt. 2. Reg. 17. Et de Absalon qui nimia ambitione dominandi succensus, patrem suum Dauid de regno fugauit, sicut dicitur 2. Reg. 18. ipso quod suspenso inter cœlum & terram, mulus qui insederat pertransijt. De Aman vero Hester 7. de præcipitio vero dicitur 4. Reg. 9. Quomodo Iezabel fuit præcipitata de fenestra palatij. Et de Ochozia 4. Reg. 1. *Cecidit Ochozias per cancellos cœnaculi. Cui mandauit Helyas; de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* De Antiocho etiam dicitur 2. Machab. 9. *Superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, contigit illum impetu euntem, de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus in gestatorio portabatur.* Nota ibi de vilissima morte eius. vnde bene de superbo dicitur Iob 18. *deuoret pulchritudinem cutis eius, & consumat brachia illius, primogenita mors.* Pulchritudo cutis est gloria temporalis. Per brachia opera designantur. Mors autem est peccatum quod animam occidit, primogenita ergo mors est superbia, quæ est initium omnis peccati. Pulchritudinem ergo cutis eius, & brachia, primogenita mors deuorat, quia iniqui gloriam & operationem superbia deuastat. Potuit enim etiam in hac vita gloriosus existere, si superbus non fuisset; & operibus poterat Deo commendari, nisi elatio præcessisset. Sequitur. *Auellatur de tabernaculo eius fiducia.* De tabernaculo eius fiducia euellitur, quando peruersus quisque qui multa in hac vita parauerat, repentina morte dissipatur. Sequitur. *Et calcet super eum quasi Rex interitus.* Quia vel hic vitijs premitur, qui ad interitum trahunt eum, vel mortis tempore potestati dæmoniacæ subiugatur. Huius mortis remedium est timor humilians, vel humilitas Deum timens. Sicut ait sapiens Prouerb. 14. *Timor Domini fons vitæ*, id est vitæ spiritualis initium, *vt declinet*, id est declinare faciat, *à ruina mortis.*

1. *Per suffŏdiū seu spirituaaliter per superbiam.*

ALIOS perimit diabolus veneno, scilicet per inuidiam. Sicut scriptum est Sapient. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius: quia videlicet sicut diabolus virus inuidiæ suæ diffundit in homines, in toto orbe terrarum, ita vt non sit qui se abscondat à calore eius: sic impij intoxicati per eum, & eius imitatores effecti, alios inficiunt inuidendo. Primo ergo moriuntur hac peste, sicut dicitur Iob 5. *Paruulum occidit inuidia.* Glos. *Paruulus inuidia occiditur, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret: vel paruus est, qui terrena diligit, magnus qui æterna.* Paruus ergo inuidia occiditur, quia nullus hac peste moritur, nisi qui terrena appetit, quæ tota non peruenient pluribus. Vnde si qua desideramus, illi inuidemus qui penitus ea accepit, vel partem habendo, quantitatem nobis restringit. Isti autem sic infecti inuidia, & spiritualiter interfecti, inficiunt alios venenum inuidiæ diffundendo. Sicut detractores, & verborum infamiæ relatores. Contra quos ait Sapient. Eccles. 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te fidens quoniam non te dirumpet.* Et quia non minus quandoque peccat auditor detractionis quàm ipse detractor. Sicut ait Bernard. *Detrabere an detrahentem audire, quod istorum sit grauius, non facile dixerim.* Ideo dicitur Prouerb. 16. *Indignatio Regis nuncij mortis.* Nuncij mortis sunt detractores, qui semper mortem nunciant proximorum, & mortem nunciando, etiam audientes occidunt. Contra istos nuncios mortis debet Rex, id est quilibet iustus, se & omnes sensus suos bene regens indignari, & eos cum indignatione repellere, vel indignationis & displicentiæ signa ministrare.

2. *Per venenū, seu spirituaaliter per inuidiam.*

SCIENDVM autem quòd inuidus dolet de bono alterius, & gaudet de malo, sicut alibi declaratum est. Quantum ad primum, speciem inuidorum prætendit Ionas, qui de Niniue ciuitatis conuersione dolebat, de quo dicitur Ionæ 4. *Petiuit Ionas animæ suæ vt moreretur, dicens: Melius est mihi mori quam viuere.* De secundo scriptum est Prouerb. 26. *Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet proximo suo.* Iste quia gaudet de malo alterius, ideo fraudulenter in malum alterius machinatur, & per vias occultas nocere conatur. De mala morte talium exempla multa legimus in scriptura. Cayn ex inuidia sua perimens fratrem suum Abel, occisus est à Lamech. Genes. 4. Ægyptij dolentes quia Hebræi in terra sua crescebant & multiplicabātur nimis, timētes ne progressu temporis ipsos opprimerent, afflixerunt eos multipliciter, & sibi seruitute durissima subiecerunt. Sed cum illos fugientes persequerentur, aquæ maris rubri operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, ita quòd nec vnus quidem superfuit ex eis. Exod. 14. Abymelech, qui septuaginta fratres suos occiderat, vna mulier iaciens fragmen molæ confregit cerebrum, qui ab armigero suo fecit se interfici. Iud. 9. Saul qui tam iniqua inuidia persecutus est Dauid, tandem irruens super gladiuṁ suum mortuus est. 1. Reg. 31. Siba filius Bochri concitauit populum contra Dauid, & fugiens in Abela ciuitatem, vbi putabat se habere refugium, decapitatus fuit ibidem. 2. Reg. 20. Accusatores Danielis iubente Dario rege, missi in lacum leonum, continuo sunt à leonibus deuorati. Dan. 6. & 34.

Inuidus dolet de bono alterius & gaudet de malo.

ALIOS occidit diabolus gladio suo per iracundiam. Vnde dicitur Exod. 15. *Dixit inimicus: persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Et Iob 5. dicitur. *Virum stultum interficit iracundia.* Glos. *Mansuetudo imaginem Dei in nobis conseruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat quia multis virtutibus priuat; quæ dum quietem mentis tollit, Spiritus sanctus ibi non quiescit.* Irati & impatientis figuram tenet Ionas. Cui irato propter hederam desiccatam dixit Dominus. *Putasne bene iratus es tu super hedera. Et dixit, bene iratus sum ego, vsque ad mortem.* Cæterum factum Samsonis, se ipsum vt hostes occideret occidentis, speciem iracundi prætendit. De quo dicitur Iud. 16. *Moriatur*

3. *Per gladium seu spirituaaliter per iracundiam.*

anima mea cum Philistijm vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſsione duorum luminum, vnam recipiam vltionem. Exemplum. Iratus enim ſibi nocere deſiderat, vt vindicando ſe nocẽtibus ſibi, poſſit inferre maius vel ſimile nocumentum. Item factum Raziæ, prætendit modum hominis ex impatientia deſperati, de quo dicitur. 2. Mach. 14. quòd *Nichanor miſit milites quingentos qui eum comprehenderent. Cum autem comprehenderetur, gladio ſe petijt; eligens nõbiliter mori, potius quam ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos, indignis iniurijs agi. ſed cum non certo ictu propter feſtinationem plagam dediſſet; recurrens ad murum, ſemetipſum præcipitauit in turbas, & cadendo venit per mediam ceruicem, curſuque turbam pertranſiens, & ſtans ſupra petram præruptam, complexus inteſtina ſua, vtriſque manibus proiecit ſuper turbas, & ita defunctus eſt.* Quamuis autem ſcriptura ſacra Ionam, Sampſonem & Raziam computet inter ſanctos, eorumque facta prædicta excuſantur à ſanctis; quantum tamen ad exteriorem apparentiam, modum impatientis iræ prætendunt.

SED qualiter impij in ſanctos tyrannides exercentes, crudelitatis ſuæ pœnas modis varijs exoluerunt, in locis innumeris ſcriptura ſacra teſtatur. Verbi gratia, de Syſara dicitur Iud. 4. Exemplum. *Tulit Iahel vxor Aber Cynæi clauum tabernaculi, & defixit in cerebrum Syſaræ, qui ſoporem morti ſocians, defecit & mortuus eſt.* De Zebee & Salmana dicitur Iudic. 8. quos Gedeon interfecit. De Azonibezech Iudic. 1. *Comprehenderunt filij Iſrael Azonibezech ceſis ſummitatibus manuum eius ac pedum, ſicut fecerat ſeptuaginta regibus*, adduxeruntque eum in Hieruſalem, & ibi mortuus eſt. De Cayn qui fratrem ſuum occidit, & à Lamech occiſus eſt. Geneſ. 4. De Pharaone. Exod. 14. De Abymelech qui ſeptuaginta fratres ſuos occidit. Iudic. 9. De Ioab qui licet ſtrennuus miles fuerit, quia tamen duos viros proditioſe peremit, iuſſit Dauid moriens occidi. 2. Reg. 2. De Zambri qui contra Regem Iſrael peſſimum ſcilicet Hela rebellans, occidit; dicitur. 3. Reg. 15. quòd poſt ſeptem dies ſeipſum cum domo regia ſuccendit. De Achab peſſimo dicitur 4. Reg. 22. Quòd vulneratus in bello mortuus eſt veſperi, & linxerunt canes ſanguinem eius in eodem loco in quo linxerant ſanguinem Naboth, qui ipſo Achab diſſimulante fuerat lapidatus. De Benadab Rege Syriæ, qui multa mala filijs Iſrael intulerat, quomodo à ſeruo ſuo Aſael iugulatus fuit, dicitur 4. Reg. 8. De Ioas Rege Iuda, qui Zachariam filium Ioiadæ ſacerdotis lapidari fecit, dicitur 4. Reg. 12. Quòd à ſeruis ſuis fuerit interfectus. De Antiocho qui multorum viſcera torſerat, quomodo dirum dolorem viſcerum paſſus, miſerabili morte defunctus eſt. 2. Machab. 9. De Herode impijſſimo, quomodo percuſſus ab Angelo, conſumptus à vermibus, expirauit. Act. 12. His omnibus exemplis oſtenditur, quomodo impij impiam vitam agentes, diabolo procurante, & Deo iuſte faciente, vel permittente, diuerſa diræ mortis genera patiuntur. Huius mortis remedium, eſt patientiæ lenitas, ſicut ait Pſal. 117. *Non moriar ſed viuam: caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Et 2. Machab. 6. *Cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores; propter timorem autem tuum libenter hæc patior. De patientia Re. ſupra de morte gratiæ, quinto gradu.*

4. *Per aquam ſeu ſpiritualiter per auaritiam.*

ALII ſupermerguntur per auaritiam. Temporalia namque fluunt & refluunt ſicut aquæ. vnde ſicut in flumine quandoque habet homo aquam vſque ad talum, quandoque vſque ad genua, quandoque vſque ad renes, quandoque vſque ad collum, plerumque totus immergitur; ſic aliquando amor temporalium non plus tangit hominem, quam aqua tangens talum eius. Vnde de re de qua nihil aut parum curatur, ſolet dici, hoc non tangit etiam talum meum, vel non aſcendit vltra talum meum, quaſi quis diceret: Parum afficior. vel non curo. Aliquando amor temporalium pertingit vſque ad genua, quaſi plus aliquantulum appropinquans ad cor hominis; ſed adeo longe diſtans quod non eſt periculum ſubmerſionis, vel deordinatæ affectionis. aliquando peruenit vſque ad renes, id eſt vſque ad delectationem, quia in temporalibus affectio delectatur, tamen citra Deum. aliquando peruenit aqua vſque ad guttur; & tunc eſt homo in magno periculo, quando in temporalibus delectatur, & nimis occupatur, & inordinate afficitur, ſed ſicut natans euadere poteſt, nec totaliter deſperatur, quouſque caput eius immergatur; Sic in propoſito, quando totus homo immergitur in terrenis, iam non eſt ſpes euaſionis. Propter quod Pſal. 68. exclamat. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Sic etiam B. Petrus cum adiutorio gratiæ diuinæ ambulans ſuper aquas, *videns ventum validum venientem timuit. Et cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens. Domine ſaluum me fac.* Matth. 14. In hoc facto. B. Petrus figuram tenet eorum qui diuinæ gratiæ manutenentia, ſiccis pedibus ambulant ſuper aquas, id eſt intactis cordis affectionibus, quaſi pedibus non tangentes, immo potius conculcantes illæſi pertranſeunt, quamdiu non ſibi, ſed Deo gloriam tribuentes, ad Chriſtum venire contendunt. ſed *videns Petrus ventum*, id eſt tentationis impulſum *timuit*, quia non eſt de proprijs viribus inter fluctus pelagi præſumendum, ſed diuinum auxilium eſt obnixius implorandum. *Et cum cœpiſſet mergi, clamauit.* Quia non vltimum ſubmerſionis periculum expectandum eſt, ſed in ipſo principio quam cito aduertit homo periculum, diuinum præſidium eſt petendum. Ait enim Apoſt. 1. Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* In ſignum huius dicitur Exod. 7. quòd *Moyſes ex præcepto Domini percuſſit aquam fluminis quæ verſa eſt in ſanguinem, & piſces qui erant in flumine mortui ſunt:* per quod voluit Dominus deſignare quòd aqua fluminis Ægypti, id eſt bona tranſitoria huius mundi, conuertuntur in ſanguinem, id eſt in mortem eorum qui inordinate ea diligunt; & piſces qui in ea erant mortui ſunt, id eſt qui in eis conuerſantur, & nutriuntur ex eis. Item aqua conuertitur in ſanguinem, quando cupiditas temporalium conuertitur in crudelitatem, quòd ſæpiſſimè contingit. Cupidi namque fiunt impij, immiſericordes, fraudulenti, fures, raptores, crudeles, & pauperum oppreſſores.

Diuitiæ electis ſunt cauſa ſalutis, reprobis vero cauſa perditionis.

ELECTORVM & reproborum differentiam quantum ad vſum temporalium, mirabiliter oſtendit Deus in diuiſione maris rubri Exod. 13. Vbi dicitur quod aquæ operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem ſuperfluit ex eis; filij autem Iſrael perrexerunt per medium ficci maris, & aquę eis erant pro muro à dexteris & à ſiniſtris, & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris. Ecce aquæ ſunt electis pro muro defenſionis, quæ reprobis ſunt cauſa perditionis. *Quod autem* ſint electis pro muro defenſionis docetur Tob. 4. dicens. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors.* Sequitur. *Eleemoſyna à peccato & à morte liberat, nec patietur animas ire in tenebras:* ecce murus à ſiniſtris. Sequitur. *Fiducia magna coram Deo ſummo eſt eleemoſyna.* Et parum ante dicitur. *Præmium bonum theſaurizas tibi in die neceſsitatis:* ecce murus à dextris. *Quod vero* reprobis ſint cauſa perditionis, patet per multa exempla. Achor quia tulit de anathemate Iericho, lapidauit eum omnis populus, & omnia quę eius erant igne conſumpta ſunt. Ioſue 7. Adoleſcens qui putabat ſe Dauid proſpera nunciare, ac per hoc munera reportare, dicendo ſe Saul occidiſſe; iubente Dauid occiſus eſt, 2. Reg. 1. Simile accidit duobus latronibus qui caput Iſboſeth filij Saul quem occiderant, tulerunt ad Dauid, 2. Reg. 4. Ananias & Saphyra vxor eius, quia de pretio agri venditi fraudauerunt, ad increpationem Petri ſubito mortui ceciderunt. Act. 5. Dies ille cuius agri fructus vberes attulerunt, cum cogitaret deſtruere horrea ſua, & maiora facere, raptus eſt citius quam credebat, dicente ſibi Domino. *Stulte, hac nocte*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Lucæ 12.

5. *Per crucem ſeu ſpiritualiter per accediam.*

ALII cruci affiguntur per accediam. Eſt autem accedia triſtitia quædam cor aggrauans, ne aliquid agere libeat. vnde reddit hominis membra quaſi ſtupida & paralitica, ad omne opus bonum immobilia, ſicut in homine cruci affixo, manus & pedes affixi ſunt, & impoſſibiles ad motum operis cuiuſcumque. Vnde Eccleſ. 19. *Multos occidit triſtitia.* Et 38. *A triſtitia feſtinat mors, & cooperit virtutem.* Diſtingue tamen de triſtitia, ſicut diſtinguit Apoſtol. 2. Corinth. 7. *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Accidioſus ergo etiam ſi videatur viuere, tamen mortuus eſt, ſicut dicitur Apocal. 3. *Nomen habes quòd viuas & mortuus es.* Ideo ſequitur. *Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*

6. *Viuum ſepeliendo ſeu ſpiritualiter per ingluuiē.*

ALII viui ſepeliuntur per ingluuiem. Vnde ait Hieronym. *Vile ſepulchrum rationis eſt ebrietas.* Pſalm. 23. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Bene ſepulchrum ex quo fumi & fętores exhalāt, ſicut de cadaueribus mortuorum. Nec mirum, quia ſicut ait Apoſtol. 1. Tim. 5. *Quæ in delitijs eſt viuens, mortua eſt.* Et Rom. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini.* Mortem eſſe in talibus verè poſſumus exclamare cum filijs prophetarum. 4. Reg. 4. *Mors in olla vir Dei, mors in olla.* Nam pocula delicata conuertuntur in abſynthium, & cibaria in venenum. Mirabile eſt, homo nullo modo ſcienter guſtaret aliquid vnde ſciret ſe mortem incurrere corporalem: vtinam ita ſollicitè ſibi caueret ab his guſtandis quæ mortem inferunt ſpiritualem, vnde Iob 6. *Nunquid guſtari poteſt quod guſtatum affert mortem.* Attende quòd Philiſtæos pariter epulantes, *Sampſon concuſſis columnis domus oppreſſit, & mortui ſunt vtriuſque ſexus tria millia.* Iud. 16. *Filys Iob bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, ventus vehemens irruens à regione deſerti, concuſſit quatuor angulos domus, & oppreſſit eos & mortui ſunt.* Iob 2. *Balthaſar in conuiuio vidit digitos manus ſcribentis in pariete, Mane, Techel, Phares; & in ipſa nocte interfectus eſt, & regnum eius tranſlatum eſt ad Medos & Perſas,* Daniel. 5. Terribile eſt exemplum de diuite Epulone *qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè; qui mortuus, ſepultus eſt in inferno.* Lucæ 16.

Exemplum.

7. *Per incendium ſeu ſpiritualiter per luxuriā.*

ALII incendio comburuntur, ſcilicet per luxuriam. Luxuria enim ignis eſt ad conſumptionem deuorans. Hoc igne luxurioſi comburuntur. Sicut patet Geneſ. 19. De hoc incendio ait B. Iacobus. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Concupiſcentia vero cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit,* opere videlicet vel conſenſu, *generat mortem.* Nota de filio prodigo, qui conſumpſit omnia ſua viuendo luxuriosè. De quo dixit pater, quod mortuus fuerat per luxuriam, ſed reuixit per pœnitentiam. De mala etiam muliere dicitur Prouerb. 5. *Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos greſſus illius penetrant.* Item Eccleſ. 7. *Inueni mulierem morte amariorem, quæ laqueus venatorum eſt, ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam.* Nota, Sichem filius Emor qui Dinam filiam Iacob oppreſſit. interfectus eſt cum toto populo ciuitatis. Geneſ. 34. Ammon qui Thamar ſororem Abſalon oppreſſit, in conuiuio occiſus eſt, 2. Reg. 13. Quia populus Iſrael fornicatus eſt cum Madianitis, præcepit omnes principes ſuſpendi in patibulis, Numeri 25. Quia Phinees Hebræum qui ad ſcortum intrauerat, occidit ſimul cum illa muliere; placauit Dominum, ſicut dicitur ibidem.

Exemplum.

De ſignis mortis.

DISTINCTIO IX.

POSTQVAM diſtinxerimus diuerſos modos ſpiritualiter moriendi, videnda ſunt ſigna quædam prognoſtica morituri. Solent medici in acutis ægritudinibus vti ſignis prognoſticis, quæ ſecundum Hypocratis documenta vitæ ſunt indicatiua vel mortis. A corporalibus igitur ad ſpiritualia tranſeuntes, modis ſimilibus iudicemus in homine mortem culpæ.

Varia ſunt ſigna mortis

1. *Guſtus deordinatio, & ſpiritualiter concupiſcentia delitiarum.*

PRIMVM ſignum mortis prognoſticum, eſt guſtus deordinatio, quando ſcilicet æger appetit quæ nocent, & reijcit quæ iuuarent. Infirmi filij Iſrael, ſpreta dieta quam cœleſtis medicus eis indixerat, petunt carnes, flentes coram Moyſe, & dicentes Numeri 11. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium &c. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porri, cæpe, & allia; anima noſtra aſida eſt, nihil aliud ſuſpiciunt oculi noſtri niſi manna.* Impleuit autem Dominus petitionem eorum, mittens eis coturnices in multitudine copioſa, ſed in malum eorum. Nam ſequitur. *Adhuc erant carnes in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magnanimis: mortui ſunt ergo in ſepulchris concupiſcentiæ.* Eſt igitur mortis ſignum, abiecta ſobrietate & ieiunio, carnalibus vacare delitijs. Vnde Iob 6. dicitur. *Nunquid poteſt comedi inſulſum quod non eſt ſale conditum? aut guſtare quis quod guſtatum affert mortem.* Quoties enim ciborum cruditas vitalia deijcit, eneruat ſtomachum, corrumpit ſanguinem, vitiat humores, accendit choleram, febris inducit incendium: toties æger perdit animum, illicitis fertur deſiderijs, ſalutaria reſpuit, appetit contraria, & noxia ſibi quærit. Aduertendum eſt autem quanta ſit fatuitas immo inſania talium, & quanta deordinatio appetitus, qui viliſſimos cibos appetunt, cucumeres, ſcilicet & pepones, porros, cæpas, & allia: cibum cœleſtem faſtidiunt, habentem in ſe omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis. vnde bene verificatur in eis illud Pſalm. 106: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.*

2. *Digeſtiua defectio, & ſpiritualiter defectus dilectionis & deuotionis.*

SECVNDVM ſignum mortis eſt digeſtiuæ defectio, quando ſcilicet æger non poteſt cibum ſumere, vel ſumptum retinere, vel retentum digerere. Hoc autem prouenit ex defectu caloris naturalis, & humidi radicalis: Nam conſeruatio vitæ conſiſtit in calido & humido. vnde quanto calor magis minuitur, & humidum magis depaſcitur, tanto citius neceſſe eſt vitam deficere patientis. Et ſicut prima digeſtio fit in ſtomacho, ſecunda in hepate, tertia in membris ſingulis; digeſtiua tamen virtute per calidum & humidum operante, ſic quando in mente fuerit calidum dilectionis & humidum deuotionis ſufficienter celebratur digeſtio per quam vita animæ conſeruatur, Nam ad ea quæ Dei ſunt apponit memoria recordationem; ecce digeſtio prima in ſtomacho memoriæ: voluntas apponit affectionem; ecce digeſtio in hepate: Membra vero ſingula provt eis congruit actionē, ecce digeſtio in membris. Et ſic per calidum dilectionis, & humidum deuotionis, triplicis digeſtionis bonitas declaratur. Cum autem diminuitur calor dilectionis vel deficit, ſignum eſt mortis ſpiritualis. Quia ſicut corpus ſine anima mortuum eſt, ſic anima ſine charitate mortua deputatur. Ideo primo Iob 3. dicitur. *Qui non diligit manet in morte.* Similiter deficiente humore deuotionis deſiccatur homo, & neceſſe eſt eum languere dum viuit, & deficcari iugiter & mori. Omnè enim opus cenſetur vt mortuum, ſi ſpiritu deuotionis non fuerit animatum. Bonum enim opus ex viſibili conſtat actione, & inuiſibili deuotione. Sed inuiſibilis deuotio eſt ſicut ſpiritus, viſibilis autem actio ſicut corpus. Sicut ergo corpus viuit per animam viuificantem, ſic & opus per

deuotionem interius operantem. Recedente siquidem anima, corpus expirat, moritur & marcescit; & cessante deuotione, opus moritur & arescit, & miser homo velut humore deficiente tabescit. Vnde bene in persona talium lamentabiliter conquerendo loquitur Bernard. dicens. *Quomodo exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? nec compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis mei: non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio: vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentius, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Quid me aliud putem quam vnum ex montibus Gelboe maledictis, quem præterit in ira & indignatione sua, ille cæterorum omnium benignissimus visitator.*

3. *Vultus immutatio, & spiritualiter desertio honestatis.*

TERTIVM signum mortis est vultus immutatio. Vultum habet sano similem, cui custodit pristinam honestatem, & vultus immutatio est desertio honestatis. Nam eo quòd deuotio interius non habetur, statim exterius honestatis conuersatio non seruatur. Attende quòd ex decore conscientiæ emanet decor conuersationis honestæ. Sicut docet Bernard. qui ait. *Cum decoris claritas intima cordis repleuerit, est quasi lucerna immo lux in tenebris lucens, latere nescia. Porro effulgentem, & veluti quibusdam suis radijs erumpentem, mentis simulacrum corpus excipit, & diffundit per membra: quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, affectus, incessus, & risus.* Sic econtrario de interiore deordinatione conscientiæ, inordinatio exterioris conuersationis erumpit. Vnde de talibus potest intelligi illud Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras.* In immutatione faciei perpenditur signum mortis, puta si habeat æger nares acutas, oculos concauos & obscuratos, aures contractas & frigidas. Nares habemus acutas, cum relictis his quæ circa nos sunt, aliorum vias, facta dictaque perquirimus, per subtiles & curiosas, non tamen necessarias, nec multum probabiles coniecturas. Nam qui conscientiæ suæ negligens est perscrutator, alienæ solet esse curiosus explorator. Oculos habemus concauos, cum ea quæ dissimulare videmus, profundius intuemur. Hi sunt oculi qui vident quasi non videant; & dissimulantes, quæ displicent in cordibus suis malitiosè reseruant, donec tempus opportunum inuenerint, quòd expectant. Obscuros & caligantes oculos habent, qui nec vitæ suæ considerant breuitatem, nec mundi pericula, nec peccati vilitatem, nec offensæ grauitatem, nec diuini iudicij seueritatem, nec gehennæ acerbitatem. Vnde scriptum est. Eccles. 9. *Mortui nihil nouerunt amplius.* aures habent frigidas, surdas & contractas, qui nec molliuntur dulcedine verbi Dei, quia frigidas habent aures, nec obliuiscuntur iniuriæ sibi factæ, quia contractas; correptiones autem & exhortationes vilipendunt audire, quia surdas. Talibus ait Dominus Ioann. 8. *Moriemini in peccatis.* Et sequitur ratio. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hoc autem signum est reprobationis sicut scriptum est. 1. Reg. 2. De filijs Heli. *non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere illos.* Vnde Bernard. *Nonnullos interdum audientes inuenies, ac si nihil ad eos pertineat quæ dicuntur; non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare ne forte quod audiunt dictum sit propter eos. Magis autem, si sermo Dei viuus & efficax, qui suo & non eius qui loquitur arbitrio fertur quocumque voluerit, si vnquam aduersus vitia sua processerit, quibus illi se sentiunt obligatos; dissimulant, & auertunt oculos cordis sui, aut qualibet adinuentione palliant facta sua, & seducunt miseri semetipsos.* In his salutis signa non video; magis autem vereor ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi à Deo. propterea igitur non habent vitam, quia non recipiunt verbum vitæ. Sicut econtra dicit Saluator. Ioann. 6. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam.* Et ibidem. *venit hora quando mortui, scilicet in peccatis, audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.* Item Ioann. 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et sic patet ex prædictis quod immutatio vultus dignoscitur, quando color nigrescit, visus tenebrescit, auditus surdescit.

4. *Pulsus inæqualitas & spiritualiter inconstantia peccatoris & inquietudo carnalis desiderij.*

QVARTVM signum mortis est inæqualitas pulsus, pulsus est inæqualis, cuius percussio variatur; siue in quantitate, quando scilicet modo paruus, modo magnus; siue in motu, vt modo velox, modo tardus, modo spissus, modo rarus. Per cuius inæqualitates prædictas, mortis indicium declaratur. Pulsum difniunt medici motum esse cordis in arterijs resultantem, quæ à corde incipiunt, aërem continentes, spiritumque vitalem. propter hoc indicat dispositionem cordis, nam motus cordis debet esse regulariter vniformis, & hanc vniformitatem indicat pulsus æqualitas vniformis: Inæqualitas vero pulsus, in motu cordis inæqualitatem demonstrat. Inæqualitas ista pulsus inconstantiam significat peccatoris, inquietudinem carnalis desiderij, & humani affectus. Hæc est *mulier vaga, quietis impatiens, & vbique insidians, quæ apprehensum iuuenem ducit in mortem.* Prouerb. 7. Ergo secundum consilium sapientis. Prouerb. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris, pedes enim eius descendunt in mortem, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles.* Sanè vagi sunt gressus eius, quia sicut corpus pedibus circumfertur, sic animus à carnali desiderio circumducitur. Sicut dicit August. *non mouetur anima pedibus, sed affectibus.* vnde humanus animus sequens appetitum, quietus esse non finitur, sed ab vno semper in aliud tendit; & vnum post aliud successiuè fastidiens, auiditate maiori ad illud quod prius fastidierat, redit. Propter hoc enim cordis affectus de vno ad aliud euagatur, quia in nulla re creata sufficiens delectatio reperitur. Dicuntur etiam gressus eius inuestigabiles; quia nullus explicare posset quam variæ, quam mutabiles, & quam multiplices sint humanorum affectuum passiones, assimilatur enim affectus pulsui, qui modo magnus, modo paruus, modo velox, modo tardus. Nam partim ex propria vanitate, partim ex propria iniquitate; modo diligit, modo odit, nunc intenditur, nunc remittitur, nunc celeriter diligendo quod malum est, præuenit iudicium rationis; nunc tardus ad diligendum quod bonum est, non potest trahi tribulationibus aut exemplis, præceptis, consilijs, comminationibus aut promissis.

5. *Inquietus somnus, & spiritualiter negligentia salutis tempore congruo.*

QVINTVM signum est inquietus somnus, & non congruo tempore sumptus. Dicitur enim somnus esse laudabilis, quando nec noctē effugit, nec diem impedit. Improbatur autem econtrario modo sumptus. Dormit ergo non congruo tempore, qui dormit de die, vigilatque de nocte. Cum ergo per diem prosperitas, per somnum negligentia designetur, morti vicinus est qui tempore saluti suæ congruo negligit semetipsum. Ideo clamat, Psal. 12. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.* Fac ergo secundum consilium Apostoli Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus.*

6. *Sudor inordinatus, & spiritualiter indebita peccatorū confessio.*

SEXTVM signum mortis est sudor inordinatus, si fuerit non die cretico; si particularis, non ex toto corpore, sed ex aliquo tantum membro; si fuerit frigidus; si non ex eo fortior effectus sit, aut liberatus ægrotus. Sudoris purgatio, peccatorum confessio. Crysis, iudicium sacerdotis. Subijcitur ille morti qui non vult aut dissimulat peccata propria confiteri. Nam teste sapienti, Eccl. 17. *A mortuo quasi non sit perit confessio.* Aperiantur ergo pori, profluat sudor ex membris singulis, fiat confessio generalis, tam de peccatis principalibus, quam de circumstantijs aggrauantibus. Tunc autem est sudor laudabilis, quando post confessionem criminis sequitur bonæ operationis effectus; alioquin *qui baptizatus à mortuo, iterum tangit mortuum, quid prodest*

lauatio

lauatio eius, Eccl. 34. Fit autem sudoris euacuatio, sed non laudabilis, & quasi non in die cretico, cum peccatum tuum iactas, vel accusas coram socijs, quod confiteri non vis, vel non audes in facie sacerdotis. Iactantiam dixerim non solum cum de bono si quod feciſti, te iactare præsumis, sed quod longe deterius est, cum te minoris pudet esse dedecoris, quo maiora cognoscis vel audis flagitia sociorum; & ne tua te reddat innocentia viliorem, quod non feciſti, feciſſe te fingis. Vel econtra vt humilis appareas, subtiliſſimè & immaniſſimè confiteris, confeſſione tanto periculoſius noxia, quanto subtilius vana, cum non quæris humilis esse in conspectu Dei, sed coram hominibus reputari. Sudor etiam frigidus, immo quasi gelidus est mortalis, cum non ex amore, sed timore seruili potius confiteris. vel sudor gelidus est confeſſio sine contritione. Cum enim detestaris peccatum, & te peccasse doles, sed non sufficienter doles de præterito, nec caues de futuro; talis sudor est frigidus, nec peccatum delet, sed ex præsumptione diuinæ misericordiæ, & veniæ consequendæ; miser remanet in peccato, sicut ex sudore frigido creticare se credens, assumit confidentiam euadendi, hoc est peccatum præsumptionis. Cuius exemplum habemus Ier. 20. De Fassuth sacerdote, qui populo promittebat securitatem. Cui Ierem. ait. *In Babylonem venies & ibi morieris.*

7. *Fœtoris exhalatio, & spiritualiter diffusio infamiæ & impudentiæ delinquendi.*

Septimvm signum mortis est fœtoris exhalatio. Quando enim fœtet ęgrotus, signum est quod corpus iam resoluitur, & anima iam non potest retinere, nec regere corpus suum. sic diffusio infamiæ, & impudentia delinquendi, signum est mortis. Vnde de talibus dicitur Ierem. 6. *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt. Quinimo confusione non sunt confusi, & erubere nescierunt.* Vulgo dicitur, quod quando vir honestus & verecundus tempore sanitatis, non curat, vel non verecundatur in infirmitate coram hominibus denudari, signum est mortis. Sic quando negligit homo famam suam, & non curat vel dissimulat suam infamiam publicari, signum est pessimum. De talibus ait sapiens Prouerb. 2. *Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis; quorum viæ peruersæ & infames gressus eorum.* De hoc potest intelligi illud Ioann. 11. *Dixit Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet.*

8. *Loquelæ amissio, & spiritualiter cessatio à diuinis laudibus, & confessione.*

Octavvm signum est loquelæ amissio, quando scilicet homo perdidit verbum confeſſionis & diuinæ laudis. De primo dicitur Eccles. 17. *A mortuo*, scilicet in peccatis, *quasi nihil perit confessio.* Item Psalm. 6. *Non est in morte*, peccati scilicet, *qui memor sit tui, in inferno autem*, scilicet in profundo vitiorum, *quis confitebitur tibi?* quasi diceret, nullus. Ideo sapiens dat sanum & salubre consilium Eccles. 17. *Ante mortem confitere, sanus & viuus confiteberis.* Multi namque, sicut pluribus exemplis & pluries est compertum, quia in sanitate sua opportunitate habita, confiteri contempserunt; hora mortis aut non voluerunt, aut non potuerunt confiteri, iusto iudice Deo non eis concedente facultatem aut gratiam confitendi. De secundo, id est de verbo diuinæ laudis ait Psal. *Non mortui*, scilicet in peccatis, *laudabunt te Domine:* & si laudauerint, Deus tamen non approbat. Quia sicut dicitur Eccl. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Sequitur. *Neque omnes qui descendunt in infernum*, id est in profundum vitiorum: *quia peccator cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Prouerb. 18. Sed contra clamat Psalm. *Non moriar sed viuam, & narrabo opera Domini.*

9. *Memoriæ obtusio, & spiritualiter obliuio beneficiorum Dei.*

Nonvm signum est memoriæ obtusio, quando scilicet homo prorsus amisit memoriam, signum est euidentissimum mortis eius: Sic quando miser oblitus est diuina beneficia. Sicut ait Psalm. 6. *Non est in morte qui memor sit tui.* Ecce quòd mors peccati aufert memoriam. De hac etiam Psalm. 30. in persona Domini, de peccatorum obliuione misera conquerentis ait. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Attende diligenter miser homuncio, quod non solum tu mortuus es peccato, sed & Christus mortuus est in corde tuo, quia non tantum temetipsum interimis, quinimo Christum quantum est de tua peruersa voluntate, denuo crucifigis. Signanter autem loquitur propheta dicens: *Mortuus à corde*, non in corde. Iusti namque ingem dominicæ passionis memoriam retinentes, Christum passum, & mortuum in cordibus suis habent. Impij vero Christi memoriam non habentes, ipsum à suis cordibus expulerunt. Vnde Christus mortuus est à corde talium, quasi prorsus expulsus. Sed Psalm. 55. ad diuinorum beneficiorum memoriam semetipsum excitans ait. *Surge anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte.* Nec solum perdit homo memoriam Dei, & omnium aliorum extra se, verum etiam suijpsius: sicut patet de filio prodigo, qui propterea in regionem longinquam perhibetur abijsse, quia procul à semetipso dignoscitur recessisse, qui etiam pro tempore quo memoriam sui perdiderat, mortuus affirmatur; sed recuperata miseriæ suæ memoria, viuere nuncupatur: *mortuus* inquit *fuerat, & reuixit* Lucæ 15.

10. *Cessatio motus & spiritualiter cessatio bonæ operationis.*

Decimvm signum est quando cessauit motus; quia scilicet quando homo non potest mouere manum, pedem vel aliud membrum corporis, signum est mortis, sic anima quando non mouet semetipsam, nec corporis sui membra, mortua est, quia defecit in ea motus bonæ operationis. Cum enim fides sit vita animæ; Sicut dicitur Abacuc. 1. *Iustus ex fide viuit. Fides autem si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Iacob. 2. sic & anima quæ se non mouet ad opera, mortua est.

11. *Defectus anhelitus, & spiritualiter carētia Spiritus sancti.*

Vndecimvm signum est quando defecit anhelitus. Vnde volentes scire de aliquo vtrum sit mortuus, ponunt plumam ante os eius & nares, vt videant si pluma mouetur, quia si non mouetur, certum est ipsum mortuum esse, quia non inspirat aërem, nec expirat. Ita spiritualiter mortuus est, qui non inspirat spiritum per desiderium attrahendo, nec expirat petendo in oratione, quærendo in meditatione seu confeſſione, pulsando in operatione. Vnde Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Mortuus est ergo, qui interdum os non aperit ad spiritum attrahendum. Vnde de filio mulieris matris familias quæ Heliam in hospitio suo receperat dicitur, 3. Reg. 17. *Erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus.* Hoc est peccatum desperationis. De quo Pro. 11. *Mortuo homine impio non erat vltra spes.* Exemplum de Iuda, qui desperans laqueo se suspendit. Mat. 27. Exemplum etiam de Saul, qui desperãs semetipsum occidit. 1. Par. 10. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas.* Signanter autem dicitur propter iniquitates suas; quia ex peccatis præcedentibus oritur desperationis flagitium. Istud peccatum est grauissimum, quia directè contrarium est pietati diuinæ. Vnde plus peccauit Iudas desperando, quam Christum tradendo; quia Christi traditio non fuisset irremissibilis, nisi desperatio subsecuta fuisset.

12. *Defectus tactus, & spiritualiter insensibilitas erga diuina.*

Dvodecimvm signum mortis est quando defecit tactus. Tactus enim inter omnes sensus primus est in via generationis, & vltimus in via resolutionis; vnde tactus potest esse sine alijs, non econuerso. Quando igitur homo prorsus perdidit sensum tactus, certum est illum esse mortuum. Spiritualiter autem loquendo tactum amisit homo per peccatum obdurationis, quando videlicet non sentit, nec dulcedinem diuinæ consolationis quantum ad gustum, nec verbum exhortationis seu correctionis quantum ad auditum, nec considerat vel cogitat beneficia diuinæ remunerationis quantum ad visum, nec exempla sanctæ conuersationis Christi & sanctorum quantum ad odoratum, nec flagella diuinæ correctionis quantum ad tactum. Vnde scriptum est, 1. Reg. 25. *Indicauit Abygail Nabal omnia verba quæ audierat à Dauid, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Est enim videre quosdam homines obduratos, qui nec verbis nec verberibus corriguntur, sed potius obdurantur. Tales sunt similes Pharaoni, quẽ dominus peccatis suis exigẽtibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

obdurauit,& ideo miſericordiam non inuenit, ſed ipſe cum exercitu ſuo male perijt in profundo. De hoc ait Bernard. ad Eugenium. *Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi forte miſerans Deus abſtulerit ab eo cor lapideum, & dederit ei cor carneum.* Qui ergo cor durum, ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum eſt ad beneficia, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non præuidens. Ipſum eſt cui præteritorum præter ſolas iniurias nihil omnino non præterit, præſentium nihil vero perit, futurorum nulla niſi forte ad vlciſcendum proſpectio ſiue præparatio eſt. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.

De purgatorio.

DISTINCTIO X.

POSTQVAM dictum eſt de morte triplici, ſcilicet naturæ, gratiæ, & culpæ, & de mortuis tam ſpiritualiter quam corporaliter in hoc mundo, dicendum eſt de mortuis in purgatorio. Circa quod conſideranda ſunt quatuor. Primo de purgatorio in ſe. Secundo de grauitate pœnarum, quare ſunt ſummopere metuendæ. Tertio de compaſſione habenda ad animas in purgatorio exiſtentes. Quarto, quibus modis poſſunt iuuari. Circa primum conſide anda ſunt quatuor. Primo an ſit aliquis locus ad purgandum animas poſt hanc vitam deputatus. Secundo vbi ſit. Tertio qui, & quibus de cauſis in purgatorio puniantur. Quarto an poſtquam purgatæ ſunt animæ, ad gloriam transferantur.

Dari purgatorium probatur primo ex ſcriptura.

CIRCA primum ſciendum eſt quod pœnam purgatoriam eſſe, per quam purgantur animæ poſt hanc vitam, probatur per verbum ipſius veritatis; maximè Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* ergo in futuro aliquod peccatum remittitur, aliquod non. Sed neque in inferno neque in paradiſo habet locum peccatorum remiſſio: ergo eſt ibi alius locus purgationis, per quam pœna remittitur. Sic probat hoc Greg. Dial. 41 dicens; *quod de vno negatur, conſequens intellectu patet: quia de quibuſdam conceditur Negatur autẽ de vno cum dicitur, non remittetur ei, &c.* Et probatur per verbum Apoſtoli. 1. Corinth. 3. dicentis. *Si quis autem ædificet, &c.* Et poſt. *vnius cuiuſque opus quale ſit ignis probabit; ſi cuius opus manſerit quod ſuperædificat mercedem accipit, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, ad hoc pertinere poteſt illud. *tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Idem patet Sapient. 3. *tanquam aurum in fornace probauit eos, &c.* Prouerb. 17. *Sicut in igne probatur argentum, & aurum in camino, ita corda probat Deus.* Eccleſ. 2. *In igne probatur aurum & argentum, & homines receptibiles in camino tribulationis.* Idem 27. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis:* vel hic, vel in futuro. Ierem. 9. *Ego conflabo & probabo eos.* Quis ſapiens cogitet vaſa contumeliæ fieri vaſa gloriæ, niſi in fornace fuerit materia bene depurata prius. Quis credit vaſa debere apponi regi gloriæ in menſa, vt beneplacita ſint ei, niſi prius bene fuerint purificata & mundata. Ideo dicitur Mal. 3. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius? ſedebis conflans & emundans argentum, & purificabit filios Leui, & colabit eos &c.* Numeri 31. *quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur &c.* tranſit quod non remanet, non tranſit quod remanet ibi in perpetuum, vt damnatus qui in inferno ſemper cruciabitur. Iſa. 30. *Tranſitus virgæ eius fundatus, vt quieſcat ibi virga ſemper in eis.* Vnde ſequitur. *Quam requieſcere faciet Dominus ſuperoum* id eſt Aſſur.

Secundo probatur ratione.

ITEM ſecundo genera pœnarum in legibus deſcribit Tullius. Damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem. Ergo hæc ad ſummam iuſtitiam pertinent, vt pro culpa quæ non eſt ad mortem infligatur pœna non ad mortem, vt pœna reſpondeat culpæ. Apocal. 2. *Ego Dominus ſcrutans corda & renes, & do vnicuique ſecundum opera ſua.* Mar. 4. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis:* ergo neceſſe eſt vt qui plus peccat plus puniatur, vel hic, vel in futuro. Si autem duo migrant æqualiter contriti, & vnus peccauit parum, & alius minus; neceſſe eſt ex quo non puniuntur hic inęqualiter, quòd puniantur in futuro plus minus.

Tertio.

ITEM ſecundum Aug. Tria ſunt genera hominum, quidam ſunt valde mali, quibus Eccleſiæ ſuffragia prodeſſe non poſſunt: quidam valde boni, quibus non ſunt neceſſaria: quidam nec valde mali nec valde boni, qui habentes venialia indigent purgari. *Item* quia ſicut ſumma bonitas non patitur quod bonum remaneat irremuneratum, ita ſumma iuſtitia non patitur quòd malum remaneat impunitum. *Item* quia tanta eſt dignitas ſummæ lucis, quòd eam ſoli mundi corde videre poſſunt. Vnde neceſſe eſt vt anima ad munditiam baptiſmalem perueniat, antequam diuino conſpectui præſentetur. *Item* quia culpa offendit maieſtatem diuinam, damnificat Eccleſiam, & maculat ſeu deformat in anima diuinam imaginem. Offenſa autem requirit punitionem, damnum ſatisfactionem, deformatio purgationem. Ideo neceſſe eſt quòd pœna punitiua, ſatisfactoria, & purgatoria, reſpondeat culpæ hic vel alibi. Et ideo qui hic ad plenum purgati non fuerint, neceſſe eſt quòd alibi puniantur, ſatisfaciant, & purgentur. *Item* quia contraria contrarijs curantur, ideo peccatũ quod cum delectatione committitur non poteſt niſi per pœnam deleri. *Item* quia nulli debet negligentia ſuffragari, ſed ſi quis neglexerit agere pœnitentiam, videretur de negligentia commodum reportare, niſi eam in futuro perageret, quod eſſet inconueniens.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

Octauo.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *de loco purgatorij*. Sciendum quod dupliciter aſſignatur, aut ſecundum legem communem, & ſic eſt in vno loco, ſcilicet in parte inferni circa lymbum patrum; aut ſecundum diſpenſationem ſpecialem, & ſic animæ purgantur in diuerſis locis, in quibus ſcilicet peccauerunt vel alibi, ſicut diuinæ ſapientiæ ex cauſa rationabili, licet nobis ignota, placuerit ordinare. Hoc autem concedit miſericors Deus, propter animarum ipſarum reuelationem per ſuffragia procuranda, vel propter aliquam ędificationem viuorum, quibus videlicet permittuntur aliquoties apparere.

In purgatorio puniuntur qui decedunt ſine condigna ſatisfactione.

CIRCA tertium, ſcilicet *qui & quibus de cauſis ibi puniantur*. Sciendum quòd ibi puniuntur qui hic tardè ad conuerſionem veniunt, & pro venialibus peccatis; vel pro mortalibus de quibus pœnituerunt quidem, ſed ſatisfactionem condignam minime compleuerunt: quia quod minus hic faciunt, ibi ſupplent. Auguſtin. in libro de pœnitentia. *Purgandus eſt igne purgationis, qui diſtulit fructum conuerſionis.* Gregor. dialog. 1. *De quibuſdam leuibus culpis eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendum eſt, pro eo quòd veritas dicit: Siquis in Sancto Spiritu blaſphemiam dixit, &c.* vt ſupra. Et poſt idem Gregor. *Hoc de paruis minimiſque peccatis fieri poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa vel ab ipſis agitur, qui culpas qualiter declinare debent ſciunt, & error ignorantiæ: quæ cuncta poſt mortem grauant, ſi adhuc in hac vita poſitis minimè fuerint relaxata.*

ITEM qui & propter quæ puniantur igne purgatorio inſinuat Paulus. 1. Corinth. 3. quando dicit, quòd *quidam ſupra Chriſtum fundamentum ædificant aurum*, qui ſcilicet vacant internæ ſapientiæ in Dei contemplatione; Argentum, qui vacant doctrinæ & ſacris verbis: lapides pretioſos, qui vacant operibus bonis, ſecũdum

Gregor. *Lignum & fœnum & ſtipulam iſti ædificant, qui leuia & facilia ad ſoluendum committunt, non ferrum, æs, & plumbum, quæ ſunt maiora & duriora.* Item in Ench. Aug. *Poſt hanc vitam incredibile non eſt nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantomagis minuſve dilexerunt bona pereuntia, tanto tardius citiuſque ſaluari. Vnde non fruſtra iſta tria diſtinxit Apoſtolus. lignum, fœnum, ſtipulam, quæ illi ædificant qui aliena non rapiunt, rebus tantum infirmitati conceſsis, aliqua dilectione adhærent; qui ſecundum ſuos amandi modos diutius vt lignum, vel minus vt fœnum, vel minimum vt ſtipula, ignem ſuſtinebunt.* Item Auguſt. de fide ad Petrum. *lignum, fœnum, ſtipula, accipi poſſunt ſæcularium rerum, quamuis licitè conceſſarum, tales cupiditates, vt amitti ſine dolore non poſsit, hoc ergo ædificat qui cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat mundo; qui circa diuitias ſuas carnali quodam tenetur affectu, & tamen ex eis multas eleemoſynas facit, nec pro eis aliquid fraudis vel rapinæ molitur.* Item Auguſt. *Affectiones carnales quibus dediti ſunt domibus, coniugibus, poſſeſsionibus, ita vt nil preponant Chriſto, iſtis tribus ſignificantur, ſcilicet per lignum, fœnum, & ſtipulam.*

Anima in purgatorio perfectè purgata, ſtatim euolant ad gloriam.

CIRCA quartum, ſciendum quod poſtquam animę perfectæ purgatæ ſunt ibi, ſtatim ſine retardatione euolant ad gloriam, ſicut patet multiplici ratione. *Primo* quia poſt purgationem perfectam nulla remanet in anima deformitas, diſſimilitudo, vel impuritas, propter quam debeat à gloria retardari. *Secundo*, quia ianua cœli ſemper eſt aperta illis, qui obſtaculum nullũ habent, anima autem non habet obſtaculum, poſtquam nulli ſubiacet culpæ, nec debitrix eſt pœnæ. *Tertio* quia neceſſe eſt animam in qua eſt charitas eleuans, & nihil eſt retardans, ad gloriam eleuari. *Quarto* quia cum Deus pronior ſit ad miſerandum quam ad puniendum, merito debet animam iam purgatam coniungere gloriæ, quam purgandam ſubiecit pœnæ. *Quinto* quia non punit Deus bis in idipſum. Vnde cum anima ſufficienter ſatisfecerit pœnis ignium, non debet amplius puniri in dilatione præmiorum. *Sexto* quia poſt purgationem non debet anima eſſe in purgatorio, poſtquam nihil habet cremabile vel purgandum; nec in lymbo, quia non eſt de numero puerorum: nec in inferno, quia non habet mortale: ergo debet eſſe in cœlo; quia poſt mortem non ſunt alia receptacula animarum. *Septimo* quia efficacior eſt charitas quam iniquitas: Sed iniquitas ſtatim in hora ſeparationis animæ à corpore, ducit eam ad ſupplicum. vnde de impijs dicitur Iob 21. *In punctò ad inferna deſcendunt.* ergo charitas ſtatim ducit ad præmium. Vnde ſicut grauia corpora omni impedimento ceſſante ſtatim mouentur deorſum, & leuia ſurſum: ſic ſpiritus impiorum remoto carnis onere, in ipſo momento ſeparationis feruntur ad locum ſuppliciorum propter peccati nimiam grauitatem; ſpiritus vero bonorum ſi non adſit impedimentum culpæ aggrauantis, vel pœnæ retardantis, ſtatim deferuntur ad locum præmiorum.

De pœnis purgatorij quare timendi.

DISTINCTIO XI.

Pœna purgatorij eſt multipliciter timenda.

CIRCA ſecundum principale, ſcilicet *quare pœna purgatorij ſit timenda.* Sciendũ quod propter acerbitatem, diuerſitatem, diuturnitatem, ſterilitatẽ, damnoſitatem, & ſubuenientium paucitatem.

1. *Propter acerbitatem.*

PRIMO quidem timenda eſt propter acerbitatem. Ad cuius intelligentiam ſciendum eſt, quod in purgatorio duplex eſt pœna; vna damni, quæ eſt ex carentia diuinæ viſionis ſeu beatitudinis, altera ſenſus quæ eſt ex afflictione ignis; vtraque autem grauis eſt valde. Aiunt enim aliqui, quod minima pœnarum purgatorij grauior eſt, quam grauiſſima pœna mundi. Hoc autem apparet de pœna damni. Affectus enim quo anima ſeparata, à pondere corporis abſoluta, deſiderat ſummũ bonum, maior eſt & intenſior, quam affectus cuiuſcumque rei temporalis in hac vita, maximè cum iam tempus habendi aduenerit, à quo ſe videt anima per ſuam negligentiam retardari. Quam retardationem potuiſſet exiſtens in corpore per modicam pœnitentiam amouiſſe, Si enim *ſpes quæ differtur affligit animam*, ſicut dicitur Prouerb. 13. quanto maius eſt bonum ſperatum, & magis cognitum, tanto in expectando maior eſt afflictio; & quanto prolixior eſt dilatio, tanto maior noſcitur eſſe dolor, eiuſque carentia moleſtius toleratur.

Pœna purgatorij tam damni quã ſenſus grauior eſt quã quauis pœna mundi.

ISTVD etiam de pœna ſenſus apparet triplici ratione. *Primo* quidem declaratur hoc ex parte ignis affligentis. De igne enim purgatorij loquens beatus Aug. ait. *Hic ignis etſi æternus non ſit, miro tamen modo grauis eſt. Excedit enim omnem pœnam, quam aliquis paſſus eſt in hac vita: nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna, licet mirabilia paſsi ſint martyres tormenta.* Idem *dicit aliquis, ad me non pertinet quamdiu moram habeam in purgatorio, tantum vt ad vitam æternam pergam. Nemo enim dicat fratres cariſsimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quam quicquam pœnarum in hoc ſæculo aut videri potuit, aut ſentiri. Et cum de die iudicij ſcriptum eſt, quod erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam vnus dies, vnde ſcit vnuſquiſque, vtrum diebus aut menſibus, aut forte etiam annis, per illum ignem ſit tranſiturus? Et qui digitum ſuum modo timet in ignem mittere, quare non timeat non paruo tempore, in anima ſimul & corpore cruciari. Et ideo totis viribus vnuſquiſque laboret, vt & capitalia crimina poſsit euadere, & minima peccata ita bonis operibus redimere, vt aut parum ex ipſis aut nihil inueniatur remanere, quod ignis ille poſsit abſumere.* Quamuis autem alia forſitan elementa vel elementata corpora, ad cruciatum animarum concurrant; tamen ignis, quoniam inter omnia elementa minus habet de materia, ſubtilior & purior eſt, magis quod eſt actiuus & penetratiuus, & magis afflictiuus. Ideo magis dicuntur igne, quam alio materiali corpore cruciari.

ITEM quod pœna purgatorij ſit grauior quam pœna aliqua huius mundi, eſt ratio ex parte animæ patientis; quia cum dolor eſſentialiter loquendo, non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus; anima vero ſeparata viuacius ſentit læſiuum quam coniuncta, ideo vehementior eſt dolor animæ ſeparatæ quam coniunctæ. *Ad idem* ſumitur ratio ex parte iudicis pœnas huiuſmodi infligentis, quia plus quærit Deus emendam quam pœnam. Non enim delectatur in pœnis noſtris, inquantum ſunt afflictiuæ & læſiuæ in natura, ſed inquantum ſunt ſatisfactoriæ pro offenſa. Ideo plus ponderat in pœna virtutem bonæ voluntatis acceptantis, & deuotè aſſumentis ex mera libertate, quam grauitatem doloris affligentis, & tolerantiam voluntatis non recuſantis ex neceſſitate. Vnde & actiones noſtræ & paſſiones, quantoplus habent de voluntario, tanto cæteris paribus plus habent de merito, & ſunt amplius gratæ Deo. Quamobrem multo plus acceptat & approbat modicam pœnitentiam voluntariam in præſenti, quam pœnam longe grauiorem minus voluntariam in futuro. Quapropter exigit æquitas diuinæ iuſtitiæ, vt quod deeſt ibi de voluntario, ſuppleatur acerbius in tormento.

Exemplum.

CVM eſſet quidam malus præpoſitus, dedit ei Deus quandam grauem infirmitatem, in qua expendit omnia quæ habebat in medicinis, & alijs, & nihil valuit ei. Vnde cum per quinquennium ſuſtinuiſſet ita grauem infirmitatem, quod non poſſet ſurgere, nec haberet aliquid vnde neceſſaria poſſet habere, & ab omnibus deſtitutus eſſet, & propter paupertatem & vilitatem languoris & dolorem, cæpit murmurare contra Deum, deſperans de hoc quod in iſtis miſerijs tamdiu viueret. Mittitur ei Angelus increpans eum de murmure, monens ad patientiam, & vt per duos annos alios ſuſtineret, per quos plene purgatus ad gloriam euolaret. Qui cum diceret ſe hoc facere non poſſe, ſed potius occidi velle; dixit Angelus, quod aut per duos annos oporteret eum ſuſtinere, aut per duos dies in purgatorio pœnã ſuſtinere, & ſic poſt ad Deum euolaret. Cũ iſte duos

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dies in purgatorio accepiſſet, raptus ab Angelo dimittitur in purgatorio. Iſte autem pœnæ acerbitatem ſentiens, credidit ibi fuiſſe per infinitos dies antequam dimidiam diem compleuiſſet, clamans & eiulans & conquerens Angelum mendacem, nec Angelum eſſe, ſed diabolum. Affuit Angelus ad patientiam monens eum, & arguens de murmure; & dicens quod parum fuiſſet adhuc ibi. Tunc rogauit Angelum quod reduceret eum ad priorem ſtatum. Et ſi vellet, ipſe paratus eſſet, non ſolum ſuſtinere patienter vſque ad duos annos, immo vſque ad diem iudicij: quod fecit Angelus, & vſque ad complementum duorum annorum, omnia patienter ſuſtinuit.

Exemplum. ITEM Petrus Cluniacus dicit, quod quidam ſancto viro proſtrato in oratione in die veneris ſancti, rapto in fletu vſque ad diem paſchæ, fuit facta hæc reuelatio. vidit quidem in purgatorio quendam grauiſſime puniri, qui fuerat pœnitentiæ magnæ, ſed frequenter conſueuerat nimis bibere. Qui cum aliquando exceſſiſſet in potu, diabolus ingurgitantem ſuffocauit eum, aſcendens ſuper cor eius in ſimilitudinem maximi buffonis, comprimens & opprimens eum, & dum eum traheret ad infernum, B. Nicolaus, quem multum dilexerat & honorauerat in vita, occurrit ei & traxit eum ad iudicium Dei; qui grauiſſime pœnæ purgatoriæ ad iudicauit eum. *Item* vidit alium ibi qui fuerat miles largus, curialis, hoſpitalis, & continens in ſuo coniugio, & multas bonas gratias habuerat; tamen multum ſemper amauerat ludum auium, & aucupium ſemper fuerat ſecutus. hic ab alijs pœnis fuerat liberatus, excepto eo quod auiculam in manu tenebat, quæ cum roſtro & vnguibus manum eius dilacerabat, & maximum dolorem ei inferebat. *Item* vidit ibi quendam militem iuuenem, qui fuerat vanus & vitioſus, & crucem acceperat & abierat, qui per totam diem à dæmonibus torquebatur mirabiliter in medio rogo; de nocte faciebat peregrinationem tranſmarinam, ſed parum proficiebat propter tenebras & noctis intemperiem, & viæ & aeris incommoditatem; quem facto die dæmones reducebant ad tormentum affligendum; facta nocte vbi primo acceperant eum, reponebant. Et ſic poſtea vidit idem qui ſupra, alium militem, qui cum haberet iuſpatronatus in quadam Eccleſia, accipiens à quodam clerico 15. marchas, præſentabat eum ad curiam. Qui de hoc pœnitens, à peregrinatione tranſmarina in qua mortuus eſt, mandauit vxóri reddi pecuniam, & quod miſſas pro eo faceret celebrari. Hic dictæ pecuniæ denarios accenſos, ſingulis diebus, miniſtrantibus ſibi dæmonibus, accipiebat & reddebat; & dicebat ſe liberari poſſe omnino vt credebat, ſi adhuc pro eo, reddita pecunia, quinque tricennalia celebrarentur. Multam enim acceperat pœnæ alleuiationem per miſſas pro ſe celebratas.

Exemplum. ITEM cum quidam abbas moriens interrogaretur à monachis ſuis quem ei ſubſtitueret in abbatem; Motus carnaliter, monuit & conſuluit quendam nepotem ſuum ſibi ſubſtitui, quod & ipſi fecerunt. Cum autem dictus nepos factus abbas iret ſolus ad fontem qui erat in horto ſuo, audiuit de fonte exire quaſi vocem auunculi ſui mirabiliter plangentis. Quem cum adiuraret abbas vt ei diceret quis eſſet; dixit ſe eſſe auunculum ſuum, qui ineſtimabiliter ibi vreretur; quia motus carnaliter eum eligi ſuaſerat. Et cum diceret nepos quod ibi non multum poſſet affligi in fonte temperato, rogat vt deferat candelabrum cupreum quod erat retro altare, & proijceret in fontem. Quòd ille fecit, & ſtatim in aqua quaſi cera in igne, & butyrum in olla bullienti, liquefactum eſt. Tunc abbas ſe ſignauit, nec eum vltra audiuit.

Exemplum. ITEM cum quidam in quodam monte iuxta Vulcanum (vbi dicitur locus purgatorij, prope ciuitatem Cathanenſium) quæreret equum Domini ſui, inuenit, vt ſibi viſum eſt, ciuitatem magnam, cuius erat oſtiolum ferreum, & quæſiuit à portitore de æquo quem quærebat, qui reſpondit quod iret vſque ad aulam Domini ſui, qui vel redderet eum, vel doceret. & adiuratus ab eo portitor per Deum, quòd diceret ei quid ageret; dixit ei portitor, quòd caueret ne comederet de aliquo ferculo quod ei daretur. Ingreſſus igitur videbat per vicos illius ciuitatis, tot homines quot ſunt in mundo, de omni gente & artificio. Tranſiens autem per multas aulas, venit in quandam, vbi vidit principem ſuis circumuallatum: offerunt ei multa fercula, non vult de eis guſtare; oſtenduntur ei quatuor lecti, & dicitur ei, quod vnus eorum erat Domino ſuo paratus, & alij tres trium fæneratorum, & dicit ei princeps ille, quòd aſſignaret diem Domino ſuo talem peremptoriam, & tribus dictis fæneratoribus, alioquin venirent inuiti: & dedit ei cyphum aureum, coopertum operculo aureo. Dicitur ei vt non illum diſcooperiret, ſed illum in huius rei interſignium præſentaret Domino ſuo, vt biberet de potu ſuo. equus ſuus ei redditur, redit, implet iuſſa, cyphus aperitur, flamma ebullit. In mari cum cypho proijcitur, mare inflammatur. Hi quatuor licet confeſſi fuiſſent die ſibi aſſignata, rapiuntur ſuper quatuor æquos nigros. Item dicitur quòd ibi in quodam monte iuxta Vulcanum, vbi dicitur locus purgatorij, videntur caſtrum ædificantes, & per ſeptimanas ſingulas ad complementum ducentes; nocte ſabbati omnino diruitur. Die lunæ reincipiunt, & ſic poſtea.

Exemplum. ITEM dicitur quòd cum quidam capellanus apud nouum caſtrum in Diœceſi Lauſan. nomine Guillerinus (qui eſt ſanctus modo vt dicitur, propter miracula multa, quæ Dominus dicitur per eum feciſſe) eſſet in domo ſua ſuper lacum maximum, & quidam miles qui erat cum eo, quæreret ab eo cur ſe affligeret, immo quaſi occideret ieiunijs, cilicijs, & lachrymis; cum aſſertione dixit, quòd vellet eſſe vſque ad diem iudicij in tanto igne quantus erat lacus, & eſſet ſecurus quòd poſſet euadere cum omni pœnitentia ſua, vel ignem inferni, vel purgatorij. *Et referebat* quoddam exemplum, quòd cum quidam latro fugaretur ab hoſtibus ſuis, videns ſe non poſſe euadere, proſtrauit ſe in cruce dicens, quòd bene mortem promeruerat, quia Deum offenderat; flebat pro hoc, confitebatur ſe peccatorem, & rogabat eos, vt Deum de eo vindicarent, exponendo membra martyrio. Quidam autem eremita erat prope, qui multis annis pœnitentiam egerat, cui reuelatum eſt, quòd Angeli cum laudibus in cœlum illius latronis animam deportarent. Qui non egit Deo gratias, ſed indignatur hoc, dicens apud ſe quòd poſtquam ſe expoſuiſſet omnibus flagitijs, ſimiliter in fine pœniteret; & ſic ei fieret vt latroni. & cum ad ſæculum rediret, tranſiens aquam, de ponte cadens ſubmergitur, & à dæmonibus in infernum proijcitur.

2. *Propter diuerſitatem. In purgatorio eſt pœnarum diuerſitas iuxta quantitatem culparum purgandarũ.*

SECVNDO in purgatorio eſt pœnarum diuerſitas. Sciendum autem quòd ſub eodem igne non omnes animæ equaliter cruciantur, ſed vnaquæque plus punitur, & ardorem ſentit, ſecundum quòd plus de cremabili, vel aliquid magis cremabile ſecum tulit. Cum enim ignis ille agat in animas vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ; ideo ſecundum regulam æquitatis diſtinguuntur gradus in pœnis, ſicut ſunt gradus in culpis: Et ſecundum quantitatem criminum, infliguntur cruciamenta pœnarum. Hæc autem diuerſitas non prouenit ex diuerſitate ignis vrentis, ſed ex parte ſpiritus patientis. Sicut enim in domo patris æterni, manſiones multę ſunt. Sicut ſcriptum eſt Ioan. 14. & inæqualitatem graduum facit differentia meritorum; ſic in purgatorio, diuerſitatem pęnarum facit differẽtia peccatorum. Vnde Greg. ait ſic. *Gehenna quamuis cunctis vna ſit, non tamen cunctos vna & eadem qualitate ſuccendit. Nam ſicut ſub eodem ſole omnes tangimur, non tamen omnes ſub eo, vno ordine æſtuamus; quia iuxta qualitatem corporis, ſentitur etiam pondus caloris, ſic damnatis vna eſt gehenna, & purgandis vnus eſt ignis qui afficit: Sed tamen non omnes equaliter comburit: quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.*

Ex dictis patet grauiſſimas eſſe pęnas purgatorij, licet

in eis magna sit disparitas grauitatis. Quis igitur tam insolens, qui non timeret Deum offendere? quis tam insanus, qui non horreret in pœnas illas incidere? quis tam procax, qui non deberet peccata fugere? quis tam durus & ferreus, qui non compateretur sic vehementer afflictis? quis denique tam impius & crudelis, qui non conaretur animas illas eripere de tormentis, si cogitare profundè non perfunctoriè de præmissis? Si namque hoc homines diligenter aduerterent, ac in memoriæ secreto reconderent, necnon & frequenter meditando reuoluerent, ac reuoluendo sæpius ruminarent; pœnitere, & pœnitentiam salutarem vsque in purgatorium agere, non differrent, quippe tam per se quam per alios modo possent faciliter suam procurare salutem, modo possent amicos & intercessores acquirere, modo possent se per breuem & leuissimam pœnitẽtiam ab æterna morte redimere, modo possent non tantum debitas pro peccatis suis pœnas exoluere, sed quod longe maius est, merita cumulare. Pœna enim purgatoria, satisfactoria est pro reatu, sed non est meritoria: Pœnitentia vero præsentis vitæ, non tantum est satisfactoria pœnæ, verumetiam meritoria fælicitatis æternæ. Rursus in purgatorio multa puniuntur quæ non reputatur esse peccata, vel non ita grauia iudicantur. Magna itaque fatuitas est hominis expectantis vsque tunc agere fructum pœnitentiæ salutaris.

Exemplum. Beda in gestis Anglorum dicit quòd temporibus Sigisberti Regis, venit de Scotia in Britaniam maiorẽ B. Furseus nobilis genere, qui multos Anglorũ conuertit ad fidem. Qui postquam fundauerat ibi multas domos religiosas, occupatus graui infirmitate, eductus est à corpore. Et à vespere vsque ad primum gallicantum audiuit Angelorum melodias frequenter cantantium: *Ibunt sancti de virtute in virtutem, videntes Dominũ Deum in Syon.* Et post reductus ad corpus, & die tertia iterum eductus à corpore, longiori spacio vidit maiora. Vidit enim bonorum & malorum spirituum agmina, quę de eo ad inuicem certabant. Mali ei viam intercludere contendebant, & eum crebris accusationibus impetebant; & libros conscriptionis contra eum, etiam de cogitationibus offerebant. Sed boni Angeli eorum accusationes & libros pro nihilo ducebant, & eum ab eis defendebant. Cum autem dicti Sancti animam secum in aere leuassent, respiciens subtus se, vidit quasi vallem tenebrosam, de qua ascendebant quatuor genera ignium à se spacio distantium. Cum autem interrogasset Angelum, qui essent hi, audiuit hos esse ignes qui mundum succedentes ipsum erant consumpturi. Primus inquit Angelus, est ignis mendacij, quia homines nec Deo nec hominibus seruant pacta, & illud maximè quod in baptismate promiserunt, se abrenunciare diabolo & pompis eius. Secundus ignis est cupiditatis, maximè cum terrena spiritualibus, aut cœlestibus anteponunt. Tertius dissensionis, cum animas proximorum in rebus etiam superuacuis scandalizare, vel offendere, homines pro nihilo ducunt. Quartus est impietatis, cum homines non timent infirmiores spoliare, vel decipere, vel defraudare eos. Dicti autẽ quatuor ignes cum adeo creuissent quod in vnam flammã conglobati essent, clamauit sanctus Furseus territus: cui Angelus Noli timere, quod non succendisti, non ardebit in te. Iste ignis, facta examinat singulorum. Tres autem Angeli animam sancti Fursei comitabantur, vnus ab ea flammam abigebat ex parte anteriori, alius ad dexteram, & tertius ad sinistram assistentes, custodiebant à flammis eum, & dæmonibus qui multum eam impetebant. Cum autem transiret per dictam flammã: vidit multos dęmones & homines, & multos quos nouerat in sæculo, pro diuersis causis diuersimodè torqueri, qui etiam multa fuerunt ei locuti, quæ legentibus & audientibus possent esse valde vtilia; quorũ plurima, vt dicit Beda qui hoc scripsit, scripta sunt in libro vitæ suæ. Cum autẽ transissent dictam flammã, multi Angelici spiritus de cælo descendentes, multa ei locuti u erunt. Similiter & multi quos nouerat in sęculo, quę possent esse valde vtilia audientibus, qui ad cælum sunt regressi. Tres autem Angeli qui comitabantur dictam animam cum ea remanentes, per dictam flammam eam reducebant, in qua vidit torqueri mirabiliter vnam animam succensam vt ferrum candens, clamauerunt dæmones vim conantes inferre, quod ibi deberet remanere, & cum dicta anima torqueri; quia cum esset mortuus in peccato, ille cuius erat anima, vestimentũ eius acceperat. Cum autem defenderent eam Angeli, & excusarent quòd potius fecerat pro salute mortui, quam pro cupiditate; cum dæmones non possent animam Fursei detinere, proiecerunt dictam animam super humerum eius. Angeli autem eam excusserunt à Furseo, flammam extinguentes, dæmones clamauerunt, nolite repellere, vt sicut de bonis eius accepit, de pœnis sentiat. Angeli autem dixerunt: ecce quod succendisti arsit in te. Plura autem docentes eum Angeli, quæ sunt salutaria eis qui in pœnitẽtia moriuntur, ad corpus eius animam reduxerunt: & quod mirabile fuit, incendij vulnus quod ab illa anima passus fuerat, in anima reducta ad corpus apparuit postea visibiliter in humero eius, & maxilla corporali; vbi eum tetigerat dicta anima, in anima solum.

Exemplum. Ad hoc pertinet quod legitur in vita beati Patricij secundi, qui missus ad prædicandum in Hyberniam, cũ durum populum non posset conuertere, nec crederent cõminationibus aut promissionibus eius, orãti ostẽdit dominus ei fossã rotundã, vbi qui intraret, in spacio vnius diei & noctis purgaretur si perseueraret: qui fecit eã claudi, & iuxta, abbatiã ędificauit. Multi pœnitẽtes eã intrauerũt, & visa retulerunt, per quæ alij sunt cõuersi.

Exemplum. In vita S. Patricij dicitur, quòd cum quidam miles multum flagitiosus missus fuisset ad suum episcopũ, & confessus fuisset ei multa peccata enormia, pœnitẽtiam quam dabat episcopus respuebat dicens, quòd eam non posset facere. Et cum dixisset ei episcopus quòd ex quo nolebat facere pœnitentiam ieiunij, aut orationis, aut peregrinationis, & sic de alijs, iret ad Dominũ suum diabolum. Confusus miles, ad cor redijt; petens vt daret ei pro pœnitentia, vt intraret in purgatorium beati Patricij. Qui misit illum ad abbatem loci illius, qui custodiebat claues illius speluncæ. Qui cum suasisset ei aliam pœnitentiam potius facere, & miles nollet desistere, fecit eum per quindecim dies exercitari in ieiunio, & oratione, & confessione. Quibus completis, instructus ab abbate & fratribus quid ageret, intromittitur cum processione. Cum autem intrasset & aliquantulum processisset, inuenit domum ad modum clausstri, in qua erat pratum, & ibi sedit. Et ecce ibi veniunt ad eum quindecim de abbatia, qui cum suasissent reditum, necille acquiescceret, instruunt eum quid ageret, & quomodo venientibus dæmonibus, nec promittentibus prospera, nec minantibus aduersa crederet, quia si hoc faceret periret; sed in suo proposito firmus maneret, & in omni tormento nomen Iesu Christi inuocaret, & crucem si posset sibi imprimeret. Postea illi recesserunt; & tunc audiuit tantum eiulatum dæmonum & strepitum, ac si omnia elementa attererentur in simul. Post vidit eorum maximam multitudinem horribilem aspectu, consulunt reditum, promittunt multa si redeat. Quem cum non possent mouere à proposito suo, igne succenso in dicto prato, eum nudatum vestibus, cum furcis ferreis & vncis per ignem distrahunt. vbi dũ torqueretur, inuocato nomine Iesu, & facto signo crucis, ignis ille extinguitur. Tunc ducunt eum per maximas tenebras & horribiles, & sensit ibi ventum calidissimum & vehementissimum, qui totum videbatur eum perforare & exurere. Post ductus versus orientem, cœpit audire totius vulgi fletus miserabiles. Post ducitur ad campum latissimum, cuius finem videre nõ poterat, qui totus ardens videbatur, vt ferrum cãdens. Ibi vidit infinitam multitudinem manibus affixorũ & pedibus, ventres habentium deorsum, dorsa sursum. Hi præ dolorib. videbantur cũ dentibus terrã mordere, aliquando clamabant, parce, parce Et tũc dæmones

currendo

currendo ſuper eos grauius flagellabant. Cum his dictum militem ponunt & affligunt, ſed inuocato Ieſu liberatur, & inuenit ſe ad finem campi. Sed dæmones concurrentes ducunt eum ad alium campum æqualis magnitudinis, vbi vidit ſimiliter homines affixos, ſed ſupinos, qui habebant ignitos ſerpentes voluentes eos ſuper ventres, & brachia, & capita, & pectora, & bufones horribiles, qui ignitis aculeis videbantur extrahere interiora, ſimiliter & dentibus. Illi continuè eiulabant, & hos dæmones tranſeuntes flagellauerunt vt alios. Poſt ducunt dictum militem ad tertium campum, qui erat plenus hominibus vtriuſque ſexus, qui affixi erant clauis candentibus per totum corpus: ibi præ dolore, nec loqui poterant, nec clamare, niſi modicum ſuſpirare & plangere, vt qui laborant in extremis. De eis fecerunt dæmones, & de milite, ſicut & de alijs. Poſt ducitur ad quartum campum plenum multis ignibus, vbi erant omnia genera tormentorum quę excogitari poſſunt. Alij ſuſpendebantur ibi catenis igneis & ſulphureis; alij per pedes, alij per manus, alij per caput; alij in vncis ferreis & igneis pendebant per vngues, alij per oculos, & per alia membra torquebantur, & ſuſpendebantur, & vrebantur igne & flamma fætente, ſuppoſitis alijs metallis bullientibus, alij in ſartagine friebantur, alij in veru aſſabantur. Ibi vidit dæmones torquere aliquos ſocios ſuos. Eiulatus & planctus eorum nemo ſufficit dicere. Poſt hoc ducunt militem ad locum, vbi vidit rotam igneam infinitæ magnitudinis, quam dæmones vertebant ita velociter, quod cum volueretur apparebat globus igneus. Cum tenerent eam vt miles in ea poneretur, vidit in ea vndique per radios, vncos igneos infinitos, & homines in eis per diuerſa membra diuerſimodè ſuſpenſos. Poſt ducunt eum ad domum, cuius terminum non poterat videre, quæ erat plena foueis rotundis, plenis metallis bullientibus & hominibus vlulantibus, alij habebant in metallis bullientibus vnum pedem, alij duos, alij vſque ad genua, alij vſque ad ventrem, alij vſque ad pectus, alij vſque ad oculos &c. Poſt ducitur ad locum montis, vbi vidit infinitam multitudinem nudorũ digitos incuruantem, mortem expectantem (vt videbatur) & trementem. Et cum miles hoc videns ſtuperet, venit vētus aquilo, militem & omnes rapiens, & ad aliam partem montis ferens, & eos immergens in fluuium fœditiſſimum & frigidiſſimum: per omnia tormenta prędicta dæmones cum alijs militem torquebant Qui inuocato nomine Ieſu inueniebat ſe ſemper ad finem tormenti. Poſtea ducitur ad puteum, de quo vidit flammam putentem aſcendere, & homines candentes quaſi ferrum euomi, & aſcendere cum flamma ad modum fauillarum; ſed dæmones eos reimpingebant. Ibi militem proijciunt, dicentes quòd eum proijciebant in infernum. Ibi tam vehementer abſorptus à dolore fuit, quod nomen Domini ferè non recoluit. Tamen vix ad cor rediens, in corde (cum orare non poſſet) inuocato nomine Ieſu, euomitus eſt ad oram putei. Tunc alij duo dæmones à prioribus, duxerunt eum ad fluuium ſulphureum & igneum, ſub quo dicebant ei eſſe infernum, in quo erat pons arctus & arduus, & ita congelatus & lubricus, vt ſi etiam latiſſimus fuiſſet, vix aut nunquam aliquis ſtare vel aſcendere potuiſſet: Ita arctus vt vix in eo pedem ponere poſſet. Inuocato autē nomine Domini, melius ac melius per eum iræ cæpit, & dęmones ad pedē remanſerunt. Cum autem eſſet in ſummo pontis, clamor tātus exiuit de fluuio, vt vix ſtare poſſet, & plus horruit quā prius, ſed inuocato nomine Ieſu, liberè tranſiuit fluuium, qui plenus videbatur diuerſis & inuiſis generibus draconum & ſerpentū. Quo tranſacto vidit pratum pretioſiſſimum, & fragrantiſſimū, & ámæniſſimum, diuerſis floribus plenum & odoribus. Poſt vidit ciuitatē pulcherrimam, habentē murum mirabilem diuerſis & pretioſis lapidib. fulgentē, de cuius porta exibat odor mirabilis. Ad cuius afflatum ita fuit recreatus & conſolatus, quòd ei videbatur, quòd nullū unquam dolorem vel fętorem vel laborē ſenſiſſet. Cui obuiam venerunt diuerſa conuenticula ſpecioſiſſimorum hominum, qui eum introduxerunt intra illam, & conueniebant in media ciuitate. Et circa diem mediam, ſplendor maximus, cœlo deſuper aperto, eos circūfulſit, quo inæſtimabili gaudio, ſuauitate, dulcedine, perfundebantur, & replebantur & reficiebantur, ita quòd inde viuerent, nec victu alio indigerent, & dicebant ſupra in cœlo eſſe cœleſtem paradiſum. Aliqui inde cum ipſo lumine ſurſum aſcendebant, & aliqui ibi remanebant. Miſſi autem fuerunt ei Angeli cū lumine dicentes, quòd rediret. Et cum rogaret vt dimitteretur ibi in ciuitate illa cum alijs in loco infimo, dictum eſt ei quòd tunc non poſſet hoc fieri, ſed redire eum oportebat per loca per quæ venerat. & cum ille diceret, quod potius mori vellet; dictum eſt ei quòd ſecurè rediret, quia eius aduerſarij eum minimè lædere poſſent; ſed ſi viderent eum, ſtatim velut victi & perterriti eum fugerent; nec ipſi nec tormenta aliqua lædere poſſent eum: & ſi bene viueret de cætero, & à peccato pro viribus caueret, non ſolum non ſentiret tormentum inferni, ſed nec aliqua eorum quæ viderat pateretur, & ad loca ſupernæ claritatis aſcenderet. Qui rediens per loca per quæ eductus eſt, non inuenit aliqua tormenta; ſed ſi dæmones à longe eum vidiſſent, fugiebant ab eo vt tempeſtas. Mane autem ſecundæ diei facto, hora qua intrauit, venit ad locum per quem intrauerat, & inuenit omnes qui eum proceſſionaliter intromiſerant, & eum proceſſionaliter receperunt. Qui retulit eis quæ inuenerat, & rediens ad ſuum Epiſcopum, ſumpta cruce tranſmarina transfretauit, & quamdiu vixit arctiſſime ſe afflixit.

3. *Propter pœnarum prolixitatem.*

Item in purgatorio eſt pœnarum prolixitas, ſeu diuturnitas; quia pœna de qua ſe poſſet homo expedire dum viuit in ſpacio vnius diei, protenditur in purgatorio per ſpacium vnius anni. Sicut deſignari dicitur Ezech. 4. *Fils hominis diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi.* Vt filijs Iſrael factum eſt, qui ideò quod male ſe habuerunt in deſerto, & Dei beneficio ſunt abuſi, viam quam potuiſſent feciſſe per quadraginta dies, vix perfecerunt in deſerto per quadraginta annos. Num. 14. *Annus pro die computabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam.* Ad hoc facit ratio ſuperius poſita, quia diuina iuſtitia plus acceptat modicam pœnitētiam voluntariè aſſumptam in præſenti, quam longe grauiorem pœnam minus voluntariam in futuro. Ideo ſecundum æquitatem diuinę iuſtitiæ, quod deeſt ibi de voluntario, oportet ſuppleri & acerbius & longius in tormento.

4. *Propter pœnarum ſterilitatem.*

Item in purgatorio eſt pœnarū ſterilitas: eſt enim quælibet pœna purgatorij infructuoſa quantum ad meritum. Cum enim tria ſunt genera pœnarum, videlicet præſens, puta pœnitentiæ vel tribulationis, quæ valet quantum ad pœnę debitę acurtationem, & quantum ad meriti acquiſitionem: Item purgatoriæ, quæ valet ſolum quantum ad pœnæ remiſſionem non ad meriti ampliationem: Item pœna inferni, quæ ad nihilum valet. Tempus enim præſens eſt tempus metendi & ſerendi. Pſal. 125. *Qui ſeminat in lachrymis in exultatione metet.* & Eccl. 3. *Eſt tempus acquirendi.* Et 2. Cor. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Galat. 6. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam: bonum autem facientes &c.* Hi ſunt ſeptem anni fertilitatis, in quibus per ſeptiformem gratiam, pœnitens poteſt accumulare gratiam, & acquirere gloriam. Hoc bene ſignificatur Gen. 41. in ſeptem bobus pulchris, & in ſeptem ſpicis plenis; In ſeptem annis fertilitatis, qui ſunt in præſenti: quia hic per pœnitentiam acquirit homo ſeptiformem gratiam, & eius augmentum in futuram gloriam plenam in ſeptem dotibus. In futuro autem purgatorio, vel inferno non erit tempus gratiam vel gloriam promerendi. Gen. 45. *Quinque anni reſtant in quibus nec arari nec meti poteſt.* Ideo dicitur Matth. 3. *Facite hic dignos fructus pœnitentiæ; ſecuris autem ad radicem arboris poſita eſt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5. Propter dãnositatem.

ITEM pœna purgatorij est non solum infructuosa quantum ad meritum, immo etiam est damnosa. O quam inæstimabile damnum est à Dei visione, vel modicum retardari. Sicut colligere possumus ex verbis Augustin. in libr. de libero arbitrio, sic dicentis: *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, vt si non liceret amplius in ea manere, quam vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs, & circumfluentia temporalium bonorum, recto meritoque contemnerentur. vnde non sine causa, nec sine deuotione dictum est.* Psal. 83. *Melior est dies vna in atrijs tuis super milia. Quantum autem bonum est eius beata perfrui visione, tantum est damnum in eius carentia & retardatione.* Vtinam diligenter attenderent homines, ac profundius cogitarent quam inæstimabile sit hoc damnum. profecto non sic faciliter ad peccata currerent, nec peccatum quandocunque leue vel modicum reputarent, quinimmo quodlibet veniale vehementius abhorrerent, quam nunc mortalia peccata formident. Quis enim non totis viribus euitaret quodcunque peccatum, si firmiter tenerent se propter illud vnius diei mora, vel amplius, glorioſa Dei visione priuandum. Quantum ergo dolendum esset, & amarissimè deplorandum, quod omnes homines sic passim, quasi timore Dei postposito, eiusque iudicio sic contempto, currunt & præcipitanter corruunt, non tantum in venialia, sed etiam mortalia; nec est qui consideret quanta damna incurrere non verentur, & ad quã horrenda supplicia dilabuntur. Ideo dicitur Eccles. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux eius.* Super mortuum inquam in purgatorio plora, quia defecit lux beatificans. vel super mortuum in mortali peccato, quia defecit lux cognitionis eius; excæcauit enim eum malitia eius.

Propter subuenientium paucitatem.

ITEM aggrauatur pœna purgatorij propter subuenientium paucitatem: nam viui mortuos cito obliuioni tradunt. vnde quilibet existens in purgatorio clamat illud Iob 19. *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et Gen. 40. dixit Ioseph detentus in carcere pincernæ Pharaonis. *Memento mei dum bene tibi fuerit*: sed tamen succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui. sic homines huius mundi obliuiscuntur amicos & benefactores suos, qui in carcere purgatorij detinentur. Sunt enim amici fortunæ, non personæ, Eccl. 6. *Est amicus socius mensæ, & non permanet in tempore necessitatis.* Tales amici similes sunt

Simile.

cani, qui quamdiu peregrinus homo sedens in mensa tenet os in manu, in signum amoris vertit ei faciem, & applaudit cum cauda; sed quam cito manus habet vacuas non cognoscit eum, immo latrat contra eum vel mordet. sic amici huius mundi sic obliuiscuntur mortuos, ac si nunquam eos nouissent, & quod est deterius latrant & mordent eos, de ipsis nequiter detrahẽdo. Tardè & malè soluuntur defunctorum debita vel legata. Raræ, paucæ, vel nullæ fiunt pro eis eleemosynæ; nec pro eis orationes, vel alia suffragia procurãtur. Et quod deterius est, eorum bona diripiuntur, & animæ negliguntur, & obliuioni traduntur. vnde quilibet eorum potest dicere illud Psalm. 30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Hic notari potest exemplum quod in gestis Caroli scriptum est: Miles quidam &c. *Require infra dist. 12 sub finem.*

PRVDENTER igitur huius mundi sapientes agerent, si dum viuunt & sani sunt, sibi salubriter prouiderent, nec fidei cuiusquam, sua seque committerent, sed ipsimet potius eleemosynas suas darent, debita soluerent, ac amicos sibi prouidere procurare curarent, qui migrantibus ex hoc exilio, æterna tabernacula præpararent. Si enim hoc facerent homines, certam viam eligerent, & non se committerent in incertum. Item maius sibi meritum acquirerent per se, quam per alios faciendo; quia ex maiori deuotione fieri viderentur. Vnde B. Lucia dixisse legitur matri suę: *Non satis Deo charum est, quando illi dat homo quo ipse perfrui non potest; sed si tibi vis gratum esse Deum, hoc illi da quo tu poteris vti. Nã quod das moriens, ideo das quia tecum ferre non præuales, viuens ergo & salutem tui corporis obtinens, da Christo quod possides.* Dicebat quidam deuotus homo: *Quod das viuus & sanus aurum est, quod das moriens argentum est, quod vero das erogandum post mortem, plumbum est.*

De motiuis ad compatiendum animabus in purgatorio.

DISTINCTIO XII.

Tria nos mouere debent ad compatiẽdum animabus in purgatorio.

CIRCA tertium principale, sc. *quæ nos mouere debent ad compatiendum animabus in purgatorio existentibus.* Sciendum quod ad compatiendum eis viscerali ter ex affectu, & efficaciter cum effectu, tria debẽt specialiter nos mouere. Primum est status earum pia considera-

1. *Status earũ pia consideratio, sed præcipuè quoad quatuor.*

tio. Secundum est beneficiorum, quę ab eis recepimus grata recognitio. Tertium est indigentiæ nostræ futuræ prudens præmeditatio.

QVANTVM ad primum debemus aduertere, quod eorum miserabilis status miseratione dignus, demonstratur ex quatuor. Quorum primum pertinet ad pœnã sensus. Alia vero tria pertinent ad pœnam damni. Istud primum est dolor afflictionis, qua, sicut dictum est, durissimè cruciãtur. Non est tyrannus in mũdo, nec alius quisquam corde tam ferreus, qui si coram oculis suis videret hominem quantumlibet ignotum, vel etiam impium, sic atrociter cruciari, qui non ad pietatẽ, compassionem, & misericordiam moueretur. Quam dãmabiliter ergo durus, & detestabiliter obduratus, ac totius humanitatis est expers, qui patrem & matrẽ, filios & nepotes, consanguineos & amicos probabiliter credit (si tamen recogitat) in illius ardentissimæ fornacis incendijs cruciari; illos tamen non solum liberare non nititur, sed nec vlla pietatis compassione mouetur. Quodque maius est, nec faciem suam illuc cõuertere, nec oculis mentis inspicere meditando dignatur. Cõsiderare deberet homo rationalis existẽs, quod animalia bruta naturaliter sibi naturalia diligunt, ac mutuo sibi cõpatiuntur, seque coadiuuant, & defendunt. vnde brutalis stoliditas, & feralis crudelitas, humanam condemnat duritiam, naturalis pietatis oblitam.

SECVNDO mouere nos debet ad compatiendum eis damnum detentionis qua à Dei visione diutissime retardantur. Detinentur enim in carne, donec pœnis addicti, & debitis obligati, plenè satisfecerint vsque ad nouissimum quadrantem. Si autem pium est homines in carcere materiali detentos personaliter, vel realiter per transmissum eis beneficium, visitare; quanto maioris est pietatis, & meriti plenioris, animas diuino carceri mancipatas, non solum mentaliter meditando, verumetiam realiter beneficijs adiuuando, visitare. Hæc autem pœna detentionis propter retardationem à visione diuina, longe grauior est omni pœna sensibili; & præter hoc quod est qualibet pœna præsenti grauior, est etiam prolixior quam communiter credant homines. Cuius diutinæ detentionis, aut prolixæ retardationis, *vna ratio est*, quia nescit homo pondus diuinæ iustitiæ vindicãtis, id est quam districtè iudicat, & quam seuere punit. Alia ratio est claritas diuinæ sapientiæ omnia speculantis: videt enim multa quæ non videmus in nobis, & multa inuenit punienda quæ nos latẽt, vel negligẽtia, vel obliuione deleta. In auro quod videtur esse purissimum, inuenit adhuc ignis aliquid expurgandum. *Alia ratio est*, quia tarde & male soluuntur defunctorum debita & legata, sicut dictum est, & quanto amplius solui differunt debita & huiusmodi, tanto tardius percipiuntur ab eis suffragia, tantoq; diutius in purgatorio detinentur. Si autem viuens sanus, homo hoc faceret, in cælum sua præmitteret, mansionemq; sibi in cæleſti palatio præpararet; aut prę caueret sibi vt omnino purgatorium non intraret, vel saltem ibi longe breuiori tempore remaneret.

Quãto amplius differũtur defunctorum debita tanto diutius in purgatorio detinentur.

RELIGIOSVS quidam literatus & prudens salubriter sibi prouidere cupiens ante mortem, quatenus securus & cum maiori spe salutis ex hac vita migraret, ac de

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac de pœnis purgatorij celerius expediri valeret; conuocatis fratribus de conuentu humiliter eis dixit: *Exemplum.* Chariſſimi fratres, ego ſperans me ex hac vita infra tempus modicum exiturum, tota mentis affectione, & feruenti deuotione depoſco, vt miſſas, orationes, aliaque ſuffragia, quæ tenemini ſoluere coram Deo, tam ex communi charitate quam tenemini generaliter omnibus Chriſtianis, quam ex profeſſionis vnitate, quam ex ſtatutis capituli generalis, mihi dum adhuc viuo impendere, veſtra pijſſima charitate, & chariſſima pietate velitis. Si enim vſque poſt mortem meam diſtuleritis, neceſſe habebo pœnas purgatorij ſuſtinere, quouſque per orationes veſtras fuero liberatus. Et ſic forſitã per vnum annum, duos, vel amplius cruciabor, & à viſione diuina, & fruitione gloriæ retardabor. Si vero me viuente miſſas veſtras, & orationes exolueritis, forſitan omnino ab ingreſſu purgatorij præſeruabor, vel ſaltem celerius liberabor, citiuſque ingreſſus in gloriam vices veſtræ charitati rependens, pro vobis Dominum deprecabor.

TERTIO compatiendum eſt eis, quia quaſi manibus irretiti, non poſſunt operari meritoria. Iam enim exierunt ſtatum merendi, & tempus eſt ſecundum merita recipiendi. Vnde ſcriptum eſt Eccleſ. 9. *Mortui non habent vltra mercedem*, id eſt facultatem promerendi mercedem.

QVARTO quia quaſi pedibus vinculati, non poſſunt ad viuos venire ad petendum ſuffragia. Quod intelligendum eſt quantum eſt de lege communi, ſicut dicitur Sapient. 2. *Non eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis*. Et Iob 14. *Homo cum mortuus fuerit, vbi quæſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat; ſic homo cum dormierit non reſurget*. Et 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur:* quæ omnia intelligenda ſunt quantum eſt de lege communi. Nonnunquam tamen mortui charis ſuis viuentibus apparuiſſe leguntur, aut de gratia ſpeciali ſibi facta ad ſuffragia poſtulanda, aut ad inſtructionem, correptionem, ſeu conſolationem viuorum: quibus videlicet apparebant: quæ omnia probari poſſent euidentiſſimè per exempla. Sic declaratum eſt primò propoſitum, videlicet quod ad miſerendum mortuis in purgatorio, mouere debet de præſenti, eorum pœnalis miſeria.

2. Recognitio beneficiorum ab ijs ſuſceptorum.

SECVNDO ad eis miſerendum mouere nos debent de preterito ſuſcepta beneficia. Ad hoc autem inuitat Dauid Rex pijſſimus, & propheta, 2. Reg. 1. *Conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt*, Saul, ſcilicet & Ionatha, qui regebant eos, ac pro eorum defenſione contra aduerſarios dimicabant. Sequitur: *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete qui veſtiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro, quomodo ceciderunt fortes in prælio* &c. quæ ſequuntur. Sed prô dolor, omnes penè homines tam ſæculares, quam etiam regulares, ſuper receptis beneficijs mortuorum ingrati, cor & oculum habent ad reliqua quę ſuperſunt, promptiores ad mortuorum ſpolia rapiendum, quam ad ipſos mortuos adiuuandũ. Vnde ſcriptum eſt 2. Paral. 20. *Venit Ioſaphat, & omnis populus cum eo, ad detrahenda ſpolia mortuorum.*

3. Noſtra indigentia.

TERTIO ad compatiendum mortuis in purgatorio mouere nos debet de futuro noſtra indigentia. Quãdo enim liberati fuerint, & in conſpectu Dei gloriam cõſecuti, ipſi nos iuuare poterunt ſuis orationibus, & nos indigebimus adiuuari. Illos autem præcipuè credendi ſunt propenſius recommendatos habere qui eos cum eſſent in locis pœnalibus adiuuerunt. Et illi merentur maximè poſt mortem adiuuari ſuffragijs, qui dum viuerent fuerunt ſolliciti pro mortuis adiuuandis. Vnde Ruth 1. *Faciat vobiſcum Deus miſericordiam, ſicut feciſtis cũ mortuis.* Et 2. cap. *Benedictus ſit à Domino Booz, quoniam eãdem gratiam quam fecerat viuis, ſeruauit & mortuis.* *Similo.* Nota quando aliquis generoſus vel valens homo tenetur in carcere, de cuius liberatione ſperatur, & quod futurus ſit magnus, & potens magnificè retribuere illis, qui ei in ſua neceſſitate compaſſi fuerint, & eum beneficijs ſuis adiuuerint, ac ad eius liberationem operam dederint efficacem, tali libenter ſeruitur in carcere, ad eius liberationem & ſolatium cura diligẽs adhibetur. Quãto magis ergo iuuandi ſunt mortui in purgatorio quos conſtat amicos eſſe magni principis, qui de beneficio eis impenſo lætatur. Ipſi autem ingrati eſſe non poterunt, ſed beneficijs ſuis retribuere ex ſumma charitate volunt, & ex ſumma poteſtate valebunt.

RELIGIOSVS quidam, orationes, & miſſas, quas ſecundum ſuæ religionis ſtatuta ſoluere tenebatur, negligenter agebat: qui mortuus durè eſt de negligentia reprehenſus, & inſuper ſic punitus, quod ſuffragia quę pro ipſo fiebant, iudex iuſtus diſtribuebat alijs; vt in quo peccauerat puniretur: vt ſicut ipſe mortuos fraudauerat, ſic mortuus fraudaretur; nec ipſe mortuus iuuaretur à viuis, qui viuens neglexerat quæ debebat ſoluere pro defunctis. Ex præmiſſis apparet quam impium ſit agere contra defunctos, vtpote res eorum retinendo, vel teſtamenta negligenter & male ſoluendo, vel ea quæ debentur mortuis, ſcilicet orationes, & ſuffragia, male vel tarde reddendo. Dicitur Eccleſ. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*, ſcilicet retardando, vel non ſoluendo. *Exemplum.*

RELIGIOSVS quidam Matthæus Hiſpanus, nocte apparuit cuidam fratri poſt mortem in clara facie dicens, quod poſt mortem detentus fuerat per quatuordecim dies in purgatorio. Et cum quæreret cauſam huius frater; dixit, quod hoc fecerat negligentia illorum fratrum, qui miſſas & ea quæ ei debebant, non ita cito ſoluerant vt debuiſſent, & monebat fratres ſuper hoc admonendos, vt cito ſoluerent. *Item* dicitur, quòd quidam monachus mortuus, completo eius officio, apparuit cuidam alteri grauiter afflictus, & petens ſubſidia dicens; quòd multum indigebat, quia ea quæ facta fuerant pro eo, alij acceperant, quibus ipſe non ſoluerat. *Exemplum.*

ITEM legitur in hiſtoria Caroli magni, quæ dicitur de Runciuallis. Cum eſſet hoſpitatus Carolus apud Baionam, quidam miles nomine Romericus ibi moriens, præcepit cuidam conſanguineo ſuo equum ſuum vendi, & pretium eius clericis & pauperibus erogari. Qui vendidit equum & pretium receptum in vſus proprios expendit. Poſt triginta autem dies, dictus Romericus conſanguineo apparuit dicens: Scito mihi peccata mea eſſe dimiſſa, ſed quia legatum meum per triginta dies retinuiſti, per eoſdem in pœna fui, tu autem æternum ſupplicium non euades. Ego autem ex nunc in paradiſi requiem collocabor. Dictus autem conſanguineus perterritus, ſociis ſuis in mane quę viderat & audierat retulit. Qui ipſa die in aere ſupra ſe audiuit rugitus vt leonum, vrſorum, mugitus taurorum, & vlulatus luporum, & rapitur de medio ſociorum ſuorum. Et quęſitus per quatuor dies, non eſt inuentus. Exercitus autem poſt duodecim dies cum pertranſiſſet per terram Nauarræ, inuenit eum præcipitatum à dæmonibus, & attritum à rupis faſtigio.

ITEM quidam ſcholaris moriens Pariſiis, dimiſit ſocio ſuo culcitram vendendam & pauperibus dandam. Qui cum eam retineret & ſuper eam iaceret, vidit eum ante ſe iacere multum afflictum in lecto ſuper nudas chordas. Cum autem perterritus pœnitentiam ageret, vendidit culcitram, & pretium pauperibus erogauit, & pro eo orare fecit. Qui poſt apparuit ei in lecto ſuper culcitram, & valde ſuauiter quieſcens. *Exemplum.*

Qualiter iuuandæ animæ defunctorum.

DISTINCTIO XIII.

CIRCA quartũ principale, ſcil. *qualiter iuuari poſſunt animæ defunctorum*. Sciendum quod iuuari poſſunt per miſſarum celebrationes, fidelium oblationes, denotas orationes, eleemoſynarum largitiones, pœnitentiales afflictiones, legatorum executiones, debito

rum

Animæ defunctorum multis modis iuuari possunt.

rum restitutiones. Vnde August. in Enchirid. *Non est ambigendum defunctorum animas, pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis prosunt qui cum viuerent, hæc sibi vt postea possent prodesse meruerunt.* Idem. *Cum sacrificium, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propiciationes; sed pro valde malis etiam si nulla sunt adiuuamina mortuorum, tamen qualescunque viuorum sunt consolationes.* Item in sermone de verbis Apostoli. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adiuuari; vt cum eo misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum tota obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in communione corporis & sanguinis Domini defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium commemorentur loco suo, & oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Idem. *Non ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt ante mortem vt possent eis hæc esse vtilia post mortem,* scilicet vt dicit postea, *qui cum fide operante per dilectionem hinc exierunt.*

Missa sacrificium prodesse defunctis declaratur variis exemplis.

Qvod autem missa & sacræ Eucharistiæ oblatio proficiat existentibus in purgatorio, patet multis exemplis Gregor. 23. Dial. dicit, quod cum duæ sanctimoniales, seruum Domini qui eis ministrabat timide exteriora pro nobilitate carnis, multis contumelijs afficerent, beatus Benedictus hoc audiens mandauit eis. Corrigite linguam vestram, alioquin excommunico vos. Quam sententiam vt dicit Gregor. non intulit proferendo, sed minando. Quibus non correctis sed defunctis, cum diaconus clamaret: Qui non communicat det locum; nutrix earum de sepulchris suis videbat eas superegredi. Quod audiens beatus Benedictus eas absoluens, oblationem dedit pro eis præcipiens immolari. qua immolata non sunt vlterius visæ egredi, quas ex hoc patet communionem recepisse per seruum Dei; vt dicit Gregor. *Item* quidam dicebat, quod credebat, quod nulla missa celebraretur dignè, quin virtute sacrificij plures animæ de purgatorio exirent.

Exemplum.

Item dicit Petrus Cluniacensis Abbas, quod quidam sacerdos consueuerat singulis diebus anni celebrare *Requiem æternam* pro mortuis. Qui cum accusatus esset apud suum Episcopum, suspendit eum ab officio. Cum autem Episcopus in quadam festiuitate magna iret ad matutinas, transiens per cæmiterium, visum est ei quod omnes mortui qui erant in cæmiterio surgerent contra illum, sub illo schemate eius officij quo fuerant in mundo, dicentes: Iste Episcopus nullas missas nobis dat, insuper sacerdotem nostrum nobis abstulit, sed certe nisi emendauerit morietur. qui non solum sacerdotem absoluit, immo pro mortuis libenter celebrauit.

Exemplum.

Item dial. 24. dicitur, quòd cum quidam paruulus monachus sine licentia visitasset parentes & sine benedictione, mox defunctus est ibi & sepultus, sed sequẽti die eum extra inuenerunt, & hoc quotiescunque eum sepeliebant, inueniebant eum sequenti die extra. Parentes eius recurrentes ad beatum Benedictum accipiunt ab eo sacram communionem, vt eam cum omni reuerentia ponant super pectus defuncti, & sic sepeliant; quod faciunt, nec vltra reijcitur.

Ad hoc autem quod altaris sacrificium, & missæ officium, valeat mortuis in purgatorio ad eorum liberationem, facit quod refert Beda in gestis Anglorum libr. 3. vbi legitur, quod duo reges Angliæ cum pugnarent, inter mortuos corruit quidam iuuenis de familia alterius regis grauissimè vulneratus, & quasi mortuus cecidit. Cumque quasi de graui somno excitatus surgeret, captus ab hostibus, traditus est cuidam comiti. Qui cum curatus, diceret se rusticum ad onera ducenda deductum, vt citius euaderet; cum eum aduertissent esse curialem, eum carceri mancipantes, quantumcunque catenis ligaretur & compedibus, semper circa horam tertiam liberabatur à vinculis, vel circa primam. Requisitus quæ esset causa, & quis esset, cum comes promisisset ei fide data quod non propter hoc deterius esset ei, dixit se esse de curia regis, causam liberationis suę nesciebat aliã, nisi quod fratrem carnalem habebat Abbatem, qui mortuum eum credens, sicut credebat, pro eo celebrabat, vel faciebat celebrari: Ideo vt credebat, illa hora liberabatur. Hic autem comes alteri eum vendidit, in cuius custodia cum similiter solueretur, dimisit eum abire fide data, quod suam redemptionem ei mitteret, quod & fecit. Et inuentum est, quod faciens eum frater suus inquiri inter mortuos, vno inuento simili illi, credens eum esse, ipsum sepeliuit, & pro eo vel celebrauit, vel faciebat celebrari singulis diebus, & hora sacrificij soluebatur. Quo multi sunt moti ad deuotionem, circa salutare sacrificium, & suffragia mortuorum.

Exemplum.

Adidem facit hoc quod legitur in vita Ioannis eleemosynarij. Qui cum esset Patriarcha Alexandrinus, volebat semper esse diligenter in exitu morientium, & claudere eis oculos, vt per hoc mortis memoriam sibi imprimeret, & interesse eorum exequijs, & considerare sepulchra & sepulturas, & monebat multum pro eis fieri collectas, & quod multum eis proficerent. Adiungens, quod ante paucos dies quidam captus ductus est à Persis, & detrusus in carcerem, qui dicebatur lethes, idest obliuio. Quidam autem fugientes inde, & venientes in Cyprum, dixerunt parentibus suis, quod eum mortuum sepelierant. Qui tamen non erat ille, sed ei simillimus. Parentes autem pro eo tanquam pro mortuo memoriam eius faciebant per quatuor annos, & collectas fieri curabant pro eo in Ecclesia, circa Epiphaniam, & Pascha, & Pẽtecosten. Dictus autem captiuus fuit lapsus, & rediit ad suos in Cyprũ. Cum autem sui parentes dicerent, quod pro eo quem mortuum crediderãt, fecissent fieri memoriam ter per annos singulos temporibus prædictis, dixit ille, quod illis tribus anni temporibus, veniebat per illos quatuor annos quidam cãdidissimus vt Sol, & inuisibiliter soluebat eius vincula ferrea, & amouebat eum à custodia, & tota die ambulabat, & nemo eum cognoscebat, & in crastinum inueniebatur ferrea vincula portans. & ex hoc, vt dicebat dictus Sanctus, perpenditur quod dormientes quietem consequuntur, quando pro eis collectæ fiunt.

Exemplum.

Item legitur in quodã lib. de miraculis B. Virginis. Quod Romæ erãt duo fratres, vnus dictus Petrus Archidiaconus, bonus in omnibus, nisi quod erat auarus. Alter aduocatus, & iudex malus, nomine Stephanus. Hic tres domos abstulerat Ecclesiæ S. Laurẽtij, & vnũ hortũ Ecclesię S. Agnetis. Hi mortui sunt, dictus Stephanus trahitur ad iudicium, vbi B. Laurentius occurrit, & improperat ei factum suũ, stringens per brachiũ, & terrori inuoluens eum. Postea B. Agnes improperat, & dicit, quod sæpe veritatem vendiderat, & ideo habere dicebat cum Iuda portionem. quia tamen fuerat largus eleemosynarius, iuerunt pauperes ad beatum Prę-iectum cuius festum singulis annis honorificè fecerat, & pauperes in eo pauerat. Hic rogauit B. Laurentium, & beatam Agnetem, vt iniuriam ei dimitterent, quoniam adhuc totum eis emendaretur. Deinde iuit ad B. Virginem, quæ obtinuit, eius mota precibus à filio, vt ad vitam rediret, & triginta dierum spacium ad pœnitendum & restituendum haberet. Cui etiam dixit beata Virgo inter alia, vt singulis diebus diceret: *Beati immaculati in via* &c. Qui dum reduceretur vidit Petrum fratrem suum in pœnã purgatorij grauiter afflictũ pro tenacitate sua. Et dixit ei, quod sperabat se omnino liberari, si Dominus Papa & Cardinales omnes celebrarent pro eo. Qui reductus narrauit hæc Papæ, & Cardinalibus, & post triginta dies sibi concessos migrauit ad Dominum.

Exemplum.

Item 4. dialo. 55. dicit Gregor. Quod dum quidam presbyter ad lauandum ad balnea veniret, inuenit ibi ignotum hominem ad eius obsequium præparatũ, qui eum

quicum diſcalciabat,& veſtes ab eo accipiebat,& adminiſtrabat. Cum autem hoc pluries feciſſet, veniens ad balnea duas coronas panum ei detulit, quas cum balneatus ei offerret, dixit ſe illo pane non indigere, quia fuerat Dominus illius loci, vbi pro culpis ſuis grauiter torqueretur; ſed rogauit eum vt pro eo in altari omnipotenti Deo offerret, & ſciret ſe exauditum, ſi eum rediens non inueniret. Et hoc dicto diſparuit. Dictus autem presbyter per ſeptimanam integram pro eo ſe affligens, & ſingulis diebus ſacrificium offerens, eundem ad balnea rediens non inuenit.

Exemplum. ITEM 4. dialo. 55. In monaſterio B. Gregor. fuit quidam monachus, Iuſtus nomine; qui grauiter infirmus tres aureos quos abſconderat, fratri ſuo carnali tradidit. Quod ſciens B Gregor. præcepit ne aliquis fratrum morienti aſſiſteret, ſed frater ſuus cauſam huius rei ei diceret, vt in morte dolor eius animum tranſuerberaret. Quod cum frater eius ei dixiſſet, grauiter pro commiſſo dolens & gemens, in ipſo dolore quem habuit pro commiſſo, mortuus eſt. Quem fecit B. Gregor in ſterquilinium ſepeliri, & tres aureos cum eo proijci à fratribus, dicentibus; pecunia tua tecum ſit in perditionem. Triginta diebus elapſis, præcepit B. Gregor defuncto compatiens, vt ſingulis diebus vſque ad triceſimum pro eo celebraretur: Quo facto eſt, & die triceſima apparuit defunctus fratri ſuo carnali. Qui cum quæreret, quomodo eſſet ei, ait vſque modo male fuit mihi, ſed modo bene, quia hodie receptus ſum ad communionem. Quod referens fratribus iſte, ignorans quid egiſſent, computantes dies inuenerunt, quod dies erat in qua triceſima oblatio pro eo fuerat immolata.

Animæ defunctorum iuuantur per fidelium oblationes. SECVNDO iuuantur animæ defunctorum per fidelium oblationes, ſicut expreſſe habetur 2. Machab. 12. *Iudas duodecim millia drachmas miſit Hieroſolimam, offerri ea ibi pro peccatis mortuorum.* & Eccl. 35. *Qui facit miſericordiam offert ſacrificium.* Item *non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Item ibidem: *Oblatio iuſti impinguat altare* &c. eiuſdem 46. *Impugnauit hoſtes circunſtantes vndique, in oblatione vituli immolati.*

Exemplum. ITEM cum quidam effoderet mineram, moles mõtis cecidit ſuper eum, & intercluſus remanſit. vxor autem eius ſingulis diebus offerebat pro eo panem & vinum,& candelam, vſque ad finem anni,excepto vno die. In fine anni homines excauantes in prędicta minera vſque ad eum, inueniunt eum ſanum & incolumem. Et dicebat quod ſingulis diebus tali die excepta, apportabatur ei ſemper panis & vinum,& candela tantæ quantitatis, quod ea comedere videbat. Et cognouit vxor quod illa die non fuit ei delatum, qua ipſa diſtulerat offerre. Per quod coniecturatur, quod ſimiliter valeat eis,qui ſunt in purgatorio,quod pro eis offertur.

TERTIO iuuantur per orationes deuotas, ſiue ſingularium perſonarum, ſiue communes orationes eccleſiæ, ſiue interceſſiones ſanctorum. Quam enim iuuentur per pias orationes ſingularium perſonarum, patet ex libris ſanctorum,& chronicis,& exemplis. *Exemplum.* *Miles* quidam qui pro mortuis orare conſueuerat, quandocunque tranſibat per cęmiterium,deſcẽdebat de equo ſuo. Et cum tranſiens per cæmiterium quoddam fugaretur ab hoſtibus, deſcendit vt quod conſueuerat adimpleret. Cum autem vellent hoſtes intrare cæmiterium, & militem occidere. viſi ſunt conſurgere de monumentis mortui, & occurrere eis armati, ſub illo ſchemate ſub quo in ſæculo vixerant. Territi hoſtes hoc viſo fugerunt, & militem in pace dimiſerunt.

Exemplum. ITEM 4. dialog. 0. de Paſchaſio, qui fuit miræ ſanctitatis,cultor pauperum,& contemptor ſui, diaconus Apoſtolicæ ſedis;qui in diſſenſione electionis, quæ fuit facta inter Laurentium & Symachum, Laurentium contra omnes fouit, & præeſſe voluit. Quo etiã mortuo ad tactum eius Dalmaticæ dæmoniacus liberatus eſt. Cum autem germano Capuano Epiſcopo medici conſuluiſſent, vt pro ſalute corporis in Virgilanis thermis ſe balnearet, ingreſſus inuenit dictum Paſchaſium obſequentem ſibi in eis. Quo viſo inquiſiuit dictus Germanus tremefactus quid ibi faceret. Cui ille: Pro nulla alia cauſa deputatus ſum in hoc pœnali loco, niſi quia partem Laurentij foui,nec de hoc in vita pœnitui; ſed ora pro me,& ſi me hic rediens non inueneris,ſcito te exauditum. Quod Germanus fecit, & poſt rediens non inuenit.

Exemplum. ITEM in vita Mariæ de Oignies, quam ſcripſit magiſter Iacobus de Vitriaco Tuſcuenſ. Epiſcopus, dicitur, quod cum dicta Maria deuotiſſimè oraret, vidit infinitam multitudinem manuum ad eam directarum, & coniunctarum ad inuicem. Sequenti die cum tranſiret per cæmiterium,vidit eaſdem manus ab imo conſcendere, quaſi vellent eam detinere: ad quarum viſionem perterrita fugit ad eccleſiam, rogans Dominum vt intimaret ei quid hoc ſibi vellet. Tunc dictum eſt ei, quod erant animæ exiſtentes in purgatorio, quæ orationes eius petebant, in quibus multum beneficium recipiebant. *Item* in prologo eiuſdem vitæ dicitur, quod quędam mulier defuncta, ad preces aliquorum, de pœna purgatoria reuocata ad vitam, vt pœnitentiam hic compleret, ita affligebat ſe, quòd in ſepulchris habitabat in niue & glacie, & igne ſe inuoluebat. Quæ cum hic pœnitentiam perfeciſſet, hoc donum habuit, vt frequenter extra ſe raperetur, & animas in purgatorio conduceret, & per purgatorium ſine aliqua læſione tranſiret.

Animæ defunctorum iuuantur per ſuffragium eccleſiæ. ITEM quod omnes communes preces eccleſiæ ſiue ſuffragia valeant pro defunctis, patet 2. Machab. 12. *Iudas duodecim millia drachmas argenti miſit Hieruſalem offerri ea ibi pro peccatis mortuorum* &c. Mulier vidua, & lachrymis proprijs, & multitudinis circunſtantis, obtinuit filium ſuſcitari. Lucæ 7. Item cum Spiritusſancto regatur & viuificetur eccleſia, & ſit vnum corpus congregatio omnium fidelium, Spiritusſanctus per membra omnia ſe fundit, vt cibus ſpiritualis corporis myſtici; quemadmodum cibus corporalis per omnia membra corporis ſe diffundit; & ideo valent mortuis eccleſiæ ſuffragia in purgatorio, vt hic viuis.

Itẽ iuuantur interceſſionibus ſanctorum. ITEM quod adiuuentur mortui per interceſſiones ſanctorum, quos ipſi in præſenti vita honorauerunt, vel eorum feſta colendo, vel loca viſitando, vel orationes votiuas dirigendo, quorum familiarem amorem aliquibus obſequijs dum hic viuerent meruerunt; Patet ex hoc, quod ſatis eſt probabile, quod ſibi dilectis & deuotis non debeant in neceſſitate deeſſe: vt patet per exemplum ſupra poſitum de Stephano aduocato, quem B. Præiectus, cui ipſe ſeruierat, liberauit. Item ſi Dominus ad preces Marię & Marthæ liberauit Lazarum de inferno; & ad preces multorum ſanctorum, ſicut patet in vitis ſanctorum, & in vitiſpatrum, & in biblia, & in dialogo, & in alijs libris, liberauit multos, & non ſolum à morte corporali, ſed etiam ſpirituali, & etiam æterna quæ eis debebatur; quia eos ad petitionem ſanctorum viatorum vel beatorum, ad vitam præſentem reuocabat, & ad gratiam ſuam: multo fortius videtur, quod ad preces ſanctorum debeat eis vitam æternam, quam debet eis, citius ſoluere, quam culpę ſuæ exegerunt; quod eſt à pœna purgatoria eos liberare: vel quod ipſi debeant ibi ſuis amicis aliquam conſolationem dare.

Exemplum. ITEM ſi beata virgo, Iudæum Iudæi filium, qui quia cum alijs pueris Chriſtianis ad Eccleſiam beatæ virginis ierat, & coram imagine eius adorauerat, proiectus à patre in furnum ardentem, eum ſub pallio ſuo occultans ab incendio liberauit, ſicut legitur in libro de miraculis eius; quare non liberet ipſa à purgatorio, vel in toto vel in parte eos, qui Chriſtiani ſeruierunt ſibi deuotè, & alij ſancti ſimiliter. De ea dicit Bernard. *Ille ſolus in laude eius tacea*

qui in ſuis neceſsitatibus eam fideliter aduocatam inuenerit deſuiſſe.

Exemplum. VNDE quidam probus homo dicebat, quod cum aliquando pater ſuus intraſſet lectum ſuum incolumis, in mane inuenerunt eum proſtratum in pauimento cameræ ſuæ rigidum & frigidum vt lapis: quem operientes & calidis balneis fouentes ferè per menſem integrum, vix ad priſtinum calorem redijt pro aliquo ſibi facto. Cum autem diu poſtea ſuperuixiſſet & ægrotaret grauiter, ad vltimum vocauit filium ſuum & ſacerdotem, rogans filium vt eſſet imitator paternæ pietatis. Ait enim quod nocte antecedenti quando eum nudum inuenerant in camera ſua, & quaſi mortuum; vox venerat ad eum, dicens ei quod ſurgeret. & vocans eum nomine ſuo, eduxit eum quidam quem non noue rat, & adduxit eum ad pratum infinitæ magnitudinis, vt ei videbatur; vbi eum ſolum dimiſit & receſſit. Tunc ille audiuit poſt ſe infinitam multitudinem nigerrimorum ſpirituum, & horribilium; magnos & horribiles clamores emittentium, improperantium ei peccata ſua & dicentium, quod ſuus erat, nec eos poterat euadere. Tunc ille territus ſuper modum & fugiens, vidit ante ſe vnam domum in qua erant duo hoſtia, intrans eam, clauſit eam. Dęmones autem cum infinita multitudine venientes oſtium primum frangebant. Dictus autem paterfamilias, habebat in conſuetudine ſingulis diebus recipere in hoſpitio vnum pauperem. Acciderat autem ante hoc, vt in vigilia omnium ſanctorum, vnus pauper obuiauerat ei petens hoſpitium, cui dixit quod veniret. Alius petiuit ab vxore eius, quæ ſimiliter idem dixit ei. Tertius petebat in domo, à familia domus, cui familia dixit ſimiliter, quod veniret in nocte. Cum autem in nocte omnes tres venirent, audiens paterfamilias quod tres venerant, multum gauiſus eſt de eo quod acciderat, & eos bene procurauit. Cum autem in dicta domo eſſet in magna afflictione, neſciens quo ſe verteret, aut qualiter effugeret, cum clamaret ob præſentiam & violentiam dæmonum, vnus iuuenis affuit ei ſubito, dicens ei, ne timeas illud oſtium bene cuſtodiam, & ex parte iſta bene ſeruabo te ab iſtis. Nunquid noſti me? Ego ſum vnus de illis quem tu ita lætanter accepiſti in hoſpitio tuo; in vigilia omnium ſanctorum. Hic aſſumpto repagulo oſtij, oppoſuit dæmonibus ſeipſum, fugans eos. Cum autem illi dicerent, eamus ad aliud oſtium & frangamus; ſi hic non receſſerit ab iſto, intrabimus per illud; vel ſi receſſerit, per iſtud. Cum autem iam fregiſſent aliud oſtium, & vellent dæmones dictum hominem rapere, apparuit alius iuuenis, dicens ſe eſſe ſecundum quem receperat, & expulit eos de illo oſtio, vt prior. Cumque domum aſcenderent, & eam diſcooperirent, volentes deſcendere, & dictum hominem rapere, affuit tertius; qui tres dæmones tam longe fugauerunt, quod nuſquam comparuerunt. Cum autem inde recederet, & per dictum pratum iuiſſet, audit dictos dęmones poſt ſe, cum infinita multitudine & horribili clamore, quos fugiens venit ad littus cuiuſdam fœtidiſſimi fluuij & latiſſimi, qui plenus erat igne & ſulphure, & beſtijs horribilibus, draconibus & ſerpentibus flamiuomis. Cumque clamarent ei, vel quod intraret, vel ipſi eum in medium proijcerent; reſpiciens vidit pontem arctiſſimum & altiſſimum, qui vix videbatur dimidij pedis latitudinis, & pertingere videbatur verſus cœlum. cum autem neceſſitate compulſus pontem aſcenderet, & leuius magis ac magis aſcęnderet, & dæmones poſt eum, ſed vix euaderet à cadendo; poſtquam venit ad ſummum, defecit ei pons. Cum autem fleret, non habens quid faceret; vidit ad aliam partem aquę ſpecioſiſſimam dominam magnam vſque ad cælum, quæ dixit quod erat B. Maria, & quod quia à tali tempore, quod ei nominauit, eam ſingulis diebus quinquageſies flexis genibus ſalutauerat, volebat illum ab illo periculo liberare, & ad domum ſuam eum reducere; & accipiens eum per manum vſque in ſuam cameram reduxit, monens vt vitam in melius emendaret. Hic autem nudus & ſolus relictus in camera ſua præ timore, quaſi mortuus cecidit. Hic in mortis articulo filio ſuo hæc prædicta coram ſacerdote ſuo in periculo animæ ſuæ vera eſſe dixit: monens eum ad hoſpitalitatem, & ad B. Virginis ſalutationem, & ad orationem. Dictus autem filius bene ſciebat quomodo nudus inuentus fuerat, ſed cauſam ignorabat.

Mortui iuuantur eleemoſynis, & hoſpitalitate pro eis exhibitu.

QVARTO iuuari poſſunt mortui per eleemoſynarum ſubſidia, & hoſpitalitates pro eis exhibitas. Vnde dicitur Eccleſiaſtici 7. *Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propiciatio & benedictio tua, & mortuo non prohibeas gratiam.* Minus dicit & plus ſignificat, quia mortuo non ſolum non eſt gratia prohibenda, ſed etiam conferenda. Multi ſunt autem qui non exhibent, ſed magis prohibent. Ideo ſignanter dicit Sapient. *Non prohibeas*, vt ſi non velis gratiam exhibere, ſaltem non præſumas alijs prohibere. Item Tob. 12. *Eleemoſyna à morte liberat. Ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.* Hoc dixit Raphael Tobiæ. Et Eccleſ. 3. *Eleemoſyna pauperis non erit in obliuione, ſed in die tribulationis commemorabitur tui, & ſicut glacies in ſereno ſic ſoluentur peccata tua.* Item eodem. *Ignem ardentem extinguit aqua & eleemoſyna reſiſtit peccatis; & Deus inſpector meminit in poſterum, & reddet gratiam, & in tempore caſus inuenit firmamentum.* Eccleſ. 29. *Super ſcutum potentis, & lanceam, aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Ex his habemus, quod eleemoſyna peccata purgat, & vitam æternam impetrat, ignem refrigerat, & in die tribulationis peccata diſſoluit, & hominem defendit, & hoſtes repellit.

Exemplum. AD HOC videtur valere quod legitur in miraculis B. Iacobi, vbi dicitur quod cum tres milites irent ad S. Iacobum, quædam vetula laſſata in itinere, rogabat vt amore S. Iacobi Doblarium ſuum ei ferrent; alijs non curantibus, vnus compaſſus per duodecim dietas ei portauit. qui ſimiliter in itinere inuenit vnum peregrinum infirmum; Qui cum nec ſe etiam mouere poſſet, rogauit alios vt ſui miſerti eum deportarent vſque ad Galiciam. Ille miles delicta ſua cogitans, de equo deſcendens, eum vſque ad Gallicią portans, præſtu & laſſitudine infirmatus occubuit, & per triduum mutus fuit. & cum moneretur verbis & ſignis vt confiteretur, & diſponeret de rebus ſuis, audiebat eos, ſed non poterat reſpondere. & cum ſocij eius mortem expectarent, quarta die ſuſpirans, gratias Deo, & B. Iacobo referebat: qui dicebat quod ad eum venerant dæmones, ita eum opprimentes, quod nec loqui, nec reſpirare poſſet. Sed nunc B. Iacobus veniens, habens burdonem peregrini pro lancea, & ſacculum pro ſcuto, dæmones à me expulit, & loquelam mihi reddidit. qui prædixit ſe moriturum cito, & Dominum cuiuſdam ſocij ſui damnandum, niſi ſe corrigeret; & quod mala morte moreretur, quod ita euenit. Ip ſe facta confeſſione, & ordinatis factis ſuis, ad Dominum migrauit. Et ille Dominus, de quo prędixerat, non ſe corrigens, in quodam exercitu lancea percuſſus, ſubito mortuus eſt.

Mortui iuuantur ieiunijs viuorũ, & alijs ſimilibus auſteritatibus pro eis factis.

QVINTO iuuari poſſunt per afflictiua ieiunia, quando ſcilicet pro pœnitentia cui mortui ſunt aſtricti, ſatisfaciunt eorum amici. Galat. 6. *Alter alterius onera portate* &c. Hic autem intellige ieiunium large, pro omni quod eſt corporis afflictiuum, ſicut eſt abſtinentia, peregrinatio, & quæcunque pœnitentialis auſteritas. Exemplum 1. Reg. vltim. quomodo Dauid pro morte Saulis & Ionathę fleuit, planxit, & multipliciter ſe afflixit. Item 2. Reg. 3. de Abner mortuo, de quo dicitur: quod *percuſſit eum Ioab in inguine & mortuus eſt. Quo audito Dauid dixit ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite,* & cætera quæ ſequuntur. Sequitur: *Iurauit Dauid dicens: Hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, ſi ante Solis occaſum guſtauero panem vel aliud quicquam.* Item de Amaſa 2. Reg. 20.

Exemplum. CVM quidam iniunctam ſibi pœnitentiam inchoaſſet, & infirmitate graui perductus ad mortem, amariſſimè flens doleret quia pœnitentiam ſuam perficere non valeret, promiſit ei quidam ſocius eius & amicus, quod illam pro eo faceret, rogans eum vt poſt mortem ſuam, ipſum de ſtatu ſuo certificare curaret. Qui mortuus peracta ab illo ſocio ſuo pœnitentia, apparuit ei totus purgatus & lucidus, & gratias agens de ſua liberatione. In ordine minorum, dicitur fuiſſe vir quidam religioſus & pius, guardianus exiſtens, qui quandocunque in conuentu ſuo frater aliquis expirabat, conuocatis fratribus in capitulum, pia compaſſione commotus, ſingulis fratribus imponebat miſſas, vigilias, abſtinentias, & pœnitentiales afflictiones, infra certum & breue tempus ab eis complendas, quantas pro mortui liberatione æſtimabat, vt ſic frater mortuus citiſſimè purgaretur, & poſt paucos dies ad gloriam transferretur.

Mortui iuuãtur per hoc quod cito ſoluantur eorũ debita. SEXTO iuuari poſſunt eorum debita celeriter perſoluendo, & reſtituendo res quas male habuerunt, vel ignoranter retinuerunt, vel ad memoriam non reduxerunt, vel quia hoc ſolui pręceperunt ab amicis, & illi negligenter egerunt, vel quia ipſi ſe impotentes in ſoluendo reddiderant.

Exemplum. ACCIDIT quod quidam puer de magno genere mortuus eſt, circa ætatem nouem annorum, qui à familia patris ac matris acceperat mutuum, vt ludos ſuos faceret, qui in morte non recoluit, licet confeſſus eſſet, & ſic nihil ſoluit. Qui poſt apparuit taliter vni, dicens ſe grauiter affligi, eo quod non ſoluerat quod debebat. Illa autem perſona cui apparuit, inquirens omnia ſoluit, & poſt dictus puer illi apparuit perſonæ cui apparuerat, intimans ſe ab omni pœna liberatum, & eſſe in magna fœlicitate apparebat. Iſte autem puer fuit filius Ducis Burgundiæ, Hugo dictus, perſona cui apparuit fuit mater ducis, quæ hęc reuelauit.

Exemplum. ITEM cuidam militi valde deuoto & bonæ vitæ, qui ſuper hoc ſacerdotem conſuluit; cum eſſet ſolus in eccleſia in oratione, quidam cognatus eius defunctus, qui fuerat miles valde ſtrenuus, apparuit ei pluries. & cum quæreret ab eo quomodo ei eſſet, dicebat ſe eſſe grauiſſimè afflictum propter aliqua quæ retinuerat de alieno, quæ non recoluerat emendare. & dixit quę erãt illa quæ habuerat, & à quibus habuerat, pro quibus per ſeptennium iam multam pœnam paſſus fuerat; & rogabat eum, quod ea faceret ſolui, & dimitti ſibi faceret iniuriam, quia credebat ſe liberari, ſi eſſet de hoc ſatisfactum. Miles cui alius apparuit, dictus fuit Dominus Guillermus Decontres, ſocius Niuenienſis, qui miles magnæ abſtinentiæ, & deuotionis fuit, qui etiam in terra Albigenſium, & tranſmarina, multa ſuſtinuit propter Deum.

ITEM accidit quod duo ſcholares de eadem natione, ſocij & iuuenes religionem intrauerunt, & in eadem religione bene & deuote apud Deum & homines ſe habuerunt. Cum autem alter eorum laboraret in extremis, & alter pro eo fleret, ſe dicens deſolatum remanere in aliena terra; reſpondit æger, quod ſi hoc Deo placeret, & poſſet, quod conſolaretur eum etiam poſt mortem, certificans eum de ſtatu ſuo. Cum autẽ eo mortuo alius eſſet in oratione, apparuit ſocius ſuus valde triſtis & afflictus. Et cum iſte quæreret cauſam, reſpondit quod pro nulla alia cauſa pateretur pœnam purgatorij, niſi pro hoc quod cum darentur noui ſocci, retinebat & occultabat veteres, contra regulæ ſtatutum, & adhuc erant abſconditi ad pedes lecti ſui: & rogauit eum vt eos ibi acciperet, & abbati redderet, & rogaret abbatem vt eum de hoc in capitulo ſolueret, & orari pro ſe faceret, quod ille fecit. Poſt apparuit ei lætiſſimus, & ſplendidus; rogans vt cum eo foras egrederetur. Quo facto vidit ante ſe tranſeuntem maximam multitudinem cãdidatorum hominum & fulgentium, & habentium retro poſt humeros, cruces pulcherrimas in cœlum aſcendentium. Et ſtatim ſecutus alius ordo longe pulchrior apparuit, & habebat cruces pulchriores & maiores, & recepti ſunt in cœlum. Poſt ſecutus eſt tertius ordo longe pulchrior, & quilibet eorum habebat vnum Angelum ſibi præambulum, qui crucem gemmis fulgentem, & ſpecioſiſſimam ante eum ferebat, & tranſibat aſcendentes in cœlum. Cumq; ille quæreret à ſocio quid ſibi vellet hoc, reſpondit: Priores erant qui intrauerunt ordinem in ſenectute. Secundi qui in virili ætate. Tertij qui in adoleſcentia ſua; & cum iſtis deputaberis ſi perſeueraueris in incepto, & beatus eris; & ego cum eis per Dei gratiam aſcendo. Et hoc dicto alios ſecutus eſt, Angelo præcedente, & crucem eius baiulante.

Mortuos veroſi militer iuuant dona gratia & virtutes quas habent. PROBABILE etiam eſt quod eis valeant dona gratiæ quæ habent, & virtutes. Licet enim ibi ſint iſta ocioſa quantum ad meritum, non tamen quantum ad aliquod ſolatium, vel quia roborant ſubiectum ſuum ne à doloris vehementia vel pœnitus abſorbeatur, vel opprimatur; vel quia faciunt bona eccleſiæ communicare eos, vt per eorum participium à pœnis citius liberentur: & maximè dat eis maximum ſolatium ſpes cito euadendi illa tormenta, immo certitudo quod euaſerunt æterna ſupplicia, & per Dei miſericordiam aliquando habebunt ęterna bona. Propter hoc vt æterna tormenta euaderet, & æterna bona obtineret, magnus Cantor Pariſien. in exitu ſuo rogabat Dominum, quatenus in exitu ſuo poneret eum in purgatorio vſque ad diem iudicij, eum ibi torquendo, & dicebat circunſtantibus. Et vos fratres rogo, vt ſuper hoc Dominum rogetis.

Meditatio pœnarũ purgatorij eſt multum vtilis. Exemplum. SCIENDVM autem quod pœnarum purgatorij meditatio multum vtilis eſt, & ad multa valet, quia à culpa reuocat. In tentatione à ruina peccati, hominem conſeruat. Munit ad patientiam. Prouocat ad compaſſionem & miſericordiam. Inducit ad pœnitẽtiam. Valet etiam ad perſeuerantiam. *Cum quidam* flagitioſus homo confiteretur Epiſcopo ſuo, nec valeret eum inducere ad condignam pœnitentiam, miſit eum ad quẽdam ſanctum Abbatem; qui ſimiliter poſt multas admonitiones, non valens eum ad condignam pœnitentiam mouere, niſi quod ad vltimum diceret ei, quod faceret pœnitentiã, de qua in breui ſpacio diei vel ſeptimanæ, poſſet ſe expedire; tradidit eum conuerſo ſuo dicens, duc iſtum ad vallem ſolitariam, & illi quem ibi inuenies, dic vt cogitet de iſto homine, quod faciat ei facere breuem pœnitentiam, quam compleat in ſpacio diei ac noctis, ita quod ipſe ſeruet eum viuentem, & integrum, & cras mihi ipſum remittat. Quod fecit cõuerſus, & inuenit in valle vnum dæmonem ſub humana ſpecie, cui tradidit dictum hominem hoſpitandum, & vt de eo faceret vt mandabat Abbas. In craſtinum cum de mandato Abbatis rediret conuerſus ad dictam vallem, adduxit dæmon dictum hominem afflictum quaſi ad mortem. Et cum reduxiſſet eum ad Abbatem, & retuliſſet ei quanta mala, & quæ tormenta paſſus fuiſſet, ait Abbas, quod liber recederet ab omni pœnitentia. Ille autem dixit, quod nũquam recederet, ſed quantumcunque aſperiorem pœnitentiam ageret, & in ea tota vita ſua perſeueraret, dummodo de cætero in dæmonum manus non caderet, quod & fecit.

Exemplum. ITEM quidam miles fuit raptor & flagitioſus, qui ad inſtantiam vxoris ſuæ, quæ valde deuota erat, venit ad confitendum Epiſcopo ſuo. Qui cum reus eſſet multorum homicidiorum, & aliorum ſcelerum, nec vellet ire Romam, vel aliam pœnitentiam facere condignam. Ait ei Epiſcopus, confiſus de Domino, quod in facto ſuo aliquod conſilium deberet apponere. Tu inquit, qui tot noctes in ſeruitio diaboli vigilaſti, velles tu ſaltem hoc modicum facere, quod per noctem integram in Dei ſeruitio in Eccleſia vigilares, nulli alijs loquens, vel intendens, niſi Deo, & ſanctis eius, rogando eos pro tua ſalute: & hoc ſolum tibi iniungimus pro remiſſione omnium peccatorum tuorum. Ille cogitans de bono foro, quod ſibi fiebat, & de leuitate & breuitate dictæ pœnitentiæ, hanc gratanter accepit. Quem Epiſcopus in eccleſiam introduxit, & præcepit

ne omni-

ne omnino vſque in mane alicui loqueretur, niſi vt dictum eſt, vſquequo ipſe ad eum rediret facto mane. Cum autem vſque circa mediam noctem miles coram crucifixo in pace orando vigilaſſet, ecce quædam claritas incœpit per eccleſiam fulgere quaſi dieſceret, diabolo procurante; & viſa eſt ei porta aperta; & homines, & mulieres, quaſi ingredientes ad orandum; & incœpit audire, quaſi ſtrepitus quadrigarum multarum,& viſum fuit quod intrarent eccleſiam mercatores,qui dixerunt ei,quod miſſi erant ab vxore ſua,quod mercatores erant ducentes multas quadrigas, & volebant eum habere pro guidagio & conductore per terram vicinam, & dare ſibi de pecunia ſua ad beneplacitum ſuum.Cum autem videretur ei,quod dies non ita cito deberet eſſe,& quod nec Epiſcopus ad eum venerat,cogitauit apud ſe, quod nullo modo pœnitentiam frangeret. Cum autem illi ſollicitaſſent eum qualiter eis reſponderet, & ipſe immobilis oraret, indignantes receſſerunt & quaſi ad domum eius euntes, adducunt ei vnum diabolum in ſpecie vxoris figuratum,& alium in ſpecie pueri ſui paruuli quem maximè diligebat, quem portabat inter brachia mater, & dixit ei vxor: Domine quid reſpondebitis iſtis mercatoribus, modo iuſte poteſtis lucrari qui ſolebatis aliena rapere. Similiter puer pomum ei porrigebat, & ei applaudebat, & loquebatur balbutiendo. Cum autem nec per hoc ſtupens ſe moueret,aut loqueretur eis,incœpit vxor flere, & ſe miſeram dicere pro viro ſuo, qui loquelam amiſerat & ſenſum.& cum nec ſic ille loqueretur,mutant ſe dęmones in ſimilitudinem Epiſcopi & clericorum, & venit ad militem ille fictus Epiſcopus cum clero ſuo,dicens: Benedicite, fili benedicat tibi Dominus, quomodo fuit tibi in huiuſmodi. Obſtupuit miles,& hęſitans an reſponderet, quia non videbatur ei nox tranſiſſe, rogabat intra ſe Dominum ne deciperetur, & deliberauit ſe primo ſignare, quam loqui. Quod cũ faceret, confuſi dæmones, verterunt ſe in horribiles ſpecies,militem verberães vſque ad mortem; & eum acerrimè torquentes. Cum autem ad crucifixum oculos eleuaret, & Ieſum crucifixum,& matrem eius in ſuum adiutorium aduocaret,confuſi cum maximo ſonitu fugerunt. Mane autem facto,aperiens Epiſcopus portas, venit,& inuenit eum quaſi mortuum. Qui reuerſus ad vires,retulit qualiter ſibi fuerat. Et cum Epiſcopus diceret ei, quod ei aliam pœnitentiam non iniungeret, ille in arctiſſima pœnitentia permanſit dicẽs, quod magis vellet mori,quam dæmonibus tam crudelibus ſeruire de cętero,vel in manus eorum cadere.Idẽ dixit monachus flagitioſus,de quo ſupra dictum eſt,de quo Hiero.in princ. vit.Patrum.

LIBRI II. PARS II.

De finali & extremo iudicio.

PRÆFATIO.

POST conſiderationem præhabitam de morte triplici ſcilic.animæ,naturæ, & culpæ, & de mortuistam ſpiritualiter quam corporaliter in hoc mundo, necnon & de mortuis in purgatorio, nunc ordine conuenienti,præeunte, concomitante, ac etiam dirigente gratia Ieſu Chriſti,conuertamus oculos ad conſiderationem finalis & extremi iudicij. Hoc autem finale iudicium erunt duo precedentia, duo cõcomitãtia, & duo ſubſequentia. Præcedentia iudiciũ erunt Antichriſti perſecutio, & mundi conſummatio. Concomitantia iudicium erunt mundi conflagratio, & omnium mortuorum reſurrectio. Sequentia iudicium erunt ſupplicium reproborum, & gloria beatorum. De his omnibus eſt per ordinem proſequendum.

Duo finale iudiciũ præcedent, duo concomitabũtur & duo ſubſequẽtur.

De perſecutione Antichriſti.

DISTINCTIO I.

LEGITVR autem Antichriſtus in Babylone de tribu Dan naſciturus, ſicut ſanctus Patriarcha Iacob, non orando, ſed Prophetando prædixit Geneſ.50. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita* &c. Super quo B. Gregor.31.libr.moral.ait:*Ceraſta Græcè cornua dicunttur. Ceraſtes qui hic cornutus eſſe dicitur, digne Antichriſtus aſſeritur,quia contra fidelium vitam cum morſu peſtiferè prædicationis,armabitur etiam cornibus poteſtatis.* Bene autem dicitur in Babylone, ideſt confuſione naſciturus, vt ex loco natiuitatis inſinuetur qualis poſtmodum ſit futurus. Sicut enim Chriſtus in Nazarerh, ideſt flore concipitur;in Bethleem,quæ domus panis dicitur,temporaliter de virgine naſcitur; ad inſinuandum quod in flore, ideſt puritate virginitatis maternæ Spiritusſancti virtute conceptus; poſtmodum naſcendo panis vitæ nobis factus eſt. Sic Antichriſtus homo peccati, filius perditionis; ſicut auctor confuſionis, ordinem totius iuſtitiæ confundens, ſectatores ſuos ad confuſionem pertrahens, merito in Babylone dicitur eſſe naſciturus.Vnde Apoc.7.Vbi ex alijs tribubus filiorum Iſrael ſignati numerantur,ſola tribus Dan ſubticetur.

Antichriſtus de tribu Dan oriundus, in Babylonena-ſcetur qua ſignificat confuſionem.

HVIVS aduentus ſicut ait Apoſtolus 2.Theſſ.2. *erit ſecundum operationem Sathanæ*, quia omnia faciet, diabolo, qui eum poſſidebit,inſtigante & cooperante. Non tamen ita poſſidebit eum vt vniatur ei,ſicut in Chriſto humanitati diuinitas eſt vnita, nec ita vexabit eum vt careat iudicio rationis, alioquin non imputaretur ei quicquid ageret,ſicut nec homini furioſo. *Quidam* autem dicunt,quod à conceptionis principio,diabolus in vterum matris eius deſcendet, cuius virtute deinceps aletur puer,naſcetur,& adoleſcet. Alij dicunt & forte verius,quod à principio conceptionis ſuæ habebit Angelum ſui cuſtodem, ſicut habent ſinguli cæterorum hominum;vſque ad annos diſcretionis. Sed tunc cum extolli cæperit ſuper omne quod dicitur Deus, ab Angelo ſancto derelictus, prorſus à diabolo poſſidebitur, ad libitum voluntatis eius in omnibus, & per omnia deducendus: ſicut poſſeſſor ad libitum ſuum pertrahit circunducitque iumentum.Vnde ait Greg. *Illum perditum hominem quaſi vas proprium diabolus ingreditur,qui ſpecialiter Antichriſtus nuncupatur.* Veniens autem in Hieruſalem circuncidet ſe, vt ex hoc acquirat gratiam Iudæorum, & dicet ſe eſſe Meſſiam promiſſum in lege, & faciet ſabbatum cuſtoditi propter Iudæos,diem vero Dominicam propter Chriſtianos vtriſque conformare ſe volens, vt vtroſque decipiat. Tunc Iudæi credentes ipſum eſſe Meſſiam quem multis temporibus expectarunt, conuertentur ad eum, ac ei vnanimiter adhærebunt. Erit autem in concupiſcentijs fœminarum,ſicut dicitur Dan.11.In aperto tamen,caſtitatem, & ſanctitatem omnimodam ſimulabit,vt omnes ad ſe alliciat,& oſtentatione ſeducat. Cor eius in tantam efferetur ſuperbiam, vt legem & ceremonias, & etiam curſum temporum ſe mutare putet,ſicut dicitur Dan. 7. Et in Deum proferet blaſphemias, dicens ſe Deum eſſe, Chriſtum autem dicet fuiſſe ſeductorem. vnde ſicut ait Apoſtolus 2.Theſſ.2.*Tunc reuelabitur homo peccati filius perditionis,caput ſcil.omnium iniquorum,qui aduerſatur,& extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur,ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*

Diabolus poſſidebit Antichriſtũ ſed non erit illi hypoſtatice vnitus.

Progreſſus Antichriſti.

Veniens enim in Hieruſalem in templo, quod reædicabunt Iudæi adhærentes ei, ſedebit, adorari ſe faciens ſicut Deum. Veniet autem ſicut ait Apoſtolus *in omni virtute poteſtatis humanæ & opulentiæ temporalis.* Creditur enim quod reuelante magiſtro & poſſeſſore ſuo diabolo, inueniet theſauros occultos, quibus vtatur ad vanitatem & gloriam mundialē, & ad multorum perniciem, quos videlicet excæcabit magnifica largitione donorum. Veniet nihilominus ſecundum operationē Sathanæ in omnibus figuris, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeditione iniquitatis: ſicut ait Apoſtolus, *Faciet ſigna & prodigia, quæ homines videntes in admirationem, & ſeductionem inducent.* Dicuntur autem ſigna mēdacia, vel quia non erunt vera, ſed phantaſtica; quia diabolus cuius virtute operabitur, præſtigiabit oculos videntium, vt videatur eſſe quod non eſt, vel non eſſe quod eſt, aut aliter & aliter eſſe; & ſic oculi videntium illudentur, vel dicuntur mendacia, quia ad confirmandum mendacia, & ſeducendum animas oſtendentur. Et reuera huiuſmodi ſigna non debent dici miracula, ſed mirabilia dici poſſunt. Mirabile enim eſt facere præter ſolitum curſum naturæ. Diabolus autem habens ſubtilem intelligentiam & longam experientiam, quod natura facit ſucceſſiuè, ipſe ſcit quaſi in inſtanti, ideſt ſubito & imperceptibiliter operari: Sicut Magi Pharaonis virgas in ſerpentes ſubito conuertiſſe leguntur: Miraculum autem facere, ſolius eſt diuinę poteſtatis, quia ſicut ſolus ipſe eſt auctor naturæ, ſic ipſe ſolus poteſt naturam tranſmutare.

Opera Antichriſti non miracula ſed mirabilia dicenda.

De Antichriſto dicitur Apoc. 13. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia quam vidi ſimilis erat pardo*, propter varietatem duplicitatum in conuerſatione: *Et pedes eius ſicut pedes vrſi*, propter ardorem libidinis: *Et os eius ſicut os leonum*, propter immenſitatem crudelitatis. *Et dedit illi draco*, ideſt diabolus, *virtutem ſuam & poteſtatem magnam.* Nam ſicut ait Greg. 32. lib. moral. *In omni faſtu fallaciæ, & virtutis robore, & culminis elatione, proſperabitur Antichriſtus, quia tota virtus diaboli in illo damnato homine congeſta denſabitur.* Sequitur in Apocal. *Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt.* Nam ſicut Chriſtus promiſſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic Antichriſtus vt appareat Chriſtus in lege promiſſus, ſimulabit ſe mortuum, & poſt arte magica, & operatione dæmonum ſe mirabiliter ſuſcitatum. *Et adiurata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam*, ideſt beſtiam ſequentes, & ei damnabiliter adhęrentes, *& adorauerunt draconem*, id eſt diabolum, *qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ*, ſcilicet in miraculis faciendis? *Et quis poterit pugnare cum illa? & datum eſt ei os loquens magna* ſcilicet magnificando ſe, *& blaſphemiam*, ſe Chriſtum eſſe mendaciter aſſerendo. De ipſo quoque dicitur Dan. 11. *Faciet iuxta voluntatem ſuam, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica.* Et 8. eiuſdem: *Cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis; & ſupra quam credi poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet* &c.

Antichriſtus vtetur quadruplici via ad decipiendum.

Est autem aduertendum, quod Antichriſtus vtetur via quadruplici ad homines ſubuertendum, videlicet: Callida perſuaſione, donorum ampliſſima largitione, miraculorum operatione, & tormentorum inflictione. *Primus* ergo modus homines ſubuertendi eſt callida prædicatio vel perſuaſio. Prædicabit enim legem nouā prauam eſſe, deſtruet pro poſſe cultum Dei, ritum Eccleſię, & iuge ſacrificium, vt dictum eſt Dan. 8. *Vſque ad principem fortitudinis magnificabitur, & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius: robur quoq; datū eſt ei contra iuge ſacrificium, & proſternetur veritas in terra, & proſperabitur & faciet.* Verè proſternetur veritas, quoniam falſitas publicè prędicabitur, nec permittetur veritas prædicari, nec à fidelibus audiri. Peruersè exponetur ſcriptura ſacra, nec veraciter exposita catholicis Doctoribus permittetur. *Secundus* modus ſubuertendi erit per donorum ampliſſimam largitionem. Inueniet enim theſauros occultos vt dictum eſt, per quos ad ſe ſequendum, & ſibi adhærendum plurimos inſtigabit. Cum enim in multis regnat cupiditas, faciliter inclinabuntur ad eum cupidi, videntes quod ſequaces ſuos ditabit, falſamque fœlicitatem eorum ad decipiendum alios oſtentabit. *Tertius* modus ſubuertendi erit per tormentorum afflictionem. Nam ſicut ait Dominus Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.* Et hoc innuitur Apoc. 1. vbi dicitur: *Pedes eius ſimiles auricalco, ſicut in camino ardenti.* Per pedes enim vltima Chriſti membra; per caminum ardentem, tribulationis vehementia deſignatur. Exhibebit enim Antichriſtus in torquendo fideles omnia genera tormentorum, quæ antiquitus in ſanctis martyribus ſunt impleta, & omnem ingenij ſui ſubtilitatem acuet, vt ferocitatem ſui pectoris impleat, nouis & inauditis ſupplicijs affligendo; nec per partes, ſed ſimul tota crudelitatis eius immanitas exercebitur, ne requiem aliquantulam, aut interpolationem habentes, vires reſumerent quo minus in cruciatibus vincerētur. Vnde de Antichriſto dicitur Dan. 8. *Interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam.* Quod exponens Greg. 32. moral. ait: *Tunc non ſolum in reproborum mentibus, ſed etiam in electorum corporibus crudelitate inæſtimabili, ſiue qualibet obiectione graſſabitur. Robuſtos ergo interficiet, cum eos qui mente inuicti ſunt corporaliter perimet. Vel certe robuſtos, ideſt populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam interficiet, cum eos qui robuſti, ac ſancti credebantur, ad nutum ſuæ voluntatis trahet.* Durabit autem hæc tribulationis immanitas, tribus annis, & dimidio tantum; ne ſi diutius duraret, patientia ſanctorum prorſus deficeret. Sicut enim ait Saluator: *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiati ſunt dies illi.* Ecce pius Dominus ſicut tribulationem venturam prænunciauit, ſic & eius abbreuiationem prædixit, vt ad ipſam ſuſtinēdam per prouidentiam munirentur. Quia ſicut ait Gregor. *Dominus ac Redemptor noſter perituri mundi præcurrentia mala denunciat, vt eo minus perturbent venientia quo fuerint præſcita. Minus enim feriunt iacula quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per prouidentiæ clypeum muniamur. Prædixit etiam vtrumque, vt etſi ex prænunciata tribulatione tam horribili terremur, audita tamen eius abbreuiatione per patientiam ſumptis viribus armemur.* *Quartus* modus ſeducendi erit per miraculorum operationem. De Antichriſto enim loquens Apoſtolus 2. Theſſ. 2. ſic ait: *Cuius aduentus eſt in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus*, vt dictum eſt ſupra. Finget enim ſe mori & reſurgere vt dictum eſt. Et multa mirabilia facturus eſt per artem magicam ſecundum operationem Sathanæ, qui in omnibus eius operibus erit actor & rector. Nec contentus erit Antichriſtus, quod ipſe ſolus prædicet, & ſeducat homines, ſed etiam diſcipulos congregabit, quos & Apoſtolos appellabit, qui eum vbique prædicent, ſicut Chriſtus Apoſtolos ſuos ad prædicandum Euangelium deſtinauit. Iſti autem ſatellites Antichriſti, ſeu Pſeudoapoſtoli, prædicabunt vbique, & mirabilia quaſi miracula facient, quibus innumerabiles de omni natione ſeducent. Sicut enim Chriſtus Apoſtolos ſuos miſit ad prædicandum, & ad miracula faciendum, ſic Antichriſtus Pſeudoapoſtolos per totum orbem mittet ad nationes omnes ad quas perſonaliter accedere non valebit. Hi *ciuitatem ciuitatem ſanctam Hieruſalem calcabunt menſibus quadraginta duobus*, ſicut dicitur Apoc. 13. ideſt eccleſiam perſequentur annis tribus, & dimidio, quibus Antichriſtus regnabit. Hi peſſimi erunt in vita, tamen ſanctitatem per hypocriſim ſimulabunt, vnde pænè omnes decipient, partim apparentia ſanctitatis, partim violentia poteſtatis, partim miraculis reputatis. Hos deſcribens B. Ioannes Apocal. 13. ait; *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra*, poſt primam beſtiam quam viderat aſcendentem de mari, per quam ſignificatur Antichriſtus,

&

& ſui principes. Alia beſtia eſt ipſe idem, & Pſeudoapoſtoli, fama eius vbique diuulgantes, qui iure dicuntur beſtia, quia in beſtia eſt ſæua crudelitas, violenta rapacitas, & inſatiabilis edacitas. Omnia hæc erunt in Antichriſto, & ſuis. Dicuntur etiam beſtia in ſingulari propter vnanimem conſenſum, & concordiam ad nocendum. Dicit ergo B. Ioannes: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni*, quæ ſunt ſimulatio vitæ, & peruerſio doctrinæ, vel vita mala, & oſtenſa miracula. *Et loquebatur ſicut draco*, ideſt, ſicut diabolus. quia ſicut Spiritusſanctus loquebatur in Apoſtolis Chriſti, ſicut dicit eis Dominus Matth. 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*; ita malignus Spiritus in Apoſtolis Antichriſti. *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius*; ideſt, omnes modos decipiendi, quibus decipiet Antichriſto, facient in conſpectu diaboli & Antichriſti. Sicut enim Apoſtoli faciebant omnia vt placerent Chriſto, ſic iſti vt placeant Antichriſto, à quo ſperabunt ſe honores & diuitias adepturos. Dicitur enim Dan. 11. *Multiplicabit gloriam, & dabit eis honorem.* Sequitur: *Et fecit*, ideſt faciet *terram, & habitantes in ea, adorare beſtiam primam.* ideſt, Antichriſtum. *Et fecit*, ideſt faciet *ſigna magna*, ſcilicet ad homines ſeducendum, *vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* hoc ad literam facient virtute dæmonum, ſicut feciſſe leguntur Iob 1. vel ſicut Apoſtolis Chriſti datus fuit Spiritusſanctus in ſpecie ignis. Et quia hæc ſigna non fient in occulto, ſed in publico in conſpectu hominum, ideo quamplurimi decipientur. Vnde dicitur ibidem: *Et ſeducit*, ideſt seducet *habitantes in terra*, propter ſigna quæ data ſunt illi facere permiſſione diuina. Vnde Dominus Matth. 24. prædixit: *Surgent Pſeudoprophetæ, & ſeducent multos, & dabunt ſigna magna, & prodigia, vt in errorem mittantur, ſi fieri poteſt etiam electi.* Propter quod ſicut ait Gregor. 32. libr. Mor. *penſemus quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quãdo & pius martyr corpus tormentis ſubijcit, & tamen ante eius oculos miracula tortor facit. Cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando his qui flagris cruciat, miraculis corruſcat; & vehementia tentationis huius, etiam ſapientiſſimi ſeducentur.* Sicut bene deſignatur Apoc. 12. *Cauda draconis trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum.* Et de Antichriſto dicitur Dan. 8. *Deiecit de fortitudine & de ſtellis, & conculcauit eas.* Quod exponens Greg. 32. mor. ait. *De fortitudine & de ſtellis deiecit, quia nonnullos & luce iuſtitiæ reſplendentes, & ſapientiæ claritate fulgentes, & virtute operis robuſtos, frangit.*

CÆTERVM Pſeudoapoſtoli præcipient, & cum ingenti poteſtate compellent habitantes in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, ideſt Antichriſti; vt eam faciãt adorari, ſicut fecit Nabuchodonoſor Daniel. 3. Et dabitur illis à diabolo, Deo ſcilicet permittente, vt dẽt ſpiritum malignum imagini beſtię, & facient eam loqui & moueri, ad maiorem hominum ſubuerſionem, & loquetur imago beſtię per malignum ſpiritum, ſicut olim in idolis dabant dæmones reſponſa. Et faciẽt omnes diuites, & pauperes, puſillos & magnos, liberos & ſeruos, habere characterem, ideſt aliquod ſignum Antichriſti repræſentatiuum; vel ad literam, inſertionem ſui nominis in dextera manu, aut in frontibus ſuis euidenter & materialiter, ſicut hodie portant Iudęi ſigna deſignantia ipſos eſſe Iudæos. Adhuc iſti maiora facient per principes qui eis in omnibus acquieſcent, quod quicunque non adorauerit imaginem beſtiæ occidatur. Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi habeat characterem beſtię, ideſt ſignum per quod dignoſcatur pertinere ad Antichriſtum, aut nomen, id eſt, vt ſicut à Chriſto dicimur Chriſtiani, ſic illi ab Antichriſto Antichriſtiani vocentur. Hoc autem facient vt homines extrema neceſſitate cogantur Antichriſto, & ſuis, damnabiliter adhærere.

Henoch & Elias confidunt Antichriſtum.

IN HAC tanta neceſſitate non omnino deſeret Dominus ſanctos ſuos, ſed ad eorum conſolationem mittet Enoch & Heliam, ſicut dicitur Apoc. 11. Ad hoc enim in Paradiſo terreſtri viuentes diu reſeruati ſunt, vt illo tempore venientes Antichriſtum redarguant, veritatem defendant, ſeductos reuocent, ac vacillantes in fide confirment, prophetabunt autem diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis, ideſt tribus annis & dimidio prædicabunt pœnitentiam verbo pariter & exemplo, ſicut & Antichriſtus tanto tempore prædicabit. Ipſum autem Antichriſtum coram omni populo arguent, ac mendacem & fallacem oſtendent. Tũc beſtia faciet aduerſus eos bellum, ſcilicet diſputando, blandiendo, promittendo, comminando, corporaliter affligendo, & vincet eos corporaliter occidendo, & iacebunt corpora eorum inſepulta in platea Hieruſalem, & non ſinentur poni in monumentis, vt ſcilicet homines videntes non audeant eis conformari, & magis timeant Antichriſtum. Tunc erit tanta tribulatio, quanta non fuit antea, nec poſt erit. Antichriſtus enim & ſui gaudebunt & iucundabuntur, & epulabuntur, & munera mittẽt ſibi mutuo, pro morte ſcilicet iſtorum qui eis reſiſtebant & contrarij erant tam operibus quã verbis, & prędicationibus eorum. Et ſicut iſti mali gaudebunt, ſic iuſti etiam fideles lugebunt, terrebuntur, & ab impijs confundentur. Sed faciet Deus cum tentatione etiam prouentum. Nam poſt tres dies & dimidium, diuina virtute reſurgent, iam non vlterius morituri. Erit autem eorum reſurrectio manifeſta, vt ſicut impij prius gaudebant, boni vero lugebant, ſic viceuerſa omnes mali ſtupeant, & terreantur, & in ſeipſis turpiter confundantur; boni vero gaudeant, vireſque reſumant, ac in fide confirmentur, & Deo gratias agãt. Audietur etiam vox magna de cœlo vocantis eos in gloriam, & cunctis videntibus aſcendent in cœlum, glorioſi videlicet & fulgentes. Tunc aliqui mouebuntur ad pœnitentiam, alij vero ad duritiam. Tunc Iudæi videtes ſe fuiſſe deceptos, conuertentur ad Chriſtum. Antichriſtus autem veniens Hieruſalem in montem Oliueti, vnde Dominus Ieſus aſcendit ad patrem, ſimulabit ſe velle in cœlum aſcendere. Sed ſicut dicitur Dan. 11. *Cum ſteterit conteretur.* Quia ſecundum Greg. 32. Mor. *Non Angelorum bello, non ſanctorum certamine, ſed ipſius aduentu iudicis, ſolo oris ſui ſpiritu, æterna morte feretur.* Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus 2. Theſſ. 2. *Quẽ Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Ibique ſeductor ille peribit, vnde Saluator ad cœlos aſcendit. Poſt eius interitum non ſtatim veniet Dominus ad iudicium, ſed electis, qui in Antichriſti perſecutione titubauerunt, quadraginta quinque dies ad pœnitentiam concedentur. Quanto vero tempore poſt venturus ſit Dominus, pœnitus ignoratur. In diebus illius fiet quaſi ſilentium in cœlo, ideſt pax in eccleſia, tribulatione ceſſante. Tũc miniſtri Antichriſti gaudebunt, nuptias & conuiuia celebrantes, ac ludos diuerſi generis exercentes, atque dicentes: Licet præceptor noſter mortuus ſit, modo tamen habemus pacem & ſecuritatem. Sed ſicut ait Apoſtolus 2. Tim. 5. *Cum dixerint pax & ſecuritas, repentinus illis ſuperueniet interitus.* Et ſicut ait Saluator Matth. 24. *Sicut fuit in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis.* Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes, vſque ad eundem diem in quo introiuit in arcam Noe, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis.

Exitus Antichriſti, per ſententiam Chriſti.

De mundi conſummatione.

DISTINCTIO II.

CONSVMMATIONEM ſæculi multa ſigna præcedent, vt videntes homines timeant, ac ad pœnitentiam excitentur, propinquum eſſe iudicium prænoſcentes. Huiuſmodi autem ſigna ſunt, Sathanæ ſolutio. Charitatis infrigidatio. Iniquitatis inundatio. Omnibus mundi partibus facta conuitioſa commotio.

Multa ſigna præcedent cõſummationẽ ſæculi.

PRIMVM ergo ſignum erit Sathanæ ſolutio, ideſt poteſta-

1. Sathanæ solutio.

poteſtatis eius laxatio. Nã virtute paſſionis Dominicę, diminuta & ligata fuit poteſtas, qua prius in homines vtebatur, vt non tantum poſſet nocere hominibus, quantum vellet, nec quantum ante ſolebat. Ligatus autem detentus eſt vſque ad tempus ſtatutum quo ſoluendus eſt, vt longe plus ſolito ſæuiat, tentando, perſequendo, & multipliciter infeſtando, ad maiorem ſubuerſionem & damnationem hominum impiorum; ad maiorem vero probationem, & purgationem perfectiſſimam electorum. Nam in fine mundi boni erunt optimi, & mali erunt peſſimi: vt ſicut dicitur Apocal. vlt. *Qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc, & iuſtus iuſtificetur adhuc; & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc.* Solutus autem diabolus vt dictum eſt, multis & miris modis totam rabiem ſuam, crudelitatem, iniquitatem, ac aſtutiam exercebit. Sciens quia modicum tempus habet, ſicut dicitur Apoc. 12. Vnde ad vigilantiam & cautelam nos admonet beatus Petrus dicens: *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Et Pſalm. 9. *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.* Quod exponens Gregor. 32. Moral. ait: *Ad apertam potentiam ſuffeciſſet vt leo eſſet, etiam ſi inſidians non fuiſſet; ruſumque ad occultas verſutias ſuffeciſſet, vt inſidians ſubriperet, etſi leo non eſſet. Sed quia hic antiquus hoſtis in cunctis ſuis viribus effrænatur, ſæuire per vtraque permittitur, vt contra electos in certamine, & fraude & virtute laxetur; virtute per potentiam, fraude per ſigna. Recte ergo vt leo inſidians dicitur. Inſidians per miraculorum ſpeciem, leo per fortitudinem ſecularem. Vt enim eos qui aperte iniqui ſunt pertrahat, ſecularem potentiam oſtentat; vt viros etiam iuſtos fallat, ſigna ſanctitatis ſimulat.* Idem etiam Gregor. exponens illud Dan. 8. *Dirigitur dolus in manu eius*; ait: *In manu eius dolus dirigitur, quia fraus per opus adiuuatur; quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo aſſerit. Nam quicquid lingua mendax ſimulat, hoc quaſi verum eſſe manu operis oſtentat.*

2. Charitatis infrigidatio.

SECVNDVM ſignum erit charitatis infrigidatio, ſicut prædixit Dominus Matth. 24. *Refrigeſcet charitas multorum.* Sicut enim ſeneſcente microcoſmo, ideſt homine, qui à Philoſopho dicitur minor mundus, ſolet calor naturalis diminui; & appropinquante morte, magis ac magis minuitur, donec in morte prorſus deficiat. ſic etiam maiori mundo ſeneſcente, & ad ſui terminum propinquante, charitas quæ eſt calor vitæ ſpiritualis refrigeſcet, & pænè deficiet. Ait enim Ariſtot. quod *ſenium eſt frigidum, ſiccum & mori morbidum*: ſic mundus morti, ideſt exterminio iam propinquus, frigidus eſt per defectum charitatis, & ſiccus per defectum deuotionis. In his enim duobus conſeruatio vitæ ſpiritualis exiſtit. Cum igitur iam videmus charitatis feruorem penè penitus extingui, ac deuotionis humidum exſiccari, quid aliud cogitare debemus, niſi quod prope eſt interitus huius mundi. Quod *enim antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Hebræor. 10. Si quis attente conſideret in quolibet ſtatu tam ſecularium quam regularium, tam clericorum quam laicorum, tam ſubditorum quam etiam prælatorum, quam indeuote Deo ſeruitur, quam tepidè adoratur, quam irreuerenter oratur, quam arido corde laudatur, immo potius contemnitur, dehonoratur turpiter, ac deteſtabiliter blaſphematur, manifeſte videbit charitatem ad Deum non ſolum frigeſcere, ſed iam ita notabiliter friguiſſe, vt penè videatur extincta. De charitate vero ad proximum, quomodo iam plene defecerit, clamant nudi, clamant famelici, clamant inedia morientes. Relegata eſt miſericordia à filijs hominum, clauſa eſt ianua pietatis, contracta eſt largitas, niſi quæ vanitati aut cupiditati deſeruit. Aruit fons compaſſionis, & viſcera ſua clauſit; & ſic non reſtat aliud, niſi quòd cito fiat iudicium ſine miſericordia illis, qui ob charitatis defectum miſericordiam non fecerunt.

3. Iniquitatis inundatio.

TERTIVM ſignum erit iniquitatis inundatio. Nam timore Dei poſtpoſito, & amore reiecto, & honore contempto, quid reſtat niſi malorum inundatio, iniquitatum multiplicatio, innumerabiliumque ac indicibilium ſuperabundantia peccatorum. Ideo videmus impletum illud Oſee 4. *Non eſt miſericordia, non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium inũdauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Et clare videmus impletum, quod prędixit Apoſtolus 2. ad Ti. 3. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes*, amore ſcilicet priuato. de quo dicit Aug. *Ciuitatem diaboli fecit amor ſui, vſque ad contemptum Dei.* Ex iſto enim amore omnia mala proueniunt, ſicut ex charitate conſtat pullulare virtutes. vnde poſt illud; *Erunt homines ſeipſos amantes.* Sequitur. *Cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei.* Tales etiam deſcribit idem Apoſtolus, Rom. 1. dicens eos eſſe repletos *omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, ſine fœdere, abſque miſericordia.* O ſi quis linceis oculis conſcientiarum parietes penetrare, & cordium occulta luculenter poſſet inſpicere; concerneret crimina, quanto ſecretiora, tãto forſitan grauiora. Sed ne publicemus occulta dedecoris, aut parietem fodiamus, vt appareat idolum abominationis, quia nec teſtes ſumus, nec Iudices occultorum, ſed alium habebunt Iudicem, non Regem vel Principem, ſed conſcientiarum ſecretiſſimarum inſpectorẽ, quia omnia nuda ſunt oculis eius, qui ſicut nihil deſeret inſcrutatum, ita nihil præteriet impunitum; videamus quæ palam coram ſole geruntur, quæ nec ignorari poſſunt, nec aliqua tergiuerſatione celari, nec excuſationis pallio operiri: quia tam impudenter agunt hodie peccatores, vt frontem meretricis excedere videantur. De quibus dictum eſt Iſa. 3. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt.* imò, & *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Pſal. 9. & publicatis peſtiferis adinuentionibus vitiorum, qui eſt in eis aſtutior, & effrænatior; ille probior, ſapientior, & valentior iudicatur. Verecundia quoque importabilis æſtimatur; innocentem vel minus impium eſſe inter homines ſceleratos, ſimplicem inter vulpes, columbam inter vultures, agniculum inter lupos. Inhonoratur Deus iniquis operibus, & linguis non ſolum peierantium, ſed blaſphemantium, nomen eius ſceleratiſſimè laceratur; eius mandata contemnuntur, promiſſiones vilipenduntur, comminationes non timentur, ſupplicia non horrentur, leges abolentur, & pro libito voluntatis nequiter exponuntur: & ſicut ait Cyprianus *conſenſere iura peccatis, & capit licitum eſſe quod publicum.* Iura iniurijs militãt, & iniuriæ pro viribus inducuntur, abuſiuæ conſuetudines ſanciuntur. Legem habentes ſine lege viuunt, & legibus abutuntur. Diuus pauperem ſuppeditat, & potens opprimit impotentem; vulpes cuniculum, lupus agnum, vultur columbam, accipiter alaudam deuorat, & impius iuſtum, & ſimplicem verſipellis. Facti ſunt homines ſicut piſces maris, & ſicut reptilia non habẽtia præceptorem. In mari Pyratæ prædantur, in vijs inſidiantur prædones, latrones in nemoribus, fures in domibus, in vrbibus abundant ſeditioſi, in curijs proditores: ſæuit inuicem diſcordantium malitia, litigijs replentur omnia; veritas odio habetur & procul abijcitur, iuſtitia peruertitur, æquitas eneruatur, regnat impietas, ſæuit rapacitas, cupiditas dominatur. Quid plura? Quæ lingua, aut quis intellectus cogitare ſufficeret, quæ, qualia, quantaque flagitia committuntur. Quia enim non profertur cito contra malos ſententia, filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala. Cum igitur multitudo ſit in ſcelere, nec ſperari poſſit correctio; quin potius quotidiè creſcit malitia, inſoleſcit temeritas, obfirmatur audacia, effrenatur impudentia, ſperatur impunitas, & in immenſum iniquitas cumulatur; quid reſtat, niſi dolor & gemitus. Non enim ſenio crimina moriuntur, nec vetuſtate temporum obruuntur: quinimo velut hydra, vno capite reſecato,

alia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

alia validius & numerosius pullulantia renascuntur; Sic adduntur peccata peccatis, adinueniuntur noua, & multiplicantur absque numero, & peccandi libidinosa rabies ardentius inflammatur. Quid igitur amplius expectare debemus, nisi quod in breui sit finis à iusto Iudice tot & tantis flagitijs, tam horrendis abominationibus, imponendus? Debemus enim diligenter aduertere, & memoriter retinere, quod Gen. 6. legimus. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.* Et infra. *Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Ecce quod propter multiplicationem & redundantiam peccatorum, & ad purgationem mundi, & exterminationē hominum impiorū, immisit Dominus cataclismum aquarum. Itē Gen. 18. *Dixit dominus ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est; & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Et sequitur. *Quia pluit Dominus ignem & sulphur de cœlo, quinque ciuitates omnino subuertens, cum omnibus hominibus, necnon & infantulis & iumentis.* Item quando multiplicata sunt peccata populi Chanaan, præcepit Dominus filijs Israel, vt in ingressu suo in terram promissionis, prorsus exterminarent eos, nec quemquam viuere permitterent. vnde quia aliquibus pepercerunt, increpari à Domino meruerunt, sicut dicitur Iosu. 2. Item diu sustinuit Dominus peccata filiorum Israel. Sed postquam completæ sunt iniquitates eorum, eiecit eos à facie sua, de terra sua transferens eos in exteras nationes. Primo decem tribus sicut habemus 4. Reg. 17. Postea duas trib 4. Reg. vltim. Sed illa abiectio seu transiatio fuit temporalis, vnde post annos septuaginta redierunt. Sed postmodum, quia Christum Dominum crucifigendo immanissime peccauerunt, terram suam vsque ad Antichristi tempus irrecuperabiliter amiserunt. Sic etiam exterminata sunt regna Chaldæorum, Medorum, Persarum, necnon & Græcorum, quæ suis temporibus potentissima fuerunt & maxima; tamen propter iniquitates eorum ad nihilum sunt redacta. Denique nuper diebus istis etiam Christiani nostri propter eorum peccata nefaria, quæ magis tacēda censui quam pandenda, iusto Dei iudicio per manus infidelium nefandorum, trucidati, captiuati, vel in fugam conuersi sunt. De terra sancta promissionis, quam Dominus Iesus sua benedicta natiuitate, conuersatione, & morte sacratissima consecrauit, turpissimè sunt eiecti; quia flagitiosam eorum vitam non poterat amplius sustinere. Hæc omnia supradicta, quæ sunt quædam particularia Dei iudicia, sunt etiam futurorum signa prognostica, & futuri iudicij generalis exempla. quoniam sicut Deus illorum iniquitates vsque ad præfinitum tempus per patientiam expectauit, & postmodum iudicium suum exercens, inflexibiliter iræ suæ furorem super eos effudit: Sic de generali iudicio firmiter est tenendum; licet quando sit præcise futurum, omni viuenti sit incertum, nisi cui fuerit à Domino reuelatum.

4. *Magna & admirabilis rerum commotio.*

QVARTVM signum futuri iudicij erit, in diuersis mundi partibus facta commotio. Ante consummationem enim mundi necesse est magnas & mirabiles commotiones fieri in omnibus creaturis. Sicut namque Deus suum primum aduentum in mundum, qui debebat esse gratiosus & amabilis, per Prophetas suos prænunciari voluit, multisque figuris, & ænigmatibus præsignari, ne si subito veniret homines nō agnoscerēt: quin potius vt ipsum agnoscentes, cū omni deuotione susciperent, ac antequam veniret, ad eius susceptionem deuotam cum omni se diligentia præpararent: sic secundum eius aduentum terribilem & horrendum, omnes Prophetas suos voluit proclamare multisque signis præcedentibus propinquum esse iudicium faciet demonstrari, vt saluandi qui boni sunt, ad meliora & ampliora prouocētur, & qui in peccatis suis sunt, citius ad pœnitentiam conuertantur: reprobi vero inexcusabiles merito iudicentur. Vnde Beatus Greg. ait. A *Saluator noster nos paratos inuenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denunciat, vt nos ab eius amore compescat. Appropinquante eius termino quantæ persecutiones præueniant innotescit, vt si Deum in tranquillitate metuere nolumus, vicinum eius iudicium, terroribus vel persecutionibus attriti, timeamus. Item* quando paterfamilias contra aliquem, propter iniurias vel contumelias sibi factas est vehementer iratus, omnes eius domestici & amici ad Domini sui vindicandas iniurias vnanimiter animantur. Sic omnis creatura factori suo deseruiens, excandescit in tormentum contra impios, ad vindicandum iniurias creatoris. *Item* cum exigente iustitia, in quibus quis peccat in his puniri debeat, sicut dicitur Sapient. 11. *Per quæ quis peccat per hæc & torquetur*; nos qui cunctis creaturis abutentes delinquimus, iustum B est vt in cunctis & à cunctis, à iusto Iudice torqueamur. vt impleatur quod dicitur Sapient. 5. *Pugnabit pro eo orbis terrarum, contra insensatos.* Sicut ait Greg. *Omnia quæ ad vsum vitæ accipimus, ad vsum conuertimus culpæ. Sed omnia quæ ad vsum nostræ prauitatis inflexerimus, ad vsum nobis vertuntur vltionis. tranquillitatem pacis humanæ conuertimus in vanam securitatem: & ideo iustè, sicut ait Saluator,* Matth. 24. *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Peregrinationem viæ, pro habitatione dileximus patriæ; ideo erunt terremotus. Salutem corporum in vsum redigimus vitiorum; ideo erunt pestilentiæ. Vbertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis assumpsimus, sed ad perversitatem intentissimæ voluptatis; ideo erit fames. Serenitatem aeris seruire nobis cogimus ad vsum terrenæ delectationis; & ideo erunt fulgura, tempestates, & tonitrua. Iure igitur* C *restat, vt simul omnia nos feriant, quæ simul omnia vitijs nostris male subiecta seruiebant: vt quot in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.*

In omnibus creaturis fiet cōmotio ante diem iudicij.

ATTENDENDVM est autem quod in omnibus creaturis, & singulis mundi partibus erunt commotiones mirabiles ad cogitandum, terribiles ad videndum, sed pene intollerabiles ad sustinendum. Erunt enim huiusmodi commotiones in dæmonibus, in hominibus, in elementis omnibus, in corporibus cœlestibus, necnon & in beatis spiritibus. *Primo* quidem in dæmonibus; quia sicut dictum est, soluetur Sathanas, ideſt potestas eius relaxabitur. Permittentur enim dæmones fortius solito tentare homines, vehementius impugnare, acrius persequi, & ex tota sua malitia amplius in eos D desæuire. Vnde ipsi crudelitate commoti, multas horribiles commotiones in homines excitabunt, ac totum mundum contra eos mirabiliter commouebunt. *Item* erit commotio in hominibus: Nam sicut prædixit Dominus. *Erunt prælia & seditiones. Bella ad hostes pertinent,* sicut ait Greg. *Seditiones ad ciues. vt ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti. Surget enim gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.* Tolletur vbique pax de terra, vbique prælia mouebuntur. Insurgent maiores contra seinuicem, & contra minores. Minores similiter in maiores, ac etiam in seipsos. regnum contra regnum aliud diuidetur, & in seipso diuisionum schismatibus discindetur. Ciuitas ciuitatem impugnabit: castrum vnum insurget in aliud. Domus contra domum, familia contra familiam, persona contra personam armabitur. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra E nobilem: Principes contra subditos, & econuerso; laici contra clericos, & econtrario: religiosi contra seculares, & econuerso religiosi contra religiosos alios; ac ipsi diuidentur multiformiter in seipsos. Clerici contra prælatos, & econuerso consurgent. Non erit collegium aut monasterium, vbi non tumultuosa commotio, & seditiosa turbatio concitetur. Tunc implebitur illud Hier. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet: & vir fratrem deridebit, & veritatem non loquetur.* Sequitur: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Et

Mich.

Mich. 7. *Nolite credere amico & confidere in Duce, ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui; quia filius contumeliam faciet patri, & filia conſurget aduerſus matrem ſuam, nurus contra ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Et quod longe grauius eſt, *tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte afficient eos*, ait Saluator, Matth. 24. *Sicut autem* in corpore naturali, cum membra ſingula diſſoluuntur, & catena aurea, id eſt harmonia totius corporis, qua verſ. 3. inſe, & anima ſimul cum corpore, tenebantur mirabili nexu concordię federata; diſſidentibus elementis in corpore, quaſi quadam intrinſeca pugna, vno eorum prædominante ſuper alia, diſſipatur, neceſſe eſt hominem cito mori: ſic in corpore vniuerſæ reipublicæ, certiſſimum ſignum deſtructionis eius finalis eſt tam horrenda diuiſio, qualis ſuperius eſt deſcripta. Ait enim Saluator, Matth. 12. *Omne regnum contra ſe diuiſum deſolabitur; & omnis ciuitas, & domus contra ſe diuiſa non ſtabit. Item* ſicut in ædificio materiali, quando parietes ab inuicem ſeparantur, ac ſinguli quoque parietes interrupti, fiſſuras multas habentes, intrinſecus & extrinſecus diſſoluuntur, exterminum illius ædificij ſine ſpe reparationis indicant, & minantur: Sic in propoſito intelligendum eſt, quod tanta commotio in corpore reipublicæ, finalis eius exterminij eſt euidentiſſimum argumentum.

Simile. *Simile.*

Cõmotiones in elementis omnibus.

Item erunt commotiones in elementis omnibus. Nam in terra erit fames valida, non in vna regione tantum vel prouincia, ſed vbique terrarum ſterilitas & defectus neceſſariorum ad victum. In viſceribus quoque terræ tanta fiet commotio, quod erunt terræmotus horribiles, crebriores, & incomparabiliter vehementiores ſolito, id eſt, crebrius, & in pluribus mundi partibus accidentes, tam violenti & fortes, vt ciuitates, turres, & caſtra deſtruant, ac montes à fundamentis penitus euertant. Tunc implebitur illud Iſa. 24. *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra.* Et quod Dominus ipſe prædixit. *Erit fames, & erunt terræmotus magni per loca. In aquis* ſimiliter, id eſt, in mari & fluminibus erunt commotiones, verſ. 3. inundationes inſolitæ, ſonitus inauditi, procelloſæ fluctuum commotiones, eleuationes ac depreſſiones vndarum; ac tempeſtates, tam auditu terribiles, quam aſpectu. *In aere* quoque multæ commotiones & multiplices erunt: verſ. 3. epidimiæ, id eſt infectiones maximæ, ex quibus orientur peſtilentiæ, id eſt, corruptiones, morbos, & mortes innumerabiles, tam in hominibus quam iumentis & beſtijs generantes. Erunt etiam tonitrua, coruſcationes, & fulgura; tempeſtates & grando, æſtus intollerabiles, ventorum concurſus & turbines. Hæc autem omnia, tanta & tam crebra erunt, qualia nunquam ante fuerunt, ita vt homines ſuper terram areſcant, & velut amentes præ timore & confuſione fiant. vnde Sapient. 5. dicitur: *Ibunt directè emiſſiones fulgurum & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient: & à petroſa iraplenæ mittentur grandines, & excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter* &c. *In igne* verò erunt commotiones ex conflagratione ignium mundanorum. De qua dicetur infra, ideo ſuperſedeamus ad præſens.

Cõmotiones in corporibus caleſtibus.

In corporibvs quoque cœleſtibus erunt commotiones, ſicut ait Saluator, Lucæ 21. *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Expreſſius Matth. 24. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Secundum Ambroſium, ſol & luna ad tempus poſſunt intelligi priuari lumine ſuo, & peracto die iudicij maius lumen recipient. Et Chryſoſtom. ait, *Patrefamilias moriente, domus tota turbatur, familia plangit, & nigris ſe veſtimentis induunt. Sic, humano genere propter quem facta ſunt omnia, circa finem conſtituto, cæli myſteria lugere dicuntur, & candore depoſito tenebris induuntur.* Vnde Actor. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus.* Et ſumpta eſt hæc auctoritas de Ioel 2 *quaſi à facie Domini contremuit terra, moti ſunt cœli; ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Pro tanto de ſtellis dicitur Matth. 24. *Stellæ cadent de cælo;* quia verſ. 3. non lucebunt, nec videbuntur, ac ſi cecidiſſent de cœlo. Aliter hæc verba poſſunt intelligi, ſecundum Ambroſium, Hieronymum, & Bedam. Sol & Luna obſcurari dicuntur, non diminutione ſui luminis, ſed ſuperueniente claritate maxima, adeo vt obſcurari, & nullius eſſe luminis videbuntur, Iſa. 24. *Erubeſcet Luna & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum, ſtellæ cadent de cælo.* Non quia ſtellæ quæ ſunt lumina quædam cœli, credendę ſint cadere, vel corrumpi; ſed in ſuperiori parte aeris fient inflammationes vehementes & multæ, quæ ſic diſcurrent per aera, vt quaſi ſtellæ de cœlo cadere videantur. Vel ſecundum Ambroſ. *Stellæ cadent* &c. id eſt, qui fulgere videbantur in Eccleſia, & eſſe firmiſſimi; turbabuntur à ſanctitate vitæ, & veritate fidei, præ turbatione cadentes.

Cõmotiones in beatis ſpiritibus.

Tandem erunt commotiones etiam in beatis ſpiritibus: ſicut ait Dominus, *virtutes cælorum mouebuntur*, id eſt, Angeli. Et dicuntur virtutes cælorum, quia in cælis eſt eorum habitatio. Aut ſecundum Philoſophos, quia ſunt motores orbium cęleſtium. Moueri autem dicuntur, motu, ſcilicet reuerentiæ. Ex conſideratione enim maieſtatis iudicis venientis, reſilient in propriam paruitatem; & videntes eum iratum contra impios, quaſi tremere videbuntur. Sicut patrefamilias vehementer irato, omnes eius amici, motum quendam & ſigna cuiuſdam commotionis oſtendunt. Aut dicuntur moueri ad litteram, quia explebunt myſterium conſummationis mundi, & reſurrectionis generalis. Sicut dicitur Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Et infra. *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* Et Rurſum 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius* &c. Vnde Chryſoſtom. *Exurgente Rege cęleſti iudicare viuos & mortuos, virtutes Angelicæ mouebuntur; terribiles miniſtri, terribilem Dominum præcedentes.*

Quindecim ſigna iudicii præcedentia.

Hieronymvs autem dicit ſe inueniſſe ſcripta in annalibus Hebræorum, 13. ſigna iudicium præceſſura. Prima die eriget ſe mare ſuper altitudines montium quadraginta cubitis, ſtans in loco ſuo quaſi murus. Secundo, tantum deſcendet vt vix videri poſſit. Tertio, marinæ belluæ apparentes ſuper mare, dabunt rugitus vſque ad cœlum. Quarto, ardebit mare & omnes aquæ. Quinto, herbę & arbores dabunt rorem ſanguineum. Sexto, ruent ædificia. Septimo, Petræ adinuicem collidentur. Octauo, fiet generalis terræmotus. Nono, æquabitur terra. Decimo, exibunt homines de cauernis, & ibunt velut amentes, nec poterunt mutuo ſibi loqui. Vndecimo, ſurgent oſſa mortuorum, & ſtabunt ſuper ſepulchra ſua. Duodecimo, cadent Stellæ. Tertiodecimo, morientur viuentes vt cum mortuis reſurgant. Quartodecimo, ardebit cœlum & terra. Quintodecimo, fiet cœlum nouum & terra noua, & reſurgent omnes. Vtrum autem continuè an interpolatè futura ſint iſta, Hieronym. non expreſſit. Hæc dicta de duobus antecedentibus iudicium, ſcilicet de Antichriſti perſecutione, & de mundi conſummatione ſufficiant.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De mundi purgatione.

DISTINCTIO III.

CONSEQVENTER dicendum est de duobus concomitantibus aduentum iudicis; & Primò de mundi purgatione. Secundò de generali corporum resurrectione.

Generale iudicium præcedet ignis, & eo vsque pertinget quo aqua diluuij

QVANTVM ad primum, sciendum quod venturum iudicem præcedet ignis, qui faciem huius mundi cõburet, peribuntque cœlum & terra. Sicut ait dominus Matth. 23. *Cœlum & terra transibunt*, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ mutabitur in meliorem, *cœlum* dicit aëreum, non æthereum. Tantum autem ascendet ignis præambulus iudicij, quantum ascenderunt aquæ diluuij, scilicet vigintiquinque cubitis super cacumina montium, vt hanc mundi partem purget à sordibus peccatorum. Nam homines peccatores, non solum suis sceleribus maculantur, verumetiam suam habitationem inquinant; omnesque creaturas quarum obsequijs abutuntur, inficiunt & peruertunt. Ideò tantum ascendere credendus est ignis mundi purgatiuus, quantum ascendere potuerunt fumi idolatriæ, aut fætor criminum aliorum. Terram igitur, mare, & omnes aquas, ac aëris crassitudinem purgabit: electos etiam secundum Apostolum emundabit, reprobos verò torquebit. Vt enim ait Aug. *hoc erit incendium sanctis, quod fuit tribus pueris caminus Babilonis.* De reprobis verò dicitur in Psalm. 96. *Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit inimicos eius.*

De corporum resurrectione.

DICTO de mundi purgatione, dicendum est de generali corporum resurrectione. Circa quam considerandæ sunt quinque. Primo quod futura sit resurrectio. Secundo, quod vnusquisque resurget idem in numero. Tertiò quod omnes resurgent in perfecta ætate. Quartò, quod omnes resurgent immortales. Quintò, quod omnes erunt impassibiles.

Futuram esse corporis resurrectionem probatur ex scriptura.

CIRCA primum, scilicet. *Resurrectionem corporum futuram esse*, probatur multipliciter; videlicet Auctoritatibus, rationibus, & exemplis. Et primo auctoritate & testimonio Prophetarum. Isa. 26. *Viuent mortui tui, & interfecti tui resurgent.* Et post. *Vos qui in puluere estis*, &c. Ezech. 38. *Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populo meus.* Et post. *Dabo Spiritum meum in vobis, & viuetis.* Dan. 12. *In tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro vitæ; & multi de his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt; Alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.* Hoc testatus est Danieli Angelus indutus lineis, cum iuramento in conspectu duorum Angelorum. Item Ion. 2. *Subleuabit de corruptione vitam meam.* Item illi septem fratres cum matre de quibus 2. Mach. 7. omnes martyrium gratanter suscipiebãt, propter obseruantiã legis, & spẽ resurrectionis: qui & testimoniũ perhibebant de hoc, in extremo spiritu constituti; quorum vnus ait. *Rex mundi, pro suis legibus defunctos, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et alius membra obtulit ad martyrium, dicens: *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*, similiter alij, & mater eorum.

Exemplum de philosopho antiquo habente in sepulchro articulos fidei.

LEGITVR in hystorijs Rom. Quod cum tempore Theodosij Imperatoris, quidam Philosophi, & multi viri Ecclesiastici, imò vero hæretici, dogmatizarent corporum resurrectionem non esse futuram, nisi spiritualiter: & alij catholici sentirent, & assentirent, quod futura esset corporaliter. Cùm in his esset Imperator Theodosius anxius & dubius quid esset tenendum, cum terra effoderetur apud Constantinopolim pro fundamento quodam iaciendo, apertum est sepulchrum cuiusdam antiquissimi Philosophi, & famosissimi; qui fecerat scribi & sculpi secum in sepulchro suo articulos fidei nostræ; quod scilicet Dei filium crederet concepturum de virgine, & nasciturum, &c. Per quem etiam sperabat se resurrecturum corporaliter in iudicio futuro. In cuius indicium ossa sua tempore Theodosij Imperatoris soli paterent. Ad huiusmodi ergo sepulchri apertionem, & scripturæ inuentionem, & fides catholica est confirmata, & hæresis confutata.

IOB 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum saluatorem meum*, &c. *Item* testimonio illorum qui præcipui fuerunt inter Christianos, scilicet Apostolorum, qui articulum fidei dixerunt *carnis resurrectionem*, quem qui non crediderit, saluus esse non poterit. Apostolus Paulus 1. Corint. 15. *Omnes quidem resurgemus.* Et 1. Thes. 4. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* Item beati martyres pro huius spe & testimonio, corpora sua ad supplicia tradiderunt. Super omnia autem debet valere testimonium Christi, cuius virtute ipsa resurrectio fiet; qui hanc futuram prædicauit, Ioan. 5. *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* *Item* hanc futuram probauit Saducæis, Matth. 21. Luc. 20. Per hoc: *Deus dixit Moysi: ego sum Deus Abraham, Deus Iacob, Deus Isaac: Deus enim non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Omnes enim viuunt ei, quia eos potest resuscitare quando vult. Item exemplo suo & suorum, eam futuram præmonstrauit, Matth. 28. *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis*, &c. De eius resurrectione Matth. 27 & Rom. 16. Luc. 24.

Idem probatur ratione

POTEST autem hoc idem & rationibus probari. Resurrectionem nempe futuram exigit Dei veritas infallibilis, qui per Prophetas suos eam prædixit, & promisit esse futuram, sicut patet auctoritatibus præmissis, Prophetæ autem diuinitus inspirati, non possunt esse mentiti. *Item* æquitas summæ iustitiæ requirit, vt secundum quod omnes boni vel mali in suis corporibus meruerunt, hoc eis in vtrisque reddatur Matth. 6. *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Et Isa. 61. *In terra sua*, quæ est terra hæreditatis æternæ, *duplicia possidebunt*, idest duplicem gloriam, in anima scilicet & corpore. Cùm autem boni per corpora sua, quasi per instrumenta vel organa animarum, Deo seruierint; mali vero de corporibus suis, & per corporea instrumenta, quasi incitatiua ad malum, Deum impugnauerint, & per corporum suorum organa peccauerint contra eum; Ad iustum iudicium pertinet, vt per quæ Deo seruiuit aliquis, per hæc etiam remuneretur; Et per quæ peccauit, per hæc etiam torqueatur. *Item* iudex omnium summè iustus, tam malorum quam bonorum corpora suscitabit, vt ea quæ meriti vel demeriti cooperatiua fuerunt, participationem etiam præmij vel supplicij recipiant in æternum. *Item* hoc exigit corporis Ecclesiæ conformitas & congruitas. Non enim congruum est vt surgente integro capite, membra remaneant in parte in terra, quantum scilicet ad corpora. Non est formosum corpus, nisi membra integraliter surgant, nec est integrum aliter corpus similiter, nec corpus Ecclesiæ aliter integrum erit aut decens, nisi resurgant integre membra, sicut integrè surrexit, caput. Ideò dicit Apostolus 1. Cor. 15. *Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Et post. *Vnusquisque in suo ordine resurget, primo Christus, deinde qui sunt Christi.* *Item* hoc exigit humani corporis nobilitas. Si enim alia corpora aliqua, vt sunt semina, primo moriuntur & putrescunt, & post viuificantur; multo fortius videtur nobilissimũ genus seminis, propter quod alia semina facta sunt, cũ seminatur non debere deperire; scilicet corpus

humanum cum ſepelietur, vnde hoc probat Apoſt. per exemplum ſeminis 1. Cor. 15. *Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur*, Iſa. 66. *Oſſa veſtra ſicut herba germinabunt*. Nec mirum ſi hoc ſemen tamdiu moretur in terra antequam reſurgat; quia aliqua ſemina poſtquam per centum annos latuerunt in terra, poſt centum annos germinant, operante natura Hoc dicitur verum eſſe de grano milij. De quo dicitur quod aliquando bene latet in terra per centũ annos antequam germinet, vel etiam per mille. Si hoc poteſt facere natura de tã paruo ſemine, quid miraris ſi hoc facit creator qui ſupra nturã eſt, de tam nobili ſemine in fine mundi? *Item* hoc exigit ſummi Regis curialitas. Quis enim rex eſſet curialis, cui ſeruiret in exercitu ſuo fideliter miles, & ſcutifer; ſi ipſe in fine prælij ſtipendia daret militibus, & nihil ſcutiferis, qui ei ſeruiuiſſent vſque ad mortem? Sic poſſent dicere ſcutiferi, quod dicunt inſipientes Iudæi. Mal. 3. *Vanus eſt omnis qui ſeruit Deo*. *Item* quid mirum ſi ille qui creauit cuncta de nihilo, de coſta hominis mulierem, de puluere corporis reparet illud. *Item* ſi artifices de cineribus vitrum faciant, & vitra facta in fornacem proijcientes & liquefacientes, etiam pulchriora ex eis vitra reficiant: Quid mirum ſi ſummus artifex hoc faciat de corporibus noſtris fractis, ipſa reformãdo Phil. 3. *Saluatorem expectamus dominum, noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. *Item* hoc exigit perpetua ſanctorum felicitas, quorum animæ deſiderant corpora, quaſi ſuum bonum ſocium, qui fuit particeps laboris & tribulationis, vt ſit particeps conſolationis.

Probatur etiam exemplis & miraculis

TERTIO poteſt ſuaderi reſurrectio naturalibus exẽplis, & miraculis. Si vt dictum eſt temporalis artifex, qui de puluere fæni facit vitrum, quare non ſummus artifex de puluere corporis corpus reficiat. In partibus Tyri & Achon, de Sabulo Maris fit optimũ vitrum. *Item* de cinere phœnicis noua phœnix renouatur, quæ eſt auis nobiliſſima, & ſola nidificat, & ſpecies aromaticas in nido ſuo congregat, & ſe cum eis comburit, & de puluere ſuo renouatur.

Exemplum de 7 dormientibus.

AD hoc autem probandum quod mortuorum reſurrectio futura ſit, multa fidem & fecit, & poteſt facere miraculum de ſeptem dormientibus: de quibus legitur, quod cum Decius Imperator veniſſet Epheſum, præcepit omnes idolis immolare, aut diuerſis ſuppliciis occidi, qui hoc non facerent. Oblati ſunt & accuſati, ſeptem viri primi in palatio ſuo Chriſtiani, qui hoc facere contempſerunt, quorum primus vocabatur Maximus, & alius Malcus, &c. cum dediſſent eis tempus deliberandi vſque ad reditum ſuum, ipſi deliberato cõſilio, venditis & erogatis ſuis pauperibus, latebant in ſpelunca in Celyon monte. Cùm autẽ miſiſſent Malcum transfiguratum ſub habitu medici ad emendum neceſſaria victui, cum audiret Decium inquirere de eis, reuerſus ad ſpeluncam ſocijs hoc retulit, qui cum panem comediſſent, Dei voluntate dormierunt vſque ad tempora Theodoſij. Decius autem audiens qualiter ſua erogaſſent, & per parentes eorũ, quibus mortem comminabatur, cognoſcens quod laterent in dicta ſpelunca; maximis lapidibus os ſpeluncæ fecit impleri, vt ſic ibi deficerent. Duo autem viri Chriſtiani Ruphinus, & Theodorus, Martyrium & geſta eorum deſcribentes, ea inter lapides incluſerunt ſignata duobus ſigillis argenteis. Cum autem tempore Theodoſij mota eſſet hæreſis de reſurrectione mortuorum, aſſerentibus multis quod non eſſet futura corporalis: & Imperator Theodoſius ſuper hoc multum fleret, indutus cilicio. Accidit vt dum quidã volens ædificare in dicto monte ſtabulum iumentis ſuis, & extraheret lapides de dicta ſpelunca, excitati ſunt. & credentes ſe dormiuiſſe per ſpacium ſolius noctis, quærunt à Malco quid de eis tractaret Decius, affirmantes, quod nulla ratione immolarent. Cum miſiſſent ad vrbem Malcum vt prius, ad victualia emenda cum quinque ſolidis, mirabatur lapides ad os ſpeluncæ, & quod videbat ſignum crucis ſuper portas vibis, & homines loquentes de Chriſto, & mutationes hominum, & ædificiorum. Et cum quærens audiret, quod vrbs eſſet Epheſus, credens ſe dementatum voluit redire, prius emptis panibus, venditores videntes monetam argenteam cum imagine Decij dixerunt, quod doceret eos Theſaurum antiquorum Imperatorum, & non celarent eum, quod cum negaret, vinctum func duxerunt eum ad Marinum Epiſcop. & Antipatum pro conſulem. Ipſe autem credebat quod traheretur ad Decium cruciandus. Cum autem quærerent ab eo quod doceret eos vbi Theſauros acceperat & vnde eſſet, & qui eſſent parentes ſui, à quibus dicebat ſe habuiſſe dictos argenteos, dixit eis nomina & locum parentum ſuorum; quærens ab eis mirantibus, vbi eſſet Decius Imperator, quem antecedenti die in vrbe dimiſerat. Illis autem aſſerentibus, quod de eo non extabat iam eis memoria, manifeſtauit eis antedicta omnia, & de ſocijs ſuis ad quos duxit eos cum maxima multitudine vrbis, quos inuenerunt in ſpelunca cum colore roſeo, qui eadem teſtati ſunt. Litteræ autem inuentæ ſunt paſſionis ſuæ, cum ſigillis argenteis eadem teſtantes. Cum autem Theodoſius vocatus de Conſtantinopoli aduenijſſet, gaudens, ad aduentum eius facies ſanctorum ſicut ſol fulſerunt, qui procidens amplexatus eſt eos, flens ſuper ſingulos. Qui dixerunt, quod ideo Deus eos reſeruauerat tantis temporibus, ſicut pueri in vteris maternis reſeruantur ſine ſenſu & dolore, vt nullus de reſurrectione mortuorum futura corporaliter de cætero dubitaret. Quo dicto, flectendo genua, & orando, in Domino dormierunt, ei ſpiritus exhibentes. Cum autem Imperator hoc vidiſſet, fecit extrahi corpora ſanctorum extra ſpeluncam, præcipiẽs fieri loculos aureos, in quibus corpora ſanctorum collocarentur, fletibus irrigans corpora ſingulorũ. Sed nocte ipſa apparuerunt ei ſancti, præcipientes ei vt dimitteret eos in pace quieſcere vbi quieuerant in dicta ſpelunca, vſquequo eos dominus in reſurrectione generali reſuſcitaret. Quod ipſe fecit, ornans oſtium ſpeluncę lapidibus deauratis. De dormitionis autẽ tempore quo primo dormierunt, dicunt quidam quod dormierunt 372. annos; ſecundum alios ſolum 144. quia ab incarnatione Domini vſque ad Decij Imperium, fluxerunt 252. & ita non dormierunt niſi 144. annis. Decius enim tantum vno anno regnauit. *Item* ſi ad rugitum Leonis ſuſcitantur leunculi, quare non poſſunt homines ſuſcitari ad vocem filij Dei. De quo Oſeæ 11. *Dominus quaſi Leo rugiet*: quia ſuſcitationem bonorum & malorum ipſe faciet. *Item* ſi ad vocem, vel ad petitionem ſeruorum filij Dei, vel ad tactum eorumdem, ſuſcitantur infiniti mortui; quare non ad iuſſionem omnipotentis filij Dei, qui omnipotens eſt?

Exemplum

LEGITVR in beati Andreæ miraculis, quod cũ prædicaret in littore maris, mare proijcit ad littus vnum mortuum: Qui, facta oratione, ad verbum eius ſuſcitatur. Qui retulit aſtantibus quomodo erant quadraginta iuuenes, qui audita fama beati Andreæ condixerant ſibi, vt ad prædicationem eius per mare venirent. Quod cum facerent, diabolus eos & barcam in qua erant ſubmerſit. Quod cum dixiſſet, mare expulit alios trigintanouem ad littus: quos omnes verbo ſuſcitauit. *Item* in vita beati Ioan. Euang. legitur, quod ad tactum eius tunicæ, Pontifex idolorum duos mortuos ſuſcitauit. *Item* in vita ſancti Martialis, qui fuit vnus de ſeptuaginta duobus diſcipulis, dicitur quod cum beatus Petrus mitteret eum apud Lemonicas cum duobus præsbyteris, cum diù proceſſiſſent, vnus ex præsbyteris illis mortuus eſt; qui cum ad ſanctum Petrum redijſſent, & accepiſſent ab eo baculum ſuum, ad tactum eius præsbyter ſurrexit. *Similiter* cum beatus Petrus tres diſcipulos ſuos, Euchardum, Valerium, & Maternum ad conuertendos Theutonicos miſſiſſet, in tranſitu alpium mortuus eſt Maternus. Duo autem ad beatum Petrum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

trum reuersi, recepto ab eo baculo suo, Maternũ iam diũ mortuum & sepultum, præcepto eius exhumantes & tangentes baculo Petri, suscitatum secum duxerunt Treuerim, & magnam partem Theutoniæ cõuerterunt: Et isti tres successiue Episcopi fuerunt. Postea autem Maternus in alpibus, vt dictum est, suscitatus, præfuit in Colonia Episcopus, quæ Agrippina tunc temporum vocabatur.

Exemplum ITEM 2. Dyal. 11. dicitur, quod cum quidam monachi, beati Benedicti ædificarent parietem, apparuit ei in cella existenti Diabolus, dicens quod ibat fratres visitare: parietem quem ædificabant euertit, & vnum paruum monachum sub pariete attriuit. Beatus autem benedictus corpus laceratum, & ossa attrita, fecit in sacculo colligi, & in cella sua reponi; ad cuius orationem, & vocem dictus monachus reparatur, redintegratur, suscitatur, & omnino pristinæ valetudini restituitur. Quid mirum ergo, si verum est quod dicitur in Ioan. 5. *Venit hora quãdo hi qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent*: cum sic viuificentur mortui ad nutum seruorum? Potest etiam valere ad suadendam laicis resurrectionem exemplum, quod legitur Ezech. 38. Vbi dicitur quod *facta super eum manus Domini, duxit eum in campum magnum valde, qui erat plenus ossibus mortuorum aridorum, quæ ad vocem Dei accesserunt ad iuncturas suas, & fuerunt in eis nerui, caro, & pellis, & spiritus, & steterunt super pedes suos, exercitus magnus valde.* Quid mirum si de ossibus aridis & puluere, reformat per semetipsum corpora, qui per seruos suos videtur fecisse consimilia, & magis contra naturam.

Exemplum LEGITVR in vita beati Ioan. Euang. quod quodam Philosopho demonstrante mundi diuitias contemnendas, quidam iuuenes venditis patrimoniis suis, gemmas pretiosas emerunt, quos ad suasionem dicti Philosophi, in foro in oculis omnium, ad monstrandum mundi contemptum, attriuerunt, & in puluerem redegerunt. Et cum beatus Ioan. aduenies, argueret huiusmodi contemptum ob mundi gloriam factum, & diceret mundum propter Christum contemnendum; ad eos conuertendos qui aduenerant, & ad petitionem eorum, gemmas redintegrauit de pulueribus, & fragmẽtis suis. Item post fabulum in gemmas cõmutauit.

Exempla. ITEM 1. Dial. 7. dicitur, quod cum quidam monachus lampades repararet, vna fracta est cadens super pauimentum, & comminuta. Qui timens abbatis offensam fragmenta collegit, & orando lampadem reparauit, & redintegrauit. *Item* Dial. 4. dicitur. Quod beatus benedictus capisterium fractum quod nutrix sua à vicinis suis mutuo acceperat, propter afflictionem eius oratione facta, redintegrauit. Quid ergo miraris, si per semetipsum redintegrabit corpora, vt habeant ipsi quorum fuerunt quod meruerunt in ipsis, quando ad eius nominis inuocationem, hoc serui eius fecerunt? Cuius vocatio & imperium, Lazarum, & adolescentem, & filiam Zayri suscitauit. *Ad idem* pertinet quod dicit Greg. Dial. 14. De Herculano Parisiensis Episcopo, quem Totilas Rex Gothorum fecit decapitari, & corrigiam de toto corpore abscindi, quem cum vellent postea ciues in Ecclesia sepelire honorificè, & remouere à loco vbi extra muros cum quodam puero sepultum corpus eius erat, inuenerunt corpus pueri tabefactum, & vermibus, & putredine plenum; Corpus autem martyris recens, & integrum; ità vt coniungeretur caput corpori, ita vt nullum vestigium vel cicatrix appareret ibi, vel capitis, vel corrigiæ sublatæ.

Exempla. ITEM in vita sancti Germani Antis. dicitur, quod cum quidam porcarius ipsum recepisset cum socijs, quem Rex Britaniæ noluit recipere: cum non haberet quod posset ei dare & socijs suis; vnicum vitulum quem habebat, eis parauit. Cumque comestus fuisset, dixit beatus Germanus vxori, quod ossa colligeret, & in pelle vituli poneret, & in præsepio coram matre apponeret. Quo facto vitulus surrexit, & fœnũ cũ matre comedebat. *Item* cũ apud Rauennã in domo Reginę comederet, asinus qui eũ portare cõsueuerat, moritur. Cũ autẽ Regina palefridũ offerret, vt super illum ascenderet; quæsiuit si esset asinus suus, qui dicunt ei eum mortuum, fecit se duci ad locum vbi asinus iacebat mortuus. Cui dixit: Surge muscio, & ad hospitium redeamus; qui statim se excutiens surrexit. *Item* in passione beati Christophori legitur, quod vt crederent quibus ipse prædicabat, futuram resurrectionem & alios articulos, baculum suum aridum in terra fixit, & præcepit ei vt fronderet, & fructificaret; quod statim fecit hoc. Iob 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescit, & rami eius pullulant*, &c. *Item* in historia Caroli magni legitur, quod cum milites sui fixissent in sero hastas aridas in terra prati, in mane cum orasset, qui suscipere deberent martyrium in bello quod hoc ei Dominus indicaret; inuenerunt illi qui mortui sunt in prælio hastas suas fronduisse. Cùm eas amputasset, de eo quod infixum in terra radicauerat creuerũt maximæ arbores, in signum quod hi qui videbantur priuandi morte, ad hoc virescerẽt vt essent magni in Æternitate.

Vnusquisque resurget idẽ numero qui erat prius.

CIRCA secundum sciendum quod vnusquisque resurget idem in numero qui fuit prius. Sicut ait Iob 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Cùm enim ad hoc fiat resurrectio mortuorum, vt vnusquisque secundum opera sua recipiat pœnam, vel præmium, oportet quod idem ipse qui demeruit, puniatur, & qui bene egit, præmium consequatur. Propter quod ait Saluator. Io. 6. *Venit hora in qua omnes qui in monumento sunt, audient vocem filij Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ex hoc etiam sequitur, quod resurgentium corpora erunt eiusdem naturæ, alioquin non essent eadem numero quæ fuerunt prius. Vnde Dominus ait Luc. 24. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Et postea: *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sic enim ait Augustin. *In quemcunque puluerem cineremque resoluatur, in quoscunque halitus auraſque diffugiat, in quamcunque corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium vel etiam hominum cibum carnemque mutetur; illi animæ in puncto temporis eam reddet, qui illam primitus vt homo viueret, animauit.* Resurget autem non fantasticè, sed verè, quicquid est de veritate humanæ naturæ, & in eo resurget vnumquodque in quo primitus habuit optimum suum esse. Vnde costa Adæ detracta, de qua mulier formata fuit, nõ in Adam resurget, sed in Eua quia formata muliere, perfectior fuit homo quantum ad conseruationem speciei, quam ante. Eadem ratione manus hominis comesta ab alio homine, resurget in primo. Quia vero corpus humanum perfectissimũ est omnium corporum inferiorum, ideo caro bouis vel alterius animalis comesta ab homine, & in carnem eius conuersa, resurget in comedente; non in sua specie quam prius habuerat, sed in specie carnis humanę.

Partes hominis comesta ab alio homine resurgens in primo.

Quisque resurget in ætate perfecta ac si esset 30. annorum, Deo materiã detrahente vel suppeditante etiam in damnatis.

CIRCA tertium sciendũ, quod tunc secundũ Apost. omnes electi de cunctis orbis partibus occurẽt Christo in virum perfectum, ideſt in virilem perfectionem, quasi, scilicet in statu triginta vel circiter annorũ, quasi in ætate Christi, in qua scilicet Christus habuit plenitudinem corporis, sensus, & roboris. Resurget etiam vnusquisque *in mensura ætatis plenitudinis Christi*, quia vnusquisque sui corporis mensuram recipiet, quam in ætate triginta annorum habuit; etiã si senex obijt, vel quam in illa ætate habiturus esset, si vsque ad eam peruenisset. Sic autẽ modificabitur illa materia corporis, vt nihil ex ea pereat, nihilque superfluat. Sed si quid alicui defuit, Deus ipse supplebit, vt omnes resurgant in integritate membrorum. Et si quid enormiter abundauerit in aliqua sui parte, diuidetur per totum corpus, vt nihil indecens sit in eis. Dam-

natorum autem corpora reparabuntur integra, absque A
omni diminutione membrorum, & absque defectu & corruptione, quam error naturæ, vel infirmitas introduxit. Vnde ait Apostolus 1. Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti.* Quod quidem tam de malis debet intelligi quam de bonis. Vnde quantum ad integritatem naturæ, non erit differentia in corporibus bonorum vel malorum, licet in alijs benè sit magna differentia, sicut iam ostendimus.

Omnes resurgent immortales.

CIRCA quartum sciendum quod omnes resurgent immortales. Christus enim mortem nostram sua morte destruxit, & omnes defectus qui in naturam humanam ex peccato peruenerant. Necessitas autem moriendi, est defectus in nobis proueniens ex peccato. Vnde sic resurgent omnes à morte, vt non vlterius moriantur. Sicut ergo *Christus resurgens ex mortuis iam* B
non moritur. Rom. 6. sic resurgent omnes non iterum morituri, vnde Apoc. 20. *Mors vltra non erit.* Et Isa. 25 *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.* Ex præmissis patet, quod post resurrectionem non erit vsus ciborum, nec venereorum, quia vsus ciborum corruptibili vitæ deseruit. Cibos enim assumimus, vel propter nutrimentum, vt vitemus corruptionem quæ posset accidere ex consumptione humidi naturalis: vel propter augmentum; Omnes autem in debita quantitate resurgent. Item nec vsus venereorum erit, quia commixtio maris & fœminæ ordinatur ad generationem, per quam species hominis conseruetur, & perpetuetur in esse; quæ in indiuiduo conseruari non potest: Resurgentium autem vita immortalis erit, vt dictum est; ita quod in quolibet indiuiduo conseruabi- C
tur in æternum. Ideo dicit Dominus Matth. 22. *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* In corporibus tamen resurgentium erunt membra singula, quæ nunc in statu vitæ corruptibilis, nutritiuæ vel generatiuæ virtuti deseruiunt; non propter actum nutriendi, vel generandi; sed ad perfectionem & decorem naturæ, sicut & distinctio sexuum erit ibi, non ad mixtionem, sed ad ostendendum perfectionem, & integritatem naturæ. Vterque autem sexus ad integritatem naturæ noscitur pertinere.

Post resurrectionem non erit vsus ciborum nec venereorum.

Non omnes resurgẽt impassibiles sed solum beati.

CIRCA quintum sciendum, quod non omnes resurgent impassibiles. quia licet omnes defectus in resurrectione, ab omnibus comiter tam bonis, quam malis auferantur; remanebit tamen differentia inter D
bonos & malos, quantum ad ea quæ personaliter conueniunt vtrisque. Est autem de ratione humanæ naturæ, quod anima sit forma corporis ipsum viuificans, & in esse conseruans. Sed ex personalibus actibus meretur anima, vel ad diuinæ visionis gloriam eleuari, vel ab ea per culpam excludi. Disponentur igitur omnium corpora secundum condecentiam animæ, vt scilicet ipsa incorruptibilis existens, corpori suo tribuat esse incorruptibile, compositione eius ex contrarijs non obstante; eo quod materia corporis humani quantum ad hoc omnino subijcietur animæ, diuina virtute hoc faciente, vt cum corpore suo æternam etiam gloriam vel pœnam sicut meruit sortiatur. Sed ex actibus suis personalibus meretur vnusquisque, vt corpus suum pro- E
portionetur animæ in conditionibus gloriæ vel miseriæ. Vnde corpora beatorum erunt clara, agilia, impassibilia, & subtilia. Corpora vero reproborum erunt tenebrosa, ponderosa, passibilia, turpissima, & fœtida. Sed de his infrà diffusius disseremus.

De futuro iudicio.

DISTINCTIO IIII.

DICTO de præcedentibus iudicium, videlicet de tribulatione quæ erit tempore Antichr. & de cõsummatione mũdi, & de duobus concomitantibus iudicium, videlicet de ignium conflagratione, & generali resurrectione. Nunc dicendum est de finali iudicio, & meritorum retributione. Circa quod consideranda sunt duo. Primo de quibusdam circunstantijs ipsius mundi. Secundo de ipso iudicio. Circa primum consideranda sunt tria. Primo ostendendum est futurum esse iudicium. Secundo de loco iudicij. Tertio de tempore vel hora.

Quod iudicium sit futurũ probatur ex scriptura.

CIRCA primum sciendum, quod iudicium esse futurum probatur auctoritatibus, rationibus & exẽplis. Auctoritatibus quidem, ideſt multiplici testimonio veritatis infallibilis scripturarum quæ hoc clamant & asserunt, fere in omnibus sacris libris, spiritualiter Isa. 13. *Vlulate, quia prope est dies Domini*, &c. multa ibi; Res cuius aduentus multum in memoria habetur & timetur, licet sit remota, videtur propinqua. Idem ibidem. *Ecce dies Domini venit*, &c. Et Ezech. 8. *Prope est dies occisionis. Ecce venit & euigilauit aduersum te*, Iob 19. *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis est*, gladius, sc. diuinæ sententiæ in iudicio futuro. Et post. *Et scitote esse iudicium. Item* testimonio omnium Apostolorum, qui dicunt iudicium futurum credendum, esse necessarium ad salutem, qui hunc vnum articulum in symbolo posuerunt, dicentes *Christum venturum iudicare viuos, & mortuos.* Docuerunt etiam hoc verbo & exemplo, se potius debere permittere occidi, quam hoc non fateri & credere. *Item* testimonio beatorum martyrum, quorum tot millia transierunt, qui permiserunt se diuersis tormentis occidi antequam hoc faterentur non futurum, & fidem hanc signis innumerabilibus probauerunt. Hoc idem asserunt & asseruerunt beati confessores, & ecclesiæ Doctores. Hoc etiam indubitanter, probatur per verbum ipsius iudicis, qui nec fallere vult, nec falli potest, qui se asserit vẽturum, & mundum iudicaturum. Vnde incredulis Iudæis ait. Matth. 26. *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli.* Matth. 25. *Cum venerit filius hominis, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ*, &c. *Hoc etiam* asserunt sancti, in quibus formam iudicij imaginabiliter præmonstrauit Dauid in Psalm. 49. Deus deorum dominus locutus est & vocauit terram. Et illud. *Ignis ante eum præcedet.* Et illud. *Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Et illud. *Congregate illi sanctos eius.* Et Dan. 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c. Et post. *Aspiciebam & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & dedit ei antiquus dierum potestatem & regnum & honorem* &c. Io. Apoc. 20. *Vidi thronum magnum*, &c.

Item probatur ratione.

PRÆTEREA si super hoc deessent auctoritates, aut testes, rationibus possit ostendi. Omnis enim ratio benè disposita dicit Deum esse primum bonum, & summum omnium summè sapientem & iustum. De quo dicit Anselmus. *Deus est quo melius excogitari non potest.* Si autem credis Deum creatorem aut gubernatorem mundi, non debes eum credere aut cæcum, vt ea quæ fiunt non videat; aut insipientem, vt si videat non cognoscat; aut malignum, vt malum quod videt ei placeat, punire non curet, aut negligat; aut impotentem, vt si velit non valeat, aut iniustum, vt nec bonis bona, nec malis mala tribuat, aut impium & non misericordem, vt oppressiones & afflictiones bonorum quantum ad oppressores impunè transire faciat: aut infidelem, vt eis qui fideliter ei seruiunt, bonum non retribuat, sed potius malum, cum in hac vita eos qui Deo seruiũt, aduersa multa habere, & eos qui male agũt, multũ prospera habere videam⁹. Si ergo

sint

sint à Deo relegata cæcitas, insipientia, malignitas, negligentia, impotentia, iniustitia, inimicitia, & infidelitas, cum ipse optimus sit, & fons omnium bonorum, & principiū: cum in præsenti non fiat ab eo semper bonorum & malorum retributio, necesse est vt fiat in futuro, à iusto iudice & generali omnium, in iudicio generali. Licet enim vnusquisque iudicium suū particulare, vel personale recipiat in morte, quantum ad animæ pœnam vel gloriam, tamen nec animę reproborum totam pœnam sibi debitam recipiunt, nec electi totam suam gloriam sortiuntur. Quia animæ separatæ secundum Aug. non habent perfectum naturæ suæ modum, propter naturalē inclinationem quam habent ad corpora sua. Nam & corpora naturalem inclinationem habent ad animas, & eis appetunt reuniri, & animæ appetitu naturali inclinantur ad corpora sua: intantum quod, sicut ait Aug. *animæ bonorum aliquo modo retardantur, ne ex toto ferantur in contemplationem diuinæ maiestatis.* Ideo tam bonorū quam malorum animæ, sua corpora resument, vt dictū est, vt cum corporibus suis in quibus meruerunt vel demeruerunt, condignam pœnam, vel præmium sortiantur. Hæc autem condigna retributio fiet in extremo iudicio. Ideò dicitur Iob 19. *Scitote esse iudicium.* Licèt autem tota Trinitas iudicet, quia indiuisa sunt opera Trinitatis, tamen *pater omne iudicium dedit filio*, Sicut dicitur, Io. 5. *Ipse enim constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Actu. 4.

Christus iudicabit in valle Iosaphat in mystica acceptione,

CIRCA secundum videlicet *de loco iudicij* sciendum, quod vbi iudicatus, passus, & mortuus est Christus, resurrexit, & ad cœlos ascendit, ibi suum iudiciū exercebit: sicut ipse dicit Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes, & educam eas in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Et infrà *Consurgant & ascendant omnes gentes in vallē Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes.* Dicit autem se iudicaturum in valle Iosaphat, nō quia præcisè ibi iudicet, cum vallis illa modica sit, nec posset tam innumerabilem multitudinem hominum continere: sed quia Iosaphat interpretatur iudicium, & iudicandi, qui in infimis vixerunt, in infimis remanebunt. Ideò totus ille locus, in quo fiet congregatio vallis Iosaphat, dicitur magis quam Ierusalem vbi iudicatus est, vel mons Caluariæ vbi Crucifixus est, mortuus, & sepultus, vel mons Oliueti, vnde legitur ascendisse.

Christus iudicabit in consummatione seculi, quod tempus est nobis incognitum.

CIRCA tertium scilicet de tempore iudicij, sciendum, quod tempus quando iudicabit Christus erit in consummatione sæculi. Sicut enim paterfamilias in fine diei fecit vocari operarios, & reddi fecit eis mercedem laboris, Matth. 20. *Dixit paterfamilias, Voca operarios, & redde illis mercedem suam*: ita & in præsentis vitæ fine, soluet dominus vnicuique secundum opera sua. Apoc. 3. *Ego dominus probans renes.* Et post-*Et do vnicuique secundum opera sua.* Aliter tempus incertum est nobis secundum quod dicit dominus Matth. 23. *De die autem illa & hora*, scilicet certa & determinata, *nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus pater. Sicut enim in diebus Noe*, &c. Item Matth. 13. *De die autem illa nemo scit, neque Angeli, neque filius*, &c. Scit siquidem filius quicquid scit pater, sed nescit nobis. Item solus pater dicitur scire, quia dies illa manifestabitur per potentiam nobis, in consummatione rerum, & destructione, & in signis, & in eis quæ fient in die illa maximè manifestabitur potentia, quæ attribuitur patri.

Qua hora diei aut noctis fiet iudicium est incertum.

QVIDAM autem credunt horam iudicij esse in media nocte, pro eo, quod dicitur. Matth. 25. *Media autem nocte clamor factus est.* &c. Item Exod. 12. *Factum est autem noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum Ægypti.* Alijs autem videtur quod in mane. Psal. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Exo. 14. *In vigilia matutina respexit Dominus super castra Ægyptiorū:* quia illa hora submersit Ægyptios, & liberauit Hebræos. Aug. dicit hoc non dictum, pro qualitate, vel hora temporis, sed quia tunc veniet cum non sperabitur. Ideo media nocte venire dicitur. 1. Thes. 5. *Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet.* Luc. 12. *Si sciret pater familias, qua hora fur veniret*, &c. *& vos estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Item de mane, quia tunc patebunt cogitationes singulorum Isa. 21. *Venit mane & nox, si quæritis quærit*, mane dum tempus est, *conuertimini, & venite.* Nox dicitur, quod erit malorum excæcatio, Soph. primo. *Ambulabunt homines vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Item mane propter bonorum illuminationem, vel propter occultorum manifestationem, Soph. 3. *Mane dabit iudicium suum in luce, & non abscondetur*, &c. Post. *Diluculo consurgentes*, &c. Erit enim iudicium generale omnium, & pro omnibus Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes*, &c. Post. *Sedebo vt iudicem omnes gentes*, &c. Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Item de omnibus erit iudicium. Eccles. 11. in fine, *Scito, quod pro omnibus adducet te Deus ad iudicium.* Et 12. in fine. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum sit, siue malum.*

De terrore iudicij.

DISTINCTIO V.

HIs quasi quibusdam circunstantijs ipsius iudicij prælibatis, nunc iam ad ipsius formam mentis oculos conuertamus, & quam tremendum, & horrendum sit subtiliter intuenti & cogitanti profundius videamus. Consideranda sunt autem quatuor, quæ ipsum terribile nimis efficiunt, quorum etiam singula rationem terroris includunt. Primum est peremptoria citatio. Secundum est causæ discussio. Tertium est sententiæ prolatio. Quartum est prolatæ executio.

Quatuor sūt quæ extremū iudiciū terribile reddūt.

PRIMVM igitur est peremptoria citatio. Circa quod consideranda sunt quatuor. Primo modus vocationis. Secundo causa citationis. Tertio compellentis sublimitas. Quarto comparendi necessitas. Primo igitur circa modum vocationis, sciendum est, quod illa voce terribili, & tuba mirabili perstrepente, qua cœlum & terra concutietur, & omnis creatura commouebitur, omnes homines ad iudicium vocabuntur, & ad tribunal æterni Iudicis citabuntur. Hæc autem citatio vocatur iussus Dei, vox Archangeli, tuba Dei, tempestas, turbo, tonitruum, fulgur, coruscatio, quæ omnia terrorem incutiunt, & ipsam citationem terribilem fore dicunt. De tribus primis dicit Apostolis 1. Thess. 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.* Hæc vox erit aliquod euidens, & clarum signum, quod dabitur ad mortuos suscitandum, vt omnes resurgant, & ad iudicium conuocentur. Hæc vox dicitur iussus Dei, quia eius virtute suscitabuntur mortui, quasi iussu Diuino. Psalm. 28. *Vox Domini in virtute.* Dicitur etiam vox Archangeli, quia annuente Dei filio, per Angeli ministerium hoc negotium adimplebitur. Sic enim dicitur Matth. 24. *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabit electos à quatuor plagis terræ.* Tuba vero dicitur, quia tanquam signum triumphi, victores ad præmium, & ad cōuiuium epulatum inuitabit, iustos autem exterrendo turbabit. Hæc autem vox ab omnibus tam electis quam reprobis audietur, & ad conspectum iudicis, cuius vox erit, ab omnibus occurretur. Item hæc citatio vocatur tempestas. Psal. 49. *In circuitu eius tempestas valida; aduocauit cœlum desursum, & terram*, &c. Item quod vocetur tempestas & turbo, dicitur Naum. 1. *Dominus in tempestate & turbine viæ eius.* Item vocatur tonitruum, Ps. 76. *Vox tonitrui tui in rota.* Iob 26 *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri.* Item vocatur fulgur Psalm. 76. *Illuxerunt fulgurationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra* Marci. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, sic erit aduentus filij hominis.* Hæc bene

1. *Peremptoria citatio, quæ fiet voce mirabili & terribili, cū tuba.*

Quatuor cōsiderāda circa citationē, scilicet modus, causa, &c.

figurata fuerunt. Exo.19. Sicut enim in datione legis cæperunt audiri tonitrua, micare fulgura, &c. sic in consummatione sæculi, Dominus ad iudiciũ descensurus, vbi de obseruantia & transgressione legis exiget rationem, fulgura & tonitrua præmittentur. Aduerte quod tempestas facit commotionem in mari, turbo in terra, fulgura & tonitrua in cœlo; ad designãdum quod omnis creatura cœlestium, terrestrium, & infernorum, in illa citatione commouebitur. De magnitudine vocis huiusmodi ait Psalm. 67. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Chriso. *Verè magna est vox illa cui omnia obediunt elementa, quæ petras, scindit inferos aperit, monumenta frangit, vincula mortis dissoluit, tumulos aperit, & vniuersos mortuos resurgere facit, & ad iudicium venire compellit.* Idem: *Ecce de cœlo tuba canet: Ecce de cœlo cum nubibus bellaturus, orbem Imperator summus armatus egreditur: Ecce gladius bis acutus ex regis ore procedens, obuia quæque demetit.*

Quindecim conditiones cur dies iudicij sit timendus ex Sophonia propheta.

RVRSVS quam terribilis sit huius peremptoriæ citationis dies describit Dominus per prophetam Sopho. 1. *Iuxta est dies Domini,* &c. Qui ponit 15. conditiones, quare timeri debeat, & horreri. *Primum* est diei propinquitas, cum dicit: *Iuxta est,* ad minus particularis dies iudicij, scilicet mortis Eze. 7. *Afflictio vna afflictio ecce venit.* Item. *venit finis ille, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus.* Itẽ generaliter prope est, quia breue est omne tempus quod transit æternitati comparatum. Vnde Ezech. 7. *Venit finis, finis venit, euigilabit aduersum te. Ecce venit. Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ mẽtium. Nunc de propinquo effundam iram meam, & complebo furorem meum, & iudicabo te, iuxta vias,* &c. Complebitur autem furor in duplici damnatione, scilicet corporis & animæ. *Secundum* quod aggrauat timorem iudicij est diei magnitudo, quod notatur cùm dicitur; *dies magnus.* Magnus quidem est magnitudine iudicantium, & multitudine eorum. Item multitudine iudicandorum. Item multitudine eorum de quibus fiet iudicium, quia de omnibus. Item magnitudine eorum qui adiudicabuntur, quia alijs regnum æternum adiudicabitur, aliis autem mors æterna. Item quia omnes dies præsentium causarum conflabuntur in vnam. Erit enim illa dies citationis omnium peremptoria, in qua nullus pro se mittere poterit responsalem. Item erit dies responsionis, omnis productionis testiũ, examinationis testimoniorum, exceptionis, vel replicationis, & pronunciationis testimoniorum sententiæ diffinitionis, eiusdẽ executionis, quæ omnia fient in die illa. *Tertio* aggrauat diei velocitas; quia ita subito, & ex improuiso fiet, quod nullus improuisus sibi poterit prouidere. Ideò dicitur *Iuxta, & velox nimis.* Isa. 29. *Eritque repente, confestim visitabitur à Domino exercituum,* &c. *Quartò* aggrauat, diei illius amaritudo. vnde sequitur, *vox diei amara.* Ad huius comparationem videbitur peccatoribus mors esse dulcis, & sepultura inferni desiderabilis. Amara erit vox citationis, cum dicetur: *Surgite mortui, venite ad iudicium* Amarior vox disceptationis, cũ dicet Dominus: *Esurij.* &c. Matt. 25. Amarissima vox diffinitionis. Ibidem. *Discedite maledicti.*

Exemplum.

CVM quidam magister diu disputasset, & omnes cauerent sibi, & timerent concludit: *Quid timetis ab homine concludi, qui non cauetis à Deo concludi; nulla autem conclusio adeo timetur à me, sicut concludi à summo magistro. Multum timeo ad hanc quæstionem respondere: Amice quomodo huc intrasti.* Matth. 22. *Item multum istam. In lege quid scriptum est, quomodo legis. Duplicitatemque istius propositionis Esurij,* &c. *Sed super omnia timeo illationem istius conclusionis. Ite ergo maledicti,* &c. Bernad. *Proponet Dominus mandatorum propositiones, assumet transgressiones, concludetque damnationes, dicens. Ite maledicti; clausa est ianua: nescio vos.* Si beatus Iob, talis & tantus hanc responsionem timebat, cui nullus in merito similis erat in terra; qui sic clamabat, *quid faciam cum venerit ad iudicandum Deus,* & conquæsierit, quid respondebo illi, vt dicitur 21. Quid nos merito vacui respondebimus?

QVINTO aggrauat Sanctorum & Angelorum apparens turbatio. Vnde dicitur Sopho. 1. *tribulabitur ibi fortis,* idest sanctus, vel angelus, in apparentia. Luc. 22. *Virtutes cœli mouebuntur.* Isa. 33. *Videntes foris clamabunt, angeli pacis amare flebunt,* Iob, 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Ideo quid facit virgula deserti, vbi timore concutitur cedrus paradisi?* *Sexto* aggrauat iudicis superuentio. Vnde dicitur. *Dies iræ,* quia declarabit iram Dei. Psal. 75. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. *Septimo* aggrauat quod dicitur *dies tribulationis: In visione signorum, & miseriæ corporum.* Augustin. *In afflictione cordium poterunt dicere cum Susanna, Angustiæ sunt mihi vndique.* Quomodo erunt Angustiæ, dicit Bern. *Vndique viæ angustiæ sunt inferius erunt putei infernales reprobis: superius erit Iudex iratus:* &c. *Octauo* bonorum vacuitas & meritorum, & ablatio temporis merendi. Vndè dicitur, *dies calamitatis* à calamo vacuo intra. Idcò vniuersitas malorum comparatur quinque fatuis virginibus, quæ vasis & lampadibus vacuis ad nuptias venerunt. Chrisost. *Ibi non erit resistendi virtus, nec pœnitentiæ locus, nec defensionis tempus, nec fugiendi facultas, nec latendi possibilitas, nec apparendi securitas, nec satisfactionis vtilitas; & ex angustia omnium nihil remanet ibi nisi luctus, quia nec proderunt diuitiæ diuitibus, nec parentes parentibus, nec Angeli pro hominibus intercedent,* Apocal. 10. *Tempus non erit amplius,* scilicet merendi, Matth. 25. *Clausa est ianua,* quia misericordia est sublata. Erunt enim vacui à merito, vt calam⁹ vacuus est. *Nono* corporis miseria, siue infelicitas, de qua infra de inferno. Vnde dicitur dies miserię.

DECIMO tenebrositas. Vnde dicitur *dies tenebrarum* quantum ad peccatorum tenebrosorum manifestationem. 1. Cor. 3. *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies Domini declarabit: quia in igne reuelabitur vniuscuiusque opus.* Et quarto eiusdem. *Veniet Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Vndecimo* diei obscuritas. Vnde dicitur dies caliginis ex auxilii & consilij destitutione, quia vt dicit Chrysost. *nec Angeli pro hominibus intercedent.* Isa. 8. De damnato in iudicio dicitur: *Suspiciet sursum,* ad sanctorum auxilium scilicet & consilium, *& ad terram intuebitur,* ad consilium & auxilium terrenum; *& ecce tenebræ, & dissolutio,* &c. Item Isa. 10. *Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis, ad cuius confugietis auxilium?* quasi diceret quis sanctus iuuabit vos. *Duodecimo* dicitur *dies nebulæ* propter gloriæ Dei & sanctorum occultationem. Dies nebulosus occultat solem, lunam, & sydera. Sic occultabitur malis gloria Dei, Ecclesiæ & sanctorum August. super illud Sap. 14. *Similiter autem sunt Deo odio impius, & impietas eius,* dicit: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Et Eze. 32. *Nigrescere faciam stellas cœli, gloriam sanctorum occultabo;* quia videbuntur tenebrosi & obscuri peccatoribus, quasi irati eis: solem, idest Christum, nube, scilicet obscuritatis tegam; & luna, scilicet beata Virgo vel ecclesia *non dabit splendorem suum. Tredecimo* dicitur *dies turbines* in malorum à bonis separatione. Matth. 12. *Cuius ventilabrum in manu sua,* discretio scilicet discernendi malos à bonis est in potestate sua, *permũdabit aream, triticum cõgregabit in horrea sua, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hiere. 25. *Turbo magnus egrediebatur à summitate terræ,* ergò &c. *Quartodecimo* dicitur *dies tubæ* quantum ad mortuorum resuscitationem, congregationem, sententiæ prolationem, impugnationem, & ad suspendium seductionem. Zach. 9. *Dominus in tuba canet, exibit vt fulgur gladius eius,* scilicet de ira eius sententia dira: filios exhæredando, & à se separando, & à suis Matth. 25. *Discedite maledicte.* &c. Item in infernum mittendo. Vnde sequitur: *In ignem æternum.* Item eos non retrahendo. Vnde, clausa est ianna, nescio vos. *Quindecimo* in malorum deductione in infernum,

num, Isa. 30. *In cytharis, tympanis, & præcipuis bellis impugnabunt eos.* Bernard. in libro meditationum. *Quis putas tunc memor erit, quantus luctus, quæ tristitia, cum separabuntur impii à consortio iustorum, & à visione Dei, & traditi in potestate dæmonum, ibunt cum ipsis in ignem æternum. Ibique erunt sine fine in luctu & gemitu, procul exulati à beata patria paradysi, & cruciabuntur in gehenna, nunquam lucem habituri, iuxta qualitatem culpæ pœnam sustinentes.*

Causa citationis maxima, scilicet ad respondẽdum & recipiendum pro cunctis quæ gessimus

CIRCA secundum scilicet *de causa citationis*, Sciendum quod pro causa maxima, qua maior esse non potest: Videlicet ad respondendum de cunctis quæ gessimus, quæ commisimus, quæ recepimus, & huiusmodi. Ad recipiendum pro meritis vitam, beatitudinem, gloriam, & honorem, imò possessionem regni cœlestis, & hæreditatis æternæ, imò quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus his qui diligunt eum. Vel pro demeritis ab omnibus excludi, à consortio sanctorum omnium & Angelorum; sed quod est infinities grauius, à Deo perpetuo separari. Insuper æternis cruciatibus, cum horrendis Dæmonibus mancipari. Statim autẽ vt audierint miseri tubã illã tam horribiliter perstrepentem, occurret eis repente, & ante mentis oculos reuoluetur omnium suorum congeries peccatorum, omni tormento amarior. Inde namque remorsus conscientiæ, omni serpente mordacior. Inde gehennæ timor inconsolabilis. Inde dolor irremediabilis. Inde desperationis horror inæstimabilis. Inde confusionis pudor intolerabilis. Tunc enim virtute diuina fiet, vt vnicuique omnia opera sua mala vel bona ad memoriam reuocentur, ac mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt hominem vel accuset conscientia vel excuset; eaque teste, vel damnetur æternaliter, vel saluetur. De hac tuba, & citatione ait Hier. ad Helyodorum: *Profectò veniet illa dies quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale immortalitatem; tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, tunc lugubrè mundus immugiet: tribus ad tribum ferient pectora. Ibi potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper videtur. mihi vox illa sonare in auribus meis: Surgite mortui, & venite ad iudicium.*

Exemplum

BENE habebat ad aures vocem istam rex ille, de quo dicit Io. Damasc. in Barlaam. Dicit enim Barlaam ad Iosaphat, quod rex quidam erat, qui sedens in curru aureo, obuiam habuit duos pauperes heremitas in sordido habitu, & macie, & solis ardore deformes, desiliens de curru aureo amplexans eos osculatur, &c. Cùm autem venirent magni Principes, nullam reuerentiam videbatur eis exhibere. vnde multum sunt indignati contra eum. Quod sciens quidam frater eius, ad eum veniens dixit ei, quod de hoc quod fecerat omnes Barones offenderat. Erat autem talis consuetudo regis, quod quando aliquẽ morti adiudicabat, tibicines ad portã eius mittebat, & sic eũ capi faciebat, & condemnari; quos misit ad portam fratris sui, capitur, ligatur, coram rege, & Baronibus adducitur, de præcepto regis mudatur, ligatur, & applicatis gladijs ex omni parte, mortem suam expectabat lugens. Cum autem Rex præciperet vt cantarent ioculatores coram eo, in omni genere musicorum: & hoc facto nihilominus fleret, & rex causam fletus quæreret; respondit, quomodo possum ego gaudere, imò non flere, cum tubæ tuæ mortem minentur: gladios mortiferos video vndique me circumstantes, & te offendi; causam offensæ ignoro, propter quam huic morti me adiudicas. Tunc rex fecit eum liberari dicens; si tu tantum times iudicem terrenum, quantum ego debeo timere cœlestem, si tu tubas meas times, quantum debeo timere tubam, quæ mihi mortem comminatur, non temporalem, sed æternam; cuius gladij, sententiæ scilicet damnationum, vndique me circundant, secundum exigentiam peccatorum meorum. Vbi autem Barones & Principes terreni, nihil mihi proderunt aut prodesse poterunt, isti beati pauperes quos vidisti, defensores & aduocati mei in curia summi iudicis erunt.

Sublimitas iudicis citãtis maxima propter quatuor.

CIRCA tertium, scilicet *de sublimitate citantis in iudicis maiestate*: Sciendum, quod iste est iudex summus, cuius potentia insuperabilis, cuius scientia indeceptibilis, cuius æquitas implacabilis, cuius sententia inflexibilis. Huius inquam iudicis potentia est insuperabilis. Deuter. 10. *Dominus Deus noster, ipse est Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, & qui personam non accipit, nec munera, facit iudicium, & iustitiam*, &c. Io. in Apo. Postquam descripsit conditiones eius aduenientis 19. ca. dicens: *Vidi Cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax, & in iustitia iudicat*, &c.

Propter pœnã insuperabilem.

Subiungit: *habens in vestimento, & in fœmore eius scriptum: Rex regum, dominus dominantium.* Iob. 9. *Si fortitudo quæritur robustissimus est*, &c. Dan. 7. *Dedit antiquus dierum filio hominis venienti in nubibus cœli potestatem, & honorem, & regnum; & omnis populus tribus & linguæ seruient ei: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Horruit spiritus meus, & ego Daniel ad hanc visionem territus sum.* Hic filius hominis, est lapis paruus excisus de monte virgineæ sublimitatis, sine manibus humanæ cooperationis, qui creuit in mõtem maximum, cuius potestatis magnitudo replet vniuersam terram, quæ comminuit statuam, cuius caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & fœmora ærea, tibiæ ferreæ, pars autem quædam pedum est fictilis, quædam ferrea: quia eius potestas consumet, & comminuet omnia regna mundi. Coram illo domino reges quondam potentissimi nudo latere palpitabunt, vt dicit Hiero. ad Helyodorum.

Propter scientiam infallibilem.

SECVNDO timendus est iudex iste; quia eius scientia infallibilis: quia nec fallit, nec falli potest: quia scit omnia iudex iste: quia coram eo argutiæ nihil proderunt Aristotelis, vt dicit Hiero. Iob 42. *Scio quia omnia potes, & quod nulla te latet cogitatio.* Ideo Ioan. in Apoc. describens eum aduenientem in iudicium, Apoc. 1. Et 19. *Oculi eius tanquam flamma ignis.* Ideo Ecclesiasticus arguit adulterium, Eccl. 23. dicens. *Quis videt me, tenebræ circundant me, parietis cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem verear; & non intelligit, quoniam omnia videt oculus Dominus?* Et post. *Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda* Hebr. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu Dei, omnia autem nuda sunt, & aperta coram oculis Dei.*

Exemplum.

QVIDAM scholaris cum amasset quandam antequam iuisset ad scholas, rediens de eis, cum illa sollicitaret eum, veni mecum ait: & duxit illam in medio foro, & dixit ei; hic para te, vt agam quod vis. Illa dixit, non hîc vbi viderent nos homines, sed in domo: respondit, si tu non vis hîc propter homines, nec ego in domo propter Deum, & cœlestem curiam, quæ me videret. *Item* ad illud pertinet exemplũ, de Thaysi meretrice, & Paphnutio, infrà de speciebus timoris.

Propter irã implacabilẽ.

TERTIO timendus est iudex, quia tunc ira eius erit implacabilis Prouerb. 6. *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*, &c. Et post. *Quoniam zelus & furor viri non parcet, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Item 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati* spiritus scilicet Dei sui, *ferre quis poterit*; quia eius ira erit importabilis, Iob 9. *Deus cuius iræ resistere, nemo potest* Item Isa. 13. indicatur. Videbitur armatus ira, & furore, ita quod opificium suum velit destruere, & in ignem proijcere. Sap. 5. *Accipiet armaturas zelus eius*, &c. Et post. *Acuet diram iram in lanceam*, &c. Item Isa. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, grauis ad portandum*, &c. Comparant eum scripturæ Leoni furenti, & rugienti. Prouerb. 19. *Sicut fremitus Leonis, ita ira regis*; qui facit omnes feras timere, & tremere. Osee. 9. *Quasi Leo rugiet, & formidabunt*

elabunt filij maris, huius ſæculi, *& aduolabunt ad iudicium. Velabunt quaſi aues ex Ægypto* in infernum, ſcilicet animæ damnatorum, *& quaſi columbæ ſeductæ de terra Aſſyriorum.* Item Oſeæ 13. *Ero eis quaſi læena, & ſicut Pardus in via Aſſyriorum: occurram eis quaſi vrſa raptis catulis; & diſrumpam interiora tecoris eorum, & conſumam eos ibi quaſi Leo*, &c. Pſalm. 89. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ*, &c. Ita grauis erit ad videndum reprobis ira eius, quod potius vellent ferre montes, quam eum videre; & eſſe ſepulti in inferno potius. Iob 13. *Quis mihi det, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus*, &c. Apoc. 6. *Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & iudices, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus, & liber, abſcondent ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicent montibus & petris, cadite ſuper nos, & collibus, abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, ab ira agni: quoniam dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Mal. 3. *Quis ſtabit ad videndum eum*, &c. Matth. 24 *Sicut fulgur exit ab Oriente*, &c.

Propter iudicis inflexibilitatem.

QVARTVM eſt iudicis inflexibilitas. Prouerb. 6. *Zelus, & furor*, &c. Non enim flectetur prece, vel prece, timore, amore, vel odio, Pſalm. 7. *Deus iuſtus Iudex fortis*, &c. Quod iuſtitia eius ſit inflexibilis, Numeri. 23. *Non eſt Deus vt homo, vt vitietur, aut vt filius hominis, vt mutetur*, Chryſoſt *Non proderunt ibi diuitiæ diuitibus, nec parentes parentibus, nec Angeli pro hominibus intercedent. Imo lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Luc. 16. *Eſt inter nos & vos chaos magnum.* Glo. ibi *Iuſtorum animæ iam tunc auctoris ſui iuſtitiæ coniunctæ, tanta rectitudine conſtringuntur, vt nulla compaſſione ad reprobos moueantur.*

Christũ iudicem videbunt omnes quoad formam humanitatis, ſed quoad formam diuinitatis non niſi boni.

VENIENS autem iſte iudex tantus, & talis, apparebit omnibus tam bonis quam malis. Vnde Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Sed formam diuinitatis ſoli boni videbunt, & videre poterunt. Mali vero non poterunt, nec digni erunt. Vnde Iſa. 26. *Tolletur impius ne videat gloriam Domini.* Formam vero humanitatis glorioſæ omnes videbunt, boni, ad gloriam, gaudium, & honorem; Mali vero ad ſupplicium, & dolorem. Nam blandus, iucundus, & delectabilis iuſtis; durus, & ſeuerus, & terribilis reprobis apparebit; ſingulis ſcilicet ſecundum exigentiam meritorum. In ipſa igitur forma qua iniuſtè iudicatus eſt, iuſtè iudicabit; ſecundum illud Iob 36. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, iudicium cauſamq; recipiens.* Sed iudicatus eſt in humilitate, & infirmitate. Iudicabit autem in poteſtate magna, & maieſtate. Sicut dicitur Luc. 15. Et Matth. 21.

Christus iudicaturus ſedebit in aere vbi electi occurrent ipſi, reprobi in terra manẽtibus.

ATTENDENDVM eſt autem, quod in ipſa hora deſcenſus Chriſti ad iudicium, fiet illa vox Archangeli, ideſt Principis Angelorum, ſcilicet ipſius Chriſti, & illa tuba terribilis reſonabit, cuius virtute fiet reſurrectio mortuorũ, & cuius clangore omnes ad iudicium vocabuntur. Tunc igitur electis occurrentibus iudici in aëra, ſubleuatis cum gaudio ineffabili; & reprobis in terra remanentibus, in valle Ioſaphat, ideſt iudicij, congregatis, ſedebit Chriſtus in aëre, nube ſibi miniſterium exhibente, ſicut in eius aſcenſione legimus factum eſſe. Actu. 1. *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Deſcendens autem adducet ſecum totum Cœleſtis regni collegium, ſtipatus agminibus beatorum, tam Sanctorum, quàm etiam Angelorum. Vnde Iudæ 2. *Ecce veniet Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere iudicium contra omnes impios*, &c.

Non ſolum Chriſtus ſed etiam omnes viri perfecti iudicabunt.

SCIENDVM quoque quod non ſolus Chriſtus iudicabit, ſed etiam omnes perfecti Apoſtoli, ideſt Apoſtolici viri. Sicut ipſe promiſit Matth. 19. *In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes, iudicantes xij Tribus Iſraël.* Et licet iſtud ſolis Apoſtolis videatur eſſe promiſſum, tamen intelligendum eſt de omnibus perfectis; alioquin Paulus ibi non ſederet. Dicit autem ipſe 1. Corin. 6. *Neſcitis, quia ſancti de hoc mundo iudicabunt.* Et Sap. 5. *Iudicabunt ſancti nationes.* Vnde quia duodenarius eſt numerus abundans, intelligitur per duodecim ſedes, perfectio tribunalis, ideſt vniuerſitas perfectorum iudicantium; per duodecim tribus, vniuerſitas iudicandorum.

Aſſiſtentia Beatorum erit impijs terribilis multis de cauſis.

O quam terribilis erit impijs aſſeſſorum aſſiſtentia beatorum. *Primo* quidem propter multitudinem Dan. 7. *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*, & in Can. Iudæ. *Ecce venit Dominus cum ſanctis ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum.* &c. *Secundò* propter celſitudinem dignitatis. Prouerb. 31. *Nobilis in portis vir eius*, ideſt Eccleſiæ, *quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Sap. 3. *Iudicabunt ſancti nationes* Iſa. 3. *Deus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.* Et nota, ſi tam ſancti, tam chari amici Dei, tam innocentes & virgines, ſcilicet Ioan. Euangeliſta, & Daniel, viſo vnico Angelo, tanquam mortui ceciderunt: ſicut de Ioan. dicitur Apoc. 1. Et Dan. eiuſdem 10. Cùm tamen illi Angeli mitterentur ad eorum cõſolationem, quid facturi ſunt in iudicio peccatores, videntes tot ſanctos & Angelos miſſos ad eorum confuſionem, & condemnationem? *Tertiò* propter magnitudinem poteſtatis, Apoc. 19. *Exercitus qui ſunt in Cœlo ſequebantur eum*, &c. Pſalm. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus* &c. Ioe. 2. *Multa ſunt caſtra eius, & fortia, & facientia verbum eius. Quartò* propter grauedinem feritatis, nam ſancti tunc impiis implacabiliter erunt duri, & incompatienter irati: Tum quia eorum dominum offenderunt. Vnde Chriſoſt. *Si rex terrenus proceſſurus contra aliquem, expeditionem mandat in populo, dignitates omnes, exercitus omnes excitantur, tota ciuitas feruet; quanto magis rege cæleſti exurgente iudicare viuos & mortuos, Angelicæ virtutes commouentur, terribiles miniſtri, terribiliorem dominum præcedentes; ante ipſum pro candelabris fulgura viua procedunt, & pro tubis horrenda tonitrua.* Tum etiam, quia ipſos multipliciter contempſerunt, eorum mores, & vitam deridendo, feſta, & vota violando, vel temporaliter opprimendo, vel corporaliter affligendo. Tunc *ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum*: videntes turbabuntur timore horribili, &c. Sap. 5. *Vbi nota* in reprobis pudorem, timorem, dolorem, & ſtuporem. Pudorem confuſionis, quando *ſtabunt iuſti in magna conſtantia*, &c. Erubeſcent, & confundentur impij: quia eos anguſtiauerunt, &c. *Secundò* timorem damnationis; vnde dicitur: *Videntes turbabuntur timore horribili*: vel timore inuidentiæ turbabuntur, quia de gloria ſanctorum dolebunt ex inuidia, & tabeſcent, ſecundum illud Pſalm. 111. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet. Tertiò* dolorem pœnitentiæ habebunt impij, ſed tarde, & inutiliter. Vnde dicitur ibi: *Pœnitentiam agentes, et præ anguſtia ſpiritus gementes.* Hęc eſt pœnitẽtia latronis violenter extorta, & idcirco minimè fructuoſa. *Quartò* ſtuporem admirationis, dicentes: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum* &c. nota benè quod ſequitur.

Quatuor erunt ordines hominum iudicio, & etiam iudicium quadruplex.

ET nota ſecundum Grego. Quatuor erunt ordines in iudicio, ſcilicet duo electorum, & duo reproborum. Electorum namque quidam iudicabunt, & regnabunt non autem iudicabuntur, vt perfecti, quidam autem iudicabuntur, & regnabunt, vt mediocriter boni. Reproborum autem quidam iudicabuntur, & peribunt, vt mali Catholici. Quidam vero non iudicabũtur, & peribunt, vt increduli, quorum damnatio adeò nota erit, quod non fiet diſcuſſio ſeu diſceptatio de peccatis eorum. Erit ibi iudicium quadruplex, videlicet primæ auctoritatis, & hoc erit Trinitatis totius. Principalis miniſterij, quod erit Chriſti. Solius aſſeſſionis, quod erit perfectorum. Et comparationis, quod erit minus malorum: quo videlicet minus mali, comparatione ſui ſæculatiores iudicabunt, ideſt iudicandos oſtendent ſecundum illud Matth. 11. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam*, &c.

CIRCA quartum ſciendum, quod huius citationis

terro-

terrorem multum exaggerat, comparendi neceſſitas. De qua dicit Apoſt. 1. Cor. 5. *Omnes* generaliter ſine exceptione, *nos* perſonaliter ſine excuſatione, *oportet* ſine euitatione, *manifeſtari* ſine abſconſione, vel tergiuerſatione, *ante Tribunal Chriſti*, ſine retardatione, *vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit*, ſine perſonæ delatione, *ſiue bonum ſiue malum*, pro iuſta retributione. Oportet igitur vt accedas perſonaliter, non poteris pro te procuratorem mittere, nemo pro te poterit reſpondere, nulli licebit tibi cõſulere, nullus pro te audebit intercedere, nec aliquis poterit te iuuare. Vnde Bern. in medita. (& fere per eadem verba Greg.) *Erunt vndique angustæ viæ reprobis: Superius erit iudex iratus: Inferius horrendum patens chaos inferni, à dextris peccata accusantia: à sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus vrens conscientia; exterius mundus ardens: vix iustus saluabitur. Miser peccator sic vndique deprehensus, in quam partem se premet; latere erit impossibile, apparere intolerabile?*

Ex præmiſſis intellige quam ineffabiliter erit terribilis illa citatio, quando miſeri audient ſe cum tanta auctoritate citari. Omnes vniuerſaliter tam bonos quam malos ad citationem huiuſmodi conuocari, pro cauſa tam ardua, coram tanto iudice congregari, totum mundum commoueri, & omnes contra ſe creatutas armari. O quam tremenda erit dies illa, quando nec pœnitentiæ tempus erit, nec defenſionis locus, nec reſiſtendi virtus, nec fugiendi facultas, nec latendi poſſibilitas, nec ſecuritas comparendi. Vbique fragor, vbique clamor, vbique terror & horror, vbique terror & tremor. Chryſoſt. *Satius eſſet mille fulmina ſuſtinere, quam vultum eius manſuetudinis plenum, nos tam aduerſantem videre; illiuſque totius tranquillitatis oculos, nequaquam ſuſtinentes nos aſpicere.* Tunc deſidetabunt impij montibus obrui, & à facie iudicis, operiri. Sicut dicitur Apocal. 6. Aut certè illa hora iudicii in inferno recondi, ſicut dicit Iob, in perſona cuiuſlibet impij. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Quia vero furorem dixit in Deo, de quo ſcriptum eſt Sapient. 11. *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas*; ſciendum eſt, ſecundum Gregor. quod *diſtrictum iudicium inconcuſſus exercebit, qui ſemper manſuetus exiſtens, & ſemper incommutabilis permanens, malos punit. Vnde in extremo iudicio, in ſemetipſo incommutabilis manens, nulla viciſſitudine ac commutabilitate variatur. Sed tamen electis, & reprobis, non ſub eiuſdem incommutabilitatis ſpecie demonſtratur: quia & tranquillus iuſtis, & iratus apparebit iniuſtis. Teſtem enim conſcientiam intra ſemetipſos deferunt, vnde & ſi eorum mentes equè vnum reſpiciant: ſed non æqualiter modificent: quia & iſtis eum benignum oſtendit iuſtitia, & illis terribilem culpa ſua. Quorum pauorem quis explicet? cum contigerit miſeris, & intra ſe culpas cernere, & ante ſe iudicem iuſtum videre. Hoc nimirum quotidie in vſu vitæ præſentis agitur, vt de qualitate venturi iudicij corda mortalium doceantur. Nam cum duo ad iudicium pergunt, alius innocentiæ ſibi conſcius, alius culpæ ſuæ; ante prolatam ſententiam, adhuc tacentem iudicem conſpiciunt, & tamen culpæ debitor grauem contra ſe iram, hoc ipſum iudicis ſilentium ſuſpicatur, quam iram ſibi non denunciat probatio iudicis, ſed recordatio prauitatis. Quia etſi adhuc eum reum eſſe ſententia non foris clamat, intus tamen conſcientia grauiter accuſat. At contra iuſtitiæ amicus, decernentis vultum conſpicit, ſed intus de teſtimonio bonæ recordationis hilareſcit; & quia quod metuat non habet, ideo omne quod circa ipſum eſt, blandum videt*

De meritorum diſcuſsione.

DISTINCTIO VI.

Meritorũ diſcuſsio.

POST citationem peremptoriã, erit in iudicio meritorum diſcuſſio. Circa quam conſideranda ſunt ſex. Primo, quod erit ibi occultorum diſcuſſio. Secundo, quod fiet ibi diſcuſſorum publicatio. Tertio publicatorum atteſtatio. Quarto, atteſtatorum diſceptatio. Quinto, quare in diſceptatione ſola opera miſericordiæ memorantur. Sexto, quod multum eſt vtilis iudicij memoria.

Chriſtus in iudicio occulta diſcutiet, & reo aperiet.

PRIMO igitur fiet ibi occultorum diſcuſſio, ſicut deſcribere dignatus eſt ipſe iudex. Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in Maieſtate ſua*, ideſt in diuinitate; Cuius virtute tanquam ex ſumma auctoritate reprobos iudicabit, in ea tamen forma in qua iudicatus fuit, apparebit omnibus tam bonis quam malis, & in ea iudiciũ exercebit, vt dictũ eſt: *Et omnes Angeli eius cũ eo.* Nec ſolum Angeli, ſed etiã omnes ſancti, ſicut dicitur Iſa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi, & Principibus.* Per ſeniores intelligens & deſignans Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos, qui maiores, & excellentiores ſunt in populo, per principes ſignificans Angelos: *Tunc ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ.* In ſede notatur excellentia iudiciariæ poteſtatis, quam tunc manifeſtum erit eum habere ſuper Eccleſiam, Pſalm. 48. *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.* Et Iſa. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; & plena erat omnis terra maieſtate eius*, &c. *Et congregabuntur* tanquam citati, & obedientes citationi, *ante eum* tanquam antę iudicem ſuum, pro meritis recepturi, *Omnes gentes* ſcilicet cuiuſlibet ætatis, ſtatus, conditionis, ſexus, & temporis. *Et ſeparabit eos ab inuicem*, ſcilicet bonos à malis, bonis aſtantibus cum ipſo ſurſum in aëre, impijs vero remanentibus deorſum in terra: *Sicut paſtor ſeparat oues ab hædis.* Per oues ſignantur electi tanquã mundi, fructuoſi, ſimplices, innocentes, humiles, patientes. Per hædos reprobi deſignantur, tanquam infœcundi, fœdi, & fœtidi. Deus enim qui eſt inſpector intimus, occultus, ſciet, videbit, & agnoſcet omnia ſecreta cordium, & nihil eum latebit, & omnia quæ latuerunt in cordibus ſingulorum, ante ipſorum oculos reuocabit, vt & ipſe iudex videat, & qui fecit. Vnde Pſalm. 49. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

HAC igitur diuiſione ſic facta, iuſtis circa iudicem in aëre ad dexteram collatis, impiis vero in infimis remanentibus & à ſiniſtris, ſummus iudex, qui ſolus nouit, & videt occulta cordium, omnia quæ latuerunt in cordibus ſingulorum, ante ipſorum oculos reuocabit, vt reddant de omnibus rationem. Et circa hoc conſiderare debes cui ratio ſit reddenda: *Require ſupra de iudicis qualitate.* Item quam ſubito, *require ſupra.* Item cum quanto periculo: quia qui deficiet, amittet, & ſe & ſua, & omnia bona. Inſuper æterno carceri adiudicabitur, & ſupplicijs infinitis. Qui autem bene reddiderit rationem, regnum conſequetur æternum. Item de quibus ratio ſit reddenda, quia de omnibus cogitationibus Iob 22. *Ipſe conſiderat vias meas*, Glo. *Sic Deus vias vniuſcuiuſque conſiderat; ſic greſſus dinumerat, vt nec minutiſſimæ cogitationes eius iudicio, ac verba tenuiſſima quæ apud nos vſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant.* Sap. 6. *Interrogabit opera veſtra et cogitationes veſtras ſcrutabitur.* Item de omnibus verbis Matth. 12. *De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Item de omnibus operibus bonis, qua intentione, diſcretione, vtilitate, & deuotione facta ſunt Eccleſiaſtici 12. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus ad iudicium, et pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.*

Exemplum

DICITVR quod quidam comes Pictauienſis fuit, qui voluit experiri omnia officia: Et ad vltimum dixit, quod officium quod ipſe aliis omnibus præponeret eſſet officium mercatorum in nundinis, quibus traditur quod ipſi volunt, & valdè ſplendide viuunt. Sed hoc ſolum in illo officio erat odibile, quod in fine omnia eis computabuntur, etiam minima: quæ qui non ſolueret, captus detinebatur pro ſolutione: ſic fiet in iudicio. Specialiter autem de decem, habebimus ibi reddere rationem. Primo de ſpiritu. Secundo, de ſpiritualibus. Tertio, de corpore. Quarto, de

corpo-

De decem est speciali ter reddenda ratio in iudicio

corporalibus. Quinto, de tempore. Sexto, de temporalibus. Septimo, de omnibus operibus bonis, & malis. Octauo, de omissionibus. Nono, de beneficiis generalibus & spiritualibus. Decimo, de officiis & artificijs singulorum. Hoc est quod dicitur Matth. 18. De homine Rege, qui voluit rationem ponere cum seruis. Cùm autem cepisset rationem, oblatus est ei vnus qui debebat decem millia. Iste vnus, totius Ecclesiæ significat vnitatem, cuius est *vna fides, vnum Baptisma.* Eph. 4. *Vnum ouile, & vnus pastor*, Io. 10.

Primo de anima.

PRIMO igitur respondere debemus, de spiritu rationali, scilicet anima, quomodo seruauimus. Est enim pretiosus Thesaurus, & ideò sollicite seruandus 2. Corinth. 4. *Habemus Thesaurum istum pretiosum in vasis fictilibus*, idest corporibus. De hoc Deuter. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam sollicite.* Ipsa enim anima est pretiosa Margarita, cuius pretiositatem ostēdit cœlestis negociator, vendens omnia quæ habuit, & dans pro ea habenda: Matth. 13. Dedit enim carnem pro ea ad lacerandum, vt de eius vulneribus curaretur. Sanguinem ad fundendum, vt per illum mundificaretur. Vitam ad occidendum, vt per hoc viuificaretur. Animam ad deducendum in infernum, vt per hoc anima hominis de inferno liberaretur Bern. *Væ mihi si talentum traditum mihi negligenter seruauero, pretioso sanguine agni incontaminati magis appretiatum. Si enim stillas sanguinis Domini in vase aliquo repositas haberem, diligens custos proculdubio existerem* Tit. 6. *Depositum tuum custodi.*

Exemplum

QVIDAM frater prædicatorum optime respondit cuidā militi, cum in principio ordinis ignoraretur prędicatorum ordo & habitus; cum quæreret cuiusmodi homo esset, ait: Ego sum quidam pauper medicus, collector herbarum & radicum. Cum quæreret de qua terra esset, ait: De terra corruptionis, cuius omnes fontes sunt fœtidi & corrupti. Et cum diceret ei quod se exponeret, ait: Verè de terra de qua dixi sum Domine; Et quidam Rex dedit mihi filiam suam cōiugem, tali conditione, vt sub pœna mortis eam seruarem incorruptam. Cum autem intrasset terram meam, paulatim à corruptione eius infecta, leprosa efficitur. Ego autem timens sententiam patris eius, per mundum discurro, & radices, & herbas, & fructus colligo, quibus possit curari. Terra infecta, caro humana est, cuius fontes fœtidi: Rex pater puellæ, Deus est: anima, puella: sponsus eius homo: radices & aromata quæ debet quærere homo ad curandum, sunt virtutes: lepra, peccatum est. Herbæ sunt verba sancta, fructus opera bona, per hæc curatur anima. De hac materia habes supra, de timore humano.

2. De bonis spiritualibus

SECVNDVM de quo respondere debemus sunt bona spiritualia, tantæ bonitatis & pretiositatis, quod faciunt bonam animam & pretiosam, vt sunt bona naturalia animæ, sicut memoria, & cæteræ vires, & potentiæ, Bona acquisita, vt scientia, ars, & politicæ virtutes. Et bona gratiæ, vt bona seu dona gratiæ, & Theologicæ virtutes. Sic enim pretiosa est gratia, vt de aliis bonis taceamus, quod sine hac homo nihil valet, nihil ei ad salutem prodest. Vnde à pretiositate dicitur charitas. Dicitur enim 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero factus sum sicut æs sonans.* Sine hac nihil est homini bonum quia ipsa animæ bonitas non est homini bonum sine hoc bono. Vnde 2. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum.* Prouerb. 22. *Super argentum & aurum gratia bona.* Et vt dicitur Sap. 7. *Diuitias nihil esse duxi ad comparationem illius*, &c. Patet thesauri huius pretiositas & bonitas, quia plus valet ad infernalis ignis extinctionem, ad peccatorum anullationem, & ad animarum decorationem & fœcundationem, vna gutta lachrymarum huic cælesti balsamo gratiæ adiuncta & mixta, quam omnes de mundo. Ideo pretiosius est seruandus iste liquor, in quo inunguntur reges cælestes, quam ille liquor quo inunguntur reges Francię, quæ non apportatur per aliam columbam, nisi per ipsum Spiritum sanctum. Hunc liquorem effundunt fatui, vt dicitur Eccl. 20. *Gratiæ fatuorum effundentur.* Et 2. Cor. 6. *Hortamur vos ne in vanum gratiam Dei recipiatis.* 1. Petri 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum administrantes*, sicut boni dispensatores, &c.

3. De corpore

TERTIVM est corpus, de quo respondere debemus quomodo illud custodiuimus. Est enim Castrum quod tenemus à Deo in fœudum, quodque tantū amamus, quod pro toto mundo illud non daremus. Vnde in curia illa tanquam proditor pessimus commendabitur, qui dominum ab eo expulit, & aduersario diabolo illud reddidit Prouerb. 5. *Ne des alienis honorem tuum* qui est vt sis castellanus summi regis, *& annos tuos crudeli*, &c. Post. *Et gemas in nouissimis.* Illud castrum debemus custodire munde, & castè, & sanctè, quia templū est Dei viui, scilicet spiritussancti 1. Cor. 6 *An nescitis, quia corpora vestra templum sunt spiritussancti.* Item triplici iure debemus seruire Deo, de corpore, & de omnibus membris. *Primo* quia totum corpus cum membris suis, & de suo, fecit. *Secundo*, quia corpus suum, & omnia membra sua tam pretiosa pro nobis exposuit, & de omnibus nobis in tam duro seruitio seruiuit. *Tertio*, quia tantam remunerationem corpori & omnibus mēbris eius promittit, quod pro illa remuneratione glorioſa, deberet de omnibus membris suis homo, toto tempore vitæ suæ, Iudæo vel Saraceno seruire. Ideo dicit Apost. 1. Cor. 6. *Corpus, non fornicationi debetur, sed Domino.* Anselmus, *Domine quia totum me fecisti, totum me debeo amori tuo, & quia totum me redemisti, totum me debeo amori tuo, & quia tanta mihi promisisti, totum me debeo amori tuo.*

4. De bonis corporalibus

QVARTVM, de quo debemus ei respondere sunt bona corporalia. Et sunt quasi quinque talenta quæ nobis tradidit Deus, de quibus exiget rationem: scilicet corporis fortitudo, pulchritudo, iuuenilitas, sanitas, leuitas, de quibus si bene seruierimus, alia quinque lucrabimur, scilicet corporis glorificationem, vt det nobis fortitudinem sine debilitate, pulchritudinem sine deformitate, iuuentutem sine senectute, agilitatem sine defficultate, sanitatem & vitam sine infirmitate, & moriendi possibilitate. Illis dicet Dominus qui tunc dicent illud Mat. 25. *Domine quinque talenta tradidisti mihi*, &c. *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.*

5. De tempore

QVINTVM de quo debemus reddere rationem est tempus, quod dedit nobis Deus ad agendam penitentiam Apocal. 2. *Dedit ei Dominus tempus penitentiæ & non vult pœnitere.* Iob 24. *Dedit ei Deus locum* vel tempus *penitentiæ, ac ipse abutitur eo.* Anselmus, in meditatione ad concitandum timorem. *O lignum aridum & inutile, æternis ignibus dignum: quid respondebis in illa die, cum exigetur à te vsque ad ictum oculi, omne tempus viuendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? Tunc quippe condemnabitur quicquid fuerit inuentum operis, & ocij, sermonis, & silentij, vsque ad minimam cogitationem, etiam quod dixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum.* Bernard. *Non est tibi tempus vitæ impensum, quod non exigatur à te qualiter sit expensum.* Idem *nihil pretiosius tempore, sed heu hodie nihil vilius reputatur.* Idem *Sicut non peribit capillus de capite, sic nec peribit momentum de tempore*: quin scilicet à te requiratur ratio illius. Nam inter omnia creata, nihil ferè acceptabilius tempore; quia in vno momento possent peccatores lucrari plusquam valeant infiniti mundi, scilicet animas suas. In modico tempore sibi dato ad pœnitendum, possunt homines facere tantā pœnitentiam, quod futura supplicia euitarent, & æterna bona obtinerent. Similiter damnati qui sunt in inferno, si daretur eis hora temporis ad pœnitendum, sicut datur nobis in præsenti, possent tantam pœnitentiem in ea agere, quod in æternum non perirent. Ideò dicitur 2. Cori. 6. *Ecce nunc tempus*

acceptabile, &c. scilicet ad misericordiam obtinendã, ad gratiam inueniẽdam, ad gloriam promerendam. Ideo dicit Apostolus Gal. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum*, quia tempus quod modo habemus pro nobis, erit contra nos. Tren. 1. *Vocauit aduersum me tempus.* vsurarij qui ita large modo vendunt tempus, Qui iam sunt in inferno, vellent emisse vnum momentum temporis pro mille aureis vel mille mundis si haberẽt pro pœnitentia agenda, vt hic habere possent. De hac materia infra de inferno, de aggrauatione boni amissi.

6. De bonis tẽporalibus.

SEXTO, de bonis temporalibus. Eccles. 11. *In bonis sit cor tuum; & scito quod pro omnibus his, adducet te Deus ad iudicium*: scilicet pro delicijs, diuitijs, honoribus. De diuitijs dicitur Iob 20. *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus.* Apoc. 17. *Quantum fuit in delicijs, & quantum glorificauit se, tantum date ei tormentum, & luctũ.* Ideo dicitur villico Luc. 15. *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Et nota, quod diuitiæ bonorum erunt pro eis in iudicio tanquam aduocati eorum. Psalm. 111. *Beatus homo qui miseretur & commodat, &c.* Diuitiæ autem malorum erunt tanquam aduocati contra eos, Iac. 5. *Argentum & aurum vestrum eruginauit, & rubigo eorum erit vobis in testimonium.* Et post. *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Item Abac. 2. *Væ qui congregat malam auaritiam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius.* Et post *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod est inter iuncturas* ædificiorum. Contra, bene erogata, pro homine benè allegabunt. Tob. 4. *Quomodo potueris esto misericors.* Et prius. *Præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna, ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia est coram domino eleemosyna.*

Exemplum

VNDE refert Io. eleemosynarius, quod cum pauperes essent in quadam ciuitate ad solem, inceperunt dicere qui essent boni eleemosynarij, & qui non. Et cum dicerent, quod quidam dies erat, ibi Petrus nomine, cuius eleemosynam nullus eorum vnquam receperat, vnus eorum certauit, quod ab eo extorqueret eleemosynam; qui vadens ad ostium eius, tam iæpè & improbè petiuit, quod ille tædio affectus, proiecit ei panem siligineum sumptum de massa, quæ de furno apportabatur, quem pauper gaudens defert alijs, & lucratus est quod firmauerat. Demum dictus dies ægrotans, rapitur ad iudicium, in quo videt omnia facta sua appendi in vna lance stateræ, & tetertrimos spiritus omnia facta sua ei improperantes, & eũ accusantes. Ex oppositio vidit quosdam albos & lucidos dolentes, quia nihil inueniebant boni in factis suis, quod in alia parte libræ ponerent. Tunc quidam apportauit siligineum panem quem pauperi dederat, & posuit in alia parte libræ, & cõponderauit mala. Tunc dictum est ei; reuertere, & auge ad siliquam istam, alioquin non euades manus horum. Qui ex tunc factus est abstinens, pius, & misericors. Et cum iret ad Teloneum, occurrit ei quidam nauta naufragus nudus, rogans vt ei vestem daret; qui exuta veste sua dedit ei, quam ille vendidit, non audens eam portare propter prætiositatem. Quod audiens Petrus, flebat se indignum vt veste sua vestiretur pauper. Cui in nocte apparuit dominus gratias agens, indutus veste sua, de hoc quod sic afflictum in frigore vestierat. Post hoc cœpit anhelare ad paupertatem, dicens beatos esse pauperes. Vendidit autem cuncta sua, deditque pauperibus, excepto vno seruo suo quem emerat quadraginta aureis, quem vocans, iuramentum eius accepit, quod eius præceptis obediret. Tunc præcepit ei quod eum ad nundinas duceret, & venderet; & prætium pauperibus daret; Iurans, quod si hoc non faceret, eum ipse Barbaris venderet; & si eum venderet, eum liberum faceret. Ob hoc compulsus seruus, duxit eum in Hier. vendidit eum cuidam argentario, cui seruiuit in coquina multis annis. A seruis eius sæpè verberatus, & vituperatus, & afflictus, ipse in omnibus Deo gratias agebat, orationi insistens, & labori. Dominus autem eius videns eius patientiam & deuotionem, dicebat ei quod abiret liber quando vellet; qui hoc nolebat. Cum affligeretur autem à seruis domini sui, quidam argentarij Constantinopolitani agnouerunt eum, qui videns se non posse latere, venit ad portitorem domus surdum & mutum, præcipiens vt aperiret, & curaretur; quod ita factum est. Ille autem fugiens non inuenitur, sed viso miraculo pœnitent serui de iniuria illata.

7. De omnibus operibus bonis, & malis.

SEPTIMO debemus reddere rationem de omnibus operibus bonis, & malis Eccclesiastes 12. *Cuncta quæ fiunt sub sole adducet Deus ad iudicium, & pro omni errato* &c. Ro. 14. *Omnes stabimus, ante tribunal Christi.* Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet. 2. Cor. 5 *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Et post. *Vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malum,* Isa. 46. *Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio vt iudicem.* Psalmus 47. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Dominus enim iudicabit & manifestabit, qua intentione, & affectione, attentione, & in quo statu opera facta sunt Bern. *Si iudicabit dominus iustitias, quomodo ergo iniustitias? Cognoscetur enim dominus iudicia faciens, qui nunc ignoratur iniurias patiens.*

8. De comissionibus & omissionibus

OCTAVO reddere debemus rationem de commissionibus & ommissionibus, quod maxime à prælatis requiretur. Similiter & de remissionibus peccatorum, quas nobis dominus fecit. Matth. 8. hoc ibi notatur: *Simile est regnũ cœlorum homini regi*, &c. Et post. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*, &c. Hanc rationem deberent timere maximè prælati, quibus maximè Deus istas tres quæstiones faciet, scilicet quomodo intrauerunt ad ecclesiastica beneficia & curas animarum. Matth. 22. *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Secundo* quomodo custodierunt, Hiere. 13. *Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Eiusdem I. *Grex præditus factus est, populus meus, pastores seduxerunt eum.* Hoc dicet dominus in iudicio. Idem 33. *Ad hunc transibunt greges, ad manum iniuriantis.* Tunc dicet verus Ioseph, ideſt Christus, illud Gen. 43. *Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum.* Ezech. 33. *Sanguinem impij de manu speculatoris requiram.* Hoc debet eis esse terribile. Similiter, quod dicitur Ezech. 34. ferè per totum. *Væ pastoribus Israël.* Et post. *Quod perierat requiram*, &c. *Tertiò*, quomodo rexerunt se & alios, requiret Dominus. Contra hos Greg. in Homil. *Designauit*, &c. dicit prælatis. *Ecce de cœlo iam iudex venit*, &c. *Ecce de nostro negocio fructum requirit, quale, scilicet lucrum animarum, de nostra negotiatione ei monstrabimus:* Ponamus ergo ante oculos, illius tantæ districtionis diem, in quo iudex veniet, & rationem cum seruis quibus talenta tradidit, ponet. Ecce in maiestate terribili inter Angelorum & Archangelorum Choros, in illo tanto examine electorum pariter & reproborum, omnium multitudo videbitur. Vnicuique quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dicam, mundum ducens. Ibi Andreas Achaiam. Ibi Ioannes Asiam. Thomas Indiam in conspectu sui iudicis conuersam adducet. Ibi omnes dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus, Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis, ante æterni pastoris oculos venerint; quid nos dicturi sumus, qui ad dominum nostrum post negocium vacui redimus, qui pastoris nomen habuimus, & oues quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus? *Item* requiret Dominus quomodo pater & mater filium vel filiam seruauit, quomodo familiam, quomodo magister discipulum, socius socium, vicinus vicinum Eccles. 17. *Vnicuique mandauit de proximo suo. Item* requiretur ratio de commissis præceptis, & eorum transgressionibus.

Aduertant prælati.

CVM beatus Bernard. veniens Parisios scholas logicæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gicę intraſſet, cogitans quomodo aliquos ſcholares lucrari ibi poſſet, quos monachos faceret: finita diſputatione rogans eum magiſter quod determinaret, ait. *Nobis Deus facit hoc argumentum: reſpondete. Hæc mandata, & hanc legem dedi vobis; aſſumit tranſgreſſionem, concludit damnationem. Sic ergo argumentatur homini. Legem tibi tradidi, tu prævaricator fuiſti, ergo damnationem promeruiſti à iuſto iudice, ergo damnaberis. Item* cum audiret ſæpè ibi dici, rationale, mortale, ait. *Conſideranti hoc, duplex occurrit mihi fructus; quia rationale mortale humiliat, & mortale rationale confortat.*

9. De beneficijs ſuſceptis.

NONO requiretur ratio de beneficiis generalibus, & particularibus, & ſpiritualibus, Iob 9. *Si voluerit iudicio contendere, non eſt qui reſpondeat vnum pro mille,* ſcilicet beneficiis ſuſceptis. Idem 32. *Quid faciam cum venerit ad iudicium? Et cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Nunquid non in vtero fecit me?* &c. Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, reduc me in memoriam & iudicemur ſimiliter; Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Quis enim dignè poſſit reſpondere ei de beneficijs generalibus creationis, & paſſionis, &c.

10. De officijs & artificijs.

DECIMO requiretur ratio de diuerſis artificijs, & officiis hominum. Vnde in Pſal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocauit terram,* &c. *Primo* de officio prædicationis quaſi de digniſſimo requiret, dicens: Pſalm. 49. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas?* O peccator, ideſt prædicator enarras teipſum iudicando, quando es in notorio peccato contra quod prædicas. *Secundo* de officio Sacerdotali; vnde ſequitur *& aſſumis* ô tu Sacerdos, *teſtamentum*, canonis, vel Dominici corporis & ſanguinis, *per os tuum* pollutum. *Tertio* de officio principatuum ſæcularium, cum dicit: *Tu vero odiſti diſciplinam.* Hiere. 5. *Ibo ad optimates, ipſi magis confregerunt iugum*, ideſt diſciplinam ſacræ doctrinæ, non obediendo; vel pœnitentiæ, eam non faciendo vel abijciendo. *Proiecisti ſermones meos retrorſum.* Contra clericos, qui ſacram ſcripturam vel prædicationē reijciunt propter alias ſcientias. *Si videbas furem,* &c. Hoc contra præpoſitos, & prælatos, malis conſentientes, vel non concordes bonis: *Os tuum abundauit malitia.* Hoc contra adulatores mala laudantes, vel contra Deum blaſphemantes, vt ſunt tabernarij & luſores: *Et lingua tua concinnabat dolos*, ideſt componebat. Hoc contra negociatores, & aduocatos, & teſtes falſos. *Sedens*, &c. Hoc contra falſos iudices, & detractores, & accuſatores: *Et aduerſus filium matris tuæ.* &c. Hoc contra hæreticos, vel ſuo exemplo corrumpentes alios. *Exiſtimaſti iniquè*, &c. Hoc contra iuſtitiam pro aliquo corrumpentes, vel contra hypocritas: *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam*, &c. Hoc contra peccata occultantes: *Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum.* Hoc contra ignorantes, & in proſperis viuentes. *Sacrificium laudis*, &c. Hoc contra ingratos, & præſumentes: *Vnde illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.*

De diſcuſſorum publicatione.

DISTINCTIO VII.

Deus vniuſcuiuſque delicta, cunctis in iudicio pandet.

SECVNDO fiet ibi diſcuſſorum publicatio, quia iudex non ſolum vnicuique ſecreta ſua facinora reuelabit, verumetiam omnibus aliis Angelis, & hominibus bonis & malis, amicis & inimicis, ſicut, ait, per Prophetam Ezech. 17. *Ecce ego congregabo omnes quos dilexeras, & vniuerſos quos oderas, & nudabo ignominiam tuam coram eis.* Soph. 3. *Mane iudicium ſuum dabit in luce, & non abſcondetur.* Item *reuelabo pudenda coram facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Singula verba diligenter attende, & diſcretionis libra pondera quid importent.

TVNC replebuntur impii pudore confuſionis, timore damnationis, dolore turbationis, ſtupore admirationis. Pudore quidem confuſionis, quia quilibet honeſtus homo erubeſcit ſua videre pudenda, magis autem verecundatur videre aliena, ſed incomparabiliter plus horret ab aliis videri ſua. Quantum ad primum dicit: *Reuelabo pudenda coram facie tua*, vt in teipſo primitus erubeſcas. Poſtea ſubdit: *Et oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Attende quanta verecundia ſuffunderetur honeſta mulier & pudica; ſi coram hominibus totius regni in ſuam ignominiam nudaretur. Reuera præ nimia confuſione deficeret, etſi multa ſpecioſitate niteret. Magis autem ſi deformis eſſet & horrida; & propter hoc in ludibrium haberetur. Adhuc autem longe magis horreret, ſi multa fœda & enormia, in ſecreto cordis eius iacentia, coram omnibus vulgarentur. Quanto igitur incomparabilius, immo ineffabilius, quælibet anima confundetur, quando corpus omni deformitate turpius, & omni fœtore fœtentius, omnibus oſtendetur. Adhuc longè vehementius, quia cuncta eius horrenda flagitia, omnibus reprobis hominibus & dæmonibus nudabuntur. Adhuc etiam horribilius, quia ab omnibus bonis Angelis & hominibus videbuntur; ſed inæſtamabiliter intolerabilius, ſe videri ab ipſo ſummo iudicè confundentur. Cogitet vnuſquiſque ſi poteſt, quanta tunc erit confuſio in cordibus impiorum, & quam inexcogitabile ex hac extrema confuſione tormentum. Confundentur autem impij ſicut fur, qui in furto deprehenſus cum re furtiua, coram omnibus ſuſpenditur. Hiere. 2. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confundentur.* Item vt homicidia, quando propter homicidium coram omnibus ad patibulum trahitur. Item vt adulter & adultera deprehenſi, qui coram omnibus nudi fuſtigantur. Ezech. 17. *Congregabo omnes quos dilexiſti, & vniuerſos quos oderis, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam, & iudicabo te iudicijs adulterorum, & effundentium ſanguinem.* De hac confuſione adulteri & adulteræ, habetur Eccleſiaſtici 26. Item confundentur vt conuictus de proditione, cuius proditio in nundinis acclamatur. Ezech. 5. *Dabo te in deſertum & in opprobrium cunctis gentibus*, &c. Item confundentur vt ille qui propter lepram à conſortio ſanorum & conciuium expellitur. Matth. 13. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum*, &c. Item confundentur vt ille qui excommunicatus eſt, & ab eccleſia eijcitur, & à nuptijs excluditur. Matth. 25. *Neſcio vos*, dicitur fatuis virginibus, & Matth. 22. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* &c. Item confundentur vt qui coram hominibus perpetua infamia & indelebili damnatur. Hiere. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.* Et 23. eiuſdem. *Dabo vos in opprobrium ſempiternum & ignominiam ſempiternam, quod nunquam obliuione delebitur.*

Impij in iudicio repiebuntur pudore confuſionis.

CONFVSIONEM & dolorem eorum, oſtendit illud quod legitur in vitis pa. Narrauit, quidam ſenex, quod cum vellet conuerti ad religionem, & impediret eum mater ſua, dicebat quod vellet ſaluare animam ſuam, nec acquieuit ei. Factus autem monachus negligenter agebat. Mortua autem matre, & eo ægrotante, in extaſi poſitus, rapitur ad iudicium inter iudicandos, vbi vidit matrem ſuam dicentem ſibi: Quid eſt fili, quòd veniſti nobiſcum hîc judicandus? vbi ſunt verba quæ dicebas, volo ſaluare animam meam? qui confuſus obmutuit, & erubuit, audiuitque vocem dicentem, vt adhuc reduceretur, & alius de eius cœnobio moreretur, quod ita factum eſt. Et conualuit, & cogitauit de viſione, & incluſit ſe, & aſſiduè flebat annos quos negligenter egerat, & cū multi diſſuaderent ei tantum fletū, ne læſionē oculorū pateretur, nō acquieſcebat eis, ſed dicebat: Si improperium matris meæ ferre non potui, quomodo ferre potero improperium Chriſti, & Angelorum, & ſanctorum omnium.

Exemplum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Exemplum.

Item ibidem. Quidam interrogauit Senem: Vnde Abba mihi hoc; Cor meum durum non timet Deum, & quomodo timebo? Dixit ei ſenex, puto quod ſi homo in corde ſuo teneat increpationem, poſſideat timorem. Dicit ei frater. Quid eſt increpatio? reſpondit, vt in omni re increpet homo animam ſuam, & quod cogitet quod Deo debet occurrere, & increpationem eius ſanctorum ſuſtinere.

Item quidam ſenex videns quendam ridentem, dixit ei. Coram cœlo & terra, reddituri ſumus rationem totius vitæ noſtræ, & tu rides? Item dicebat Abbas Euagius. Illud diuinum ac timendum & terribile iudicium imaginari, reducit ad memoriam, repoſitam peccatoribus confuſionem, quam paſſuri ſunt in conſpectu Dei, & Chriſti eius, & coram Angelis, & Archangelis, poteſtatibus, & vniuerſis hominibus.

Impij in iudicio replebiũtur timore damnationis.

Secundo turbabuntur timore damnationis. Sap. 5. *Turbabuntur timore horribili.* Quomodo enim non timerent, quando viderint peremptoriè ſe citatos, omnia peccata ſua clarè conſpicient, & ſe pro eis non egiſſe pœnitentiam recognoſcent, & ſuæ damnationis manifeſta ſigna videbunt Iſa. 2. *Ingredientur fiſſuras petrarum, & in cauernis ſaxorum à facie timoris Dei, & gloriæ maieſtatis eius; cum ſurrexerit percutere terram.* Item in ciuitate Biſantina talis dicitur eſſe conſuetudo, quod cum venit ibi Imperator, omnes vſurarij ſui ſunt ad redimendum & capiendum. Vnde eo veniente ibi, abſcondunt ſe in latrinis. Quid ergo facient cum venerit ad iudicandum Deus: Hiero. in epiſtolis. *Si tantæ curæ pertimeſcitur iudicium pulueris, quæ intentione cogitandum eſt, quæ formidine præuidendum ſit, tantæ iudicium maieſtatis?* Si Balthaſar Rex adeo timuit articulos manus quos vidit ſcribentes in pariete: *Mane, Tethel, Phares, id eſt numeranit, appendit, diuiſum eſt*, ſicut dicitur Dan. 5. quod cum vidit facies eius mutata eſt, & cogitationes eius perturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius collidebantur quanto plus timebunt videntes illum, qui numerabit bona, & mala: appendet ſingulorum merita; diuidet bona, & mala. Hunc etiam timorem quem habebunt mali in iudicio, oſtendit timor quem habebunt amici Dei, & habuerunt de ſola huius meditatione. Matth. 14. *Nam virtutes Cœlorum mouebuntur.* Iob. 16. *Columnæ Cœli contremiſcunt.* Intelligo non timore pœnali, ſed admiratione. Ideo Dauid dicebat, *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c. Iob. 21. *Quid faciam cum ſurrexerit ad iudicandum Deus*, &c. *Si quæſierit, quid reſpondebo ei?* Idem 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno, protegas me*, &c.

Exemplum.

In vitis patrum Abbas Amon rogatus, vt diceret verbum ædificationis, ait. Talem debet homo facere cogitationem ſuam; qualem latrones & iniqui: qui ſunt in carcere iudicandi: qui quærunt frequenter; vbi eſt iudex, quando veniet, & malorum ſuorum conſcij flent? Ita monachus animam ſuam debet obiurgare, & dicere. Væ mihi, quomodo habeo aſtare ante tribunal Chriſti, & malorum meorum reddere rationem. Si hoc meditatus fueris: poteris ſaluus eſſe.

Item Hiero. *Quoties Dei iudicij recolo, totis viſceribus contremiſco.*

Narrat Petrus Alfonſus, quod quidam ſanctus eremita, hæc habebat ſcripta præ oculis, & ea frequenter in oratione & meditatione ruminabat, dicens:

Exemplum.

O anima mea, ſcias & recognoſcas quid operaris, dum poteſtas eſt in manu tua, antequam mouearis de loco tuo, antequam venias ad locum in quo eſt iuſtitia, & ad portam iudicij, in quo leges omnia quæ feciſti in rotulo conſcientiæ, vbi Angeli à dextris & à ſiniſtris, conſilium tuum denudabunt: quando ante Deum veniet iudicium tuum; in vna lance iudicij librabitur omne bonum tuum, in altera omne malum Tuum. Vbi omnes fratres & amici tui te deſerent, redemptionem nullam tibi inuenient, te obliuioni tradent. Memento ergo modo dum potes creatoris tui. Hoc ſæpe recolens fremebat tremens, & flebat. Eccle. 11. *Meminiſſe debet homo tenebroſi temporis*, &c. Item 12. *Memento hominis creatoris tui antequam veniat tempus afflictionis*, &c. *Item* erunt ſtupentes ex horrore mirabilium viſorum & inſolitorum, & præ ſtupore deficientes, & obmuteſcentes. Pſal. 106. *Omnis iniquitas opilabit os ſuum.* Iſa. 13. *Vniuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit.* Non ſolum ſtupebunt in viſione malorum, ſed etiam in viſione bonorum. Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Gementes* &c. Et poſt: *Ecce quomodo computati ſunt inter ſanctos.* &c. Si Heſtor ita timuit in viſione vnius hominis quem videre conſueuerat, quod penè examinata eſt, vt habetur Heſter. 15. illa enim cum rediſſet à caſu, requiſita ab Aſſuero quid haberet, ait: *Vide te domine, quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim admirabilis es domine, & facies tua plena gratiarum*: Quid erit peccatoribus in viſione feritatis tantæ maieſtatis. Item ſi Io. Apoc. 1. & Dan. 10. remanſerunt quaſi mortui, ad viſionem vnius Angeli, ſimiliter etiam cuſtodes ſepulchri. Mat. vlt: Quid erit timoris peccatoribus, cum viderint contra ſe ſummum iudicem, in ſumma feritate, cum tot millibus Angelorum, & ſanctorum? Item erunt inconſolabiliter mærenter, vt dicit Chryſoſt. *Ex anguſtia omnium nihil eis ibi relinquetur niſi luctus*; quod patet per ſuprapoſita exempla de confutato à matre, & de exemplo latronis, & eremitæ, & de Rege & tibicinibus.

Impij torquebuntur dolore inuidentiæ.

Tertio torquebuntur dolore inuidentiæ: pœnitentiæ quidem, ſed infructuoſæ: quia de peccatis ſuis dolebunt, non amore diuinæ reuerentiæ, ſed timore damnationis, quam ſibi ſcient & ſentient imminere. Ier 48. *Erit cor fortium Moab quaſi mulieris parturientis.* Et eiuſdem 49. *Diſſoluta eſt Damaſcus*, id eſt anima peccatrix, *quæ eſt ſaccus ſanguinis*, id eſt peccati, *timor apprehendit eam, & dolores, & anguſtiæ, quaſi parturientem* Iſa. 13. *Vlulate, quia prope eſt dies domini, propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur: torſiones, & dolores eos tenebunt, quaſi parturientes dolebunt*, &c. Sap. 5. *Intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Iſta pœnitentia non erit fructuoſa, ſicut nec Antiochi de quo 2. Machab. 19. Hæc eſt pœnitentia latronis vi tormentorum violenter extorta, & ideo minime fructuoſa. Torquebuntur dolore inuidentiæ: Videntes enim gloriam beatorum inuidebunt, quam tamen obtinere non poterunt. Pſal. 111. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet; & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.*

Impij torquebuntur ſtupore admirationis.

Quarto mouebuntur ſtupore admirationis, nam in illa congregatione, mirabilia & ſtupenda videbunt: quia qui boni & iuſti, mundano iudicio videbuntur inuenientur reprobi: & qui viles & deſpicabiles indicantur, contemnuntur, deijciuntur, vel tanquam fatui deridentur, tunc fulgebunt ſicut Sol Sap. 5. *Mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis*, &c. Sequitur. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finẽ illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Iſa. 13. *Vniuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit.*

De promulgatorum atteſtatione.

DISTINCTIO VIII.

In iudicio fiet promulgatorum atteſtatio, multos contra malos teſtimonium ferentibus.

TErtio adhuc ad augmentum miſeriæ reproborum, fiet ibi promulgatorum atteſtatio. Erũt autem ibi multa accuſantia, & teſtimonia perhibentia contra malos. Primo quidem omnis mundi creatura. Secundo ſacra ſcriptura. Tertio interna conſcientia. Quarto opera propria. Quinto homines iuſti. Sexto etiam infideles. Septimo ipſi dæmones. Octauo omnes ſancti. Nono ſancti Angeli. Decimo etiam ipſe Deus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Primo siquidem accusabunt impios,& contra ipsos testificabuntur omnes creaturæ sensibiles,quarum vsu vel obsequio sunt abusi. Greg. *Si quæris quis te accuset, Dico quod totus mundus* Iob.20. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius. Impij,& terra consurget aduersus eum, & apertum erit germen domus eius in die furoris domini.* Psal.49. *Aduocauit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Item Deuter. 32. *Inuocabo contra vos cælum & terram*; id est omnes creaturas quæ sunt in cœlo & in terra.

1. Omnes creaturæ.

Secundo contra impios testificabitur scriptura sacra quam ideo reuelauit dominus,& doceri voluit & conscribi,vt eam audientes, legentes, & meditantes, secundum eam viuerent, in ipsa & per ipsam discerent quid agendum,quid cauendum,quid timendum,quid sperandum, quæ omnia in scriptura sacra docentur. Vnde Iob.5. *Scripturæ testimonium perhibent de me.* Hoc dicebat Christus, de seipso.Et sicut testimonium perhibent Christo & sanctis, ita testimonium perhibent contra malos, sicut ibidem dicitur. *Est qui accusat vos Moyses*: id est lex accusabit quidem impios, qui eam audire vel discere noluerunt, vel audita retinere vel exequi contempserunt.

2. Scriptura sacra.

Tertio contra ipsos testificabitur interior conscientia:Sicut ait Apostolus Rom. 2. *Testimonium illis perhibente conscientia ipsorum, cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit dominus occulta hominum.* Vnusquisque enim librum condemnationis suæ portabit,& apertum coram omnibus demonstrabit,qui omnibus alijs euidentior & irrefragabilior testis erit, cunctisque & ipso iudice tacentibus, id est si tacerent quinimmo si pro ipso testimonium perhibere possent & vellent, ipsum impium nihilominus condemnabit.de libris huiusmodi dicitur Dan.7. *Iudicium sedit,& libri aperti sunt.* Et Apoc. 20.*Vidi mortuos magnos & pusillos,stantes ante thronum,& libri aperti sunt,& alius liber apertus est,qui est liber vitæ,& iudicati sunt mortui ex his,quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Ideo super illud Hier.17. *Peccatum Iudæ scriptum est* stylo ferreo &c.dicit Bern. *Videbitur in iudicio suo, & nudabitur pectoris mei conscientia,& de aperto corde videbuntur literæ peccatorum meorum, quæ scriptæ sunt stylo ferreo, vngue adamantino, atque vniuersa multitudo affectuum leget in pectore meo signatas imagines peccatorum meorum.*

3. Conscientia

Quarto testimonium perhibebunt opera propria. Ecclesiastici.11. *In fine operis denudatio operum eius* Apo. 14. *Scribe, beati mortui qui in domino moriuntur.* Et post. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Bern. *Opera bonorum sequuntur eos, sed opera malorum eos persequuntur.* Psal. 9. *Cognoscetur dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator,* vt Heritius, De quo dicunt naturales,quando venit ad poma onerat se pomis infixis in eius aculeis,& cum venit hortulanus, & credit fugere,non potest onus excutere, sed capitur cum furto: ita mali capientur in peccatis suis. *Item* vt symia quæ dicitur habere duos fœtus, vnum quem tenerrimè diligit,& alium quem minus.Primum vult habere semper præ oculis, alium retro: sed adueniente venatore,dilectum, vt dicitur, accipit intra brachia, minus dilectum proijcit retro super humeros. Cum autem appropinquante venatore, vult minus dilectum proijcere ; Ille ita adhæret ei quod non potest eum eijcere: Et ideo necesse habet dilectum proijcere, qui capitur loco minus dilecti,cum non possit fugere. Sic homo in opere peccati duo habet,voluptatem scilicet quam semper vult præ oculis habere ; & deformitatem,& vilitatem,& pœnalitatem,quæ retro habet,non cogitans de his & ideo cum his omni reiecta voluptate in iudicio capietur,& in inferni carcerem, proijcietur.

4. Opera propria. Simile. Simile.

Quinto testimoniam perhibebunt homines iusti, quos contemnentes derisserunt,pauperes quos oppressserunt temporaliter,lęserunt corporaliter,vel spiritualiter grauauerunt vel ad peccatum traxerunt,impedierunt à bono,verbis,moribus,& exemplis: occasionem ruinæ vel scandali præbuerunt: pacem eorum,& cordis sabbatum turbauerunt : Denique creatorem eorum & dominum offenderunt. Ibi spiritualiter subditi contra superiores suos testimonium perhibebunt. Sap. 6. *Audite Reges & intelligite : Discite iudices finium terræ.* Et post. *Data est vobis à Domino potestas, & virtus ab altissimo,qui interrogabit opera vestra,& cogitationes vestras scrutabitur,quoniam cum essetis ministri regni eius, non recte iudicastis.* Et post. *Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet*, &c. Quare hoc? Bern. respondet dicens.*Venient venient ante tribunal Christi, allegatio dura, clamor pupillorum & viduarum,quarum vixere stipendijs, nec diluere peccata.* Contra hos dicit Greg. super illud Euangelium Lucæ. DESIGNAVIT DOMINVS, ET ALIOS SEPTVAGINTA DVOS DISCIPVLOS. *Veniet veniet profecto, nec longe est illa dies,in qua pastor pastorum appareat,& vnusquisque facta in publicum deducat : vt qui modo subditorum culpas per præpositos vlciscitur,tunc præpositorum mala, per semetipsum seuiens damnet.* Vnde dominus ponit exemplum de vidua & iudice iniquitatis, Luc. 18. Et postea subiungit: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis ? Dico vobis,quia cito faciet vindictam illorum.*

5. Homines iusti.

Sexto Pagani & Ethnici qui fidem susceperunt, Christianos malos accusabunt : sicut dicit dominus Matth.12, *Viri Niniuitę surgent in iudicio cum generatione ista,& condemnabunt eam &c. Qui pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ:& ecce plusquam Ionas hic.* Quia Christus aut ministri eius prædicant euangelium regni, quos moderni Christiani nolunt audire, vel si audiunt pęnitentiam non agunt: illi autem audierunt Ionam, & statim pœnitentiam egerunt. Item, *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista; quæ venit à finibus terræ,audire sapientiam Salomonis &c.* Quæ mulier, de remotis partibus,cum multis sumptibus,& comitatu,& labore,venit.

6. Pagani & Ethnici conuersi.

Septimo accusabunt eos etiam ipsi dæmones, qui eorum scelera viderunt, quorum persuasionibus acquieuerunt, & consilijs adhæserunt. Apoc. 12. dicitur *accusator fratrum,qui accusat eos ante conspectũ Dei,die ac nocte.* Zach. 3. *Sathan stabat à dextris magni Iesu sacerdotis vt aduersaretur ei.* Item Aug. *Astabunt omnes ante tribunal Christi vt referat vnusquisque quod gesßit in corpore suo, siue bonum sit, siue malum.* Præsto erit diabolus, & recitabuntur verba professionis nostræ, & obijciet nobis in facie quicquid fecimus, & in qua die peccauimus, & in quo loco, & quid operis tunc temporis facere debebamus. Et si tales quales probare nititur inuenti fuerimus, exultabit ille aduersarius in aspectu iudicis, se superiorem nobis esse clamans, agens talem causam apud talem iudicem. Habet enim tunc dicere ipse diabolus : Æquissime iudex, iudica istum esse meum ob culpam, qui tuus noluit esse per gratiam : tuus est per naturam, meus est per malitiam;tuus est per compassionem,meus est per obseruationem : mihi obediens, tibi inobediens.

7. Ipsi dæmones.

Cuidam episcopo grauiter ægrotanti apparuit diabolus dicens, quod citabat eum summus Papa per eum,& assignabat ei diem quam ei nominauit, in qua vt dicebat oportebat eum rationem reddere de administratione sua . Cui, die assignata, visum est, quod ipse traheretur in causa coram Papa, & quod diabolus, qui ei apparuerat, contra eum petebat ius à Papa, de administrationibus suis, qualiter administrauerat in officio prioratus quod ante habuerat, & qualiter in officio Abbatis, & quomodo iu officio episcopi. Fuerat enim niger prior, Abbas albus, & tunc erat episcopus. Cum autem requireretur de officio prioratus,& nesciret de eo rationẽ reddere;quæritur ratio de Abbatis officio; in qua respõsione magis deficiebat,& maximè post in respõsione episcopatus.Cum autẽ in eaomnino deficeret,& peteret aliã diẽ sibi assignari;allegãs quod nõ fuerat in

Exemplum.

respon-

repõsione dicta præmeditatus: assignatur ei alia dies peremptoria illi valde proxima: in qua debebat iudex procedere ad sententiam diffinitiuam. Cum autẽ anxius pro hoc eiularet fortiter, ad clamorẽ eius cõuenit familia eius. Cum autẽ dicta hæc indicasset plurib. die sequenti apparuit ei Diabolus, qui prius ei apparuerat, vrgens eum ad reddendam rationem, veniendũ coram summo iudice. Qui cum senondum paratũ clamaret, & eius aspectum horreret: & Diabolus eum magis perurgeret: inuitis omnibus astantibus, surrexit de lecto in quo iacebat, volens fugere, & Dæmonem effugere. Cum autem fugeret cum impetu, impegit in columnam & elisо in ea capite, cecidit, & expirauit.

Exemplum. Item cum quidam religiosus in quadam ciuitate prędicasset, & quidam qui affuerant, prædicationem eius commendarent; audiens hoc quidam Dæmoniacus, qui ligatus tenebatur ibi, ait: imò potius diabolus per eum loquebatur. O homines, iste frater nihil dixit populo ad comparationem huius quod ego prædicarem, si populo mihi loqui permitteretur. Si autem populum conuocaueritis, promitto vobis quod veritatem prædicabo, & in nullo mentiar, & quod in pace me habebo, nullum omnino lædens. Cum autem suasu aliquorum, populus aduocatus venisset, incepit retexere historias multas, & de casu suo, & hominis: & quomodo multos miserat Deus in mundum prædicatores, Prophetas, filium suum, Apostolos, martyres, Confessores, Prędicatores, & minores. Et ne aliquid omittat Deus, noueritis ait, me esse diabolum, qui vobis compellor veritatem prædicare, vt Deus magis habeat in die iudicij quod vobis improperet, & ego vnde vos magis accusem, & obijciatur vobis, per ipsos diabolos veritatem vobis prædicatam fuisse: & vt verè diabolum me sciatis, ecce egredior, & exiuit cum magno sonitu ab obsesso, partem domus secum ferens.

8. *Omnes sancti.* Octauo accusabunt eos spiritualiter omnes sancti, quorum periurauerunt nomina, fregerunt vota, violauerunt festa, prophanauerunt impiè loca sancta, blasphemijs & nefandis operibus impugnauerunt. Vnde Apoc. 6. clamant sancti: *Vsquequo domine sanctus & verus, non vindicas & iudicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra, & datæ sunt illis singuiæ stolæ albæ; Et dictum est illis: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.*

Exemplum. In Theutonia quidã Archidiaconus ambiens Episcopatum, insidiabatur Episcopo suo bono viro & seni, quomodo eũ occideret. Et cum consueuisset dictus Episcopus venire ad matutinas, & præuenire alios ad salutandã B. Virginem, & intrare per quandã portam veterẽ: collocauit de nocte Archidiaconus lapidẽ super portã dictã: & veniens episcopus vt consueuerat, & aperiens portã: lapide cadente excerebratur, & moritur. Archidiaconus cum multo labore obtinet Episcopatum. Gumque confirmatus gaudens obtineret, & faceret conuiuiũ receptionis suæ, quidã Princeps seruiens in mensa coram eo flexis genibus, subito rapitur ante tribunal summi iudicis, & videt ibi B. Virginem Mariam, cum magna multitudine sanctorum, & Angelorum, adducentem dictum Episcopum portantem cerebrum suũ in manibus suis: & dixit B. Virgo: Fili adhuc recente sanguine, & vulneribus, & cerebro huius mei militis: cuius hæc sunt vulnera, hic sanguis, hoc cerebrum: crudelis, & proditor homicida, gaudet se obtinere Pontificalem eius dignitatem. Respondit dominus: Quẽ mittam, & quis ibit pro nobis? Tũc B. Virgo ait: Ecce hic seruitor suus. Cui dominus præcepit sub pœna mortis, vt citet dominum suũ peremptoriè, vt cito veniat coram eo de tam nefando crimine responsurus: & ei causam coram omnibus exprimat, qui statim rediens, turbatus infremuit tremuitque, & cultellum quem tenebat ad seruiendum proiecit, amarissimè flens. Rogatus ab omnibus & etiam ab ipso Episcopo, causam pandit, qua audita, Episcopus subita morte percussus, ibi coram omnibus mortuus est.

Ex emplum. Ad idem facit exemplum valde terribile, quod legitur in gestis Francorum, quod refert Greg. Turon. 2. lib. cap. 22. & 23. De iudicio duorum nequam presbyterorum, qui conspirauerunt contra sanctum Sydonium, vndecimum Aluernorum Episcopum, quorum alter egestiones emisit subito ad modum Arrij; & visus est à summo iudice, à sancto Sydonio accusatus, damnati, vinciri, & in imis carceris detrudi. Alius autem, mortuo B. Sydonio, cum ambitiosè, & violenter occupasset episcopatum: cum inuitasset ciues per Pincernam, citatus à summo iudice, cadente de manu eius calice, statim expirauit.

Exemplum. Item in ciuitate Turon. homo quidam consueuerat venire ad matutinas maioris Ecclesiæ, & cum visum fuisset ei quod fuisset pulsatum, venit ante horam; inueniens portas apertas intrat, & orat retro columnam. Mox videt lumen maximum intrare per Ecclesiam, & Angelos apportantes thronum lucidum, & iudicem summum sedentem in illo throno, & Angelos assistentes ei. Tunc venit beatus Martinus, cum multitudine sociorum accusantium quendam Archiepiscopum illius Ecclesiæ de multis flagitijs, & quod tam indignus auderet occupare cathedram beati Martini, citatur, adest, indutus pontificalibus, sedens in cathedra: accusatur de omnibus malitijs suis, nescit quid respondeat. Tunc dominus quasi indignatus, pede suo ad accusationem sancti Martini & aliorum, illum percussit, & eum cum sede euertit; & post visio recessit. Ille autem qui hoc viderat, ad domum Episcopi cucurrit, familiam excitans, rogans vt viderẽt quid circa dominum suum ageretur: qui inquirentes, eum subito mortuum inuenerunt. Ecclesia. 10. *Sedes ducum superborum destruxit dominus, & sedere fecit mites pro eis.*

9. *Sancti Angeli.* Nono contra impios Angeli sancti testimonium perhibebunt, sub quorum custodia peccauerunt; quorum doctrinam monitiones, & consilia, necnon intercessiones, & auxilia; reprehensiones, & omne charitatiuum ministerium contempserunt. Vnde ait Origenes. *Vnusquisque Angelorum in extremo iudicio aderit, perducens illos quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus semper faciem patris vidit.* Vnde tot testibus, & tantis multiplicatis, contra miseros, omni fide dignissimis & omni exceptione maioribus, non habebit eorum aliquis quid valeat respondere. Sed dicere poterit illud Iob 10. *Instauras testes tuos contra me.*

Exemplum. Item quod Angeli accusant peccatores, ostenditur in visione Eulogij eremitæ, de quo dicitur in vitis patrum aliquibus. Quod cum aliquando venisset de eremo ad proximam ciuitatem ad vendendum cophinos quos fecerat, nec inueniret hospitium in ciuitate prædicta: collegit se in angulo quodam iuxta viam, vbi orabat, facta nocte profunda, venit homo ad eum cum laterna, quærens quid ibi faceret. Quod ab eo audiens, ducit eum ad hospitium, cum maxima hilaritate & charitate eum suscipiens & tractans, ei largiter ministrans. Qui admirans charitatem dicti hominis, adiurauit eum vt ei diceret vitam suam, qui refert se esse Latomum, & quod lucrum suum diuideret in tres partes. De vna ipse & familia sua viuebat. Secunda, in oblationes, & alias eleemosynas erogabat. Tertiam, in hospitalitatem virorum religiosorum reseruabat. Cum autem rediisset ad cellam suam, cogitans quam bonus esset dispensator hospes suus, aiebat apud se, quod magnum damnum esset, quod non habebat magnam pecuniam ad dispendendum. Rogauit dominum vt eius pecuniam multiplicaret. Cum in hoc perseueraret, mittitur ei Angelus dicens: quod forsitan melior esset ei mediocris substantia, quam nimiæ diuitiæ. Cum eremita non acquiesceret, quærit Angelus si vellet fideiubere pro eo, quod bene vteretur: datis diuitijs, fideiubet eremita. Cum autem in mane Latomus iuisset ad quendam murum anti-

quum diuendum, inuenit caueam plenam aureis denarijs; portat ad domum ſuam, fugit cum auro Conſtantinopolim: acquirit cum muneribus gratiam Imperatoris, fit Baliuus eius. Et poſt, quaſi dominus terræ factus, opprimebat pauperes terræ, rapitur eremita ad iudiciũ, videt & audit Angelos quærimonias afferentes domino, de dicto Latomo: à diuerſis Angelis & pro diuerſis malitijs accuſatur, dicit iudex, vt pro eo fideiuſſor reſpondeat. Cum autẽ ille ſtupens ac tremẽs nõ audiretur à quoquam, & neſciret quo ſe verteret, audit Angelos clamantes: Occurrite, Auguſta venit. Intelligens hanc eſſe Beatã Virginem, proſternit ſe ad pedes eius: qui precibus eius obtinet, vt mittatur Conſtantinopolim ad eum reuocandum. Qui cum vadens ibi, multotiens attentans ei loqui, & ſe ingerens, verberatus fuiſſet à ſeruis ſuis quaſi ad mortem: cum nõ poſſet ei loqui, redit ad cellam ſuam, affligens ſe, & rogans Beatam Virginem. Qui rapitur vt prius, & audit quæ & prius; etiam & plures & grauiores accuſationes, venit beata Virgo vt prius, allegando pro eo apud iudicem. Impetrat ei, quod liberetur à fideiuſſione. Moritur Imperator, alius ſubſtituitur. Qui cum vellet capere dictum Baliuum, fugit in Bargia; pauper redit ad locum ſuum & officium: & ad pœnitentiam, & aſſueta opera pietatis. Cum dictus eremita veniret ad ciuitatẽ cum quodam diſcipulo ſuo, in angulo in quo prius, latitans orabat. Tunc dictus Latomus cum laterna veniens, recepit eum vt prius. Ipſe autem incomparabiliter gaudens, refert omnia facta diſcipulo ſuo, quæ prius dicta ſunt.

10. *Ipſe Iudex.*

DECIMO ad cumulum damnationis eorum, contra ipſos teſtificabitur ex abundanti, etiam ipſe iudex: ſicut ipſe dicit per prophetam Hier. 26. *Ego ſum iudex & teſtis dicit dominus.* Vnde egregiè ait Proſper in li. de vita contemplatiua. *Cum ad illud vltimum iudicium venerimus, ab eo iudice iudicandi, quæ nec occultatione criminum falli poteſt, nec ad impunitatem prouidendam, muneris alicuius oblatione corrumpi: cum ceperint omnia ſecreta reuelari, & non ſolum actus, vel verba, ſed etiam ipſæ cogitationes oſtendi; quid faciemus ſub tanti iuditis maieſtate? quid excuſationis oſtendere poterimus? qua nos defenſionis arte purgabimus? Quę nobis ſubuẽtura pœnitentia, quam geſtare carne contempſimus? quæ nos defenſura ſunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus ad quos Apoſtolos ibimus? ad quos alios ſanctos confugituri ſumus? quorum exempla ſimiliter & verba contempſimus. An forte aliquos fragilitas corporis excuſabit. Sed excuſationem eorum reclamabunt omnia exempla ſanctorum, qui fragilitatem carnis, in carne vincentes, quod fecerunt, vtique poſſe fieri docuerunt. Maximè quia nec ipſi peccato, ſua virtute, ſed Dei miſerantis auxilio, reſtiterunt: qui ſe non quærentibus, vt quæratur, atque vt in eum credatur, oſtendit: & in ſe credentes ne à peccato vincantur, inuicta protectione defendit. Quid ergo reſponſuri ſunt impij, ſi eis dominus dicat. Si potuiſtis cur non reſtitiſtis deſideriis peccatorum? Si non potuiſtis, quare meum contra peccata non quæſiuiſtis auxilium? Aut vulnerati, quare non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium? Nunquid adhuc obmutescentibus, & quid excuſationis referant non habentibus, dicet? Ligate eos manibus, & pedibus; & mittite in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

De Atteſtatorum diſceptatione.

DISTINCTIO IX.

QVarto fiet ibi ab ipſo iudice diſceptatio. Non ſolum enim erit ibi occultorum perſcrutatio, perſcrutatorum publicatio, publicatorũ atteſtatio; Quorum primum erit graue, ſecundum grauius, tertium grauiſſimum: quinimmo ad deſolationis miſeriæ eorum cumulum, fiet eis obiurgatio ab ore ipſius iudicis, quod erit ineffabiliter ſupergrauiſſimum. Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes, & ducam eas in vallem* IOSAPHAT, *& diſceptabo cum eis.* Ipſe namque quanto benignior fit in peccata noſtra diſſimulando, longanimior ad pœnitentiam expectando, promptior ad indulgendum, pronior ad gratiam conferendum; tanto tunc erit ſeuerior ad increpandum, grauior ad audiendum, & implacabilior ad puniendum. Vnde ait Iſa. 24. *Tacui ſemper ſilui, patiens fui, quaſi parturiens loquar.* O quis facie eius poterit ſuſtinere? quis increpationes audire? quis tonitruum magnitudinis eius intueri? O quam amara, quam horrenda, quam medullarum cordis penetratiua erit vox illa. Ait enim Apoſtolus Heb. 4. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum cordis. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius.* Sed ſicut ipſemet ait Matth. 25. Ante increpationes reproborum, præmittet laudes, & præconia beatorum. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, poſſidete præparatum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere,* &c. Poſtmodum increpationes proferet impiorum, dicens: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare* &c.

Iudex improperabit mala commiſſa, bona omiſſa, beneficia ingrate ſuſcepta &c.

Hoc autem ſciendum; quod iudex improperabit eis, non ſolum mala quæ fecerint & locuti fuerint, aut etiam cogitauerint; verumetiam bona quæ omiſerint, aut neglexerint. Sed & beneficiorum ſuorum omnium immenſam multitudinem, quæ ingratè ſuſceperint, quibus abuſi fuerint, quæ neglexerint, contempſerint, aut abiecerint: caſtigationes, medelas, atque innumera rẽmedia, quibus curari debuerint, & non ſunt curati. Creaui vos inquiet ad imaginem & ſimilitudinem meam, & vos eam nequiter, prophanaſtis: Angelorum meorum cuſtodiam dedi vobis, & vos eam contemnentes, monitis eorum contraria operari minime timuiſtis. Patriarchas, & prophetas, & Apoſtolos miſi vobis, ad commonefaciendum vos, quos audire renuiſtis. Inſuper cum in forma Dei eſſem, hanc ſerui formam propter vos in mundum veniens accepi, in qua triginta tribus annis vobis ſeruiens, ſalutem veſtram curioſè procurare non renui diſcurrendo, prædicando, ieiunando, in orationibus pernoctando; ſuſtinens in factis meis obſeruatores, in dictis contradictores, & murmuratores. In hac quoque forma pro vobis traditus fui, venditus, & ligatus, conſputus, velatus facie, colaphis cæſus, flagellatus, ſpinis coronatus, mendaciter accuſatus, morte turpiſſima condemnatus, crucifixus, cum impijs deputatus, deriſus ab omnibus, felle & aceto potatus, mortuus, lanceatus. Paradiſum vobis aperui, gratiam meam obtuli, ſemper iuuare vos paratus fui, regni mei gloriam repromiſi: non cogi vos, ſed libertatem ſpiritus vobis dedi, amorem ſolummodo & voluntatem bonam à vobis requiſiui. Quid vltra debui vobis facere & non feci? Dicite mihi peccatores paſſibiles, & mortales, quid paſſi eſtis propter me creatorẽ & ſaluatorẽ veſtrum, qui cum impaſſibilis, & immortalis eſſem, paſſibilis & mortalis propter vos factus sũ? Immo paſſionem & mortem ſuſtinui. Denique ad eorum confuſionem amplius cumulandam, & vt prorſus inexcuſabiles videantur, oſtendet eis Chriſtus ſuæ benedictæ paſſionis inſignia, videlicet crucem, clauos, lanceam, ſpongiam, & arundinem. Inſuper & reſeruatas in ſuo glorioſo corpore cicatrices, vnde Matth. 24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo.* Chryſoſt. *Non erit tunc defenſionis locus, vbi videbunt Chriſtum exhibentem teſtimonia, ſeu inſignia ſuæ paſſionis. Ideo retinuit dominus cicatrices, vt eas peccatoribus in iudicio oſtendat, & exprobret eis quæ ſuſtinuit.* Aug. in lib. de ſymbolo ſuper illud: INDE VENTVRVS IVDICARE VIVOS, ET MORTVOS. *Fortaſſe in corpore ſuo dominus cicatrices ſeruauit, & vt vulnera cordium diſcipulorum ſanaret, & vt in iudicio hoſtibus exprobraret, vt conuincens eos dicat: Ecce hominem quem Crucifixiſtis: Ecce Deum, & hominem in quem credere noluiſtis.*

Iudex in iudicio impios increpabit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Videte vulnera quæ infixistis: agnoscite latus, quod pupugistis? quoniam propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis, qui non estis redempti pretio sanguinis mei. Discedite ergo maledicti à me, &c. Festinet ergo vnusquisque vt pæniteat & viuat, curet vt pretio sanguinis redimatur, ne si inuentus non fuerit in numero redemptorum, sit de numero perditorum. Hier. *Quid facies, aut quid dices, ô peccator homo, cum contra te loquetur conscientia propria, accusabunt elementa, cum armabitur contra te omnis creatura? Crux Christi contra te perorabit, Christus per vulnera sua contra te allegabit, cicatrices contra te loquentur, claui de te conquerentur.*

Ratio cur sola misericordia opera in diuino iudicio memorãtur.

Sed quare in disceptatione diuini iudicij sola opera misericordiæ, & non aliarum virtutum opera memorantur, tam in commendatione bonorum, quam in obiurgatione malorum? sciendum quod hoc non est, quia de solis illis iudicium teneatur sed vt se pronum ad remunerandum ostendat magis opera misericordiæ quam iustitiæ vel alterius virtutis commemorat. Si enim opera tam facilia, & ad quæ ratio naturalis inclinat, tanto præmio remunerabit, quanto magis ea quæ sunt difficiliora. Item vt ostendat, quod quicunque saluabitur, magis ex Dei misericordia, quam ex suis meritis saluabitur, & quod ei soli qui misericordiam fecerit, misericordia concedetur. In redargutione malorum similiter sola immisericors auaritia memoratur. Primo vt ostendatur, quod impij non sunt digni misericordia, qui misericordiam non fecerunt. Quia sicut ait Iac. 2. *Iudicium sine misericordia fiet illis, qui non fecerint misericordiam.* Item vt cum cumulum diuinæ misericordiæ susceperint, iustè de tanta ingratitudine arguẽtur, qui vel minima misericordiæ opera non fecerunt. Item opera misericordiæ omissa aggrauant rigorem iustitiæ. Pensandum est autem, quod si damnatur qui sua non dedit, quanto iustius qui rapuit aliena.

An iudiciũ fiet vocaliter an metaliter tantum, an vtroque modo expenditur.

Vtrum autem illa disceptatio vocalis erit vel mentalis tantum? Respondent aliquid quod erit mentalis tantum, quia si singuli iudicarentur vocaliter, longissimum tempus requireretur. Alij dicunt quod erit mẽtalis & vocalis, quia Christus iudicabit interius vt Deus, ideo iudicium erit mentale: Et iudicabit vt homo, & in forma hominis, ideo erit vocale. Quia autem fiet modo diuino, eo quod vniuscuiusque conscientia accusabit se in particulari de singulis & fiet modo humano, quia omnes in generali iudicabuntur iudicio vocali; ideo non oportebit quod longo tempore protendantur.

Memoria iudicij vtilis est ad multa.

Sciendum, quod timor iudicij, & eius memoria, vtilis est ad multa, sicut docet Chryso. dicens: *Hic Dei timor est qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetem tribuit facultatem.* Ideo sicut ait Gre. in moral. *Iusti prædictam confusionem & ignominiam euadere cupientes, & examen illud districtissimum præuenire volentes, iudicium suum quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo debeant, solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehementer accendunt, & de perpetratis malis districtè redarguunt.* Vnde bene dicitur Prouer. 12. COGITATIONES IVSTORVM IVDICIA. *Ibi quippe debet vniuscuiusque mens, & causas suas apud dominum, & causas domini contra se sollicita inquisitione discutere. Debet enim cautè pensare, vel quæ bona à Deo præcepit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuendo rependit. Quod electi quotidie facere non cessant. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis. Considerant quam districtè quandoque feriat, qui diu patienter expectat. Metuunt in his quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo quod se malè perpetrasse intelligunt: timent subtilia Dei iudicia, etiam de his quæ in semetipsis fortasse intelligere non possunt. Vident enim in Dei diuinitate, quod ipsi per humanitatem non vident. Considerant districtum iudicem, qui quo tardius venit, eo seuerius percutit. Sanctorum etenim patrum conuentum cum eo pariter contemplantur: eorumque vel exempla vel dicta se contempsisse reprehendunt. Atque in hoc secreto interioris iudicis, ipsa mentis suæ discussione constricti, pænitendo feriunt, quod superbiendo commiserunt. Ibi namque aduersum se quicquid in se impugnat, enumerant. Ibi ante oculos suos, omne quod deflcant, coaceruant. Ibi quicquid per iram districti iudicis ferri, vel infligi possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Nec deest in hoc iudicio mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod etiam iudicium eo certius punit, quo interius sæuit: quia videlicet ab exterioribus nõ accedit. Vnusquisque enim cum causam huius examinis contra se aggredi cæperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur: odit se qualem fuisse se meminit, & ipse est qui semetipsum insequitur illum qui fuit. Quia ergo nunc in potestate nostra est, internum mentis nostræ contra nos subire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos quales fuimus, pænitendo torqueamus, non cessamus dum licet iudicare quod fecimus.* Quia sicut dicit Apost. 1. Cor. 11. SI NOSMETIPSOS IVDICAREMVS, NON VTIQVE IVDICAREMVR. *Reproborum namque proprium esse solet, semper prauа agere, & nunquam quæ egerunt retractare. Omne enim quod faciunt cæca mente pertranseunt, statumque suum nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra, Electorum est actus suos ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum protulerunt exterere.* Hæc Greg.

Exemplum.

Item in vitis patrum legitur: quod cum Apollonius Abbas mitteretur à domino ad prædicandũ in Ægyptum: cum esse dissensio in quadam Ciuitate inter duos viros, & altera pars nollet flecti ad pacem, propter confidentiam cuiusdam latronis sui signiferi, qui erat multum fortis: rogauit ipsum sanctus, quod ipse humiliaret se ad pacem, promittens ei quod ipse rogaret dominum pro eo, vt dimitteret ei peccata sua, tunc ipse se prostrauit, & alij pacem faciunt. Duxit autem eum secum ad eremum, & rogat pro eo dominum. Tunc vterque rapitur ad iudicium, & vident dominum iudicantem, sanctos & Angelos assistentes & adorantes, discussis actibus latronis & vita, & manifestatis, & damnatione quam merebatur ostensa; orauit sanctus Apollonius, & dictum est ei. Licet nulla conuentio Christi ad Belial, lucis ad tenebras: concedo tamen, dicit dominus ei, istũ tibi. qui arctissimam pænitentiam egit, factus monachus sanctus.

Exemplum.

Item in quadam maxima Abbatia Cisterciensis ordinis, quidam fuit conuersus multum contemplatiuus qui cũ esset in oratione, visum fuit ei astare ante oculos suos diuinum iudicium & Angelos assistentes multum accusare peccata & facta enormia duorum magnorum hominum, quorum alter magnus comes fuit, alter magnus prælatus. Cum autem dominus quasi grauiter ferre videretur mala eorum, & grauissimas damnationes eis adiudicaret, affuerunt aliqui in illa curia rogantes dominum pro eis. Ad quorum preces dominus distulit sententiam mortis, & damnationis, quam eis parauerat, præcipiens conuerso, quod eos moneri faceret per Abbatem suum. Conuersus autem Abbati retulit visa & audita, facta & nomina illorum, quos ipse prius non nouerat. Cum autem per viros magnos moniti essent, procurante Abbate, & visio eis esset relata; laicus vitam emendauit, timuit, & pœnitentiam egit, confessor suus ei Cilicium tradidit, quo ipse cum fuisset delicatissimus, ad carnem vtebatur; & magnas eleemosynas, & pœnitentias faciebat, & in bona confessione, & in magna deuotione, cum omni sacramentorum susceptione, ad dominum migrauit post plures annos pœnitentiæ peractæ. Clericus autem admonitus, vel paruipendit, vel aliquibus ei tribulationibus insurgentibus, à proposito si bonum ex hoc conceperat, pedem retraxit; ad vindictam iniuriarum anhelans. Cum autem omnia succedissent ei prosperè, & ad votum compleuit desiderium animi sui subito cum non speraret, sublatus est de medio: in nocte festiuus & letus, & sanus intrans lectum, in mane mortuus à *suis in lecto suo inuentus est.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſententię prolatione.

DISTINCTIO X.

3. Sententia prolatio.

POſt citationem peremptoriam mortuorum, & diſceptationem diſcuſſoriam meritorum, reſtat audire ſententiam ſingulorum. Ad hoc enim fiunt citationes, & meritorum diſcuſſiones in iudicijs, vt à iudice ſententia proferatur, & vnicuique ſecundũ merita rependatur. Ait enim Sapiens Prouer. 26. *Iudicium determinat cauſas.* Nimirũ iudicialis ſententia reformat pacem in litigijs, imponit finem in flagitijs, certitudinem præbet in dubijs. Audiatur ergo ſententia ſummi & æterni iudicis, cum reuerentia & tremore: audiatur cum indigentia & amore. Hoc autem debemus aduertere, quod extrema iudicis noſtri ſententia bipartita eſt, vt ſecundum duritiam meritorum in iudicatis inuẽta, fiat differens retributio præmiorũ, vel inflictio tormentorum. Primo namque deſcribitur ſententia delectabilis, deſiderabilis, & amabilis, in honorẽ & gloriam beatorum, cum dicitur. *Venite benedicti*, &c. Matth. 25. Secundo profertur ſententia terribilis, horribilis, ac intollerabilis, in dolorem & exterminiũ reproborum. Et recte primo profertur ſententia de glorificatione beatorũ. Nam ſummi iudicis bonitatem magnificã, & largitatem munificam, magis decet conferre ſtipendia quam inferre ſupplicia. Dicit ergo. *Venite benedicti*, &c.

Primo profertur ſententia beatorũ poſtea impiorum.

Quatuor notanda in ſententia beatorum.

Et ſunt hic quatuor attendenda, totis præcordijs & totis niſibus appetenda, videlicet electorum commẽdatio gratioſa, cum dicit: *Benedicti patris mei.* Secundo inuitatio amoroſa. *Venite.* Tertio inueſtitio fructuoſa. *Poſſidete.* Quarto poſſeſſio glorioſa. *Præparatum vobis. regnum. Primo* ſiquidem electi ab ipſo iudice commendantur, cum dicit. *Benedicti.* O commendatio gaudioſa, & amabilis; dulcoroſa, & honorabilis; à iudice, qui non mentitur, non blanditur, nec fallitur, commendati. Vnde dicet eis Pſal. 113. *Benedicti vos à domino, qui fecit cœlum, & terram. Secundo* commendati curialiter inuitantur, cum addit. *Venite.* O inuitatorium gratioſum, amoroſum, & gaudioſum; inuitatorium nulla dedignatione ſpernendum, nulla pigritia negligendum, nulla obliuione delendum; ſed omni affectione appetendum, & tota intentione quærendum. Vos inquam qui fuiſtis humiles ſerui mei, mihi humiliter obſequẽdo: milites ſtrenui, pro me viriliter ſuſtinendo; fideles amici, ſinceriter diligendo: fratres chariſſimi, mihi cõformiter viuendo. Venite inquam vt reficiamini, vt honoremini, vt mihi vniamini; ſicut membra capiti, ſicut rami ſtipiti, ſicut amici amico dilectiſſimo, ſicut ſponſa ſponſo dulciſſimo. Vnde Matth. 22. Curialiter nos inuitat ad nuptias, dicens. *Omnia parata ſunt, venite ad nuptias.* Et Apoc. vlt. *Et ſponſus & ſponſa dicunt veni; & qui audit, dicat veni*, quaſi diceret. Et Chriſtus ſponſus, & tota cœleſtis curia amicabiliter inuitat ad nuptias quemlibet noſtrum dicens, veni. Et qui iſtam inuitationem audit, non debet eſſe contentus quod ſolus veniat, ſed alijs dicat, veni. *Tertio* inuitati actualiter inueſtiuntur, cum dicit, *poſſidete*, id eſt in hæreditatis veſtræ, vobis frequenter promiſſæ, diu dilatæ, ardenter concupitæ, humiliter requiſitæ, poſſeſſionem actualem intrate, ingredimini, & poſſidete eam. Vnde cuilibet amico ſuo dicet dominus in morte illud Deut. *Incipe poſſidere terram. Quarto* inueſtiti introducuntur, cum dicitur. *Regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Hæc eſt poſſeſſio glorioſa, ideo cõuenienter regni nomine deſignatur. De quo dicitur Sap. 4. *Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu domini.* Vnde in iudicio dicet eis. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam in regno meo.* Luc. 22. De huius regni adeptione recognitionem faciunt omnes ſancti, & gratias agunt Chriſto, dicentes illud Apoc. 5. *Redemiſti nos domine in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* O quam glorioſum eſt regnum in quo cum Chriſto regnant omnes ſancti. Sed hæc in generali dicta ſufficiant, quia in ſpirituali dicere plura proponimus, cum agemus de gloria beatorum.

Duo in condemnationẽ impiorum attendenda

Sequitur ſententia de condemnatione reproborum, cum dicit. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Vbi primo deſcribitur impiorum exprobratio. *Maledicti.* Secundo ipſorum condemnatio. *Ite in ignem æternum*, &c. *Primo* igitur ponitur exprobratio ignominioſa. Quanti quippe honoris eſt, & præconij à ſummo iudice commendari, tantæ confuſionis eſt, & opprobrij ab ipſo exprobrari. De hac maledictione dicitur Eccle. 41. *Væ vobis impij qui dereliquiſtis legem altiſſimi, quoniam ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra.* O quam inæſtimabilis, & intolerabilis erit confuſio, in cordibus ſummè ſuperbis & tumidis impiorum, ab ore tanti iudicis in conſpectu multitudinis infinitæ, maledictionis iacula ſuſtinere inflatus ſpiritus hominis adhuc in carne viuentis, potius eligeret, & tolerabilius ſuſtineret, valde graui ſenſibili pœna torqueri, quam maledictionibus & opprobrijs obiurgari. *Poſt* maledictionem, profertur condemnatio ad pœnam. Et primo ad pœnam damni.

Ite. Secundo ad pœnam ſenſus, cum addit. *In ignem æternum*, &c. Hæc eſt duplex pœna reprobis præparata, ſcilicet *ſeparatio à Dei & ſanctorum conſortio, & cruciatus æternus in Inferno.* Hæc ſunt ſecuris & ignis, de quibus dicitur Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quarum pœnarum priorem, aſſerit ibi Chriſoſtomus, eſſe tormentis omnibus grauiorem. *Horrendum eſt*, inquit, *illud gehennæ ſupplicium, & res intolerabilis. Tamen ſi decem millia gehennas ponat aliquis, nihil tale dicturus eſt, quale eſt ab illius beatæ gloriæ propelli honore, & Chriſto exoſum eſſe.* His ergo qui regno cœlorum iudicabuntur indigni, ſicut dicit Grego. Nazianzenus, erit hæc grauior omni pœna, quod proijcientur à Deo: & ingens erit pudor atque confuſio conſcientiæ eorum, cuius finis vel remedium nuſquam inuenietur. Item beatus Grego. in moral. ait: *O ſi ſapere poſſet quis palato cordis, quid admirationis habeat*: ECCE SPONSVS VENIT. Quid dulcedinis: QVÆ PARATÆ ERANT, INTRAVERVNT CVM EO AD NVPTIAS, quid amaritudinis: ET CLAVSA EST IANVA. *Ianuam enim glorioſi regni aditum intellexit, qui poſt iudicium nullis patebit. Tunc ſiquidem apparebit illius ſeueritas magna, cuius nunc eſt miſericordia. Nemo ſcit quam diſtrictè iudicat, & quam ſeuere punit. Illud iudicium time.* Pſal. dicebat. NON INTRES IN IVDICIVM CVM SERVO TVO DOMINE, QVIA NON IVSTIFICABITVR IN CONSPECTV TVO OMNIS VIVENS. *Multi nunc iuſti creduntur, & ſe bonos arbitrantur, qui tunc reprobi inuenientur. Multa nunc bona & meritoria reputantur, quæ tamen ad examen diuini iudicij deducta, manifeſtè patebunt eſſe peccata. Multaque nunc leuia iudicantur, quæ appenſa libra iuſtitiæ, importabiliter grauia videbuntur.* Vnde 1. Pet. 4. *Si iuſtus vix ſaluatur, impius & peccator vbi parebunt.* O examen horrendum! O tremendum iudicium! O ſententia diffinitiua modis omnibus metuenda, locis omnibus meditanda, momentis omnibus expectanda, ac totis viribus declinanda. Tunc enim quis eam audebit audire? quis eam poterit expectare? poſtremò quis eam poterit ſuſtinere? Illa cum prolata fuerit, nulla potentia poterit infirmari, nulla ſapientia reuocari, nulla prece, nullove pretio mitigari, nec ab ea ad alium iudicem poterit appellari. Bern. *Veniet qui malè iudicata reiudicabit, male iurata confutabit; qui faciet iudicium iniuriam patientibus, & qui iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguetur*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in æquitate pro manſuetis terræ. Veniet pro certo, qui per prophetam minatur. CVM ACCEPERO TEMPVS, EGO IVSTITIAS IVDICABO. *Quid faciet de iniuſtis iudicijs, qui etiam iuſtitias iudicabit? Venit inquam dies iudicij, vbi plus valebunt pura corda quam aſtuta verba, & conſcientia bona quam marſupia plena; quandoquidem iudex ille, nec falletur verbis, nec flectetur donis.* Hoc autem penſandum eſt, quod iudex ille iuſtiſſimus nulli parcet, nulli deferet, nullumque palpabit. Non enim ſubtrahit perſonam cuiuſquam, qui eſt omnium damnator; nec vllius verebitur magnitudinem, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Hoc tamen ſaluo, quod exiguo concedetur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Fortioribus enim fortior inſtat cruciatus. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.* Prouerb. 6. Eya fratres chariſſimi, timeamus illam ſententiam, caueamuſque totis niſibus ne incidamus in eam, quia *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Hebr. 10. Curramus ad miſericordiam condonantis, antequam conueniamur ad curiam iuſtè punientis. Secundum conſilium Apoſtoli. Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gloriæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.* Vnde beatus Auguſt. ait. *Miſericordiæ tempus modo eſt, iuſtitiæ tempus poſt erit.* Vnde miſericordiæ tempus vocat modo auerſos, donat peccata conuerſis; patiens eſt ſuper peccatores donec conuertantur: quandocunque conuerſi fuerint, præterita obliuiſcitur, futura promittit; hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adiuuat dimicantes, neminem deſerit laborantem & clamantem ad ſe; donat vnde ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit vnde placetur. Magnum miſericordiæ tempus non vos tranſeat fratres, non vos tranſeat, venturum eſt iudicium. Erit tunc pœnitentia, ſed infructuoſa. Sap. 5. *Intra ſe pœnitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gementes.* Tunc iudex à ſeueritate ſua flecti non poterit, nec eius ſententia immutari valebit. Nunc autem pronus ad miſericordiam, incomparabiliter plus deſiderat gratiã ſuam dare, quam nos recipere; plus peccata noſtra remittere, quam nos dimittere, vel de illis pœnitere velimus. Si autem aliquando iuſtè peccatis noſtris iraſcitur, & tanquam pius pater filios delinquentes punire voluerit, nihilominus tamen multa facilitate placatur. Legimus enim quod Moyſes filios Iſrael punire nitentem, detinuit; Aaron iam punientem compeſcuit; Dauid Angelum percutientem populum humilitate placauit. Ezechias ſententiam de morte ſua reuocari, lachrymis impetrauit. Niniuitarum pœnitentia, ſententiam de exterminio ciuitatis iam promulgatam, reuocari promeruit. Quid plura? Ante tempus deficiet, quam omnia exempla huiuſmodi enumerare poſſimus, quoniam quotidie infinitis modis Dei miſericordiam experimur. *Nouit Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum:* ait Ambroſius. Caueamus tamen fratres chariſſimi ne diuina clementia abutentes, & impunitatem nobis, fatua ſecuritate & præſumptuoſa fiducia, promittentes; in peccatorum ſordibus maneamus, & Dei miſericordiam in ſeueritatem iuſtitiæ conuertamus. Nam quantò miſericordia Dei nobis eſt largius præparata, tantò diſtrictius & implacabilius ſæuiet iuſtitia eius, peruerſis noſtris operibus, & ingratitudine prouocata, ſicut ait Apoſtolus Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis, contemnis? An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.*

De ſententiæ executione.

DISTINCTIO XI.

4. Sententia executio.

POſt citationem cunctorum, & congregationem citatorum, poſt diſceptationem & diſcuſſionem plenariam meritorum, poſt prolatam ſententiam ſecundum exigentiam diſcuſſorum, iam non reſtat aliud niſi actualis executio iudicialis ſententiæ, vt recipiat vnuſquiſque pœnam vel præmium, pro ſuorum qualitate factorum. Non enim exiſtimandum eſt, quod in illa curia ſummi regis ita fiat, ſicut fit in aliquibus curijs Principum mundanorum; In quibus aut veritas non inquiritur, aut inquiſita tacetur, & ſub aceruo pecuniæ ſepelitur; aut ſententia non profertur, aut ſaltem in tempora multa differtur. Sed non ſic impij, non ſic faciet iuſtus iudex, de quo ſcriptum eſt Iſa. 16. *Sedebit iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt.* Benè velociter reddet vnicuique quod iuſtum eſt, quia profectò immediatè poſt prolatam ſententiam, & bonos cum iubilo ducet in gloriam, & reprobos à facie ſua proiectos, ſimul deuoluet & præcipitabit pariter in gehennam: ſicut dicitur Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum*, ſcilicet reprobi: *Iuſti autem in vitam æternam.* In diſceptatione fuit ordo contrarius, quia iudicis ſummè boni proprium eſt, prius recordari bona facta bonorum, quam mala facta malorum. Poſtmodum vero in exitu vtrorumquè, prius nominat pœnam malorum; vt nos prius quæ timoris ſunt, mala deuitare diſcamus; Poſtmodum vero quæ ſunt honoris, bona appetere ſtudeamus. vel quia reprobi ex condigno, damnationis ſuæ ſupplicia meruerunt; electi vero gloriam, ex Dei miſericordia potius, quam ex meritis obtinebunt. Item quia prius volet purgare mundum, reprobos expellendo, omneſque mundi totius fœces & fœtores, ac elementorum omnium purgamenta, cum eis in barathrum deuoluendo; vt illis electis mundus pulcher & mundus remaneat, ad conſolationem electorum in nouam pulchritudinem innouandus, ſicut infra declarabitur.

Cur impij referuntur prius ad pœnam deſtinari quam beati ad gloriam.

Hoc autem ſciendum eſt, quod ignis ille conflagrationis quo mundi facies purgabitur, vt dictum eſt, faciem iudicis antecedet, ſicut ait Pſal. 49. *Ignis ante ipſum præcedet;* & concomitabitur, ſicut ait idem 96. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet.* Et ſequitur: quia prolata ſententia contra malos: *Ite maledicti in ignem æternum*; Ille temporalis ignis iuſſu iudicis, quaſi flatu potenti repentino & rapido, ſimul inuoluens reprobos, demergetur pariter in infernum. O quantus luctus omnium, quantus vlulatus & gemitus, quanta doloris acerbitas, quanta & quam ineffabilis calamitas reproborum, in actuali & æterna ſeparatione à gloria, à glorioſo conſortio bonorum; quam tunc quidem videbunt, vt ſciãt quæ & quanta perdiderunt, eam nunquam in perpetuum aſpecturi. ſed inæſtimabiliter plus dolebunt de tam vili electione & ſeparatione perpetua à conſortio & aſpectu diuino, tanquam videlicet de irrecuperabili amiſſione ſummi boni.

Ignis conflagrationis præcedet, concomitabitur, & ſequetur Iudicem.

Et aduerte quod cum Deus magis ſit intimus animæ, quam ipſa ſibiipſi, ac totum bonum animæ magis ſit ipſe, quam ipſa ſibi; dolorem incomparabiliter acriorem ſentiet anima cuiuſlibet in ſeparatione ſui à Deo, quam ſi ipſa diſcinderetur, & à ſeipſa violenter, ſi eſſet poſſibile, ſecaretur; ac plus vellet totum bonum ſuum perdere, quam bonum diuinum: Hoc eſt plus appetet non eſſe ſimpliciter, quam ſic eſſe. Rurſus cum de amiſſione alicuius boni, tantus debeat eſſe dolor, quantum eſt de eius adeptione gaudium; Profectò tam ineffabilis & inæſtimabilis erit dolor in reprobis, de æterna à Deo ſeparatione, quantum ineffabile & inæſtimabile gaudium erit in beatis, de æterna Dei viſione. De quo gaudio dicit Apoſtolus. 1. Corinth. 3. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* De-

Ingens erit dolor in dãnatis pro ſeparatione à Deo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non potest dari infinitū in creatura.

nique cum Deus ſit ſummū, immenſum & infinitum, bonū de eius amiſſione debet eſſe ſummus dolor in reprobis, & eſſet immenſus & infinitus, ſi aliquid infinitum poſſet eſſe in creatura: ſed hoc eſſe non poteſt; ſed eſt in eis quantum poteſt ipſorum capacitas continere. Diabolus ergo cum toto corpore ſuo, id eſt, multitudine innumerabili omnium reproborum, ſubitò demergetur & præcipitabitur in infernum. ſicut ait Gregor. in Moral. exponens illud Iob. CVNCTIS VIDENTIBVS PRÆCIPITABITVR, *quod æterno iudice tunc terribiliter apparente, aſtantibus legionibus Angelorum, aſſiſtente cuncto miniſterio cœleſtium poteſtatum, atque electis omnibus ad hoc ſpectaculum deductis; iſta belua crudelis, & fortis, id eſt, diabolus, in medium captiua deducitur, & cum ſuo corpore, id eſt, reprobis omnibus, æternæ gehennæ incendijs mancipatur, cum dicitur.* ITE MALEDICTI IN IGNEM ÆTERNVM. *O quale ſpectaculum illud erit quando hæc immaniſſima beſtia electorum oculis oſtendetur, quæ hic tempore belli nimis illos terrere potuerat, ſi videretur. Sed occulto ac iuſto Dei conſilio hoc agitur, vt & nunc per eius gratiam non viſa vincatur à pugnantibus, & tunc à lætis victoribus iam captiua videatur. Tunc autem iuſti, diuino adiutorio quantum debitores ſunt plenius recognoſcunt, quando tam fortem beſtiam viderint, quam infirmi vicerant; & in hoſtis ſui immanitate conſpicient, quantum debeant gratiæ defenſoris ſui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites noſtri, virtutum trophæa deferentes, & receptis corporibus, cum iam in illo iudicio, cæleſtis regni introitum ſortiuntur, prius immaniſſimas vires huius antiqui ſerpentis aſpiciunt, ne vile æſtiment quod euaſerunt.*

De Iudicium ſubſequentibus.

PERACTO iudicio, natura humana in ſuo termino conſtituetur, & ideo eſſe incorruptibile ſortietur. Quia vero omnia corporalia quodammodo ſunt propter hominem, conueniens erit vt ſtatus omnium rerum corporalium immutetur, vt congruant hominum ſtatui qui tunc erunt. Quia igitur multiplicatio hominum eſt propter complendorum numerum electorum qui præcipuè ſunt de intentione diuina; reprobi vero quia auertunt ſe à voluntate diuina, nec ponuntur in numerum in ordine vniuerſi; ideo completo numero electorum, ceſſabit hominum multiplicatio, & ſic ceſſabit generatio & corruptio hominis, & per conſequens ceſſabit in omnibus creaturis. Et quia motus cœli eſt cauſa generationis & corruptionis in iſtis inferioribus, ideo etiam motus cœli ceſſabit. Quo ceſſante, generatione etiam & corruptione ceſſante, creaturæ incorruptibiles, & quæ aptitudinem habent ad perpetuitatem, poſt iudicium remanebunt.

Poſt iudiciū ceſſabit rerū generatio & cœli motus.

Sciendum eſt autem quod quædam creaturæ habent aptitudinem ad perpetuitatem ſecundum totum & ſecundum partem, vt corpora cœleſtia; quædam ſecundum totum, ſed non ſecundum partem: vt elementa ſecundum partem ſunt corruptibilia, quia propter contrarias qualitates eſt in eis mutua actio & paſſio, & per conſequens generatio & corruptio in confinijs eorum: & ideo in confinijs ſuis corruptibilia ſunt, ceſſante autem motu cœli non erit in eis mutua actio & paſſio, ideo nec corruptio. Et ideo elementa poſt iudicium remanebunt. Quædam autem creaturæ corruptibiles ſunt ſecundum totum, & non ſecundum partem, vt homo. Nam anima rationalis eſt incorruptibilis, compoſitum autem corruptibile. Omnes igitur creaturæ quæ quoquo modo habent aptitudinem ad perpetuitatem, remanebunt in illo vltimo ſtatu mundi, Deo ſua virtute ſupplente, quod eis ex infirmitate ſua deeſt. Bruta igitur animalia, & plantæ, & corpora mixta, quæ ſecundum totum & ſecūdum partem ſunt corruptibilia, nullo modo in illo incorruptionis ſtatu remanere debebunt. Sic intelligendum eſt verbum Apoſtoli. 1. Corin. 7. *Præterit figura huius mundi*: quia videlicet ſpecies huiusmūdi quę nūc eſt, ceſſabit, ſed ſubſtātia remanebit. Sic etiam intelligitur illud Iob. 14. *Homo cum dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum*, id eſt, donec iſta diſpoſitio cœli ceſſet; quæ cum mouetur, in alijs motum cauſat. Sicut ait Aug. *Iudicatis his qui non ſunt inuenti in libro vitæ, & in æternum ignem miſſus, figura huius mundi, ignium mundanorum conflagratione purgabitur, ſicut facto mundanarum aquarum diluuio.* Qua ſiquidem conflagratione, corruptibilia, elementorum qualitates, ardendo penitus interibunt, quæque corporibus noſtris corruptibilibus congruebant; atque ipſa eorum ſubſtātia qualitates illas habebit, quę corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt videlicet mundus in melius innouatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouata. Vnde vidit Ioannes ſedentem in throno, à cuius conſpectu fugit cœlum & terra, & mare iam non eſt, quia peribunt hæc ſecundum exteriorem faciem, non ſecundum ſubſtantiam. Ante iudicium quidem fiet eorum purgatio ab infectione & corruptione, quam ex peccatis hominum contraxerunt. Et quia ignis inter alia elementa maximè eſt actiuus, & corruptibilium conſumptiuus, & ſordium purgatiuus, ideo cōſumptio eorum quæ poſt iudicium remanere non debent, & purgatio totius mundi, conuenientiſſimè fiet per ignē. Cæterum quia genus humanum non ſolum à corruptione liberabitur, ſed in electis gloria veſtietur; Creatura autem corporalis ſecundum congruentiam ſtatus, finaliter diſponetur; Ideo quælibet creatura corporalis, non ſolum purgabitur vt dictum eſt, verum etiam innouato homine innouabitur, & homine glorificato, etiam ſuo modo quandam claritatis gloriam conſequetur. Vnde Apoc. 21. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam.* Et Iſa. 65. *Ecce creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor*, &c.

Creatura corporalis manens poſt iudicium innouabitur.

Conſideremus ſi placet faciem & pulchritudinem huius mundi in melius innouati. Et ſciendum eſt, quod terra non erit gibboſa, vel montuoſa, ſed ad figuram ſphericam reducetur. Et quia non erit amplius hominum habitatio ſuper terram, tota circundabitur aquis, vt elementum aquæ formam ſphericam habeat. Sic & aër & ignis ſphericam formam habebunt, & ſe mutuo continebunt, nec erunt in confinijs confuſa vel permixta; quia ceſſabit in eis actio & paſſio, vt dictum eſt. Suppoſito igitur quod in elementorum purgatione, quicquid groſſius, ponderoſius, & amplius tenebroſum erat in terra, deſcendet infra regionem Inferni. In aqua frigidum glaciale, & omnis ſalſedo, & amaritudo, & fluxibilitas; In aëre groſſities, omnis mobilitas, & omnis peregrinæ impreſſionis receptio, In igne verò ardor & ſiccitas erunt ſeparata. terra in ſuperiori ſui parte erit vt criſtallus: aquæ multoplus perſpicuæ, ſubtiles, & puræ, quam ſint modò. Et fortè ſic erunt ſimiles cœlo aqueo. Aër verò purior, clarior, rarior; & ignis ſimiliter. in aëre non fient impreſſiones aliquæ, vtpote nubes & venti, ros & pruina, niues & grandines, fulgura & coruſcationes, tonitrua & tempeſtates, nec aliqua huiuſmodi; ſed perpetua ſerenitas, claritas, & temperies ſempiterna. In igne verò qui nūc vſque ad diem iudicij calidus eſt & lucidus, poſt illam innouationem mundi, vt ait Baſilius in Exameron, Lux ſeparabitur à calore. Ait enim: *In retributionibus delictorum ratio nos ſecretior docet, patiendam eſſe ignis naturam; cuius lux ad illuminandos iuſtos deputabitur, ardor autem proficiet ad impios concremandos.* Vnde ait Pſalmiſta 28. *Vox domini intercidentis flammam ignis.* Hęc ergo creditur eſſe facies huius mundi.

Poſt diem iudicij terra fiet ſpherica, & aqua circundabunt illam.

Corpora verò cæleſtia mirabili claritate fulgebunt. Nam iuxta verbum Iſa. 30. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.* Certius autem firmamenti facies luminoſa creditur eſſe, ſicut nunc ſunt ſtellæ. Stellarum verò claritas in ſeptuplum maior erit. Dicit autem Iſid. *quod nec ſol, nec luna, poſtea ad occaſum ſunt ventura, ſed in loco in quo creati ſunt, ſine fine manebunt.* Vnde dicitur Abac. 3. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo*; ſol in pūcto Orientis, & luna in puncto

Corpora cæleſtia poſt iudicium innouabuntur.

Quæ ſunt corruptibilia ſecundum totum & ſecūdum partem non remanebunt poſt diem iudicij.

Occi-

Occidentis. Vnde dicitur Isa. 60. *Non occidet vltra sol tuus.* Non ergo erit amplius diei noctisque vicissitudo; sed erit vna dies non habens vesperam, continua, semper clara, quæ nota est domino. Hæc autem claritas, & pulchritudo mirabilis, non erit ad necessitatem, quia etiam omnes sancti fulgebunt sicut sol: Sicut ait dominus Matth. 13. *Fulgebunt iusti, sicut sol, in regno patris eorum.* Propter quod dicitur. Isa. 60. *Non erit ibi sol ad lucendum*, scilicet ad necessitatem: erit tamen ad vniuersi decorem, consolationem, & delectationem sanctorum, & creatoris laudem, gloriam, & honorem. Vnde Isa. 65. Post illud. *Ecce creo cœlos nouos, & terram nouam.* subditur: *Exultabitis & gaudebitis vsque in sempiternum, in his quæ ego creo.* Hæc de finali iudicio, & de statu mundi post iudicium, ad præsens in generali & grosso rudique modo dicta sufficiant. Nunc non restat nisi in speciali dicere de supplicijs reproborum, & gloria beatorum. Et prius dicemus fauente domino de supplicijs reproborum.

LIBRI II. PARS III.

De supplicijs reproborum.

DE numero nouissimorum quatuor propositorum, superius duobus expeditis exiliter & breuiter terminatis, ordine consequenti cum adiutorio gratiæ Iesu Christi iam nostræ considerationis oculos conuertamus ad tertium nouissimorum, id est, infernum, prout inspirante Deo poterimus intuendum; & aliqualiter ostendendum supplicia damnatorum. Circa quæ autem tria consideranda occurrũt. Primò ostendendum est, quod infernus sit. Secundò vbi sit. Tertiò quid sit, ideſt quæ, quales, & quantæ sint pœnæ inferni.

Quod infernus sit, & de situ eius.

DISTINCTIO I.

Quod sit infernus, probatur variis argumentis.

CIRCA primum, scilicet, *quod infernus sit*, probatur autoritatibus scripturæ sacræ, tam noui, quam veteris testamenti, sanctorum testimonijs, rationibus, & exemplis. Primò quidem auctoritatibus veter. testam. Ait enim Pathiarcha Iacob Gene. 42. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* & Num. 16. dicit Moyses de Chore, Dathan, & Abyron: *Descendent viuentes ad infernum.* Item 1. Reg. 2. *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos & reducit.* Item Iob 7. *Qui descenderit ad inferos non ascendet.* Psal. *Dolores inferni circumdederunt me.* Idem in eodem. *Pericula inferni inuenerunt me.* Similiter & alij prophetæ in locis innumeris. Similiter & Apostoli inter articulos fidei hunc articulum posuerunt. *Descendit ad inferna.* Item Paulus Ephes. 4. *Quod ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ.* Et B. Petrus 2. Pe. 2. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, &c. Et Apoc. 20. *Infernus & mors dederunt mortuos suos.* sed quod est omnibus efficacius, testimonium primæ veritatis, quæ dicit ore proprio, Lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Qui autem non receperint testimonium sanctorum, & Christi, nouerint se esse Iudæis aut Paganis deteriores, & infideliores, qui infernum esse crediderunt, & in libris suis de hoc scripta multa reliquerunt.

Item hoc ostendit ratio, si scriptura aut humana testificatio cessaret. Cuilibet enim bene disposito ostendit hæc humana ratio, quemlibet regem debere habere aulam regiam, ad amicos & sodales retinendum, delectandum, & secreta sua eis communicandum. Et ille debet esse in domo regis pulcherrimus & honestissimus locus. Alius locus est magis infimus & minus decens, vbi fiunt à seruis necessaria domus, vt est coquina, stabulum. Item alius est locus infimus abiectissimus, vt carcer. Primus locus est commensalium regis, & amicissimorum. Secundus seruorum, & iumentorum. Tertius est reorum. Ergo cum Rex regum Deus sit, & omnium maximus & iustissimus, habet ista rria ædificia. Primum est cœlum, quod est habitaculum amicissimorum, vbi recreantur, pascuntur, & confortantur cum eo. Secundus est mundus iste, quod est stabulum iumentorum, scilicet corporum, & officina seruorum laborantium. Tertius est infernus, vbi rei & iudicati arctantur. De hoc Isa. 24. *Congregabuntur sicut in congregatione vnius falcis, & claudentur in carcere perpetuo.* Et 46. Et Sapien. 16. *Digni erant carere luce, & pati carcerem tenebrarum.* Et dominus Matth. 5. *Iudex tradet te ministro, vt in carcerem mittaris. Item* non solum hoc probatur per viuos, sed & per mortuos, qui resuscitati hoc dixerunt. Vt patet Heb. 11. *Receperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Hoc etiam* patet in miraculis sanctorum, & in vitis pa. & dial. Greg.

CIRCA secundum, scilicet, *vbi sit infernus.* Sciendum quod sub terra, sicut scriptura sacra testatur. Psal. 62. *Introibunt in inferiora terræ.* Idem 138. *Substantia mea in inferioribus terræ.* Idem 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Item Iob 17. in fine. *in profundissimum inferni descendent omnia mea.* Item Eph. 4. *Quod autem ascendit, quod est*, &c. Item Apoc. 10. *Nemo poterat aperire librum, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram.* Item Num. 16. De absorptione Chorè. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuoravit eos, descenderuntque viui in infernum, operti humo.* Ps. 85. *Liberasti animam meam ex inferno inferiori.* Quod videtur velle probare Gregor. dial. 44. *De hac re nihil temerè diffinire audeo. Nonnulli namque in terrarum quadam parte infernum esse putauerunt. Alij verò hunc super terram esse æstimant.* Et post exponens verbum Apostoli supra dictum, dicit. *Sub terra animæ exutæ sunt, in inferno existentes* &c. Post concludit. *Cum ergo ad soluendum librum nullus sub terra dignus inuentus dicitur, quid obest non video, vt sub terra infernus esse credatur.* Aug. tamen dicit, *ignis inferni cuiusmodi sit, vel in qua parte mundi, neminem penitus arbitror scire, nisi cui spiritus Dei reuelauerit.*

Infernus est subterra.

CIRCA tertium, scilicet, *de pœnis & supplicijs damnatorum, tam hominum, quam dæmonum in inferno*, consideranda sunt quatuor. Primò quidem de conditionibus huiusmodi pœnarum. Secundò de vtilitate meditationis earum, id est, ad quid & quantum sit vtile de pœnis huiusmodi meditari. Tertiò mouentur aliquæ quæstiones circa conditiones huiusmodi pœnarum, & soluuntur. Quartò ponuntur aliquæ visiones siue reuelationes ad meditandum vtiles, & sciendum.

CIRCA primum sciendum, quod sicut ex diuersis scripturæ sacræ locis, & ex libris sanctorum instruimur, in inferno credenda sunt firmissimè, cogitanda profunde, frequentissimè meditanda, ac vehementissimè formidanda, suppliciorum ac miseriarum diuersitas innumerabilis, acerbitas intollerabilis, & æternitas interminabilis. Nam ibi est dolorum & miseriarum diuersitas tam innumerabilis, quod nec lingua possit exprimere, nec intellectus comprehendere, nec mens hominis cogitare. Sicut etiam quidã gentilis ait:

Miseria infernalis inexplicabilis, quia innumerabilis, intollerabilis, & interminabilis.

Non

Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim. Sicut enim oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum; sic profecto debemus agnoscere, quod humanus oculus nunquam vidit, nec auris hominis viatoris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quanta sint mala, quæ præparauit Deus his qui offenderunt eum. Licet autem innumerabilia sint, & ineffabilia, non tamen omnino tacere voluimus, nec silentio cooperire debemus, sed de innumerabilibus aliqua numerare, & de ineffabilibus pauca, & breuiter effari studebimus; vt nobis & alijs, cogitandi materiam præbeamus.

Est igitur sciendum, quod ibi erit pœna duplex, videlicet pœna damni, & pœna sensus. *Pœna damni* nihil aliud est, quam æterna carentia diuinæ visionis propter demerita propria. *Æterna dico*, ad duritiam pœnæ purgatorij, quæ non est æterna. *Propter demerita propria dico* ad duritiam pœnæ puerorum, qui sine purgatione ab originali peccato decesserũt, qui etsi perpetuo diuina careant visione, non tamen propter aliquod actuale vel personale peccatũ. *Pœna sensus* multiplex est. Nam quædam pertinent ad sensum interiorem, quędam ad exteriorem, id est, quædam ad corpus, quædam ad animam, sicut enumerando patebit. Primò quidem est ibi pœnarum diuersitas, sicut ex pluribus scripturæ sacræ locis, & sanctorum verbis & scriptis, salubriter edocemur. Deut. 32. *Congregabo super eos mala*, id est, omnia genera tormentorum, *& sagittas meas*, id est, pœnas pungitiuas, penetratiuas & afflictiuas *cõplebo in eis*; quia septem sagittæ, hic infixæ sunt propter peccatũ, scilicet fames, sitis, calor, & frigus, lassitudo, infirmitas, & mors, ibi perfectè complebuntur. Vnde ibidem subditur: *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos*, &c. Item Eccl. 29. *Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt*, &c. Item eiusdem 60. *Furor, zelus, & tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio.* Sequitur: *Et super peccatores septuplum. Pluet super peccatores laqueos*, dicit Ps. 10. Quia sicut guttæ pluuiæ sunt innumerabiles, sic & pœnæ malorum. Sequitur. *Ignis sulphur spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Nota totum. Gregor. *Erit in inferno frigus insuperabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intollerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum.* Item Aug. *Væ illis quibus præparatur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine extinctione, stridor dentium, lachrymæ oculorum, tenebræ exteriores sine luce, pœna interminabilis. Vbi non est vllus honor siue agnitio proximi, sed continuus dolor & gemitus. Vbi mors appetitur, & non dabitur. Vbi non est honor seruorum & regis, nec dominus super seruum, nec mater diligit filium aut filiam, nec filius honorat patrem. Vbi est omne malum, & omnis indignatio, & fœtor, & amaritudo abundat.* Ad idem declarandum faciunt, quæ infra dicuntur de visionibus ostensis. Ad animam nempè pertinet timoris perturbatio, pudoris confusio, vehementia doloris, corrosio odij & rancoris, iræ, tristitiæ & furoris, remorsus conscientiæ, excæcatio rationis, tædium vitæ, & desiderium mortis, consortium dæmonum, seruitus, desperatio, & blasphemia. Ex parte verò corporis, erunt ibi acerbitas ardoris, atrocitas algoris, fœtoris immensitas, fumi obscuritas, tenebræ palpabiles, procellæ terribiles, penuria famis, ariditas sitis, attritio verberum, constrictio catenarum, morsus serpentum, turpitudo horribilis, ponderositas importabilis, imbecillitas debilis, vlulatus, & gemitus, dolores, & torsiones, amaritudines, & ęgritudines. De his omnibus, & horum singulis, licet non eodem ordine quo enumerata sunt, saltem breuiter ad declarationem istorum, tam scripturæ sacræ sententias, quam sanctorum testimonia proferemus. Licet sint alia multa, quæ nec prosequi, nec enumerare possemus; hic solum pauca de multis, immo de infinitis finita eligimus, succinctoriè declaranda.

Pœna duplex scilicet damni & sensus, & quid sint.

Pœna sensus duplex, nempe ad sensum interiorem & exteriorẽ pertinens.

Varia pœnarum genera in damnatis

Primò quidem de acerbitate ardoris, quia istud est de quo communius & scripturæ sacræ, & sancti loquuntur, inchoare proponimus. Dicitur enim de impio. Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit*, &c. Item Ps. 82. *Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris*, &c. Iob 20. *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* Super quod ait Greg. *Gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec humano studio succenditur, nec lignis nutritur; semel creatus durat inextinguibilis, nec succensione indiget, nec ardore. Sciendum vero est, quod reprobi, quia ex anima simul & carne peccauerunt, illic in carne patiuntur, & in anima cruciantur.* Vnde bene per Psal. 20. dicitur. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Clibanus namque intrinsecus ardet; Is vero qui deuoratur ab igne, ab exteriori parte incipit concremari. Vt ergo sacra eloquia reprobos ardere interius & exterius demonstrarent, eos ab igne deuorari, & vt clibanum poni testantur; vt & per ignem deuorentur in corpore, & per dolorem ardeant in mente.* De ardore simul & frigore dicitur Iob 14. *Ad calorem nimium transeunt ab aquis niuium.* Impij namque vt arctius torqueantur, ad ardorem immensum de glaciali frigore subito regirantur.

1. *Est acerbitas ardoris.*

Ignis infernalis secundum Greg. est incorporeus.

De fœtore verò dicitur Isa. 34. *De cadaueribus eorum ascendet fœtor.* Nullum enim sterquilinium vilius, nullum cadauer fœtidius corporibus impiorum. Cogita ergo quam ineffabilis erit fœtor, in innumerabili multitudine corporum fœtidorum. De ardore simul & fœtore dicitur Apoc. 20. *Bestia & pseudoprophetæ missi sunt in stagnum ignis & sulphuris.* Vnde in figura huius cum Deus Sodomam, & Gomorrham punire decreuisset, puniuit eos igne, & sulphure. Sic etiam peccatores, qui & peruersis desiderijs, & fœtore carnis arserunt, iustè in igne & sulphure pœnas luunt. In mentibus etiam nostris quoties fœda carnis delectatio damnatur, sulphureo quodam fœtore conspergitur. Sicut scriptum est Iob 18. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur*, ex carnis enim delectatione disponitur anima, vt igne sulphureo succendatur.

2. *Est fœtor intolerabilis.*

Vnde nota, quod infernus est locus fœtidus, & immundus; vbi omnes sordes huius mundi, tam spirituales confluunt, quam etiam corporales post iudicium congregandæ creduntur. Vnde est quasi sentina vilissima, & latrina fœtidissima huius mundi. Psal. de impijs ait. *Vt lutum platearum delebo eos.* Quod scilicet lutum, per plateas colligitur, & in foueam proijcitur. Propter hoc vocatur infernus puteus abyssi. Et potest dici puteus à puteo putes, id est, fœteo fœtes. Apoc. 9. *De fumo putei obscuratus est aër.*

In inferna omnes sordes congregabũtur.

Et huic competit, quod refert Gregor. dialog. 38. Dicit enim quod quidam miles Romanus eductus à corpore, & postea cito rediens, narrauit se vidisse pontem arctum & altum, sub quo currebat fluuius nigerrimus & caliginosus, nebulam fœtoris intolerabilis exhalans. Vltra quem pontem vidit prata virentia florentia, suauissimi odoris, quo satiabantur, & reficiebantur deambulantes illic, & habitantes illic. Diuersæ etiam lucis plenæ erant mansiones ibi. Quædam etiam miræ potentiæ ædificabatur domus aureis laterculis; quam vt vidit, alias postea ædificabant homines diuersæ ætatis & sexus. Iuxta ripam fluminis iam dicti erant inhabitacula aliqua, quæ tangebantur à nebula fœtoris, aliqua non. De hoc ponte iniusti labebantur in fluuium, iusti transibant. Ibi vidit Petrum quendam multo ferro depressum, & ligatum, & immersum in flumine. Et dictum est quod hoc ideo, quia plus crudelitatis desiderio, quam obedientia, vel corrigendi desiderio, plagas inferebat. Vidit etiam ibi quendam peregrinum sacerdotem, cum tanta auctoritate, cum quanta sinceritate vixerat, transeuntem. Vidit etiam ibi Stephanum, de quo facta mentio in dial. supra eo. cap., cuius pes dum vellet transire lapsus est, & à tetterrimis viris ex flumi-

Exemplum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ne ſurgentibus ex media parte corporis à ponte eiectus, per coxas inferius trahebatur; ab alijs candidiſſimis & ſpecioſiſſimis, ſuperius per brachia trahebatur. Sed quid de eo poſt actum fuerat tranſiens ignorauit.

3. Eſt fumus. De ardore, fœtore, & fumo ſimul, dicitur Apoca. 9. *Quod de puteo abyſſi fumus exiuit, & quaſi fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt tertia pars hominum de igne, fumo, & ſulphure.* Prima pars hominum comprehendit bonos, ſecunda viuos, tertia mortuos infernali incendio cruciandos. Item Iſa. 34. *Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur; & erit terra eius in picem ardentem, & non extinguetur in ſempiternum, & aſcendet fumus in generatione & generationem & deſolabitur in ſæcula ſæculorum.* Et Apoca. 14. *Fumus tormentorum eorum aſcendet per ſæcula ſæculorum, nec habebunt requiem die ac nocte.* Pſal. 17. *Aſcendit fumus in ira eius.* quia non ceſſant creſcere ligna, & multiplicari materia incendij, id eſt, animæ, & peccata. Mirum quomodo ibi ſingulis diebus ædificant diuites huius mundi, qui hic ita fumum timent, & domos fumoſas refugiunt.

4. Sulphur procella &c. De igne, ſulphure, & procella, tempeſtuosè iugiter irruente, & conſtrictione catenarum ardentium perpetuò detinente, ait Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* In libro quoque Sap. 17. dicitur, quod *vna catena tenebrarum omnes erant colligati.* Et Iob 36. *Si in catenis fuerint, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera ſua.* Quaſi diceret de peccatoribus adhuc in mundo viuentibus, ſi perſeuerauerint in peccatis, donec ligati fuerint in catenis infernalibus, vbi omnium ægeſtatis inopiam ſuſtinebunt; Ibi profectò indicabit eis malignitatem cordium, iniquitatem operum, grauitatem quoque nimiam peccatorum, & inexcogitata ſupplicia tormentorum. Indicabit inquam eis, quæ prius præuidere neglexerunt, nec credere voluerunt. De procella ſpiritualiter dicitur cuidam viro ſancto fuiſſe diuinitus reuelatum, quod ex mobilitate, vel curſu aëris, tanta erat ibi tempeſtas ſugis, & impetus, quod ſubitò quaſi in ictu oculi reprobos, quaſi ab oriente in occidens vehementer impelleret, & ex illo motu quidam terribilis ſonus quaſi tonitruum magnum exurgeret, & hoc eis ineffabilis pœna fieret.

5. Tenebræ denſiſſimæ. De tenebris horrendis dicitur Iob 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, &c.* Hæc authoritas infra diffuſius exponetur. Item cuidam in exemplum omnium impiorum dicitur Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus eius proijcite eum in tenebras exteriores.* Quid eſt autem manibus & pedibus alligati, niſi omni bona actione & ſuaſione priuari? Sicut in tenebras exteriores mitti nihil aliud erit, quam à Deo, qui eſt mentium lumen, expelli. Sciendum eſt autem, quod ſunt ibi tenebræ multiplices ſicut infra declarabitur. Iſtæ tenebræ ita ſpiſſæ ſunt, quod nulla luce poſſunt fugari, vel penetrari. Sap 17. *Nulla enim vis ignis poterat illuminare illam noctem horribilem, aut lympidæ Syderum flammæ.* Item tantæ ſunt condenſitatis, vt nullus de eis ſe mouere videat, vel valeat. Sap. 16. *Vna catena tenebrarum omnes erant ligati.* vnde erunt quaſi lapis in muro, quia non poterunt ſe mouere pro voluntate, ſicut nec Ægyptij. Exod. 10. *Vir non eſt motus de loco ſuo, nec cognouit fratrem ſuum propter tenebras horribiles, & palpabiles.* Item tantæ amaritudinis, vt morte ſint amariores. Iob 10. *Ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine.* Item quidam qui ductus fuit ad infernum, inter alia quæ vidit & audiuit, audiuit in medijs tenebris voces muliebres & lugubres, & dicentes: Væ væ væ, quantæ ſunt tenebræ: Item ſunt tales, vt aliquid ibi luceat ad damnatorum maiorem contriſtationem, & non conſolationem. Gregor. in mor. *Illa vltrix flamma vitiorum, concremationem quidem habet, ſed lumen non habet; illic ignis ad conſolationem non lucet, ſed tamen vt magis tor-*

A *queat ad aliquid lucet. Nam ſequates ſuos ſecum in tormento reprobi viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt.*

6. Fames intollerabilis. De ægeſtate famis ait Gregor. exponens illud Iob 6. *In vaſtitate, & fame ridebis: ſimul vaſtitas fameſque cruciat, quia non ſolum foris tormenta ſentiunt, ſed etiam intus inediæ peſte moriuntur. Vaſtat gehenna, quia concremat; fames interficit, quia faciem ſuam illis redemptor abſcondit.* Sicut enim beati in regno cœlorum æternaliter de pane vitæ ſatiantur, ſicut ſcriptum eſt Luc. 14. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*; ſic meritò famis inedia moriuntur, qui perpetuo pane vitæ priuantur. Vnde de impio & maledicto viro, dicitur Hier. 17. *Habitauit in deſerto ab omni bono*, ſcilicet delicto *in ſiccitate, & terra ſalſuginis*, ſcilicet amariſſimæ ſiccitatis. Bene eſuriunt illi, de quibus Iſa. 9. *Erit populus quaſi eſca ignis,*
B *vir fratri ſuo non parcet, vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit.* Benè ſitient illi de quibus dicitur. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Deuter. 32. Pſal. 10. *Ignis ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Ideo dicitur terra miſeriæ, quia nihil gignet niſi miſeriam & penuriam. Quod patet in hoc maximè, quia amariſſimus morſellus in mundo, quem refugiũt pro viribus omnia animantia, erit ibi deſideratiſſimus, ſcilicet mors. Apoca. 9. *Deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.*

7. Eſt vlulatus, gemitus &c. De vlulatu, & gemitu, clamore, & eiulatu, & fletu, dicitur Luc. 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis hic conſolationem veſtram; quia plorabitis, & flebitis vos.* Item Iſa. 65. *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis; ecce ſerui mei lætabuntur, &*
C *vos confundemini; ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis; & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Quia locus ille plenus eſt fumo, plenus eſt & luctu, & diuites huius ſæculi ita ſunt corde duri, quod quia nullam habent hic lachrymam deuotionis, vel contritionis; ibi inceſſanter flebunt, ex vtraque parte, corporis, & animæ. Item mala quæ promeruerunt, & bona quibus ſe priuauerunt. Vnde ſicut ligna dura viridia & quercina, quæ ſine humore videntur eſſe, poſita per medium in camino, cum comburuntur in vtroque capite fumant & aquam ſtillant; ſic ipſi lugebunt, & in anima, & in corpore, & in perpetuum. Iſa. 65. *Iſti fumus in furore meo, & ignis ardens tota die.* Magnus eſt fletus in ſenſu illius ignis, quando tantus eſt in ſolo remoto viſu. Apoca. 18. *Plangent ſuper illam videntes fluuium*
D *eius, & longè ſtantes propter timorem tormentorum, & flentes, & lugentes.* Item Matth. 13. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Hieronym. *Fumus ab igne veniens lachrymas in fletum prouocat; frigus nimium, dentes & ſtridores coarctat.* plus habet flere, qui minus ibi flebit, quàm ſit de aqua in quocunque fluuio, vel mari; quæ niſi aliæ aquæ ſuccederent poſſent ſiccari, & deficere; ſed infernalis luctus nunquam. Hos ſiccant lachrymæ præſentes ipſis penitentibus. *Vnde* in vitis patrum dicitur, quod congregati patres rogauerunt beatum Arſenium, vt diceret verbum ædificationis. Qui fleuit dicens: Producant oculi noſtri lachrymas, & comburant corda noſtra hic, ne comburantur in futuro. *Item ibidem.* Quidam ſenex migrans, poſt redijt, qui & fleuit inconſolabiliter, dicens ſe audiuiſſe voces innumeras dicentes frequenter. Væ mihi, væ mihi, quia non fleui. Fletus autem ibi eſt inutilis, qui hic ita eſt precioſus. Auguſt. *Fruſtra flebunt ibi peccatores, quia malorum ſuorum veniam ibi non conſequentur.*

8. Verbera. De attritione verberum nota, quod ſicut puer in ſcholis, quando laſciuus eſt, & non repetit lectionem, & oportuno tempore neſcit eam reddere magiſtro ſuo, verberatur egregiè, & tamdiu verberatur donec corde tenus ſciat eam. Ita qũia reprobi lectiones ſuas, quas de lege Dei, de fide, de moribus, de timore Dei, & amore, & huiuſmodi audierunt, neſcient reddere coram magno magiſtro, ideo duriſſimè verberabuntur. Item *ſeruus ſciens voluntatem domini*

ſui,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſui, & non faciens eam plagis vapulabit multis; Luc. 12. Item ribaldi, poſtquam expenderunt hilariter in taberna, ſi non poſſunt ſoluere, verberantur. Item qui facit alij iniuriam, & non poteſt ſoluere emendam, flagellatur, & in carcerem detruditur. Erunt igitur corpora damnatorum flagellata, attrita, conculcata, & gladio comminuta. Pſal. 31. *Multa flagella peccatoris.* Item Pſal. Gladij ancipites in manibus eorum, vt faciant vindictam, &c. Prouerb. 19. *Præparata ſunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Eccleſ. 25. *Qui tranſgreditur Dei iuſtitiam ad peccatum, Deus parauit illum ad rompheam detruncationis æternæ.*

9 Conculcabitur à ſanctis, & torquebuntur, atque amaritudine replebuntur.

Item conculcabunt eos ſancti. Mal. in fine. *Calcabitis impios.* Iob 18. *Calcet eum deſuper quaſi Rex interitus.* Iſa. 18. *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ. De vehementia* doloris torſionum. Iſa. 13. *Omne cor hominis* B *tabeſcet & conteretur; torſiones, & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt.* Gregor. *Tanta eſt vis doloris, vt alibi ferri non poſſit impetus cogitationis.* Pſal. 47. *Ibi dolores, vt parturientis. De hoc infra vbi agitur de acerbitate pœnarum. De amaritudine* vero, quæ erit inferno, dicitur Iſa. 24. *Amara erit potio bibentibus illam.* Et Deuteronom. 31. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ; vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus; fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Item Iere. 9. *Ecce cibabo populum meum abſinthio, & dabo ei bibere aquam fellis.* De pluribus iſtorum ſimul dicitur. Deuteronom. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima; deuorauitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet; congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo* C *in eis; conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Dentes beſtiarum immittam in eos cum furore trahentium atque ſerpentium.*

10. Eſt corporum turpitudo.

De turpine corporum damnatorum ait Anſelmus, quod *quilibet eorum erit cœno, & omni cadauere fœtidior, & omni fuligine turpior.* Et ſicut de ſanctis canimus; *ſancti tui domine florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.* & illud. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol*, &c. ſic de reprobis dici poteſt, quod fœtebunt ſicut ſterquilinium, & ſicut cadauer putridum erunt. Reuera nullus fœtor eſt illorum fœtori comparabilis, nulla turpitudo poteſt inueniri eorum turpitudini ſimilis, in hoc mundo. *Si enim ignis iſte*, ſicut dicit Auguſt. in lib. de ci. Dei. *Cum ſit formoſus, omnia quæ lambit ferè, etiam lucida & decora deturpat & denigrat, quanto magis ignis in-* D *ferni, cum ſit turpis & obſcurus deturpabit impios cuius erunt pabulum ſempiternum.* &c. Iſa. 9. *Erit populus ſicut eſca ignis.* Idem 13. *Facies combuſtæ vultus eorum.* Tren. 3. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Ioël 2. *Omnes vultus redigentur in ollam.* Naum 2. *Facies eorum quaſi nigredo ollæ*; quæ quantuncunque ſit pulchra & lucida, cito tamen fit nigra, bulliens ad hunc ignem. Item ſi Ethyopes ſunt ita nigri à ſolis calore, quantomagis illi ab illo igne. Item ſi ignis iſte, qui dicitur ſacer; vel ſancti Antonij, vel inferni, hic ſic deturpat membra, quantomagis ille, cum iſte non ſit niſi ſignum, vel vmbra illius. Iob 30. *Cutis mea denigrata eſt, & oſſa mea aruerunt à caumate.* Hoc ibi poterit dicere damnatus.

11. Eſt ponderoſitas corporum, peccatorum, & compedum &c.

De ponderoſitate vero corporum damnatorum, di- E cit Anſelmus. Quod *impius in inferno tanto pœnarum premetur pondere, vt nec pedem, vel manum, vel aliquid corporis poſſit mouere.* Item corpus eius proprium erit pondus ei grauiſſimum, & ſarcina importabilis, quam tamen deponere non licebit. Exod. 15. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* Et infra. *quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Apocal. 18. *Suſtulit Angelus lapidem molarem magnum*, &c. *Item* oppreſſi erunt ſuorum pondere peccatorum, & catenarum, & compedum. Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Idem 149. *ad alligandos reges eorum in compedibus*, &c. *Item* pondere dæmonum opprimentur. Iob 17. *Calcet ſuper eum quaſi Rex interitus.* Pſal. 55. *Conculcauerunt me inimici mei tota die.* Eccleſ. 22. *Super plumbum quid grauabitur: arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre, quam impium.* Huius impij pondus ferre non potuit firmamentum.

12. Eſt imbecillitas.

De imbecillate ſiue debilitate dicit Anſelm. quod *ſic imbecillis erit quilibet reproborum, vt nec vermes poſſit à ſuis oculis amouere.* Si enim ſic efficitur debilis homo, vt non poſſit ſurgere nec vertere ſe ab vna infirmitate & dolore, quantomagis ibi, vbi plus patietur quam ſi habeat omnes. Iob 20. *Omnis dolor irruet ſuper eum.* Iſa. 1. *Erit fortitudo noſtra, vt fauilla ſtuppæ.* Iob 18. *Deuoret pulchritudinem cutis eius, & conſumat brachia eius primogenita mors.* Si iſta mors ſic deformat, & reddit impotens corpus humanum, quantomagis illa, quæ eſt in infinitum quaſi acerbior. De infirmitate verò dicit idem Anſelmus. *Tanta ſcias ægritudine iniuſtum quemlibet infirmari, vt ei nullo medicamine valeat ſubueniri.* Sicut autem in beatos erit perfecta ſanitas, tam in ſingulis membris, quam in toto corpore, ſic in corporibus reproborum, & in ſingulis eorum membris, erit infirmitas incurabilis, & dolor incomparabilis: ſicut ſcriptum eſt de impio Iob 20. *Omnis dolor irruet in eum.* Erunt enim infirmi omni genere infirmitatis, interius, & exterius. Iob 20. *Arctabitur*, ſcilicet extra, *& æſtuabit*, intra, ſcilicet, *& omnis dolor irruet ſuper eum*, interius. Iob 30. *Interiora mea efferuerunt abſque vlla requie.* Hoc poteſt dicere damnatus. Si ſic percuſſit acriter diabolus in præſenti Sanctum Iob (permiſſus ſcilicet à Deo quia aliter non poterat) interius, vt ipſe dicit; exterius pariter percutiens eum vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem, & in momento; quomodo torquebit ſibi datos ad hoc, æterno incendio, & tormento?

13. Eſt infirmitas.

De infirmitatibus quibus percutientur, patet Deuteronom. 28. *Percutiet te Deus egeſtate, febre, & frigore, ardore, & æſtu, & aëre corrupto, ac rubigine.* Et poſt. *Percutiet te Deus vlcere Ægypti, ſcabie, & prurigine, amentia, & cæcitate, ac furore mentis.* Et poſt. *Augebit Deus plagas tuas magnas, & perſeuerantes infirmitates peſſimas, & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuiſti, & adhærebunt tibi.* Ideo bene dicitur de damnato. *Omnis dolor irruet ſuper eum.* Iob 20. Quia non ſolum dolor parturientis, febricitantis, furentis, & ſic de alijs, vt videbitur damnato, ſed omnis, non ſucceſſiuè vna infirmitas poſt aliam, ſed inſimul; non lentè, aut temperatè, ſed cum impetu ruent ſuper eum; & pondus oppriment, non in vno membro tantum, ſed ſuper eum totum.

14. Correſio vermium.

De correſione vermium dicitur Deuteronom. 32. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium atque ſerpentium.* Iſa. 14. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermes.* Et in fine Iſa. *Vermis eorum non morietur.* Item Eccleſ. 7. *Vindicta impij vermis, & ignis.* Eiuſdem 10, *Homo cum morietur hæreditabit beſtias, ſerpentes, & vermes.* Et 39. *Creata ſunt in vindictam impiorum, dentes beſtiarum, & ſcorpij, & ſerpentes.* In

Exempla.

vitis pa. quidam quæſiuit à quodam ſene quid face ret, quia præ accedia non poterat morari in cella ſua. Iſte reſpondit, quod ſi cogitaret de vermibus, & pœnis inferni; ſi haberet ibi vſque ad collum vermes, pacificè ſuſtineret. *Item* in quodam libro, qui intitulatur viſio Pauli, dicitur, quod vidit in inferno mulieres nigras indutas pice, & ſulphure; & dracones & ſerpentes torquentes eas, & increpantes, & dicentes. Agnoſcite nunc ſaltem peccatum veſtrum. & habebant cornua ignita, & ſerpentes, & viperæ circa colla earum, eas ſugentes, & torquentes. Hæ fuerant luxurioſæ, & necatrices puerorum ſuorum. *Item* in paſſione Symonis & Iudæ dicitur, quod quidam magi miſerunt contra eos multitudinem ſerpentium, qui recipientes eos, & pallia ſua inde implentes, proiecerunt in eos; qui magos laniantes, compellebant eos eiulare, & occidiſſent eos, niſi Apoſtoli eos liberaſſent: in quo poſſumus perpendere morſus ſerpentum inferni. Deut. 8. *Vbi eſt ſerpens flatu adurens, & ſcorpio & dypſas.*

De

15. Consortiũ dæmonum, timor, & cõfusio pudoris.

DE CONSORTIO dæmonum, Matth. 15. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, &c. Quod horrenda sit eorum societas, *require de conditionibus eorum supra, de purgatorio*. De timore, Gregor. super Iob 23. *In temporalibus cum pœna infligitur, timor quiescit apud inferos. Pœnæ inflictio est timoris augmentatio.* Eccles. 40. *Fluctuatio est ibi, timor mortis, & iracundia perseverans.* Iob 15. *Sonitus terroris semper in auribus eius, non credit quod possit reuerti de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Hoc de damnato dicitur. Et post. *Terrebit eum tribulatio & angustia valde.* Et 18. eiusdem. *Undique terrebunt eum formidines.* sicut supra dictum est de Crisaurio, qui non poterat sustinere horrorem teterrimorum dæmonum, nec effugere quocunque se verteret, clamans inducias, vel vsque in mane. Ad hanc materiam pertinent quæ supra dicta sunt *de horrore inferni, vel de horrore dæmonum. De confusione* pudoris; Sciendum quod cum sint superbissimi, erit eis summa miseria, quando sentient se vilipendi, conculcari, & deijci; & insuper eorum horrenda flagitia ab omnibus videri, & coram omnibus denudari. Ezech. 17. *Nudabo ignominiam tuam, & videbunt omnes turpitudinem tuam.* Iob 20. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget.* Ierem. 2. *Sicut fur confunditur in furto*, scilicet quando res furtiua ad collum eius in propatulo vel pilorio ligatur, & omnibus ostenditur; *ita & tu confunderis in inferno.* De corrosione odij, & rancoris, iræ, tristitiæ, & furoris: *hic est vermis, qui non morietur.* Isa. 66. Prouerb. 25. *Sicut tinea in vestimento, & vermis in ligno, sic tristitia in corde.* Sunt enim damnati similes quibusdam nucibus Indiæ, quæ sunt ad modum humani capitis, de quarum cortice fiunt cyphi ad bibendum optimi, quæ intus sunt plenæ diris serpentibus. *Item* sunt vt viperæ quæ interiora corrodunt, ista genimina viperarum, ira, rixa, odium, furor, & tristitia. Eccles. 39. *Furor, zelus, tumultus, & iracundia perseuerans. De seruitute* vero scias, quod seruitute vilissima & grauissima comprimentur, & tanquam serui nequam seruiliter punientur, & in vilissimo carcere seruiliter tenebuntur, ac in catenis igneis arctabuntur. Denique sicut ait Anselm. *Ad omnia, quæ voluerit impius cogetur, & ab omnibus quæ voluerit perhibebitur.* Sic nihilominus exhonorabitur, vt in vilissimum fœtorem deiectus, etiam vermium dominio subiiciatur. *De ira* etiam scias, quod impij erunt vltra omnium bestiarum insaniam iracundi, & præ nimia impatientia & furore, cõtinuè perturbati. Sicut ait, Psalm. 20. *Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Vnde & ex immensa perturbatione, prorumpent in blasphemias creatoris. Sicut scriptum est Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore*, id est libenter linguas suas præscinderent, & omnia corporum suorum membra si possent, præ furore nimio lacerarent. Ecce furor impatientiæ. Et sequitur ibidem. *Et blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis. De odio* quoque scias, quod inter impios summum est odium. Odiũt Deum, & eius iustitiam punientem, nec eos de tantis cruciatibus liberantem, nec aliqualiter eorum dolores & supplicia, vel modicum mitigantem. Odiunt nihilominus omnes alios, odiunt etiam semetipsos. Vnde ex odio, & tædio vitæ suæ, mortem desiderant. Sicut dicitur Apoc. 9. *Quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* De odio vero ad Deum dicit Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Erunt etiam in odium Dei, & sanctorum omnium. Sicut ait Anselm. *Malum quemque Deus, omnesque sancti sic habebunt odio, vt nec eum adiuuet in opere, vel compatiatur in corde.* Ibi etiam nec amicus amico, nec pater filio, nec mater filiæ, nec filij parentibus compatiuntur. *De discordia* vero scias, quod in summa discordia semper erunt. Sicut ait Anselm. *Mali in discordia tanta persistent, vt eorum corpus & anima semper dissideant.* Nam & corpus animam odio habebit, eo quod vnquã malè cogitauerit; & anima corpus, eo quod malè cogitata opere compleuerit, pro quibus omnibus torquentur in pœnis. Inter ipsos similiter est semper iurgium.

16. Corrosio odij, rancoris &c.

Simile.

Quia sicut ait Sapiens. Eccles. 41. *De patre impio conqueruntur filij*; quia videlicet non eos ad salutem necessaria docuerunt, nec eos delinquentes corripuerunt, nec compescuerunt à malis, nec eis vtilia monuerunt. Parentes vero de filijs, quia propter eos laborauerunt, & solliciti fuerunt, ac forsitan multa malè acquisierunt, & malè acquisita non restituerunt, nec de multis possessis eleemosynas erogauerunt.

Exemplum.

QVIDAM vidisse refertur quendam vsurarium sepultum in inferno. Cum autem anima filij defuncti descenderet illuc, pater hoc videns eiulando clamabat, maledicta sit hora fili in qua te genui; & tu sis maledictus, quia propter te feci mala, propter quæ hic crucior. Econtra filius respondebat eum maledictum esse, & horam maledictam in qua fuerat factus pater suus; quia ipse docuerat eum fœnerari, & alienum ei reliquerat, propter quæ in perpetuum torqueretur. Item Isa 15. *In plateis eius omnis vlulatus.* Et post. *expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Et 65. *Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Legitur in quodam libro de initiis ordinis Cisterciensium, quod cum de nouo incepisset ordo Cisterciens. quidam intrauit ibi, & cum diu tentatus fuisset de exitu, proponebat exire; cui apparuerunt semel, & secundo, pater suus & mater sua dissuadentes exitum. Item cum tertio vellet omnino exire, apparuit ei mater multum tristis, & quærens quare vellet hoc. qui cum diceret, quod non posset sustinere asperitatem ordinis; quæsiuit mater. quomodo posset sustinere infernum; aut eius minimum tormentum, & cum ille diceret, quod ordo erat tantæ duritiæ ac infernus, cuius vigiliæ quasi perpetuæ, silentium amarum, lectus ferreus, cibus insipidus, &c. Intulit mater: Vis experiri vnum modicum inferni tormentum? Et cum ille diceret, volo: Audiuit tam horribilem porcorum grunnitũ, quod nullum tonitru posset ei comparari. Et videbatur ei, quod cœlum scinderetur, & caderet super caput eius. & cum præ timore clamaret & deficeret, confortauit eum mater, & cessauit sonitus ille. Item mater ad eum. Vis audire vnum minimum Paradisi gaudium: dixit quod sic. Et tunc audiuit voces tantę dulcedinis, & suauitatis, quod superabant omnem dulcedinem Musicorum. Et tunc mater ad eum. Si vis euadere tormenta inferni, & adipisci gaudia paradisi, perseuera in incepto. Tunc ille firmiter hoc ei promisit, & compleuit.

17. Desolatio maxima.

DE desolatione manifestum est, quia nec vnus eorum compatietur alij, nec vnus poterit alium consolari, nec beati compatientur eorum miserijs, quinimmo *lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Psal. 57. Et Iere. 15. *Quis miserebitur tui, aut quis contristabitur, pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* quasi diceret nullus. Item nulla pro eis facta suffragia, eleemosynæ erogatæ, missæ celebratæ, orationes quęcunque, vel pœnitentiæ si fierent, possent eis prodesse, nec ipsi pro seipsis exaudirentur in aliquo. Vnde diues ille epulo, nec guttam aquæ potuit impetrare. Lucæ 16. Sed quod est Domine Deus misericordiæ, cum nobis præceperis pro inimicis nostris orare, Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*; quomodo non orabimus saltem pro charis nostris, damnatis? Nimirum pro inimicis orandum eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam peruenire. Damnati autem cum non possint ad opera iustitiæ reuocari, nihil eis per orationum suffragia poterit impetrari. Eadem enim causa est, vt non oretur pro diabolo & Angelis eius, æterno supplicio deputatis; quę nunc etiam causa est, vt non orent sancti pro infidelibus impiisque damnatis. Nam si nullum meritum cooperatum fuerit in hac vita, frustra requiruntur suffragia post hanc vitam. De terroribus, & horroribus; de tristitia, & desperatione; iam satis cito dicemus. Ex prædictis patet, quod in inferno erit pœnarum diuersitas.

De acerbitate pœnarum.

DISTINCTIO II.

POSTQVAM de multitudine pœnarum infernalium viſum eſt aliqualiter & ex parte; conſequenter videndum eſt de acerbitate, quæ licet ſimpliciter ſit inexplicabilis; tamen ſicut ex verbis ſcripturæ ſacræ, & ſanctorum, & reuelationibus oſtenſis diuinitus edocemur, poſſumus ad huius acerbitatis declarationem ex quatuor manuduci. Primo quidem, quia quælibet pœnarum eſt in ſummo gradu. Secundo, quia inceſſanter in actu ſine interruptione. Tertio ſummè generalis in omnibus membris ſine exceptione. Quarto quia prorſus inutilis ſine acquiſitione meriti, & ſine debiti diminutione.

Acerbitas pœnarum inferni colligitur ex quatuor.

1. Quælibet pœna in inferno eſt in ſummo gradu.

PRIMO inquam, quia quælibet pœna in inferno eſt in ſummo gradu, ſine mitigatione. Nam ſicut dicit Anſelmus, & alij ſancti Doctores. *Omnia huius mundi bona vel mala, permixta ſunt cum ſuis contrarijs, nec habent vltimatum gradum ſuæ perfectionis quin poſſint augeri vel minui; vel quin poſſint plus vel minus haberi;* ſicut in ſingulis virtutibus patet & vitijs, ſinguliſque tam corporis quam animæ bonis vel malis. Nec enim habetur hic gaudium ſine triſtitia vel timore, nec dolor vel triſtitia ſine conſolatione, nec perfecta ſanitas ſine ægritudine, vel aliqua læſione; nec fortitudo nec omnia huiuſmodi, ſine contrarijs hic habentur, nec huius mundi bona ſine labore acquiruntur, ſine ſollicitudine poſſidentur, ſine dolore perduntur, ſine triſtitia relinquuntur; nec mala ſimiliter huius mundi eueniunt, ſine præſentia vel poſſibilitate contrarij. In cœlo autem ſunt omnia bona ſimpliciter impermixta, & vltimata conſummatione perfecta. In inferno ſimiliter mala ſunt omnia, quodlibet eorum impermixtum ſuo contrario, & in ſuo ſummo. Verbi gratia. Summus dolor, ſummus ardor, ſumma frigiditas, ſumma in cunctis malis acerbitas; ſumma turpitudo, ſumma debilitas, ſumma deſolatio, ſumma calamitas. Vnde reprobi tormentorũ acerbitate immenſa prorſus abſorpti, tantam in pœnis tolerabunt anguſtiam, vt nihil cogitare valeant præter pœnam, ſed illuc totus feretur impetus cogitationis, vbi ſenſerint vim doloris. Vnde Baruc. 3. dicitur, *Proiecta ſunt oſſa regum in calore ſolis, & in gelu noctis mortui ſunt in doloribus peſſimis.* *Doloribus* dicit pluraliter propter pœnarum diuerſitatem, *peſſimis* propter acerbitatem. Item de his, quæ ſuperius dicta ſunt de ardore, ſatis apparet quanta ſit eius acerbitas. Et quid ſimiliter ſit de pœnis alijs ſentiendum. Acerbitatem enim eius maximam ſatis oſtendunt verba ſuperius poſita. Iob 20. *Deuorabit eum ignis*, &c. Item Pſal. 20. *Pones eos vt clibanum ignis* &c. Sequitur. *Et deuorabit eos ignis*. Idem 82. *Sicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris eos*, &c. Item Deut. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo*, &c. Iſa. 33. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne deuorante?* Gregor. *Tanta erit ibi vehementia doloris, quod alibi ferri non poſſit impetus cogitationis.* Idem. *Quod hic ſuſpicari non potuit, illic cruciatu ſentit traditus.* Bernard. *O mors tam dulcis eſſes, quibus tam amara fuiſti, ſi te deſideratam obtinerent, qui te ſolam deſideratam optabunt, tamen te ſolam vehementer oderunt.*

EX HIS patet eius acerbitas, ex eo quod morte acerbior eſt, abſorbens cognitionem; & quod eius comparatione mors præſens eſſet ibi dulcis. *Item* patet eius acerbitas, quia ab aqua ignis inextinguibilis eſt. Sap. 16. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quę omnia extinguit, plus ignis valebat.* Et poſt. *nix autem & glacies ſuſtinebant impetum ignis, & non tabeſcebant. Ignis ardebat in grandine, & grando non tabeſcebat.* Exod. 9. *Item* dicit Aug. in lib. de ciu. Dei, quod legitur in Hiſtorijs Romanorum, quod ante bellum ciuile Pompeij & Cæſaris in Ætna, mons igne euomito efferbuit, vt quaſi fluuius igneus effluereret vſque ad mare, quod ita efferbuit vt ſaxa comburerentur, naues ſoluerentur, pice in eis liquefacta. Item ſi Saraceni, vt dicitur in Hiſtoria tranſmarina, de quodam fonte conficiunt ignem Græcum, vt impugnent per hunc inimicos ſuos, qui tantæ acerbitatis eſt, quod non poteſt extingui niſi difficulter per quædam: quantæ acerbitatis debet eſſe ignis ille quem ſumma iuſtitia creauit ad puniendum hoſtes ſuos. Auguſt. De ciuit. Dei. *Omnipotens iuſtitia futurorum præſcia, a prima mundi origine, gehennæ ignem creauit; qui contrarius eſt iſti igni, qui à Deo ſemel ſuccenſus nunquam extinguitur, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſuccenſione non indiget, ardore non caret, conſumptionem non habet; & licet ſit corporeus, corporalia quædam, & incorporalia torquet.*

Ignis inferni nõ eſt extinguibilis aqua

Simile de mõte Ætna & igne Græco.

ITEM ignis iſte ad comparationem illius non eſt niſi quaſi vmbra vel pictura. In legenda B. Sebaſtiani, Policarpus ait. *Si tranſeuntes dolores anima hominis non ſuffert, quid de illis doloribus actura eſt, quibus nullus vnquam euenit finis, nullus datur omnino ſucceſſor. Nam iſti dolores dolorum illorum imaginem portant. Et quantum diſtat inter ignem verum, & picturam eius, tantum diſtat inter illos dolores & iſtos. Item* vis, quæ diffunditur per diuerſa minor eſt, quæ in vnum tendit maior eſt. Ignis iſte habeat diuerſos effectus per quos diuiditur: Ille ignis totam ſuam vim ponit in torquendo. *Item* quanto fortius eſt combuſtionis ſubiectum, & durabilius, tanto vehementior eſt ardor; vnde acrius ardet in ferro, quam in palea. Sic in anima eſt acerrimus, quæ eſt immortalis. *Item* ſi tam acer eſt illius doloris ſudor, quam acerbus eſt iſte dolor? De acerbitate ſudoris vide de ſcholari ſtillante guttam ſudoris ſupra *de timore ſeruili.*

LEGITVR, quod quidam vir ſanctus & religioſus, cum eſſet nouitius, traditus fuit diabolo multipliciter affligendus, qui per Dei gratiam liberatus, multam conſecutus eſt diſcretionem ſpirituum, multamque virtutem contra diabolum; qui referebat quaſi de alio, quæ credidit completa in ipſo; ſcilicet quod nouerat fratrem, qui afflictus fuerat à diabolo multis modis, & aliquando fuit raptus ad videndum pœnas futuras, qui ex ſolo viſu tormentorum ſine aliquo ſenſu ipſorum, tantum & tam acerbum habuerat ſudorem, quod nulla præſens pœna videbatur ei eſſe comparabilis illi ſudori. *Item* ſi oleum inferni eſt tantæ violentię; quantæ ſunt iſtæ flammæ? Legitur in vita B. Nicolai, quod cum quidam peregrini viſitarent per mare Eccleſiam B. Nicolai, apparuit diabolus in littore maris in ſpecie magnę Dominæ, dicens, quod volebat facere illam peregrinationem, & linire ſepulchrum & Eccleſiam B. Nicolai quodam precioſiſſimo & fragrantiſſimo vnguento, quod emerat & ſecum in pixide ferebat. quæ rogauit eos vt ipſi vnguentum ferrẽt; & hoc pro ipſa facerent, quia habebat impedimentum, nec poterat vltra ire. Qui cum acquieuiſſent, apparuit eis B. Nicolaus, dicens illud eſſe oleum inferni, & quod aperta pixide proijcerent in mari, quod proiectum, omnes aquas maris quas tangebat ſuccendebat.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM aliud exemplum legitur in libro Petri Cluniacen. ait enim quod in pago Pictauiæ apud Liſiniacum, fuit quidam ſacerdos multorum ſeruorum; ſeruus qui familiaris erat prioris Bonæ vallis Ciſtercienſis ordinis, frequenter eum monebat, vt vitam corrigeret, & ſæculo abrenunciaret; qui promittebat ſe aliquando facturum. Qui ſubito grauiter ægrotans, mittit pro dicto priore; qui admonitus ab eo nolebat complere promiſſum, ſed differebat. Qui ſubito clamauit, pater ora pro me, quia ecce duo vrſi veniunt ad deuorandum me. qui ad orationem dicti prioris & ſociorum, dicit ſe eſſe liberatum; nec ſic liberatus & admonitus, ſtatum mutauit. Et tunc ſubito fortius incœpit clamare. Ecce ignis occupat me ad deuorandum, & petebat orari pro ſe, & opponebat coopertorium ſuum igni. Similiter & tunc liberatus eſt per orationem, nec tunc ſe correxit, nec promiſſum complere voluit. Tunc factus ac ſi expiraſſet, rapitur ad Dei iudicium. Audit ibi ſententiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contra se de malis. Redit, refert visa, & audita; & spem salutis iam abeo præcisam. Et ecce ait, duo dæmones affuerunt, portantes vnam maximam sartaginem, vt frigar in ea in æternum. Et sciatis, inquit, quod non insanio, quia hæc est cuculla, & hæc linteamina. Quod cum diceret, gutta vna frixuræ cecidit super manum ægri, & deuorauit eam vsque ad ossa, omnibus videntibus, & ait: Ecce nunc credite. Ecce nunc dæmones proijciunt me in sartaginem. Et hoc dicens expirauit. Vulnus etiam patebat semper, etiam post sepulturam.

2. In inferno nulla erit interpolatio panarum.

SECVNDO ad acerbitatis augmentum nulla erit ibi interpolatio vel interruptio, sed continuitas in tormentis. Aliquantulum solatium est ægroto, quando aliqua interpolationis requies est in morbo. Augmentum autem doloris, est continuitas passionis. Iudic. autem 20. scriptum est. *Non erat morientium requies.* Quod autem dictum est, *omnia mala ibi esse suis contrarijs imperminxta*; non est intelligendum, quod non sint ibi elementorum contrariæ qualitates, sed non habebunt ibi mutuas actiones. Cum enim qualitates elementares nunc inuicem se temperent, tunc tamen non se temperabunt in aliquo. Nam ardor ignis non mitigabit frigiditatem aquæ, nec econuerso; nec humiditas aeris, ignis vel terræ minuet siccitatem. Similiter amaritudo aquæ, non alterabit humiditatem aquæ, vel aeris; nec humiditas prædicta salsedinem aquæ vel amaritudinem temperabit; nec leuitas aeris, terræ minuet grauitatem. Hæc aliquo modo figurata sunt antiquitus in punitione seu flagellatione Ægypti. Sicut dicitur Sap. 16. *In aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Et infra eod. cap. *Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant.* Hæc autem patientur impij à creaturis extra se, quia *pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Et hoc per modos infinitos: quia quacumque re homo male vtitur extra Deum, illius rei esse quodammodo saluabitur in aliquo elementorum prædictorum, vt *per quæ peccat quis, per hæc etiam puniatur.* Sapientiæ 11. Præterea hoc etiam habebunt reprobi intra se quasi alium infernum, ex contrarietate qualitatum prædictarum; sicut dicunt aliqui. Quia cum ipsorum corpora composita sint ex quatuor elementis, perpetuò pugnabunt elementares qualitates in ipso corpore sicut extra. Erit autem hæc pugna grauissima, & ineffabili modo tanto atrocius, quantò intimius afflictiua. Horribilia sunt hæc prædicta ad cogitandum, terribilia ad nunciandum, sed grauissima ad sustinendum. Reuera super mortem omnia grauiora, id est plus quam mortem corporalem legimus & credimus omnia supplicia gehennæ grauiora. *Ad hoc facit exemplum suprapositum de Falcone.*

Contraria qualitates in inferno non se inuicem mitigabunt.

3. Pœna inferni erit generalis hoc est in omnibus partibus & potentijs animæ & corporis.

TERTIO ad cumulum acerbitatis facit generalitas afflictionis, quæ est intus & extra, in anima, & corpore post iudicium, & in omnibus membris. magis enim dolebunt in omnibus membris, quam si illorum singula euellerentur, vel scinderentur à locis suis, quia omnia intus & extra comburentur. Attende quantus est dolor vbi ignis ille se diffundet per omnes partes, sicut in ferro, & aliis metallis in fornace positis, quando homo pro toto mundo non sustineret combustionem vnius membri sui, in isto igne materiali. Ezech. 23. *Omnes isti stannum, ferrum, & plumbum, in medio fornacis,* &c. Exemplum sensibile quo faciliter possit quis imaginari acerbitatem huiusmodi, ponit Anselmus in libro de similitudinibus, ita dicens. Si ante oculos cordis nostri positus sit homo exempli causa, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam etiam in singulis membris, ferrum ignitum & candens, infixum habeat; vt nec medullæ, nec intestina, nec omnino quicquam in toto ipso, cruciatus immanitate careat, vel eam leuius quam in oculis aliquatenus sentiat: quid dicam? angustiatur. quis hunc sanæ mentis æstimet inter ista? si. n. tanta erit acerbitas in vno solo tormento, quid ergo in tãta diuersitate & pluralitate tormentorum, quæ simul concurrent in vno damnato?

Exemplum.

IN vitis patrum legitur, quod quidam iuuenes miserunt meretricem quamdam ad quendam solitarium, quæ asserebat eis quod faceret eum peccare secum: quæ venit ad cellam eius, dicens se esse errabundam; supplicans vt intromitteret eam infra domum suam, ne extra moreretur frigore, vel occideretur à bestiis. quod fecit ad vltimum, motus pietate: & cum illa multum sollicitaret eum, se nudans ad ignem, & verbis similiter & signis; & ille fugeret ad interiora cellæ ad orationem; sentiens motus surgere, comburebat digitos suos ad lucernam, dicens intra se. Miser si cum ista peccauero, ignem inferni quomodo sustinere potero, qui hunc sustinere non possum. & hoc fecit toties in nocte, quoties insurgebat tentatio, vsquequo manum quasi sibi totam combussit. Iuuenes autem irruentes, inuenerunt illam miseram mortuam, & eremitam habentem manus combustas. Ad cuius preces eam Dominus suscitauit; quæ dicebat, quod viderat flammam à summo cœlo vsque ad terram durantem, in quam debebat proijci.

HIS non obstat quod quidam dicebant, nempe quod nihil esset quod tantum timerent damnati, quãtum ne exirent de inferno; Et econuerso, Beati nihil tantum desiderabant, quantum egressum de Paradiso: quia hoc non esset nisi in die iudicij, quando recipient mali in corpore & anima pœnam gehennalem, & econuerso beati, duplicem remunerationem. De malis dicitur in Psalm. 107. *Inducntur sicut diploide confusione sua.*

4. Pœna inferni est prorsus inutilis ad meritum vel pœnæ diminutionẽ, &c.

QVARTO indicibiliter aggrauatur acerbitas, quia prorsus est inutilis. In præsenti vita pœna potest vtilis esse ad tria. Videlicet ad remissionem peccati, ad diminutionem pœnę futuræ, vel totalem solutionem; & ad meritum acquirendum, vel augmentandum. Pœna vero purgatoria futura, ad prima duo valet, sed non habet meritum. Sed pœna inferni ad nihil est vtilis, Bernard. *In inferno potest confessio esse, sed non prodesse.* Psalmus 6. *In inferno quis confitebitur tibi.* Eccles. 18. *A mortuo quasi nihil periit confessio.* Item lachrymæ nihil valent ibi. Aug. *Ibi peccatores frustra flebunt, quia peccatorum suorum veniam nunquam obtinebunt.* Item pœnitentia nulla valet ibi.

Exemplum.

VNDE dicit magister Ioannes de Abbatis villa Sabinen. Episcopus Cardinal. quod fuit quidam fœnerator, quem cum moneret suus sacerdos ad pœnitentiam, semper dicebat; bene, adhuc faciam, quia satis est adhuc de tempore. Similiter in infirmitate, bene adhuc faciam dicebat. Et cum improbe instaret sacerdos, videns periculum, ille subito rapitur quasi mortuus; & cum rediret statim, & adhuc instaret sacerdos, clamauit æger. O pœnitentia vbi es, de cætero pœnitere non valeo, hoc iudicante iusto iudice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui; & hoc dicens mortuus est.

De æternitate pœnarum inferni.

DISTINCTIO III.

GRAVIA sunt hæc, & horribilia ad cogitandum, terribilia ad nunciandum, sed grauissima ad sustinendum; supergrauissima vero, & non solum ineffabiliter, verumetiam inæstimabiliter humanum intellectum transcendentia, si præmissis addatur æternitas. & hoc est tertium quod supra fuit propositum in supplicijs reproborum; quia non solum est ibi pœnarum diuersitas innumerabilium, & acerbitas intolerabilis, verumetiam æternitas interminabilis. Non enim est ibi dolor momentaneus, non imaginarius, non transitorius, sed sensibilis, solidus, continuus, sempiternus: quoniam corpora damnatorum æternis ignibus ardebunt, & consumi omnino non poterunt. Sicut anima corpus viuificans, dolorem

Pœna inferni sunt interminabiles: vt patet auctoritate & exẽplis.

tolerare poteſt, & mori non poteſt. Quod ergo nunc perpendimus in animabus hominum, hoc tunc erit in corporibus damnatorum: vt eorum corpora ſempiternis ſupplicijs punienda, & in igne animas non amittãt & ſine interitu ardeant; vt quorum vita fuit hic in culpa mortua, illic eorum mors ſemper viuat in pœna. Vnde Iudith 16. *Dabis ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & viuant &* ſentiant, vſque in ſempiternum. Iſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Matth. 25. *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Et poſt. *Ibunt hi in ſupplicium æternum.*

HVIVS ignis ęternitatem Aug. probat in lib. de ciu. Dei, per montes Siciliæ Etnæ & Vulcani, qui flammis vſque hodie æſtuant, & integri perſeuerant. *Item* per exemplum Salamandræ, quę viuit in igne. *Item* per exẽplum lapidis Archadiæ dicti Abeſton, qui ſemel ſuccẽſus, nunquam extinguitur. Vnde dicitur quod fuit Fanum Veneris, in quo erant lucernæ ſub diuo de dicto lapide, quæ nunquam aliqua intemperie extinguebantur. Per hoc probatur, quod malorum corpora, Dei voluntate, poterunt ſemper durare & ardere. Itẽ ignis iſte non deficit, quamdiu materiã paratam inuenit: Similiter ignis æternus in materia immortali, ideſt in anima ſemper viuet. *Item* huius exemplum habes in vita S. Nicolai, de illo igne cui ſi manum apponas, ſentis ardoris afflictionem, ſed manus non pateretur cõbuſtionis deſtructionem, Bernard. in quibuſdam ſententijs. *In inferno peccati & carnis, ſimilis videtur eſſe conditio, quia culpa ſemper poterit ibi puniri, & nunquam poterit expiari, ſic nec in corpore poterunt tormenta finiri, nec corpus ipſum tormentis exanimari. Hæc fratres mei qui pauet, cauet, qui negligi, incidit.*

OSTENDIT Greg. in dial. 46. Quod ignis inferni ſit ęternaliter crucians animas pro culpa cum fine perpetrata; & quia homo offendit Deum ęternum, & quia in ſuo ęterno, in mala voluntate permanſit. Greg. in dial. 46. *Voluiſſent reprobi ſi potuiſſent ſine fine viuere, vt poſſent ſine fine peccare. Ad magnam iudicantis iuſtitiam pertinet, vt nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerũt carere peccato.* *Exemplum.* *Cogitando* de æternitate pœnæ dicitur, in ſumma de virtutibus, conuerſus fuiſſe Fulco Epiſcopus Toloſanus, qui cum eſſet primo iuculator, incepit cogitare, quod ſi daretur ei in pœnitentia, quod ſemper iaceret in pulcherrimo & molliſſimo lecto, ita quod nunquam pro aliquo recederet, non poſſet hoc ſuſtinere, quantominus ergo in pœna ineſtimabili: & factus eſt monachus Ciſtertiẽ. & poſt Epiſcopus Toloſanus.

ITEM idem Greg. in dial. 47. dicit. *Habent reprobi in inferno mortem ſine morte, defectum ſine defectu, finem ſine fine: quia mors eſt ibi immortalis, defectus, indeficiens, finis infinitus.* Bern. in lib. meditationum. *Excluſi reprobi à beata patria Paradiſi, cruciabuntur in gehenna, nunquam lucem viſuri, nũquam refrigerium habituri, ſed iuxta qualitatem culpæ quiſquis pœnam ſuſtinebit gehennæ; & ſimiles culpæ rei adiungentur ſui conſimilibus cruciandi: nihil ibi audietur, niſi gemitus, & luctus, & ſtridor dentium; nihil videbitur niſi vermes, & laruales facies tortorum, & teterrima monſtra dæmonum; in carne cruciabunt ibi per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem; vbi erit ſtridor intolerabilis, fætor incomparabilis, timor horribilis, ignis inextinguibilis. Etenim erit ibi ignis, & ſulphur, ſpiritus procellarum, mors corporis, & animæ, ſine ſpe veniæ, & miſericordiæ. Sic tamen morientur, vt ſemper viuant; viuent, vt ſemper moriantur.* Hanc mortem ſempiternam ante ſuæ mentis oculos attentè poſuerat, qui dicebat. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Dimitte me* inquit. Sępe namque peccator iniquitatis ſuæ vinculis cõſtringitur, vt pondus peccatorum toleret, & tamen quod tolerat ignoret. Sæpe autem cogitans quanto reatu aſtringitur, erumpere conatur; vt hunc in ſe, mente libera, conuerſione integra, perſequatur, & non poteſt. Flere ergo dolorem ſuum non valet, qui & iniquitatis ſuæ reatum conſiderat, & tamen præ terrenæ occupationis pondere, hanc ei gemere non vacat. Flere dolorem ſuum non valet, qui graue quidem conſuetudini contrarie nititur, ſed tamen adhuc ſuccedẽtibus carnis deſiderijs, prægrauatur. Tunc igitur ad plangendũ dolorem noſtrum Dominus nos dimittit, cũ & mala quæ fecimus nobis demonſtrat, & ad hæc etiam flenda quæ cognouimus, nos adiuuat. Tũc autem veraciter reatus noſtri dolor plangitur, cum illa inferni retributio cum formidine prędetur. *Antequam vadam & non reuertar.* Caueat diligenter, & vigilanter præuideat vnuſquiſq; dum viuit, quia quiſquis illuc ſemel iuerit, vlterius nõ redibit; quiſquis intrauerit, perpetuo non exibit, Sap. 2. *Non eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis.* Et Iſa. 38. *Dixi non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis; quaſi* diceret ille Rex egregius Ezechias: Domine Deus gemẽs doleo, & dolorem meum amare plango, antequam in inferni clauſtra deſcendam, quoniam ſi illuc ſemel exigẽtibus peccatis meis deſcendero, nec Deum meum vlterius videbo in gloria, nec hominẽ in hac peregrinatione terrena, nec quietem inueniam in æternæ calamitatis erũna: quia nequaquam vltra miſericordia parcentis liberat, quos iuſtitia vindicantis damnat. Dicit autem *antequam vadam*, non quia qui culpam deflet illuc iturus ſit, ſed quia proculdubio, qui flere negligit, illuc vadit. Sicut debitori ſuo creditor dicit: Solue debitum antequã conſtringaris: qui tamen non conſtringitur, ſi quod debet, ſoluere non moratur. *Ad terram tenebroſam.* Recte inferni clauſtra, tenebroſa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, non pœna tranſitoria, vel fantaſtica imaginatione cruciant; ſed vltione ſolida perpetuæ damnationis obſeruant. Sicut enim terra in æternum ſtat immobiliter, ita quos infernꝰ recipit ineuaſibiliter retinet, nec dimittit. Nota quod terra eſt viliſſimum, & fex omnium elementorum. ſed infernus eſt viliſſimus omnium locorum, quia in eo congregabuntur omnes fæces, & immundicię, & vilitates. Ideo de damnatis dicitur Ezec. 31. *Traditi ſunt in mortem ad terram vltimam, cum his qui deſcendunt in lacum.* Infernus etiam terra dicitur, quia ſuſceptos immobiliter retinet; & lacus dicitur, quia quos ſemel receperit, ſemper fluctuantes & trepidos, tormentis circunfluentibus abſorbet.

Infernus eſt viliſſimus omnium locorum.

TENEBROSAM, inquit, quia ibi erunt tenebræ dẽſiſſimæ, palpabiles, & horrendæ. Erunt enim ibi quadruplices tenebræ, duæ videlicet corporales, & duæ ſpirituales. *Primo* enim erunt ibi tenebrę ex ipſa obſcuritate loci, propter denſitatẽ aeris, & carentiam luminis ſolaris, vel cuiuſlibet alterius luminaris. Ignis etiam infernalis non prębet ſplendorem, ſed fumum fætidum & obſcurum. Licet enim ignis ardorem naturaliter exhibeat & fulgorẽ; ignis tamen infernalis concremationẽ exhibet, & lumen non habet: quamuis autem ad cõſolationem non luceat: tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam ſequaces quoſque ſuos ſecum viſuri ſunt reprobi, quorum amore deliquerunt, vt ipſorum intuitus eos ad augmentum ſuæ damnationis affligat. Ignis itaque qui in obſcuritate cruciat, lumen ad tormentũ ſeruat. *Secundo* erunt ibi tenebrę, ex turpitudine & opacitate corporum damnatorũ, quæ omni fuligine nigriora, horrendas tenebras ex ſe reddent. Quãtę ergo erunt ibi, ex tanta multitudine turpiſſimorum corporũ reſultantes? *Tertio* erunt ibi tenebræ interiores, quia reprobi interius excæcati, omni intellectus lumine priuabuntur, & omni cognitione carebunt, niſi eorũ duntaxat quæ deſolationem eis, & ſuppliciũ miniſtrabunt. *Quartò* erunt ibi tenebræ deteriores omnibus antedictis, ab æterna ſeparatione à contuitu ſummæ & incõprehenſibilis claritatis. Iſta quatuor genera tenebrarũ deſignantur hic, ſicut patet ſubtilius intuẽti. Nam primæ deſcribuntur cum dicitur, *Terram tenebroſam.* Tertiæ cum ſubditur. *Opertam mortis caligine.* Quartæ cum additur. *Terram miſeriæ, & tenebrarum.* Secundæ vero cum ſubiungitur. *Vbi vmbra mortis.*

In inferno quadruplices tenebræ.

TERRA *miſeriæ, & tenebrarum*: miſeria pertinet ad dolorem, tenebrę ad ęcitatem. Nam dolor ibi cruciat,

Ignis inferni non lucet ad conſolationẽ ſed ad tormentum.

ciat, quos à vero lumine diuisos, cæcitas intus obscurat. bene *terra miseriæ*, propter separationem ab æterna beatitudine. Et sicut beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sic miseria est omnium malorũ aggregatio. Sicut scriptum est Deuteronom. 31. *Congregabo super eos mala.* Verè magna miseria est, vbi pro omnibus mundi diuitijs, non posset haberi vnica gutta aquæ. Summa profecto miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest bene esse. Illa simul *miseriæ & tenebrarum terra est*, quia quisquis ad eius mala toleranda descenderit, ad diuinæ claritatis aspectum vlterius nullo modo redibit. Ibi profecto *vmbra mortis* est obscuritas diuisionis. Sicut enim mors exterior ab anima separat carnem, sic interiora Deo separat animam; quia damnatus quisque cum æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Vel de *vmbra mortis* potest intelligi obscuritas illa densissima resultans ex vniuersitate corporum damnatorum, vt dictum est; quæ propter sui turpitudinem, semper mortis imaginem in se gerunt.

In inferno est ordo iustitiæ vindicantis sed non pœnæ punientis.

Et *nullus ordo*. Sane erit ibi ordo iustitiæ, quia non decet Deum, qui summe bonus est permittere, quod sit deordinatio culpæ sine ordine iustitiæ. Hic autem ordo requirit, vt & culpa quælibet puniatur, & qui plus peccauit, amplius torqueatur. Secundum quod scriptum est Apocal. 18. *Quantum glorificauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et illud Deuteronom. 25. *Iuxta quantitatem delicti, erit & plagarum modus.* Præcipit etiam paterfamilias *zizania colligi, & ad comburendum in fasciculos alligari*, Matth. 13. vt pares paribus socientur, & pœnis paribus puniantur. Nam quos par culpa pariter inquinauit, par pœna similiter cruciabit. Par enim cruciat flamma supplicij, quos succendit par flamma peccati. Sicut igitur *in domo patris æterni mansiones multæ sunt.* Ioann. 14. id est differentia præmiorum, secundum differentiam meritorum; sic in inferno pro disparitate criminum, est & aduersitas tormentorum. Vnde Gregor. *Gehenna quamuis cunctis vna sit, non tamen omnes vna & eadem qualitate succendit. Sicut enim sub vno sole omnes tangimur, tamen non omnes vno ordine æstuamus; quia iuxta qualitatem corporis, sentitur & pondus caloris. Sic damnatis vna est gehenna quæ afficit, tamen non æqualiter comburit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.* Idem etiam Gregorius exponens illud Iob 20 *Iuxta multitudinem adinuentionum suarum sic sustinebit*, ait: *Qui multa inuenit ad culpam, nouis cruciatur inuentionibus in pœna. Nam quod hic suspicari non potuit, illic vltioni traditus sentit; quia & ipsi actiones ex quibus feriri debeant, inuenerunt. Et quamuis omnium damnatorum dolor sit infinitus, grauiora tamen tormenta recipiunt, qui multa iniquitatibus, suisque desiderijs inuenerunt.* Erit ergo ibi ordo diuinæ iustitiæ vindicantis, sed non erit ibi ordo pœnæ punientis. Similiter enim affligunt supplicia etiam contraria, non successiue. Dum enim pœna pœnæ pariter coexistit, pœnarum confusio plus affligit. Inde est, quod anima reprobi simul & semel intensissimum frigus patitur & ardorem: quoniam in eius culpa inuenta sunt simul, & carentia charitatis, & ardens concupiscentia voluptatis. Rursus non est ibi ordo naturæ, secundum Gregor. 9. Moral. *Quibuslibet rebus in pœnam surgentibus, propria qualitas non seruatur*: quia ibi simul est timor cum dolore, & dolor pariter cum timore. Ignis ardet, non lucet; nisi scilicet ad tormentum. Natura patitur non moritur, nec aqua poterit ignem extinguere, nec ignis aquam consumere. Quinimmo glacialis aquæ frigiditas, in nullo ignis mitigabit ardorem, nec ardoris ignis immensitas, in aliquo glacialem temperabit algorem. Vnde Beatus Gregor. ait: *Ibi mors perimit, & non funditus extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat. Flamma comburit, sed nullatenus tenebras excutit.* Supplicia ergo non habent ordinem, quia non suas qualitates per omnia tenent. Ibi fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia

In inferno pœna contraria simul affligunt.

A mors semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Ideo dicit Augustin. *O mors, quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti; te solam desiderabunt, qui te solam vehementer oderunt.*

In inferno horror ex multis oritur.

SEQVITVR? *Sed sempiternus horror inhabitans.* Diligenter attende, quod erit ibi horror de loci tenebrositate, quia sicut dictum est, ibi erunt tenebræ densissimæ palpabiles & horrendæ, & carentia omnis luminis. *Item* erit ibi horror ex consortij vilitate, scilicet omnium damnatorum, qui erunt turpissimi, & inæstimabiliter horridi. Vnde Iob 20. *Vadent & venient super eum horribiles. Item* erit horror cuilibet, de propria turpitudinis & vilitatis consideratione. Adeo namque semetipsos horrebunt inspicere, cum sint superbissimi, (qui tamen se non poterunt non videre) quod B præ confusionis horrore vellent omnino deficere, & si esset possibile, nihil esse. *Item* de pœnarum imaginatione & sui perpetua detentione, dicit Gregor. *Ibi sempiternus horror inhabitat, quia eius ignibus traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante semper pauore feriuntur.* Quis non horreat semper igne cremari, nec funditus mori; semper fumum tetterrimum sustinere, & nunquam lucem videre: semper impleri fœtoribus, torqueri cum dæmonibus, nullum inuenire solatium, nullum consilium, nullam habere spem euasionis? vbi semper circundant dolores mortis, ibi omnimoda desolatio, & ex desolatione desperatio, & ex desperatione odium Dei, & blasphemiæ nefandissimæ contra Deum. Patet ergo quam verè dictum sit, Hebræor. 10. *Horrendum est incidere in manus viuentis.* De desolatione lamentabili, & lamentatione inconsolabili reproborum, dicitur Sap. 5. *Vsque ad supremum desolabuntur.* Et de Babilonica ciuitate, id C est reproborum omnium congregatione, dicitur Isa. 24. *Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur; & erit terra eius in picem ardentem, & non extinguetur in sempiternum, & desolabitur in sæcula sæculorum.* Reprobi namque se peccasse dolebunt, & non peccasse non poterunt, nec eorum peccata deleri, vel purgari valebunt; quibus semper manentibus, & supplicia permanebunt. Tunc videbunt, quod qui pro vili & momentanea delectatione peccarunt, acerbissima sustinebunt supplicia; & quod pro amore temporalium bonorum, bona perdiderunt æterna, & insuper cruciabuntur æternaliter in gehenna; qui tamen per modicam breuemque pœnitentiam, & ista merendo acquirere, & illa euadere potuerunt. Vnde Sapient. 5. dicitur: *Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis; ambulauimus vias difficiles, viam autem disciplinæ ignorauimus: Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra &c. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt*: quorum continuus gemitus, eiulatus assiduus, cruciatus, æternus, E dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, non extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt; quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente sentiendi vita, pœna permaneat; & ad dolendum magis quam ad videndum, æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viuacibus, & mortalitas secundæ mortis occidat. Proinde omnes qui dicuntur in gehenna occidi, non ideo cum eis agitur, vt maximis consumpti doloribus aliquando deficiant, sed vt in illis pœnaliter viuant. Vnde Gregor. Exponens illud Iob 20. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*, ait. *Persoluit in tormentis ea, quę hic illicita seruauit desideria, & flammis vltricibus traditus, semper moritur, quia semper in morte seruatur.*

D

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non enim morte conſumitur; quia ſi conſumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur; ſed vt ſine fine crucietur, etiam ſine fine viuere compellitur; vt cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors ſemper viuat in pœna. Cruciatur ergo & non extinguitur; moritur & viuit, deficit & ſubſiſtit, finitur ſemper & ſine fine eſt. Hæc ſolo auditu valde terribilia ſunt, quanto magis paſſione.

ITEM B. Sebaſtianus dicebat, ſicut ſcribitur in legenda eius. Timenda ſunt tormenta inferni, vbi edax flamma incredulorum animas deuorat, vbi dracones blaſphemantium labra comedunt, vbi ſerpentes morſibus ſuis incredulorum pectora depaſcunt, vbi vlulatus & gemitus ſonat, clamor confuſus exagitat, incendij ardor extorquet. & hæc tribulatio nullo termino diffinitur, nullo fine clauditur, ſed flammarum atrocium exuſtione conſumetur, & ad rediuiua incendia iterum qui aduſtus fuerit, reparabitur. Item ipſe Sebaſtianus. Ipſe pœnarum dolor & cruciatus, qui huius vitæ amatoribus datur, cum ſit vehementior vniuerſis tormentis, nunquam finiendus aggreditur; & acrius ſubinde quam inchoauerit ſæuit; & nullus ſequienti terminus, nullus omnino finis occurrit, ſed habet ſecum vniuerſa ſupplicia, & ſuppliciorum genera. Subinde renouatur vt ſæuiat, augmentatur vt exterat, inflammatur vt vrat.

De pœnarum recordantium vtilitate.

DISTINCTIO IV.

Meditatio de pœnis inferni ad quatuor vtilia.

DEINDE conſiderandum eſt quanta ſit vtilitas de pœnis huiuſmodi profundè ſæpe, non tranſitoriè meditari. Cum autem hæc meditatio ſtudioſa ad multa ſit vtilis, ſpecialiter tamen ad quatuor ſalubris, & vtilis inuenitur. *Primo* quidem prouocat ad agendam pœnitentiam. Propter quod Pſalm. 9. orabat. *Conuertantur peccatores in infernum*, ſcilicet per conſiderationem, vt ſic ad pœnitentiam conuertantur.

1. Prouocat ad pœnitentiam.

Exemplum.

QVIDAM homo cum muliere coniugata inceſtum faciens, ſubito mortuus eſt in peccato, pro quo cum illa dolens, deſideraret ſcire quomodo eſſet ei; illi iacenti in lecto ſuo miſer apparuit, totus ardens quemadmodum ferrum candens, & ait. Vide qualis ſum exterius, & ex hoc cogitabis aliqualiter, quomodo propter peccata mea mihi ſit interius. Tunc ipſe in oculis eius ardentem vrinam velut metallum bulliens emiſit, cuius ardor terram comburere videbatur, necnon penetrare ac etiam ſubintrare. Poſt hoc illo diſparente, mulier valde perterrita, peccatum funditus dereliquit, egitque pœnitentiam valde duram. Nota quod ſicut ignis & fumi propinquitas, fletum & lachrymas prouocat, ſic & meditatio ignis & fumi infernalis, lachrymas compunctionis extorquet. Vnde quidam dixit, ſi non potes habere lachrymas, pone oculos tuos ad fumum inferni, & ardorem eius, & ad vehementiam Aquilonis, à quo panditur omne malum, & ſic habebis.

Simile.

Exempla.

ITEM in vitiſpatrum. Cum quidam quæreret ab Abbate Amone verbum ſalutis, inter alia dixit ei. Memorare eorum quę in inferno ſunt, & cogita apud temetipſum quomodo ſunt ibi animæ, in quam amaro ſilentio, aut in quo peſſimo gemitu, vel in quali metu & certamine, vel in quali expectatione & dolore, ſine mitigatione; & infinitas lachrymas funde. *Legitur* in vitiſpatrum, quod puella quędam patrem habuit religioſum valde, & timentem & amantem Deum, & matrem luxurioſam & inhoneſtam. Iſta autem bonæ indolis patrem imitabatur. Pater autem eius graui languore & cum multa miſeria vitam finiuit. In cuius morte ita commotus eſt aer, & tanta facta eſt intemperies, quod vix potuit ſepeliri. Matre autem mortua in magna proſperitate, magna facta eſt ſerenitas, ita quod viderentur ſeruire ei elementa, & cum maximo honore eſt ſepulta. Et cum filia cogitaret, cuius vita eſſet magis eligenda; & videretur quod matris cui ita proſpere ſemper ſucceſſerat in peccato ſuo, & videbatur habuiſſe tam pulchrum finem; viſum fuit ei quod ipſa duceretur ad loca tormentorum, & quod videret ibi matrem ſuam mirabiliter torqueri à dæmonibus, & cum alijs peccatoribus. Poſtea ducta eſt ad locum inæſtimabilis claritatis, in quo vidit patrem ſuum cum alijs multis ſpecioſiſſimum, & ineffabiliter exultantem; quem cum ipſa rogaret vt poſſet ibi morari, & remanere cum eo; ille affirmat, quod ſi vellet ibi cum eo morari, vitam duceret illam, & pœnitentiam, per quæ ipſe ad illa bona deuenerat; Aliter ſi matrem imitaretur, cum matre puniretur. illa autem rediens à viſione, in bona vita perſeuerans, patrem eſt imitata.

VNDE Proſper de vita contemplatiua. *Hæc & his ſimilia libenter audire & legere, ingiter ante mentis oculos adducere, futura credere, ſine vlla perturbatione metuere, cogitare quale malum ſit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatiſſima ſanctorum omnium ſocietate priuari, fieri patriæ cœleſtis extorrem, mori beatæ vitæ, morti viuere ſempiternæ, in ignem æternum cum diabolo & Angelis eius impelli, vbi ſit mors ſecunda damnatis, exilium, vitæ ſupplicium; non videre in illo igne quod illuminet, ſentire quod cruciet, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathri fumantes amara caligine oculos excæcari, in profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc & multa alia his ſimilia cogitare nihil eſt aliud, quam vitijs omnibus libellum repudij dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.*

2. Dat in tentatione conſtantiam. Exempla.

SECVNDO dat in tentatione conſtantiam. In vitis patr. legitur, quod quidam iuuenis tentatus quærebat conſilium à ſene, quomodo euaderet tentationem. Cui ille dixit, quod faceret ſicut nutrix, quæ cum vult ſeparare puerũ ab vbere, ponit deſuper aliquod amarum: quod ſentiens puer refugit: ſic tu tentationi amaritudinem inferni. *Item* legitur in Barlaam, vt dicit Io. Damaſc. quod cum Theodas incantator, miſiſſet contra Ioſaphat regis filium ad eum ſubuertendum, multitudinem & dæmonum, & puellarum pulcherrimarum, & quædam ſpecioſiſſima regis filia ſuaſiſſet ei, vt coniungeretur ei matrimonialiter; nec ſic poſſet ipſa, vel alię, aut Dæmones, eum amollire; quia ſemper ad fletum, & ad orationem recurrebat: ad vltimum promiſit ei dicta regis filia, quod fieret Chriſtiana ſi ſemel vna nocte eius optato concubitu frueretur; oſtendens quantum eſſet ei meritum, vnam animam lucrari Deo. Cum autem motus pietate, & illectus aliquantulum eius pulchritudine, cæpiſſet cogitare quod hoc non eſſet magnum peccatum facere, pro hac anima Deo lucranda: Hoc etiam facere metuens, proſtraret ſe in pauimento ad orationem, flens multum. Et poſt ibi quaſi dormiens, vidit quoſdam valde terribiles, qui eum rapiunt & educunt ad pratum inæſtimabilis odoris, & ad ameniſſima loca, vbi erant omnia delectabilia & iucunda, & audiuit vocem dicentem ſibi. Hic eſt requies iuſtorum. Poſtea ducitur ad locum totũ huic contrarium, omni miſeria & infœlicitate plenum, & dictum eſt ei. Hic eſt locus peccatorum, poſt reductus, & ad ſe reuerſus, tremebundus factus, ſenſit pulchritudinem puellæ prædictæ, & aliarum, fœtidiorem ſtercore. Dęmones autem confuſi ad Theodam ſunt reuerſi, ſuam deiectionem & confuſionem inuiti fatentes. *Item* ſupra, de pœnæ generalitate, de eo qui comburebat ſibi digitos. *Item* dicitur in vitiſpatrum, de eo, qui tẽtatus, ad ſolem Ægypti nudum ſe ponebat, quærens quomodo poſſet ſuſtinere inferni iguem, qui non poterat ſolem ſuſtinere.

Exempla.

ITEM in vita B. Antonij legitur, quod cum diabolus tentaret eum, offerens ei imaginarie ſpeciem ornatiſſimæ mulieris, ipſe ſemper opponebat meditationem infernalis incendij. Vnde diabolus apparuit ei in ſimilitudine paruuli & teterrimi Ethiopis, dicens ſe eſſe ſpiritum fornicationis victum ab eo. *Item* ad idem dicit Egiſyppus de cladibus Iudæorum, libr. 5. Cum Titus Vaſpaſiani filius obſediſſet Ieruſalem, & animaret ſuos ne timore mortis deſiſterent, vel deficerent, vel recederent

derent à prælio; proposuit eis exemplum Leonidis, qui fuit de socijs Alexandri Magni; qui cum instaret prælium, & videret innumerabilem exercitum Persarum contra trecentos Lacedęmones, quibus ipse Leonides præerat, ait suis: prandeamus hodie in terris, quia sumus cænaturi apud inferos. Quod apud Lacedæmonios adeo valuit, quod nullus, vno excepto, à prælio se subtraxit, sed pugnauerunt, & victores fuerunt. Qui autem cogitat, quam mala sit cæna inferni, viriliter dimicat ne vincatur, & victus & captus ad illam teducatur.

3. Confortat ad patientiam.

TERTIO confortat ad patientiam, quia præsentes pœnas & aduersitates leuigat, vt respectu futurorum leuissimæ reputentur. Gregor. *Sancti temporalem pœnam luctum putant, quia per hanc æternam euadere non formidant,* vt supra dicit, Augustin. de pœnæ acerbitate. Et Sebastianus, quod *iste est quasi ignis pictus ad verum ignem,* &c. Item supra de illo qui dicebat, quod tota vita pœnitentiæ suæ, & labor quo arctissimè per octuaginta annos se afflixerat, non erat æquiparabilis vni diei laboris illius.

4. Prouocat ad sui & mundi contemptum. Exemplum.

QVARTO ad contemptum mundi, & sui prouocat. In legenda B. Ioan. Euangelistæ dicitur, quod cum quidam mundum contemnentes, ad prædicationem B. Ioannis, aurum & gemmas vendidissent, & pauperibus dedissent; Videntes postmodum se pauperes & abiectos, & seruos suos magnos effectos in hoc mundo, de hoc quod fecerant pœniterent: B. Ioannes, facto auro de virgis, & de sabulo gemmis, ab eis erogata restituit eis. Cum autem ad instantiam multorum, B. Ioannes quendam iuuenem qui mortuus efferebatur, suscitasset; & ille eis referret quæ præmia amiserant & gaudia, & quæ supplicia eis parata erant, ex eo quod ad vomitum rediissent; & quomodo bonos Angelos de sua ruina flere faciebant, & malos gaudere; illi redditis gēmis & auro, se & mūdum postmodum propter Deum contempserunt.

Exempla.

ITEM cum magister Iordanus bonæ memoriæ dixisset multa, ad conuertendum quendam nobilem Comitis filium, & videret quod non posset eum mouere ad contemptum mundi, & introitum ordinis per verba sua. Cum ille cui loquebatur esset iuuenis speciosissimus, rogauit illum quod cum respiceret membra sua, semper cogitaret quod magnum damnum esset, si tam pulchra membra essent pabulū incendij æterni. Quod cum ille sępe faceret, ad illa verba creditur fuisse ad ordinis introitum inductus. *Item* ibidem parum ante. Cū B. Bernardus omnes fratres suos ad suæ religionis habitū adduxisset, solo patre in sæculo remanente: veniens in villam suam, & prædicans ibi iuxta truncum antiquissimum, in præsentia patris sui; cum videret eius duritiam, præcepit hominibus qui in circuitu trūci sicca ligna apportauerant vt ipse eis mandauerat, ignem succenderent. Quo facto ligna sicca cito succēsa sunt, & truncus tardè, circa medium ab extremis, emittens humorem fœdum, & fumum teterrimum, diu ignem seruauit. Tunc incepit sanctus loqui de pœnis inferni. Dixitque patri, quod ille esset similis illi trunco, qui hic non poterat igne diurno succendi, nec flere peccata sua, nec suspirare ad Deum; sed ipse in inferno nisi pœnitentiam ageret in æternum arderet, fleret, & fætentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater dictus compunctus, eum secutus est, & Monachus factus est.

Exemplum.

ITEM cum scholaris quidam Parisius, quendam socium suum de nouo religionem ingressum, visitans rogaret eum vt aliquod verbum ei diceret, quod cor eius ad compunctionis gratiam emolliret; dixit ei. Nolo vobis aliud prædicare, nisi quod amore mei, quando cameram vestram intraueritis, & videritis lectum vestrum, cuius culcitra valde mollis est, & coopertoria delicata; cogitetis qualem cameram, qualem culcitrā, & qualia coopertoria habebitis in inferno. Dicitur enim Isa. 13. *Concidit cadauer tuum, detracta est ad inferos superbia tua, subter tegetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Quibus auditis, illa verba adeo sunt in corde eius infixa, quod nec in camera, nec in lecto, potuit dormire, nec quiescere, donec religionem intrauit.

VNDE summè nobis est vtile, inferni considerare nouissima, iugiter ante mentis oculos ponere, frequēti meditatione reuoluere, necnon & viuaciter memoria retinere miserias infernales; vt eas timere, & timendo vitare discamus, peccata cuncta cauere ne fiant, & iam facta diluere, ac pœnitentiam salutarem agere studeamus. Sicut docet & hortatur Prosper in libro de vita contemplatiua, dicens: *Ad pœnam quæ peccato debetur, mens antequam peccet aspiciat, cruciatus ac dolores qui sequi solent peccatorem, carnalibus incentiuis opponat; & nihil eam peccatum delectet, nec ad peccandum delectatio vlla carnalis inclinet. Si enim eo tempore quo quis peccare deliberat, attenta mente consideret, quæ pœna afficiat in suis facinoribus deprehensos, quod supplicium conuinctos excruciet, quis tremor membra quatiat, pallor ora profundat, quantum denique execrabilem omnibus reddat etiam ipsum sordidæ opinionis opprobrium, nescio an possit quibuslibet vitijs accommodare consensum.*

De acerbitate, & æternitate pœnarum.

DISTINCTIO V.

DEINDE ponendæ sunt aliquæ quæstiones, quæ moueri solent, tam de acerbitate, quam de æternitate pœnarum huiusmodi. De acerbitate quidem valde mirum videtur aliquibus, & incredibile reputatur id quod dictum est de acerbitate pœnarum infernalium. Cum enim Deus sit summè misericors, semperque citra condignum puniat peccatores; Sicut tota scriptura sacra clamat, & omnes sancti testantur; quomodo credendum est tam ineffabiliter acerbas pœnas infligere, illis prępcipuè quos nouit magis ex ignorātia, vel infirmitate, quam ex malitia deliquisse. Cæterum si secundum rectitudinem æquitatis, quam ipsemet in lege sua constituit, *iuxta mensuram delicti debet esse & plagarum modus.* Deuteronom. 25. & Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit quis, tantum date illi tormentum, & luctum:* videtur quod secundum quantitatem delectationis in crimine, mensurari debet quantitas acerbitatis in punitione. Ad ista breuiter est dicendum, quod cum in quolibet mortali peccato sint duo. Videlicet auersio à summo bono commutabili, & conuersio ad bonum commutabile, tam ratione conuersionis, quam ratione auersionis, debet esse tanta acerbitas in supplicijs reproborum, sicut superius est expressum. Ratione conuersionis dico, id est amoris, & adhæsionis, seu etiam delectationis in peccato, mensurari debet acerbitas in tormento; non solum quam peccator habuit, sed potius quam habere voluit: quia Deus non tantum extrinsecas considerat actiones, verumetiam intrinsecas voluntates; nec considerat quantum, sed ex quanto in eius sacrificio quis impendit, vel in flagitio quod committit. Cum igitur impius ex improba voluntate non apponat modum in delectatione peccati, nec tantam delectationem vnquam inuenire potest, quin semper vellet si posset amplius delectari: ideo Deus, qui corda pensat non facta, pœnas infligit, non secundum delectationem habitam, sed quæsitam. Ratione auersionis luce clarius id appareret. Tanta namque est offensa, quantus ille qui offenditur: vnde non æqualis est culpa, nec æqualis est pœna eius qui percussit rusticum, & qui militem; vel eius qui militem, & qui regem. propter quod constat, quod omnis culpa mortalis, per quam Deus bonitate & maiestate infinitus ostenditur, merito debet infinita iudicari, & infinita meretur pœna puniri. De immensitate autem pœnæ reproborum, partim Deus remittit, qui etiam in puniendo, & iustitiam exercendo, non obliuiscitur misereri, *nec continet in ira sua misericordias suas,* sed citra condignum pœnas in

Peccatū mortale meretur pœnam æternā tum propter conuersionē ad bonum cōmutabile ex affectu perpetuo fruendi, tum propter auersionē à summo bono infinito.

fligit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſligit. Iuſtè tamen in ſummè malum mereretur incidere, qui ſummè bonum non veretur offendere. Et ſicut qui vitam deſerit, mortem incurrit, ſic qui ſponte ſummè bonum deſerit, in ſupplicium ſummè malum incidit.

DE ÆTERNITATE ſimiliter pœnarum infernalium mouent aliqui quæſtionem. Nam ſicut ait Gregor. 34. libro Moral. *Sunt nonnulli, qui idcireo peccatis ſuis imponere finem negligunt, quia quandoque finem habere futura ſuper ſe iudicia ſuſpicantur. Sed ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt etiam gaudia bonorum. Per ſemetipſam namque veritas dicit. Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Si ergo hoc verum non eſt, quod comminatus eſt; neque illud verum eſt, quod promiſit. At inquiunt*, ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, vt eos à peccatorũm perpetratione compeſceret; quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius reſpondemus, quod ſi falſa comminatus eſt, vt ab iniuſtitia cohiberet; etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret. Et quis eorum veſaniam toleret, qui dum promiſſionibus ſuis reproborum ſupplicia finiri aſſerunt, etiam aſſertione ſua, electorum præmia & remunerationes confundunt? Quis eorum veſaniam toleret, qui conantur aſtruere verum non eſſe, quod veritas de ęterno igne cominata eſt: & dum ſatagunt Deum perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem? *At inquiunt*, ſine fine puniri non debet culpa cum fine. iuſtus eſt Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. *Quibus* etiam reſpondemus, quod recte dixerunt, ſi iuſtus iudex diſtrictuſque veniens, non hominum corda, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluiſſent quippe ſine fine viuere, vt ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Et ideo hic ſemper viuere cupiunt, vt nunquam deſinant peccare dum viuunt. Ad diſtricti igitur iudicis iuſtitiam pertinet, vt nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Et nullus iniquo detur terminus vltionis, quia quamdiu valuit, terminum noluit habere criminis. *At inquiunt*. Nullus iuſtus crudelitate paſcitur. Et delinquens ſeruus à iuſto Domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo cædit, cum Dominus eius non eius cruciatibus delectatur. Iniqui autem geheunæ ignibus traditi, quo fine ſemper ardebunt? Et quia certum eſt, quod pius atque omnipotens Deus non paſcitur cruciatibus iniquorum cur cruciantur miſeri, ſi non expiantur? *Quibus* citius reſpondemus, quod omnipotens Deus quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur; quia autem iuſtus eſt, ab iniquorum vltione in perpetuum non ſedatur. Sed iniqui omnes æterno ſupplicio, & quidem ſua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur; ſcilicet vt iuſti omnes, & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in iſtis reſpiciãt ſupplicia quæ euaſerunt: vt tanto in æternum diuinæ gratiæ ſe magis debitores eſſe cognoſcant, quanto in æternum mala conſpiciunt puniri, quæ eius adiutorio vitare potuerunt.

Non eſt contra pietatem & bonitatẽ Dei peccata æternaliter punire, cum ſtrictè exigat diuina iuſtitia.

Quia finis punitionis impij.

NOTANDVM igitur, quod peccata, quæ temporaliter hic geruntur, illic æternaliter puniuntur multiplici ratione. Primo quidem, quia peccatum committitur contra Deum qui infinitus eſt; & ideo pœna debet eſſe ęterna, non quidem acerbitate, quia talis infinitas non poſſet eſſe in creatura, & quia Deus citra condignum punit; ſed eſt infinita duratione. Secundo, quia homo peccauit in ſuo æterno vt dictum eſt; voluntas namque peruerſa peccandi, & in peccato manendi, quantum eſt de ſe æterna eſt; quia vellet in peccato ſi poſſet ęternaliter delectari, ideo debet ęternaliter puniri. Tertio, quia materia ignis infernalis eſt æterna, & macula peccati eſt inexpiabilis, ſeu indelebilis & æterna, ideo & pœna debet eſſe æterna. Nunquam enim debet eſſe dedecus culpæ, ſine decore iuſtitiæ. Quarto, quia voluntas reproborum iam exiſtentium in inferno, incorrigibilis eſt, & in affectu malignitatis, æterna. Sicut ſcriptum eſt. *Superbia eorum qui te oderũt, aſcendit ſemper.* Voluntas ergo damnati, licet amiſerit poteſtatis effectum, ſemper tamen habebit malignitatis affectũ; & ipſa erit in inferno ſupplicium, quæ fuerat in mundo peccatum. Impius ergo, quia ſemper habebit reatum ex malitia, ſemper in ſe ſentiet cruciatum ex pœna. Et quia de peccato perpetrato nunquam habebit veram pœnitentiam, ideo nunquam reuocabit Deus punitionis eius ſententiam. Quinto, quia impius peremit in ſe bonum, quod poſſet eſſe æternum, id eſt gratiã, de qua dicit Apoſtolus Rom. 3. *Gratia Dei vita æterna.* Ideo dignus eſt morte æterna.

AD hoc idem inducuntur exempla. Videmus enim quod emptio temporalis dat ius perpetuum poſſidendi. Item verberatio temporalis & tranſitoria, infert mortem, quæ eſt perpetua. Item crimen læſæ maieſtatis eſt temporale, ſeruitus vero perpetua. Item caſus in foueam temporalis, & detentio perpetua. Non debet ergo eſſe mirum, ſi propter peccatum, quod in breui tempore perpetratur, impius æternaliter cruciatur. Quonaim autem præmiſſa non ad ſciendum tantum ſcripta ſunt, ſed potius ad vitandum; non propter ſpeculationem, ſed propter praxim, id eſt operationẽ; non propter inſtruendum ſcientialiter intellectum, ſed magis ad mouẽdum affectum; vt videlicet excitetur ſomnolentia, excutiatur negligentia, terreatur audacia, cõfringatur duritia, confundatur impudentia peccatorũ; vt ſcilicet qui boni ſunt ad meliora efficacius excitentur, qui vero mali ſunt citius corrigantur, & qui obſtinati ſunt inexcuſabiliter condemnentur; Plus autem mouent exempla, quàm verba: ideo ſubſcribuntur aliqua diuinitus reuelata, & ad noſtram eruditionem oſtenſa; quoniam non modo propter eos qui ea viderunt oſtendit ea Dominus; ſed propter nos, & omnes generaliter, qui ex auditis voluerunt occaſionem ſumere vitam ſuam in melius corrigendi.

Exempla.

De reuelationibus.

DISTINCTIO VI.

DENIQVE non ſuperuacuum eſſe puto, hic recitare reuelationes aliquas, oſtenſas diuinitus ad declarationem & confirmationem aliquam prædictorũ. In Anglia vir quidam viribus corporis valde potens, poſt multa peccata compunctus in conſcientia, propoſuit ire Hieruſalem, ibique in Dei ſeruitio expendere reſiduum vitæ ſuæ. Cui ſuper hoc voto ſeu propoſito, quendam Abbatem Ciſtercienſis ordinis conſulenti, perſuaſit dictus Abbas vt crucem religionis aſſumeret, ac ad cęleſtem Hieruſalem quantocius properaret. Ingreſſus autem & feruenter incipiens, tentatus à ſatana mutauit propoſitum, volens terram ſanctam ſicut prius vouerat perſonaliter viſitare. Eadem vero nocte dæmonem quendam ſuper vnam trabem dormitorij in ſpecie ſimiæ ſedentem vidit. Sed quia tales beſtiæ non nutriuntur in ordine, cogitauit quod non ſimia, ſed diabolus eſſet. Qui ſe ſentiens cognitum, ſubito deſcendens de trabe ſuper eum, verberauit eum tam fortiter, quod de naribus eius & ore, ſanguis vbertim exiuit. Quo clamante, dæmon euanuit. Et excitati fratres accurrunt, videteſque grauiter verberatum, mirantes qualiter hoc ei accidiſſet, in infirmariam detulerunt. Iacens autem tribus diebus velut exanimis, apertis carneis oculis nihil vidit. Sed Deus ei multa per Angelum reuelauit. Inter cætera duxit eum Angelus ad terram tenebroſam & horridam nimis, regionem videlicet vmbrę mortis. Vidẽs autem ibi fratres quoſdam horribiles, putauit quod ibi eſſet infernus. Sed Angelus dixit ei. Non eſt hic, ſed illę turres infernales camini ſunt, per quos flamma & fumus infernales exeunt. Poſt hæc vident hominem in ardenti cathedra ſedentem, ante quem quędam pulchræ mulieres erant,

Exemplum.

Quinq; ſunt rationes cur peccata tẽporalia debẽt æternaliter puniri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quarum ſingulæ ardentes, cereos ardentes in os eius & faciem impingebant, & per eius intranea ardentes ſimiliter extrahebant. Hic homo ait Angelus, fuit in ſæculo ſuæ carnis amicus, & inimicus animæ ſuæ; luxurioſus videlicet, & guloſus. Cathedra namque ſignificat, quod potens fuit in malitia. Amauit mulieres, & ideo maligni ſpiritus in tali ſpecie torquent eum. Poſt hæc vident hominem, quem teterrimi ſpiritus viuum excoriabant, & fricabant cum ſale, & ſuper craticulam aſſabant. Hic inquit Angelus, potens fuit & crudelis in ſubditos. Poſt hæc vident hominem ſuper equum ardentem, clypeum igneum gerentem, qui ſuper collum equi capram ferebat, & ad caudam equi ſui habitum monachi trahebat. Hic inquit Angelus, pauper homo fuit, ſemper de raptu vixit. Inter cętera rapuit capram vnam à quadam paupere muliere. Circa finem vitæ ſuæ voluit fieri monachus, non tamen verè pœnitendo, ſed vt ignominiam ſuam parumper tegeret. Cogitabat autem, quod ad vitam priorem rediret ſi viueret, & ideo trahit religionis habitum, ſicut rem quam paruipendebat. Capra autem & clypeus, tormenta ſunt ſuæ damnationis. Poſt hæc vident diuerſas perſonas religioſas monachorum, monialium, epiſcoporum, ſacerdotum, ac etiam clericorum; Quorum quidam ridebant, cachinnabant; alij conuiciabantur, alij gulæ ſatiandæ ſtudebant, alij libidini ſuæ complendæ vacabant; non quia poſt mortem ſint ibi huiuſmodi voluptates, ſed ad maiorem confuſionem ſuam & tormentum, præteritorũ ſuorum criminum ſimilitudines repræſentabant, dæmonibus ad hoc eos cogentibus. Qui etiam poſtmodum percutiebant eos de fuſtibus ſuper capita ſua, vſque ad excuſſionem cerebrorum, & eiectionem oculorum, & hoc inceſſanter agebant. Vidit etiam alia genera tormentorum, miro modo diuerſimodè diſpoſita, ſecundum diuerſitatem variam peccatorum.

De viſione quadam Tundali.

Exemplum. ANNO Domini milleſimo centeſimo, quadrageſimonono. Oſtenſa fuit hæc viſio quæ ſequitur. In Hybernia fuit homo, Tundalus nomine, nobilis genere, crudelis in opere, forma corporis egregius, fortitudine robuſtus, de ſalute animæ ſuæ nihil ſollicitus, grauiter ferens ſi quis eum de ſalute animæ ſuæ, vel breuiter admonebat, eccleſiam negligebat, pauperes Chriſti nec videre volebat, ſcurris & ioculatoribus quicquid habebat pro vana gloria tribuebat. Hic in domo ſodalis ſui volens cibum ſumere, repente percuſſus inuiſibiliter, manum quam extenderat ad os ſuum non potuit replicare. Clamanſque terribiliter, ſe mori teſtatus eſt. Statimque corruit corpus eius velut mortuum, omnium membrorum officijs deſtitutum. Adſunt omnia ſigna mortis, accurrit familia, tollitur cibus, exclamant armigeri, plorat hoſpes, corpus extenditur, pulſantur ſigna, conuenit clerus, miratur populus, totaque ciuitas ſubita boni militis morte turbatur. Ab hora decima in quarta feria, vſque ad eandem horam in ſabbato, ſicut mortuus iacuit: quia tamen calor modicus in ſiniſtra parte pectoris, à diligenter palpantibus ſentiebatur, eum ſubterrare noluerũt. Poſt hæc reſumpſit ſpiritum, & debili ſtatu quaſi per vnius horæ ſpacium, reſpirare cœpit, & mirantibus cunctis, debiliter circumſpicere. Interrogatus ſi communicare vellet, petiuit humiliter afferri ſibi corpus Domini. Quo deuotè ſumpto, cœpit cum gratiarum actione laudare Deum, & dicere. O Deus æterne, maior eſt miſericordia tua, quam iniquitas mea, licet magna ſit nimis. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas; & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.* Statimque ſub teſtimonio, omnia quæ habebat diſtribuit, & dedit pauperibus; vitam priſtinã funditus ſe relicturum deuouit, ac cuncta quæ viderat, & paſſus fuerat, ad Dei laudem & audientium vtilitatem retulit, ita dicens.

Viſio Tundali. CVM anima mea corpus exueret, & illud mortuum iam crederet, reatus ſui conſcia formidare cæpit & tremere, ſed quid ageret neſciebat. Timebat enim, ſed quid timeret ignorabat; volens ad corpus redire, intrare non poterat; foras exire non audebat, quia vbique timebat. Flens igitur & tremebunda, & quid ageret neſcia, & in nullo confidens niſi in Dei miſericordia; Tandem vidit ad ſe tantam dæmonum multitudinem venientem, vt non ſolum totam domum, & eius atrium; ſed etiam vicos, & plateas ciuitatis impleret, & miſeram animam circundantes, dixerunt. Cantemus huic miſeræ animæ debitum mortis canticum: quia filia mortis eſt, & cibus ignis inextinguibilis, inimica lucis, & tenebrarum amica. Et conuerſi ad eam, ſtridebant dentibus in ipſam, dicentes: Ecce miſera populus quem elegiſti, cum quibus in æternum arſura, intrabis in infernum. Nutrix ſcandali, amatrix diſcordię, quam & nos amamus, quare modo non ſuperbis, quare non adulteraris, vbi eſt vanitas tua, inepta lætitia, immoderatus riſus; vbi eſt fortitudo tua qua plurimis inſultabas? Quare modo nõ annuis oculis, teris pede, digito loqueris, prauo corde machinaris malum, ſicut ante ſolebas in vanitatibus, & voluptatibus tuis? *Inſultatio dæmonum.*

CVM hæc & ſimilia dicerent, vidit à longe quaſi ſtellam lucidiſſimam ad ſe venientem, in quam ſtatim infatigabiles fixit intuitus, ſperans ſe per eam aliquod ſolatium percepturam. Erat autem Angelus eius. Qui cum appropinquaſſet ſalutauit eum nomine proprio, dicens: Aue Tundale. Videns ille iuuenem ſpecioſum nimis, & audiens ſe proprio nomine ſalutatum, præ timore ſimul & gaudio ſic reſpondit. Heu Domine pater, *dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis*. Cui Angelus, modo me voces Dominum & patrem, quem ſemper tecum habẽs, nunquam alias dignum me tali nomine iudicaſti. Cui Tundalus. Domine, vbi vnquam te vidi, aut dulciſſimam vocem tuam audiui? ad quem Angelus. Ego à natiuitate tua tecum ſempet eram, & quocunque ibas te ſequebar, & nunquam conſilijs meis acquieſcere voluiſti. Et extendens manum in vnum immundorum ſpirituum, qui eis verbis maledicis inſultabant. Ecce inquit ille, cuius voluntati & conſilio obtemperabas. Sed aderit tibi Dei miſericordia, quam tamen non meruiſti. Eſto igitur ſecura & læta, quia pauca de multis quæ merueras patieris. ſequere me, & quæcunque tibi monſtrauero memoriter tene; quia ad corpus tuum iterum reuerteris. Tunc illa vehementer perterrita, propius acceſſit ad Angelum. Dæmones hoc audientes, & mala quæ minabantur, ei inferre non poſſe videntes, blaſphemauerunt, Deum iniuſtum eſſe dicentes; quia non ſicut promiſerat, vnicuique ſecundum opera ſua reddebat. Poſt in ſemetipſos inſurrexerunt, & plagis multis ſe percutientes, illum cum furore nimio & indignatione relicto, cum triſtitia receſſerunt. *Appuritio Angeli cuſtodis.*

ANGELVS autem dixit ad animam. Sequere me. At illa reſpondit. Heu Domine mi; Si tu præceſſeris, iſti retro me rapient, & æternis ignibus tradent. Ad quam Angelus. Ne timeaſ, quia plures nobiſcum ſunt, quam cum illis. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis*. Simul autem pergentes nullumque lumen præter ipſius Angeli ſplendorem habentes, venerunt ad vallem valde terribilem, tenebroſam, & opertam mortis caligine. Erat autem profunda, & carbonibus ardentibus plena; ſuper os anguſtum, operculum ferreum habens ſpiſſitudinis ſex cubitorum, quod ardore nimio ipſos carbones ſuperabat ardentes, cuius fætor omnes quas anima vnquam fuerat experta tribulationes, ſuperabat. Super illam laminam deſcendebat magna multitudo infelicium animarum, & illic cremabantur, donec ad modum cremij in ſartagine liqueſcerent. Et quod erat grauius, per illam laminam colabantur, ſicut colatur cera per pannum. Et iterum in carbonibus igneis ardentibus

Pœna homicidarum.

dentibus renouabantur ad tormentum. Et post hoc ait Angelus. Ducemur ad maiores. Hæc erat pœna patricidarum, fratricidarum, & homicidarum. Tu autem licet homicida sis, modo tamen non istam patieris.

POST hoc venerunt ad montem miræ magnitudinis, horroris magni, & vastę solitudinis, qui transeũtibus angustum valde prębebat iter. Ex vna parte montis huius, erat ignis putridus, sulphureus, & tenebrosus. Ex altera parte nix glacialis, & ventus horribilis. Erat mons ille tortoribus plenus, qui furcas ferreas ignitas habebant, & tridentes acutissimos, quibus iugulabant animas transire nolentes, & trahebant ad pœnas; & per vices de niue & grandine mittebant in ignem, & econuerso. Hic est inquit Angelus pœna

Pœna perfidorum,

insidiatorum, & perfidorum. Post hoc anima cum timore sequens Angelum præcedentem, venit ad vallem tenebrosam & horridam, cuius profunditatem ipsa videre non poterat; sonitum tamen sulphurei fluminis, & vlulatum in eo patientium audiebat. Fumus vero de sulphure & cadauerib⁹ adeo fœtidus exhalabat. qui omnes pœnas quas ante viderat anima, superabat.

Pœna superborum.

Angelus autem consolans animam tremebundam, ait. Hęc est pœna superborum, ab hac quidem liberaberis, sed aliam patieris.

PRÆCEDENTE Angelo profecti sunt in viam tenebrosam tortuosam & difficilem nimis, & cum multum laboraret anima, ambulando per tenebras, vidit bestiam incredibili magnitudine & horrore intolerabilem, quæ maior erat omnibus montibus quos ante viderat; oculi eius quasi colles igniti, os eius valde patens & apertum, videbatur posse simul capere nouem millia hominum armatorum; flamma inextinguibilis ex ore eius exibat, & fœtor incomparabilis, & planctus multitudinis eiulantis de ventre eius per idem os audiebatur. Intus enim erant multa millia virorum ac mulierum, dura tormenta sustinentium. Ante os eius immundorum spirituum stabat maxima multitudo, animas in os eius intrare cogentium; & eas antequam intrarent, multis plagis & verberibus affligebant. Cum anima Tundali monstrum tam horribile conspexisset, nimis perterrita dixit ad Angelum. Domine, quare illuc propinquas; dixit ei Angelus. Iter nostrum aliter explere non possumus. Hæc bestia vocatur Acherons, & deuorat omnes auaros. De hac scriptum est. *Absorbebit fluuium, & non mirabitur. Et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Et cum hæc dixisset, Angelus præcedens stetit ante bestiam, & anima licet nolens sequebatur eum. Et cum simul starent ante bestiam, Angelo disparente, anima sola remansit. Dæmones autem cõtinuo circundederunt eam, sicut canes rabidi, & flagellatam traxerunt eam in ventrem bestiæ; vbi multa passa est, & morsus, & lacerationes canum, vrsorum, leonum, serpentum, & aliarum innumerabilium bestiarum, & ignitorum monstrorum ferocitatem; & demum ictus, ardorem ignis, fœtorem sulphuris, caliginem oculorum, fluxum lachrymarum ardentium, stridorem dentium, copiam tribulationum. Ibi se misera anima de peccatis præteritis accusabat, & præ tristitia nimia & desperatione, genas proprias lacerabat. Et cum se putaret ibi æternaliter esse damnandam, nescia quo ordine, subito se extra bestiam esse sensit. Et longius à bestia iacens debilis, aperiens oculos, propè se vidit Angelum lucis ductorem suum. Gaudens illa, licet afflicta nimis cœpit Deum de sua misericordia collaudare. Quam Angelus tangens, eam confortauit.

Pœna anarotum.

CVMQVE irent vlterius per loca tenebrosa & horrida, apparuit domus quædam maxima, quasi quidam mons arduus, rotunda quasi furnus. Inde flamma per mille passus exibat, quæ omnes animas quas inuenire poterat comburebat. Quam videns anima dixit, ad Angelum. Ecce appropinquamus ad portas mortis. Heu quis me miseram liberabit? Respondit Angelus. Ab hac quidem exteriori flamma liberaberis, sed ipsam domum de qua procedit intrabis. Et cum propius accessissent, viderunt carnifices cum securibus, cultris bis acutis, dolabris, & crebris falcibus, & forcipibus acutissimis, vangis fossorijs, & cæteris instrumentis quibus animas excoriare, decollare, scindere, vel truncare poterant; In medio flammarum stantes, & sub manibus eorum multitudinem animarum, hæc omnia sustinentium. Quod videns Tundalus, dixit ad Angelum. Obsecro, Domine, ab hoc solo supplicio me libera, & cæteris omnibus quæ post hæc occurrent, me tradi concedo. Cui Angelus. Hoc est maius suppliciũ quod hactenus videris, sed adhuc videbis vnum maius. Intra istud supplicium, quia canes rabidi te expectant. Tundalus autem tremens, & præ angustia totus deficiens, rogabat ne intraret, sed non profecit. Dæmones autem videntes eum sibi esse concessum, circumdederunt eum, & multis conuitiis exprobrantes, cum supradictis instrumentis eum in frustra discerpserunt.

Panaluxuriosorum.

In hac domo erat gemitus, tristitia, fletus & stridor dentium, lentus ignis extrinsecus, sed intrinsecus vastum incendium; auiditas inexplebilis ibi erat, nec poterat gulæ voracitas satiari; verẽda loca doloribus permaximis torquebantur. Pudenda ipsa corrupta putredine, scaturire vermibus videbantur. In ipsa quoque verenda virorum ac mulierum, non solum sęcularium, verum etiam religiosorum, diræ quædam intrabant bestiæ, ibique anima Tundali se iustè pati talia fatebatur. Sed quando Deo placuit, nescia quo ordine, se extra tormenta esse cognouit. Sedens autem in tenebris, & vmbra mortis, videns Angelum suum dixit. Heu Domine mi, vbi est quod audiuimus, *misericordia Domini plena est terra?* Respondit Angelus. Hæc sententia multos decipit. Deus enim licet sit misericors, tamen & iustus est. Multa indicat, plura condonat, tu iustè passus es quæcumque sustinuisti. Sed tunc gratias ages Deo, quando videbis quanta per Dei misericordiam euasisti. Ideo enim iusti qui pœnas non patiuntur post mortem, ad videndum tamen illas adducuntur, vt visis tormentis à quibus per Dei misericordiam liberantur, magis inardescant in amorem Dei, & in laudem eius assurgant.

CÆTERVM vidit Tundalus bestiam cæteris quas ante viderat longè dissimilem, duos pedes & duas alas habentem, collum longissimum, rostrum ferreum, & vngulas ferreas, de cuius ore flamma inextinguibilis eructabatur. Sedebat autem hęc bestia super stagnum glacie condensum, & deuorabat animas, quæ in ventre eius per supplicium redigebantur in nihilum. Et iterum pariebat eas in stagnum glacie congelatum, ibique renouabantur iterum ad tormentum. Imprægnabantur verò omnes animæ tam virorum, quam mulierum, quæ descendebant in stagnum, ibique grauidæ præstolabantur tempus ad partum. Intus autem mordebantur à prole genita more vipereo, sicque vegetabantur miserè in vnda frigida, mortui maris glacie concreta. Cumque tempus esset vt parerent, clamantes replebant inferos vlulatibus. Et sic serpentes pariebant, nec solum fœminæ, sed & viri pariebant, & hoc non per membra ad hoc naturaliter instituta, immo etiam per brachia simul & pectora. Exibãtque per cuncta mẽbra bestiæ erumpentes, habentes capita ferrea, & ardentia, & rostra acutissima, quibus ipsa vnde exibant corpora lacerabant. In caudis autem suis habebant multos aculeos, qui quasi hami retro retorti, ipsas à quibus exibant animas, pungebant. Illę namque bestiæ volentes exire, cum caudas suas non possent secum trahere, in ipsa corpora vnde exibant, rostra sua ferrea & ardentia, retorquere non cessabant, donec ea vsque ad neruos, & ossa arida, consumerent. Et sic simul conclamantes, stridor glaciarum inundantium, & vlulatus animarum talem pœnam sustinentium, & mugitus bestiarum ab eis exeuntium, perueniebant ad cœlum. Erat enim in omnibus diuersis membris, & digitis, diuersarum capita bestiarum, quæ ipsa membra mordebant vsque ad neruos & ossa. Habebant autem

linguas

linguas viuas in modum aſpidum, quæ totum palatum, & etiam arterias conſumebant, vſque ad pulmones. Verenda quoque ipſa virorum ac mulierum, erant in ſimilitudine ſerpentum, quæ inferiores partes ventris lacerabant, & ipſa viſcera inde extrahere ſatagebant. *Pœna virorũ eccleſiaſticorum luxuria pollutorum.* Tunc ait Angelus. Hæc eſt pœna monachorum, ſanctimonialium, canonicorum ac aliorum eccleſiaſticorum virorum, qui mentiri Deo per tonſuram & habitum noſcuntur, qui linguas exacuerunt ſicut ſerpentes, & membra ſua nõ cohibuerunt ab immundis operibus. Hanc pœnam ſuſtinebunt qui immoderata luxuria ſe polluunt, & ideo iſtam te ſuſtinere oportet. His dictis dæmones eam cum impetu rapuerunt, & deuorandam beſtiæ tradiderunt. Cum autem poſt prædicta tormenta eſſet in partu viperarum, affuit ei Angelus lucis, & tangens eam ſanauit, & ſe ſequi præcepit.

PRÆTER ſplendorem autem Angeli, nullum lumen habentes, pergebant per loca terribilia, & multo prioribus diriora, via valde combuſta, & quaſi à cacumine montis altiſſimi tendente in præcipitium. Quanto autem plus illa anima deſcendebat, tanto minus ad vitam reditum ſperabat; Dixit autem anima ad Angelum. Domine, quo imus? Reſpondit Angelus. Hæc via ducit ad mortem. Et anima. Quid eſt ergo quod dictum eſt: *Lata, & ſpacioſa eſt via quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam*, cum hic prẽter nos neminem videamus? Reſpondit Angelus. Non de iſta dictũ eſt hoc, ſed de impudica & illicita ſæculari, quæ ducit ad iſtam. Euntes autem longius, & vltra modum laborantes, venerunt in vallem fabrorum. Ibique viderunt *Pœna fabrorum.* fabricas, in quibus maximus audiebatur luctus. Tunc ait Angelus. Tortor iſte vocatur Vulcanus, per cuius ingenium multi corruerunt, & ab ipſo cruciantur. Ait autem anima. Domine ſi debeo pati eius ſupplicia? Debes inquit. Quo dicto plorans ſequebatur eum. Et ecce tortores cum ignitis forcipibus Angelo ſancto nihil dicente ceperunt eam, & proiecerunt in caminum ignis ardentis, & ſufflantes follibus, ſicut ſolet ferrum in fornace conflari, ita examinauerunt eam. Sic enim conflabant animas, quæ patiebantur ibi, donec ad nihilum redigerentur. Cumque ita liquefierent vt nihil niſi aquæ apparerent, iugulabantur tridentibus ferreis, & poſitæ ſuper incudem, percutiebantur malleis, donec vicenæ, vel tricenæ, vel etiam centenæ, redigerentur in maſſam vnam. Sicut ſcriptum eſt. Prouerb. 19. *Data ſunt deriſoribus ſupplicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Et tamẽ quod grauius eſt, nec ſic pereũt. *Deſiderant enim mortem, & inuenire non poſſunt.* Loquebantur autem tortores adinuicem, dicentes: Nunquid ſufficit? Et alij in alia fabrica reſpondebant. Proijcite nobis, & videamus ſi ſufficit. Et alij accipiebant eos cum forcipibus ferreis, antequam terram tangerent. Et ſicut primi, ita & iſti, eas ignibus trudebant. Et ita miſerę proijciebantur modo huc, modo illuc, & comburebantur vbique, donec ſimul pelles, carnes, oſſa, & nerui redigerentur in fauillam, & flammam ignis. Poſt multas paſſiones affuit animæ Tundali ductor ſuus, & apprehendens eam de medio fauillæ, dixit. Quomodo vales. Nunquid tam dulcia fuerunt tibi carnis oblectamenta, vt pro eis tot & tanta ſuſtinere deberes? Ille penitus reſpondere non poterat, quia poſt tantum ſupplicium, vires ad loquẽdum non habebat. Et tunc Angelus ait ei. Confortare, quia *Dominus deducit ad inferos, & reducit.* Quamuis enim magna ſint quę nunc vſque paſſa es, maiora tamen ſunt, à quibus per Dei miſericordiam liberaberis. Nondum enim vidiſti, nec perueniſti ad inferos, & inferiores. Et more ſolito tangens eam & confortans, præceſſit.

CVMQVE ſimul pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce ſubitus horror, frigus intolerabile, & fœtor, & tenebræ prioribus incomparabiles; tribulatio & anguſtia animam inuaſerunt, ita vt omnia fundamẽta terræ viderentur ſibi contremiſcere, & Angelo præcedenti compulſa eſt dicere. Heu Domine mi, quid eſt quod more ſolito ſtare non poſſum? Quo dicto, præ nimia formidine non potuit ſe mouere. Et ecce Angelus cito diſparuit, & eum amplius videre non potuit, ſtatimque deſperare cæpit. Audiuit autem clamores & vlulatus miræ multitudinis, & tonitruum tam horribile, vt nec paruitas noſtra potuerit capere, nec eius lingua narrare. Circumſpiciens ergo ſi quomodo videre poſſet vnde venerat, vidit foueam quadratam vel quadrangulam quaſi ciſternam, qui puteus flammæ & fumi, putridam emittebat columnam, quæ columna extendebatur vſque ad cęlos; & in ipſa columna erat multitudo animarum & dęmonum, more fauillarum cum flamma aſcendentium; & ad nihilum redactæ, cadebant iterum cum dæmonibus in fornacem vſque in profundum. Quo viſo anima Tundali volebat ſe retrotrahere, ſed pedes à terra non poterat eleuare. Et cum ſæpius tentaſſet, & tamen non poſſet, in ſemetipſam exarſit; & nimio furore repleta, genas proprias lacerabat, clamans & dicens. Vę mihi quare non morior, quæ me decepit dementia? Audientes hæc dæmones, qui cum flamma aſcendebant, circundantes eam cum inſtrumentis quibus rapiebant animas ad tormẽta, dixerunt. O miſera anima pœnis & cruciatibus digna. Vnde huc veniſti, nil adhuc experta es? Adhuc videbis dignum operibus tuis tormentum, de quo nec exire poteris, nec perire, ſed ſemper in cruciatu viuens ardebis ſine refrigerio, ſine lumine, ſine conſilio & auxilio, & ſine omni conſolatione, nullam deinceps miſericordiam ſperare poteris. Appropinquaſti enim vſque ad portas mortis, & infernis inferioribus ſine mora præſentaberis. Qui te huc adduxit, ipſe te decepit; liberet te ſi poteſt de manibus noſtris, non videbis eum amplius. Et dicebant adinuicem. Quid adhuc moramur? Trahamus eam ad luciferum deuorandam. Et ſic arma vibrantes, minabantur ei mortem æternam. Ipſi autem dęmones erant nigri ſicut carbones. Oculi eorum vt lampades ignis ardentes. Dentes eorum niue candidiores. Caudas habebant vt ſcorpiones. Vngues ferreos acutiſſimos. Alas vt vultures.

INTEREA affuit Angelus lucis, qui fugatis ſpiritibus tenebrarum, conſolatus eſt ream ſuam, dicens: Gaude & lætare filia lucis, quia miſericordiam conſequeris; pœnas quidem magnas videbis, ſed eas minimè patieris. Veni & oſtendam tibi peſſimum humani generis inimicum. Appropinquans autem anima, vidit principem tenebrarum in profundum inferni. Quæ autem & quanta vidit ibi, explicari nõ poſſent. Ibi viſus eſt princeps diabolus, qui magnitudine ſua omnes beſtias quas Tundalus ante viderat, excedebat, cuius quantitati nihil eorum quę viderat, comparare ſciebat. Habebat namque mille centum cubitos in altitudine in groſſitudine vero decem. Erat illa beſtia nigerrima ſicut coruus, formam habens humani corporis, à pedibus vſque ad caput, Excepto, quod plurimas habebat manus. Vnaquæque manus vicenos digitos habebat, & digiti habebant in longitudine centenas palmas, in groſſitudine verò denas. Habebat vngues ferreos, tam in manibus, quàm in pedibus, lanceis militum groſſiores, & etiam longiores. Roſtrum eius nimis longum & groſſum. Cauda eius aſperrima & longa, ad nocendum animabus, aculeis acutiſſimis præparata. Iacet autem illud monſtrum horribile ſuper cratem ferream ſuppoſitis ardentibus prunis ab innumerabili multitudine dæmonum follibus ſufflantium ſuccenſa. Circundat autem illum tanta multitudo animarum & dęmonum, quod nulli eſſet credibile, quod mundus tot animas à principio potuiſſet habere. Ligatus eſt autem ille hoſtis antiquus per ſingulas membrorum iuncturas catenis ferreis & æreis, ignitis & valde groſſis. Cumque ſic verſatur in carbonibus, & vndique coarctatur, nimia exardeſcens ira, vertit ſe de vno latere in aliud, & omnes manus ſuas in illam multitudinem animarum extendit, eaſque repletas animabus conſtringit; Sicut ruſticus ſitiens, racemos *Pœna principis dæmoniorum qui eſt ligatus in inferno.*

oppri-

opprimit, vt inde vinum eliciat. Intantum vt nulla sit ibi anima, quę non in illa constrictione priuetur capite, vel pedibus, vel manibus; & tunc suspirans sufflat, & spargit animas in diuersas partes gehennæ; & statim eructat puteus ille de quo prædiximus, fœtidam atque horribilem flammam. Et cum anhelitum suum retrahit dira illa bestia, retrahit ad se omnes animas quas ante dispersérat, & cum fumo & sulphure in os eius cadentes deuorat. Sed & quæcumque manus eius effugiunt ne stringantur, percutit illas cum cauda sua. Et sic misera bestia percutiens semper percutitur, & tormenta omnibus inferens, super omnes in tormentis omnibus cruciatur. Tunc ait Angelus ad animam. Hic est lucifer principium creaturarum Dei, qui versabatur in delicijs Paradisi. Qui si solutus fuerit, cœlum simul & terram vsque ad inferos perturbaret. Hi autem qui cum eo sunt, partim sunt filij tenebrarum, partim filij Adæ, & iam iudicati sunt, ac multos alios expectant, qui vel Christum negauerunt, vel negantium opera fecerunt. Hi sunt prælati, & principes mali, de quibus scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur*, qui scilicet non bene vsi sunt potestate sibi à Deo concessa. Hic autem princeps tenebrarum dicitur, non propter potentiam quam habeat, sed propter primatum quem tenet in tenebris. Omnes autem aliæ pœnæ quamuis sint maximę, aspectu huius pro nihilo computantur. Ad hæc anima: verum est. Nam videre tantummodo locum istum magis me conturbat, & fœtorem eius sustinere plus me grauat, quam pati omnia quæ ante patiebar. Vnde rogo vt si potest fieri, hinc me cito subtrahas, & hic me cruciari amplius non permittas. Hic enim video multos notos & sodales meos, quos mecum in sæculo gaudebam habere socios, quorum hic consortium multum perhorresco. Scio autem pro certo, quod nisi mihi gratia diuina succurrat, peccatis meis exigentibus, non minus ista patiar quàm ipsi. Ad quam Angelus. Veni ô felix anima, conuertere in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Non enim ista patieris, neque amplius hic videbis, nisi istorum quæ vidisti oblita, & iustitiam Dei non verita, peccatis iterum impliceris.

Visio Caroli calui de tormentis inferni.

EGo Carolus Imperator Dei dono rex Germanorum, Patricius Romanorum, atque Imperator Francorum, sacra nocte diei Dominicæ post celebratum nocturnarum horarum diuinum officium, dum vellem somnum capere, venit ad me vox terribiliter mihi dicens: Carole exiet à te modo spiritus tuus in hora non modica. Statimque fui raptus in spiritu, & qui me sustulit erat candidissimus, tenens in manu sua glomerem lineum clarissimum, ad instar luminis emicantem, sicut solent cometæ facere quando apparent. Incipiensque illud dissoluere, dixit ad me: Accipe filum glomeris emicantis, & liga & noda fortiter in pollice dextræ manus tuæ, quia per illam duceris in labyrintheas infernorum pœnas. Hoc dicto præcessit me, velociter dissoluens filum luciflui glomeris, duxitque me in profundissimas valles igneas, quæ erant plenę puteis ardentibus pice, sulphure, plumbo, cera, & adipe. Ibique inueni pontifices patris mei, & auunculorum meorum. Quos cum pauens interrogarem, cur tam grauia patiebantur supplicia? responderunt. Fuimus episcopi patris tui, & auunculorum tuorum; Et dum deberemus illos, & ipsorum populum de pace, & concordia admonere, seminauimus discordias, & fuimus monitores malorum. Ideo nunc incendimur in istis tartareis supplicijs, & nos & alij homicidarum & rapinarum amatores. Huc etiam & tui episcopi & satellites venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum hæc tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dęmones aduolantes cum vncis igneis volebant apprehendere filum glomeris quem in manu tenebam, & ad se trahere. Sed reuerberantibus radijs illius, non valebant illum attingere. Deinde post tergum currentes, voluerunt me in ipsos puteos sulphureos præcipitare, sed ductor meus traxit me ad se fortiter. Et sic ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes, & fluminam feruentia, & omnia genera metallorum bullientia. Vbi reperi innumeras animas hominum, & principum patris mei, & fratrum meorum. Quarum aliæ quidem præcipitatæ erant vsque ad capillos, aliæ vsque ad mentum, aliæ vsque ad vmbilicum. Et clamauerunt ad me eiulando. Dum viximus amauimus tecum, cum patre, fratribus, & auunculis tuis, facere prędia, homicidia, & rapinas, pro cupiditate terrena. Ideo in istis bullientibus fluminibus, & diuersis metallorum generibus nunc torquemur. Et cum adhuc timidus accederem, audiui post me animas acclamare. *Potentes potenter tormenta patientur.* Et respiciens vidi super ripas fluminis, bullientes fornaces igneas, piceas, & sulphureas, plenas magnis draconibus, scorpionibus, & serpentibus generum diuersorum; vbi etiam vidi aliquos patris, fratrum, & auunculorum meorum principes, dicentes mihi. Heu nobis Carole, vides quanta sustinemus tormenta propter malitiam & superbiam nostram, & mala consilia, quæ regibus nostris & tibi dedimus, propter cupiditatem. Cumque dolendo congemiscerem, accurrerunt ad me dracones, apertis faucibus plenis igne, sulphure, & pice, volentes me transglutire; sed ductor meus liberauit me, validius inde trahens. Et descendimus in vallem quandam, quæ ex vna parte erat tenebrosa, & ardens sicut clibanus ignis: Ex altera vero tam amæniſſima, & splendidissima, vt nulla ratione valeam explicare. Verti me cõtra tenebrosam partem & flammiuolam, ibique vidi aliquos reges de genere meo in magnis supplicijs deputatos. Tunc angustiatus nimis, putaui me statim in illis supplicijs demergendum à gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem conflabant diuersis generibus ignium, sed per Dei misericordiam liberatus sum. Sicque post hæc & alia multa quę vidi, reuersus est in me spiritus meus, valde fessus & contritus, laudauique Dominum qui saluat sperantes in se, qui potestatem habet vitæ & mortis, qui ducit ad inferos & reducit.

Monitio pro ijs qui istiusmodi visionibus non credunt.

SED sunt multi, qui tales visiones contemnunt, nec referentibus eas credunt, eas velut viles fabulas deridentes, aut figmenta mendaciter adinuenta, aut melancholicorum vana somnia, aut arreptitiorum insanias, reputantes. Nec mirum si talibus fidem non adhibent, qui infernum esse non credunt; vel si ore vocaliter confitentur, tamen se credere nec timere factis ostendunt, & fortassis etiam ore dicerent, si auderent. Beatus tamen Gregor. 4. dialog. & alij sancti talia credere non dedignati sunt, & in scriptis legenda posteris reliquerunt. *Aduertendum* est tamen quod multa describuntur ibi corporaliter, quæ tamen spiritualiter intelligenda sunt, sicut patet de monstruosa bestia superius descripta, in visione Tundali, & de luciferi figura horribili, & statura; & multa talia quæ dicuntur ibi, & in similibus similiter referuntur. Sicut in prophetis sub figuris rerum corporalium plurima designantur. Et in Apoc. ferè tota, etiam spiritualia corporeis imaginibus figurantur, quæ non nisi spiritualiter possunt intelligi, sicut patet diligenter in singulis intuenti.

Quæ in visionibus istis describuntur corporaliter, sunt intelligenda spiritualiter.

VTRVM autem sint ibi vermes materiales, & animalia venenosa, vtpote dracones, serpentes, bufones, & huiusmodi? Dicunt aliqui quod non, quoniam omnia bruta animalia in conflagratione mundanorum ignium destruentur, vt dictum est; quoniam talium generatio & corruptio penitus auferentur. Aliorum est opinio, quod erunt ibi huiusmodi animalia venenosa, vt & horrorem ingerant aspectibus impiorum, & dolorem inferant morsibus dentium pessimorum, & laceratio-

Probabile est in inferno vere esse bestias venenosas.

cerationibus vnguium acutorum. Seruabuntur enim ibi talia diuina virtute ad impios cruciandum. Quoniam si ante consummationem mundi, salamandra adhuc corruptibilis existens, aliquanto tempore potest viuere in igne, quanto magis post iudicium, quando omnia corpora reorum erunt incorruptibilia, viuere poterunt in igne gehennæ. Hoc autem videtur prætendere tam scripturę sacrę verba quamplurima, quam sanctorum.

Dæmones post iudicii impios amplius non torquebunt.

Hic etiam sciendum est, quod licet ante iudicium dęmones torquere dicantur animas impiorum vt iusto Dei iudicio hi sint tortores in supplicijs, qui fuerunt incentores in vitijs; eisque miseri subijciantur inuiti, quorum peruersis suasionibus voluntariè consenserunt; tamen post iudicium cum cessabit omnis prælatio, & euacuauerit Deus omnem principatum, & potestatem, non amplius torquebunt homines: quia recepta plena & omnimodo pœna sibi debita pro cunctis iniquitatibus eorum, fient socij reproborum: Adeoque erunt profundissimè absorpti in supplicijs, quod illos vltra torquere non poterunt.

LIBRI II. PARS IV.

DE BEATITVDINIBVS CORPORIS, ET ANIMÆ.

POST considerationem habitam de tribus nouissimis. Primo videlicet de morte triplici, & de mortuis, tam corporaliter, quam spiritualiter in hoc mundo, & de mortuis in purgatorio detentis pœnaliter, & afflictis. Secundo de finali iudicio, & his quæ ad illud extremum iudicium pertinent. Tertio de inferno, & de supplicijs reproborum. Tandem ad considerandum quartum nouissimum, quod est in intentione nostra præcipuum, & in intentione cuiuslibet esse debet primum, & super omnia principale, mentis oculos cum ardenti desiderio conuertamus. Hoc enim esse debet, & operum nostrorum principium, & finis desideriorũ nostrorum, & appetituum nostrorũ perfecta quies, & consummatio glorioſa. Circa hoc considerandа sunt sex. Primo de beatitudine in generali. Secundo de dotibus in generali. Tertio de dotibus animæ in speciali. Quarto de dotibus corporum. Quinto de septem partibus beatitudinis animæ. Sexto de septem partibus beatitudinis corporis.

De beatitudine in generali.

DISTINCTIO I.

CIRCA primum considerandа sunt quatuor. Primum est de introductione sanctorum in gloriam, & de ipsa in generali. Secundo ponitur excitatio quædam ad beatitudinem contemplandam. Tertio ostenditur quantum sit debilis & defectiua humana cognitio respectu beatitudinis. Quarto quomodo possit homo in cognitionem beatitudinis peruenire.

Describitur modus introducendi beatos in gloriã.

CIRCA primum sciendum, quod eiectis impijs à facie Domini, & in abyssum inferni fine fine detrusis, mundo remanente purgato, ac in Dei laudem & gloriam, & solatium beatorum glorificato, & in quandam admirandam pulchritudinem pro raptu creaturæ cuiuslibet innouato; Christus Dominus Sanctos omnes cum Angelis beatis in gloriam deducet cum iubilo, ac in æternæ claritatis abyssum, secum regnaturos perenniter introducet. Vbi beatis Angelis similes erunt, & creatoris essentiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt. Diuinæ dilectionis ac mutuæ charitatis possessione, Deo suo in æternum, & inuicem sibi, feliciter adhærebunt. Ibi exuberabit eis tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, vt remuneratori suo pro tantis muneribus gratias semper agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Quicumque ibi erunt, etsi differentibus meritis abinuicem distabunt, omnes tamen vna perfectione beati erunt, quia singulis sua præmia sufficientia prorsus erunt.

Exhortatio ad beatitudinem contemplandam & desiderandam.

NOS autem fratres chariſſimi, in huius mundanæ peregrinationis erumna, nostri pœnas exilij sustinentes, bonorum omnium egestate squalentes, & malorum omnium dispendia perferentes; vndique peccatorum laqueos, hostiumque malignorum insidias metuentes, sed non satis vigilanter aut solicitè præcauentes, vndique pressuras & angustias patientes, cæcutientes in miserijs, torpescentes in vitijs; vanitatem pro veritate, exilium pro patria, egestatem pro copia, vilitatem pro gloria, cæcitate miserabili, seu potius insana dementia, diligentes; ad illam sanctorum gloriam, de qua aliquantisper præfati sumus, intellectus aciem, & mentis faciem eleuantes, æternæ vitæ gaudia contemplemur. Vt eius dulcedinem palato cordis aliquantulum pręgustemus, & suauitate degustationis illecti, Deum ipsum feruentius diligamus, ac ipsam gloriam ardentius appetamus, peccatum vigilantius caueamus, mundi contemnamus prospera, lætiusque ac leuius sustineamus aduersa, omnibus quoque quæ in mundo sunt funditus moriamur. Si enim de illius immensæ suauitatis abysso, nobis fuerit à summo largitore concessum, stillam vel modicam præsentire, statim vitæ præsentis tædium etiam finiri optabimus, ac miseræ peregrinationis exilium nequaquam pro patria diligemus, sed ad vitam beatam ardenti desiderio suspirando tendemus.

Discrimen inter delicias cordis & corporis.

NOTANDVM est autem quod ait Gregor. dicens. *Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ dum non habentur, graue in se desiderium accendunt. Cum verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra Spirituales deliciæ dum non habentur in fastidio sunt, cum verò habentur in desiderio. Tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto ab esuriente amplius comeduntur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valet, quod ignorat? Proinde Psalmus admonet dicens.* GVSTATE, ET VIDETE, QVONIAM SVAVIS EST DOMINVS: *ac si aperte dicat. Suauitatem eius non cognoscitis, quia hunc minimè gustatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, valeatis amare.*

ADVERTENDVM est autem, quod sicut ait Gregor. 4. Dialog. *Primus humani generis parens, postquam de paradisi gaudijs, exigente culpa sua, pulsus est, in huius exilij & cæcitatis quam patimur crumnam venit, & illa cœlestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippe consueuerat verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditia, & celsitudine visionis interesse. Sed post quam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne nati, in huius exilij cæcitate, audimus quidem cœlestem esse patriam, audimus ciues eius esse Angelos Dei, audimus socios eorum esse spiritus iustorum perfectorum. Sed carnales quique, quia inuisibilia per experimentum scire non valent, dubitant vtrumne sit, quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas primo parenti esse non potuit, quia exclusus à paradisi gaudijs, hoc quod amiserat se vidisse recoluit. Nos autem recolere vel sentire audita non possumus, quia eorum experimentum de præterito non tenemus. Ac si enim mulier prægnans mittatur in carcerem, ibique pariens puerum natum nutriat, adolescentisque mater solem, lunam & stellas, montes, colles & campos, aues volantes, currentes equos, varietates colorum, diuersaque genera nominei picturarum; Ille verò natus & nutritus in carcere, nihil aliud sciens quam tenebras. Hæc audiens non credat, quia per experientiam non cognouit. Ita in hac cæcitate nati homines, dum summa & inuisibilia audiunt, an vera sint diffidunt; quia sola hæc infima in quibus nati sunt visibilia cognouerunt. Vnde factum est vt visibilium inuisibiliumque creator, ad humani generis redemptionem veniret, vt dum visibiliter Deum cognosceremus, per ipsum factum visibilem in amorem inuisibilium raperemur.* Rursus. *In corda nostra Spiritum sanctum misit, quatenus per eum vimificati crederemus, quæ per experimentum adhuc scire non possumus, quotquot ergo hunc spiritum hæreditatis nostræ pignus accepimus de vita inuisibilium non dubitamus.* Quisquis autem in hac credulitate non est solidus, debet proculdubio maiorum dictis credere, ac illis experimentum iam inuisibilium per Spiritum sanctum habentibus fidem præbere. *Nam stultus est puer, si matrem suam ideo putat de luce mentiri, quia nihil tale potuit experiri.* Nos itaque in cognitione inuisibilium, & experimentali degustatione cœlestium inexperti, scripturæ sacræ sententijs, virorumque probatissimorum, tam continua exercitatione virtutum, quam iugi meditatione, quam subtili contemplatione, quam etiam diuina reuelatione cælitus instructorum testimonijs & exemplis, fidem plenam indubitanter adhibere debemus. Quorum vnus vsque ad tertium cœlum raptus, vt inter Angelos beatos disceret, quod inter homines prædicaret, ait 1. Corint. 3. *Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.* Sed quoniam hæc sic in generali prolata, & summaria breuitate insinuata parum alliciunt, & inexpertorum mentes non nutriunt, qui non nouerunt ex paucis multa colligere, nec ex principijs conclusiones elicere, nec ex minutijs eximia cogitare, nisi enucleatius explicentur, & velut in particulas diuidantur; puta si puero pomum grossum porrexeris, aut integrum panem ad edendum præbueris, propter complexionis teneritudinem & oris angustiam, nequit assumere, nec nutritur, nisi pro eius capacitate in particulas discindantur: Ideo diuidamus in partes magna quæ diximus, vt paruulorum gustus afficiatur sapidius, & mentes efficacius attrahantur, ac animæ ad vitam æternam vegetatius nutriantur.

Maiorum dictis fides est adhibenda.

De dotibus in generali.

DISTINCTIO II.

CVM beatitudo sit finis vltimus hominis, & omnis eius desiderij completiuus: & duplex sit finis eius, scilicet intrinsecus, & extrinsecus: est duplex A beatitudo. Est enim quædam beatitudo intrinseca, quæ nos beatificat formaliter, id est beatitudo creata. Est etiam beatitudo extrinseca, quæ nos beatificat effectiuè, videlicet ipse Deus. Prima est tanquam finis quo quiescimus. Secunda est tanquam finis in quo quiescimus. Beatitudinis creatæ septem partes principales à sanctis & doctoribus assignantur, quæ dotes communiter solent dici, quarum tres sunt in animabus, & quatuor in corporibus beatorum. Dicuntur autem dotes in patria metaphoricè, ad similitudinem dotis in matrimonio carnali: quoniam sicut ibi dos datur sponso à patre sponsæ, id est ad vsum sponsi propter onera matrimonij sustinenda, tamen proprietas remanet penes sponsam. Vnde soluto matrimonio carnali, dos remanet penes eam. Sic dos in patria B dicitur, non quodcumque donum datum animæ in traductione sui in gloriam, sed donum præcipuum, animam ad actum vitæ gloriosæ disponens, quod dat Deus pater animæ beatæ ad possidendum, sed sponso Christo ad gloriam & honorem, & non ad vsum, quia bonorum nostrorum non eget. Vel dicitur hic dos id quod datur sponsæ ab ipso sponso, sicut dicitur Gen. 33. Vbi dixit Sichen Iacob, & filijs eius. *Augete dotem, & munera postulate.* Et Exod. 22. *Si seduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam.* Dotes ergo animæ sunt dona quædam præcipua diuinitus ei data in traductione sui in gloriam, quibus anima Deo immediatè coniungitur tanquam principio vitæ suæ, & ad sponsi amplexus indissolubiles introducitur. Dotes autem corporis sunt quibus corpus perfectè subijcitur animæ tanquam principio vitæ suę, & C ei perfectè obedit, ne per ipsum anima ab actu gloriæ retardetur.

Beatitudo duplex scilicet intrinseca & extrinseca.

Beatitudinis intrinsecæ seu creatæ septem sunt partes principales seu dotes, tres in anima & quatuor in corpore.

EST autem aduertendum, quod dotes istę propriè sunt in animabus beatis, minus propriè in Angelis, minimè propriè in Christo, quia in matrimonio debet esse consensus animorum, conformitas naturarum, distinctio personarum, & de non sponsa fit sponsa. Hęc omnia verè sunt inter Christum, & animam beatam. Licet autem primum istorum commune sit Angelis & animabus in Christo: tamen per secundum excluduntur Angeli, quia non habent conformitatem in natura cum Christo, per alia duo excluditur Christus, quia in ipso non est distinctio personarum. Non enim habet humanitas in Christo personalitatem, sed substantificatur in persona verbi: nec humanitas assumpta de non sponsa facta est sponsa. Ideo Christus non dicitur dotes habere.

Dotes non sunt propriè in Christo vel Angelis, ob defectum conformitatis naturæ &c.

DOTES animæ sunt tres, videlicet aperta visio, delectatio siue fruitio, & secura tentio vel comprehensio secundum alios, seu etiam secundum quosdam fruitio. Sciendum autem, quod fruitio importat delectationem in fruente, & adhęsionem cum re fruibili. Quantum ad primum ponitur secunda dos secundum quosdam. Quantum ad secundum, id est inseparabilem adhęsionem, ponitur tertia. Dicitur autem secura tentio, vel potius securitas perpetuationis beatitudinis: Quia secundum Aug. 13. dè Trin. *impossibile est aliquem esse beatum, si non sit de suæ beatitudinis perpetuatione securus.* Tres istę dotes succedunt tribus virtutibus E Theologicis, quia fidei succedit cognitio siue visio, charitati delectatio vel fruitio, spei verò securitas perpetuationis. Respondent etiam tribus potentijs animæ, quia visio perficit intelligentiam, delectatio voluntatem, securata tentio memoriam.

Dotes animæ sunt tres sc. visio aperta, fruitio & tentio: quæ succedunt tribus virtutibus Theologicis.

PRIMA dos animę est aperta & immediata Dei visio, qua Diuina essentia tota videbitur ab omnib. beatis: sed non totaliter, quia propter sui infinitatē & immensitatem est incomprehensibilis cuilibet creaturæ. Nec æqualiter etiam videbitur, sed limpidius ab vno quam ab alio. Hęc autem diuersitas erit, non ex parte Dei visibilis, quia propter suam summam simplicitatem non potest videri quin totus videatur: sed ex parte videntium, inquantum vna potentia magis erit perfecta lumine gloriæ quam alia & perfectius D

Prima dos animæ est aperta visio qua videtur essentia diuina tota sed non totaliter vel æqualiter.

operabitur

operabitur circa vnum & idem obiectum. sicut sol æqualiter se repræsentat oculis omnium videntium, tamen non omnes æqualiter in illum aspiciunt; sed aliter & aliter, secundum quod oculus est magis vel minus dispositus ad videndum. Et eadem litera à diuersis legentibus non æqualiter intelligitur, sed vnus subtilius apprehendit, & profundius eam intelligit quam alius; quæ diuersitas non ex parte literæ, sed ex parte legentium dignoscitur prouenire.

Visio beatifica est immediata hoc est sine medio deferẽte vel obnubilante, licet non sine medio disponente quod est lumen gloriæ.

Hæc autem beata visio dicitur immediata, quia videtur Diuina essentia à beatis sine medio deferente, & sine medio obnubilante, non tamen sine medio disponente. Videbitur inquam sine medio deferente. In cognitione enim sensibili requiritur medium deferens, sicut patet in visu, & auditu, vbi requiritur aër medius inter potentiam & obiectum, deferens speciem ab obiecto vsque ad oculum vel aurem. vnde impeditur actus videndi, vel propter nimiam distantiam, quando tanta est quod non potest species visibilis deferri vsque ad oculum: vel propter indistantiam, quia obiectum visibile super oculum positum non videtur. Et sic patet, quod ad actum visionis requiritur medium deferens. Sed in visione beata non est medium deferens, quia non est visio per distantiam, sed per præsentiam, quia Deus vbique præsens est, & etiam est intimior animæ, quàm ipsa sibi. Videbitur etiam sine medio diuidente vel sopotante, quod est culpa, sicut dicitur Isa. 59. *Peccata nostra diuiserunt inter nos, & Deum nostrum.* *Item* sine medio obnubilante, sicut est medium creaturæ, quia mediante vestigio creaturæ, manuducitur homo in cognitionem Dei. Sicut habetur. Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi*, id est ab homine, *per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Item sine medio figuræ; quo medio Patriarchæ, & Prophetæ manuducebantur, & manuducebant antiquitus in cognitionem diuinorum. Sicut ait Apostolus 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Item sine medio scripturæ. Ibi enim non indigent beati ad cognoscendum Deum rationibus Philosophorum, nec auctoritatibus scripturarum, nec testimonijs sanctorum 1. Corinth. 13. *sine prophetiæ euacuabuntur, sine linguæ cessabunt, sine scientia destruetur.* Item sine medio fidei. *Videmus enim per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Cum autem venerit, quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est.* Auferetur enim omne ænigma, & omnis obscuritas. Euacuabitur etiam fides, quia fides est non apparentium. Fidei autem quæ nunc est, succedit visio manifesta. Nunc enim sumus in tenebris, ibi autem in lumine claritatis. Et hoc est medium disponens ad visionem Dei, de quo dictum est, quod Deus non videtur sine medio disponente. Vnde Psalmus ait. *In lumine tuo videbimus lumen*, id est in lumine gloriæ, videbimus lumen diuinitatis tuæ. Hoc est lumen viuificans, clarificans, simplificans, ac per hoc deiformem efficiens, & Deo assimilans. Vnde 1. Ioann. 4. *Charissimi nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus, cum autem apparuerit, similes ei erimus; Quoniam videbimus eum sicuti est.*

In patria euacuabitur fides.

Cognitio meridiana est cognitio Dei in se, matutina est cognitio creaturarũ in verbo, vespertina, in seipsis.

Hoc autem sciendum, quod Deum videbimus in se, & Deum in nobis, & nos in Deo; Deum in singulis creaturis, & creaturas in Deo. Cognoscere Deum in se, id est in essentia sua, vocatur cognitio meridiana. Cognoscere creaturas in verbo, dicitur cognitio matutina. Cognoscere verò creaturas in se, id est in proprio genere, appellatur cognitio vespertina. *Attendendum* est etiam, quod animæ beatæ videndo Deum, simul & semel & vnica visione vident omnia, quæ sunt eis necessaria ad integritatem beatitudinis. Alia vero non vident nisi quantum, & quando, & quomodo placet ei reuelare; quia claritas eius est speculum & ideo relucerent in eo species, id est ideæ omnium fiendorum, sed speculum est voluntarium. Ideo aliqua reuelat, aliqua non; & quædam vni, quę non alij; quędam vno tempore, quę non alio; & hoc secundum suæ beneplacitum voluntatis, nulla tamen mutatione vicissitudinis in se facta. *Animæ quoque* beatæ sunt quędam specula spiritualia, ad modum speculi, Diuinam in se recipientia claritatem: vnde quemadmodum materiali sole in sua maxima virtute lucente, radiosque suos per speculum solidum de chalibe politum & tersum, perpendiculariter emittente. Huiusmodi speculum in se recipit similitudinem solaris luminis, intantum vt alter sol contuentibus videatur; & qui tale videt speculum, solemque videt; tantæque claritatis efficitur, vt nullus sufferre possit aspectus, sed reuerberatus nimietate luminis obtundatur. Sic & multò fortius in animabus beatis, quæ sunt specularis naturæ vt dictum est, coniecturare debemus. Ex influentia enim illius incommutabilis & incomprehensibilis claritatis recipiunt radios luminosos, non solum in superficie, sicut materiale speculum recipit radios solares, sed in intimis suis, vt eis totaliter penetrentur, & sic omnino deiformes effectæ, in eandem imaginem transformentur. Quod etiam virtute contemplationis quodammodo inchoatur in via, sicut ait Apostolus. 2. Corint. 3. *Nos autem gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Sed quod hic fit imperfectè, ineffabiliter in gloria consummatur. Exemplum grossum, & materiale potes hic aliqualiter adaptare, De ferro ignito, quod ab ignis virtute totum vndique vsque ad intima penetratur; & adeo indiuisa sunt ignis & ferrum, vt qui videt ferrum, ignem videre se videat plusquam ferrum, & sic à natura sua immutari videtur, & in proprietates ignis mirabiliter transformari, vt actiones ignis & speciem, plus videatur assumpsisse, quam ferri.

Deus est speculum voluntarium; atque etiam animæ beatæ speculi rationem habent.

Simile.

Simile.

Secunda dos animæ est fruitio seu delectatio. *Est autem delectatio, sicut ait August. 14. de Ciuit. Dei. coniunctio conuenientis cum conuenienti cum sensu eiusdem.* In patria autem erit perfectissima coniunctio animæ cuiuslibet cum Deo. Cum igitur summa sit conuenientia inter animam & Deum, summa erit ibi delectatio in Deo, & de Deo. Cęterum cum tanta sit delectatio in re adepta quanta est res ipsa, & Deus sit infinitum, immensum, ineffabile, & incomprehensibile bonum; delectatio quam habet quęlibet anima in Deo, est immensa, ineffabilis, & incomprehensibilis, secundum capacitatem cuiuslibet animæ perfruentis, & esset infinita si capacitas animæ posset capere infinitum. Est autem differenter in diuersis, non ex parte subiecti fruibilis, sed ex parte fruentium animarum. Nam beati quanto lumine glorię sunt perfectius illustrati, & ipsa illustratione perfectius deiformes effecti, tanto Diuinam essentiam acutius contemplantur, & in ipsa contemplatione amplius delectantur. Hęc ineffabilis & incomprehensibilis delectatio, quæ fruitio nuncupatur, inchoatur in Dei clarissima visione. Ideo tota beatitudo quandoque dicitur consistere in visione; sicut ait Augustin. *Visio est tota merces.* Et Ioann. 17. dicit Saluator. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Nam Diuinæ claritatis immensitas, ipsa sua pulchritudine virtualiter trahit, & immensa dulcedine rapit ad se omnem spiritum contuentem; vt à se deficiens, se toto feratur in ipsum, totusque transeat & transferatur in ipsum; ac abysso incomprehensibilis lucis absorptus, & quicquid creatum est in semetipsum oblitus, quodam ineffabili modo deificatus, ipsius Dei prę cordijs intimetur. Vnde Augustin. ait. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, Hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiæ, vt etiam si non liceret amplius in ea manere, quam vnius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis in circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur.* Et addit Bernard. *Cui comparata omnis aliundè suauitas dolor est, omnis iucunditas mœror,*

Secunda dos animæ est fruitio seu delectatio qua erit sũma & ineffabilis iuxta capacitatem cuiusque animæ.

Quia delectatio inchoatur in visionẽ ideo visio quandoque dicitur tota beatitudo.

omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne quodcumque aliud delectare poſſet moleſtum, cum Dei bonitas in infinitum excedat omnem aliam bonitatem. Idem quoque Auguſtin. ait in perſona Dei. *Ego ero illis quæcumque ab eis honeſtè deſiderantur, vita, ſalus, victus, & copia; gloria, & honor, & pax, & omnia bona.* Sic enim erit ipſe omnia in omnibus, ipſe erit finis deſideriorum noſtrorum; qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Vnde ſeipſum promittens Moyſi, dixit Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Et ſapiens Prouerb. 11. *Deſiderium iuſtorum omne bonum.* Et idem 11. *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur.* Vnde tunc complebitur omne noſtrum deſiderium, & humanus omnino terminabitur appetitus. Pſalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Gloria non ſatiat faſtidium generando ſicut res corporales, ſed deſiderium implendo. Vnde in beatis eſt eſuries continuationis.

Nec obſtat quod dicitur Eccleſ. 42. *Quis ſatiabitur videns gloriam Dei?* quoniam non erit ibi ſatietas qua faſtidium generetur, ſed erit ibi ſatietas qua deſiderium impleatur. Similiter ergo eſt ibi ſatietas, & eſuries. Satietas quidem ex abundantiſſima plenitudine ſummi boni; eſuries verò ex continuato ſemper deſiderio fruitionis. Satietas ergo tollit indigentiam, eſuries autem excludit faſtidium. In hoc enim differunt corporales deliciæ à ſpiritualibus, quod corporales dum non habentur graue in ſe deſidetium accendunt, cum verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. Sed ſpirituales dum non habentur, in faſtidio ſunt; cum verò habentur, in deſiderio; tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto ab eſuriente amplius comeduntur. Nam de viſione qua beati Angeli Deum vident, dicitur Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* Et tamen ſemper videre deſiderant, ſicut dicitur. 1. Petr. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Vnde ex maximè deuotionis ſpiritu dictum eſt:

Mirantur nec deficiunt,
In illum quem proſpiciunt,
Fruuntur nec faſtidiunt,
Quo frui magis ſitiunt,

Tertia dos animæ eſt ſecura tentio, ſine qua nullus poteſt eſſe beatus.

Tertia dos animæ eſt ſecura tentio. Tentio, quidem, id eſt perfecta poſſeſſio ſine amiſſione, & ſecura ſine dubitatione. Neque enim beati eſſent ſi Deum amittere formidarent. Ait autem Anſelm. in lib. de ſimilitudinibus. *Dico enim quod ſi illa bona cœleſtia beatus aliquis perditurus eſt; aut ipſe nolet ea perdere ſua ſponte, aut Deus volet ei nolenti ea auferre, aut aliquis alius Deo fortior ſuperueniens illa tollet ab eo, Deo & illo nolente. Sed certe nec ipſe abiecto tanto bono in miſerias quas euaſiſſe gaudioſus exultabit, decidere volet. Nec Deus qui illa tam larga, & tam clementi bonitate donauit, ei aliquando auferre volet. Nec vllus Deo fortior ſuperueniet, qui Deo iuſtum protegente, illi inuito aliquatenus ea tollet.* Et ſic patet, quòd beati de ſua æterna & immarceſſibili gloria, ſunt ſecuri. Hæc autem ſecuritas omnes alias beatitudinis partes, quæ non perfectè poſſunt haberi ſine illa, confirmat; animoſque beatorum in maxima pacis tranquillitate quietat.

De dotibus corporis.

Dotes corporis ſunt claritas, impaſſibilitas, ſubtilitas & agilitas.

Dotes corporum beatorum ſunt quatuor, videlicet claritas, impaſſibilitas, ſubtilitas, & agilitas. Cum enim forma debeat proportionari materiæ, in illo ſtatu futuræ reſurrectionis, diſponentur corpora ſecundum exigentiam & decentiam animarum. Vnde ſicut corpora damnatorum ex ordinatione Diuina habebunt diſpoſitiones eorum miſeriæ reſpondentes, ſic corpora beatorum habebunt dotes & proprietates, illi ſtatui condecentes. Damnatorum quidem corpora demeritis eorum exigentibus, & Diuina iuſtitia hoc agente, erunt turpiſſima, fœdiſſima, fœtidiſsima, debiliſsima, & ponderoſiſsima, vt ex eo-

A cum viliſsimis conditionibus animæ damnatorum deſolabiliter prægrauentur, & ex eorum cruciatibus, earum miſeria & ſupplicium augeatur. Corpora verò beatorum habebunt conditiones omnino contrarias, ſic miro modo proportionatas beatitudini animarum, vt omnino ſint eis ſubiecta, & perfectè obedientia; nullo modo retardantia eas, vel impedientia ab actu gloriæ, quinimo ineffabiliter ſublimabuntur ſuper ſtatum cuiuſlibet corporeæ creaturæ, vt ex eorum dotibus glorioſis, animarum beatitudo amplius augeatur. Præter hæc autem quod anima beata corpori ſuo inſeparabiliter vnietur, vt forma incorruptibilis in ſtatu incorruptionis corpori ſuo eſſe incorruptibile tribuat, compoſitione ex contrarijs non obſtante (hoc enim communiter conuenit tam reprobis, quam beatis) vlterius ex hoc quod anima ad ſtatum gloriæ ſublimabitur, decens erit vt corpus ei vnitum, ad talem gloriam quæ tali corpori deceat, vt proportionale fiat animæ, ſublimetur.

Ad hoc vt corpus ſit perfectè animæ ſubiectũ quatuor requiruntur, & hinc quatuor dotes.

Ad hoc autem quod corpus perfectè ſit ſubiectum animæ, nec eam impediat ab actu gloriæ, quatuor requiruntur. Quorum duo pertinent ad ſenſum, alia duo pertinent ad motum. Quò ad ſenſum enim neceſſarium eſt quod corpus ſit facile receptibile ſentibilium ſpecierum, & ad hoc diſponit claritas. Aliud, quod non ſit receptibile paſsionum ignobilium, & ad hoc diſponit impaſsibilitas. Quo ad motum requiruntur duo. Vnum eſt, quod per inclinationem contrariam, ſuo motori non reſiſtat: ad quod diſponit agilitas. Aliud eſt, quod à corporibus extrinſecis per quæ mouetur, ei reſiſtentia nulla fiat, ad quod diſponit ſubtilitas.

Dotes corporis reſultant ex beatitudine animæ ſecundum Auguſt.

De origine dotum iſtarum dicunt aliqui, quod erunt à Deo per creationem. Alij, quod à Deo non per creationem, ſed mediante beatitudine animæ per redundantiam animæ in corpus ſuum; ſicut expreſsè videtur dicere Auguſt. ad Dyoſcorum, dicens. *Tam potentem fecit Deus animam, vt eius pleniſsima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet in inferiorem naturam, quæ eſt corpus: non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanctitatis, & incorruptionis vigor. Circa hoc* igitur attende diligenter, & ſubtiliter intuere, quod ſicut anima beata clariſsima viſione illius inacceſsibilis lucis fruens, quadam ſpirituali claritate replebitur, ita per quandam redundantiam ex anima in corpus, ipſum ſuo modo, claritatis ſibi competentis gloria, veſtietur. Vnde dicit Apoſtolus 1. Corin. 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, ſurget in gloria.* Quia corpus noſtrum nunc eſt opacum, tunc autem erit clarum. Sicut ait Apoſtolus Rom. 8. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Ex claritate corpus erit peruium & lucidum ſicut vitrum & ſtella.

Et aduerte, quod cum aliquid dicatur clarum dupliciter: aut quia peruium, ſicut vitrum dicitur clarum, vel aqua dicitur clara: Aut quia lucidum, ſicut ſtella dicitur clara: corpora glorificata vtroque modo ſunt clara, id eſt peruia, & lucida. *Peruia* quidem, ſicut ait Greg. ſuper illud Iob 28. NON ADÆQVABITVR EI AVRVM. *Beatorum ciuium corpora ſibiinuicem, & claritate fulgent, & puritate tranſlucent: ita quod vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abſcondet, ſed patebit omnium oculis ipſa etiam corporis harmonia. Sicque vnuſquiſque erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc non poteſt eſſe conſpicabilis ſibiipſi.* Et Auguſt. 22. de Ciuitat. Dei. *Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſsitatis varios diſtributa; quoniam tunc non erit illa neceſsitas, ſed plena, certa, ſecura & ſempiterna felicitas, proficient laudibus Dei. Omnes quippe vſus qui nunc latent, harmoniæ corporalis muneri, intrinſecus & extrinſecus, per corporis cuncta membra diſpoſiti: tunc non latebunt. Lucida* verò erunt corpora beatorum. Sicut ait Dominus Matth. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* Nunc anima fidelis oculos cordis aperiat, & dilatato mentis ſinu, conſideret ineffabilem pulchritudinem corporum beatorum. *Fulgebunt* inquit *ſicut ſol.* Immo

certè

certè pluſquam ſol modo fulgeat, quia fulgebunt ſicut ſol fulgebit poſt iudicium, recepta gloria ſua, id eſt immenſa pulchritudine claritatis. De qua loquens Iſa. 30. ait. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptemplicíter, ſicut lux ſeptem dierum.* Claritas ergo corporum beatorum, excedet in ſeptuplum modernam ſolaris luminis claritatem.

Corpora beatorum non erunt æqualiter clara.

Hoc etiam ſciendum, quod corpora beatorum non æqualiter erunt clara; quia cum eorum claritas cauſetur ex redundantia claritatis animæ, quanto anima perfectius Deum videt, & ex diuina viſione ſpiritualiter fit clarior; tanto corpus eius maiori claritate refulget. Et hoc patenter inſinuat Apoſt. 1. Corint. 15. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Vides igitur aliqualiter, quanta ſit claritas ſingulorum corporum, ex redundantia animarum. *Nunc vlterius* conſidera quanta erit ex redundantia claritatis ſingulorum in ſingulos, & vniuerſorum in omnes. Non eſt dubium, quod quanto plura ſunt lumina, tanto maior eſt eorum refulgentia. Cum ergo in gloria innumerabilia ſint futura corpora glorioſa, ineffabili claritate radiantia, quantus erit fulgor omnium beatorum in patria? Bene ergo dicit beatus Ioannes Apoc. 21. *Ciuitas illa non eget ſole neque luna, vt luceant in ea.* Adhuc adde, quod ibidem ait. *Nam claritas Dei illuminabit eam.* Spiritualis quippe claritas diuinitatis, illuminabit animas ſecundum differentias meritorum, & Chriſti claritas corporalis illuminabit corpora beatorum. Vnde ſequitur. *Et lucerna eius eſt agnus.* Signum prognoſticum aliquale, & quaſi veſtigium huius claritatis futuræ, oſtendit Chriſtus in ſua transfiguratione, Matt. 17. vbi dicitur, quod *reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Si tantam claritatem oſtendit in corpore adhuc mortali, vt nullus eam ſuſtinere poſſet aſpectus, propter quod ibi Beati Apoſtoli ceciderunt in facies ſuas, ſtupefacti, inebriati, alienati; virtute pariter deficientes, & ſenſu: vnde Petrus incipiens loqui neſciebat quid diceret: quanta, immo quam ineffabilis, quam inæſtimabilis, & inexcogitabilis eſt claritatis eius immenſitas, quam nunc habet in corpore glorioſo, & communicatione ſua liberali diffundit & influit in electos. Et ſi tanta ſit futura gloria claritatis in corporibus, proculdubio prorſus incomparabilis erit claritas in beatiſſimis animabus.

Claritas intrinſeca corporum augebitur ex refulgentia aliorũ corporum beatorum.

ANIMA etiam quæ Diuina viſione fruetur, vltimo fini coniuncta, experietur deſiderium ſuum in omnibus adimpletum. Et quia ex deſiderio animæ mouetur corpus, conſequens erit quod corpus ſpiritui ad nutum obediat in mouendo. vnde dicit Aug. 22. de Ciu. Dei, quod *vbicumque voluerit ſpiritus, illic protinus erit & corpus.* Et hoc eſt, quod dicit Apoſt. *Seminatur corpus in infirmitate, ſurget in virtute.* Infirmitatem experimur in corpore, quia inualidum, ponderoſum, & graue inuenitur, ad complendum deſiderium animæ in motibus & actionibus quæ voluerit imperare; quæ infirmitas totaliter auferetur à corpore, ex virtute animæ Deo coniunctæ, in corpus proprium redundante. Erit autem in eis motus, non propter neceſſitatem, cum nulla ſit in eis indigentia, quia nullo indigere poſſunt qui Deum habent; ſed ad virtutis demonſtrationem. Sicut autem anima Deo fruens, deſiderium ſuum ſentiet adimpletum, quantum ad adeptionem plenariam omnis boni; ita impletum erit eius deſiderium, quantum ad remotionem omnis mali; quia cum ſummo bono, nullum malum poteſt habere locum.

Corpus ad nutum animæ in mouendo obedict.

CORPVS igitur perfectum per animam glorioſam, totaliter liberum & immune erit ab omni malo, quantum ad actum, & quantum ad potentiam. Quantum ad actum quidem, quia nulla corruptio, nulla deformitas, infirmitas, debilitas, vel defectus remanebit in eis. Quantum ad potentiam verò, quia non poterunt aliquid pati, quod ſit eis moleſtum, vel quod vllam inferat læſionem; & ideo dicuntur impaſſibilia: quæ tamen impaſſibilitas non excludit ab eis paſſionem, quæ

Impaſſibilitas in beatis, tam actum quam potentiam patiendi aliquid moleſtum, excludit.

A eſt de ratione ſenſus. Vtentur enim ſenſibus, ſecũdum ea quæ incorruptionis ſtatui non repugnant. Ad hanc impaſſibilitatem oſtendendam dicit Apoſt. 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in corruptione, ſurget in incorruptione.* Et iterum. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

RVRSVS anima Deo fruens, perfectiſſimè adhærebit ei, & eius bonitatem participabit in ſummo, ſecundum quod erit poſſibile capacitati ſuæ. Sic etiam corpus eius perfectè ſubdetur animæ, & eius proprietates participabit quantum erit poſſibile, in perſpicacitate ſenſus, & ordinatione corporei appetitus, & omni modo conuenienti perfectioni naturæ. Nam vnumquodque tanto perfectius eſt in natura, quanto eius materia B formæ ſuæ perfectius eſt ſubiecta. vnde corpora beatorum dicuntur eſſe ſpiritualia; Sicut ait Apoſtolus. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Spirituale quidem erit, non quia fiat ſpiritus, ſicut quidam male intelligentes dixerunt, ſiue per ſpiritum intelligatur creatura ſpiritualis, ſiue ventus, ſiue aër; ſed quia omnino ſubiectum erit ſpiritui. Sicut nunc dicitur animale, non quia ſit anima, ſed quia animalibus paſſionibus ſubiacet, & alimonia indiget. Patet igitur ex prędictis, quod ſicut anima hominis ad cœleſtium ſpirituum, id eſt Angelorum gloriam ſublimabitur, vt Deum per eſſentiam videat; ita corpus eius ad proprietates cœleſtium corporum ſublimabitur, vt ſit clarum, impaſſibile, ſine labore & difficultate mobile, & perfectiſſimè ſua forma perfectum. Et propter hoc dicit Apoſtolus reſurgentium corpora eſſe cœleſtia, non quantum ad C naturam, ſed quantum ad gloriam. Vnde cum dixiſſet, quod *ſunt corpora cœleſtia, & ſunt corpora terreſtria;* ſubiunxit, quod *alia eſt cœleſtium gloria, alia terreſtrium.* Sicut autem gloria ad quam anima ſublimatur, excedit naturalem virtutem cœleſtium ſpirituum, ita gloria corporum beatorum excedit naturalem perfectionem cœleſtium corporum. Eſt enim eorum claritas fulgentior, impaſſibilitas firmior, agilitas facilior & velocior, & ſpiritualitas naturæ perfectior, ſicut manifeſtum eſt ſubtiliter intuenti. Hæ ſunt ergo dotes gloriæ, tres animæ, & quatuor corporis, ſicut ſunt à ſanctis doctoribus aſſignatæ.

Corpus beati eatenus dicitur ſpirituale quod eſt omnino ſpiritui ſubiectum; ſicut & dicitur cœleſte quia ad proprietates cœleſtes ſublimatur.

De ſeptem partibus beatitudinis ad animam pertinentibus.

D

DISTINCTIO III.

ANSELMVS autem in lib. de ſimilitudinibus, quatuordecim beatitudinis partes enumerat, ſeptem ad animæ, & ſeptem ad corporis gloriam pertinentes. Ait enim ſic. *Quatuordecim ſunt beatitudinis partes, quas finito generali examine, omnes electi habebunt; & totidem miſeriæ genera, quæ tunc omnes reprobi ſuſtinebunt. Septem beatitudinis partes ad gloriam animæ pertinentes ſunt ſapientia, amicitia, concordia, honor, poteſtas, ſecuritas, & gaudium. Septem verò pertinentes ad corpus ſunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, & longæuitas. Si autem in his aliqua ſunt quæ aliquando ſerui Dei modo non appetunt, ſed ſummopere in hac vita refugiunt, vt ſunt verbi gratia pulchritudo corporis, & voluptas. Hoc vtique non eſt, quia naturaliter ea non appetant, ſed ne quoquomodo Deum in ipſis offendant. Nam ſi nil offenſionis in Deum per ea contrahi poſſe certè ſentirent, vèl ſe ab æternorum bonorum amore impediri non pertimeſcerent, profectò iucundius in ipſis quam in eorum contrarijs ſe deducerent. Quicumque illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam animæ corporiſque beatitudinem poſſidebit. Partes verò miſeriæ prælibatis beatitudinibus contrariæ hæ ſunt, inſipientia, inimicitia, diſcordia, dedecus, impotentia, timor, triſtitia, turpitudo, ponderoſitas, imbecillitas, ſeruitus, infirmitas, anxietas, vitæ breuitas. Quecumque has omnes miſeriæ partes tolerare contigerit, ſummæ corporis & animæ miſeriæ ſubiacebit. Verum nec vnam illius beatitudinis, vel vnam huius miſeriæ partem, quiſquam in hac*

E

Quatuordecim ſunt beatitudinis partes & totidem miſeria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vita perfectè poteſt habere, nec rurſus ex toto ea carere. In alia verò vita, aut perfectam habens beatitudinem, nullatenus miſeriæ ſubiacebit, aut ſummæ ſubiacens miſeriæ, omnino beatitudine carebit. Quod vt totum comprobare poſſimus, per ſingulas beatitudinis partes per ordinem diſcurramus.

Prima beatitudinis pars eſt ſapientia, qua tanta erit in beatis vt nullus ignorabit quod ſcire cupit.

PRIMA *pars beatitudinis ad animam pertinentis eſt ſapientia. Hæc autem in futura vita tanta bonis erit, vt eorum quæ ſcire voluerint, nihil ſit quod ignorent. Bonus enim perfecta quę Deus eſt ſapientia replebitur, eamque facie ad faciem videbit, quam dum clarè perſpicit, naturam cuiuſlibet creaturæ videbit potius quàm in ſeipſa videret, quippe quæ in Deo melius quàm in ſeipſa conſiſtit. Tunc enim iuſti cuncta ſcient quæcumque Deus fecit, tam ea quæ præterita, quàm ea quæ poſt modum ſunt futura. Ita & à ſingulis omnes ibi, & ab omnibus ſinguli cognoſcentur; nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua ſtirpe quis fuerit oriundus.*

Peccata quæ beatus fecit, ab omnibus beatis videbuntur ad maiorẽ Dei laudem qui talia condonauit.

CVM *autem ſuperius dictum ſit, quod vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulẽtia non abſcondet; & hic dicat Anſelmus, quod à ſingulis omnes, & ab omnibus ſinguli cognoſcentur. Poteſt aliquis moueri, & quærere vtrum peccata quæ fecit, videbunt omnes. Abſit hoc. Ea enim confeſſus ſum vt delerentur, & obliuioni darentur, vt nulli amplius panderentur. Reſpondet Anſelmus. Cum tu in illa gloria ab omni criminum ſorde purgatus, vultu Dei præſens aſtiteris, ingratus ne ei poteris eſſe pro tanta miſericordia quam tibi fecit, remiſſis illis delictis? Non inquies. Et vnde inquam gratias ages, ſi nihil eorum vnde gratias agere debeas, in memoria tua habeas. Vt igitur in illius laude æternaliter iucunderis, ſemper de quanta miſeria ſis erutus, coram habebis. Cum ergo ſingulorum conſcientiæ ſingulis pateant, audeo fateri ea quoque peccata cunctis electorum patere, pro quorum curatione tu Deo gratioſus exiſtes aſſiduè; non ad tuam confuſionem, ſed ad magnam Dei miſericordiam, eius quoque glorificationem, tuamque congratulationem. Non enim tunc pro peccatis te maior anguſtia cordis premet, ſcelerumvè tuorum magis pudebit, quam aliquem magnis olim vulneribus ſauciatum, iamque ex omni parte ſanatum, aboliti languoris moleſtia premit. Vel nunquid eorum quæ in cunis poſitus infans egit, nunc grandæuum pudet? Tunc quippe cum integra ſanitas, perfecta munditia, plena remiſſio, ſecura omnium offenſionum impunitas, tibi certo arriſerit; cognitio vel recognitio peccatorum tuorum in nullo tibi horrori vel confuſioni magis eſſe valebit, quam eſt modo Beato Petro Apoſtolorum principi, qua Chriſtum negauit abiuratio ſua; vel Beatæ Mariæ Magdalenæ peccata ſua; & multis alijs multa, quæ ſcimus donata, crimina ſua. Verum ſuper hoc agnitis delictis tuis, velut enormi ac ſœda infirmitate tua; pietas, virtus & ſapientia medici qui te ſanauit, ſublimius à cunctis admirabitur, laudabitur, & magnificabitur. Laus autem & magnificentia gloriæ Dei, tua ſi bene aduertis gloria eſt. Sic igitur patet, quod omnium peccatorum tuorum ſine dolore recordaberis, & omnes ea ſine tui confuſione videbunt, ſed potius hoc ad Dei miſericordiam oſtendendum, & ad gratiarum actionem iugiter exoluendam. Perpende ſi potes, quam grata ſit iſta ſapientia, qua tu ſicut ab omnibus cognoſceris, ſic à te omnes & ſinguli cognoſcuntur.*

Secũda pars beatitudinis eſt amicitia quæ erit in patria perfectiſſima.

SECVNDA *pars beatitudinis eſt amicitia. Perfecta autem amicitia eſt, quæ ad inimicitiam conuerti non poteſt. Bonum enim quẽcumque ſic Deus omneſque alij boni diligunt, vt eum odio vltra habere non poſſint. Quantum namque ſeipſum quiſque, tantum & tamdiu diliget & alterum. Cum enim omnes vnum corpus Chriſti ſint, & Chriſtus omnium caput, non minori ſeſe affectu amplectentur, quam vnius corporis membra ſibiinuicem copulantur. Putaſnè abundans eris in dilectione, quæ hic tibi fuerit in poſſeſſione? & tamen iſtam tranſi, & illum contemplare, per quem tibi bona omnia prouenẽre; & percipies, quod ille plus quam tu teipſum, & quam omnes alij ſe, incomparabiliter amet te; & tu ſuper teipſum, & ſuper omnes alios, ineffabili quadam ſuauitate illum amabis. Vnde Anſelmus in prologion. Si delectat amicitia, diligunt Deum pluſquam ſeipſos, & inuicem tanquam ſeipſos, & Deus illos pluſquam illi ſeipſos.* Si igitur in hac vita miſera iucundum eſt amicum verum & fidelem habere, & delectabile eſt amicis conuiuere; propter quod dicit ſapiens Eccl. 25. *Beatus qui inuenit amicum verum:* quanta tunc erit iucunditas, tantos tales & tot amicos, tam perfectè fideliter & veraciter diligentes habere; & ipſum fontem amicitiæ poſſidere. Auguſt. *Nulli ſuperiori nullus inferior inuidebit, ſicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri. Habebit enim donum alius alio minus, vt hic quoque donum habeat, nec velit amplius. Tanta erit ibi amicitia, quod Chriſtiani Deum plus diligent quàm ſeipſos, & Deus illos diliget pluſquam ibi ſeipſos. Et tanta vis charitatis omnes ibi ſociat, vt vnuſquiſque quod in ſe non acceperit, in alio accepiſſe ſe gaudeat.*

Tertia eſt cõcordia quæ erit maxima

TERTIA *pars beatitudinis eſt concordia. Concordiam tam raram habet hic homo, vt nec ipſe cum alijs, nec alij ſecum, immo nec ipſe ſemper ſibimetipſi concordet. Sic enim corpus & animæ diſſident, vt quod vnum appetit, alterum nolit. Sicut ait Apoſtolus Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem:* hæc enim ſibiinuicem aduerſantur. Et Rom. 7. *Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* In alia verò vita in ſumma conſiſtunt concordia. Corpus enim & anima cuiuſlibet ſancti, immo omnes iuſti ſibiinuicem tantæ erunt concordiæ, quantæ in præſenti ſunt oculi noſtri. Sicut enim oculus vnus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed ſemper in eandem partem voluuntur; ſic corpus & anima, vel ſocietas illa iuſtorum, nil poterit velle diuerſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebunt. Corpus vnum erimus quicumque ibi erimus; eccleſia vna, ſponſa vna Chriſti erimus quicumque ibi erimus. Ipſa Dei voluntas diuerſa non erit à tua, ſed ſicut tu quod ille, ſic & ille in cunctis quod tu. Caput namque à corpore ſuo quomodo diſcreparet? aderit omnibus omnis ſufficientia, quam perficiet ſingulis vnanimis & plena concordia.

Simile.

Quarta eſt honor qui erit verus & perfectus.

QVARTA *pars beatitudinis eſt honor. Homo ab hominibus in hac vita appetit honorari eorum verbis aut factis. Verbis quidem, vt eum collaudent. Factis autem, vt ſibi obediant. Sed cum honorem huiuſmodi appetit, tale eſt ac ſi vnus mus ab alijs laudari quærat, eiſque in regimine præponi. Hunc tamen honorem licet nullus ſit, tamen pænè nemo poteſt ipſum hic ad plenum habere. Nullus enim eſt Imperator qui ab omnibus laudetur, vel omnibus alijs præponatur. In futuro autem iuſtus quiſque, verum & perfectum honorem in patria conſequetur.*

Exemplum.

CVIVSMODI *verò ſit hic honor breui conſideremus exemplo. Ecce hic ante oculos noſtros poſitus aliquis pauper omni ſolatio deſtitutus; vlcerum, & aliarum infirmitatum fœditate corruptus, & omni quo vel à frigore defendatur tegumento nudus. Hunc igitur talem tali modo iacentem, & in nullo ſemetipſum iuuare valentem, ſi rex aliquis potentiſſimus tranſiens videret, eiuſque miſertus vulneribus mederi iuberet, curatumque ſuis regalibus ornamentis indutum, ſibi præciperet præſentari, in filium adoptaret, ac deinde præciperet vt in regno ſuo tanquam filius ſuus à cunctis haberet, atque in nullo quod imperaret à quoquã contradiceretur, hæredemque ſuum, filijque ſui proprij cohęredem inſtitueret, & eum vocari nomine ſuo vellet. Nonne diceres hunc magnificè & ſublimiter honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet. Natos enim de putredine carnis, repletos multis miſerijs, omnique ſolatio deſtitutos, omniumque infirmitatum paſſionibus obnoxios, peccatorum ac corruptibilitatis vlceribus plenos, ſola miſericordia ductus accipiet, & curabit nos, ſanitati reſtitutos, ornamentis perfectæ iuſtitiæ & incorruptibilitatis ornabit, adductos ad ſe in filios adoptabit, regni ſui conſortes efficiet & hęredes, filioque ſuo vnigenito ſibi per omnia coæquali & coomnipotenti, concorporales conſtituet & cohæredes. Omnique creaturæ iubebit, vt in omni quod volemus nobis obediat, vocatoſque nomine ſuo nos Deos efficiet. Ipſe enim dicit. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Sed ipſe Deus eſt per eſſentiam, tu*

verò per participationem; ſicut teſtatur Petr. dicens 2. Petr. 1. *Vt efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* ipſe Deus eſt deificans, tu verò Deus deificatus. Auguſt. *Ibi erit verus honor, qui nullo negabitur digno, nulli conferetur indigno; quia nec ambiet ad eum vllus indignus, vbi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Attende* fidelis anima, quam inæſtimabilis erit honor, à ſummo rege regum manu propria coronari, & dyademate perennis gloriæ decorari; non in mundi ſterquilinio, ſed in cæli palatio, in conſpectu innumerabilium Angelorum & ſanctorum omnium immortalitatis ſtola veſtiri, & regalibus indumentis præfulgidis adornari. Vnde Sapient. 5. dicitur. *Accipient regnum decoris, & dyadema ſpeciei de manu Domini.*

Quinta eſt potentia qua tanta erit vt quilibet poteſt facere quid velit.

QVINTA pars beatitudinis eſt potentia. Veram ille potentiam obtinet, qui quæcumque voluerit facere poteſt. Quod quia nullus hic valet facere, nec veram poteſt potentiam hic habere. Verum quidem in futuro, bonus quicquid voluerit facere poteſt; quoniam ipſum omnipotentem, in omnibus ſuæ voluntati concordantem habebit. Quando ergo cum tanto honore, & cum cæteris prælibatis, hanc adeptus fuerit omnipotentiam, non video qua ratione poſſit cupere ampliorem. Omnes enim omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ſicut Deus ſuæ. Nam ſicut Deus poteſt quicquid vult per ſeipſum, ita poterunt illi quicquid volēt per Deum. Quia ſicut illi non aliud volent quam quod ille, ita ille volet quicquid ipſi volent; Et quod ille volet, non poterit non eſſe.

Sexta eſt ſecuritas, quæ erit omnino perfecta.

SEXTA pars beatitudinis eſt ſecuritas. In hac vita nihil poteſt aliquis habere de quo ſecurus valeat eſſe. Sub eodem enim momento, pauper ex diuite, triſtis ex læto, infirmus ex ſano, mortuus ex viuo poteſt exiſtere. Ergo nec alias beatitudinis partes, nec ſecuritatem perfectam hic habet. In futuro autem bonus quiſque ſecuritatem perfectam habebit, quia quicquid voluerit obtinebit, & nihil ex eo ſe amiſſurum timebit. Ber. *O ciuitas cœleſtis, ſecura manſio, patria totum complectens quod delectat, populus ſine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. O quam glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Auguſt. quoque ſic loquitur, *Ibi erit ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo.* De hoc require ſupra, *in tertia dote animæ.*

Septima eſt gaudium, quod erit ſummum.

SEPTIMA pars beatitudinis ad animam pertinentis eſt gaudium. Gaudium perfectum ſolus ille poteſt habere, qui omnes prædictas partes beatitudinis præualet obtinere; quarum quia nullam homo hic habere poteſt, patet quia nec gaudium ſummum. In futuro autem bonus quiſque tunc omnino gaudere poterit, quia perfectè prædictas omnes partes beatitudinis obtinebit. Quid ergo beatius iſto quo tunc replebitur iuſtus gaudio. Adhuc tamen ad cumulum beatitudinis ſuæ aliud habebit, vnde amplius poſſit gaudere. Quia enim quiſque ſic alterum vt ſeipſum amabit, patet quod ſic de illius fęlicitate ſicut de ſua gaudebit. Quot & quanta gaudia quiſque beatus habebit, qui de tot & tantis beatitudinibus ſanctorum gaudebit. Quòd ſi de alijs quos vt ſe diliget, tam ineffabiliter iubilabit, quãtum de Deo, quem plus quam ſe diliget, exultabit. Gaudium enim erit ei intus & extra, ſurſum & deorſum, gaudium circumquaque. Cuilibet eorum erit gaudium ſuper ſe, de Diuina viſione. Intra ſe, de ſui glorificatione. Infra ſe, de ſuppliciorum infernalium euaſione. Circa ſe, de ſanctorum Angelorum & hominum ſocietate iucundiſſima. Extra ſe, de mundi formoſitate gratiſſima; vbique gaudium plenum erit. Auguſt. *Ibi nihil obeſt, nihil deeſt, nihil extra quod appetatur, nihil intra quod faſtidiatur. Ibi vita ſine morte, iuuentus ſine ſenectute: Ibi lux ſine tenebra, ibi gaudium ſine triſtitia, ibi pax ſine diſcordia, ibi voluptas ſine iniuria: Ibi merces ſanctorum tam magna eſt, quod non poteſt menſurari; tam multa quod non poteſt numerari; tam copioſa quod non poteſt finiri; tam pretioſa quod non poteſt æſtimari.* Idem ibidem. *Illud quod permittit Deus, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur; deſideria & vota tranſcendit, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. Ibi nihil quod amabitur deerit, ibi nihil deſiderabitur quod non aſſit.* Propter quod ſicut ſcriptum eſt Iſa. 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea,* id eſt in ſuperna Hieruſalem, *gratiarum actio, & vox laudis.* Et iterum 65. *Ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.* Notate verba: Hieruſalem & populus eius tanta plenitudine gaudij perfruentur, vt non ſolum dicantur exultatione & gaudio repleri, vel etiam cumulari, ſed magis eſſe ipſum gaudium, quia gaudium omnino ſuperexcedit in eis. Item 66. *Lætamini cum Hieruſalem, & exultate cum ea, qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio, vniuerſi qui lugebatis ſuper eam, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius; vt mulgeatis & delicijs affluatis, ab omnimoda gloria eius.* Vnde bene & deuotè loquens Anſelmus de hoc gaudio ait *Cor humanum cor indigens, cor expertum erumnas, immò obrutum erumnis; quantum gauderes ſi his omnibus abundares; interroga intima tua, ſi capere poſſunt gaudium ſuum, de tanta beatitudine ſua? Sed certè ſi quis alius quem omnino ſicut teipſum diligeres, idem gaudium eandemque beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum; quia non minus de illius bono, quam de tuo gauderes. Si verò duo vel tres, vel multo plures, idipſum haberent, tantum inde pro ſingulis, quantum pro teipſo gauderes, ſi ſingulos ſicut teipſum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum & hominum, vbi nullus minus diliget alium quam ſeipſum, non aliter gaudebit quiſque pro ſingulis, quàm pro ſeipſo. Si ergo cor hominis vix capiet gaudium, ſcilicet de tanto bono ſuo, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum. Et vtique quantumquiſque diligit aliquem, tantum de bono illius gaudet. Sicut in illa perfecta fœlicitate, vnuſquiſque ſine comparatione Deum diliget plus quàm ſe, & omnes alios ſecum; ita plus gaudebit abſque dubitatione, de fœlicitate Dei, quam de ſua, & omnium aliorum ſecum. Sed ſi Deum ſic diliget tota mente, toto corde, vt tamen tota mens, totum cor, non ſufficiat dignitati dilectionis Dei; totum cor, tota mens, non ſufficiet dignitati gaudiorum. Non ergo totum gaudium intrabit in gaudentes, ſed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Peto Domine meditetur intus in te mens mea, loquatur lingua mea, amet illud cor meum, ſermocinetur os meum, eſuriat illud anima mea, ſitiat caro mea, deſideret te tota ſubſtantia mea, donec intrem in gaudium Domini Dei mei.* Prædictæ ſeptem beatitudinis partes, ad tres dotes animæ ſuperius memoratas poſſunt reduci. Nam ſapientia ad primam dotem reducitur. Amicitia, concordia, & gaudium, ad ſecundam: Honor, poteſtas, & ſecuritas, ad tertiam.

Quantum ſit futurum gaudium beatorum.

Iſta ſeptem beatitud. nie partes poſſũt ad tres animæ dotes reuocari.

De ſeptem partibus beatitudinis corporis.

DISTINCTIO IIII.

Prima pars beatitudinis ad corpus pertinens eſt pulchritudo, cui opponitur turpido.

SIMILITER enumerat Anſelmus ſeptem partes beatitudinis ad corpus pertinentes. Prima pars eſt pulchritudo, miſeriæque per contrarium turpitudo. Eſt autem pulchritudo bonum quoddam quod naturaliter à cunctis deſideratur haberi. In illa ſiquidem vita pulchritudo iuſtorum ſolis pulchritudini comparatur, qui tunc ſeptempliciter quam modo ſit, clarior & ſplendidior erit. Vnde ſcriptum eſt Matth. 8. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* Amplius, corpus Domini claritati ſolis prælucere, nemo poteſt ambigere. Huic autem teſte Apoſtolo ſimiles erimus, qui ait Rom. 8. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ,* hæc auctoritate comprobata. Si quis etiam velit ſibi ratione probari, credo nulli debere incredibile videri, iuſtos pulchritudinem ſolis in illa vita, vbi mortale hoc abſorbebitur, tantummodo ſortiri, cum verè dicantur & ſint templum & ſedes Dei, quod nuſquam in diuina pagina inuenimus de iſto viſibili ſole legi.

Secunda eſt agilitas.

SECVNDA pars beatitudinis eſt agilitas. In futuro tanto nos velocitas comitabitur, vt ipſi æquè celeres Angelis Dei ſimus, qui de cœlo ad terras, & è conuerſo, dicto citius dilabuntur. Quæ celeritas, vtrum ſit in

Angelis & nobis æqualis probari neceſſe eſſet. Verum exempli gratia, dici poſſet hominem mortali adhuc carne grauatum, mox à Iudæa per Angelum in Chaldeam delatum; & inde, tradito prandio quod deferebat, ſine mora relatum. Ergo cum iſtis omnino par velocitas nobis erit, quibus ſicut promiſſa eſt illorum æqualitas, nobis inerit. Apoſtolus etiam qui corpora noſtra quantacumque locorum intercapedine ſeparata membratim fuerint, vel diſperſa, in ictu oculi aſſerit reſurrectura; ſatis innuit quam velocitatem eadem corpora iam incorruptibilia ſint habitura. *Corruptibile enim hoc*, ſicut ipſe teſtatur, *incorruptionem induet, immortale hoc immortalitatem.* Huius quoque velocitatis exemplum in radio ſolis poſſumus intueri, qui ſtatim orto ſole in plaga orientali, pertingit vſque ad vltima plagæ occidentalis, vt in eo perpendamus non eſſe impoſſibile quod de noſtra dicimus futura velocitate. Huic etiam radio ſolis ſimile exemplum velocitatis habemus in nobis. Radius quippe oculorum noſtrorum, in ſubleuatione palpebratum, aduſque cœlum pertingit, & ictu earum totus in ſemetipſum ac integer redit. Amplius, conſtat ſanctorum animas quæ iam cœleſtia tenent, necdum plena fælicitate perfrui, donec incorruptibilitate ſuorum corporum potiantur, quã cum adeptæ fuerint, non eſt quod amplius velint. Hæc inquam corpora, ſi eas ad ſuam fælicitatem tardiores aut grauiores efficere deberent, nimirum eorum conſortium potius abhorrerent quam appeterent.

Simile.

Tertia eſt fortitudo, qua fortitudini Angelorũ æqualis erit.

TERTIA pars beatitudinis ad corpus pertinentis eſt fortitudo. Præſtabunt viribus quicumque meruerunt Angelicis ciuibus ſociari, intantum vt nullatenus illis quicquam obſiſtere valeat, quin illico cedat. Nec in eo quod diximus maiori laborabunt conatu, quam nos modo in oculorum motu. Neque ſimilitudo illa Angelorum noſtro cadat ab animo, quam adepturi ſumus in futuro; quatenus ſi in hac fortitudine, aut in his quę dicturi ſumus, exemplum aliud non occurrat, vel ipſa per quam Angelis adæquabimur, ad ea comprobanda proſit. Nemo autem eſt qui dubitet (vt puto) Angelos ea qua volunt fungi fortitudine. Cum igitur ſimiles eis fuerimus, nunquid imbecilliores illis erimus? In futuro igitur iuſtus ſic fortis erit, vt etiam ſi velit terram commouere, poſſit.

SED fortaſſe quæret aliquis, quid nobis tunc illa fortitudo præſtabit, cum ſingulis, tanta conuenientia vt conuenientius nequeant, vbique diſpoſitis, nil euertendum, nil ſtatuendum ſit, in quo vires ſuas quis exercere poſſit? Qui hoc dicit attendat, quod non ſemper omnibus quæ habemus, & quæ nos non parum habere gaudemus, actu vtimur. Verbi gratia; Ipſo viſu, poteſtate aliqua, nonnullarum ſcientia rerum: Sic & de multis alijs in hunc modum. Sic & tunc de qua agimus fortitudine erit. Sola namque poſſeſſio eius grata nobis erit, & exultatio grandis, licet in actu non ſit nobis neceſſaria; Cunctis vt dictum eſt, in ſuo ſtatu conuenienter aptatis. Hæc eadem quæſtio, ſi aut de velocitate, aut de alia beatitudinis parte, moueatur; hac ſolutione, ſi non aptiorem lector inuenerit, diſſoluatur.

Quarta eſt libertas ita vt poſſimus omnia quæ volumus.

QVARTA pars beatitudinis ad corpus pertinentis eſt libertas. Liber eſt qui cogi non poteſt ad ea quę nolit, nec prohiberi poteſt ab eo quod velit. Sed quis in hac vita hanc libertatem poſſit habere? Quis non quotidie patitur quod nollet, quis aſſequi valet omne quod vellet? In futuro autem quicumque Angelis aſſimilabuntur, eorum quoque libertatem neceſſario conſequentur. Itaque ſicut Angelis nihil obſiſtit, nihil eos impedire poteſt vel conſtringere, quin pro velle ſuo cuncta liberrimè penetrent; ita non erit obſtaculum quod nos retardet, nulla clauſura quæ nobis aliquatenus obſtet; nullum elementum quod nobis ad velle noſtrum pronum non extet. Amplius, dominicum corpus qui corpora noſtra Paulus configuranda teſtatur, clauſo ſepulchro à mortuis reſurrexit; hoc etiam ad diſcipulos clauſis ianuis palpandum introiuit; Nobis quoque in hoc, futuræ libertatis documentum grande reliquit. In illa vita ſi bonus fuerit, nil patietur quod nolit, ſed agere permittetur quodcumque voluerit.

Quinta eſt ſanitas, quæ erit incommutabilis.

QVINTA pars beatitudinis ad corpus pertinentis eſt ſanitas; miſeriæ vero infirmitas. Illa homo ab ortu ſuo carere, hanc autem incipit tolerare. Ex quo enim naſcitur, prima vox eius indicat quod patiatur. Mox namque incipit eſurire, ſitire, laceſſere, ſuis in pannis ſordeſcere, hic cæcus vel ſurdus, mutus vel claudus, cardiacus vel ſcabioſus, leproſus vel paralyticus; alioquè morbo efficitur infirmus, quia tamen eius infirmitas quibuſdam medicamentis liniri poteſt, non ſummæ infirmitati ſubiacet. verum in futuro ſic ſanus erit, quod nullatenus infirmabitur, ſed ſumma ſanitate fruetur. De hac ſanitate quid melius dici poſſit, quam quod Pſalm. canit. 36. *Salus iuſtorum à Domino.* Verum de iſta ſanitate quam in ſæculo futuro habebimus, quod exemplum afferre queam, vt quæ ſit intelligatur non video: quia nil ſanitatis quod ei comparare poſſem, aut ego in me, aut aliquis in mortali carne degens, ſenſit in ſe. In futuro autem *abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor, quia prima tranſierunt. Et non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus; quoniam dextera ſua Deus teget eos, & brachio ſuo ſancto diſcendet illos.* Quid igitur eis nocere poterit, quibus dextera Dei tegumentum erit? Qualiter autem ſit illa ſanitas, ſcio me, nec meo, nec alicuius ſenſu vel experimento accepiſſe. Credere tamen licet, & incunctanter aſtruere, ſanitatem vitæ futuræ ita iugem, incommutabilem, ac inuiolabilem fore, vt ineffabili quadam dulcedine totum hominem repleat, & omne quod alicuius in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis, aut læſionis ſuſpicionem prætendere quæat, procul arceat ac repellat.

Sexta eſt voluptas.

SEXTA pars beatitudinis ad corpus pertinentis eſt voluptas. Hanc cum in hac vita homines quærunt, non niſi per anxietatem inuenire quærunt. Cumque ad id perueniunt quod voluptatem putant, non niſi laborando eo frui valent: quo ſi etiam immoderatius vſi fuerint, rurſum eis in anxietatem conuertitur. Poſt hanc vero vitam, aut in omnimoda voluptate ſunt: aut omnimoda replebuntur anxietate. Sicut enim ferrum ignitum, quaqua ſui parte continet ignem: ſic in ſe boni voluptatem, mali vero ſentient anxietatem. Hanc voluptatem neminem inuentum eſſe puto, quam eam vt eſt ſenſerit vel guſtauerit, vt illius ſaporem vel habitudinem alijs declarare poſſit. Sit tamen ante mentis oculos poſitus, exempli cauſa homo aliquis, qui tam in ipſis oculorum ſuorum pupillis, quam & in ſingulis membris, ferrum ignitum & candens infixum habeat, vt nec medullæ nec inteſtina, nec omnino quicquam in corpore eius, cruciatus immanitate careat, vel eam leuius quam in oculis ſentiat. Quid dicam? anguſtiatur. Quis iſtum ſanę mentis eſtimet inter iſta? Eodem modo, ſed penitus contraria conſideratione, in illa futura vita, delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & ineſtimabili dulcedine ſui, totos eos inenarrabili quadam exundantia ſatiabit. Quid dixi totos, oculi aures, manus, os, nares, guttur, cor, iecur, pulmo, oſſa, medullæ, exta etiam ipſa, & cuncta ſigillatim, & ſingula membra eorum in communi, tam mirabilis delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt homo verè totus, torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.

Exemplũ ad ineffabilem beatorũ voluptatem declarandã.

Voluptates beatorum nõ carnales ſed ſpirituales.

Hoc autem aduertendum, quod ibi non erunt voluptates carnales, ſiue delectationes quæ conſiſtunt in vſu corporalium ciborum & venereorum; quoniam iſtæ ad vitam animalem pertinent, & ſunt nobis bruteſque communes. Sed ſunt ibi delectationes altiſſimę, puriſſimæ, & nobiliſſimæ: in quibus cum Angelis ſanctis communicamus, quæ conſiſtunt in iucundiſſima Dei viſione, & ſuauiſsima fruitione, quæ nobis &

Angelis est communis. Vnde Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed sunt sicut Angeli Dei.* Quòd autem in futuro sæculo non vtantur cibis & venereis patet. Remota enim vita corruptibili, necesse est remoueri illa quæ corruptibili vitæ deseruiunt. Manifestum est autem quod vsus istorum corruptibili vitæ deseruit. Sumuntur enim cibi, vel propter nutrimentum, vt vitetur corruptio quæ posset accidere ex consumptione humidi naturalis; vel propter augmentum, vt perueniat corpus ad debitam quantitatem. Sed neutrum prædictorum erit in patria; quoniam omnes erunt incorruptibiles, & omnes in debita corporum quantitate resurgent, sicut dictum est supra: ergo vsus ciborum non erit ibi. Similiter commixtio maris & fœminæ corruptibili vitæ deseruit: ordinatur enim ad generationem, vt per eam conseruetur in specie, quod non potest in individuo conseruari. Cùm igitur omnes homines in futuro sint incorruptibiles, nulla tunc erit hominum generatio. Si autem dicas quod tunc erit vsus ciborum & venereorum, non propter conseruationem vel augmentum corporis, nec propter conseruationem speciei, vel multiplicationem hominum; sed solum propter delectationem quæ in illis actibus existit, ne desit aliqua delectatio hominibus in vltima remuneratione: Patet hoc inconuenienter & irrationabiliter esse dictum. Quia constat quod illa vita beata, ordinatior erit quam vita præsens. In hac autem vita inordinatum & vitiosum est, si quis vtatur huiusmodi cibis & venereis propter solam delectationem, & non propter necessitatem sustentandi corporis, vel procreandæ prolis. Nam delectationes quæ sunt in prædictis actionibus, non sunt fines actionum; sed magis econuerso. Est ergo ordo præposterus & indecens, si operationes propter solas delectationes exerceantur. Nullo ergo modo hoc ponendum est in beatis, quorum vita ordinatissima debet esse.

PER hoc autem excluditur error Iudæorum & Saracenorum, qui ponunt & æstimant quod homines post resurrectionem cibis & venereis vtentur, sicut & nunc. Quos etiam quidam Christiani hæretici sunt secuti, ponentes regnum Christi futurum in terris terrenum, per mille annos: in quo spacio temporis, dicunt eos qui tunc resurrexerint, moderatissimè cibis & venereis vacaturos. Sed ista nullo modo nisi à carnalibus credi possunt, qui sola carnalia sapiunt, & spiritualia & æterna minimè gustauerunt.

Refutatur error millenariorum.

Obiectiones.

SVNT autem aliqua quæ huic opinioni suffragari videntur. *Primo* quidem, quia Adam in statu innocentiæ vitam habuit immortalem, & tamen si stetisset, cibis & venereis vsus esset, cùm illi dictum sit. *De omni ligno paradisi comede.* Et, *crescite & multiplicamini, &c. Item* Christus post resurrectionem suam legitur comedisse. Lucæ vltim. *Cùm manducasset coram Discipulis, sumpsit reliquias & dedit eis.* Et Act. 10. dicit Petrus. *Hunc* scilicet Iesum *Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum eo postquam surrexit à mortuis.* Item Act. 1. *Conuescens præcepit eis, &c. Sunt* etiam auctoritates multæ in scriptura sacra, quæ ciborum vsum videntur nobis promittere in illo statu futuro. Dicitur enim Isa. 25. *Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum vindemiæ defecatæ.* Et quod hic intelligi debeat de statu post resurrectionem patet ex hoc quod sequitur. *Et præcipitabit Dominus mortem in sempiternum, & auferet Dominus omnem lachrymam ab omni facie,* Item Isa. 65. *Ecce serui mei comedent & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis, &c.* Et quod hoc referendum sit ad statum futurum, patet ex hoc quod postea subditur *Ecce ego creo cœlum nouum & terram nouam. Item* Dominus dicit Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc gemine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum, in regno patris mei.* Et Luc. 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Item* Apostol. 21. dicitur quod *ex vtraque parte fluminis quod erit in ciuitate sanctorum, erit lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses.* Et 20. capit. eiusdem dicitur. *Vidi animas decollatorum propter testimonium Iesu, & vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis. cæteri mortuorum non vixerunt, donec consumerentur mille anni.*

Ex prædictis omnibus prædictorum hæreticorum opinio confirmari videtur. Sed hæc omnia sanè intelligentibus non est difficilè soluere. *Quod* enim primo objcitur de Adam nullam habet efficaciam. Adam namque perfectionem quandam habuit personalem, nondum tamen erat perfecta humana natura, multiplicatione humani generis nondum adhuc inchoata. Institutus ergo fuit Adam in tali perfectione quæ generis humani principio competebat, & ideo oportuit quod generaret ad multiplicationem humani generis, & per consequens quod cibis vteretur. Post resurrectionem autem, natura humana totaliter erit perfecta, electorum numero iam completo. Et ideo generatio tunc non erit, nec vsus etiam alimenti: propter quod & alia erit immortalitas resurgentium, & alia quæ fuit in Adam. Resurgentes enim sic erunt immortales, vt mori non possint, nec eorum aliquid possit resolui. Adam autem sic fuit immortalis, vt posset non mori si non peccasset, & posset mori si peccasset. Eius autem immortalitas sic poterat conseruari, non quod nihil resolueretur, sed vt contra resolutionem humidi naturalis subueniri posset per ciborum necessariam sumptionem, ne corpus eius ad corruptionem veniret.

Solutio obiectionum.

QVOD autem objcitur de Christo, qui post resurrectionem comedit. Dicendum quod reuera comedit non propter necessitatem, sed ad demonstrandum suæ resurrectionis veritatem. Cibus autem ille quem sumpsit, non fuit conuersus in carnem eius, sed in præiacentem materiam resolutus. Hæc autem causa comedendi non erit in resurrectione communi. *Auctoritates* vero quæ videntur promittere ciborum vsum post resurrectionem, spiritualiter intelligendæ sunt. Nam scriptura diuina paruitati nostræ intelligentiæ condescendens, proponit nobis spiritualia sub similitudine sensibilium, vt animus noster sensibilibus assuetus, ex his quę nouit, surgat ad incognita quæ non nouit, vt per hoc quod scit nota diligere, discat & incognita amare. Et per hunc modum delectatio, quæ consistit in contemplatione sapientiæ, & assumptio veritatis intelligibilis in intellectum nostrum, consueuit per vsum ciborum in sacra pagina designari; secundum illud Prouerb. 20. quod de sapientia dicitur. *Miscui vinum & posui mensam*: & insipientibus locuta est, *Venite & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Et Eccles. 15. dicitur. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* De ipsa etiam sapientia dicitur Prouerb. 12. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Auctoritates igitur superius allegatæ non cogunt nos dicere, quod sancti post resurrectionem cibis vtantur. *Hoc tamen* quod positum est de verbis Domini, Matth. 26. potest intelligi, vt referatur ad hoc quod ipse cum Discipulis suis post resurrectionem suam comedit & bibit, Nouum quidem vinum, id est nouo modo; scilicet non propter necessitatem, sed ad suæ resurrectionis demonstrationem. Et dicit: *In regno patris mei*, quia in resurrectione Christi regnum immortalitatis demonstrari cœpit.

Quid per cibum & potum in sacris literis solet designari.

QVOD autem dicitur in Apoc. de mille annis, dic quod per mille annos intelligit totum tempus Ecclesiæ in quo Martyres regnant cum Christo, & alij Sancti, tam in præsenti Ecclesia, quæ regnum Dei dicitur,

quam

Ceſſabit in patria vita actiua & manebit cõtemplatiua.

quam etiam in cœleſti patria quantum ad animas. Millenarius enim perfectionem ſignificat. Sic ergo manifeſtum eſt quod ſancti poſt reſurrectionem non vacabunt cibis & potibus, neque venereis actibus. Ex quo ſequitur quod omnes occupationes actiuæ ceſſabunt, quæ videntur ordinari ad vſum ciborum & venereorum, & ad alia quæ corruptibili vitæ ſunt neceſſaria. Sola ergo occupatio contemplatiuæ vitæ remanebit. Inde eſt quod dicitur Luc. 10. *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.*

Septima eſt longæuitas ſine qua corpus non poſſit dici beatum.

SEPTIMA pars beatitudinis pertinentis ad corpus eſt longæuitas. Hæc corporis beatitudinem perficit & conſummat. Tunc enim primum omnes prędictas beatitudinis partes corpus habere poteſt, cum eas ſine amiſſione retinere valet. Nam ſi eas haberet, & tamen moriendo amitteret, quid ſibi eas habuiſſe prodeſſet? At longęuitatem perfectam habere non poteſt, qui alioquin moriturus eſt. Quantumlibet enim diutius viuat, ſomnium eſſe ſibi videtur omne quòd vixit cùm moritur. Non ergo longęuitatem homo hic habet, qui aliquando moriendi neceſſitatem ineuitabilem habet. Sed qui nunc bene vixerit, in futuro longęuitatem habebit, quia viuet quantum & Deus. Si ergo longa & ſalubris vita diligitur, ibi eſt æternitas ſana, & æterna ſanitas, quia *iuſti in perpetuum viuent, & ſalus iuſtorum à Domino*. Auguſtinus. *Vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus*. Ecce quid erit in fine fine fine. Nam quis alius noſter eſt finis, niſi peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis? Nam ſcriptum eſt Lucæ 1. *Regni eius non erit finis*. Ad illud regnum æternæ beatitudinis nos perducat, qui fidelibus ſuis dicturus eſt in iudicio: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Iſtæ ſeptem beatitudinis partes ab Anſelmo prædictæ, reducuntur ad quatuor dotes corporis ſuperius aſſignatæ. Nam pulchritudo reducitur ad claritatem, fortitudo, ſanitas, & longæuitas, ad impaſsibilitatem: libertas & voluptas ad ſubtilitatem: agilitas autem proprio nomine nuncupatur. Hæ ſunt quattuordecim partes beatitudinis, quas Beatus Anſelmus enumerat, licet non eodem ordine proſequatur.

Hæ ſeptem beatitudinis partes ad quatuor dotes corporis reuocari poſſunt.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS

BELVACENSIS.

LIBRI III. PARS I.

DE QVATVOR PRÆSERVATIVIS A PECCATO.

De consecutione perfectæ innocentiæ, & præseruatione à peccatis.

DISTINCTIO I.

EXPEDITIS per Dei gratiam duobus libris huius voluminis. In quorum primò sapiens, immo Dominus per sapientem ostendit, assumendam esse diligentiam agendorum, cum dicit: *In omnibus operibus tuis:* In secundo hortatur ad habendam prouidentiam futurorum, cum subdit: *Memorare nouissima tua.* Nunc accedamus ad tertium, in quo promittit perfectam innocentiam animorum, cum addit: *Et in æternum non peccabis*; Primis videlicet duobus suppositis, quasi dicat; Si diligentiam operosam in agendis tenueris, si prouidentiam studiosam de futuris habueris, ex his proculdubio perfectam innocentiam consequeris. Magna valde promissio, & ex totis præcordijs appetenda; quia quantum est de lege communi, *non est homo qui non peccet*, vt dicitur 3. Reg. 8. Item Eccles. 7. *Non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccet:* subaudi venialiter. Et paucissimorum est non peccare mortaliter, ex munere gratiæ specialis. Ex dictis in 2. lib. luculenter apparet, quod nouissimorum consideratio funditus excludit voluntatem peccandi, sicut est facilè videre diligentius intuenti ea quæ dicta sunt de morte. Item eodem libr. de extremo Dei iudicio. Rursus eodem libr. de pœnis peccatorum in Purgatorio, necnon & de reproborum supplicijs in inferno; tandem de præmijs, & remuneratione iustorum.

Quatuor sũt quæ hominẽ præseruant à peccato.

VLTERIVS autem considerare debemus, quod sunt alia quatuor, quæ non modicum suffragantur ad præseruandum hominem à peccato, quæ si iugiter haberet homo præ oculis, nunquam vellet assentire peccatis. Primum est rationalis animæ conditio generosa. Secundum est eiusdem discussio seriosa. Tertium est in pugna sui defensio virtuosa. Quartum est diuini verbi retentio studiosa.

A PRIMVM itaque multum valens ad præseruandum hominem à peccato, est rationalis nostræ dignitas, & conditio generosa. Nam si quis diligenter inspiceret animæ dignitatẽ, quandocumq; de peccato committendo tentatur, peccato nullatenus assentiret. Hanc enim Deus super creaturas nobilem fecit & dignam, qui eam cum maiori deliberatione creauit, imagine sua illustrauit, similitudine decorauit, ornauit virtute, scilicet iustitia naturali. Huic etiam dedit libertatis arbitrium, rationis fastigium, inferiorum dominium, intellectus acumen, discernendi facultatem, naturalis B legis & scriptæ scientiam, spiritus sui gratiam, Angelorum societatem. Hanc elegit sibi beatissima Trinitas in habitaculum, pater in filiam, filius in sponsam, Spiritus sanctus sibi consecrauit in templum. Pro hac, Dei filius in mundum venit, carnem passibilem & mortalem assumpsit, Euangelica documenta proposuit, sanctitatis exempla præbuit, sacramenta instituit, mirabilia opera ostendit; pro eius redemptione plurima mundi mala sustinuit, sanguinem suum fudit, mortem pertulit; pro hac liberanda ad inferos descendit; pro hac spe confortanda, hominem assumptum resuscitauit à morte; pro hac docenda, & ad amorem suum C inflammanda, Spiritum sanctum misit; pro hac reuocanda ab erroribus, & ad veritatem fidei reducenda, discipulos suos per vniuersum orbem dispersit, eosque innumeris tormentorum & mortis generibus exposuit; pro hac exaltanda cœlos ascendit, & regnũ æternæ beatitudinis præparauit. Hæc omnia si quis attenderet, non ipsam vilipenderet, nec pro vilissimo peccati commercio, venalem diabolo traderet; nec lenoni vilissimo, turpissimo, & crudelissimo prostitueret vllo modo. Horum multa describuntur Eccl. 17. *Deus de terra creauit hominem, secundum imaginem suam fecit illum, &c.* Bern. in medi. suis. *O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata Spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, consors beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et infra. *Totus siquidem mundus iste ad vnius animæ precium æstimari non potest, pro qua Christi sanguis effusus est, & quæ non nisi Christi sanguine redimi potuit.* Econtra si quis diligenter attenderet vilitatem peccati, quam vilem & miseram, quàm fædam & fœtidam, quàm deformem & abominabilem Deo & Angelis eius sanctis reddat animam peccatricem; quot & quanta mala proueniant animæ

1. *Animæ rationalis dignitatis & conditionis perpensio.*

per

nobis est data, gustum videlicet, & loquelam; & quod est adhuc maius & melius, dedit eam nobis ad veniam impetrandam in confessione, ad gratiam & merita promerenda in oratione. Isa. 65. *Mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* De his duobus infra *Confessio*, & infra *Oratio.*

TERTIO dedit Deus nobis linguam ad proximorum salutem procurandam, docendo, monendo, consulendo, corripiendo, arguendo, consulendo, & huiusmodi. Isa. 50. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, &c.* Eccl. 6. *Lingua eueharis in bono homine abundat*, qua scilicet per Dei gratiam sciat, & possit proximos à malo retrahere, & ad bonum attrahere. Talis fuit lingua Petri, Pauli, & aliorum Apostolorum: qui cum essent pauci, humiles, & abiecti, totum mundum modico tempore ad fidem Iesu Christi per Dei gratiam conuerterunt. Talis etiam fuit lingua B. Aug. & Ambr. aliorumque Doctorum, Sanctorum, & Prædicatorum, qui ad fidem Christi multas animas adduxerunt. Fideles vero ad salutem æternam, instruendo, monendo, exhortando, & huiusmodi, in fide & moribus, attraxerunt; quia videlicet eorum lingua erat sancti Spiritus instrumentum, qui loquebatur in eis, & eas mouebat. Sicut dicit Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, scilicet Spiritus sancti, qui *velociter*, id est in instanti scribit legem & mandata, & omnia ad salutē necessaria in cordibus auditorum. Vnde in linguis igneis descendit Spiritus sanctus in Apostolos, alioq; discipulos, vt ignea verba loquendo, infidelium mentes per errorem excæcatas illuminarent, obduratas ad pœnitētiam emollirent, frigidas ad amorem diuinū vehementius inflāmarent, & pigras ad bene operandum fortius excitarēt.

QVARTO, dedit Dominus nobis linguam ad consecrandum sua mysteria, & ecclesia stica sacramenta, quibus sanctificantur creaturæ visibiles per verbū Dei, & orationem: viuificantur, & consecrantur animæ spirituales; morbi curruntur, diuina offensa remittitur, gratia infunditur, remedia conferuntur, dæmones effugātur, & quod maius est, mirabilius, & efficacius, etiam in Christi corpus creaturæ visibiles conuertuntur. Eccles. 36. *Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ.* In istis non solum pares sumus Angelis, immo autem excellimus, quia non eis contulit Sacramentorum suorum mysteria dispensanda. Attendat ergo vnusquisque quanta sit ingratitudo, quanta iniquitas, quantum flagitium, membrum tam mobile, tantis dotatum prærogatiuis, & priuilegiis adornatū, inquinare sordibus peccatorum; & quod est instrumentum Dei, in tam dignis & diuinis officiis, facere diaboli instrumentum. Sic ergo patet quantum sit cauendum vitiū linguæ, & omnino detestandum; quia est Deo multipliciter iniurioſum.

Quod peccata lingua sint ipsi loquenti pernicioſa constat ex quatuor.

SECVNDO cauēda sunt sollicitè peccata linguæ, quia ipsi loquenti sunt pernicioſa, & ei faciunt multa mala. Primò, quia omne bonum mortificant. Secundò, quia peccata multiplicat. Tertio quia personam reddunt odibilem. Quartò, quia reddunt eam damnabilem. *Primo* inquam peccatum linguæ omne bonum mortificat, corrumpit, & inficit; sicut modicum venenum infusum in vas vini, vel balsami. *Simile.* Iac. 3. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus.* Et post. *Est enim inquietum malum, plena veneno mortifero.* Lingua similis est Salamandræ, de qua dicunt Philosophi, quod quando arborem pomum ascendit, omnes fructus eius iaculo suo pungit & inficit. *Lingua omne bonum mortificat.* Qualiter omne bonū quod est in homine maculat & corrumpit, ostenditur Iac. 1. *Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* *Exemplum* de moniali, de qua loquitur beatus Gregorius in dial. quod post mortem suam, cum esset sepulta in Ecclesia, visa est ardere à capite vsque ad renes, sed à lumbis & deorsum remanebat intacta, cuius causam assignat Gregor. quod cum esset casta & religiosa in aliis, in lingua tamen fuerat vitiosa. *Exemplum.*

Lingua peccata multiplicat.

SECVNDO, lingua peccata multiplicat, vnde facit hominem multipliciter vitiosum, & de peccato corruere in peccatum. Prouer. 26. *Os lubricum operatur ruinas.* Eiusdem 12. *propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Isa. 3. *Ruit Ierusalem & Iudas concidit, quia linguæ eorum, & adinuentiones eorum, contra Dominum.* Prouer. 25. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, sic homo qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* *Exemplum.* *In vitis Pat.* cum quidam senex iret ad B. Antonium, inuenit quosdam alios fratres qui ibant ad eum, qui in naui & in via multa loquebantur, & de diuersis scripturis, de opere manuum, & alius senex tacebat, cum peruenissent ad sanctum, ait seni: Bonos fratres habuisti socios itineris? cui ait: Boni sunt, sed habitatio eorum non habet ianuam: qui vult intrat in eorum stabulum, & soluit. Facit enim hominem sicut domum sine ostio, arcam sine sera, ciuitatem sine rectore, nauem sine gubernaculo, equum sine fræno, vas sine operculo.

Lingua reddit hominem odibilem.

TERTIO lingua reddit hominem odibilem, nec mirum, quia omnem gratiam effundit, abiicit. Eccl. 20. *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratia fatuorum effundentur.* Et infra. *Homo acharis*, id est sine gratia, *quasi fabula vana*, quasi scilicet, nec ipse reputatur, nec fides eius sermonibus adhibetur, immo verba eius fabulosa videntur, & velut fabula deridentur. Sed econtra dicitur Eccl. 6. *Lingua eucharis*, id est gratiosa, *in bono homine abundauit*, Bern. *Lingua in lubrico posita, lata, & tenuis, optimum instrumentum ad euacuandum cor.* Vnde sensibiliter videmus, quod homines linguosi sunt aridi, indeuoti, & omni bono spirituali vacui. Sicut enim linguis igneis, scilicet igne cœlesti, mentes Apostolorum repletæ solidantur, exsiccantur, & Spiritu sancto replentur; sic linguis igne maligno succensis, exsiccantur corda, & Spiritus sancti gratia vacuantur, ex quo sequitur quod lingua reddit hominem odibilem, vel odiosum. Prouerb. 22. *Verbosus odiosus erit.* Eccl. 9. *Terribilis in ciuitate sua vir linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Eccl. 20. *Procax ad loquendū odibilis erit.* Eccl. 25. *Ascensus arenosus pedibus veteruni; sic mulier linguata homini grauissima*; scilicet ad sustinendum.

Exempla.

NARRATVR de quodam, quod cum ipse in mari haberet vxorem suam secum linguatam, grauem ad tolerandum: cum imminente tempestate clamatum esset à nautis, quod grauiora de naui proiicerentur, ille exhibuit vxorem dicens, quod in tota naui non erat aliquid grauius lingua eius. Hęc est causa, quare multi habent vxores suas exosas, & malè tractant eas, quia malas habent linguas.

ITEM cum quædam iuuencula requireret à quadam vetula, quę dicebatur diuinatrix, quid facere posset, vnde pacē viri sui habere valeret, & amorē; & vnde erat, quod eā ita malè tractabat: dixit vetula, quod summo mane surgeret ante diem, & intraret vicinum vetulæ hortum, & quod non loqueretur eundo nec redeundo, & cum illuc veniret genua flecteret versus Orientem ter, & Pater noster diceret; & ab herba, quę vocatur Aurone, quæreret ter quid faceret, quia vir suus eam malè tractaret, & ab herba audiret quid eam facere oporteret, quod illa fecit, sed vetula eam præuenit, & sub herba latuit, cum autem quæreret hoc quod instructa fuerat, ad tertiam quæstionem iuuenculę respondit vetula ter: primo in bassa voce, postea eleuando vocem. *Tace & pacem habe, redeundo non loquaris.* Cum autem rediisset, & vetula quæreret quid audisset, & illa referret, dixit vetula: Verè filia bene dictum est tibi. Si tacueris, & viro redeunte domum & litigante, linguam tenueris, pacem cum eo habebis.

ITEM alia consimilis, misit aliam pro casu consimili, post venatores principis dicens, quod docerent eam lepores quos insequuntur canes, quomodo pacem & amorem viri sui haberet, si interrogaret eos. Ipsa autē cum videret lepores fugientes, nec de verbis eius curā-

tes

tes, reuersa ad vetulam, conquerebatur se illusam. Cui vetula: In veritate lepus optimè te docuit, etsi non verbo, tamen exemplo. Sicut enim lepus non rebellando, nec de verbis curando, sed fugiendo, & canes declinando euadebat, ita & tu potes. *Item* alius docuit aliam digitum supponere ori suo.

QVAM odiosum reddat hominem non solum hominibus, sed etiam Deo, & Angelis, patet ex hoc quod dicitur in vitis Patrum. Legitur enim ibi, quod cuidam de senibus sanctis per Spiritum sanctum reuelatum est, quod cum fratres conuenissent, & loquerentur de his quæ pertinebant ad ædificationem, videbat sanctos Angelos inter eos stantes, & lętantes delectabantur in eloquio Dei, & leuabant manus quasi Deo gratias referẽtes. Cum autem de sæcularibus loquerentur, vel de impertinentibus ad salutem, statim Angeli indignantes longius recedebant, & dæmones in specie porcorum accedebant & delectabantur, volutantes se, & pleni fætoribus, polluebant eos. Cum autem postmodum loquerentur de ædificatione, iterum veniebant Angeli vt prius, agentes, & mouentes manus, lauabant eos à sordibus. Sanctus autem senex ibat per monasteria post multum fletum & vlulatum, monens fratres, & dicens. Cauete fratres à multiloquio & ociosis sermonibus, & seruate linguam, per quam morbus interius animę generatur, & per quam Deo, & Angelis sanctis, odibiles sumus: verba enim inutilia infirmam faciunt mentem, & euacuant animam nostram.

Lingua reddit hominẽ damnabilẽ.

QVARTO lingua reddit hominem damnabilem, sicut patet Luc. 16. de diuite epulone, qui propter loquacitatem suam damnatus est, vt dicit Gregor. & æternæ pœnæ supplicio cruciatur, nec vnam aquæ guttam potuit impetrare: Et de damnatis dicitur Apocal. *Manducauerunt linguas suas præ doloribus, &c.* Quia enim per quæ peccat quis per hoc, & torquetur: ideo qui per linguas suas peccauerunt, in linguis præcipuè cruciantur. Vlterius de multis malis quæ facit lingua loquenti, specialiter inuenies infra, vbi in speciali agitur de singulis eius peccatis.

Quod peccata lingua sint proximis damnosa patet ex multis.

TERTIO, cauenda sunt peccata linguæ quia proximo multipliciter sunt damnosa. *Primo* namque lingua proximum succendit, & prouocat ad iracundiam & furorem. Hic est serpens flatu adurens, & inflammans filios Israel. Deut. 18. Hic serpens dicitur Situla, faciens sitire peccatum vindictæ, vel aliud. Iob 41. *Halitus eius prunas ardere facit, & de ore eius ignis egreditur ad modum Behemoth*, siue diaboli, Eccles. 28. *Lingua nequam flamma sua non vret iustos, qui dereliquerunt Deum, incident in illam, & ardebit in illis, & non extinguetur.* Iacob. 3. *Lingua nostra ignis est, qui inflammat, inflammata à gehenna*, non igne qui luceat, sed qui fœtet, obscurat, & denigrat. Item Eccles. 28. *Lingua testificans adducet mortem, si sufflaueris quasi ignis ardebit.*

Lingua prouocat ad iram.

Exemplum.

DE his magister Iacobus dixit multa exempla, maximè contra litigatores, & aliorum inflammatores ad iram. Cum quædam mulier litigiosa frequenter litigaret contra quendam bonum virum, & ipse ei quasi cani latranti tergum verteret, & nihil responderet; requisitus ab alio, quare non responderet, dixit, quod nesciebat litigare. At ille: Si vis vt quiescat, quęre aliam litigiosam, & conducas eam quæ litiget pro te: & indicauit ei quandam, quæ optimè sciebat litigare. Cum eam rogaret, vt accepto bono pretio, litigaret contra talem, quia audierat quod hoc facere nouerat; ipsa fortiter indignata, incæpit cum eo litigare, & vituperare fortiter, dicens, quod aliam quæreret, quia non erat talis. Cum autem ille diceret: Benedictus Deus, quia inueni quod quærebam: tunc illa acrius & turpius eum vituperabat, & se magis excusabat, tunc ille. Non quęram ego aliam, quia meliorem te ad hoc non inuenirem, quę hoc melius sciat facere, & velit, & possit.

Exemplum.

Item cum quædam alia litigaret cum quadam bona muliere, nec posset sedare eam, ac diu coram tota vicinia illam auscultasset, ad vltimum dixit, nisi tacueris ego de vobis dicam coram omnibus tale verbum, quod nunquam de vobis fuit dictum. Cum autem illa instaret quod diceret illud, quia de ea mentiretur, ait: O domina proba mulier loquamini: at illa confusa adhuc vituperabat eam. *Item* cum alia mulier, cum quadam alia, coram vicinia litigaret, & illa esset implacabilis, altera expandit ei pallium suum, dicens, sicut audiuerat in sermonibus: Domina ista vituperia vestra sunt mihi valde necessaria, quasi pretiosum aurum, & lapides pretiosi ad mea debita, quibus multum affligor, persoluenda, & ad coronam æternam mihi fabricandam, proijciatis ergo satis de his in hoc pallio. Propter hoc bene dicitur Prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.*

Exemplum.

SICVT patet in vitis Patrum. Dum Abbas Macharius montem ascenderet, & quidam discipulus eum præcederet, obuiando cuidam sacerdoti idolorum, currenti & grande lignum portanti, clamauit. Quo curris dæmon? At ille indignatus, tantum eum verberauit, quod eum quasi exanimem reliquit. Idem currens obuiauit B. Machario. Cui ait Sanctus: Saluteris laborator, saluteris: qui admirans ait. Quid inuenisti in me boni, vt ita me salutares? Cui Macharius, quia vidi te laborantem, ignorans quo curreres. Et ille: Et ego tua salutatione compunctus, seruum magni Dei te cognoui, & dixit ei quomodo pro verbis contumeliosis, alteri verbera intulerat. Et tenens pedes eius, rogauit vt eum monachum faceret: qui asserebat, quod aliter eum non dimitteret. Tunc alium fratrem, quia vulneratus ambulare non poterat, ad ecclesiam manibus detulerunt, fratres autem illum videntes conuersum admirati sunt, & multi ex Paganis propter illum sacerdotem suum, ad fidem conuersi sunt. Dicebat Macharius: Sermo durus & malus, etiam bonos peruertit: humilis & bonus, malos conuertit in bonum.

Lingua inquinat.

SECVNDO lingua inquinat, emittendo immunditiã, & fætorem: quod fit dupliciter, scilicet vel per verba contumelię, vel per verba immũditiæ. Per verba quidẽ contumeliæ; quia litigiosi, vel contumelioſi, similes sũt perdicibus; de quibus dicitur quod postquam diu pugnauerunt rostro & vnguibus, ad vltimum posterioribus propriis pugnando, & mutuis stercoribus proiectis in faciebus se maculant. Sic homines linguosi, post litigia se fædant vituperiis, & contumelioſis verbis.

Simile.

Item similes sunt Iudæis crucifixoribus Christi, qui postquam Christo mala fecerant & dixerant, etiam in eius faciem conspuebant. Per verba vero immunditiæ lingua multos inquinat, quia sicut dicitur Iacob. 3. *Lingua maculat totum corpus*, scilicet Ecclesiæ, ideo præcipitur Leuit. 14. *quod leprosus habeat os opertum, ne halitu suo corrumpat alios, & trahat ad immunditiam*: vt 1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prauа.* Frequenter enim luxurioſi verbis suis impudicis trahunt alios ad luxuriam.

Lingua seducit.

TERTIO lingua seducit, & inducit in errorem. Eccles 5. *Lingua imprudentis subuersio illius est.* Imprudens quippe primo subuertitur, postmodum subuertit alios per linguam suam, sicut fuit lingua Arrij, qui ferè totum mundum subuertit & infecit, etiam ipsum Papam Leonem, & multos imperatores; pro cuius peste tot & tantæ persecutiones ortæ sunt in Ecclesia Dei quod quicunque pro fide stabant, ad mortem quærebantur, vel in exilium relegabantur: vt Athanasius Alexandrinus Patriarcha, & B. Hylarius, & B. Martinus. De cuius secta orta legitur Ecclesiasticæ Histor. lib. 11. & de processu eius, & infectione, & persecutione facta catholicis, 13. & 14. eiusdem Hist. Item 11. lib. 8. cap. de persecutione Basilij. *Item* 15. cap. 17. de persecutione Ambrosij. Item pestifera fuit lingua Manichæi, à quo secta Manichæorum, & aliorum Hæresiarcharum, & maximè Mahometi, quæ ferè totam

totam Ecclesiam Orientalem & Meridianam subuertit & destruxit, sicut patet hodie. De lingua pestifera dixit Apoc. 9. *Angelus abyssi, qui præsidebat locustis*, per quas signantur hæretici, *decebatur, exterminans*. Et 4. Eiusdem, *De ore eorum procedit ignis*, id est verba inflammantia ad iram, *& fumus*, quia excæcantia per errorem, *& sulphur*, quia fœtantia per blasphemiam, vel luxuriam. De hac materia require infra *Hæresis*.

Lingua disseminat mala, pungit & vulnerat mortemque generat.

QVARTO lingua mala disseminat, scilicet infamias, discordias, & rancores. De peccato seminantium discordias, require infra *inter filias Iræ*.

QVINTO, lingua pungit & vulnerat. Psal. 59. *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*, Hier. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.*

SEXTO, lingua mortem generat, primo suam, postmodum multorum aliorum, non vnius tantum, sed quandoque, decem, vel centum, vel mille. Iob 20. *Occidet eum lingua viperæ*. Eccl. 28. *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sicut quasi qui interierunt per linguam.* Sequitur: *Mors illius mors nequissima.*

Peccata linguæ sunt fere innumerabilia.

CIRCA tertium, scilicet *quę & quot sint peccata linguæ*: dicendum, quod tam multa, vt vix valeant numerari, Iac. 3. *Lingua ignis, vniuersitas iniquitatis.* Glo. *per hanc omnia facinora aut concinnantur, vt adulteria, latrocinia, & huiusmodi, aut perpetrantur, vt periuria, falsa testimonia: aut defenduntur, sicut facit quilibet impius facinus*, quod commisit. Dicuntur autem esse linguæ peccata, iactantia,

Recensentur nonnulla peccata linguæ.

ironia, simulata confessio, peccatorum defensio, contẽtio, impugnatio veritatis agnitę, & de his omnibus require infra *inter gradus superbiæ, & inter filias inanis gloriæ*. Item detractio, susurratio, derisio, murmuratio, prauũ consilium, secreti reuelatio, de quibus require *sub inuidia*. Item blasphemia, conuitium seu contumelia, litigium, clamor, maledictio, improperium, discordiarũ seminatio; de quibus omnibus require infra *sub ira*. Itẽ adulatio, multiloquium, vaniloquium, scurrilitas, indiscreta promissio, indiscreta comminatio, taciturnitas, de singulis horum require *sub accidia*. Item mendacium, periurium, falsum testimonium, require *sub auaritia*. Item turpiloquium, require *sub luxuria*. Cum autem lingua secundum Philosophum congruat in duo opera naturæ, gustum videlicet, & loquelam, hæc omnia supradicta pertinent ad linguam, quantum ad primum eius officium, id est loquelam. Præter hæc sunt duo peccata pertinentia ad linguam, quantum ad secundum eius officium, id est gustum, videlicet gastrimargia, & ebrietas, de quibus require infra *sub gula*.

De silentio.

DISTINCTIO IIII.

Silentiũ diligenter obseruandum est, propter decem.

CIRCA quartum, scilicet *de silentio*, sciendum, quod sicut peccata linguæ sollicitè sunt cauenda, sic est silentium diligendum, & similiter obseruandum, multiplici ratione. Primum est exemplaris informatio. Secundum est regularis instituti. Tertium est candor puritatis. Quartum est decor honestatis. Quintum, quia valet ad instructionem. Sextum, quia prodest ad deuotionem. Septimum, quia prætendit sapientiam. Octauum, quia ostendit patientiam. Nonum, quia dat verum gaudium. Decimum, quia meretur, præmium.

1. *Ob exemplarem informationem.*

PRIMVM ergo propter quod debet amari silentium est exemplaris informatio. Deus enim silet nostra dissimulando peccata, & ad pœnitentiam expectando; sed postea loquitur in iudicio disceptando, & vnicuique secundum opera sua reddendo, Isa. 42. *Tacui, semper silui, patiens fui, quasi parturiens loquar*; per hoc ostendens nobis, quod *est tempus tacendi, & tempus loquendi*, sicut dicitur Eccles. 3.

ITEM Christus ante Pilatum stetit sicut mutus, & non aperiens os suum. Psalm. 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam & sicut mutus, &c.* Isa. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur & obmutescet, & non aperuit os suum.* Similiter B. Virgo rarissima & paucissima verba legitur protulisse. *Item* Abbas Agathon, vt taciturnitatem disceret, dicitur lapidem in ore suo per triennium tenuisse.

Exemplum.

ITEM de quodam milite inuenitur, quod volens intrare religionem, attendens mala quę faciebat lingua, misit quendam vasallum suum ad Abbatem, iniũgens ei quod diceret Abbati voluntatem suam, & quod esset mutus, paratus tamen per omnia obedire. Receptus credebatur mutus, & cum multum profecisset, eduxit eum Abbas secum ad quendam militem in extremis laborantem: quem videns in exitu miserabiliter à dæmonibus pertrahi, fleuit multum, redeuntibus illis, occurrit quidam miles, promittens Abbati quod expeditis factis suis, quam citius religionem intraret. Qui cum præcederet eos viam tentans per quendam pontem, cecidit & submersus est, cuius animam vidit dictus miles in monachi specie in cœlum ab Angelis deferri: & cum risisset, adiurauit illum dictus Abbas in virtute sanctæ obedientiæ, quod si posset loqui, diceret ei quare fecisset sic. Qui ait: Male fecisti contra propositum meum, faciens me loqui. Cui omnia visa narrauit. Cum autem Abbas coram eo se prostrasset, & ille eum repulisset; rogauit illum, vt ipsum in aliquo loco includeret, vbi suum propositum seruaret.

2. *Ob regulæ vẽ institutionẽ.*

SECVNDVM est regularis institutio; videlicet Benedicti, Augustini, Francisci, & huiusmodi; qui quasi custodem religionis, silentium posuerunt in claustro, oratorio, dormitorio, & aliis officinis, Isa. 32. *Cultus iustitiæ silentium.* Hierem. 8. *Conuenite, ingrediamur ciuitatem munitam, & sileamus ibi*: vnus enim debet alium ad silentium prouocare. Sicut enim homo in ingressu religionis, posuit pedes suos in imo obedientiæ, vt non sit ei licitum pedem extra ponere, vt domus religionis exeat fines, sine licentia prælati: ita nec lingua debet exire terminos suos sine licentia prælati, quam in manu eius posuit, sicut alia membra. Clauis oris, est licentia prælati: sera, regula: clausura, silentium, fures videntur esse, qui faciunt contraclauem, nec accipiunt eam à prælato, qui claues domus debet tradere, & seruare, Prouerbiorum 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos*, scilicet loci vel temporis, *quos posuerunt patres tui.* Item non aduertunt, quàm pretiosum thesaurum continent in se, qui vbique silentium proijciunt. Sicut dicitur Amos 8. *Vbique proijcietur silentium.*

3. *Ob amorem puritatis.*

TERTIVM est amor puritatis; ad quam seruandam multum valet silentium, propter quod ait Psalm. 38. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Idem 140. *Pone Domine custodiam ori meo, &c.* Eccles. 22. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me.* Gregor. *Mens sine clausura silentij, vndique patet iaculis inimici. In vitis Patrum.* Cum Arsenius adhuc esset in palatio, rogauit Dominum, dicens: Domine dirige me ad salutem. Et vox ad eum. *Fuge homines, & saluaberis.* Item cum adhuc in solitudine oraret, vox facta est iterum ad eum. *Fuge, tace, quiesce*: hæc enim sunt radices non peccandi. Nota secundum legem, vas non habens operculum, scilicet silentij, immundum est: propter quod Ambros. *Alliga sermonem tuum ne lasciuiat, & multiloquio sibi peccata colligat: lutum enim colligit animus verbis exundans.* Idem. *Plures vidi peccasse loquendo, & paucos tacendo.* Idem dicit Greg. *Redire non valet ad cognitionẽ sui, mens quæ multiloquio est corrupta, sed à secreto intimę considerationis se excludit, quia in fõte impuro intuentis facies non videtur.* Bernard. *Quis nouit quantas modicum membrum linguæ attrahat sordes, quam multiplex*

tiplex in labys incircuncisis immunditia, quanta sit pernicies oris incircumspecti, vnde in laudem B. Ioannis Baptistæ canitur. *Antra deserti teneris sub annis*, &c. Verè in magno periculo sunt homines sine silentio; vt equitantes equum rabidum sine fræno: in domo succensa sunt, sine obstaculo: in via, in qua est fouea abyssalis sine operculo: sunt vt castrum sine clausula: sunt vt vrbs sine porta, vt arca sine sera, vt nauis sine anchora, vinea sine sepe, messis sine custode.

IN vitis Patrum, dixit Abbas Sysoi. Crede quod 30. anni sunt, quod non deprecor Dominum pro peccato, sed orans dico; Domine Iesu Christe protege me à lingua mea, & vsque nunc per singulos dies corruo per ipsam, & delinquo.

4. *Ob decorem honestatis.*

QVARTVM est decor honestatis. Sen. *Primum argumentum compositæ mentis est in se posse consistere, secumque morari.* Leuitas quippe mentium perpenditur ex leuitate verborum, & nequitia ex nequitia, & huiusmodi. Matth. 27. *Loquela tua manifestum te facit.* Greg. *Prauis sicut in mente sunt leues, ita in locutione præcipites, quia quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit.* Idem. *Qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur.*

5. *Ob instructionem.*

QVINTVM est, quia silentium valet ad instructionem, Eccles. 12. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Idem. *Audi tacens simul & quærens.* Vnde Christus in medio doctorum tacet, audit, & interrogat, Luc. 3. Sen. *Esto tacitus auditor, quærenti facilè respondе, contendenti facilè cede, nec iurgia contentionesque contende.*

IN vitis Patrum, frater quidam interrogauit Abbatem Moy. sermonem; qui respondit ei: *Vade, & sede in cella tua, & ipsa te docebit vniuersa.*

6. *Ob deuotionem.*

SEXTVM est, quia prodest ad deuotionem. Tren. 3. *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se.* Gregor. *Mens more aquæ circunclusa, ad superiora tollitur; quia illud repetit vnde descendit: & relaxata redit, & se per inferiora inutiliter spargit. Quot enim superuacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi per tot ruinas extra se ducitur. Vnde redire ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit.* Dicunt naturales & artifices, quod aqua tantum potest ascendere, quantum descendit per aquæ ductum, & per cubitum vltra.

7. *Ob sapientiæ signum.*

SEPTIMVM est, quia signum est sapientiæ. Sen. *Silentium hominis stulti pro sapientia est.* Prouerb. 17. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* Iob 13. *Vtinam taceretis, vt reputemini sapientes.* Xenocrates Philosophus cum inter multos taceret, interrogatus cur hoc faceret. Respondit: *Quia me locutum esse pœnituit, tacuisse nunquam.*

ITEM Socrates inter alios Philosophos tacens, interrogatus vtrum hoc faceret ex inopia, an ex stultitia, ait: *Nemo stultus tacere potest.* Theotistus Philosophus rustico tacēti in conuiuio dixit. *Ex doctis hoc solum habes, quod taces. Item* Cenon Philosophus cuidam loquēti ait: *Si tu auribus nostris audires, taceres.* Hierony. *Bene loqui nescit, qui tacere non nouit.* Quidam Philosophus: *Serua vocis & silentij temperamentum, & si loqui libuerit, sic loqueris vt aliàs libentius audiaris.*

8. *Ob patientiæ signum.*

OCTAVVM est, quia signum est patientiæ. Vnde Christus, & coram Pilato, & coram Herode tacuit, in signum patientiæ. Item colaphis cęsus, consputus, illusus, flagellatus, coronatus, crucifixus, &c. semper tacuit, Isa. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutuit*, Eccl. 13. *Pauper læsus tacebit.*

Exempla.

IN vitis Patrum, fratres conuenientes in Sciti, voluerunt probare Abbatem Moysen, & ipso adueniente dixerunt: Vt quid venit excors iste inter nos? Qui tacuit. Discedente conuentu, quæsierunt fratres ab eo si fuerat turbatus? Qui respondit. *Turbatus sum, & non sum locutus.*

ITEM Abbas Pastor quæsiuit ab Abbate Vestorio, vnde tantam acquisiuerat virtutem, vt quando Abbas ei aliquid iniungeret in monasterio, ipse non loquere-

tur, nec se medium faciebat. Ait adiuratus: Quando intraui in monasterio dixi. Tu & asinus vnum estote, vt sicut asinus verberatur, & non loquitur; iniuriam patitur, & non respondet, sic & tu. Sicut in Psal. legitur. *Vt iumentum factus sum apud te, &c.*

9. *Ob pacē & gaudium. Exempla.*

NONVM est, quia dat pacem & gaudium, Proue. 26. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. In vitis Patrum*, frater quidam interrogauit senem, vsquequo est seruandum silentium? qui respondit: vsquequo interrogeris. In omni loco, si tacitus fueris, requiem habebis. Ibidem. Qui sedet in cella, à tribus bellis eripitur; Auditus, locutionis, & visus. Vnum tamen habebit, scilicet cordis.

ITEM frater interrogauit senem. Si habito cum aliis, & video aliquam rem inconuenientem, tunc vis vt loquar? Dixit senex, si sunt aliqui maiores, aut coætanei, tacens magis requiem habebis: in hoc etiam quod minorem te facis, securum te reddis. Si autem coarctat te spiritus tuus, commonefacito humiliter. Si non obediūt, relinque laborem tuum in conspectu Dei, & consolabitur te.

10. *Ob æternum brauium.*

DECIMVM est, quia dat æternum brauium Psal. 106. *Lætati sunt quia siluerunt, & deduxit eos, &c.* Ideo dicitur Trenor. 3. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini.*

De custodia sensuum.

DISTINCTIO V.

POSTQVAM dictum est de custodia cordis & oris, dicendum est de custodia sensuum exteriorum; per hos enim animæ ciuitas impugnatur. Sicut autem ciuitas quando obsidetur totum robur exercitus ponitur circa portas, quibus fractis, ciuitas cito capitur. Econtra ciues obsessi totum robur constituunt circa portas. Vnde Hiere. cum prędicaret ciuitatem Ierusalem capiendam à Chaldæis dixit, quod conuenirent omnes principes, & cognationes regnorum Aquilonis, & collocarent solium suum in portis eius, vnusquisque in introitu suo. Hierem. 1. Sic anima non custodiens sensus suos expugnatur, capitur, spoliatur. Vnde de singulis eorum specialiter est videndum.

Similē.

De visu.

ET primo de custodia oculorum, quia sicut visus inter alios sensus prior est in situ & in ordine in capite, ita in animæ nocumento obtinet principatum. Ideo diligenter inuigilandum est circa custodiam oculorum. Ad hoc autem debent quatuor principaliter nos mouere. Primò quidem multiplex operatio naturæ. Secundò, consideratio naturæ. Tertio, interna speculatio. Quartò, æterna retributio.

Quatuor mouent ad custodiam oculorum.

1. *Sollicitudo eaque septem tunicis potentiā visiuam operit.*

PRIMO quidem ad custodiam oculorum debet nos mouere sollicitudo naturæ, quæ tot operimenta posuit. Dicunt enim Philosophi, quod natura virtutem visiuam operuit septem tunicis, quarum altera deficiente necesse est vim visibilem deperire. *Item* Deus fecit naturam oculi maximè necessariam, & maximè passibilem ab intrinseco tangente. *Item* naturale est homini, vt manus, vel quodlibet membrum quod potest, ante oculos ponat, pro custodia eorum à læsione contrarij.

ITEM natura visum inter sensus alios posuit capitaneum principem, & superiorem ducem: & ideo magis timenda est eius impugnatio, & cautius custodiendus est. *Item* vsum oculorum maximè fecit necessarium, & abusus maximè periculosus est, & ideo maximè est cauendus. *Item* natura collocauit oculos in summo capitis nostri, per quod nobis significatur, quod eos figere debemus in Christo capite nostro: Psalm. 24. *Oculi mei semper ad Dominum:* Et quod naturam diuinam in cœlo contemplari debemus, vt ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eam ſemper dirigamus oculos interiores intentionum noſtrarum, & affectionum. Vt B. Martinus faciebat, qui oculis ac manibus, erat in cælum ſemper intentus. Et B. Stephanus, *qui intendens in cælum, vidit gloriam Dei*, Act. 8. Et B. Ioannes, qui per Aquilam figuratur, quia intuitus eſt Solem in rota, id eſt Deum in ſua deitate, de quo legitur, quod cum reuerſus eſſet de exilio de Pathmos inſula in Aſiam, & inueniret multas hæreſes pullulaſſe, conuocauit populum, & indixit orationem. Et miſſa celebrata, ſub diuo exiens, & oculos in ſolari rota infigens irreflexos, Euangelium illud, *In principio erat verbum*, in quo hæreſes, quæ pullulauerant, cõfutauit, libera voce deprompſit. Dicitur à naturalibus quod Aquila volens experiri pullos ſuos, qui ſunt generoſi, vel degeneres; inuertit eos verſus rotam Solis, & illos qui Solem intuentur irreuerberatis oculis tanquam generoſos fouet & nutrit, illos autem qui oculos ad terram deflectunt, tanquam degeneres & indignos abijcit. Sic Dominus eos degeneres reputat, qui mentis oculos in eum non figunt, ſed affectiones & cogitationes in terrenis ponunt. Proue 17. *Oculi ſapientis in capite eius, oculi ſtultorum in finibus terræ.*

Simile.

ITEM natura noſtra & eius figura hoc ſignificat. Sen. *Cætera animalia natura deiecit ad paſtum, hominem autem erexit ad ſidera.* Dicitur, quod lupus rapiens puerum & nutriens, cum puer vult naturaliter oculos eleuare ſurſum, lupus eum percutit cauda ſuper oculos, vt ad modum catulorum ſuorum reſpiciat deorſum. Sic diabolus homines lucris temporalibus. *Item* quod in cæleſtibus oculos mentis figamus, hoc eſt figuratum in hoc quod Deus præcepit filijs Iſrael, Num. 15. quod in oris & angulis palliorum, ponerent vittas Hyacinthinas & fimbrias, vt non ſequerentur cogitationes ſuas & oculos fornicantes per varias res, ſed videntes eas recordarentur vniuerſorum mandatorum Dei. Hæ fimbriæ ſignificant mandata Dei. Vittę Hyacinthinæ propter colorem cœleſtem, ſignificant cœleſtem beatitudinem, pro qua debemus omnia facere quæ facimus; In qua debemus intentiones, & affectiones figere.

2. *Magnitudo iacturæ.*

SECVNDO debet nos mouere magnitudo iacturę. Sunt etiam oculi noſtri raptores, fures, proditores, & turpitudinis conſiliatores; portæ mortis, & feneſtræ. *Oculi ſunt raptores.* Tren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* Capiunt & furantur & prædantur animam aliquando non aduertentem, & captiuam detinent in rebus exterioribus, quas illicitè anima concupiſcit. Iud. 25. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius, & pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.* Hi ſunt latrunculi egreſſi de Syria, qui captiuam ducunt puellam de Iſrael in obſequium vxoris Naamã leproſi, qui ſignificat concupiſcentiam mundi, cuius decor leproſus eſt, dum ſe amantes inficit. Naamã interpretatur decorans. Syria ſublimis interpretatur; & ſignificat caput, de cuius ſublimiori parte duo oculi egrediuntur, dum circa exteriora vagantur. Cito autem captiuas faciunt animas, dum circa mulierum pulchritudine euagantur. Philoſophus. *Cum mulieres aſpicimus, vtinam linceos oculos haberemus.* Linx enim eſt animal ita acutè videns, vt vis viſiua eius, ſeptem, vt dicitur, penetret parietes, q. d. Philoſophus. Vtinam ſicut aſpicimus exteriorem pulchritudinem, videremus fœminarum interiorem fœditatem, & cordis prauitatem. Fœmina pulchra foris manet, intus plena fœtoris.

Simile. *Linx videt per ſeptem parietes.*

LEGITVR in Barlaam, vbi refert Ioannes Damaſc. quomodo Theodas magus dedit conſiliũ Regi Auennir, quod omnes viros excluderet à conſortio filij ſui Ioſaphat, & virgines ſpecioſiſſimas cum eo includeret, ad quarum viſionem & colloquium, animus Ioſaphat emolliretur, vt à Chriſto reuocetur, & retulit ei hoc exemplum, oſtendens quam potens ſit aſpectus mulierum, ad captiuandum corda virorum: Quidam Rex quendam habuit filium, poſtquam diu deſiderata ſuſceptione prolis caruiſſet; quem cum oſtenderet medicis, ipſi conſiderata eius diſpoſitione dixerunt patri, quod niſi eum includeret taliter, quod per decennium non videret lumen, lumine priuaretur oculorum, quem illo tempore incluſum, expleto decennio emiſit prius, & fecit adduci coram eo diuerſarum rerum pulchritudines, & nomina ſingularum rerum ei indicantur, vt equorum, & aliorum iumentorum, iuuenum, & hominum, & mulierum, & auium. Cum autem quæreret de mulieribus, dixit ei Spatarius Regis ludendo. Hi ſunt dæmones qui ſeducunt homines: quarum amore in earum aſpectu magis exarſerat. Item nota, quod in mulieribus non ſolum cum aſpiciunt, immo etiam cum aſpiciuntur, potentes ſunt oculis, animas capere, Iob 40. *In oculis ſuis quaſi hamo capiet eam.*

Exemplum.

CVM Rex Angliæ Richardus intraſſet in quandam Abbatiam monialium, vidit ibi quandam ſanctimonialem virginem, cuius pulchritudine illectus, mandauit Abbatiſſæ, quod eam ſibi mitteret: quod ſi non faceret, ipſe Abbatiam deſtrueret, & eam violenter auferret. Quod audiens dicta monialis, quæſiuit quid ei in ipſa placuiſſet. Audienſque quod oculi eius eum illaqueauerant, volens de cætero periculis oculorum carere, eruit ſibi oculos ſuos, & ponens eos in vaſe, miſit dicto Regi, mandans ei quod ſatiaret ſe optato, qui ex hoc confuſus, eam in pace dimiſit. Vnde Greg. ſuper illud Gen. 3. *Vidit mulier lignum*, dicit. *Deprimendi ſunt oculi à laſciuia ſuæ voluptatis, qui quaſi quidam raptores ad culpam velociſſimi ſunt.* Omnis enim corruptio tam animæ quam corporis, ab eis ſumpſit exordium. Primum namque peccatum, & prima corruptio carnis, ortum habuit ab oculis. Gen. 3. *Videns mulier lignum quod eſſet pulchrum, &c.* Vbi dicitur quod quam cito guſtauerunt, *aperti ſunt oculi eorum*, id eſt, riui concupiſcentiarum, & corruptelæ carnis.

Oculi maximè efficiunt internam paſſionem.

ITEM cum oculi maximè ſint paſſibiles, & maximè internæ paſſionis illatiui, oculi maximè lęduntur naturaliter ex intuitu lepræ, & maximè intuitu lepræ ſpiritualis, id eſt peccati carnalis, conſueuerunt animam inficere: & ſicut lepra materialis, & ſentitur, & apparet in oculis, ſic & ſpiritualis. Gl. ſuper illud Matth. 7. *Quid vides feſtucam, &c. Oculus qui in paradiſo poſt culpam eſt reſeratus, apertus videt, non vnde proficiat, ſed vnde deterius cadat.* Hoc ſignificatur Gen. 34. vbi dicitur: *Dina egreſſa vt videret mulieres regionis illius corrumpitur à Sychem.* Augu. *Ne dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia per hos, intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.* Hugo de Sanct. Victore. *Et ſi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipſa tamen immunda violatio, viſu, affectu, cogitatione, delectatione, perpetratur: viſus inordinatus præit malam cogitationem, cogitatio delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus operationem, operatio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem: & ita paulatim ſic corrumpitur anima, vt iam dicat ſe non poſſe à peccato abſtinere*

Oculi ſunt proditores ſecretorũ cordis.

OCVLI etiam ſunt proditores, ſecreta animę exterius nunciantes. Auguſtin. *Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.* Oculi interiora ſecreta cordis, & eius turpitudinem reuelant, tam dæmonibus, quam hominibus; quia ex fructu arbor cognoſcitur, & ex riuuli qualitate, fontis qualitas iudicatur; & illa quæ ſunt in domo, videntur per oſtium, vel feneſtras; & ignis in domo percipitur per fumum exterius exeuntem.

Oculi ſunt porta mortis.

ITEM oculi ſunt portæ, vel feneſtrę, per quas mors intrat ad animam. Hierem. 9. *Aſcendit mors per feneſtras veſtras.* Per oculos frequenter capiuntur incauti, à laqueis venantium dæmonum, ſicut aues. Sed attende, quod aues deſcendentes ad terram circunquaque reſpiciunt, ne in laqueos pedes ſuos immittant, vel ne alio modo capiantur, ita quod oculis cauent laqueos. Sed anima, oculis quibus laqueos declinare deberet, irretitur, & capitur; quia ſolo viſu, infinitis laqueis, id eſt, rebus concupiſcibilibus, etiam ab ea diſtantibus, capi poteſt incautis oculis, & propter euagationem, & incuriam oculorum. Ideo dicitur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Eccles. 9. *Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius.* Philosophus quidam videns aucupem iocantem cum quadam muliere, clamauit. Tu qui auibus & feris tendis laqueos, vide ne capiaris, incidens in eos. Ab huiusmodi laqueis capitur incautus iuuenis, de quo Prouerb. 7. *Video vecordem iuuenem, &c.* Et postea sequitur: *Velut si auis festinet ad laqueum.*

3. *Interna speculatio.*

TERTIO debet nos mouere ad custodiam oculorum interna speculatio; quia quanto magis oculus exterior circa exteriora vagatur, tanto magis ab exteriori speculatione oculus interior obscuratur. Vnde de Balaam dicitur. Num. 24. *Dixit vir, cuius obstructus est oculus, qui visionem omnipotentis Dei intuitus est, qui cadit & aperiuntur oculi eius.* Item de Paulo dicitur, Actor. 9. *Cum excæcatur exterius, illuminatur interius.* Ad hoc facit exemplum Didymi, de cuius intellectus profunditate multa dicuntur in Hyst. Ecclesiastica: qui cum esset cæcus, tam magni, & alti intellectus factus est, vt perfectus videretur esse in omni facultate. Hic primus expositor sacræ scripturæ legitur, qui vidit in spiritu per reuelationem mortem Iuliani Apostatæ. Cum autem Beatus Antonius visitasset Alexandriam propter hæreticos Arianos, contra eos prædicando, & sederet iuxta Didymum; quæsiuit ab eo, si doleret de hoc, quod oculorum materialium lumine priuaretur; & ait, quod de hoc non debebat dolere, sed potius gaudere; quia & muscę & pulices, corporales oculos habebant, & vilissima quæque animalia ista videbant, nec hoc esset magnum; sed pro eo maximè debebat gaudere, quia Deus ei dederat oculos Angelorum, non corporales qui impediunt profectum animæ, & puritatem, & acumen intellectus, per fantasmata rerum exteriorum, quæ immittuntur in anima. Seneca. *Intelligendum est partem esse innocentiæ cæcitatem.* Hinc enim oculi adulteria monstrant. Hinc incestum; hinc alia, quæ homines concupiscant. Propter huiusmodi impedimenta, quidam Phil. leguntur sibi oculos eruisse, in hoc non imitandi.

4. *Æterna retributio.*

QVARTO mouere nos debet æterna retributio, quę est Dei visio. Augustin. *Visio est tota merces,* Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* Eiusdem 60. *Tunc videbis, & afflues, &c.* Iob 21. *Qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.*

Exemplum.

IN vitis Patrum. Cum mater Abbatis Pastoris & aliorum fratrum suorum, vellet eos videre, nec posset, cum irent ad ecclesiam obtulit se eis. Ipsi autem ad cellam suam retrocedentes, ostium ei in faciem clauserunt. Tunc Pastor quæsiuit, vtrum eos vellet videre in præsenti, vel in futuro? cum illa quæreret, si abstineret hic ab eorum visione, si videret eos in futuro? Respondit Abbas: Si potes æquanimiter sustinere, vt hic nos non videas, videbis nos illic. Tunc illa gaudens recessit dicens, quod magis vellet eos hic non videre, vt videret eos ibi. Econtra, qui malè custodiunt oculos suos, æternum supplicium sustinebunt, & æterna Dei visione carebunt, quia *per quę peccat quis, per hæc & torquetur.* Sapient. 11. Affligentur autem ardore. Leuit. 24. *Ardor conficiet oculos nostros, & affliget animas nostras.* Item mœrore. Deuteron. 24. *Dabit tibi Dominus oculos deficientes, & animam mœrore consumptam.* Item terrore. Ibidem. *Terreberis propter ea quæ videbis oculis tuis.*

Exemplum.

IN vita Mariæ de Ognies legitur, quod cum quædam mulier moreretur, reuelatum fuit ei, & vidit maximam multitudinem dæmonum occurrentem, & volentem eam capere, & pugnantem contra bonos Angelos, pro qua impetrauit, vt à dæmonibus liberaretur, & in purgatorio torqueretur, & ostendit ei oranti B. Petrus, quomodo in purgatorio dicta mulier torquebatur, transiens ab aquis niuium ad calorem nimium, propter hoc quod nimis ardens fuerat in mundi vanitatibus conspiciendis.

A B C D E

De auditu.

SECVNDVS inter quinque sensus est auditus. Dicit enim Arist. in lib. de natura animalium, quod visus in omnibus animalibus est supra auditum, & vltra naturaliter se extendit; post eum auditus, sub quibus est olfactus. Et notandum est, quod primo debemus auditum nostrum diligenter custodire. Secundo à quibus.

Quing. mouent ad custodiam auditus.

Sunt autem quinque, quæ nos debent mouere ad custodiam aurium, siue auditus.

1. *Quia mens ex auditu affligitur.*

PRIMO, quia mens frequenter affligitur. Eccl. 7. *Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias seruum maledicentem tibi.* In hoc cautior est vulpis homine; quę, vt dicitur, intrudit se in foueam, cum timet audire tonitruum, & ne illud audiat & turbetur, obturat pedibus suis aures suas quantũ potest. Iob 39. *Non audierunt vocem exactoris eorum,* scilicet qui habent verba conturbantia aliorum.

2. *Quia qui liberaliter mala audiunt serui diaboli efficiũtur.*

SECVNDO, quia diaboli seruus efficitur, vt ducat eũ quo vult ne possit euadere, sicut facit carnifex de porcis emptis, cum vult eos ducere ad terram suam. Carnifices enim habent canes ad hoc aptatos, quod cum volunt à carnificibus recedere, & ad terram illam redire, canes eos subsequuntur, & cum eos per aures cæperint, pro voluntate sua ad carnificem (qui ad hoc eos ducit vt interficiat) deducunt, vsque ad gregem aliorum qui ad mortem ducuntur. Sic canes, id est detractores, vel oblocutores, eos quos per aures tenent, qui verba mala audiunt libenter, ad consortia malorũ & carnifices infernales adducunt, vt pro voluntate sua eos ad mortem trahant. Exod. 21. Qui volebant possidere hominem seruum, perforabat ei aurem, & ex quo habebat aurem perforatam, erat ei seruus sempiternus. Sic quamdiu habet homo aurem perforatam ad recipiendum omnia mala verba, fit seruus diaboli sempiternus.

Simile.

3. *Quia inde quis detractor efficitur.*

TERTIO, quia mordax & detractor & rixosus efficitur, vt fiat imitator eorum quorum est discipulus, Prou. 26. *Sicut qui apprehendit auribus canem, & transit impatiens: sic qui immiscet se rixis.* Nam qui audit rixas, ad modum canis qui mordet & latrat cum apprehenditur auribus, mordetur alios.

4. *Quia mens inde polluitur.*

QVARTO, quia mens polluitur. Ose. 8. *Effraim quasi vas immundum in nationibus;* quod est, quando lingua hominis non habet ligaturam temperantiæ vel discretionis, & auris non habet operculum prudentiæ. Num. 19. *Vas est immundum quod non habet ligaturam aut operimentum.* Dixit quidam pater, quod homo habens inimicum qui consueuit per fenestras sordes in domum proijcere, debet tacere, & fenestras claudere. Sic homo aures contra sordes dæmonum.

Simile.

5. *Quia inde deuotio tollitur.*

QVINTO aufert deuotionem, Leui. 23. *Non acceptabit Dominus, qui offert ei animal habens aurem amputatam,* qui aufert aurem, aufert etiam vitam, quia latro inuentus aure amputata suspenditur. Dicitur quod Draco per hunc modum occidit Elephantes, rostrum suum in aure figendo, & sanguinem absorbendo, & cauda pedes eorum ligando. Sic diabolus homines, cum audiunt verba malæ persuasionis, quæ assecurant per promissionem finalis pœnitentiæ.

Simile.

Auditus custodiendus à verbis & cantibus lasciuis.

ABIstis autem est auditus maximè custodiendus, à verbis vel musicis cantibus, vel instrumentis ad lasciuiam & libidinem prouocantibus, & reuocantibus à bono, quæ viriles animos emolliunt, quorum finis luctus, Eccl. 9. *Ne audias saltatricem, ne pereas in efficacia illius,* Iob 21. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bono dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* 1. Mach. 9. *Conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum,* Iob 30. *Versa est in luctum cythara, &c.*

Exemplum.

DICITVR de Vlysse, quod cum iret per mare per loca vbi consueuerant audiri cantus Syrenarum (quę fingũtur & describuntur à Poetis pisces ex parte inferiori, &

mulieres ex parte ſuperiori) canentes cum cytharis & tybijs, ille ſapiens dicitur obturaſſe aures ſuas pice, ne attractus cantus earum dulcedine, præcipitaret ſe in mare. Quod multi faciunt allecti ſuauitate muſicorum, & muliebrium cantuum, ſe præcipitantes in periculum luxuriæ, & amaritudinem inferni. Aures pice ſibi obturat, qui cogitans quam turpe, tenax, fœtidum, & combuſtile in inferno ſit peccatum, aures euertit ab huiuſmodi. Hieronym. in prologo ſuper Ioſue: *Nos ad patriam feſtinantes, Syrenarum mortiferos cantus debemus ſurda aure tranſire:* non ſicut ille de quo dicitur, quod ſuauitate cantus attractus, ductus eſt ad ſuſpendium.

Exemplum. ITEM dicitur quod cum Alexander iuuenis delectaretur in huiuſmodi videns aliquando Antigonus eius nutritius eum cytharizantem, timens ne per hoc emolliretur eius animi vigor, cucurrit & fregit cytharam eius, dicens. Ætatem tuam de cetero regnare decet non cytharizare.

Auditus cuſtodiendus à verbis adulatorijs & detractorijs. SECVNDO cauendum eſt à verbis adulatorijs; vnde in Pſalm. 54. *Mollita ſunt ſermones eius, &c.* Sen. *Si continens es, adulationes deuita, ſitque tibi tam triſte laudari à turpibus, quam vt lauderis ob turpia.*

ITEM difficillimum opus continentiæ eſt blanditias adulatorum repellere, quorum ſermones animum reſoluunt voluptate quadam. Similis eſt adulator cuidam ſerpenti, de quo dicit Iſidor. quod ſi quem momorderit ore ſuo, tabeſcere facit, hic eſt Dipſas Tabeficus.

TERTIO cuſtodiendus eſt auditus à verbis detractoriis. Eccleſ. 29. *Sepi aures tuas ſpinis, & ne audias linguam nequam*; quæ bona, vel peruertit, vel diminuit; & mala imponit, vel auget, quod eſt contra æquitatem, hoc facit qui ad modum ſpinarum, linguam habens pungentem, alios arguendo reſpondet. Sequitur. *Et auribus tuis facito oſtia & ſeras*; quod facit qui detractori auditum non pandit, nec ſordes alienas in domum ſuam proiici permittit, quia vt dicit Gregor. *Non minus peccat auditor quam detractor, quia ſi deerit auditor, deerit detractor.*

Auditus cuſtodiendus à verbis ſubuerſorijs & litigioſis. QVARTO à verbis ſubuerſoriis, vt ſunt verba mala ſuggerentium. 2. Tim. 2. *Quorum ſermo vt cancer ſerpit.* Ezech. 2. *Increduli & ſubuerſores ſunt tecum.* Ideo ad modum aſpidis debemus aures obturare terra & cauda, id eſt conſiderando fragilitatem noſtram, & finem peccati & noſtrum, ne audiamus miniſtros diaboli, id eſt, malos ſuaſores pſalmus. Fac illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis ſicut aſpidi, ſui de obturantis aures ſuas.

QVINTO à verbis litigioſis; ne portis apertis, ignis intret domum conſcientiæ, & inflammet eam draco flamiuomus, Eccleſ. 29. *Iracundus incendit litem.* Et poſt. *Certamen feſtinanter ſuccendit ignem & lis &c.*

Denique a verbis ocioſis & blaſphemoſis. SEXTO à verbis ocioſis; & hoc audiendo ædificatoria verba, vel ſtupendo in eis, Prouerb. 2. *Audiat ſapietiam auris tua.* Hoc ſignatur, 2. Reg. 22. Bananias qui ædificatio Domini, vel reſponſio, vel ſecretarius interpretatur, erat auricularius Dauid, & ſignificat verbum Dei quod debet eſſe cuſtos aurium noſtrarum.

SEPTIMO à verbis blaſphemoſis, Eccleſ. 27. *Loquela multum iurans horripilationem capiti ſtatuet, & irreuerentia ipſius obturatio aurium.* Vnde dicit magiſter Iac. de quodam Iudæo, cum luderet cum quodam Chriſtiano ad aleas; Iudæus audiens blaſphemias de Deo quas Chriſtianus euomebat, duabus manibus aures ſuas obturans, relicta pecunia ſua fugit. *Exemplum.*

De olfactu.

OLFACTVM autem debemus cuſtodire ab odoribus varijs, & præcipuè ab illis qui alliciunt ad peccatum, vt illorum qui portant res odorabiles, vel conſpergunt ſe, vel domos, vel lectos, vel veſtes, vt per hoc alliciant ad libidinem, maxime propter quatuor. *Quatuor mouent ad cuſtodiam olfactus.*

PRIMO ne animabus noſtris vel proximorum noceamus, vt illa meretrix, de qua Prouer. 7. *Aſperſi cubile meum Mirrha & Aloe & Cynamomo.* Et poſt. *Statim ſequitur eam quaſi bos ad victimam, &c.* Et illa de qua Iſa. 57. *Vnxiſti te regio vnguento, & multiplici pigmentario &c.* Et beata Magdalena, quę cum illo vnguento pretioſo quod parauerat ad vngendum ſe, vnxit pedes Domini. Similiter & Pelagia meretrix, quæ venerat ad Epiſcoporum conſilium, ad animas venandum; de qua infra vbi agitur *de pœnitentia.* 1. *Ne nobis vel aliis noceamus.*

SECVNDO vt fœtorem inferni caueamus, de quo Iſa. 2. *Erit proſuaui odore.* &c. ſupra de inferno *de adulterijs. In vitis Pat.* de Arſenio dicitur, quod mittebat aquam in peluim vt infunderentur palmæ, nec permittebat inde aquam fœtidam remoueri, ſed ſuper illam aliam infundi faciebat, ita vt fœtore, eius cella repleretur: hoc vt dicebat ſuſtinebat libenter pro thymiamate & & vnguentis quibus vſus fuerat in ſęculo, & muſcata, ad vitandum fœtorem inferni. 2. *Vt fœtorem inferni caueamus.*

TERTIO vt odorem ſpiritualem Dei & bonorum melius ſentiamus. Bernard. *Domine, qui non ſentit odorem tuum, aut mortuus aut fœtidus eſt.* Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ioannes Euangeliſta Domino apparente ſibi, clamauit. *Odor tuus Domine, concupiſcentias in me generauit æternas.* Legitur in Calendario Bedæ, viij. idus Febr. quod cum beata Dorothea virgo ad martyrium duceretur, & illa gaudens ſe diceret ire Paradiſum; quidam ſcholaſticus rogauit eam vt ei mitteret de fructibus eius. Cum autem decollata eſſet, tantum ſenſit ille in mappula virginis odorem, quod clamauit ſe Chriſtianum eſſe, & decollatus pro fide, odorem & fructum æternum promeruit. 3. *Vt odorem ſpiritualem ſentiamus.*

QVARTO vt odorem Paradiſi percipiamus. Odoris enim ſuauiſſimi corpora ſanctorum erunt, vbi ſunt *cytharæ & phyalæ plenæ odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Apoc. 4. & 7. *Aſcendit fumus aromatum, &c.* 4. *Vt odorem Paradiſi percipiamus.*

De guſtu.

QVARTVS inter ſenſus eſt guſtus, de quo nihil ad præſens dicere proponimus, ſed infra quando agemus *de vitio Gulæ*, quod eſt vnum de vitiis capitalibus. Item infra *de ieiunio & abſtinentia.*

De tactu.

VLTIMVS inter omnes ſenſus eſt tactus, quem multum expedit diligenter & ſollicitè cuſtodiri, quia cum ſit materialior, vehementioris eſt impreſſionis, & ideo ſi ſit illicitus, fit hoſtis animæ potentior fortior & violentior ad nocendum. *Tactus eſt cautè cuſtodiendus propter quatuor.*

EST autem tactus illicitus quadruplici ratione.

PRIMO propter inobedientiam; primum enim peccatum commiſſum, fuit per tactū ligni vetiti, ſicut patet Gen. 4. *Dixit mulier ad ſerpentem, de ligno ſcientiæ præcepit nobis Dominus ne comederemus, neque tangeremus illud, ne forte moriamur*, (fortè addidit de ſuo) quod quia tetigit omnes damnati ſumus ad mortem. Omnes fructus arborum Paradiſi conceſſerat eis Dominus, hoc ſolum inhibuerat; & ipſi hoc ſolum tetigerunt. 1. *Propter inobedientiam.*

SECVNDO tactus aliquis eſt illicitus propter irreuerētiam; maximè miniſtri Dñi, qui habēt tractare & diſpē- 2. *Propter irreuerentiam.*

ſare

sare diuina, debent ea tractare deuotè, reuerenter, & mundè, Isa. 52. *Pollutum nolite tangere, mundamini qui fertis vasa Domini*. Debent aduertere sacerdotes & ministri, immo & omnes qui recipiunt Corpus Christi, cum munditia & reuerentia debet accedere & tangere sancta sanctorum. 1. Paral. 13. dicitur, *quod iratus Dominus contra Ozam, percussit eum, quia tetigerat arcam*. Si ergo tam horrenda morte percussus est qui arcam tetigerat (quæ non erat nisi vmbra & figura corporis Christi) & tamen sacerdos existens, voluit eam tenere ne caderet, quia declinauerant eam boues; qua morte plectendus est miser peccator, qui indignè tangit vel consecrat corpus Christi. *Item* Dominus post resurrectionem suam non permisit quod beata Magdalena tangeret eum, sed repellens eam dixit ei. *Noli me tangere*: quæ tamen erat sanctissima, deuotissima, & amoris eius igne succensa. Quis ergo dignus est ad eum accedere, & tangere sacratissimum corpus eius?

3. Propter sauitiam.

TERTIO tactus est illicitus propter facti sæuitiam; sicut diuites tangunt & opprimunt pauperes in corporibus eorum, vel in rebus: contra quos dicitur in Psalmo 104. *Nolite tangere Christos meos*. id est Christianos meos, vnctos & consecratos mihi in baptismo. Quicquid enim mali, damni, vel oppressionis fit eis, Christus reputat sibi factum. Matth. 15. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Zachar. 2. *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*.

4. Propter impudicitiam.

QVARTO tactus est illicitus propter impudicitiam; quantum ad hoc, maximè seruandus est, & cauendus sensus tactus; quia per eum fortius sentitur ardor libidinis.

Tactus multa mala facit in anima: nempe inquinat.

CAVENDVS est sollicitè propter multa mala quæ facit in anima. *Primo* quidem quia inquinat. In multis locis in lege dicitur specialiter, Leuitic. 5. *Anima quæ tetigerit immundum, rea est, & deliquit*. Et 13. *Quicunque tetigerit aliquid immundum, immundus erit*. Ideo Prouerb. 6. *Qui ingreditur ad eam*, scilicet mulierem, *non erit mundus cum tetigerit eã*. Ecc. 13. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea*. *Secundo* quia inuiscat, vel agglutinat, & illaqueat. Hieronym. *Fœmina est viscus tenacissimus ad animas illaqueandas*. Idem. *si fuerit conuersatio virorum cum mulieribus, non deerit viscus diaboli*. Auis cum visco vel glutino vel laqueis non capitur, nisi tangat ea. Petrus Alfon. *Leonem & Draconem & Scorpionem sequaris, mulierem non*. *Item* quidam Philosophus videns aucupem iocantem cum muliere, in loco vbi tetenderat laqueos & retia ad aues & feras capiendas, ait. *Tu qui feras & aues decipis, vide ne vt auicula capiaris*. Eccles. 7. *vincula sunt manus illius*.

Agglutinat & illaqueat.

Dictum seu admonitio cuiusdã Philosophi.

Intoxicat.

TERTIO suauiter intoxicat. Hieronym. *Luxuria est scorpionis percussio, qui tenet illam sicut qui apprehendit scorpionem*. Eccles. 27. *Qui primo lambendo tangit, post in fine pungit, & venenum effundit*. Et nota quod nullum venenum nocet nisi per tactum.

In perditionẽ ducit.

QVARTO siue per causam, siue per occasionem, in perditionem ducit. Eccles. 9. *Non accumbas cum ea super cubitum, ne fortè declinet cor tuum in illam, & labaris in perditionem*. Iudith 11. *Quia volunt consummare, quæ nec manibus debent contingere, qui hoc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur*.

Corrumpit & inficit. Simile.

QVINTO corrumpit & inficit; vt tactus vuæ putridæ, vuam sanam; pomi putridi, sanum; gregis morbidi, sanum, &c. Galat. 5. *Modicum fermenti totam massam corrumpit*.

Succendit.

SEXTO succendit, vt tactus titionis ardentis extinctum succendit, & consumit, Prouerb. 6. *Nunquid potest aliquis abscondere ignem in sinu suo, & vestimenta non comburere?* Eccles. 9. *Ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*. *Ad hoc* facit quod dicitur 4. dial. 12. de quodam sacerdote, qui ex quo ordines susceperat, remouit à se concubinam suam, amans eam vt sororem; nec per XL. annos sustinuit quod ad eum accederet, vel ei in aliquo ministraret. Cum autem laboraret in extremis, dicta mulier accessit, & aurem suam

Exemplum.

eius naribus applicauit, vt sentiret si plus esset in eo halitus; quam sentiens, & spiritum colligens ait. *Recede mulier, tolle paleam, adhuc igniculus vivit*. Post incepit lætus dicere. Vnde veniunt Domini mei, venio, venio? Et quærentibus ait, aduenisse sanctos Apostolos, & iterans dicta verba cum eis, emisit spiritum.

Exempla.

ITEM ad hunc ignem extinguendum ille beatus martyr amputauit sibi linguam, de quo dicit Hieronym. in principio vitis patrum, quod cum vicisset multa tormenta, positus est in lecto strato floribus, vbi meretrix speciosa carnes eius attrectabat, qui scindens sibi linguam, expuit eam cum sanguine in faciem eius. *Item* ad hoc facit exemplum de illo, qui vt illum ignem extingueret, digitos suos in alio igne cõburebat sibi. *Item* In vita Mariæ de Ognies, legitur quod cum vehementissimè ægrotaret, quidam vir spiritualis eam visitans, cum causa compassionis tangeret pulsum, brachium eius stringendo, sensit subito motus carnis, & ipsa audiens vocem hanc, *Noli me tangere*; Quæsiuit ab eo qui erat litteratus, quid hoc vellet dicere; ipse autem hoc ei facto ostendens, eam dimisit; periculum aduertens, & Dei misericordiam eum à periculo reuocantem. *Item* in vitis patrum dicitur, quod cum quendam solitarium mater sua anus visitaret, & ille eam redeuntem haberet transferre torrentem, inuoluit manus suas, ne carnes suas aliquatenus tangeret, & ei quærenti cur hoc fecisset, Respondit, quod carnes mulieris erant ignis, homo autem stuppa vel stippula.

De tentatione.

DISTINCTIO VI.

9. Defesio suiipsius virtuosa.

TERTIVM quod multum valet ad præseruandum hominem à peccato, est suiipsius defensio virtuosa; quia diabolus multipliciter nos impugnat, ideo necessarium est quod homo resistat fortiter, & viriliter se defendat, quod non potest facere nisi habeat arma virtutum, propter quod dicit Apostolus Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli*. Ista sunt arma fortissima de quibus Boetio dictum est, sicut ipse ait lib. de conso. *Talia tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur*. Qui huiusmodi arma portat, diuina virtute protegitur, cui principaliter innititur; quia ipse in Deo est, & Deus in eo. Non est ergo mirum si fortiter pugnat, & viriliter operatur, qui diuina virtute pugnat & operatur. Talem quamdiu stat cum Deo, & in Deo, non potest diabolus vincere, nec audet inuadere, sicut nec lupus ouem, quamdiu stat iuxta pastorem. Nec est qui audeat homini nocere, vel eum ledere, vel tangere, quamdiu stat iuxta regem. Puer quando videt quod aliquis velit eum verberare, cito currit ad matrem, & se sub alis eius abscondit: Ita quamdiu vult homo stare cum Deo, non potest eum diabolus impugnare. Ideo 1. Ioann. 3. *Qui manet in Deo peccatum non facit*. De prædictis armis virtutum infra dicemus. De tentatione vero qua diabolus nititur hominem impedire vel impugnare, aliqua prosequemur. In primis autem dicendum est de diuersis tentationem generibus. Secundo specialiter de tentationibus quæ fiunt à dæmonibus. Tertio de his quæ dant dæmonibus occasionem tentandi. Quarto de remediis contra tentationes. Quinto de vtilitate tentationum.

Simile.

De diuersis generibus tentationum.

Quatuor sũt qua tentant s. Deus, Mũdus, caro, & diabolus.

CIRCA primum sciendum est, quod tentat Deus, mundus, caro, & diabolus. Deus quidem tentat, vt probet & approbet, & vt qualis sit homo sibijpsi pateat, & detur alijs in exemplum, sicut tentauit Abraham in exemplum obedientiæ. Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham &c.* *Item* Iob & Tobiam in exemplum patientiæ. Tob. 2. *Hanc tentationem*, scilicet cęcitatis, *permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob.* *Item* sanctos martyres, in exemplum fidelitatis & constantiæ. Sapient. 4. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* *Item* filios Israel in exemplum timoris. Exod. 20. *vt probaret vos venit Deus, & vt terror eius esset in vobis, & non peccaretis.* Deuteron. 7. *Tentauit te Dominus, vt nota fierent quæ in animo tuo versabantur.* *Item* in exemplum amoris. Deute. 13. *Tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non.*

Varia sunt rationes cur Deus tentat.

Mundus est plenus laqueis vt homines capiat, qui laquei sunt res temporales.

SECVNDO tentat mundus Sap. 14. *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & muscipulam, & tentationem, pedibus insipientium.* Super omnes res concupiscibiles quas ostendit mundus, protenduntur laquei vt homines in eis capiantur. Laquei isti sunt ea, per quæ res temporales in amorem suum alliciunt, siue earum pulchritudo, siue dulcedo, & huiusmodi. Homines capiuntur cum his fruuntur, quibus potius deberent vti. Beatus Antonius raptus in extasi, vidit mundum plenum laqueis, & clamauit. Quis euadet ô Domine hos laqueos? Responsum est ei, quod humilitas euaderet eos; id est, paupertas spiritus, quæ mundana contemnit, ab his non capitur, nisi qui hæc capere nititur; sicut nec piscis hamo, nec auis laqueo, nec fera pedica, nisi eam tangat. Iob 18. *Immisit in vete pedes suos, & in maculis eius &c.* Et post. *Abscondita est in terra pedica eius*, id est grossior tentatio, *& decipula eius super semitam*: quia grossiores, scilicet sæculares, capit grossioribus cupiditatibus; Religiosos & clericos, qui sunt in semita consiliorum, tentationibus subtilioribus capit. Item Isa. 24. *Formido* timoris in obseruando, si res nimis timent amittere, *fouea* desperationis & nimij doloris, in rerum amissione, *laqueus* nimij amoris in possidendo.

Caro seu cõcupiscentia fortiter tentat.

Simile.

TERTIO tentat caro, id est, carnalis concupiscentia. Iac. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus.* Hęc est illa *meretrix, quæ habet poculum aureum in manu plenum abominatione immunditiæ.* Calix est carnalis concupiscentia, vel delectatio. Apoc. 17. *Notandum* autem quod caro est Eua misera, quæ virum in mortem inducit, scilicet spiritum, & à Paradiso excludit, dum peccatum mortiferæ suasionis, consentiendo vel non corrigendo accipit, quæ non est acceptanda sed corrigenda. Gen. 3. *Hæc* est Ægyptiaca quæ Ioseph, id est spiritum, ad consensum illicitum cogere cupit, quæ non est audienda, sed relicto pallio carnalis & sæcularis conuersationis, fugienda, Genes. 39.

Simile.

Comparationes.

HÆC est Thamar, quę deposita veste lugubri, scilicet pœnitentiæ, induta theristro mollitiei, sedet in biuio, quiescens in voluptate & vanitate, vt Iudam, id est pœnitentem spiritum, prouocet ad incestuosum concubitum, quæ non est aspicienda, sed contemnenda. Gen. 38. Hæc est Corbia filia principis Madian, quæ ornata habitu meretricio, mittitur ad seducendos filios Israel; quæ non est appetenda, sed per disciplinam transfodienda. Numer. 25. *Hæc* est meretrix ornata habitu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, quam vidit Salomon de fenestra domus suæ, Prouer. 7. Vecordem iuuenem illaqueantem, & ad perditionem trahentem, quæ non est sequenda, sed spernenda. *Hæc* est Iahel, quæ Sysaram, id est spiritum, à prælio fugientem, & ocium & quietem appetentem, inuitat ad quiescendum in tabernaculo suo, id est in agendo curam carnis in desiderijs, quę propinando lac blandæ delectationis, per consensum illicitum occidit, dum clauum amoris penetrantis & illiciti, in eum infigit: hæc non est audienda, sed declinanda, & cauenda. Iud. 4.

Comparationes.

ITEM hęc est Dalila Situla, quæ Sampsonem nimis ei compatiendo, & secretum suum ei reuelando, & gremio eius dormiendo, nimis ei consentientem, & curam eius agentem, crine virtutum spoliauit, & Philistæis, id est dæmonibus excæcandum & illudendum tradidit, Iudic. 16. quæ non est audienda quia Situla est, & sanguisuga, duas habens filias insatiabiles, scilicet gulam, & luxuriam; sed vt dicitur Prouerb. 30. *in sicco* aridæ dietæ *dimittenda*, & sic vincitur vt piscis à Tobia, Tob. 6. *Item* hæc est Iezabel fluxus sterquilinij, quę procurat quod sanguis Naboth iniustè effundatur, pro horto voluptatis acquirendo. 3. Reg. 21. quæ non est in altitudine superbiæ & vanitatis dimittenda, sed ad humilitatem deiicienda, & conculcanda. 3. Reg. 9.

ITEM hæc est Vasti regina, in conuiuio deliciarum inobediens summo regi: quæ non est in dominio admittenda, sed deponenda. Hest. 1. *Item* hęc Athalia, quæ interfecit omne semen regium bonarum affectionum; quę mortificanda est, non in templo contemplationis dimittenda regnare, 4. Reg. 11. *Item* hæc est Hęrodias, procurans filiæ suæ, id est imaginationi, vel delectationi corporali, caput Ioannis, id est gratiam domini, amputare à spiritu, Matth. 11. *Item* hæc est ancilla ostiaria quæ habet custodiam sensuum, quæ fecit Petrum, id est spiritum, negare Christum. Matth. 26.

Caro tentat quatuor modis. 1. Timore.

NOTANDVM autem quod quatuor modis tentat caro. *Primo*, timore humano, aduersa nimis timendo & horrendo; quia suadet vt illo timore, quæ sunt contra salutem animæ faciat, vel quæ sunt ad salutem omittat, ne aduersa incurrat. Contra hoc debet homo inferni supplicia sibi opponere, vel grauiora sibi intentare, vt libenter sustineat minus dura.

Exemplum.

FVIT quidam frater minor, qui cum tentaretur in hyeme propter frigus, ab ordine recedere, surrexit de nocte, & habitu relicto, nudus proiecit se in magnum cumulum niuis, volutãs se ibi. Cum autem caro diu afflicta fuisset ibi, quæsiuit ipse: O domina caro, acciperetis vos modo & amodò, vnam tunicam patienter? Cum autem carnalis voluptas diu post respondisset quod sic, resumpto habitu redijt, & de illa tentatione postea in pace remansit. Ad hoc facit quod habetur supra *de timore humano.*

2. Delectatione.

SECVNDO tentat ex eo quod nimis amat blanda, & suauia, & delectabilia sibi; vt per ea suadeat spiritui, vt proijciat se in foueam peccati; vt ea quæ pomum vetitum viro suo porrexit, huiusmodi suasionem sequendo. Ille qui voluptates carnales sequitur, similis est vrso, quem volens rusticus capere, ponit, vt dicitur, vas mellis super ramum gracilem, & superiorem arboris; quo dimittit distillare per arborem aliquid de melle, faciens ad pedem foueam; in quam, cum vrsus mel de ramo in ramum insequitur, dum appetit plenius inuenire, in foueam cadens capitur. Sic qui vult sequi carnis voluptates, cadit in foueam peccati, capitur à diabolo, & occiditur.

Simile.

Simile.

ITEM cum quidam puer traderetur cuidam seni in lecto iacenti, vt abigeret ab eo muscas, & datum fuisset dicto puero lac ad comedendum; accepit quatuor scutellas, easque liniens lacte, posuit super quatuor conos lecti, vt muscas infestantes eum, ibi concurrentes caperet, & occideret, quod flabello non poterat, & sic eas cæpit. Sic diabolus homines immundos capit per voluptatem carnis, quos non potest capere vel occidere, cum flabello alterius tentationis, quatuor scutellæ possunt vocari, gula, luxuria, mollities vestium, & ocij requies.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

3. *Impatientia.* TERTIO tentat ex eo quod oppressa vel afflicta patientia, vel tribulatione, ad murmur & impatientiam spiritum prouocare laborat, & contra reclamat. Sic Iud. 16. Videns Sanpson afflictionem Dalilæ, assensit ei, & reuelauit ei secretum suum, cum audiret eam cõtra eum murmurantem, quæ fecit eum dormire in gremio suo, & totondit eum, & tradidit eum Philistęis illudendum & excæcandum. Sic Thamar magis murmurauit de eo, quod ab Amon abiecta fuit, quam de eo quod fuit corrupta. 2. Reg. 13. *Item* cum quidam Lothoringus iret ad forum, emit quandam anguillam, cũ autem rediens quiesceret iuxta fluuium, vidit dictam anguillam in sacco afflictam, in quo posuerat eam, & ob hoc voluit eam recreare, & tenens eam manibus, misit in aquam; & stringens eam ne euaderet dicebat, bibe pulchra bibe: & illa subito resumptis in aqua viribus, ab eius manibus est elapsa. Sic caro afflicta per pœnitentiam, dum hoc ei nimis compatitur, dum in delicias immergitur, cito in peccatum elabitur.

Simile.

Fabula. ITEM fabulosè dicitur, quod cum homo per desertum iret, inuenit serpentem frigore afflictum, iacentem quasi mortuum: quem ei compassus, in sinu suo fouit; & calefactus circunuoluit eum, resumptis viribus eum intoxicans. Qui cum serpentem argueret de ingratitudine: Respondit. Tu scis quod natura mea est, quod non noceo nisi calefactus: sed tunc cum caleo, venenum effundere necesse habeo, non inculpes me si secundum meam naturam feci, sed tibi imputa, qui me calefeciſti & fouisti.

4. *Cõtumacia.* QVARTO tentat per contumaciam, quando nimis impinguatur, & delicatè nutritur. Prouer. 29. *Qui delicate à pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Sic fuit de Miphyboseth & seruo suo Syba, qui contempsit eum, & impediuit eum ne Dauid regẽ sequeretur; & eo procurante amisit hęreditatem suam, sicut legitur 2. Reg. 16. & 19. Sic & leprosus nimis compatitur asino suo; subtrahit ori suo panem de quo pascit eum, & ipse impinguatus contemnit dominum suum, & præcipitans eum in lutum, fugit ab eo: sic caro spiritum. *Item* vt dicitur, accipiter quando nimis est impinguatus, non vult ad dominum suum venire, nec gallina ad dominam suam, nec caro obedire spiritui. *Item* Agar videns sese plenam, contempsit dominam. Gen. 16. *Item* dicitur quod quidam dives impinguauerat arietem quendam, ita quod præ pinguedine in omnes inuitantes eum, cornibus impingebat. Cum autem semel dormitaret dominus ad ignem videns aries eum frequenter inclinantem & deprimentem caput, credidit quòd eum inuitaret, vt in ipsum impingeret: ipse autem aries ita fortiter in dominum suum irruit, quod eum occidit. Sic facit caro spiritui negligenti, & eam nimis impinguanti.

Diabolus dicitur antonomasicè tẽtator quia totum eius studium est tentare

QVINTO tentat diabolus, cuius totum studium, exercitium, & conatus, est homines tentare, propter quod autonomasicè dicitur tentator. Matt. 4. *Et accedens tentator.* Circa cuius tentationes. Primo dicendum est de eius malitia & crudelitate, & diuersis modis tentationum. Secundo de his quæ dant occasionem tentandi. Tertio de remediis & adminiculis contra tentationes. Quarto de tentationum vtilitate.

De diuersis modis tentandi.

CIRCA primum sciendum quod diabolus cum sit intellectu subtilissimus, malitia astutissimus, experientia longissimi temporis vsitatissimus, audacia procacissimus, discursu velocissimus, infatigabilis ad nocendum, insatiabilis ad perdendum, implacabilis ad parcendum, horribilis ad meditandum, intolerabilis ad sustinendum, inuisibilis ad intuendum: propter has omnes conditiones pessimas, summè timendus est. De multis conditionibus dæmonum require supra *de inferno, de purgatorio, & de morte.*

Diabolus summe timendus.

SCIENDVM est autem quod cum sit astutissimus diuersos habet modos & artes tentandi. Vnde tentat multipliciter; & cum sit venator, & piscator, diuersa habet artificia per quæ homines capit, trahit, decipit, & inuoluit. Vnde Leo Papa, in quodam sermone. *Non desinit hostis antiquus, deceptionum laqueos vbique prætendere; & vt quoquo modo fidem credentium corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui gulæ illecebras ingerat, cui apponat incitamentum luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore concutiat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; & ibi quærit causas nocendi, vbi quemquam viderit studiosus occupari.*

Diabolus varios habet tentandi modos.

Exemplum. CVM Religiosus quidam arreptus esset à dęmone, alius quidam adiurando dæmonem, interrogauit quomodo vocaretur. Qui respondit quod *Mille artifex* vocaretur, quia mille artes habebat homines seducendi: & vt scias, ait, quod verum dico, ego sum qui decipio magnos theologos, decretistas, legistas, phisicos, barones, milites, præpositos, mercatores; & cæpit singulorum modos, gestus, verba, & officia repræsentare, vsque ad domicellas quæ seruiunt in cameris dominorum, blandiendo, adulando, & molliter alloquendo.

IN vitis Patrum legitur quod Abbas Theodorus cuidam fratri dicenti sibi, frater quidam reuersus est ad sæculum, Respondit. Non mireris super hoc, sed de hoc mireris, si quis euadere potuerit de ore & laqueis inimici.

Diabolus omnes tentat & quiuem omni tempore & modo si à Deo permittatur.

ITEM tentat generaliter omnes & omni genere tentamenti, omni tempore, & omni loco, si à Domino permittatur. Vnde sicut dicit Bern. *Nullus est locus securus.* Abac. 1. *Totum in hamo subleuauit, traxit in sagena sua, congregauit in rete suum.* Nulli parcit ætati, dignitati, statui, vel sexui, sanctitati, nec etiam ipsi domino, sicut patet Matth. 4. & Lucæ 3. vbi nota de triplici eius tentatione. Ideo dicitur ad Heb. 9. *Tentatum autem per omnia.* Licet autem generaliter omnes tentet, tamen libentius & studiosius tentat maiores, & sanctiores; & de deiectione eorum amplius gloriatur.

Exemplum. IN vitis Patrum dixit quidam senex, quod cum esset puer, filius sacerdotis idolorum, in eorum templo intrauit cum patre suo, vbi vidit de nocte excitatus principem dæmonum in solio sedentem, & exercitum eius assistentem ei, quem vnus aduenies adorauit. Requisitus vnde venisset, & quid egisset, dixit, quod inj illa prouincia vbi fuerat multas guerras concitauerat, & multam sanguinis humani effusionem procurauerat. Requisitus in quanto spacio temporis. Respondit, in 30. diebus: & multum flagellari iussus est. Post hunc venit alius, & idem faciens, dixit quod multas naues in mari submerserat, ducentos homines occiderat, in spaciõ 20. dierum: & similiter iussus est flagellari. Tertius autem veniens, & similiter faciens, dixit quod fuerat in nuptiis, vbi in spacio 10. dierum multa prælia concitauerat, & multos cum ipso sponso occiderat: & similiter iussus est flagellari. Venit quartus postea, qui cum adorasset eum, requisitus de factis suis, Respondit se venire de eremo, vbi per 11. annos monachos tentauerat, & vix tandem tantum fecerat, quod in vnam fornicationem ceciderat, hic præ cæteris honoratur, corona regia ei imponitur, & incathedratur, & ab alijs adoratur, dicentibus omnibus quod maximum quid fecisset.

Exemplum. ITEM simile habetur 3. Dial. 7. de Iudæo qui vidit in templo idolorum dæmonem assistere in modum regis vt supra; & illum dæmonem commendantem & honorãtem, & vt inceptũ perficeret suadentẽ, qui procurauerat multis tẽporibus, quod Andręas Fũdanę ecclesiæ episcopus, sanctimonialẽ quãdã manu ad poste-

riora

triora percuteret, quod audientes dæmones gaudebant & vt perficeret inceptum rogabant.

Exemplum. ITEM in vitis pa. legitur, quod quidam eremita ductus ab Angelo ad locum quendam vbi erat congregatio monachorum, vidit omnes officinas plenas maxima multitudine dæmonum volitantium admodum muscarum, veniens autem ad ciuitatem vbi erat forũ, vidit ibi vnum solum dæmonem satis ociosum, super portam ciuitatis stantem. Eremitæ miranti, & causam istorum quærenti, respondit Angelus: quia in ciuitate omnes voluntatem diaboli faciebant, ideo vnus ibi sufficiebat. In Abbatia vero quia omnes eos turpiter expellebant, & rebelles erant eis; ideo ibi multi erant, *Simile.* & monachos acriter impugnabant. Quando enim aliquis castrum suum tenet pacificè, & possidet ad volũtatem suam, sufficit ibi vnus castellanus, qui castrum custodiat, sed quando rebellat ei, tunc illud obsidet cum exercitus multitudine copiosa, donec subiugauerit eos sibi. Vnde 1. Mach. 1. Ascendit Antiochus cum multitudine graui intrans sanctificationem, scilicet religionis.

Exemplum. IN vitis pa. Abbas Moyses ita improbè tentatus fuit, quod in cella sua stare non poterat præ tentatione carnis, & fugit ab Abbatem Iudorum, qui facta oratione dixit ei, quod ascendens in superiora cellæ respiceret ad occidentem. Quo facto vidit infinitam multitudinem dæmonum furentium & frementium ad prælium, & ignea tela proijcientium contra ipsum, dixit autem ei Abbas Isid. Noli timere, quia plures nobiscũ sunt quam cum illis. Respice ad orientem. Qui respiciẽs vidit infinitam multitudinem Angelorum, & glorioſum cæli exercitum, super lumen solis splẽdentem. Qua visione confortatus, ad cellam suam redijt confortatus.

Diabolus tẽtat improbè assiduè & crudeliter. ITEM diabolus tædiosus est & improbus, ideo tentat improbè & procaciter sicut musca, quia sæpe repulsus sæpe redit; & sicut canis impudens, per vnam partem expulsus, redit per aliam. Tentat ergo frequẽter & assiduè. Greg. *Assidua tentatione tentat, vt saltem tædio vincat.* Psalm. 117. *Circumdederunt me sicut apes*; quæ sunt improbissimæ, & quandoque in hac improbitate diutissimè perseuerant, sicut patet de eremita, quem annis 40. tentauit. *Item* quia diabolus crudelissimus est, cuius crudelitas est insatiabilis ad nocendum, ideo tentat crudeliter: quia secundum Bernar. *Est insatiabilis homicida*, cuius crudelitas apparet, quia bonis inuidet, & eos persequitur quantum potest, tam per se, sicut primos parentes, & Iob; quam per suos, sicut filios Israel per Pharaonem, Philistæos, Nabuch. & alios multos: Innocentes, per Herodem: primitiuam ecclesiam, per Neronem, & alios Tyrannos: Christum, & per seipsũ, & per Iudæos. Hic est draco ille magnus & rufus, qui volebat deuorare masculum mulieris, quàm citò periret. *Item* in hoc apparet eius crudelitas, quia de malo gaudet, & maximè de ruina & damnatione bonorũ; sicut infra patet *de peccato*. *Item* in hoc apparet eius crudelitas, quia de conuersione peccatorum dolet, sicut patet infra *de pœnitentia*. *Item* quia bonos, & omnia bona tentando impedit, sicut orationem, & alia bona, sicut patet infra *de oratione*; sicut etiam infra de beato Francisco, & de beata Clara patebit.

Exempla. ITEM de Francisco legitur, quod sæpe dæmonum pugnas horribiles sustinebat, qui manu ad manum cũ illo durissimè confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. *Item* de beato Martino legitur, quod cum ordinatus, iret ad patriam ad visitandum & conuertendum parentes suos, apparuit ei diabolus dicens, quod aduersaretur ei in omnibus factis suis. Cui respondit. Dominus mihi adiutor non timebo &c. *Itẽ* in vitis pa. legitur in vita beati Antonij, quod vocatus vt videret, raptus vidit dæmonem horribilem & terribilem, habentem caput vsque ad nubes; & quosdam volare ad cælum nitentes, quantum poterat impediebat; quosdam manibus retrahebat, quosdam ad terram manibus collidebat, quosdam autem non poterat, sed

A superuolabat. *Idem* faciebant dæmones nouitio ascendenti per scalam, & sequenti beatum Benedictum; qui vidit in quolibet gradu scalæ duos dæmones alij eum retrahebant, alij eum suffocabant; tamen beati Benedicti adiutorio euasit.

Diabolus omnia bona conatur extinguere. ITEM non solum ex malignitate bonos impedit, sed etiam inquantum potest, omnia bona persequitur, & extinguit. Vnde comparatur eius tentatio Aquiloni, de quo Eccl. 43. *Tempestas Aquilonis congregatio spiritus*, &c. & post. *Exuret desertum, & extinguet viride sicut ignẽ. Hic est ventus vehemens à regione deserti, opprimens omnes liberos*, Iob 2. *Hi sunt Madianitæ & Amalechitæ, qui intrantes terram Israel, nihil ad vitam pertinens ibi relinquunt.* Iud. 6. *Item* ex malitia sua omne semen regium interimunt. Vnde eorum tentatio similis est Athaliæ quæ B omne semen regium interfecit. 3. Reg. 11. *Item* sunt *Simile.* volucres cœli deuorantes semen Dei Matth. 13. *Isti* sũt sicut merguli fluminum sicut dicit beatus Martinus, qui semper insidiantur incautis, incautos capiunt, cautos deuorant, satiarique nesciunt deuoratis. Tentat autem acrius eius dominium fugientes: quia sicut ait Greg. *Illos diabolus tentare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.* Sicut quando aliquis tenet alium in suo carcere compeditum, sufficit ei vnus qui eum custodiat, & sæpe videat; sed cum fugiens euadit, tunc post eum mittit magnam multitudinem dicens. Persequimini, & comprehendite eum. Aug. *Quotidianis discimus experimentis, illos qui conuerti deliberant, acrius tentari à concupiscentia carnis, & eos grauius in operibus luti, lateris, & palearum premi, qui Ægyptum egredi, & Pharaonem* fugere C volunt. Ideo Eccl. 2. *Fili accedens ad seruitutem, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem* Iob 40. *Constringit caudam* &c. ibi Greg. *Dum Behemoth à corde expellitur, acriores tentationum aculeos infligere molitur, vt eius tentationis conflictus, mens ab eo impugnata sentiat, quos prius possessa nesciebat.* Exemplum infra de beato Benedicto. Item exemplum de beato Francisco, quem in conuersionis suæ principio, pater retrahere nitebatur. Item exemplum de beata Clara cuius parentes in multitudine congregati, violenter ad se retrahere, & ad domum patris reducere conabantur.

De quadruplici genere tentationis.

D CVM autem mille sit artifex diabolus, vt dictum est; & omnes artes suas exerceat in tentando, tamen omnes modi tentationum eius reducũtur ad quatuor; qui notantur in Psalmo 90. *Non timebis à timore nocturno* &c. ibi Glo. quod est quędam tentatio leuis & occulta, quæ notatur cum dicitur: *A timore nocturno,* alia leuis & aperta, quæ notatur cum dicitur: *A sagitta volante in die.* Quædam grauis & occulta, quæ notatur cum dicitur: *A negocio perambulante in tenebris.* Alia grauis & manifesta, quę notatur cum dicitur: *Ab incursu & dæmonio meridiano.*

Quatuor sũt genera tentationum.

Leuis & aperta. LEVIS & aperta dicitur, quando diabolus in aliquas visibiles similitudines se transfigurans, hominum, scilicet vel animalium, viros sanctos prouocat ad aliquas leuitates. Sicut in vita beati Dominici legitur, quod oranti diabolus in specie fratris apparens, prouocabat eum ad silentij fractionem, quem vir sanctus diabolum esse cognoscens, adiurauit eum vt diceret de quo fratres tentabat in choro. Qui respondit. Facio eos tardè venire, indeuotè psallere, & cito exire. Interrogatus de quo tentaret eos in dormitorio, dixit. Facio eos nimis dormire, tardè surgere, & de diuino officio remanere, & interdum immundas cogitationes habere. Ductus ad refectorium, saliens super mensas, *plus & minus* sæpius repetendo dicebat; quia scilicet quosdam faciebat nimis comedere vt delinquerent, alios nimis abstinere, vt in Dei seruitio debiles essent. Ductus ad loquutorium, linguam crebro reuoluens, & confusionis mirabilis sonum promens, ait. Hic locus totus meus est; cum enim fratres ad loquendum conueniũt, ipsos tentare studeo vt confusè loquantur, & multis se verbis inutilibus immisceant, & vnus alium non

Exemplum.

E

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

expectet. Demique ductus ad capitulum, ſtans ante oſtium dixit. Hunc locum nunquam ingrediar, quia locus maledictionis & infernus mihi eſt: quia quicquid poſſum in locis alijs acquirere, hic amitto. Sæpe diabolus tentat homines de leuibus, vt ad grauiora perueniant, vt de verbis ocioſis, ex quibus frequenter ad noxia prolabuntur. Greg. 7. mor. c. 1. *Dum ocioſa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus, vt prius aliena loqui liceat, & poſtmodum detractionibus, eorum vitam de quibus loquimur lingua mordeat, quandoque autem vſque ad aſperas contumelias erumpat.* Hinc ſeminantur ſtimuli, oriuntur rixæ, accẽduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Sæpe etiam ex iocoſis actibus modica occaſione ſuborta, perueniunt homines ad verba contumelioſa, & à verbis ad verbera, nonnunquam etiam ad gladios, & ad mortem, quia *à modica ſcintilla augetur ignis.* Eccl. 10.

2. Leuis & occulta.

ITEM eſt tentatio leuis & occulta. Exod. 10. *Ventus vrens leuauit locuſtam, & proiecit in mare.* Dæmones comparantur vento propter velocitatem, ſed ventus vrens, quia gratiam deuotionis exſiccant. Tunc autem ventus vrens leuat locuſtas, quando dæmones de loco ad locum leuiter diſcurrentes, ad aliqua leuia verba vel facta excitant leues mentes; ſed ad hoc eleuant vt proijciant in mare, id eſt in amaritudinem infernalem. Aliquando enim dæmones ex velocitate ſua ſubito prænunciant, quæ in remotis partibus facta fuiſſe viderũt; vt in alijs credatur eis, & vt credatur eſſe reuelatio, quod eſt tentatio.

Simile.

DIABOLVS ſimilis eſt cuidam animali monſtruoſo, quod dicitur Manticora, quod faciem habet hominis, ſibilum ſerpentis, corpus leonis, caudam ſcorpionis, velocitatem auis volantis. Tres ordines dentium habet; carnes humanas appetit ad edendum. Caput habet hominis, & ſibilum ſerpentis, quia primo tentat rationabiliter & ſubtiliter de tribus, ſcilicet de concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Iſti ſunt tres ordines dentium. Corpus habet leonis, quia detinet fortiter. Caudam ſcorpionis, quia in fine pungit nequiter. Volatum auis, quia diſcurrit velociter. Hominum carnes appetit, vt carnales voret atrociter. Tentat ergo diabolus leuiter & occultè, quando inuiſibiliter tentat de leuioribus, vt ad grauiora perducat.

Exemplum.

IN vitis patrum legitur, quod cum quidam fratres veniſſent ad beatum Antonium, vt ab eo quæreretur de quibuſdam reuelationibus ſibi factis, prędixit eis quædam quæ fecerant & acciderant eis in via. Mirantibus autem illis, & quęrentibus quomodo hoc ſciuerat. Reſpondit quod hoc reuelauerant ei dæmones, qui hoc viderant velociter decurrentes, & quod hæc quæ ipſi credebant eſſe diuinas reuelationes, erant dæmonum deceptiones, qui ex hoc humiliati & ędificati, à Beato Antonio receſſerunt.

ITEM eſt tentatio grauis; & iſta ex duplex, occulta videlicet, & patens. Nam diabolus crudelitatem ſuam exercere volens in nobis, grauiter tentat, vt dictum eſt. Sed quia, ſecundum Auguſt. ipſe leo & draco eſt, leo apertè iraſcitur, draco occultè inſidiatur; ideo tentat patenter vt leo. 1. Pet. 5. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Et Pſalmus 21. in perſona Chriſti loquentis de Iudęis, qui inſtigati à diabolo Chriſtum perſequebantur ad mortem, ait. *Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. Tentatio* ergo grauis & patens eſt quando diabolus apertè tentat, quod fit multipliciter. *Vno modo*, res corporales & viſibiles & appetibiles oculis offerendo. *Secundo modo* ſeipſum in corporearum rerum ſimilitudines transformando. *Tertio* perſonas Chriſti, Angelorum, vel Sanctorum, mendaciter repreſentando. *Quarto modo* perſecutiones & pugnas ſenſibiles, per ſe vel per ſuos, atrociter inferendo.

3. Grauis & patens, quæ fit multipliciter.

Primo res ſenſuales oculis exhibendo.

PRIMA ergo tentatio ſenſualis eſt quando diabolus oſtendit oculis corporalibus res viſibiles, quæ poſſunt animum videntis allicere ad ſui concupiſcentiam. Sicut L. fecit B. Franciſco, oſtendens ei in via burſam magnam, quaſi pecunia multa plenam: quam cum ſocius eius ſuaderet accipi, & inde eleemoſynas multas fieri, ſanctus prohibuit, ſentiens machinamentum diaboli: ſed cum ſocius non quieſceret, falſa pietate deluſus, permiſit Sanctus, vt videret ſocius manifeſtè diaboli falſitatem: Leuante autem fratre exiuit inde ſerpens, & poſtmodum citò diſparuit. *Simile* fecit B. Antonio, ſicut legitur in vita eius; cum fugeret ſæculum & iret ad eremum, in via eremi inuenit diſcum argenteum, quem cum recuſaret accipere, dicens eſſe inſidias diaboli, vt fumus euanuit. Poſtea apparuit ei in ipſa via, maſſa veri auri, quod velut incendium fugit. Similiter cum obijcit alijs ſenſibus ſibi delectabilia, ſenſualis poteſt dici illa tentatio, vt quando ſonora auditui, odores olfactui, ſapores guſtui, ſuauia tactui. Per portas vrbis attentant capere ciuitatem, vt Abimelech, de quo Iud. 9. dicitur. *Appropinquans portæ vrbis ignem apponere nitebatur*, id eſt rerum concupiſcentiam. *Item* ſimilis eſt diabolus obſidenti ciuitatem, qui cernit quomodo inueniat in muro debilius. *Item* Lupo vel Leoni qui circuit ouile, ſi inueniat aliquam aperturam aut foramen, per quod intret & deuoret. 1. Petr. 5. *Vigilate quia aduerſarius veſter &c.* vbi diſtinguit Glo. 8. genera tentationum dicens. *Circuit tanquam hoſtis obſidens muros clauſos, explorat an ſit aliqua pars murorum minus ſtabilis, cuius aditu ad interiora penetret. Offert oculis formas illicitas & faciles ad voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canora tentat vt molliat Chriſtianum vigorem: linguam conuitio prouocat; manum iniurijs laceſſentibus ad cædem inſtigat: honores terrenos promittit, vt cœleſtes adimat, & cum latenter non poteſt fallere, adit apertos terrores; in pace ſubdolus, in perſecutione violentus, contra quem animus debet eſſe paratus ad impugnandum.*

Simile.

Exemplum.

Secundo ſe transformãdo.

SECVNDO modo impugnat ſenſus, ſe transfigurando in diuerſas rerum ſimilitudines extra, vt eos quos ludificat, ſub ſpecie mulierum decipiat: vt cum transfigurat ſe in ſpeciem mulierum, quæ dicuntur vulgariter fazetæ vel ſtriges, vel quæ de nocte conueniunt, & choreas ducunt, vel quando apparet per adiurationes nigromanticorum in diuerſas rerum ſimilitudines; vel quando ſimplicibus, vt equites haſtiludia agentes, vel vt fauni & ſatyri, vel vt familiaris quæ dicitur gallicè *Herlequin:* per quas transfiguraciones maximè ſimplices decipere in multis locis ſolebant, antequam denudarentur per prædicationis frequentiam.

Tertio ſenſus ludificando.

TERTIO modo ludificat ſenſus, & tentat, transfigurando ſe in ſimilitudinem Chriſti, & Apoſtolorum, & Angelorum, & aliorum Sanctorum, vt ſic mentiendo illos incautos ſeducat. 2. Corinth. 11. *Angelus ſathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis.* In vita Beati Martini legitur, quod diabolus apparuit ei indutus purpura, & corona aurea coronatus, dicens ei quod eſſet Chriſtus, qui ad terras deſcendens, primo voluit ei apparere, & adorari ab eo. Qui reſpondit quod Dominus Ieſus Chriſtus non promiſerat ſe venturum in habitu regio & purpura, & quod non reciperet Chriſtum niſi in ea forma in qua paſſus fuerat & prędicantem ſuæ ſtigmata paſſionis. Quo audito, diabolus confuſus abſceſſit. Item in vitis patrum cum appareret in magna claritate in habitu regio cuidam patrum, dicens quod ad hoc venerat ipſe cum eſſet Chriſtus, vt eum adoraret, & de hoc lucrum maximum reportaret. Reſpondit Sanctus. Chriſtum meum quotidie adoro, ſicut ipſe ſcit, tu autem quis es? quod audiens ipſe euanuit, fæda relinquens veſtigia. Item cum alteri patrum ſimiliter & in forma ſimili appareret, & ſimilia diceret, ille clauſit oculos dicens: Fuge, Chriſtum nolo hic videre, ſufficit mihi ſi eum videre poſſum in cœlo; & ſimiliter fugit. Ad hoc facit quod habetur infra de oratione, de Pachomio.

Exemplum.

Diabolus ſe aliquando transfigurat in ſimilitudine Chriſti & Sanctorũ.

Exemplum. ITEM in quadam ciuitate fuit quędam mulier ſic ſeducta. Incepit ipſa aliquando apud ſe cogitare quod eſſet munda mulier, & talis quæ eſſet digna quod Dominus aliquas ſibi daret viſibiles conſolationes, & cum aliquando eſſet ſola in camera ſua de hoc cogitans, viſus eſt ei fulgor maximus in cameram ſuam intrare, & cum eo quidam Rex pulcherrimus, conſtipatus multitudine 12. vel religioſorum plurimorum hominum, dicens ipſi horrenti, quod non timeret, quia ipſe erat Ieſus Chriſtus, cum diſcipulis ſuis veniens ad conſolandum ipſam, cui cum multa blanda dixiſſet, & multa ei promiſiſſet ſi in eius amore perſeueraret, & ipſa hoc ei ſe facturam promitteret, receſſit, promittens quod eam ſæpe viſitaret. Similiter in ſequenti nocte venit ad eam ſolus, ſollicitans eam ad amplexus & fædam commixtionem. Qua conſentiente, fecit eam iurare quod non reuelaret alicui familiaritatem quam oſtendebat ei, plurima promittens. Tertia nocte venit in minus ſpecioſa forma & habitu, poſt in forma militis, poſt clerici, poſt ruſtici, poſt monachi, poſt goliardi. Cum autem videns ſe deceptam fuiſſe, ad confeſſionem iuiſſet, veniens ad eam ſequenti nocte, ferè inſanire videbatur, comminans ei: ſed non poterat eam opprimere, vel extinguere vt volebat. Quotieſcumque autem peccabat venialiter vel grauius, magis ad eam accedebat, & magis eam terrebat; quando autem confeſſa erat, & communionem recipiebat (quod erat ei ſingulare remedium & conſolatio) tunc diabolus à longe ſtabat, nec accedere poterat, nec turbare, vſquequò in aliquo exceſſiſſet. *Item* in vitis patrum legitur, quod beato Or apparuerunt dæmones ſub ſpecie cœleſtis militiæ, quaſi de cœlo deſcendentes in curribus igneis, quendam adducentes cum magna pompa, eum dicentes eſſe Chriſtum Regem. Qui ait. Poſtquam omnia perfeciſti, vnum reſtat tibi faciendum, vt adores me, & tollam te ſicut Helyam in curru igneo, te eleuans ad cœlum. Qui reſpondit. Habeo Regem meum, quem quotidie adoro, tu non es ille. Quo dicto tota illa multitudo diſparuit.

Exemplum. ITEM quidam nouitius in religione multum erat ſollicitus de ſalute ſua, de nocte autem cum alij dormirent vigilans, deuotè rogauit Deum & Beatam Virginem quod reuelaret ei de matre ſua defuncta, in quo ſtatu eſſet; credens quod dignus eſſet quod fieret ei reuelatio, pro eo quod alijs in lecto ſuo dormientibus, hora dormitionis vigilaret. Cum autem ſic vigilaſſet ferè vſque ad matutinas, apparuit ei diabolus ſub ſpecie beatæ Virginis, quaſi oſtendens matrem ſuam ſub pallio ſuo, dicens eam eius precibus liberatam. Item cum ſecunda nocte ſimiliter vſque ad dictam horam vigilaſſet, apparuit ei in minus decenti ſimilitudine, & ad vltimum fæda relinquens veſtigia, eum ad turpia prouocabat: & ad tantam ex hoc deuenit vigilantiam & capitis debilitatem, quod niſi fuiſſet ei diſcretorum conſilio ſubuentum, grauiter periclitari potuiſſet in anima & corpore.

ITEM transfigurat ſe in ſpeciem ſanctorum Apoſtolorum aliquando, ſicut habetur in miraculis beatæ Virginis; & de iuuene, quem diabolus decepit ſub

Exemplum. ſpecie beati Iacobi. Item ſub ſpecie Angelorum, ſicut in paſſione S. Iulianæ legitur, quod cum ipſa poſt multa flagella eſſet in carcere catena maxima ligata, apparuit ei diabolus in ſpecie Angeli, monens eam ad conſenſum præfecti ne periret, multas ſuaſiones ei faciens, & dicens, quod erat Angelus ſibi ad hoc à Domino deſtinatus. Cum autem illa turbata gemeret, facta eſt ſecreta vox ad eam, dicens eum eſſe diabolum, & quod eum caperet & flagellaret, donec ei diceret quis eſſet. Qui ab ea adeo eſt cum catena flagellatus, & pedibus depreſſus, vſque dum diceret ei veritatem. Sic tandem dixit quod eſſet princeps dęmonum, qui eos mittebat ad ſubuerſionem Chriſtianorum, à quibus cum victi eſſent, flagellabat eos. Dixit etiam ei, quos, & quantos triumphos, & à quibus, & quantis perſonis habuerat, ipſa autem ligans eum catena manibus retro dorſum, eduxit eum in mane ſecum, cum euocaretur ad certamen, vſque ad forum, vbi cum eam argueret de maxima crudelitate, dicens Chriſtianos debere eſſe miſericordes, ipſa in maximam lacunam eum proiecit.

Exemplum. ITEM in vitis patrum legitur, quod dæmones multis annis ſeduxerunt quendam fratrem in ſimilitudine Angelorum, multa ei ſecreta reuelantes. Ad vltimum cum pater ſuus veniret ad viſitandum eum, ſecum ferens bipennem ad ſcindendum ligna, quæ rediens deferret ſecum; præuenit eum dæmon dicens, quod diabolus debebat venire ad eum, transfiguratus in ſimilitudinem patris ſui, ferens bipennem, vt eum impugnaret, & occideret. Conſuluit ergo ei vt eum præueniret cum alia bipenne, & hoc de eo faceret, quod de ipſo diabolus facere cogitabat, quod cum ipſe feciſſet, patre occiſo, diabolus qui factum ei conſuluerat tam enorme, ſuffocauit eum.

ITEM ſub ſpecie Epiſcopi & ſacerdotis, ſupra de purgatorio *de milite tentato*. Item infra de oratione quomodo tentauit in ſpecie ſacerdotis deferentis Euchariſtiam. Item in ſpecie iuuenis, ſupra de eo qui ſecutus eſt Aquilam. Item in forma Moyſi, ſicut legi- *Exemplum.* tur in fine tripartitæ hiſtoriæ, quod quidam dicens ſe Moyſen miſſum ad liberationem Iudæorum, infinitos ſeduxit Iudæos, congregans eos de diuerſis locis, faciens aliqua ſigna eis apparentia, & duxit eos ſupra cacumen præruptæ rupis, promittens eis quod ſicut traduxerat eos per mare rubrum, ita duceret eos per magnum mare ad terram promiſſionis. Qui cum credidiſſent ei & vendidiſſent omnes poſſeſſiones ſuas, & veniſſent ad terram, vbi dictum eſt, cum vxoribus & filijs ſuis; iuſſit eis, vt permitterent ſe & ſua labi in mare per decliuum rupis: quod cum feciſſent, alij à rupibus, alij à fluctibus necati ſunt. Quidam autem negociatores ſuperuenientes, & eos necatos inuenientes, aſcenderunt ad eos qui nondum collapſi fuerant, nunciantes eis necem aliorum. Illi autem requirentes actorem ſceleris, non potuerunt eum occidere, quia ſubito euanuit. Vnde multi eorum videntes ſe à Diabolo deceptos, baptizati ſunt.

Quarto per ſequendo per ſe & ſuos. QVARTO diabolus quando non poteſt alliciendo, blandiendo, promittendo, mentiendo ſeducere, tunc per flagella, verbera, perſecutiones, ſeditiones apertas, tam per ſe quam per ſuos, perturbare conatur. Per ſe quidem, ſicut apparet de Iob. Per ſuos vero, ſicut in principio naſcentis eccleſiæ fecit per eos qui martyres occiderunt. Adhuc etiam ſæpe mouet contentiones & lites inter homines, ſeditiones in vrbibus, guerras inter regna, tempeſtates in mari, & ſubmerſiones hominũ; vt quos non poteſt occultè tentando vincere, poſſit frangere flagellando.

Exemplum. IN vita Beati Franciſci legitur, quod cum veniſſet Arenum ciuitatem, & ſeditione inter ciues exorta, propinquum immineret excidium ciuitatis, vidit Sanctus dæmones exultantes, ciues illos contra ſe inuicem ſuccendentes. Cum autem vir ſanctus mandaſſet per ſocium, quod ex parte omnipotentis Dei dæmones omnes recederent, ſubito miro modo ciues omnes vnanimiter in pacem conſenſerunt. Quomodo autem ipſum ſanctum dæmones afflixerunt, vt ipſum ab orationis ſtudio perturbarent, dictum eſt ſupra.

Exemplum. IDEM patet de beato Antonio, qui cum in conuerſionis ſuę principio, in quodam ſepulchro intruſiſſet ſe, ibi ſolitariam vitam agens, dæmones eum multipliciter tentauerunt, apparentes ei ſub diuerſorum animalium ſpeciebus. Ad vltimum non valentes eum deuincere, duriſſimè flagellauerunt eum, adeo vt à fratre qui miniſtrabat ei, ad congregationem fratrum quaſi mortuus portaretur. Cum autem fratres ad celebrandas eius exequias conueniſſent, aperiens oculos & videns vbi erat, rogauit vt ad locum priorem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

denuo deferretur. vbi cum nec aliis tentationibus posset à dæmonibus superari, verterunt se in deformes similitudines, flagellantes eum vsque ad mortẽ, & cum sic esset immobilis, victi fugerunt. Cui Christus apparens cum maximo lumine, & vires eius reparans, confortauit eum. Cui dixit Antonius: Vbi eras, ô bone IESV, cum me sic dæmones flagellarent? Respondit IESVS ei: Tecum eram, de tuo certamine, & de victoria tua, & dæmonum confusione gaudens.

4. *Grauis & occulta, quæ etiã fit multipliciter.*

ITEM est tentatio grauis & latens vel occulta, quando scilicet dæmon ex crudelitate sua tentat grauiter, sed ex astutia sua, virus iniquitatis suæ, & deceptionum laqueos, mira subtilitate occultat, vt seducat. Psal. 141. *In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi.* Item 9. *Insidiatur in occulto quasi leo in spelunca sua.* hoc autem fit multipliciter. Primò in vi imaginatiua, diuersas species rerum vel imagines præsentando. Secundò in memoria. Tertiò in intellectu sine operatione rationis. Quartò quando fit cum negociatione rationis. *Primo* itaque modo diabolus operatur in imaginatiua, imprimens in ea diuersas rerum imagines, in quas ipse diabolus se transformat, sicut in speculo imprimuntur imagines rerum extra. Vnde Augustinus in libro de diuinationibus dæmonum. *Dæmones* inquit *terrenorum amatoribus malefacta suadent mitis & inuisibilibus modis, per subtilitatem suam hominum corpora non sentientia penetrando, & se cogitationibus eorum per quædam imaginaria immiscendo, siue vigilantium, siue dormientium.*

1. *Diuersas rerum species in imaginatiua imprimendo, & hoc tripliciter.*

LVDIFICAT autem homines tripliciter secundum vim imaginatiuam vel fantasticam. *Primo* vt videantur hominibus res exteriores in aliarum rerum species transmutari, vel ipsi homines videantur sibiipsis in aliam rerum speciem transmutati. Sicut quidam incantatores artificio dęmonum faciunt, & nigromantici per adiurationes dæmonum. Vnde dicitur quod quidam incantator sic adiurabat dæmones, quod ipsi imprimebant in fantasia hominum, quoð videbatur eis quod vnus gallus qui filo trahebat festucam, traheret maximam trabẽ cũ magnis funibus. & cum incantator modicam ligaturam fæni diuideret per plures particulas, videbatur aspicientibus quod diuideret equum suum per frusta: & cum eis mitteret dicta frusta per hospitia, eis receptis, postea recedente illusione nihil inueniebant, nisi modicas ligaturas fæni. Ludificat autem sic homines, in fantasia eorum imprimens imaginem auis vel alterius animalis, vt homo sibi esse videatur illud animal quod impressit. Sicut patet infra de Cypriano *de confessione*, quomodo mutabat se & alios in diuersas species. Et sicut patet in passione eius & Iustinæ virginis, nec tamen oculi virginis ludificari poterant, vel eius imaginatio, vel ei alius quam esset apparere. *Item* in vitispatrum legitur de Machario Ægyptio, quod cum quidam homo adamaret vxorem alterius, nec posset eam ad illicitum coitum flectere, fecit per maleficos vt mutata videretur in equam, quam vir suus capistro ligatam adduxit ad Macharium; qui adductores & discipulos suos arguit de hoc, quod diabolus eorum oculos ludificauerat, quia in muliere nullam videbat immutationem. Vngens autem eorum oculos oleo benedicto, viderunt mulierem in priori & naturali effigie quam habebat. Idem ferè refert beatus August. in libro de Ciuit. Dei & de doctr. Christiana.

SECVNDO modo tentat ludificando, se in diuersas rerum species transmutando, & imaginationi se interius præsentando. Vnde in ipsa tanquam in speculo resultant quasi diuersæ species, in quibus se transformat, & diuersi gestus, siue in oratione, aut alibi, habentibus etiam oculos clausos. Sicut dicetur infra *de oratione*, quomodo beato Machario demonstrati sunt homines diuersimode ludificantes orantes; & quod extra præsentabant, intra in corde resultabat.

TERTIO modo ludificat & tentat in fantasia per imagines somniorum, per diuersas visiones, aut mulierum, aut aliorum per quæ illud in somno videant dormientes. Sicut fecit forsitan ille spiritus, qui missus est ad decipiendum Achab 3. Reg. 22. qui dixit: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.*

Exempla. IN vitispatrum legitur, quod cum quidam fratres indiscretè abstinentes viderent visiones, venerunt ad Abbatem Antonium vt quærerent de visionibus suis, quorum asinus mortuus est in via, qui præueniens eos dixit eis de morte asini sui, & cùm quærerent quomodo hoc sciret; dixit, quod diabolus hoc ei reuelauerat per somnium, dicens quod eorum visiones erant non Dei reuelationes, sed dæmonum illusiones. *Item* in vitispatrum legitur, quod dæmones quendam fratrem sic illudebant, quod quandocunque fratres debebant communionem corporis & sanguinis Domini recipere, apparebant ei dæmones somniando, in specie mulierum, illudentes & polluentes eum. Cum autẽ consulerent Patres quid sibi super hoc esset faciendum; inquirentes de statu eius, & inuenientes quod hoc non accideret ex cibi & potus superfluitate, ex diaboli illusione iudicauerunt hoc fieri. Et cum consuluissent ei, quod nec propter hanc causam communicare dimitteret, diabolus ei postea non illusit; ex hoc manifestans, quod hoc faciebat vt eum ab huiusmodi bono impediret.

Exemplum. ITEM legitur in vita beatæ Mariæ de Ognies, quod dęmon meridianus, cuidam amico suo de nocte apparebat, in lucis Angelum se transformans, de quibusdã vitiis eum reprehendens, & quædam bona suadens primò, & multa vera prędicens; postea vero stringens cuidam Behemoth, ad miserabilem conclusionem fratrem illum adduxisset, nisi ancillæ Christi fuisset hoc reuelatum. Cum ipsa diceret hoc esse diaboli illusionem, ille contra dicebat esse Spiritussancti reuelationem, quæ tot bona ei suaserat. Cum autẽ illa se transtulisset ad solitam orationem; cum oraret de nocte in cella sua, astitit ei diabolus falso lumine obumbratus. Cui cum diceret imperterrita. Quis es tu, aut quo nomine vocaris? ille intuens eam toruo vultu, ait: Ego sum ille quem tuis precibus ad te venire feciſti, cui amicum meum abstuliſti, qui somnium vocor. Ego enim sum qui maxime religiosis in somnis appareo, multa eis reuelo, vt lucifer appareo, multas falsas consolationes adhibeo, vt mihi credant & obediant, & in elationem incidant, quasi digni præ aliis diuinis consolationibus, & reuelationibus, & Angelicis collocutionibus. Illum autem amicum meum, ab omni bono proposito deuiassem, & de eo voluntatem meam feciſſem, nisi tu eum mihi abstuliſſes.

2. *Ad memoriam reducendo quæ possunt ad peccatũ excitare.*

SECVNDVS gradus tentationis est in memoria, quando diabolus procurat quod in memoria veniant præteritæ delectationes, vel per imaginatiuam, vel aliter: vel ea quæ homo audiuit vel vidit pręterito tempore; quæ possunt hominem mouere ad aliquod peccatũ operis vel delectationis. sicut facit somniare esurientem quod comedat, vt expergefactus magis esuriat, & vigilans quod appetit ad mentem reducat, sicut dicitur Isa. 29. Sic tentabat filios Israel Exo. 16. dicentes: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Similiter Num. 11. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq, & cepe, & allia &c.*

Exemplum. REDVCIT autem diabolus ad memoriam res factas, aut mulierum species aliquando visarum. Sicut faciebat beato Benedicto, 2. dial. 2. cap. Cum beatus Benedictus fugisset sæculum, & esset solus in eremo, diabolus tentauit eum sub specie merulæ auis, quę vultui eius importunè insistebat. Quam cum fugasset facto signo crucis, aue recedente subsecuta est maxima carnis tentatio, & improbissima, de quadam muliere quam aliquando in sæculo viderat; ita quod ferè victus, ad sæculum volebat redire. Sed auxilio diuinæ gratiæ ad se rediens, & nudatum se inter vrticas & vepres

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vepres proiiciens, per vulnera carnis curatus est à vulneribus mentis.

Exempla. ITEM in vita B. Hiero. legitur, quod cùm ipse esset in vastissimo eremo adhęrens terræ, & membra eius terræ adhærentia, & præ ieiuniis pallida, & quasi mortua & frigida, & calore solis quasi adusta; sola libidinis tentatio improba, eum quiescere non sinebat. Sed cum ipse esset ibi socius ferarum & scorpionum solus, videbatur ei sæpe, quod ipse esset inter choros psallentium puellarum. *Item* in vitis Patrum de beato Arsenio legitur, quod cum quædam mulier Romana diues & nobilis venisset ad ipsum videndum in desertis Ægypti, & vix potuisset obtinere ab eo Alexandrinus Patriarcha vt eam vellet videre: cum ipsa, arguta ab eo, quod pro videndo ipsum consumpsisset tantum laborem, rogaret in recessu suo vt eius memoriam haberet; rogauit sanctus ea audiente, quod Deus deleret de corde suo in perpetuum eius memoriam. quæ pro hoc verbo quasi desperans, confortata est à Theophilo Alexandrino Episcopo, ei asserente quod hoc dixerat sanctus Arsenius, ne eius memoria esset occasio fęmineæ cognitionis, & carnalis tentationis.

3. Informando intellectū prauis cogitationibus, etiā forte sine actu nostro; suum sc. cōceptum intellectui nostro applicādo. TERTIVS gradus tentationis est, quando intellectus humanus accipit à fantasia similitudines rerum, quas ei diabolus fantasia mediante ministrat, vel fortè quia diabolus per subtilitatem naturæ suæ, intellectum suum plenum formis rerum, applicat humano intellectui, qui est sicut speculum susceptibile omnium formarum quæ applicantur ei. Sicut est de duobus speculis sibi inuicem oppositis, forma quæ est in vno resultat in alio. Sic potest esse in anima, quod formas & species quas vult ei diabolus præsentare, exhibet in intellectu suo. Sic etiam potest esse in anima, quod diabolus volens ei representare species aliquas ad tentandum, intellectum suum applicat quantum potest humano intellectui, tanquam speculum speculo, vt in ipso resultent ita subtiliter, vt videatur homini quod sint cogitationes suæ. Cassianus in lib. collationum. *Non est mirum spiritum insensibiliter coniugari animæ ad suadendum quæ sunt placita ei. Est enim inter eos sicut inter homines quædam similitudo substantiæ & cognatio. Nunquam autem sibi simul vniri, ita vt alter alterius sit capax, possibile est: hoc enim soli Deo conuenit.* Hanc autem applicationem sui cum anima, forte facit diabolus, quando tentat de rebus purè spiritualibus, quæ non apprehenduntur imaginatione corporali, vtpote de fide, & spe.

Tentatio intellectualis duplex, sci. cum ratiocinatione, & sine illa. HÆC autem tentatio contingere potest duobus modis. *Vno modo* quando tentat ipse diabolus sine operatione rationis hominis. *Alio modo* cum quadam ratiocinatione & argumentatione. *Primo modo* tentat simplices, quando scilicet diabolus applicans se humano intellectui, cum quadam obscuritate vmbrosa, obscurat eum & obnubilat, vt in maximam tristitiam veniat, vel accediam, vel nimium timorem, vel obliuionem eorum quæ sciuit, vel quæ scire debet; sicut fit in energumenis qui mente patiuntur. Vnde Cassi. vbi supra. *Energumeni quidam sic à dæmonibus vexantur, vt ea quæ gerunt & loquuntur, nequaquam intelligant; quidam vero norunt, & postea recordantur. Item* quorundam intellectum sic obnubilat, vt faciat eos hæsitare in fide, & in his quæ ad fidem pertinent. Alios inducit in tantam amaritudinem tristitiæ vel mæroris, vt nullam consolationem recipiant. sicut fit quandoque contra melancholicos & infirmos, quibus aliquando videtur quod omnes cōspirauerunt in mortem ipsorum, etiam illi, qui salutem & pacem eorum in toto posse procurant. *Item* alij sic inuoluuntur in omnibus factis & dictis, vt semper timeant se peccare mortaliter, & vix volunt vel possunt credere, vel fidem adhibere consiliis meliorum. Alij sic se Deo reputant in omnibus displicere, quod in nullo meritum habere se credunt, vel nunquam posse salutem acquirere. Alios in desperationem inducit & ex desperatione semetipsos interimunt, submergunt, suffocant, vel suspendunt. Sicut patet de Cayn & Iuda, & Achitophel.

Exemplum. QVOMODO autem diabolus etiam viros sanctos nititur in desperationem inducere, patet per hoc quod in vita beati Antonij legitur. Vbi dicitur quod cum oraret vidit se raptum & per aëra deduci ab Angelis, & vidit infinitos dæmones ei occurrere & peccata adolescentiæ replicare & augmentare, & eum de his accusare. & cum econtrà Angeli dicerent, ea per Dei misericordiam sunt sopita, sed si quid haberent ex quo factus fuerat monachus, illud obiicerent; ipsi multa falsa imponebant. sed cum Angeli librum conscientiæ vel consensus eius euoluerent, & de his quæ obijciebant nihil inuenirent, confusi & obmutescentes dæmones, recesserunt: ipse autem Antonius inuenit se vt prius erat.

Exemplum. ITEM in vita B. Bernardi legitur, cum ipse graui infirmitate laboraret, vidit se raptum ante summum Iudicem. cui cum præsentaretur, affuit Sathan multis accusationibus eum improbissimè pulsans. Cum autem omnia quæcunque habebat Sathanas contra sanctum, dixisset; nihil perterritus respondit Bern. *Fateor non sum dignus, nec propriis meritis possum obtinere regnum cælorum; sed duplici iure obtinet illud Dominus meus Iesus Christus, hæreditate Patris, & merito passionis; altero sibi contentus est, & alterum mihi donat.* Item: *quicquid agant merita mihi, misericordia Domini super vitas.* Hoc autem audiens Sathanas, confusus recessit. *Item* in vita B. Martini, cum Angeli ducerent animam sancti in paradisum, occurrerunt infiniti dæmones eum accusantes, & eum detinere volentes; sed cum nihil suum inuenirent in eo, confusi recesserunt.

Exemplum. ITEM alios contra charitatem inducunt, alios in amaritudinem odij, inuidiæ, vel rancoris. Sicut Iudæos dicentes de Domino. *Grauissimus est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis, vita illius.* Exemplum ad hoc quod aliqui de fide contra fidem tentantur. Vir quidam literatus & bonus religionem ingressus, in nouiciatu suo sic fuit tentationis laqueis inuolutus, vt cogitaret vtrum mundus esset aliquid nisi somnium, vtrum ipse animam haberet, vtrum etiam Deus esset. de his dolebat ad mortem, & per hoc ferè in desperationem cadebat, vel ad sui occisionem videbatur induci; nisi saniori consilio credidisset, dicenti sibi, quod ex quo illa cogitatio, quæ est diaboli tentatio, displicebat sibi, potius erat martyrium quàm culpa. quoniam, sicut ait Grego. *Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.*

Exemplum. ITEM mulier quædam nobilis ad hæreticæ prauitatis inquisitorem accedens, petiuit vt combureretur tanquam hæretica pessima, deterior omnibus illis qui pro infidelitate vel hæresi cremabantur; cum lachrymis multis asserens, quod & de articulis fidei, & de sacramentis, pessima cogitabat. Inquisita, si hęc ei placebant, vel si acquiescebat talibus. Respondit quod potius vellet esse mortua, & bene volebat comburi, vt ab istis posset penitus liberari. Cum autem diceretur ei quod ista contemneret, & cor suum transferret ad alia cogitanda, consolationem recipiens, plenè fuit ab omnibus liberata.

Multis modis fit tentatio sine ratiocinatione. *Tentat diabolus ratiocinādo multipliciter.* ITEM quandoque fit hæc tentatio in memoria cum argumentatione, vel ratiocinatione; puta quia diabolus probat per aliqua verba scripturæ, quę prima fronte videntur fidei repugnare, vel per aliquas naturales & philosophicas rationes, impossibile esse sic vt fides tenet, circa articulos fidei, & Ecclesię sacramenta: vel quando in anima est strepitus malarum cogitationum, ratione per diaboli procurationem alicui occupata, vel non corrigente, vel negligente reprimere, seu repellere differente. Hiere. 4. *Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Item quando probat aliquibus verisimilibus rationibus, vel auctoritatibus, aliquid in quod debeat intellectus faciliter assentire: sicut Domino quem rationabilem iudicabat, quicquid ei suggerebat, auctoritatibus confirmabat. Matthæi 4. & Lucæ 4.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exempla. SICVT etiam legitur in passione Cypriani & Iustinæ, quomodo diabolus in specie virginis apparens beatæ Iustinæ, probabat auctoritatibus noui & veteris testamenti, matrimonium melius esse virginitate. *Item* in historia Iosaphat & Barlaam dicitur, quod cum rex Auenyr non posset Iosaphat filium suum à Christianitatis proposito reuocare, consilio Theodę magi, seruientibus qui ei ministrabant expulsis, posuit cum eo puellas speciosissimas, quę cor eius emollirent, & ad amorem suum ipsum allicerent. Theodas etiam adiurans, dæmones misit, qui eum interius inflammarent, & mulieres exterius. Inter quas vna nobilior cæteris & speciosior, filia Regis, suadendo ei promittebat quod fieret Christiana si consentiret ei matrimonialiter copulari; & diabolo linguam eius mouente, probabat auctoritatibus noui & veteris testamenti, optimum esse matrimonium, dicens verba Apostoli. *Honorabile connubium* &c. Cui tamen Iosaphat non assensit.

De occasione tentandi.

DISTINCTIO VII.

Varia sunt occasiones tentationum. QVIA nosipsi sæpe dæmonibus occasionem damus nosmetipsos tentandi, ideo expedit ostendere quibus modis, vt nobis diligentius caueamus.

1. Ociositas. PRIMVM est ociositas. Quem enim non inuenit diabolus occupatum in opere diuino, libenter occupat in suo. Ideo Hiero. *Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Gregor. *Cum ociosam animam calidus tentator inuenit, ad eam quasi occasionibus allocuturus aduenit.* Poëta: *Res age tutus eris.* Idem. *Ocia si tollas periere cupidinis artes.* Matth. 12. *Intrat spiritus immundus domum vacantem.* In vitis Patrum cuidam seni data fuit gratia, vt videret quæ fiebant, qui vidit dæmonem ad ostium cellæ cuiusdam fratris venientem, & quamdiu frater erat occupatus in meditationibus, non poterat intrare, sed stabat ad ostium expectans. Cum autem frater ille cessabat à meditationibus, dæmon intrabat.

Exemplum.

2. Amor vanæ gloriæ. SECVNDO dat occasionem tentandi, amor vanæ gloriæ, vel laudis humanæ; sicut habetur exemplum 2. Paralipp. 32. de Ezechia, qui gloriabatur de portento solis; præcipiens autem nunciis regis Babylonis, ad ostentationem ostendit eis omnia bona sua. Vnde ibi dicitur: *Dereliquit eum Dominus vt tentaretur, & non fierent omnia quæ erant in corde suo.* Eccl. 28. *Ne collaudes virum, hoc enim est tentatio hominum.*

3. Præsumptio. TERTIO præsumptio eorum qui sunt in coniugio, qui præsumunt posse continere per se, cum non possint nisi Deus dederit. 2. Corin. 7. *Reuertimini in idipsum, ne vos tentet sathanas* &c. Vel præsumptio est causa tentandi & cadendi, sicut infra de oratione patebit *de monacho arrepto.*

4. Somnolentia & pigritia. QVARTO occasionem tentandi dat somnolentia & pigritia. Vnde multotiens excitabat Dominus Apostolos, & incitabat ad orationum vigilantiam & instantiam, imminente tentatione. Matth. 26. & Marci 13. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.*

5. Nimia securitas. QVINTO nimia securitas. Ezech. 38. dicit diabolus. *Venient ad securos & quiescentes.* Iudith 8. *Intrabimus ad securos.* Hiero. *Tunc maximè oppugnaris cum te impugnari nescis.*

6. Nimia dilectio terrenorum. SEXTO nimia implicatio, & dilectio terrenorum. Serpens vtique supra pectus suum graditur (qui solebat ire erectus) quærens deuorare eos qui adhęrent terræ. Isa. 65. *Serpenti puluis panis eius.*

7. Curiositas sensuum. SEPTIMO, curiositas sensuum, & incautela exponendi eos. Sicut patet in prima tentatione, Genes. 3. *Vidit mulier lignum.* Diabolus est vt Abimelech, qui appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur. Ezech. 38. *Ascendam ad terram quæ est sine muro.* Item incautela alios malè & indiscretè iudicandi & aspernandi, dat occasionem tentandi. Sicut fecit senex ille, qui inexpertus tentationibus, monuit iuuenem vsque ad desperationē, dicens; quod esset indignus habitu monachi, eo quod tentaretur turpiter à spiritu fornicationis. De quo dicetur infra *de indiscretione.*

5. Nimia mollities & inconstantia. OCTAVO boni propositi fractio, & asperitatis assuetæ emollitio. Matth. 4. Dic vt lapides isti panes fiant. Hoc dixit Domino tentator. q.d. Dura mollifica, aspera relaxa. Hostes quando vident aliquam fracturam in muro castri, per illam ingredi moliuntur. Vnde super illud 1. Petri vlti. *Tanquam rugiens circuit*, &c. dicit Glossa. *Non audet diabolus aggredi homines duros & asperos asperitate pœnitentiæ inuolutos, sed molles & dissolutos vt aqua.*

9. Leuitas motuum exteriorum. NONO dat occasionem tentandi, hominis instabilitas, & motuum exteriorum leuitas, per quæ iudicat diabolus de interiori leuitate, & quod leuiter poterit hominem ad malum inclinare. Si homo est leuis, ipse est ventus qui cito secum rapit leuia. Exodi 10. *Ventus vrens leuauit locustas.* Psal. 1. *Sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Leuis est, & leues rapit, & per naturæ suæ leuitatem, leuiter dicta vel facta cognoscit. Orige. super illud Iob 3. CIRCVIVI TERRAM, *tanquam spiritus volans, & ea quę dicuntur voce extra audiens, vel quæ in operibus fiunt cuncta sciens & videns, ea vero quæ in corde tractantur nesciens.* In coll. p. Cassi. *ipsas cogitationes quas dæmones ingerunt, vtrum susceptę vel quomodo susceptæ sciunt: non per ipsius animę naturam, non per ipsius animæ motum in medullis latentem, sed ex motibus indiciisque corporis deprehendunt; vtputa si gastrimargiam suggerunt, & vident monachum ad fenestram, vel ad coquinam curiosius aspectare; vel audierunt eum de cibo loquentem, cognoscunt desiderium gulæ fuisse susceptum;* Item in fornicatione: si viderint eum carne commotum, petulanter aspicere, aut loqui, aut tangere, & similiter in cæteris vitiis; quod etiam aliquando à viris prudentibus deprehenditur. Cogitationes autem quæ in intimis animæ sensibus nondum prodierunt, adire vel cognoscere omnino non possunt.

De remedijs contra tentationes.

DISTINCTIO VIII.

Multa sunt remedia contra tentationes. VISO de tentationibus, & de his quæ dant occasionem tentandi, videndum est de remediis contra tentationes. Necesse est enim animam esse munitem ad se sollicitè defendendum, sicut hostes nostri multas habent artes ad nocendum. Sicut ait Paulinus Episcopus ad Aug. *Hostis noster quia mille habet artes nocendi, tam varijs repugnandus est telis, quàm varijs nos impugnat insidijs.* De turre Dauid, ideſt Ecclesia turrita dicitur Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Isti clypei sunt multimoda munimenta contra diuersa dęmonum tentamenta.

1. Fides. PRIMVM ergo munimentum per quod vincitur tentatio est fides, sicut docet primus pastor Ecclesiæ, 1. Petri 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Item Apostolus Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei; in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Hebrę. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Fides habens crucifixum pro vexillo, ostendit militi vel pugili coronam pro mercede, & patibulum inferni. Genes. 50. *Isachar asinus fortis habitans inter terminos*, ex vna parte respiciens præmium, ex alia supplicium. 2. Paral. 20. *Confortamini, & non dissoluantur manus vestrę, est enim merces operi vestro.*

2. Spes & confidentia. SECVNDVM est spes diuinæ misericordiæ, & confidentia de adiutorio Dei. Psal. 24. *Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido* &c. *vniuersi qui te expectant non confundentur.* Exod. 14. *Dominus pugnabit pro nobis.* 2. Paralippo. 20. *Non est pugna vestra, sed Domini.* Sequitur. *State confidenter, videbitis auxilium Domini super vos.* Vbi ponitur exemplum elegans, de victoria hostium

hostium propter confidentiam Iosaphat. Isa. 30. *In silentio & in spe, erit fortitudo nostra.*

5. *Timor sollicitans.*

TERTIVM est timor sollicitans. Quando enim tentatus timet, ne si victus fuerit offendat Deum, damnetur, & ab hostibus confundatur, pugnat viriliter: & Deus illum adiuuat. Eccl. 33. *Timentibus Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit & liberabit.* De hac materia supra *Timor.* Item supra, *de timendo iudicio.*

4. *Virilitas velociter resistendi.*

QVARTVM est virilitas velociter resistendi. Poëta:

Principijs obsta sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

Quam cito latrunculus incipit intrare domum, resistendum est ei, & non debet homo permittere quod domum effodiat. Pugil quam citò videt aduersarium suum velle ipsum percutere, obsistit ei. *Beatus enim est qui allidit paruulos suos ad petram.* Qui vult serpentem occidere, caput eius velociter atterit, id est nuncium tentationis. Greg. mor. *Lubricus est antiquus hostis, qui nisi capite teneatur, totis visceribus illabitur.* Ephes. 3. *Nolite locum dare diabolo.* Iacobi 3. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Notandum tamen quod quandoque vincitur tentatio fugiendo, specialiter tentatio carnis. 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* Eccl. 7. *Qui timet Deum effugiet illam,* scilicet mulierem per quam significatur concupiscentia carnis: oportet enim effugere omnes occasiones. tentatio de diuitiis habendis vincitur, diuitias contemnendo; quæ fit per molestias, patiendo: quæ per delitias, fugiendo.

5. *Oratio propria & aliorum.*

QVINTVM est oratio, tam propria, quam bonorum. *Oratio* quidem propria, sicut docet Saluator Matth. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* 1. Pet. 4. *Vigilate in orationibus.* Euidētissimum exemplum habemus Exo. 17. de oratione Moysi. De hac materia infra *Oratio.* Item oratio bonorum fugat tentationes dæmonum. Sap. 18. *Tetigit autem iustos tentatio mortis, sed non permansit, properans enim homo sine querela* &c.

Exemplum.

IN vita Mariæ de Oig. legitur, quod diabolus quandam sanctimonialē simplicē tentauit: Primò immundis cogitationibus; & ad vltimum blasphemosis, ita quod se omnem amisisse fidem credebat, & omne bonum fastidiebat desperata, nec confessionem peccatorum poterat facere, nec Eucharistiam recipere, nec verbum prædicationis audire. Quam cum aliæ sanctimoniales adduxissent ad dictam Mariam, & pro illa orasset, nec liberationem sic obtineret, cogitauit fortiori potentiæ fortius remedium adhibēdum, & quod *hoc genus dæmonum,* vt Dominus dicit, *non ejicitur, nisi in ieiunio & oratione,* fortius se afflixit, virgini compatiens, per 40. dies, nihil manducans, nisi bis vel ter in septimana, in oratione & lacrymis se mactauit. & relicta virgine, ille teterrimus spiritus, cum multa confusione compulsus est ab Angelo venire corā ea, miserabiliter vt videbatur afflictus. Videbatur enim ei quod euomuisset omnia interiora sua, & quod portare compelleretur omnia intestina sua super humeros suos. Omnipotens enim Deus, aliquando vult ostendi per signa exteriora visibiliter, quæ fiunt interius inuisibiliter. Rogabat autem eam vt eius misereretur, & ei quamcunque vellet pœnitentiam iniungeret, quia ad eam perficiendam cogebatur. Super hoc autem requisito consilio à quodam magistro eius consiliario, qui ei dicebat quod in desertum eum emitteret; alius feruentior superueniens dixit, non sic euasurum illum proditorem, sed mittendum esse in infernum. Cum autem ipsa illuc eum mitteret, & sic cum vlulatu maximo descenderet, infinitum clamorem malignorum ipsa in spiritu audiuit, ad ruinam illius magni principis. virgo autem prędicta liberata, facta confessione animo libenti & recepta communione, ad suum monasterium est reuersa.

6. *Lectio sacræ scripturæ.*

SEXTVM est scripturæ sacræ lectio, & sacrorum verborum recitatio. Dominus enim tentatorem noluit fortitudine superare, sed auctoritatibus vicit. Matth. 4. & Lucæ 4. Sap. 2. *Melior est sapientia quam vires.* Et 7. *Sapientiam non vincit malitia.* Et 9. eiusdem. *Certamen forte dedit ei vt vinceret, & scivit quoniam potentior omnium est sapientia; hæc tentatum iustum non dereliquit.*

7. *Confessio.*

SEPTIMVM est confessio. Ad hoc multæ auctoritates, rationes, & exempla adducuntur infra *Confessio.*

8. *Humilitas.*

OCTAVVM est cordis humilitas & operis. Luctator ad hoc se inclinat, vt aduersarium suum vincat & deiiciat, sicut humilis. *In vitis pa.* vidit Antonius mundum plenum laqueis diaboli, & cum clamaret ad Dominum, quis eos euaderet? responsum est ei, quod *sola humilitas. Item* in vitis pa. cuidam fratri apparuit diabolus transformatus in Angelum lucis, & dixit ad eum: Ego sum Gabriel missus ad te. Ille respondit: Vide ne ad alium mittaris, quia non sum dignus vt Angelus mittatur ad me. *Item* ibidem, cum vellent dæmones seducere senem quendam, dixerunt ei: Vis videre Christum? Ait: Anathematizo vos, & ipsum de quo dicitis; quia Christo meo credo dicenti. *Si dixerint vobis, ecce hic est Christus, nolite credere.* Qui confusi disparuerunt.

Exempla.

ITEM in pitis pa. quidam senex litigabat cum dæmonibus, videns eos manifestè, & vincens tentantes. & cum transfiguratus diabolus diceret: Ego sum Christus; Et ille responderet, claudens oculos, Christum nolo hic videre, sed in futura vita; confusus diabolus disparuit ad hæc verba. *Item* de illo fratre, qui cum per triduum prostratus flens orasset, & dicerent ei cogitationes suæ, quod magnus effectus esset, clamabat dicens: Vbi sunt nunc peccata mea quę ego feci? Cum autem replicarent ei suas negligentias; dicebat, quod propter paruum seruitium, Dei pietas misericordiam ei faceret. Cui apparuerunt dæmones, dicentes se turbatos in eo, quod cum eum extollerent, ipse se deprimebat, & cum eum deprimerent, ad altum misericordiæ Dei ascendebat.

9. *Consideratio exēplorum.*

NONVM est consideratio exemplorum. In præliis solent militibus pugnantibus recitari probitates prædecessorum suorum, vt ad prælium animentur. Iac. 5. *Exemplum accipite fratres exitus mali, longanimitatis, laboris, & patientiæ, prophetas.*

10. *Occupatio.*

DECIMVM est laboris occupatio. Poëta: *Labor improbus omnia vincit.* Vnde homini post lapsum, indictum est laboris exercitium. Gen. 3. *Item* in vitis patrum cum tentationes fornicationis impugnarent quendam fratrem, arte figuli finxit in luto formam mulieris, dicēs: *Ecce vxor tua.* Oportet ergo te in duplo plus laborare quam ante, vt habeas vnde pascas eam. Quod cum fecisset, suppossuit quod vxor illa peperisset ei filiam, & sic triplicauit laborem: & sic deinceps vsquequò deficeret, non valens ferre tantum laborem. & tunc dixit cogitationi suæ: Si non potes hunc laborem sustinere, neque mulierem requiras. Videns autem Deus feruens propositum, eum à tentatione liberauit. Bern. ad fratres de monte Dei. *Rusticus habens duos neruos fortes laceratos, exteriora non sentit: hoc facit vsum, vsus facit exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat.*

Exemplum.

11. *Rigor disciplinæ.*

VNDECIMVM est disciplinæ rigor. Bern. Quid mirum si hoste debilitato per disciplinam, tu fortior efficeris? Ideo sancti mirabiliter fuerunt rigidi in custodia disciplinæ; sicut patet de sancto Antonio, Hylarione, & aliis. De B. Benedicto legitur, quod cum sensisset tentationem in carne, nudum se proiecit inter vepres & vrticas, vt per vulnera carnis extingueret ardorem mentis. De B. Francisco legitur, quòd cum tentationis motum modicum præsensisset, cum chorda sua durissimè se verberans, dicebat corpori suo: Eya frater asine, sic te decet atteri, sic durum subire flagellū. postmodum in hortum exiens, nudum se volutabat in niue, & compingens septem massas de niue dicebat: Ecce ista est vxor tua. Istæ quatuor sunt duo filij, & duæ filiæ. Iste duæ aliæ seruus, & ancilla: omnes istos festina induere, quia frigore moriuntur: si autem tanta te sollicitudo molestat, potius vni soli domino serui. Quo facto tentator victus abscessit, & vir sanctus sic plenè victor extitit, quod nunquā deinceps aliquid tale sēsit.

Exempla.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exemplum. In vitis Patrum, cum quidam iuuenis grauiter tentaretur, nec aliquo modo posset flammam extinguere, Abbas monasterij præcepit cuidam viro graui & aspero; vt eum insectaretur verbis, virgis, iniuriis, & quæ rimoniam deponeret contra eum, & testes aduersus eum loquerentur. Ideo iuuenis flebat quotidie, maximè pro eo quod nullus ei credere vel compati videbatur. Cum autem post annum interrogaretur qualiter esset ei? Respondit: Papè mihi viuere non licet, & luxuriari licebit? Et sic per artem Abbatis, suppressa libidine saluatus est.

12. *Feruor charitatis.* Duodecimvm est feruor charitatis. Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* &c. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Poëta: *Omnia vincit amor.* Greg. moral. *Qui charitate adhæret veritati, nullo modo potest subijci vanitati.* Nota. Musca non audet insidere super ollam feruentem, aut super scutellam nimis calidam. Infra *de feruore orationis.*

13. *Iucunditas spiritualis.* Tredecimvm est spiritualis iucunditas, maximè quando tentat diabolus de molestiis. 1. Mach. 3. *Iudas Machabæus præliabatur prælium Israel cum lætitia, & vincebat.* In vita B. Antonij legitur, quod cum Dominus ostendisset beato Antonio diuersas artes & fallacias diaboli, subiunxit: Vna est ratio vincendi inimicum, spiritualis lętitia.

14. *Virtus Passionis Christi.* Quartvmdecimvm est virtus Passionis Christi, & sanctæ Crucis.

15. *Eucharistia sacramentũ.* Qvintvmdecimvm est Eucharistiæ sacramentum. Eccl. 43. *Medicina omnium* sc. tentationum, *in festinatione nebulæ, & obuians ros ab ardore venienti.* Nota. Diabolus fallax, ausus est decipere quandam mulierem sub specie Christi, quæ post perceptionem Corporis Christi multum robur obtinuit.

Exemplum.

De vtilitate tentationum.

DISTINCTIO IX.

Multa sunt tentationum vtilitates. Postremò videndum est de tentationum vtilitate. Nam ad multa sunt vtiles, & multa bona faciunt illis, qui sustinent patienter, sicut patet multis auctoritatibus & exemplis. *Primum* bonum quod facit tentatio, est peccatorum purgatio, propterea non solum sustinebat patienter, sed etiam tentationem petebat Psal. dicens: *Proba me Domine, & tenta me.* Et aperit quare petebat tentari, cum subiungit. *Vrerenes meos & cor meum;* idest, purga delectationes cordis & corporis: *quoniã misericordia tua ante oculos meos est,* idest, scio quod misericorditer assistis tentatis, & purgas misericorditer à peccatis.

1. *Purgatio peccatorum.*

2. *Humiliatio cordis.* Secvndvm est cordis humiliatio, & humilitatis conseruatio. Gregor. *Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Hinc est, quòd Israel Iebusæum tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat.* Idem. *Tentari permittit Deus, vt dum per tentationem homo concutitur, imbecillitate cognita in Deo fortius solidetur.*

Exemplum. In vitis Patrum, narrabat quidam pater, Pascho nomine, cuidam spiritu fornicationis grauiter tentato, quod post quinquaginta annos ætatis suæ, & postquã in eremo in cella sua mansérat, sollicitus de salute animæ suæ; per duodecim annos, die ac nocte, non cessauit eum impugnare spiritus fornicationis. cum autem crederet se à Deo derelictum, eligens magis vorari à bestia, quàm tam bestialem sustinere passionem; exiuit circuiens ferè totam solitudinem, & veniens ad speluncam leonum, nudum se exposuit in ea iacere, vt eum venientes bestiæ vorarent. cum autem per totam diem ibi iacuisset, in nocte venientes Leo & Leęna, odorantes à capite vsque ad pedes, & postea recedentes, cesserunt ei. Cum autem cogitaret quòd Deus ei pepercisset, ad cellam rediit. Post paucos dies tentatio validior surrexit; venit diabolus in specie puellæ Æthyopissæ, quam aliquando in mundo viderat: quę super genua stans, multum eum ad peccandum commouit: quam cum à se repelleret, dans ei de pugno, & alapas in maxillis, fugauit eam; & per biennium, fœtorem manus de qua eam tetigerat, ferre non poterat. Cum autem præ tristitia ferè desperaret & deficeret tabefactus, audiuit vocem dicentẽ sibi: Vade Pascho, propterea permisit tibi Deus eas tentationes, vt non altum de te sapias, & ne quasi de virtutibus extollaris, sed infirmitatem tuam recognoscas. Itaque redùt ad cellam, reliquos pacificos habens dies. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis* &c.

3. *Instructio doctrinalis.* Tertivm est doctrinalis instructio. Facit enim in homine experientiam, & experientia sapientiam; & sine hac nunquam cognoscit homo fragilitatem suam, vel virtutem. Et multi antequam tententur, æstimant se multum patientes, & fortes, vel industrios, vel cautos; qui superueniente tentatione deficiunt, & defectum suum cognoscunt. Sicut patet de beato Petro, qui dicebat Matth. 26. *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* Et iterum: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Qui tamen ad vocem vnius mulierculæ Christum denegauit. Quis Petro fidelior? quis eo feruentior? quis eo inter Christi socios & amicos maior? & tamen modico impulsu tentationis cecidit. Quis audeat de se confidere? quis imminenti graui tentatione debeat non timere? nisi iam in tentationibus sit expertus. *Item* in tentationibus cognoscit homo mundi malitias, & dæmonum insidias, astutias, & artes eorum innumeras, quas non expedit ignorare. *Item* experitur homo Dei misericordiam assistentem. Ideo Eccli. 34. *Qui non est expertus, qualia scit? Vir expertus in multis cogitabit multa,* &c. Iudith 3. *Hæ sunt gentes quas dimisit Deus in terra, vt in eis erudiret Israel.*

4. *Acquisitio meritorum.* Qvartvm est meritorum acquisitio, quod bene figuraliter est ostensum in Iob, cum post tentationes omnia reddita sunt duplicia. Item Genes. 22. *Postquam tentauerat Deus Abraham, dixit ei: Benedicam tibi, & multiplicabo te.* Ista benedictio est meritorum cumulatio, quia sicut dicitur Prouerb. 10. *Benedictio Domini diuites facit,* scilicet diuitiis meritorum. *In vitis Pa.* dicitur de Abbatissa Sara, quod per viginti tres annos fuerit grauissimè tentata spiritu fornicationis, nec vnquam petiit se semel liberari ab eo, sed semper dicebat: da mihi fortitudinẽ Domine Deus meus. *Item* in vitis Patrum dicebat Abbas Pastor de Abbate Ioanne breui, quòd rogauerat Dominum, vt auferret ab eo omnem impugnationem; quod ipse fecit: Et cum ipse retulisset hæc cuidam seni, quod quiesceret securus ab omni impugnatione, & hoc se precibus obtinuisse; arguens eum ille senex, consuluit ei, quod peteret à Domino in se moueri pugnam: quia in pugna perficitur anima. Quod cum fecisset, pugna rediit, nec postea orauit ab eo auferri pugnam, sed quod Deus daret ei eam tolerandi virtutem.

Exempla.

Exemplum. Item discipulus cuiusdam senis tentabatur grauiter, & resistebat, & se grauiter affligebat. Senex videns hoc ait: Vis fili quod rogem Dominum, vt auferat à te hanc tentationem. Qui respondit: Non pater; quia sentio ex ea in animo meo profectum, quia occasione huius amplius ieiuno, vigilo, & oro, verumtamen ora pro me vt Deus det mihi fortitudinem. Quod audiens senex commendans eum gauisus est.

5. *Confirmatio in amore Dei.* Qvintvm est in amore Dei confirmatio. Probat enim Deus amicos suos vt approbet, & in amore suo confirmet. Eccli. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Iudith. 8. *Abraham pater noster per multas tentationes probatus est.*

6. *Compassio proximorũ.* Sextvm est proximorum compassio, vt scil. homo sciat compati aliis in tẽtationibus eorum. Multis enim qui non sunt experti tentationes, nescíunt compati. *Exemplum.* *Sicut* habetur exemplum in vitis Patrum, quod cum quidam iuuenis tentatus valde grauiter à spiritu fornicationis, à quodam sene consilium & solatium requisisset, senex iuuenem ferè, in desperationem immisit, dicens ei, quod Deus oderat eum, & quod non erat

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dignus habitu monachi, nec ſocietate ſanctorum fratrum. Quibus verbis commotus, rediuiſſet ad ſæculum, niſi prouidentia Dei, alius compaſſus ei, conſolatus eſſet eum, & ad monaſterium reduxiſſet. Vnde propterea permiſit Deus B. Petrum tentari, vt ipſe futurus paſtor Eccleſiæ, diſceret peccatoribus miſereri. Amplius, ipſe Dominus tentari voluit, vt ſciret compati tentatis. Sicut expreſsè dicit Apoſtolus Hebr. 4. *Non habemus Pontificem qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et Hebr. 2. *In eo enim in quo paſſus eſt, & tentatus; potens eſt & his qui tentantur auxiliari.* Didicit ergo per experientiam compati tentatis, ſicut medicus per ſimplicem notitiam artis ſuæ, ſcit compati infirmo: ſed infirmatus ſcit vel didicit compati per experiẽtiam infirmitatis ſuæ; & hoc dat nobis magnam fiduciam obtinendi miſericordiam apud eum. Ideo ſequitur: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.*

7. *Perfectio optanda.*

SEPTIMVM eſt optanda perfectio. Per tentationes enim conſequitur homo perfectionem, ideo non ſolum patienter, ſed etiam gaudenter debemus eas ſuſtinere. Iac. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Propter hoc B. Paulus, & alij ſancti viri gloriabantur in tribulationibus. Nota de B. Franciſco, quàm iucundè, & cum gratiarum actione, ſuſtinebat dolores illos vehementiſſimos in omnibus membris ſuis, & non dolores vocabat eos, ſed ſorores.

8. *Protectio diuina.*

OCTAVVM eſt diuina protectio. Tentatos enim Deus ſeruat, & protegit. Sicut dicitur Eccl. 33. *Timenti Deum non occurrent mala*, futura ſcilicet & æterna, quia ſine dubio iuſti multa mala præſentia, vel tranſitoria patiuntur, *ſed in tentatione Deus conſeruabit*, ne cadat, ne per impatientiam frangatur, *& liberabit à malis*, ideſt à malo culpæ, & à malo pœnæ.

9. *Conſolatio diuina.*

NONVM eſt diuina conſolatio. Nam qui tentationes in mundo ſuſtinent, merentur à Domino & Angelis viſitari, & dulciter conſolari. Item exemplum huius Matth. 4. legitur, quod *completa omni tentatione, reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Ad hoc ſunt infinita exempla, De beata Catherina, Agneta, Cæcilia, & aliis martyribus ſanctis vtriuſque ſexus.

10. *Oſtẽſio exẽplaris.*

DECIMVM eſt exemplaris oſtenſio. Perfectos enim dat Deus, & proponit aliis in exemplum. Tobiæ 2. *Hanc tentationem permiſit Deus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ, ſicut & ſancti Iob.* Et de Eleazaro dicitur Machab. 6. *Memoriam mortis ſuæ, exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.*

11. *Glorificatio Dei.*

VNDECIMVM eſt Dei glorificatio. Nam qui ſuſtinent patienter, ſicut proximos ædificant per exẽplum, ita Deum glorificant. 1. Pet. 1. *In Deo exultabitis modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus; vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelationem Ieſu Chriſti.*

12. *Retributio diuina.*

DVODECIMVM eſt diuina retributio. Deus enim illis retribuit, & in præſenti nomen eorum & famam diuulgando, celebre & honorabile faciendo. Sicut de Abraham dicitur Eccl. 44. *In tentatione inuentus eſt fidelis, ideo dedit ei gloriam Deus in gente ſua.* *Exemplum.* *Item* in vita beati Antonij legitur, quod cum dæmones diuerſimodè tẽtantes eum, fingentes diuerſas voces, & ſimilitudines ſerpentum, & ferarum, nec præualere poſſent, domus eius parietibus patefactis, atrociter irruentes in eum, verberauerunt eum vſque ad mortem. Cum autem ſe eleuans, oculos aperiret, vidit lucis radium deſuper venientem; cuius ſplendore omnis dolor ab eo penitus remouetur, dæmones effugantur, domus eius & omnis valetudo corporis omnino reparantur. Sentiens autem Dei præſentiam, ait ei: Vbi eras, ô bone IESV, cum me ſic dæmones flagellaent? quare non à principio affuiſti? Reſpondit: Hîc eram, ſed expectabam certamen tuum: nunc autem quia fideliter dimicaſti, auxiliabor tibi, & in orbe toto te faciam nominari. *Item* in futuro glorificat eos Deus æternaliter. Iac. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Item Luc. 22. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.*

De verbo Dei.

DISTINCTIO X.

4. *Diuini verbi retentio ſtudioſa.*

QVARTVM, quod multum valet ad præſeruandum hominem à peccato, eſt diuini verbi retentio ſtudioſa. Multum enim eſt efficax Dei verbum, quod ſiue cogitatum interius, ſiue prolatum exterius, ſiue cælitus inſpiratum, dummodo ſit reuerenter ſuſceptum, memoriter obſeruatum, & fideliter operi mãcipatum, præſeruat hominem efficaciter à peccato. Ideo expertus Pſalm. 118. dicebat: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Et Eccleſ. 14. *Qui operantur in me non peccabunt.*

Verbum Dei diligẽter audiendũ multiplici ratione.

EST ergo verbum Dei diligenter audiendum, deuotè ſuſcipiendum, memoriter retinendum, ſollicitè cuſtodiendum, & fideliter exequendum, & hoc multiplici ratione. *Primo* propter eius eximiam dignitatẽ, quia originaliter deriuatur à verbo increato. Eccl. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Attende cum quanta reuerẽtia auditur verbum alicuius Regis, vel Principis. Sicut dicitur Eccleſ. 13. *Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent.* quanto magis ergo, quando nobis loquitur Deus, verbum eius debemus reuerenter audire, retinere medullitus, & inuiolabiliter obſeruare. Ideo commendat Apoſtolus aliquos 1. Theſ 2. *Suſcepiſtis* inquiens *illud, non vt verbum hominum, ſed vt eſt verè verbum Dei.*

1. *Ob eius dignitatem.*

2. *Ob eius pretioſitatem.*

SECVNDO propter eius pretioſitatẽ. Attende quàm ſollicitè cuſtoditur theſaurus, & quanto pretioſior, tanto vigilantius cuſtoditur: verbum autem Dei theſaurus eſt infinitus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. *Nota*, qui theſaurum temporalem domini ſui cuſtodiunt, ſi illo vtuntur, ſi ex illo amicos acquirunt; fures ſunt, & infideles domino ſuo, & dominum ſuum damnificant, nec illo poſſunt vti, vel amicos acquirere, ſine domini ſui damno. Non ſic de iſto; quia quanto plus theſauro iſto vſus fueris, quanto in plures diſperſeris, & inde amicos acquiſieris, tãto maiorem Dei amicitiam obtinebis. Nec mirum, quia infinitus eſt theſaurus hominibus, non Deo; ideſt ad vtilitatem non Dei, ſed hominum, tam ipſius cui ſeruandus committitur, quàm illorum omnium quibus communicatur. *Nota*, Religioſi libenter theſauros magnorum hominum in depoſitum recipiunt, ſcientes quia *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Matth. 5. Ita nos theſaurum ſapientiæ Dei libenter cuſtodire debemus, vt eius & multorum aliorum amicitiam acquiramus.

Simile.

3. *Ob eius ſanctitatem.*

TERTIO propter eius ſanctitatem. *Nota*, ſi ſudorem qui fluxit de corpore Chriſti, vel lachrymam de oculo, vel ſtillam ſanguinis de quocunq; membro poſſemus habere, cum magna reuerentia ſeruaremus; quanto magis verbum, quod de cordis eius intimis emanauit, Pſal 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Hoc inquã verbum de Dei corde productum, per legem, Prophetas, & Apoſtolos nobis miſſum, immo & per ipſum Dei filium, Verbum ſcil. carnem factum, nobis audibile, viſibile, & legibile verbaliter propinatum, reuereri debemus. Vnde Iſa. 11. *Verbum miſit Deus in Iacob.* Pſal. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos*, &c. Igitur à quocunque proferatur verbum Dei, non eſt attendendum à quo, ſed cuius: quia Matth. 10. dicitur: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

4. Ob eius vtilitatem multiplicem.

QVARTO propter eius multiplicem vtilitatem. Sanè innumera sunt bona, quæ verbum Dei facit in anima. Sapient. 8. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, scilicet sapientia, *& innumerabilis honestas per manus illius* &c. De multis autem pauca recitabimus, vt demus alijs materiam cogitandi. *Primo* verbum Dei pascit, & sustentat. Sicut enim verbum Dei æternum est pabulum Angelorum in cœlo, ita verbum Dei est pabulum sanctarum animarum in terra. Vnde dixit diabolo, qui ieiunus erat, de hoc cibo, Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Sicut enim aues pascunt, & nutriunt filios suos cibo, quem eis emittunt de ore suo, sic Deus suos, verbo suo. Iob 38. *Qui præparat coruis escam, quando pulli eius clamant ad Dominum.* Ibi dicit Gloss. quod *pullos coruorum Deus rore cæleſti pascit, quousque nigrescant, & de eis patres eorum curam habeant, qui non prouident eis in aliquo quamdiu vident eos habere plumas albas, sed quam cito nigrescunt, eos quasi non degeneres, sed similes pascunt.* Sic Deus pascit verbo suo, quos mundus abijcit. Sapient. 16. *Non fructus natiuitatis pascunt illos, sed sermo tuus. Vnde* in vitis patrum legitur, quod quidam frater vidit in eadem mensa alios mel comedentes, alios panem, tertios stercus; & oranti pro reuelatione, vox ait. Primi sunt qui semper orant, alij qui gratias agunt, tertij qui murmurant & cibo detrahunt. Sic in eodem sermone, alij reficiunt ibi affectum, alij intellectum, tertij detrahunt vel murmurant prædicatori, vel verbo Dei. *Item* hoc cibo beata Maria Magdalena reficiebatur ad pedes Domini, audiens sic verba oris eius, vt obliuioni traderet cibum ventris. *Sic duo* fratres, de quibus in vitis patrum dicitur, quod cum parassent refectionem post ieiunium, inceperunt loqui de Deo, & vsque in crastinum ita loquendo de Deo assiduè perseuerauerunt, quod cibum corporis accipere obliti fuerunt. Sed mirabantur si comedissent.

1. *Pascit & sustentat.*

Simile.

Exemplum.

2. *Potat & inebriat.*

SECVNDO potat & inebriat, quia est fons vitæ, ad quem serpens venenum effundendo, Ceruus cornua deponendo, Aquila plumas, rostrum & vngues immutando, renouantur. Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Idem 102. *renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.* Apocal. 21. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Hoc verum est spiritualiter, quia verbum Dei fons est, cuius virtute subito animę spiritualiter immutantur, & innouantur; vt ad modum serpentis, malitiosus euomat venenum malitiæ, inobediens & rebellis cornua inobedientię ad modum cerui, auarus vngues tenacitatis & rapinæ, & plumas conuersationis antiquæ ad modum Aquilæ, & rostrum verbi mali. Non solum autem potat, sed etiam potando inebriat. Hiere. 13. *Factus sum sicut vir ebrius, & quasi homo madidus à vino, à facie verborum Dei.* Sicut erant Apostoli ebrij, qui quasi picæ inebriati, non poterant se continere ab huiusmodi locutione, sed in diuersas voces inassuetas, linguas suas transformabant. Vnde eos ebrios Iudæi reputabant. Hoc inebriati martyres, se rebus temporalibus denudabant, vulnera & cruciatus corporis pro nihilo ducebant, immo ad mortem alacriter properabant. vt Vincentius, Agatha, & alij, corpus in taberna martyrij pignorantes. Apostolus. *Scio qui credidi* &c. Bernard. *Quem talis gustus inebriauerit, ad omne opus, & omnem laborem hilarescit, laborat nec lasceßit, festinat nec deficit, dolet & non sentit, laceratur & nescit, irridetur & non aduertit.* Ideo de sacra scriptura dicitur Can. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Et post. *Vbera tua assimilata sunt botris*, id est duo testamenta, Prou. 5. *Vbera eius inebriant te omni tempore.*

3. Ædificat.

TERTIO ædificat. Ioann. 14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit.* Et post: *Et ad eum veniemus*, ego Filius, Pater, & Spiritussanctus, *& mansionem*, id est domum ad manendum *apud eum faciemus.* Hic competit exemplum quod ponitur Matth. 7. de sapiente ædificante supra petram. Vnde ibi dicitur: *Qui audit verba mea & facit ea, similis erit viro ædificanti domum supra petram*, &c. Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, &c.

4. Rigat & facundat.

QVARTO rigat & fœcundat. Isa. 52. *Quemadmodum imber & nix descendit de cælo, & inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit*, &c. *sic erit verbum quod egredietur ex ore meo.* vbi multiplex eius effectus notatur. Deut. 32. *Fluat vt ros eloquium meum.* Ideo Exod. 16. & Numer. 11. dicitur, quod cum manna descenderet, ros pariter descendebat. Semini comparatur, quia fœcundat, Matth. 13. *Semen est verbum Dei.* quod si aliquando diu latet in corde, aliquando post tempora multa germinat, & coalescit in fructum. Vnde cum quidam argueret quendam ribaldum de hoc, quod frequentabat sermones. Respondit: Et si modo statim non immuter, tamen semen recipio, quod aliquando coalescet in fructum, & erit mihi Deo dante, verbum quod modo audio, salutis causa & emendationis.

5. Sanat.

QVINTO sanat. Psalm. 106. *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Sapient. 16. *Non enim herba neque malagma sanauit eos, sed omnipotens sermo tuus Domine qui curat omnia.* Non alio medicamine herbæ vel radicis vsus est Dominus ad curationem infirmorum, nisi verbi sui. Matt. 8. dixit leproso: *Mundare: & mundatus est*: & sic de alijs pluribus. Vnde dixit ei Centurio, Marci 8. *Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* Et bene omnipotens dicitur, quia magnę virtutis diceretur aliqua confectio de multis, si cum multis sumptionibus, haberet vnum hominem ab vno morbo curare: In vno autem sermone, omnes quotquot audiunt illud & obediunt, curantur ab omni infirmitate spiritualiter, & alij quando etiam corporaliter, vt fiebat in sermonibus Apostolorũ, & Domini frequenter.

6. Viuificat.

SEXTO verbum Dei viuificat, vnde fons vitæ dicitur Prou. 16. *Fons vitæ eruditio possidentis*, id est, Christi, de quo fluunt quatuor flumina Paradisi, Prou. 10. *Os iusti vena vitę.* Io. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & qui audierint viuent.* Eodem post: *Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt*; quia conferunt vitam naturæ, gratiæ, & glorię. Nam cum Dominus suscitauit Puellam, Adolescentem, Lazarum: eos verbo vocando viuificauit, dicendo: *Surge, & veni foras Lazare.* Ad cuius vocem continuo surrexerunt ad vitam naturæ, & gratiæ. Item ad vnicam vocem eius surgent omnes, mali solum ad vitam naturę, non gratiæ, nec gloriæ, Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt*, &c. Huius exemplum habemus Ezec. 38. de campo pleno ossibus mortuorum, vbi dicitur: *Filij hominis vaticinare; Et dices: Audite verbum Domini*, &c. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis*, &c. *Et accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iunctu-ram suam; & ingressus est spiritus in ea, & vixerunt*, &c. Per verbum incarnatum viuunt omnia, Sicut in epistola Didascali Brachmannorum, ad Alexandrum Imperatorem Gręcorum continetur; & in historia Transmarina. Scripsit enim inter alia multa Alexandro & suis hæc verba. *Vos omnes sensum vestrum in lingua vestra habetis, & tota sapientia vestra in ore vestro consistit: nostra autem sapientia in ore Dei consistit; & per hoc homo similis est Deo: quia Deus verbum est*, &c. *Et per illud Deus mundum creauit, & per hoc verbum viuunt omnia; hoc colimus, adoramus, amamus; nam Deus spiritus & mens est, qui non amat nisi mundam mentem.* Hoc autem verbum, imò & Dei verbum, prolatum, non solum viuificat, sed continuè sumptum, vitam continuat, vt lignum vitæ, Prouerb. 3. *Sapientia est lignum vitæ.*

7. Seruat à casu materiali & spirituali.

SEPTIMO seruat à casu materiali, & spirituali. Tobię 4. *Verba mea quasi fundamenta in corde tuo conflrue.* Hoc exemplum Dominus ponit, Matth. 7. de ædificante supra petram & arenam. Item seruat à casu spirituali. In miraculis beati Andreæ legitur de Nicolao sene, comportante euangelium in sinu ad scortum, Eccles. 12. *Verba sapientum quasi stimuli*, ad erigendum à casu, *& quasi claui in altum defixi*, ad retinendum à casu peccati. Item seruat seruantem se, ab hostibus materialibus & spiritualibus, Prou. 19. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exemplum. In miraculis beati Andreæ legitur, cum beatus Andreas conuertiſſet concubinam cuiuſdam præpoſiti in prædicatione ſua; dedit ei Euangelium, vt illud portaret; & vt eius memoria, & virtute ipſius, à peccato ſibi caueret. Vxor autem dicti præpoſiti adhuc habens eam ſuſpectam, fecit eam capi, & ad lupanar trahi, & lenonibus tradi, vt ab eis ludificaretur. & cum accedebant ad eam, perdebant vires ſuas. Cum autem veſtes eius ſcinderet vnus ex eis, & eo de ſinu eius cadente, vellet vim inferre, illa clamante ad Dominum, leno ſuffocatur; & Angelus apparuit ei confortans eam, & liberans. Vxor autem dicti præpoſiti balneans ſe cum adultero ſuo, à diabolo ſuffocantur; tamen ad preces dictæ mulieris, vterque ſuſcitatur, & conuerſi ſunt ad Dominum.

Exemplum. ITEM in paſſione beati Thomæ dicitur de tranſlatione corporis eius, quod fuit tranſlatum ab India in Edeſſenam vrbem, quæ olim dicta fuit Rages, ab Alexandro Imperatore petentibus Syris; in qua regnauit quondam Abagarus, qui ſcripſit domino, & dominus ei epiſtolam ſuam quæ ibi ſeruatur; ex quo nullus hęreticus, Iudæus, vel Paganus, poteſt ibi viuere. Si obſidatur ciuitas, infans nuper natus, legit epiſtolam ſuper portam ciuitatis, & eadem die aut pacem faciunt aduerſarij, aut bello vincuntur. *Item* conſeruat in vita. Vnde ſimiles ſunt homines Caſtoribus, qui non poſſunt diu viuere, niſi prope aquas. Similiter & piſcibus. Iſa. 55. *Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.* Sic homines ſine doctrina, & maximè clauſtrales. *Item* conſeruat à mortis caſu. Prouerb. 13. *Lex Dei fons vitæ, vt declinet quis à ruina mortis.*

Exemplum. NOTA quod in ciuitate cuiuſdam regni, magnæ erant nundinæ: filius autem regis cum ſociis ſuis iuit per nundinas videre diuerſitatem mercium, ſi fortè ibi videret quod ei placeret. & cum pertranſiret, videt domum mirabiliter ornatam, & paratam pannis ſericis, & deauratis, tamen intus vacuam. admiratus, intrauit; nihil vidit intra, niſi ſenem in cathedra ſedentem, & in manu librum tenentem, & legentem. à quo quæſiuit quid ſibi vellet hîc. qui reſpondit ei, quod domus illa erat in qua vendebantur pretioſiora & vtiliora quæ eſſent in nundinis, maximè hominibus qui alios habent regere. & ſi ipſe vellet emere, venderet ei centum libras: & dixit, quod merces eius erant ſapientia, & prudentia. Ipſe emit centum libras, & ſenex ſcripſit in Schedula hæc. *In omnibus factis tuis conſidera antequam facias, ad quem finem inde venire valeas:* aſſerens, quod ſi hoc ſemper haberet præ oculis, plus poſſet ei valere, quam vnum regnum. Iuuenis autem mortuo patre rex factus, verba illa ſcripſit in menſis, & mappis, & in aliis rebus quibus vti poterat. Cum autem Barones eius conſpiraſſent contra eum, fecerunt pactum cum Barbitonſore eius, quod eum occideret. Cum autem hoc vellet facere, & radendo barbã guttur eius amputare, legit quod erat ſcriptum in mappula; & incepit ſtupere, fremere, & tremere. Quod rex aduertens, fecit eum teneri & vrgeri, vſque dum diceret veritatem, qui proditores ſuos capi fecit, & ipſe à morte liberatus eſt. Prouerb. 3. *Melior eſt negotiatio eius, acquiſitione auri & argenti.*

8. Penetrat. OCTAVO verbum Dei penetrat. Hebr. 4. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax; & penetrabilior omni gladio ancipiti:* quia non ſolum penetrat corpus, & eius ſenſus; ſed & ſpiritum, vſque ad cogitationes, affectiones, & intentiones, vt ibi dicitur. *Item* penetrauit & ſuperauit beatos Martyres, quos materialis gladius ſuperare non potuit.

9. Ditat. NONÒ ditat. Prouerb. 10. *Qui indocti ſunt, in cordis egeſtate erunt, benedictio autem Dei,* ideſt bona dictio, *diuites facit.* Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa:* quia Spiritus ſanctus replet corda audientium, & bona ſpiritualia dat. Ideo dicitur Act. 10. *Adhuc loquente Petro cecidit ſpiritus ſuper omnes qui audiebant verbum, & plenitudo eorum patuit, quia loquebantur linguis,* &c. Dicitur vulgariter: Qui habet ruſticum, habet prædam; & qui habet Spiritum ſanctum, habet communionem bonorum ſuorum. Sap. 7. *Scio quod communicabit mihi de bonis ſuis.* Apoc. 3. B. Ioannes, Epiſcopum qui ſe iactabat diuitem, dicit eſſe pauperem, quia erat ſine auro cœleſtis doctrinæ. Et ſubdit: *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias:* quia facit hominem ſibi ſufficere, aut fit diues.

10. Incendit. DECIMO incendit. Pſalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Idem 104. *Eloquium Dei inflammauit eum.* Hiere. 23. *Nunquid verba mea ſunt quaſi ignis ardens?* Prouerb. 30. *Omnis ſermo Dei clypeus ignitus.* Ideo de Helia dicitur Eccl. 48. *Surrexit quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat.* Ideo dabatur Spiritus ſanctus in linguis igneis Act. 2. Propter ignitum eloquium deſignãdum.

Exemplum. DE B. Dominico dicitur in legenda eius, quod videbatur matri eius prægnanti, quod habebat in vtero catulum, facem in ore portantem, & inflammantem mundum. quod fuit ei ſignum, quod filium haberet, qui lupos, ideſt hæreticos impugnaret, gregem ſeruaret, dormientes in vitiis latraret, & linguam medicinalem haberet, & facem igniti eloquij portaret, quo mundum illuminaret, & inflammaret.

11. Mollificat. VNDECIMO cor mollificat. Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Iud. 2. *Cum loqueretur Angelus Domini filijs Iſrael verba Domini, fleuerunt.* Simile exemplum habetur Neæ. 8. *Fleuit omnis populus cum audiret verba legis.* Item Matth. 26. *Fleuit Petrus gallo cantante.* Et dicitur quod quandocunque audiebat gallum cantare, mouebatur ad lachrymas, recolens peccatum ſuum. *Item* in vitiſpatrum dicitur, quod cum quidam quęreret ab Abbate Ioanne de duritia cordis; reſpondit: Quid durius lapide, quid mollius aqua? & tamen gutta ſępe cadendo lapidem penetrat. Sic verbum cor durum aperit ad timorem Dei. *Ibi* etiam ponitur exẽplum de homine immutato, & in lachrymis reſoluto, cum audiuit verbum Iſa. 1. *Lauamini* &c.

12. Illuminat. DVODECIMO illuminat. Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis,* &c. Idem ibidem. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat* &c. Idem 18. *Præceptum Domini lucidum* &c. Prouerb. 6. *Lucerna mandatum, & lex lux.* Huius exemplum ponitur Lucæ 24. quando diſcipuli cognouerunt Dominum in fractione panis. Sed multi ſunt vt noctuæ, odientes lumen hoc. Ioan. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Item vt Hely, qui non poterat videre lucernam Dei. 1. Reg. 3.

13. Indulcat & delectat. TREDECIMO indulcat, & delectat. Pſal. 118. *Quam dulce faucibus meis eloquium tuum, ſuper mel ori meo.* Cant. 4. *Eloquium tuum dulce.* Prouerb. 16. *Fauus mellis verba compoſita,* ſci. cum gratia poſita. Hanc dulcedinem non ſentiunt qui habent palatum infectum à febre iniquitatis. Sunt enim multi, vt ruſticus purgator latrinarum, qui tranſiit ante apothecas apud montem Peſſulanum, & non valens ferre bonum odorem, corruit vt mortuus. Cum autem medici apportarent ei electuaria confortantia, non guſtauit, nec ſurrexit. Vnde cum ad conſilium cuiuſdam dicentis, quod confortaretur aſſuetiſſimis, deportaſſent naribus eius ſtercus quod aſſueuerat, ſurrexit confortatus. Sic eſt de peccatoribus, & verbis. Econtra Ezech. 2. & 3. Volumen Ezechieli traditum *factum eſt in ore eius tanquam mel dulce.* Dicitur quod Bufo non poteſt ſuſtinere bonum odorem vineę florentis. Sic nec peccator verbum Dei. De hoc ſupra de comedentibus mel in menſa, in ſignum dulcedinis vèrbi Dei. In os Ambroſij paruuli dormientis apes ædificauerunt examen, & fauum: quia os eius fuit mellifluum, dulcedine verbi Dei. Miraculum hoc legitur in principio vitæ eius. Verbum Dei ſimile eſt mannæ habenti dulcedinem, & gratum ſaporem, ſecundum quod homo afficiebatur in guſtu illius. Sap. 16. *Habebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Et poſt: *Dulcedinem tuam quam in filios habebas, oſtendebas, deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, & ad quod quiſque volebat, conuertebatur.*

14. Erudit & informat. DECIMOQVARTO, erudit & informat. Roman. 15. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

2. Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & erudiendum in iustitia.* Prouer. 16, *Eruditus in verbo reperiet bona:* quia bene aptus: quia extra ruditatem positus, beatus à Spiritusancto dicitur. Psal. 93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine;* vt nouitios & discipulos facias perfectos. Beatos de rudibus tibi fecisti Apostolos, verbo tuo instructos. Matth. 5. *Aperiens os suum docebat eos dicens. Beati, &c.* Deut. 8. *Sicut homo erudit filium suum, &c.* Econtra dicitur Prou. 29. *Seruus verbis non potest erudiri.* Hac lima, massam rudem, & indigestam, & confusam, Dominus extra ruditatem posuit, diuidens elementa, & separans, ordinans, & ornans. Dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt. Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, &c.*

Decimoquinto armat vt gladius.

DECIMOQVINTO, armat vt gladius. Hebr. 4. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ephes. 6. *Gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Psal. 44. *Accingere gladio tuo.* Non vt ioculatrices, qui portant gladium in labijs. Psal. 58. *Gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit.* Sed vt milites Salomonis, qui *tenentes gladios in manibus, sunt ad bella doctissimi.* Can. 3. De hoc gladio habemus exemplum elegans, 2. Mach. 16. de visione Iudæ, cui apparuit Hieremias promittens ei victoriam, & porrigens ei gladium aureum, & dicens: *Accipe gladium sanctum munus à Deo in quo deijcies aduersarios.* Quod & fecit. Item eiusdem 3. dicitur: *Armauit Iudas suos, non clypei vel hastæ munitione, sed sermonibus optimis.* Item armauit vt triangularis clypeus. Psal. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius.* Prouerb. 30. *Omnis sermo Domini ignitus clypeus est sperantibus in se.*

Decimosexto pugnat contra malam voluntatem.

DECIMOSEXTO pugnat contra malam voluntatem: quia est aduersarius cui debemus consentire. Matth. 5. *Esto consentiens aduersario tuo quandiu es in v. a, &c.* Sap. 16. Omnipotens sermo Dei dicitur *durus bellator*, quia pugnat contra homines, & repugnat malis.

Decimoseptimo mundificat.

DECIMOSEPTIMO, mundificat. Hæc est ablutio cœlestis, qua facta sunt vasa cœlestis gratiæ, munda receptacula. Ioan. 15. *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Heb. 1. *Verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens.* In vitis patrum legitur, quod quidam pater, cuidam dicenti sibi, quid valebat ei audire verbum Dei; quia licet libenter audiret illud, cito tradebat obliuioni quę audiebat: tradidit calathum immundum, & fumo nigrum, & fuligine plenum, dicens vt in fonte illum immergeret, & plenum ei deferret. Quod cum attentaret facere, semper cum aqua plenum extraheret de fonte, aqua exibat. Qui cum videret se non posse aquam deferre in eo, redijt tristis, eo quod inutiliter laborasset. Cui dixit pater: Et si aquam non detulisti, tamen calathum hunc mundasti. Sic est de corde per quod transit verbum Dei, quia per illud mundatur.

Exemplum.

Decimooctauo confortat & cõfirmat.

DECIMOOCTAVO, confortat & confirmat. Sicut patet. 2. Mach. 10. & 11. *Post prædicationem Iudæ, sui conualuerunt animis; non solum autem homines, sed & bestias ferociss imas, & muros ferreos penetrarunt, leonum more cum impetu ruentes in hostes, &c.* Confortat vt cibus, & confirmat vt sit frequenter fortior Helya, vt in fortitudine cibi illius vadat aliquando, audito vno bono sermone, non per quadraginta dies, sed per quadraginta annos, aut plures, vsque ad montem Paradisi, per viam pœnitentiæ. *Item* confortat ad modum dulcissimi carminis musici. Ezech. 24. *Sermo meus est quasi carmen musicum, quod dulci suauique sono canitur.* Psal. 118. Cantabiles mihi erãt iustificationes tuæ. Insensiles sunt plusquam asini, qui in tam dulci carmine non recipiunt consolationem: & quidem duriores, & indeuotiores sunt, quàm asinus ad lyram. Asinus quando audit sonum citharæ, aures erigit. Cignus, vt dicit Isid. cum cithara sono concinit, & gestus lętitiæ ostendit. Bestialior est bestijs, quæ vt legitur in Passionibus Beatorum Mamertis & Blasij, ad eos conueniebant, & quasi mansuetæ, verba Dei ab eis audiebant attentè.

Decimonono liberat à morte.

DECIMONONO, liberat hominem à periculo mortis. Ioan. 8. *Veritas liberabit vos* Psal. 106. *Misit verbum suum, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Hic est Angelus liberans Petrum à cercere, & vinculis, & mortis periculo. Act. 12. *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit, &c.* nota supra de Rege, per verbum quod emerat, liberato à morte.

Vicesimo vincit tẽtationes diaboli.

VICESIMO, obstat & vincit, maximè tentationes Diaboli. Vnde Matth. 4. scuto triangulo, Sacræ scripturæ scilicet, repulit Dominus tres tentationes generales, sicut ibidem patet, & Diabolum tentantem repellendo deuicit. Psalm. 90. Scuto circumdabit te veritas eius, &c. A sagitta volante, &c. Nota historiam Esdræ 2. cap. 4. de tribus fortibus, quos vicit veritas, vbi dicitur. *Magna est veritas, & fortior præ omnibus.* Et post. *Veritas namque, & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in sæcula sæculorum.*

Vicesimoprimo mutat.

VICESIMOPRIMO, mutat: vt patet in illis qui missi fuerunt ad capiendum Dominum Ioan. 8. Audientes verba eius capti sunt, & redeuntes dixerunt Iudæis quærentibus quare non adduxerant eum, *nunquam sic locutus est homo.* Sic Saul audiens Prophetas, mutatur in virum alterum. 1. Reg. 31.

Vicesimosecũdo saluat.

VICESIMOSECVNDO saluat. Ia. 3. In mansuetudine sus. insitum verbũ quod saluare potest animas vestras.

Vicesimotertio fructificat, & facit mori in pace.

VICESIMOTERTIO fructificat, & facit mori in pace. Quæ autem fructificet, habetur. Col. 1. *Verbum veritatis Euangelium, quod peruenit ad nos, fructificat in nobis & crescit, &c.* Prou. 3. *Primi & purissimi fructus eius.* Primi quantum ad gratiam, purissimi quantum ad gloriam. Ibidem 8. *Melior est fructus meus auro, & omni lapide pretioso, &c.* Matth. 13. *Qui verbum Dei audit & intelligit, fructum affert, & facit aliud centesimum, &c.*

Exemplum.

IN vitis patrum legitur, quod cum Effrem esset puer sanctus, vidit somnium, quod de lingua sua exibat vitis totam terram implens, cuius fructus cum amplius comedebant volucres cœli, amplius abundabant. *Item* ibidem, quidam sanctus vidit ordinem Angelicum descendentem de cœlo, ferentem librum scriptum totum, intus & foris; & dicebant ad iudicem, cui tradendus erat, & cum multi multos nominassent sanctos, dixerunt vniformiter: licet omnes nominati Spiritus, sancti sint & boni, non potest tamen tradi nisi Effrem, & hunc ei detulerunt. Senex autem cui facta fuit hæc reuelatio, vidit in mane Effrem verba Dei docentem quasi fontem ebullire, & cognouit quia quod viderat sancti Spiritus opere factum erat. Huiusmodi autem verba lecta, multũ in Ecclesia ferunt fructum.

Exemplum.

ITEM facit mori in pace. Lucæ 2. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* *Legitur* in vitis patrum quod cum Abbas Mustius visitaret quendam fratrem laborantem in extremis, & videret eum horrere & pauere, remordente conscientia, ait ei: Surge datur tibi spatium pœnitentiæ trium annorum, qui statim sanus factus, vixit per tres annos cum dicto patre quasi Angelus Domini, & cum expleto hoc tempore prędicaret dictus pater de fructibus pœnitentiæ, frater ille quasi suauiter dormiens, migrauit ad Dominum.

Vicesimoquarto impetrat gratiã.

VICESIMOQVARTO, gratiam impetrat in præsenti, & gloriam in futuro. Prou. 15. *Doctrina bona dabit gratiam.* Quod patet in actis in multis locis, in prędicatione Apostolorum. Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei, &c.* 3. Reg. 10. *Beati serui tui qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Hęc dixit Regina Saba de seruis Salomonis.

Exemplum.

LEGITVR in vitis patrum quod cum quidam audiendo & legendo sacra verba, non sentiret in eis profectum; accedens ad quendam senem dixit ei, quod omnia audita vel lecta obliuioni tradebat; tunc senex habens duos batos nouos, præcepit alterum impleri oleo pluries, & refundi, ad vltimum dixit, oleo effuso, quod sentiret in vtroque. & dixit ille, quod iste suauior erat in quo fuerat oleum, & pinguior, quam alter. Sic cor quod sæpe suscipit verbum Dei, fit deuotius & paratius ad omne bonum. *Item* quidam pater impetrauit in oratione quòd nunquam dormiret in prędicatione,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vel cum dicerentur verba ędificationis: cum autem diceretur verbum ocioſum, vel aliud non pertinens ad ędificationem, ſtatim dormiebat, cum autem aliquando fratribus loqueretur de diuinis, omnes dormierunt, quod aduertens, inſeruit ex induſtria verbum ocioſum, & omnes excitati ſunt. Quos arguit, oſtendens deceptionem diabolicam. Item ibi dicitur, quod cum fratres conuenirent ad audiendum verbum Dei, vel orandum, vel pſallendum, quidam pater vidit paruulos Æthyopes eorum oculos claudentes, & ad dormiendum eos incitantes.

LIBRI III. PARS II.

DE PECCATIS.

De peccatis & vitijs ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

POSTQVAM oſtendimus quatuor eſſe remedia quæ præſeruare poſſunt hominem à peccato, tractauimus etiam de ſuggeſtionibus peccatorum, id eſt tentationibus, & de radicibus peccatorum, id eſt cogitationibus; & de progreſſionibus eorum, id eſt de peccatis linguæ; & de occaſionibus eorum, id eſt de quinque ſenſibus, qui plerumque præbent occaſionem, viam, & materiam ad peccandum; conſequenter conſiderandum eſt de iſtis peccatis. Erit autem hæc conſideratio bipartita, quia primo conſiderabimus de peccatis in generali. Secundo de ſingulis eorum in ſpeciali. Circa peccata in generali ſex conſideranda occurrunt. Primo quidem de peccatis & vitijs ſecundum ſe. Secundo de diſtinctione eorum. Tertio de comparatione eorum ad inuicem. Quarto de ſubiecto peccati. Quinto de cauſa eius. Sexto de effectibus eius. Circa primum conſideranda ſunt ſex. Primo vtrum vitium contrarietur virtuti. Secundo vtrum vitium ſit contra naturam. Tertio, quid ſit peius, vtrum peccatum, vel actus vitioſus. Quarto vtrum actus vitioſus poſſit ſimul eſſe cum virtute. Quinto vtrum in omni peccato ſit aliquis actus. Sexto de diffinitione peccati quam ponit Aug. 22. contra Fauſtum.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum vitium contrarietur virtuti*. Dicendum, quod circa virtutem duo poſſumus conſiderare, ſcilicet ipſam eſſentiam virtutis, & id ad quod eſt virtus. In eſſentia quidem virtutis, aliquid poteſt conſiderari directè, & aliquid ex conſequenti. Directè quidem virtus importat diſpoſitionem quandam alicuius conuenienter ſe habentis ſecundum modum naturæ ſuæ. Vnde Philoſophus dicit in 7. phi. quod *virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, dico autem perfectum quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam.* Ex conſequenti autem ſequitur, quod virtus ſit bonitas quædam. In hoc enim conſiſtit vniuſcuiuſque rei bonitas, quod conuenienter ſe habeat ſecundum modum ſuæ naturæ. Id autem ad quod virtus ordinatur, eſt actus bonus. Secundum hoc ergo tria inueniuntur opponi virtuti. Quorum vnum eſt peccatum, quod opponitur ſibi ex parte eius ad quod virtus ordinatur. Nam peccatum propriè nominat actum inordinatum; ſicut actus virtutis eſt ordinatus & debitus. Secundum autem quod ad rationem virtutis conſequitur, quod ſit bonitas quædam; opponitur virtuti malitia: ſed ſecundum id quod directè eſt de ratione virtutis, opponitur virtuti vitium. Vitium enim vniuſcuiuſque rei eſſe videtur, quod non ſit diſpoſita ſecundum quod conuenit ſuæ naturæ. Vnde Auguſtin. dicit in tertio de libr. arb. *Quod perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id voca vitium.*

Tria opponuntur virtuti, ſed directè & formaliter vitium.

ET NOTA quod ſicut dicit Tullius in 4. de Tuſcul. quæſtio. *Morbi, & ægritudines ſunt partes vitioſitatis.* In corporibus enim morbum appellant, totius corporis corruptionem, puta febrem, vel aliquid huiuſmodi: ægrotationem vero, morbum cum imbecillitate; vitium autem, cum partes corporis inter ſe diſcordant. Et quamuis in corpore quandoque ſit morbus ſine ægrotatione, puta cum aliquis eſt malè diſpoſitus interius, non tamen exterius præpeditur à ſolitis operationibus; in animo tamen vt ipſe dicit, hæc duo non poſſunt ſine cogitatione ſecerni. Neceſſe eſt enim quod quandocumque aliquis eſt interius malè diſpoſitus, habens inordinatum affectum, quod ex hoc imbecillis reddatur ad debitas operationes exercendas; quia vnaquęque arbor ex fructu cognoſcitur, id eſt homo ex opere, vt dicitur Matth. 12. Sed vitium animi, vt ibidem dicit Tullius, eſt habitus aut affectio animi, in tota vita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens. Quod quidem inuenitur etiam abſque morbo, vt puta cum aliquis ex infirmitate, vel ex paſſione peccat. Vnde in plus ſe habet vitium, quàm ægrotatio, vel morbus: Sicut etiam virtus in plus ſe habet quàm ſanitas: Nam ſanitas etiam quædam virtus ponitur, in 7. Phyſi. Et ideo virtuti conuenientius opponitur vitium, quàm ægrotatio, vel morbus.

Soluitio obiect.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum vitium ſit contra naturam.* Dicendum, quod ſicut dicit Aug. in 3. de lib. arb. *Omne vitium eo quod vitium eſt, contra naturam eſt*; quia ſicut dictum eſt, vitium virtuti contrariatur: Virtus autem vniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc, quod ſit bene diſpoſita ſecundum conuenientiam ſuæ naturæ. Vnde oportet quod in qualibet re vitium dicatur ex eo, quod eſt diſpoſitum contra id quod conuenit naturæ. Vnde & de hoc vnaquæque res vituperatur; à vitio autem nomen vituperationis detractū creditur, vt dicit Aug. in 3. de lib. arb. Sed conſiderandum eſt, quod natura vniuſcuiuſque rei potiſſimè eſt forma, ſecundū quam res ſpeciem ſortitur. Homo autem in ſpecie conſtituitur per animam rationalem, & ideo illud quod eſt contra ordinem rationis, propriè eſt contra naturam hominis inquantum homo. Quod autem eſt ſecundum rationem, eſt ſecundum naturam hominis in quantum eſt homo. Bonum autem hominis eſt ſecundum rationem, & malum hominis eſt eſſe prćter rationem, vt dicit Dion. 4. cap. de di. no. Vnde virtus humana quæ hominem facit bonum, & ipſius opus bonum reddit, eſt ſecundum naturam hominis, inquantum conuenit rationi. Vitium autem eſt contra naturam hominis, inquantum eſt contra ordinem rationis.

Vitium eſt contra naturam hominis, inquantum eſt contra ordinem rationis. Soluitio obiect.

VIRTVTES autem, etſi non cauſentur à natura ſecundum ſuum eſſe perfectum, tamen inclinant ad illud quod eſt ſecundum naturam, id eſt ſecundum ordinem rationis. Dicit enim Tullius in ſua Rhetorica, quod *virtus eſt habitus in modum naturæ rationi conſentaneus:* & hoc modo virtus dicitur eſſe ſecundum naturam, & per contrarium intelligitur quod vitium ſit contra naturā.

ITEM nota, quod vitium dicitur eſſe contra naturam, & contra legem diuinam, ſicut patet ex diffinitione Aug. *Peccatum eſt factum vel dictum, &c.* vt infra patebit, quia quicquid eſt contra naturam artificiati, eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur: lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ad artificiatum. Vnde eiuſdem rationis eſt, quod vitium & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem ęternam. Vnde Aug. dicit in 3. de lib. arb. quod *à Deo habent omnes naturæ, quod naturæ ſunt; & in tantum vitioſæ ſunt, in quantum ab eius qua factæ ſunt arte, diſcedunt.*

AD TERTIVM, ſcilicet *quid ſit peius, vtrum vitium vel actus vitioſus?* dicendum quod habitus medio modo ſe habet inter potentiam & actum. Manifeſtum eſt autem, quod actus in bono & in malo, præeminet potentiæ, vt dicitur in 9. Metha. Melius eſt enim bene agere, quam poſſe bene agere; & ſimiliter vituperabilius eſt malè agere, quam poſſe malè agere. Vnde ſequitur

quod

quod habitus in bonitate & malitia, medium gradum obtineat inter potentiam & actum: vt scilicet sicut habitus bonus vel malus præeminet in bonitate vel malitia potentiæ, ita etiam subdatur actui. Quod etiam ex hoc apparet, quia habitus non dicitur bonus, vel malus, nisi ex hoc quod inclinat ad actum bonum, vel malum. Vnde propter bonitatem vel malitiam actus, dicitur habitus bonus vel malus: & sic potior est actus in bonitate vel malitia, quam habitus: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis est.*

Actus vitiosus est potior vitio.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum actus vitiosus possit similiter esse cum virtute.* Dicendum, quod peccatū comparatur ad virtutem, sicut actus malus ad habitū bonum, aliter autem se habet habitus in anima, & forma in re naturali; forma enim naturalis, ex necessitate producit operationem sibi conuenientem. Vnde non potest esse simul cum forma naturali, actus formæ contrariæ; sicut non potest esse cum calore, actus infrigidationis; neque simul cum leuitate motus descensionis, nisi fortè ex violentia exterioris mouentis. Sed habitus in anima non ex necessitate producit suam operationem, sed homo vtitur eo cum voluerit: vnde simul, habitu in homine existente, potest non vti habitu, aut agere contrarium actum; & sic potest habens virtutem, procedere ad actum peccati. Actus autem peccati, si comparetur ad ipsam virtutem provt est habitus quidam, non potest ipsam corrumpere, si sit vnus tantum. Sicut enim non generatur vnus habitus per actū, ita nec per vnum actum corrumpitur, vt supra dictum est. Sed si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est quòd per vnum actum peccati, aliquæ virtutes corrumpantur, quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ est radix omnium infusarum virtutum, in quantum sunt virtutes: & ideo per vnum actum peccati mortalis excluſa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, quantum ad hoc quod sunt virtutes. Et hoc dico propter fidem & spem, quarum habitus remanent informes post peccatum mortale, & sic non sunt virtutes. Sed peccatum veniale, quod non contrariatur charitati, non excludit ipsam, per consequens etiam nec alias virtutes: virtutes vero acquisitę non tolluntur per vnum actum cuiuscumque peccati. Sic ergo peccatum mortale, non potest simul esse cum virtutibus infusis, potest tamen simul esse cum virtutibus acquisitis. Peccatum vero veniale potest simul esse, & cum virtutibus infusis, & cum virtutibus acquisitis.

Peccatū veniale potest stare cū virtutibus infusis & acquisitis, mortale vero, nō nisi cum acquisitis.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus.* Dicendum quod ista quæstio principaliter mouetur propter peccatum omissionis, de quo aliqui diuersimodè opinantur. Quidam enim dicunt quod in omni peccato omissionis est aliquis actus, vel interior, vel exterior. Interior quidem sicut cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam, quando ire tenetur. Exterior autem, sicut cum aliquis illa hora qua ad Ecclesiam ire tenetur, vel etiam ante, occupat se talibus, quibus ab eundo ad Ecclesiam impeditur; & hoc quodammodo videtur in primum redire. Qui enim vult aliquid cum quo aliud simul esse non potest, ex consequenti vult illo carere; nisi fortè non perpendat quod per hoc quod vult facere, impeditur ab eo quod facere tenetur; in quo casu posset per negligentiam culpabilis iudicari. Alij vero dicunt, quòd in peccato omissionis non requiritur aliquis actus: ipsum enim non facere, quod quis facere tenetur, peccatum est. Vtraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet. Si enim tollatur in peccato omissionis id solum, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic quandoque peccatum omissionis est cum actu interiori, vt cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam: Quādoque vero sine omni actu, vel interiori, vel exteriori; sicut cum aliquis hora qua tenetur ad Ecclesiam ire, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Ecclesiam. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causæ vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse, non enim est peccatum omissionis, nisi cum aliquis prętermittit quod potest facere. Quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud quod potest facere & non facere, non est nisi ex aliqua causa vel occasione coniuncta, vel pręcedente; & si quidem causa illa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati. Sicut cum aliquis propter infirmitatem prætermittit ire ad Ecclesiam. Si vero causa vel occasio omittendi subiaceat voluntati, omissio habet rationem peccati: & tunc semper oportet, quod ista causa in quantum est voluntaria, habeat aliquem actum, ad minus interiorem voluntatis, qui quidem actus, quandoque directè fertur in ipsam omissionem, puta cum aliquis vult non ire ad Ecclesiam, vitans laborem; & tunc talis actus per se pertinet ad omissionem: Voluntas enim cuiuscumque peccati, per se pertinet ad peccatum illud, eo quod voluntarium est de ratione peccati. Quandoque autem actus voluntatis directè fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito, siue illud in quo fertur voluntas, sit coniunctum omissioni, puta cum vult ludere quando debet ad Ecclesiam ire; siue etiam sit præcedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur quod non vadat hora matutinali ad Ecclesiam; & tunc actus iste interior vel exterior per accidens se habet ad omissionem, quia omissio sequitur præter intentionem. Hoc autem dicimus per accidens, quod est præter intentionem, vt patet in 2. Physi. Vnde manifestum est, quod tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum, vel præcedentem, qui tamen se habet per accidens ad peccatum omissionis. Iudicium autem de rebus dandum est secundum id quod est per se, & non secundum id quod est per accidens. Vnde verius dici potest quod aliquod peccatum potest esse absque omni actu. Alioquin autem ad essentiam aliquorum peccatorum actualium pertinerent actus, & occasiones circumstantes.

Nullum peccatum fieri potest absque actu aliquo coniuncto vel præcedente.

Ad sextvm, scilicet *de diffinitione peccati quam posuit Augusti. 22. contra Faustum: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem diuinam:* dicendum quod sicut ex dictis patet, peccatū nihil aliud est quam actus humanus malus. Quòd autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc quod est voluntarius; siue sit voluntarius quasi à voluntate elicitus, vt ipsum velle, & eligere; siue quasi à voluntate imperatus, vt exteriores actus, vel operationis, vel locutionis. Habet autem humanus actus quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione, omnis autem commensuratio cuiuscumque rei, attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si diuertat, inçommensurata erit. Regula autem humanę voluntatis est duplex. Vna propinqua, & homogenea, scilicet ipsa humana ratio. Alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est ratio Dei. Et ideo in diffinitione peccati Augustinus posuit duo. Vnum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit *dictum*, vel *factum*, vel *concupitum*. Aliud quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit, *contra legem æternam.*

Explicatur definitio peccati ab Aug. tradita.

De distinctione peccatorum.

Deinde considerandum est de distinctione peccatorum adinuicem. Et circa hoc quæruntur 9. Primo vtrum peccata distinguantur secundum obiecta. Secundo de distinctione peccatorum spiritualium à carnalibus. Tertio vtrum distinguantur secundū causas. Quarto vtrum secundum eos in quos peccatur. Quinto vtrum secundum diuersitatem reatus. Sexto vtrum secundum omissionem & commissionem. Septimo vtrum secundum diuersum processum peccati. Octauo vtrum secundum abundantiam & defectum. Nono vtrum secundum diuersas circumstantias.

Ad primvm, scil. *vtrum peccata differant specie secūdum obiecta.*

obiecta. dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad rationem peccati duo concurrunt ſcilicet actus voluntarius, & inordinatio eius, quæ eſt per receſſum à lege Dei. Horum autem duorum, vnum per ſe comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum voluntarium exercere in tali materia: Aliud autem, ſcilicet inordinatio actus, per accidens ſe habet ad intentionem peccantis: nullus enim intendens ad malũ operatur, vt dicit Dion. 4. c. de di. no. Manifeſtum eſt autem, quod vnumquodque conſequitur ſpeciem ſecundum id quod eſt per ſe, non autem ſecundum id quod eſt per accidens: quia ea quę ſunt per accidens ſunt extra rationem ſpeciei, & ideo peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum voluntariorum, magis quam ex parte inordinationis in peccato exiſtentis: Actus autem voluntarij diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta. Vnde ſequitur quod peccata propriè diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta.

Peccata differunt ſpecie ſecundum obiecta.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum conuenienter diſtinguantur peccata ſpiritualia à carnalibus.* Dicendum quod ſicut dictum eſt, peccata recipiunt ſpeciem ex obiectis; omne autem peccatum conſiſtit in appetitu alicuius commutabilis boni, quod inordinatè appetitur; & per conſequens in eo iam habito, inordinatè aliquis delectatur. Eſt autem duplex delectatio. Vna quidem animalis, quæ conſummatur in ſola apprehenſione alicuius rei ad votum habitæ, & hæc etiam poteſt dici delectatio ſpiritualis. Sicut cum aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquibus huiuſmodi. Alia vero delectatio eſt corporalis ſiue naturalis, quæ in ipſo tactu corporali perficitur, quæ poteſt etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa peccata quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali, vocantur peccata ſpiritualia. Illa vero quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata corporalia ſeu carnalia. Sicut gula perficitur in delectatione ciborum, & luxuria quæ perficitur in delectatione venereorum. Vnde & Apoſtol. dicit 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.*

Delectatio duplex ſcilicet ſpiritualis & carnalis, vnde quædam peccata dicuntur ſpiritualia quædam carnalia.

Solutio obiect.

Sed nota, quod cum omnia genera peccatorum dicantur opera carnis, &c. caro ſumitur ibi pro homine, qui dum ſecundum ſe viuit, ſecundũ carnem viuere dicitur. Vt etiam Aug. dicit 14. de Ciu. Dei, & huius ratio eſt ex hoc, quod omnis rationis humanæ defectus, ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum peccata diſtinguantur ſecundum cauſas:* dicendum quod cum ſint quatuor cauſarum genera, diuerſimodè à diuerſis attribuuntur. Cauſa formalis & materialis, reſpiciunt propriè ſubſtantiam rei; & ideo ſubſtantiæ, ſecundum formam & materiam, ſpecie & genere diſtinguuntur. Agens autem & finis reſpiciunt directè motum & operationem; & ideo motus & operationes ſecundum huiuſmodi cauſas diſtinguuntur; diuerſimodè tamen: nam principia actiua naturalia ſunt determinata ſemper ad eoſdem actus, & ideo diuerſæ ſpecies in actibus naturalibus attenduntur non ſolum ſecundum obiecta, quæ ſunt fines vel termini, ſed etiam ſecundum principia actiua, ſicut calefacere & infrigidare, diſtinguuntur ſpecie ſecundum calidum & frigidum. Sed principia actiua in actibus voluntarijs cuiuſmodi ſunt actus peccatorum, non ſe habent ex neceſſitate ad vnum: & ideo ex vno principio, vel actiuo, vel motiuo, poſſunt diuerſæ ſpecies peccatorum procedere. Sicut ex timore malè humiliante, poteſt procedere quod homo furetur, & quod occidat, & quod deſerat gregem ſibi commiſſum; & hæc eadem poſſunt procedere ex amore. Vnde manifeſtum eſt quod peccata non differunt ſpecie ſecundum diuerſas cauſas actiuas, vel motiuas; ſed ſolum ſecundum diuerſitatem cauſę finalis, finis autem eſt obiectum voluntatis, quia actus humani habent ſpeciem ex fine.

Actiones naturales differunt ſpecie tũ ex obiecto tum ex principio actiuo.

Peccata non differunt ſecundũ cauſas actiuas, ſed ex fine ſeu obiecto.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum peccata diſtinguantur ſecundum eos in quos peccatur:* dicendum quòd ſicut ſupra dictum eſt, peccatum eſt actus inordinatus. Triplex autem ordo in homine debet eſſe. Vnus per comparationem ad legem diuinam per quam homo in omnibus dirigi debet. Alius ſecundum comparationem ad regulam rationis, prout ſcilicet omnes actiones & paſſiones noſtræ, debent ad regulam rationis menſurari: & ſi quidem naturaliter homo eſſet animal ſolitarium, hic duplex ordo ſufficeret. Sed quia homo eſt naturaliter animal politicum & ſociale, vt probatur in primo Politicorum, ideo neceſſe eſt quòd ſit tertius, quo ordinetur ad alios homines quibus conuiuere debet. Horũ autem ordinum, primus continet ſecundum, & excedit ipſum: quęcumque enim continentur ſub ordine rationis continentur ſub ordine ipſius Dei, ſed quędam continentur ſub ordine ipſius Dei, quæ excedunt rationem humanam, ſicut ea quæ ſunt fidei, & quæ debentur ſoli Deo. Vnde qui in talibus peccat, dicitur in Deum peccare, ſicut hæreticus, & ſacrilegus, & blaſphemus. Similiter etiam ſecundus ordo includit tertium, & excedit ipſum: quia in omnibus in quibus ordinamur ad proximum, oportet nos dirigi ſecundum regulam rationis. Sed in quibuſdam dirigimur ſecundum rationem quantum ad nos tantum, non autem quantum ad proximum, & quando in his peccatur, dicitur homo peccare in ſeipſum, ſicut patet de luxurioſo, guloſo, & prodigo; quando vero peccat homo in his quibus ad proximum ordinatur, dicitur peccare in proximum, ſicut patet de fure, & homicida. Sunt autem diuerſa, quibus ordinatur homo ad Deum, & proximum, & ad ſeipſum. Vnde hæc diſtinctio peccatorum eſt ſecundum obiecta, ſecundum quæ diuerſificantur ſpecies peccatorum. Vnde iſta peccatorum diſtinctio, propriè eſt ſecundum diuerſas peccatorum ſpecies. Nam & virtutes, quibus peccata opponuntur ſecundum hanc differentiam, ſpecie diſtinguuntur. Manifeſtum eſt enim, quod virtutibus Theologicis homo ordinatur ad Deum, temperantia vero & fortitudine ad ſeipſum, iuſtitia autem ad proximum.

Triplex debet eſſe ordo in homine.

Peccata differunt ſpecie ſecundum eos in quos peccatur, ſcil. Deum, proximum & ſeipſum.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum peccata diſtinguantur ſecundum reatum:* dicendum quod eorum quę ſpecie differunt, duplex differentia inuenitur. Vna quidem quæ conſtituit diuerſitatem ſpecierum; & talis differentia nunquam inuenitur niſi in ſpeciebus diuerſis, ſicut rationale & irrationale, animatum & inanimatum. Alia differentia eſt conſequens diuerſitatem ſpeciei, & talis differentia, etſi in aliquibus conſequatur diuerſitatem ſpeciei, in alijs tamẽ poteſt inueniri in alia ſpecie. Sicut album & nigrum conſequuntur diuerſitatem ſpeciei corui & cigni, & tamen inuenitur huiuſmodi differẽtia in eadem hominis ſpecie. Dicẽdum eſt ergo, quod differentia venialis & mortalis peccati, vel quęcumq; alia differẽtia quæ ſumitur pœnes reatũ, non poteſt eſſe differentia conſtituens diuerſitatem ſpeciei, nunquã enim id quod eſt per accidens conſtituit ſpeciem, id autem quod eſt præter intentionem agentis, eſt per accidens, vt patet in 2. Phi. Manifeſtũ autem eſt, quod pœna eſt prętер intentionem peccantis. Vnde per accidens ſe habet ad peccatum ex parte ipſius peccantis, ordinatur tamen ad peccatum ab exteriori, ſcilicet ex iuſtitia iudicantis, qui ſecundum diuerſas conditiones peccatorum diuerſas pœnas infligit. Vnde differentia quæ eſt ex reatu pœnæ, poteſt conſequi diuerſam ſpeciem peccatorum, non autem conſtituit diuerſitatem ſpeciei: differentia autem peccati mortalis & venialis conſequitur diuerſitatem inordinationis quæ complet rationem peccati. Duplex enim eſt inordinatio. Vna per ſubſtractionem principij ordinis. Alia, qua ſaluato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quæ ſunt prę-ter principium. Sicut in corpore animalis, quandoque quidem inordinatio complexionis procedit vſque ad deſtructionem vitalis principij, & hęc eſt mors. Quandoque vero ſaluo principio vitæ fit deordinatio quædam in humoribus, & tunc eſt ægritudo. Principium autem totius ordinis in moralibus eſt finis vltimus; qui ita ſe habet in operatiuis, ſicut principium indemonſtrabile in ſpeculatiuis, vt dicitur in 7. Ethi. Vnde quando anima deordinatur per peccatum vſque ad

Peccata non differũt ſpecie ſecundum reatum nec per conſequens mortale & veniale.

Diſcrimen inter peccatum mortale & veniale.

auerſionem

auersionem ab vltimo fine, scilicet à Deo cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale, quando vero fit deordinatio citra auersionem à Deo tunc est peccatum veniale. Sicut enim in corporalibus, deordinatio mortis, quæ est per remotionem principij vitæ, est irreparabilis secundum naturam, inordinatio autem ęgritudinis reparari potest, propter id quod est principium vitæ; Similiter est in his quæ pertinent ad animã. Nam in speculatiuis qui errat circa principia, impersuasibilis est: qui autẽ errat saluatis principijs, per ipsa principia reuocari potest, & similiter in operatiuis, qui peccando auertitur ab vltimo fine quantum est ex natura peccati, lapsum habet irreparabilem, & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus. Qui vero peccat citra auersionem à Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia saluatur principiũ; & ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, vt mereatur interminabilem pœnam.

A

B

Ad sextvm, scilicet *vtrum peccata distinguantur secundum omissionem & commissionem*: dicendum quod in peccatis inuenitur duplex differentia. Vna materialis, & alia formalis. Materialis quidem attenditur secundum naturalem speciem actuum peccati. Formalis autem secundum ordinem ad vnũ finem proprium, quod etiam est proprium obiectum. Vnde inueniuntur aliqui actus materialiter specie differentes, qui tamẽ formaliter sunt in eadem specie peccati, quia ad idem ordinantur, sicut ad eandem speciem homicidij pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio, quamuis actus sint specie differentes secundum speciem naturę. Sic ergo si loquamur de specie peccati omissionis & commissionis materialiter, differunt specie; largè tamen loquẽdo de specie, secundum quod negatio vel priuatio speciem habere potest. Si autem loquamur de specie peccati omissionis & commissionis formaliter, sic non differũt specie: quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt. Auarus enim ad congregandum pecuniam, & rapit, & non dat ea quæ dare debet. Et similiter gulosus ad satisfaciendum gulæ, & superflua comedit, & ieiunia debita prætermittit; & idem etiam est videre in cæteris. Semper enim in rebus negatio fundatur super aliqua affirmatione, quæ est quodammodo causa eius. Vnde etiam in rebus naturalibus eiusdem rationis est, quod ignis calefaciat, & quod non infrigidet.

Peccata cõmissionis & omissionis differũt specie materialiter loquendo, sed non formaliter.

C

Solutio obiect.

Et nota quod in lege diuina necesse fuit proponi diuersa prȩcepta affirmatiua & negatiua, vt gradatim homines introducerentur ad virtutem, prius quidem abstinendo à malo, ad quod inducimur per prȩcepta negatiua; & postmodum faciendo bonum, ad quod inducimur per præcepta affirmatiua, & sic præcepta negatiua & affirmatiua, non pertinent ad diuersas virtutes, sed ad diuersos gradus virtutis; & per consequens non oportet quod contrarientur diuersis peccatis secundũ speciem. Peccatum etiam non habet speciem ex parte auersionis, quia secundum hoc est negatio vel priuatio, sed ex parte conuersionis secundum quod est actus quidam. Vnde secundum diuersa præcepta legis, non diuersificantur peccata secundum speciem.

D

Ad septimvm, scilicet *vtrum conuenienter diuidatur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis*: dicendum quod aliqua inueniuntur differre specie dupliciter. *Vno modo* ex eo quod vtraque habent speciem completam, sicut equus & bos differunt specie. *Alio modo* secundum diuersos gradus, in aliqua generatione vel motu, accipiuntur diuersæ species: sicut ædificatio est completa generatio domus, collocatio autem fundamẽti, & erectio parietis, sunt species incompletæ, vt patet per Phil. in 10. Eth. & illud etiam potest dici in generationibus animalium. Sic ergo peccatum diuiditur per hæc tria, scilicet peccatum oris, cordis, & operis, non sicut per diuersas species completas: nam consummatio peccati est in opere; Vnde peccatum operis habet speciẽ completam. Sed eius prima inchoatio est quasi fundatio in corde. Secundus autem gradus eius est in ore, secundũ quod homo promptus est ad manifestandũ conceptum cordis. Tertius autem gradus iam est in consummatione operis, & sic hæc tria differunt secundum diuersos gradus peccati: patet tamen quod hæc tria pertinent ad vnam perfectam peccati speciem, cum ab eodem motiuo procedant. Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictã, primo quidem perturbatur in corde, secundo in verba contumeliosa prorumpit, tertio vero procedit vsque ad facta iniuriosa. Et idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.

E

Peccata cordis, oris & operis differunt specie incompleta, nam solum peccatũ operis habet speciem cõpletam, & cætera ad illã pertinent. Solutio obiect.

Peccata ergo oris & operis, nõ distinguuntur à peccato cordis, quando simul coniunguntur cum eo (quia non potest esse peccatum in ore, vel opere, nisi prius fuerit in corde) sed provt quodlibet horum per se inuenitur: Sicut pars motus non distinguitur à toto motu, quando motus est communis, sed solum quando motus sistit in medio. Distinguuntur ergo ista tria, quia possunt ab inuicem separari. Vnde Hieron. super Ezechielem. *Tria sunt generalia delicta quibus humanum genus subiacet; aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus.*

Omne porro peccatum cordis conuenit in ratione occulti, & secundum hoc ponitur vnus gradus; qui tamen per tres gradus distinguitur, sicut patet per Aug. 12. de Trin. Quorum primus est, cum carnalis sensus illecebram quandam ingerit, quod est peccatum cogitationis. Secundus gradus est, quando sola cogitationis delectatione est cõtentus. Tertius gradus est quando faciendum decernitur per consensum. Peccata vero oris & operis conueniunt in manifestatione: & propter hoc sub vno computantur à Greg. 4. moral. Vbi ponit 4. gradus peccati. Quorum primus est, culpa latens in corde. Secundus cum exterius publicatur. Tertius est cum consuetudine roboratur. Quartus est cum vsque ad præsumptionem diuinæ misericordiæ, vel ad desperationem homo procedit. Hìc non distinguitur peccatum operis à peccato oris, quia conueniunt in manifestatione, vt dictum est. Hier. autẽ distinguit ea, quia in peccato oris est manifestatio tantum, & principaliter intenta. In peccato vero operis est principaliter expletio interioris conceptus cordis, sed manifestatio est ex consequenti. Consuetudo vero & desperatio sunt gradus consequentes post perfectam speciem peccati, sicut adolescentia & iuuentus post perfectam hominis generationem.

Tres sunt gradus in peccato cordis.

Discrimen inter peccatũ oris & operis

Progressus peccati cernitur in peccato primorum parentum Genes. 3.

Progressvs autem peccati, quomodo serpit, & serpendo procedit, optimè declaratur in primo peccato primorum parentum. Gen. 3. *Dixit serpens ad mulierẽ, Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier. De fructu lignorum qui sunt in Paradiso vescimur, de fructu vero ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquã morte moriemini. Scit enim Deus, quod quodcumque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Attende, quod Deus dixerat assertiuè & comminatoriè, *quocumque die comederitis, &c* mulier addidit hęsitationis, scilicet *fortè*; serpens constanter negauit, dicens: *Nequaquam moriemini.* Ecce Diabolus posuit in quæstione. Et mulier respondit cum hæsitatione; & ex hoc dedit Diabolo viam & audaciam negandi, quod Deus dixerat cum assertione, nisi enim mulier hæsitasset, Diabolus verbum Domini negare minimè præsumpsisset, nisi etiam mulier Diabolo plusquam Deo credidisset, nequaquam cibum vetitum tetigisset. Sequitur. *Vidit ergo mulier quod lignum esset bonum ad vescendum*, hoc cognouit ex odoratu, *Et pulchrum oculis*, ecce aspectus: *Tulit de fructu*, ecce tactus, *Et comedit*, ecce gustus: & sic completum est in Eua peccatum inobedientiæ, ad quod tamen multæ deordinatæ circumstantiæ concurrerunt: *Deditque viro suo*, ecce iniqua suggestio; *Qui comedit*: ecce Adæ prȩuaricatio; & sic peccatũ consummatum est in vtroque. Iste processus qui fuit in peccato primorum parentum materialiter, solet esse in peccato vnius hominis spiritualiter. Nam aspectus est in cognitione, Odoratus in delectatione, Tactus in

conſenſu, Guſtus in perpetratione. Aduerte quàm mortiferus eſt iſte fructus, qui non ſolum ex guſtu infert mortem, ſicut animalia venenoſa; verumetiam ex viſu, odoratu, tactu, & guſtu.

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum peccata diſtinguantur ſecundum ſuperabundantiam & defectum*: dicendum quòd cum in peccato ſint duo, ſcilicet ipſe actus, & inordinatio eius, provt receditur ab ordine rationis, & legis diuinæ; ſpecies peccati non attenditur ex parte inordinationis, quæ eſt prẽter intentionem peccantis, ſed magis ex parte ipſius actus, ſecundum quod terminatur ad obiectum, in quod fertur intentio peccantis: & ideo vbicumque occurrit diuerſum motiuum inclinans intentionem ad peccatum, ibi eſt diuerſa ſpecies peccati. Manifeſtum eſt autem, quòd non eſt idem motiuum ad peccandum, in peccatis quæ ſunt ſecundum ſuperabundantiam, & in peccatis quę ſunt ſecundum defectum; quinimò ſunt contraria motiua, ſicut motiuum in peccato temperantiæ, eſt amor delectationũ corporalium; motiuum autem in peccato inſenſibilitatis eſt odium earũ. Vnde huiuſmodi peccata non ſolum differunt ſpecie, ſed etiam ſunt inuicem contraria.

Peccata ſecundum ſuperabundantiam & defectum non ſolum ſpecie differunt ſed ſunt etiam contraria.

AD NONVM, ſcilicet *vtrum peccata diſtinguantur ſecundum diuerſas circumſtantias*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, vbi occurrit aliud motiuum ad peccandum, ibi eſt alia peccati ſpecies, quia motiuum ad peccãdum eſt finis & obiectum. Contingit autem quandoq; quod in corruptionib. diuerſarum circumſtantiarũ eſt idem motiuum; ſicut illiberalis ab eodem mouetur, quod accipiat quando non debet, & vbi non debet, & pluſquam debet; & ſimiliter de alijs circumſtantijs: hoc enim facit propter inordinatum appetitum pecuniæ congregandæ, & in talibus diuerſarum circũſtantiarum corruptiones, non diuerſificant peccatorum ſpecies, ſed pertinent ad vnã & eandem peccati ſpeciem. Quandoque vero contingit, quod corruptiones diuerſarum circumſtantiarum proueniunt à diuerſis motiuis: puta quod aliquis præpropere comedat, poteſt prouenire ex hoc quod homo non poteſt ferre dilationem cibi, propter facilem conſumptionem humiditatis. Quod vero appetat immoderatum cibum, poteſt contingere propter virtutem naturæ, potentem ad conuertendum multum cibum: quod autem appetat aliquis cibos delitioſos, contingit propter aliquem appetitum delectationis qui eſt in cibo. Vnde in talibus diuerſarum circumſtantiarum corruptiones inducunt diuerſas peccati ſpecies.

Peccata differunt ſpecie ex circũſtantijs quando non ſubeſt idem motiuum; vtpote motiuum eſt finis & obiectum atque adeo dat ſpeciem.

De comparatione peccatorum adinuicem.

DISTINCTIO II.

DEINDE conſiderandum eſt de comparatione peccatorum ad inuicem. Et circa hoc quæruntur decem. Primo vtrum omnia peccata & vitia ſint connexa. Secundo vtrum omnia peccata ſint paria. Tertio vtrum grauitas peccatorum attendatur ſecundum obiecta. Quarto vtrum ſecundum dignitatem virtutum quibus peccata opponuntur. Quinto vtrum peccata corpòralia ſint grauiora quam ſpiritualia. Sexto vtrum ſecundum cauſas peccatorum attendatur grauitas peccatorum. Septimo vtrum ſecundum diuerſas circumſtantias. Octauo vtrum ſecundũ qualitatem nocumenti. Nono vtrum ſecundum conditionem perſonæ in quam peccatur. Decimo vtrum propter magnitudinem perſonæ peccantis aggrauetur peccatum.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum omnia peccata ſint connexa*. dicendum quod aliter ſe habet intentio agentis ſecundum virtutem ad ſequendum rationem, & aliter intentio peccantis ad diuertendum à ratione. Cuiuſlibet enim agentis ſecundum virtutem intentio eſt, vt rationis regulam ſequatur; & ideo omnium virtutum intentio in idem tendit, & propter hoc omnes virtutes habent connexionem adinuicem in ratione recta agibilium, quæ eſt prudentia. Sed intentio peccantis non eſt ad hoc, quòd recedat ab eo quod eſt ſecundum rationem, ſed potius intendat in aliquod bonum appetibile à quo ſpeciem ſortitur, huiuſmodi autem bona, in quę tendit intentio peccantis à ratione recedens, ſunt diuerſa, nullam connexionem habentia adinuicem; immò etiam interdum ſunt contraria. Cùm igitur vitia & peccata ſpeciem habeant ſecundum id ad quod conuertuntur, manifeſtum eſt quod ſecundum id quod perficit ſpecies peccatorum, nullam connexionem habent peccata adinuicem, non enim committitur in accedendo à multitudine ad vnitatem, ſicut accidit in virtutibus quæ ſunt connexæ, ſed potius in recedendo ab vnitate ad multitudinem.

Peccata nullam habent connexionẽ adinuicem.

VNDE Beatus Iacobus quando dicit Iacob. 2. *Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus*; loquitur de peccato non ex parte conuerſionis, ſecundum quod peccata diſtinguuntur, ſicut dictum eſt; ſed loquitur de eis ex parte auerſionis, inquantum ſcilicet homo peccando, recedit à legis mandato. Omnia autem legis mandata ſunt ab vno & eodem, vt ipſe dicit ibidem; & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato. Et ex hac parte dixit, quod qui offendit in vno, factus eſt omniũ reus; quia ſcilicet vno peccato peccando, incurrit homo pœnæ reatum ex hoc quod contemnitur Deus, ex cuius contemptu prouenit omnium peccatorum reatus.

Solutio obiect.

Qui in vno offendit factus eſt omnium reus, quatenus recedit à Deo & eum contemnit.

ET nota quod non per quemlibet actum peccati tollitur virtus oppoſita, nam peccatum veniale virtutem non tollit: peccatum autem mortale tollit virtutem infuſam, inquantum auertit à Deo; Sed vnus actus peccati etiam mortalis, non tollit habitum virtutis acquiſitæ. Sed ſi multiplicentur actus intantum quod generetur habitus contrarius, excluditur habitus virtutis acquiſitæ, qua excluſa excluditur: quia dum homo agit contra quamcumque virtutem, agit contra prudentiam: Sine prudentia autem nulla virtus moralis eſſe poteſt, & ideo per conſequens excluduntur omnes virtutes morales, quantum ad perfectum & formale eſſe virtutis, quod habent ſecundum quod participant prudentiam; remanent tamen inclinationes ad actus virtutum non habentes rationem virtutis. Sed non ſequitur quod propter hoc homo incurrat omnia vitia vel peccata. Primo quidem, quia vni virtuti plura vitia opponuntur, ita quod virtus poteſt priuari per vnum eorum, etſi alterum non adſit. Secundo quia peccatum directè non opponitur virtuti, quantum ad inclinationem virtutis ad actum. Vnde remanentibus aliquibus inclinationibus virtuoſis, non poteſt dici quod non habeat vitia vel peccata oppoſita.

ITEM quia amor Dei eſt congregatiuus in quantum affectum hominis à multis ducit in vnum, ideo virtutes quæ ex amore Dei cauſantur, connexionem habẽt: ſed amor ſui diſgregat affectum hominis in diuerſa, provt ſcilicet homo ſe amat appetendo ſibi bona temporalia, quæ ſunt varia, & diuerſa; & ideo vitia & peccata quæ cauſantur ex amore ſui, non ſunt connexa.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum omnia peccata ſint paria*. dicendum quod opinio Stoycorum fuit, quã Tullius proſequitur in Paradoxis, quod omnia peccata ſunt paria: & ex hoc etiam deriuatus eſt quorundam hæreticorum error, qui ponentes omnia peccata eſſe paria, debent etiam omnes pœnas inferni eſſe pares, & quantum ex verbis Tullij perſpici poteſt, Stoyci mouebantur ex hoc, quod conſiderabant peccatũ ex parte priuationis tantum, provt ſcilicet eſt receſſus à ratione. Vnde ſimpliciter æſtimantes quod nulla priuatio ſuſciperet magis & minus, poſuerunt omnia peccata eſſe paria. Sed ſi quis diligenter conſideret, inueniet duplex priuationis genus. Eſt enim quędam ſimplex & pura priuatio, quæ conſiſtit quaſi in corruptum eſſe, ſicut mors eſt priuatio vitæ, & tenebræ priuatio luminis: & tales priuationes non recipiunt magis & minus; quia nihil reſiduum eſt de habitu oppoſito. Vnde non minus eſt mortuus aliquis primo die mortis, & tertio, vel quarto; quam poſt annum, quando cadauer iam fuerit

Duplex eſt genus priuationis ſcilicet ſimplex & non ſimplex.

reſolutum:

resolutum: & similiter non magis est tenebrosa domus, si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quam si sit operta vno solo velamine, totum lumen intercludente. Est autem alia priuatio non simplex, sed aliquid retinens de habitu opposito; quæ quidem priuatio magis consistit in corrumpi, quam in corruptum esse; sicut ægritudo quæ priuat debitam commensurationem humorum, ita tamen quod aliquid eius remaneat; alioquin non remaneret animal viuum. Simile est de turpitudine, & alijs huiusmodi. Huiusmodi autem priuationes recipiunt magis & minus, ex parte eius quod remanet de habitu contrario. Multum enim refert ad ægritudinem vel turpitudinem, vtrum plus vel minus à debita commensuratione humorum vel membrorum recedatur. Similiter etiam dicendum est de vitijs & peccatis. Sic enim priuatur in eis debita commensuratio rationis, vt non totaliter rationis ordo tollatur. Alioquin malum si sit integrum, seipsum destruit vt dicitur in 4. Ethi. Non enim posset remanere substantia actus, vel affectio agentis, nisi aliquid remaneret de ordine rationis. Et ideo multum interest ad grauitatem peccati vtrum plus vel minus recedatur à rectitudine rationis. Et secundum hoc dicendum est quod non omnia peccata sunt paria.

Priuatio in peccato non est pura & simplex sed mixta cum aliquo ordine rationis & ideo non omnia peccata sunt paria.

A

B

Ad tertium, scilicet *vtrum grauitas peccatorum attendatur secundum obiecta:* dicendum quod sicut ex supra dictis patet, grauitas peccatorum non differt eo modo quo vna ægritudo est alia grauior. Sicut enim bonum sanitatis consistit in quadam commensuratione humorum per conuenientiam ad naturam animalis, ita bonum virtutis consistit in quadam commensuratione humani actus secundum conuenientiam ad regulam rationis. Manifestum est autem quod tanto est grauior ægritudo, quanto magis tollitur humorum debita commensuratio, per commensurationem prioris principij: Sicut ægritudo quæ prouenit in corpore humano ex corde, quod est principium vitæ, vel ex aliquo quod appropinquat cordi, periculosior est. Vnde oportet quod etiam peccatum sit tanto grauius, quanto maior deordinatio contingit circa aliquod principium quod est prius in ordine rationis, ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine, & ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est grauius: Obiecta autem actuum sunt fines eorum, & ideo secundum diuersitatem obiectorum, attenditur diuersitas grauitatis in peccatis, sicut patet quod res exteriores ordinantur ad hominem tanquam ad finem, homo autem vlterius ordinatur in Deum sicut in finem. Vnde peccatum quod est contra ipsam substantiam hominis, sicut homicidium; est grauius peccato quod est contra res exteriores, sicut furtum: & adhuc est grauius peccatum quod immediatè contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia, & huiusmodi, & in ordine quorumlibet horum peccatorum, vnum peccatum est grauius altero, secundum quod est circa aliquid principalius, vel minus principale: & quia peccata habent speciem ex obiectis, differentia grauitatis quæ attenditur penes obiecta, est prima & principalis, quasi consequens speciem.

Grauitas peccatorum attenditur penes diuersitatem obiectorum seu finiũ principaliter loquendo, qui sunt Deus, ipse homo, & proximus.

C

D

Ad quartum, scilicet *vtrum attendatur grauitas peccatorum secundum diuersitatem virtutum quibus peccata opponuntur:* dicendum quod virtuti opponitur peccatum dupliciter. Vno quidem modo principaliter & directè, quod scilicet est contra idem obiectum, nam contraria circa idem sunt: & hoc modo oportet quod maiori virtuti opponatur grauius peccatum. Sicut enim ex parte obiecti attenditur maior grauitas peccati, ita etiam & maior dignitas virtutis. Vtrumq; enim ex obiecto speciem sortitur, vt ex supradictis patet. Vnde oportet quod maximæ virtuti directè opponatur maximum peccatum, quasi maximè ab eo distans in eodem genere. Alio modo considerari potest oppositio virtutis cohibentis peccatum, quanto enim fuerit virtus maior, tanto magis elongat hominem à peccato sibi contrario, ita quod non solum ipsum peccatum, sed etiam inducentia ad peccatum cohibet: & sic manifestum est quod quanto aliqua virtus fuerit maior, tanto etiam minora peccata cohibet: sicut etiam sanitas, quanto fuerit maior, tanto minores distemperantias excludit; & per hunc modum, maiori virtuti minus peccatum opponitur ex parte effectus.

Maxima virtuti opponitur maximum peccatum ex parte obiecti, & minimũ ex parte effectus.

E

Ad quintum, scilicet *vtrum peccata carnalia sint minoris culpæ quam spiritualia.* Dicendum quod peccata spiritualia sunt maioris culpæ quam peccata carnalia, quod non est sic intelligendum, quod quodlibet spirituale peccatum sit maioris culpæ quolibet peccato carnali; sed quia considerata hac sola differentia spiritualitatis, & carnalitatis, grauiora sunt spiritualia peccata, cæteris paribus. Cuius ratio triplex assignari potest. Prima quidem ex parte subiecti; nam peccata spiritualia pertinent ad spiritum, cuius est conuerti ad Deum, & ab eo auerri. Peccata vero carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet ad bonum corporale conuerti. Et ideo peccatum carnale in quantum huiusmodi, habet plus de conuersione; propter quod etiam est maioris adhæsionis. Sed peccatum spirituale habet plus de auersione, ex qua procedit ratio culpæ; & ideo peccatum culpæ inquantum huiusmodi, est maioris culpæ. Secunda ratio sumi potest ex parte eius in quem peccatur. Nam peccatum carnale inquantum huiusmodi, est in corpus proprium, quod est minus diligendum secundum ordinem charitatis, quam Deus & proximus, in quos peccatur per peccata spiritualia; & ideo peccata spiritualia inquantum huiusmodi, sunt maioris culpæ. Tertia item potest sumi ex parte motiui, quia quanto est grauius impulsiuum ad peccandum, tanto homo minus peccat, vt infra dicetur. Peccata autem carnalia habent vehementius impulsiuum, id est ipsam concupiscentiam carnalem nobis innatam, & ideo peccata spiritualia inquantum huiusmodi sunt maioris culpæ.

Grauiora sunt peccata spiritualia carnalibus cæteris paribus, & hoc propter tria.

Ad sextum, scilicet *vtrum grauitas peccatorum attendatur secundum causas peccatorum.* dicendum quod in genere peccati, sicut & in quolibet alio genere, potest accipi duplex causa. Vna quæ est propria & per se causa peccati, quæ est ipsa voluntas peccandi: comparatur enim ad actũ peccati, sicut arbor ad fructũ; sicut dicitur in Glo. super illud Matth. 7. *Non potest arbor bona fructus malos facere*, & huiusmodi causa quanto fuerit maior, tanto peccatum erit grauius; quanto enim fuerit voluntas maior ad peccandum, tanto homo grauius peccat. Aliæ vero causæ peccati accipiuntur quasi extrinsecæ & remotæ; ex quibus scilicet homo inclinatur ad peccandum. Et in his causis est distinguendum. Quædam enim inducunt voluntatem ad peccandum secundum ipsam naturam voluntatis, & tali causa augetur peccatum. Aliæ vero causæ sunt quæ inclinant voluntatem ad peccandum, præter naturam & ordinem ipsius voluntatis, quæ nata est moueri libere ex seipsa, secundum iudicium rationis; sicut ignorantia, vel quæ diminuunt liberum motum voluntatis; sicut infirmitas, vel violentia, aut metus, aut aliquid huiusmodi, diminuunt peccatum, sicut & diminuunt voluntarium; intantum quod si actus sit omnino inuoluntarius, non habet rationem peccati.

Peccati grauitas sumitur ex causis quæ augent volũtarium, non autem ex ijs quæ minuunt.

Ad septimum, scilicet *vtrum attendatur grauitas peccatorum secundum circumstantias:* dicendum quod vnumquodque ex eo natum est augeri, ex quo causatur; sicut dicit Philosophus de habitu virtutis in 2. Ethi. Manifestum est autem, quod peccatũ causatur ex defectu alicuius circumstantiæ: ex hoc enim recedit ab ordine rationis, quod aliquis in operando non obseruat debitas circũstantias. Vnde manifestum est quod peccatum natum est aggrauari per circunstantiam, sed hoc quidem contingit tripliciter. Vno quidem modo inquantum circumstantia transfert in aliud genus peccati: sicut peccatum fornicationis cõsistit in hoc quod homo accedit ad non suam; Si autem addatur hæc circumstantia, vt illa ad quam accedit sit alterius vxor,

Peccatum aggrauatur ex circumstantijs tripliciter scilicet intra eandem speciem, dupliciter, & transferendo in aliam speciem.

transfert iam in aliud genus peccati, ſcilicet in iniuſtitiam, inquantum homo vſurpat rem alterius; & ſecundum hoc adulterium eſt grauius peccatum quam fornicatio. Aliquando vero circumſtantia non aggrauat peccatum quaſi trahens in aliud genus peccati, ſed ſolum quia multiplicat rationem peccati: ſicut ſi prodigus det quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere, quam ſi ſolum det cui non debet; & ex hoc ipſo peccatum fit grauius: ſicut etiam ægritudo eſt grauior, quæ plures partes corporis inficit. Vnde & Tullius dicit in Paradoxis, quod in patris vita violanda, multa peccantur: violatur enim is qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, qui in ſede ac domo atque in rempublicam collocauit. Tertio modo circumſtantia aggrauat peccatum, ex eo quod auget deformitatem prouenientem ex alia circumſtantia: ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti; ſi autem addatur hæc circumſtantia, vt multum accipiat de alieno, erit peccatum grauius, quamuis accipere multum vel parum, de ſe non dicat rationem boni aut mali.

Nocumentū ex peccato prouiniens diuerſi modò auget peccatum.

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum grauitas peccati augeatur ſecundum maius nocumentum*: dicendum quod nocumentum tripliciter ſe poteſt habere ad peccatum. Quandoque enim nocumentum quod prouenit ex peccato eſt præuiſum & intentum; ſicut cum aliquis operatur animo nocendi alteri, vt homicida vel fur; & tunc directa quantitas nocumenti adauget quantitatem peccati, quia tunc nocumentum eſt per ſe obiectum peccati. Quandoque vero nocumentum eſt præuiſum ſed non intentum; ſicut cum aliquis tranſiens per agrum vt compendioſius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his quæ ſunt ſeminata in agro ſcienter, licet non animo nocendi; & ſic etiam quantitas nocumenti aggrauat peccatum ſed indirectè, inquantum ſcilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non prætermittat damnum facere ſibi vel alij, quod ſimpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec eſt intentum, nec præuiſum; & tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggrauat peccatum directè; ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta quæ conſequi poſſent, imputantur homini ad pœnam mala quæ cueniunt præter eius intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ. Si vero nocumentum per ſe ſequatur ex actu peccati, licet non ſit intentum, vel præuiſum, directè peccatum aggrauat: quia quæcumque per ſe conſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam peccati ſpeciem: puta ſi quis publicè fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum, quod quamuis ipſe non intendat, nec fortè præuideat, directè per hoc aggrauatur peccatum. Aliter tamen videtur ſe habere circa nocumentum pœnale, quod incurrit ipſe qui peccat: huiuſmodi enim nocumentum, ſi per accidens ſe habeat ad actum peccati, & non ſit præuiſum, nec intentum, non aggrauat peccatum, nec ſequitur grauitatem peccati. Sicut ſi aliquis currens ad occidendum, impingat & lædat ſibi pedem. Si vero tale nocumentum per ſe conſequatur ad actum peccati, licet fortè nec ſit præuiſum, nec intentum, tunc maius nocumentum non facit grauius peccatum, ſed econuerſo grauius peccatum inducit grauius nocumentum: Sicut aliquis infidelis, qui nihil audiuit de pœnis inferni, grauiorem pœnam in inferno patitur pro peccato homicidij, quam pro peccato furti: quia enim hoc nec intendit, nec præuidet, non aggrauatur ex hoc peccatum, ſicut contingit circa fidelem, qui ex hoc ipſo videtur grauius peccare, quod maiores pœnas contemnit vt impleat voluntatem peccati; ſed grauitas huius nocumenti, ſolum cauſatur ex grauitate peccati.

AD NONVM, ſcilicet *vtrum aggrauetur peccatum propter conditionem perſonæ in quam peccatur*: dicendum quod perſona in quam peccatur eſt quodammodo obiectum peccati: Dictum eſt autem ſupra quod prima grauitas peccati attenditur ex parte obiecti, ex quo quidem tanto maior attenditur grauitas in peccato, quanto obiectum eius eſt principalius. Fines autem humanorum actuum ſunt, Deus, ipſe homo, & proximus: quicquid enim facimus propter aliquod horum facimus, quamuis etiam horum trium vnum ſub altero ordinetur. Poteſt igitur ex parte horum trium conſiderari maior vel minor grauitas in peccato, ſecundum conditionē perſonæ in quam peccatur. Primo quidem ex parte Dei, cui aliquis tanto magis coniungitur, quanto Deo eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior; & ideo iniuria tali perſonæ illata, magis redūdat in Deum; ſecundū illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Vnde peccatum fit grauius ex eo quod peccatur in perſonam Deo magis coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij. Ex parte vero ſuijpſius manifeſtum eſt, quod tanto aliquis grauius peccat, quanto in magis coniunctam perſonam ſeu naturali neceſſitudine, ſeu beneficijs, ſeu quacumque coniunctione peccauerit; quia videtur in ſeipſum magis peccare, & pro tanto grauius peccat, ſecundum illud Eccleſiaſtici 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Ex parte vero proximi tanto grauius peccatur, quanto peccatum plures tangit; & ideo peccatum quod fit in perſonam publicam, puta regem vel principem, qui gerit perſonam totius multitudinis, eſt grauius quam quod committitur contra vnam perſonam priuatam. Vnde ſpecialiter dicitur Exod. 23. *Principem populi tui ne maledices.* Et ſimiliter iniuria quæ fit alicui famoſæ perſonę, videtur eſſe grauior ex hoc, quod in ſcandalum & turbationem plurimorum redundat.

Peccatum aggrauatur ex conditione perſonæ in quam peccatur.

AD DECIMVM, ſcilicet *vtrum propter magnitudinem perſonæ peccantis aggrauetur peccatum*: dicendum quod duplex eſt peccatum. *quoddam*, ex ſurreptione prouenies, propter infirmitatem humanæ naturæ; & tale peccatū minus reputatur ei qui eſt maior in virtute, eo quod minus negligit huiuſmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino interfugere infirmitas humana non ſinit. Alia vero peccata ſunt ex deliberatione procedentia; & iſta peccata tanto magis alicui imputantur, quanto maior eſt, & hoc poteſt eſſe propter quatuor. Primo quidem, quia facilius poſſunt reſiſtere peccato maiores, puta qui excedunt in ſcientia & virtute. Vnde Dominus dicit Lucæ 12. Quod *ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Secundo propter ingratitudinem; quia omne bonum quo quis magnificatur, eſt beneficium Dei, cui homo ſit ingratus peccando. Et quantum ad hoc, quælibet maioritas etiam in temporalibus bonis, peccatum aggrauat, ſecundum illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Tertio propter ſpecialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem perſonæ, ſicut ſi princeps iuſtitiam violet, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos; & ſi ſacerdos fornicetur, qui caſtitatem vouit. Quarto propter exemplum, ſiue ſcandalum; quia dicit Greg. in paſt. *In exemplum vehementer culpa extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honoratur.* Ad plurium etiam notitiam perueniunt peccata magnorum, & homines ea magis indignè ferunt.

Peccatum ex deliberatione factum aggrauatur ex magnitudine perſonæ peccantis.

De ſubiecto peccatorum.

DISTINCTIO III.

DEINDE conſiderandum eſt de ſubiecto peccatorum. Et circa hoc quæruntur decem. Primo vtrum voluntas poſſit eſſe ſubiectum peccati. Secundo vtrum ſola voluntas ſit peccati ſubiectum. Tertio vtrum ſenſualitas poſſit eſſe ſubiectum peccati. Quarto vtrum poſſit eſſe ſubiectum peccati mortalis. Quinto vtrum ratio poſſit eſſe ſubiectum peccati. Sexto vtrum delectatio moroſa ſit in ratione inferiori ſicut in ſubiecto. Septimo vtrum peccatum conſenſus in actum, ſit in ſuperiori ratione ſicut in ſubiecto. Octauo vtrum ratio inferior poſſit eſſe ſubiectum peccati

mortalis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mortalis. Nono vtrum ratio ſuperior poſſit eſſe ſubiectum peccati venialis. Decimo vtrum in ratione ſuperiori poſſit eſſe peccatum veniale circa proprium obiectum.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum voluntas poſsit eſſe ſubiectum peccati:* dicendum quod peccatum quidam actus eſt. Actuum autem quidam tranſeunt in exteriorẽ materiam, vt vrere & ſecare; & huiuſmodi actus habent pro materia & ſubiecto id in quod tranſit actio. Sicut dicit Philoſophus, in 3. Phi. Quod *motus eſt actus mobilis à mouente.* Quidam actus ſunt non tranſeuntes in exteriorem materiam, ſed manentes in agente, ſicut appetere & cognoſcere; & tales actus ſunt omnes Morales, ſiue ſint actus virtutum, ſiue peccatorum. Vnde oportet quod proprium ſubiectum actus peccati ſit potentia, quæ eſt principium actus. Cum autem proprium ſit actuum Moralium quod ſint voluntarij, vt ſupra habitum eſt; ſequitur quod volũtas quę eſt principium voluntariorum actuum, ſiue bonorum, ſiue malorum, qui ſunt peccata, ſit principium peccatorum: & ideo ſequitur quod peccatum ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.

Peccatum eſt in voluntate vt in ſubiecto.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum ſola voluntas ſit ſubiectum peccati:* dicendum, quod ſicut ex ſupradictis patet, omne quod eſt principium voluntarij actus, eſt principium peccati: actus autem voluntarij dicuntur illi, non ſolum qui eliciuntur à voluntate, ſed etiam illi qui à voluntate imperantur, vt ſupra dictum eſt cum de voluntario ageretur. Vnde non ſola voluntas poteſt eſſe ſubiectum peccati, ſed omnes illæ potentiæ quæ poſſunt moueri ad ſuos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem, & eædem etiam potentiæ ſunt ſubiecta habituum Moralium, ſiue bonorum, ſiue malorum; quia eiuſdem eſt actus & habitus.

Non ſolum voluntas ſed etiam omnes illa potentia quæ voluntati ſubijciũtur poſſunt eſſe ſubiectũ peccati.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum in ſenſualitate poſsit eſſe peccatum,* dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, peccatum poteſt inueniri in qualibet potentia cuius actus poteſt eſſe voluntarius & inordinatus, in quo conſiſtit ratio peccati. Manifeſtum eſt autem quod actus ſenſualitatis poteſt eſſe voluntarius, inquantum ſenſualitas, id eſt appetitus ſenſitiuus, nata eſt à voluntate moueri. Vnde relinquitur quod in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum.

Senſualitas poteſt eſſe ſubiectum peccati.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum in ſenſualitate poſsit eſſe peccatum mortale.* dicendum quod ſicut inordinatio corrumpens principium vitæ corporalis, cauſat corporalem mortem: ita etiam inordinatio corrũpens principium ſpiritualis vitæ, quod eſt vltimus finis, cauſat mortem ſpiritualem peccati mortalis, vt ſupra dictum eſt. Ordinare autem aliquid in finem, non eſt ſenſualitatis, ſed ſolum rationis. Inordinatio autem à fine, non eſt niſi eius, cuius eſt ordinare in finem. Vnde peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate, ſed ſolum in ratione.

Peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate ſed tantum in ratione.

Et nota, quod cum peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale, diſpoſitio autẽm & habitus habeant eſſe in eodem; non tamen poteſt eſſe peccatũ mortale in ſenſualitate, ſicut peccatum veniale; quòd diſpoſitio tripliciter ſe habet ad id ad quod diſponit. Quandoque enim eſt idem, & in eodem; ſicut ſcientia inchoata dicitur eſſe diſpoſitio ad ſcientiam perfectam. Quandoque autem eſt in eodem, ſed non idem; ſicut calor eſt diſpoſitio ad formã ignis. Quandoque vero nec idem, nec in eodem; ſicut in his quæ habent ordinem adinuicem vt ex vno perueniatur in aliud; ſicut bonitas imaginationis eſt diſpoſitio ad ſcientiam quæ eſt in intellectu. Et hoc modo peccatum veniale quod eſt in ſenſualitate, poteſt eſſe diſpoſitio ad peccatum mortale quod eſt in ratione.

Solutio obiect.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum in ratione poſsit eſſe peccatum:* dicendum quod peccatum cuiuſlibet potentiæ conſiſtit in actu ipſius, ſicut ex dictis patet habet autẽ ratio duplicem actum. Vnum quidem ſecundum ſe in comparatione ad proprium obiectũ, quod eſt cognoſcere aliquod verũ. Alius autẽ actus rationis eſt inquantum eſt directiua aliarũ virium, vtroque autem modo contingit peccatum eſſe in ratione. Primo quidem inquantũ errat in cognitione veri; quod quidẽ tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorãtiam vel errorem circa id quod poteſt & debet ſcire. Secundo quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam poſt deliberationem non coercet.

Peccatũ poteſt eſſe in ratione dupliciter.

Ad sextvm, ſcil. *vtrum peccatum moroſæ delectationis ſit in ratione inferiori ſicut in ſubiecto.* dicendum quod ſicut dictum eſt, peccatum contingit eſſe in ratione, quandoque quidem inquantum eſt directiua humanorum actuum. Manifeſtũ eſt autem quod ratio non ſolũ eſt directiua exteriorũ actuum, ſed etiam interiorum paſſionum; & ideo quando ratio deficit in directione interiorum paſſionum; dicitur eſſe peccatum in ratione, ſicut etiam quando deficit in directione exteriorum actuum. Deficit autem in directione paſſionũ interiorum dupliciter. Vno modo quando imperat illicitas paſſiones; ſicut quando homo ex deliberatione prouocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo quando non reprimit illicitum paſſionis motum. Sicut cum aliquis poſt quã deliberauit quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit, & ſecundũ hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum peccatum conſenſus in actum ſit in ratione ſuperiori:* dicendum quod conſenſus importat iudicium quoddam de eo in quod conſentitur. Sicut enim ratio ſpeculatiua iudicat & ſentẽtiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica iudicat & ſentẽtiat de agendis. Eſt autẽ conſiderandũ, quod in omni iudicio vltima ſententia pertinet ad ſupremũ iudicatorium. Sicut videmus etiam in ſpeculatiuis, quod vltima ſententia de aliqua propoſitione datur per reſolutionem ad prima principia: quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc poteſt per ipſum examinari id de quo quæritur. Vnde adhuc eſt ſuſpenſum iudicium, quaſi nondum data finali ſententia. Manifeſtum eſt autem quod actus humani regulari poſſunt ex regula rationis humanæ, quæ ſumitur ex rebus creatis quas naturaliter homo cognoſcit, & vlterius ex regula legis diuinæ, vt ſupra dictum eſt. Vnde cum regula legis diuinæ ſit ſuperior, conſequens eſt vt vltima ſententia per quã iudicium finaliter terminatur, pertineat ad rationem ſuperiorem, quæ intendit rationibus ęternis. Cum autem de piuribus occurrit iudicandum, finale iudicium eſt de eo quod vltimo occurrit. In actibus autem humanis vltimo occurrit actus; præambulum autẽ eſt delectatio, quæ inducit ad actum; & ideo ad rationem ſuperiorem propriè pertinet conſenſus in actum; ad rationem vero inferiorem quæ habet inferius iudicium, pertinet iudicium præambulum quod eſt de delectatione; quamuis etiam & de delectatione ratio ſuperior iudicare poſſit: quia quicquid ſubditur iudicio inferioris, ſubditur & iudicio ſuperioris, ſed non conuertitur.

Ad rationem ſuperiorem pertinet conſenſus in actum, conſenſus vero in delectationẽ, tam ad inferiorem quam ad ſuperiorẽ.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum conſenſus in delectationem moroſam ſit peccatum mortale:* dicendum quod circa hoc aliqui diuerſimodè opinati ſunt. Quidam enim dixerunt, quod conſenſus in delectationem non eſt peccatum mortale, ſed veniale tantum. Alij dixerũt quod eſt peccatũ mortale: & hæc opinio communior eſt & veriſimilior. Eſt enim conſiderandũ, quod cum omnis delectatio conſequatur aliquã operationem, vt dicitur 10. Ethi. & iterum cũ omnis delectatio habeat aliquod obiectum, delectatio quælibet poteſt comparari ad duo, ſcilicet ad operationem quam conſequitur, & ad obiectum in quo quis delectatur. Contingit autẽ quod aliqua operatio ſit obiectum delectationis, ſicut & aliqua alia res; quia ipſa operatio poteſt accipi vt bonum & finis, in quo aliquis delectatus requieſcit; & quandoque quidem ipſamet operatio quam conſequitur delectatio, eſt obiectum delectationis; inquantum ſcilicet vis appetitiua cuius eſt delectari, reflectitur in ipſam operationem ſicut in quoddam bonum; puta

puta cum aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipso quod cogitat, inquantum sua cogitatio placet. Quandoque vero delectatio consequens vnã operationem, puta cogitationem aliquam, habet pro obiecto aliam operationẽ quasi rem cognitam vel cogitatam; & tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus, non quidem in cogitationem, sed in operationem cogitatam. Sic igitur si aliquis de fornicatione cogitet, de duobus potest delectari. Vno modo de cogitatione ipsa. Alio modo de fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam; cogitatio autem ipsa secundum se, non est peccatum mortale; immo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat; quandoque autem sine peccato omnino; puta cum aliquis vtiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare vel disputare. Et ideo per consequens affectio vel delectatio quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, & quandoque nullum. Vnde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale, & secundum hoc prima opinio habet veritatem. Quod autem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc quod affectio eius est inclinata in hunc actum. Vnde quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est quam quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem. Nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui eius. Quod autẽ aliquis ex deliberatione eligat quod effectus suus conformetur his, quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Vnde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, vt secunda opinio ponit.

Delectatio morosa de re cogitata mortaliter mala est peccatum mortale, secus si sit de cogitatione ipsa tantum modo.

Ad nonvm, scilicet *vtrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale:* dicendum quod sicut Aug. dicit in 12. de Trinit. Ratio superior inhæret rationibus æternis conspiciendis aut consulendis. Conspiciendis quidem, secundum quod earum veritatem speculatur: Consulendis autem, secundum quod per rationes æternas de alijs iudicat & ordinat, ad quod pertinet quod deliberando per rationes æternas consentit in aliquẽ actum, vel dissentit ab eo. Contingit autem quod inordinatio actus in quem consentit, non contrariatur rationibus æternis, quia non est cum auersione à fine vltimo, sicut actus peccati mortalis; sed est præter eas, sicut actus peccati venialis. Vnde quando ratio superior in actum venialis peccati consentit, non auertitur à rationibus æternis. Vnde non peccat mortaliter, sed venialiter.

In ratione superiore potest esse peccatũ veniale.

Et nota, quod sicut in vita corporali contingit duplicem esse infirmitatem, puta in corde, quod est principium vitæ corporalis; sic & in superiori ratione quæ est principium vitæ spiritualis, potest esse inordinatio duplex. Duplex inquam est infirmitas cordis. Vna quæ est in ipsa substantia cordis, & immutat naturalem complexionem ipsius; & talis infirmitas semper est mortalis. Alia autem est infirmitas cordis propter aliquam inordinationem, vel motus eius, vel alicuius eorum quæ circumstant cor; & talis infirmitas non semper est mortalis, & similiter in ratione superiori semper est peccatum mortale, quando tollitur ipsa ordinatio rationis superioris ad proprium obiectum, quod est rationis æternæ. Sed quando est inordinatio circa hoc, non est peccatum mortale sed veniale.

Solutio obiect.

Ad decimvm, scilicet *vtrum in ratione superiori possit esse peccatum mortale:* dicendum quod ratio superior aliter fertur in suum obiectum, & aliter in obiecta inferiorum virium quę per ipsam diriguntur. In obiecta enim inferiorum virium non fertur, nisi inquantum de eis consulit rationes æternas. Vnde non fertur in ea nisi per modum deliberationis. Deliberatus autem cõsensus in his quæ ex genere suo sunt mortalia, est peccatũ mortale; & ideo ratio sẽper peccat mortaliter, si actus inferiorum virium in quos consentit, sint peccata mortalia. Sed circa proprium obiectum habet duos actus, scilicet simplicem intuitum, & deliberationem, secundum quod etiam de proprio obiecto consulit rationes æternas. Secundum autem simplicem intuitum, potest aliquem inordinatum motum habere circa diuina; puta cum quis patitur subitum infidelitatis motum: & quamuis infidelitas secundum suum genus sit peccatum mortale, tamen subitus infidelitatis motus est peccatum veniale; quia peccatum non est mortale nisi sit contra legem Dei. Potest autem aliquid eorum quæ ad fidem pertinent subito rationi occurrere sub quadam alia ratione, antequam super hoc consulatur, vel consuli possit ratio ęterna, id est lex Dei; puta cum quis resurrectionem mortuorum subito apprehendit, vt impossibile secundum naturam, & similiter aprehendendo remittitur, antequam tempus habeat deliberandi quod hoc est nobis traditum vt credendum secundum legem diuinam. Si vero post deliberationem motus infidelitatis maneat, est peccatum mortale; & ideo circa proprium obiectum, etiamsi sit peccatum mortale ex genere, potest ratio superior peccare venialiter in subitis motibus, vel etiam mortaliter per deliberatum consensum. In his autem quæ pertinent ad inferiores vires, semper peccat mortaliter in his quę sunt peccata mortalia ex genere suo; non autem in his quæ secundum suum genus sunt venialia peccata.

In ratione superiori deliberata potest esse peccatum mortale, semper autem est deliberata quando fertur in obiecta inferiorũ virium.

De causis peccatorum in generali.

DISTINCTIO IV.

Deinde considerãdum est de causis peccatorum, & primo in generali. Secundo in speciali. Circa primum quęruntur quatuor. Primo vtrum peccatum habeat causam. Secundo vtrum habeat causam interiorem. Tertio vtrum habeat causam exteriorẽ. Quarto vtrum peccatum sit causa peccati.

Ad primvm, scilicet *vtrum peccatũ habeat causam:* dicendum quod peccatũ est quidam actus inordinatus. Ex parte igitur actus potest habere per se causam, sicut & quilibet alius actus. Ex parte autẽ inordinationis habet causã, eo modo quo negatio vel priuatio causã habere potest. Negationis autẽ potest causa duplex assignari. Primo quidẽ defectus causæ affirmationis, id est ipsius causæ negatio, est causa negationis secũdum seipsam: Ad remotionem enim causæ, sequitur remotio effectus, sicut obscuritatis causa est absentia solis. Alio modo, causa affirmationis ad quam sequitur negatio est per accidens causa negationis consequentis. Sicut ignis causando calorem ex principali intentione, consequenter causat priuationem frigiditatis, quorum primum potest sufficere ad simplicem negationem. Sed cũ inordinatio peccati & quodlibet malum, non sit simplex negatio, sed priuatio eius quod quid natum est, & debet habere, necesse est quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. Quod enim natum est inesse & debet, nunquam abesset nisi propter aliquam causam impedientem. Et secundum hoc consueuit dici, quod malum quod in quadam priuatione consistit, habet causam deficientem, vel agentem per accidens; omnis autem causa per accidens, reducitur ad causam per se. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autẽ actus habet causam agentẽ per se, sequitur quod inordinatio peccati consequatur ex ipsa actus causa. Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem; Prouenit enim defectus ordinis in actu, ex defectu directionis in voluntate.

Peccatum ex parte actus habet causam per se, ex parte inordinationis habet causam per accidens, nẽpe illam quæ est actus causa.

Ad secvndvm, scil. *vtrum peccatũ habeat causam interiorem:* dicendum quod sicut iam dictũ est, per se causam peccati oportet accipere ex parte ipsius actus: actus autẽ humani potest accipi causa interior & mediata, & immediata. Immediata quidem causa humani

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Causa interior peccati est duplex scilicet proxima quæ est liberum arbitrium, & remota quæ est apprehẽsio sensitiua & appetitiua.

actus est ratio & voluntas, secundum quæ homo est liber arbitrio. Causa autem remota est apprehensio sensitiuæ partis, & etiã appetitus sensitiuus. Sicut enim ex iudicio rationis, voluntas mouetur in aliquid secundum rationem, ita etiam ex apprehensione sensus, appetitus sensitiuus in aliquid inclinatur; quę quidem inclinatio interdum trahit voluntatem & rationem sicut infra patebit. Sic igitur duplex causa interior peccati potest assignari. Vna proxima ex parte rationis, & voluntatis. Alia vero remota, ex parte imaginationis, vel appetitus sensitiui. Sed quia supra dictũ est quod causa peccati est aliquod bonũ apparens, motiuũ cũ defectu debiti motiui, scilicet regulæ rationis, vel legis diuinæ; ipsum motiuum quod est apparens bonum, pertinet ad apprehensionem sensus appetitiui, ipsa autem absentia debitæ regulæ pertinet ad rationem quę nata est huiusmodi regulam considerare; sed ipsa perfectio voluntarij actus peccati, pertinet ad voluntatem; ita quod ipse voluntarius actus, præmissis suppositis, iam est quoddam peccatum.

A

B

Ad tertium, scilicet *vtrum peccatum habeat causam exteriorem:* dicendum quod sicut supra dictum est, causa interior peccati est voluntas vt perficiens actum peccati, & ratio quantum ad carentiam debitæ regulæ, & appetitus sensitiuus inclinans. Sic igitur aliquid extrinsecum potest esse causa peccati tripliciter. Vel quia mouet immediatè ipsam voluntatem, vel quia mouet rationem, Vel quia mouet appetitum sensitiuum. Voluntatem autem vt supra dictum est interius mouere non potest nisi Deus, qui non potest esse causa peccati, vt infra ostendetur. Vnde relinquitur quod nihil exterius potest esse causa peccati, nisi vel inquantum mouet rationem, sicut homo vel dæmon persuadens peccatum, vel sicut mouens appetitum sensitiuum, sicut aliqua sensibilia exteriora mouent sensitiuum appetitum, sed neque persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate mouet rationem, neque etiam res exterius propositæ ex necessitate mouent appetitum sensitiuum, nisi forte aliquo modo dispositum; & tamen etiam appetitus sensitiuus non ex necessitate mouet rationem & voluntatem. Vnde aliquid exterius potest esse aliqua causa mouens ad peccandum, non tamen sufficienter ad peccatum inducens; sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas.

C

Potest dari causa exterior mouens ad peccatum sed non sufficiens ad illud inducendum

Ad qvartvm, scilicet *vtrum peccatum sit causa peccati:* dicendum quod cum peccatum habeat causam ex parte actus, hoc modo vnum peccatum posset esse causa alterius, sicut vnus actus humanus potest esse alterius causa. Contingit igitur vnum peccatum esse causam alterius secundum quatuor genera causarũ. *Primo* quidem secundum modum causæ efficientis, vel mouentis, & per se, & per accidens. Per accidens quidem, sicut remouens prohibens dicitur mouens per accidens, Cum enim per vnum actum peccati homo amittat gratiam charitatem vel verecũdiam, vel quodcumque aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum; & sic primum peccatum est causa secundi peccati per accidens. Per se autem, sicut cum ex vno actu peccati homo disponitur ad hoc, quod alium actũ consimilem facilius committat; ex actibus enim causantur dispositiones & habitus inclinantes ad similes actus. Secundum vero genus causæ materialis, vnum peccatum est causa alterius, inquantum præparat ei materiam, sicut auaritia præparat materiam litigio, quod plerumque est diuitijs congregatis. Secundum vero genus causæ finalis, vnum peccatum est causa alterius, inquantum propter finem vnius peccati, aliquis committit aliud peccatum, sicut cum quis committit symoniam propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, vt supra habitum est; ex hoc etiam sequitur quod vnum peccatum sit causa formalis alterius; in actu enim fornicationis, quæ propter finem committitur, est quidem fornicatio sicut materiale, furtum vero sicut formale.

D

Vnum peccatum potest esse causa alterius ex parte actus, secundum quodcumque genus causæ.

E

De causis peccati in speciali.

DISTINCTIO V.

Deinde considerandum est de causis peccati in speciali. Et primo de causis interioribus. Secundo de exterioribus. Tertio de peccatis quæ sunt causa aliorum peccatorum. Prima autem consideratio secundum pręmissa erit tripartita. Nam primo agetur de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. Secundo de infirmitate seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitiui. Tertio de malitia, quæ est causa peccati ex parte voluntatis. Circa primum quę runtur quatuor. Primo, vtrum ignorantia sit causa peccati. Secundo vtrum ignorantia sit peccatum. Tertio vtrum totaliter à peccato excuset. Quarto vtrũ diminuat peccatum.

Ad primvm, scilicet *vtrum ignorantia sit causa peccati.* dicendum quod secundum Philosophum in 8. Physi. Causa mouens est duplex. Vna per se, alia per accidens. Per se quidem, quæ propria virtute mouet; sicut generans est causa mouens grauia & leuia. Per accidens autem, sicut remouens prohibens, sed sicut ipsa remotio prohibẽtis; & hoc modo ignorãtia potest esse causa actus peccati: est enim priuatio scientię perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, inquantũ dirigit actus humanos. Considerandum est autem, quod ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actum directiua, scilicet secundũ scientiam vniuersalẽ, & particularem. Conferens enim de agendis, vtitur quodam sillogismo, cuius conclusio est iudicium, seu electio, vel operatio: Actiones autem in singularibus sunt; vnde conclusio sillogismi operatiui est singularis: singularis autem propositio non concluditur vniuersali, nisi mediante aliqua propositione singulari: sicut homo prohibetur ab actu parricidij, per hoc quod scit patrem non esse occidendum, & per hoc quod scit hunc esse patrem. Vtriusque ergo ignorantia potest causare parricidij actum, scilicet & vniuersalis principij quod est quædam regula rationis, & singularis circumstantiæ. Vnde patet quod non quelibet ignorãtia peccantis est causa peccati, sed illa tantũ quæ tollit scientiam prohibentẽ actũ peccati. Vnde si volũtas alicuius esset sic disposita, quod non prohiberetur ab actu parricidij, etiam si patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; & ideo talis non peccat per ignorantiam, sed peccat ignorans, secundum Philosophum in 3. Eth.

Ignorantia quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati est causa peccati per accidens sicut remouens prohibens.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum ignorantia sit peccatum:* dicendum, quod ignorantia in homine à nescientia differt, quod nescientia dicit simplicem scientiæ negationem. Vnde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas; secundum quem modum Dion. in Angelis nescientiam ponit 6. c. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Ignorantia vero importat scientiæ priuationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire. Horum autem quædam aliquis scire tenetur, scilicet illa sine quorũ scientia non potest debitum actum exercere. Vnde omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta; singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium pertinent, siue spectant. Vnusquisque vero tenetur scire ea quæ ad suum officium spectant. Quædam vero sunt quæ etsi aliquis natus est scire, non tamen ea tenetur scire, sicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia in casu. Manifestum est autem quod quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Vnde propter negligentiam, ignorantia eorum quæ quis scire tenetur est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quæ scire non potest. Vnde horum ignorantia inuincibilis dicitur, quia scilicet studio superari non potest, & propter hoc talis igno-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ignorantia inuincibilis non eſt peccatum, bene tamen vincibilis, ſi ſit eorum quæ quis ſcire tenetur.

rantia cum non ſit voluntatia, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, nõ eſt peccatũ. Ex quo patet quod nulla ignorantia inuincibilis eſt peccatum; ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum quæ quis ſcire tenetur; non autem ſi ſit eorum quę quis ſcire non tenetur.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum ignorantia ex toto excuſet peccatum:* Dicendum quod ignorantia de ſe habet, quod faciat actum quem cauſat, inuolũtarium eſſe. Iam enim dictum eſt, quod ignorantia dicitur cauſare actũ quem ſcientia appoſita prohibebat, & ita talis actus ſi ſcientia adeſſet, eſſet cõtrarius voluntati, quod importat nomẽ inuoluntarij. Si vero ſcientia quæ per ignorantiam priuatur, non prohiberet actum, propter inclinationem voluntatis in ipſum; ignorantia huius ſcientiæ non facit hominem inuoluntarium, ſed non volentem, vt dicitur in 3. Ethic. & talis ignorantia quæ non eſt cauſa actus peccati vt dictum eſt, quia non cauſat inuoluntarium, non excuſat à peccato, & eadem ratio eſt de quacumque ignorantia non cauſante, ſed conſequente vel concomitante actum peccati, ſed ignorantia quæ eſt cauſa actus, quia cauſat inuoluntarium, de ſe habet quod excuſet à peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati. Sed quod aliquando non totaliter à peccato excuſet, poteſt contingere ex duobus. *Vno modo* ex parte ipſius rei ignoratę; intantum enim ignorantia excuſat à peccato, inquantum ignoratur aliquid eſſe peccatum. Poteſt autem contingere quod aliquis ignoret quidem aliquam circũſtantiam peccati, quam ſi ſciret retraheretur à peccando, ſiue illa circumſtantia faciat ad rationem peccati, ſiue non. Et tamen remanet in eius ſcientia aliquid, per quod cognoſcit illud eſſe actum peccati. Puta ſi aliquis percutiens aliquem, ſciat quidem ipſum eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati, non tamen ſcit ipſum eſſe patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens nouam ſpeciem peccati; vel forte neſcit quod ille ſe defendens repercutiet eum. Quod ſi ſciret, non percuteret: quod non pertinet ad rationem peccati. Vnde licet talis per ignorantiam peccet, non tamen totaliter excuſatur à peccato, quia adhuc remanet cognitio peccati. *Alio modo* poteſt hoc contingere ex parte ipſius ignorantiæ; quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria; vel directè, ſicut cum aliquis ſtudiosè vult neſcire aliqua vt liberius peccet; vel indirectè, ſicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiſcere id per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ipſam ignorantiam eſſe voluntariam & peccatum, dummodo ſit eorum quæ quis ſcire tenetur & poteſt, & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat à peccato. Si vero ſit talis ignorantia quæ omnino ſit inuoluntaria, ſiue quia eſt inuincibilis, ſiue quia eſt eius quod quis ſcire non tenebatur, talis ignorantia omnino excuſat à peccato.

Dupliciter contingit ignorantiam non excuſare à peccato.

Ignorantia quæ eſt omnino inuoluntaria excuſat à peccato totaliter.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum ignorantia diminuat peccatum:* dicendum quod quia omne peccatum eſt voluntarium, intantum ignorantia poteſt diminuere peccatum, inquantum diminuit voluntarium. Si autem non diminuit voluntarium, nullo modo poteſt diminuere peccatum. Manifeſtum eſt autem quod ignorantia quæ totaliter à peccato excuſat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, ſed omnino aufert. Ignorantia vero quæ non eſt cauſa peccati, ſed comitanter ſe habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget. Illa igitur ſola ignorantia poteſt peccatum minuere quæ eſt cauſa peccati, & tamen totaliter à peccato non excuſat. Contingit autem quandoque, quod talis ignorantia directè & per ſe eſt voluntaria; ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid vt liberius peccet; & talis ipnorantia videtur augere voluntarium & peccatum. De intentione enim voluntatis ad peccandum prouenit, quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi. Quandoque vero ignorantia quæ eſt cauſa peccati, non eſt directè voluntaria, ſed indirectè vel per accidens; puta cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur eum eſſe ignorantem; vel cum aliquis vult bibere vinum immoderatè, ex quo ſequitur eum inebriari, & diſcretione carere; & talis ignorantia diminuit voluntarium, & per conſequens peccatum: cum enim aliquid non cognoſcitur eſſe peccatum, non poteſt dici quod voluntas directè & per ſe feratur in peccatum, ſed per accidens. Vnde eſt ibi minor contemptus, & per conſequens minus peccatum.

Ignorantia indirectè tãtum volun-

taria diminuit peccatũ, directè vero voluntaria auget.

ET nota quod peccatum peccato additum non ſemper facit maius peccatum, ſed facit plura peccata; quia forte non coincidunt in idem peccatum, ſed ſunt plura: Et poteſt contingere, quod ſi primum diminuat ſecundum, quod ambo ſimul non habeant tantam grauitatem, quantum vnum ſolum haberet. Sicut homicidium grauius peccatum eſt à ſobrio homine factum, quam ſi fiat ab ebrio, quamuis hic ſint duo peccata; quia ebrietas plus diminuit de ratione ſequentis peccati, quam ſit ſua grauitas. Sicut pater de ebrio, qui ex ignorantia vel defectu rationis committit aliquod aliud peccatum, meretur quidem duplices maledictiones, ſecundum philoſophum in 2. Ethi. propter duo peccata quæ committit, ſcilicet ebrietatem, & aliud peccatum quod ex ebrietate ſequitur; tamen ebrietas ratione ignorantiæ adiunctę diminuit ſequens peccatum, & fortè pluſquam ſit grauitas ipſius ebrietatis, vt dictum eſt, vel poteſt dici quod illud verbum philoſophi inducitur ſecundum ordinationem cuiuſdam Pitaci legiſlatoris, qui ſtatuit ebrios ſi percuſſerint amplius puniri; non ad veniam reſpiciens, quam ebrij debent habere; ſed ad vtilitatem, quia plures iniuriantur ebrij quam ſobrij, vt patet per philoſophum in 2. politi.

Solutio obiecti,

De cauſa peccati ex parte appetitus ſenſitiui.

DISTINCTIO VI.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati ex parte appetitus ſenſitiui, vtrum paſſio animæ ſit peccatum. Et circa hoc quæruntur octo. Primo vtrum paſſio appetitus ſenſitiui poſſit mouere vel inclinare voluntatem. Secundo vtrum poſſit ſuperare rationem contra eius ſcientiam. Tertio vtrum peccatum quod ex paſſione prouenit ſit peccatum ex infirmitate. Quarto vtrum hæc paſſio quæ eſt amor ſui ſit cauſa omnis peccati. Quinto de illis tribus cauſis, quæ ponuntur 1. Ioan. 2. concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorũ & ſuperbia vitæ. Sexto vtrum paſſio quæ eſt cauſa peccati diminuat ipſum. Septimo vtrum totaliter excuſet. Octauo vtrum peccatum quod eſt ex paſſione poſſit eſſe mortale.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum paſſio appetitus ſenſitiui poſſit mouere voluntatem:* dicendum quod paſſio appetitus ſenſitiui non poteſt directè trahere aut mouere voluntatem, ſed indirectè poteſt, & hoc quidem dupliciter. *Vno modo* ſecundum abſtractionem quandam; cum enim omnes potentiæ animæ in vna eſſentia animæ radicentur, neceſſe eſt quod quando vna potentia intenditur in ſuo actu, quod alia remittatur, vel etiam totaliter impediatur: tum quia omnis virtus ad plura diſperſa ſit minor; Vnde econtrario dicitur, quando intenditur circa vnum, minus poteſt ad alia diſpergi: tum quia in operibus animæ animalibus requiritur quædam intentio, quæ dum vehementer applicatur ad vnum, non poteſt alteri vehementer attendere; & ſecundum hunc modum per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitiui fortificatur ſecundum quamcumque paſſionem, neceſſe eſt quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas. *Alio modo* ex parte obiecti voluntatis, quod eſt bonum ratione apprehenſum. Impeditur enim iudicium & apprehenſio rationis, propter vehementem & inordinatam apprehenſionem imaginationis, & iudicium

Appetitus ſenſitiuus poteſt indirectè mouere voluntatem dupliciter.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virtutis æstimatiuæ, vt patet in amentibus. Manifestum est autem quod passionem appetitus sensitiui sequitur imaginationis apprehensio, & iudicium æstimatiuæ, sicut etiam dispositionem linguæ sequitur iudicium gustus. Vnde videmus quod homines in aliqua passione existentes, non facile imaginationem auertunt ab his circa quæ afficiuntur. Vnde per consequens iudicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensitiui, & per consequens motus voluntatis qui semper natus est sequi iudicium rationis.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum passio possit superare rationem contra eius scientiam.* Dicendum quod opinio Socratis fuit, vt dicit Philosophus in 7. Ethic. quod scientia nunquam posset superari à passione. Vnde ponebat omnes virtutes esse scientias, & omnia peccata esse ignorantias; in quo quidem rectè aliqualiter sapiebat, quia cum voluntas sit boni, vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum moueretur, nisi id quod non est bonum, aliqualiter rationi bonum appareret, & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Vnde dicitur Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum.* Sed quia experimento patet quod multi agunt contra ea quorum scientiam habent, & hoc etiam auctoritate diuina confirmatur, secundum illud Lucæ 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui & non fecit, plagis vapulabit multis:* Et Iacob. vltimo dicitur: *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi:* non simpliciter verum dixit, sed oportet distinguere, vt dicit Philosophus in 7. Ethi. Cum enim ad rectè agendum homo dirigatur duplici scientia, scilicet vniuersali, & particulari; vtriusque defectus sufficit ad hoc quod impediatur rectitudo operis & voluntatis, vt supra dictum est. Contingit autem quod aliquis habeat scientiam in vniuersali, puta nullam fornicationem esse faciendam; sed tamen non cognoscit in particulari, hunc actum qui est fornicatio, non esse faciendum: & hoc sufficit ad hoc quod voluntas non sequatur vniuersalem scientiam rationis.

Potest passio superare rationem cõtra scientiam vniuersalem quã habet.

Item considerandum est quod nihil prohibet aliquid sciri in habitu, quod tamen actu non consideratur. Potest igitur contingere quod aliquis etiam rectam scientiam habeat in singulari, & non solum in vniuersali; sed tamen actu non consideret; & tunc non videtur difficile, quod præter id quod actu non considerat, homo agat. Quod autem homo non consideret in particulari id quod habitualiter scit, quandoque quidem contingit ex solo defectu intentionis; puta cum homo sciens geometriam non intendit ad considerandum geometriæ conclusiones quas statim in promptu habet considerare. Quandoque autem homo non considerat id quod habet in habitu propter aliquod impedimentum superueniens: puta propter aliquam occupationem exteriorem, vel propter aliquam infirmitatem corporalem, & hoc modo ille qui est in passione constitutus, non potest considerare in particulari illud quod scit in vniuersali inquantum tamen passio impedit talem considerationem. Impedit autem tripliciter. *Primo* per quandam distractionem, sicut supra expositum est. *Secundo* per contrarietatem, quia plerumque passio inclinat ad contrarium huius, quod scientia vniuersalis habet. *Tertio* per quandam immutationem corporalem, ex quo ratio quodammodo ligatur ne liberè in actum exeat; sicut etiam somnus vel ebrietas, quadam corporali transmutatione facta, ligant vsum rationis. Et quod hoc contingat in passionibus patet ex hoc, quod aliquando cum passiones multum intenduntur, homo amittit vsum rationis totaliter. Multi enim propter abundantiam amoris & iræ sunt in insaniam versi; & per hunc modum passio trahit rationem ad iudicandum in particulari, contra scientiam quam habet in vniuersali.

Passio tripliciter impedit considerationem rationis quoad particularia.

Ad tertivm, scilicet *vtrum peccatum quod est ex passione debeat dici peccatum ex infirmitate.* Dicendum quod causa peccati propria est ex parte animæ, in qua principaliter est peccatum. Potest autem dici infirmitas in anima ad similitudinem infirmitatis corporis. Dicitur autem corpus hominis esse infirmum, quando debilitatur vel impeditur in executione propriæ operationis, propter aliquam inordinationem partium corporis, ita scilicet quod humores & membra hominis non subdantur virtuti regitiuæ & motiuæ corporis. Vnde & membrum dicitur esse infirmum, quando non potest perficere operationem membri sani. Sicut oculus quãdo non potest clarè videre, vt dicit Philosophus in 10. de Historijs animalium. Vnde & infirmitas animæ dicitur, quando anima impeditur in propria operatione, propter inordinationem partium ipsius. Sicut autem partes corporis dicuntur inordinatæ, quando non sequuntur ordinem naturæ; ita & partes animæ dicuntur inordinatæ, quando non subduntur ordini rationis; Ratio enim est vis regitiua partium animæ. Sic ergo quando extra ordinem rationis, vis concupiscibilis aut irascibilis aliqua passione afficitur, & per hoc impedimentum præstatur modo prædicto debitæ actioni hominis, dicitur peccatum esse ex infirmitate. Vnde & Philosophus in 1. Eth. comparat incontinentem paralitico, cuius partes mouentur in contrarium eius quod ipse disponit. Et sicut quanto fuerit motus fortior in corpore præter ordinem naturæ, tanto est maior infirmitas, ita quanto fuerit motus fortior passionis præter ordinem rationis, tanto est maior infirmitas animæ.

Peccatum ex passione dicitur ex infirmitate ad similitudinẽ infirmitatis corporis.

Et nota quod quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, non impeditur per corporis infirmitatem (potest enim qui est infirmus corpore, promptam habere voluntatem ad aliquid faciendum) impeditur autem per passionem vt supra dictum est. Vnde cum dicitur peccatum esse ex infirmitate, magis est ad infirmitatem animæ referendum, quam ad infirmitatem corporis. Dicitur tamen & ipsa infirmitas animæ infirmitas carnis, inquantum ex conditione carnis passiones animæ insurgunt in nobis, eo quod appetitus sensitiuus est virtus vtens organo corporali. Licet autem assentire vel non assentire his ad quæ inclinat passio sit in potestate voluntatis, & pro tanto dicitur appetitus noster sub nobis esse. Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* tamen ipse assensus & dissensus impeditur modo prædicto.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum amor sui sit principium & causa omnis peccati.* Dicendum quod sicut supra dictum est, propria & per se causa peccati accipienda est ex parte conuersionis ad commutabile bonum, ex qua quidem parte omnes actus peccati procedunt ex aliquo inordinato appetitu alicuius temporalis boni. Quod autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc quod inordinatè amat seipsum; hoc enim est amare aliquem, velle sibi bonum. Vnde manifestum est quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati.

Inordinatus amor sui est causa omnis peccati.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum conuenienter ponantur causæ peccatorum esse concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, de quibus habetur 1. Ioan. 2.* Dicendum, quod sicut iam dictum est, inordinatus amor sui est causa omnis peccati; in amore autem sui includitur inordinatus appetitus boni. Vnusquisque enim appetit bonum ei quem amat. Vnde manifestum est quod inordinatus appetitus boni est causa omnis peccati. Bonum autem dupliciter est obiectum sensibilis appetitus, in quo sunt animæ passiones, quæ sunt causa peccati. Vno modo absolutè secundum quod est obiectum concupiscibilis. Alio modo sub ratione ardui provt est subiectum irascibilis, vt supra dictum est. *Est autem* duplex concupiscentia. *Vna quidem* naturalis, quæ est eorum quibus natura corporis sustentatur, siue quantum ad conseruationem indiuidui, sicut cibus & potus, & alia huiusmodi, siue quantum ad conseruationem speciei, sicut in venereis: &

Concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitæ, sunt omnium peccatorum causæ.

horum

horum inordinatus appetitus dicitur concupiſcentia carnis. *Alia eſt* concupiſcentia animalis, eorum ſcilicet quæ per ſenſum carnis, ſuſtentationem aut delectationem non afferunt, ſed ſunt delectabilia ſecundum apprehenſionem imaginationis, aut alicuius huiuſmodi acceptionis; ſicut ſunt pecunia, ornatus veſtium, & alia huiuſmodi; & hæc quidem animalis concupiſcentia vocatur concupiſcentia oculorum, ſiue intelligatur concupiſcentia oculorum, id eſt ipſius viſionis quæ fit per oculos, vt referatur ad curioſitatem; ſecundum quod Aug. exponit 10. confeſſ. ſiue referatur ad concupiſcentiam rerum, quæ exterius oculis proponuntur, vt referatur ad cupiditatem; ſecundum quod ab alijs exponitur. Appetitus autem inordinatus boni ardui pertinet ad ſuperbiam vitæ, nam ſuperbia eſt appetitus inordinatus excellentiæ vt inferius dicetur, & ſic patet quod ad iſta tria reduci poſſunt omnes paſſiones quæ ſunt cauſa peccati. Nam ad duo prima reducuntur omnes paſſiones cõcupiſcibilis; ad tertium autem omnes paſſiones iraſcibilis; quod ideo non diuiditur in duo, quia omnes paſſiones iraſcibilis conformantur concupiſcentiæ animali.

Quid concupiſcentia oculorum.

Et nota quod concupiſcentia oculorum non dicitur hic concupiſcentia omnium rerum quæ oculis videri poſſunt, ſed ſolum earum in quibus non quęritur delectatio carnis quæ eſt ſecundum tactum, ſed ſolum delectatio oculi, id eſt cuiuſcumque apprehenſiuæ virtutis. Dicitur autem concupiſcentia magis ſecundum viſum, quam ſecundum alios ſenſus, quia ſenſus viſus eſt excellentior.

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum paſsio quæ eſt cauſa peccati diminuat peccatum.* Dicendum quod peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrij quod eſt facultas voluntatis & rationis, paſſio autem eſt motus appetitus ſenſitiui: appetitus autem ſenſitiuus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium, & antecedenter, & conſequenter. Antecedenter quidem ſecundum quod paſſio appetitus ſenſitiui trahit vel inclinat voluntatem vt ſupra dictum eſt; conſequenter autem, ſecundum quod motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores: non enim poteſt voluntas intensè moueri in aliquid, quin excitetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitiuo. Si igitur accipiatur paſſio ſecundum quod præcedit actum peccati, ſic neceſſe eſt quod diminuat peccatum. Actus enim intantum eſt peccatum, inquantum eſt voluntarium, & in nobis exiſtens. In nobis autem eſſe aliquid dicitur per rationem & voluntatem. Vnde quando ratio & voluntas ex ſe aliquid agunt non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium & in nobis exiſtens, & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum inquantum minuit voluntarium, paſſio autẽ conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis eius, inquantũ ſcil. demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati; & ſic verum eſt quod quanto aliquis maiori libidine vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.

Paſſio præcedens actum peccati diminuit illud, nõ autem paſſio conſequens ſed eſt ſignũ augmenti.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum paſsio totaliter excuſet peccatum.* Dicendum quod ſecundum hoc ſolum aliquis actus qui eſt de genere ſuo malus, totaliter à peccato excuſatur, quod totaliter inuoluntarius redditur. Vnde ſi ſit talis paſſio quę totaliter inuoluntarium reddat actum ſequentem, totaliter à peccato excuſat, alioquin non totaliter. Circa quod duo conſideranda videntur. Primo quidem quod aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundum ſe, ſicut quando voluntas directè in ipſum fertur, vel ſecundum ſuã cauſam, quando voluntas fertur iu cauſam & non in effectum, vt patet in eo qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim vt voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem cõmittit. Secundo conſiderandum eſt quod aliquid dicitur voluntarium directè & indirectè. Directè quidem id in quod fertur voluntas. Indirectè autem illud quod potuit voluntas prohibere, ſed non prohibet. Secundum hoc igitur diſtinguendum eſt, quia paſſio quidẽ quandoque eſt tanta, quod totaliter aufert vſum rationis; ſicut patet in his qui propter amorem vel iram inſaniunt, & tunc ſi talis paſſio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia eſt voluntarius in ſua cauſa, ſicut etiam de ebrietate dictum eſt. Si vero non fuit voluntaria ſed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine vel aliqua huiuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem quæ totaliter aufert vſum rationis, actus redditur omnino inuoluntarius, & per conſequens totaliter à peccato excuſatur. Quandoque vero paſſio non eſt tanta quod totaliter intercipiat vſum rationis, & tunc ratio poteſt paſſionem excludere, diuertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne ſuum conſequatur effectum; quia membra non applicantur operi niſi per conſenſum rationis, vt ſupra dictum eſt. Vnde talis paſſio non totaliter excuſat à peccato.

Paſſio abſorbens vſum rationis excuſat totaliter à peccato niſi à principio fuerit voluntaria; alias non.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum peccatum quod eſt ex paſsione poſsit eſſe mortale.* Dicendum quod peccatũ mortale vt ſupra dictum eſt, conſiſtit in auerſione ab vltimo fine, qui eſt Deus; quæ quidem auerſio pertinet ad rationem deliberantem, cuius etiam eſt ordinare in finem, hoc igitur ſolummodo poteſt contingere, quod inclinatio animæ in aliquid quod contrariatur vltimo fini non ſit peccatum mortale, quia ratio deliberans non poteſt occurrere; quod contingit in ſubitis motibus. Cum autem ex paſſione aliquis procedat ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubitò. Vnde ratio deliberans poteſt hic occurrere; poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire paſſionem vt dictum eſt, vnde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale: ſicut videmus quod multa homicidia & adulteria per paſſionem committuntur.

Peccatum ex paſſione poteſt eſſe mortale.

Et nota quod aliquod peccatum poteſt dici veniale tripliciter. *Vno modo* ex cauſa, quia ſcilicet habet aliquam cauſam veniæ quæ dimittit peccatum, & ſic peccatum ex infirmitate vel ignorantia dicitur veniale. *Alio modo* ex euentu, ſicut omne peccatum fit veniale per pœnitentiam, id eſt veniam conſequitur. *Tertio modo* dicitur veniale ex genere, ſicut verbum otioſum; & hoc ſolum veniale opponitur mortali. Peccatum autem quod eſt ex paſſione dicitur veniale primo modo, quia ſcilicet in ſe habet cauſam veniæ: poteſt tamen eſſe mortale, ſicut dictum eſt.

Solutio obiect. Peccatum dicitur veniale tripliciter.

De cauſis peccati ex parte voluntatis.

DISTINCTIO VIII.

Deinde conſiderandum eſt de cauſa peccati, quæ eſt ex parte voluntatis, quæ dicitur malitia. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum aliquis poſſit ex certa malitia vel induſtria peccare. Secundo vtrũ quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia. Tertio vtrum quicumque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu. Quarto vtrum ille qui peccat ex certa malitia grauius peccet quam ille qui peccat ex paſſione.

Ad primvm, ſcil. *vtrum aliquis poſsit ex induſtria vel ex certa malitia peccare.* dicendum quod homo ſicut & quęlibet alia res naturaliter habet appetitum boni. Vnde quod ad malũ eius appetitus declinet, contingit ex aliqua corruptione ſeu inordinatione in aliquo principiorũ hominis; Sic enim & in actionibus rerũ naturalium peccatũ inuenitur, principia autem humanorũ actuum ſunt intellectus, & appetitus, tam rationalis, quæ dicitur voluntas, quam ſenſitiuus. Peccatum igitur in humanis actibus contingit quandoque ſicut ex defectu intellectus, puta cum aliquis per ignorantiam peccat; & ex defectu appetitus ſenſitiui, ſicut cum aliquis ex paſſione peccat; ita etiam ex defectu volnntatis, qui eſt inordinatio ipſius. Eſt autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat: conſequens autem eſt vt aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato, ad hoc quod potiatur bono magis amato: ſicut cum homo vult pati abſciſſionem membri etiam ſcienter, vt conſeruet vitam quam magis amat,

Homo tunc dicitur ex malitia peccare quando ex certa ſcientia peccatum eligit.

& per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, puta diuitias vel voluptates, quam ordinem rationis vel legis diuinæ, vel charitatẽ Dei, vel aliquid huiuſmodi, ſequitur quod velit diſpendium pati in aliquo ſpiritualium bonorum, vt potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem eſt aliud malum, quam priuatio alicuius boni; & ſecundum hoc ſcienter vult aliquod malum ſpirituale, quod eſt malum ſimpliciter, per quod bonũ ſpirituale priuatur, vt bono corporali potiatur. Vnde dicitur ex certa malitia, vel ex induſtria peccare, quaſi ſcienter malum eligens.

Solutio obiect.

CVM autem dicat Philoſophus, quod omnis malus eſt ignorans. Et Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum*, ſciendum quod ignorantia quandoque quidem excludit ſcientiam, qua aliquis ſimpliciter ſcit hoc eſſe malum quod agitur; & tunc dicitur ex ignorantia peccare. Quandoque autem excludit ſcientiam, qua homo ſcit hoc nunc malum eſſe, ſicut cum ex paſſione peccatur. Quandoque autem excludit ſcientiam, qua aliquis ſcit hoc malum non eſſe ſuſtinendum propter conſecutionem illius boni, ſcit tamen ſimpliciter hoc eſſe malum, & ſic dicitur ignorare qui ex certa malitia peccat.

Quo ſenſu verum quod omnis peccãs eſt ignorans.

ITEM cum dicat Dionyſius 4. de di. no. quod nullus intendens ad malum operatur, intelligendum eſt quod malum non poteſt eſſe ſecundum ſe intentum ab aliquo, poteſt tamen eſſe intentum ad vitãdum aliud malum, vel ad conſequendum aliquod bonum, & in tali caſu aliquis eligeret conſequi bonum per ſe intentum, abſque hoc quod pateretur detrimentum alterius boni. Sicut ſi aliquis laſciuus vellet frui delectatione abſque offenſa Dei, ſed duobus propoſitis magis vult peccando incurrere offenſam Dei, quam delectatione priuetur.

SCIENDVM etiam quod malitia ex qua aliquis dicitur peccare, poteſt intelligi malitia habitualis, ſecundũ quod habitus malus à Philoſopho nominatur malitia, ſicut habitus bonus dicitur virtus: & ſecundum hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Poteſt etiam intelligi malitia actualis, ſiue ipſa mali electio nominetur malitia; & ſic dicitur aliquis ex malitia peccare, inquantum ex mali electione peccat; ſiue etiam malitia dicatur præcedens culpa, ex qua oritur ſubſequens culpa; Sicut cum aliquis impugnat fraternam gratiam ex inuidia; & tunc idem non eſt cauſa ſuiipſius, ſed actus interior eſt cauſa actus exterioris, & vnum peccatum eſt cauſa alterius; non tamen in infinitum, quia eſt deuenire in aliquod primum peccatum, quod non cauſatur ex aliquo priori peccato.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum omnis qui peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*. Dicendum quod non eſt idem peccare habentem habitum, & peccare ex habitu: vti enim habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubiacet voluntati habentis: vnde & habitus diffinitur eſſe, quo quis vtitur cum voluerit: & ideo ſicut poteſt contingere quod aliquis habens habitum vitioſum prorumpat in actum virtutis, eo quod ratio non tota corrumpitur per malum habitum, ſed aliquid eius integrum manet, ex quo prouenit quod peccator operatur aliqua de genere bonorum: ita etiam poteſt contingere quod habens habitum interdum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia, ſed quando vtitur habitu vitioſo, neceſſe eſt quod ex certa malitia peccet; quia vnicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile illud, quod eſt ei conueniens ſecundum proprium habitum; quia ſic ei quodãmmodo connaturale eſt, ſecundum quod conſuetudo & habitus vertitur in naturam: Hoc autem quod eſt alicui cõueniens ſecundum habitum vitioſum, eſt illud quod excludit bonum ſpirituale, ex quo ſequitur quod homo eligat malum ſpirituale, vt adipiſcatur bonum quod eſt ſecundum habitum conueniens, & hoc eſt ex certa malitia peccare. Vnde manifeſtum eſt quod quicumque taliter peccat, peccat ex certa malitia.

Qui peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum omnis qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu*. Dicendum, quod voluntas aliter ſe habet ad bonum, & aliter ad malum. Ex natura enim ſuæ potentiæ inclinatur ad bonum rationis ſicut ad proprium obiectum: Vnde & omne peccatum dicitur eſſe cõtra naturam. Quod ergo in aliquod malum voluntas eligendo inclinetur, oportet quod aliũde contingat. Et quandoque quidem contingit ex defectu rationis, ſicut cum aliquis ex ignorantia peccat. Quandoque autem ex impulſu appetitus ſenſitiui, ſicut cum aliquis peccat ex paſſione. Sed neutrum horum eſt ex certa malitia peccare; Sed ſolum tunc aliquis ex certa malitia peccat, quando ipſa voluntas ex ſe mouetur ad malum. Quod poteſt contingere dupliciter. *Vno quidem* modo per hoc quod habitus habet aliquam diſpoſitionem corruptam inclinantem in malum; ita quod ſecundum illam diſpoſitionem fit homini quaſi conueniens & ſimile aliquod malum; & in hoc ratione conuenientiæ tendit voluntas quaſi in bonum, quia vnumquodque ſecundum ſe tendit in id quod eſt ſibi conueniens. Talis autem diſpoſitio corrupta, vel eſt aliquis habitus acquiſitus ex conſuetudine, vel eſt aliqua ægritudinalis habitudo ex parte corporis; ſicut aliquis habens quaſdam naturales inclinationes ad aliqua peccata, propter corruptionem naturæ in ipſo. *Alio modo* contingit quod voluntas per ſe tendit in aliquod malum, per remotionem alicuius prohibentis; puta ſi aliquis prohibeatur peccare, non quia peccatum ei ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter ſpem vitæ æternę, vel propter timorem gehennæ; remota ſpe per deſperationem, vel timore per præſumptionem, ſequitur quod ex certa malitia quaſi abſque freno peccet. Sic igitur patet quod peccatum quod eſt ex certa malitia, ſemper præſupponit in homine aliquam inordinationem, quæ tamen non ſemper eſt habitus. Vnde non eſt neceſſarium quod quicunque peccat ex certa malitia peccet ex habitu.

Non omnis qui peccat ex malitia, peccat ex habitu, ſed nonnunquam ex aliqua alia inordinatione.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum ille qui peccat ex certa malitia, grauius peccet quam ille qui peccat ex paßione*. Dicendum, quod peccatum quod eſt ex certa malitia, eſt grauius peccato quod eſt ex paſſione triplici ratione. *Primo* quia cum peccatum principaliter in voluntate conſiſtat, quanto motus peccati eſt magis proprius voluntati, tanto peccatum eſt grauius cæteris paribus. Cum autem ex certa malitia peccatur, motus peccati eſt magis proprius voluntati, qui ex ſeipſa in malum mouetur, quam quando ex paſſione peccatur, quaſi ex quodam intrinſeco impulſu ad peccandum. Vnde peccatum ex hoc ipſo quod eſt ex malitia aggrauatur, & tanto magis quanto fuerit maior malitia. Ex eo vero quod eſt ex paſſione diminuitur, & tanto magis quanto paſſio fuerit magis vehemens. *Secundo* quia paſſio quæ inclinat voluntatem ad peccandum cito tranſit; & ſic homo cito redit ad bonum propoſitum, pœnitens de peccato. Sed habitus quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Vnde Philoſophus in 7. Ethic. comparat intemperatum qui peccat ex malitia infirmo, qui continuè laborat; incontinentem autem qui peccat ex paſſione, ei qui laborat interpolatè. *Tertio* quia ille qui peccat ex certa malitia, eſt male diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt principium in operabilibus; & ſic defectus eius eſt periculoſior quam eius qui ex paſſione peccat, cuius propoſitum tendit in bonum finem; licet hoc propoſitum ad horam interrumpatur propter paſſionem; ſemper autem defectus principij eſt peſſimus. Vnde manifeſtum eſt quod grauius eſt peccatum quod eſt ex malitia, quam quod eſt ex paſſione.

Grauius eſt peccatum ex malitia quã ex paſſione triplici ratione.

De cauſis exterioribus peccati.

DISTINCTIO IX.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſis exterioribus peccati. Et primo ex parte Dei. Secundo ex parte diaboli. Tertio ex parte hominis. Circa primum quæruntur quatuor. Primo vtrum Deus ſit cauſa peccati. Secundo vtrum actus peccati ſit à Deo. Tertio vtrum Deus ſit cauſa excęcationis, vel obdurationis. Quarto vtrum hæc ordinentur ad ſalutem eorum qui excęcantur vel obdurantur.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum Deus ſit cauſa peccati.* Dicendum, quod homo dupliciter eſt cauſa peccati, vel ſui, vel alterius. Vno modo directè, inclinando ſcilicet voluntatem ſuam, vel alterius ad peccandum. Alio modo indirectè, dum ſcilicet non retrahit alios à peccato. Vnde Ezech. 3. ſpeculatori dicitur. *Si non dixeris impio, morte morieris, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Deus autem non poteſt eſſe directè cauſa peccati, vel ſui, vel alterius; quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in ipſum ſicut in finem. Deus autem omnia inclinat & conuertit in ſeipſum, ſicut in vltimum finem; Sicut dicit Dio. 2. ca. de di. no. Vnde impoſſibile eſt, quod ſit ſibi vel aliis cauſa diſcedendi ab ordine, qui eſt in ipſum. vnde non poteſt eſſe directè cauſa peccati. Similiter etiam neque indirectè: Contingit enim quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad vitandum peccata, quod ſi præberet nō peccarent, ſed hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, & iuſtitię, cum in ipſo ſit ſapientia & iuſtitia. Vnde non imputatur ei quod alius peccat ſicut cauſæ peccati. Sicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis nauis, ex hoc quod non gubernat nauem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens & debēs gubernare; & ſic patet quod Deus nullo modo eſt cauſa peccati.

Deus nec directe nec indirecte eſt cauſa peccati,

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum actus peccati ſit à Deo.* Dicendum, quod actus peccati & eſt ens, & eſt actus, & ex vtroque habet quod ſit à Deo; omne enim ens quocūque modo ſit, oportet quod deriuetur à primo ente. Vt patet per Dionyſ. 5. ca. de di. no. Omnis enim actio cauſatur ab aliquo ente in actu, quia nihil agit niſi ſecundum quod eſt in actu; omne autē quod eſt actu, reducitur in primum actum, ſcilicet Deum, ſicut in cauſam qui eſt per ſuam eſſentiam actus. Vnde requiritur quod Deus ſit cauſa omnis actionis inquantum actio. Sed peccatum nominat ens & actionē cum quodam defectu, defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſci. libero arbitrio, inquantum deficit ab ordine primi agentis, ſcil. Dei. Vnde defectus iſte non reducitur in Deum ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium; ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam ſicut in cauſam, non autem in virtutem motiuam, à qua tamen cauſatur quicquid eſt motionis in claudicatione. & ſecundum hoc Deus eſt cauſa actus peccati, non tamen eſt cauſa peccati, quia non eſt cauſa huius quod actus ſit cum defectu.

Deus eſt cauſa actus peccati ſed non ipſius defectus qui eſt peccatum,

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum Deus ſit cauſa excæcationis vel obdurationis.* Dicendum, quod excæcatio & induratio duo important, quorum vnum eſt motus animi humani inhærentis malo, & auerſi à diuino lumine; & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex quo ſequitur quod mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè viuendum; & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis. *Eſt autem* conſiderandum quod Deus eſt cauſa vniuerſalis illuminationis animarum, ſecundum illud Ioann. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Sicut ſol eſt vniuerſalis cauſa illuminationis corporum. Aliter tamen & aliter. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ. Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licet quantum de ſe omnia corpora illuminet, ſi quod tamen impedimentum inueniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum. Sicut patet de domo cuius feneſtræ ſunt clauſæ; ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol: non enim ſuo iudicio agit vt lumen interius non immittat, ſed cauſa eius eſt ſolum ille qui claudit feneſtram. Deus autem proprio iudicio lumen gratię non immittit illis, in quibus obſtaculum inuenit. Vnde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt, non ſolum ille qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus qui ſuo iudicio gratiam non apponit. & per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggrauationis aurium, & obdurationis cordis; quæ quidem diſtinguuntur ſecundum effectus gratiæ. quæ & perficit intellectum dono ſapientiæ & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maxime deſeruiunt duo ſenſus, viſus ſcilicet & auditus, quorum vnus deſeruit intentioni, ſcilicet viſus, alius diſciplinæ, ſcilicet auditus: ideo quantum ad viſum ponitur excæcatio, quantum ad auditum aurium aggrauatio, quantum ad affectum obduratio.

Deus non eſt cauſa indurationis poſitiuè, ſed tantum per ſubtractionem gratia.

AD QVARTVM, ſcilicet *vtrum excæcatio & obduratio, ſemper ordinentur ad ſalutem eius qui excæcatur, & obduratur.* Dicendum, quod excæcatio eſt quoddam præambulum ad peccatum; peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per ſe, ſcilicet ad damnationē; Ad aliud autem ex miſericordia Dei & prouidentia, ſcil. ad ſanationem; quando ſci. Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum ſuum agnoſcentes humilientur & conuertantur. Sicut Aug. dicit in libro de natura & gratia. Vnde & excæcatio de ſui natura ordinatur ad damnationem eius qui excæcatur, propter quod etiam ponitur reprobationis effectus. Sed ex diuina miſericordia, excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum qui excæcantur; ſed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolum, quibus *omnia cooperantur in bonum*, ſicut dicitur Rom. 8. Vnde quantum ad quoſdam excæcatio ordinatur ad ſanationem, & per conſequens ad ſaluationem: quantum ad alios, ad damnationem, vt Auguſt. dicit in 3. de quæſtionibus euangelij.

Obduratio per ſe ordinatur ad damnationē, ſed ex miſericordia Dei in prædeſtinatis ordinatur ad ſaluationē.

De cauſa peccati ex parte diaboli.

DISTINCTIO X.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa peccati ex parte diaboli. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum diabolus ſit directè cauſa peccati. Secundo vtrum diabolus inducat ad peccandum interius perſuadendo. Tertio vtrum poſſit neceſſitatem peccandi inducere. Quarto vtrum omnia peccata ex diaboli ſuggeſtione proueniant.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum diabolus ſit directe cauſa peccati.* Dicendum, quod peccatum actus quidam eſt. Vnde hoc modo poteſt aliquid eſſe directè cauſa peccati, per quem modum aliquis eſt directè cauſa alicuius actus; quod quidem non contingit niſi per hoc, quod proprium principium illius actus mouet ad agendum: proprium autem principium peccati eſt voluntas, quia omne peccatum eſt voluntarium. Vnde nihil poteſt eſſe directè cauſa peccati, niſi quod poteſt mouere voluntatem ad agendum. Voluntas autem à duobus poteſt moueri. *Vno modo* ab obiecto. Sicut dicitur quod appetibile apprehenſum mouet appetitū. *Alio modo* ab eo quod interius inclinat voluntatē ad volendum, hoc autem non eſt, niſi vel ipſa voluntas, vel Deus; Deus autem non poteſt eſſe cauſa peccati vt dictū eſt. Relinquitur ergo quod ex hac parte ſola voluntas hominis ſit directè cauſa peccati eius.

Nihil præter Deum & ipſam voluntatem inclinat illā interius ad volendum.

Ex par-

Ex parte autem obiecti potest intelligi quod aliquid moueat voluntatem tripliciter. *Vno modo*, ipsum obiectum propositum; sicut dicimus quod cibus excitat desiderium hominis ad comedendum. *Alio modo*, ille qui proponit huiusmodi obiectum. *Tertio modo*, ille qui persuadet obiectum propositum rationem boni habere; quia & hic aliqualiter proponit proprium obiectū voluntati, quod est rationis bonum verum vel apparens. Primo igitur modo, res sensibiles exterius apparentes mouent voluntatem hominis ad peccandū. Secundo autem & tertio, vel diabolus, vel etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerēdo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Sed nullo istorum trium modorum potest aliquid esse directè causa peccati, quia voluntas non ex necessitate mouetur ab aliquo obiecto, nisi ab vltimo fine. Vnde non est sufficiens causa peccati, neque res exterius oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui persuadet. Vnde sequitur quod diabolus non sit directè & sufficienter causa peccati, sed per modum persuadentis, vel proponentis appetibile.

Diabolus nō est directe & sufficienter causa peccati sed tantum per modum persuadentis vel proponētis appetibile.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum diabolus sit causa peccati persuadendo, vel interius inſtigando.* Dicendum, quod interior pars animæ est & intellectiua & sensitiua. Intellectiua autem continet intellectum & voluntatem; & de voluntate quidem iam dictum est, quomodo ad eam intellectus se habet. Intellectus quidem per se mouetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionē veritatis, quod diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrare rationem ipsius ad consentiendum peccato, quæ quidem obtenebratio prouenit ex fantasia, & sensitiuo appetitu. Vnde tota operatio diaboli esse videtur circa fantasiam & appetitum sensitiuum, quorum vtrumque commouendo, potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquę formæ imaginarię præsententur. Potest etiam facere, quod appetitus sensitiuus concitetur ad aliquam passionem; natura autem corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem. Vnde & diabolus omnia illa causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute diuina reprimatur. Quod autem aliquæ formæ imaginationi repræsententur, consequitur quandoque ad motum localem. Dicit enim Philosophus in lib. de som. & vigi. quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitiuum, simul descendunt motus, siue impressiones relictæ ex sensibilibū motionibus, quæ in spiritibus sensibilibus conseruantur, & mouent principium apprehensiuum, ita quod apparent ac si tunc principium sensitiuum à rebus ipsis exterioribus immutaretur. Vnde talis motus localis spirituum vel humorum, potest procurari à dæmonibus, siue vigilent siue dormiāt homines, & sic sequitur quod homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitiuus concitatur ad aliquas passiones. secundū quendam determinatum motum cordis, & spirituum; vnde ad hoc etiam diabolus potest cooperari. & ex hoc quod passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitiuo, sequitur quod etiam motum, vel intentionem sensibilem prædicto modo reductam ad principiū apprehensiuum, magis homo percipiat: quia vt in eodem lib. dicit Philosophus: *Amantes modica similitudine in apprehensionem rei amatæ mouentur.* Contingit etiam ex hoc quod passio est concitata, vt id quod proponitur imaginationi iudicetur prosequendum; quia ei qui à passione detinetur, videtur id esse bonum ad quod per passionem inclinatur, & per hunc modum diabolus interius inducit ad peccandum.

Diabolus duplíciter mouet interius ad peccatum sci. præsentādo imaginationi ſpecies & causando paſſionem in appetitu ſenſitiuo.

Ad tertivm, scilicet *vtrum diabolus possit inducere necessitatem ad peccandum.* Dicēdum, quod diabolus propria virtute, nisi refrenetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est; non autem potest inducere necessitatem peccādi, quod patet ex hoc quod homo, motiuo ad peccandum non resistit nisi per rationem, cuius vsum totaliter impedire potest, mouēdo imaginationem & appetitum sensitiuum sicut in arreptitiis patet: sed tunc ratio sic ligata, quicquid homo agat non imputatur ei ad peccatum. Sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte quæ est libera, potest resistere peccato. Vnde manifestum est quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.

Diabolus nō potest ad peccandum necessitare.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum omnia peccata sint ex suggestione diaboli.* Dicendum, quod occasionaliter & indirectè diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, inquantum induxit primum hominē ad peccandum; ex cuius peccato intantum vitiata est humana natura, vt omnes simus ad peccandum procliues. Sicut diceretur esse causa combustionis lignorum qui ligna siccaret, ex quo sequeretur quod facile incenderentur. Directè autem non est causa omnium peccatorum humanorum, ita quod singula peccata persuadeat. Quod Origen. probat ex hoc, quia etiam si diabolus non esset, homines haberent appetitum cibi & venereorum & similium, qui posset esse inordinatus nisi ratione ordinaretur, quod subiacet libero arbitrio.

Diabolus indirecte est causa omnium peccatorū nostrorū, quatenus induxit primum parentē; singula tamen peccata non persuadet.

De causa peccati ex parte hominis.

DISTINCTIO XI.

Deinde considerandum est de causa peccati ex parte hominis. Cum autem homo sit causa peccati alterius hominis, exterius suggerendo, sicut & diabolus (sicut patet in primis parentibus, quorum alter suggestione diaboli, alter mulieris suggestione peccauit) habet nihilominus quendam specialem modum causandi peccatum in alterum per originem traducendo. Vnde primo dicendum est de peccato primorum parentum. Secundo de peccato originali. Circa primum considerandа sunt tria. Primo de tentatione qua inducti sunt ad peccandum. Secundo de peccato eorum. Tertio de pœna eis inflicta pro peccato. Circa primum considerandum est primo, vtrum fuerit conueniens, quod homo à diabolo tentaretur. Secundo, de modo & ordine illius tentationis.

Ad primvm dicendum, quod diuina sapientia *disponit omnia suauiter*, vt dicitur Sapient. 8. inquantum scilicet sua prouidentia singulis attribuit quę eis competunt secundum suam naturam; quia vt dicit Dionysius 3. cap. de di. no. *prouidentiæ non est naturam corrumpere, sed saluare.* hoc autem pertinet ad conditionem humanæ naturæ, vt ab aliis creaturis iuuari vel impediri possit, vnde conueniens fuit vt Deus hominem in statu innocentiæ, & tentari permitteret per malos Angelos, & iuuari eum faceret per bonos. Ex spirituali autem beneficio gratiæ hoc erat ei collatum, vt nulla creatura exterior posset ei nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi dæmonis resistere poterat. Vnde sicut secundum ordinem naturæ per Angelum bonum promouetur & iuuatur homo ad perfectionem. Sic conueniens fuit quod homo per Angelum malum tentaretur ad peccandum. *Et sicut* Deus sciebat quod homo per tentationem in peccatum esset deiiciendus, ita etiam sciebat quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori; hoc autem requirebat conditio naturæ ipsius, vt proprię voluntati relinqueretur, secundum illud Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Vnde Aug. dicit 11. super Genes. ad litteram. *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene viuere, quia nemo male viuere suaderet, cum & in natura posse, & in potestate haberet velle non consentire suadenti.*

Solutio obiect.

Ad secvndvm, scilic. *de modo & origine tentationis.* Dicendum quod homo compositus est ex duplici natura, intellectiua, scilicet & sensitiua; & ideo diabolus in tentatione hominis vsus est incitamento ad peccandum dupliciter. *Vno* quidē modo ex parte intellectus, inquan-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Diabolus in tentatione primorũ parentum incitauit intellectum & sensum.

inquantum, scilicet promisit diuinitatis similitudinẽ, per scientię adeptionem, quam homo naturaliter desiderat. *Alio modo* ex parte sensus; & sic vsus est istis sensibilibus rebus, quæ maximam habent affinitatem ad hominem; partim quidem in eadem specie tentans virum per mulierem; partim vero in eodem genere tentans mulierem per serpentem; partim vero in genere propinquo, proponens pomum ligni vetiti ad edendum.

Solutio obiect.

ET NOTA quõd cum multa animalia maiorem apparentiam habeant boni quam serpens, propter quod conuenientiora fuissent ad tentandum, tamen non nisi per serpentem tentare permissus est; quia sicut Aug. dicit 10. super Gen. ad litteram. *Non debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus eligeret; sed cum esset in illo decipiendi cupiditas, non nisi per id aliud potuit, per quod posse permissus est.*

DICTVS est autem ille serpens astutus, vel callidus sicut dicit Aug. 11. super Gen. ad litteram propter astutiam diaboli quæ in illo agebat dolum: sicut dicitur prudens, vel astuta lingua, quam prudens, vel astutus mouet, ad aliquid prudenter vel astutè suadendũ. neq; etiam serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem: neque conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem, quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cũ dæmon in eis loquitur, sciunt quid loquantur. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam, locuta fuit homini; nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum. vnde serpens non est interrogatus cur hoc fecerit, quia non in sua natura id fecerat, sed diabolus in illo, qui iam ex peccato suo igni destinatus fuerat sempiterno. Quod autem serpenti dicitur, ad eum qui per serpentem est operatus refertur. Et sicut Augustꝰ. dicit in libr. super Genes. contra Manichæos. *Nunc quidem eius pœna*, id est diaboli, dicitur, *qua nobis cauendus est, non ea quæ vltimo iudicio reseruatur.* Per hoc enim quod ei dicitur. *Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*; pecora illi præponuntur, non in potestate, sed in conseruatione suæ naturę; quia pecora non amiserunt aliquam beatitudinem cælestem, quam nunquam habuerunt; sed in sua natura quam acceperunt, peragunt vitam. Dicitur etiam ei: *Pectore & ventre repes*, secundum aliam litteram: vbi nomine *pectoris* significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animæ; nomine *ventris* significatur carnale desiderium, quia hęc pars mollior sentitur in corpore. His autẽ rebus serpit ad eos quos vult decipere. Quod autem dicitur: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*; duobus modis potest intelligi: vel ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur: Vel tertium genus tẽtationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda & tenebrosa penetrat. Per hoc autem quod inimicitiæ ponuntur inter ipsum & mulierem, ostenditur non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem in homine ostendit. Semen autem diaboli est peruersa suggestio; semen mulieris, fructus boni operis quod peruersæ suggestioni resistit. Et ideo obseruat serpens plantam mulieris, vt si quando in illicita labitur, delectatio illam capiat: & illa obseruat caput eius, vt ipsum in ipso initio malę suasionis excludat.

Explicantur quæ de serpẽte dicuntur Gen. 3.

DEINDE considerandum est de peccato primi hominis, circa quod cõsideranda sunt quatuor. Primo vtrum peccatum primi hominis fuerit superbia. Secundo quid primus homo appetiit in peccãdo. Tertio vtrum peccatum eius fuerit grauius omnibus aliis peccatis. Quarto quis grauius peccauit, vtrum vir vel mulier.

AD PRIMVM, scilic. *vtrum superbia fuit primi hominis peccatum*: dicendum, quod ad vnum peccatũ multi motus concurrere possunt, inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio inuenitur. Manifestum est autem quod primo inuenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis: quia vt Aug. dicit in primo de ciu. Dei. *non amittitur corporis sanctitas, manente animæ sanctitate.* Inter motus autem interiores prius mouetur appetitus in finem, quam in id quod quæritur propter finẽ; & ideo ibi fuit primum peccatum hominis, vbi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem erat in statu innocẽtiæ institutus, vt nulla esset rebellio carnis ad spiritum; vnde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc, quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit præter ordinem rationis. Relinquitur ergo, quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc, quod aliquod bonum spirituale inordinatè appetiit. Non autem inordinatè appetiuisset, appetendo secundum suam mẽsuram, ex diuina regula præstitutam. Vnde relinquitur quod primum peccatum eius fuit in hoc, quod appetiit aliquod spirituale bonum supra suam mẽsuram, quod pertinet ad superbiam. Vnde manifestum est, quod primum peccatum hominis fuit superbia.

Primũ hominis peccatum fuit superbia.

AD idem autem concurrit motus inobediẽtiæ. Sed quod homo diuino præcepto non obedierit, non fuit propter se ab eo volitum; quia non posset hoc contingere nisi pręsuppositа inordinatione voluntatis. Relinquitur ergo quod voluerit propter aliquid aliud. Primum autẽ quod inordinatè voluit, fuit propria excellentia; & ideo inobedientia in eo causata fuit ex superbia. Et hoc est quod Aug. dicit ad Orosium, quod *homo elatus superbia suasioni serpentis obediens, præcepta Dei contempsit.*

Solutio obiect.

ITEM in eodem etiam peccato gula locum habuit. Dicitur enim Gen. 3. *Vidit mulier quod lignum esset bonum ad vescendum, & pulchrũ oculis, aspectuque delectabile*; & tulit de fructu illius, & comedit. Non enim ipsa bonitas & pulchritudo cibi fuit primum motiuum ad peccandum, sed potius suasio serpentis, qui dixit: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij*: Quod appetendo superbiam incurrit. Et ideo peccatum gulæ deriuatum est ex peccato superbiæ.

ITEM ibi fuit inordinatus appetitus scientiæ, quod pertinet ad curiositatem. Sed appetitus scientiæ causatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Vnde & in verbis serpentis præmittitur: *Eritis sicut Dij.* Et postea subiungitur. *Scientes bonum & malum.*

DENIQVE fuit in illo peccato quidam infidelitatis motus, sicut patet per hoc quod dicit Apostolus 1. Timot. 2. *Mulier seducta in præuaricatione fuit.* Glo. *Hanc seductionem propriè appellauit Apostolus, per quam id quod suadebatur cum falsum esset, verum putatum est; quod scilic. Deus lignum illud ideo tangere prohibuerit, quia sciebat eos si tetigissent velut Deos esse futuros, quasi eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat*: Hoc autem credere ad infidelitatem pertinet. Sed sicut dicit Aug. 12. super Gen. ad litterã. *Verbis serpentis mulier non crederet, à bona atque vtili re, diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.* Quod non est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem serpentis, sed quia statim post suasionem serpentis inuasit mentem eius elatio, ex qua consecuta est, quod crederet verum esse quod dæmon dicebat.

AD SECVNDVM, scil. *quid primus homo appetiit in peccato, vtrum scilicet diuinam similitudinem.* Dicẽdum, quod duplex est similitudo. *Vna* omnimodæ æquiparantiæ, & hanc similitudinem ad Deum primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad Deum non cadit in apprehensionem, præcipuè sapientis. *Alia* autem est similitudo imitationis, qualis possibilis est creaturæ ad Deũ, inquantum videlicet participat aliquid de similitudine ipsius secundum suum modum. Dio. enim dicit in 11. ca. de di. no. *Eadẽ similia sunt Deo, & dissimilia*: illud quidem secundum contingentem imitationem; hoc autem secundum quod causata minus habent à causa.

Similitudo duplex scilic. omnimoda æquiparãtiæ, & imitationis.

Quod-

Quodlibet autem bonum in creatura existens, est quædam participata similitudo primi boni. Et ideo ex hoc ipso quod homo appetiit aliquod spirituale bonum supra suam mensuram, vt dictum est, consequens est quod appetierit diuinam similitudinem inordinatè. *Considerandum* tamen est, quod appetitus propriè est rei non habitæ. Bonum autem spirituale secundum quod creatura rationalis participat diuinam similitudinem potest secundum tria attendi. *Primo* quidem secundum esse naturæ; & talis similitudo ab ipso creationis principio fuit impressa, & homini, de quo dicitur Genes. 1. quod *fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*; Et Angelo, de quo dicitur Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis. Secundo* vero quantum ad cognitionem & hanc etiam similitudinem in sui creatione Angelus accepit. Vnde in præmissis verbis cum dictum esset: *Tu signaculum similitudinis*, statim subditur, *Plenus sapientia*. Sed primus homo in sua creatione istam similitudinem nondum actu adeptus erat, sed solum in potentia. *Tertio* quantum ad potestatem operandi; & hanc similitudinem nondum erant in actu assecuti, neque Angelus, neque homo, in ipso creationis principio; quia vtrique restabat aliquid agendum, quoad beatitudinem peruenirent. Et ideo cum vterque, scilicet diabolus, & primus homo, inordinatè diuinam similitudinem appetierunt, neuter eorum peccauit appetendo similitudinem naturæ. Sed primus homo peccauit principaliter, appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni & mali, sicut serpens suggessit ei; vt scilicet per virtutem propriæ naturæ, determinaret sibi quid esset bonum & quid malum ad agendum; vel etiam vt per seipsum præcognosceret, quid sibi boni vel mali esset futurum. Et secundario peccauit, appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi; vt scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam. Vnde Augustinus dicit. 9. super Genes. ad litteram. Quod *mentis mulieris inhæsit amor propriæ potestatis*. Sed diabolus peccauit appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem; vnde Augustinus dicit in libr. de vera religione, quod *magis voluit sua potentia frui, quàm Dei*. Veruntamen quantum ad aliquid, vterque Deo æquiparari appetiit, inquantum scilicet vterque sibi inniti voluit, contempto diuinæ regulæ ordine.

Similitudo Dei participata triplex.

Adã peccauit appetẽdo diuinam similitudinem in scientia, & virtute operandi per se supernaturaliter.

Ad tertium, scilicet *vtrum peccatum primi hominis fuerit grauius omnibus peccatis*. Dicẽdum quod duplex potest attendi grauitas in peccato. *Vna* quidem ex ipsa specie peccati; sicut dicimus quod adulterium est grauius peccatum fornicatione simplici. *Alia* est grauitas peccati, quæ attenditur secundum aliquam circunstantiam loci, vel personæ, aut temporis. Prima autem grauitas essentialior est peccato & principalior. Vnde secundum eam magis peccatum dicitur graue, quàm secũdum aliam. Dicendum est igitur, quod peccatum primi hominis non fuit grauius omnibus aliis peccatis humanis secũdum speciem peccati. Etsi enim superbia secundum suum genus habeat quandam excellentiam inter alia peccata, maior tamen est superbia qua quis Deum negat vel blasphemat, quam superbia qua inordinatè diuinam similitudinẽ appetit, qualis fuit superbia primorum parentum, vt dictum est. Sed secundum conditionem personarum peccantium, peccatum illud habuit maximam grauitatem, propter perfectionẽ status eorum. Et ideo dicendum est, quod illud peccatum fuit quidem secundum quid grauissimum, sed nõ simpliciter.

Peccatũ Adæ non fuit maximũ secundum speciem. sed secũdum personæ circunstãtiam, ob perfectionem status eius; hoc est secundũ quid non simpliciter.

Ad qvartvm, scil. *quis eorum grauius peccauit, vtrum sc. vir, quam mulier*. Dicendum quod sicut dictũ est, grauitas peccati principalius attenditur secundum peccati speciem, quàm secundum personæ circunstantiam. Dicendum est ergo, quod si consideremus conditionem personę vtriusque, scil. mulieris & viri, peccatũ viri est grauius, quia vir erat perfectior muliere. Sed quantum ad genus peccati, vtriusque peccatum æquale dicitur; quia vtriusq; peccatũ fuit superbia. Vnde Aug. dicit 11. super Gen. ad litteram, quod *mulier excusauit peccatũ suũ in impari sexu, sed pari fastu*. Sed quantum ad speciem superbiæ grauius peccauit mulier triplici ratione. *Primo* quidem, quia maior elatio fuit mulieris quàm viri. Mulier enim credidit verum, quod serpens suasit, sci. quod Deus prohibuit ligni esum, ne ad eius similitudinẽ peruenirent; & ita dum per esum ligni vetiti Dei similitudinem consequi voluit, superbia eius ad hoc se erexit, quod contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc esse verum. Vnde non voluit consequi diuinam similitudinem contra Dei voluntatem; sed in hoc superbiuit, quod voluit eam consequi per seipsum. *Secundo* quia mulier non solum ipsa peccauit, sed etiam viro peccatum suggessit: vnde peccauit & in Deum, & in proximũ. *Tertio* in hoc quod peccatũ viri diminutum est ex hoc, quod in peccatum cõsensit amicabili quadam beneuolentia, qua plerumque fit vt offẽdatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ exitus indicauit, vt Aug. dicit 11. super Gen. ad litterã. & sic patet quod peccatũ mulieris fuit grauius, quàm peccatũ viri.

Ada fuit magis ex circũstantia perfectionis personæ, Eua autẽ maius secundũ speciem, & hoc triplici ratione.

De pœna peccati.

DISTINCTIO XI.

Deinde considerandum est de pœna peccati; & primo de morte, quæ est pœna communis. Secũdo de aliis pœnis, quæ in Genes. describuntur.

Ad primvm, scilicet *vtrum mors sit pœna peccati primorum parentum*. Dicẽdum quod si aliquis propter culpam suam priuetur aliquo beneficio sibi dato, carentia illius beneficij est pœna culpæ illius. Homini autem in prima sui institutione hoc beneficium fuit collatum diuinitus, vt quamdiu mens eius esset Deo subiecta, inferiores vires animæ subiicerentur rationali menti, & corpus subiiceretur animæ. Sed quia mens hominis per peccatum à diuina suggestione recessit, consecutum est, vt nec vires inferiores totaliter rationi subiicerentur. (Vnde tanta est rebellio carnalis appetitus ad rationem) nec etiam totaliter corpus subiiceretur animæ; vnde consequitur mors, & alij corporales defectus. Vita enim & incolumitas corporis consistit in hoc, quod subiiciatur animę sicut perfectibile suæ perfectioni. Vnde per oppositum, mors, & ægritudo, & quilibet corporalis defectus pertinet ad defectum subiectionis corporis ad animam. Vnde patet quod sicut rebellio carnalis appetitus ad spiritum, est pœna peccati primorum parentum; ita etiam mors, & omnes corporales defectus. Primi enim parentes instituti fuerũt à Deo, non solum sicut quædam personæ singulares, sed sicut quædam principia totius humanæ naturæ, ab eis in posteros deriuandæ, simul cum beneficio diuino præseruante à morte. Et ideo per eorum peccatum, tota humana natura in posteris tali beneficio destituta, mortem incurrit.

Mors est pœna peccati primorũ parentum.

Cvm autem mors sit quodammodo naturalis homini, quia videlicet corpus eius compositum est ex cõtrariis, (vnde & mortale ponitur in diffinitione hominis) nihilominus mors dicitur esse pœna peccati. Naturale enim dicitur quod ex principiis naturæ causatur, naturæ autẽ per se principia sũt materia & forma. Forma autẽ hominis est anima rationalis, quæ de se est immortalis; & ideo mors nõ est naturalis homini ex parte suæ formę. Materia autẽ hominis est corpus tale, quod est ex contrariis compositum, ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas; & quantum ad hoc mors est homini naturalis. Hæc tamen conditiõ in materia humani corporis, est consequens ex necessitate materiæ, quia oportebat corpus humanum esse organum tactus, & per consequens medium inter tangibilia; & hoc non poterat esse nisi esset contrariis compositum, vt patet per Philosophum in 2. de anima. Non est autẽ conditio secundum quam materia adaptetur formę, quia si esset possibile, cum forma sit incorruptibilis, opor-

Solutio obiectũ.

Peccatum vtriusq; parẽtis fuit æquale secundum genus suum; sed peccatum

oporteret materiam incorruptibilem esse. sicut quod ferra sit ferrea competit formæ, & actioni ipsius; vt per duritiem sit apta ad secandum: sed quod sit potens rubiginem contrahere, consequitur ex necessitate talis materiæ, & non secundum electionem agentis. Nam si artifex posset, faceret ex ferro ferram quæ rubiginem non posset contrahere. Deus autem qui est conditor hominis, omnipotens est: vnde ademit suo beneficio ab homine primitus instituto, necessitatem moriendi ex tali materia consequentem, quod tamen beneficium subtractum est per peccatum primorum parentum; & sic mors, & est naturalis propter conditionem materię, & est pœnalis propter amissionem diuini beneficij præseruantis à morte.

Mors est naturalis ob conditionē materiæ, & simul etiā panalis propter amissionē diuini beneficij præseruantis à morte.

ITEM nota, quod aliquis defectus potest consequi dupliciter ex peccato. *Vno modo* per modum pœnæ taxatæ à iudice; & talis defectus æqualis debet esse in his ad quos æqualiter pertinet peccatum. *Alius* autem defectus est, qui ex huiusmodi pœna per accidens cōsequitur; sicut quod aliquis pro sua culpa excæcatus, cadat in via; & talis defectus culpæ non proportionatur, nec ab homine iudice pensatur, qui non potest euentus fortuitos præcognoscere. Sic igitur pœna taxata pro primo peccato proportionaliter ei respōdens, fuit subtractio diuini beneficij, quo rectitudo & integritas humanę naturæ conseruabatur. Defectus autem consequentes subtractionem huius beneficij sunt mors & aliæ pœnalitates præsentis vitæ; & ideo non oportet huiusmodi pœnas æquales esse in his ad quos æqualiter pertinet primum peccatum. Verum quia Deus præscius est omnium futurorum euentuum, ex dispensatione diuinæ prouidentiæ huiusmodi pœnalitates diuersimodè in diuersis inueniuntur; non quidem propter aliqua merita præcedentia hanc vitam, vt Origen. posuit (Hoc enim est contra id, quod dicitur Rom. 9. *Cum nondū aliquid boni vel mali egissent*: Est etiā contra hoc, quod anima non est creata ante corpus,) sed vel in pœnam paternorum peccatorum, inquantum filius est quædam res patris; vnde frequenter parentes puniuntur in prole: vel etiam propter remediū salutis eius qui huiusmodi pœnalitatibus subditur, vt scilicet per hoc à peccatis arceatur, vel etiam de virtutibus non superbiat, & per patientiam coronetur.

Pœna quæ per accidens sequuntur illā quæ pro primo peccato taxata est sunt inæquales; nō autem illa quæ per se imposita est.

ITEM nota, quod mors dupliciter potest considerari. *Vno modo* secundum quod est quoddam malum humanę naturæ, & sic non est ex Deo, sed est defectus quidam incidens ex culpa humana. *Alio modo* potest considerari secundum quod habet quandam rationem boni, prout scilicet est quædam iusta pœna, & sic est à Deo. Vnde Aug. dicit in lib. retract. quod Deus non est auctor mortis, nisi inquantum mors est pœna.

Ratio inæqualitatis panarum.

Mors est à Deo prout iusta pœna non vero vt defectus.

AD SECVNDVM, scilicet *de singulis pœnis particularibus primis parentibus impositis*. Dicendum, quod primi parentes propter suum peccatū priuati sunt beneficio diuino, quo humanæ naturæ integritas in eis conseruabatur; per cuius subtractionem humana natura in defectus pœnales incidit, & ideo dupliciter puniti fuerunt. *Primo* quidem quantum ad hoc quod subtractum fuit eis id quod integritatis statui competebat, scilicet locus terrestris Paradisi; quod significatur, Genes. 3. cum dicitur. *Et emisit eū Dominus de Paradiso voluptatis*. Et quia ad illum statum primæ innocentiæ per seipsum redire non poterat, conuenienter apposita sunt impedimenta ne rediret ad ea quæ primo statui competebat, scilicet à cibo, *ne sumeret de ligno*; & à loco, *collocauit Deus ante Paradisum Cherubin, & flammeum gladium*. *Secundo* autem puniti fuerunt quantum ad hoc quod attributa sunt eis ea quę naturę conueniunt tali beneficio destitutæ; & hoc quidem, & quantum ad corpus, & quantum ad animam. Quantum quidem ad corpus, ad quod pertinet differentia sexus, alia pœna attributa est mulieri, alia viro.

Primi parētes ob suum peccatū dupliciter puniti fuerunt.

De pœna mulieris quantum ad corpus.

MVLIERI attributa est pœna secundum duo propter quæ viro coniungitur, quæ sunt generatio prolis, & communicatio operum pertinentium ad domesticam conuersationem. Quantum autem ad generationem punita fuit dupliciter. *Primo* quidem quantū ad tędia quę sustinet portando prolem conceptam, & hoc significatur cū dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*. *Et quantum* ad dolorem quem patitur in pariendo; & quantum ad hoc dicitur: *In dolore paries*. Quantum vero ad domesticam conuersationem, punitur secundum hoc quod subijcitur dominationi viri, per hoc quod dicitur: *Sub viri potestate eris*.

Pœna mulieris triplex ex parte corporis.

Pœna viri ex parte corporis.

SICVT autem ad mulierem pertinet vt subdatur viro in his quæ ad domesticam conuersationem pertinent, ita ad virum pertinet quod necessaria vitæ procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. *Primo* quidem per terræ sterilitatem, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo*. *Secundo* per laboris anxietatem. Vnde dicitur: *In labore comedes de ea cunctis diebus vitæ tuæ*. *Tertio* quantum ad impedimenta quæ proueniunt terram colentibus. Vnde dicitur: *Spinas & tribulos germinabit tibi*.

Pœna viri triplex.

Pœna amborum ex parte animæ.

SIMILITER etiam ex parte animæ triplex eorum pœna describitur. *Primo* quidem quantum ad confusionem quam passi sunt de rebellione carnis ad spiritum. vnde dicitur: *Aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt se esse nudos*. *Secundo* quantum ad increpationem proprię culpæ, per hoc quod dicitur: *Ecce Adā factus est quasi vnus ex nobis*. *Tertio* quantum ad commemorationem futuræ mortis; secundum quod ei dictum est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Ad quod etiam pertinet quod Deus fecit eis tunicas pelliceas, in signum mortalitatis eorum. Ex dictis patet, quod quædam pœnæ impositæ sunt specialiter mulieri, quædam viro; quædam vero communiter pertinent ad vtrumque.

Pœna eorum ex parte animæ triplex.

Pœna mulieris specialiter.

QVANTVM ad pœnas specialiter impositas mulieri, ponuntur tres, Genes. 3. *Prima* videlicet, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*. *Secunda*: *In dolore paries filios*. *Tertia*: *Et sub viri potestate eris*.

QVANTVM ad primum nota, quod licet multiplicatio conceptuum videatur ad dignitatem mulieris pertinere, tamen in pœnam inducitur, non propter ipsam productionem prolis, quæ etiam ante peccatum fuisset, sed propter multitudinem afflictionum, quas mulier patitur ex hoc quod portat fœtum conceptum. Vnde signanter dicitur. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*. Quæcumque enim mulier concipit, necesse est vt ærumnas patiatur, & cum dolore pariat; præter beatam virginem, quæ sine corruptione concepit, & sine dolore peperit: quia eius conceptus non fuit secundum legem naturæ à primis parentibus deriuatus. Licet iniqui multum vehementer desiderent prolem concipere, & cum delectatione concipiant, tamen vix potest actus coniugalis exerceri sine pruritu carnis, feruore libidinis, & fœtore. Postquam autem mulier conceperit, facies palescit, venter intumescit, gressus lentescit, grauatur corpus, debilitatur virtus, minuitur somnus, sollicitatur animus, & tam suum quàm fœtus periculum metuens, anxiatur, cibum fastidit, quæ sibi proficua sunt refugit, nociua appetit.

Solutio obiect.

1. Pœna mulieris, ærumnæ conceptionis.

QVANTVM ad secundum dicitur: *In dolore paries filios*.

2. Dolores partus.

filios. Nam in ſtatu innocentiæ fuiſſet partus abſque dolore. Dicit enim Auguſt. in 14. de Ciuit. Dei. *Sic ad pariendum non doloris gemitus, ſed maritalis impulſus fœmineа viſcera relaxaret; ſicut ad concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius uſus naturam utramque coniungeret.* Poſt peccatum vero, quantas anxietates & anguſtias in partu ſuſtinent mulieres, quot periculis ſubiacent. quot doloribus cruciantur, quot terroribus anxiantur, plus docet experientia, quam poſſit explicare ſcriptura. Rachel præ nimio dolore partus interiit, & moriens vocauit filium ſuum Benoni, id eſt filium doloris. Vxor Phinees ſubitis doloribus irruentibus, peperit ſimul & periit, in ipſo autem momento vocauit filium ſuum Hycaboch, id eſt, filium mortis. O miſera tam naſcentis quàm parientis conditio; quia plerumque fœtus antequam naſcatur, vel in ipſa hora natiuitatis moritur; nec ſine ſuo, & parturientis periculo naſci poteſt. Alia vero pariens aut pariendo perit, & fœtum perimit, aut vt viuum pariat aperitur, vt fœtus ad vitam non veniat, niſi pariens moriatur. Concipit mulier cum immunditia, & fœtore, portat cum anguſtia & timore, parit cum triſtitia & dolore, nutrit cum ſollicitudine & labore, cuſtodit cum inſtantia, & mœrore.

3. Subiectio.

Qualiter iã mulier eſt ſub poteſtate viri.

QVANTVM ad tertium dicitur: *Sub viri poteſtate eris.* Huiuſmodi autem ſubiectio mulieris ad virum intelligenda eſt in pœnam mulieris eſſe inducta, non quantum ad regimen, quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuiſſet, & eius gubernator exiſteret; ſed inquantum mulier neceſſe habet obedire voluntati viri ſui, etiam quandoque contra propriam voluntatem. Ante peccatum enim mulier obediret, & ſeruiret viro ex libera voluntate, & mera charitate; poſt peccatum vero mulieri impoſitum eſt in pœnam vt viro ſit ſubdita, ex conditione quodammodo, ſcilicet velit nolit. *Si autem* aliqua non concipit neque parit, patitur defectum ſterilitatis, quæ præponderat pœnis omnibus ante dictis.

Pœna ſterilitatis maior omnibus his.

Pœna viri ſpecialiter.

SIMILITER viro imponuntur tres pœnæ. *Prima* eſt: *Maledicta terra in opere tuo. Secunda: Spinas & tribulos germinabit tibi. Tertia: In laboribus comedes ex ea.* Et infra: *In ſudore vultus*, &c.

1. Pœna viri maledictio terræ.

QVANTVM ad primum nota, quod maledictio intelligenda eſt, vel propter ſterilitatem, quia poſt peccatum terra in multis locis eſt ſterilis, quod forte non fuiſſet ante peccatum: vel propter diminutionem fæcũditatis, quia ſcilicet non tantos nec tot fructus profert poſt lapſum ſicut ante feciſſet. Vel propter bonitatis fructuum diminutionem, quia poſt peccatum fructus terræ nec ita ſunt pulchri ad delectãdum aſpectum, nec ita odoriferi ad delectandum olfactum, nec ita dulces ad delectandum guſtum, nec ad nutriendum æqualiter efficaces.

2. Spina & tribuli vt ſint homini in moleſtiã.

QVANTVM ad ſecundum ſciendum, quod ante peccatum terra ſpinas & tribulos germinaſſet in cibum animalium, non autem in hominis pœnam, quia ſcilicet per earum exortum, nullus labor vel punctio ſeu impedimentum homini terram operanti accideret, ſicut dicit Aug. 11. ſuper Gen. ad litteram.

3. Comedere panem in ſudore vultus.

QVANTVM ad tertium dicitur: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Hoc in pœnam imponitur homini, quia ante peccatum non fuiſſet labor, qui fatigationem, tædium vel laborem mentis vel corporis generaret, ſed bene fuiſſet operatio delectabilis ad conſolationem, & recreationem hominis operantis. Vnde ante peccatum dictum eſt homini: *Poſuit Deus hominem in Paradiſo voluptatis vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Poſt peccatũ autem oportet vt quicunq; terram operatur, in ſudore vultus panem comedat; & qui per ſeipſos agriculturam non exercent, in alijs operibus occupentur: *homo enim ad laborem naſcitur.* Iob 5. & ſic non ſine ſudore vultus panem manducat.

Pœnæ vtriuſque ſpecialiter.

SIMILITER etiam imponuntur tres pœnæ pertinentes ad vtrumque. *Prima* quantum ad habitationis locum, cum dicitur: *Emiſit Dominus Deus hominem de paradiſo voluptatis*, &c. *Secunda* quantum ad cibum, cum dicitur: *Videte ne forte ſumatis de ligno vitæ*, &c. *Tertia* quantum ad veſtitum, cum dicitur: *Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos.*

Pœna corporalis vtriuſque parentis triplex.

1. Exclusio à paradiſo.

QVANTVM ad primum ſciendum, quod homo iuſto Dei iudicio de loco voluptatis excluſus eſt, quia locum tam ſublimem, mundiſſimum, luminoſum, delectabilem, ſummè quietum, ſummè temperatũ, & bonis omnibus abundantem fædauerat; ideo dignum fuit vt in locum infimum, immundum, tenebroſum, laboris & anguſtiæ, doloris & miſeriæ, fœtoris & penuriæ plenum, deiiceretur. Tamen locus ille poſt emiſſionem hominis in rerum ordine debuit remanere; quia quamuis non ſeruiat homini ad vſum habitationis, ſeruit tamen ei ad documentum, dum cognoſcit propter peccatum ſe à tali loco fuiſſe priuatum, & dum per ea quæ corporaliter in illo Paradiſo ſunt, inſtruuntur de his quę pertinent ad Paradiſum cæleſtem, quo aditus homini præparatur per Chriſtum.

2. Prohibitio ligni vitæ.

QVANTVM ad ſecundum, quod dicitur: *Videte ne forte ſumatis de ligno vitę*, &c. Sciẽdum, quod ſi poſt peccatum comediſſet homo de ligno vitæ, non tamẽ propter hoc immortalitatem recuperaſſet, ſed beneficio illius cibi potuiſſet vitã magis prolongare. Vnde quod dicitur: *Et viuat in æternum*, ſumitur ibi, *In æternum*, pro diuturno; hoc autem non expediebat homini vt in miſeria huius vitæ diutius permaneret. Cum autẽ dicitur ibidem: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonũ & malum. Verba Dei*, ſicut dicit Aug. 11. ſuper Geneſ. ad litteram. *Non tam ſunt primis parentibus inſultantis, quam cæteros, ne ita ſuperbiant, deterrentis; propter quos iſta cõſcripta ſunt, quia ſcilicet non ſolum Adam non factus fuit qualis fieri voluit, ſed nec id quod factus fuerat, conſeruauit.*

3. Aſſignatio veſtitus.

QVANTVM ad tertium ſciendum, quod primis parentibus ante peccatum aſſignatus & datus fuit cibus, non autem veſtitus; quia cibus neceſſarius eſt homini, & fuiſſet neceſſarius etiam ante lapſum ad fomentum caloris naturalis, & ad corporis augmentum. Veſtitus autem neceſſarius eſt homini ſecundum ſtatum præſentis miſeriæ propter duo. *Primo* quidem propter defectum ab exterioribus nocumentis, puta in tempore caloris & frigoris. *Secundo* ad tegumentum ignominiæ, ne turpitudo membrorũ appareat, in quibus præcipuè manifeſtatur rebellio carnis ad ſpiritum. Hęc autẽ duo in primo ſtatu non erant; quia in ſtatu illo, corpus hominis non poterat per aliquid extrinſecum lædi, nec etiam erat in ſtatu illo aliqua turpitudo in corpore hominis quæ confuſionem induceret. Vnde dicitur Gen. 2. *Erant autem vterque nudus* Adam ſcilicet & vxor eius, *& non erubeſcebant.*

Veſtitus neceſſarius in hoc ſtatu propter duo.

De peccato originali.

DISTINCTIO XII.

DEINDE cõſiderandum eſt de peccato quod à primis parentibus trãsfunditur per originem in poſteros, ſc. de peccato originali. Circa quod tria conſideranda occurrunt. Primo de eius traductione. Secundo de eius eſſentia. Tertio de eius ſubiecto. Circa primum videnda ſunt quinque. Primo vtrum peccatum primi hominis per originem in poſteros deriuetur. Secundo vtrum omnia alia peccata primi parentis, vel etiam aliorum parentum, per originem in poſteros deriuentur. Tertio vtrum peccatum originale deriuetur ad omnes; qui ex Adam per viã ſeminis generantur. Quarto vtrum deriuaretur ad illos qui miraculosè ex aliqua parte humani corporis formarentur. Quinto vtrum ſi fœmina peccaſſet viro non peccante, traduceretur originale peccatum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Est fide tenẽdũ quod peccatum primi parentis in posteros per originẽ traducitur.

AD PRIMVM, scilicet *vtrum peccatum primi hominis in posteros per originem traducatur.* Dicendum quod secundum fidem Catholicam est tenẽdum, quod peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. Propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad baptismum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Cõtrarium autem est hæresis Pelagianæ, vt patet per Aug. in plurimis suis libris. Ad inuestigandum autem qualiter peccatum primi parentis originaliter possit transire in posteros, diuersi diuersis viis processerunt. Quidam enim considerantes, quod peccati subiectum est anima rationalis, posuerunt quod cum semine rationalis anima traducatur, vt sic ex infecta anima infectæ animæ deriuari videantur. Alij vero hoc repudiantes tãquam erroneum, conati sunt ostendere quomodo culpa animæ parentis traducitur in prolem, etiamsi anima non traducatur, per hoc quod corporis defectus traducuntur à parente in prolem; sicut si leprosus generat leprosum, vel podagricus podagricum, propter aliquã corruptionem seminis, licet illa corruptio non dicatur lepra vel podagra. Cum autem corpus sit proportionatũ animæ, & defectus animæ redundent in corpus, & ecõuerso, simili modo dicũt quod culpabiles defectus animæ, per traductionem seminis in prolem deriuantur, quamuis semen actualiter non sit culpæ subiectũ. *Sed omnes* huiusmodi viæ insufficiẽtes sunt; quia dato quod aliqui defectus corporales à parente transeant in prolem per originem, & etiam aliqui defectus animæ ex consequenti propter corporis indispositionem, sicut interdum ex fatuis fatui generantur; tamen hoc ipsum quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpæ, de cuius ratione est, quod sit volũtaria. Vnde etiam posito quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipso quod infectio animæ prolis non esset in eius voluntate, amitteret rationem culpæ obligantis ad pœnam, quia vt Philosophus dicit in 3. Ethic. *Nullus improbabit cæco nato, sed magis miserebitur.*

ET ideo alia via procedendum est, dicendo quod omnes homines qui nascuntur ex Adam possunt considerari vt vnus homo, inquantum conueniunt in natura quam à primo parente accipiunt; secundum quod in ciuilibus omnes qui sunt vnius communitatis reputãtur quasi vnum corpus, & tota cõmunitas quasi vnus homo. Porphyrius etiam dicit, quod per participationem actus speciei, plures homines sunt vnus homo. Sic igitur multi homines ex Adam deriuati, sunt tanquam multa membra vnius corporis; actus autem vnius mẽbri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quę primo mouet membra. Vnde homicidium quod manus cõmittit, non imputatur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se vt diuisa à corpore; sed imputatur ei inquantum est aliquid hominis, quod mouet à primo principio motiuo hominis. Sic igitur inordinatio quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius; sed voluntate primi parentis, qui mouet motione generationis omnes qui ex eius origine deriuantur, sicut voluntas animę mouet omnia membra ad actum. Vnde peccatũ quod fit à primo parente in posteros dicitur originale, sicut peccatum quod ab anima deriuatur ad membra corporis dicitur actuale. & sicut peccatum actuale quod per membrum aliquod committitur, nõ est peccatum illius membri, nisi inquantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum: ita peccatum originale non est peccatum huius personæ, nisi inquantum hæc persona recipit naturam à primo parente. Vnde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ.*

Peccatũ Adæ eatenus deriuatur ad posteros quatenus per generationem recipiunt naturam ab ipso & cum eo fiunt moraliter vnum.

Solutio obiect.

SICVT autem *filius non portat iniquitatem patris*, id est non punitur pro peccato actuali patris. sicut dicitur Ezech. 18. nisi sit particeps culpæ patris, per imitationem iniquitatis paternæ; Sic nec pro peccato primi parentis punirentur filij, nisi participes essent peccati primi parentis. Fiunt autem homines participes culpæ eius, quia deriuatur per originem culpa à primo parẽte in omnes posteros, sicut & actuale peccatum per imitationem.

ITEM quamuis anima quę est subiectum culpæ, nõ traducatur à parente in prolem, quia virtus seminis nõ potest causare animam rationalem, mouet tamen ad ipsam disponitiuè. Vnde per virtutem seminis traducitur humana natura à parente in prolem, & simul cum natura naturæ infectio. ex hoc enim fit iste qui nascitur consors culpæ primi parentis, quod natura ab eo sortitur per quandam generatiuam motionem.

ITEM quamuis in illo semine non sit actualiter culpa, quia non potest esse subiectum culpæ, tamen virtualiter est in illo humana natura, quam concomitatur talis culpa. *Item* magis inficitur anima per semen quam per carnem: quia semen est principium generationis, quæ est proprius actus naturę, eius propagationi deseruiens; caro autem dicit quid perfectum iam determinatum ad personam. Si enim per carnem iam perfectam inficeretur anima sibi vnita, iam anima non posset emundari à peccato originali, quamdiu esset carni vnita.

AD SECVNDVM, scilicet *vtrum omnia alia peccata, vel primi parentis, vel proximorum parentum, traducantur in posteros.* Dicendum, quod August. hanc quæstionem mouet in Enchirid. & insolutam relinquit. Sed si quis diligenter attendat, impossibile est quod aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis præter primum, per originem traducantur; cuius ratio est, quia homo generat sibi idem in specie, non autem secũdum indiuiduum; & ideo ea quæ directe pertinent ad indiuiduum, sicut personales actus, & quæ ad eos pertinent, non traducuntur à parentibus in filios. Non enim grammaticus traducit in filium scientiam grãmaticæ, quam proprio studio acquisiuit. Sed ea quę pertinent ad naturam speciei, traducuntur à parẽtibus in filios, nisi sit defectus naturæ; sicut oculatus generat oculatum, nisi natura deficiat. Et si natura sit fortis, etiam aliqua indiuidualia accidentia propagantur in filios pertinentia ad dispositionem naturæ; sicut velocitas corporis, bonitas ingenij, & alia huiusmodi; nullo autem modo ea, quæ sunt purè personalia vt dictum est. Sicut enim ad personam pertinet aliquid secundum seipsam, & aliquid ex dono gratiæ; ita etiam ad naturam potest aliquid pertinere secũdum seipsam, sc. quod causatur ex principiis eius, & aliquid ex dono gratiæ. Et hoc modo iustitia originalis erat quoddã donum gratię, toti humanæ naturę diuinitus collatum in primo parente, quod quidem primus homo amisit per primum peccatũ. Vnde sicut illa originalis iustitia traducta fuisset in posteros simul cum natura, ita & inordinatio opposita, sed alia peccata actualia vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id quod natura est, sed solum quantum ad id, quod persona est, id est secundum pronitatem ad actum, vnde alia peccata non traducuntur.

Nullũ peccatũ proximorũ parẽtum aut etiam primi parẽtis præter primum potest in filios traduci.

AD TERTIVM, scilicet *vtrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes posteros, qui ex eo per viam seminis generantur.* Dicendum, quod secundum fidẽ Catholicam firmiter est tenendũ, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam deriuati, peccatum originale ex eo contrahunt. Alioquin nõ omnes indigerẽt redemptione quæ est per Christum, quod erroneũ est. Ratio autem potest sumi ex eo quod supra dictum est, quod sic ex peccato primi parentis traducatur originalis culpa in posteros, sicut à voluntate animæ per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis. Manifestum est autem, quod peccatum actuale traduci potest ad omnia mẽbra quæ possunt moueri à voluntate. Vnde & culpa originalis traducitur ad omnes illos qui mouentur ab Adam motione generationis.

Quia iustitia originalis fuit data Adæ tanquã principio totius naturæ humanæ, etiã inordinatio opposita debebat traduci cum natura, nõ autem peccata purè personalia.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum si aliquis miraculosè*

Omnes homines præter Christũ contraxerũt peccatum originale saltẽ aptitudine quod addo propter B. Virginem quæ forsan actu fuit immunis ab illa labe.

forma-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

formaretur ex carne humana contraheret originale peccatum. Dicendum, quod ſicut iam dictum eſt, peccatum originale à primo parente traducitur in poſteros, inquantum mouentur ab ipſo per generationem, ſicut membra mouentur ab anima ad peccatum actuale; non autem eſt motio ad generationem niſi per virtutem actiuam in generatione. Vnde illi ſoli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam deſcendunt per virtutem actiuam, in generatione originaliter ab Adam deriuata; quod eſt ſecundum ſeminalem rationem ab eo deſcendere, nam ratio ſeminalis nihil eſt aliud quam vis actiua in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana, manifeſtum eſt quod vis actiua nō deriuaretur ab Adam, vnde non contraheret peccatum originale: ſicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, ſi manus nō moueretur à voluntate hominis, ſed ab aliquo extrinſeco mouente.

Illi ſoli poſſūt peccatū originale contrahere qui per rationem ſeminalem ab Adā proeedunt.

Ad qvintvm, ſcilicet *vtrum ſi Adam peccaſſet Eua peccante, filij contraherent originale peccatum.* Dicendum, quod huius dubitationis ſolutio ex præmiſſis apparet. Dictum eſt enim ſupra, quod peccatum originale à primo parente traducitur inquantum mouet ad generationem natorum; vnde dictum eſt quod ſi materialiter tantum aliquis ex carne humana generaretur, originale peccatum non contraheret. Manifeſtum eſt autem ſecundum doctrinam philoſophorum, quod principium actiuum in generatione eſt à patre, materiam autem miniſtrat mater. Vnde peccatum originale non contrahitur à matre, ſed à patre. Et ſecundum hoc ſi Adam non peccante Eua peccaſſet, filij originale peccatum non contraherent. Econtrario autem eſſet ſi Adam peccaſſet, & Eua non peccaſſet.

Si Adam nō peccaſſet Eua peccāte, poſteri non cōtraxiſſent peccatum originale, ſed bene econuerſo.

De peccato originali, quantum ad eius eſſentiam.

DISTINCTIO XIII.

Deinde conſiderandum eſt de peccato originali quantum ad eius eſſentiam. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum peccatum originale ſit habitus. Secundo vtrum ſit vnum tantum in vno homine. Tertio vtrum ſit concupiſcentia. Quarto vtrum ſit æqualiter in omnibus.

Ad primvm, ſcilicet *vtrum originale peccatum ſit habitus.* Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, duplex eſt habitus. *Vnus* quidem quo inclinatur potentia ad agendum, ſicut ſcientię & virtutes habitus dicuntur. Et hoc modo patet quod peccatum originale non eſt habitus. *Alio modo* dicitur habitus diſpoſitio alicuius naturæ ex multis compoſitæ, ſecundum quam bene ſe habet vel male ad aliquid, & præcipuè cum talis diſpoſitio verſa fuerit quaſi in naturam, vt patet de ægritudine & ſanitate. Et hoc modo peccatum originale eſt habitus. Eſt enim quædam inordinata diſpoſitio proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ in qua conſiſtebat ratio originalis iuſtitię: ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quod ſoluitur æqualitas in qua conſiſtit ratio ſanitatis; vnde peccatum originale languor naturæ dicitur.

Peccatū originale nō eſt habitus operatiuus, ſed quadam inordinata diſpoſitio adinſtar agritudinis.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum in vno homine ſit tantum vnum originale peccatum.* Dicendum, quod in vno homine eſt vnum peccatum originale, cuius ratio dupliciter accipi poteſt. *Vno modo* ex parte cauſæ peccati originalis. Dictum eſt enim ſupra, quod ſolum primum peccatum primi parentis in poſteros traducitur; vnde peccatum originale in vno homine eſt vnum numero, & in omnibus hominibus eſt vnum proportione, reſpectu ſcilicet ad primum principium. *Alio modo* poteſt accipi ratio eius ex ipſa eſſentia originalis peccati. In omni enim inordinata diſpoſitione vnitas ſpeciei conſideratur ex parte cauſæ, vnitas autem ſecundum numerum ex parte ſubiecti, ſicut patet in ægritudine corporali. Sunt enim diuerſæ ægritudines ſpecie quæ ex diuerſis cauſis procedunt, puta ex ſuperabundantia calidi vel frigidi, ex læſione pulmonis, vel hepatis: Vna autem ægritudo ſecundum ſpeciem in vno homine non eſt niſi vna numero. Cauſa autem huius corruptæ diſpoſitionis quæ dicitur originale peccatum eſt, vna tantum, ſcilicet priuatio originalis iuſtitiæ, per quam ſublata eſt ſubiectio humanæ mentis ad Deum; & ideo peccatum originale eſt vnum ſpecie, & in vno homine non poteſt eſſe niſi vnum numero. In diuerſis autem hominibus eſt vnum ſpecie & proportione, diuerſum autem numero.

In vno homine vnicū eſt peccatum originale vt patet ex duobus.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum originale peccatum ſit concupiſcentia.* Dicendum, quod vnumquodque habet ſpeciem à ſua forma; Dictum eſt autem ſupra, quod ſpecies originalis peccati ſumitur ex ſua cauſa; vnde oportet quod id quod eſt formale in originali peccato accipiatur ex parte cauſę peccati originalis: oppoſitorum autem oppoſitæ ſunt cauſæ. Eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis iuſtitiæ quæ opponitur ei. Tota autem ordinatio originalis iuſtitiæ eſt ex hoc, quod voluntas hominis erat Deo ſubiecta. Quæ quidem ſubiectio primo & principaliter erat per voluntatem, cuius eſt mouere omnes alias partes animæ in finem: vnde ex auerſione voluntatis à Deo, conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic igitur priuatio originalis iuſtitiæ per quam voluntas ſubdebatur Deo eſt formale in peccato originali. Omnis autem alia inordinatio virium animæ, præcipue in hoc attenditur, quia inordinatè cōuertūtur ad bonum cōmutabile, quæ quidem inordinatio cōmuni nomine poteſt dici concupiſcentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis iuſtitiæ.

Peccatū originale materialiter eſt cōcupiſcētia, formaliter vero defectus originalis iuſtitia.

Ad qvartvm, ſcilicet *vtrum peccatum originale ſit æqualiter in omnibus.* Dicendum, quod in originali peccato ſunt duo. Quorum vnum eſt defectus originalis iuſtitiæ; aliud autem eſt relatio huius defectus ad peccatum primi parentis à quo per vitiatam originem deducitur. Quantum autem ad primum, peccatum originale non recipit magis & minus, quia totum donum originalis iuſtitiæ eſt ſublatum. Priuationes autem totaliter aliquid priuantes, vt mors & tenebræ, non recipiunt magis, & minus. Similiter etiam nec quantum ad ſecundum, æqualiter enim omnes relationem habent ad primum principium vitiatæ originis, ex quo peccatum originale recipit rationem culpæ. Relatio enim non recipit magis & minus: vnde manifeſtum eſt quod peccatum originale non poteſt eſſe magis in vno quàm in alio.

Peccatū originale eſt æqualiter in omnibus.

De ſubiecto originalis peccati.

DISTINCTIO XIV.

Deinde conſiderandum eſt de ſubiecto originalis peccati. Et circa hoc videnda ſunt quatuor. Primo vtrum ſubiectum originalis peccati per prius ſit caro vel anima. Secundo vtrum ſit in anima per eſſentiam aut per potentias ſuas. Tertio vtrum volūtas per prius ſit ſubiectum originalis peccati quam aliæ potētiæ. Quarto vtrum aliquæ potentiæ animę ſint ſpecialiter, infectæ, ſcilicet generatiua vis, concupiſcibilis, & ſenſus tactus.

Ad primvm, ſcil. *vtrum peccatum originale magis ſit in carne, quam in anima.* Dicēdum, quod aliquid poteſt eſſe in aliquo dupliciter. Vno modo ſicut in cauſa, vel principali, vel inſtrumētali. *Alio modo* ſicut in ſubiecto. Peccatum igitur originale omnium hominum fuit quidē in ipſo Adam, ſicut in prima cauſa principali, ſecūdum illud Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* In ſemine autem corporali eſt peccatum originale ſicut in cauſa inſtrumentali, eo quod per virtutem actiuam ſeminis traducitur peccatum originale in prolem ſimul cum natura humana. Sed ſicut in ſubiecto, peccatum originale nullo modo poteſt eſſe in carne, ſed ſolum in anima. cuius ratio eſt, quia ſicut ſupra dictum eſt, hoc modo ex volun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex voluntate primi parentis peccatum originale tradu citur in posteros per quandam generatiuam motionem, sicut à voluntate alicuius hominis deriuatur peccatum actuale ad alias partes eius; in qua quidem deriuatione hoc potest attendi, quod quicquid prouenit ex motione voluntatis peccati ad quamcũque partem hominis, quæ quocumque modo potest esse particeps peccati, vel per modum subiecti; vel per modum instrumenti, habet rationem culpæ. Sicut ex voluntate gulæ prouenit concupiscentia cibi ad concupiscentem, & sumptio cibi ad manus & os; quæ inquantum mouentur à voluntate ad peccatum, sunt instrumenta peccati: quod vero vlterius deriuatur ad vim nutritiuam, & ad interiora membra, quæ non sunt nata moueri à voluntate, non habet rationem culpæ. Sic igitur cum anima possit esse subiectum culpę, quicquid proüenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ; quod autem prouenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ. Sic ergo anima est subiectum peccati originalis, non autem caro.

Peccatũ originale est in semine tanquã in causa instrumẽtali, in anima vero vt in subiecto.

Solutio obiect.

Nec obstat, quod dicit Apostolus ad Rom. septimo. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: Ex quo verbo videtur quod repugnantia carnis ad mentem principaliter consistit in carne. Repugnantia autem carnis ad mentem, procedit ex corruptione originalis peccati, & sic originale peccatum principaliter videtur esse in carne. Non inquam obstat quia Apostol. ibi loquitur de homine iam redempto, qui liberatus est à culpa, sed subiacet adhuc pœnæ, ratione cuius peccatum dicitur habitare in carne. Vnde ex hoc non sequitur quod caro sit subiectum culpę, sed pœnæ.

Item quia peccatum originale causatur ex semine sicut ex causa instrumentali vt dictum est; non autem oportet quod aliquid sit principalius in causa instrumentali quam in effectu; ideo non oportet quod peccatum originale principalius sit in carne quam in anima. sed in Adam peccante principalius fuit, in quo fuit secundum rationem actualis peccati & tanquam in causa principali.

Item non obstat, Peccatum originale à primo parente contrahimus, inquantum in eo fuimus secundum rationem seminalem; Sic autem non fuit ibi anima, sed solo caro. Quia licet anima huius vel illius hominis non fuerit in Adam peccante, secundum rationem seminalem, sicut in principio effectiuo; fuit tamen in eo sicut in principio dispositiuo; eo quod semẽ corporale quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.

Cvm autem anima in sui infusione in corpus, inficiatur macula originalis peccati, ex contractu carnis maculatæ, huiusmodi infectio originalis peccati nullo modo causatur à Deo, sed ex solo peccato primi parẽtis per carnalem generationem; & ideo cum creatio importet respectum animæ ad solum Deum, non potest dici quod anima in sui creatione inquinetur. Sed infusio importat respectum, & ad Deum infundentẽ, & ad carnem cui infunditur anima. Et ideo respectu ad Deum infundentem, non potest dici quod anima per infusionem maculetur, sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur. *Licet* autem sic inficiatur anima à carne in ipso suæ infusionis instanti, non debet tamen Deus summè bonus & sapiens, prętermittere creationem huius animæ; quia bonum commune, bono particulari præfertur. Vnde Deus secundum suam sapientiam non prætermittit vniuersalem ordinem rerum, qui est vt tali corpori talis anima infundatur, vt vitetur singularis infectio huius animæ, pręsertim cũ natura animæ hoc habeat, vt esse nõ incipiat nisi in corpore. Melius est autem ei sic esse secundum naturam, quàm nullo modo esse; præsertim cum possit per gratiam damnationem euadere.

Infectio originalis peccati non causatur à Deo animã infundente.

Ad secvndvm, scilicet *vtrum originale peccatum sit per prius in anima, quam in eius potentijs.* Dicendum, quod illud principaliter est subiectum alicuius peccati, ad quod pertinet prima causa motiua illius peccati. Sicut si causa motiua ad peccandum sit delectatio sensus, qui pertinet ad vim concupiscibilem, sicut proprium obiectum eius, sequitur quod vis concupiscibilis sit proprium subiectum illius peccati. Manifestum est autem, quod peccatum originale causatur per originem. Vnde illud animę, quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subiectum originalis peccati. Attingit autem origo animam vt terminum generationis, secundum quod est forma corporis; quod quidem conuenit ei secundum essentiam propriam. vnde anima secundum essentiam est subiectum primũ originalis peccati. Sicut originalis iustitia primordialiter pertinebat ad essentiam animæ. Erat enim donum diuinitus datum humanæ naturę, quam per prius respicit essentia animæ quàm eius potentiæ. Potentiæ enim magis videntur pertinere ad personam, inquantum sunt principia personalium actuum. Vnde sunt propria subiecta peccatorum actualium, quæ sunt peccata personalia.

Omnia secũdum essentiã est subiectum primum originalis peccati.

Ad tertivm, scilicet *vtrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem quam alias potentias.* Dicendum, quod in infectione peccati originalis duo est considerare. *Primo* quidem inhærentia eius ad subiectum; & secundum hoc primo respicit essentiam animæ, vt dictum est. *Deinde* considerare oportet inclinationem eius ad actum; & hoc modo respicit potentias animæ. Oportet igitur quod illam per prius respiciat, quæ primam inclinationem habet ad peccandum: hoc autem est voluntas, vt ex supradictis patet. Vnde peccatum originale per prius respicit voluntatem.

Peccatũ originale prius inficit voluntatem quam alias potentias.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum vis generatiua, & vis concupiscibilis, & sensus tactus, sint magis infectæ quam aliæ potentiæ animæ.* Dicendum, quod huiusmodi corruptio præcipuè infectio nominari solet, quæ nata est in aliud transferri. vnde & morbi contagiosi, sicut lepra, & scabies, & huiusmodi, infectiones dicuntur. Corruptio autem originalis peccati traducitur per actum generationis, sicut supra dictum est; vnde potentiæ quæ ad huiusmodi actum concurrunt, maximè dicuntur esse infectæ. Huiusmodi enim actus deseruit generatiuæ, inquantum ad generationem ordinatur. Habet autem in se delectationem tactus, quę est maximum obiectum concupiscibilis. Et ideo cum omnes partes animę dicantur esse corruptæ per peccatum originale, specialiter tres prædictæ dicuntur esse corruptæ, & infectæ.

Vis generatiua, concupiscibilis, & tactus, maxime inficiuntur per peccatum originale.

De causa peccati secundum quod vnum est alterius causa.

DISTINCTIO XV.

Deinde considerandum est de causa peccati, secũdum quod vnum peccatum est causa alterius. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo vtrum cupiditas sit radix omnium peccatorum. Secundo vtrum superbia sit initium omnis peccati. Tertio vtrum præter superbiam & auaritiam, debeant dici capitalia vitia aliqua. Quarto quot & quę sint capitalia vitia.

Ad primvm, scilicet *vtrum cupiditas sit radix omnium peccatorum.* Dicendum, quod secundum quosdam cupiditas dicitur multipliciter. *Vno modo* prout est inordinatus appetitus diuitiarum, & sic est speciale peccatum. *Alio modo* secundum quod significat inordinatum appetitum cuiuscumque boni temporalis, & sic est genus omnis peccati: Nam in omni peccato est inordinata conuersio ad commutabile bonum, vt dictum est. *Tertio* sumitur prout significat quandam inclinationem naturæ corruptę ad bona corruptibilia inordinatè appetenda; Et sic dicunt cupiditatem esse radicem omnium peccatorum, ad similitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum. Sic enim

ex

ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit. & hæc quidem quamuis vera ſint, non tamen videntur eſſe ſecundum intentionem Apoſtoli, qui dixit cupiditatem eſſe radicem omnium peccatorum. Manifeſte enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli: eo quod radix omnium malorum eſt cupiditas. Vnde manifeſtum eſt quod loquitur de cupiditate, ſecundum quod eſt inordinatus appetitus diuitiarum. *Et ſecundum* hoc dicendum eſt, quod cupiditas ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum, ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ alimentum præſtat toti arbori. Videmus enim quod per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, & adipiſcendi deſiderium cuiuſcumque peccati, eo quod ad habenda quæcumque temporalia, poteſt homo per pecuniam iuuari, ſecundum quod dicitur Eccl. 10. *Pecuniæ obediũt omnia.* Et ſecundum hoc patet quod cupiditas diuitiarum, radix eſt omnium peccatorum.

Cupiditas prout ſpeciale peccatum, eſt radix omniũ peccatorum quatenus ſuppeditat materiã ad perpetrandũ quodcunque peccatum.

Solutio obiect.

SCIENDVM autem, quod ſicut in naturalibus non quæritur quid ſemper fiat, ſed quid in pluribus accidat; eo quod natura corruptibilium rerum impediri poteſt, vt non ſemper eodem modo operetur: ita etiam in moralibus conſideratur quod vt in pluribus eſt, non autem quod eſt ſemper, eo quod voluntas non ex neceſſitate operatur. Non ergo dicitur auaritia radix omnis mali, quin interdum aliquod aliud malum ſit radix eius, ſed quia ex ipſa vt frequentius alia mala oriuntur ratione prędicta.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum ſuperbia ſit initium omnium peccatorum.* Dicendum, quod quidam dicunt ſuperbiam tripliciter dici. *Vno modo* ſecundum quod ſuperbia ſignificat inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, & ſic eſt ſpeciale peccatum. *Alio modo* ſecundum quod importat quendam actualem contemptum Dei, quantum ad hunc effectum, qui eſt non ſubdi eius præcepto, & ſic dicunt, quod eſt generale peccatum. *Tertio* modo ſecundum quod importat quandam inclinationem ad huiuſmodi contemptum ex corruptione naturæ, & ſic dicunt quod eſt initium omnis peccati. Et differt à cupiditate, quia cupiditas reſpicit peccatum ex parte conuerſionis ad bonum commutabile, ex quo peccatum quodammodo nutritur & fouetur, & propter hoc cupiditas dicitur radix: Sed ſuperbia reſpicit peccatum ex parte auerſionis à Deo, cuius præcepto homo ſubdi recuſat, & ideo vocatur initium, quia ex parte auerſionis incipit ratio mali. Et hæc quidem quamuis vera ſint, non tamen ſunt ſecundum intentionem ſapientis, qui dicit. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Manifeſte enim loquitur de ſuperbia, ſecundum quod eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Quod patet per hoc quod ſubdit. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus*, &c. *Et ideo* dicendum eſt, quod ſuperbia ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, eſt initium omnis peccati. Conſiderandum eſt enim quod in actibus voluntariis, cuiuſmodi ſunt peccata, duplex ordo inuenitur; ſcilicet intentionis, & executionis. *In primo* quidem ordine habet rationem principij finis. Finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendus eſt, vt homo per illam quandam perfectionem & excellentiam habeat; & ideo ex haç parte ſuperbia, quæ eſt appetitus excellentiæ, ponitur eſſe initium omnis peccati. Sed ex parte executionis eſt primum illud quod præbet opportunitatem adimplendi omnia deſideria peccati, quod habet rationem radicis, ſcilicet diuitiæ; & ideo ex hac parte auaritia ponitur eſſe radix omnium malorum.

Superbia eſt initiũ omnis peccati ſecũdum ordinẽ intentionis, auaritia ſecundum ordinem executionis.

Solutio obiect.

NEC obſtat, quod dicitur Eccleſ. 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*; & ſic ſuperbia non videtur eſſe initium omnis peccati. Sed ſciendum, quod apoſtatare à Deo dicitur eſſe initiũ ſuperbiæ ex parte auerſionis; ex hoc enim quod homo nõ vult ſubdi Deo, ſequitur quod inordinate velit propriam excellentiam in rebus temporalibus; & ſic apoſtaſia à Deo non ſumitur hic quaſi ſpeciale peccatum: Sed magis vt conditio quædam generalis omnis peccati, quæ eſt auerſio ab incommutabili bono. Vel poteſt dici, quod apoſtatare à Deo dicitur eſſe initium ſuperbiæ, quia eſt prima ſuperbiæ ſpecies. Ad ſuperbiam autem pertinet cuicumque ſuperiori nolle ſubiici, & præcipuè nolle ſubdi Deo; ex quo contingit quod homo ſupra ſeipſum indebitè ſe extollat, quantum ad alias ſuperbiæ ſpecies.

ITEM nota, quod inordinatus amor ſui dicitur initium omnis peccati, quia ſecundum Auguſt. 14. de Ciuit. Dei. *Facit ciuitatem Babyloniæ*: ſed in hoc dicitur homo ſe amare, quod vult ſui excellentiam. Idem enim eſt ſe amare, quod velle ſibi bonum. Vnde ad idem pertinet, quod ſuperbia ponatur initium omnis peccati, vel proprius amor ſui.

AD TERTIVM, ſcilicet *vtrum præter ſuperbiam & cupiditatem, ſint quædam aliqua alia peccata, quæ capitalia nominentur.* Dicendum, quod capitale à capite dicitur. Caput autem propriè quidem eſt quoddam membrũ animalis, quod eſt principium & directiuum totius animalis: vnde metaphoricè omne principium caput vocatur: & etiam homines qui alios dirigunt & gubernant, capita aliorum dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale vno modo à capite propriè dicto, & ſecundum hoc peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pœna punitur. Sed ſic nunc non intendimus de capitalibus vitiis vel peccatis; Sed ſecundum quod alio modo dicitur peccatum capitale à capite, prout metaphoricè ſignificat principium vel directiuum aliorum: & ſic dicitur vitium capitale ex quo alia vitia oriuntur, & præcipuè ſecundum originem cauſę finalis, quæ eſt formalis origo vt ſupra dictum eſt: & ideo vitium capitale non ſolum eſt principium aliorum, ſed etiam eſt directiuum quodammodo aliorum. Semper enim ars eſt habitus ad quam pertinet finis, principatur & imperat circa ea quæ ſunt ad finem. Vnde Greg. 31. Moral. huiuſmodi vitia capitalia ducibus exercituum comparat. *Dicuntur* autem capitalia vitia, non ſolum illa quæ habent rationem primæ originis, ſicut auaritia, quæ dicitur radix, & ſuperbia, quæ dicitur initium, ſed etiam illa quę habent rationem originis propinquæ reſpectu plurium peccatorum.

Peccata capitalia ſunt illa ex quibus alia oriũtur tanquam ex capite.

AD QVARTVM, ſcilicet *quot, & quæ ſint capitalia vitia.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, vitia capitalia dicuntur ex quibus alia oriuntur, præcipuè ſecundum rationem cauſæ finalis: huiuſmodi autem origo poteſt attendi dupliciter. *Vno* quidem modo ſecundum conditionem peccantis, qui ſic diſpoſitus eſt vt maxime afficiatur ad vnum finem, ex quo vt plurimum in alia peccata procedat. ſed iſte modus originis ſub arte cadere non poteſt, eo quod infinitæ ſunt particulares hominum diſpoſitiones. *Alio modo*, ſecundum naturalem habitudinem ipſorum finium adinuicem; & ſecundum hoc vt in pluribus vnum vitium ex alio oritur: vnde iſte modus originis ſub arte cadere poteſt. Secundum hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quaſdam primarias rationes mouendi appetitum, & ſecundum harum rationem diſtinguuntur capitalia vitia. Mouet autem aliquid appetitum dupliciter. *Vno* modo directè, & per ſe; & hoc modo bonum mouet appetitum ad proſequendum, malum autem ſecũdum eandem rationem ad fugiendum. *Alio modo* indirectè & quaſi per aliud; ſicut aliquis aliquod malum proſequitur propter aliquod bonum adiunctum, vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adiũctum. Bonum autẽ hominis triplex eſt. *Eſt enim* primo quoddam bonum animæ, quod ſcilicet ex ſola apprehenſione rationem appetibilitatis habet; ſicut excellentia laudis, vel amoris; & hoc bonum inordinatè proſequitur inanis gloria. *Aliud* eſt bonum corporis, & hoc vel pertinet ad conſeruationem indiuidui, ſicut cibus & potus; & hoc bonum inordinatè proſequitur gula; aut ad conſeruationem ſpeciei, ſicut coitus; &

ad hoc

Colliguntur & explicantur ſeptem peccata capitalia.

ad hoc ordinatur luxuria. *Tertio* bonum eſt exterius, ſcilicet diuitiæ; & ad hoc ordinatur auaritia; & eadem quatuor vitia inordinatè fugiunt mala contraria. *vel aliter*, bonum præcipuè mouet appetitum ex hoc quod participat aliquid de proprietate fœlicitatis, quam naturaliter omnes appetunt, de cuius ratione eſt quidem primo quędam perfectio. Nam fœlicitas eſt perpetuum bonum, ad quod pertinet excellentia vel claritas, quam appetit ſuperbia, vel inanis gloria. Secundo de ratione eius eſt ſufficientia, quam appetit auaritia in diuitiis eam promittentibus. Tertio eſt de conditione eius delectatio, ſine qua fœlicitas eſſe non poteſt, vt dicitur in 1. & 10. Ethic. Et hanc appetunt gula, & luxuria. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum adiunctum, hoc contingit dupliciter. Quia aut eſt reſpectu boni proprij, & ſic eſt accidia, quæ triſtatur de bono ſpirituali, propter laborem corporalem adiunctum. Aut eſt de bono alieno; & hoc ſi ſit ſine inſurrectione pertinet ad inuidiam, & quæ triſtatur de bono alieno, inquantum eſt impeditiuum propriæ excellentiæ. Aut eſt cum quadam inſurrectione adiuncta, ſcilicet ad vindictam, & ſic eſt ira; & ad eadem vitia pertinet proſecutio mali oppoſiti. Dicuntur etiam iſta vitia capitalia, quia ex eis frequentius alia oriuntur. Vnde nihil prohibet aliqua peccata interdum ex aliis cauſis oriri. Poteſt tamen dici quod omnia peccata quę ex ignorantia proueniunt, poſſunt reduci ad accidiam, ad quam pertinet negligentia, qua aliquis recuſat ſpiritualia bona acquirere propter laborem. Ignorantia autem, quæ poteſt eſſe cauſa peccati, ex negligentia prouenit, vt ſupra dictum eſt. Quod autem aliquis committat aliquod peccatum ex bona intentione, ad ignorantiam videtur pertinere.

De effectibus peccati.

DISTINCTIO XVI.

DEINDE conſiderandum eſt de effectibus peccati. Et primo de corruptione boni naturæ. Secundo de macula animæ. Tertio de reatu pœnæ. Quarto de diuerſis damnis quæ peccatum facit in anima. Circa primum quæruntur ſex. Primo vtrum bonum naturæ diminuatur per peccatum. Secundo vtrum totaliter tolli poſſit. Tertio de quatuor vulneribus quę Beda ponit, quibus humana natura vulnerata eſt propter peccatum. Quarto vtrum priuatio modi ſpeciei & ordinis ſit effectus peccati. Quinto vtrum mors & alij defectus corporales ſint effectus peccati. Sexto vtrum ſint aliquo modo homini naturales.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum peccatum diminuat bonum naturæ*. Dicendum, quod bonum humanæ naturæ poteſt tripliciter dici. *Primo* ipſa principia naturæ ex quibus natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſatæ, ſicut potentiæ animę, & alia huiuſmodi. *Secundo*, quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem. vt ſupra habitum eſt: ipſa autem inclinatio ad virtutem eſt quoddam bonum naturę. *Tertio* modo poteſt dici bonum naturæ donum originalis iuſtitiæ, quod fuit in primo homine collocatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ neque tollitur neque diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad ſimiles actus, vt ſupra habitum eſt. Oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad vnum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Vnde cum peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo quod homo peccat, diminuitur bonum naturæ, A quod eſt inclinatio ad virtutem.

Inclinatio naturalis ad virtutem eſt diminutio per peccatū.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum totum bonum naturæ poſſit per peccatum auferri*. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, bonum naturæ quod per peccatum diminuitur, eſt naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem conuenit homini ex hoc ipſo quod rationalis eſt: ex hoc enim habet, quod ſecundum rationem operetur, quod eſt agere ſecundum virtutem. Per peccatum autem non poteſt ab homine totaliter tolli quod ſit rationalis, quia iam non eſſet capax peccati. Vnde non eſt poſſibile quod prædictum naturę bonum totaliter tollatur. *Cum* autem inueniatur huiuſmodi bonum continuè diminui per peccatum, quidam ad huius manifeſtationem vſi ſunt quodam exemplo, in quo inuenitur aliquod finitum in infinitum diminui, nunquam tamen totaliter conſumi. Dicit enim Philoſophus in 3. Phyſico. quod ſi ab aliqua magnitudine finita continuè auferatur aliquid ſecundum eandem quantitatem totaliter tandem conſumetur; puta ſi à quacunque quantitate finita ſemper quis ſubtrahit menſuram palmi. Si vero fiat ſubtractio ſemper ſecundum eandem proportionem, & non ſecundum eandem quantitatem; poterit in infinitum ſubtrahi. puta ſi quantitas diuidatur in duas partes, & à dimidio ſubtrahatur dimidium, ita in infinitum poterit procedi; ita tamen quod ſemper quod poſterius ſubtrahitur, erit minus eo quod prius ſubtrahebatur. *Sed* hoc in propoſito non habet locum. Non enim ſequens peccatum minus diminuit bonum naturæ quàm præcedens, ſed forte magis ſi ſit grauius. *Et ideo* aliter eſt dicendum; quoniam prædicta inclinatio intelligitur vt media inter duo, fundatur enim ſicut in radice in non rationali, ſcilicet in natura corporali; & tendit in bonum virtutis ſicut in terminum & finem. Dupliciter enim poteſt intelligi eius diminutio. *Vno* modo ex parte radicis; *alio modo* ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipſam naturam, vt ſupra dictum eſt; ſed diminuitur ſecundo modo, inquantum ſcilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. Si autem primo modo diminueretur, oporteret quod quandoque totaliter conſumeretur, natura rationali totaliter conſumpta; ſed quia diminuitur ex parte impedimenti quod apponitur ne pertingat ad terminum, manifeſtum eſt quod diminui quidem poteſt in infinitum, quia in infinitum poſſunt impedimenta apponi, ſecundum quod poteſt homo in infinitum addere peccatum peccato: non tamen poteſt totaliter conſumi, quia ſemper manet radix talis inclinationis. ſicut patet in diaphano corpore, quod quidem habet inclinationem ad ſuſceptionem lucis ex hoc ipſo quod eſt diaphanum, diminuitur autem hæc inclinatio vel habilitas ex parte nebularum ſuperuenientium, cum tamen ſemper maneat in radice naturę.

Totum modo bonum non poteſt per peccatum auferri.

Diminuitur bonū naturæ per peccatum ex parte termini ſeu impedimenti quod in infinitum addi poteſt.

AD TERTIVM, ſcilicet *de quatuor vulneribus, quæ Beda ponit, quibus humana natura vulnerata eſt propter peccatum, quæ ſunt; Infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcentia*. Dicendum, quod per iuſtitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animę vires, & ipſa ratio à Deo perficiebatur ei ſubiecta. Hęc autem originalis iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, ſicut iam dictum eſt; & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; & ipſa deſtitutio vulneratio naturæ dicitur. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum, vt ſupra dictum eſt; ſcilicet ratio in qua prudentia eſt, voluntas in qua eſt iuſtitia, iraſcibilis in qua eſt fortitudo, concupiſcibilis in qua eſt temperantia. Inquantum igitur ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ. Inquantum vero voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitię. Inquan-

tum

Quatuor sunt vulnera ex peccato primi parentis humanæ naturæ inflicta.

Inquantum verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis. Inquantum verò destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in vnoquoque diminuitur per peccatum actuale, vt ex dictis patet; etiam ista quatuor vulnera sunt ex alijs peccatis consequentia; inquantum scilicet per peccatum, & ratio hæbetatur, præcipuè in agendis, & voluntas ad bonum induratur, & maior difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit. Licet autem hæc quatuor sint càusæ peccatorum vt dictum est, nihilominus sunt effectus peccati. Nihil enim prohibet id quod est effectus vnius peccati, esse causam peccati alterius. Ex hoc enim quod anima deordinatur per peccatum præcedens, facilius inclinatur ad peccandum.

Solutio obiect.

Sciendvm autem quod malitia non sumitur hic pro peccato, sed pro quadam pronitate ad malum, secundum quod dicitur. Gen. 6. *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Item* concupiscentia potest dupliciter considerari. *Vno modo* secundum quod est quid naturale, scilicet actus vis concupiscibilis, & sic subditur rationi. *Alio modo* secundum quod excedit limites rationis, & sic est contra naturam, & est vulnus naturæ. *Item* infirmitas vno modo dici potest omnis passio secundum quod debilitat robur animæ, & impedit rationem. Vnde idem est peccare ex infirmitate, & ex passione. Alio modo dicitur infirmitas secundum quod opponitur fortitudini, quæ pertinet ad irascibilem, & sic dicitur esse vulnus naturæ.

Ad qvartvm, scilicet *vtrum priuatio modi, speciei, & ordinis, sit effectus peccati.* Dicendum, quod modus, species, & ordo, consequuntur vnumquodque bonum creatum inquantum huiusmodi, & etiam vnumquodque ens. Omne enim esse & bonum consideratur per aliquam formam secundum quam sumitur species; forma autem vniuscuiusque siue sit substantialis, siue accidentalis, est secundum aliquam mensuram. Vnde in 8. Meth. dicitur, quod *formæ rerum sunt sicut numeri*; & ex hoc habet modum quendam qui mensuram respicit; ex forma vero sua vnumquodque ordinatur ad aliud. Sic igitur secundum diuersos gradus bonorum, sunt diuersi gradus modi, speciei, & ordinis. Est igitur quoddam bonum pertinens ad ipsam substantiam naturæ, quod habet suum modum, speciem, & ordinem; & illud nec priuatur nec diminuitur per peccatum. Est etiam quoddam bonum naturalis inclinationis, & hoc habet suum modum, speciem, & ordinem; & hoc diminuitur per peccatum vt dictum est, sed non totaliter tollitur. Est etiam quoddam bonum virtutis & gratiæ, quod etiam habet suum modum, speciem, & ordinem; & hoc tòtaliter tollitur per peccatum mortale. Est etiam quoddam bonum quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum speciem, & ordinem; & huius priuatio est essentialiter ipsum peccatum, & sic patet qualiter peccatum, & est priuatio modi, speciei, & ordinis, & priuat vel diminuit modum, speciem, & ordinem.

Priuatio modi speciei & ordinis est effectus peccati & etiam formaliter peccatū resp. diuersorum.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum mors & alij defectus corporales sint effectus peccati.* Dicendum, quod aliquid est causa alterius dupliciter. Vno quidem modo per se. Alio modo per accidens. Per se quidem est causa alterius, quod secundum virtutem naturæ suæ vel formæ producit effectum; Vnde sequitur, quod effectus sit per se intentus à causa, vnde cum mors & huiusmodi defectus sint præter intentionem peccantis, manifestum est quod peccatum non est per se causa istorum defectuum. Per accidens autem aliquid est causa alterius, si sit causa remouendo prohibens, sicut dicitur in 8. Physic. quod diuellens columnam per accidens mouet lapidem columnæ suprapositum, & hoc modo peccatum primi parentis est causa mortis, & omnium huiusmodi defectuum in natura humana, inquantum per peccatum primi parentis sublata est originalis iustitia, per quam non solum animæ vires inferiores continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed etiam totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu, & ideo subtracta hac originali iustitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam, per deordinationem potentiarum, vt supra dictum est; ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam & subtractio gratiæ. vnde etiam mors, & omnes corporales defectus consequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati: & quamuis huiusmodi defectus non sint intenti à peccante, sunt tamen ordinati secundum iustitiam Dei punientis.

Mors & alij defectus corporales sunt effectus peccati per accidens nã pec catum originale est causa illorum sicut remouẽs prohibens.

Ad sextvm, scilicet *vtrum mors & alij corporales defectus sint homini naturales.* Dicendum, quod de vnaquaque re corruptibili dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum naturam vniuersalem: alio modo secundum naturam particularem. Natura quidem particularis est propria virtus actiua & conseruatiua vniuscuiusque rei; & secundum hanc, omnis corruptio & defectus est contra naturam, vt dicitur in 2. de cœlo & mundo: quia huiusmodi virtus intendit esse, & conseruationem eius cuius est, natura vero vniuersalis, est virtus actiua in aliquo vniuersali principio naturæ, puta in aliquo cœlestium corporum, vel alicuius superioris substantiæ; secundum quod etiam Deus à quibusdam dicitur natura naturans; quæ quidem virtus intendit bonum, & conseruationem vniuersi, ad quod exigitur alternatio generationis & corruptionis in rebus, & secundum hoc, corruptiones & defectus in rebus, sunt naturales, non quidem secundum inclinationem formæ, quæ est principium essendi, & perfectio naturæ; sed secundum inclinationem materiæ, quę proportionaliter attribuitur tali formæ, secundum distributionem vniuersalis agentis, & quamuis omnis forma intendat perpetuum esse quantum potest, nulla tamen forma rei corruptibilis potest assequi perpetuitatem sui, præter animam rationalem, eo quod ipsa non est subiecta omnino materiæ corporali, sicut aliæ formæ, quinimo habet propriam operationem immaterialem. Vnde ex parte suæ formæ naturalior est homini incorruptio, quam alijs rebus corruptibilibus, sed quia ipse habet materiam ex contrarijs compositam, ex inclinatione materiæ sequitur corruptibilitas in toto: & secundum hoc homo est naturaliter corruptibilis secundum naturam materiæ sibi relictæ, sed non secundum naturam formæ.

Mors & alij defectus corporales sunt homini naturales ex parte materia sed non ex parte formæ aut naturæ particularis.

Vnde considerandum est, quod forma hominis, quæ est anima rationalis, secundum suam incorruptibilitatem proportionata est suo fini, qui est beatitudo perpetua. Sed corpus humanum, quod est corruptibile secundum suam naturam consideratum, est quodammodo proportionatum suæ formæ, & quodammodo non. Duplex enim conditio attendi potest in aliqua materia. Vna scilicet quam agens eligit: alia quæ non est ab agente electa, sed est secundum conditionem materiæ. Sicut faber ad faciendum cultellum eligit materiam duram & ductilem quæ subtiliari possit, vt sic sit apta incisioni; & secundum hanc conditionem, ferrum est materia proportionata cultello. Sed ad hoc quod ferrum sit frangibile, & rubiginem trahens, consequitur ex naturali dispositione ferri, nec hoc eligit artifex in ferro, sed magis repudiaret si posset. Vnde hæc dispositio materiæ non est proportionata intentioni artificiati, nec intentioni artis. Similiter corpus humanum est materia electa à natura, quantum ad hoc quod est temperatæ complexionis, vt possit esse conuenientissimum organum tactus, & aliarum virtutum sensitiuarum & motiuarum. Sed quòd sit corruptibile, hoc est ex conditione materiæ, nec est electa à natura; quin potius natura eligeret materiam incorruptibilem si posset. Sed Deus cui subiacet omnis

natura, in ipſa inſtitutione hominis ſuppleuit defectum naturæ, & dono iuſtitiæ originalis dedit corpori incorruptibilitatem quandam; & ſecundum hoc dicitur, quòd Deus mortem non fecit, & quòd mors eſt pœna peccati.

De macula peccati.

DISTINCTIO XVII.

DEINDE conſiderandum eſt de macula peccati. Et circa hoc quęruntur duo. Primo vtrum macula animæ ſit effectus peccati. Secundo vtrum remaneat in anima poſt actum peccati.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum peccatum cauſet aliquam maculam in anima.* Dicendum, quod macula propriè dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis; ſicut veſtis, & aurum, & argentum, aut aliud huiuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem huius oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem. Vnum quidem ex refulgentia luminis naturalis, per quam dirigitur in ſuis actibus. Alium verò ex refulgentia Diuini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhęret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhęret rebus aliquibus contra lumen rationis, & Diuinæ legis. Vnde ipſum decrementum ſeu detrimentum nitoris ex tali contactu proueniens, macula animæ metaphoricè vocatur.

Peccatum cauſat metaphoricè maculam in anima, auferendo nitorē gratiæ & luminis diuinæ legis.

SCIENDVM autem quod anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum, quaſi agentibus eis in animam; ſed magis è conuerſo, anima ſua actione ſe inquinat, inordinatè eis inhærendo contra lumen rationis, & Diuinæ legis.

Solutio obiect.

ITEM ſciendum, quod actio intellectus perficitur, ſecundum quod res intelligibiles ſunt in intellectu per modum ipſius intellectus; & ideo intellectus ex eis non inficitur, ſed magis perficitur. Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res, ita quòd amor conglutinat animam rei amatæ; & ex hoc anima maculatur, quando inordinatè inhæret, ſecundum illud Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*

Diuerſa peccata diuerſas maculas inducunt ſicut diuerſa corpora diuerſas vmbras.

ITEM ſciendum quod illa macula non eſt aliquid poſitiuè in anima, nec ſignificat priuationem ſolam, ſed ſignificat priuationem quandam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum; & ideo diuerſa peccata diuerſas maculas inducunt, & eſt ſimile de vmbra, quæ eſt priuatio luminis ex obiecto alicuius corporis, & ſecundum diuerſitatem corporum obiectorum diuerſificantur vmbræ.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum macula remaneat in anima poſt actum peccati.* Dicendum, quod macula peccati remanet in anima, etiam tranſeunte actu peccati: cuius eſt ratio, quia macula importat quendam defectum nitoris, propter receſſum à lumine rationis, vel Diuinæ legis; & ideo quamdiu manet homo extra huiuſmodi lumen, manet in eo macula peccati, ſed poſtquam redit ad lumen Diuinum, & ad lumen rationis, quod fit per gratiam, tunc macula ceſſat. Licèt autem ceſſet actus peccati quo homo diſceſſit à lumine rationis, vel legis Diuinæ, non tamen homo ſtatim redit ad illud in quo fuerat; Sed requiritur motus voluntatis contrarius primo motui. Sicut ſi aliquis ſit diſtans alicui per aliquem motum, non tamen ſtatim ceſſante motu fit propinquus, ſed oportet quòd appropinquet rediens per motum contrarium.

Macula manet in anima poſt actum peccati donec ſiat regreſſus ad ſtatū gratiæ.

De reatu pœnæ.

DISTINCTIO XVIII.

DEINDE conſiderandum eſt de reatu pœnæ, & primo de ipſo reatu. Secundo de mortali & veniali peccato, quæ diſtinguuntur ſecundum reatum. Circa primum quęruntur octo. Primo vtrum reatus pœnæ ſit effectus peccati. Secundo vtrum peccatum poſſet eſſe pœna alterius peccati. Tertio vtrum peccatum faciat reum æterna pœna. Quarto vtrum faciat reum pœna infinita ſecundum quantitatem. Quinto vtrum peccatum faciat reum ęterna & infinita pœna. Sexto vtrum reatus pœnæ poſſit remanere poſt peccatum. Septimo vtrum omnis pœna inferatur pro aliquo peccato. Octauo vtrum vnus ſit reus pœnæ pro peccato alterius.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum reatus pœnæ ſit effectus peccati.* Dicendum, quod ex rebus naturalibus ad res humanas deriuatur, vt id quod contra aliquid inſurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus, quod vnū contrarium vehementius agit, altero contrario ſuperueniente: propter quod aquę calefactæ magis congelantur, vt dicitur in 2. Meteororum. Vnde & in hominibus hoc ex naturali inclinatione inuenitur, vt vnuſquiſq; deprimat eum qui contra ipſum inſurgit. Manifeſtum eſt autem quod quæcumque continentur ſub aliquo ordine, ſunt quodammodo vnum in ordine ad principium ordinis. Vnde quicquid contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens eſt vt ab ipſo ordine & principe ordinis deprimatur. Cum autē peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideo ab ipſo ordine conſequens eſt vt deprimatur, quæ quidem depreſſio pœna eſt. Vnde ſecundum tres ordines quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. *Primo* enim ſubditur humana natura ordini propriæ rationis. *Secundo* ordini exterioris hominis gubernantis, vel tēporaliter, vel ſpiritualiter, politicè, ſeu œconomicè. *Tertio* ſubditur vniuerſali ordini diuini regiminis. Quilibet autem horum ordinū per peccatum peruertitur, dum ille qui peccat, agit & contra rationē, & contra legē humanam, & contra legem Diuinam. Vnde & triplicem pœnam incurrit. Vnam quidem à ſeipſo, qui eſt conſcientiæ remorſus. Aliam verò ab homine. Tertiā verò à Deo.

Reatus pœna eſt effectus peccati.

Peccator triplicem pœnā incurrit quatenus peruertit tres ordines quibus ſubditur.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum peccatum poſſit eſſe pœna alterius peccati.* Dicendum, quod de peccato dupliciter loqui poſſumus, per ſe, & per accidens. Per ſe quidem, nullo modo peccatum poteſt eſſe pœna peccati. Peccatum enim per ſe conſideratur ſecundum quod egreditur à voluntate, ſic enim habet rationē culpę: De ratione autē pœnæ eſt, quod ſit contra voluntatē. Vnde manifeſtum eſt, quod nullo modo per ſe loquēdo, peccatum poteſt eſſe pœna peccati. Per accidens autē peccatum poteſt eſſe pœna peccati tripliciter. *Primo* quidē modo ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis. Sunt enim cauſę inclinantes ad peccatū, paſſiones, tentatio Diaboli, & alia huiuſmodi, quæ quidē cauſæ impediuntur per auxilium Diuinæ gratiæ, quæ ſubtrahitur per peccatum. Vnde cum ipſa ſubtractio gratiæ ſit quędam pœna, & à Deo vt ſupra dictum eſt, ſequitur quod per accidens etiam peccatum quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apoſtolus Rom. 1. dicens. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, quę ſunt animi paſſiones, quia ſcilicet homines deſerti ab auxilio Diuinæ gratiæ, vincuntur à paſſionibus; & hoc modo ſemper peccatum dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. *Alio modo* ex parte ſubſtantiæ actus quæ afflictionem inducit, ſiue ſit actus exterior, vt patet in ira, & in inuidia; ſiue ſit actus exterior, vt patet cum aliqui graui labore opprimuntur & damno, vt compleant actum peccati, ſecundum illud Sapient. 1. *Laſſati ſumus in via iniquitatis*

Vnum peccatum poteſt per accidens eſſe pœna alterius tripliciter, & ſuimet duplicitor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tertio modo ex parte effectus, vt scilicet aliquod peccatum dicatur pœna respectu effectus consequentis. Sed his duobus modis vltimis, vnum peccatum non solum est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui.

Ad tertivm, scilicet *vtrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ*, dicendum, quod sicut supra dictum est, peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod peruertit aliquem ordinem. Manente autem causa manet effectus; vnde quamdiu remanet peruersitas hominis, necesse est quod remaneat reatus pœnæ. Peruertit autem aliquis ordinem, quandoque quidem reparabiliter, quandoque irreparabiliter. Semper enim defectus quo subtrahitur principium irreparabilis est. Si autem saluetur principium eius, ipsius virtute alij defectus reparari possunt. Sicut si corrumpatur visiuum principium, non potest fieri reparatio visionis, nisi sola virtute Diuina. Si verò saluo principio visiuo aliqua impedimenta visionis aduenient, reparari possunt per naturam vel artem. Cuiuslibet autem ordinis est aliquod principium, per quod aliquis particeps fit illius ordinis: & ideo si per peccatum corrumpatur principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio quantum est de se irreparabilis, etsi reparari possit virtute Diuina. Principium autem huius ordinis est vltimus finis, cui homo inhæret per charitatem; & ideo quæcumque peccata auertunt à Deo charitatem auferendo, quantum est de se inducunt reatum æternæ pœnæ.

Peccatũ quæ tollunt charitatem inducunt reatum pœnæ æternæ.

Cvm autem pœna debeat proportionari culpæ, sicut dicitur Isa. 27. *In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabo eam.* Et Deut. 25. *Iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus.* Et Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Proportionatur quidem secundum acerbitatem, tam in iudicio diuino, quàm in humano: Sed sicut Augustinus dicit 21. de Ciuit. Dei; In nullo iudicio requiritur vt pœna adæquatur culpæ secundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur: sed quandoque quidem perpetuo carcere damnatur, vel exilio; quandoque etiam morte: in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur de societate viuentium; & sic suo modo repræsentat æternitatem pœnæ inflictæ diuinitus. Iustum tamen est secundum Greg. quod *qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur.* Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solum propter continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod in peccato finem constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Vnde dicit Greg. 19. Mor. quod *iniqui voluissent sine fine vivere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.* Nec punit Deus æternaliter, quia delectetur in pœnis nostris propter ipsas, sed delectatur in pœnis propter ordinem iustitiæ suæ, quę hoc requirit.

Solutio obiect.

Simile.

Item cum pœnæ debeant esse medicinales, istæ medicinales sunt, non impijs qui puniuntur, sed solum alijs. Nam & pœnæ quę secundum leges infliguntur, non semper sunt medicinales ei qui punitur, sed solum alijs, sicut latro suspenditur, non vt ipse emendetur, sed solum propter alios, vt saltem metu pœnæ peccare desistant, secundum illud Prouerb. 19. *Percutiente flagellato stultus sapientior erit.* Sic igitur & ęternę pœnæ reproborum à Deo inflictæ, sunt medicinales his qui consideratione pœnarum abstinent à peccatis, secundum illud Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Item quia pœnæ infliguntur ad seruandum ordinem Diuinę iustitiæ, & ad puniendum inordinationem peccati, ideo semper manente inordinatione, semper pœna manebit. De hoc require supra *de æternitate pœnarum infernalium.*

Ad qvartvm, scilicet *vtrum peccato debeatur pœna infinita.* Dicendum, quod pœna proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum; vnde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud quod est in peccato, est inordinata conuersio ad commutabile bonum; & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum, tum etiam quia ipsa cõuersio est finita: non enim potest esse actus creaturę infinitus. Ex parte igitur auersionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita; est enim amissio infiniti boni, scilicet Dei. Ex parte autem conuersionis respondet ei pœna sensus, quæ etiã est finita.

Peccato ratione auersionis a Deo respondet pœna infinita; ratione conuersionis ad creaturas, pœna finita.

Ad qvintvm, scilicet *vtrum omne peccatum inducat reatum æternæ pœnæ.* Dicendum, quod sicut supra dictum est, peccatum causat reatum ęternæ pœnæ inquantum irreparabiliter repugnat ordini Diuinæ iustitiæ, per hoc scilicet quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est vltimus finis. Manifestum est autem, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad vltimum finem, sed solum circa ea quę sunt ad finem, inquãtum plus vel minus debitè eis intenditur, seruato tamen ordine ad vltimũ finem; puta cum homo etsi ad aliquã rem temporalem nimis afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra eius præceptum faciendo: vnde huiusmodi peccatis non debetur pœna ęterna; sed temporalis.

Pœna æterna non debetur omni peccato.

Ad sextvm, scilicet *vtrum reatus pœnæ remaneat post peccatum.* Dicẽdum, quod in peccato duo possunt considerari, scilicet actus culpæ, & macula sequens. Planũ est autẽ quod cessante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis. Actus enim peccati facit hominem reum pœnæ, inquantũ transgreditur regulam Diuinæ iustitiæ, ad quam non redit nisi per recompensationem pœnæ, quæ ad ęqualitatem iustitiæ reducit; vt scilicet qui plus voluntati suæ indulsit quam debuit, contra mandatũ Dei agens; secundũ ordinem Diuinæ iustitię, aliquid contra id quod vellet simpliciter, spontaneus vel inuitus patiatur: quod etiam in iniurijs hominibus factis obseruatur, vt per recompensationem pœnæ, reintegretur æqualitas iustitiæ. Vnde patet quod cessante actu peccati, vel iniuriæ illatæ, adhuc remanet debitũ pœnæ. Sed si loquamur de ablatione peccati quantum ad maculam, sic manifestũ est quod macula peccati ab anima auferri non potest, nisi per hoc quod anima Deo coniungitur, per cuius distantiam detrimentũ nitoris incurrebat, quod est macula vt supra dictum est. Coniungitur autem homo Deo per voluntatem; vnde macula peccati ab homine tolli non potest, nisi voluntas hominis ordinem Diuinæ iustitiæ acceptet; vt scilicet vel ipse pœnam sibi spontaneus assumat, in recõpensationem culpæ præteritæ; vel etiam à Deo illatã patienter sustineat: Vtroque enim modo pœna rationem satisfactionis habet. Pęna autẽ satisfactoria diminuit aliquid de ratione pœnæ. Est enim de ratione pœnę, quod sit contra voluntatem. Pœna autẽ satisfactoria, etsi secundum absolutam considerationem sit contra voluntatem, tamen nunc & per hoc est voluntaria. vnde simpliciter est voluntaria, secundum quid autem inuoluntaria, sicut patet ex his quæ supra de voluntario & inuoluntario dicta sunt. Dicendum est ergo, quod remota macula culpæ, potest quidem remanere reatus, non pœnæ simpliciter, sed satisfactoriæ.

Remota macula culpa potest manere reatus pœna satisfactoria, non autem pœna simpliciter.

Ad septimvm, scilicet *vtrum omnis pœna inferatur propter aliquam culpam.* Dicendum quòd sicut iam dictum est, pœna potest dupliciter considerari; simpliciter, & inquantum satisfactoria. Pœna quidem satisfactoria est quodammodo voluntaria; & quia contingit eos qui differunt in reatu pœnæ, esse vnum secundum voluntatem, vnione amoris; inde est quod interdum aliquis qui non peccauit, pœnam voluntarius pro alio portat; sicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliquis in se transfert alterius debitum. Si vero loquamur de pœna simpliciter, secundum quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam: sed quandoque quidem ad culpam actualem, puta quando aliquis vel à

Cessante actu peccati remanet debitum pœnæ.

Pœna simpliciter sumpta semper habet ordinem ad culpam propriam, secus vero si agatur de culpa satisfactoria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Deo, vel ab homine, pro peccato commiſſo punitur: quandoque vero ad culpam originalem; & hoc quidem vel principaliter, vel conſequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati eſt, quod natura humana ſibi relinquitur deſtituta auxilio originalis iuſtitiæ; ſed ad hoc conſequuntur omnes pœnalitates quæ ex defectu naturæ in omnibus contingunt.

SCIENDVM tamen, quod quandoque aliquid videtur eſſe pœnale, quod tamen non habet ſimpliciter rationem pœnæ. Pœna enim eſt ſpecies mali, malum autem priuatio boni. Cum autem ſint plura hominis bona, ſcilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, vt augeatur in maiori: ſicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter ſanitatem corporis, vel in vtroque horum, propter ſalutem animæ, & propter gloriam Dei; & tunc tale detrimentum non eſt ſimpliciter malum hominis, ſed ſecundum quid. Vnde non dicit ſimpliciter rationem pœnæ, ſed medicinæ. Nam & medici auſteras potiones propinant infirmis, vt conferant ſanitatem. Et quia huiuſmodi non propriè habent rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam ſicut ad cauſam; niſi pro tanto quod hoc ipſum quod oportet humanæ naturæ medicinas pœnales exhibere, eſt ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati. In ſtatu enim innocentiæ non oportuiſſet aliquem ad profectum virtutis inducere per pœnalia exercitia. Vnde hoc quod eſt pœnale in talibus, reducitur ad culpam originalem ſicut ad cauſam.

AD OCTAVVM, ſcilicet *vtrum vnus puniri debeat pro peccato alterius*. Dicendum, quod ſi loquamur de pœna ſatisfactoria quod voluntariè aſſumitur, cõtingit quod vnus portet pœnam alterius, inquantum ſunt quodammodo vnum, ſicut iam dictum eſt. Si autem loquamur de pœna pro peccato inflicta, inquantum habet rationem pœnæ, ſic ſolum vnuſquiſque pro ſuo peccato punitur, quia actus peccati aliquid per ſe pœnale eſt. Si autem loquamur de pœna quæ habet rationem medicinæ, ſic contingit quod vnus punitur pro peccato alterius. Dictum eſt enim quod detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipſius corporis, ſunt quędam pœnales medicinæ ordinatæ ad ſalutem animæ. Vnde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccatò alterius vel à Deo, vel ab homine: vtpote filiòs pro patribus, & ſubditos pro dominis inquãtum ſunt quędam res eorum: ita tamen quod ſi ſubditus, vel filius, eſt particeps culpæ, huiuſmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ quantum ad vtrumque ſcilicet & quantum ad eum qui punitur, & quantum ad eum pro quo punitur. Si verò non ſit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantum ad eum pro quo punitur, quantum vero ad eum qui punitur, habet rationem medicinę tantum, niſi per accidens inquantum peccato alterius conſentit; ordinatur enim ei ad bonum animę, ſi patienter ſuſtineat. Pœnę verò ſpirituales non ſunt medicinales tantum, quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum. Vnde in bonis animæ nullus patitur detrimentum ſine culpa propria: & propter hoc etiam talibus pœnis (vt Apoſtolus dicit in Epiſtola ad Titum) vnus non punitur pro alio; quia quantum ad animam filius non eſt res patris. vnde & huius cauſam Dominus aſſignans dicit Ezech. 18. *Omnes animæ meæ ſunt.*

VNDE quod dicitur Exod. 20. *Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me.* Et Matth. 23. *Veniet ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram.* Vtrumque iſtorum referendum eſſe videtur ad pœnas temporales vel corporales, inquantum filij ſunt res quædam parentum, vel ſucceſſores prędeceſſorum. Vel ſi referantur ad pœnas ſpirituales, hoc dicitur propter imitationem culpæ Vnde in Exod. additur: *His qui oderunt me*, & in Matth. dicitur. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Dicit autem puniri peccata patrum in filijs, quia filij peccatis patrum nutriti, proniores ſunt ad peccandum; tum propter conſuetudinem peccandi, & in peccatis diutius manendi; tum etiam propter malum exemplum quod accipiunt à patribus, quaſi auctoritatem & vitam eorum malam ſequentes. Sunt etiam maiori & acerbiori pœna digni, ſi graues pœnas patrum ſuorum videntes, quas propter peccata ſua tolerant, non ſunt correcti. Ideo addidit Dominus in auctoritate prælegata: *In tertiam & quartam generationem*; Exod. 20. quia tantum conſueuerunt homines viuere, vt vſque in tertiam & quartam generationem videant; Et ſic mutuo videre poſſunt, & filij peccata & malam vitam parentum ſuorum ad imitandum, & ſimiliter patres filiorum pœnas ad dolendum.

QVANTVM autem ad pœnas temporales vel corporales, puniuntur filii pro peccatis parentum ſuorum, & ſecundum iuſtitiam humanam, ſicut patet in crimine læſæ maieſtatis, & iſtæ pœnæ remedia quędam vel medicinæ ſunt, contra culpas ſequentes, vt vel ipſi qui puniuntur, vel alij, cohibeantur à ſimilibus culpis. *Magis* autem dicuntur propinqui quam extranei puniri pro peccatis aliorum, tum quia pœna propinquorum quodammodo redundat in illos qui peccauerunt, inquantum filius eſt quædam res patris, vt dictum eſt: tum etiam, quia & domeſtica propinquorum exempla, & domeſticæ eorum pœnæ magis mouent. vnde quando aliquis nutritus eſt in peccatis parentum, vehementius ea ſequitur, & ſi ex eorum pœnis non eſt deterritus, obſtinatior videtur. Vnde & maiori pœna dignus eſt.

Filij dicũtur puniri ob peccata parentum dupliciter ſcilicet pœna temporali, & imitatione.

Vnus poteſt puniri pro peccato alterius, pœna ſatisfactoria, vel etiã medicinali, ſed non pœna pro culpa infecta vel ſpirituali.

Solutio obiect.

De peccati diuerſis effectibus.

DISTINCTIO XIX.

DEINDE conſiderandum eſt de diuerſis effectibus malis, & damnis, quæ facit peccatum in anima, propter quę peccatum ſummopere cauendum eſt, & omnimodè deteſtandum. Circa quæ conſiderare debemus ſeptem. Primò, quia ſi peccatum non eſſet, nihil poſſet eſſe quod homini obeſſet. Secundo, quia ſi peccatum non eſſet, quicquid eſt, homini prodeſſet. Tertio, quia Deo ſummè diſplicet. Quarto, quia bonus Angelus illud ſummè abhorret. Quinto, quia ſanctis omnibus iniuriam infert. Sexto, quia Diabolo ſummè placet. Septimo, quia facienti multipliciter nocet.

Septem ſunt motiua ad deteſtandum peccatum.

PRIMO igitur cum ſumma ſollicitudine cauendum eſt peccatum, quia ſi peccatum non eſſet, non oporteret hominem timere nec mortem, nec infernum, nec purgatorium, nec iudicium, nec aliquod periculum. Si ergo timenda ſunt hęc omnia, ſummè timendum & cauendum eſt peccatum, propter quod ſolum hęc omnia ſunt timenda. *Item* nihil nocet homini ſine hoc malo. Gregor. *Nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.* Eccleſ. 8. *Qui cuſtodit mandatum non experietur quicquam mali.* *Item* qui habet hoc malum, nihil eſt ei bonum. Senec. *Nihil eſt homini bonum ſine ſe bono.* Hoc ſolum malum facit hominem malum. Matth. 26. *Bonum eſſet illi ſi natus non fuiſſet homo ille*; immo melius eſſet ei non eſſe, quam malum eſſe: quia malus charitatem non habet; Quam qui non habet, nihil quod faciat, aut quod habeat aliquid ei prodeſt. 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero, &c.* Sequitur, *charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt*: immo nihil eſt, ſcilicet in valore. Ibidem ſupra dicitur. *Si charitatem non habuero nihil ſum*: immo minus quam nihil, quia faciendo peccatum, deſtruit homo illud quod in ipſo eſt bonum. Item ibidem ſupra. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

1. *Quia ex illo oriuntur omnia formidanda ſcilicet mors infernus &c.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

2. Quia non peccãti omnia cooperãtur in bonũ.

SECVNDO, quia bono qui est peccato innoxius, omnia cooperantur in bonum. Rom. 9. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; immo omnium bonorum particeps est. Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et Isa. 3. *Dicite iusto quoniam bene, &c.* Augustinus. *Sectamini charitatem, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper est diues.* Non solum autem bona cedunt bonis in bonum, immo etiam mala culpæ & pœnæ conuertuntur eis in bonum; nam in omnibus lucrantur, in bonis congaudendo, in malis condolendo.

Exemplum.

IN passionibus sanctorum legitur, quod cum quidam gentilis compateretur martyrio cuiusdam virginis, vidit duas coronas ab Angelo deferri; vnam martyri propter passionem, aliam sibi propter compassionem, & occasione huius visionis conuersus ad Dominum, martyrium suscepit. *Item* malum culpæ cedit electis in bonum, dum de proprijs dolent, & alienis condolent; & fit peccatum simile serpenti dicto Tyro, de quo conficitur venenum mortalissimum & Tyriaca quæ est remedium contra venenum, quia de peccato sumitur toxicum venenosissimum per peccati delectationem, & peccati remedium per proprij peccati detestationem & abominationem, & per alieni peccati compassionem. Hierem. 30. *A vulneribus tuis sanabo te.*

Simile.

3. Quia Deo summè displicet, vt patet ex septẽ.

TERTIO cauendum & detestandum est peccatum, quia Deo summè displicet, quod patet in septem. *Primo* quia nihil ei displicet præter peccatum. Sapient. 10. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Immo omnia diligit in quibus peccatum non inuenit. Item nullum habet ita bonum amicum, quem non habeat odio, si in peccato mortali fuerit, & pessimum reputat inimicum. Vt patet in Lucifero, & Iuda. Eccles. 12. *Altissimus odio habet peccatores.* Psalm. 118. *Iniquos odio habui.*

SECVNDO ex contumeliæ irrogatione multiplici quam facit Deo. Vna est, quia coram eius oculis sponsam eius dilectissimam, vilissimo adultero, id est Diabolo prostituit, scilicet animam. Hier. 2. *Quomodo prostibularis meretrix.* Item filiam eius spoliat & corrumpit. Psal. 13. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, &c.* Augustinus. *Peccatum est spoliatio boni gratuiti, & corruptio boni naturalis.* Item filios & filias Dei, in oculis eius occidit, scilicet bona opera, & virtutes. Item Deum à domo sua propria & castro eijcit, & aduersarium eius, scilicet diabolum introducit. Item templum Dei succendit. Item stratam paradisi publicam, obedientiam, scilicet mandatorum Dei, in contumeliam eius, ad modum prædonis frangit. Item ad modum Iudæorum in faciem Dei conspuit, dum eum contemnere facit. Item ipsum in quantum in ipso est, iterum crucifigit, & sanguinem eius quasi fundit, dum pretium redemptionis eius abijcit. Heb. 6. *Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Ibi glo. *Christum crucifigunt, & contumeliæ habent, qui gratiam eius vilipendentes, in peccatis iacent.* Item glo. *Plus peccat qui contemnit regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.*

TERTIO patet qualiter ei displicet, ex persecutione quam pro peccato infert. Persecutus enim est peccatum in omni loco, vt nullus locus sit ei tutus. Persecutus fuit peccatum in cœlo, vt patet in Lucifero, quem sic deiecit de tanta altitudine, in tantam profunditatem; de tanta pulchritudine, in tantam deformitatem; de tanta bonitate, ad tantam boni paucitatem; de tanta fœlicitate, ad tantam infœlicitatem. Item patet quomodo persecutus est peccatum in Paradiso terrestri, scilicet in punitione protoplastorum. Item in terra per aquam diluuij, & per ignem Sodomorum. Item in aere, quod patet in grandinatione Ægyptiorum, & habitatorum terræ promissionis. Item in terra, quod patet in absorptione Dathan & Chore. Item per Angelos suos, & per alias creaturas suas, & etiam per ipsos Dæmones, persequitur Deus peccata facientes; hic multipliciter, in inferno æternaliter. Isa. 34. *Inebriatus est in cœlo gladius meus, & vsque ad Idumeam descendet.*

QVARTO patet quantum Deo displicet ex Dei immutatione. Benignissimum enim & clementissimum patrem mutat in crudelissimum iudicem, ita quod pro toto mundo non dimittat, quin filios quos creauit, quos tantum dilexit, si eos in mortali peccato in morte inuenerit, etiam si possent fugere sub pallio B. Virginis, gladio æternæ damnationis interficiat, & in ignem æternum sine retractione proijciat, & puniat. Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima, &c.*

QVINTO patet in bonorum abominatione, ac si fuerint infecta hic ex toxico. Prou. 15. *victimæ peccatorum abominabiles.* Eccl. 34. *Dona iniquorũ non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum.* Faciunt peccatores mala facientes opera de genere bonorum, vt Iudæi de quibus in Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, &c.* Item ipsi sunt similes vetulæ facienti caseum cum manibus vlceros is, quæ eis lippitudinem oculorum, & nasi saniem tergens, canem & cattum eisdem tractans, caseum perficiebat, muscas in eo comprimẽs. Sicut enim hic caseus abominabilis est hæc cernenti, sic eorum opera Deo sunt abominabilia (licet de genere bonorum sint) cum fiunt cum peccato.

Simile.

SEXTO patet quantum Deus odit peccatum ex eius elaborationis destructione: omnes enim labores suos ferè assumpsit, vt peccatum destrueret. Voluit enim carnem assumere, vt carnem à peccato mundaret; prædicare, vt illud contemneret; sacramenta instituere, vt illud destrueret; Apostolos & discipulos per mundum mittere, vt illud impugnaret: vẽdi voluit, vt nos à peccato redimeret; ligari, vt nos ab ipso dissolueret; vulnerari, vt nos ab ipso sanaret; sanguinem suum fundere, vt per ipsum nos à peccato lauaret; damnari, vt peccatum damnaret: crucifigi, vt illud crucifigeret: transuerberari & mori, vt illud transfigeret & occideret. Hieronym. *Gratias tibi referimus Saluator seculorum, quia fortissimum aduersarium nostrum eiecisti, quem dum occideris occidisti.* In hoc fuit similis Sampsoni, qui mori voluit, vt Philistæos occideret. Glo. super illud Collo. 3. INNOCENS OCCIDITVR: *peccatum occiditur.*

4. Quia Angelis displicet & fœtet.

SEPTIMO patet ex Dei separatione, & exhæredatione peccatorum, & deiectione in perpetuum carcerem. Nullus enim amicus eius ita charus est ei, quin quam cito peccat mortaliter, separet eum à sui societate, & suorum; & bonorum suorum priuet à participio, & exhæredet eum à regno, & detrudat in carcerem perpetuum, & hoc nisi ante mortem pacem cum eo fecerit. Isa. 70. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.*

QVARTO timendum & detestandum est peccatũ, quia sanctis Angelis displicet, & fœtet. In vitis patrum dicitur, quod cum quidam senex ambularet per eremũ, vidit duos Angelos concomitantes se, vnum ad dexteram, & alium ad sinistram. Et cum inuenissent cadauer hominis fœtidũ, senex obturauit nares suas, non valẽs fœtorẽ sustinere; Angeli autem viso iuuene ornato, nares obturauerunt. & cũ senex quæreret causam, aiunt Angeli: Tu cum sis caro, sentis fœtorẽ carnis; nos autẽ cum simus spiritus, sentimus solum spiritualẽ fœtorẽ peccati. Ansel. *Tolerabilius fœtet caro putrida hominibus, quam anima peccatrix Deo & Angelis eius.*

Exemplum.

5. Quia Sanctis iniuriam infert.

QVINTO detestandum est peccatum, quia sanctis iniuriam infert. Primo, quia regẽ eorum & Dominũ offendit, scilicet Deum. Eccles. 28. *Vir peccator turbabit amicos*, scilicet summi regis. Vel quia à cõmunione & societate sanctorũ se subtrahit, quasi si eos excõmunicatos iudicaret. Eccl. 13. *Si communicabit lupus cum agno*, scilicet peccator cũ iusto; *Aut quæ cõmunicatio hominis sancto ad canem?* Vel quia contrariũ sanctis se efficit, dum contrariæ potestati militat. Eccl. 33. *Sicut mors contra*

vitam, ſic contra virum iuſtum peccator. Item quia quantum in ipſo eſt, gloriam ſanctorum imminuit, qui de eius gloria viſa gauderent. Eccl. 7. *Ne pecces in multitudine ciuitatis.* Iacobi 2. *Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus.*

Quia diabolo ſuper omnia placet.

Exemplum.

SEXTO quia diabolo ſuper omnia placet, & hoc propter maximum lucrum quod ibi facit; Vbi animas ſanguine Chriſti acquiſitas ſibi acquirit. Vnde dicitur, quod cum diabolus per quendam dæmoniacum diceret, quod peccatum eius fœteret; & ille quæreret, quare ergo illud cum tanta diligentia procuraret; reſpondit quod propter lucrum, ſicut cloacarius intrat latrinam propter lucrum, licet ei fœteat. Item hoc patet ex eo quod aſſiduè tentat. Gregor. *Aſſidua tentatione pulſat, vt ſaltem tædio vincat.* Eccl. 27. *Leo ſemper venationi inſidiatur.* Vnde B. Martinus videns Mergos in flumine, ait, vt legitur in vita eius. *Hæc eſt forma Dæmonum, inſidiantur incautis, captos deuorant, ſatiarique nequeunt deuoratis.* Eius aſſiduitas tentandi patet ex hoc, quod aliquando per 30. vel 40. vel plures annos tentat vnum pauperem hominem, vt eum in peccatum præcipitet, nec ceſſat die ac nocte; quod ſi in tanto tempore obtineat, multum gauderet. Pſal. 34. *Euge euge viderunt oculi noſtri.* Vnde in vita B. Ioannis Euangeliſtæ dicitur, quod iuuenis quidam ſuſcitatus à B. Ioanne dicebat, quod viderat Dæmones gaudentes de ruina peccatorum quorundam conuerſorum à B. Ioanne, & Angelos de hoc lugentes.

7. Quia homini ſuper omnia nocet.

Peccatum facit hominē ſibijpſi odioſum.

SEPTIMO deteſtandum eſt peccatum, quia homini ſuper omnia nocet. Nocet autem facienti multis modis. *Primo*, quia facit hominem ſibijpſi odioſum, inimicum, peſtiferum, & homicidam ſui. Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* Tob 12. *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Sen. *Nullum conſcium peccatorum tuorum magis oderis quam te. Alios fugere poteris, te autem nunquam.* Hæc eſt peſtis quæ ad mortem temporalem adducet nos, & adduxit omnes anteceſſores noſtros, & impœnitētes ad mortē ſpiritualē & æternam. Vnde multū eſt odienda & fugienda. Sap. 15. *Homo per malitiam ſuam occidit animam ſuam.* Eccleſ. 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum, &c. Dentes illius dentes Leonis, interficientes animas hominum, &c.* Bernard. *Vita peccati, ingredientibus mel propinat ſophiſticum: progredientibus fel & acetum: egredientibus venenum aſpidum inſanabile. Ingredientes exanimat, progredientes obſtinat, egredientes exterminat, vt & in anima & in corpore ſimul damnentur, iuſto Dei iudicio.*

Exemplum.

VNDE ponitur de hoc exemplum de rege, qui viridarium ſuum tradidit cuſtodiæ cæci & contracti. Contractus ſuadebat cęco, vt ad arbores eum portaret, & in ſe de fructibus ei daret; quod faciebat. Quod Rex aduertens, ſic vtrumque morti adiudicauit. Tu cœce, licèt te excuſes quod fructus non videris; quia tamen contractum portaſti, qui non niſi per te cepiſſet fructus, morieris. Tu contracte, licèt te excuſes quod ad fructus non ieris: quia tamen cœpiſti, & dediſti fructus, morieris. Similiter iudicat Deus de anima cœca, quæ corpus portat & erigit ad mala opera facienda, quod ſine regimine eius peccatum explere non poſſet. Item ponitur exemplum de duobus fratribus, ſapiente & ſtulto, qui cum redire deberent ad patriam ſuam de qua elongati erant, venerunt ad biuium, vbi audierunt à paſtoribus loci, quod altera via quę erat alta, & arcta, & aſpera: rectè & ſecurè ducebat ad patriam ſuam: alia autem quæ erat lata, & plana, & delectabilis: nimis erat longa, & periculoſa, & plena latronibus. Cum autem ſapiens vellet ire per viam arctam & ſecuram: adrogatum fatui, cum audiſſet periculum, conſenſit ire per latam, & ſpacioſam, & periculoſam viam: per quā cum irent, à latronibus capti, & ſpoliati, & vulnerati ſunt, & cum fatuus in foueam proijceretur occidendus, & alius ligatus ad mortem duceretur: maledicebat fatuo dicens, quod propter ſuam fatuitatem moteretur. Tunc reſpondit fatuus: Tu potius maledicaris, quia tibi potius imputandum eſt, qui me ſciebas fatuum, & mini credidiſti, & acquieuiſti. Adapta, quomodo fatuus eſt corpus; Sapiens anima, vel ille ſenſualitas, hic ratio. Via arcta quæ ducit ad vitam, pœnitentia eſt: Lata, peccatum & inobedientia: paſtores, prædicatores: Patria, cœleſtis regio: Latrones, dæmones.

Item facit hominem infructuoſum.

SECVNDO facit hominem inutilem, & infructuoſum, & ſimilem mari mortuo, quod nihil generat pertinens ad vitam. Iſa. 59. *Opera eorum inutilia, &c.* Hier. 17. De maledicto viro dicitur; *erit quaſi miricæ in deſerto,* quia ſine fructu, vel ſine vtili fructu. Similes ſunt quibuſdam nucibus Indiæ, quæ portant nuces pulchras, & magnas ad modum humani capitis, & intus inueniuntur plenæ ſerpentibus, vt dicitur in Hiſtoria tranſmar. Item ſimiles ſunt ſambucæ. Item pomis Sodomorum, quæ ferunt fructus plenos fauilla: *faciunt enim labruſcas, cum deberent facere vuas.* Iſa. 5. & Deuter. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum; & vua eorum, vua fellis.* Item ſimiles ſunt ficulneę maledictę in qua fructus Dominus non inuenit. Matth. 21. & Luc. 13. *Tres anni ſunt quod veni fructum quærens in ficulnea, &c.*

Simile.

Tertio facit hominem durum.

TERTIO facit hominem durum. Hier. 30. Dura dicuntur peccata, quia indurant: & faciunt hominem ſimilem rhamno, qui primo quaſi herba mollis, induratur in arborem, & ſpinam duram. Hiere. 50. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt in vngue adamantino;* maximè quando ſeneſcit in corde, vt fiat quaſi indelebile. Peccata iuuenum prędicantur in quale, quia fiunt delebilia de facili: peccata ſenum prędicantur in quid, quia eis quaſi ſubſtantialiter adhęrent: quia vix inde emendantur, niſi cum maximo Dei miraculo.

Exemplum.

Vnde in vita B. Andreę legitur, quod cum 40. iuuenes ſubmerſos in mari à Diabolo, qui veniebant ad ſermonem eius, ſolo breui verbo ſuſcitaſſet: quidam ſenex Nicola nomine, audito ſermone eius, qui per 70. annos fuerat in immunditia luxurię obduratus, venit ad eum hoc confitens: cui dedit Euangelium in ſinu ſuo portandum, vt dum ardore ſuo aſſueto ſtimularetur, eius memoria & virtute à peccato reuocaretur, qui dum inflammaretur libidine conſueta, iuit ad ſcortū: cui clamauit meretrix: egredere ſenex, quia ſuper te video mirabilia. Qui aduertens Euangelium in ſinu ſuo, confuſus redijt ad Apoſtolum dicens, quod non poterat continere, niſi hoc ſuis orationibus impetraret. Tunc Andreas ei compaſſus, diu contra illud peccatum prędicauit, à tertia vſque ad nonam, & fleuit, & orauit: & cum non ſentiret ſe eſſe exauditum, dixit Domino quod non comederet niſi exaudiretur, ſic dicens. Domine pro mortuis ſuſcitandis obtinemus miſericordiam: quare non pro iſto qui vult ſaluari? Tunc ad eius afflictionem vox de cœlo ait. Non eſt parum Andrea, quia exauditus es pro ſene: ſed oportebat quod ante per ſex menſes ſe ieiunio & oratione fatigaret. Qui cum hoc feciſſet, & venditis omnibus bonis ſuis, ea pro Deo pauperibus erogaſſet, migrauit ad Dominum, & vox ad Apoſtolum: Andrea lucratus es ſenem.

Quanta durities peccatoris.

ITEM ſicut Deus per Spiritum ſanctum facit de corde lapideo carneum, Ezech. 34. Ita Diabolus per peccatum, de corde carneo facit lapideum, immo ferreum, Pharaonicum, Diabolicum: vt nec igne tribulationis, nec malleo prędicationis, pluſquam ferreum exiſtens, emolliatur, aut moueatur. Item de aqueo, id eſt lachrymoſo & compuncto, fit criſtallinum, quantum ad duritiem, & impoſſibilem reſolutionem ad lachrymas. Eccl. 43. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & induravit criſtallus ab aqua.* De duritia cordis peccatoris dicit Bernard. *Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi fortè cum Dominus miſericors abſtulit cor lapideum, & dedit cor carneum: ipſum enim cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur; duratum ad flagella, ingratum ad beneficia, infidum ad conſilia, promptum ad indicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad periculoſa, inhumanum ad humana; præteritorum obliviſcens, præſentia negligens, futura non prauidens; & vt breuiter cuncta*

compre-

comprehendam, ipsum est quod nec Deum timet, nec homines reueretur. De quo Eccl. 3. *Cor durum male habebit in nouissimo.* Iob 40. *Indurabit quasi malleatoris incus.*

Facit etiam peccatum diaboli seruum.

QVARTO facit hominem peccati & Diaboli seruum. 1. Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* 2. Pet. 2. *A quo superatur quis, eius seruus est.* Augustinus. *Bonus homo si seruit liber est: malus si regnet seruus est: non vnius hominis, sed quod peius est, tot Dæmoniorum quot vitiorum.* Brachmanni scripserunt Alexandro, sicut legitur in Historia transmarina, & in Epistola Dandami Alexandro. *Tu hostes exteriores spolias, vt interiores nutrias: tu homines tuæ subijcis seruituti, & vitijs tuis interioribus seruis.* Idem. *Vos nullam partem corporis vestri, potestati vestræ reliquistis, quin inde tributary sitis. Vobis tot Deos aut Dominos asseritis, quot membra habetis. Mineruam Deam capitis dicitis: Iunonem, quia iracunda, Deam cordis: Martem, quia bellicosus, Deum pectoris: Mercurium, quia multiloquus, Deum linguæ: Herculem, quia magnæ fortitudinis, Deum brachiorum: Bacchum, quia ebriosus, Deum gutturis: Cupidinem, quia fornicator, Deum renum: & sic de alijs.* Item peccator victus à Diabolo siue à peccato, seruus est, vt ceruus victus, de quo dicunt naturales, quod ex quo vincitur ab alio ceruo, semper postea quasi Dominum suum iudicans, cum occurrit ei caput inclinat, & cornua demittit in signum subiectionis & seruitutis.

Simile.

Quinto facit hominem nigrũ quoad animam.

QVINTO facit hominem in anima deformem & nigrum. Tren. 3. *Denigrata est super carbones facies eorum, &c.* Hier. 13. *Si mutare potest Ethyops pellem suam, aut Pardus varietatem suam: sic nec vos poteritis benefacere, cum dideritis malefacere.* Ezech. 17. *Abominationem fecisti decorem tuum.* Ansel. *Anima si in peccato fuerit, nigrior erit coruo.* Patet autem quanta sit peccati deformitas, ex eo quod ita turpissima & teterrima creatura, quæ dicitur Diabolus, nihil habet deformitatis, nisi ratione peccati: quamdiu enim sine peccato fuit, pulcherrimus fuit, & clarissimus. Similiter anima nihil habet deformitatis, nisi ratione peccati. *Et nota*, quod apud Ethyopes, qui sunt nigriores, iudicãtur pulchriores: Similiter inter peccatores, qui alios nõ reputãt, nisi qui sunt sibi similes. Similiter apud coruos est, quia pullos non reputant suos sed degeneres, vsquequo nigrescant, nec prouident eis; sed eos Dominus quamdiu nigrescunt, pascit rore cœlesti, vt dicit Gregor. super illud Iob 39. *Qui præparat coruis escam, quando pulli eius clamant ad Dominum.* Similiter mundani non curant de filijs suis, nisi videant eos nigrescere per peccati & malitiæ speciem. Apud Pigmæos, dicitur in Historia transmarina, qui plus viuunt, plus nigrescunt. Similiter apud mundanos magis de die in diem animæ nigrescunt peccando, viuendo secundum morem eorum.

Simile.

Exemplum.

IN vitis patrum legitur, quod cum quidam sanctus Episcopus in die Paschæ deberet communicare suos Parochianos, rogauit Dominum quod ostenderet ei quales essent: qui vidit diuina illuminatione quosdam vt pix nigros: alios habentes facies ignitas, vt candens ferrum: alios habentes facies sanguineas; alios lucidas vt sol: inter quos vidit duas mulieres lucidissimas vt sol. Apparuit autem ei Angelus dicens, quod nigri erant luxuriosi; Ignei, auari; sanguinei, iracundi & malitiosi; Lucidi, qui habebant gratiam Dei, & ait, quod duæ mulieres de quibus audierat quod erant peccatrices, per pœnitentiam quam acceperant, sic erant illuminatæ.

Exemplum.

ITEM Paulus simplex cum videret intrantes Ecclesiam, inter alios vidit hominem nebulosum & nigrum, & ductum à Dæmonibus gaudentibus & lætantibus, incatenatum & vinctum, & Angelos remotos, & tristes. Cumque conuerteret se ad orationem & fletum pro eo quod viderat; surgens inde videt quem prius viderat clarum & pulchrum & solutum, & Angelos lętantes circa eum, & Dæmones remotos, confusos & tristes. Cumque eum & alios conuocaret, vt viderent & audirent mirabilia Domini; ille admiratus dixit se esse peccatorem, sed audito in Ecclesia verbo Isa. 1. *Lauamini, & mundi estote, &c.* compunctus fuerat.

Sexto facit hominẽ maculosum.

SEXTO facit hominem maculosum. Hier. 13. *Numquid potest Pardus deponere varietates suas, &c.* Similis est peccator illi maculoso, de quo dicit Petrus Alfon. quod cum diffidet Rex cuidam portitori ciuitatis suæ vnum denarium, pro qualibet macula ingredientis maculosi; Videns ingredientem quendam claudum, petiuit vnum denarium pro claudicatione; & cum ille negaret, audiuit eum balbum; & cum peteret duos, & ille reddere nollet, remouens ei caputium, inuenit eum vlcerosum: tunc petiuit tres denarios, quos cum differet soluere, inuenit eum monoculum, post gibbosum; & cum plus rebellis erat, & solutionem differens, plures maculæ inueniebantur in eo, & plus oportebat eum soluere. Sic peccator quo plus tardat soluere pœnitentiæ debitum, in pluribus maculis inuenitur, dum de vitio in vitium ruit, vt dicit Gregor. *Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere ad aliud trahit.*

Septimo facit hominem immundũ.

SEPTIMO facit hominem corruptum, & fœtidum, & immundum. Augustinus. *Peccatum est corruptio boni naturalis, & priuatio gratuiti.* Psal. 13. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Hoc est fermentum, quod corrumpit totam congeriem bonorum operum. 1. Corinth. 5. *Modicum fermentum corrumpit totam massam.* Hæc est lepra corrumpens animam humanam omni genere lepræ, de quo legitur Leuit. 13. & 14. per totum, Hæc est omnis immunditia, quæ est abijcienda. Iac. 1. *Abijcite omnem immunditiam:* quia diuersimodè facit animam immundam, omni immunditia legali; de qua Leuit. 11. habetur per totum. Est enim immunditia terræ, vt immundorum animalium; quales sunt qui propter amorem terrenorum, cœlestia postponunt. Item immundum facit immunditia aquæ, vt immundorum piscium, dum facit hominem curiosè volutari & fluere per immundas voluptates, & carnalia desidetia. Item immunditia aëris, quæ est in immundis auibus, dum facit hominem eleuari per superbiam contra Deum. Hac immunditia super omnia vult Diabolus animam fieri immundam. quod significatur 1. Mach. 1. *Præcepit Antiochus coinquinari animas in omnibus immunditijs & abominationibus.* Hæc est immunditia meretricis spiritualis, qua anima, relicto Deo vero sponso, mæchatur cum Diabolo; de quo satis habetur Ezech. 16. per totum. *Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, &c.* post in pluribus locis. Isa. 16. *Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterium.* Et Isa. 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat; pallium breue vtrumque operire non potest.*

Quãta peccati immũditia.

PRIMO patet esse magnam immunditiam peccati, ad cuius comparationem, nullam immunditiam corporalem, Deus aut sancti Angeli immunditiam iudicant, quia hęc sola in oculis eorum totum hominem inquinat Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malę, &c. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Secundo*, nulla terrena ablutio animam hac immunditia immundam potest mundare, nisi Deus desuper mittat ei aquam cœlestis gratiæ, cum igne Spiritussancti, quo ipse & non alius eam mundet, cum virtute sanguinis agni incontaminati. Apoc. 1. *Qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Tertio*, quia dignissimam creaturam, scilicet hominem, facit porco immundiorem, vt sit sicut dicitur, 2. Pet. 2. *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Quarto*, quia hominem hac immunditia immundum euomit Deus, vsque in sentinam inferni, etiam quam cito accedit ad hanc per teporem. Apocal. 3. *quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo. Quinto*, quia apud Dominum omnia bona facta hominis immunda reddit, quicquid enim tangit immunda sunt ei. *Sexto*, quia Deus ad ablutionem peccati de cœlo descendit. Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciens. Septimo*, quia tot lauacra contra hanc statuit, scilicet aquam diluuij, & ignem iudicij, & purgatorij, & tribulationis, & martyrij, & passionis suæ, & aquæ benedictæ, & lachrymarum, & Sacramentorum, & verborum suorum, &c.

Octauo facit hominẽ in anima pondero sum.

OCTAVO, quia facit hominem in anima pondero

ſum. Nihil enim anima quæ eſt ſine peccato leuius, cum exuitur à corpore; quæ in momento, in ictu oculi illuc peruenit, vbi aliqua Aquila, aut auis aliqua, non poſſet toto tempore vitę ſuę tranſuolare, ſcilicet vſque ſupra cœlum ſydereum. Econtra exuta cum mortali peccato exiſtens, non poteſt conſiſtere vſquequo veniat ad inferni profundum. In hoc patet quod eſt ponderoſior omni re corporea ponderoſa; quia ſi maſſa plumbea eſſet vbi eſt luna, eam cœlum retineret, ſed peccatorem Angelum nec potuit firmamentum (quod ſic propter ſuam firmitatem dicitur) nec terra, nec aliqua corporea creatura vel natura retinere, quin caderet vſque ad inferni nouiſſima. Ideo *iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi.* Zach. 5. *Mulieri ſedenti in medio amphoræ, ædificatur domus in terra Sennaar, vt ibi ponatur ſuper baſem ſuam.* Sennaar, quod interpretatur fœtor, aut excuſſio dentium, aut domus vacuefactionis, & ſignificat infernum, vbi baſis eſt animæ peccatricis. Item multum ponderat peccator, qui quantumcumque portat, peccatum portat & Diabolum, quo nihil ratione culpæ ponderoſius. Ideo dicitur Eccl. 22. *Super plumbum quid grauabitur.* Et poſt. *Arenam, & ſalem, & maſſam ferri, facilius eſt ferre, quam hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Vnde* dicitur. 2. dial. 9. quod cum fratres conſtruerent cellam B. Benedicti, leuare volentes lapidem quem tres homines leuare debuiſſent leuiter, nec poſſet à multis moueri; vocato B. Benedicto, & fugato diabolo, qui lapidi inſidebat, eius oratione & benedictione; tanta celeritate lapis leuatus eſt, ac ſi nullum pondus habuiſſet. De pondere peccati dicitur in Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Cum hoc pondere non poteſt homo non ſolum per altam & arctam viam vitæ currere vel ambulare; ſed nec ſerpere, vel ſe erigere, niſi hoc onere depoſito. Heb. 12. *Deponentes omne pondus, & omne circumſtans nos peccatum, curramus ad propoſitum nobis certamen,* &c. Ad comparationem huius oneris, quodcumque onus pœnitentiæ leue eſt, & præſentis tribulationis. Si quis ſentiret onus peccati, & animę læſionem perferret; aut parum, aut nihil omnino ſentiret corporis pœnam.

Exemplum.

Octauo facit hominem vilem & abiectum.

OCTAVO facit hominem vilem & abiectum. Philoſophus. *Si ſcirem homines ignoſcituros, & Deos ignoſci; tam vile eſt peccatum, quod dedignarer peccare.* Vilificat enim pretioſam margaritam pro qua cœleſtis negociator omnia ſua vendidit, & emit eam: Matth. 13. vt ſit ex contactu luti huius, luto vilior. Sap. 15. dicitur de idolatria tam materiali, quam ſpirituali. *Luto vilior vita eius.* Quidam Philoſophus volens peccare, aduertens animę dignitatem, & peccati vilitatem, ait: *Erubeſce cœlum intrare in cœnum.* Ideo contra iterationem peccati clamat Hier. 2. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas.* Hier. 15. *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meũ eris.* Abijcit enim Deus peccatorem ab ore ſuo, vt viliſſimum euomendo; à ſinu ſuæ charitatis excutiendo. 1. Ioan 3. *Qui manet in charitate in Deo manet.* Aug. *Quid times hominẽ, homo in ſinu Dei poſitus, talem Deus abijcit à ſuo & ſuorum conſortio, abijcit à mundo, proijcit in ſentinam inferni cum Diabolo.* Per hoc Lucifer vilis & abiectus, abijcitur ab Angelorũ cõſortio, vt leproſus: Adam eijcitur à Paradiſo: Saul à Regno. 1. Reg. 15. *Quia abieciſti verbũ Domini, abieci te ne ſis Rex.* Itẽ Nabuch. ab humano cõſortio. Dan. 4. *Tibi dicitur Nabuch. Regnum tuum tranſit à te,* &c. Ideo dicitur in Pſal. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Non ſolum ſimilis factus eſt illis, ſed de filio fit iumentorum ſeruus, vt filius prodigus. Bernard. *O quàm miſera conditio peccatorum, quæ de filio facit ſeruum porcorum.* Idem. *Ecce quomodo de grege facta eſt tam egregia creatura; puta dicerent iumenta ſi loqui poſſent: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt,* &c.

Nono facit omnẽ fatuum & inſanum vt patet ex tredecim.

NONO facit hominem fatuum & inſanum, cuius fatuitas apparet in tredecim, quæ ſequuntur. *Primo* in via ſua, quia præeligit magis ambulare ſciens & prudens viam latam & ſpacioſam, quæ ducit ad mortem, quam arctam, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. Abijciendo ſummæ ſapientiæ conſilium; Prouerb. 1. *Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Similis eſt illi, qui cum ſciret rectam viam, quæ duceret ad patriam, de voluntate fratris fatui ſecutus eſt eam, quam nouerat ire ad mortis periculum, de quo ſupra.

SECVNDA fatuitas eius eſt incuria, de qua Bernard. *Sic ſtulti æſtimatores de maximis minimam, & de minimis maximam curam gerunt. Maiorem curam habent de carne morbida ſeruanda, quam de anima: immo, vt corticem carnis cuſtodiant, & nutriant, & impinguent; nucleum animæ ſæpe perdunt.* Similes illi præpoſito, qui canem ſic impinguauit, quod puellam iugulauit. De quo ſupra *de timore humano.* Item ſimilis eſt peccator illi Epiſcopo, qui maiorem ſollicitudinem habuit de cuſtodiendo calato pleno pirorum, quam de multitudine animarum. Cum enim tradidiſſet nepotulo ſuo Archidiaconatum, & quidam apportaſſet ei calatum plenum piris, & quæreret cui commendaret, dixit nepotulus Archidiaconus: Mihi commendate. Ait Epiſcopus: Non confido de te, malè mihi cuſtodires. Reſpondit quidam magiſter. Miſer, ei commiſiſti infinitum numerum animarum, cui non audes committere calatum pirorum. Contra hos Bernard. *Væ mihi ſi talentum mihi traditum negligenter ſeruauero, ſanguine Chriſti pretioſo magis appreciatum. Si enim ſtillas dominici ſanguinis in vaſe aliquo ſeruarem, diligens cuſtos proculdubio exiſterem.*

TERTIA eius fatuitas apparet in menſa eius, quia propter modicam ſtillam dulcedinis exterioris, comedit cibum immundiſſimum & venenoſiſſimum, & bibit potum ſimilem potui, quo neceſſe habent mori in aureo calice Babylonis: Apoc. 17. non attendens internam & æternam amaritudinem. Iob 20. *Conuertetur panis in vtero eius in fel aſpidum.* Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum,* &c. Pſalm. 68. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributionem & in ſcandalum.* Similes ſunt illi fatuo, qui de fructibus proximi comedebat teſtudines, propter aliquam ſimilitudinem; & cum argueretur de hoc, dicebat in maſticando, quare ergo ſe fecit primum? *Item* ſimilis eſt lupo, de quo fabulosè dicitur, quod vulpes dedit ei raſorium inuolutum ſanguine, & cum glutiret, & optimum diceret, dixit ei vulpes: In exitu ſenties, cum te ſcindet. *Item* peccator ſimilis eſt illi ruſtico, qui inuitatus ad nuptias, in via ſitiens bibit aquam de fimo fœtidam, quam euomit in porta nuptiarum turpiter: & non ſolum non eſt ad nuptias admiſſus, immo cum flagello in carcerem detruſus. Sic homo hic bibens delectationes immundas, in morte euomet. Hierem. 2. *Quid tibi in via Ægypti, vt bibas aquas turbidas; non ſic Onagri, ſed quouſque inueniant aquam limpidam.* Pſalm. 103. *Expectabunt Onagri in ſiti ſua,* non bibentes aquam turbidam. *Item* ſimilis eſt peccator Cocrodillo, qui de Nilo ad paſtum accedens, ad virorem herbæ Hydrum inuolutum non aduertit; Sed dum herbam viridem paſcit, Hydrum cum ea glutit; qui eum interius intoxicat, ſcindit, & occidit. Sic peccator dum illicitam delectationem glutit, Diabolus qui vult intoxicare, vel potionare hominem, amaritudinem eius potionis exterius inuoluit aliqua dulcedine. Beda. *Qui veneni pocula porrigit quaſi labium calicis melle tingit, vt quod dulce eſt ſentiatur, ne quod mortiferum eſt timeatur.* Item Gregorius. *Quid inſanius, quam pro modica delectatione carnis, æternis ſe obligare ſupplicijs.* Item econtra Auguſtin. *Melior eſt modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in viſceribus.* Bernard. *Vitam peccati ingredientibus, propinat mel ſophiſticum; progredientibus, fel & acetum; egredientibus venenum aſpidum inſanabile,* &c. vt ſupra.

Simile.

Simile.

QVARTO patet fatuus & inſanus, quia ſciens & prudens domum ſuam incendit, & ſe & ſua in ea comburit & conſumit flamma peccati, vt modicum calorem & momentaneum ex hoc incendio habeat, explendo deſiderium illicitum. De quo Iob 31. *Ignis eſt*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vsque ad perditionem deuorans, & omnia germina eradicans, scilicet bonorum, id est virtutes. In hoc efficitur similis aui Phœnici, quæ postquam multas radices aromaticas in nido suo congregauit, se cum eis, nido apposito igne, succendit.

Simile. QVINTO patet fatuus & insanus, quia propter splendorem eius gladij & decorem, scilicet rei concupiscibilis, se dum illicitè eam appetit, transuerberat, & occidit cum filijs suis, id est bonis operibus. Eccl. 12. *Romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Sapient. 15. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Item in hoc similis est Lamiæ, quæ dilaniat & occidit fœtus suos, diu nutritos à se.

SEXTO, quia de sinu charitatis & pœnitentiæ exit, & in os Leonis, peccati, & lupi infernalis, qui dispergit oues, vt dicitur Ioan. 10. se proijcit. Eccles. 22. *dentes illius dentes Leonis interficientes animas hominum. Septimo* quia in tempore belli, & in loco certaminis, arma virtutum proijcit. Boëtius. *Talia tibi contuleramus, arma, quæ nisi prius abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Octauo*, quia pro pomo momentaneæ delectationis, regnum æternum vendit; ad similitudinem pueri: & sibi noxia, ad similitudinem infirmi, concupiscit. Osee 13. *Ipse est filius insipiens.* Prouerb. 3. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia concupiscunt.* *Nono*, quia serpentem venenosum in sinu suo ponit, quem deberet super omnia fugere. Eccl. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* quia vt dicitur Prouerb. 33. *In fine mordebit vt coluber, & quasi regulus venena diffundit.*

Simile. DECIMO, quia spontaneus Diabolo se tradit hosti pessimo, & cum non habeat vnde possit eum ligare, & tenere, & suspendere, proprijs manibus funem facit, per quem eum Diabolus ligat, conseruat, ducit, & demum suspendit. Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* August. *Qui peccatum peccato adijcit, quasi funem nectit vnde ligetur.* Ideo si potes, funiculum peccatorum solue; si non potes soluere, rumpe: si non potes rumpere, præscinde. Augustin. *Peccator in collum mittit laqueum quo trahatur & suspendatur, & fasciculum spinarum portat quo comburatur. Vndecimo*, quia sponsum speciosissimum & suauissimum, ipsum scilicet, qui vt dicitur Can. 1. *Est flos campi, & lilium conuallium*, abijcit, & in faciem eius conspuit, & medicamina eius respuit, & amplexatur stercora vilissimarum delectationum.

DVODECIMO, quia cum sit spinis peccatorum, quibus debet comburi in inferno, importabiliter onustus; semper onus oneri adijcit, & gratiam quam multo labore acquisierat, inutiliter effundit, & regno cœlesti obstaculum, vt non intret in illud, apponit. *Exemplum.* *Similis* est illis de quibus legitur in vitis patrum quod Angelus ostendit cuidam patri tres homines triplici fatuitate laborantes. Primus fasciculum de lignis faciebat, & cum præ grauedine non posset portare, adhuc ligna semper adiungebat. Secundus aquam de puteo profundo cum multo labore hauriebat, & haustam in momento inutiliter fundebat. Tertius trabem portans, & volens intrare domum, in ostio eius ex transuerso ponebat, & sibi obicem ne intraret de eo faciebat. sic peccator fatuus, peccatum peccato adijcit, gratiam Dei pro qua diu laborauerat effundit, regnum cœlorum per inobedientiæ rigorem præcludit.

TREDECIMO, quia illud quod habet gloriosius & pretiosius, quanto vilius potest & deterius expendit; scilicet honorem diuinum de hoc quod est filius Dei; quem quanto vilius potest dat, quando per peccatum est filius Diaboli: & tempus suum, quo nihil pretiosius, (Bernard. *Nihil pretiosius tempore, sed heu hodie nihil reputatur*) expenditur in seruitium Diaboli contra consilium cœlestis sapientiæ, Prouerb 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli*, id est Diabolo, cui quanto plus seruies, crudeliorem inuenies eum.

Similis autem est peccator quinque fatuis virginibus. *Similis est peccator quinque fatuis virginibus.* Primo, quia in vasis cordium oleum gratiæ non sumpserunt, sed potius abiecerunt. Secundo, quia cum deberent habere ignem & oleum, tunc primo aduerterunt, quando mendicauerunt. Tertio, quia adueniente sponso non expectauerunt, sed recedentes iuerunt. Quarto, quia tempore debito imparatæ fuerunt. Quinto, quia aperta ianua non intrauerunt, quia vsquequo clausa fuit venire distulerunt.

DECIMO facit hominem monstruosum. Similis est peccator ioculatori, qui pedes habet versus cœlestia, conculcando caput; & sensus & manus ad inferiora, propter quæ operatur, & quæ sola intendit. *Item* similis est monstris marinis, quæ licet habeant corpora piscium, habent capita diuersorum animalium. Similiter peccatores licet habeant corpora humana, cor habent ferinum, vt habeant corda vulpina per dolositatem, lupina per rapacitatem, asinina per pigritiam, leonina per superbiam, porcina per luxuriam, canina per detractionem & gulam, & sic de alijs. *Item* similes sunt bestiis quæ pinguntur in processione, vulpes extra vestitæ ad modum hominum, intus autem sunt feræ diuersæ. Matth. 7. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Psal. 81. *Facies peccatorum sumitis.* Eccl. 4. *Ne accipias faciem tuam.* Item sunt Onocentauri, & Asini, & Tauri luxuriosi, & laborioſi; sunt monstra Babylonica; de quibus Isa. 13. *Habitabunt ibi strutiones, & pilosi, &c.* Idem. *Erit cubile draconum, &c.* Item Prouerb. 30. *Est generatio quæ pro dentibus habet gladios. Item* similes sunt monstris infernalibus; Hydro, qui dicitur habere, 7. capita capitalium vitiorum. Apoc. 12. de Dracone. Item sunt similes Cerbero, & Tantalo. *Item* sunt similes monstruosis piscibus, de quibus in libro de mappa mundi legitur. Sunt Acephali, quia non habent caput Christum. Monoculi, quia non habent affectum dextrum ad Deum. Item Monipedes, qui non habent bonam voluntatem. Bernard. *Monstruosa res est gradus primus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus ociosa: vultus grauis, & actus lenis, &c.*

Decimo facit hominem monstruosum.

VNDECIMO facit hominem impotentem; quia per se potest in peccatum cadere, sed per se non potest surgere. Amos 3. *Cecidit, & non adijcit vt resurgat.* Tren. 1. *Dedit me in manu forti de qua non potero surgere.* Homo similis est Elephanti, qui ex quo cadit non potest surgere per se, tamen cum pro suo casu barrit, alij conueniunt, & se ei adiutores præbent si possunt; si non possunt, quasi compatientes cum eo barriunt, quasi casum eius lugentes. Similiter & peccatores cum adiutorio humilium possunt erigi. Item peccatum est quasi nassa Diaboli, vbi homo ad modum piscis potest per se cadere, sed non exire. Similiter lupus in pedicam. Psalm. 77. *Spiritus vadens & non rediens.* Bernard. *Difficile immo prorsus soli virtuti diuinæ possibile est, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere:* quia *qui facit peccatum seruus est peccati.* Ioann. octauo.

Vndecimo facit hominem impotentem.

Simile.

DVODECIMO facit hominem reum, & maledictum. August. *Agnoscat homo quantum valeat, quantum deheat; & dum precium suum cogitat, seruilis & venalis esse desinat: reus itaque erit non parus precij, sed sanguinis Iesu Christi, quia violat & maculat animam, Christi passione & sanguine mundatam.* Item sicut homo bonus semper habet manum Domini super se eum benedicentem, sic malus homo maledicentem. Eccles. 41. *Væ vobis viri impij qui dereliquistis Dominum, quia si nati fueritis in maledictione nascemini, & si mortui fueritis in maledictione erit pars vestra.* Isa. 1. *Væ genti peccatrici.* Maledicuntur etiam ab omnibus in sacris ordinibus constitutis, singulis diebus in hora prima diei, dicentibus: Psalm. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

Duodecimo facit hominem reum & maledictii ũ.

TREDECIMO facit hominem cæcum & mutum, surdum & Dæmoniacum, vt quid agat non videat, vt eum Dominus non audiat, vt ipse Deo non obediat, vt Diabolus eum quo vult circumducat, & in ipso

Tredecimo facit hominem cæcum mutum &c.

maneat;

maneat; vt dicit Gregor. ſuper illud Luc. 11. ERAT IESVS EIICIENS DÆMONIVM, ET ILLVD ERAT MVTVM. *Cæcus* inquit *videt, mutus loquitur, obſeſſus à Dæmone liberatur.* Immo aliquando peccatum facit eum habitaculum omnium vitiorum, vt ſit quaſi templum Pantheon, de quo legitur in legenda omnium ſanctorum, quod ibi omnia Dæmonia colebantur. Tale templum fuit Magdalena ante conuerſionem, Marc. 18. de qua Dominus eiecerat ſeptem Dæmonia. Apocal. 18. *Facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & volucris immundæ, & odibilis.* *Item* ſimilis ſit illi templo, de quo Ezech. 8. *Cum fodiſſet parietem vidit, & ecce ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio, vniuerſa idola domus Iſrael.* In his notantur radices, & prima natura omnium vitiorum. Fit habitatio omnium Dæmoniorum, quantum ad peccata quæ pertinent ad ſuperbiam vitæ: Spiritus immundi, & volucres immundæ, quantum ad ea quæ pertinent ad concupiſcentiam carnis: odibilis, quantum ad auaritiam: abominatio animalium, quantum ad luxuriam. Vniuerſitas & pictura idolorum depicta, quantum ad ea quæ pertinent ad vitæ ſuperbiam. *Item* cæcos facit peccatum; quia peccatum eſt ſimile cornuo, qui animalis cadaueri cum inſidet, primo currit ad extrahendum oculos, vt exęcatum animal poſſit occidi. Similiter peccatum primo aufert oculos prudentiæ, vt peccator non videat quid agat, & coram quibus agat, & quod primum acquirat, & quid, & pro quo amittat. *Item* non ſolum facit peccatum hominem cæcum, ſurdum, mutum, & dæmoniacum, ſed omni miſeria miſerum. Prouerb. 14. *Miſeros populos facit peccatum.* Auguſt. *Quid miſerius miſero non miſerente ſe.*

Simile.

Decimoquarto facit omni creaturæ obnoxium.

DECIMOQVARTO facit omni creaturæ obnoxium. Gregor. *Offenſo creatore, offenditur omnis creatura.* Ideo ſi patitur ab alia creatura homo, peccato ſuo debet imputare hoc pro quo offenditur creator. Sapient. 5. *Armabit creaturam in vltionem inimicorum.* Et poſt. *Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos.* In vitis patrum dicitur, quod cum quidam feciſſet iniuriam fratri cuidam, venit ille cui facta eſt iniuria ad ſenem, conquerendo de eo quæ fecerat. Reſpondit Senex. Non hoc fecit frater, ſed peccata tua. Nam in omni tempore quæ contingent tibi per hominem, non arguas eum, ſed dic quod peccata tua hoc tibi promeruerunt, & hęc fecerunt, & ſic dic in omnibus aduerſis. Sed ſi quid boni contingit, hoc impone diuinæ diſpenſationi: quia vt dicit Gregor. *Nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.*

Decimoquinto ſpoliat & depauperat bonis interioribus.

DECIMOQVINTO ſpoliat hominem, & depauperat bonis interioribus. Pſal. Magnificat. *Diuites dimiſit inanes.* Tren. 1. *Manum ſuam miſit ad omnia deſiderabilia eius.* Iud. 6. *Per ſeptem annos veniebant Madianitæ in terram Iſrael, poſtquam malum fecerant in conſpectu Domini, & cuncta vaſtabant, & nihil omnino ad vitam pertinens relinquebant.* Sic faciunt Dæmones peccatoribus malum facientibus, & ſibi ſeruientibus in ſeptem peccatis mortalibus; quia illos vaſtant, & ſpoliant, ita quod nihil relinquant quod pertineat ad vitam gloriæ aut gratiæ. Sic Antiochus aſcendens Ieruſalem cum ſuperbia intrat ſanctificationem, & templum ſpoliat vaſis & diuitijs ſuis; de quo, 1. Mach. Antiochus ſilentium paupertatis interpretatur, & ſignificat peccatum, quod ſilet ad quantam paupertatem adducit; ſemper intrat templum cordis, cum ſuperbia contemptus Dei & inobedientiæ.

Peccatum aufert ab anima quatuordecim Scna.

ET nota quatuordecim quę aufert. *Primo* Chriſtum de corde, hoc eſt altare aureum. *Secundo* Spiritum ſanctum, hoc eſt candelabrum luminis. *Tertio* vaſa eius, ſcilicet ſeptem dona, vel beatitudines aut virtutes. *Quarto* menſam propoſitionis, id eſt fidem formatam, quæ proponit duodecim panes, id eſt duodecim fidei articulos. *Quinto* libatoria, id eſt abolitionem formatæ ſpei, ad quam pertinet futuram beatitudinem libare. *Sexto* Phyalas, quæ continent liquida, id eſt vitcera pietatis, vt non liqueſcat lachrymis contritionis. *Septimo* mortariola in quibus aromata redigebantur in puluerem. Ecce meditationes & affectiones humilitatis, quæ cęteras virtutes humiliant & quaſi in puluerem redigunt odorſerum, dum humilia de ſe ſentit homo virtuoſus. *Octauo* velum de ſagis, quod pœnitentiam ſignificat. *Nono* ornamentum aureum, quod charitas eſt; coronæ ſunt prędia. *Decimo* aufert argentum, id eſt fructum locutionis. *Vndecimo* aurum, id eſt meritum obedientiæ & patientiæ. *Duodecimo* vaſa concupiſcibilia, id eſt bona opera. *Tredecimo* theſauros abſconditos quos inuenit, id eſt ſanctarum meditationum, & affectionum. *Decimoquarto* cortinas de quatuor coloribus, id eſt quatuor Cardinales virtutes, quia quantum ad meritum, vſum earum aufert. His autem bonis erat ſpoliatus ille pauper, de quo dicit B. Ioann. in Apoc. 3. *Dicis quia diues es, &c. & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & nudus, & pauper, & cæcus.*

Decimoſexto vulnerat plaga inſanabilis.

DECIMOSEXTO, non ſolum ſpoliat bonis gratuitis, ſed vulnerat plaga inſanabili, niſi per miraculum ſummi medici præſeruetur. Hier. 30. *Inſanabilis eſt fractura tua, peſſima plaga.* Eccl. 21. *Plagæ peccati nõ eſt ſanitas,* vnde cãtat Eccleſ. *Peccata mea quaſi ſagittæ infixa ſunt in me, &c.* Hoc ſignificatur Luc. 10. de eo, qui incidit in latrones: Et nota quomodo ſpoliatur virtutibus. Iob 19. *Spoliauit me gloria mea, abſtulit coronã de capite meo.* Similis eſt peccator illi militi, qui cum alij pugnarent in tyrocinio, exiuit vt dormiret ſub vmbra arboris: quod videntes ſeptem Herandi, condixerunt ſibi vt ei arma ſua & veſtes furarentur. Vnus furatur ei calcaria & enſem; alius loricam; tertius ſcutum; quartus equum; quintus lanceam; alius bracas, cingulum, & camiſiam; vnus galeam. Et cum nec ſic excitaretur, vulnerant eum diuerſimodè & periculoſiſſimè in diuerſis locis ad mortem. Miſer autem factus inſenſibilis, nec ſic excitatur. Prouerb. 24. Hoc dicitur de ebrio dormiente, ſcilicet *verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non ſenſi.* Hic eſt homo qui negligit in hoc mundo pugnare contra vitia & tentationes. Septem latrones ſunt ſeptem capitalia vitia. Superbia furatur calcaria timoris mortis temporalis & æternæ, & enſem timoris diuinæ iuſtitiæ: vulnerat eum in oculis ne hoc videat, aut timeat; & ne videat conditionem fragilitatis ſuæ. Inuidia vulnerat in naribus, ne bonum odorem proximi ſuſtineat, & ſpoliat eum lorica charitatis, quę omnia prędepta, virtutes, & opera connectit, quaſi diuerſos annulos, & totum corpus munit, hoc eſt lorica iuſtitiæ. Ira furatur ei ſcutum triangulare, quod debet eſſe in ſiniſtra aduerſitatis, cuius tres anguli ſunt patientia in contumelijs verborum, in ablatione rerum, in læſione corporum; hęc vulnerat aures ne homo poſſit ſuſtinere verbum correctionis, vel admonitionis, vel prędepti. Pigritia furatur equum corporis, dum totum corpus occupat; pedes vulnerat ne de lacu miſeriæ, aut de luto peccati exeat. Auaritia furatur homini lanceam, quæ à longe ferit hoſtem, ſcilicet eleemoſynæ, de qua Eccleſ. 29. *Super ſcutum potentis & lanceam, impugnabit inimicos pro te:* hęc furatur ei lanceam operum miſericordiæ. Item vulnerat manus, vt eas ad proximum miſericorditer extendere nequeat: ſimiliter & cor, vt impleri non valeat. Luxuria furatur ei bracas continentiæ, & vulnerat in lumbis & genitalibus, quæ rapit cum corde. Gula ſpoliat eum cingulo abſtinentiæ, per quod ventrem conſtringat, & galea ſalutis, per quam ſenſus ſuos ab illicitis comprimat, & caput rationis cuſtodiat.

Simile.

Decimoſeptimo facit hominem deſertum.

DECIMOSEPTIMO facit hominem deſertum, & ſolitudinem. Deutero. 32. *Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.* Iſa. 1. *Derelinquetur filia Syon, &c.* Ioel 2. *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum,* ſcilicet peccatum, *ſolitudo deſerti.* Derelinquitur enim anima à Domino & gratia eius, per peccatum. *Eſt enim* ſimilis taxo, ideſt cuidam animali quod vulgariter dicitur *Tayſſon.* Hoc animal, vt dicitur, cum magno labore ędificat ſibi ſubterraneum habitacu-

Simile.

lum,

lum; vulpis autem volens illud lucrari, & dictum animal expellere, ſtercorizat intus: animal autem dedignans morari cum ſtercoribus, recedit inde. Similiter Deus dedignatur habitare in corde, in quo Diabolus peccata ſtercorizauit. Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet*, in corde peccatoris, *vbi caput ſuum reclinet.* Item Deus eſt vt auis nobilis, nidificans in alta arbore, aſperum nidum habens, exterius mollem, & ſuauem interius. Econuerſo Diabolus eſt Vpupa, quæ nidificat in ſtercoribus.

Decimooctauo inducit amaritudinē.

DECIMOOCTAVO inducit amaritudinem. Hierem. 2. *Scito & vide, quia malum & amarum eſt te dereliquiſſe Dominum.* Verumtamen nutriti in peccatis ſunt vt piſces maris, qui propter nutrimentum reputant mare dulce. Item anima peccatrix eſt vt prægnans, quæ poſtquam concepit dolorem, & peperit iniquitatem, amara videntur ei dulcia, & dulcia amara. Iſa. 5. *Ponentes amarum dulce, & dulce amarum.* Glo. ſuper illud Pſal. 30. QVAM MAGNA MVLTITVDO DVLCEDINIS TVÆ DOMINE. *Hanc dulcedinem non ſentiunt, qui palatum habent infectum à febre.* Item ſimile eſt peccatum cuidam fatuo, cui cum audiret multum commendari in bonitate Falconem Domini ſui, comedit eum: & cum laudaretur, & commendaretur de bonitate, & neſciretur quid actum eſſet de eo, reſpondit fatuus quod falſum dicebant, quia nunquam comederat ita amaras carnes. Similiter homines credentes inuenire in peccato multam dulcedinem, inuenient ibi in fine multam amaritudinem. Item dicitur, quod quædam virgo quę diu continuerat, audiens à lenonibus multum commendari delectationem luxuriæ, voluit experiri; & experta quidem iam quid eſſet, ad tantam deuenit amaritudinem quod volebat ſe occidere, quia non inuenerat quod crediderat inuenire; & quia perdiderat quod non poterat recuperare.

Simile.

Decimonono facit cordis inquietudinem.

DECIMONONO facit cordis inquietudinem. Aug. in lib. de confeſ. *Domine feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Iſa. 57. *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Et poſt. *Non eſt pax impijs dicit Dominus.* Tren. 1. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt & caduca.* Vnde hi ſunt nubes ſine aqua, nebulæ turbinibus agitatæ. Item vt nauicula in mari. Item vt Gallus ſuper pinnaculum. Item peluis ſuper aquam. Item vt pluma vel lanugo in via, quæ omni vento circumferuntur.

Viceſimo facit anima corroſionem.

VICESIMO facit animæ corroſionem. 2. Ti. *Cauteriatam habentes conſcientiam ſuam.* Auguſt. *Dixit Deus & ita eſt, vt pœna ſibi ſit inordinatus animus.* Iſa. 34. *Erit lubile draconum, &c. conſcientia peccatrix:* ſcilicet peccata in memoria: cum de eis, vt dicit Hieron. habetur conſcientia, torquent hominem & corrodunt, vt genimina Viperarum matrem ſuam. Ideo ſicut Vipera filijs in vtero poſitis lacerata perimitur, & corroditur; ita nos cogitationes noſtræ intra nos nutritæ. Item poteſt dicere peccator cum intrat conſcientiam ſuam eam ſcrutando, quod dixit Iulius Cæſar Romanis, rediens de obſidione cuiuſdam ciuitatis rebellis. Inueni, ait, ollam plenam diris ſerpentibus. Item ſimilis eſt peccator in conſcientia, templo pleno reptibilibus, de quo Ezech. 8. *Cum fodiſſet parietem inuenit reptilia, &c.* Item ſimilis eſt vaſi pleno exhibito Petro, in quo erant quadrupedia, & ſerpentina, &c. Actuum 10. Item ſimilis eſt peccator Mimo, qui quando intrat domum ſuam, inquietatur & corroditur à familia murmurante, nec alibi peius eſt ei quam in domo ſua. Sic nec peccatori peius eſt quam in conſcientia propria. Item Tullius ad Catilinam. *Iniquitates tuæ quaſi quædam infernales furiæ occurrunt.* Iſa. 34. *Ibi occurrunt dæmonia, &c.*

Simile.

Viceſimoprimo adſert agritudinē ſpiritualem & corporalē.

VICESIMOPRIMO adducit omnem languorem & ægritudinem corporalem naturalem, vt fomitis, & difficultatis bene agendi; & ſpiritualem culpæ actualis. Ideo dicit Dauid in Pſalm. 6. *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum*, extra ſcilicet in corpore: *Sana me Domine quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea:* interius in virtute, ex originali corruptione: *Et anima mea turbata eſt valde*; de interioti infirmitate actualis culpæ. Greg. *Omnes infirmi ſumus, ſed ille infirmior, qui ſuam neſcit infirmitatem.* Magnitudo infirmitatis peccati patet ex magnitudine medici: & medicinæ, ad hoc curandum neceſſariæ. Bernard. *Ex magnitudine remedij, periculi mei æſtimo quantitatem.* Propter hoc oportuit Dei filium ſic pati, ſic vulnerari, ſic potionari, ſic ſudare ſanguinem, & guſtare mortem. Item ex diuerſitate medicinarum & multitudine, quas ſtatuit ad peccati curam.

Viceſimoſecundo ducit ad omnimodam mortē.

VICESIMOSECVNDO ducit ad omnimodam mortem, ſcilicet temporalem, ſiue corporalem, ſpiritualem, & æternam; & hæc eſt peſſima. Pſal. 33. *Mors peccatorum peſſima.* Fatuus eſt miles qui non quærit aliquid de ſtipendio ſeruitij ſui. Rom. 5. *Stipendia peccati mors.* Fatuus eſt viator qui non quærit quo via ducat eum. Prouerb. 14. *Eſt via quæ videtur homini iuſta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.* Pſalm. 1. *Iter impiorum peribit.* Et nota, quod dicitur parabolicè: Duo peregrini venientes ad locum biui, quæſierunt à quodam ſapiente de via ſua; qui reſpondit, ſi iueritis ad ſiniſtram, ibitis per quandam ciuitatem, vbi conſuetudo eſt quod peregrini cum gaudio recipiantur, & per triduum optata eis large exhibeantur ſed poſt viliter eijciuntur ſpoliati omnibus bonis ſuis, ſuſpenduntur, & occiduntur. Si ad dexteram, per triduum inuenietis viam difficilem, ſed poſtea pulcherrimam, vbi recipiemini cum gaudio, coronabimini, & ditabimini. Peregrinatio vita præſens eſt. Ciuitas prima eſt mundus, vbi poſtquam per tres dies, ſcilicet diuitiarum, delitiarum, & honorum; quæ ſola lutent mundanis, qui poſtquam ibi voluptates ſuas compleuerint, ducuntur nudi ad ſuſpendium, & mortem æternam. Via difficilis, eſt pœnitentialis religio. Triduum eſt contritio, confeſſio, ſatisfactio; vel obedientia, continentia, paupertas voluntaria. In his autem perſeuerantes coronantur in cœleſti Ieruſalem. Væ illi qui elegit priorem viam, timendo modicam viæ aſperitatem. Bernard. *Via peccati ingredientes contaminat, progredientes obſtinat, egredientes exterminat.*

De peccato veniali.

DISTINCTIO XX.

QVIA peccata venialia diſtinguuntur à mortalibus ſecundum reatum, conſiderandum eſt de vtri que. Et primo de peccato veniali per comparationem ad mortale. Secundo de veniali ſecundum ſe. Circa primum ſex conſideranda ſunt. Primo vtrum peccatum veniale conuenienter diuiditur contra mortale. Secundo vtrum diſtinguantur genere. Tertio vtrum veniale ſit diſpoſitio ad mortale. Quarto vtrum veniale peccatum poſſit fieri mortale. Quinto vtrum circumſtantia aggrauans poſſit de veniali peccato facere mortale. Sexto vtrum peccatum mortale poſſit fieri veniale.

AD PRIMVM, ſcilicet *vtrum peccatum veniale conuenienter diſtinguatur contra mortale.* Dicendum, quod aliqua ſecundum quod proprie accipiuntur non videntur eſſe oppoſita, quæ ſi metaphoricè accipiantur, oppoſita inueniuntur: ſicut ridere non opponitur ei quod eſt areſcere, ſed ſecundum quod ridere metaphoricè de prato dicitur, propter eius floritionem & virorem, opponitur ei quod eſt areſcere. Similiter ſi mortale accipiatur prout refertur ad mortem corporalem, non videtur oppoſitionem habere cum veniali, nec ad idem genus pertinere. Sed ſi mortale accipiatur metaphoricè ſecundum quod dicitur in peccatis, mortale opponitur ei quod eſt veniale. Cum enim peccatum ſit quędam infirmitas animæ, vt ſupra habitū eſt: peccati aliquod mortale dicitur ad ſimilitudinē morbi, qui dicitur mortalis ex eo quod inducit defectū irreparabile

per

per deſtitutionem alicuius principij, vt dictum eſt: principium autem ſpiritualis vitæ quę eſt ſecundũ virtutem, eſt ordo ad vltimum finem, vt dictum eſt: qui quidem ſi deſtitutus fuerit, reparari non poteſt per aliquod principium intrinſecum; ſed ſolum per virtutem diuinam, vt ſupra dictum eſt, quia inordinationes eorum quæ ſunt ad finem, reparantur ex fine; ſicut error qui accidit circa concluſiones, per veritatem principiorum. Defectus igitur ordinis vltimi finis, non poteſt per aliquod aliud reparari quod ſit principalius, ſicut nec error qui eſt circa principia; & ideo huiuſmodi peccata mortalia dicuntur quaſi irreparabilia. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ ſunt ad finem, conſeruato ordine ad vltimum finem, reparabilia ſunt; & hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatum veniam habet, quando reatus pœnæ tollitur, qui ceſſat ceſſante peccato, vt dictum eſt. Secundum hoc ergo, mortale & veniale opponuntur, ſicut reparabile & irreparabile; & hoc dico per principium interius, non autem per comparationem ad virtutem diuinam, quæ omnem morbum, & corporalem & ſpiritualem reparare poteſt: & propter hoc veniale peccatum conuenienter diuiditur contra mortale.

Peccatum mortale & veniale opponuntur ſicut reparabile & irreparabile.

Hæc autem diuiſio peccati non eſt diuiſio generis in ſpecies, quæ æqualiter participent generis rationem, ſed analogica; quia ſecundum prius & poſterius conuenit eis ratio generis. Secundum perfectam vero rationem generis, diffinit Auguſt. peccatum 22. contra Fauſtum dicens. *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem diuinam:* quæ quidem diffinitio ſolum conuenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale, ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam, ſecundum rationem imperfectam entis: non enim eſt contra legem, quia venialiter peccans non facit quod prohibet lex, nec prætermittit id ad quod lex per præceptum obligat; ſed facit præter legem, quia non obſeruat modum rationis quem lex intendit.

Solutio obiect.

Peccatũ veniale non eſt contra legem ſed præter illam.

Ad secvndvm, ſcilicet *vtrum peccatum mortale & veniale differant genere, ita ſcilicet quod ſit aliquod peccatum mortale ex genere, & aliquod veniale ex genere:* dicendum, quod peccatum veniale à venia dicitur. Poteſt ergo aliquod peccatum dici veniale vno modo, quia eſt veniam conſecutum: & ſic dicit Ambroſ. quod *omne peccatum per pœnitentiam fit veniale;* & hoc dicitur veniale ex euentu. Alio modo dicitur veniale, quia non habet in ſe vnde veniam non conſequatur, vel totaliter, vel in parte. In parte quidem ſicut cum habet in ſe aliquid diminuens culpam, vt cum fit ex infirmitate, vel ignorantia; & hoc dicitur veniale ex cauſa. In toto autem, ex eo quod non tollit ordinem ad vltimum finem; vnde non meretur pœnam æternam, ſed temporalem: & de hoc veniali ad præſens intendimus; de primis enim duobus conſtat, quod non habent genus aliquod determinatum. Sed veniale tertio modo dictum, poteſt habere genus determinatum, ita quod aliquod peccatum dicatur veniale ex genere, & aliquod mortale ex genere, ſecundum quod genus vel ſpecies actus determinatur ex obiecto. Cum enim voluntas fertur in aliquid quod ſecundum ſe repugnat charitati, per quam homo ordinatur in vltimum finem, peccatum ex ſuo obiecto habet quod ſit mortale. Vnde eſt mortale ex genere, ſiue ſit contra dilectionem Dei, ſicut blaſphemia, periurium, & huiuſmodi; ſiue contra dilectionem proximi, ſicut homicidium, adulterium, & ſimilia. Vnde huiuſmodi ſunt peccata mortalia ex genere ſuo. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id quod in ſe continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi; ſicut verbum ocioſum, riſus ſuperfluus & alia huiuſmodi; & talia ſunt peccata venialia ex ſuo genere, ſed quia actus morales recipiunt rationem boni & mali, non ſolum ex obiecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, vt ſupra habitum eſt;

Peccatũ veniale tribus modis dicitur.

Sicut datur mortale ex genere, ſic etiam veniale atque adeo differũt genere.

A Contingit quandoque quod id quod eſt peccatum veniale ex genere ratione ſui obiecti, fit mortale ex parte agentis; vel quia in eo conſtituit finem vltimum, vel quia ordinat ipſum ad aliquid quod eſt peccatum mortale ex genere: puta cum aliquis ordinat verbum ocioſum ad adulterium committendum. Similiter & ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum quod ex genere ſuo eſt mortale, fit veniale, propter hoc ſecundum quod actus eſt imperfectus, id eſt non deliberatus ratione, quę eſt principium proprium mali actus, ſicut ſupra dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis.

Ad tertivm, ſcilicet *vtrum peccatum veniale diſponat ad mortale.* Dicendum, quod diſpoſitiones ſunt quodammodo cauſa; vnde ſecundum duplicem modum cauſæ eſt duplex diſpoſitionis modus. Eſt enim quædam cauſa mouens directè ad effectum, ſicut calidum calefacit. Eſt etiam cauſa indirectè mouens, remouendo prohibens; ſicut remouens columnam dicitur remouere lapidem ſuperpoſitum; & ſecundum hoc actus peccati dupliciter ad aliquid diſponit. *Vno* quidem modo directè, & ſic diſponit ad actum ſimilem ſecundum ſpeciem, & hoc modo, primo & per ſe veniale peccatum ex genere non diſponit ad mortale ex genere, cum differant ſpecie. Sed per hunc modum peccatum veniale poteſt diſponere per quandam conſequentiam ad peccatum quod eſt mortale ex parte agentis: augmentata enim diſpoſitione vel habitu per actum peccatorum venialium, intantum poteſt libido peccandi creſcere, quod ille qui peccat finem ſuum conſtituet in veniali peccato; nam vnicuique habenti habitum inquantum huiuſmodi, finis eſt operatio ſecundum habitum; & ſic multoties peccando venialiter, diſponitur ad peccatum mortale. *Alio modo* actus humanus diſponit ad aliquid, remouendo prohibens; & hoc modo peccatum veniale ex genere, poteſt diſponere ad peccatum mortale ex genere, qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem; & ex hoc quod conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubijcere, diſponitur ad hoc quod etiam voluntatem ſuam non ſubijciat ordini vltimi finis, eligendo id quod eſt peccatum mortale ex genere.

Peccatũ veniale diſponit ad mortale tanquã remouẽs prohibens, & etiam conſecutiuè.

D Ex prædictis apparet, quod valde timenda ſunt & cauenda peccata venialia, nec debent quaſi minima paruipendi multiplici ratione. *Primo* quidem, quia qui paruipendit ea tanquam minima, faciliter labitur in maiora, ſecundum illud Eccleſ. 18. *Qui ſpernit modica paulatim decidit.* Gregor. *Si iſta parua negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audaciter maiora perpetramus. Item* ſicut ſunt aliqua venialia grauiora, quæ non ita grauia reputamus: ita ſunt aliqua mortalia diuino iudicio, quæ venialia iudicamus. Item etſi quodlibet eorum in ſe leue cenſetur, tamen propter multitudinem innumerabilem ſunt timenda. Quis enim poſſet numerare venialia, quæ quotidie immo continuè committit, quia licet quodlibet per ſe vitare poſſumus, non tamen omnia; Sed dum vnum vitare nitimur, in alia multa, volentes aut nolentes incidimus. Sicut aliquis exiſtens in medio mari in naui vndique perforata, dum vnum foramen obſtruit, aqua per alia multa ſubintrat, nos autem in medio mari ſumus, id eſt in hoc mundo, de quo dicitur in Pſalm. *Hoc mare magnum, &c.* vndique fluctibus & procellis expoſiti, vndique perforati, id eſt maximam pronitatem habentes in omnibus ſenſibus noſtris, tam interioribus, quam exterioribus, ad peccandum; ſecundum illud Geneſ. 6. *Senſus & cogitatio cordis humani in malum prona ſunt:* propter hoc inceſſanter venialia perpetramus. Ideo Auguſt. *Iſta quaſi leuia noli contemnere. Si contemnis, quando appendis, quando numeras, expaueſce. Item* nemo debet leue reputare, quod præter voluntatem Dei committitur, vel poteſt diſplicentiam aliquam generare. Item nemo debet leue dicere, vnde poteſt

Peccata venialia non ſunt paruipendenda ob multas rationes.

Simile.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anima damnum incurrere valde graue. Ex venialibus autem, anima multiplex damnum incurrit in præsenti vita, pariter & futura. In præsenti quidem tempus amittitur, de cuius momento quolibet, oportebit nos valde districtè reddere rationem.

ITEM mens distrahitur à spiritualibus, & plus vna hora euanescit, & à semetipsa longius euagatur; quam in multo tempore, etiam cum multo labore, ad se, & ad deuotionem perditam quam prius habebat, reuerti possit.

ITEM charitatis feruor minuitur, ita quod mens tepidius orat, & remissius operatur.

Simile. ITEM vigor & robur mentis debilior paulatim efficitur, sicut quanto quis frequentius cadit in lutum, vel cespitat in via, vel impingit in lapidem; tantomagis debilitatur: quia in quolibet casu, cespitatione, vel impactione, aliquod licet modicum diminuitur de vigore; & sic minus fortis fit anima ad grauiora deuitandum, vel tentationibus resistendum, aut ad aliqua dura & aspera sustinendum.

ITEM profectus in spiritualibus impeditur; quia quanto quis minus gratus & deuotus est Deo, & non vult pro eo facere nisi quod ex salutis vel voti necessitate tenetur, tanto minus meretur sibi dari gratiam vel augeri, qua possit proficere, vel merita cumulare.

ITEM modicus pilus cadens in cibum, vel musca insidens, reddit eum abominabilem; sic & venialia, sacrificium nostrum minus gratum efficiunt puritatis auctori.

ITEM modicus puluis multum obnubilat oculum corporis, sic & venialia oculum mentis. In futuro vero multum damnificatur anima, quia pro eis, pœna sensus & pœna damni punitur, cuius vtriusque grauitatem, nullus homo in vita præsenti, sciret aut posset veraciter æstimare. De hoc require supra *de Purgatorio.*

AD QVARTVM, scilicet *vtrum peccatum veniale possit fieri mortale*, dicendum, quod peccatum veniale fieri mortale tripliciter potest intelligi. *Vno modo* sic quod idem actus numero, primo sit peccatum veniale, & postea mortale. Et hoc non potest esse; quia principaliter peccatum consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis; vnde non dicitur vnus actus moraliter si voluntas mutetur, quamuis etiam actio secundum naturam sit continua. Si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale. *Alio modo* potest intelligi, vt illud quod est veniale ex genere, fiat mortale; & hoc quidem possibile est, inquantũ constituitur in eo finis, vel inquantum fertur ad mortale peccatum sicut ad finem, vt dictum est. *Tertio modo* potest intelligi, ita quod multa venialia peccata constituant vnum peccatum mortale, quod si sic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur vnum peccatum mortale, falsum est: non enim omnia peccata venialia de mundo, possunt habere tãtum de reatu, quantum vnum peccatum mortale. Quod patet ex parte durationis, quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis, vt dictum est. Patet etiã ex parte pœnæ damni, quia peccatum mortale meretur carentiam visionis diuinæ, cui nulla alia pœna comparari potest, vt Chriso. dicit. Patet etiam ex parte pœnę sensus quantum ad vermem conscientiæ, licet fortè quantum ad pœnam ignis non sint improportionales pœnæ. Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt vnum peccatum mortale dispositiuè, sic verum est, sicut supra ostensum est, secundum duos modos dispositionis quibus peccatum veniale disponit ad mortale.

Peccatũ veniale non potest fieri mortale, nisi referatur in finem mortalem.

AD quintum, scilicet *vtrum circunstantia aggrauans possit facere de peccato veniali mortale.* Dicendum quod circunstantia inquantum huiusmodi, est accidens actus moralis; contingit tamẽ circũstantiã accipi, vt differentiã specificã actus & tũc amittit rationẽ circũstantiæ, & cõstituit speciem moralis actus, hoc autem contingit, A peccatis, quando circunstantia addit deformitatem alterius generis; sicut cum aliquis accedit ad non suam, est actus deformis deformitate opposita castitati: sed si accedit ad non suam, quæ est alterius vxor; additur deformitas opposita iustitiæ, contra quam est vt aliquis vsurpet rem alienam; & secundum hoc huiusmodi circunstantia constituit nouam speciem peccati, quæ dicitur adulterium. Impossibile est autem quod circunstantia de peccato veniali faciat mortale, nisi afferat deformitatem alterius generis. Dictum est enim quod peccatum veniale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem circa ea quæ sunt ad finem. Peccatum autem mortale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem quandam respectu vltimi finis, vnde manifestum est, quod circunstantia non potest de peccato veniali facere mortale, manẽte circunstantia; sed solum tunc quando transfert in B aliam speciem, & fit quodammodo differẽtia specifica moralis actus.

Circunstantia non potest facere de veniali mortale, nisi afferat deformitatem alterius generis.

VNDE nota quod cum dicit Aug. in serm. de Purgatorio, quod *si diu teneatur iracundia, & ebrietas si sit assidua, transeunt in numerum peccatorum mortalium:* Diuturnitas quidem iræ non est circunstantia trahens in aliam speciem: similiter neque frequentia, vel assiduitas; nisi fortè per accidens ex aliquo superueniente: non enim aliquid acquirit nouam speciem ex hoc quod multiplicatur, vel protelatur, nisi forte in actu protelato, vel multiplicato, superueniat aliquid quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid huiusmodi. Dicendum est ergo, quod cum ira sit motus animi ad nocendum proximo, si sit tale nocumentum in C quod tendit motus iræ, quod ex genere suo sit mortale, sicut homicidium, vel furtum; talis ira ex genere suo est peccatum mortale. Sed quod sit peccatum veniale habet ex imperfectione actus, inquantum est subitus motus sensualitatis. Si vero sit diuturna, redit ad naturam sui generis per consensum rationis. Si vero nocumentum in quod tendit motus iræ esset veniale ex suo genere, puta cum aliquis in hoc iratscitur contra aliquẽ, quod vult ei dicere aliquod verbum leue & iocosum, quod modicum ipsum contristet, non est peccatum mortale quantumcunque sit diuturna, nisi fortè per accidens, puta si ex hoc graue scandalum oriatur, vel propter aliquod huiusmodi. De ebrietate vero dicendum est, quod secundum suam rationem habet quod sit mortale. Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad vtendum ratione; per quam homo in Deum ordinetur, & multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini; expresse contrariatur virtuti. Sed quod sit peccatum veniale contingit propter D ignorantiam quandam, vel infirmitatem; puta cum homo nescit virtutem vini, aut propriam debilitatem, vnde non putat se inebriari: tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solum superabundantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari, quin videatur voluntas eius eligere magis pati ebrietatem, quam abstinere à vino superfluo; vnde redit peccatum ad suam naturam.

Solutio obie.

SIMILITER cum dicit magister sentẽtiarum 22. dist. 2. libri; quod si delectatio sit morosa, est peccatum mortale, si autem non sit morosa, veniale: Delectatio morosa non dicitur esse peccatum mortale, in his quæ ex genere suo sunt mortalia peccata; in quibus si delectatio non morosa sit peccatum veniale, est ex imperfectione actus, sicut & de ira dictum est. Dicitur enim ira diuturna & delectatio morosa, propter approbationem rationis deliberantis.

AD sextum, scilicet vtrum peccatum mortale possit fieri veniale. Dicendum, quod mortale & veniale differunt secundum perfectum & imperfectum in genere peccati, vt dictum est. Imperfectum autem per aliquã additionem potest ad perfectionem peruenire: vnde & veniale per hoc quod additur ei deformitas pertinens ad genus peccati mortalis, efficitur mortale; sicut cum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quis dicit verbum ocioſum, vt fornicetur. Sed id quod eſt perfectum, non poteſt fieri imperfectum per additionem; & ideo peccatum mortale non poteſt fieri veniale per hoc quod additur ei aliqua deformitas pertinens ad genus peccati venialis. Non enim diminuitur peccatum eius qui fornicatur, vt dicat verbum ociosũ, ſed magis aggrauatur propter deformitatem adiunctã. Poteſt tamen id quod eſt ex genere mortale, eſſe veniale, propter imperfectionem actus; quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus, vt ex dictis patet; & hoc fit per ſubtractionem quandam, ſcilicet deliberatæ rationis. Et quia à ratione deliberata habet ſpeciem moralis actus, inde eſt quod per talem ſubtractionem ſoluitur ſpecies.

Peccatum mortale non poteſt fieri veniale per additionem aliquam ſed ſolũ per ſubtractionem deliberationis.

De peccato veniali ſecundum ſe.

DISTINCTIO XXI.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato veniali ſecundum ſe. Et circa hoc quæruntur ſex. Primo vtrum peccatum veniale cauſet maculam in anima. Secundo de diffinitione peccati venialis, prout figuratur per lignum, fenum, & ſtipulam, 1. Corinth. 3. Tertio vtrum homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter. Quarto vtrum Angelus bonus vel malus poſſit peccare venialiter. Quinto vtrum primi motus infidelium ſint peccata venialia. Sexto vtrum peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo ſimul cum ſolo peccato mortali.

AD primum, ſcilicet *vtrum peccatum veniale cauſet maculam in anima.* Dicendum, quod ſicut ex dictis patet, macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, ſicut in corporalibus patet, ex quibus per ſimilitudinem nomen maculæ ad animam transfertur. Sicut autem in corpore eſt duplex nitor, vnus quidem ex intrinſeca diſpoſitione membrorum, & coloris; alius ex interiori claritate ſuperueniente: ita etiam in anima eſt duplex nitor; vnus quidem habitualis quaſi intrinſecus, alius autem actualis, quaſi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem; quia non excludit nec diminuit habitum charitatis & aliarum virtutum, ſed ſolum impedit earum actum; macula autem importat aliquid manens in re maculata. Vnde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris, quam actualis. Vnde propriè loquendo peccatum veniale non cauſat maculam in anima: & ſi alicubi dicatur maculam inducere, hoc eſt ſecundum quid, inquantum impedit nitorem qui eſt ex actibus virtutum. *Vnde* illud verbum Auguſt. lib. de pœnitentia, *quod peccata venialia decorem internum exterminant; ita vt à ſponſi cœleſtis amplexibus nos ſeparent*; intelligendum eſt in eo caſu in quo multa venialia diſpoſitiuè inducunt ad mortale, aliter enim non ſepararent nos à ſponſi cœleſtis amplexibus.

Peccatũ veniale nõ cauſat maculã in anima niſi ſecundum quod impediendo nitorẽ exactib. virtutum.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum peccata venialia conuenienter per lignum, & fœnum, & ſtipulam deſignentur*, dicendum, quod quidam intellexerunt fundamentum eſſe fidem informem, ſupra quam aliqui ędificant bona opera, quæ ſignificantur per aurum, argentum, & lapides pretioſos; quidam vero peccata etiam mortalia, quæ ſignificantur ſecundum eos per lignum, fœnum, & ſtipulam. Sed hanc expoſitionem improbat Aug. li. de fide & operibus; quia vt Apoſtolus dicit ad Gal. 5. *Qui opera carnis facit, regnum Dei non conſequetur*, quod eſt ſaluum fieri. Apoſtolus autem dicit, quod ille qui ædificat lignum, fœnum, & ſtipulam, ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Vnde non poteſt intelligi quod per lignum, fœnum, & ſtipulam, peccata mortalia deſignentur. Dicunt vero quidam, quod per lignum, fœnum, & ſtipulam, ſignificantur opera bona quæ ſuperędificantur quidem ſpirituali ædificio, ſed tamen commiſcent ſe eis peccata venialia; ſicut cum aliquis habet curam rei familiaris, quod bonum eſt; cõmiſcet ſe ſuperfluus amor, vel vxoris, vel filiorum, vel poſſeſſionum, ſub Deo tamen ita ſ. quod pro his nihil homo vellet facere contra animam ſuam. Sed hoc iterum non videtur conuenienter dici. Manifeſtum eſt enim quod omnia bona referuntur ad charitatem Dei & proximi; vnde pertinent ad aurum, argentum, & lapides pretioſos, non ergo ad lignum, fœnum, & ſtipulã, *& ideo* dicendum eſt, quod ipſa peccata venialia, quæ admiſcent ſe procurantibus terrena, ſignificantur per lignum, fœnum, & ſtipulam. Sicut enim huiuſmodi congregantur in domo, & non pertinent ad ſubſtantiam ædificij, & poſſunt comburi ædificio remanente; ita etiam venialia peccata multiplicantur in homine manente ſpirituali ædificio, & pro iſtis patitur ignem vel temporales tribulationes in hac vita, vel in Purgatorio poſt hanc vitam; & tamen ſalutem conſequetur æternam.

Peccata venialia intelliguntur per lignum fœnum ſtipulã. 1. Cor. 3.

NEC dicuntur venialia ædificari ſuper ſpirituali fũdamento, quaſi directè ſupra ipſum poſita, ſed quia ponuntur iuxta ipſum; ſicut accipitur Pſal. 139. *Super flumina Babilonis*, id eſt iuxta; quia peccata venialia non deſtruunt ſpirituale ædificium, vt dictum eſt. Nec dicitur de quocunque ædificante lignum, fœnum, & ſtipulam, quod ſaluus ſit quaſi per ignem; ſed ſolum de eo qui ædificat ſupra fundamentum, quod quidem non eſt fides informis vt quidam æſtimabant, ſed fides informata charitate, ſecundum illud Eph. 3. *In charitate radicati & fundati.* Ille ergo qui decedit cum mortali & venialibus, habet quidem lignum, fœnum, & ſtipulam, ſed non ſuperædificata ſupra fundamentum ſpirituale, & ideo non erit ſaluus ſic quaſi per ignem. Illi vero qui ſunt abſtracti à cura temporalium rerum, etſi aliquando venialiter peccent, tamen leuia peccata venialia committunt, & frequentiſſime per feruorem charitatis purgantur: vnde tales non ſuperædificant venialia, quia in eis modicum manent; ſed peccata venialia ipſorum qui circa terrena occupantur, diutius manent; quia non ita frequenter recurrere poſſunt ad huiuſmodi peccata delenda per feruorem charitatis.

Solutio obie.

AD tertium, ſcilicet *vtrum homo in ſtatu innocentiæ potuit peccare venialiter.* Dicendum, quod communiter ponitur, quod homo in ſtatu innocentiæ non potuit venialiter peccare: hoc autem non eſt intelligendum ſic, quaſi id quod nobis eſt veniale, ſi ipſe committeret, eſſet ſibi mortale, propter altitudinem ſui ſtatus: dignitas enim perſonæ eſt quędam circunſtantia aggrauans peccatum, non tamen transfert in aliam ſpeciem, niſi forte ſuperueniente deformitate inobedientiæ, vel voti, vel alicuius huiuſmodi, quod in propoſito dici non poteſt. Vnde id quod de ſe eſt veniale, non potuit trãsferri in mortale, propter dignitatem primi ſtatus. Sic ergo intelligendum eſt quod non potuit peccare venialiter, quia non potuit eſſe quod committeret aliquid quod de ſe eſt veniale, antequam integritatem primi ſtatus amitteret, peccando mortaliter. Cuius ratio eſt, quia peccatum veniale in nobis contingit, vel propter imperfectionem actus; ſicut ſubiti motus in genere peccatorum mortalium: vel propter inordinationem exiſtentem circa ea quæ ſunt ad finem, ſeruato ordine debito ad finem. Vtrunque autem horum contingit propter quendam defectum ordinis, ex eo quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori. Quod enim in nobis inſurgat ſubitus motus ſenſualitatis, ex hoc contingit, quod ſenſualitas non eſt omnino ſubdita rationi: quod vero inſurgat ſubitus motus in ratione ipſa, prouenit in nobis ex hoc, quod ipſa executio actus rationis, non ſubditur deliberationi, quæ eſt ex altiori bono, vt ſupra dictum eſt. Quod vero humanus animus inordinetur circa ea quę ſunt ad finem, ſeruato debito ordine ad finem, prouenit ex eo quod ea quæ ſunt ad finem, non ordinantur infallibiliter ſub fine, qui tenet ſummum locum quaſi principium in appetibilibus, vt dictum eſt. In ſtatu autem innocentiæ

Homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter antequam peccaret mortaliter.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tiæ erat infallibilis ordinis firmitas, vt ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori, quamdiu ſummum hominis contineretur ſub Deo: vt etiam Auguſtin. dicit 14. de ciuita. Dei. Et ideo oportebat, quod inordinatio in homine non eſſet, niſi inciperet ab hoc quod ſummum hominis non ſubderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet, quod homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter antequam peccaret mortaliter.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum Angelus bonus vel malus potuit peccare venialiter*. Dicendum quod intellectus Angeli non eſt diſcurſiuus, vt ſcilicet procedat à principijs in concluſiones, ſeorſum vtrumque intelligens, ſicut in nobis contingit. Vnde oportet quod quandocumque conſiderat concluſiones, conſideret eas prout ſunt in principijs. In appetentibus autem ſicut multoties dictum eſt, fines ſunt ſicut principia; ea vero quæ ſunt ad finem, ſunt ſicut concluſiones; vnde mens Angeli non fertur in ea quæ ſunt ad finem, niſi ſecundum quod conſtant ſub ordine finis: propter hoc ex natura ſua habent, quod non poſſit in eis eſſe deordinatio circa ea quæ ſunt ad finem, niſi ſimul ſit deordinatio circa finem ipſum, quod eſt per peccatum mortale. Sed Angeli boni non mouentur in ea quæ ſunt ad finem, niſi in ordine ad finem debitum, qui eſt Deus: & propter hoc omnes eorum actus ſunt actus charitatis; & ſic in eis non poteſt eſſe peccatum veniale. Angeli vero mali in nihil mouentur niſi in ordine ad finem peccati ipſorum, & ideo in omnibus peccant mortaliter, quandocunque propria voluntate agunt. Secus autem eſt de appetitu naturalis boni qui eſt in eis, vt ſupra dictum eſt.

Nec Angeli boni nec mali poſſit peccare venialiter.

Ad quintum, ſcilicet *vtrum primi motus in infidelibus ſint peccata mortalia*. Dicendum, quod irrationabiliter dicitur quod primi motus infidelium ſint in eis peccata mortalia, ſi eis non conſentiatur. Et hoc patet dupliciter.

Primo quidem, quia ipſa ſenſualitas non poteſt eſſe ſubiectum peccati mortalis, vt ſupra habitum eſt. Eſt autem eadem natura ſenſualitatis in infidelibus & fidelibus; vnde non poteſt eſſe quod ſolus motus ſenſualitatis in infidelibus ſit peccatum mortale. *Alio modo* ex ſtatu ipſius peccantis. Nunquam enim dignitas perſonæ diminuit peccatum, ſed magis auget, vt ex ſupradictis patet. Vnde nec peccatum eſt minus in fidelibus quã in infidelibus, ſed multo maius. Nam & infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam, ſecundum illud 1. Timoth. 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea*. Et peccata fidelium aggrauantur propter gratiæ ſacramenta, ſecundum illud Hebræor. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit.*

Primi motus non ſunt peccata mortalia in infidelibus magis quam in fidelibus.

Vnde cùm dicat Anſelm. in libr. de gratia & libero arbitrio: quod *qui non ſunt in Chriſto Ieſu, ſentientes carnem ſequuntur damnationem*, etſi non ſecundum carnem ambulant; debet intelligi de damnatione debita peccato originali, quæ auferetur per gratiam Iesv Chriſti in baptiſmo, quamuis maneat concupiſcentiæ fomes, vnde hoc quod fideles concupiſcunt, non eſt in eis ſignum damnationis originalis peccati, ſicut eſt in infidelibus. Et hoc etiam modo loquitur Apoſtolus Rom. 8. *Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, loquens ibi de concupiſcentia ſenſualitatis: per hoc enim inſinuat, quod concupiſcere non eſt damnabile his, qui non ſecundum carnem ambulant, conſentiendo, ſcilicet concupiſcentiæ, & ſunt in Chriſto Ieſu: quia videlicet huiuſmodi damnatio debita originali peccato, ablata eſt per gratiam Ieſu Chriſti in fidelibus, non autem in infidelibus.

Solutio obie.

Ad ſextum, ſcilicet *vtrum peccatum veniale poſſit eſſe in aliquo cum ſolo originali*. Dicendum quod impoſſibile eſt quod peccatum veniale ſit in aliquo cum originali peccato abſque mortali. Cuius ratio eſt, quia antequam ad annos diſcretionis perueniat, defectus ætatis prohibens vſum rationis, excuſat eum à peccato mortali. Vnde multo magis excuſat eum à peccato veniali, ſi committat aliquis quod ſit ex genere ſuo tale. Cùm vero vſum rationis habere ceperit, non omnino excuſatur à culpa venialis & mortalis peccati. Sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſeipſo: & ſi quidem ſeipſum ordinauerit ad debitum finem per gratiam, conſequetur remiſſionem originalis peccati. Si vero non ordinet ſeipſum ad debitum finem, ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt; & extunc non erit peccatum veniale ſine mortali, niſi poſtquam totum fuerit ſibi per gratiam remiſſum.

Primum hominis peccatum non poteſt eſſe veniale.

LIBRI III. PARS III.

DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBVS ET PRIMO DE SVPERBIA & filiabus eius.

De ſuperbia ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

POST conſiderationem præhabitam de peccatis in generali: Conſequenter conſiderandum eſt de peccatis in ſpeciali. Et quia à ſeptem capitalibus vitijs omnia alia vitia vel peccata trahunt originem, & reducuntur ad ea, ideo congruus erit ordo de ſeptem vitijs conſiderare per ordinem, & ſub quolibet eorum tractare de ſingulis peccatis ſpecialibus, quæ ſub illo capitali vitio continentur. In primis autem agendum eſt de ſuperbia, de qua dicitur Eccleſiaſtic. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia*. Hæc eſt regina omnium vitiorum, ſicut dicit Gregorius 31. moral. capit. 31. *Eſt autem ſuperbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Nam ſuperbus appetit excellentiam vltra debitam rationem. Vnde ſuperbus dictus eſt, quia ſuper vult videri quam eſt; ſicut dicit Iſidorus libr. Ethic. & ſuperbire dicitur quaſi ſuperire. Ideo dicit Auguſtinus 14. de ciuitale Dei, quod *ſuperbia eſt peruerſæ celſitudinis appetitus.*

Superbia quid, & vnde dicta.

Ab huiuſmodi appetitu debent nos detrahere, Vilitas humanæ conditionis, Fragilitas noſtræ corruptionis. Innumera peccata quę committimus, Et damna permaxima quæ incurrimus.

Quatuor motiua contra ſuperbiam.

Primo quidem debet nos detrahere vilitas humanæ conditionis; Si conſideret homo materiam primæ formationis: quia primus homo formatus eſt, non ſolum de terra, quæ inferior, obſcurior, & vilior eſt alijs elementis; ſed de limo terræ, Geneſ. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, Iob. 10. *Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me, &c.* Et 30. *Comparatus ſum luto, aſſimilatus ſum faucillæ & cineri* Vlterius ſi conſideret materiam proprię conceptionis, quæ multo vilior eſt, quia de ſemine immundo, Iob 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*. Verè immundum, fætidum, & infectum eſt ſemen conceptionis humanæ, ex cuius contactu anima quæ creatur munda & pulchra, contra-

1. vilitas humana conditionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hit fœditatem, turpitudinem, & fœtorem originalis peccati, & ex coniunctione sui cum leprosa carne, contrahit lepram iniquitatis. Sicut enim ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur, & pollutum tangens ipso contactu polluitur, sic ex contractu polluti seminis anima maculatur, & adeo rea efficitur, vt gloriosa Dei visione priuetur perpetuo, nisi per sanctæ regenerationis lauacrum mundetur. Vlterius si consideret quo cibo nutritur in vtero, videlicet quodvilissimo sanguine menstruali; de quo dicunt Philosophi, quod ex eius contactu fruges non germinant, arescunt arbusta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, & animalia fœtus suos: Si canes ex eo comederint, in rabiem conuertuntur. Tandem si consideret quæ & qualia sunt quæ de corpore exeunt, puta quid per os, quid per nares, cæteroſque meatus corporis, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Herbæ quippe & arbores ex se producunt frondes, flores, & fructus; & tu de te lendes, pediculos, & lumbricos emittis. Illæ de se effundunt vinum, oleum, & balsamum; & tu de te sputum, & vrinam, & stercus. Illę de se spirant suauitatem odoris, & tu de te abominationem fœtoris. Hæc omnia præbent homini necessitatem humilitatis, & prorsus excludunt occasionem superbiæ. Vnde bene ait quidam. *Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus. Vnde superbimus, in terra terra redimus. Vnde* Bernardus ait, *De sordibus generamur, in tenebris confouemur, matres nostras grauidas oneramus, in partu doloribus angustiamus, & ad modum viperæ in exitu lacerамus. Quid est homo nisi sperma fœtidum, vas stercorum, cibus vermium?*

2. *Fragilitas nostra corruptionis.*

Secvndo superbiam dissuadet fragilitas nostræ corruptionis. De qua multa inuenies supra *de morte; & in passione sanctæ Ceciliæ*. Quid superbis ô homo? cuius vitam humores distemperant, dolores attenuant, ardores exsiccant, aures morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, languor atterit, & post omnia mors furibunda succedit, quæ vniuersis gaudiis finem imponit, vt cum esse desierint, non fuisse putentur. Bernard. *Inter omnia animantia pauperrime nascitur homo, sed non pauperior nascitur quam viuit. Denabe eorum animalium, lanas ouium, linum terræ; & reddantur singula singulis; quid habes ô homo, vnde iste fastus? ista superbia? cuius criminosa natiuitas, cuius natiuitatem demolitur pœnalitas, cuius pœnalitatem concludit mortis necessitas. cui esse est momentum, vita naufragium, mundus exilium, vita spondet mortis distantiam, mors instat aut minatur præsentiam.* Eccles. 9. *Omnis potentatus breuis vita, hodie rex est, & cras moritur.* Et ibidem. *Quid superbis terra & cinis.* Ideo in capite ieiunij, Ecclesia intendens homines reuocare à superbia, & prouocare ad humilitatem; super capita imponit cinerem, vt ad mortis memoriam humilientur, cogitantes quia cinis sunt, & in cinerem reuertentur.

Exemplum.

Legitvr de Xerse Rege Persarum & Medorum, cum esset superbissimus, & potentissimus, & ditissimus, & iret contra Græcos cum mille millibus armatorum, & mille & 200. nauiculis rostratis, & tribus millibus onerarijs, videns ante se tam immensum exercitum, cogitauit de morte, & ad quid deueniret vsque ad 100. annos, totus ille exercitus, tunc coram omnibus fertur dixisse: Regem me vocant homines tam fortis & tam grandis exercitus, ego autem me fateor Regem puluerис & cineris. Sic Abraham. Gen. 18. *Loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis?* Augustin. *Memento quod puluis es & cinis, & nisi te humiles, quanto magnus es, perdis omnino quod es. Nunquid tu primo Angelo sublimior? nunquid tu eo in terra, quam ille in cœlo splendidior? quod si ille de tanta felicitate ad tantam miseriam cecidit per superbiam, quomodo tu de tanta miseria cum superbia ascendere poteris ad tantam gloriæ excellentiam?*

Simile.

Item superbus est vt Pauo, qui cum extollitur de cauda faciens rotam, circumspiciens plumarum suarum rotunditatem, videns pedes, id est, finem suum considerans, superbiam deponit, & caudam demittit.

Humiliat cõsideratio propria infirmitatis.

Item ad idem facit propriæ infirmitatis consideratio, quę talis est quod à pulicib. & muscis, & aliquando etiam minoribus animalibus lædimur. Augustin. *defende te à pulicib. si potes, & dorm.* Gregor. *Potuisset Dominus superbum populum Pharaonis domuisse vrsis & leonibus, sed ranas immisit eis, muscas & cinyphes, vt minutis & vilibus animalibus humana superbia confunderetur.* Sic vt legitur in chronicis, precib. Christianorum, & maximè Iacobi Episcopi, fugatus est exercitus Sabor superbi Regis Persarum, qui obsederat Migdonum Ciuitatem, sui gente nebula de flumine, immittente in exercitum diuersa genera acutissimarum muscarum intrantium in aures & promuscidas & oculos elephantorum, & equorum, & iumentorum, & hominum; quæ eos ad fugam, & quasi ad insaniam compellebant, vt ipsi gentiles faterentur Deum Christianorum potentissimum. Sic Antiochus infirmitatem grauem sentiens, cepit ad agnitionem sui de superbia sua venire, vt legitur, 2. Machab. 9. Similiter de alio Antiocho, 2. Mach. 5. *Qui per superbiam existimabat, &c.*

Item consideratio infirmitatis alienæ.

Ad idem etiam facit consideratio infirmitatis alienę; sicut de Iosaphat & Barlaam dicitur, quod cum Iosaphat videret cæcum leprosum & decrepitum senem, & audiens quod humana miseria poterat ad hoc deuenire, ingemuit intra se humiliatus.

Item dicitur quod Odo Episcopus Parisien. cum comederet, despicabiliores pauperes faciebat ante se poni, alios hinc, & alios inde. Hoc idem faciebat beatissimus Ludouicus. *Ad* idem etiam valent exempla: Et maxime contra superbiam valet exemplum humilitatis Christi Bernard. *Intolerabilis imprudentia est, vt vbi se exinaniuit maiestas, infletur vermiculus & intumescat,* exinaniuit se vsque ad exemplum extremæ depauperationis, subiectionis, deiectionis extra vrbem in Caluariam, reiectionis, (cum dicunt non hunc sed Barrabam) actionis, lauando pedes maximè proditoris, & vsque ad exemplum nouissimæ passionis & mortis, scilicet crucis. Phil. 2. *Humiliauit semetipsum.* Glo. *Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum.* Quid ergo intumescit homo; pellis morticina, quid inflaris?

3. Peccata quæ cõmittimus.

Tertio superbiam dissuadent peccata quæ committimus. Superbia enim ex sua natura eleuat cor & extollit, sicut dicitur Iob 9. *Vir vanus in superbiam erigitur.* Et 15. *Cunctis diebus vitæ suæ impius superbit.* Sed consideratio peccatorum humiliat, & quasi quoddam pondus grauissimum deprimit. Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressa sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. &c.*

Exemplum.

Cvm quædam puella transiret aquam, & ventus vehemens flaret, timens ne per eum in aquam deijceretur, & submergeretur; lapidem grossum supposuit humero suo, qui suo pondere contra ventum eam retineret, quod videns senex quidam, & audiens causam ab ea, stupuit clamans; modo venerunt tempora quod pueri docent senes. Sic nos contra ventum superbiæ habemus magnum reprehensiuum, pondera peccatorum nostrorum. *Item* ad hoc facit consideratio status nostri, loci, & temporis in quo sumus, sicut infra declarabitur, scilicet *de mundo. Ad* idem multum valet cõsideratio mortis, supra *de morte. Item* consideratio extremi iudicij, supra *de iudicio.*

4. Damna quæ incurrimus, i. namque facit hominẽ multipliciter criminosum.

Qvarto peccatum superbiæ dissuadent multa dãna quæ incurrimus. Superbia namque reddit hominẽ multipliciter criminosum, quia *initium omnis peccati superbia* Eccl. 10. Bern. *Initium omnis peccati superbia, & causa totius perditionis. Tu autem qui salutem operari desideras,*

aduersus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aduerſus hanc, caput tuum ſuper cornu crucis habere memento, vt non extollaris proſperis, nec deprimaris aduerſis. Tob. 4. *Superbiam in tuo ſenſu, & in tuo animo, nunquam dominari permittas, ab ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio,* quod patet in peccato luciferi & Adæ. Superbia ſecundum Greg. eſt *regina omnium vitiorum*, ideo omnia vitia concomitantur eam, ſicut reginam ſuam. *Diabolus* autem *rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Iob 41. Eſt etiam mater omnium vitiorum, vnde ex ipſa ſicut ex matre venenata, omnis venenata vitiorum ſoboles genera-

Secundo facit deteſtabiliter odioſum Deo & hominibus.

SECVNDO ſuperbia facit hominem deteſtabiliter odioſum, tam Deo, ſcilicet quam hominibus Eccl. 10. *Odibilis eſt coram Deo, & coram hominibus ſuperbia.* Deo quidem, quia Deum ſub pedibus ſuis quaſi deprimere & conculcare conatur, dum voluntatem ſuam nõ vult ſubijcere, ſed diuinę præponere voluntati. Item ſuperbia merito Deum offendit, quia magnitudinem eius contemnit. Immo omne peccatum per ſuperbiam Deum offendit, quia omnis peccans dum peccat ſuperbiendo Deum contemnit. Auguſt. *Superbia laxat habenas contemptui, non æquat paruitatem ſuam diuinæ volũtati, non attendit quid proſit, ſed quid velit.* Bernard. *Quoties hominibus præeſſe cupio, Deum meum præire contendo. De ipſo namque ſcriptum eſt: Erat ſubditus illis. Quis? quibus? Deus, hominibus. Immo in hoc contra omne ius vult eſſe ſeruus maior Domino ſuo, qui hic vult hominibus præeſſe,* 2. Para. 30. de Ezech. dicitur. *Iuxta beneficia quæ acceperat non retribuit Domino, quia elevatum eſt cor eius, & facta eſt contra eum ira Domini, &c.*

ITEM notandum quod non ſolum ſuperbia eſt prima & præcipua in contemptu & offenſa Dei, in perpetratione omnium vitiorum; immo ipſa eſt prima omnium vitiorum origine cœleſti: in qua maxima Dei offenſa & implacabiliter apparet, quæ tam nobilem, & tam ſublimem, & tam pulchram, & præſtabilem, & honorabilem creaturam, propter ſolam ſuperbiam cogitationis, qua dicebat in corde ſuo, Iſa. 14. *In cœlum conſcendam*, &c. De tanta nobilitate præcipitauit ad tãtam vilitatem, de tanta pulchritudine ad tantam turpitudinem, de tanta altitudine ad tantam inferni profunditatem, de tanta quiete ad tantam inquietudinem.

Superbus cæteros deſpicit & contemnit.

HOMINIBVS vero odibilis eſt, quia cæteros deſpicit & contemnit, calumniatur & opprimit. Vnde ſimilis eſt tempeſtati quæ ſurgit ſubito, & ab imo vehementer inferiora atterit, & ſubito cadit, & grauiſſimè præmit. Ezec. 38. de Gog & Magog oppreſſione grauiſſima dicitur, *aſcendens quaſi tempeſtas venies, & quaſi nubes, &c.* Poeta. *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.*

Simile.

DICITVR in hiſtoria tranſmarina, quod cum nautę vident Ardeam ad modum Aquilæ, ab imo ad alta aſcendere, ſignum eſt eis ſtatim naſcituræ tempeſtatis grauiſſimæ. Sic ſuperbus cũ de imo aſcendit in altũ, eſt ad modũ tẽpeſtatis grauiſſimæ Vnde quidã Sap. *Omnis ſuperbus intolerabilis eſt actu, ſuperbus habitu, põpoſus inceſſu; huius ceruix erecta, facies torua, truces oculi, de loco ſuperiore cernit meliorib. ſe proponi affectãs; ſententias ſuas, verba & facta iactat, reuerentiam non obſeruat.* Item Gregor. in moral. *Superbis propria, tumor in cogitatione, clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in lætitia, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, inhoneſtas in imaginatione; erectio in inceſſu, rancor in reſponſione.* Item ſicut draco flammiuomus, & quaſi regulus, venena diffundit, Prouer. 16. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* Et 11. *Vbi ſuperbia ibi contumelia.* Orig. *Sunt nonnulli, qui dum tranquillitas fuerit, humilitatem in corde & ore ſolent reſpondere; ſed ſi aliqua tribulationis vel ſcandali procella ſurrexerit, ſtatim effrænato ore, & erecta ceruice, ſuperbia quæ in corde tenebatur, multis conuitijs ab ore profertur; quæ non tunc naſcitur, ſed manifeſtatur.* Greg. *Qualis quiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat.*

Superbus facile calumniatur, & difficile alicui ſubiici tur.

ITEM eſt impatiens ſubiectionis; intolerabilis ſuppoſitionis. *Cum hac multitudine graui aſcendit Hieroſolimam Antiochus, & intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia* 1. Mach. 1.

Tertio facit homine mõſtruoſum.

TERTIO ſuperbia facit hominem monſtruoſum; videlicet in altitudine, dum vult omnibus ſuperbire, quod eſt ſuper ire, cuius altitudo pertingit vſque ad Deum, immo ſupra Deum, dum vult eum pedibus conculcare. *In groſſitudine*, quia ſuperbia inflat. *Cinis enim proiectus in cœlum vertitur in veſicas.* Exod. 9. quia homines qui ex naturæ conditione ſunt cinis, eleuati in altum per ſuperbiam, inflantur ad modum veſicarum, quæ à vento vanitatis quo replentur, inflantur, & exſiccantur, & magnum ſpatium occupantes, cum modica infirmitatis compunctione vacuantur, & in modicum, immo quaſi ad nihilum rediguntur, cum morte crepantur. Similis eſt in hoc calamo arundinis ſiue cannæ, & ideo ſuperbi ſunt ſicci intus & vacui, & ad combuſtionem infernalem apti. Similes ſunt hydropico, & ſuperbia, hydropiſi, quæ primo facit hominem inflari per indignationem, cum tangitur correctione; poſtea crepare per contumeliæ irrogationem.

Simile.

ITEM ſuperbi ſimiles ſunt buffoni, qui cum pungitur adeo veneno inflatur, quod crepando venenum emittit & effundit. Sapient. 4. *Diſrumpet Dominus illos inflatos ſine voce.* Iud. 6. *Spiritus Effraim intumeſcebat contra Gedeon.* Bene erat inflatus Roboam qui dicebat 3. Reg. 12. *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Monſtruoſos* habet oculos, ex quibus ſpirat ignis indignationis, qui protendunt vſque ad extrema terræ, præ tumore nimio ſic eſt eius facies inflata, vt apertos non habeat oculos. Superbia enim eſt macula quæ in oculis naſcitur, dum quis de eis quæ videt in ſe, vel ſentit de ſe, excæcatur ſuperbiendo vt non agnoſcat à quo bona ſint, vel cuius ſint, vel ad quid data ſint. Item Auguſt. *Tumore meo ſeparabar à te Domine, & inflata facies mea claudebat oculos mentis meæ.* Item, *dum lippis oculis claritas ſolis intenditur, ex ipſa claritate cęcitas generatur.* Ioan. 4. *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Gloſſ. *quæ inflatus ignoras, humilis addiſcis. Monſtruoſam* habet linguam, cuius longitudo procedit vſque in cœlum, dum loquitur contra Deum, & vſque ad vltimos fines terræ. Pſalm. 72. *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum adhæſit in terra.* Item mutatur in diuerſa monſtra brutorum, ſicut Nabucho. Dan. 4. quaſi in tot beſtias mutatur, quot beſtiarum mores beſtialiter viuendo imitatur. Hæc etiam Angelum mutauit in brutum, dum lucifer in Behemoth mutauit & leuiatham, quando naturæ eius ſpiritualem ſubtilitatem quaſi mutauit in brutalitatem.

Exemplum.

Sicut improperauit ei Datius Mediolanenſis Epiſcopus 3. dial. 4. qui cum pro negocio fidei iret Conſtantinopolim, veniens Corinthum cum multa ſocietate, recepit ſe in quadam domo, quam dæmones inhabitantes, alienam faciebant ab habitatione hominum. Cùm autem media nocte ibi quieſceret, antiquus hoſtis cœpit ibi fingere rugitus leonum, ſibilos ſerpentum, grunitus porcorum, & voces diuerſorum animalium. Cui Epiſcopus alta voce ait. Bene contingit tibi miſer qui dicebas: *In cœlum conſcendam* &c. ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſerpentibus ſimilis factus es; & ſic per ſuperbiam vt dignus es, imitaris beſtias, ad quam vocem ſic diabolus erubuit, quod à dicta domo ſic receſſit, quod eam vlterius non intrauit.

Quarto omne bonum contaminat & deſtruit.

QVARTO ſuperbia omne bonum contaminat, & deſtruit. Inprimis bona temporalia Eccl. 21. *Domus qui nimis locuples, annullabitur ſuperbia.* Auguſtinus, *Tinea diuitiarum ſuperbia*: quia videlicet ſicut tinea naſcitur ex veſte & ipſam corrodit; ſic ex diuitiis pleruſque naſcitur ſuperbia, & ipſa eas conſumit in equis, famulis, feſtis, conuiuijs & huiuſmodi. Item frequenter iuſto Dei iudicio ſuperbi ad maximam inopiam deducuntur. Vnde Oroſius lib. 3. dicit, quod Perſeus Rex ditiſſimus qui Romanos multoties victor occiderat, captiuos duxerat, & in ſeruos vendiderat, & ad vltimum ſuperbiens victus ab eis capitur, filius eius ad triumphum ductus, vnum crus frangitur, ipſe inops

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in carcere consumptus est: filius vero eius ad tollendam vitæ inopiam, Romæ artem humanam didicit, atque ibi inopia consumptus est.

ITEM bona naturæ, sicut patet de lucifero, Ezech. 29. *Tu signaculum similitudinis Dei, &c.* Et post. *Qui viderunt te obstupescent super te, & dicent nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

ITEM bona gratiæ Eccles. 10. *Radices gentium superbarum arefecit Dominus.* Apoc. 3. *Quia dicis sum &c. & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & nudus, & cæcus.* Vnde maculat omne bonum vt lepra spiritualis, secundum quod 4. Regum 5. dicitur. *Naaman qui erat Princeps Regis Syriæ, fuit magnus & honoratus apud Dominum suum, per eumque dedit Dominus salutem Syriæ*; sed totum inquinat quod subditur: *Sed leprosus.* Vnde Sapiens quidam. *Si tibi gratia seu sapientia formaque detur, inquinat omnia sola superbia si committetur.* Item alius. *Inquinat egregios coniuncta superbia mores.*

5 *Superbum exterminat.*

QVINTO superbia ipsum superbum exterminat & obruit: exterminat quidem sæpe temporaliter, & semper ipsum exterminat æternaliter. *Temporaliter* enim Deus deiicit superbos de statu sublimitatis & eminentiæ, in imum deiectionis & confusionis extremæ, Psalm. 72. *Deiecisti eos dum allevarentur.* Idem 36. *Inimici Domini mox vt honorificati & deficientes quemadmodum fumus defecerunt &c.* Luc. 2. *Deposuit potentes.* Et Eccl. 10. *Sedes ducum superborum destruxit Deus*, &c. Per superbiam, Vasthi Regina deponitur & Hester humilis ei substituitur, Hester. 3. Nabuchodono. à regno eiectus est, Dan. 4. *Regnum tuum transit à te, & ab hominibus eijciet te.* Et 5. *Quando elevatum est cor Nabucho. & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria sua ei ablata est*; propter superbiam Dauid deiecit Goliam, 2. Reg. 17. Iudith Holofernem, 13. Hester, Aman & eius progeniem.

Superbos confundit Deus.

ITEM eos confundit, Psalm. 52. *Confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.* Sicut illos qui volentes contra Deum ascendere, ædificabant turrim Babyloniæ, Gen. 11. Sennacherib qui sic contra Deum superbierat vt legitur 4. Reg. 18. & 19. quem vt magis confunderet, noluit eum occidere cum suo exercitu, sed in terram suam cum confusione reuersus, coram Deo suo in templo eius vbi adorabat, ad maiorem suam confusionem à filiis suis occisus est. Et Actor. 12. Herodes Antipas coram hominibus in superbiam elatus, & ab Angelo percussus, ignominiosè mortuus est. Similiter & Pilatus, qui in confusionem suam & generis sui, à Tyberio Cæsare & Romanis morti adiudicatus, vt dicit Iosephus; apud Lugdunum vnde oriundus erat mittitur puniendus, vbi coram suis vt dicitur suspendio iudicatus, & apud Viennam suspensus vt fertur: vnde & vncus ferreus in quo suspensus fuit ibi ostenditur, in quodam monte propinquo, in castro qui dicitur Sanctus Chameros) in puteo proiectus est, à quo vt fertur quoties proiiciuntur ibi lapides, tempestates egrediuntur. Orosius tamen dicit de eo, quod tot malis est affectus, quod se manu propria desperans interfecit: quod totum potuit esse, vt damnatus se occiderit, & mortuus suspendium non euaserit, ad quod iudicatus erat, Iob. 40. *Respice cunctos superbos & confunde eos &c.* Propter superbiam, Abymelech fecit se ab armigero suo occidi, ne diceretur quod à muliere fuisset interfectus, Iud. 9. Achitophel semetipsum suspendit, quia consilium eius fuerat infamatum, 2. Reg. 17. Propter superbiam, Absalon contra proprium patrem resurgens, suspensus est in quercu, 2. Reg. 18. Chorè, Dathan, & Abyron, per superbiam se contra Moysen erigentes, absorpti sunt à terra. Num. 16. Aman superbissimus suspensus est, Iudith 7. Nabuchodo. in bestiam mutatus, donec humiliatus cognouit creatorem, Dan. 4. Balthasar interfectus est, & regnum eius translatum est ad Medos & Persas, Dan. 5. Antiochus qui præ superbia putabat se terram ad nauigandum, & pelagus ad iter agendum deducturum, fugatus turpiter de Perside, superbè locutus est dicens, se venturum Hierosolymam, & eam congeriem sepulchri Iudeorum facturũ, sed Deus percussit eum inuisibili & insanabili plaga, de cuius casu, contritione, fætore, & morte vilissima, habetur 2. Mach. 9. Herodes propter superbiam percussus ab Angelo, consumptus à vermibus, expirauit, Act. 12. In passione beati Petri etiam habetur de volatu, & casu, & attritione Simonis magi.

Exemplum.

Simile.

ITEM dicitur quod Cornicula volens frangere nucem, & non valens, eam volando in altum eleuat, & deijciens eum ad ima super durum lapidem, corticem eius frangit, & nucleum comedit. Sic diabolus facit; quamdiu homines latitant sub cortice & testa humilitatis, non possunt à diabolo vorari, sed in altum eleuati per superbiam, subito casu fractis corporibus, tunc à dæmonibus deuorantur. Sic faciunt quædam aues de ostreis marinis, cùm non possunt eas vorare quamdiu latent in conchis suis & testis, in imo eas eleuant & allidunt, & frangunt testas earum, & comedunt eas, Iob 29. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens*, allisisti me valide.

Superbia exterminat æternaliter.

ITEM exterminat eos æternaliter in futuro, Isa. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter tegetur tinea*, &c. Sequitur. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam super astra cœli exaltabo solium meum* &c. Sequitur. *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacꝰ.* Nota, quanto sublimiora loca tenuerit quis in mundo, tanto profundiora tormenta sustinebit in inferno. Apoc. 28. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit*, &c. 2. Mach. 6. dictum fuit Antiocho superbissimo. *Tu vero iustas superbiæ tuę exolues pœnas.* Item Sophonię 2. *Moab, vt Sodoma erit, filij Amon vt Gomorrha.* Sequitur ratio. *Hoc enim eis eueniet pro superbia sua.* Item Isa. 5. *Descendent fortes eius, gloriosique eius, & sublimes, ad infernum.* Bernardus, *Mirum est de superbis, qui nec cum hominibus habitare desiderant, nec ad cœlum ascendere possunt; relinquitur ergo eis flamma ignis deuorantis.* Exod. 10. dicitur quod *ventus vrens leuauit locustas, & proiecit in mare.* Hierem. 1. *Cadet superbus & corruet, & non erit qui suscitet eum.*

Superbia secundum se est speciale peccatũ, sed potest habere influxum in omnia peccata duobus modis, & eatenus à Greg. dicitur peccatum generale.

SCIENDVM est etiam quod superbia duobus modis potest considerari. *Vno modo* secundum quod speciale peccatum est, habens obiectum speciale distinctum, quod est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, vt dictum est. Et sicut dicit August. in lib. de natura & gratia. *Quærat homo & inueniet secundum legem Dei, superbiam esse peccatum multum distinctum ab alijs vitijs.* Vnde Isido. & Cassianus ipsam connumerant inter vitia capitalia. *Alio modo* consideratur superbia secundum quod habet quandam influentiam generalem in omnia peccata. Quod potest esse duobus modis. *Vno modo* per se, inquantum scilicet omnia peccata ordinantur ad finem superbiæ, quæ est propria excellentia, ad quam potest ordinari omne illud quod quis inordinatè appetit. *Alio modo* indirectè & quasi per accidens, scilicet remouendo prohibens, inquantum scilicet homo per superbiã contẽnit diuinam legem, per quam prohibetur aliquis à peccando, secundum illud Hierem. 2. *Confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti non seruiam.* Gregor. Ergo considerans superbiam secundum vniuersalem eius influentiam quam habet in omnia vitia, non posuit eam esse vitium capitale, sed posuit eam reginam omnium vitiorum, & matrem. Vnde ait 31. moral. *Ipsa vitiorum regina, cum deiectum cor plenè ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De gradibus ſuperbiæ.

DISTINCTIO II.

Sicut ſunt 12 gradus humilitatis ita per oppoſitũ ſunt 12 gradus ſuperbiæ.

NOTANDVM autem quod beatus Bernard. ponit duodecim gradus humilitatis, & ſumuntur per oppoſitum ad gradus ſuperbiæ.

PRIMVS enim gradus humilitatis eſt, corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus: cui opponitur curioſitas, per quam aliquis curiosè & inordinatè circumſpicit.

SECVNDVS gradus humilitatis eſt, vt pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamoſa voce: Cui opponitur tenuitas mentis, per quam ſcilicet aliquis leuiter & ſuperbè ſe habet in verbo.

TERTIVS gradus humilitatis eſt, vt non ſit facilis, aut promptus in riſu: Cui opponitur inepta lætitia.

QVARTVS gradus humilitatis eſt taciturnitas vſque ad interrogationem: Cui ponitur iactantia.

QVINTVS gradus humilitatis eſt, tenere quod communis habet regula monaſterij: Cui opponitur ſingularitas, per quam vult aliquis ſanctior apparere.

SEXTVS gradus humilitatis eſt credere & pronunciare ſe omnibus viliorem: Cui opponitur arrogantia, per quam ſcilicet homo ſe præfert aliis.

SEPTIMVS gradus humilitatis eſt, ad omnia inutilẽ ſe confiteri & credere: Cui opponitur præſumptio, per quam ſcilicet homo reputat ſe ſufficientem ad maiora.

OCTAVVS gradus humilitatis eſt confeſſio peccatorum: Cui opponitur defenſio peccatorum.

NONVS gradus humilitatis eſt in duris & aſperis patientiam amplecti: Cui opponitur ſimulata confeſſio, per quam ſcilicet quis non vult ſubire pœnitentiã pro peccatis, quæ ſimulatè confitetur.

DECIMVS gradus humilitatis eſt obedientia: Cui opponitur rebellio.

VNDECIMVS gradus humilitatis eſt, quod homo non delectetur facere propriam voluntatem: Cui opponitur libertas peccandi, per quam homo delectatur facere quod vult.

DVODECIMVS gradus humilitatis eſt timor Dei: Cui opponitur peccandi conſuetudo, quæ multiplicat Dei contemptum. In his duodecim gradibus ponuntur non ſolum ſuperbiæ ſpecies, ſed etiam aliqua antecedentia & conſequentia ad eam: tamen de ſingulis earum per ordinem videamus.

Primus ſuperbiæ gradus eſt curioſitas, & hæc multiplex ſ. in cognitione, in verbis, & in factis.

PRIMVS itaque gradus ſuperbiæ eſt curioſitas. Eſt autem curioſitas vehemens applicatio mentis ad aliquid vanè & inutiliter inquirendum. Sciendum eſt autem quod curioſitatis vitium multiplex eſt. Nam licet curioſitas propriè loquendo conſiſtat circa appetitum cognitionis, tamen extenſo nomine curioſitas eſt etiã in verbis & factis, ſicut patebit. Dicamus ergo quod curioſitas quædam eſt circa cognitionem intellectiuã, quædam circa cognitionem ſenſitiuam, quædã in phaleratis ſermonibus, & quædam in ornatis operibus. Curioſitas autem quę eſt circa cognitionem ſiue intellectiuam, ſiue ſenſitiuam, non eſt directè circa cognitionem, ſed circa appetitum cognitionis acquirendæ. Aliter autem iudicandum eſt de ipſa cognitione veritatis, aliter de ipſo appetitu & ſtudio veritatis cognoſcendæ. Ipſa enim cognitio veritatis per ſe loquendo bona eſt, poteſt autem per accidens eſſe mala, ſcilicet ratione alicuius conſequentis, inquantum ſcilicet aliquis de veritatis cognitione ſuperbit, ſecundum illud 2. Cor. 8. *Scientia inflat*; videlicet inquantum homo vtitur cognitione veritatis ad peccandum.

Curioſitas in cognitione multis modis mala.

SED ipſe appetitus cognoſcendæ veritatis, poteſt habere rectitudinem vel peruerſitatem multis modis. *Vno modo* quando ſuo ſtudio tendit aliquis in cognitionem veritatis, inquantum ipſi cognitioni per accidens coniungitur malum. Sicut illi qui ſtudent ad acquirendam ſcientiam veritatis, vt inde ſuperbiant. Vnde dicit Aug. in li. de morib. Eccleſiæ. *Sunt qui deſertis virtutibus, & neſcientes quid ſit Deus, & quid ſit mateſtas. ſemper eodem modo manentes, naturale magnum aliquid ſe agere putant, ſi vniuerſam iſtam corporum molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſimè intentiſsimeque perquirant. Vnde etiam tanta ſuperbia gignitur, vt in ipſo cælo, de quo ſæpe diſputant, ſibimetipſis habitare videantur.* Similiter illi qui ſtudent aliquid addiſcere ad peccandum, vitioſum ſtudium habent, ſecundum illud Hier. 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt. Alio modo* poteſt eſſe vitium ex ipſa inordinatione appetitus & ſtudij veritatis cognoſcendæ, & hoc quadrupliciter. *Vno modo* inquantum per ſtudium minus vtile, retrahuntur à ſtudio quod eis ex neceſſitate incumbit. Vnde Hier. *Sacerdotes*, inquit, *dimiſſis Euangelijs & Prophetis, videmus comedias legere, amatoria Bucolicorum verſuum cantare verba. Alio modo* quando vult aliquis addiſcere ab eo à quo nõ licet. Sicut patet de his qui aliqua futura, vel occulta, vel incerta, inquirunt à dæmonibus, quod eſt ſuperſtitioſa curioſitas. Vnde Aug. in li. de vera reli. *Neſcio qua dementia impediũtur aliqui à fide, vitio curioſitatis in perquirendis dæmonibus. Tertio* quando appetit cognoſcere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei. Vnde dicit Aug. in lib. de ve. reli. quod *in conſideratione creaturarum non eſt vana & peritura curioſitas exercenda ſed gradus ad immortalia & ſemper manentia faciendus. Quarto modo* quando ſtudet aliquis ad cognoſcendum veritatem ſupra proprij ingenij facultatem, quia per hoc homo de facili labitur in errores. Vnde dicitur Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit Deus cogita illa ſemper, & in pluribus eius operibus ne fueris curioſus.* Sequitur. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus eius operibus ne fueris curioſus. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum, in vanitate detinuit ſenſus eorum.*

Quadam tranſcendũt capacitatem humani intellectus.

NOTA quod ſapiens in verbo propoſito, multiplex curioſitatis vitium comprehendit. Aliqua enim tranſcendunt humani intellectus capacitatem, propter ſui ſublimitatem: alia propter ſui profunditatem, ſiue difficultatem: in alijs non eſt occupandus propter ſui inutilitatem: in aliis propter ſui nociuitatem. Hęc omnia notantur hic per ordinem. Primo contra vitium eorũ qui ſublimia appetunt ſcire, quæ intellectus eorum capacitatem tranſcendunt, dicit: *altiora te ne quæſieris.* Multi dum vires intellectus ſui metiri neſciunt, incomprehenſibilia comprehendere, & ſibi non intelligibilia, intelligere ſe præſumunt. Contra tales, 1. Cor. 12. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Et quia tales faciliter incidunt in errores, ideo Prouerb. 27. *Perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria,* Gregor. 20. li. mora. c. 7. *Gloria inuiſibilis eſt conditoris, quæ immoderatè inquiſita nos erigit, vltra vires perſcrutata, premit.* Itaque de ſublimi intelligentia quanto plus repleri ambiunt, tanto amplius inaneſcunt. Vnde de eis dicitur. *Egeſtate & fame ſteriles.* Immoderatis namque auſibus, ſupernæ cognitionis ſcientiam quo plus ambiunt, plus amittunt.

Exemplum.

NARRATVR de quodam magiſtro præſumptuoſo, quæ dum quædam ſibi incomprehenſibilia comprehendere poſſe confideret, & de æternitate Dei, immenſitate, & ſimplicitate, profundè & anxiè cogitaret, illi ſtanti iuxta mare apparens iuuenis, aquam de mari hauriens cum paruulo cocleari, & portans ad quandam paruam foueam ibi iuxta; inquirenti magiſtro quid faceret, reſpondit: Volo totum mare exhaurire cum iſto cocleari, & in iſtam foueam totum effundere. Cui cum magiſter diceret: Stulto labore conſumeris, quia nec vita tua ſufficeret, nec tam modicum inſtrumentum, nec tam parua fouea poſſet totum mare capere, reſpondit iuuenis: Immo tu ſtulta meditatione torqueris, quia longe minus poteſt intellectus tuus ſecreta Dei

ta Dei myſteria comprehendere, quam hoc modicum cochlear, totum mare exhaurire, vel hæc fouea parua recipere. Quo audito magiſter inſipientiam ſuam cognouit, & ex tunc ab omni curioſa meditatione vel inquiſitione quieuit.

Libri prophetici difficiles.

ITEM aliqua excedunt intelligentiam alicuius, propter materiæ difficultatem, ſicut in libris Propheticis ſunt multæ quæſtiones valde difficiles, quas aliqui non facile, nec ſine multo ſtudio & dolore penetrare poſſunt, nec ad hoc habent aptitudinem propter ſuæ hebetudinem intellectus. Ideo dicit Sapiens, *Fortiora te ne ſcrutatus fueris*. In quo bene reprimit curioſitatem aliquorum, quibus ſcripturæ ſacræ verba deſipiunt, ſententiæ & expoſitiones doctorum faſtidiunt, & Græcas gloſſas optimas arbitrantes, pluris æſtimant vnum verbum Philoſophi proferre, quam multa ſalutaria documenta Pauli vel Chriſti. Et ipſi miſeri decipiunt ſeipſos, quia ſemper diſcentes nunquam ad cognitionem veritatis perueniunt; ſemper vacui, ſemper inſcij, ſemper tandem inflati, euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, omnia diſputantes, de omnibus volunt reddere rationem; quam ſi fortè veram vel apparentem inuenire neſciuerint, reputãt ſe cõfuſos. Vnde de Homero legitur, quod tranſiens iuxta quendam fluuium, ibique paſtores ſe expediculantes inueniens, interrogabat eos quid ibi agerent. Quibus reſpondentibus: Nos quos capimus dimittimus, & quos non capimus portamus nobiſcum. Ille putans quod piſcarentur, & de piſcibus loquerentur, diu quærens ſententiam huius verbi, & per ſe non inueniens, ſentiens ſe confuſum à talibus, & confuſionem ſuam non ferens, in flumine ſe ſubmerſit.

Exemplum. de morte Ariſtotelis & Homeri.

IN eiſdem Chro. dicitur, quod ſcribitur in libris Græcorum, quod Ariſtot. iuxta fluuium quoddam incedens, & aquæ reuolutionem inſpiciens, voluit ſcire cauſam eius, ſed cum eam inuenire non poſſet, aquam intrans voluit ſenſibiliter experiri, cum autem hinc inde curiosè conſpiceret, repente raptus à fluctibus eſt ſubmerſus. Sed alij ipſum aliter mortuum eſſe dicunt.

SEQVITVR. *Et in pluribus eius operibus ne fueris curioſus.* Multa namque ſunt opera Dei quorum non poteſt homo reddere rationem. Sicut, quare de duobus vnum eligit, alium reprobat: quare hunc in innocentia cuſtodit, illum peccare permittit: quare hunc iuſtificat, illum indurat: hunc paupertate & continuis paſſionibus affligit, illum corporis ſanitate, & rerum proſperitate mulcendo nutrit, & ſic de aliis. Si quis in huiuſmodi operibus Dei iuſto quidem ſed occulto iudicio factis rationem quæreret, in vacuum laboraret.

SEQVITVR. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter.* In hoc reprimit ſapiens curioſitatem multorum, qui prætermiſſis vtilibus immo neceſſarijs, totum tempus ſuum amittunt in ſtudendo, legendo, recitando fabulas poetarum, vt dictum eſt. Alij in logicis ſophiſmatibus; Alij in muſicis, vel mathematicis, vel cæteris Philoſophicis diſciplinis, dies ſuos expendunt. Contra quos ait Hieron. *Nonne videtur vobis in vanitate ſenſus & obſcuritate mentis ingredi, qui diebus & noctibus in dialectica arte torquetur, qui phiſicus perſcrutator oculos trans cœlum leuat?* Intelligendum eſt tamen quod ſtudium Philoſophiæ ſecundum ſe licitum eſt & laudabile, propter veritatem quam Phil. perceperunt, Deo eis reuelante; Sicut dicitur Rom. 3. & inquantum viam præbent ad veram & ſummam ſapientiam. Sicut reſpondit Aug. in li. de doc. Chri. quod *ſi aliqua vera dixerunt Philoſophi ab eis ſunt tanqu. m ab iniuſtis poſſeſſorib. in vſum noſtrum vendicanda.* Item Hier. ſuper Dan. *Qui de menſa regis noluerunt comedere ne polluerentur, ſi ſcientiam atque doctrinam Babyloniorum ſcirent eſſe peccatum, nũquam acquieſcerent diſcere quod non liceret.* Sed quidam nimis affecti huiuſmodi Philo. & nimis inueterati, abuntur eis ad impugnationem fidei, ideo dicit Apoſtolus Col. 2. *Videte ne quis vos ſeducat per Philo. & inanẽ ſcientiam.* Vel ſaltem non referunt in finem debitũ, ſed ibi conſtituunt finem ſuum, vel per hoc impediuntur à neceſſarijs ad ſalutem. Vnde Seneca. Epiſtol. 1. ad Lucillum dicit, quod *cum tempus vitæ noſtræ ſit breuiſſimum, præcioſiſſimum, irreuocabile, & irrecuperabile, & incertum: Si* inquit *multum ſupereſſet ætatis, parce diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſarijs; nunc autem quæ dementia eſt ſuperuacua diſcere, in tanta temporis breuitate?* Intantum autem afficiuntur aliqui in talibus, quod eis verba Prophetarũ, immo etiam Apoſtolorum & Chriſti videntur inſipida & inſulſa.

Exemplum.

VNDE narrauit Hie. de ſeipſo, quod cum ſcripturæ verba quaſi ſimplicia faſtidiret, legeretque in libris Ciceronis, raptus in ſpiritu, & iudici præſentatus, interrogatus cuius conditionis eſſet, reſpondit Chriſtianus ſum, Cui dictum eſt: Tu mentiris, immo Ciceronianus es; iuſſuſque eſt duriſſimè flagellari. Patet ergo quantum curioſitas in talibus ſit vitioſa. Sed longè deterior eſt curioſitas quorundam, qui artes illicitas & nefarias addiſcunt & ſtudent, puta alchymiam, artem notoriam, necromantiam, aliaſque nefarias, in quibus non ſolum tempus ſuum perdunt, ſed & animas damnant. Act. 29. *Cum quidam exorciſtę coniuraſſent dæmonem in quodam homine exiſtentem, per Ieſum quem Paulus prædicabat, dęmon in eos inſilijt & duriſsimè flagellauit, & factus eſt timor magnus ſuper omnes qui erant Epheſi, ideo multi qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros ſuos, & combuſſerunt.*

Curioſitas in cognitione ſenſitiua eſt duobus modis vitioſa.

SECVNDO quædã curioſitas eſt circa cognitionẽ sẽſitiuã. Sciendũ autẽ quod cognitio sẽſitiua ordinatur ad duo. *Vno modo* ordinatur ad ſuſtentationem & conſeruationem corporis, tam in hominibus, quam in brutis; inquantum tamen homines quam bruta, per huiuſmodi cognitionem vitant nociua, & ea quæ ſibi neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem vitæ procurant. *Alio modo* cognitio ſenſitiua in hominibus ordinatur ad cognitionem intellectiuam, ſpeculatiuam, vel practicam. Ponere ergo ſtudium circa cognitionem ſenſitiuam, poteſt eſſe dupliciter vitioſum. *Vno modo* inquantum cognitio ſenſitiua non ordinatur ad aliquid vtile, ſed potius auertit ab aliqua vtili conſideratione hominem. Vnde dicit Augu. 10. confeſſ. *Canem currentem poſt leporem iam non ſpecta; at vero in agro ſi caſu tranſeam, auertit me ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe conuertit illa venatio; & iam niſi cito ſenſum amoueam, vanus hereſco,* ſtudioſa ergo inſpectio ludorum in theatris, chorearum in plateis, venationis in campis, vel in aere, eſt curioſitas vitioſa. *Alio modo* cognitio ſenſitiua ordinatur ad aliquid noxium. Sicut inſpectio mulieris ad concupiſcendum, & diligens inquiſitio eorum quæ fiunt ab aliis ad irridendum vel detrahendum. Vnde dicit Auguſt. li. de vera religio. quod *concupiſcentia oculorum reddit homines curioſos.* Beda vero dicit, quod *concupiſcentia oculorum non ſolum eſt in diſcendis magnis artibus, ſed etiam in contemplandis ſpectaculis, & in dignoſcendis & carpendis vitijs proximorum.* Ex curioſitate ſenſuum ortum habuiſſe videtur primæ tranſgreſſionis occaſio. Gen. 3. Nam mulier curiosè ſerpentem audiuit, curiosè vetitum lignum inſpexit, curiosè ſcientiam concupiuit, curiosè voluit experiri vtrum ex tactu ligni vetiti, ſerpentis promiſſio impleta ſequeretur. Dina curiosè mota fuit vt videret mulieres regionis illius, quæ viſa & oppreſſa virginitatem amiſit. Gen. 34. Ad reprimẽdum curioſum aſpectum præcepit Dominus Moyſi quod diceret populo. *Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines eius.* Sequitur, *conteſtare populum ne forte tranſcendere velint terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Exo. 19. Itẽ Nu. 4. *Cauẽt filij Iſrael ne aliqua curioſitate promoti, videant quæ ſunt in ſanctuario priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* Vnde Bethſamitæ, quia curiosè viderunt arcã Domini, poſtquam redacta fuerat de terra Philiſtinorũ, mortui ſunt. Sicut dicitur 1. Reg. 6. *Percuſſit Dominus de viris Bethſamitis, eo quod vidiſſẽt arcã Domini; & percuſſit de populo 70*

uiros & 50. millia plebis. Contra illud præceptum Domini faciunt, qui irreuerenter accedunt prope altare, maximè dum celebrantur diuina, curiosè videre volentes quę fiunt à ſacerdote, quod eſt eis illicitum. Herodes viſo Ieſu gauiſus eſt valde, ſperans ſe ſignum aliquod videre ab eo fieri. Sed quia curioſitate, non pietate vel deuotione mouebatur, nullum videre meruit, & ſic illa viſio non profuit ei, ſed obfuit. Luc. 22. Iudei videntes quotidie miracula Chriſti, contemnebant; & ſignum aliquod de cœlo petebant. Luc. 9. contra curioſitatem illorum qui curiosè inquirunt ſancta, ſeu vitia proximorum vt noceant, dicitur 2. Reg. 23. *Curioſius agite, & conſiderate locum vbi ſit pes eius.* Nota hiſtoriam & applica. Daniel. 6. *Curioſius inquirentes inuenerunt Danielem orantem & obſecrantem Deum ſuum*. Hac de cauſa miſerunt eum in lacum leonum, Dan. 6.

Curioſitas in phaleratis ſermonibus eſt vitium commune in prædicatoribus.

TERTIA curioſitas eſt in phaleratis ſermonibus. Hæc eſt curioſitas prædicatorum noſtri temporis, qui non ædificationem audientium, non ſalutem animarum quærunt, ſed oſtentationem ſcientiæ ſuæ, & gloriam famæ ſuæ. Hi prædicant ſemetipſos, hi adulterãt verbum Dei, indoctis humanæ ſapientiæ verbis, & ſic euacuant crucem Chriſti. Tales in ſacro eloquio prius ſecreta Dei ſtudent perſcrutari quam ſapiunt, nec ea querunt ex quibus ſeme ipſos ad humilitatem eruditant, mores in tranquillitate componant, patientiam ſeruent, longanimitatem exhibeant, ſed ea ſolummodo quæ eos doctos aut loquaces demonſtrent, illa ſcire appetunt ex quibus ſingulariter eruditi videantur. Iſti non granum quærunt, ſed paleam; non fructum, ſed folia; non nucleum, ſed teſta; non oleum, ſed amurcam; non aurum vel argentum, ſed ſcoriam. In prædicando vero quærunt aures mulcere, non corda compungere; plus clamores fauoris attollere, quam deuotionis lachrymas excitare. Iſti ſignificati ſunt per ficum illam cui maledixit Dominus, quia famescente Domino, fructum quem Dominus eſuriebat non habuit, ſed ſolum alijs abundauit.

Exemplum. DE beato Franciſco legitur, quod cum coram ſummo Pontifice & Cardinalibus prædicare deberet, & propter morem ſolitum ſermonem artificiosè compoſitum proponeret; in ipſa hora qua iam pulpitum aſcẽderat, ſic funditus eſt oblitus omnium quæ cogitauerat, quod de nullo verbo recoluit; ſicut ipſe coram omnibus recognouit: ſed oratione facta ad Deum cum lachrymis, tantam gratiam impetrauit, & cum tanta ſpiritus efficacia prædicauit, vt omnibus clare pateſceret, quod non homo, ſed Deus in homine prædicaret.

Exemplum. ITEM vir quidam religioſus de ordine minorum orans, vidit in ſpiritum multitudinem dæmonum, & principem eorum quaſi ſedentem in throno, rationem de factis ſuis à quolibet requirentem. Cumque multa mala quæ fecerant recitaſſent, nec tamẽ feciſſent ſecundum Principis voluntatem, nec de recitatis malis contentus eſſet, ac propter hoc eos flagellari feciſſet, ſurgens vnus in medium dixit: Domine non miremini ſi parum proficimus, quia maledictus ille Franciſcus cum miſera gente ſua, nobis inferunt multa damna, nam ipſos mundum fugientes, mundus ſequitur; & ex ſua vilitate, deiectione, morumque ſimplicitate, populum ad ſe trahunt, & plus exemplis quam verbis prædicantes, ipſum alliciunt, & quicquid multo tempore acqũiſiſſe gaudebamus, tam ſecretis eorũ colloquijs, quam publicis prædicationibus, perdimus omni die. Quod dictum teſtificati ſunt omnes, de beato Franciſco & fratribus ſuis grauiſſime conquerentes. Princeps autem furore ſuccẽſus, tale remedium adinuenit. Auferam ab eis iſtam quam habent in moribus honeſtatem, auſteritatem in victu, & humilitatem in habitu, daboque curioſitatem verborum, & ſic euacuabo fructum prædicationis eorum.

Exemplum. ITEM refert Beda de geſtis Anglorum lib. 3. c. 2. & 3. quod cum Rex quidam Edoardus nomine, qui regnabat in quadam parte Angliæ, conuerſus & baptizatus eſſet, populo adhuc gentili & idolatra exiſtente, rogauit Epiſcopos Scotiæ quod mitterent ei vnum Epiſcopum, qui fidem Chriſti populo prædicaret. Miſſus autem vnum quem præ cæteris ſubtilem & literatũ elegerant, prædicauit eis alta & ſubtilia & auſtera, Scotica lingua loquens. Rex vero interpretabatur populo lingua Anglicana. Sed populus ſubtilia non intelligens, non eſt conuerſus ad fidem, nec motus in aliquo; & ſic iſte redijt ſine fructu. Cùm autem Epiſcopi Scotiæ conſilium celebrantes cauſam huius inquirerent, reſpondit ſe gentem indomabilem, duræ mentis & barbaræ reperiſſe. Surgens autem vnus Adam nomine, vir vtique diſcretus & maturus moribus, dixit quod hæc non erat ratio, ſed quia nimis auſtera & ſubtilia prædicauerat; & qui lacte opus erat, non ſolido cibo, nimis grandia miniſtrauerat. Miſſus ergo iſte ex communi Epiſcoporum conſenſu, tam ſanctæ conuerſationis, humilitatis & benignitatis exemplo, quam ſimplicis & facilis prędicationis eloquio, totam terram ad fidẽ Chriſti conuertit, per verba groſſa, parabolas, & exempla. Sicque totam terram Britaniæ, quæ in quatuor linguas diuiditur, ſcilicet Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglorum, Chriſto, & Regi Edoardo ſubiecit.

Curioſitas in operibus vitioſa.

QVARTA curioſitas eſt in operibus, & ordinationibus. Sunt enim aliqui qui in omnibus plus exteriorem apparentiam & decorem requirunt, quam exiſtentiam realem: puta in domibus volunt habere curioſitatem, in celaturis, picturis, feneſtris artificioſe compoſitis, in lectiſternijs, coopertoriis & alijs huiuſmodi. In libris plus deſiderant pulchritudinem quam bonitatem, plus volentes habere libros pulchros & curiosè illuminatos, quam veraces & bene correctos. In habitu ſimiliter curioſitatem ſuam oſtendunt in quatuor. In genere, qualitate, colore, & coaptatione. In genere volentes habere veſtimenta prætioſa: In qualitate, ſubtilia & mollia: In colore, quod ſint nitida & variata, picturata, colorum varietate diſtincta, nouo & inſolito modo facta. In formatione aut nimis magna & dependentia, aut nimis ãpla, aut minus ſtricta ſiue quolibet alio modo ſecundũ ſæculi vanitatẽ. Coaptatio ad modũ portãdi pertinet, & ſunt modi varij ſecundũ quod hominis vaniſſimi de ſe ſpectaculũ intuentibus, modis faciunt infinitis. De talibus Theſſal. 3. *Audiuimus inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curiosè agentes*. De hoc ſpecialiter reprehendit beatus Bernardus clericos, ita dicens. *Honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde eſt aurum in ſellis & phaleris: Inde eſt meretricius nitor, byſtrionum habitus, regius apparatus; plus fulgent calcaria, quam altaria.* Eſt ergo curioſitas in ſpecioſitate, pretioſitate, diuerſitate, nouitate, & ſingularitate veſtimentorum, ornamentorum capitis vel corporis, aut equorum, domorum, lectorum, librorum, vaſorum, iocalium & vtenſilium aliorum.

Magna curioſitas mulierum.

IN *mulieribus* autẽ præcipuè, quanta ſit curioſitas, immò quantus curioſitatis exceſſus, quis enarrare ſufficiat? quanta ſit veſtium pretioſitas, colorum varietas, mutatoriorum numeroſitas, caudarum defluentium longitudo, latitudinis amplitudo, quanta varietas in iocalibũs, in ſertis & coronis, ex auro & argento & lapidibus pretioſis; in peplis croceatis, criſpatis, in aurifrigijs, in pectoralibus, & palliolis, & alijs huiuſmodi, mira curioſitate, varietate, ſubtilitate, contextis. De viduis loquens Apoſt. 1. Tim. 5. dicit. *Otioſæ diſcunt circuire domos, &c.* non ſolum aut otioſæ, nihil meritorium operantes, ſed & verboſę; non ſolum verbis otioſis, ſed & pernitioſis, detractoriis, conuiciatoriis, contumeliis, mendaciis, & periuriis, & huiuſmodi effluentes & curioſæ; innumeris curioſitatib. vanitatẽ ſuã inexcuſabilem oſtendentes. Cum ſit ergo in rebus extrinſecis tam vana curioſitas, vel vanitas curioſa, nõ eſt dubium quod ex corde procedit iſta iniquitas. Ber. de duodecim gradib. humilitatis. *Ex motib. exterioris hominis*

interio-

interiorem agnoſcas. Curioſus autem vbicunque ſtat, ambulat, ſedet, oculis vagatur, caput erectum, aures portat ſuſpenſas; vir quoque peruerſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex inſolenti corporis motu, morbus animæ deprehenditur. Quamdiu enim à ſui circunſpectione torpeſcit, incuria ſui curioſam in alijs facit.

De leuitate mentis.

DISTINCTIO III.

Secundus ſuperbiæ gradus eſt leuitas mentis.

SECVNDVS gradus ſuperbiæ eſt leuitas mentis. De hac Bernard. vbi ſupra loquitur ſic. *Qui ſui negligens eſt, alios circunſpicit, dum quoſdam ſuſpicit ſuperiores, quoſdam deſpicit inferiores. In alys quidem videt quod inuidet, in alys quod irridet. Inde fit vt mobilitate oculorum leuitatus animus, nulla vtique ſui cura aggrauatus, modo per ſuperbiam ad alta ſe erigit, modo per inuidiam in ima demergit; nunc per inuidiam nequiter tabeſcit, nunc per extollentiam pueriliter hilareſcit. In altero nequam, in altero vanus, in vtroque ſuperbus exiſtit; quia & quod ſuperari ſe dolet, & quod ſuperare ſe gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Has autem vicißitudines nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania, nunc riſu, nunc planctu plena, ſemper vero irrationabilia indicant verba.*

EST ergo leuitas mentis per quam aliquis leuiter & ſuperbè ſe habet verbo. Sciendum eſt autem quod leuitas duplex inuenitur in ſcriptura ſacra. Eſt enim leuitas quædam laudabilis, & quędam vituperabilis.

Leuitas dupl. laudabilis & vituperabilis porro laudabilis dicitur dicitur diuerſi modè.

Laudabilis quidem leuitas eſt qua dicitur homo leuis, ſcilicet agilis ad ambulandum, ignis leuis ad aſcendendum, vel auis ad volandum, penna vel pluma leuis ad portandum, pœna leuis ad tolerandum. Quod homo inquam ſit leuis, id eſt agilis ad ambulandum ſpiritualiter loquendo, id eſt non tardus nec piger ad operandum bonum, & de bono in melius proficiendo currendum, hoc eſt valde laudabile. Ideo dicitur Hier. 2. *Curſor leuis explicans vias ſuas. Secundo* dicitur homo leuis ad aſcendendum & volandum in altum per contemplationem & deſiderium æternorum.

Simile.

NOTA quod ignis naturaliter aſcendit ſub ratione leuitatis ſuæ naturalis. Auis volat ſurſum virtute pennarum. Nubes aſcendit ſurſum virtute ſolis interius attrahentis, ſic homo ex deſiderio naturali, & adiutorio pennarum virtutum, & virtute ſolis iuſtitię attrahentis, allicientis, & interius inſpirãtis, debet ad ſummum volare, non in infimis latere. Ideo dicitur Iſa. 19. *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem*, & in aſcenſione ſua dicitur aſcendiſſe in nube. *Tertio* quod leue eſt, facile poteſt portari, ſicut pluma. Iſto modo mandata diuina dicuntur leuia. 1. Ioan. 5. *Mandata Dei grania non ſunt.* Et Mat. 11. dicit Saluator. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Sequitur. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meũ leue. Quarto* aliquid dicitur leue, quia poteſt faciliter tolerari. Iſto modo tribulationes, infirmitates, & alię aduerſitates mundi dicuntur leues. Vnde 2. Cor. 4. Cum præmiſiſſet Apoſtolus: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, apoſiamur, ſed non deſtituimur*, &c. ſubiungit. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum glorię pondus operatur in nobis.*

Leuitas vituperabilis facit cito credere.

EST etiam leuitas vituperabilis, de qua principaliter eſt hic intentio noſtra principalis ad præſens, de gradibus ſuperbiæ proſequendo. Notandum ergo quod leuis cito credit, cito cedit, cito reſilit, cito exilit. Cito inquam credit cunctis ſermonibus. Cito cedit ventis perflant bus. Cito reſilit ab incepto. Et cito exilit furore concepto.

PRIMO igitur leuis corde cito credit cunctis ſermonibus. Sicut dicitur Eccleſ. 19 *Qui cito credit leuis eſt corde.* Hoc autem eſt valde periculoſum, ſicut docet experientia, maximè in Principib & Prælatis: & quãto quis dignitate celſior, tanto facilitas credulitatis periculoſior. Ber. in fine ſecundi libri, ad Euge. dicit. *Eſt vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui* cathedras aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius, *quia veraciter ſingulariterque leuaſti te ſupra te. Facilitas credulitatis hæc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ, magnorum neminem comperi, ſatis cauiſſe verſutias. Inde eis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens abiectio, inde præiudicia in abſentes.*

Leuis corde cito cedit.

SECVNDO leuis corde cito cedit ventis perflantibus, omni vento tentationis rapitur. Talem cordis leuitatem negabat ſe habere Sara. Tobiæ 3. *Nunquam cum his qui in leuitate ambulant particeps me præbui.* De tali leuitate dicitur Iob 24. *Leuis eſt ſuper faciem aqua.* Greg. 16. lib. moral. cap. 24. *Superficies aquæ huc illucque aura impellitur, & nulla ſtabilitate ſolidata mouetur. Iniqui ergo mens plus quam aquæ ſuperficies leuis eſt, quia quælibet hanc auræ tentationis attingit, ſine tarditate aliqua retractionis trahit. Si enim cor fluxum peruerſi cuiuſque cogitamus, quid aliud quam ſuperficiem aquæ vento expoſitam cernimus? Illum nunc aura iræ impellit, nunc aura luxuriæ, nunc inuidię, nunc fallaciæ pertrahit. Eſt ergo cor talis hominis quaſi lanugo quæ à vento tollitur, & ſicut ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento effuſus eſt.* Sapient 2.

Leuis cito reſilit ab incepto.

TERTIO leuis corde cito reſilit ab incepto, quia cito mutatur voluntas eius, & cito mutat propoſitum. Hanc leuitatem cordis ſe negabat habere Pau. 2. Cor. 1. *Nunquid leuitate vſus ſum? quę cogito ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me, eſt & non?* q.d. non eſt ita. Poteſt autem quandoque contingere, quod pro neceſſitate euidenti, vel cauſa rationabili, vir iuſtus & ſtabilius mutet ſententiam ſuam: ſicut dicit ille Rex Aſſuerus Heſter 15. *Ne putare debetis ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, prout Reipublicę poſcit vtilitas ſententiam ferre.*

Leuis cito erumpit in contumeliã & iniuriam.

QVARTO leuis corde cito exilit furore concepto. Cito enim mouetur ad iram, & cito motus, cito prorumpit ad contumelias & opprobria, vel etiam ad nocendum. Hic eſt gladius Ioab quo occiſus eſt Amaſa. 2. Reg. 20. Qui fabrefactus, leui motu egredi poterat & percutere. Nam leui occaſionè mouetur, & leui motu turbatur, & turbatus foras erumpit, & erumpens percutit lingua vel gladio.

De inepta lætitia.

DISTINCTIO IV.

Tertius gradus eſt inepta latitia.

TERTIVS gradus ſuperbiæ eſt inepta lætitia. Ait enim Bern. li. de duodecim gradibus humilitatis. *Proprium eſt ſuperborum læta ſemper appetere, triſtia deuitare. Dum enim ſuperbus per curioſitatem ad animi leuitatem deuenit, cum gaudium quod ſemper appetit, frequenti videt interpolari triſtitia quam de bonis alterius contrahit, impatiens ſuæ humiliationis, fugit ad conſilium falſę conſolationis.* Et ita bene dicitur inepta lætitia, conditiones quatuor habens, propter quas nominatur inepta. Hæc enim lætitia annexam habet fatuitatem, ſociam impuritatem, admixtam anxietatem, & adiunctam peruerſitatem. Obfuſcat fatuitas, deturpat impuritas, perturbat anxietas, fermentat impietas.

Latitia dicitur inepta propter quatuor, 1. ob fatuitatem eius.

APPARET autem fatuitas huius ineptæ letitiæ, tam ratione loci, quam ratione temporis in quo ſumus; quia *non eſt locus lætantium ſed flentium.* Iud. 2. *Et vallis lachrymarum*, in Pſal. 83. Vnde puer cùm naſcitur, mundum iſtum ingrediens, incipit à ploratu prophetico calamitatis ſuæ, nondum loquitur, & iam prophetat. Item dormiendo ridet, qui quam cito excitatur plorat, quia mors quę per ſomnum deſignatur, eſſet ei riſus & gaudium, ſed vita præſens vertitur ei in luctum. Vel per hoc deſignatur, quod qui clauſos habent oculos, & nõ vident miſeriam ſuam, rident; ſed excitati, & apertos habentes oculos, vident ſe non ridendi ſed flendi rationem habere. Si deſpiciat homo & conſideret diligenter, videbit vndique materiam luctus, non gaudij

vel

vel lætitiæ; videlicet interius & exterius, inferius & ſuperius. Interius quia peccata noſtra præterita, non mouent nos ad lætitiam, ſed ad fletum. Item infirmitas noſtra, quæ nobis eſt occaſio, & materia, & ſentina omnium peccatorum. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati & mortis.* Exterius vero nos vrgent ad luctum innumerabiles miſeriæ, tam noſtræ, quàm proximorum, vndique nos impugnantes, & pugnantes; & pericula tam infinita, tam animarum quam corporum; quia tempus nos rapit inceſſanter ad mortem temporalem pariter & æternam.

Simile. CAVSAM ridendi vel lætandi non habet ille, quem æquus velociſſimus cum fune ligatum in collo, præcipitanter & inceſſanter & velociſſimè trahit ad patibulum per ſpinas & tribulos. Mirum eſt ergo quomodo ridere poſſunt illi, quos tempus per funem præſentis vitę, per ſpinas & tribulos, id eſt per multas miſerias temporales, inceſſanter & velociſſimè trahit ad patibulum mortis temporalis & æternæ, Aug. *Nihil aliud eſt tempus vitæ præſentis, quam curſus ad mortem; in quo paululum ſtare, vel tardius ire permittitur nemo, ſed omnes pari motu vrgemur.*

Simile. FATVVS eſt qui ridet, & videt ſe & ſocios ſuos in fluuium rapidiſſimum cecidiſſe, qui eos omnes inceſſanter & curſu rapidiſſimo trahit in mare. Fluuius iſte in quem cecidimus omnes, eſt fluxus temporis vitæ præſentis, qui nos omnes pertrahit ad amaritudinem mortis temporalis, ſed peccatores ad amaritudinem mortis æternæ. Superius autem eſt conſideratio rationis reddendæ coram ſummo Iudice de omnibus operibus, cogitationibus, & verbis noſtris, de omnibus beneficijs Dei nobis impenſis, de quolibet momento temporis nobis conceſſi. De hoc require ſupra *de iudicio*. Inferius autem mouet nos conſideratio purgatorij vel inferni, Prouerb. 14. *Extrema gaudij luctus occupat*. Luc. 6. *Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis*. Nota exemplum de homine fugiente vnicornem.

Exemplum. ITEM refert qui deſcribit purgatorium ſancti Patricij, quod in monaſterio in quo ipſe Abbas præfuit, fuit quidam monachus cuius ſanctitati dęmones inuidentes, dormientem à dormitorio detulerunt, ipſumque per triduum detinentes, ad lectum ſuum grauiſſimè flagellatum & vulneratum retulerunt: qui confeſſus eſt ei qui loquitur, ſe ſtupenda & horrenda vidiſſe tormenta; ſuperuiuens autem annis quindecim, nullo medicamine curari potuit à vulneribus ſuis, ſed ſemper recentia & aperta manebant, quorum quędam profunda erant ad menſuram vnius digiti. Aſſerit autē qui loquitur, ſe illa vulnera ſæpius attrectaſſe, & illum mortuum ſuis manibus ſepeliſſe. Dictus autem monachus qui hoc viderat, quando videbat aliquem ridentem leuiter vel iocanter, vel incompoſitè ſe habentem, dicebat, O ſi ſcires quanta huic diſſolutioni debeatur pœna, diſſolutiones tuas & mores incompoſitos forſitan emendares.

ITEM in Anglia vir quidam religioſus qui faciem habebat velut emortuā, dicebatur in illo purgatorio fuiſſe, qui in nullo quod videret in hoc mundo lætari poterat, nec ad riſum, vel ſaltem ad hilaritatis ſpeciem prouocari. *Propter* hæc omnia, Chriſtus & alij ſancti qui fleuiſſe & non riſiſſe leguntur, ſuo nobis reſponderunt exemplo, quod ineptam lætitiā cauere debemus. Bene ergo dictum eſt: Eccleſ. 7. *Cor ſtultorum vbi lætitia.* Vnde Bern. *Mundus eſt vbi malitiæ plurimum, ſapientiæ modicum; vbi ſunt omnia viſcoſa, omnia lubrica, omnia operta tenebris, obſeſſa laqueis; vbi periclitantur animæ, affliguntur corpora, & vbi eſt vanitas & afflictio ſpiritus.*

Secundo ob eius impuritatem. SECVNDO inepta lætitia habet ſociam impuritatem. Sicut in libro ſapientiæ dicitur in perſona impiorum. *Venite & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quo non pertranſeat luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ.* Aduerte quomodo ſe mutuo cohortantur. Primo ad voluptatem. Secundo ad vanitatem. Tertio ad fæditatem; vnū enim conſequitur ad aliud, & vnum eſt cauſa alterius. Sed in his omnibus eſt breuitas durationis, ſicut ipſimet confitentur in verbis premiſſis. Et hoc bene figuratum eſt. Ionæ 4. *Præparauit Dominus Hederam, vt eſſet vmbra ſuper caput Ionæ, & protegeret eum: (laborauerat enim) & lætatus eſt Ionas ſuper hederam lętitia magna.* Sed iſta lętitia parum durauit, quia ſtatim ſequitur. *Præparauit Dominus vermem in aſcenſu diluculi in craſtinum, qui percuſſit hederam & aruit.* Exemplum etiam habemus Dan. 5. de Balthaſar *qui epulabatur in cōuiuio, & cùm eſſet in lætitia magna, præcepit ſibi afferri vaſa Domini, & bibit in eis ipſe & concubinę eius; & viſa eſt manus quaſi hominis ſcribentis in pariete,* MANE, TECHEL, PHARES, id eſt *numeratum eſt regnum tuum, appenſus eſt in ſtatera, & inuentus eſt minus habens; diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis, eadem nocte interfectus eſt, & perdidit animam & vitam.*

Tertio propter admixtam anxietatem. TERTIO inepta lętitia habet admixtam anxietatem. In omni mundano gaudio, plus eſt de triſtabili, quam de delectabili, plus de ſolicitudine & labore, quam de conſolatione & pace, quia riſus dolore miſcebitur, & *extrema gaudij luctus occupat.* Prouerb. 14. Vnde quia B. Iob ſciebat in diuitijs huius mundi non eſſe veram lętitiam ſine anxietate, ſolicitudine, labore, & timore, ideo dicebat: *Si lætatus ſum in diuitijs meis multis?* q. d. non, Iob 31. Reprehendit etiam talem lætitiam, & reſpondit inſania plenam eſſe, dicens, Iob 31. *Rodebant in ſolitudine, ſqualentes egeſtate & miſeria, & mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum. In huiuſmodi lætabantur.* q. d. in talibus non erat lætandum: Et quod plus eſt: *Et eſſe ſub ſentibus delicias computabant,* Gregor. 20. mor. c. 15. hoc exponens dicit. *In huiuſmodi lætantur, quia attendunt tranſitoria quæ percipiunt, & intueri negligunt permanentia bona quæ perdunt, cumque amore temporalium flagrant, veram lætitiam nolentes ignorant; quam ſi ſtudioſè cognoſcere quærerent, quam flenda ſint gaudia quæ appetunt viderent, ſed viſibilia ſequentes cor fugiunt, & tanto extrinſecus gaudent, quanto recordationem ſui intrinſecus non habent. Miſcentur tamen eorum gaudijs plerumque tribulationes, & ex rebus ipſis ex quibus ſuperbiunt, flagellantur, neque enim ſine grauibus curarum moleſtijs, petunt temporalia quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæſita ſeruare; inter æquales præſtantiorem gloriam expetere, à minoribus reuerentiam plus quam oportet exigere, minus quam debet eam maioribus exhibere, plerumque potentiam per iniuſtitiam reſpondere, ſemper praua agere, & tamen ne opinionem prauitatis habeant, formidoloſè cuſtodire. Hæc profectò omnia miſeros pungunt, ſed eaſdem punctiones, ipſo rerum temporalium victi amore, non ſentiunt. Vnde rectè ſubditur. Et eſſe ſub ſentibus delicias computabant: quia peccatorum delectationibus præſti, & affectu vitæ preſentis, quam ſint aſpera quæ patiuntur ignorant, lætantur itaque ſed ſub ſentib. quia rebus quidem temporalibus gaudent, ſed quia diſpenſare ſine tribulatione nequeunt, eadem cura punguntur miſeri qua premuntur. Manent ſub ſentibus, & tamen hoc ipſum delicias æſtimant; quia & dura quidem ex præſentis vitę amore tolerant, & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiuſdem tolerantię voluptatem putant. Vnde rectè Hierem. totius in ſe humanę conuerſationis ſpeciem ſumens, per planctum conqueritur dicens.* INEBRIAVIT ME ABSYNTHIO. *Ebrius quis quæ patitur neſcit, qui abſynthio ebrius eſt, amarum eſt quod ſumpſit, & tamen non intelligit eandem amaritudinem quare pletur.*

Quarto propter peruerſitatem annexam. QVARTO inepta lætitia habet adiunctam peruerſitatem. Valde namque peruerſi cordis eſt lætari de malo, quia malum in eo quod malum, contriſtat, non lætificat. Peruerſi ſunt ergo in affectione, qui de malo ſuo, id eſt de peccato gaudent. De quibus dicitur Prou. 2. *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

Tales

Tales ſunt ſimiles phreneticis, qui de vinculis ſuis gaudent, & de inſania ſua rident. Sapien. 14. *lætanter inſaniũt.* Item lætantur de malo temporali vel ſpirituali proximorum ſicut inuidi. Contra quos dicitur Prouerb. 14. *Qui in ruina lætatur alterius non erit impunitus.* Tales ſunt ſimiles dæmonib. qui de malis aliorum rident, & caſum eorum irrident, & inde deriſiones ſuas faciunt & cachinnos.

Exemplum. Refert magiſter Iacobus de Vitriaco, quod cum quidam sãctus vir in clauſtro ſolus poſt alios remanſiſſet in oratione, vidit magnam multitudinem dæmonum conuenientem in loco vbi iuuenes monachi conſueuerant inter ſe cachinnare; & vidit illos dæmones cachinnantes, ridentes, & irridentes, dicendo ha, he, hy, quaſi repreſentantes ſigna monachorum & cachinnorum eorum.

De iactantia.

DISTINCTIO V.

Quartus gradus ſuperbiæ eſt iactantia, & hæc duobus modis contingit.

QVARTVS gradus ſuperbię eſt iactantia. Videtur autem iactantia propriè importare quod homo ſe verbis extollat. Videmus enim quod homo volens aliquid longe iactare, eleuat illud in altum. Tunc homo propriè ſe extollit, quando dicit aliquid ſupra ſe. Quod contingere poteſt dupliciter. *Vno modo*, quando loquitur de ſe, non quidem ſuper id quod in ſe eſt, ſed ſupra illud quod de ſe homines opinantur. Quod Apoſtolus refugiens dicit, 2. Corin. 12. *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Alio modo* aliquis ſe extollit, loquens de ſe ſupra id quod in ſe eſt ſecundum veritatem. Et quia magis eſt aliquid iudicandum ſecundum id quod in ſe eſt, quam ſecundum id quod eſt in opinione aliorum; ideo magis propriè dicitur iactantia quando aliquis effert ſe ſupra id quod in ſe eſt, quam quando effert ſe ſupra id quod eſt in opinione aliorum; quamuis vtroque modo iactantia dici poſſit.

Iactãtia late ſumpta quadrifariã vſurpatur.

NOTANDVM autem quod latius loquendo poſſumus dicere quod iactatur aliquid ex confidentia bonitatis, ex affluentia pietatis, ex vehementia tempeſtatis, ex redundantia vanitatis. *Ex confidentia* diuinæ bonitatis homo quandoque ſe totum iactat in Deum, & diuinæ pietati committit, ſecundum illud Pſalm. 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Iſto modo veri pauperes qui propter Deum omnia contemnunt mũdana, ſe totos diuinæ pietati committunt. *Ex affluentia* pietatis diuites huius mundi bona ſua iactant in Gazophilacium, id eſt, in theſaurum Dei. Nam facultates ſuas in cæleſtes theſauros manus pauperum deportãt. Mar. 13. *Aſpiciebat Ieſus quomodo turba iactaret æs in Gazophilacium, & multi diuites multa iactabant. Cum autem vidua quædam duo minuta miſiſſet, conuocans Diſcipulos dixit eis. Amen dico vobis quoniam vidua hæc plus omnibus miſit:* & reddit cauſam huius dicens. *Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt*, vtinam ſaltem de ſuperabundãtijs ſuis mitterẽt diuites: Sicut figuratè dicitur Act. 27. *Satiati cibo alleuiabant nauem*, ſcilicet conſcientiæ, *iactantes triticum in mare*, id eſt in pauperes qui in amaritudine multa viuunt. *Ex vehementia* tempeſtatis, id eſt, tribulationis, iactantur aliqui, ſicut Diſcipuli qui tota nocte laborabant in remigando, quia & ventus erat eis contrarius, & Chriſtus dormiebat, id eſt quia tribulatio grauis eſt quandoque & Chriſtus quaſi dormiens eos reliquiſſe videtur; ſed ex cæcitatus Ieſus oratione feruenti, imperat ventis & mari, & ſtatim fit tranquillitas magna. Matth. 14. *Nauicula in medio maris iactabatur fluctibus.* Talibus ergo ſic iactatis neceſſaria eſt patientia, & orationis inſtantia. *Ex* redundantia vanitatis iactat ſe ſuperbus, & hæc eſt iactantia quæ dicitur quartus gradus ſuperbiæ, de qua loquimur principaliter quoad præſens.

Iactantia fit tum oſtentatione factorum, tum verborum.

SCIENDVM autem quod iſta iactantia fieri poteſt, vel oſtentatione factorum, ſicut dicitur Heſter 1. quod *Aſſuerus fecit grande conuiuium, &c. vt oſtenderet diuitias regni ſui, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ:* Vel oſtentatione verborum: Sicut dicitur Iob 18. *Vſque ad quem finem verba iactabis.* Et de hac ait Bernard. *Sicut veſica collecta turgida vento, punctoque perforata exiguo, ſi ſtringitur, crepitat cum detumeſcit; ac ventus egrediens non paſſim effuſus, ſed ſtrictim emiſſus, quoſdam crebros ſonitus reddit: poſtquam vero vanitas creſcere & veſica tumeſcere cœperit, neceſſe eſt vt ampliori foramine, laxato ſinu, ventoſitas eructetur, alioquin ventoſitate rumpetur. Sic ſuperbus inepta redundante lætitia, dum riſu vel ſignis eam aperire non ſufficit, in Elyæ verba prorumpit.* Iob 32. *En venter meus quaſi muſtum abſque reſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit: aut loquetur ergo, aut rumpetur: plenus eſt ſermonibus, & coarctat eum ſpiritus vteri ſui; eſurit & ſitit auditores, quibus ſuas iactet vanitates, quibus omne quod ſentit effundat, quibus qualis & quantus ſit innoteſcat. Inuenta autem occaſione loquendi, ſi de litteris ſermo oritur, vetera proferuntur & noua, volant ſententiæ, verba reſonant ampulloſa, præuenit interrogantem, non quærenti reſpondit; ipſe quærit, ipſe ſoluit, & verba prolocutoris imperfectè præſcindit; non loquitur vt ædificet, ſed vt ſcientiam ſuam iactet; ædificare poteſt, ſed ædificare non intendit, non curat docere, vel à te doceri quod neſcit, ſed vt ſcire ſciatur quod ſcit. Quando de fide vel religione agitur, ſtatim viſiones, & ſomnia proferuntur. Deinde laudat ieiunia, commendat vigilias, ſuper omnia orationes exaltat, de patientia aut de humiditate, aut de ſingulis virtutibus, pleniſſimè, ſed vaniſſimè diſputat, vt tu dicas, ſcilicet ſi audieris, quod ex abundantia cordis os loquitur, & quod bonus homo de bono theſauro cordis profert bona.*

Iactantia euacuat internam conſcientiã.

NOTANDVM autem quod qui ſe iactat, euacuat internam conſcientiam. Bernar. *Lingua in humido poſita, lata & tenuis, optimum inſtrumentum ad euacuandum cor.* Iactator enim quicquid habet in corde, vnde poſſit habere laudem, & excellentiam ſuam oſtendere; reuelat & interdum etiam quod non habet. Vnde Act. 22. *Vociferantibus Iudæis contra Paulum, & proijcientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantib. in aera, iuſſit tribunus induci Paulum in caſtra;* quia ſuperbi cum clamore & impudentia ſe iactando, veſtimenta virtutum proijciunt, & ſic turpiter ſe denudant; & puluerem iactant in aerem, quia verba iactantię quaſi puluis in aere, quibus aer obſcuratur, & aſſiſtentium obnubilatur aſpectus. *Secundo* perturbat fraternam concordiam. Prou. 28. *Qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat.* Et hoc bene ſignatum eſt, 2. Mach. 10. *Supra modum maledicebant, & ſermones nefandos iactabant:* dicitur de Tymotheo & ſuis, qui pugnabant contra Machabæum. *Tertio* incurrit diſplicentiã. Vnde Hieron. 28. *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde. Sublimitatem eius, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius, & iactantiam ego ſcio, dicit Dominus,* non ſcientia approbationis, ſed reprobationis, & æternæ damnationis. Sicut patet de lucifero qui iactando dicebat. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo.* Statim reſpondetur Iſa. 14. *Veruntamen ad infernum demergeris in profundum laci. Quarto* meretur æternam miſeriam; Sicut impij conquerendo recognoſcũt Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia velut vmbra.* Bern. *Quid illis profuit ſuperbia diuitiarum, iactantia breuis, leuis lætitia, mundi pompa, vana voluptas, magna familia: poſt voluptatem, vbi locus, vbi riſus,* vbi iactantia, vbi arrogantia? Nota quod diuitiarum iactantia dicitur duplici ratione, quia opulentia dupliciter cauſat iactantiam, ſcilicet occaſionaliter, in quantum aliquis ſuperbit de diuitijs. Et ideo Prou. 8, dicuntur *opes ſuperbę.* Alio modo per modum finis, quia ſicut dicitur 4. Eth. Aliqui non ſolum propter gloriam ſeipſos iactant, ſed etiam propter lucrum, vt quando de ſeipſis fingunt & dicunt ea de quibus lucrari poſſunt, puta quod ſint medici, vel ſapientes, vel aliquid huiuſmodi.

Perturbat fraternam concordiam.

Incurrit diſplicentiam.

Meretur æternam miſeriam.

Diuitiarum iactantia duplex.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De singularitate.

DISTINCTIO VI.

5. Gradus superbia est singularitas.

QVintus gradus superbiæ est singularitas, per quam non sufficit homini facere sicut alij faciũt, vel tenere quod iubet communis regula monasterij, sed vult sanctior omnibus apparere. De hac ait Bern. vbi supra. *Turpe est ei, si se super cæteros iactat, si non plus cæteris agat, per quod vltra cæteros appareat, proinde non sufficit illi quod communis regula monasterij vel maiorum cohortantur exempla, non tamen melior esse studet, sed videre melius viuere gestit, quatenus dicere possit, non sum sicut cæteri homines, plus sibi blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandentib. facit; quam si cum cæteris septem dies ieiunauerit. Melior sibi videtur vna oratiuncula particularis, quam tota psalmodia vnius noctis: ad omnia sua strenuus, ad communia piger: vigilat in lecto, dormit in choro. Cumque alijs psallentibus tota nocte ad vigilias dormitet, post vigilias alijs in claustro quiescentibus, solus in oratorio remanet. Inter prandentes crebro solet oculos iactare per mensas, vt si quem minus comedere viderit, victum se doleat; & idipsum incipiat sibi subtrahere crudeliter, quod necessario victui præuideat indulgendum; plus gloriæ detrimentum, quam famis metuens cruciatum. Hic omnes iudicat, hic omnium facta corrodit.* Vnde Psal. 79. *Singularis ferus depastus est eam*, scilicet vineam Domini.

6. Est arrogantia.

SEXTVS gradus superbiæ est arrogantia. Est autem arrogantia eleuatio spiritus, per quam homo se præfert alijs, iudicans se cæteris meliorem. Et opponitur sexto gradui humilitatis, per quam homo se credit & pronunciat alijs viliorem. De hoc ait Bern. vbi supra. *Cùm ex his quæ singulariter & inaniter agit, apud simpliciores opinio eius increuerit, qui profecto laudant opera quę cernunt, & vnde prodeant non discernunt, dum miserum beatificant, in errorem inducunt. Credit quod audit, laudat quod agit, & quod intendat non attendit. obliuiscitur intentionem, dum amplectitur opinionem, de omni alia re plus sibi credit quam alys, de se solo plus alijs credit quam sibi: vt iam non verbotenus, nec sola operum ostentatione suam præferat religionem, sed intimo cordis affectu credat omnibus sanctiorem; & quicquid de se laudandum nouerit, non ignorantiæ aut beniuolentię laudatoris, sed suis meritis arroganter ascribit.* Sicut ante dicit Greg. 23. moral. cap. 6. *Quatuor sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut à seipsis se habere æstimant, aut dum sibi datum desuper credunt, pro suis meritis hoc se accepisse putant: aut cum iactant se habere quod non habent: aut cum despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere quod non habent.*

Arrogantia quatuor modis cõtingit.

SED quia credere vel æstimare se bonum aliquod habere non à Deo, vel quod bonum gratiæ habeat ex proprijs meritis, ad infidelitatem pertinere videtur: Ideo nota quod vera æstimatio potest corrumpi dupliciter. *Vno modo* in vniuersali, & sic in his quæ ad fidem pertinent corrũmpitur vera æstimatio per infidelitatẽ. *Alio modo* in aliquo particulari eligibili, & hoc non facit infidelitatem. Sicut ille qui fornicatur, æstimat pro tempore illo sibi bonum fornicari, nec tamen est infidelis: sicut si in vniuersali diceret fornicationem esse bonam; sic etiam est in proposito. Nam dicere in vniuersali aliquod bonum esse quod habet homo non à Deo, vel gratiam hominibus dari pro meritis, pertinet ad infidelitatem. Sed quod aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, ita de bonis suis glorietur, ac si ea à se haberet, vel ex meritis proprijs, ad superbiam pertinet, & non ad infidelitatem proprie loquendo.

Arrogantia non requirit iudicium fidei destructiuum.

EST autem arrogantiæ vitium multis rationibus detestandum. *Primo* quia per insipientiam excęcatur. Prou. 21. Superbus & arrogans vocatur indoctus. Nec mirum, quia sicut ait Greg. 23. moral. c. 8. *Arrogans verba multiplicat, & suam sapientiam ostentare festinat; hanc enim partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat quam ostendat, quia nimirum omnes elati scientiam non habere appetunt, sed ostendere.* Et infra c. 10. *Sicut gra-*

Arrogantia multas ob causas detestanda.

1. *Quia arrogans excæcatur.*

A *uis labor iustorum est mala irridere, nec corrigere: ita grauis est labor arrogantium, si quod sapiunt non ostendunt.*

2. Quia turbatur & rũpitur.

SECVNDO quia per impatientiam turbatur & rumpitur: sicut vesica collecto turgida vento, quanto vel modicum pungitur, crepitat & rumpitur: sic arrogantes cum aliquantulum per correctionem tanguntur, vel aliquid contra voluntatem eorum dicitur, statim vesicę moræ, voces murmurationis emittunt, & ex impatientia in eorum viscerib. disrumpuntur. Ideo dicitur Eccles. 7. *Melior est patiens arrogante*: arrogantes enim volunt arguere, sed argui nolunt. Greg. 20. moral. 2. *Arrogantes argui despiciunt, etiam cum se veraciter errasse cognoscunt, sed asperitas superborum vsque ad duritiam maledictionis extenditur.* Et infra. 3. *Arrogantes quia charitatis viscera non habent, non solum argui non patiuntur: sed*

B *nec compatiuntur etiam iustis dolentibus, sed eos insuper sub specie iustæ increpationis affligunt, & cum in illis aliqua parua mala vident exaggerant, vel ea quæ verè bona sunt, malè apud se interpretando commutant.*

1. Quia Deus illum abominatur.

TERTIO quia Deus illum abominatur. Prou. 16. *Abominabilis est Domino omnis arrogans*: quicquid autem Deus abominatur, & nos abominari debemus. In signum autem quod Deus abominatur arrogantes, Elyu reprehenditur, nec tamen pro eo sacrificium offertur, sicut cæteris amicis Iob. Sicut ait Greg. 1. moral. 12. *per Eliu, qui rectis quidem sensibus loquitur, sed ad stulta elationis verba deriuatur, persona vnius cuiusque arrogantis exprimitur, qui reprehensione diuinæ increpationis arguitur: nec tamen pro illo sacrificium offertur; quia fidelis quidem, sed tamen arrogans, per veritatem credulitatis iustus est, &*

C *tamen per tumorem elationis acceptabilis non est: hunc ergo increpatio diuina redarguit, sed sacrificium non reducit.*

4. Quia Deus illum persequitur.

QVARTO quia Deus eum persequitur, humiliãdo plerumque temporaliter. Sicut dicitur Isa. 13. *Visitabo super orbem mala, & contra impios iniquitatem eorum.* Sequitur. *Arrogantiam fortium humiliabo.* Et Iob. 40. *Omnem arrogantem humiliabo, & indubitanter damnabo æternaliter.* Isa. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur*, ideſt deijcietur, *& confundetur.*

Septimus est præsumptio de qua infra.

SEPTIMVS gradus superbiæ est præsumptio. *Sed de hac dicetur infra, inter filias inanis gloriæ.*

8. Est defensio peccatorum scilicet illicita; datur enim defensio licita multipliciter.

OCTAVVS gradus superbiæ est defensio peccatorum. Notandum autem quod est quędam defensio licita, quædã illicita. *Defensio* licita multiplex est. Quædam quam conscientia contestatur. Sicut quando loquuntur homines suspiciosè, vel falso imponentes ei

D aliquid quod non fecit, & cuius non est conscius: conscientia sua defendit eum apud Deum. Sicut dicit Apostolus Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & cogitationibus inter seinuicem accusantibus, aut etiam defendentibus.* & hoc est magnum solatium iustis hominibus qui mendaciter diffamantur. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientię nostræ.* 2. Corint. 2. Apud homines etiam se defendit, pro se rationem reddendo, & veritatem rationabiliter ostendendo. Sicut pro se fecit Apostolus cùm à Iudæis accusaretur mendaciter super multis, cæpit rationem reddere dicens. Act. 26. *De omnibus de quibus accusor à Iudæis, æstimo me beatum esse, cùm sim defensurus me hodie.*

1. Quando iniocens accusatur.

2. Quando quis de peccato tẽtatur.

SECVNDA est defensio non solum licita sed necessaria omnino, quando videlicet de peccato tentatur. 1. Paral. 9. dicitur, quod cum Philistæi congregati

E essent in prælium contra filios Israel, hi steterunt in medio agri & defenderunt eum scilicet Iesbaham, qui interpretatur *laudans populum*, & Eleazar qui interpretatur *Deus meus adiutor*. Nam illi qui stant in vnitate populi Christiani, & qui deum habent adiutorem, debent stare pugnando strenuè in medio agri Ecclesiæ, vel agri propriæ conscientiæ; & hunc agrum constanter defendere contra Philistæos, ideſt dæmones impugnantes.

3. Quando quis iniuste vocatur.

TERTIA est defensio licita, quando in causam trahitur, actione scilicet personali vel reali, siue ciuiliter siue criminaliter impetratur. Vnde dicitur Act. 25

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Non eſt Romanis conſuetudo damnandi aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque ſe defendendi accipiat ad abluenda crimina.

4. Quando pauper opprimitur.

QVARTA eſt defenſio licita immo debita, quando pauper opprimitur, ſeu perſona quæcunque miſerabilis iniuſtè affligitur: tunc principes & iudices tenentur eos defendere, contrà violentiam & feritatem potentum. Iſa. 1. *Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.* Sed contra iudices impios & auaros dicitur ibidem. *Principes tui infideles, ſocij furum; omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Ideo Hiere. 50. *Redemptor eorum fortis eſt, dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet cauſam eorum.*

5. Quando fides vel veritas impugnatur.

QVINTA eſt defenſio neceſſaria, quando fides vel veritas impugnatur. Ad hoc tenentur prælati & B doctores eccleſiæ, ſicut de ſe ipſo dicebat Apoſtolus, Phi. 1. *In defenſione euangelij poſitus ſum.* Et conuerſis ad fidem dicebat. *Confido in vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, in defenſione & confirmatione euangelij, ſocios gaudij mei omnes vos eſſe.*

Defenſio illicita multiplex.

DEFENSIO autem illicita multiplex eſt. *Prima* eſt quando homo peccatum ſuum procaciter & ſuperbè ſe iuſtificando defendit. De hoc ait Bern. vbi ſupra. *Multas faciunt aliqui excuſationes in peccatis: Aut enim dicit quod excuſat ſe: Non feci, aut feci quidem, ſed bene feci: Aut ſi male, non multum male: Aut ſi multum male, non mala intentione. Si autem de illo, ſicut Adam & Eua conuincitur, aliena ſuaſione excuſare ſe nititur.* Et Greg. 22. mor. cap. 12. *Vitatum humani generis vitium eſt, & libendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendendo multiplicare. Ex ipſo quippe lapſu primi hominis, hæc argumenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem trahimus culpæ. Interrogatus enim homo vbi eſſet, vt perpetratã culpam reſpiceret, & confitendo cognoſceret, adhibere ſibimet vterque defenſionum ſolatia, magis quam confeßionem, elegerunt. Cumque excuſare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per ſerpentem, auxerunt culpam quam fueri conati ſunt. Oblique; Adam dominum tangens quod ipſe peccati eorum auctor extiterit, qui mulierem fecit; Eua ad dominum culpam referens, qui ſerpentem in paradiſo poſuiſſet. Sic ergo reatum ſuum dum defendere molsuntur, addiderunt vt culpa eorum acrior diſcuſſa fieret, quam fuerat perpetrata. Vnde nunc quoque humani generis rami, ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt; & cum de vitio quiſque arguitur, ſub defenſionum verbis, quaſi ſub quibuſdam arborum foliis ſe abſcondit. In qua videlicet occultatione, non ſe domino, ſed dominum abſcondit ſibi, agit namque ne omnia videntem videat, non vt ipſe non videatur.* Idem 33. mor. c. 26. *Omnes iniqui in omni peccato quod faciunt, ſcutum ſuperbæ defenſiones opponunt. Nam cum quis talium, de reatu ſuæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, ſed quid in adiutorium ſuæ iniquitatis opponat. nulla itaque veritatis ſagitta penetratur; quia verba ſanctę correctionis, ſcuto excipit ſuperbę defenſionis.*

1. Quando quis ſuum peccatum ſuperbe defendit.

2. Quando quis in peccato alium defendit.

SECVNDA defenſio illicita eſt quando quis alium in peccato ſuo defendit, quod faciunt adulatores. Sicutin pſalmo 9. dicitur. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Greg. 33. mor. c. 5. exponẽs illud Iob. 40. PROTEGVNT VMBRÆ VMBRAM EIVS. Ait. *Dum doctrinæ iuſtorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quodlibet corrigi non permittunt, vmbræ Behemoth vmbram eius protegunt; dum nequiſſimorum facta, nequiores peruerſis patrocinijs tuentur: quod nimirum hoc ſtudio faciunt, ne dum culpa in qua & ipſi obligati ſunt, in alijs corrigitur, ad ipſos quandoque veniatur. Se igitur tegunt, dum alios protegunt; quia culpam ſuam præuident impeti, Vnde alios conſiderant libera correptione confundi. Sicque fit vt ſententia criminum dum defenditur augeatur, & vniuſcuiuſque nequitia eo ſit ad perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto maiora incrementa percipiunt, quanto per defenſionem potentium diu inulta tolerantur. Sed tales quicunque ſeu intra ſeu extra ſanctam eccleſiam eſſe videantur, tanto ſe apertiores Dei hoſtes exhibent, quanto maiores ſunt patroni vitiorum. Contra illum quippe ſuis defenſionibus pugnant, cui ea quæ diſpliscent defendendo multiplicant.* Bene de talibus poteſt dici illud Iudith. 7. *Montes*, ideſt ſuperbi, *& potentes defendunt illos.*

3. Quando quis haud patienter ſuſtinet.

TERTIA defenſio illicita eſt, ſi quis dum temporaliter affligitur, ſe defendat, quia non debet vindictam expetere, ſed patienter ſuſtinere. Sicut Apoſtolus monet Rom. 12. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipſos defendentes charißimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim. Mihi vindictam, & ego retribuam dicit dominus.*

QVARTA defenſio eſt quando quis ex præſumptione ſua volens aliis dominari & eos ſibi ſubijcere, contemni ſe iudicat & confundi ſi non obediant ei, vel reuerentiam exhibeant. Sicut Nabuch, volens cunctis nationibus dominari, iurauit per thronum & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus illis, qui ſuum imperium recuſabant. Iudi. 2. Aman quoque confuſum ſe reputans, quia Mardocheus non flectebat genua coram eo, nec ei reuerentiam exhibebat; non ſolum in mortem eius machinatus eſt, ſed & totius populi Iudæorum. *Heſter per totum.* Sic multi ex ſumma ſuperbia iniuriatos ſe dicunt ab illis qui eis non exhibent honorem & reuerentiam, & quærunt occaſiones nocendi multipliciter, & grauandi.

9. Eſt fallax & ſuperba confeſſio.

NONVS gradus ſuperbiæ eſt fallax & ſuperba confeſſio. De qua Bern. vbi ſupra. *Sed hæc excuſationis genera eatenus mala iudicantur, quatenus ore prophetico verba malitiæ appellantur; multo tamen periculoſior eſt fallax & ſuperba confeßio, quam pertinax & obſtinata defenſio. Nonnulli enim cum de apertioribus arguuntur, ſcientes quod ſi ſe defenderent, non ſibi crederetur, ſubtilius inueniunt argumentum defenſionis, verba reſpondentes doloſæ confeßionis.* EST ENIM QVI NEQVITER SE HVMILIAT, ET INTERIORA EIVS PLENA SVNT DOLO. Ecc. 19. *Vultus demittitur, proſternitur corpus, aliquas ſibi lachrymas extorquent ſi poſſunt: vocem ſuſpiriis, verba gemitibus interrumpunt, nec ſolum quæ huiuſmodi eſt obedientia non excuſat, ſed ſic culpam exaggerat, vt dum impoßibile aut incredibile aliquid ſuæ culpæ audis additum, etiam aliud quod ratum putabas diſcredere poßis: & ex eo quod falſum eſſe non dubitas, in dubium veniat quod quaſi certum tenebatur. Dumque affirmant quod credi volunt, confitendo culpam defendunt, & aperiendo tegunt: quando & confeßio laudabiliter ſonat in ore, & adhuc iniquitas occultatur in corde, quatenus magis ex humilitate quam ex veritate fateri putet qui audit: aptans ei illud* Prouer. 18. IVSTVS IN PRINCIPIO ACCVSATOR EST SVIIPSIVS. *Sed qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: quia quicquid pro culpa ſibi iniungitur quam odit, tacita conſcientia amplectitur patienter. Cuius vero ſimulata confeßio eſt, vna vel leui contumelia, aut exigua pœna interrogatus, iam humilitatem ſimulare, iam ſimulationem diſſimulare non poteſt, murmurat, frendit, iraſcitur. Quanta putas tunc confuſio ſit in corde ſuperbi, cum fraus deprehenditur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur, tandem notatur ab omnibus, iudicatur ab omnibus: eo quod omnes vehementius indignantur, quod falſum aſpiciunt quicquid de eo prius opinabantur.*

10. Eſt rebellio de qua infra.

DECIMVS gradus ſuperbiæ eſt rebellio. De qua dicetur infra *inter filias inanis gloriæ.*

11. Eſt libertas peccandi.

VNDECIMVS gradus ſuperbiæ eſt libertas peccandi, per quam aliquis cum iam nec ſuperiorem videt quem timeat, nec fratres quos reuereatur, tanto ſecurius quanto liberius ſua deſideria delectatur adimplere, à quibus prius tam timore quam pudore prohibebatur. De hac nefaria libertate dicitur Iob xi. *vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum reputat.* &c. Greg. x. mor. xi. *Vanitatis eſt vt cum peccatum mentem ſauciat, hanc ex culpa audacem reddat, quatenus ſui reatus oblita, quę ſe innocentiam amiſiſſe non dolet, iuſto excęcata iudicio, ſimul & humilitatem perdat. Et ſit*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plerumque vt prauis deſiderijs ſeruiens, à iugo ſe diuini timoris excutiat, & quaſi in malorum perpetrationem tam libera, omne quod voluptas ſuggerit implere contendat. Vnde cum vir vanus ſe erigere per ſuperbiam dicitur, illico ſubinfertur. ET QVASI PVLLVM ONAGRI SE LIBERVM NATVM PVTAT. *Per pullum onagri omne genus agreſtium exprimitur, quod naturę dimiſſum motibus, loris dominantium non tenetur. Omnia namque animalia, habent in libertate ire quo appetunt, & quieſcere cum laſſantur. Et quamuis inſenſatis animalibus homo longe ſit melior, hoc tamen plerumque homini non licet, quod brutis animalibus licet. Quæ enim ad aliud non ſeruantur, eorum motus ſub diſciplina minime reſtringuntur; homo vero quia adſequentem vitam ducitur, neceſſe eſt vt in cunctis ſuis motibus ſub diſcipline diſpoſitione religetur, & quaſi domeſticum animal loris vinctum ſeruiat, & aternis diſpoſitionibus reſtrictum viuat. Qui ergo implere cuncta quę deſiderat per libertatem quærit, quid aliud quam pullo onagri eſſe ſimilis conſpicitur, vt hunc diſcipline lora non teneant, ſed audacter vagus per ſiluas deſideriorum & abrupta vitiorum, ſine retardatione diſcurrat.*

De conſuetudine peccandi.

DISTINCTIONE VII.

12. eſt cõſuetudo peccãdi.

DVODECIMVS gradus ſuperbiæ eſt peccandi conſuetudo. Bern. ſupra. *Poſtquam terribili Dei iudicio prima flagitia impunitas ſequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, concupiſcentia reuiuiſcente ſopitur ratio, ligat conſuetudo, trahitur miſer in profundum malorum, traditur tyrannidi peſſimorum, ita vt carnalium voragine deſideriorum abſorptus ſuæ rationis diuinique timoris oblitus, dicat inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Iam indifferenter libitis pro licitis vtitur. Iam ab illicitis excogitandis, perpetrandis, inueſtigandis animus, manus, & pedes, minime prohibentur. In vndecimo quidem gradu ſuperbiæ, & ſi nec fratres, nec ſuperiorem ſuum timet, nondum tamen penitus formidine caret; hanc ratio tenuiter adhuc ſubmurmurans, voluntari proponit; nec ſine qualicunque dubitatione quæque primum illicita perficit. Sed ſicut is qui vadum tentat, pedetentim, non curſim, gurgitem vitiorum intrat. In hoc autem duodecimo gradu, iam effrænata voluptate deductus, iam experta impunitate ſecurus, iam Dei iudiciorum oblitus, per deuia quæque miſer currit. Quemadmodum denique aſcenſis duodecim humilitatis gradibus, corde iam alacri abſque labore, pro bona conſuetudine, iuſtus currit ad vitam, ſic deſcenſis duodecim ſuperbiæ gradibus, impius pro malo vſu, non ſe ratione gubernans, non timoris fræna retentans, intrepidus currit ad mortem. In medijs gradibus humilitatis & ſuperbiæ, iuſtus & impius fatigantur & angaſtiantur, qui nunc metu cruciati gehennę, nunc priſtina retardati conſuetudine, deſcendendo vel aſcendendo laborant. Supremus tantum & infimus currit abſque impedimento, & abſque labore. Hic ad mortem, alter ad vitam; vterque feſtinat, ille alacer, hic procliuior; illum alacrem charitas, hunc procliuem cupiditas facit. In altero amor, in altero ſtupor, laborem non ſentit. In illo namque perfecta charitas, in iſto conſummata iniquitas, foras mittit timorem. Illi veritas, huic cæcitas, dat ſecuritatem. Poteſt* ergo gradus hic duodecimus appellari conſuetudo peccandi, cuius occaſione de conſuetudine bona & mala eſt dicendum. Primo oſtendendum quanta mala faciat homini conſuetudo mala. Secundo de remedijs cõtra conſuetudinem malam. Tertio, quia oppoſita iuxta ſe poſita clarius eluceſcunt, dicendum erit de conſuetudine bona.

Conſuetudo mala ſummopere cauẽda propter multa & 1. quia facit hominẽ pronum ad omne malum.

SCIENDVM autem quod conſuetudo mala multa mala facit, propter quæ ſummopere cauenda eſt. *Primum* eſt quia facit hominem pronum ad omne malum. Hiere. 2. *Curſor leuis explicans vias ſuas. Onager aſſuetus, qui ſine fræno circunducitur vbi ſuus impetus ducit eum.* Homines malis aſſueti, ſunt vt peluis in aqua, gallus ſuper pinnaculum, molendinum ad ventum, nauicula in mari ſine regimine, pluma in via, vel lanugo. Hi ſunt nubes ſine aqua, nebulæ turbinibus agitatę, fluctus ſæui maris, qui ducuntur quocunque à vento tentationis vel propriæ commotionis impelluntur. Iudæ. c. 2.

Simile. *2. Facit hominem grauem ad benefaciendum.*

SECVNDO facit hominem grauem & ponderoſum ad benefaciendum & malum fugiendum. Hiere. 13. *Nunquid poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, aut Pardus varietatem ſuam? ſic nec vos poteritis benefacere cum didiceritis malefacere.* Hoc iugum graue ſuper filios Adam. Tre. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum.* Et poſt, *Dedit me in manu de qua non potero ſurgere.* Ioh. 11. *Lapis erat ſuperpoſitus Lazaro.* Glo. *Difficillime ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit.* Exo. 1. *Premebantur filij Iſrael duris operibus luti, & lateris, & palearum;* & hoc ſub Pharaonica ſeruitute, & Aegyptiorum, qui conſuetum numerum laterum exigebant, ſicut dicitur Exo. 5. Ad hoc pertinet quod habetur ſupra *de pondere peccati & ſeruitute.* Item eſt infirmitas grauis ad tolerandum, & ad curandum. Eccl. 10. c. *Languor prolixus grauat medicum*, eſt etiam quaſi gutta inoſſata, & lepra incurabilis & perſeuerans, niſi ſolo diuino miraculo. Poëta. *Principijs obſta ſero medicina paratur; Cum mala per longas conualuere moras.* Ariſto. in Ethicis. *Difficile eſt illam paßionem repellere, quæ eſt cum temperantia.* Eccleſiaſtici 1. *Peruerſi difficile corriguntur.*

3. Cor hominis induratur.

TERTIO mala conſuetudo cor hominis indurat. Induratur homo in mala conſuetudine, vt æs in aqua, later in igne, incus ſub maleo, cornu in capite, aqua in gelu, quæ per longam congelationem induratur in lapidem criſtallinum. Eccl. 40. *frigidus ventus Aquilo, flauit Aquilo, & gelauit criſtallus ab aqua.*

Simile.

4. Ligat hominem quaſi catena.

QVARTO ligat hominem catena quaſi ferrea. Vnde Aug. lib. confeſſ. *Tenebar non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate &c.* ad modum Sampſonis, qui primo ligatus eſt neruis mollibus, poſtea nouis funibus, tertio cum litio, & cum ſeptem crinibus; quarto captus, excęcatus, & incatenatus, à Philiſtæis incarceratus, Iudicium 16. Sic primo ligatur peccator neruis recentibus, quando peccatum recens eſt latens, intra in cogitatione; poſtea nouis funibus, quando peccatum nouum eſt in operatione; tertio cum litio plectendo in frequenti iteratione; ſed vltimo incatenatur quaſi catena ferrea, in longa peccandi aſſuefactione. Iſa. 58. *Si abſtuleris de medio tui catenam* &c. Ioh. 11. *Lazarus quatriduanus ligatus erat inſtitis.* Bern. *Voluptas habita libenter repetitur, repetita blanditur, conſuetudo ligat, ratio conſopitur.*

Simile.

5. Facit homine peccato & diabolo confœderatũ.

QVINTO facit hominem diabolo & inferno & peccato quaſi iuramento confœderatum; qui quaſi Naas Ammonites eruit dextros oculos ſibi confœderatis, ideſt cogitationes & affectiones quæ pertinent ad dexteram vitæ æternæ. 1. Reg. 11. *In hoc feriam pactum vobiſcum, vt eruam omnium veſtrũm dextros oculos, & ponam vos opprobrium* &c. Iſa. 28. *Percußimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Hoc faciunt qui manus ſuas ponunt inter manus diaboli, qui faciunt ei homagium, vt non recedant ab operibus eius. Sicut fecit Theophilus de quo legitur in miraculis beatæ Virginis, *require infra. primo ti. de conſ. de ſigillo deleto, & de fœdere diaboli diſſipato, & de manu dealbata.*

6. Dirimit bona naturæ, gratia & gloria.

SEXTO bona naturæ dirimit, & proſternit bonos mores & paulatim conſumit, & bona gloriæ deſtruit omnino. Eccl. 7. *Non eſt illi bonum quia aßiduus eſt in peccatis.* Hier. 48. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia* &c. Et poſt. *Requieuit in fecibus ſuis* &c. Et poſt. *Sternent eum,* ſcilicet dæmones & vitia, *& vaſa eius hauſient,* ideſt virtutes & bonos mores & opera gratuita. Hoc ſignatur 1. Mach. 1. ca. *Antiochus intrans ſanctificationem cum multitudine graui, comminuit quędam, & alia abſtulit.* Sic diabolus intrat mentem cum multitudine graui malæ conſuetudinis; quæ multa eſt, quia ex multis iterationibus relinquitur; & grauis, quia

graue damnum, & grauiter premit, & difficulter poteſt expelli. Conſuetudo mala eſt quarta beſtia, de qua Dan. 7. *Terribilis & fortis nimis, habens dentes ferreos & vngues, quædam commedens, & alia conſumens, & reliqua pedibus conculcans.* Sic mala conſuetudo bona gratuita tollit, & conſumit bona ſpiritualia & acquiſita, & ſcientiam & virtutes politicas quibus maximè contraria eſt comminuit, & bona naturalia conculcat & atterit.

7. Facit hominem ruere de vitio in vitium.

SEPTIMO de vitio in vitium ruere facit hominem. Eccl. 18. *Aſſidua eſt commiſtio illorum.* Petrus primo negauit, ſecundo iurat, tertio deteſtatur. Eccl. 23. c. *Iuramenti ne aſſuefcat os tuum, multi enim caſus in illa.* Ad hoc pertinent exempla quæ infra ponemus de iuramento, de muliere quæ cum argueretur quod iurauerat, ſemper magis & magis iurabat quod non iurauerat. Similiter de bubulco aſſueto negare Deum, qui ſemper magis negabat.

8. Adducit in contemptū Dei & ſui.

OCTAVO in contemptum adducit Dei & ſui. Prouer. 28. *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit ſurgere*, ſcilicet à peccato. pſalmus 40. *Nunquid qui dormit non adijciet vt reſurgat?* Plus longe dormit quam Glis genus muris, quod animal dormit per ſex menſes continuè quaſi mortuum: Sed peccator aliquando in mala conſuetudine per 40. annos, nec inde ſurgit. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris.* Contemnit & peccare, & ſe à caſu leuare. Contemnit etiam Deum à quo deſperat, vt dicit gloſ. ſupra prædictum verbum Prouer. ibi. IMPIVS CVM &c. *Qui longius peccatorum tenebris inuolutus, cum ſemel de luce deſperat, ex deſperatione peccandi ſibi fræna relaxat: Sed opprobrium futuræ damnationis non euadet.*

Simile.

Similis eſt ſtulto puero qui cadens in lutum flet, nec à luto ſurgere laborat, cum de facili poſſet, immo aliquando videns ſe deturpatum, ridet. Item ſimiles ſunt fatuis, & freneticis, & inſanis, qui inſanias ſuas contemnunt, & de miſerijs ſuis & vinculis non curant, nec diſſolui laborant.

Exemplum.

SIMILES illis de quibus in Barlaam refert Ioannes Damaſce. dicens, quod quidam catholicus ſeruiebat cuidam regi idolatræ, quem cum rex aliquando de nocte duceret ſolum per ciuitatem, videns lucem exeuntem de domo ſubterranea, & reſpiciens vidit per feneſtram hominem miſerrimum, omnibus bonis nudatum & pauperrimum, & quandam mulierem æquè miſeram, propinantem ei calicem quem bibebant, quæ erat melos dulce decantans, & ei congaudens, tunc ait: O mira res, ô extrema dementia, dico tibi (ait ſocio ſuo miranti viſa ſecum) nunquam mihi tantum placuit vita mea, quæ tot delitijs affluit, quantum iſtis miſeris ſua, quæ mihi videtur viliſſima & abiectiſſima. Tunc ſumpta occaſione, dictus catholicus ait regi, quod ſimilis erat his vita idolatrarum, qui depauperati bonis æternis, & obligati malis æternis, dæmonibus ſeruiebant, letantes in inſania ſua.

Simile.

Similiter quos peccati mala conſuetudo & peccati ſeruitus oblectat, ſunt luſoribus ſimiles, qui amiſerunt omnia in tabernis, & ſunt in multis obligati, & cito propter debita ſua incarcerandi, obliti miſeriæ ſuæ cantant, nec de debitis ſuis, aut eorum ſolutione curant, aut cogitant.

9. Facit hominem deſpicabilem.

NONO facit hominem deſpicabilem, deſtruens omnem dignitatem, & nobilitatem, & honorem. Eccl. 41. *Filij abominationum ſiunt filij peccatorum; & qui verſantur ſecus domos impiorum: filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum ſemine eorum aſſiduitas opprobrij*: ſcilicet propter eorum malam nutrituram, ſquia nutriuntur filij à parentibus in malis conſuetudinibus. Vnde de hoc ſequitur. *De patre impio conqueruntur filij. Sicut*

Exemplum.

patet per exemplum illius filij, qui propter hoc quod pater ſuus malè eum nutriuerat, ad tabernas ducendo ſecum, de ludis & furtis & maleficijs non corripiendo, cum propter furtum ſuum adiudicatus, ad ſuſpendium duceretur, propter conſuetudinem furandi; cum rogaret patrem ſuum vt oſcularetur eum, amputauit eius naſum cum dentibus pro oſculo, dicens quod pater ſuus qui eum malè nutriuerat, nec corripuerat, ad ſuſpendium eum ducebat.

10. Facit præſcriptionem.

DECIMO facit præſcriptionem. Sicut quando aliquis poſtquam per longum tempus tenuit rem aliquam in pacifica poſſeſſione, longiturnitas temporis facit, quod ſua ſit in perpetuum, licet primo malè poſſideret. Sic debet timere malis aſſuetus, ne per præſcriptionem lucretur eum diabolus ſeruum perpetuum, ſicut volebat Pharao filios Iſrael iure præſcriptionis poſſidere, dicens Exo. 5. *Noſcio dominum, & Iſrael non dimittam.* Item Exo. 21. quod *ſi aliquis haberet ſeruum, & vellet morari cum eo vltra ſeptennium, perforabat ei dominus aurem ſubula, & fiebat ei ſeruus ſempiternus.* *Item* Sap. 14. dicitur quod longa conſuetudo facit idolatriam: *intercedente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt* &c. Eccl. 17. *Ne demoreris in errore impiorum.*

11. Inducit neceſſitatem peccandi.

VNDECIMO inducit & facit neceſſitatem, vt dicat homo ſe quaſi non poſſe dimittere quod conſueuit, vt ſit ſicut lana iacens in tinctura, quæ non poteſt alium colorem accipere. Hier. 14. *Nunquid poteſt niger Æthiops mutare pellem ſuam* &c. Item vt ſit homo ſicut virga tortuoſa, quæ ingroſſata & indurata in truncum antiquum, non poteſt tortuoſitatem veterem deponere. Hugo de ſancto victore *Iſtis fomentis quaſi quibuſdam gradibus creſcit pœna, cogitatio praua parit delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus operationem, operatio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem.* Vnde Apoſtolus legem dicit eſſe in membris ſuis, quæ lex eſt conſuetudo, à qua cum volumus diſcedere, non poſſumus, quia neceſſitatis vinculo per conſuetudinem detinemur.

Simile.

12. Ducit ad perditionem. Exemplum.

DVODECIMO ducit ad perditionem, & æternam damnationem. Pſalmus 128. *Prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidit ceruices peccatorum.* Idem 72. *Qui elongant ſe à te peribunt.* Leui. 18. *Iuxta conſuetudinem terræ Ægypti ne faciatis. Qui fecerit de abominationibus eorum quippiam perhibit.* Eccl. 9. *Cum ſaltatrice ne ſis aſſiduus, ne pereas in efficacia illius.* Hæc ſaltatrix eſt mala conſuetudo, quæ excludit à conſortio bonorum. Sicut dicitur 4. Dial. 18. de Muſa puella, cui oſtendit beata virgo chorum virginum candidarum, quærens ſi vellet eſſe cum eis: quæ cum reſponderet quod ſic, dixit beata Virgo, quod ſi abſtineret à conſuetis terrenitatibus, riſu, & iocis, &c. die triceſima coniungeretur eis. Cum autem quærerent parentes eius ab ea, cur ita ſubito eſſet immutata, & omnem aſſuetam terrenitatem abieciſſet; dixit eis quæ dixerat beata virgo. Triceſima autem die apparuit ei beata virgo cum choro virginum, quæ correpta febre, & clamans, ecce venio domina mea, ecce venio, cum ipſo clamore reddidit ſpiritum. *Item* eiuſdem 19. de puero, quem pater male nutriuerat, qui vidit cum eſſet quinquennius dęmones, & cum fugeret ad gremium patris ſui clamans, obſta pater, quia me manu tollere volunt: cum territus & tremens vellet ſe abſcondere in dicto ſinu patris, blaſphemauit Dei maieſtatem, ſicut conſueuerat quando aliquid contra voluntatem eius fiebat, & blaſphemando mortuus eſt.

De remedijs contra malam conſuetudinem.

Septē remedia contra malam conſuetudinem.

SVNT autem ſeptem quæ valent ad tollendam malam conſuetudinem. *Primum* eſt vt homo omnes importunitates & fæditates eius præ oculis habeat, & eas abhorreat, & mala quæ inducit. Sicut faciebat qui volebat repudiare mulierem, deſcribebat omnes eius fæditates; Sicut dicitur Deut. 24.

1 Conſideratio fæditatis eius.

2 Abiectio eius in initio.

SECVNDO debet laborare vt malam conſuetudinem in ſua nouitate repellat & abijciat, & maximè cum iuuenis eſt, vel ipſe, vel conſuetudo. Virgula enim antequam ingroſſetur & induretur in veterem, cito à ſua tortuoſitate rectificatur, & tranſplantata radicatur, inſerta domeſticatur. Infirmitas recens cito curatur. Auicula cito domeſticatur & aptatur. Pullus equinus cito ambulare addiſcit. Plica noua cito ad partem contrariam replicatur. Teſta recens cito malum ſaporem amittit, & bono imbuitur. Conſuetudo noua cito immutatur, antiqua difficulter vel nunquam, niſi cum diuino miraculo deponitur. De Alexandro dicitur, quod aliquos mores degeneres & indecentes, quos didicerat à quodam hiſtrione dicto Leonide in iuuentute ſua, licet diſplicerent ei quando duceret exercitum factus iam rex, nunquam potuit deponere.

3. Tendentia in contrariā conſuetudinem.

TERTIO vt in contrariam conſuetudinem tendat. Sicut virga tortuoſa ad contrariam inflectitur, & inflexa tenetur diu per violentiam, vſquequo rectificetur, & ſicut ramum arboris tendentem ſurſum: volens homo extendi in latum, & ſub eo delectari, alligat ei lapidem inclinantem eum deorſum, & poſtea ligat eum in latum, vt fit de vlmo, & vite, & alijs arboribus aliquibus vſquequo indurentur & dirigantur in latum. Sic homo debet ſibi violentiam inferre ad contrariam conſuetudinem: vt aſſuetus Deum maledicere, loco eius addiſcat eum benedicere. Rom. 20. *benedicite & nolite maledicere.*

4 Inuocatio diuini auxilij.

QVARTO vt fortiorem potentiam aduocet cui ſe ſubiiciat: vt qui opprimitur à potente, qui vult eum in ſeruitutem perpetuam redigere, aduocat fortiorem in adiutorium ſuum. Ita cum diabolus vult te redigere in ſeruitutem per malam conſuetudinem, aduoca Dei adiutorium; & contra malam conſuetudinem, offer ei vel eius ſanctis aliquod votum, vel aliquam bonam conſuetudinem aſſueſcere contra malam, in honorem eorum, vt te liberēt à iugo ſeruitutis malæ cōſuetudinis; ſicut Dauid faciebat, dicens Pſ. 69. *Deus in adiutoriū meum intende &c. Deus in nomine tuo ſaluū me fac.* Pſal. 53. Et poſt. *Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me &c.* Et poſt. *Voluntarie ſacrificabo tibi.*

5 Ingreſſus religionis.

QVINTVM remedium eſt vt homo in muta ſe ponat. Sicut ponuntur accipitres in muta vt innouentur, veteri pluma depoſita, & mutentur ibi: Sic homines oppreſſi in ſæculo malis & ſæcularibus conſuetudinibus, debent ſe ponere in muta religionis, vbi *deponant veterem hominem cum actibus ſuis, & induant nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt*, vt dicitur Ephe. 4. *Deponentes ſecundum priſtinam conuerſationem noſtram, veterem hominem* &c. Et poſt. *Renouamini in ſpiritu mentis veſtræ* &c. *hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.*

6 Fuga occaſionum.

SEXTVM remedium eſt vt homo occaſiones conſuetudinum fugiat. Vt mala conſortia, & colloquia, & pacta, & omnia illa per quę poteſt cito relabi in conſueta mala, vt aues laqueos, feræ pedicas & loca in quibus capta fuerunt; *ne ſit homo quaſi torrix vel titio raptus de incendio, & repoſitus in illud, qui tunc fortius incenditur.* Amos. 4.

7 Adhæſio bonoconſortio.

SEPTIMVM eſt vt bonis conſortijs adhæreat; Nam vt dicit Philoſophus: *Ex conuictu mores formantur.* Pſalmus 17. *Cum ſancto ſanctus eris vt vitis* erigitur ad modum arboris cui applicatur: Et Saul veniens in cuneo Prophetarum, factus eſt propheta 1. Re. 0. *Item* dicitur quod quidam ruſticus græcus cum veniſſet apud Athenas ad forum, tranſiens ante ſcholas philoſophorum, incepit curioſè inſpicere quomodo diſputabant, poſtea auſcultare quid dicebant, poſtea incepit dicta penſare, & poſt in ipſis adeo delectari, quod ad vltimum vendidit omnia quæ habebat, vt ſcholas ſequeretur, Quod cum feciſſet, per longum ſtudium & conſortium philoſophorum factus eſt philoſophus ſummus. De bona autem conſuetudine, quę maximè eſt contraria vitio malæ conſuetudinis, poſſunt dici multa quæ ſupradicta ſunt *vide perſeuerantia per totum*, & quæ dicta ſunt ſupra *de bona conuerſatione & exemplo.*

Exemplum.

Conſuetudo facit quodres difficilis euadat facilis & delectabilis.

HOC ſolum notandum eſt, quod ea facit non ſolum res graues & difficiles portabiles, iuxta illud poeticum; *Quod malè fers, aſſueſce, feres:* ſed facit eas ad faciendum & portandum faciles, & ad vltimum iucundas & delectabiles. Tullius. *Optima forma viuendi eligenda eſt, quam iucunda reddet conſuetudo.* Prouer. 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris non arctabūtur greſſus tui; & currens non habebis offendiculum.* quia via pœnitentiæ, & ſemitæ virtutum, primo ſunt difficiles inchoantibus, poſt tolerabiles progredientibus, poſt faciles perſiſtentibus, poſt iucundæ & delectabiles aſſuetis. *Quod* patet ad exemplum Dauid 1. Re. 17. Cum Dauid armatus eſſet armis regis, non potuit incedere, quia non habebat eorum conſuetudinem; ſed poſtquam aſſuetus fuit in armis, factus armiger ipſius Saul, facta ſunt eius arma ei ad portandum facilia & delectabilia.

Exempla.

ITEM Oroſius 4. de ciadibus Romanorum dicit, quod cum Romani pugnarent contra Hannibal regem Pœnorum, ita deleta eſt omnino Romana militia, quod dictus Hannibal miſit apud Carthaginem vrbem ſuam regiam tres modios anulorum, quos abſtulerat de digitis ſenatorum & militum occiſorum. Romani autem deſperati ſe poſſe poſtea conſurgere, ſine aliquo obſidente, volebant vrbem dimittere & fugere; ſed cum conſilio cuiuſdam ſapientis, ſeruos ſuos, qui erant magni roboris, liberos fecerunt & milites; & quos apud ſe non habebant, cum alijs emebant; & per huiuſmodi rurales homines, qui erant aſſueti duris & aſperis, poſtquam aſſueti fuerunt, & exercitati in militaribus, vicerunt, & regem Carthaginis & ciuitatem ceperunt, & ſuccenderunt, & ciues eius nobiles & milites, ſeruos ante ſe egerunt. *Item.* Idem hiſtoriographus. Cum Romani miſiſſent Scipionem ad Africam ſubiugandam, cum veniſſet ad eam, videns ſuorum multitudinem non ita eſſe exercitatam in prelijs vt aduerſarij erant, noluit ſtatim contra eos confligere, ſed trahens exercitum ſuum ad partem, fecit eum per annum exercitari in armis, & in his quæ pertinebant ad pugnam; & per aſſuefactionem totam Africam perdomuit, & Rom. imperio ſubiugauit; & inde dictus eſt Africanus. Hæc de gradibus ſuperbiæ dicta ſufficiant.

De peccato inanis gloriæ.

DISTINCTIO VIII.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato inanis gloriæ. Circa quod conſideranda ſunt octo. Primo quid ſit gloria. Secundo quid vana vel vere gloria. Tertio vtrum appetitus inanis gloriæ ſit peccatum mortale. Quarto vtrum inanis gloria ſit vitium capitale. Quinto circa quæ habeat eſſe inanis gloria. Sexto quæ mouere debent ad inanem gloriam contemnendam. Septimo quæ mala facit in anima. Octauo de filiabus eius.

Gloria eſt clara cum laude notitia.

CIRCA primum ſciendum, quod ſecundum Tullium in ſua Rhetorica. *Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.* Et Ambroſius dicit, quod *gloria eſt cum laude clara notitia.* Appetere autem famam laudabilem, vel nominis claritatem, non videtur eſſe peccatum, cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicatur Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine.* Et Apoſtolus. 2. Corin. 20. *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.* Item Rom. 12. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Item 1. Mach. 2. *Mementote operum patrum veſtrorum, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Appetere ergo gloriam non eſt malum.

Non eſt malum appetere gloriam.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *quæ vera vel vana gloria ſit dicenda.* Sciendum quod gloria multipliciter accipitur in ſcriptura. Quædam enim eſt vera. Quędam vana. *Vera* quidem eſt, quę eſt de bonæ conſcientiæ teſtimonio; ſecundum illud. 2. Corin. 3. *Gloria veſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ veſtræ*, quando ſcilicet homo refert in Deum huiuſmodi gloriam, à quo eſt & conſcientiæ puritas, & operum bonorum executio. Sicut hortatur Apoſtolus 1. Corin. 10. *Qui gloriatur in domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* *Item* vera eſt gloria quam habet vir iuſtus de teſtimonio ſpiritus ſancti, & eius dulcedine, quam ſentit vir ſanctus, quando mens eius in domino gloriatur. Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei.* Et iterum ibidem. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* *Item* vera eſt gloria quando vir iuſtus patiens eſt in tribulationibus quas propter Deum ſuſtinet, ſecundum illud Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* & 2. Corin. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Et Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* *Item* veriſſima eſt gloria beatorum in patria. Pſalmus 149. *Exultabunt ſancti in gloria.* Cum gloria dicatur multipliciter, ſuper gloria claritatem quandam importat. Vnde ſecundum Aug. ſuper Ioh. *Glorificari idem quod clarificari.* Claritas autem & decor quandam habet manifeſtationem: Ideo nomen gloriæ propriè importat manifeſtationem nominis alicuius, de hoc quod apud homines decorum videtur, ſiue illud ſit bonum corporale ſiue ſpirituale. Quia verò illud quod ſimpliciter clarum eſt, à multis conſpici poteſt, & à remotis; ideo per nomen gloriæ propriæ deſignatur, quod bonum alicuius deueniat in notitiam & approbationem multorum. Largius tamen accepto nomine gloriæ, non ſolum conſiſtit in cognitione multitudinis, ſed etiam paucorum, vel vnius, aut etiam ſui ſolius, prout ſcilicet aliquis bonum ſuum conſiderat vt dignum laude. Quod autem aliquis bonum ſuum cognoſcat & approbet, non eſt peccatum, dicitur enim 1. Corin. 2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſciamus quę à Deo donata ſunt nobis.* Similiter non eſt peccatum quod aliquis bonum ſuum velit ab alijs approbari. Dicitur enim Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Et ideo appetitus gloriæ de ſe non nominat aliquid vitioſum, ſed appetitus inanis vel vanæ gloriæ, vitium importat. Nam quodcunque vanum appetere vitioſum eſt, ſecundum illud pſalmi. *Vt quid diligitis vanitatem* &c.

Gloria duplex ſcilicet vera & vana.

Vera gloria quæ & quouplex.

Gloria late ſuperba non exigit vt bonum alicuius deueniat in cognitionem multitudinis.

POTEST autem gloria dici vana tripliciter. *Vno modo* ex parte rei de qua quis gloriam quærit, puta cum aliquis quærit gloriam de eo quod non eſt, vel de eo quod non eſt gloria dignum. Sicut de aliqua re fragili & caduca. Vaniſſima autem immo inſaniſſima & diabolica eſt, quæ naſcitur de malitia, ſecundum illud pſalmi. *Quid gloriaris in malitia* &c. *Alio modo* dicitur eſſe vana ex parte eius à quo quis gloriam quærit puta ab homine cuius iudicium non eſt certum. *Tertio modo* gloria dicitur eſſe vana ex parte ipſius qui gloriam appetit, quia ſcilicet appetitum gloriæ ſuæ non refert in finem debitum, puta ad honorem Dei, & ſalutem vel ædificationem proximi, ſecundum illud Math. 5. *Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum* &c. Sicut enim Deus gloriam ſuam quærit ab hominibus, non propter ſe, ſed propter nos, qui inde gloriam conſequimur; ſic laudabiliter poteſt homo ad Dei gloriam & vtilitatem proximorum gloriam appetere; quam ſi in ſe retorqueret, peccaret. Vnde Augu. ſuper illud Ioh. 13. VOS VOCATIS ME MAGISTER ET DOMINE, ET BENE DICITIS. ait. *Periculoſum eſt placere*, ideſt placentiam quærere, *cui cauendum eſt ſuperbire.* Poteſt ergo appeti laus humana, non propter ſe, quia non eſt per ſe appetibilis: poteſt tamen appeti inquantum vtilis ad aliquid, ſcilicet vel ad hoc quod Deus glorificetur ab hominibus, vel ad hoc vt homines proficiant ex bono quod in alio cognoſcũt, vel ad hoc quod ipſe homo ex bonis quæ in ſeipſo cognoſcit, ex teſtimonio laudis humanæ ſtudeat in eis perſeuerare, & ad meliora proficere.

Laus humana poteſt appetiinquantum vtilis ad tria.

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum appetitus inanis gloriæ ſit peccatum mortale.* Sciendum quod ex hoc iudicatur aliquod peccatum eſſe mortale, quod contrariatur charitati. Peccatum autem inanis gloriæ ſecũdum ſe conſideratum, non videtur cõtrariari charitati, quãtum ad dilectionem proximi, quantum autem ad dilectionem Dei poteſt contrariari charitati dupliciter. *Vno modo* ratione materiæ de qua quis gloriatur, puta cum gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ, ſecundum illud Ezech. 18. *Eleuatum eſt cor tuum & dixiſti Deus ego ſum.* Et 1. Corin. 4. *Quid habes quod non acceperis?* ſi autem acceperis, quid gloriaris quaſi non acceperis? Vel etiam cum quis bonum aliquod temporale de quo gloriatur præfert Deo. Quod prohibetur Iere. 11. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec dives in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Vel etiam cum quis teſtimonium hominum præfert teſtimonio Dei. Sicut contra quoſdam dicitur Ioh. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei.* *Alio modo* peccatum vanæ gloriæ contrariatur charitati ex parte ipſius gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad gloriam conſequendam tanquam ad finem vltimum, ad quem ordinat etiam opera virtutum, & pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam illa quæ ſunt contra Deum, & ſic eſt peccatum mortale. Vnde Aug. 5. de ci. Dei dicit, quod *hoc vitium* ſcilicet amor humanæ laudis, *tam inimicum eſt piæ fidei, ſi maior ſit in corde cupiditas gloriæ, quam timor vel amor*, vt dominus diceret Ioh. 5. *Quomodo poteſtis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quærentes?* Si autem appetitus vel amor humanæ gloriæ, quamuis inanis, non repugnat charitati, neque quantum ad id de quo eſt gloria, neque quantum ad intentionem ipſius quærentis gloriam, non eſt peccatum mortale, ſed veniale. Vnde dicit Chriſo. ſuper Matth. quod *cum cętera vitia locum habeant in ſeruis diaboli, inanis gloria locum habet etiam in ſeruis Chriſti.* In ſanctis enim operibus habent frequenter aliquos motus vanæ gloriæ, cum tamen nullo modo vellent aliquid cogitare vel facere contra Deum.

Peccatum inanis gloria dupliciter contrariatur charitati & ſit mortale: at in alijs caſibus eſt tantum veniale.

CIRCA quartum, ſcilicet *vtrum inanis gloria ſit vitium capitale.* Sciendum, quod Iſid. & Caſſianus & alij quidam, conſiderantes ſuperbiam ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab alijs, ponunt eam eſſe vitium capitale, & inanem gloriam non eſſe vitium capitale, ſed primam ſuperbiæ filiam. Capitalia enim vitia ſunt quædam peccata ſpecialia, ex quibus oriuntur multa genera peccatorum. Alij vero conſiderantes ſuperbiam inquantum habet quandam vniuerſalem influentiam & cauſalitatem in omnia peccata, non connumerant eam cum alijs capitalibus vitijs. Sed inanem gloriam ponunt eſſe primum peccatum capitale. Vnde Greg. 31. mor. dicit ipſam eſſe reginam omnium vitiorum, & matrem; & inanem gloriam, quæ immediate ab ipſa oritur, ponit vitium capitale, & hoc rationabiliter dictum eſſe videtur. Superbia enim eſt inordinatus appetitus excellentiæ; ex omni autem bono quod quis appetit, quandam excellentiam & perfectionem conſequitur; & ideo fines omnium vitiorum ordinantur ad finem ſuperbiæ: & ſecundum hoc videtur quod habeat

Gloria dicitur vana tripliciter.

quan-

Inanis gloria recte ponitur vitium capitale, ſuperbia tanquã principio uniuerſali & regina, in omnia peccata etiã capitalia influente.

quandam generalem cauſalitatem ſuper omnia alia vitia, & debeat computari inter alia principia aliorum vitiorum, quæ ſunt capitalia vitia. Inter bona etiam per quæ conſequitur quis excellentiam, præcipuè videtur ad hoc operari gloria, quæ importat manifeſtationem alicuius bonitatis. Nam bonum naturaliter amatur, & honoratur ab omnibus. Et ideo ſicut per gloriam, quæ eſt apud Deum, conſequitur homo excellentiam in rebus diuinis; ita per gloriam quæ eſt apud homines, conſequitur homo excellentiam in rebus humanis; & ideo propter propinquitatem quam habet ad excellentiam quam homines maximè deſiderant, conſequens eſt quod ſit multum appetibilis: & quod ex eius inordinato appetitu multa vitia oriantur, & ſic inanis gloria ponitur eſſe vitium capitale. Nec obſtat quod inanis gloria oritur ex ſuperbia, quia ſicut dictum eſt, ſuperbia eſt regiua & mater omnium vitiorum.

Eſt inanis gloria quærere gloriam de bonis naturalibus, fortuna vel gratia &c.

CIRCA quintum, ſcilicet *circa quæ habeat eſſe inanis gloria.* Sciendum, quod inanis eſt gloria, ſi te extollas & quæras gloriam, vel de bonis naturalibus, vel fortunæ, vel gratiæ. De bonis quidem naturæ corporalibus, vt eſt pulchritudo, fortitudo, iuuentus, ſanitas, nobilitas, & huiuſmodi. vel de bonis naturæ ſpiritualibus, vt eſt intellectus acutus, memoria tenax, ſubtile ingenium, induſtria naturalis, & diſcretio. Item de bonis ſpiritualibus acquiſitis, ſicut eſt ſcientia, & peritia quæcunque. Item de bonis ſpiritualibus infuſis, ſicut ſunt gratia & virtutes, vt patientia, miſericordia, obedientia, humilitas, fides, ſpes, charitas &c. Item de bonis temporalibus, ſicut ſunt diuitiæ, potentia, honores, & delitiæ, fauores, & laudes humanæ. Item de bonis quæ ex ore procedunt, ſicut ſunt oratio, lectio, prædicatio, cantus, vel bona ars cantandi, peritia conſulendi, allegandi, pulchrè & vrbanè loquendi, & huiuſmodi. Item de bonis quæ operamur, vt eſt eleemoſynam facere, ieiunare, peregrinari, & huiuſmodi. De his & huiuſmodi in corde gloriari, vel ex eis fauores & laudes hominum appetere, ad vanam gloriam pertinet. Item dare hiſtrionibus ad laudes eorum acquirendum, vel eorum vituperia reprimendum aut, velle laudari de alieno bono, vel de contemptu proprio, aut velle laudari de malis, & à malis, aut gloriari de hoc quod magis appareat inter malos, & quod alios excedat, & de ipſa malitia gloriari quod peius eſt omnibus antedictis.

Vana gloria eſt præcipua inter filias ſuperbiæ.

Ex prædictis apparet, quod vana gloria inter filias ſuperbiæ primum locum obtinet, vtpote quę in ſublimibus radicatur, & ex bonis oritur, & eos impugnat fortiſſimè, qui iam cætera vitia deuicerunt: ſecundum illud Greg. *valde timendum eſt vitium quod ex victoria oritur vitiorum. Ipſa eſt enim quę nationes cæleſtis, ſublimium mentes inhabitat, in cinere & cilicio latitat, & memorans vnde ceciderit, ad ortus ſui primordia nititur aduo-lare.*

Gloria mundialis contẽnẽda propter quatuor.

CIRCA ſextum, ſcilicet *quare ſit contemnenda gloria mundialis.* Sciendum quod merito contemnenda eſt. Primo propter vanitatem exiſtentiæ. Secundo propter breuitatem permanentiæ. Tertio propter pugnam difficilem. Quarto propter culpam odibilem. *Primo*

1 Propter ipſã vanitatem eius.

quidem contemni debet gloria mundialis, propter ipſam vanitatem, quia vanum in eo quod vanum non eſt appetendum, ſed potius contemnendum. Pſalmus 4. *Filij hominum vſque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem?* Hæc autem in ſe vana eſt, & homines vanos facit. Hiere. 11. *Ambulantes poſt vanitatem vani facti ſunt.* Quod autẽ huiuſmodi gloria vana ſit, immo nihil, dicitur Ioh. 8. *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil eſt.* Ideo comparatur pulueri, vento, ſomnio, & vmbræ. Pulueri comparatur Matth. 10. *Puluerem pedum veſtrorum excutite.* Puluis minima pars eſt terræ, & tamen ledit oculos, ideſt viros ſpirituales, vel oculos intentionis.

Vana gloria comparatur vento, pulueri, ſomnio, vmbræ &c.

ITEM comparatur vento, quia ſubito magnas naues in hoc mari mundi, in periculum damnationis mergit. Hic ventus aliquando mouentes ad eundem in Hieruſalem cæleſtem, ducit in Saracenorum infernalium captiuitatem; non portans ad portum ſalutis, ſed præcipitans; non implens, ſed euacuans; non ſatians, ſed exiccans; tamen hoc multi paſcuntur, inſatiabiliter laudari appetentes. De quibus Hiere. 22. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus.* Oſee. 12. *Effraim paſcit ventum.* Similes ſunt onagris & draconibus, qui ventum attrahunt, & eo reficiuntur. Hiere. 2. *Onager in deſiderio animę ſuæ attraxit ventum amoris ſui.*

Exemplum.

DICIT magiſter Iacobus quod cuidam eremitæ monſtrata eſt mundi malitia per hunc modum, Videbat tres homines: Primus in monte eminenti ſedens, aperto ore ventum attrahebat, & flabellum in manu tenens, ad plus attrahendum laborabat. Hi ſunt vani glorioſi, qui opera ſua faciunt vt laudentur. Secundus, ſedens ſuper fornacem fabri, aperto ore ſcintillas abſorbebat. Hi ſunt inſatiabiles auari. Tertius ſuper fluuium, eum totum abſorbere nitebatur. Hi ſunt voluptuoſi & luxurioſi, qui omnia voluptuoſa volunt experiri.

ITEM comparatur ſomnio. Pſalm. 75. *Dormierunt ſomnum ſuum* &c. Iob. 20. *Velut ſomnium aduolans non inuenietur.* Pſalm. 48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo* &c. Iſa. 30. *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, & cum expergefactus fuerit vana eſt anima eius* &c. Sicut pauper ribaldus aliquando ſomniat ſe eſſe regem vel imperatorem, & expergefactus inuenit ſe nudum in furno. Sic vanegloriosi, recedente ſomnio præſentis vanitatis, gloriç, & honoris, ſe nudos inuenient in inferno. Pſalmus 75. *Dormierunt ſomnum* &c.

Exemplum.

QVIDAM clericus cuiuſdam eccleſię præbendatus, ſomniauit quod exiſteret in eminentia cuiuſdam monticuli, & quod plebs totius diœceſis eſſet congregata ante eum, & quod ipſe indutus cappa ſerica illam cum deberet recedere, ſignauit. Quod cum narraret nutrici ſuæ interpretata eſt eum futurum epiſcopum eccleſiæ ſuæ. Cui cum ille fidem adhiberet, cœpit eſſe parcus & auarus, & pecunias congregare, vt haberet vnde poſſet vel promotionem ſuam iuuare, vel defendere electionem, vel ius ſui epiſcopatus, quod ex ipſo ſomnio iam putabat ſibi deberi. Cum autem canonici illius eccleſiæ mitterent quæſtores ad fabricam eccleſiæ reparandam, cogitantes quod ille propter parcitatem ſuam melius acquiſita ſeruaret, miſerunt eum cum quæſtoribus cum reliquis quibuſdam, & cum brachio argenteo cuiuſdam Sancti. Cum autem populus multus illius diœc. conueniſſet ad locum de quo ſomniauerat, & facta quæſta exhibuiſſet eis reliquias cum cappa ſerica indutus, ad dictum quęſtorum & populi ſurrexit, ſignans populum cum dicto brachio. Quod cum faceret & aduerteret ſomnium ſuum eſſe completum, in hoc aduertens circunſtantias ſomnij, proiecit dictum brachium, ſe videns eſſe fruſtrarum à ſpe ſua. *Item* comparatur vmbræ. Eccl. 34. *Somnia extollunt imprudentes: quaſi qui apprehendit vmbram, & ſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Nota quod vmbra ſequitur fugientem ſe, & fugit ſequentem: & in hoc apparet fatuitas vanam gloriam appetentis, quia magis fugiendo & contemnendo poſſet gloriam obtinere & conſequi, quam ſequendo. Secundum Philoſophum hoc ſolum habet vana gloria glorioſum, quod ſe appetentes fugit, & ſe fugientes appetit. *Quidam* fatuus reſpiciens vmbram ſuam ſimilem ſibi ferentem baculum ſuper humerum, credidit quod eſſet alius qui contra ſe vellet pugnare; quem cum ſequeretur & vmbra fugeret, proiecta claua ſua, vmbram ſuam manibus apprehendere voluit & amplecti, nec valuit capere.

Simile.

Simile.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

2 *Propter breuitatem durationis.*

SECVNDO contemnenda eſt gloria mundialis propter breuitatem durationis ; tranſit enim ad modum venti, ſomnij, & vmbræ, vt dictum eſt. Hoc bene percipiunt miſeri in inferno, ſed tardè. Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia &c. tranſierunt omnia velut vmbra.* &c. Sequitur. *Spes impij quaſi lanugo quæ à vento tollitur, & quaſi ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur.* Conſuetudo Romanorum eſt, quod cum nouus Papa inthronizatur, ſtuppam ſuccendunt præ oculis eius, dicentes. Sic tranſit gloria mundi , & ad nihilum reducitur. Quod patet Dan. 3. *Statua cuius caput aureum* &c. *in momentum ad nihilum redacta eſt* : per quam ſignantur quatuor generalia dominia mundi, Chaldæorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum, per Chriſtum ad nihilum redigenda ſubito. Quod ſatis patet conſideranti in chronicis, quomodo tria prima ſubito defecerunt.

3 *Propter pugnam difficilem.*

TERTIO contemnenda eſt gloria mundialis propter pugnam difficilem ; nam ſubtiliter impugnat: plerumque enim ſurgit pugna de victoria aliorum vitiorum. Sæpe enim cum homo vicerit vitia, de ſua victoria vana gloria naſcitur; & de eo quod vicit viriliter à vana gloria ſuperatur, & aliquando de hoc quod homo vincit vanam gloriam, ab ea ſuperatur . Sicut Math. 6. Eleazar vincens & occidens maximum elephantorum , vincitur & opprimitur ab eo. Iud. 17. Sampſon viriliter & fortiter domum ſubuertens , opprimitur ab ea. Greg. *Sub hoſte quem ſternit moritur, qui de ſuo opere gloriatur.* Aug. *Sunt qui de contemptu vanæ gloriæ vanius gloriantur ; hi quaſi de ſua victoria vincuntur.* Greg. *Valde timendum eſt vitium, quod de victoria naſcitur vitiorum.* Aug. *Quas vires nocendi vana gloria habeat, non ſentit qui ei bellum indixerit ; quia ſi ei eſt facile laudem non appetere cum negatur, difficillimum tamen eſt non delectari in ea dum offertur.* Hæc pugna non melius vincitur quam fugiendo. Ideo Chriſtus & ſancti ipſam fugientes, nos exemplis ſuis fugere docuerunt . De Chriſto namque legimus Math. 8. quod leproſo mundato dixit. *Vide nemini dixeris.* Math. 9. Cæcis illuminatis ait. *Videte ne quis ſciat.* Et diſcipulis tribus de transfiguratione Matth. 17. *Nemini dixeritis viſionem.* &c. *Item* poſt miraculum de quinque panibus, fugit ne fieret rex. Ioh. 6. Et vt fugeret vanam gloriam, *præcepit diſcipulis ſtatim aſcendere nauiculam & transfretare.* Math. 14. Ioh. 8. *Gloriam meam non quæro . Item* Lucæ 10. contra vanam gloriam repreſſit diſcipulos ſuos dicens. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Item hanc fugiens beata Virgo, laudationem Angeli expauit & erubuit; ſe ancillam dixit, ad montana fugit , vbi Eliſabet ſe ancillam exhibuit. Lucæ. 2. *Item* ad hanc fugiendam Beatus Antonius ſocios adiurauit moriens , vt corpus ſuum ita ſub terra occultaretur, ne ab aliquo ſciretur vel inueniretur ; ne mortuo eius cadaueri honor aliquis exhiberetur. Item beatus Hylarion per mare & terras eam fugiebat, vtique timens & fugiens laudes humanas. Aliqui autem ſancti adeo eam timebant , vt ſe fatuos ſimularent , & eam ſic effugerent.

Exemplum.

IN vitiſpa. legitur, quod iudex prouinciæ venit in Scythia videre abbatem Moyſen , de quo multa & magna audierat. Quod audiens dictus Moyſes , abiit vt fugeret in Aegyptum. Cum autem obuiaret ei iudex, quæſiuit ab eo vbi eſſet cella abbatis Moyſi, qui ait. Quid vultis eum infeſtare, homo fatuus eſt ? & tranſiit ab eis. venit autem dictus iudex cum ſocijs ſuis ad fratres , & audiuit quod ille eſſet qui fatuum abbatem Moyſen dicebat: Vnde illi bene ædificati diſceſſerunt.

ITEM venit ad abbatem Syſoi quidam iudex, quod cum dictum eſſet ei, cooperiens ſe de ſacco, accipiens panem & caſeum, ad oſtium cellæ ſuæ ſedebat manducans . Iudex autem audiens eum eſſe de quo tam magna audierat, cum ſocijs ſuis receſſit, contemnens eum. *Item* quidam ſenex vacans quieti & contemplationi, rogatus eſt à quodam qui miniſtrabat ei, vt veniret rogaturus pro filio ſuo defuncto. Quod cum faceret, præcucurrit homo annũcians vicinis ſuis aduentum ſenis. Senex autem longe videns eos ſibi occurrere cum lampadibus, exuit ſe veſtimentis ſuis, lauans ea in flumine nudus. Quod videns miniſter eius erubuit, dicens aduenientibus; recedite, ſenex noſter ſenſum ſuum perdidit. Quod cum quæreret à ſene quare hæc faceret; cum omnes dicerent eum arreptum à dæmone, ait ſenex. Et ego volebam hoc audire.

Exemplum.

ITEM de ſancto Petro Tarentaſienſi epiſcopo, legitur in vita eius, quod cum eſſet famoſiſſimus ſanctitate, prædicationis gratia, & miraculorum, nec poſſet latere, latenter fugit ſimulato ſub habitu clericali, vt effugeret periculum laudis hominum in Thoroniam, intrans quaſi nouitius ordinem Cyſterc. in quo fuerat & prior, & abbas, & de quo fuerat aſſumptus in Archiepiſcopum. Cum autem ibi diu latuiſſet, humillimè ſubiectus & obediens; quando vt ſolebat cum alijs iret ad laborem, cognitus à ſuis & manifeſtatus, redire compulſus eſt. Quod audientes monachi cum quibus fuerat conuerſatus, mirabantur tanti viri humilitatem & patientiam, & obedientiæ ſubiectionem, & alias virtutes quibus præpollebat & cognitus eſt ab eis.

4 *Propter culpam odibilẽ.*

QVARTO contemnenda eſt, imo potius deteſtanda, propter culpam odibilem : iniuriatur enim creatori eius gloriam vſurpando; quia Iſa. 42. dicit dominus. *Gloriam meam alteri non dabo .* Sed arrogans dicit; Etſi non dederis vſurpabo . Verè magnam iniuriam facit Deo, qui de bono quod ab eo eſt, à quo bona cuncta procedunt, quaſi à ſeipſo procederet, gloriatur. Immo aliquando vnum viliſſimum ribaldum Deo præponit, cuius laudem , non domini æternum præmium, finem operis ſui ponit. Item contra fidem quam promiſit in baptiſmo videtur agere, quia non renunciat pompis diaboli vt promiſit Bern. *Fidelis reuera famulus es, ſi de multa gloria domini tui: etſi non exeunte ex te, non tamen per te tranſeunte, nihil manibus tuis adhærere contingat.* Fidelis famulus fuit Ioab, vt legitur 2. Reg. 12. Qui videns quod capienda eſſet Rabath ciuitas quam obſederat, domino ſuo Dauid gloriam reſeruauit, mandans ei vt veniret & ciuitatem caperet, vt ipſi Dauid victoria, non Ioab aſcriberetur . Ex ore laudantium probatur homo, vtrum ſit fidelis domino an non. vt dicitur in Prouer. 27. *Quomodo probatur aurum in fornace.* &c.

Tria auertũt à vanagloria.

HANC culpam odibilem faciliter euitamus, ſi conſideramus peccata quæ commiſimus. Si pericula ſine quibus non viuimus. Si futura tormenta quæ meruimus. *peccata noſtra* nos viliſſimos faciunt , propter quæ non gloriari , ſed dolere debemus & erubeſci. De peccatore enim dicitur Sap. 15. *Luto vilior vita eius.* Hier. 2. *Quam vilis facta anima peccatrix nimis iterans vias ſuas.* De cuius vilitate ſatis habetur ſupra *de effectibus peccati. In vitiſpa.* cum quidam pater diu oraſſet, & fleuiſſet, & ieiunaſſet; & diabolus tentaret eum de vana gloria, clamabat: Vbi ſunt nunc peccata mea. Quando de deſperatione, clamabat: Vbi eſt Dei miſericordia. Tunc dæmones fugerunt ab eo, ſe clamantes victos propter humiliationem. *Pericula* vero præſentia non ſequi vel appetere gloriam nos compellunt . Non enim debet gloriari contra quem lata eſt iam mortis ſententia irreuocabilis. Qui in carcere aſtrictus eſt vinculis , qui iam conuictus ducitur ad patibulum inferni &c. *Futura* vero tormenta non gloriari nos permittunt , ſed potius exhorrere ; ſiue illa quæ infliguntur in purgatorio, pro veniali , vel in inferno pro mortali culpa. Apoc. 28. *Quantum glorificauit ſe quis & in delitiis fuit , tantum date ei tormentum & luctum.* Hiere. 48. *Erit Moab in deriſum & exemplum & opprobrium* &c. Et poſt . *Et erit cor eius ſicut mulieris parturientis , quoniam contra Deum gloriatus eſt , pauor, & laqueus, & fouea contra eum* &c. *Legitur* quod Magiſter Hugo de ſancto Victore poſt mortem ſuam

appa-

apparuit cuidam ſancto viro grauiter afflictus, petens ſuffragia eius & bonorum. Cum autem ille cauſam afflictionis quæreret, reſpondit, quod propter zedoxiam, & poſt diſparuit. Cum autem ille quæreret ſenſum vbi quod reſponderat, inuenit illud Græcè ſignificare vanam gloriam.

Vana gloria quatuor mala facit in anima.

CIRCA ſeptimum, ſcilicet *quę mala vana gloria facit in anima.* Sciendum quod multa: Sed ad præſens dicamus quod inanis gloria mentem infatuat, prorſus euacuat, reddit inſtabilem, & facit damnabilem. *Primo* quidem mentem infatuat, & facit de numero quinque virginum fatuarum, per quas vani glorioſi ſignificantur; quorum fatuitas maxime in quinque apparet. *Primo* quia id quod nihil eſt, pro aliquo; immo pro magno accipit vanam gloriam. Ioh. *Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt.* Illudit in his diabolus, ſicut illuditur puero vel fatuo, cui porrigitur pirum ad ponendum in os & mordendum, & cum aperuerit os, retrahitur, & nihil in illud ponitur. Similis eſt vanigloriosus fatuo ſaltanti ad caſeum, cum autem aperit os, ſubtrahitur & nihil capit. Item ſimilis eſt cani, de quo dicitur cum portaret caſeum tranſiens ſuper pontem, videns vmbram eius in aqua, credidit ibi eſſe alium caſeum, & volens habere vtrumque, dimiſſo caſeo quem portabat, & deſcendens ad vmbram eius, amiſit vtrumque. Sic qui vanam quærit gloriam, vel in oratione, vel prædicatione, vel in alijs, amittit veram ſimul & vanam quæ trãſit ſtatim. *Secundo* quia id quod aliquid eſt, exponit in loco vbi neceſſarium habet illud amittere, vt in ore hominum intentionem & ſpem ſuam; vt columba ſeducta, quę ibi nidificat, vbi amittere pullos non dubitat. Item merces quas congregauit ponit in ſaccum pertuſum, in ore laudantium ſcilicet Agg. 1. Item in arca ſine claue & ſera, cum potius deberet ponere in ſecuriſſima arca bonæ conſcientiæ. Bern. *Fidelis cuſtos non tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam ſuam, arcę ſine claue & ſera, nullique omnino clauſę nocere volenti*, non eſt tutum ſed ſtultum planè, ibi theſauros tuos condere, vbi cum volueris non valeas retrahere, cum ponis in os meum faciens pro laude mea, iam non eſt in tua ſed mea poteſtate, laudare vel vituperare. Sanum autem vas & inconcuſſum bona conſcientia, & ſeruandis ſecretis idoneum, nullis patens inſidiis, nulli violentiæ cedens; nullo oculo vel manu acceſſibilis, excepto diuino dumtaxat ſpiritu, qui ſcrutatur profunda Dei; quidquid ibi depoſuero, ſecurus ſum quia non perdam; ſeruabit viuo, & reſtituet mortuo. *Tertio* fatuus eſt in emendo, quia de pretio vitæ æternæ, emit æternam miſeriam. Item de eodem pretio emit vanitatem, quam ſcit nihil valere. Bern. *Væ quia alieno vel meo teſtimonio contentus ſum, cuius nec vituperio reprobet, nec laude dignus inueniar, cum ante tribunal Chriſti iudicandus apparebo.* *Quarto* quia plus appetit videri & dici bonus, quam eſſe, dum non curat qualis ſit, ſed qualis videatur vel dicatur. Chriſoſt. *Hipocrita vt quid non vis eſſe laudabilis, qui vis vt laderis? quia formoſum eſt apparere, formoſius eſt eſſe.* Item plus appetit ſe rectificari cum diſtorta regula in via, quam videt omnino tortuoſam, quam recta; quod fit, quando regit ſe ad nutum vel laudem hiſtrionum, quorum vitam videt & iudicat tortuoſam, & quorum laus vituperium. Seneca. *Idem ſit tibi laudari à turpibus, quam laudari ob turpia.* Petrus Alfonſi. *Ne glorieris in laude hiſtrionis, quia eius laus vituperium eſt.* Quidam philoſophus videns alium hiſtrionem laudantem, ait. *Sibi ſimile eſt attrahere adamantis.* Laus enim & ludus adtrahit ad ſimilia, quia ſequitur rem illam, quam melius poſſet hapere abiiciendo & fugiendo, quam ſequendo, vt dictum eſt ſupra *de vmbra.*

1. *Mentem infatuat vt ex quinque apparet.*

Simile.

2 *Mentẽ prorſus euacuat.*

SECVNDO prorſus euacuat; reddit enim hominem vanum & vacuum omni bono, facit enim expendere bona temporalia, in feſtis, ludis, haſtiludiis, tyrocinijs, veſtibus, ornamentis, equis, famulis, & huiuſmodi De hoc require infra *Vanitas*, inter filias inanis gloriæ. *Cum* miles quidam magnus & nobilis moretur, qui fere omnia bona ſua conſumpſerat in vanitate, & maxime dando hiſtrionibus & tyrocinijs: aduertens & dolens pro vanitate ſua, rogauit amicos ſuos vt ſibi vnum darent obolum. Cum autem obolum teneret, ait: Ecce multum dolere poſſum, qui pro tam vili pretio vendidi omnia quæ habebam, ſcilicet pro laudibus vanis. Omnia enim quę pro eis lucratus ſum, darem pro vno tali obolo, qui plus valebit mihi, quia pro Deo illud dari præcipio. Homo enim de hoc quod facit pro vana gloria, non habebit pluſquam Dextrarius mortuus; cuius bonitas cum mortuus eſt, amiſſa plangitur & laudatur, cito tamen obliuioni traditur. *Item* euacuat ſpiritualibus bonis, quia veritas cum vanitate ſtare non poteſt. Vnde Greg. *Qui cæteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi puluerem in ventum portat.* Magi theſauros ſuos apperuerunt Chriſto, ſed cæteris clauſerunt. Matth. 2. Ezechias quia theſauros ſuos oſtendit Babilonijs, omnes perdidit. 4. Regum 12.

TERTIO reddit hominem inſtabilem *vt arundinem vento agitatam* Math. 11. *Nubes ſine aqua, quæ à vento circumferuntur.* Iudæ. *Paleæ ante faciem venti & puluis.* Iob. 21. pſalmus 1. *Tanquam puluis quem proiecit ventus* &c. Galius ſupra pinnaculum, puluis in aquam, ſpuma in mare, quæ à vento circumfertur &c. Greg. *Adhibe eis iudicium, & ſcies quid paleæ & quid granum.* Item in vitiſpa. Quidam frater requiſiuit abbatem Poemum, ſi melius eſſet remotius, quam cum alijs fratribus remanere. Reſpondit, *homo ſi ſeipſum reprehendit, vbique poteſt conſiſtere. Si autem ſe magnificat, nuſquam quieſcit.*

3. *Reddit hominem inſtabilem.*

QVARTO facit hominem damnabilem. Damnatio enim duplicem pænam importat, videlicet pænam damni, & pænam ſenſus. Quantum ad pęnam damni, priuatur vera gloria quicunque fuerit vana gloria delectatus. Vnde vanam gloriam quærentibus dicit dominus Matt. 5. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. In* vitiſpa. legitur, quod dixit quidam pater. Sicut impoſſibile eſt vt ſimul herba naſcatur & ſemen, ita impoſſibile eſt vt laudem & gloriam ſecularium habentes, ſimul fructum faciamus æternum. Quantum ad pænam ſenſus duplex erit pęna, quia videlicet vanigloriosus conculcabitur & cruciabitur. De primo, Iſa. 28. *Væ coronæ ſuperbię, flori decidenti, gloriæ exultationis eius.* Calcabunt dęmones eos qui non calcant vanam gloriam. Iob. 18. *Ca cabit ſuper eum quaſi rex interitus.* pſalmus 7. *Comprehendat inimicus animam meam, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Conculcat diabolus vanigloriosos ſuper eos regnans. Econtra conculcant eum, vanam gloriam conculcantes. Ad hoc faciunt duo exempla quæ ſequuntur.

4 *Facit hominem damnabilem.*

IN vitiſpa. cum dominus præciperet Apollonio quod deſcenderet in Aegyptum ad prædicandum, petiuit à domino vt auferret ab eo ſpiritum vanæ gloriæ vel elationis, ne dominaretur ei. Cui ait dominus, quod manum ſuam ſuper caput ſuum poneret, & quod inueniret apprehendens, ſub pedibus conculcaret Quod cum feciſſet, inuenit ſuper caput ſuum paruum Æthyopem, qui dixit ſe ſpiritum elationis, qui de vana gloria tentabat: ipſe vero ipſum apprehenſum, ſub pedibus ſuis deiecit, & in ſabulo conculcauit. *De ſecundo* Apoc. 28. *Quantum glorificauit ſe & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* De vtroque ſimul Hiere. 48. *Erit Moab in deriſum, & exemplum, & opprobrium.* Sequitur. *Et erit cor eius ſicut mulieris parturientis, quoniam contra Deum gloriatus eſt: pauor, laqueus, & fouea contra eum. Pauor* ſcilicet dæmonum, *fouea inferni, laqueus pœnarum incuſtabilium.*

Exemp a.

De ſpeciebus inanis glorię, & de filiabus eiuſdem, & primo de Ambitione.

DISTINCTIO IX.

DEINDE conſiderandum eſt de ſpeciebus inanis gloriæ, & de filiabus eiuſdem. Sunt autem ſpecies eius ſeptem, ſecundum greg. 31. mora. videlicet. Inobedientia, Iactantia, Hypocriſis, Contentio, Pertinacia, Diſcordia, Præſumptio nouitatum. Quarum numerus ſic oſtenditur. Illa enim vitia, quæ de ſe nata ſunt ordinari ad finem alicuius vitii capitalis dicuntur filiæ eius; finis autem inanis gloriæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, vt ex prædictis patet. Ad quod poteſt homo tendere dupliciter. *Vno modo* directè, ſiue per verba, & ſic eſt iactantia; ſiue per facta, & ſic ſi ſint vera, habentia aliquam admirationem. ſic eſt præſumptio nouitatum, quas homines ſolent magis admirari. Si autem per facta ficta, ſic eſt hipocryſis. *Alio* autem modo nititur aliquis manifeſtare ſuam excellentiam indirectè, oſtendendo ſe non eſſe alio minorem; & hoc quadrupliciter. *Primo* quidem quantum ad intellectum, & ſic eſt pertinacia, per quã homo nimis innititur ſuæ ſententiæ, nolens cedere ſententiæ meliori. *Secundo* quantum ad voluntatem, & ſic eſt diſcordia, dum non vult à propria voluntate diſcedere, vt aliis concordet. *Tertio* quantum ad locutionem, & ſic eſt contentio, dum aliquis clamosè contra alium litigat. *Quarto* quantum ad factum, & ſic eſt inobedientia, dum ſcilicet aliquis non vult exequi ſuperioris præceptum. Filię vero inanis glorię dicuntur eſſe Ambitio, Singularitas, Arrogantia, Adulatio, Ironia, Indignatio, Diſcordiarum ſeminatio, Tentatio Dei paſſiuè, Contemptus Dei, Irreuerentia, Rebellio, Contumacia, Ex certa malitia vel induſtria peccare. Inuerecundia peccandi, Erubeſcentia de bono, Superſtitio, Schiſma, Infidelitas, Hereſis, Apoſtaſia, Obduratio, Agnitæ veritatis impugnatio. De ſingulis ſpeciebus & filialibus inanis gloriæ dicendum eſt, licet non eodem ordine quo ſunt nominatæ. Primo de Ambitione dicemus, circa quam conſideranda ſunt duo, Primo vtrum Ambitio ſit peccatum, & quomodo. Secundo quæ nos mouere poſſunt & debent, ad Ambitionis vitium deteſtandum.

Septem ſunt ſpecies inanis gloria.

Filia inanis gloria ſunt plurima.

Ambitio eſt appetitus honoris & dominij.

Quid honor.

Appetitus honoris poteſt eſſe inordinatus tripliciter.

Ambitio ſẽper eſt peccatum.

CIRCA primum ſciendum eſt quod *Ambitio eſt appetitus honoris & dominij.* Sicut enim nomen ſuperbiæ importat inordinatum appetitum excellentiæ cuiuſcunque, generaliter loquendo; inanis autem gloria importat inordinatum appetitum laudis & fauoris humani; ita ambitio importat inordinatum appetitum honoris. Honor autem eſt *reuerentia alicui exhibita in teſtimonium excellentiæ eius. Circa* excellentiam hominis duo ſunt attendenda: *Primo* quidem, quod illud ſecundum quod homo excellit, non habet à ſe ſed à Deo. Vnde eſt in eo quaſi quoddam donum, & ideo ex hoc non debetur honor principaliter homini, ſed Deo. *Secundo* conſiderandum eſt quod id in quo homo excellit, datur ei à Deo, vt ex hoc profit alijs; & ideo in tantum debet homini placere teſtimonium excellentiæ ſuæ quod ſibi ab alijs exhibetur, inquantum ex hoc paratur ſibi via ad hoc quod alijs prodeſſe poſſit. Appetitum ergo honoris tripliciter eſſe inordinatum contingit. *Vno modo* ex hoc quod homo appetit teſtimonium de excellentia quam non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem. *Alio modo* ex hoc quod ſibi appetit honorem non referendo in Deum. *Tertio modo* ex hoc quod eius appetitus in ipſo honore quieſcit, non referendo ad vtilitatem aliorum. Ambitio autem importat appetitum honoris vt dictum eſt; vnde manifeſtum eſt, quod ambitio ſẽper eſt peccatum, quia ſemper eſt cõtra Dei vel proximi charitatem, propter quod bene dicit Apoſtolus 1. Corin. 13. *Charitas non eſt ambitioſa.*

A Licet autem honor ſit præmium virtutis, ſecundum Philoſophum 8. Eth. tamen non eſt præmium virtutis quo ad ipſum virtuoſum, vt ſcilicet hoc pro præmio debeat expetere, ita quod pro tali præmio debeat operari; ſed pro pręmio debet expetere beatitudinem, quæ eſt virtutum omnium finis. Sed honor debet eſſe virtutis præmium, quoad alios qui non habent aliquid maius quod virtuoſo retribuant quam honorem, qui ex hoc ipſo magnitudinem habet, quod perhibet teſtimonium virtuti: vnde patet quod non eſt ſufficiens præmium, vt dicitur 4. Ethi. Et ſi aliqui propter acquirendum honorem prouocantur ad bonum, vel reuocantur à malo, ſicut dicitur 4. Eth. tamen illi qui propter ſolum honorem, vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt vere virtuoſi, vt dicit Philoſophus ibidem: vbi dicit quod *non ſunt vere fortes, qui propter honorem fortia faciunt.* B

Honor eſt virtutis præmium non reſp. virtuoſi ſed aliorum.

CIRCA ſecundum ſciendum quod ad ambitionis vitium deteſtandum mouere nos debent, naturalis conditio, & mentalis afflictio, ſeruilis ſubiectio, periculorum aggrauatio, breuis eius duratio, exemplorum conſideratio, & finalis damnatio. *Primo* quidem ad ambitionis vitium deteſtandum mouere nos debet conditio naturalis. Natura enim omnes homines æqualis conditionis fecit, quæ non præpoſuit hominem homini, niſi per rationis abuſum peccando fiat brutum; brutis enim ſolis præfecit natura & Deus hominem. Pſalmus 48. *Comparatur iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Bern. *Nihil beſtialius homine, qui eſt ratione vigens, & non ratione vtens.* Aliter natura fecit C omnes pares, & ſimilis conditionis. Greg. in mor. *Non eſt data homini prælatio vt dominetur hominibus, ſed vt præſit beſtijs terræ, & piſcibus maris, & volatilibus cæli, vbi non delinquimus pares ſumus.* Item natura corrupta nobis diſſuadet appetere præeſſe alijs; quia ex quo primus homo corruptus fuit per peccatum, vix aliquis vixit qui ſibi præeſſe potuerit; immo aliquam modicam ſui partem, vt oculos, aut linguam, aut ipſum cor, vix poteſt homo bene regere. 1. Tim. 3. *Si quis præeſſe domui ſuæ neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Multi autem appetendo dominium hominum, ſerui fiunt dæmonum. Vt ſcripſerunt Brachmani Alexandro, dicentes. *Tu autem omnium hominum acquirendo dominium, ſeruum te facis omnium dominorum, in eorum ſeruitutem redigens vniuerſitatem membrorum tuorum.* vbi D probauerunt ei de membris ſingulis, in quibus vitia regnabant, & in quibus Deos ſuos, ideſt dæmones præfecerat.

Ad ambitionẽ deteſtandum plurima mouent.

1. *Conditio naturalis.*

SECVNDO ad ambitionis vitium deteſtandum mouere nos debet afflictio multiplex quam infert ambitio. Multũ enim torquet hominem in appetendo & acquirendo dignitates & honores, magis autem in conſeruando, maxime vero in amittendo, ſed ſupermaxime ętternum damnationis ſupplicium infligendo. Quod autem ambitio multipliciter torqueat hominem, primo intus in conſciẽtia, oſtendit Bern. de conſidera. lib. 3. *Dum ſinguli quæ noſtra ſunt quærimus, fit vt inuicem inuidentes exerceamur ad odia, animemur ad iniurias, armemur ad lites, cauillemus ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur à ſuperioribus, opprimentes inferiores.* Et poſt. *O ambientium crux, quomodo omnes torques, & omnibus places: nihil acrius cruciat, nil moleſtius inquietat, nil apud miſeros mortales celebrius negocijs eius, an non limina Apoſtolorum frequentius terit ambitio quam deuotio: an non quæſtionibus eius, tota legum & canonum diſciplina inſudat?* E

2. *Afflictio multiplex quam infert ambitio.*

TERTIO mouere nos debet periculorum multorum aggrauatio. Deus enim multum indignatur, ſicut princeps aliquis indignatur quando vult aliquis eius ſedem, dignitatem, vel dominium vſurpare; ipſo non præcipiente, ignorante, vel nolente: Sic qui appetit dignitatem eccleſiaſticam vel ſæcularem, non mandante domino. Hebreorum 5. *Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur*

3. *Periculorum multorũ aggrauatio ſ. tra Dei.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

à Deo tanquam Aaron. Non vt Chore, Numeri 16. vbi patet ira Domini in terræ apertione, & eòrum deuoratione. Non vt lucifer. Iſa. 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſuper aſtra cæli, collocabo ſolium meum.* Vbi patet ira Dei in tot Angelorum præcipitatione. Similiter 4. Reg. 15. de perſecutione Azariæ regis. Iuda, propter ambitionem ſacerdotii ſummi. Aug. *In nullo Deum ſentio ita iratum mihi, quam in hoc cum indignus eſſem, poſitus ſim ad gubernaculum, in apice regiminis eccleſiæ.* Maximè autem, indignatur Deus, quando videt diabolum, id-eſt diaboli membrum vel miniſtrum, velle ſedere in ſede ſua, eo maxime inhibēte. Sicut ſupra ponitur exemplum de eo qui peruerſus ſedebat in ſede beati Martini, quem pede percuſſit, & ſedem ſubuertendo, eum præcipitauit & occidit.

Impetus hoſtium.

SECVNDVM periculum eſt quia impetus hoſtium ſuper eum amplius aggrauatur. Sicut ad loca altiora magis irruunt procellę, fulgura, & venti: Iuxta illud. *Perflant altiſſima venti*: Et ſicut in bello materiali, magis irruunt hoſtes in maiores; ſic in bello ſpirituali contra maiores, vitia, & dæmones, & tentationes magis irruunt. 1. Reg. 31. *Irruerunt Philiſtiim in Saul.* Et poſt. *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul.* 3. Reg. 22. *Præceperat rex Syriæ dicens: Non pugnabitis contra quempiam niſi contra Regem Iſrael.* Quia diabolus quaſi non curat adeo impugnare alios vt maiores, maximè prælatos, quos ſi vicerit, alios de facili habebit. Iuxta illud Math. 16. *Percutiam paſtorem & diſpergentur oues.*

Exemplum.

HAC cautela vtitur diabolus, qua dicitur vſus fuiſſe in hiſto. Caroli Rothlādus, contra Marſirij Saraceni exercitum, cum per proditionem Ganalonis, dictus Marſirius occidiſſet pugnatores Franciæ in Ronciualle, & de viginti millibus Chriſtianorum non remanſiſſet niſi Rothlandus, cum centum Chriſtianis quos ille collegerat latitātes in montibus, cupiēs vindicare ſanguinē Chriſtianum effuſū: Is videns quod non eſſent niſi centum Chriſtiani contra quinquaginta millia Saracenorum, animauit ſuos ad vlciſcendum Chriſti iniuriam & ſuorum, & quod omnes irruerent vnanimiter contra principem & capitaneum exercitus Saraceni, qui demonſtratus eis fuerat. Quod cum feciſſent, omnem illam multitudinem vicerunt, occiſo Marſirio: omnes autem alij occiſi, aut victi, & fugati ſunt ab illis centum Chriſtianis. *Hac* etiam induſtria legitur in hiſto. Britonum, Arthurus, procuratorem Romanorum cum regibus orientalibus & occidentalibus & Romanis qui ſecum habebant quadraginta quatuor millia pugnatorum, viciſſe; præcipiens ſuis vt relictis alijs, tenderent cum impetu vbi erant reges exercitus & imperatores. Quod & fecerunt, & eis occiſis, omnes alij occiſi ſunt & victi. Similiter vt dicitur Iudith. 15. quod omnes exercitus Aſſyriorum, cum audiſſent decapitatum Holofernem, fugit mens, & conſilium ab eis: qui omnes de facili fugati & proſtrati ſunt ab Hebręis.

Cura maioris.

TERTIVM periculum eſt, quia pondus curæ maioris amplius augmentatur: vnus enim miſer qui ſatis eſt onuſtus de cura animæ ſuę, & vix poteſt ſufficere ſibi ſoli, ardenter appetit, & gaudenter ſuſpicit curam & onus centum millium animarum, cum tamen ſingulis animabus ſinguli Angeli præponantur. Maximum eſt ergo pondus curæ, & maximum opus & laborem requirit, non ocium. Bern. ad Eugenium Papapam. *Homo natus in prælatione ad laborem, non honorem.* 1. Ti. 3. *Qui epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat.* Hoc dicebat pro illo tempore, quando mors aſſidua officio epiſcopi imminebat, & labor aſſiduus & grandis, quoniam qui alijs præerant prius quærebantur ad martyrium, vt fiebat in tempore Pauli. Vel bonum, id-eſt grande opus, quod officium requirit, vel ſecundum quod dicit glo. epiſcopus græcum eſt nomen dictum ab epi quod eſt ſupra, & copos quod eſt intentio, vel intendere; quia qui poſtquam coactus ſuſcepit officium epiſcopatus, deſiderat intendere ſuper curam gregis, bonum opus deſiderat. Sed pauci ſunt, vt dicit Bern. *Quis mihi det vnum de numero prælatorum, qui non magis inuigilet in marſupijs euacuandis, quam in animabus curandis.* Satis enim patet, quod propter pinguedinem temporalium dignitates appetunt, & propter honores temporales, non propter onera ſubleuanda. Legitur enim in chronicis, quod omnes Papæ & Epiſcopi ad martyrium primi requirebantur. Vnde à tempore beati Petri vſque ad tempus beati Silueſtri, fuerunt triginta duo Papæ continuè, qui per martyrium tranſierunt ferè omnes. Vnde poſt beatum Sixtum Papam, ſedes diu vacauit Papatus, & nullus volebat Papatum ſuſcipere, propter mortis timorem, vel propter adiunctam paupertatem. Sed poſtquam tempore magni Conſtantini, adiectæ ſunt poſſeſſiones & temporales honores, nec venus inuentus eſt qui Papatum reſpuerit; Multi autem inuenti ſunt poſtea Papatum ambientes. Quamobrem tunc cum datæ ſunt poſſeſſiones nobiles Eccleſiæ à dicto Conſtantino, audita eſt vox dicens: *Hodie venenum effuſum eſt in eccleſia Dei.* quod verum fuit de veneno ambitionis; poſſeſſiones enim & temporales honores, adduxerunt in eccleſiam Dei ambitionem. Item annexum eſt onus temporalium de quo oportet rationem reddere, & qui plura habet temporalia, plus eſt oneratus.

Seruilis ſubiectio.

QVARTO mouere nos debet ſeruilis ſubiectio; ambitioſi namque procurant ſe poni in ſeruitiis illorum, per quos poſſe promoueri ſe ſperant, puta prælatorum, vel principum; in principio ſe recipi ſupplicantes ad aliqua humilitatis officia, & eis ſufficit quod pedem habeāt in curia, cum autem ingreſſum primum habuerint, non ceſſant cogitare, & precibus procurare, quod perueniant ad maiora. Nunquam vero contenti adeptis honoribus, appetunt, cogitant, ſomniant, anxiantur, mediatores quærunt, interceſſores multiplicant, falſas amicitias ſimulant, adulantur, ſeruiunt, donec ad gradum conſcenderint altiorem. Eſt enim videre plurimos aucupes dignitatum, honorum auidos, adhærere potentibus, tentantes viam qua ſe poſſint in altum extollere. Et hoc, vel ratione nobilitatis, vel ratione expenſarum, vel munerum, vel obſequiorum, vel diſſimulationum fictarum, allegando ſe indignos eſſe ad officia dignitatum, vt ex hoc humiles & digni per conſequens reputentur.

Exemplum.

SICVT patet per exemplum de monacho, qui cupiens abbas eſſe, data cuidam principi magna ſumma pecuniæ, vt per ipſum iuuaretur, vel potius intruderetur; ille vocatus ad abbatis officium, humilitatem ſimulans, vt auidius putaretur onus refugere, & recuſare honorem, ſe tanta dignitate proclamabat indignum. Planè inquit princeps indignus es, quia data mihi pecunia clam emiſti; ſed per me non ſtat quominus pactio compleatur. Iuſtum eſt me liberatum eſſe, & tu domum redeas, & qui dignus eſt præficiatur eccleſiæ deſtitutæ. Tales ergo ſeruiunt & ſe hominum ſeruos efficiunt, vt quoquo pacto perueniant ad intentum; nec ſolum hominum, ſed etiam dæmonum, & omnium vitiorum. Sicut dicitur in geſtis Alexandri. Cum Alexander per mundum pugnaret vt ſuum dominium augmentaret, nuncii præcurſores intrauerunt ſiluam, venientes ad fontem iuxta quem morabatur quidem Philoſophus nudus, ſe reficiens de fontis gramine, & aqua; qui ita mūdum abiecerat, quod nihil de mundanis ſibi retinuerat, niſi cyphum in quo hauriebat aquam, & tonelli medietatem habentem vnicum fundum clauſum, ex alia parte erat apertum. Cum autem ventus flaret & plueret, confugiebat ad illud vas & vertens fūdum contra pluuiam & ventum, contra illud dormiebat, philoſophabatur, meditabatur, & quieſcebat. Cum autem videret nuncios prædictos coniunctis manibus trahentes aquam de fonte, & bibentes: abiecit verſus eos cyphum ſuum. Quo viſo, illi cucurrerunt verſus vas in

quo

quo erat: quibus ait: Nolite mihi auferre, quod non poteſtis conferre, hoc dicebat de ſolis ſplendore, quē ei retinebant vmbra ſua. Quærentibus autem illis cur cyphum proiecerat, ait quod doctus fuerat de beneficio quod natura ei præbuerat, neſciens quod dediſſet ei natura de manibus cyphum, cum autem illi ſe dicerent ſeruos eſſe & nuncios magni Domini Alexandri, inquiſitus quis ipſe eſſet, reſpondit quod maior eſſet domino eorum, cum ipſe eſſet dominus dominorum ſuorum. Ductus ad Alexandrum, probauit hoc ei ſic, quia ipſe ſibi ſubiecerat & abiecerat mundum, & in ſeruitutem redegerat corpus proprium, & ſibi ſubiecerat ita cor ſuum, vt non ſeruiret ei faciendo eius voluntatem, ſed potius eum arctauerat ad faciendum & ſequendum quod ipſe volebat. Quibus omnibus quia ipſe Alexander quaſi ſeruus dominis ſeruiebat, & ſubditus erat, merito dicebat quod erat dominus dominorum ſuorum.

Exemplaris inſtructio. QVINTO nos mouere debet exemplaris inſtructio. Primo docet nos exemplum Chriſti, qui potius fugit regnum ſibi oblatum quam crucem, immo vt dicitur Ioh. 6. *Cum vellent eum rapere vt eum regem facerent, fugit ſolus.* Cum autem ad mortem eum quæreret, eis ſe obtulit dicens, Ioh. 18. *Ego ſum* &c. Item beatus Hiero. fugit Romanum cardinalatum, & abiit profugus in Aegyptum. Item Aug. dicitur quod fugiebat ab omni ciuitate quæ non hebebat epiſcopum, ne in epiſcopum raperetur, qui etiam inuitus à Beato Valerio Hipponenſi epiſcopo eſt presbyter ordinatus.

Exemplum. ITEM de B. Ambroſio legitur, quod cum eſſet miſſus apud Mediolanum iudex nondum baptizatus, cum mortuo epiſcopo vrbis ſeditio eſſet populi in eccleſia, intrauit eam Ambroſius ad populum ſedādum: vox infantis ſonuit in eccleſia vt Ambroſium eligerēt; ad quam vocem in eum omnes conſentiunt, qui fugiens ab eccleſia, aſcendens tribunal, promittens tormenta electoribus ſuis; cum nec ſic ceſſarent, ait: *Philoſophiam ſequar niſi quieueritis*. Cum nec propter hoc permitterent, quaſdam meretrices fecit ad ſe ingredi, vt ſic ceſſarent. Cum autem de nocte egrederetur furtiuè de Mediolano, & fugeret; Deo volente, per errorem noctis, in mane in porta vrbis Mediolanen. inuentus, & captus, & baptizatus, die octaua in epiſcopum eſt ordinatus.

Exemplum. ITEM de Beato Greg. legitur, quod cum eſſet nobilis de genere ſenatorum, defunctis parentibus ſuis, mundi honores fugiens, & de patrimonio ſeptem abbatias fundans, factus eſt monachus; mortuo Papa Pelagio omnis populus Romanorum eum Papam elegit, & Mauritius imperator eum inuitum & renitentem confirmauit. Cum portæ vrbis ita ſeruarentur ne poſſet effugere, obtinuit à quibuſdam negociatoribus, vt eum intra dolium ſuper quadrigam educerent ab vrbe: & cum per triduum latuiſſet, cum Romanus populus ieiuniis & orationibus pro eo ſe affligerent, columna lucis tertia nocte vbi latebat ſuper eum deſcendit; per quam quidem incluſus, Angelos aſcendentes & deſcendentes vidit, & ſic ibi inuentus ad Papatum reductus eſt. Et ita Greg. pollens virtutibus, inuitus & coactus incedit ad regimē animarum. *Item in* vitiſpatrum de beato Arſenio legitur, quod cum eſſet maximus in curia imperatoris, & honoratus; & oraret quomodo ſaluus fieret, vox facta eſt ad eum dicens. *Arſeni fuge homines & ſaluaberis*: qui ex tunc fugit curiam & honores. *Item* B. Marcus euangeliſta, diſcipulus B. Petri Apoſtoli. abſcidit ſibi pollicem, ne ad ſacerdotalem honorem poſſet promoueri: ſed Deo volente factus eſt primus Alexandriæ patriarcha.

Exemplum. ITEM in vitiſpa. legitur, quod conuenerunt omnes ſancti ſeniores qui habitabant in Syth. & conſenſerunt vt pater Iſaac ordinaretur eis in presbyterum. Quod audiens dictus Iſaac fugit in Aegyptum, latens in quodam agro, indignum ſe reputans. Cum autem multi ſequerentur vt eum comprehenderent, fatigati ex itinere, dimiſerunt aſinum, qui viæ neceſſaria eis portabat ad paſcendum; qui paſcendo venit vbi ſenex latitabat, die autem illucente, requirentes aſinum ſuum, venerunt & inuenerunt eum in loco vbi ſenex latitabat; & admirantes Dei diſpenſationem, volebant eum ligare & conſtringere, & ſecum reducere. Senex autem non permiſit, dicens: Iam non poſſum vobis contradicere, quia forſitan Dei voluntas eſt; licet ſim indignus, vt ſic voluntas veſtra fiat.

Exemplum. AD idem eſt exemplum de priore Clareu. Ganfredo nomine, quod cū ipſe eſſet electus epiſcopus Tornacen. & ab Eugenio Papa, & beato Bernardo abbate ſuo cogeretur onus epiſcopatus illius accipere, proſtrauit ſe ad pedes beati Bernardi & clericorum in modum crucis, & ait. Monachus fugitiuus ſi me eligitis eſſe potero, epiſcopus nunquam ero. Cui laboranti in extremis quidam monachus aderat, qui multum eum dilexerat, & ait ei. Adiuro te per Deum chariſſime, quod ſi Deus tibi conceſſerit, certifica me de ſtatu tuo poſt mortem. Qui cum poſt mortem eius oraret proſtratus ante altare, apparuit ei dictus Ganfredus dicēs, quod ipſe erat quem adiurauerat. Cum autē ille quæreret, quomodo eſſet ei, reſpondit: Bene per Dei gratiam. Verūtamē eſt mihi à beata Trinitate reuelatum, quod ſi fuiſſem de numero epiſcoporum, eſſem de numero reproborum & damnatorum.

6. Mala mortis incurſio. SEXTO mouere nos debet malæ mortis incurſio; quia ambitioſi frequenter, turpiter & ſubito moriuntur; quod patet ex multis Bibliæ locis. Ex Numeri 16. patet per exemplum Chore & ſuorum, qui ambientes ſacerdotium, ſubito à terra abſorpti ſunt, & in infernum deſcenderunt. Item Iud. 9. per exemplum Abimelech, qui à muliere eſt excerebratus, percuſſus ſubito lapide, & à gladio armigeri percuſſus & occiſus. Item de Abſalon qui ambiebat regnum, qui ſuſpenſus per capillos à Ioab, tribus lanceis eſt perforatus. 2. Re. 18. de morte Adoniæ, qui dixerat. *Ego regnabo.* 2. Reg. 1. Item. 2. Mach. 7. De ambitione Alchimi, de morte eius deteſtabili, quomodo paraliſi percuſſus obmutuit.

Exemplum. DE inopinata & turpi morte ambitioſorum refert Gotfridus Pariſienſis, quod cum Darius eſſet victus ab Alexandro & fugeret à facie eius, quidam ſerui eius in fauorem dicti Alexandri, confoſſum Darium ſemiuiuum reliquerunt. Cum autem hoc fuiſſet Alexandro intimatum, fecit præconiſari, quod quicunque hanc vindictam de aduerſario ſuo ei feciſſet, ſi hoc ei notum eſſet, ſuper omnes homines eos exaltaret. Cum autem illi, credentes ſe ſuper omnes honorem habere, ſe manifeſtauerunt, eos Alexander ſuper omnes altius ſuſpendit, vt ſui terrerentur, ne de eo ſimilia attentarent.

ITEM in lib. Fa. 4. cap. 6. legitur quod magna erat contentio quiſnam beato Thederico deberet ſuccedere in epiſcopatu Ligone. Cum autem Thedericus per regis Francorum violentiam eſſet expulſus, quidam Silueſter ei ſubſtituitur, qui dum res epiſcopales occupaſſet, & apud Lindo. iret pro epiſcopali benedictione ſuſcipienda à beato Niceno Archiepiſcopo, epilentico morbo correptus, cum per duos dies continuos mugitus dediſſet, tertia die ſpiritū exhalauit. Poſt hunc autem elegerunt Lingonenſes Papulum, qui fuerat Archidiaconus Eduenſis, quem multa iniqua egiſſe dicunt; qui cum octauo epiſcopatus ſui anno dyœceſim ſuam viſitaret, dormienti apparuit beatus Thedericus, dicens vultu minaci: Quid hic ita agis, quid ſedem meam polluis Papule? quid eccleſiam peruadis? quid oues diſpergis? cede loco, relinque ſedem, abſcede longius à regione: Hæc dicens, cum ictu valido virgam quam habebat in manu eius pectori impulit; ex quo euigilans, dum cogitat quid hoc eſſet, dolore maximo in loco illo in quo depulſus fuit virga paſtorali affligitur, cibum & potum abhorret, & mortem proximam præſtolatur; & in his afflictionibus cum die tertia ſanguinem ore proijceret, cum eo ſpiritum exhalauit.

7. Æternæ mortis inflictio. SEPTIMO mouere nos debet æternæ mortis inflictio. Baruch. 3. *Vbi ſunt principes gentium* &c. Et poſt.

Non est finis acquisitionis eorum, omnes exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Numer. 16. *Chore & sui omnes descendunt in infernum.* Isa. 13. de lucifero qui dicebat: *Ero similes altissimo, supra astra exaltabo solium meum & ascendam super altitudinem nubium,* &c. Et post. *Usque ad infernum detraheris,* &c. Et post. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Bern. *Ambi primatum, ossside Archidiaconatum, ascende ad Episcopatum gradatim ascendens, veruntamen usque ad inferni nouissima descendes.*

De Hypocrisi.

DISTINCTIO X.

DEINDE considerandum est de hypocrisi. Sicut autem ambitio est appetitus honoris, ita hypocrisis est appetitus apparentiæ. De hac autem consideranda sunt tria. Primo quid sit hypocrisis, & quale peccatum sit. Secundo, quæ debent nos mouere ad vitandum hoc vitium. Tertio de differentiis vel modis eius.

CIRCA primum sciendum, quod vt dicit Isido. li. Ethic. Hypocrita Græco sermone, in Latino simulator interpretatur, qui dum intus vitiis plenus sit, bonum se palam ostendit, hypo enim falsum, crisis iudicium interpretatur. Vnde nomen hypocritæ tractum est à specie illorum, qui in spectaculis facies suas operiunt, distinguentes vario colore facies suas, vt ad personæ quã simulant colorem perueniant, modo in specie viri, modo in specie mulieris, vt in ludis populum fallant. Vnde August. in li de sermone Domini in monte, dicit, quod *sicut hypocritæ sic simulatores aliarum personarum agunt partes illius quod non sunt: Non enim qui agit partes Agamemnonis vere est ipse, sed simulat eum; sic in Ecclesia, & in omni vita humana, qui se vult videri quod non est, hypocrita est, simulat enim se iustum, quod non exhibet.* Item Greg. 18. moral. 4. *Hypocrita, qui Latine dicitur simulator, iustus non esse appetit, sed videri. Et ideirco auarus raptor est, qui dum iniqua agens de sanctitate desiderat venerari, laudem vitæ raptæ alienæ. Hypocritarum vero studium esse solet, vt quod sunt supprimant, & hoc quod non sunt, esse se hominibus innotescant, refugiunt videri quod sunt, & ante oculos hominum superductã innocentiæ quadã honestate se vestiunt. Vnde rectè per Euangelium voce nostræ redemptoris increpantur, cum eis dicitur.* VÆ VOBIS HYPOCRITÆ, QVI SIMILES ESTIS SEPVLCHRIS DEALBATIS, &c. Matth. 23. Sic ergo patet, quod hypocrisis est simulatio, non quæcunque, sed solum illa, quę simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti.

NOTA tamen, quod si quis habitum sanctitatis assumpsit, puta religionis, vel clericatus; intendens se ad statum perfectionis transferre: quia habitus ille significat statum, quo quis ad perfectionis opera obligatur; si per infirmitatem deficiat, non est simulator, vel hypocrita; quia non tenetur suum manifestare peccatum, sanctitatis habitum deponendo. Si autem sanctitatis habitum assumeret, ad hoc vt ie iustum ostẽtaret, esset hypocrita & simulator.

VLTERIVS notare debemus, quod cum in hypocrisi sint duo, scilicet simulatio sanctitatis, & defectus eius; si hypocrita dicatur ille cuius intẽtio fertur ad vtrunque, vt scilicet aliquis non intendens sanctitatem habere, solum appetat sanctus apparere, sicut in scriptura sacra accipi solet, sic hypocrisis est peccatum mortale. Vnde Hiero. super Isa. 12. dicit in Glo. quod *in comparatione duorum malorum, leuius est aperte peccare quam sanctitatem simulare.* Et super illud Iob 4. SICVT DOMINO PLACVIT, &c. dicit Glo. quod *simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatum peccatum.* Item super illud Thren 4. MAIOR FACTA EST INIQVITAS POPVLI MEI PECCATO SODOMORVM, dicit Gl. *Scelera animæ plangunturi, quæ in hypocrisim labitur, cuius iniquitas maior est peccato Sodomorũ.* Item Iob 13. *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Si autem* dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem à qua deficit per peccatum mortale, tũc quãuis sit in peccato mortali, ex quo sanctitate priuatur, non tamen ipsa simulatio semper est peccatũ mortale, sed quandoque veniale. Hoc autem discernendum est ex fine, qui si repugnet charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum simulat sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet, vel assequatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcunq; alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet charitati Dei, vel proximi; sic est peccatum veniale, puta cum in ipsa fictione delectatur, de quo dicit Philosophus, 4 Eth. quod *magis videtur vanus, quam malus.* Eadem est ratio de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoque, quod aliquis simulat sanctitatis perfectionem, quæ non est de necessitate salutis; & talis simulatio non semper est peccatũ mortale, nec semper est cum peccato mortali.

Hypocrisis est appetitus inordinatus apparentiæ; vel simulatio sanctitatis, seu personæ facta absque intentione habendi sanctitatem.

Hppocrisis stricte sumpta est peccatum mortale & quidem grauissimum vero si quis non intendat sãctitate carere, sed solũ illam simulare à qua per peccatum mort. deficit.

CIRCA secundum sciendum, quod ad hypocrisis vitium detestandũ mouere nos debet, primo exhortatio scripturarum. Secundo opus rerum naturæ. Tertio cõsideratio figurarum. Quarto pœnæ futuræ. *Primo* inquã mouere debet exhortatio scripturarum. Contra nullos enim alios peccatores magis inuehitur scriptura sacra, & etiam Christus in prædicationibus suis, quam contra hypocritas. Eccl. 1. *Ne accesseris ad Deum duplici corde, neque fueris hypocrita in conspectu eius.* Leuit. 19. *Non indueris vestem lana linoque contextam* Matt. 5. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Sequitur. *Nolite fieri sicut hypocritæ, tristes,* &c. In quo capitulo, & in multis aliis, ostendit scriptura quomodo Deus hypocrisim detestatur. Sequitur Matth. 23 Vbi octo maledictiones per ordinem describũtur à Domino. *Væ vobis,* &c. *Prima* est, quia regnum cælorum non intrant, sed illud aliis obturant. *Secunda* quia bona spiritualia simulabant, temporalia deuorabant. *Tertia,* quia erant homines cum multo labore venantes, & ad inferos ducentes. *Quarta,* quia erant minora venerantes, & maioribus non deferentes. *Quinta,* quia erant minora soluentes, & maiora relinquentes. *Sexta,* quia exteriora colentes, & interiora negligentes. *Septima,* quia erant oculos hominum ludificantes, & Dei oculos contemnentes *Octaua,* quia erant patres suos accusantes, & se excusantes, & grauiora scelera consummantes.

Ad hypocrisim detestãdum mouent quatuor.

1. Exhortatio scripturarũ.

8. Maledictiones hypocritarum.

SECVNDO mouere debet opus naturæ. Natura enim, vt dicunt Philosophi, in operibus præponit interiora exterioribus. Primo enim in formatione corporum sensibilium, & maximè hominis, operatur circa interiora, vt circa cor, & hepar, & pulmonem, quæ vitam administrant, antequam circa formam exteriorem. Item in arboribus & plantis circa germina, & radices; & in occulto operatur primo, quam in aperto. Contra hypocrita totam & primam curam suam ponit circa exteriorem apparentiam, relicta cultura & cura interiorum. Eccles. 19. *Est qui nequiter se humiliat, & eius interiora plena sunt dolo.* Isa. 9. *Omnis hypocrita nequam,* quasi non æquus, sed iniquus; quia *de minimis maximam, & de maximis minimam curam gerit,* vt dicit B. Bernard. Non enim est æquum magis curare de serpellaria, quam de trossello; de exterioribus, quam de interioribus.

2. Opus naturæ, natura enim magis curat interiora quã exteriora.

TERTIO mouere debet comparatio figurarum, id est diuersæ rerum similitudines & figuræ, quibus hypocritæ comparantur. Hypocritæ nempe in scripturis cõparantur quibusdam auibus, animalibus, arboribus, & herbis, & quibusdam artificialibus. Auibus quidem, vt Cigno, qui sub pluma alba habet carnem nigram. *Item* similis est Strutioni, cuius penna similis est auibus generosis, scilicet Herodij, & Accipitris, quæ sub pennis quas exterius ostendit, habet pedes ferinos; quia hi sub similitudine virtutum, habent effectus & voluntates bestiales; oua sua derelinquit in terra, quia opera sua proiicit in terrenis, dum ea facit pro eis. De hoc Iob 39. Pennas Strutionis, &c. *Item* similis est Vpupæ, quæ licet sit auis picturata & cristata, tamen in stercore nidificat & quiescit. Similiter

3. Comparatio figurarii quibus scil hypocrita comparantur.

Simile.

hypocrita in ſtercore immundæ conſcientię nidificat & quieſcit. Hæ aues ſecũdum legem immundæ ſunt, & prohibitæ comedi. Leuitic.11. Et nos cauere debemus imitationem hypocritarum. *Item* ſimilis eſt Pauoni, qui prætendit pennas angelicas, & habet pedes latronis, & caput ſerpentis; quia cum imaginem virtutum extra oſtendit, pedes latronis habet, id eſt affectus capiendi, & ſeducendi; caput ſerpentinum habet, dum in principio ſeducere intendit, prætendens faciem virgineam, id eſt ſimplicem apparentiam, vt ille ſerpens qui ſeduxit Euam; caudam tamen habet ſerpentinam, quia in fine venenum mortiferum immittit.

Simile. ITEM ſimilis eſt Veſpertilioni, & auibus nocturnis, qui lucem odiunt. Narratur, quod cum aues conuenirent, venit inter eas Veſpertilio, qui occultans quatuor pedes, & extendens alas, fingebat ſe eſſe de illis, non de quadrupedibus. Cum autem animalia conuenirent, veniebat ad congregationem eorum clauſas tenens alas, & quatuor pedes prætendens, vt oſtenderet ſe eſſe de illis. Quod aduertentes tam aues, quam animalia, odioſum eum habentes, & perſequentes, de ſocietate ſua proiecerunt. Sic eſt de hypocritis, qui quando ſunt cum bonis, habitum ſanctitatis oſtendũt, & quaſi alas extendunt, dum ſimilitudinem ſanctitatis & honeſtatis prætendunt. Cum autem ſunt in congregatione malorum, cum diſſolutis & beſtialiter viuentibus, pedes ſuos, id eſt beſtiales affectus ſuos diſſolutos, præaliis oſtendunt, quando præaliis diſſoluuntur, alis honeſtatis ſuſpenſis; & ideo deprehenſi, merito ſunt & à bonis & à malis euitandi: & ideo tanquam aues noctis lumen æternum ſuſtinere non poterunt, nec Dei faciem videbunt. Iob 13. *Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.*

Simile. ITEM ſimilis eſt hypocrita quibuſdam animalibus, vt Lupo, Sicut dicitur Matth.7. *Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Dicit Ariſtot. in libro de naturis animalium, quod lupi Africani ſibilos paſtorum fingunt, & oues eos eſſe paſtores credunt, & ad eos conueniunt, & ipſi eas poſtquam tenuerint diripiunt. Ioann.10. *Lupus rapit, & diſpergit oues*. Item videntur eſſe nutriti à lupis infernalibus; lupi enim quando rapiunt pueros, & nutriunt; quando vident eos velle ſe erigere ſurſum, ſecundum quod naturale eſt eis, eos in capite cauda percutiunt, vt ad terram ſe proſternant. Sic diabolus facit, vt iſti ad terrena ſemper intendant. Legitur de Nabuchodonoſor, Dan.4. tamdiu mutatus in beſtiam permanſit, vſquequo ad cœlum oculos leuauit.

Simile. ITEM ſimiles ſunt vulpibus, qui fingunt ſe mortuas, & ad capiendum corniculas extrahunt linguas. Vnde dicitur, quod aliqua aliquando ſe mortuam ſimulauit, videns quadrigas halecibus oneratas, quæ cum à mercatoribus crederetur mortua, & eſſet ſuper quadrigam poſita, haleca deuorabat. Sic ipſi animas, & eccleſiarum bona quibus præponuntur, deuorant. In hoc etiam ſimiles ſunt vulpi, quæ ſolam pellem exteriorem habet bonam: nam ſola eorum conuerſatio exterior, etſi bona non eſt, bona tamen videtur Ezech. 13. *Quaſi vulpes in deſerto Prophetæ tui erant*. Bernardus ſuper Can. *Hi ſunt oues habitu, vulpes actu, crudelitate lupi, qui boni videri, & non eſſe, mali eſſe, & non videri volunt; etenim minus ſemper malitia palam nocuit. Nullus enim bonus niſi boni ſimulatione deceptus eſt*. Ita ergo boni in bonorum medio apparere ſtudent, vt proximi ædificentur; mali volunt, vt plus malignentur; nec eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia colorare quaſi quodam virtutum minio.

Simile. ITEM ſimiles ſunt hericiis, qui ſpinis ſuis ita conteguntur, quod non apparet in eis caput nec pedes; ſed ſi in vaſe aqua pleno ſuperponuntur, nantes oſtendunt quale caput & pedes habent. Sic hypocritæ videntur circumſepti aſperitate pœnitentię quamdiu ſunt pauperes, ſed poſtquam præficiuntur honoribus, nando id eſt diuerſas delicias & diuitias congregando, reiectis aculeis aſperitatis & pœnitentiæ, oſtendunt caput intentionum ſuarum, & pedes affectionum malarum; nempe quod ideo ſtudebant, & pœnitentiæ ſigna oſtendebant, vt dignitatibus præficerentur, & in deliciis voluptarentur. *Item* ſunt ſimiles Simiæ, de qua dicunt naturales, quod licet nullum animal ſit homini ſimilius extra, intus tamen eſt maximè diſſimile. Sic vita hypocritæ extra videtur rationalis, intra tamen eſt rationi maximè diſſimilis. *Item* ſimiles ſunt lamiis, quæ facies dicuntur habere virgineas, pedes equinos, catulos quos lactare debent laniant. Iſa.34. dicitur de Eccleſia. *Erit cubile draconum, & paſcua ſtrutionum*. Et poſt. *Piloſus ſaltabit, ibi cubabit lamia, ibi foueam habuit hericius*, &c. *Item* ſimiles ſunt araneæ, quæ ſe totam euiſcerat, vt capiat muſcas. Sic hypocrita ſe & totam ſubtilitatem ſuam apponit, vt capiat muſcas laudis humanæ, vel alicuius beneficij temporalis; & hæc eſt tota fiducia eius. Iob 8 & 27. *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ ſi auare rapiat; ſicut tela aranee fiducia eius*. *Item* ſimilis eſt hypocrita Angelo Satanæ, qui ſe transfigurat in Angelum lucis; quia hypocritæ extra ſunt homines, ſed intus ſunt dęmones; Angeli ſunt in exteriori apparentia, ſed interius ſunt Angeli Satanæ in lucis Angelos transformati, vt decipiant homines ſimulata ſanctitate.

Exemplum. REFERT magiſter Iacobus, quod cum quidam Abbas Ciſtercien. rediret à capitulo cum quodã Monacho multum literato, & eſſent in medio cuiuſdam ſiluæ errantes, occurrerunt eis quidam qui videbantur valde religioſi, rogantes eos vt declinarent ad abbatiam ſuam. Quod cum facerent, videbatur eis ornatiſſima & ordinatiſſima abbatia illa, in omnibus officinis. Et cum viderentur iacere in lectis pulcherrimis, Garſiones & Monachi horrore concuſſi non poterant quieſcere, ſed & equi nitebantur capiſtra ſua rumpere & fugere, nec de auena ſibi appoſita guſtabant. Cum autem facto mane vellent recedere, venit Abbas illius abbatiæ rogans obnixe, vt loqueretur aliquis eorum in capitulo. Quod cum intraſſent, videntes maximum capitulum, & monachorum maximam ſocietatem, mirati ſunt de apparentia maxima religionis, & de ſpiritualitate maxima monachorum. Cum autem ad præceptum Abbatis dictus monachus prædicaret, æſtimans eos ſpiritualiſſimos, vt ipſi apparebant, incepit loqui de Hierarchiis, & ordinibus Angelorum. Cum autem primo loqueretur de inferiori ordine Angelorum, & deiectione malorum, qui non ſteterunt, exiuit maxima multitudo de capitulo. Similiter cum de tertio ordine & aliis loqueretur, multi exibant. Cum autem ad vltimum pauciſſimi remanſiſſent, indignatus monachus quæſiuit, quid hoc eſſet. Tunc Abbas ait: Nos fuimus de illis Angelis de quibus loqueris. Illi autem de quorum ordine & ruina loquebaris, cum de hoc loquebaris recedebant, non valentes ferre verba ſuæ deiectionis. Nos qui remanſimus fuimus de ſuperioribus ordinibus, de quibus nondum locutus es, nec volumus vltra audire verba tua; & hoc dicto ipſi cum abbatia ſua, cum maximo ſonitu euanuerunt. Dicti autem monachi ſe inuenientes inter dumos & paludes, vix ad viam redire potuerunt.

Simile. ITEM ſimiles ſunt quibuſdam arboribus, vt viti ſilueſtri, quæ primo floret in vere, & redolet in Autumno, fert pro fructu labruſcas. Iſa. 5. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas*. Similiter & arundini, quæ pro fructu fert lanuginem. Sapient.5. *Quaſi lanugo quæ à vento tollitur*. Matth.11. *Arundinem vento agitatam*. Arũdo luto radicatur, vacua eleuatur, lanugine fæcundatur: Sic hypocritæ cum ſint vani, vana opera habent. ſicut Apoc.5. dicit Dominus de Epiſcopo Sard. *Non inuenio opera tua plena coram Deo*. *Item* ſunt ſimiles arbori ſambucæ, quę gratum, pulchrum, & odoriferum prætendit florem, fructum fert tetrum & cõtagioſum. Sic hypocrita, licet primo habeat apparentiã honeſtatis, in fine exhibet opera fęditatis. Aliquãdo, ſed raro fit

quod

quod aſſerit B. Gregor. Turon. in Hiſt. Francorum 4. li.11.c. quando ante mortem Theotenaldi Regis Francorum, arbor ſambucæ ſine vitis coniunctione vuas maturas protulit, & quæ grana nigra dare ſolita eſt, dedit grana racemorum. Sic fit miraculosè, quando hypocrita aliquis ad Deum conuertitur, qui faciebat opera fœda, in charitate manens, fert opera Deo grata hoc dicit dictus Gregorius ſe vidiſſe.

Simile. ITEM ſunt ſimiles arboribus Sodomorum, de quibus in Hiſt. Scholaſtica dicitur, quod ferunt iuxta mare mortuum poma liuida, apparentia exteriori; ſed cum matura creduntur & aperiuntur, ſcintillis plena inueniuntur. Sic opera hypocritarum quæ videntur modo viua, inueniuntur in morte coram Deo & ſanctis, morte plena. *Item* comparãtur myricæ, quæ fert florem pulchrum & multum, in fine fructum inutilem & vacuum, Hiere.17 *Erit quaſi miricæ in deſerto. Item* ſimilis eſt ligno putrido, quod de nocte lucere videtur, ſed de die eſſe putridum apparet. Sic hypocrita in nocte vitę præſentis videtur eſſe aliquid lucidum & pulchrum, ſed in die ęternitatis apparebit eſſe lignum putridum æternis incendiis præparatum.

Simile. ITEM comparatur quibuſdam graminibus, vt dicit B. Gregor. in moralib. ſuper illud Iob 8. *Nunquid vireſcere poteſt ſcirpus abſque humore, & carectum ſine aqua: ante omnes herbas areſcit, cum adhuc ſit in flore, nec manu carpatur. Sic ſpes hypocritæ peribit.* Gloſſ. ibi. *Scirpus intus eſt vacuus, carectum manum tangentis lædit; quia hypocrita correctionem non recipit, ſed ad dilacerandum vitam aliorum prorumpit: alios enim iudicat & reputat peccatores, & habens trabem in oculo ſuo, videt feſtucam in oculo fratris ſui.* Contra quem Dominus Matth.7. *Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo*, &c. Correptionem autem non recipit, vel quia non curat eſſe bonus, ſed ſolum apparere; vel quia culpam ſuam non recognoſcit, plus eis credens qui eum ſanctum prædicant & credunt, quam conſcientię ſuæ, quia ſunt illi plures, & conſcientia cæca eſt. Contra quos poeta. *Plus alijs de te, quam tu tibi credere noli.* Gregor. ſuper illud Iob 26. *Non clamabunt cum victi fuerint. Victi non clamant, quia humana auiditate ſuperati, ſanctos ſe putant, etiam cum in peccatis moriuntur. ſicut* patet in vitis patrum. Quidam frater interrogauit ſenem, quid ſaluat hominem? Reſpondit ſenex: Opus. Hoc probauit per exemplum illius ſolitarij, de quo tanta opinio habebatur in ciuitate, quod omnes conuenerũt in eius tranſitu cum cereis; quem vidit quidam ſanctus à dæmonibus violenter extrahi & deportari, de quo habetur ſupra *de morte.*

Simile. ITEM comparatur hypocrita quibuſdam artificialibus, ſicut Idolo, cuius tota cultura & apparentia eſt exterius. Zach.11. *O paſtor, & Idolum*; quoniam nec habet vitam gratiæ, nec motum virtutum vel affectionum ad benè operandum, nec ſenſum compaſſionis vel deuotionis; magis enim vult apparere bonus, quam eſſe; magis habere ſimulacra bonorum, quam vera bona. Sen. *Apud iniquos non ſunt vera bona, ſed ſimulachra bonorum. Item* ſimilis eſt ſtatuæ quam erexit Nabuchod. quæ exterius erat aurea, intrinſecus lutea; tales conſtituit in Eccleſia, vt ab hominibus adorarentur. *Item* ſimilis eſt ſtatuæ quæ inuẽta eſt loco Dauid in lecto eius 1.Reg.19. *Item* hypocrita eſt figmentum quod dicitur chimera, vt ſit in ſola hominum opinione, ſed in re nihil. *Item* hypocriſis dicitur eſſe fermentum. Luc.12. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Et dicitur eſſe fermentum, quia hypocritæ ſuo malo exemplo vel mala doctrina, corrumpunt alios 1.Corin.15. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Iob 24. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi*, quia ſcilicet eorum ſuperbia meretur illud, vt ſuperioribus corruptis, corrumpantur & ipſi. Vnde hypocriſis comparatur lepręe, quæ eſt morbus contagioſus, qui cum naſcitur in capite, & maximè in oculis; inferiora membra corrumpit. Iſa.1. *Omne caput languidum*, &c. Et poſt ſubiungitur facilis corruptio inferiorum. *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Item* hypocrita comparatur ſterquilinio niuibus cooperto, & ſepulchris ornatis, & parietibus dealbatis, calicibus & patropſidibus exterius mundatis, intus autem fœcibus plenis. Matth. 15. & aureo calici Babylonis, Apocal.16.

4. *Horror pœnæ futuræ.*

QVARTO ad hypocriſis vitium deteſtandum, mouere debet horror pœnę futuræ; quia videlicet finaliter damnabuntur. Iob 13. *Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.* Veniet quidem ad iudicium condemnandus, & de ſua occultata malitia confundendus, ſed non veniet ſaluandus ab eo, & faciem eius glorioſam viſurus. Item Iob 27. *Quæ enim ſpes hypocritæ, ſi auarè rapiat?* &c. Sequitur. *Non liberabit Deus animam eius, nec audiet clamorem eius cum venerit anguſtia ſuper eum*; ſed ſeparabit eum à ſe, & exponet diabolo. Sicut malum ſeruum de quo dicitur Matth.24. *diuidet eum*, id eſt à ſe ſeparabit, *partemque eum hypocritis ponet; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

Hypocriſis quatuor ſunt ſpecies vel differentiæ.

CIRCA tertium, ſcilicet *de differentijs & modis hypocriſis*, ſciendum, quod hypocriſis quatuor ſunt differentiæ, vel ſpecies. *Prima* ſpecies eſt, quando aliquis ſimulat ſe habere quod non habet, & facere quod nõ facit. Sicut illi qui facies ſuas exterminant, pallore ſcilicet & macie, vt appareant hominibus ieiunantes, cum tamen non ieiunent. 1. Ti.4. *In hypocriſi loquentium mendacium. Secunda* ſpecies eſt eorum, qui bona quidem faciunt, ſed ea fœdant intentione corrupta. Matth.6. *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritę faciunt. Tertia* ſpecies eſt, quando bonis obumbrationibus mala ſua depingunt; contra quos Matth. 15. *Væ vobis hypocritę, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*, &c. Vel qui ſumunt habitum ſanctitatis, & non habent actum. Iſti ſunt ſimiles Simoni Cyrenæo, qui Crucem Domini in angaria portauit: non quod eum introduceret in Paradiſum, ſed alios: de quibus B. Bernard. *Vę portantibus Crucem, non ſicut Saluator ſuam: ſed ſicut ille Simon Cyrenæus, alienam. Væ cytharedis cytharizantibus, non vt illi de Apoc. in cytharis ſuis, ſed in alienis. Væ ſemel, & vę iterum ſuperbis pauperibus, Crucem Chriſti portantibus, & Chriſtum non ſequentibus. Qui nimirum ei paſſionibus participantur, humilitatem ſequi negligunt, duplici contritione conterentur qui huiuſmodi ſunt, qui pro temporali gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia, ad æterna ſupplicia pertrahũtur; laborant cum Chriſto, ſed non reguant cum eo. Chriſtum in paupertate ſua ſequuntur: De torrente in via bibunt; ſed non exaltabunt caput in patria. Quarta* ſpecies eſt, quando aliquis ſimulat ſe velle occultare bona ſua, cum tamen deſideret ea eſſe manifeſta hominibus, ne appareat eſſe hypocrita, & vt melior appareat hominibus. Contra tales Matth.6. *Cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ triſtes; qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus*; vt videlicet homines eos velle latere videant, *amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* De Iactantia, ſingularitate, & Arrogantia, require ſupra, *inter gradus ſuperbiæ.* Item de Iactantia, ſupra *primo libro.*

De Ironia.

DISTINCTIO XI.

DEINDE conſiderandum eſt de Ironia. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo vtrum ironia ſit peccatum. Secundo de comparatione eius ad iactantiam.

Ironia dicitur dupliciter. dum quis intendit contrarium eius, quod loquitur, 2. dũ minora de ſe fingit à veritate declinãs, quo pacto ſemper eſt peccatum.

CIRCA primũ ſciẽdum, quod ironia dicitur duobus modis. *Vno modo* ſecundum vulgarem modũ loquendi, quando ſcil. aliquis in proferendo aliquid pertinens ad laudem alterius, intendit contrariũ, v.g. Volens vituperare aliquẽ de feritate dicit: Tu multũ es benignus. Vel de impatientia ſeu ira dicit: Tu multũ es patiens. Vel, ô quantum tu es benignus, & patiens, & huiuſmodi. Ironicè loquebatur Apoſtolus, 1. Cor.6. *Secularia iudicia ſi habueritis contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia illos conſtituite ad iudicandum.* Quod autem ironicè loqueretur oſtendit, cum ilico ſubiungit dicens: *Ad verecundiam veſtrã dico.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Alio modo dicitur ironia ſecundum Philoſophum 4 Ethic. *per quam aliquis minora de ſe fingit.* Hoc autem poteſt contingere dupliciter. *Vno modo* ſalua veritate, dū ſcil. maiora quæ ſunt in ſeipſis reticent. Quædam vero minora detegūt, & de ſe proferunt, quæ tamē in ſe eſſe recognoſcunt, & ſic minora de ſe dicere nō pertinet ad ironiam, nec eſt peccatū ſecūdum genus ſuum, niſi per alicuius circunſtantiæ corruptionem. *Alio modo* aliquis dicit minora à veritate declinans, puta cum aſſerit de ſe aliquid vile, quod in ſe non recognoſcit, aut cum negat de ſe aliquid magnum, quod tamē percipit in ſe eſſe, & ſic pertinet ad ironiam, & eſt ſemper peccatum. Vnde dicit Aug. ſuper Io. *Non ita caueatur arrogantia, vt veritas relinquatur.* Et Greg. dicit, quod *incautè ſunt humiles, qui ſe mentiendo illaqueant.*

Solutio obiect.

SALOMON autem non eſt mētitus, dicendo Prou. 30. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientiam hominum non eſt mecum.* Similiter nec Amos Propheta quando dixit. *Non ſum Propheta, nec filius Prophetæ* Duplex enim eſt ſapientia, & duplex ſtultitia. Eſt enim quædā ſapientia ſecundū Deum, quæ humanam vel mūdanam ſtultitiā habet adiunctam, ſecundum illud 1. Cor. 3. *Si quis inter vos ſapiens videtur eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Alia vero eſt ſapientia mūdana, quæ vt ibidē ſubditur, *ſtultitia eſt apud Deū.* Ille ergo qui à Deo confortatur, confitetur ſe eſſe ſtultiſſimū ſecundum reputationē humanam, quia ſc. humana contemnit, qui hominū ſapientiā quærit. Vnde & ibidē ſubditur. *Et ſapientia hominum non eſt mecū.* Et poſtea ſubdit: *Et noui ſanctorum ſcientiam.* Vel poteſt dici ſapientia hominū, quæ humana ratione acquiritur: Sapientia vero ſanctorū, quæ ex diuina inſpiratione habetur. Amos autem negauit ſe eſſe Prophetā origine, quia ſcilicet non erat de genere prophetarum. Vnde & ibidem ſubdit, *nec filius prophetæ.*

CIRCA ſecundum, ſc. *de comparatione ironię ad iactantiam.* Sciendum, quod vnum mendacium dicitur eſſe grauius altero. Quandoque quidem ex materia de qua eſt, ſicut mendacium quod fit in doctrina religionis eſt grauiſſimum. Quandoque autē ex motiuo ad peccandum, ſicut mendacium pernicioſum eſt grauius quam officioſum, vel iocoſum. Ironia autem & iactātia circa idem mentiuntur, vel verbis, vel quibuſcunque exterioribus ſignis, ſcilic. circa conditionem perſonæ; vnde quantum ad hoc æqualia ſunt. Sed vt plurimum iactātia ex turpiori motiuo procedit, ſcil. ex appetitu lucri, vel honoris. Ironia vero ex hoc quod fugit (licet inordinate) per elationem aliis grauis eſſe. Et ſecūdum hoc Philoſophus dicit, quod iactātia eſt grauius peccatum quam ironia. Contingit tamen quandoque quod aliquis minora de ſe fingit ex aliquo alio motiuo, puta ad doloſè decipiendum; Et tunc ironia eſt grauior.

Iactantia regulariter eſt grauius peccatum quam ironia, quod plerunque ex turpiori motiuo procedit.

Solutio obiect.

ET NOTA, quod duplex eſt excellentia. Vna quidem in temporalibus rebus; alia vero in ſpiritualibus. Contingit autem quod aliqui per exteriora ſigna, vel per verba, prætendunt quidem defectum in exterioribus rebus, puta per aliquam veſtem abiectam, aut per aliquid huiuſmodi; & per hoc ipſum intendunt oſtentare aliquam excellentiam ſpiritualem, ſicut Dominus de quibuſdam dicit Matth. 6. *Quòd exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Vnde iſti ſimul incurrunt vitium ironiæ, & iactantiæ, tamen ſecundum diuerſa, & propter hoc grauius peccant. Vnde, & Philoſophus dicit in 4. Ethic. quod *& ſuperabundantia, & valde defectus iactantium eſt.* Propter quod de Auguſtino legitur, quod neque veſtes nimis pretioſas, neque nimis abiectas habere volebat, quia in vtroque homines ſuam gloriam quęrunt.

De adulatione.

DEINDE conſiderandum eſt de adulatione. Circa quam conſideranda ſunt tria. Primo quid ſit adulatio Secūdo vtrum ſit veniale vel mortale peccatum. Tertio, quæ poſſunt & debent mouere ad hoc vitium deteſtandum.

A CIRCA primum ſciendum eſt, quod amicitia vera vel affabilitas, etſi principaliter intendat delectare illos cum quibus viuit, ſeu amicabiliter conuerſatur, tamen quando expedit, vel propter bonum aſſequendum vel malum vitandum, non veretur vel refugit contriſtare, ſicut dicit Philoſophus 4. Eth. Et Apoſtolus 2. Cor. 7. *Si contriſtaui vos in Epiſtola non me pœnitet.* Et Sequitur. *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Si ergo velit aliquis, illos quibus cōuiuit in omnibus delectare in loquendo, profecto excedit modum in delectando, & ideo peccat per exceſſum. Et ſi quidē hoc faciat ſola intentione placendi vel delectandi, placidus ſecūdum Philoſophum appellatur. Si autē hoc faciat intentione alicuius lucri conſequendi; vocatur blanditor, vel adulator. Communiter tamen ſolet B nomen adulationis attribui omnibus qui ſupra modum debitum volunt alios verbis vel factis delectare in conuerſatione communi.

Adulatio eſt appetitus delectādi alios indebite verbis vel factis in communi conuerſatione.

SCIENDVM autem quod aliquis poteſt aliū delectare laudando, & benè, & malè, prout ſcil. circunſtantiæ debitę vel ſeruantur, vel prætermittuntur. Si enim velit quis alium delectare laudando, vt eum ſuis ſermonibus cōſoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel vt leuius ea ferat, aut vt amplius in bono proficiat, debitis circunſtantiis obſeruatis, ſic non eſt adulatio, ſed pertinet ad virtutem amicitiæ. Ad adulationis vero vitiū pertinebit, ſi velit quis alium laudando delectare in illis in quibus non eſt laudādus, puta quia mala ſunt; ſecundū illud Pſal. 10. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuę*, &c. Vel quia non ſunt certa, ſecundum illud Eccl. 7 *Ante ſermonem ne laudes virum.* Vel etiam ſi probabiliter timeatur quod huiuſmodi laude ad inanem gloriā prouocetur, ſecundum illud Eccl. 11. *Ne laudes virum in ſpecie ſua.* Et iterum. *Ne laudes hominem ante mortem.* Similiter ſi velit aliquis homini placere, vt in eo nutriat, vel augeat charitatē, & ſic amplius proficiat, laudabile eſt. Sed ſi velit placere Deo propter inanem gloriam, vel propter lucrum aliquod aſſequendum; vel etiam ſi malis placere quæreret, & in malis; hoc eſſet peccatum, ſecundum illud Pſ. 52. *Dominus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent.* Et Apoſtolus Gal. 1. *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.*

Solutio obiect.

CIRCA ſecundum, ſcil. *An adulatio ſit mortale vel veniale peccatum.* Sciendum, quod peccatum ſit mortale, quod contrariatur charitati. Adulatio quandoq; contrariatur charitati, quandoque non. Contrariatur autē charitati tripliciter. *Vno modo* ratione ipſius materiæ, puta cum aliquis laudat peccatum alterius, hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cuius iuſtitiam loquitur; contrariatur etiam dilectioni proximi, ſecundū illud Pſ. 10. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; exacerbauit Dominum peccator.* Et Hiero. dicit. *Nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes quā adulatio.* Et ſuper illud Pſ. CONVERTANTVR STATIM ERVBESCENTES, dicit Gl. *Plus nocet lingua adulatoris, quā gladius perſecutoris.* Item ſuper illud Pſ. OLEVM PECCATORIS NON IMPINGVET CAPVT MEVM, dicit Glo. *Falſa laus adulatoris, mentes hominū à rigore veritatis emollit ad noxia.* Vnde manifeſtū eſt, quod ſic eſt peccatum mortale. *Alio modo* contrariatur charitati ratione intētionis, puta cum aliquis adulatur alij, vt ei fraudulenter noceat, ſiue corporaliter, ſiue ſpiritualiter, & ſic etiam eſt peccatum mortale. Et de hoc dicitur Prouerb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula.* *Tertio* modo contrariatur charitati per occaſionem. Sicut cum laus adulatoris fit alicui occaſio peccandi, etiam præter intentionem adulantis; & in hoc conſiderari oportet vtrum ſit occaſio data vel accepta, & qualis ruina ſubſequatur; quia ſi ſit occaſio data, & inde ſequatur peccatum mortale, ipſe adulator dans occaſionem illam, peccat mortaliter. Si vero ſequatur peccatum veniale, peccat adulator venialiter. Si vero ſit occaſio accepta præter intētionem adulatoris, ſi ſequatur ruina peccati mortalis, adulator peccaret mortaliter, ſi autē ſit occaſio peccati venialis,

C

D

E

Adulatio tribus modis aduerſatur charitati & fit mortale peccatum.

venia-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

venialiter peccat, ſicut & de ſcandalo dicit ſolet. Si autem ex ſola auiditate placendi, vel alios delectandi, ad malum aliquod excludendum, vel ad bonum aliquod in neceſſitatis articulo conſequendum, aliquis adulatur, ſic non eſt contra charitatem. Vnde nec eſt mortale, ſed ſolum veniale peccatum.

Adulatio ex ſola auiditate placedi vel alios delectãdi eſt tantũ peccatũ veniale.

CIRCA tertium, ſciendum quod adulationis vitium cauendum, & deteſtandum eſt multiplici ratione. *Primo* quidem, quia adulatio ſimplices dementat; ſecundo quia bonos fermentat, tertio quia malos fomentat, quarto quia peruerſos augmentat. Simplices quidem dementat verbis fallacibus, vt ſibi videantur alij quàm ſint, vel alios credant alios, quàm ſint; vt malos credant bonos, & feras, & Lupos, & Leones faciant ſibi videri homines, ſcilicet cum eos qui operantur crudeliter, vt exactores pauperum, faciant ſibi videri quod operentur rationabiliter, paruos faciant ſibi videri magnos, & ſtultos ſapientes, & malos bonos. Sicut erat dementatus Roboam adulationibus iuuenum cum dicebat. *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.* 3. Reg. 12.

Adulatio eſt fugienda propter multa.

1. *Quia ſimplices demẽtat.*

SECVNDO adulator bonos fermentat verbis mendacibus: adulatores enim ſunt falſi teſtes & mendaces, quos quærunt homines vt ferant teſtimonium pro ſe. Eccl. 20. *Qui edunt panes illius falſæ linguæ ſunt*, cum ipſi ſuper omnia indigerent veridicis teſtibus, qui eis dicerent veritatem. In hoc enim magni homines ſunt egẽtes, quia non habent qui dicat eis veritatem, licet alia abundanter habeant. Seneca. *Monſtrabo tibi quid omnia poſſidentibus deſit*, ſcil. *qui verum dicat.* Sicut recognouit bene Theodoſius Imperator de Ambroſio, qui arguit eum publicè de peccato ſuo publico. Vnde ait: *Inueni vnum hominem veritatis in toto mundo*, Ambroſium ſcilic. Põtificem; qui etiam pœnitentiam publicam fecit pro peccato ſuo publico. Iſti blãdiendo decipiunt, quia faciunt homines obliuiſci diuinorum iudiciorum, & recedere à mandatorum via. Iſa. 3. *Populе meus, qui te beatũ dicunt, ipſi te decipiunt:* quia faciunt credere miſeris, quod ſint beati; & ſtultis, quo ſint ſapiẽtes. Sicut illi qui ſtultis naturaliter imponunt mitram de pergameno; quos faciunt credere Epiſcopos; faciunt errantes credere, quod bene vadunt, & ducunt eos per inuia, vt latrones ducũt peregrinos extra viam publicam, vt ſpoliẽt. Ideo ſequitur. *Viam greſſuum tuorum diſſipant; Stat ad iudicandum Dominus.* Hiere. 38. *Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſum te viri pacifici tui.* Sicut dicit Hiere. ad Sedechiã. Similiter Hiere. 41. legitur feciſſe Iſmahel filius Careæ peregrinis euntibus in Hieruſalem, quos ſeducens occidit. Iſti ſunt ſimiles aucupibus, qui dulciter ſibilãdo, laqueos abſcondunt, in quibus cum dulci ſibilo inducunt aues. Sicut dicitur Prouerb. 29. *Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur cum proximo ſuo, quaſi rete expandit pedibus ſuis.* Fallunt homines; quia eos quaſi vẽdere ſibi volunt, dum ſibi laudant. Vnde adulatori ait quidam. Quid mihi me laudas, nunquid mihi vendere me vis? Tales ſub ſpecie amicitiæ decipiunt. *Sed meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula.* Prouerb. 27. Quis debeat aut velit iraſci amico vera dicenti? nam etſi odium parit veritas, non hoc agit. Nam in odium vitiorum ſanctus amor igneſcit, & in illos magis inuehit, quos magis diligere comprobatur. Amicorum parcere vitiis, eſt adulatio non dilectio; nec tam amicitiam, quã amentiam ſapit, non arguere quos amamus. Adulatores autem eo amplius caueantur, quo ſub amantis ſpecie nocere non deſinunt, donec lumen interioris oculi obtundatur, & aures ne verum audiant obturentur. Sed vt ait Cicero. *Cuius aures clauſæ ſunt veritati, vt verum audire non poſſint, eius ſalus deſperanda eſt.* Adulatores omnia proferunt ad libitum alienæ voluntatis, parum ad ſolidum veritatis. De hoc ait quidam ſapiens. Adulator eſt inimicus omnis virtutis, & quaſi clauum figit in oculo illius cum quo conſerit, eoque magis cauendus eſt, quo ſub amãtis ſpecie nocere cupit. Comites enim habet odium, proditionem, & notam mendacij, excæcationem proximi, exterminium totius honeſtatis. Seneca. *Adulatio ſimilis eſt amicitiæ, quæ apertis auribus excipitur, & leuiter in præcordia noſtra deſcendit, eo ipſo gratioſa quo lædit. Venit ad me pro amico blandus inimicus, & vitia mihi ſub virtutum ſpecie ſuggerit.* Idem. *Adulationes cuita, ſitque tibi tam triſte laudari à turpibus, quam vt lauderis ob turpia. Difficillimum eſt adulatorum aſſertiones repellere, quorum ſermones animum quadam volupeate reſoluunt, nullius per adulationem amicitiam mercaris, nec ad tuam promerendam per hanc aditum pandas; non acerba, ſed blanda verba timebis.*

TERTIO adulator malos fomentat blandis ſermonibus; eſt enim adulator ſicut nutrix diaboli, lactans & nutriens in malum, non ſolum paruulos, ſed etiam ſenes, & libentius magnos quam paruos, puta Reges, Principes, & Prælatos. Adulatores ſunt ſimiles lamiis, quæ facies habent virgineas, & corpus ferinum, qui quos lactant, laniant & occidunt. Vnde dicuntur lamiæ, quaſi laniæ à laniando. Ideo Prouerb. 1. *Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.* Et 16. *Vir impius lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.* Nota, Nutrices paruulorum non ſolum lactant, ſed & ſuauiter cantant ad ſopiendum eos. Sic adulatores quos lactant cantibus ſuis, id eſt blandis ſermonibus, ſopiunt in peccatis. ſimiles ſunt illis tibicinibus, qui canebant circa mortuam filiam Archiſinagogi. Matth. 8. Item illis, qui ſepeliebant mortuum. Matth. 8. *Sinite mortuos ſepelire*, &c. Gregor. ibi. *Mortuus mortuum ſepelit, cum peccator peccatorem fauorum aggere premit.* Sunt ſacerdotes diaboli cantantes adulationes ſuper mortuos, quos flere debuerunt. Iſti incipiunt quaſi vigilias de *Placebo*; cantant enim carmina diaboli, quæ ſcilicet ſciunt hominibus placere. Reſpondet enim ſingulis ſicut Echo. Sapient. 28. *Reſonans de altiſſimis montibus Echo.* Conformant enim ſe adulatores vocibus & voluntatibus eorum, quibus cupiunt adulari. Oſeæ 7. *In malitijs ſuis lætificauerunt regem*; malitias eius dicentes eſſe iuſtitias. Dicunt enim principi rapienti, vos poteſtis & debetis hoc facere, quia omnia veſtra ſunt; & ipſi ſunt mali ruſtici. Eccleſias ſpolianti dicunt, Domine poteſtis accipere, quia totum eſt perditum quicquid iſti clerici, vel Monachi poſſident, & ſic de aliis Pſalm. 9. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*, &c. Auguſt. *Linguæ adulantium alligant homines in peccatis, & ſic animas eorum trahunt ſecum in perditionem.* Rex quidam collaterales ſuos interrogauit dicens. Quid de me dicunt homines in regno meo? Qui dixerunt ei. Domine quid poſſunt ipſi dicere de vobis niſi omne bonum? omnes laudant vos, & amant, dicentes quod nunquam fuit princeps melior vobis. Rurſum interrogauit eos. Vos autem quid dicitis, quid de me ſentitis? Reſponderunt: Nos dicimus Domine, quod vos eſtis ſapientiſſimus, benigniſſimus, largiſſimus, piiſſimus, animoſus, bellicoſus, Deo & hominibus gratioſus. Indignatus Rex, videns illorum infidelitatem & falſitatem verborum, dixit eis. Si forenſes, qui me non nouerunt, quia facta mea non vident, falſo me laudant, non eſt mirum: ſed vos qui quotidie mecum eſtis, & vitam meam videtis, ſcitis eorum contraria quæ in me laudaſtis; ideo mendaces & ſeductores vos reputo, quia hucuſque me veſtris blandis ſermonibus decepiſtis, & in multis vitiis enutriſtis. Iã non ſum puer, nec deinceps volo tales nutrices habere. Vos dicitis me prudentem eſſe, ego video quod inutilia concupiſcam, & appetam nocitura. Saluti meę neceſſaria omitto, committo contraria, in ocioſitatibus, vanitatibũs, & quod peius eſt, in pernicioſis operibus totũ tempus expendo. Quare ergo me in nullo laudabilẽ, laudare mendaciter præſumpſiſtis; recedite à me, quia conſilium & conſortium veſtrum vilipẽdo. Quomodo enim in vobis confidere poſſum, quod in tẽporalibus tanquam minus neceſſarijs mihi fideliter conſulatis, qui de neceſſariis animæ meæ ſaluti me tam impiè ſeduxiſtis? Vtinam ſic facerent omnes reges & principes, quod à ſe abiicerent tales peſtes. Iſti ſunt quaſi pincernæ diaboli, mortis poculum propinantes. Alexãder Nechao. *Adulatio eſt venenum melle linitum, aut mel*

3. *Quia malos fomẽtat blãdiis ſermonibus.*

venenatum. Hiero. *Adulatorum aſſentationes & noxia blandimenta*, velut quaſdam peſtes fuge. Item tales ſunt qui ſub cubito dominorum ſuorum, vel ſub capitibus puluinos ponunt. Ezech. 13. *Væ illis qui conſuunt puluinos ſub omni cubito manus, & faciunt cernicalia ſub omni cubito ad capiendas animas.* Sicut enim ait Greg. *Quiſquis male agentibus adulatur, puluinum ſub cubito, vel ſub iacentis capite ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter requieſcat.*

4. *Quia peruerſos augmẽtat in ſuis ſceleribus.*

QVARTO adulatio peruerſos augmentat in ſuis ſceleribus. Hoc enim eſt oleum vel vnguentum diaboli, de quo Pſalm. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Hoc qui vngitur, hic apparatur, vt in peccato ſuccendatur, & in futuro fortius comburatur. Hoc eſt ſimile illi oleo, de quo legitur in vita B. Nicolai, quod quibuſdam nauigantibus peregrinis ad S. Nicolaum, diabolus apparens in littore in ſimilitudine cuiuſdam matronæ nobilis, tradidit pixidem, in qua dicebat eſſe pretioſum vnguentum, rogans eos vt linirent inde parietes Eccleſiæ S. Nicolai, vt meliorem odorem ſemper haberent. *Exemplum.* Quibus cum B. Nicolaus nauigantibus appareret, & præciperet vt illud oleum diaboli in mari proiicerent. Hoc facto, mare inde exarſit inflammatũ. Sic adulatio in malum inflammat eos, qui in amaritudine pœnitentiæ ſunt. *Item* adulatio ſimilis eſt diabolico vnguento, quod dedit diabolus Cypriano, vt eo domum Iuſtinæ vngeret, & ipſe cor eius interius ad peccatum inflammaret, ſicut legitur in paſſione Iuſtinæ, & Cypriani. *Item* agit hoc oleum, id eſt falſa laus adulatoris, quod mentes à rigore veritatis emollit, & ad noxia inflectit. Exemplum: quando Nabuchodonoſor, dixit paincipibus & ducibus bellatorum, cogitationem ſuam in hoc eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret Imperio, placuit omnibus tanquam adulantibus. Iudith 2. *Item* cum Rex Aſſuerus iratus contra Vaſti reginam, interrogauit conſiliarios ſuos cui ſententiæ Regina ſubiaceret? Reſponderunt: *Regis iuſta eſt indignatio.* non temperauerunt furorem regis, nec excuſauerunt abſentem, ſed magis contra eam ſententiam protulerunt. Heſter 1. *Item* amici Aman & vxor, videntes peſſimam eius voluntatem contra Mardochæum, non mitigauerunt eum, ſed dixerunt: *Iube parari excelſam trabem*, &c. Heſter 5. *Item* Principes Darij Regis Perſarũ, volentes quod Rex iniquum decretum ſtatueret contra Danielem, præmiſerunt aliquid quod ad eius honorem videbatur pertinere. Dan. 6. Phariſæi volentes Ieſum capere in ſermone, cœperunt magnas laudes ei dicere. *Magiſter ſcimus quia verax es*, &c. Item Herodi nefandiſſimo, qui occidit Iacobum, & incarcerauit Petrum, populus acclamabat Dei laudes, & non hominum. Actu. 12. & ideo *percuſſus ab Angelo expirauit.* Patet igitur ex præmiſſis, quod adulatores non ſolum fomẽtant homines magnos in vitiis, verumetiam ipſorum præſumptiones, elationes, & temeritates augmentant, ſuis peruerſis conſiliis. Propter hoc antiqui ſapientes cauebant ſollicite, ne adulatores regibus loquerentur. Vnde orator quidam Imperatori loquens dicebat: Imperator Auguſte, cum in multis, tum in hoc elucet maxime prudentia tua, quod iſti adulatores nondum te omnino reddiderunt inſanum; qui cum applaudunt, non modo Diis, ſed tibi & populo iniuriam faciunt. Deorum ſiquidem minuunt reuerentiam, quos tibi parificant; te arguunt iuſipientiæ, dum conditionis tuæ repugnante natura, te parem Diis perſuadere præſumunt, nota ſuperſtitionis ſeducunt populum, cui mortales Deos pro immortalibus perſuadent eſſe colẽdos. Sed in eo aliquid diuinum tibi ineſſe monſtrabis, ſi omnes iſtos qui diuinitati tuæ fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormẽta. Quis enim Deorum ei parcat, à quo ſe deceptum iri intelligat? quis non irruat in eum, qui aureos Iouis oculos eruit; vt argento gemmiſque ſublatis, eum nitatur excæcare? nempe Deos inuiſibiles & immortales circumuenire, & eis faliaciæ parare inſidias, grauioris culpæ eſt; eo quod ab his viſibilium Deorum fabrica ſuſtentatur; & honorem, qui iſtis exhibetur, ipſi remunerant. Si ſapis ergo Auguſte, in Deorum hoſtes inſurges, & te Deorum docebis eſſe cultorem, ſi deceptores iſtos exterminaueris, excę catores tuos Deorum contemptores, & iniuriam punias vtrorumque.

Exemplum. GVIARDVS cancellarius Pariſienſis, & poſtmodum Tornacenſis Epiſcopus, dicebat fabulam talem. Duo homines errantes, à caſu venerunt in terram Simiarum, quos cum vidiſſent huiuſmodi Simiæ, conuenerunt adinuicem dicentes. Iſti homines ſunt exploratores, vocemus eos, & ſciamus ad quid veniunt. Ego inquit earum maior, ero in loco eminenti, & vos circundabitis me quaſi regem veſtrum, & honorabitis vndique, & ego faciam altos geſtus. Quod cum feciſſent, vocauerunt dictos homines, quorum vnus vocabatur Falſidicus, & alter Veridicus. Vocatus eſt Veridicus, & requiritur à rege earum ad quid venerat, & quid ſibi videretur de eo, qui ait: Domine licet vos faciatis nobiles & magnos geſtus, mihi videtur quod non competunt conditioni veſtræ, cum ſitis animal deforme & impotens. Tunc Rex ille, ait Simiis ſuis, audiſtis quid iſte auſus eſt dicere contra me, acuite vngues veſtros, & eum totum diſcerpite. Quod & fecerunt. Poſtea quæſiuit à Falſidico conſimile. Qui ait: Domine vos eſtis animal maximæ nobilitatis & dignitatis & poteſtatis, qui tot & tantos habetis principes ſub vobis; multum eſt veſtra ſublimitas honoranda. Quod audiens Rex, præcepit vt ſublimaretur, & ab omnibus honoraretur.

Exemplum. ITEM idem aliud exemplum dicebat fabuloſum. Cum Leo & Lupus & Vulpes iuiſſent venatum, & accepiſſent prædam, quęſiuit Leo à Lupo quomodo deberet diſtribui. Qui ait quod media pars eſſet ſua, & Leonis altera. pro quo dedignatus Leo, proiecit pedem ſuum ſuper caput eius, & extraxit inde pellem vnguibus: & quęſiuit à Vulpe, quomodo deberet partiri prędam. Qui ait, Domine vos eſtis Rex noſter & capitaneus, vos debetis habere medietatem prædæ, & domina noſtra regina vxor veſtra quartam partem, & filius veſter nobilis Leunculus aliam quartam partem. Quem reſpiciens Leo, quæſiuit quis ita egregiè doceuerat eum partiri. Reſpondit: Domine, ille Dominus cui dediſtis capucium rubeum. Sic eſt in congregatione magnorum, veridicos opprimunt, & falſidicos exaltant; & balliuos qui eis aliena adiudicant, diligunt, alios opprimunt, qui contra faciunt. Hoc licet ſit fabuloſum, propiiſſimè & veriſſimè competit maliciæ multorum.

De diſcordia.

DISTINCTIO XII.

DEINDE conſiderandum eſt de diſcordia. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo vtrum diſcordia ſit peccatum. Secundo vtrum ſit filia inanis gloriæ.

AD PRIMVM, dicendum, quod diſcordia opponitur concordiæ. Concordia autem ex charitate cauſatur, inquantum charitas multorum corda coniungit in aliquod vnũ, quod eſt principaliter quidem bonum diuinum, ſecundario autem bonum proximi. Diſcordia igitur ea ratione eſt peccatum, inquantum huiuſmodi concordiæ contrariatur. Sed ſciendum eſt, quod hæc concordia per diſcordiam tollitur dupliciter. *Vno modo per ſe; alio modo per accidens. Per ſe quidem in humanis actibus & moribus, dicitur eſſe id quod eſt ſecundum intentionem. Vnde per ſe diſcordat aliquis à proximo, quando ſcienter & ex intentione diſſentit à bono proximi, in quo debet conſentire. & hoc eſt peccatum mortale ex ſuo genere, propter contrarietatem ad charitatem, licet primi motus huiuſmodi diſcordiæ propter imperfectionem actus ſint peccata venialia. Per accidens autem in humanis actibus conſideratur ex hoc, quod aliquid eſt præter intentionem.*

Diſcordia tollit concordiã dupliciter ſcil. per ſe & per accidens, 1. modo, eſt peccatum mortale ex ſuo genere; 2. non eſt peccatum.

Vnde

Vnde cum intentio aliquorum eſt ad aliquod bonum quod pertinet ad honorem Dei, vel ad vtilitatem proximi; ſi vnus æſtimat hoc bonum eſſe, alius autem habet contrariam opinionem, tunc diſcordia eſt per accidens contra bonum diuinum, vel proximi; & talis diſſcordia non eſt peccatum, nec repugnat charitati; niſi huiuſmodi diſcordia ſit, vel cum errore circa ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur; cum etiam ſupra dictum eſt, quod concordia quæ eſt charitatis effectus, eſt vnio voluntatum, non vnio opinionum. Ex quo patet, quod diſcordia quandoque eſt ex peccato vnius tãtum, puta cum vnus vult bonum cui alius ſcienter reſiſtit. Quandoque autem eſt cum peccato vtriuſque, puta cum vterque diſſentit à bono alterius, & vterque diligit bonum proprium,

Solutio obiect.

DISCORDIA autem quæ fuit inter Paulum & Barnabam fuit per accidens, & non per ſe. Vterque enim intendebat bonum, ſed vni videbatur hoc eſſe bonum, alij aliud; quod ad humanum defectum pertinebat. Non enim erat talis controuerſia in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, quamuis hoc ipſum fuerit ex diuina prouidentia ordinatum, propter vtilitatem inde conſequentem.

AD SECVNDVM, ſcilicet *vtrum ſit filia inanis gloriæ.* Dicendum, quod diſcordia importat quandam diſgregationem voluntatis, inquantum ſcilicet voluntas vnius ſtat in alio, & voluntas alterius in altero ſtat. Quod autem voluntas alicuius in proprio ſiſtat, prouenit ex hoc quod aliquis ea quæ ſunt ſua, præfert his quæ ſunt aliorum. Quod cum inordinatè ſit, pertinet ad ſuperbiam & inanem gloriam; & ideo diſcordia per quam vnuſquiſque ſequitur quod ſuum eſt, & recedit ab eo quod alterius eſt, eſt filia inanis gloriæ.

Diſcordia eſt filia inanis gloriæ, quia oritur ex eo quod quis inordinate ſequitur quod ſuum eſt. Solutio obiect.

SCIENDVM autem quod diſcordia & rixa differunt, quia rixa conſiſtit in exteriori opere, ſicut infra patebit. Vnde cauſatur ab ira, quæ mouet animum ad nocendum proximo, & ideo ponitur filia iræ; ſed diſcordia in diſiunctione motuum voluntatis, quam facit ſuperbia, vel inanis gloria ratione iam dicta, & ideo diſcordia ponitur filia inanis gloriæ.

De ſeminatione diſcordiarum & alijs vitijs.

DEINDE conſiderandum eſt de ſeminatione diſcordiarum. Prouerb. 6. dicitur. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes* &c. Sequitur. *Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* iſtum ſeptimo loco ponit, tãquam magis exoſum Deo inter cæteros peccatores. Nec mirum, quia tales tunicam Chriſti inconſutilem nituntur diuidere, quam Dominus indiuiſam voluit remanere. Per hanc tunicam ſignificatur charitas, in qua & per quam vnitas eccleſiæ conſeruatur. Ad hanc hortatur Apoſtolus Epheſ. 4. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Tales ſunt recte contrarij Chriſto, quia Chriſtus venit *vt diſperſos congregaret in vnum.* Ioann. 11. Pſal. 146. *Diſperſos Iſraelis congregabit.* De diabolo autem, vel de membro eius impio dicitur; Ioan. 10. *Lupus rapit & diſpergit. Et nota,* quod ſicut nihil magis nocet humano corpori quam continuitatis eius diuiſio; ſic nihil magis nocet corpori Chriſti myſtico, id eſt eccleſiæ, quàm diuiſio vnitatis. Vtique ex vno verbo quod dicit ille diſcordiæ ſeminator, oritur tanta diſſenſio, quod deſtruuntur interdum ciuitates & caſtra, diſſipantur bona, homines occiduntur, capitales inimicitiæ ſubſequuntur. Peſſimum eſt hoc ſemen, ex cuius vnico grano tam peſtifera meſſis exurgit.

Eſt peccatũ graue ſeminare diſcordias.

DE peccato praui conſilij nota, quod prauus conſiliarius eſt proditor, quia decipit illum qui de ipſo cõfidit. Vnde Prou. 11. *Simulator ore decipit amicum ſuum.* Et 26. *Sicut noxius eſt qui mittit lanceas & ſagittas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico ſuo.* Tales velant faciem Chriſti, ſicut faciebant Iudęi, Matt. 26. Quaſi Dominus poſſit eorum aſtutias ignorare. Cum tamẽ

Prauus conſiliarius eſt proditor & grauiter peccat.

A ſcriptum ſit Ioan. 12. *Ipſe nouit decipientem, & eum qui decipitur.* Iſa. 29. *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium.* Item prauum conſilium quod ipſi volunt aliis dare, quandoque iuſto Dei iudicio retorquetur in ipſos. Sicut fuit Goliath proprio mucrone peremptus. 1. Reg. 17 Et Aman ſuſpenſus in patibulo quod ipſe parauerat Mardochæo. Heſter 4. Pſ. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius,* &c. Iſtud enim habet iuſtitiæ omnis iniuſtitia, quod primo noceat ſibiipſi quicunque nocere alij machinatur. Omnis laqueus deceptionis primo capit eum qui tetendit, & omnis gladius perſecutionis prius ſpiritualiter tranſuerberat eum qui eo vtitur. Vnde Eccl. 28. *Qui fodit ſoueam incidet in eam; & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo; & qui laqueum ponit alij, peribit in illo. facienti nequiſſimum conſilium, ſuper illum deuoluetur.* Et Prou. 26. *Qui fodit ſoueam incidet* B *eam, & qui voluit lapidem reuertetur in eum.* Praui conſilia rij de malis omnibus quæ conſulunt fieri, puta de rapinis & exactionibus & huiuſmodi, habent peccatum, & ad reſtitutionem tenentur, cum alij habeant commodum temporale. In malis faciendis acquieſcitur eis communiter, non in bonis. Vnde ſi malum conſilium ſuum velint corrigere, contrarium conſulendo; non creditur eis, vel nõ acquieſcitur: ſicut Iudæi Iudæ proditori dicenti; *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, reſponderunt: *Quid ad nos? tu videris.* Matth. 26.

Reuelatio ſecreti eſt cõtra ius naturale & ius amicitiæ, & ideo plurimum cauenda.

DE peccato reuelantium ſecreta ſciendum, quod agunt & contra ius naturæ, quia ius naturale dictat celandum eſſe quod alicui committitur ſub ſecreto: Et contra ius amicitiæ, ſicut dicitur Eccl. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Item reuelando ſecretum, C damnificat alium vel diffamat. & vix poteſt reſtituere famam quam abſtulit, vel damnum quod intulit. Vnde Eccl. 25. *Quę viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne poſtea emendare non poſſis cum dehoneſtaueris amicum tuũ.* De reuelatione ſecreti multa mala euenire poſſunt, ſicut cuilibet patere poteſt, ideo ſummopere cauendum eſt hoc peccatum.

Multiloquiũ vitandum.

DE peccato multiloquij dicitur Prou. 20. *In multiloquio non deerit peccatum. Qui multis vtitur verbis lædit animam ſuam.* Et Leuit. 15. *Vir qui patitur fluxum ſeminis immundus erit. Item* ſignum eſt ſtultitiæ, Eccl. 5. *In multis ſermonibus inuenitur ſtultitia.* Idem 10. *Stultus verba multiplicat.* Et 29. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus.* Prou. 25. *Sicut vrbs patens abſque murorum ambitu, ſic homo qui* D *non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* De hoc require multa infra *de ſilentio.*

Turpiloquiũ deuitandum.

DE peccato turpiloquij dicitur Epheſ. 5. *Fornicatio autem & immunditia nec nominetur in vobis, neque turpitudo, aut ſtultiloquium,* &c. Sen. *Turpia ne dixeris, paulatim enim per verba pudor ejicitur.* Vnde turpiloquium inquinat, non ſolum os hominis, immo potius animam eius, & totum hominem indecentem reddit, & mundis cordibus abominabilem; aufert verecundiam, & hominem efficit impudentem. quia cum turpia verba non erubeſcit proferre, etiam turpia facta vel opera facere non veretur. *Item* multum corrumpit & inficit audientes, iuxta illud 1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Scurrilitas deteſtanda.

DE peccato ſcurrilitatis, dicitur Eph. 5. *Fornicatio autem & immunditia,* &c. Sequitur. *Nec ſcurrilitas, quæ ad* E *rem non pertinet.* Scurrilitas, quæ à ſtultis dicitur curialitas, eſt iocularitas in verbis prouocantibus auditores ad riſum. Vnde ſcurræ ſunt quaſi Simiæ, cum quibus ludit diabolus, & homines excitat ad riſum. Ipſi etiam ſunt conſolatores falſi, qui ſuis recreationibus releuãt & confortant homines in diaboli ſeruitio laborantes, ne deficiant in via, qua properant ad infernum.

Vaniloquiũ fugiendum multiplici ratione.

DE peccato vaniloquij ſiue ocioſi verbi, nota ſecundum Gregor. quod *ocioſum verbum eſt quod pondere iuſtæ neceſſitatis, vel intentione piæ vtilitatis caret.* ſecũdum Hieron. *Verbum ocioſum eſt, quod abſque loquentis, vel audientis vtilitate profertur.* A verbis ocioſis abſtinere debet homo multiplici ratione. *Primo* quia cum vir iuſtus ſit cœlum, ſecundum illud: *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, os*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eius eſt porta cœli; cœlum autem nunquam apertum fuiſſe legitur, ſine magna & vtili cauſa, Sicut patet vbique. Item homo eſt velut caſtrum obſeſſum vndique, ſecũdum illud Pſalm. 16. *Inimici animam meam circundederũt.* Os autem hominis eſt porta huius caſtri, per quam caſtrum illud frequenter capitur. Ideo non ſine magna vtilitate aperiri debet, ſed cum multa diligentia cuſtodiri. *Item* qui theſaurum animæ non vult amittere, debet portam oris ſollicitè cuſtodire. *Item* vno verbo poteſt mereri gratiam. Vnde reprehendit eos Bernar. qui non timent tempus amittere in confabulationibus ocioſis, dicens: *Confabulari, aiunt, licet, donec hora pertranſeat, quam ſibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ac acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miſeratio conditoris indulſerat; nec ſolum ſibi, ſed & multis alijs poteſt homo eſſe ſalutis occaſio vno verbo.* Vnde ex magna corruptione prouenit, quod homo ita paſſim verba inutilia loqui velit. *Itẽ* lingua hominis eſt calamus ſpiritusſancti. Pſalm. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Irreuerentiam ergo facit Spirituiſancto, qui linguam ſuam ad inutilia verba laxat. *Item* loquela in ſolis rationem habentibus inuenitur, & lingua eſt rationis interpres, & ideo nunquam debet homo ſine ratione proferre ſermonem. *Item* pro verbis ocioſis ad examen diuini iudicij pertrahemur. Sicut dicitur ſuper illud Iob 31. *Nonne ipſe vias meas conſiderat.* Glo. *ſic Deus vniuſcuiuſque vias conſiderat, ſic greſſus dinumerat, vt nec minutiſsimæ cogitationes, nec tenuiſsima verba quæ apud nos vſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant.* Et Matth. 12. *De omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Sed heu, quæ ratio poterit reddi de verbis ocioſis, cum ſine ratione dicantur. Vnde Bern. *Si propterea verbum ocioſum eſt, quia nullam rationabilem cauſam habet, quam rationem reddere poterimus de eo, quod eſt præter rationem.*

Promiſſio indiſcreta fit multipliciter.

De peccato indiſcretæ promiſſionis dicitur Prouer. 12. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pũgitur conſcientiæ.* Quod contingit multipliciter. *Primo* quando non ſoluit aliquis quod promiſit. Vnde de non ſoluendo reprehẽdit eum conſcientia ſua. *Secundo* quando promittit quod ſoluere non proponit, ſicut aliqui ſuſcipiendo ſacros ordines, implicitè continentiam promittunt, quam tenere non intendunt. De tali voto vel promiſſione dicitur Eccl. 5. *Melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non ſoluere.* *Tertio* quando promittit indiſtinctè, cum tamen promiſſio non debeat fieri vel intelligi, niſi ſub debitis circunſtantiis tacitis vel expreſſis. Sicut Iepthe promiſit abſolutè, quod immolaret Deo quicquid de domo ſua prius occurreret ſibi, de prælio cum victoria reuertenti. Iud. 9. Stultus fuit abſolutè promittendo, ſed impius in ſoluendo, id eſt filiam immolando. Similiter Herodes ſtultus fuit in promittẽdo filiæ ſuæ quod quicquid peteret ſibi daret, niſi debitis circunſtantiis intellectis, & impius in ſoluẽdo, id eſt Ioannem decollando. Matth. 6. *Quarto* quando promittit aliquid illicitum contra fidem vel mores. Sicut illi de quibus dicitur Actuum 23. *Deuotione deuouimus nos non comeſſuros panem, donec occiderimus Paulum.* De tali promiſſione dicitur Eccl. 5. *Diſplicet Deo infidelis & ſtulta promiſſio.*

Comminatio indiſcreta cauenda.

De peccato indiſcretæ comminationis dicitur Eccl. 22. *Ante ſanguinem*, id eſt ſanguinis effuſionem, *maledicta, contumeliæ, & minæ.* frequenter comminatur homo ex ſurreptione quæ non vellet, vel ex arrogantia quæ non poſſet, vel ex ira quæ ſibi non licet implere, talibus eſt cauendum exemplo Chriſti, de quo 1. Petri 2. *Cum pateretur non comminabatur.* Aut ſaltem præcedere debet correctio charitatiua, ſicut dicitur Eccleſ. 19. *Corripe amicum antequam commineris, & da locum timori altiſsimi.* Locum autem dat aliquis timori altiſſimi, qui magis vult quod homines timore Dei peccare dimittant, quam humano timore.

Taciturnitas indiſcreta eſt vitioſa.

De peccato indiſcretę taciturnitatis ſciẽdum, quod vitioſa eſt nimia loquacitas, ita vitioſa eſt quandoque nimia taciturnitas. *Eſt enim tempus tacendi & tempus loquendi.* Ecc. 3. Iſidorus. *Secunda eſt lingua, non indiſſolubiliter alligãda.* Eſt enim vitioſum, in electionibus & promotionibus ad officia dignitatis, officij, vel honoris, ſi tacendo permittas indignum vel minus idoneum promoueri: vel dignum permittas amittere dignitatem, beneficium, vel honorem. *Item* in conſiliis. Si aliis, ex ignorantia vel malitia malè conſulentiL us, reticeas veritatem. *Item* in iudiciis, ſi vides aliquem nequiter accuſari, vel iniuſtè condemnari, tacendo peccas. *Item* in colloquiis, ſi aliis detrahentibus alicui, vel non arguis detrahentes, vel non excuſas aut commendas perſonã cui detrahitur, peccas tacendo. *Item* ſi quando ſperas prodeſſe verbum ædificationis, inſtructionis, exhortationis, vel correctionis, retines verbum ſalutis, tacendo delinquis. Vnde Iſa. 6. *Væ mihi quia tacui.* Et ideo dicitur Eccl. 3. *Ne retineas verbum in tempore ſalutis.* Ad hoc ſpecialiter tenentur prælati, & omnes habentes curam & regimen animarum. Hoc benè figuratum eſt. Exod. 28. vbi præcipitur vt in extremis partibus veſtiũ ſacerdotalium fierent tintinnabula aurea cum malis granatis, vt audiretur ſonitus quando ſacerdos ingrederetur & egrederetur ſanctuarium, & non moreretur. Quod exponens Greg. ait: *Sacerdos ingrediens moritur, ſi de eo ſonitus non auditur, quia contra ſe iram æterni iudicis prouocat, ſi de eo ſonitus prædicationis non procedat.* Item Ezech. 23. *Si ſpiculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus non cuſtodierit ſe, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpiculatoris requiram.* De taciturnitate laudabili require infra *Silentium.*

De contentione.

DISTINCTIO XIII.

DEINDE conſiderandum eſt de contentione. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo quomodo diſtinguuntur diuerſi modi contentionis. Secundo ſpecialiter de contentione, quæ eſt filia inanis gloriæ, quomodo ſit peccatum mortale vel veniale.

Cõtentio triplex ſcil. laudabilis, culpabilis, & horribilis.

CIRCA primum ſciendum eſt, quod largè ſumendo nomen contentionis, multipliciter accipitur in ſcriptura. Eſt enim contentio quædam laudabilis & appetenda. Quædam culpabilis & fugienda. Et quædam horribilis & metuenda. In contentione iuſtorum, quæ laudabilis eſt, debet eſſe *benignitas patientiæ*, exemplo Chriſti, de quo dicitur Matth. 12. *Non contendet neque clamabit, neque in plateis aliquis audiet vocem eius.* Et ideo exemplo ſuo hortatur nos ad patientiam dicens. Matt. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram: & ei qui vult tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium.* Vtrum autem liceat alicui rem ſuam repetere in iudicio, ex verbo propoſito videtur quod non. Sed dicunt quidam quod hoc non eſt præceptum communiter datum omnibus, ſed eſt conſilium perfectionis, vel non licet cum dolo vel ſcãdalo, licet tamen cum moderamine rationis, & ſecundum leges & ſcita canonum. Vnde 2. Corinth. 6. Cum fratre contendentes reprehendit Apoſtolus, quia corã infidelibus iudicia exercebant. Quod enim iudicare poſſent, & coram fidelibus iudicari, manifeſte declarat cum dicit ibidem. *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos; an neſcitis, quia ſancti de hoc mundo, iudicabunt, & in vobis iudicabitur mundus? indigni eſtis qui de minimis iudicatis*, &c.

In contẽtione laudabili debet eſſe benignitas patiẽtia.

2. Auſteritas pœnitentia.

SECVNDO auſteritas pœnitentiæ. 1. Cor. 10. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum*, &c. Sequitur. *Caſtigo corpus meum*, &c.

3. Humilitas affectionis.

TERTIO affectionis humilitas. Luc. 13. ait illi quidam: Domine ſi pauci ſunt qui ſaluantur. ipſe autem dixit ad illos. *Contendite intrare per anguſtam portam, quia dico vobis, multi quærent intrare, & non poterunt.* Hæc anguſta

guſta porta eſt humiliatio. Chriſtus enim humiliimus de ſeipſo dicit Ioan. 8. *Ego ſum oſtium.* Hoc oſtium baſſum eſt per humilitatem. vnde Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Et anguſtum per paupertatem. *Quia vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Diuites ergo huius mundi per anguſtam portam non poſſent intrare, quia nimis ſunt groſſi. Nec ſuperbi, quia nimis ſunt alti. Sed graciles paupertate, & baſſi humilitate. Inter humiles ergo eſt interdum pia contentio, de humilitate diſputantes, & humiliter contendentes. Sicut pia fuit contentio inter Ioannem Baptiſtam, & Chriſtum. Dicebat enim Ioannes: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Dixit ei Ieſus: Sine modo: Sic decet nos implere omnem iuſtitiam,* id eſt perfectam humilitatem. Itē Luc. 22. *Facta eſt contentio inter diſcipulos quis eorum videretur eſſe maior.* Nō enim eſt veriſimile, quod imminente paſſione Chriſti, de maioritate contenderent, ſic intelligendo quod vnuſquiſque maioritatem appeteret, & ſe maiorem cæteris eſſe iactaret, vel etiam in corde ſētiret. Sed æſtimo pia fide, quod pro tanto de maioritate fuit cōtentio inter eos; quia vnuſquiſque ſe minimum reputabat, & omnes alios ſibi præferendos cenſebat.

Exemplum. ISTO modo fuit pia contentio inter S. Benedictum & Maurum, ſicut legitur 2. dial. Cum enim Placidus puer & monachus, aquam hauriens mergeretur, B. Benedictus hoc videns in ſpiritu, Maurum vocans celerrimè miſit vt puerum liberaret. Qui curſu concito ad lacum perueniens, & ſuper aquam quaſi per terram ambulās, puerum per capillos extrahit & reducit. Qui mox vt rediit, & poſt tergum reſpiciens, quod ſuper aquam cucurriſſet agnouit; & quod nullo modo facere præſumpſiſſet, miratus extimuit eſſe factum. Reuerſus ad patrem rem geſtam retulit; ſed viro Dei, hoc nō ſuis meritis ſed illius obedientiæ deputante, econtra Mauro dicente, hoc pro eius imperio factum eſſe, ſeque quaſi neſciens feciſſet, conſcium non fuiſſe. In illa autem humilitatis pia cotentione, arbiter acceſſit puer qui fuerat liberatus. Ego inquit cum ex aquis traherer, abbatis mei mellotam ſuper caput meum aſpiciens, ipſum ex aquis me educere credebam.

Exemplum. ITEM in vita B. Pauli primi Eremitæ legitur, quod cum B. Antonius veniſſet ad eum, Coruus pro eorum refectione detulit vnum panem. Quo viſo. Eya inquit Paulus, Dominus prandium miſit nobis: quadraginta autem iam ſunt anni, ex quo dimidij ſemper panis fragmen accipio, verum in aduentu tuo, Chriſtus militibus ſuis duplicauit annonam. Refectionis hora ſecus fontem ſedentibus, quis eorum panem frangeret oborta contentio, diem penè duxit in veſperum: Paulus more cogebat hoſpitis; Antonius iure repellebat ætatis. Tādem conſilium fuit inter eos, vt comprehenſo è regione pane, dum ad ſe quiſque niteretur, pars ſua remaneret in manibus. Ecce quam pia contentio humilitatis extitit inter ſanctos.

4. Correctionis aſperitas. QVARTO correctionis aſperitas 1. Reg. 12. Ait Samuel ad populum. *State vt iudicio contendam aduerſum vos coram Domino; ſuper vniuerſis miſericordijs Domini* &c. Nota ibi quomodo de peccatis ſuis reprehendit populum.

5. Deuotionis ſinceritas. QVINTO deuotionis ſinceritas 2. Cor. 5. *Scientes quoniam dum ſumus in hoc corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Deum:* & ideo contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi. *Omnes enim vos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti,* &c.

Cōtentio culpabilis fugienda multiplici ratione. CONTENTIO culpabilis fugienda eſt multiplici ratione. *Primo* quia obnubilat intellectū, & peruertit iudicium rationis. Ideo dicebat Iob. *Reſpondete obſecro abſq; contentione, & loquentes id quod iuſtum eſt iudicate.* q. d. Quamdiu contenditis, iuſte iudicare non poteſtis. *Secundo,* quia corrumpit affectum. Iac. 3. *Si zelum habetis animarum, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari. Tertio* impedit profectum, & ſubuertit corda audientium 2. Ti. 2. *Noli verbis contendere, ad nihilum enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Vel dicas quod contentio primo impedit veritatem. Iob 6. *Reſpondete obſecro,* vt ſupra. Et Iac. 3. *Si zelum habetis animarum,* &c. Sequitur: *& mendaces eſſe aduerſus veritatem.* Ex prima auctoritate habes quod contentio obnubilat intellectum, & ſic impedit iudicium veritatis; ex ſecunda habes quod facit hominem mentiri in præiudicium veritatis. *Secundo* eneruat charitatem 2. Cor. 12. *Ne ſint inter vos contentiones,* &c. Nota ibi peſſimam ſequelam, quæ tota eſt contra charitatem. *Tertio* diuidit vnitatem 1. Cor. 1. *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Significatum eſt mihi de vobis, quod contentiones ſint inter vos.* Sequitur. *Diuiſus eſt Chriſtus:* Item 1. Cor. 11. *Si quis contentioſus videtur eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus nec Eccleſia Dei. Quarto* deſtruit totius operis bonitatem. Iac. 3. *Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne prauum opus.* Omne enim opus quantumcunque ſit bonum de ſe, ſi per contentionem fiat, fit prauum. Sicut ipſa prædicatio qua quidam Chriſtum annunciabant, Sicut dicitur Phil. 1. Ipſum prædicationis opus ſanctū erat de ſe, & forte audientibus vtile, ſed tamen ipſis prędicantibus erat damnabile, quia ex contentione erat deprauatum. Ideo hortatur Apoſtolus Phil 2. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam;* ſupple, faciatis. Et Prouerb. 20. *Honor eſt homini ſi ſe ſeparat à contentionibus.*

ET NOTA, quod licet cum nullo homine ſit ſine cauſa rationabili contendendum. Sicut dicitur Prou. 3. *Non contendas aduerſus hominem fruſtra, cum ille nihil mali tibi fecerit:* tamen conſuluit ſapiens non eſſe ſpecialiter contendendum cum ditiore, Eccl. 8. *Non contendas cum homine locuplete.* Item nec cum homine potentiore. Eccleſ. 6. *Non poteſt homo contra fortiorem ſe iudicio contendere.* *Item* nec cum homine ſtulto, vel inſipiente, Prouer. 29. *Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit; ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non inueniet requiem.* *Item* cum peſſimo conſcientiam nō habente, Prouerb. 24.

Cauēda contentio cum locuplete ſpecialiter, necnō cum ſtulto aut viro peſſimo.

CIRCA ſecundum ſciendum, quod contentio ponitur filia inanis glorię, ſicut & diſcordia; quia ſicut aliqui ſunt adinuicem diſcordantes, ex hoc quod corde ſtant in propriis, ita ſunt aliqui contendentes, ex hoc quod vnuſquiſque id quod ſibi videtur, verbo deffendit: proprium autem eſt ſuperbiæ vel inanis gloriæ, propriam excellentiam quærere: hæc autem contentio ſecūdum quod eſt filia inanis gloriæ, quādoque poteſt eſſe mortale, quandoque veniale peccatum: quia contendere eſt contra aliquē tendere. Sicut autem diſcordia quandam contrarietatem importat in voluntate, ita contentio importat contrarietatem in locutione. Contrarietas autem locutionis poteſt attendi dupliciter. *Vno modo* quantum ad intentionem contendentis. *Alio modo* quantum ad modum. In intentione quidem conſiderandum eſt vtrum aliquis contrariatur veritati, quod eſt vituperabile; vel falſitati, quod eſt laudabile. In modo autem conſiderandum eſt, vtrum talis modus conueniat perſonis, & negocio; quia hoc eſt laudabile. Vnde Tullius dicit in 2. Rhetoricæ. Quod *contentio eſt oratio acris ad confirmandum veritatem, & confutandum errores accommodata.* Vel vtrum excedat conuenientiam perſonarum, & negociorum; & ſic contentio eſt vituperabilis. Si ergo accipiatur contentio ſecundum quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, ſic eſt peccatum mortale. & hoc modo diffinit eam Ambroſius dicens: *Contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Si autem contentio dicatur impugnatio falſitatis cum debito modo & acumine, ſic cōtentio laudabilis eſt. Si vero contentio accipitur ſecundum quod importat falſitatis impugnationem cum inordinato modo, ſic non poteſt eſſe peccatum mortale, niſi forte tanta fiat inordinatio in contendendo, quod ex hoc generetur ſcandalum aliorum. Vnde cum dixiſſet Apoſtolus 2. Ti. 2. *Noli verbis contendere,* ſubiunxit: *Ad nihilum enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium. Notandum* ergo, quod ſi accipiatur contētio

Contentio eſt filia inanis gloriæ, & peccatū mortale quando importat impugnationē veritatis & modum inordinatum.

ſecundum

ſecundum completam rationem contentionis pro ui A
eſt peccatum mortale; ille in iudicio contendit, qui impugnat veritatem iuſtitię. Et in diſputatione cõtendit, qui intendit impugnare veritatem doctrinæ. & per hoc catholici non contendunt contra hæreticos, ſed potius econuerſo. Si tamen accipiatur cõtentio in iudicio, vel in diſputatione, ſecundum imperfectam rationem, ſecundum quod importat quandam acrimoniam locutionis, ſic non ſemper eſt peccatum mortale.

De pertinacia.

Quid pertinacia.

POST hoc dicendum eſt de pertinacia, quæ eſt ſeptima filia inanis gloriæ. *Eſt autem pertinacia per quã homo nimis innititur propriæ ſententiæ, nolens cedere ſententiæ meliori.* Vnde pertinax nimis eſt proprij ſenſus, quod B
maximè periculoſum eſt in viris religioſis, inter quos pertinax maximè turbat pacem, & contemnit mandata ſeniorum. Vnde Hugo de S. Vict. in expoſitione regulę B. Auguſt. *Sunt quidam in congregatione obſtinati in ſuo ſenſu, ſapientes in oculis ſuis; hi quod conceperunt ex ratione, defendunt; nec ſe aliis, ſed ſibi alios applicari contendunt; & ſi viderint non obtẽperari, ſtatim cõmouentur atq; alios perturbãt.* Ideo dicit Sen. *Mobilis eſto, non leuis; conſtans, non pertinax.* Reuera naturale eſt quod homo ſententiam ſuam vel opinionem libenter ſuſtinet & defendit. Sicut dicitur Prouerb. 15. *Lętatur homo in ſententia oris ſui*, tamen non ſic ei debet immutabiliter adhærere, quod nullo modo velit acquieſcere ſententiis & conſiliis meliorum. Nõ dico quod ſententiis quoruncunque debet acquieſcere; quia nec iniquorum: Quia Pſal. 1. *beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum.* Et Prouerb. 1. *Filiſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis*, &c. Nec ſtultorum & popularium. Exod. 23. *Nec plurimorum inſipientium & popularium acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.* Videlicet ſi ſit veritas certa vel probabilis; de qua certitudinaliter vel probabiliter tibi conſtet. Nec puerorum vel iuuenum inexpertorum, relinquendo ſententiam expertorum: Sicut fecit Roboam 3. Regum 12. ſed ſapientum & bonorum, Deut. 26. *Sequeris formam eorum*, ſapientium, ſcil. *non declinabis ad dexteram vel ſiniſtram.*

Pertinaces oſtendunt ſe ſuperbos & præſumptuoſos, atque ſe meliores contemnunt.

NOTA quomodo Moyſes, qui ſpiritum Dei habẽs quotidie cum Domino loquebatur, conſilium Iethro ſoceri ſui non contempſit. Exo. 18. Tales autem in quibus ſenſus eorum nimis abundat, de ſe nimis magna ſentiunt, quia ſuperbia dominatur in eis; & ideo ſemetipſos ſuperbos & præſumptuoſos oſtendunt. Quæ eſt D
maior ſuperbia, quam quod vnus homo toti congregationi iudicium ſuum præferat, tanquam ſi ipſe ſolus ſpiritum Dei habeat? Propter quod dicitur Tobiæ 4. *Superbiam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, nunquam dominari permittas.* *Item* meliores ſe contemnunt, ſecundum illud Prouerb. 26. *Sapientior ſibi videtur piger, ſeptem viris loquentibus ſententias.* Tales manifeſtè oſtendunt ſe ſtultos eſſe, quia conſummata ſtultitia eſt quod homo ſe reputet ſapientem, & in factis ſuis nihil videat ſapientię. Ideo dicitur Rom. 12. *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* Et Iſa. 5. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Iſti ſunt ſimiles Elyu, qui cum eſſet iunior omnium, ſenſum ſuum ſenſui aliorum præferebat, immo verba deſpiciens aliorum, verba ſua ſententias reputabat, dicens Iob 33. *Sententiam labia mea puram loquentur.* E

Pertinaces ſunt imperſuaſibiles & incorrigibiles, idcoque maledictionẽ Dei incurrunt.

ITEM pertinaces ſunt imperſuaſibiles, intractabiles, & ideo de peccatis ſuis incorrigibiles fiunt. Si in errorem incidunt, in errore ſuo fiunt pertinaces, & ex pertinacia irreuocabiles. Vnde quia nimis innituntur ſenſui proprio, ideo dat illos Deus in reprobum ſenſum. Rom. 1. Et ibidem: *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* *Item* propter ſui pertinaciam, Dei maledictionem incurrunt. Geneſ. 49. *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea.* Sequitur. *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Nota, Simeon, id eſt audiens, qui omnia audit, & omnibus credit; & Leui, qui interpretatur firmator ſocietatis: Iſti ſunt fratres, id eſt complices, & in omni malignitate concordes. Sequitur: *Vaſa iniquitatis.* Benè ſunt vaſa iniquitatis, id eſt receptacula omnis iniquitatis, quia ex quo credunt omnibus quæ dicuntur, & ad omnia ſe applicant, ad ſuæ pertinaciæ firmamentum colligationes faciunt, quibus in ſuis ſceleribus mutuo ſe defendunt. Vnde bene ſignificantur per ſquamas Behemoth, de quibus dicitur Iob 40 *Vna vni coniungitur, & nec ſpiraculum quidem incedit per eas.* Greg. 33. mor. 28. *Quos ſimilis reatus ſociat concordi pertinacia, etiam defenſio peruerſa conſtipat, vt in ſacinoribus ſuis alterna ſe defenſione tueantur. Qui enim diuiſi corrigi poterant, in iniquitatum ſuarum pertinacia vniti perdurant. Et tanto magis quotidie à cognitione iuſtitiæ inſeparabiliores ſunt, quãto à ſe inuicem nulla increpatione ſeparantur.* Vnde tales Dei maledictionem merentur. Ideo bene ſubditur. *Maledictus furor eorum, quia pertinax.*

De indignatione.

DISTINCTIO XIV.

Indignatio varie ſumitur, ſed propriè eſt diſplicentia cum quadam inflatione cordis elati.

DEINDE conſiderandum eſt de indignatione, quæ eſt octaua filia inanis gloriæ. Ad euidentiam autem veritatis ſciendum eſt, quod indignatio multipliciter accipitur in ſcriptura. Vno modo importat culpam quæ committitur. Alio modo offenſam quæ conſequitur. Alio modo pœnam quæ infligitur. Alio modo virtutem qua quis contra peccatum inuehitur. *Indignatio* namque propriè & ſtrictè loquendo, *importat diſplicentiam cum quadam inflatione cordis elati.* Vnde dicuntur homines indignatiui, vel indignantis naturæ, quibus diſplicent omnia quæ fiunt ab aliis, & nihil quod fiat ab aliis reputant bene factum. Alio modo minus propriè dicitur indignatio *diſplicentia alicuius quod creditur eſſe malum, & ex indiſcreto zelo mouetur animus contra facientem vel factum.* *Tertio* modo dicitur indignatio large loquendo pro pœna debita pro peccato. *Quarto* modo impropriiſſimè dicitur diſplicentia Dei, qua ſibi diſplicet omne malum, & contrafacientem dicitur indignari.

Indignatio proprie ſumpta fit multipliciter.

PRIMO itaque dicitur indignatio diſplicentia cum inflatione cordis, & hoc fit multipliciter. Aut enim mouetur quis contra perſonam quam ex arrogãtia vilipendit: Vel propter ignorantiam: Vel propter inopiam: Vel propter ſimplicitatem, vel humilitatem. Iſto modo indignatus eſt Elyu contra Iob & amicos eius, ſicut dicitur eiuſdem 32. *Iratus eſt Elyu aduerſus Iob, eo quod ſe iuſtum eſſe diceret coram Deo.* Porro aduerſus tres amicos eius indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem. Greg. 23. moral. 15. *Iſtis indicijs aperiè colligitur, quod per eum amatorem vanæ gloriæ ſpecies diſignatur. Iob quippe de præſumpta iuſtitia, amicos vero eius de ſtulta reſponſio ſe redarguit. Omnes enim vanæ gloriæ ſectatores, dum ſe in omnibus præferunt, alios de ſatuis ſenſibus, alios de indignis meritis reprehendunt:* id eſt alios iudicant nihil ſcire, alios non bene viuere. *Item* indignatur quis, quando videt & dolet parem ſibi præferri; & ſic Iudæi indignabantur quando videbãt Chriſtum pluſquam ſe à populis honorari. Matth. 21. *Videntes principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Oſanna filio Dauid, indignati ſunt, & dixerunt ei. Audis quid iſti dicunt?* *Item* indignatur quis, quando videt inferiorem ſibi parificari. Sicut filius ſenior filio prodigo indignatus eſt, quia vidit eum cum gaudio in gratiam recipi. Luc. 15. *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* *Item* indignatur quis, quando videt aliquid contra voluntatem vel honorem ſuum fieri, & propter hoc inflatus contra perſonam, perſequitur eam, vel dimittit ei facere quod deberet. Sicut Naaman indignatus eſt, quia Elyſæus non exiuit ad eum, nec honorificè recepit. 4. Reg. 5. *Iratus Naaman recedebat indignans.*

Indignatio oritur ex variis motiuis.

ORITVR autem indignatio in corde, vel propter

ſapien-

ſapientiam, quia ſcientia inflat. Ideo dicitur Eccleſ. 1. *In multa ſapientia multa eſt indignatio*. Vel propter opulentiam; vnde diuites huius ſeculi contra pauperes faciliter indignantur. Sicut Naaman (de quo dicitur 4. Reg. 5. quod *erat vir magnus honoratus & dives*) indignatus eſt contra Eliſæum, vt dictum eſt. Vel propter potentiam; ſicut *Nabuchodonoſor propter potentiam ſuam, volens ſibi omnes ſubijcere nationes, nuncios ſuos miſit ad omnes terras: & quia noluerunt ei obedire, ſed ſine honore eius nuncios abiecerunt, indignatus eſt Nabuchodonoſor ad omnem terram*, &c. Iudith 1. Vel propter præſumptam iuſtitiam: Sicut Phariſæi & Iudæi indignabantur, quia Chriſtus ſabbato curaret. Ioan. 7. *Si circuncisionem recipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?* Item Luc. 13. Archiſynagogus indignans quod ſabbato curaſſet Ieſus, dicebat turbæ: *Sex dies ſunt in quibus licet operari, in his venite & curamini*. *Cauendum* eſt autem hoc vitium, quia aperit ad multa vitia. Sicut dicitur Prouerb. 19. Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccata procliuior. Ideo hortatur Apoſtolus Epheſ. 4. *Indignatio autem & clamor & blaſphemia tollatur à vobis*. Item Col. 3. *Deponite vos omnem iram, indignationem, malitiam*, &c.

Indignatio proprie ſumpta eſt peccatum mortale, minus proprie vero pro diſplicentia boni ex zelo minus diſcreto, ſic eſt peccatum veniale tantum.

Ex prædictis patet, quod indignatio propriè dicta, id eſt ſecundum ſuam perfectam rationem ſumpta, eſt peccatum mortale. Si autem accipiatur indignatio ſecundum incompletam rationem, id eſt ſecundum quod importat diſplicentiam reſpectu boni ex zelo minus diſcreto, ſic eſt peccatum veniale. Et ſic fuit in Apoſtolis, qui ſub ſpecie pietatis, indignati ſunt de effuſione vnguenti ſuper caput Ieſu, dicentes. *Vt quid perditio hæc?* Matth. 26. Item ſub ſpecie humilitatis indignati ſunt de duobus fratribus, ſcil. Iacobo, & Ioanne, pro eo quod ſublimitatem glorię petierunt. Matth. 20. & Marc. 10. Sic ergo indignatio importat culpam, quæ committitur.

Indignatio ſumpta pro offenſa quæ ex peccato cõſequitur ponitur in Deo.

ITEM indignatio importat offenſam quæ ex peccato conſequitur. Iſto modo indignatio ponitur in Deo; Sicut ira, zelus, & furor, transferuntur in Deum. Iſto modo dicitur Deus peccato vel peccatoribus indignari 1. Reg. 6. *Indignatus eſt Dominus contra Ozam*. 4. Reg. 22. *Succendetur indignatio mea*. Iſa. 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus*. Item 30. *Labia eius plena ſunt indignatione*.

Indignatio ſumitur interdum pro pœna quæ infligitur.

ITEM indignatio importat pœnam quæ incurritur. Sicut dicitur Iob 3. *Veniet ſuper me indignatio*, id eſt pœna quę eſt diuinæ indignationis effectus. Item Iob 7. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum*. Greg. 7. moral. *Sagittis animaduerſionis percuſsio deſignatur. Quid autem eſt ſpiritus hominis, niſi ſpiritus elationis? Sagittæ autem Domini ſpiritum hominis ebibunt, cum ſuperna animaduerſionis ſententię, afflictam mentem ab elatione compeſcunt. Sagittæ Domini Spiritum hominis ebibunt, cum intentum exterius introrſus trahunt. Epotatus ſpiritus Dauid fuerat, quando dicebat: In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas. Et quia pius Dominus afflictos non deſerit, ſed poſt afflictionis duritiam dulcedinem conſolationis immittit*, ideo dicitur Iſa. 54. *In momento indignationis meę, abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui*. Quia vero ſunt nonnulli, quos etſi tormenta non cruciant, non emendant, ideo contra tales dicitur Rom. 2. *His qui ſunt ex contentione*, id eſt qui contendunt inter ſe, vel contra correptores, vel prædicatores, *& qui non acquieſcunt veritati doctrinæ*, vel correptionis, *credunt autem iniquitati*, impunitatem ſibi promittentes, vel de futuro iudicio non cogitantes, ſeu futurum iudicium non timentes, *ira*, id eſt aſpectus irati iudicis (Pſalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c.) *Et indignatio*, id eſt diſceptantis redargutió: (Iſa. 30. *Labia eius repleta ſunt indignatione.*) *Tribulatio*, id eſt pœna exterior ignis materialis, *& angustia*, id eſt pœna interior vermis ſpiritualis. (Iſa. vlt. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*) *in omnem animam*, ſupple ventura ſunt hæc primo, & poſtea etiam in omne corpus, *hominis operantis malum*.

Indignatio ſumitur quãdoq; pro virtute qua quis contra peccatum inuehitur.

QVARTO & vltimo indignatio importat virtutem qua quis contra peccatum inuehitur, vel contra peccatum proprium per dolorem contritionis, vel contra peccatum alienum per feruorem æmulationis. Contra peccatum inquam proprium per pœnitentiam. Vnde 2. Cor. 7. *Quę ſecundum Deum eſt triſtitia*, id eſt dum peccator triſtis eſt quia fecit quod Deus odit, *pœnitentiam*, id eſt pœnitentialem ſatisfactionem, *in ſalutem ſtabilem*, id eſt æternam, *operatur. Ecce enim hoc ipſum*, ſcilic. experti eſtis, *in vobis quantam ſollicitudinem operatur*, &c. Enumerat hic Apoſtolus ſeptemplicem gratiam triſtitiæ, pœnitentialis, contra ſeptem incommoda quæ facit peccatum in anima. *Primo* enim cauſat offenſam ad Deũ, contra quod eſt ſollicitudo de emenda. *Secundo* obligationem ad ſupplicium, contra quod ponitur defenſio à gehenna. *Tertio* maculam quantum ad ſubiectum propriũ, contra quod ponitur indignatio de macula. *Quarto* pronitatem ad malum, contra quod ponitur timor. *Quinto* difficultatem ad bonum, contra quod ponitur deſiderium de profectu. *Sexto* exemplum malũ ad proximum, contra quod ponitur bonorum æmulatio. *Septimo* delectationem voluptatum, contra quod ponitur corporis punitio. Dicit ergo: *Ecce hoc ipſum*, ſci. contriſtari per Deum, *quantam ſollicitudinem* emẽdãdi quod deliquiſtis, *operatur in vobis*; nec hoc ſolum, ſed etiam operatur *defenſionem* veſtri à gehenna, (quia ſecundum glo. pœnitere eſt defendere ſe à gehenna) nec ſolũ hoc, *ſed etiam indignationem* contra voſipſos pro ſtatu præterito. (Pſal. 41. *Ad meipſum anima mea cõturbata eſt*) nec ſolum hoc, *ſed etiam timorem* reſpectu recidiui (Prouerb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*,) nec ſolũ hoc, *ſed etiam deſiderium* proficiendi: nec ſolum hoc, *ſed etiam æmulationem*, id eſt bonorum imitationem. (Apocal. 3. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age*) nec ſolum hoc, *ſed etiam vindictam*, id eſt punitionem pro peccatis veſtris. Aug. *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, punientis in ſe quod dolet commiſiſſe*. Cõtra vero alienum peccatum indignatur quis per zelum. Ezech. 3. *Abij amarus in indignatione ſpiritus mei, manus enim Domini erat mecum confortans me*. Item Zach. 8. *Zelatus ſum Syon zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam*.

Septem ſunt fructus triſtitiæ pœnitẽtialis.

De exceſſu.

Exceſſus ſumitur multipliciter ſcilicet pro exceſſu in contemplatione, in miſeratione, & in poteſtate.

DEINDE cõſiderandum eſt de exceſſu. Circa, quod ſciendum eſt, quod exceſſus multipliciter dicitur in ſcriptura. *Vno modo* dicitur exceſſus contemplationis erraticę, de qua dicitur 2. Corin. 5. *Mente*, id eſt contemplatione rationis, *excedimus* temporalia, ſcil. à temporalibus ad cœleſtia noſmetipſos eleuando; *Deo* teſte & conſcio. *Alio modo* dicitur exceſſus miſerationis Dominicæ. Luc. 9. *Erant Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & loquebantur cum eo exceſſum quem contemplaturus erat in Ieruſalem*. Exceſſus iſte fuit beneficium Dominicæ paſſionis. Benè autem ſua paſſio dicitur exceſſus, ſi conſideretur quis, quantus, & qualis, pro quibus, & quolibet, qualiter, & quare. quam grauia, quàm horrenda paſſus fuerit, manifeſtè patet, quod tantæ dignationis myſterium, tam immenſæ miſerationis beneficium, prorſus exceſſit modum, ordinem, & mẽſuram; excedit humana merita, excedit intelligentiam Angelicam, & humanam. Vnde ſicut Ioſeph, qui ſaluator mundi dictus eſt, tantam frumentorum multitudinẽ congregauit, quod copia menſuram excedebat: Ita Chriſtus tantam multitudinem gratiarum & beneficiorum congregauit in eccleſia, quod copia menſuram excedit.

TERTIO modo dicitur exceſſus abuſionis erraticæ, quando ſcil. abutitur aliquis habita poteſtate, vel vſurpat ſibi poteſtatem non commiſſam, vel officium, non iniunctum; vel nimiam crudelitatem exercet prælatus in ſubditum, Dominus in ſeruum, vir in vxorem; vel quando ſe ingerit per ſe, per amicorum potentiã, violentiam, fallaciam, vel pecuniam, vt præſit, cum ſit inutilis & indignus. Verè ſi quis diligenter inſpiceret & profuu-

profunde conſideraret quantas habent ſollicitudines. anxietates, & curas illi qui præſunt, in quantis periculis ſint, & quàm diſtrictam habebunt coram ſummo iudice reddere rationem, nec ita ardenter ambirent, nec de adeptis ſuperbirent. Sicut dicitur Sapient. 6. *Audite reges & intelligite, diſcite iudices finium terræ*, &c. Sequitur. *Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam durißimum iudicium in his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur.* Et infra. *Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo ô reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excedatis*; prælationes ſcilicet non habitas ambiendo, vel habitis abutendo,

De ſtudio & amore vanitatis.

DISTINCTIO XV.

DEINDE conſiderandum eſt de ſtudio & amore vanitatis, quãdo ſci. homo nimis diligit, ſequitur & frequentat vanitates huius mundi. Sicut ſunt ludi, cantationes & choreæ, venationes & aucupia, aues & canes & tyrocinia, commeſſationes & conuiuia & huiuſmodi, quæ vana ſunt & hominem vanum reddunt. Omnia profecto mundana vana ſunt, Eccleſ. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Et hoc lucidè declaratur, quia vanum eſt quod nec ſanitatem præbet appetenti, nec vtilitatem poſſidenti, nec ſtabilitatem innitenti, nec ſecuritatem confidenti. Omnia terrena quæcunque ſunt in mundo vana ſunt propter iſtas quatuor rationes.

Omnia terrena vana ſunt ob quatuor rationes.

1. *Quia non dant ſatietatem.*

PRIMO quidem, quia non dant ſatietatem, immo potius vacuitatem homini diligenti: Tum quia non ſunt in corde hominis; nihil autem poteſt implere cor hominis, niſi quod eſt in eo. Tum ſecundo, quia cor hominis propter Deum amandum & capiendum factum eſt; & tantę capacitatis & amplitudinis eſt, vt nihil niſi Deus poteſt illud implere, nec ſibi ſufficere: Tum etiam, quia temporalia non plenitudinem, ſed vacuitatem adducunt. Vnde qui plus habet, experitur ſe pluribus indigere, propter quod bene dicit ſapiens Eccleſ. 5. *Auarus non implebitur pecunia*. Nomine pecuniæ intelligas omnia quæcunque poſſunt pecunia comparari.

2. *Quia nõ præbent vtilitatem poſſidenti.*

SECVNDO temporalia non præbent vtilitatem poſſidenti, ſed magis onus, ſollicitudines, anguſtias, & timores, damnum & periculum multiplex; ſicut docet experientia: Et Eccle. 5 dicitur. *Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis*. In vanum dicitur aliquis laborare, quãdo de labore ſuo nullum, vel modicum fructum vel vtilitatem conſequitur. Sicut pueri ſequendo papiliones, & homo quilibet ventum, vmbram, vel fumum inſequendo. Ideo dicit Eccl. 2. *Vidi cuncta quæ ſub ſole fiũt, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus*. Sequitur. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas*, &c. Et poſt multa quæ enumerat concludit. *Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera quæ fecerant manus meæ, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.*

3. *Quia nõ præbent ſtabilitatem.*

TERTIO, temporalia vel mundana non præbent ſtabilitatem innitenti; quia ſicut ipſa tranſeunt, ſic & ipſi talia poſſidentes. Greg. *Qui labenti innititur, neceſſe eſt vt cum labente labatur*. Hoc confitentur impij in inferno. Sicut dicitur Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tanquam vmbra*, &c.

4. *Quia nõ præbent ſecuritatem.*

QVARTO non præbet ſecuritatem confidenti. Nõ enim poſſunt dare ſecuritatem vitæ, vel pacis, vel ſanitatis, & huiuſmodi, Prouerb. 11. *Qui confidit in diuitijs ſuis corruet*. Et Nee. 1. *Vanitate ſeducti ſumus*. Propter quod Pſal. 4. fatuitatem mundanorum arguens: *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sicut autem iſta ſunt vana, ita diligentes ſe vanos efficiunt, Hiere. 2. *Ambulauerunt poſt vanitatem & vani facti ſunt*. Qui enim mundi vanitates diligunt, & in eis delectantur, ex ipſa vi dilectionis & adhærentiæ, vani ſunt.

Vanitas radicatur in inflatis viſceribus.

QVORVM vanitas radicatur in inflatis viſceribus, declaratur in prolatis ſermonibus, demonſtratur in operibus perpetratis, & probatur in paſſionibus toleratis. *De primo* Pſal. 93. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Conueniat ergo vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & videat quales cogitationes habet, quia ſi vanæ ſunt, conuincitur eſſe vanus. Vanæ ſunt autem, ſi pro eo quod cæteris præfertur temporaliter, reputat ſe etiã ſpiritualiter præferendum. Vnde Greg. *Magna eſt potentia temporalis, quæ apud Deum meritum ſuum habet de bona adminiſtratione regiminis. Nonnunquam tamen eo ipſo quod præeminet cæteris, elatione cogitationis intumeſcit; & dum foris immenſo fauore circundatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus ſui in voces ſe ſpargit alienas, talemque ſe credit, qualem foris audit, non qualem intus diſcernere debuit; cæteros deſpicit; eoſque ſibi æquales ordine naturæ non cognoſcit; cunctis ſe æſtimat amplius valere, quibus ſe videt amplius poſſe.* Scriptum eſt etiam Iob 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur*. Mundana enim quia vana ſunt, faciunt cor hominis frequenter euaneſcere, niſi ſit per gratiam ſtabilitum. Vnde de ſapientibus huius mundi dicit Apoſtolus Rom. 1. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Nota, quod alius euaneſcit propter ſcientiam, alius propter potentiam, alius propter nobilitatem generis, alius propter diuitias, & ſic de aliis; & hæc omnia vana ſunt.

Vanitas declaratur in prolatis ſermonibus.

ITEM declaratur eorum vanitas in ſermonibus. Quod enim latet in cordibus, in verbis frequenter oſtenditur. Sicut dictum eſt beato Petro. *Loquela tua manifeſtum te facit*. Et Dominus ait: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Scriptum eſt autem. *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum*. Heu quam vana ſunt aliquorum eloquia, ſcilicet verba arrogantię, iactantię, fatuitatis, & immunditiæ; verba friuola, ociosa, & huiuſmodi.

Vanitas mõſtratur ex operibus.

ITEM monſtratur vanitas ex operibus. Nam vt plurimum in alearum, ſcacorum, taxillorum ludis, vel in aliis iocis, æquè parum vtilibus, aut in venationibus & aucupiis occupantur. Et eſt quicquam tam vanum? Itẽ pro vaniſſima laude faciunt feſta & conuiuia; non pro pauperibus Chriſti, ſed pro diuitibus, hiſtrionibus, traiectoribus, & perſonis aliis inhoneſtis; & hoc vaniſſimum iudico. Item equos ſibi multiplicant phaleratos, ſcutiferos, & alios ſeruientes ſupra numerum, & vltra ſuppetentiam facultatum. Item ſeruis ſuis & aliis multis, multa dant paria veſtium pro nomine largitatis; & hoc nonne vanitas?

Probatur vanitas ex doloribus toleratis.

ITEM probatur vanitas ex doloribus toleratis; nam in venationibus & aucupiis antedictis, multos labores ſuſtinent, vigilias, æſtus, pluuias, paludes, niues, glacies. ſpinarum & veprium punctiones, famem, ſitim, & plures alias corporum paſſiones. Similiter in tyrociniis verberantur, fuſtigantur, & aliquando mutilantur, vt nomen ſibi vendicent probitatis: ſed hæc vanitas eſt. Si pro peccatis ſuis imponeretur eis pœnitentia incomparabiliter minus grauis, dicerent ſe ſuſtinere non poſſe. Si autem propter Deum, & animarum ſuarum ſalutem, tanta & tam grauia ſuſtinerent, magni eſſent apud Deum, & ſancti ab hominibus dicerẽtur. Item vt huiuſmodi torneamenta frequentent, expendunt quæ poſſident, & pro expenſis huiuſmodi faciendis, terras ſuas obligant, pecunias mutuo ſub vſuris accipiunt, expenſas intollerabiles faciũt extra ad oſtentationem, & in domibus ſuis, tam ipſi, quam vxores & liberi, famis inedia cruciantur. Tandem vſuras ſoluere non valentes, pauperes effecti, de propriis hæreditatibus expelluntur. Ecce quæ de vano corde prodeunt vana ſunt, & vanè propter vanitatem facta, vanum & vacuum hominem oſtendunt, & ad paupertatis vacuitatem perducunt.

De peccato ex certa malitia.

DISTINCTIO XVI.

Peccatū tribus modis cōmittitur.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato ex certa malitia. Dicit enim Grego. 25. in Mor. ſuper illud Iob 30. QVI DE INDVSTRIA RECESSERVNT A DEO. *Peccatum tribus modis committitur; nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio perpetratur.* Quod poteſt ſic declarari. Homo enim ſicut & quælibet res alia, naturaliter habet appetitum bonum. Vnde quod eius appetitus declinet ad malum, non poteſt contingere ſine aliqua deordinatione in aliquo principiorum hominis exiſtente. Sic enim in actionibus rerum naturalium inuenitur peccatum. Principia autem actuum humanorum ſunt intellectus & appetitus, tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm ſenſitiuus. In humanis igitur actibus contingit quandoque peccatum ex defectu intellectus, puta quando peccat homo ex ignorantia: & ex defectu appetitus ſenſitiui, quando ſcilicet peccat homo ex paſſione: ſic etiam ex defectu voluntatis, quę eſt inordinatio ipſius. Eſt autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat, & potius eligit pati detrimentum in bono minus amato, vt potiatur bono magis amato. Sicut potius eligit homo abſciſſionē alicuius membri etiam ſcienter, vt conſeruet rem quā plus amat. Per hunc modum, quando voluntas inordinata plus diligit aliquod bonum temporale, puta diuitias, honores, & voluptates; quam ordinem rationis, vel charitatem Dei, vel aliquid huiuſmodi; ſequitur quod velit & eligat in aliquo ſpirituali bono diſpendiū ſuſtinere, vt bonum temporale, quod plus amat, poſſit obtinere. Nihil autem aliud eſt malum, quàm priuatio boni.

Quid ſit peccare ex certa malitia.

ET ſecundum hoc, aliquis ſcienter vult aliquod malum ſpirituale, per quod bono ſpirituali priuatur, vt bono temporali quod plus diligit potiatur, & ſic peccare dicitur ex certa malitia, quaſi ſcienter eligens malum. Licet autem nullus operetur ad malum intendēs, ſicut dicit Dyoniſius 4. de Diui. Nomi. quia malum ſecundum ſe & abſolute, non poteſt eſſe intentum ab aliquo, poteſt tamen eſſe intentum ad vitandum aliquod malum, vel ad conſequendum bonum aliquod plus dilectum, vt dictum eſt. In tali autem caſu aliquis eligeret conſequi bonum per ſe intentum ſi poſſet, abſque hoc quod alterius boni diſpendium pateretur. Sicut voluptuoſus vellet vti delectatione ſi poſſet, abſque offenſa Dei. Sed duobus propoſitis magis vult offenſam Dei incurrere, quam delectatione priuari.

Tribus modis aliquis dici poteſt peccare ex malitia.

SCIENDVM etiam, quod quando dicitur aliquis peccare ex malitia, hoc poteſt intelligi tripliciter. *Vno modo* poteſt intelligi de malitia habituali, ſecundum quod habitus malus vocatur malitia, quia peccat ex inclinatione habitus vitioſi. *Alio modo* dicitur malitia actualis, ſecundum quod electio mali dicitur malitia; & ſic dicitur aliquis ex malitia peccare, quia ex deliberata electione mali peccat. *Alio modo* poteſt intelligi malitia, aliqua culpa præcedens ex qua oritur culpa ſequens, ſicut cum aliquis impugnat diuinam gratiam ex inuidia præcedente.

ITEM nota, quod voluntas ex natura ſuæ potentiæ inclinatur ad bonum tanquam ad proprium obiectū. Vnde omne peccatum dicitur eſſe contra naturam, propter quod dicit Damaſcenus, quod *peccatum eſt ab eo quod eſt ſecundum naturam, in id quod eſt contra naturam, verſio.* Quod ergo voluntas ex electione inclinetur ad malum, hoc aliunde contingit. Et quandoque quidem ex defectu rationis, & ſic dicitur peccare ex ignorantia vel quandoque ex impulſu appetitus ſenſitiui; Sicut quando aliquis peccat ex infirmitate, ſiue ex paſſione Sed neutrum horum eſt ex certa malitia peccare; Sed ſolum tunc aliquis ex certa malitia peccat, quando voluntas eius ex ſe inclinatur, vel mouetur ad malum. Quod poteſt intelligi dupliciter. *Vno modo* per hoc, quod habitus habet aliquam diſpoſitionem corruptā inclinantem ad malum, ita quod ſecundum illam diſpoſitionē corruptam aliquod malum ſit homini quaſi conueniens & ſimile; & in hoc ratione conuenientiæ voluntas tendit quaſi in bonum, quia vnumquodque tendit in id quod eſt ſibi conueniens. Talis autem diſpoſitio corrupta, vel eſt aliquis habitus acquiſitus ex conſuetudine, quæ vertitur in naturam; vel eſt aliqua ægritudinalis habitudo ex parte cōrporis. Sicut aliqui habent aliquas inclinationes naturales ad aliqua peccata, propter corruptionem naturæ in ipſis. *Alio modo* cōtingit, quod voluntas per ſe tendit in aliquod malum ex remotione prohibentis, verbis gratia. Si quis prohibetur vel impeditur peccare, non qui à peccatum ei diſpliceat abſolute, ſed propter ſpem vitæ æternæ, vel timorem gehennæ, remota ſpe per deſperationem, vel timore per præſumptionem, ſequitur quod ex certa malitia quaſi abſque freno peccat. Sic ergo patet, quod peccatum quod eſt ex certa malitia ſemper in homine præſupponit aliquam inordinationem, quæ tamen non ſemper eſt habitus. Vnde non eſt neceſſarium quod quicunque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

Duobus modis depranatur voluntas ad peccandū ex malitia ſeu electione contra ſuam inclinationē naturalem.

DENIQVE ſciendum, quod peccatum quod fit ex certa malitia, multo grauius eſt, quàm peccatum ex paſſione, vel ignorantia. Sicut dicit Gregor. 25. Moral. 12. *Grauius eſt ex infirmitate, quàm ex ignorantia; ſed multo grauius ſtudio, quàm infirmitate peccare.* De peccato ex certa malitia dicitur Iob 34. *Quaſi de induſtria receſſerunt à Deo.* Et Ioan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et paulo poſt. *Et viderunt & oderunt, & me, & patrem meum.* Grego. vbi ſupra. *Aliud eſt ex præcipitatione, aliud ex deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen conſilio & deliberatione damnatur: Ex infirmitate enim plerumque ſolet accidere, amare bonum, & implere non poſſe. Ex ſtudio vero peccare, eſt bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquam grauius eſt peccatum diligere, quàm perpetrare; ita nequius eſt odiſſe iuſtitiam, quàm non feciſſe.*

De inuerecundia peccandi.

Inuerecundia peccandi eſt valde periculoſa.

DEINDE conſiderandum eſt de inuerecundia peccandi, quando ſcilicet homo non verecundatur peccare, vel aliquid inhoneſtum facere coram Deo, & Angelis, & ſanctis, & hominibus, Grego. 4. Moral. 9. *Sunt nonnulli quos ad perpetrandam nequitiam oborta malitia ſubita inuitat, ſed tamen humana verecundia reuocat, & plerumque per hoc quod exterius erubeſcunt, ad interiora ſua redeunt, & contra ſe internum iudicium ſumunt: quod ſi propter hominem malefacere metuunt, quanto magis propter Deum, qui cuncta inſpicit, nec mala appetere debuerunt; in quibus ſit vt maiora corrigant per bona minima: ſcilicet per exteriorem verecundiam, interiorem culpam. Et ſunt quidam, qui poſtquam Deum in mente contempſerint, multo magis humana iudicia ſpernunt; atque omne malum quod appetunt, audacter peragere non erubeſcunt; quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas inuitat, & nulla aperta verecūdia retardat.* Sicut de quodam iudice iniquo dicitur Luc. 15. *Deum non timebat, & hominem non verebatur.* Hinc eſt etiam, quod de quibuſdam impudenti fronte peccantibus dictum eſt Iſa. 3. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt.* Tales ergo, nec timore Dei, nec hominum pudore, à perpetrandis flagitijs refrænantur. De talibus etiam dicitur Hiere. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Item 6. *Confuſi ſunt quia abominationem fecerunt, quinimmo confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere noluerunt.* Gregor. vbi ſupra. *Prauum fuit malum facere voluiſſe, & peius eſt perpetrata non erubeſcere.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ſcandalo.

DISTINCTIO XVII.

DEINDE conſiderandum eſt de ſcandalo; quia enim ex inuerecundia peccandi non curat homo facere vel dicere aliquid vnde ſcandalum oriatur; Ideo poſt inuerecundiam peccandi, conſequens eſt conſiderare de ſcandalo. Circa quod conſideranda ſunt nouem. Primo quid ſit ſcandalum. Secundo vtrum ſit peccatum. Tertio vtrum ſit ſpeciale peccatum. Quarto vtrum ſit mortale peccatum. Quinto vtrum perfectorum ſit ſcandalizari. Sexto vtrum eorum ſit ſcandalizare. Septimo vtrum ſpiritualia bona ſint dimittenda propter ſcandalum. Octauo vtrum propter ſcandalum ſint temporalia dimittenda. Nono, quæ mouere poſſunt ad ſcandalum fugiendum vel deteſtandum.

Quid ſcandalum & vnde dictū.

AD primum ſciendum, quod *ſcandalum eſt dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ.* Et ſumitur hæc diffinitio ex verbo Hieronymi, qui exponens illud Matth. 17. Scis quia Phariſęi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt, dicit. *Quando legimus: Quicumque ſcandalizauerit, hoc intelligimus, qui dicto vel facto occaſionem ruinæ dederit.* Sicut autem dicit ibidem, quod Græcè *ſcandalon* dicitur, hoc offenſionem vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere. Contingit enim quandoque quod aliquid exponitur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum. Et ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis, contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per dictum vel factum alterius, inquantum ſcilicet aliquis ſua admonitione, vel inductione, aut exemplo, alterum trahit ad peccandum; & hoc propriè dicitur ſcandalum. Nihil autem ſecundum propriam rationem diſponit ad ruinam ſpiritualem, niſi quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod eſt perfectè rectum, magis munit hominem contra caſum, quàm ad ruinam inducat; & ideo conuenienter dicitur, quod dictum vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ, ſit ſcandalum.

Solutio obie.

ET nota, quod in diffinitione peccati generaliter, dicit Aug. 22. contra Fauſtum: *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei:* In diffinitione autem ſcandali, non ponitur concupitum; quia cogitatio vel concupiſcentia quamdiu latet in corde, non proponitur alteri vt obex diſponens ad ruinam. Dicitur autem hoc minus rectum, non per comparationem ad aliquid aliud à quo in rectitudine ſuperetur, ſicut vnus actus virtuoſus dicitur rectior altero, ſed dicitur minus rectum, quod habet aliquem rectitudinis defectum, vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut peccatum; vel quia habet ſpeciem mali, ſicut cum aliquis recumbit in Idolo. Quamuis enim hoc ſecundum ſe non ſit peccatum, ſi aliquis hoc non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quandam ſpeciem vel ſimilitudinem venerationis, ideo poteſt alteri præbere occaſionem ruinæ. Et ideo Apoſtolus monet 1. Theſ. 5. *Ab omni mala ſpecie abſtinete vos*, & ideo conuenienter dicitur minus rectum, vt comprehendantur tam illa quæ ſunt ſecundum ſe peccata, quam illa quæ habent ſpeciem mali.

Nihil poteſt eſſe ſufficiens cauſa peccati præter propriā voluntatem.

ITEM dicitur præbens occaſionem, non cauſam; quia ſicut dictum eſt, nihil poteſt eſſe homini ſufficiens cauſa peccati quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria voluntas; & ideo dicta vel facta alterius hominis, poſſunt eſſe ſolum imperfecta cauſa aliqualiter inducens ad ruinam: & propter hoc non dicitur dans cauſam ruinæ, ſed dans occaſionem, quod ſignificat cauſam imperfectam, & non ſemper cauſam per ſe, ſed per accidens, & tamen nihil prohibet in quibuſdam poni illud quod eſt agens, quia id quodeſt ſecundum accidens vnius, poteſt per ſe alteri conueire. Sicut in diffinitione fortunę ponitur cauſa per accidens, in 2. Phyſicorum.

ITEM nota, quod aliquod dictum vel factum alterius, poteſt eſſe alteri cauſa peccandi dupliciter. Vno modo per ſe; alio modo per accidens. *Per ſe* quidem, quando aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit aliū ad peccandum inducere. Vel etiam ſi ipſe non hoc intendit, ipſum factum eſſe tale quod de ſui ratione habet, quod ſit inductiuum ad peccandum; puta quod aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati; & tunc ille qui huiuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ, vnde vocatur ſcandalum actiuum. *Per accidens* autem verbum vel factum vnius eſt alteri cauſa peccandi, quando & præter intētionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus, ex huiuſmodi opere inducitur ad peccandum vel operandum; puta cum aliquis inuidet bono alterius: & tunc ille qui facit huiuſmodi actum rectum, non dat occaſionem ruinæ quantum in ſe eſt, ſed alius ſumit, ſecundum illud Rom. 7. *Occaſione autem accepta*, &c. & ideo hoc eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo; quia ille qui rectè agit, quantum eſt de ſe non dat occaſionem ruinæ quam alter patitur. Quandoque ergo contingit, quod etiam ſit ſimul ſcandalum actiuum in vno, & paſſiuum in alio, puta cum ad inductionem vnius, alius peccat. Quandoque autem eſt ſcandalum actiuum ſine paſſiuo, puta cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, & ille non conſentit. Quandoque verò eſt ſcandalum paſſiuum ſine actiuo. Sicut iam dictum eſt.

ITEM nota, quod Apoſtolus Rom. 14. diuidit ſcandalum contra offenſionem & infirmitatem dicens. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.* Infirmitas enim nominat promptitudinem ad ſcandalum. Offenſio autem nominat indignationem alicuius contra eum qui peccat, quæ poteſt eſſe quandoque ſine ruina. Scandalum autem importat ipſam impactionem ad ruinam.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum ſcandalum ſit peccatum.* dicendum, quod ſicut dictum eſt, duplex eſt ſcandalū: Paſſiuum in eo qui ſcandalizatur, & actiuum in eo qui ſcandalizat, dans occaſionem ruinæ. Scandalum igitur paſſiuum ſemper eſt peccatum in eo qui ſcandalizatur, non enim qui ſcandalizatur ſcandalizatur, niſi inquantum aliqualiter ruit ſpirituali ruina, quæ eſt peccatum. Poteſt tamen eſſe ſcandalum paſſiuum ſine peccato eius ex cuius facto aliquis ſcandalizatur, ſicut cum aliquis ſcandalizatur de his, quæ alius facit bene. Similiter etiam ſcandalum actiuum ſemper eſt peccatum in eo, qui ſcandalizat, quia vel in opus quod facit eſt peccatum, vel etiam ſi habeat ſpeciem peccati, dimittendum eſt ſemper propter proximi charitatem, de qua vnuſquiſque tenetur ſaluti proximi prouidere; & ſic qui non dimittit, contra charitatem agit. Poteſt tamen eſſe ſcandalum actiuum, ſine peccato alterius qui ſcandalizatur, ſicut ſupra dictum eſt.

Scandalum paſſiuum ſēper eſt peccatum in eo qui ſcandalizatur, & actiuum in eo qui ſcandalizat.

Solutio obic.

QVOD autem dicitur Matth. 18. *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala*, non eſt intelligendum de neceſſitate abſoluta, ſed de neceſſitate conditionali, qua neceſſe eſt præſcita vel prænunciata à Deo euenire; ſi tamen coniunctim accipiatur, vt dictum eſt. Vel neceſſe eſt euenire ſcandala neceſſitate finis, quia vtilia ſunt ad hoc, quod qui probati ſunt manifeſti fiant. Vel neceſſe eſt euenire ſcandala, ſecundum conditionem hominum qui à peccatis non cauēt; ſicut ſi aliquis medicus videns aliquos indebita dieta vtentes, dicat neceſſe eſt tales infirmari, quod intelligendum eſt ſub hac conditione, ſi dietam non mutent, & ſimiliter neceſſe eſt euenire ſcandala, ſi homines conuerſationem malam non mutent.

ITEM nota, quod quando dixit Petrus Domino. *Abſit à te Domine, &c.* Mat. 16. Hoc dixit ex pietatis affectu, quem habebat ad Chriſtum. Vnde non peccauit hoc dicendo: quia ſicut dicit Hiero. *Error Apoſtoli de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum videtur eſſe diaboli.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vnde quando dixit ei Ieſus. *Scandalum mihi es;* ſcandalū hic ponitur pro quolibet impedimento large loquēdo

Scandalum paſſiuum nō eſt ſpeciale peccatū, nec etiam actiuū niſi quis intendat ruinam proximi, quo caſu directe opponitur correctioni fraternæ.

Ad tertium, ſcilicet *vtrum ſcandalum ſit ſpeciale peccatum.* Dicendum, quod ſcandalum paſſiuum non poteſt eſſe ſpeciale peccatum, quia ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit, ſecundum quodcumque genus peccati; non autem hoc ipſum quod eſt occaſionem peccandi ſumere ex dicto vel facto alterius, ſpecialem rationem peccati conſtituit, quia non importat ſpecialem deformitatem ſpeciali virtuti oppoſitam. Scandalum autem actiuum poteſt accipi dupliciter, per ſe ſcilicet, & per accidens. *Per accidens* quidem quando eſt præter intentionem agentis, puta cum aliquis ſuo facto vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occaſionem ruinæ, ſed ſolum ſuæ ſatisfacere voluntati. Sic etiam ſcandalum actiuum non ſemper eſt peccatum ſpeciale; quia quod eſt per accidens, nō conſtituit ſpeciem. *Per ſe* autem eſt ſcandalum actiuū, quando aliquis ſuo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccatum, & ſic ex intentione ſpecialis finis, ſortitur ſpecialem rationem ſpecialis peccati, finis enim dat ſpeciem in moralibus, vt ſupra dictum eſt. Vnde ſicut furtum eſt ſpeciale peccatum, aut homicidium, propter ſpeciale nocumentum proximi quod intenditur, ita etiam ſcandalum eſt ſpeciale peccatum, propter hoc quod intenditur ſpeciale nocumētum proximi, & opponitur directè correctioni fraternæ, in qua intenditur ſpecialis nocumenti remotio.

Scandalum quando veniale, quando mortale.

Ad quartum, ſcilicet *vtrum ſcandalum ſit peccatum mortale.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ſcandalum importat impactionem quādam per quā aliquis diſponitur ad ruinam, & ideo ſcandalum paſſiuum quandoque quidem poteſt eſſe peccatum veniale, quaſi habēs impactionem quandam tantum, puta cum aliquis ex inordinato dicto vel facto alterius, commouetur motu venialis peccati. Quandoque vero eſt peccatū mortale, quaſi habens cum impactione ruinam; puta cum aliquis ex inordinato dicto vel facto vel verbo, procedit vſque ad peccatum mortale. Scandalū autem actiuū ſi ſit quidem per accidens, poteſt eſſe quandoque quidem peccatum veniale, puta cum aliquis, vel actum peccati venialis committit, vel actum qui non eſt ſecundum ſe peccatum, ſed habet aliquam ſpeciem mali cum aliqua leui indiſcretione. Quandoque vero eſt peccatum mortale, ſiue quia committit actum peccati mortalis, ſiue quia contemnit ſalutem proximi, vt pro ea conſeruanda non prætermittat aliquid facere, quod ſibi libuerit. Si vero ſcandalum actiuum ſit per ſe, puta cum intendit inducere alium ad peccandum. Si quidem intendit inducere ad peccandum mortaliter, eſt peccatum mortale; & ſimiliter ſi intendat inducere ad peccandum venialiter, per actum peccati mortalis. Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter, per actum peccati venialis, eſt peccatū veniale.

Ad quintum, ſ. *vtrum perfectorum ſit ſcandalizari.* Dicendum, quod ſcandalū paſſiuum importat quandam cōmotionem animi à bono, in eo qui ſcandalum patitur, nullus autē cōmouetur, qui rei immobili firmiter inhæret. Meliores autem, ſiue perfecti, ſoli Deo inhærent, cuius eſt immutabilis bonitas; quia etiamſi inhæreant ſuis prælatis, non inhærent eis niſi inquantum illi inhærent Chriſto, ſecundum illud 2. Cor. 4. *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Vnde quantūcunque videat alios inordinatè ſe habere dictis vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt, ſecundum illud Pſal. 14. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.* Et ideo in his qui perfectè inhærent Chriſto per amorem, ſcandalū non inuenitur, ſecundum illud Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt in illis ſcandalum.*

Perfecti non ſcandalizātur.

Perfecti non ſcandalizāt

Ad ſextum, ſ. *vtrum perfectorum ſit ſcandalizare.* Dicēdum, quod ſcandalum actiuum propriè eſt, cū aliquis aliquid tale dicit vel facit, quod de ſe eſt tale vt alterū natum ſit inducere ad ruinam; quod quidē eſt ſolū id quod inordinatè fit vel dicitur: ad perfectos autē pertinet, ea quæ agunt, ſecundum regulā rationis ordinare: ſecundū illud 2. Cor. 14. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Et præcipuè hanc cautelam adhibēt in his, in quibus non ſolum ipſi offenderent, ſed etiam alijs offenſionem pararēt, & ſi quid in eorum manifeſtis dictis vel factis in hac moderatione deſit, hoc prouenit ex infirmitate humana, ſecundū quā à perfectione deficiunt; non tamē intantum deficiunt, vt multum ab ordine rationis recedant, ſed modicum & leuiter, quod non eſt tam magnū, vt ex hoc rationabiliter poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio.

Ad ſeptimum, ſ. *vtrum ſpiritualia bona ſint propter ſcādalum dimittenda.* Dicendum, quod cum duplex ſit ſcandalum, actiuum, ſ. & paſſiuum, quæſtio iſta non habet locum de ſcandalo actiuo; quia cum ſcandalum actiuū ſit dictum vel factum minus rectum, nihil eſt cum ſcādalo actiuo faciendum. Habet autem locum quæſtio ſi intelligatur de ſcandalo paſſiuo. Conſiderandum eſt igitur, quid ſit dimittendum, ne alius ſcandalizetur. Eſt autem in ſpiritualibus bonis diſtinguendū. Nam quædam horum ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ prætermitti non poſſunt ſine peccato mortali. Manifeſtū eſt autem quod nullus debet mortaliter peccare, vt alterius peccatum impediat; quia ſecundum ordinem charitatis, plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quam alterius, & ideo ea quæ ſunt de neceſsitate ſalutis prætermitti non debent, propter ſcandalum vitandum. In his autem ſpiritualibus bonis quæ non ſunt de neceſsitate ſalutis, videtur diſtinguendum; quia ſcandalū quod ex eis oritur quandoque ex malitia procedit; cum ſ. aliqui volunt impedire huiuſmodi ſpiritualia bona, ſcandala concitando; & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabantur. Quod eſſe contemnendum Dominus docet Mat. 15. Quandoque vero ſcandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia; & huiuſmodi ſcandalum eſt puſillorum, propter quod ſpiritualia opera, vel occultanda, vel etiam interdum differenda ſunt, vbi periculum nō imminet, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcādalū ceſſet. Si autem poſt redditam rationē huiuſmodi ſcādalum duret, iam videtur ex malitia eſſe; & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittēda.

Qua ſunt de neceſſitate ſalutis non ſunt propter ſcandalum dimittenda, benetamen alia bona ſpiritualia, ſi puſilli inde ſcandalizentur, donec ſufficienter inſtruantur.

Vnde notandum ſecundū Aug. in li. contra Epiſtolā Parmeniani. *Vbi ſchiſmatis periculum timetur, à punitione peccatorum ceſſandum eſt;* & tamen punitio peccatorū eſt quid ſpirituale, ad iuſtitiam pertinens; quia pœnarū inflictio non eſt propter ſe expetenda, ſed pœnæ infliguntur vt medicinę quędam ad cohibendū peccata, & ideo intantum habent rationem iuſtitiæ, inquantum per eas peccata cohibentur. Si autem per inflictionem pœnarū manifeſtum ſit, plura & maiora peccata ſequi; tunc pœnarum inflictio non continebitur ſub iuſtitia: & in hoc caſu loquitur Augu. ſ. quando excōmunicatione aliorū imminet periculum ſchiſmatis; tunc enim excōmunicationem inferre, non pertinet ad veritatem iuſtitiæ.

Solutio obie.

Item ſacra ſcriptura res eſt maximè ſpiritualis, ſed ab ea docenda ceſſandum eſt propter ſcandalum, ſecūdum illud Mat. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque proijciatis margaritas ante porcos, ne conuerſi diſrumpant vos.* Sed circa doctrinam duo ſunt conſideranda, ſ. veritas, quæ docetur, & ipſe actus docētis; quorum primum eſt de neceſſitate ſalutis, vt ſ. contrarium veritati non doceat, ſed veritatem ſecundum congruentiam tēporis & perſonarum proponat ille, cui incumbit docendi officiū; & ideo propter nullum ſcandalū quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatē docere. Sed ipſe actus docendi inter ſpirituales eleemoſinas cōputatur, vt ſupra dictum eſt; & ideo eadē ratio eſt de doctrina, & de alijs miſericordiæ operibus, de quibus poſtea dicetur. *Item* correctio fraterna interdum dimittēda eſt propter ſcandalum aliorū, vt dicit Aug. 1. de Ciu. Dei. Sed aduertendum, quod quia correctio fraterna ordinatur ad emendationē fratris, intantū computanda eſt inter ſpiritualia bona, inquantum hoc conſequi poteſt: quod non contingit, ſi ex correctione frater ſcandalizetur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dalizetur. & ideo ſi propter ſcandalum correctio dimittatur, non dimittitur ſpirituale bonum.

RVRSVS ſecundum Hiero. propter ſcandalũ dimittendum eſt omne illud quod prætermitti poteſt, ſalua triplici veritate, ſ. vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ. Impletio autem conſiliorum, & largitio eleemoſynarum multoties poteſt prætermitti, ſalua triplici veritate prædicta, alioquin ſemper peccarent illi omnes, qui prætermittunt. Sed ſciendũ, quod in veritate vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ, non ſolum comprehenditur id quod eſt de neceſſitate ſalutis, ſed etiam id per quod perfectius peruenitur ad ſalutem, ſecundum illud 1. Cor. 12. *Æmulamini chariſmata meliora*. Vnde conſilia etiam non ſunt ſimpliciter prætermittenda, nec etiam miſericordiæ opera propter ſcandalum, ſed ſunt interdum occultãda, vel differenda, propter ſcandalum puſillorum vt dictũ eſt. Quandoque tamen conſiliorum obſeruatio, & impletio operum miſericordiæ, eſt de neceſſitate ſalutis: quod patet in his qui iam vouerunt conſilia, & in his quib. ex debito imminet defectibus aliorũ ſubuenire, vel in temporalibus, puta eſurientem paſcendo; vel in ſpiritualibus, puta docendo ignorantẽ, ſiue huiuſmodi fiant debita propter iniunctum officiũ, vt patet in prælatis, ſiue propter neceſſitatem indigentis; & tunc eadẽ eſt ratio de huiuſmodi, ſicut de aliis quę ſunt de neceſſitate ſalutis.

Non eſt peccandum venialiter ad euitandum ſcandalum

VTRVM autem pro vitando ſcandalum proximi debeat quis peccare venialiter: dixerunt quidam, quod peccatum veniale eſt committendum propter vitandum ſcandalum: ſed hoc implicat contraria, ſi enim faciendum eſt, iam non eſt malum neque peccatum; nam peccatum non poteſt eſſe eligibile, conuenit tamen aliquid propter aliquam circunſtantiam non eſſe peccatum veniale, quod tamen illa circunſtantia ſublata peccatum veniale eſſet. Sicut verbum ocioſum eſt peccatum veniale quando abſque cauſa dicitur; ſi autem ex cauſa rationabili proferatur, non eſt ocioſum, nec peccatum, quamuis autẽ per peccatũ veniale gratia nõ tollatur, per quã eſt hominis ſalus; inquantũ tamẽ veniale eſt diſponens ad mortale, vergit in detrimentũ ſalutis.

AD octauum, ſ. *vtrum propter ſcandalum ſint bona temporalia dimittenda*. Dicendum, quod circa temporalia diſtinguendum eſt. Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro alijs commiſſa; ſicut bona eccleſiæ committuntur prælatis, & bona communia cuiuſcumque reipub. rectoribus: & talium cõſeruatio, ſicut & depoſitorum, imminet his, quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate, & ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda; ſicut nec alia quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: tẽporalia verò quorum nos ſumus Domini, dimittere ea tribuendo, ſi ꝓpter nos ea habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſunt, quandoque quidẽ debemus propter ſcandalum, quandoque autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod ſupra diximus eſſe ſcandalum puſillorum, tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſedandũ ſcandalum, ſ. per aliquam admonitionẽ. Vnde Augu. dicit in lib. de ſermone Domini in monte *Dandum eſt quod nec tibi nec alteri noceat, quantum ab homine tradi poteſt; & cum negaueris quod petit, iudicanda eſt iuſtitia ei; & melius aliquid dabis, cum petentẽ iniuſtè correxeris*. Aliquando verò naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum; & propter eos ſic qui ſcãdala concitant, non ſunt tẽporalia dimittenda, & hoc etiam noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occaſio, & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanẽt. Vnde Greg. dicit in Mora. *Quidam dum temporalia nobis rapiunt ſolummodo, ſunt tolerandi; quidam vero ſeruata æquitate prohibendi; non ſolum curantes ne noſtra ſubtrahantur, ſed ne rapientes non ſua, ſemetipſos perdant*. Prẽterea ſi paſſim permitteretur malis hominibus vt aliena raperent, vergeret hoc in detrimentum veritatis, vitæ, & iuſtitiæ; & ideo nõ oportet propter quodcumque ſcandalum temporalia dimitti. *Item* quando dicit Apoſtolus Ro. 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*: non eſt intentio Apoſtoli monere, quod cibus ſit propter ſcandalum totaliter dimittendus; quia ſumere cibum eſt de neceſſitate ſalutis: Sed talis cibus eſt propter ſcandalũ dimittendus, ſecundũ illud 1. Cor. 8. *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*. *Item* annexa ſpiritualibus quandoque ſunt propter ſcandalum dimittenda, vt patet, quia Apoſtolus ſeminans ſpiritualia, temporalia ſtipẽdia non accepit, ne offendiculũ daret Euangelio Chriſti. Sicut dicitur 1. Cor. 9. & ex ſimili cauſa non exigit eccleſia decimas in aliquibus terris, propter ſcandalum euitandum. Sed intelligendum eſt, quod ſcandalum quod vitabat Apoſtolus, ex ignorantia procedebat Gẽtilium, quia hoc non conſueuerant; & ideo ad tempus abſtinendum erat, vt prius inſtrueretur hoc eſſe debitum. Ex ſimili cauſa eccleſia abſtinet de decimis exigẽdis, in terris in quibus non eſt conſuetũ decimas dare.

Temporalia bona quandoque propter ſcandalum dimittenda quandoq; nõ.

Solutio obie.

CIRCA nonũ ſ. *quæ mouere debent ad ſcandalum fugiendum*, conſiderandum eſt. Primo quare non ſit ſcandalũ faciendum. Secundo quare non ſit ſcandalum patiendum. *Circa* primum ſciendum, quod cum ſumma diligentia ſcandalum eſt vitãdum actiuum, id eſt ne homo aliquid agat vnde ſcandalum oriatur. Primo propter blaſphemiam diuini nominis. Secundo propter nocutum multiplex proximorum. Tertio propter infamiã, & augmẽtum nefandi criminis. Quarto propter incrementum & cumulum tormentorum.

Quatuor ſũt motiua ad vitandum ſcandalum.

1. Propter Dei blaſphemiã.

PRIMO quidem vitandum eſt ſcandalũ propter Dei blaſphemiam: vnde conqueritur Dominus Iſa. 52. *Dominatores tui inique agunt, & iugiter nomen meum blaſphematur*; peccata enim maiorum, id eſt principum ſæculariũ, & prælatorum eccleſiæ, præcipuè faciunt nomen Domini blaſphemari. Vnde minores excuſant ſe de peccatis ſuis, propter peccata maiorũ. Sed & Iudæi & hæretici in perfidia perſeuerant, propter exempla mala, & ſcandala prælatorum, dicentes: Videte quomodo iſti viuunt, quomodo incedunt; non ſic Petrus, Paulus, & alij. Cum quidam Legati, & Abbates tredecim, miſſi ad terram Albigenſium, cum multis equis & famulis ambularent, contra hæreticos prædicantes; inſurgebãt contra eos Hæretici prædicãtes ècontra exempla mala, & inſolentiam vitæ prẽlatorum, clericorum, ac etiã religioſorum, dicentes. Ecce quomodo iſti prædicant nobis Chriſtum Dominũ ſuum, & equites peditem, diuites pauperem, pompoſi humilẽ, & huiuſmodi; & ſic ſine fructu de terra confuſi, recedere habuerũt 2. Reg. 12. *Dixit Nathan ad Dauid. Blaſphemare feciſti nomen Domini. Aaron ponens ſcandalum coram filijs Iſrael*, id eſt vitulum, fecit eos apoſtatare à Deo, & dixerunt. *Iſti ſunt dij tui Iſrael*, &c. Exo. 32. Similiter Ieroboam 3. Reg. 12. *Cogitato Ieroboam conſilio, fecit duos vitulos aureos, & poſuit vnũ in Bethel, & alterũ in Dan*, & dixit. *Iſti ſunt dij tui Iſrael, &c. & factum eſt hoc Iſrael in peccatũ*, ſ. apoſtaſiæ, vel idolatriæ. Duo vituli, duo exemplorum malorum genera ſignificant, in prælatis & perſonis eccleſiaſticis, hic eſt vitulus quẽ poſuit in Bethel, id eſt in domo Dei ad ruinam populi. Vitulus in Dan, qui iudiciũ interpretatur, ſignificat exemplum malum principum terrenorũ, qui alios & iudicant iniuſtè, & à Domino iudicabuntur. Itẽ Balaam docebat Balach mittere ſcãdalum coram filijs Iſrael, vt dicitur Apoc. 2. *Edere ſ. de ſacrificijs idolorum, & fornicari cum mulieribus Madianitis, quæ induxerunt eos ad idolatriam*, Sicut dicitur Exo. 35. Similiter de Salomone 3. Reg. 11. *Cum iam eſſet ſenex, deprauatũ eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos*. Similiter 2. Mach. 3. *Iaſõ facinoroſus, verbis ſuis* & exẽplis, omnes contribules ſuos traxit ad ritum Gentilium. Et ſic patet, quod ſcandalũ inducit Dei blaſphemiam.

2 Propter nocumentum multiplex proximorũ.

SECVNDO vitandum eſt ſcandalum propter nocumẽtum multiplex proximorum: multi enim viſis vel auditis ſcandalis, vulnerantur in mentibus, peruertuntur in morib. Pſ. 17. *Cum peruerſo peruerteris*, imitãdo ſ. vitia peruerſorum. Item præcipitantur in foueam peccati; ſcandalizantes enim primo corruentes in foueam, multos ſecum trahunt: maior autem & grauior eſt ruina primò

cadentis

Exemplum. cadentis, quia omnes alij corruunt ſuper eum. *Homo quidam volens arborem inclinare, multos ſocios aggregauit, qui aſcendens in arborem, ſummitatem arboris apprehendens, pependit in ea deorſum trahendo. Secundus vero manibus apprehendit pedes primi, & tertius ſecundi, & quartus tertii, & ſic de aliis, cum autem primus pondere grauatus ſcreare vellet in manibus, auulſæ ſunt ab arbore, & ſic ipſe cecidit, & omnes alii pariter ceciderunt. Sic vno corruente per peccatũ, multi adhærentes ei corruunt, eius exemplo vel ſcandalo. Sicut primo Angelo corruente, omnes alii adhęrentes ei per conſenſum, pariter corruerunt. Sic & multi poſt ſe trahunt alios. Contra quos Iſa. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Tales ſunt diaboli venatores, qui multos venantur, illaqueant, capiunt, & acquirunt, diabolo, Micheæ 7. *Vir fratrem ſuum venatur ad mortem.* Hier. 5. *Inuenti ſunt in populo meo impij inſidiantes, quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendum viros.* Laquei sũt exempla vanitatis, pedicæ ſunt exempla cupiditatis, decipula ſunt doloſitatis exempla. Vnde legitur *ſicut decipula &c. Item* ſunt vt Bubo circundati laqueis, quẽ aucupes ponunt de die inter laqueos, ad quem accedẽtes corniculæ, vel aliæ aues admirantes, capiuntur in laqueis circumpoſitis. *Item* ſimiles ſunt cuidam Grui, quæ capta ab aucupe, & diu nutrita detractis alis, facta eſt ei quaſi domeſtica: cum autem rediſſent plumæ, videns gregem aliarum aduolauit cum eis, & cum circa tempus hyemale mutarent patriam, facta eſt ductrix aliarum; & tranſiens per locum vbi nutrita fuerat, quaſi recordata boni pabuli quod in domo ruſtici habuerat, de nocte per tenebras introduxit alias in dictam domũ: quarum clamorem audientes qui in domo erant, ſurrexerunt, & accenſis luminibus, illam & alias cæperunt, quam inter alias potuit Dominus domus agnoſcere, ſigno, quod conſueuerat habere in coxa eius, inuento. Similiter qui apoſtatant à Deo, vel à fide, vel ab ordine, cum maxima venatione animarum ad diabolum, vel mundum, vel peccatum redeunt.*

Simile.

Simile.

ITEM ſunt milites in exercitu diaboli præpotentes, qui aliquando vno ictu, id eſt vno actu mali exempli, multos, immo quaſi innumerabiles occidunt. Sampſõ in mandibula aſini mille viros occidit Iud. 15. Et ipſe ſe occidendo plurimos interimit, ibidem 16. Principes & prælati qui ſubditis ſuis mala præbent exempla, ſimiles ſunt Herodi, de quo fertur dixiſſe Cæſar. *Mallem eſſe Herodis porcus, quam filius; quia cum proſelytus ſit, ipſe occidit filios ſuos, & nutrit porcos.* Oſeæ 9. *Effraim ad interfectorem ducit filios ſuos.* Item ſunt ſimiles Neroni, de quo dicitur in Chronicis, quod hoſtis iuſtitię primam perſecutionem in Chriſtianos excitans, Petrum & Paulũ occidit, & matrem ſuam, & ſororem, & fratrem ſuum Lucretium, & Senatum, & omnes fere domeſticos; & tandem ſe occidit, execrabilis factus omnibus & odioſus; licet primo promotus ad imperium, modeſte imperare cæpiſſet. Multi in prælatione ſunt ei ſimiles. Zach. 11. *Qui pauerant verbo, occidebant exemplo malo.*

3. Propter infamiam ipſius facientis.

TERTIO vitandum eſt ſcandalum propter infamiã ipſius facientis; reddit enim eum vilem, & in vilitate Deo, ſanctis, & hominibus odibilem. Exod. 10. *Exoſos habui eos propter malitiam adinuentionum ſuarum.* Pſal. 118. *Iniquos odio habui.* Aues nocturnales odioſæ ſunt auibus lucis; Sicut Noctua & Bubo. Sic peccatores amantes tenebras peccatorum, ſanctis omnibus ſunt exoſi *Item* tales Eccleſiam vel collegium, ſua vilitate confundũt. Hiere. 15. *Confuſa eſt & erubuit.* Pſalm. 43. *Tota die verecundia mea contra me eſt*, dicit Eccleſia, *& confuſio faciei meæ cooperuit me*; & ideo merito ſunt confuſibiles & confuſione digni, & tamen quandoque ipſi de ſua confuſione non erubeſcunt. Hierem. 6. *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt. Quinimmo confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Debent autem confundi, quia ſunt monſtruoſi, venenoſi, contagioſi, ridiculoſi. Monſtruoſi quidem, ſimiles monſtris Babilonis, de quibus dicitur Iſa. 13. & 34. *Erit cubile draconum, & paſcua ſtrutionum; ibi occurrent dæmonia, Onocentaurus, & Piloſus, &c. Dracones ſunt*, quia ventum vanitatis attrahunt, flammas peruerſitatis & malignitatis euomunt, aquas diuitiarum & deliciarum mundi inſatiabiliter bibunt; & aera flatu infamiæ inficiunt. *Strutiones*, habentes quaſi alas auium, non volatum; vellera quaſi ouium, ventrem ferrugineum, pedes quaſi aſinorum; quia etſi verbis volatum ad alta ſimulant, de terra tamen non ſe eleuant; ventrem habent quaſi ferrugineũ per auaritiam; & ſi exterius aliquando prætendunt ouinam ſimplicitatem, in fine oſtendunt aſininam ſtoliditatem. *Dæmonia* (dæmones Græcè ſcientes latine) quia ſcientiam quam prædicando oſtendunt, operando cõtradicunt: quaſi *dæmonia ibi occurrunt*, prætendunt diuinam ſcientiam, & exemplis oſtendunt dæmonum vitã. *Onocentauri*, id eſt aſini & tauri, quia multi tauri ſunt, dum prędicatione laborando excolunt terram Eccleſiæ, ſed aſini, inſenſatè & luxuriosè viuendo. *Piloſi ſunt*, id eſt Simię habentes humanam effigiem in corporibus, humanam diſſimilitudinem in moribus. *Lamiæ* ſunt, qui fœtus ſuos quos verbo lactant, exemplo lacerant. Lamiæ dicuntur quaſi lanię, quia fœtus ſuos laniant quos lactant, vel vt dicit Gloſ. *Lamiæ habent faciem ſemineam, pedes equinos, quia multi in aperto ſunt molles & diſſoluti, compti & ornati, ſed inferius brutales & luxurioſi apparent. Venenoſi* verò, quia circumquaque virus ſuæ iniquitatis effundunt, & effundendo corrumpunt 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*: multo fortius conſortia praua, ſimiliter & exempla praua. De prauis colloquiis, require ſupra *de peccatis linguæ*. De prauis conſortiis, require ſupra *quomodo malæ ſocietas corrumpit*. De malis exemplis quomodo vulnerant & occidunt vide etiam ſupra. Sunt enim ſicut Baſilicus, qui totum aerem corrumpit. Et ſicut dracones vt dictum eſt Hierem. 51. *Ecce ego ad te mons peſtifer, qui corrumpis vniuerſam terram.* Montes peſtiferi ſunt maiores, quorum corruptio deriuatur in inferiores.

Exemplum. CVIDAM viro religioſo apparuit quædam domina pulchra valde, ornatu regio præparata, quam videns obſtupuit, credens quod eſſet virgo beata. Sed illa dixit. Non ſum illa quam tu æſtimas, id eſt mater Chriſti, ſed eius ſponſa, id eſt eccleſia pro qua frequenter gemis & oras, cuius eſt dolor mirabilis, & corruptio deſcendens à capite per omnes artus vſque ad pedes, & hoc tibi ſit ſignum. Quo dicto coronam ſpecioſiſſimã amouens de capite, oſtendit ei ſuperiorem partem capitis ad modum crucis in quatuor partes inciſam, & vermes ebullientes, & ſaniem defluentem, & ait: Ecce ex his quę vides perpenpere potes quantus ſit dolor meus, & quanta corruptio in membris alijs, & his dictis euanuit. Iſti ſunt contagioſi, multo peius quam lepra vel morbus alius. Iſti hyrci fœtidi, & ſicut Thuribula ex quibus exalat fumus non aromaticus, ſed fœtor immanis Iſa. 3. *Erit pro ſuaui odore fœtor*; quia odorem virorum ſanctorum fœtere faciunt, fumo & fœtore infamiæ, totum vnum collegium, vel religionem, vel eccleſiam diffamantes. Tales ſunt ridiculoſi facti, videlicet in deriſum, ludibrium, & opprobrium, non ſolum etiam coram hominibus, verum etiam coram dæmonibus. Homines quidem de talibus in conuiuiis & tabernis obloquuntur, & detrahunt, & eos oſtendunt digitis in deriſum. Dæmones etiam ludunt de talibus, ſicut cattus de ſorice. Hierem. 48. *Erit Moab in deriſum, & in exemplum omnibus in circuitu ſuo.* Sicut Iudit. 16. legitur de Sampſone, quod cum Phyliſtæi cepiſſent dormientem in gremio Dalilæ crine nudatum & excæcatum, de eo ludebant, & feſtum magnum faciebant, & ei illudebant. Similiter poſtquam homo captus à dæmonibus eſt in manifeſto peccato, expoliatus virtutibus, & excæcatus per peccati impudentiam; qui primo erat dæmonibus terribilis, fit eis contemptibilis.

ITEM ad idem eſt, quod dicitur in ſcholaſtica hiſtoria, quod cum Sedechias fugeret recedens à Hieruſa-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lem, comprehenſus à Chaldęis in campis Hiericho, ad regem Babilonis adductus in Reblata, occiſis filijs eius coram eo & familia, exoculatus in Babilonem vinctus ducitur. Vbi cum maximum feſtum facerent Babilonij, fecit eum Nabuchodonoſor adduci in medium inter conuiuas cum cantoribus ſuis, qui cum de præcepto regis Nabuchodonoſor caneret in vaſis muſicis de canticis Syon, cum autem inuitarent cantatores ad bibendum, datus eſt Sedechiæ de præcepto Nabuchodonoſor potus laxatiuus, qui turpiter ſolutus, & ignominiosè fœdatus, coram omnibus deriſus, in carcere detruſus, in confuſione ſua cito mortuus eſt. Similiter mali prælati, malè ſe habentes in regimine populi, à pacis diuinæ viſione recedentes, & mundana ſequentes, & publice peccantes, filiis eorum, id eſt ſubditis qui eos ſequuntur imitando, ſpiritualiter occiſis, adducti in Babiloniam infamiæ, turpiter defędati per mala exempla, fiunt peccatorum cantus, & dęmonum riſus, & ludibrium. Hoc etiam dicit Glo. ſuper Abac. 2. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.* Abdias. *Illuſerunt tibi viri fœderis tui.*

Simile. ITEM notandum eſt, quod diabolus vt incantator, qui omnes circunſtantes in ludo ſuo volens prouocare ad riſum, inſufflat in pixidem, in qua eſt inquinamentum, nec apparet in aliquo inquinatus: quem cum porrexerit pluribus, qui nec poſtquam ſufflauerunt in pixidem ex hoc apparent inquinati: tandem tradidit eā alicui fatuo ad inſufflandum, vertens ei illam partem in qua erat inquinamentum, qui cum exufflaret exiuit de pixide puluis teterrimus ſubito denigrans & inquinans faciem eius totam, ex cuius confuſione & fędatione, omnes aſtantes ludo prouocantur ad riſum & plauſum. Sic cum aliquis fatuus vult occultè peccare, diabolus vertit ei quaſi pixidem inquinationis, & ſic, quando ſcilicet deprehenditur aliqua occaſione in aliquo facto, apparet patenter quod credebat facere latenter, per quod eius fama denigratur, de quo dæmones gaudent & rident. Tales igitur confundunt, & confunduntur; ſcandalizant, & ſcandalizantur, id eſt ſcandalis quæ faciunt diffamantur. Ideo hortatur ſapiens vitare ſcandalum dicens Eccleſ. 33. *Doctrinam oris audite filij, qui cuſtodierit illam non periet labijs ſuis, nec ſcandalizabitur in operibus peſſimis*, id eſt nec verbis nec factis ſcandalizabit, nec diffamabitur ex ſcandalis. Sequitur. *Superbus & maledicus ſcandalizabitur.* Contra religioſos præcipuè, qui ſanctitatis habitum portant exterius, ſed interius iniquitate pleni, ex abundantia cordis, & verbis & factis alios ſcandalizant, dici videtur illud Eccl. 1. *Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis, attende in illis ne fortè cadas, & adducas animę tuę inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa, &c.* Sic ergo vitandum eſt ſcandalum propter infamiam.

4. Propter incrementū & cumulum tormentorū. QVARTO vitandum eſt propter incrementum & cumulum tormentorum. Sicut enim dicit Greg. *Sciant tales, quia tot mortibus digni ſunt, quot perditionis exempla ad alios tranſmittunt.* Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & alligabunt eos ſicut zizaniam in faſciculos ad comburendum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ponet autem Deus illos in exemplum damnationis & pœnæ, ſicut fuerunt in exemplum culpæ Ezech. 14. *Homo de domo Iſrael, qui poſuerit Idola in corde ſuo, ſcandalum iniquitatis ſuæ, &c.* Et poſt. *Ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam illum in prouerbium & exemplum, & diſperdam eum.* Naum 3. *Reuelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & ponam ſuper te abominationes tuas, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum, &c.*

De ſcandalo paſſiue euitando.

Qui ſcandalizant ſunt fatui in eligendo. DEINDE conſiderandum eſt quare ſit ſcandalum euitandum paſſiuè. Sciendum, quod fatuitas illorum qui malum exemplum accipiunt & mutuantur ab his quos male vident agere, apparet in multis: Videlicet in male eligendo, & in male agendo. In eligendo quidem, quia bonos & bona viſa contemnunt, malos autem eligunt imitari: qui præponunt conuerſationem malorum conuerſationi bonorum, qui potius ſequuntur eorum opera, vitia, vel exempla, quam virtutes: magis volunt eſſe degeneres quam generoſi, deformes quàm formoſi, fœtidi quam odoriferi, pernitioſi quā fructiferi, tenebroſi quam lucidi. Ioa. 3. *Dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.* Eligunt lignum mortiferum, & lignum vitæ dimittunt. Sicut Adam ſuæ vxoris exemplo, comedit lignum vetitum & mortiferum. Dimittunt cibum & potum ſalutiferum, & ſumunt mortiferum. Dimittunt mel, & guſtant fel. Dimittunt panem, & ſumunt lapidem. Dimittunt piſcem, & accipiunt ſcorpionem, Dimittunt ſanum, & eligunt putridum, quod non facerent ipſi porci. Eligunt malos in vaſa ſua, bonos autem foras dimittunt. Pſa. 68. *Fiat mēſa eorum in retributionem, & in laqueum, & in ſcandalum.*

ITEM iſti dimittunt aurum, & eligunt cænum. Dimittunt roſam, & eligunt ſpinam. Sequuntur lupum, & dimittunt pium paſtorem. Sequuntur Iudam proditorem, & dimittunt Saluatorem. Cum dicat Petrus: *Sequimini veſtigia eius, qui peccatum non fecit.* Iſti ſunt ſimiles illi, qui dimiſit ſocium ſuum ſapientem, & ſecutus fatuum incidit in latrones. Deut. 12. *Caue ne imiteris abominationes gentium.* Eccl. 22. *In viaruinæ non eas, & non offendes in lapides; non credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* Fatuus eſt qui ſequitur ductorem cæcum, curſorem claudum, comitem inimicum. Iſti quærunt ſibi exempla corruptionis, cum inuenire poſſent exempla veritatis; id eſt vitam & exempla bonorū Iac. 5. *Exemplum accipite fratres longanimitatis, laboris, & patientię, Prophetas.* Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis.* Exo. 15. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Non debet accipi exemplar à ſacerdotibus Baal, ſed à ſacerdotibus Leuitici generis.

Qui ſcandalizantur ſūt fatui in agēdo. ITEM fatui ſunt in agendo, quia faciunt ea quæ damnant & damnanda iudicant in aliis Rom. 2. *Eadem agis quę iudicas.* Et poſt. *Exiſtimas ô homo qui talia agis, quia tu effugies iudicium Dei?* Tales ſunt ſimiles armigero Saul, qui videns Dominum ſuum irruiſſe in gladium ſuum, fecit ipſe ſimiliter, & ſic ſeipſum occidit 1. Reg. 31. Iſti cum poſſent inuenire aurum, & argentum, & lapides pretioſos, de quibus ædificarent ſibi domos in quibus in perpetuum habitando regnarent: non ſolum ædificant lignum, fœnum, & ſtipulam; ſed magis lutum, ferrum, plumbum, & ſtagnum, cum quibus ardeant in æternum. Qui vult inuenire multa exempla mala, legat in libro mundanę vanitatis, & inueniet illum plenum malis exemplis Matth. 19. *Vę mundo à ſcādalis.* Iſti colligunt de mundo omnia ſcandala ad imitandum, ſed *filius hominis mittet Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala ad comburendum* Matth. 13.

Alij ſcandalizantur ex ignorantia alij ex fragilitate, alij ex tolerantia, alij ex malignitate. Hoc autem ſciendum, quod alij ſcandalizantur ex ignorantia, alij ex fragilitate, alij ex tolerantia, alii ex malignitate.

SCANDALIZANTVR aliqui ex ignorantia veritatis, ſumentes occaſionem ſcandali vbi ſumenda non eſſet. Sicut Iudęi audientes Doctrinam Chriſti, & videntes miracula mirabantur, ipſum purum hominem æſtimātes. Marc. 6. *Multi ſapientes admirabantur in doctrina eius, dicentes, vnde huic omnia, & quæ eſt ſapientia quæ data eſt illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic eſt faber Mariæ filius, frater Iacobi & Ioſeph & Iudæ & Symonis? nonne & Sorores eius hic nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in eo.* Item Ioan. 6. cum multa diceret de ſacramento altaris diſcipulis ſuis: *Panis quem ego da*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bo caro mea eſt, &c. *Caro mea vere eſt cibus,* &c. *multi audientes dixerunt: Durus eſt hic ſermo,* &c. *Sciens autem Ieſus quia murmurarent, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat. Alij* ſcandalizantur ex infirmitate, ſicut dixit Dominus diſcipulis, Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in iſta nocte.* Et Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant,* &c. *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Gregor. *Viſa Chriſti paſſione, quiſque non ſcandalizari debuit, ſed admirari.* Matth. 13. *Facta tribulatione & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizantur.* Et Matth. 24. *Tunc ſcandalizabuntur multi. Alij ſcandalizantur* ex cohærentia conuerſationis & ſocietatis malorum, facti videlicet imitatores eorum. Pſalm. 105. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Ideo Matth. 18. *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum,* &c.

ITEM aliqui ſcandalizantur ex malignitate, ſicut Domino publicè prædicante contra vitam malam, & doctrinam Scribarum & Phariſæorum, diſcipuli dixerunt ei: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt.* Et 1. Corint. 1. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.*

De erubeſcentia bonitatis.

DISTINCTIO XVIII.

Vitioſa ſunt erubeſcentia bonitatis iniquitatis, veritatis, & ſanctitatis.

DEINDE conſiderandum eſt de erubeſcentia de bono, quæ eſt tredecima filia inanis gloriæ, quæ eſt quando verecundatur aliquis ſe pauperem eſſe, vel male veſtitum, aut minus eſſe inter alios honoratum. Verecundãtur aliqui, ſe de infimo genere natos eſſe, parentes, conſanguineos & amicos pauperes videre, cum ad pinguiorem fortunam aſcenderint; vel eos coram hominibus recognoſcere dedignantur. Sicut ille qui requiſitus quis eſſet pater eius, reſpondit ſe nepotem eſſe cuiuſdam epiſcopi, non audens patrem ſuum nominare. Sicut de mulo dicitur fabuloſè, quod requiſitus quis eſſet, reſpondit ſe creaturam eſſe Dei. Requiſitus quis eſſe pater eius, reſpondit dextrarium auunculum ſuum eſſe.

AD eandem ſpeciem pertinet erubeſcentia iniquitatis, non quod nõ erubeſcat de iniquitate quã fecit, ad confitendum, quia hoc eſſet laudabile: ſed intantum timet verecundari coram homine, quod aut omnino non confitetur; aut confitens minora, & minus erubeſcibilia, ſubticens grauiora. De fatuitate talium require infra *Confeſſio.*

AD eandem ſpeciem pertinet erubeſcentia veritatis, quando ſcilicet verecundatur aliquis veritatem dicere, vbi & quando opus eſt, quia timet offendere, lucrum, gratiam vel fauorem amittere. Vel requiſitus à iudice vel prælato peccatum ſuum negat, nolens erubeſcere coram eis, vel verecundiam ſuſtinere. Vel ſi verbum mendoſum protulit, non vult in mendacio deprehendi, & ideo mendacium ſuum negat, vel verbum ſuum ſuſtinet eſſe verum: aut ſi mendaciter detraxit de aliquo, non vult famam eius reſtituere, ne de mendacio erubeſcat; aut ſi non audet quis confiteri fidei veritatem. Contra quod ſpecialiter dicit Apoſtolus Rom. 1. *Non erubeſco Euangelium.* Eccl. 4. *Pro anima tua non erubeſcas dicere verum.* Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam, & gloriam.

AD eandem ſpeciem pertinet erubeſcentia ſanctitatis, nam multi ſunt qui coram hominibus erubeſcunt iciunare, orare, eleemoſynas dare, & huiuſmodi; ne irrideantur ab eis. Sed ſtultus eſſet miles qui ſeruitium regi debitum non auderet ei reddere, ne de hoc homines loquerentur. Item ſi rectè incedens derideretur à claudo, propter hoc quod rectè incedit, nullus eſt qui non cõtemneret; & fatuus eſſet ille ſi propter hoc vellet incedere ſicut claudus. Item ſi per lutum ambulans, derideret illos qui per viam mundam & rectam incederent, nullus ſequeretur eum per lutum. Item nõ debet ſanus erubeſcere de hoc quod ſanus eſt, aliis ægrotantibus. Vel quia mundus eſt, aliis leproſis. Vel quia non eſt ſordidus, aliis iniquitatis. Vel quia ſtat, aliis cadentibus. Seneca. *Sit tibi tam turpe à turpibus laudari, quàm vt lauderis ob turpia.* Item *non quàm multis, ſed quibus placeas cogites, lætior eſto quoties diſplices malis veram tibi laudationem aſcribe.*

De tentatione Dei.

DEINDE conſiderandum eſt de tentatione Dei, quę eſt decimaquarta filia inanis gloriæ. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo in quo conſiſtat tentatio Dei. Secundo vtrum ſit peccatum, & quomodo.

CIRCA primum ſciendum, quod tentare eſt experimentum ſumere de eo qui tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo, & verbis, & factis. Verbis quidẽ, vt experiamur an ſciat quod quærimus, vel poſſit aut velit illud implere. Factis autem, cum per ea quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, vel voluntatem, vel poteſtatem. Vtrumque autem horum contingit dupliciter. *Vno* quidem modo apertè: Sicut cum quis tentatorem ſe profitetur, ſicut Sãpſon Iud. 13. propoſuit problema Phyliſtæis ad eos tentãdum. *Alio* verò modo inſidioſè & occultè, ſicut Phariſæi tentauerunt Chriſtum Matt. 22. Rurſus quandoque expreſsè, puta cum quis dicto vel facto intendit experimentum ſumere de aliquo. Quandoque vero interpretatiuè, quando ſc. etſi hoc non intendat vt experimentum ſumat, id tamen agit vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum. Sic ergo homo Deum tentat, quandoque verbis, quandoque factis. Verbis quidem Deo colloquimur orando. Vnde in ſua petitione aliquis expreſsè Deum tentat, quãdo ea intẽtione aliquid à Deo poſtulat, vt exploret Dei ſcientiam, poteſtatem, vel voluntatem. Factis autem aliquis expreſsè Deum tentat, quando per ea quæ facit, intendit experimentum ſumere Diuinæ poteſtatis, vel pietatis, aut ſapientiæ. Sed quaſi interpretatiuè Deum tentat, qui etſi non intendat experimentum ſumere de Deo, aliquid tamen vel petit vel facit, ad nihil aliud vtile, niſi ad probandum Dei poteſtatem, vel bonitatem, ſeu cognitionem. Sicut cum aliquis equum currere facit vt euadat hoſtes, hoc non eſt experimẽtum de equo ſumere. Sed ſi equum currere faciat abſque vllavtilitate, hoc nihil aliud eſſe videtur, quàm experimentum ſumere de equi velocitate. & idem eſt in omnibus aliis rebus. Quando ergo propter aliquam neceſſitatẽ ſeu vtilitatem committit ſe aliquis diuino auxilio, in ſuis petitionibus, vel factis, hoc non eſt Deum tentare. Dicitur enim 2. Para. 20. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Quando vero hoc agitur abſque neceſſitate & vtilitate, hoc eſt interpretatiuè tentare Deum. Vnde Deu. 6. *Non tentabis Dominum Deum,* dicit Gloſſ. *Deum tentat, qui habens quod faciat, ſine ratione ſe committit periculo, experiens vtrum poſſit liberari à Deo.* Et Augu. 25. contra Fauſtum dicit, quod *Chriſtus, qui palam docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in ſe aliquid non ſinendo, Dei demonſtrabat poteſtatem. Idem tamen fugiendo & latendo, hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat.* Ex quo videtur in hoc tentationem Dei conſiſtere, quando prætermittit homo facere quod poteſt, ad pericula euadenda, reſpiciens ad auxilium diuinum.

Solutio obie.

Hoc autem aduerte, quod ſancti per inuocationẽ diuini nominis miracula faciunt, licet expectent ſolius diuinæ poteſtatis effectum. Similiter prædicatores regni Dei, qui prętermiſſis humanis ſubſidiis in ſolo Deo ſpem ſuam ponunt; Iuxta illud 1. Petr. 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum.* Et Pſalmus 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino,* &c. non tentant Deum, quia

quia ex magna vtilitate vel neceſſitate ſubſidia temporalia prætermittunt, vt vacent expeditius verbo Dei; & ideo ſi ſoli Deo innitantur, non propter hoc tentant Deum; ſed ſi abſque vtilitate vel neceſſitate humana ſubſidia deſererent, Deum tentarent. Vnde Ambro. ſuper illud Luc. 9. NIHIL IN VIA TVLERITIS, &c. dicit. *Qualis debet eſſe qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis deſignatur, hoc eſt vt ſubſidij ſæcularis adminicula non requirant, fideique totus inhærens, putet quo minus iſta requiret magis poſſe ſuppetere.*

CIRCA ſecundum, ſcilicet *quomodo tentare Deum ſit peccatum.* Sciendum, quod ſicut dictum eſt, tentare eſt experimentum ſumere, nullus autem experimentum ſumit de eo de quo eſt certus, & ideo omnis tentatio ex aliqua ignorantia, vel ex dubitatione procedit; vel eius qui tentat, ſicut cum quis experimentum ſumit de re aliqua, vt eius qualitatem cognoſcat; ſiue aliorum: Sicut cum quis experimentum ſumit de aliquo, vt aliis oſtendat: per quē modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem vel dubitare de his quæ pertinent ad Dei perfectionem, eſt peccatum. Vnde manifeſtum eſt, quod tentare Deū ad hoc quod ipſe tentans cognoſcat Dei virtutem, eſt peccatum. Vnde Deut. 6. dicitur. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et 1. Corint. 10. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt.* Si quis autem ad hoc experimentum ſumat eorum quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt alijs demonſtret, hoc non eſt tentare Deum; cum ſubſit iuſta neceſſitas, vel pia vtilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apoſtoli petiuerunt à Domino vt in nomine Ieſu Chriſti ſigna fierent. Vt dicitur Actu. 4. ad hoc ſcilicet quod virtus Chriſti infidelibus manifeſtaretur.

Tētare Deū ad hoc vt quis cognoſcat Dei virtutē eſt peccatum, non vero vt alijs demonſtret.

Solutio obie.

ET nota, quod duplex eſt cognitio diuinæ bonitatis, vel voluntatis. *Vna* quidem ſpeculatiua, & quantū ad hanc non licet dubitare, nec probare vtrum voluntas Dei ſit bona, vel vtrum Deus ſit ſuauis. *Alia* eſt cognitio diuinæ bonitatis ſeu voluntatis affectiua, ſeu experimentalis; dum quis experitur in ſeipſo guſtum diuinæ dulcedinis, & complacentiam diuinæ voluntatis. Sicut de Ierotheo dicit Dionyſius 2. cap. de Diui. Nomi. Quod didicit diuina ex compaſſione ad ipſa. & hoc modo mouemur vt probemus Dei voluntatem, & guſtemus eius ſuauitatem.

ITEM nota, quod reprehenditur rex Achaz quia dicenti ſibi quod ſignum peteret, noluit petere, dicens, Iſa. 7. *Non petam, & non tentabo Dominū*: propter quod videri poſſet, quod tentare Deum nō ſit peccatum. Abraham vero petiuit ſignum, ſicut legitur Gen. 15. *Vnde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſum eam*, ſcilicet terram promiſſam. Et Gedeon ſignum petiuit à Domino de victoria repromiſſa, ſicut dicitur Iud. 6. qui tamen ex hoc non reprehenduntur.

Solutio obie.

EST autem ratio promiſſorum, quia Deus volebat ſignum dare Regi Achaz, non pro ipſo ſolum, ſed pro totius populi inſtructione, & ideo reprehenditur quaſi impeditor communis ſalutis, quod ſignum petere nolebat; nec petendo tentaſſet Deum, tum quia ex mandato Dei petijſſet, tum quia hoc pertinebat ad vtilitatem communem. Abraham vero ſignum petijt ex inſtinctu Diuino, & ideo non peccauit. Gedeon verò ſignum ex debilitate fidei petijſſe videtur, & ideo à peccato non excuſatur. Sicut Gloſ. ibidem dicit. Sicut & Zacharias peccauit, dicens Luc. 1. ad Angelum. *Vnde hoc ſciam?* vnde & propter incredulitatem punitus fuit. *Sciendum* tamen quod dupliciter aliquis ſignum petit à Deo. *Vno modo* ad explorandum Diuinam pietatem, aut veritatem dicti eius; & hoc de ſe pertinet ad Dei tentationem. *Alio modo* ad hoc quod inſtruatur quid ſit circa aliquod factum placitum Deo, & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.

A B C D E

De contemptu Dei.

DEINDE conſiderandum eſt de contemptu Dei. Circa quod conſiderandum quomodo ſit peccatum ſpeciale, & filia inanis gloriæ. Et dicendum, quod in aliquo peccato poteſt eſſe contemptus Dei dupliciter. Vno modo per ſe, & ex intentione peccantis. Alio modo per accidens, & præter intentionem. *Primo modo* contemptus Dei dicitur eſſe ſpeciale peccatum, quia habet propriam rationem obiecti. *Alio modo* dicitur Dei contemptus eſſe in aliquo peccato per accidens, quia non intendit in peccato Deum contemnere: Sed præter intentionem ſuam ſequitur, quod peccando contemnit Deum, faciendo ſcilicet aliquid quod eſt contra præceptum Dei, puta fornicator non intendit principaliter Deum contemnere, ſed libidinem ſuam explere. Sed ex hoc ſequitur quod contemnit Deum, contra inhibitionem eius agendo. Eſt ergo contemptus Dei peccatum, quando ſcilicet aliquis ex intentione facit aliquid in contemptum Dei, quando minas eius & iudicia non metuit, quando peccare pro nihilo ducit, quando negligit exire à peccato, quando bona ſpiritualia & æterna paruipendit. Vnde Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.*

Contemptus Dei ex intētione eſt ſpeciale peccatū ſecus ſi præter intentionem.

ET nota, quod eſt contemptus laudabilis, & culpabilis. Contemptus laudabilis eſt, quando quis contemnit mundanum honorem propter Deum, ſicut de viro iuſto dicitur Iob 29. *Contemnit multitudinem ciuitatis, & vocem exactoris non audit, &c.*

Contemptus duplex ſ laudabilis & culpabilis, & vterq; multiplex.

ITEM quando contemnit pauorem, id eſt quando non timet ſuſtinere dolores & anguſtias propter Deum. Vnde de equo forti & audaci dicitur Iob 29. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.*

ITEM quando contemnit pudorem, id eſt, quando non timet ſuſtinere confuſionem & verecundiam propter Deum, exemplo Chriſti, de quo dicitur Hebr. 12. *Suſtinuit crucem confuſione contempta.*

CONTEMPTVS verò culpabilis eſt multiplex. Quandoque enim contemnitur Deus, quia contemnuntur eius imperia. Vnde reprehenditur Dauid 2. Reg. 12. *Quare contempſiſti verbum Domini.* Et Numer. 15. *Anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo; verbum enim Domini contempſit.* Item quandoque contemnuntur eius iudicia. Sicut conqueritur Dominus Ezech. 5. *Contempſit iudicia mea, vt plus eſſet impia quam gentes.* Et Leuit. 26. *Si ſprueueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt non faciatis ea quæ à me conſtituta ſunt &c. Viſitabo vos velociter, &c.*

ITEM quandoque contemnuntur eius conſilia, ſiue contemnitur eius ſapientia. Sicut dicitur Eccl. 9. *Sapientia pauperis*, ſcilicet Chriſti, *contempta eſt.* Item contemnitur eius clementia. Sicut ipſe conqueritur Hierem. 3. *Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contemnit domus Iſrael.* Rom. 2. *An diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis eius contemnis?* Sed omnes tales maledicti ſunt ſicut habetur Tob. 13 *Maledicti erunt qui contemnunt te.* Et 1. Reg. 2. *Qui contemnunt me erunt ignobiles.*

ITEM quando contemnitur eius familia, bene reputat ſe contemni. Sicut ipſe dicit Luc. 10. *Qui vos ſpernit me ſpernit.* Et ideo Matth. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis.*

ITEM quando contemnitur eius eccleſia: Sicut reprehendit aliquis Apoſtolus 1. Corint. 11. *Eccleſiam Dei contemnitis.* Et 2. Mach. 4. *Contempto templo, & ſacrificijs neglectis, &c.*

De irreuerentia, & maxime de sacrilegio.

DISTINCTIO XIX.

Irreuerentia duplex s. facta Deo & rebus sacris.

DEINDE considerandum est de irreuerentia, (quæ est decimasexta filia inanis gloriæ) qua scilicet homo non exhibet honorem quibus debet. Et hoc fit multipliciter, sicut multæ sunt res quibus est reuerentia exhibenda. Est enim irreuerentia facta Deo, & irreuerentia facta sacris rebus. Irreuerentia facta Deo, sicut quando Deus tentatur, vel contemnitur. Sicut dictum est de tentatione, & de contemptu Dei. Vel quando nomen eius irreuerenter assumitur, sicut in periurio, de quo dicetur infra. Irreuerentia vero facta rebus sacris est, vel irreuerentia sacrorum verborum, quando irreuerenter audiuntur, vel proferuntur: vel officiorum, quando negligenter exercentur: Vel sacramentorum, quando inhonestè & irreuerenter recipiuntur vel tractantur: Vel sacrorum locorum, vt ecclesiarum, cœmeteriorum, altarium, vel locorum religiosorum; quando in eis & circa ea fit aliquid quod non debet, vel quando non exhibetur eis honor debitus, vel sanctis eorum reliquiis; vel personis, vt parentibus, senioribus, vel maioribus, vel prælatis. Cum igitur multiplex sit irreuerentia sicut dictum est, de illa sola irreuerentia diffusius est agendum, quę fit respectu rerum sacrarum, quę dicitur sacrilegium. Circa, quę consideranda sunt septem. Primo quid sit sacrilegium. Secundo vtrum sit specialè peccatum. Tertio de speciebus eius. Quarto de pœna sacrilegij Quinto specialiter de sacrilegio personali. Sexto de sacrilegio locali.

Sacrilegium est sacra res violatio.

CIRCA primum, scilicet *quid sit sacrilegium*. Dicendum, quod sacrilegium dicitur sacræ rei violatio: Vel secundum Isido. in lib. Etymo. dicitur sacrilegium ex eo, quod aliquis sacra legit, id est furatur, nam sicut ex supra dictis patet, sacrum dicitur aliquid ex eo quod ad cultum diuinum ordinatur: Sicut autem ex eò quod aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni; ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum; & sic ad ea quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum: & ideo omne id quod ad irreuerentiã rerũ sacrarũ pertinet ad iniuriã Dei pertinet, & habet sacrilegij rationẽ.

Solutio obie.

NOTANDVM tamen quod violatio hic largè accipitur, pro quacumque irreuerentia vel exhonoratione. Sicut autem honor est in honorante, non autem in eo qui honoratur, vt dicitur in 1. Ethi. ita etiam irreuerẽtia est in eo qui irreuerenter se habet, quamuis etiam nihil noceat ei cui irreuerentiam exhibet: ergo quantum est in se rem sacram violat, licet ipsa non violetur.

Sacrilegium est speciale peccatum religioni oppositum.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum sacrilegium sit speciale peccatum*. Dicendum, quod vbicunque inuenitur ratio specialis deformitatis, ibi necesse est quod sit speciale peccatum, quia species cuiuslibet rei præcipuè attenditur secundum formalem rationem ipsius, non secundum materiam vel subiectum. In sacrilegio autẽ inuenitur specialis ratio deformitatis, quia sc. violatur res sacra per aliquam irreuerentiã, & ideo est speciale peccatum, & opponitur religioni. Sicut enim Damas. dicit 3. li. *Purpura regale indumentum facta, honoratur & glorificatur; & si quis hanc perforauerit, morte damnatur, quasi contra legem agens.* Ita etiam si quis rem sacram violet, ex hoc ipso contra reuerentiam Dei agit, & sic per irreligiositatem peccat: puta si quis sacerdotem occidat, est ibi homicidium: Si virginem sacratam violat, vel quamcumque mulierem in loco sacro, est ibi luxuria. Si verò rem sacram furatus fuerit in loco sacro; vel vel non sacro vel nõ sacram in sacro, furtum committit: tamen propter vnam formalem rationem deformitatis in hisomnibus, est vnum speciale peccatum sacrilegii formaliter loquendo.

Species sacrilegij desumuntur ex diuersa sanctitate rerũ sacrarum.

Circa tertium, scilicet *de speciebus sacrilegij*. Dicendũ, quod peccatum sacrilegii in hoc consistit, vt dictum est, quod aliquis irreuerenter se habet ad rem sacram: debetur autem rei sacræ ratione sanctitatis reuerentia, & ideo secundum diuersam rationem sanctitatum rerum sacrarum quibus irreuerentia exhibetur, necesse est quod sacrilegij species distinguantur; & in tanto sacrilegium est grauius, quanto res sacra in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autẽ sanctitas, & personis sacris, id est diuino cultui deputatis; & locis sacris, & rebus quibusdam alijs sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum exhibet Deo. Dicitur enim in 2. Mach. 5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem Dominus locum elegit.* Et ideo grauius est sacrilegium quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in vtraque sacrilegij specie diuersi gradus, secundum differentiam personarum, & locorum sacrorum. Similiter & tertia species sacrilegij, quę circa alias res sacras committitur, diuersos habet gradus, secundum differentias rerum sacrarum; inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum principium vel præcipuum est Eucharistiæ sacramentũ, quod continet ipsum Christum; & ideo sacrilegium quod contra hoc committitur, grauissimum est inter omnia. Post sacramenta autem, secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramẽtorum susceptionẽ, & ipsę imagines sacræ, & sanctorum reliquiæ, in quibus quodammodo ipsæ personæ sanctorum venerantur, vel dehonorantur. Deinde ea quæ pertinent ad ornamentum ecclesiæ & ministrorum, siue sint mobilia, siue immobilia; quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, crimen sacrilegij incurrit.

Solutio obie.

ET NOTA, quod possibile est aliqua duo peccata secundum aliquid vnum esse vnius speciei, & secundum aliud diuersarum. Sicut Sortes & Plato conueniunt in specie animalis, differunt in specie colorati, si vnus sit albus, & alius niger. Et similiter possibile est aliqua duo peccata differre specie secũdum materiales actus, conuenire autem in specie secundum vnam formalem rationem sacrilegij, puta si quis sanctimonialem violauerit, verberando, & concumbendo.

ITEM nota, quod omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem & quasi per accidens est sacrilegium. Vnde Hiero. dicit, quod nugæ in ore sacerdotis, sacrilegium est, vel blasphemia. Formaliter autem & propriè, illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directè contra eius sanctitatem, puta si virgo Deo dicatus fornicetur. Et eadem ratio est in aliis.

Æqualis pœna pro sacrilegio est excommunicatio, sed ad remedium requiritur sæpe pœna pecuniaria vel mortis.

CIRCA quartum, s. *de pœna sacrilegij*: Sciendum, quod in pœnis infligendis duo sunt consideranda. *Primo* quidem æqualitas, ad hoc quod pœna sit iusta, vt s. in quo quis peccat per hoc torqueatur; Vt dicitur Sap. 11. Et hoc modo conueniens pœna sacrilegi, qui sacris iniuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arcetur: maior autem excommunicatio, si in personam sacram violentia inferatur, vel si aliquis incendat vel frangat ecclesiam; minor verò in aliis sacrilegiis. *Secũdo* autem consideratur vtilitas, nam pœnæ quasi medicinæ quædam infliguntur, vt his territi homines, à peccando desistant. Sacrilegus autem qui sacra non reueretur, non sufficiẽter videtur à peccato arceri per hoc quod ei sacra interdicuntur, de quib. non curat; & ideo secundũ leges humanas adhibetur capitis pœna, vt saltẽ pœnis temporalibus homines à sacrilegiis reuocentur. Quandoq; etiam secundũ canones infligitur pœna pecuniaria, quia pœnam mortis non infligit ecclesia. Et interdum sunt aliqui qui excommunicationis sententiã non timẽt, sed contẽnunt; ideo propter tales necesse est & expedit pœnas pecuniarias adhiberi, quia videlicet per excõmunicationis pœnam non sufficienter coercẽtur à peccãdo. Vnde 17. q. 4. *Si quis cõtumax vel superbus, seruum fugitiuum de atrio ecclesiæ per vim abstraxit, nongentos solidos componat.* Et infra. *Si quis inuentus fuerit reus sacrilegij, viginti libras argenti examinati purissimi componat.* Talis enim pœna rationabiliter exigitur ad hominum correctionem, vel aliam manifestam vtilitatem.

Sed

Sed ſi exigeretur ſine iuſta & rationabili cauſa, hoc videretur ad occaſionem auaritiæ pertinere. Contra quod dicit Apoſtolus 1. Theſſ. 2. *Non fuimus aliquando in occaſione auaritiæ.*

Sacrilegium perſonale cauendũ multiplici ratione.

CIRCA quintum, ſcilicet *ſpecialiter de ſacrilegio perſonali.* Sciendum eſt, quod iſtud ſacrilegium ſollicitè cauendum eſt multiplici ratione. *Primo* quidem propter

1. Propter reuerentiam Dei cui perſonæ ſacræ ſunt dicatæ.

reuerentiam Domini, cui tales perſonæ ſeruiunt, & cuius ſunt officio dedicati. *Ipſe enim eſt Rex Regum & Dominus Dominantium.* Apo. 19. *habens in veſtimento, &c.* Nota violentia, quę fit baliuo regis, punitur ac ſi facta eſſet ipſi regi, Luc. 10. *Qui vos ſpernit meſpernit.* Et etiam patet Matth. 22. de eis qui ſeruos regis vocantes ad nuptias contumelijs affecerunt, contra quos rex iratus, collectis exercitibus venit, & eos occidit, & ciuitatem eorum ſuccendit. Item hoc patet 2. Reg. 9. de nuncijs regis Dauid, quos populus filiorum Amon dehoneſtauit; quod ita grauiter ſuſtinuit Dauid, quod non quieuit donec omnes ciuitates eorum deſtruxiſſet, & ſpolia cepiſſet, & de hominibus talem vindictã accepiſſet, qualis legitur 2. Reg. 12. Idem dicitur Eccl. 7. *In tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica.* Et infra. *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes.*

Exemplum.

QVOD honorandi ſint maximè ſacerdotes, oſtendit beatus Martinus qui cum inuitatus fuiſſet ad conuiuium Maximi Imperatoris, & porrexiſſet ei Imperator cyphum ſuum vt prior biberet, prius porrexit calicem ſacerdoti ſuo, indignum iudicans aliquem Imperatorem regem vel alium quemcumque, eſſe præponendum illi quem Deus alijs prępoſuit, & quem præ alijs honorauit.

Exemplum.

ITEM in primo lib. tripart. Hyſt. legitur, quod Conſtantinus baptizatus, epiſcopos, & ſacerdotes, & promotos in ſacris ordinibus maximè honorabat, & eos ſecum habebat in prælijs, tanquam pręuiam & præcipuam aciem pugnatorum, non quod materialibus gladijs pugnarent, ſed vt cum hymnis & orationibus & crucis vexillo, exercitum eius circuirent; & eum diuinis officijs & myſteriis comitarentur. Item fecit reuocari ab exiliis, quos damnauerant anteceſſores ſui, epiſcopos & ſacerdotes; & cum Maximinus epiſcopis feciſſet erui dextros oculos & ſiniſtros, ipſe reuocatis ijs ab exilio in concilio Niceno contra Arrianam hæreſim & alias, celebrato, oſculabatur eis cicatrices vulnerum præ reuerentia, & quia ſuſtinuerant pro fidei defenſione. Item cum multi conueniſſent de diuerſis mundi partibus, conquerentes de epiſcopis & alijs clericis, libellos quærimoniarum fecit ſibi dari, & facto igne fecit eos concremari, dicens: Abſit à nobis, vt nos hic eorum ſimus iudices, à quibus hic & in futuro habemus iudicari.

ITEM in Hiſt. Britonum legitur, quod cum impugnaſſet Arthurus Hibernos, Scotos, Pictos, & quoſdã alios proditores ſuos & ei rebellantes; fugerũt ad quædam loca quæ credebant inexpugnabilia, propter rupes inacceſſibiles & ſtagna; quos cum maxima induſtria & ſtrenuitate obſediſſet, & affligeret ad mortẽ, fame & miſeria, nec aliquo modo vellet eis parcere, ſed omnino vellet eos delere, nec aliquos ſuper hoc vellet audire; ad vltimum conuenerunt omnes Epiſcopi, & ſacerdotes, & clerici, induti ſacris veſtibus, apportantes ſanctorum reliquias proceſſionaliter, & flectentes genua coram eo. Quos cum ipſe venientes vidit, deſcendit & eis occurrit, proſternens ſe ſimiliter coram eis, flens & eos cum maximo honore ſuſcipiens, & quicquid poſtulabant conceſſit, dicens: Non eſt dignum vt eorum recuſemus petitiones, qui noſtras petitiones habent deferre ad Deum.

2. Propter officium quod exercent.

SECVNDO cauendum eſt hoc peccatum propter officium, quod exercent, ſunt enim capita populorum, à quibus ſenſus & motus cæteris membris eccleſiæ miniſtratur, Pſalmus 17. *Conſtitues me in caput gentium.* Et 1. Reg. 15. *Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.* Item Amos 6. *Optimates capita populorum.* Item ſunt patres, patroni, paſtores, & medici; mediatores, duces, lumina, doctores, & iudices, quibus omnibus reuerentia debetur. Qui ergo contumeliam vel iniuriam inferunt ſacerdotibus, & aliis perſonis ſacris, ſimiles ſunt freneticis mordentibus, vel aliter lædentibus eos, qui ſibi beneficia conferunt.

Exemplum.

Cum beatus Franciſcus quandã intraſſet eccleſiam ad orandum, cuius parochialis ſacerdos infamis erat, quia concubinam tenebat; quidam hæreticus, qui famam ſanctitatis beati Franciſci audierat, acceſſit ad eum, & volens per eum ſibi populum allicere, fidem ſubuertere, & officium ſacerdotale contemptibile reddere, dixit ei. Ecce, nunquid credendum eſt verbis huius, vel factis eius aliqua reuerentia exhibenda, qui concubinam tenet, & manus habet pollutas carnem meretricis tractando? attendens igitur vir ſanctus hæretici malitiam, coram parochianis venit ad ſacerdotem illum, & flectens genua ante eum, ait: Si tales ſunt manus illius, quales iſte dicit neſcio; & ſi etiam tales eſſent, ſcio quod non poſſunt inquinare virtutem, & efficaciam diuinorum ſacramentorum. Sed quia per manus iſtas multa beneficia Dei, & chariſmata populo Dei fluunt, iſtas oſculor ob reuerentiam eorum quæ miniſtrant, & cuius auctoritate miniſtrant ea: & hoc dicens, & genua flectens coram ſacerdote illo, manus eius oſculabatur, confundens hæreticos, & eis credentes, qui aderant.

3. Propter exẽplum Angelorum & aliarum creaturarum.

TERTIO cauendum eſt hoc peccatum propter exempla Angelorum ſanctorum, creaturarum irrationabilium, ac etiam dæmonum; qui omnes perſonas ſacras, id eſt ſacerdotes & clericos venerantur. Angeli quidem ſancti ſacerdotes honorant, quia faciunt eorũ officium, quod eſt Deum laudare, cantare, legere, prædicare, & miſſarum ſolemnia celebrare. Vnde & ipſi ſacerdotes Angeli dicuntur. Mala. 2. *Angelus Domini exercituum eſt.* Vnde Angeli Dei aſſiſtunt eis, dum officium ſuum exercent. Pſalm. 67. *Prœuenerunt principes coniuncti pſallentibus.* Gregor. in Homil. Paſchæ. *Quis fidelium dubium habere poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, & in ipſo miniſterio Angelorum choros adeſſe, ſumma & ima ſociari?*

Exemplum.

QVIDAM bonus homo abominabatur multum ſacerdotem ſuum, quem audierat eſſe in quodam peccato mortali; & cogitabat quomodo talis ſic indignus, poterat conficere ſic dignum ſacramentum: Cum autem ſacerdos accederet ad altare, & vellet ſe induere veſtibus ſacris, aperuit Deus oculos dicti hominis, & vidit ſuper humerum dicti ſacerdotis ſedentem diabolum abſcedere, & bonum Angelum accedere, qui aſſiſtebat ei vſque ad finem miſſæ. Cum autem in fine miſſæ dictus ſacerdos depoſuiſſet veſtimenta ſacra, recedebat bonus Angelus ab eo ſe elongans, malus autem angelus ſemotus, vt prius accedebat ſuper eum aſcendebat.

Exemplum.

ITEM in quanta veneratione habeant Dei miniſtros boni Angeli, ſatis patet in paſſione beati Vincentij, quẽ cum Datianus multum irreuerenter tractaſſet, & multis tormentis affeciſſet, & in carcerem obſcuriſſimum detruſiſſet, & feciſſet illum aſtringi ligno duro, & alijs tormentis illum affligi ibi præcepiſſet; lux immenſa per carcerem ſpargitur, teſtæ in carcere fractæ, in quibus nudus erat Vincentius poſitus, in flores conuertuntur; & affuerunt beati Angeli ſuauiter cum eo concinnentes, & eum de præmio dulciter confortantes, & cum eo Deum collaudantes.

ITEM non ſolum reuerentiam exhibent viuis, ſed etiam mortuis, vt dicit Auguſt. in paſſione dicti ſancti; quia mortuum corpus beati Vincentii cum Datianus feciſſet proiici feris & auibus vorandum, affuerunt beati Angeli, corpus dicti ſancti ſeruantes. Coruus etiã quidam, vt maius appareret diuinum miraculum, ab auibus, & feris, & à lupo aduenientes illud defendebat, qui etiam flexo capite in aſpectu ſacri corporis affligebatur, & Angelorum cuſtodiam admirabatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ITEM in paſſione beati Dioniſij legitur, quod cum caput eius & ſociorum eius eſſet amputatum, ſurrexit corpus eius, & caput ſuum deportauit à monte martyrum vſque ad ſancti Dioniſij locũ, vbi nunc requieſcit, Angelorum vallatum caterua, lumine præcedente; tantaque melodia longe lateque diffuſa eſt Angelorum, ita quod multi gentiles eam audientes, ad Dominum ſunt conuerſi.

Exempla de reuerentia irrationabilium ſacerdotibus exhibita.

ITEM irrationabiles beſtiæ perſonis ſacris reuerentiam exhibuiſſe leguntur, vt leones Dan. 6. & 14. *Item* in vita beati Pauli primi eremitæ legitur de reuerentia quam fecerunt leones B. Antonio, cui facta fouea, & ſepulto corpore B. Pauli, duo leones inclinauerunt capita ſua pro eius benedictione habenda. *Similiter* fecerunt Zozimæ Monacho, ſepulto corpore Ægyptiacæ.

ITEM in vita B. Mammertis legitur, quod feræ ad eum conueniebant, & lac ei propinabant, benedictionẽ eius expectantes. *Similiter* legitur in vita beati Ægidij, quod cum eſſet ſolus in eremo, quædam cerua venit ad eum, lac ſuum ei propinans ſingulis diebus, & pro lacte ſuo benedictionem eius impetrans, quam cum canes venatorum regis inſequerentur, ipſa ad ſanctum virum quaſi ad refugium refugiebat, ad pedes eius procumbens, quod videntes canes retrocedebant.

ITEM in vita B. Blaſij legitur, quod cum ipſe eſſet Epiſcopus Sebaſtæ ciuitatis, tempore perſecutionis cum vitam ſolitariam duceret in ſpelunca, conueniebant ad eum feræ, nec diſcedebant ab eo, donec illæ quæ erant infirmæ acciperent ſanitatem, & ſanæ & infirmæ benedictionem ſuam. Cum autem feras quærerent venatores, inuenerunt eum in dicto loco orantẽ, & magnam ferarum multitudinem hinc inde ei aſſiſtẽtem. *In vita* Felicis Presbyteri legitur, quòd cum perſecutores eum ad mortem quærerent, cum ſeceſſiſſet ad angulum inter duos parietes, nutu Dei aranea ſubito telis ſuis eum occultauerunt.

Elemẽta perſonas ſacras honorant.

ITEM elementa perſonas ſacras honorant. *De* igne legitur 1. dial. 6. de Marcellino Epiſcopo: cum ciuitas eius eſſet igne ſuccenſa, nec aliquo conamine valeret extingui, compatiens ciuibus ſuis, fecit ſe portari (cũ ipſe podagrę morbo laboraret, nec poſſet ire) & opponi ſe fecit igni, ex illa parte ex qua ignis aſcendebat. Quo facto flamma cæpit retroagi, & in ſemetipſum ignis collectus defecit. *Item* terra; ſicut patet in vita beati Hilarij, qui cum veniſſet Romam ad concilium Leonis Papæ hæretici, vt contra hæreſim Arrianam ſe opponeret; & cum nullus ei aſſurgeret, nec locum ei daret, ſedit in terra dicens: *Domini eſt terra*, &c. ſtatim terra quaſi eum honorans, ſub eo ſe eleuauit, & eum inaltauit. *Item* cum Beda presbyter de Roma veniret, & mortuus eſſet in quadam villa in Diæc. Lugd. quæ vocatur Puane, ſepultus in cæmiterio aliquantulum ab eccleſia remoto. cum Dominus villæ feciſſet gradus palatij iuxta tumbam dicti viri, frequenter accidebat quando volebat aſcendere equum ſuum, vt prius aſcenderet tumbam dicti viri, & de ea aſcenderet ſuper equum ſuum. tunc terra quaſi indignata de hoc quod talis vir conculcaretur ibi, tranſtulit eum in dictã eccleſiam iuxta maius altare cum ſepulchro ſuo, vbi inuentus in mane quodam, acſi primo ibi fuiſſet humatus. *Item* aqua videtur eis deferre. Inter miracula B. Martini dicitur, quod cum ipſe tranſiret per pratum quoddam, exactor domini prati violenter petebat ab eo cornetam: cum autem ipſe in dicto prato humiliter laboraret, torrens ſubito de montibus abundantiſſimus deſcendit, & omnia prata replens, & omnia ſubuertens, beatus Martinus immobilis ſtetit. Cum autẽ quidam confugerent ad ſalices, quidam accederent ad beatum Martinum, cum ipſe exactor, & alij qui ad ſalices confugerant, in illo diluuio perirent; beatus Martinus ſolum, cum his qui ad eum confugerant, intactus ab aqua remanſit.

Exempla. Nota per Leonem intelligi forſan Liberium quia nullus fuit tunc Papa Leo appellatus.

Dæmones viros ſanctos reuerentur.

ITEM etiam ipſi dæmones viros ſanctos reuereri videntur, dum non audent in eos violentas manus iniicere, nec eos lædere, niſi de licentia ſummi iudicis & auctoritate; immo nec ea quę ad eos pertinent lædere, Vnde Iob 1 & 2. *Extendas paululum manum tuam* q.d. Da mihi licentiam in rebus & in perſonam eius. Vbi dicit Gregor. quod diabolus nec in vnam auriculam Iob habebat poteſtatem, nec audebat contingere, niſi Deo ei concedente; nec in perſonam eius.

Exempla.

ITEM in paſſione Iacobi iunioris legitur, quod cum Hermogenes magus adiuraſſet, & miſiſſet dæmones ad capiendum ipſum, & deducendum ad ſe vinctum, vt ſe de eo & Phyleto diſcipulo ſuo vindicaret. Cum veniſſent ad beatum Iacobum, in aere vlulare cæperunt; à quibus cum quæreret ad quid veniſſent, reſpõderunt ei quod miſſi erant ab Hermogene vt eum vinctum cum Phyleto ad ſe ducerent. Sed ipſi econtrario ab Angelis, catenis igneis ligati ſunt, & cruciabantur ab eis. Quibus cum præcepiſſet vt ipſi econtrario ducerent ad ſe vinctum Hermogenem, & ipſi hoc feciſſent; quæſiuit ab eis quare non caperent ipſi ſimiliter Phyletum. Qui dixerunt, quod nec minimam formicam auderent vel poſſent contingere, quæ eſſet in lecto eius. tunc cum præcepiſſet diſſolui Hermogenem, & dimitti libertati ſuæ; ipſe ſubmerſis libris ſuis ad dominum conuerſus eſt, & multa per eum miracula facta ſunt. *Item* videntur eos reuereri, non audentes loqui in eorum præſentia. Sicut in paſſione Symonis & Iudæ legitur, quod cum veniſſent Apoſtoli in quandam ciuitatem, dæmones in illa reſponſa dare non audebant, vſquequo ab Apoſtolis illis præceptum eſt. *Item* ſimiliter cum veniſſet beatus Bartholomeus in Indiam, in ciuitatem vbi erat Aſtaroth, idolum nullum potuit dare reſponſum.

Exemplum.

ITEM in Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 7. cap. 27. legitur quod Greg. Epiſcopus Ponti prouincię, cum tranſiret alpes vrgentibus niuibus, nec haberet quo alibi declinaret, intrauit Phanum Apollinis, pernoctans ibi, tunc ipſum idolum nullum reſponſum dedit vt ſolebat, nec in ſequenti die. Sed apparuit ſacerdoti dæmon in ſomnio, dicens ſe receſſiſſe de loco illo in aduentu Grego. nec de cætero poſſe ad eundem locum regredi, niſi de licentia Gregorij prędicti, quem ſecutus eſt ſacerdos Apollinis conqueſtus, quod quæſtum ſuum amiſerat pro hoſpitalitate ſua. tunc Greg. ſcripſit Apollini, permitto tibi redire ad locum tuum, & agere vt prius; & poſita charta iuxta ſimulachrum, affuit dæmon agens quæ prius quod videns ſacerdos, iudicans Grego. dæmone ſuperiorem, clauſo & ſerrato Phano, conuerſus eſt ad Deum, & à dicto Greg. baptizatus, & ita claruit in vita & doctrina, quod ei in Epiſcopatum ſucceſſit.

4.

Propter pœnam qua puniuntur iniuriãtes perſonas ſacras ſ. excommunicationem &c.

QVARTO cauendum eſt hoc peccatum propter pœnam qua facientes iniuriam puniuntur. 14. q. 4. decretorum. *Si quis ſuadente diabolo*, &c. Dicit Innocentius, quod ſacrilegij crimen incurrit, qui in clericum vel monachum manus iniecerit violentas, & anathematis vinculo innodatur. Debet homo conſiderare quis hanc ſententiam proferat, quia Summus Pontifex Chriſti Vicarius, qui inter alias ſententias quas profert, ſingulis annis in die Cœnæ hanc innouat; & quod iſta non poteſt ab alio abſolui, niſi à Summo Pontifice, vel eius mandato, niſi in caſibus exemptis; & quæ ſit efficacia illius ſententiæ. Sicut enim per miniſterium B. Petri, Saphyra & Ananias diabolo traditi ſunt; & Corinthius inceſtuoſus miniſterio Pauli ſuffocatus: ita huiuſmodi ſacrilegi, per eum qui eſt loco illorum, apud quem reſidet plenitudo pietatis, traduntur lupis infernalibus deuorandi.

Cur diabolus non ſtatim excommunicatum rapit.

Sed ſi quęrat quis quare non ſtatim excommunicatum deuorat, qui *quaſi leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Ad hoc ſoluit quidam, quod diabolus ſimilis eſt lupo, qui quando inuenit ouem extra ouile, in os ſuum eam colligit, ſed non ſtatim ei dentes ſentire facit, ſed molliter & leuiter eam tractat, & defert vſque ad ſiluam, ne ſi forte eam ſtatim lædaret, accurrerent & ſuccurrerent ei canes & paſtores, ea clamante, vt eã ab eius faucibus eriperent, & alię extra ouile exire timerẽt. Sed

cum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum eam diabolus vſque ad ſyluam mortis perduxerit, tunc ſatis poteſt clamare & recalcitrare, quia nec canes prædicatores Chriſti, nec paſtores, ſcilicet ſacerdotes poſſunt ei ſubuenire. In primitiua Eccleſia quando aliquis excommunicabatur, & à diabolo deuorabatur & occidebatur in corpore, alij tantum timebant quod nullus excommunicationem ſuſtinere audebat; & ideo videns incommodum ſuum diabolus, blandè & leniter tractat excommunicatos vſque ad mortem, vel vſquequo aliquis ſubitus caſus eos opprimat.

Exempla de pœna ignis.

ITEM punitur hoc ſacrilegium aliquãdo pœna ignis. Nume. 16. habetur exemplum de his qui volebant irruere in Aaron & Moyſen, vbi igne ſuccenſa ſunt quatuordecim millia hominum. Et 4. Reg. 1. de igne cœleſti deuorante duos quinquagenarios qui venerant ad capiendum Eliam.

ITEM contra irreuerentiam ſacerdotum in vita B. Martini legitur: cum ipſe quadam neceſſitate vrgente, Imperatorem Valentinianum adiret, & ille nollet dare quod B. Martinus petebat, nec permiſit eum ingredi palatium ſuum, B. Martinus per totam hebdomadam in cinere, & cilicio, & oratione, & ieiunio perdurans, Angelo præmonente, palatium intrauit, & vſque ad Imperatorem penetrauit, nemine prohibente. Quo viſo, Imperator indignatus, nec ei aſſurrexit, nec ei cum eo loquenti voluit reſpondere, donec ignis ex parte poſteriori ſedem, & eum inuaſit inferius, qui virtutem diuinam ſentiens & confitens, conceſſit ei quicquid petebat, & aſſurgens honorauit ſanctum.

Exemplum.

ITEM in Oroſij chronicis legitur lib. 7. Sic: O mira: Valens Imperator Arrianus, præcepit omnes monachos fuſtibus occidi, niſi vellent militare. Cum autem gens Hũnorum fugaſſet gentem Gothorum de ſedibus ſuis, venerunt ad Romanos, tradentes eis arma ſua, volentes eis ſeruire vt defenderentur ab eis. Cum autem duceret eos ſecum Valens, rogauerunt eum quod mitteret eis ſacerdotes Chriſtianos qui eos inſtruerent: qui miſit eis Arrianos, qui eos in errore illo imbuerunt, in quo & manſerunt. Cum autem vrgẽte fame ſumpſiſſent arma contra Romanos, qui nec eis ſubuenire volebant: eos vicerunt, & Valentem Imperatorem fugauerunt, & eum ſagitta vulnerãtes in quodam paruo tugurio incluſerunt, & ibi incluſum cremauerunt cum tugurio, qui caruit ſepultura.

Exemplum.

ITEM in hiſtoria Francorum lib. 10. cum Maratharius comes relicto comitatu factus eſſet Epiſcopus, & res ipſius eccleſiæ ſtrenuè gereret, veneno in capite piſcis iniecto, crudeliter enecatur: cui ſucceſſit Frontonius, cuius conſilio anteceſſor fuerat intoxicatus, qui diuino irruente ſuper eum iudicio, infra annum mortuus eſt. Quidam autem nepos dicti Maratharij natiuus, res Eccleſiæ quas auunculus ſuus ei ſcripto teſtamento reliquit, abſtulit eccleſiæ, multas iniurias inferens Epiſcopo qui aliis ſucceſſerat, nomine Heraclio; qui & quendam ſacerdotem cum pertica occidit; quapropter à dicto Epiſcopo excommunicatus eſt, poſtea autem cum coram multis iuraſſet Epiſcopis ſe ſatisfacturum Eccleſiæ, & ſubiectum eſſe de cætero Epiſcopo Heraclio, ad inſtantiam aliorum Epiſcoporum abſoluit eum. cum autem poſt abſolutionem ſuam deteriora faceret, arripuit eum grauiſſima diſſenteria, qua interiora emittebat, & febris grauiſſima, quæ eum totum exurebat, & clamabat: Heu heu, ab Heraclio crucior, ab eo conſumor, ab eo totus exuror, ab eo ad iudicium vocor, meminit me quantas iniurias ei intuli iniuſtè; & cum hoc dixiſſet, infœlicem animam exhalauit.

Exempla de pœna aquæ & arreptione à diabolo.

ITEM ſacrilegus ſubmergitur in aqua, ſicut ſupra dictum eſt de illo qui angariauit S. Martinum ad Cornetam, ab inundante aqua ſubmerſo cum ſociis ſuis. *Item* arripitur à diabolo. In paſſione B. Hippoliti legitur, quod Decius Cęſar poſt paſſionem B. Hippoliti ſociorumque eius, & B. Laurentij quem torqueri fecerat; cum deſcenderet cum Valeriano de curru aureo, cæpit clamare arreptus à dæmone. O Hippolite vinctum catenis aſperis trahis me. Valerianus ſimiliter clamabat: O Laurenti igneis catenis me trahis; qui ſtatim à diabolo ſuffocatus, coram Decio expirauit. Decius autem per triduum vexatus, mortuus eſt.

ITEM in vita Sancti Silueſtri; cum prętectus Romanus cepiſſet B. Silueſtrum, imponens ei nomen Chriſtianitatis, ait ei: Stultè hac nocte repetent animã tuam à te; tormenta quæ nobis minaris, ſuſtinebis in perpetuum: Cum autẽ comederet in cœna cum amicis piſcem, os piſcis in os eius tranſuerſatum eſt, & tota nocte cruciatus eſt, & non valens illud glutire, in mane mortuus eſt, & eodem tempore eductus de domo ſua ductus eſt ad ſepulchrum, & Silueſter eductus de ea, reductus eſt cum gaudio in domum Melchiadis Papæ à Chriſtianis.

ITEM Hieronymus in Chronicis ſuis dicit, quòd cũ Iulianus apoſtata contra Perſas pugnaret, vouit idolis vt cum ipſe victor rediret, quod ſanguinem clericorum, ſacerdotum, & monachorum idolis immolaret: qui à quodam ſimulato profuga, per profunda deſerta perductus, fame & ſiti Apoſtatam perdidit; qui à ſuis agminibus oberrans, à quodam forte hoſtium equite conto perfoſſus, ilico interijt.

De ſacrilegio locali.

DISTINCTIO XXI.

Sacrilegium locale multiplici ratione cauendum.

CIRCA ſextum, ſcilicet de ſacrilegio locali ſciendũ, quod cauendum eſt iſtud peccatum multiplici ratione. Ad hoc enim mouere nos debent: Primo quidẽ ſanctorum veneranda præſentia, qua à Deo & ſanctis ſpiritualiter habitantur. Secundo diuina officia quæ ibi mirabiliter celebrantur. Tertio Dei dona & beneficia quæ ibi liberaliter conferuntur. Quarto damna & ſupplicia quæ violatoribus inferuntur.

1. Propter Dei & Sanctorũ præſentiam in locis ſacris.

PRIMO quidem debent haberi in reuerentia loca ſacra, propter ſanctorum præſentiam, & primo ſancti ſanctorum, id eſt Dei Pſalm. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo.* Et 2. Mach. 3. *Qui habet in cœlis habitationem, viſitator & habitator eſt loci illius.* Ideo Pſalm. 28. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius.* Idem 92. *domum tuam decet ſanctitudo.* Idem 131. *Introibimus in tabernaculum eius, &c.* Matth. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur, &c.* Item præſentiæ corporis Chriſti quanta reuerentia debeat exhiberi, declaratur exemplo.

Exemplum.

RVSTICVS quidam multum deſiderans ditari, multos habens alueolos apum, quęſiuit ab alio quomodo poſſet ditari, & apes multiplicare. Qui reſpondit quod ſi in die ſancto Paſchæ communionem retineret, & in aliquo alueolo ſuo eam poneret, omnes apes vicinorũ ſuorum lucraretur, qui dimiſſis alueolis ſuis, ad locum vbi eſſet corpus Domini conuenirent, & ibi mellificarent, quod ille fecit; & tunc omnes apes ad alueolum vbi erat corpus Chriſti conuenerunt, & pro reuerentia ſibi facta compatientes, quaſi opere ſuo inceperunt conſtruere Eccleſiam paruulam, fundamenta, & baſes, & columnas erigere; altare conſimili opere, & corpus Domini cum maxima reuerentia ſuper illud altare collocauerunt, & eccleſiolam illam miro opere & pulcherrimo, infra alueolum illum perfecerunt. Vicinæ verò apes relictis alueis ſuis ad illum conueniebant, & quaſdam melodias mirabiles ſuo modo circa illud opificium concinnebant, ad modum hymnorum. Ruſticus autem hoc audiens mirabatur: expectans autem vſque ad debitum tempus ad colligendum examen & fauum, nihil in alueolis ſuis in quibus apes mellificare conſueuerant reperit. Quare inueniens ſe depauperatum, vnde credebat ſe debere fieri diuitem, iuit ad illud vbi communionem impoſuerat, vbi apes viderat conueniſſe. Cum autem appropinquaret, apes quaſi volentes vindicare contumeliam Saluatoris, irruentes in ruſticum, aculeos in eum defigebant, ita quod vix euaſit. Vnde multum afflictus, veniens ad ſacerdotem,

retulit

retulit totum factum & ſuum, & apum, qui de conſilio epiſcopi collegit parrochiam, & venit proceſſionaliter ad locum, tunc apes de alueo exeuntes, in ſublime ſe eleuauerunt, dulcem melodiam facientes. Eleuantes autem alueolum, inuenerunt intus nobile opificium illius paruæ eccleſię, & corpus Dominicum ſuper altare collocatum, ipſi autem illam paruulam eccleſiam luculentiſſimè & artificioſiſſimè compoſitam, in eccleſiam ſuam intromiſerunt, cum laudibus ſuperaltare collocantes. Hic poſſunt multum confundi, qui non deferunt, ſed potius contumeliam inferunt vel ſacro Chriſti corpori, vel ſacro loco eius.

ITEM merita ſanctorum in quorum honore eccleſiæ ſunt dedicatæ. Debet nos ad loca illa honoranda prouocare. Ipſi enim honorant illos, qui loca ſua honorant & viſitant, defendunt & liberant. In hiſtoria Sara. lib. 2. legitur: quod gens Hunnorum à ſedibus ſuis egreſſa (de Pannonia videlicet) in vigilia Paſchæ, obſedit Metenſem vrbem; ſed antequam veniſſent, apparuit in eccleſia beati Stephani quibuſdam religioſis ſanctus Stephanus, loquens cum beato Petro & Paulo, vt rogarent cum eo dominum ne ciuitas illa deſtrueretur, in qua oratorium ſuum multum frequentabatur, & honorabatur, tunc illi reſponderunt, quod illa propter malitiam ſuam erat concremenda, excepto oratorio ſuo cum contentis in eo, quod ab eis erat obtentum ſuis orationibus, quod ita factum fuit.

Exemplum.

2 *Propter diuina officia quæ in illis celebrantur.*

SECVNDO venerari debemus loca ſacra propter officia diuina quæ ibi celebrantur, ſcilicet officia Angelorum, vt legere, cantare, & Deum laudare. Aug. *In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt; Vnde & nomen accepit: ibi etiam adſunt principes coniuncti pſallentibus, ſcilicet Angeli ſancti.* Pſal. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi* &c. ideſt conſpicientibus Angelis; quia audiunt & gaudent de officijs eccleſiaſticis; vel in conſpectu Angelorum, aſpiciendo Angelos ſimilia facientes in eccleſia, quæ ipſi faciunt in cælo. *Sicut* legitur feciſſe B. Ignatius martyr in hiſt. tripar. li. 10. ca. 9. qui fuit tertius poſt B. Petrum Eccleſiæ Anthiochenæ antiſtes, conuerſatus cum beatis Apoſtolis, qui vidit Angelorum viſionem, quomodo per anthiphonam B. Trinitati hymnos dicebant, quod ipſe eccleſię faciendum inſtituit, & de illa deuenit ad alias. Vnde ob reuerentiam domorum & officia ſacra, dederunt antiqui etiam gentiles priuilegia templis ſuis. *Sicut* in hiſt. Britonum, quod ante incarnationem domini quidam rex Deouallo nomine dominus illius gentis, ſtatuit vt quicunque pro quocunque forefacto per totam Britanniam maiorem fugeret ad templa Deorum, in eis, vel in via eorum, ſecurus eſſet: & quicunque hanc legem ſuam violaret, ſumma pæna puniretur. Similiter & qui ad atria confugerent, eodem priuilegio gauderent. Reges autem catholici poſtea nolentes minus eſſe deuoti eccleſiæ, quam Gentiles idolatræ, hanc legem voluerunt ſeruari de eccleſijs, & earum vijs; per iſtos etiam hæc lex tranſiuit ad alia regna. *Item* in vita beati Silueſtri legitur, quod Conſtantinus in ipſa die qua baptiſmū acceperat, ſeptē leges in honorem domini promulgauit, quarum quinta fuit, vt quicunque reus in eccleſia ingreſſus fuiſſet, ſub peticulo iudicis illius loci defenderetur. Multa etiam iura ſunt contra ſacrilegos violatores eccleſiarum, & confiniorum ipſarum. In decretis 17. cauſa. q. 4. Quod excommunicandi ſunt, & pæna pecuniaria puniendi, & quod rei ſunt læſæ maieſtatis crimine, & quod ſunt ab omnibus euitandi. *Sicut antiquis* &c. *Si quis in atrio* &c. *Si quis ſuadente* &c. C. *Qui autem de eccleſia* &c.

VIRTVTEM autem dedicationis & conſecrationis eccleſiarum oſtendit B. Greg. dialo. 30. vbi dicit, quod cum quædam eccleſia quæ fuerat Arianorum conſecraretur ab eo, & eſſent ibi delatę reliquię ſancti Sebaſtiani & Agathæ; cum miſſa celebraretur, illi qui erant in ſacrario, primo inceperunt audire & ſentire porcum fætidiſſimum diſcurrētem per pedes ſuos huc & illuc. Similiter populus qui erat in eccleſia cōpreſſus, quilibet dictum porcum, vt videbatur, iuxta ſe ſentiebat, ſed videre non poterat eum; & hoc vnus alij oſtendebat, & ſic ianuas petens exiuit; & licet ſentiretur, tamen videri non potuit. Nocte etiam eadem, tantus ſtrepitus in dicta eccleſia factus eſt ſupra tectū, ac ſi ibi aliquis errando diſcurreret. Sequenti nocte grauior ſonitus excreuit, ita vt ſubito videretur eccleſia à fundamentis euerſa: & protinus receſſit, nec vltra ibi inquietudo diaboli apparuit, quoniā inuitus à loco quem tenuerat diabolus exibat. Poſt, magna ſerenitate aeris nubes cęlitus emiſſa ſuper altare dictæ eccleſię deſcendit, & operuit illud; & tanto terrore & odore repleuit eccleſiam, vt nullus auderet ingredi patentibus ianuis: ſacerdos quoque, cuſtodes & populus qui conuenerant ad audiendam miſſam, ingredi non poterant, licet odore mirifico traherentur. Die alio, lampades ibi extinctæ ſunt ſuccenſæ, & quas finita miſſa cuſtos extinxit, accenſas inuenit: & iterum diligentius extinguens, rediens firmatis oſtiis accenſas inuenit; & ex ipſo lumine aperte claruit, quod locus ille de tenebris ad lucem veniſſet.

Exemplum.

TERTIO reuerentiam exhibere debemus ſacris locis propter Dei dona & beneficia, quæ ibi abundantius conferuntur. Ibi namque ſæpe recipitur peccatorum venia, ſancti ſpiritus gratia, diuerſa Chriſti beneficia, & ſacrorum ordinum officia, & diuina ſacramenta. Ibi in baptiſmate facti ſumus filij Dei, ibi ſuſcepimus corpus Chriſti, confirmamur in regnum Dei; ibi per pœnitentiam reconciliamur ei. Ideo locum illum debemus reuereri cum Iacob. Gen. 28. *Verè dominus eſt in loco iſto &c. pauenſque ait: Quam terribilis eſt locus iſte; non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli.* Ad hoc facit quod legitur in hiſtoria Francorum 27. cap. quod cum Clodoueus primus Rex Francorum Chriſtianorum, voto facto de baptiſmo ſuſcipiendo, pro victoria obtinenda contra Alemannos, noluit ſtatim baptizari, niſi cum honore maximo & lucro animarum, tam nobile nobiliter reciperet ſacramentum. Vnde fecit fieri vela depicta acu pulcherrima diuerſorum colorum, in quibus ipſe & qui cum ipſo erant, tamen ſuſciperent ſacramentum, & tamen diuinæ largitatis reciperent beneficium. Adduxit autem ſecum ad baptiſmum ſuſcipiendum pluſquam tria milia Genrilium Francorum, & ſororem ſuam: cui occurrit beatus Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus, dicens rhetoricè applaudendo: Mutis depone colla Sychambre. (Sychambrum eum vocat, quia Francidę Sychambriæ terra venerant) & incende quod adoraſti, ideſt idola, adora quod ſuccendiſti, ideſt ſignum crucis, & alia ſacra. tantam autem contulit ibi Deus gratiam ſuper baptizatos, & tanta erupit ſuauitatis fragrantia, quod omnes qui aderant putauerunt ſe eſſe in delitijs, & odoribus Paradiſi, vt in vita beati Remigij dicitur, porro columba Clodoueo in phyala de pretioſo lapide, cœleſtem detulit vnctionem, de qua Reges Franciæ conſueuerunt inungi.

3. *Propter Dei dona quæ ibi abundantius conferuntur.*

NOTA quod Simeon & Anna frequentantes & honorantes templum, Chriſtum videre & ſuſcipere meruerunt. Lucæ. 2. Item in Bethel quæ domus Dei dicitur, vbi etiam templum ædificatum eſſe creditur, vidit Iacob ſcalam, & dominum innixum ſcalæ, ibi promiſit ei Deus ſe daturum terram promiſſionis. *Item* Salomoni oranti in templo, promiſit Deus quod & ipſe & alij orantes ibidem, quicquid peterent obtinerent, 3. Reg. 8. & ferè per totum. Et Paral. 6. Confirmauit autem dominus omnes petitiones ſuas in dedicatione templi, nube & gloria domini templum replente, 3. Reg. 8. & igne de cœlo ibi deſcendente, 2. Paral. 7. & Domino ei apparente, & dicente ſibi: *Exaudiui orationem tuam* &c. 3. Reg. 9.

Exemplum.

QVARTO ad reuerentiam ſacrorum locorum mouere debent damna & ſupplicia quæ violatoribus inferuntur. Huius exemplum oſtendit Chriſtus, qui *vēdentes & ementes oues & boues eiecit, & nummulariorum effudit æs, & cathedras vendentium columbas euertit.* Matth. 21. &

4 *Propter damna quæ violatoribus inferuntur; aliquādoenim*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

igne ſuccenduntur, aliquando ab hoſtibus occidantur &c.

21. & Io. 2. *Aliquando* etiam qui loca ſacra maculant A vel violant, igne diuino ſuccenduntur, vel qui eis iniuriam faciunt, Pſal. 82. *Qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei* &c. *Deus meus* &c. *Sicut ignis qui comburit ſiluam* &c. Iſaiæ 29. *Erit ſicut fauilla pertranſiens, multitudo omnium* qui dimicauerunt contra Ariel: ideſt altare, vel templum, vel ſanctam ciuitatem Hieruſalem, quæ dicebatur *Ariel* propter altare holocauſtorum quod vorabat arietes. Hæc vindicta patet in exercitu Sennacherib., igne diuino conſumpto mirabiliter. Iſa. 37. *Egreſſus Angelus domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia* &c.

Exempla de ſacrilegis ab hoſtibus victis.

Item aliquando ab hoſtibus vincuntur. Sicut patet 1. Mach. 2. de Nicanore, qui contempſit in templo oſtenſa ſacrificia, & polluit templum, & iurauit quod illud deſtrueret & ſuccenderet cum victor rediret, niſi Iudam ei traderent: ipſe autem non vicit, ſed eſt victus & occiſus, & totus eius exercitus; caput eius amputatum eſt. & manus quam iurans contra templum extẽderat. De hoc etiam habetur Mach. 15. *Item* in chronicis Oroſij legitur Cum Pompeius vigintiduos Reges orientales pugnando viciſſet, et ſemper victor in omnibus factis ſuis extitiſſet, ad vltimum Hieruſalem veniens templum obſedit, & in eo confugientes cepit & occidit. Alibi etiam dicitur, quod in templo equos ſuos collocauit. Dicitur etiam quod violato templo, qui ante in omnibus factis ſuis victor ſemper erat, ſemper poſtea victus eſt.

Exemplum.

B

Exemplum.

C

Item eodem libro legitur, quod Craſſus collega Pompeij, contra fœdus quod habebant Romani cum Iudæis, tẽplum auro & opibus ſpoliauit, & inde Parthos inuaſit; dicens, quod adhuc volebat ipſe aurum Parthicum & Sericum; in quem Rex Parthorum Surenas ſubito irruit, & Romanos omnes vicit & occidit, & ipſum Craſſum. Legitur alibi quod eo nondum capto, cum tractarent Parthi cum eo, quaſi volentes pacem eius, quod daretur ei de auro quantum dederet eius appetitui ſufficere, cum captum Parthi ceperunt, per os eius aurum liquefactum igne proiecerunt, dicẽtes: Aurum ſitiſti, aurum bibe. Satis conueniens eſt quod vincantur, & diuino iudicio occidantur, qui loca ſacra inuadunt.

Exemplum.

Exemplum.

D

Legitur in chronicis Regionis Abbatis, quod tempore Caroli Magni, quidam Saxones obſederunt Chriſtianos, qui confugerunt ad caſtrum quod dicitur Burſaburg; & cum vicina vaſtaſſent, & quandam capellam, quam dedicauerat Bonifacius martyr, dicens propheticè quod non cõbureretur; inuaſiſſent, cum laborarent intus & extra, igne in lignis appoſito, apparuere Chriſtianis & Paganis duo iuuenes ipſam Baſilicam defendentes; nec potuerunt eam ſuccendere, ſed diuino pauore territi fugerunt, nemine perſequente. Vnus autem eorum inuentus eſt mortuus, habens ignem & ligna, quaſi flexis genibus ea eccleſiæ applicans & quaſi ignem ſufflans.

Exemplum.

E

Item in eiſdem chronicis legitur, quod cum Saxones victi, Carolo iuraſſent ſe fieri Chriſtianos, audientes quod deceſſiſſet pacti ruperunt iuramenta, & obſederunt caſtrum & eccleſiam in qua erant Franci, quod dicitur Heresburg. cum autem eos inſtanter impugnarent, apparuit gloria domini ſupra dictam eccleſiam, & tria ſcuta ſanguineo colore flammantia, & velut quibuſdam motibus in prælio agitãtia ſe. Quod aſpicientes dicti Pagani, timore & formidine repleti, fugientes in tantam amentiam deuenerunt, quod ſtrictis gladijs armis mutuis ſe confoderunt. Noſtri autem hoc videntes Deum laudabant, qui ſaluos facit ſperantes in ſe.

Exemplum.

acrilegi nandoque liuinitus uns caci

Item quandoque diuino iudicio cæci fiunt. Sicut patet de Heliodoro flagellato, & multa caligine circũfuſo. *Item* Greg. dialo. 30. dicit, quod cum in Spoletana vrbe epiſcopus Longobardorum Arrianus veniſſet, & contra inhibitionem epiſcopi illius vrbis catholici, acceſſiſſet ſummo mane ad eccleſiam beati Pauli Apoſtoli cum multitudine ſuorum, volens eam frangere vt feſtum ſuum in ea faceret; valuæ ſubito apertæ ſunt, quas cuſtos antecedenti nocte fortiter ſerrauerat, & lampades quas extinxerat, omnes accenſæ ſunt; & epiſcopus Arrianus cæcitate percuſſus ſubita, manibus alienis ad ſuum habitaculũ eſt reductus. nec auſi fuerunt vltra Lõgobardi, ſancti virtutẽ agnoſcentes, loca ſancta temerare. Et mirum fuit, quia eadẽ hora lumen eſt eccleſię redditum, & hæretico ablatum.

Item in fine hiſtoriæ Caroli legitur, quod cum poſt mortem eius terra Gallitię multis temporibus in pace quieuiſſet, Maior Codubæ collectis multis millibus Saracenorum, terras vſque ad vrbem ſancti Iacobi inuaſit, & ipſam eccleſiam dicti ſancti ſpoliauit, & ſine omni reuerentia, egeſtionibus humanis inquinauit; Sed illico eius exercitus ita à domino eſt percuſſus, quod alij ſunt excæcati, alij omnia viſcera cum inteſtinis egerebant. Cum autem ipſe in vtroque affligeretur, videlicet cæcitate & diſſenteria percuſſus mirabili, quidam ſacerdos quem ſecum captiuum tenebat, ait ei, quod iſta ei acciderant & ſuis, quia locum ſanctum prophanauerũt: & cõſuluit ei quod promitteret beato Iacobo, quod Mahometum negaret, & ablata reſtitueret in duplum. Quod cum fecit, reſtituens ablata in duplum, & prædicans magnam Dei virtutem, ceſſauit ab eo & ſuis plaga, & receſſit. Cum autem poſtea ipſe & ſui vaſtarent quaſdam alias partes Chriſtianorum, eccleſiam quandam beati Romani quidam princeps Saracenus intrauit, & ſpoliauit. Videns autem ibi eſſe columnas marmoreas, quæ habebant capitella deaurata & deargentata, voluit eas præcipitare, & tũc verſus eſt in ſtatuam lapideam talis coloris, cuius erat veſtimentum, quę vſque hodie ibidem eſt. Dicunt autem peregrini, quod ſi tangatur imago lapidea, in quã conuerſus eſt dictus Saracenus, fœtorem maximum emittit. Hoc audiens Maior ait: Fugiamus à finibus Chriſtianorum, quia reuera magnus eſt Deus eorum, qui tales habet alumnos; quia mortui ſic poſſunt in viuos ſibi rebellantes; quia Iacobus me excæcauit, & Romanus hominem lapideum fecit.

Exemplum.

Item in vita ſancti Clementis legitur quod Siſinnius vir Theodoræ maximus in vrbe Romana, cum intraſſet eccleſiam, Clemente celebrante, volens ſcire quid ibi vxor ſua faceret, cæcus, mutus, & ſurdus factus eſt. Similiter & pueri ſui, ita quod non poſſent oſtium inuenire, ſed oratione ſancti clementis liberatus eſt, & cum crederet ſe magicis artibus deluſum, & miſit ſeruos ad deducendum ſibi vinctum ſanctũ Clementem, loco eius ligabant columnam eccleſiæ; ita cæci facti ſunt, quod columnam eum eſſe putabãt, hic tamen poſtea precibus vxoris ſuę conuerſus eſt.

Sacrilegi interdum fiunt muti & ſurdi.

Item irreuerentia ſacrorum locorum mutos & ſurdos efficit. Greg. Turonen. in geſtis Francorum 4. lib. 17. cap. dicit, quod Tramnus filius Clorij Regis Francorum, peſſimus peſſimum habebat cõſiliarium, Lenonem nomine, & re; ad cuius inſtigationem multa mala faciebat dictus Tramnus: qui vt ſpoliarentur eccleſiæ Turonen. & Limonicen. aliquando dixit, Martialis & Martinus confeſſores domini nihil fiſco regio addiderunt, ſed illico amens effectus, vſum amiſit loquendi pariter & audiendi, & ad Baſilicã B. Martini vigilias faciens, non eſt exauditus, ſed in eadẽ plaga permanſit: merito ſic punitus; quia mala conſilia corde tractauerat, ore deduxerat, aure audierat, ad ſanctorum Baſilicas ſpoliandas.

Exemplum.

Sacrilegi interdum permittuntur à diabolo arripi & cruciari.

Item propter illam irreuerentiam, ſępe relinquuntur homines diabolo cruciandi arrepti ab eo. Greg. Turonen. in geſtis Francorum lib. 5. cap. 14. Cum Theodoricus Rex Francorum miſiſſet contra Aluernos exercitum: cum prædarentur terram, fractis ſeris intrauerunt Baſilicam beati Iuliani martyris, extrahere nitentes res ibidem depoſitas à pauperibus, qui mox à diabolo arrepti, proprijs ſe morſibus lacerabant, clamantes: Cur nos martyr ſancte ſic crucias. *Item dialo.* 4. dicitur, quod cum Longobardi ſæuientes intraſſent monaſterium ſancti Equitij, & vellent

Exempla.

inde

inde monachos extrahere, vt eos torquerent, & monasterium spoliarent, fugerunt ad sepulchrum sancti viri monachi, quorum abbas ingemuit dicens: O sancte Equiti, placet ne tibi quod hinc extrahamur, & nō nos defendas? statim ad hanc vocem à spiritu immundo Longobardi arrepti, ad terram præcipitati sunt, & tamdiu vexati, quousque qui foris erant Longobardi cognoscerent, quod ad loca sancta temeratiè accedere non auderent.

Nonnunquā etiam variis plagis & cladibus affliguntur.

ITEM quandoque diuersis plagis, morbis, flagellis, & cladibus affliguntur, qui loca sacra audent temerare. 2. Mach. 3. de Heliodoro flagellato. *In* chronicis Orosij in fine legitur, quod quidam magnus princeps Astratæ dictus Gildo, interfecit duos filios fratris sui Michezel, volens cum eis eum occidere, qui non habens per quos posset impugnare dictum Gildum, cogitans quod Theodosius Imperator Imperium obtinuerat; & victoriam non viribus aut multitudine, sed orationibus & visitatione sanctorum scilicet locorum, & personarum; adijt insulam Capariam, vbi erant multa loca sanctorum, visitans eam, commendans se & suum negocium sanctis, vigilans, & orans, & ieiunans in sacris locis. Cui apparuit B. Amb. qui nuper obierat, cum pastorali baculo ter humum percutiens, & dicens ter: Hic, hic, hic. Qui ex his intellexit, & victoriam sibi deberi, & locum, & tempus, tam ex merito annunciantis, quam ex tribus dictis & percussionibus, qui cum quinque millibus die tertia in loco sibi assignato à sancto, confisus in exemplo Theodosij, & visione S. Amb. ausus est confligere contra octoginta millia hostium. Cum autem Signifer aduersariorum percussus in brachio inclinasset vexillum, credentes alij quod vexillum reddidisset, verterunt se, & signa sua Michezeli reddiderunt. Gildo autem hoc videns, per Aphricam fugiens iugulatus interijt. Michezel autem prædictus ex victoria elatus, & ingratus, loca sacra spolians, & homines inde vi extrahens; vnde primus sensit Dei adiutorium cum loca sacra veneraretur, inde sensit diuinum iudicium, & factus sacrilegus grauiter est punitus & interfectus.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM in eodem lib. dicitur, quod cum Augustus Cæsar misisset Caium nepotem suum ad partes transmarinas pro ordinandis negotijs, veniens Hierusalem in templum ibi adorare contempsit, & locum despexit, qui cum rediisset Augustus hoc approbauit, prauo vsus consilio. Nam vt dicit Orosius, ex hoc secuta est diuina vltio tam grauis, vt tanta sæuiret fames in populo Romano, vt Lanistarum familias, & seruos, & peregrinos, ex vrbe trudi præciperet Augustus. Extremitates imperij vndique inceperunt rebellare contra Romanum imperium. Templum iam quod circa natiuitatem Christi, mūdo vndique pacificato, per duodecim annos clausum fuerat in signū pacis perpetuæ, in signum guerræ & discordiæ aperitur. Item templi prophanator, morte turpi & inopinata affligitur, & occiditur. *Sicut* in eodem lib. legitur de Gaio Caligula tertio Imperatore Romano post Iulium, qui postquam fecisset, post eius innumera flagitia, templum prophanari, appositis in eo idolis gentium, à suis protectoribus est turpiter occisus. *Item* Greg. Turonen. in gestis Francorum 4. lib. 15. cap. Cum quidam exercitus Tramni venissent ad spoliandum ecclesiam beati Martini Turonensis, monachi clamauerunt ex vna parte fluminis, recedite Barbari, quia ecclesia est beati Martini, quam vultis spoliare; quod nisi feceritis, scitote quod grauiter luetis. Viginti autem cæteris audaciores, fluuium cum naui transierunt, alijs timore Dei discedentibus, illi verberatis monachis, & factis sarcinis de vestibus ecclesiæ spoliatæ, redire voluerunt. Cū autem fluuium vellent transire, subita commotione facta, cum non possent se de remis iuuare, conabātur lanceis, ferro eorum à superiori parte posito, tunc diuino iudicio lancea vniuscuiusque pectus eius infixit, & ex alia parte in terra affixa, super aquam appensum & occisum tenuit, vsquequo naue sub pedibus eorum collapsa, monachi ad eos venientes & res suas recipiētes, eos mortuos inueniunt; Vno excepto qui alios semper arguebat. *Ad hoc* facit quod habetur 1. Mach. 6. Quomodo Antiochus fecit prophanari templum. Eiusdem 9. per totum, de percussione Antiochi, & graui eius afflictione, & ignominiosa eius morte.

ITEM sacra loca irreuerētes sunt merito confundēdi & confusi. Ps. 52. *Confusi sunt, quoniam dominus spreuit illos*. Sicut patet 2. Mach. 3. & 6. & 9. de Antiocho, quomodo victus est & repulsus, & à domino ignominiosè percussus. Ad hoc etiam faciunt exempla antecedentia. *Item* confundi merito debent; eo quod creaturę irrationales reueritæ sunt aliquādo sacra loca. *Dicitur* dialo. 3. Cum quidam rusticus deportasset quandam arcam in ecclesiam beati Laurentij super sepulchrum sancti Equitij, turbo cælitus factus dictam arcam extulit, & longe proiecit, vt omnibus innotesceret quod sacra loca debent reuereri, & vt pateret meritum sancti viri. *Item* Greg. dialo. 8. Cū tempore Regis Totilæ, Gothi venissent ad cellam cuiusdam monachi sancti iuuenis, nomine Benedicti, voluerunt ipsum incendere cum cella sua ignem superponentes; omnia autem quæ supererant in circuitu eius combusta sunt, dictus locus cellæ eius comburi omnino non potuit, nec ille qui intus erat. Vnde indignati Gothi cum extraxerunt, & in clibanum, quem non longe coquendis panibus paratum succensum viderant, intruserunt: clibanumque clauserunt, qui in crastino ita illæsus inuentus est, vt nec in capillis aut in vestibus etiā extremis aliquod ignis vestigium remaneret, aut etiam appareret.

Sacrilegi merito confundūntur.

Exempla.

ITEM non solum aer aut ignis confundere potest irreuerentes, sed etiam ipsa aqua, secundum quod legitur dialo. 9. Dicitur enim ibi quod in Veronen. vrbe fluuius Atheser subito ita excreuit, quod vsque ad ianuas ecclesiæ beati Zenonis martyris veniēs, eas claudens multos intus intrusit, & vsque ad superiores fenestras ascendit, & quasi in soliditatem versa, dictam ecclesiam non intrauit, illi autem qui erant in ecclesia inclusi, ad ianuam venientes, & ianuam aperientes, cū pro necessitatibus suis vt liquidam hauriebant, & bibebant: sed vt solida ante ianuam stabat: & erat aqua fluida ad adiuuandum, sed solida erat ad nocumentum sacri loci cauendum.

Exemplum.

ITEM maledicti sunt qui sententiam anathematis incurrunt, quæ inter pœnas ecclesiasticas maior est, quia mors spiritualis est super omnia incommoda timenda & cauenda. 1. Cor. 3. *Si quis violauerit templum Dei disperdet illum Deus*. Multi autem magis timent in bursa lædi in modica pecunia, quam hoc gladio feriri mortifero animæ & corpori, qui in vtroque disperdit, & æternaliter perdit. *Quidam* episcopus Geronopolitanus præcepit suis sacerdotibus, vt venientes ad synodum, honeste cum stolis, & albis, & superpellicijs venirent: quod ipsi facere contempserunt, tunc præcepit eis sub pœna suspensionis: nec tunc etiam hoc fecerunt, tunc aggrauauit manum dicens in alia synodo, quod sub pœna excommunicationis venirent. Quod cum non fecissent nisi pauci, ait: Cras venietis vt dixi sub pœna quinque solidorum; tunc omnes ne incurrerent pœnam dictæ pecunię, alba & superpellicia quæsierunt, vel per mutuum qui non habebāt, vel per pretium datum, ita quod omnes venerunt sicut eis fuerat imperatum. Quos de hoc episcopus in synodo arguit & confutauit, quod magis timerent amissionem dictæ pecuniæ, quam animę suæ.

Exemplum.

ITEM notandum quod dominus loca sacra sæpe punit, ex eo quod profanantur, & aliqua inhonesta in eis fiunt. Sicut propter mala quæ fiebāt in templo domini, vt creditur, sustinuit quod à Nabuzardan cōcremaretur. 4. Reg. 25. & ab Antiocho spoliaretur. 2. Mach. 1. Titus ciuitatem & templum subuertit & cōbussit, & omnino destruxit. Sicut patet Orosij lib. 5. *Item* Archiepiscopus Lugd. aliquando quæsiuit à quodam fratre prædicatore, vnde erat quod loca sacra plerumque

Deus aliquando ferit loca sacra quia profanantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rumque fulminibus ferirentur, & frequentius quam loca profana. Et cum frater reſponderet ei, quod ſibi occurrebat; reſpondit epiſcopus quod expertus erat, quod ideo loca ſacra Deus puniebat, vel concremãdo, vel alio modo, propter inhoneſtates quæ ibi malè fiũt.

Exemplum. Et adiunxit, quod de nouo viſitauerat eccleſiam Beatę Mariæ Podienenſis, qui locus eſt valde venerabilis, & multis diuinis miraculis & beneficijs illuſtris, & à multis frequentatus; in quo dicitur eſſe & oſtenditur calciamentum beatæ Virginis, & digitus quo Iohannes Baptiſta dominum demonſtrauit. Ibi etiam, vt dicitur, Saraceni occidentales mittunt munera, vt beata Virgo eos liberet à fulgoribus, & tempeſtatibus, & agros ſuos. Ibi parum antequam veniſſet dictus Archiepiſcopus, fulgur ceciderat, & etiam ipſos lapides pauimẽti combuſſerat, quod multis fiebat in ſtuporem. Cum autem non rediret ad ipſam eccleſiam dictus Archiepiſcopus, ſed iuiſſet cum Podien. epiſcopo ad quendã locum quæ ſilua vocatur monialium, ad viſitandam quandam ſanctimonialem quam beata Virgo curauerat, quæ fuerat gutta, fiſtula, & alijs morbis ita corroſa & perforata, vt interiora apparerent. Viſitata autem à beata Virgine, & curata ſubito, hoc datum fuit ei, vt ſingulis ſabbatis in extaſim rapta, multas ibi reuelationes accipiebat. Cum autem dicti prælati quæſiuiſſent ab ea quæ eſſet cauſa dictæ fulminationis; ait quòd duę perſonæ adulter & adultera, cum non haberent alium locum vbi ſine ſuſpitione conuenire poſſent, locum illum peccato ſuo contaminauerant. Ideo dominus igne illo locum prædictũ voluit pugare. Et dixit dictus Archiepiſcopus, quod epiſcopus Podien. ei poſtea dixerat, quod inuenerat per vtriuſque perſonæ cõfeſſionem qui peccatum commiſerant, ita verum eſſe vt eis dicta ſanctimonialis dixerat.

Exemplum. ITEM in quadam abbatia, vt dicebat illius loci abbas, accidit quod cum monachi eſſent ſimiliter congregati in choro, tonitruum maximum inſonuit, & in dicta eccleſia fulgur cecidit, comburens pauimentum & quædam loca. Quoſdam autẽ maiores monachos, paruis innocentibus intactis remanentibus, vulnerauit ad mortem, per ſinum eorum ſubtiliter intrans, & pilos inferiores radens & vrens; Et loca illa inferiora grauiter lædens.

Deus exaltat illos qui loca ſacra colunt. VLTIMO *notandum eſt, quod ſicut Deus punit & confundit loca ſacra lædentes* & inhonorantes; ita promouet, ditat, & exaltat, loca ſacra colentes, & honorantes. Quod patet in Salomone, qui templum ædificauit, qui factus eſt à domino ſapientiſſimus, potentiſſimus, & ditiſſimus, & pacem ſemper in terra ſua habuit, quamdiũ cum domino pacem ſeruauit. Item hoc patet in Alexandro honorante templum & ſummum ſacerdotẽ, cui Deus dedit in bellis victoriam & mundi monarchiam. *Legitur* in chronicis Francorum, & maximè in chronicis regionis Abbatis, quod Clotarius filius Clodouei primi regis Francorum Chriſtiani, obtinuit regna quatuor fratrum ſuorum, & ea dimiſit quatuor filijs ſuis moriens. Herbertus regni ſui ſedem habuit Pariſijs; Gontrandus Aurelianis. Hyperitus regnum patris ſui tenens, habuit ſedem Sueſſionis: Sigibertus ſedem regni habuit Rhemis. Hoc fuit magni Gregorij Papæ & Mauritij imperatoris temporibus. Gontrandus autem in parte ſua tenebat Burgundiam & inferiores partes. Hic erat pacificus, & omni bonitate ornatus; cultor, ædificator, benefactor, & honorator locorum ſacrorum.

Exemplum. Cum autem quadam die venaretur in quadam ſilua, ſuis huc illucque diſperſis, ſolus remanſit cum vno fideli ſuo, & grauiter ſomno depreſſus obdormiuit, capite ſuo in eius gremio inclinato: de cuius dormientis ore, vidit ille ſuper cuius gremium recumbebat egredi paruum animal album ad modum muſtelæ, molientis tranſire quendam riuum ſibi coniunctum, & non valebat, tunc ille compaſſus eius conatibus, ſpatham ſuam eduxit & riuo ſuperpoſuit, & illud animal ſtatim riuum illum tranſijt; & poſt paululum rediens de cauerna quam intrauerat, ſuper eandem ſpatham riuum tranſiens, in os dicti regis regreditur, ſtatim rex excitatus, mirari ſe viſionem vidiſſe teſtatur; aſſerens ſe tranſiſſe quendam fluuium per pontem ferreum, & in quadam ſpelunca multum pondus auri vidiſſe in terra, & per eundem fluuium ad locum ſuum rediiſſe. Ille autem in cuius gremio dormierat, quę viderat & fecerat refert. Tunc rex fecit effodi locum, & inuenit theſaurum inæſtimabilem, de cuius auro fecit fieri cyphum ex auro ſolidum, myræ magnitudinis & ponderis, & ſuper corpus beati Marcelli Tabilonis poni fecit; nec vſquam, vt dicit chronica, vllum opus ex auro factum eſt, quod ei valeret comparari, nec poſt multum tempus, cum theſauros omnes eccleſijs & pauperibus erogaſſet, moritur, & in beati Marcelli eccleſia ſepelitur. Cuius regnũ Chyldebertus & eius filij obtinuerunt.

ITEM in hiſto. Caroli legitur, quod cum ipſe rediſſet de Hiſpanijs, & bello de Roncaualle, & Turpinus archiepiſcopus Rhemẽſis pro ſuis vulneribus curandis remaniſſet apud Viennam cum incepiſſet Horas dicendo. *Deus in adiutorium* &c. Coram altari, raptus in ſpiritu vidit infinitam multitudinem ſpirituum immundorum, verſus Metis cum maximo exercitu decurrentium; & poſt eos vnum ſimilem Æthyopi lętius incedentem; quem adiurauit vt ei diceret quo feſtinarent: qui ait quod verſus Aquiſgranum ad mortem Caroli feſtinabat eorum exercitus, vt eius animam raperent in infernum, quem adiurauit vt per eum rediret, & ei denuntiaret quid egiſſent. Cum autem vix fuiſſet hora dicendi pſalmum, ecce ijdem dæmones qui prius, ante eum tranſierunt vt prius, confuſi nihil ferentes, & tunc archiepiſcopus quæſiuit à quo prius audierat de morte, quid egiſſet, qui reſpondit, quod nihil potuerant prævaluiſſe, quia Gallatianus ſine capite ſe eis oppoſuerat, & tot lapides in ſtatera poſuerat eccleſiarum omnium quas ædificauerat Carolus, & tot alia bonaquæ eis fecerat, & dona quæ eis dederat, & honores quos eiſdem impenderat, quod ad comparationem eorum ea quæ habebant contra eum, erãt nullius ponderis; & dictus Gallacianus cum ſuis, animam eius eiſdem abſtulit: & hoc dicto, dæmones diſparuerunt. Quidam autem miles adiuratus à Carolo, quod quam cito mortem eius ſciret, eam Turpino denunciaret; decimaquinta die poſt obitum dicti Caroli, venit ad Turpinum, feſtinanter ei eam annuncians; qui inuenit eum migraſſe eadem die & hora qua prædixerat ei dæmon. Econtra qui ſacra loca violat, non videbit gloriam Dei. Iſa. 26. *In terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Dei.*

De ſacrilegio reali.

DISTINCTIO XXI.

CIRCA ſeptimum, ſcilicet de ſacrilegio reali. Sciendum quod ſacrilegium reale committitur in rem ſacram, ideſt conſecratam, vel ſacris locis, perſonis, aut officijs deputatam. Videlicet ex inuaſione, captione, & detentione ſacrarum rerum, vel ad ſancta loca ſiue ſanctos, pertinentium. Hoc autem peccatum cauendum eſt multiplici ratione. Primo quia qui res ſacras capiunt, capiuntur vel detinentur perſonaliter. Secundo quia puniuntur & flagellantur vel torquentur corporaliter. Tertio quia damnantur æternaliter.

Sacrilegium reale cauendum multiplici ratione.

PRIMO quidem capiuntur vel detinentur perſonaliter. Auguſt. *Præda quam rapere cupis in muſcipula eſt. In hiſtoria* eccleſiaſtica 10. li. cap. 5. & in tripartita hiſtoria ſimiliter hoc legitur, quod eo tempore quo ſanctus Pyridion epiſcopus Cypri, cum adhuc curam materialium ouium gereret, cum latrones veniſſent ad ouile ſuum, & oues ſuas ligaſſent, vt eas ſecum deferent; ligati ſunt à domino, & in mane veniens, inuenit eos ad caulas ſuas ligatos pendentes, quos ſuis oratio: nibus ſoluit, & arietem eis dedit. *Item* dialog. 2. dicit Greg. quod cum quidam fur intraſſet ouile quorun-

1. *Quia tales capiũtur vel detinentur perſonaliter.*

Exempla.

dam

dam religioſorum,& ouile eſſet prope eccleſiam, in qua erant dicti religioſi diuinum officium agentes, arietem tulit: & cum veniſſet ad locum vbi quidã ſanctus vir ſepultus erat,de loco illo nec egredi valuit,nec arietem deferre, & cum vellet eum relinquere, nõ valebat eum dimittere, nec manus laxare, vſquequo dicti religioſi quorum erat, venerunt; qui vix ſuis orationibus ei liberationem obtinuerunt.

Exemplum. ITEM dial. 3. Cum Libertinus Fundenſis eccleſiæ præfectus pro negocijs eccleſiæ ſuę equitaret, quidam Gothi ducentes exercitum eum de caballo depoſuerunt; qui dedit eis flagellum cũ quo eum ducerẽt,dum autem vellent aquã cuiuſdam fluuij tranſire,eorum equi licet verberati & calcaribus afflicti non poterant moueri, licet vſque ad ſanguinis effuſionem eos attriuiſſent. Cum autem vnus eorum diceret hoc eſſe peccatum equi ablati, tunc ipſi redierunt, & Libertinum orantem & nolentem equum ſuum recipere,ipſi equo ſuperpoſuerunt, veniã de iniuria poſtulantes,& ſtatim eorũ equi velociſſime per viam & fluuium cucurrerũt.

2 Quia tales plerũque tẽporaliter puniuntur. SECVNDO qui res ſacras rapiunt vel furãtur,plerumque temporaliter puniuntur, & hoc multipliciter. Nam quandoque diris plagis & cruciatibus feriuntur, ſicut patet 2. Mach. 3. de Helyodoro,qui volebat vaſa templi deferre, flagellato. Eiuſdem 9. De Antiocho qui templum vaſis & theſauris ſpoliauerat. Et de Balthaſar, qui in ſacris vaſis bibebat. Dan. 5. Et ſicut ſupra oſtenſum eſt de ſpoliatoribus ſacrorum locorum.

Exempla. *Item* quandoque à Deo comburuntur. In paſſione Iuliani martyris inter alia eius miracula legitur, quòd cum quidam tyrannus res eccleſiæ ſancti Iuliani peruaſiſſet, nec admonitus à ſacerdote reddere vellet, ſed clericos cum contumelijs repuliſſet: cum veniſſet ad feſtum ſancti,& conuiuium magnum faceret, in menſaque ſederet, fulgor cum tonitruo de cœlo deſcendit, & eum intactis alijs concremauit. *Item* in eadem paſſione dicitur (& hoc idem refert Greg. Turonen. in hiſtoria Francorum) quod quidam clericus relicta eccleſia fiſco adhæſit Regio, & eum diſcurreret per montes quaſi pro iure ſuo requirendo, inuenit oues eccleſiæ ſancti Iuliani. Cum autem eas quaſi proprias tolleret, inhibẽtibus ei paſtoribus ex parte ſancti Iuliani ne detineret, reſpondit: Iulianus arietes nõ comedit. Cum autem poſtea paruipendens iniuriam, ed villam ſancti Iuliani veniſſet, & ante ſepulchrum eius ſtaret, grauiſſima febre corripitur,& tãto ardore quod cadens ſe leuare non potuit, nec aliquem vocare, qui eum ad ſe tollendum iuuaret. Cum autem inde fuiſſet delatus, cæpit clamare quod combureretur, & aquam ſuper ſe proiici fecit, & tantus fumus & fætor de eius corpore exiuit, vt aſtantes ſuſtinere non valentes ſecederent, & ſic expirauit.

Exempla. ITEM quandoque arripiuntur à dæmonibus, vel ab hominibus occiduntur. In paſſione ſanctorum Simplicij Fauſtini, & Beatricis legitur, quod duobus martyrizatis, Lucretius præfectus ambiens prædia eorum, cum nollent idolis immolare, fecit eos nocte præfocari. Et cum intraſſet eorum poſſeſſiones, epulans cum amicis, quidam infantulus lactens de gremio matris clamauit: Audi Lucreti, occidiſti inſuper & poſſediſti, ecce datus es in poſſeſſionem inimici. Statim Lucretius timens & tremens à diabolo arripitur, & per tres horas ita vexatus eſt, vt in ipſo conuiuio moreretur; Et qui aderant timentes facti ſunt Chriſtiani. *Item* in hiſtoria Franc. cum Clodoueus rex Frãcorum factus eſſet Chriſtianus,vadens ad pugnandum contra Regem Aldericum Arrianum, fecit præconizari in exercitu ſuo, ne quis tangeret res ſanctorum, herbis paſcualibus exceptis. Cum autem quidam accepiſſet fœnum cuiuſdam pauperis de hominibus ſancti Martini, dicens quod fœnum erat herba:cum ſciret hoc Clodoueus fecit eum necari,dicens: vbi erit nobis ſpes victoriæ ſi beatus Martinus offendatur? Qui ad placandum ſanctum Martinum miſit ad eius Baſilicam nuncios cum muneribus.

A ITEM quandoque morte ſubita rapiuntur. In fine paſſionis Cyriaci, Largi, & Smaragdi legitur, quod poſt martyrum beati Cyriaci impetrauit. Carpaſius à Maximiano domum Cyriaci. Et cum ad deriſionem Chriſtianorum vbi baptizabat beatus Cyriacus ſe balnearet, cum 19. ſocijs epulas celebrans, omnes ſubito mortui ſunt, ex tunc clauſo balneo gentiles Chriſtianos timere cæperunt. *Item* inter miracula ſancti Andreæ legitur, quod præpoſitus cuiuſdã ciuitatis abſtulit agros eccleſiæ ſancti Andreæ. Cum autem admonitus ab epiſcopo nollet reddere, ſtatim arripuit eum febris fortiſſima: qui mandauit epiſcopo quod pro eo oraret, & agros redderet, quod cum feciſſet, & epiſcopus oraſſet,ſtatim curatus eſt. Qui videns ſe curatũ, occupari fecit per ſeruos ſuos agrum prædictum. Tunc
B epiſcopus extinxit omnes lampades quæ erãt in domo ſua, dicens: Non accendetur hic lumen, donec Deus vindicet eccleſiam de hoſte ſuo. Quod cum fieret & oraret, febris grauiſſima arripuit præpoſitum, & ſtatim mandauit epiſcopo vt oraret pro eo ne moreretur, & redderet eccleſiæ agrum, ſimilem illi adiungendo pro emenda. Tunc remandauit epiſcopus ei: Iam oraui & exaudiuit me Deus,& tu me deriſiſti, & Deum decipere crediſti. Tũc præpoſitus præcepit ſe ferri ad epiſcopum. Cum autẽ rogaret eum per ſeipſum vt eccleſiam intraret, & nollet; eum compelli fecit. Cum autẽ hæc feciſſet, quam cito epiſcopus eccleſiam intrauit, præpoſitus obijt, & eccleſia rem ſuam recuperauit, & præpoſitus amiſit & ſe & agrum prædictum.

3. Quia tales damnantur æternaliter. C TERTIO damnantur æternaliter, ſicut patet ſupra de Theoderico & Carolo Martello proiectis in Vulcanum, & de Stephano aduocato, qui abſtulerat eccleſiæ ſancti Laurentij per aduocationem falſã quatuor domos &c. Iſa. 5. *Væ qui iuſtitiam iuſti aufertis ab eo; propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi fauilla erit* &c. quia in inferno comburentur. Quia *ſicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequetur eos Deus in poteſtate ſua*, ſcilicet in inferno cum dæmonibus in ſupplicio æterno.

De inobedientia.

DISTINCTIO XXII.

Inobedientia oritur ex inani gloria. D DEINDE conſiderandum eſt de inobedientia, quæ eſt decimaſeptima filia inanis gloriæ, qua ſcilicet homo non vult iugum obedientiæ ſubire, ſed omnibus ſuper ire. Et ſicut ex ambitione vult præeſſe, ita per inobedientiam vult non ſubeſſe; nec alterius, puta Dei vel ſuperioris, ſed ſuam facere voluntatem. Cum autem ex inani gloria appetat homo manifeſtationem excellentiæ ſuæ,ex hoc maxime manifeſtari videtur, quod alterius volũtati vel obedientię non ſubdatur, & ſic ex inani gloria oritur inobedientia. Circa inobedientiam autem notanda ſunt quatuor. Primo vtrum omnis inobedientia ſit mortale peccatum. Secundo vtrum ſit peccatum ſpeciale. Tertio quæ mouere nos debent ad peccatum inobedientiæ deteſtandum. Quarto conſiderandum eſt de voluntate propria, quæ maxime cauſat in nobis inobedientiam.

Inobedientia contrariatur charitati Dei & proximi atque eſt peccatum mortale. E CIRCA primum ſciendum eſt, quod peccatum ideo dicitur mortale, quia contrariatur charitati, per quam eſt ſpiritualis vita: charitate autem diligitur Deus & proximus. Exigit autem charitas Dei vt eius mandatis obediatur, ſicut ſupra dictum eſt; & ideo inobedientem eſſe diuinis præceptis peccatum mortale eſt, quaſi diuinæ dilectioni contrarium. In præceptis autem diuinis continetur, quod etiam ſuperioribus obediatur, & ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens eſt præceptis ſuperiorum eſt peccatum mortale, quaſi diuinæ dilectioni contrarium, ſecundum illud Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Contrariatur inſuper dilectioni proximi, inquantum ſuperiori proximo ſubtrahit obedientiam,quam ei debet.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum inobedientia ſit pecca-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum ſpeciale. Dicendum, quod peccatum aliquod dicitur eſſe ſpeciale peccatum propter ſpecialem rationem obiecti. Inobedientia autem habet ſpecialem rationem obiecti: quia licet inobedientia poſſit eſſe circa obiectum cuiuſlibet peccati, tamen ſpecialiter reſpicit præceptum ſub ratione præcepti. Vnde non omne peccatum, propriè loquendo, eſt inobedientia, ſed ſolum quando aliquis præceptum ex intentione contemnit. Quando autem aliquis facit contra præceptum, non propter præcepti contemptum principaliter, ſed propter aliquid aliud; tunc eſt inobedientia materialiter tantum, ſed formaliter pertinet ad aliã ſpeciẽ peccati, puta fornicationis, furti, vel homicidij, & huiuſmodi.

Inobedientia formalis qua ſcilicet quis præceptum ex intetione cõtẽnit eſt ſpeciale peccatũ.

Solutio obiect.

LICET autem videatnr Amb. diffinire peccatum, dicendo: *Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum*: Et ſic omne peccatum videtur eſſe inobedientia; tamen illa diffinitio non datur niſi de peccato mortali, quod habet perfectam rationem peccati: peccatum enim veniale non eſt contra præceptũ, ſed præter nec tamen omne peccatum mortale eſt inobedientia formaliter loquendo, vt dictum eſt. *Item* licet non omnis motus inanis gloriæ ſit mortale peccatum, tamen ex ipſa poteſt oriri inobedientia; quia nihil prohibet ex veniali peccato oriri mortale, cum peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale.

Vnde inobedientia poteſt eſſe grauior alia dupliciter ſcilicet ex parte præcipientis ſuperioris, & ex parte præcepti quod magis eſt de intentione præcipientis.

ITEM non omnis inobedientia eſt peccatũ mortale, ſed ſunt gradus grauitatis in eo: poteſt enim vna inobedientia eſſe grauior alia dupliciter. *Vno modo* ex parte præcipientis. Quamuis enim omnem curam homo apponere debeat ad hoc quod cuilibet ſuperiori obediat, tamẽ magis eſt debitum quod homo obediat ſuperiori, quam inferiori poteſtati. Cuius ſignum eſt, quia præceptum inferioris prætermittitur, ſi ſit præcepto ſuperioris contrarium. Vnde conſequens eſt, quod quanto ſuperior eſt ille qui præcepit, tanto ei inobedientem eſſe ſit grauius; & ſic inobedientem eſſe Deo eſt grauius, quam inobedientem eſſe homini. *Secundo* ex parte præceptorum. Non enim præcipiens æqualiter vult adimpleri omnia quę mandat: magis enim vnuſquiſque vult finem, & id quod eſt fini propinquius; & ideo tanto eſt inobedientia grauior, quanto præceptum quod quis præterit magis eſt de intentione illius qui præcepit. Et in præceptis quidem Dei manifeſtum eſt, quod quanto præceptum datur de meliori, tanto eſt eius inobedientia grauior: quia cum voluntas Dei per ſe feratur ad bonum, quanto aliquid eſt melius, tãto Deus vult illud magis impleri. Vnde qui inobediẽs eſt præcepto de dilectione Dei, grauius peccat, quam qui inobediẽs eſt præcepto de proximi dilectione. Voluntas autem hominis non ſemper magis fertur in melius; & ideo vbi obligamur ex ſolo hominis præcepto, non eſt maius peccatum ex eo quod maius bonũ præteritur, ſed ex eo quod præteritur quod eſt magis de intentione præcipientis. Sic ergo oportet diuerſos inobedientiæ gradus, diuerſis peccatorum gradibus comparare. Nam inobedientia qua contemnitur Dei præceptum, ex ipſa ratione inobedientiæ grauius eſt peccatum, quam peccatum quo peccatur in hominem, ſi ſecerneretur inobedientia Dei. Et hoc dico, quia qui contra proximum peccat, etiam contra præceptũ Dei agit; ſi tamen in aliquo peccator præceptum Dei contemneret, adhuc grauius peccatum eſſet. Inobedientia autem qua contemnitur præceptum hominis, leuior eſt peccato quo cõtemnitur ipſe præcipiens; quia ex reuerentia præcipientis procedere debet reuerentia præcepti. Et ſimiliter peccatum quod directè pertinet ad contemptum Dei, ſicut blaſphemia, vel aliquid huiuſmodi, grauius eſt, ſemota etiam per intellectum bedientia, quàm peccatum in quo contemnitur ſolum Dei præceptum.

Quatuor mouent ad inobedientiã deteſtãdam. 1. Lex naturæ.

CIRCA tertium ſcilicet *quę mouere nos debent ad peccatum inobedientiæ deteſtandum*. Sciendum quod ad hoc nos debent mouere ſpecialiter quatuor. Primo lex naturæ. Secundo lex ſcripturæ. Tertio bona quæ perdimus. Quarto mala quæ incurrimus. *Primo* quidem peccatum inobedientiæ deteſtandum eſſe oſtendit lex naturæ, quæ dictat homini, quod Deo ſuper omnia obediendum eſt. Bern. *Infidelem vrget naturalis ratio, totum ſe debere ei, à quo totum ſe habet.* Iudicat enim ſe totũ debere Deo quaſi ſuo creatori; totum genitori, redẽptori, & domino. Bern. *Si ſeruus eſt, timet à facie domini: ſi mercenarius eſt, mercedem ſperat de manu domini: ſi diſcipulus autem, parat magiſtro: ſi filius, honorat patrem.* Ex his omnibus reum iudicat ius naturæ illum, qui Deo obediendo non obtemperat, vt creatura creatori, à quo totum ſe habet: genitura genitori, à quo deſcendiſſe ſe videt: liber redemptori, cui ſe totum debet; mercenarius remuneratori, magiſtro diſcipulus, domino ſeruus. Et mentem in qua inobedientiam videt, ſemper reprehendendo mordet ius naturæ. Vnde Dominus ad Cayn dixit Gen. 4. *Si malè egeris in foribus peccatum tuum aderit:* reclamante conſcientia tua propria te malum egiſſe. Vnde inobediens Deum contemnit, & ius naturæ peruertit, dum membra nolunt obediendo ſubeſſe capiti, vt creatura creatori, vxor viro, filius patri, ſubditus prælato, ſeruus domino: imo cedunt ois quãdoque ex aduerſo: Per hanc contemnit creatura creatorem, & creator creaturam abijcit, Pſal. 82. *Aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmahelitæ.* 1. Reg. 15. Dixit Samuel ad Saul. *Scelus idolatriæ eſt nolle acquieſcere: quia abieciſti ſermonem domini, abiecit te ne regnes ſuper Iſrael.* Quia filij Iſrael abiecerunt dominum per inobedientiam, abiecit eos dominus in multam ſeruitutis miſeriam. Oſeæ 9. *Abijciet eos dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus. Item* propter inobedientiam contemnit ſubditus prælatum ſuum, & ſacerdotem ſuum, & per hoc contemnit Deum. 1. Reg. 8. Dixit dominus ad Samuel: *Non te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et eiuſdem 9. *Filij Belial dixerunt* &c. Deus etiam propter hoc abiecit eos, ſicut oſtendit dominus per figuram Ezech. 7. *Loqueris ad eos, & non audient te.* Et poſt. *Præcepit eis tondere capillos & proijcere: dixitque eis ſic proijciendos inobedientes. Item* per hanc contemnit vxor virum, & Vaſthi Aſſuerum. Heſt. 1. *Item* inobedientia facit ſeruũ rebellem domino ſuo. Iob. 6. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum Onagri ſe liberum natum putat, qui nullo modo ſuſtinet iugum* 2. Reg. 19. Dixit Miphiboſeth: *Seruus meus contempſit me.* Quod inobedientia ſit contraria legi naturæ manifeſte patet ex hoc, quod omnes creaturæ obediũt creatori, ſecundum illud Iudith 16. *Tibi ſeruit omnis creatura tua.* Pſal. 48. *Omnia ſeruiunt tibi.* Iob. 9. *Qui præcipit ſoli & non oritur* &c. In ſolis autem homine & dæmone inuenit rebellionem.

2 Lex ſcripturæ, & quidẽ multipliciter.

SECVNDO hoc idẽ docet lex ſcripturæ. Et hoc multipliciter. Videlicet, ſuadendo, arguendo, promittendo, comminando, exempla obedientium & pœnas inobedientium deſcribendo. *Primo* quidem ſuadendo, Deut. 10. *Et nunc Iſrael quid dominus Deus tuus petit à te niſi vt timeas* &c. Sequitur. *Et cuſtodias mandata domini,* &c. Et 19. *Obedias voci domini, illique adhæreas.* Hebrę. 13. *Obedite præpoſitis veſtris* &c. *Item* hoc idem docet ſcriptura arguendo. Deu. 32. *Deum qui te genuit dereliquiſti.* Hiere. 26. *Nunquid non recipietis diſciplinam vt obediatis verbis meis, dicit dominus.* Item ad Gal. 5. *Quis vos impediuit non obedire veritati. Item* hoc idem docet ſcriptura comminando. Deut. 8. *Peribitis ſi inobedientes fueritis.* Et 18. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui miniſtrat domino Deo tuo, morietur homo ille.* Item. 21. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audit patris vel matris imperium, & coercitus obedire contempſerit* &c. *lapidibus obruet eum omnis populus.* Item 2. Timo. 1. *Qui non obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti, pœnas dabunt in interitum ſempiternas. Item* hoc idem docet ſcriptura promittẽdo Gẽ. 22. *Benedicẽtur in ſemine tuo omnes gẽtes, quia obediſti voci meæ.* Et 26. *Benedicẽtur in ipſo omnes gentes, eo quod obedierit Abraham voci meę.* Ideo dicitur Hiere. 42. *Obediamus vt bene ſit nobis.* Denique hoc idẽ docet ſcriptura, exempla obedientium, & pœnas inobedientium deſcribendo. *Obedientium quidem*, vt Abra-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ham, ſicut dictum eſt. Item Chriſti Phil. 2. *Chriſtus factus eſt obediens* &c. Inobedientium facta & exempla recitat ſcriptura ſacra in multis locis, puta de Lucifero qui noluit eſſe Deo ſubditus, ſed ſimilis ei: & ideo à ſummo cœlo eijcitur, & in profundum inferni detruditur. Adam per inobedientiam à paradiſo voluptatis in huius mundi miſerias exul emittitur. Gen. 3. Vxor Loth. per inobedientiam in ſtatuam ſalis conuertitur Gen. 19. Pharao nolens obedire domino, dicens; *Neſcio dominum*; quaſi lapis vel plumbum in profundum maris demergitur. Exod. 24. *Chore per inobedientiam terra deglutiuit, & in inferno abſorbetur*. Nu. 16. Populus Deo & Moyſi inobediens, ab hoſtibus ſuis occiditur, trahitur, & vincitur ab eis. Num. 24. & in multis alijs locis. Achan inobediens mandatis domini, tollens de rebus prohibitis, à domino deprehenſus tranſgreſſor, lapidibus obruitur. Ioſue 7. Saul domino inobediens, cum filijs occiditur à Philiſtæis, corpus eius decapitatum muro ſuſpenditur, & regno cum ſua progenie in perpetuum ſpoliatur. 1. Reg. vlt. Salomon mandatum domini tranſgrediens, cũ mulieribus alienigenis matrimonia contrahens, ſapientia priuatur, idolatra efficitur, & armore ardentiſſimo alienigenis mulieribus copulatur, regnum eius ab eo ſcinditur, & ei aduerſarij ſuſcitantur 3. Reg. 11. Item vir Dei, quia inobediens fuit verbis domini, à Leone occiditur 3. Reg. 13. Item Vaſthi propter inobedientiam ſuam de imperio eijcitur. Heſter. 1.

3. *Bona quæ perdimus, quæ ſint duodecim.*

TERTIO ad idem mouere nos debent multa & magna bona quæ perdimus, & quibus per inobedientiam priuamur. Quæ ſunt duodecim, ſicut ſunt fructus duodecim ligni vitæ, quibus licitũ fuiſſet homini veſci, ſi ſe his per inobedientiam non priuaſſet. Obedientia quippe eſt lignum vitæ, cuius fructus ducit ad vitam perpetuam. Inobedientia vero lignum mortis, cuius fructus ducit ad mortem. Fructus autem duodecim ſunt immortalitas corporis, vita æterna, ornamẽta virtutum, meritum bonorum operum, benefaciendi facultas, pronitas virium, animæ puritas & perſpicacitas, ſanctorum aſſociatio, bonorum eccleſiæ communicatio, pax & concordia ſuperiorum, obedientia inferiorum, abundantia terrenorum & temporalium bonorum. His fructibus priuat hominem vitium inobedientiæ.

PRIMO quidem immortalitate corporis. Inflicta namque eſt nobis neceſſitas moriẽdi propter inobedientiam, ſicut dictum eſt Adæ Gen. 2. *In quacunque die comederis ex eo morte morieris. Item* priuat vita ſpirituali, quæ Deus eſt, qui propter inobedientiam relinquit animam quam inhabitabat per gratiam. 2. Paral. 15. *Si dereliqueritis dominum per inobedientiam, derelinquet vos per ſublatam gratiam.* Et 1. Paral. 28. dixit Dauid Salomoni: *Si dereliqueris dominum, derelinquet te, & proijcit in ætern̄.* *Item* inobedientia tollit & aufert ornamenta virtutum. Vnde Adam & Eua poſt inobedientiam ſenſerunt ſe eſſe nudos, quia per inobedientiam nudantur homines veſtib. virtutum, quib. fuerant induti ex alto. *Item* inobedientia priuat vita æterna. Gen. 3. *Videte ne forte ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Io. 12. *Mandata Dei vita æterna ſunt*, ſupple cum implentur, & eius priuatio, cum non implentur. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Item* per inobedientiam priuantur & ſpoliantur homines bonorum operum pretioſitate, quæ erant meritoria vitæ æternæ, & ita adeo deſpiciuntur, quod nec reſpiciuntur. Gen. 4. *Ad Chayn munera non reſpexit*, quia Deo nõ placent inobedientes, vel eorum obſequia. Nũ. 15. dicitur de Chore & ſuis complicib. *Non reſpicias ad ſacrificia eorum. Item* priuantur benefaciendi facultate. Cum enim homo ante peccatum inobedientiæ haberet arbitrium liberum à peccati ſeruitute, pronus erat ad bonum volendum & faciendũ; per peccatũ inobedientiæ facilis eſt homo ad male faciendum. *Item* priuatur animæ perſpicuitate & ſubtilitate, vt non ſint in ea quanta erant ante inobedientiam. *Item* priuatur ſanctorum ſocietate, quia qui prius erat de grege & ſocietate ſanctorum, fit ſocius dæmonum per inobedientiam; quia infectus lepra ſpirituali, eijcitur à ſocietate ſanctorum ad modum leproſi. *Item* ſeparatur ab eccleſię communione, vt eccleſię ſuffragia quæ prius ei valebant, iam non valeant directè ad ſalutem, & maximè ſacramentum corporis Chriſti, aut eccleſiaſtica ſepultura; Sicut patet de excommunicatis. *Item* per inobedientiam amittit homo pacem ſuperiorum: vt rationis, quæ impugnat & reprehendit eum: & Dei, cum quo non habet pacem, ſed guerram; & cum ſanctis eius. Iſa. 57. *Non eſt pax impijs dicit dominus. Item* per inobedientiam amittit inferiorum obedientiam. Adæ enim ante peccatum inobedientiæ erant ad nutum ſubiecta omnia inferiora, quia omnia membra corporis erant ſubiecta rationi eius, & omnia animalia obediebant ei. Pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Vnde dixit ei dominus Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris* &c. *Vltimo* inobedientia aufert homini gratuitam abundantiam terrenorum, quia ante peccatum inobedientiæ, terra ſine labore dabat bona ſua, & poſtea dedit ſpinas & tribulos, & excolitur cum magno labore. Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes* &c. *Spinas & tribulos germinabit tibi.*

4. *Mala quæ per illam incurrimus, quæ præcipue ſũt quatuor.*

QVARTO peccatum inobedientiæ deteſtandum oſtendunt mala quæ per illud incurrimus; quæ ſi non eſſet, nihil noceret homini, nec in hoc ſæculo, nec in futuro. Greg. *Nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.* Multum eſſet odienda & fugienda illa peſtis, à qua omnia mala eueniunt, euenient, & euenerunt: omnia enim mala quæ facit peccatum, facit inobediẽtia, De hoc require ſupra *de peccato in genere*. Tamen cauſa breuitatis poſſunt reduci ad quatuor, quæ ſunt: Naturæ vulneratio: Iniqua dominatio: Multiplex maledictio: Diuina indignatio.

1. *Natura vulneratio.*

PRIMO quidem naturæ noſtræ læſio, quæ per inobedientiam facta eſt ita corrupta in anima & corpore, paſſibilis, infecta, & afflicta. Omnes infirmitates & pœnæ quas caro patitur, ſunt inflictæ ex inobedientia primi hominis, quibus configitur quaſi ſeptem ſagittis, quæ ſunt afflictiones caloris & frigoris, famis & ſitis, laſſitudinis & infirmitatis, & mortis corporalis, quibus natura noſtra quaſi ſpinis configitur: Pſal. 31. *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina*. Et ſicut ſagittis confoditur Iob. 7. *Sagittæ domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Pſal. 37. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Si tanta pœna plectitur homo pro inobedientia aliena, cui voluntate propria non conſentit, pro qua neceſſe habet tantas pœnalitates corporis, & mortem etiam ſuſtinere: cogitare debet quam grauiter pro ſua inobedientia, cuius eſt ipſe culpabilis, fit plectendus. Omnes etiam paſſiones & pœnę ſpirituales animæ ex illa prima inobedientia proueniunt, puta ignorantia, impotentia, concupiſcentia, malitia, rebellio carnis ad ſpiritum, timor, dolor, triſtitia, ſolicitudo, anguſtia, & huiuſmodi. Et breuiter omnia mala quæ patimur, nobis propter inobedientiam infliguntur.

2. *Iniqua dominatio.*

SECVNDO mouere nos debet iniqua dominatio. Per hanc enim ſolam habet diabolus poteſtatem & iuriſdictionem in peccatore. Aug. *Eandem iuriſdictionem habet diabolus in peccatore, quam homo habet in proprio pecore.* Per hanc ſolam efficitur homo ſeruus diaboli, vt de membris eius, immo de corpore ſuo reddat ei cenſum, dum in eius corde contemptus & inobedientia dominatur. Et ſicut obedientia facit hominem filium Dei, Eccl. 3. *Filij ſapientiæ eccleſia iuſtorum, & natio eorum obedientia & dilectio*: ſic inobedientia facit hominem filiũ diaboli. Io. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Aug. *Qui ſecũdum ſeipſum, & non ſecundũ Deũ vult viuere, ſimilis eſt diabolo.* Vnde in talibus diabolus ſpiritualiter & quandoque etiam corporaliter permittitur dominari. *In vita* Franciſci, legitur quod cum frater quidam in capitulo coram Guardiano ſuo nollet culpã ſuam recognoſcere, nec recipere diſciplinam, B. Franciſcus in oratione

Exempla.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

exiſtens, vidit in ſpiritu diabolum ſuper fratris inobedientis dorſum, qui talis ſeſſoris ſequebatur habenas. *Item* 2. dialo. 25. dicitur quod cum quidam iuuenis monachus leuis moribus, diſſuadente B. Benedicto exiret ordinem, in via inuenit draconem ipſum deuorare volentem. Timens autem ac tremens clamare cępit. Succurrite fratres, ſuccurrite; aduenientes autem fratres, trementem & palpitantem ad monaſterium reduxerunt. Reductus autem promiſit ſe nunquam deinceps de monaſterio receſſurum. *Item* 4. dial. 19. de Theodoro puero, qui in extremis draconi traditus fuit ad deuorandum, ſed ille fuit fratrum precibus effugatus.

3. *Multiplex maledictio.*

TERTIO hoc idem oſtēdit multiplex maledictio, qua maledicuntur inobedientes. Maledicuntur enim à Deo & à ſanctis eius. Deut. 11. *Ecce propono vobis maledictionē, ſi non cuſtodieritis mādata Dei.* &c. Item 28. *Quod ſi non audieris vocem domini Dei tui* &c. Vbi ponuntur maledictiones multæ & grauiſſimæ, quibus feriuntur mandatorum domini tranſgreſſores. *Item* Deut. 28. præcepit dominus filijs Iſrael vt ſe diuiderent in duas partes, & ſtarent ſuper duos montes Garizim & Hebal, & ſex tribus ſtaret in vno monte, & ſex in alio: & primi proponerent benedictiones ſuper obſeruatores mandatorum; ſecundi maledictiones in fine ſubiungerent. Pronunciabant autem Leuitæ. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis, nec eos opere perficit; & reſpondit omnis populus amen:* Sic fiet in iudicio, omnes ſancti Deo aſſiſtentes proponent benedictionem æternam obedientibus, & econtra maledictionem perpetuam inobedientibus. Pſal. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Ecc. 41. *Væ vobis viri impij qui derelinquitis legem altiſſimi, quia ſi nati fueritis* &c.

4. *Diuina indignatio.*

QVARTO hoc idem oſtendit furor & indignatio Dei contra inobedientes, qua cauſa adeo vehementer & implacabiliter indignatur, quod eos à ſuo regno excludit. Sicut enim obedientia Chriſti regnum cœlorum aperuit, ita inobedientia parentum illud clauſit; multo fortius ergo claudit illud inobedientia propria. Pſal. 94. de inobedientibus dicit: *Iuraui in ira mea ſi introibunt in requiem meam.* Omnes enim filij Iſrael poſtquam mare rubrum tranſierunt, qui fuerunt inobedientes, terram promiſſionis non introierunt.

Exemplum.

ITEM magiſter Iacobus. Cum quidam monachus factus fuiſſet Archiepiſcopus, & abieciſſet fere omnem ordinem, quantum ad obedientiam & ordinis paupertatem, cum veniret aliquando viſitare abbatiam de qua aſſumptus fuerat, cum maximo apparatu equorum, ſummariorum, & ſociorum magnorum: cum in menſa, in qua præparata erant multa pretioſa fercula, quendam conuerſum animaduerteret, quem vidit ibi virum ſimplicem, & obedientem per omnia, meditationi & contemplationi attentum; incepit irridere coram alijs, de hoc quod ipſe videretur quaſi alibi raptus, dicens: Domine conuerſe, dicite nobis quid ſomniatis? Et cum inſtaret, ait conuerſus: Domine ex quo placet vobis, ego referam. Mihi videbatur quod raptus eram ad iudicium Dei, & quod ibi erat infinita multitudo aſſiſtentium ante Deum: cum autem ſupplicaſſet beatus Benedictus pro monachis ſuis, conceſſum eſt ei, quod omnes per virtutem obedientiæ, qui erant de ſuis monachis, intratent in regnum cœlorum. Veruntamen multi aderant qui de ſuis monachis ſe dicebant: Cum autem regula reuolueretur, & de obedientia inquireretur, inuentum eſt quod regulam non obſeruabant multi in exterioribus, vt in veſtimentis, equis, & huiuſmodi. Et cum iudex diceret quod ventres eorum ſcinderentur, & inquireretur vtrum intra cibaria regularia inuenirentur, vt fabæ, & huiuſmodi: cum aperirentur, effundebatur maxima multitudo commixta volatilium, carnium pinguium, & ſpecierum, & cum nec intus nec extra inueniretur aliquid de beati Benedicti regula, dictum eſt eis à domino: Neſcio vos, non intrabitis in requiem meam cum illis, inter quos vos videbamini eſſe. Quibus auditis, dictus Archiepiſcopus confuſus, conuerſum dimiſit in pace. Aug. *O quam deteſtabile eſt vitium obedientiæ contrarium, per quod angelus cecidit de cælo, homo excluſus eſt à paradiſo, Saul amiſit regnum, populus Iſrael gentem & locum.* *Item* ex ita & indignatione quam habet contra eos, in infernum intrudit æternaliter cruciandos. Sola enim inobedientia huiuſmodi aperuit infernum, & ibi torquet eum: quæ ſi non fuiſſet, infernus non eſſet. *Sicut* enim artifex inueniens ferrum durum, fornacem ſuccendit, & martellos parat ad domandum illud; ita Deus ignem, & tormenta, & torrētes parauit, ad contundendam duritiam ſuperbiæ, & inobedientiæ, & rebellionis. Deute. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo.* &c. Item 28. *Si non audieris vocem domini Dei tui, vt facias mandata eius, imponet dominus iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.* Ecc. 39. *Sunt ſpiritus ad vindictam creati, & in furore ſuo tormenta confirmauerunt.* De his dicuntur exempla multa ſupra, *de inferno.*

Simile.

ITEM cum beatus Bern. conuertiſſet omnes ſuos fratres, & ſecuti fuiſſent eum, pater eius inobediens erat ei, in ſua duritia perſeuerans. Cum autem ſemel in villa ſua prædicaret, nec vellet ei pater ſuus obedire; præcepit quod apportaretur ignis. Quo facto applicauit eum ad quendā truncum veterē qui erat ante portā eccleſiæ; cū laboraret ad eum ſuccendendum, nō poterat accendi, ſed fumabat, tunc iniūxit omnibus, quod poſt comeſtionem illuc conuenirent ad ſermonem, & quod quilibet apportaret ſecum vnum faſciculum de malleolis ſarmentorum, & proijcerent ſuper illum truncum. Quo facto præcepit ignem apponi, & ſuccenſis faſciculis, etiam truncus ſuccenſus eſt, maximū ignem emittens & flammantem. Tunc B. Bern. incepit ſermonem de tormentis, & igne inferni, quomodo inobedientes, faſciculis peccatorum ſuorum ſuper eos proiectis, torquerentur in inferno; & de hoc ita excellenter prædicauit, quod ipſum pater ſuus durus, & inobediens ſibi, ad clauſtralem obedientiam eſt ſecutus.

Exemplum.

De cauſis inobedientiæ.

DISTINCTIO XXIII.

DEINDE conſiderandum eſt de his quæ principaliter inobedientiam cauſant in nobis. Quæ ſunt duo principaliter, ſcilicet voluntas propria, & ſenſus proprius. Nam homo in quo voluntas propria dominatur, non vult alijs ſubeſſe: nec vult alienam ſequi, ſed propriam voluntatem. Ille vero qui eſt proprij ſenſus, ſic adhæret ſuæ ſententiæ, quod non vult cedere ſententiæ meliori.

Cauſa inobedientiæ ſunt potiſſimum duæ, ſcilicet volūtas propria & ſenſus proprius.

SVNT autem multa quæ nobis oſtendunt, voluntatem Dei, vel prælati vicarij eius (quem qui audit Deum audit, & qui ſpernit Deum ſpernit) præferendam eſſe propriæ voluntati. Primo quia voluntas Dei eſt bona & irreprehenſibilis. Secundo quia eſt certa & immutabilis. Tertio quia beneplacens & delectabilis. Quarto quia perfecta & honorabilis. *Probetis*, ait Apoſtolus Rom. 12. *quæ ſit voluntas Dei bona beneplacens & perfecta:* Noſtra vero voluntas proprias conditiones habet contrarias, vt infra patebit.

Quatuor ſuadent non eſſe ſectandā propriam voluntatem ſed Dei & prælati eius vicarij.

PRIMO quidem voluntas Dei eſt bona, ſancta, prinçipium & cauſa totius bonitatis. Nā eo ipſo quod vult aliquid fieri; bonum, & iuſtum, & ſanctum eſt illud fieri: & tamdiu eſt aliquis bonus, quamdiu volūtatem ſuam conformat Deo. Vnde Aug. ſuper illud Pſal. 72. *Mihi adhęrere Deo bonum eſt*, dicit: *Quid vultis amplius fratres, hoc omne bonum eſt, quia qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt; quia ſuam participat bonitatem, qui ei adhæret per voluntatis vniformitatem.* Econtra propria voluntas eſt principium omnis mali, & omnia bona inficiens mala facit, & ſine ipſa nihil malum eſt. Aug. *Peccatum adeo eſt voluntarium, quod ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum.*

1. *Quia volūtas Dei eſt bona, & propria voluntas mala.*

Secūdo volūtas Dei eſt certa & immutabilis. Vnde

volun-

2 *Quia volũtas Dei eſt certa, noſtra vero vaga.*

voluntatem Dei neceſſe eſt adimpleri, non noſtram. Gen. 50. *Non Dei poſſumus reſiſtere voluntati* . Heſt. 13. *Non eſt qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati*. Pſal. 113. *Omnia quæcunque voluit fecit* &c. Si autem voluntatem Dei ſequimur, errare non poſſumus; & fructu meriti non caremus. Voluntas autem noſtra vaga eſt, faciens hominem vagum & inſtabilem, & inducit eum ad quæcunque mala, & præcipitia, & pericula : vt ſit ſimilis vaccæ percuſſæ oeſtro. Oſeæ. 4. ſecundum aliam tranſlationem. *Sicut vacca percuſſa oeſtro declinauit Iſrael*, quę percuſſa currit vaga, nec regitur ad nutum paſtoris. Item ſit ſicut nauis in tempeſtate ſine remige & anchora rationis, & diuini timoris , quæ fertur præceps ad omnia pericula. Prou. 11. *Vbi non eſt gubernator corruet populus*. Hi ſunt *nubes ſine aqua, nebulę turbinibus agitate*. Iud. 2. Item ſunt ſimiles lunatico, *quem ſpiritus nequam nunc in ignem proijciebat , nunc in aquam*. Mat. 17. Ideo Eccl. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, ne ſic te præcipitet per mala multa, vt equus vmbratilis & indomitus*. Item ſicut ſequi propriam voluntatem eſt periculosè & malè viuere , ita per contrarium non ſequi, ſed abijcere eſt bene viuere . Aug. *Illam diem te bene vixiſſe puta, in qua voluntati tuæ abrenunciaſti, in qua deſideriȝs tuis reſtitiſti, quam ſine vlla tranſgreſsione regulæ duxiſti*.

Simile.

3 *Quia volũtas Dei eſt beneplacens noſtra vero non.*

Tertio voluntas Dei eſt beneplacens & delectabilis. Io. 4. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei*. Idem 6. *Non veni vt faciam voluntatem meam. ſed voluntatem eius qui miſit me*. Vnde imminente paſſione dicebat: *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Lucæ. 22. Bern. *Cogita domini paſsionem, & erubeſce ſequi propriam voluntatem*, Aug. in lib. confeſſ. *Ille tuus optimus miniſter erit domine, qui non magis intuetur hoc à te audire quod voluerit, ſed potius hoc velle quod audierit à te*. Vnde Chriſtus nos docuit orando dicere: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo* &c. Matt. 5. Et 16. dicitur: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemeipſum*: quia nec propriam volũtatem facientes, nec eorum opera, nec oblationes, nec munera placent ei. Mal. 2. *Non eſt voluntas mea in vobis dicit dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra*. Sanè diuina voluntas multum eſt delectabilis in corde deuoto, ſicut dicit Auguſt. vbi ſupra: *Mihi adhęrere Deo bonum eſt. Quid vultis fratres amplius?* &c. Idem *cum tibi adhæſero, nunquam mihi labor, nunquam dolor, ſed vita mea tota viuet in te, tota plena te*. Talis itaque adhæſio facit hominem pacificum, imperturbabilem, & quietum; & in præſenti quaſi Deum facit . Lucæ. 2. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum* . Nec de præſentibus aduerſitatibus ſi inſurgant contra eum conturbatur , quia conformat voluntatem ſuam voluntati diuinę, à qua omnia ad vtilitatem fiunt.

Exemplum.

Sicvt quidam bonus homo faciebat: cum quædam tempeſtas attriuiſſet quandam parochiam , & in dominica die conueniſſent in eccleſia parochiani mæſti & afflicti de hoc quod amiſiſſent bona ſua , & contra Deum murmurarent: quidam eorum lætus perſiſtebat, domino gratias agens. Cum autem alij quærerent ab eo quare hoc faceret, ait, quod hoc ideo faciebat, quia in poteſtatem ſuam ita Deum redegerat, quod nihil faceret Deus niſi quod ipſe vellet . Cum autem de hoc accuſarent eum apud ſacerdotẽ, quod videbatur hæreſim ſapere; reddens de hoc rationem ſacerdoti ait, quod hoc ideo dixerat , quia quicquid Deus volebat, & ipſe ſimiliter; ita quod ipſe nihil volebat niſi quod Deus volebat. Et propter hoc de omnibus factis eius ſic gaudebat, quod de nullo turbabatur; ſed cum ipſo tanquam amiciſſimo, habebat idem velle & nolle. Et cum ſegetes ſuas videret attritas, de hoc gaudebat : ſciens quod hoc Deus ad eius vtilitatem faciebat.

Exemplum.

Item de parabolis philoſophorum: cum quidam Socratis diſcipuli recederent ab eo, rogauerunt eum vt aliquod præceptum ab eo reciperent bene ordinandi vitam ſuam, qui ducens eos ſecum in diuerſorium ſuum, & aſcendens ſuperiora domus, iuſſit vxori ſuæ vt vaſa melle & oleo plena, eijceret deſuper, qui ſtatim parens hoc fecit. Admirantibus autem diſcipulis, ait: Si talem in rebus & domibus veſtris poteſtatem habueritis, beatam vitam ducetis: quia ſi voluntatem ſuperiorum fecerint inferiores non ſuam, tunc pacifica vita eſt, & beata in domo.

4 *Quia volũtas Dei eſt perfecta, noſtra vero nõ.*

Quarto voluntas Dei eſt perfecta & honorabilis: ideo diuinæ voluntatis impletio, & abdicatio propriæ voluntatis, ducit hominem ad perfectum. Et cauſam oſtendit Ambr. *Tantum* inquit *adycies virtuti, quantum ſubtraxeris propriæ voluntati*. Ber. *Quicquid fit ſine ſpiritualis patris voluntate vel conſenſu, vanę gloriæ deputabitur non virtuti*. *Item* in Col. pa. dicitur. 4. lib. Quod qui veniebat in cęnobio ad ſuſcipiendum ordinis habitum, per annum morabatur in domo hoſpitum cum ſeniore, & examinabatur ibi, & inſtruebatur in ſeruitio hoſpitum, & ſi bene ſe habebat ibi, tradebatur alteri ſeniori, qui præerat decem iuuenibus , quibus præcipiebat ea quæ perpendebat voluntatibus eorum contraria: & hoc faciebat, vt eorum frangeret voluntates: quia nec humilitas, nec concordia, nec perfectio, nec perſeuerantia poteſt haberi in ordine ab his , qui proprias non didicerint frangere voluntates.

Exemplum.

Item in vitiſpatrum narrauit abbas Caſſianus de abbate Iohanne, quod eum migraturus eſſet cum hilaritate maxima & conſtantia, fratres circunſtantes rogauerunt eum, vt aliquod verbum compendioſum ac ſalutare, quaſi loco hęreditatis eis dimitteret, per quod poſſent ad perfectionem aſcendere, quæ eſt in Chriſto. Ille autem ingemiſcens ait: Nunquam feci propriam voluntatem, nec aliquando docui quod prius ipſe non fecerim. *Reddit* etiam hominem honorabilem, quia magnus eſt honor ſeruo dominum, filio patrem, diſcipulo magiſtrum venerabilem honorare, & eius facere voluntatem. Item Chriſtus tales vocat fratres & ſoroores, quod eſt honorificum nimis . Vnde Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe frater , & ſoror , & mater eſt*. Econtra propria voluntas reddit hominem confuſibilem, ſicut dicitur Oſeæ. 10. *In voluntate ſua confundetur Iſrael*. Et qui nutritur in religione ſecundum voluntatem ſuam, ſæpe confundit eam. Prouer. 30. *Puer qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam*.

Abdicatio propriæ volũtatis reddit hominem honorabilem.

In vitiſpa. dicitur, quod quidam iuuenis circuiens multos patres, venit ad quendam ſenem cauſa ædificationis. Cum autem ſenex ab eo peteret quid ipſe quæreret: ait iuuenis, quod aliquem ſenem quem videret viuere ſecundum voluntatem ſuam, vt cum eo moraretur. Cui ait ſenex. Quomodo tu tot tranſiuiſti bene viuentes, & huc veniſti? tu ergo vis inuenire ſenem qui viuat ſecundum voluntatem tuam; quem tu potius deberes quærere, vt ſecundum eius viueres voluntatem. Hic eſt ordo præpoſterus, ſaluti tuæ & Saluatori contrarius, qui non quæſiuit facere voluntatem ſuam, ſed potius patris ſui. Hęc audiens iuuenis, confuſus ſe proſtrauit ad pedes eius . Merito confuſione digni ſunt qui ſequuntur propriam voluntatem , quia per hanc poteſt homo conuinci de furto vel rapina, maxime clauſtralis: de rapina ſi eſt violenta & aperta, de furto ſi eſt occulta. In profeſſione enim dimiſit, immo commiſit eam manu prelati , vt de ea & eo faceret quicquid ſecundum Deum vellet: quam inuito eo ſibi vſurpat homo propriæ voluntatis. Bernardus talibus loquens dicit . *Vos qui vos nobis ſemel dediſtis, quid adhuc vos de vobis intromittitis*. ſimiles ſunt crucifixoribus domini, qui arundinem quam primo quaſi eum honorantes, in manu eius pro ſceptro tenebant regio, iterum eam inde rapientes, caput eius inde percutiebant. Matth. 28. Item videntur ſubſannare dominum ad modum illorum qui ludunt cum pila: & ad modum puerorum , qui nodo dant , & ſtatim rehabere volunt : quod etiam ſi ſtatim non habeant, improbe repetunt , & flent niſi ſtatim rehabeant. Eccl. 34. *Non placent Deo ſubſannationes impiorum*,

Exemplum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& vota eorum non probat altiſſimus. Denique qui Dei faciunt voluntatem, abnegando propriam voluntatem, Deus eos ad honorem perpetuum perducit. Iſa. 58. *Si auerteris à ſabbato pedem tuum facere voluntatem tuam.* Et poſt. *Si non inuenitur voluntas tua; tunc delectaberis ſuper domino, ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate patris tui.* Item Matth.7. *Qui facit voluntatem patris mei, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Aug. *Si in vita noſtra laborauerimus facere non noſtram ſed Dei voluntatem, Deus per totam vitam ſuam ſtudebit noſtram implere voluntatem:* ſcilicet per totam æternitatem. Pſal. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Aug. *Si hic feceris voluntatem Dei, in beatitudine quicquid voles erit.* Miſer igitur eſt, qui voluntatem Dei non vult facere ad tempus modicum, quam ſi faceret, Deus ſuam faceret in æternum.

SECVNDVM quod maxime cauſat inobedientiã in nobis eſt ſenſus proprius; ſicut eſt quando aliquis nimis tenet de ſenſu ſuo, dum prelatos ſuos minus eſſe diſcretos iudicat, etiam mandata eorum contemnit, & ſic inobediens efficitur. Sicut Chore cum ſuis complicibus, iudicans mandata Moyſi tanquam irrationabilia & peruerſa, vocati venire contempſerunt: dicentes, *non venimus, nunquid oculos noſtros vis eruere?* De hoc require ſupra, *de pertinacia.*

De contumacia.

DISTINCTIO XXIIII.

Contumacia duplex.

DEINDE conſiderandum eſt de contumacia. Sciendum autem quod contumacia duobus modis accipitur: *Vno modo* communiter pro inobedientia. Deu. 21. *Si quis genuerit filium contumacem* &c. cuius pæna ſecundum legem Moyſaycam erat mors corporis, ſicut dicitur ibidem. *Alio modo* propriè pro inobedientia qua contemnit aliquis coram ſuo iudice comparere, paruipendens canonicas & eccleſiaſticas ſanctiones, id eſt ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & huiuſmodi. Vel poſtquam incurrerit de eis, paruipendit exire & quærere remedia opportuna. Iſtud autem peccatum eſt Dei contemptiuum, contumaci valde nociuum, & eccleſiæ corruptiuum. Iob. 25. *Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.* Cum autem multiplex ſit eccleſiaſtica ſententia quæ pro contumacia ferri ſolet, de ſola ſententia maioris excommunicationis, quę magis eſt peſtifera, dicendum eſt ad præſens, oſtendendo ſolum quam ſollicite ſit cauenda.

SCIENDVM autem quod ſicut dicitur in decretis, inobediens ſacerdotibus in veteri lege, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc autem inobediens eis qui apoſtolico gradui ſuccedunt, qui Chriſti corpus ore ſacro conficiunt, qui claues regni cælorum habentes ante iudicij diem iudicant, ſpirituali animaduerſione truncantur, ideſt excommunicatione. Quæ licet ex intentione eccleſiæ, & iudicis excommunicationis ſententiam proferentis, ſit medicinalis, ſicut ait Inno. extra. *Cum medicinalis*, tamen ex peruerſitate contumacis hominis, claues eccleſiæ contemnentis, fit ſibi nociua multipliciter & damnoſa. Per ſententiam enim excommunicationis ab eccleſia ſeparatus eiicitur, bonorum omnium expers efficitur, hoſtibus ſuis ligatus exponitur, contagioſo morbo inficitur, à Deo & eius eccleſia maledicitur, ab æterno regno excluditur, & excluſus in infernũ demergitur.

Sẽtentia excommunicationis eſt vnius modis damnoſa.

1. *Quia ab eccleſia ſeparat.*

PRIMO quidem ab eccleſia ſeparatur, ideſt à communione fidelium & à conſortio ouium Chriſti, & eſt vt ouis extra ouile poſita. *Item* eſt vt membrum putridum à corpore præciſum, ramus reciſus à radice, palmes à vite. Numeri 15. cum Chore, Dathan & Abyron, ſuique eſſent ſeparati ab alijs, terra eos abſorbuit. Aug. ſuper Ioh. *Nihil tantum debet timere Chriſtianus, quã ſeparari à corpore Chriſti, à quo ſi ſe ſeparat, iam non eſt membrum eius, nec vegetatur Spiritu eius.* Ad hoc facit exemplum quod habetur. 2. dial. 23. de duabus monialibus excommunicatis à B. Benedicto, quæ ſemper videbantur egredi ab eccleſia quando celebrabatur miſſa, Similiter ibidem habetur de puero monacho, quem terra humatum ex ſe proiiciebat. De his require ſupra *de purgatorio.* Aug. *Grauius periclitatur talis, quam ſi gladio materiali percuteretur, quam ſi à feris deuoraretur, quam ſi flammis cremaretur.* Percutitur enim gladio ſpirituali, qui in præſenti occidit animam, & in futuro occidet corpus & animam ſimul, quando percutiendus eſt gladio, ex vtraque parte acuto, qui egreditur de ore domini. Apoc. 1.

Simile.

QVANTVM iſta ſententia ſit timenda oſtendunt etiam bruta. Nam omne animal maximè timet ſeparationem capitis à corpore ſuo, per quam priuatur vita. Sic debet homo timere excommunicationem, per quã maxime ſeparatur à Chriſti capite, & priuatur vita ſpirituali. Membra enim naturaliter ſe opponunt, ne amputetur caput aut lædatur; & homo manum aut brachium opponit contra ictum, vel aliud ſi poteſt. Serpens totum corpus ſuum exponit ſcindendum ne abſcindatur ei caput, & timens capiti ſuo, toto corpore ſuo caput inuoluit, quia ſine capite non eſt vita in mẽbris. Maxime ergo timenda eſt excommunicatio, quę eſt capitis abſciſſio, & vitæ ſpiritualis priuatio. Item in vegetabilibus, cum truncus & ramus à radice ſeparatur, aquam quaſi lachrymas emittit, & ſiccatur. Similiter qui ſeparatur à radice matris eccleſiæ per excommunicationem, non ſine lachrymis debet hoc ſuſtinere, quia per hoc ſeparatur ab eccleſiæ ſacramentis, à quibus miniſtratur non exciſis ramis, humor gratiæ & vita ſpiritualis; & quaſi ramus exciſus ſiccatur, arefactuſque præparatur ad incendium infernale.

Exemplum.

ITEM ſententiam excommunicationis docent timere & cauere animalia, exemplo & diuino miraculo hoc agente. Narratur quod cum Papa Greg. nonus eſſet ante papatum legatus ſedis apoſtolicæ in Lombardia, inuenit in quadam ciuitate quoſdam maiores compugnantes, qui proceſſum eius impediebant, cum altera pars ſtaret ad arbitrium eius de pace reformanda, & altera contumax nollet conſentire, cum autem excommunicaſſet capitaneum illius diſſenſionis, qui ſolus pacem impediebant, & ille excommunicationem contemneret; Cyconiæ multæ, quæ nidificauerant ſuper turres & caminos domus eius receſſerunt, & nidos ſuos tranſtulerunt ad domum alterius capitanei dictæ guerræ, qui paratus erat ſtare mandato dicti legati. Quod videns ille contumax, humiliauit cor ſuum ad abſolutionem procurandam, & ad voluntatem dicti legaci faciendam. Quo abſoluto, dictæ cyconiæ nidos ſuos ſuper domum ſuam reportauerunt.

Exemplum.

ITEM multi paſſeres ſolebant intrare eccleſiam & fædare, & diuinum officium impedire. Cum autem nõ poſſent excludi, epiſcopus illius loci excommunicauit eos, mortem eis comminans ſi eccleſiam ipſam vlterius intrarent. Qui ab eccleſia recedentes, nunquam poſtea eandem eccleſiam intrauerunt, & multitudo magna earundem auicularum circa eandem eccleſiam nidificauerunt, ſuper eam aliquando volitantes, ſed nulla earum dictam eccleſiã intrabat. Et dicitur adhuc quod ſi aliquis capiat aliquam earum, & eam in dictam eccleſiam violenter intromittat, ſtatim illa moritur.

Exemplum.

ITEM cum quidam epiſcopus haberet piſcatores in lacu, & quadam nocte miſiſſet eos piſcari ad anguillas, proijcientes retia ſua in lacu, ceperunt ſerpentes cum anguillis. Quidam autem eorum capita dentibus atterebat, credens anguillas eſſe, ne poſſent exire nauiculam. In mane autem cum vidiſſet quod eſſent ſerpentes, ita abhorruit quod prę abominatione mortuus eſt. Quod audiens dictus epiſcopus excommunicauit dictas anguillas, ſi de cætero in dicto lacu morarentur, omnibus autem inde recedentibus, nulla earum poſtea in dicto lacu reperta fuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

2 *Facit expertem omnis boni.*

SECVNDO bonorum omnium expers efficitur, quia priuatur bonis ſpiritualibus & æternis, ſacramentis, officijs, beneficijs, & à participatione omnium bonorum fidelium Deum timentium. Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te* &c. Si damnum incomparabile alicui incommodo temporali eſt, amittere participationem vnius ſolius miſſæ, quia bonum eius eſt impretiabile: debent attendere excommunicati quãtum damnificabuntur, qui amittunt non ſolum lucrum vnius miſſæ, ſed ſingulis diebus tot millium miſſarum lucrum, quot per vniuerſum orbem celebrantur, & etiam fructum omnium ieiuniorum, orationum, peregrinationum, & aliorum bonorum operum, quæ fiũt ſingulis diebus per totum mundum. Vnde excommunicatus eſt in grauiſſima captiuitate, quia quamdiu eſt in tali ſtatu, nullum beneficium abſolutionis vel liberationis ſuæ poteſt ad eum venire adiutorij Chriſtiani. Vnde melius eſſet ei ſi eſſet in captiuitate Saracenorũ, quia ab illa poſſet per aliquod Chriſtianorum beneficium liberari, ab iſta vero, ex quo eſt in illam iuſtè intruſus, non poteſt aliquo Chriſtianorum adiutorio liberari, ſcilicet à captiuitate diaboli, niſi per manus eorum, qui eum intruſerunt, ſcilicet per prælatos eccleſiæ, quamdiu per eos egredi contemnit. *Item* ſimilis eſt illi qui à communi tale alicuius ciuitatis de qua fuerat, eſt bannitus: quia ſi capitur ab hoſtibus ciuitatis, nullum conſilium apponit dicta communitas ad eius liberationem. Similiter nec communitas eccleſiæ aliquod adiutorium apponit, quomodo, vel inſtantia orationum, vel pretio ſpiritualium bonorum, de manu diaboli liberetur. Iob. 15. *Non credat errore deceptus, quod aliquo ſit pretio redimendus.* Item ſimilis eſt illi qui cecidit in foueam, & ſub onere preſſus non habet adiutorem Eccl. 14. *Væ ſoli, quia ſi ceciderit non habebit ſubleuantem ſe.*

Simile.

Simile.

3 *Hoſtis exponit.*

TERTIO ligatus hoſtibus ſuis exponitur. Ligatur enim per ſententiam eccleſiæ tali vinculo, quod diſſolui non poteſt, niſi per manus illius qui ligat, vel ſuperioris eius, quia ſummus iudex in cęlo ratas habet ſententias, quas in terris ferunt officiales ſui, ſecundum curiæ ſuæ iura: omnes dies contumaciæ ſuæ computans, & condẽnans ſententialiter contumaces. Matth. 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram* &c. Mal. 4. *Veniam & percutiam terram anathemate*. Miſer vero ſic ligatus hoſtibus ſuis exponitur, quandoque quidem materialibus. Sicut patet Ioſue. 7. de Achan; qui tranſgreſſus mandatum domini, tulit de anathemate, pro quo ibi dicitur. *Peccauit Iſrael & præuaricatus eſt: nec poterit ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate.* *Item* ſpiritualibus hoſtibus traditur: quandoque enim excommunicatus ſathanæ traditur. Sicut dicitur. 2. Cor. 5. *Tradidi huiuſmodi ſathanæ vt Spiritus ſaluus ſit.* Aug. *Omnis Chriſtianus qui à ſacerdote ſuo excommunicatur, ſathanæ traditur; quia extra eccleſiam eſt diabolus, ſicut in eccleſia Chriſtus.* *Item* eiectus de eccleſia rapido ore dæmonum diſcerpitur. *In vita* beati Eligij legitur, quod cum in eius diœceſi eſſet quidam præsbyter nimis infamis, & frequenter admonitus ab eo nollet à peccato ceſſare, ſemper ſe excuſans, ipſe excommunicauit eum, & prohibuit ei vt nullo modo celebraret. Cum autem ſententiam paruipendens celebrare vellet, aſtans altari ſubito cecidit à diabolo ſuffocatus.

Exemplum.

4 *Animã inficit.*

QVARTO excommunicatus inficitur, quia excommunicatio inficit eum in quem fertur, animam eius corrumpens & denigrans, & opera quæ fecerat, & quę facit. Inficit etiam ipſos communicantes: *Inficit* animam ſuſtinentis, quia eſt lepra ſpiritualis, quæ ſuper alias infirmitates horrenda eſt. Figurata eſt autem per lepram Mariæ ſororis Moyſi, Numeri 12. quia excõmunicatio eſt morbus contagioſus, ideo excommunicatus eſt extra caſtra fidelium abijciendus, vt leproſus qui ſolus habitat extra caſtra Leui. 13. ne alios inficeret, habens opertum os. Item ouis morbida ab ouili eiicienda eſt, alioquin inficit omnes alias. Item inficit animas & denigrat maledictione, vt diabolica tinctura.

Exemplum. CVM quidam comes Toloſanus fautor eſſet hęreticorum & receptator, quidam ſanctus fuit miſſus ad eum admonendum vt ab hoc deſiſteret, qui cum nollet ſancto viro acquieſcere, nec excommunicationem timeret; ſciens ſanctus quod cor ſubuerſum non eruditur verbis, dixit illi. Tu & tui videatis factis, quam infecta ſit anima ſententia excommunicationis innodata. Volo mihi deportari panem album; quo ſibi delato accepit eum & dixit. Panis, licet non merueris, tamen vt in te oſtendatur veritas fidei noſtræ, & maledictio animæ excommunicationem non timentis, excommunico te. Quo dicto, panis qui inter manus eius erat cãdidus, ſubito factus eſt niger, qui præcepit illum in duo diuidi, & ſimiliter interius apparuit niger, muſcidus, & corruptus. Tunc ſubiunxit, vt etiam vos ſciatis virtutẽ abſolutionis, accepto pane dixit: Abſoluo te panis. Qui ſtatim in priorem ſpeciem & candorem eſt reuerſus.

Exemplum. ITEM in hiſtoria Caroli dicit Turpinus archiepiſcopus, quod cum Carolus obſideret quandam ciuitatem Hiſpaniæ, in qua erant Saraceni in valle viridi, quæ vocabatur Lucerna, & non poſſet eam capere per ſpatium quatuor menſium, proſtrauit ſe in oratione ad Deum & ſanctum Iacobum: & ſurgens maledixit ciuitati, & ſtatim eius muri corruerunt; & vbi erat ciuitas, ab eius medio ater amnis erupit; & verſa eſt ciuitas in deſertum, & facta inhabitabilis; in cuius loco factus eſt gurges teterrimus, cuius piſces magni & nigri ſunt. Si homo non ſacerdos ſed Dei nuncius, hoc fecit in dicta ciuitate ſuo maledicto, intendi debet quanta maledictione inficitur animæ, quæ excommunicatione percutitur à Dei vicario.

Excommunicatio inficit bona opera: & participes cum excommunicatis. ITEM excommunicatio inficit bona opera, & intoxicat; immo illa quæ ſunt de ſe bona, facit excommunicatio mala; ſalutifera, peſtifera; benedictionem, maledictionem; ſacramentum, nocumentum. Et vt dicit Robanus, *Salus reperitur ad mortem; quia excommunicato ſacramenta ſalutifera ſunt mortifera; communicatio, execratio; officium eccleſiæ* nihil proficit, ſed officit; & bona eccleſiaſtica, excommunicatis qui ſe in eis ingerunt, non ſunt ad abſolutionem, ſed ad perditionem. *Item* excommunicatio inficit omnes participantes cum excommunicato. Vnde excommunicatus eſt ſicut columba diaboli ſeducta & excæcata, quam diabolus ponit ad modum aucupis in rete ſuum, ad quam alię accedentes capiuntur in reti diaboli, cum communicant ei, contemnendo eccleſiaſticam ſententiam, & maximè quando communicant in crimine. *Item* excommunicatio eſt muſcipula & ſagena diaboli. Abac. 1. *Totum traxit in ſagena ſua.* Hæc ſagena cum vnum capit, ſępe totam parochiam inuoluit.

Simile.

CVM Conradus Apoſtolicæ ſedis legatus, cardinalis & albus monachus, prædicaret in Teutonia, vidit quendam arreptum in quo dæmon loquebatur: qui inter alia multa hoc dixit, quod vnum erat per quod in eccleſia plures lucrabatur, ſed nullo modo diceret illud. Ad vltimum tamen multis compulſus coniurationibus, dixit, quod illud erat excommunicatio, per quam vno capto, aliquando maiores parochię vel omnes ei communicant, eccleſiæ ſententiam contemnentes, vel timore, vel pudore, vel amore, vel contemptu clauium. Calixtus papa in decretis. *Nullus communices excommunicatis in oratione, aut cibo, vel potu, aut oſculo, nec aue dicat eis aliquis, nec vale: quia quicunque in his aut alijs prohibitis ſcienter eis communicauerit, iuxta Apoſtolorum inſtitutionem, & ipſe ſimili excommunicationi ſubiacebit.* Iſidorus. *Si quis cum excommunicato aut palam aut abſconsè fuerit locutus, ſtatim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam.* Non eſt ergo ſecurum coniungere ſe eis, quorum ora, cibus, potus, & verba plena ſunt laqueis ad animas capiendum, & captas tradendum diabolo ad deuorandum.

Exemplum.

5 *Maledictionem adfert.*

QVINTO excommunicatus maledicitur, quia excõmunicatio eſt quædã maledictio. Pſal. 108. *Dilexit maledictionem & veniet ei*, &c. Vnde excõmunicatus areſcit ib humore gratiæ, ſiccatur & ſterilis efficitur. *Sicut palmes nõ poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi mãſerit in vite* &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ioannis 12. Et membrum exciſum à corpore nec ſenſum, nec motum nec vitam recipit ab anima, ſed eſt prorſus inutile. Excommunicati ſunt ſicut montes Gelboe, de quibus, dicitur 2. Reg. 1. *Montes Gelboe, nec ros nec pluuia* &c. Item ſimiles ſunt illi ficulneæ cui dominus maledixit, & ſtatim aruit. Matth. 21. *In hiſtoria* Caroli legitur, Carolum maledixiſſe aliquibus ciuitatibus quæ in deſertum vſque hodie ſunt redactæ & cunctis habitatoribus deſolatæ.

Exemplum. ITEM ducissa Burgundiæ dicitur emiſſe à quodam ſacerdote quoddam viridariũ valde pulchrum, in quo erant arbores multæ pulchræ, & terra bona & pinguis, nullus tamen fructus ibi creſcebat. Cum autem ab incolis quæreret rationem, dixerunt, quod cauſam huius eſſe credebant, quia cum tempore fructuum pueri fructus diſcerperent, clauſuram & arbores diſſiparẽt, ſæpe monuit eos ſacerdos quod ab iſtis furtis & damnis deſiſterent; ſed videns eos monitiones ſuas contemnere, excommunicauit viridarium, ſi de cætero ferret fructum. Ducissa vero in plena parochia fecit abſolui viridarium. Sacerdos autem abſoluendo præcepit, quod deinceps ferret bonos fructus & vtiles, quod & fecit.

Exemplum. ITEM in diœc. Beluacenſi, cum miles quidam à quibuſdam religioſis violenter & iniuſtè ſiluam vnam & ſtagnum adiacens, quæ prædeceſſores eius dederant, abſtuliſſet; videns Prior loci quod nec vi nec placito recuperare poterat poſſeſſionem ablatam, venit ad locum dicens ſiluæ & ſtagno: Sicut verum ius habemus in vobis, ita ſub interminatione anathematis vobis inhibeo, ne de cętero fructum vel vtilitatem aliquam feratis illis, qui vos nobis abſtulerunt iniuſtè, & ex tunc per plures annos aruit illa ſilua, & ſtagnum piſces non habuit.

6 Excludit à regno Dei. SEXTO excommunicatus à regno cælorum excluditur: vnde non ſolum ab eccleſia militante & à fidelium conſortio ſeparatur, verum etiam ab eccleſia triumphante, & à conſortio beatorum. Ideo ſuper illud Ioh. 12. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. dicit gl. *Quibus eccleſiam interdixeritis niſi ſatisfactionem condignam reconciliati fuerint, illis ianua regni cæleſtis clauſa erit.* Apoc. 22. *Beati qui per portas intrant ciuitatem, foris autem canes* &c. Canes vocat excommunicatos. Eccl. 13. *Quæ communicatio ſancti ad canem.*

7 In infernum deducit. SEPTIMO in infernum demergitur, igne concremandus æterno, & cum hoc à dæmonibus in æternum cruciandus. Pſalm. 105. *Exarſit ignis in ſynagoga eorum* &c. Matth. 25. dicet dominus excommunicatis. *Ite maledicti in ignem æternum* &c. Amos. 6. *Væ qui ſeparati eſtis in diem malum.* Apoc. 21. *Execratio erit pars illorum in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Dominus faciet excommunicatis ſicut fecit Iudas 1. Mach. 5. Qui filios Beniamathematizauit, quorum malitias recordatus eſt, quia populo erant in laqueum & in ſcandala, & cæpit & ſuccendit eos in turribus eorum. *Item* quidam miles in excommunicatione mortuus, & extra cœmiterium poſitus; cum ab amicis procurata fuiſſet eius abſolutio, & vellent eum ſepelire; inuenerunt maximum ſerpentem, qui collum eius cingebat, & ventrem. Cum autem vellent ſerpentem amouere, intrauit per os in ventrem eius. Ex his ergo poteſt aduerti, qualiter eorum animæ in inferno à ſerpentibus infernalibus ligentur, qui excommunicati moriuntur.

De rebellione.

Quid rebellio. DEINDE conſiderandum eſt de rebellione. Eſt autem rebellio, quando aliquis nõ ſolum ſeniorum vel ſuperiorum præcepta non obediendo cõtemnit, verumetiam contra ſuperiores ipſos inſurgit, repugnando, blaſphemando, conuiciando, ſanctum eorum propoſitum impediendo, commotiones, colligationes, & conſpirationes contra eos faciendo, contra ipſos & eorum facta murmurando, interdum etiam corporaliter perſequendo. Tales pacem non habentes in cordibus, pacem & concordiam aliorum pertubãt, complices aggregando, diſcordias in collegijs, diſſenſiones in cœnobijs, ſeditiones in vrbibus, rixas in domibus, & guerras commouentes in regnis. Tales non ſolum aduerſus homines, verumetiam aduerſus dominum rebellare conantur: Hoc deteſtabile crimen diſſuadet Moyſes, dicens filijs Iſrael, Numeri 14. *Nolite rebelles eſſe contra dominum.* Item Deu. 9. increpando dicit. *Semper fuiſtis rebelles contra Dominum.* Item Numeri. 15. *Anima quę per ſuperbiam aliquid peccati fecerit, quoniam rebellis fuit contra dominum, peribit de populo.* Exemplum euidentiſſimum habemus Numeri 16. de Chore, Dathan & Abyron proceribus ſynagogæ, quos terra deglutiuit, & viui deſcenderunt in infernum. Item cum in craſtino murmurarent filij Iſrael contra Moyſen & Aaron, dicentes; vos interfeciſtis populum Domini, ignis deſcendens de cælo ex eis quatuordecim millia deuoranit.

De præſumptione.

DISTINCTIO XXV.

DEINDE conſiderandum eſt de præſumptione. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo quid ſit, & quot modis dicatur. Secundo ex quibus oriatur & cauſetur in nobis.

Præſumptio accipitur multipliciter. CIRCA primum notandum quod præſumptio multipliciter accipitur in ſcriptura. *Vno modo* propriè, per quam ſcilicet aliquis deſiderat & attentat aliquid vltra propriam facultatem, de qua dicitur Eccl. 28. *Vidit præſumptionem eorum quia mala.* *Alio modo* minus propriè ponitur præſumptio pro fiducia. Sicut dicitur Iudith. 6. *Non derelinquis præſumentes de te*, id eſt confidentes. Et 9. Eiuſdem. *Exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem.* *Alio modo* impropriè pro attentare. Sap. 7. *Mihi dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum quę mihi dantur.* *Alio modo* ponitur abuſiuè pro timere. Sicut ſpes abuſiuè dicitur de malo. Sap. 15. *Semper præſumit ſæua perturbata conſcientia.* De præſumptione primo modo dicta eſt hic intentio. Sciendum eſt autem quod præſumptio importat immoderantiam ſpei. Obiectum autem ſpei eſt bonum arduum poſſibile. Sed aliquid dicitur poſſibile dupliciter. Vno modo per virtutem propriam. Alio modo per virtutem diuinam. Circa vtramque vero per immoderantiam poteſt eſſe præſumptio. Nam circa ſpem, per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præſumptio, ex hoc quod quis tendit in aliquid vt ſibi poſſibile, quod tamen ſuam facultatem excedit, ſecundum quod dicitur Iudith 6. *Præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes, humiliat.* Circa ſpem autem qua quis inhæret diuinæ potentiæ, poteſt per immoderantiam eſſe præſumptio, ex hoc quod tendit hęc in aliquid vt poſſibile per virtutem & miſericordiam diuinam, quod tamen poſſibile non eſt. Sicut cum ſperat quis veniam de peccatis, ſine pœnitentia, & gloriã ſine meritis obtinere; & hæc præſumptio propriè eſt ſpecies peccati in ſpiritum ſanctum, quia per hanc tollitur vel contemnitur adiutorium ſpiritus ſancti, per quod reuocatur homo à peccato. Dicitur autem præſumptio importare ſuperexceſſum vel immoderantiam ſpei, non quia poſſit homo nimis ſperare de Deo, ſed quia Deo imputat id quod Deo non conuenit. Vnde innititur intellectui falſo, vel æſtimationi falſę, ſicut & deſperatio. Sicut enim falſum eſt quod Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quod peccatores ad pœnitentiam non conuertat; ita falſum eſt quod in peccato perſeuerantib. concedat veniam, vel quod ſine meritis, vel omnino à bono opere ceſſantibus, æternam gloriam largiatur.

Præſumptio eſt cum quis nimiũ confidit in virtute propria, vel diuina: hæc autem poſterior eſt peccatum in S. ſanctum.

Præſumptio oritur ex quatuor. CIRCA ſecundum ſciendum, quod præſumptio ſolet in nobis oriri ex quatuor. Eſt enim præſumptio quæ oritur ex apparentia vanitatis. Quandoque ex ſapientia vel notitia veritatis. Quandoque ex eminentia ſanctitatis. Quandoque vero ex nimia cõfidentia diui-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

1. Ex apparentia vanitatis.

næ pietatis. *Eſt inquam* præſumptio quæ conſurgit ex apparentia vanitatis, quando ſcilicet homo nimis cõfidit de rebus caducis & vanis, puta de diuitijs, fortitudine, potentia, nobilitate generis, & amicis carnalibus, quæ omnia vana ſunt. Sicut dicitur Eccl. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quod enim de diuitijs non ſit cõfidendum, ait Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluãt, nolite cor apponere.* Idem 48. *ne timueris cum dines factus fuerit homo, &c. quia cum interierit non ſumet omnia &c.* Idem de impio dicit 51. *Videbunt iuſti & timebunt, &c. videbunt ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum & prævaluit in vanitate ſua.* Prou. 11. *Qui confidit in diuitijs corruet.* Exemplum de illo qui dicebat: *Anima mea habes multa repoſita in annos plurimos, quieſce, comede, epulare. Cui dictũ eſt: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, &c.* Lucæ. 12. Non eſt ergo præſumendum de opulentia temporali, nec de potẽtia ſæculari. Sicut de Antiocho dicitur 2. Matth. 9. qui tam ignominiosè & durè inter ijt. *Item.* Dan. 4. dicitur de Nabuch. *qui per potentiam ſuam totum mundum ſibi voluit ſubiugare, & ex ſua præſumptione dicebat: Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, &c.*

Exempla.

qui tamen in beſtiam mutatus eſt, & ab hominibus abiectus, fœnum vt bos comedit &c. donec cognouit poteſtatem cæleſtem, ſicut dicitur ibidem. *Item* Sennacherib potentiſſimus erat, cuius exercitus vna nocte fuit exterminatus & redactus in cinerem. *Item* totum robur exercitus Aſſyriorum per Iudith fuit confusũ, interfecto Holoferne. Iudith 13. *Item* panis ſubcineritius viſus eſt in caſtra Madian deſcendere, ideſt Gedeon cum trecentis viris, & ea pœnitus deſtruxit. Iud. 7. *Item* in chronicis legitur de Xerſe rege Perſarum, qui præ magnitudine exercitus præſumebat ſe poſſe montes vallibus coæquare, maria pontibus transfretare, immenſas aquarum voragines meabiles facere, ſemper tamen fuit vltimus in conflictu, & in fuga primus. Hic cum iret ad expugnandum Græciam, & haberet in exercitu ſuo ſeptuaginta millia equitum armatorum, & peditum trecenta millia, naues maris roſtratas mille ducentas, onerarias tria millia; è tanto exercitu dux deficiens, victus eſt turpiter & confuſus.

2. Ex ſapientia & ſcientia.

SECVNDO ſolet oriri præſũptio ex ſapiẽtia & ſciẽtia veritatis, cõtra quod Eccl. 23. *Audi tacens ſimul & quæres, & in medio ſeniorũ loqui nõ præſumas.* Sũt tamẽ aliqui ita præſũptuoſi, quod docẽt quod neſciũt, vel præſumũt docere doctiores ſe, & corripere meliores. Sicut Eliu Iob; eiuſdẽ 32. Itẽ præſumũt aliqui ſcrutari curioſè quę trãſcendunt eorũ intelligẽtiæ facultatẽ, contra quos dicitur. Ecc. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris &c.* De hoc require ſupra, *de curioſitate. In vitiſpa.* legitur quod interrogat⁹ abbas Zenõ, quid eſt quod dicitur Iob 25. *Stellæ nõ ſunt mũdæ in cõſpectu eius.* Reſpõdit. Reliquerũt homines peccata ſua & ſcrutãtur cæleſtia, ſolus autẽ Deus mũdus eſt, hoc eſt quod dicitur: *Cæli nõ ſunt mũdi &c. Itẽ* præſumũt aliqui adinuenire nouitates quas magis ſolẽt homines admirari, nõ cõtẽti ſentẽtijs vel opinionibus aliorũ, vt per hoc ſubtiliores & admirabiliores hominib⁹ videãtur. Cõtra quos Pro. 22. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerũt patres tui.* Tales ſunt ſimiles Athenienſibus, de quibus dicitur. Act. 17. quod ad nihil aliud vacabant, niſi dicere aut audiré aliquid noui.

3. Ex eminẽtia ſanctitatis.

TERTIO ſolet oriri præſũptio ex eminẽtia sãctitatis. Nã plerũq; nimis pręſumit homo de meritis ſuis, & de sãctitate ſua occaſionaliter extollitur in præſũptionẽ, vt nimis alta homo de ſe sẽtiat, & audeat attẽtare. Hęc eſt filia quæ quã cito naſcitur occidit matrẽ, ſ. præſũptio sãctitatẽ. Mirũ quomodo de bono oritur præſũptio cũ nullũ bonũ ſed ſolũ malũ ſit à nobis. Bonũ autẽ ad vſurã nobis accõmodatũ eſt, cũ periculo corporis & animæ, ſi illud negligẽter vel indignè tractauerimus, & ad iudicium Dei propter hoc adducẽdi ſumus. Ecc. 35. *Reddet homini ſecũdũ præſũptionẽ illi⁹.* De bono. n. poteſt fieri malus. Ec. 37. *O præſũptio nequiſſima, vnde creata es? Item* aliquãdo malè oritur, vt de ſignis ſanctitatis, &

A miraculis. Ideo Dominus Lucæ 19. hãc reprimebat in diſcipulis ſigna facientibus, dicens. *Videbã ſathanã, &c.*

ITEM in vitiſpa. legitur quod cum quidam fratres ſenes fatigati ex itinere veniſſent ad viſitãdum quendam iuuenem ſolitarium, qui videns eos fatigatos, vocauit ad ſe Onagros quos vidit tranſeuntes, præcipiens eis in nomine domini, vt duos ſenes deferrent ad locum quo tendebant, qui ſtatim obedierunt, & eos tulerunt quo volebant, quod cum relatum fuiſſet Beato Antonio, dixit. Quandoque nauis onerata omnibus bonis, tendit ad interitum. Et poſt modicum cæpit acerrimè flere beatus Antonius, dicens; Maxima colũna eccleſiæ cecidit hodie, & miſit duos diſcipulos ſuos ad dictum ſolitarium: qui inuenerũt eum flentem peccatum in quo ceciderat propter præſumB ptionẽ, & infra quinque dies mortuus eſt. Ad hoc facit quod habetur infra *de oratione* de monacho pręsũptuoſo, qui cũ ſuperueniſſet, & ad ignem inueniret beatum Pachomium ſedentẽ cum fratribus dixit: Vbi eſt fides veſtra? Et poſtquam ſtetiſſet ſuper ignẽ illæſus, ipſum diabolus decepit ſub ſpecie pulcherrimæ mulieris, artipuit, fugauit, in fornacem præcipitauit, & occidit.

Exemplum. Exemplum

ITEM in vitiſpa, legitur de quodam quòd cũ multa miracula faceret, & dæmones expelleret, & homines ad eũ fluerẽt, timẽs ſpiritũ pręſumptionis & elationis qua tẽtabatur, rogauit dominũ, vt diabolus quem expellebat ab alijs, cũ arriperet & vexaret, vt humiliaretur; quod factũ eſt: & ſatis cito poſt liberauit eũ à vexatione & tẽtatione diaboli. *Item* in vitiſpa. abbas Neſteron videns draconem fugit. Quod vidẽs diſcipulus eius, ait: Tu times pater? Reſpondit: Non timeo fili, C ſed fugio vanam gloriam & præſumptionem.

Ex præſumptione oritur nimia ſecuritas, quando ſcilicet homo de meritis ſuis præſumens, credit eſſe de ſua ſalute ſecurus, & minus timet & cauet casũ. Prou. 14. *Sapiẽs timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit & confidit* Aug. *Multum effrænis eſt qui illuc ire contendit, vbi multos valentiores ſe conſpicit corruiſſe*, quis enim lucifero altior, Adã innocentior, Sanſone fortior, Dauid ſanctior, Salomone ſapiẽtior, Nabuchodonoſor potẽtior, Petro feruẽtior? qui omnes ob vitę præſumptionem; ex nimia ſui confidentia corrueru nt. Bern. *Nullus locus eſt ſecurus fratres, quia angelus per ſuperbiam cecidit de cælo, Adam per gulam de paradiſo, Iudas per cupiditatem de Saluatoris conſortio.* Aug. *Nemo ſecurus eſſe debet, quia neſcit vtrũ fiet ex meliore deterior, qui fieri potuit ex deteriore melior* Hier. *Proſperitas parit ſecuritatẽ, ſecuritas negligentiã, negligẽtia cõtempiũ, contẽptus inobedientiã, inobedientia malã ruinã.*

Ex præſumptione oritur nimia ſecuritas.

ITEM ex hac oritur audax temeritas, qua. ſ. homo audet indignus accedere ad ſacra myſteria tractanda & agenda. Sicut Oża, de quo dicitur. 2. Reg. 6. *Qui tãgens arcã domini, percuſſus eſt à domino ſuper temeritate ſua;* & hoc ideo, quia nocte præcẽdte cum vxore ſua dormierat. Si tantum Deo diſplicuit quòd iſte tetigiſſet arcã dominici corporis, pro eo quòd cũ vxore propria dorminiſſet, quid erit de illis qui cum alienis dormiunt, & ſacroſanctũ domini corpus tãgere, & nefandis manibus tractare, & ore ſacrilego cõſecrare pręſumũt. Apparet etiã hæc temeritas in hoc, quod homo dignũ ſe reputãs, vltra merita ſua, & ſupra propriã, facultatẽ pręſumE mit aſſumere & ambitiosè ſe ingerere ad ſtatũ nimis arduũ, ac ſtatũ perſonæ ſuæ incõparabiliter trãſcendẽtẽ; puta Dei & angelorũ officium, ſ. regimẽ animarũ, & ſedere in loco Dei. Sicut Lucifer Iſa. 14. *Similis ero altiſſimo.* Et princeps Tyri, de quo dicitur Ezech. 28. *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi.* De hoc ſupra *Ambitio. Itẽ* appatet iſta temeritas in hoc, quod homo audet & pręſumit ſe cõparare vel præferre melioribus, & tantũ ſe reputat, quod maiores, meliores & ſapientiores in ſui comparatione paruipendit. Sicut Maria ſoror Moyſi præſumpſit ſe fratri ſuo, ſcilicet Moyſi incomparabiliter meliori, ſe compatare, Numeri 12. Et Roboam patri ſuo Salomoni ſe præferre præſumpſit 3. Reg. 13. Dicens: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei.*

Item audax temeritas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Præſumptio enim ita excæcat hominem, vt neſciat ſe metiri. Sicut aliquando ludificantur oculi hominum vt res aliqua multo maior videatur quam ſit. Rom. 1. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Hoc dictum eſt de philoſophis & Phariſæis, Chriſtum arguere & ei contradicere præſumentibus. Vnde dicitur Matth. 15. *Cæci ſunt & duces cæcorum.* Et epiſcopo Laodiciæ dicit dominus Apoc. 3. *Dicis quia dives ſum & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Exemplum. MVLTVM erat excæcatus ille de quo legitur in vitiſpa. quòd cum in duriſſima pœnitentia ſenuiſſet in eremo, præſumẽs de meritis ſuis, cæpit cogitare quòd quam cito moreretur, dignus eſſet angelicis manibus in cœli faſtigium deportari, qui diabolo ſibi apparente in ſpecie angeli & ſuadente, in profundum puteum ſe proiecit. Cum autem fratres illum cadentem audientes acciriſſent, & cum magno conamine ſemiuiuum extraxiſſent, vix per triduum quo ſuperuixit ei perſuadere potuerunt, quòd per præſumptionem fuiſſet à diabolo ſeductus.

4. Ex nimia confidentia diuinæ pietatis. QVARTO ſolet oriri præſumptio ex nimia confidentia diuinæ pietatis, quando ſcilicet tãtæ miſericordiæ & benignitatis creditur dominus, vt non damnet delinquentes: cuius ſententiæ fuit Origenes, vt dicit Hier. Tamen eum excuſat Cęſarienſis epiſcopus in eccleſiaſtica hiſtoria, dicens libros eius ab hæreticis corruptos; multa magnifica dicens & ſcribens de eo. Licet autem in pſ. 111. dicatur, quod *miſericors & miſerator ſit dominus*; tamen ſubditur, quòd etiam eſt iuſtus, cuius *vniuerſæ viæ miſericordia & veritas* æquitatis. *Item* hac præſumptione laborat, qui viuens Deum impugnare non ceſſat, & tamen credit quòd Deus eum ad bonum finem perducat. Sed vt vulgariter dicitur, *iſta cauda non eſt de iſto vitulo*, nec bonus finis eſſe poteſt, quem non pręceſſerit bona vita. Eccl. 29. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Inter iſtas quatuor pręſumptionum ſpecies, prima eſt mala, ſecũda peior, tertia peſſima, quarta ſuperpeſſima, quæ eſt peccatum in ſpiritum ſanctum. Dicitur enim peccatum in ſpiritum ſanctũ, per quod remouetur vel contemnitur ab homine, id per quod poteſt impediri ab electione peccati. Auertitur autem homo ab electione peccati ex cõſideratione diuini iudicij, quod habet iuſtitiam cum miſericordia. Vnde ſicut per deſperationem tollitur ſpes, quæ conſurgit ex conſideratione diuinæ miſericordiæ remittentis peccata & præmiantis bona; ſic per præſumptionem excluditur timor, qui conſurgit ex conſideratione iuſtitiæ punientis peccata; & ſic per præſumptionem homo præcludit ſibi viam ſalutis.

Præſumptio ex confidentia diuinæ pietatis eſt peccatum in ſpiritum ſanctum quia remouet id quod impedit ab electione peccati.

De ſuperſtitione.

DISTINCTIO XXVII.

DEINDE conſiderandum eſt de ſuperſtitione. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo quid ſit ſuperſtitio. Secundo de ſpeciebus eius.

Religio vnde dicta & quid ſit. CIRCA primum ſciendum, quòd ſuperſtitio eſt vitium religioni contrarium. Religio autem ſecundum Iſidorũ lib. Etim. dicitur à relegẽdo, quia. ſ. ea quæ ſunt diuini cultus frequẽter in corde legenda & reuoluẽda ſunt. Iuxta illud Prou. 3. *In omnibus vijs tuis cogita illum.* Vel dicitur religio à reeligendo, eo quòd nos peccatores Deum debemus reeligere, quem negligẽtes amiſimus. Sicut dicit. Aug. 10. de ci. Dei. Vel dicitur religio à religando. Vnde dicit. Aug. in lib. de vera rel. *Religet vos religio vni omnipotenti Deo.* Siue autẽ religio dicatur à frequenti lectione, ſiue ab iterata electione, ſiue à relegatione, religio propriè importat ordinem hominis ad Deum, quantum ad cultũ ei principaliter exhibendum. Ipſe enim eſt cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam noſtra electio dirigi debet, ſicut in vltimum finem, quẽ etiam negligendo amittimus; & credendo, & fidẽ proteſtãdo recuperare debemus. *Huic* religioni cõtrariatur vitium ſuperſtitionis ſecundum exceſſum. Dicitur enim *ſuperſtitio eſſe religio ſupra modum ſeruata*, ſicut dicit gloſ. ſuper illud Col. 2. *Quæ ſunt rationem habentia* &c. Dicitur autẽ ſuperſtitio excedere medium religionis, non quia tranſcendat faciendo plus in cultu diuino quam religio faciat, vel quia ad maius aliquid tẽdat; ſed quia facit vel exhibet cultum diuinũ, vel cui nõ debet, vel eo modo quo non debet. Dicitur autem ſuperſtitio eſſe religio, ſicut dicitur in gloſ. prędallegata, non propriè ſed tranſſumptiuè; ſicut tranſſumptiuè dicimus bonum Iatronem, & nomina virtutum tranſſumptiuè accipiuntur in malum. Sicut prudentia aliquando dicitur pro aſtutia. Lucæ 16. *Filij huius ſæculi prudentiores*, id eſt, aſtutiores *filijs lucis in generatione ſua ſunt.*

Religioni opponitur ſuperſtitio per exceſſum, dum exhibet cultum diuinum cui non debet, vel eo modo quo non debet.

Superſtitionis ſunt quatuor ſpecies SVPERSTITIONIS quatuor ſunt ſpecies. Prima eſt in hoc quod Deo exhibetur cultus indebito modo. Secunda eſt idolatriæ. Tertia diuinationis. Quarta eſt obſeruantiarum. Poteſt enim diuinus cultus exhiberi cui exhibendus eſt, ſed non debito modo. Vel ei cui non debet exhiberi, ſ. cuicunq; creaturæ; & ſic eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies diuiditur ſecũdũ diuerſos fines diuini cultus. Ordinatur enim diuinus cultus ad reuerentiã Deo exhibendam; & ſecundũ hoc prima ſpecies huius eſt idolatria, quæ reuerẽtiam debitam Deo, exhibet creaturæ. *Secundo* cultus diuinus ordinatur ad hoc quòd homo inſtruatur à Deo quem colit, & ſecundũ hoc accipitur diuinatiua ſuperſtitio, quæ dæmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita, tacita vel expreſſa. *Tertio* ordinatur diuinus cultus ad quandam directionem actuum humanorum, ſecũdum Dei qui colitur inſtituta, & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarundã obſeruationum. & hęc tria tangit Aug. 2. de doct. chriſtiana, dicẽs *ſuperſtitioſum eſſe quicquid eſt ab hominibus inſtitutum ad colenda idola*; & hoc pertinet ad primum. Et poſtea ſubdit: *Vel ad conſultationẽ, & pacta quædam cum dæmonibus inita atque fœderata*; & hoc pertinet ad ſecundum. Et poſt pauca ſubiungit. *Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ* &c. & in hoc inſinuat tertium.

1. Species ſuperſtitionis ſcilicet cultus modo indebito, eſt quoddã genus mendacij in facto conſiſtens. DE prima ſpecie ſuperſtitionis, quæ cõſiſtit in cultu veri Dei modo indebito, ſciendum eſt, quod ſicut dicit Au. in libro cõtra mendaciũ. *Mendaciũ maximè perniciоſum eſt in his quæ ad Chriſtianam religionẽ pertinẽt.* Eſt autem mendaciũ cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autẽ ſignificatur aliquid verbo, ita etiã ſignificatur facto: & in tali ſignificatione facti conſiſtit exterior religionis cultus. Exteriores enim actus religionis ſunt adoratio exterior, qua corpus Deo ſubijcitur & offertur: & oblationes & ſacrificia, per quę interior deuotio deſignatur: & ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus perniciоſus. Hoc autem cõtingit dupliciter. *Vno modo* à parte rei ſignificatæ, à qua diſcordat ſignificatio cultus: & hoc modo tempore legis nouæ, peractis iã Chriſti myſterijs, perniciоſum eſt vti cerimonijs veteris legis, quibus Chriſti myſteria ſignificabãtur futura: Sicut perniciоſum eſſet ſi quis verbo cõfiteretur Chriſtum eſſe paſſurum. *Alio modo* poteſt contingere falſitas in exteriori cultu ex parte colentis: & hoc præcipuè in cultu cõmuni, qui per miniſtros eccleſiæ exhibetur in perſona totius eccleſiæ. Sicut enim falſarius eſſet, qui in perſona alicuius proponeret quæ nõ eſſent ei cõmiſſa, ita vitium falſitatis incurrit, quia ex parte eccleſiæ exhibet Deo cultum, contra modũ, auctoritate Dei ab eccleſia conſtitutũ, & in eccleſia cõſuetum. Vnde dicit Amb. *Indignũ eſt qui aliter celebrat miniſteriũ quã Chriſtus tradidit.* Et col. 2. dicit glo. quod *ſuperſtitioſũ eſt quando traditioni humanæ nomen religionis applicatur.* Poſſunt tamen in cultu diuino diuerſæ conſuetudines obſeruari, quantum ad aliqua non principalia, obſeruato principali in inſtitutione diuina, ſicut dicit Greg. ad Aug. Anglorum epiſcopum proponentem quod ſunt diuerſæ conſuetudines eccleſiæ in celebratione miſſæ. *Mihi* inquit, *placet vt, ſiue in Romanis, ſiue in Galliarum eccleſijs, ſeu in qualibet eccleſia aliquid inueniſti,*

quod

quod plus omnipotenti Deo placere poſſit, ſollicitè eligas. Sic igitur patet, quod circa cultum Deo vero & ſummo exhibitum, poteſt eſſe aliquid ſuperſtitioſum.

De Idolatria.

Idolatria duplex fuit cauſa, ſcilicet diſpoſitiua & conſummatiua, illarum ſum fuit triplex.

DE idolatria videndum eſt quid ſit, & vnde originem habuit, quam graue ſit peccatum, & vtrum ſit ſpecies ſuperſtitionis. Sciendum ergo quòd Idolatriæ duplex fuit cauſa. Vna ſcilicet diſpoſitiua. Alia conſummatiua. Diſpoſitiua fuit ex parte hominum. Conſummatiua ex parte dæmonum.

DISPOSITIVA cauſa fuit triplex. *Prima* proceſſit ex inordinatione affectus, quia ſcilicet homines aliquem alium nimis amantes, & vltra modum honorare volẽtes, non erant cõtenti ipſum ſicut aliũ hominẽ honorare, & ideo honorẽ diuinũ ei impẽderunt. & hæc ratio tangitur Sap. 14. *Acerbo luctu dolens pater, cito rapti ſibi filij fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, tanquam Deum colere cœpit.* Et ibidem ſubditur, quòd *homines aut affectui aut regibus ſeruientes, incommunicabile nomen,* ſcilicet diuinitatis, *lignis & lapidibus impoſuerunt. Secunda* cauſa, quia homines in repræſentatione expreſſa rei multum dilectæ naturaliter delectantur, & ideo rudes homines à principio vidẽtes imagines hominis expreſſiſſimè factas, eis cultum Deo debitum impenderunt. Vnde dicitur Sap. 13. c. *Si quis artifex de ſilua lignum rectum ſecuerit, & ſcientia ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet imagini hominis; de ſubſtantia ſua, & filijs, & nuptijs votum faciẽs inquirit.* Et ibidem 14. dicit, quòd *ſuperuacuitas hominum hoc,* id eſt idolatriam, *adinuenit in orbe terrarũ. Tertia* propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines conſiderare neſcientes, quibuſdam creaturis propter pulchritudinem vel virtutẽ, cultum diuinum impẽderunt. Vnde Sap. 13. *Operibus attendentes non agnouerunt quis eſſet artifex,* ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarũ, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerũt. Sic ergo patet, quòd cauſa idolatriæ diſpoſitiua fuit ex parte hominis, vel per ignorantiam intellectus, vel per deordinationem affectus.

CAVSA vero conſummatiua fuit ex parte dæmonũ, qui hominibus errantibus ſe colendos exhibuerunt in idolis, dando reſponſa, & aliqua quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo. Vnde in Pſ. 95. dicitur *Omnes dij gentium dæmonia.* Et notandum quòd in prima mũdi ætate non fuit idolatria, propter recentem memoriam creationis mundi, in mentibus hominum exiſtentem; ex qua adhuc vnius Dei cognitio vigebat. In ſexta vero ætate, idolatria excluſa eſt per doctrinam & virtutẽ Chriſti, qui de diabolo triumphauit. Vnde Sap. 14. dicitur quòd *non ſemper fuit idolatria, neque erit in perpetuum.* In ſecunda vero ætate legitur inuẽta fuiſſe, vel à Nemroth, qui cogebat homines ignem adorare; vel à Nino qui patris ſui defuncti fecit imaginem adorari. Apud Græcos autem (ſicut refert Iſidorus) Prometheus primus ſimulacra hominum de luto finxit. Iudæi vero dicunt quòd Iſmael primus ſimulacra de luto fecit. Et ſic patet primum, ſ. vnde ortum habuit Idolatria.

De enormitate Idolatriæ.

Idolatria ex parte ipſius peccati eſt peccatũ grauiſſimum nõ autem ex parte peccantis.

DE grauitate & enormitate huius flagitij; ſciendũ quòd alicuius peccati grauitas poteſt attendi, vel ex parte ipſius peccati, vel ex parte peccantis. Si conſideretur grauitas peccati idolatriæ ex parte ipſius peccati, ſic eſt ſuper omnia grauiſſimũ. Sicut enim in terrena republica grauiſſimum eſſe videtur, quod aliquis honorem regium exhibeat alteri quam vero regi, quia quantum in ſe eſt totũ ordinem reipublicæ peruertit; ita inter peccata quæ committuntur in Deum, quæ tamen ſunt maxima, grauiſſimum eſſe videtur quòd aliquis honorem ſoli Deo debitũ creaturæ impẽdat: quia quantum in ſe eſt alium Deum facit in mundo, diuinũ deſtruens principatũ. *Alio modo* poteſt attendi grauitas peccati idolatriæ ex parte ipſius peccantis; & ſicut grauius eſt peccatum eius qui ſciẽter, quam qui ignoranter peccat; ſic nihil prohibet hæreticos qui ſciẽter corrumpunt fidem quã acceperunt, grauius peccare quam idolatras qui ignoranter pẽccãt. Similiter etiam aliqua alia peccata poſſunt eſſe maiora propter maiorem cõtemptum peccantis. *Denique* ſciẽndum quòd ſoli ſummo Deo creatori, propter ſui ſingularem excellẽtiam, ſingulariter debetur diuinitatis cultus. Ideo ſi cuicunq; creaturæ impendatur, exceditur modus diuini cultus; quia ſcilicet exhibetur cui non debet exhiberi, & ideo ſuperſtitionis vitium incurritur; ideo idolatria ſpecies eſt ſuperſtitionis. Sicut autẽ per aliqua ſigna ſenſibilia cultus exhibetur Deo, puta per ſacrificia, oblationes, & alia huiuſmodi; ita etiam exhibebatur creaturæ repreſentatæ per aliquam formam ſenſibilem vel figuram, quæ ſimulacrum vel idolum nuncupatur. *Diuerſimodè* tamen exhibebatur idolis cultus huiuſmodi. Quidam enim imagines aliquas cõſtituebãt, quæ virtute dæmonũ aliquos certos effectus habebãt. Vnde putabãt ipſis imaginibus aliquid diuinitatis ineſſe, & per cõſequens cultũ diuinum eis exhiberi debere; & hæc fuit opinio Trimegiſti, ſicut dicit Aug. 8. de ci. Dei. *Alij vero* non exhibebãt cultũ diuinitatis ipſis imaginibus, ſed creaturis quarũ erant imagines. Et vtrunque tãgit Apoſtolus Rom. 1. Nam quantũ ad primum dicit. *Mutauerũt gloriã incorruptibilis Dei; in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpẽtium,* Quantum vero ad ſecundum ſubdit: *Coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quam creatori. Horum* tamen fuit triplex opinio. *Quidam* enim æſtimabant quoſdã homines Deos fuiſſe, quos per eorum imagines colebant. Sicut Iouem, Mercurium, & alios huiuſmodi. *Quidam* vero æſtimabant totum mundum eſſe vnum Deum; non propter corporalem ſubſtantiam, ſed propter animam quam Deum eſſe credebant. Dicebant enim Deũ nihil aliud eſſe quam animam, motu & ratione mundum gubernantẽ. Sicut & homo dicitur ſapiens, non propter corpus, ſed propter animam. Vnde putabant toti mundo & omnibus eius partibus cultum diuinitatis eſſe exhibendum, puta cœlo, aëri, aquę, & omnibus huiuſmodi; & ad hoc referebant nomina & imagines Deorum ſuorum. Sicut dicit Aug. 7. de ciui. Dei. *Alij vero,* ſcilicet Platonici, poſuerunt vnum ſummum Deum cauſam omnium, poſt quem ponebant quaſdam ſpirituales ſubſtantias à ſummo Deo creatas, quas Deos nominabãt, participatione ſcilicet diuinitatis: Nos autem Angelos eſſe dicimus. Sub his ponebant dæmones, quos dicebant aërea quædam animalia, & ſub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum dicebant ad Deorum vel dæmonum ſocietatem aſſumi, & his omnibus cultum diuinitatis exhibebãt. Sicut narrat Aug. 8. de ci. Dei. Has autem duas vltimas opiniones dicebant pertinere ad philoſophicam theologiam, quam philoſophi conſiderabant in mundo, & docebant in ſcholis. Aliam vero de cultu hominum dicebant pertinere ad theologiam fabularem, quam ſecundum figmenta poëtarum repræſentabant in theatris. Aliam autem opinionem de imaginibus, pertinere dicebant ad ciuilem theologiam, quæ per pontifices celebrabatur in templis. Omnia autem hæc ad ſuperſtitionem idolatriæ pertinebant. Vnde Aug. in de doc. chriſtiana. *Superſtitioſum eſt quicquid ab hominibus inſtitutum eſt, ad faciendа & colendа idola pertinens; vel ad colendã ſicut Deum creaturam, partemve vllam creaturæ. Hoc autem* ſciendum, quòd licèt in vẽteri teſtamento fuiſſe legantur imagines Cherubin. Exo. 25. & nunc in eccleſia ſint imagines ſanctorum, beatæ virginis, & Chriſti; tamen non conſtituuntur vt eis cultus latriæ exhibeatur, ſed ad quandam ſignificationem, vt per huiuſmodi imagines imprimatur in cordibus hominum memoria, & confirmetur fides de excellentia Angelorum & Sanctorum. Secus autem eſt de imagine Chriſti, cui ratione diuinitatis vnitæ cultus latriæ debetur.

Duo modi idolatria.

Triplex opinio de diuinitate creaturarum.

Cultus latriæ imagini Chriſti debetur.

De diuinatione.

DISTINCTIO XVII.

DE ſuperſtitione diuinatiua videndum eſt, primo vtrum ſit peccatum. Secundo de ſpeciebus eius.

CIRCA primum ſciendum eſt quòd nomine diuinationis deſignatur quædã prænunciatio futurorum. Futura autem dupliciter prænoſci poſſunt. Vno modo in cauſis ſuis. Alio modo in ſeipſis. Cauſę autem futurorũ ſunt in triplici differẽtia. Quædam enim ex neceſſitate & ſemper producunt ſuos effectus; & tales effectus ex certitudine præſciri & prænunciari poſſunt ex ſuarum conſideratione cauſarum. Sicut aſtrologi prænunciãt Eclipſes futuras. Quædã vero producũt ſuos effectus, non ex neceſſitate & ſemper, ſed vt in pluribus; aliquado tamen deficiunt, licet raro; & ex talibus cauſis poſſunt prænoſci & prænunciari euentus futuri, non per certitudinẽ, ſed per quandã coniecturam. & ſic Aſtrologi per conſiderationẽ ſtellarum, aliqua de pluuijs & ſiccitatibus præſcire & prænunciare poſſunt, & medici de ſanitate vel morte. Quędam vero cauſæ ſunt, quæ ſi ſecundum ſe conſiderentur, ſe habent ad vtrumlibet: quòd præcipuè videtur de potentijs rationalibus, quæ ſecundum philoſophum ſe habẽt ad oppoſita. Et tales effectus, vel etiã ſi qui effectus, vt in paucioribus & caſu accidũt ex naturalibus cauſis, ex cõſideratione cauſarum præſciri nõ poſſunt; quia huiuſmodi cauſæ non habent inclinationẽ determinatã ad illos effectus: ideo huiuſmodi effectus præſciri non poſſunt, niſi in ſeipſis conſiderentur. Homines autem conſiderare poſſunt huiuſmodi effectus in ſeipſis ſolũmodo dum præſentes ſunt, ſicut cum videt homo Sortem currere vel ſedere. Conſiderare autẽ tales effectus in ſeipſis antequã fiant, proprium eſt ſolius Dei, qui ſolus in æternitate ſua videt ea quæ futura ſunt quaſi præſentia. Vnde dicitur Iſa. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quoniã Dij eſtis vos.* Si quis ergo huiuſmodi futura prænoſcere & prænunciare præſumpſerit niſi Deo reuelãte, manifeſtè vſurpat ſibi quod Dei eſt, & ex hoc aliqui dicuntur diuini. Vnde Iſid. lib. Eti. dicit quod *diuini dicuntur quaſi Deo pleni*, quia. ſ. diuinitate ſe plenos eſſe ſimulant, & aſtutia quadã fraudulentię hominibus futura prænunciant. Diuinatio ergo non dicitur, ſi quis prænunciet ea quæ de neceſſitate eueniunt, vel vt in pluribus quæ humana ratione prænoſci poſſunt, vel etiãm ſi aliquis futura cõtingentia Deo reuelante prænoſcat; tunc enim non ipſe diuinat, id eſt non quod diuinum eſt facit, ſed ſuſcipit. Tũc autem ſolum dicitur diuinare quando indebito mõdo vſurpat ſibi prænunciationem euentuum futurorum. Hoc autem conſtat eſſe peccatum, & ad ſuperſtitionis vitiũ pertinere; quoniam ſicut idolatria ſpecies ſuperſtitionis eſt, pro eo quòd cultum Deo debitũ dæmonibus impendit; oblationes, ſacrificia, vel alia huiuſmodi exhibendo; ita diuinatio ſpecies eſt ſuperſtitionis, diuinum aliquid ſibi aſſumendo. Omnis enim diuinatio prouenit ex operatione dæmonũ, vel quia dæmones inuocantur expreſſe ad futura prædicenda, vel quia dæmones vltro ſe ingerunt vanis inquiſitionibus futurorum, vt mẽtes hominum inducant in errorem, & implicent vanitate. Vana autem inquiſitio futurorum eſt, quando futura prænoſcere tentat aliquis, vnde prænoſci non poſſunt.

Cauſa futurorum ſunt in triplici differentia.

Solus Deus cognoſcit futura contingentia.

Diuinatio eſt indebita vſurpatio prænunciationis futurorum euentuum qui ex cauſis cognoſci non poſſunt.

DIVINATIONIS tria ſunt genera. Primum eſt per manifeſtam dęmonum inuocationem. Secũdum eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis vel motus alterius rei. Tertium eſt dum noſipſi facimus aliquid, vt nobis manifeſtetur aliquid occultũ. Sub quolibet autem iſtorum, multi modi continẽtur; quoniam omnis diuinatio ad pręcognitionẽ futurorum euẽtuum vtitur aliquo dæmonum cõſilio & auxilio, quod quidem vel expreſſe imploratur, vel præter petitionem hominis dæmon ſe ingerit occultè ad prenunciandũ aliqua futura quæ hominibus ſunt ignota. Dæmonibus autem poſſunt futura eſſe cognita multis modis, quæ tanguntur 2. q. 4. *Sciendum dæmonum hanc eſſe naturam* &c.

Tria ſunt diuinationis genera & ſub quolibet eorum multi modi continentur.

IPSI autem expreſſe inuocati ſolent prenunciare futura multipliciter. *Quandoq;* quidem quoda præſtigio, ſiue quibuſdã apparitionibus aſpectui vel auditui hominum ſe ingerentes ad prædicendum futura; & hæc ſpecies vocatur preſtigium, pro eo quòd oculi hominũ præſtringuntur. *Quandoq;* autem per ſomnia, & hæc vocatur diuinatio ſomniorum. *Quãdoq;* vero per mortuorum aliquorum apparitionem & locutionem, & hæc ſpecies vocatur necromantia, quia *necron* Græcè, mortuus, Latinè, *mantia* diuinatio nuncupatur, vt ait Iſid. in lib. Eti. quia quibuſdam præcantationibus reſuſcitati mortui, videntur diuinare, & ad interrogata reſpõdere. *Quandoq;* vero futura prænunciant per homines viuos. Sicut patet in areptitijs, & hęc eſt diuinatio per Pythones: Pythones autem à Python Apolline dicti ſunt, Sicut dicit Iſid. qui Apollo dicebatur eſſe auctor diuinandi. *Quandoq;* vero futura prænunciant per aliquas figuras vel ſigna quæ in rebus inanimatis apparent, quæ ſi appareãt in aliquo corpore terreſtri, puta ferro vel lapide polito, dicitur Geomãtia. Si in aqua, Hydromantia. Si in aëre, aëromantia. Si in igne, Piromantia. Si autem in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, aruſpicium nuncupatur.

Per expreſſã damonis inuocationem fit diuinatio multipliciter

DIVINATIO autem quæ fit ſine expreſſa dæmonum inuocatione, in duo genera diuiditur. *Quorum* primum eſt, cum ad præcognoſcendũ futura, conſideramus aliquid in diſpoſitionibus aliarum rerũ; & ſi quis conetur futura prænoſcere ex conſideratione ſitus & motus ſyderum, hoc pertinet ad Aſtrologos. Si vero per motus vel voces auium, ſeu quorumcunque animalium, ſiue per ſternutationes, vel membrorũ ſaltus, hoc pertinet generaliter ad auguriũ, quod dicitur à Garritu auium (Sicut aruſpicium dicitur ab inſpectione ararum.) In auibus enim hoc præcipuè conſiderari ſolet. Si vero huiuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum alia intentione dicta, quæ retorquet quis ad futurum quod vult prænoſcere, hoc vocatur omen. Si autem conſiderentur aliquæ diſpoſitiones figurarũ in corporibus viſui occurrentes, erit alia ſpecies diuinationis. Nã diuinatio ſumpta ex lineamentis manus conſideratis, chyromantia vocatur, quaſi diuinatio manus, chyros enim Græcè, dicitur manus Latinè. *Ad ſecundum* genus diuinationis, quæ eſt ſine manifeſta dæmonum inuocatione, pertinet conſideratio eorum quæ eueniunt ex quibuſdam quæ ſerio fiunt ab hominibus, ad inquirẽdum aliquid occultum; ſiue per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem geomantiæ; ſiue per conſiderationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aqua proiecto; ſiue ex quibuſdã ſcedulis ſcriptis, vel non ſcriptis, in occulto repoſitis, dum conſideratur quis quam accipiat; vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis, quis maiorem vel minorem accipiat; vel etiam ex taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat; vel etiam dum conſideratur quid aperienti librum occurrat, quæ omnia ſortium nomen habent.

Sine expreſſa damonum inuocatione fit diuinatio dupliciter.

VIſo de ſpeciebus diuinationis in generali, videndũ eſt de eis in ſpeciali. Et primo de diuinatione quæ fit per inuocationẽ dæmonum vtrũ ſit licita. Ad quod breuiter eſt dicẽdũ quod nõ, ſicut patet Deu. 18. vbi prohibetur expreſſe. *Non inueniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, nec Pythones cõſulat.* Hoc autẽ eſt illicitũ duplici ratione. *Primo* ex parte principij diuinationis, quod eſt pactũ expreſſe initũ cũ dæmone per eius inuocationẽ, quod eſt omnino illicitũ. Vnde de quibuſdã dicitur Iſa. 28. *Percuſſimus fœdus cũ morte, & cum inferno fecimus pactũ.* Adhuc autẽ eſſet grauius ſi ſacrificiũ offerretur, vel reuerẽtia exhiberetur dæmoni inuocato. *Secũdo* eſt illicitum ex parte ipſius euẽtus de quo inquiritur, quia dæmõ qui sẽper intẽdit perditionẽ hominũ ex reſpõſis ſuis, etſi aliquãdo vera dicat, intẽdit homines aſſuefacere ad hoc quod ei credatur, & ſic conatur perducere in aliquod quod ſit humanæ ſaluti cõtrariũ & nociuũ.

Diuinatio per inuocationem damonum eſt illicita propter duo, ſcilicet propter pactum cum demone, & propter mentum,

Vnde

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vnde Athanaſius exponens illud Lucæ 4. INCREPAVIT ILLVM DICENS, OBMVTESCE, dicit. *Quamuis vera fateretur dæmon, compeſcebat tamen Chriſtus eius ſermonem, ne ſimul cum veritate etiam ſuam iniquitatem permiſceret; vt nos etiam aſſuefaceret ne curemus de talibus, etiamſi vera loqui videatur. Neſas enim eſt, vt cum adſit nobis diuina ſcriptura, à diabolo inſtruamur.* ergo nec pro rebus perditis recuperandis, nec pro inquirendo ſtatu defunctorum, ſeu pro quacunque ſcientia vel notitia inquirēda, ſunt dæmones inuocandi; quia nulla temporalis vtilitas poteſt compārari detrimento ſalutis, quod incurritur per inuocationem dæmonum. Et ſi Chriſtus legatur interrogaſſe dæmonem. *Quod tibi nomen eſt? qui reſpondit: Legio, multi enim ſumus:* tamen hoc non eſt trahēdum in conſequentiam, quia ſicut dicit Beda Lucæ 8. *Non velut inſcius dominus requirit, ſed vt confeſſa peſte quam curabat, virtus curantis grauior emicaret.*

Diuinatio per aſtra in ordine ad euentus fortuitos aut opera hominum, ſuperſtitioſa eſt & illicita; non autem in ordine ad ea quæ ex cœleſtibus cauſantur corporibus.

DE diuinatione quæ fit per aſtra, ſciendum, quod diuinationi quæ ex opinione falſa procedit ingerit ſe operatio dæmonis, vt hominum mentes implicet vanitati aut falſitati. Vana autē & falſa opinione vtitur, ſi quis ex conſideratione ſtellarum futura velit præcognoſcere, quę per eam cognoſci non poſſunt. Eſt igitur conſiderandū quid per cęleſtium corporum inſpectionem de futuris poſſit prænoſci, ſicut aſtrologi prænunciant Eclipſes futuras. Circa præcognitionem vero futurorum euentuum ex cōſideratione ſtellarum, diuerſi diuerſa dixerunt. Fuerunt enim quidam qui dixerunt quod ſtellæ ſignificant potius quam faciant ea, quæ ex earum conſideratione prænunciantur. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Omne enim corporale ſignum, vel eſt effectus eius cuius eſt ſignū, ſicut fumus ſignificat ignē à quo cauſatur, vel procedit ab eadē cauſa, & ſic dum ſignificat cauſam, per conſequens ſignificat effectum; ſicut iris quandoq; ſignificat ſerenitatem, inquantum cauſa eius eſt cauſa ſerenitatis. Non poteſt autem dici quòd ſerenitas, diſpoſitiones corporum cæleſtium, & motus, ſint effectus futurorum euentuum. Nec iterum poſſunt reduci in aliquam ſuperiorē cauſam communem quæ ſit corporea. Poſſunt autem reduci in vnam cauſam cōmunem, quæ eſt prouidentia diuina. Sed alia ratione diſponuntur à diuina prouidētia motus & ſitus cœleſtium corporū, & alia ratione euentus contingentium futurorum, quia illa diſponuntur ſecundū rationem neceſſitatis, vt ſemper eodem modo eueniāt, hæc autem ſecundum rationem cōtingentiæ, vt variabiliter contingant. Vnde non poteſt eſſe quòd ex inſpectione ſyderum accipiatur præcognitio futurorum, niſi ſecūdum quōd ex cauſis prænoſcitur effectus. Duplices autem effectus ſubtrahūtur cauſalitati cœleſtiū corporū. *Primo* quidē omnes effectus contingentes per accidens ſiue in rebus humanis ſiue in rebus naturalibus; quia vt probatur in 6. Mettha. Ens per accidens non habet cauſam, & pręcipuè naturalē, cuiuſmodi eſt virtus cœleſtium corporum; quia quod per accidens fit, nec eſt ens propriè, neq; vnum: ſicut quòd lapide cadente fiat terræmotus, vel quòd homine fodiente ſepulchrū inueniatur theſaurus. Hæc enim & huiuſmodi non ſunt vnū, ſed ſimpliciter plura. Operatio autē naturæ ſemper terminatur ad aliquid vnum, ſicut & procedit ab vno principio, quod eſt forma naturalis. *Secundo* ſubtrahuntur cauſalitati cœleſtium corporum actus liberi arbitrij, quod eſt facultas voluntatis & rationis. Intellectus enim ſiue ratio non eſt corpus, nec actus organi corporei, & per cōſequens nec voluntas quæ eſt in ratione, vt patet per philoſophū in 3. de Anima. Nullum autem corpus poteſt imprimere in rem incorpoream. Vnde impoſſibile eſt quòd corpora cœleſtia directè imprimant in intellectū & voluntatem: hoc enim eſſet ponere intellectū non differre à ſenſu, quod Ariſtoteles in libro 2. De anima, imponit his qui dicebāt, quòd talis volūtas eſt in hominibus, qualē in die inducit pater virorū deorumque, ſcilicet ſol vel cœlū. Vnde corpora cœleſtia non poſſunt eſſe per ſe cauſa operum liberi arbitrij (poſſunt tamē ad hoc diſpoſitiuè inclinare, in- A quantum imprimunt in corpus humanū, & per conſequens in vires ſenſitiuas, quæ ſunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus.) Quia cùm vires ſenſitiuæ obediunt rationi, vt patet per philoſophum in 3. de anima, & in 1. Eth. nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur, ſed contra inclinationē cœleſtium corporum, homo poteſt per rationem operari. Si quis ergo conſideratione aſtrorū vtatur ad præcognoſcendos caſus futuros, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoſcendū per certitudinem futura opera hominū, procedit hoc ex vana & falſa opinione, & ſic operatio dæmonis ſe immiſcet. Vnde erit diuinatio ſuperſtitioſa & illicita. Si vero aliquis vtatur conſideratione aſtrorum ad præcognoſcenda futura quæ ex cœleſtibus cauſantur corporibus, puta ſiccitates, & alia B huiuſmodi; non erit illicita diuinatio, nec ſuperſtitioſa.

Somniorum dua cauſæ interna & dua externa.

DE diuinatione quæ fit per ſomnia. Sciendū, quòd ſomniorum cauſa duplex eſſe poteſt, interior & exterior. Interior duplex: *Vna*, ſ. animalis, inquātum ſ. homini fantaſiæ occurrūt in dormiendo illa, circa quæ cogitatio eius & affectio fuit intēta & immorata in vigilando; & talis cauſa ſomniorū non eſt cauſa futurorū euentuū. Vnde huiuſmodi ſomnia per accidēs ſe habēt ad futuros euentus, & ſi quandoq; ſimul concurrunt, erit caſuale. *Quandoque* vero cauſa intrinſeca ſomniorū eſt corporalis; nā ex interiori diſpoſitione corporis formatur aliquis motus in fantaſia cōueniens illi diſpoſitioni: Sicut homini in quo sūt humores frigidi, occurit in ſomnis, quod ſit in aqua vel niue. Et propter hoc medici dicunt eſſe ſomnijs intendendū, ad cognoſcendū interiores diſpoſitiones. *Cauſa* autem ſomniorū exterior ſimiliter eſt duplex, ſ. corporalis, & ſpiritualis. *Corporalis* quidem, inquantū imaginatio dormientis immutatur, vel ab aëre contineti, vel ex impreſſione corporis cœleſtis, vt ſic appareant dormienti aliquę fantaſiæ cōformes diſpoſitioni cœleſtium. *Spiritualis* autem cauſa quandoque eſt à Deo, qui miniſterio angelorum aliqua reuelat in ſomnis. Sicut dicitur Numeri. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Dei, in viſione apparebo ei, aut per ſomnia loquar ad eum.* Et Iob 33. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando ſopor irruit ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* *Quandoque* vero per operationem dæmonis apparent dormientibus aliquæ fantaſiæ, ex quibus quandoque aliqua futura reuelant illis, qui cum eis D habent pacta illicita.

Diuinatio per ſomnia quæ innititur reuelationi diuinæ vel cauſæ naturali intrinſecæ licita eſt, ſecus ſi reuelationi dæmonum vel cauſæ fortuitæ.

Sic ergo dicendum, quòd ſi quis vtitur ſomnijs ad præcognoſcendum futura, ſecundū quòd ſomnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex cauſa naturali intrinſeca, quantum poteſt talis virtus ſe extendere, non erit illicita diuinatio. Vnde & Ioſeph interpretatus eſt ſomnia pincernæ Pharaonis, & magiſtri piſtorum, diuina reuelatione. Gen. 41. Et Daniel ſomnium regis Babilonis. Dan. 1. & 4. Et medici ex cauſa naturali conijecturant de infirmitate vel morte, vt dictum eſt. Si autem huiuſmodi diuinatio cauſetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus habentur pacta expreſſa, quia ad hoc inuocantur; vel tacita, quia huiuſmodi diuinatio ad id extenditur ad quod non poteſt ſe extendere, erit diuinatio illicita & ſuperſtitioſa. Ideo dicitur Deu. 18. E *Non inueniatur in te qui obſeruet ſomnia &c.*

Ad ludificationem quæ fit in ſomnijs pertinet error illarum mulierum, quæ dicunt ſe nocturnis horis cum Dyana, & Herodiade, & alijs perſonis, quas Bonas res vocant, ambulare; & ſuper quaſdam beſtias equitare, & multa terrarum ſpatia tranſire, & certis noctibus ad Dearum ſeruitium euocari, quæ vtinā ſolæ in ſua perfidia periſſent, & non multos ſecum ad infidelitatem ſuam pertraxiſſent: ſicut in decretis continetur, 26. q. 6. *Epiſcopi & eorum &c.* Et poſt. *Non omittendum quòd quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Sathanam abeuntes, qui mētem quam captiuam tenet, in ſomnijs deludit, & per deuia quęque deducit; & quod ſolus patitur ſpiritus, infideles hoc non animo, ſed in corpore euenire opinantur.*

Cū quędā vetula volēs blādire ſuo ſacerdoti, diceret

Exemplum. ei in eccleſia. Domine multum debetis me diligere, quia liberauſ vos à morte; quia cum ego vadam cum bonis rebus, media nocte intrauimus domum veſtram cum luminaribus; ego videns vos dormientem & nudum, cooperui vos, ne dominæ noſtræ viderent nuditatem veſtram; quam ſi vidiſſent, ad mortem vos flagellari feciſſent, Quæſiuit ſacerdos quomodo intrauerāt domum eius & cameram, cū eſſent fortiter ſerata. Tūc ait illa, quod bene intrabant domum ianuis clauſis. Sacerdos autem inuocans eam intra cancellum, clauſo oſtio verberauit eam cum baculo crucis, dicens: Exito hinc domina ſortilega: & cum non poſſet exire, emiſit eam ſacerdos dicens: Modo videtis quam fatuæ eſtis, quę ſomniorum creditis veritatem.

Exemplum. Item cum in quadam parochia homines talibus crederent, quidam ribaldi transfiguerauerunt ſe in ſimilitudinem mulierum, earum aſſumpto habitu, & domum cuiuſdam diuitis ruſtici cum tortitijs intrantes, & choreas ducētes, ſuppreſſa voce canebant. Vnū accipite, centum reddite & ſic in oculis ruſtici domū eius euacuauerunt omnibus bonis, dicentis vxori ſuæ: Tace, & claude oculos: Diuites erimus quia bonæ res ſunt, & centuplicabunt bona noſtra.

DE diuinatione quæ fit per auguria, & omina, & alias huiuſmodi obſeruationes exteriorum rerum; ſciendum, quod motus & garritus auium vel quæcunque diſpoſitiones huiuſmodi in rebus cōſideratæ, manifeſtum eſt quod non ſunt cauſa futurorum euentuum. Vnde ex eis futura cognoſci non poſſunt ſicut ex cauſis. Relinquitur ergo quòd ſi ex eis aliqua futura cognoſcantur, hoc erit inquantum ſunt effectus aliquarum cauſarum, quæ etiam ſunt cauſantes vel præcognoſcentes futuros euentus. Cauſa autem operationum brutorum animalium eſt inſtinctus quidam quo mouentur in motu naturæ, nō enim habent dominium ſui actus. Hic autem inſtinctus ex duplici cauſa poteſt procedere. *Vno modo* ex cauſa corporali. Cum enim bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitiuam, cuius potentiæ omnes ſunt actus corporalium organorum, ſubiacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cœleſtium; & ideo nihil prohibet eorum operationes eſſe futurorum ſigna, inquantum conformantur diſpoſitionibus cæleſtium corporum, & aëris continentis, ex qua proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo conſiderari oportet. *Primum* quidem vt huiuſmodi operationes non extendantur niſi ad ſpræcognoſcenda futura quæ cauſantur per motus cæleſtium corporum, vt ſupra dictum eſt. *Secundo* vt non extendantur niſi ad ea, quæ æqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia pertinere: conſequuntur enim per cęleſtia corpora cognitionem quandam naturalem & inſtinctum ad ea quæ eorum naturæ ſunt neceſſaria, ſicut ſunt immutationes quæ fiunt per ventos, & pluuias, & alia huiuſmodi. *Alio modo* inſtinctus huiuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali ſcilicet vel ex Deo, vt patet in columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in coruo qui pauit Heliam, & in cete qui abſorbuit & eiecit Ionam: Vel etiam ex dæmonibus qui vtuntur huiuſmodi operationibus brutorum animalium, ad implicandas animas vanis opinionibus. Et eadem ratio videtur eſſe de omnibus alijs huiuſmodi, præterquam de ominibus; quia verba humana quæ accipiuntur pro omine, niſi ſubdantur diſpoſitioni ſtellarum: diſponūtur tamen ſecundum diuinam prouidentiam, & quandoque ſecundum dæmonum operationem. *Sic igitur* dicendum, quòd omnis diuinatio huiuſmodi, ſi extendatur vltra id ad quod poteſt pertingere ſecūdum ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentiæ, eſt ſuperſtitioſa & illicita.

Diuinatio per auguria & omina ſi extendatur vltra ordinem naturæ & diuina prouidentia eſt ſuperſtitioſa.

DE diuinatione quæ fit per ſortes, videtur quòd non ſit illicita quia ſuper illud Pſa. IN MANIBVS TVIS SORTES MEÆ, dicit Gl. Aug. *Sors non eſt aliquid mali, ſed res in humana dubitatione diuinam indicans voluntatem.* Præterea, ea que in ſcripturis à ſanctis obſeruata leguntur, non videntur eſſe illicita, ſed ſancti viri tam in veteri quam in nouo teſtamento inueniuntur ſortibus vſi eſſe. Legitur enim Ioſue 7. quod Ioſue ex præcepto domini indicio ſortium puniuit Achā qui de anathemate ſurripuerat. Saul etiam ſorte, filium ſuum Ionatham deprehendit mel comediſſe 1. Reg. 10. Ionas etiam à facie domini fugiens ſorte deprehenſus eſt, & in mare proiectus Ionas 1. Zacharias etiā ſorte exijt vt incenſum poneret Lucæ 1. Mathias etiā eſt ſorte ab Apoſtolis in Apoſtolum electus Act. 1. Ergo videtur quod diuinatio ſortium non ſit illicita. *Præterea* pugna pugilum quæ Monomachia dicitur, id eſt ſingularis adcertatio; & iudicia ignis & aquæ, quæ dicuntur vulgaria, videntur ad ſortes pertinere, cum per huiuſmodi aliqua exquirantur occulta; ſed huiuſmodi non videntur eſſe illicita, quia & Dauid legitur cum Philiſtæo ſingulare inijſſe certamen 1. Reg. 18. Ergo videtur quod diuinatio ſortium non ſit illicita. Sed contra eſt quod dicitur in decretis 26. q. 5. *Sortes, quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouincijs, quas patres damnauerunt, nihil aliud quam diuinationes vel maleficia decreuimus: quamobrem omnino illas damnari, & vltra inter chriſtianos nolumus nominari; & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

Quid ſors & quotuplex.

Reſponſio, dicendum, quòd ſortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, vt eius conſiderato euentu aliquid occultum innoteſcat. Et quidem ſi quæratur indicio ſortium, quid cui ſit exhibendum, ſiue illud ſit res poſſeſſa, ſiue honor, ſiue dignitas, ſeu pæna, aut actio aliqua, vocatur ſors diuiſoria. Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur ſors conſultoria. Si vero quæratur quid ſit futurum, vocatur ſors diuinatoria. Actus autem hominum qui requiruntur ad ſortes, non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, nec etiam euentus ipſorum. Vnde ſi quis ea intētione ſortibus vtatur, quaſi huiuſmodi actus humani qui requiruntur ad ſortes, ſecundū diſpoſitionē ſtellarum ſortiantur effectū, vana & falſa eſt opinio, & per cōſequens non carēs dæmonum ingeſtione, ex quo talis diuinatio erit ſuperſtitioſa & illicita. Hac autem cauſa remota, neceſſe eſt quod ſortialium actuum expectetur euentus, vel ex fortuna, vel ex aliqua ſpirituali cauſa dirigente. Et ſi quidem ex fortuna (quod locum habere poteſt ſolum in diuiſoria ſorte) non videtur habere niſi fortè vitium vanitatis. Sicut ſi aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint ſortibus ad diuiſionem vti, quaſi fortunæ exponentes quis quam partem accipiat. Si vero ex ſpirituali cauſa expectetur ſortium indicium: Quandoque quidem expectatur ex dæmonibus, ſicut legitur Ezech. 21. quod *rex Babylonis ſtetit in biuio, in capite duarū viarum, diuinationem quærens, cōmiſcens ſagittas interrogauit idola, & exta conſuluit.* Et tales ſortes ſunt illicitæ, & ſecundum canones prohibentur. Quandoque vero expectatur a Deo, ſecundum illud Prou. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur;* & taliter ſortes ſecundum ſe non eſt malum, vt dicit Aug. Poteſt tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere, *Primo* quidem, ſi abſque vlla neceſſitate ad ſortes recurratur; hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Vnde Amb. dicit ſuper Lucam. *Qui ſorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Secundo* ſi quis etiam ex neceſſitate abſque reuerentia ſortibus vtatur. Vnde ſuper actus Apoſtolorum dicit Beda. *Si quis neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus exemplo Apoſtolorum eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos, non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe. Tertio* ſi diuina oracula ad terrena negotia conuertātur. Vnde Aug. dicit ad inquiſitiones Ianuarij. *His qui de paginis euangelicis ſorte leguntur, etſi optandum ſit vt id potius faciant, quam ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo aut negotia ſæcularia, & ad vitæ huius vanitatem, diuina oracula velle conuertere. Quarto* ſi in electionibus eccleſiaſticis, quæ ſanctiſpiritus inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus vtantur. Vnde ſicut Beda

Diuinatio per ſortes quæ fortuna innititur non eſt illicita, niſi forte quia vana: nec etiam illa quæ Deo innititur, quāuis hac quadrupliciter vitiatur.

dicit

dicit ſuper actus Apoſtolorum. *Matthias ante Pentecoſtē ordinatus ſorte quæritur ſcilicet quia nondum erat plenitudo ſpiritus ſanctī in eccleſia effuſa. Septem autem diaconi poſtea, non ſorte, ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati.* Secus autem eſt in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrena diſponenda ordinantur, in quarum electione plerunque homines ſortibus vtuntur, ſicut & in diuiſione temporalium rerum. Si vero neceſſitas immineat, licitum eſt cum debita reuerentia ſortibus diuinum iudicium implorare. Vnde ſicut Aug. dicit in epiſtola ad Honoratum. *Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium eccleſia deſeratur; ſi hæc diſceptatio aliter non poterit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, ſorte eligendi ſunt* 1. de doct. Chriſtia. dicit. *Si tibi abundaret aliquid quod oporteret dari ei qui non haberet, nec duobus dari potuiſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel ergate aliqua neceſſitate ſuperaret; nihil inſtius faceres, quam vt ſorte legeres cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſſet,* & per hoc patet reſponſio ad primum, & ad ſecundum.

Solutio obie. Ad tertium dicendum quod indicium ferri candentis, vel aquæ feruentis, ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionem, per aliquid quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum ſortibus; inquantum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus à Deo, excedit communem ſortium rationem. Vnde huiuſmodi iudicium illicitum redditur, tum quia ordinatur ad indicandum occulta, quæ diuino iudicio reſeruantur; tum etiam, quia huiuſmodi indicium non eſt auctoritate diuina ſancitum. Vnde 2. q. 5. in decreto Stephani papæ dicitur. *Ferri candentis vel aquę feruētis examinationē confeſſionem torqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones; & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum: ſpōtanea enim confeſſione, vel teſtiū approbatione publicata delicta, habito præ oculis timore Dei, conceſſa ſunt noſtro regimini iudicanda. Occulta vero & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum.* Et eadem ratio videtur eſſe de lege duellorum, niſi quod plus accedit ad communem rationem ſortium, inquantum non expectatur ibi miraculoſos effectus, niſi fortè quando pugiles ſunt valde impares, vel virtute, vel arte.

De ſuperſtitionibus obſeruantiarum.

DISTINCTIO XVIII.

DEinde conſiderandum eſt de ſuperſtitionibus obſeruantiarum. Et primo de obſeruantijs quæ traduntur in arte notoria. Secūdo de obſeruantijs quæ ordinantur ad aliqua corpora immutanda. Tertio de obſeruantijs quæ ordinantur ad coniecturas de fortunijs, vel infortunijs ſumendas. Quarto de ſuſpenſionibus ſacrorum verborum ad collum.

Ars notoria eſt illicita & inefficax. De obſeruantijs quæ ordinantur ad ſcientiam acquirendam in arte notoria; ſciendum, quod ars notoria illicita eſt & inefficax. *Illicita* quidem eſt, quia vtitur quibuſdam ad ſcientiam acquirendam quę non habēt ſecundū ſe virtutem cauſandi ſcientiam; ſicut inſpectione quarundā figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & alijs huiuſmodi, & ideo huiuſmodi ars non vtitur his vt cauſis, ſed vt ſignis; non autem vt ſignis diuinitus inſtitutis, ſicut ſunt ſacramētalia ſigna: vnde relinquitur quòd ſuperuacua ſigna, ſunt, & per cōſequens pertinentia ad quædā ſignificationū pacta cum dæmonibus placita atque fœderata, ergo ars notoria eſt penitus repudiāda & fugiēda Chriſtiano, ſicut & aliæ artes nugatoriæ vel noxię ſuperſtitionis, vt Au. di. 2. de doct. Chriſt. *Eſt etiam* huiuſmodi ars inefficax ad ſcientiam acquirendam. Cum enim per huiuſmodi artem non intendatur acquiſitio ſcientiæ per modū homini connaturalē. ſ. adinueniendo vel addiſcendo; conſequens eſt quod iſte effectus vel expectatur à Deo, vel à dæmonibus. Certum eſt autem aliquos a Deo ſapientiæ & ſcientiæ infuſionem habuiſſe;

A Sicut de Salomone dicitur 3. *Reg.* 3. & 2. *Paral* 1. Sed & dominus etiam diſcipulis ſuis dicit. Luc. 11. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, & ſcientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri.* Sed hoc donum non datur quibuſcūque cū certa obſeruatione, ſed ſecundū arbitriū ſpiritusſancti; ſecundum Apo. 1. Cor. 12. *Alij quidē datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ: Alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum.* Et poſt ſubditur. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Ad dæmones autem non pertinet illuminare intellectum, acquiſitio autem ſapientiæ & ſcientię fit per illuminationē intellectus; & ideo nullus vnquam per dæmones ſciētiam acquiſiuit. Vnde Aug. dicit in 10. de ci. Dei ad Porphyrium. *Fateris quod Etheurgicis cheletis in operationibus dæmonum, intellectuali animæ nihil purgationis accidit,* B *quod eam facit idoneam ad videndū dominum ſuum, & perſpicienda quæ vera ſunt, qualia omnia ſunt ſcientiarum theoremata.* Poſſunt tamen dæmones, verbis hominibus colloquentes, exprimere aliqua ſcientiarum documēta; ſed hæc non quæruntur per artem notoriam.

DE obſeruantijs quæ ordinantur ad immutationem corporū, videtur quod ſint licitæ. Quia licitum eſt vti naturalibus virtutibus corporū ad proprios effectus inducendos. Res autem naturales habēt quaſdā virtutes occultas, quarū ratio ab homine aſſignari nō poteſt: Sicut quod adamas trahit ferrū & multa alia quę Aug. enumerat 21. de ci. Dei ergo videtur quod vti huiuſmodi rebus ad corpora immutanda non ſit illicitum. *Præterea,* Sicut corpora naturalia ſubduntur corporibus cæleſtibus, ita etiā corpora artificialia, ſed cor- C pora naturalia ſortiuntur quaſdam virtutes occultas ſpeciem conſequentes ex impreſſione corporum cæleſtium, ergo etiam corpora artificialia, puta imagines ſortiuntur aliquam virtutem occultam à corporibus cæleſtibus ad aliquos effectus cauſandos, ergo vti eis & alijs huiuſmodi non eſt illicitum. *Præterea,* dæmones etiam multipliciter poſſunt corpora immutare, vt dicit Aug. 3. de trin. ſed eorum virtus a Deo eſt, ergo licet vti eorum virtute ad aliquas huiuſmodi immutationes faciendas. Sed contra eſt quod Aug. dicit 3. de doct. Chriſtiana *Ad ſuperſtitionem pertinent molimina magicarum artium, & ligaturæ, & remedia, quæ medicorum vera medicina condemnat: ſiue in præcantationibus, ſiue in quibuſdam notis, quas characteres vocant; ſiue in quibuſdam rebus ſuſpendendis atque inſignandis.* D

Reſponſio, dicendum quod in his quæ fiunt ad corporales effectus inducendos, conſiderandum eſt vtrum naturaliter videantur poſſe tales effectus cauſare; Sic. enim non erit illicitum. Licet enim cauſas naturales adhibere ad proprios effectus. Vnde ſi naturaliter non videantur tales effectus poſſe cauſare, conſequens eſt quod non adhibeantur ad hos effectus cauſandos tāquam cauſæ, ſed ſolum quaſi ſigna; & ſic pertinent ad pacta ſignificationum cum dæmonibus inita. Vnde Aug. dicit 21. de ciu. Dei *Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipſi ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* E

Adhibere res naturales ad certos effectus quos cauſare non poſſūt eſt tacite dæmonē inuocare.

Ad primum ergo dicendum quod ſi ſimpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos ad quos putantur habere naturalē virtutem, nō eſt *Solutio obie.* ſuperſtitioſum, neque illicitum. Si vero adiungantur, vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel alię quęcumque obſeruationes, quas manifeſtum eſt naturaliter efficaciā nō habere, erit ſuperſtitioſum & illicitū.

Ad ſecundum dicendum, quod virtutes naturales corporum naturalium conſequuntur eorum formas ſubſtantiales quas ſortiuntur ex impreſſione cæleſtiū corporum. Et ideo ex eorum impreſſione ſortiuntur quaſdam virtutes actuales. Sed corporum artificialium formæ procedunt ex conceptione artificis, & cum nihil aliud ſit quam compoſitio, ordo, & figura, vt dicitur in 1. Phi. non poſſunt habere naturalem virtutem ad agendum. Et inde eſt quod ex impreſſione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cæleſtium corporum nullam virtutem ſortiuntur, inquantum ſunt artificialia,ſed ſolum ſecundum materiam naturalem, falſum eſt ergo quod Porphyrio videbatur, vt Aug. dicit 10. de ci. Dei. Herbis,& lapidibus,& animantibus,& ſonis certis quibuſdã, ac vocibus,& figurationibus,atque figmentis,quibuſdã etiam obſeruatis in cæli conuerſione motibus ſyderum, fabricari in terra ab hominibus poteſtates idoneas ſiderũ varijs effectibus exequendis; quaſi effectus magicarum artium ex virtute cæleſtiũ corporum prouenirẽt. Sed ſicut Aug. ibidem ſubdit. *Totum hoc ad dæmones pertinet, ludificatores animarũ ſibi ſubditarũ.* Vnde & imagines quas Aſtronomicas vocant, ex operatione dæmonum habent effectũ, cuius ſignũ eſt, quod neceſſe eſt eis inſcribi quoſdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur; non enim eſt figura actionis naturalis principiũ. Sed in hoc diſtant Aſtronomicæ imagines à Necromanticis, quia in Necromanticis fiunt expreſſæ inuocationes & præſtigia quædã. Vnde pertinẽt ad expreſſa pacta cum dæmonibus inita: ſed in alijs imaginibus ſunt quædam tacita pacta, per quædã figurarũ ſeu characterum ſigna.

Ad tertium dicendũ, quod ad dominum diuinæ poteſtatis pertinet, cui dæmones ſubſunt, vt eis vtatur Deus ad quodcũque voluerit; ſed homini non eſt poteſtas ſuper dæmones commiſſa, vt eis vti poſſit licitè ad quodcunque voluerit, ſed ei eſt contra dæmones bellum indictum. Vnde nullo modo licet homini dæmonum auxilio vti, per pacta tacita vel expreſſa.

DE obſeruantijs quę ordinãtur ad coniecturas de futuris fortunijs vel infortunijs aſſumendas, videtur quod non ſint illicitæ. Inter alia enim infortunia hominũ ſunt etiã infirmitates, ſed infirmitates in hominibus quędã ſigna prȩcedunt, quæ etiam à medicis obſeruantur: Ergo obſeruare huiuſmodi ſignificationes non videtur eſſe illicitũ. *Præterea:* Irrationabile eſt negare illud quod quaſi cõmuniter omnes experiuntur, quod aliqua tẽpora vel loca vel verba audita, vel occurſus hominum vel animalium, aut diſtorti aut inordinati actus, aliquod præſagium habent boni vel mali futuri, ergo obſeruare iſta non videtur eſſe illicitum. *Præterea,* actus hominũ & euentus, ex diuina prouidentia diſponuntur, ſecundum ordinem quendã ad quem pertinere videntur; ergo videtur quod præcedẽtia ſint ſubſequentium ſigna. Vnde ea quæ antiquis Patribus contigerunt, ſigna ſunt eorum quæ in nobis complẽtur, vt patet per Apoſt. 1. Cor. 10. Obſeruate autem ordinem ex diuina prouidentia procedentem, non eſt illicitum; ergo obſeruare huiuſmodi præſagia non videtur eſſe illicitum. Sed contra eſt quod dicit Aug. in 2. de doct. Chri. quod *ad pacta cũ dæmonibus inita, pertinẽt millia inanium obſeruationum: puta ſi membrum aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: Limen calcare, cum ante domum ſuam aliquis trãſit: redire ad lectũ, ſiquis cum ſe calciat ſternutauerit: Redire domum, ſi procedens offenderit: cum veſtris à ſoricibus roditur, plus timere ſuperſtitionem mali futuri, quam præſens damnum dolere.*

Vana obſeruationes ordinata ad fortunia vel infortunia præcognoſcenda, ſunt omnes ſuperſtitioſa.

Reſponſio, dicendum, quod homines omnes huiuſmodi obſeruationes attendunt, nõ vt quaſdam cauſas, ſed vt quædam ſigna futurorum euentuum bonorum vel malorum. Non obſeruantur autem ſicut ſigna à Deo tradita, cum non ſint introducta ex auctoritate diuina, ſed magis vanitate humana, cooperante dæmonum malicia, qui nituntur animas hominũ huiuſmodi vanitatibus implicare; & ideo manifeſtum eſt omnes huiuſmodi obſeruantias eſſe ſuperſtitioſas & illicitas; & videntur eſſe quædam reliquiæ idolatriæ, ſecundũ quam obſeruabãtur auguria, & quidam dies fauſti vel infauſti, quod quodammodo pertinet ad diuinationẽ, quæ fit per aſtra, ſecundum quæ diuerſificantur dies, niſi quod huiuſmodi obſeruationes ſunt ſine ratione & arte, vnde ſunt magis vanę & ſuperſtitioſæ.

Ad primum ergo dicendum, quod infirmitatum cauſæ procedunt in nobis; ex quibus aliqua ſigna procedunt futurorum morborum, quæ licitè à medicis obſeruantur. Vnde & ſi quis præſagium futurorum euentuum conſideret ex ſua cauſa, non erit illicitum. *Soluti 9 obie.* ſicut ſi ſeruus timeat flagella videns dominum iratum & ſimile etiam eſſe poſſet, ſi quis timeret nocumentũ alicui puero ex oculo faſcinante: ſic autem non eſt in huiuſmodi obſeruationibus.

Ad ſecundum dicendum, quod hoc, quod à principio in iſtis obſeruationibus aliquid veri homines experti ſunt, caſu accidit; ſed poſtmodum cum homines incipiunt huiuſmodi obſeruantijs ſuum animum implicare, multa ſecundum huiuſmodi obſeruationes cueniunt per deceptionem dæmonum, vt his obſeruationibus homines implicati, curioſiores fiant, & ſe magis ingerãt multiplicibus laqueis pernitioſi erroris, vt Aug. dicit in 2. de doct. Chriſt.

Ad tertium dicendum, quod populo Iudæorum, ex quo Chriſtus erat naſciturus, non ſolum dicta, ſed etiã facta fuerũt prophetica vt Aug. dicit cõtra Fauſtũ. Et ideo licitum eſt illa facta aſſumere ad noſtram inſtructionem, ſicut ſignis diuinitus datis: non autẽ omnia quæ aguntur, per diuinam prouidentiã ſic ordinãtur, vt ſint futurorum ſigna; vnde ratio non ſequitur.

DE ſuperſtitionibus ſacrorũ verborũ ad collum, videtur quod non ſint illicitæ. Non. n. diuina verba minoris ſunt efficaciæ cũ ſcribuntur, quam cum proferuntur; ſed licet aliqua ſacra verba dicere ad aliquos effectus, puta ad ſanandum infirmos, ſicut: *Pater noſter: Aue Maria,* vel qualiterque nomẽ domini inuocetur, ſecundũ illud Mat. vl. *In nomine meo dæmonia ejicĕt, linguis loquentur &c.* ergo videtur quod licitum ſit aliqua ſacra ſcripta collo ſuſpendere, in remedium infirmitatis, vel cuiuſcumque nocumenti. *Præterea,* verba ſacra nõ minus operãtur in corporibus hominum, quã in corporibus ſerpẽtũ & aliorũ animaliũ; ſed incantationes quandã efficaciã habent ad reprimendũ ſerpẽtes, vel ad ſanãdum quædã alia animalia. Vnde dicitur in Pſ. 57. *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas quæ nõ exaudiet vocem incantantiũ,* ſic ergo licet ſuſpẽdere ſacra verba ad remediũ hominum. *Præterea,* verbum Dei nõ eſt minoris ſanctitatis quã ſanctorum reliquiæ; ſed licet homini verbo ver ſcripto verba ſacræ ſcripturæ ad ſuã tutelã aſſumere. Vnde dicit Aug. quod *nõ minus eſt verbũ Dei quam corpus Chriſti,* ſed licet homini reliquias ſanctorũ collo ſuſpendere, vel qualitercũq; portare; ergo ſimiliter licet homini verba ſacræ ſcripturæ ad ſuã tutelã aſſumere. Sed contra eſt quod Chr. dicit ſuper Matth. *quidam aliquã partẽ euangelij ſcriptã circa collum portant: ſed nõne quotidie euangeliũ in eccleſia legitur, & auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus poſita euangelia nihil proſũt, quomodo poſsũt cũ circa collũ ſuſpenſa ſaluare? Deinde, Vbi eſt virtus euangelij in figuris litterarum, an in intellectu ſenſuum, ſiue in figuris bene circa collũ ſuſpẽſis? ſi in intellectu, ergo melius in corde hominum proſunt, quam circa collum ſuſpenſa.*

Vt liceat appendere Euangelium vel quid ſimile ad collũ nõnulla sũt cauenda.

Reſpõſio, dicendũ, quod in omnibus incãtationibus vel ſcripturis ſuſpẽſis duo cauẽda videntur. *Primo* quidẽ, quid ſit quod profertur vel ſcribitur, quia ſi eſt aliquid ad incantationes dæmonũ pertinẽs, manifeſtè eſt ſuperſtitioſum & illicitum. Similiter etiam videtur eſſe cauendũ, ſi contineat ignota nomina; ne ſub illis aliquid illicitum lateat. Vnde Chriſ. dicit ſuper Mat. quod *Phariſæorũ magnificãtiũ ſimbrias ſuas exẽplo, nũc multi aliqua nomina Hebraica angelorũ confingũt & ſcribunt & alligant, quę nõ intelligentibus metuenda videntur.* Eſt etiam cauendũ ne quid falſitatis cõtineat, quia ſic eius effectus nõ poteſt expectari à Deo qui non eſt teſtis falſitatis. *Deinde ſecundo* cauẽdum eſt, ne cũ verbis ſacris cõtineãtur ibi aliqua vana, puta aliqui caracteres inſcripti, præter ſignum crucis; aut ſi ſpes habeatur in modo ſcribendi, aut ligandi, aut in quacunq; huiuſmodi vanitate, quæ ad diuinã reuerentiam nõ pertineat, quia hoc iudicaretur ſuperſtitioſũ, alias autem eſt licitum. vnde in decretis dicitur 26. q. 6. c. NON LICEAT CHRISTIANIS &c. *Nec in collectionibus herbarũ quę me-*

dicina-

dicinales sunt, aliquas obseruationes aut incãtationes liceat attendere, nisi tantũ cum symbolo diuino, aut oratione dominica, vt tantum creator omnium Deus honoretur.

Solutio obie.

In incantationibus per verba sacra habendus est respectus ad Deum tantũmodo, sine vlla vana obseruantia, alioqui non licent.

Ad primũ ergo dicendũ, quod proferre diuina verba aut inuocare diuinum nomẽ, si respectus habeatur ad solã Dei reuerentiã à qua expectatur effectus, licitũ erit. Si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vanè obseruatũ, erit illicitum. *Ad secundũ* dicendũ quod etiã in incantationibus serpentum vel quorumcunq; animalium, si respectus habeatur solummodo ad verba sacra, & ad virtutẽ diuinam, licitum erit; sed plerunq; tales præcantationes habent illicitas obseruantias, & per dæmones sortiuntur effectum; & præcipuè in serpentibus, quia serpens fuit primum dæmonis instrumentum ad hominem decipiendum. Vnde dicit glos. ibidẽ, *Notandũ quia nõ laudatur à scriptura vndecũq; datur in scriptura similitudo, vt patet de iniquo iudice qui rogantem viduã vix audiuit. Ad tertiũ* dicendum, quod eadem ratio est de portatione reliquiarum, quia si portentur ex fiducia Dei & sanctorum quorũ sunt reliquiæ, nõ erit illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas esset triangulare aut aliquid huiusmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei & sanctorum, esset superstitiosum & illicitum. *Ad quartum* dicendum, quod Chrysost. loquitur ibi, quando respectus habetur magis ad figuras scriptas, quam ad intellectum veborum.

De infidelitate.

DISTINCTIO XXIX.

DEinde cõsiderandum est de errore pręcipuè cõtra fidem; circa quod cõsideranda sunt quatuor. Primo de infidelitate in cõmuni. Secundo de hæresi. Tertio de apostasia à fide. Quarto de schismate.

Circa primum cõsideranda sunt duodecim. Primo vtrum infidelitas sit peccatum. Secundo in quo sit sicut in subiecto. Tertio vtrum sit maximum peccatorum. Quarto vtrum omnis actio infidelium sit peccatum. Quinto de speciebus infidelitatis. Sexto de cõparatione earum adinuicem. Septimo vtrum cum infidelibus sit disputandum de fide. Octauo vtrum sint cogendi ad fidem. Nono vtrum sit eis cõmunicãdum. Decimo vtrũ possint Christianis fidelibus præesse. Vndecimo vtrũ ritus infideliũ sint tolerandi. Duodecimo vtrũ pueri infideliũ sint inuitis parẽtibus baptizandi.

Infidelitas positiua est peccatum: negatiua verò nõ, sed potius pœna ex peccato primi parẽtis subsecuta.

Ad primũ. *s. vtrũ infidelitas sit peccatũ*: dicendũ quod infidelitas accipitur dupliciter. *Vno modo* secundum purã negationem fidei, vt dicatur infidelis ex hoc solo quod non habet fidem. *Alio modo* potest intelligi infidelitas secundũ contrarietatẽ ad fidem, quia. s. aliquis repugnat auditui fidei, vel etiã cõtemnit ipsam; secundum illud Isa. 50. *Quis credidit auditui nostro?* & in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autẽ accipiatur infidelitas secundum purã negationem, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, nõ habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi parentis est subsecuta. Qui autem sic sunt infideles dãnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt; nõ autem dãnantur propter infidelitatis peccatum. Vnde dominus dicit Iob. 41. *Si nõ venissem, & eis locutus nõ fuissẽ, peccatum nõ haberẽt.* Quod exponens Aug. dicit, quod *loquitur de illo peccato, quo nõ crediderunt in Christum.* Oritur autem infidelitas ex superbia, ex qua cõtingit quod homo intellectum suum nõ vult subijcere regulis fidei, & sano intellectui patrum. Vnde Gre. dicit 31. Mor. quod *ex inani gloria oriũtur nouitatũ præsumptiones*: quãuis posset dici, quod sicut virtutes Theologicæ nõ reducuntur ad virtutes cardinales sed sunt priores eis; ita etiã vitia opposita virtutibus Theologicis, non reducuntur ad vitia capitalia.

Infidelitas positiua oritur ex superbia.

Ad secundum. *s. in quo sit infidelitas sicut in subiecto*: dicendum quod peccatum dicitur esse in aliqua potẽtia, quæ est principium actus peccati. Actus autẽ peccati potest esse duplex principium. *Vnum* quidẽ primum & vniuersale, quod importat omnes actus peccatorũ: & hoc principium est voluntas, quia omne peccatum est volũtarium. *Aliud* autẽ principium peccati est propriũ & proximũ, quod elicit peccati actum. Sicut concupiscibilis est principium gulæ & luxuriæ; & secundũ hoc gula & luxuria dicuntur esse in cõcupiscibili. Dissentire autem, qui est proprius actus infidelitatis, est actus intellectus, sed moti à volũtate, sicut & alletire, & ideo infidelitas, sicut & fides, est quidẽ in intellectu sicut in proximo subiecto, in volũtate autẽ sicut in primo motiuo; & secundum hoc dicitur esse omne peccatum in voluntate.

Infidelitas subiectatur in intellectu sed dicitur esse in voluntate vt in. motiuo à quo habet rationem peccati.

Ad tertium. *s. vtrum infidelitas sit maximum peccatorũ*: dicendum quod omne peccatũ formaliter consistit in auersione à Deo. Vnde tanto aliquod peccatũ est graue, quãto per ipsũ homo magis à Deo separatur, per infidelitatẽ autẽ maximè homo à Deo elongatur, quia nec verã Dei cognitionẽ habet, per falsã autem cognitionẽ ipsius nõ appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur nec potest esse quod quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsã opinionem de ipso habet, quia id quod ipse opinatur, non est Deus. Vnde manifestũ est quod peccatum infidelitatis est maius omnibus peccatis quæ contingunt in peruersitate morũ: secus autẽ est de peccatis oppositis alijs virtutibus theologicis.

Peccatum infidelitatis est maius omnibus peccatis secundum genus suum, potest tamen esse minus secundũ alias circumstantias.

Licet autẽ peccatum infidelitatis secundũ genus suum sit maximũ peccatorum, potest tamen esse minus graue alio peccato, secundũ aliquas circunstãtias. Vnde 6. q. 1. *Vtrum catholicum pessimũ in moribus, alicui hæretico, in cuius vita, præter id quod hæreticus est, nõ inueniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo* inquit Aug. *præcipitare sententiã.* Propter hoc autẽ non fuit ausus præcipitare sententiã, quia peccatũ hæretici, etsi sit grauius secundũ genus suũ; potest tamẽ ex aliqua circunstantia alleuiari, & econtra peccatum catholici, ex aliqua circunstantia aggrauari.

Solutio obie.

Item nota quod infidelitas habet respectũ ad ea quæ sunt fidei, & ex hac parte habet rationẽ peccati grauissimi. Item habet ignorantiãadiunctam, & ex hac parte habet aliquã rationẽ excusationis; maximè quãdo aliquis peccat ex ignorãtia, non ex malitia. Sicut fuit in Apostolo Paulo, qui de seipso dicit primo Tim. 1. *Prius fui blasphemus, & persecutor, & cõtumeliosus, sed misericordiã consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Hic etiam sciendum, quod infidelis pro peccato infidelitatis grauius punitur quam alius peccator, pro quocunque alio peccato, considerato genere peccati, sed pro alio peccato, puta pro adulterio, si committatur ab infideli & à catholico: cęteris paribus plus peccat catholicus quam infidelis, tum propter notitiã veritatis ex fide, tum etiam propter fidei sacramenta quibus imbutus est, quibus peccando contumeliam facit. Vnde Hæb. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, duobus aut tribus testibus absque vlla miseratione moritur; quantomagis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritum gratię contumeliam fecerit.*

Ad quartum. *s. vtrum quælibet actio infidelis sit peccatum*: dicendum, quod peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, nõ autem totaliter corrumpit bonum naturæ: vnde cum infidelitas sit quoddã peccatũ mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Vnde manifestum est, quod infideles nõ possunt operari opera bona quæ sunt ex gratia. s. opera meritoria, tamen opera bona ad quæ sufficit bonũ naturæ, aliqui operari possunt. Vnde non oportet quod in omni opere suo peccent; sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim fidelis potest aliquod peccatum in actu committere, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita infidelis potest aliquem bonum actum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis. Nec obstat verbum Apostoli Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Glo. *Omnis infidelium vita est peccatum.*

Infideles non peccant in omni actione, cum non semper agant ex infidelitate.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qnia tam textus qũam glo. intelligenda ſunt, vel quia vita infidelium non poteſt eſſe ſine peccato, cum peccata ſine fide non tollantur, vel quia quicquid agunt ex infidelitate, peccatum eſt. Vnde ibidem ſubditur, *quia omnis infideliter viuens vel agens, vehementer peccat.*

Ad quintum. ſ. *vtrum ſint plures ſpecies infidelitatis*: dicendum quod quælibet virtus conſiſtit in hoc quod attingat aliquã regulam cognitionis vel operationis humanę. Attingere autẽ regulam eſt vno modo circa vnam materiã. Sed à regula deuiare cõtingit multipliciter: & vni virtuti multa vitia opponuntur. Diuerſitas autem vitiorum quæ vnicuique virtuti opponitur, poteſt cõſiderari dupliciter. *Vno modo* ſecundum diuersã habitudinem ad virtutem, & ſecundũ hoc determinatæ ſunt quædam ſpecies vitiorum, quę opponuntur virtuti. Sicut virtuti morali opponitur vitium ſecundũ excеſſum ad virtutem, & aliud vitiũ ſecundum defectum à virtute. *Alio modo* poteſt conſiderari diuerſitas vitiorum oppoſitorum vni virtuti, ſecundum corruptionem diuerſorũ quæ pertinent ad virtutẽ: & ſecundũ hoc vni virtuti, puta temperantiæ, vel fortitudini, opponuntur infinita vitia, ſecundũ quod infinitis modis contingit diuerſas circunſtantias virtutis corrũpi, vt à rectitudine virtutis recedatur. Vnde Pithagorici malũ poſuerunt infinitum. *Sic ergo* dicendum. quod ſi infidelitas attendatur ſecundũ cõparationem ad fidẽ, diuerſæ ſunt infidelitatis ſpecies, & numero determinatæ. Cum. n. peccatum infidelitatis conſiſtat in renitẽdo fidei, hoc poteſt contingere tripliciter, quia aut renititur fidei nondum ſuſceptæ, & ſic eſt infidelitas Paganorum vel Gentilium; aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Iudæorum, vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas Hæreticorum. Vnde in generali poſſunt aſſignari tres prædictæ ſpecies infidelitatis. *Si vero* diſtinguantur infidelitatis ſpecies ſecundum errorem in diuerſis quæ ad fidem pertinent, ſic non ſunt ſpecies determinatæ infidelitatis poſſunt enim errores in infinitum multiplicari. vt patet per Aug. in libro de hæreſibus.

Tres ſunt infidelitatis ſpecies ſi cõſideretur ſecundum ordin. ad fidem, ſ. Paganiſmus, Iudaiſmus & hæreſis: ex parte vero materiæ ſeu errorum poſſunt eſſe infinite.

Solutio obie.

Et nota quod ſicut formalis ratio alicuius peccati poteſt attendi dupliciter: *vno modo* ſecundum intentionem peccantis: & ſic id ad quod conuertitur peccãs eſt formale obiectũ in peccato, & ex hoc diuerſificatur eius ſpecies. *Alio modo* ſecundũ rationẽ mali, & ſic illud bonum à quo receditur; eſt formale obiectũ peccati; ſed ex hac parte peccatum nõ habet ſpeciẽ; immo eſt priuatio ſpeciei. Sic dicendũ quod infidelitatis obiectũ eſt veritas prima, ſicut à qua recedit; ſed formale obiectũ, ſicut ad quod cõuertitur, eſt ſentẽtia falſa quã ſequitur; & ex hac parte eius ſpecies diuerſificantur. Vnde ſicut charitas eſt vna quæ inhæret ſũmo bono, ſunt autẽ diuerſa vitia charitati oppoſita, quæ per cõuerſionẽ ad diuerſa bona tẽporalia recedunt ab vno ſummo bono, & iterum ſecundũ diuerſas habitudines inordinatas ad Deũ: ita etiã fides eſt vna virtus, ex hoc quod adhæret vni primæ veritati, ſed infidelitatis ſpecies ſunt multæ, ex hoc quod infideles diuerſas falſas ſententias ſequuntur. *Sicut* autẽ fides eſt vna, quia multa credit in ordine ad vnũ, ita infidelitas poteſt eſſe vna etiãſi in multis erret, inquantũ omnia habẽt ordinẽ ad vnum; nihil tamen prohibet hominẽ diuerſis infidelitatis errare ſpeciebus, ſicut etiã poteſt vnus homo diuerſis vitijs ſubiacere, & diuerſis corporalibus morbis.

Ad ſextũ. ſ. *de cõparatione ſpecierũ infidelitatis adinuicẽ*, ſ. *quę ſit grauior, vtrũ infidelitas Iudęorũ & hęreticorũ, grauior ſit infidelitate gentiliũ.* Dicendũ quod in infidelitate duo poſſunt cõſiderari. *Quorũ* vnum eſt cõparatio eius ad fidem; & ex hac parte aliquis grauius cõtra fidem peccat, qui fidei ſuſceptæ renititur, quam qui renititur fidei nondum ſuſceptæ. Sicut grauius peccat, qui non implet quod promiſit, quam ſi nõ impleat quod nunquã promiſit, & ſecundũ hoc infidelitas hæreticorum qui profitentur fidẽ euangelij, & ei renituntur corrũpentes ipſam, grauius peccãt quã Iudæi, qui fidẽ euangelij & Chriſti nunquã ſuſceperunt. Sed quia ſuſceperunt eius figurã in veteri lege, malè interpretãtes corrũpunt; ideo etiã coram infidelitas eſt grauius peccatũ quã infidelitas gentilium, qui nullo modo fidẽ euangelij ſuſceperant. *Aliud quod* in infidelitate conſideratur eſt corruptio eorum quæ ad fidem pertinent; & ſecundũ hoc cũ in pluribus errent gentiles quã Iudęi, & Iudæi quã hæretici, grauior eſt infidelitas gentiliũ quã Iudæorũ, & Iudæorum quã hæreticorũ; niſi forte quorundã, puta Manichæorũ, qui etiã circa credibilia plus errant quã gentiles. Harum tamen duarũ grauitatũ prima præponderat ſecundæ, quantum ad rationẽ culpæ; quia infidelitas habet rationem culpę magis ex hoc quod renititur fidei, quam ex hoc quod non habet ea quę fidei ſunt; hoc enim videtur magis ad rationem pænæ pertinere. Vnde ſimpliciter loquendo infidelitas hæreticorum eſt peſſima.

Infidelitas hæreticorum eſt omnium grauiſſima, gentiliũ vero minima: eſto in illa maior ſit corruptio eorũ quæ ad fidẽ pertinẽt.

Ad ſeptimum. ſ. *vtrũ cum infidelibus ſit publicè de fide diſputandum*: dicendum quod in diſputatione fidei duo ſunt cõſideranda. Vnum quidem ex parte diſputãtis; aliud autem ex parte audientiũ. Ex parte quidem diſputantis eſt cõſideranda intentio. Si enim diſputet tãquã de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens; ſed argumentis experiri intendens, proculdubio peccat tanquã dubius de fide & infidelis. Si autẽ diſputet quis de fide ad confutandam errores, vel etiã ad exercitium, laudabile eſt. Ex parte vero audientium conſiderandum eſt, vtrum illi qui diſputationem audiunt ſint inſtructi & firmi in fide, aut ſimplices & in fide titubantes. Et corã quidem ſapientibus in fide firmis, nullũ periculũ eſt diſputare de fide: ſed circa ſimplices eſt diſtinguendum, quia aut ſunt ſollicitati aut pulſati ab infidelibus, puta Iudæis, vel hæreticis, ſiue paganis intendentibus corrũpere in eis fidem; aut omnino nõ ſunt ſollicitati ſuper hoc; ſicut in terris in quibus nõ ſunt aliqui infideles. In primo caſu neceſſe eſt publicè diſputare de fide, dũmodo inueniantur aliqui ſufficientes & idonei qui errores confutare poſſint; per hoc enim ſimplices in fide firmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas, & ipſa taciturnitas eorũ qui reſiſtere deberent peruertentibus fidei veritatem, eſſet erroris confirmatio. Vnde in ſecundo Paſto. *Sicut enim incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretũ ſilentium eos qui erudiri poterant, in errorem derelinquit.* In ſecundo vero caſu periculoſum eſt publicè diſputare de fide corã ſimplicibus, quorum fides eſt firmior, quod nihil diuerſum audierunt ab eis qui credunt, & ideo non expedit eis vt verbum infidelium audiãt diſputãtium cõtra fidem. De his igitur quæ ſunt fidei diſputare quaſi de eis dubitando nõ licet, ſed propter veritatẽ manifeſtandam & errores cõfutandos. Oportet enim ad fidei cõfirmationem aliquando cum infidelibus diſputare; quandoq; quidem defendendo fidem, ſecundum illud 1. Pet. 4. *Parati ſumus ad ſatisfactionẽ omni poſcenti, rationẽ reddere de ea quæ in nobis eſt ſpe & fide*: quandoq; autem ad cõuincendos errantes ſecundũ illud Tit. 1. *Vt ſis potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.*

Coram ſimplicibus non licet diſputare de fide niſi ab infidelibus ſollicentur ſimplices ad fidę deſerendam.

Ad octauum. ſ. *vtrũ infideles ſint ad fidẽ cõpellendi*, dicendum, quod infidelium quidam ſunt qui nunquam ſuſceperunt fidem, ſicut gentiles & Iudæi; & tales nullo modo ſunt ad fidem cõpellendi vt ipſi credant, quia credere voluntatis eſt; ſunt tamen cõpellendi à fidelibus ſi facultas aſſit, vt fidem non impediant, vel blaſphemijs, vel malis perſuaſionibus vel etiam apertis perſecutionibus, & propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum mouent, nõ quidem vt eos ad credendum cogant, quia ſi etiam eos viciſſent & captiuos haberent, in eorum libertate relinquetent an credere vellent, ſed propter hoc vt eos cõpellant, ne fidem Chriſti impediant. Alij vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur: ſicut hæretici vel quicumque apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter cõpellendi, vt impleant quod promiſerunt & teneant quod ſemel ſuſceperunt. Illud autem Matth. 13. de zizanijs, quod dicitur paterfamillas reſpondiſſe ſeruis ſuis quærentibus: *Vis imus*

Qui ſemel fidem ſuſceperunt ſunt compellendi vt impleant quod promiſerunt, alij vero vt non impertiant fidem Chriſti tantummodo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& colligimus ea? non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul triticum: intellexerunt quidam, prohibitam esse non quidem excommunicationem hæreticorum, sed occisionem eorum. Dicit enim Chr. *Hoc dixit dominus prohibens occisionem fieri, nec enim oportet interficere hæreticum, quia si eos occideritis, necesse est multos sanctorũ subuerti* Et Aug. ad Vincentium de se dicit. *Hæc primitus sententia mea erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superatur exemplis, Legum enim terror ita profuit, ut multi dicant gratias domino, qui vincula nostra dirupit.* Quod ergo dominus dicit, sinite vtraque crescere vsque ad messem, qualiter intelligendum sit, apparet ex hoc quod subditur. *Ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul & triticum.* Vbi satis ostendit, sicut Aug. dicit contra epistolam Parmeniani: *Cum metus iste non subest, id est, quando ita cuiusq; crimen notũ est omnibus & execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel nõ tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.*

Solutio obie.

In periculo schismatis non sunt cogendi hæretici.

Ad nonum. s. *vtrum cum infidelibus sit communicandũ*, dicendum quod communio alicuius personæ interdicitur fidelibus dupliciter. *Vno modo* in pœnam illius, cui communio fidelium subtrahitur, *alio modo* ad cautelam eorum quibus interdicitur, ne alij communicent. Et vtraque causa potest accipi ex verbis Apostoli 1. Cor. 5. Nam postquam sententiam excommunicationis protulit, subdit pro ratione. *Nescitis quia modicum fermentũ totam massam corrumpit*, & postea rationem subdit ex parte pœnæ per iudicium ecclesiæ illatæ, cum dicit. *Nonne de his quæ sunt intus vos iudicatis?* Primo igitur modo non interdicit ecclesia fidelibus communionẽ infidelium, qui nullo modo fidem Christianam receperunt, scilicet Paganorum, vel Iudæorum, quia non habet de eis iudicare spirituali iudicio, sed temporali in casu cum inter Christianos commorantes, aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniuntur. Sed isto modo scilicet in pœnam, interdicit ecclesia fidelibus communionem illorum infidelium qui à fide susceptа deueniant, vel corrumpendo fidem fidelium sicut hæretici, vel etiam totaliter à fide recedendo, sicut apostatę. In vtroque enim horum excõmunicationis sententiam profert ecclesia. Sed quantum ad secundum modum videtur esse distinguendum, secundum diuersas conditiones personarum, negotiorum, & temporum. Si enim aliqui sint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conuersio infidelium magis sperari possit, quam fidelium à fide auersio: non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt. s. Paganis vel Iudæis: & maximè si necessitas vrgeat. Si autẽ sũt simplices & infirmi in fide, dè quorũ subuersione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infideliũ cõmunione, & præcipuè, ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.

Ecclesia prohibet cõmunionem cum infidelibus quibuscunque ne peruertãtur fideles, cum hæreticis vero in pœnã simul & cautelã.

Ad decimum. s. *vtrũ infideles possint habere prælationẽ vel dominium aliquod super fideles.* Dicẽdum, quod circa hoc dupliciter loqui possumus. *Vno modò* de dominio vel prælatione infidelium super fideles de nouo instituenda; & hoc nullo modo permitti debet, cèdit enim hoc in scandalum, & in periculum fidei. De facili enim illi qui submittuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab eis quibus subsunt, vt sequantur eorum imperium; nisi qui subsunt fuerint magnæ virtutis, & similiter infideles contemnũ fidem, si fideliũ cognoscãt defectus. Et ideo Apostolus prohibuit quod fideles nõ cõtendant Iudicio coram iudice infideli, & ideo nullo modo permittit ecclesia quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercunque præficiãtur in aliquo officio. *Alio modo* possumus loqui de dominio vel prælatione iã præexistente: vbi considerandũ quod dominiũ & prælatio introducta sunt ex iure humano. Distinctio autẽ fideliũ & infideliũ est ex iure diuino. Ius autẽ diuinũ quod est ex gratia, non tollit ius humanũ, quod est ex naturali ratione. Distinctio igitur fidelium & infidelium secundũ se cõsiderata, nõ tollit dominium vel prælationẽ infidelium super fideles. Potest tamen iustè per sententiam vel ordinationẽ ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale ius dominij vel prælationis tolli; quia infideles merito suæ infidelitatis merẽtur potestatẽ amittere super fideles, qui trãsferuntur in filios Dei. Sed hoc quidẽ ecclesia quãdoq; facit, quãdoq; nõ facit. In illis. n. infidelibus, qui etiam tẽporali subiectione subijciũtur ecclesię & mẽbris eius hoc ius ecclesia statuit, vt seruus Iudæorũ statim factus Christianus à seruitute liberetur, nullo pretio dato, si fuerit verna culus, ideſt in seruitute natus: Et similiter si infidelis existens, fuerit emptus ad seruitiũ, si autẽ fuerit emptus ad mercationẽ, tenetur eũ infra tres mẽses exponere ad vẽdendũ; nec in hoc iniuriã facit ecclesia, quia cũ ipsi Iudæi sint serui ecclesiæ, potest disponere de rebus eorũ. Sicut & principes sæculares multas leges ediderunt erga suos subditos in fauorem libertatis. In illis vero infidelibus qui temporaliter ecclesiæ vel eius mẽbris nõ subiacẽt, prędictũ ius ecclesia nõ statuit, sed posset instituere de iure; & hoc facit ad scandalũ vitandũ. Sicut etiam Matth. 17. dominus ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij; sed tamen mandauit tributũ, solui ad scãdalum vitandũ. Ita etiam Paulus cũ dixisset, quod *serui dominos suos honorarẽt*, subiungit, *ne nomen domini & doctrina blasphemetur.*

Infideles nõ sunt præficiendi fidelibus possunt tamen facti iã prælati tolerari.

Ius dominij in infidelibus super fideles potest per sententiã ecclesia tolli in his qui semel fidem susceperunt. Vide infra de Apostasia.

Ad vndecimum, s. *vtrũ sint ritus infidelium tolerandi*, dicendũ, quod humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipsũ debet imitari. Deus autem quamuis sit omnipotens, & sũmè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic igitur & in regimine humano, illi qui præsunt recte aliqua mala tolerãt, ne aliqua bona impediantur, vel ne aliqua mala peiora incurrantur. Sicut Augustinus dicit in libro de ordine. *Aufer meretrices de rebus humanis turbaueris omnia libidinibus.* Sic igitur quãuis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possũt, vel propter aliquod bonũ quod ex eis prouenit, vel propter aliquod malũ quod vitatur. Ex hoc autẽ quod Iudæi ritus suos obseruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei quã tenemus, hoc bonũ prouenit, quod testimoniũ fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur quod credimus, & ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorũ vero infideliũ ritus, qui nihil veritatis aut vtilitatis afferunt, nõ sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandũ, s. ad vitandum scandalũ, vel dissidium, quod ex hoc posset prouenire, vel impedimẽtum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati, conuertuntur ad fidem. Propter hoc etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando ecclesia tolerauit, quando erat magna infidelium multitudo.

Ritus Iudæorum sũt tolerandi ob testimoniũ fidei nõ autẽ ritus aliorũ infidelium, nisi ad malũ aliquod vitandum,

Ad duodecimũ, s. *vtrũ pueri Iudæorũ, vel aliorũ infiliũ, sint inuitis parentibus baptizandi*, dicendũ, quod maximã habet auctoritatẽ ecclesiæ consuetudo, quæ est semper in omnibus æmulanda; quia & ipsa doctrina catholicorum doctorum ab ecclesia auctoritatẽ habet. Vnde magis est standum auctoritati ecclesiæ, quã auctoritati Aug. Hier. vel cuiuscunq; doctorum. Hoc autem ecclesiæ vsus nunquam habuit, quod Iudæorũ filij inuitis parentibus baptizarentur, quamuis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, vt Constantinus, & Theosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, vt Siluester Cõstantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent hoc ab eis impetrare, si hoc esset cõsonũ rationi. Et ideo periculosum videtur hãc assertionẽ de nouo inducere, vt præter consuetudinẽ in ecclesia hactenus obseruata, filij Iudæorũ inuitis parẽtibus baptizẽtur, & huius est duplex causa. *Vna*, quidẽ propter periculũ fidei. Si. n. pueri nõdum vsum rationis habẽtes baptismum susciperent, postmodam cum ad perfectã ætatem peruenirent, de facili possent à parentibus induci

Non licet baptizare filios infidelium inuitis parentibus propter duas rationes.

duci vt relinquerent quod ignorantes ſuſceperunt, quod vergeret in fidei detrimẽtum. *Alia vero* ratio eſt quia repugnat iuſtitiæ naturali: filius.n. naturaliter eſt aliquid patris, & primo quidem à parentibus nõ diſtinguitur ſecundum corpus, quãdiu in matris vtero continetur; poſtmodũ vero poſtquã ab vtero egreditur antequã vſum liberi arbitrij habeat, continetur ſub parentum cura, ſicut ſub quodã ſpirituali vtero; quamdiu.n. puer vſum liberi arbitrij non habet, non differt ab animali irrationali. Vnde ſicut bos vel æquus eſt alicuius, vt vtatur eo cum voluerit ſecundum ius ciuile, ſicut proprio inſtrumento; ita de iure naturali eſt quod filius antequam habeat vſum rationis, ſit ſub cura patris. Vnde contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequam habeat vſum rationis à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus. Poſtquam autem incipit habere vſum liberi arbitrij, iam incipit eſſe ſuus; & poteſt quantum ad ea quæ ſunt iuris diuini vel naturalis, ſibiipſi prouidere; & tũc eſt inducendus ad fidem, non coactione, ſed perſuaſione; & poteſt etiam inuitis parentibus conſentire fidei & baptizari, non autem antequam habeat vſum rationis. Vnde de pueris antiquorum patrum dicitur, quod ſaluati ſunt in fide parentum; per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet prouidere filijs de ſua ſalute, præcipuè antequam habeant vſum rationis.

De hæreſi.

DISTINCTIO XXX.

DEINDE conſiderandum eſt de hæreſi, circa quã quæruntur quatuor. Primo vtrum hæreſis ſit ſpecies infidelitatis. Secundo de materia circa quam habeat eſſe hæreſis. Tertio vtrum hæretici ſint tolerandi. Quarto vtrum reuertentes ſint recipiendi.

AD primum. ſ. *vtrum hæreſis ſit ſpecies infidelitatis*: dicendum, quod nomen hæreſis electionem importat, ſicut dicit Hier. & habetur 24. q. 3. *hæreſis Græce ab electione dicitur*, quod ſcilicet vnuſquiſque eam ſibi eligit diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Electio autem eſt eorum quæ ſunt ad finem, ſuppoſito fine. In credẽdis autẽ voluntas aſſentit alicui vero, tãquam proprio bono. Vnde quod eſt principale verum, habet rationẽ finis vltimi; quę autem ſecundaria ſunt, habent rationem eorum quæ ſunt ad finem. Quia vero quicunque credit, alicuius dicto aſſentit, principale videtur eſſe, & quaſi finis ſit in vnaquaque credulitate ille, cuius dicto aſſentitur, quaſi autem ſecundaria ſunt ea, quæ quis tenendo vult alicui aſſentire. Sic igitur qui recte fidem Chriſtianam habet, ſua voluntate aſſentit Chriſto in his, quæ verè ad eius doctrinam pertinent. A rectitudine igitur fidei Chriſtianæ dupliciter aliquis poteſt deuiare. *Vno modo* quia ipſi fini nõ vult aſſẽtire; & hic habet quaſi malã voluntatem circa ipſum finem; & hoc pertinet ad ſpeciẽ infidelitatis Paganorũ, vel Iudęorũ. *Hæreſis eſt ſpecies infidelitatis.* *Alio modo* per hoc quod intendit quidẽ Chriſto aſſentire, ſed deficit in eligendo ea quæ verè ſunt à Chriſto tradita, ſequendo. ſ. ea quæ ſibi propria mens ſuggerit, & ideo hæreſis eſt infidelitatis ſpecies, pertinens ad eos qui fidem Chriſti confitentur, ſed eius dogmata corrumpunt.

Solutio obie. ET nota quod vitia habent ſpeciem ex fine proximo ſed ex fine remoto habent genus & cauſam. Sicut cum aliquis męchatur, vt furetur, eſt ibi quidẽ ſpecies mæchiæ ex proprio fine ſiue ex obiecto. Sed ex fine vltimo oſtenditur quod mæchia ex furto oritur, & ſub eo cõtinetur ſicut effectus ſub cauſa, vel ſicut ſpecies ſub genere. Vnde & ſimiliter in propoſito, finis proximus hæreſis eſt adhærere falſæ ſententiæ propriè, & ex hoc ſpeciẽ habet; ſed ex fine remoto oſtẽditur cauſa eius, ſ. quod oritur ex ſuperbia vel cupiditate. Dicit.n. Aug. in libro de vtilitate credendi, quod *hæreticus eſt, qui alicuius temporalis cõmodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones, aut gignit, aut ſequitur.*

AD ſecundum, ſ. *circa quæ ſit hæreſis*, dicendum quod de hæreſi nunc loquimur, ſecundum quod importat corruptionẽ fidei Chriſtianæ. Non autem ad corruptionẽ fidei Chriſtianæ pertinet, ſi aliquis habeat falsã opinionẽ in his quæ nõ ſunt fidei, puta in geometralibus, vel etiã in alijs huiuſmodi quæ omnino ad fidem pertinere non poſſunt, ſed ſolũ quando aliquis habet falsã opinionẽ circa ea quæ ad fidem pertinent, ad quã aliquid pertinet dupliciter. *Vno modo* directè & principaliter, ſicut articuli fidei. *Alio modo* indirectè & ſecũdario, ſicut ea ex quibus ſequitur corruptio alicuius articuli: & circa vtraque poſſet eſſe hæreſis. Vnde dicit Hier. Quod *quicunque ſcripturam intelligit aliter quam ſpiritus ſanctꝰ ſenſus efflagitat à quo ſcripta eſt; licet ab eccleſia non receſſerit, tamen hęreticus appellari poteſt.* Ille autem dicitur aliter exponere ſcripturã quã ſpiritus ſanctus efflagitet, qui ad hoc expoſitionem ſacræ ſcripturæ retorquet quod contrariatur ei quod eſt per ſpiritum ſanctum reuelatũ. Vnde dicitur Ezech. 13. de falſis prophetis *qui perſeuerauerunt confirmare ſermonem*. ſ. per falſas expoſitiones ſcripturæ ſacræ. Inueniuntur autem quandoque ſacri doctores, circa ea quæ ad fidem pertinent, diſſentire; ſicut Aug. & Hier. circa ceſſationem legalium, & tamen hoc eſt abſque vitio hæreticè prauitatis. Quia ſicut dicit Aug. 27. q. 2. *Si qui ſententiam ſuã quamuis falſam atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt: quęrunt autem tota ſollicitudine veritatem, parati corrigi cum inuenerint: nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*: quia. ſ. non habent electionem contradicentem eccleſiæ doctrinæ. Sic igitur aliqui doctores diſſenſiſſe videntur, vel etiam circa ea quorum nihil ad fidẽ pertinet vtrũ ſic vel aliter teneatur, vel etiam in quibuſdã ad fidem pertinentibus quæ nondum erant per eccleſiam determinata, poſtquam autem eſſent auctoritate vniuerſalis eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. quæ quidem auctoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice. Dicitur.n. 4. q. 1. *Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omne fratres noſtros & coepiſcopos, non niſi ad Petrum*. i. ſui nominis & honoris auctoritatem, *referri debere*. Contra cuius auctoritatem nec Hier. nec Au. nec aliquis ſacrorum doctorum, ſuã ſententiam defendit. Vnde dicit Hier. *Hæc eſt fides papa beatiſſime, quam in catholica didicimus eccleſia, in qua ſi minus peritè, aut parum cautè forte aliquid poſitum eſt, cupimus à te emendari, qui Petri fidem & ſedem tenes. Si autem has noſtra confeſſio Apoſtolatus tui vnius iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit. ſe imperitum vel malcuolum vel etiam non catholicũ. ſed hæreticum comprobabit.*

Hæreſis eſt circa articulos fidei & quæ ex illis conſequũtur, diſſentiendo cum pertinacia.

Ad tertium. ſ. *vtrum hæretici ſint tolerandi*, dicendum, quod circa hęreticos duo conſiderantur. Vnum quidem ex parte ipſorum; aliud vero ex parte eccleſiæ. Ex parte quidem ipſorum eſt peccatum, per quod meruerunt non ſolum ab eccleſia per excõmunicationẽ ſeparari, ſed etiam per mortem à mundo excludi. Multo enim grauius eſt corrũpere fidem, per quam eſt animæ vita, quam falſare pecuniam, per quam temporali vitæ ſubuenitur. Vnde ſi falſarij pecuniæ, vel alij malefactores, ſtatim per ſæculares principes iuſtè morti traduntur; multomagis hæretici ſtatim ex quo de hæreſi conuincuntur, poſſunt non ſolum excommunicari ſed etiã iuſtè occidi. Ex parte autẽ eccleſiæ eſt miſericordia ad errantiũ conuerſionẽ; Et ideo nõ ſtatim cõdemnat, ſed poſt primã & ſecundã correptionem, vt Apoſtolus dicit. Poſtmodũ vero ſi adhuc pertinax inueniatur, eccleſia de ipſius conuerſione nõ ſperãs, aliorũ ſaluti prouidet, eum ab eccleſia ſeparando per excõmunicationis ſententiam, & vlterius relinquit eum iudicio ſæculari, à mundo exterminandum per mortẽ. Dicit enim Hier. 24. q. 3. *Secandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, corrumpantur, ardeant, putreſcant, & intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quoniã non ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem eius flamma populata eſt.*

Poteſtas determinandi res fidei reſidet principaliter in ſummo Põtifice.

Quis cenſendus hæreticus.

Hæretici poſſunt iuſtè occidi, imo poſt ſecundã correptionẽ non ſunt amplius tolerandi.

AD quartũ, ſ. *vtrum reuertẽtes ab hæreſi ſint recipiendi,*

dicen-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicendum quod eccleſia ſecundum diuinam inſtitutionem charitatem ſuam extendit ad omnes, non ſolum amicos, verumetiam inimicos,& perſequentes; ſecundum illud Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Pertinet autem ad charitatem, vt aliquis bonum proximi velit & operetur. Eſt autem duplex bonum. *Vnum* quidem ſpirituale, ſcilicet ſalus animæ, quod principaliter reſpicit charitas: hoc enim quilibet ex charitate debet alij velle. Vnde quantum ad hoc hęretici reuertentes ad fidem, quotieſcunque relapſi fuerint,ab eccleſia recipiuntur ad pœnitentiam, per quam impenditur eis via ſalutis. *Aliud eſt* bonum quod ſecundariò reſpicit charitas, ſcilicet bonũ temporale, ſicuti eſt vita corporalis, poſſeſſio mundana,& bona fama, & dignitas eccleſiaſtica,ſiue ſecularis. Hoc enim nõ tenemur ex charitate alijs velle, niſi in ordine ad ſalutẽ æternã, & eorum, & aliorum. Vnde ſi aliquid de huiuſmodi bonis exiſtens in vno, impedire poſſet æternã ſalutẽ in multis,nõ oportet quòd ex charitate huiuſmodi bonũ velimus ei, ſed potius quod velimus eum illo carere; tum quia ſalus æterna præferenda eſt bono temporali, tum etiam quia bonum multorum præfertur eſt bono vnius. Si autem reuertentes ſemper reciperentur, vt conſeruarentur in vita & aliis temporalibus bonis, poſſet in præiudicium ſalutis aliorũ hoc eſſe;tũ quia ſi relaberentur alios inficerent, tũ etiam quia ſi ſine pœna euaderent,aliqui ſecurius in hæreſim laberentur. Dicitur enim Eccl. 9. *Ex eo quòd non cito profertur contra malos ſententia,abſque vllo timore filij hominum perpetrant mala.* Et ideo eccleſia primo quidem reuertentes ad fidem ab hæreſi, non ſolum recipit ad pœnitentiam, ſed conſeruat eos in vita interdum, & reſtituit eos diſpenſatiuè ad eccleſiaſticas dignitates quas prius habebant, ſi videantur vere conuerſi. Et hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum. Sed quando recepti interdum relabuntur, videtur eſſe ſignum inconſtantiæ eorum circa fidem, & ideo vlterius redeũtes recipiuntur quidem ad pœnitentiam,non tamen vt liberentur à ſententia mortis. Vnde non eſt ſimilis ratio de hæreticis relapſis, & aliis infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt, quia in iſtis apparet ſignum inconſtantiæ circa fidem, in alijs autem non apparet.

Reuertentes ab hæreſi sũt recipiendi ad pœnitentiam, ſed nõ vt ſint impunes à morte & alijs pœnis.

Solutio obiect.

ITEM etſi dominus ſemper recipiat pœnitentes, ſecundum illud Ezech. 18. *Quacunque hora ingemuerit peccator*, &c. Hier. 3. in perſona domini. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me & ego recipiam te dicit dominus*: tamẽ hoc eccleſia nõ poteſt imitari; Deus enim ſcrutator eſt cordiũ, & vere reuertentes cognoſcit. Eccleſia vero, quia non nouit occulta cordium, ſed neceſſe habet de his quæ patent exterius iudicare, præſumit eos non vere reuerti, Qui cum recepti fuiſſent, iterum ſunt relapſi, & ideo viam ſalutis eis non denegat, ſed amoris periculo non tuetur.

Hoc etiam intelligendum, quòd licet vnuſquiſque peccatum in ſe commiſſum remittere teneatur, propter quod Petro dictum eſt Matth. 18. *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuageſieſſepties.* Per quod datur intelligi ſecundum expoſitionem Hieronymi, quòd quotieſcunque quis peccauerit, eſt ei dimittendum, tamen non eſt ita de peccato in proximum commiſſum, quod non eſt noſtri arbitrij dimittere, ſicut dicit Hier. ſed in hoc eſt modus à lege ſtatutus, ſecundum quòd congruit honori Dei, & vtilitati proximi.

De Apoſtaſia.

DEINDE conſiderandum eſt de apoſtaſia. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo vtrum apoſtaſia ad infidelitatem pertineat. Secundo vtrum ſubditi propter apoſtaſiam à fide abſoluantur à Dominio præſidentium apoſtatarum.

Apoſtaſia cõtingit diuerſimodè, verũ apoſtaſia per

Ad primum dicendum, quòd apoſtaſia, importat retroceſſionem quandam à Deo. Quæ quidem diuerſimodè, fit ſecundum diuerſos modos quibus homo Deo coniungitur. Primo namque coniungitur homo Deo per fidem. Secundo per debitam & ſubiectã voluntatem ad obediẽdum præceptis. Tertiò per aliqua ſpecialia ad ſupererogationem pertinẽtia, ſicut per religionem, & clericaturam, vel ſacrum ordinem. Remoto autem poſteriori remanet prius, ſed non conuertitur. Contingit ergo aliquem apoſtatare à Deo recedendo à religione quam profeſſus eſt, vel ab ordine quem ſuſcepit; & hæc dicitur apoſtatia religionis vel ordinis. Cõtingit etiam aliquem apoſtatare à Deo per mentem repugnantem diuinis mandatis, quibus duabus apoſtaſijs exiſtentibus, adhuc poteſt remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed ſi à fide diſcedat, tunc omnino à Deo retrocedere videtur; & ideo ſimpliciter & abſolute eſt apoſtaſia, per quam aliquis diſcedit à fide, quæ vocatur apoſtaſia per fidem. Et per hunc modum apoſtaſia ſimpliciter dicta ad infidelitatem pertinet. Nec importat determinatam ſpeciem infidelitatis, ſed quandam circumſtantiam aggrauantem, ſecundum illud 2. Pet. 2 *Melius erat veritatem non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.*

fidẽ eſt maxime propria quæ quidem ad mſidelitatem ſpectat.

SCIENDVM autem quòd ad fidem pertinet non ſolum crudelitas cordis, ſed etiam proteſtatio exterior fidei per exteriora verba vel facta; nam conſenſus eſt actus fidei: & per hunc modum quædam exteriora verba vel opera ad infidelitatem pertinẽt, inquantum ſunt infidelitatis ſigna, per modum quo ſignum ſanctitatis ſanum dicitur. Vnde illud Prou. 6. *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat*: Etſi poſſit intelligi de qualibet apoſtaſia, tamen veriſſimè conuenit in apoſtaſia à fide. Quia enim fides eſt primum fundamentum ſperandarum rerum, Et ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; ſublata fide nihil remanet in homine, quod poſſit eſſe vtile ad ſalutem æternam. Et propter hoc dicitur, *apoſtata vir inutilis.* Fides enim eſt vita animæ, ſecundũ illud Rom. 1. *Iuſtus ex fide viuit.* Sicut ergo ſublata vita corporali, membra & partes hominis à debita diſpoſitione recedunt; ita ſublata vita iuſtitiæ quæ eſt per fidem, apparet inordinatio in omnibus mẽbris,& primo quidem in ore, per quòd maximè manifeſtatur cor, ſecundo in oculis, tertio in inſtrumentis motus, quarto in voluntate, quæ ad malum tendit, & ex his ſequitur, quod iurgia ſeminet, alios intendens ſeparare à fide, ſicut & ipſe receſſit.

Solutio obiect.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum princeps propter apoſtaſiam à fide amittat, in ſubditis quin teneantur ei obedire.* dicendum, quòd infidelitas, ſicut ſupradictum eſt, ſecundum ſeipſam non repugnat dominio, eo quod dominium introductum eſt de iure gentium; quod eſt ius humanum. Diſtinctio autem fidelium & infidelium eſt ſecundum ius diuinum, per quod non tollitur ius humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans, poteſt ſententialiter ius dominii amittere, ſicut & quandoque propter alias culpas. Ad eccleſiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſecundum illud Apoſtoli 1. Corint. 5. *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare?* ſed infidelitatem illorum qui fidem ſuſcepetunt poteſt ſententialiter punire, & conuenienter in hoc puniuntur, quòd ſubditis fidelibus dominari non poſſunt. Hoc enim contingere poſſet in magnam fidei corruptionem, quia vt dictum eſt, *homo apoſtata ſuo corde machinatur malum, & iurgia ſeminat*, intendens homines ſeparare à fide; & ideo quam cito aliquis per ſententiam denũciatur excommunicatus propter apoſtaſiã à fide, ipſo facto ipſi ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis quo ei tenebantur. Vnde *extra* dicit Greg. ſeptimus. *Nos ſanctorum prædeceſſorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento ſunt aſtricti, auctoritate apoſtolica abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruent, modis omnibus prohibemus, quouſque ad ſatisfactionem veniant.* Apoſtatæ autem ſunt excommunicati ſicut & hæretici, vt dicitur extra. Ad abolendam, Legimus tamen fideles obediuiſſe apoſtatis: ſicut

Dominiũ eſt de iure gentium quod eſt ius humanum.

Domini qui ſemel fidem ſuſceperunt, poſſunt ſententialiter ab eccleſia priuari dominio in ſubditos fideles, imo cum primum denũciantur excommunicati, ſubditi ſunt abſoluti a iuramento fidelitatis.

quo erat: quibus ait: Nolite mihi auferre, quod non poteſtis conferre, hoc dicebat de ſolis ſplendore, quē ei retinebant vmbra ſua. Quærentibus autem illis cur cyphum proiecerat, ait quod doctus fuerat de beneficio quod natura ei præbuerat, neſciens quod dediſſet ei natura de manibus cyphum, cum autem illi ſe dicerent ſeruos eſſe & nuncios magni Domini Alexandri, inquiſitus quis ipſe eſſet, reſpondit quod maior eſſet domino eorum, cum ipſe eſſet dominus dominorum ſuorum. Ductus ad Alexandrum, probauit hoc ei ſic, quia ipſe ſibi ſubiecerat & abiecerat mundum, & in ſeruitutem redegerat corpus proprium, & ſibi ſubiecerat ita cor ſuum, vt non ſeruiret ei faciendo eius voluntatem, ſed potius eum arctauerat ad faciendum & ſequendum quod ipſe volebat. Quibus omnibus quia ipſe Alexander quaſi ſeruus dominis ſeruiebat, & ſubditus erat, merito dicebat quod erat dominus dominorum ſuorum.

Exemplaris inſtructio. QVINTO nos mouere debet exemplaris inſtructio. Primo docet nos exemplum Chriſti, qui potius fugit regnum ſibi oblatum quam crucem, immo vt dicitur Ioh. 6. *Cum vellent eum rapere vt eum regem facerent, fugit ſolus.* Cum autem ad mortem eum quærerēt, eis ſe obtulit dicens, Ioh. 18. *Ego ſum* &c. Item beatus Hiero. fugit Romanum cardinalatum, & abiit profugus in Aegyptum. Item Aug. dicitur quod fugiebat ab omni ciuitate quæ non hebebat epiſcopum, ne in epiſcopum raperetur, qui etiam inuitus à Beato Valerio Hipponenſi epiſcopo eſt presbyter ordinatus.

Exemplum. ITEM de B. Ambroſio legitur, quod cum eſſet miſſus apud Mediolanum iudex nondum baptizatus, cum mortuo epiſcopo vrbis ſeditio eſſet populi in eccleſia, intrauit eam Ambroſius ad populum ſedādum: vox infantis ſonuit in eccleſia vt Ambroſium eligerēt; ad quam vocem in eum omnes conſentiunt, qui fugiens ab eccleſia, aſcendens tribunal, promittens tormenta electoribus ſuis; cum nec ſic ceſſarent, ait: *Philoſophiam ſequar niſi quieueritis*. Cum nec propter hoc permitterent, quaſdam meretrices fecit ad ſe ingredi, vt ſic ceſſarent. Cum autem de nocte egrederetur furtiuè de Mediolano, & fugeret; Deo volente, per errorem noctis, in mane in porta vrbis Mediolanen. inuentus, & captus, & baptizatus, die octaua in epiſcopum eſt ordinatus.

Exemplum. ITEM de Beato Greg. legitur, quod cum eſſet nobilis de genere ſenatorum, defunctis parentibus ſuis, mundi honores fugiens, & de patrimonio ſeptem abbatias fundans, factus eſt monachus; mortuo Papa Pelagio omnis populus Romanorum eum Papam elegit, & Mauritius imperator eum inuitum & renitentem confirmauit. Cum portæ vrbis ita ſeruarentur ne poſſet effugere, obtinuit à quibuſdam negociatoribus, vt eum intra dolium ſuper quadrigam educerent ab vrbe: & cum per triduum latuiſſet, cum Romanus populus ieiuniis & orationibus pro eo ſe affligerent, columna lucis tertia nocte vbi latebat ſuper eum deſcendit; per quam quidem incluſus, Angelos aſcendentes & deſcendentes vidit, & ſic ibi inuentus ad Papatum reductus eſt. Et ita Greg. pollens virtutibus, inuitus & coactus incedit ad regimē animarum. *Item in* vitiſpatrum de beato Arſenio legitur, quod cum eſſet maximus in curia imperatoris, & honoratus; & oraret quomodo ſaluus fieret, vox facta eſt ad eum dicens. *Arſeni fuge homines & ſaluaberis*: qui ex tunc fugit curiam & honores. *Item* B. Marcus euangeliſta, diſcipulus B. Petri Apoſtoli. abſcidit ſibi pollicem, ne ad ſacerdotalem honorem poſſet promoueri: ſed Deo volente factus eſt primus Alexandriæ patriarcha.

Exemplum. ITEM in vitiſpa. legitur, quod conuenerunt omnes ſancti ſeniores qui habitabant in Syth. & conſenſerunt vt pater Iſaac ordinaretur eis in presbyterum. Quod audiens dictus Iſaac fugit in Aegyptum, latens in quodam agro, indignum ſe reputans. Cum autem multi ſequerentur vt eum comprehenderent, fatigati ex itinere, dimiſerunt aſinum, qui viæ neceſſaria eis portabat ad paſcendum; qui paſcendo venit vbi ſenex latitabat, die autem illucente, requirentes aſinum ſuum, venerunt & inuenerunt eum in loco vbi ſenex latitabat; & admirantes Dei diſpenſationem, volebant eum ligare & conſtringere, & ſecum reducere. Senex autem non permiſit, dicens: Iam non poſſum vobis contradicere, quia forſitan Dei voluntas eſt; licet ſim indignus, vt ſic voluntas veſtra fiat.

Exemplum. AD idem eſt exemplum de priore Clareu. Ganfredo nomine, quod cū ipſe eſſet electus epiſcopus Tornacen. & ab Eugenio Papa, & beato Bernardo abbate ſuo cogeretur onus epiſcopatus illius accipere, proſtrauit ſe ad pedes beati Bernardi & clericorum in modum crucis, & ait. Monachus fugitiuus ſi me eligitis eſſe potero, epiſcopus nunquam ero. Cui laboranti in extremis quidam monachus aderat, qui multum eum dilexerat, & ait ei. Adiuro te per Deum chariſſime, quod ſi Deus tibi conceſſerit, certifica me de ſtatu tuo poſt mortem. Qui cum poſt mortem eius oraret proſtratus ante altare, apparuit ei dictus Ganfredus dicēs, quod ipſe erat quem adiurauerat. Cum autē ille quæreret, quomodo eſſet ei, reſpondit: Bene per Dei gratiam. Verūtamē eſt mihi à beata Trinitate reuelatum, quod ſi fuiſſem de numero epiſcoporum, eſſem de numero reproborum & damnatorum.

6. Mala mortis incurſio. SEXTO mouere nos debet malæ mortis incurſio; quia ambitioſi frequenter, turpiter & ſubito moriuntur; quod patet ex multis Bibliæ locis. Ex Numeri 16. patet per exemplum Chore & ſuorum, qui ambientes ſacerdotium, ſubito à terra abſorpti ſunt, & in infernum deſcenderunt. Item Iud. 9. per exemplum Abimelech, qui à muliere eſt excerebratus, percuſſus ſubito lapide, & à gladio armigeri percuſſus & occiſus. Item de Abſalon qui ambiebat regnum, qui ſuſpenſus per capillos à Ioab, tribus lanceis eſt perforatus. 2. Re. 18. de morte Adoniæ, qui dixerat. *Ego regnabo.* 2. Reg. 1. Item. 2. Mach. 7. De ambitione Alchimi, de morte eius deteſtabili, quomodo paraliſi percuſſus obmutuit.

Exemplum. DE inopinata & turpi morte ambitioſorum refert Gotfridus Pariſienſis, quod cum Darius eſſet victus ab Alexandro & fugeret à facie eius, quidam ſerui eius in fauorem dicti Alexandri, confoſſum Darium ſemiuiuum reliquerunt. Cum autem hoc fuiſſet Alexandro intimatum, fecit præconiſari, quod quicunque hanc vindictam de aduerſario ſuo ei feciſſet, ſi hoc ei notum eſſet, ſuper omnes homines eos exaltaret. Cum autem illi, credentes ſe ſuper omnes honorem habere, ſe manifeſtauerunt, eos Alexander ſuper omnes altius ſuſpendit, vt ſui terrerentur, ne de eo ſimilia attentarent.

ITEM in lib. Fa. 4. cap. 6. legitur quod magna erat contentio quiſnam beato Thederico deberet ſuccedere in epiſcopatu Ligone. Cum autem Thedericus per regis Francorum violentiam eſſet expulſus, quidam Silueſter ei ſubſtituitur, qui dum res epiſcopales occupaſſet, & apud Lindo. iret pro epiſcopali benedictione ſuſcipienda à beato Niceno Archiepiſcopo, epilentico morbo correptus, cum per duos dies continuos mugitus dediſſet, tertia die ſpiritū exhalauit. Poſt hunc autem elegerunt Lingonenſes Papulum, qui fuerat Archidiaconus Eduenſis, quem multa iniqua egiſſe dicunt; qui cum octauo epiſcopatus ſui anno dyœceſim ſuam viſitaret, dormienti apparuit beatus Thedericus, dicens vultu minaci: Quid hic ita agis, quid ſedem meam polluis Papule? quid eccleſiam peruadis? quid oues diſpergis? cede loco, relinque ſedem, abſcede longius à regione: Hæc dicens, cum ictu valido virgam quam habebat in manu eius pectori impulit; ex quo euigilans, dum cogitat quid hoc eſſet, dolore maximo in loco illo in quo depulſus fuit virga paſtorali affligitur, cibum & potum abhorret, & mortem proximam præſtolatur; & in his afflictionibus cum die tertia ſanguinem ore proijceret, cum eo ſpiritum exhalauit.

7. Æternæ mortis inflictio. SEPTIMO mouere nos debet æternæ mortis inflictio. Baruch. 3. *Vbi ſunt principes gentium* &c. Et poſt.

obiecta: Vnum principale, scilicet bonitatem diuinam, & aliud secundarium, scilicet bonum proximi. Schisma autē, & alia peccata quæ sunt in proximum, opponuntur charitati quantum ad secundariū bonum, quod est minus quam bonū fidei, quod est ipse Deus. Et ideo ista peccata sunt minora quam infidelitas. Sed odium Dei quod opponitur charitati, quantum ad principale obiectum, non est minus, tamen inter peccata quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum, quia est contra spirituale bonū multitudinis.

Schisma opponitur charitati quoad secundariū obiectū quod est bonū proximi & sic est minus peccatum quam infidelitas, ēsto sit maximum inter ea quæ sunt ad proximū.

Ad tertium, scilicet *vtrum schismatici habeant aliquam potestatem*, dicendum quod duplex est spiritualis potestas. Vna quidem sacramentalis, alia iuridictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquā consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes ecclesiæ sunt immobiles, manente re quæ consecratur; sicut patet etiam in rebus inanimatis. Nā altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum? Et ideo talis potestas secundum suā essentiā remanet in homine, qui per consecrationem est eam adeptus, quamdiu viuit, siue in schisma siue in hæresim labatur; quod patet ex hoc quòd rediens ad ecclesiam non iterum consecratur. Sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundum quod mouetur à potestate superiori, vt etiam in rebus naturalibus patet; Inde est quod tales vsum potestatis amittunt, ita scilicet quòd non licet eis sua potestate vti. Si tamen vsi fuerint, eorum potestas effectum habet in Sacramentalibus, quia in his homo non operatur nisi sicut instrumentum Dei. Vnde effectus Sacramentales non excluduntur propter culpam quancunque conferentis Sacramentum. Potestas autem iurisdictionalis est, quę ex simplici iniunctione hominis cōfertur, & talis potestas non immobiliter adhæret. Vnde in schismaticis & hæreticis non manet, vnde non possunt absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi quod si fecerint, nihil est actum. Cum ergo dicitur tales non habere potestatem spiritualem, intelligendū est, vel de potestate secunda; vel si referatur ad primam potestatem, nō est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum vsum eius.

Haretici & schismatici retinet potestatem spiritualē sacramentalē. sed non iurisdictionalem.

Ad quartum, scilicet *de pœna schismaticorū*: dicendum quod per quæ peccat quis, per ea debet puniri, vt dicitur Sap. 11. Schismaticus autem, vt ex dictis patet, in duobus peccat. *In vno* quidem, quia separat se à cōmunione mēbrorū ecclesiæ; & quantū ad hoc conueniens pœna schismaticorum est vt excommunicentur. *In alio* vero, quia subdi recusant capiti ecclesiæ, & quia coerceri nolūt per spiritualem potestatem ecclesiæ, iustum est vt potestate temporali coerceantur. Et quia pœnæ vitæ præsentis medicinales sunt, ideo quando vna non sufficit ad coercēdum hominē, superadditur altera: Sicut & medici, diuersas medicinas corporales apponūt, quando vna nō est efficax. Et ita etiam ecclesia, quādo aliquis per excommunicationē sufficienter non reprimitur, adhibet coertionē brachij sæcularis. Sed si vna pœna sit sufficiens, non debet alia admiberi.

Conueniens pœna schismaticorum est excōmunicatio, sed si illa nō sufficiat. per brachium seculare coercendi.

Solutio obiect.

Quantumuis autem excommunicentur schismatici, tamen in articulo necessitatis posset aliquis recipere baptismum à schismatico, sicut dicit Aug. in lib. cōtra Donatistas; quia melius est de hac vita cū signo Christi exire, à quocunque detur, etiamsi sit Iudæus vel paganus, quā sine hoc signo, quod per baptismū confertur. *Item* per excōmunicationē non interdicitur illa cōmunicatio, per quā aliquis salubribus monitis diuisos reducit ad ecclesiæ vnitatem, cum & ipsa separatio quodammodo eos reducit, dum de sua separatione cōfusi, quandoque ad pœnitentiam adducuntur.

De impugnatione veritatis agnitæ.

DISTINCTIO XXXI.

Veritas triplex scilicet vita, doctrina & iustitia.

Deinde considerandum est de impugnatione veritatis agnitæ, qua scilicet aliquis ex certa malitia, veritati procaciter aduersatur. Est autem triplex veritas, videlicet veritas vitæ, doctrinæ, & iustitiæ.

Veritas vitæ in pluribus consistit.

Veritas vitæ consistit 1. in humili sui reputatione, quia *qui se putat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit*, 2. Corinth. 6. Superbus se reputat aliquid esse, humilis se iudicat nihil esse. Nam quanto se magis discutit, & defectus suos agnoscit, tanto se minus esse, & minus valere cognoscit. Bern. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione, ipse sibi vilescit. hęc est via veritatis sicut ait Ps. 85. Deduc me in via tua, scilicet humilitatis, & ingrediar in veritate tua. Si hanc viam dimisisti à veritate cadendo, sicut de diabolo dominus dicit Ioh. 4. Ille in veritate non stetit; ora cum propheta Psal. 118. dicens Viam iniquitatis amoue à me. Quomodo: Et in lege tua miserere mei: illa, scilicet lege quam dedisti delinquentibus in vias, id est delinquentibus veritatem, quorum vnus ego sum, qui à veritate cecidi. Sed nunquid qui cecidit non resurget? vtique; propter hoc viam veritatis elegi, id est humilitatem cordis, mē miserum sentiendo, & humilitatem oris, peccata propria confitendo, secundum illud Eccl. 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam.*

1. *In humili sui reputatione.*

Secvndo veritas vitę consistit in fideli dilectione, Dei videlicet & proximi. Dilectio Dei facit Deo deuote seruire, & ipsum feruenter & fideliter adorare, secundum illud Ioh. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Dilectio proximi facit vere sine fictione ipsum diligere, bonum eius optare, & eius miserijs condolere. Ideo dicitur. 1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate, vt & veritas dilectionis sit in corde, & probatio dilectionis in opere.* Ideo Prou 14. *Misericordia & veritas non te deserant.* Et 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.*

2 *In fide li dilectione.*

Tertio veritas vitæ consistit in sancta operatione, siue in sanctorum operum actione. Isai. 37. *Memento domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

3 *In sancta operatione.*

Qvarto consistit in aduersorum forti perpessione, vt scilicet homo in aduersis à veritate non deficiat. Sicut legimus de Thobia, qui in captiuitate positus, veritatis viam non deseruit. Tob. 1.

4 *In aduersorū forti perpessione.*

Veritas vitæ à mundanis multipliciter impugnatur, superbiendo, de se inaniter præsumendo, peccata sua non confitendo humiliter, sed potius occultando, vel improbè defendendo; proximos non verè sed simulatoriè diligendo, eisque in necessitate nec subuéniendo, nec etiam compatiendo. Ideò benè dicitur Oseę 4. *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra.* Nec mirum, quia *spiritum veritatis mundus non potest accipere* Ioann. 14. Vnde multi peruersi homines leguntur viros sanctos impugnasse, pro veritate vitæ pro eo quod eorum vitam pessimam arguebant. Vt Ioseph venditus fuit à fratribus, quia *accusauit eos apud patrem de crimine pessimo.* Genes. 38. *Iratus est rex Saul contra Ionathan filium suum, quia Dauid qui vere innocens erat excusabat.* 2. Regu. 20. Item quia Ioannes arguebat Herodem dicens; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*; ad preces Herodiadis misit eum in carcerem, & decollauit, Matt. 14.

Veritas vita à mundanis multipliciter impugnatur.

Veritas doctrinæ consistit in loquēdo veraciter. Zacha. 8. *Loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo.* Idem Eph. 4. *Item* in docendo seu exhortando vtiliter. Matt. 22. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces* 2. Ti. 2. *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Item* in corripiendo fideliter. 2. Ti. 2. *Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati nequando det eis Dominus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem. Item* In defendendo viriliter, vt scilicet homo veritatem doctrinæ defendat contra hæreticos & alios infideles, sicut fecerunt sancti martyres vsque ad mortem. Sicut dixit Dominus stans coram Pilato, imminente passione; Ioann. 18. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt*

Veritas doctrina in multis etiam consistit.

1. *In loquendo veraciter.*

2 *In docendo vtiliter.*

3 *In corripiendo fideliter*

4 *In defendēdo viriliter.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

teſtimonium perhibeam veritati. Prouer.12. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.*

Veritas doctrina multipliciter impugnatur.

ECONTRA multipliciter impugnatur hæc veritas, quia multi veritatem odiunt. Vnde Gal. 4. *Inimicus factus ſum vobis, verũ vobis dicẽs.* Inde eſt illud vulgare prouerb. *Veritas odium parit.* Inde veritatem non odiunt 2. Tim. 4. *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt* &c. Sequitur *Et à veritate quidem auditum auertent*, &c. *Item* veritatem non loquuntur, *quoniam non eſt in ore eorum veritas. Sciendum* autem quòd multi veritatem non loquũtur, alij quidẽ præ pudore cõfuſionis malè retrahente, Alij præ timore malè humiliante, Alij ex amore malè inflammante, alij ex dolore mentem deſolante.

Quidam nõ loquuntur veritatem præ pudore.

PRIMO quidem aliqui non loquuntur veritatem præ pudore malè retrahente. Sicut mulier ſuſpecta de adulterio, non audet recognoſcere ne confundatur. Et multi non audent confiteri peccata ſua, vnde minora dicũt, & ſubticent turpiora, vel non plenè, vel nõ planè & nudè dicunt. Contra quos dicitur Eccl. 4. *Pro anima tua non confundaris dicere verum.* Item prælatus vel prædicator malam habens vitam, & multorum conſcius peccatorum, non audet corripere de peccatis, in quibus ſe culpabilem eſſe ſentit. Sicut ſuper illud Pſalm. 118. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſque quaque*, dicit Gloſ. *Obmuteſcet eloquentia, ſi rea ſit conſcientia*; quaſi diceret: Non me permittas malam habere vitam propter quam non audeam dicere veritatem.

Alij præ timore.

ALII veritatem non loquuntur præ timore malè humiliante. Sicut latro coram iudice ne puniatur; & puer coram magiſtro ne verberetur; & multi ne perdant pecuniam, gratiam, vel amicitiam magnorum, ſubticent veritatem. Vnde multi timent magnis hominibus dicere veritatem, ne perdant eorum gratiam vel fauorem. Contra quos Gal. 2. dicit Apoſtolus, quòd *B. Petrus abſentibus Iudæis cum gentibus edebat; cum autem venirent, ſubtrahebat ſe, timens eos qui ex circunciſione erant.* Sequitur. *Sed cum vidiſſem quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus*, &c. Auſus eſt inferior ſuum ſuperiorem arguere. Vnde mirabilis fuit conſtantia libertatis in Paulo, ſed non minus mirabilis ſanctitas humilitatis in Petro, quia veritas parit odium, & veritas oditur, & veritatem dicentes odiuntur, repelluntur, perſecutiones, damna, & iniurias patiuntur, ideo iam non inuenitur Paulus nec Petrus, id eſt, inferior liber, & ſuperior humilis & patiens. Sed in perſona conſtantis viri dicit Plalm. 39. *Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam; & veritatem tuam à concilio multo*; in quo tamen ſolent multi & magni homines congregari: q. d. nec propter multitudinem nec propter magnitudinem perſonarum, tacui veritatem.

Alij ex amore.

TERTIO veritatem tacent aliqui, ex amore malè inflammante. Sicut multi vendendo & emendo, mendacia multa dicunt, ſicut patet ex dictis ſupra de fraudulentia. Item adulatores, qui ſemper volunt dicere placentia, & in omnibus quærunt habere gratiam, & fauorem non audent dicere veritatem. Vnde Seneca de beneficiis. *Demonſtrabo cuius rei laborant penuria etiam magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſeruum qui verum dicat.* Iſtud hodie ſatis appareat in curiis magnatorum. Item 3. Reg. 21. De Acha rege peſſimo, cui interroganti: *Ire debemus in Ramoth Galaad.* Reſponderunt quadrigenti prophetæ, qui credebant ei placare: Sic, ei victoriam promittentes. Solus Micheas dixit ei veritatem, & ideo miſſus fuit in carcerem, duriſſimè dietatus pane tribulationis, & aqua anguſtiæ. Similiter cum Xerxes bellum indiceret Græcis cum exercitu maximo, & apparatu infinito; & omnes conſiliarij ſui dicerent adulando, quòd Græcia nullo modo poſſit ei reſiſtere; ſolus Demaratus prædixit ei periculum; & quia non eſt ei creditum, Xerxes cum toto exercitu ſuo, confuſus eſt turpiter, & deuictus.

Alij præ dolore.

QVARTO veritatem non dicunt aliqui præ dolore mentem deſolante; quia videlicet de correctione non ſperant, ſed magis vt peccatores exaſperati deteriores fiant. Pſa. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*, &c. Hier. 20. *Factus eſt ſermo domini in opprobrium & in deriſum tota die: & dixi non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine eius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens.* Quod aliqui deteriores fiant poſt veritatem auditam, patet in multis exemplis inferius annotatis. Sic igitur declaratum eſt, quòd aliqui veritatem non loquuntur.

Quidam veritatem perſequuntur multipliciter

ITEM veritatem perſequuntur, vel occultè detrahendo, ſecundum illud Iob 6. *Quare deerauiſtis ſermonibus veritatis?* Sicut verbis Amos detraxit Amaſias Sacerdos. Amos 7. *Miſit Amaſias ſacerdos ad Ieroboam dicens: Rebellauit contra te Amos*, &c. *non poterit terra ſuſtinere omnes ſermones eius*, &c. *Vel* aperte contradicendo. Sicut Iudæi verbis Chriſti: Et ſicut Helimas magus Paulo Act. 13. *Vel* perſonam docentis vel corripientis perſequendo. Sicut rex Achab oderat Micheam, quia prædicebat ei veritatem 3. Reg. 22. *Ego*, inquit, *odi eum, quia non prophetat mihi bonum ſed ſemper malum, & miſit eum in carcerem. Item* Aſa rex Iuda miſit Ananiam prophetam in neruum, quia auſus fuit eum arguere ſuper hoc quòd confiſus fuerat de Benadab rege Syriæ 2. Paral. 16. *Item* ad imperium regis Ioas lapidatus eſt Zacharias filius Ioiadæ, qui regem & principes arguebat, pro eo quod dominum dereliquiſſent 2. Paral. 23. *Item* cum Achior dixiſſet magnalia quæ fecerat Deus pro filijs Iſraël, irati ſunt omnes magnates Holofernis, & volebant eum occidere; Holofernes etiam indignatus eſt Iudith. 5. & 6. *Item* Sedechias clauſit Hieremiam in carcerem dicens: *quare vaticinaris*, &c. Hieremiæ 32. *Item* librum prophetiæ de captione ciuitatis Hieruſalem miſit rex in ignem, & iuſſit Hiemiam & Baruc comprehendi Hieremiæ 36. Poſtmodum vero cum prophetizaret captionem ciuitatis eiuſdem, miſſus eſt in lacum in quo non erat aqua ſed lutum, deſcendit Hieremias in cænum Hiere. 38. *Item* Daniel pro veritate miſſus eſt in lacum leonum Dan. 13 *Item* cum dominus de multis argueret hypocritas Phariſæos, cœperunt illi grauiter inſiſtere, & os eius opprimere, de multis inſidiantes ei Luc. 11. *Item* Phariſæi cæco nato & illuminato maledixerunt, & extra Synagogam eiecerunt, pro eo quòd veritatem audebat aſſerere Io. 9. *Item* principes ſacerdotum audientes Apoſtolorum verba de doctrina Chriſti, cæſis denunciauerunt ne in nomine Chriſti amplius loquerentur. *Illi autem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam*, &c. Act. 5. *Item audientes Iudæi verba Stephani diſſecabantur cordibus ſuis*, &c. Actu. 7.

Veritas iuſtitia conſiſtit in quatuor.

VERITAS iuſtitiæ conſiſtit in quatuor, quæ ſimul notantur Iſ. 16. *Præparabitur in miſericordia ſolium eius, & iudex ſedebit ſuper illud in veritate iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt.* *Primo* namque notatur clementia rigorem contemperans; quia *vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas.* Quilibet iudex ſic debet eſſe iuſtus, vt clementiam nõ omitttat; ſic clemens vt iuſtitiam non relinquat. Et hoc optime dicitur in Pſal. 44. *Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam*, &c. Greg. *Regat diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem; & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta. Sit amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderate ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expedit parcens. Secundo* notatur tranquillitas, turbationis & iracundiæ motum ſedans, & hoc notatur in ſeſſione Iſ. 9. *Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit.* De ſummo iudice dicitur Sap. 15. *Tu autem domine cum tranquillitate iudicas. Tertio* notatur ſedulitas diſcuſſionis. Vnde Iob 31. *Cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam.* Quod exponens Gregor. *ait. Hic docemur, quòd ad proferendam ſententiam in*

1. *In clementia rigorem temperans.*

2. *In tranquillitate tram ſedans.*

iudi-

iudicio, nunquam præcipites eſſe debemus, ne temere indiſcuſſa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne paſsim ſine probatione credamus. Deu. 13. *Si audieris in vna vrbium tuarũ dicentes aliquos*, &c. Sequitur. *Quære ſollicitè & diligenter; rei veritate perſpecta, ſi inueneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores vrbis*, &c. *Quartò* celeritas deciſionis. Ioel. 3. *Cito velociter reddam vicißitudinem*, &c. Prouer. 22. *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit.* Et Eccl. 31. *In omnibus operibus tuis eſto velox*, &c. In iudiciis tamen non eſt ita feſtinandum quod præcipitanter & ſine debita deliberatione ſententia proferatur, nec tamdiu differendum quòd negocium interminabile videatur.

2. In ſedalitate diſcuſſionis.

4 In celeritate deciſionis.

Quales debeãt eſſe iudices.

QVALES debeant eſſe iudices pulchrè deſcribitur Exo. 18. *Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiã, & conſtitue ex eis tribunos* &c. *vt iudicent populum omni tempore. Prouide*, inquit, in quo inſinuatur, quòd non ſine magna deliberatione debent iudices inſtitui. *De omni plebe*, non ſolum de patria tua, domo, vel familiaritate, vel affinitate. *Viros* non muliebres; timidos, puſillanimes, negligentes, ſed viriles, & ſtrennuos. *Potentes*, non potentia temporali qua pauperes opprimant, ſed potentia virtuali, qua minus potentes protegant, & opprimentium poteſtati reſiſtant. Eccl. 7. *Noli velle fieri iudex niſi virtute valeas irrũpere iniquitates.* Sequitur. *Et timentes Deum.* Iudex qui timet Deum, non timet hominem, ita quòd propter hominem iudicet contra iuſtitiam, quia qui timet Deum nihil trepidabit. Item iudex timens Deum, & ſciens quòd ſi iniuſtè iudicauerit, ipſe iuſtè iudicabitur, horret incidere in iudiciũ Dei. Propter hoc Ioſaphat rex dicebat iudicibus 2. Paral. 20. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium ſed Dei: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit: ſit timor domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* Sequitur. *In quibus ſit veritas.* Iudex enim debet veritatem diligere, veritatem inquirere, & ſecundum veritatem in omnibus iudicare. *Et qui oderint auaritiam*; quia auaritia ſæpè peruertit iudicium, vt infrà patebit.

Veritas iuſtitia multipliciter impugnatur.

VERITAS iuſtitiæ multipliciter impugnatur. Nam à quibuſdam diſtrahitur & venialis efficitur; contra id quod dicitur Prouer. 23. *Veritatem eme, & noli vendere.* Et 28. *Qui cognoſcit perſonam in iudicio non bene facit, hic enim pro buccella panis deſerit veritatem.* Sed heu incuriis omnia venialia proponuntur, locus, tempus, acceſſus, audientia, iuſtitia, conſilium, patrocinium, verbum, ſilentium, ac etiam bonus vultus, &c. Require infra *de acceptione munerum.* Propter veritatem, Ioſeph venditur in Ægyptum. Et Chriſtus, qui veritas eſt Ioh. 4. *Ego ſum via veritas, & vita*; à diſcipulo venditur, & traditur occidendus.

1. Diſtrahendo

2. Protrahendo.

ITEM veritas protrahitur, nam quandoque veritati contradicitur, quod eſt contra Deum, rationem & iuſtitiam; & contra illud Eccl. 4. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo.* Si vero veritas ita ſit euidens quòd ei contradici non poſſit, quæruntur diffugia, ineuntur conſilia, dilationum tempora præſcribuntur, vt ſaltem quod negari non poteſt, in longa tempora differatur, vt vel mors interim ſupertueniat, vel occurrat infirmitas, vel laboribus & expẽſis fatigatus pauper; vel affectus tædio, vel de ſententia deſperatus, totum dimittere, vel cum aduerſario componere cõpellatur.

3. Incarcerando.

ITEM quidam veritatem incarcerant, & hoc contingit multis modis; quia vel perſona pauperis veritatem habens pro ſe, vel teſtes eius volentes perhibere teſtimonium veritati capiuntur, affliguntur, & carceri mancipantur, vel litteræ veritatis, vel inqueſtæ, de mandato principis pro veritate confectæ rapiuntur, detinentur, & nunquam poſtea videbuntur, vel munera in præiudicium veritatis accepta, puta vaſa aurea & argentea, iocalia pretioſa, & alia huiuſmodi detinentur, & in arcis, ſcrinijs, & cameris includuntur. Ro. 1. *veritatem Dei in iuſtitia detinent.*

A

4 Dilacerando

ITEM veritatem quidam dilacerant, & hoc ſolet fieri multis modis. Nam ipſa proſternitur & pedibus conculcatur, conculcata ſpoliatur, ſpoliata mutilatur, mutilata iugulatur. *Primo* quidem proſternitur; nã qui prius erant diuites fiunt pauperes; qui prius in equis curiam ſequebantur equos ſuos vendere, venditos expendere, & peditare coguntur; & plerunque equorum pedibus conculcantur: quandoque etiam diffamantur iniuſtè, vt ſic eis tanquam infamibus non credatur, & ſic veritas proſternatur. Ideo benè dicitur Iſ. 49. *Conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit, corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Nota, & expone. Item Dan. 8. *Proßernetur veritas in terram. Item* veritas proſtrata ſpoliatur, quia qui veritatem habet, bonis ſuis tẽporalibus ſpoliatur. Vel veritas ſpoliatur

B

quando per mendaces informationes iudex decipitur, vt veritas mendacium videatur, & quaſi veſte ſua denudata, aliena veſte & colore veſtitur. Vnde Ro. 1. *Veritatem Dei commutauerunt in mendacium.*

ITEM veritas laceratur, & membratim detruncatur. Multi enim vel veritatem non dicunt, vel non totam; ſed ſic diminuunt, quòd vix remanet pars integra, In iudicio veritatem pauperis recitando, partem quidem referunt, quæ videlicet minus facit ad rem, quod autem magis eſt neceſſarium reticent & occultant: vel veritatem diminuunt; quia corripiendo, prædicando, exhortando, nituntur dicere quod credunt placere auditoribus, & ſic non totam veritatem proferunt ne offendant, vel vni dicunt vnum, alij aliud, & ſic ſunt perſonarum acceptores: Vel membratim lacerant veritatem, quia oculos eius eruunt

C

ne videat, dentes frangunt ne mordeat, manus amputant ne poſſit contra eos aliquid operari, pedes ne poſſit quoquam procedere niſi ad voluntatem eorum, linguam præſcindunt ne loquatur, os obſtruunt quandoque tantis muneribus, quòd loqui vel clamare non poteſt. *Exemplum* de aduocato qui à duobus contra ſe inuicem litigantibus accepit munera, ab vno bouem, ab alio vero vaccam. Cùm eſſent ambo coram iudice, & aduocatus taceret; vnus dixit: *Bos loquere.* Reſpondit alius, non faciet, quia vacca non permittit. Sic ergo patet quomodo veritas laceratur. Ideò Pſalm. 11. *Saluum me fac domine quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.*

Exemplum.

D

ITEM veritas iugulatur, & occiditur. Sicut patet quòd Iſaias, Hieremias, omnes Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti; omnes etiam martyres *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.* Vnde caput martyrum Ieſus dicit Ioh. 8. *Quid me quæritis interficere hominem qui vera locutus ſum vobis.*

De obſtinatione.

DEINDE conſiderandum eſt de obſtinatione ſeu obduratione. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo de cauſa obſtinationis. Secundo de effectibus eius.

E

Quis dicendus obſtinatus.

CIRCA primum ſciendum, quod aliquis dicitur obſtinatus vel obduratus, quando pertinaciter & irreuocabiler eſt obfirmatus in malo. Sicut de Simeon & Leui dicitur Geneſ. 49. *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio, quia dura. Sciendum* autem quod ſicut aliquid materialiter obduratur multipliciter, videlicet ex forti adhæſione, longa cõgelatione, multa deſiccatione, magna malleatione; ſic cor impij obduratur in malo. *Primo* quidem forti adheſione. Sicut res aliqua fragilis fortiter adhærendo alicui duro & immobili, fit durum & immobile; vt oſtreæ fortiter adhærendo alicui ſaxo duro, fiunt immobiles contra mare; & duæ tabulæ forti glutino copulatæ, duriores fiunt & minus ſeparabiles, quam ſi eſſet quælibet earũ per ſe, & quãto diutius fuerint glutinatæ, tãto fiunt duriores. Sic etiã eſt de lapidibus & cemẽto. Simili modo mens

Obduratio contingit diuerſimode. Simile.

1. Ex forti adhæſione.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hominis vehementer adhærens culpæ, obduratur in culpa. Sicut de impiis conquerendo dicit dominus, Hier. 17. *Indurauerunt ceruicem ſuam ne audirent me, & ne acciperent diſciplinam.* Ideo dicitur Deut. 10. *Ceruicem veſtram ne indureris amplius.* Pſalm. 94. *Nolite obdurare corda veſtra.* *Secundo* obduratur aliquid longa congelatione Eccl. 43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua.* Et Iob 38. *In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur:* Ita cor hominis iniquitatum frigore congelatum, fortiter obduratur in malitia. Sicut de Behemoth dicitur Iob 41. *Cor eius congelabitur quaſi lapis. Sed quia potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ:* Matthæ. 4. ideo promittit Ezech. 11. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum,* &c. *Item* obduratur aliquid forti deſiccatione; ſicut lutum & terra arefactione, & later forti decoctione, Pſal. *Induret & arefcat.* Iſ. 43. *Induraſti cor noſtrum ne timeremus te.* Sicut terra, ſuper quã diu non cecidit nec ros nec pluuia, arefit & induratur, quia non recipit humorem roris nec pluuiæ; ſic mens hominis, quæ nec humorem gratiæ, nec pluuiam lachrymarum compunctionis vel pœnitẽtiæ recipit, deſiccatur. Sicut Pſ. 142. conquetur dicens. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, velociter exaudi me domine,* &c. *Item* induratur aliquid forti malleatione, ſicut incus quanto magis malleatur, tanto amplius induratur, Iob 49. *Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Et Exod. 7. *Induratum eſt cor Pharaonis.* Quanto enim plus flagellabatur à Deo, tanto plus indurabatur.

2. Ex longa cõgelatione.

3. Ex forti deſiccatione.

4. Forti malleatione.

Obduratio importat duo ſcilicet prauam voluntatem & ſubtractionẽ gratia.

Sciendvm autem quòd obduratio vel obſtinatio duo importat. *Primum* eſt motus voluntatis humanæ inhærentis malo, & ſic peccatum præcedens eſt cauſa obſtinationis: Nam ex peccatis quibus homo vehementer inhæret, meretur obſtinari. Aliud eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur quòd mens hominis non illuminatur ad rectè videndum nec emollitur ad recte viuendum: & ſecundum hoc Deus eſt cauſa excæcationis & obſtinationis. Ideo 1. Corint. 9. *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et Exo. 4. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Deus enim iuſto iudicio gratiam non infundit illi, in quo inuenit obſtaculum impiæ voluntatis.

Simile.

Effectus obdurationis ſunt facere hominẽ firmiter adhærere peccato, difficulter cõuerti &c.

Circa ſecundum ſcilicet *de effectibus obdurationis.* Sciendum, quòd quanto aliquid eſt durius, tanto fortius retinet impreſſionem. Sicut patet in lapidibus & metallis. Sic quanto mens hominis in peccato magis fuerit obdurata, tanto inſeparabiliùs adhæret ei peccatum. Vnde Hier. 17. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in vngue adamantino.* Adamas, vt dicitur, frangi non poteſt, niſi Hyrci ſanguine calido ſuperfuſo. Et cor hominis obdurati non ſcinditur ad compunctionem, niſi Chriſtus illud mirabiliter ſuo fuderit ſanguine pretioſo: immo frequenter Deum vocantem ad pœnitentiam contemnit. Ro. 2. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum durtiam autem tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Et Prou. 28. *Qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus.* *Item* quanto aliquid eſt durius, tanto difficilius penetratur ad nouæ impreſſionis receptionem: Ita cor hominis indurati difficilius immutatur per gratiã, immo reſiſtit ſpirituiſancto tangenti. Sicut dicitur Act. 7. *Dura ceruice & incircunciſi cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis.* O quam frequenter & piè tangit ſpiritusſanctus corda noſtra, & nos eius viſitationes & inſpirationes contemnimus. *Item* quanto aliquid eſt durius, tanto difficilius emollitur; Sic cor hominis obdurati vix emollitur ad pietatem, cum habeat impietatem in corde. Sicut de Nabal dicitur. 2. Reg. 25. quòd erat vir durus & peſſimus vnde nec precibus, nec beneficiis receptis, nec miſerabili ſtatu Dauid, motus eſt ad pietatem. Et de ſtrutione dicitur Iob 39. *Dura tur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui.*

Obduratus habet impietatem in corde, ore & opere.

Item habet impietatem in ore 3. Reg. 12. Reſpondit rex populo dura. Et quia *ſermo durus ſuſcitat furorem.* Prou. 15. Ideo *diuiſerunt ſe ab eo decem tribus, & diuiſum eſt regnum.* *Item* habet impietatem in opere, ſicut patet de Pharaone & Ægyptiis. Exo. 1. *Oppreſſerunt eos operibus duris luti & lateris.* Et Heſt. 14. *Dura vos opprimunt ſeruitute.* *Item* quanto aliquid eſt durius, tanto eſt procliuius ad cadendum; quia videlicet ponderoſius eſt, & materia magis compacta, ideo ſua grauitate deorſum tendit. Greg. *Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.* Ideo Prou. 28. dicitur, *Qui mentis eſt duræ, corruet in malum.* *Item* quanto aliquid eſt durius, tanto vehementius maleatur. Sic impius induratus, à Deo, non ad emendationem, ſed ad conſumptionem tunditur, & duriſſimè malleatur. Prou. 19. *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Hier. 30. *Plaga inimici percuſsi te caſtigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua.* verba ſunt Domini ad impium in inferno damnatum. Vnde ſequitur. *Quid clamas ad me ſuper contritione tua?* q.d. Si clamares fruſtra clamares, quia inſanabilis eſt dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci hoc tibi. Iſai. 27. *Viſitabit dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti,* &c. Et Eccl. 3. *Cor durum malè habebit in nouiſsimo.* Vnde Bernard. ad Eugen. *Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi fortè miſericors Deus abſtulit ab eo (iuxta prophetam) cor lapideum, & dederit ei cor carneum. Quid igitur cor durum? ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec monetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum, ad iudicia ſeuerum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentia non ordinans, futura non præuidens, & vt in breui horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.*

LIBRI III. PARS IV.

DE INVIDIA ET FILIABVS EIVS.

De inuidia ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

Consequenter conſiderandum eſt de ſecundo vitio capitali, quod eſt inuidia; quia ſicut ait Greg. 31. Mor. *Prima ſoboles ſuperbiæ eſt inuidia, quæ dum oppreſſam mentem corrumpit, mox inuidiam gignit; quia dum vani nominis potentiam appetit, ne illud alius valeat adipiſci, tabeſcit.* Circa inuidiam conſideranda ſunt duo. Primo de inuidia ſecundum ſe. Secundo de filiabus eius. Circa primum conſideranda ſunt duo. Primo quid ſit inuidia. Secundo quare ſit ſummopere deteſtanda.

Inuidia eſt triſtitia de alieno bono.

Circa primum ſciendum quod inuidia eſt triſtitia de alienis bonis, vt dicit Dam. lib. 2. Obiectum autem triſtitiæ eſt malum proprium. Sed quandoquè contingit bonum alterius apprehendi vt proprium malum, & ſic de alieno bono poteſt eſſe triſtitia. Et hoc contingit dupliciter. *Vno* modo quando triſtatur aliquis de bono alterius, in quantum ſibi imminet periculum alicuius nocumenti. Sicut quãdo triſtatur aliquis de exaltatione inimici ſui, timens ne per eum damnum, læſionem, vel iniuriã patiatur; & talis triſtitia non eſt inuidia, ſed magis timoris effectus. *Alio* modo quando bonum alterius apprehenditur vt malum proprium, inquãtum eſt diminutiuum propriæ gloriæ, excellentiæ, vel honoris; & ideo de bonis aliorum triſtatur inuidus, præcipuè de bonis illis in quibus eſt gloria, & in quibus appetunt homines honorari.

Circa ſecundum ſciendũ quod peccatum inuidiæ deteſtandum eſt multiplici ratione. *Primo*, quia inui-

dus

Peccatum inuidiæ est vitandū propter multa.

dus pro alterius profectu deficit. Dicit enim Aug. quod *inuidia est tristitia felicitatis alienæ.* Inuidus enim de bono dolet, & de malo gaudet, sicut diabolus. Inuidi enim sunt socij diaboli in lucro & damno, quando lucratur diabolus gaudent, quando perdit dolent, lucrum eius & damnum, suum reputant. Sap. 1. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Inuidia dicitur ab in, pro non, & videre, quia non potest videre bona aliorum. Vnde inuidus comparatur noctuæ vel vespertilioni. Greg. *Mens inuidi dum de alieno bono affligitur, quasi de radio solis obscuratur.* Vnde sunt multa exempla. Hostis enim callidus primo homini inuidit, quia ad beatitudinem, vnde ipse corruerat, ipsum posse peruenire cognouit. Cayn fratri suo Abel inuidit, quia sacrificium eius acceptum a Deo, suo spreto sacrificio intellexit. Hinc Esau ad persecutionem Iacob exarsit, quia ius primogenituræ, quod tamen ipse vendiderat, Iacob percepta benedictione patris obtinuit. Hinc Ioseph fratres sui vendiderunt, quia cognito reuelationis mysterio, ne se ipsis maior & melior fieret, eius exaltationem impedire conati sunt. vnde Gen. 37. dicitur; *Quod videntes fratres eius, quod à patre plus cunctis filijs amabatur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.* Item narrato somnio præsagio futurorum, quod fratres eius deberent eum adorare super terram. Sequitur. *Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit.* Saul etiam Dauid persequebatur, quia quem quotidie magnis virtutum successibus sensit augeri, vltra se crescere formidauit. Iudæi quoque Christum persequuntur, & perimunt; quia ipsum plusquam se honorari doluerunt. Dicitur enim Ioh. 11. *Collegerunt pontifices & Pharisæi consilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Et infra. 12. *Pharisæi dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus, ecce totus mundus post ipsum abijt.* Ideo inuidia stimulante tradiderunt eum Pilato. Sicut dicitur. Matth. 27. *Sciebat Pilatus quod per inuidiam tradidissent eum.* Ex his omnibus patet, quod inuidus de alterius profectu deficit, ideo profectum vel bonum alterius nititur impedire.

1. Quia inuidus pro alterius profectu deficit.

Exempla.

2. Aliorū bona corrumpendo inficit.

ITEM bona aliorum corrumpendo inficit. Est enim inuidia vitium venenosum, quod primo ipsum inuidentem inficit, deinde venenum suum circunquaque diffundit. Sicut aranea quicquid sugit in venenū conuertit; sic inuidus, omnia bona proximorum in deteriorem partem interpretando, corrumpit. Gregor. *Quamuis per omne vitium quod perpetratur, virus hostis antiqui humano cordi infundatur; in hac tamen nequitia, serpens tota viscera sua concurit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit.* Vnde bene dicitur Prouer. 14. *Putredo ossium inuidia.* Super quod Greg. ait. *Ossa per inuidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.* Qualiter inuidia sit putredo ossium patet, quia inuidus ita corruptus est, vt ei fœtentia redoleant, & redolentia fœteant; amara sunt ei dulcia, & econuerso. Vnde simi lis est huiusmodi infirmanti, cui etiam boni cibi sunt contrarij, quia sicut mundis omnia munda sunt, ita inuidis omnia sunt immunda.

3. Inuidia stultum efficit.

ITEM inuidia stultum efficit. Stultus enim est, qui vestes suas dilaniat, carnem propriam lacerat, alio sibi dante alapam, manum propriam amputat, oculum sibi eruit, vt alij similiter vnus eruatur. Talis est inuidus, qui alijs inuidendo sibiipsi soli nocet, & si aliquis damnum temporale fecerit, ipse sibiipsi infert damnū spirituale. Vnde Prosper. in lib. de vita contempl. dicit: *Inuidus qui alienum bonum, suum facit inuidendo peccatum, nulla videtur ad inuidendum concupiscentia prouocari, sed tantum superbiæ morbo vexari.* Sequitur. *Inuidi, sanctæ viuentium merita, sua faciunt esse peccata.*

4. Bonis omnibus spoliat.

ITEM inuidia bonis omnibus spoliat, sicut docet Greg. *Inuidia cum mentem tabescerit, cuncta quæ inuenerit bene gesta consumit.* Sicut enim homo ex charitate meretur in omnibus suis & aliorum operibus, in suis operando, in aliorum complacendo vel congaudendo: ita inuidus in omnibus demeretur. Item sicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Rom. 8. Ita inuidis omnia cooperantur in malum.

5. Animū cruciat.

ITEM inuidia animum cruciat. Inuidus enim de lętitia tabescit, de sanitate languescit, de pinguedine marcescit. O insania & stultitia, inuidia de alieno vulnere suum vult sanare vulnus, sanitatem quærit in aliena infirmitate, bonum in alieno malo, quod idem est ac si quæreret ignem in aqua, & aquam in igne, in spinis vuas, & in tribulis ficus. Aug. *De aliena pœna quærit sibi medicamentum, & de salute acquirit grande tormentum.* Inuidia enim est ægritudo animi, vel tristitia de fœlicitate alterius. Iustum est vt inuidus torqueatur, qui non quęrit nisi malum: & malum iudicat & suspicatur, vbi malum non est. Poëta: *Iustius inuidia nihil est, quæ primit us ipsum Corrodit auctorem, excruciatque suum.* Exemplum de rubigine quæ consumit ferrum, & de verme & tinea, quæ de ligno & veste nascentes, corrodunt illa de quibus nascuntur. Seneca: *Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures & oculos haberent, vt de omnibus profectibus torquerentur.* Quam inuidi torqueātur, ponit B. Grego. signa dicens: *Cum deuictum cor lineris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant quam grauiter animum instigat vesania: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumque in latebris absconditur odium, dolore cæco terebrat conscientiam vulnus inclusum, nil lætum de proprijs libet, quia tabescentem mentem sua pœna fauciat, quem torquet fœlicitas aliena.* Nec solum magistrum torquet inuidia, sed etiam alios quibus inuidēt; detrahendo, diffamando, conuiciando, & quod deterius est, etiam crimina mendaciter imponendo. Exēplum de Ioseph & fratrib. eius. Gen. 49. *Exasperauerunt eum & iurgati sunt, inuiderunteque illi habentes iacula,* scilicet linguæ suæ.

6. Peruertit iudicium.

ITEM inuidia peruertit iudicium. Nam malum dicit bonum, & econuerso. Contra tales dicitur. Isa. 3. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Tales conuertunt aurum in cuprum, & vinum in aquam, aquam in lutum, diem in noctem, argentum in scoriam, oleum in amurcam, granum in paleam, mel in absynthium, gaudium in mœrorē, rosam in spinas, balsamum in sterquilinium, electuarium in venenum.

7. Occidit paruulum.

ITEM inuidia occidit paruulum, Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia.* Super quod Greg. *Paruulus est qui inuidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret, inuidere enim non possumus, nisi eis quos in aliquo meliores esse putamus.* Paruulum ergo occidit inuidia spiritualiter & æternaliter. vnde Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*: quia paruulus est qui terrena diligit, magnus qui æterna concupiscit. Non inconuenienter paruulum occidit inuidia, quia huius pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desiderijs infirmatur. De malis quæ facit inuidia loquens Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, ait: *Inuidus qui alienum bonum, suum facit esse supplicium, nulla videtur concupiscentia prouocari, sed tantum superbiæ morbo vexari: sed si animi eius pestem qua præcipitatur incensus, subtiliter atteque rimemini; inuenietis eum & perditionis ē-ius cupedine, cuius opprobrium vel interitum cupit, & superbiæ malo teneri, quo iugiter ingemiscit sibi meliorem, cui inuidet anteferri. Quis facile potest hoc malum verbis exprimere, quo inuidus odio hominis, persequitur diuinum munus in homine, cum potius homo amari debeat etiam pro sui meriti sanctitate. Inuidus tantos habet iustæ pœnæ tortores, quantos inuidiosus habuerit laudatores. Siquidem inuidiosum causa facit meriti, inuidum pœna peccati; nec ei potest ab homine adhiberi remedium, cuius est vulnus occultum.* Sequitur: *Inuidi quicquid boni fieri à sanctis audiunt, aut omnino non credunt, aut res bene gestas in malum malè interpretando conuertunt: omne malum quod de eis mendax fama iactauerit, statim tanquam si ipsi viderint credunt; feraliter eis qui illud verum non esse probare voluerint, contradicunt, omnia suis*

æmulis fingunt, eorum profectibus deficiunt, odia intra se abscondunt, & in suos cruciatus enutriunt, proficientibus insuper inuident, peccantibus fauent, de malis bonorum gaudent, de profectibus lugent, inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent: semper amari, semper cæci, amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi, ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vtrobique perversi. Domum inter amicos discordias seminant, discordantes si possunt in dissensione confirmant, opiniones bonorum mendacijs decolorant, in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant: amicitias simulant, vt eos qui se eis incautè cõmiserint quæ possint arte decipiant: odiorum opinionem pravis sibi suspicionibus coacervant, dæmones quorum sectantur sacta lætificant, sanctos viros quibus sunt noti contristant, velut amici in obsequio, hostes in animo, corrupti in verbo, turpes in facto, prodigi secretorum, tenaces malarum suspitionum. Considerate qualiter invidos punitura sunt sua mala, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando malis bene vsuri sunt, qui male bonis vti non desinunt. Hucusque Prosper. Propter hæc omnia bene dicitur. Eccl. 14. *Nequam est oculus invidi.*

De prima filia inuidiæ.

DISTINCTIO II.

Filia inuidia sunt octo.

DEINDE considerandum est de filiabus inuidiæ. Et primo de ipsis in generali. Secundo de singulis earum in speciali. *De primo* sciendum, quod inuidiæ filiæ sunt octo. Prima est exultatio in aduersis proximi. Secunda est tristitia de prosperis eius. Tertia est detractio. Quarta est susurratio. Quinta est derisio. Sexta temerarium iudicium, vel falsa suspicio. Septima falsum testimonium. Octaua est odium. Harum autem numerus sic potest sumi. Quia in conatu inuidiæ est aliquid tanquam principium, aliquid tanquam medium, & aliquid tanquam terminus. Principium quidem est vt aliquis diminuat in occulto gloriam alterius, & sic est susurratio. Vel manifeste, & sic est detractio. Medium autem est, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, & sic est exultatio in aduersis; aut non potest, & sic est afflictio in prosperis. Terminus autem est in ipso odio; quia sicut bonum delectãs causat amorem, ita tristitia causat odium. Afflictio autem in prosperis proximi, vno modo est ipsa inuidia, inquantum aliquis tristatur de prosperis alicuius, secundum quod habent aliquam gloriam. Alio vero modo est filia inuidię, secundum quod prospera proximi eueniunt contra conatum inuidentis, qui ea nititur impedire. Exultatio autem in aduersis non est directè idem quod inuidia, sed ex ea sequitur; quia ex tristitia de bonis proximi, quæ est inuidia, sequitur exultatio de malis eiusdem.

De filiabus inuidiæ in speciali.

1. *Exultatio in aduersis proximi.*

DEINDE considerandum est de filiabus inuidiæ in speciali; & primo de lætitia vel exultatione in alieno malo. Hoc peccatum est contra naturam; quia obiectum gaudij est bonum, & obiectũ tristitiæ malum, omne enim malum naturaliter habet rationem tristabilis, & ideo contra naturam est gaudere de malo.

2. *Tristitia de bonis proximi, quæ potest oriri quadrupliciter, sed quartus modus dũtaxat ad inuidiã pertinet.*

DEINDE considerandum est de dolore vel tristitia de bonis proximi. Sciendum autem quod tristitia de bonis proximi potest oriri quadrupliciter. *Vno modo* quando aliquis dolet de bono alicuius inquantum timetur ex eo nocumentum, vel sibiipsi, vel etiam alijs bonis, & talis tristitia non est inuidia, & potest esse sine peccato. Vnde Grego. 22. moral. *Euenire plerumque solet vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, vursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet, cum & irruente ea, quosdam bene erigi credimus, & persistente illa, plerosque iniustè opprimi videamus. Alio modo* potest aliquis contristari de bono alterius, non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo quod nobis deest bonum illud quod ipse habet; & hoc est propriè zelus, vt philosophus dicit in secundo Rhetoric. & si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundum illud 1. Cor. 14. *Æmulamini spiritualia.* Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato. *Tertio modo* tristatur aliquis de bono alterius, inquantum ille cui accidit bonum est eo indignus, quæ quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis iustus efficitur. Sed sicut philosophus dicit in secundo Rhetoric. est de vitijs, & de talibus quæ possunt prouenire dignis & indignis, & hæc tristitia secundum ipsum vocatur Venetis, & pertinet ad bonos mores. Sed hoc ideo dixit quia considerabat ipsa bona temporalia secundum se, prout possunt magna videri non respiciẽtibus ad æterna, sed secundum doctrinam fidei, temporalia bona quæ indignis proueniunt, ex iusta Dei ordinatione disponũtur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem, & huiusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura quæ seruantur bonis, & ideo huiusmodi tristitia prohibetur in scriptura, secundum illud Psalm. 36. *Noli æmulari in malignantibus neque zelaueris facientes iniquitatem.* & Psalm. 72. *Penè effusi sunt gressus mei quia zelaui super iniquos.* Quarto aliquis tristatur de bonis alicuius inquãtum alter excedit ipsum in bonis, & hoc propriè est inuidia, istud semper est prauum, vt dicit philosophus secundo Rhetoricor. quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bonis proximi.

Inuidia aduersatur charitati & Spiritui sancto & ideo vix est remissibilis.

INVIDIA contrariatur charitati, quæ maxima est & optima virtutum, quæ in omnibus lucratur, congaudendo de bonis, & compatiendo de malis. Econtra inuidia perdit in omnibus, dolendo de bonis, gaudendo de malis: immo & spiritui sancto, & diuinæ bonitati resistit & aduersatur. Vnde hoc peccatum vix est remissibile, quia impugnat agnitam veritatem, fraternã charitatem, & diuinam bonitatem. *Item* quod inuidi sint pessimi patet ex hoc, quod bonum naturaliter est communicatiuum sui, ideo Deus summè nobilissimus & optimus prædicatur, quia summè communicatiuus est suæ bonitatis, vt sol inter corpora cælestia, ignis inter elementa, leo inter animalia, lux inter accidentia. Econtra inuidus vilissimus potest dici, quia nõ solum non communicat sua, sed etiam de communicatione facta proximo dolet, vndecunque proueniat, vnde tales miseri iam videtur esse dànati, quibus bona cedunt in malum, & aliorum gaudia in tormentum.

Inuidi sunt pessimi quod non sunt sui communicatiui, imo dolent de communicatione boni proximo facta.

De detractione.

DISTINCTIO III.

3. *Detractio.*

DEINDE de detractione. Circa quam cõsideranda sunt quinque. Primo quid sit detractio. Secundo quomodo sit peccatum mortale vel veniale. Tertio de comparatione eius ad alia peccata, quæ committuntur in proximum. Quarto vtrum detractionẽ audire sit peccatum. Quinto quæ mouere nos debent ad detractionis malum detestandum.

Quid detractio.

CIRCA primum sciendum, quod *detractio est alienæ famæ per occulta verba denigratio.* Ad cuius euidentiam sciendum, quod sicut facto nocere potest aliquis proximo dupliciter, scilicet manifestè, vt in rapina vel alia quacunque violentia patenter illata: & occultè, vt in furto vel dolosa percussione, ita etiam verbo lædit quis proximum dupliciter, manifestè valet, vt in contumelia, & occultè vt in detractione. Ex hoc autẽ quod aliquis manifestè profert verba contra proximum, videtur eum paruipendere, & ex hoc ipso exhonoratur, ideo cõtumelia detrimẽtũ infert honori illius in quẽ profertur. Sed qui verba profert cõtra aliquẽ in occulto, magis videtur reuereri, quã paruipẽdere vnde

non

non directè detrimẽtum infert honori, sed famæ; quia quantum in ipso est, facit illos qui audiunt malam opinionem habere de illo contra quem loquitur. Vnde patet quod contumelia differt à detractione in duobus. *Vno modo* quantum ad modum proferendi verba; quia contumeliosus loquitur manifestè, detractor occultè. *Alio modo* quantum ad finem intentum, siue nocumentum illatum, quia contumeliosus derogat honori, detractor famæ. Ideo in descriptione prædicta dicitur quod detractio est denigratio alienæ famæ.

Contumelia differt à detractione in duobus, primo quod illa agit manifestè, hæc occidtè, secũdo quia illa derogat honori, hæc famæ. Solutio obiect.

QVOD autem additur *per occulta verba*: sciendum, quod verba detractionis dicuntur occulta, non simpliciter, sed per comparationem ad eum de quo dicuntur, quia scilicet eo absente & ignorante dicũtur. Vnde si aliquis loquatur malè de alio coram multis eo absente, detractio est. Si autem eo solo præsente, B contumelia est. Quamuis etiam si quis vni soli loquatur malè de aliquo absente, corrumpit famã eius, non in toto, sed in parte.

Denigratur fama alicuius dupliciter scilicet directè & indirectè.

NOTA etiam quod potest alicuius fama diminui, & tamen nihil diminuitur de veritate, quia scilicet verum est quod dicitur. Denigratur enim fama alicuius duobus modis, scilicet directè, vel indirectè. *Directè* quidem quadrupliciter. *Vno modo* quando falsum imponitur alteri: *secundo modo* quando detractor peccatum adauget verbis suis, *tertio modo* quando occultum reuelat: *quarto* quando dicit mala intentione fuisse factum, id quod bonum est in suo genere. *Indirectè* vero denigtat aliquis famam alterius, vel negando bonum, vel ex malitia reticendo.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum detractio sit peccatum mortale vel veniale*: sciendum, C quod peccata verborum maximè sunt iudicanda ex intentione dicentis. Detractio autem secundum suam rationem ordinatur ad famam alterius denigrandam. Vnde ille propriè & per se loquendo detrahit, qui hac intentione de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam diminuat vel corrumpat. Amittere autem alicui famam suam est valde graue, quia inter res temporales fama videtur esse pretiosior, per cuius defectum homo à multis bonis agendis, obtinendis, vel acquirendis, impeditur: propter quod dicitur Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis tibi permanebit quam mille thesauri magni & pretiosi.* Et ideo detractio per se loquendo est mortale peccatum. Contingit tamen quod aliquis quandoque aliqua verba profert, vnde diminuitur fama alicuius, licet huiusmodi verba proferens nõ intendat diffamare, nec famam lædere, sed aliquid aliud. Vnde præter intentionem dicentis, sequitur diminutio famæ eius de quo verba dicuntur. Hoc autẽ non est detrahere per se & formaliter loquendo, sed tantum materialiter, & quasi per accidens. Et siquidẽ verba per quæ læditur alicuius fama, proferat aliquis propter aliquod bonum & necessarium, debitis circunstantijs obseruatis, non est peccatum, nec detractio debet dici. Si autem verba proferat ex animi leuitate, vel propter aliquid nõ necessarium, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum quod dicitur sit adeo graue, quod notabiliter lædat famam alterius, in his præcipuè quæ ad vitæ pertinent honestatem: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati E mortalis, & tenetur homo ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuscunque rei tẽporalis ablatæ. Si quis ergo peccatum, vel malam conditionẽ alicuius occultam reuelet, non intendens diffamare, sed propter eius emendationem denunciat ei qui prodesse potest & debet, vel propter bonum publicæ iustitiæ accusat, denunciat, vel reuelat, hoc non est detrahere: tum quia stultorum infinitus est numerus, pauci vero sunt qui per viam salutis ambulẽt: tum etiã quia pauci vel nulli sunt qui nõ aliquando verba proferant ex animi leuitate, per quæ fama alicuius quoquomodo, vel saltẽ leuiter minoratur. Ideo super illo verbo Pro. 14. *Cum detractoribus non commiscearis*, dicit gl. *Hoc specialiter vitio periclitatur penè totum genus humanum.*

Detractio per se loquẽdo est peccatum mortale.

Detractio materialis seu præter intentionem regulariter nõ est peccatũ mort. sed quandoque veniale quandoque nullum.

CIRCA tertium, scilicet *de comparatione detractionis ad alia peccata quæ committuntur in proximum*, sciendum, quod huiusmodi peccata potissime sunt pensanda secundum nocumenta quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autem maius est nocumentum, quanto maius bonum aufertur. Cũ autem triplex sit bonum hominis, scilicet bonum animæ, bonum corporis, & bonum exteriorum rerum. Bonum autem animæ quod est maximum non potest ab aliquo tolli nisi occasionaliter, puta per persuasionem, quæ necessitatem non infert. Sed & bonũ corporis, & bonum exteriorum rerum, possunt violenter auferri. Quia vero bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, ideo graviora sunt peccata quibus infertur corporis nocumentum, quã ea quibus nocumentum exteriorum infertur. Vnde inter cætera peccata, quæ cõmittuntur in proximum, grauius est homicidium, per quod tollitur vita proximi. Cõsequenter autem adulterium quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam peruenitur ad vitam. Consequenter autem sunt exteriora bona, inter quæ præeminet fama, pro eo quod spiritualibus bonis est propinquior. Vnde Prou. 26. dicitur: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Et Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis* &c. Et ideo detractio secundum suum genus grauius est peccatum quã furtum, tamen minus graue quam homicidium, vel adulterium. Potest tamen inter ista esse alius ordo propter circunstantias aggrauantes vel diminuentes. Per accidens autem attenditur grauitas peccati ex parte peccantis, qui grauius peccat si peccet ex deliberatione, quam si peccet ex surreptione, vel ex infirmitate, & secũdum hoc peccata locutionis, quæ ex lapsu linguæ proueniunt, lenitatem quandam habent respectu illorũ quæ sunt ex præmeditatione.

Detractio secundum se est grauius peccatũ quã furtũ, minus tamen graue quam homicidium vel adulterium.

CIRCA quartum, scilicet *vtrum peccet detractiones audiens nec resistens.* Sciendum, quod vt dicit Apostolus Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt peccata, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Consentire autẽ contingit dupliciter. *Vno modo* directè, quando scilicet aliquis inducit alium ad peccandum, vel quando placet ei peccatum. *Alio modo* indirectè, quando scilicet non resistit cum resistere possit: & hoc quandoque contingit, non quia peccatum placeat, sed propter aliquem humanum timorem. Dicẽdum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat, nec resistat, videtur detractori consentire; & ideo sit particeps peccati eius. Et siquidem inducat alium ad detrahendum, vel saltẽ placeat ei detractio propter odiũ eius cui detrahitur, non peccat minus quam detrahens, & quãdoque magis. Vnde Bern. dicit: *Detrahere an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Si vero peccatum non placeat audienti, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam, omittit repellere detrahentem: peccat quidem, sed multo minus quã detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque vero potest esse peccatum mortale, vel quia illi incumbit ex officio corripere detrahentem, vel propter periculũ inde sequens, vel propter radicẽ: quia timor humanus potest esse peccatũ mortale, puta si ex timore refugit aliquid quod est præceptum in lege diuina, vel facit quod est prohibitum, talis timor est peccatum mortale.

Qui audit detractorem nec resistit, fit particeps peccati illius licet nõ semper adeo graviter peccet ac ille.

ET nota, quod si ille cui detrahitur alijs referẽtibus audiat detractiones de seipso dictas: si patienter sustineat, eius patientia laudabilis est, & meretur: nam sui arbitrij est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum: sed nõ est sui arbitrij detrimentum famę alterius sustinere, immo in culpam ei vertitur, si non resistat si possit. In hoc enim eius patiẽtia non esset laudabilis, quia quilibet tenetur famam alterius seruare, & eam lædentibus obuiare si potest, vel saltem de læsione dolere. *Si autem* ille cui detrahitur vtilitatem suam inde faciat, quia per patientiã acquirit meritum apud Deum: hoc tamen non est de in-

Solutio obiect.

tentione

tentione detrahentis, ſed ex Dei ordinatione, qui voluit ex malis bonum elicere, & ideo nihilominus eſt detractoribus obuiandũ, ſicut raptoribus, & oppreſſoribus aliorum, quamuis ex hoc ſpoliatis vel oppreſſis quandoque meritum augeatur.

CIRCA quintum, ſcilicet *quæ nos mouere debent ad detractionis vitium deteſtandum*. Sciendũ eſt, quod detractio Deo, ſanctis & hominibus eſt exoſa. Rom. 1. *Detractiones Deo odibiles*. Prouer. 23. *Abominatio hominũ detractor*. Eccl. 5. *Deuoratio peſſima ſuper bilinguem*. Nec mirum ſi odibilis eſt detractor, quia videlicet eſt fæculentus plenus ſpurcitia, fraudulentus plenus verſutia, virulentus plenus nequitia, truculentus plenus ſæuitia.

Detractor eſt odibilis propter multa.

1. *Quia fæculentus. Simile.*

DETRACTOR inquam eſt fęculentus, ideſt fæcibus plenus, & immundus, quia ſcilicet in immunditijs cõuerſatur, de immunditijs loquitur, immunditijs paſcitur aliorum. *Detractor* ſimilis eſt aui Honocrotalo, qui neſcit cantare niſi cum roſtrum tenet in luto, & tunc dat ſtridorem pro cantu. Sic detractor cum tenet os in luto vitij alieni. *Similis* eſt muſcæ caninæ, quæ libenter tenet in mẽbro vlceroſo aculeum; & idẽ paſcitur ſanie libentius, quam ſano mẽbro. *Similis* eſt muſcæ quæ dicitur Oeſtrum, quæ ſub cauda iumenti paſcitur, & in poſterioribus brutorum roſtrum infigit. Sunt muſcæ Ægypti corrodentes in cruribus Pharaonem & ſeruos eius, ideſt prælatos, principes, & miniſtros eorum. Exod. 8. *Venit muſca grauiſſima in domo Pharaonis & ſeruorum eius, & corrupta eſt terra ab huiuſmodi muſcis. Item* ſunt fædi, quia immunda habent ora ad modum canum & porcorum, quibus cõparat eos dominus Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus. Item* in geſtis Romanorum pontificum legitur, quod ſecũdus Sergius Papa ante papatum vocabatur *Os porci*, poſt *Sergius*: hic conſtituit vt nomen Papæ mutaretur in bonũ nomen, in quo oſtẽditur quod prælati nõ debent habere ora ſordida, nec nomen malæ famæ.

Simile.

SVNT ſimiles canibus de macello, qui inſidiantur ſanguini mortuorũ animaliũ, & lãbunt eum, & habẽt dentes & os eorum ſordidos. Sic detractores habẽt os ſordidum peccatis mortuorum hominum. *Item* ſicut canes de macello olfaciunt poſteriora canũ aduenientium, & ſi eos inueniunt ſibi diſſimiles & extraneos, mordent eos dentibus, & contra extraneos ſibi cõueniunt, & lacerant eos, & à conſortio ſuo expellunt. Si autem ſibi ſunt conuenientes, eos ſibi coniungunt. Sic detractores, eorum diffidentes moribus, ab eorum ſocietate expellunt cum morſibus detractionis. Si vitiis eorum conueniunt, eos ſibi coniungunt.

Exemplum.

SICVT leguntur feciſſe beato Hieronymo quidam clerici & religioſi eccleſiæ Romanę, qui cũ eſſet Romæ presbyter cardinalis, nec malorum vitijs conueniret, ſed eos reprehenderet, licet ab omnibus dignus iudicaretur ſummo ſacerdotio, peruerſi inuidia moti ei detrahentes. & eum perſequentes, ab vrbe expulerunt. *Sunt* vt canes lunatici & rabidi, qui quos mordent intoxicant, & in rabiem conuertunt. *Sunt* canes proditores ſimiles ſcorpionibus, qui ante blandiũtur retro mordent & pungunt, ad modum canum calcaneo inſidiantes. *Sunt* ſimiles quibuſdã mõſtris, de quibus legitur in hiſtoria tranſmarina, & Anſelmus refert in libro de imagine mundi, quod in quibuſdam partibus orientis ſunt homines, habentes corpora humana & canina ora. Similiter ſunt quædam mulieres habitantes in quodam fluuio Indiæ, habentes caninos dẽtes. Deteriores ſunt canibus, quia canes dimitis Luc. 16. vlcera non mordebant, ſed lingebant. Iſti contrariũ faciunt. Iſti non comedunt ſolum carnes, ſed oſſa vt lupi atterunt.

Exemplum.

REFERT Petrus Alfonſus, quod cum duo ioculatores comederent coram rege quodam, alter volens confundere ſocium ſuum, latenter remotis carnibus à ſcutella ſua, impoſuit ibi ſtruem oſſium, & dixit regi: Domine fac quod iuſtum eſt. Iſte ſocius meus omnes iſtos (demõſtratis oſſibus ſuis) ſpoliauit veſtibus. Cui alter reſpondit: Domine & iſte cõtra naturã commiſit; poſtquã enim carnibus oſſa ſpoliauit, ipſa oſſa vorauit, & vtriſque ſcutellam ſuam nudauit. Sic detractores aliqui, non ſolum vitijs carnalium detrahunt, quaſi carnes comedendo; ſed oſſa deuorant, dum virtuoſis eorum operibus & virtutibus detrahunt. *Item* detractores ſunt canes, immo peiores canibus, nõ habentes vt alij linguam medicinalem, ſed peſtiferam & læthalem. *Item* ſunt ſimiles Cerbero infernali ianitori, qui dicitur a poetis Cerberus, quaſi carnes vorãs. deſcribitur ab eis ſub vno corpore habere multa capita canina, quia habent multos modos detrahendi.

Exemplum.

ITEM ſunt ſimiles illis ſeptem canibus de quibus in miraculis ſancti Andreæ dicitur, quod cũ beatus Andreas in Patras ciuitate prædicaret, dixerunt ciues illius, quod ad Chriſtum conuerterentur, ſi ab eis ſeptem dæmones expelleret, qui iuxta viam in ſepulchris habitabant, & tranſeuntes lapidibus obruebant. quos cum adiuraſſet vt venirent, venerunt in ſpecie ſeptem canum, quos præcepto ſuo expulit, & ciues crediderunt. Sic detractores ad modum canum oblatrantes, ſeptem modis trãſeuntibus immũdo peregrinis oblatrant, qui ſunt abijciendi. Ideo Phil. 3. *Videte canes, videte conciſionem, qui in* congregationibus ſe lacerant, ſimiles ſunt illis canibus, de quibus dicitur à pluribus, quod in Campania Franciæ iuxta montem Hyſmum, omnes canes patriæ circa annum domini Mileſimum ducenteſimum conuenerunt, & pugnantes mutuis morſibus ſe occiderunt. Gal. 5. *Si inuicem mordetis, videte ne inuicem conſummamini.*

Exemplum.

ITEM deteriores canibus rabidis; In hoc enim ſimiles eis, quod habent morſus venenoſos; ſed deteriores, quia hi canes fugiunt notos, & maximè dominos ſuos; ne furia cõmoti dentes in eos figant. Ecõtra detractores non parcunt notis, aut prælatis. Licet dicatur Deut. 27. *Maledictus qui clã percuſſerit proximũ ſuum.*

Simile.

Item ſunt ſimiles Porcis & Scarabæis qui ex ore ſuo ſtercora reuoluunt, & cõmedunt. *Item* Ranis, quæ in menſa Pharaonis, & in cibis erant. Exo. 8. Nõ eſt cõmunicandũ cum iſtis. *Detractoribus non commiſcearis &c.* Eccl. 13. Quæ cõmunicatio ſancti ad canem. Ideo beatus Auguſt. eis cõmunicare nolebat, ſed ſuper mẽſam ſuam ſcripſerat: *Si quis amat dictis abſentum rodere vitam, Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.* Et ſi aliquis forte in detractionis verbum ibi incidebat, dicebat ei vt ceſſaret, aut à menſa ſurgeret & verſus deleret. *Itẽ* ora detractorum ſunt ſepulchra patentia & fætentia. Pſ. 5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Sunt orcelli diabolici pleni aqua maledicta diaboli. Pſal. 13. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.* Lingua eorum eſt diaboli aſperſorium.

2. *Quia fraudulentus.*

SECVNDO detractor eſt fraudulentus, ideſt plenus verſutia, mordẽs retro ad modum canis proditoris, & ad modum ſcorpionis. Ezech. 2. *Subuerſores ſunt tecum & cum ſcorpionibus habitas.* Hier. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum iocuta eſt.* Pſal. 49. *Lingua tua concinnabat dolos. ſedens aduerſus fratrẽ tuum loquebaris* &c. Inſidiantur famæ hominis vt furẽtur eã. Eccl. 11. *Multæ inſidiæ doloſi* &c. Et poſt. *Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponit maculam*, ſ. infamiæ. Itẽ detractor tãto eſt deterior fure, quanto meliorẽ theſaurũ furari conatur. Oſeæ. 7. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus, cadent in gladio à furore iræ*; quia in arcu doloſo ſagitta emiſſa, ad oppoſitum rendit huius quod videtur. Similiter verbum detractionum, quod tanquam ſagittam mittunt in alios, quod videtur alios percutere, in detrahentes redit, & eos primo in anima occidit. Sicut legitur in paſſione ſanctorum Coſmæ & Damiani. Vbi cum lapides proijcerent in ſanctos Pagani, vt eos lapidarent, Dei virtute retroacti, eos qui immittebãt percutiebant, & cũ applicarentur curribus dicti fratres, & à quatuor militibus ſagittarentur, ſagittæ iuſſu Dei retroactæ, multos gentium aduerſantium peremerũt. Detractores vtuntur inſidijs vt retro mordeant. Pſalm. 55. *Ipſi calcaneum*

Exemplum.

meum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

m eum obſcruabunt. Calcaneus eſt inferior pars corporis, & quæ ſæpius eſt in luto. Et detractores nõ digniora, non meritorum & operum ſanctorum laudes cõſiderant, ſed infirmiora & quæ defectuoſa vidẽtur in homine, vt mordeãt ad modum ſerpentis; cui dictum eſt. *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Gen. 3. *Detractor* ſimilis eſt ſerpenti qui inſidiatur in ſemita, corpus in herba vel in arena occultans, vt dicit Iſid. & cornua quaſi pabulum extra demõſtrans, ad quæ cum veniunt animalia quaſi ad pabulum, retro inſilit, mordet, & occidit, de quo Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi.* Talis eſt detractor qui alios iudicat, retro mordens vt canis rabidus. Deuter. 27. *Maledictus qui clam percuſſerit proximum ſuum* &c. Pſal. 9. *Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem:* Quod faciunt qui accuſant pauperes apud tyrannos. B

3. *Quia virulentus.* TERTIO detractor eſt virulentus plenus nequitia venenoſa. Os enim detractoris ſimile eſt ori hydropici leproſi, vel latrinæ reſpiraculo, & inferni puteo, & ori draconis, à quibus exit fœtor, & flatus contagioſus, & venenoſus. Quidam dixit, non eſt curandum vtrũ detractores ab inferiori vel ſuperiori foramine intonẽt, quia non minus, immo lõge plus fœtent & inficiunt à ſuperiori, quam ab inferiori. Eccl. 11. ſerpenti cõparatur, vbi dicitur. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Pſal. 139. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes,* &c. *Simile.* *Similis* eſt detractor ſerpenti, de quo Geneſis 3. *Serpens erat callidior* &c. Hic ſub facie virginea, venenum malæ ſuaſionis infundit, per quod tota humana natura infecta eſt. Sic detractor primo faciem C virgineã oſtendit, cum bona intentione & pura dicere aſſerit quod detrahendo dicit. Talis eſt Pharoas ſerpens, ſicut dicit Iſidor. ſimilis ſibilo ſerpenti, ſic dicto, quia ſibilũ habet infectum. *Similis* eſt detractor Scelidro ſerpenti, qui terram per quam vadit, fumo mortifero & peſtifero fumare facit. Eſt quaſi ſeps ſerpens, qui priuſquam mordeat carnem, & oſſa conſumit. *Similis* Dipſæ vel Dipſadi ſerpenti, qui ita ſubtiliter pũgit, quod prius occidit, quam dolor ſentiatur.

Simile. ITEM ſimilis eſt Regulo ſerpẽti, qui fontem quem tangit inficit. Prouerbiorum 23. *Quaſi regulus venena diffundet.* Ideo dicit Auguſt. *Ne accommodes aures tuas ad percipiendum verba detrahentis, ne accipias mortem in anima tua: detrahenti enim & audienti animæ vtriuſque eſca mortis eſt detractio.* Bern. ad Eugenium papam. *Velle audire & detrahere, quid horum damnabilius ſit non facile dixerim.* Philip. *Diſcent non libenter detrahere, cum te viderint non libenter audire.* Ideo dicitur. Eccleſiaſt. 19. *Sepi aures tuas ſpinis, & ne audias linguam detrahentem:* quoniam lingua detractoris aures obiectas frequẽter rodit, & venenũ pro medicamento effundit. *Simile.* *Similis* Antigono, de quo dicit Ægyſippus in primo de cladibus Indæorum, quod aures auunculi ſui Hyrcani dẽtibus corroſit, ne ſacerdotio fungeretur; & medicum ei miſit ſub ſpecie pietatis, qui in eius auribus vulneratis venenum pro medicamẽto proditiosè infudit. Sic detractor proditor dicit ſe compati eis, quibus in auribus venenum detractionis effundit, cuius lingua plena eſt veneno mortifero, vt dicitur Iacob. 3. De hac materia habetur ſupra *de cuſtodia auditus.*

4. *Quia truculentus.* QVARTO detractor eſt truculentus plenus ſæuitia. E Quæ maior ſæuitia poteſt eſſe, quã quod homo multos, immo innumerabiles occidat, ac etiam ſemetipſum. Detractor autem occidit per malitiam animam ſuam, & charitatem fraternam extinguit in cordibus, plurimorum. Detractor monſtrum eſt, quod pro dentibus gladios habet. Prouerbiorum 30. Pſalm. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Bernard. *Lingua detractoris quaſi gladius, occidit enim vno ictu, & illum qui detrahit, & illum qui detractionem libenter audit, & illum quandoque cui detrahitur,* quando ſcilicet ad eius notitiam peruenit. *Detra-*
Simile. *ctio* eſt illud mõſtrum quod deſcribitur Dan. 7. Quod ſimile erat vrſo, & in parte ſtetit, tres habens ordines dentium, & in dentibus eius principes tres, quid dicebant vt comederent carnes plurimas. Vrſo ſimilis eſt detractor, qui eſt obſcurum animal, & obſcuro antro inſidiatur tranſeuntibus. Sic detractor *inſidiatur quaſi leo in ſpelunca ſua,* &c. Hæc beſtia in parte ſtat, quia aliqua bona & commendabilia dicit de perſona cui detrahit, vt melius ei credatur. Tres principes in dentibus eius ſunt, principes terreni, prælati eccleſiaſtici, & viri religioſi, quorum carnibus, ideſt carnibus operationibus conſueuerunt paſci. *Item* eſt illud monſtrum *Simile.* de quo Apoc. 12. *Draco magnus & rufus,* per malitiã, *habens ſeptem capita, nitebatur filium eccleſiæ maſculum deuorare.* Iſta ſeptem capita flammiuomi draconis ſunt ſeptem ſpecies detractionis, quæ euomunt flammam peſtiferæ ſuaſionis, & tentationis dicti draconis flammiuomi.

Septẽ ſpecies detractionis. SVNT autem huiuſmodi ſeptem ſpecies. Prima occulta mala publicare, ſecunda audita mala cum augmẽto proferre, tertia eſt crimina falſa imponere, quarta eſt bona occulta negare, quinta manifeſta bona vituperare, vel ex malitia reticere, ſexta bona in malum conuertere, ſeptima bona immiſcere malis, vel mala ſua alienis addere; vt cum ſe accuſat, & defectus ſuos dicit detractor, vt de alijs quæ ſubiũgit melius ei credatur, vel cum eum commendat, vt de malis quæ inferre nititur melius ei credatur, vel cum ſe ex compaſſione loqui teſtatur. *Detractores* ſunt culices, & mordaces cyniphes. *Item* ſunt ſanguiſugæ diaboli, humanum ſanguinem ſitientes & ſugentes; immo crudeliores ſunt feris, quia leoni leo parcit, lupus lupum nõ comedit, feræ parcunt rebus ſui generis. *Similes* ſunt Hyenis quæ ſepulta cadauera exhumant, nam ipſi in peccatis latentes propalant & deuorant.

Simile. ITEM ſimiles ſunt diabolo, qui crudelis eſt bonis, crudelior ſuis, crudeliſſimus ſibijpſi. Bonis crudelis eſt quia quorum vitã nõ poteſt mordere interius aut penetrare, fædare nititur exterius, infamãdo ſi poteſt, falſum crimẽ imponẽdo. Crudeliores ſunt malis, quorũ carnes, ideſt carnalia comedunt. Pro. 23. *Noli eſſe in cõuiuijs peccatorũ, & qui carnes ad veſcendũ conferunt.* Glo. *Carnes ad veſcendum proferre, eſt vitia proximorum in derogationem habere, vel dicere.* Iob 19. *Carnibus meis ſaturamini.* Quidam nutriuit lupum, quem factum priuatum, *Exemplum.* poſuit ad cuſtodiam ouilis. Quo dormiente venit ſilueſter lupus in ouile, & omnes oues iugulauit; quod aduertens dormiens domeſticus, cum eo pugnans occidit eum, & omnes oues iugulatas ſuper caput eius congregauit. Similiter detractor totum vnũ ouile deuorat religionem ſcilicet aliquam cui detrahit. Greg. ibi. *Qui alienæ vitæ detractione paſcitur, proculdubio alienis carnibus ſatiatur.* Detractor aliquando comedit epiſcopum vnum, vel Archiepiſcopum, vel vnã religionẽ, vel populum, quando eis detrahit. *Item* in vitis patrum, quidam ſenex dixit: *Melius eſt comedere carnes, & bibere vinum, quam in detractione comedere carnes fratrum.* Hier. 19. *Vnuſquiſque proximi ſui carnem comedit.* Ezech. 10. *Patres comederunt filios in medio tui.* Similes illis de quibus Anſelmus. *Et paratæ ſibi in cibum carnes, eorum reputant pietatem.* Vnde: *Sunt loca, ſunt gentes, quibus eſt mactare parentes Et mos & pietas, cum longa ſuperuenit ætas.* Hæc lex tenet apud detractores, qui detrahunt tam ſpiritualibus patribus quam carnalibus: vnde merito puniuntur in eo quod peccãt, quia præter hoc quod ſpiritualiter occidunt, frequenter & mala morte temporali plectuntur.

Exemplum. IN Anglia religioſus quidam, veſte non vita, habitu non actu, detractionibus aſſuetus, in extremis exiſtens, monitus & rogatus quod cõfiteretur, & de ſalute animę ſuæ ſollicitè cogitaret: Reſpõdit quod nõ faceret: Interrogatus quare? Dixit, quod non poterat. Cũ autẽ multis verbis, & perſuaſionibus moueretur, quod in hac extrema neceſſitate, tota mentis attentione, & cũ fiducia ſpei recurreret ad diuinã clementiã exlorandam, extrahens linguã, digito percuſſit eã, & dixit: Iſta lingua peſſima me damnauit. Quo dicto, lingua, ſic intumuit, quod vlterius eã reponere nõ potuit in os ſuũ;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& sic horribiliter expirans, omnib. detractoribus exẽplum damnationis ostendit.

Exemplum. ITEM inter miracula B. Greg. legitur, quod cũ post eius mortem inuasisset Romanam prouinciam, fames grauissima, pauperes religiosi venerunt ad eius successorem, rogãtes vt eorum inopiæ misereretur, quos Papa Greg. alere solebat. At ille eos vacuos semper dimittebat, dicens se nõ posse sufficere his quos Greg. pascebat ad augmẽtum suæ vanæ laudis. Cui cum B. Greg. ter apparuisset, arguẽs eum de sua tenacitate, & immisericordia, & detractione; nec tamen cor ad cõpassionem inflecteret, nec linguam à detractione cohiberet, nec manum ad misericordiam extẽderet; post tertiã apparitionẽ, postquam super hoc eum tertio arguisset, horribiliter apparẽs & cõminãs eum in capite percussit, quo dolore vexatus in breui vitã finiuit. *Itẽ* in vita beati Benedicti de turpi morte Florẽtij monachi.

Exemplum. ITEM in vita beati Ambrosij legitur, quod cũ gloriosus miraculis dictus sanctus in pace quieuisset, quidam sacerdos Mediolanensis in cõuiuio cum alijs sancto detraheret, subito graui vulnere percussus, & à loco conuiuij deportatus, cõtinuo expirauit. *Itẽ in* Chartaginẽsi vrbe, cum post mortem beati Ambrosij tres episcopi simul comederent, cum multitudine presbyterorum & clericorum, cum quidã episcopus audiens de factis beati Ambrosij ei detrahere inciperet, quidã retulit ibi de morte dicti presbyteri; dictus autẽ episcopus hoc audiẽs, simili vulnere percussus, & ad lectum deportatus, ipsa nocte diem clausit extremum.

De susurratione.

DISTINCTIO IV.

4. Susurratio. DEINDE cõsiderandum est de susurratione. Sicut autem dicit Isid. in lib. Ety. Susurratio de sono locutionis appellatur, quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur. Sciendum autem quod susurratio & detractio conueniunt in materia, & in forma, idest in modo loquendi; quia & susurro & detractor malum dicit de proximo, & propter hanc conuenientiã vnum pro alio quãdoque ponitur. Vnde Eccl. 5. *Non appelleris susurro*, idest detractor. Differunt tamẽ in fine, quia detractor intẽdit famã proximi denigrare: Vnde illa verba præcipuè profert de proximo, ex quibus diffamari possit, vel saltẽ diminui fama eius. Susurro autẽ intendit amicitiã separare, sicut patet in Gl. super illud Ro. 1. *Susurrones detractores* &c. *Susurrones sunt inter amicos discordiam seminantes, detractores qui aliorum bonam famam necant vel diminuunt.* Vnde Prou. 26. *Susurrone subtracto, iurgia cõquiescunt.* Et ideo susurro talia verba profert de proximo, quæ possint contra ipsum cõmouere animũ audiẽtis, secũdũ illud Eccl. 28. *Vir peccator conturbauit amicos, & in medio pacẽ habentiũ ponet inimicitiã.* Igitur sic patet, quod detractor non intẽdit dicere de proximo suo nisi malũ, vnde. s. possit proximus infamari. Susurro vero nõ simpliciter intẽdit malum dicere, sed quicquid sit illud quod possit animũ vnius cõtra aliũ perturbare, etiã si sit bonũ simpliciter, sed tamẽ apparens malum, inquantũ displicet audienti. Tales merito Dei maledictionẽ incurrunt: Sicut dicitur Eccl. 28. *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes.* Et benè dicitur bilinguis, quia dum amicitiã inter duos nititur rumpere, duabus vtitur linguis; vni dicẽs de alio vnde possit eius animum ad odium concitare. Hoc est inter septẽ, quod dominus præ cęteris detestatur. Pro. 6. *eũ scilicet qui seminat inter fratres discordias.*

Susurratio & detractio conueniunt quodãmodo in materia & forma, sed differunt fine: nam illa intẽdit amicitiam euertere, hæc famam.

De derisione.

5. Derisio. DEINDE considerandũ est de derisione. Circa quã tria consideranda occurrunt. Primo vtrũ derisio sit peccatũ. Secũdo vtrũ sit peccatũ mortale, & quãdo vel quomodo sit veniale, vel mortale. Tertio quę mouere nos debent ad hoc vitium detestandum.

CIRCA primum sciendum, quod cũ peccata verborum præcipuè sint pensanda secundũ intentionẽ proferentis, ideo secundũ diuersa quæ quis contra aliũ loquens intendit, distinguuntur huiusmodi peccata. Sicut autẽ aliquis cõuitiando intendit honorẽ conuitiati deprimere, & detrahendo famã diminuere, & susurrãdo amicitiã tollere; ita etiam irridendo, intendit aliquis derisо verecundiam seu erubescentiam generare. Vnde quia finis iste distinctus est ab alijs, derisionis peccatum distinctum est à præmissis peccatis secundũ finem, cõmunicat tamen cum eis in materia. Quia sicut de opere virtuoso meretur aliquis apud alios reuerentiã & famam, apud seipsum bonæ conscientiæ gloriam, secundum illud 2. Cor. 3. *Gloria vestra hæc est, testimonium conscientiæ vestræ*: Ita econtrario de actu turpi, idest vitioso, apud alios tollitur hominis fama & honor, & per hoc contumeliosus & detractor dicunt turpia de alio. Apud seipsum aut per turpia quæ dicuntur, perdit aliquis conscientiæ gloriam & quietẽ, per quandam cõfusionem & erubescẽtiam: & ad hoc & propter hoc derisor dicit turpia. Ex hoc enim aliquis erubescit, quia timet vel dolet dehonorari. Sicut dicit Damascenus lib. 2. *Erubescentia est dehonorationis timor.* Differt autem derisio à prædictis, quia derisio fit iocosè, alia vero serio proferuntur.

Derisio differt à contumelia & detractione, quia non intendit honorem aut famã tollere, sed verecundiã generare & deinde nõ fit serio vt illa sed iocose.

CIRCA secundum, scilicet *quando vel quomodo derisio sit mortale vel veniale peccatum*. Considerandum est quod non est derisio nisi de aliquo malo vel defectu. Malum autem si sit magnum, non pro ludo vel ioco accipitur, sed seriosè; vnde si in lusum vel risum vertatur, ex quo derisionis vel illusionis nomen imponitur, hoc est quia accipitur vt paruum. Potest tamen aliquod malum accipi tanquam paruum dupliciter. Vno modo secundum se: alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis malum vel defectum alicuius personę in lusum vel risum ponit, quod secundum se paruum malum est, veniale & leue peccatum est secundũ genus suum. Cum autẽ accipitur quasi paruum malũ ratione personæ, sicut defectus puerorum & stultorũ parum põderare solemus: sic aliquẽ deridere, & eum omnino paruipendere, & tã vilem æstimare, quod de eius malo nõ sit curandum, sed pro ludo potius sit habendum, sic derisio est peccatum mortale, & grauius quã cõtumelia, quæ similiter est in manifesto, quia cõtumeliosus videtur accipere peccatum alterius seriosè, illusor autẽ vel derisor in lusum: & ita videtur esse maior cõtẽptus & dehonoratio, & secundum hoc illusio grauius est peccatum, & tanto grauius quanto maior reuerentia debetur personæ quæ illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & ea quæ Dei sũt, secundum illud Isa. 37. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam*, & postea subditur: *Ad sanctum Israel.* Deinde secundum locum tenet irrisio parentum. Vnde Prou. 30. dicitur: *Oculũ qui subsannat patrem, & despicit partum matris, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Deinde derisio iustorum grauis est, quia honor est præmium virtutis. Et contra hoc dicitur Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas*, Huiusmodi autem derisio valde nociua est, quia per hãc homines à bene agendo impediuntur, & retrahuntur: sicut ait Gre. *Qui malorũ actibus exoriri bona conspiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellunt.*

Derisio est peccatum veniale quãdo obijcitur paruũ malũ secũdum se: mortale vero quãdo malũ est solum paruum respectu vilis personæ.

CIRCA tertium sciẽdum est, quod derisio vitãda est propter multa. Primum est Dei reuerentia, secundum est rea cõscientia, tertium derisi verecundia, quartũ est pænæ vehementia. *Primo* vitãdum est peccatũ derisionis propter Dei reuerentiã, qui se derisũ reputat, quãdo deridetur homo ad imaginẽ Dei factus, & suo sanguine pretioso redemptus. Ait enim Lucæ 12. *Qui vos spernit me spernit.* Et Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* In membris suis esse derisum se cõqueritur Tren. 3. *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Item 2. Paral. 36. *Illi subsannabant nuncios domini* &c. Sequitur: *Ascendit furor domini in populum, ita vt nulla esset curatio.*

Derisio est vitãda propter multa.

1. *Propter Dei reuerentiam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

2. *Propter ream conſcientiã.*

SECVNDO cauendum eſt peccatum deriſionis propter ream conſcientiam. Homo namque ſciens & ſentiens conſcientiam ſuam ream eſſe in multis, non habet vnde deberet alios deridere, ſed flere potius & dolere. Ridiculum eſt & fatuum, quòd æger ſanum, cęcus videntem, claudus rectè incedentem, ſcabioſus ſanum caput habentem derideat. Sed longe maioris eſt fatuitatis & inſaniæ, quod peccator iuſtum & ſimplicẽ audeat deridere. Deriſor ſimplicium & iuſtorum ſimilis eſt homini pigro & ſtulto, cuius ager plenus eſt ſpinis & vrticis & tribulis, & dimittit eum incultũ, & videns hortum proximi plenum arboribus fructuoſis & bene cultis, irridet, quia in eo videt arborũ exteriorem corticem rugoſum. Sic multi inculti & incompoſiti in moribus, & pleni defectibus & vitiis, negligẽtes maximos defectus ſuos, & videntes exteriores aliquorum ruditates, derident eos. *Similes* ſunt cuidã ſtulto, qui ſtans in via, omnes euntes ad eccleſiam irridebat, geſtus eorum fingendo, ad riſum videntes prouocando, quem tamen omnes tãquam fatuum & contemptibilem ſuper alios iudicabant & irridebant. Contra quos Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri tranſiui*, &c.

Simile.

Simile.

ITEM deriſores ſunt ſimiles latroni, qui cum duceretur à Bedellis multis ad ſuſpendium ſuper equum maximũ, & videret incedentes in via pedites ſimpliciter, irridebat eos, non curans de proximo interitu ſuo viliſſimo. *Item* ſimiles ſunt cuidam meretrici, quæ cum capta eſſet in adulterio, & nuda fuſtigaretur à Bedellis per ciuitatem in oculis omnium, cuidam matronæ obuians irridebat eam de ſua minus ornata compoſitione cultus, poſtpoſita & neglecta ſua nuditate. Sic eſt de deriſoribus bonorum, qui non attendunt in quanta cõfuſione peccatorum ſunt, & quomodo à dæmonibus nudi & rei ducuntur ad ſuſpendium inferni; & deridẽt iuſtos de hoc quod minus compoſitè incedunt in via à iudicio ſæculi, quos Deus, & ſancti, & ipſi dæmones irrident de temeritate ſua.

Exemplum.

IN vitiſpatrum cuidam quærenti, quomodo habẽs propria vulnera detrahit vel irridet aliena; reſpõdit abbas Ioannes parabolam. *Cum* quidam homo haberet duas vxores nudas, & vellet ire ad nundinas, & iſtæ ſecum duci peterent, poſuit eas in dolio, & cum nauicula transfretauit. altera eorum de vaſe exiliens, veteribus pannis ſe operuit quos inuenit. quod videns alia eam irridebat, dicens viro. Hæc meretrix ſic malè veſtita non erubeſcit. Cui vir ait: Tu cũ ſis vndique nuda, quomodo non erubeſcis inculpare vtcunque veſtitam? *In vita* beati Ioannis Euangeliſtæ legitur de iuuene quodam, quem ſuſcitauit, qui retulit quomodo mortuus viderat ridẽtes dæmones & cachinnantes, de ruina illorum diſcipulorum Ioannis, qui redierunt ad ſæculũ, & quomodo ad hoc ſuas faciebant deriſiones. *Item* deriſor ſimilis eſt Strutioni, quæ cum ſit auis deformis & monſtruoſa, ſicut dicit Iob 34. Deridet equum & aſſeſſorẽ eius, cum ſit magis deriſione digna.

Simile.

ITEM ſimilis eſt ſimiæ ioculatoris, vel ad feneſtram diuitis ſedenti, quæ cum ſit maxime irriſibilis; cuius exteriora nuda patent, tranſeuntes irridet. Sic deriſores ſunt ſimiæ diabolicę. *Item* fatuum eſt quod aliquis exiſtens in periculo, derideat alium ſimili periculo laborantem. Talis enim ſimilis eſt latroni ſiniſtro, quę quaſi non curans periculum mortis ſpiritualis corporalis & æternæ imminentis, & crucis, Ieſum crucifixum irridebat. cui dixit ſocius ſuus. Lucæ 23. *Neque tu times Deum cum in eadem damnatione ſis. Item* ſunt ſimiles quibuſdam, qui nec in periculis cõſtituti dimittũt deriſiones ſuas. De quibus magiſter Iacobus de Victriaco duo ſequẽtia ponit exempla.

Exempla.

QVIDAM principes habebant quendam hiſtrionẽ ſecum cum mare transfretarent, qui ita erat conſuetus deriſionibus faciendis, quod cum videret periculũ imminere ſibi & aliis, & nauem ſubmergendam; cum alij flerent & Dominum rogarent pro periculo euadendo, ille incepit irridere Dominum ſuum dicens: Domine vſque modo habuiſtis cyphum veſtrum ſeparatum à me, hodie autem communes habemus fieri, & in cypho cõmuni bibere, cuius latitudo durat à Marſilia vſque ad Achon. *Item* alius videns periclitantes ſocios & flẽtes ait: Vſque modo peperciſtis carnibus veſtris ſalſis, modo non parcatis, ſed ſatis de eis comedatis, quia iam oportet vos ſatis bibere.

3. *Propter deriſi angustiã.*

TERTIO cauendum eſt hoc vitium propter deriſi anguſtiam. Quandoque enim plus affligunt homines irriſiones & ludibria, quã aliæ afflictiones. Multi enim prælegerunt potius mori, quam deriſiones & ludibria ſuſtinere. Sicut Sampſon Iud. 16. *Moriatur anima mea cũ Phyliſtiim:* & occidit ſe ne ſuſtineret eorum diutius irriſionem. Similiter & Saul, de quo 1. Reg. 31. *Dixit Saul armigero ſuo: Interfice me, ne fortè veniant incircunciſi, & illudant mihi.* Item qui irridetur clamat ad Dominum contra irriſorem; & exauditur, Iob 11. *Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, inuocabit Dominũ, & exaudiet eum.* Sicut enim compati afflictis & defectibus alienis eſt charitatis, ita irridere videtur eſſe magnæ malignitatis, Nec. 4. *Peccata eorum coram facie ſua non deleantur, quia irriſerunt ædificantes.* Afflictio non eſt addenda afflictioni, nec amaritati amaritudo iungenda; propter quod dicitur Eccl. 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ.*

4. *Propter pœnæ vehementiã.*

QVARTO cauendum eſt hoc vitium propter pœnæ vehementiam; tales enim maledictiones incurrunt. Sicut Cham qui patrem ſuum Noe deriſit Gen. 9. Tales etiam in ludibrium fiũt Dei, hominum, & dæmonum. Illos enim qui homines Dei deridẽt in præſenti, Deus irridebit in futuro, & æternis irriſionibus eos tradet. Pſ. 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos.* Sap. 4. *Illos autem Dominus irridebit.* Dantur etiam in ludibrium hominum & dæmonum. Sicut legitur de Iudæis, qui irridebant, prophetas Domini miſſos ad eos, ſecundum quod legitur, 2. Paral. 36 Et ideo vt habetur ibidem, capti ſunt & omni ludibrio Chaldęorum expoſiti. Idem habetur 1. Eſdræ 2. Item idem refert factum Egyſippus, in fine libri de cladibus Iudæorum, de Iudæi qui irriſerũt Dominum; qui poſtquam fuerunt ad pœnitentiam diutius expectati, tãdem ſunt omni ludibrio expoſiti, vt in ſingulis ciuitatibus Romani imperij ante currus agerentur captiui, & omni ludibrio in arenis pugnantes cum beſtiis crudeliſſimis exponerentur, & ab omnibus irriderentur, & confunderentur.

Deus quandoque mala morte occidit irriſores.

DEVS etiam quandoq; deriſores occidit mala morte & ſubita, quod oſtendi poteſt per multa exempla. Ægyptios illudentes filiis Iſrael. Exod. 14. *Inuoluit ſuper eos Dominus aquas maris. Itẽ* viri Sochoth & Phanuel qui deriſerunt Gedeon ſpinis & tribulis comburũtur. Iud. 8. *Item* Philiſtæi illudentes Sampſoni, ſubito ruina opprimuntur. Iud. 16. *Pueri* qui illudebant Elyſæo dicentes, aſcende calue, aſcende, duobus vrſis ſubito occidũtur. 4. Reg. 2. *Herodes* qui illuſit Domino, apud Lugdunum exilio relegatur, longa tabe exilij deficiens. *Pilatus* ſub quo Dominus ludibria multa patitur, ibidem in opprobriũ generis ſui miſſus, ſemetipſum manu propria interfecit, & tamen ſuſpendium non euaſit. Quod ſe manu ſua occiderit, dicũt Hieronymus & Euſebius in chronicis ſuis. *In vita* ſancti Præiecti legitur, quod cum ipſe die Paſchę reſideret in menſa cum quibuſdã qui à carnibus abſtinebant; cum alij eos irriderẽt quod à carnibus abſtinerent, ille arguit irriſores dicẽs, quod eos potius deberent honorare pro abſtinentia, quam irridere. Cum autem illi non acquieſcerent eius monitioni, ſolarium ſubito corruit, & eos oppreſſit qui alios irridebant.

Exemplum.

ITEM in vita beati Antonij legitur, quod cũ quidã Arrianus nomine Balanus dux Ægypti eccleſiam infeſtaret, & monachos & virgines nudatos publicè verberaret, ſcripſit ei beatus Antonius. Videò irã Dei ſuper te venire, deſine perſequi Chriſtianos ne ira Dei te occupet, quæ proximum tibi minatur interitum. Miſer autem ille literam eius vidit & irriſit, & excreans ſuper literas in terram proiecit, multis afficiens iniurijs earũ portitores; & beato Antonio comminatorias literas ſcripſit. Cum autem dictus Balanus equum mitiſſimũ

Exemplum.

equitaret, eum in terram proiecit, morsibus eum discerpens, & calcibus ita eum attriuit, quòd reportatus ad vrbem infra triduum expirauit. *Item* post passionem beati Cyriaci, sicut in eius miraculis legitur, Carpasius prefectus domum matris à Maximiano obtinuit, in qua cum epulas cum decem & nouem amicis suis celebraret, & in loco vbi baptizabantur Christiani, in derisione Christianorum se balnearent gentiles, morte subita omnes ibidem perierunt.

De temerario iudicio.

DISTINCTIO V.

6. *Quid temerarium iudicium.*

DEINDE considerandum est de temerario iudicio. Est autem temerarium iudicium quo quis alium sibi non subditum, vel ad suam iurisdictionem nõ pertinentem temerè iudicare præsumit. Ro. 14. *Tu quis es qui iudicas alienum seruũ, Domino suo stat aut cadit?* Et post: *Tu quid iudicas fratrem tuum?* Vel quando iudicat de dubiis & occultis. Vel quando aliqua quæ benè vel malè possunt fieri in deteriorem partem interpretatur. Vel quando ex leui causa vel occasione modica suspicatur malum, & ex leui suspicione iudicare præsumit. Tale iudicium prohibet Dominus Matt. 7. & Luc. 6. *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Et Iac. 4. *Qui iudicat fratrem detrahit legi.* Sũt autẽ multa quæ peccatũ istud ostẽdunt esse vitandum. Primum est mens conscia peccatorum. Secundum est incertitudo futurorum. Tertium est ignorantia internorum. Quartum est iniuria diuinorum.

Iudicium temerarii quatuor ostendit esse vitandũ.

1. *Conscientia peccatorum.*

PRIMO quidem hoc peccatum ostendit esse cauendum conscientia peccatorum, quia frequenter homo iudicat alium de peccato in quo æquè grauiter, vel fortè grauius deliquit, vel si non in eodem genere cõmisit, forsitan in alio genere grauiora commisit. Temerè iudicat de conscientiis alienis quas ignorat, qui conscientiam propriam indiscussam, & peccata sua iniudicata dimittit. Ideo dicitur Matt. 7. *Nolite iudicare & non iudicabimini*, &c. *Quid autem vides festucã in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.* Sed quandoque magni fures, tyranni, & præpositi iudicant minores fures, & ducunt ad suspẽdium. *Sicut* quidam Philosophus dixit Athenienſibus, cũ quæreretur quare rideret, videns præpositos villæ ducentes parnũ latrunculum pro paruo forefacto ad suspendium. Rideo, inquit, quia magni latrones paruũ ducũt ad mortẽ. Rom. 2. *In quo iudicas alium teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Similes* sunt illis Iudæis, qui rei, mulierẽ deprehensam in adulterio iudicabant; quibus ait Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccatum est vestrũm, primus in illam lapidem mittat. Similes* sunt illi Pharisæo, de quo dicitur, Luc. 7. quod beatam peccatricem iam sanctam, peccatricem iudicabat, & Dominum non esse prophetam, & se iniudicatum relinquebat, *Similiter* & illi, de quo Luc. 15. Qui Publicanum iudicabat, & se iustificabat; cum ipse à Domino recederet iustificatus ab illo. *Item* similis est illi hypocritæ, qui *festucam in oculo fratris sui videt, & trabem in oculo suo non considerat.* Matt. 5. Sed quod homo debet se potius & prius iudicare quàm alios, ostendunt exempla sequentia.

Exemplum.

Exempla.

IN vitis pat. facta congregatione in Scythia dum patres de multorum vita loquerentur, Abbas tacebat; postea egressus impleuit saccum arena, & posuit in dorsum suum. Similiter & in quodam paruulo misit arenam, ante se portans illum: quod videntes alij, requirebant quid hoc significaret exemplum. Respondit. Saccus qui habet multam arenam peccata mea sunt, quæ post dorsum posui nolens ea videre vt plangam. Sed parua fratris mei ante me porto, & pro ipsis crucior condemnans fratrem: Rogate Dominum vt indulgeat mihi. Cui responderunt. In veritate hæc est via salutis. *Item* in vitis pat. legitur, quod cum frater quidam peccasset in congregatione, & alij iudicassent eum expellẽdum, & etiam ipsum expulerunt; Abbas exiuit cum eo, dicẽs. Si iste quia peccauit debet eiici, & ego quia peccaui exire debeo. *Item* alius. Si videris aliquem peccare, ne mittas in eum culpam, sed in illum qui impugnat illum; dicens, quia iste nolens iustus est, væ mihi; quia ego volens victus sum: plange & quære Dei solatium, quia omnes decipimur.

Qui temerarie iudicat regulariter eodem vitio est infectus.

ET nota quod mens & conscientia temerè iudicãtis, aut rea est, & ex corruptione sua malè iudicat; aut si sic iudicans iustus est, in eo quod male iudicat reus efficitur. Primum patet, quia prauum iudicium, signum est prauæ & peruersæ mentis. Sap. 16. *Semper præsumit sæua, perturbata conscientia.* vulgariter dicitur. *Semper credit latro quod omnes sint fratres sui.* Bern. *Nequaquam de alio talia suspicaretur, nisi cum radix eiusdem vitij infecisset.* *Item* in vitis Patrum, cum duo fratres in vna morarentur cellula, quidam venit ad seniorem qui curam de eis habebat, suspicando de eis peruersè, quos vocauit senior, eos dormire simul iubens in vna matta, vno opertorio eos cooperiens dicendo: Isti filij Dei sunt, iniquitas tua docuit os tuum iudicare talia Dixit autem discipulo suo. Hunc fratrem reclude in cella deorsum, laborat enim eadem passione quam imponit istis.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM in vitis patrum cum senex probatissimus in cœnobio incurrisset grauissimam infirmitatem & longissimam, nec haberent fratres vnde ei subuenirent, quædam ancilla habitans in ciuitate, rogauit patrem monasterij, vt eius curam ei cõmitteret. Quod cum fecisset, & ad cellam suam deportatum reuerẽter tractaret, & necessaria ei loco Christi ministraret, & hoc per triennium fecisset, homines corrupti mente, secũdum suam corruptelam cæperunt iudicare malè de sene & virgine. Senex autem hoc audiens Deum rogabat, vt virgini retribueret & suspicionem tolleret. Cum autẽ ad eius obitum multi fratres conuenissent, rogauit eos vt baculum suum plantarent super sepulchrum suum, dicens, quod si radices miserit & fructũ fecerit, scirent conscientiam suam mundam à famula Dei. Quod cũ factum fuisset, eo mortuo baculus fronduit, & floruit, & suo tempore fructus protulit. Et subdit Hier. Ad hoc miraculum multis de vicinis ciuitatibus venientibus, nosipsi vidimus miraculum, & cum ipsis glorificauimus Deum.

Malè iudicans eo ipso reus efficitur.

SIMILITER secundum patet, sc. quod malè iudicans reus efficitur, quia eo quod malè iudicat gratiam Dei perdit; sicut patet Luc. 13. de Pharisæo iudicante Publicanum, qui tamen descendit iustificatus ab illo. *Item* in vitis pat. duo fratres insimul habitabant, quorũ alter videbat gratiam Dei super alterum descendentem, & manentem in eo. Cum autem eum semel aspiciẽs eam non videret, miratus quæsiuit ab eo quid fecerat, propter quod Dei gratiam amisisset. Cum autem non esset sibi conscius de aliquo, tandem aduertit quod quendã hominem in corde suo iudicasset, de hoc quod in sexta feria mane comederet; qui per hoc culpam suã cognoscens, & pœnitentiam agens, visibiliter, vt vidit dictus frater, gratiam recuperauit amissam. *Item* ad idem in vitis pat. cum frater quidam peccasset in congregatione, dum argueretur ab aliis, iuit ad Abbatem Antoniũ: fratres autem eum sequentes reducere volentes eum, exprobrabant ei culpam suã, quam ipse negabat. Abbas autẽ Paphnutius talem retulit parabolam in cõspectu fratrum. Vidit in ripa fluminis hominem vsque ad genua in limo demersum. Venientes autem quidam vt eum porrecta manu extraherent, vsque ad collum se merserunt. Quo compuncti ad cœnobium dictum fratrem reduxerunt. Tunc de eo dixit beatus Antonius: Ecce homo qui potest animas ex veritate saluare.

2. *Incertitudo futurorum.*

SECVNDO hoc peccatum diligenter esse vitandum ostendit incertitudo futurorum; quia qui hodie est pessimus, cras forsitan fiet optimus, & econuerso, iuxta verbum Apostoli. *Qui stat videat ne cadat.* Qui hodie est pessimus, cras potest fieri summus. Vt Paulus, qui subito Deo operante factus est de Saulo Paulus, de lupo agnus, & persecutore prædicator. Et Matthæus, de Publicano

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

blicano Apostolus. Et econtra Iudas de Apostolo quasi diabolus. Ad Rom. 9. *Vasa iræ apta in interitum fecit Deus, & vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Non debes iudicare de incertis & futuris, quia nullus est adeo malus, quin tu deterior esse possis. *Item* in vitispat. *Exempla.* quidam pater cum videbat aliquem grauiter peccantẽ flebat dicens: Heu mihi Domine, quia quod iste est hodie, ego forsitan cras, vel deterior, sum futurus. *Ideo* in vitispat. legitur, quod cum quidam eremita consueuisset recipere Eucharistiam à quodam sacerdote, & audisset eum peccatorem, cum venisset non admisit eum, nec Eucharistiam recepit. factus autem statim in extasi, videt puteum aureum, & situlam auream, & leprosum aquam optimam haurientem, quam maximè desiderabat; & audiuit vocẽ sibi dicentem: Quæ est causa quare non bibis aquam optimam? nunquid minus valet, cum leprosus eam non tangat, nec inficiat? argutus super temeritate sua, sacerdotem reuocauit, & sacramentum ab eo recepit. Ipse enim qui creditur malus, frequenter iam pœnituit, & est Dei filius.

3. Ignorantia internorum. TERTIO ostendit hoc peccatum esse cauendum ignorantia interiorum, sc. cogitationum, affectionum, intentionum. Item sicut de proximo qui malus est non est certum iudicare, vtrum in futurum erit bonus; ita de seipso quilibet incertus est, vtrum qui bonus est hodie, cras erit malus, vel qui malus est hodie, cras forsitan fiet bonus: Tum quia fragiles sumus nimis. Tum etiam quia status huius mundi periculosus est, sicut ostẽsum est supra. Homo enim in præsenti stat in lubrico, & inter laqueos ambulat, cito cadit & capitur, & subito sæpè deterius, quam ille quem de casu suo iudicat. Et qui videt cadere, debet sibi timere cum forsitan ipse sit fragilior quam ille quem viderat cecidisse. *In vitispat.* quidam frater requisiuit à sene quomodo sibi caueret ne *Exemplum.* aliis detraheret, vel ne eos iudicaret. Qui ait, Ego & proximus meus duæ sumus imagines. Cum meã quasi in speculo prospexero, & reprehendero me; inuenitur imago proximi mei apud me venerabilis. Cum autem meam laudauero, fratris mei imaginem paruam respicio & despicio. Non enim alteri detraham, aut alium iudicabo, si reprehendo meipsum.

Exemplum. ITEM in vitispatrũ dicitur, quod duos fratres erant, quorum vnus senior erat mundus, nec poterat sustinere quod monachus haberet malam cogitationẽ: qui rogauit iuniorem vt sustineret quod secum habitaret. qui respõdit hoc se non posse, eo quod peccator esset, & ipse abhorreret forsitan, & iudicaret eum. Cum autẽ recessisset senior ab eo, in fine septimanæ rediit, iterum rogans eum vt secum maneret; tunc iunior voluit experiri si adhuc esset suspiciosus, & malè iudicans proximum, ait; In grandi tentatione incidi Abba in hac septimana, quia exiens in hortum propter necessitatem peccaui. Et dixit senex; Vis pœnitere? cũ diceret, quod volebat; ait senex: Et ego tecum porto medietatem peccati illius. Tunc frater videns senem non esse malè iudicantem, sed compatientem ait: Modo possumus insimul manere, & post vsque ad vitæ exitum simul mãserũt. *De abbate* dixit beatus Benedictus in regula sua. Caueat ne sit suspiciosus, aliter nunquam bene erit ei. *Item* qui iudicant alios, forsitan in illud de quo male iudicant cadere permittuntur, vel in deterius. Sicut Iudas iudicans Magdalenam de effusione vnguenti super caput & pedes Domini, tentatus fecit primo pròditionẽ Domini, & postea homicidium sui. Similiter & Pharisæus iudicans Publicanum, deterior factus est.

Exemplum. ITEM in vitispatrum, quidam Anachoreta Timotheus nomine, consuluit abbati vt quendam fratrem negligentem expelleret de cœnobio. Quo facto tentatio venit super eum. cum autem fleret in cõspectu Domini, venit vxor ad eum dicens: Timothee idcirco hoc pateris, quia fratrem tuum in sua tentatione despexisti Econtra qui se iudicat & non alium, securius euadit. *In* vitispatr. quidam frater requisiuit abbatem Poemum. *Exemplum.* Quid est pater quod dixit Apostolus? *Omnia sunt munda mundis.* Respondit: Qui hoc intelligit, videt se inferiorẽ omni creatura. Ait frater: Et quomodo possum me iudicare minorem eo quem video homicidium perpetrasse? Respondit senex: Iste semel homicidium perpetrauit, ego autem omni hora occido animam. Hæc est enim sola hominis iustitia, vt semetipsum reprehẽdat. Tunc enim iustus est cum sua peccata condemnat.

Fatuum est ex signis exterioribus de interioribus iudicare. ITEM valde temerarium est & fatuum, ex signis exterioribus, quæ vt plurimum sunt fallibilia, iudicare de interioribus quæ non videntur, & dubia pro certis, vel falsa pro veris asserere, propter quod dicitur Ioan 8 *Nolite iudicare secundum faciem.* Similes sunt tales simiæ, quę inueniens malum granatum, sentiens corticẽ amarum extra, iudicauit similem intra, nec gustauit de interiori dulcedine. *Item* ad hoc facit quod legitur Dial. *Exemplum.* 4. Cum Totila Rex Gothorum intraret quandam ciuitatem, & occurreret ei episcopus eius Cassianus, habens ex conspersione caloris rubeam faciem assiduè; iudicauit eum assiduum potatorem, ex quo iudicio regis Spatharius coram rege arripitur, & crudeliter vexatur. Huncautem sibi adductũ, dictus Cassianus oratione & signo crucis à dæmone liberauit; & sic Barbarus cæpit venerari corde, quẽ iudicabat despectũ facie.

Exemplum. ITEM in vitispat. egressi fratres de cœnobio ad visitandum solitarios, venerunt ad quendam solitariũ senem, qui maximo gaudio eos recepit, & refecit ante horam nonam; & quicquid boni habuit eis apposuit. Ipse autem seorsum stans, audiuit eos loquentes adinuicem, quoniam isti eremitæ melius habent quam qui in cœnobiis sunt. In mane cum recederent, dixit eis senex: Salutate mihi illum eremitam ad quem itis, & ei dicite ex parte mea: obserua, & noli irrigare olera, quod & fecerunt. Ille autem alius eremita hoc audiens, detinuit fratres, & dedit eis ad operandum, & sedens cũ eis non cessabat texere sportas; & vespere facto addidit psalmos ad luminaria. Quibus completis ait: Nos cõsuetudinem non habemus refici quotidie, sed prouter vos oportet nos cœnare: & apposuit eis panes siccos & sal, dicens: Propter vos oportet nos aliquid aliud accipere; & apposuit eis modicum acetum cum sale & oleo; & cum surrexissent, fecit eos psallere vsque prope lucem, & ait: Propter vos oportet nos parum pausare, quia de itinere fatigati estis. Et cum mane vellet eos detinere, & post vsque ad tres dies, de nocte fugerunt.

Religiosi non sunt facile iudicãdi propter duo. ITEM non sunt iudicandi de facili, maxime religiosi, duplici ex causa. *Primo* quia ipsi hominũ iudices erunt, cũ Deus iudicabit populos in æquitate & veritate sua. Iuxta hoc quod dixit Petro Matt. 19. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Quia sæpe id quod videtur iniquo iudicio malefactum, benefit eo iudicante, & fit instinctu Spiritussancti. Sicut factum Oseæ sumendo fornicariam. Et Sampson sumendo de filiabus Philistinorum. Ideo dicebat Bern. *Si potes excusa actionem; si non potes actionem, excusa intentionem: si non potes intentionem excusa tentationem.*

Exemplum. ITEM in vita Ioannis eleemosynarij dicitur, quod idem Ioannes nolebat recipere accusationes contra monachos dicens, quod si videret eos actualiter peccantes, operiret eos pallio, propter monachorum infamiam & scandalum. Repetebat etiam verba & facta Constantini in Niceno concilio, qui cum multi porrexissent accusationes contra monachos & episcopos, nolẽs eas recipere, sed insimul proiiciẽs in ignem, dixit; Absit vt eos hic iudicemus, qui nos habent iudicare; & Dei iudicium irritemus, qui eos solus habet iudicare. Humanum sæpe fallitur iudicium. Et exemplum adducebat de seruis suis, qui aliquando quendam inuenientes ducentem quendam mulierculam, eam flagellatam dimiserunt, & monachum grauissimè flagellantes incarceraũerunt, eum ibi diutius detinentes. Qui apparuit ei in visione, ostendens quomodo putruerant vulnera dorsi eius, & quomodo iniustè fuerat flagellatus. Mane autem facto, vocauit dictum monachum, compellens eum ostendere vulnera dorsi sui. Quod cum compulsus faceret, dato ei lintheo quo carnes verecũ-

dus tegeret;cadentibus pannis,apparuit eunuchus.inquirentes altius, inuenerunt quod illa mulier erat Hebræa quam ducebat;quę ad eum venerat,rogans vt fieret Christiana. quam duxit ad abbatem, qua baptizata, abbas suus vt personæ securæ eam ipsi tradidit, vt ipsam duceret ad cœnobium monialium vestiendam & instruendam. Quod cum faceret,cum ea captus est, & flagellatus,& incarceratus.

Exemplum. ITEM idem Ioannes ponebat exemplum de Vitellio abbate, qui aduertens mala quæ faciebant meretrices in Alexandria, venit illuc cogitans quomodo eas Deo lucraretur.adducebat autem opus suũ de die, & nocte veniens ad scorta conducebat meretricem. Et cum ipsa crederet quod deberet cum ea iacere, ibat ad Angelum pernoctans in oratione; & in mane ei prædicans, verbis & exemplis eam ad pœnitentiam prouocabat,& eam iurare compellebat,ne hoc in vita sua alicui reuelaret, & sic faciebat per singula scorta. Cum autem quædam contra iuramentum suum hoc hominibus reuelasset,arrepta fuit à diabolo. Quidam etiam videns eum egredientem de scorto, dedit ei duram alapam dicens. Quare tu intras scorta nostra,& scandalizas nomen monachi? Cui respondit. Et tu accipies talem alapam,ad quam congregabitur tota Alexandria. Cum autem rediisset in cellam suam, conuenerunt meretrices & plures alij quibus prædicabat, & eos curabat. Diabolus autem informa teterrimi Æthiopis apparuit illi,qui Vitellio dederat alapam,dicens: Mittit tibi Vitellius alapam quam tibi promisit,& arripuit eum grauissimè vexans eum.ad quem clamantem: Vitelli: Vitelli, conuenit populus Alexandrinus, ducens eum ad dictum virum: ad cuius cellam venientes inuenerunt eum solum flexis genibus, & iunctis manibus, extremum spiritum exhalantem. Tunc venerunt meretrices pœnitẽtes,& confitentes quomodo se habuerat ad eas. Postmodũ eius meritis dictus arreptitius liberatus est.

Exemplum. ITEM in vitis patrum,cum quidam venator prædam sequeretur, venit à casu vbi beatus Antonius cum discipulis suis conuenerat causa recreationis. qui videns eos, male iudicabat de eis. quem rogauit beatus Antonius trahere pluries cum arcu quem in manu tenebat: quod cum fecisset, ad vltimum chordam laxauit. Et cum quæreret causam beatus Antonius, ait quod hoc fecerat,ne arcus assiduo rigore frangeretur. Sic,ait beatus Antonius,est de hominibus, quia assiduo rigore

Exemplum. franguntur. *Item* legitur in vita beati Greg. Quod cum quidam magnus eremita rogasset Dominum, quod ostenderet ei, cui esset par in futuro. Responsum est, quòd Greg. Papa; quod cum iudicaret hoc indignum, cum esset Greg. in tanta gloria & diuitiis Papatus, pro quibus malè iudicabat de eo; & ipse econuerso pauper esset & afflictus propter Deum; Responsum fuit sic. *Est tibi plus cattus quam Papæ Pontificatus. Tales* errant, tãquam piscatoribus summæ sapientiæ dissimiles, qui bonos in vasa sua eligunt,& malos foras mittunt: Isti contraria faciunt, quia malas intentiones de bonis colligunt;& vt dicitur, baculum accipiunt ex parte inquinata, de rosario spinas colligunt, & rosam dimittunt; immo quod mirum est, mala colligunt inde, vbi non sunt. In bonis, malas intentiones vbi non sunt dicunt; non de spinis vuas colligunt, sed de vuis spinas; & de sicubus tribulos colligunt.

4. *Iniuria diuinorum.* QVARTO hoc peccatum ostendit esse vitandum iniuria diuinorum. Tales enim iniuriam faciunt summo iudici, cui soli reseruandum est iudicium de occultis. Sicut enim ipse solus animas creauit & redemit, creare & recreare & iustificare potest; ita solus habet eas ad vitam vel mortem, ad præmium vel supplicium iudicare. Iniuriam ergo sibi faciunt, qui animas, vel de occultis animarum iudicare præsumunt. Rom. 14. *Tu quid iudicas fratrem tuum? omnes stabimus ante tribunal Christi.* 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque* &c. *In vitisp.*

Exemplum. Cum abbas Isaac visitasset cœnobium, & inuenisset ibi quendam fratrem negligentem; expulit eum. Cumque regrederetur ad habitaculum suum, Angelus Domini stetit ante ostium cellula dicens. Non te permitto ingredi. cumque causam quęreret, respondit Angelus: Deus misit me vt dicerem tibi. Vbi vis mittam fratrẽ qui peccauit? quod audiens senex pœnituit, veniamque petiuit. Cui Angelus: Caue ne de cætero quenquam iudices antequam Deus iudicet illum. Tulerunt homines iudicium dicit Dominus, & non mihi permittunt illud.

Qui male iudicant iniuriã faciunt toti Trinitati. TALES appropriata personis beatissimæ Trinitatis insipienter vsurpantes, iniuriam faciunt primo, *Deo patri*, quando de temporibus quæ pater posuit in sua potestate, sicut dicitur Actu. 1. aliter quam ipse malè iudicando disponunt; de præterito faciunt præsens, quãdo illum qui aliquando fuit malus, cuius malitia iam in oculis Dei præteriit, iudicãt adhuc malum. De præsenti præteritum, quando quem vident male agere, iudicant in præterito talem fuisse. Semper de præsenti faciunt & de præterito esse futurum, quando quem vident vel viderunt malum, iudicant semper futurum malum, & incorrigibilem. *Sapientiam* filij sibi vsurpant, ad quam solam pertinet de occultis cordium iudicare. *Contra* clementiam summam siue bonitatem peccant, cum iudicant reprobos, quos ipsa saluare decreuit. Vnde quia summo iudici iniuriantur, à summo iudice maledicuntur. Isa. 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Et finaliter iudicati damnantur. Matth. 7. Nolite iudicare, &c. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et Rom. 2. In quo alium iudicas, teipsum condemnas, id est pronuncias condemnandum.

De falso testimonio.

DISTINCTIO VI.

7. *Falsum testimonium.* DEINDE considerandum est de falso testimonio. Quod aliquando profertur ex malitia & inuidia, vt patet in falso testimonio quod Iudæi contra Iesum tulerunt. Et ideo congruè, postquam egimus de falso & temerario iudicio, quod aliquando committitur solo corde, vt in solis temerariis suspicionibus; aliquando corde & ore simul;& vtrumque contrarium est veritati & bonitati, quibus præiudicat homo, Veritati per falsitatem, benignitati per malignitatem, falsa pro veris,& mala pro bonis accipiendo: Nunc consequenter agendum est de temerario vel falso testimonio; quod

Falsum testimoniũ fit dupliciter scilicet tacendo veritatem, & falsum testãdo. præstatur dupliciter. *Vel* tacendo veritatem agnitam in iniuriam proximi,& in incommodum eius. *Vel* asserendo incertam veritatem, vel agnitam falsitatem. *Vel* quia pro agnita veritate non stat homo cum impugnatur. *Vel* quia veritatem agnitam impugnat, cum cõtra eam testatur. Hieron. *Vterque reus est, & qui veritatem tempore necessitatis occultat, & qui mendacium dicit*; ille quia *proximo suo non vult proficere, alter quia ei mentiendo vult nocere.* August. ad Cassulanum. *Reus est qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia ille prodesse non vult, iste obesse desiderat.* Chrysost. *Non solum ille reus est, qui viam veritatis transgrediens mendacium palam loquitur, sed etiam ille qui non libere pronunciat veritatem, quam libere pronunciare tenetur; aut qui non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit.*

Falsum testimonium multa ostendunt esse vitandum. NOTANDVM autem quod multa sunt, quæ peccatũ istud ostendunt summopere detestandum. *Primo* quidẽ lex naturę, quæ dictat non faciendum esse alij, quod non vult homo sibi fieri. Vnde cum nullus homo vellet contra se falsum testimonium perhiberi, ex lege naturæ docetur non debere contra proximum falsum testimonium perhibere. Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex: ostendunt enim opus legum scriptum esse in cordibus suis, testimoniũ illis perhibente conscientia ipsorum. Secundo* hoc idem ostendit lex scripturæ Exod. 20. *Non falsum testimonium dices.* & 23. *Non iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium. Tertio* hoc idem ostendit sanctorum constãtia, tam veteris scilicet testamenti, quam noui. Nam sancti Prophetæ, Apostoli, & Martyres in testimoniũ

1. *Lex naturæ.*

2. *Lex scripturæ.*

3. *Sanctorum constantia.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

veritatis vocati, magis voluerunt omnia tormenta sustinere, quam à veritate deficere vel falsum testimoniũ dare. Heb. 10. *Sancti ludibria & verbera sunt experti* &c. Et ibi. *Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.* Isa. 43. *Vos testes mei estis dicit Dominus.* Act. 3. *Eritis mihi testes in omni Iudæa* &c. Tales testes erant Apostoli, dicentes Actuũ 4. *Non possumus ea quæ audiuimus & vidimus non loqui.* Itẽ talis erat Ioannes Euangelista, qui dicebat Domitiano Imperatori promittenti quòd eum in oleo bullienti frigeret, nisi à testimonio Christi cessaret: Nec Christum Dominum meum negabo, nec à prædicatione & testimonio eius cessabo, donec impleam cursum ministerij quod accepi. Ideo fuit in feruentis olei dolium missus, & in Pathmos insula exilio relegatus. *Exempla.* Cũ beatus Iacobus minor, Episcopus primus Hierosolymitanus, propter miram eius sanctitatem ab omnibus in magna reuerentia haberetur. In die festo Iudęi populũ de circumiacentibus locis conuocauerunt, & rogauerunt dictum Iacobum, vt à fide Christi populum reuocaret, & testimonium daret quòd Iesus non esset Deus: ideo quòd populus crederet verbis eius, tan quam illius quẽ sanctissimum reputabant, statuentes eum super pinnaculum templi, minãtes ei pręcipitium, nisi hoc faceret. Testificatus est autem Christum verum Deum, & fidei articulos prędicauit, potius eligẽs pręcipitari & excerebrari, quam à testimonio veritatis deficere. Similiter & in Act. 4. legitur, quòd licet Iudæi cæpissent & incarcer assent Apostolos, & mortem comminati fuissent, præcipientes ne ferrent testimonium fidei; ipsi *virtute magna reddebant testimoniũ resurrectionis Domini nostri* &c.

4 *Proximorũ iniuria.* Qvarto hoc idem ostendit proximorum iniuria. Quia videlicet proximus contra quem fertur falsum testimoniũ, multipliciter damnificatur & læditur; quia per falsum testimonium amittit causam suam, & condemnatur, vel in rebus, vel in persona: & tenetur ei restituere & satisfacere de iniuria, quia aliter non dimittitur peccatum ei. Lędit eius conscientiam iaculo odij & rancoris, vulnerando & occidendo. Prou. 25. *Iaculum & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximũ suum falsum testimonium.* Lædit eum affligendo per pœnam, vexando per calumniam, tollendo pecuniam. Lædendo aliquando eius famam, auferendo possessiunculam, vulnerando eius conscientiam, scandalizando eius famam, & occidendo animam. Item non solum eum contra quem fert falsum testimonium lædit, immo seipsum, & eum pro quo fert falsum testimonium, & cui adiudicatur ius alienum, & iudicem & omnes illos qui indebitè ei credunt, occidit. Et ita patet verum esse quod dicitur Eccl. 28. *Lingua testificans adducet mortem,* scilicet multiplicem. Hiero. *Qui falsum testimonium profert, tribus personis obnoxius est. Primo Deo, cuius præsentiam condemnat. Secundo iudici, quem mentiendo fallit. Tertio innocenti, quem falso testimonio lædit; & breuiter omnes lædit & interficit, qui sibi indebitè credunt.*

5. *Quia de Christiano facit Antichristum.* Qvinto hoc peccatum de Christiano facit Antichristum. Qui enim aduersatur veritati, aduersatur Christo, qui de seipso dicit Ioann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et 1. Ioan. 3. *Spiritus est qui testificatur, quoniã Christus est veritas: ad hoc etiam venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati.* Ioan. 18. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimoniũ perhibeam veritati.* Vnde magis mori voluit, quàm vel dicere falsitatem, vel celare tempore suo veritatem. *Nota* quòd falsi testes aut sunt similes Iudæ qui veritatem vendidit: aut latroni sinistro, qui eam impugnauit, dicendo contra eam falsum. Aut Iudæis qui contra eam in passione testimonium tulerunt in mortem eius. Matt. 26. *Quærebant falsum testimonium.* &c. Item. *Venerunt duo falsi testes occultantes veritatem.* Similes sunt custodibus sepulchri, qui cum Iudæis dicerent ea quæ facta sunt circa eos, & de resurrectione Christi, vt dicitur in libro de gestis Saluatoris, pecunia corrupti, ipsam veritatem celauerunt.

6. *Quia facit filium diaboli.* Sexto hoc peccatum facit filium diaboli, qui mendax est & pater mendacij; ipse fuit primus falsus testis, qui primo testimonium perhibuit falsitati. Gen. 3. *Nequaquam moriemini* &c. Ideo omnes falsi testes diabolum imitantur, & eius filij fiunt. Vnde duo falsi testes producti contra Naboth. 3. Reg. 21. dicuntur filij Belial. Et post dicitur: *Adductis duobus viris filij diaboli, fecerunt sedere contra Naboth;* qui vt viri diabolici dixerunt contra eum falsum testimonium: quamobrem lapidibus interfecerunt eum. *Similes* istis fuerunt illi, qui adducti fuerunt in testimoniũ contra beatum Stephanum Actu. 7. ad quorum falsum testimonium interfectus est. *Exempla.*

7. *Quia Deus propter hoc peccatum nos odit & multipliciter punit.* Septimo ad hoc debet nos mouere, quia propter prędicta Deus odit eos, & multiplici pœna punit. Prou. 6. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius,* scilicet proferentem mendacia testem fallacem. Prou. 19. *Testis falsus non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, non effugiet.* Supra illud Prouerb. 12. *Qui nouit quod loquitur.* Glo. *Qui falsum testimonium profert contra proximum, & qui metu peccatorum veritatem celat, iram Dei supra se prouocat.* In duodecimo libro collationum legitur cõtra falsi criminis impositores. Quod cum beatus Pachomius adhuc esset viuens gratiosus, sedens in cella sua, quidam de fratribus motus inuidia, librum suum abscondit in lecto dicti sancti, & accedens ad locum vbi fratres conuenerant missa celebrata asseruit, librũ suum perdidisse, & illum fuisse sibi furto sublatũ: missis autem tribus fratribus qui per cellas scrutarentur, inuenerunt eum in lecto beati Pachomij. qui accusatus, licet in nullo sibi conscius, apud patres voluit humiliter suscipere, & perficere pœnitentiam de furto. *Exemplum.* Quod cum faceret, ille qui librum in lecto suo dolosè posuerat, arreptus & grauiter vexatus à dæmonio, clamare cœpit dolum quod fecerat de libro occultando, & quomodo pro infamatione sancti viri hoc fecerat, & clamabat quod adduceretur ad eum, vt orationibus eius liberaretur à dęmone. Quòd vt ita factum est, precibus eius dæmone liberatur.

Item in vita beati Nicolai legitur, quòd cum quidam Christianus pecuniam vellet mutuo accipere à quodam Iudæo, nec haberet vadem, vel fideiussorem. accommodabat ei, iurando per sanctum Nicolaum quod dictam pecuniam tempore assignato redderet. quam cum dictus Iudæus repeteret, negauit Christianus dictum mutuum. Cum autem coram iudice citari eum fecisset pro dicta pecunia; Christianus sciẽs quod oporteret eum iurare pro dicta pecunia, fecit poni in baculo concauo (quem vulgariter vocamus Burdonem) aureos quos debebat Iudæo, & sic iuit ad diem signatam. Cum autem Iudæus nec haberet litteras, nec fideiussorem, petiuit iuramentum, dicens quod non habebat testem, nisi sanctum Nicolaum, per quem iurauerat Christianus ei se redditurum dictam pecuniã. Ille autem volens facere iuramentum, dixit Iudæo quòd teneret ei Burdonem suum. Quod cum faceret Iudæus, iurauit ei Christianus, quòd nihil ei debuerat quod non redidisset ei. Cum autem sic ab vrbe recederet cum Burdone & pecunia; occupatus somno, cum dormiret iuxta viam, quadrigarius quidam transiens super eum cum quadriga onerata, eum opprimens occidit, & baculum fregit. Vbi cum conuenirent homines, & Iudæus cum aliis, perpendit dolum Iudæus promittens beato Nicolao qui sic eum puniuerat pro dolo suo, quod si eum suscitaret, baptizaretur cum tota familia sua. Quod cum beatus Nicolaus fecisset, baptizatus est Iudæus cum familia sua tota, & ille resuscitatus veritatem aperuit. *Item* cum quædam mulier sanctam Eugeniam mendaciter accusasset, quia illam virum esse putabat, pro eo quòd in habitu virili inter viros religionem intrauerat, & imponeret ei dicta mulier quòd vellet eam opprimere, & hoc verum esse, tam ipsa quàm tota eius familia iuramento firmaret, igne de cœlo visibiliter super eos descendente, consumpta est cum tota familia, & omnibus rebus suis. *Exemplum.*

De odio.

DISTINCTIO VII.

Odium.

DEINDE considerandum est de odio. Circa quod videnda sunt tria. Primo de odio Dei. Secundo de odio peccati. Tertio de odio proximi. Circa primũ, scil. *virum Deus possit odio haberi.* Sciendum quòd Deus potest ab homine dupliciter apprehendi. *Vno* modo secundum seipsum, vt cum per essentiam videtur. *Alio* modo per effectus suos, quando scilicet *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Deus autem per essentiam suam est ipsa bonitas, quam nullus odio potest habere, quia de ratione boni est quòd ametur, & ideo impossibile est quòd aliquis Deum per essentiam suam videns, habeat eum odio. Effectus autẽ Dei quidã sunt, qui nullo modo possunt esse contrarij voluntati humanæ; quia esse, viuere, & intelligere, est appetibile, & amabile omnibus, qui sunt quidem effectus Dei. Vnde etiam secundum quòd Deus apprehenditur, vt auctor horum effectuum nõ potest odio haberi. Quidam sunt effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati, sicut est inflictio pœnæ, & cohibitio peccatorũ per legem diuinam, quæ voluntati per peccatum depravatæ repugnant; & ideo in consideratione talium effectuum, Deus ab aliquibus odio habetur, inquantũ scil. apprehenditur vt peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor. Vnde Ioan. 15. Dicit Saluator. *Odio habuerunt & me & patrem meum.* Et in Psal. 68. *Odio habuerunt me gratis.* Idem 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Hoc autem peccatum summè detestandum est & horrendum, tanquam grauissimum omnium peccatorum. Omne enim peccatum mortale consistit in voluntaria auersione à Deo, hæc autẽ auersio per se quidẽ importatur in odio Dei; in aliis peccatis per aliud, & quasi per quandam participationem. Sicut enim volũtas per se inhæret ei quod amat, ita per se refugit id quod odit. Vnde quando aliquis odit Deum, voluntas eius secundum se auertitur à Deo; sed in aliis peccatis, puta in fornicatione, voluntas non auertitur à Deo secundum se, sed secundum aliud, inquantum scil. appetit inordinatam delectationem, quæ habet annexam auersionem à Deo. Semper autem id quod est per se, principalius est eo quod est per aliud. Vnde odium Dei inter alia peccata grauius est.

Deus in se nõ potest odio haberi; sed tantũ vt auctor quorundam effectuũ peccatori repugnantium v. g. pœna, prohibitionis peccati &c.

Odium Dei est omnium peccatorum grauissimũ.

Solutio obiect.

QVIA vero dictũ est quòd Deus non habetur odio, nisi ratione suorum effectuum, inquantum repugnant voluntati, inter quos præcipuum locum tenet pœna: Sciendum, quòd quicunque odit pœnas, non odit pœnarum auctorem. Nam multi pœnas odiunt, quæ tamen ex reuerentia diuinæ iustitiæ, eas sustinent patienter. Vnde dicit Aug. 10. confess. quòd *mala pœnalia Deus tolerare iubet, non amare.* Sed prorumpere in odium Dei punientis, hoc est odio habere ipsam Dei iustitiã, quòd est peccatum grauissimum. Vnde dicit Greg. 25. mora. *Sicut grauius est peccatum diligere, quàm perpetrare: ita nequius est odisse iustitiam, quàm non fecisse.*

Odiũ Dei est grauius quã infidelitas.

NOTANDVM est etiam quòd odium Dei grauius est peccatum quàm infidelitas; quia infidelitas non habet rationem culpæ, nisi inquantum est voluntaria, & tãto grauior est, quanto magis est voluntaria. Quod autem sit voluntarium, prouenit ex hoc quòd homo odio habet veritatem. Vnde pater quòd ratio peccati in infidelitate fit ex odio Dei, circa cuius veritatem est fides. Et ideo sicut causa potior est effectu, ita odium Dei maius peccatum est quàm infidelitas.

NOTA etiam quòd odium Dei non numeratur inter species peccatorum in Spiritumsanctum (licèt maxime sit peccatum in Spiritumsanctum, secundũ quòd peccatum in Spiritumsanctum nominat aliquod genus speciale peccati) quia generaliter inuenitur in qualibet eius specie.

CIRCA secundum, scilicet *de odio peccati*: sciendum, quòd nihil odiendum est nisi peccatum, vel propter peccatum. Sicut autem vnumquodque diligitur ratione bonitatis, & illud magis amandum est, in quo magis relucet ratio bonitatis: sic vnumquodque odiendũ est propter malũ, & vbi est maior ratio mali, illud est amplius odiendum. *Primo* igitur & principaliter odire debemus peccatum, inquantum est contrarium voluntati diuinę, & inquantum per ipsum Deus contemnitur, dehonoratur, & offenditur. Et sicut Deum & eius honorem debemus amare super omnia, ita peccatum inquantum est contra Deum & eius honorem, super omnia debemus odire. Psalm. 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Debemus etiam odire omnes dehonorãtes Deum, Psalm. 138. *Nonne qui oderunt te oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Hoc autẽ est perfectum odium, vt sic odiantur vitia, vt tamen diligantur homines. Sicut *Deus diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit:* Sicut dicitur Sap. 11. Odit tamẽ peccatores. Eccl. 12. *Altissimus odio habet peccatores*, non naturam quam condidit, nec animam quam redemit. Ideo statim sequitur. *Et misertus est pœnitentibus*, id est ratione naturę quam diligit, miseretur peccatori, quàm cito peccatum dimittit pœnitendo.

Peccatum est odiendum super omnia.

1. Quia est cõtrarium voluntati diuinæ.

SECVNDO peccatum debemus odire ratione qua contrarium est saluti nostræ, Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Odiamus ergo peccatum, & omnem hominem, qui salutem nostram & nos pertrahit ad peccatum; ait enim Saluator. Luc. 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem suam, & vxorem, & filios, adhuc autẽ & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quod exponens Gregor. ait, *Percunctari libet quomodo parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere. Sed si vim præcepti perpendimus, vtrunque agere per discretionem valemus: vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus: & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, nõ auditur. Sic autem odisse debemus proximos & amicos, sicut & animam nostram; quam tunc recte odio habemus, cum eius appetitum frangimus, inclinationes carnales frẽnamus, motus vitiosos restringimus, & inhonestos mores pẽnitus abdicamus. *Qui sic odit animã suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12. Quod exponens August. ait sic: *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si male amaueris tunc ödisti, si bene oderis tunc amasti. Fælices qui oderunt custodiendo, vel custodiunt odiendo, ne perdant amando.*

2. Quia cõtrarium saluti nostræ.

TERTIO debemus odire peccatum, quia est contrarium & nociuum reipublicæ, & bono cõmuni; exemplo Psalmistæ, Psalm. 118. dicentis: *A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.* Sequitur: *A mãdatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Idem: *Facientes præuaricationes odiui.* Et iterum; *Iniquos odio habui.* Et quia cupiditas detestanda peruertit iudicium, subuertit iustitiam, per quam respublica conseruatur. Sicut dicitur 1. Reg. 8. de filiis Samuelis. *Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* Ideo dicitur Exod. 18. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Cõtra auaros & impios principes dicitur Micheæ 3. *Audite principes, nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum? qui violenter tollitis pelles eorum, desuper eos, & carnes eorum desuper ossibus eorum.* De causis odiẽdi peccatum require diffusius supra, vbi agitur *de effectibus peccati.*

3. Quia cõtrarium bono cõmuni reipublicæ.

CIRCA tertium, scilicet *de odio proximi.* Sciendum quod aliqui proximos odiunt propter displicentiam veritatis. Alij propter displicentiam bonitatis. Propter displicentiam veritatis; quia sunt adeo peruersi, quod odio habent diligentes se, & diligunt odientes. Sicut falso dictum est Dauid 2. Reg. 19. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Diligunt enim adulatores, & eos qui eis consulunt ad suæ placitum voluntatis. Odiunt vero bonos qui eos corripiunt, & nituntur auertere ab eis,

Quidã odiũt proximos ob displicentiã veritatis, alij ob displicentiam bonitatis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eis, quæ illorum cordibus malè placent. Vnde odiunt illos propter solã displicentiã veritatis. Exẽplum habemus, 3. Reg. 22. Dixit Rex Achab de Michea prophe-ta. *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum.* Falsos prophetas, qui prospera nunciabant, amabat; tamen suis promissionibus decipiebant eum. Sanctum vero prophetam, qui veraciter prædicebat ei mala quæ ventura erant super eum, odiebat. Huius ra tionem reddit Saluator. Io. 3. *Omnis qui male agit odit lu-cem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* De talibus dicitur Osee 5. *Odio habuerunt in porta corripien-tem, & loquentem perfectè abominati sunt. Alij* odiunt bo-nos propter displicentiam bonitatis, quia eo ipso quod mali sunt, bonos videre, vel de bonis audire bona non possũt. Exẽplũ de Iacob & Esau, Gen. 37. de Ioseph & fratribus eius. *Oderant eũ fratres eius, nec poterãt ei quicquã pacificè loqui.* Et Exo. 3. *Oderãt Aegyptij filios Israel.* Diligẽ-ter aduerte, quod nec Iacob nocebat, nec malũ vole-bat Esau fratri suo; Nec Ioseph fratribus suis; Nec filij Israel Ægyptiis, sed seruiebant eis, & bona plurima fa-ciebant, & tamen non poterant eos diligere, sed nequi-ter odiebant. Nec mirum si mali bonos odiunt, quia & ipsum Deum qui summè bonus est, odiunt. Sicut ipse testatur Ioan. 15. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.*

Odium proximi est detestandũ propter multa.

Est autem hoc vitium detestandum. Primo, quia proximum odiens, Deum odit. Secundo, quia odium hominis cor corrodit. Tertio, quia oculum mentis ob-scurat. Quarto, quia contra proximum cor obdurat. Quinto, quia & à cælo excludit, & in infernũ intrudit. *Primo* quia qui proximum odit, Deum odit; quia videli-cet inuisibilem imaginem eius odit. 1. Ioan. 4. *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quo-modo potest diligere?* vnde nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo potest diligi vel odiri. Qui proxi-mum affligit ex odio, similis est illis Iudæis qui imaginẽ Christi in eius contumeliam affligebant, colaphis cæ-dendo, conspuẽdo, flagellando, crucifigendo, & omnia Dominicæ passionis opprobria renouando. Hoc pec-catum adeo detestatur Dominus, quod eius occasione occidi voluit, dum pro inimicis suis ipsum odientibus, & actu persequentibus, pati & mori dignatus est, & pro ipsis patrem reuerenter orauit. *Secundo* peccatum odij cor odientis dilacerat, & corrodit &c. De hoc re-quire infra *de Ira. Tertio* peccatum odij detestandũ est, quia oculum mentis obscurat: require infra *de Ira.* V bi dicitur: Item per iram gratiæ lumen amittitur. *Quarto* detestandum est, quia cor odiẽtis obdurat, require ibi-dem, vbi dicitur: Item per iram amittitur clementia. *Quinto* quia regnum cœlorum obturat. 1. Ioan. 4. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Scimus enim quod homici-da non habet vitam æternam.* Matt. 5. *Omnis qui irascitur fra-tri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*

LIBRI III. PARS V.

DE IRA ET FILIABVS EIVS.

De Ira secundum se.

DISTINCTIO I.

Consequenter considerandum est de tertio vitio capitali, quod est Ira. Circa quod consideranda sunt sex. Primo viden-dum est quid sit ira. Secundo de speciebus eius. Tertio de gradibus eius. Quarto quantũ, & quarè sit vitanda & detestanda. Quinto de remedio eius. Sexto de filiabus eius.

Quid ira.

Primo ergo dicendum est, quid sit ira. Ira vt dicit Cassiod. super illud Ps. Domine ne in furore tuo; *est motus animi concitatus ad pœnam prouocans inferendam.* Alia descriptio gl. super illud Matt. 5. Qui irascitur fratri suo, &c. *Ira est omnis malus motus ad nocendum.* Dam. *Ira est feruor eius qui circa cor est sanguinis, ex euapo-ratione fellis.* Augu *Irà est tristitia ex impotentia vlciscendi se.* Aliter à magistris describitur. *Ira est subita animi tẽpestas, quæ dum inordinate se concutit, cor hominis ad insaniam tra-hit.* Item alia. *Ira est feruor animi ab interioribus ad exteriora prorumpens, cum anima ob illatas sibi iniurias vindictam exco-gitans adimplere desiderat.* Alia. *Ira est subitus animi furor, vl-ciscendi se libidine feruens.*

Secundo sciendum quod sicut ait Greg. 5. moral. *Alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex vir-tute surgeret, vltionem diuinam Phinees per gladium non pla-casset.* Ira per zelum debet in homine incipere à seipso. Debet enim homo irasci contra sua vitia, & peccata, vt ea detestetur & puniat per pœnitentiam condecẽtem. De hac Ps. 4. ait: *Irascimini & nolite peccare*. i. irascimini contra vosipsos propter peccata prẽterita, & nolite vl-terius peccando perpetrare futura; *quæ dicitis*. i. quæ co-gitatis, *in cordibus vestris, & in cubilibus vestris*, id est in se-creto cordium vestrorum *compungimini*, per contritionẽ amarã. Item iram per zelum debet homo habere con-tra vitia proximorum. Ait enim Grego. *Si proximos sicut nos amare præcipimur, restat vt eorum erroribus sicut nostris vitijs irascamur. Sicut Phinees ex zelo transfodit gladio pecca-tores.* Num. 25. *Et Moyses ex zelo, illos qui Vitulum conflatilẽ adorauerant, fecit occidi.* Exod. 34. *Et Mathathias Idolatram trucidauit. Hanc iram quia Elyu non habuit, motum supernæ vltionis contra se implacabiliter excitauit. Nam quia contra vitia subditorum corrigenda tepuit, ideo contra eum districtio æterni iudicis exarsit.* De hac dicitur Eccles. 7. *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, animus corrigitur delinquentis.*

Ira est du-plex alia ex impatientia orta, alia ex zelo, hæc bo-na, illa ma-la.

Tertio sciendum est quod sicut dicit Greg. 5. mor. diuersi sunt gradus in ira, ait enim sic: *Fit plerumque vt vsque ad manus ira prosiliat, & quanto ratio longius recedit, tanto audacior exurgat. Seipsum animus retinere nõ potest, quia factus est potestatis alienæ; & eo foris membra furor ad ictus exagitat, quo intus ipsam mentem membrorum dominam capti-uam tenet. Aliquando autem manus non exerit, sed in maledi-ctionis iaculum linguam vertit: fratris namque interitum preci-bus exposcit; & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse peruer-sus homo facere metuit vel erubescit; & sic fit, vt & voce & de-siderio homicidium peragat, etiam cum à læsione proximi manus cessat. Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentiũ indicit; & quo se foris per linguam non exprimit, intus deterius ingescit, vt iratus collocutionem suam proximo subtrahat, & nihil dicendo quantum sit aduersus indicat. Et aliquando hæc silentij seueritas per disciplinæ dispensationem geritur, si cum discretionis forma in intimis teneatur. Aliquando vero dum ac-census animus à consueta locutione restringitur, per accessum tẽ-poris à proximi dilectione penitus separatur, & acriores stimuli causaque, quæ grauius exasperant oriuntur. Sicq; in irati animo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerũ-que ira per silentium clausa, intra mentẽ vehementer æstuat, & clamosas voces tacita forma, verba sibi quibus exasperetur obij-cit, & quasi in causæ examine posita, durius exasperata respon-det. Sicq; fit vt perturbatus animus maiorẽ strepitum sui flẽtij sentiat, eumq; grauius vt clausa flamma comburat. Cogitationes enim iracundi, sunt quasi viperę progenies, quæ mentem corro-dunt, & comedunt matrem suam. Sciendum est etiam quod non-nullos ira citius accendit, sed cito deserit. Nonnullos vero tardè quidem commouet, sed diutius & durius tenet. Alij namque ac-censis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam sonitus reddunt accensionis suæ. Citius quidem flammã faciunt, sed protinus in fauilla frigescunt. Alij autem lignis durioribus similes, accensionem tardè suscipiũt, sed semel accensi, difficilius extinguuntur; & quia in asperitatem se tardius concitant, fu-roris sui diutius ignem seruant. Alij autem (quod nequius) & citius iracundiæ flammas accipiunt, & tardius deponunt. Nõ-nulli has & tardius suscipiunt & citius amittunt. In quibus quatuor modis, ad tranquillitatis bonum vltimus plus quam pri-mus appropinquat, & secundum in malo tertius superat.

Varij sunt gradus in ira.

Ira est detestãda propter multa.

1. Quia perturbat tranquillitatem mentis & imaginẽ Dei deturpat.

CIRCA quartum sciendũ, quod peccatũ iræ cauendi est multiplici ratione. *Primo* quia per irã turbatur mẽtis tranquillitas, & imago diuinę similitudinis deturpatur. Sicut docet beatus Greg. *Quanta sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, superne imaginis similitudo vitiatur. Quoties enim turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem conditoris, qui cum tranquillitate iudicat, redire conamur. Nam cum tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodãmodo scissamque perturbat.* Ira vel odium aufert imaginem Dei, & characterem filiorum Dei, quem imprimit charitas; imprimens characterem bestiæ, id est diaboli, de quo legimus Apoc. 13. Hic character imprimitur in corde, quando mens intrinsecus perturbatur. In fronte vero dum per signum extrinsecus demonstratur. In manu autem, quando ad proximi læsionem manus extẽditur.

2. Quia mentis oculos excæcat.

SECVNDO per iram gratiæ lumen amittitur, quia mentis oculos excæcat. Sicut equo operiuntur oculi vt circueat in molendino; sicut Phyliſtiim Sampsonis oculos eruerunt, & clausum in carcere molere fecerũt. Iud. 16. Coruus etiam primo currit ad oculos cadaueris, & piscator turbat aquam, vt pisces non videntes vassam intrent. Greg. *Per iram sapientia amittitur, vt quid vel quo ordine agendum sit omnino nesciatur.* Sicut scriptum est. *Ira in sinu stulti requiescit*, quia intelligẽtiæ lumẽ subtrahit. dum mentem permouendo confundit. Psal. 30. *Turbatus est in ira oculus meus.* Greg. *Ira per zelum oculum mentis turbat ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, eius aciem obscurat; nec valet perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla poterat inhiare. quia nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cęli faciem obducunt; nec turbatus fons imaginem respicientis reddit, quam tranquillus ostendit: quia ex quo eius vnda palpitat, in se speciem similitudinis obscurat; sed inde subtilius ad alta reducitur, vnde ad tempus ne videat reuerberatur. Et vnde mens turbatur ne videat, inde proficit vt ad videndum clarius & verius claresçat. Sicut infirmanti oculo cum collirium immittitur, lux penitus denegatur; sed inde eam post paululum veraciter recipit, vnde hanc ad tempus salubriter amittit. Sed ira per vitium oculum mentis excæcat. Irę namque suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti, ore quidem clamorem format, sed sensus quod loquatur ignorat.*

Iracũdus cẽsetur stultus propter multa.

PATET ergo ex prædictis quod ira reddit hominem fatuum & insensatum, propter quod bene dicitur Eccles. 7. *Ira in sinu stulti requiescit.* Iracundus enim multis stultitiis laborat. *Primo* quidem stultus est, quia illatam iniuriam appetit vindicare. quia sicut dicit Aug. *De aliena pœna quærit sibi medicamentum, qui acquirit sibi grande tormentum.* Simile est quasi si in aqua quæreret ignem. *Secundo* stultus est, quia potius vult morti corporis quãdoque & animæ se exponere, vt occidat & puniat asinũ inimici sui, id est corpus; quàm expectare Dominum iustissimum, quæ ita iudicabit eum de hoste & asino insimul, quod totus mundus videns admirabitur, & satiabitur; nec posset etiam vindictæ grauedinem excogitare. Sicut dicitur Isa. vlt. *Vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur.* Et Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum. Tertio* quia pontem misericordię Dei sibi frangit & periclitatur, volens impedire proximum, cum nihilominus possit proximus suus venire ad Deum si pęniteat; ipse autem qui vindictam quærit in periculo remanet. Iac. 5. *Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam. Quarto* quia cum sit in manu creditorum crudelissimorum, & in carcere pessimo peccatorũ, Iracundus odit proiicientes sibi aurum & argentum, & lapides pretiosos, de quibus potest debita soluere, & se redimere à carcere, & coronam sibi cœlestem fabricare. Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*: coronam scilicet perpetuam, me malleo maledictionis & persecutionis apertæ, vel detractionis occultæ feriendo.

Exemplum. *Cum* quædam mulier litigiosa & iracunda litigaret cum quadam bona muliere, & illa aduerteret fructum contumeliarum eius quas ei inferebat, extendens pallium suum dicebat ei: Charissima proi ice hic satis, quia conuitia tua argentum sunt, pro debitorum solutione meorum, & pro captiuitatis meæ liberatione: aurum & lapides pretiosi sunt pro cælestis coronæ fabricatione: quod cum audiret alia, confusa cessauit.

3. Quia non condolet patienti &c.

TERTIO per iram amittitur clementia vel pietas, quia nec condolet patienti, nec subuenit indigenti, nec ignoscit pœnitenti: propter primum dicitur Prouerb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* propter secundum Eccl. 4. *ab inope ne auertas propter iram.* propser tertium Eccl. 28. *Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam. in hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur. Ipse cum caro sit reseruat iram, & propitiationem quærit à Deo.* quasi diceret, frustra petit. Ira facit immitem, de humano faciens inhumanum, de homine bestiam, secundum quòd legitur 2. Mach. 4. de Iasone, quod nihil dignum habebat summo sacerdotio, sed animum crudelis Tyranni, & feræ belluæ iram gerens. Hoc vitium maximè videtur cõtra naturam, cum homo sit animal mansuetum natura, quod manifestè patet ex hoc, qúod natura non armauit hominem cornibus, nec vnguibus, nec dentibus, sed dedit ei minores dentes & vngues, quam alicui animali suæ quantitatis; nec dedit ei rictum, sed risum.

Exemplum. IN VITA Ioannis eleemosynarij legitur, quod dicebat: *Angelorum est nullatenus litigare: hominum est altercari, sed statim reconciliari; dæmonum est litigare & irasci, & diem transire sine reconciliatione.* Cum autem dictus sanctus descendisset ad forum, pro negotiis pauperum, contigit vt litigaret contra eum Patricius præses Alexandrinus, tendens ad lucra, & recederet sancto irreconciliato. Cum autem Sol diem clauderet, mandauit ei dictus sanctus: Domine, Sol iam tendit ad occasum. Quo verbo compunctus, veniente Patriarcha occurrit ei, & mutuo se amplexi sunt. *Sic* viuebant vt Angeli illi duo fratres, qui insimul manentes multo tempore, nunquã litem habuerunt, vt dicitur in vitispat. Cum alter quæreret ab altero, quid esset lis, & quomodo fiebat; alter dicebat, quod quando vnus dicebat hoc est meum, & alius immo meum, ex hoc surgit lis. Et alius, faciamus litem. Dic quod vas illud tuum est, quando accipiam illud; & ego non dimittam illud tibi in pace. Quod cum faceret; & alius quæreret quare vas reciperet; ille respondit, quod suũ erat: & alius qui non consueuerat litigare, respondit: Si tuũ est vas, illud accipe & habe.

Exemplum.

Exemplum.

Exempla. SIMILITER ad hoc facit exemplum suprapositum de pacifica conuersatione duarum mulierum vxorum duorum fratrum, quæ per multos annos simul vixerãt, & nullum verbum litigiosum vnquam sibi dixerant; de quibus responsum est bono Antonio oranti, quod nondum peruenerat ad mensuram earum. *Item* in vitispatr. legitur de quodam, qui cum esset in congregatione litigiosus & iracundus, dixit quod dimissa congregatione iret in solitudinem, vbi nullus molestaret eum, nec ipse iraſceretur cum alio. Quod cum fecisset, iratus fuit, & cæpit cum poculo suo litigare, ita quod illud fregit præ ira. Quod cum fecisset, ait; vbique est pugna, reuertar ad congregationem vbi motus iracundiæ refrænabo, repugnans irę.

4. Quia facit iustitiam relinquere.

QVARTO per iram relinquitur iustitia. Sicut scriptum est. Iac. 1. *Ira viri iustitiam Dei non operatur*; quia dũ perturbata mens iudicium suę rationis exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Ideo sicut docet Greg. *cum per zelum animus mouetur, curandum summopere est, ne hęc eadem ira, quæ vt instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur: ne quasi domina pręeat, sed quasi ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo non recedat. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus seruire contemnit. Vnde necesse est, vt ante omnia hic attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in vltione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius pertractando restringat, animositate reprimat, & motus feruidos sub æquitate disponat, vt eo fiat maior vltor alienus, quo plus extitit victor suus, ne intẽperanter excitatus ipso zelo rectitudinis*

longè

longe à rectitudine aberret. Vnde bene dicitur Iob 36. *Non te superet ira, vt aliquem opprimas*; ibi Gregor. *Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, prius debet semetipsum intueri, nedum aliorum culpas vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur. plerumque enim mentem sub obtentu iustitiæ iræ immanitas vastat; & dum quasi zelo rectitudinis, rabiem explet furoris; modumque sæpe transgreditur, quia mensura iustitiæ non frænatur; non autem iam correctio delinquentis, sed magis oppressio sequitur, si in vltione ira vltra quam culpa immeretur extenditur. In correptione quippe vitiorum, subesse mẽti debet iracundia, non præesse; vt executionem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur. Bene ergo dicitur. Nõ te superet ira, vt aliquẽ opprimas, quia videlicet si is qui corrigere nititur ira superetur, opprimit antequam corrigat.*

5. *Quia vitam socialem interimit.*

QVINTO per iram gratia vitæ socialis amittitur. Sicut scriptum est Prou. 27. *Graue est saxum & onerosa est arena, sed ira stulti vtroque grauior:* & Prou. 18. *Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere.* Ideo dicitur Prou. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ*, quia qui ex ratione non se temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. De ira mulieris specialiter dicitur Eccl. 25. *Non est caput nequius super caput colubri; & non est ira super iram mulieris.* Item Prou. 21. *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda.* Nec mirum si iracundus gratiam vitæ socialis amittit, quia pacem & concordiam socialem destruit. Sicut dicitur Prou. 29. *Vir iracundus prouocat rixas.* Et 26. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus prouocat rixas.* Item Eccl. 28. *Secundum ligna siluæ sic ignis exardescit, & secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit; & secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Homo iracundus intendit litem, & vir peccator conturbat amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Item per iram, Spiritussancti splendor excluditur, quia iuxta veterem translationem, scriptum est Isa. 66. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?* Cum humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietem menti subtrahit, suam sancto spiritui habitationem claudit. *Item* per irã anima occiditur; sicut scriptum est Iob 5. *Virum stultum interficit iracundia.* Ira enim per zelum sapientes turbat, ira autem per vitium stultos trucidat; quia illa subratione restringitur, hæc vero deuictę mẽti dominatur.

Per irã Spiritussanctus excluditur et anima occiditur.

6. *Quia mentis quietem destruit.*

SEXTO secũdum iram quies mentis destruitur, quia ira cor hominis dilacerat & corrodit, vt genimina viperarum, corpus & latera matris vbi aluntur; vermes corrodentes se & dilacerantes, quos debet excutere, sinu suo ibi nutrit miser homo: similis illi de quo fabulosè dicit Petrus Alf. quod cum inuenisset serpentem afflictum & quasi mortuum præ frigore, ei compassus, eũ in sinu suo posuit, vt illũ ibi foueret. qui calefactus ibi incepit robur accipere, & eum cingere, stringere & mordere. Cum autem quęreret homo cur hoc faceret, respondit se nõ posse dimittere naturã suam. Sic est de motibus iræ, quia pungunt cor in quo fouentur, Sicut vermes lignum, & tinea vestem; qui tamen in eis & ex eis nascuntur & aluntur. Iracundus enim vindicat hostem suum de seipso, dum causas odij in seipso abscõdit quibus affligitur, corrosus ab his hoste illæso. Iracũdi quasi sepeliunt se viuos in infernum, à vermibus infernalibus & immortalibus corrodendi. Isa. vlt. *Vermis eorum non morietur.* Vermis infernalis est ira, rancor, insania, quo incessanter affliguntur. Isa. 14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes In vitisp.* senex quidam dixit; Si de scripturis, vel re aliqua tecum contendere quis voluerit, non contendas cum eo si bene dicat, consentias ei si male dicit; tu vide quomodo loquaris, hæc seruans, semper requiem habebis. Sequitur: De quacunque causa si contentiones obseruaueris, nullo modo requiem possidebis.

Consilium Sapientis.

7. *Quia aditũ omnibus malis aperit.*

SEPTIMO per iram omnibus malis aditus aperitur. vnde super illud Pro. 15. VIR IRACVNDVS PROVOCAT RIXAS, dicit Beda. *Omnium vitiorum ianua est iracundia, qua clausa virtutibus interius dabitur quies, & ea aperta, ad omne facinus armabitur animus.* Prou. 29. *Qui est ad irascendũ facilis, erit ad peccata procliuior.* Ecc. 17. *ira & furor vtraq; execrabilia, & vir peccator continens erit illorũ.* i. peccatorũ.

8. *Quia omne bonum succendit.*

OCTAVO per iram omne bonum succẽditur, aufert enim homini bona sua temporalia, spiritualia, & æterna. Prou. 19. *Qui impatiens est sustinebit damnum.* Ira est quasi ignis subitus, qui subito occupans domum hominis, aufert ei se, & sua omnia. Iob 30. *Ignis est vsq; ad consummationem deuorans, & omnia germina eradicans.* Idẽ 4. c *Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius consumptos.* Iracundiam & odium ferens *Simile.* similis est rhamno, qui in radice fouet ignẽ, qui subito erumpens, primo seipsam, post vicinas arbores consumit. *Item* ira est subita animi tempestas, quo ad modum tempestatis agros mentium fertiles euertit, & steriles facit, & cultores pauperes, dum per eam subito irruentem, amittunt laborem suum præteritum. Ira ignis est, primo nocẽs rei in qua nascitur, quam rebus aliis. Aug. *Nemo malus, qui non primo sibi noceat.* Iracundus primo se succendit, faciens de se faculam, qua rem proximi sui lędat, se vero succendendo, animam suam occidit, sicut scriptum est Iob 5. *Virum stultum interficiet iracundia.* ibi Greg. *Ira per zelum sapientes turbat; Ira per vitium stultos trucidat.*

9. *Quia hominem vilem efficit.*

NONO per iram homo vilis efficitur. Magna vilitas est irasci, vel contendere cum fatuo, vel insano, vel ægro, aut de talibus vindicare se vellet; talis autem est qui tibi fecit iniuriam iniuste. Magna vilitas est pugnare cum vilibus personis, & cum leprosis, loripedibus, & consimilibus, quorum pugnam abhorret nobilis animus, vt inquinamentum manus. Seneca. *Quibusdam parcas, à quibus te vindicare fastidias, à quibus reducenda est manus, tanquam ab animalibus paruis quibusdam, & inquinantibus. Lucanus* refert quod cum quædam vilis per- *Exemplum.* sona opponeret se Iulio Cæsari; ait illi, contemnens irasci contra eam. Dignum te Cæsaris ira nullus honor faciet. Prou. 20. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Econtra vilitas est inquinare os tuum contumeliis & conuitiis, & quanto maior est persona quæ irascitur, tanto vilius & sibi indecentius est irasci.

10. *Quia ad mortem perducit æternã.*

DECIMO per iram anima æterna morte punitur. Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo* &c. tales descendunt in infernum cum armis suis, sicut dicitur Ezech. 30. qui scilicet armati odio & mala voluntate moriuntur. *Sic dicit* magister Iac. de quodam comite, qui cum inungeretur, & moreretur, diceręturque ei ab inungente *Pax tecum*; cum habuisset guerram cum quodam *Exemplum.* vicino suo, credidit quod rogaretur de pace facienda cum eo. cum autem totis viribus reclamaret, & contradiceret paci faciendæ, in illa contradictione spiritum exhalauit, & sic cum odio & ira armatus, ad inferos descendit. Ad hoc etiam facit quod dicitur Matth. 17. de illo qui noluit dimittere conseruo suo, præcepit rex eum detrudi in carcerem &c. Et post subditur. *Sic pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis* &c.

Multa sunt remedia cõtra iram.

CIRCA quintum sciendum, quod multa sunt remedia ad iracundiam mitigandam. *Primum* remedium est consideratio sanctorum documentorum, quæ iram dissuadent. Genes. 45. *Ne irascimini in via.* Rom, 12. *Omnis amaritudo & ira & indignatio tollatur à vobis.* Matth. 18. *Non dico tibi septies dimittere, sed vsque ad septuagesies septies.* Ephes. 3. *Estote inuicem benigni, donantes inuicem* &c. *Secundum* remedium est consideratio lucri & mercedis quam acquirit, qui propter Deum temperat se, vel dimittit iram vel iniuriam. Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et post. *Beati eritis cum vos oderint homines* &c. Et post. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini, date,* scilicet veniam, *& dabitur vobis* venia, gratia, & gloria, ad mercedem regni æterni.

1. *Consideratio documentorum quæ iram dissuadent.*

2. *Consideratio mercedis quã mansuetus acquiret.*

AD HOC facit exemplum quod legitur in vitispatr. Abbas Io. referebat, quod patienter ferre iniurias, est porta per quã intratur in regnum cœlorũ, & supponebat hoc exemplum. Cuiusdam Philosophi discipulus *Exemplum.*

peccauit,

peccauit, & dum sibi indulgeri peteret, dixit Philosophus. Non indulgeo tibi nisi his tribus annis portaueris onus aliorũ. Qui cum hoc fecisset, ait philosophus. Nec adhuc indulgeo tibi nisi aliis trib. annis mercedẽ dederis his, qui iniuriis & cõtumeliis te affligẽt. Quod cum ille fecisset, remisit ei peccatũ philosophus, & ait: Modo intra ciuitatem Athenienſium, vt addiscas ibi sapientiam. Quidam autẽ senex sedebat in porta vrbis, qui omnes experiendi causa intrantes impetebat conuitiis. Quod cum dicto discipulo faceret, ille dictus discipulus quasi gaudens risit. Cum autem senex causam quæreret; respondit discipulus: Ego tribus annis pretiũ dedi pro hoc, quod modo datur mihi gratis. Tunc senex ait: Ingredere ciuitatem, quoniam dignus es. Sic qui patienter portant onera aliorum & iniurias, inueniũt remissionem peccatorum, & ingressum regni cælorum. *Item* ibidem alter senex, si quis ei detraxisset, aut conuitia intulisset, si erat vicinus, festinabat eum remunerare, si longius manebat ei munera mittebat; cogitãs quod sic veniam, gratiam, & gloriam emebat.

3. *Memoria finis.*

TERTIVM est memoria finis, quia morti iam proximus non cito infert iniuriam; quinimmo propter afflictionem corporis obliuiscitur iniurias sibi factas, aut propter timorem mortis faciliter remittit. Item illi qui proximus est morti nemo debet inferre iniurias, quin potius in tali articulo est ei miserendum: damnabiliter enim durus est, qui laboranti in extremis non compatitur, nec indulget: nemo enim debet alij facere, quod moriens facere nõ auderet, nec alij debet facere, quod morienti non faceret.

4. *Exẽpla sanctorum.*

QVARTVM est facta vel exempla sanctorum. *Primo* valet exemplum Domini, 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, &c. Et post: *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur* &c. Qui ait Lucæ 23. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* *Item* exemplum beati Stephani, Act 7. *Ne statuas illis hoc peccatum.* *Item* exemplum beatæ Virginis; de qua legimus quod aliquod signum iracundiæ non dederit, vel verbum non dixerit, contra filij sui crucifixores. de qua inter alias mirificas virtutes quas de ea scribit beatus Ignatius martyr, ait in epistola quadam. *Quidam nobis referunt Mariam esse omnium gratiarum plenam, & omnium virtutum fœcundam.* Et post alia; *Iniuriantibus sibi est grata, & molestata lætatur* &c. *Item* exemplum beatorum Apostolorum Actor. 5. *Exempla.* *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* *Item* in tripartita histo. 11. lib. Cum quidam quæreret à Theodosio iuniore piissimo Imperatore, quomodo hoc erat, quod sic proprias iniurias sustinebat, & lædentes se non occidebat, ait: Vtinam mortuos possemus ad vitam reuocare: non est magnum occidere viuentes, quod possunt facere minuta animalia vt serpentes, sed magnum est & soli Deo possibile, mortuos per pœnitentiam resuscitare.

5. *Cõsideratio diuini iudicij.*

QVINTVM remedium est diuini iudicij consideratio, de qua Matt. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo reus est iudicio.* Eccl. 18. *Memẽto timoris altissimi & non irascaris.* Qui recordatur seueritatis diuinæ, contra illos qui seruant iram, & nolunt dimittere, per districtum iudicium morietur. *Exempla.* *Item* in vitis pat. quidam ex fratribus passus iniurias ab aliis, venit ad abbatem Syson. exponens iniurias, nec volẽs dimittere, quin se vindicaret. tunc senex surgens orauit dicens; Domine non est vobis necessarium vt pro nobis sis sollicitus, quoniam nosipsi & volumus & possumus nos vindicare. Ad quod verbum ille frater compunctus, cecidit ad pedes eius, promittens se de cætero non vindicare. *Legitur* li. 1. tripartitę histo. quod in concilio Niceno, Constantinus magnus accusationes factas pro querimoniis non admisit, sed chartas eorum congregans, in ignem proiecit, mouens episcopos & viros ecclesiasticos quod adinuicem reconciliarentur, dicens; si has iniurias vindicaremus, iam locum diuina iudicia non haberent.

6. *Consideratio miseri status in quo sumus*

SEXTVM est consideratio miseri status & periculi in quo sumus, damnati capitali sententia, & in mari periculosissimo & tempestuosissimo, vbi nauigamus in naui perforata & fracta, & vitro fragiliore, in tempore tẽpestatis, & pyrata imminente. Lupus videns se captum per escam, & in pedicam cecidisse, deponit feritatem, nec tangit ouem; sic nos capti & detenti à pedica miseriæ, quam Dominus aggregauit super nos, debemus mansuescere. Psal. 31. *Conuersus sum in ærumna mea* &c.

7. *Peccata propria.*

SEPTIMVM peccata propria, scilicet cum considerabamus quod plus forsitan offendimus alios vel Deum, quam alius nos, & quod peccata nostra sunt grauiora quam proximi, & necessarium est quod Deus remittat ea nobis, qui aliter non dimittit nisi dimittamus aliis Eccl. 28. *Remitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, &c. Multa ad hoc Matt. 6. *Si dimiseritis* &c. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester cœlestis dimittet vobis.* Quod patet per seruum, à quo Rex repetiuit dimissum debitum. Hoc bene cogitabat Ioãnes eleemosynarius, in cuius vita legitur, quod cum præcepisset dari cuidam eleemosynam, & ille vituperaret eum, quia non dederat ei quantum volebat; quidam de seruis suis ait: Domine, nonnè audis quomodo iste te blasphemauit: ille vero compescuit se, nec voluit se vindicare, dicens; Non vis vt Deus dimittat mihi peccata mea, qui tota die blasphemo Deum meum; & blasphemãti se aperuit pecunię sacculum, vt acciperet amplius. *Item* debemus considerare, quod mala quæ nobis eueniunt, propter peccata nostra nobis infliguntur, & ille qui infert Deus est pro nostris maleficiis. Sicut dicebat Dauid de Semey, vt finerent eum sibi maledicere, sciens quod hoc eueniebat ei propter peccata sua; & patientia iniuriarum misericordiam Dei prouocat. August. *Vnusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem ipse dedit proximo.* Glo. supra præmissum verbum, Eccl. 28. *Indignum est illi Deum esse propitium, qui crudelis est ad proximum suum.* ibi Glo. *Frustra pro seipso quis orat, qui fratri suo debitam charitatẽ negat.* 4. Reg. 4. de oleo multiplicato mulier soluit debitum suum; per quod significatur quod ampliata & multiplicata misericordia est, remittere & orare pro inferentibus iniuriam. Greg. *Quid est quod Moyses & Elias in postulatione alijs præferũtur, nisi quòd isti tantũ in serie veteris testamẽti pro inimicis orasse leguntur. Moyses à populo lapidibus impetitur, & pro lapidantibus precatur; alter ex principatu eijcitur, & ait; Absit à me vt cessem orare pro vobis.* *Item* in vitis pat. cum iniuria esset illata cuidam fratri ait: Pone in cogitatione tua, quia frater tuus non potest iniuriari tibi, sed peccata tua; & semper debes dicere, quod peccata tua hæc tibi fecerunt. *Exempla.*

8. *Pœnitentia iniuriantis.*

OCTAVVM est, quia qui tibi fecit iniuriam iam forte pœnitet, & magis forte torquetur quia fecit, quam tu cui facta est iniuria; vel si non pœnitet, cito pœnitebit, vt Paulus de nece Stephani Lucę 16. *Si pœnitentiam egerit frater tuus, dimitte illi*, &c.

9. *Consideratio malorũ quæ ira facit.*

NONVM remedium est considerare mala, quæ ira facit; mala scilicet quæ infert, & bona quæ aufert, de quibus satis supra dictum est.

10. *Consideratio quod ira facit hominem mendicum.*

DECIMVM est considerare quod mendicum facit ira hominem, quia ira aufert ei sapientiam, seipsum, Deũ, & proximum. Prou. 19. *Qui impatiens est sustinebit damnum*, scilicet quod est in amissione prædictorum.

11. *Quod stultũ est irasci.*

VNDECIMVM est considerare quam stultum sit irasci, quod supra ostensum est, non enim est iracundus solum stultus, sed insanus, quia in odium alterius se suo gladio impetit, vindicat eum seipso, & ad similitudinem lunatici sæpe proiicit in ignem, sępe in aquam. Prou. 27. *Graue saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* Omnia enim ferè grauamina quæ infert vnus alteri, ex ira procedunt.

12. *Quod iracũdus est iniquus vt patet ex sex.*

DVODECIMVM est considerare quod iniquus est iracundus; quod patet in sex. *Primum est*, quia contra aduersariam suum in causa sua, vult esse actor & iudex. *Secundũ* est quod vult se vindicare pendente perẽptoria iudicij. *Tertium* est quia ipse seipsum, qui plus deliquit, animã suã occidendo, quam alius, impunitũ vult relinquere.

quere. *Quartum* quia non reddit iniurianti patientia n, quam debet ei, vt alius sibi innocentiam. *Quinto* quia cum iustitia ex iudicio debeat procedere, ex iniquitate vult eam elicere. *Sexto* quia Deo iniustè iudicium suum auferre vult.

13. *Quod remittere offensa est signum magnæ perfectionis. Exempla.*

TREDECIMVM est quia non prosequi iniuriam illatam, signum est magnæ perfectionis & profectus. *In vitis patr.* Cum quidam frater pateretur iniuriam ab aliis & irrideretur, gaudebat dicens: Isti sunt qui occasionem nobis præbent ad profectum nostrum & perfectionem: qui autem beatificant nos, ipsi nos decipiunt. *Item* ibidem, quidam frater requisiuit senem dicēs: Dic mihi vnam rem, quam custodiam & saluer per ipsam. Respondit ei senex. Iniuriari & afflici conuitiis, & portare & tacere magna res est; hæc est super alia mādata.

14. *Quod vincere irā facit nobilissimum victorem.*

DECIMVMQVARTVM est considerare, quod vincere iram suam facit nobilissimum victorem. Vnde Nobile vincendi genus est patientia; vincit qui patitur, si vis vincere disce pati. Per hanc beati Martyres vicerunt, vincunt mundi sæuitiam & malitiam, de quibus canitur: *Hi pro te furias &c. Cęduntur gladijs more bidentium, Nō murmur resonat nec querimonia: Sed corde tacito mens bene conscia, conseruat patientiam. In vitis patr.* dixit abbas Macharius. Ille est monachus qui se in omnibus vincit. Nā si alium arguens ad iracundiam moueatur, propriam passionem implet; neque enim vt alium saluet se perdere debet, ergo vicit se patiēs. *Item* cum quidam Alexandrum magnum offendisset, nec precibus alicuius posset reconciliari sibi, tamen Aristot. sic sedauit eum dicēs: O Rex nobilis, documētū docebo te cæteris vtilius si feceris. Quo respondente: Præsto sum, ait; Quis est qui superauit omnia mundi regna & reges? Certe nobile cor tuum & strenuum. Sed maiorem victoriam hodie acquiris cæteris, si vincas animum tuum, qui tibi dicit quod non remittas iniuriam, ipsum dico alium victorem: qui si te nō viceris, non es victor, sed victus: ad quæ verba placatus est. Prou. 16. *Qui dominatur animo, fortior est propugnatore vrbium.* Item non solum vincit patiens mūdum & seipsum, sed etiam aduersarios homines. Sicut patet per exēplum supra positū de sacerdote idolorum. Item vincit etiam dæmones. *In vitis pat.* Requisitus à quodā fratre abbas Isaac quare dæmones ita timerent eum, respōdit: Ex quo factus sum monachus, statim apud me decreui, vt iracundia mea foras guttur meum non procederet. *In collocutionibus* patrum 12. lib. dicitur, quod cū quidā senex vitæ probatissimæ, quēdā sermonem durū ex ira & pręsumptione contra B. Macharium protulisset, traditus nequissimo dæmoni, humanas egestiones per os emittebat; qui leui verbo sancti expulsus est. *Item* quidā frater videns abbatē Achillem sanguinem expuentem, requisiuit ab eo vnde hoc esset? qui ait: sermo erat fratris qui me cōtristauerat, sed repugnaui vt nihil ei dicerē, & petiui à Domino vt tolleretur à me; & factus est sanguis in ore meo, & expui illum & requieui, sed & ipsam tristitiam & sermonem ipsum oblitus sum.

Exempla.

15. *Humilis responsio.*

DECIMVMQVINTVM fugat hanc humilis responsio. Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram.* Hoc patet per exēpla antepositā de sene inuido, vel de sacerdote idolorū conuerso. *Item* in vitis pa. dum abbas Ioannes inter fratres sederet, & singuli eum de suis cogitationibus inquirerent, atq; ille omnibus responsum daret; quidam senex inuidia ductus dixit ei. Sic est hic Ioānes quomodo mulier meretrix quæ ornat semetipsam vt cōgreget amatores: Respondit Ioannes: Verum dicis, & hoc tibi Deus reuelauit. Et ille iterū: Quia vas tuū veneno plenū est. Et Ioānes: Verum dicis abba, & si hoc dicis quia ea quæ deforis sunt tantū vides, quid diceres si ea quæ deintus sunt videres? tūc plus haberes dicere, quia qualis sum ego deforis, sic sum deintus. Dicitur quod cum quidā episcopus iracundus, quasi furiosus consueuisset loqui, quidā eius clericus contēperauit iram suam per hunc modum. Domine tu scis quia famuli tui sumus, & voluntatem tuam parati facere semper sumus. *Effunde ergo iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.*

DECIMVMSEXTVM est amor & beneficia pro iniuriis exhibita. Vnde Matt. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Apost. Rom. 12. Similiter Pro. 26. *Si esurierit inimicus tuus ciba illū, si sitit potum da illi; hæc faciens congeres carbones ignis super caput eius;* scilic. beneficia amoris, quæ eum inflāmabunt in amorem tuum, vt pugnes per cōtraria; quia cōtraria contrariis impugnātur, vincūtur, & curantur. vnde sequitur: *Vince in bono malū. In vitis pa.* dicebat abbas Peomen: Malitia nunquā exupereris, sed si quis tibi malū intulerit, tu per bonitatem vince malitiam. *Itē* in vitis pat. abbas Mutius ædificauit cellā in quodam loco vbi erat quidā frater; qui motus inuidia habebat irā contra eū, sępe litigando, qui declinans irā, iuit ad aliū locum, sibi ædificans habitaculum. Quod audientes alij, adduxerunt secū illum fratrem ad dictū abbatē, vt illos reconciliarent; sed aliquantulum longe dimiserunt dictū fratrē & melotas suas, cumque pulsantibus aperuisset fenestrā cellulæ, rogarūt vt rediret ad locum priorē. & cū quęreret vbi essent melotæ, audiēs quod prope cū illo fratre dimisissent eas, noluit aperire, sed præ gaudio fregit ostium cum securi, & occurrit cū eis dicto fratri, & primo pœnitentiā egit, veniā petens, & amplexans eū, introduxit in cellā suam, & per tres dies eos secū refecit. licet non consueuisset ieiunū soluere, & rediit cū eis. *Item* ibidē abbas Agathon dicebat: Nunquā dormiui litē habēs: quā si aliquis mecum habuit, non dormiui vsquequo eū mihi reconciliaui.

16. *Exhibitio beneficiorum ijs qui ad irā nos prouocāt.* *Exempla.*

ITEM interrogatus senex quid esset, *maiorem charitatē nemo habet*, &c. respondit; Si quis audit verbum malum à proximo suo, & non respondet, sed vincit animū suū, *is animam suam ponit pro amicis suis.* *Item* in vita Ioannis eleemosynarij legitur, quod cum quidam iniuriā intulisset cuidam nepoti suo, & ipse veniret ad auunculum suum flens & conquerens; sedauit eum sanctus dicens, quod talem vindictam faceret de eo, quod tota Alexādria miraretur. postquā autē dictus nepos fuit sedatus, vocauit dictum nepotē, & eum qui iniuriam intulerat coram populo Alexandriæ, quęrens ab eo quantū debebat ei censum; qui dixit quantitatē: & ego inquit talē vindictam de te facio, quod totum censum tibi remitto, pro eo quod intulisti iniuriam nepoti meo, qui degenerauit à me: & vocato dicto nepote dixit ei, quod non esset nepos suus, nisi esset nepos mentis, sicut carnis, vt sicut ipse, illatas iniurias ferret.

Exempla.

17. *Mens virilis.*

DECIMVMSEPTIMVM remedium quod temperat irā est virilis mens: quando enim homo cogitat se virum; & quod est homo animal mansuetum natura, repellere debet viriliter ferinas & crudeles voluntates, & eis viriliter dominari. Prou. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo propugnatore vrbium.* Lusand. philosophus interrogatus cur barbam magnam libenter portaret? respondit: Vt frequenter eam tangens, me virum meminerim, & viriliter agam. Socrates. *Si viriliter agis, personæ tibi auctoritatem dabis. Viri boni est nescire vel pati iniuriam;* pati dicit, id est patiendo frangi ab iniuria. Item Seneca: *Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi fieri iniuriam de inimico, dicens; non nocuit mihi, licet animum nocendi habuit.*

18. *Efficacia orationis præsertim Dominica.*

DECIMVMOCTAVVM quod debet valere ad remittendum iram vel odium, est efficacia orationis, & maximè Dominicæ. Qui enim vult vt eius exaudiatur oratio, *debet leuare puras manus in cœlum, sine ira & disceptatione.* 1. Tim. 2. Eccles. 18. *Remitte proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi soluentur peccata tua,* &c. Multa aliter non soluuntur, sed potius soluta replicantur. Matth. 18. *Iussit Dominus seruum, qui nolebat dimittere conseruo, in carcerem mitti.* Ad hoc autem maximè facit oratio Dominica, quam videtur dicere contra se, qui non remittit rancorem; tamen hanc potest dicere quilibet in persona ecclesiæ, vel intendens eam dicere vt Deus omnem iram à corde suo remoueat. *In vita* Ioānis eleemosynarij dicitur, quod cū rogasset quēdā principē vt rācorē dimitteret, nec posset induci ad hoc; cū in ecclesia vellet dicere orationē Dominicā, fecit eū vocari ad se,

rogans

rogans vt eam ſecum diceret. Cum autem dixiſſet vſq; ibi: Dimitte nobis debita noſtra, ait ſanctus; Vide ne quid vltra audeas dicere. Tunc aduertens dictus princeps vim verborum, proſtratus & compũctus veniam petiit, & iniuriam remiſit.

19. *Conſideratio diuina pietatis.*

DECIMVM eſt conſideratio immenſæ pietatis, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos.* De hac materia ſatis habetur ſupra.

20. *Conſideratio Euchariſtiæ, quæ ab his quæ in charitate exiſtunt participatur tãtummodo.*

VIGESIMVMNONVM eſt ſacra menſa ſacri altaris, & Euchariſtia ſacra, quæ eſt cibus charorũ, quẽ cibũ non poſſũt participare, niſi qui sũt in mutua charitate. Cãt. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Mat. 5. *Si offers munus tuum ad altare,* &c. Et poſt: *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Bern. *Nunquam contingat mihi accedere turbato corde ad patris ſacrificium, nec tangere ſacrificium per quod Chriſtus ſibi mundum reconciliauit.*

De filiabus iræ.

DISTINCTIO III.

Quæ ſunt filiæ iræ.

CIRCA ſextum conſiderandum eſt de filiabus iræ. Eius autem filiæ ſunt; Indignatio, Mentis tumor, Impatientia, Clamor, Litigium, Contumelia, Maledictio, Blaſphemia, Rixa, Crudelitas, Sæuitia, Bellũ, Homicidium. Ira namque poteſt conſiderari tripliciter. Vno modo prout ſolum conſiſtit in corde, & ſic ex ira naſcuntur duo vitia. Vnum quidem ex parte eius contra quem iraſcitur, quem reputat indignũ vt tale quid ſibi præſumpſerit facere, & ſic eſt indignatio. Aliud autem eſt vitium ex parte ipſius qui iraſcitur, inquantum ſcilicet excogitat diuerſas vias vindictę, & ſic eſt tumor mentis. *Alio* modo conſideratur ira ſecundũ quod eſt in ore, & ſic ex ipſa oritur multiplex inordinatio. Vna quidem ex pronitate contradicendi perſonæ loquenti, & ſic eſt lis, vel litigium. Alia eſt ſecundũ quod homo ex confuſa locutione iram ſuam & commotionem animi ſui demonſtrat, & ſic eſt clamor. Alia eſt inordinatio ſecundum quod homo prorumpit in verba iniuriosa. Et ſi ſint verba contra Deum, ſic eſt blaſphemia. Si autem contra proximum; aut proferuntur improperando malum, & ſic eſt contumelia. Aut imprecando malum, & ſic eſt maledictio. *Tertio* modo conſiderari poteſt ira ſecundum quod peruenit vel procedit vſque in factum; & ſic ex ipſa oriuntur vltima vitia ſupradicta, quorum differentia patebit de ſingulis proſequendo.

Triplex conſideratio iræ.

Prima filia iræ eſt indignatio, licet ipſa ſit etiã filia ſuperbiæ.

PRIMA ergo filia iræ eſt indignatio, de qua ſciendum eſt quod Bernard. eam connumerat inter gradus ſuperbiæ, in lib. de 12. gradibus humilitatis. Greg. vero 31. moral. ponit eam inter filias iræ, nam ex inordinato amore propriæ excellentiæ prouenit, quod homo impatienter & durè fert, ſi alius contra ſuam excellentiã vel reuerentiam audeat attentare: ideo Bern. ponit eam inter gradus ſuperbiæ. Quia vero talis indignatio ex cordis commotione procedit, vt ex propinquiori & immediatiori cauſa, ideo Greg. rationabiliter eam ponit inter filias iræ. De indignatione ſufficiat, quod dictum eſt ſupra, cum de gradibus ſuperbiæ ageretur.

2. Filia eſt tumor mentis qui quidem dupliciter cõſideratur.

SECVNDA filia eſt tumor mentis. Sciendum eſt autem, quod tumor mentis poteſt conſiderari dupliciter. *Vno* modo ſecũdum quod homo magnum ſe reputãs, dicitur habere magnum & inflatum ſpiritum, ſicut dicit Aug. exponens illud: BEATI PAVPERES SPIRITV. *Pauperes,* inquit, *ſpiritu dicuntur humiles non habentes inflãtem ſpiritum,* &c. Vnde Deuter. 3. *Tumentes ſuperbia aſcendiſtis in montem,* &c. Et Heſt. 16. *Tantum arrogantiæ ſuæ tumore ſublatus eſt,* ſcilicet Aman, *Vt nos regno priuare videretur.* *Alio* modo conſideratur tumor ſecundũ quod homo turbatus, iram ſuam ruminat in corde ſuo, & vias diuerſas excogitat quibus ſe vindicare poſſit, & talibus cogitationibus animum ſuum replet; ſecundum illud Iob 15. *Nunquid ſapiens replebit ardore ſtomachum ſuum?* Vnde Iud. 8. *Requieuit ſpiritus eorum quo tumebant contra eum,* ſcilicet Gedeonem.

3. *Eſt impatientia quam ſummopere vitandam multa oſtendunt.*

TERTIA filia iræ eſt impatientia, quando ſcilicet homo virtutem patientiæ ſanctæ perdens, nihil tolerare poteſt; & impatientiam in corde concipiens, non poteſt eam interius occultare. Hoc impatientiæ vitium multa nobis oſtendunt eſſe vitandum. *Primo* quia per impatientiam fatuitas hominis foras erumpit, vt qui prius eſſe ſapiens putabatur, ex oſtenſis ſignis impatientię, fatuus demonſtretur. Vnde Greg. *Qualis quiſq; apud ſe lateat, illata contumelia probat.* Ideo dicitur Prou. 14. *Qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* *Secundo* per impatientiam non ſolum in ſigna vel verba, verumetiã in opera fatuitatis prorumpit. Sicut ſapiens Prouer. 14. *Impatiens operabitur ſtultitiam.* Turbatus enim per impatientiam multa facit, quæ nullo modo faceret ſerenatus. *Tertio* per impatientiam damnificatur ſpiritualiter, quia tanta bona perdit per impatientiam, quanta mereri potuit per patientiam. De quibus require multa ſupra *de patientia.* Ideo dicitur Prouerb. 19. *Qui impatiens eſt ſuſtinebit damnum.* *Quarto* per impatientiam homo damnatur æternaliter, & etiam interdum affligitur temporaliter & punitur. Sicut dicitur Iudith 8. *Illi qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt.*

4. *Eſt clamor*

QVARTA filia irę eſt clamor, quando ſcilicet ex animo perturbato prorumpit homo in vocem confuſam & clamoſam. Sicut ait Gregor. 5. Moral. *Iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti; ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat.* Ideo dicit Apoſtolus Epheſ. 4. *Omnis clamor tollatur à vobis.*

5. *Eſt litigiũ.*

QVINTA filia iræ eſt litigium, ſciendum eſt autem, quod litigium conſiſtit in verbis, ſecundum quod aliquis verbis alterius contradicit. Vnde Philoſophus 4. Eth. dicit, quod *illi qui contrariantur ad omnia, cauſa eius quod eſt contriſtare, neque quemcunque curantes, diſcoli & litigioſi vocantur.* Et Prouerb. 16. dicitur. *Vir iracundus incendit litem.*

6. *Eſt ſeminatio diſcordiæ qua eſt Deo valde exoſa.*

SEXTA filia iræ eſt ſeminatio diſcordiæ, de qua dicitur Prouerb. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes,* &c. Sequitur, *& eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* iſtum ſeptimo loco ponit, tanquam magis exoſum Deo, inter cæteros peccatores. Nec mirum, quia tales tunicam Chriſti inconſutilem nituntur diuidere, quam Dominus indiuiſam voluit remanere. Per hanc tunicam ſignificatur charitas, in qua & per quam vnitas eccleſiæ conſeruatur. Ad quam hortatur Apoſtolus Epheſ. 4. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Tales ſunt rectè contrarij Chriſto, quia Chriſtus venit vt diſperſos congregaret in vnum. Ioann. 11. Pſalm. 146. *Diſperſos Iſraelis congregabit.* De diabolo autem, vel de impio membro eius dicitur Ioan. 10 *Lupus rapit & diſpergit. Et nota,* quod ſicut nihil magis nocet humano corpori quam continuitatis eius diuiſio, ſic nihil magis nocet corpori Chriſti myſtico, id eſt eccleſiæ, quam diuiſio vnitatis. Ex vno enim verbo quod dicit ille diſcordiæ ſeminator, oritur tanta diſſenſio, quod deſtruuntur interdum ciuitates & caſtra, diſſipantur bona, homines occiduntur, capitales inimicitiæ ſubſequuntur: peſſimum eſt hoc ſemen, ex cuius vnico grano tam peſtifera meſſis exurgit.

De contumelia.

DISTINCTIO IV.

7. *Eſt contumelia.*

SEPTIMA filia iræ eſt contumelia. Primo ergo videndum eſt quid ſit contumelia, & quę ſit differentia inter contumeliam, conuitium, & improperium. Secundo vtrum omnis contumelia ſit peccatum mortale. Tertio vtrum homo debeat illatas ſibi contumelias ſuſtinere.

CIRCA

CIRCA primum sciendum, quod cõtumelia importat dehonorationem alicuius. Contingit autẽ aliquem dehonorare dupliciter. *Vno modo* quando quis priuat eum aliqua dignitate vel excellentia per quam habebat honorem; & hoc fit per peccata factorum, sicut infra patebit. *Alio modo* quando deducit quis in notitiam sui vel aliorum, id quod est contra eius honorem; & hoc propriè pertinet ad contumeliam, quod quidem fit per aliqua signa. Sicut autem ait Aug. 2. de doctr. Christian. *Verba inter signa obtinẽt significãdi principatũ*, & ideo contumelia propriè loquendo consistit in verbis. Vnde dicit Isid. lib. Ethy. quod *contumelioſus dicitur aliquis, quando pronus & velox eſt, & tumet verbis iniuriæ*, quia tamen per aliqua facta quandoque significatur aliquid, quæ in hoc quod significant obtinent vim verborum significantium, inde est quod contumelia extenso nomine aliquoties est in factis. Vnde super illud Rom. 1. CONTVMELIOSOS SVPERBOS &c. dicit Glos. *Contumelioſi ſunt, qui dictis vel factis, contumelias & turpia inferunt.*

Contumelia eſt dehonoratio alicuius per ſigna aliqua ſed præcipue per verba indicãtia aliqua cõtra honorem.

Solutio obiect.

SIMILITER conuitium & improperium important dehonorationem in verbis, sed differenter; quia licet per hæc omnia intendat quis repræsentare defectum alterius in detrimentum honoris eius; Huiusmodi tamen defectus potest esse triplex, scilicet culpæ, vel pœnæ, vel minorationis: per conuitium ergo repræsentatur defectus culpæ vel pœnæ, quia vitium solet dici non solum defectus animæ, sed etiam corporis. Vnde si quis iniuriosè dicat alicui ipsum esse claudum, cæcum, vel aliquid huiusmodi ad deformitatem vel defectum corporis pertinens, cõuitium dicit, sed non contumeliam. Si autem dicat ipsum esse furem, mendacem, vel aliquid aliud culpabile, non solum conuitium dicit, sed etiam contumeliam, & sic patet quod contumelia consistit in verbis repræsentantibus defectũ culpæ, in detrimentũ honoris alterius prolatis, conuitium vero consistit tam in verbis repręsentantibus defectum culpabilem, quàm pœnalem. Quandoque etiam repræsentat aliquis defectum minorationis siue indigentiæ, qui etiam derogat honori quamcumque excellentiam consequenti; & hoc fit per verbum improperij; quod propriè fit quando aliquis iniuriosè reducit ad memoriam alterius, beneficium vel auxilium quod ei contulit, necessitatem vel indigentiam patienti. Vnde dicitur Eccl. 20. *Datus inſipientis non erit tibi vtilis, exigua dabit & multa improperabit*, & Iac. 1. *Deus dat omnibus affluenter, & non improperat.* Istud vitium dissuadet sapiens. Eccles. 31. *Verba improperij non dicas illi, &c.* Et sic patet differentia istorum, tamen quandoque vnum pro alio poni solet.

Differt contumelia à conuitio quia hoc dicit defectum culpæ vel pœnæ, illa ſolius culpæ.

Improperiũ differt à prædictis quia repræſentat defectũ minoritatis & indigentiæ tantùmodo.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum omnis contumelia ſit peccatum mortale*, sciendum, quod verba inquantũ sunt quidam soni, non sunt in nocumentum alicuius, nisi forte per accidens, grauando scilicet auditum; puta cũ aliquis nimis clamosè loquitur. Sed inquantum sunt signa significantia aliquid in notitiam aliorum, possunt multa damna inferre, inter quæ vnum est detrimentum honoris vel reuerentiæ, quæ illi cui infertur contumelia, esset ab alijs exhibenda: & ideo tãto maior est contumelia, quanto coram pluribus vel maioribus personis profertur. Huiusmodi autem verborum significatio, ex interiori proferentis affectu procedit: & ideo in peccatis verborum maximè considerandum videtur, ex quo affectu quis proferat illa verba. Cum ergo conuitium vel cõtumelia de sui ratione importent quandam dehonorationem, si proferentis intẽtio feratur ad hoc, quod per verba sua auferat alicuius honorem, hoc propriè & per se est dicere conuitium, vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale, non minus graue quam furtum vel rapina, quia non minus amat homo honorem suum, quàm rem possessam. Si vero verbum conuitij vel contumeliæ dicat aliquis non animo dehonorandi, sed forte vel propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non est conuitium vel contumelia formaliter & per se, sed per accidens & quasi materialiter, inquantum dicit id quod potest esse conuitium vel contumelia. Vnde hoc potest esse quandoque veniale peccatum, & quandoque absque omni peccato; in quo necessaria est discretio & cautela, vt homo moderatè talibus verbis vtatur: quia posset esse ita graue conuitium, quod per inca utelam prolatum auferret honorẽ illius contra quem profertur; & tunc posset homo peccare mortaliter, etiamsi non intendat dehonorationem alterius: sicut si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret.

Contumelia vel conuitium eſt peccatum mortale, haud minus graue quam furtum vel rapina, ſi fiat animo dehonorãdi.

Contumelia quando veniale peccatũ

QVOD autem sine peccato possit aliquis proferre conuitium patet, quia & Dominus Lucæ 45. dixit discipulis. *O ſtulti & tardi corde ad credendum.* Et Apostolus ad Gal. 3. *O inſenſati Galatæ &c.* Vnde indubitanter sicut licitum est aliquem causa disciplinæ vel correptionis verberare, vel damnificare in rebus; sic etiam & causa disciplinæ, potest aliquis alium corrigendo, aliquod verbum contumeliosum ei dicere. Sicut Dominus discipulos vocauit stultos, & Apostolus Galatas insensatos, tamen sicut Aug. dicit in libr. de serm. Domini in monte. *Rarò & ex magna neceſsitate obiurgationes ſunt proferẽdæ, in quibus non nobis, ſed vt Domino ſeruiatur inſtemus.*

Solutio obiect.

PRÆTEREA, Philosophus 4. Ethi. dicit eutrapeliam quandam esse virtutem ad quam pertinet bene conuitiari; Dicendo scilicet aliquod leue conuitium, non ad dehonorationem vel ad contristationem illius in quem profertur, sed magis causa delectationis & ioci, hoc enim potest esse sine peccato, si debitæ circumstantiæ obseruentur. Si vero aliquis non formidet contristare eum in quem profert huiusmodi iocosum conuitium, dummodo risum excitet audientibus, hoc est vitiosum, sicut ibidem dicitur. Est ergo conuitium vel contumelia veniale peccatum, si sit leue conuitium non multum hominem dehonestans, & proferatur ex animi leuitate, vel ex leui ira, sine firmo proposito aliquem dehonestandi, puta quando intendit quis alium per huiusmodi verbum leuiter contristare.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum debeat homo illatas ſibi contumelias ſuſtinere.* Sciendum, quod sicut patientia necessaria est in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animæ habenda, sicut Aug. in lib. de serm. Domini in monte exponit illud præceptum Domini. *Si quis percuſſerit te in vna maxilla, præbe ei & aliam.* Vt scilicet homo paratus sit hoc facere si opus fuerit, non tamen hoc semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit. Sed cum suscepisset alapam respondit: *Quid me cedis?* vt habetur Ioan. 18. & ideo etiam circa verba contumeliosa quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit: quandoq; tamen oportet vt contumeliam repellamus, maximè propter duo. Primo quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundum illud Prou. 26. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas. Vnde Greg. dicit super Ezech. Homi. 19. *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, deberent ſi poſſent detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.*

Solutio obiect.

Debemus contumelias ſuſtinere in præparatione animi, ſed non ſemper actu propter duo.

SCIENDVM tamen quod conuitiantis audaciam debet homo moderatè reprimere, non propter amorem vel cupiditatem priuati honoris, sed propter officium charitatis. Vnde Prouer. 26. dicitur. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* Hoc etiam sciendum quod si aliquis contra quem conuitia proferuntur taceret, vt tacendo conuitiantem ad iracundiam prouocaret, peccatum esset, quia hoc ad vindictam pertineret. Sed si aliquis taceat, volens dare locum iræ vel contumeliæ, & vt præstet exemplum patientiæ, hoc est laudabile. Vnde Psal. 37. *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, &c.* Sequitur: *Ego autem tanquam*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: & Eccles. 8. *Ne litiges cum homine linguato, & non struesin ignem illius ligna.*

De maledictione.

DISTINCTIO V.

Octava est maledictio.

OCTAVA filia iræ est maledictio, circa quam considerandæ sunt tria. Primo vtrum sit licitum maledicere homini. Secundo vtrum liceat maledicere irrationali creaturæ. Tertio vtrum maledictio sit peccatum mortale.

Potest cõtingere maledictio tripliciter.

CIRCA primum sciendum, quod maledicere idem est quod malum dicere. Dicere autem tripliciter se habet ad id quod dicitur. *Vno modo* per modum enunciationis, sicut aliquid exprimitur modo indicatiuo, & sic maledicere nihil est aliud, quam malum alterius referre, quod pertinet ad detractorem. Vnde quandoque maledici detractores dicuntur. *Alio modo* dicere se habet per modũ causæ ad id quod dicitur: & hoc quidem primo & principaliter competit Deo, qui omnia verbo suo fecit secundum illud Psal. 32. *Dixit & facta sunt.* Consequenter autem competit hominibus qui verbo suo alios mouent per imperium ad aliquid faciendum, & ad hoc instituta sunt verba imperatiui modi. *Tertio modo* ipsum dicere habet se ad id quod dicitur quasi expressio quędam affectus desiderantis id quod verbo exprimitur, & ad hoc instituta sunt verba optatiui modi. Prætermisso ergo primo modo maledictionis, qui est per simplicem enunciationem mali, considerandum est de alijs duobus, vbi scire oportet, quod facere aliquid, vel velle illud, se consequuntur in bonitate & malitia. Vnde in istis duobus modis quibus malum dicitur per modum imperantis, vel per modum optantis, eadem ratione est aliquid licitum & illicitum. Si enim aliquis imperet vel optet malum alterius inquantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere vtroque modo est illicitum; & hoc est maledicere per se loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitũ, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando vel optando sub ratione duplicis boni; quandoque quidem sub ratione iusti, & sic iudex licitè maledicit illum, qui præcipit iustam pœnã inferri; & sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando. Sicut etiam prophetæ quasi imprecãtur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ; licet huiusmodi imprecationes possint etiam per modum prænunciationis intelligi. Quandoq; vero dicitur aliquod malum sub ratione vtilis, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, vel aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel saltem ab aliorum nocumento cesset.

Maledicere ex intentione mali est illicitũ, non autẽ sub ratione boni.

Solutio obiect.

VNDE malum optare per se loquendo sub ratione mali prohibet Apostolus Rom. 7. *Benedicite & nolite maledicere* Et Iac. 3. dicitur quod *sicut ex eodẽ fonte non procedit aqua dulcis & amara, sic nec ex eodem ore debet procedere benedictio Dei, & maledictio hominis, qui ad imaginem Dei factus est.* Malum tamen sub ratione boni, iusti, vel vtilis, imprecatur scriptura in multis locis. Nam Deut. 27. dicitur: *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius.* Et Elias maledixit quinquagenarijs duobus 4. Reg. 1. Et Elizæus pueris sibi illudentibus 4. Reg. 2. Psal. 30. etiam dicit: *Muta fiant labia dolosa.* Idem Psal. 6. *Erubescant & reuereantur vehementer omnes inimici mei.* Et multa talia profert, quæ omnia intelligenda sunt, vel per modum prænunciationis, vel per modum imprecationis mali, sub ratione boni, iusti, vel vtilis.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum liceat maledicere irrationabili creaturæ.* Sciendum quod maledictio & benedictio ad illam rem pertinent, cui potest aliquid bene vel male contingere in ordine ad creaturam rationalẽ, propter quam sunt irrationales creaturæ. Ordinantur autem ad eam multipliciter. *Vno modo* per modum subuentionis: sic in creaturis irrationalibus subuenitur humanę necessitati; & hoc modo Deus homini dixit Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo,* vt scilicet per eius sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deut. 28. *Benedicta horrea tua.* Et infra: *Maledictum horreum tuum.* Sic etiam Dauid maledixit montes Gelboe, secundum Greg. expositionem. *Alio modo* creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis, & sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. *Tertio modo* creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum continentis scilicet temporis, vel loci. Et sic maledixit Iob die natiuitatis suæ, propter culpam originalem quã nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam potest intelligi Dauid maledixisse montibus Gelboe, vt legitur 2. Reg 1. scilicet propter cædẽ populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationabilibus inquantum sunt creaturæ Dei est peccatum blasphemiæ. Maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.

Maledicere creaturæ irrationali est illicitum.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum maledictio sit peccatum mortale:* sciendum quod maledictio de qua nunc loquimur, est per quam prænunciatur malũ contra aliquem, vel imperando, vel optando: velle autem vel imperio mouere ad malum alterius, secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonũ suum: & ita secundum suum genus est peccatum mortale, & tanto grauius quanto personam cui maledicimus magis amare & reuereri tenemur. Exod. 21. *Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.* Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatũ veniale, scil. propter paruitatẽ mali, quod quis alteri maledicto imprecatur; vel etiam propter affectũ eius qui profert maledictionis verba, dũ ex leui motu, vel ex ludo, aut surreptione aliqua, talia verba profert, quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur vt supra dictũ est.

Maledictio ex genere suo est peccatum mortale.

De blasphemia.

DISTINCTIO VI.

Nona est blasphemia.

NONA filia iræ est blasphemia. Circa quam considerandum est primo de blasphemia in generali. Secundo de blasphemia, quæ dicitur peccatũ in Spiritum S. Circa primũ videndum est primo quid sit blasphemia, & de diuisionibus eius. Secundo vtrũ blasphemia semper sit peccatum mortale. Tertio vtrum sit in damnatis. Quarto specialiter dicendũ est de blasphemia, qua quidam peruersi ex consuetudine Deũ negant in sermone communi. Quinto de blasphemia illorum, qui se diabolo reddere consueuerunt. Sexto de blasphemia propriè dicta; quæ est quando verba contumelioſa profert aliquis contra Deum vel Sanctos.

Quid blasphemia & quotuplex.

CIRCA primum sciendum est, quod *blasphemia est quando contumelioſa verba contra Dei bonitatem, vel Sanctorum reuerentiam proferuntur.* Est autem blasphemia quadruplex, scilicet cordis, oris, scripturæ, & operis. Prima ergo blasphemia est, quæ in sola cordis cogitatione consistit: de qua dicitur Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, blasphemiæ, &c.* Quicumque enim negat de Deo quod ei conuenit, vel asserit de eo quod ei non conuenit; derogat diuinæ bonitati. Quod quidẽ potest contingere dupliciter. *Vno modo* secundum solam opinionem intellectus; *Alio modo* adiuncta quadam detestatione affectus. Sicut econtrario fides de Deo per dilectionem eius perficitur. Huiusmodi ergo derogatio diuinæ bonitatis, vel secundum intellectum tantum, vel etiam secundum affectum, si consistat tantum in corde, est cordis blasphemia. Secunda est blasphemia oris, quæ ex corde peruerso progreditur in verba contumelioſa contra Deum. Vnde Hier. 3. *Verbis superbiæ blasphemasti.* Et Matth. 28. *Blasphemabant mouentes capita sua.* Item Luc. 23. *Vnus de his qui pendebant latronibus blasphemabat eũ &c.* Tertia est blasphemia scripturę,

Blasphemia alia cordis, alia oris, alia scripturæ, alia operis.

vt in

vt in libris hæreticorum. Vt in Alcorano Mahumeti,& in Dogmate Arrij, & Manichæorum, & aliorum hæreticorum, de quibus Isa.10. *Væ qui condunt leges iniquas.* Vnde Apoc.8. *Bestia ascendens de mari*, per quam hæresis significatur, *septem capita habebat, in quibus erant scripta nomina blasphemiæ.* Per septem capita signatur hæresum vniuersitas & diuersitas, quæ scribunt & tradunt blasphemosa de Deo, & libris, & scriptis famosis & blasphemosis.

Exemplum. LEGITVR in eccleſiaſt.hiſt.l.9.c.5.quod Maximinus Imperator confinxit acta blaſphemoſa contra Chriſtum, quæ fecit in tabulis æreis conſcribi, & per ſingulas vrbes ferri in perpetuam memoriam; & in eis, & in agris promulgari, & præceptoribus ſcholarium tradi, vt in eis facerent pueros exercitari legendo, dictando, meditando. Sed hanc blaſphemiam tanta vltio Dei ſecuta eſt, vt dicitur in 8. eiuſdem libri, quod vbique illæſis Chriſtianis, & omni proſperitate fruentibus,vbique fame,peſte,& aere corrupto,& igne ſacro,& morbis varijs afficiebantur & moriebantur gentiles blaſphemi. Ipſe autem,vt dicitur 10.c. impius Maximinus victus & confuſus, fugiens & cõpulſus flagellis Chriſtum fateri Deum verũ & iuſtum, tabe & miſeria conſumptus & deſiccatus, orbatus luminibus videns clarius quæ in Chriſtum commiſerat, per doloris ſenſum præ anguſtia interiorum viſcerum de ſtratu ſuo proſiliens, & præ doloris vehementia in terram ſe allidens, & Chriſti omnipotentiam recognoſcens, ſpiritum blaſphemum præ doloribus exhalauit.

QVARTA eſt blaſphemia operis, quando aliquis vſurpat ſibi quod Dei ſolius eſt,vt cum facit ſe tãquam Deum adorari, vel vſurpat ſibi honores diuinos, vt Nabuch. qui præcepit Holoferni, vt omnes Deos terræ exterminaret, vt ipſe ſolus Deus diceretur: Iudith 3. & vt Herodes Agrippa, cui acclamabant homines, Dei voces & non hominis; qui percuſſus ab Angelo, vermib. ſcaturiens expirauit. Act.12. Blaſphemia eſt cũ aliquis alium ad idola colenda incitat aut compellit, vt Nabuch. Dan.3. blaſphemia tamen eſt quando aliquis aliquod factum facit turpe, per quod alijs dat occaſionem ruinæ,& obloquendi contra Deum,vel cõtra bonos, vt cum aliquis apoſtatat à fide, vel à bonis moribus, per cuius exemplum alij ſcandalizantur,& contra Deum aut bonos obloquuntur; vt Dauid in caſu ſuo, de quo dicitur 2. Reg.12. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini propter verbum hoc*, id eſt factum dignum verbo, quòd fuit factum proditionis & adulterij cum Berſabea, & homicidij & proditionis Vriæ. *Similiter filius qui natus eſt tibi morte morietur.*

Solutio obiect. ITEM ponuntur a quibuſdam tres ſpecies blaſphemiæ. Quarum prima eſt quando aliquid attribuitur Deo,quod ei non conuenit.Secunda eſt quando remouetur à Deo quod ei conuenit. Tertia eſt quãdo quod id Dei quod eſt proprium attribuitur creaturæ.Sed ſecundum iſta tria non poſſunt propriè loquendo diſtingui diuerſæ ſpecies peccati blaſphemiæ, quia Deo attribuere quòd ei non conuenit, vel ab eo remouere quod ei conuenit, non differt niſi ſecũdum affirmationem & negationem, quæ quidem diuerſitas ſpeciem habitus non diſtinguit; quia per eandem ſcientiam innoteſcit falſitas affirmationum & negationum, & per eandem ignorantiam vtroque modo erratũr, cum negatio probetur per affirmationem, ſicut habetur 2.poſteriorum. Quod autem ea quæ Dei ſunt propria,creaturæ attribuantur, hoc pertinere videtur ad id quod aliquid ei attribuatur, quod ei non cõuenit. Quicquid enim eſt Deo proprium, eſt ipſe Deus: attribuere ergo alicui creaturæ quod eſt Dei proprium, eſt ipſum Deum dicere idem eſſe creaturæ.

Sunt quatuor modi vulgares blaſphemiæ. ITEM ſunt quatuor modi vulgares blaſphemiæ nimis apud homines aſſueti. Primus eſt paſſim ſine cauſa Deum negare, quaſi ad ſingula iurando. Secundus eſt diabolo ſe reddere ſimiliter in iurando. Tertius eſt turpiter & irreuerenter aſſumere ſacra membra,qui Chriſtus pro noſtra redemptione ſuſcepit, ipſumque quaſi membratim enormiter lacerare. Quartus eſt actũ illum fædiſſimũ Deo attribuere, quod nefandiſſimum iuramẽtum multum eſt aſſuetũ apud multos. Iſtis quatuor modis blaſphemiæ maxima pars Chriſtianitatis horribiliter eſt corrupta. Vnde B. Ioa. Apoc.17. dicit ſe vidiſſe mulierẽ, id eſt mundi malitiam, ſedentem ſuper beſtiam coccineam, id eſt diabolum infernalem. Et hæc mulier erat plena nominibus blaſphemiæ,quia fere totus mundus iſtis quatuor blaſphemijs eſt repletus.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *vtrum blaſphemia ſemper ſit peccatum mortale.* Sciendum quod peccatum mortale eſt per quod homo ſeparatur à primo principio ſpiritualis vitæ, quod eſt charitas. Vnde quæcumque repugnant charitati ſunt peccata mortalia. Blaſphemia autem ſecundum genus ſuum repugnat charitati Dei, quia derogat diuinæ bonitati, vt dictum eſt, quæ eſt obiectum charitatis,& ideo blaſphemia ex ſuo genere eſt mortale peccatũ. Vlterius quia blaſphemia opponitur confeſſioni fidei, habet in ſe grauitatem infidelitatis,& aggrauatur peccatum ſi perueniat deteſtatio voluntatis, & adhuc magis ſi prorumpat in verba,ſicut & fidei laus augetur per dilectionem & confeſſionem. Vnde cum infidelitas ſit peccatum grauiſſimum, conſequens eſt quod blaſphemia ſit peccatum maximum,ad idem genus pertinens, & ipſam aggrauans. Poteſt tamen contingere quod aliquis abſque deliberatione, & ex furreptione proferat verba blaſphemiæ, & hoc dupliciter. *Vno modo* quãdo non aduertit illud quod dicit eſſe blaſphemiam, puta quando ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, non conſiderans nec attendens ſignificationem verborum, & tunc eſt veniale peccatum, & non habet propriè nomen blaſphemiæ. *Alio modo* quando ſcit & aduertit hoc eſſe blaſphemiã, ſignificata verborum conſiderans; & tunc non excuſatur à peccato mortali, maximè ſi ex conſuetudine peſſima, immo execrabili corruptela, ſubito ſine deliberatione in talia verba prorumpit.

Blaſphemia ex ſuo genere eſt peccatum mortale & quidem grauiſſimum, ad genus infidelitatis pertinens; fit tamẽ ex inaduertentia venialis.

Nota.

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum blaſphemia ſit in damnatis:* ſciendum, quod damnati in inferno retinent peruerſam voluntatem auerſam à Dei iuſtitia; quia diligunt ea pro quibus puniuntur, & vellent eis vti ſi poſſent, & nihilominus odiunt pœnas quas pro peccatis huiuſmodi patiuntur, dolent ergo de peccatis quæ commiſerunt, non quia ipſa odiant, ſed quia pro eis cruciantur. Sic ergo talis deteſtatio diuinæ iuſtitiæ, eſt in eis quædam interior cordis blaſphemia. Et credibile eſt quòd poſt reſurrectionem erit in eis etiam vocalis blaſphemia. Sicut & laus vocalis Dei erit tunc in beatis. Vnde Apoc. 16. dicitur: *Æſtuauerunt homines æſtu magno & blaſphemauerunt nomen Domini habentis poteſtatem ſuper has plagas*, vbi Gloſ. dicit quod *in inferno poſiti, quamuis ſciant ſe pro merito puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam habeat poteſtatem, quod eis inferat tales plagas*, videntes ergo & ſentientes ſe pro ſceleribus ſuis cruciari, & ſcientes huiuſmodi pœnas eſſe perpetuas, nec ſe poſſe in perpetuum eas euadere,tanquam deſperati feruntur ad omne quod eis ſuggerit peruerſa voluntas, diuinam iuſtitiam deteſtando.

Damnati ſemper blaſphemant, deteſtando diuinam iuſtitiam.

De blaſphemia illorum qui paſſim Deum negant.

DISTINCTIO VII.

CIRCA quartum conſiderandum eſt de blaſphemia illorum qui paſſim in ſingulis ferè verbis Deum negant. Quæ peſtis quantum ſit deteſtabilis,& nefanda ſpecialiter oſtendunt, Baptiſmalis promiſſio, Exemplaris inſtructio,diſtrictum Dei iudicium,& horrendum ſupplicium.

Hoc vitium quatuor oſtẽdunt eſſe nefandum.

PRIMO quidem oſtendit baptiſmalis promiſſio quantum ſit hoc vitium deteſtandum, dum diabolo & pompis eius abrenunciauimus,& Chriſto nos deuouimus eſſe ſeruos, quam ſponſionem ſeruantes Chriſti populi ſumus, & ſaluandi per eum Matth.1. *Saluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Iſa. 64. dicit Dominus

1. *Baptiſmalis promiſſio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

populus meus est, & filij non negantes, & factus sum eis Saluator. Ideo sponsionem hanc infringere est iniquitas maxima, *& negatio contra Deum altissimum* Iob. 31. Si maximum fuit peccatum Petri, qui negauit Christum non corde, sed ore; non ex leui causa, sed vt mortē euaderet; non nisi ter, non turpiter, non aliter nisi dicendo transeuntibus dicentibus: *Tu ex illis es, Nescio quid dicis; Non sum: Non noui hominem illum.* Quantum potest vocari peccatum illorum qui tam sæpe, & tam sine causa, & tam apertè consueuerunt dicere, non de homine, sed de Deo tota die, nego Deum nisi hæc vel illa faciam, vel nisi hoc ita sit. Ipsa pœnitentia Petri ostendit magnitudinem culpæ huius, qui statim vt cognouit quid fecerat, negando se non nosse hominem illum, *egressus foras fleuit amare.* Et dicitur in scholastica historia, quod intrauit speluncam quandam, in qua continuè fleuit per triduum ante resurrectionem, quousque Christus post resurrectionem suam apparuit ei, confortās eum. Et dicitur quod fuit consuetudo B. Petri postea, quod quando de nocte ante galli cantum recolebat factum suum, prorumpebat in fletum, & in itinerario Clementis legitur, quod tunc surgebat ad orationem.

Exemplum. A D hoc facit exemplum de episcopo, qui timore mortis Christū negauit, propter quod factū vt Dominus ei dimitteret, fugit ad solitudinem, in qua per 40. annos vixit mudus, de radicibus herbarum, in oratione & lachrymis insistens, & Deum rogans, vt hoc peccatū ei dimitteret, quē sicut legitur in vitis pat. cum quidam sanctus pater in spelunca inuenisset; dixit ei, quod necdum inuenerat apud Deum, quod peccatum illud esset ei dimissum, nisi penultimo anno ante mortem suam, qui cum ei hoc dixisset exiuit foras ad orationem, flexis genibus, & eleuatis ad cœlum oculis, & manibus iunctis pariter; & facta est facies eius splendens vt Sol, & in oratione spiritum emisit; quem sanctus qui inuenerat eum sepeliuit. Item homines quandoque multum volunt ostendere se amare amicos, qui consueuerunt eis dicere, omnia facerem pro vobis præterquā negare Deum, per quod ostendunt nihil debere fieri difficilius, quā negare Deum, propter culpæ huiusmodi grauedinem, tales dicuntur Antichristi 1. Io. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt. Qui est mendax nisi qui negat Iesum Christum?* Hic Antichristus est propter magnitudinem huius peccati; quinimo videtur inutiliter sacerdos orare pro mortuo in hoc peccato, dicit enim Orig. in cōmendatione mortuorum. *Et si in te peccauerunt, tamen nunquam te negauerunt*, quasi dicat si te negassent non exaudires nos pro eis, nisi condignam pœnitentiam super hoc fecissent.

2. *Exemplaris institutio.* SECVNDO hoc idem ostendit exemplaris institutio; ad hoc enim sunt exempla plurima sanctorum. Heb. 11. *Sancti ludibria & verbera sunt experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt;* potius pati eligentes omnia tormentorum genera, quā semel Christum negare. Vt patet currendo per martyria & tormenta singulorum, quæ aspecta multū possunt confundere sic de facili Deum negantes, qui pro morsu vnius pulicis vel muscæ, septies Deum negant. Contra quos est quod legitur in tripartita histor. libr. 6. Cum quidam martyr diuersis afflictus supplicijs nollet aliquatenus Christum negare, tandem semiuimus relictus, & melle perunctus, in alto patibulo eleuatus est nudus ad Solē vsque ad vesperas, vt hoc extorqueret, quod alia tormēta non poterant: qui non solum Christum non negabat, sed ipsum laudabat, & tortores tāquam inferiores contemnebat & irridebat, in alto positus, ipsi in imo; ad confusionem eorum qui ab vbere dicti sunt Christiani, Christianorum filij, & inter Christianos nutriti & edocti & veterati, qui sic de facili Deum negant.

Exemplum. PONITVR hic exemplum cuiusdam Saraceni in fide Neophyti, de quo dicitur quod quando Rex Franciæ & Franci cœperunt Damiatam in primo impetu sine sanguinis effusione, & insultu; quidam Saracenus venit ad licias Christianorum, clamans quod reciperetur, quia volebat fieri Christianus, quo recepto, & proposito examinato, cum fuisset baptizatus, & iret cū Rege & alijs Christianis fideliter contra Saracenos, captis Christianis & Rege Ludouico, captus est & ipse à Saracenis, qui cum fuisset inter eos, primo blanditijs & promissis cum non possent eum ad Christū negandum inflectere, minis addiderunt facta, ducentes eum nudū, flagellando per eorum castra, cum nec sic vellet Christum negare, lardū ardens in carnem eius fundebāt: & post plurima alia tormenta eum ad stipitem ligatum, totum texerunt & confixerunt sagittis, nec tamē Christi negationem, sed laudationem extorserunt.

Exemplum. AD idem facit exemplum quod legitur in tripartita hist. li. 3. Cum Simeon episcopus Persidæ, quia nolebat Christum negare, & Solem adorare, in carcerem duceretur, Zuzades eunuchus Regis Sabor Persarū sequebatur, beatificans eum in facto suo, quem cum ille argueret de hoc, quod ipse cum esset maximus in curia dicti Regis Persarum, simulatoriè vsus fuerat Christum negare, & Solem adorare; ille dolens pro simulatione facti, abiecit vestimenta prætiosa quibus erat indutus, & venit ad fores regias flens & eiulans, & cū ab eo vocato quęreret Rex Sabor, ait Zuzades: Duplici causa ô Rex reus sum, & mori debeo. Vna est quia simulatione te decepi, alia est quia Christum negare visus fui, & Solem adorare, & populum scandalizaui figmento meo. Cum autē nollet Christum negare, nec Solē adorare, capitalis sententia data est contra eum. Rogauit autem Regē vt pro omni seruitio quod ei fecerat, daret ei vt præco clamaret, quod pro nullo alio forefacto decapitabatur, nisi pro hoc quod Christum nolebat negare; & quod hoc pro pœnitentia susceperat, quia populum figmento suo scandalizauerat, quod ita factum est.

Exemplum. ITEM ibidem legitur li. 6. quod cū esset consuetudo Romanorum Imperat. quod in præcipuis solēnitatib. ante Imperatores poneretur ara & thus, & pro honore Imperiali milites supponerent thus, & munera acciperent. Quidam milites Christiani non aduertentes dolū Iuliani Apostatæ Imperatoris, qui ante se aram fecerat vt dęmonibus sacrificarent, pro honore Imperiali thus suppossuerunt, & auri munera ab Imperatore acceperunt. Cum autem in consilijs suis Christum benedicerent, quidam dixerunt eis. Quomodo inuocatis eum quem paulo ante negastis? Cum autem ipsi quęrerent vbi hoc fecerant & quādo, & diceretur eis, quod quando thus obtulerunt in signum idolatriæ & negationis Christi, aduertentes dolum ad imperatorem venerunt, & aurum quod acceperāt proiecerunt, & dexteras quibus, ignorantes fraudem, thus obtulerant, sibi amputari rogauerunt; quos capitali sententia condemnauit, post autem edictum reuocans, eos exilio perpetuo condemnauit, ne breui miseram vitam finirent.

3. *Districtum Dei iudiciū.* TERTIO ad hoc flagitium detestandum mouere nos debet districtum Dei iudicium; quia Christus se negantes negabit in iudicio particulari, id est in morte; & in iudicio generali Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus negabo & ego eum coram patre meo.* 1. Tim. 2. *Si negauerimus eum, ipse negabit nos.* Tunc implebitur illud Sap. 12. *videntes illum quem olim negabant, verum Deum agnouerunt, propter quod & finis condemnationis illorum venit super illos.*

4. *Horrendum supplicium.* QVARTO mouere debet ad hoc flagitium detestandem horrendum supplicium quo negantes æternaliter punientur Sap. 16. *Negantes nosse te impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt nouis aquis & grandinibus &c.* Iud. 1. *subintroierunt quidam &c. solum Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Et de pœna eorum sequitur: *sicut Sodoma & Gomorrha,* & vicinæ ciuitates factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. *Similiter & hi carnem maculant, dominationem spernunt, maiestatem blasphemant*, qui Deum negant, diabolo se reddunt, traduntur dæmonibus æternaliter cruciandi; sicut dicitur Hier. 5. *Sicut dereliquistis me dicit Dominus, sic seruietis Dys alienis in terra non vestra;* id est in inferno. Sicut Iudæi qui dereliquerunt Deum, & coram Pilato negauerunt pro Cæsare Imperatore Romano, traditi sunt Imperatori

ratori Romanorum & ipſis Romanis cruciandi. Sicut refert Ioſephus & Egyſippus; & Dan. 9. *Occideretur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt, &c.*

De blaſphemia eorum qui ſe diabolo reddunt.

DISTINCTIO VIII.

Ad hoc vitium detestandum tria inducunt.

CIRCA quintum, ſcilicet de blaſphemia illorum qui ſe diabolo reddere conſueuerunt. Sciendum quod ad hoc flagitium deteſtandum mouere nos debent, admiranda Dei benignitas, conſeruanda Deo fidelitas, & horrenda hoſtis crudelitas.

1. *Dei benignitas.*

PRIMO quidem mouere debet Dei benignitas, qui nos ex mera bonitate creauit, ex ineffabili nos pietate redemit, angelicam nobis cuſtodiam deputauit, cõſeruat, protegit, dirigit, & defendit, & huiuſmodi innumera beneficia præſtat, & præſtitit; inſuper & regnũ ęternum nobis dare diſpoſuit. Bern. *Illi te totum debes, à quo te totum habes.* Magna ergo eſt infamia talem dominum contemnere, & alij ſe reddere. Homines fideles & grati, qui à Dominis ſuis tẽporalibus multa beneficia receperunt, nullo modo volunt eos dimittere, & alij adherere. Vnde Ioſue 12. *Abſit à nobis hoc ſcelus vt recedamus à Domino, & eius veſtigia relinquamus.*

2. *Promiſſa Deo fidelitas*

SECVNDO mouere nos debet ad hoc idem, promiſſa fidelitas, & pactum quod cum ipſo fecimus in baptiſmo, vbi nos Deo promiſimus ſeruituros, abrenunciantes diabolo & pompis eius. Vnde grauiſſimum eſt peccatum & proditio peſſima, alij domino ſe reddere, promiſſam fidelitatem infringere, & ſummum Dominum denegare, & pacta fidei violare, de hoc dicitur Iſaię. 24. *Diſſipauerunt pactum ſempiternum*, ſcilicet baptiſmi. Et 28. *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Grauis infidelitas eſt, quando legitimum negant Deum & Dominum; grauior cum eum conuitijs afficiunt, & de poſſeſſione vel caſtro ſuo eum eijciunt; grauiſſima quando caſtrum aduerſario diabolo tradunt. Nec tales infideles Deo, iudicandi ſunt ab hominibus fore fideles ipſis hominibus.

Exemplum.

IN tripartita hiſtor. lib. 1. legitur, quod cum Conſtantinus Imperator vellet experiri qui eſſent fideles Chriſtiani, vt eos ſibi in palatio retineret, nouus factus Chriſtianus occultus, edidit edictum tale, quòd omnes Chriſtiani qui nollent idola adorare, de curia eius exirent, & dignitates perderent, & vitam ſibi dimitti pro magno munere reputarent. Tunc quidã relictis honoribus à curia receſſerunt, dicentes quod magis volebãt Deo ſeruire, quam dæmonibus, & æterno Imperatori quam temporali. Alij autem econtra dixerunt, amore temporalium illecti, quod magis volebant ſeruire Imperatori, præeligentes voluntati & imperiali edicto obedire, & facere quicquid Imperator vellet, quod audiens Imperator, illos qui parauerant Chriſtum negare, & idolis immolare, abiecit à ſe dicens: *Impoſſibile eſt illos eſſe fideles hominibus qui Deo ſunt infideles, & eius proditores ſunt.* Alios autem qui Deo fideles extiterant, circa ſe vocauit, & ſe & officia ſua eis commiſit, & dignitates ſuas.

3. *Hoſtis maligni horrenda crudelitas.*

TERTIO debet te ad idem mouere hoſtis maligni horrenda crudelitas cui te reddis, quem quanto plus te ei reddis, tanto crudeliorẽ eum inuenis; & quanto plus ei ſeruis, tanto plus imponit oneris. Similis Pharaoni. Hier. 6. *Crudelis eſt & non miſerebitur.* Crudelis eſt bonis, crudelior ſuis, crudeliſſimus ſibijpſi, vt dicit quædam Glo. Crudelis eſt ſuis in vita, crudelior in morte, crudeliſſimus poſt mortem. Iſa. 5. *Rugitus eius vt rugitus leonis frendet, & tenebit prædam &c.* hoc faciet ſuis in morte, vel poſt mortem. Prou. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli:* quod facit qui ſe diabolo reddit. De huius crudelitate require ſupra, *De inferno.*

Exemplum.

ITEM cum quidam luderet ad taxillos in quadam terra vbi homines aſſueti ſunt negare Deum, & ſe per guttur diabolo reddere; cum omnia amiſiſſet, vno denario excepto, diabolis in corpore & anima ſe per guttur reddidit; & in ſignum huius poſt multas blaſphemias eis denarium proiecit. Et cum mane facto iret ſolus per viam, obuiauit duobus dęmonibus in ſpecie humana, qui dixerunt ei quod eſſent Domini ſui dæmones, quibus reddiderat ſe; & ſignum huius denarij quẽ eis proiecerat ei oſtenderunt, & dixerunt ei, quod iret ante eos, quia venerant ad eum deducendum ad habitationem ſuam. Qui rogauit eos quod permitterent eum ire ad domũ ſuam, & quod poſt duos dies ſequeretur eos quocumque irent vel vellent. Quod cum factum eſſet, prima die manſit in domo ſua triſtis & deſperans, nec cauſam alicui pandens, nec comedens, nec bibens. Cum autem ſequenti die quædam mulier ante domum eius tranſiret pauper, & infantulum inter brachia portans, & peteret ab eo pro Deo de pane ſuo, dixit illi, quod non daret ei, niſi reciperet pro dominis ſuis cum quibus erat iturus, ſcilicet dęmonibus quibus ſe reddiderat, quod illa facere abhorruit; & iuit ad amicos illius, ſuadens eis vt diligenter requirerent ab eo quid eſſet quod ei dixerat, & eum cuſtodirent. Quod cum feciſſent, & ille eis totam veritatem manifeſtaſſet, incepit clamare. Veniunt vt me ſecum deferant; Sinite me ire ne violenter rapiant me. Cum autem illi eum detinerent, & ad pœnitentiam prouocarent, dæmones inuiſibiles ab eis, eum inter manus proſtrauerũt & occiderunt. Magna nimis eſt inſania ſic peccãtium, quia cum ouis naturaliter horreat lupum, & fugiat muscattum, columba accipitrem, iſti excutiunt ſe à ſinu paſtoris pij, & proijciunt ſe in os infernalis lupi, qui *rapit & diſpergit oues*, ſicut dicitur Ioa. 10. Non ſufficit eis reddere ſe ei, ſed reddunt ſe, ſuos, & ſua; de quibus in Pſal. 105. *Immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs.*

Exemplum.

CVM quidam calciaret ſe, & difficulter intraret in ſotulari, dixit quod reddebat illum diabolo. Qui cum vellet intrare Eccleſiam ad miſſam vt ſolebat, diabolus eum per pedem retinebat. Qui aduertens quid in mane dixiſſet, vocato ſacerdote confeſſus eſt, & remoto ſotulari à pede, & proiecto à ſe, ſine difficultate Eccleſiam intrauit; ſotular autem viſum eſt deferri per aëra. Item iſti fatui ſunt, quia ſi eſſet aliquis tyrannus huius mundi, cui qui ſolum ſemel ſe reddidiſſent, non corde ſed ore, vellet eos ſemper habere ſeruos ſempiternos, multo fortius hoſtis crudeliſſimus. Item fatui ſunt qui hoſti ſuo crudeliſſimo & potentiſſimo manus diſſoluunt, & gladium ei tradunt, quo eos perimat, cum aliter non poſſit, gladius hic eſt peruerſa voluntas, ſine qua non poſſet eos aut rapere aut occidere.

De blaſphemia propriè dicta.

DISTINCTIO IX.

CIRCA ſextum, ſcilicet de blaſphemia propriè dicta, quando ſcil. verba contumelioſa profert aliquis contra Deum vel ſanctos, conſideranda ſunt tria. Primo quibus modis diſſuaderi poteſt hoc vitium. Secundo quot & quãtis criminibus blaſphemus inuoluitur. Tertio de pœna blaſphemantium. Enormitatẽ peccati blaſphemiæ oſtendunt, lex naturæ, lex ſcripturæ, difficultas curationis, peruerſitas imitationis.

Quatuor demõſtrãt enormitatẽ blaſphemiæ.

1. *Lex naturæ.*

PRIMO quidem enormitatem huius flagitij demonſtrat natura, quæ creaturis omnibus dictat Deum omnium creatorem, eſſe laudandum & glorificandum. Vnde Pſalm. creaturas omnes inuitat ad laudandum Deum. Et tres pueri in camino. Dan. 3. Aug. in ſerm. *Omnia quæcumque fecit Deus laudant Dominum. Audiſtis in benedictionibus, audiſtis in ſolemnitate quando leguntur, quoniam omnia laudant Deum, cæleſtia, terreſtria, Angeli, homines, luminaria cæli, arbores terræ, flumina maria.* Homo igitur, qui præ cæteris creaturis corporeis plura beneficia recepit à Deo, præ cæteris creaturis Deum laudare & glorificare tenetur, non igitur blaſphemare, immo naturaliter omnis homo debet horrere, blaſphemiam audiendo. Eccl. 27. *Loquela multum iurans horripilationem capitis faciet.* Iſa. 18. *Populum terribilem*; ibi Gloſ. *Nihil eſt horribilius*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exemplum. *horribilius blaſphemia, quæ ponit os in cœlum.* Dicit magiſter Iacobus: Cum quidam Iudæus luderet ad aleas cum quodam Chriſtiano, & multam pecuniam lucratus fuiſſet ab eo qui erat in ludo; cum dictus Chriſtianus Deum horribiliter blaſphemaret, horruit Iudæus obturans aures & fugit, magis volens pecuniam ſuam amittere, quam blaſphemias audire.

2. *Lex ſcriptura.* SECVNDO enormitatẽ huius criminis oſtendit ſcriptura. Col. 3. *Deponite blaſphemiam &c.* Item Leu. 24. *Qui blaſphemauerit nomen Domini morte morietur.* Iob 15. *Imitaris linguam blaſphemantium, condemnabit te os tuum.* Dan. 3. *Nabuch. viſo miraculo trium puerorum edidit decretum, quod quicumque locutus fuiſſet blaſphemiam contra Deum eorum diſperiret, & domus eius vaſtaretur.* Secundum canones olim blaſphemus laicus excommunicabatur, clericus deponebatur 24. q. 3. *Si quis per capillum.* In decretalibus oſtenditur quam graue ſit peccatum, vbi dicitur, quod *longe grauius eſt æternam quam temporalem lędere maieſtatem*, vt habetur extra de hæreticis. *Vergentis.* Item iura ciuilia merito blaſphemos diuinæ maieſtatis pœna capitali condẽnant. Item ſecundum decretales puniendi ſunt, ſecundum quod ſtatuit Greg. 9. lib 6. *Statuimus ſi quis contra Deum vel aliquem ſanctorum ſuorum, & maxime contra B. Virginem linguam in blaſphemiam publicè laxare præſumpſerit, per epiſcopum ſuum pœnæ ſubiaceat inferius annotatæ; videlicet quod per ſeptem dies dominicos blaſphemus ante fores Eccleſiæ in miſſa, debeat eſſe in manifeſto; in vltimo die ſine calciamento & pallio, ligatus corrigia circa collum, quaſi dignum ſe iudicans ſuſpendio; & ſeptem ſextis ferijs debeat in pane & aqua ieiunare, infra tempus illud Eccleſiam nullatenus ingreſſurus; & duos vel tres vel plures, ſi competerent eius facultates, reficiat pauperes:* Quod ſi facere renuerit, eccleſiaſtica debet carere ſepultura. Præterea per temporalem poteſtatem puniatur ſine miſericordia pœna 40. vel 30. vel 20. ſolidorum, vel ſi non ſufficiat, pœna 5. ſolidorum.

Pœna blaſphemãtium.

3. *Difficultas curationis huius peccati.* TERTIO hoc idem oſtendit difficultas curationis huius morbi ſiue peccati; quod dicitur irremiſſibile, ideo quia vix dimitti poteſt; quia eſt inſania contra illum medicum, qui ſolus illi morbo mederi poteſt; quia non habet blaſphemus colorem excuſationis, cũ peccet ex pura & certa malitia. In alijs peccatis mouet hominem lucrum temporale vel aliqua delectatio. In hoc nihil lucratur, ſed os ſuum inquinat, & Deum contra ſe prouocat. Ideo dicitur *Spiritus blaſphemiæ non remittetur, nec in hoc ſæculo, nec in futuro.* Matt. 12. Luc. 12. Marc. 3. & eſt peccatum ad mortem, maximè cum trahitur ad conſuetudinem. 1. Ioan. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt quis oret.* difficile immo quaſi impoſſibile eſt, impetrare veniam pro tali peccato, propter eius grauitatem, maximè quando tractum eſt in conſuetudinem. Ad hoc etiam concurrunt multæ circumſtantiæ aggrauantes. Sicut patet Iſa. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael.* Item ſuper illud Iſ. 22. ANGELI VELOCES AD POPVLVM, POSTQVAM NON EST ALIVS. dicit Glo. *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum, leuius eſt.*

Vnde colligatur grauitas blaſphemiæ. GRAVITAS huius peccati oſtenditur, ſi conſiderentur iſta, ſcilicet quis eſt cui contumelia infertur, quis infert, & qualiter infert, & quare infert, & vbi infert. Infertur autem hæc iniuria, non garcioni, non ſcutifero, non famulo, non ſolum militi aut filio, ſed regi ſummo, & pontifici altiſſimo & nobiliſſimo, patri potentiſſimo & æterno. Infertur à vermiculo viliſſimo & ſeruo nequiſſimo. Infertur autem coram oculis eius, & in præſentia; qui vbique præſens eſt, quod non facerẽt vni garcioni. Et in loco ſub omnium proſpectum, & in ſpectaculo dæmonum, & Angelorum, & hominũ. Inferunt blaſphemi Deo iniuriam, non de rebus ſuis, aut ſeruis ſuis, aut amicis ſolum, ſed in perſona infert blaſphemus ſine cauſa ei, qui nunquam fecit ei niſi bonum; cum garcioni vel vicino non diceret conuitia, niſi prius ipſe malefeciſſet ei, vel malum dixiſſet.

4. *Peruerſitas imitationis.* QVARTO hoc idem oſtendit peruerſitas imitatio-

A nis; quia ſcilicet hoc peccatum facit hominem ſimilem diabolo, à quo eſt omnis blaſphemia, *cui datum eſt aperire os in blaſphemias contra Deum & ſanctos eius*, vt dicitur Apoc. 13. Et eiuſdem 18. *Beſtia coccinea erat plena nominibus blaſphemiæ &c.* Blaſphemus eſt fiſtula vel os diaboli, ſicut dicitur in colla patrum lib. 12. Non ſolum dæmones ſtudent mendacijs, ſed blaſphemus; ſicut quidam teſtati ſunt per os Arij & Eunomij & aliorum hæreticorum impium dogma protuliſſe. Huius criminis reatus non ſolum inuoluit ipſos blaſphemos, verumetiam omnes conſentientes, & omnes qui cũ poſſent & deberent corrigere, ſciunt, audiunt, & diſſimulant. Sicut dominos qui nõ corripiunt ſeruos blaſphemantes; patres qui non puniunt filios ſuos, & prælatos

B qui non cohibent ſubditos. Tales videntur eſſe deteriores Iudæis, qui auditam Dei blaſphemiam non poterant ſuſtinere, ſed blaſphemos lapidibus impetebãt; & ſi non poterant emendare vel punire, aures obturabant, & veſtimenta ſcindebant, in ſignum doloris maximi. Item deteriores videntur Saracenis, qui auditam Mahumeti contumeliam, puniunt ſententia capitali, & eos qui blaſphemiam audiunt, & diſſimulant punire & accuſare in eum blaſphemãtes. Item qui audiunt blaſphemiam & non corrigunt, videntur eſſe infideles generali domino, à quo omnia quæ habent tenent. Non enim ſuſtinerent aliqui fideles milites, quod diceretur impunè contumelia regi ſuo, vel domino temporali, quam ſuſtinent de Deo.

Blaſphemi ſunt deteriores Iudæis & Saracenis.

Exemplum. DISSIMILES illi ſunt militi, qui cum intraſſet Pariſios, & tranſiret per magnum pontem, & filius cuiuſdam magni Burgenſis blaſphemaret Deum, non ſuſtinuit multum, ſed maximam dedit ei alapam, quod

C videntes Burgenſes duxerunt eum ad Regem Philippum captum, accuſantes eum de hoc, quod villã ſuam fregerat, & iuxta palatium ſuum vnũ ſuum Burgenſem verberauerat. Cum autem Rex ſtupens & iratus, quæreret ſi verum eſſet, & cauſam tanti auſus; reſpondit miles, quod cauſa erat Regis ſummi fidelitas; quia cum ipſe iudicaretur infidelis, ſi clauſis oculis tranſiſſet contumeliam eius ſine vindicta, multo fortius debuit vlciſci contumeliam Regis ſummi. Quo audito Rex fidelitatem eius commendauit, & prẽcepit quod vbique in regno ſuo cum ſimilia audiret, puniret. Item videtur eſſe generatio praua atque peruerſa, & infideles filij,

D hoc ſuſtinentes. Qui talia ſuſtinent de Deo, videntur filij adulteri, non filij legitimi, quod per hanc ſimilitudinem probatur.

Exemplum. QVIDAM homo vxorem habens ſuſpectam de adulterio, cum frequenter vocaret eam meretricem, illa impatienter ferens ait, quod niſi taceret tale verbum, ei diceret de quo in perpetuum doleret. Cum autem ille magis ac magis improperaret, & diceret quid tale poſſet dicere. Dixit illa, quod verum dicebat, quia adultera fuerat, & de adulterio duos filios habuerat, & ſolus tertius erat legitimus, pro cuius amore duos nutriret, & hęredes in bonis ſuis relinqueret. Cum autem ille quęreret, quis de tribus eſſet ſuus, nec vi nec precibus quamdiu vixit voluit ei indicare. Qua defuncta

E cum moreretur ipſe, condens teſtamentum dixit, quod omnia bona ſua vnico filio ſuo relinquebat. Cum autem eo mortuo quilibet illorum trium diceret ſe eſſe illum, & pugnarent pro hęreditate; cum vocati eſſent à iudice vbis, tulit talem ſententiam; quod quilibet eorum acciperet arcum & ſagittam. Quo facto pręcepit corpus defuncti patris ad truncum arboris applicari, & quod verſus eum ſagittas iacerent, & qui melius corpus eius infigeret, ille lucraretur hæreditatem. Cum autem duo eum infixiſſent, tertius incepit flere dicens, quod nulla ratione poſſet eum infigere, ſed ſi quis in eum iaceret, ipſe contra eum pugnaret, & pro viribus patrem ſuum vindicaret. Et iudex ait. Hic eſt hæres, & huic competit hæreditas. Similiter blaſphemi ſunt illegitimi filij, & adulteri, vt videtur. Legitimi videntur quorum viſcera audita blaſphemia commouentur. Blaſphemi autem, vt dicitur Tre. 3. *Poſuerunt me ſicut*

ſignum

signum ad sagittam dicit Dominus, quia magis infestant in festiuitatibus, quam in diebus ferialibus: quando intendunt ludis & tabernis, magis eum impugnant blasphemijs. Psal. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, &c.*

De blasphemiæ annexis criminibus & pœnis.

DISTINCTIO X.

CIRCA secundum principale scil. quib. & quantis criminibus blasphemus inuoluitur. Sciendum quod blasphemia figuraliter designatur per illam bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, de qua dicitur Apoc. 16. quod *erat armata contra Deum & sanctos* 10. *cornibus*, id est omnibus criminibus quæ sunt vel esse possunt contra decalogum.

Blasphemus multis criminibus implicatur.

1. *Ingratitudine.*

PRIMO quidem blasphemus armatur contra Deum ingratitudine, quando de membro illo, de quo vel pro quo, præ cæteris creaturis debet esse gratus, scilicet lingua rationali, quia præcellit corporeas creaturas data sibi ad laudandum Deum, conuertit in oppositum, id est in contumeliam creatoris Ingratus est quando in membris illis quæ assumpsit pro eo, qui morti se exposuit pro eo, eum inhonorat, cum per membra humana quæ Deus assumpsit pro nobis, turpiter iurat & blasphemat. De quibus Bernar. *In nullo magis esse ingrati possunt, quam qui tanti beneficij ingrati existunt.*

2. *Rabie & insania.*

SECVNDO blasphemus est rabidus & insanus, nam sicut canis rabidus mordet portantem sibi cibum; sic blasphemi ipsum Deum, qui dat eis victum & necessaria, cibum & potum. Similes illis de quibus dicitur Iud. 9. *Inter epulas & pocula maledicebant Abymelech.* Canis videns Dominum suum vulneratum, non mordet, sed flet & lambit potius, vulnera sua lingua mulcens. Canis rabidus sentiens se verti in rabiem, domum Domini sui fugit, ne forte rabies eum mordere compellat Dominum suum, vel domesticos eius, isti ergo sunt omni cane deteriores.

Simile.

3. *Crudelitate & sæuitia.*

TERTIO crudelissimus est & inhumanus, quando sæuit in corpus Christi mortuum & passum. Ideo licet claui qui infixerant corpus Christi viuum dicãtur dulces, Lancea quæ vulnerauit mortuum, debet esse dira. Item crudelior videtur blasphemus quam crucifixores Domini; quoniam inuenientes eum mortuum, cum ossa aliorum viuorum fregissent, ossa eius non cõminuerunt, non tunicam eius inconsutilem sciderunt. Item sunt sicut canes de macello, corpus crucifixi lacerantes, & dentes eius sanguine cruentatos habentes, de quibus habetur in Psal. 21. *Circundederunt me canes multi &c.* Hier. 12. *Nunquid quasi leo in silua hæreditas mea mihi:* Alia translatio habet. *Nunquid quasi spelunca Hyenæ hæreditas mea mihi?* Hyena corpora sepulta exhumat, & in spelunca sua deuorat. Sic isti sanctorum corpora in tabernis. Item inhumanum est illi inferre mala, qui nunquam verbo vel facto læsit inferentem; sed maior rusticitas est eum conuitijs afficere, qui te nutriuit, & omnia bona tibi fecit; & maiora, nisi rusticitas tua impediat, promittit & faciet.

Exemplum.

AD hoc facit quod legitur in hist. ecclesiastica lib. 3. cap. 12. de Beato Policarpo, cui cum comminaretur iudex feras & ignem & diuersa supplicia, nisi fortunam Cæsaris iuraret, & Christo malediceret, respondit. *Quomodo possum ego Christo meo regi & Domino maledicere.* Octuagintasex anni sunt ex quo ei seruio, & in nullo vnquam me molestauit, sed salutem mihi dedit, & omnia bona mihi contulit. Cum autem in fornacem ignis mitteretur, propter hoc quod nolebat Deum inhonorare, honorem ei ignis exhibuit, non lædens eum, sed circa eum faciens pulchram testudinem, quod videns iudex, fecit eum gladio transuerberari; de cuius corpore tantus sanguis exiuit, quòd totam fornacem extinxit, & corpus martyris ab igne intactum permansit.

4. *Impietate.*

QVARTO blasphemus est profanus, quando in patrem cælestem, & in summum & æternum pontificem, infigit dentem. Prou. 30. *Est generatio quæ patri suo maledicit, & quæ pro dentibus gladios habet.* Isti deteriores videntur hæreticis, qui blasphemant quod ignorant: isti autem non possunt se de ignorantia excusare.

Varia sunt blasphemãtium pœna.

CIRCA tertium, scilic. *de pœna blasphemantium*, sciendum quod blasphemus contra se Deum prouocat, vt eum diuersimodè, & subita morte percutiat. Iob 34. *Qui addit super peccata sua blasphemiam, sermonibus suis prouocat Deum ad iudicium.* Psal. 36. *Benedicentes ei hereditabũt terram, maledicentes autem ei disperibunt*; id est diuersimodè peribunt. Nam secundum legem diuinam blasphemus erat à populo lapidandus. Hier. 24. *Educ blasphemum extra castra vt lapidetur.* Secundum leges ciuiles capite plectendus est. Secundum legem Mahumeti, blasphemator Mahumeti similiter sententia capitali punitur. Secundum iura canonica spirituali sententia, scilicet excommunicatione, nisi desistat; per quam sententiam à Deo, & ab ecclesiæ consortio separatur.

Exempla.

ITEM quandoque Deus blasphemos occidit hostili gladio, vt per Iudith Holofern. Iud. 12. per Dauid Goliam, 1. Reg. 17. Et per Iudam Niclanorẽ, id est Maeh. 7. Quandoq; per sanctos Angelos, vt exercitus Senacherib, Isa. 37. Dicitur enim To. 1. quod propter blasphemiam immisit in eum plagam illam Dominus.

Exempla.

ITEM per sanctos quandoque, vt Iulianum Apostatam per sanctum Mercurium; Sicut legitur in miraculis, B. Virginis. Item quandoque diuersis iudicijs punit eos Dominus vltionum. De quodam milite dicitur, quod cum in ludo alearum per oculos Dei iuraret, subito eius oculi in aleam ceciderunt.

ITEM in Remensi diœcesi. Cum miles quidã in die cœnæ luderet ad taxillos, & Deum enormiter blasphemaret, percussus est morbo caduco corã omnibus cadens, & per totã diem sequentẽ se discerpens, ad terrã se allidens & spumans, animã miserã sic euomuit. Item cum quidam alius similiter luderet, & horribiliter blasphemaret Deum, horribiliter percussus cecidit spumans, & euomens vsque adeo consumptus est, quod cum esset magnum corpus eius, redactum est ad quantitatem parui pueri; & oculi eius ita liquefacti, vt reducerentur ad quãtitatem oculorum vnius passeris. Item quandoq; arripiuntur & suffocantur à dæmonibus; sicut patet de puero quinquenni blasphemo. 4. Dial. 19. Similiter de illo qui blasphemando diabolo se reddidit, & ab eo suffocatus interijt, vt dictũ est supra. Item aliquando fulminantur. Contigit semel Parisijs, quod cũ quidam quadrigarius duceret in quadriga multas personas de Parisijs apud sanctum Dionysium, cũ aliquid aduersi accideret ei in via, & turpiter blasphemaret Deum, subito fulgur de cœlo corruit, & eum perforans occidit; equis, personis, & rebus alijs illæsis.

Exempla.

ITEM quidam nauta in diœc. Cabol. cum nauẽ duceret & blasphemaret, in aqua corruit, & licet sciret bene natare, cadens non surrexit; quem frater suus, qui hoc retulit, quærens, inuenit eum mortuum, toto corpore intacto, habentem intus in ore linguam radicitus & omnino consumptam. Item blasphemi sępe puniuntur in membro de quo peccant, & contra quem peccant. Sæpe enim puniuntur in lingua per quam peccãt; iuxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:* vt dives epulo in inferno cruciatur in lingua in qua peccauerat. Luc. 16. Ideo Iudas 2. Mach. 15. linguã impij Nicanoris, quæ Deum blasphemauerat, præcepit particulatim auibus dari. In inferno autem Blasphemi in lingua ipsi semetipsos punient, vt dicitur Apoc. 16. *Effudit Angelus*, id est Christus *phyalam iracundiæ Dei super sedẽ bestiæ*, id est in infernũ; *& factũ est regnũ eius tenebrosum, & cõmanducauerunt linguas præ doloribus suis, & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis.*

Exemplum.

ITEM in partibus Aquitaniæ dicitur accidisse, quod duo macellarij venditores carnium erant assueti blasphemijs, & lingua maledica carnes Christi lacerare. Cum autem in villa vbi erant, hostes irruerent, & multos occidissent, eos occiderunt, qui morientes linguas horribiliter emiserunt incredibili quantitate. Canes

autem congregati, contra morem eorũ, de aliorum medio quos intactos reliquerunt, eos membratim dilacerauerunt, ſicut ipſi viui dilacerauerant membra Chriſti. Item de quodam alio accidit, quod cũ blaſphemaret, ſubito percuſſus cecidit mortuus, linguã extrahens in conſimili quãtitate, & præ horrore eſt à ſuis relictus.

Deus etiam punit eos qui Sanctos ſuos blaſphemãt.

PVNIT etiam Deus non ſolum ſe blaſphemantes, ſed etiam ſanctos ſuos. Vnde cum quidam blaſphemaret Beatam Virginem, manus eius ſiniſtra diſtorta eſt; & cum pro hac plus blaſphemaret, dextera eius conſimilis facta eſt, & cum præ doloribus deſperans plus & plus blaſphemaret, in alijs membris plus & plus percutitur. Cum autem per ventrem eius iuraret, ventre eius inflato ſubito crepuit medius. In paſſione Alexandri & Euentij & Theoduli legitur, quod cum Aurelius Præfectus vrbis Romæ beatum Alexandrum Papam occidiſſet, & eo occiſo inſultaret blaſphemijs, ſubito ante pedes eius virga ignea cecidit, & vxor ad eum facta eſt. Aureli accipe brauium meritorum tuorũ. Cum autem hic credens factum per maleficium, adhuc occiſis martyribus inſultaret, vox ad eum facta eſt. Aureli; Ecce iſtis quibus inſultans regnũ cęlorum apertum eſt, vt illud obtineant; tibi autem infernus paratur, & apertus eſt, vt ibi pœnas ſuſtineas ſempiternas, qui ad domum ſuam ductus, tremefactus & quaſi amens factus, & præ doloribus linguam ſuam manducans, expirauit.

Exemplum.

Exemplum.

IN tripartita hiſto. lib. 6. dicitur, quod cum quidam diaconus Cyrillus nomine, igne diuino ſuccenſus, gentilium idola concremaſſet; ſicut ipſi in Sebaſte ciuitate ſepulchrum B. Ioan. Bapt. confregerant, & oſſa combuſſiſſent; ipſi eo occiſo, iecur eius in vindictam iniuriæ manducauerunt, & ſtatim lingua eorum putrefacta eſt, & ipſi dentibus & toto corpore tabefacti, in ſe diuinæ virtutis iudicium cognouerunt & prædicauerunt. Si ergo ſic puniti ſunt comeſtores iecoris martyris, quantum puniri creduntur, qui dentibus lacerant corpus & membra Chriſti. Item de alio accidit, quod dum blaſphemaret, vermis in lingua eius exortus eam totam corroſit.

Blaſphemi claudentur tandem in inferno.

ITEM blaſphemi in inferno detruduntur & clauduntur, vt patet Apoc. 19. *Beſtia plena nominibus blaſphemiæ, & omnes qui habebant characterem eius & ſimilitudinem, miſſi ſunt in ſtagnum ignis ardentis.* Si enim pueri parui qui maledicebant Eliſæo aſcendenti in Bethel, traditi ſunt Vrſis ad deuorandum 4. Reg. 2. quanto magis magni & prouecti tradentur dæmonibus ad deuorandum, qui maledicunt æterno Dei filio, & in æternum cruciabuntur. Item in paſſione B. Sebaſtiani legitur, quod Zoe vxor Nicoſtrati, vidit Angelum librum tenentem apertum, in quo legabat. B. Sebaſtianus, qui prædicabat de contemptu mundi, & pœnis inferni, & gaudijs paradiſi; & dicebat inter multa alia de inferno: Timenda ſunt illa tormenta inferni, vbi flamma edax incredulorum animas deuorat, vbi dracones linguas blaſphemantium comedunt, vbi ſerpentes diris morſibus incredulorum pectora depaſcunt, vbi vlulatus reſonat & gemitus, & clamor confuſus &c. Adhuc ſunt multa quæ habentur ſupra *de inferno.*

De blaſphemia in Spiritum ſanctum.

DISTINCTIO XI.

DEINDE conſiderandum eſt in ſpeciali de blaſphemia in Spiritum ſanctum, & circa hoc conſideranda ſunt tria. Primo quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum. Secundo de ſpeciebus eius. Tertio vtrũ peccatum blaſphemiæ ſit irremiſſibile.

Blaſphemia in S. ſanctũ tribus modis dicitur.

CIRCA primum ſciendum, quod de peccato ſiue blaſphemia in Spiritum ſanctum tripliciter homines loquuntur. Antiqui enim doctores, ſcilicet Athanaſius, Hylarius, Ambroſius, Hieron. & Chryſo. dicunt eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, quando ad literam aliquid blaſphemum dicitur contra Spiritum ſanctũ, ſiue Spiritus ſanctus accipiatur ſecundum quod eſt nomen

A

B

C

D

E

eſſentiale conueniens toti Trinitati, cuius quælibet perſona eſt Spiritus ſanctus, ſiue proprie eſt nomen perſonale vnius in Trinitate perſonæ; & ſecundũ hoc diſtinguitur Matt. 12. blaſphemia in Spiritum ſanctũ contra blaſphemiã in filium. Chriſtus enim operatus eſt quædam humanitus, puta comedendo, bibendo, & alia huiuſmodi faciendo, & quædam diuinitus, ſcil. dæmones eijciendo, mortuos ſuſcitando, & cætera huiuſmodi; quæ quidem habebat, & per virtutem proprię diuinitatis, & per operationẽ Spiritus S. quo ſecundũ humanitatem erat repletus. Iudæi autem primo, quandã dixerunt blaſphemiam in filiũ hominis, cum dicebant eum voracem, potatorem vini, & publicanorũ amatorem, vt habetur Matth. 11. Poſtmodum autẽ blaſphemauerunt in Spiritum S. dum opera quæ ipſe operabatur virtute proprię diuinitatis, & per operationem Spiritus S. attribuebant principi dæmoniorum, & propter hoc dicũtur in Spiritum S. blaſphemaſſe. Aug. autem in li. de verb. Domini, blaſphemiam, vel peccatum in Spiritum ſanctum, dicit eſſe finalem impœnitentiam, quando ſcilicet aliquis perſeuerat in peccato mortali vſque ad mortem, quod quidem non ſolum verbo oris fit, ſed etiam verbo cordis, & operis; non vno, ſed multis. Hoc autem verbum ſic acceptum dicitur eſſe contra Spiritum S. quia eſt contra remiſſionem peccatorũ, quæ fit per Spiritum ſanctum, qui eſt charitas patris & filij, nec hoc dixit Iudæis Dominus, quaſi ipſi peccarent in Spiritum S. nondum enim erant finaliter impœnitentes, ſed admonuit eos ne taliter loquentes ad hoc peruenirent, quod in Spiritum ſanctum peccarent. Et ſic intelligendum eſt quod dicitur Matth. 12. vbi poſtquã dixerat, *qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum &c.* ſubiungit euangeliſta, *quia dicebant Spiritum immundum habet.* Alij vero aliter accipiunt dicentes, peccatum vel blaſphemiam in Spiritum S. eſſe quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritus ſancti, cui appropriatur bonitas, ſicut patri potentia, & filio ſapientia. Vnde peccatum in patrem dicunt eſſe quando peccatur ex infirmitate, peccatũ autem in filium quando peccatur ex ignorantia, peccatũ in Spiritum S. quando peccatur ex certa malitia, id eſt ex ipſa electione mali. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo ex inclinatione habitus vitioſi, qui malitia dicitur; & ſic non eſt idẽ peccare ex malitia quod peccare in Spiritum S. Alio modo contingit ex eo, quod per conceptum abijcitur & remouetur id, quod electionem peccati poterat impedire, ſicut ſpes per deſperationem, & timor per præſumptionem, & quædam alia huiuſmodi. Hæc autem omnia quæ peccati delectationem impediunt, ſunt effectus Spiritus ſancti in nobis, & ideo ſic ex malitia peccare, eſt peccare in Spiritum ſanctum.

Primo pro blaſphemia in Deum.

Secundo pro finali impœnitentia.

Tertio pro peccato ex certa malitia cum abiectione eorũ quæ poterant à peccato impedire.

Ex modis quibus retrahimur ab electione peccati, rectè colliguntur ſex ſpecies peccati ſeu blaſphemiæ in S. ſanctũ.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *de ſpeciebus peccati ſeu blaſphemiæ in Spiritum ſanctum:* ſciendum quod ſecundum quod peccatum in Spiritum ſanctum tertio modo accipitur, conuenienter ſex ſpecies ei aſſignantur, quæ diſtinguuntur ſecundum remotionem vel contẽptum eorum, per quæ poteſt homo à delectatione peccati impediri, quæ quidem ſunt, vel ex parte diuini iudicij, vel ex parte donorum ipſius, vel etiam ex parte ipſius peccati. Auertitur enim homo ab electione peccati, ex conſideratione diuini iudicij, quod habet iuſtitiam cum miſericordia; Et per ſpem, quę conſurgit ex conſideratione miſericordiæ remittentis peccata, & præmiantis bona; & hoc tollitur per deſperationem. Et iterum per timorem, qui conſurgit ex conſideratione diuinæ iuſtitiæ punientis peccata; & hic tollitur per præſumptionem, dum ſcilicet aliquis ſe præſumit gloriam adipiſci ſine meritis, vel veniam ſine pœnitentia. Dona autẽ Dei quibus retrahimur à peccato ſunt duo; quorum vnum eſt cognitio veritatis, contra quod ponitur impugnatio veritatis agnitæ, dum ſcilicet aliquis veritatem fidei agnitam impugnat vt licentius peccet. Aliud eſt auxilium interioris gratiæ, contra quod ponitur inuidentia fraternę gratię, dũ ſcil. aliquis non ſolum inuidet perſonæ fratris, ſed etiam inuidet gratiæ Dei

creſcenti

crescenti in mundo. Ex parte vero peccati duo sunt A
quæ hominem à peccato retrahere possunt, quorum vnum est inordinatio & turpitudo actus, cuius consideratio inducere solet in homine pœnitentiam de peccato commisso; & contra hoc ponitur impœnitentia, non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato vsque ad mortem; sicut supra impœnitentia accipiebatur (sic enim non esset speciale peccatum, sed quędam peccati circumstantia) sed accipitur hic impœnitentia secundum quod importat propositum non pœnitendi. Aliud autem est paruitas & breuitas boni quod quis in peccato quærit, secundum illud Rom. 6. *Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis?* cuius consideratio inducere solet hominem ad hoc, quod eius voluntas in peccato non firmetur. Et hoc tollitur per obstinationem, B
quando scilicet homo firmat propositum suum in hoc quod peccato inhæreat. Et de his duobus dicitur Hier. 8. *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci?* quantum ad primum, *omnes conuersi sunt ad cursum, quasi equus impetu vadens ad prælium*, quantum ad secundum.

Circa tertium, scilicet *vtrum peccatum in Spiritum sanctum sit irremißibile.* Sciendum, quod secundum diuersas acceptiones peccati in Spiritum sanctum diuersimodè irremissibile dicitur. Si enim dicatur peccatum in Spiritum sanctum finalis impœnitentia, sic dicitur irremissibile, quia nullo modo remittitur peccatum mortale in quo homo perseuerat vsque ad mortem; quia in hac vita non remittitur per pœnitentiam, nec etiam in futuro dimittetur. Secundum autem alias C
duas acceptiones dicitur irremissibile, non quia nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se habet meritum vt non remittatur, & hoc dupliciter; *Vno modo* quantum ad pœnam. Qui enim ex ignorantia vel ex infirmitate peccat, minorem pœnam meretur, qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem vnde eius pœna minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in filium hominis, eius diuinitate nondum reuelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis quam in eo aspiciebat, & sic minorem pœnam merebatur. Sed qui ipsam diuinitatem blasphemabat, opera Spiritus sancti diabolo attribuens, nullam excusationem habebat vnde eius pœna diminueretur, & ideo dicitur secundum expositionem Chrysostom. hoc peccatum non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro; quia pro eo D
passi sunt pœnam, & in præsenti vita per Romanos, & in futura vita in pœna inferni. Sic etiam Athanasius inducit exemplum de eorum parentibus, qui primo quidem contra Moysen contenderunt propter defectum aquæ & panis, & hoc Dominus sustinuit patienter; habebant enim excusationem ex infirmitate carnis. Sed postmodum grauius peccauerunt, quia blasphemantes in Spiritum sanctum, bęneficia Dei qui eos de Ægypto eduxerat, idolo attribuentes, cum dixerunt: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et ideo Dominus, & temporaliter fecit eos puniri, quia *cecidęrunt in die illo quasi tria millia hominum:* & in futurum eis pœnam comminatur dicens: *Ego autem in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum. Alio modo* potest intelligi E
quantum ad culpam, sicut aliquis dicitur morbus incurabilis, vel secundum naturam morbi, per quem tollitur id ex quo morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ, licet etiam talem morbum Deus possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, inquantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum; per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur.

De Rixa.

DISTINCTIO XI.

Decima est rixa quæ est quoddā quasi priuatū bellum inter priuatas personas, & regulariter est peccatū mortale.

Decima filia iræ est rixa. Sciendum est autē, quod sicut contentio importat quandam contradictionem in verbis, ita rixa importat quandam contradictionem in factis. Vnde super illud ad Gal. 5. Iræ, rixæ, dissentiones &c. Dicit Glos. quod *rixæ sunt, quando ex ira se inuicem percutiunt*; & ideo rixa videtur esse quoddam priuatum bellum, quod inter priuatas personas agitur, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate, & ideo rixa semper importat peccatum, & in eo quidem qui alterum inuadit iniustè, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque mortali peccato, in eo autem qui se defendit potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque etiam cum mortali, secundum diuersum motum animi, & diuersum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi iniuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex parte eius. Si vero cum animo vindictæ vel odij, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum. Sed veniale quidem, quando aliquis leuis motus odij vel vindictæ se immiscet, vel cum quis non multum excedit moderatam defensionem. Mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit, ad eum occidendum, vel grauiter lædendum.

De bello.

DISTINCTIO XII.

Vndecima est bellum.

Vndecima filia iræ est bellum. Circa quod consideranda sunt quatuor. Primo vtrum omne bellū sit illicitum & peccatum. Secundo vtrum prælatis & clericis sit licitum bellare. Tertio vtrum in bellis liceat vti insidijs. Quarto vtrum liceat bellare in festis.

Vt bellum sit licitum tria requiruntur, scil. auctoritas principis, causa iusta, & intentio recta.

Circa primum, scilicet *vtrum omne bellum sit peccatum.* Dicendum quod non. Sicut expresse dicit Aug. in sermone de puero Centurionis, dicens. *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consilium salutis petentibus in euangelio daretur, quod arma abijcerent, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concutiatis, & contenti estote stipendijs vestris. Quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare negotium non prohibuit.* Sciendum est autem, quod ad hoc quod bellum sit licitum & iustum, tria requiruntur. Primo quidem auctoritas principis, cuius mandato bellum geritur; non enim pertinet ad personā priuatā bellum mouere, quia potest ius suū in iudicio superioris prosequi. Similiter etiam conuocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad priuatā personam. Cum autē cura reipub. cōmissa sit principibus, ad eos pertinet rempub. ciuitatis, vel regni, seu prouinciæ sibi subditæ tueri, & sic licitè defendunt eam materiali gladio, cōtra interiores quidā perturbatores, dū malefactores puniunt; secundum illud Ro. 19. *Non sine causa gladiū portat; minister enim Dei est, vindex in iram ei qui male agit:* ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Vnde & principibus dicitur in Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Vnde Aug. contra Faustum. *Ordo naturalis mortalium pacis accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium, penes principes sit.* Secundo requiritur causa iusta, vt scil. illi qui impugnantur, propter aliquā culpam impugnationem mereantur. Vnde Aug. dicit in lib. 83. quæst. *Iusta bella solent diffiniri quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod iniustè ablatum est.* Tertio requiritur, vt sit intentio bellātium recta, qua scilicet intenditur, vel vt bonū promoueatur,

Quo sensu peccatum in Spiritum S. dicatur irremissibile.

vel

vel vt malum vitetur. Vnde Aug. in lib. de verbis Domini. *Apud veros Dei cultores etiam ipsi bella peccata nõ sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coerceantur, & boni subleuentur.* Potest etiam contingere quod etiamsi sit legitima auctoritas indicẽtis bellum, & causa iusta; nihilominus propter prauam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Aug. in lib. contra Faustum. *Nocendi cupiditas vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.*

Solutio obiect. Nec præmissis obstat quod dominus dicit Matt. 26. *Omnis qui acceperit gladiũ gladio peribit;* quia sicut ait Aug. in 2. li. contra Manich. *Gladium accipit qui nulla superiori aut legitima potestate, aut iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Qui vero ex auctoritate principis vel iudicis, si sit persona priuata; vel ex zelo iustitiæ, quasi ex auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio vtitur; nõ ipse accipit gladium, sed ab alio sibi commisso vtitur. Vnde ei pœna non debetur, nec tamen illi etiam qui cum peccato gladio vtuntur, semper occiduntur gladio, sed ipso suo gladio semper pereunt; quia pro peccato gladij æternaliter puniuntur nisi pœniteant.*

Item præmissis non obstat quod ait Apost. Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Et Dominus Matth. 5. *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei & alteram;* quia sicut docet Aug. in lib de serm. Domini in monte. *Huiusmodi præcepta sunt seruanda semper in præparatione animi;* vt scilicet semper homo sit paratus non resistere, non se defendere si opus fuerit. Sed quandoque est aliter agendum, propter cõmune bonum, & etiam illorum cũ quibus pugnatur. Vnde Aug. dicit in epistola ad Marcellin. *Agenda sunt multa etiam cum inuitis, benigna quadam asperitate plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quoniam nihil est infælicius fælicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

Item sciendum quòd illi qui iustè bella gerũt, principaliter & finaliter pacem intendunt, & ita non contrariantur paci nisi malæ, quam Dominus non venit mittere in terram, vt dicitur Matth. 10. Vnde Aug. dicit ad Bonif. *Non quæritur pax vt bellum exerceatur, sed bellũ geritur vt pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas.*

Sciendvm prẽterea quod exercitationes hominum ad res bellicas, non sunt vniuersaliter seu totaliter prohibitæ, nisi propter inordinationes quæ à modernis ibi geruntur, & propter pericula multa quæ inde proueniunt, puta occisiones & deprædationes & alia multa mala. Apud antiquos enim huiusmodi exercitationes ordinatè & modestè, sine huiusmodi periculis rerum & corporum, & sine mutilatione membrorum, & sine sanguinis effusione fiebant.

Circa secundum, scilicet *vtrum clericis & prælatis licitum sit bellare:* dicẽdum est quod non. Cuius ratio est, quia ad bonum societatis humanæ plura sunt necessaria, diuersa autem à diuersis melius & expeditius aguntur quam ab vno, vt patet per philosophum in sua Politica; & quædam negotia sunt adeo sibi repugnantia, vt conuenienter simul exerceri non possint; & ideo illis qui maioribus deputantur, prohibentur minora. Sicut secundum leges humanas, militibus qui deputantur ad exercitia bellica, negociationes interdicuntur. Bellica autem exercitia maximè repugnant illis officijs quibus episcopi & clerici deputantur, propter duo. Primo quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habent. Vnde multum impediunt animum à contemplatione diuinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum; & ideo sicut negociationes, propter hoc quod nimis implicant animum, interdicuntur clericis; ita & bellica exercitia; secundum illud 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs.* Secundo propter spẽcialem rationem. Nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi, secundum illud 1. Cor. 12. *Quotiescumque manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Et ideo non competit eis occidere vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, vt imitentur opere quod gerunt ministerio. Et propter hoc est institutum, vt effundentes sanguinem, etiam sine peccato, sint irregulares. Nulli autem qui deputatus est ad aliquod officium licet id, per quod suo officio incongruus redditur. Vnde clericis omnino non licet bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem. Eis ergo interdicitur bellare, non quia sit peccatum de genere suo, cũ possit esse meritorium, sed redditur eis illicitum, quia sunt ad opera multo sublimiora & magis meritoria deputati, sicut actus matrimonialis potest esse meritorius, & tamen his qui virginitatem vouerunt damnabilis redditur, propter obligationem voti ad maius bonum.

Solutio obiect. Debent prælati gregem suum defendere, & resistere lupis, non solum illis qui spiritualiter gregem interimunt, verumetiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant & temporaliter opprimunt & molestãt: non autem armis materialibus, eis in proprijs personis vtendo, sed spiritualibus; secundum illud 2. Corint. 9. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia sed spirtualia,* quæ quidem arma sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes, & contra pertinaces etiam excommunicationis sententia.

Possvnt etiam prælati & clerici bellis personaliter interesse, non quidem vt ipsi propria manu pugnẽt, sed vt iustè pugnantibus ipsi spiritualiter subueniant, suis exhortationibus, absolutionibus, & alijs huiusmodi spiritualibus fulcimentis. Sicut & in veteri lege mandabatur Deut. 20. quòd sacerdotes in bellis clangerent sacris tubis, ad hoc ergo fuit primo concessum clericis personaliter interesse. Quod autem aliquis propria manu pugnet abusio est, nec eis est à iure concessum.

Circa tertium, scilicet *vtrum in bellis liceat vti insidijs:* sciendum quòd insidiæ ordinantur ad fallendum hostes: dupliciter autem aliquis potest falli ex dicto vel facto alterius. *Vno modo* ex eo quod ei dicitur falsum, vel non seruatur promissum; & istud semper est illicitum: & hoc modo nullus debet hostes fallere. Sunt enim quędam iura bellorum & fędera, inter ipsos hostes seruanda, vt dicit Ambr. in lib. de officijs. *Alio modo* potest aliquis falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus; hoc autem semper facere non tenemur, quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda maximè infidelibus, ne irrideant, secundum illud Matth. 10. *Nolite sanctum dare canibus.* Vnde multo magis ea quæ ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda. Vnde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipuè ponitur de occultandis consilijs, ne ad hostes perueniant, vt patet in libris stratagematum Francorum. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est vti in bellis iustis. Nec propriè huiusmodi insidiæ vocantur fraudes, nec iustitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati: esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab alijs occultari.

Non est licitum clericis bellare propter duo.

Circa quartum, scilicet *vtrum bellare licitum sit in festis.* Dicendum quòd obseruatio festorum non impedit ea quę ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem. Vnde Dominus arguit Iudæos dicens Ioan. 7. *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.* Et inde est quod medici licitè possunt medicari homines in die festo. Multo autem magis est conseruanda salus reipublicæ, per quam impediuntur occisiones multorum, & innumera mala & temporalia & spiritualia, quã salus corporalis vnius hominis. Et ideo pro tuitione reipublicæ fidelium, licitum est iusta bella exercere in diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate à bello vellet abstinere, sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis.

Licet in bello insidijs vti occultando consilium, sed non falsum dicendo.

Licitum est bellare diebus festis necessitate vrgente.

De crudelitate.

Duodecima est crudelitas quæ est atrocitas quædã animi ad inferendã pœnam clemẽtiæ oppoſita.

DVODECIMA filia iræ eſt crudelitas. Eſt autẽ crudelitas ſicut ait Sen. li. de clementia, atrocitas quædam animi in pœnis exigendis. Nomen autẽ crudelitatis à cruditate ſumptum eſſe videtur. Sicut autẽ ea quæ ſunt decocta & digeſta ſolent habere ſaporẽ dulcem & ſuauem, ita illa quæ ſunt cruda, horribilem & aſperum ſaporem habere ſolent. Vnde ſicut clementia importat quandam lenitatem & dulcedinem animi, per quam eſt aliquis diminutus pœnarum, ita directè crudelitas importat quandam aſperitatem & atrocitatem animi, per quam eſt exactiuus & exaggeratiuus pœnarum. Eſt autem ſciendum quòd miſericordia & clementia conueniunt in hoc quòd vtraq; refugit miſeriam alienam, ſed aliter & aliter. Nam ad miſericordiam pertinet miſeriæ ſubuenire per beneficij collationem, ad clementiam autem pertinet diminuere miſeriam per pœnæ ſubtractionẽ. Et quia crudelitas importat ſuperabundantiam in pœnis exigendis, ideo directius opponitur crudelitas clementiæ quam miſericordiæ: Interdum tamen crudelitas accipitur pro immiſericordia. Vnde Hier. 6. dicitur. *Crudelis eſt & non miſerebitur.* Et Prou. 11. *Qui crudelis eſt propinquos abijcit.*

De ſæuitia.

Tredecima eſt ſæuitia, quæ eſt affectus inferendi pœnam etiam vbi nulla ſubeſt cauſa, ſed quia quis delectatur in hominum cruciatu.

TREDECIMA filia iræ eſt ſęuitia, ſiue feritas. Videndum eſt autem quid ſit, & quomodo differt à crudelitate. Sciendum vero quod nomen ſæuitiæ vel feritatis accipitur à ſimilitudine ſilueſtrium beſtiarum, id eſt ferarũ, quæ etiam ſæuæ dicuntur. Huiuſmodi enim animalia nocent hominibus, vt ex eorum corporibus paſcantur, non ex aliqua iuſtitiæ cauſa, cuius conſideratio pertinet ad ſolam rationem: & ideo propriè loquendo feritas vel ſæuitia dicitur, ſecundum quam aliquis in pœnis inferendis non conſiderat aliquam culpã eius qui punitur, ſed ſolum hoc quod delectatur in hominũ cruciatu; & ſic patet quod continetur ſub beſtialitate: nam talis delectatio non eſt humana, ſed beſtialis; prouenies vel ex mala conſuetudine, vel ex corruptione naturæ; Sicut & aliæ huiuſmodi beſtiales affectiones. Sed crudelitas attendit culpam in eo qui punitur, ſed excedit modum in puniendo, & ideo crudelitas differt à ſæuitia ſiue feritate, ſicut malitia humana à beſtialitate, vt dicitur in 7. Ethic.

De mutilatione.

DISTINCTIO XIII.

DEINDE conſiderandum eſt de peccatis iniuriarum quæ proximis inferuntur. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo de mutilatione membrorum. Secundo de verberatione. Tertio de incarceratione. Quarto de occiſione.

CIRCA primum videndum eſt, vtrum in aliquo caſu ſit licitum aliquem mutilare. Dicendum quòd quęlibet pars humani corporis eſt propter totum corpus, ſicut imperfectũ eſt propter perfectũ, & ideo de quolibet membro corporis diſponendum eſt ſecundũ quod expedit ſaluti & bonæ diſpoſitioni totius. Membrum autem humani corporis per ſe quidem vtile eſt ad bonum totius corporis, per accidens tamen poteſt cõtingere quòd ſit nociuum, puta cum membrũ putridum eſt totius corporis corruptiuum. Si ergo membrum ſanum fuerit in ſua naturali diſpoſitione conſiſtens, non poteſt præſcindi abſque totius hominis nocumento. Sed quia ipſe totus homo ordinatur vt ad finem, ad totam communitatem cuius eſt pars, poteſt contingere quòd abſciſio membri, etſi vergat in detrimentũ totius corporis, ordinatur tamen ad bonum cõmunitatis, inquãtum alicui infertur in pœnã ad cohibitionẽ peccatorum, & ideo ſicut per publicã poteſtatẽ aliquis licitè priuatur totaliter vita, propter aliquas maiores culpas; ita etiam priuatur membro propter aliquas culpas minores, hoc autem non eſt licitum alicui priuatæ perſonæ, etiam volente illo cuius eſt mẽbrum; quia per hoc fit iniuria communitati cuius eſt ipſe homo & omnes partes eius. Si vero membrum propter putredinem ſit totius corporis corruptiuum, tunc licitũ eſt de voluntate eius cuius eſt membrum, putridum membrũ præſcindere, propter ſalutem totius corporis, quia vnicuique commiſſa eſt cura propriæ ſalutis, & eadem ratio eſt ſi fiat voluntate eius ad quem pertinet curare de ſalute eius qui habet membrum corruptum. Aliter autem aliquem mutilare omnino eſt illicitum.

Licitum eſt mutilare aliquem de conſenſu cõmunitatis, vel quando mẽbrum eſt totius corruptiuum de conſenſu eius cuius eſt mẽbrum vel curatoris eius.

SCIENDVM vero eſt quod propter ſalutem totius corporis poteſt licitè mẽbrum præſcindi, ſed non propter ſalutem animæ ſeu propter peccatum quodcumque vitandum: cuius ratio eſt, quia membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutẽ totius, niſi quando aliter toti ſubueniri non poteſt. Saluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubueniri, quã per membri præſciſionem, quia peccatum ſubiacet voluntati; & ideo in nullo caſu licet membrum, præſcindere propter quodcumque peccatum vitandum. Vnde Chryſ. exponens illud Matth. 19. SVNT EVNVCHI QVI SEIPSOS CASTRAVERVNT PROPTER REGNVM CÆLORVM, dicit, *non per membrorum abſciſionem ſed malarum cogitationum interemptionem: maledictionis enim eſt obnoxius qui membrum abſcindit; Etenim qui homicidæ ſunt talia præſumunt.* Et poſtea ſubdit. *Neque concupiſcentia manſuetior ita fit, ſed moleſtior. Aliũde enim habet fontes ſperma quod in nobis eſt, & præcipuè à proposito incontinenti, & mẽte negligente; nec ita abſciſio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frænum.*

Solutio obiect.

Nunquã licet membrũ præſcindere ad peccatum vitandum; cum non ſit medium ad hoc neceſſarium.

CIRCA ſecundum, ſcil. *vtrum patribus liceat filios verberare, vel dominis ſeruos.* Dicendum quod per verberationem quoddam nocumentum infertur corpori eius qui verberatur, aliter tamen quam in mutilatione, nam mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio vero tantũmodo afficit ſenſum doloris. Vnde multominus nocumentum eſt quam mutilatio. Nocumentũ autem inferre alicui non licet, niſi per modum pœnæ propter iuſtitiam. Nullus autem iuſtè punit aliquem, niſi ſit eius ditioni ſubiectus. Et ideo verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem ſuper illum qui verberatur: & quia filius ſubditur poteſtati patris, & ſeruus poteſtati Domini, licitè poteſt pater verberare filium, & Dominus ſeruum cauſa correctionis & diſciplinæ. Ideo dicitur Pro. 18. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum.* Et infra 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga non morietur, tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Itẽ Hebr. 12. *Quis enim filius quem non corripiat pater?* Itẽm Eccl. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes.* Et ibidem. *Cibaria & virga & onus aſino, panis & diſciplina & opus ſeruo.*

Licet parentibus verberare filios, & dominis ſeruos.

NEC obſtat prædictis id quod dicit Apoſto. Ephe. 3. *Vos patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros.* Et infra ſubdit. *Et vos Domini eadem facite ſeruis remittentes minas*, quia per hoc quod prohibentur patres ne filios ad iracundiam prouocent, non prohibetur quin filios verberent cauſa diſciplinæ & correctionis; ſed quod non immoderate eos affligant verberibus. Quod vero indicitur Dominis quod remittant minas, poteſt dupliciter intelligi. *Vno modo* vt remiſſæ minis vtantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ. *Alio modo* vt aliquis non ſemper impleat quod comminatus eſt, quod pertinet ad hoc, quod iudicium quo quis cõminatus eſt pœnã, per remiſſionis miſericordiã tẽperetur.

Solutio obiect.

CIRCA tertium, ſcil. *vtrum ſit licitum aliquẽ incarcerare.* dicendum quod in bonis corporis tria per ordinẽ conſiderantur. Primo quidẽ integritas corporalis ſubſtantiæ: cui detrimentum affertur per occiſionẽ vel mutilationem. Secundo delectatio vel quies ſenſus, cui opponitur verberatio, vel quodlibet ſenſum dolore afficiẽs. Tertio motus & vſus membrorum, qui impeditur per ligationem & incarcerationem, ſeu quamcumque detentionem; & ideo incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere eſt illicitum, niſi fiat ſecundũ ordinẽ iuſtitiæ, aut in pœnã, aut ad cautelã alicuius mali vitãdi.

Citra ordinẽ iuſtitia non eſt licitum aliquem incarcerare, niſi ad breue tempus ad impediendũ aliquod malum.

SCIENDVM

SCIENDVM tamen quod aliquem detinere ad horam ad impediendum ipsum ab aliquo illicito opere perpetrando, licitum est cuilibet. Sicut cum quis alium detinet ne se præcipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere vel ligare, non ad illum solum pertinet, qui habet vniuersaliter disponere de actibus & vita alterius, quia per talem inclusionem vel detentionem impeditur non solum à malis, sed etiam à bonis agendis. Conueniens autem est quòd talis pœna aliquoties imponatur. Homo enim qui potestate sibi data abutitur, meretur eam amittere. Nam priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Et ideo homo qui peccando abusus est libero vsu membrorum suorum, conueniens est quod pœna detentionis puniatur. Sicut autem Deus secundum ordinem sapientiæ suæ quandoque cohibet peccatores, ne possint suas malas voluntates implere; secundum illud Iob 5. *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint manus eorum implere quod cœperant.* Quandoque vero permittit eos agere quicquid volunt; secundum illud Psal. 80. *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum.* Et Eccl. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Sic secundum humanam iustitiam, homines non pro qualibet culpa incarcerantur, sed pro aliquibus includuntur.

De homicidio.

DISTINCTIO XIIII.

CIRCA quartum, scilicet de occisione seu homicidio quæruntur quinque. Primo vtrum licitum sit occidere peccatores. Secundo vtrum in aliquo casu liceat occidere innocentem. Tertio vtrum liceat alicui occidere semetipsum. Quarto vtrum liceat alicui occidere hominem seipsum defendendo. Quinto vtrum casualiter occidens hominem sit homicida dicendus. Primo declarãdum est quod licitum sit peccatores occidere, & quomodo. Videmus autem quod ordine naturali imperfectiora sunt propter perfectiora. Vnde & in via generationis, natura ab imperfectis ad perfectiora procedit. Et inde est quòd in generatione hominis prius est viuum, deinde sensitiuum, postremo autem homo. Ita etiam illa quę tantum viuunt vt plantæ, sunt propter animalia, animalia sunt propter hominẽ. Sicut autẽ ordine naturali plantæ sunt propter vsum animalium, & animalia bruta propter vsum hominis; sic ordine naturali, pars ordinatur ad totum, sicut imperfectum ad perfectũ; quia omnis pars naturaliter est propter totum, & ideo sicut propter conseruationem vitæ animalium præscinduntur plantæ, & propter nutrimẽtum & conseruationem vitæ hominis, animalia bruta licitè occiduntur; ita si saluti totius humani corporis expediat præscisio alicuius membri, puta cum est putridum, & aliorum membrorũ corporis corruptiuum, laudabiliter & salubriter amputatur. Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum, & ideo si aliquis homo sit in periculum ipsius communitatis, & corruptiuus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter & salubriter occiditur, vt boni communis integritas conseruetur. *Nam modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. Corin. 5. Ideo præcipitur Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Et Psal. 100. *In matutino interficiebã omnes peccatores terræ.*

Licitũ est & laudabile homini cõmunitatis corruptiuũ interficere, habenti publicã potestatem.

Solutio obiect.

LICET enim hominem vt homo est occidere sit per se & secundum se malum, prout homo naturaliter liber est, & propter seipsum existens; quia tamen peccando ab ordine rationis recedit, & decidit à dignitate humana, incidens quodammodo in seruitutem bestiarum, vt scilicet de ipso ordinetur secundum quòd est alijs vtile, secundum illud Psal. 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis:* Ideo quamuis hominem in sua dignitate manentem occidere sit secundum se malum, tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonũ. Sicut & occidere bestiam; quia malus homo peior est bestia, & plus nocet vt dicit Philos. 3. Polit. & 8. Ethi.

SCIENDVM tamen, quòd nec omnes sunt semper, nec vniuersaliter abscindendi. Sicut namque secũdum ordinem sapientiæ suæ, Dominus quandoque statim peccatores occidit, ad liberationẽ bonorũ, quibus peccatores erãt in scandalũ, periculũ, & grauamen. Quandoque vero concedit eis tempus pœnitentiæ, secundum quòd & ipsis peccatoribus, & electis suis nouit Dominus expedire, secundum illud Isa. 26. *Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri.* Sic humana iustitia diuinã iustitiam pro posse cupiens imitari, pernicioſos homines, vt alios seruet, occidit; eos vero qui non grauiter nocent alijs, ad pœnitentiã reseruat. Pernicioſos etiam non potest vniuersaliter extirpare, scilicet vel quia mali non possunt occidi, quin simul occiderentur & boni; vel quia latent inter bonos, vel quia multos habent sequaces, ita quod sine bonorum periculo interfici non possunt. Sicut dicit Aug. contra Permenianum. Vnde Dominus magis docet sinendum esse malos viuere, & vltionem vsque ad extremum iudicium reseruandam, quàm quòd boni simul cum peccatoribus occidantur; & hoc patet in parabola de zizanijs Matth. 13. Quando vero ex occisione malorũ non imminet bonis periculũ, sed magis tutela & salus, tunc licitè possunt occidi.

Mali sunt tolerandi quando sine periculo bonorũ auferri non possunt.

MALOS autem occidere non omnibus est licitum, nulli scilicet singulari personæ, sed solũ illis quibus cura cõmunitatis conseruandę cõmittitur. Sicut ad medicum pertinet membrum putridum amputare, quando sibi cura totius corporis est commissa. Cura autẽ communis boni commissa est principibus habentibus publicam potestatem; & ideo illis solis licet malefactores occidere, non autem priuatis personis.

ITEM hoc idem cleris non licet duplici ratione. Primo quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo Christi passio repræsentatur. *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur,* vt dicitur 1. Petr. 2. Et ideo competens est quòd clerici non sint percussores, nec occisores; quia ministros decet suo Domino conformari, secundum illud Eccl. 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* Alia ratio est quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua nulla pœna occisionis vel mutilationis determinari videtur. Et ideo vt sint idonei ministri noui testam. debẽt à talibus abstinere. Licet de sanctis aliquibus legamus in veteri testamento, quod occiderint peccatores; vt Moyses à Leuitis fecit occidi vigintiduo millia hominum, propter adorationem vituli. Exod. 33. Et Phinees sacerdos interfecit Israelitam cũ Madyanitide coeuntem Num. 25. Et Samuel interfecit Agag Regẽ Amalech 1. Reg. 15. Et Elyas sacerdotes Baal 3. Reg. 19. Et Matthathyas eum qui ad sacrificandum accesserat 1. Mach. 2. Isti enim erant ministri veteris legis, in qua & per quam pœnæ corporales infligebantur, & ideo illis congruebat etiam manu propria occidere peccatores. In noua vero lege, quia clericorum officium ordinatũ est ad meliora quam sint occisiones corporales, ad ea scilicet quæ pertinent ad spiritualem salutem, ideo non congruit eis vt se ingerant in minora. Vnde prælati ecclesiæ si officia principum terræ suscipiant, non tamen debent iudicium sanguinis exercere per seipsos, sed eorum auctoritate debet per alios exerceri.

Non licet clericis interficere quemquam propter duo.

Solutio obiect.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum in aliquo casu sit licitum occidere innocentem.* Dicendum quòd homo potest considerari dupliciter. Vno modo secundum se; alio modo per comparationem ad aliud. Secundum se quidem considerando hominem, nullum licet occidere, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam quam Deus condidit, quæ per occisionẽ corrumpitur. Sed sicut dictum est, occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune quod corrumpitur per peccatum: vita autem istorũ est conseruatiua boni communis & promotiua; quia ipsi sunt principalior pars multitudinis vniuersi, & ideo nullo modo licet innocentem occidere.

Nullo modo licet innocẽtem occidere.

NEC tamen peccauit Abraham volens occidere Isaac, quia hoc volebat facere ex mãdato diuino: Deus

autem

aut vniuerſale dominium habet mortis & vitæ. Eius enim ordinatione moriuntur,& peccatores & iuſti. Et ideo ille qui ex mãdato Dei occidit hominem nõ peccat,ſicut nec Deus cuius eſt executor.

Solutio obie Quid faciẽdum quãdo iudex ſcit aliquem innocentẽ qui probatur nocere.

ITEM iudex ſciens aliquem innocentem,qui tamen per falſos teſtes conuincitur,debet diligentius,examinare teſtes,vt inueniat occaſionẽ liberandi innoxiũ,ſicut fecit Daniel.13.Si autẽ hoc non poteſt,aut ſubterfugiat iudiciũ mittendo ad ſuperiorẽ,aut cõponat inter partes ſi poteſt,aut differat proferre ſententiam; aut ſi nihil horũ poteſt facere, non peccat ſecundũ allegata ſententiã proferendo, quia nõ ipſe occidit innocentẽ, ſed illi qui ipſũ aſſerunt eſſe nocentẽ.*Itẽ* miniſter iudicis condemnantis innoxiũ,ſi ſententia manifeſtũ errorẽ contineat,nõ debet obedire;alioquin excuſarentur carnifices qui martyres occiderunt. Si vero nõ contineat iniuſtitiã manifeſtam,non peccat præceptũ iudicis exequendo: quia ipſe non habet diſcutere ſententiam ſuperioris,nec ipſe occidit innocentem,ſed iudex cuius præceptum exequitur.

Seipſum occidere eſt illicitum triplici ratione.

CIRCA tertium,ſ.*vtrum alicui liceat occidere ſemetipſum.* Dicendum, quod ſeipſum occidere eſt omnino illicitum triplici ratione. *Primo* quidẽ quia naturaliter quælibet res ſeipſam amat, & ad hoc pertinet quod quælibet res naturaliter ſeruat ſe in eſſe,& corrumpentibus reſiſtit quãtum poteſt: & ideo quod aliquis ſeipſum occidat, eſt cõtra inclinationẽ naturalẽ, & cõtra charitatẽ, qua quilibet debet ſeipſum diligere: & ideo ſuiipſius occiſio ſemper eſt peccatũ mortale vtpote contra naturalẽ legem & contra charitatem exiſtens.*Secundo* quia quælibet pars,id quod eſt,eſt totius,quilibet autẽ homo eſt pars cõmunitatis. Vnde in hoc quod ſeipſũ interficit,iniuriã cõmunitati facit,vt patet per philoſophũ 5.Eth.*Tertio* quia vita eſt quoddã donũ diuinitus homini attributũ,& eius poteſtati ſubiectũ qui occidit & viuere facit: & ideo qui ſeipſũ vita priuat in Deũ peccat.Sicut qui alienũ ſeruũ interficit, peccat in dominũ cuius eſt ſeruus; Et ſicut peccat ille qui vſurpat ſibi iudiciũ de re ſibi non cõmiſſa, ad ſolũ enim Deum pertinet iudiciũ mortis & vitæ, ſecũdum illud Deut.22.*Ego occidã & viuere faciã.* Vnde nulli etiã publicã p oteſtatẽ habenti licitũ eſt ſeipſum occidere quãtũcunque ſit impius & peccator, quia aliũ peccatorẽ poteſt occidere propter hoc quod poteſt de ipſo iudicare,nullus autẽ eſt iudex ſuiipſius. Licet tamen ei ſeipſum committere iudicio aliorum.

Solutio obie.

ITEM nota quod licet homo ſit dominus ſuiipſius per liberũ arbitriũ,& dominus ſuorũ actuũ,& propter hoc licite poteſt diſponere de ſeipſo,quãtũ ad hoc quod pertinet ad iſtã vitã,quę libero arbitrio ipſius hominis habet regi:tamẽ trãſitus de hac vita ad aliã feliciorẽ, non ſubiacet libero arbitrio hominis,ſed poteſtati diuinę:& ideo nõ licet homini ſeipſũ interficere, vt ad feliciorẽ trãſeat vitã.Similiter etiã nec vt miſerias præſẽtis vitæ euadat,quia vltimũ malorũ huius vitæ & maxime terribile eſt mors,vt patet per philoſophũ in 3. Eth. & ita inferre ſibi mortẽ ad alias huius vitæ miſerias euadendas,eſt maius malũ aſſumere,ad minoris mali vitationẽ. Similiter etiã nõ licet ſeipſũ occidere propter aliquod peccatũ cõmiſſum:tũ quia in hoc ſibi maxime nocet. quod ſibi adimit neceſſariũ pęnitẽtię tẽpus; tũ etiã quia malefactorẽ occidere nõ licet,niſi per iudiciũ publicæ poteſtatis.Similiter etiã nõ licet mulieri ſeipſã occidere ne ab alio corrũpatur, quia non debet in ſe cõmittere crimen maximũ,quod eſt ſuiipſius occiſio,vt vitet minus crimen alienũ. Nõ enim eſt crimen mulieris per violentiam violari,ſi conſenſus nõ adſit,quia nõ inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis, vt Lucia dixit. Cõſtat autẽ minus eſſe peccatũ fornicationẽ vel adulterium quã homicidiũ,& præcipuè ſuiipſius, quod eſt grauiſſimũ,quia ſibiipſi nocet, cui maximã dilectionẽ debet.Eſt etiã periculoſiſſimũ, quia nõ reſtat tẽpus vt per pœnitentiã expietur. Similiter nulli licet ſeipſum occidere ob timorẽ,ne cõſentiat in peccatũ: quia non ſũt faciẽda mala vt veniãt bona, vel vt vitentur mala, A pręſertim minora & minus certa. Incertũ eſt enim vtrũ aliquis in futurũ cõſẽtiat in peccatũ:potẽs eſt.n. Deus, quacũq; tentatione ſuperueniẽte,liberare à peccato.

ITEM nota quod Samſon, qui ſeipſũ cum hoſtibus ruina domus oppreſſit,Iud.16.nõ aliter excuſatur ſecundũ Au.1.de ci. Dei,niſi quia latenter ſpiritusſanctus hoc ei iuſſerat,qui per illum miracula faciebat. Vnde ipſe in cathalogo ſanctorum connumeratur Heb. 11. Eandem rationẽ aſſignat Aug.de quibuſdã ſanctis mulieribus, quæ tempore perſecutionis ſeipſas occiderunt,quarum memoria in eccleſia celebratur.

CIRCA quartum, ſ.*vtrum liceat alicui hominẽ occidere ſe defendendo.* Dicendum,quod vnius actus nihil prohibet duos eſſe effectus,quorum alter ſolum ſit in intentione,alius vero præter intentionem. Morales autem B actus recipiunt ſpeciem ſecundum id quod intenditur, nõ ab eo quod eſt præter intentionem,cum ſit per accidens.Ex actu ergo ſeipſũ defendentis duplex effectus ſequi poteſt. *Vnus* quidẽ conſeruatio propriæ vitæ, *alius* autem occiſio inuadẽtis, actus autẽ huiuſmodi ex hoc quod intẽditur cõſeruatio propriæ vitæ nõ habet rationẽ illiciti,cũ hoc ſit naturale cuilibet,quod ſe cõſeruet in eſſe quantũ poteſt. Poteſt autẽ aliquis actus ex bona intẽtione proueniens illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideo ſi aliquis ad defendendũ propriã vitã vtatur maiori violẽtia quã oporteat,erit illicitũ, ſi vero moderate violentiã repellat erit licita defenſio.Nã ſecundũ iura,vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ;nec eſt neceſſariũ ad ſalutẽ vt actũ homo moderatæ tutelæ prætermittat,ad C euitandũ occiſionẽ alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quã vitæ alienæ,ſed quia occidere hominẽ nõ licet niſi publica auctoritate, propter bonum cõmune, vt ex ſupradictis patet, illicitum eſt vt homo intendat occidere hominem vt ſeipſum defendat,niſi ei qui habet publicam auctoritatem;qui intẽdens occidere hominem ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro iudicis pugnante contra latrones, quamuis etiam iſti peccent ſi priuata libidine moueantur.

Licitum eſt alium occidere ſe defendendo moderatè, modo nõ intendatur occiſio ſed propria defenſio.

Solutio obie.

VNDE in eo caſu in quo intendit aliquis occidere hominem vt ſeipſum à morte liberet, dicit Aug. ad Publicolam de occidendis hominibus: *ne ab eis quiſquã occidatur non mihi placet conſilium,niſi forte ſit miles, aut publica funẽctione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat, ſed pro alijs, accepta legitima poteſtate,ſi eius congruat perſonę.* Idem in 3. de libero arbitrio dicit; *quomodo apud diuinam prouidentiã à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus quas contemni oportet,humana cędæ polluti ſunt?* eas autem res dicit eſſe contemnendas, quas homines poſſunt amittere inuiti de quorum numero eſt vita corporalis.

CIRCA quintum,ſ. *vtrum caſualiter occidens hominem incurrat homicidij reatum.* Dicendum quod ſecundum Philoſophum in 2. Phi. caſus eſt cauſa agens præter intentionem, & ideo ea quæ caſualia ſunt, ſimpliciter loquendo non ſunt intenta,neque voluntaria: & quia omne peccatum eſt voluntarium,ſecundum Au. conſequens eſt quod caſualia inquantum huiuſmodi non ſunt peccata. Contingit tamen id quod nõ eſt actu & E per ſe volitum vel intentũ,eſſe per accidens intentum & volitum, ſecundũ quod cauſa per accidens dicitur remouens prohibens. Vnde ille qui non remouet ea ex quibus ſequitur homicidiũ,ſi debeat remouere,erit quodammodo homicidium voluntarium.Hoc autem contingit dupliciter. *Vno modo* quando dans operã rebus illicitis quas vitare debebat homicidium incurrit. *Alio modo* quando non adhibet debitam ſollicitudinem,& ideo ſecundum iura,ſi aliquis det operã rei licitæ,debitã diligentiã adhibẽs,& ex hoc homicidiũ ſequatur, nõ incurrit homicidij reatũ. Si vero det operã rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum,ſi ex eius opere mors hominis ſequatur. Vnde Lamech, qui credens occidere beſtiã occidit hominẽ,

Qui caſualiter hominẽ interficit nõ adhibens diligentiã debitã ne homicidium ſequatur, ſit homicidij reus.

sicut dicitur Gen.3.quia non adhibuit sufficientem diligentiam, reatum homicidij non euasit *Item* Exo. 21. dicitur. *Si quis percusserit mulierem prægnantem & abortum fecerit, & mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima*. Quia videlicet ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ, & ideo si sequatur mors vel mulieris, vel pueri animati, homicidij crimen incurrit. *Item in decretis dist.*50. multi canones inducuntur, in quibus casualia homicidia puniuntur, quia videlicet secundum canones puniuntur illi, qui casualiter occidunt dantes operam rei Illicitæ, vel debitam diligentia non adhibentes.

Solutio obie.

LIBRI III PARS VI.

DE ACEDIA ET FILIABVS EIVS.

De acedia secundum se.

DISTINCTIO I.

DEinde dicendum est de quarto vitio capitali, quod est acedia. Circa quod considerandas sunt quatuor. Primo quid sit acedia, & vtrum sit peccatum. Secundo vtrum sit peccatum mortale. Tertio quæ mouere possunt ad hoc vitium fugiendum. Quarto de filiabus eius.

Acedia est tristitia de spirituali bono atque adeo peccatū.

CIRCA primum sciendum, quod acedia secundum Dam. *est quædam tristitia aggrauans*, quæ scilicet ita deprimit animum hominis vt nihil ei agere libeat, & ideo acedia importat quoddam tædium bene operandi, sicut patet per glo. super illud. Psal. OMNEM ESCAM ABOMINATA EST ANIMA EORVM: *Acedia*, inquit, *est tædium interni boni*. Huiusmodi autem tristitia semper est mala, quandoque quidem secundum seipsā quandoque vero secundū effectum. Tristitia quidē secundum se mala est, quæ est de eo quod est apparens malū, & vere bonum. Sicut econtrario, delectatio mala est, quæ est de eo quod est apparens bonum, & vere malū. Cum igitur spirituale bonum sit vere bonū, tristitia quæ est de spirituali bono, est secundū se mala. Tristitia etiam quæ est de vere malo, mala est secundū effectum si sic hominē aggrauat, vt eum totaliter à bono retrahat, Vnde non vult Apostolus quod pœnitens maiori tristitia absorbeatur, sicut habetur 2. Corin. 7. Quia igitur acedia nominat tristitiam spiritualis boni, dupliciter mala est, s. secundum se, & secundum effectum: & sic patet quod acedia est peccatū, quia malū in motibus appetitiuis dicimus esse peccatum.

CIRCA secundum, s. *vtrum acedia sit mortale peccatum*. Sciendum quod cum acedia sit tristitia de spirituali bono, si spirituale bonum accipiatur communiter, nō habebit rationem specialis vitij, quia omne vitium refugit spirituale bonum virtuis oppositæ. Similiter non potest dici quod sit speciale peccatum, inquantum refugit spirituale bonum prout est laboriosum & molestum corpori, vel delectationis eiūs impeditiuum, quia sic acedia non distingueretur à vitijs carnalibus, quibus homo requirit delectationem corporis & quietem, & ideo sciendum est, quod in spiritualibus bonis est quidem ordo; nam omnia spiritualia bona quæ sunt in actibus singularibus virtutum, ordinantur ad vnum spirituale bonum diuinum, circa quod est specialis virtus quæ est charitas. Vnde ad quamlibet virtutē pertinet gaudere de spirituali proprio suo bono, quod consistit in actu proprio, sed ad charitatem pertinet specialiter illud gaudiū, quo quis gaudet de bono diuino, & tristitia qua tristatur aliquis de bono spirituali, quod est in actibus singularum virtutū, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia: sed tristari de bono diuino de quo gaudet charitas, pertinet ad speciale vitium quod est acedia, & sic patet quod acedia est speciale vitium, quia habet specialem vitij rationem. Rursus quia acedia contrariatur charitati, quæ est specialis vita animæ, manifestum est quòd acedia secundum suum genus est peccatum mortale.

Acedia est speciale vitium quia solum est tristitia de bono diuino de quo gaudet charitas: ex quo etiā patet quod sit peccatū mortale secundū genus suum.

SED considerandum est in omnibus peccatis, quæ de genere sunt mortalia peccata; quod non sunt mortalia, nisi quando suam perfectionem consequuntur: est autem peccati consummatio in consensu rationis. Vnde sit sit eius inchoatio in sensualitate, & non perueniat vsque ad consensum rationis, propter imperfectionem actus est peccatum veniale. Sicut autem in genere adulterij, concupiscentia quæ consistit in sola sensualitate, est peccatum veniale, si tamem procedat vsque ad consensum rationis, est peccatum mortale. Ita etiam motus acediæ, quandoque est in sola sensualitate, qui, s. prouenit ex repugnātia carnis ad spiritum, & tunc est peccatum veniale. Quandoque vero pertingit vsque ad consensum rationis, quæ scilicet consentit in fugam, horrorem, & detestationem boni diuini, carne omnino contra spiritum prævalente: & tunc est manifestum quod acedia est peccatum mortale. In viris autē perfectis plerunque inueniuntur aliqui motus acediæ, sed non perueniunt vsque ad consensum rationis.

ITEM nota quod acedia non est recessus mentalis in quocunque bono spirituali, sed à bono diuino, cui oportet mentē inhærere de necessitate salutis. Vnde si tristetur aliquis de hoc quod alius cogit eum ad opera virtutis quæ facere non tenetur, non est peccatū acediæ, sed quando contristatur in his, quæ iniunguntur ei faciēda propter Deum. *Item* nota quod acedia contrariatur præcepto de sanctificatione sabbati: in quo, secundū quod est præceptum morale, præcipitur quies mentis in Deo, cui contrariatur tristitia mentis de bono diuino.

Solutio obie.

Acedia aduersatur præcepto de sanctificatione sabbati.

CIRCA tertium sciendū, quod multa nobis ostendunt acediæ peccatum esse vitandum. Primo cōmunis naturę conditio. Secūdo diuinæ legis traditio. Tertio supernę gratiæ fulcimētum. Quarto exemplorum multiplex hortamentum. Quinto multum damnum inde proueniens. Sexto æterni præmij fructus alliciēs. Septimo diri supplicij dolor excrucians.

Multa declarāt acedia peccatū esse vitandum.

PRIMO quidem ostendit hoc vitium diligenter esse vitandum communis naturæ conditio. Omnes enim naturæ tam spirituales quam corporales, tā superiores quam inferiores, tam sensibiles quam insensibiles, ad aliquod opus sunt naturaliter institutæ. Et omnes, opus illud ad quod creator eis imposuit, exequuntur. Superiora quidē corpora, puta sol, luna, & stellę, nō cessant lumen suū spargere, cursus suos peragēdo die ac nocte, quibus peractis per suos circulos iterum reincipiūt & sine cessatione voluntatē suis cōditoris peragūt vt dicitur Baruch.3. *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, vocatæ sunt & dixerūt adsumus, & luxerunt ei cū iucunditate qui fecit eas*. Nec tamē expectant talē remunerationē suis laboris, qualē homo, nec talē pœnā suę negligentię. Excitat pigrū radius solis, ad fenestrā domus suę radios suos mittēs, & super faciē pigri; q.d. Vsquequo piger dormis ego iā surrexi, qui heri & tota die tantū cucurri Orig. *Indecēs est Christiano, si eū radius solis in lecto suo inueniat. Itē*. auiculæ quæ cantus suos incipiūt ita mane, & porci etiā summo mane de luto surgentes, & per vias gradientes. Plantæ & arbores nō cessantes folia, ramos &c. sursū extendere, nisi impediantur ab extrinseco: & tamē singulis annis labore suo priuantur, nec remunerationem expectant laboris sui. *Itē* etiam natura brutorum, quæ est ita sollicita de victu suo acquirendo, & fœtibus suis propagandis.

1.
Communis naturæ cōditio.

ITEM dicit Petrus Alfon. quod quidā Philosophus dixit filio suo: Fili mi, vide ne formica sit sapientior te, quæ congregat in æstate, cum tanto & tam sollicito

Exemplum.

labore,

labore, vnde viuat in hyeme. Ne ſit Gallus te vigilantior aut fortior, qui matutinas horas ita diligenter obſeruat, & ſe alijs verberando ad cantus nocturnos excitat; & qui ita fortis eſt, quod decem vxores ſuperat & ſibi facit ſubditas: & tu dicis quod tu non potes vincere aut ſubdere carnem tibi. Ne ſit canis te nobilior, qui benefactoribus ſuis gratus eſt, & eis bene ſeruit, & beneficia non obliuiſcitur. Item Prouer. 6. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius.*

Vt faciebat Malchus monachus. De quo refert beatus Hieron. in vitiſpa. quod vidit eum ſenem in eremo, habentem vxorem prope eum: & cum quæreret cauſam, retulit ei quod vxor ſua eſſet taliter facta, cum ipſe eſſet iuuenis, relictis parentibus fugit ad eremum factus ibi monachus, qui cum poſt longum tẽpus vellet viſitare patriam, vt de bonis paternis aliqua bona faceret, in via captus eſt à Saracenis, qui commiſerunt ei cuſtodiam pecudum ſuarum, & coegerunt eum contrahere cũ illa muliere Chriſtiana, quam ſecum habebant captiuam, quæ cum videret eum flentem, pro hoc quod renueret cohabitationem eius, promiſit ei mulier quod ipſa eſſet cuſtos virginitatis ſuæ & propoſiti, potius quam hoſtis, qui manus Saracenorum per diuinum miraculum & adiutorium euaſerunt & poſtea in perpetua caſtitate perſeuerauerunt, qui referebat beato Hier. quomodo maximam conſolationem & eruditionem acceperat in eremo, conſiderãdo opera formicarum, & quomodo meliora grana eligebant, electa portabant ad locum ſuum, grana ne germinarent rodebant, & germen remouebant, nec euaneſcerent germen emittendo: & quomodo per eandem viam irent & redirẽt, & quomodo onera maiora ſe portarent, & quomodo cadentes ſubonere, humeris ſuis ſubleuabant, & quomodo meatus aquarum facti à gregibus, à ſuis foueis, vbi grana expoſuerant, excludebant: & quomodo quaſi luctu celebri defunctarum corpora portabant, & exequias defunctis faciebant; & quomodo aliqua ab agmine non recedebat, ſed vna poſt aliam ſequebatur: & quomodo in æſtate ſibi horrea ad hyemem faciebant, in quibus omnibus multum poteſt confundi humana pigritia, & inſtrui humana induſtria. Prou. 6. *Vade ad formicam ô piger & conſidera vias eius, quæ cum non habeat ducem,* qui eam exemplo ſuo præcedat, aut præceptorem qui eam verbo inſtruat, & leges ei inſtituat, *aut principem* quem timeat, qui ei pœnas infligat, aut præmia tribuat pro tanto labore ſuo, *parat in æſtate cibum ſibi* &c.

Exemplum de induſtria formica.

2. *Diuina legis traditio.*

Secvndo hoc idem oſtendit diuinæ legis traditio: Deus enim homini primo legem impoſuit vt operaretur, ſicut dicitur Gen. 2. *Poſuit eum in Paradiſo voluptatis vt operaretur & cuſtodiret illum:* id eſt vt opus cuſtodiret illum à caſu, vel vt operando cuſtodiret Paradiſum & quam cito per acediam ceſſaret ab opere, tam cito perderet Paradiſum. *Item* homini poſt peccatum legem impoſuit, quaſi pro pœnitentia primi peccati, dicens Gen. 3. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Sequitur. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Huius legis & pœnitentiæ tranſgreſſores ſunt acedioſi qui quia hic nõ laborant, ſine fine laborabunt, ſed inutiliter in inferno. Pſal. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Idem 42. *quia in labore hominũ non ſunt, ideo cum hominibus non flagellabuntur:* ſed cũ dæmonibus. Hãc legem Deus etiã per ſcripturã voluit promulgari Ecc. 6. *Subijce humerũ & porta illã, & ne acedieris in vinculis illius.* Ecc. 9. *Quodcũq; poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio* &c. Itẽ 12. *Verba ſapientiũ quaſi ſtimuli;* quia ſcilicet ſtimulant acedioſos, & pigros ad bene & ſalubriter operandum. Item Ioan. 9. *Operamini dum venio, venit nox quando nemo poteſt operari.* Item Gal 6. *Dum tempus habemus operemur bonum*, & multa talia legimus in locis innumeris in ſcriptura.

3. *Supernæ gratiæ fulcimentum.*

Tertio ad idem monet ſupernæ gratiæ fulcimentũ, ad hoc enim Deus nobis gratiam ſuam confert, vt nos moneat, excitet, & adiuuet ad ſalubriter operandum. Via breuis, porta aperta, & adminicula multa ſũt.

A Sicut diuinæ gratiæ donum, ſacra mentales medicinæ, ſuffragia eccleſiæ, quæ non ſunt in vacuum ſuſcipienda. Ideo dicit Apoſtolus 1. Cor. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et 1. Cor. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Vacua autem eſt quando nõ operatur homo per eam, vel acediosè operatur.

4. *Exemplorũ hortamentũ.*

Qvarto monet ad hoc fugiendum exemplorum multiplex hortamentum, primo exemplum ipſius Dei qui ſex diebus operatus eſt, & ſeptima die requieuit, Au. *Cum audis Deum ſex diebus operatum fuiſſe, & in ſeptima quieuiſſe; fruſtra ſperas requiem niſi poſt laborem.* Operatur etiam Deus continuè gubernando mundum, ordinando, prouidendo Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Item* Exemplum Chriſti habemus, qui dicit. *Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea.* B Pſal. 87. Pius dominus laborare non deſtitit, vſque ad diem mortis ſuæ, diebus quidem diſcurrendo, prædicando, corripiendo, miracula faciendo; noctibus autem in orationibus inſiſtendo, & ſic continuè pro ſalute noſtra pœnaliter laborando. Bern. *Multum quidem laborauit, nec in omni machina mundiali tantũ ſibi fatigationis aſſumpſit auctor vitæ, quam carnem aſſumendo; in qua habuit in factis obſeruatores, in verbis contradictores, in flagellis irriſores, & in morte.* Idem. *Quid non erit ſuaue, cum recordatus fueris, quę nobis Chriſtus exhibuit in carne, infantilium neceſſitatum, laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando & horum ſimilia* &c. *Quis amplius gemet dicens, nimium ieiunamus, nimium vigilamus, cum nec milleſimæ partis debitorum reddere valeamus.*

C Exemplvm etiam beatæ virginis, *quæ panem otioſa non comedit, ſed operata eſt conſilio manuum ſuarum,* vt cum acu, & cum filo, ſibi & filio ſuo victum acquireret. De qua refert Hier. quod vſque ad horam tertiam perſeuerabat in oratione, à tertia vſque ad horam nonam in manuum opere, totum vero tempus reſiduum expendebat in oratione & in contemplatione. *Exemplũ* etiam Angelorum, qui nunquam ceſſant laudare Deum, eique aſſiſtere & miniſtrare. *De ſanctis* aliquibus dicit Apoc. 4. quod *non habebant requiem die & nocte clamantia ſanctus* &c. *Exemplum* Patriarcharum, ſcilicet Adæ, cui dixit Dominus: *In labore comedes cunctis diebus vitæ tuæ,* &c. Zac. 23. *Homo agricola ego ſum, Adam exemplum meum ab odoleſcentia mea.* Similiter Noë, & Abraham, & alij, qui omnes fuerunt viri laboratores, agricolæ & paſtores, & in aſſiduo labore & afflictione. Sicut dicit Iacob. Gen. 31. *Die ac nocte vrebar æſtu & gelu.* Et poſt *Afflictionem meam & laborem manuum mearum reſpexit Dominus:* De Abraham ſimiliter dicit Origin. ſuper illud Gen. 18. Festinavit Abraham in Tabernacvlvm. *Senex currit, Sara accelerat, puer feſtinat, nullus piger inuenitur in domo ſapientis. Item* Exemplum Apoſtolorum, quorum labor vſque in mundi fines ſe extendit, quia *in omnẽ terram exiuit ſonus eorũm.* Exempla multa require infra: *Otium.* Hoc bene ſignificatum eſt Mat. 20. In hoc quod ſummus paterfamilias ab hora prima vſque ad horam vndecimam mittit operarios in vineam ſuam, arguens ocioſos.

5. *Damnum multiplex inde proueniens.*

Qvinto oſtendit hoc vitium vigilanter eſſe vitandum multiplex damnum inde proueniens, vtpote tentationum, & aliorum multorum malorum occaſio. E Quod bene ſignificatur. Mat. 12. *Cum immundus ſpiritus aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreditur domum quã inuenit vacantem.* Hier. *Semper eſt agendum aliquid, ne agri noſtri pectoris, malarum cogitationum ſentibus occupentur.* Gre. *cum otioſam animã callidus tentator inuenerit, ad eam quibuſdam allocutus accuſationibus accedit.* Quoniam vt dicit Bernar. *Otioſitas eſt mater omnium vitiorum, & nouerca virtutum.* Quod autem ſit origo tentationum & ruina per diuerſa vitia, habetur per verba Caſſiani in coll. patrum, in libro de ſeptem vitijs principalibus. *Patres per Ægyptum fratres otioſos nullo modo viuere permittunt, maximè iuuenes propter cuſtodiam cordis, & profectum virtutum; & vt de laboribus ſuis ſubminiſtrent infirmis & peregrinis.* Item in eodem de acedia,

apud Ægyptum ab antiquis patribus eſt laudata ſententia operantem monachum vno dæmone pulſari, ocioſum innumeris dæmonibus.

Exemplum. ITEM in vitiſpatrum quidam monachus iuuenis regulam monachi perdidit, & per triſtitiam opus monachi dimiſit. Cum autem poſtea quæſiſſet à patribus monachorum ſtatuta & accepiſſet, præ accidia & diſſuetudine neſciebat quomodo opus monachi inciperet, ſed totum dimittebat, varijs agitatus tentationibus. Venit autem ad ſenem, qui cognoſcens paſſionem ſuam, dixit illi. Quidam pater præcepit filio ſuo hortum ſuum excolere, qui videns eius magnitudinem, tædio affectus, incepit opus dimittere, & ſub arbore dormire. Et ſic fecit per multos dies, ad agrum colendum miſſus, vſquequo ſpinæ & malæ herbæ totum occupauerunt. Pater autem eum viſitans, inuenit totum agrum male herbis occupatum, & eum nihil feciſſe; cauſam quærit quare nihil fecerat. Reſpondit propter eius magnitudinem, quam cum videbat tædio afficiebatur, & diffidebat ſe poſſe perficere. Tunc pater ait. Fili fac quotidie de agricultura vſque ad quantitatem corporis tui, quod ille recepit gratanter, & in breui totum hortum excoluit. Sic eſt de illis qui ſe excolere negligunt, & ocioſi pigreſcunt, replentur ſentibus malarum tentationum, & herbis malis malarum cogitationum & deſideriorum. Et hoc eſt quod dicitur Prou. 24. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum eius deſtructa erat.*

6. Fructus alliciens. SEXTO diſſuadet hoc vitium fructus alliciens, ſcilicet ſpirituale meritum, & æternum præmium, quæ modico tempore & non multo labore poſſunt acquiri: nam quaſi pro nihilo lucrari poteſt homo pluſquam valeant omnes diuitiæ, & omnia regna mundi, ſcilicet gratiam & gloriam Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Prouerb. 22. *Super aurum & argentum gratia bona:* per quam vt dicit Apoſtolus acquiritur vita æterna. Greg. *Amor Dei nunquam eſt ocioſus, operatur enim magna ſi eſt; ſi autem renuit operari amor non eſt.* Ideo de militibus Alexandri legitur in chronicis. Hug. de ſancto Vict. quod ideo omnes ſemper victores & indefeſſi erant, quia ordinatiſſimè in bellis procedebant, nemo illorum fugam, ſed victoriam cogitabat. Spes illorum non in pedibus ſed in lacertis erat non periculum bellorum, ſed diuitiarum lucra memorabant: prædam auri Perſici, & diuitias totius orbis ante ſe in mentem reducebant. Sic laborant indefeſſè qui lucra laboris facti in charitate & ex charitate attendunt.

Labor mundanorũ deberet nos excitare laborem pro vita æterna. AD hoc vehementer & efficaciter nos excitare deberet imo cõpellere, labor quem voluntariè ſumunt & gaudenter ſuſtinent homines mundani omnibus diebus vitæ ſuę, pro modico lucro vel commodo temporali: ſicut mercatores vel alij negotiatores, ardentiſſimè inhiantes diuitijs temporalibus congregandis. Denique ſi conſideremus quantos labores, timores, & pericula: quantas ſollicitudines & anguſtias ſuſtinent miſeri peccatores pro flagitijs ſuis, & peruerſis voluntatibus adimplendis, quibus non vitam, ſed mortem ſibi mercantur æternam Aug. in libro de patientia. *Intueamur quanta in doloribus & laboribus ſuſtineant pro rebus quas vitioſè diligunt, quanta pro falſis diuitijs, & quãta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculoſiſſima & moleſtiſſima patientiſſimè tolerant: pecuniæ, gloriæ, laſciuiæ, cupidos videmus vt ad deſiderata peruenant, optatiſque non careant. Soles, imbres, niues, & glacies; fluctus, & procelloſiſſimas tempeſtates; aſpera & incerta bellorum immanium: ictus & vulnera horrenda plagarum, non neutabili neceſſitate, ſed culpabili voluntate proferre. Et pro apertis ſceleribus, non vt ea puniant, ſed vt perpetrent, homines multi grauiſſima perferunt. Quid de latronibus dicam, quorum omnes & ſinguli cum inſidiantur viatoribus, nocturnas patiuntur inſidias, atque vt tranſeuntes excipiant innocentes, ſub qualibet aſperitate nocentem animum corpuſque defigunt.*

A VNde bene dicitur Hier. 9. *Vt iniqua ageret, laborauerunt:* propter quod amariſſimè, ſed inutiliter, in inferno plangere compelluntur Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles &c.* Bern. *Quid ignauiæ eſt fratres? ardentius enim appetunt homines pernitioſa, quam nos vtilia: alacrius currunt ad mortem, quam nos ad vitam.* Aug. *O ſi poſſemus excitare homines, & cum ipſis pariter excitari, vt tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt amatores vitæ fugientis.*

Exemplum ITEM in vitiſpatrum Abbas Pambo vadens in Alexandriam, videns ibi mulierem ſaltatricem, amarè fleuit. Requiſitus cauſam: Ait: Duæ cauſæ mouent me, vna eſt damnatio huius mulieris, alia eſt quia toto tempore vitæ meæ non habui tale ſtudium placendi Deo, quantum iſta placendi hominibus. *Itẽ* nota de Pelagia meretrice, cuius ornatum & curam venandi ſcilicet animas diabolo, cum videret palam Epiſcopus Helyopoleos, in concilio Epiſcoporum altè ſuſpirans, demiſſo capite grauiſſimè fleuit, cauſam reddens: quia vnius diei meretricis huius ornatus, vitæ meę ſuperauit induſtriam in ſeruiendo Deo & poſt: In veritate dico vobis, dixit Epiſcopis ipſam nobis præferet Deus in iudicio, qui negligentia torpemus.

7. Dolor excrucians. SEPTIMO oſtendit hoc vitium eſſe ſummópere deteſtandum diri ſupplicij dolor excrucians, qui debetur acedioſis ſicut arboribus infructuoſis Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur* Ioh. 12. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignẽ mittent & ardet.* Ficulnea ſterilis id eſt quæ fructum non habuit quando Dominus eſuriens venit ad eam, maledicta fuit & aruit Ioh. 21. & tamen non erat tunc tempus pomorum, ſicut dicit Aug. *Seruum inutilem præcepit paterfamilias proijci in tenebras exteriores.* Matth. 15.

De filiabus acediæ & 1. de Dilatione.

DISTINCTIO II.

CIRCA quartum id eſt de filiabus acediæ. Sciendũ quod multæ ſunt, quia multis modis per acediã peccat homo, Eius autem filiæ ſunt hę: Dilatio, Segnities ſiue pigritia, Tepiditas, Puſillanimitas, Inconſtantia ſiue imperſeuerantia, inquietudo corporis, Euagatio mentis, Ignorantia, Ocioſitas, Verboſitas ſiue Multiloquium, Vaniloquium, Murmur, Taciturnitas mala, Indiſcretio, Grauedo, Somnolentia, Negligentia Omiſſio, ingratitudo, Indeuotio, Languor, Tædium, Impeditio bonorum, Impænitentia, Deſperatio.

Multæ ſunt filiæ acediæ.

1. Eſt dilatio bonorum agendorum. PRIMA igitur filia acediæ eſt dilatio bonorum agendorum, puta cõuerſionis ad Deum, ſiue ingreſſus religionis, peregrinationis, pænitentiæ, confeſſionis, ſolutionis voti, vel impletionis alicuius boni propoſiti præconcepti. Sunt autem ſeptem cauſæ, quare bene faciendi ſit periculoſa dilatio. *Prima* cauſa eſt ira Dei, qui excluſus, primo blanditur vt ei aperiatur, ſtans ad oſtium, & pulſans Cant. 5. *Vox dilecti mei pulſantis aperi mihi*, Et 3. *En ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrum, reſpiciens per feneſtrã.* Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtiũ & pulſo*, qui ſi diu extra dimittatur, iraſcitur & minatur, gladium vibrando, oſtium frangendo, adulterã occidendo. Pſal. 7. *Deus iudex iuſtus* & c. Et poſt. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit* &c. Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominũ, ſubito enim ſuperuenit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Iraſcitur contra excuſationem dicentium. Iſaiæ 28. *Manda remanda, expecta reexpecta* &c. Talis erat Auguſtinus ante conuerſionem, vt ipſe ait. *Non habebam quid tibi dicenti,* SVRGE QVI DORMIS, *reſponderem, niſi verba ſomnolenta & lenta; ſine modo, ſine paululum, & illud modo non habebat modum, & illud paululum protendebatur in longum.* Similes ſunt

Septem ſunt quæ dilationem boni faciunt periculoſam.

1. Ira Dei.

illis

illis qui inuitati ad cœnam, patrifamilias omnes diuersimode se excusabant, & venire nolebant Luc. 14. *Item* Deum offendunt maximè, non solum eũ qui sponsus est, extra dimittendo, sed adulterum & adulteram inter amplexus tenendo, sponso contempto, quãdo diaboli delectationes momentaneas & res caducas ei præponunt, amando. Oseæ. 2. *Auferat adulteria sua de medio uberum suorum, ne forte statuam eam nudam* &c.

ITEM differens conuerti Deum offendit, disponens pro voluntate sua de tempore *quod pater posuit in sua potestate*. Act. 1. cuius dispositionem non concessit Apostolis, aut alicui puræ creaturæ, hoc faciunt qui dicũt, quando fecero hæc & illa, tunc intrabo religionem; vel primo faciam hoc, post illud: vel primo colligam messem, post vindemiam. Sicut dicebat ille de quo Luc. 12. *Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager protulit: & cum dixisset, destruam horrea mea & maiora horum faciam* &c. *Respondit ei Dominus: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te: & quæ congregasti cuius erunt?* Eccle. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.*

2 *Est mortis incertitudo.*

SECVNDVM propter quod acceleranda est conuersio, est mortis incertitudo. Eccle. 9. *Nescit homo finem suum*: neque tempus, neque locum, neque modũ, neque statum mortis suæ. *Sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo, subito & improuisè, sic capiuntur homines in tempore malo*, scilicet mortis. Seneca. *Iuuenes mortem habent à tergo, senes ante oculos.* De hac materia supra *de morte timenda malis*, per totum.

3. *Est difficultas exuẽdi malã consuetudinem.*

TERTIVM propter quod acceleranda est conuersio: est difficultas exuendi malam consuetudinem; quæ quanto diuturnior est, fortior est, & vehementius ligat & fortius tenet, & impedit ne homo conuertatur, vel facit vt difficilius conuertatur. Bern. *voluptas habita liben er reperitur, repetita blanditur, consuetudo ligat, ratio consopitur.* Difficilior est autem conuersio dilata propter

Difficilior est conuersio dilata propter duodecim causas.

causas 12. *Primo* propter malæ consuetudinis duratione, quia res iuuenes & teneræ citius accipiunt nouam formam. *Secundo* propter malitiæ occupationem quæ est tinctura mala, in qua cum pannus diu mansit, non potest de facili recipere alium contrarium colorem. *Tertio* facit ad hoc bonorum naturalium consumptio. *Quarto* vasis cordis longa infectio. *Quinto* peccatorum longa & assidua oneratio. *Sexto* elongatio à Deo, qui enim difficilius audit clamantem, difficilius potest redire ad eum. *Septimo* cura circa mortem quæ est maxime difficilis propter sollicitudines de rerum & domus dispositione. *Octauo* quia iustum est vt in fine à Deo condemnetur, qui eum contempsit quamdiu vixit. Iuxta verbum Aug. *Hac animaduersione percutitur peccator vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* *Nono* quia tunc diabolus magis ei insidiatur, & tunc magis paratur contra eum. *Decimo* amaritudo diuturnæ infirmitatis quæ tunc maximè sentitui scilicet veteris peccati, quæ facit bona esse insipida. *Vndecimo* amaritudo memoriæ mortis, quæ separat à præsentibus bonis. *Duodecimo* timenda est dilatio conuersionis vsque ad finem, maximè propter malorum diuersorum occursionem, quæ concurrunt & occurrunt circa mortem, quæ inducit hominem in boni obliuionem, propter malorum oppressionem, vel etiã in desperationem.

4. *Est periculosus status peccatorum.*

QVARTVM propter quod est acceleranda conuersio est periculosus status peccatorum. Est enim in magno periculo, qui gladium iræ Dei habet super caput suum, quem vibrat vt secet eum medium Psal. 7. *Gladium suum vibrauit.* Et qui vndique spectat multiplicis mortis gladium euaginatum, quo diuersimode feriatur. Iob. 15. *Qui est in domo lutea fragiliori quam si esset vitrea.* Qui ictu lapidis satis parui potest atteri; obsessus ab infernalibus hostibus, sanguinem suum sitientibus. Qui etiam in cubili secum habet plures hostes capitales spirituales, qui ibi eum ligant, & ad inferni patibulum secum ligatum trahunt. Qui vsque ad portas inferi deductus, non distat ab eo, nisi per transitum corporis transuersum, qui in puteum inferni est statim proijciendus, & in puncto descensurus ibi, & in igne perpetuo concremandus, & à draconibus deuorandus.

5. *Bona quæ prouenit ex accelerata conuersione, quæ sunt decem.*

QVINTVM est cura lucrandi bona plura quæ proueniunt ex acceleratione conuersionis, quæ sunt Christi, vnde Tren. 3. *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia.* *Primum* bonum quod inde prouenit est boni profunditas & tenacitas, quia quanto citius incipit, tanto profundius infigitur, vt radix arboris; & diutius seruatur, quia *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem, testa diu*: Similiter & vestis noua plicam, & lana colorem. *Secundum* est bonitatis iucunditas, acquisita ex consuetudine longa. Tullius. *Optima viuendi forma eligenda est, quam iucundam reddet consuetudo.* Sicut patet in pueris, qui cum amaritudine, & angaria, & verberibus, vix possunt vel volunt addiscere litteras; & postea per consuetudinem est ita delectabile, vt omnia postponant vt addiscant. *Tertium* est viuendi securitas, quia secure viuit homo. Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* *Quartum*. est vitæ bonæ diuturnitas, quæ quanto citius incipit, tanto potest diuturnius esse bona: *Quintum* est seruitij gratiositas, priora enim bona sunt magis gratiosa quam posteriora, vt fructus præmaturi, vt flores ficuum. Num. 18. *Omnia quæ offertis* &c. *in donaria Domini, offeretis meliora & electiora.* Malac. 1. *Maledictus homo qui habet masculum in grege & votum faciens vouet debile Domino.* Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me* &c. *Sextum* est spei consolatio ex longiori penitentia. August. de illo qui differt vsque ad extremum diem vitæ penitentis, dicit se ignorare vtrum saluetur: De illo autem qui in iuuentute penitet sponte, dicit quod certus est de eius salute: & concludit: *Tene certum, dimitte incertum.* *Septimum* est ignis purgatorij liberatio 1. Cor. 3. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* *Octauum* est Ecclesiæ communicatio, quæ citius fit pœnitenti. Sap. 8. *Scio quod communicabit mihi in bonis suis.* *Nonum* est maioris meriti accũmulatio quod est ex eo quod diutius fuit in Dei seruitio. *Decimum* est maior remuneratio.

6 *Quia talis est iniquus in Deũ, seipsum, Angelum, & proximum.*

SEXTO periculosa est dilatio conuersionis, quia qui conuerti differt, iniquus est in Deum, in seipsum, in angelum, & in proximum. *In Deum* Iob. 31. *Iniquitas maxima, & negatio contra Deum est, oculari mentem suam*: scilicet blandiri sibi de opere suo malo, & differre conuersionem. Iniquus igitur est in Deum. *Primo*: quia in eius esca fel ponit, scilicet dilationem in bono. *Secundo* quia illud quod maximè odit Dominus, ante eius oculos gerit. *Tertio* quia eum misericorditer vocantem contemnit. *Quarto* quia patrem misericordem, dies moræ suæ computantem, sua tarditate affligit. Tob. 9. *Scis quoniam Dies computat pater meus, & si tardauero vna die plus, contristabitur anima eius.* *Quinto* quia diabolo meliorem, Deo deteriorem partem vitæ suæ tribuit, illi florem, Deo fæces. *Sexto* Dei misericordiam in damnationem suam conuertit, scilicet hoc quod sperat quod eum Deus misericorditer debet expectare, ipse econtra ei incessanter repugnet. Rom. 2. *Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizasti tibi iram in die iræ*: hoc est quando de misericordia Dei congregas tibi malitiam peccatorum. *In Angelum* est impius, quem de expectatione gaudij quod sperat de eius conuersione, affligit. Pron. 13. *Spes quæ differtur affligit animam*: quia admonitionẽ se nõ corrigit, sed eã potius contemnit: quia apud eũ irreuerenter se gerit. Ber. *Quouis angulo, quouis diuersorio, reuerentiã habe eũ Angelo tuo; nec audeas corã eo facere, quod facere me præsente non auderes.* Itẽ iniquè agit contra seipsum, quem potius vult habere malum quam bonum, infirmum quam sanum, seruum, quã liberũ, mortuum quam viuum, in statu latronis quam regis, pauperem quã diuitem, & omniũ bonorũ Ecclesiasticorũ expertẽ quam participem, & consortem dæmonum

quam Angelorum & inutilem quam multum valentẽ; quod non faceret de aliquo ſuorũ, magis ſe vilipendẽs quam aliquid ſuorum. *Item* iniquus eſt contra proximum ſuũ, quem ſuo malo exemplo corrumpit, & quia ei in bello ſpirituali adiutorium non impendit, ſed ſeſe ei inutilem reddit: & quia Deus pro eius peccato aliquando proximum punit, vt filios Iſrael propter peccatum Achor.

7. Eſt magna fatuitas quæ ob decem rationes inuenitur in dilatione.

SEPTIMO malum eſt differre cõuerſionem propter fatuitatem maximam, quæ apparet in hac dilatione in 10. & quia qui differt, quaſi in vitulo id eſt vita laſciua & ſine iugo obedientiæ, credit caudam iumentinam boni finis inuenire; vt Balaam, qui dicebat Num. 23. *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia* contra quem verſus.

VIVE *pius, morere pius, vitamque bonorum*
QVÆRE *prius, ſi poſterius mortem cupis horum.*

1. Cõditio viæ.

Sũt autẽ decẽ caſus in quibus fatua reputatur dilatio. *Primus* eſt ex viæ cõditione, quia cõuerſio viæ cœleſtis eſt aggreſſio, quæ cito eſt inchoanda quia via difficilis & longa, tẽpus breue, expectantes magni: quia ad magna nos expectant, ſcilicet ad coronam regni æterni: impedimenta viæ multa, & ianua cito claudenda; & continua naturæ debilitatio, & itinerantis fatigatio: & quia qui nimis tardè incipient, malum hoſpitium habebunt, ſcilicet infernum vel purgatorium. *Secundus* caſus quare mala ſit dilatio, eſt periculum præſcriptionis, timere debent, quia diabolus difficulter dimittit quos diutius poſſedit, vt dicit Beda. *Tertius* caſus quare dilatio ſit periculoſa eſt ratione loci in quo homo cecidit, quia in loco profundo vitiorum, & immundo Pſal. 68. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum &c.* Hier. rogabat emitti de lacu, ne ibi morereretur. Hier. 38. Bern. *Cadit Aſina, & non eſt qui ſubleuet; perit anima, & non eſt qui curet. Quartus* caſus eſt quando aliquis in loco periculoſo cecidit, & aliquis magnus manum ei porrexit, ſine quo non poteſt ſubleuari, & ipſe differt manum accipere.

2. Periculum præſcriptionis.

3. Profunditas loci in quam quis cecidit.

Simile.

4. Contemptus auxilij oblati.

SIMILIS eſt peccator piger cuidam quadrigario, cuius cum quadriga cecidiſſet, & ipſe ſedens in luto à tranſeuntibus adiutorium peteret: quidam nobilis manum extendit vt eam iuuaret, ſed cum miſer nec vellet ſurgere, nec ad quadrigam ſubleuandam manum mittere, ſed differret; receſſit nobilis indignans & dicens. Ex quo tu miſer non iuuas te, nec ego curo de te. Sic faciet Dominus de eo qui differt ſe iuuare, dimittit eum putreſcere in lacu miſeriæ, & in luto fæcis; manum gratiæ & adiutorij ſui, ei ſubtrahendo.

Exemplum.

ITEM ſimile legitur in vitiſpatrum, quod quidam mundum relinquens, iuit ad eremum, & factus eſt eremita probatiſſimus, quod audiens quidam ſecularis qui fuerat eius ſocius, viſitauit eum, ferens panes ei in ſacco ſuo, rogans vt oraret pro eo, vt Deus daret ei gratiam, vt à peccato reſiliret, quod cum ipſe promiſiſſet facere, rogauit eum vt poſt quindenam rediret & cum hoc feciſſet, quæſiuit ab eo ſi adhuc placeret ei peccatum ſuum ſicut prius. Reſpondit quod deterius erat ei tunc peccatum. Rogat eum eremita, quod poſt 15. dies ſimiliter ad eum redeat; & tunc fortius pro eo ſe afflixit eremita, & orauit pro eo. Cum autem rediſſet, & ſibi eſſe deterius diceret: attendens eremita quod propter eius negligentiam hoc eſſet, accepit ſaccum in quo panes detulerat, & impleuit arena, rogans vt humeris ſuis imponeret: quod cum ipſe facere attentaret, eremita retrahebat inferius, quod cum ille videret dixit: Non poſſum onus hoc ſubleuare, quia tu deorſum trahis. Cui ille: Trahe ſuper te, & ego iuuabo te, quod cum vterque faceret, facillimè ſuper humerum impoſuerunt onus. Tunc eremita: Sic ego non poſſum iuuare te, quia tu niteris ad contrarium, ſcilicet trahendo deorſum: ſed appone manum & iuua te, & tunc valebit tibi adiutorium meum; & Deus iuuabit te, quia vt dicit Aug. *Qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.*

QVINTO fatua eſt dilatio in rerum neceſſariarum præparatione, quando incerta eſt hora quando ſunt neceſſaria præparanda: vt quando aliquis neſcit horã qua debet nauis à portu recedere, fatuus eſt cum debet nauis recedere, ſi tunc primo incipit de neceſſarijs cogitare, & qui cum debet ſponſo cum veſte nuptiali charitatis occurrere, tunc incipit primo linum & lanã quærere, ſcilicet de materia cogitare, & quomodo texatur, conſuatur &c. Hæc eſt veſtis nuptialis de qua Matth. 22. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* ſine qua indutus eſt homo ſacco; *nec eſt ei licitum intrare aulam Aſſueri* Heſt. 3.

5. Incertitudo horæ pro qua neceſſaria ſunt parãda.

SEXTO fatua eſt dilatio in rebus quas tempus & opportunitas tranſit, vt eſt in arboribus plantandis, vineis putandis & virgis rectificandis, & plicandis ſalicibus dum ſcilicet noua ſunt, & antequam diruer int & malam formam & contrariam ceperint. Similiter in morbis & vulneribus curandis. Poeta.

6. Lapſus oportunitatis.

PRINCIPIIS *obſta, ſero medicina paratur,*
CVM *mala per longas conualuere moras.*

SEPTIMO fatua eſt dila tio in rebus in quibus continuo eſt ſuccurrendum, vt in igne excutiendo à domo quæ cõburitur, ſubuenire vaſi cuius vinum effunditur. Bern. *Aliſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto iam latere, nudatis viſceribus, iam ſanie effluente, adhuc conſulendum eſt an excutiam illum. Octauo* fatuitas eſt differentis, quando cecidit in periculo mortis, & vult differri ne ſubueniatur ei: vt quando cecidit in mari, vult differri ſubuentionem, cum nihil ei ſuperſit niſi ſubmerſio. Talis eſt qui cecidit in profundum vitiorum Pſal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Aliquando offert ei tabula per quam euadat naufragium, & renuit ludens in vndis, & cum offertur & accipit, credit eam nimis magnam, vel etiam aliquando oblatã relinquit, & in vndis ſe proijcit. Hie. *Secunda tabula poſt naufragiũ eſt penitentia.*

7. Neceſſitas præſentis ſubſidij.

8. Periculum in mora.

NONVS caſus in quo periculoſa eſt dilatio eſt nimis morari in rebus eligendis, in quibus de facili amittendi periculũ interuenit, vt eſt in illis qui deliberant ſe religionem intrare, ſed nimis morantur in deliberatione quam debeant præeligere, quouſque periculum interuenit. *Similes* ſunt cuidam latroni, de quo dicit Petrus Alfon. quod cum intraſſet theſauros regios, videns ibi multitudinem vaſorum pretioſorum, incepit librare quod vas eſſet pretioſius & ponderoſius, quod ſecum deferret, & tantam fecit moram in deliberatione & ponderatione, quod dies ſuperuenit; affuerunt cuſtodes, cœperunt eum, & ſuſpenderunt. Sic aliqui qui vouerunt intrare religionem, quandoque morantur, conſiderando & ponderando conditiones diuerſas diuerſorum, quouſque aſpirat dies mortis, & ab hoſtibus infernalibus capiuntur, in patibulo inferni ſuſpenduntur.

9. Amiſſio occaſionis.

Exemplum.

ITEM ſimiles ſunt cuidam cani, de quo dicitur quod cum duo paria nuptiarum fierent in villa ſua, & videret ſponſos & ſponſas tranſeuntes, reſtituit in media via, cogitans ad quas illarum iret, & quod ſi ad iſtas iret, alias amitteret. & dum de bonis & malis conditionibus vtrarumque cogitaret, clauſæ ſunt portæ; ad quas veniens, non introiuit, ſed à Ribaldis eſt repulſus cum verberibus, ſic multi ſtulti antequam religionem intrent, deliberando muſſitant; quouſque adueniente morte, ianua miſericordiæ Dei eſt eis clauſa.

Exemplum.

DECIMO periculoſa eſt dilatio eorum qui fugantur ad mortem, inſequitur hominem mors à tergo, & hoſtes infernales. Hieron. *Hoſtis meus inſequitur me euaginato gladio vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo.* Ex prædictis patet quam damnoſa & periculoſa ſit dilatio bene agendi, & ideo cum ſumma ſollicitudine eſt vitanda, & per conſequens quam vtilis ſit & preficua feſtina conuerſio, & benefaciendi auida aggreſſio. Ad quam debent nos multa mouere.

10. Quia hoſtes mortales perſequuntur nos.

Ad feſtinãter benefaciendum multa mouent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

1. *Vita breuitas.*

PRIMO enim ad hoc mouere nos debet vitæ præsentis breuitas, & temporis velocissimè currentis continuitas. Eccl. 10. *Noli cunctari in tempore angustiæ.* Sap. 5. *Transeunt omnia velut umbra, & quasi nuncius præcurrens* &c. Solus piger contra cursum naturæ nititur in opere inchoando tardare. *Secundo* periculorum varietas, scilicet negotiorum mundialium, infirmitatis, mortis, & dæmonum; quæ tardantes multipliciter impedire nituntur. Eccl. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. Tertio* peccatorum ad mortem currentium magna velocitas. Bern. *Alacrius currunt ad mortem*, quam nos ad vitam. *Quarto* mundanorum in negotijs mundanis indefessa strenuitas. Poëta.

2. *Periculorũ varietas.*

3. *Peccatorũ velocitas.*

4. *Mũdanorum strenuitas.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Quinto spiritus sancti gratię immẽsa mobilitas. Amb. *Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. Sexto* præcurrentis Christi suauitas, qui similis est Pantheræ, de qua dicitur in histo. transmarina, quod postquam dormiuit per triduum, excitata emittit odorem suauissimum, quem sequuntur feræ illectæ, & ipsa partitur eis prædam suam. Similiter Christus resurgens fecit.

5. *Spiritus sancti gratia velocitas.*

6. *Christi præcurrentis suauitas.*

7. *Expectantium dignitas.*

SEPTIMO spectantium & expectantium, & prouocantium ad festinandum multitudo & nobilitas: quia Deus & cœlestis curia nos spectat & exspectat. Isa. 30. *Expectat Dominus vt misereatur nostri.* 1. Cor. 3. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Ideo B. Ioan. Euang. cum apparuisset ei Dominus cum Discipulis suis, & diceret ei. *Veni dilecte mi ad cõuiuium meum* &c. Incepit festinare post Dominum. sed Dominus dixit ei, quod vsque ad Dominicam sequentem expectaret; quod cum fecisset, & populo qui conuenerat prædicasset, descendit in defossum locum sepulturæ, quem sibi præparauerat; & facta oratione, dixit: *Domine suscipe me cum fratribus meis, odor tuus in me æternas concupiscentias generauit.* Hoc dicto clamauit: *Venio, venio.* Et statim facto cœlesti lumine super eum, & sursum tendente, non comparuit vltra B. Ioann. nec corpus eius.

Exemplum de obitu B. Ioannis Euãgelistæ.

8. *Magna festinationis commoditas.*

OCTAVO, maxima commoditas quæ sequitur ex festinatione, vt patet Luc. 2. *Pastores festinantes venerunt & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Similiter & Magi, qui statim venientes ab oriente, super Dromedarios ascenderunt. vt citius venirent. Matth. 3. & Sap. 16. *Oportet solem præuenire ad benedictionem.* Ideo B. Nicolaus quia præueniebat alios ad ecclesiam, voce de cœlo delapsa, dignus episcopatu iudicatus est; quæ insinuauit cuidam præsuli, quod illum in episcopum acciperet, qui alios ad ecclesiam pręueniret. Prouerb. 22. *Vidisti hominem velocem in opere suo; coram regibus stabit.* *Nono* futuræ hæreditatis felicitas & iucunditas. ad Hebr. 4. *Festinemus ingredi in illam requiem.* Iud. 18. dicunt exploratores fratribus suis: *Vidimus terram & opulentam & uberem, surgite ascendamus ad eam, nolite negligere, nolite cessare.* Et post. *Tradet nobis Dominus locum in quo nullius rei est penuria. Decimo* confusionis immensitas, qua confundentur tardi in iudicio, oleum non habentes, & ianuam clausam inuenientes. Sed tunc maximè, cum dicet eis sponsus cum fatuis virginibus: *Nescio vos.* Matth. 25.

9. *Futura hæreditatis felicitas.*

10. *Confusionis immẽsitas.*

De ignauia vel pigritia.

DISTINCTIO III.

2. *Filia acedia est pigritia.*

DEINDE considerandum est de segnitie, ignauia vel pigritia, quæ reddit hominem impotentem ad operandum; & ne se verrat vel moueat à malo statu, reddit eum velut immobilem. Oseæ 7. *Effraim factus est quasi subcinericius panis, qui non reuersatur.* ex vna parte comburitur diuersis desiderijs vitiorum, & ex alia parte remanet in sua cruditate, intactus scilicet ab igne charitatis; ex parte bonorum crudus, ex parte malorum totus exustus. *alieni*, scilicet dæmones & vitia, *comederunt robur eius, & ipse ignorauit. Similis* est piger Asino, qui quasi insensibilis existens, permittit se vorari à lupo, nec recalcitrat, vsquequo dolorem mortis sentiat, cum eum contra cor morsibus vrget; & tunc ei resistere non valet. *Item* ignauia facit hominem vt idolum, quod pulchras habet manus & membra, nec tamen eorum habet vsum, nec se defendit eis, sed permittit se præcipitari & comburi. Ignauia similis est Adonibezeth, de quo legitur. Iud. 1. quod reges quos capiebat, manuum & pedum summitatibus amputatis, inutiles reddebat & impotentes. Est etiam paralysis spiritualis auferens vsum membrorum. Matth. 8. *Puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Quidam philosophus ait cuidam pigro: Indignareris si quis optaret vt inutiles manus & pedes haberes, nunc cum integra sint tibi, tu non vis eis vti.

Quibus rebus assimilatur pigritia.

Simile.

ITEM Guillelmus episcopus Parisiensis quęrebat, quis est cuius pes igne arripitur, & totum permittit se comburi, cum posset pedem retrahere & liberari? aut cuius super oculos iacentis stillicidium cadit, & permittit se excæcari, cum posset caput diuertere & liberari: aut quis permittit aures suas à muscis corrodi & consumi vsque ad cerebrum? aut quis panem quem in ore habet dimittit muribus in os suum corrodere & consumere, cum posset os claudere & liberari? hæc iners facit. Pedem voluntatis non retrahit ab igne peccati: nec oculos mentis diuertit à stillicidio carnalis voluptatis; nec muscas tentationum abigit ab actibus materialibus vel spiritualibus; nec claudit os, sed permittit vt mures infernales ei panem vitæ auferant ab ore, ne eius suauitatem & dulcedinem sentiat, sed totus inertia consumitur. Cato.

Simile.

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignauia fertur. Nam,
Cum animus languet, consumit inertia corpus.

Pigritia consumit res spirituales & temporales.

ITEM non solum ignauia consumit corpus, sed ipsas res temporales. In collationibus patrum Cassianus. Vidimus apud Ægyptum nonnulla, de laboribus fratrum priorum maxima celeritate fundata & ædificata, quæ moderni ex ignauia de facultatibus datis fulcire non sufficiunt. Item inertes in tempore prælij non solum ad arma non currunt, sed aut eis non vtuntur, aut ea sine renitentia proijciunt, & se hostibus gratis tradunt. Sicut ille qui videns cornua testudinis timore correptus, spathã suam permittere cadere fingitur. Contra tales Ber. *Quæ est hæc fatuitas interfrendentium undique hostium fulgurantes hastas, circumuolantia spicula, aduersario arma proijcere? Quid ignauiæ est, socijs in sanguine & cæde versantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? Alijs inquam nocte & die curæ peruigili festinantibus redimere tempus, quoniam dies mali sunt: Vos èconuerso & longas noctes dormiendo consumitis, & breues dies fabulando ducitis ociosos.*

Pigritia est receptaculũ omnium vitiorum.

SEGNITIES seu pigritia est receptaculum omnium vitiorum, quia pigri tentationes omnes recipiunt, non reijciunt sed nutriunt, ex quo mala omnia generantur. Luc. 11. *Spiritus immundus inueniens domum vacantem, inhabitat in ea cum septẽ spiritibus nequioribus se.* Quod significatur in Apoc. 18. *Facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis.* Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant urticæ, & tooperuerant faciem eius spinæ*; scilicet peccatorum diuersorum Bern. *Hęc est maledictio Adæ terræ laboris nostri, id est, agro cordis & corporis, vt noxia & inutilia gratuito passim præueniant, & eam repleant, nisi assiduè extirpẽtur: Vtilia vero necesse est excolere cum labore.* Psal. 87. *Repleta est malis anima mea* &c. Sic patet quod pigritia replet animam malis culpæ.

Pigritia replet animã malis pœna.

ITEM replet animam malis pœnæ, scilicet paupertate, spirituali vilitate, & afflictione. Prouerb. 18. *Omnis piger semper in ægestate est.* Et Prouerb. 17. *Animæ effeminatorum esurient.* Item Prouerb. 20. *Propter frigus piger arare voluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Mat. 25. *Tollite à seruo pigro talentum, & date ei qui habet decem.* Et post. *Habenti dabitur, & abundabit; qui autem non ha-*

bet, & quod videtur habere auferetur ab eo. qui non voluntatem habet operandi, amittit facultates & temporalia bona.

Exemplum. QVIDAM desidiosus rusticus & piger venit ad quãdam vetulam, quæ se diuinam faciebat, quęrens ab ea quomodo posset abundare, quia domus sua oppressa erat maxima inopia. Illa autem circumspiciens eum, notauit eum multa oppressum pigritia; & dixit quod manè surgeret & attenderet, quid primo dicerent ei hirundines, aut cornices, cum primo surgerent. Similiter hoc idem attenderet cum sero iret cubitum, & ad eam rediret, & dicta harum auium referret. Quod cùm attendisset, rediens ait, quod voces dictarum audierat, sed non intellexerat quid vellent ei dicere, vel quid garritus earum significaret. Tunc illa ait: Dixerunt tibi si intellexisses. Cuba tarde, & surge B cito, & discurre pro cibo, & habebis bladum in sacco. Si non dixerunt hoc tibi verbo, dixerunt tamen exemplo suo; quia huiusmodi aues mane surgunt & tota die discurrunt, & per multum laborem sibi necessaria acquirunt. Vade & tu fac similiter. *Item* pigritia facit hominem inopem & famelicum bonis fortunæ, gratiæ, & gloriæ, quibus vacuus omnibus sensibus esurit. Oculi non possunt satiari rebus curiosis, vagi vbique; aures humoribus ociosis & vanis, cor delectationibus vanis, & varijs voluptatibus perituris. Psal. 106. *Esurientes & sitientes anima eorum in malis tabescebat.* *Simile.* *Item* pigritia similis est litargiæ, quæ facit hominem mori dormiendo, & non sentire infirmitatẽ suam. *Item* pigritia est gelu spirituale, quod homines obrigescere facit. Exod. 15. *Obriguerunt omnes habitatores Chanaam.* Similis est monstro Medusæ de quo fabulosè dicitur, quod mutauit homines in lapides: Nam qui viderunt C lapides quasi diriguerunt.

Exemplum. ITEM similes sunt illis militibus de quibus refert Orosius li. 5. de cladibus Rom. dicẽs. quod cum Pompeius vicisset quandam gentem, & occidisset cum eorũ Imperatore quattuor millia virorum in vno agmine conglobata, confugerunt ad iugum montis, vbi occupati sunt à gelu, & vt lapides dirigerunt: & licèt essent mortui, stabant immobiles, ac si essent viui & armati. Sicut etiam sunt multi qui ad alititudinem religionis confugientes, occupantur à frigoribus aquilonis, vt dicit Bern. *& fiunt immobiles quasi lapis*, licèt armati videantur armis religionis. *Exempla.* *Adonibezech*, id est, diabolus amputatis summitatibus manuum & pedum tales reseruat, vt viuentes in longa miseria contabescant. Similiter legitur fecisse Iulius Cæsar quibusdam hostibus suis qui diu ei rebellauerant, cum eos cepisset manus eis amputauit, vt mutilati in longa miseria punirentur, vt dicit Orosius lib. 5: Similiter diabolus manus acedioſis amputat, dum eos reddit inutiles ad omne opus bonum. Prouerb. 19. *Piger manum suam abscondit sub assella.*

De tepiditate.

DISTINCTIO IIII.

3. *Filia Acedia est tepiditas, quæ facit hominem Deo exosum.* DEINDE considerandum est de tepiditate, quæ est recessus à feruore debito charitatis. hæc facit hominem Deo exosum, & abominabilem, vt cibum corruptum. Psalm. 13. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt.* Tales prouocant Deum quasi ad vomitum, vt eijciantur canibus infernalibus, qui canes è vomitu pascuntur. Talis erat Angelus Laodiciæ, de quo dicitur Apocal. 3. *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Talis erat monachus desidiosus, de quo refert Ioan. abbas beato Hier. qui à feruore tepescens magis ac magis, panem sibi à Deo missum inueniebat magis ac magis sordidum, de quo supra. Bern. *Cauendum est nobis à frigore Aquilonis, qui si semel in sinum mentis lapsus fuerit, deferuescit nouitius* A *feruor, liuor mentis extinguitur, & bona intima moriuntur.*

De pusillanimitate.

4 *Est pusillanimitas.* DEINDE considerandum est de pusillanimitate, quæ est nimia sui deiectio. Iuxta illud Prouerb. 17. *Pigrum deijcit timor*; quia pusillares nimis timent, vbi & in quibus non deberent. Psal. 13. *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Hanc dissuadet Sapiens. Eccles. 7. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Et Isa. 31. *Dicite pusillanimes, confortamini & nolite timere.* Psal. 54. *Timor & tremor venerunt super me &c. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus.* Ad modum melancholicorum, qui solas imaginatas fantasias trepidant, & vana credunt vera, & deijciuntur ab his quæ non sunt, nec fuerunt, nec erunt. *Item* similes sunt equis vmbraticis, qui transeuntes per pontem, vmbram suam vel arborum videntes, in aquam *Simile.* se proijciunt, & submergunt. *Item* acedioſus similis est puero cui cum nutrix fecit fictum pauorem, fugit, & se abscondit, & cadere permittit. *Item* similis est Cain dicenti. *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Gen. 4. Prouerb. 12. dicit piger. *Leo est in via, in medio platearum occidendus sum*; ligantur filis aranearum, immo solo timore vincuntur nemine persequente. Seneca. *Illud tibi præcipuè cauendum est, ne sis miser ante tempus, cum illa quæ velut imminentia expauisti, forsitan nunquam ventura sunt.* *Item* sunt sicut excordes pugiles, *Simile.* qui campum dimittunt antequam aduersarium videant aut sentiant, & arma proijciunt, & se victos dicunt. *Item* duris & vilibus obiurgationibus arguendi sunt. Eccles. 22. *In lapide luteo lapidabatur piger, & omnes loquentur super aspernationem eius. De stercore boum lapidabitur piger.* *Item* maledictus est. Hebr. 6. *Terra proferens spinas & tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem.*

De inconstantia.

5 *Est inconstantia, quæ ab imperseuerantia differt.* DEINDE considerandum est de inconstantia. Ad cuius euidentiam sciendum, quod inconstantia & imperseuerantia differunt sicut constantia & perseuerantia. Nam constantia, & perseuerantia conueniunt in fine, quia ad vtramque pertinet firmiter persistere in aliquo bono difficili. Differunt autem secundum ea quæ faciunt difficultatem ad persistendum in bono. Nam virtus perseuerantiæ propriè facit hominem persistere in bono, contra difficultatem quæ prouenit ex ipsa difficultate actus. Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quæ prouenit ex aliquibus alijs impedimentis exterioribus. Ita imperseuerans dicitur aliquis, quando ex diuturnitate actus fatigatus & *Quis imperseuerans sit dicendus, & quis inconstans.* fractus deficit ante finem. Inconstans vero dicitur, quando ex difficultate exteriorum impedimentorum fractus, desistit à bono difficili. De constantia & perseuerantia dictum est supra. Inconstantia autem est mobilitas vel instabilitas animi, qua agitantur acedioſi, qui circumferuntur omni vento tentationum, non valentes persistere in bono difficili, siue oratione, siue alio bono opere. Prouerb. 11. *Impius facit opus instabile.* Iob 24. *Leuis est super faciem aquæ, quæ continuè ab omni vento mouetur & agitatur.* Sic acedioſi sunt mobiles vt puluis in aqua, gallus super pinnaculum, nebulæ turbinibus agitatæ, puluis quem proijcit ventus, & lanugo quæ à vento mouetur, & spuma quæ à procella dispergitur, nauicula in mari quæ fluctibus iactatur.

Diabolus contemnit pigros tentare. IN 12. libr. collat. legitur. Experientia & relatione seniorum expertum est dæmones non habere tantam vim vel ferocitatem contra modernos monachos, quam contra antiquos; quia hoc facit negligentia nostra quæ ipsos reddidit lentiores, propter

quam

quam contemnunt nos ſic impugnare. Tantus enim eſt torpor aliquorum, & mentis & corporis inconſtantia, vt neceſſe ſit eis dicere: Comedatis & bibatis quantum vultis, & dormiatis, dummodo non recedatis à nobis, & vagi ſitis, & groſſibus culpis vos implicetis. *Item* in vitis patrum quidam ſenex dixit. Quare non proficimus? quia menſuras proprias ignoramus, non habemus conſtantiam in bono opere quod incipimus, ſed ſine labore virtutem adipiſci volumus: leuitate acediæ de loco ad locum tranſimus, ſperantes inuenire locum vbi non ſit tentator diabolus. Contra hanc inſtabilitatem habetur infra in parte de pœnitentia, & ſupra de tentationibus. Diſſuadent autem imperſeuerantiam ſeptem quæ ſuadent perſeuerantiam, de quibus habetur in tractatu de perſeuerantia.

Diſcrimen inter imperſeuerantiam & mollicié.

AD eandem ſpeciem pertinere videtur mollities. Conuenit enim mollities cum præmiſſis in fine, quæ eſt deſiſtere ab aliquo bono difficili. Sed differt ab eis, quia laus perſeuerantiæ & conſtantiæ conſiſtit in hoc, quod homo non recedat à bono propter diuturnam tolerantiam difficilium & laborioſorum. Cui directè videtur opponi, quod aliquis de facili deficiat à bono propter aliqua difficilia, quæ ſuſtinere non poteſt: & hoc pertinet ad rationem mollitiei. Nam molle dicitur aliquid, quia facile cedit tangenti. Non autem dicitur aliquid molle, ex hoc quod cedit fortiter impellenti; nam & paries cedit machinæ percutienti: & ideo non reputatur aliquis mollis ſi cedat aliquibus valde grauiter impellentibus. Manifeſtum eſt autem quod granius impellit metus periculorum, quam cupiditas delectationum. Ipſa enim voluptas preſens fortius mouet attrahendo, quam triſtitia de carentia voluptatis retrahendo: quia carentia voluptatis eſt purus defectus. Et ideo ſecundum Philoſophum propriè dicitur mollis, qui recedit à bono propter triſtitias cauſatas ex defectu delectationum, quaſi cedens debili mouenti. De hac mollitie dicitur Prouerb. 18. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*, Prouer. 19. *Anima diſſoluta eſuriet*, deſtituta à veris delicijs, omnibus vanis lolatijs vult paſci. Hiere. 50. *Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam* vt later malè coctus in aqua delitiarum cito in lutum reſoluitur, vt cereus ad ignem tribulationis cito liquefit. Iſidorus. *Sapiens nunquam animo marcet, & ſi habet aliquando animum remiſſum, nunquam tamen ſolutum.*

De inquietudine corporis.

6 Filia eſt inquietudo corporis ex acedia orta.

DEINDE conſiderandum eſt de inquietudine corporis. Sed nota quod eſt inquietudo ex affectus flagrantia, ſcilicet ex feruenti deſiderio veniendi ad Deum. Sicut dicit Auguſtinus in libro confeſſorum: *Domine inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Ideo dicebat Pſalm. 109. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Idem 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum* &c. *Item* eſt inquietudo ex afflictionis miſeria. Sicut dicit Apoſtolus 2. Corin. 7. *Nullam requiem habuit caro noſtra; foris pugnæ, intus timores.* Columba emiſſa de arca Noë cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, ſcilicet propter aquas, reuerſa eſt ad Noë in arcam Gen. 7. Item eſt inquietudo ex acædia, quia acædioſus nec corde nec corpore requieſcit. Vnde de muliere fatua dicitur Prouerb. 19. *Mulier garrula & vaga, quietis impatiens nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis.* De talibus dicit Apoſtolus 1. Theſſ. 3. *Audiuimus quoſdam fratres inquietè ambulare, nihil operantes, ſed curioſè agentes*, hos præcipit corripi. 1. Theſſ. 5. *Corripite inquietos* &c. Tales quia non habent in conſcientia ſua quietem ideo quærunt eam exterius, & non inueniunt. Ideo omnem locum faſtidiunt, intus deſiderijs æſtuant, & extra inquietudinem patiuntur. Iſa. 57. *Impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Et poſt. *Non eſt pax impijs* &c. quia non in bonis poſſunt quieſcere acedioſi, cum ſint eis amara; nec in malis, cum mordeat eos conſcientia. Similis eſt inquietudo muſcæ caninæ, quæ dicitur oeſtrum; quia animal cui inſidet, & quod mordet quieſcere non permittit. Oſeæ 4. *Vacca laſciuiens declinauit Iſrael.* Alia littera. *Vacca percuſſa oeſtro*, id eſt muſca canina, quam cum vacca habet ſub cauda, non poteſt quieſcere; ſic nec acedioſi. 2. Theſ. 3. *Hi ambulant inquietè nihil agentes.*

De euagatione mentis.

7. Eſt euagatio mentis qua etiam viros ſpirituales afficit.

DEINDE conſiderandum eſt de euagatione mentis circa illicita, quia enim acedioſus non ſiſtit in ſeipſo ſuam conſcientiam excolendo, nec ſpiritualia meditando, ideo euagatur cor eius, ſecundum illud Iſa. 57. *Abijt vagus in via cordis ſui.* Filius prodigus abijt in regionem longinquam. *Quid enim eſt longinquius quam recedere à ſeipſo?* Sicut ait Ambroſ. Cain à facie Dei proiectus ait. *Ecce eijcies me à facie tua, & ero vagus & profugus.* Hanc euagationem ſentiunt etiam ſpirituales viri, velint nolint. Vnde conqueritur in meditationibus ſuis beatus Bernard. dicens. *Nihil eſt fugacius corde meo, quod quoties me deſerit, & per prauas cogitationes effluit, toties Deum omnipotentem offendit. Cor meum vagum & inſcrutabile non poteſt in ſe conſiſtere, ſed omni mobili mobilius, per infinita diſtrahitur* &c. Sequitur. *Vult & non vult, & nonquam in eodem ſtatu permanet. Cor meum, cogitatio amara turbat, & immunda maculat, vana inquietat. Cor meum cœleſte non quærit gaudium, nec diuinum petit auxilium; ab amore cœleſtium elongatur, & in amore terreſtrium occupatur*, &c. *Sicque ſubmergitur vitijs vniuerſis, quoniam vnum Deum qui eſt ſufficere poterat non quæſiuit.* Hanc euagationem mentis maximè patiuntur homines, quando lectioni, orationi, vel diuinis laudibus occupari deberent; & acedioſo cordi, velut apes vel muſcæ ſe ingerunt importunæ. Sed ollæ feruenti muſcæ non inſident; eſſent enim tales muſcæ, & feruore deuotionis, & manu diſcretionis celeriter abigendæ.

De ignorantia ad ſalutem pertinentium.

DISTINCTIO V.

8. Eſt ignorantia, qua quando eſt craſſa vel affectata eſt peccatum.

DEINDE conſiderandum eſt de ignorantia eorum quæ pertinent ad ſalutem. Quæ ignorantia eſt peccatum quando eſt craſſa & ſupina, vel quando eſt affectata. Pſal. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* quod eſt quando homines, & maximè Prælati & animarum curati nolunt laborare, quomodo ſciunt ſe & alia, quæ ſibi & alijs quibus tenentur ſunt neceſſaria ad animarum ſalutem, cùm poſſent & negligunt propter laborem; vel cum omnino ſcientias pietatis contemnunt & ignorant. *Debet* autem homo & maximè clericus animari contra hoc vitium propter hęc quattuor. Maximè propter diuinum conſilium & magiſterium quod contemnit; propter ſeipſum & ſuos quos ſpernit; propter bona quæ ſuum contrarium, ſcilicet ſcientia confert, propter mala quæ ignorantia infert.

Quattuor mouent ad ignorantiam vitandam.

PRIMO propter hoc, quia Spiritusſanctus & Chriſtus docent omnem veritatem, & omnem ſcientiam. Prouerb. 2. *Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia.* Iſai. 48. *Ego Dominus docens te vtilia, vtinam attendiſſes ad mandata mea.* Ioan. 15. *Docebit vos omnem veritatem.* 1. Ioannis 2. *Vnctio docet de omnibus.*

1. *Quia Deus docet ſapientiam & ſcientiam.*

Similis

2. *Quia ignorans contemnit Deum & seipsam cognoscere.*

Similes sunt Iudæis qui contemnunt esse discipuli veritatis. *Secundo* quia contemnens scire ea quæ sunt salutis, contemnit Deum scire, & seipsum; & est similis *gentibus quæ ignorant Deum.* 1. Corinth. 15. Ignorantiam Dei quidam habent, similes Tyro, de quo Isa. 45. *Accinxi te & non cognouisti me.* Similes sunt cæco nato, *qui non cognoscebat illuminatorem suum,* Ioann. 9. *licèt ei loqueretur.* Item sunt multi qui multa sciunt, & seipsos nesciunt. Similes sunt oculo, qui alia videt & indicat, & se ipsum non videt nec considerat. Psal. *Nescierunt neque intellexerunt qui in tenebris ambulant.* Ideo cognitionem sui petebat à Deo August. orando sic. *Domine nouerim te, nouerim me.* Philosophus: *de cælo descendit: Nosce te ipsum.* Seneca. initium salutis est notitia sui. Gregor. *Hoc primum nobis gratia Dei contulit, quod pœnam nostram cognoscibilem nobis fecit.* Idem. *eo ipso homo vehementius desipit, quo semetipsum nescit.* Idem. *Verba Dei eo mens vnius intelligit, quo in eis seipsam quærit.* Idem. *bene possumus seruare quod sumus, si non negligimus pensare quid fuimus.* Idem. *de vitæ æternæ dispensatione conquereris, qui sub manu artificis te non ignorare teneris.*

3. *Quia ignorantia multa bona aufert quæ scientia confert, & insuper decem mala infert.*
1. *Insensibilitas.*
2. *Ablatio thesauri cordis.*

TERTIO notandum, quòd sunt bona plurima quæ scientia confert, quæ contrario modo ignorantia aufert. Mala autem quæ ignorantia infert sunt decem. *Primum* est insensibilitas, Prouerb. 23. *Eris quasi dormiens in medio maris, quasi sopitus gubernator amisso clauo,* & dices: *Verberauerunt me, & ego non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* Similis est Asino. Oseæ 7. *Alieni comederunt robur eius.* Econtra scientia facit vt homo sentiat mala in quibus est. Eccles. 3. *Qui addit scientiam, addit & dolorem. Secundum* malum quod infert ignorantia est, quòd aufert homini censum, siue thesaurum cordis, qui est virtus & scientia. Prouerb. 3. *Melior est acquisitio eius acquisitione auri & argenti.* Eiusdem 4. *Melior est cunctis opibus pretiosissimis.* Sapient. 16. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.* Sapient. 8. *Si diuitiæ appetuntur in hac vita, quid sapientia locupletius.* Ibidem 12. *Vani sunt omnes homines in quibus non est scientia.* Isai. 33. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia.* Sapiens scientia est nobilis animi possessio; quæ distributa incrementum suscipit, quasi auarum dedignata possessorem; si non distribuitur elabitur. Hoc thesauro animam euacuat ignorantia.

3. *A Deo separare.*

TERTIVM malum quod infert ignorantia est, quia à Deo qui est vera lux separat. Oseæ 4. *Quia scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Ephes. 4. *Alienati sunt à vero Deo, propter ignorantiam quæ in eis est, & propter cæcitatem cordis eorum.* Iob 21. *Dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quartum* est; quia ignorantia facit hominem quasi irrationabile pecus: Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Bernard. *Nihil bestialius homine, qui est ratione vigens, & non ratione vtens.* 2. Petr. 2. *Hi velut irrationabilia pecora, quæ ignorant blasphemant.*

4. *Irrationale pecus facere.*

5. *Excæcare oculum rationis, & Prælatorum.*

QVINTVM est; quia ignorantia excæcat oculum rationis, vel ecclesiæ prælatum, in quo turpissima & periculosissima est ignorantia; vt macula cæcitatis in oculo materiali: Isai. 56. *Omnes bestiæ agri, venite ad deuorandum* &c. Et post. *speculatores tui cæci omnes; nescierunt vniuersi.* Bernard. *Irridendus est speculator cæcus, dux claudus, præco mutus, medicus curæ ignarus.* Prouerb. 30. *Stultissimus hominum sum, & sapientia non est mecum.* Et reddit causam: *Non noui scientiam sanctorum.* Hieron. *Literas nescit, qui sacras literas ignorat: illa illuminat animam, dans veram scientiam.* 2. Corinth. 4. *Deus illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ.*

6. *In multa precipitare mala.*

SEXTVM est quia ignorantia præcipitat hominem in mala plurima culpæ & pœnæ. Oseæ 4. *Non est scientia Dei in terra.* Prouerb. 27. *Qui cuitat discere incidet in mala.* Isidor. *Nihil stultitia peius, nihil insipientia deterius; nihil ignorantia turpius & ignominiosius.* Ignorantia mater est & nutrix omnium vitiorum; qui sic damnum culpæ non sentit insipiens, assiduè peccat; indoctus facile decipitur; stultus in vitium cito labitur. Econtra sapientia mater est omnium bonorum. Sapient. 7. *Proposui pro luce habere illam, venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Et post. *Omnium bonorum mater est sapientia.*

7 *Ignorari à Deo facere.*

SEPTIMVM est quia ignorantia facit ignorari à Deo. 1. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur*; quia dicet eis Deus, eos à regno, & à suo, & sanctorum consortio excludendo, *Nescio vos.* Matth. 25. *Octauum* est: quia homo per ignorantiam capitur, & captus tenetur: Econtra per scientiam liberatur, & seruatur à captiuitate. Isai. 5. *Captiuus ductus est populus meus*: quia non habuit scientiam. Econtra Prouerb. 3. *Iusti liberabuntur scientia.* Prouerb. 2. *si scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.*

8. *Captiuũ facere & tenere.*

9. *Ad perditionem ducere.*

NONVM est quia ignorantia ducit ad perditionem, & perire facit. Iob 4. *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Iob 18. *Expellent eum de luce in tenebras, & de orbe transferent eum* &c. Et post. *Hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius qui ignorat Deum.* Econtra scientia Dei ducit & dirigit ad salutem. Luc. 1. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.* Sapient. 10. *Sapientia eos qui se obseruant à doloribus liberabit.* 10. Occidere. *Decimum* est, quia ignorantia occidit. 4. Reg. 17. *Leones occiderunt eos qui ignorabant cultum Dei.* Prouerb. 8. *Omnes qui me oderunt diligunt mortem.* Econtra autem: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Isai. 11. *Non nocebunt, neque occident, quia repleta est terra scientia domini.*

De ociositate.

DISTINCTIO VI.

9. *Est ociositas quam vitandam nonnulla ostendunt.*

DEINDE considerandum est de ociositate, quam ostendunt multa diligenter esse vitandam, scilicet ordinatio naturalis, obligatio spiritualis, exemplorum inspectio, malorum occasio, bonorum amissio, supernum auxilium, æternum supplicium.

1. *Ordinatio naturalis.*

PRIMO quidem ostendit ociositatem esse vitandam ordinatio naturalis. Sic enim Deus naturam omnium rerum instituit, quod nihil in eis permittitur esse ociosum. Sicut patet in beatis spiritibus, in corporibus cœlestibus, in plantis & vegetabilibus, & huiusmodi. Multo magis homo rationalis existens, non debet ociosus esse. Alioquin omnem naturam deordinat, quod non faciunt aliæ creaturæ. De hoc require supra *Acedia.*

2. *Obligatio specialis.*

SECVNDO hoc idem ostendit obligatio spiritualis, qua videlicet Deus hominẽ astrinxit, cui laborem imposuit in præcepto, quasi pro pœnitentia primæ transgressionis. Gen. 3. *In laboribus comedes ex ea* &c. Sequitur. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* De hoc supra *Acedia. Tertio* demonstrat ocium esse vitandum exemplorum inspectio; primo Dei, qui sex diebus operatus est, & in septimo requieuit. De hoc supra *Acedia. Legitur* de beato Bern. quod semper occupatus inueniebatur, aut legendo, aut scribendo, aut orando, aut psallendo, aut meditando, vt præ labore interno, sensus ad exteriora clausi redderentur. Ad idem est quod habetur supra *de Acedia.* De beato Antonio legitur, quod cùm oraret Dominum quod ostenderet ei quomodo saluaretur, vidit Angelum sibi similem orationi incumbentem, & post ad opus manuum surgentem, & hoc successiuè facientem, & dicentem. Hoc fac, & saluaberis.

3. *Exemplorũ inspectio.*

Exempla.

ITEM in vitis pa. quidam frater extraneus visitauit abbatem Siluanum, qui videns fratres operantes ait: *Operamini non cibum qui perit* &c. *Maria optimam partem elegit* &c. quem Abbas in cella recluſit, librum ei tradens vt legeret. Cùm autem vsque ad nonam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ieiunasset, expectans si quis eum ad refectionem vocaret; ad vltimum quæsiuit ab abbate si non comedissent fratres. Respondit: Tu spiritualis non indiges hoc cibo temporali: Nos carnales indigemus & comedimus, ideo laborare necesse habemus. Quo compuncto, abbas intulit: ergo necessaria est Martha Mariæ.

Exemplum. ITEM abbas Ioannes dixit fratri suo maiori volens semper esse securus. Sicut Angeli nihil operantes, sed sine intermissione Deum laudantes: quo dicto, deiecto pallio, iuit ad interiorem eremum, & post octo dies redijt pulsans ad cellæ ostium, à quo cùm quæsiuisset frater quis esset, & diceret quod Ioannes: Respondit frater. Ioannes Angelus factus est, & inter homines iam non est. Qui cum diu permisisset eum extra affligi, instanti pulsando aperuit, dicens: Si homo es, necesse habes operari vt viuas. Si Angelus, quid quæris intrare cellam? Ad quod verbum pœnituit.

4. Malorum occasio. QVARTO ostendit hoc vitium diligenter esse vitandum malorum occasio, id est, tentationum & omnium vitiorum. Est enim vt ait Bern. *mater omnium vitiorum, nouerca virtutum, & occasio tentationum*, sicut dictum est supra *de tentatione*. Bern. *omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium, sentina est ocium.* Hoc Dauid pertraxit in adulterium, proditionem, & homicidium. Hoc Salomonem eius filium irretiuit in amorem mulierum alienigenarum, vt coleret idola earum. Hoc significatur Matth. 12. *Spiritus immundus, assumens septem spiritus nequiores se*, id est, vniuersa vitia, *habitat cum eis in domo, quam vacantem inuenit.* In huius sentinæ profundum ociosus sæpe cadit, nec surgit à limo profundi. Seneca. *Sultitiam nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem.* Ideo dicitur Eccles. 24. *Seruo maleuolo tortura, & compedes: mitte illum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit ociositas.*

NOTA quod sicut paterfamilias operarios misit in vineam suam, & quos inuenit ociosos, arguens misit in vineam. Matth. 20. Sic diabolus operarios suos mittit ad opus & occupat; & si quem in diuino opere non occupatum inuenerit, occupat eum in suo. *Simile.* *Exemplum* de molendino quod incessanter voluitur, in quo si frumentum immittitur ad molendum multum fructum affert patrifamilias; sed æmulus eius proijcit in illud vel lutum ad inquinandum, vel picem ad inuiscandum, vel paleas ad illud inutiliter occupandum, vel lapides ad frangendum. Molendinum est cor humanum, quod incessanter voluitur de vna cogitatione in aliam, nec potest esse penitus ociosum, quin semper circa aliquod bonum vel malum occupetur. Quod si circa bonum intentum sit, bonum fructum Domino suo reddit. Sed diabolus inuidens bono nostro, immittit cordi, vel cogitationes immundas ad inquinandum; vel picem, id est amorem terrenorum, quæ sunt viscus animæ ad inuiscandum; vel paleas, id est cogitationes vanas & friuolas, saltem ad tempus perdendum, & bonum impediendum; vel lapides, id est motus iræ & impatientiæ ad frangendum.

5. Bonorum amissio. QVINTO ad vitandum ocium mouere nos debet bonorum amissio. Ociosus enim perdit tempus suum, bona sua spiritualia, temporalia, & æterna. Primò quidem tempus amittit, cuius amissio inæstimabiliter est damnosa, & ideo studiosè valde cauendum est, ne per ocium amittatur. Eccles. 4. *Fili conserua tempus, & declina à malo.* Eccl. 3. *Omnia tempus habent &c. & tu habe, & non perdas illud, quia suis spatijs transeunt vniuersa.*

Tempus est æstimãdum propter octo. TEMPVS autem seruandum est, vt expendatur totum in Dei seruitio, ne amittatur per abusum vel non vsum, propter hæc octo quæ sequuntur. Hæc autem sunt; temporis breuitas, velocitas vel labilitas eius, irremediabilitas, pretiositas; quia est multum debitum: quia vitæ nostræ inseparabiliter coniunctum, quia est nostrum siue nobis proprium, quia est rationis reddendæ obligatorium. Quod breue sit, patet Iob 14. *Breues dies hominis sunt.* Psal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna &c.* Aug. *Omnia tempora æternitati comparata quasi punctus sunt.* De velocitate & leuitate. Seneca. *Infinita est velocitas temporis, punctum est in quo viuimus, & puncto minus.* Iob 20. *in puncto ad inferna descendunt.* De irremediabilitate Bern. *Nemo parum æstimet tempus, cum in verbis consumitur ociosis, vel factis: volat verbum irreuocabile, nec aduertit insipiens quid amittat.* Cum quidam dives clericus vigilaret Parisijs ad fenestram studens, & quidam cantaret in vico quandam cantilenam, quæ dicebat Gallicè; *tempus vadit, & ego nihil feci: tempus venit, & ego nihil operor.* Incepit primo cogitare circa dulcedinem cantus; & post, circa verbi sententiam, cogitans quòd sibi competeret, quasi sermonem à Deo sibi missum illud accipiens, in mane omnia relinquens, ordinem fratrum prædicatorum intrauit. *Exemplum.* *Sexto* mouere debet ad ocium vitandum supernum auxilium, id est adiutorium diuinæ gratiæ. *6. Supernum auxilium.* Require supra *de Acedia.* Septimo mouere debet æternũ supplicium. Require supra *Acedia.* *7. Æternum supplitium.*

De multiloquio.

DISTINCTIO VII.

DEINDE considerandum est de verbositate vel multiloquio, dicitur Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Eccles. 20. *Qui multis vtitur verbis lædet animam suam.* Et Leui. 15. *Vir qui patitur fluxum sanguinis, immundus erit.* Iterum est signum stultitiæ Eccles. 5. *In multis sermonibus stultitia inuenitur.* Item 10. *Stultus verba multiplicat.* Et 29. *Sicut vrbs patens absque murorum ambitu, sic homo qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* De hoc require multa supra *de Silentio.* 10 *Filia acedia est multiloquium.*

De vaniloquio.

DEINDE considerandum est de vaniloquio, siue de verbis ociosis. Nota secundum Greg. quod *ociosum verbum est, quod aut ratione iustæ necessitatis, vel intentione piæ vtilitatis caret.* Secundum Hieron. *verbum ociosum est, quod absque loquentis vel audientis vtilitate profertur.* A verbis ociosis abstinere debet homo multiplici ratione. *Primo* quia vir iustus fit cœlum: secundum illud. *Anima iusti sedes est sapientiæ, os eius est porta cœli.* Cœlum nunquam apertum fuisse legitur, sine magna & vtili causa, sicut patet vbique. Item homo est velut castrum obsessum vndique, secundum illud Psal. 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt;* os autem hominis est porta huius castri, per quam castrum illud frequenter aperitur. Ideo non sine magna vtilitate debet aperiri, sed cum magna diligentia custodiri. *Item* qui thesaurum animæ non vult amittere, debet portam oris sollicitè custodire. *Item* vno verbo potest homo mereri gratiam. Vnde reprehendit. Bern. eos qui non timent tempus amittere in confabulationibus suis, dicens. *Confabulari, aiunt, licet, donec pertranseat hora; quam sibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam misericordis conditoris indulserat; nec solum sibi, sed & multis alijs potest homo esse salutis occasio vno verbo. Vnde ex magna corruptione prouenit, quod homo ita passim verba inutilia loqui velit.* *Item* lingua hominis est calamus spirituſſancti. Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Irreuerentiam ergo facit Spiritui sancto, qui linguam ad inutilia verba laxat. *Item* loquæla in solis rationem habentibus inuenitur, & lingua est rationis interpres; & ideo nunquam debet homo sine ratione proferre sermonem. *Item* pro verbis ociosis ad examen diuini iudicij protrahemur. Sicut dicitur super illud Iob 31. *Nonne ipse vias meas considerat, sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes, nec tenuissima verba quæ apud nos vsu viluerunt, intliscussa remaneant.* Et Matt. 11 *Est vaniloquium à quo multa suadent abstinendum esse.*

12. *de*

12. *de omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Sed heu quæ ratio poterit reddi de verbis ocioſis, cum ſine ratione dicantur. Vnde Bern. *Si propterea verbum ocioſum eſt, quod nullam rationabilem cauſam habet; quàm rationem reddere poterimus de eo, quod eſt præter rationem?*

A

De murmure.

12. *Eſt murmur quod propter multa eſt ſollicite fugiendū.*

DEINDE conſiderandum eſt de murmure, quod ad acediam pertinet, quia prouenit ex internæ vnctionis, & exterioris conſolationis defectu. Et poteſt dici murmur *oblocutio indebita contra Deum velatium.* hoc autem generat ſæpe acediam & vitæ tedium, vt filij Iſrael, Numer. 11. Quaſi dolentium pro labore contra Dominum. *Ortum eſt murmur populi* B &c. Et poſt. *vulgus quippe promiſcuum* &c. Et poſt. *anima noſtra arida eſt ſuper cibo iſto leuiſſimo, oculi noſtri nihil reſpiciunt niſi manna.* & 14. *Vtinam mortui eſſemus in Ægypto.* Sunt autem multa quæ nos à peccato murmuris cohibere debent, & oſtendunt hoc vitium ſollicitè fugiendum.

1. *Sacra ſcriptura.*

PRIMVM quod debet prohibere peccatum murmuris eſt ſacra ſcriptura. Sapient. 1. *Cuſtodite vos à murmuratione.* 1. Corinth. 10. *Ne murmuraueritis* &c. Phil. 2. *Omnia facite ſine murmurationibus, vt ſitis ſine querela ſimplices filij Dei.* Non murmurat qui ſe filium Dei cogitat, & quod ex amore flagellatur. Apoc. 3. *Ego quos amo arguo & caſtigo.* Greg. *Ille ſolus de flagello murmurat, qui cauſam percuſſoris ignorat.*

2. *Pia cura Dei.*

SECVNDO cohibet murmur pia cura ſummi medici, cum cogitat homo quod tribulatio datur homini à ſummo medico quaſi medicina, qui vulnerat partem ignobiliorem hominis, id eſt corpus, ad ſanandum digniorem, id eſt animam. Iob. 5. *Ipſe vulnerat & medetur, percutit & manus eius ſanabunt.* Eccleſ. 10. *Prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.* *In vitiſpa*, cum quidam peteret ab abbate Ioanne vt rogaret pro eo vt curaretur, ait. Rem tibi neceſſariam cupis abijcere; quia vt corpora purgantur medicinis amaris, ita animæ languoribus: & tamen dedit ei oleum benedictum, & ſanatus eſt. *Dicit* magiſter Iacobus, quod quidam miles erat in Francia; Cum autem quidam clericus pauper aquam benedictam ad domum ſuam portaret, dictus miles nihil ei dabat, nec dari permittebat, ſed conuitijs afficiebat eum. Cùm autem dictus miles ægrotaret, & dictus clericus ad domum eius veniſſet, præcepit ei aliquid dari, rogans vt oraret vt Deus curaret eum. qui quæſiuit ab eo in quo ſtatu magis timebat Deum; qui reſpondit quod in infirmitate magis eum timebat. tunc clericus ait: Et ego Deum oro, vt in illo ſtatu vos cuſtodiat, in quo melius ei valetis. C

Exempla.

Fatuus eſt qui murmurat de paupertate,

ITEM fatuus eſt qui de paupertate murmurat, cum pauperes eligat Deus ad regnum. Iac. 1. *Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni.* Vt patet per exemplum Lazari. Luc. 16. & ſupra prima parte, de anima pauperis peregrini ad cœlum ſine dolore deducta, & in vita Pauli primi eremitæ pauperis, quem beatus Antonius vidit cum ſanctorum Choris deduci ad cœlum. Similiter de beato Martino, *qui pauper hic & modicus, dines cœlum ingreditur*, & à Choris ſanctorum recipitur & inuitatur: *Mane nobiſcum in æternum.* *Item* fatuus eſt qui murmurat de intemperie, cùm ipſe qui eam dat, ſcit quid expediat. *In vitiſpa*, cum quidam eremita ſeminaſſet olera, & tempus ſiccum eſſet, viſum fuit quod pluuia indigerent, & rogauit pro ea, & obtinuit: viſum eſt ei vt ſerenitate indigerent, petijt, & obtinuit: & illo anno omnino nullum venit olus. & credens quod illo anno eſſet olerum ſterilitas, patienter tulit. cum autem veniſſet ad domum alterius, vidit ea ibi pulcherrima. Cùm autem dixiſſet illi eremita quid ei acciderat. Reſpondit merito hoc ei accidiſſe, eo quod ſe Deo ſapientiorem fecerat, qua- D E

Fatuus eſt qui murmurat de intẽperie.

ſi ſciret quid melius expediret. Ad hoc facit quod ſupra poſitum eſt exemplum de obedientia, de illo qui dicebat quod Deus nihil faciebat niſi quod ipſe volebat: quia ipſe volebat quicquid Deus faciebat. *De malorum* proſperitate, & bonorum aduerſitate multi murmurant, quia cauſam ignorant. Hieron. 12. in perſona talium. *Quare via impiorum proſperatur, & bonum eſt eis qui male faciunt?* Pſal. *Vſquequo peccatores Domine: vſquequo peccatores gloriabuntur?* Et ſoluitur. Hieron. 12. *Congrega eos ſicut gregem ad victimam.* Gregor. *Continuus conceſſus temporalium, æternæ damnationis eſt indicium.* Auguſt. *Scit cœleſtis medicus quid nobis daturus ſit ad conſolationem, quid ſubtracturus ſit ad exercitationem: non enim ſine cauſa ſubtrahit iumento pabulum.* non ergo murmurandum eſt de paupertate.

Exemplum.

CVM quidam eremita miraretur in corde ſuo, murmurans de diuerſis iudicijs Dei, de hoc quod hi qui male viuebant in præſenti bene habebant ſæpe; Et contra frequenter bene viuentes, multas habebant aduerſitates: & aliquando illi qui bonam vitam duxerant in fine videbantur habere finem abiectum, & mali finem pulchrum, & boni amittebant frequenter temporalia, malis bene ſuccedebat in iſtis. Cùm hoc in oratione reuolueret, rogauit Deum vt ei oſtenderet quare hoc faceret. affuit Angelus dicens ei, quod miſſus erat vt ei oſtenderet quod petierat à Domino, & quod ſequeretur ſe in forma eremitæ apparentem. Quod cum faceret, venerunt ad domum cuiuſdam eremitæ, cuius domus ſupra ſaxum altiſſimum erat ſita ſupra mare. Qui prædicante Angelo de tentationibus, & contra imperſeuerantiam, confeſſus eſt cum multis lachrymis, quod cum fuiſſet ibi in magna afflictione pœnitentiæ per 40. annos, ad vltimum ita erat victus à cogitationibus ſuis, quod volebat omnia bona dimittere, & ad ſæculum redire. quem cum videret verè pœnitentem, Angelus præcipitauit eum ſubito, & mortuus eſt. Cum autem ad hoc factum terreretur eremita ſocius ſuus & fugeret, vocauit eum dicens: Noli timere; Oſtendit tibi Deus vnum de iudicijs ſuis. Conſequenter venerunt ad domum alterius eremitæ, qui cum recepiſſet eos cum magno gaudio, propinauit eis potum cum cypho argenteo quem habebat. quem occultè arripiens Angelus, in ſinu ſuo occultans, ſecum deportauit. Venientes autem in nocte in domum cuiuſdam prædonis militis, vix ſunt in ea recepti, & valde male tractati, & conuitijs affecti: tamen aliqua pauca ſunt eis data, & lecti parati, licèt viliter. In mane noluit Angelus recedere niſi prius loquatur cum hoſpite, & extrahens cyphum de ſinu ſuo dedit ei: quod videns eremita miratus eſt, & murmurauit in corde ſuo de hoc quod viderat. Alia nocte venerunt ad domum alterius militis, qui ſatis vix recepit eos, tamen mediocriter tractauit eos. In mane cum vellent recedere, rogatus ab Angelo, dixit cuidam filio ſuo vnigenito, quod eos conduceret, & eis viam monſtraret. Quod cùm puer faceret, ſubito eum Angelus arripuit, occidit, & in foſſatum proiecit. Quod cum vidiſſet eremita fugiebat eum, dicens eum non eſſe Angelum ſed diabolum. Ecce dicit Angelus oſtenſa ſunt tibi occulta Dei iudicia, quorum cauſam ſcire volebas. Salutem illius prioris eremitæ quem præcipitauimus procurauimus, qui de ſua tentatione compunctus, ad Dominum iuit; non habens aliam pœnam niſi mortem abiectam. Qui ſi ſuperuixiſſet, redeunte tentatione, malum quod conceperat adimpleuiſſet. Alius eremita homo contemplatiuus eſt & magnarũ orationum. diabolus autem procurat ſuis impedimentum orationibus. quidam enim diues cyphum argenteum quem ſuſtulimus ei dederat, vt pro eo oraret: cum autem orare vellet, veniebat ei cogitatio, quid de cypho illo facere poſſet, vel ne furaretur eum aliquis; ita quod cor ſuũ & orationes cyphus ille ei auferebat: ideo ſalutem eius procurauimus cyphum auferendo; redibit enim ad ſolitas orationes ſine impedimẽto illo. Alius autem ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quem post venimus, malus homo est, nec est dignus cælesti remuneratione, pro hoc quod fecit nobis; ideo temporalem ei dedimus mercedem. Alius homo fuit hospitalis & multarum eleemosynarum, & cum non haberet prolem, rogauit viros religiosos quod rogarent Dominum vt daret ei prolem, quod & fecerunt, & dedit ei filium, quem vidisti submergi à nobis, quo habito cæpit opera misericordiæ quæ facere consueuerat dimittere, & multa mala facere, vt multa bona filio acquireret. puero mortuo in innocentia salutem procurauimus, qui si superuixisset, multa mala fecisset. Similiter & patris pueri, qui eo mortuo ad consueta bona opera reuerteretur. *Ad hoc* etiam facit quod habetur supra de inferno in fine; de illa quæ vidit patrem qui bonam vitam duxerat, & sepulturam vilem, & finem sine honore præsenti habuerat, in summo gaudio: & matrem, quæ contrarium habuerat, in summa pœna.

3. *Ius iustitiæ.*

TERTIO dissuadet murmur ius iustitiæ. Triplici enim iure exigit iustitia, quod toti simus Dei, & vt de nobis faciat sicut & de re propria voluntatem suam, secundum rationem creationis, redemptionis, iustificationis. Bern. *Totum te debes* &c. Idem. *infidelem naturalis vrget ratio, totum se debere ei, à quo se totum habet* Isa. 45. *Væ qui contradixit factori suo: nunquid dicit lutum figulo, cur ita facis?* Et. 29. *Peruersa est ista vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo; non me fecisti.* Domini sumus ratione emptionis 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno.* Rom. 14. *Sive morimur, sive viuimus, Domini sumus?* Qui ergo pro nobis dedit vitam suam, & mortem sustinuit; iustè sibi vendicat vitam nostram: Et etiam ratione iustificationis, in qua dedit nobis spiritum sanctum.

4. *Multa commoda quæ eueniunt patientibus aduersa.*

QVARTO dissuadent murmur multa commoda quæ eueniunt eis qui patienter ferunt aduersa: acquirunt enim, peccatorum veniam, & gloriam, & euadunt pœnam æternam. Greg. *Sancti temporalem mortem lucrum putant, quia per hanc æternam euadere non formidant.* Eccl. 10. *Prudens disciplinatus non murmurabit correctus.* Hæc & multa bona facit patientia, de quibus infra in tractatu pœnitentiæ multa ponuntur exempla.

5. *Gratia Spiritus sancti.*

QVINTO dissuadet murmur & comprimit, gratia siue vnctio spiritussancti. Ioh. 2. *Vnctionem habet à secundo.* Signũ est quod deficit hæc vnctio, vbi est murmuratio Eccl. 31. *Quasi rota carri præcordia fatui, & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Rota malè vncta semper murmurat: & vulgariter dicitur. Rota carri deterior est quæruloſior. Canonica Iudæ. *Hi sunt murmuratores & querulosi, ambulantes secundum desideria sua: præmittit pœnam eorum, quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est.*

6. *Radix vnde procedit murmur quæ est quodlibet septẽ peccatorũ capitalium.*

SEXTO dissuadet hoc vitium multiplex pœna siue radix vnde procedit. Hoc vitium videtur generari à quolibet 7. capitalium vitiorum. *A superbia* vt Numeri 12. Murmur Aaron & Mariæ. Symonis Pharisæi. Luc. 6. *Hic si esset Propheta* &c. Similiter Luc. 5. de hoc quod Christus manducabat cum Matthæo, murmurabant Scribæ & Pharisæi. Similiter Luc. 11. & 15. & 19. de hoc Pharisæi murmurabant cõtra Deum, quia peccatores reciperet, & cum eis manducaret, & ad eos declinaret. *Ex inuidia* nascitur. Matth. 20. Murmurabant aduersus patremfamiliam. *Item* ex ira, Numeri. 16. *Murmurauit omnis multitudo* &c. & 20 *Item* ex acedia, Numeri 11. *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore*, &c. *Item* ex auaritia oritur, vt Iudæ dicentis, Ioh. 2. *Quare vnguentum hoc non venundatur 300. denarijs? Hoc dicebat non quia curaret de pauperibus, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Item* quandoque oritur à luxuria. Isa. 26. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis*, ideſt luxuriosis, quando eis prædicatur fornicationem esse mortale peccatum, vel cum prædicatur momentaneum esse quod delectat, æternum & sine fine quod cruciat

A Hier. *Momentanea est fornicationis delectatio, & æterna pœna fornicantis. Item* dum dicitur in Euangelio scriptum, quod solo consensu fornicationis, in æternum damnantur luxuriosi. Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* cum hoc audiunt murmurando inferunt, ergo omnes in perditionem ibunt. *Item* oritur ex gula, sicut sæpe murmur filiorum contra Deum & Moysen dicentium. *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium,* & hoc faciebant ferè quoties cibo vltimo potu egebant, vt habetur Exo. 16. Num. 11. & 20. Similes sunt clausträles multi, qui licet sint mortui, tamen comedunt illos, detrahendo, qui eis ministrant necessaria, quando aliqua eis deficiunt.

B 7. *Votum aut conditio religionis.*

SEPTIMO dissuadet hoc vitium vis vel obligatio voti, & conditio religionis, vbi qui se intromittit rapinam facit: nam alij curam sui dederat, & eo inuito cui dedit, reaccipit. Bern. *Vos qui curam nobis semel vestri commisistis, quid adhuc vos de vobis intromittitis.* Ideo Dominus arguit Petrum. Ioh. vlt. dicens. *Quid ad te, tu me sequere?* Item clausträlis murmurans se eripit, secum dispensans contra omne ius, de cruce obedientiæ ad libitum carnalis prudentiæ, quę est mors. Ber. *Suspecta est mihi fateor tua dispensatio, & vereor tibi illudi, sub tegmine & nomine discretionis, à prudentia carnis.* Item clausträlis murmurans, contempta disciplina Christi, vult esse discipulus, non Moysi, aut Iohannis, aut Pauli, non Benedicti, aut Bern. sed Galeni, contra eos qui nimis medicinas sequuntur & quærunt in religione, ait Bern. *Christus docet animas, ideſt animalitates in hoc mundo perdere, & in futuro saluare. Galenus & Hipocras hic saluare, & in æternum perdere: cuius consilio acquiescemus, aut cuius vis esse discipulus?* Idem. *Putare esse monachum non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Filii Israel non habuerunt in deserto aliud medicamentum, nisi aspectum serpentis ænei pro speculo sibi dati Numer. 21. Similiter Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat,* &c. Medicina Pauli Rom. 14. *Qui infirmus est olus manducet.* hos qui in religione medicinalia sequuntur, frequenter refugit diuina consolatio, & medicina, Bernard. *Derelicta est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam.*

C

D *Exemplum*

DICITVR quod quidam ordinem intrauit, qui nouerat carnalem medicinam; qui cum vellet Philosophice viuere, & abstinere à fabis & aliis grossis cibarijs dicens quod suæ non competeret complexioni: Cum viriliter laborarẽt in opere Domini, ipse sæpe lãguens in infirmaria recũbebat, multis medicinis corpus suum attenuans, & semper deterius habebat. Cũ autem semel venisset in conuentum, in refectorio comedens, vidit beatam virginem conuentum circuneuntem, cum puella speciosissima, in manu sua pixidẽ electuarij pretiosissimi tenente, & beatam virginẽ cũ cocleari in ore omnium cibaria communia comedẽtium, electuarium ponentem, ex quo erant eis omnia sapida & sana. Cũ autem ad eum veniret, & ipse os ei aperiret, ipsa retraxit manũ dicens; quia tu tuam medicinã sequeris, meam non habebis. Qui pœnitens & communibus vtens, recepit pariter & sanitatem, & cibariorum communiũ sapidã degustationẽ. *Item* Dandamus Rex Brachmannorum, Alexandro & suis hæc scripsit, eum arguens cum suis his verbis. Audio quod plurima comedentes digerere non potestis, & more peruerso naturã immutatis, vt ex ea parte ex qua escas capitis egeratis, capite non pedibus ambulãtes: ita naturã ciborũ nimietate distendis, vt arte medicorũ vos euacuare debeatis, & per hoc maximam turpitudinẽ, atq; ægritudinem vobis acquiritis; & sic vobis insani tali curatione ipsam naturam euertitis, finẽ habentes voracitatis immodicæ suppliciũ, non salutẽ. Dandamus Alexand. Medicinæ remediũ nobis persimonia est, quæ nõ solum illapsos potest curare languores sed

E

etiam procurare ne veniant. Si ſic de hoc arguit diuites & poteſtates ſæculares ac gentiles, quantum arguendi ſunt pauperes regulares.

Exemplum. ITEM contra murmurantes eſt exemplum ſupra poſitum *de verbo Dei*, de fratre qui vidit in eadem menſa quoſdam comedentes mel, alios panem, tertios ſtercus, & per reuelationem audiuit primos eſſe illos qui in menſa ſemper orant, alios qui gratias agunt, tertios qui murmurant de cibis dicentes; hoc malum eſt, vel malè paratum, vel nihil valet; hi Dei iudicio ſtercus comedunt.

ITEM dicitur quod cum quidam quæreret à beato Bern. quomodo eſſet bonus monachus. Reſpondit, ſi eſſet de ordine aſinorum. non quod aſinos equitaret, vt faciunt illi qui de illo ordine ſe dicunt, ſed ad modum aſini ſe haberet, vt non murmuraret de potu, vel cibo, vel onere ſibi impoſito. Ideo dicitur in Pſalm. *Vt iumentum factus ſum apud te*: quod non murmurat contra ſeſſorem, ſed regitur ad iniunctum opus. Clauſtrales murmurantes, ſimiles ſunt aſinæ Balaam ſub calcaribus murmuranti. Num. 22. Sed multi aſſueti monſtris, de murmure talium vt Balaam non mirantur. Clauſtrales quaſi mortui in Chriſto, non debent murmurare de cibo vel veſtitu, ſicut nec mortuus de ſudario.

8. Exemplum Chriſti & Sanctorum. OCTAVO diſſuadet hoc vitium exemplum Chriſti & ſanctorum. Iſa. 53. *Quaſi ouis ad occiſionem ducetur*, ſcilicet Chriſtus, *& quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet, & non aperiet os ſuum*. Aug. *Omnia aduerſa ſuſtinuit homo Deus, vt ſuſtinenda doceret*. *Item* exemplum Iob. 1. *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, nec ſtultum quid contra Deum locutus eſt*. De Aaron. Sap. 18. dicitur. *Properans homo ſine querela*. Et poſt. *Reſtitit iræ*. De Zacharia & Elizabeth legitur. *Erant iuſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis Domini ſine querela*. De beata virgine ſcribit beatus Ignatius. Mariam noti referunt eſſe omnium gratiarum abundantem, & virtutibus fæcundam, in perſecutionibus & afflictionibus hilaris, in penurijs indigentijſque non querula, iniuriantibus grata, & moleſtata lætatur &c.

ITEM exempla beatorum Martyrum, de quibus in Pſalm. 43. dicitur. *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis*. De quibus ait Eccleſia, *fuerunt ſine querela*. Et iterum. *Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, nec quærimonia* &c.

9. Pœna qua puniuntur murmuratores. NONO diſſuadet hoc vitium pœna, qua murmuratores puniuntur à Deo. *Quandoque* enim puniuntur pœna temporali: ſicut Maria ſoror Moyſi, propter peccatum murmuris percuſſa eſt lepra. Num. 12. Item cum populus murmuraſſet pro aquæ penuria. Exod. 17. dicit Moyſes. *Quid iurgamini contra me, quare tentatis Dominum?* Ideo ſtatim affuit Amalech pugnans cõtra eos. Item Exo. 16. *Non contra nos murmur veſtrum, ſed contra Dominum*. Secundo quandoque punit eos de morte corporali. Cum enim murmuraſſet populus contra Deum, immiſit in eos ſerpentes ignitos, quorum morſibus moriebantur. Num. 21. Item Iudith. 7. *Qui improperium murmurationis ſuæ portauerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt*. Ideo dicit Apoſtolus 2. Cor. 10. *Neque murmuraueritis ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt*. Item. Num. 11. *Factus eſt murmur populi* &c. Sequitur. *Accenſus eſt ignis Domini in eos, & deuorauit extremam caſtrorum partem*. Tertio à regno cœlorum excludit. Greg. *Nullus murmurans regnum cælorum intrabit*. Num. 13. *Qui murmuraſtis contra me, non intrabitis in terram, ſuper quam leuaui manum meam vt darem eam vobis*. Sicut autẽ tunc excludit murmur filios Iſrael in terra promiſſionis, ſic & nouos Iſraëlitas à terræ promiſſæ beatitudine. Ad hoc facit quod habetur Numeri 20. *Conuenerunt aduerſus Moyſen*. Quarto in profundum inferni detrudit, ſicut figuratum eſt Numeri 16. Locutus eſt Moyſes ad Chore, & ad omnem multitudinem, &c. Poſt. *Quid eſt Aaron vt murmuretis contra eum?* Et poſt ibidem: *Diſrupa eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit eos cum tabernaculis eorum, & vniuerſa ſubſtantia, deſcenderuntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis*. Et poſt. *Ignis egreſſus à Domino interfecit 250. viros, qui offerre debebant ſacrificium*.

De taciturnitate.

DEINDE conſiderandum eſt de taciturnitate. Sciendum eſt igitur, quod ſicut vitioſa eſt nimia loquacitas ita vitioſa eſt quandoque nimia taciturnitas. *Eſt enim tempus tacendi, & tempus loquendi*. Eccl. 3. Iſido. *Seruanda eſt lingua, non indiſſolubiliter alliganda*. eſt enim vitioſum in electionibus & promotionibus ad officia dignitatis, officij, vel honoris; ſi tacendo permittas indignum vel minus idoneum promoueri, vel dignum permittas amittere dignitatem, beneficium, vel honorem. *Item* in conſilijs, ſi alijs ex ignorantia, vel malitia malè conſulentibus reticeas veritatem. *Item* in iudicijs ſi videas aliquem nequiter accuſare, vel iniuſtè condemnari, tacendo peccas. *Item* in colloquijs ſi alijs detrahentibus alicui non arguis detrahentes, vel non excuſas aut commendas perſonam cui detrahitur, tacendo peccas. *Item* ſi quando ſperas prodeſſe verbum ædificationis, inſtructionis, exhortationis, vel correptionis, retines verbum ſalutis, tacendo delinquens. Vnde Iſa. 6. Væ mihi quia tacui. Et ideo dicitur. Eccl. 3. *Ne retineas verbum tempore ſalutis*. Ad hoc ſpiritualiter tenentur Prælati, & omnes habentes curam & regimen animarum. Hoc bene figuratum eſt Exo. 28. Vbi præcipitur vt in extremis partibus veſtium ſacerdotalium fierẽt tintinnabula aurea cũ malagranatis, vt audiretur ſonitus, quando ſacerdos ingrederetur & egrederetur ſanctuarium, & nõ moreretur. Quod exponens Gre. ait. *Sacerdos ingrediens moritur, ſi de eo ſonitus non auditur; quia cõtra ſe irã interni iudicis prouocat, ſi de eo ſonitus prædicationis non procedit*. Item Ezech. 23. Si ſpeculator viderit gladium venientem & non inſonuerit buccina, & populus non cuſtodierit ſe, veneritque gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt; ſanguinem autem eius de manu ſpiculatoris requiram. De taciturnitate laudabili, require infra *Silentium*.

13 Eſt taciturnitas quæ nonnunquã eſt vitioſa.

De indiſcretione.

DISTINCTIO VIII.

DEINDE cõſiderandum eſt de indiſcretione. Notandum autẽ quod aliquando indiſcretio accidiam generat, aliquando autem nimia feſtinantia, vel nimius feruor hanc parit. Ideo de nimia feſtinantia vel feruore, quæ facit hoc vitium, dicemus. Et poſt, quomodo ex accidia multipliciter prouenit indiſcretio. Si quidem omne quod eſt nimium, vertitur in vitium. Philoſophus, *Arbitror primo eſſe vitile in vita, ne quid nimis*. Feſtinantiam nimiam inhibent ſcripturæ: Similiter rerum naturæ, & creaturæ, & exempla diuerſa. Scripturæ Prouerb. 19. *Qui feſtinus eſt pedibus, offendit; cito inuenit offendicula per quæ cadit*. Prou. 13. *Subſtantia feſtinata minuetur*. Prouerb. 20. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*. *Item* natura rerum. *Arbores enim, qui nimis ſe fructibus onerant*, cum adhuc ſint tenellæ virgulæ, conſueuerunt fieri ſteriles: & quæ nimis cito florent, cito læduntur, & fiunt ſteriles, Iſa. 18. *Ante meſſem effloruit totus, immatura perfectio germinabit*. Poeta cuidam nimis properanti ait: *Tu nimis properas, & adhuc tua meſsis in herba eſt*. Philoſophus. *Natura non patitur repentinas immutationes*. *Item* exempla etiam naturalia: feſtinantes ſunt nimis cito deſiſtentes. ſimiles ſunt Leopardis, de quibus dicitur in hiſtoria tranſmarina, quod venantur beſtias; ſed ſaltus magnos poſt

14 Eſt indiſcretio quæ oritur ex feſtinantia, quã tria inhibẽt,

1. Scriptura.

2. Natura rerum.

3. Exempla naturalia. Simile.

cas

eas faciendo, si in tertio saltu prædam non ceperint, eam postea dimittunt & desistunt; sic multi dum nimium festinant, si statim non accipiunt, desistunt. Contra quos Bern. *Nemo repente fit summus: ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ*; scilicet status perfectionis. Auiculæ dum sunt nimis teneræ, antequam pennarum soliditatem habuerint, cum volare attentant, cito obstupescunt & euanescunt, cadunt & atteruntur. Vt Petrus qui dicebat: *Si oportuerit me mori tecum non te negabo*: Matth. decimoseptimo. vbi dicit gloss. *Auis volare nititur sine pennis.*

ITEM in vitispa. dixit quidam. Si videris iuuenem ad cælum volantem, retrahe eum per pedem. *Ad hoc* facit quod supra dictum est de tentatione, quomodo Antonius vidit dæmonem impedientem volare ad cælum. Similiter de nouitio habetur ibidem.

Simile. ITEM nimis festinãtes fructificari, similes sunt leænis, de quibus in historia trãsmarina dicitur, quod prima vice tot fœtus pariunt, quod post hoc steriles fiunt, impotentes ad vltimum ferre fœtus: primo pariunt simul 5. fœtus, post 4. post 3. post 2. post 1. post nullum, quia omnino steriles fiunt.

Exemplum. ITEM similes sunt cuidam rustico, de quo dicit magister Iacobus, quod cum haberet gallinam quæ quotidie faceret ei vnum ouum, multa lucrabatur oua, congregando & vendendo. cogitans autem & volens totum lucrum habere insimul, cum exirent oua de ea, cogitauit quod oua multa possent inueniri intra eam, quibus posset ditari. & tunc scidit eam, & non inueniens oua, perdidit totum, vt dicitur vulgariter, & oua, & gallinam. Sic qui indiscrete nimis festinant, vt totum simul faciant, & cumulum perfectionis acquirant, aliquando & se & fructum quem debent facere amittunt.

Exemplum. ITEM ad hoc facit quod idem refert, quod cum beatus Martinus veniret Parisios pedes, etiam moderato gressu, quidam quadrigarius obuiauit ei, viam rectiorem quærens, cursu concito currens, & properans. Cui sanctus dixit. via qua pergo longior est, quam semita quam præ oculis habes, sed mecum pergens ad vrbem citius peruenies. qui eum irridens, & per semitam vadens, dum nimis festinaret, quadriga eius fracta est, & ipse læsus à casu.

Exemplum. ITEM Arabs philosophus dixit filio suo, Sequere calles quamuis appareant semitis longiores, quia cum multi iremus ad vrbem, venimus ad biuium, & senem interrogauimus qui ait: Strata est longior semita, sed per eam citius & securius ad vrbem peruenietis. Quidam autem senem irridentes, semitam tenuerunt, & inuenientes fluuium ciuitati intermedium, transire nitentes, alij in eo submersi perierunt, & se & sua perdiderunt, alij equis & rebus amissis vix euaserunt. Nos autem senis consilio acquiescentes, inuenimus in strata pontem, & post iuxta littus, eos qui euaserunt, sua & suos piscantes & lugentes. quibus diximus: Si sano consilio acquieuissetis, iam sine periculo vrbem nobiscum intraretis.

Exemplum. ITEM cum hostes armati insidiarentur quibusdam transeuntibus per viam vt eos caperent, quendam transeuntem iurare compulerunt, vt si eos quos expectabant inueniret, ne sibi paratas insidias reuelaret. Cum autem obuios eos haberet, & quæreret ab eis quo irent; ait eis, per illud deuium, quàm per stratam qua itis, citius quo itis peruenietis, hoc dixit vt eos ab hostibus saluaret, & iuramentum seruaret. Illi autem religionem attendentes dicentis, ei crediderunt, & euaserunt, & post insidias sibi in via positas nouerunt. Similiter periclitantur qui in via pœnitentiæ indiscretè ambulant, nec consilio senum obtemperant, nec nimiam festinantiam moderantur, ne sic cito pereant. *Indiscretus* feruor generat frequenter acediam. Cant. 1. *Adolescentulæ* idest nouæ animæ vt nouitij, *dilexerunt te nimis*; quod fit quando tantum indiscrete se onerant, quod postea fiunt sibi & alijs onerosi. Volunt subito ad cælum volare, & cito ad infernum descendunt. Psalmus 106. *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos*, &c. Adeo se supra se in religione onerant, quod postea à religione se exonerant & apostatant. contra quos 1. Petr. 4. *Charissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad contentionem nobis fit.* Bern. *Si quid sine voluntate vel consensu patris spiritualis fit, imputabitur vanæ laudi, non mercedi; tales enim sunt vnitatis diuisores, pacis inimici, & casus vnius multos exterret.*

De grauedine.

DISTINCTIO IX.

DEINDE considerandum est de grauedine, quæ est quando homo sibipsi grauis est, iuxta illud Iob. 7. *Factus sum mihimetipsi grauis.* quam grauedinem plangit in se Apostolus in persona humani generis dicens. Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod malum odi illud facio.* Et infra. *Scio enim quod non habitat in me*, hoc est in carne mea, *bonum*, Et infra. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Vnde tandem cogitur exclamare. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Est etiam hæc grauedo quando quicquid ad seruitium Dei, vel ad salutem propriam pertinet, reputat onerosum & graue, cum tamen dicat saluator. Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos* &c. sequitur. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Et primo. Ioh. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Ideo. Psalmus 93. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Item ostenditur hæc grauedo, quando quis grauem se reddit & difficilem ad bonum inchoandum & consummandum. Iob. 7. *factus sum mihimetipsi grauis:* vt quando per hoc homo efficitur turbulentus & grauis ad parcendum. Prouerb. 17. *Graue saxum & onerosa arena: ira stulti vtraque grauior.* Exod. 17. *Manus Moysi erant graues, sed has sustentabant Aaron*, montanus, idest spes præmij, *& Hur*, incendium amoris. Quia vt dicit Greg. *Omnia sæua & grauia, facilia & prope nulla facit amor.*

15 *Est grauedo in ordine ad bonum.*

De somnolentia.

DEINDE considerandum est de somnolentia quam generat pigredo. Sicut dicitur. Prouer. 19. *Pigredo immittit soporem.* Circa somnolentiam considerandæ sunt duo. Primo quæ, & quot mala facit. Secundo qualiter excitetur homo à somnolentia. Circa primum sciendum quod somnolentia vitanda est multiplici ratione. Primo quidem, quia generat egestatem. Secundo cæcitatem. Tertio quia tollit facultatem operandi. Quarto quia aufert potestatem se tuendi.

16 *Est somnolentia quæ multiplici ratione est vitanda.*

PRIMO itaque vitanda est somnolentia quia generat egestatem, videmus enim communiter quod homines somnolenti & pigri ad operandum bonum, sunt pauperes temporaliter; vel si multa possident, fiunt nihilominus indigentes. Ideo dicitur. Prouerb. 20. *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat.* Et. 24. *Vsque quo piger dormis* &c. Sequitur. *Paululum dormies vt requiescas, & veniet tibi quasi viator egestas* &c. Psalmus 75. *Dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.* Ideo monet Apost. 2. Thes. 4. *Non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrij simus.* Exemplum de duobus vicinis, quorũ vnus multas possessiones habens, pauper erat & indigens: alius vero pauca possidens, sed vigil & diligens circa negotia sua, agros & vineas diligenter excolens suamque familiam

1. *Quia generat egestatẽ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

familiam visitans, semper in omnibus abundabat; magnum hospitium tenens, multosque curialiter & gaudenter recipiens, multa iugiter expendebat. Primo igitur inquirenti causam horum, ideſt quare ipse semper egeret, alius vero pauca possidens abundaret; responsum est, quod hoc erat propter eius somnolentiam, & illius vigilantiam.

2. *Quia generat cæcitatẽ.*

SECVNDO somnolentia generat cæcitatem. Tobias dormiendo visum perdidit; & homo peccando Dei & sui cognitionem amittit. Ionas sopore depressus, qualitatem temporis, & quantitatem periculi non aduertit. Sic dormiens in peccato tempus suum amittit, & in quantis sit periculis non attendit, quę si cognoscens aduerteret, nullo modo in peccatis & periculis dormitaret, sed pro sua liberatione Deum potius exoraret. Item Petrus dormiens inter milites, vinctus catenis in carcere, imminentis sibi periculum mortis de proximo non aduertit. Loth dormiens non sensit quando cum filiabus suis concubuit. Gen. 19. Noe dormiens non sensit se inuerecundè nudatum. Gene. 9. Sic dormiens in peccato non vidit ignominiam status sui.

3. *Tollit facultatẽ operãdi.*

TERTIO somnolentia tollit facultatem operandi. Vnde meretrix dormiendo filium suum oppressit 3. Reg. 2. Ita dormiens in peccato bonum opus quod fecerat ante peccatum opprimit Isboseth dormiens regnum & vitam perdidit 2. Reg. 4. Ideo dicitur Prouerb. 24. *Vsque quo piger dormis?* &c. Dormiens nec manum nec pedẽ mouere potest: nihil operatur, & ideo nihil lucratur. Sic dormiens in peccatis nihil meritorium operatur.

4. *Tollit potestatem se tuendi.*

QVARTO somnolentia tollit potestatem se tuendi. Sysaræ dormientis caput cum clauo terræ infigitur. Iud. 5. Samson dormiens, crine simul & fortitudine spoliatur. Iudith. 15. Holofernes dormiendo capite truncatur. Iudith. 13. Saul dormiens amisit cyphum consolationis, & hastam defensionis. 1. Reg. 24.

Per timorem homo retrahitur à somnolẽtia corporali & spirituali.

CIRCA secundum, scilicet *per quæ & quomodo quis excitatur à somno*. Sciendum quod sicut aliquis corporaliter excitatur à somno timore sollicitante, amore stimulante, dolore purgante, tumultuatione clamoris, & illustratione splendoris; sic homo spiritualiter excitatur à somnolentia sollicitatione timoris. Multa vero sunt propter quæ merito timere debemus, quia sumus in loco periculoso multis periculis expositi, ideſt in mundo, qui est quasi mare tempestuosum, carcer & lacus leonum, & huiusmodi. de quibus require supra. Sed multi sunt sicut Ionas dormiens in tempestate, qui alijs vigilantibus & orantibus sopore grauissimo deprimuntur. Et sicut Petrus dormiens in carcere inter milites & catenas. Act. 12.

Simile.

ITEM sumus vndique circundati hostibus nos hostiliter obsidentibus. Psalmus. 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt* &c. Luc. 19. *Circundabunt te inimici tui vallo* &c. Homines qui sunt vndique obsessi non sunt libenter somnolenti, sed prout possunt somnum à se excutiunt, ne hostes irruant in dormientes. hæc autem perfectè obsessa est ciuitas cordis nostri, à diuersis dæmonibus tentantibus, & malis hominibus & rebus concupiscibilibus, quod significatur Eccles. 9. *Ciuitas parua* &c. *venit contra eam Rex magnus, & vallauit contra eam, & extruxit munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio*. Hanc obsidionem præcepit dominus Ezech. 4. describendam super laterem, quomodo scilicet diuersæ tentationes obsident Hierusalem internam. Quomodo autem hostes obsident portas sensuum, habetur Hier. 3. *Congregabo omnes congregationes regnorum Aquilonis, & ponent vnusquisque solium in introitu portarum* &c. Ad hanc obsidionem pertinet, quod habetur supra de tentatione. De multitudine dæmonum obsidentium bonos. Similiter ibidem de diuersis tentationibus dęmonũ &c.

Debemus etiam timere propter incertitudinem mortis, quia nescimus quando vel quomodo moriemur. Mar. 13. *Vigilate, nescitis enim quãdo tempus sit*: quando scilicet habebimus de commissis reddere rationem. De quibus autem sit exigenda & reddenda ratio require supra *de iudicio*.

2. *Retrahitur quis à somnolentia per amorem.*

SECVNDO excitatur quis à somno stimulatione feruentis amoris. Isa. 21. *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ: anima mea desideraui te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te*. Iacob pro Rachel seruiens ex amore dicebat, Gene. 30. *Fugiebat somnus ab oculis meis*. ex amore debemus esse vigiles in oratione. 1. Pet. 4. *Vigilate in orationibus*. Eccl. 39. *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo* &c. Isa. 26. *expergiscimini & laudate, vos qui estis in puluere*. Iob. 38. *Vbi eras cum me laudarent astra matutina* &c. Astra matutina sunt viri alti meditatione, clari cognitione, mundi corde & corpore, qui surgunt ad matutinas ad laudandum Deum.

3. *Per dolorem.*

TERTIO excitatur aliquis à somnolentia afflictione doloris. Sicut quandoque cum virgis pueri excitantur, & infirmi sic excitantur acerbitate doloris, quod dormire non possunt. Sic malefactores qui diuersis cruciatibus affliguntur. 2. Mach. 6. dicit Antiochus: *recessit somnus ab oculis* &. *In quantam tristitiam deueni* &c. De auaro dicitur Eccl. 8. *Est homo qui in diebus & noctibus somnum non capit oculis. Similiter* à somnolentia excitat dolor compunctionis. Psalmus 6 *Laboraui in gemitu meo*, &c. Idem 78. *Renuit consolari anima*, &c. *Anticipauerunt vigilias oculi mei*. &c.

4. *Tumultuatione clamoris.*

QVARTO excitatur aliquis à somno tumultuatione clamoris. Vnde serui Holofernis tumultum arte moliebantur, vt excitarent eum, quem dormire putabant, qui tamen mortuus erat. Matth. 25. *Dormitauerunt omnes & dormierunt, media autem nocte clamor factus est; Ecce sponsus* &c. Matth. 26. *Quid dormitis? vigilate & orate, ne intretis in tentationem*. Nota quomodo Apostoli grauati somno imminente periculo dormiebant, nec ad clamorem Christi pluries excitantis expergefieri poterant. Iudas vero cum suis vigilabat, vt suam impleret pessimam voluntatem. Vnde Apostoli sic oppressi somnolentia defecerunt in tentatione, & Christum relinquentes fugerunt. Item aliqui sunt similes Euthitio, qui ad clamorem prædicationis Pauli non fuit excitatus, sed dormiens cecidit de tertio cænaculo. Vnde & fructum prædicationis amisit, & vitam.

5. *Illustratione splendoris.*

QVINTO excitatur aliquis à somnolentia illustratione splendoris. Rom. 13. *Hora est iam nos de somno surgere*. Sequitur *Nox præcessit dies autem approprinquauit*. Act. 12. *Erat Petrus dormiens*, &c. Sequitur. *Et ecce Angelus domini astitit & lumen refulsit*: Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*, & illuminabit te Christus.

De negligentia.

DISTINCTIO X.

17 *Est negligentia.*

DEINDE considerandum est de negligentia. Circa quam quatuor consideranda ocurrunt. Primo vtrum negligentia sit peccatum spirituale. Secundo vtrum sit peccatum mortale. Tertio quæ & quanta mala facit in homine. Quarto quibus modis excitatur & expellitur.

Negligentia est speciale peccatũ, non ratione materiæ specialis, sed ratione specialis actus.

CIRCA primum sciendum est quod negligentia importat defectum debitæ solicitudinis, circa actum proprium exhibendæ. Omnis autem defectus debiti actus est peccatum. Vnde manifestum est quod negligentia importat, & habet rationem peccati, & eo modo quo sollicitudo est specialis virtutis actus, necesse est quod negligentia sit speciale peccatum. Est autem notandum quod quædam

sunt

sunt peccata specialia, quia sunt circa aliquam materiam, sicut luxuria est circa venerea: quædam vero sunt specialia propter specialitatem actus, ad omnem se materiam extendentis, & huiusmodi sunt omnia vitia quæ sunt circa actus rationis: Nam quilibet actus rationis extendit se ad omnem materiam moralem, & ideo cum solicitudo sit quidam actus rationis, consequens est quod negligentia, quæ importat defectum debitæ solicitudinis, sit speciale peccatum.

Solutio obiect. Et sicut præcipitatio est speciale peccatum, propter specialem actum rationis qui prætermittitur, scilicet consilium, quamuis inueniri possit in quolibet genere peccatorum: ita negligentia est spirituale peccatum, propter defectum specialis actus rationis qui est solicitudo, quamuis inueniatur aliqualiter in omnibus peccatis.

Negligentia opponitur solicitudini quæ ad prudentiam pertinet. Opponitur autem negligentia solicitudini, solicitudo autem ad rationem pertinet, rectitudo vero solicitudinis ad prudentiam. Vnde per oppositum, negligentia ad imprudentiam pertinet. Et hoc etiam apparet de ipso nomine. Sicut enim dicit Isido. libr. Ety. *Negligens dicitur quasi nec eligens.* Electio autem recta eorum quæ sunt ad finem ad prudentiam pertinet. *Differunt* autem negligentia, torpor, pigritia, & omissio: quia negligentia dicit defectum interioris actus, ad quem pertinet etiam electio: pigritia autem & torpor magis pertinent ad executionem, ita tamen quod pigritia importat tarditatem ad exequendum, torpor autem quandam remissionem in ipsa executione: omissio autem ad exteriorem actum pertinet. Est enim omissio quando permittitur aliquis actus debitus, & est effectus negligentiæ.

Discrimẽ inter negligentiam, torporem pigritiam & omissionem.

Circa secundum, scilicet *vtrum negligentia sit peccatum mortale.* sciendum, quod negligentia provenit ex quadam remissione voluntatis, per quam fit quod ratio non præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet. Potest ergo dupliciter contingere quod negligentia sit peccatum mortale. *Vno modo* ex parte eius quod per negligentiam prætermittitur, quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circunstantia, erit peccatum mortale. *Alio modo* ex parte causæ, quia si voluntas circa ea quæ Dei sunt adeo sit remissa vt à charitate Dei totaliter deficiat, talis negligentia est peccatum. Si vero negligentia consistat in prætermissione alicuius actus vel circunstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, quæ interdum impeditur per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia est peccatum veniale.

Negligentia dupliciter sit peccatum mortale.

Circa tertium, scilicet *quanta mala facit peccatum negligentiæ.* Sciendum, quod homines negligentes lapsum culpæ non fugiunt, opus legis non faciunt, cultum Dei fastidiunt, terrenis se irretiunt, curam gregis abijciunt. *Primo* quidem lapsum culpæ non fugiunt, quia in via Dei non proficiunt, sed magis incessanter deficiunt. quia secundum Bernar. *In via Dei non proficere, deficere est, & non progredi, regredi.* Isti dum leuiora peccata paruipendunt, plerunque decidunt in maiora. Iuxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidit.* Aug. *Vitasti grandia, caue ne obruaris arena.* Idem. *Noli contemnere minora peccata quia parua, sed time quia multa.* Interdum minutæ bestiolæ, quia multæ sunt, opprimunt & affligunt hominem magnum; vt si quis proiiciatur in lectum plenum pulicibus, aut formicis.

Negligentia multa mala facit.

1. *Vt quis culpã non fugiat.*

2. *Vt quis opus pænale non faciat.*

Secundo negligentes opus pænale non faciunt; quia quicquid est laboriosum corpori vel pænale, refugiunt, & si quid operentur, lente faciunt & remisse, sed & tepide prosequuntur. Vnde qui in vineam domini venerunt hora prima, & ex tunc laborare cæperunt, non nisi diurnum denarium receperunt, sicut & illi qui vndecima hora venerunt. Matth. 20. quia videlicet qui tardius incipiunt, sed feruentius operantur, modico tempore plus merentur quam illi, qui citius inchoantes, lentius vel remissius operantur. Vnde maius est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, & feruentius operante, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia, quia videlicet remissius operantur. Immo tanta potest esse remissio negligentiæ, quod non solum meritum non acquirunt, sed etiam diuinam indignationem prouocant, & maledictionem incurrunt. Hiere. 48. *Maledictus qui facit opus domini fraudulenter*, alia litera habet, *negligenter*. Isti quia tepidi sunt, nauseam prouocant, & ex ore domini tanquam abominabiles euomuntur. Apoc. 3. *Vtinam calidus esses aut frigidus, sed quia nec calidus nec frigidus es, sed tepidus, incipiam te euomere de ore meo.*

3. *Vt quis cultũ Dei fastidiat.*

Tertio negligentes cultum Dei fastidiunt, & diuinum officium indeuotissime reddunt, vel audiunt. Considerare deberent omnes catholici, præcipuè ministri ecclesiæ, quanta sit dignitas huius officij, in quo Deus ipse principaliter honoratur, in quo verba sua sancta, laudes, & facta mirabilia, nobisque collata beneficia, recitantur; eiusque sacramenta, preces, oblationes, & sacrificia celebrantur. psalmus 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Psalmus 70. *Replcatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam* &c. Horum defectus non negligit diabolus colligere in accusationem negligentium.

Exemplum. Vnde magister Iacobus dicebat, quod quidam sanctus vidit diabolum portantem saccum plenum: adiuratus quid portaret, respondit se portare plenum saccum illum, quem collegerat in quadam ecclesia quam nominauit, de minutiis versuum, & syllabarum, & dictionum, & psalmorum, quæ omiserant & dimiserant clerici in psalmodia & laude Dei, versus syllabicando, & detruncando; quæ seruaret ad eorum accusationem. Multi irreuerenter & indeuotè, idest sine cordis attentatione, sincopando, interrumpendo, detruncando, dicendo diuinum officium, male reddunt. Vnde 2. Paral. 24. *Leuitæ egere negligentius*, scilicet diuinum officium exoluendo, ecclesias, altaria, calices, corporalia, vestimenta, & omnia alia ad diuinum officium pertinentia immundè tenendo, ac sine reuerentia & deuotione tractando. Vnde 2. Mach. 4. *Erat autem hoc incrementum & profectus gentilis & alienigenæ conuersationis, ita vt sacerdotes non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificijs neglectis, festinarent participes fieri palestræ* &c. Talibus dicitur Amos 6. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* 34. *Congregati sunt milui, alter ad alterum clamabit inarticulariter & inintelligibiliter.* Item ibidem. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

Exemplum. Gavfridvs de Bleuex dicebat, quod in diœcesi Senonen. quidam sacerdos cum seruaretur quasi recenter mortuus, subito fuit à morte reuocatus, & inter alia malorum supplicia quæ dixit se vidisse, vidit maximam multitudinem ferentium sarcinas magnas & grauissimas ad ferendum, nimis sub onere laborantium & sudantium. de quibus quæsiuit ab Angelo ductore, qui essent, & cur sic affligerentur. Qui respondit: Isti sunt ministri ecclesiç, in eius officio quondam negligentes, qui portant in illis sarcinis versus, psalmos, & syllabas quas sincopauerunt, & detruncauerunt; & sub eorum oneribus grauissime puniuntur, opprimuntur, & affliguntur. Contra negligentiam officij ecclesiæ & ad diligentiam eius facit quod dicitur infra de oratione.

4. *Vt quis mũdanis se irretiat.*

Qvarto mundanis se rebus irretiunt; quia enim spiritualia eis non sapiunt, ideo ad mundialia lucra recurrunt: quanto autem se terrenis amplius implicant, tanto minus sunt habiles ad diuina. Ecclesiast. 26. *Difficile exuitur negotians à negli-*

gentia, sui scilicet, & salutis propriæ & subditorum. Ideo dicit Apostolus 1. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotijs, vt ei placeat cui se probauit.*

5. *Vt quis curam gregis abijciat: quod multipliciter reprehenditur in scriptura. Simile.*

QVINTO pondus curæ refugiunt, & curam gregis abijciunt; ex quo enim salutem propriam negligunt, scilicet Dei cultum, honorem, & gloriam paruipendunt; non est mirum si curam & regimen negligant proximorum. quorum negligentia multipliciter reprehenditur in scriptura, & diligentia commendatur. *Primo* quidem si consideretur pretiositas animarum, pretioso Christi sanguine redemptarum. Act. 10. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Deus regere ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo.* Ber. *Væ mihi si negligenter seruauero talentum mihi traditum, pretioso sanguine agni immaculati appretiatum. Si enim stillas dominici sanguinis pretiosi in aliquo vase haberem, proculdubio diligens custos existerem. Item* si consideretur seueritas diuini iudicij, quo transibunt greges ad manum numerãtis. Hiere. 33. quando dicet princeps pastorum, illud Hiere. *Vbi est grex qui datus est tibi.* Tunc enim exiget de singulis rationem, sicut dicitur Ezech. 34. *Ecce ego super pastores requiram gregem meum.* Et infra. *Ecce ego ipse requiram oues meas* &c.

Exemplum. ITEM si consideretur diligentia brutorum animalium, vt canum, qui cum tanta diligentia custodiunt ouile, aut gregem, aut domum domini sui. Similiter exemplum Gruum. Illa enim quæ regit alias, ordine litterato ducit eas, si quæ exit ab ordine, contra eam clamat; alijs dormientibus ipsa vigilat, vno pede eleuato, in quo lapidem tenet, vt si dormire inceperit, cadente lapide excitetur, & torporem excutiat à se. *Item* exempla materialium pastorum, qui cum tanta diligentia & pro tam modico lucro custodiunt oues suas. Luc. 2. *Pastores in regione Bethleem custodiebant vigilias noctis, super gregem suum.* Gen. 31. Diligens erat Iacob dicens ad Laban; *Captum à bestia non ostendebat tibi* &c. Et post *die ac nocte, æstu & gelu vrebar, & fugiebat somnus ab oculis meus* &c. *Exemplo* bonorum Angelorum, qui tam solicitè custodiunt vnum pauperem quemcunque, bonum, pusillum, modicum, aut leprosum, die ac nocte. *Exemplo* bonorum præpositorum qui antecesserunt, de quibus. Hebr. 13. *Ipsi pernigilabant quasi reddituri rationem pro nobis.* Sicut faciebat ille de quo sequitur.

Exemplum CVM Ioannes quondam Archiepiscopus Lugd. nauigans per mare, applicuisset in quandam insulam, vrgente tempestate, cum solo cantore ecclesiæ suæ, alijs socijs suis amissis; venit ad quendam villulam, vbi homines non intelligebat; & videns quendam hominem senem sedentem in quadam domuncula subterranea, scribentem in tabula & legentem, gauisus est: quærens lingua latina quis esset. Respondit quod erat episcopus illius ciuitatis. & cum quæreret quid legeret, & quæ esset ciuitas. Respondit quod respiciebat nomina, numerum, & acta parrochianorum suorum, pro quibus tenebatur reddere rationem: Iuxta quod scriptum est in Prouerb. 12. *Nouit iustus numerum iumentorum suorum, viscera impiorum crudelia.* Cumque quæsiuisset Archiepiscopus si sciret numerum, respondit quod sic, & dixit numerum valde modicum. Et cum prædictus Archiepiscopus stuperet: quæsiuit alter quis & vnde esset, & quare miraretur. Quod cum dixisset ei: quæsiuit quot animas habebat in cura sua. Cui cum dixisset quod innumerabiles, quarum nec nomina nec facta sciebat: respondit ille. Per Deum & innumerabilia patieris tormenta. *Item* exempla speculatorum, qui cum tanta sollicitudine vigilant in excubiis castrorum obsessorum.

Simile. ITEM prælati negligentes sunt sicut formidines, siue expauentalia auium & ferarum, quæ ponuntur in hortis aut vineis ad terrendum eas, quæ cum primo vident, credunt esse hominem armatum, & sagittarium timent. Sed cum nõ percipiunt in eis motum, paulatim securæ accedunt, & aduertentes figmentum, totum dissipant; & supra insidentes, stercoribus suis inquinant illud. Cant. 1. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* De quibus Baru. in fine. *Sunt hi*, idest negligentes prælati, *sicut formido in cucumerario, quæ nihil custodit, & sicut in horto alba spina, super quam omnis auis sedet. Similiter & mortuo proiecto in tenebris.* Sunt sicut ficulnea succidenda, quæ non facit nisi terram occupare, & sterilem reddere. Hi non solum loca bonorum occupant, immo inertias suas quasi rationibus excusant. Contra quos magister Iacobus ponit tale fabulosum exemplum.

Fabula. FABVLOSE dicitur, quod alaudæ conuenerunt insimul, conquerentes adinuicem de damno quod sæpe faciebat Nisus vel Alietus in grege earum, rapiendo, & vorando, & deplumando eas; & conuenerunt vt facerent sibi regem qui eas defenderet. Cum autem de multis auibus tractassent, tandem conuenerunt in Bubonem, quem dicebant magnam auem, & fortem, & terribilem, quem sibi præfecerunt. Qui factus Rex earum, non curauit eas sequi, vel præcedere, sed in cauernis & vmbrosis quiescere. Cum autem Nisus rapuisset vnam illarum, quæ erat in fronte aciei alias præcedens, conuenerunt ad Bubonem clamorem facientes de Niso: qui quæsiuit vbi erat quando capta fuit, dixerunt in fronte agminis, ait: Nimis erat præsumptuosa, alias præcedens. Post rapuit vltimam agminis, quod audiens Bubo ait. Merito illa misera periit; quare non se tenebat in medio? Cum autem rapuisset vnam de mediis Nisus, & defertur Buboni clamor; nunquam voluit exire de latibulo suo ad eam liberandum, sed ait: Consuetudo Nisorum super fuit vsque modo de rapina viuere, & oportet quod de aliquo viuant. Sic faciunt miseri aliqui curam animarum suscipientes, & cum eas à dæmonibus vident diuersimode diripi, negligunt nec occurrunt, loca magna & magnorum damnabiliter occupantes. Ideo prælati debent esse solliciti circa curam & regimen animarum, maxime qui gratiam habent, qua sciunt, & possunt prædicare, consulere, & huiusmodi 1. Timoth. 4. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ est in te. quæ data est tibi*: supple non solum propter te, sed propter salutem plurium aliorum.

Quatuor valent ad negligentiã expellẽdam. CIRCA quartum, sciendum quod quatuor sunt quæ præcipuè valent ad negligentiam excludendam à nobis, & funditus expellendam. *Primum* est amoris fidelitas. Qui enim fideliter diligit, nec faciliter obliuiscitur dilectum, nec negligit implere beneplacitum voluntatis eius. Vnde vbi paruus est amor, ibi frequenter inuenitur negligentia. Vbi magnus amor, ibi parum est de negligentia. Vbi perfectus amor, ibi nulla negligentia. Quia igitur Deo summum & perfectum amorem exhibere debemus, ideo nullo modo debemus negligere quicquid præcipit, quicquid ei placere nouerimus: propter quod dicitur. Deut. 8. *Caue ne obliuiscaris domini Dei tui, & negligas mandata eius.* Vnde ergo in nobis tanta negligentia, nisi ex defectu amoris. Vnde conquerendo de multis dicit, sicut recitat Apostolus Hebre. 8. *Quoniam non permanserunt in testamento meo,* videlicet federis & amoris, *& ego neglexi eos dicit dominus.*

1. *Amoris fidelitas.*

2. *Honoris eminentia.* SECVNDO nos excitat ad negligentiam excludendam honoris eminentia. Qui enim magnos honores & munera receperunt à dominis suis temporalibus, non negligenter eis obediunt, nec debent negligere dignitates honoris impensi: Alioquin nimis essent ingrati. Vnde sacerdotibus & prælatis qui receperunt à Deo maximam dignitatem, dicitur 2. Paral. 29. *Nolite negligere, quoniam vos elegit Deus vt stetis coram eo,* tanquã videlicet eius speciales amici. sed multi negligunt

hunc honorem, immo & ipsum Deum, tantæ dignitatis & excellentiæ largitorem. Vnde similes sunt Oziæ Regi Iuda de quo dicitur 2. Paral. 26. *Elatum est cor eius in superbiam, & neglexit dominum*; qui tamen multa beneficia sibi præstiterat, multos honores contulerat; & propter crebras victorias quas ei de hostibus suis dederat, gloriosum fecerat & famosum, iste nimis elatus in superbiam, voluit sacerdotium vsurpare, quasi nõ contentus principatu temporali, nisi etiam spiritualem assumeret, benè significãs illos, qui iam adeptis honoribus nunquam possunt esse contenti, sed semper anhelant ad alios altiores.

3 *Dulcoris immensitas.*

TERTIO nos excitare debet ad negligentiam depellendam, dulcoris immensitas, scilicet retributionis æternæ. Si enim semper præ oculis haberemus eam, nullus in nobis locus negligentiæ remaneret. Sic excitant exploratores Lachis filios Dan. Iud. 18. *Vidimus terram valde opulentam & vberem*, &c. Sequitur. *Nolite cessare eamus, & possideamus eam, nullus erit labor*, &c. Heb. 2. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Tamen de inuitatis ad nuptias dicitur Matth. 22. *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius in negotiationem suam.*

4 *Timoris vehementia.*

QVARTO nos excitare debet timoris vehementia; qui enim multum timet dominum suum, non negligit eius obedire mandatis. Eccl. 7. *Qui timet dominum nihil negligit.* Qui diligenter attenderet, & profundius cogitaret seueritatem diuinæ iustitiæ, & acerbitatem punitionis negligentium, nec maiora peccata committeret, nec minora negligeret; quia manifestè videret, quod nullum peccatum quantuncunque veniale, debet modicum reputari, quia dicitur Prouer. 9 *Qui negligit vias suas mortificabitur*, idest, ex venialibus occasionaliter ad mortalia disponetur. Iuxta illud Eccl. 9. *Qui negligit modica paulatim decidet*; scilicet in maiora; vel mortificabitur, quia opera sua sic erunt lenta & tepida, quod non erunt meritoria, quæ tamen essent meritoria si fierẽt ex feruore. *De* pœna negligẽtium dicitur Prouer. 1. *Vocaui & renuistis, extendi manus meas, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, Et increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro videbo, & subsannabo, cum vobis illud quod timebatis aduenerit, cum irruerit, repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit; cum venerit super vos tribulatio & angustia.*

De omissione.

DISTINCTIO XI.

18 *Est omissio.*

DEINDE considerandum est de omissione, quæ solet esse effectus negligentiæ. Circa quam cõsideranda sunt duo. Primo vtrum omissio sit spirituale peccatum. Secundo vtrum peccatum omissionis sit grauius peccato transgressionis, vel èconuerso.

Omissio est speciale peccatum quèadmodum transgressio, quia formaliter importat pretermissionẽ boni debiti quod spectat ad iustitiam

CIRCA primum sciendum, quod sicut transgressio cui opponitur omissio est spirituale peccatum, ita & omissio. Ideo videndum est quomodo transgressio sit spirituale peccatum. Sciendum ergo quod nomen transgressionis à corporalibus motibus ad morales actus deriuatum esse videtur. Dicitur autẽ aliquis transgredi secundum motum corporalem, ex eo quod transit terminum sibi præfixum, terminus autem præfigitur homini vt vltra non transeat in moralibus, per præceptum negatiuum, & ideo transgressio propriè dicitur ex eo, quod aliquis contra præceptum negatiuum agit. Quod quidem materialiter potest esse cõmune omnibus speciebus peccatorũ: quia per quamlibet speciem peccati mortalis trãsgreditur homo aliquod præceptum diuinum: sed si accipiatur formaliter, scilicet secundum hanc spiritualem rationem, quæ est facere contra præceptum negatiuum, sic est speciale peccatum, scilicet secundum quod distinguitur ab omissione, quæ contrariatur præcepto affirmatiuo. Omissio enim importat prętermissionem boni debiti, bonum autem sub ratione debiti pertinet ad iustitiam. Et ideo eo modo quo iustitia est specialis virtus, & omissio est spirituale peccatum: & eo modo quo facere bonum cui opponitur omissio, est quædã spiritualis pars iustitiæ, distincta à declinatione mali cui opponitur transgressio; etiam omissio à transgressione distinguitur.

Solutio obiect.

HOC autem sciendum est, quod quia omissio non est nisi boni debiti ad quod aliquis tenetur, nullus autem tenetur ad impossibile, ideo nullus per omissionem peccare dicendus est, si facere non potest. Vnde mulier quæ virginitatem vouit, si corrupta fuerit violenter, non omittit, virginitatem non habendo. Similiter si aliquis tenetur ad restitutionem, non est dicendus teneri nisi suppositа facultate. Vnde si non habet nec habere potest; non omittit, dum modo faciat id quod potest. Et idem in alijs est dicendum.

ITEM sciendum quod sicut peccatum transgressionis opponitur præceptis negatiuis, quæ pertinent ad declinandum à malo; ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmatiuis, quæ pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmatiua, non obligant ad semper, sed ad tẽpus determinatũ; & pro illo tempore omissio incipit esse peccatum: potest tamen cõtingere, quod aliquis tunc sit impotens ad faciendum id quod debet, quod quidem si sit præter eius culpam, non omittit, vt dictum est. Si vero sit impotens propter eius culpam præcedentem, puta cum aliquis inebriauit se in sero, & non potest surgere ad matutinas vt debet; tunc dicunt quidam, quod tunc incipit esse peccatum omissionis, quando applicat se ad actum illicitum, non compossibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur esse verum; quia dato quod per violentiam excitatus iret ad matutinas, non omitteret. Vnde patet quod inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Vnde dicendum est, quod tunc incipit esse omissio, & ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam precedentem omissio sequens reddetur voluntaria.

Obmissio tũc incipit ad culpam imputari quãdo est tempus operandi

CIRCA secundum, scilicet *vtrum peccatum omissionis sit grauius peccato transgressionis, vel èconuerso.* Sciendum quod omne peccatum intantum est, inquantum distat à virtute. Contrarietas autem est maxima distãtia, vt dicitur 10. meta. Vnde contrarium plus distat à suo contrario, quam simplex eius negatio. Sicut nigrum plus distat ab albo, quam simpliciter non albũ; omne enim nigrum est non album, sed non conuertitur. Manifestum autem est quod transgressio contrariatur actui virtutum, omissio autem importat negationem eius, puta peccatum omissionis est, si quis parentibus debitam reuerentiam non exhibet, peccatum vero transgressionis, si contumeliam vel quancunque iniuriam infert. Vnde manifestum est quod simpliciter & absolute loquẽdo, transgressio est grauius peccatum quam omissio; licet aliqua omissio possit esse grauior alia trãsgressione, puta omissio vel delictum quod generaliter significat quãtancunq; omissionem, quandoq; tamen strictè accipitur, pro eo quod est omittere, aliquid de his quæ pertinent ad Deum; vel quando scienter, & quasi cum quodam contemptu, derelinquit homo id quod facere tenebatur; & sic habet quandam grauitatem, vel ratione materiæ, vel ratione contemptus.

Transgressio est grauius peccatũ quã omissio simpliciter loquendo.

De ingratitudine.

DISTINCTIO XII.

19. *Est ingratitudo.*

DEINDE considerandum est de ingratitudine, de qua consideranda sunt quinque. Primo vtrum ingratitudo sit peccatum. Secundò vtrum sit speciale peccatum. Tertiò vtrum sit mortale. Quartò vtrum ingrato sint beneficia subtrahenda. Quintò quæ mouere nos debent ad ingratitudinis vitiũ detestandum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ingratitudo est peccatum quia gratitudini quæ est virtus aduersatur.

CIRCA primũ sciendũ, quod sicut gratitudo virtus est, ita ingratitudo ei opposita est peccatũ; quia debitũ gratitudinis est debitũ honestatis, quod requirit virtus. Ex hoc enim aliquid est peccatum quod repugnat virtuti, vnde manifestũ est omnẽ ingratitudinẽ habere rationem peccati. Et quia ad debitũ gratitudinis reddendum sufficit sola voluntas, si desit facultas, ideo propter impotentiam reddendi nullus ab ingratitudine excusatur. *Item* per obliuionem beneficij nõ excusatur aliquis ab ingratitudine, maximè si illa obliuio prouenit ex negligentia. Sicut enim dicit Seneca in 3. de beneficijs. *Apparet illum non sæpè de reddendo cogitasse, cui obrepit obliuio. Item* sciendum quod si quis auxilium præstitit ad peccandum, non tenetur adiutus illum iuuare similiter ad peccandum, quia qui iuuat ad peccandum, non præstat beneficium, sed potius nocumẽtum. Ideo illi non debetur gratiarum actio, vel alterius beneficii redditio, nisi fortè propter voluntatem, quia deceptus credidit iuuare ad bonum, cum adiuuit ad peccandum præter intentionem, & tunc non debetur ei recompensatio talis, vt iuuetur similiter ad peccandum, quia non esset reddere bonum, sed malum, quod contrariatur gratitudini.

Solutio obiect.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum ingratitudo sit speciale peccatum*, sciendum, quod ingratitudo propriè ex defectu gratitudinis nominatur. Omnis autem defectus seu priuatio sortitur speciem secundum habitum oppositum, sicut cæcitas & surditas differunt secundum differentiam visus & auditus. Vnde sicut gratitudo est quædam specialis virtus, ita etiam ingratitudo est speciale peccatum.

Ingratitudo est peccatum speciale si formaliter sumatur scilicet præut ex intetione beneficium cõtemnit.

Sciendum tamen quod in omni peccato aliqualiter inuenitur ratio ingratitudinis ad Deum, loquendo materialiter, inquantum scilicet omnis qui peccat, facit aliquid quod potest ad ingratitudinem pertinere. Formalis autem ingratitudo est, quando actualiter & ex intentione beneficium contemnit, & hoc est speciale peccatum.

Solutio obiect.

ITEM nihil prohibet formalem rationem alicuius specialis peccati, materialiter inueniri in pluribus generibus peccatorum. Vnde ingratitudo potest inueniri in multis peccatorum generibus, puta si quis benefactori detrahat, si furetur aliquid de suo, vel aliquid aliud committat contra eũ: hoc tamen non tollit quin ingratitudo formaliter sit speciale peccatum.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum ingratitudo omnis sit peccatum mortale*, dicendum quod non: quod declaratur hoc modo. Sicut enim patet ex prædictis ingratus dicitur aliquis dupliciter. *Vno modo* per solam omissionem, puta quia non recognoscit, vel non laudat, vel non tribuit vices pro beneficio accepto; & hoc modo non semper est peccatũ mortale; quia vt supra dictum est, debitum gratitudinis est, vt homo aliquid etiam liberaliter tribuat, ad quod non tenetur: & ideo si illud prætermittit, non peccat mortaliter, est tamen peccatum veniale, quia hoc prouenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem. Potest tamen contingere quod etiam talis ingratitudo sit peccatum mortale, propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem eius quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur beneficio, siue simpliciter, siue in alio necessitatis casu. *Alio* modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum prætermittit implere gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit: & hoc etiam secundum conditionẽ eius quod agitur, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Sciendum tamen quod ingratitudo quæ prouenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem. Illa vero quæ prouenit ex peccato veniali, imperfectam.

Ingratitudo quandoq; est peccatũ mortale, quãdoq; veniale iuxta circũstantias.

Ingratis non sunt beneficia subtrahẽda: si inde illorum ingratitudo augeatur.

CIRCA quartum, scilicet *vtrum ingrato sint beneficia subtrahenda*. Sciendum quod circa ingratum duo considerãda occurrũt. Primo quidem, quid ipse dignus sit pati; & sic certum est quod meretur beneficij subtractionem. Secundo considerandum est quid oporteat beneficium facere. Primo namque non debet esse facilis ad ingratitudinem iudicandam, quia frequenter aliquis, vt Seneca dicit, qui non reddidit gratus est, quia forte non occurrit ei facultas, aut debita oportunitas reddendi. Secundo debet tendere ad hoc quod de ingrato gratum faciat, quod si nõ potest primo beneficio facere, forte faciet secundo. Si vero ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat & peior fiat, debet à beneficiorum exhibitione cessare.

Ingratitudinem esse detestandam scriptura demonstrat.

CIRCA quintum, sciendum, quod ingratitudinem detestandam esse ostendunt multa exempla scripturæ sacræ, tam in nouo quam in veteri in testamento. Ingrati fuerunt filij Israël Deo, qui post multa beneficia quæ fecerat eis, & in Ægypto; & in deserto, quasi omnium obliti petierunt ab Aaron fieri sibi Deos, qui præcederent eos Exo. 32. *Item* Angelus domini improperauit filijs Israël beneficia Dei, & increpanit eos quod dominum reliquissent. Iud. 2. *Item* sublimauit dominus Hieroboam in regnum super 10. tribus, qui libidine dominandi succensus, auertit populum à cultu Dei 3. Reg. 12. *Item* Amasias rex Iuda diuino fretus auxilio vicerat Idumæos, & filios Seyr, & tamẽ Deos eorum auferens adorauit, ad quem missus domini propheta dixit. *Cur adorasti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua.* 2. Paral. 25. Conquerendo dominus de populo Iudæorum dicit Isa. 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* & ostendit eos minus esse gratos bestiis, dicens. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit*, &c. *Item* de 10. leprosis mundatis à domino vnus tantum regressus est ad gratias agendum Luc. 17. *Item* dominus ingratitudinem ciuitatum in quibus prædicauerat, & multa fecerat miracula reprehendẽs, dicit Matth. 11. *Væ tibi Corozaym, væ tibi Bethsayda, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim pœnitẽtiã egissent.* &c. Itẽ Io. 3. *Multa bona opera ostẽdi vobis ex patre meo, propter quod horũ opus me lapidatis?*

BERN. *Væ tibi si vitijs & peccatis permixta fuerit ingratitudo, quid enim tam euidenter gratiæ aduersatur? Tepescimus processu temporis à feruore conuersationis nostræ, paulatim frigescit charitas, abundat iniquitas, vt consumemur in carne, qui spiritum ceperamus.* Idem. *nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conuersionis, quẽadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & vbi illa fuerit, gratia accessum non habet, locum non inuenit*, &c. Et infrà *nõne iure perditum reputatur, quicquid ingrato donatum est; aut dedisse non pœnitet, quod perisse videtur? Oportet proinde gratum esse hominem & deuotum, qui percepta gratiæ munera, non tantummodo sibi manere desiderat, sed & multiplicari* Idem. *Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo plenitudo omnium gratiarum; cui dum post acceptum beneficium nõ ingratos nos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc recipere mereamur: omnino enim à profectu conuersionis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus acceperat, cauet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret quanto plura conferret ingrato.* Idem *fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescit, & inundatione facta superueniens expellitur. Sic plane gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed quod acceperat ei vertitur in perniciem, fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori.* De hac materia require multa supra *de gratitudine.*

De indeuotione.

DISTINCTIO XIII.

20 Est indeuotio quæ ex septem causis oriri potest.

DEINDE considerandum est de indeuotione. Sicut autem deuotio est promptitudo voluntatis totum se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Vnde dicitur Exo. 35. *Multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque deuota primitias domino*, sic defectus huius promptæ voluntatis est indeuotio; & sicut deuotione anima delectatur in domino, & spiritualiter impinguatur, sic per indeuotionem anima

sterilis

1. Ex acedia.

sterilis & arida efficitur. Vnde Numeri 11. *Anima nostra arida*, &c. Huius autem ariditatis sunt causæ septē. *Aliquando* enim prouenit ex bonorum fastidio, vel accidia, vt in prædicto exemplo Numeri 11. Vnde subditur. *Oculi nostri nihil vident nisi mala. Aliquando* accidit ex carnalis consolationis abundantia, quia quanto magis caro impinguatur, tanto magis est spiritus macilentus. Sicut quanto pinguior efficitur caseus, tanto minus relinquit de substantia, butyri, de quo Iob 29. *Lauabam pedes meos butyro*, idest affectus pinguedine deuotionis. Bern. *Delicata est diuina consolatio, nec conceditur admittentibus alienam.*

2. Ex abundãtia carnalis cõsolationis.

3. Ex superbia.

TERTIO causatur ex superbia, quia *super montes Gelboe nec ros nec pluuia venit*; nec ros gratiæ, nec pluuia pietatis 2. Reg. 1. Bern. in persona deuoti ait. *Heri & nudius tertius inuasit me languor animæ, & inde hebetudo insolita post inertia quædam; quia superbia inuenta est in me, & Deus declinauit in ira à seruo suo lacrymas non compungit.*

4. Ex cordis duritia.

QVARTO oritur indeuotio ex cordis duritia, ex antiqua malitia Bern. *Ipsum est cor durum, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec deuotione mouetur.* Idem. *Quomodo est tanta duritia cordis, quod ei non sapit psalmodiatio, non legere libet, nec orare delectat, medi tationes solitas non inuenit; propter quod ad vigilias solitas est homo somnolētus, ad opus manuum piger, ad iram præceps, ad odium pertinax linguæ & gulæ indulgentior, & securior præsumptione, obtusior à prædicatione. Omnes montes in circuitu eius visitat dominus, ad eam autem non appropinquat.*

5. Ex ingratitudine.

QVINTO oritur ex ingratitudine, quæ est, vt dicit Bern. *ventus vrens, siccans venas pietatis, rorem gratiæ, & fluenta misericordiæ.*

6. Ex negligentia.

SEXTO oritur ex negligentia bene operandi, & inde fit anima arida. Econtrario per assiduitatem boni operis impinguatur. Prouerb. 13. *Anima laborantium impinguatur.*

7. Ex impatiētia.

SEPTIMO pro impatientia fit anima arida. Psal. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea*, quæ cito frangitur. Homo impatiens est sicut lignum aridum, quod modico verbo frangitur, & igne tribulationis appositō, cito in iram succenditur, ad modicum flatum tentationis. Ad hoc faciunt multa quæ habentur vbi agitur de oratione infra *de deuotione orationis.*

De languore.

21. Est languor spiritualis qui est mortis valde periculosus.

DEINDE considerandum est de languore. Est autem languor spiritualis grauis infirmitas & periculosa, quia aufert omnem saporem diuinæ dulcedinis, & omnium spiritualium; inficiens palatum cordis, vt omnia sibi videantur amara. Psalm. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum.* Dulcia fiunt ei amara. Aug. *Palato non bene sano pœna est panis, qui sano est suauis.* Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te.* Glo. *Hanc dulcedinem non sentiunt qui palatum habent infectum à febre iniquitatis.* Ad hoc facit exemplum de illo monacho, cui omnia fiebant amara per accidiam, per confessionem liberato, infra *de confessione.* Itē de illo cui omnia vertebantur in stercus, infra *de pœnitentia.* Item de pane sordidato, infra *de confessione.*

Languor aufert sensum & vitam spiritualem.

ITEM grauis est hæc infirmitas propter insensibilitatem. Aufert enim sensum, & vitam spiritualem, & motum Bern. *Scio longe à salute esse membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem periculosius laborare.* Grauis est, quia aufert benefaciendi potestatem; est enim paralysis spiritualis. Matth. 8. *Puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.* Eiusdem 11. *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Item Lu. 5. *portantes in lecto hominem, qui erat paraliticus.* Accidia est similis Adonibezeth, qui præscindebat eis quos capiebat summitates manuum & pedū, vt dicitur Iud. 1. Matth. 12. *Homo manum habens aridam*, scilicet dexteram, significat iccidiosum, quia est inutilis in eis quæ pertinent ad dexteram boni operis: Zach. 11. de pastore & Idolo dicitur. *Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter obtenebrescet.* Item grauis est propter prolixitatem quia est febris lēta & languor in spiritualibus Eccl. 10 *Languor prolixior grauat medicum.*

De impeditione bonorum.

DISTINCTIO XIV.

22. Est impeditio bonorum, quam detestandam esse multa suadent.

DEINDE considerandum est de impeditione bonorum. Ex eo nāque quod accidioso bona sunt insipida vel amara, displicet ei in alijs videre, quod ipse facere negligit vel contemnit; & ideo ne fiant nititur impedire. Hoc vitium dissuadent multa, & ostendunt esse summopere fugiendum.

1. Quia facit hominē diabolo similem

PRIMVM quare debemus hoc vitium vitare est, quia facit hominem diabolo similem, qui aduersatur omni bono. Vnde sathana dicitur aduersator, vel aduersarius. 1. Thess. 2. *Impediuit nos sathan* Zach. 3. *Sathā stabat à dextris Iesu vt aduersaretur ei.* Vnde apparuit beato Martino properanti ad patriam suam, dicens quod ei semper aduersaretur quocunque iret. Quo respondente, *Dominus mihi adiutor non timebo*, &c. quasi fumus euauuit. Hic impedit maximè semen bonum Matth. 13. *Venit malus & rapit semen* Luc. 8. *Venit diabolus & tollit*, &c. Huic similes sunt qui prædicationē vel semen boni propositi impediunt. Vnde Dominus dixit Petro volenti impedire bonum propositū eundi ad passionem, Matth. 16. *Vade post me sathana, scandalum es mihi.*

2. Quia tales sūt rete diaboli.

SECVNDO quia impedientes bonum sunt rete diaboli, per quod retrahit ad bonum procedētes. Tren. 3 *Expandit rete pedibus meis, & cōuertit me vetrorsum.* Osee 5 *Audite hoc sacerdotes.* Et post. *Laqueus factus estis speculationi, & quasi rete expansum super montem Thabor, victimas declinastis in profundum*, &c. Tale rete erat Antiochus, omnia bona impediens, & fieri inhibens 2. Mach. 1. *Scripsit rex Antiochus omni regno suo, vt omnes relinquerent legem, & consenserunt omnes.* Et post. *Misit per omnes ciuitates Iudæ, qui prohiberent, holocausta & sacrificia & placationes fieri in templo domini, & sabbatum & dies solemnes celebrari, & filios circuncidi*, &c.

3. Sunt aucupes diaboli.

TERTIO sunt aucupes diaboli venantes sibi animas Hiere. 5. *Inuenti sunt in populo meo viri aucupes*, &c. 3. Regum 12. Hieroboam cogitans quomodo filios Israel reuocaret à cultu Dei, duos vitulos posuit, alterum in Bethel, qui domus Dei dicitur, alterum in Dan. quia per asperitatis timorē, quæ in religione est, alios reuocat: Alios per ostensionem & amorem mūdanæ prosperitatis, quia sunt similes scribis & pharisæis qui Apostolos volebant impedire ne fructum facerent, & populū ne dominum sequeretur de quibus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cælorum ante homines, nec intratis, nec intrare permittitis.*

4. Sunt similes illis qui impediebant filios Israel à terra promissionis.

QVARTO quia sunt similes illis maledictis gentibus, quæ impediebant ne fillij Israēl irent ad terram promissionis. Vt Amalech Exo. 27. Et Seon, & Og. Numeri 21. *Via regia incedemus*, &c. Similiter illis hostibus Dauid, qui impediebant ne veniret ad regnum. Similiter illis qui impediebant ne filij Israēl ædificarent templum 1. Esdræ 3. & 4.

5. Quia magnum inde resultat dānum.

QVINTO dissuadet hoc vitium, damnum quod homo impediens consequitur ex hoc, quia impeditur à gratia & gloria, vel amittit habitam gratiam & gloriam. Numeri 13. *Quare subuertitis populum domini*, &c. *Quibus iratus Deus, iurauit ne intrarent terram*, &c.

6. Quia scriptura dissuadet.

SEXTO hoc dissuadet scriptura. Prouer. 3. *Noli prohibere benefacere eum qui potest, sed si vales ipse benefac.* Eccl. 7. *A mortuo* idest peccatore *ne prohibeas gratiam.* Exo. 18. *Non impediaris orare semper.* Septimo exempla; Exo. 18. *Non impediaris orare semper.* Septimo exempla; vt Moysi Numeri 10. *dixit quidam ad Moysen: Domine mi prohibe eos ne prophetent. Et Moyses: Quis mihi det vt omnis populus prophetet, & det illis Deus spiritum suum?*

7. Exempla.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Matth.19. impedientibus dixit Christus. *Sinite paruulos venire ad me, & nolite vetare.* Beata virgo nullum verbum legitur dixisse, per quod impediret passionem filii: sed vxor Pylati illusa à diabolo dixit: *Nihil tibi & iusto illi.* Ioan. 12. de Magdalena dixit: *Sinite illam.*

8. Ira Dei.

OCTAVO debet dissuadere hoc ira Dei, & vindicta grauis quæ sequitur ex hoc; nam sæpè impedientes processum bonorum, premit grauiter infirmitatibus & flagellis, & morte subita & inopinata. Sicut Ægyptios detinentes & impedientes Israël: quia post multa flagella, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare Exo. 14. *Inter* miracula beati Andreæ legitur, quod cum quidam iuuenis nobilis eum sequeretur, nec parentes eius possent eum reuocare, voluerunt domum in qua erat succendere, igne appositio; quem iuuenis extinxit, aqua plurima superiecta, cum oratione, & cum vellent domum cum scalis ascendere, excæcati sunt; & cum perseuerarent in sua duritia, post breue tempus subita morte sunt simul occisi.

Exemplum.

9. Grauitas culpæ huius.

NONO dissuadet hoc grauis culpa quæ est in hoc peccato, & multiplex, de qua sunt damnandi & iudicandi. Imponet enim Deus, & in pœna, & in culpa, omnia mala quæ facturi sunt, qui impediuntur ne Dominum sequantur, & bona quæ ipsi vel fecissent, vel facisse potuissent, si conuersi fuissent; & mortem eorum quos à bono retrahunt. Vnde dicit Ioſue eis quos credebat impedire profectum filiorum Israël, & terrere ne auderent progredi. *Ira Dei insæuiet super eos, & derelinquet eos in solitudine, & vos causa necis omnium eorum eritis.*

10. Nocumentũ quod facit.

DECIMO dissuadet hoc, nocumentum multipex quod hoc peccatum facit. Primo qui alios impediunt benefacere, cito ab hostibus vincuntur, & occidunturs, & fungantur, vt patet Exo. 17. Amalech vincitur, fugatur, & deletur. Similiter Numeri 21. Seon Rex Amorrhæorum, & Og Rex Basan, impedientes Israël ne irent per viam regiam ad terram promissionis, maledicti sunt à Domino.

De tædio vitæ.

23. Est tadiũ vitæ nõ quidem virtuosum sed vitiosum.

DEINDE dicẽdum est de tædio vitæ, quod prouenit ex longa tabefactione tristitiæ. Sciendum tamen, quod est tædium virtuosum, & tædium vitiosum. Virtuosum quidem multipliciter. *Vno modo* secundum quod prouenit ex amore Dei, & desiderio cælestis patriæ. Psalmus 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est Greg. Sancti grauiter tolerant quicquid non sonat id quod amant.* De Augustino dicitur, quod displicebat ei quicquid agebat in sæculo præ dilectione Dei, & decore domus eius, quam dilexit. *Item* aliquando prouenit ex consideratione præsentium malorum, & ex defectu bonorum. Eccl. 2. *Tæduit me vitæ meæ, videntem omnia mala quæ fiunt sub sole, & cunctam vanitatem & afflictionem spiritus,* Idem. 4. *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem,* &c. *Item* quandoque prouenit ex vehementia tribulationis, vt Iob 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.* 2. Corint. 1. *Supra modum grauati sumus, ita vt tæderet nos viuere. Item* accidit aliquando ex malorum occurrentium & irruentium perturbatione bona; vt Matthathiæ 1. Mach. 2. *Vt quid adhuc nobis viuere? Vltimo* prouenit ex diuinæ consolationis dilatione.

Tædiũ virtuosum fit multipliciter

Tædiũ vitiosum fit etiã multipliciter

TÆDIVM vitiosum fit multipliciter, prouenit enim aliquando ex irruentium malorum desperatione, vt Herodis Aschalonitæ qui se gladio suo volebat occidere, occurrentibus sibi suis flagitiis, & irruentibus infirmitatum angustiis, secundum quod dicit Iosephus, & Egysippus, lib. 1. de cladibus Iudæorum in fine. Similiter Saul irruẽs super gladium suum 1. Reg. vlt. in fine 2. Reg. 1. *Interfice me, quoniam angustiæ me tenent.* &c. Similiter Pylatus, qui contra dominum sententiam mortis protulit, apud Cayum accusatus de sceleribus suis, & apud Lugdunum missus, ne longioribus afficeretur malis, propria manu se occidit, vt dicit Orosi lib. 6. *Item* quandoque ex diuini seruitij longa afflictione, quod maxime pertinet ad accidiam, ad quod potest referri quod dicitur 3. Reg. 19. de Elia, qui petiit sub vmbra iuniperi animę suæ vt moreretur.

De impœnitentia.

24. Est impœnitẽtia quæ sumitur bifariam scilicet pro omissione pœnitentiæ, & propositum intentione nõ pœnitẽdi vnquam quod est peccatum grauissimũ.

DEINDE considerandum est de impœnitentia: dicitur autem impœnitentia duobus modis. *Vno modo* dicitur aliquis impœnitens, quando actu non pœnitet de peccatis suis, & differt vel negligit pœnitere. *Alio modo* dicitur aliquis impœnitens, quando non proponit pœnitere, vel proponit non pœnitere, vel claudit dies suos cum finali impœnitentia, impœnitens moriens. Est autem hæc impœnitentia vitiorum receptaculum, virtutum & gratiarum obstaculum, Dei & Angelorum offendiculum, spiritussancti repugnaculum, malignorum spiritum habitaculum & pabulum, perditionis vinculum, mortiferæ damnationis venenaciſſimum poculum. Hæc animæ miseræ cælum claudit, & eam ab omni spe salutis excludit, & dæmonibus exponit. Hæc à consortio Dei & ecclesiæ eiicit, & in infernum proiicit, & tormentis perpetuis subiicit cruciandam. Hæc cor hominis ad modum diaboli obturat, ad modum cristallini lapidis aut incudis indurat. Iob 41. *Indurabitur cor eius quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Hæc iram diuinam super caput hominis exaggerat Ro. 2. *Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ,* &c. Ideo dicitur Eccl. 3. *Cor durum male habebit in nouissimo suo.* De corde duro dicit Bern. *Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi à quo Deus abstulerit cor lapideum, & dediderit cor carneum. Ipsum cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec deuotione mollitur, nec mouetur precibus, nec minis cedit, indurator ad flagella, ingratum est ad beneficia, infidum ad cõsilia, pronum ad ludicra, inuerecundum ad turpia, impauidũ ad periculosa, inhumanum ad humana, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Et vt breuiter omnia concludam in ipsum, nec Deum timet nec hominem veretur.* Hæc hominem morte subita præoccupat, vt quasi viuens & videns in infernum descẽdat Ps. 54. *descendant in infernum viuentes.* Apoc. 2. *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. Ecce ego ponam eam in lectum mortis, & omnes qui mœchantur cum ea.* Sæpè enim fit, vt cum homo non proponit pœnitere, vel proponit non pœnitere, morte subita præoccupetur, & aliquando ante eius exitum ei reueletur, cui damnationi sit obnoxius.

Exemplum.

SICVT de quodam refert Beda de gestis Anglorum lib. 5. cap. 15. dicens. Noui quendam, quem vtinam non nouissem, qui in monasterio nobili ignobiliter viuens, cum aliqui irent ad ecclesiam ad audiendum officium & sermonẽ, cum ipse esset faber optimus, propter officium suum alijs vtile, ab alijs tolerabatur, in fabrica sua remanens, vacans ebrietati, & alijs illecebris carnis, qui subita infirmitate occupatus, cum à fratribus moneretur ad pœnitentiam, mœrens & clamans & desperans, cœpit clamare se non posse; quia sicut beatus Stephanus vidit moriẽs sibi cœlum apertum, ita per contrarium viderat sibi infernum apertum, & ibi locum sibi paratum prope Sathanam & Caypham, & alios qui Deum occiderunt, & videbat & dicebat iudicium suum instare, nec sibi spem salutis superesse, & hoc dicens mortuus est, longe ab aliorum sepultura positus, nec aliquis fratrum aliquod suffragium ecclesiæ pro eo facere ausus est.

Exempla.

ITEM Beda eodem lib. cap. 14. refert accidisse in Anglia Mertiorum, temporibus Oderedi regis, de milite insolenti, qui quidem vidit in infirmitate sua duos Angelos librum pulcherrimum deferentes, & post duos dæmones subintrantes alium librum maxi-

mum

mum deferẽtes,& poſt tres dæmones ſubintrãtes aliũ librũ maximũ deferẽtes,&c. vt ſupra. *Item* cũ quidam diues moreretur, & ad pœnitentiam & confeſſionem moneretur, dicebat ſe non poſſe pœnitere, quia inquit vado ad infernum cum magno curſu. Et cum nõ poſſet deficiente virtute hoc totum dicere, dicebat ſæpè repetendo & deſperando, vltimam dictionem & vltimam Syllabam. Ad hanc materiam pertinet quod habetur ſupra *de imperſeuerantia*; & multa quæ habentur ſupra *de timore inferni & iudicij & mortis*. Et infra de bonis quę facit pœnitentia; Quæ impœnitentia aufert, & mala contrariæ infert. Et infra *de deſperatione*.

De deſperatione.

DISTINCTIO XV.

25. *Eſt deſperatio.*

DEINDE conſiderandum eſt de deſperatione. Circa quam conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum deſperatio ſit peccatum. Secundo vtrum poſſit eſſe ſine infidelitate. Tertio vtrum ſit maximum peccatorum. Quarto quæ diſſuadent hoc horrendum flagitium eſſe ſummopere deteſtandum.

CIRCA primum ſciendum quod ſecundum Philoſophum 6. Eth. quod in intellectu eſt affirmatio & negatio, hoc eſt in appetitu perſecutio & fuga, & quod in intellectu eſt verum vel falſum, hoc in appetitu eſt bonum vel malum; & ideo motus appetitiuus confirmiter ſe habens intellectui vero, ſecundum ſe eſt bonus. Omnis autem motus appetitiuus C conformiter ſe habens intellectui falſo, ſecundum ſe eſt malus & peccatum. Circa Deum autem vera æſtimatio intellectus, eſt per quam prouenit homini ſalus, & venia peccatoribus datur; ſecundum illud Ezech. 18. *Viuo ego dicit dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt cõuertatur & viuat.* Falſa autem opinio eſt quod Deus peccatori pœnitenti veniam deneget, vel quòd peccatores non conuertat ad ſe per gratiã iuſtificantem. Et ideo ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad æſtimationem veram, eſt laudabilis & virtuoſus; ita motus oppoſitus deſperationis conformiter ſe habẽs æſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus & peccatum.

Sicut motus ſpei eſt laudabilis & virtuoſus, ita motus deſperationis eſt vitioſus & peccatum.

Solutio obiect.

Eſt autem intelligendum quod in omni peccato mortali eſt conuerſio ad bonum commutabile, & auerſio à bono incommutabili; ſed differenter. Nam D peccata quę virtutibus Theologicis opponuntur principaliter conſiſtunt in auerſione à bono incommutabili, ſicut odium Dei, deſperatio, & infidelitas; quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto, ex conſequenti autem important conuerſionem ad bonum commutabile, In quantum anima deſerens Deũ, conſequenter neceſſe eſt quod ad alia conuertatur. Alia vero peccata principaliter conſiſtunt in conuerſione ad bonum commutabile: ex conſequenti autem in auerſione ab incommutabili bono. Qui enim fornicatur non intẽdit recedere à Deo, ſed carnali delectatione frui, ex quo ſequitur quod à Deo recedat. In peccato autem deſperationis principaliter recedit homo à Deo; ex conſequenti autem ad aliquod bonum E commutabile ſe conuertit, ſcilicet ad motum proprię voluntatis ſequendum, & in peccato ſuo manere.

In aliquibus peccatis eſt receſſus à Deo principaliter; in alijs non niſi conſequenter

ITEM nota quod licet deſperatio ex radice bona videatur procedere, ſcilicet ex timore Dei, & ex horrore magnitudinis peccatorum ſuorum, quod autem ex radice bona oritur videtur eſſe bonum; Iuxta illud Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit*: Et Rom. 11. *Si radix ſancta & rami ſancti*: tamen deſperatio mala eſt. Nam ex radice virtutis poteſt aliquid procedere dupliciter. *Vno modo* directe, & ex parte ipſius virtutis. Sicut actus procedit ex habitu, & hoc modo ex virtuoſa radice non poteſt aliquod peccatum procedere. Hoc enim dicit Aug. in lib. de libero arbi. quod *virtute nemo male vtitur*. *Alio modo* procedit aliquid ex virtute indirectè, & occaſionaliter: & ſic nihil prohibet aliquod peccatum ex aliqua virtutis radice procedere; ſicut interdum ſuperbiunt aliqui de virtute, ſecundum illud Auguſt. *Superbia bonis operibus inſidiatur vt pereant*. Et hoc modo ex timore Dei, & horrore propriorum peccatorum, contingit deſperatio; inquantum his bonis aliquis malè vtitur, ab eis occaſionem accipiens deſperandi. *Item* ſciendum quod in damnatis eſt deſperatio; Nouerunt enim impoſſibilitatem reditus ſui ad beatitudinem, vel ad veniam: vnde iam non ſunt in ſtatu ſperandi: quod autem non ſperant, vel deſperant, non imputatur eis ad culpam, ſed ad ſuæ damnationis cumulum ad pœnam. Sicut & in ſtatu viæ, ſi quis deſperaret de hoc quod non eſt natus adiſpiſci, vel quod non eſſet debitum adipiſci, nõ eſſet peccatum, puta ſi medicus deſperaret de cu ratione alicuius infirmi, vel ſi deſperaret ſe fore Papatum vel magnas diuitias adepturum.

Deſperatio in damnatis non eſt peccatum, ſed pœna.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *vtrum peccatum deſperationis poßit eſſe ſine infidelitate*. Sciendum, quod fides & infidelitas pertinent ad intellectum: Spes & deſperatio ad appetitum. Contingit autem habentem rectam æſtimationem intellectus in vniuerſali, circa motum appetitiuum non recte ſe habere, corrupta eius æſtimatione particulari, ſicut habetur 3. de anima, & inde eſt, quod aliquis habens rectam fidem in vniuerſali, deficit in motu appetitus circa particularia, corrupta eius æſtimatione particulari, per habitum vel paſſionem. Sicut ille qui fornicatur, eligendo fornicationem vt ſibi bonum vt nunc, corruptam habet æſtimationem in particulari, cum tamen in eo remaneat vera æſtimatio ſecundum fidem, ſcilicet quod fornicatio ſit mortale peccatum. Similiter aliquis retinendo in vniuerſali veram æſtimationem fidei, ſcilicet quod vere eſt in eccleſia remiſſio peccatorum, poteſt pati motum deſperationis, ſcilicet quod ſibi in tali ſtatu exiſtenti, non ſit de venia conſequenda ſperandum, corrupta eius æſtimatione circa particulare: & per hunc modum poteſt eſſe deſperatio ſine infidelitate, ſicut & alia peccata mortalia.

Deſperatio poteſt eſſe ſine infidelitate ſicut etiam alia peccata mortalia.

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum deſperatio ſit maximũ peccatorum omnium*. Sciendum, quod peccata quæ opponuntur virtutibus Theologicis, ſecundum genus ſuũ ſunt omnibus peccatis aliis grauiora: quia cum virtutes Theologicę habeant Deum pro obiecto, peccata eis oppoſita directe, & principaliter important auerſionem à Deo. In quolibet autem peccato mortali, principaliter ratio mali & grauitas eſt ex hoc, quod auertit à Deo. Si enim poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo quamuis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale, & ideo illud quod primo & per ſe habet auerſionem à Deo, eſt grauiſſimum inter peccata mortalia. Virtutibus autem Theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei; inter quæ ſi odium Dei & infidelitas deſperationi comparentur, inuenientur ſecundum ſe quidem, id eſt ſecundum rationem propriæ ſpeciei grauiora. Infidelitas enim prouenit ex hoc, quod ipſam Dei veritatem homo non credit. Odium vero Dei prouenit ex hoc, quod voluntas hominis ipſi diuinæ bonitati contrariatur. Deſperatio autem ex hoc, quod homo non ſe ſperat bonitatem Dei participare, de quo patet, quod infidelitas & odium Dei ſunt contra Deum ſecundum quod in ſe eſt, deſperatio autem ſecundum quod eius bonum participatur à nobis. Vnde maius peccatum eſt, ſecundum ſe loquendo, non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quam deſperare conſequi gloriam ab ipſo. Sed ſi cõparetur deſperatio ad alia duo peccata ex parte noſtra; ſic deſperatio eſt periculoſior: quia per ſpem reuocamur à malo, & introducimur in bona proſequenda: Et ideo ſublata ſpe irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. Vnde ſuper illud Prouerb. 24. *Si deſperaueris lapſus in die angustiæ, minuetur fortitudo tua*, dicit glo. *Nihil eſt execrabilius deſperatione, quam qui habet, in generalibus huius vitæ laboribus, & quod peius eſt, in fidei certamine, conſtantiam perdit.*

Peccata oppoſita virtutibus Theologicis ſunt grauiſſima ſecundũ genus ſuum, quia principaliter auertunt à Deo; inter hæc autem deſperatio eſt minimum, licet ſit nobis periculoſiſſimum.

Deſperatio non oritur à virtute directe ſed occaſionaliter.

Et

Et Isidor. in lib. de summo bono dicit. *Perpetrare flagitium aliquod est mors animæ, sed desperare est descendere ad infernum.*

Desperatio principaliter oritur ex acedia: sed quodammodo etiam à luxuria.

VLTERIVS notandum, quod desperatio principaliter & specialiter oritur ex acedia; potest tamen aliquo modo oriri ex luxuria, quod declaratur hoc modo. Obiectum enim spei est bonum arduum, possibile vel per se, vel per alium acquiri. Spes ergo de beatitudine obtinenda, potest in aliquo deficere dupliciter. *Vno modo*, quia non reputat vt bonum arduũ. *Alio modo* quia non reputat eam vt possibilem adipisci, vel per se, vel per alium. ad hoc autem quod bona spiritualia non sapiunt nobis quasi bona, vel non videantur nobis magna bona, præcipuè deducimur per hoc, quod affectus noster est infectus amore delectationum corporalium, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ. Nam ex affectu harum delectationum contingit, quod homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea quasi bona quędam ardua; & secundum hoc desperatio causatur ex luxuria. Ad hoc autem quod homo bonum arduum non æstimet vt possibile sibi adipisci per se vel per alium, perducitur ex nimia deiectione, quæ quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod nunquam possit ad bonum releuari. Et quia acedia est tristitia quædam abiectiua spiritus; Ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur. Hoc autẽ est proprium obiectum spei scilicet quod sit possibile. Nam bonũ & arduum etiam ad alias passiones pertinent, vnde specialius oritur ex acedia, potest tamen oriri ex luxuria ratione iam dicta.

Multa mouent ad desperationem detestãdam.

CIRCA quartum sciendum, quod multa sunt quæ nos debent mouere ad desperationis flagitium detestandum.

1. *Dei pietas & misericordia peccatoribus exhibita.*

PRIMO quidem exempla pietatis & misericordiæ diuinæ, circa peccatores volentes pænitere, vt Dauid 2. Reg. 12. Manasses 2. Paral. in fine Matth. sicut patet de vocatione eius Matth. 9. Mariæ Magdal. Luc. 7. Latronis Lu. 24. Pauli act. 9. De hac materia nota supra *de gradibus & effectibus misericordiæ Dei.* Similiter infra *de pœnitentia.* Item infra *de contritione.* Similiter *de confessione.*

2. *Immensitas misericordia Dei.*

SECVNDVM est misericordiæ Dei immẽsitas, psalmus. *Misericordiæ eius non est numerus.* Gen. 33. *Miserere super nos cum cunctis miserationibus tuis,* Bern. *Maior est Dei pietas quam quæuis iniquitas.* Econtra dicebat Cain Gen. 4. Augustꝰ. *Deus noster misericors est, paratus saluare clementia, quos non potest saluare iustitia.* Idem *Quasi scintilla in mari, sic omnia peccata comparata misericordiæ Dei.* De hac materia supra *de gradibus misericordiæ Dei.*

3. *Misericordia B. Virginis*

TERTIVM est Beatæ Marię immensa misericordia, quæ est aduocata nostra, & spes nostra. Mater gratiæ & misericordiæ Eccl. 24. *Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.*

4. *Scriptura sacra.*

QVARTVM quod suadet spem & dissuadet desperationem sunt verba sacra Psalmus 9. *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum. Sperate in eo omnis congregatio populi.* Eccles. 22. Ad amicum. *Si produxeris gladium non desperes, quoniam est regressio ad amicum,* scilicet Christum. Verba ligni vitæ vel folia, sunt in medicinam desperantium.

5. *Vnguenta misericordia Christi.*

QVINTVM remedium contra desperationem, sunt vnguẽta mãsuetudinis & misericordiæ Christi Cant. 1 *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ibi Bern. *Omnino propter mansuetudinem & misericordiam quæ prædicatur & est in te, ô bone Iesu, curremus post te, scientes quod non spernas pauperem, nec horreas peccatorem,* &c. *Non horruisti confitentem in Cruce latronem, non lachrimantem peccatricem, non Chananeam supplicantem.* Idem. *Crede mihi inueni Christum carentem cauterio, non vnguento.*

6. *Incarnatio Christi.*

SEXTVM quod suadet spem, & est remediũ contra desperationem, est incarnatio Christi Tit. 2. *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri* prouocans ad spem. Vnde sequitur, *vt abnegãtes impietatem & sæcularia desideria,* &c.

A SEPTIMVM remedium contra desperationem est Christi passio & mors Tren. 3. *Recordare paupertatis meæ & transgressionis meæ, absinthij & fellis. Memoriæ memor,* &c. Et post. *Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo.* Ad hoc pertinent quæ habẽtur supra *de passione domini* Item Bern. *Peccatum peccati grande, turbatur conscientia, & non perturbatur; quia vulnerum Domini recordabor; quid tam ad mortem quod non per Christi mortem saluetur? Si in me venerit tam potens, tam efficax medicamentum, nulla iam possum malignitate terreri.* Idem *Quid mirũ si caput nostrum pro membris acceperit curationem; quia quantum in ipso fuit non habuit huius indigentiam, sed voluit caput vulnerari pro membris, vt ea curarentur: sed nos ècontrario, cauterium facimus in membro ignobiliori, pro curatione membri nobilioris: vt cum dolet caput, vulneratur brachium; dolent renes, in* B *tibia fit cauterium. Econtra autem nobile caput nostrum vulneratur, procuratione membrorum.*

8. *Sacramenta Christi.*

OCTAVVM remedium contra desperationem sunt Christi Sacramenta, vt sunt baptismus præcipuè & pænitentia, quæ mundant & curant ab omnibus infirmitatibus & inquinamẽtis spiritualibus, vt patet Act. 2. Cùm prædicasset Petrus crucifixoribus Domini Iudæis, & quærerent ab Apostolis quid facerent. Petrus ait. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti,* quod vsque ad tria millia fecerunt. De alijs dicitur Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum, nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.*

9. *Liberalitas Dei.*

C NONVM remedium est liberalitas Domini, quæ dat pœnitentibus & petentibus veniam, & in signum huius, se, vel donum spiritussancti. Vnde, *accipietis donum spiritussancti.* Act. 2. Augustꝰ. *Summa liberalitas Domini, dat donum æquale sibi.* Quod probat Dominus Luc. 11. *Petite & accipietis.* Et post. *Pater noster cælestis dabit spiritum bonum petentibus se.* Item nõ solum restituit ablata per peccatum, sed auget gratiam & confert maiora, sicut dicitur Ezech. 36. *Habitare vos faciam sicut à principio, bonisque donabo maioribus, quam habuistis ab initio.* Ecc. 20. *Est qui multa redimat modico pretio, & restituat ea in septuplum.*

10. *Diuersa diuina bonitatis experimenta.*

DECIMVM remedium sunt diuersa diuinæ bonitatis experimenta, quæ experti sunt sperantes de misericordia Dei, quibus multa beneficia virtute spei præstat, quæ sunt multa. *Primum* est quia eos inhabitat, D & lætificat quasi sensibiliter, & confortat Psalmus 5. *Lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis.* Item 9. *sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum.* Spes est quæ confortat. Apost. Ro. 12. *Spe gaudentes.* Ideo dicit Dominus Matth. 5. *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Luc. 10. *Gaudete & exultate quia nomina vestra scripta sunt in cælis* Hier. 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia merces est operi tuo.* *Secundo* spes adiuuat Psalmus 9. *Adiutor in oportunitatibus in tribulatione, sperent in te qui nouerunt nomen tuum,* &c. Item 62. *Spera te in eo omnis congregatio populi,* &c. Similiter 27. *In ipso sperauit cor meum, & adiutus sum,* Psalmus 36. *Reuela Domino viam tuam & spera in ea, & ipse faciet.* Eccl. 2. E *Respicite filij nationes hominum & scitote quoniam nullus sperauit in Domino & confusus est, permansit in mandatis eius & derelictus est, aut inuocauit Deum, & despexit illum.* *Tertio* misericordiam præstat. Psalmus 31. *Sperantem in Domino misericordia circundabit,* Eccl. 2. *Sperate in domino & veniet vobis misericordia in oblectatione.* *Quarto* firmat contra aduersa, vt anchora, nauem, arma militem 1. Thes. 4. *Galea est spes salutis.* Hebr. 6. *Confugiamus ad propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam.* Similis est cuidam pisci, de quo habetur in historia transmar. qui vocatur Echineis, quod cum sit vix quantitatis vnius pedis, quando naui coniunctus adhæret, contra procellas reddit eam stabilem. *Quinto* liberat & saluat, Psalmus 30. *In te Domine spera.* &c. Similiter 21. *In te sperauerũt patres nostri,* &c. *Ad te clamauerunt*

Spes multa bona causat.

1. Confortat.

2. Adiuuat.

3. Misericordiam præstat

4 Firmat cõtra aduersa.

5. Liberat & saluat.

&

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& salui facti sunt. Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino saluabitur.*

SEXTO beatificat. Psalmus 33. *Beatus vir qui sperat in eo.* Item 2. *Beati omnes qui confidunt in Domino.* Prouerbiorum 16. *Qui sperat in Domino beatus est.*

SEPTIMO fouet & conseruat. Psalmus 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Item 146. *Oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius; vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

Gaudium & meritum cælestium.

VNDECIMVM quod suadet speciem & dissuadet desperationem, est gaudium & meritum cælestium, gaudet enim Deus, & Angeli, & Sancti, de peccatorum conuersione, & reuersione ad pacem Dei, sicut dicit & probat Dominus Luc. 15. *Magnum gaudium est Deo & Angelis eius, super vno peccatore panitentiam agente.* Et hoc probat per exemplum ouis reductæ: dragmæ repertæ; filij prodigi redeuntis cum gaudio recepti. De hac materia satis habetur supra *degradibus misericordiæ Dei.* In persona sanctorum dicitur Rom. 15. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Consideratio meritorum filij Dei, & sanctorum, maximum est remedium contra desperationem; qui si compaterentur hominibus & orarent pro peccatoribus, cum essent hic cum eis, vt dicit Bernard. multo fortius cum ante faciem Dei sui consistunt, id est fontem pietatis & misericordiæ. Illa enim beata patria, charitatem eorum non immutauit, sed augmentauit. Eccles. 44. *Isti sunt viri misericordiæ, quorum pietates non fuerunt.* Iob 4. *Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Maxime autem ad speciem prouocat meritum Christi, & passio. Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera. &c.*

Exemplum.

IN vita beati Bernardi Clareuall. legitur, quod cum visum esset ei quod raptus in spiritum esset ante summum iudicem, & diabolus eum de multis accusaret; quærenti diabolo vnde crederet habere regnum æternum; respondit. *Scio quod merita mea ad hoc non sufficiunt, sed Dominus meus Iesus Christus, cui competit iure hereditario, quia consubstantialis Dei filius; & iure emptionis, quia emit illud sanguine suo;* altero iure sibi contentus, altero iure de misericordia sua illud mihi donat. Quod audiens diabolus confusus recessit.

12. *Multiplex nocumentū quod facit desperatio.*

DVODECIMVM quod dissuadet desperationem, est multiplex nocumentum quod facit desperatio.

1. *Est infirmitas.*

Primum est, quia desperatio est periculosa infirmitas, spernens omnem consolationem, refectionem, & remedium. Contemnit etiam desperans, seipsum excutere à faucibus draconis infernalis. Contemnit etiam erigere se à profundo vitiorum, & inuocare Dei adiutorium. Psalmus 106. *Omnem escam abominata est anima eorum,* & appropinquauerunt vsque ad portas mortis, 2. Reg. 2. *An ignoras quod periculosa sit desperatio.* Hierem. 25. *factus est dolor meus perpetuus, & plaga desperabilis renuit curari.* Et 30. *Insanabilis est factura tua, & pessima plaga tua.* Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit, & sequitur eum opprobrium & ignominia.* Econtra spes clamat ad summum medicum, sperans eius adiutorium. Mich. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, & expectabo Deum saluatorem meum.* Et Psalmus 129. *De profundis clamaui ad te Domine.*

2. *Est excordē reddere.*

SECVNDVM nocumentum est, quia desperatio facit hominem excordem & infirmum, quasi mortuum in tenebris pro peccatis. Psalmus 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, &c.* Epistola Hierem. *Sunt sicut mortui proiecti in tenebris.* Iob. 15. *Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circunspectans vndique gladium;* diuinę scilicet vltionis. Et post. *Non credat frustra errore deceptus, quo aliquo pretio redimendus sit.* Econtra spes facit hominem fortem & magnanimum. Isa. 40. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Psalm. 25. *In Domino sperans non infirmabor.*

3. *Est hominē Deo exosum reddere.*

TERTIVM nocumentum est, quia desperatio facit hominem exosum & displicere Deo, quia detrectat eius bonitatem & misericordiam. Sicut Cain qui dicebat. *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear.* Genes. 4. Hier. super Psalm. 104. dicit, quod *Iudas plus peccauit, quia se suspendit desperans, & magis Deum offendit, quam quia eum tradidit.* Econtra spes facit Deo placentem. Vnde Psal. 146. *Beneplacitum est Domino super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.*

4. *Immūditia.*

QVARTVM quia desperans est sordidus, omni vitio expositus. Ephes. 4. *Propter cæcitatem cordis ipsorum desperantes semetipsos tradiderunt impuditiæ, in operationem omnis immunditiæ in auaritiam.* Econtra spes impetrat absolutionem remissionis. Hebr. 10. *Abluti aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem.* Psalmus 36. *Saluauit eos, quia speranerunt in eo.*

5. *Ad sui occisionem ducere.*

QVINTVM est quia desperatio aliquando ducit hominem ad occisionem sui. vt dicitur Iob 7. *Desperaui, nequaquam vltra viuam.* Et 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Vt Achitophel, qui dispositа domo sua, suspendio suiipsius interiit 2. Reg. 17. Et Matth. 27. Iudas, qui abiens laqueo se suspendit. Et vt Herodes Ascalonita, qui voluit se occidere. Et Pilatus & Nero desperantes, qui manu propria sese occiderunt. Spes adducit ad vitam gloriæ, prolongat vitam naturæ. Psalmus 9. *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum, &c.* Sapient. 3. *Spes illorum immortalitate plena est.*

6. *Bono spirituali & æterno priuare.*

SEXTVM est, quia desperatio euellit hominem ab omni bono spirituali & æterno. Psalmus 51. *Deus destruet te, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Iob 19. *Quasi aulsæ arbori alstulit à me spem meam.* Econtra spes plantat, & solidat, & viuificat in bono. Hierem. *decimoseptimo Benedictus qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ipsius, & erit tanquam lignum quod transplantatum iuxta præterfluentes aquas, ad humorem nutrit radices suas, &c.* Et post Nec aliquando desinet facere fructum. Iob 3. *Etiam si occiderit me sperabo in eum.* Et 14. *Lignum habet spem, quod si præcisum fuerit rursum vireseit, & rami eius pullulant.*

7. *In infernum pellere.*

SEPTIMVM nocumentum est, quod desperatio in infernum impellit. Psalmus. *Ascendunt vsque ad cœlos,* præsumendo, *& descendunt vsque ad abyssos,* desperando Iob 17. *In profundissimum abyssi descendent omnia mea.* Econtra spes eleuat vsque in æternum. Psalmus 5. *Lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt.* &c. Sapient. 3. *Spes illorum immortalitate plena est.* Isa. 27. *Speraſtis in Domino in sæculis æternis.*

(:) (:)

(:)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

LIBRI III. PARS VII.

DE AVARITIA ET FILIABVS EIVS.

De auaritia secundum se.

DISTINCTIO I.

CONSEQVENTER considerandum est de quinto vitio capitali, quod est auaritia. Et primo dicendum de auaritia. Secundo de prodigalitate. De auaritia vero, primo dicendum est in generali. Secundo in speciali. De auaritia in generali considerandа sunt 5. Primo videndum est quid sit, & vnde dicatur, & vtrum sit peccatum. Secundo vtrum sēper sit peccatū mortale. Tertio vtrum sit peccatum carnale vel spirituale. Quarto de filiabus eius. Quinto quæ mouere debēt ad hoc vitium detestandum.

Quid auaritia & vnde dicta.

CIRCA primum sciendum, quod *auaritia* secundum Tullium *est immoderatus amor habendi*, vel *immoderatus amor pecuniæ*. Item secundum Alcuinum. *Auaritia est nimia acquirendi, habendi, retinendique cupiditas.* Dicitur autē auaritia quasi auiditas auri, & auarus quasi auri auidus. Vel dicitur auaritia ab aueo, quod est cupio, vnde dicitur auaritia quasi auiditas æris. Ex his patet vtrum auaritia sit peccatum. In quibuscunque enim bonū cōsistit in debita mensura, necesse est quod per excessum vel diminutionem illius mensuræ, malum perueniat. In omnib. autem quæ sunt propter finem, bonū consistit in quadā mēsura. Nā ea quæ sūt ad finē, necesse est cōmensurari fini, sicut medicina sanitati. Sicut patet per phil. in 1. Poli. Bona autē exteriora habēt rationē vtiliū ad finē. Vnde necesse est quod bonū hominis circa ea cōsistat in quadam mensura; dum s. hō secundū aliquā mensuram quærit habere diuitias exteriores, prout sūt necessariæ ad vitam eius, secundum suam conditionem. Ideo in excessu huiusmodi mensuræ consistit peccatū; dum scilicet aliquis supra debitum modū vult eas vel acquirere, vel retinere; quod pertinet ad rationem auaritiæ, quæ diffinitur esse *immoderatus amor habendi*, vnde patet, quod auaritia est peccatum.

Auaritia est peccatum.

Solutio obie.

SCIENDVM autem quod auaritia potest importare immoderātiam circa res exteriores dupliciter. *Vno modo* immediatè, quantum ad acceptionem vel conseruationem ipsarum, vt sc. homo plus debito eas acquirat vel conseruet; & secundum hoc est directè peccatum in proximum, quia in exterioribus diuitiis, non potest vnus homo superabundare, nisi alter deficiat; quia bona temporalia non possunt simul possideri à multis. *Alio modo* potest importare immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad diuitias habet; puta quod immoderatè aliquis diuitias amet aut desideret, aut delectetur in eis: & sic auaritia est peccatum hominis in seipsum; quia per hoc deordinatur eius affectus, licet non deordinetur corpus, sicut per vitia carnalia. Ex consequenti autem est peccatum in Deum, sicut & omnia peccata mortalia, inquantum homo propter bonum temporale contemnit æterna.

Auaritia est speciale peccatum si stricte & proprio sumatur.

ITEM sciendum, quod auaritia secundum propriam rationem habet obiectum speciale; alia enim est ratio boni vtilis, & alia boni delectabilis. Diuitiæ autem secundum se habent rationem vtilis; appetuntur enim inquantū in hominis vsum cadunt. Et ideo secundum hanc considerationem eius propriam, auaritia est speciale peccatum, inquantum sc. auaritia dicitur immoderatus appetitus habendi possessiones, quæ nomine æris vel pecuniæ designatur. Verum quia verbum habendi secundum primam impositionem ad possessiones pertinere videtur, quarum totaliter sumus Domini, & inde ad multa alia deriuatur. (Sicut dicitur homo habere sanitatem, vxorem, vestimentum, & alia huiusmodi, sicut dicitur in prædicamentis) per consequens etiam nomen auaritiæ ampliatum est ad omnem inordinatum appetitum habendi quamcunque rem; Sicut dicit Greg. in quadam Homil. quod *auaritia est non solū pecuniæ, sed etiam scientiæ, & altitudinis, cum supra debitum modum sublimitas ambitur.* Aug. & in lib. de libe. arbi *Auaritia quæ Græcè Phylargiria dicitur, non in solo argento sed in omnibus rebus quæ inordinatè appetuntur intelligenda est.*

Solutio obie.

ITEM sciendum, quod auaritia importat immoderantiam quandam circa diuitias dupliciter. *Vno modo* immediatè circa ipsam acceptionem & conseruationē diuitiarum, in quantum sc. aliquis inquirit pecuniam vltra debitum, aliena furripiendo vel retinendo; & sic opponitur iustitiæ. & hoc modo accipitur auaritia Eze. 22 vbi dicitur. *Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & auarè lucra sectādo.* *Alio modo* importat immoderantiam circa interiores affectiones diuitiarum: puta cum quis nimis amat vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, etiamsi non velit rapere aliena: & hoc modo auaritia opponitur liberalitati, quæ moderatur huiusmodi affectiones, vt dictum est. & sic accipitur auaritia 2. Cor. 9. *Præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi auaritiam.* Glo. *vt sc. doleant pro dato, & parum sit quod detur.*

Auaritia stricte sūpta opponitur liberalitati & latius, iustitiæ.

CIRCA secundum sc. *vtrum auaritia semper sit peccatū mortale.* Dicendū, quod auaritia dicitur dupliciter. *Vno modo* secundum quod opponitur iustitiæ, & sic ex genere suo est peccatum mortale, & sic ad auaritiam pertinet quod aliquis iniustè capiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, & furtū, quæ sunt peccata mortalia, vt infra dicetur. In hoc tamen auaritiæ genere contingit esse veniale peccatum, propter imperfectionem actus, vt dicetur ibidem. *Alio modo* potest accipi auaritia secundum quod opponitur liberalitati, & secundum hoc importat inordinatum amorem diuitiarum. Si ergo intantum amor diuitiarum crescat, quod præferatur charitati, vt si propter diuitiarum amorem aliquis non vereatur facere contra amorem Dei & proximi, sic auaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris infra hoc sistat, vt sc. homo quamuis superfluè diuitias amet, non tamen præfert earum amorem amori diuino, vt sc. propter diuitias nō velit aliquid facere contra Deum vel proximum, sic auaritia est peccatum veniale. Vnde super illud 1. Cor. 3. *Si quis superædificat super hoc fundamentum, lignum, fœnū, stipulam, &c.* dicit Glo. quod *lignum, fœnum, & stipulam ædificat ille, qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mūdo, quod pertinet ad peccatum auaritiæ.* Sed iste non peccat mortaliter, sed venialiter: De eo namque dicitur quod saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Auaritia proprie sumpta est tantum peccatum venialeregulariter loquādo.

CIRCA tertium sc. *vtrum auaritia sit peccatum carnale, vel spirituale.* Dicendum quod spirituale peccatum est. Quod declaratur sic. Peccata nempe in affectione consistunt, omnes autem affectiones animæ siue passiones, terminantur ad delectationes & tristitias, vt patet per Philos. in 2. Eth. Delectationum autem quædā sunt carnales, quædā spirituales. Carnales quidem delectationes dicuntur, quæ in sensu carnis complentur, sicut delectationes ciborum, & venereorū. Delectationes vero spirituales, quæ complentur in sola animæ apprehensione. Illa vero peccata dicuntur carnalia, quę perficiūtur in carnalibus delectationib. Illa vero dicūtur spiritualia, quæ perficiuntur in spiritualib. delectationibus absque carnali delectatione, & huiusmodi est auaritia. Delectatur enim auarus in hoc quod considerat se possessorem diuitiarum; & ideo auaritia est peccatum spirituale. Sciendum quod quidem auaritia est circa obiectū corpoale, tamen in eo quod non quærit delectationem corporalē, sed solū animalē; prout sc. homo delectatur in hoc quod diuitias possideat; ideo nō est peccatum

Auaritia est peccatū spirituale, quia completur in sola animæ apprehensione, & non in sensu carnis.

Solutio obie.

catum carnale. ratione tamen obiecti medium est inter peccata purè spiritualia, quæ quærunt delectationem spiritualem circa obiecta spiritualia, (sicut superbia est circa excellentiam) & vitia purè carnalia, quæ quærunt delectationem purè corporalem circa obiectum corporale.

Septem esse filias auaritiæ declaratur.

Circa quartum, sc. *de filiab. auaritiæ.* Sciẽdum quod Greg. 31. Mor. assignat proditionem, fraudem, fallaciã, periurium, inquietudinem, violentiam, & contra misericordiam obdurationem cordis. Quarum numerus sic apparet. Nam filiæ auaritiæ dicuntur vitia quæ ex ipsa oriuntur, & præcipuè secundum appetitum finis. Quia vero auaritia est superfluus amor habendi diuitias, ideo in duobus excedit. Primo enim superabundat in retinendo, & ex hac parte oritur ex auaritia obduratio contra misericordiam, quia sc. cor eius per misericordiam non emollitur, vt de diuitiis subueniat miseris. Secundo ad auaritiam pertinet superabundare in accipiendo, & secundum hoc auaritia potest considerari dupliciter. *Vno modo* secundum quod est in affectu, & sic ex auaritia oritur inquietudo, in quantum ingerit huiusmodi solicitudinem, & curas superfluas. *Auarus enim non implebitur pecunia.* vt dicitur Eccl. 5. *Alio modo* potest considerari in effectu; & sic in acquirendo aliena vtitur aliquando vi, quod pertinet ad violentiam; quãdoque autem dolo, qui quidem si fiat in verbo erit fallacia, quantum ad simplex verbum: periurium autem, si addatur confirmatio iurati. Si autem dolus committatur in opere, sic quantum ad res erit fraus, quantum ad personas proditio; vt patet de Iuda, qui ex auaritia prodidit Christum.

Solutio obie.

Aliud est filia alicuius vitij, aliud species.

Nec mireris si istæ ponuntur esse filiæ auaritiæ; cum tamen proditio, fraus, & fallacia opponuntur prudentiæ, periurium religioni, inquietudo spei, vel charitati quæ quiescit in amato, violentia iustitiæ, obduratio cordis, misericordiæ: Quia non oportet filias alicuius vitij capitalis, ad idẽ genus pertinere; quia ad finẽ vnius vitij possunt ordinari peccata alterius generalis. Aliud est enim aliquod vitium habere filias, & habere species.

Nouem filiæ auaritiæ ab Isidoro assignata reuocantur ad prædictas.

Item nota quod Isid. ponit 9. filias auaritiæ, quæ sũt mẽdacium, fraus, furtum, periurium, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentiæ, inhumanitas, & rapacitas. Sed istę nouem reducuntur ad prædictas. Nam mendacium, & falsum testimonium continentur sub fallacia; falsum enim testimonium est quędam specificatio mendacij. Sicut furtum est quędam specificatio fraudis. Vnde sub fraude continetur. Appetitus autem turpis lucri pertinet ad inquietudinem Rapacitas autẽ pertinet ad violentiã, cum sit species eius. Inhumanitas autem est idem quod obduratio cõtra misericordiam.

De detestatione auaritiæ.

DISTINCTIO II.

Multa suadent auaritiam esse fugiendam.

Circa quintum sciendum, quod multa nobis suadent, & euidenter ostendunt peccatum auaritiæ summopere fugiendum. Primo quidem hoc ostendit naturæ conditio. Secundo exemplorum instructio. Tertio mortis meditatio. Quarto dãnorum incursio.

1. Natura conditio, & quidem duobus modis.

Primo inquam hoc ostendit naturæ conditio duob. modis. *Vno modo* terrenis cœlestia, & temporalibus spiritualia præponenda. Sicut patet, quod natura supponit terram omnibus elementis, & eam dedit cõculcandam: sed auaritia terrena cælestibus, & temporalia spiritualib. anteponit. Diuitias supponẽdas & calcandas notat hoc, quod primitiui fideles ad pedes Apostolorum diuitias proijciebãt. Act. 4. de Ioseph Cyprio, in fine c. Ibi gl. *Calcandum esse docet natura, quod pedibus subditur Apostolorum.* Anima rationalis sedes Dei est, terra scabellum pedum eius. Mirum quod hoc cœlum, quod est materialiter dignius, terræ supponit auaritia; de quo cœlo vt dicit Ber. *Non solum dixit, vt faceret; sed pugnauit, vt acquireret; occubuit, vt redimeret.* Natura gressibilium quæ terram calcat: volatilium quæ à terra se eleuat; vegetabilium, seminum, plantarum, & arborum, quæ intrusa in terra ab ea egrediuntur, & rursum eriguntur & extenduntur, germinant, frondẽt, florent, fructificant, & ramos dilatant. Natura humana, quam natura erexit ad sydera. *Alio modo* hoc ostendit naturalis conditio ex nobilitate suæ communicationis: naturaliter enim superiores creaturæ bonitatẽ communicant inferioribus. Sicut sol lucem suam cõmunicat lunæ & stellis; & sol, luna & stellæ, lucem suã & virtutem communicant istis inferioribus. Ignis claritatem suam & calorem; & aer lumen à sole receptũ, & lucerna splendorem circunquaque diffundunt. Vnde Dominus Matth 5. *Nemo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Fons nobilis quo plus hauritur, tanto melior & sapidior efficitur eius aqua. Pythagoras. *Ex vna face si plura lumina succenderis, nullum damnum principali materiæ generabis; quę facultatem accipit plus lucendi, quoties causas inuenit plus præstandi.* Similiter scientia quanto plus fuerit distributa, tanto maius recipit incrementum. Est enim scientia nobilis animæ possessio, quæ distributa per partes suscipit incrementum, & auarum dedignata possessorem si non distribuitur elabitur: hæc igitur antedicta sua communicabilitate, & liberalitate detestantur auaritiam, quia bona quæ possidet non communicat, sed retinendo congregat & coarctat. Augustinus. *Omnis res quæ cum datur non minuitur sed augetur, si non datur cum habetur nondum habetur quomodo habenda est.*

2. Exemplorũ instructio.

Secundo peccatum auaritiæ detestandum ostendit exemplorum instructio; hoc Christus verbis & exemplis docuit & monuit esse vitandum. Luc. 12. *Videte, & cauete vobis ab omni auaritia.* Matthæi 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, &c.* Qui cum esset Dominus omnium, & à Deo constitutus hæres vniuersorum, voluit paupertatem extremam & mendicitatem assumere, adeo vt aquam, cuius communis est vsus, mendicaret. Ioan. 4. & non haberet vbi caput reclinaret. Matth. 10. Quod & sui fecerunt, & docuerunt facere discipuli, verbis pariter & exemplis, sicut ab ipso fuerunt edocti. Vnde *omnia arbitrati sunt vt stercora.* Phil. 3. Et Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia,* &c. Dominus etiam præcepit Moysi, vt eligeret viros potentes, & timentes Deum, & qui odirent auaritiam. Exod. 18. Item hoc idem docet sapientia Philosophorum. ait enim Plato: *Non est dignus Deo qui opes non contempserit.*

Exempla.

Ideo Philosophi, vt sapientiam acquirerent, cuius melior est acquisitio negotiatione auri & argenti, diuitias & occupationes terrenas contempserunt, vt sapientię liberius vacarent. Vt patet in Brachmannis, qui fuerunt nudi sapientes, vtentes gramine pro lecto, filuis pro tecto, herbis & radicib. pro alimento, aqua fluminis pro sitis medicamento.

Item Hier. de quodam Philosopho refert, quod cum ad Philosophandum proficisceretur Athenas, magnum pondus auri secum ferens; considerans quod non posset similiter possidere aurum & virtutes, illud à se proiecit, dicens. *O diuitiæ abite procul à nobis.* *Aliud* exemplum, de Dyogene, qui in dolio degens locupletem ducebat paupertatem, ad quem quidam aulicus, cum mundaret olera sua, accedens ait. Tu cum sapiens Philo. sis, si mihi credisses, & regib. seruire voluisses, nõ olera tua lauares, sed in aula summus princeps mecum maneres. Cui respondens ait. Et si mihi credidisses, & paupertate mediocriter vti voluisses, non oporteret te regib. adulando mentiri. Hic etiam cum vidisset quendam cum manibus haurientem aquam, & bibere ad fontem ait: Nesciebam naturam dedisse mihi cyphum, & paruulum vas cum quo aquam bibere solebat, ad lapidem fregit.

3. Mortis meditatio.

Tertium quod dissuadet auaritiam est mortis meditatio, quæ subito omnia aufert. Luc. 12. Ponitur exemplum de diuite, qui dicebat. *Anima mea multa bona habens,* &c. Cui respondit Dominus. *Sulte hac nocti*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

animam tuam repetent à te, nullas tibi dantes inducias, & quæ congregasti cuius erunt? Pro.11. *Nil proderunt diuitiæ in die vltionis,&c.* Poeta.

Defunctumque leues non comitantur opes.

Eccles.41.*O mors, quam amara est memoria tua homini iniusto, pacem habenti in substantijs suis.* Bernardus, *Mundus mexorabilem constituit iaunitorem*, scilicet mortem, *qui de omnibus rebus nihil asportari permittit. sed peccatum nihil est, quod nulla mortis angustia potest retineri.* Augustin. *Auaritiæ morbus nunquam melius compescitur, quam cum dies mortis meditatur.* Hieronym. *Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum.* Item Hieron. *Si habeas sapientiam Salomonis, & pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Sampsonis, longæuitatem Enoch, diuitias Crœsi, potestatem Octauiani, fœcunditatem in sobole Gedeonis, agilitatem Azaelis, strenuitatem Lely, successum Alexandri, delitias Assueri, gratiam Titi, quid tibi prodest si caro detur vermibus*; anima dæmonibus, cum diuite Epulone in æternum crucianda, & concremanda? Diuitiæ etiam relinquuntur crudelibus successoribus. Ad hoc multa habentur exempla supra *de morte.* Nota, quod in morte, omnia vt somnium euanescunt. Ps.75. *Dormierunt somnum suum,&c.*

4. *Damnorum occasio, qua damna possint ad quatuor reuocari.*

QVARTO detestandam ostendunt auaritiam damnorum occasio, vel incursio. Innumerabilia namque mala oriuntur ex auaritia, quæ causa breuitatis possunt sub istis quatuor comprehendi, quæ sunt. Infirmitas abscindenda. Fatuitas irridenda. Iniquitas detestanda. Calamitas formidanda. *Primo* quidem ex auaritia nascitur, vel potius ipsa est infirmitas valde grauis & periculosa, multas conditiones, & circunstantias malas habens. Eccles. 5. *Est infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiæ congregatæ in malum Domini sui.* *Primum est quia auaritia est infirmitas periculosa & grauis.* *Periculosa* quidem est, quia ducit in multa pericula, sicut periclitantes in mari, vehementer adhærent his quæ possunt apprehendere; sic auari amore fortissimo temporalibus adhærentes, pereunt cum eis. Eccles. *Qui amat periculum peribit in illo.* Auari etiam sunt in præsenti in periculis *fluminum, latronum, ex genere, ex gẽte &c.* vt dicitur 2.Cor.11. quia per ignẽ,& aquã,& fures, & alia multa, periclitantur isti cum ipsis rebus, & pereunt omnia ista. Seneca. *videt pauperem, & suspicatur furem; videt diuitem, & suspicatur prædonem, &c.* Poeta.

Impiger extremos currit mercator ad indos.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

In vitis Patrum. Sicut nemo potest nocere ei, qui iuxta Imperatorem est; sic nec diabolus animam quæ appropinquat Deo: cuius autem sensus huc atque illuc diuersus est, & vertitur facillimè; animam illius inimicus in diuersas passiones inducit. *Item* periculosa est; quia multi hac laborant, qui nescium, ideo remedium non quærunt. Seneca. *Initium salutis est notitia peccati: quia qui se peccare ignorat, corrigi non vult.* Seneca. *Nemo se auarum intelligit, nemo cupidum; ideo ad sanitatem difficilè peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.* *Item* periculosa, quia multos inuoluit, omnes videlicet hæredes & successores, ad quos huiusmodi diuitiæ deuoluuntur. *Item* periculosa, quia processu temporis non minuitur sed augetur. Seneca. *Auaritia monstro similis est, quæ in senibus iuuenescit.*

Auaritia est infirmitas grauis multiplici ratione.

ITEM hæc infirmitas non solum est periculosa: sed etiam valde grauis multiplici ratione. *Primo*, quia reddit hominem grauem nimis ad bene agendum, vel grauem, id est ponderosum ad se sursum erigendum, & cœlestia iudicandum. Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde.* Abac. 2. *Iniquitas super talentum plumbi.* Cum enim temporalia sint terrena, & ideo ponderosa, non est mirum si reddunt hominem ponderosum. Abac.2. *Væ qui congregat non sua. Vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum.* Hoc est primum signum infirmitatis, quando homo se sentit plus debito ponderosum. Adeo autem reddit hominem grauem, quod sui ponderis grauitate ipsum ad inferiora deflectit, & quem Deus creauit erectum ad sydera, ipsum ad modum bestiæ incuruat ad infima; vt nihil velit cogitare, diligere, loqui, vel sapere, nisi terrena. Seneca. *Cætera animalia Deus proiecit ad pastum, hominem erexit ad sydera.* Ouidius.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram.
Os homini sublime dedit.

Isa.51. *Dixerunt animæ tuæ, incuruare vt transeamus; posuisti vt terram corpus tuum quasi viam transeuntibus*, scilicet adhærendo terrenis. Glo. *Nisi te incurnaueris, diabolus super te potestatem non habebit.*

DIABOLVS facit de homine, sicut lupus de puero quem nutrit in spelunca, qui cum secundum naturam conditionis humanę vult se erigere super pedes suos sursum ad sydera, lupus nutritor eius cauda percutit eum in capite, vt ad terram more bestiali se prosternat. Psalm. 16. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Ecclesiast. 10. *Protecit in terram intima sua*, cordis, id est amoris, & affectionis suæ, quia *vbi est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Sic igitur patet, quod auaritia est infirmitas grauis, quæ reddit hominem grauem, id est summopere incuruat eum ad infima. *Simile.*

ITEM dicitur infirmitas grauis, quia difficilis ad curandum, quia quanto medicamentum maius apponitur, tanto magis infirmitas augmentatur; quia quo plus adducuntur diuitiæ temporales cordi cupido, eo magis cupiditas adaugetur. Sicut quanto plura ligna igni apponuntur, tanto in maiorem flammam erigitur. Poeta. *Auaritia est morbus difficilis ad curandum propter multa.*

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Item grauius est eius curatio, quia materia nimis adhæret subiecto; sicut quanto materia morbi fortius adhæret membris vitalibus, tanto difficilior est curatio morbi. Temporales autem diuitiæ nimis vehementer adhærent cordi auaro, & ideo vix ab eo possunt auelli. Sicut qui periclitantur in mari, vel aquis currentibus, quicquid apprehenderint ita fortiter tenent, quod non potest eis auferri: vnde auari vix redeunt ad pœnitentiam. Ecclesiast. 31. *Qui aurum diligit non iustificabitur.* Hierem.8. *Apprehenderunt mendacium & noluerunt reuerti.* Sunt enim similes accipitri impinguato, qui non vult redire ad manum reuocantis, licèt ostendat ei carnes rubeas. *Item* similes sunt gallinis, quæ dicuntur esse surdæ in Augusto, quia pastum inueniunt abundantem. Hiere. 22. *Locutus sum tibi in abundantia tua, & dixisti non audiam.* *Simile.*

ITEM grauis est eius curatio, quia materia morbi nimis est venenosa. Cum enim temporalia male acquiruntur, omnibus scienter vtentibus sunt venenum, vel quando nimis amantur, vel quando eis homines abutuntur. Vnde cum Constantinus Imperator ditasset ecclesias quæ prius in tribulatione fuerant, & maxima paupertate, audita est vox dicens: Hodie effusum est venenum in ecclesia Dei. Vnde sicut cyconia nutrit pullos suos venenosis, sic auarus, filios & vxorẽ. Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum*, &c. Similis est auarus Mitridati regi Ponti, qui obsessus à filio suo Farnate, se cum tota familia, datis epulis copiosis, intoxicauit. *Materia auaritiæ venenosa.*

ITEM grauis est huius morbi curatio, quia continua. Ecclesiastici 4. *Vnus est, & secundum non habet, & tamen laborare non cessat.* In die laborat corporaliter operando: In nocte vero mentaliter meditando, & frequẽter etiam somniando. *Auaritia est infirmitas continua & acuta.*

ITEM hæc infirmitas non solum est continua, sed etiam peracuta, cor enim auari ardet vt ignis, quia auaritia ignis est, de quo Prouerb. 30. *Ignis nunquam dicit sufficit.* Mich. 6. *Adhuc ignis in domo impij, & Thesauri iniquitatis, &c.* Ex hoc ardore sequitur sitis inexplebilis & insatiabilis. hic est serpens flatu adurens, qui quos percutiebat, ardore inextinguibili, & siti insatiabili occidebat. De auaro dicitur Prouerb. 13. *Venter impiorum insaturabilis.* Et 27. *Infernus & perditio nunquam satiantur. Sic oculi impiorum insatiabiles.*

DE Bufone dicitur quod reſpiciens terram, & timens quod non poſſit ei ſufficere, intrat foueam ſuam, & cum pede ponderat terram quam comedit. Eccleſiaſtic. 14. *Inſatiabilis eſt oculus cupidi.* Bernard. *Non plus ſatiabitur oculus auari auro, quam corpus aura.* Vnde ſecundum Gregor. *Auarus per hidropicum deſignatur.*

Cor auari varijs curis torquetur.

ITEM hæc infirmitas eſt grauis, propter diuerſas curas ſollicitudinum quibus pungitur, affligitur, & quaſi corroditur cor auari. Eccleſiaſtic. 2. *Peccatori dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluam, vt addat & congreget.* Eodem 5. *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in cura multa atque triſtitia.* Phil. *Pecunia auaro ſupplicium eſt, profuſo decus, patricidium proditori.* Matth. 13. Luc. 8. dicuntur diuitiæ ſpinæ. Gregor. *Profecto ſpinæ ſunt, quia aculeis ſolicitudinum mentem lacerant, & pungunt corda auarorum.* Sunt vt nuces vermiculoſæ à vermibus corroſæ: vt quædam nuces Indiæ, de quibus in hiſtor. tranſmarina dicitur, quod ſunt ad modum capitis humani groſſæ, & apertæ inueniuntur plenæ ſerpentibus mordacibus, id eſt curis malis. Sunt vt poma Sodomorum plena fauilla. Hæ curæ non ſinunt eos dormire. Eccleſ. 2. *Cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem quieſcit.*

Exempla.

AD hoc facit exemplum Diogenis Philoſophi, qui cum in via portaret pecuniam, & eam ſuppoſuiſſet capiti ſuo vt dormiret, aduertit furem ſolicitum quomodo eam furaretur dormienti. Cum autem ipſe præ ſolicitudine ſomnum amiſiſſet, ſciens appropinquantem furem, proiecit ei pecuniam, dicens: Tolle miſer pecuniam, & permitte me dormire. *Cum* quidam dives maneret iuxta cuiuſdam pauperis domum, & poſt cœnæ ſuæ delicias intraret lectum ſuum delicatum & mollem vt quieſceret, occupatus diuerſis curis irruentibus diuerſorum bonorum ſuorum quæ habebat in diuerſis locis, cum non poſſet dormire, audiebat pauperem poſt cœnam parcam & laborem diurnum, in lecto duro ſuauiſſimè quieſcentem, & ſolatium quod habebat cum puero ſuo & vxore. Qui inuidens eius quieti, ſurrexit ante diem, & aperto oſtio pauperis, ſuſpendit in eo burſam plenam pecunia. qui excitatus in mane, cum vellet egredi domum, cadentem pecuniam recepit; & cum diu deliberaſſet quid inde faceret, timens ne vel vxor, vel alius ipſam furaretur ei, finxit ſe pati in renibus, occultans eam ſub lecto ſuo; & iacens ſupra, non valebat dormire de nocte, præ ſolicitudine quid de ea faceret. Cum autem dives quæreret ab vxore pauperis, quid vir ſuus haberet, qui non audiebatur vltra cantans; & illa aſſereret, quod pateretur in renibus, ait. Ego veniam, & curabo eum. Et accedens, & pecuniam ſuam repetens, ipſam ſecum deportauit; & reſtituta eſt pauperi quies priſtina, ſanitas, & iucunditas cum ſomno. Bene igitur diuitiæ dicuntur ſpinæ. Prouerb. 24. *Per agrum pigri hominis tranſiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, cooperuerant ſuperficiem eius ſpinæ, &c.* tamen vt dicitur Iob. 30. *Filij ſtultorum & ignobilium, eſſe ſub ſentibus delitias reputabant.*

Simile.

SVNT contrarij auibus lucis, qui in nidis ſuis ſpinas habent exterius, mollitiem interius, vt ibi ſuauiter quieſcant. Econtra ipſi habent mollitiem veſtium extra, cum diuite Epulone; intra, ſpinas remorſionum; & tamen ſunt vt ruſtici, qui neſciunt quieſcere in molli lecto conſcientiæ, ſed in aſperitate remorſionum; quamuis propter conſuetudinem & morem in peccato auaritiæ, non ſentiunt. Hieronym. *Superflua cura eſt in his rebus cor apponere, quæ cum anguſtia redeunt, & obtenta paruo tempore ſubſiſtunt; ſubſiſtentes ſolicitudinem ingerunt; in quibus eſt ſita corruptio, falſa delectatio, vera deceptio; poſſeſſæ onerant, amatæ inquinant, amiſſæ excruciant.* Bernard. *Deſidera bonum temporale, & ſemper ex ipſo deſiderio torqueberis. Omne bonum temporale originem habet à pœna.* Idem *ſicut ſpinæ degenerant, quæ non pungunt; ſic diuitiæ, quæ non affligunt.*

ITEM grauis eſt, quia inordinatum efficit appetitum; quia auarus appetit nociua, ſicut febricitans appetit vinum, carnes, & huiuſmodi, quæ ſibi ſunt contraria. Prouerb. 1. *Vſquequo paruuli diligetis infantiam, & ſtulti ea quę ſibi noxia ſunt cupient; appetunt laqueos, quibus capiuntur.* 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; & in deſideria multa inutilia, & nociua.* Bernard. *Vidi ego quinque viros, quorum primus buccis tumentibus marinam maſticabat arenam. Secundus ſulphureo aſtans lacui, exhalantem terrimum fœtidiſſimumque geſticbat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans vehementer accenſæ, micantes ſcintillas hiantibus ex opere faucibus attrahebat. Quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, leuioris auræ ſpiritum, aperto attrahebat ore; & in quo minus influere videretur, ipſe ſibi flabello ventum faciebat, ac ſi totum ſperaret aerem deglutire. Quintus ſeorſum poſitus irridebat cæteros; Ipſe quoque irridendus maximè. proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio fugere laborabat, nunc manum, nunc brachium, nunc alias applicans ori ſuo. Miratus cauſam, ſciſcitans à ſingulis, vnam eſſe reperio, vtique validiſſimam famem. Tunc macilentiſſimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miſerabiliter, & dicentis. Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Quid proſunt vobis hæc inquio? quia non ſunt naturales cibi; famem magis prouocant, quam extinguunt.* Per iſtos quinque viros, auari congruè deſignãtur, per arenam vero, fumum, ventum, & ſcintillas, temporalia figurantur. auarus ergo inordinatum appetitum habet, quia deſiderat nociua.

Auaritia inordinatum efficit appetitum quia appetit nociua.

Exemplum.

ITEM quia faſtidit, & refugit proficua, id eſt cibum animæ, qui eſt iuſtitia. Ioan. 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Bernard. *Panis animæ iuſtitia eſt, & ſoli beati qui eſuriunt illam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Item* cibus animę eſt verbum Dei. Deut. 8. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, &c. Item* cibus animæ eſt Euchariſtiæ ſacramentum. Ioan. 6 *Caro mea vere eſt cibus.* &c. *Item* cibus animæ eſt contemplatio diuinæ dulcedinis, & æternæ beatitudinis. Iſa. 58. *Cibabo te hæreditate patris tui Iacob.* Iſtas delitias non guſtat auarus, nec appetit; quia palatum habet infectum. Grego. *Spirituales delitię cum non habentur in faſtidio ſunt; cum vero habentur, in deſiderio; tantoque à comedente amplius appetuntur, quanto ab eſuriente amplius comeduntur.*

Auaritia eſt infirmitas grauiſſima quia diuidit cor à Deo, à ſeipſo, & ſubiecto proprio.

ITEM grauiſſima eſt hæc infirmitas, quia cor auari dilacerat & diuidit diuerſis curis & anguſtiis, & facit triformem diuiſionem: quia primo diuidit cor à Deo, qui eſt vita animæ. Iſa. 59. *Iniquitates veſtrę diuiſerunt inter vos, & Deum.* Item diuidit à ſeipſo, quia cum ſcriptum ſit Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*; quando theſaurum ſuum habet homo in diuerſis locis, neceſſe eſt quod vna pars eius ſit in vno loco, & pars alia in alio loco; quia non poteſt totum eſſe ſimile in pluribus locis. Oſeæ 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Et 1. Corinth. 6. *Qui cum vxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Item diuidit cor à ſubiecto proprio. Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me.* Quamdiu ægrotus bene ſentit cor ſuum, & habet ſecum cor ſuum, ſpes eſt de conualeſcentia; quando vero cor deficit deſperatur; quia cor eſt principium vitæ cum Deo: qui cor perdidit, & vitam perdidit.

Exempla.

DE corde auari facit diabolus ſicut fecit Euilmerodach, de corpore Nabuch. patris ſui. In ſcholaſtica hiſtoria dicitur, quod quia pater ſuus de beſtiali ſtatu redierat ad regnum, poſt mortem patris timens filius ne rurſus reſurgeret, de conſilio maleficorum, diuiſit corpus patris in quadringentas particulas, & dedit totidem vulturibus, quia dixerunt ei malefici quod pater nunquam rediret, quouſque omnes illi vultures inſimul conuenirent.

IN vitis patrum dixit quidam ſenex. Sicut nemo poteſt nocere eum, qui eſt iuxta Imperatorem; ſic nec diabolus eum qui eſt propinquus Deo. cuius autem ſenſus huc atque illuc vertitur, facillimè animam illius diabolus in diuerſas paſſiones inducit.

Auarus faſtidit proficua id eſt cibum animæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Exemplum.

DIVIDIT auaritia mundum filiis ſuis quatuor, ſicut quidam ruſticus diuiſit pyrum vnam, quam ſolam habebat in hortulo ſuo, quatuor filiis, quorum quilibet poſt mortem patris totam volebat habere, cuilibet enim totam legauit. Primogenito dixit: Lego tibi de piro mea quod eſt in ea viuum ac mortuum. Et alteri dixit: Et tibi do viride & ſiccum. Tertio rectum & tortum. Quarto gracile & groſſum. Sic auaritia partitur mundum. Symoniaci habent de mundo viuos & mortuos, à quibus, & pro quibus recipiunt Symoniacas extorſiones. Prædones & Tyrãni accipiũt exactiones ab arentibus pauperibus, & virentibus locupletibus. Tertio aduocati vel iudices iniqui, ab iniuſtas cauſas & iuſtas habentibus, quos ſeducunt, & à quibus dona accipiunt. Vſurarij accipiunt à magnis & paruis, groſſis & gracilibus, clericis & laicis, ruſticis & militibus.

2. Quia auaritia eſt magna ſtultitia vt apparet ex multis, ſc. inſtulte cupiendo, acquirendo, æſtimando, eligendo, diſponendo, & reponendo.

SECVNDO auaritia eſt valde magna ſtultitia, & auarus manifeſtè ſtultus apparet in multis. *Primo* quidem noxia cupiendo; nam more febricitantis, appetit ſibi contraria & nociua. Prouerb. 1. *Stulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient;* ſcilicet laqueos, quibus capti & ligati, trahuntur in infernum ab infernalibus Saracenis. Sicut ductus fuit ad Alexandrum Cyrus Rex Perſarum, de quo dicit Oroſius, quod cum Alexander viciſſet Perſas, nec vellet eos ad pacem recipere niſi adducerent ei Cyrum dominum ſuum, vt de eo faceret quicquid vellet. Amici ſui fecerunt catenas de auro ſuo, quibus vinctus honorabiliter duceretur ad mortem. *Item* auarus accendit ignem quo comburatur. Iſa. 50. *Ambulate in igne, quem ſuccendiſtis vobis. Item* ſpinas quibus ſuccendatur. Iſa. 33. *Spinę congregatæ igni ſuccendentur.*

Auarus acquirit ſibi miſeriam.

ITEM fatuus eſt auarus in acquirendo, acquirit enim ſibi miſeriam, inopiam, cæcitatem, nuditatem: id eſt diuitias quibus efficitur miſer, & pauper, & cæcus, & nudus. Apoc. 3. *Angelo Laodiciæ, dices, quia dicis diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & tu neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cęcus, & nudus.* Verè miſer eſt, quia vt dicit Phil. *Nihil infelicius inſipiente fortunato.* In præſenti quidem miſer eſt, quia omnes miſeriæ turbinum, tempeſtatum, & omnium malorum quæ rebus ſuis accidunt, tranſeunt per cor eius: vnde dicit ſe combuſtum, grandinum tempeſtate conuulſum, ſubmerſum, mortuum, & huiuſmodi. In omnibus iſtis miſeriis ipſe ſolus eſt miſer, quia omnibus iſtis miſeriis ſimul affligitur, & ſibi ſoli non miſeretur, nec ſuam miſeriam recognoſcit. Auguſtin. *Quid miſerius miſero non miſerante ſe.* Pſalm. 37. In perſona talium. *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.* In futuro vero fiet incomparabiliter miſerior. Iac. 5. *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miſerijs quę aduenient vobis.* Prou. 14. *Miſeros facit populos peccatum.*

NOTA quod *ſicut beatus eſt qui habet quicquid vult, & nihil vult malè,* ſecundum Auguſt. *ita miſer eſt, qui non habet quicquid vult, & multa vult malè;* talis eſt auarus: non habet nec habere poteſt quicquid vult, quia cupiditas eius eſt infinita, & multa contra voluntatem eius eueniunt; & quanto plura poſſidet, tanto plura contra cor ſuum eueniunt; & ideo tanto miſerior & triſtior, & ideo bene *contriſtatus ingrediebar.* Eccleſ. 5. *Cunctis diebus vitæ ſuę comedit in tenebris, & in curis multis, & in grumna atque triſtitia.* Eccleſ. 14. *Non ſatiabitur oculus cupidi.* & poſt. *Non ſatiabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam:* vbi ſcilicet ſua conſumuntur, videtur ei quod ipſe conſumatur, & quod omnes comedentes ſua, comedant eum totum.

ITEM miſer eſt, quia ſemper in labore ſuperuacuo. Eccleſ. 5. *Laborare non ceſſat, non ſatiantur oculi eius diuitijs.* Et idem. *Quid prodeſt ei quod laborauit in ventum.*

ITEM miſer eſt, quia ſemper in timore. Deut. 18. *Dabit tibi Deus cor pauidum, timebis nocte & die latrones & prædones.* Sen. *Diues videt regem, & ſuſpicatur prędonem; videt pauperem ſuſpicatur eum latronem.* Iob 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus eius; & cum pax ſit, inſidias ſuſpicatur.* Leuit. 27. *Dabo pauorem in cordibus eorum, terrebit eos ſonitus folij volantis.* Iſa. 24. *Formido, fouea, & laqueus, ſuper te qui habitatores terrę.* Gregor. *Magna ſecuritas nihil habere concupiſcentiæ ſęcularis, nam dum ad terram concupiſcendam cor inhiat, ſecurum tranquillumque eſſe non poteſt: quia aut non habita concupiſcit vt habeat, aut habita metuit ne amittat; & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa.* Ambroſ. *Pauper in pecunia, diues in conſcientia, ſecurius dormit in palea, quàm diues in auro & purpura.* Alexander de ſeipſo loquens ait. Ego inter tumultus & formidines viuo, plurimos ex ipſis qui me cuſtodiunt timeo; maior autem ab amicis ſemper mihi metus eſt, quàm ab hoſtibus quos vereor; eorum conſtipatione cuſtodior, diebus totis varias gentes perſequor & fatigo, noctibus me ſomnus turbat & fatigat; timeo enim ne quis inimicus repentinus impetum in me faciat, &c.

Auarus acquirit ſibi inopiã quia ope Dei ſe deſtituit.

ITEM ſtultus eſt auarus in acquirendo, quia acquirit inopiam. Iob 16. *Apprehendet eum quaſi aqua inopia.* eſt enim inops multipliciter: primo quidem, inops ſine ope Dei, & ſine Deo eſt. Auguſt. in libro confeſſ. *Omnis copia quæ Deus meus non eſt, mihi inopia eſt.* quia vt dicit Anſelm. *Animam Dei capacem nihil minus Deo implere poteſt;* ergo inops, quia ſine Deo eſt, vel quia ſine ope Dei; quia confidit non in Deo. Pſalm. 51. *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.* Vnde cum dicet in morte: *Deus adiuua me;* reſpondebunt ei dæmones irridentes eum, ſicut reſponderunt illi de quo legitur in vitis parum. Cum quidam eremita intraret ciuitatem, vt venderet vaſa; vidit diuitem laborantem in extremis, in domo ſua iacentem, & dicentem: *Deus adiuua me:* Et maximam multitudinem dæmonum ante ianuam eius accurrentium, & dicentium, & irridentium. Nunc vis eſſe memor Dei primo, cum deficit tibi dies, non eſt tibi portio ſpei in hoc, &c. ſicut poſita ſunt exempla ſupra *de inferno.*

Auarus eſt inops, quia ſine ope pauperum, & etiã ſuimet.

EST etiam inops ſine ope pauperum, quibus nec compatitur nec opitulatur, vt diues epulo Lucæ 16. ſed potius abominatur eos. Eccleſ. 13. *ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic execratio diuitis pauper.*

ITEM inops ſine ope ſui; quia diuitiis ſuis non iuuat ſe, nec conuertit eas in vtilitatem ſuam. Eccleſ. 14. *Oculus cupidi inſatiabilis.* Et poſt. *Non ſatiabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam.* Pythagoras Philo. ſcilicet *magna inopia eſt, nihil auaro de ſuo vti licere.* Idem cuidam locupleti dixit. *Stulte, diuitiæ tuæ in te pereunt, paupertatique tibi ſunt ſimiles; cum his eſuris, ſitis, & alges.* Fulgentius. Midas Rex Apolloniæ petiit, vt quicquid tangeret aurum fieret. Quod cum obtinuiſſet, munus in vltionem conuerſum eſt; cum cibus & potus in auri naturam obrigeſcerent. Philo. ſcilicet *Auarus pecuniæ cuncta deputat, & ſe fami deſtinat; & tam ſtultus eſt, vt ſibi prodeſſe non norit.*

Auarus eſt inops opibus materialib.

ITEM inops eſt, ſine opibus materialibus, quas non poſſidet vt Dominus, ſed poſſidetur vt ſeruus, ſicut ſupra dictum eſt; vel quia cum his earum inopiam patitur, vt ſupra proxime monſtratum eſt per verba Philoſophorum. Hieronym. *Auaro tam deeſt quod habet, quam quod non habet: inops eſt in his; quia pecunia finita, cupiditas infinita.* Seneca. *Si vis te diuitem facere, non eſt pecuniæ adijciendum, ſed cupiditati detrahendum.*

ITEM in hiſtoria Brachmannorum legitur, quod cum Alexander veniſſet latenter cum paucis ad ſiluam Dãdami Brachmannorũ Dydaſcali, vt videret & audiret nudi hominis mores & ſapientiam; & inueniſſet eum ſuper herbam iacentem ſub arbore: inter alia multa quæ dixit Alexandro digna memoriæ, ait: *Ferociſſima peſtis eſt cupiditas, quæ ſolet egenos quos capit efficere; dum finem acquirendi non inuenit, ſed magis quo*

fueris

fuerit locupletata mendicat. Boetius. *Permultis indigent, qui permulta possident.* Seneca. *Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur; cum habet messem quam cupiuit, cupit habere vbi horreum reponat, & multa alia; habita vindemia, cupit habere vasa & cellaria; habito auro, cupit habere arcam & seram. Sic ex vna cupiditate nascuntur multæ.*

Auarus est inops opibus spiritualib.

ITEM inops est opibus spiritualibus, quæ sunt virtutes, & scientiæ. Sicut dicit Dominus Episcopo Laodiciæ. Apoc. 3. *Dicis, quod diues es, &c. & nescis, quia es pauper, & nudus.* & est causa, quia cupiditas pecuniæ est in anima, quam non potest replere res corporalis, cum ipsa sit res spiritualis, sicut nec rem corporalem res spiritualis; vt non potest replere arcam, gratia, aut scientia. Ad hoc facit, quod respondit prædictus Dandamus Alexandro dicenti: Doce nos aliquid sapientiæ plenum. Ait Dandamus. Si ego volo acceptum à Domino tibi offerre censum, ipse non habes vbi tale munus capias. Impleuerunt enim animam tuam auidæ ac immodicæ cupiditates: quomodo desiderio tuo satisfacere possum; quod totus mundus tibi seruiens explere non potuit, aut frænare? Et si omnia velis possidere, tandem necesse est, vt solum ad vltimum habeas, quantum vides me iacentem occupare.

ITEM inops est, quia sine opibus: quia vt dicit Bernardus, *Cum opera bonorum sequuntur illos, opera malorum sequuntur illos: quia ab operibus misericordiæ vacui sunt.*

Auarus acquirit sibi cæcitatem.

ITEM fatuus est in acquirendo, quia acquirit vnde efficiatur cæcus. Interponit enim terram inter cor suum, & verum solem Christum. August. in persona auari. *Defluxi ad temporalia, & obscuratus sum.* Psalm. *Repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum:* Tobias stercore hirundinum excæcatus est, & auarus ex acquisitione temporalium, quæ stercora sunt iudicio Apostoli Phil. 3. *Omnia arbitratus sum vt stercora.* 1. Mach. 2. *Gloria hominis stercus & vermis.* Auarus similis est Sedechiæ, quem Nabuchodonosor excæcauit in Reblata, quod interpretatur, *Multa hæc,* & significat multitudinem bonorum temporalium, in qua excæcantur diuites, vt non videant quid agendum.

Exemplum.

QVIDAM magnus magister in literatura, habuit discipulum nobilem genere, qui dicebat sæpe coram magistro suo, quod episcopi Franciæ cæci erant, qui magistrum tantum clericum, non vocabant ad beneficia præbendarum. qui cum factus esset Episcopus, vocauit nepotes suos ad beneficia ecclesiastica, magistro contempto. Vnde cum in quadam processione clara luce esset, occurrit ei dictus magister suus cum duobus torticiis succensis. & cum causam huiusmodi facti requireret, ait. Domine hæc ideo feci, vt repellam à vobis cæcitatem quam videbatis in aliis qui me non vocabant, quam contraxistis ex acquisitione honoris & diuitiarum, vt non videatis in vobis diues, quod in aliis videbatis pauper ante episcopatum.

Auarus acquirit sibi nuditatem.

ITEM auarus nudus efficitur, quia spoliatur omnibus spiritualibus bonis, scilicet veste gratiæ, gemmis virtutum, & thesauro gloriæ Iob 23. *Nudus est infernus coram eo:* id est cor auari, quod comparatur inferno, quia satiari non potest.

Auarus male æstimat temporales diuitias esse veras.

ITEM auarus stultus est in æstimando, quia temporales diuitias esse veras æstimat, quæ veræ diuitiæ non sunt, sed magis sophisticæ: propter quod in scriptura sacra dicuntur esse ventus, fumus, vmbra, somnium. Eccles. 34. *Somnia extollunt imprudentes; sicut qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum; sic qui attendit ad visa mendacia.* Augustinus *Nonne omnia fumus, & ventus? nonne omnia transeunt, & currunt? Væillis, qui adhærent transeuntibus, quoniam cum illis simul transibunt. Nonnè omnia quasi fumus præceps currens in mare? Væillis, qui in his ceciderunt, quoniam cum his in mare trahuntur.* quia secundum Gregor. *Qui habenti innititur, nescit* cesse est vt cum habe nte labatur. Somnium dum somniatur, & verum esse putatur, & teneri manibus sed statim deficit, & n on inuenitur. Dan. 2. *Nabuchodonosor vidit somniũ, & somniũ fugit ab eo:* sic & diuitiæ euanescunt vt somni a, & velut vmbra fugiunt. Hoc bene recognoscu nt impij in inferno. Sicut dicitur Sapient. 5. *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt hæc omnia tanquam vmbra, &c.* Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Exemplum.

PETRVS Alfon. dicit, quod diuitibus accidit in morte sua, sicut cuidam opilioni, qui habebat mille oues, vt videbatur ei in somnio, quas cum vellet vendere, & quidam emptor vellet eas emere, volebat ei pro eis dare duo millia solidorum. Cum autem venditor nollet eas dare, nisi alium pro qualibet oue denarium superadderet, & emptor assereret nummum vltra duos solidos se non daturum; dum hoc modo litigarent, excitatus venditor, vidit somnium euanescere, & se oues dictas amittere; & tunc clamauit, accipe quamlibet pro duobus solidis, & nihil ei valuit, ouibus euanescentibus & emptore. Sic diuites in morte, qui in vita nolunt dimittere pauperibus, vel Deo, temporalia pro æternis, nisi adsit lucrum temporale, in morte amittunt temporalia & æterna.

ITEM ad hoc est exemplum de quodam, cui per incantationem alterius videbatur factus esse Imperator. Cum autem incantator rogaret eum, quod de dignitatibus suis aliquam ei daret, noluit ille aliquid sibi dare: propter quod incantator offensus, exufflauit, & sic totum euanuit, ac per hoc ille delusus, imperium & omnia de quibus extollebatur, amisit.

Auarus stultus est in eligendo terrena pro æternis.

ITEM auarus stultus est in eligendo, quia præfert temporalia spiritualibus, contemnens spiritualia & æterna pro terrenis. Ecclesiast. 2. *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non cessat, non satiantur oculi eius, dicens. Cui laboro & fraudo animam meam bonis:* scilicet spiritualibus & æternis, quia vt dicit Bernard. *Stulti æstimatores de minimis maximam, & de maximis minimam curam gerunt, plangunt enim amissionem temporalium, non spiritualium bonorum aut æternorum; & ad ea quę ad Deum pertinent tergum vertunt.* Sunt mulieres plangentes Adonidis mortem, qui secundum gentiles dicitur fuisse amicus Veneris, & significabat præsentem prosperitatem, quam amat luxuria & voluptas. Ezech. 8. Sunt similes vigintiquinque viris, qui adorabant ad ortum solis, id est præsentis prosperitatis, versis dorsis ad templum; quia auaritia præsentem rerum prosperitatem, & ad Orientem adorat; Deo & ecclesia contemptis.

Exemplum.

AD hoc facit quod refert magister Geruasius in libro de mirabilibus terrarum, vbi dicit, quod temporibus suis accidit, quod in ecclesia beati Ruffi Valentinensis Diœc. fuit quidam cellerarius, qui adeo solicitus erat curis terrenis, quod frequenter dimittebat officium diuinum; & maximè cum alij dicerent post cibum *Miserere mei Deus;* Ipse loco eius solitus erat dicere *Laudate Dominum omnes gentes,* vt citius se expediret, & curis intenderet. Qui mortuus, post multum tempus apparuit cuidam fratri mirabiliter afflictus, & dixit causam esse suę grauissimę & diutissimæ afflictionis, ea quæ prædicta sunt, scilicet quod propter curas temporales Dei officium contemnebat. Sed dixit, quod si per anni spatium fratres sui eum iuuarent orationibus, & maximè missis, & aliis beneficiis, confidebat quod liberaretur, & hoc intimaret ei si posset. Cum autem frater ille intimasset aliis, & illi ei in supradictis per anni spatium subueniissent, apparuit in fine anni dicto fratri cui prius, cum læto vultu, asserens se esse liberatum à pœna, per suffragia dictorum fratrum. *Item,* quod longè peius est, auarus temporalia præfert Deo, quem propter illa offendere non veretur, sicut infra patebit.

ITEM temporalia præponit sibi, quia sua tempora-

lia vult habere bona, & de hoc totam curã gerit. Aug. *Adeo cæcitas mentis conualuit, & adeo obſurduit homo interius, vt omnia velit bona habere præter ſeipſum. Quid, eſt, quod nihil omnino rerum tuarum malum vis habere? non vxorem, non filium, non ſeruum, non tunicam, non caligam, & tamen vis habere vitam malam; rogo te præpone vitam tuam caligæ tuæ.* De perditione ſuorum magis dolet auarus, quam de perditione Dei; & omnes paſſiones rerum ſuarum pertranſeunt per cor eius, tanquam per clypeum. De veſtibus ſuis mundandis & curandis, frequenter curam gerit, ac de ſotularibus ſæpe emendandis; de anima ſua emendanda per confeſſionem, non curat.

Auarus ſtultus eſt in diſponendo de futuris.

ITEM ſtultus eſt diſponendo quæ non ſunt in ſua poteſtate, ſcilicet de temporalibus futuris, & actionibus. Vnde illi qui dicebat Lucæ 12. *Anima mea multa bona habes, &c. Deſtruam horrea, &c. ait Dominus. Sulte repetent hac nocte animam tuam à te, &c. Item* ſtultus eſt in reponendo acquiſita, non in loco tuto, contra conſilium Domini. Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo* non in loco periculoſo, vbi fures, & prędones, & pericula ſunt infinita, per quæ amittere congregata ibi neceſſe eſt. Bernardus. *Non eſt tutum, imò ſtultum ibi theſauros reponere, vbi cum indigueris non poſſis eos habere.* Similis eſt auarus gallinæ, quę ibi oua ſua deponit, vnde quotidie tolluntur. Sic auarus diuitias ſuas congregat in hoc mundo. *Eſt*, vt dicitur Oſeæ quinto, *vt columba ſeducta non habens cor ſapiens*, quæ ibi nidificat, & pullos ſuos collocat, vbi amittit eos. Similiter auarus diuitias in hoc mundo.

Auarus eſt ſtultus in reponendo diuitias extra cælum.

Exemplum.

NON ſic faciebat quidam ſapiens, qui quæcunque in hoc mundo congregauerat, amiſſum reputabat, & non ſuum. Vnde cum Dominus ſuus quæri feciſſet ab eo quantum haberet in redditibus; reſpondit, quod tantam ſummam, quantum in ſingulis annis dare conſueuerat pro Deo. Cum autem ille argueret eum de maiori; reſpondit quod illa non erant ſua, quæ fortuna habebat in ſua poteſtate, quę ſcilicet congregauerat in hoc mundo, quæ potius erant in poteſtate Domini ſui, aut prædonum, quam ſua. Sed illa verè ſua erant quæ per manus pauperum poſuerat in loco tuto cæli, pro quibus nec timebat fures, nec raptores, niſi propriam culpam.

Auaritia eſt grauis iniquitas & radix omnium malorum.

TERTIO ex auaritia oritur, imò ipſa eſt grauis iniquitas; ſicut dicitur Eccleſ. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* Et poſt. *Nihil eſt iniquius quam amare pecunias*; quia ſc. ex ipſa oritur contemptus Dei, & omnium diuinorum: hæc enim facit quod auaro plus ſit nummus quam Deus, quam anima propria, quam gratia vel gloria, quam veritas vel caſtitas, quam iuſtitia vel miſericordia, quę pro numero ſępe venduntur, aut deferuntur. Et quod Iudas ſemel vendidit triginta argenteis, auaritia pro denario vel obolo ſępe vendit. Peccatum auaritiæ grauiſſimum eſt, quia radix omnium malorum. 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Vnde cor auari eſt ſicut Pantheon, id eſt templum & habitaculum omnium dęmoniorum. & ideo ſicut in exercitu, contra illum qui eſt Capitaneus principaliter eſt pugnandum, quia illo victo vel ocioſo, omnes alij faciliter deuincũtur, ſic contra auaritiam, quæ caput eſt omnium vitiorum.

Ex auaritia oritur ſuperbia.

SCIENDVM autem quod ex ipſa oritur ſuperbia. Eccleſ. 40. *Facultates & virtutes exaltant cor.* Et Prouer. 8. dicuntur *opes ſuperbæ*, quæ ſunt occaſio ſuperbiæ Aug. *Vermis diuitiarum eſt ſuperbia.* quia ſicut vermis oritur ex ligno, vel panno, & illud corrodit, ſic ſuperbia oritur ex diuitiis, & illas conſumit. *Item* ex ipſa oritur inobedientia: præcipuum ſignum reprobationis Saul videtur fuiſſe cupiditas, quam habuit ad prædam Amalech. 1. Reg. 11. Vnde dixit ei Samuel. *Quare non audiſti vocem Domini ſed conuerſus ad prædam es?* *Item* Achan cupiditate ſeductus, furatus eſt de anathemate Hiericho. Ioſue 7. ſed pro illo lucro damnum terribile reportauit.

Item inobedientia.

Contemptus Dei, contemptus prædicationis, irreuerentia.

ITEM ex ipſa oritur contemptus Dei, ſicut dictum eſt. *Item* contemptus prædicationis: vnde Phariſæi audientes Chriſtum (qui erant auari) contra auaritiam prædicantem, deridebant eum. Lucæ 16.

ITEM auaritia generat irreuerentiam templi, & eorum quæ ad templum pertinent. vnde ſacerdotes Iudæorum, quia volebant quod homines frequenter offerrent, permittebant vendi in templo illa quę lege prohibebantur. Matth. 21. & Marc. 11. Lucæ 19. Ioan. 11.

Contemptus gloriæ, Inuidia.

ITEM contemptum gloriæ, vnde inuitati ad cœnam excuſauerunt ſe, emptores boum & villarum, Luc. 14. Item auarus generat inuidiam. Prouerb. 28. *Qui feſtinat ditari, & alys inuidet, ignorat quod egeſtas ſuperueniet ei.* Gregor. *Qui nihil appetit in terris, aliorum profectibus neſcit inuidere.*

Proditiones.

ITEM generat proditiones, exemplum de Iuda, Matth. 26. *Quid vultis mihi dare*, &c. Item de Dalila, quæ propter pecuniam à Philiſtæis promiſſam, Samſonem tradidit. Iud. 16. Item de Simone de tribu Beniamin, qui contra Onyam ſacerdotem concitauit Appollonium, & regem Antiochum, dicens ærarium pecuniis innumerabilibus eſſe plenum. 2. Machab. 10.

Ingratitudo.

ITEM ex auaritia oritur ingratitudo. Auarus enim ingratus eſt Deo multipliciter. *Primo* quia Deo de beneficijs ab eo receptis gratias non exoluit, nec ad benefactorem attendit. Vnde ſimilis eſt porco cui proijciuntur glandes, qui nec proijcientem reſpicit, nec vnde ſibi proueniant cogitat, nec attendit, ſed proiectas comedit, ſine benedictione & gratiarum actione.

Auarus eſt Deo ingratus multipliciter.

INGRATVS eſt, quia Dei beneficia non cognoſcit. Ozeæ 13. *Adimpleti ſunt, ſaturati ſunt, & eleuauerunt ceruicem ſuam, & obliti ſunt mei.* & quanto plura bona quis facit eidem, tanto magis dat eum obliuioni, & minus reducit eum ad memoriam. & ſic quanto plus Deus beneficia ſua ſuper eum multiplicat, tanto plus ingratus efficitur. Gregor. *Qui felicitatem quæſitam in terris inuenit, auctorem qui eam tribuit non requirit. Ingratus* eſt, quia de bonis ſibi datis abundanter à Deo, non vult dare datori ſuo petenti per pauperem; vel ſi dat, inuitè, cum tædio, & frequenter cum vituperijs & contumelijs pauperi irrogatis; nec ſolum dare recuſat, verumetiam ad vſuram centuplum mutuare. Auguſt. *Da mihi de eo quod dedi tibi; de meo quæro; da & reddam: habuiſti me largitorem, habeam te feneratorem; pauca mihi das, plurima tibi reddam, temporalia das, æterna retribuam.* Bernard. *Quid inſaniæ eſt, quod cunctantur homines ſimpla relinquere pro centuplis? vbi eſt cupidus? vbi eſt auarus? vbi ambitioſus? vbi acquiſitor huius ſæculi: Ingratus* eſt, quia quanto plura bona fecerit ei Deus, tanto minus timet eum offendere, & minus ei reputat ſe teneri, & de beneficijs Dei magis eum impugnat. Deut. 32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit.*

Auaritia generat iram contentiones &c.

ITEM auaritia generat iram, contentiones, ſeditiones, & guerras. Gen. 13. *Erat ſuperbia eorum*, id eſt Abraham & Loth, *multa, & nequibant communiter habitare: facta eſt autem contentio inter paſtores eorum.* Item Gen. 26. *Poſtquàm Iſaac locupletatus eſt, paſtores eius, & vicinorum ſuorum, iurgari cœperunt.* Seneca. *Quietiſſime viuerent homines, ſi iſta duo pronomina de medio tolerentur, Meum, Tuum.*

Exemplum.

ITEM in chronicis. Alexander cum paucis inuaſit quaſi totum mundum, quia hi habebant præ oculis aurum, partitique ſunt diuitias totius Orientis, quæ prouocabant eos ad prælia. *Item* cupiditas auri & argenti acquirendi, prouocat guerras.

LEGITVR in chronicis, quod temporibus quarti Henrici Imperatoris, Gulielmus Dux Normanniæ, cum Richardo, & Guichardo, occupauit Syciliam, & Calabriam, & Apuliam, qui cum eſſet Dux probus & pauper, per hanc viam prouocauit ſibi auxiliarios. Fecit enim equos ſuos & ſuorum ferrari clauis argenteis, innuens terram illam opulentiſſimam, & abundãtem in argento. Quod vidẽtes Normãni, Frãcigenæ, &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Burgundi, prouocati sunt ad sequendum eum propter lucrum. Cum autem duxisset eos in Apuliam, fecit fieri denarios de corio, quibus vtebatur exercitus eius pro argenteis; cum eis expugnans Danos, Græcos, & Parthos: de quorum spoliis larga dedit stipendia de argento, & pro coriatis denariis fecit argenteos.

Auaritia generat tristitiam, tenacitatem &c.

ITEM generat tristitiam Matth. 19. Adolescens audiens. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, abijt tristis; multas enim habebat possessiones.* Aug. in Ench. *Sine dolore res non amittitur, quæ cum amore possessa est. Item* facit homines nimis tenaces. Sicut enim dicit Bern. Auari similes sunt illis qui periclitantur in mari, qui rebus quas apprehendunt ita vehementer adhærent; quod ab eis separari non possunt, sed periclitantur cum eis Eccles. 14. *Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia. Similes* sunt Tygridibus, de quibus in historia transmarina dicitur, quod aurum custodiunt, & eo non vtuntur. *Sunt* etiam similes cani super fascem fœni, qui nec ex eo comedit, nec animalia de eo comedere finit. *Similes* sunt auari Lilio pertinaci Imperatori, de quo dicitur in chronicis, quod cum esset in vita priuata, ita tenax erat & parcus, quod dimidiam lactucam in mensa sua apponebat.

Simile.

Exempla.

ITEM contra cupidos, & tenaces dicebat magister Iacobus de Vitriaco, quod quidam tantum quendam pastillum seruauit, quod cum aperiretur, exierunt inde mures coram hospitib. suis. Quidam potius dimittunt res putrescere, & dant potius meliorem partem canibus & gallinis, quam pauperibus Iob 20. *Nihil remansit de cibo eius, propterea nihil remanebit de bonis eius. Item* quidam tamdiu retinent vestimenta sua, quod nulli vsui apta sunt, & ita defraudant pauperes, & faciunt de cappa vsitata tunicam, post caligas, post laccos, ita quod nihil cedit in vsus pauperum. *De* quodam tali dicebat idem, quod cum esset in congregatione militum, & diceret seruienti suo, affer mihi cappam meam foratam, & ille non inueniret tam cito, inter multas vestes de quibus pertica erat onerata, ait Dominus. Fili meretricis non cognoscis tu eam? Cui respondit iratus. Ita Domine, transacti sunt septem anni. Quod audientes alij, riserunt.

Auaritia gignit iniustitiam.

ITEM generat iniustitiam; vnde iudices & prælati summè deberent eam odire. propter quod signanter dicit Iethro Exod. 18. *Prouide de omni plebe viros, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* & de filiis Samuelis dicitur 1. Reg. 8. *Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.*

Exempla.

ITEM Menelaus per pecunias quas promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium: deinde per vasa de templo furtiuè sublata, quæ dedit Andronico, fecit Oniam occidi: tandem apud regem Antiochum accusatus, corrupit eum pecunia, & contra accusatores fecit proferri mortis sententiam. 2. Mach. 4. *Item* nequam ille Menelaus propter eorum qui in potentia erant auaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia, & ad insidias ciuium. 2. Mach. 3. *Item* cum quidam Iudæi de mandato Machabæi, obsiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles; accepta pecunia quosdam effugere permiserunt; quos Machabæus tanquam proditores, & fratrum venditores, interfecit 2. Mach. 11.

Auaritia gignit furta, fraudes, homicidia &c

ITEM non solum non reddit auarus, vel restituit alienum, immo diripit alienum. Auaritia enim generat furta, rapinas, fraudes, iniurias, & homicidia. Mich. 6. *Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli diuersa pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate?* De rapinis dicitur Ecclesiastic. 13. *Venatio Leonis Onager in eremo;* sic pascua diuitum sunt pauperes, ideo semper esuriunt, & macilenti sunt; quia de rapina viuunt, vt mergi, & milui, & lupi. Dicitur quod omne animal viuens de rapina macilentum est. Prouerb. 11. *Alij diuidũt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt aliena, & semper in egestate sunt, &c.* Item propter adhærentiam cum temporalibus, & tenacitatem, vix induci possunt homines ad reddendum, vel restituendum alienum. licet dicatur Matth. 18. *Redde quod debes;* & ideo quia non vult, *tradetur tortoribus.* Iacob 5. *Ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, qui fraudati sunt à vobis clamant, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

Simile.

SVNT vasa diaboli, & os vel puteus inferni, quæ de facili recipiunt, sed non de facili emittunt. *Item* sunt sicut quoddam vas testeum, quod per paruam aperturam recipit de facili monetam, sed non emittit aut reddit, nisi per fracturam. Sic auari cum sentiunt fracturam mortis, præcipiunt clamores pacificari, non ante. Multi per auaritiam sic vehementer emungunt, diuersis iniuriis, calumniis, & fallaciis, necessarium victum pauperum, quod eliciũt sanguinem, id est vitam, quia sicut dicitur Prouerb. 30. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Ecclesiastic. 34. *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum homo sanguinis est; qui aufert in sudore suo panem, quasi qui occidit proximum suum.* Tales sunt similes Scyniphibus, & Muscis Ægypti, qui pungunt vsque ad haustum sanguinis; qui quanto veniunt nouiores, tanto sunt molestiores, & crudelius affligentes. Sic est de Præpositis, Balliuis, & aliis officialibus cupidis & auaris.

Auaritia gignit gulam, luxuriam, &c.

ITEM auaritia generat sæpe gulam. Luc. 16. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Item* generat luxuriam. Eccl. 47. dicitur de Salomone. *Congregasti quasi auricalcum aurum, & vt plumbum argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.* Et in legenda B. Magdalenæ, dicitur. *Rerum affluentium voluptas comitari solet.* De Sodomitis quoque dicitur Gen. 13. & Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, & ocium.* De criminibus quę solet auaritia generare dicit August. *Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cum ipsæ bestiæ modum teneant; tunc enim rapiunt cum esuriunt, parcunt prædæ cum saturitatem sentiunt: sola auaritia diuitiarum insatiabilis; nec Deum timet, nec homines reueretur; nec patri obedit, nec matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat; viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitutem reuocat, falsum testimonium profert, res miserorum occupat, quasi si nunquam morerentur auari.*

Auaritia infert horrendam calamitatem: se. in morte.

QVARTO ex auaritia sequitur horrenda calamitas. *Primo* quidem in morte, quia morte diutissima moriuntur auari. In dolore maximo consueuerunt mori diuites; quia violenter, & omnino contra voluntatem eorum auelluntur à rebus nimis ardenter amatis. Eccl. 11. *O mors, quam amara est memoria tua homini iniusto, & pacem habenti in substantijs suis.* Si memoria mortis est amara, multo magis eius præsentia. Achan, quia propter auaritiã tulit de anathemate, à populo lapidatus interiit Achab vineam Naboth concupiuit, ipsum occidit, & ipse turpi morte percussus est. Iudas Dominum vendidit, & ipse laqueo se suspendit. Ananiam, & Saphiram mors subita & improuisa extinxit.

In Iudicio.

SECVNDO auaris maior erit calamitas in iudicio, quando de omnibus oportebit eos reddere rationem, & Dominus iram suam ostendet eis. Psalm. 2. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, &c.* Matth. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.* Zach. 1. *Ira magna irascar super gentes opulentas.* Iacob. 5. *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs quę aduenient vobis.* Glo. *Nescis miser cum thesauro, thesaurum iracundiæ Dei pariter tibi accumulari?* Bernard. *Quid tibi insipiens delicię sapiunt? quid diuitię cæcos oblectant oculos, quibus tam graue tibi mercaris iudicium, tam durę te obligas rationi? Vniuersa siquidem vsque ad quadrantem nouissimum exigeris.*

In exclusione à regno cœlorum.

TERTIA sequitur calamitas longè maior, quia finaliter excluduntur à regno; quia gloria futura non admittit auaros. 1. Corinth. 6. *Auari regnum Dei non possidebunt.* Ephes. 5. *Auarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Matth. 19. Marc. 10. *Difficile est confidentes in diuitijs regnum Dei intrare. Facilius*

est Ca-

Nota. *est camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in Regnum cœlorum.* Similiter idem Luc. 18. Foramen acus erat porta in Hierusalem, quæ dicebatur porta acus, per quam non intrabant cameli, nisi inclinati, & exonerati à sarcinis onerosis. Sic nec diuites per angustam portam cœlestis patriæ, nisi exonerati ab illicitè possessis, & humiliati per pœnitentiam. Bernardus, *Quid camelo gibbum, quid pecuniosi Iudæ proditoris loculos tollis, & sarcinas. Non sic impij non sic, angustum est foramen acus, quod tales ingredi non permittit.* Item gloria cœlestis patriæ detestatur auaritiam, *quæ est,* vt dicit Gregor. *omnibus vna, & singulis tota, ibi nullus auarus, cum communis omnibus sit Deus, & singulis totus.* Item quia cœlestes diuitiæ ibi sunt appetendæ, vt dicitur Matth. 6. *vbi neque ærugo demolitur, neque fures effodiunt.* Gregor. *Si diuitiæ appetantur, ibi seruientur, vbi perire non possunt; honores ibi appetantur, vbi nulli indigni honorantur; salus si diligitur, ibi desideretur, vbi de eius amissione non timetur; vita si diligitur, ibi acquiratur, vbi morte non finitur.*

In detrusione in infernum. QVARTA calamitas horrenda nimis est, quia detruduntur in infernum; temporales enim diuitiæ sua grauitate deprimunt eos, & demergunt in profundũ. 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, &c. quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Deut. 17. *Non habebit rex auri & argenti immensa pondera.* Glo. *ad infernum mergentia.* Quidam Philosophus periclitari timens in aqua, aurum vel pecuniam quam habebat ob viaticum, proiecit in aquam, dicens: *Ite pessimæ diuitiæ, malo vos submergere, quam submergi à vobis.* nec tantum sub mergunt diuitiæ, sed etiam propter eas grauissimè puniuntur auari in igne inferni, cum diuite Epulone: vbi dicere poterunt eis dæmones, quod Parthi dixerunt Crasso Principi Romanorum, qui impugnabat eos: Cui cum promisissent, quod si dimitteret impugnare eos, darent ei tantum de auro, quod deberet sibi sufficere. Quod cum eis iurasset, & ipsi eum tenerent in munitione sua, ceperunt eum, aurum bulliens per os eius proijcientes, vbi sibi modicum aurum suffecit, & dicebant ei: Aurum sitisti, aurum bibe. Iacob. 5. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, argentum & aurum vestrum æruginauerunt, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, quæ comedet carnes vestras* tanquam ignis; thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.

Exemplum. QVÆDAM vetula sub specie sanctitatis acquisiuit multas pecunias, quia qui volebant eleemosynas facere, dabant ei ad erogandum pauperibus. ipsa autem implebat ollas subterraneas, quas morte subita præuenta, intactas reliquit. Cum autem inuentæ essent, & innotuisset; episcopus noluit dictam pecuniam retinere, dicens pecunia tua tecum sit in perditionem. De nocte autem vox de eius tumulo audita est: Ardeo, ardeo. Quo aperto de licentia sacerdotis, inuenerunt de ore vetulæ quasi metallum ebullire, & flammam fœtidissimam inde exire. Illa autem recooperta, & oratione facta, tam à Sacerdote, quàm à populo, non est vlterius vox audita.

De solicitudine.

DISTINCTIO III.

DICTO de auaritia in genere, nunc considerandum est de filiabus eius in speciali. Primo de inquietudine, siue solicitudine temporalium. Secundo de astutia. Tertio de dolo. Quarto de fraude. Quinto de proditione. Sexto de mendacio. Septimo de periurio. Octauo de furto. Nono de rapina. Decimo de vsura. Vndecimo de acceptione munerum. Duodecimo de auaritia aduocatorum. Tredecimo de symonia. Decimoquarto de proprietate claustralium. Primo itaque dicendum de inquietudine, quæ oritur ex auaritia, in quantum ingerit homini temporalium rerum solicitudinem, & curas superfluas.

Solicitudo commendãda est triplex sc. respectu sui, Dei, & proximi. SCIENDVM autem, quod multiplex est solicitudo. Est enim solicitudo commendanda, & est solicitudo moderanda. *Solicitudo* commendanda, quędam est respectu sui, quædam respectu Dei, & quædam respectu proximi. *Solicitudo* respectu sui, est vehemens studium circa salutem propriam, quando scilicet homo studium applicat ad agendum pœnitentiam. Sicut dicit Apostolus 2. Corinth. 7. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ecce enim hoc ipsum quod contristati vos, quantam solicitudinem operatur in vobis*; scilicet de agenda pœnitentia pro peccatis præteritis.

1. Mouet ad pœnitentiam, vigilantiã, & diligẽtiã. ITEM ista solicitudo facit in homine cautelæ vigilantiam; qua videlicet solicitè sibi cauet, ne incidat in peccatum. propter quod dicitur Deut. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam solicitè.* Multum debet homo solicitus esse circa custodiam animę suæ, ad imaginem Dei creatæ, Christi sanguine pretioso redemptæ, Item quia anima est patris æterni filia, Christi sponsa, & Spiritus sancti templum facta. Vnde sicut pater habens filiam charissimam sibi, diligenter & solicitè custodit eam, & multum zelat pro ea; sic animam Dei filiam, custodiæ nostræ commissam, solicitè custodire debemus Eccles. 42. *filia patris abscondita est, vigilia & solicitudo eius aufert somnum, ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur, &c.*

ITEM ista solicitudo dat homini, bene operandi, & merita conquerendi diligentiam; sicut exemplum nobis præbent artifices mundiales. Eccles. 38. *Omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, &c.* Et infra. *sic faber ferrarius sedens iuxta incudem &c. Sic figulus sedens ad opus suum, & vertens pedibus suis rotam, in solicitudine positus est semper propter opus.* Reuera omnes isti negligentiam nostram confundunt; quia magis sunt soliciti de suis operibus, propter victum corporis acquirendum, quam nos de meritis acquirendis propter salutem animæ, & æternum præmium assequendum.

2. Inducit timor diuinæ æquitatis, amor diuinæ bonitatis, & honor diuinæ maiestatis. ITEM debemus esse soliciti de his quę pertinent ad Deum. Adhanc autem solicitudinem inducit nos timor diuinæ æquitatis. Vnde Iob 23. *Considerans timore solicitor.*

ITEM amor diuinæ bonitatis Mich. 6. *Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo*: cum Deo enim ambulat homo per amorem. Item Rom. 12. *Solicitudine non pigri spiritu feruentes, domino seruientes. Item* honor diuinę Maiestatis; debet enim homo solicitus esse de his quę ad honorem Dei pertinent. 1. Corinth. 7. *Qui sine vxore est cogitat quę Dei sunt, quomodo placeat Deo.* Et Iosue 23. *Estote soliciti, vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt, &c.*

3. Mouet ad connexionẽ, subuentionẽ, compassionẽ, & directionem. ITEM debemus esse soliciti de his quæ pertinent ad proximum, vt videlicet exhibeamus, & solicitè conseruemus connexionem conuiuentibus, subuentionem indigentibus, compassionem patientibus, directionem oberrantibus.

DE PRIMO Eph. 4. *soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Huius connexionem pacis & concordiæ, quæ debet esse in corpore Christi mystico, ostendit Apostolus 1. Corinth. 12. exemplo corporis humani dicens. *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus non estis mihi necessarij, &c.* Sequitur. *Non sit schisma in corpore, sed pro inuicem solicita sint membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.*

DE SECVNDO Luc. 10. dicitur Marthæ, Domino & Apostolis tanquam pauperibus ministranti. *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, &c.* Et To. 1. *Pergebat per omnem cognationem suam, & mo-*

nuia

nita ſalutis dabat eis; dabatque vnicuique prout poterat de facultatib. ſuis; eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat. De tertio 2. Mach. 15. *Erat eis pro vxoribus & filijs: itemque pro fratribus & cognatis, minor ſolicitudo: maximus vero & primus pro ſanctitate timor erat templi.* Et Luc. 7. *Centurionis cuiuſdam ſeruus malè habens erat morituru s, &c.* Sequitur. *Miſit ad Ieſum ſeniores Iudeorum. At illi cum veniſſent, rogabant eum ſolicitè: dicentes ei, quia dignus eſt vt hoc illi præſtes, &c. De quarto.* Rom. 12. *Qui præeſt in ſolicitudine*: ad hoc enim præcipuè tenentur prælati ex officio. ideo dicebat Apoſt. 2. Cor. 11. *Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum.*

ITEM eſt ſolicitudo moderanda, ſcilicet ſolicitudo rerum temporalium; moderanda dico, quia licet Dominus videatur eam omnino & funditus inhibere, dicens Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*; quæ tamen videntur eſſe maximè neceſſaria. Et Apoſt. 1. Cor. 7. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe*: Tamen nec Dominus, nec Apoſtolus interdicunt omnem prouiſionem rerum temporalium neceſſariam ſuſtentationi humanæ, quæ videlicet eſt per laboritium, vel per artificium, vel per iuſtum lucrum. Sed ſicut dicit Dominus Matt. 6. *Ego dico vobis non iurare omnino*; non quia iuramentum omnino & in omni caſu ſit illicitum, ſed propter abuſũ & periuria quæ paſſim incurrunt homines, & propter irreuerentiam, qua ſine neceſſitate vel cauſa, diuinum nomen aſſumunt, prohibet Dominus iurandi conſuetudinem, vel potius corruptelam; Ita ſolicitudinem tẽporalium rerum, videtur Dominus generaliter prohibere. Sed ſicut dicit Hiero. *Labor exercendus eſt, ſolicitudo tollenda*; ſcilicet ſuperflua animum inquietans.

Solicitudo temporaliũ tripliciter poteſt eſſe illicita.

VNDE ſciendum, quod ſolicitudo rerum temporalium tripliciter poteſt eſſe illicita. *Vno* quidem modo ex parte eius de quo ſollicitamur, ſi ſcilicet temporalia tanquam finem quæramus. Vnde & Aug. dicit in li. de operibus monachorum, cum Dominus dicit. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, hoc dicit, vt non ita moueantur, vt propter iſta faciant quicquid in euangelij prædicatione facere iubentur. *Alio modo* poteſt eſſe tẽporalium ſolicitudo illicita, propter ſuperfluum ſtudiũ quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à ſpiritualibus quibus principalius inſeruire debet, retrahitur. Et ideo Matth. 3. dicitur, quod *ſolicitudo ſæculi ſuffocat verbũ. Tertio modo* ex parte timoris ſuperflui, quando aliquis timet ne faciendo quod debet, neceſſaria ſibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit. *Primo* propter maiora beneficia homini præſtita diuinitus, præter ſuam ſolicitudinem, ſc. corpus & animam. *Secundo* propter ſubuentionem, qua Deus animalibus & plantis ſubuenit, abſque opere humano, ſecundum proportionem ſuæ naturæ. *Tertio* ex diuina prouidentia, propter cuius ignorantiam, gentiles circa temporalia bona quærenda principalius ſolicitãtur: & ideo concludit, quod principalius noſtra ſolicitudo debet eſſe de ſpiritualibus bonis, ſperantes quod ſcilicet temporalia nobis prouenient ad neceſſitatem, ſi fecerimus quod debemus.

Solicitudo temporaliũ facit in homine cordis afflictionẽ.

EST ergo huiuſmodi ſolicitudo moderanda, & omnis cura ſuperflua excludenda: quia ſolicitudinis huius ardor, facit in homine cordis afflictionem, ſicut dicitur Eccl. 22. *Peccatori dedit Deus afflictionẽ & curam ſuperfluã, vt addat & congreget, &c.* Sequitur. *Sed hoc vanitas, & caſſa ſolicitudo mentis.* Et ibidem parum ante. *Omnes dies eius*, ſcilicet cupidi, *laboribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit.* Et Hiere. 49. *Præ ſolicitudine requieſcere non potuit. Secundo* facit in corde diuiſionem, & circa ſpiritualia vel diuina diſtractionem. 1. Cor. 7. *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Vnde animus hominis quanto magis eſt terrenis rebus ſolicitus, tanto fit circa ſpiritualia minus aptus. *Tertio* cauſat in corde diuini verbi, quaſi ſpiritualis ſeminis ſuffocationem. Matth. 13. *Solicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum, ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Quarto* cauſat in corde turbationem; quia non ſemper obtinent ſoliciti quod intendunt, ſed ſæpe decidunt à ſpe ſua. Sicut dicitur Prou. 11. *Expectatio ſolicitorum peribit.* Et Hiere. 42. *Fames pro qua ſoliciti eſtis, adhærebit vobis.* Vnde 1. Mach. 6. dicitur de Antiocho. *Expauit & commotus eſt valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non eſt factum ſicut cogitabat.* Et ſequitur. *Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui in corde præ ſolicitudine. Quinto* inducit æternam damnationem. Vnde Baruch. 3. *Vbi ſunt principes gentium qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant, & ſolicitus ſunt, exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.*

Item diuiſionem cordis & diſtractionem.

3. Verbi diuini ſuffocationẽ.

De aſtutia.

DISTINCTIO IV.

DEINDE conſiderandum eſt de aſtutia. Videndum eſt ergo quod ſit, & vtrum ſit peccatum. Sciendũ eſt autem quod ſicut prudentia eſt recta ratio agibilium, ita ſcientia eſt recta ratio ſcibilium. Contingit autem dupliciter peccare contra rectitudinem ſcientię in ſpeculatiuis. *Vno modo* quando ratio inducitur ad aliquam concluſionem falſam, quæ apparet eſſe vera. *Alio modo* ex eo quod ratio procedit ex aliquibus falſis, quæ videntur eſſe vera; ſiue ſint ad concluſionem verã, ſiue ad falſam. ita etiam aliquod peccatum dupliciter poteſt eſſe contra prudentiam, habens aliquam ſimilitudinem cum ea. *Vno modo*, quia ſtudium rationis ordinatur ad finem, qui non eſt verè bonus, ſed apparens; & hoc pertinet ad prudentiam carnis, de qua inferius dicetur. *Alio modo* in quantum aliquis ad finem aliquẽ conſequendum, vel bonum, vel malum, vtitur viis non veris, ſed ſimulatis & apparentibus; & hoc pertinet ad aſtutiam. Vnde patet quod aſtutia eſt quoddam peccatum oppoſitum prudentiæ diſtinctum à prudentia carnis. Sciendum tamen quod ſicut Aug. dicit in 4. lib. contra Iulianum. Sicut prudentia quandoque in malo accipitur abuſiuè. Lucæ 15. *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Ita quandoque ponitur aſtutia in bono impropriè. Prouer. 1. *Parabolæ Salomonis, &c. vt detur paruulis aſtutia.* Et Prouerb. 14. *Aſtutus omnia agit cum conſilio.* Sed vtrobique ponitur pro prudentia, & aſtutus ponitur pro prudente.

Aſtutia eſt peccatũ prudentiæ oppoſitum, & à prudentia carnis diſtinctum

De dolo.

DEINDE conſiderandum eſt de dolo. Videndum eſt ergo quid ſit dolus. Et ſciendum, quod ſicut patet ex prædictis ad aſtutiam pertinet aſſumere vias non veras, ſed falſas, ſimulatas, & apparentes, ad aliquem finem conſequendum, ſiue bonum ſiue malum. Aſſumptio autem huiuſmodi viarum poteſt conſiderari dupliciter.

Sicut aſtutia cõſiſtit in excogitatione viarum falſarum & ſimulatarum ad aliquem finem ſic dolus in executione harum viarum, ſed præcipuè in verbis.

VNO modo in ipſa cogitatione huiuſmodi viarum, & hoc propriè pertinet ad aſtutiam, ſicut & excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam.

ALIO modo poteſt conſiderari huiuſmodi viarum aſſumptio, ſecundum executionem; & hoc propriè pertinet ad dolum, & ideo dolus importat executionẽ aſtutię. Et ſicut aſtutia propriè accipitur in malo, abuſiuè autem ponitur in bono, ita & dolus, qui eſt executio aſtutiæ: ſecundum illud 2. Cor. 12. *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Sciendum autem quod dolus præcipuè conſiſtit in verbis, ſecundum illud Pſalm. 13. *Linguis ſuis dolosè agebant*: quia executio aſtutiæ ad decipiendum aliquem, primo & principaliter fit per verba quæ præcipuum locum obtinent inter ſigna, quibus homo aliquid ſignificat alteri, ſicut dicit Auguſt. in lib. de doctrin. Chriſt. & ideo dolus maximè attribuitur locutioni. Contingit tamen dolum eſſe in factis,

ſecundum

ſecundum illud Pſalm. 104. *Vt dolum facerent in ſeruos eius.* Eſt etiam dolus in corde, ſecundum illud Eccleſ. 19. *Interiora eius plena ſunt dolo.* Et Prouer. 12. *Dolus in corde cogitantium mala.* ſed hoc eſt ſecundum quod aliquis dolos excogitat, ſecundum illud Pſal. *Dolos tota die meditabantur.*

De fraude.

DISTINCTIO V.

Fraus eſt deceptio alicuius per factum potius quam per verba, & in eo differt à dolo.

DEINDE conſiderandum eſt de fraude. Eſt autem fraus propriè deceptio alterius per factum. Vnde fraus eſt executio aſtutiæ ſicut & dolus. Sed in hoc differre videntur, quod dolus importat executionem aſtutiæ vniuerſaliter, ſiue fiat per verba, ſiue per facta; licet primo & principaliter importet deceptionem quę fit per verba; fraus autem magis propriè pertinet ad executionem aſtutiæ, ſecũdum quod fit per facta. Hoc viſo dicendum eſt ſpecialiter de fraudulentia, quæ cõmittitur in emptionib. & venditionibus, & circa hoc quæruntur quinque. Primo vtrum licitum ſit homini rem ſuam vendere plus quam valeat. Secundum vtrum venditio reddatur iniuſta & illicita, propter defectum rei venditæ. Tertio vtrum venditor teneatur dicere vitium rei venditæ. Quarto vtrum negotiando liceat alicui rem plus vendere quam emit. Quinto quę mouent ad fraudis vitium deteſtandum.

Adhibere fraudem in venditione eſt plane illicitum.

PRIMO ergo videndum eſt, *vtrum liceat alicui rem ſuã vendere plus quàm valeat.* Dicendum quod ſcienter adhibere fraudem, ad hoc quod aliquid plus iuſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. Vnde & Tullius dicit in lib. de offic. *Tollendum eſt ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra ſe licitetur, emptor apponet.* Si autem fraus deficit, tunc de venditione & emptione dupliciter loqui poſſumus. *Vno modo* ſecundum ſe; & ſecundum hoc emptio & venditio videtur eſſe introducta pro communi vtilitate vtriuſque, dum ſcilicet vnus indiget alterius, & econuerſo. Sicut patet per philoſophum in 1. Polit. Quod autem pro communi vtilitate eſt inductum, non debet eſſe magis in grauamen vnius quam alterius: & ideo debet ſecundum æqualitatem rei inter eos contractus inſtitui. Quantitas autem rerum quæ in vſum hominis veniunt, menſuratur ſecundum pretium datum, ad quod eſt inuentum nummiſma, vt dicitur in 5. Eth. Et ideo ſi vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel econuerſo res excedat pretium, tolletur iuſtitiæ æqualitas. Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem quã valeat, eſt ſecundum ſe iniuſtum & illicitum. *Alio modo* poſſumus loqui de emptione & venditione, ſecundum quod per accidens tranſit in vtilitatem vnius & detrimentum alterius: puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur ſi careat illa: & in tali caſu iuſtum pretium erit, vt non ſolum reſpiciatur ad rem quæ venditur, ſed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit, & ſic licitè poterit aliquid vendi plus quam valeat habenti. Si vero aliquis multũ iuuetur ex re alterius quam accepit; ille vero qui vendidit non damnificatur carendo re illa, non debet ſuperuendere eam: quia vtilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione mentis; nullus autem debet vendere alteri quod ſuum non eſt, licet poſſit ei vendere damnum quod patitur. ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuuatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare, quod pertinet ad eius honeſtatem.

Carius vendere aut vilius emere rẽ quam valeat eſt ſecũdum ſe iniuſtum, per accidens tamẽ hoc poteſt interdum iuſtificari.

Solutio obie.

NOTANDVM autem quod ſecundum leges humanas vel ciuiles, licitum eſſe videtur, quod venditor & emptor inuicem ſe decipiant; quod quidem fit inquantum venditor plus intendit vendere rem ſuam quam valeat, emptor vero minus emere. Sed leges humanæ non ſolum hominibus virtuoſis datæ ſunt, ſed populo, in quo ſunt multi qui deficiunt à virtute. Ideo lex humana non potuit prohibere quicquid eſt contra virtutem, ſed ſufficit vt inhibeat quæ deſtruunt hominum conuictum; alia vero habeat quaſi licita, non quia ea approbet, ſed quia ea non punit. Sic igitur habet quaſi licitum pœnam non inducens, ſi abſque fraude venditor rem ſuam ſuperuendat, emptor autem vilius emat; niſi ſit nimius exceſſus: quia tunc etiam lex humana cogit ad reſtituendum, puta ſi aliquis ſit deceptus vltra mediam iuſti pretij quantitatem. Sed lex diuina nihil impunitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium. Vnde ſecundum diuinam legem illicitum reputatur, ſi in emptione & venditione non ſit æqualitas iuſtitiæ obſeruata; & tenetur ille qui plus habet, recompenſare ei qui plus damnificatus eſt, ſi ſit notabile damnum: quod ideo dico, quia iuſtum pretium rerum quandoque non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam exiſtimatione conſiſtit; ita quod modica additio vel minutio, non videtur tollere æqualitatem iuſtitiæ.

Lex humana non promit eos qui citra fraudẽ ſuperuendũt, modo nõ excedãt mediũ iuſti pretij; bene tamen lex diuina.

SICVT autem refert Auguſt. 14. de Trin. dictum cuiuſdam mimi fuit ab omnibus acceptum, ſcilicet *vili emere, & carè vendere:* cui conſonat illud Prouerb. 20. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor; & cum receſſerit tunc gloriatur.* Sed Auguſt. dicit ibidem. Mimus ille, vel ſeipſum intuendo, vel alios experiendo, vilius velle emere, & carè vendere, omnibus id credidit eſſe commune. Sed quoniam reuera vitium eſt, poteſt quiſque huiuſmodi iuſtitiam adipiſci, qua huic reſiſtat & vincat: & ponit exemplum de quodam, qui modicum pretium de quodam libro propter ignorantiam poſtulanti, iuſtum dedit prætium. Vnde patet quod illud commune deſiderium, non eſt naturæ, ſed vitij; & ideo commune eſt multis, qui per latam vitiorum viã incedunt.

Qui ſcienter vendit rem defectuoſam ſecundũ ſpeciẽ, quãtitatẽ, aut qualitatẽ fraudem cõmittit, & tenetur ad reſtitutionem.

CIRCA ſecundum videndum eſt, *vtrum vẽditio reddatur illicita propter vitium rei venditę.* Et dicendum quod circa rem quæ venditur, defectus dupliciter poteſt conſiderari. *Vnus* quidem defectus ſecundum ſpeciem rei, & hunc etiam defectum, ſi venditor cognoſcat in re quam vendit, fraudem committit in venditione, vnde venditio illicita redditur. Et hoc eſt, quod dicitur contra quoſdam Iſa. 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua:* quod enim permixtum eſt, patitur defectum quantum ad ſpeciem. *Alius* autem defectus eſt ſecundum quantitatem quæ per menſuram cognoſcitur; & ideo ſi quis ſcienter vtatur deficienti menſura in vendendo, fraudem committit, & eſt illicita venditio. Vnde dicitur Deut. 25. *Nõ habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor.* Et poſtea ſubditur. *Abominatur enim Dominus eum qui facit hoc, & auerſatur omnem iniuſtitiam. Tertius* defectus eſt ex parte qualitatis, puta ſi aliquod infirmum vendit, quaſi ſanum; quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem committit in venditione: Vnde eſt illicita venditio. Et in omnibus talibus non ſolum aliquis peccat iniuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur. Si vero eo ignorante aliquis prædictorum defectuum fuerit in re vendita, venditor quidem non peccat, ſed facit iniuſtũ materialiter, non tamen eius operatio eſt iniuſta; tenetur tamen cum ad eius notitiam peruenerit, damnum recompenſare emptori. Et quod dictum eſt de venditore eſt intelligendum ex parte emptoris. Contingit enim venditorem credere rem ſuam eſſe minus prætioſam quantum ad ſpeciem. Sicut ſi aliquis vendit aurum loco auricalci, emptor ſi illud cognoſcat iniuſtè emit, & ad reſtitutionem tenetur. Et eadem ratio eſt de defectu qualitatis, & quantitatis. Sciendum autem quod aurum & argentum, non ſolum cara ſunt propter vtilitatem vaſorum, quæ ex eis fabricantur, aut aliorum huiuſmodi; ſed etiã propter dignitatẽ, & purgationem ſubſtãtiæ ipſorũ. Et ideo ſi aurum vel argẽtũ ab alchimicis factum, veram ſpeciem non habeat auri & argenti, eſt fraudulenta & iniuſta venditio, præſertim

cum sint aliquæ vtilitates auri & argenti veri, secundum naturalem operationem ipsorum, quæ non conueniunt auro per alchimiam sophisticato. Sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter iuuat. frequentius etiã potest poni in operatione, & diutius in sua puritate permanet aurum verum, quam sophisticatum. Si autem per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis, ad producendum naturales & veros effectus; Sicut dicit Augustin. in lib. 3. de Trin. de his quæ arte Dæmonum fiunt.

CIRCA tertium videndum est, *vtrum venditor teneatur dicere vitium rei vendendæ.* Dicendum quod dare alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum, quamuis non sit necessarium quod homo alteri semper det consilium & auxilium, pertinens ad eius qualemcunque promotionem; sed hoc solum est necessarium in aliquo casu determinato, puta cum alius eius curæ subdatur, vel cum non potest ei per alium subueniri. Venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quod rem vitiosam offert, si ex eius vitio damnum vel periculum incurrere possit; dãnum quidem, si propter eius vitium, huiusmodi res quæ vendenda proponitur minoris sit pretij, ipse verò propter huiusmodi vitium nihil de pretio subtrahat: periculum autem, si propter huiusmodi vitium vsus rei reddatur impeditus vel noxius, puta si aliquis alicui vendat equum claudicãtem pro veloci, vel ruinosam domum pro firma, vel cibum corruptum siue venenosum pro bono. Vnde si huiusmodi vitia scit & non detegit, erit illicita & dolosa venditio; & tenetur venditor ad damni restitutionem. Si vero vitium sit manifestum, puta cum equus est monoculus; vel cũ vsus rei, etsi non competat venditori, potest tamen esse conueniens aliis & si propter huiusmodi vitium ipse subtrahat quantum oportet de precio, nõ tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam de iure esset subtrahendum. Vnde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.

Venditor tenetur vitium rei vendendæ dicere, quando vitium est occultũ, aut res sit inutilis ex illo.

NOTANDVM autem quod non oportet, quod emptor vel venditor per præconem vitium rei vendendæ pronunciet; quia si prædicent vitium, exterrentur emptores rei ab emendo, dum ignorarent alias conditiones rei secundum quas est bona, & vtilis; sed singulariter est dicendum vitium rei ei, qui ad emendum accedit, qui potest simul omnes conditiones adinuicem comparare bonas & malas: nihil enim prohibet rem in aliquo vitiosam, in multis alijs vtilem esse.

CIRCA quartum scilicet *vtrum liceat alicui rem suam carius, vendere, quam* emit. Dicendum, quod ad negotiatores pertinet commutationibus rerum insistere. vt autem Phil. dicit in 1. Polit. duplex est rerum commutatio. *Vna* quidem quasi naturalis & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei, vel rerum, & denariorum, propter necessitatem vitæ; & talis commutatio non propriè pertinet ad negotiatores, sed magis ad œconomos, vel Politicos, qui habent prouidere, vel domui vel ciuitati, vel de reb. necessarijs ad vitam. *Alia* vero commutationis species est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcunque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ sed propter lucrum quærendum: & hæc quidem negotiatio propriè videtur ad negotiatores pertinere. Secundum Philosophum autem, prima commutatio laudabilis est, quia deseruit naturali necessitati; secũda autem iustè vituperatur, quia quantum est de se deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit. & ideò negotiatio secundum se considerata, quandam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum

Commutatio non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrũ habet speciẽ inhonesti, potest tamẽ iustificari si moderate & ob debitum finem fiat.

A vel necessarium. Lucrum tamen quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium; nihil tamen importat in sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel honestum, & sic negotiatio redditur licita. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiatio quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel ad subueniendum indigentibus; vel etiam cum aliquis negotiationi intendit, propter publicam vtilitatem, ne. scilicet res necessariæ ad vitam, patriæ desint, & lucrum etiam expetit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

CVM autem dicat Chrisost. super Matth. *Quicumque rem comparat integram, vt immutatam vendendo lucretur, ille est mercator qui de templo Dei ejicitur.* Et Cassiodorus super illud Psal. *Quoniam non cognoui litteraturam,* vel negotiationem, secundum aliam litteram. *Quid est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius vendere, vel distrahere?* Et subdit. *Negotiatores tales execit dominus de templo.* Sciendum quod verbum Chrysost. intelligendum est de negotiatione, secundum quod vltimum finem in lucro constituit; quod præcipuè videtur, quando aliquis rem non immutatam carius vendit. Si enim rem in melius mutatam carius vendat, videtur præmium sui laboris accipere: quamuis & ipsum lucrum possit licitè intendi, non sicut vltimus finis, sed propter alium finem necessarium vt dictum est.

Solutio obiect.

HOC etiam aduertendum, quod non quicunque carius vendit quam emerit, negotiatur, sed solum qui ad hoc emit vt carius vendat. Si autem emit rem, non vt vendat, sed vt teneat; & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamuis carius vendat: potest enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem meliorauit, vel quia pretium rei est mutatum, secundum diuersitatem rei vel temporis, vel propter periculum cui se exponit, trãsferendo rem de loco ad locum, vel eam fieri faciendo; & secundum hoc nec emptio nec venditio est iniusta. *Item* sciendum quod clericis interdicitur negotiatio, quia clerici non solũ debent abstinere ab his quę sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali. quod quidem in negotiatione contingit, tũ propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenũ, cuius clerici debent esse contemptores; tum etiam propter frequentiam negotiatorum vitia, quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, vt dicitur Ecclesiastici 26. Et alia causa est, quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, & econuerso à spiritualibus retrahit. Vnde Apost. dicit 1. Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Licet tamen clericis vti prima commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ, emendo vel vendendo.

Qui emit aliquid nõ vt revendat potest postea idipsum carius vendere si velit, & valeat.

Cur clericis negotiatio interdicitur.

De fraudulentia.

DISTINCTIO VI.

SCIENDVM autem quod fraus est multiplex. Est enim fraus quædam commendanda. Quædam excusabilis. Quædã toleranda. Et quædam damnabilis.

Fraus quæ duplex scilicet commendanda.

FRAVS quidem commendanda est, quando quis proximi vtilitatẽ intendens, facit aliquid ipso nesciente, quod forsitã credit illi prima facie, non placere, tamen placere deberet. Sicut vxor quando clanculo facit eleemosynas moderatas, quæ viro suo forsitã non placerent ante factum, nec ipse daret licẽtiam faciendi; tamen post factum placet illi quod ipsa fecerit, quia illa hæc faciendo procurat spirituale commodum viri sui. Vnde etsi fraus est, pia tamen est. Item si quis frænetico furetur gladium, ne ipse semetipsum lædat vel alium, pia fraus est. Item si seruus deuotus Deo, & Domino suo fidelis, vtilitatem Domini sui procuret illo nesciente, vel etiam contradicente, in damnum suum, vituperium, vel grauamen, facit do-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mino ſuo fraudem, tamen pia & vtilis eſt domino. Ad Titum. 2. *Seruos hortare dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes*; ſcilicet licitis, & honeſtis, *non contradicentes*, in his, ſcilicet quæ ſunt ſecundum Deum, *non fraudantes*, ideſt non fraudem malam & noxiam facientes, *ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.*

Excuſabilis. ITEM fraus eſt excuſabilis, quando ſcilicet homo bonum ſuum procurat ſine proximi detrimento. Sicut fecerunt Gabaonitæ, Ioſue 9. qui callidè cogitantes, venerunt ad Ioſue & filios Iſraël dicentes. *De terra longinqua venimus, pacẽ vobiſcum facere cupientes*: Quorũ fraude percepta dixit eis Ioſue. *Cur nos decipere fraude voluiſtis?* &c. Similiter Iacob ex cõſilio matris ſuæ Rebeccæ, fraudauit fratrem ſuum, benedictionem paternam ſurripiendo, Geneſ. 27. *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Excuſatur Iacob, quia hoc fecit ex præcepto Sanctæ matris, & ex conſilio ſpirituſſancti.

Toleranda. ITEM eſt fraus toleranda; puta ſi fiat alicui iniuria vel damnum de bonis temporalibus, & non poſſit illa ſine ſcandalo repetere; magis eſt talis fraus vel iniuria toleranda, quam ſcandalum oriatur: Vnde 1. Corinth. 6. *Iam quidem omnino delictum in vobis, quia iudicia habetis inter vos. quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?*

Culpabilis. ITEM eſt fraus culpabilis, & de hac dicitur. 1. Corinth. 2. *Nolite fraudare inuicem.* Et Mar. 10. *Ne fraudem feceritis.* Fraus autem culpabilis multiplex eſt, & committitur multis modis. Eſt enim fraus, quam inducit ambitio inſatiabilis. In acquirendis enim honoribus magnus eſt labor, magna cordis anxietas, antequam ambitioſi poſſint ad eos peruenire, ſeruiunt, tribuunt, amicitias ſimulant, mentiuntur, adulãtur, preces multiplicant, interceſſores procurant, maturitatem prætendunt, iactant ſcientiam, ſimulant ſanctitatem. Vnde Dan. 11. de ambitioſo dicitur. *Regnum obtinebit in fraudulentia.*

Fraus culpabilis inducitur multis modis ſcilicet per ambitionem, per carnalitatẽ, per malignitatẽ, & per cupiditatem.

SECVNDO eſt fraus, quam inducit carnalitas, ſiue quantum ad guſtum, ſiue quantum ad tactum. Quantũ ad guſtum quidem, quia guloſi & ebrioſi, poſtquã ſua turpiter expenderunt, multas fraudes committunt in tabernis, & ludis illicitis, & conuiuijs, & ſymbolis procurandis; vomẽtes eſuriunt, inebriati ſitiunt. Similes ſunt filiis Iſraël, qui *petierunt eſcas animabus ſuis*, ſicut dicitur in Pſalm. 77. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes*, &c. Sequitur: *Manducauerunt & ſaturati ſunt nimis & deſiderium eorum attulit eis: non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.* Sed nota quod ſequitur. *Adhuc eſcæ eorũ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*, &c. Item de carnalitate quantum ad tactum, non eſt dubium quod luxurioſi multas faciunt fraudes, vt iuuenculas & ſimplices mulieres alliciant & ſeducant; & cum eas ſeduxerint, multa committunt vt eas paſcant, induant, iocalia præbeant, & in ſua detineant fœditate. Vnde 2. Eſdræ 8. *Accipit homo gladium, & vadit in via facere furta & homicidia*, &c. Sequitur: *Et cum furtum fecerit, & fraudes & rapinas, amabili ſuæ affert.*

Fraus ex malignitate committitur multis modis ſcilicet in conſortijs.

TERTIA eſt fraus quam inducit malignitas, & hoc committitur multis modis; videlicet, in conſortiis, in conſilijs, in iudiciis, & in ſeruitiis. *In* conſortiis quidem, inter amicos amorem & amicitiam ſimulando, & ſub amicitiæ ſpecie ſeducendo, Hier. 9. *Vnuſquiſque ſe à proximo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam; quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet:* Fraudulenter incedit, qui fallaciter adulando ſeducit; vel quod deterius & periculoſius eſt, qui rancorem & odium tenens in corde diſſimulat, & adulando amorem ſimulat, Prouerb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula.* Et 26. *Sicut noxius eſt qui immittit laneeas & ſagittas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico.*

In conſilijs. ITEM in conſiliis fraus committitur. Sicut dicitur Prouerb. 12. *Conſilia impiorum fraudulenta.* Conſulunt enim quandoque contra Deum & iuſtitiam, ob amorem, odium, vel rancorem, vel lucrum ſuum & commodum temporale, Heſter 16. *Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbia* &cæt. Sequitur: *Aures principum ſimplices, callida fraude decipiunt.*

In iudicijs. ITEM fraus iſta committitur in iudiciis, ab actore fraudulenter agendo, à reo frandem fraude propellendo. Sicut dicitur, 1. Corinth. 7. *Omnino delictum eſt in vobis, quia iudicia habetis inter vos.* Sequitur. *Vos iniuriam facitis, & fraudatis*: ideſt fraudem fraude vultis repellere, & iniuriam iniuria vindicare, quod illicitum eſt. Quia ſicut dicit Seneca, *non eſt vitium vitio vindicandum.* Vnde & actor iniquus eſt, iniuriam faciendo, & reus iniquus per fraudulentiam ſe defendendo, & iniuriam contra iniuriam inferendo. Ideo ſequitur ibidem. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?*

In ſeruitijs. ITEM fraus iſta committitur in ſeruitiis, vel quia ſerui dominis ſuis ſeruiunt fraudulenter, vel è conuerſo. ſerui quidem dominis ſuis ſolent fraudes committere multis modis, quos cauſa breuitatis omitto. Ad Titum 2. dicit Apoſtolus: *Seruos hortare dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed bonam fidem oſtendentes.* Domini vero ſeruis ſuis, ideſt illis qui faciunt eorum opera, fraudes faciunt non ſoluendo, Iacobi 5. *Agite nunc diuites, plorate, vlulate in miſerijs quæ aduenient vobis.* &c. Sequitur, *ecce merces operariorum veſtrorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & clamor eorum aures domini Sabaoth introiuit.* Vel malè & tarde & non integre perſoluendo, Eccleſiaſtici. 34. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum homo ſanguinis eſt*, &c. *Qui auſert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum, qui effundit ſanguinem, & qui fraudes facit mercenario, fratres ſunt.* Magna igitur iniquitas diuitum defraudare pauperes, & eorum ſtipendia detinere. Super hoc Iacob conqueritur de Labam. Geneſ. 31. *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Sed longe maior eſt iniquitas, quam aliqui ſerui nequam contra ſuum dominum operantur, defraudando quod ei promiſerant vel vouerant. Sicut patet Act. 5. de Anania & Saphyra. Vnde Ananiæ dixit beatus Petrus. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentirì te ſpirituſanctò: & fraudare de pretio agri?* Sequitur. *non es mentitus hominibus, ſed Deo, Ananias autem audiens hæc verba, cecidit & expirauit. Similiter & Saphyra vxor eius.* Et Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.* Opus domini facit fraudulenter, qui in eo non Dei, ſed ſuam gloriam quærit; vel qui tarde lente, & tepido corde facit, de tali dicitur Iſa. 32. *Loquetur ad dominum fraudulenter.*

Fraus ex cupiditate eſt deteſtanda propter quatuor ſcilicet propter multitudinem peccatorum concomitantium.

QVARTA eſt fraus, vel fraudis ſpecies, quam inducit cupiditas; quæ conſiſtit in commerciis ſiue contractibus exercendis, Auguſtin. *Studium auaritiæ ſine fraudis proprium ſolet eſſe negotiantium.* Hæc autem deteſtanda eſt multiplici ratione. Primo propter peccatorum multitudinem. Secundo propter damnorum magnitudinem. Tertio propter neceſſitatem redditionis. Et quarto propter æternitatem damnationis. *Primo* quidem propter multitudinem peccatorum concomitantium. Leo Papa. *Difficile eſt inter vendentium & ementium commertium non interuenire peccatum*: immo innumera ſunt peccata quæ ſolent committere, puta mendacia, iuramenta, periuria, verba ſophiſtica, quibus decipiunt homines, proferendo. Item de facto mala pro bonis, corrupta pro ſanis, vendendo, numerando, menſurando, ponderando, & huiuſmodi. Ideo dicitur Leui. 19. *Non decipiat vnuſquiſque proximum*, &cæt. Sequitur, *Iuſta & æqua ſint pondera, iuſtus modius, & æquus ſextarius.* & ante. *Nolite facere iniquum quid in iudicio, in regula, in pondere, & menſura.* Deutero. 25. *Non habebis in ſaculo diuerſa pondera,*

maius & minus, &cæ. abominatur Deus eum qui facit hæc Matth. 6. *Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam? & ſaccelli diuerſa pondera*, Iſa. 52. *Fraudulentia vaſa ſunt peſſima*, quia habent vaſa iræ Dei.

Propter dãnorum magnitudinem.

SECVNDO deteſtanda eſt fraus in commercijs, propter dannorum magnitudinem. Nam propter lucra temporalia perdunt ſpiritualia, Prouer. 1. *Ipſi contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* Eccleſiaſtici 3. *Vnus eſt, & ſecundum non habet; non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* ſpiritualibus ſcilicet & æternis. Negligunt enim miſſas, prædicationes, locis ſacris non exhibent reuerentiam, nec temporibus, ideſt diebus Dominicis & feſtiuis.

Propter reſtituendi neceſſitatem.

TERTIO deteſtanda eſt fraus in commertijs, propter reſtituendi neceſſitatem. Inſanum eſt velle multa perdere, lucrari pauca, quæ tamen reddere ſit de neceſſitate ſalutis, Leuit. 6. *Reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere*; quod tamen eis eſt valde difficile, vel forſitan impoſſibile. Pauci ſunt hodie qui poſſent ad hoc induci, vt in quadruplum redderent omnia, ſicut dixit Zachæus de ſeipſo, Lucæ 19. *Si quem defraudaui reddo quadruplum.* Abſque dubio in multis caſibus non ſufficit reddere ſolum ſimplum, puta quando ille cui debet fieri reſtitutio, damnificatus eſt in vſuris, venditione hæreditatis, vel aliorum bonorum; & grauatus laboribus, & expenſis.

Propter acerbitatem dãnationis.

QVARTO deteſtanda eſt fraus in commercijs propter acerbitatem damnationis, Pſalm. 51. *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum*, Sequitur. *Propterea Deus deſtruet te*, &c. Prouerb. 21. *Qui congregat Theſauros lingua mendacij, impinguetur ad laqueos mortis.* Et Apoc. 14. *Quicunque acceperit characterem beſtiæ*, ſine quo ſcilicet nemo poterit vendere vel emere, *hic bibet de vino iræ Dei mixto in calice eius, & cruciabitur igne ſulphure, & aſcendet, fumus tormentorum in ſæcula ſæculorum.*

De mendacio.

DISTINCTIO VII.

DEINDE conſiderandum eſt de mendacio circa quod conſideranda ſunt quatuor. Primo quid ſit, & vtrum opponatur veritati, quaſi ſemper continens falſitatem. Secundo de mendacij ſpeciebus. Tertiò vtrum omne mendacium ſit peccatum. Quartò vtrum ſit peccatum mortale.

Mendacium eſt falſa vocis enunciatio cum intentione fallendi.

CIRCA primum ſciendum; quod mendacium eſt falſa vocis enunciatio, cum intentione fallendi. Et hæc deſcriptio ſumitur ex verbis Aug. in libro contra mendacium, dicentis. *Nemo dubitet cum mentiri, qui falſum enunciat cauſa fallendi.* Quapropter enunciationem falſi cum voluntate fallendi prolatam, manifeſtum eſt eſſe mendacium. Sciendum ergo quod ad perfectam mendacij rationem tria concurrunt, ſcilicet quod id quod enunciatur ſit falſum, & quod ſit voluntas falſum enunciandi, & iterum intentio fallendi.

Ad mendacium requiruntur tria ſed præcipue intentio dicendi falſum quæ quidem ſufficit licet quis verum dicat.

Tunc eſt fallitas materialiter; quia falſum dicitur, & formaliter, propter voluntatem falſum dicendi, & effectiuè, propter voluntatem falſitatem imprimendi. Sed tamen ratio mendacij non ſumitur à formali falſitate, ſed ex hoc ſcilicet quod aliquis habet voluntatem falſum enunciandi. Vnde & mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur. Et ideo ſi quis falſum enunciet, credens illud eſſe verum, eſt quidem falſum materialiter, ſed non formaliter, quia falſitas eſt præter intentionem dicentis; vnde non habet perfectam rationem mendacii. Id enim quod fit præter intentionem, per accidens eſt; Vnde non poteſt eſſe ſpecifica differentia. Si vero formaliter aliquis falſum dicat, habens voluntatem falſum dicendi, licet ſit verum id quod dicitur; inquantum tamen huius actus eſt voluntarius & moralis, habet per ſe falſitatem, & per accidens veritatem; vnde ad ſpeciem mendacij pertingit. Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere, fallendo ipſum; non pertinet ad ſpeciem mendacij, ſed ad quandam perfectionem ipſius. Sicut & in rebus naturalibus aliquid ſpeciem ſortitur, ſi formam habeat; etiamſi deſit formæ effectus. Sicut patet in graui, quod violenter ſurſum detinetur ne deſcendat ſecundum exigentiam ſuæ formæ. Sic ergo patet, quod mendacium directè & formaliter opponitur virtuti veritatis.

Mendacium formaliter opponitur virtuti veritatis.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *de ſpeciebus mendacij*. Sciendum quod mendacium tripliciter diuidi poteſt. *Vno modo* ſecundum ipſam mẽdacij rationem, quę eſt propria & per ſe mendacij diuiſio. Et ſecundum hoc mẽdaciũ in duo diuiditur, ſcilicet in mendaciũ quod tranſcendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam; & in mendacium quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad ironiam; vt patet per philoſophum 4. Eth. Hæc autem per ſe eſt ipſius mendacij diuiſio, quia mendacium inquantum huiuſmodi, opponitur virtuti veritatis, vt dictum eſt; veritas autem æqualitas quædam eſt, cui per ſe opponitur maius & minus.

Mendacium poteſt diuidi in ſpecies tripliciter.

ALIO modo poteſt diuidi mendacium inquantum habet rationem culpæ, ſecundum ea quæ aggrauant vel diminuunt culpam mendacij ex parte finis intenti. Aggrauant autem culpam mendacii, ſi aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium pernicioſum. Diminuitur autem culpa mendacij, ſi ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile; & ſic eſt mendacium iocoſum: vel vtile, & ſic eſt mendacium officioſum, ſiue quo intendatur iuuamentum alterius, vel remotio nocumenti; & ſecundum hoc diuiditur mendacium in tria prædicta.

TERTIO modo diuiditur mendacium vniuerſalius ſecundum ordinem ſiue, ex hoc addatur aut diminuatur ad culpam mendacij, ſiue non. Et ſecundum hoc eſt diuiſio octo membrorum. In qua, tria quidem membra continentur ſub mendacio pernicioſo; quod quidem ſit, vel contra Deum; & ad hoc pertinet primum mendacium, quod eſt in doctrina religionis: Vel eſt contra hominem, ſiue ſola intentione nocẽdi alicui, & ſic eſt ſecundum mendacium, quod ſcilicet nulli prodeſt, & obeſt alicui: ſiue etiam intendatur in nocumento vnius vtilitas alterius, & hoc eſt tertium mendacium, quod vni prodeſt, & alteri obeſt. Inter quæ primum eſt grauiſſimũ: quia ſemper peccata cõtra Deum ſunt grauiora, vt ſupra dictum eſt. Secundum autem eſt grauius tertio, quod diminuitur ex intẽtione vtilitatis alterius. Poſt hæc autem tria, quę ſuperaddunt ad grauitatem mendacij culpæ ponitur quartum, quod habet propriam quantitatem ſine additione vel diminutione, & hoc eſt mendaciũ quod fit ex ſola mentiendi libidine, quod procedit ex habitu. Vnde & philoſophus dicit in 4. Eth. quod *mendax eo quod talis eſt ſecundum habitum, ipſo mendacio gaudet.* Quatuor vero ſuſequentes modi diminuunt de culpa mendacij. Nam quintum eſt mendacium iocoſum quod fit placendi cupiditate. Alia autem tria continentur ſub mẽdacio officioſo, in quo intenditur quod eſt alteri vtile, vel quantum ad res exteriores, & ſic eſt ſextum mẽdacium, quod prodeſt alicui ad pecuniam conſeruandam: vel eſt vtile corpori, & ſic eſt ſeptimum mendacium quo impeditur mors hominis; vel eſt vtile etiam ad honeſtatem virtutis, & hoc eſt octauum mendacium, in quo impenditur illicita pollutio corporalis. Patet autem quod quanto bonum intentum eſt melius, tanto magis minuitur culpa mendacij, & ideo ſi quis diligenter conſideret, ſecundum ordinem prædictæ enunciationis, attenditur ordo grauitatis culpæ in iſtis mendacijs. Nam bonum vtile præfertur delectabili; & vita corporis præfertur pecuniæ; honeſtas etiam ipſi corporali vitæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum omne mendacium ſit peccatum.* Sciendum quod illud quod ſecundum ſe malum eſt, ex genere ſuo nullo modo poteſt eſſe bonum vel licitum, quia ad hoc quod aliquid ſit bonum requiritur quod omnia rectè concurrant, quia bonum cauſatur ex integra cauſa: malum autem ex ſingularibus defectibus, vt dicit Dyoniſius 4. cap. de di. no. Mendacium autem eſt malum ſecundum ſe, eſt enim actus ſuper indebitam maceriam cadens. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectus, innaturale & indebitum eſt, quod aliquis ore vel voce ſignificet quod non habet in mente, vnde philoſophus dicit 4. Eth. quod *mendacium eſt per ſe prauum & fugiendum. Verum autem eſt bonum & laudabile.* Vnde manifeſtum eſt quod omne mendacium eſt peccatum. Sicut dicit Auguſt. in libro contra mendacium. Ideo dicitur Eccleſiaſtici 7. *Nolli velle mentiri omne mendacium.*

Omne mendacium eſt peccatum.

NON eſt ergo aliqualiter æſtimandum in ſcriptura ſacra, vel aliqua ſcriptura canonica aſſeri quicquam falſum, vel ſcriptores eorum falſum aliquid aſſerendo dixiſſe: quia ſic tota periret fidei certitudo, quæ auctoritati ſcripturæ ſacræ innititur. In hoc autem quod in euangelio, & in alijs ſcripturis ſacris, verba vel facta aliquorũ Doctorum diuerſimodè recitantur, non eſt mendacium. Vnde dicit Aug. in lib. de conſenſu Euangeliſtarum, Nullo modo laborandum eſſe iudicat, qui prudenter intelligit ipſas ſententias eſſe neceſſarias agnoſcendæ veritati, quibuſlibet verbis fuerint indicatæ. Et in hoc apparet, ſicut ſubiungit ibidem, non debere nos arbitrari mentiri quenquam, ſi pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiſcentibus, res eadem non eodem modo, atque eiſdem verbis fuerit indicata.

Solutio obiect.

Hoc etiam eſt ſciendum, quod in ſcriptura ſacra, ſicut Aug. dicit, inducuntur aliquorum geſta exempla perfectæ virtutis, de quibus non eſt æſtimandum eos fuiſſe mentitos. Si qua tamen in eorum dictis appareant quæ mendacia videantur, intelligendum eſt, ea figuraliter & propheticè dicta eſſe Vnde Aug. dicit in libro contra mendacium. *Credendum eſt illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuiſſe cõmemorantur, omnia quæ ſcripta ſunt de illis propheticè geſſiſſe atque dixiſſe.* Abrahã tamẽ vt Aug. dicit in quæſtionibus Gen. dicẽs: *Saram eſſe ſororem ſuam, veritatem voluit celari, non mendacium dici. Soror enim dicitur, quia filia fratris erat.* Vnde & ipſe Abraham dicit, Gen. 20. *Vere ſoror mea, eſt filia patris mei, & nõ matris meæ filia;* quia ſcilicet ex parte patris ei attinebat. Iacob vero myſticè dixit ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaac, quia videlicet primogenita illius de iure debebantur ei, vſus autẽ eſt hoc modo loquẽdi per ſpiritũ prophetiæ ad deſignãdum myſteriũ, quia videlicet iunior populus, ſcilicet gentilium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti, ſcilicet in loco Iudæorum. Quidam vero commendabantur in ſacra ſcriptura non propter perfectam virtutem, ſed propter quandam virtutis indolem; quia ſcilicet apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo mouebantur ad quædam debita facienda. Et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita eſt Holoferni, ſed propter affectũ quem habuit ad ſalutẽ populi, pro qua periculis ſe expoſuit, quamuis etiam dici poſſit, quod verba eius veritatem habent, ſecundũ aliquem myſticum intellectum.

Excuſantur Abraham & Iacob à mendacio.

RVRSVS aduerte, quod ille qui aliquid promittit, ſi animum habeat faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur cõtra illud quod gerit in mẽte. Si vero non faciat quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat: poteſt tamẽ excuſari ex duobus. *Vno modo* ſi promiſit id quod eſt manifeſtè illicitum, quia promittendo peccauit, mutando autem propoſitum benefacit. *Alio modo* ſi ſint mutatæ conditiones perſonarum vel negotiorum. Vt enim Seneca dicit in libro de beneficijs. *Ad hoc quod teneatur facere quod promiſit, requiritur quod omnia immutata permaneant.* Alioquin nec fuit mendax promittendo, quia promiſit quod habebat in mẽte, ſubintellectis debitis conditionibus: nec etiã eſt infidelis nõ implendo quod promiſit, quia cæteræ conditiones non extant. Vnde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non iuit Corinth. quo ſe iturum eſſe promiſerat, vt dicitur 2. Corinth. 1. hoc propter impedimenta quæ ſuperuenerant.

Qui habet animũ implendi quod promittit non mentitur, licet non impleat.

ITEM notandum quod mendacium non ſolũ habet rationem peccati ex damno quod infert proximo, ſed ex ſua inordinatione vt dictum eſt, non eſt autem licitum alicui illicita inordinatione vti, ad impediendum nocumentum vel damnum aliorum, ſicut non licet alicui furari vt eleemoſynam faciat; niſi forte in neceſſitatis artic. in quo ſunt omnia communia, ideo non eſt licitum mendacium dicere, ad hoc quod aliũ à quocunque periculo corporali vel ſpirituali liberet. Vnde non licet homini mẽtiri vt vnũ liberet vel præſeruet ab homicidio, & aliũ à morte; vel vt virginem à corruptione, & alium ab inceſtu præſeuet. Licet tamẽ veritatem occultare prudenter, ſub aliqua diſſimulatione, vt dicit Aug. in lib. contra mendacium.

CIRCA quartum, ſcilicet *vtrum omne mendacium ſit peccatum mortale.* Sciendum, quod peccatum mortale proprie eſt quod repugnat charitati, per quam anima viuit Deo coniuncta, vt dictum eſt. Poteſt autẽ mendacium contrariari charitati tripliciter. *Vno modo* ſecundum ſe; *alio modo* ſecũdum finẽ intentum; *tertio modo* per accidens. Secundum ſe quidem contrariatur charitati ex ipſa falſa ſignificatione, quæ quidem ſi ſit circa res diuinas; contrariatur charitati Dei, cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat vel corrumpit. Vnde huiuſmodi mendacium, non ſolum opponitur virtuti veritatis, ſed etiam virtuti fidei & religionis; & ideo hoc mendacium eſt, grauiſſimum & mortale. Si vero falſa ſignificatio ſit circa aliquid cuius cognitio pertineat ad hominis bonum, puta quæ pertinet ad perfectionem ſcientiæ, & informationem morum vitæ; ſic tale mendacium inquantum infert damnũ falſæ opinionis proximo, contrariatur charitati quantum ad dilectionem proximi, vnde eſt peccatum mortale. Si vero ſit falſa opinio ex mendacio generata circa aliquod, de quo non referat vtrum ſic vel aliter cognoſcatur, tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus; ſicut ſi aliquis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad ſe non pertinentibus, vnde tale mendacium ſecundum ſe non eſt peccatum mortale. Ratione vero finis intenti, aliquod mendacium cõtrariatur charitati, puta quod dicitur in iniuriã Dei, quod ſemper eſt peccatum mortale, vtpote religioni contrarium; aut in nocumentum proximi quantũ ad perſonam, diuitias, vel famam; & hoc etiã eſt peccatum mortale, cum nocere proximo ſit peccatũ mortale. Ex ſola autem intẽtione peccati mortalis: aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non ſit contrarius charitati, nec mẽdacium ſecundũ hanc rationem erit peccatum mortale. Sicut apparet in mendacio iocoſo, in quo intenditur aliqua leuis delectatio; & in mendacio officioſo, in quo intenditur etiam vtilitas proximi. Per accidens autem poteſt contrariari charitati ratione ſcandali, vel cuiuſcunque damni conſequentis; & ſic erit etiam peccatum mortale dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publicè mentiri.

Mendacium poteſt tripliciter caritati cõtrariari ac per cõſequẽs fieri mortale.

De periurio.

DISTINCTIO VIII.

DEINDE conſiderandũ eſt de periurio. Circa quod conſideranda ſunt duo. Primo vtrum omne periurium ſit peccatum mortale. Secundo quæ poſſunt nos mouere ad periurium deteſtandum.

CIRCA primum ſciendũ, quod quia de ratione periurii eſt falſitas ſeu mẽdacium omne autẽ mẽdacium eſt peccatum vt dictum eſt: patet manifeſtè periurium

eſſe

esse peccatum. Quod autem falsitas sit de ratione periurij declaratur sic. Actus enim morales ex fine speciem sortiuntur, finis autem in iuramento est humani dicti confirmatio, cui confirmationi falsitas opponitur, & per hoc confirmatur aliquod dictum quod ostenditur firmiter esse verum. Vnde falsitas directè euacuat finem iuramenti, quod periurium dicitur, & propter hoc à falsitate præcipuè specificatur peruersitas iuramenti, quod periurium dicitur; & ideo falsitas est de periurij ratione. *Est* autem sciendum secundum Hieronymum super illud Hierem. 4. *Iurabis in veritate iudicio, & iustitia*, quod *quodcunque istorum trium defuerit periurium est*; non tamen eodem ordine. Sed primo & principaliter est periurium, quando deest veritas in sermone, ratione iam dicta. Secundario autem cum deest iustitia; quia quicunque iurat aliquid illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit; quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat. Tertio vero modo quando deest iudicium; quia cum indiscrete iurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi; & sic patet periurium esse peccatum pro eo quod de ratione eius est falsitas. *Item* hoc idem patet ex eius propria ratione, quia iurare est testem Deum inuocare. Quod autem aliquis Deum inuocet testem falsitatis ad irreuerentiam eius, pertinet, quia per hoc dat intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit; & ideo periurium est peccatum religioni contrarium, cuius est Deo reuerentiam exhibere.

Periurium est peccatum mortale ex suo genere, consistit autem principaliter in falsitate, secundario vero in defectu iustitia vel iudicij.

Ex hoc vlterius clare patet, quod omne periurium sit mortale: quia etsi illa quę de se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiunt, sunt peccata mortalia; multomagis quicquid est quod de sui ratione pertinet ad contẽptum Dei, est peccatum mortale, periuriũ autem de sui ratione importat contẽptum Dei: ex hoc enim habet rationem culpæ vt dictum est, quia ad irreuerentiam Dei pertinet. Vnde manifestum est, quod periurium ex suo genere est peccatum mortale. Vnde si quis etiam iocose periuret, sicut non euitat irreuerentiam, sed quantum ad aliquid magis auget; ita non excusatur à peccato mortali, sicut nec à Dei contemptu. Ille etiã qui ex lapsu linguæ falsum iurat, si aduertat se iurare, & falsum esse quod iurat, non excusatur à peccato mortali, sicut nec à contemptu Dei. Si autem nõ aduertat, non videtur habere intentionem iurandi, & ideo à crimine periurij aliqualiter excusatur.

Periuriũ iocosũ est peccatum mortale vtietiam ex lapsu linguæ si quis aduertat se iurare, & falsum esse quod iurat, quia vtrobique est contemptus Dei contra religionem.

Circa secundum sciendum, quod crimen periurij ostendunt multa esse summopere detestandum. *Primum* est quia qui peierat, fur, raptor, & sacrilegus efficitur. Fur quidem & raptor, quia nomen sanctum Dei ipso inuito & prohibẽte in testimoniũ falsitatis assumit Exo. 20. *Non assumen nomen Dei tui in vanum*. Sacrilegus vero, quia res sacras inuadit, vt sub eas peccatum suum faciat; sicut nomen domini, & corpus eius, & altaria, & reliquias sanctorum, quod refugiunt alij peccatores, & ipsi dæmones, quibus sanctum & terribile nomen eius, ad cuius inuocationem ipsi fugiunt ab obsessis Leu. 19. *Non peierabis in nomine meo*. *Secundum* est quod periurus homagium diabolo facit, & se cum manu propria diabolo tradit, Proue. 6. *Defixisti apud extraneum manum tuam*. *Tertium* est quia sigillum summi regis & Papæ falsificat, & ideo excommunicatus & sacrilegus est, in perpetuum carcerem detrudendus, quia nomen domini quod datum est in testimonium veritatis, assumit in testimonium falsitatis, & confirmationem eius, Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, mentientes populo meo credenti mendacijs*, Et Isa. 52. *Tota die nomen meum blasphematur*. *Quartum* quia periurus quantum in se est, Deum inuoluit in malitia sua, quia ipsum in testimonium falsitatis adducit; & ideo contra ipsos in iudicio testis erit, Mal. 3. *Ero testis velox maledicis & periuris*. *Quintum* est quia periurus excluditur à protectione diuini nominis in quod peccat; quia frustra inuocat legis auxilium, qui committit in legem. Vnde peiurus à Deo protegi non meretur. Adiutorium enim nostrum in nomine domini, Prouerb. 18. *Turris fortissima nomen domini ad ipsum currit iustus & exaltabitur*. *Sextum* est, quia periurus repletur malis culpæ & malis pœnæ. Culpæ quidem malis repletur, sicut dicitur Ecclesiastici 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate*. Et idem. *Non assuescat iurationi os tuum, multi enim casus sunt in illa*, videlicet propter periurium quod sæpè subsequitur. De malis vero pœnæ quibus Deus punit spiritualiter hoc peccatum, dicitur Zach. 5. *Vidi volumen volans*, &cæt. *& dixit dominus. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ*. Sequitur, *quia omnis iurans ex hoc indicabitur*, & cætera, *& venit ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet ligna eius & lapides eius*.

diuini nominis.

6. Quia replentur malis culpæ & pœnæ.

1. Periurium sunt fures & sacrilegi.

2. Quia faciunt homagium diabolo.

3. Quia falsificãt sigillum Dei.

4 Quia conantur Deũ inuoluere in sua malitia.

5. Quia excludunt se à protectione diuini nominis.

Vnde periuri aliquando necantur à dæmone, aliquando vexantur. Sicut legitur in vita, B. Pancratij, sicut refert Gregor. Turon. quod si quis periurare volens ad sepulchrum dicti sancti accedere voluerit, antequam cancellum chori intrauerit, aut arreptus vexatur à dæmone, aut continuo cadens in pauimentum vitam perdit. *Item* Ecclesiasticæ histor. libr. 6. capit. 10. legitur de Narcisso Hierosolymitano Episcopo, quod cum esset iustus & rigoris tenax, quidam homines nequam timentes ne eos in suis flagitiis inueniret, scientes quod eis non parceret, conuenientes coram auditoribus, crimen infamiæ ei imponunt, iurando & imprecando ita esse. primus cum iuramento imprecatur, quod igne pereat nisi ita sit. secundus, quod quodam modo regio. tertius, quod oculos amittat. Sancto autem secedente ad eremum vt vacaret contemplationi (licet Deum timentes non crederent eis contra Sanctum) Primus falsus testis à scintilla cum omni progenie sua, rebus, & domo, & familia, exuritur. Secundus ab imis pedibus vsque ad caput, morbo regio consumitur. Tertius hoc videns secretum pandit, & sera pœnitentia lugens, oculos amisit. Narcissus autem post tres successores rediens, honorificè susceptus est.

Exemplo.

Item ad idem de retentoribus legatorum, quibus similiter accidit similiter imprecãtibus. Cùm quidam vsurarius moreretur pœnitens, vocauit duos amicos suos, rogans eos vt ipsi essent executores sui fideles, & veloces, & quod restituerent quod habuerat de alieno, exigens ab eis iuramentum, qui illud fecerunt cum imprecatione. Alius imprecatus est, quod igne sacro qui dicitur gehennalis succenderetur nisi hoc faceret; alius quod mala lepra feriretur. Cum autem eo mortuo pecuniam retinerent, nec vt promiserant facerent; vt imprecati fuerãt factum est eis, & tormento vrgente hoc sunt confessi quod accidit.

Exemplum.

7. Quia creatura irrationales tales produnt.

Septimo dissuadent hoc vitium etiam irrationales creaturæ, *armat enim Deus creaturam cõtra insensatos*, Sap. 5. *Dicitur* in hist. transmar. quod sunt quædam fontes fures arguentes; sic si suspecti iurauerunt & peierauerunt, bibentes ex eis excæcantur. Si autem immunes sint, clarius vident. *Item* legitur in gestis Romanorum, vt refert Orosius in lib. 5. quod cum Romani misissent legatos ad plures gentes, quos ipse nominauit, & ipsi recepissent eos in pace, & fide data pacem firmassent; subito proditiosè in eos irruentes in ciuitate Escuio occiderunt eos, & omnes Romanos quotquot inuenerunt. & factũ est in detestatione periurii, & violationis fidei, quod panis fractus apud aliquos per fracturas sanguinaret: animalia domestica & inter homines viuere assueta, cum balatu, hinnitu, & mugitu miserabili, fugientes ad siluas & montes, ab hominibus discesserunt. Canes cum lachrimosis latratibus idem fecerunt, oberrantes ad modũ luporũ, dicti autẽ populi qui dictã proditionẽ cõmiserant, victi sunt omnes in campo à Lucio Pompeio, & occisi

Exempla.

cum Imperatore eorum ; exceptis quatuor millibus qui iugum montis petentes, vindictam Dei non euaserunt, quia congelati ad modum lapidum obrigueruntimmobiles facti; qui ſtantes videbantur viui, iam eorum oculis & dentibus ab eis cadentibus.

De proditione.

DISTINCTIO IX.

Quid proditio.

DEINDE conſiderandum eſt de proditione. *Eſt autem proditio, occulta & malitioſa machinatio contra perſonam aliquam.* Sicut enim fraus eſt deceptio circa res, ita proditio eſt contra perſonam. Sicut patet de Iuda, qui ex auaritia prodidit Chriſtum Matth.24. *Iudas abijt ad ſummos Sacerdotes vt proderet eum illis.* Sic Cain in fratrem ſuum Abel proditioſe ſurrexit Geneſ. 4. Sic Symeon & Leui filij Iacob, ſæuientes ob ſtuprum ſororis ſuæ Dynæ, irruentes in Sychem & populum ciuitatis, occiderunt Geneſ.34. Saul pluries niſus eſt proditioſe percutere Dauid, & lancea confodere cum pariete 1.Reg.18. Dauid proditioſe occidi fecit Vriam 2.Reg.9. Abſalon volens vindicare iniuriam ſororis ſuę, quam vi oppreſſerat Ammon frater ſuus, proditioſe fecit eum occidi. Ioab proditioſe Amaſan interfecit 2.Reg.20. *dixit Ioab ad Amaſan. Salue mi frater, ſalue mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amaſæ quaſi oſculans eum, & percuſsit eum in latere.* 2. Reg. 20. Iſmahel filius Nathaniæ de octoginta viris, proditiosè occidit ſeptuaginta in medio ciuitatis. Hierem. 41.

De furto.

DEINDE conſiderandum de furto, circa quod conſideranda ſunt tria. Primo vtrum furtum ſit peccatum. Secundum vtrum ſemper ſit peccatum mortale. Tertio vtrum liceat furari in neceſſitate. Ad euidentiam primi, primo declarandum eſt, vtrum rerum exteriorum poſſeſſio ſit homini naturalis. Secundo vtrum licitum ſit, quod aliquis aliquam rem poſſideat quaſi ſuam. Tertio vtrum furtum ſit occulta acceptio rei alienæ. Quarto declarabitur vtrum furtum ſit peccatum.

Poſſeſſio rerum naturalium quoad vſum eſt homini naturalis quatenus ratione pollet.

AD primum dicendum eſt, quod res exterior poteſt dupliciter conſiderari. *Vno modo* quantum ad eius naturam, quæ non ſubiacet humanæ poteſtati, ſed ſolum diuinæ, cui omnia ad nutum obediunt. *Alio modo* quantum ad vſum ipſius rei; & ſic habet homo naturale Dominium exteriorum rerum, quia per rationem & voluntatem poteſt vti rebus exterioribus quantum ad ſuam vtilitatem, quaſi propter ſe factis, ſemper enim imperfectiora ſunt propter perfectiora. & ex hac ratione probat Philoſophus 1. Pol. quod poſſeſſio rerum exteriorum eſt homini naturalis. hoc autem naturale dominium ſuper cæteras creaturas, quod competit homini ſecundum rationem, in qua imago Dei conſiſtit, manifeſtatur in ipſa hominis factione Gen.1. vbi dicit. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris,* &c.

Quoad poteſtate procurandi & diſpenſandi conueniens eſt propter eria quod aliquis rem vt propriè poſſideat, nō autem quoad vſum.

AD ſecundum dicendum, quod circa rem exteriorem duo competunt homini; quorum vnum eſt poteſtas procurandi & diſpenſandi, & quantum ad hoc licitum eſt quod homo propria poſſideat, & eſt etiam neceſſarium ad humanam vitam propter tria. *Primò* quidem, quia magis ſollicitus eſt vnuſquiſque ad procurandum aliquid quod ſibi ſoli competit, quam illud quod eſt commune omnium vel multorum; quia vnuſquiſque laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad commune, ſicut accidit in multitudine miniſtrorum. *Alio modo* quia ordinatius res humanæ tractantur, ſi ſingulis immineat propria cura alicuius rei procurandæ: eſſet autem confuſio ſi quilibet indiſtinctè quælibet procuraret. *Tertio* quia per hoc magis pacificatus ſtatus hominum conſeruatur, dum vnuſquiſque re ſua contentus eſt. Vnde videmus quod inter eos qui communiter ex indiuiſo aliquid poſſident, frequentius iurgia oriuntur. *Aliud vero* quod competit homini circa res exteriores eſt vſus ipſarum; & quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores vt proprias, ſed vt communes, vt ſcilicet de facili aliquis ea communicet in neceſſitate aliorum. Vnde Apoſt. dicit 1. Timot.vlti. *Diuitibus huius ſæculi præcipe facilè tribuere, communicare.*

Solutio obiect.

ET nota quod communitas rerum attribuitur iuri naturali, non quia ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter, & nihil eſſe quaſi proprium poſſidendum; ſed quia ſecundum ius naturale non eſt diſtinctio poſſeſſionum, ſed magis ſecundum humanum condictum, quod pertinet ad ius poſitiuum. Vnde proprietas poſſeſſionum non eſt ius naturale, ſed iuri naturali ſuperadditur per adinuentionem rationis humanæ.

Ius naturale non dictat omnia eſſe communiter poſſidenda.

AD tertium dicendum, quod ad rationem furti tria concurrunt: quorum primum conuenit ſibi ſecundum quod contrariatur iuſtitiæ, quę vnicuique tribuit quod ſuum eſt: & ex hoc competit ei quod vſurpat alienum. *Secundum* vero pertinet ad rationem furti, prout diſtinguitur à peccatis quæ ſunt contra perſonam, ſicut ab homicidio, & adulterio; & ſecundum hoc competit furto, quod ſit circa rem poſſeſſam. Siquis enim accipiat id quod eſt alterius, non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars, ſicut ſi amputet membrum: vel ſit in perſona coniuncta, vt ſi auferat filiam vel vxorem, non habet rationem furti. *Tertia* differentia eſt, quæ complet rationem furti; ſcilicet vt occultè vſurpetur alienum, & ſecundum hoc propria ratio furti eſt vt ſit occulta acceptio rei alienæ.

Ad rationem furti tria cōcurrunt ſed præcipuè quod ſit occulta rei aliena vſurpatio.

Solutio obiect.

ET nota quod occultatio quandoque quidem eſt cauſa peccati, puta cum quis vtitur occultatione ad peccandum, ſicut accidit in fraude & dolo; & hoc modo non diminuit peccatum, ſed conſtituit ſpeciē peccati, & ita eſt in furto. Alio modo occultatio eſt ſimplex circunſtantia peccati; & tunc diminuit peccatum, tum quia eſt ſignum verecundiæ, tum etiam quia tollit ſcandalum.

Furtum eſt peccatum tū ratione iniuſtitiæ tū ratione fraudis

AD quartum dicendum, quod ſi quis conſideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet: *Primo* quidem propter contrarietatem ad iuſtitiā, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt; & ſic furtum iuſtitiæ opponitur, inquantum furtum eſt acceptio rei alienæ. *Secundo* ratione doli ſeu fraudis, quam fur committit, occultè & quaſi ex inſidijs rem alienam vſurpando. Vnde manifeſtum eſt quod omne furtum eſt peccatum.

Solutio obiect.

NOTANDVM autem quod accipere rem alienam, vel occultè, vel manifeſtè, auctoritate iudicis hoc decernentis, nō eſt furtum; quia iam fit ſibi debitum per hoc quod ſententialiter ſibi eſt adiudicatum. Vnde multominus furtum fuit quod filij Iſraël tulerunt ſpolia Ægyptiorum de præcepto Domini, hoc decernentis pro afflictionibus quibus Ægyptii eos ſine cauſa afflixerant: & ideo ſignanter dicitur Sap. 10. *Iuſti tulerunt ſpolia impiorum.*

Quid de rebus inuentis agendum.

ITEM ſciendum quod circa res inuentas eſt diſtinguendum. Quædam enim ſunt, quæ nunquam fuerūt in bonis alicuius; ſicut lapilli & gēmæ, quæ inueniuntur in littore maris; & talia occupanti conceduntur: & eadē ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorū non eſt aliquis poſſeſſor, niſi quod ſecundum leges ciuiles tenetur inuentor medietatem dare Domino agri, ſi in alieno agro inuenerit. propter quod in parabola Euang. dicitur Matth.13. de inuentore Theſauri abſconditi in agro, quod emit agrum, quaſi vt haberet ius poſſidendi totū Theſaurū. Quædam vero res inuētæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis; & tunc ſi quis eas accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi ſi'o derelictis habeantur, & hoc credat inuentor,

licet

licet sibi retineat non committit furtum, alias autem committitur peccatum furti. Vnde Aug. dicit in quadam homelia & habetur 14. q. 5. *Si quid inuenisti & non reddidisti, rapuisti.*

Non licet occulte accipere rem suam ab alio detentam.

ITEM sciendum quod si quis rem suam ab alio detentam, vel apud alium depositam accipiat occultè, peccat: quia grauat depositarium, & tenetur ad restituendum, vel ad ostendendum se esse innoxium. Vnde manifestum est quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. Qui vero furtim accipit rem suam apud alium detentam, peccat quidem; non quia grauat eum qui detinet, & ideo non tenetur ad restituendum, vel ad recompensandum: sed peccat contra communem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso; & ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam vt scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.

Furtum cũ aduersetur Charitati proximi est mortale ex suo genere, leuitas tamẽ materiæ facit veniale.

CIRCA secundum principale, scilicet *vtrum furtum sit peccatum mortale.* dicendum, quod sicut habitum est supra, peccatum mortale est quod contrariatur charitati, secundum quam est spiritualis animæ vita. Charitas autem principaliter consistit in dilectione Dei, secundario vero in dilectione proximi, ad quã pertinet vt proximo bonum velimus & operemur: per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur, periret humana societas. Vnde Zach. 5. *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur,* scilicet ad mortem. Nullus autẽ secundum iudicium diuinum condemnatur ad mortem, nisi pro peccato mortali. Potest tamen furtum committi in rebus paruis, modicique valoris; illud aute quod minimum est apprehẽdit ratio quasi nihil, & ideo in huiusmodi quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri: & ideo ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem eius cuius est res; & pro tanto si quis furtiuè accipit huiusmodi res minimas, potest excusari à peccato mortali. Si tamen habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.

Solutio obiect.

ITEM sciendum quod Prouerb. 6. furtum dicitur non esse grandis culpæ duplici ratione. *Primo* quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam, vt infra patebit. Vnde subdit: *Furatur enim vt esurientem implear animam. Alio modo* dicitur furtum non esse grandis culpæ, per comparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte. Vnde subditur de fure, quod *deprehensus reddet septuplum, qui autem adulter est perdet animam suam.*

ITEM sciendũ quod in lege nõ infligitur pœna mortis pro furto, sed solum pœna damni. Exod. 22. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue.* quare pœnæ potentis vitæ magis sunt medicinales, quam retributiuæ: retributio enim reseruatur diuino iudicio, quod est secundũ veritatẽ in peccantes; & ideo secundum iudiciũ præsentis vitæ, non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, sed solum pro illis quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiã pro illis quæ habent aliquã horribilẽ deformitatẽ. & ideo pro furto quod reparabile damnũ infert, non infligitur secundũ præsens iudicium, pœna mortis; nisi furtũ aggrauetur per aliquam grauẽ circunstantiam. Sicut patet de sacrilegio, quod est furtũ rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis, vt patet per Aug. super Ioh. & de plagio quod est furtum hominis pro quo quis morte punitur, vt patet Exo. 21.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum in necessitate licitum sit furari.* dicendum, quod illa quæ sunt iuris humani, non possunt derogare iuri naturali, vel diuino iuri. Secundum autem naturalem ordinem ex diuina prouidẽtia est statutum, quod res inferiores sunt ordinatę ad hoc, vt ex his subueniatur hominum necessitati, & ideo per rerum diuisionem & appropriationem, de iure humano procedentem, non impeditur quin hominis necessitati sit subueniendum ex huiusmodi rebus. Et ideo res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi. Vnde Amb. dicit. & habetur in decretis dist. 47. *Esurientiũ panis est quem tu detines, nudorum indumentum est quod tu recludis, miserorum redemptio & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis.* Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri, committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patientibus. Si tamen adeo sit vrgens & euidens necessitas, vt necessarium sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subueniendum, puta cum imminet personæ periculum, & aliter subueniri non potest; tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè. Nec hoc propriè habet rationem furti vel rapinæ.

In extrema necessitate potest quis sine furto ex alienis sibi subuenire.

De rapina.

DISTINCTIO X.

DEINDE considerandum est de rapina. Circa quam consideranda sunt quatuor. Primo vtrum sit peccatum specie distinctum à furto. Secundo vtrum rapina sit peccatum mortale. Tertio vtrum sit peccatum grauius quam furtum. Quarto de motiuis quæ dissuadent tam rapinam, quam furtum.

Furtum & rapina differunt specie per hoc quod aliud sit pati inuoluntariũ per ignorantiã aliud per violentiam.

CIRCA primum sciendum, quod furtũ & rapina sunt peccata specie distincta siue differẽcia. Quod declaratur hoc modo. Furtũ enim & rapina sunt peccata iustitiæ opposita, inquantũ aliquis alteri facit iniustũ. Nullus autẽ patitur iniustum volẽs, vt probatur in 5. Eth. Et ideo furtum & rapina ex hoc habent rationẽ peccati, quod acceptio est inuoluntaria ex parte eius cui aliquid subtrahitur. Inuoluntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & violentiã, vt habetur in 3. Eth. & ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum, & propter hoc differunt specie. *In* alijs autem generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo inuoluntario, sicut accidit in peccatis oppositis iustitiæ; & ideo vbi occurrit diuersa ratio inuoluntarij, est diuersa species peccati. *Item* raptus mulieris non constituit diuersas species peccati, siue fiat occultè, siue manifestè, quia raptus mulieris non potest esse occultus ex parte mulieris quæ rapitur, & ideo etiamsi sit occultus quantum ad alios a quibus rapitur, adhuc remanet ratio rapinæ ex parte mulieris cui violentia infertur.

Soluitio obiect.

CIRCA secundum scilicet *vtrum rapina sit peccatum mortale,* dicendum quod rapina quandam violentiam & coactionem importat, per quam contra iustitiam aliqui aufertur quod suum est. In societate autem hominum nullus habet coactionem, nisi per publicam potestatem: & ideo quicunque per violentiam aliquid alteri aufert, si sit priuata persona non vtens publica potestate, illicitè agit, & rapinam committit, sicut patet in latronibus. Principibus vero publica potestas committitur, ad hoc quod sint iustitiæ custodes; & ideo non licet eis violentia & coactione vti, nisi secundum iustitiæ tenorem; & hoc vel contra hostes, pugnando; vel contra ciues malefactores, puniendo: & quod per talem violentiam aufertur nõ habet rationem rapinę, cum nõ fit contra iustitiam. Si vero contra iustitiam aliqui per publicam potestatem violenter abstulerint res aliorum, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.

Soluitio obiect.

Rapina nisi fiat à publica potestate & secundũ iustitiæ tenorem est peccatum mort.

DE his vero qui prædas rapiunt ab hostibus, sciendum est, quod si illi qui deprædantur hostes, habent bellum iustum, ea quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; & hoc non habet ra-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Acquisit ain bello iusto licite possidentur.

tionem rapinæ, vnde nec ad restitutionem tenentur; quamuis possint in acceptatione prædæ iustum bellū habentes, peccare per cupiditatem ex praua intentione, si scilicet non propter iustitiam, sed propter prædam principaliter pugnent. Dicit enim. Aug. in libro de verbis domini, quod *propter prædam militare peccatum est*. Si vero illi qui prædam accipiunt habeant bellum iniustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur.

DE his autem qui res infidelium rapiunt, sciendū, quod in tantum aliqui infideles iniustè res suas possident, inquantum eas secundum leges terrenorū principum amittere iussi sunt. Et ideo ab eis possunt per violentiam subtrah, non priuata auctoritate, sed publica. *De his* vero, quæ principes extorquent à subditis; sciendum, quod si principes à subditis exigunt, quod eis secundum iustitiam debetur, propter bonū commune conseruandum etsi violentia adhibeatur, non est rapina. Si vero aliqui principes indebita extorqueant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium. vnde dicit. Aug. in 4. de ciuitate Dei. *Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt nisi parua regna?* Et Ezech. 22. dicitur. *Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam.* vnde & ad restitutionem tenentur, sicut & latrones; & tanto grauius peccant quam latrones, quanto periculosius & communius contra publicam iustitiam agūt, cuius custodes sunt positi.

Rapina est si princeps aliquid à subditis indebite extorqueat

CIRCA tertium, scilicet *vtrum rapina sit grauius peccatum quam furtum.* dicendum, quod rapina & furtum habent rationem peccati sicut supra dictum est, propter inuoluntarium quod est ex parte eius cui aliquid aufertur, ita tamen quod in furto est inuoluntarium per ignorantiam, in rapina autem est inuoluntarium per violentiam. Magis est autem inuoluntarium per violentiam, quia violentia directius opponitur volūtati, quam ignorantia; & ideo rapina est grauius peccatum quam furtum. Est etiam alia ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quandam personæ ignominiam siue iniuriam, & hoc præponderat fraudi vel dolo qui pertinent ad furtum.

Rapina est grauius peccatum quā furtum quia magis inducit inuoluntarium, tum etiam maiorem iniuriā, ob ignominiā personæ illatam.

CIRCA quartum, scilicet *quæ dissuadent furtum & rapinam*, vere multa sunt: Specialiter ad præsens accipiamus 7. Primum est vehementia timoris. Secundum est ignominia pudoris. Tertium est amoris fidelitas. Quartum est clamoris anxietas. Quintum est criminis enormitas. Sextum est auctoris rusticitas. Septimum est pœnarum diuersitas. *Primo* quidem furtum & rapinam dissuadet vehementia timoris. Et hic timor est multiplex, videlicet timor temporalis domini, timor diuini seu finalis iudicij; & timor gehennalis supplicij. De primo dicitur. Rom. 13. *Vis non timere potestatem? benefac, & habebis laudem ex illa. Si autem malefeceris time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malefacit.* Hic timor furto & rapinæ inseparabiliter est annexus, semper enim timent deprehendi & occidi. Quidam latro confitebatur cuidam fratri in quadam silua dicens, quod per septennium habitauerat in siluis sine tecto, spolians transeuntes, & omnes eum timebant: ipse autem adeo omnes timebat, quod vix somnum modicum ad momentum capiebat. Socios etiam suos tantum timebat, quod non sustinebat quod appropinquarent ei, vel iacerent prope eum: semper vestitus & cum armis ibat, & tot & tanta sustinebat pro scelere suo, quod vix vnquam aliquis martyr tanto spatio propter Deum sustinuit tanta. Cum autem frater multum laborasset circa eum conuertendum, & ad terram transmarinam mittendum, solus cum eo (quia nec patiebatur socium fratris accedere) dicebat quod hoc non faceret, nisi quidam qui ei iniuriam fecerant, prius emendarent ei. Cum autem ipse nobilis maximus & robustus corpore videretur, cito post insiliens vt spoliaret quendam parum-

Multa dissuadent furtum & rapinam.

1. *Vehementia timoris quæ est triplex scilicet domini temporalis.*

uulum hominem merces portantem, ita meticulosus & excors inuentus est, quod ab illo præuentus, deiectus est, captus & ligatus & ductus, à sæculari iustitia distractus, & suspensus. Ideo de Cayn (qui fuit caput & initium prædonum & latronum, suosque docuit, & ad hoc ciuitatem muruit, vt esset eorum refugium, secundum quod dicit Iosephus) dicitur quod percussus tremore capitis dixit domino. Quicunque inueniet me occidet me. Gen. 4. *Ego ero vagus & profugus super terram, qui inuenerit me occidet me.* Iob. 24. *Perfodiunt in tenebris domos*, &c. Et post. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* semper tales timent, & maxime in die, deprehendi. Legitur in libro de vita Brachmannorum, quod Alexander qui inuaserat & diripiebat totum mundum, confessus est Dandamo Dydascalo eorum, quod omnes timebat, & nullos magis quam domesticos & propinquos, & eos qui eum constipabant & seruabant, à quibus omnibus sibi subiectis veneno est occisus.

Diuini iudicij.

SECVNDVM est timor diuini iudicij. Durissimum namque iudicium contra fures & raptores erit. Sicut dicitur. Zach. 5. *omnis fur, sicut scriptum est, iudicabitur.* Isa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui, vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperum in domo vestra, graue & durum erit iudicium talium.* quod patet Matth. 25. Si enim dominus damnat eos qui sua non dederunt egenis, qualiter damnabit illos, qui eis abstulerunt sua. Matth. 25. *Esurini, & non dedistis mihi manducare* &c. Luc. 18. de diuite epulone dicit glos. *Si sic torquetur diues, quia non dedit sua, quomodo damnabitur qui abstulit aliena?* Erit autem iudicium eis: quia quod fit vni de minimis suis, reputat sibi factum, siue bonum, siue malum. Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, &c. quia pauperibus quos iudicant iudicium datur, vnde ipsi iudicabunt & damnabunt suos deprædatores. Isa. 33. *Subycient exactores suos.*

Exemplum.

HÆC meditatio, scilicet duri iudicij, vel manifestatio, conuertit latronem, de quo in vitis pa. legitur. Cum dominus misisset ad conuertendum Ægyptum, Abbatem Appollonium, & duo viri adinuicem pugnarent, non poterat alteram partem flectere ad pacem, quia confidebat de quodam latrone robusto pugnatore capitaneo eorum, quem cum rogaret vt paci consentiret, promittens ei quod pro eo rogaret dominum, vt dimitteret ei peccata sua, statim prostrauit se consentiens paci, & alij similiter post eum. Cum autem Abbas Appollonius pro eo rogaret dominum vt promiserat, vtrique visum est quod raperetur coram summo iudice, vbi à domino & Angelis sanctis viderunt discuti & accusari facta latronis, & damnationem sibi adiudicari, secundum exigentiam culparum suarum. pro quo cum oraret Appollonius, respondit; licet nulla sit participatio lucis ad tenebras, & Christi ad Belyal, tamen ille conceditur tibi qui rediens à visione non solum cauit à furtis, sed etiam factus solitarius arctissimam vitam duxit, & asperam egit pœnitentiam.

Æterni supplicij.

TERTIVM est timor æterni supplicij. Apoc. 9. *Occisi sunt ab equestri exercitu*, scilicet diaboli, *qui non egerunt pœnitentiam à maleficijs, & furtis suis.* occidendi sunt à Deo in iudicio. Sicut Dauid occidi fecit duos principes latronum 2. Reg. 4. quibus serui Dauid amputauerunt summitatem manuum & pedum, & suspenderunt super piscinam in Ebron. Similiter Angeli suspendent fures in infernum, vbi nec poterunt aliquid boni agere, nec effugere.

2. *Ignominia pudoris.*

SECVNDVM quod dissuadet hoc vitium est pudor & confusio, quam habet quis quando in furto deprehenditur, quæ fit & ipsi furi, & suo generi, Ecclesiastici 5. *Super furem est confusio.* Ecclesiastici 41. *Magnam verecundiam habet fur, cum conuincitur inter vicinos. Dicitur* etiam quod lupus volens capere & furari ouem quæ ponitur in pedica vel fouea ad capiendum lu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pum, quando cecidit in eam adeo verecundatur se ita captum & deprehensum in furto, quod licet esuriat, & secum sit ouis in fouea, non tangit eam, sed erubescit deprehensus in furto, humanos aspectus, non audens ad intuendum homines caput erigere, vel oculos leuare: quanto magis homines debent erubescere, facientes furta, Dei intuitum & sanctorum, coram quibus faciunt furta, quæ faciunt & alia mala.

Exemplum. ITEM in vitispa. legitur, quod quædam lupa consueuerat visitare cellam Solitarij hora cænæ, qui dabat ei de reliquijs mensæ suæ, & lambebat ei manus, & inclinans cum mansuetudine ad siluam redibat. Cum autem quadam die iuisset Solitarius dictus ad visitandos fratres quosdam, venit lupa hora solita, expectans vt Solitarius cibum solitum sibi daret: cum autem non veniret, coacta fame accepit panem qui erat in sporta & recessit. & aduertens dicti viri beneficium, & furtum suum, præ verecundia non est ausa redire hora solita. Rediens autem Solitarius, & non inueniens panem suum miratur, cogitans quod si lupa hæc fecerat, coacta fame fecerat. Magis autem contristatus de hoc quod non redibat vt solebat, rogauit dominum, post moram diutinam, vt eam redire faceret. ad cuius preces venit oculis demissis, & capite inclinato, se ante eum verecunda prosternens, quasi veniam petens de accepto pane sine licentia. Ipse autem eam blande manu tractans, in duplo postea dedit ei quam ante consueuerat.

3. *Amor Dei.* TERTIVM quod dissuadet hoc vitiũ est amor Dei, qui proximum præcipit sicut seipsum diligere, non spoliare, sed bona communicare, esse misericordem non raptorem. Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Charitas est ostium per quod intratur in ouile ouium Christi; *qui per hoc non intrat, fur est & latro.* Ioh.10. specialiter à tempore aduentus Christi, qui non venit pro rapinis exercendis, sed soluendis. Psalm.68. *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Tempus aduentus eius est tempus gratiæ & misericordiæ, tempus conferendi bona, non auferendi. Sicut ostendit Apostolus. Eph. 4. *Imbuti doctrina & sacramentis Christi, non debent viuere sicut gentes, quæ ignorant Deum, sed deponere veterem conuersationem, & induere nouum hominem.* Et subinfert. *Qui furabatur iam non furetur, laboret,* &c. quia tempus gratiæ, est tempus largiendi, & non auferendi.

4. *Clamor & gemitus oppressorum.* QVARTVM quod dissuadet hoc vitium, est clamor & gemitus oppressorum & spoliatorum, & imprecationes quas exaudire dominus consueuit. Ioh. 24. *Alij terminos sustulerunt, diripuerunt greges, animalium pupillorum, & abegerunt & abstulerunt boucm viduæ.* Et post. *Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt vindemiant; nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore, quos imbres montium rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides.* Et multa alia mala subiungit, quæ faciunt prædones & fures. Et post sequitur. *De ciuitatibus fecerunt homines gemere, & animæ vulneratorum clamabunt, & dominus multum abire non patitur.* Ia. 5. *Ecce clamor operariorum qui fraudati sunt à vobis in aures domini Sabaoth introiuit* &c. Exo. 22. *Si clamauerunt ad me,* scilicet spoliati, *exaudiam eos, quia misericors sum.* Sic exaudiuit filios Israel oppressos ab Ægyptijs, & eos liberauit, & Ægyptios submersit. Ecclesiastici. 35. *Deprecationem læsi exaudiet dominus, non despiciet preces pupilli, nec viduæ, si effundat loquelam gemitus,* &c. Ad hoc facit exemplum quod habetur. Lucæ 18. *de vidua quæ venit ad iudicem, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur; quæ cum assiduè instaret ait iudex: Si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen illam vindicabo vt petit, dicens: Vindica me de aduersarijs meis,* &c. Et subinngit. *Dominus Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? dico vobis quia cito faciet vindictam illorum.*

C

QVINTVM quod dissuadet hoc vitium est enormitas culpæ, quæ quidem est tum propter crudelitatem, tum propter culparum comitantium diuersitatem, tum etiam propter emendæ difficultatem. *Primo* quidem propter crudelitatem in animo, & in facto. Vnde fures & raptores in scriptura sacra feris crudelissimis comparantur. Videlicet lupis, & leonibus, & vrsis & draconibus, Soph.3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: Iudices eius lupi vespere,* &c. Prouerb. 8. *Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem.* Ezec.13. *Leo factus est, didicitq; prædam capere, & homines deuorare.* Fures etiam & raptores dicuntur esse similes diabolo, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret,* 1.Pet.5.Sic,& isti. 5. *Enormitas culpæ quæ in tribus consistit.* 1. *Scilicet in crudelitate.*

ITEM peiores sunt diabolo quantum ad hoc, quod diabolus solum torquet malos, & secundum merita; hi autem bonos sæpè, & qui nihil mali meruerunt, Isa. 61. *Qui recessit à malo prædæ patuit.* Isti non deferunt Angelis bonis, affligunt eos qui in eorum custodia sunt, quod non faciunt dæmones. Videntur de hominibus facere in hoc mundo, quæ dæmones leguntur de animabus facere in inferno. Dicit enim eos scriptura homines excoriare, atterere, & molere, & comedere, & vorare. Eos quasi excoriant, quando eos vestibus suis spoliant, Mich.3. *Violenter tollis pelles eorum desuper eos, & carnem eorum desuper ossibus eorum:* quod faciunt cum macie eos afficiunt, Isa. 3. *Quare atteris populum meum, flagellando & facies pauperum demolitis,* bona vnde debent viuere rapiendo, & consumendo. *Raptores sũt crudeliores diabolo.*

ISTI benè sunt crudeliores quam feræ, quæ licet à feritate dicantur, tamen quasi feritatis oblitæ, in factis suis ostendunt, quod furta vel rapinæ non debent fieri contra bonos, vel in bonis eorum. Coruus auis rapax, res Elyæ non rapuit, sed eum pauit. Similiter & Paulum primum eremitam. Columba pauit sanctam Catherinam. Coruus beati Vincentij corpus, sibi expositum non diripuit, sed à feris defendit. Leones Daniele m in lacu sibi expositum, non solum non tetigerunt, sed defenderunt, & de persecutoribus suis eum vindicauerunt. Similiter Chrisantum & Dariam. Duo vrsi res Elysei non rapuerunt, sed eius derisores vorauerunt. *In* vitispa. legitur quod leena ad beatum Macharium cæcos deportauit catulos suos, quos illum jnauit; quæ domum eius non spoliauit, sed ipsa cum catulis, de prædis quas accipiebant, ad eum induendum pelles ei deportabant. *Raptoes sũt feris crudeliores.*

NOTA quod crudeliores sunt serpentibus, & draconibus, qui res beatorum leguntur contra fures custodiuisse, vt in vitispa. probauit sanctus Amon latronibus; vbi legitur, quod cum latrones consueuissent cellam eius intrare, & panem suum ei furari, vadẽs ad eremum, inueniens duos dracones, præcepit eis in nomine domini vt eum sequerentur, & eius cellam custodirent à latronibus. qui eum sequentes, stabant ad ostium cellæ. Latrones autem venientes nocte vt cõsueuerant, visis draconibus ceciderunt præ timore quasi exanimes. Mane autem facto inuenit eos sanctus, arguens & liberans eos de hoc, quod crudeliores essent draconibus, qui res seruorum Dei custodiebant. Sic dracones remisit, latrones refecit, qui conuersi sunt ad dominum. *Item serpentibus & draconibus.*

SIMILITER ferè dicitur 2. Dial.5. In Fundensi monasterio cum quidam forter hortulanus hortum coleret, fur cõsueuerat per sepem intrare, & olera surripere & alia. qui inueniens ibi serpentem, præcepit vt eum sequeretur, & custodiret foramen, & viam per quam latro intrabat. qui eum secutus hoc fecit. Cum autem fur veniret in meridie dormientibus fratribus, intrans per sepem & videns serpentem, cecidit pendens, pede remanente infixo in palo. quem sic inueniens frater liberauit, serpentem licentiauit, furem arguit, & datis oleribus emisit eum liberum. In vitispa. quædã vidua venit ad sanctum Innocentium Abbatem pro furata sibi oue flẽs, qui fecit se duci ad locum vbi eam *Exemplum.*

amiſerat; latrones autẽ qui eam acceperant eã interfecerãt in vicina vinea. Vbi cũ oraſſet, Coruus & canis qui de ea rapuerant ſancto detulerunt, & eum vſq; ad ouem & fures præceſſerunt. Qui deprehenſi ab eo, pretium viduæ reddiderunt. *Item* apparet enormitas culpæ furti vel rapinæ, quia multæ aliæ culpæ graues comitari ſolent. frequenter enim ex furto vel rapina generatur homicidiũ. Occidit aliquando fur vel prædo hominem, vt res habeat, aliquando per hoc periurium incurrit, & mendacium, & excommunicationem, & multa alia peccata grauia. Sap. 14. *Omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, periurium*, &c. Oſeæ 4. *Maledictum, mendaciũ, furtum, homicidium, adulterium, inundauerunt ſuper terram*, &c. Generat periurium, Prouer. 30. *Ne forte paupertate compulſus furer & periurem nomen Dei mei.* Quod faciunt multi cũ furati ſuſpecti habentur; iurant & periurãt ſe talia non feciſſe. Item iſti ſunt peſſimi proditores ad Deum, cuius filium iniuſtè ſpoliant, & fratrem ſuum Chriſtianum, quod reputat dominus ſibi factũ Prouerb. 23. *Ne facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, nec conteras in porta, quia dominus iudicabit eum, & confringet qui confodiunt animam eius.* Item frequenter conſueuerunt eſſe proditores contra Dominos ſuos ſeruientes, qui furantur eis ſua, edendo & bibendo cum eis; & de ſuo, cum ipſi eis ſe & ſua committant. Sicut Iudas, quia fur erat proditor fuit. Et multi proditiosè dominos ſuos occidunt, vt res eorum rapiant & furent ur.

2. *In aliarũ culparum cõcomitantia.*

3. *Ex difficultate emẽdæ.*

ITEM enormitas huius peccati, furti videlicet & rapinæ oſtenditur ex difficultate emendæ: multos enim inuoluit, qui tamen malè, non bene nec libenter reſtituunt; quia aut nimis differunt, & mora eſt in periculo; aut obliuioni tradunt, aut reddere contemnunt, aut nõ integrè. Hęc culpa nimis inuoluit multos, paruos, & magnos, qui vel fructus furantur, aut rapiunt, aut aues, aut alia maiora vel minora, & dum aliquando confitentur in quadrageſima, & reſtituere promittunt, ita conglutinatæ ſunt manibus eorum res quaſi viſcoſæ, quod non poſſunt ab eis ſeparari; ſed potius ſæpe in idipſum relabuntur, & in confeſſione reſtitutio eis intungitur, & ipſi facere promittunt, & non faciunt; & ſic fiunt dupliciter tranſgreſſores. *Item* aliquando, qui cauent à minoribus, non cauent à maioribus violentiis, aut rapinis. vnde in Prouerb. Philoſophorum legitur, quod quidam Philoſophus videns præpoſitos Athenienſes ducentes ad patibulum pauperem deprehenſum in furto, ridens & deridens, ait: Ecce res ridiculoſa, magni fures paruum ducunt ad ſuſpendium.

Exemplum.

6. *Magna ruſticitas.*

SEXTVM quod diſſuadet hoc vitium eſt magna ruſticitas. Fur enim & raptor ruſticus eſt, ſicut Miluus & Bubo inter aues; alter rapit violenter pullos gallinæ, alter rapit de nocte latenter odiendo lucem. Sicut enim magnæ nobilitatis & liberalitatis eſt dare; immo ſummæ, & pertinens maximè ad ſummum largitorem, qui omnia fecit vt haberet quid & quibus daret, qui maxime gaudet dare maxima, ſi inuenerit idoneos acceptores, & maximè hominem liberalem ſibi ſimilem. Sic econtra magnæ ignobilitatis eſt & ruſticitatis, furari vel rapere. Magiſter Alanus probauit militibus, quod erant maximè ruſtici, ipſo enim apud montem Peſſulanum incipiẽte legere in Theologia, intrantes milites ſcholas, cum quęſiuiſſent multa ab eo; dixit quod volebat vnam quæſtionem primo ab eis ſolui, quæ ſcilicet eſſet maior nobilitas & curialitas de mundo? illi quærentes inducias per noctem, in mane reſponderunt, quod dare liberaliter; quorum ſententiæ conſenſit, & eos per oppoſitum concluſit, quod maior ruſticitas de mundo eſt, auferre alienum ab inuito, & tamen hoc facitis de his quæ rapitis inuitis, ergo ſuper omnes eſtis maximè ignobiles ruſtici. Dati ſunt etiam imis, quia præponentes terrena cœleſtibus', ima ſummis: vel dati ſunt imis factis, & vilibus officijs. Quod quidam frater improperauit per optime quibuſdam militibus, qui ducebãt prædas pauperum ante ſe, boum, ſcilicet & vaccarum. Cum autem quærerent à fratribus prædicatoribus, quando primo ingrediebantur Burgundiam, qui eſſent, & illi reſpondiſſent quod prædicatores. Quidã ex fratribus aduertens quod eſſent prædones quæſiuit cuiuſmodi homines eſſent, reſponderũt: Nonne vides quod milites ſumus? Reſpõdit frater. Nõ. Sed videtur quod Bubulci & Caprarij & Vaccarij eſtis, quia equites ducũt equos, & caprarij capras, & bubulci boues, vaccarii vaccas, quales eſtis qui talia ducitis, quod eſt viliſſimũ, non erubeſcitis ducere pecora ruſticorũ & pauperũ aliena, qui erubeſceretis ducere propria. Sed tamen vt verius dicã, dicunt vos potius dicta iumenta ad inferni patibulũ, quam vos ipſa ad veſtrã domum, ſicut fur cum iumẽto furato, quod duxerat ad propriã domũ, pertrahit ad patibulũ, cum conuincitur feciſſe furtũ, ſic fur per rẽ furatam ad inferni patibulũ Hier. 2 *Sicut fur deprehenſus in furto, ita & tu confunderis.*

7. *Pœna diuerſitas nempe 1. Dei maledictio.*

SEPTIMVM quod diſſuadet hoc vitiũ eſt pœnæ diuerſitas, *Prima* eſt Dei & eccleſiæ maledictio Zach. 5. *Vidit volumẽ volãs*, &c. Sequitur. *Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ. quia omnis fur, ſicut ſupra ſcriptum eſt, iudicabitur. Et educã volumen, & veniet ad domũ furis & iurantis mendaciter, & cõmorabitur in medio domus eius, & conſumet eum, & ligna & lapides.* Tales enim conſueuerũt in eccleſia excommunicari, & à populo maledici, & domus & familia eorum paupertate conſumi, Iob 24. *In tenebris ſicut in die ambulant, leuis eſt ſuper faciem aquæ, maledicta ſit pars eius in terra.*

2. *Diabolũ captiuitas.*

SECVNDA eſt, quia quando à diabolo capiuntur, & detinentur cũ furto vel rapina. Vnde rapinę ſunt quaſi hamus diaboli, quas qui capit & eum diabolus trahit ad ſe, tanquã hamo piſcẽ ſuum, Prou. 21. *Rapinæ eorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium*, Muſcipula etiam ſunt, vt dicitur Sap. 4. *Creaturæ Dei factæ ſunt in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Aug. *O lucra damnoſa, inueniſti pecuniã, perdis iuſtitiã, perdis fidẽ, perdis animã. Præda quam rapere cupis, muſcipula eſt, detines alienum, detineris à diabolo*, Iſa. 33 *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* De hoc habetur exemplum 4. Reg. 23. & 24. Ioachim ſpoliabat populum terræ ad dandum Pharaoni Nechao, & immittebat in eum dominus diuerſos latrunculos Chaldæorum, & Syrię, Moab, & Amon, qui diripiebãt eum: ſed & regi Babylonis factus eſt ſeruus. Sic eſt de præpoſitis malis, & militibus, qui diripiunt res ſubditorum, & ſubripiunt. Multi enim ſeruientes & baiuli, eorum bona furantur & rapiunt, & ipſi fiunt ſerui maiorum dominorum, in quorum ſeruitio omnia capta expendunt, & ſunt etiam ſerui dęmonũ. Quomodo autẽ res malæ captæ capiunt capiẽtes, habetur ſupra, de Sacrilegio rerũ ſacrarum, vbi multa ponuntur miracula & exẽpla de hiſtoria ttipartita, & Frãcorũ & Dyal. Greg.

Exemplum.

ITEM Dyal. 14. de Iſaac ſeruo Dei legitur, quod cũ ſeceſſiſſet ad deſertum locum, inter alia quæ alij multi offerebant pro monaſteriis conſtruendis, cũ diſcipuli ſui eum rogarent, vt acciperet neceſſarias poſſeſſiones pro vſu monaſterii, ille ſollicitus paupertatis ſuæ cuſtos, fortem ſententiam tenebat, dicens; Monachus qui in terra poſſeſſiones quærit, monachus non eſt: ſic ergo metuebat paupertatis ſuæ ſecuritatẽ perdere, ſicut auari diuites ſolent perituras diuitias cuſtodire, ibi magis cæteris claruit miraculis. Quodam ſero præcepit diſcipulo ſuo in horto proijcere vangas; & poſtea præcepit hora matutinali pulmentum parari operariis; fures enim tot ingreſſi ſunt hortũ, quot vangas ibi proiici fecerat, & per ſpiritum mutati, tota nocte in cultura illius horti laborauerunt, & cuncta illius horti ſpatia coluerunt. veniens autem mane ad eos, ſalutauit eos dicẽs. Gaudete fratres multũ laboraſtis. & reficiens eos monuit vt ceſſarent à furtis, & ſi quid vellent de horto ſuo, ab eo peterent & acciperẽt tranquillè. *Item* quod furtum capit furem: in vitiſpa. legitur, quod cum multi accederent ad ſanctũ Theonẽ,

Exemplum.

Fures ſunt infimi & vili es ipſo facto.

propter

propter miracula & curas infirmorum, venerunt fures ad ostiũ cellæ suæ nocte, credentes se inuenire aurũ. cuius orationibus capti, & ad ostium cellæ ligati sunt virtute Dei vsque mane, quos precibus suis soluit, nec sustinuit quod aduenientes, qui volebant eos occidere, læderent eos, dicens, quod si hoc facerent, amitteret gratiam curationum. *Tertia* est, quia quandoq; se & sua perdunt, idest corpora sua & suorũ, qui occiduntur in huius peccati executione: Res temporales quæ rapiuntur, cito transeunt, Eccl.11. *Substantiæ impiorum quasi fluuius siccabuntur*, idest torrẽs qui raptim transit de pluuialibus aquis congregatis. semper perdunt bona spiritualia, & animas tuas, Eccl.20. *Fur & mendax assiduè perditionem vterque hæreditabit.* De hac materia habetur supra *de sacrilegio rerum sacrarum. Item* quandoq; insaniunt & accipiuntur à diabolo, vel ipsi vel filii eorum, vt supra patet per exemplum eorũ qui furati sunt bouem viduæ, filius eorum in rabiem conuersus est, & curatus à S. Amone, facta restitutione. Itẽ supra de sacrilegio rerũ sacratũ, de Lucretio arrepto.

3. Sui & suorum perditio variis modis.

Exempla.

Exempla.

ITEM pro hoc peccato quandoq; vincuntur ab hostibus; vt legitur de Pompeio, qui postquam spoliauit Hierusalẽ semper victus est, cũ ante semper victor esset Ios. 7. pro furto Achã victus est exercitus filiorũ Israel. Vnde dicitur ibi. *Non poterit Israel stare coram hostibus suis, donec deleatur qui hoc scelere reus est. Item* quia aliquando excæcantur propter hanc culpam 4. Reg 2. De latrũculis Syriæ cęcatis precibus Elysęi 2. Mach. 3. de Helyodoro, qui venerat ad spoliandũ templum, percussio cæcitate mentis & caligine. *Item* Dyal. 2. legitur quod cum Franci venissent ad spoliandũ tẽplum, vel monasterium serui Dei Libertini, percussi sunt cæcitate, & cum ad eum clamarent vbi esset, in eum impingebant, & eum videre non poterant, & sic vacui recesserunt eo orante.

Exempla.

ITEM fur punitur sæpe diuersis ictibus. Sicut patet de sacrilegio rerum. Sicut Dauid insecutus latrunculos qui spoliauerant Sycelech, percussit, & occidit, & prędas eripuit. Sic Christus in iudicio huiusmodi persequetur, percutiet, & prædam eripiet ab eis Iob 29: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. Item* dicebat magister Iacobus, quod cum in Anglia esset quædam imago beatæ Virginis, quæ erat argentea valde pulchra, quidam fur veniens ad furandum eam, cũ non posset eam habere, quia nimis fortiter clauis erat affixa, nec secum ferre propter nimium pondus, cum vellet ei surripere puerum suum, imago ita percussit eum manu, quod cecidit ad terrã exanimis; qui in mane inuentus, quasi semimortuus, hoc ita fuisse factũ recognouit. *Itẽ* punitur fur vel raptor præsẽti paupertate, sicut animalia quę viuũt de rapina, quę naturaliter sunt macilentia magis quam alia, quæ alio modo sibi procurant: vt patet in lupis, & vulpibus, & leonibus, qui sunt macilentiores porcis aut bobus: & aues venaticæ similiter, vt mergi, milui, & accipitres, sunt macilentiores anseribus & gallinis. Sic est de furibus & raptoribus Prou. 9. *Alij diuidunt propria & diuites fiunt, alij rapiunt aliena, & semper in egestate sunt.* Et merito, quia relicto Deo, qui est fons bonorũ omniũ, volunt repleri de indigentijs pauperum, iusto iudicio vt diripiunt & surripiunt bona aliorũ, ita sunt qui rapiunt bona eorũ, Abac. 2. *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te.* Est quasi Mirmicoleon animal quod est leo formicarũ, quibus dum insidiatur & venatur eas, leo materialis, insidiatur & capit illud animal, & ita dum vult capere, capitur. vnde captio quam abscõdit capiat eum, & in laqueum cadat in ipsum.

Simile.

ITEM puniunt sterilitate hæredum quos aufert eis Deus, qui aliena auferunt Eccl. 40. *Nepotes impiorũ non multiplicabunt ramos. Item* quia necat eos cito mors mala & vilis Prou. 3. *Impij de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea.* Sępe gladio occiduntur, & sepultura carent, suspensi Hier. 22. *Væ qui ædificat domum suã non in iustitia.* Et post. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus*, &c. *Supra de sacrilegio*, De occisis à dæmonibus, à fulgure & igne, & alio modo per totum.

ITEM puniunt mendicitate filiorũ suorum. Ps. 108. *Nutantes transferantur filij eius & mendicent, & ejciant de habitationibus suis*, Morte etiã mala perimũtur, Naum. 2. *Leo cæpit sufficienter prædã catulis suis, & implenit speluncas suas.* Et post. *Leunculos suos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam suam*, Iob 21. *Si multiplicati fuerint filij violentorum, in gladio erunt, & nepotes eorum non saturabuntur pane. Legitur* in primo lib. Ægesippi de cladibus Iudæorum, quod cum Herodes factus esset rex Iudeæ ab Augusto, extirpauit omnes latrones de terra & inueniens spelunc am cuiusdam Senis latronis, in qua latebant septẽ filij eius latrones, eos euocatos occidit, pater autẽ eos occisos inueniẽs, vocans suã vxorem, & ea occisa super filios suos, occidit se super eos; nolens superuiuere. *In furto* autem ab oppressis opprimẽtur Isa. 33. *Subjciẽt exactores suos.* Malac. in fine *Calcabitis impios sicut cinis sub planta pedum vestrorum. Item* à rapinis detrahentur Prou. 21. *Rapinæ impiorum detrahent eos. Item* dæmones eos suspendent Amos 4. *Qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes.* Et post. *Leuabunt vos in compedis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & projciemini in Armon.*

Exemplum.

QVOD autem prædones & hæredes eorum depauperentur & hæreditate priuentur, patet per hoc quod accidit in Dyœc. Matisc. circa annũ Domini 1199. Quidam vicecomes erat in dicta Dyœc. habẽs castra plura & fortia, quorum fortitudine confisus, stratas spoliabat aliquas, quærens aliquas occasiones, propter quas diuites transeuntes spoliaret, viuens de rapinis suorum hominum & aliorum. Hic autem vel compulsus timore regis Francorum vel voluntarius, cum cruce signatis iter arripuit transmarinum, & dimisit terrã suam & castra comiti Gerardo Matisc. expolians se suis, qui promisit ei, quod filiam suam daret filio suo comiti Guillielmo, qui pactum, non seruans, terram sibi retinuit. Cuidam autem militi suo dictam filiam dedit, cuius hæredes satis laborauerunt pro dicta terra habenda apud regem, & non sunt auditi. dictus autem vicecomes, antequam mare transiret, ad tantã paupertatem deuenit versus Ianuam, quod præfame & mendicitate moriens, intrans quandam nauem, incepit clamare omnibus in portu existentibus. Dei iudicium iustum esse circa se; quia qui alios fame oppresserat & spoliauerat in terra sua, in aliena fame moriebatur. Et cum compatientes ei cibos deportarent, ipse dicebat se non posse vti eis; & sic fame mortuus est, hæredes sui omnibus bonis suis spoliati sunt vsque hodie.

Exemplum.

ITEM Petrus Cluniacen. in libro suo refert, quendam fuisse comitem apud Matisc. qui consuetus erat rapere, maximè res ecclesiarum: qui multa loca religiosa vastauerat, hic iudiciorum Dei oblitus, de die in diem deterior efficiebatur. Cum autem in quadam solemnitate in palatio suo resideret, multis constipatus militibus, & alijs diuersi ordinis, intrauit per ostium palatij quidam, quasi homo in equo residens, & venit ad dictum comitem dicens, quod habebat ei loqui; quo surgẽte ille superposuit eum equo, & exiuit per ostium palatij prædictum, clamans coram suis omnibus: Iuuate me. Militibus & ciuibus iuuare non valentibus, per aëra deportatus est, nec vltra comparuit. In cuius facti detestationem mutauerunt ostium per quod eductus est. Cum autem quidam præpositus, Rogerus nomine, contemporaneus dicti Petri qui hoc refert, aperiret dictum ostium, quasi necessarium domui domini, cũ ipse esset maximus prædo rerum ecclesiarum, & hominum, & insidiator & spoliator pauperum. Aliquis lapidibus remotis raptus est à diabolo, & per aëra deportatus, dimissus est cadere; & fracto brachio, & aliis membris concussis, vix semiuiuus enasit. Quidam autem in facto prædicti comitis hanc causam cum alijs addunt. ipse enim quendam militẽ iniustè occiderat, & bona eius iniustè occupauerat, & hæredes eius iniustè exhæredabat:

qui apparuit ei terribiliter admonens, vt saltem restitueret hæredibus suis ablata, qui cum dixisset aliquibus suis hoc somnium, & friuolum reputauerunt, tũc tertia vice terribilius continuans, assignauit ei diem quo oportebat, quod vellet nollet traheretur alibi responsurus, tunc territus, illa die vocauit maximam multitudinem armatorum, aliquibus amicis suis exponens visa, & rogans vt si aliquã violentiam viderẽt sibi fieri, subuenirent. sequentia referunt de raptu eius.

ITEM aliud accidit ibidem: Fuit ibi quidam præpositus tempore comitis Gerardi, prædis inhians, raptor malitiosus. Cũ autem frequẽter prædas acciperet hominum & ecclesiarum (antequam rex comitatum illum emeret a comite Ioanne & vxore eius, ad quam iure hæreditario pertinebat) erant guerræ assiduæ inter Episc. Matisc. & clericos & ciues ex vna parte; & comitem & suos milites & alios ex alia parte. Cũm autem dictus præpositus semel prædas accepisset, & duceret (quadam vacca remanente, alicuius forsitan viduæ vel pauperis) & diceret quidam Garsioni: Tange vaccam. Dei iudicio percussus tali flagello fuit, ita quod postea nihil aliud loqui potuit. Sed cum postea tentaret loqui alia, semper hoc solum dicebat; & hoc notissimum fuit toti terræ. *Item* in eadem Dyœc. accidit, vt asserebat sacerdos quidam in quadam synodo, in quam portauit plumas cuiusdam gallinæ, quam surripuerat quidam, à quadam vidua paupere: cum autem deplumasset eã, & coxisset, & comedisset carnes eius, & plumas seorsum retinuisset: diuino iudicio percussus, plumas quas non comederat euomebat, peccatum suum coram omnibus confitens.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM refert Petrus Cluniac. quod quidam Princeps, Briuardus Grossus nomine, habens munitiunculas propè Cluniacum, ædificauit quoddam castrum Oiseles nomine, in damnum vicinorum, de quo sæpè exibant, prædantes vicinos, & res ecclesiarum. Hic tamen pœnitens venit ad Abbatem Hugo. Cluniac. dicens se velle visitare limina Apostol. Petri & Pauli, & post fieri Monachũ Cluniac. Cùm ergo apud Romam mansisset per quadragenam, cum orationibus & eleemosynis, visitans corpora sanctorum; cum rediret, in ciuitate satis propinqua mortuus infirmitate, sepultus est. Cum autem non post multos annos, quidam præpositus cuiusdam villæ propè Cluniac. equitaret per nemus iuxta Oiseles in meridie, occurrit ei dictus Briuardus sedens super mulum, vestitus pellibus vulpinis, cui timenti quia eum agnouerat, dixit sibi esse concessum quia pœnituerat, venire & apparere, dicturus quod licet securus esset quod euaserat pœnam inferni, tamen multa mala patiebatur, propter ædificationem dicti castri: rogãs vt rogaret Abbatem Cluniac. quod faceret sibi remitti iniurias, & ei subueniret, in cuius comitatu ipse comparuerat apud Ausam cum familia sua veniens. pelles autem ille nouæ magnum refrigerium præstabant ei, quia eas dederat pauperi, die qua 1. eas induerat, & his dictis disparuit.

De vsura.

DISTINCTIO XI.

DEINDE considerandum est de vsura, circa quam considerãda sunt quinque. Primo vtrum accipere pecuniam in pretium, quod est accipere vsuram pro pecunia mutuata, sit peccatũ. Secundo vtrũ liceat pro eodem accipere quãcumque commoditatẽ, quasi in recõpensationem mutui. Tertio vtrũ teneatur quis restituere quicquid de pecunia vsuraria quocũque iusto titulo lucratus est. Quartò vtrum liceat accipere pecuniam mutuo sub vsura. Quintò quæ mouent ad detestandum vitium vsuræ.

Vsura dupliciter accipitur, sed propriè pro pretio mutuatæ pecuniæ.

CIRCA primum, scilicet *vtrum accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum.* dicendum, quod vsura dupliciter accipitur in scriptura. *Vno modo* propriè pro superexcrescentia, quam accipit aliquis vltra sortem, in pretium pecuniæ mutuatæ. *Alio modo* accipitur nomen vsuræ metaphoricè, pro superexcrescentia quam acquirit Deus à nobis, pro bonis spiritualibus nobis collatis, volens quod in bonis acceptis ab eo semper proficiamus. Vnde Luc. 19. de seipso dicit. *Quare non dedisti pecuniam meam nummularijs? & ego veniens, cum vsuris exegissem eam*, idest de spiritualibus bonis tibi collatis exigam rationem, non solum de collatis beneficiis & gratiis, verumetiam de superexcrescentia quam acquirere debuisti. Accipiẽdo vsuram propriè, scilicet pro eo quod vltra sortem accipitur pro pecunia mutuata. Dicendum quod pecuniam accipere secundum se simpliciter est iniustum; quia vendere id quod non est, per quod manifestè inæqualitas constituitur, quæ iustitiæ contrariatur, peccatum est. Ad cuius euidentiam sciendum, quod *quædam res* sunt quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo vtendo ad potum, & triticum consumimus eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet seorsum computari vsus rei à re ipsa, sed cuicũque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res; & ideo in talibus per mutuum trãsfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & seorsum vellet vendere vsum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod nõ est. Vnde manifestũ est, quod per iniustitiã peccaret. Et simili ratione iniustitiã cõmittit qui mutuat vinum aut triticum, petens sibi duas recompensationes, vnam quidem restitutionem æqualis rei, aliam vero pretium vsus, quod dicitur vsura. *Quædam vero* sunt quorum vsus non est ipsa rei consumptio, sicut vsus domus est inhabitatio, non autem dissipatio; & ideo in talibus per seorsum vtrumq; cõcedi; puta cum quis tradit alteri dominium domus, reseruato sibi vsu ad aliquod tempus; vel èconuerso, cum quis concedit alicui vsum domus, reseruato sibi dominio, & propter hoc licitè potest homo accipere pretium pro vsu domus, & potest petere domum accommodatam, sicut patet in conductione & locatione domus. Pecunia autem secundum philosophum in 5. Eth. & in 1. Politi. principaliter est inuenta ad commutationes faciendas, & ita proprius & principalis pecuniæ vsus est ipsius consumptio, siue distractio secundum quod in commutationes expenditur, & propter hoc secundum se est illicitum pro vsu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur vsura, & sicut alia iniustè acquisita tenetur homo restituere ita pecuniam quam per vsuram accepit.

Vsura est peccatu quia est venditio rei quæ non est.

Solutio obiect.

ET nota quod secundum leges humanas conceduntur vel potius permittuntur vsuræ, quia leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus iustæ vtilitates impedirent, si omnia peccata distinctè prohiberentur, pœnis adhibitis: & ideo vsuras lex humana cõcessit, nõ quasi æstimãs eas esse secundũ iustitiam, sed ne impedirentur vtilitates multorum. Vnde in ipso iure ciuili dicitur, quod res quæ vsu consumuntur, neque naturali, neque ciuili recipiunt vsum fructum; Et quod senatus non fecit earum rerum vsum fructum (non enim poterat) sed quasi vsum fructum constituit; concedens scilicet vsuras. Et Philosophus naturali ratione ductus dicit in 1. Polit. quod *vsuraria acquisitio pecuniarum est præcipuè contra naturam.* Secundum legem vero diuinam simpliciter prohibentur. Nam licet dicatur Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamcunque aliam rem, sed alieno*; intelligendum est simpliciter, quod eis sit prohibitum vsuram accipere à fratribus suis, scilicet Iudæis. Per quod datur intelligi, quod vsuram accipere à quocumque homine est simpliciter malum; debemus enim hominem habere quasi proximum & fratrem, præcipuè in statu Euangelij ad quod omnes vocantur. Vnde absolutè in Psal. 14. dicitur. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Et Ezech. 38. *qui vsuram non acceperit.* Quod autem ab extraneis vsuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum, ad maius malum vitandum; scilicet ne à Iudeis Deum

colen-

colentibus vsuras acciperent, propter auaritiam cui dediti erant, vt habetur, Isa. 56. Quod autem promittitur quasi in præmium pro lege seruata, Deut. 18. *Fœnerabis multis gentibus, & ipse à nullo fœnus accipies*: Fœnus ibi large accipitur pro mutuo; sicut & Eccl. 29 *Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt*, ideſt non mutuauerunt, promittitur ergo eis in præmium, scilicet Iudæis, abundantia diuitiarum; Ex quo contingit, quod possint aliis mutuare.

ITEM nota, quod licet argentum monetarum, & in vasa formatum, non differat, tamen quia principalis vsus vasorum non est ipsa eorum consumptio; ideo vsus eorũ potest vẽdi licitè, seruato dominio rei, vsus autem principalis pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes; vnde non licet eius vsum vendere, cum hoc quod aliquis velit eius restitutionem quod mutuo dedit. Sciendum tamen quod *Secundarius pecunia vsus vendi potest.* secundarius vsus vasorum argenteorũ potest esse cõmutatio, & talem vsum eorum vẽdere non liceret. Et similiter potest esse aliquis alius secundarius vsus pecuniæ argenteæ; vtputa si quis acciperet pecuniam signatam, vel ad ostentationẽ, vel ad ponendũ loco pignoris; & talẽ vsũ pecunię homo licite vẽdere potest.

CIRCA secundũ, s. *vtrũ possit aliquis pro pecunia mutuata aliquã vtilitatẽ accipere.* dicendũ secundũ Philos. 4 Eth. quod omne illud pro pecunia habetur, cuius prętium potest pecunia mensurari; & ideo sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacũq; alia re quæ ex ipso vsu cõsumitur pecuniã accipit, ex pacto tacito vel expresso, peccat cõtra iustitiã, vt dictũ est: ita etiã quicũque ex pacto tacito vel expresso, quodcũq; aliud accipit, cuius prętiũ pecunia mensurari potest, simile peccatũ incurrit. *Nõ licet cuiumque pecunia æstimabile pro mutuo accipere quasi ex debito iustitiæ bene tamen ex debito amicitiæ.* Si vero accipiat aliquid huiusmodi, non quasi exigẽs, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitũ donum, nõ peccat; quia etiã antequã pecuniã mutuasset licitè poterat aliquod donũ gratis accipere: nec peioris cõditionis efficitur per hoc quod mutuauit, recõpẽsationẽ vero eorũ quę pecunia nõ mẽsurãtur, licet pro mutuo exigere, puta beneuolẽtiã & amorẽ eius cui mutuauit, vel aliquid huiusmodi. *Sciẽdũ* autẽ quod recõpẽsatio alicuius beneficij dupliciter potest cõsiderari. *Primo* quidẽ ex debito modo iustitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest; & hoc debitũ attenditur secundũ quantitatẽ beneficij quod quis accepit. Et ideo ille qui accepit mutuũ pecuniæ, vel cuiuscũq; similis rei, cuius vsus est eius cõsumptio, nõ tenetur ad plus recõpensandũ quã mutuo accepit. Vnde cõtra iustitiã est, si ad plus reddendũ obligetur. *Alio modo* tenetur aliquis ad recõpẽsandũ beneficiũ ex debito amicitię, in quo magis cõsideratur affectus ex quo aliquis beneficiũ cõtulit, quã quãtitas eius quod fecit; & tali debito nõ cõpetit ciuilis obligato, per quam inducitur quędam necessitas, vt non spontanea recompensatio fiat.

Potest mutuator pacisci de damno emergente. ITEM sciendum, quod illẽ qui dat mutuũ potest absque peccato in pactum deducere cũ eo qui mutuum accipit recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc tamen non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare, & potest esse quod accipiens mutuum maius damnum euitet, & cum sua vtilitate damnum alterius recompenset, recõpensationẽ vero damni, quod cõsideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non potest in pactũ deducere, quia nõ debet vendere id quod non habet, & potest impediti multipliciter ab habendo.

ITEM cũ sit triplex munus, scilicet à manu, à lingua, & ab obsequio, si quis ex pecunia mutuata expectet vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi, recõpensationẽ muneris ab obsequio vel à lingua, idẽ est ac si expectaret vel exigeret munus à manu quia vtrũq; pecunia æstimari potest, vt patet in illis qui locãt operas suas, quas manu, vel lingua exercẽt. Si vero munus ab obsequio vel à lingua nõ quasi ex obligatione rei exigatur, sed de beneuolẽtia, quæ sub æstimatione pecuniæ nõ cadit, licet accipere & expectare.

ITEM nota, quod ille qui pecuniam cõmittit mercatori vel artifici, potest inde aliquid exigere, nõ tamẽ pro pecunia mutuata. cuius est ratio, quia ille qui mutuat pecuniam transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat. Vnde ille cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur integre restituere; vnde non debet ampliùs exigere ille qui mutuauit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modum societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideo sic licitè potest partẽ lucri inde prouenientis expetere, tanquam de re sua.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum teneatur aliquis restituere quiquid de pecunia vsuraria lucratus est.* Dicendum, quod sicut supra dictum est, *res quædam* sunt quarum vsus est ipsa earum consumptio, quæ non habent vsum fructum secundum iura; & ideo si talia fuerunt per vsuram extorta, puta denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiusmodi, non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit: quia id quod de tali re est acquisitum, non est fructus huius rei, sed humanæ industriæ, nisi forte per detentionem huius rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis, tunc enim tenetur ad recompensandum nocumentum. *Quædam* vero sunt quarum vsus non est earum consumptio; & talia habent vsumfructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi; & ideo si quis domum alterius vel agrum per vsuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum vel agrũ, sed etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rerum quarum alius est dominus, & ideo ei debentur. *Vsurarius tenetur restituere lucrum & fructum, si res quam accepit habeat vsum fructum.*

CIRCA quartum, scilicet *vtrum liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura*, dicendum quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet, tamen vti peccato alterius ad bonum, licitum est; quia Deus vtitur omnibus peccatis, vt dicitur in Ench. ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum. Et ideo Aug. Publicolæ quærenti vtrum liceret vti iuramento eius qui per falsos Deos iurat, in quo manifeste peccat, eis reuerentiam diuinam exhibendo: Respondit quod *qui vtitur fide illius qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed ad bonum; non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius quo fidem seruauit: Si tamen inducere eum ad iurandum per falsos Deos peccaret.* Ita in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris, licet tamen ab eo qui paratus est facere, & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris, propter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, quæ latrones diripiendo peccant, ad hoc quod non occidatur; exemplo 10. virorum, qui dixerunt ad Ismahel. *Noli occidere nos, quia habemus thesaurum magnum in agro*; vt dicitur Hieræ. 41. *Licitum est accipere pecuniam mutuo sub vsura, modo quis non inducat aliquem ad mutuãdum sub vsuris.*

VNDE ille, qui pecuniam accipit sub vsura, non consentit peccato vsurarij, sed vtitur eo, nec placet ei vsurarũ acceptio, sed mutuatio, quæ est bona; nec dat vsurario occasionem vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem vsurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: vnde scandalum passiuum est ex parte sua, non autem actiuum ex parte petentis mutuum. tamen propter huiusmodi scandalum passiuum non debet alius à mutuo petendo desistere si indigeat, quia huiusmodi scandalum passiuum nõ prouenit ex infirmitate vel ignorantia, sed malitia. *Solutio obiect.*

ITEM nota, quod si quis committeret pecuniã suam vsurario, non habenti aliàs vnde vsuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsuram lucraretur; daret ei materiam peccandi. Vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario, aliàs habenti vnde vsuras exerceat, pecuniã suam committat, vt tutius seruetur, non peccat; sed vtitur homine peccatore ad bonum.

CIRCA quintum sciendum, quod multa sunt pro-

pter quæ pestis vsuræ detestabilis esse ostenditur, quæ tamen reduci possunt ad quatuor. Primum est fænerantis fatuitas. Secundum est cordis eius impietas. Tertia est pestis huius immanitas. Quartum est vltionis atrocitas.

Quatnor ostendit vsuram esse detestandam.

CIRCA primum sciendum, quod multæ sunt fatuitates vsurarij. Prima fatuitas eius est, quia magis vult pecuniam homini tradere ad vsuram cum maximo peccato, quam Deo in paupere cum maximo lucro, & sine peccato, Aug. *Miror homo cur fœneraris homini, fœnerare Deo & centuplum accipies, & vitam æternam habebis. Secundo* stultus est, quia cum ad vsuram tradit, & vsuram accipit, illud quod de lucro vsurario habet, accipit ad vsuram super melius pignus, scilicet super animam propriam, quæ perditur, nisi reddantur vsuræ, pœnæ & culpæ satisfaciendo; à quibus oportuit, vt Dei filius nos redimeret, Ps. 71. *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum.*

1. Vsurarij fatuitas, qua innotescit ex multis.

1. Quia non dat Deo qui plus lucri illi tribueret.

2. Quia oppignerat animam suam

TERTIO stultus est, quia aut parcus est, aut prodigus; quia largus esse nō potest. Si parcus est, de diuitijs quas congregat incessanter, non audet expendere, nec necessitates suas assumere, sed cor eius cōtinuis curis affligitur, corpus eius inedia cruciatur, & anima damnationē meretur. Si vero prodigus est, largè accipit, & expēdit super animā suam, sicut animal quod impinguatur ad occisionē, Hier. 12. *Congrega eos tanquam gregem ad victimā*, &c. Hier. cuidam diuiti ait. *Impinguabit te Deus, quasi bouem ad victimā, & per amœna prata ducet te ad occisionē*, Eccl. 26. *Deus parauit illum ad rompheam.*

3. Quia si vel parcus vel prodigus sit miseriam sustinet.

QVARTO stultus est, quia vt sanguisuga diaboli, sanguinem venenosum sugit, & siti malè acquisitæ pecuniæ, quod est sibi mortis occasio, & crepationis; quandoquidē de pecunia sua non remanent sibi nisi manus maculatæ, opera infecta, & peccata; tales enim moriuntur nihil secum nisi peccata portātes. *Quinto* vias Dei & Paradisi obstruit, quæ sunt vt dicitur in Ps. 24. *Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas.* Veritatē, cum enim proximum excoriat & consumit, dicit se ei facere bonitatem. Similiter misericordiā, cum vult sibi dari ab eo, cui potius dandū esset. *Sexto* in nouissimo suo erit insipiens, quia de pecunia de qua facta sunt sibi vulnera, deberet facere medicamenta, restituendo & pœnitendo; ipse autē adauget sibi vulnera, & mortē suam, & filiorum suorum, quando eam eis dimittit.

4. Quia fugit sibi mortem æternam

5. Quia viam Dei obstruit.

6. Quia in morte fit insipiens male parta filijs relinquendo.

SEPTIMO stultus, quia diuitiæ quas aquirit pereūt & transeunt vt fumus & somniū, & eius anima damnabitur in æternum; aut enim igne succenduntur, aut aquis submerguntur, aut à furibus auferuntur, aut à prædonibus rapiuntur, aut hæredum prodigalitate vel stultitia consumuntur: quia Deus vindicat huiusmodi pestem vsque in tertiam vel quartam generationem, vix enim tantum durant res vsurariæ, quia vt dicitur in Ps. 108. *Nutantes transferantur filii eius & mēdicent, & eijciantur de habitationibus suis, Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius*, &c. Eccl. 8. *Si fœneraueris quasi perditum habe.* Iere. 18. *Perdix fouit quæ non perperit*, &c. dicitur quod Perdix dicitur à perdendo, quia aliena oua furtipit, & ea cum nutriendo aliquandiu seruauit, amittit; quia dimittunt eam, & vadunt ad matrem priorem. Sic diuiti e dimittunt vsurarios maxime in morte, & redeunt ad mundum. sicut fit puero, qui panem tenet in manu; sæpe enim canis vt habeat panem, apprehendit manū pueri, & sic acquirit panē. Sic sæpe principes apprehendunt vsurarios vt habeant eorum denarios; & sic amittunt & corpora sæpe, & pecunias.

7. Quia propterituris perdit aterna.

OCTAVO stultus est, quia curis & sollicitudinibus & angustijs semetipsum affligit, quæ cor eius vrunt, affligūt interius & corrodūt; vt sit similis nuci vermiculosæ, quæ nihil valet nisi ad frangendum & proijciendum in ignem hæc cura aufert homini seipsum, bona spiritualia, orationes, & attentiones ab bonum, & ad Deum, Bern. ad Eugenium Papam. *Quo te trahent occupationes istæ maledictę; si tamen pergis ita te dare illis, vt nihil tui tibi relinquas, perdis tempus in his in quibus non est nisi labor, & vana sollicitudo, & afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. Nam quis est fructus earum, nisi aranearum telæ, dies diei cruciat lites, & nox nocti indicat malitiam.* Idem. *Cum omnes te habeant, esto de habentibus te vnus & claude ostium cordis tui.* Nota, huiusmodi solicitudines multiplicantur & serpūt, & hominem per extrauagationem de domo sua eijciunt. Similes sunt istæ solicitudines & curæ, vt dicebat magister Iacobus, cuidam serpenti, de quo fabulosè dicitur, quod cum quidam homo inuenisset eum morientem in frigore, ei compassus portauit eum in domum suam, fouens & nutriens eum lacte, qui cum cōualuisset intoxicabat totam domum, nec prece, nec pretio volebat exire, sed hospitem veneno occidit.

8. Quia curis se affligit.

Simile.

NONO stultus est, quia cum plenè & integrè teneatur restituere quicquid habuit vltra sortem, quia secundum Aug. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur, ablatum*; & ille à quo accepit, ius habeat in iudicio repetendi, fatuus est quod rem alienā accipiat, & apud se detineat, & totum periculum custodiæ transferat in seipsum. *Vnde* cum miles quidam vsurarium quendam curialiter & prudenter argueret de hoc quod exercebat vsuras; & ille respondens diceret, quod ante mortē omnia plenè restituere proponebat: cur ergo ait miles, vos alienis opibus & peccatis oneratis, & in periculo custodiæ pecuniæ alienæ vos ponitis, cū aliā vtilitatē habere nō proponitis, nisi quod manus inquinatis, ex cōputatione accipiēdi & reddendi, cum sciatis quod oporteat reddere aut pēdere? quare nō cessatis, & redditis dum potestis? at ille ad hoc obmutuit.

9. Quia accipit curam seruandirē alienam quā debet restituere.

Exemplum.

ITEM alij in fine maximè obstinati sunt, quasi iam essent in inferno. Parisijs homo quidam ad ecclesiam B. Virginis die sabbati fuit deportatus in lecto, qui in aliquo membrorum suorum patiebatur, habēs in eo ignem illum qui facer vel inferni solet appellari & vallatus erat multitudine. Cumque testarentur vicini sui quod esset vsurarius, monebant eū sacerdotes & clerici quod quittaret & reddere promitteret vsuras vt eum Beata virgo liberaret ab illo morbo, qui eos aliquatenus audire nolebat, nec vituperijs, nec blandimentis: & cum finitæ essent vesperæ, in ea obstinatione perseuerabat, cum vero iam ignis totum corpus eius occupasset, & versus esset in nigredinē & inflationem, & oculi eius de capite illius defluerent; inde tāquā canis ab ecclesia deiectus, & ibi in illa obstinatione ab illo igne, in ipsa vespertina hora est cōsumptus. *Potest* dici bene vsurario, quod dixit Theodoricus rex Francorum cuidam bailliuo suo, qui male tractauerat res suas. Serpens inueniens ampullam vino plenam, intrauit per os eius arctum, & hausit; & inflatus exire non potuit, & veniens dominus ampullæ ait: Miser euome quod hausisti, & sic poteris exire, & mortem euadere. Sic vsurarius si vult euadere damnationem, oportet quod euomat per restitutionem pecuniā male acquisitā, & per confessionē culpam, aliquin euacuabit per pænam in gehennam, Iob 20. *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus.*

Exemplum.

Simile.

DECIMO stultus est & vilis, exercendo officiū quod ipse non audet coram homnibus profiteri, nec dicere se esse illius officij quod exercet. Cū enim omnes clerici, milites, sacerdotes, omnesque mechanici operarij, liberè profiteantur artium suarum nomina, solus vsurarius non audet suum officium nominare. Vnde similis est catto, qui nomine suo vocatus fugit, & solus inter animalia suum nomen abhorret. *Vndecimo* stultus est, quia sæpè cōgregat diuitias, & seruat alijs, & nō sibi, & plerūq; deuoluuntur ad manus inimicorum suorū Luc. 12. *Quæ cōgregasti cuius erūt?* Et Eccl. 4. *Vnus est, & secundū non habet, non filiū, non fratrē; & tamen cōgregare nū ceßat, nec recogitat dicēs, cui laboro?* &c. Respōdet Ps. 48. dicēs. *Relinquūt alienis diuitias suas*, &c. Hier. 6. *Trāsibunt domus eorū ad alteros; & agri, & vxores pariter.*

10. Quia exeroet officiū. quod no audet profiteri.

Simile.

11. Quia diuitias cōgregat pro alijs, & sepe pro inimicis.

SICVT accidit, vt dicit magist. Iac. Quidā fænerator bona omnia cuiusdam militis per vsuras absorbuerat, nec ei, nec suis volebat restituere aliquid, nec indutias

Exempla.

dare,

dare, ſed per dominum ſuum faciebat eum captum detineri, interim mortuo vſurario, ſua vxor cito poſt contraxit cum milite, qui liberatus à debito, factus eſt omnium dominus quæ habebat vſurarius. Ioculator in nuptijs cantabat, & vſurarius in inferno eiulabat. Eccl. 13. *In bonis eius luxuriabitur alienus*. Vſurarius eſt quaſi burſa vſitata, quæ inutilis & denigrata, pecunia remota proijcitur in lutum & conculcatur, ſic vſurarius à dæmonibus. *Idem* magiſter Iaco. dicebat, quod cum quidam dominus iuuenis & nouus miles obuiaret turbis monachorum, funus cuiuſdam ſui vſurarij portantium, ait. Concedo vobis cadauer araneæ meæ quod portatis, diabolus autem habeat ſibi animam, ego autem telam diuitiarum ſi potero mihi reſeruabo. Cum quidam vſurarius Byſantinẽſis in extremis, nolẽs facere aliquod teſtamentũ vel eleemoſynam, ſed omnia dimiſit in diſpoſitione vxoris ſuæ, cũ autẽ ipſe eſſet ſic mortuus, vxor ſua vidés quendã inimicũ eius, contraxit cũ eo cito poſt mortem viri ſui; quã cũ argueret quędã proba mulier dicens, quod vir ſuus erat adhuc calidus in ſepulchro: Reſpondit. Si calidus eſt ſufflate eum; hæ ſunt eleemoſynæ quas fecit pro anima eius. Sic igitur declarata eſt fænerantis fatuitas.

2. *Vſurarij iniquitas quæ & in multis apparet: & 1. in ordine ad Deum quia vend. t tempus, inuertit naturã, violat Dei præcepta &c.*

CIRCA ſecundũ ſciendũ, quod in multis ſimiliter apparet cordis eius iniquitas. Eſt enim iniquus vel impius ad Deum, ad ſe, & ad proximum. Quantum ad Deum quidẽ iniquus eſt & impius in multis. *Primo*, quia tẽpus quod cõmune fecit Deus omnibus, ſibi approprians vẽdit, ideo iuſto dei iudicio aufertur ei tẽpus. Pſal. 54. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Vult contra Deum aut naturã, de denarijs facere denarios. Item euacuat Dei ſententiã contra primũ parentẽ. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Gen. 3. Pſal. 93. *Qui potuit laborẽ in præcepto*. Vſurarij plus & melius alijs volunt comedere & bibere, & minus laborare. Pſal. 72. *In labore hominum non ſunt*, &c. aſſiduè & inceſſanter Deum offendunt, inceſſanter peccando, & diabolo die ac nocte ſeruiendo, feſta Dei, & ſanctorũ violando, ſacra loca execrati ingrediendo, & ſacra ſacrificia & officia aggrediendo. Iſai. 65. *Populus ad iracũdiam me prouocans, ante faciem meam ſemper*.

2. *Eſt ſibi iniquus animã ſuã venalem faciendo, atque & filijs ſuis.*

ITEM impius eſt ſibi & iniquus, animam ſuam prætioſo ſanguine agni immaculati appretiatã, venalẽ pro vili pretio exponẽdo, & intima cordis ſui in terra proijciendo. Eccle. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius, hic enim animam ſuam venalem habet, in terra proiecit intima ſua. Item* Impius eſt in filios, quibus nõ cõpatitur, nec ſuos reputat quãdiu videt eos ſimplices, & innocentes, vt coruus, qui pullis ſuis non prouidet, nec compatitur eis, quãdiu videt eos albeſcere primo pilo, donec nigreſcant, & fiãt ſibi ſimiles, vt dicit Greg. ſuper illud Iob 37. QVI PRÆPARAT CORVO ESCAM, QVANDO PVLLI EIVS CLAMANT AD DOMINVM, quia quam diu nõ prouident dictis pullis patres eorũ, paſcit eos dominus rore cæli. *Itẽ* impij ſunt filijs quos immolãt dæmonijs. Pſal. 105. *Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs*; adducunt eos ibi occidẽdos. Oſeæ 9. *Effraym ducit ad interfectorem filios ſuos*.

3. *Iniquus eſt proximis ſuis vendendo quod non eſt pretio æſtimabile.*

ITEM iniquus eſt alijs proximis ſuis, quia vendit eis quod ſuũ non eſt, ſ. tẽpus & mutuũ, quod eis iure naturali & euãgelico debet. Luc. 5. *Mutuũ date, nihil inde ſperantes*, cũ mutuũ ſit de meo tuũ. Vendit ei rem mutuatam, per mutuum iam ſuam factam, proximũ ſuum viuum comedit inceſſanter ſine dẽtibus aut faucibus, cũ denarijs ſuis. Iob 30. *Qui mẽ comedũt nõ dormiũt*, &c.

3. *Vſura immanitas qua ex multis colligitur. 1. Quia eſt contra legẽ naturæ.*

CIRCA tertiũ ſciendũ quod hoc flagitiũ cõtrariatur legi naturæ, quæ in corde humano naturaliter eſt impreſſa Lucæ 6. *Quæcũq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Vſurarius autem ſi eſſet indigens ſicut ille qui pecuniam eius accipit, vellet gratis ſibi pecuniam mutuari. *Item* omnis creatura propter hominem facta, gratis ſubuenit indigenti: puta ſol, luna, ſtellæ gratis communicant ſuam lucem, æther rorem, hubes pluuiã, aër flatũ, aqua potũ & lauacrũ, terra fructũ; & ſic de alijs; nec homini beneficia ſua vendũt. *Itẽ* cum ſolum vegetabilia & viuentia ſe multiplicent per generationem, vult vſurarius contra naturam vt denarij ſibi generent denarios ſine labore ſuo, & ſine ſui periculo capitalis. vult quòd frumentum iam conſumptum à recipiente, pariat aliud frumentum. vult quod res ſua quam commodat, pariat ſibi aliam, ſemel in anno, vel menſe, vel ſeptimana, contra naturam commodati: quia commodatum eſt idem quod ad commodum tuum tibi datum, quod vult vſurarius vendere.

2. *Quia eſt contra legẽ diuinam.*

ITEM contrariatur legi diuinæ. Exod. 22. *Vſuris pauperem non opprimes*. Leuit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ad vſuram*. Item Deuter. 15. *Non ages quippiam calidè in fratris neceſsitatibus*. Ibidem 23. *Non fœnerabis fratri tuo*. Et poſt. *Fratri tuo id quo indiget commodabis, abſque vſura*. Item Lucæ ſexto. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. *Item* contrariatur pietati fraternæ; quia quando videt aliquis fratrem vel proximum indigentem, & propter indigentiam petentem mutuum, dictat ei pietas naturalis, quòd ab eo qui indiget non eſt aliquid extorquendum, ſed potius in dono vel mutuo ſuccurrendum, nec amplius experendum quàm quod petijt mutuandum 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrẽ ſuũ neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas patris eſt in eo?* Miſer autem vſurarius multum cõtemnit Deum, cui non dat pecuniam quam petit pauper, pro qua mutuata promittit centuplum, & vitam æternam: magis autem credit, & citius tradit ei qui promittit ſimplũ, vt quinque pro quatuor, cùm modico luero, & magno peccato. Fæneratur autem domino, qui miſeretur pauperis.

3. *Eſt contra pietatẽ fraternam.*

Vſurarius aſſimilatur leoni, latroni &c.

PROPTER immanitatem huius peccati vſurarius in ſcriptura comparatur leoni, qui vehationi incumbit ſemper. Eccleſ. 27. Item latroni, ſecundum ſententiam domini, qui templum ingrediens *menſas nummulariorũ ſubuertit, & æs eorum effudit*. Ioan. 2. Mat. 21. Vocans domum domini ſpelancam latronum, propter eos qui habebant ibi pecunias, quas mutuo tradebant, non pro pecunia numerata, ſed pro quibuſdã munuſculis. Nunquam legitur feciſſe violentiam manualem quamdiu fuit in hoc mundo, niſi contra iſtos, & columbas vendentes; iſtos autem facto flagello de funiculis, cum violenta manu eiecit, & menſas eorum ſubuertit, & æs effudit. Vſurarius eſt in eccleſia, ſicut vulpecula in domo cuiuſdam qui eam nutrierat inter gallinas; cum autem propter forefactum ſuum eam expuliſſet de domo, die ac nocte gallinas rapiebat, & deplumabat occultè. Sic vſurarij in eccleſia nutriti, propter peccatum ſuum ab ea excluſi, fideles rapiunt, & depauperant, & exhæredant. Deteriores ſunt vſurarij quàm alij fures, quia non ſolum ſpoliant de nocte, ſed etiam de die apertè & occultè, potentes & debiles, magnos & paruos.

Similc.

Vſurarius eſt proditor & homicida.

ITEM proditor eſt nã comedendo & bibendo cum homine, & cũ fratre proprio, mutuãdo & pecuniã tradendo, intendit eũ exhęredare, & ſpoliare ſuis. Similis Iudæ proditori, qui comedendo & bibendo cũ domino, eam intendebat prodere. Deterior eſt eo quantum ad hoc, quia ille pœnituit, & ductus pœnitentia reſtituit ante mortẽ ſuam, quod non facit vſurarius. *Itẽ* eſt homicida, quantũ ad pauperes quibus accommodat; quibus auferendo victum, aufert vitam Eccle. 23. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat eum homo ſanguinum eſt*. Se & ſuos ſpiritualiter occidit. Oſeæ 9. *Effraim ad interfectorem ducit filios ſuos*; dum eos in vſuris inſtruit vel capitale eis ad hoc tradit vt ſic lucrentur, vel dum vſuras eis dimittit.

Vſurarius eſt ſimilis inferno, diabolo &c.

ITEM ſimilis eſt inferno, quia inſatiabilis, & ſemper habet os apertum ad ſuſcipiendum: & deterior eo videtur, quia infernus virtute paſſionis Chriſti, quæ male habebat reſtituit: *Item* ſimilis eſt morti nulli parcens nec clericis, nec militibus; nulli tẽpori, nulli loco parcit ſed omnes ſpoliate intẽdit. Deterior eſt morte, quę ſolũ ſemel percutit. *Item* ſimilis eſt diabolo. Sicut enim diabolus peccat inceſſanter; ſic vſurarius, cu-

ius peccatum non dormit. Sicut officium diaboli eſt peccare, ita officium vſurarij eſt purum peccatum. Sicut diabolus blandè intrat, & patienter expectat vſque ad finem pro modico capitali, quod quãto plus tenuit homo, tanto plura exigit; ſic vſurarius vult quod diu teneatur capitale ſuum, quod inceſſanter hominem conſumit.

Peccatũ vſura aggrauat difficultas curationis, quia reſtitutio eſt vſurario valde grauis propter multas rationes.

ITEM hoc peccatum aggrauat difficultas curationis quia cum in alijs peccatis ſufficiat pœnitere, in hoc tamen peccato nõ ſufficit, quia ſecundum Au. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Hoc autem eſt vſurarijs valde graue, quia libentius darent multa, quã redderent pauca, cuius ratio multiplex eſt. *Prima* quidẽ, quia cum ex cupiditate cæperit quis vſuras exercere, cupiditas autẽ ſemper creſcit (ſicut ignis ex appoſitione lignorum non extinguitur, nec minuitur, ſed augetur) iuxta illud: *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit*. Si in principio difficile fuit ei reſtituere, augmentata cupiditate difficilius erit ei. *Secunda*, quia quanto quis fortius radicatus eſt in aliquo habitu vitioſo, tanto difficilius ſeparatur ab illo. *Tertia* ratio eſt, quia quanto diutius tenet diuitias, tanto diuitiarum amor in eius corde intimatur profundius, & ideo difficilius ſeparari poteſt ab eis. *Quarta* ratio, quia quanto diutius fuit diues, & conſueuit abundare in delitijs & honoribus huius mundi, tanto vehementius horreret indigere, & pauper inter cæteros apparere. *Quinta* ratio, quia quanto perſeuerat diutius in peccato, tanto magis elongatur à Deo & eius gratia, ſine qua non poteſt reſtituendi voluntatem habere. *Sexta* ratio eſt immoderatus amor quem habet ad vxorẽ & filios, quos vix indigere permittet, quos in abundantijs enutriuit. Ad oſtendendum etiam huius ſceleris grauitatem valent quæ ſupra dicta ſunt quomodo vſurarius impius eſt Deo, ſibi, & proximo.

4 Vltionis atrocitas: punitur enim vſurarius multipliciter.
1. A iure eccleſiaſtico.
2. Timore
3. Pudore.

CIRCA quartum ſciendum quod vſurarius punitur multipliciter, tam in præſenti vita, quam etiam in futura. In præſenti quidem punitur, id eſt puniendus eſt perſecutione iuris eccleſiaſtici, quod cõpellantur tã ipſe quã hæredes eius ad ceſſationẽ, & reſtitutionem vſurarũ. *Secunda* pœna eſt timor continuus amittẽdi ſic acquiſita. *Tertia* pœna eſt pudor quem habet de fama ſua, & nomine; nã etſi ab hominibus honoratur, & ei reuerentia exhibetur exterius, tamen teſtatur ei conſcientia ſua, quod indignus eſt honore; & ipſemet qui eũ honorant, reputant eum vilem, & indignum honore, ſicut bene ſolebant antiquitus tales inhonorari: Adeo namque vitium deteſtabantur vſuræ, quod vix in vna ciuitate poterat vnus vſurarius inueniri. Hic ſi veniebatur ad eum, non dabat pecuniam ad vſuram, niſi prius data fide quod non publicaretur. De quo ſi oriebatur ſuſpicio, domus eius dicebatur domus diaboli & ſic de alijs rebus eius; pacis ei oſculum nõ dabatur nec ignis in domo eius accipiebatur, ab omnibus digito monſtrabatur; huius occurſum expaueſcebant pueri, ipſumque demonſtrantes ad inuicem fugiebant.

4 Carentia prolis.

QVARTA pœna eſt, quia ſæpe vel prole caret; Iuxta illud Oſeæ 9. *Da illis vuluam ſine liberis, & vbera arentia*. Vel filios habet inutiles, ſtultos, & prodigos, qui cito diſſipant omnia quæ multo tempore & cum multis laboribus acquiſiuit. Pſal. 108. *Nutantes transferãtur filij eius, & mẽdicẽt*. *Quinta* pœna eſt, quia propter res quas acquiſiuit iniuſtè ipſe iuſtè vel iniuſtè capitur, tenetur, durè tractatur, & rebus ſuis ſpoliatur Iſa. 43. *Væ qui prædaris, nõne & ipſe prædaberis?* *Sexta* pœna eſt, quia non reſtituit, nec permittit reſtitui res malè acquiſitas, ſed ſicut fur cum re furtiua deprehenſus, in morte cum ea & pro ea ſuſpenditur in inferno. Ratio autẽ quare nõ reſtituit eſt, quia nõ poteſt, ſi eſt prodigus, quia nõ habet vnde; vel non vult, ſi eſt auarus; vel ſi vult, nõ niſi in morte, ad ſimilitudinem vaſis terrei in quo congregantur denarij, ſed inde non poſſunt extrahi niſi frangatur; vel ſi vult ante mortem, aliter vult quam debet cum conditionibus & circunſtantijs indebitis, & iniuſtis: vel potius vult dare quam reſtituere.

3. Dura tractione.
6. Obduratione ne reſtituat.

SEPTIMA pœna eſt, quia res vſuriariorũ poſt mortẽ ſubito euaneſcunt, & inueniri non poſſunt; quia qui poteſt capere capit; qui debet, negat ſi poteſt, vel quia ſæpe neſcitur vbi occultauerit res ſuas. *Octaua* pœna eſt quia priuatur bonis ſpiritualibus, quæ ſũt vita animæ, ſcilicet gratia, & virtutibus; & merito priuatur gratia quam contemnit. Si enim ſuam pecunam gratis mutuaret propter Deum, mereretur apud Deum. *Super aurum & argentũ gratia bona*. Prouer. 22. Vſurarius autẽ pecuniã ſuã præfert gratiæ; ideo Deus iuſtè non dat ei gratiã, tanquã gratiæ contemptori. Itẽ gratia temporis nobis gratis exhibiti, prohibet venalitatẽ eius Lucæ 6. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Sed vſurarius tempus vendit. Item gratia quam Chriſtus nobis exhibuit, in multis & diuerſis beneficijs, exigit vt pro eo gratis beneficia præbeamus. Lucæ 6. *Si mutuum datis eis à quibus ſperatis, quæ vobis eſt gratia?* Item gratia fraternæ Chriſtianitatis hoc idem exigit. Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo*. In hoc igitur vſurarius Chriſtianus deterior eſt Iudæo, quia Iudæus Iudęo non cõmodat ad vſuram, propter hæc omnia iuſtè priuatur gratia. Itẽ priuatur virtutibus. Ezech. 18. *Si vir fuerit iuſtus, & fecerit iudiciũ & iuſtitiã*, &c. Sequitur. *Ad vſurã non cõmodauerit, vita viuet. Quod ſi genuerit filium*, &c. *ad vſurã dantem, & amplius accipientẽ, nunquid viuet?* Au. *O lucra damnoſa, inuenis pecuniam, perdis iuſtitiã, perdis animã; prædam quã rapere cupis muſcipula eſt, in qua ſicut mus volens capere lardum caperis, detinens alienum à diabolo detineris.*

7. Conſumptione bonorũ poſt mortẽ, 8. Priuatione bonorum ſpiritualiũ.

9. Perditione eleemoſynarum quas elargitur.

NONA pœna eſt, quia perdit oblationes, & eleemoſinas quas facit de vſuris, in quibus videtur Deum plus adiracundiam prouocare, quam placare. Eccl. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio eius maculata, & non ſunt beneplacitæ ſubſannationes impiorum*. Sunt ſimiles illis qui in paſſione Deum crucifigebant, & arundinem de quo eum verberabant in manu eius ponebant, & eum illudendo adorabant. Et poſt. *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperum, quaſi victimat filium in conſpectu patris*, tale exeniũ facit Deo patri, qui offert de ſubſtantia ablata pauperi per vſuram vel rapinam. *Sicut* legitur in Oroſio & ſcholaſtica hiſtoria feciſſe Haſtiages rex Perſarum Arpello principi militiæ ſuæ, qui offenderat eum pro euaſione & nutritione Cyri nepotis dicti, quem Haſtiages præceperat paruulum occidi; cui cum nõ obediuiſſet, dictus Haſtiages fecit capi clam filium dicti Arpelli vnigenitum paruulum, & occidi, & parari diuerſimode, & propinari patri pro venatione: de quo cum ſatis comediſſet, & bonitatem carnium cõmendaſſet, fecit ei deportari cruda mẽbra quę retinuerat, ſ. caput, & manus, & pedes pueri, dicens illa eſſe extrema dictæ venationis, qui cognoſcens vidit, doluit, & diſſimulauit, captans horam qua poſſet vindicare factum, pro quo laborauit tempore ſuo, quod ipſe Haſtiages amitteret regnum Perſarum, & illud transferretur ad Medos. Sic vſurarius immolat filium pauperem in conſpectu Dei patris, cum affligit eum vſuris de quibus Deo oblationem facit.

Exemplum.

10. Priuatione ſuffragiorum eccleſiæ.

DECIMA pœna eſt, quia priuatur ſuffragijs, & oratione eccleſiæ; & communione & conſortio populorum Dei caret, & communione ſacræ Euchariſtiæ. Vnde Apoc. 22. *Beati qui per portas intrant ciuitatem*, &c. *foris canes, venefici, & idolatræ*, &c. Quales ſunt ipſi vſurarij: canes ſunt, quia vt canes famem inſatiabilem patiuntur; venefici, quia alios venenoſo exemplo, vel pecunia, vel conſilio inficiunt. Idolatræ, quia pecuniam vt Deum colunt, & ſuper omnia eam diligunt. Hi excludendi ſunt ab eccleſia militante, & excludentur à triumphante. *Ideo* vt refert magiſter Iacobus. Quidam probus ſacerdos, monens patrem ſuum vſurarium vt reſtitueret, cum nollet acquieſcere, eo mortuo cum faceret abſolutiones pro mortuis in eccleſia ſua dicebat: Nolite orare pro anima patris mei, qui reſtituere contempſit, quia ſepultus eſt in infernum, & faciem Dei de cætero nõ videbit.

Exempla.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quidam vſurarius dum ſacerdos apportaret in calice communionem, ait; de eis quæ ſunt intus non curo, ſed ſuper calicem ſi vultis mutuum bene vobis accõmodabo. *Alius* accõmodauerat quatuor libras, de quibus debebat habere 12. vſq; ad quatuor annos, aduenięte ſacerdote nihil extorqueri potuit ab eo niſi hoc, duodecim libras quas talis debet pro quatuor, reddat.

11. *Priuatio ne eccleſiaſtica ſepultura.*

VNDECIMA pœna eſt, quia priuandus eſt eccleſiaſtica ſepultura, quia ei ſi habeat, potius nocet quam proſit. Greg. Dyal. li. 4. ca. 50. *Quos peccata grauia deprimũt, non ad abſolutionem, ſed potius ad maioris damnationis cumulum eſt, quod eorum corpora in eccleſia ponuntur.* Idem poſt 55. *His quos peccata grauia deprimunt, ſi in ſacro loco ſepeliri ſe faciunt, reſtat vt etiam de ſua præſumptione iudicentur.*

Exemplum. Quod probat, ibidẽ pluribus exemplis. *In ciuitate* Byſantina accidit, quod cum quidam vſurarius magnus, qui valde iucundus erat, ſederet ad menſam ſuam vt comederet, ſubitanea morte in ipſa menſa percuſſus cecidit. quod videntes eius filij quos habebat de duabus coniugibus, ad gladios cucurrerunt patre dimiſſo, ſuper arcas de eis compugnantes cuſtodiendis & ſaluandis, de anima patris vel corpore parum curantes. Cum autem fuiſſet ſepultus, iunctus parieti eccleſiæ parrochialis ſancti Ioannis, & facta fuiſſet ibi prominens ſepultura iuncta parieti & inſerta, in mane à pariete repulſa, & longe depulſa inuenitur, quaſi per hoc innueretur quod non haberet communionem in eccleſia.

QVALITER autem ſepeliendi ſunt vſurarij notatur Hiere. 12. *Oculi tui & cor, ad auaritiam, & ad ſanguinem fundendum innocẽtem, & ad calumniam, & conſummationem mali operis.* Et poſt de tali. *Propterea hæc dicit dominus: Non plangent eum, & non concrepabunt eum: Væ domine, væ inclyte.* omnes plangunt ſeipſos, nullus eum vel eius infortunium in corpore & anima. Sequitur. *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Hieruſalem, ecce ſicut aſinus ſic ſepelietur.* Aſino mortuo dominus eum excoriat, ſibi pellem retinens, & cadauer ad foſſata trahere faciens, vbi vermes & corui pugnant de carnibus, canes de oſſibus. Similiter vſurarius extra eccleſiam proijciendus eſt in foſſatis, & locis immundis. Domini retinent ſibi pellem temporalium, dæmones pugnãt de anima corrodẽda, vermes de cadauere.

Simile.

Exemplum. ITEM magiſter Iaco. Cum quidam Benedictus ſacerdos corpus publici vſurarij qui noluerat reſtituere, nollet tradere eccleſiaſticæ ſepulturæ, inſtantiam & violentiam amicorum non ferens, ait: Videamus de hoc quid vult Deus. Ponamus corpus eius ſuper aſinum ſuum, & vbicunque in eccleſia vel alibi eum tulerit, ibi ſepeliatur. Cum concordaſſent huic ſententiæ, tulit eum aſinus ad furcas recto itinere, vbi eum inter latronum cadauera ſacerdos dimiſit. Cum dicatur de ſanctis Eccleſ. 44. *Corpora eorum in pace ſepulta ſunt*; ipſi cum eis non habent conſortium. Iſa. 14. *Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium.* Iſa. 13. *Et ſi alij aliquando in inferno quieſcant, tu nunquam.*

Exemplum. VNDE idem magiſter Iaco. dicebat, quod cum quidam fœnerator mortuus eſſet nihil reſtituere volens, quidam monachi prece amicorum & pretio inducti, ſepelierunt eum in clauſtro ſuo; & videbatur eis quod ſingulis noctibus ſurgeret de ſepulchro ſuo & candelabris, verberando, monachos fugaret dicens, Iſti Dei inimici, ſalutem quam mihi promittebant conferre non poſſunt, & pecuniam meam habuerunt. Cum hoc ſæpe fieret, inierunt conſilium cum probo viro & ſapiente, qui conſuluit quod adiuraretur vt quieſceret; qui reſpondit, quod quieſcere non poterat, nec eos quieſcere dimitteret, quamdiu eum in terra ſancta detinerent; quoniam ibi quieſcere non poterat, qui officium exercuerat, quod nec die nec nocte quieſcit, quo eiecto de ſacro loco quieſcebant ab eius vexatione.

12. *Mala morte.*

DVODECIMA pœna, quia ſæpe mala morte, & ſubita, & improuiſa moriuntur; alij blaſphemando & diabolo ſe reddendo; alij vſum linguæ & memorię perdẽdo; alij etiam qui mortẽ ſuam præuident, tantũ habent facere de alijs diſponendis, quæ magis fuerunt eis cordi, quã de reſtitutionibus faciendis, de quibus nõ curauerunt. Alij tantũ habẽt facere de carnis afflictione & infirmitate quam ſentiunt, quod de periculo animæ nolunt cogitare, quod non ſentiũt. Alij etiãſi vellent, non habent reſtituendi ſpatium, ſed relinquunt diſpoſitioni aliorũ: quæ ſi ipſi viuentes parũ curauerunt, ipſi minus curabunt. De mala morte exemplũ de illo qui laborans in extremis loquebatur animæ ſuæ dicens: Anima mea multa bona tibi acquiſiui, quid tibi deeſt, mane mecum, & cum magis ac magis vrgeretur ad mortem, fecit ante ſe apportari vaſa aurea, & argẽtea, & iocalia pretioſa, in quorum delectatus aſpectu, dicebat iterũ. Anima mea vides hæc omnia, ſi hæc tibi nõ ſufficiunt, adhuc promitto tibi maiora, ſi mecum volueris remanere, qui mori ſe ſentiens, & deſperans ait, anima mea ex quo mihi non vis acquieſcere, omnibus dæmonibus te commendo, quo dicto miſeram animam exhalauit. *Exemplum.*

ITEM Pariſijs vſurarius quidam, ad eccleſiã B. Virginis deportatus in lecto, pro eo quod in aliquo ſui membro, illo igne qui ſacer dicitur, affligebatur, à ſacerdotibus & clericis monebatur, quod vſuras & malè acquiſita reſtitui præciperet, vt B. virgo ipſũ liberaret ab illo duriſſimo cruciatu, qui cum nec blãdis ſermonibus, nec minis, nec vituperijs acquieſceret, ac ipſis videntibus, ignis ille totũ corpus cõcremans deuoraret inflatũque in nigredinẽ verſus eſſet, oculique de capite ſuo defluerent, eiectus eſt de eccleſia quaſi canis vilis & fœtidus, & ſic in ipſa hora cõſumptus ab igne, in ſua obſtinatione permanens expirauit. Quia enim fœnerator animã ſuã diabolo venalẽ exhibet per vſuras, ideo diabolus eam in morte tanquam ſibi venditam rapit, etiam nolentem, & de corpore violenter auellit. *Exẽplum* de illo quem vidit eremita morientem qui cum diceret *Deus adiuua me*, reſponſum eſt ſibi. Non eſt tibi ſpes neque pars in Deo; & ſic dæmones cum tridentibus animam auulſerunt. *Exemplum.*

AD idem eſt exemplum de Criſaurio 4. Dya. 40. c. qui cũ eſſet plenus vitijs in acquirendis rebus, auaritiæ facibus inſatiabiliter ſuccenſus erat; qui infirmitate percuſſus, eadem hora qua erat de corpore exiturus, vidit teterrimos ſpiritus volentes eũ rapere, quos vbicũque ſe verteret videbat; & dũ vocaret filiũ Maximũ nomine, qui factus eſt monachus, nihil valebat ei, & cũ peteret inducias, nec exaudiretur; dũ clamaret inducias vſq; mane, in ipſo clamore de tabernaculo carnis euulſus eſt. Vſurarius non debet habere inducias quas alijs vendidit. Quidã autẽ alius in graui infirmitate poſitus, cum admoneretur quod reſtitueret, & teſtamentũ cõderet, ait ſacerdoti ſuo. Vos eſtis ſacerdos meus, vos primũ lego diabolo, qui propter exenia mea quæ recipiebatis, me in peccato fouiſtis. Itẽ vxorẽ meã & pueros, pro quibus vſuras feci. Pecunia autem mea ſit domini mei, qui melius poterit eam defendere. Adhuc autem animam meam reddo diabolo, cui diu ſeruiui: ac illam ſtatim diabolus accepit. *Exempla.*

ITEM de ſubita morte dicitur in Pſal. 54. *Viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos*, hi ſunt vſurarij qui de fraudibus & vſuris ſugunt vt ſanguiſugæ victũ pauperum. Eccle. 34. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat eum homo ſanguinis eſt.* Aliqui in ipſa mẽſa comedendo & bibendo, morte ſubita percutiuntur; vt ille Byſuntinus, de quo ſupradictũ eſt. *Similis* eſt vſurarius Cocodrillo, qui ſuper omnia habet exosũ Hydrũ ſerpentẽ, quem ſi venientem ſentit, eũ ſub pedibus ita atterit, quod quaſi mortuum derelinquit. Hydrus autẽ reſurgẽs occupat herbas quibus paſcitur Cocodrillus pulchriores, & in eis ſe inuoluit. Cocodrillus autẽ cũ ingluuię herbas glutiẽs, glutit Hydrũ, qui eũ intus perforat, intoxicat ſubito, & occidit. Cocodrillus, qui de rapina viuit eorum quæ venatur in aqua & terra, impenetrabilem habens pellem, ſignificat vſurarium, *Simile.*

qui acquirit rapiendo iniustè, & per aquas,& per terram,quæ est impenetrabilis diuitijs. Hydrus est mors omnia penetrans, quam si aduertit vsurarius in tactu alicuius infirmitatis,tot medicinis opprimit eam,quod eam extraxisse videtur, cum autem credit esse securus de ea, alius latet anguis in herba, dum comedit aliquem cibum delitiosum,mors ibi latet.

Exempla. VIDI aliquem qui surrexit de mensa,vbi satis comederat,in medio domus suæ, qui subito mortuus cecidit. Alius in nuptijs percussus morte subita præuentus est. Alius cum in die Penthecostes magnum festum fecisset, & in mane disposuisset comedere nouos pullos anserum, inter vxoris vbera iuxta eam iacens, subito percussus, amisit & sensum & motũ & vitam. *Item* alius de quo refert Greg. Dyal.51. dum somnijs vehementer attenderet, & per somnium longa vitæ spatia promissa sibi fuissent, multas diuitias congregans,quasi ad longioris vitæ spatia,subito mortuus,eas intactas reliquit.

Exemplum. ITEM cum quidam vsurarius parũ timeret Dei iudiciũ,& quadã nocte satis cænasset,& cũ vxore iaceret, subito tremens exilijt,& requisitus ab vxore quid haberet,ait: Ego modo fui raptus ad Dei iudiciũ, vbi tot & tantas quærimonias & accusationes audiui contra me; quod nesciui quid agerem, & cum diu fuerim ad pœnitentiã expectatus, audiui summum iudicẽ sententiam damnationis contra me tulisse,& me dæmonibus exposuisse,qui hodie debent ad me venire, & me secũ deferre. Et cum hoc dixisset,induit quandã vestem cuiusdã vilis vadij,quę pendebat ad perticã suam,& exiuit domũ inuita vxore sua. Sui autẽ sequens eum, inuenerunt eũ quasi amentem in quadã ecclesia monachorũ,qui dicebant matutinas suas,& ibi eũ custodierunt vsque circa sextam, qui nec aliqua admonitione volebat vel confiteri peccata, vel restituere,vel pœnitentię signũ facere. Cum autẽ post missam sui eum ad domũ reducerent & irent iuxta fluuiũ,apparuit eis nauis cursu rapidissimo ascendens contra cursum aquæ, quę à nullo videbatur duci,tamen prædictus vsurarius dicebat eã esse plenã dęmonib⁹,à quibus erat rapiẽdus & deportãdus. Quo dicto, rapitur ab eis,in naui ponitur,quæ subito cursu retroacta,cũ pręda sua disparuit.

Exemplum. CVM quidam maurus mare transisset infirmus,cognoscens vanitatẽ sæculi, vt acciperet habitũ tẽplariorũ, & profiteretur regulã, portaretur à quibusdã similibus mauris, & sui de terra sua dicerent ei,quid amicis suis mandaret,ait.Dicatis eis,quod vidistis me deportari à quatuor dæmonibus in Paradysũ, hoc dicebat propter mauros portantes eũ ad religionẽ. Contrariũ potest dici de fæneratoribus, quos aliquãdo portant monachi vel clerici induti albis vestibus processionaliter ad ecclesiasticam sepulturã,quorũ animę quando impœnitentes decedunt, sepeliuntur in inferno. *Item* dicebat magister Iacobus, quod cũ quidam vsurarius deberet ferri à bonis viris ad sepeliendũ, immobilis erat;quod sapienter aduertens sacerdos ait: Scitis quod consuetudo est, quando aliquis moritur, cõueniunt ad eũ deportandũ homines qui fuerũt sui artificij,vt pelliparij pelliparios,mercatores mercatores, clerici clericos, & sic de alijs. Si vultis quod iste portetur, quæratis quatuor vsurarios; qui inuenti & adducti eum facillimè deportabunt, sed ad infernum, quo incessanter ibunt:illi quidem ferent corpus ad sepulchrum,dæmones animam in infernum.

Vsurarij multipliciter puniẽtur in futuro. ITEM puniuntur vsurarij multipliciter in futuro. *Primo* quidẽ de multis accusabũtur in iudicio. Improperabitur.n.eis quomodo tẽpora sibi data ad pœnitentiã vẽdiderunt,festa violauerunt,pauperes & alios spoliauerunt,sententias ecclesiæ contẽpserũt,opera misericordię facere noluerunt,iudicium Dei nõ timuerunt, rursum Christum (quãtum in ipsis fuit) mortuum pro vsuris soluendis,crucifixerunt,& de multis alijs accusabuntur ibi. Quia *iucũdus qui miseretur & cõmodat, &c.* Maledictus est per cõtrarium,qui nõ misereturnec cõmodat gratis nec sermones eius excusationis audien-

1 De multis accusabũtur in iudicio. Exemplum.

2 Non audientur excusationes eorum in iudicio.

A tur in iudicio:quia vt dicit beatus Iacobus. *Iudicium sine misericordia fiet illi,qui non fecerit misericordiam,* quia vt dicit propheta Sap. 1. *Argentum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris domini.*

QVOD est contra tentationẽ & fraudem cuiusdã,de quo loquitur magnus Iacobus, ait.n.quod cũ quidã fænerator non posset induci à sacerdote suo, quod restitueret totum, vocauit vxorẽ,& filios,& amicos suos & ait eis.Sacerdos dicit quod non possum saluari,nisi restituã totum secundum voluntatẽ eorum à quibus habui.Sed quicquid dicat, cum Deo faciã pacẽ, fecit ergo tale testamentum. Diuisit pecuniã in tres partes: Vnã dimisit vxori: Aliã pueris suis: tertiã reponi fecit in sacco, faciẽs suos iurare quod secum eam in sepulchro suo reponerent,vt cum Deus teneret iudicium,si B impeteret eum de aliquo,haberet vnde posset ei placare,offerẽdo ei.Eo autẽ mortuo,& facto vt præceperat, pedissequa domus facti conscia, dixit cuidã quẽ amabat,quod si eã in coniugẽ duceret,doceret eum quomodo diues fieret;& cum illo pacto secretum ei reuelauit.Cum autẽ ille venisset de nocte,& aperuisset sepulchrum,inuenit intus Bufones dictæ pecuniæ denarios ardentes per os eius proijcientes,& de ventre iterum extrahẽtes, & iterum reponentes, qui eo viso timuit,& clauso sepulchro fugit,factum denuncians.In hoc propenditur qualiter dęmones eius animam in inferno torquerent cum pecunia sua Iob.15.*Diuitias quas deuoranit euomet.*&c. *Itẽ* ab æterno hæreditario turpiter excluduntur.Psal.14.*Domine quis habitabit,*&c.sequitur, *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.*

3 Excludentur à regno cælorum.

C IN vitis. legitur quod cum quidam discipulus seruiret cuidam solitario famæ magnæ,& iuisset ad ciuitatem pro quibusdam necessitatibus explendis, vidit ibi quendam fæneratorem diuitem cũ magno honore sepeliri,cum omnibus processionibus villę,rediens autem ad eremum, inuenit magistrum suum à bestia deuoratum.Cogitans autẽ de pœnitentia magistri sui, & fine, & de diuitijs & delitijs vsurarij; & morte, & sepultura honorabili; desperans volebat redire ad sæculum, iudicans vanum esse Dei seruitium. Cui reuelatum est ne ita sentiret,quia magister suus licet multas pœnitentias feciſſet, & multa bona,de quibus maxima merces debebatur ei in cælis,tamẽ aliquid erat in eo purgandũ, quod dominus ex maxima misericordia volebat potius hic punire, quam in futuro: quod puniuit per mortis ignominiosæ pœnam, & nihil post in eo restat purgandum,sed lætitia sempiterna aderat ei, & merces maxima, & mors ignominiosa conuersa in gloriam.Ecõtra licet diues in æternum crucietur propter peccata sua,aliquid tamen boni fecerat,de quo solutionem suam habuerat in præsenti, & in honorabili morte,& sepultura;nec futura merces ei restabat.

Exemplum.

4 Cum re vsuraria trahentur ad patibulũ infernale. Exempla.

ITEM cũ re vsuraria trahitur ad patibulum infernale. Sicut dicitur. Isa.14. *Ad infernũ detraheris,vsque ad profundã laci. Itẽ* Idem magister Iacobus dicit, quod cum quidam prædicasset in quadam villa,in qua erant multi vsurarij, quod dæmones deportabant omnes vsurarios ad infernum;quidam Goliardus,cum ipsi vsurarij super hoc essent multum confusi, ait,quod si darent ei vnam tunicam, probarẽt sacerdoti coram omnibus, quod dæmones ad infernum nullum omnino deportarent vsurarium,quam sibi gaudenter dederunt.Tunc dixit, quod cum vsurarius sit fur & proditor, vt prædemõstratum est,de tam vili anima non oneraret se tãtus princeps,sed post se ligatum vt consueuit fieri de proditoribus,eum traheret ad furcas inferni.

Exempla.

CVM quidam vsurarius graviter infirmaretur,& nihil vellet restituere,præcepit plenum horreum de frumento pauperibus erogari,quod cum serui sui vellent facere,& frumentum accipere, inuenerunt illud conuersum in serpentes, quod audiens dictus vsurarius, compunctus omnia restituit, & præcepit quod mortuus proijceretur nudus in medio serpentum, vt corpus sic voraretur à serpentibus in præsenti, ne anima voraretur in futuro. Quod factum fuit, cuius corpus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ita vorauerunt serpentes, quod nō dimiserunt ibi nisi ossa alba. Quidam addunt, quod euanuerunt serpētes, & remanserunt ossa alba & nuda cum lumine. Quid ergo erit miseris, qui non restituunt Deu. 32. *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo; dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium atque serpentium.*

5. *Irridebuntur à dæmonibus, & incessanter torquebuntur cum filijs suis.*

ITEM accusantur à dæmonibus, subsannantur, irridentur, sicut lupus captus in fouea, dicentibus: *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem sibi*, &c. Item torquentur à dæmonibus sine cessatione, cum filijs suis; quia peccatum eorum semper ascendit, nec quiescit die ac nocte: Ideo nec cessabit tormentum eorum Apoc. 14. *Cruciabuntur igne, & sulphure, & ascendet fumus tormentorum in sæcula sæculorum, nec habebunt requiem die ac nocte*, &c. Quidam in quadam visione vidit vsurariorum filios patribus suis maledicentes, & conquerentes de eis dicentes; pater maledictus sis tu, quia propter te crucior, & veni in hunc locum tormentorum, qui non docuisti aliquod artificium vnde viuerem, nisi fænerari: qui corrupisti me verbo & exemplo, & pecunia tua. Econtra pater replicabat maledicens filio, dicens, quod propter eum & alios, vsuras exercuerat, nec restituerat. Vnde propter hoc pœnam æternam acquisierat. *Item* alius vidit in inferni fundo, in incendio profundissimo, vsurarios qui fuerunt primi trunci in vsuris, cruciari, & de ventre eorum quasi arborem maximam ascendentem, vbi torquebantur per ramos filij, qui ab ipsis exierant per diuersas generationes, sibi adinuicem maledicentes, & de se adinuicem conquerentes, *maledicta creatura eorum*, vt dicitur in libro Sapien.

Exempla.

De collatione munerum.

DISTINCTIO XII.

Collatio munerum a ia laudabilis alia culpabilis.

DEINDE considerandum est de acceptione munerum. Sed prius videndum est de collatione munerum. Secundo de acceptione eorum.

Collatio laudabilis est multiplex.

CIRCA primum sciendum, quod est quædam collatio munerum laudabilis, & quædam culpabilis. Collatio munerum laudabilis est multiplex. Donantur enim quandoque munera propter iracundiam mitigandam. Sicut Iacob audiens Esau fratrem suū venire sibi obuiam de Mesopotamia reuertenti, timuit. Sicut dicitur Gen. 32. Ideo vt eius iracundiam mitigaret præmisit ei munera dicens; *placabo eum muneribus*. Sic filij Israel miserunt munera Eglon regi Moab, quia impugnabat eos, vt ab impugnatione cessaret. Iud. 3. Sic rex Achab misit regi Assyriorum munera, credens per hoc furorē eius placare 2. Paral. 28. Dicitur enim Prouerb. 21. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*. Similiter debet peccator offerre Deo munera veræ pœnitentiæ, ad placandam eius iracundiam, & veniam impetrandam. Sicut dicitur Isa. 19. *Percutiet dominus Ægyptum*, id est animam peccatricē plenam tenebris vitiorum, & sanabit eam per pœnitētiam salutarem. Sequitur. *Et reuertentur Ægyptij ad dominum, & placabitur eis, & sanabit eos: ideo colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt domino, & soluent.* Nā exemplo triū Magorum debet peccator offerre myrrham mortificationis, thus deuotæ orationis, & aurum id est eleemosynas piæ erogationis.

1. *Ad iram mitigandā.*

2. *Ad amicitiam procurandam.*

SECVNDO dantur munera propter amicitiam procurandam, quia *multi colunt personam potentis, & amici dona tribuentis.* Prouerb. 19. Vnde Ionathas abijt Ptolomaidam, & dedit Ptolomęo & Alexandro regibus, argentum, & aurum, & dona, & inuenit gratiam in conspectu eorum 1. Mach. 11. Item 2. Paral. 26. *Impendebant Ammonitę munera Oziæ*, vt scilicet pacem & amicitiam cum eo haberent, *quia adiuuit eum Deus cōtra Phyliſtiim, & contra Arabes, & contra Ammonitas, & diuulgatum est nomen eius propter crebras victorias.* Item Oseæ. 8. *munera dederunt amatoribus*, quia mendici homines diuitibus, & potentibus dant munera, vt amorem acquirant, vel foueant acquisitum. Sic homines iusti Deo debent offerre munera, vt amorem & gratiam obtineant apud eum. Psal. 67. *Tibi offerent reges munera.* Idem 71. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent.* Idem 44. *Filię Tyri in muneribus.* Hoc exemplum habemus Gen. 44. dixit Iacob filijs suis. *Sumite de optimis terræ fructibus, & deferte viro munera.* Et infra. *Obtulerunt ei*, id est Ioseph *munera, tenentes in manibus, & adorauerunt proni in terram.*

3. *Ad excellentiam honorandam.*

TERTIO solent dari munera propter excellentiam honorandam 3. Reg. 10. *Dedit regina Saba regi Salomoni*, &c. *deditque reginæ omnia quæ voluit & petiit ab eo, exceptis his quæ obtulit ei munere regio*, & infra *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ diuitijs & sapientia*, &c. *& singuli deferebant ei munera.* Sic filij Israel dederunt munera mira deuotione pro tabernaculo faciendo, in tanta copia quod artifices venire compulsi, dixerunt Moysi, plus offert populus quam necessarium est. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari; nec vir nec mulier plus offerat in opere sanctuarij, sicque cessatum est à muneribus offerendis. In hoc facto duo miranda fuerunt; vnum quod plus offerret populus quā peteretur: secundum quod artifices vel sacerdotes munera recusarent, & facerent proclamari ne vlterius offerretur.

4. *Ad indigentiam reuelandam.*

QVARTO debent dari munera propter indigētiam reuelādam; sicut pauperibus erogantur munera propter Deum. 2. Esdræ 9. *Mittite his qui non habent*, & Hest. 9. constituerunt Iudæi, vt in memoriam lætitiæ quam habuerant de sua liberatione, mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur. Item Hieremiæ. 40. legitur, quod magister militiæ regis Babylonis dedit Hieremiæ cibaria & munuscula.

Munera reprobantur à Deo propter quatuor quæ reddunt collationē culpabilem.

SCIENDVM præterea, quod munera reprobantur à Deo, vel ratione largientis, vel ratione muneris collati vel ratione recipientis, vel ratione finis intenti. *Primo* quidem munera reprobantur à Deo ratione largitoris; quia plus pensat Deus dantem, quam datum; & affectum, quam censum. Vnde Gen. 4. dicitur. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cayn vero, & ad munera eius non respexit.* De Abel etiam dicitur Heb. 11. *Abel consecutus est esse iustus, testimonium prohibente muneribus eius Deo.* Econtra dicitur Eccle. 34. *Dona iniquorū nō probat altissimus*, & eiusdem 6. *Ne dicatis: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo munera mea, suscipiet*, & Matth. 5. *Si offers munus tuū ante altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum*, &c. *Secundo* reprobatur munus ratione ipsius muneris oblati, puta quia per furtum rapinam, vsuram, symoniam, vel fraudulentiam acquisitum. Eccle. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*, & c. 35. *Noli offerre munera praua, non enim suscipiet illa Deus.* Praua sunt munera, vel quia iniusto titulo possessa, vel quia diuinæ maiestati non competentia, vt si de iustè possessis offeras putrida, corrupta, vel deteriora, sicut conqueritur Dominus Malach. 1. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? si offeratis claudum vel languidum nonne malum est? offer illud duci tuo si placuerit ei*, &c. Sequitur. *Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus, & munus non suscipiam de manu vestra.* Ideo contra diuites, qui tamdiu custodiunt vestes suas & alia, quod putrefiunt; & dum bonæ sunt non habent cor dandi pauperibus, dicitur Iac. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserys quæ aduenient vobis; diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt*, &c.

1. *Ratione largitoris.*

2. *Ratione ipsius muneris oblati iniustè acquisiti.*

TERTIO reprobatur munus ratione receptoris. Eccle. 12. *Si benefeceris scito cui feceris, benefac iusto*, &c. *da bono, & ne receperis peccatorem.* Quod est contraillos qui dant personis infamibus, vel consanguineis, & amicis carnis indignis, beneficia ecclesiastica; vel diuitibus abundantibus, & nihil pauperibus. Cum Iacob misisset munera Esau fratri suo, dixit Esau. *Habeo plurima frater mi, sint tua tibi.* Gen. 33.

3. *Ratione receptoris.*

QVARTO reprobatur munus ratione finis intenti vel optati; puta quando datur propter vanam gloriam:

4. *Ratione finis intenti.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

multa namque dantur vt iniquitas compleatur, vel vt dator in malitia defendatur. Sicut minores latrunculi seruitores regum & principum, dant magnis latronibus, vt in suis iniquitatibus defendantur. *Aly* dãt munera, pacem & amicitiam simulantes, vt incautos decipiãt; sicut Aoth obtulit munera Eglõ regi Moab, & sic sub specie pacis secreto loquens cum eo, percutiens interfecit. Iud. 3. Item Triphon videns Ionatham venisse ad eũ cũ exercitu magno, timuit, & excepit eũ cum honore, & cõmendauit eũ omnibus amicis suis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus suis vt obedirent ei in omnibus sicut sibi; & sic eum decepit: nã remissis militibus, ipsum cũ paucis retinuit; & occidit 1. Mach. 12. Phylistæi promiserunt Dalilæ pecuniã & munera, vt Sãsonem deciperet, & traderet eis vinctũ Iud. 16. *Aly* dant munera vt obtineant dignitates; sicut Iasõ ambitiosus, propter munera quę dedit Antiocho regi, obtinuit summũ sacerdotiũ sed cũ per Menelaum misisset pecuniã, ille supplantauit eũ, & obtinuit primatũ; insuper & Iasoni imposuit argenti talenta trecẽta. 2. Mach. 4. Itẽ Menelaus frater Iimachi, per pecuniã quã promisit Antiocho obtinuit summũ sacerdotiũ; deinde dedit Andronico quædam vasa aurea quæ furtim obtulerat de templo, & fecit Oniã occidi 2. Mach. 4. Postmodum apud Ptolomæũ accusatus, per pecunias quas ei promisit, fecit accusatores suos morte damnari, ibidem. Item Alchim proditor impius & detractor, cupiẽs summum sacerdotiũ obtinere, obtulit Demetrio regi coronam auream, &c. 2. Mach. 14.

Acceptio munerũ est detestanda propter multa.

CIRCA secundum principale, s. immoderatã acceptionem munerum, quantũ sit detestabilis, & quãta mala faciat, licet ex parte iã appareat ex prędictis: Sciendũ quod per acceptionẽ munerũ impenditur cognitio veritatis, peruertitur affectio bonitatis, amittitur cõditio libertatis, subuertitur executio æquitatis, amittitur æterna retributio, incurritur æterna damnatio. *Primo* quidẽ ex acceptione munerũ impeditur cognitio veritatis, quia munera excæcãt oculos mentis, & immutãt, iudicium rationis. Ideo dicitur. Exo. 23. *Non accipias personam, nec munera, quæ excæcant etiã prudentes, & mutant verba iustorũ.* Stulti & mali mercatores sunt, qui sciẽter & gaudenter accipiunt. Vnde non corporalis oculus quem habemus cõmunem cum brutis, sed spiritualis quo videndum est, debet excæcari.

1. Quia impedit cognitionem veritatis.

Exemplum.

ADVOCATVS quidam, causam cuiusdam pauperis assumens in iudicio defendendam contra quendã mitem illum iniuste vexantem, excogitauit, & scripsit rationes pro causa pauperis, quæ sibi valde validæ videbantur. Videns autem miles, iniustã causam habens, & debilem aduocatum, se esse in periculo confusionis; rogauit prædictum aduocatum vt pro ipso stare vellet. Quo tantũ facinus abhorrẽte, & oblatam à milite pecuniam recusante, miles cyphum argenteum clam dimisit in eius camera, illo penitus ignorante, quem inuentum inspiciẽs, eiusque pretio & pulchritudine allectus, in magna fuit altercatione positus, vtrum retineret, vel remitteret illum cyphum. Interim cum diligenter inquirens an aliquas rationes pro causa militis inueniret, plures leges & rationes pro milite inuenit, quam prius pro paupere inuenisset, quæ efficaces valde, & quasi irrefragabiles videbantur. Quo viso rediens ad cor suum, & aduertens se cupiditate cæcatũ, atque in se esse subuersum iudicium rationis, donum & dantem execrans, donum cum festinatione remisit.

2. Peruertit affectionem bonitatis.

SECVNDO ex acceptione munerum peruertitur affectio bonitatis. Multi namque post accepta munera, laudant illos quos prius vituperare solebant, sustinẽt, & excusant: illos vero quos prius amabant, & iudicabant amandos persequuntur, & nequiter aduersantur. Sic Iudas amore pecuniæ dominum suum vendidit, & osculo tradidit. Custodes dominici sepulchri muneribus corrupti resurrectionem occultauerunt, & falsitatem in testimonio dixerunt. Dalila muneribus allecta, prodidit & tradidit Philistęis Samsonẽ. Iud. 18. *Item* in histo. Caroli magni, quæ ascribitur Turpino, legit ut quod Guenelon vnus de principibus Francorum, corruptus muneribus Marsirij & Belligandi regũ Saracenorũ, qui regnabant contra Cesareos portus, vendidit pro 20. summarijs oneratis auro & argento & pallijs sericis, omnes pares Francorũ, cum exercitu Christianorum, qui tamẽ ad vltimum de proditione conuictus perdidit non solum animam, sed etiam omnem terrenam substantiam, & vitam; distractus per quatuor climata cum quatuor æquis.

3. Tollit libertatem.

TERTIO ex acceptione munerum amittitur cõditio libertatis, quæ maxima & nobilissima res est. Per munera namque obligatur accipiens, iuxta illud: *Munera sumpta ligant*, adeo, s. quod in seruitutem redigitur conferentis, vt seruire, reuerentiam exhibere, æqualia vel minora conferre, laborare, negotiari, vel apud magnos intercedere teneatur, & seipsum non audeat recusare. Amittitur etiam libertas loquendi, veritatem dicendi, testificandi contra illum, corripiendi, vel libere arguendi, propter quod dicitur Eccle. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore, auertit eorum correptiones.* Vultur quando à latronibus proijcitur in os canis, aufert ei latratum. Sancti viri propter hæc & alia multa, s. ne libertatem amitterent, ne se seruos efficerent, munera recusabant: sicut Abraham reuersus à cæde quatuor regum, recusauit munera quæ sibi obtulit rex Sodomæ, licet optime meruisset. Gen. 14. Sic Samuel. 1. Reg. 12. *loquimini* inquit, *de me coram domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquã aut asinum tulerim. Si quempiam calumniatus sum, & oppressi aliquem; si de manu cuiusquam munus accepi.* Sic Helysæus postquam mundauerat Naamam à lepra eius, munera recusauit. Et Gyezi quia accepit, maledicendo lepra damnauit 4. Reg. 5.

Sancti munera recusare solebant.

REFERT beatus Bern. 1. ad Eugenium, quod Martynus presbyter Cardinalis, legatione fũctus in Dacia, tam pauper inde redijt, quod equis & expensis pænæ deficientibus, cum peruenisset Florentiam, episcopus loci dedit ei equum quo veheretur vsque Romã. Secutus autẽ eũ episcopus, erat. n. ei causa cũ aduersatio, & agẽdi erat dies, cæpit requirere suffragium amicorũ, cũque solicitaret per singulos, ad Martinum vẽtũ est, in quo fiducia maior erat, qui non posset esse immemor recentis beneficij. Cui Martinus, decepisti me inquit, nescieba. n. tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est, & eadẽ hora illi reddidit equum suum. Nonne res alterius sæculi videtur esse, redisse legatum de terra auri sine auro, trãsisse per terram argenti & argentum nescire, donum insuper quod poterat esse suspectum illico reddidisse.

Exemplum.

IDEM ibidem. Gaufredus Charnotensis episcopus legationem in partibus Aquitaniæ per plures annos suis sumptibus administrans, piscem qui vulgo Sturgio nominatur, à quodam sibi presbitero præsentatum recipere recusauit; nisi prius inquisito pretio, & soluto. Itẽ, eidẽ domina quædã ex deuotione duas pulchras Paropsides ligneas cum manutergio præsentauit, quas diu intuens homo cõscientiæ scrupulosæ, laudauit eas sed non acquieuit accipere, quando argenteas accepisset, qui ligneas recusauit? Non fuerunt qui dicere possent de legato, *Ditauimus Abraham.* Ipse vero cum Samuele concionabitur ad omnes. *Loquimini de me coram domino, & Christo eius*, &c.

Exempla.

AD hoc idem exempla multa ponuntur In vitis pa. Venerunt quidam Græcorum vt darẽt eleemosynam in ciuitate Ostracinæ; & cum Oeconomi ecclesiæ ostenderent eis inter magnas egentes quendam leprosum, cum vellent ei dare, noluit accipere, dicens: Ecce de modicis palmis facio plectas, de quibus viuo. Et post ostendunt cellam cuiusdam viduę pauperrimę, ad quam pulsantes, aperuit filia quasi nuda, cui volebant dare vestes & nummos, & illa nolebat accipere, nisi mater sua veniret & præciperet ei, quæ erat candidatrix telarum, quæ cum venisset noluit accipere, dicens: Ecce vos vultis auferre à me procuratorem

Exemplum.

meum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

meum Deum, qui inuenit nobis hoc opus quod faciamus, & habeamus inde victum nostrum de opere manuum nostrarum. *Item* alius cuidam pauperi seni & leproso obtulit pecunias, dicens: Habe hoc ad expensas tuas, quia pauper es, & infirmus, & senuisti. Qui respondit: Ecce 40. annos habeo, in infirmitate mea nihil indigui, domino tribuente & pascente me; & tu venisti auferre nutritorem meum; & non acquieuit aliquid accipere. *Item* ibidem de verbis patrum, titulo de voluntaria paupertate. Vir quidam magnus venit in Scythiam, portans secum aurum, & rogabat presbyterum eremi vt fratribus erogaret illud. Qui respondit eos opus nō habere. Ad cuius instantiam posuit solidos in pera ad portam ecclesiæ, dicens. Si quis habet opus accipiat; & nemo pecuniam illam tetigit: multi autem, nec eam aspexerunt. Tunc ait presbyter. Accepit Deus oblationem tuam, tolle pecuniam tuam & da eam pauperibus. De hac materia habetur supra *de timore mundano per totum.*

Gentiles antiqui etiam munera recusare solebant.

Sed si viros sanctos miramur munera recusasse; lōge amplius est mirandum, quod gentiles antiqui ea recusasse leguntur. Sicut in gestis Romanorum dicitur, quod Tyneas missus Romā à Pyrrho cum donis ingentibus, ad pacem & amicitiam confirmandam, neminem inuenit cuius domus muneribus aperiretur, quia quando munera deferebant, omnes clauserunt ostia, ne cum muneribus introirent. *Ita* legitur de multis, qui munera respuunt, ne maculam ponerent in gloria sua, iudicantes indignum quod acceptione munerum perderent, vel minuerent suæ libertatis & virtutis honorem.

4. Subuertit executionem æquitatis.

Quarto ex acceptione munerum subuertitur executio æquitatis. Istud clarè patet in curijs, vbi præcipuè regnat hoc vitium; nam sine muneribus vix potest homo intrare, vix cum aliquo loqui, vel accessum aut audientiam obtinere. Improbitas curialium eousque innotuit, vt de testimonio conscientiæ, de odore opinionis, de sinceritate causæ, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interueniente, quis frustra confidat. Multi curialium sunt sicut canes, qui cibo obiecto mansuescunt, acres enim sunt in principio, duri & asperi antequam videant munera; quibus visis mansuescunt, nec potest promissio aures mulcere, nisi viderint donum præsens. Orpheus dicitur Leones & Tygrides lenisse cytharæ suæ sono. Sed apud curiales nihil efficies, nisi plumbea corda eorum, malleo aureo vel argenteo emolliris. Hydra dicitur esse quidam serpens multa habens capita, cuius cum vnum abscinditur, pro abscisso alia crescunt. Sic est de curialibus, quando vni satisfactum est, & vnius voracitas est aliquantulū mitigata, tunc alij acrius petunt. Tales subuertunt iustitiam, & peruertunt iudicia, & euacuant pietatem. Impossibile est enim seruare iustitiam, & sequi pecuniam. Vnde in lib. Regum dicitur de filijs Samuelis: *Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & iudicium peruerterunt.*

Curiæ principum sunt corruptæ.

Hev quā amarū est videre, quod curia quæ debet & solet esse recursus pauperū, refugiū afflictorum, locus iudicij, libra iustitiæ, nūc sit pauperum spoliatio, afflictorum desperatio, subuersio iudicij, locus iniuriæ, & omniū bonorum desolatio. Vnde dominus per Prophetā conqueritur, dicens. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* Sequitur. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant & causa viduæ non ingreditur ad eos.* Nota quod dicitur, *Ciuitas meretrix*, quia venalis exponitur. Venduntur n. in ea iustitia, audientia, tempus, ideſt tarda vel festina expeditio, locus, immo ingressus ad locū, patrociniū, testimonium, consiliū, fauor, & silentiū. Sequitur: *Principes tui infideles*; nec mirum, nō. n. potest fidelis esse domino temporali, qui infidelis est domino creatori: nec solum sunt infideles subditis, sed etiam domino suo; quia nec fideliter diligunt, nec fideliter consulunt, nec deliter eius bona vel iura custodiunt: nā vt modicum lucrū acquirant sibi, vel alicui suorū, vel alij danti sibi munera, in multo suum dānificare dominum nō verētur. Sequitur: *Socij furū.* Nā Seneschallos, Balliuos, prępositos, Iudices, Collectores, & alios huiusmodi sciunt & permittunt esse fures & raptores, eosque tales instituunt scienter, & fouent eos in furtis & defendunt, vt furtis eorum participent. Exemplum.

Exemplum.

Cvivsdam regis collaterales quidam, quorum fidelitati se totum & regnū cōmiserat, & de infimo statu prouexerat vltra modum & merita personarum, insatiabili cupiditate cæcati, cui terminum ponere nescientes, in omnibus officijs instituebant cōplices suos, etiam infames, fures, vsurarios, & raptores. Omnes isti tam maiores, quam mediocres, quā minores à populo pecunias extorquentes, mutuo se fouebant; minores & mediocres maioribus, & maiores illis collateralibus regis dabant munera, & hic erat catena diaboli, qua sibi erant inuicem colligati. Vnde si quandoque contra vnum eorum clamor insonuit, alij ipsum protinus defendebant, ne si facta eius mala detegi contigisset, ipsorum per consequens iniquitas appareret: ac per hūc modum innumerabilia mala fiebant, & post non audebant conqueri. Vel si vellent conqueri, non audiebantur, repellebātur, confundebantur, & tam corporū quā rerum periculum incurrebant. Cū autem rex ad clamorē & importunā instantiā plurimorū, viros bonos, & infidelitate probatos, inquisitores misisset in partē aliquā regni sui, vt super factis Balliui, præpositorum, & aliorū officialium regis inquirerēt, multaq; nefanda facinora reperirent in eis, propter quę suppliciorum & mortis iudicium erat in eis, cæperunt minores accusare mediocres, & illi superiores, adeo vt vsque ad illos collaterales regis perueniret hæc noxa, quod in his essent consentanei, vel auctores. Quo audito, collaterales illi procurauerunt apud regem inquisitores ab huiusmodi inquisitione desistere, & à iudice executionem cessare. Quamobrem malefactores illi in officijs pristinis dimissi, securiores effecti, deteriora prioribus comiserunt in desolationem populi, destructionem terræ, & præiudicium æquitatis sic faciebant de inquestis omnibus, ipsos vel aliquem suorum tangentibus, cum illas recepissent, vel regi delata essent, sopiebāt omnia, ita vt nec executio iustitiæ, nec verbū inde fieret, ac si nihil inde penitus fuisset; quapropter illi quicquid volebant in diuersis regni partibus faciebant. Fiebant autem hæc omnia virtute munerū, quæ illi larga manu præstabant. Dixit quandoque vnus eorum; quarē non raperē secure aut furarer? cum. n. quatuor vel quinq; millia librarū sic habuero, si accusatus dedero magistris meis mille, iustus ero, & melior de tota terra, & totū mihi residuū remanebit in pace. Ideo tales merito Dei maledictionem incurrunt. Deut. 27. *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animā innocētis* & Isa. 5. *Væ qui iustificatis impiū pro muneribus, & iustitiā iusti auferte ab eo.*

5. Impedit diuinam retributionem.

Qvinto de acceptione munerū amittitur diuina retributio; nā propter tēporalia, iustè perdunt ęterna Christi munera. Et hoc bene fuit figuraliter præsignatū. Gen. 25. vbi dicitur quod *Abrahā cūcta quæ possederat dedit Isaac filio suo, filijs autem concubinarū largitus est munera:* quia Deus summus omnium patriarcha filijs promissionis æternæ dat hæreditatē beatitudinis, quæ est status omnium bonorū aggregatione perfectus; mundanis vero, qui sunt quasi adultetini filij, largitur munera temporaliū facultatū, Psal. 23. *Quis ascendet in mōtē domini*, &c. Idē 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Sequitur, *Qui munera super innocentē non accepit* & Isa. 23. *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit*, & Prou. 15. *Qui odit munera viuet*; videlicet vita gratiæ in præsenti, & vita glorię in futuro.

6. Inducit æternam dānationem.

Sexto ex acceptione munerum incurritur æterna damnatio. Iob. 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.* Ignis inquam cupiditatis, animas cupidorum temporaliter inflammantis, & ignis inferni animas & corpora æternaliter cruciantis. Et

sicut

ſicut qui odit munera viuet, ita qui diligit & accipit munera, morietur.

De auaritia aduocatorum.

DISTINCTIO XIII.

DEINDE ſpecialiter eſt dicendum de auaritia aduocatorum. Circa quod ſciendum eſt, quod aduocationis officium ſecundum ſe licitum eſt & bonum, pro declaratione iuris, diſcuſſione cauſarum, pro defenſione ſimpliciũ, conſolatione & patrocinio miſerabilium perſonarũ, habent. n. aduocati in republica officium linguæ, quia ſicut lingua exprimit neceſſitates corporis, & per linguã conceptus noſtros alijs explicamus, ſic aduocati cauſas elinguium, i. ſimpliciũ, qui iuris apices non nouerunt, habent in iudicio depromere, & defendere, & iuris oſtendere rationes. Aduocationis tamen officio multi multipliciter abutuntur. Nam in eis regnat arrogantia faſtuoſa, pertinacia ceruicoſa, cupiditas effrẽnata, iniquitas effrẽnata, ſtrepitus procelloſus, & exitus doloroſus.

Aduocationis officio multi multipliciter abutuntur.

1. *Fiunt arrogantes.*

PRIMO quidem regnat in eis arrogantia faſtuoſa. Vt enim nomẽ acquirant, ac per hoc multi confluant ad eorum patrocinium requirendum, dilatãt philacteria ſua, & magnificant fimbrias ſuas ſicut de Demoſthene dicitur, quod antequam virtus eloquentiæ eius innotuiſſet, imperioſioris cultus dicitur appetiſſe nitorem; ſciens quod purpura cauſidicum vendit, ac poſtquam notitiam & famam aſſecutus eſt eloquentiæ, toga cõtentus eſt, dicens ſe velle à ſe potius quã à nitore veſtium, aut cultu exquiſito conflare gloriam; quem. n. proprius attollit honor, vilitas veſtium non deprimit. Mendicatum laudis videtur eſſe ſuffragium quod ab extrinſecis pendet, homo. n. virtuoſus & ſapiens debet dedignari oſtendere ſe ab exterioribus ornamentis veſtium, pompa greſſuum, & arrogantia verborum ſic inaniter oſtentare.

2. *Fiũt pertinaces.*

SECVNDO regnat in eis pertinacia ceruicoſa; quando videlicet cæpit aliquis aliquam cauſam defẽdere, poſtquam aduertit eam non eſſe iuſtam non vult deſiſtere ne ſuccumbere videatur, ſed ſemper vult videri vincere, & ad ſenſum ſuum peruertit leges & iura, vt victoriam obtinere dicatur. De pertinacia require ſupra.

3. *Fiũt cupidi.*

TERTIO regnat in eis cupiditas effrænata; quod ſatis euidenter apparet, quando iſtud officium exercet perſona cui eſt à iure prohibitum, vel quando ſcienter fouet cauſam iniuſtam, vel deſperatam: vel quãdo agit contra perſonam contra quam non debet, cui potius tenetur præſtare patrocinium: vel quando in tempore vel loco, vel modo quo non debet; vel quando accipit iniuſtum ſalarium, vel immoderatum, quod non cõpetit perſonæ ſuæ, aut labori, aut ſcientiæ, aut facũdiæ aut conſuetudini regionis, aut perſonæ cui præſtat patrocinium. Ex cupiditatis ardore corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis; vix enim aliquis inuenitur qui ſtudeat in iure propter iuſtitiam exequendam, vel tenendam, niſi propter lucra. Vix aliquis ſtudet, niſi quomodo contra ius dicere, vel allegare ſciat pro vtraque parte contradictionis. Item vix eſt aliqua cauſa ita iniuſta & iniqua, quæ non inueniat pro pecunia defenſorem.

Exemplum.

DICITVR quod cum quidam pauper rogaret aduocatum quendam vt præſtaret ei patrocinium: Reſpondit: Cauſa tua ſiue iuſta ſiue iniuſta, eſt bona in manu mea, dummodo tantam ſummam pecuniæ ponas in burſa mea. Non inuenitur medicus, qui ſe offerat pro quacumque infirmitate curanda, ſed dicit & iudicat aliquam infirmitatem incurabilem, de qua ſe non vellet pro pretio intromittere ex cupiditatis ardore aduocati ſe venales exhibent ad modum meretricum & pugilum, quod viliſſimum eſt. In hoc autẽ ſunt meretricibus viliores, quia meretrices viliſſimam ſui partem venalem exhibẽt. Aduocati vero nobiliſſimam, id eſt linguam. Aug. *Ex quo me pretioſo ſanguine Chriſti redemptum intellexi, nunquam me venalem exhibui.* Aduocati vendunt quicquid habent, ſuum verbum, conſilium, patrocinium, & fauorem; ſuos greſſus, ſuos geſtus, ſuum comparere; & quod eſt mirabilius ſuum tacere, quod tamen eſt pura priuatio: vnde vendunt quod nihil eſt & quod non eſt, in rerum natura. De Demoſthene narratur, quod cum quendam fabulatũ auctorem interrogaſſet, quantum mercedis ab Imperatore accepiſſet, & ille reſponderet talentum, Plus, inquit Demoſthenes, accepi vt tacerem.

Exemplum.

ITEM ex cupiditatis ardore ſunt inſatiabiles munerũ acceptores, quę multum exeæcant oculos cordis eorũ in præiudiciũ veritatis. Exẽplũ de aduocato, qui propter Cyphũ argenteũ ſibi datũ, mutauit iudicium de cauſa pauperis & diuitis. Require ſupra *de acceptione munerũ. Itẽ* ex cupiditatis ardore cauſas protrahunt in tempus longiſſimũ, vt plus lucrentur: vnde multũ dãnificant litigantes & per prolixitates litiũ, multa monaſteria magnis dotata redditibus, ad inopiã deducũt, quandoque etiam accipiunt ab vtraque parte, i. ab actore, & reo, quod eſt nequiſſimum. Exemplũ de illo qui ab actore bouem, & à reo vaccã accepit: cum autẽ coram iudice taceret, & ille qui dedit bouem diceret, Bos loquere. Reſpondit alius: Non faciet, quia vacca non permittit.

4. *Fiũt iniqui.*

QVARTO regnat in eis iniquitas; multi namque ſunt aduerſarij veritatis, impugnatores iuſtitiæ; iniquitatis, falſitatis, & iniuſtitiæ defenſores. Agunt enim iniuſtè, cauſas iniuſtas, & deſperatiſſimas aſſumendo, vel ſi in principio credunt cauſam aliquam eſſe iuſtam, in proceſſu tamen cognoſcentes illam nõ eſſe iuſtã, non deſiſtunt, vel dimidiando, vel ſuadendo illi cuius defenſor eſſe debet, quod partem querelæ accipiat, & partem dimittat aduerſario, cuius totã nouit eſſe debere. In hoc. n. conſulunt alienũ accipere, vel ab vtroque litigantiũ accipiendo, vt qui iuſtã cauſam habet deſiſtat, vel alio modo lædatur. Itẽ circa modũ procedendi in cauſa, falſas allegationes proponendo, leges & iura impertinentia, vel peruersè exponendo; vel falſa inſtrument vel falſos teſtes producendo; vel mẽdacia fallacitef aſſerendo, vel dilationes friuolas malitiosè quærendo, vnde lingua eorum eſt arcus, doloſus gladius, & ſagitta. Pſal. 58. *Gladius in labijs eorũ.* Idẽ 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Hie. 9. *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis.* Ibidem. *Sagitta vulnerans, lingua eorum dolum locuta eſt.* Pſal. *Quid gloriaris in malitia? &c. tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum, dilexiſti malignitatem ſuper benignitatẽ, iniquitatem magis quam loqui æquitatem* Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa. Bern. 1. lib. ad Eugenium. *Hi ſunt qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, diſperti aduerſus iuſtitiam, eruditi pro falſitate, ſapientes ſunt vt faciant mala, eloquentes vt impugnẽt. Verum hi ſunt qui iuſtruunt à quibus fuerant inſtruendi, aſtruunt non comperta, ſed ſua; ſtruunt de proprio calumnias innocentiæ, deſtruunt ſimplicitatem veritatis, obſtruunt iudicij vias.* Sydonius. *Hi ſunt qui emunt lites, vendunt pacem, & interceſſiones; indicanda dictant, dicta conuellunt, attrahunt litigantes, protrahunt audientes, trahunt adductos, retrahunt tranſigentes, retractant tranfactiones, docuerunt linguas ſuas loqui grandia, cum operentur exigua, largiſſimi promiſſores, parciſſimi adulatores, mordaciſſimi detractores, ſimpliciſſimi ſimulatores, & maligniſſimi proditores.*

Exemplum.

DICEBAT magiſter Iac. de vitriaco, quod quidam aduocatus magnus, qui dicebatur obtinere fere in omni cauſa, cum intraſſet ordinem, & ibi fuiſſet profeſſus, cæperunt eum mittere pro cauſis ſuis agendis; & cum ipſe ſuccumberet fere in omnibus, reprehenſus in capitulo, reſpondit: In ſæculo obtinebam, quia ſi veritas mihi non ſuffragabatur, per mendacia obtinebã, vel qualitercũq; hic autẽ ſecundum ordinẽ non eſt mihi licitũ mentiri, aut decipere ſcienter, quia veni huc non ad perdendum animam meã. Quo audito, in pace eum dimiſerunt, nec ipſum poſtea emiſeruntad cauſas, vt verum diceret.

ITEM

Exemplum. ITEM idem contra quosdã qui credunt quod sit eis licitũ mẽtiri, pro faciẽda vtilitate domus suæ, dicebat; quod cum quidã miles strenuus intrasset eundem ordinem, miserunt eũ ad nundinas pro asinis & asinabus vendendis, & cum quærerent ementes, si essent animalia bona, respondebat; creditis quod ad tãtã inopiã venerit domus nostra, quod de melioribus velit se expedire? Et cũ quærerẽt quare haberent ita caudas depilatas, dixit, quod animalia debilia sæpe cadunt sub onere, & cum eriguntur per caudas depilãtur. Et cum quidã cõuersus qui secũ erat, super hoc eum argueret, respõdit: Cum ego plures asinos & asinas, pro saluãda anima mea dimiserim, creditis quod propter asinos vestros velim eam perdere? absit.

5. Damna plurima inferũt & incurrũt. QVINTO abusum huius officij vitare suadet damnorũ immensitas, & dãnorum videlicet quæ incurrũt, & dãnorum quæ inferunt. Damna incurrunt maxima, quia si quis per malitiam, negligentiã, vel ignorantiam aduocati causã suã amittat, aduocatus tenetur ei reddere omnia dãna sua. Item si propter pertinaciã suam, ille cõtra quem agit causam suam amittit, aduocatus tenetur ei restituere, quandoque pro centum solidis quos habuit, centũ vel mille marchas. Item vitandus est abusus huius, propter dãna quæ inferũt Deo, ecclesiæ, & mẽbris eius. Deo quidem, quia quãdoque Deũ effugant de ecclesia, vel impediunt. Ecclesiæ, quando scilicet procurant amotionem boni prælati, vel quãdo impediunt promotionem eius.

Aduocati damnũ inferunt Deo, Ecclesiæ, & mẽbris eius. ITEM idolũ abominationis constituunt in ecclesia, quãdo procurant promotionẽ mali prælati. vnde aduocatus aliquãdo plus nocet vni Episcopo, vel Abbati, quã possent omnes latrones vel prædones vniᵉ terræ, auferendo ei episcopatũ suum, vel abbatiam. Vel magis nocet aliquãdo mutus aduocatus ecclesiæ Dei, quã possent cẽtum dæmones: quia eo tacẽte, subditus archiepiscopatus vnus, episcopatus, vel abbatia, seruo diaboli, quẽ procurat vel facit ibi episcopũ vel abbatẽ, per quod subduntur domino diaboli. *Itẽ* nocet ad modum hęretici, qui dicitur lupus in ouili ecclesiæ; quia vt ille est falsarius fidei, aduocatus est falsarius iustitię, ille facit errare in fide, aduocatus in opere, dum suadet iudici agere, quod nõ est agendũ, & quod scit vel credit nõ esse agendum, quod nõ facit hęreticus. Vnde in hoc deterior est hæretico; quia per eos qui sunt corruptores & hostes iustitiæ, veritatis, & æquitatis, impletur illud quod dicitur Isa. 59. *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit: corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi. Conuertitur retrorsum iudicium*, quando interponitur à populo, vbi iustitiæ sentẽtia erat ferenda. *Tunc iustitia longè stat*, quæ erat propinqua, cũ oportet vt pro iustitia eatur Romam; vbi nec habetur, sed solum iudices corã quibus litigatur. *Corruit veritas in plateis*, cum crimen manifestum vel verũ per aduocatum cõtegitur, vel defenditur, vel vera bonitas reprobatur, vel falsitas obstruitur. *Equitas nõ potest ingredi*, cum inquisitio vel correptio faciẽda, impeditur per aduocatos. Psal. 51. *Tota die iniustitiam cogitat lingua, sicut nouacula acuta fecit dolum*; quando iugulat iustitiã quam deberet defendere, sicut profitetur.

6. Turbantur variis molestijs. SEXTO dissuadet hoc officium mentalis molestia, sunt enim in continua inquietudine mentis, idest in continua solicitudine, studendo quomodo vincant, & obtineant ne vincantur, quomodo appareant, ne confundantur in litigando, audiendo lites, & diffiniendo. Item in continuo clamore, strepitu, & tumultu causarum Aug. in li. de opere monachorum. *Deum inuoco testem, quod mallem per singulos dies manibus aliquid operari, quam tumultuosas causarum prolixitates pati.* Item Amb. li. de officio ecclesiæ. *Dispendio litis carere non mediocre lucrum est.* Item Bern. ad Eugenium Papam. *Vbi lex domini deberet audiri in sacro palatio, leges personant seculares; mirum si plerumque dicere non cogaris: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Idem ante. *Quo te trahere habent istæ maledictæ occupationes, scilicet extra te in regionem longinquã (si tamen te totum eis dederis, nihil tui tibi relinquens) ad duritiam cordis. paulatim enim ex occupationibus variis sibi succedentibus, in duritiam cordis itur.* Itẽ *In his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. quæso te, quale est illud, de mane vsque ad vesperam litigare, vel litigantes audire? & nunc vtinam sufficeret diei malitia sua: non sunt liberæ noctes, vix relinquitur necessitati naturę, quod ad corpusculi pausationem sufficiat: & vix sum ad surgia surgitur. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam.* Sed multi sic sunt in talibus obdurati, vt dolorem nõ sentiant, nec miseriam suam cognoscant; similes effecti molendinatijs, qui suauius quiescunt in assueto strepitu molendini, quam in silentio & quiete. Sic illi in strepitu causarum, qui sonat eis melle dulcius propter lucrum. *Simile.*

Exemplum. SIMILES sunt cuidam aduocato cuiusdam episcopi, qui cum haberet quandam mansionem iuxta aquã in qua erant molendina, ad quam aliquando, sed raro veniebat prædictus episcopus; conquerebatur dictus aduocatus dicens, quod non poterat ibi, vel quiescere, vel dormire, propter strepitum & tumultum molendini, & aquæ; vituperans episcopo habitationẽ manerij. Cũ autem episcopus dedisset dicto aduocato manertiũ prædictum tanquã ineptũ, ipse ampliãs molendina, dulcius requiescebat ibi quã alibi, & videbatur ei strepitus dulcissimus, ex quo facta fuerant sua molẽdina prędicta, propter lucrum sic est causarũ strepitus aduocantis, licet sit de se amarus, & inquietus.

7. Variis pœnis afficiuntur. SEPTIMO dissuadet hoc vitium finalis miseria, ideſt pœna qua puniuntur, in præsenti pariter & futuro. In præsenti quidem sæpe puniuntur in eo in quo peccauerunt, & quia frequenter peccant contra rationem, ideo iustè percutiuntur subito, & vsum rationis amittunt; & frequenter etiã vsu linguæ priuantur per multos annos, vsque ad vltimum exitum. *Exempla.* *Cuidam*, vt dicitur in summa de vitijs, lingua in morte visa est velocius moueri arundine; alteri labium inferius visum est velocius moueri labio Cocodrilli. Lingua alterius exiuit extra os. *De alio* legitur, quod ita creuit post mortem & intumuit, quod videbatur perforando sudarium late protẽsus. alius cum amici sui rogarent eũ vt confiteretur, & acciperet Eucharistiam, dilationem petebat. cum autem amici instarent amplius propter instans mortis periculum, appellans à manifesto grauamine, expirauit. Alius cum offerretur ei Eucharistia ait; Iudicemus prius vtrum rectum sit quod accipiam; & cum dicerent astantes, rectum est, ait: Est rectum, quia vos cum sitis pares, non habetis me rectè de hoc iudicare.

Exempla. ITEM magister Iac. dicit, quod cu quidã aduocatus moriens linguam enormiter extraxisset, quidam volẽs operire ignominiam eius, ait. Ideo istam linguam extraxit iste, vt sciatis non esse verum quod dicitur, quod aduocati in morte linguas amittunt: cum hoc intelligatur cum dicitur, Linguas amittunt, de vsu, vel officio linguarũ. *Quidam* de infimo genere laborabat grauissima infirmitate, qui cum fuisset aduocatus acutus, factus erat officialis cuiusdã magni Episcopi, cum autem iaceret in lecto sericis ornato, & moneretur ad pœnitentiã ait: Ego egrediẽs de infimo genere, per peritiam aduocationis quam in scholis acquisierã, volui exaltare totum genus meũ infimum; & ecce hic sum depressus, & cum vrgeret eum infirmitas, quasi desperans, abiecit ornamenta sua à se, nudatusque dixit. Modo Deus, modo Diabole pugnetis de me; modo videbitur quis vestrum fortior pręualebit, & post hæc verba mortuus est.

Aduocati puniuntur in futuro maximè in lingua. ITEM in futuro puniuntur, maxime in eo in quo deliquerunt, s. in lingua Apoc. 9. *Potestas eorum erat in ore ipsorum, procedit ignis, fumus, & sulphur.* Et 16. *Manducabunt linguas suas præ doloribus suis*; post mortem autem puniuntur in auro & argẽto, quæ super omnia dilexerunt. In his balneabuntur, & dicetur eis, vt dictum est Crasso à Parthis. Aurum sitisti, aurum bibe bulliens. *Legitur* in quadam Tragedia Senecæ, quod quidã vidit

visionem

visionem quandam, vbi videbatur ei, quod videbat Aeronem apud inferos se balneantē,& ministros inferni aurū bulliens infundentes circa eum;& cū videret chorum aduocatorum circa se dicebat. Venite huc venale genus hominum, aduocati, amici mei, venite huc,vt in hoc vase balneamini, adhuc enim supereſt locus in eo, quem vobis seruaui.

De Symonia.

DISTINCTIO XIV.

DEINDE cōsiderandum est de symonia, circa quā cōsideranda sunt octo. Primo quid sit symonia. Secundo vtrum liceat pro sacramētis pecuniam accipere. Tertio vtrum liceat pecuniam accipere pro spiritualibus actibus. Quarto vtrū liceat vendere ea quæ sunt annexa spiritualibus. Quinto vtrum solum munus à manu faciat simoniacum, aut etiam munus à lingua, & ab obsequio. Sexto de pæna symoniaci. Septimo de his, quæ dissuadent symoniacam prauitatem. Octauo de speciebus eius.

Quid Symonia.

CIRCA primum sciendum, quod *symonia est studiosa voluntas vendendi vel emendi spirituale, vel spirituali annexum.* Conuenienter autem ponitur esse in voluntate, quia iustitia & omnes partes eius, & per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate sicut in subiecto. Et ideo per voluntatē diffinitur. Additur autē studiosa,ad designādum electionem,quæ principaliter pertinet ad virtutē & vitium;non autē omnis qui peccat ex electione, peccat peccato in Spiritum sanctum,sed solū ille qui peccatum eligit per contemptū eorum,per quæ solent homines retrahi à peccato. *Item* nota, quod cū dicitur vendendi vel emendi, nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis cōtractus nō gratuitus. vnde nec permutatio præbēdarū, vel ecclesiasticorū beneficiorū, fieri potest auctoritate partiū,absque periculo symoniæ, sicut nec transactio, vt iura determinant. Potest tamē Prælatus ex officio suo facere permutationes huiusmodi, pro causa vtili, vel necessaria. *Item* dicitur spirituale; sed nōne regnū cœlorum emitur: ait enim Greg. *Regnum cælorum tantum valet,quantum habes.* Idem,*nihil vilius cum emitur, nihil charius cum possidetur; & tamē regnum cælorum est res maximè spiritualis.* dicendum,quod regnum cælorum dicitur emi large sumpto nomine emptionis,secundum quod accipitur pro merito;quod tamen non pertingit ad perfectā rationē emptionis,tū quia nō sunt condignæ passiones huius tēporis,nec aliqua dona,vel opera,ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis,vt dicitur Ro.8.tū etiam,quia meritum nō cōsistit principaliter in exteriori dono,vel actu,vel pactione,sed in interiori affectu.

Solutio obiect.

Symonia dicitur à Simone Mago.

DICITVR autem symonia à Symone Mago, qui ad hoc voluit emere spiritualem potestatem,vt eā postea venderet? Dicitur enim 1.q.3. quod Symō Magus donū Spiritussancti emere voluit, vt ex vēditione signorū quæ per eum fierent,multiplicatā pecuniā lucraretur.& sic illi qui spiritualia vendunt,cōformantur Symoni Mago in intentione; in actu vero illi qui emere volunt. Illi autē qui emunt,vel vendunt in actu, imitātur Gyezi discipulum Elysei,de quo legitur 4.Reg. 5. quod accepit pecuniam à leproso mundato. Vnde venditores spiritualium possunt dici non solum Symoniaci, sed etiam Gyezitæ.

Papa potest committere Symoniam.

ITEM nota, quod licet dicāt aliqui quod Papa vendēdo spiritualia nō inde cōmittit symoniā; dicendum tamē quod verè Papa potest committere vitiū symoniæ,sicut & quilibet alius homo,peccatū enim in aliqua persona est grauius,quanto maiorē obtinet locū, quamuis enim res Ecclesię sint eius vt principalis dispēsatoris,nō tamen sunt eius vt domini & possessoris: & ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniā de redditibus alicuius Ecclesiæ, non careret vitio symoniæ. & aliter etiam posset symoniam committere, recipiendo pecuniam ab aliquo laico,non de bonis Ecclesiæ, sed laici.

CIRCA secundum ,s. *vtrum pro sacramentis liceat pecuniam accipere,* dicēdum,quod sacramenta nouæ legis sunt maximè spiritualia,inquātū sunt spiritualis gratię causa,quæ pretio æstimari non potest, & eius rationi repugnat quod nō gratuito detur. Dispensantur autē sacramenta per Ecclesiæ ministros,quos oportet à populo sustētari,secundū illud 1. Cor.9. *Nescitis quod qui in sacramentis operantur,quæ de sacramēto sunt edunt:& qui altari deseruiunt,de altario participant.* Sic ergo dicēdum, quod accipere pecuniam pro spirituali sacramētorum gratia,est crimen symoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari,quia cōsuetudo nō præiudicat iuri naturali nec diuino, per pecuniā autē intelligitur omne illud cuiꝰ pretiū potest pecunia æstimari, vt dicit Philosophus in 4.Eth. Accipere autē aliqua ad sustētationē eorū qui sacramēta ministrāt,secundū ordinationē Ecclesię,& cōsuetudines approbatas,nō est symonia, neque peccatū. Nō.n. accipitur tanquā pretiū mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Vnde super illud 1. Ti. 5. *Qui bene præsunt presbyteri,* &c. dicit glo. Aug. *Accipiant sustentationem à populo, mercedem dispensationis à domino.*

Accipere pecuniam pro sacramentorum administratione est symonia nisi capiatur pro competēti sustentatione.non vt pretium sed vt stipendium.

QVID ergo si sacerdos aliquē venientē ad baptismū nollet sine pecunia baptizare? dicendum,quod in casu necessitatis potest quilibet baptizare, & quia nullo modo est peccandū,pro eodē est habendū si sacerdos absq; pretio baptizare nō velit,ac si nō esset qui baptizaret. vnde ille qui gerit curā pueri in tali casu,licitè posset eū baptizare, vel à quocunque alio facere baptizari. posset tamē licite aquā benedictā à sacerdote emere, quæ est pure elementū corporale. Si autē esset adultus qui baptismū desideraret,& immineret mortis periculū,nec sacerdos vellet eum sine pretio baptizare,deberet si posset per aliū baptizari. Quod si non posset ad aliū habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absq; baptismo decedere. Suppletur enim ei ex baptismo flaminis, quod ex sacramento deest. *Item* sacerdos accipiēs pecuniā pro Missa dicenda, accipit eam quasi stipēdium suæ sustentationis, non pro actu Eucharistiæ aut Missæ dicendæ,hoc enim esset simoniacū. *Item* ab eo qui absoluitur ab excōmunicatione, accipitur & exigitur pecunia,non quasi pretium absolutionis, quia hoc esset simoniacum; sed quasi pæna culpæ præcedētis pro qua fuit excommunicatus.

Solutio obiect.

Potius est decedendum sine baptismo quā emendū sacramentū.

ITEM apud quosdam est consuetudo, quod in cōsecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum,& ordinibus clericorum, pro chrismate, & oleo sancto, & alijs huiusmodi, aliquid detur. Sed dicendum, quod consuetudo non præiudicat naturali iuri vel diuino, quo simonia prohibetur; & ideo si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis, cum intentione vendendi vel emendi, est manifestè symonia; & præcipuè si ab inuito exigantur. Si vero accipiantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbatam, non est symonia; si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis obseruantiam, & præcipuè quando aliquis voluntariè soluit. In his tamen omnibus solicitè cauēdum est, quod habet speciem symoniæ vel cupiditatis; secundū illud Apostoli Thess. vlt. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Licet pecunia redimere vexationem beneficio acquisito.

ITEM quid si aliquis malitiosè impediat alium ab Episcopatu obtinēdo,vel ab aliqua alia dignitate; nūquid licet vnicuique vexationem suam redimere? dicendum, quod antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacunque dignitate vel præbenda,per electionem,vel prouisionem,seu collationem, symoniacū esset aduersantiū obstacula redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualē obtinendam. Sed postquam alicui ius acquisitum est, licet pro pecunia iniusta impedimenta remouere.

ITĒ quādoq; datur pecunia pro matrimonio,& tamē

matrimonium

matrimonium est quoddam sacramentum Ecclesiæ, dicunt quidam, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est vsquequaque verum; & ideo dicendum est, quod matrimonium non solum est sacramentum, sed etiam naturæ officium, & ideo dare pecuniam pro matrimonio inquantum est naturæ officium licitum est, inquãtum vero Ecclesiæ sacramentum illicitum; & ideo secundum iura prohibetur ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.

CIRCA tertium, scilicet *vtrum licitum sit dare & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus*, dicendum quod sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam; ita etiam quædã alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali procedunt gratia, & ad eam disponunt; quæ tamen per ministerium hominũ exhibentur, quos oportet à populo sustentari, cui spiritualia administrat; secundum illud *1. Cor. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et ideo vẽdere quod spirituale est in huiusmodi actibus, aut emere, symoniacum est; sed accipere aut dare aliquid ad sustentationem ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen quod desit intentio emptionis vel venditionis; & quod ab inuitis non exigatur per subtractionem spiritualium quæ sunt exhibenda: hoc enim haberet quandam vẽditionis speciem; gratis autem spiritualibus exhibitis, licitè possunt statutæ & consuetæ oblationes, aut quicunque alij prouentus exigi, à volentibus & valentibus soluere, auctoritate superioris interueniente.

Licitum est accipere aliquid pro spiritualibus actibus per modum stipendij.

VNDE sicut dicit Hier. super Math. *Munera quędã sponte exhibebant bonis Prophetis ad sustentationem ipsorum, non quasi ad emendum Prophetiæ vsum*: quem tamẽ pseudo Prophetæ retorquebant ad quæstum. Similiter illi qui dant pauperibus eleemosynas, vt oratronũ suffragia ab ipsis impetrent, non eo tenore dant quasi intendentes orationes emere, sed per gratuitam beneficentiam, pauperum animos prouocant, ad hoc quod pro eis gratis ex charitate orent. Prædicãtibus etiam temporalia debentur, ad sustentationem prædicantium, nõ autem ad emendum prædicantis verbum. Vnde super illud 1. Ti. 5. QVI BENE PRÆSVNT PRESBYTERI, &c. dicit gl. *Necessitatis est accipere vnde viuitur, charitatis est prebere, non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur.* Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. Similiter pro celebratione diuini officij aliqua dantur, non quasi pretium, sed quasi sustẽtationis stipendium, & eo etiam tenore in processionibus faciendis in aliquo funere, aliquæ eleemosynæ recipiũtur. Si autem huiusmodi, pacto interueniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, symoniacũ esset. Vnde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem esset licita ordinatio, si statueretur quod omnibus certam eleemosynã dantibus, quod talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi, & præterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda vero habet speciem gratuitæ recompensationis.

Solutio obiect.

Non licet ordinare vt missa nõ celebretur nisi soluta certa pecunia quãtitate.

ITEM ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad vsum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione, & etiam pro sustentatione statuta stipendia habet ex redditibus ecclesiasticis; & ideo si aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, nõ intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officij debet impendere, sed intelligeretur vẽdere ipsum spiritualis gratiæ vsum: & propter hoc nõ licet pro quacunque dispensatione aliquid accipere: nec etiam pro hoc quod suas vices committant; nec etiam pro hoc, quod suos subditos corrigant, vel à corrigendo desistant, licet tamen eis accipere procurationes, quàndo subditos visitant, non quasi pretium correctionis, sed quasi stipendium debitum, ille autẽ qui habet scientiam & non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur alijs vsum scientię impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ vel consilij accipere: non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, vnde grauiter peccaret. Sicut patet in illis qui instituuntur in aliquibus Ecclesijs ad docendum clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt, à quibus non licet eis aliquid accipere, nec ad hoc quod doceant, nec ad hoc quod aliqua festa faciant, vel prętermittant.

Non licet accipere aliquid pro doctrina aut consilio &c. si quis accepit officium per quod ad hæc obligetur gratis.

ITEM propter ingressum monasterij non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium, licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ad ingressum monasterij exhibere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipiẽda, si ad hoc monasterij non sufficiant opes. Similiter etiam licitum est, si propter deuotionem quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciẽdo, facilius in monasterio recipiatur, sicut etiam licitum est econuerso aliquem prouocare ad deuotionem monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum.

Non licet dare aliquid pro ingressu monasterij vt pretium, sed ad sustẽtationem.

CIRCA quartum, scilicet *vtrum licitum sit vendere vel emere spiritualibus annexa* dicendũ, quod aliquid potest esse spiritualibus annexũ dupliciter. *Vno modo* sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non cõpetit nisi habenti officium clericale. Vnde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus: & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelligitur etiam spiritualia venditioni subijci. *Quædam* autem sunt spiritualibus annexa, inquantũ ad spiritualia ordinantur, sicut ius patronatus, quod ordinatur ad præsentãdum clericos ad ecclesiastica beneficia: & vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum vsum, vnde huiusmodi non pręsupponunt spiritualia, sed magis ea, ordine temporis præcedunt: & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa.

Res spiritualibus annexa vendi non possũt inquãtum tales.

VNDE quia vasa sacra sunt spiritualibus annexa sicut fini, ideo eorum consecratio vendi non potest, tamen pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum, materia eorum vendi potest, dummodo pręmissa oratione prius confringantur, quia post confractionem non intelligũtur esse vasa sacra, sed purum metallum. Vnde si ex eadem materia similia vasa reintegrarentur, indigerent etiam consecrari.

Solutio obiect.

ITEM ius sepulturæ, ius patronatus, & ius primogenituræ secundum antiquos (quia primogeniti ante legem, sacerdotis officio fungebantur) & ius accipiẽdi decimas, spiritualibus annexa videntur: & ideo vẽdi vel emi non debent, quãtum ad illud quod spirituale est. Abraham autem emendo speluncam duplicem in sepulturam, sicut dicitur Gen. 22. non peccauit: quia non habetur, quod illa spelunca duplex esset terra consecrata ad sepeliendũ, & ideo licebat Abrahæ terrã illam emere ad vsum sepulturæ, vt ibi instituere sepulchrum: sicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad instituendum cæmeterium, vel etiam Ecclesiam, quia tamen apud Gentiles loca sepulturę deputata religiosa putabantur, si Ephrõ pro iure sepulturæ pretium intendit accipere, peccauit vendens, licet Abraham non peccauerit emens: quia non intendebat emere nisi communem terram, licet etiam nunc terram vbi quondã fuit Ecclesia vendere aut emere in casu necessitatis, sicut de materia vasorum sacrorũ dictum est. Vel excusatur Abraham, quia in hoc redemit suam vexationem, quamuis Ephron gratis ei sepulturã offerret; perpendit tamen Abraham, quod gratis accipere sine eius offensa non posset. *Ius autem* primogenituræ debebatur Iacob ex diuina electione: secundum illud Mal. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; & ideo

Excusatur Abrahã pro emptione sepulturæ.

Licet in casu necessitatis emere aut vendere terram vbi olim fuit ecclesia, sicut & materiam vasorum sacrorũ

Non licet aliquid acci-

Esau peccauit primogenituram vendens, Iacob autem non peccauit emens.

Esau peccauit primogenituram vendens. Iacob autem non peccauit emendo, quia intelligitur suam vexationem redemisse. Ius autem patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cum villa quæ venditur vel conceditur. Ius autē spirituale accipiēdo decimas non conceditur laicis, sed tantūmodo res tēporales quæ nomine decimæ dātur, vt supra dictū est.

Circa collationem vero beneficiorum sciendum, quod si Episcopus antequam beneficium offerret, ob aliquam causam ordinauerit aliquid subtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vsus expendendi, non est illicitum. Si vero ab eo cui beneficium offert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem est ac si aliud munus ab eo exigeret, & ideo non caret vitio symoniæ.

Circa quintum, scilicet *vtrum liceat dare spiritualia pro munere ab obsequio, vel à lingua*. dicendum quod nomine pecuniæ intelligitur omne illud cuius pretium pecunia potest mensurari. Manifestum est quod obsequium hominis ad aliquam vtilitatem ordinatur quæ potest pretio pecunię estimari, vnde & pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est dicendum, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo; ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium æstimari possit. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quęrendam, ordinatur ad aliquam vtilitatem quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur symonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu; ita etiam contrahitur per munus à lingua, vel ab obsequio.

Non licet dare spiritualia pro munere ab obsequio vel lingua.

Solutio obiect.

Vnde si aliquis clericus alicui prælato impēdat obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum, puta ad vtilitatem Ecclesiæ, & ministrorum eius auxilium, ex ipsa deuotione obsequij, redditur dignus ecclesiastico beneficio. Sicut dicit Greg. in registro. *Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, ecclesiastica dignum est administratione gaudere.* Si vero sit obsequium inhonestum, & ad carnalia ordinatum, puta quia seruiuit Prælato ad vtilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonij, vel ad aliquid aliud huiusmodi; esset munus ab obsequio, & est symoniacum.

Item si quis aliquid spirituale alicui confert gratis, propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita & carnalis collatio, non tamen symoniaca, quia nihil ibi accipitur, vnde hoc non pertinet ad contractum emptionis & venditionis, in quo fundatur symonia: Si tamen aliquis det alicui beneficium ecclesiasticum, hoc pacto vel intentione, vt inde suis consanguineis prouideat, est manifesta Symonia.

Quod munus à lingua.

Item sciendum quod munus à lingua dicitur, vel ipsa laus pertinens ad fauorem humanum, qui sub pretio cadit: vel etiam preces ex quibus acquiritur fauor humanus, vel contrarium euitatur, & ideo si aliquis principaliter ad hoc intendat, symoniam committit. Ad hoc autem videtur principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit; vnde ipsum factum est symoniacum. Si autem preces pro diguo porrigantur, ipsum factum non est symoniacum, quia subest debita causa, ex qua illi pro quo preces porriguntur spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse symonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad fauorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat vt obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. licite tamen potest aliquis si sit indigens, pro se ecclesiasticum beneficium petere, sine cura animarum.

Nemo debet pro se petere beneficiū habens curā animarum.

De pœna symoniaci.

DISTINCTIO XV.

Circa sextum sciendum, quod pœna symoniaci est, vt priuetur eo quod per symoniā acquisiuit, vnde 1. q. 1. c. *si quis Episcopus*. Qui ordinatus est, nihil ex ordinatione vel promotione, quæ est *per negotiationem facta, sibi proficiat; sed sit alienus à dignitate & solicitudine, quam per pecuniam acquisiuit*. Nullus enim potest licite retinere id quod contra voluntatem domini acquisiuit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui, daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui reciperet, licitè retinere non posset, dominus autem cuius Ecclesiarum prælati sunt dispensatoses & ministri, ordinauit vt spiritualia gratis darentur: secundum illud Math. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideo qui muneris interuentu spiritualia quæcunque assequitur, ea licite retinere non potest. Insuper autem symoniaci, tam vendentes quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, alijs pœnis puniuntur, scilicet infamia, depositione, si sint clerici: & excommunicatione, si sint laici; vt habetur 1. q. 1. c. *Si quis Episcopus*.

Pœna simoniaci est vt priuetur acquisito & insuper sit infamis & depositus.

Solutio obiect.

Vnde sciendum, quod ille qui simoniacè suscipit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, & quia quasi furtiuè recipit characterem contra principalem domini voluntatem, ideo est ipso iure suspensus: & quoad se, vt scilicet de executione sui ordinis non se intromittat: & quoad alios, vt scilicet nullus ei communicet in ordinis executione: siue sit peccatum eius publicum siue occultum: nec potest repetere pecuniam quam turpiter dedit, licet alius iniuste retineat. Si vero sit symoniacus, quia contulit ordinem symoniacè, vel quia dedit vel recepit beneficium symoniacè, vel fuerit mediator symoniæ: si est publicum, est ipso iure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios: si est occultum, est ipso iure suspensus quo ad se tantum, non autem quo ad alios.

Item nota, quod si ille qui Episcopatum symoniacè adeptus est, precipiat clerico sibi subdito quod ab eo recipiat ordines, non tenetur ei obedire: immo nec propter preceptum eius, nec propter excommunicationem Papæ, debet ordines recipere ab eo quem scit symoniacè promotum: & si recipit ordinem, non recipit ordinis executionem, etiamsi ignoraret eū esse symoniacum, sed indiget dispensatione: quamuis quidam dicant, quod si non potest probare eum esse symoniacum, debet obedire recipiendo ordinem, sed non debet exequi absque dispensatione, sed hoc absque ratione dicitur, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum sibi in facto illicito. Ille autem qui est ipso iure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios, illicite confert ordinem. Vnde nullus debet sibi communicare, recipiendo ab eo quacunque ex causa. Si autem non constat ei, non debet peccatum credere alterius, & ita cum bona cōsciētia debet ab eo ordinem recipere. Si autem Episcopus sit symoniacus alio modo, quā per promotionē sui symoniacè factam, potest ab eo recipere ordinem, si sit occultum: quia non est suspensus quo ad alios, sed solum quoad seipsum, vt dictum est.

Non licet quacunque ex causa recipere ordines ab episcopo simoniace promoto.

Item si quis aliquid spirituale symoniacè adeptus est, procurantibus alijs, ipso nec volente, nec sciente, nihilominus priuatur illo sic symoniacè procurato, cuius ratio est, quia quod aliquis priuetur eo quod accipit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque effectus acquisitionis iniustæ: puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest, & ideo si aliquis scienter & propria sponte accipiat symoniacè ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum priuatur eo quod accipit, vt scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam vlterius punitur, quia notatur infamia, & tenetur ad restituendos fructus, nō solum inde perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti, quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis qui alias expēsi

Qui inscius acquirit beneficium simoniacè eo nihilominus priuatur.

sunt

sunt in vtilitatem Ecclesiæ. Si vero eo nec volente nec sciente, per alios alicuius promotio symoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium quod est consecutus cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit: nisi forte inimicus eius frauduléter pecuniam daret pro alicuius promotione: vel nisi ipse expresse cõtradixerit: tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, soluendo quod fuit promissum.

ITEM si quis beneficium ecclesiasticum per symoniam est adeptus, si Prælatus & aliqui de collegio in symoniam consenserunt, cui restituendi sunt fructus inde percepti? non Prælato nec collegio illius Ecclesiæ vt videtur; quia non debent inde vtilitatem aliquã consequi, qui fuerunt symoniæ participes. Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus symoniacè recepti, debent restitui Ecclesiæ in cuius iniuriam data sunt; non obstante quod Prælatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa: quia eorum peccata non debent alijs nocere; ita tamen quod quantum fieri potest, ipsi qui peccauerunt, inde commodum non consequantur. Si vero Prælatus & totum collegium sunt in culpa, debet tunc auctoritate superioris, pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.

Res symoniacè adepta debet restitui ecclesiæ in cuius iniuriã est data, licet prælatus consenserit.

ITEM si aliqui symoniacè in aliquo monasterio sunt recepti, debent renunciare, & si eis scientibus cõmissa est symonia post Concilium generale, sine spe restitutionis de monasterio repelluntur; & ad agendam perpetuam pœnitentiã sunt in arctiori regula ponendi; vel in aliquo eiusdem ordinis, si arctior ordo non inueniretur. Si vero hoc fuit ante Concilium, debent in alijs locis eiusdem ordinis collocari; & si hoc fieri non potest, dispensatiuè debent in eisdem monasterijs recipi; ne in sæculo euagentur: mutatis tamen prioribus locis, & inferioribus assignatis. Si vero ipsis ignorantibus, siue ante Concilium, siue post, sint symoniacè recepti: postquam renunciauerunt, possunt de nouo recipi, locis mutatis, vt dictum est.

Simoniacè recepti in aliquo monasterio tenetur renunciare.

ITEM si aliquis ex sola voluntate vel intentione sit symoniacus, iste quoad Deum tãtum symoniacus est, cuius solius est de interioribus cordis motibus iudicare. Sed quoad exteriorem pœnam ecclesiasticam, non punitur vt symoniacus, vt renunciare beneficio teneatur, sed solum de mala intentione vel voluntate, pœnitere tenetur. *Item* nota, quod cum eo qui scienter est symoniacè beneficiatus, solus Papa dispensare potest. In alijs autem casibus potest etiam Episcopus dispensare, ita tamen quod prius abrenunciet, quod symoniacè acquisiuit, & tunc dispensationem consequatur, vel paruam, vt habeat laicam communionem; vel magnam, vt post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat: vel maiorem, vt remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus: vel maximam vt in eadem Ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat.

Simoniacus mere internus nõ punitur ab ecclesia.

Quis potest cum symoniaco dispẽsare.

ITEM multæ sunt aliæ pœnæ, quibus symoniaci iusto Dei iudicio puniuntur. *Primo* quidem, quia puniuntur grauibus & subitis infirmitatibus & iudicijs Dei, sicut patet de Alcimo, qui intrusus in summum sacerdotium per Demetrium 2. Mach. 7. Post multa eius flagitia, percussus est Paralysi, & obstrusum est os eius, &c. 2. Mach. 9. Item Iason emens sacerdotiũ ab Anthiocho, vt legitur 2. Mach. 4. de cuius cladibus & infortunio habetur 2. Mach. 4. & 5 vagus & profugus de ciuitate in ciuitatem, insepultus & inlamentatus abijcitur. De cladibus autẽ Anthiochi, qui vendidit ei, & Menelao, habetur 2. Mach. 9. Collisus est toto corpore de curru cadens, & quomodo carnes eius scaturiebant vermibus, & sanie, ita quod eius sanie totus exercitus grauaretur. Item 4. Reg. 5. Gyezi vendens domum suauitatis Naaman, lepra percussus est. *Secunda* pœna est, quia vincuntur turpiter, & ad infortunium magnum reducuntur, vt patet de dicto Antioco. Mach. 8. & 9. Item 11. Lysias procurator & præ-

Simoniacus multis modis à Deo puniũtur.

positus negotiorum Anthiochi, venit contra Hierusalem, existimans se facturum eam habitaculum gentium, & templum sibi conuertere in pecuniarum quæstum, & per singulos annos constituere venale sacerdotium: quem confisum in multitudine peditum & equitum & Elephantorum, vicit Iudas Machabæus, equite cœlesti sibi & suis apparente, prosternens de suis mille sexcentos equites, & peditum 11. millia: Lysias autem victus, cum residuis turpiter fugit. *Tertio* sunt maledicti, vt Gyezi ab Helyseo, qui maledictionem incurrit. De depositione eorũ ab officio, & beneficio, & excommunicatione, & restitutione acquisiti per symoniam, & qui debent trudi in monasterijs, & de infamia symoniacorum, habetur in summa de casibus 1. lib. 1. tit. *de pœna symoniacorum*, & in decretis causa. 1. q. 1. in pluribus locis.

MORI etiã consueuerunt morte detestabili, & percuti plagis ignominiosis: quod patet in veteri & nouo testamẽto, in eis qui hoc fuerũt vitio denotati. 4. Reg. 4. & 5. Gyesi cum opprobrio lepræ moritur, plagę suæ hæredes suos successores reliquit. *Item* 2. Mach. 14. Alcimus offerens Demetrio coronam auream & palmã, obtinuit sacerdotium: qui post multa flagitia sua paralisi percussus obmutuit, intestatus mortuus. 2. Mach. 7. Demetrius autem cum exercitu suo, qui eum per munera intruserat in summum sacerdotium, ab Alexandro cum exercitu suo victus est, & occisus gladio. 2. Mach. 10. *Item* 2. Mach. 4. Iason emens sacerdotiũ summum ab Anthiocho, post multa sua flagitia fugatur in alienam terram, priuatus sacerdotio, profugus inlamentatus moritur turpiter. 2. Mach. 5. *Itẽ* 2. Mach. 4. Menelaus supplantans Iasonem, & emẽs ab Antiocho sacerdotium, qui propter flagitia sua accusatur, præcipitatus est de summo turris in cineres, vt legitur 2. Mach. 13. Et dicitur ibi, *Qui multa contra aram Dei commiserat, cuius ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.*

Simoniaci solent mori morte detestabili.

Exempla.

IN nouo etiam testamento, Iudas vendens Dominum, manibus proprijs se suspendens, crepuit medius. *Simon* etiã Magus, vt dicitur in passione B. Petri, à dæmonibus oratione Apostolorum præcipitatus & attritus est, & vt dicit Aegysippus in li. de cladibus Iudæorum, ita mortuus est, quod cum adhuc viueret, fractis cruribus, & corpore contritus: & vellent eum populi Romani occidere, impediuit Petrus dicẽs. Smite Magum, vt contabescens, videat aliquamdiu regnum Dei crescere, eo inuito. Sic, vt ibi dicitur, extra vrbem deportatus, in agello aliquamdiu vixit, contabescens inuidia & doloribus, languore & malitia. *Item* in vita S. Præiecti legitur, quod cum mortuo Alumnorum Episcopo, eligeretur S. Præiectus ab omnibus, quidam Archidiaconus datis muneribus intrusus est per violẽtiam maiorum, & 40. die turpiter est defunctus. *Item* dial. lib. 3. dicit Greg. quod Episcopus Brixiæ Valerianum patritium sepeliuit, prætio accepto, in Ecclesia B. Faustini martyris: qui apparuit custodi Ecclesiæ suæ dicens, quod iret ad Episcopum prædictum, dicens, quod de Ecclesia sua remoueret carnes fætentes, quas ibi posuerat, quod si non fecerit, die 30. morietur: qui hoc timuit Episcopo reuelare, Admonitus secundo, vnde cum dictus Episcopus sanus & incolumis intrasset lectum, subita & inopinata morte, die 30. mortuus est. Quàm graue sit vitium symoniæ patet ex supra dictis exemplis veteris testamenti, tunc cum non esset tantum peccatum vendere vel emere figuram, in qua non dabatur Spiritussanctus, vt est vendere verum sacramentum tempore gratiæ: antiquum enim sacerdotium figura fuit sacerdotij nouæ legis & sacramenta veteris legis solum vmbra nouorum.

Exempla.

ITEM in Ecclesiastica Historia c 30. legitur de quodam Natali nomine, qui postquam multa sustinuisset tormenta pro fidei confessione, deceptus ab hæreticis, Christum puram credidit creaturam: emitque dato prætio, vt fieret eorum Episcopus, qui admonitus à domino sæpe vt desisteret ab illa pernicioſa ambitio-

Exemplum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ne, & nollet; flagellatus eſt ab Angelis vſque ad mortem grauibus plagis. in mane induit ſe cilicio,& cinere ſe conſpergens,ad pedes Zepherini Papæ prouolutus,& clericorum,& laicorum; oſtendens etiam cicatrices quas pro fide pertulerat,vix eſt tandem ad communionem receptus. *Vltimo* autem punientur pœna æterna, iuxta quod dictum eſt Simoni Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. De his habent exempla ſupra *de pœna & acerbitate inferni*, de ſacerdote quem dæmones ponebant in morte, ad frigendum in ſartagine. Item de pœna Purgatorij, de milite qui accepit pecuniam à clerico pro Eccleſia. Item de Abbate in fonte, & de acerbitate pœnæ Purgatorij.

Quam deteſtandum ſit crimen ſimoniæ.

DISTINCTIO XVI.

Crimen ſimonia eſt maxime deteſtandum propter quatuor.

CIRCA ſeptimum ſciendum, quod crimen ſimoniæ deteſtandum eſt multiplici ratione. Primo, quia culpa grauiſſima. Secundo, propter damna permaxima. Tertio, quia cura difficilis. Quarto, quia finis horribilis.

1 Quia eſt culpa grauiſſima quippe quæ multiplicem Deo infert contumeliam.

PRIMO quidem deteſtandum eſt crimen ſimoniæ, quaſi culpa grauiſſima; hoc enim flagitium omnia peccata videtur excedere. ait enim Paſchalis Papa, omnia peccata ſiue crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis, pro nihilo computamus. ecce quod ſimonia, hæreſis appellatur; & ſimoniacus à ſanctis hæreticus reputatur: quia etſi Deum ſumme bonum fatetur verbo, tamen vilißimum reputat eum facto, conſtituens eum venalem vili pretio. Item Greg. in regiſtro. Presbyter ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, non ſolũ Eccleſia, ſed honore ſacerdotali priuetur; quia altare, decimas,& Spiritum ſanctum vendere vel emere, ſimoniacam hęreſim eſſe, nullus fidelium ignorat.

RECTE autem omnia peccata ſimoniæ comparata pro nihilo computantur, propter multiplicem contumeliam & contemptum quem ſimoniacus infert Deo. *Primo*, quia Spiritum ſanctum, patri, & filio coęqualem, venalem exponit, quaſi ſeruum, vel iumentum vilißimum. vnde ſuper illud Ioan. 2. CATHEDRAS VENDENTIVM COLVMBAS. Dicit Gl. quod *per columbam intelligitur Spiritus ſanctus*. Item corpus Chriſti vendunt cum Iuda, non ſolum ſemel, ſed quandoque milleſies; non mortale & humile, ſed in ſtatu immortalitatis & gloriæ exiſtens; non in terris ambulantem vendunt Chriſtum, non in ſtatu ſerui, ſed regis. Iudas pœnitentia ductus reſtituit, iſti non poſſunt ad hoc induci. *Secundum* dedecus eſt, quia Deum largiſſimum & liberaliſſimũ datorem, eſtimant reuenditorem, quod eſt magnum dedecus ſummo Regi. Act. 8. *Exiſtimaſti donum Dei cum pecunia poſsideri*, dixit Petrus Simoni Mago. *Tertium* eſt, quia donum Dei contemnunt; quia vilißimo pretio exponunt illud, quo poteſt emi regnum æternum. Porci ſunt, qui Margaritas conculcant & contemnunt. *Quartum* eſt, quia oſtium Eccleſiæ occupant, ne aliquis ingrediatur niſi per eos, & ſe faciunt quaſi oſtia Eccleſiæ, vt iam non ſit Chriſtus oſtiarius, ſed Simon Magus, non Simon Petrus, cui Chriſtus claues Eccleſiæ tradidit. *Quinto* procurat ſimonia, vt ſponſa Chriſti grauida ſit de adulterio, non habens in vtero de Spiritu ſancto cum Maria. Matth. 1. *Sexto*, hæc ſpecies auaritiæ non ſolum de idolo facit Deum ſuum, ſed Deum ſuum immolat idolo auaritiæ, quod fit cum miſſam celebrat cauſa auaritiæ. *Septimo*, quia iſtud vitium nulli loco, nulli perſonę parcit. Alia peccata ſanctitati deferunt, vt fornicatio & adulterium, quæ abhorrent altaria, & Eccleſias; hoc iuxta filium virginis ponit idolum cupiditatis: hoc non defert Deo, nec Angelis, nec diuinis officiis, & ſacrificiis, quorum præſentiam dæmones timent & tremunt. Item ſacramenta, quæ Chriſtus ſtatuit in ſanctificationem, conuertit ſimonia in execrationem. Item ſimoniacus, bona Dei manibus ſacrilegis tanquam fur contrectat, inuito Domino, de quibus deberent refici eius filij.

Zelus Chriſti & Sãctorum contra hoc vitium.

ENORMITATEM huius flagitij ſatis euidenter oſtẽdit feruentiſſimus zelus Chriſti & ſanctorum, contra hoc vitium. Legitur enim Ioan. 2. quod Dominus facto flagello de funiculis, cum violentia & verberibus, euertendo mẽſas nummulariorum, & æs effundendo, & cathedras vendentium & ementium ſubuertendo, eiecit eos de templo. Contra nullos alios videtur Dominus conuerſans in terris, tantam violentiam manuũ exercuiſſe, vocans templum ab eis factum ſpeluncam latronum. Bern. ad Eugenium Papam. *Non parat Dominus aures vt audiat, ſed flagellum quo feriat; nec enim ſedet iudicans, ſed inſequitur vindicans: nec cauſam tacet, ſed exhibet, dicens;* VOS FECISTIS DOMVM PATRIS MEI DOMVM NEGOTIATIONIS, ET SPELVNCAM LATRONVM; *tu ergo fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum huiuſmodi negotiatores, timeant te nummularij huiuſmodi, & in nummis ſuis nõ confidant, ſed diffidant; & abſcondentes ſuum àte, ſcientes te effundere pariorem, quam accipere.* zelum magnum contra ſimoniam oſtendit ſe habere Eliſęus maledicendo Gyezi. 4. Reg. 5. & Petrus maledicendo Simoni Mago Act. 8. Zelus Eccleſię & ſanctorum patrum contra hoc vitium patet ſcienti iura canonica, quæ maximè inuehunt contra hoc vitium. Dec. Greg. *Quiſquis contra ſimoniacorum neophitorum crimen pro officij ſui loco vehementer non arſerit, cum eo ſe non dubitet habiturum portionem, qui prius commiſit hoc piaculare flagitium?* cauſa 1. q. 1.

2 Quia infert damna permaxima ſubiecto proprio, Deo, & eccleſiæ.

SECVNDO ſimoniæ crimen deteſtandum oſtendunt damna permaxima, quæ infert tam ſubiecto proprio, quam Deo, & Eccleſiæ Dei. *Subiecto* quidem proprio, quia ſimoniacum pręcipitat in multa & horrenda flagitia. Eſt enim ſimoniacus, fur & latro. Ioan. 10. *Qui non intrat per oſtium; ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Super illud Matth. 11. VOS FECISTIS EAM SPELVNCAM LATRONVM. Dicit Gl. *Latro eſt qui lucra ſectatur, qui non dantes corporaliter perſequitur, & dantes ſpiritualiter necat; & dum læſionem proximi cogitat, quaſi latro ſedet in ſpelunca.* Sacrilegus etiam eſt, quia circa ſacra latrocinium ſuũ exercet. Si ſacrilegus dicitur qui furatur & male capit calicem, multo fortius qui totam Eccleſiam cum aliis quæ ad eam pertinent. patet per Alcimum, quod ſacrilegus ſit ſimoniacus, qui per violentiam Demetrij rapuit ſummum ſacerdotium; qui intruſus per Bacchidem in Ieruſalem, maximam ſtragem ſanctorum fecit, ſicut ſcriptum eſt. *Carnem ſanctorum, & ſanguinem effuderunt in circuitu Ieruſalem*, &c. 2. Mach. 7 Item eiuſdem 9. *Cum Alcimus prœcepiſſet deſtrui murum domus ſanctæ, & opera Prophetarum, percuſſus eſt paraliſi, & obſtruſum eſt os eius, & mortuus eſt.*

Simonia perducit ad maxima flagitia, ſcilicet ad furtum, ſacrilegiũ, perditionẽ &c.

ITEM ad quanta facinora adducat ſimonia, patet 2. Mach. 4. per exemplum Iaſonis, qui cum emiſſet ab Antiocho ſummum ſacerdotium, intruſus per eum in illud, cœpit trahere ſtatim contribules ſuos ad ritus gẽtiles, & iura legitima deſtituens, praua inſtituta ſanciebat, ſub ipſa arce gymnaſium conſtituit, & optimos Epheborum in lupanaribus poſuit: de cuius ſceleribus multa leguntur 2. Macha. 4. & 5. Similiter & de ambitione Menelai, & emptione ſummi ſacerdotij, & ſceleribus eius 2. Mach. 4. & 5. *Item* Iudas vendens pretio Dominum, ex hoc cecidit in crimen furti, ſacrilegij, proditionis, deſperationis, ſuſpenſionis, & occiſionis ſuiipſius. Simon Magus, vt dicitur Act. 8. qui credens & baptizatus adhęrebat Apoſtolis, ex quo obtulit pecuniam pro miraculis faciendis, & vt ad impoſitionem manuum ſuarum daretur Spiritus ſanctus, Maledictionem Petri ſuſcipiens, in infinita cecidit ſcelera, & de Chriſtiano factus eſt maximus Chriſti & ſuorum perſecutor. & ſatis videtur quod non debeat aliquod ſcelus ad perpetrandum abhorrere, qui Spiritus ſancti vel donorum eius, negotiator ſacrilegus fieri non abhorret.

Exempla.

ITEM damnum infert ſimoniaco, quia nec oblationes, nec preces, nec etiam ſacramenta ſunt ei ſalutifera, nec gratiam conferunt, ſed potius mortem, & omnibus ſcienter ea recipientibus ab eodem. Eccl. 34. *Dona*

Simonia facit vt preces & ſacramẽta non proſint.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iniquorum non probat altissimus, & Greg. 1. q. 1. *Non est putanda eleemosyna quæ ex illicitis rebus acquiritur, quia qui malè accipit vt bene dispenset, grauatur potius quã iuuatur*, &c. Et post. *Perpendamus quantus dolor patri sit, cum in conspectu eius filius victimatur, & agnoscemus quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur*, nimis ergo est declinandum sub obtentu eleemosynæ, peccata symoniacæ hæreseos perpetrare.

Simonia dãna infert Ecclesiæ, filios Dei exhæredando, & filios diaboli instituendo &c.

ITEM Ecclesiæ Dei infert damna permaxima, primo quia à patrimonio Christi filios suos exhæredat, & in ea filios Diaboli hæredes instituit. Excludit ab ouili, vel non admittit pastores bonos, & canes prædicatores; introducit autem lupos, ouium Christi peremptores, & excoriatores. *Item* eis vtitur symonia ad hominum inquinationem, & perditionem; quæ Christus instituit ad hominum mundationem, & salutem. *Item* ad cubile sponsæ Christi introducit corruptores, qui filios spurios generant, quos filios sponsi nominãt, & eos faciunt sponsam nutrire, & hæredes esse in bonis. *Item* Symoniaci domum Dei faciunt speluncam latronum, quos destruunt principes sęculares, deteriores Herode Aschalonita, de quo dicit Ægysippus lib. 1. de cladibus Iudęorum, quod factus Rex, speluncas latronum perscrutabatur, & eos ab eis ejciens extirpabat, in quo multum eum commendat.

Simoniaci faciũt ecclesiam domũ idololatriæ.

ITEM domum Dei non solum faciunt speluncam latronum, immo domũ idololatriæ. Oseę 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui: argentum suum & aurum sibi idola fecerunt*, cum vt dicitur Isa 34. *Erit cubile draconum*, cum flamiuomi & venenosi mediante pecunia introducuntur, *pascua struthionum*, cum hypocritæ ibi foueam habent, &c. monstra quæ sequuntur habitant ibi, cum auari, luxuriosi, negligentes, & immisericordes, pretio & violentia introducũtur in Ecclesia Dei, qui benè foderet cum Ezechiele templi parietem, videre posset templum animalibus immundis, reptibilibus, & idolis plenum, quales sunt illi qui habent symoniacum ingressum. Sunt enim animalia immunda per luxuriam, reptilia per auaritiam, ad terram pectore & ventre reptando, vt idola sculpti & ornati per superbiam, & cęci per ignorantiam. *Item* symoniaci spiritum vitæ vel vitalem Ecclesiæ auferunt dum emunt eum ad vendendum; similes Symoni Mago de quo dicit glo. supra Act. 7. *Symon Spiritum sanctum volebat emere, vt cum alijs plus posset vendere.*

ITEM infideliter agunt contra Christum. Ber. *Qui infideliter intrat, & non per christum, quod nisi infideliter agit, & contra Christum, Christus non conducit eum, nec ipse cognoscit eum. Similis Petro, qui introductus in atrium Principis sacerdotum per ancillam ostiariam, dicit se non cognouisse Christum: hos ancilla introducit, quos carnalitas intraducit. Item* damnificat Ecclesiam, quam partus monstruosos parere facit pro filijs legitimis; generat monstra, talpas; quando auaros in terris cæcos, qui nihil sciunt, aut loqui, aut amare, nisi terrena; asinos corruptos & sine sensu, quando Episcopos rudes & insćios; serpentes, quando dolosos & malitiosos.

Quia cura eius nimis est difficilis, adeo vt vix possit ista pestis curari.

TERTIO symoniaca pestis est summopere detestãda, quia cura eius nimis est difficilis; vix enim curari potest morbus iste pestifer; primo propter magnitudinem peccati, quia abutitur Spiritu sancto, & eius gratia, per quam fit curatio peccatorum. Secundo, quia oportet beneficia resignari, & omnia per symoniam acquisita restitui, quod est quasi impossibile cupido possessori. Simoniaci sunt quasi piscis captus in nassa Diaboli, quasi vnum pedem habentes in inferno; vnde nisi caueant sibi cito, cadent in infernum. Eccl. 4. *Custodi pedem tuum, ingrediens in domum Domini, attende ad introitum & exitum tuum*, ad hoc pertinet quod dicitur Hiere 17. *Peccatum Iuda*, id est clericorum symoniacorum, qui deberent laudare Deum, *scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino*, quod est quasi indelebile. *Item* Act. 8. Dixit Petrus Symoni Mago. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, si forte remittatur tibi*, &c. *Video enim te in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis. Quarto* symoniam detestandam ostendit finis eis horribilis, quia symoniaci communiter morte pessima moriuntur, sicut satis patet ex supra dictis.

4 *Quia finis horũ est horribilis vt supra dictũ est.*

De speciebus symoniæ.

DISTINCTIO XVII.

CIRCA octauum, scilicet, de aliquibus symonię speciebus; sciendum quod septem sunt specialiter per quę spiritualia malè acquiruntur.

Septẽ modis spiritualia male acquiruntur.

PRIMO male acquiruntur mediante pecunia, vt voluit facere Symon Magus. Act. 8. *Videns Symon quod per impositionem manuum daretur sanctus Spiritus, obtulit pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque manus imposuero, recipiat Spiritum sanctum. Cui Petrus ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Item 3. Reg. 13. *Quicunque volebat implebat manum suam, & fiebat presbyter excelsorum; & propter hoc peccauit Ieroboam, & domus eius, & euersa est. & deleta de superficie terræ.* Quod maculata & respuenda sit pecunia oblata pro emendis spiritualibus, patet per quoddam exemplum, quod legitur in vita B. Iohannis eleemosynarij, vbi dicitur.

1 *Mediante pecunia.*

CVM maxima multitudo pauperum Persas fugiens, venisset apud Alexandriam, & dictus Iohannes summam curam haberet de eis pascendis; cum esset ibi maxima caristia alimentorum, propter defectum Nyli, qui non irrigauerat terram more solito, & ipse quidquid habere poterat eis erogasset, & mutuo accepisset multas pecunias, & annonam, nec alterius mutuum inueniret; videns afflictionem sui populi, clericus quidam bigamus offerens ei pro nutritione pauperum, frumenti ducenta millia modia, & auri centum libras & octoginta, tantummodo vt eum diaconum ordinaret, vt ministrans mereretur suorum remissionem cõsequi peccatorum; ait ei, oblationem immundam non esse recipiendam in sacrificio. *Non enim*, vt dixit Petrus Symoni, Act. 8. *est tibi portio, neque hæreditas in parte hac*; pauperes autem suos potest pascere Deus, qui fecit illos. Qui cum abijsset confusus; venit ei nũcius dicens, quod duæ naues maximæ venerant ei de Cicilia oneratæ frumento, pro quo magnificè domino gratias referebat.

Exemplum.

SECVNDO male acquiruntur pretio linguæ adulationis. Ps. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*: dicit Ecclesia de Prælato, quia est caput eius. Hoc oleum maledictum penetrat ossa eorum, qui dant causa adulationis, vel acquirunt spiritualia; cum quo oleo intrat in eis Dei maledictio. Ordinatus symoniacè *induit maledictionem sicut vestimentum*, ideſt cum sacrum indumentum induit cum quo ordinatur, vel celebrat. Sic intrauit Absalon in regnum, in quo male succesſit ei, acquirens sibi suspendium. 3. Reg. 14. *Stabat iuxta introitum portæ ciuitatis, & omnem virum qui habebat iudicium ad regem, vocabat* ad se, quærens quare venerat, & vnde erat; & dicebat: *Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui audiat tè. Quis me constituat iudicem super terram, & iuste iudicem, & cum aliquis salutaret eum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Sic faciebat omni Israeli, qui veniebant ad regem ad iudicium, & per hoc sollicitans corda virorum contra patrem suum, promotus est in regnum. Item* alij promouentur lingua, id est precibus carnalibus interuenientibus. Ad detestationem huius dixit dominus matri, non admittens carnales eius preces de vino faciendo. *Quid mihi & tibi est mulier?* Io. 2. Item Math. 20. non admisit dominus preces matris filiorum Zebedæi dum pro filijs, consanguineis suis petebat; *dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, & alius ad sinistram, in regno tuo, quibus ait: Nescitis quid petatis*, &c. *Sedere ad dexteram & sinistram non est meum dare vobis*, his precibus.

2 *Pretio lingua adulationis.*

TERTIVM quo male acquiruntur, est indebitum obsequium, vt cum quis ad hoc facit opus indebitum, vel obsequiũ manuale, vel alio modo, quod est inho nestum

3 *Indebito obsequio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

neſtum. Bern. *Circuit ſedulus explorator, ſequitur, obſequitur, blanditur, mentitur, ſimulat, diſſimulatur, manibus & pedibus repens, ſi modo quoquo ſe ingerat in patrocinium crucifixi.*

4. Carnali amore.

QVARTO acquirũtur malè ſpiritualia, quando habetur oculus ad carnalẽ amorem, cum dãtur parentibus quia attinent, vel cum conatur vel laborat quis, vt ea obtineant, non habito reſpectu ad merita perſonæ. qui hoc faciunt ſimiles ſunt, de quo Iudicum 17. *Impleuit Michæas manus vnius filiorum ſuorum, & factus eſt ei ſacerdos*, caro & ſanguis reuelat eis, & ideo maledicti ſunt. Sicut Symon Bariona econtrario benedictus, cui caro & ſanguis non reuelauit, ſed ſpiritus patris cæleſtis. Matth. 17. ideo dicitur, Abacuc. 2. *Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate*, quod faciunt qui in capitulis nepotes ſuos ponunt, vt ſuam faciant de eis voluntatem. *Dicebat* Epiſcopus Guilielmus Par. quod aliqui quando veniunt ad capitula, veniunt quaſi gallina pullinaria; quia ad modum pullorum currunt poſt eos eorum nepotuli, & clamant poſt eos, voces & voluntates eorum ſequendo, quocunque ſe vertant. Similiter & alij conſanguinei. *Item* dicebat idem, quod viri ſpirituales intrantes capitula ſæcularium, intrant quaſi carneria mortuorum, vbi non ſunt oſſa, ideſt viri oſſei, ſed caro corrupta, id eſt carnales; qui ibi habent ingreſſum per carnem, id eſt carnis conſanguinitatem, quando vnus conſentit in promotionem conſanguinei alterius. Iſai. 34. *ibi foueam habuit ericius*, homo aſper, & porcinus, viuens in delicijs, & onerans ſe vt ericius pomis, bonis ſcilicet eccleſiaſticis; *ibi nutriuit catulos ſuos, & circumfodit in vmbra eius*, quod fit quando ſub vmbra eorum, conſanguinei obtinent beneficia eccleſiaſtica, & terrena bona; *ibi congregati ſunt milui* molles carne, *alter ad alterum*, clamabit in promotionem ſibi ſimilis.

Simile.

Exempla.

QVIDAM Epiſcopus qui nepotulo ſuo dederat magnum Archidiaconatum, cum deportatus eſſet dicto Epiſcopo calatus pirorum, & de eis dediſſet circunſtantibus: quæſiuit qui bene ſeruaret ei reſiduum, obtulit ſe ad hoc dictus Archidiaconus: reſpondit Epiſcopus: Tu faceres mihi malam cuſtodiam, ſicut cactus faceret de caſeo, ea enim comederes, & dixit quidam magiſter qui comedebat cum eo. O miſer, quomodo auſus fuiſti ei committere tantam multitudinem animarum, qui non es auſus committere paucitatem pirorum. Contra quos eſt, quod dominus non commiſit Iohanni, inter cæteros magis dilecto, tali, & tanto, curam Eccleſiæ generalem, ſed Petro: qui nihil ei pertinebat, qui plus cęteris Deum amabat: dicens ei Iohan. 22. in fine. *Paſce oues meas, & agnos*, & Math. 17. *Tibi dabo claues regni cælorum*, Sed matrem ſuam dimiſit Iohanni, carnem carni. Item Act. 1. *Prælegit Matthiam ad Apoſtolatum Ioſeph conſanguineo ſuo.*

Qui promouẽt amicos carnales ſæpe flagellantur ab eis.

ITEM ſæpe accidit, quod qui promouent amicos carnales intuitu carnis, eligunt ſibi flagellum, Deo procurante, vt accidit viris Sychem, qui elegerunt, & promouerunt Abimelech in regem. Iud. 9. *Conſiderate ait, quia os veſtrum ſum, & caro veſtra*, ipſi autem ad hoc inclinati, eum regem conſtituerunt, qui conuerſus eſt eis in rhannum, iuxta parabolam quam propoſuit eis Ionathas frater eius, qui cum deteſtarentur ſcelera eius, & ponerent ei inſidias, ipſe ciuitatem eorum deſtruxit, ſal in ea ſeminans, & habitatores occidit, turrem eorum cum eis ſuccendit. Ad vltimum, ipſe à muliere alterius turris fragmine percuſſus, excerebratus, turpiter occiſus eſt.

5 *Vi aut precibus.*

QVINTO malè acquiruntur, quando per vim, vel preces, aut minas magnatum acquiruntur. Ab hoc peccato debet cohibere grauis culpa, quæ eſt ſic intrando: quia tales intrant cum oſtio fracto Eccleſiæ, & ſponſam Chriſti violenter proſtituunt, & Spiritum-ſanctum, qui benignus cuſtos ſponſæ eſt, expellunt à domo. *Item* ſummum regem grauiter offendunt, quia filiam eius eo inuito capiunt, ideſt Eccleſiam. Sichem filius Emor Dinam rapiendo, offendit Iacob patrem, & filios Iſrael fratres, quod ei & ſuis fuit cauſa mortis. Gen. 34. *Item* ex maxima huius peccati pæna, apparet quam grauis ſit & grandis culpa. Augu. *Quis dubitat grauius eſſe commiſſum, quod grauius eſt punitum.* Punitur autem hoc peccatum exuſtione, & terræ abſorptione, vt patet numeri 16. de Chore & ſuis. *Item* lepræ percuſſione & eiectione: vt patet de Ozia. 3. Reg. 16. qui violenter intrabat templum, volens vſurpare ſummum ſacerdotum officium & punitur paraliſis percuſſione. Item patet de Alcimo 2. Mach. 8. qui per violentiam Demetrij obtinuit ſummum ſacerdotium. *Item* Menelaus præcipitatione, qui intruſus eſt per violentiam Antiochi, de quo dicitur 2. Mach. 4. *Acceptis à rege mandatis, venit nihil d gnum habens ſacerdotio.*

Intruſio in eccleſiam per magnates ſolet grauiſſime puniri.

IDEO dicitur Heb. 6. *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tãquam Aaron*; qui eligitur in teſtimonio virgæ florentis, frondentis, fructificantis, ſcilicet iuſtitiæ, quod eſt quando vocatur per miraculum, voce lapſa de cælo, vt Paulus Act. 17. & dominus Math. 3. & Io. 10. *Hic eſt filius meus dilectus.* Et Io. 27. vel per columbam, vt Fabianus Papa: vel ſancti Spiritus vel Dei denominationem, vt Apoſtoli, Matthæi 12. vel per inſpirationem, vt Dauid à Samuele, dicente ſibi Deo. *Ipſe eſt, ſurge vnge eum.* 2. Reg. 16. Item alius modus eſt eligendi per ſortem. Act. 1. ſic electus eſt Mathias. Item alia electio eſt canonica, per communem inſpirationem, vel ſcrutinium, vel compromiſſionem. Plurimæ electiones ſunt hodie diabolicæ magis quam canonicæ: quia in pluribus locis, ſunt plures viri diabolici, quam canonici, ideſt regulares: facientes plus voluntate diaboli, quam Dei. Ideo plus inſpirat eis communiter diabolus, quam Deus: quando mali plus compromittunt in ſibi conuenientes, & conſentiunt in eis, quam in alijs. Eccl 13. *Omne animal diligit ſibi ſimile.* Iſa. 7, *Apprehendet vir fratrem ſuum, domeſticum patris ſui dicens: veſtimentum tibi eſt, eſto princeps noſter.*

Electio fit variis modis.

SEXTO modo malè acquiruntur ſpiritualia, quando propter fauorem magnatum dantur indignis, eis procurantibus. Eccl. 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à principe, neque à rege cathedram honoris.* Sicut fecerunt Alcimus, Iaſon, & Menelaus, qui ob fauorem regum, & violentiam, ſunt introducti in Ieruſalem, qui ob fauorem populi, vel timorem, indignos promouent, ſimiles ſunt Aaron, qui vel timore, vel fauore populi, fecit eis vitulum conflatilem quem adorarent, quod faciunt qui fauore vano, hominem carnalem, inſcium, laſciuum, & ſuperbum, promouent ad dignitates Eccleſiæ, homines animales, ſpiritum Dei non habentes.

6 *Fauore magnatum.*

SEPTIMO male acquirunt ſpiritualia, qui acquirunt ea per dolum, & fraudulentiam. 2. Mach. 8. *Alcimus, de quo dicebant: venit vir de ſemine Aaron, non decipiet vos, locutus eſt verba pacifica in dolo, & crediderunt, & receperunt eum in ſummum ſacerdotem*: qui tamen receptus cito occidit eos. Similiter Abimelech Sychimitæ. Iud. 9. quos occidit, vt dictum eſt.

7 *Dolo & fraudulentia.*

SCIENDVM eſt autem quod decem ſunt, quæ vendunt aut emunt ſymoniaci. *Primum* autem quod vendunt aut emunt, eſt ordo religioſæ & regularis ſocietatis. Qui enim ſymoniacè intrant religionem ſcienter, aut beneficium canonicum, ſe Diabolo obligant, & mortem animabus ſuis emunt niſi reſignent; faciunt contumeliam Deo, & omnibus ſanctis, & omnibus bonis eorum iniuriam, & Eccleſiæ Dei, qui emunt hanc ſocietatem, vel vendunt; cum ipſa ſit communio ſanctorum, quæ omnibus ſanctis communicat bona ſpiritualia, quæ ſunt communia toti ſanctorum communitati. Qui autem ſocietatem bonorum vendit vel emit, cum ſit communis omnium, omnes offendit: quia quod ſuum eſt, eis inuitis emit. Iac. 2. *qui offendit in vno factus eſt omnium reus. Item* cum ſpiritualis ſocietas ſunt omnes ſancti, qui emit ſocietatem ſpiritualem vel vendit, quantum in ſe eſt, non ſolum vt

Decem ſunt quæ à ſimoniacis emuntur aut venduntur.

1 *Ordo religioſa ſocietatis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iudas proditor & Iudæi vendit Christum vel emit, sed quod longe plus est, Christum & omnes sanctos, & totam Ecclesiam, & bona eorum, quæ sibi videtur appropriare, qui ea vendit vel emit: ideo quia communio sanctorum est, communicari debent gratis, nec possũt esse nisi communia spiritualia bona. Sicut dicitur in Ps. 33. *Inquirentes dominum non minuentur omni bono.* Item vt legitur Eccl 10. *Qui offendit in vno, multa bona perdet.* Ideo qui hoc facit, videtur plus Deum offendere & sanctos, quam Iudas vel Iudæi, qui solum Christum emerunt, quem Iudas vendidit. *Item* cum communio Ecclesiæ sit sicut charitas, cementum, & vinculum, & omnia bona simul iungit, videtur quantum in se est omnia bona dissoluere, & ecclesiam præcipitare, dissoluto cemento. Col. 3. *Charitas est vinculum perfectionis.* *Item* qui emit societatem Ecclesię, emit fraternitatem quę est charitas, quæ est impretiabilis: quæ vt dicitur. Sap. 7. *pretiosior est cunctis opibus*, &c. Can. 8. *Si dederit homo substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, in comparatione dilectionis, nihil est quod dari potest: & qui ponit eam sub pretio, despiciet quasi nihil quicquid temporale potest dari ad eius comparationem.

2 *Sepultura mortuorum.*

Secvndvm quod male venditur est sepultura mortuorum, quam qui vendit, requiem eorũ vendit. Contra quod scriptum est. *Corpora sanctorũ in pace sepulta sũt*, &c. Vnde requie æterna debet priuari, iuxta Ezech. 7. *Qui vendiderit, ad id quod vendidit non reuertetur.* Sacerdoti cantanti pro tali missam, & requiem æternam, potest dicere dominus, requiem non habebit, quia eam vendidit. *Item* iniuriam facit domino, & eis quibus vẽdidit, qui emit pretio passionis suæ sepulturã peregrinorum. Crudelior videtur Iudæis & crucifixoribus domini, qui de pretio venditionis emerunt agrum in sepulturam peregrinorum, vbi gratis sepelirentur. *Item* vendunt eis quod suum est, quod pater eorũ Christus eis emit. Extorquent aliqui sacerdotes à mortuis pretiũ, quod Iudas reddidit de venditione, de quibus est Haceldemach emptus, in hoc crudeliores Iuda & Iudæis. *Item* huiusmodi sunt crudeliores Pilato, qui corpus viuum tradidit crucifigendum, mortuum libere tradidit sepeliendum Ioseph. *Item* sunt similes Lamijs, quę sæuiunt in sepultis corporibus, crudeliores sunt filijs Heth, & magis immisericordes, qui dixerunt Abrahæ: In electis sepulchris nostris sepeli mortuum, nullus te prohibere poterit. Gen. 21.

Exempla.

Ad fugillationem malitiæ exigentium pro sepulturis, dicebat magister Iacobus, quod cum mater cuiusdam pauperis Lotharingici, Iacobi nomine, mortua esset, nolebat eam sacerdos suus sepelire, nisi daret ei pecuniam, quam non habebat. Ille autem corpus matris in sacco ponens, portauit ad domum sacerdotis, ponens eum super lectum eius: dicens sacerdoti quod apportauerat ei pro vadio telam in sacco, & filum in globo, quod ipsa neuerat, ille palpans caput eius, credens esse globum fili grossum, dixit, modo bonum vadium habeo. Et statim iuit ad domum dicti pauperis cum cruce & parochianis vt eam deportaret: cui ille, non oportet vos laborare pro ea deportanda, quia iam est in domo vestra in sacco super lectum pro vadio, modo ponatis eam, vel in terra, vel in sale, si vultis. *Item* quidam alius, pauper rebus, sed abundans in pueris: vno eorum defuncto, cum nollet eum sacerdos suus sepelire nisi data pecunia, quam non habebat: ille autem corpus filij sui ad Renaldum Archiepiscopum Lug. apud Rupem incisam deportauit in sacco, dicens portario quod xenium venationis erat, quod domino suo deportabat. Qui introductus ante eum, posuit puerum ante pedes eius, exponens ei factum, dictus autem Archiepiscopus puerum honorificè sepeliuit: vocansque sacerdotem dicit ei, quod solueret ei pretium de hoc, quod fuerat eius vicarius, pro quo magnam pecuniam extorsit ab eo.

3 *Iustitia.*

Tertivm, quod male venditur est ius siue iustitia, quam debent facere subditis gratis, qui præsunt vt iudices, de quo sciendum, quod qui vendunt iustitiam, iniusti sunt, & virtutem amittunt iustitiæ; quam si haberent, vnicuique quod suum est redderent: illam enim iustitiam quam debent eis, vendunt sibi, quod est magna iniustitia.

4 *Benedictiones.*

Qvartvm quod male venditur, sunt benedictiones, quando pro eis dandis extorquetur aliquid, vt faciunt in benedictionibus maximè nubentium, qui conuertũtur in maledictionem eorum qui pro eis aliquid exigunt, nisi quod gratis confertur.

5 *Gratia curationis.*

Qvintvm quod male venditur est cura, siue gratia curationis corporũ, siue animarum, quæ miraculose fit. Medicus autem corporalis pro peritia sua & labore, potest accipere remunerationem. De medicis autem spiritualibus, qui miraculosè corpora curabant & animas ministerio, dicit dominus Math. 10. *Infirmos curate*, &c. *Gratis accepistis, gratis date.* *Item* qui curas ecclesiarum vel animarum dant mediante pretio, vel indebito seruitio, vel qui emunt, consimilem contumeliam faciunt regi summo, sicut facerent regi temporali nutrix, vel consiliatrix turpitudinis, quæ filiam eius, quam debet custodire, vendit corrumpendam lenonibus: vel qui emunt sunt vt lenones corruptores, quibus non parcet Christus frater & sponsus, sed occidet, vt Absalon Amnõ corruptorem Thamar suæ sororis. 2. Reg. 13. *Item* tales sunt tonsores gregis: non pastores, sed mercenarij timidi: non defensores, sed destructores. 1oh. 10. *Mercenarius videt lupum*, &c. Aug. *Mercenarius si ouis deuiat non reuocat: si infirmetur, non medetur: si deuoratur, non lachrimatur: si fugiunt temporalia quæ ipse amauit, fugit animas quas ipse se amare dissimulauit.* Sũt autem sicut auiculæ, quæ tempore messis agros visitãt, & tempore vindemiæ vineas, & ibi cantant: Similiter & custodes: sed post, collectis fructibus recedunt. Isa. 1. *Derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea*, &c.

Septem retrahunt hominem ab emptione curæ animarũ.

Mvltvm autem retrahit homines ab emptione curarum, vel Ecclesiarum, si attendunt septem ad quæ se obligant, quæ tanguntur in summa de vitijs. *Primo* se obligant ad amissa reddenda. Gen. 33. *Omne damnum reddebam tibi, si quid furto perierat, requirebas à me.* Prouer. 22. *Noli esse cum his qui defigunt manus suas, qui vades se offerunt pro debitis: non enim habes vnde restituas: quod causa est, vt tollat operimentum virtutum de cubili tuo*, &c. *Item* obligant se ad agrum Ecclesiæ excolendum. Hiere. 1. *Ecce constitui te, vt euellas*, &c. *Tertio* ad liberandum. Prouer. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*, &c. *Quarto* ad curandum infirmitates spirituales. Eze. 34. *Quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis.* Quid de his, qui curam filiarum regis accipiunt, & nihil de ea sciunt: & si sciunt, negligunt, & salarium accipiunt: vel qui pro medicamento venenũ infundunt *Quinto* se obligant ad ducatum prębendum: quid de cæcis, qui eos in foueam præcipitant: bonus pastor ante oues vadit. Ioh. 10. *Sexto* se obligãt ad prouidendum necessaria. Math. 23. *Quis putas est fidelis seruus & prudens.* Et post, *vt det illis cibum in tempore.* Ecõtra mali. Eze. 34. *Væ pastoribus Israël. qui pascunt semetipsos.* *Septimo* se obligant ad intercedendum, & placandum: vt Aaron qui vt dicitur Sap. 18. *stans inter sanos & mortuos, restitit iræ Dei:* ergo debet placere, aliter non placabit. Greg. *Cum is qui displicet ad intelligendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Prouer. 6. *Si spoponderis pro amico*, &c. *discurre, festina, suscita amicum tuum.* &c.

6 *Spiritussanctus in donis suis.*

Sexto quod male & symoniacè venditur, est Spiritussanctus in signo suo, vel dono prophetiæ. Hoc videtur feciſſe Balaam, accipiens ab his quibus prophetizauerat. Iud. 2. *Væ illi qui in errore Balaam mercede est effusus.* Similiter peccant qui alia eius dona vendunt vel emunt, vel signa, vt Symon Magus, qui voluit emere, vt ad impositionem manuum suarum signo visibili posset eum dare. Act. 8.

7 *Sacramẽta.*

Septimvm quod male venditur sunt sacramenta, per quæ Spiritussanctus administratur vt est bap-

tiſmus, confirmatio, Euchariſtia, pænitentia, ſacer ordo, ſacra vnctio, matrimonium. Math. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* can. 1. q. 1. Leo Papa. *Gratia ſi non gratis datur vel accipitur, gratia non eſt.* Et infra, *quia ſi ſpiritus, teſtante ipſa veritate de qua procedit, gratis non datur, ſpiritus mendacij eſſe conuincitur, qui non gratis accipitur.* Item Greg. Syragio Epiſcopo Auguſtudunen. *Quicunque ſtudet ſacrum ordinem pretij donatione percipere, ſacerdos non eſſe, ſed inaniter dici concupiſcit.* Item idem in regiſtro. *Presbyter ſi Eccleſiam per pecuniam obtinuerit, non ſolum Eccleſia priuetur, ſed etiam ſacerdotij honore ſpolietur: quia altare, vel decimas, & Spiritum ſanctum emere vel vendere, ſymoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat.* Item *benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur.* Item Am. in lib. paſtorali: *Nos quoque huic morbo cancroſo, ignitum quod ſupereſt ferrum injicimus: declarantes omnino quicunque deinceps pro accipienda diuini doni dignitate quodlibet pretium decretus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore ſe nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione ſanguinis & corporis Chriſti eſſe alienum: ex quo illum conſtat execrabile Chriſto perpetraſſe flagitium, quod ſi aliquis eius accuſator extiterit, ille qui hunc ordinem inuentus munerum denotatione lucratur, & ſuſcepto honoris gradu priuetur, & in monaſterio ſub perenni detrudatur.*

8 *Sacra doctrina.*

OCTAVVM quod male venditur eſt ſacra doctrina, quæ dat gratiam dignè & deuotè ſuſcipienti. Prouer. 13. *Doctrina bona dabit gratiam.* Prouer. 1. *Audi fili diſciplinam patris tui.* Et poſt. *vt addatur gratia capiti tuo.* Nonum, & vltimum, quod male venditur, eſt ſpirituali annexum. Spirituale, ſtrictè ſumpto vocabulo, dicitur quo habito habetur Spiritusſanctus, vt gratia, & virtus gratuita: vel in quo datur, vt ſacramenta: vel quo haberi ſignantur, vt miracula, donum prophetiæ. Spirituali annexum, large ſumpto vocabulo, quod antecedit ſacramentum, vt Iuſpatronatus præſentationem: vel quod ſequitur, vt poteſtas percipiendi decimas & oblationes.

9 *Spiritualia annexũ ſtrictè.*

10 *Spirituali annexũ late*

De auaritia clauſtralium.

DISTINCTIO XVIII.

DEinde conſiderandum eſt de auaritia clauſtralium, ideſt de vitio proprietatis eorum, hoc autem peccatum multum impugnat Eccleſiam, quia pulchriorem, & nobiliorem, & altiorem partem eius deijcit vſque ad fæces terræ. Angelos in talpas commutando, & volatilia cœli in reptilia humi: quia viros Angelicos & cœleſtes, in terra ſepelit ad modum talparum, & volatilia cœli, ideſt viros ſpirituales, in reptilia humi commutat, & quaſi reptilia facit eos repere ſuper terram: quando terrenis adhærent mente, contemptis bonis ſpiritualibus & æternis. Sunt autem multa quæ deteſtandum vitium proprietatis oſtendunt. Primo regularis profeſſio. Secundo diuina prouiſio. Tertio enormitas huius flagitij. Quarto acerbitas diri ſupplicij.

Multa oſtendunt vitium proprietatis in clauſtralibus eſſe deteſtandum.

1 *Regularis profeſſio.*

PRIMO quidem oſtendit deteſtandum eſſe vitium proprietatis, regularis profeſſio: viuere enim ſine proprietate eſt eſſentia cuiuſlibet religionis, ſicut continẽter, & obedienter. Ad iſta enim tria homo ex voto ligatur in ordinis profeſſione, ad continentiam, obedientiam, & paupertatem voluntariam. Et ſicut vnum non recipit diſpenſationem, ita nec alterum. Pſ. 75. *Vouete, & reddite. Vnde* cum in quadam abbatia fuiſſet factus nouus Abbas, præcepit omnibus monachis ſuis, quod redderent ei propria ſua, ad ſolutionem debitorum domus, cum tali conditione, quod dabat eis licentiam retinendi & faciendi proprium de cætero, vſque ad 40. ſolidos pro faciendis voluntatibus ſuis. Quo audito, quidam monachus ſenex, & literatus & bone famæ, ſurrexit coram omnibus, & petens quod daret ei Abbas licentiam contrahendi; & cum alij riderent, & Abbas diceret quod hoc non poſſet, intulit ſenex; quod ſicut id non poterat quod erat contra votum, ita nec poterat diſpenſare quod monachus haberet proprium.

Exemplum.

SECVNDO diſſuadet hoc vitium diuina prouiſio, quam habet de his qui nullam prouiſionem ſibi retinent, ſed omnem ſolicitudinem ſuam ponunt in eum. 1. Pet. 4. *Omnem ſolicitudinem noſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de nobis.* Matth. 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? dicunt diſcipuli: Nihil.* Pſ. 9. *Tibi derelictus eſt pauper.* Idem 39. *Ego mendicus ſum & pauper, & dominus ſolicitus eſt mei.* Idem 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum,* quia vt dicit Greg. *Gorui pullis ſuis non prouident, quamdiu habent primas plumas quę fatuæ dicuntur, niſi quando vident eos migreſcere; ſed interim Deus paſcit eos vore cœli.* Sic nec mundani curant de his, qui dimiſſis curis & diuitijs temporalibus non ſe committunt eis: tamen Deus gratia ſua prouidet eis paſtum corporalem & ſpiritualem. Pſ. 67. *Paraſti cibum in dulcedine tua pauperi Deus.* Ad hoc faciunt plura exempla poſita ſupra in fine *de acceptione munerum*, de leproſo, & filia, & candidatrice, qui noluerunt accipere ab œconomis, ne Dei prouiſionem amitterent, qui eis herbas in dulcedinem conuertit. Ad hoc etiam faciunt plura exempla, quæ habentur ſupra *de timore mundano* per totum, & de Epiſcopo apoſtata pœnitente, & ſupra *de effectibus miſericordiæ Dei*, quomodo miſericordia Dei prouidet neceſſaria ſuis: prouidet enim eis non ſolum alimentum & veſtimentum, ſed etiam medicamentum.

2 *Diuina prouiſio.*

Exempla,

IN vitis pa. tit. de paupertate legitur, quod quidã frater hortulanus, quicquid de labore horti ſui acquirebat, totum pro Deo dabat: cogitabat poſtea, quod burſam plenam de nummis congregaret, vt ſibi ſi ægrotaret ſubueniret, quod fecit. Contigit autem vt putreſcente pede ſuo, totum quod habuit in medicos conſumpſit, nec profuit: & cum dixiſſent oportere pedem incidere, ne reſiduum corporis putreſceret. Quod cum deberet in mane fieri, flenti apparuit dominus improperans ei de nummis congregatis, & tacto pede pœnitentis curauit eum, medicus autem apportans ferramenta inuenit eum laborantem in horto ſanatum. *Item* li. 5. de collationibus patrum, dixit quidam ſenex. Triplex eſt morbus in religione: quidam eorum qui non habuerunt in ſæculo, volunt in religione congregare: Alij prius abiecta reſumere: Tertij ex diffidentia Dei, aliquid in religionis introitu retinere. Primi ſunt & puniuntur vt Gyezi: ſecundi, vt Iudas: tertij, vt Ananias & Saphyra.

TERTIO diſſuadet hoc idem, immanitas huius flagitij. Ioſue 6. *Cauete ne de his quę precepta ſunt vobis, aliquid contingatis, & ſitis prævaricationis rei,* hæc culpa facit hominem ſimilem diabolo, qui fuit primus proprietarius: Primo approprians ſibi locum dicens. Iſa. 14. *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum,* hoc aurem de Lucifero fecit tenebrifero, de Angelo diabolum, de cœlo præcipitauit eum in infernum. Lucæ 12. *videbam Sathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem,* hoc de Apoſtolo fecit diabolum: vnde Iudam proditorem qui loculos habebat, vocauit Chriſtus diabolum dicens. Ioh. 6. *Nonne XII, vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt. Item* eſt fur inter filios Iſrael, vt Achan, qui vt dicitur Ioſue 7. furatus eſt de anathemate Hierico. Item vt Iudas inter Apoſtolos, qui fur erat, & loculos habebat. Io. 12. Religio proprietariorum eſt potius deriſio dæmonum, & ſpelunca latronum, quam religio. Ioh. 2. & Matth. 22. *Vos feciſtis domum orationis ſpeluncam latronum;* furantur enim quicquid poſſunt, vtibidem de communi proprium faciant. Hier. 7. *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus, in qua inuocatum eſt nomen meũ.* Eſt etiã proprietarius ſacrilegus, quia ſæpe furtum

3 *Immanitas huius flagitij.*

Vitium proprietatis facit hominem ſimilẽ diabolo; itẽ facit furem, ſacrilegum &c.

ſuum

ſuum in locis ſacris, & de rebus ſacris, & contra perſonas ſacras committit: res etiam pauperibus conſecratas, vel ſacris locis, furatur. Hiero. *Pars ſacrilegij eſt res pauperum non dare pauperibus, quod facit qui eas retinet.* Item Greg. Sabino Epiſcopo in decretis 18. q. 4. *Sacrilegium. Et contra legem eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis ſtudijs tentauerit ſuis Stipendijs vſurpare.* Item ibidem Lucius Papa, *omnes facultatũ Eccleſiæ alienatores, à liminibus Eccleſiæ anathematizamus, Apoſtolica auctoritate pellimus, damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus; & non ſolum eos, ſed etiam eis conſentientes.* *Item* eſt retrogradus, vt canis reuerſus ad vomitum, ad ea quæ dimiſerat, vt dicitur 2. Pet. 2. Item Lucæ. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* *Item* ſimilis eſt vxori Lot, quæ reſpiciens retro, verſa eſt in ſalis ſtatuam. Gen. 9. Lucæ 17. *Memores eſtote vxoris Lot.* Lambunt animalia cutem, ideſt animales monachi delectantur imitari eam.

Proprietarius nequam eſt in Deum & proximum atque etiam hypocrita.

ITEM proprietarius nequam eſt in Deum, cuius commodum non curat, dum ſuum proprium quærit, ad Phil. 2. *Omnes quę ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* *Item* nequam eſt non æqualiter ſe habens ad proximum, cuius portionem ſibi vſurpat, cui non æqualiter condiuidit. Licèt dictum ſit Ezech. 57. *Poſſidebitis terram ſinguli æquè vt frater ſuus.* 1. Cor. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt dominicam cœnam manducare; vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent.* *Item* eſt fictus ſiue hypocrita, quoniam ſub habitu religioſo animum gerit ſæcularem; extra eſt aureus, intra luteus: vt ſtatua quam erexit Nabuch. Dan. 3. Tales ſunt in clauſtris eleuati in dignitatibus, pleni intus luto temporalium curarum & propriorum, licet extra prætendant habitum religionis. Item ſimiles ſunt Bel, de quo Dan. 14. qui tantum comedebat, & hibebat; non ipſe, ſed familia ſua: intra luteus, extra aureus.

Item eſt homicida, proditor, excõmunicatus euitandus & mendax.

ITEM eſt homicida. Eccl. 34. *Qui defraudat pauperem homo ſanguinis eſt: qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum*, ibidem, *qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Hæc ſatis poſſunt exponi de proprietarijs, qui defraudant eos qui ſeruiunt Deo pro mercede æterna, & temporali ſuſtentatione; qui ſunt clauſtrales, quorum victum proprietarij ſibi accumulant, & in ſuperfluis expendunt exceſſibus. *Item* proditor eſt in dominum, quem proprijs ſtipendijs impugnat, & cuius bona eo inuito ſibi retinet. *Item* in fratres., de quorum communi ſibi facit proprium. *Item* eſt excommunicatus, & euitandus. Ioſue 7. *Præuaricati ſunt mandatum, & vſurpauerunt de anathemate.* Et poſt. *Anathema in medio tui Iſrael.* Multi poſſent dicere quod dicitur Act. 10. *Nunquam commune intrauit in os meum:* quod poſſunt dicere monachi viuentes de proprio in cameris. Merito proprietarius excommunicatus iudicandus eſt: quia quaſi excommunicatos reputat alios, quibus non communicat quę ſibi appropriauit. *Item* eſt mendax Deo, cui promiſit viuere ſine proprio: cui poſſent dici quod dixit Petrus Ananiæ. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Deo, & Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus*, ſolum ſcilicet, *ſed Deo*, &c.

Proprietarius eſt multipliciter ſtultus.

ITEM proprietarius multipliciter eſt ſtultus. *Primo*, quia ſecundum quod dicitur Math. 13. *Similis eſt negociatori quærenti bonas margaritas, inuenta vna pretioſa margarita*, id eſt paupertate Chriſti, pro qua habetur regnum cœlorum, *dedit omnia quæ habuit, & comparauit eam*: poſtea in lutum proijciens, eam conculcat pedibus contemnendo. *Secundo* quia cum dominus de maris, ideſt mundi naufragio, eum eripuerit, in tuto nauis religionis ponens, ipſe ſe ſuffocat in modica aqua diuitiarum, quam furtiue rapit de mari. De quo poteſt dici, quod dixerunt Barbari Act. 27. de Paulo, cuius manui cum euaſiſſet de naufragio vipera adhæſerat. A *Homicida eſt homo iſte, quoniam cum euaſerit de mari, vltio diuina non ſinit eum viuere. Tertio* ſtultus eſt, quia cum ipſe ſit mortuus mundo, iuxta illud Col. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; Timens mori fame, fur fit, vt ſuſpendatur in furto, & amittat vitam æternam, & incurrat mortem æternam. In vitis pa. legitur, quod cum quidam diues moriens, hæredem conſtituiſſet quendam patrum: Reſpondit. Ego prius diu mortuus fui quam iſte, & quomodo mortuum me ſibi hæredem inſtituit; & remiſit nuncios nihil retinens. *Quarto* ſtultus eſt, quia de loco ſaluationis, cum Iuda proditore facit ſibi locum proditionis. Ioh. 17. *Nemo periit niſi ſolus filius perditionis. Quinto*, quia in loco vbi homines ſcelerati ſtudent ſcelera non committere, ſed delere: ipſe ſcelera multa facit. Hiere. 11. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea facit multa ſcelera? Sexto*, quia iram Dei ſibi accumulat, quam B Deus ab eo remouerat. Apoc. 6. *Angelus effudit Phyalam iracundię Dei ſuper flumen magnum Euphraten*, qui interpretatur frugifer. Iac. 5. *Theſaurizaſtis vobis, ô diuites, iram in nouiſſimis diebus.* Glo *Neſcit miſer, theſaurum iræ cum theſauro pecuniæ ſibi pariter cumulari. Septimo* quia propria negligit, dum aliena colligit: ideo iuſto Dei iudicio, omnia propria bona amittit. Aliena ſunt temporalia bona. Ambro. *Non ſunt bona hominis quæ ſecum ferre non poteſt.* Amittit enim proprium Dei, quod eſt miſereri, curam ſui & ſeipſum, & bona ſpiritualia pariter & æterna. *Octauo* quia cum ſe Deo dedit, ius naturæ & omnia quæ habebat vel habere poterat, C Deo dedit: & etiam curam ſui ſibi reliquit: hoc aufert in proprietate. Bern. *Vos qui vos nobis loco Dei ſemel dediſtis, quid adhuc vos de vobis iterum intromittitis. Nono*, quia de ſcala cæli & porta, facit ſibi ſcalam & portam inferi. Scala hæc & porta eſt religio. Gen. 34. *Decimo*, quia laqueum temporalium, & molam aſinariam, à quibus ſe explicuerat, collo ſuo apponit: & cum Iuda proditore cui ſimilis eſt, ſe ſuſpendit. Act. 2. Viſcera eius effunduntur, cum interiora ſua ponit in amorem pecuniæ. Eccl. 10. *In terra proiecit intima ſua in vita ſua.*

4 Pœna qua proprietarij puniuntur in præſẽti & futuro, tam damni quã ſenſus.

QVARTO diſſuadet hoc idẽ pœna qua multipliciter puniuntur proprietarij, tam in præſenti, quã etiã in futuro. In præſenti quidẽ puniũtur, & pœna dãni & pœna ſenſus. *Pœna* damni, quia priuantur multis bonis D quæ poſſent habere, ſi proprium non haberent. *Priuantur* primo prouidentia temporali: ex quo enim prouident ſibi, Deus non prouidet eis temporalia, & cum volunt eſſe prouiſores ſui, amittunt prouiſionem Dei, vt oſtenſum eſt ſupra. *Item* amittunt proprium Dei, quod eſt miſereri & parcere. *Item* amittunt ſeipſos quantum ad valorem, quia ſecundum Bern. & ſecundum quod vulgariter dicitur. *Monachus habens obolum, non valet obolum.* 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Proprietario monacho plus eſt numinus quam Deus. *Item* amittit ſpiritualia bona, & meritum. Math. 9. *vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael* &c. hoc merito priuantur proprietarij.

ITEM puniuntur pœna ſenſus; puta lapidatione E Ioſue 7. *Lapidauit omnis Iſrael Achan, qui tulit de anathemate Hierico.* ſic proprietarij lapidandi ſunt duris increpationibus, & in futuro iudicio à ſanctorum omnium maledictionibus. *Item* à dæmonibus lacerantur. In vitis pa. cum quidam abrenuncians ſęculo, aliquid proprietatis ſibi retinuiſſet, præcepit ei B. Antonius, vt emptis carnibus in ciuitate, ei eas in eremo deportaret, Quod cum faceret, tam canes quam aues, vt eas ab eo raperent, eum lacerabant. Cui venienti dixit ſanctus; ſic qui abrenuncians ſæculo, & pecuniam retinuerit, lacerabitur à dæmonibus. *Item* punitur proprietarius pœna combuſtionis, quæ maxima eſt: in quo notatur quod hæc culpa ſit maxima. Ioſue 7. *Qui hoc ſcelere deprehenſus fuerit, comburatur ipſe igni, cum omni ſubſtantia ſua.* Item vincuntur à diabolo cito, nam victi ſunt à mundo

& proſtrati in terra, Ioſue 7. *Non poterit ſtare Iſrael coram hoſtibus ſuis, donec deleatur qui hoc ſcelere contaminatus eſt.* Vinctos enim & compeditos ducit, & tradit dæmonibus occideudos: vincti vero ſine reſiſtentia vincuntur, & occiduntur. Multi enim traduntur diabolo vincti catenis aureis & argenteis, quibus ita adhęrent peramorem: quia potius ſuſtinent excommunicationem, quam abijciant proprietatem auri & argenti, vel alterius rei. Similes ſunt Dario, quem, vt dicit chronica, victum ab Alexandro, adduxerunt eum ſui occidendum, victum catenis aureis. Ideo vt dicit Greg. *Nudi cum nudo luctari debemus. Item* quandoque à diabolo ſuffocantur, & morte ſubita moriuntur ; ſicut patet Act. 5. de Anania & Saphyra. *Item* in futuro puniuntur proprietarij, quia regnum æternum amittunt : Sicut patet per exemplum de Saul, qui quia contra præcepta domini retinuit ſibi de præda Amalech meliora, 1. Reg. 15. ſeipſum occidens gladio, vitam perdidit, & regnum temporale pariter & æternum, 1. Reg. vlt.

De prodigalitate.

DISTINCTIO XIX.

DEINDE conſiderandum eſt de prodigalitate. Circa quam conſideranda ſunt duo. Primo vtrum prodigalitas ſit peccatum. Secundo vtrum ſit grauius peccatum quam auaritia.

CIRCA primum ſciendū, quod prodigalitas & auaritia differūt ſecundū ſuperabundantiam & defectum diuerſimode. Nam in affectione diuitiarum auarus ſuperabundat, plus debito eas diligens; prodigus autem deficit, minus debito earum ſolicitudinem gerens. Circa exteriora verò ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo & acquirendo. Ad auaritiam autem pertinet econtrario, deficere quidem in dando, ſuperabundare autem in acquirendo & retinendo. Vnde patet, quod prodigalitas auaritiæ opponatur. Medium autem virtutis, per vtrumque horum, ideſt per ſuperabundantiam & defectum corrumpitur: ex hoc autem quod vitioſum eſt & peccatum, corrumpitur bonum virtutis. Vnde patet, quod prodigalitas eſt peccatum. Vnde filius prodigus vituperatur de ſua prodigalitate. Lucæ. 20.

Prodigalitas eſt peccatum quia euacuat medium virtutis per exceſſum.

NEC obſtat verbum Apoſtoli. 1. Ti. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; non autem prodigalitas, ſed magis ei opponitur. Nam illud verbum Apoſtoli quidam exponunt, non de cupiditate actuali, ſed de quadam habituali cupiditate, quæ eſt concupiſcentia fomitis, ex qua omnia peccata oriuntur. Alij vero dicunt, quod loquitur de cupiditate actuali generali, reſpectu cuiuſcunque boni; & ſic manifeſtum eſt quod prodigalitas ex cupiditate oritur. Prodigus enim aliquid bonum temporale cupit conſequi inordinatè; vel placere alijs , vel ſaltem ſatisfacere ſuæ voluntati in dando. Si quis rectè conſideret, Apoſtolus ibi loquitur ad litteram de cupiditate diuitiarum ; nam ſupra præmiſerat, *qui volunt diuites fieri*, &c. & ſic dicitur auaritia eſſe radix omnium malorum; non quia omnia mala ſemper ex auaritia oriantur, ſed quia nullum malum eſt, quod non interdum ex auaritia naſcatur, vnde & prodigalitas quandoque ex auaritia naſcitur, ſicut cū aliquis prodige multa cōſumit , intentione captandi fauorem aliquorum à quibus diuitias accipit.

Solutio obiect.

Auaritia dicitur radix omniū malorum quia nullum eſt malum quod inde interdum non oritur etiam prodigalitas

ITEM quod Apoſtolus admonet 2. Tim. 6. Diuitibus huius ſæculi, vt facile tribuant, & ſua communicent; hoc ad prodigos non pertinet, quia hoc monet Apoſtolus, quod diuites hoc faciant bona intentione, & ſecundum quod oportet: Quod non faciunt prodigi; quia vt Philoſophus dicit in 4. Eth. *Dationes non ſunt bonæ, niſi quia boni gratia*: hi autem non ſecundum quod oportet dant, ſed quandoque dant multa illis, quos oportet pauperes eſſe, ſcilicet hiſtrionibus & adulatoribus, bonis autem nihil dant. *Item* prodigus ſuperabundat in dando, & deficit in ſolicitudine diuitiarum; ſed hoc multo plus faciunt viri perfecti. Magis enim abundant in datione, qui dant vel relinquunt omnia propter Deum; Item magis abjiciunt omnem ſolicitudinem diuitiarum, qui deſiderant implere illud Math. 6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*. Et tamen iſta ſunt cōmendabilia in Chriſti veris pauperibus, & in prodigis reprobantur; quia ſuperexceſſus non attenditur principaliter ſecundum quantitatem dati, ſed magis inquantum excedit id quod fieri oportet, vnde quandoque liberalis maiora dat quam prodigus, ſi neceſſarium ſit. Sic ergo dicendum, quod illi qui intentione ſequendi Chriſtum omnia ſua dant, & ab animo ſuo omnem temporalium ſolicitudinem remouent, non ſunt prodigi, ſed perfecte liberales.

Qui relinquunt omnia propter Chriſtum, nō ſunt prodigi ſed verè liberales

CIRCA ſecundum, ſcilicet *vtrum prodigalitas ſit grauius peccatum quam auaritia, vel econuerſo*. dicendum, quod prodigalitas ſecundum ſe conſiderata, minus peccatum eſt quam auaritia, & hoc triplici ratione. *Primo* quidem, quia auaritia magis differt à virtute oppoſita. Magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo ſuperabundat prodigus, quam accipere vel tenere, in quo ſuperabundat auarus. *Secundo* quia prodigus eſt multum vtilis quibus dat, auarus autem nulli, ſed nec ſibiipſi, vt dicitur in 4. Eth. *Tertio* quia prodigalitas eſt facile ſanabilis; & per hoc quod declinat ad ætatem ſenectutis , quę eſt contrarium prodigalitati; & per hoc quod prouenit ad egeſtatem de facili , dum multum inutiliter conſumit, & ſic pauper factus, non poteſt in dando ſuperabundare: & etiam de facili producitur ad virtutem, propter ſimilitudinem quam habet ad ipſam, ſed auarus non de facili ſanatur, ratione ſupra dicta.

Prodigalitas eſt minus peccatum quam auaritia propter tria.

DIFFERENTIA autem auari & prodigi non attenditur principaliter in hoc, quod eſt peccare in ſeipſum, vel in alium , nam prodigus peccat in ſeipſum, dum bona ſua conſumit vnde viuere debet: peccat etiam in alterum, conſumendo bona quibus alijs deberet prouidere, & pręcipue hoc apparet in clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quę ſunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo. Similiter & auarus peccat in alios, inquantum deficit in dationibus, peccat in ſeipſum inquantum deficit in ſūptibus, vnde dicitur. Eccl. 6. *Vir cui Deus dedit diuitias, nec tribuit poteſtatem vt comedat ex eis*, ſed tamen in hoc ſuperabundat prodigus, quia ſic ſibi & quibuſdam alijs nocet: quod tamen aliquibus prodeſt. Auarus autem nec ſibi nec alijs prodeſt: quia non audet vti, etiam ad ſuam vtilitatem, bonis ſuis.

Solutio obiect.

ITEM cum de vitijs loquimur communiter iudicamus de ipſis ſecundum proprias rationes eorum; ſicut circa prodigalitatem attendimus, quod ſuperfluè conſumit diuitias: circa auaritiam vero , quia ſuperflue eas retinet. Quod autem aliquis propter intemperantiam ſuperfluè conſumat, hoc iam nominat ſimul multa peccata. Vnde tales prodigi ſunt peiores, vt dicitur in 4. Eth. Quod autem illiberalis ſiue auarus abſtineat ab accipiendis alienis, etſi in ſe laudabile videatur, tamen ex cauſa propter quam fit, vituperabile eſt, dum id non vult ab alijs accipere, ne cogatur alijs dare.

(:) (:)

(:)

LIBRI III. PARS VIII.

DE GVLA ET FILIABVS EIVS.

De gula ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

DEINDE conſiderandum de ſexto capitali vitio, ſcilicet gula. Circa quod cõſideranda ſunt ſeptem. Primo vtrum gula ſit peccatum mortale. Secundo de ſpeciebus eius. Tertio de filiabus eius. Quarto de his quæ hoc vitium oſtendunt eſſe vitandum. Quinto ſpecialiter de ebrietate. Sexto de frequentatione tabernarum. Septimo de ludis honeſtis vel inhoneſtis.

Quid gula, quod ſit peccatum.

CIRCA primum ſciendum, quod *gula dicitur eſſe inordinatus appetitus cibi & potus.* Appetitus autem dicitur inordinatus, ex eo quod recedit ab ordine rationis, in quo conſiſtit bonum cuiuſlibet virtutis moralis; ex hoc autem dicitur aliquid eſſe peccatum, quod contrariatur virtuti. Vnde manifeſtum eſt gulam eſſe peccatum. *Eſt* autem ſciendum quod duplex eſt appetitus cibi vel potus. *Vnus* quidem naturalis, qui pertinet ad vires vegetabiles, in quibus non poteſt eſſe virtus & vitium, quia non poſſunt ſubijci rationi, vnde & vis appetitiua diuiditur contra retentiuam, digeſtiuam, & expulſiuam; & ad talem appetitum pertinet eſuries & ſitis. *Alius* eſt appetitus, ſcilicet ſenſitiuus, in cuius concupiſcentia vitium gulæ conſiſtit, nec conſiſtit hoc vitium in ſubſtantia vel natura cibi vel potus, quia ſicut dicit Saluator Mat. 15. *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem* ſpiritualiter, ſed inordinata ciborum concupiſcentia, non regulata ratione, coinquinat hominem. Et ideo ſi aliquis excedat in quantitate cibi non propter cibi concupiſcentiam, ſed æſtimans illud ſibi neceſſarium eſſe: non pertinet hoc ad gulam, ſed ad aliquam imperitiam. Sed quod aliquis excedat ſcienter menſuram in edendo, propter concupiſcentiam cibi delectabilis, hoc pertinet ad vitium gulæ. Sic igitur patet quod gula eſt peccatum, & qualiter eſt peccatum.

Solutio obiect.

VLTERIVS ad videndum *vtrum & quomodo ſit peccatum mortale, vel veniale.* Sciendum, quod cum gulæ vitium propriè conſiſtit in concupiſcentia inordinata, vt dictum eſt, ordo autem rationis concupiſcentiam ordinantis dupliciter tolli poteſt. *Vno modo* quantum ad ea quę ſunt ad finem, prout ſcilicet non ſunt ita commenſurata, vt ſint proportionata fini. *Alio modo* quantum ad ipſum finem, prout ſcilicet concupiſcentia hominem auertit à fine vltimo debito. Si ergo inordinatio concupiſcentiæ accipiatur in gula ſecundum auerſionem à fine vltimo, ſic gula erit peccatum mortale.

Gula non eſt peccatũ mortale niſi propter eam quis ſit paratus Deum contemnere.

Quod quidem contingit quando delectationi inhæret homo tantum, quod propter eam Deum contemnit, paratus ſcilicet contra præcepta Dei agere, vt delectationes huiuſmodi aſſequatur. Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiſcentiæ tantum ſecundum ea quæ ſunt ad finem; vtpote quia nimis concupiſcit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc aliquid faceret contra legem Dei, eſt peccatum veniale.

CIRCA ſecundum, ſcilicet *de ſpeciebus gulæ.* ſciendũ, quod ſicut dicit Greg. 31. moral. *quinque modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando indigentiæ tempora præuenit. Aliquando lautos cibos quærit. Aliquando quæ ſumẽda ſunt accuratius præparari appetit. Aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram excedit. Aliquando in ipſo æſtu immenſi deſiderij aliquis peccat.* Gula enim importat inordinatam concupiſcentiam edendi. In eſu autem duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus qui comeditur, & eius comeſtio. Poteſt ergo inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter. *Vno* quidem modo, quantum ad ipſum cibum qui ſumitur; & ſic quantum ad ſubſtantiam vel ſpeciem cibi, quærit aliquos cibos lautos, ideſt pretioſos, quantum ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, id eſt ſtudioſè. Quantũ autem ad quãtitatem, excedit in nimis edendo. *Alio modo* dicitur inordinatio concupiſcentiæ quantum ad ipſam ſumptionem cibi: vel quia præuenit tempus debitum in edendo, quod eſt præproperè? vel quia non ſeruat modum debitum in edendo, quod eſt ardenter. Iſidorus comprehendit primum & ſecundum ſub vno, dicẽs, quod *guloſus excedit in cibo, ſecundum quid, quantum, quomodo, & quando.*

Quinque ſũt ſpecies gulæ ſecundum Greg.

CIRCA tertium, ſcilicet de filiabus gulæ ſciendum, quod Gre. 31. mor. aſſignat quinque filias gulę; quæ ſunt, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, ſtultiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam. Quarum numerus & ratio declaratur ſic. Gula ſicut dictum eſt, propriæ conſiſtit circa immoderatam delectationem quę eſt in cibis & potibus. Et ideo alia vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potus conſequuntur. Quæ quidem poſſunt accipi ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte autem animæ quadrupliciter. *Primo* quidem quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderantia cibi & potus; & quantum ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo ſenſus circa intelligentiam, propter fumoſitates ciborum perturbantes caput: ſicut econtrario, abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem, ſecundum illud Eccl. 2. *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam. Secundo* quantum ad appetitum, qui mulipliciter deordinatur per immoderantiam cibi & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis: & quantum ad hoc ponitur inepta lætitia, quia omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam & triſtitiam ordinantur, vt dicitur in 2. Eth. Et hoc eſt quod dicitur 3. Eſdræ. 3. quod *vinum omnem mentem conuertit in ſecuritatem & iucunditatem. Tertio* quantum ad inordinatum verbum; & ſic ponitur multiloquium: quia ſicut Greg. dicit in paſtorali. *Niſi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet; diues ille qui epulabatur quotidie ſplendide, in lingua grauius non arderet. Quarto* quantum ad inordinatum actum; & ſic ponitur ſcurrilitas, ideſt iucunditas quædam proueniens ex defectu rationis, qui ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores actus, vnde Eph. 5. ſuper illud. AVT STVLTILOQVIVM AVT SCVRRILITAS: dicit Glo. quod *à ſtultis curialitas dicitur iucunditas, quæ riſum mouere ſolet.* Quamuis poſſit vtrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare: vel ratione ſuperfluitatis, quod pertinet ad multiloquium: vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad ſcurrilitatem. *Ex parte* autem corporis ponitur immunditia, quæ poteſt attendi, ſiue ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcunque ſuperfluitatum, vel ſpecialiter quantum ad emiſſionem ſeminis, vnde ſuper Eph. 5. FORNICATIONES AVTEM ET OMNIS IMMVNDITIA &c. dicit glo. ideſt *continentia pertinens ad libidinem quocunque modo.*

Quinque ſũt filiæ gulæ ſecundũ Greg.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Multa mouent ad gulã deteſtandã.

CIRCA quartum ſciendum, quod multa mouere debent ad gulę vitium deteſtandum; videlicet Naturę conditio, Inſtructio ſcripturarum, Exemplorum inſpectio, Incurſio iacturarum. *Primo* quidem mouere nos debet naturæ conditio, quia ſecundum Phil. & medicos, natura paucis & minimis eſt contenta. Vnde temperantia amica eſt naturę, & per eam ſaluatur, & bona naturæ per continentiam conſeruantur: ſuperfluitas autem inimica eſt, per quam grauatur. In ſignũ huius natura paruum os homini dedit, nam inter animalia magnæ corpulentiæ, homo minus os habet, ſecundum corporis ſui quantitatem. Item natura cætera animalia deiecit ad paſtum, hominem erexit ad ſydera, vt erigatur ad ſupernas delectationes & delicias appetendas, non ad inferiores quærendas. *Secundo* mouere nos debet inſtructio ſcripturarum, ſcriptura namque docet ſobrietatem. Sicut dicitur Sap. 8. Et Rom. 13. Dicit Apoſtolus. *Non in commeſſationibus & ebrietatibus* &c. Item ad Ti. 2. *ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* in 2. Ti. 4. *Sobrius eſto.* 1. Theſ. 5. *Nos qui Dei ſumus ſobrij ſumus.* 1. Ti. 4. *Mulieres ſimiliter decet pudicas eſſe, ſobrias, fideles in omnibus.* Ad Ti. 2. *Senes vt ſobrij ſint.* Et inf. *Adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, prudentes, ſobrias, caſtas.* Ibidem. *Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint* Item 1. pe. 5. *Sobrij eſtote & vigilate* &c. In figuram huius cum peccaſſet Adam per gulam, eiecit eum dominus de Paradiſo voluptatis, docens eum dietam quam teneret in hoc exilio, dicens ei: Gen. 3. *Comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* In quo figuraliter deſignatur, quod non delicijs, ſed vitæ neceſſarijs vtendum eſt, ad vitæ ſuſtentationem, non ad gulæ delectationem. Rurſus ne redire poſſet homo ad vſum voluptatis, oppoſuit Deus Cherubin & flammeum gladium, in quo figuraliter oſtendit Deus gulam eſſe cauendam, ne mortem ignis infernalis incurramus. Item pauit dominus Elyam per Angelum, panem ſubcineritium & vas aquæ propinans 3. Reg. 17. Itẽ per mulierem viduam Sareptanam, pane ſolum & aqua. Item filios Iſrael in deſerto, quando vero delicias petierunt. *Iratus eſt dominus furore in populum* &c. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos* &c. Item quãdo dominus Ieſus quinque millia hominum ſatiauit de quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, ęque facile fuiſſet ei parare illis omnes mundi delitias, ſicut illos panes hordeaceos multiplicare. Itẽ de vino non audio ibi fieri mentionem. Sed quia in hoc exilio non decet nos vti delicijs, ſed cibis duris & aſperis; ideo dominus tale conuiuium præparauit. Non ſolum ſcriptura ſacra docet gulæ vitium cauere, verum etiam documenta ſanctorum & philoſophorum. Require ſup. *Temperantia.* Item *abſtinentia.*

1. *Naturæ cõditio.*

2. *Scripturarũ inſtructio.*

3. *Exemplorum inſpectio, Chriſti ſcilicet & Sanctorum.*

TERTIO vitium gulæ cauere docet exemplorum inſpectio; primo exemplũ Chriſti, quia ſicut dicit Bern. *non decet delicatum eſſe membrum ſub ſpinato capite.* Hiero. *Deceptus es miles chariſſime, Si vis delectari in mundo, & regnare cum Chriſto. Chriſtus enim dimiſit cæleſtes diuitias propter te, & venit ad preſentes miſerias quas pro te ſuſcepit, vt tu hoc ad memoriam reducas, & in eo hoc exemplum accipias.* Tren. 3. *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthij & fellis.* Item exemplum patriarcharum & prophetarum, & præcipue exemplum Iohannis baptiſtæ, qui ſanctiſſimus & innocentiſſimus tanta abſtinentia corpus ſuum macerabat, vt cibus eius eſſet locuſtæ & mel ſilueſtre; vinum & ſyceram non bibens. Item exempla Apoſtolorum & ſanctorũ, de quibus dicitur Heb. 11. *Egentes, anguſtiati, afflicti.* & 2. Corin. 11. *Infame, & ſiti, & frigore* &c. Exemplum Beati Nicolai, qui ab vbere & lacte matris ſe temperabat, ab ea, ſexta & quarta feria abſtinens. Exemplum ſanctorum patrum, & anachoritarum, de quorum ſobrietate & abſtinentia multa leguntur in vitiſpa. exempla. De quib. infra multa ponemus *de ieiunio & effectu eius.*

Exempla.

ITEM gulæ vitium docent eſſe vitandum exempla infirmorum, qui cum propter gulam infirmitates incurrerint, abſtinent tam arctè pro recuperanda corporis ſanitate, & vitæ duratione, & pro morte euitanda. Quanto ergo nos fortius debemus abſtinere, vt curemur ab infirmitatibus animarum, & euitemus earum mortem, & æternam damnationem. Exempla naturalia, vt ſerpentis, cerui, accipitris, & aquilæ, quæ animalia ieiunant vt renouentur. *Item* vitium gulæ diſſuadent exempla ſcholarium, qui vt poſſint ſibi acquirere ſapientiam, abſtinent à delicijs & cibis lautioribus, maximè in prandijs, ſcientes quod in pergameno pingui & humido, non formatur vel imprimitur bene littera; quia diffunditur, nec retinet debitam impreſſuram; ſed in ſicco & tenui bene imprimitur, & retinetur. Sic homo imbutus delicijs, non bene retinet ſapientiam, quæ vt dicitur Iob. 28. *Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Dan. 1. Tres pueri qui fuerunt præ cæteris abſtinentiores, inuenti ſunt ſapientiores alijs. Item cum Socrates, vt legitur in Prou. Philoſoph. hoſpitibus ſuis tenuẽ parallet cœnam, & quidam amicus ſuus eũ ſuper hoc redargueret, ait: Si ſapientes ſunt, talis cæna decet ſapientiam. Si boni ſunt, æquanimiter ferent. Si mali, non eſt curandum. Si inſipientes, hoc ſit eis documentum. Si res tua tibi non ſufficit, tu parcendo rei fac vt ſufficias ei.

Exempla.

EXEMPLA diſſuadent gulam, ſcilicet vt alios exemplo veſtro ad abſtinẽtiam prouocetis. Sicut legitur feciſſe Dauid. 2. Reg. 23. Cum Dauid pugnaret contra Phyliſtæos, & ſitiens deſideraret & peteret potum de aqua cyſternæ quæ erat in Bethleem, vbi erat ſtatio Phyliſtinorum, & fuiſſet ei de ea potus delatus, noluit eam bibere, ſed libauit eam Domino; & hoc vt alijs eſſet in exemplum, vt abſtinerent à ſiti. *Simile* legitur feciſſe Theodoſius Imperator in principio hiſtoriæ trypartitæ, qui cum eſſet in quadam expeditione, in qua non inueniebat eius exercitus ad potandum, ſiti laborans; quidam videns dictum Theodoſium æſtuãtem, & ſiti mirabiliter laborantem, protulit ei potum limpidiſſimum, confectum aromatibus, aqua frigida ſuperfuſa, qui intuens dictum potum, vincẽs animum noluit recipere, ſed ait offerenti, quod offerret eum alteri cui vellet, & hoc fecit, ne corda intuentium emollirentur, & vt animarentur ad tolerantiam ſitis. *Simile*, vt legitur ibidem, fecit Alexander, cum eſſet in loco arido, & ſitiret mirabiliter, quidam quærens inuenit modicam aquam, & ei obtulit: qui videns exercitum ſiti laborantem noluit bibere, ſed ſuper corpus ſuum effudit eam, vt eos ad ſitis tolerantiam animaret exemplo ſuo.

4. *Iacturarum incurſio, quæ ſunt multiplices & graues.*

1. *Gula cenſum annihilat.*

QVARTO mouere debet ad hoc incurſio iacturarum, multa namque damna proueniunt & oriuntur ex gula. Ipſa quippe cenſum annihilat, & obruit ſanitatem: ſenſum obnubilat, deſtruit honeſtatem: amittit delicias meliores, immittit anguſtias & dolores; induit vile ſeruitium, perducit ad graue ſupplicium. *Primo* cauendum eſt gulæ vitium, quia cenſum annihilat, conſumit enim bona temporalia, & deſtruit ſpiritualia. Multi namque propter ingluuiem ſuam frequenter deueniunt ad maximam egeſtatem. Prou. 21. *Qui diligit epulas in egeſtate erit, qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Prou. 23. *Vacantes potibus & dantes ſymbola, conſumentur.* Eccl. 6. *Omnis labor hominis in ore eius, non implebitur bonis,* quia multi ſunt, qui quicquid laborant, ponunt in os ſuum comedendo, & remanent in corpore nudi, & anima. Eſt ignis conſumens ſpiritualia, ſuccendendo animam malis deſiderijs.

IN vitiſpa. 2. dixit Abbas Poemon. Niſi Nabuſardam princeps coquorum veniſſet in Hieruſalem, templum Dei non arſiſſet igne; hoc eſt, niſi deſiderium caſtrimagię in anima veniret, cor & ſenſus hominis non ſuccendetur impugnatione diaboli. Ideo caſtrimagia dicitur, quaſi caſtitatem mergens, vel quia omnia in caſtris ventris merguntur, temporalia, & ſpiritualia. Eſt enim diluuium abſorbens omnia. Cuidam apparuit quidam, cum magno labore ædificans turrim ſuper riuum paruulum, & in Dominica die cum quieſceret à labore, mundabat diluuium, & quicquid per to-

tam

tam septimanam ille congesserat, totum rapiebat. Sic est de gulosis laborantibus, quia quicquid laborando congregant per totam septimanam, in Dominica die consumit diluuium gulæ, maximè in tabernis. *Aliquando* gulosus totum expendit patrimonium, exhæredans filios & vxorem, & cum ad egestatem deuenerit, furatur vel rapit, sicut faciunt vsurarij, vel raptores, Prouerb. 30. *Generatio quæ prodentibus gladios habet, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Aliquando* etsi non eos spoliant, subtrahunt pauperibus ea, quæ eis de iure naturæ debentur. Aliquando vnus gulosus expendit in superfluitate, vnde decem vel plures pauperes refici possent. Bernard. *Noli putare gratuitum quod expendis pro Christo in pauperes, velis nolis debitor es. Aliquando* alios scandalizant, eos scilicet qui videntes diuitum & epulosorum delicias & superflua, non habent necessaria & tristantur. Seneca, *Vicinus diues cupiditatem irritat conuictori.* Ad Rom. 14. *Si propter cibum tuum frater tuus contristetur, iam non secundum charitatem ambulas; noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Similis est gulosus Esau, qui propter modicam delectationem lenticulę, vendidit ius primogenituræ, sicut legitur Genes. 25. *Abijt parùipendens quod primogenita vendidisset.*

2. Gula obruit sanitatem.

SECVNDO gula obruit sanitatem. Sen. *Impone concupiscentiæ tuæ frænum, omnia quæ sunt blandimenta reijce, ede cum eruditione, bibe citra ebrietatem, nec præsentibus delicijs inhærebis, nec desiderabis absentes; victus cibi ex facili sit, palatum tuum fames excitet, non sapores; paruo fomes constat, magno fastidium; non in rebus vitium est, sed in animo; nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio; fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi nimia sunt inquinant, & non alunt,* Eccl. 37. *In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram: propter crapulam multi perierunt.* Eccl. 31. Econtra *vita in sobrietate* &c. Seneca. *Quis hostis in quemquàm sic contumelioſus fuit quantum in quosdam voluptates suæ: quę non solum eos excęcant corporaliter; sed faciunt eos mutos, paraliticos, & contractos; & diuersis infirmitatibus corporaliter & spiritualiter obligatos.*

Simile. SIMILIS est gula squinantiæ, quæ per gulæ inflationem, cito & subito hominem suffocat. Sobrietas econtra vitam prolongat. Eccles. 37. *Qui abstinens est, adijciet vitam.* Seneca. *Potest nostra prouidentia huic corpusculo longiorem prolongare moram, si voluptates quarum maior pars infirmitatem parit, poterimus regere & coercere. Similis* est cuidam infirmitati, quę dicitur Bolismus, id *Simile.* est appetitus caninus. Prou. 13. *Venter impiorum insatiabilis.* periculosa est hæc infirmitas, cui medicamentum vertitur in nocumentum & augmentum. Gregor. in mor. *Quot solatia quasi ad viuendi vsum quærimus, quasi tot nostræ infirmitatis medicamentis obuiamus; quia hoc ipsum medicamentum in vulnus vertitur. quia exquisito remedio paulò diutius inhærentes, ex eo grauius deficimus, quod prouidè ad refectionem paramus.* Hæc infirmitas, quando venit vsque ad senectutem in senibus, magis crescit, quo vita plus decrescit.

Exemplum. IN historia transmarina scribunt Brachmanni Alexandro. Mensas nostras deliciis non implemus; & ideo nobis nec nocent, nec infirmitates generant; apud nos enim illicita est ventris extensio: proinde sumus sine aliqua ęgritudine, & diu viuimus, & quamdiu viuimus sani sumus. Medicinas nullas facimus, quia naturam nostram nullis superfluitatibus grauamus. *Item* Dandamus magister Brachmannorum ad Alexãdrum dicens: Tantis & tam inconuenientibus rebus, tanquam contrariis, vestrum corpus repletis, quod cum ipsis compugnantibus corrumpitur, & post arte medicorum corpora vestra euacuatis, & turpitudinem maximam atque ægritudinem per hoc vobis acquirentes, ipsam quoque euertere tali curatione cupitis, habentes voracitatis supplicium, non salutem.

IN decretis de conse. distinct. 5. Io. Chrysost. *Nihil sic ponderosum est, sicut cibus non bene digestus, aut decoctus; nihil sic salutis aut sensuum acumen operatur, nihil sic ęgritudinem fugat, sicut moderata refectio. Sufficientia nutrimenti sospitatem procreat, simul & voluptatem: exuberantia vero morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat, & facit: fames vero paucis diebus liberat hominem ab hac pœnali vita, excessus cibi subito occidit, vel diuturna ægritudine afficit & occidit.* Hieronym. *Cibos regios sequuntur morbi regij, vt lupus, & gutta, qui non libenter requiescunt in hominibus parcis & laborioſis.* Fabulosè ponitur exemplum de gutta & pulice. obruit igitur gula sanitatem, & varias infirmitates generat, frequenter etiam inducit mortem, morbo subito crudeli & improuiso. Iob 20. *Cum satiatus fuerit æstuabit & arctabitur: Omnis dolor irruet super eum.* Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei irruit super eos.* Iob 2. *Dum filij Iob comederent & biberent in domo fratris suiprimogeniti, ventus vehemens irruit à regione deserti, & oppressit omnes.*

Simile. NOTA quod dæmones impinguant gulosos, sicut porci impinguantur in pascuis glandiũ, quas auide sumunt; nec eum qui excutit & dat eis respiciunt, & dum attendunt glandibus comedendis, lanista percutit eos securi, & subito occidit incautos. Similiter diabolus hominem occidit, sicut bouem lanista. *Faciunt* dæmones de gulosis, sicut faciebant Arelatenses tẽpore gentilitatis, vt dicit magister Geruasius li. 2. de mirabilibus *Exemplum.* terrarum. Hi iuuenes tres emebant, quos per totum annum delicioſe pascebant, & in fine anni eos impinguatos occidebant, & super aram latam erectam super columnas altas, singulis annis eos dæmonibus immolabant. Ideo Arelatum dicebatur, quasi Ara lata. Sanguine autem illorum iuuenum innocenter occisorum, se conspergebant, quasi per eum purgarentur. Quos arguit sanctus Crosinius prædicans eis fidem, & quod purgandi erant per sanguinem Christi innocentis. Similiter diabolus gulosos, postquam diu pauit & impinguauit, male occidit. Hier. cuidam diuiti pingui ait. *Impinguatus es ad victimam, & quasi bos per amena pascua duceris ad occisionem.* *Item* ad hoc facit quod legitur, dial. *Exemplum.* 40. ca. de monacho, qui cum crederetur ieiunare, comedebat occulte; qui infirmitate ad extrema perductus, dixit hoc fratribus, quod draconi datus erat ad deuorandum propter dictam causam, qui iam cauda sua eum ligauerat, & eius spiritum absorbebat, os suum tenens in ore eius, & cum hoc dixisset, defunctus est.

3. Sensum obnubilat. TERTIO gula sensum obnubilat. Iob. 28. *Non inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium.* Dan. 1. Tres pueri, quia præ cæteris fuerunt sobrij, inueniuntur sapientiores cæteris cibis nutritis regiis. Senec. *Copia ciborum subtilitas impeditur.* Hier. *Pinguis venter non generat tenuem,* id est subtilem *sensum.* Et Tullius. *Mente recta vti non possunt, multo cibo & potu repleti.* Vnde per ingluuiem, nõ auertit nec præuidet pericula. Vnde Amnon primogenitus regis Dauid, occisus est in cõuiuio, 2. Reg. 14. *Per* *Exempla.* gulam vicit Cyrus Rex Persarũ Scithas, & exercitum Thamaris Reginæ, secundum quod legitur in Orosio 51. 3. quę misit filium suum cum tertia parte gẽtis suæ. Quod audiens Cyrus, fecit apponi mensas & vinum iuxta fluuium, cum maximo apparatu ciborum, & fugã simulauit quasi territus. Barbari autem mensas paratas inuenientes, sederunt comedentes & bibentes, & cum repleti essent cibo & inebriati, Cyrus rediens de facili superauit eos, & occidit omnes 4. Reg. 20. Benadab temulentus cibis & vino repletus, cum viginti duobus Regibus qui erant cum eo victus est, per pedites Principum prouinciarum. Sic etiam extremis temporibus vacantes commessationibus & potationibus, non aduertent mortem sibi subito imminentem, nec venturũ iudicium, sicut nec homines diluuium subito super eos irruens aduerterunt. Luc. 17. *sicut in diebus Noe edebant & bibebant* &c. *venit diluuium & perdidit omnes, Similiter sicut factum est in diebus Lot edebant & bibebant,* &c. Sequitur: *pluit ignem & sulphur de cælo, & perdidit omnes* &c.

Gula reddit hominẽ brutalem. IN TANTVM gula sensum obnubilat, quod reddit hominem brutalem, vt nihil spirituale, nihil ad salutem pertinens, nihil quod sit rationis, intelligat aut cogitet, sicut brutum. Sicut de quibusdam dicitur

2. Petr. 2. *Hi velut irrationabilia pecora, in captionem & perniciem, in corruptione ſua præibunt.* Et poſt. *Deliciis affluentes in conuiuiis ſuis.* & magis etiam ſunt irrationabiles brutis, quæ non incidunt in laqueos & pedicas, quas vident. Hier. *Bruta animalia & vage aues, in eaſdem pedicas & laqueos & retia non incidunt.* Seneca. *Limitata eſt natura à brutis animalibus, homo vero eum liberum arbitrium habeat, à natura euagatur. Quod enim propria facimus auctoritate, ad naturæ referimus neceſſitatem.* Item. *Quoſdam ventri obedientes, loco animalium numeremus, non hominum.* Item. *Qui poſt carnem ambulant in deſideriis proni, quaſi irrationabilia iumenta reputantur.*

4. Deſtruit honeſtatem.

QVARTO gula deſtruit honeſtatem, ſcilicet conuerſationis & morum. Threnor. 1. *Egreſſa eſt à filia Sion omnis decor eius.* Facit enim hominem pronum ad multa mala quæ generat in guloſis, ſicut ſuper illud. Pſalm. QVI PERCVSSIT ÆGYPTVM &c. Dicit Gloſſ. *Luxuria & ſuperbia & concupiſcentia, ſunt ea, quæ venter generat.* Hoc non facit niſi per gulam. Hier. *Duo ſunt vitia ex omnibus quæ maximè decipiunt hominem in ſuis voluptatibus, gula, ſcilicet & libido, quæ deponere eo eſt difficilius, quo eis vti dulcius.* Primò gula generat luxuriam, quia venter ſicut eſt ſupra genitalia, quaſi dominium habens in eis, ſuperfluitas illius, vt humor corruptus, cito tranſit ad genitalia. Hier. *Venter mero & cibis æſtuans, cito deſpumat in libidinem.* Hier. 5. *Saturaui eos & mœchati ſunt* &c.

Gula generat luxuriã, immiſericordiã loquacitatẽ, ineptam lætitiam, & omnia mala.

ITEM auaritiam generat. Hier. *Deliciæ & epularum varietas, auaritiæ fomenta ſunt: tolle epularum & libidinis luxuriam, nemo quærit diuitias; quarum vſus in ventre, & ſub ventre ſunt.* Item immiſericordiam. Luc. 16. patet hoc de diuite epulone, Amos 6. *Bibentes vinum in phyalis, & optimo vnguento delibati, nihil compatiebantur ſuper contritionem Ioſeph.* Item generat loquacitatem, ſicut ait Gregor. *Abundare in conuiuiis loquacitas ſolet:* verſu 3. de Deo & ſanctis blaſphemando, vel de proximis detrahendo. Prouerb. 13. *Noli eſſe in conuiuiis eorum qui carnes ad veſcendum conferunt.* Quod faciunt aliquando, qui in conuiuiis ſuis blaſphemant, vel bonis detrahunt. Aliquando in conuiuiis ſuis abſtinent à carnibus animalium, & deuorant carnes epiſcoporum, & ſacerdotum, & aliorum. Contra quos B. Auguſt. in menſa ſua fecerat ſcribi hos verſus.

Si quis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.

ITEM generat ineptam lætitiam, id eſt iocos, cãtus, laſciuias, diſſolutiones, quibus effunduntur homines, ſicut vituli ſuper herbam. Hier. 31. *vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga.* Greg. *Cùm corpus in refectionis delectatione occupatur, cor ad inane gaudium relaxatur; & penè ſemper epulas loquacitas comitatur; cumque venter reficitur, lingua defrenatur.* Primo male conuiuantibus famulatur culpa loquacitatis, poſtmodum ludẽdi leuitas ſequitur. ſicut fecerunt filij Iſrael, de quibus dicitur Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere:* ſcil. cantare, & choros ducere circa vitulum conflatilem, & eum adorare. *Breuiter* loquendo, gula omnia mala generat, quia guloſus eſt ſeruus omnium vitiorum. Gula eſt enim oſtiaria diaboli, introducens eum cum tota familia ſua, id eſt vniuerſitate vitiorũ. quod ſignificatur, Luc. 9. *Immundus enim ſpiritus non inueniens requiem in locis aridis, redit, introducens ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.*

5. Immittit corporales anguſtias.

QVINTO gula immittit corporales anguſtias & dolores, immo gulæ vitium fuit in Adam cauſa omnium malorum præſentium, famis, frigoris, caloris, paupertatis, & miſeriæ, quam ſuſtinemus, & quam Chriſtus ſuſtinuit, & ſuſtinet in membris ſuis. Multum debemus habere eam exoſam, quæ tot mala fecit nobis, & anteceſſoribus noſtris, & faciet nobis, & ſucceſſoribus noſtris, quos occidet, ſicut occidit anteceſſores. Omnis enim creatura viſibilis videtur multum læſa in peccato primi hominis, qui peccauit per gulam. Et ſi tantum nobis nocuit gula aliena, poſſumus aduertere, quãtum nobis nocebit peccatum gulæ, in iudicio iuſti iudicis, quod noſipſi voluntariè perpetramus. Propter culpam enim alienæ gulæ, cecidimus de paradiſo voluptatis, in vallem miſeriæ, & foueam profundam, in exilium & deſertum. Apoc. 3. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam.* Simile. *Lupus* cadens in foueam, & inueniens in ea ouẽ, quæ in ea poſita erat ad eum decipiendum, & captus in pedica, erubeſcit ſe captum propter gulam, & non guſtat de oue, licèt eſuriat: nec auis capta per gulam laqueo, guſtat granum propter quod capta eſt, ſed abſtinet, conſiderans ſe captam cibo. Sic nos debemus abſtinere à vitiis gulæ, propter quas hic cecidimus, & capti detinemur. *Item* gula propria grauat cor & animam multipliciter. Iob 20. *Cum ſaturatus fuerit, arctabitur & æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum, vtinam impleatur venter eius.* Luc. 21. *Videte ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate.* Eccl. 5. *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire.* Bern. *Infelix ſtomachus, dum oculi coloribus & palatum ſaporibus allectantur, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, magis inde grauatur & obruitur, quàm reficitur.*

6. Inducit in vile ſeruitiũ.

SEXTO gula inducit in graue dominium & vile ſeruitium; eius enim ſeruitus eſt grauiſſima, viliſſima, nequiſſima. Eius inquam ſeruitus eſt laborioſa ſua grauitate intolerabilis, ignominioſa ſua vilitate abominabilis, pernicioſa ſua prauitate deteſtabilis. *Eius* inquã ſeruitus eſt laborioſa ſua grauitate intolerabilis; venter enim eſt grauiſſimus exactor, cui difficile nimis eſt ſeruire: quotidianum enim & continuum tributũ exigit, & eum qui plus ei ſeruit, grauius opprimit: & cũ pluries & de pluribus ei ſeruitur, frequentiorem & maiorẽ exigit exactorem. Cuius vocem ſancti audiunt, ſed non exaudiunt: quia eius tentationi non conſentiunt. Iob 3. *Non exaudierunt vocem exactoris.* Audiunt, inquã, ſed non exaudiunt, quia clamant ad Dominum, dum tentationem carnis propriæ, contra ſpiritum ſentiunt. De hoc exactore dicit Alcuinus. *Nullus homo tã importunus exactor eſt quam venter, qui quotidiana refectione vult impleri, fame exigente.* Item Senec. ad idem. *Venter præcepta non audit, poſcit, appellat: non eſt tam importunus creditor; des ei quãtum debes, non quantum potes. Grauis eſt hic exactor, qui in elementis vult habere dominium, & de omnibus exigit tributum.* Hier. *Tauri multi paucorum iugerum paſcuis aluntur, ſilua vna pluribus elephantibus ſufficit, mare ſufficit piſcibus & aqua, terra quadrupedibus, vẽtri autem non ſufficit vnum elementum cum ſuis animalibus, ſed vult habere volucres cœli, & piſces maris, & beſtias terræ.* quia vt dicit Innocentius PP. *Guloſis non ſufficit fructus arborum, grana leguminum, radices herbarum piſces maris, beſtiæ terræ, volucres cœli, ſed quærũt pigmenta, comparant aromata, nutriuntur altilia, capiuntur obeſa. Tot enim exigit venter miniſtros ad hoc faciendum, quorum alius excoriat, alius lacerat, alius coquit, alius aſſat, alius frigit, alius contundit, alius colat, alius confundit & conficit, & ſubſtantiam conuertit in accidens, & naturam in artem, & ſaturitas tranſit in eſuriem, & faſtidium in appetitum.*

Seruitus vẽtris eſt grauiſſima & intollerabilis.

DE his multa leguntur exempla de exactione ventris. In collationibus, patrum 51. 12. *Quidam* eremita dixit cuidam Philoſopho. Pater meus dimiſit me multis debitoribus obligatum, cæteris ad integrum ſolui, vni eorũ quotidie oportet me ſoluere, & ſatisfacere ei non poſſum, quia per Dei gratiam mundum contempſi, & omnia reliqui, & ab omnibus, quæ in mundo obligatũ me tenebant liberatus, à caſtrimargiæ ſtimulis cauere non poſſum. Exemplum.

IDEM loquitur de ſancto Serapione, qui apparens, id eſt impaſſibilis, dicebat quod nihil vnquam poſſidere curatur, nec cellam, nec aliud, ſola ſyndone contentus, qua tegebatur ſemper quocunque iret, ſcientia peritiſſimus, per mundum diſcurrens, mente & corpore, diuinarum ſcripturarum & rerum contemplatione abſorptus, ferebatur. Cum autem apud Athenas veniſſet, & per triduum ſine cibo manſiſſet, quarta die ſtetit ſuper colliculum vrbis, vbi primates eius ad cõcilium conſueuerant conuenire; ibi manus percutiens clamauit: Viri Athenienſes occurrite; Vimpatior ſuc- Exemplum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tior succurrite. Quibus conuenientibus & quærentibus, quę esset vis illa quam pateretur, ait: De Ægypto huc monachus descendi, & in trium fæneratorum manus incurri, duobus debitum soluens, ab eis me expediui, eorum improbitatem effugiens; tertius me vrget, nec habeo vnde satisfaciam ei. Tunc viri Athenienses ei adiutorium promittentes, rogauerunt eum vt exhiberet dictos fœneratores; qui ait: Hi tres fœneratores. qui me à principio iuuentutis molestabant, sunt mundi cupiditas, carnis voluptas, ventris voracitas. Duos primos euasi, nec vltra mihi molesti sunt: Tertium vero, scilicet ventris voracitatem, post triduanum ieiunium ferre non possum, sed mortem mihi minatur nisi tributum soluam. Quidam autem ei compassus, vnum solidum obtulit ei, quem pro vno pane dans, abiit.

Voluptas gula vilis & transitoria.

BENE debet huius exactoris seruitus reputari grauissima, quia quasi pro nihilo labores, solicitudines, & expensas innumeras & immensas imponit. bene dico pro nihilo, immo minus quam pro nihilo; quia pro delectatione quæ cito transit, & in putredinem conuertitur. Gregor. *In voluptate carnis cito præterit quod delectat, æternum autem est, & sine fine quod cruciat.* Vix enim durat in transitu suo per spatium duorum digitorum voluptas, quæ tanti æstimatur & emitur: vix duorum latitudinem continet digitorum sua delectatio, quæ cito conuertitur in putredinem & abominationem; ita vt ex quo cibus quantumcunq; delectabilis & pretiosus, fuerit immissus in ventrem, ita redditur abominabilis, quod si per eandem partem fuerit emissus, per quam fuerit in ventrem missus, maiorem dolorem & afflictionem in emittendo facit, quam delectationem in intromittendo, & ita fit emissus fœdus & abominabilis, quod nullus est tã famelicus, qui non horret resumere emissum vel à se, vel ab alio, cibum. Ideo fatuus est qui multo pretio emit pretiosa, vt ponat ea in vase, de quo scit quod est talis conditionis, quod omnia quę intromittuntur fiunt statim fœda & abominabilia. tale vas est venter: vnde Hier. *Non est curandum vnde conficiantur stercora.* Innocentius PP. *Gula tributum exigit, & corruptum reddit; quia quanto delicatiora & pretiosiora fuerint tibaria, fœtidiora sunt stercora; turpiter ingeritur, quod turpius egeritur.* Pro re tam breui & inutili, imponit gula labores, curas, inquietudinem mentis, & sumptus maximos, sicut patet ex dictis. Et Hier. *Propter brevem voluptatem, terræ lustrantur & maria, & vt pretiosus cibus fauces nostras transeat, totius vitæ nostræ tempore desudamus.* Item. *eorum cane appetitum, qui maiorem habent pœnam in acquirendo, quam voluptatem in abutendo.*

Seruitus gulæ vilissima.

ITEM hæc seruitus est vilissima. Vile quidem est seruire pecoribus, puta porcis & canibus sicut filius prodigus qui pascebat porcos. Luc. 15. Vilius est seruire stercoribus, vilissimum seruire dęmonibus. vilis est hæc seruitus, quia Dominum, id est spiritum, subiicit corpori, asinum asinario, equum militi, ancillam Dominæ supponit. Prou. 19. *Non decent stultum deliciæ, nec seruum dominari Principibus.* Prouerb. 30. *Per tria mouetur terra,* &c. scilicet per *seruum cum regnauerit.* Seneca. *Multis seruiet qui corpori seruit.* hæc patitur qui seruit dominę gulæ, scilicet cum multo sumptu & labore, quę quamcito tetigerit quod ei sic paratur, statim mittit illud in locum corruptionis & perditionis; cui cum plus seruitur, grauiori seruitute deprimit. *Item* vilior est hæc seruitus, quia facit seruire stercoribus, id est confectione stercorum, replere vas & saccum stercorum, & latrinas; cum vilissimi reputentur qui eas euacuant. Vilissima seruitus est intendere refectioni vermium, & esse cocum eorum & seruum, & impinguare eorum prædam: & seruire illi dominæ quæ totum tempus & laborem hominis requirit. Eccles. 6. *Omnis labor hominis in ore eius.*

Gula subijcit hominẽ diabolo.

ITEM vilissima est hęc seruitus, quia subiicit dæmonibus; qui habitant in locis humentibus, non inuenit diabolus requiem in locis aridis, sed in porcis: Vnde legio clamauit ad Deum, vt eos mitteret in porcos, & hoc obtinuit, de quibus Glo. *Nisi quis more porci vixerit, in eo diabolus potestatem non habebit.* Porci sunt, qui modo porcino viuunt, & ita gulæ & luxurię immunditiis dediti, per hoc dæmonibus sunt subiecti. Diabolus enim per gulam capit, tenet, & alligat; gaudet, & ridet, sicut lætantur aucupes quando vident aues per gulam captas laqueo; & piscatores, quando vident pisces captos per gulam hamo. Eccles. 9. *Sicut aues laqueo & pisces hamo sic capiuntur homines in malo tempore.* Eccl. 18. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias suas, dabit te in gaudium inimicis tuis.* Anima sumitur ibi pro animali appetitu, & sensuali.

Exemplum.

IN vita sancti Philiberti legitur quod cum semel plus solito comedisset, & venter eius intumeretur; accessit ad eum diabolus, palpans ventrem manibus suis, dicens applaudendo & gaudendo, modo bene hic, modo bene. Capit diabolus peccatorem per gulam, sicut latro capit hominem vt iugulet. Seneca. *voluptates inter res vilissimas reputa; & præcipuè extirpa, ne more latronum nos complectantur vt iugulent. Vitium* gulæ est frænum & capistrum diaboli, quod ponit ad os & collum gulosi, vt circumducat eum quocunque vult.

Gula est laqueus diaboli.

GVLÆ vitium est laqueus diaboli, quem diabolus quasi auceps ponit in via per quam necesse habemus transire, sicut faceret venator ferę. Psalm. 141. *In via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi.* Hoc laqueo cepit primos parentes, & attentauit capere Christũ per gulã, cũ tentauit de gula. Greg. ibid. DE NECESSITATIBVS MEIS ERVE ME. *Necessitates corporales hoc habent periculosum, quia in eis sæpe minime dignoscitur, quid contra eas vitio vel vtilitatis studio agatur.* Augustin. *Sumenda sunt alimenta quasi medicamenta. Sed dum ad quietem satietatis ab indigentia transitur, in ipso transitu laqueus concupiscentiæ insidiatur.* Et post. *Gaudet infelix anima, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Greg. in mor. *Diabolus primum hominem non in carne, sed in pomo sibi subdidit seruum Adam: Christum non de carne sed de pane tentauit, vtique sumenda sunt quæ naturæ necessitas quærit, non quæ libido suggerit. Sed magnus discretionis labor est necessarius, huic exactori ventri aliquid impendere, & aliquid denegare: & in dando gulam restringere, & dando naturam nutrire; quia voluptas sub necessitate se palliat, vt eam vix quisque perfectus discernat.* Item Greg. *Omnes vitijs suis fauent; & quod ob carnis voluptatem faciunt, ad necessitatis referunt occasiones, & sub necessitatis velamento vitium voluptatis exercent.* Capit autem diabolus gulosos, sicut rusticus capit vrsos, liniens ramos arboris melle, & cum gradatim ascendit per ramos arboris, credens attingere ad examen & fauum, quem credit inuenire in arbore, subito cadens rapitur in fouea quam rusticus subtus ei parauit. Sic gulosus delectationem quærit per diuersa fercula, quibus repletus incidit in foueam diaboli, scilicet in peccatum luxuriæ, vel aliud; & tandem in infernum.

Gula reddit Deo exosum.

SIC igitur patet ex dictis, quod gulæ seruitus est laboriosa, & sua grauitate intolerabilis. Est etiam seruitus ignominiosa sua fœditate abominabilis. Est nihilominus pernitiosa seu flagitiosa sua prauitate detestabilis. Gula quippe reddit hominem Deo abominabilem & exosum, quia creaturam vilissimam deificat, præferens eam Deo. Phil. 4. De gulosis dicitur. *Quorum Deus venter est.* Glos. *quod præ cæteris diligitur & colitur, hoc vnicuique Deus est.* Odit Deus gulosum. quia templum suum conuertit in fanum diaboli, & in latrinam seu vas stercorum, & sentinam omnium vitiorum, ac habitaculum dæmonum, imaginem Dei deturpat, & denigrat; Dei quoque maiestatem blasphemat. Vnde super illud 1. Corinth. 10. *Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Glos. *Si ventris sit nimia voracitas, si te vino ingurgites, quantas licèt laudes lingua resonet, vita blasphemat.*

7. Tollit delicias meliores scil. spirituales & æternas.

SEPTIMO gula vel gulosus amittit, delicias meliores, internas sc. & æternas. De spiritualibus, & internis dicit

dicit Bern. ad Fulconem: *quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic nec spirituales deliciæ & carnales.* Immo sicut aqua extinguit ignem, sic gula extinguit Spiritum sanctum gratiam. Hoc significatur in hoc quod Ioan. qui gratia interpretatur, & lucerna Christi dicitur, in conuiuio Herodis occiditur. Et ecõtra, Spiritus sanctus Apostolis ieiunantibus & orantibus datur. Qui seruare vult hunc ignem, seruet eum in sicco sobrietatis, non in humido voluptatis, Rom. 8. *qui in carne sunt Deo placere non possunt.* In carne dicuntur esse, qui carnalitati & prudẽtiæ carnis, quæ est mors animę, inseparabiliter sic adhærent, quod ab ea separari non possunt; contempta prudentia spiritus, quę est vita & pax, Heb. 13. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis*, &c. Gulosi vero neglecta anima sic curant pascere ventrem suum, quod eã bonis spiritualibus vacuam esse dimittunt. Contra tales dicitur, Iob 24. *Obliuiscatur eius*, .i. gulosi, *misericordia, pauit enim sterilem quæ non parit* .i. carnem, *& viduæ nõ bene fecit*, .i. animę, Bern. *stulti æstimatores, de minimis maximam.* i. de corporibus, *& de maximis* .i. animabus, *minimam curam gerunt. Similes* illi præpositio, qui canem suum tantũ impinguauit, quod regis filiam sibi ad nutriendum cõmissam iugulauit. Sic caro nimis impinguata, spiritum deiicit & occidit; vt asinus nimis impinguatus leprosum Dominum qui præsidet ei. Econtra *sancti Dei*, vt dicit Greg. *carnem domant, spiritum roborant.* Galienus, *ciborum concupiscentiæ animæ sunt detrimenta, & quanto plus venter impletur, anima minoratur in interioribus virtutibus, & in exterioribus moribus.* Bern. *Quid dicitis obseruatores ciborũ & neglectores morum? Hypocras & sequaces eius, docuerunt animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli eas perdere; quem è duobus magistrum sequi eligetis? At pro se manifestum se facit, qui sic disputat. Hoc oculis, vel capiti; illud stomacho, vel ventri nocet. Porro vnusquisque quod à magistro suo didicit, illud profert in medium.*

Simile.

Exemplum. LEGITVR in miraculis B. Virginis, quod beata virgo curam habet eorum, qui non curant de ventris ingluuie. In quadam religione cum quidam medicus intrasset, & respueret cibos communes dicẽs, hoc nocet capiti, hoc oculis, hoc stomacho; cum esset in refectorio semel, & cibaria communia fastidisset vt solebat: vidit beatam virginem transeuntem per refectoriũ, habentem vnam pixidem in manu vna, & in alia coclear; & cum cocleari in ore singulorum de electuario suo ponentem; & ita cibaria dura eis sapidissima reddebantur. Cum autem ad eum veniret, & hac visione lętificatus, os aperiret, beata virgo manum retraxit dicens; tu tibi tua electuaria habeas, quia de meo nõ gustabis. Sicut videtur delicatis auferre saporem à cibis delicioſis Deus, ita videtur Deus per contrarium excitare & purgare appetitum pauperum, vt sint eis sapida & delectabilia grossa cibaria.

Exemplum. AD quod ponit exẽplum magister Iac. de Vitriaco, dicens, quod in diœcesi Rhemensi fuit quidam prælatus diues & delicatus, & fastidiosus deliciis, quod ita amiserat appetitum, quod diuersis deliciis non poterat recreari, aut sustentari; sed quasi moriebatur languens inter delicias. Qui desperans de salute corporis, ordinẽ intrauit; vbi qui multos habebat pileos, cæpit ire nudato capite, & vti parce asperis cibis & raris, & appetitũ recuperare, & auide comedere. Quod audiens Archiepiscopus Rhemensis visitauit eum, quia familiaris ei valde fuerat, & fecit ei pitantiam, & comedit in refectorio cum eo; & intuens eum qui prius erat lãguidus præ deliciis, vidit eum viuidum & sanum, & comedentẽ auidè plenam scutellam de fabis: post, aliam de oleribus. Quod cum videret, accepit scutellam suam, dicens seruitori coram omnibus, vade porta ei scutellam meam, & dicas ei quod mando sibi; quod si non sufficiant ei ea quæ intus sunt, comedat scutellam & totũ. & benedixit Deum in mirabilibus suis, *qui esurientes replet bonis, & diuites dimittit inanes.*

Gula facit animam vacuam deliciis cælestibus. NON solum vacuam facit animam deliciis spiritualibus & internis, verumetiam cælestibus & cæteris, de quibus in Ps. 16. dicitur. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

A Vnde hic faciam vigiliam, vt in festo gaudeam: in vigilia abstinebo, in festiuitate me satiabo. Bern. *Totũ tempus præsentis vitæ vigilia est solemnitatis futuræ, nec curauerit vigiliæ asperitatem, si consideres solemnitatis æternitatem & immensitatem.* Ps. 103. *Expectabunt onagri in siti sua*, qui licèt vehementer sitiant, nolunt tamen bibere aquas turbidas, sed expectant vsquequo perueniant ad limpidissimum fontem. Aquæ turbidæ & defluentes sunt tẽporales delitię, sed delitię æterni gaudij permanẽtes. Ps. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, &c. *Dicunt* naturales, quod Salmones de mari in quo nutriuntur, aquas dulces sitientes, per fluuium ascendentes, non quiescunt nec retrocedunt, vsquequo venerint si possunt ad fontem viuum. Hic inuitati sumus ad cœnam agni prouidi delicatissimam: Qui ad cœnam delicatissimam inuitatur, abstinet libenter in prandio à grossis & asperis cibis prãdij, vt possit postea delicatioribus quę parantur in cœna se replere; de quibus non gustabunt propter alias delicias, istius contemptores. vt legitur Luc. 14. *Impossibile est enim*, vt dicit Hier. *temporalibus simul & cælestibus delicijs perfrui: hic ventrem, & ibi mentem replere.* Seneca. *Si vis in perpetua voluptate esse, non voluptatibus adijciendum est, sed cupiditatibus subtrahendum.*

Simile.

Exemplum. CVM quidam claustralis, in quodam monasterio duram & asperam vitam gerens cum aliis claustralibus, attenderet quod officiales multis frequenter deliciis fruerentur in cameris, bona abbatię cõsumentes; murmurabat in corde suo. Cum autem quadam die multi conuenissent priores & abbates, euntes ad capitulum; abbas illius abbatię fecit eis multa delicioſa, & diuersa fercula præparari, & datus est dictus claustralis eis seruitor. Cum autem sederent ad mensas cum dictis officialibus, & deportasset dictus claustralis ferculum primum & grossius, ait: Accipite hoc & nihil vltra. Quod audientes comederunt multum de dicto ferculo, non sperantes de aliis. Idem dixit cùm apponeret secũdum ferculum, & tertium, & sic de aliis; & tantum comederunt de primis, quod non potuerunt de delicatioribus vltimis aliquid comedere. Vnde finito conuiuio, conquesti sunt abbati de dicto monacho: quem vocauit abbas suus, volens scire quare hoc diceret, & compulit eum dicere. qui ait: Vos Domini magni, bona abbatiarum voluptuosè expenditis, de quibus claustrales ieiunant, & de loco pœnitentiæ claustri, facitis vobis paradisum voluptatis: & quia partem hic accipitis, & deteriorẽ eam facitis, quæ post hanc vitam ventura est: cùm non sit transitus à deliciis ad delicias, qui præsentes delicias pro parte accipitis, nihil deliciarum vltra hanc vitam vos habituros confidatis; secundum quod dicit Dominus diuiti epuloni. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc vero hic cõsolatur, tu vero cruciaris. Item* in vitis pat. cum quidã quæreret à quodam patre, cur tanta abstinentia se afficeret, ait: Omnes labores vitæ meæ nihil sunt, ad comparationem vnius diei laboris futuri, aut vnius horæ refectionis æternæ, in qua nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quę præparauit Deus diligentibus se, & expectantibus implere se, & delectari amore illius refectionis, quæ exuperat omnem sensum, & desiderium.

Exemplum.

8. Ducit ad tremendum iudicium & horrendum supplicium. OCTAVO gula perducit ad tremendum iudicium, & horrendum supplicium. Ad tremendum inquam iudicium, quia tam de excessibus gulæ, quam de sumptibus superfluis oportebit reddere rationem: nã pro vno ventre pascendo, vel de hoc quod gulosus vnus expẽdit in vno prandio, possent multi pauperes refici, qui aliquãdo ex eo quod superflue expenditur, spoliantur, Eccl. 12. *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bonis sit cor tuum; & scito quod pro omnibus his adducet te Dominus ad Iudicium.* Bern. *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & scito quia cito veniet, quæ te pro hoc absorbebit subito æterna tristitia.*

QVIDAM comes Pictauensis scire voluit quis status esset in hominibus delicatior. Et cum transfiguraſſet habitum suum, & diuersos expertus fuisset mores, status, & societates diuersorum hominum, redit ad pristi-

num

num ſtatum dicens, quod delicatiſſima erat vita mercatorum in nundinis, qui intrant tabernas, in quibus inueniunt promptas & paratas quas volunt delicias, niſi vnum obſiſteret, ſcilic. finalis ratio, quam habent reddere de omnibus ſumptibus factis, & plene ſoluere omnia etiam minuta, quę tam hilariter expenderunt. Sic in egreſſu mundi oportet reddere rationem de omnibus expenſis.

Exemplum. AD HOC facit exemplum de quodam monacho, qui factus Epiſcopus ſtatim reiecit, quātum ad victum & habitum, ea quę ad monachum pertinebant. cum autem veniſſet ad abbatiam de qua fuerat aſſumptus, & monachi facerent ei magnum feſtum; quidam frater conuerſus, vir vtique valde religioſus & contemplatiuus, aſtans ei, in cogitationibus ſuis totus videbatur abſorptus. quem intuens Epiſcopus irriſorie dixit B ei: Frater, dicas nobis quid in raptu tuo vidiſti? cui vehemēter inſtanti, frater ille reſpondit. Domine ex quo me compellitis dicam vobis. Videbatur mihi quod dū eſſem ante ianuam paradiſi, veniebatis & vos illuc, rogans portarium vt vos intrare permitteret. Inquirenti illi quare deberetis intrare, & quę eſſet conditio veſtra vel profeſſio; reſpondiſtis vos eſſe monachum ſancti Benedicti. Vocatus autem ſanctus Benedictus, & requiſitus an vos recognoſceret monachum eſſe ſuum, ait quod vix apparebat in habitu, ſed requireret in victu. Inquirenti portario quomodo poſſet hoc cognoſcere, dixit: aperiatur venter eius, & videamus ſi plenus eſt fabis refectorij, quo aperto, nulla faba vel cibus refectorij ibi eſt inuentus, ſed coxæ caponum, gallinarum, & anſerum, ac volatilium aliorum. propter quod C iudicatum eſt vos non debere illuc intrare cum obſeruatoribus regulæ ſancti Benedicti. Rom. 14. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, nec corruptio incorruptionem.* Hier. *Impoſſibile eſt vt præſentibus & futuris quis fruatur bonis, vt hic ventrem, & ibi mentem repleat; vt de delicijs tranſeat ad delicias, vt in vtroque ſæculo primus ſit; vt in cælo ſimul & in terra appareat glorioſus; vt hic cum hoc ſæculo gaudeat, & in cælo cum Chriſto regnet.*

Ex quibus ſequitur quod gula perducit ad horrendum ſupplicium, ſicut manifeſte docetur, Luc. 16. *Mortuus eſt diues, & ſepultus in inferno.* Et poſt. *Crucior*, ait, *in hac flamma.* Iſa. 65. *Qui comedunt ſuillam & ius profanum in vaſis ſuis; iſti ſumus in furore meo, & ignis ardens tota die.* Naum 1. *Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium pariter potantium, quaſi ſtipula ariditate plena conſumetur ab* D *igne*, ſcilicet infernali, Iob 20. *Vtinam impleatur eius venter, vt emittat in eum Dominus iram furoris ſui, & pluat ſuper eum bellum.* *Simile.* Dicebat magiſter Iacobus, quod diuites epulones ſunt ſimiles accipitri, qui viuit de rapina, auis rapax & vnguibus tenax, qui delicate in vita ſua carnibus paſcitur, honorificè tractatur, portatur & palpatur; ſed quam cito mortuus eſt, & pluma eſt ei ablata, in lutum proiicitur carnibus & auibus deuorandus. Ecōtra gallina cum magna mendicitate acquirens ſibi victum, in vita ſua abiicitur; mortua autem honorificè tractatur & paratur, & ſuper menſam regis apponitur. Sic diuites epulones ſpoliati bonis omnibus in morte, proiiciuntur canibus infernalibus deuorandi: Econtra pauperes honorificè parati, regis æterni menſæ apponuntur. Hoc patet de diuite & Lazaro Luc. 16.

Exemplum. ITEM in vitiſpat. cum abbas Zenon iret de eremoin Paleſtinam, & fatigatus labore, ſederet iuxta agrū plenum cucumeribus, cæpit eſuriens cogitare quod ſurgeret, acciperet & comederet de cucumeribus, cogitās quod non eſſet grande peccatum tollere ad refectionē ſuam: qui cogitationi ſuæ ſic ait; quia fures in tormenta mittuntur, oportet ergo prius ſuſtinere quam furer. Et quomodo potero ſuſtinere tormēta furum? & ſurgens ſtetit in æſtu, per quinque dies affligens & comburens corpus ſuum, & dixit cogitationi ſuę; quia non poſſum ſuſtinere tormenta, ideo oportet me furtum non facere, ſed magis abſtinere, & de labore manuum victum acquirere, antequam tormenta furum incurram.

A

De ebrietate.

DISTINCTIO II.

DICTO de peccato gulæ in generali, dicendum eſt ſpecialiter de ebrietate. Sed quia ebrietas multipliciter accipitur in ſcriptura. Ideo primo videndum eſt quot modis accipitur. Secundo dicendum erit de ebrietate, quæ eſt ſpecies gulæ. Inprimis igitur eſt *Ebrietas laudanda quadruplex.* ſciendum, quod ſicut legimus in ſcriptura ſacra, quædam eſt ebrietas laudabilis & optanda, quædam culpabilis & vitanda. Ebrietas laudabilis & optanda quadruplex inuenitur. Eſt enim ebrietas quædam anagogica, quædam Theologica, quædam extatica, & quædā deifica. Primam ebrietatem facit, vinum diuinę dulcedinis ſacramentaliter miniſtratum. Secundam, vinum huius concionaliter proclamatum. Tertiam facit, vinū huiuſmodi inuiſibiliter inſtillatum. Quartam facit, idem vinum ineffabiliter deguſtatum.

PRIMA quidem ebrietas eſt anagogica, id eſt furſum ductiua, in qua vinum diuinæ dulcedinis propinatur fidelibus circumuelatum ſpeciebus viſibilis ſacramēti, ſcilicet panis & vini in ſacramento altaris; in quo per ſenſibiles ſpecies panis & vini manuducimur & furſum agitamur, ad aliqualiter deguſtandum diuinæ dulcedinis bonitatem, id eſt Chriſtum verum Deum & hominem, quem credimus ibi verè perfectè & integrè contineri. De hac dicitur in Pſalm. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Nota & expone, quia paucis explicari nō poteſt: ideo ſubtiliori lectori relinquimus exponendū. De hac etiam ebrietate dicit Apoſtolus, 1. Cor. 11. quod in cœna Domini, id eſt in ſacramento quod Dominus in cœna inſtituit, *alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*: quia licèt multi frequenter celebrent, vel iſtud recipiant ſacramentum, tamen non omnes æqualiter huius ſacramenti percipiunt ſpiritualem effectum. Nam aliqui remanent indeuoti, aridi & vacui: Alij vero diuino inebriantur amore. Sicut dicitur Hier. 31. *Inebriabo animas ſacerdotum pinguedine*, ſcil. deuotionis, *& populus meus implebitur bonis meis.* *1. Anagogica.*

SECVNDA ebrietas eſt Theologica; quæ fit per verbum diuinum concionaliter proclamatum in prædicatione, vel litteraliter exaratum in ſtudio vel meditatione; quia tanta eſt virtus diuini ſermonis in prædicatione; quod hominem audientem inebriat vino compunctionis; ſicut dicitur in Pſalm. 59. *Potaſti nos vino compunctionis.* vel inſolitæ deuotionis, ſicut dicitur Iſa. 55. *Quemadmodum deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, facundat eam, & germinare eam facit*, &c. *Sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum*, &c. A ſtudio vero vel meditatione verbum diuinum inebriat feruido zelo ſalutis animarum, & honoris diuini; quia quādo ſtudet quis vel meditatur verba ſcripturæ ſacræ, & ex alia parte conſiderat horrenda flagitia quæ fiunt, per quæ Deus dehonoratur, & continuè blaſphematur, gratia E Spiritus ſancti contemnitur, ſanguis Chriſti conculcatur, & vilipenditur; Item conſiderat quod animę Chriſti ſanguine pretioſo redemptæ, currunt ad mortem damnationis æternæ; feruet ſpiritus, accenditur zelus, & amicus Dei velut ebrius commouetur. Sicut ebriū ſe fatetur Hier. zelo Dei feruens, cùm dicit 23. *Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus vino à facie Domini*; id eſt ex conſideratione & zelo honoris Domini; *& à facie ſanctorum verborum eius*; id eſt quando ex conſideratione ſanctorum verborum, perpendo damnationem innumerabilium animarum. Sequitur. *Quia adulterijs repleta eſt terra* &c. *factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo diſſimilis.* *2. Theologica.*

TERTIA eſt ebrietas extatica, quādo .ſ. homo in cōtēplatione diuina, ſupra ſe diuinitus eleuatur, illuſtratur *3. Extatica.*

inflammatur, ac ſuperna tactus dulcedine inebriatur; ſicut dicit ipſe Dominus Hier. 31. *Inebriaui animam laſſam.* Et in Pſ. 64. *Viſitaſti terrã & inebriaſti eam.* &c. *Quarta* ebrietas beatifica, in qua diuinæ dulcedinis vinũ meraciſſimum, & in ſua plenitudinis immẽſitate potatur. ad quam ebrietatem Spiritusſanctus inuitat. Cantic. 5. *Comedite bibite & inebriamini chariſſimi.* Pſalmiſta loquẽs de beatis ait, Pſ. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Nota, & expone. Hæ ſunt igitur ebrietates laudabiles & optandæ.

Beatifica.

Ebrietas culpabilis eſt multiplex.

SIMILITER ebrietates multiplices ſunt vitãdæ. Prima eſt intemperata guſtus auiditas. Secũda inordinata carnis procacitas. Tertia immoderata mũdi cupiditas. Quarta quam parit feralis crudelitas. Quinta quam parit pœnalis acerbitas. *Prima* dico eſt quam cauſat intẽperata potus cupiditas, quę vſitatiori vocabulo vocatur ebrietas. Aliæ vero metaphoricè ſic vocãtur. De prima dicitur Gen. 9. *bibit Noe vinum, & inebriatus eſt.* Eccl. 31. *vinum in iucunditate creatum eſt, & non in ebrietate* &c. 1. Reg. 25. *Cor Nabal iucundum, erat enim ebrius nimis.*

1. *Quam cauſat potus cupidit as.*

SECVNDA eſt ebrietas quam cauſat inordinata carnis procacitas; de qua dicitur Prou. 7. vbi mulier libidinoſa prouocat iuuenem ad libidinem, dicens: *Inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* *Tertia* eſt quam parit inordinata mundi cupiditas; de qua dicitur Iſa. 28. *Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate*, cupiditatis ſc. ambitionis; *abſorpti ſunt in vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium.* Nota, & expone. Et quia plurimum ex diuitiis oritur ſuperbia, & elatio cordis; vtriſque comminatur Dominus maledictionem ſuam dicens: Iſa. 28. *Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Effraim.* Effraim interpretatur creſcens vel fertilitas, per quod deſignantur cupidi, qui ſemper volunt creſcere & augere poſſeſſiones, & in terrenis fertilitatem habere, ex quibus ebrietas mentis, & alienatio rationis, & obliuio Dei, & ſui, cauſatur.

2. *Quã cauſat carnis procacitas.*

3. *Quam parit mundi cupiditas.*

QVARTA eſt ebrietas quam parit feralis crudelitas; qua videlicet homo ſitit pœnam, anguſtiam, & ſanguinem innocentum. De qua iniquitate dicitur Apocal. 16. *Vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum.* Hæc mulier eſt iniquitas, ſicut patet in textu. De hac dicitur in principio eiuſdem. *Cum eaformicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram, de vino proſtitutionis eius.* Multi adeo inebriati ſunt hoc vino, quod viduas, & orphanos, & alias perſonas miſerabiles, ſine miſericordia perſequuntur.

4. *Quam parit feralis crudelitas.*

QVINTA eſt ebrietas quam parit pœnalis acerbitas; de qua Thren. 3. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* hoc poteſt dicere, vel pœnitens, quem Dominus replet amaritudine compunctionis, vel homo qui pro peccatis ſuis temporaliter affligitur. Sed impiis obduratis dicitur Hier. 25. *Bibite & inebriamini & vomite & capite, & nolite conſurgere à facie gladij quem ego mittam inter vos.* Et Deuteronom. 32. *Reddam vltionem hoſtibus meis*, &c. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine*, &c. Item Hier. 46. *Dies vltionis Domini exercituum, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis; deuorabit gladius & ſaturabitur, inebriabitur ſanguine eorum.* Item Hier. 2. *Inebriabo eos vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant.* Et infra. *Inebriabo Principes eius, ſapientes eius, & duces, & magiſtratus eius, & fortes, & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur.* ſomnus iſte non eſt quietis, ſed detentionis, & damnationis æternę.

5. *Quam parit pœnalis acerbitas.*

QVATVOR vltimis ebrietatibus prætermiſſis, de prima quæ eſt ſpecies gulæ ſpecialiter eſt dicendum. Et circa hanc conſideranda ſunt quatuor. Primo vtrum ebrietas ſit peccatum. Secundo vtrum ſit peccatum mortale. Tertio vtrum ebrietas excuſet à peccato. De iſtis tribus require in fine libri. Quarto de his quæ hoc vitium oſtendunt deteſtandum. *Circa* quod ſciendum quod hæc ebrietas euacuat omnem cenſum, & virtutem debilitat: infatuat omnem ſenſum, & multis modis præcipitat. *Primo* quidem ebrietas euacuat omnem cenſum; ebrioſi namque conſumunt omne bonum temporale, & fiunt pauperes & egeni. propter quod dicitur Eccle. 19. *Operarius ebrioſus non locupletabitur*; quia quicquid operando poteſt acquirere vel lucrari, totum expendit, & frequenter amplius, in ebrietatibus, ſocietatibus, & tabernis. *Item* omne bonum ſpirituale diſſipant ebrioſi; quia ebrietas eſt mors omnium virtutum & morum, Chri. *Ebrietate fit iactura fere omnium bonorum.* Si habeat homo humilitatem, manſuetudinem, prudentiam, & cætera huiuſmodi, omnia proiicit in pelagus iniquitatis. Et ſicut ebrioſi ſæpe veſtibus ſuis materialibus ſpoliantur, ſic eorum animæ virtutibus denudantur. Vnde dicitur Thren. 4. *Inebriaberis atque nudaberis.* Et Naum. 3. *Inebriaberis, & eris deſpecta.* *Item* ebrioſi perdunt bona cęleſtia & æterna; quia ſicut dicitur 1. Cor. 6. *neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt*: & Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt ebrietates, commeſſationes.* Sequitur. *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* Item ſuper illud Ioan. 2. COEPIT EIICERE VENDENTES ET EMENTES DE TEMPLO, dicit glo. *Quid ſi ibi ebrioſos inueniſſet, & huiuſmodi*: q. d. multo fortius eieciſſet. Ad hoc magis excludentur à regno, ne ingrediantur ebrij fædi, vbi ſancti inebriantur ab vbertate domus Dei.

7. *Euacuat omnẽ cenſum.*

SECVNDO ebrietas omnes vires debilitat, tam ſpirituales quam corporales. Videmus ad literam quod ebrius nutat corpore toto, & pedibus ceſpitat, nec membra ſua poteſt ſuſtinere; ſed vires ſpirituales multo magis amittit. Bernard. *Ebrietas multiplicat verba, obliquat lumina, gradum facit errantem, capitis operatur vertiginem, ſtomachi efficit tormenta, & viſcera ipſa diſtendit.* Aug. *Ebrietas inuoluit linguam, corrumpit ſanguinem, & omnia membra debilitat; vitam diminuit, & omnem ſalutem exterminat; complexionem immutat, & totum corpus deſiccat.* Qui enim nimis bibunt in ſero, ſitiunt & aridi ſunt in mane. Vnde in perſona ebrioſi dicitur, Prouerb. 23. *Quando euigilabo, & rurſus vina reperiam*: Naum. 1. *Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium pariter potantium, quaſi ſtipula ariditate plena.* Et ſicut aridi ſunt vino materiali, ita immo longe magis, à vino ſpiritualis gratiæ; & ſicut debilitat & eneruat vires corporales, ita & vires ſpirituales. Vnde qui in ſobrietate ſunt inuincibiles, in ebrietate vincuntur. ſicut patet de Senadab rege Syriæ 4. Reg. 21. Qui dum biberet cum triginta regibus, inebriatus victus eſt per pediſſequos principum prouinciarum, cum mirabili exercitu ſuo. Similiter Iudith 4. Holofernes inuincibilis ſobrius, ebrius à muliere vincitur & occiditur, quia vino prius fuerat ſuperatus. In hiſtoria Caroli legitur, quod cum Franci eſſent inſuparabiles à Saracenis, & ſemper eos vincerent; duo reges Saracenorum promittentes quod baptizarentur, miſerunt eis vinum fortiſſimum, & mulieres Saracenas: quorum multi inebriati & victi à vino, inciderunt in fornicationem, & victi ſunt & occiſi à Saracenis, victi primo ſpiritualiter, & poſtea corporaliter 2. Eſdræ 3. *Vinum præualet omnibus qui bibunt illud.*

2. *Omnes vires debilitat.*

TERTIO ebrietas infatuat omnem ſenſum: aufert enim vel impedit, & ſenſus exteriores, & ſenſus interiores, exteriores quidem, vt ſint aliquando ebrioſi ſicut idola. de quibus dicitur in Pſalm. 113. *Os habent & non loquentur, & oculos habent & non videbunt*, &c. De oculis ſpecialiter dicitur Prouerb. 23. *Cui vę, cuius patri vę*, &c. *Cui ſuffoſsio oculorum? nonne his qui morantur in vino; & ſtudent calicibus epotandis?* Auguſt. *Ebrietas ita hominem excæcat, vt vbi ſit neſciat; oculus ita cæcus eſt, vt vnum pro alio accipiat, & de vno, duo vel tria videantur.* Item ſenſus interiores ligat & impedit: ſicut dicit Auguſt. *Ebrietas aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum.* Blandè enim ſeducit, ſicut dicitur, Prouer. 23. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, & cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, & in nouiſsimo mordebit vt coluber, & quaſi regulus venena diffundet.* 2. Eſdræ 3. *Vinum ſeducit mentem.* Item Gregor. *Ebrietas eſt blandus dæmon, ſuaue peccatum, dulce venenum, quam qui habet ſe*

3. *Omnem ſenſũ infatuat.*

Quatuor oſtẽdit ebrietatem propriè dictã eſſe vitandã.

non

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non habet, quam qui facit peccatum non facit, sed totus est peccatum.

Ebrietas facit hominem fatuum diaboli, & brutalem.

EBRIETAS sic infatuat hominem, quod facit eum fatuum diaboli, vt cito faciat & loquatur stulta, quæcunque diabolus ei suggesserit. Prouerb. 20. *Quicunque his*, id est vino & ebrietate, *delectatur, non erit sapiens.* Sicut patet de Nabal (qui stultus interpretatur) qui stultus verbis suis, prouocauit contra se Dauid & seruos eius, vt vellent occidere tam eum, quam omnia quæ habebat, nisi obstitisset Abigail; qui erat ebrius nimis, vt legitur, 1. Reg. 20. Sepelit enim ebrietas hominis rationem, vt non discernat quid dicat vel agat: vt legitur ibidem de eodem Nabal, quod cum diceret ei vxor sua in mane cum digessisset vinum, quod dixerat vel egerat cum esset ebrius, & offensam Dauid; emortuum est cor eius, & factus est quasi lapis. *Ebrietas* sic infatuat hominem, quod reddit eum brutalem, immo bruto viliorem, & minus rationabilem. Iuxta illud Bernard. *Nihil bestialius homine, qui est ratione vigens, & non ratione vtens:* quia ebrius non habet vsum rationis. De his etiam dicit Chrysost. *Melior est ebriosis asinus, rationabilior videtur his canis; venter enim eorum vltra sufficientium non bibit, etsi multi sint cogentes.* Multo enim deterior est qui sine coactione se inebriat, & transit mensuram quam nouit sibi sufficere. Ideo ebrius dicitur quasi extra briã, id est extra mensuram quam transgreditur.

Ebrietas facit hominem insanum & dæmoniacũ.

ITEM non solum reddit hominem fatuum, sed etiam insanum, & quasi dæmoniacum, & mente alienatum, Oseæ 7. *Cæperunt Principes furere à vino.* Seneca. *Nihil aliud differo ebrietatem, quàm voluntariam insaniam.* Item Chrysost. *Nihil differt à dæmoniacus ebriosus. Similiter enim non verecundatur & insanit: & dæmoniaco quidem miseremur, hunc autem auertimus & odimus: quia voluntarie reddit se impotentem, quod non facit dæmoniacus.* Philosophus. *Sicut in præcipitio stantem, leuis motus impellit in ruinam, ita vino infusum paruus dolor incitat in furorem.* Bern. *Ebrietas est mentis alienatio, virtutum depræda tio, imago mortis, similitudo furoris; ipsam verecundiam interimit, mentis & oris custodiam expellit, pudoris charactẽrem eijcit, castitatis signaculum frangit.* Dandamus ad Alexandrum, rex & doctor Brachmannorum. *Vos emitis vnde insaniatis, & vnde vos inebriando sepeliatis.* Et post. *Nos magis mortem quã ebrietatem nobis imprecamur, per quam necesse est hominem totis corporibus & sensibus interire.* Quantum ad sapientiam pertinet, ebrius mortuus est; perdit enim ipsam quam Deus hominibus dedit summam mentem suam.

Exempla.

AD hoc autẽ quod dicitur, quod ebrietas facit hominem bestialem, facit exemplum de ceruo quodam domestico cuiusdam diuitis, qui bibens vinum inebriatus est, & prę ebrietate saliens & discurrens, habuit crus fractum, de quo dolens & verecundatus, noluit postea vinum bibere quoquo modo. *Simile* dicitur de pica, quæ in ebrietate discurrebat & saliebat per mensas: quæ fracta tibia præ ebrietate, nunquã postea vinum bibit. *Item* quidam honestus homo vadens in Normanniam, curialiter est receptus, & inuitatus ad potus equales, secundum morem illius terræ, coactus à patrefamilias, vxore, & filia, & aliis; tãtum bibens (licet inuitus) quod vix ascendere potuit equum suum. in sero autem adaquans equum illum, postquam sufficienter biberat, inuitabat ad bibendum amplius; sed cum equus, nec minis, nec precibus, nec etiam calcaribus stimulatus, vellet vltra bibere, dixit ille: Heu miser, ego plus bibi quam debui, & quam potui sustinere, & tu non vis amore mei, nec timore minarum, nec etiam dolore pœnali, plus bibere quam tibi sufficiat: in hoc facto conuincor esse bestialior quam sit equus.

4. In multa mala præcipitat sc. in luxuriã &c. Simile.

QVARTO ebrietas in multa mala præcipitat. *Primo* quidem præcipitat in multa flagitia; quia sopit hominem, & sopore sepelit, & aufert totum vsum omnium, & inducit obliuionẽ. Vnde Prouerb. 23. *Eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo,* id est anchora. Sicut enim nauis dum gubernator dormit, & anchora amissa est, ducitur & confertur à quolibet flatu venti; sic mens ebrij cuius ratio consopita est, & sine anchora timoris Dei, de facili ducitur ad omne peccatum leui flatu tentationis. Eccles. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit,* Isid. *Vinum virus est, & prævalet animæ: vino luxuria excitatur; pocula fomenta sunt luxuriæ, & igni igne adiecto, maius crescit incendium.* Poeta. *Et venus in vinis, ignis in igne fuit.* Augst. *Ebrietas multos subuertit, sensum minuit, ægritudinem ingerit, alienat mentem, inflammat ad libidinem, impellit ad verbera.* Galienus medicus. *Multis peccatorum vinculis captiuantur, qui multo mero se inebriant.* Nullus enim peccato potest resistere, qui se non potest gubernare. Specialiter ebrietas impellit ad luxuriam; sicut patet de Lot, Genes. 19. *Vnde duę filiæ eius condixerunt inuicem: Inebriemus eum vino,* &c. *vnde absorptus à vino concubuit cum eis, & non sensit quando intrauerunt vel exierunt ab eo.*

Exemplum.

ITEM exemplum de monachis quibusdam, qui venientes ad Soldanum inceperunt eum mouere ad conuersionem; ille autem quæsiuit de religione eorum, de victu & abstinentia, & si abstinerent à carnibus, & à mulieribus: Dixerunt quod sic. Si abstinebant à vino; dixerunt quòd non. Qui recepit eos honorificè, & fecit parari delicata secundum morem eorum sine vino, & cum dormirent, misit eis mulieres ad solicitandum eos. ipsi autem eas à se viriliter abegerunt. Post aliquantulum temporis cum abstinuissent à vino, fecit eis propinari vinum fortissimum. illi autem qui à vino diu abstinuerunt, auidius biberunt, non temperantes vinum vt oportuisset, nec temperauerunt se à vino: & cum essent inebriati, & quasi consopiti, misit ad eos dictas mulieres, in quibus solicitantibus incurrerunt, absorpti à vino. Vnde dictus Saracenus cõfutauit eos. Ideo bene dicit Apostolus Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.*

Ebrietas præcipitat in iram, blasphemiã &c.

GENERAT etiam iras, rixas, contentiones, verbera, contumelias, blasphemias, ac etiam homicidia: vnde de facili mouetur vir contra vxorem, pater contra filium, vel amicum quemcunque, Eccleiast. 31. *In conuiuio vini non arguas proximum,* 2. Esdræ 4. *Regis & orphani facit mentem vanam.* Et post. *Cum inebriati fuerint, non meminerunt amicitiam, nec fraternitatem, sed sumunt gladios,* &c. Sequitur. *Et cum surrexerint à vino, non meminerunt quid egerint.* Isa. 28. *Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate absorpti sunt à vino.* Hieronym. *Qui luxuriatur, viuens mortuus est, & qui inebriatur, mortuus & sepultus est: rationis enim vile sepulchrum est ebrietas.* Sicut enim domina domus dormiente, perstrepit tota familia, sic ratione crapula & ebrietate sopita & sepulta, perstrepit turba omnium vitiorum. Brachmannorum rex Alexandro. *Vos in commessationibus vestris non ante finem ponitis quam furere incipiatis; & illud quod aliquantulum sapere videbamini, bibendo perdatis. Vos emitis quomodo insaniatis, & vnde vos inebriando sepeliatis.*

Ebrietas pẽdit consiliũ, nec profert discretũ iudicium.

ITEM non celat secretum consilium, nec profert discretum iudicium. vnde Prouerb. 31. *Nolo o Lamuel vinum dare regibus.* Et post. *Ne forte obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis,* 2. Esdræ 3. *Ebrius non meminit iusticiam aut debitum.* Isa. 38. *Sacerdos & Propheta præ ebrietate errauerunt, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium;* vt supra, Ephes. 5. *Nolite inebriari vino.* Glo. *Nihil est ita indecens in eo qui habet iudicare, sicut ebrietas.*

Item præcipitat in multa pericula.

ITEM ebrietas præcipitat in multa pericula. Nec mirum, quia facit hominem insanum & dęmoniacum, vt dictum est. vnde sępe facit hominem mori mala & inopinata morte: sicut patet 2. Reg. 14. *Cum temulentus fuerit Amnon, percutite eum & interficite, & fecerunt pueri Absalon eius præcepta.* Ad idem Iudith 13. De Holoferne, quem ebrium occidit Iudith. Et 1. Mac. 16. Occiditur Simon ebrius ex improuiso. Dan. 5. Balthasar potando vidit manum scribentem in pariete, *Mane, Tethel, Phares,* & in nocte occisus est.

Exemplum. AD idem facit quod legitur in chronicis multis. Cum gens Hunnorum & Vuandali & Alemanni, egreſſi de Meothidis paludibus locis & inacceſſis, expuliſſent Gothos de ſedibus ſuis, & dicti Gothi timore eorum confugiſſent ad exercitum Romanum, imperante Valente Arriano, & facti eſſent per eum Arriani; inſurgentes contra Romanum exercitum, qui nolebat eis dare victualia, licèt ei militarent, interfecerunt dictum Valentem, & exercitum Romanum, facto ſibi rege Theodorico. cum occupaſſent Romam, & Italiam, & Græciam, & alias diuerſas mundi partes, Attila Rex Hunnorum cum Vuandalis inſecutus eſt eos, occiſo Theodorico Rege Gothorum cum exercitu ſuo. Cumque Euticium & patritium Romanum, cum exercitu ſuo viciſſet, & ſpoliaſſet omnia, victor rediens ad terram ſuam, à vino victus eſt per hunc modum. Dum in nuptiis eſſet, adeo inebriatus eſt, quod præ vini calefactione abſorptus, tantum per nares ſanguinem effudit, quod quaſi inſenſibiliter mortuus expirauit, à vino & ſanguine ſubito ſuffocatus. De quo ſcribitur. *Hic eſt Attila, metus orbis, tremor hominum, flagellum Dei, amator belli,* &c. Et poſt. *Qui cum viciſſet omnes, à vino victus eſt, & occiſus.* Multi enim propter nimiam potationem, ab ipſa potus ſuperfluitate ſuffocantur. Eccleſ. 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Luc. 21. *Attendite ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate.*

Multi à vino ſuffocantur. SICVT patet de illo Aurifabro, de quo refert Petrus Cluniacen. quem liberauit B. Nicolaus à dæmonibus & damnatione inferni: quia ei deuotus fuerat. qui bonus in aliis erat, niſi quod aliquando conſueuerat nimis bibere. quem aliquando nimis ingurgitatum, diabolus ſuffocauit, ſub ſpecie bufonis cor eius opprimens, & eum ſubito extinguens, ad infernum trahebat torquendum: & liberatus per B. Nicolaum, vt prædictum eſt, de pœna purgatorij grauiter torquebatur. Vnde Leuit. 10. præcipitur ſacerdotibus, ne vinum vel aliquid quod inebriare poſſet, biberent; in quo dabatur intelligi, quod non eſt Deo gratum miniſterium ebriorum. Item Nazaræis præcipitur Leuit. 6. quod quia ſanctificati & conſecrati erant Domino, non biberent vinum, nec omne quod inebriare poſſet. Item ad exemplum filiorum Rechab mittit Dominus Iudæos, Hier. 35. Qui cum propinaretur eis vinum vt biberent, dixerunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noſter filius Rechab præcepit nobis ne bibamus vinum.* Exemplum Saracenorum, qui abſtinent ad præceptum Mahumeti, niſi in quibuſdam feſtiuitatibus ſuis, in quibus præ ebrietate inſaniunt.

Ebrietas præcipitat in infernum. ITEM ebrietas præcipitat in inferni ſupplicia; ſicut dicitur Luc. 12. *Si dixerit ſeruus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere ſeruos & ancillas, edere & bibere & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Exemplum de fabro de quo refert Beda in geſtis Anglorum, qui in monaſterio nobili ignobiliter viuens, diebus feſtis magis volebat in fabrica reſidere, & ebrietati cæteriſque illecebris vacare, quàm ad Eccleſiam venire: qui cum corriperetur, nolebat ſe corrigere. hic percuſſus languore, & ad extrema perductus, vocauit fratres multum mœrens & deſperans; dicens, quod viderat infernum apertum, & Sathanam in profundum merſum, cum Caypha & cæteris crucifixoribus Domini, æterno incendio traditum, in quorum intimo viderat ſibi locũ deputatum, & cùm moueretur ad pœnitentiam, & promitteretur ei venia ſi pœniteret quamdiu viuebat; dicebat quod videbat inſtare ſibi iudicium, nec eſſe ſibi vltra ſpem ſalutis: & hæc dicens expirauit, ſine viatico, & aliis ſignis ſalutis: & eſt ab aliorum ſepultura longe poſitus, nec pro eo aliquis aliquod Eccleſię ſuffragium facere auſus eſt.

De frequentatione tabernarum.

DISTINCTIO III.

Multa diſſuadent frequentionem tabernarum. CIRCA SEXTVM, ſcilicet de frequentatione tabernarum ſciendum; quod in tabernis ſolent fieri multa, ideo de tabernis ſpecialiter eſt dicendum. Sunt autem multa quæ diſſuadent frequentationes earum. Primo quidem, quia ſunt habitacula cauponum. Secundo quia ſunt receptacula latronum. Tertio quia ſunt latibula draconum. Quarto quia ſunt tabernacula dæmonum.

1. Quia ſunt habitacula cauponum. PRIMO tabernæ ſunt habitacula cauponum; illic enim conueniunt ſecatores, glutones, & ebrioſi, vacantes comeſſationibus, & ebrietatibus, & ſymbolis, & ſæpe ſimplices qui ſani intrant, inebriantur, & inſaniunt ibi. Sicut ſupra dictum eſt de ebrietate.

2. Quia ſunt receptacula latronum. SECVNDO tabernæ ſunt receptacula latronum; illuc enim latrones, & raptores, & huiuſmodi refugiunt: ibi receptantur & abſconduntur, & ipſi, & eorum deprædationes & furta; ibi ſpoliantur, & ſpoliant. Vnde de tabernis dici poteſt illud Iob 34. *Nudos dimittunt homines veſtimenta tollentes,* &c. Ita crudeliter eos ſpoliant, quod nullum dimittunt eis veſtimentum, comedendo & bibendo cum eis, & de ſuo: quod non facerent alij latrones, qui proditores reputant illos qui eadem die qua comederint cum eis, eos ſpoliant. Vnde taberna poteſt dici decipula vel muſcipula diaboli, in qua capiuntur & decipiuntur ſimplices, diuerſis deceptionum laqueis. Et tabernarij, & tabernas frequentantes, ſunt aucupes laqueos ponentes & pedicas, id eſt, fraudes diuerſas ad ſimplices capiendos. Vnde Hier. 5. *Inuenti ſunt in populo meo inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros: ſicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ ſunt dolo.*

3. Quia ſunt latibula draconum. TERTIO tabernæ ſunt latibula draconum, id eſt hominum qui ſunt flammiuomi & ventuoſi. Vnde de taberna poteſt dici illud Iſa. 34. *Erit Babilon cubile draconum*; ibi namque poſt ebrietatem fiunt pugnę, rixæ, diſſenſiones; ibi ſe mordent & lacerant vituperijs & rixis, ad modum canum, Phil. 3. *Videte canes malos operarios: Videte conciſiones,* Pſalm. 21. *Circundederunt me canes multi.* Similes ſunt canibus, de quibus narratur à multis illius patriæ, quod circa pedem caſtri Moyſmeri comitis Campanię, conuenerunt canes de diuerſis partibus illius terræ, circa annum Domini 1230. Qui ſe ibi diuerſis morſibus impetentes; lacerantes, & compugnantes occiderunt.

4. Quia ſunt tabernacula dæmonum. QVARTO tabernæ ſunt tabernacula dæmonum, ſiue fanum vel templum diaboli, ad quod conueniunt parochiani diaboli, idola vana colentes, Phil. 4. *Quorum Deus venter eſt.* Vnde ſunt ſicut Babilonij colentes Bel, extrinſecus aureum; intus vero luteum, Daniel. 14. Et ſicut filij Iſrael vitulum conflatilem adorantes, 1. Corinth. 10. *Neque idolatræ efficiamini, ſicut quidam de quibus ſcriptum eſt, ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Ibi luſores adorant oſſa canina pro Deo, ſcilicet taxillos. Huius templi cultores ſunt potatores & taxillatores, pro laudibus habent Dei & ſanctorum blaſphemias; pro thure aſſaturas; pro altari aleas, vel tabulas ad ludendum, & menſas ad edendum & bibendum. Huius templi ſacerdos eſt caupo, non ornans ſed ſpolians ſuos miniſtros. Similes ſunt huiuſmodi Sychimitis, de quibus legitur Iudicum 9. quod factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum Dei ſui Baal, quod ſignificat tabernam in qua colitur venter (quia idem eſt Baal quod vorator) & inter epulas & pocula maledicebant Abymelech regi ſuo. poſtea vt dicitur, in eodem templo vbi fœdus cum Deo ſuo inierãt & conglobati erãt, eos ſuccendit igne, & fumo eos occidit. Similiter Chriſtus cum ſanctis in iudicio, potatores maledicentes Chriſto in tabernis, ſuccendet in inferno, *vbi aſcendet fumus tormentorum eorum in ſecula*

ſæculorum,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sæculorum, vt dicitur Apocal.14. Et 4.Regum 10. Percussit Iehu cum suis militibus ministros Baal in orc gladij, & occidit: statuã vero eius combusserunt & comminuerunt, & fanum eius in latrinam commutauerunt. Item propter vanitatem & leuitatem conuenientes, dicuntur stuppa collecta, Eccles.21. *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis*, scilicet inferni. Ibi ducit diabolus potatores ad omnia mala. Ibi pro nihilo ducunt blasphemare, iurare, peierare, decipere, rapere, & furari; & quæ non facerent extra, faciunt ibi. Nota hoc exemplum de filio, qui cùm duceretur ad suspendium, patris sui nasum & labia dentibus amputauit.

De ludis inhonestis.

DISTINCTIO IV.

CIRCA SEPTIMVM, de ludis, scilicet inhonestis sciendum; quod multa ludorum genera legimus in scripturis. Est enim ludus conscientiæ, seipsam salubriter excitantis. Ludus deuotionis, Deum humiliter honorantis. Ludus innocentiæ, simpliciter exultantis. Ludus probationis, seipsum viriliter exercentis. Ludus amicitiæ, hilariter congaudentis. Ludus derisionis, proximum irridentis. Ludus insolentiæ, & ludus confusionis.

Varia sunt ludorum genera.

1. *Ludus conscientiæ.*

EST inquam ludus conscientiæ seipsam salubriter excitantis, quando scilicet homo conscientiam suam discutit, ne forte aliquid in ea lateat, quod oculos diuinæ maiestatis offendat, ac diligenter inspicit vtrum proficiat vel deficiat. De tali ludo dicitur, Eccle.32. *Præcurre prior in domum tuam*, scilicet in domum conscientiæ, prior inquam *antequam mors occurrat, & antequam iudex te præueniat: Et illic aduocare.*, id est ad intima cordis tui reuoca omnes sensus exteriores, ne inaniter euagentur, sicut religiosi conuocantur ad capitulum, ne foris prætermissa religione vagentur. Vel *aduocare*, id est sis aduocatus contra te alacriter allegando, ne iudex aduenies, contra te testes & aduocatos adducat; vel ne ipsemet contra te iudex & testis existat; sicut ipse dicit Hierem.29. *Ego sum iudex & testis dicit Dominus.* Et si tu fueris aduocatus contra te, iustè & acriter allegando, Deus erit aduocatus pro te. Sicut de Beata Magdalena dicit Augustin. *Ipse eius factus est aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus: aduocatum enim habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris.* 1. Ioa. 2. Sequitur, *illic lude*, id est ad ludum tuum attende, vtrum scilicet proficias vel deficias, vtrum lucreris vel perdas. Vel lude, id est aliquam consolationem recipe; sicut paterfamilias in secreto thalami sui ludit cum filiis suis, & si videat eos bene obedientes & morigeratos, delectatur in eis. Sequitur. *Et age conceptiones tuas*, id est quicquid boni conceperis te facturum, opere exerce. quod est contra multos, qui ad interiora sua non redeunt, sed semper exterius euagantur; & sic semper eorum conscientiæ incompositæ remanent & incultę, plenæ spinis pungentibus & vrticis vrentibus, fœtoribus & serpentibus, vel si quãdo conscientias suas discutiant, & aliqua bona concipiant se facturos; conceptus huiusmodi non producũt ad effectum, sed patiuntur abortum. Ideo bene dicit, *Age conceptiones tuas*, Isa. 26. *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.*

2. *Ludus deuotionis.*

SECVNDVS est ludus deuotionis Deum humiliter honorantis, sicut Dauid coram arca Domini ludebat 1.Reg.6. *Dauid & omnis Israel ludebat coram Domino.* Et eiusdem 7. *Ludam ante Deum & vilior fiam, & ero humilis coram oculis meis, plus quam factus sum.* Sed Michol videns Dauid saltantem atque ludentem, despexit eum; quia deuotos & humiles despiciunt indeuoti.

3. *Ludus innocentiæ.*

TERTIVS est ludus innocentię simpliciter exultantis, sicut dicitur Iob 21. *Pueri eorum exultant lusibus.* Et Zach.8. *Plateę ciuitatis implebuntur pueris & puellis ludentibus.* Sic viri sancti, per laborem & fatigationem, ludunt innocenter adinuicem, vt postmodum fiant in diuino seruitio promptiores; sicut legitur fecisse, B. Ioan. Euang. & B. Anton.

4. *Ludus probationis.*

QVARTVS est ludus probationis vires suas exercentis. Iste est ludus exercitij, sicut tyrones vires suas exercitant saltando, luctando, lapides iaciendo, equitando, & tyrociniis & hastiludiis se exercendo. Sed taceo de multis iniuriis, fraudibus, & maleficiis, expensis inutilibus, immo potius excessiuis ostentationibus, pompis, & aliis innumeris, quæ ludum licitum quantum est de se, multipliciter dehonestant. De tali ludo dicitur Eccles.47. *Dauid cum leonibus lusit, quasi cum agnis*, 2.Reg.2. *Dixit Ioab ad Abner: Surgant pueri & ludant coram nobis:* Et sequitur ibi, quod *vnusquisque gladium suum infixit in latus comparis sui, & ortum est bellum durum satis.*

5. *Ludus amicitiæ.*

QVINTVS est ludus amicitiæ hilariter congaudentis; sicut homo placidus curialis & affabilis ludit coram amicis suis ad lætificandum eos; & sicut præcinnebant mulieres ludentes & dicentes, *percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* 1.Reg.18.

6. *Ludus illusionis.*

SEXTVS est ludus illusionis proximum irridentis; sicut Philistæi Sampsonem irridebant, & coram se ludere compellebant. Iud.16. *Præceperunt vt vocaretur Sampson, & ante eos luderet.* Sic filij Israel illudebant prophetas 2.Paral. 37. Sic pueri parui egressi illudebant Elyszeo. 4.Reg. 2. Sic Iudæi illudebant Christo. & milites præsidis exuentes eum, chlamidem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebant illi. Et Luc. 22. *Illudebant ei, cędentes eum.* Vnde increpans eos Dominus ait, Isa.57. *Super quem illusistis, super quem dilatastis os, eiecistis linguam, nonne vos filij sceleesti, semen mendax.*

7. *Ludus insolentiæ.*

SEPTIMVS est ludus insolentiæ, sicut est ludus chorearum. Require infra *de choreis*, Exod.32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Sub hoc ludo continentur venationes & aucupia, de quibus dicitur Baruch.3. *Vbi sunt Principes gentium, & qui dominantur super bestias quæ sunt super terram, qui in auibus cæli ludunt?* Sequitur: *Exterminati sunt & ad inferos descenderunt.* Aliqui sic ex toto corde huic ludo inseruiunt quod nihil aliud cogitare vel desiderare videntur; & tempus diuino cultui impensum vilipendere, ac sibi esse tædiosum ostendũt. Vnde de ipsis potest dici illud Sap.15. *æstimauerunt ludum esse vitam nostram.*

8. *Ludus confusionis.*

OCTAVVS est ludus confusionis; quia confundit hominem, & confusione dignum reddit, propter multa crimina quę communiter sunt in lusoribus, Et in fine præcipuè, ad confusionis opprobrium adducuntur. *Primo* quidem lusor est proditor, quia illum cum quo comedit & bibit, spoliare intendit, cuius amicum vel consanguineum quandoque se fingit. Hierem.9. *Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam*, &c. Hier.9. *Loquitur pacem cum proximo suo, & in occulto ponit ei insidias.* Item in Psalm. *Loquentur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Inuitat eum aliquando ad tabernæ potum gratuitum, vt sic eum inebriet & infatuet, & spoliet crapulatum: Sunt similes illis proditoribus latronibus, qui simulant se esse peregrinos, & euntibus in Hierusalem se iungunt, & dum ad hospitia cum eis venerint, comedunt cum eis, & bibunt; & in poculo admiscẽt aliquid, per quod eos ita consopiunt, quod quasi si essent mortui dormiunt, & sic spoliatos dicti fures eos nudos dimittunt. Aba.2. *Vę qui potum dat amico suo miscens fel.*

Lusor est proditor, auarus, vsurarius, mendax &c.

ITEM lusor est cupidus & auarus, adeo quod vellet quamcunque personam secum ludentem spoliare, & ad hoc laborat pro viribus, hoc intendit, & ad hoc tendit. Est crudelior cæteris raptoribus aut spoliatoribus, & magis inhumanus; quia aliquando spoliat eos camisiis suis & braccis, quod non faciunt qui spoliant homines in nemoribus. Peccat in ingratitudine, quia

tempo-

tempore ſibi dato ad ſalutis operationem abutitur, contra ſalutem ſuam expendens illud in ocioſis & pernicioſis factis. Iob 24. *Dedit ei locum pœnitentiæ in præſenti*, ſcilicet tempus, *& ipſe abutitur eo in ſuperbiam*. *Item* vſurarios facit; illi enim in modico tempore dant & accipiunt graues vſuras, tradentes & dantes vndecim pro duodecim in momento temporis, vel grauiores vſuras. *Item* fallit & fallere intendit verbis, factis, & inſtrumentis, vt aleis falſis, & fallacibus verbis, inſtrumentis, ſignis, & teſtibus.

ITEM corrumpit vicinos aſtantes in ludo, verbis, exemplis, muneribus & ſignis: adeo vt ferant pro eo ibi falſum teſtimonium, pro nullo vel modico lucro, quod non facerent extra ludum, pro centum marchis argenti; pro quorum teſtimonio amittunt, qui ſecundum conditionem ludi fuerant lucrati. quibus corrupti teſtes pretio vel amore vel timore, tenentur reſtituere quod amiſerunt eorum falſo teſtimonio. *Item* luſor non ſeruat fœdus alicui perſonæ cum qua ludit, ſed frequenter frangit fœdus naturæ, conſanguinitatis, vel nuptiarum, vel ſocietatis, decipiendo eos qui ſunt ibi fœdere aliquo iuncti, eorum bona perdendo, vel male tractando, vel male acquirendo. *Sæpe* iurat pro nihilo, ſæpe peierat, & mentitur. Hoc facit in ludo pro nihilo, quod non faceret extra ludum pro magno pretio; iurando ſe lucratum fuiſſe quod amiſit.

ITEM eſt contemptor ſacrorum temporum, id eſt feſtorum quæ violat, & expendit in blaſphemiis Dei & ſanctorum, & vituperiis eorum: contemnit eos, cõtumelias eis inferendo; plus defert honoris tribus oſſibus caninis, id eſt aleis, quam oſſibus Dei & ſanctorũ, quos dinumerat blaſphemando, Pſalmus 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* *Item* luſor facilis eſt ad iraſcendum, & comminandum, & ad inferendum verba & verbera acerba. Facilis eſt ad proximum occidendum, ante cuius oculos eſt effuſio humani ſanguinis, & committere peccata quæcunque.

Luſor eſt cõtemptor feſtorum, & præceptorum Decalogi, &c.

ITEM eſt tranſgreſſor decalogi mandatorum omnium. primum mandatum tranſgreditur, Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me*. Ipſe enim tribus oſſibus caninis obedit, id eſt aleis, & colit ea pro Deo, faciens eorum voluntatem quam ducunt loco Trinitatis. Aſſumit nomen Dei in vanum, iurans pro nihilo, feſta frangit, parentes inhonorat, proximum facto vel exemplo occidit, dum Deum negat ſpiritualiter mœchatur. Alienum, inuito eo cuius eſt ſubripit, fert falſum teſtimonium vt dictum eſt, & rem proximi concupiſcit. Deterior idolatra eſt quam Iudæi aut Saraceni; illi vitulum aureum coluerunt; Saraceni Mahumeto homini tanquam Deo obedierunt: iſti deteriori creaturę, oſſibus videlicet caninis, in quorũ ſeruitio expendunt quandoque camiſiam & braccas, & quicquid habent.

ITEM ſicut Deus cultoribus ſuis tradidit 21. literas, quibus tota ſacra ſcriptura ſcripta eſt, & nobis Dei inſinuat voluntatem ad faciendum eam; ita in alea ſunt 21. puncta, per quæ luſori inſinuatur voluntas aleæ Dei ſui, vt eam faciat. *Item* ſi luſor eſt filius familias, ſequitur ira & afflictio parentum, & maledictiones eorum, quibus maledicit vel maledicunt. Si paterfamilias, afflictio vxoris & familiæ, vt rixæ, pugnæ, verbera, odia, exhæredationes filiorum, proſtitutiones filiarum, depauperationes, furta, ſacrilegia, quia calefactus à ludo, non veretur aliquando accipere ſuper altare; ſequentur etiam ſuſpendia, & alia multa mala, vt prędictum eſt. Ideo fugiendus eſt talis ludus, & ſocietas ludẽtium deteſtanda. Vnde To. 3. dicebat Sara. *Nunquam ludentibus miſcui me, nec cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Hierem. 15. *Non ſedi in conſilio ludentium.*

LIBRI III. PARS IX.

DE LVXVRIA ET FILIABVS EIVS.

De Luxuria ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

ALTIMO inter capitalia vitia dicendum eſt de luxuria. Circa quam conſideranda ſunt ſeptem. Primo vtrum luxuria ſit peccatum. Secundo de filiabus eius. Tertio de diuiſione partium eius. Quarto de his quę ſuadẽt & oſtendunt luxuriam eſſe vitãdam. Quinto de his quæ nutriunt, & augent eam. Sexto de familiaritate mulierum. Septimo de choreis.

Quid luxuria & vnde dicatur.

CIRCA primum videndum eſt *vtrum luxuria ſit peccatum*. Ad quod dicitur, quod *luxuria dicitur eſſe libidinoſus voluptatis appetitus*. Voluptas autem libidinoſa principaliter conſiſtit in actu venereo, ſiue delectationibus venereis, in quibus etiam libido ſpecialiter eſſe dicitur, quamuis & in aliis poſſit eſſe voluntas, tamen hoc nomen ſibi vendicant venereæ voluptates. Luxurioſus autem dicitur, quaſi ſolutus in voluptates. Maxime autem animum hominis ſoluunt voluptates venereæ; ideo circa huiuſmodi voluptates luxuria maximè conſideratur. Vnde ſicut temperantia principaliter & propriè eſt circa delectationes tactus; dicitur autem ex conſequenti, & per quandam ſimilitudinem, in quibuſdam aliis materiis; ita & luxuria principaliter quidem conſiſtit circa venereas voluptates, quæ maxime animum hominis ſoluunt; Secundario autem dicitur eſſe in quibuſcunque aliis ad exceſſum pertinentibus. Vnde Gal. 5. Dicit Gloſſ. quod *luxuria eſt quælibet ſuperfluitas*. Vnde & vinum dicitur eſſe res luxurioſa, vel eo modo quo in qualibet materia ſuperabundantia vel exceſſus refertur ad luxuriam, vel quia ſuperfluus vſus vini præbet incentiuum venereæ voluptatis. *Ex his* patere poteſt quomodo, & quare luxuria ſit peccatum; quia quanto aliquid eſt magis neceſſarium, tanto magis oportet vt circa illud rationis ordo ſeruetur; vnde per conſequens magis eſt vitioſum, ſi ordo rationis prætermittatur. Vſus autem venereorum ſicut dictum eſt, valde neceſſarius eſt ad bonum commune, quod eſt conſeruatio humani generis; & ideo circa hoc maxime attendi debet rationis ordo, & per conſequens ſi quid circa hoc fiat præter id quod ordo rationis habet, vitioſum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, vt ordinem & modum rationis excedat circa venerea, & ideo abſque dubio luxuria eſt peccatum.

Luxuria eſt peccatũ quatenus excedit ordinem & modum rationis circa venerea.

LICET autem ſemen generationis humanæ ſit ſuperfluum alimenti, ſicut dicit Philoſophus in libro de generatione animalium, tamen ſecundum eundem philoſophum, ſemen eſt ſuperfluum quo indigetur. Dicitur enim ſuperfluum ex eo quod eſt reſiduum operationis virtutis nutritiuæ, tamen indigetur eo ad opus virtutis generatiuæ. Sed aliæ ſuperfluitates corporis humani ſunt tales quibus non indigetur; & ideo non refert qualitercunque emittantur, ſalua decentia conuictus humani. & ideo licet in emiſſione huiuſmodi ſuperfluitatum non ſit peccatum, tamen in emiſſione ſeminis, quod eſt materia generationis humanæ, poteſt eſſe peccatum, niſi ſic fiat quod conuenire poſſit ad finem quo eo indigetur.

Solutio obiect.

POTEST autem huius ſeminis emiſſio fieri ſine peccato, obſeruatis circunſtantiis, quæ in huiuſmodi requirun-

Vsus venereorum est licitus seruatis debitis circunstantijs.

quiruntur quod declaratur sic. Peccatum enim est in actibus humanis, quod est contra ordinem rationis, habet autem ordo rationis, vt quælibet conuenienter ordinet in suum finem. Et ideo non est peccatum, si per rationem homo vtatur aliquibus rebus ad finem ad quem sunt, modo & ordine conuenienti; dummodo ille finis sit aliquod vere bonum. sicut autem est verè bonum, quod conseruetur corporalis natura vnius indiuidui, ita etiam est quoddam bonum excellens, quod conseruetur natura speciei humanæ. Sicut autē ad conseruationem vitæ vnius hominis ordinatur vsus ciborum, ita etiam ad conseruationem totius humani generis ordinatur vsus venereorum. Vnde Aug. dicit in libro de bono coniugali, *quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis.* Et ideo sicut vsus ciborum potest esse sine peccato, si fiat debito modo & ordine, secundum quod competit saluti corporis; ita etiam & vsus venereorum potest esse sine omni peccato, si fiat debito modo & ordine, secundum quod est conueniens ad finem generationis humanæ.

Solutio obiect.

Nec obstat quod actus venereus impedit actum virtutis, sicut dicit August. in primo soliloquiorum. *Nihil esse sentio quod ab arce magis deiiciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumque ille contactus.* Quia virtutem potest aliquis impedire dupliciter. *Vno modo* quantum ad circunstantiam, siue quantum ad communem statum virtutum; & sic non impeditur virtus nisi per peccatum. *Alio modo* quantum ad perfectum virtutum statum, & sic potest impediri virtus per aliquid quod non est peccatum, sed est minus bonum; & hoc modo vsus fœminæ deiicit, non à virtute, sed ab arce, id est à perfectione virtutis. Vnde August. dicit in libro de bono coniugali. *Sicut bonum erat quod Martha faciebat, occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria audiens verbum Dei, ita etiam bonum Susannæ in castitate coniugali laudamus, sed bonum viduæ Annæ, & magis virginis Mariæ anteposuimus.*

Item licet in omni actu venereo sit superfluitas delectationis, quæ intantum absorbet rationem, quod in ipsa impossibile est aliquid intelligere, sicut Philosophus dicit in 6. Ethicor. Tamen abundantia delectationis, quæ est in illo actu secundum rationem ordinato, non contrariatur medio virtutis; quia medium virtutis non attenditur secundum quantitatem, sed secundum quod conuenit rationi rectæ. Et præterea ad virtutem non pertinet quantum sensus exterior delectetur, quod consequitur corporis dispositionem; sed quantum appetitus interior ad huiusmodi delectationes afficiatur. Nec hoc etiam, quod ratio non potest liberum actum rationis ad spiritualia considerandа simul cum illa delectatione habere, ostendit, quod actus ille sit contrarius virtuti; non enim est contrarium virtuti, si rationis actus aliquando intermittatur aliquo, quod secundum rationem fit. Alioquin quod aliquis se somno tradat, esset contra virtutem. Hoc tamen quod concupiscentia & delectatio venereorum non subiacet imperio & moderationi rationis, prouenit ex pœna primi peccati; inquantum scilicet ratio rebellis Deo, meruit habere suam carnem rebellem; vt patet per August. 22. de ciuitat. Dei.

Septem esse filias luxuriæ secūdum Greg. ostenditur.

Circa sextvm, scilicet *de filiabus luxuriæ. Sciendum* quod Gregor. 31. moral. ponit eas septem, quæ sunt cæcitas mentis, Inconsideratio, præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror & desperatio futuri. Quarum ratio & numerus sic apparet. Quando enim inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua obiecta, consequens est quod superiores vires impediuntur & deordinantur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicet concupiscibilis vehementer incenditur suo obiecto, scilicet delectabili, propter vehementiam delectationis; & ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. *Primo* quidem simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem vt bonum; & hic actus impeditur per luxuriam, secundum illud Daniel. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. *Secundus* actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem: & hoc etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Vnde Terentius dicit in Eunucho, loquens de amore libidinoso. *Quæ res in se neque consilium neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes.* Et quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilij. *Tertius* autem est iudicium de agendis; & hic etiam impeditur per luxuriam: dicitur enim Daniel. 13. De senibus luxuriosis. *Auerterunt sensum suum, vt non recordarentur iudiciorum iustorum.* Et quantum ad hoc ponitur inconsideratio. *Quartus* autem actus est præceptum rationis de agendis; quod etiam impeditur, inquantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur illud quod decernit esse faciendum. Vnde Terentius dicit in Eunucho, de quodam, qui dicebat se recessum ab amica, hæc verba. *Vna falsa lachrymula reflringet.* Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus; *quorum* vnus est appetitus finis; & quantum ad hoc ponitur amor sui, quantum scilicet ad delectationem quam inordinatè appetit; & oppositum ponitur odium Dei, inquantum scilicet prohibet delectationem concupiscentiæ. *Alius* autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem; & quantum ad hoc ponitur appetitus præsentis sæculi, in quo aliquis vult frui voluptate; Et per oppositum ponitur desperatio futuri sæculi; quia dum nimis retinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad concupiscentias spirituales, sed fastidit eas.

Solutio obiect.

Ponvntvr autem cæcitas mentis, inconsideratio & præcipitatio esse filiæ luxuriæ, quia intemperantia maximè corrumpit prudentiam, & ideo vitia opposita prudentiæ maximè oriuntur ex luxuria, quę est præcipua species intemperantiæ. *Item* sciendum quod constantia in arduis & terribilibus ponitur pars fortitudinis, sed constantiam habere in abstinendo à delectabilibus pertinet ad continentiam, quæ ponitur pars temperantię; & ideo inconstantia, quæ ei opponitur, ponitur filia luxuriæ: & tamen etiam prima inconstantia ex luxuria causatur, inquantum emollit cor hominis, & effæminatum reddit; secundum illud Oseæ 5. *Fornicatio & vinum & ebrietas, aufert cor.* Et Vegetius dicit in libro de re militari, quod *minus mortem metuit, qui minus deliciare nouit in vita:* nec oportet quod filię vitij capitalis cum ea in materia cōueniant.

Item amor sui, quantum ad quæcunque bona, quæ sibi aliquis appetit, est commune principium peccatorum, sed quantum ad hoc quod aliquis appetit sibi delectabilia carnis, ponitur specialiter amor sui, filia luxuriæ.

Item Isidorus ponit quatuor species luxuriæ, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, & stultiloquia: sed ista sunt quidam actus inordinati exteriores, præcipuè ad locutionem pertinentes: in qua est aliquid inordinatum quadrupliciter. *Vno* modo propter materiam, & sic ponuntur turpiloquia, quia enim ex superabundantia cordis os loquitur, vt dicitur Matt. 12. Luxuriosi quorum cor turpibus concupiscentiis plenum est, de facili ad turpia verba prorumpunt. *Secundo* ex parte causæ; quia enim luxuria considerationem & præcipitationem causat, consequens est quod facit prorumpere in verba leuiter & inconsiderate dicta, quę dicuntur scurrilia. *Tertio* quantum ad finem; quia enim luxuriosus delectationem quærit, etiam verba sua ad delectationem ordinat, & si prorumpit in verba ludicra. *Quarto* quantum ad sententiam

tentiam verborum, quam peruertit luxuria per cæcitatem mentis quam cauſat; & ſic prorumpit in ſtultiloquia, vtpote cum ſuis verbis præfert delectationes quas appetit quibuſcunque aliis rebus.

De ſpeciebus Luxuriæ.

DISTINCTIO II.

DEINDE conſiderandum eſt de diuiſione partium vel ſpecierum luxurię. Circa quam conſideranda ſunt vndecim. Primo de diuiſione partium in generali. Secundo de fornicatione ſimplici, vtrum ſit peccatum mortale. Tertio vtrum in tactibus & oſculis ſit peccatum mortale. Quarto vtrum nocturna pollutio ſit peccatum. Quinto vtrum ſtuprum ſit ſpecies luxurię. Sexto vtrum raptus ſit ſpecies luxurię. Septimo vtrum adulterium ſit ſpecies luxuriæ. Octauo vtrum incœſtus ſit ſpecies luxuriæ. Nono vtrum ſacrilegium ſit ſpecies luxuriæ. Decimo vtrum vitium contra naturam ſit ſpecies luxuriæ. Vndecimo vtrum vitium contra naturam ſit grauiſſimum omnium peccatorum inter ſpecies luxuriæ.

CIRCA PRIMVM, ſcilicet *de diuiſione partium vel ſpecierum luxuriæ.* Sciendum quod in decretis diſt. 36. q. 1. aſſignantur ſex ſpecies luxuriæ, quæ ſunt, fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam. Quia ſicut dictum eſt, peccatum luxuriæ conſiſtit in hoc quod aliquis vtitur delectatione venerea, non ſecundum rectam rationem, quod quidem contingit dupliciter. *Vno modo* ſecundum materiam in qua huiuſmodi delectationem quærit. *Alio modo* ſecundum quod materia debita exiſtente, non obſeruantur aliæ debitę conditiones. Et quia circunſtantia inquantum huiuſmodi non dat ſpeciem actui morali, ſed eius ſpecies ſumitur ab obiecto, quod eſt materia actus, ideo oportuit ſpecies luxuriæ aſſignari ex parte materiæ vel obiecti. Quæ quidem poteſt non conuenire rationi rectæ dupliciter. *Vno modo* quia habet repugnantiam ad finem venerei actus; & ſic inquantum impeditur generatio prolis, eſt vitium contra naturam, quod eſt in omni actu venereo ex quo generatio ſequi non poteſt. Inquantum autem impeditur debita educatio & promotio prolis natæ, eſt fornicatio ſimplex, quæ eſt ſoluti cum ſoluta. *Alio modo* materia in qua exercetur actus venereus poteſt eſſe non conueniens rationi rectæ per comparationem ad alios homines; & hoc quadrupliciter. *Primo* quidem ex parte ipſius fœminæ cui aliquis commiſcetur, quia ei debitus honor non ſeruatur; & ſic eſt inceſtus, qui conſiſtit in abuſu mulierum conſanguinitate vel affinitate iunctarum. *Secundo* ex parte eius in cuius poteſtate eſt fœmina, quia ſi eſt in poteſtate viri eſt adulterium. Si autem eſt in poteſtate patris eſt ſtuprum, ſi non inferatur violentia; raptus autem ſi inferatur. Diuerſificantur autem iſtæ ſpecies magis ex parte fœminę quam viri, quia in actu venereo fœmina ſe habet vt patiens, & per modum materiæ; vir autem per modum agentis: dictum eſt autem quod prædictę ſpecies ſecundum differentiam materię aſſignantur.

Sex ſunt ſpecies luxuriæ, ſecũdum diuerſitatem materiæ obiecti.

ET NOTA, quod adulterium ſub luxuria continetur, & etiam ſub iniuſtitia: nihil enim prohibet diuerſorum vitiorum deformitates concurrere in vno actu; nec deformitas iniuſtitiæ omnino ſe habet per accidens ad luxuriam, ſed oſtenditur eſſe luxuria grauior, quæ intantum ſequitur concupiſcentiam, quod etiam ducit ad iniuſtitiam. *Item* nota quod ſuper illud 1. Cor. 3. *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam egerunt.* Immunditia ſecundum glo. ponitur pro vitio contra naturam, impudicitia autem ad ſtuprum pertinere videtur.

Solutio obiect.

CIRCA SECVNDVM, ſcilicet *vtrum fornicatio ſit peccatum mortale.* Dicendum quod abſque omni dubio tenendum eſt quod ſic: & hoc primo declaratur per auctoritatem iuris diuini. Secundo per auctoritatem iuris canonici. Tertio per rationem. *Primo* quidem probatur hoc per auctoritatem iuris diuini. To. 4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam non patieris crimen ſcire.* Item Galat. 5. Pręmiſſa fornicatione & quibuſdam aliis vitiis ſubdit; *qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt.* Nihil autem excludit à regno Dei niſi peccatum mortale.

Quod fornicatio ſit peccatum mortale probatur tripliciter.

NEC obſtat quod Deuteronom. 23. ſuper illud. NON ERIT MERETRIX, &c. dicit Glo. *Ad eas prohibet accedere quarum eſt venialis turpitudo*; non enim debet dici venialis, ſed venalis, quod eſt propriè meretricum. *Item* nec illud, quod Act. 15. connumeratur quibuſdam quę non ſunt peccata mortalia. *Abſtineatis vos*, inquit, *ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*; illorum autem vſus non eſt peccatum mortale, ſecundum illud 1. Ti. 4. *Nihil reiiciendum eſt quod cum gratiarum actione percipitur.* Fornicatio autem non connumeratur illis, quia eandem habeat rationem culpæ cum aliis; ſed quantum ad hoc quod ex his quæ ibi ponũtur ſimiliter poterat diſſidium oriri inter Iudæos & gentiles, & vnanimis conſenſus eorum impediri: quia apud gentiles fornicatio ſimplex non reputabatur illicita, propter corruptionem rationis in eis. Iudæi autem per legem inſtructi eam illicitam reputabant. alia vero quæ ibi ponuntur Iudæi abominabantur, propter conſuetudinem legalis obſeruantiæ. Vnde Apoſtoli ea interdixerunt gentibus, non quaſi ſecundum ſe illicita, ſed quaſi Iudæis abominabilia. *Item* non obſtat factum Oſeę, qui ſumpſit vxorem fornicationum. Oſeæ 1. Quia illud fecit obediens Deo, cuius voluntas eſt regula ſummè recta.

Solutio obiect.

ITEM hoc idem oſtenditur per ius canonicum: dicitur enim in decretis 24. can. qu. 1. *Noſſe debent talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, fornicatione, & homicidio ſponte commiſſo, & de cæteris criminalibus vitijs.* Ad huius autem euidentiam conſiderandum eſt, quod peccatum mortale eſt omne peccatum quod committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem ſimplex importat deordinationem quæ vergit in nocumentum vitæ eius qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ſcilicet ad educationem prolis requiritur cura maris & fœminæ, quod in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam fœminam vnam vel plures. ſicut patet in omnibus auibus. Secus autem eſt in animalibus in quibus ſola fœmina ſufficit ad educationem fœtus, in quibus eſt vagus concubitus, vt patet in canibus & aliis huiuſmodi animalibus. Manifeſtum eſt autem quod ad educationem hominis, non ſolum requiritur cura matris à qua nutritur, ſed multomagis cura patris, à quo eſt inſtruendus & docendus, & in bonis tam interioribus quam exterioribus promouendus; & ideo contra naturam hominis eſt quod vtatur vago concubitu, ſed oportet quod ſit maris ad determinatam fœminam; cum qua permaneat non per modicum tempus, ſed diu vel per totam vitam. Et inde eſt quod naturaliter eſt in maribus in ſpecie humana ſollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis; hæc autem certitudo tolleretur ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fœminæ matrimonium vocatur; Et ideo dicitur eſſe de iure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt ſub determinatione legis, vt ſupra habitum eſt; conſequens eſt quod iſta coniunctio maris ad fœminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur. Vnde cum fornicatio ſit concubitus vagus, vtpote pręter matrimonium exiſtens, eſt contra bonum prolis educandæ, & ideo eſt peccatum mortale. Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens, ſufficienter prouideat proli de

In animalibus vbi requiritur cura maris & fœminæ ad educationem prolis nõ datur vagus cõcubitus; ergo in hominibus eſt contra naturam.

educa-

educatione; quia illud quod cadit ſub legis determinatione iudicatur ſecundum illud quod communiter accidit, & non ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere.

CIRCA tertium, ſcilicet *vtrum in tactibus & oſculis ſit peccatum mortale*, dicendum quod aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter. Vno modo ſecundum ſuam ſpeciem; & hoc modo oſculum & amplexus vel tactus ſecundum ſuam rationem non nominant peccatum mortale. Poſſunt enim abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut propter rationabilem cauſam. Alio modo dicitur aliquid eſſe peccatum mortale ex ſua cauſa, ſicut ille qui dat ſuam eleemoſynam vt aliquem inducat in hæreſim, peccat mortaliter propter intentionem corruptam. Dictum eſt autem ſupra, quod conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum; & ideo cum fornicatio ſit peccatum mortale, & multomagis aliæ luxuriæ ſpecies; conſequens eſt quod conſenſus in delectationē talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum: & ideo cum oſcula & amplexus & huiuſmodi, propter delectationem fiant, conſequens eſt quod ſint peccata mortalia; & ſic ſolum dicuntur libidinoſa. Vnde huiuſmodi ſecūdum quod libidinoſa, ſunt peccata mortalia.

Tactus & oſcula inquantum libidinoſa, ſeu inquantum propter delectationem carnalem fiunt ſunt peccata mortalia.

CIRCA quartum, ſcilicet *vtrum nocturna pollutio ſit peccatum*: dicendum, quod nocturna pollutio dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum ſe, & hoc modo non habet rationem peccati. Omne enim peccatum dependet ex iudicio rationis; quia etiam primus motus ſenſualitatis non habet quod ſit peccatum, niſi inquantum iudicio rationis reprimi poteſt; & ideo ſublato iudicio rationis, tollitur ratio peccatorum. In dormiendo autem ratio non habet liberum iudicium. Nullus enim eſt dormiens, qui non intendat aliquibus ſimilitudinibus fantaſmatum, velut rebus ipſis. Et ideo id quod agit homo dormiens, qui non habet liberum iudicium rationis, non imputatur ei ad culpam; ſicut nec illud quod agit furioſus aut amens. Alio modo poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam; quæ poteſt eſſe duplex. Vna quidem corporalis: Cum enim humor ſeminalis ſuperabundat in corpore; vel cum facta eſt humoris reſolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcumque aliam commotionem, ſomniat dormiens ea quæ pertinent ad expulſionem huiuſmodi humoris abundantis, vel reſoluti: ſicut etiam accidit quando natura grauatur ex aliqua alia ſuperfluitate, ita quod quandoque formantur in imaginatione fantaſmata pertinentia ad emiſſionem talium ſuperfluitatum. Si igitur ſuperabundantia talis, ſit ex cauſa culpabili; puta cum eſt ex ſuperfluitate cibi vel potus, tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex cauſa ſua. Si autem ſuperabundantia vel reſolutio talis humoris non ſit ex aliqua cauſa culpabili; tunc pollutio non eſt culpabilis, nec in ſe, nec in cauſa ſua. Alia vero cauſa nocturnæ pollutionis poteſt eſſe animalis & interior; puta cum ex cogitatione precedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quæ in vigilia præceſſit, quandoque eſt pure ſpeculatiua; puta cum aliquis cauſa diſputationis cogitat de peccatis carnalibus; quandoque autem eſt cum aliqua affectione vel concupiſcentiæ vel horroris. Contingit autem magis nocturna pollutio ex cogitatione carnalium vitiorum quæ fiunt, quam aliarum delectationum; quia ex hoc remanet quoddam veſtigium ex inclinatione in anima, ita quod dormiens facilius inducitur in ſua imaginatione ad aſſentiendum actibus, ex quibus ſequitur pollutio, ſecundum hoc Philoſophus dicit in 1. Ethic. quod *inquantum paulatim pertranſeunt quidam motus à vigilantibus ad dormientes, meliora fiunt fantaſmata ſtudioſiorum, quam quorumlibet.* Aug. etiam dicit 3. ſuper Gen. ad litteram, quod *propter bonam animæ affectionem, quædam eius merita etiam in ſomnijs clarent:* & ſic patet, quod nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte ſuæ cauſæ. Quandoque tamen contingit, quod ex præcedenti cogitatione carnalium actuum etiam ſpeculatiua, vel ſi ſit cum horrore, ſequitur in ſomnis pollutio, tamen non habet rationem culpæ, nec in ſe, nec in ſua cauſa. Tertia vero cauſa eſt ſpiritualis extrinſeca, puta cum ex operatione dęmonis commouentur fantaſmata dormientis in ordine ad talem effectum, & hoc quidem quandoque eſt cum peccato præcedenti, ſcilicet negligentia prępparandi ſe contra dęmonis illuſiones: Vnde & in ſero cantatur, *hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.* Quandoque vero abſque omni culpa hominis, ex ſola nequitia dęmonis, ſicut in collationibus patrum dicitur de quodam, quod ſemper in diebus feſtis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, vt impediretur à ſacra communione. Sic igitur patet quod nocturna pollutio nunquam eſt peccatum, tamen quandoque eſt ſequela peccati prępcedentis.

Nocturna pollutio nunquam eſt peccatum in ſe, ſed ſæpe in ſua cauſa, putandum quis dat occaſionē eius in vigilia, vel negligēter ſe prępparat contra damonis illuſiones.

CIRCA quintum, ſcilicet *vtrum ſtuprum ſit ſpecies luxuriæ:* dicendum, quod vbi circa materiam alicuius vitij occurrit aliqua ſpiritualis deformitas, ibi debet poni determinata ſpecies illius vitij; luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens, vt ſupra dictum eſt. In virgine autem ſub cuſtodia patris exiſtente, quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur; tum primo ex parte puellæ, quæ ex hoc quod violata, nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio contrahendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur ne ſignaculum virginitatis amitteret; tum etiam ex parte patris, qui de eius cuſtodia ſolicitudinem gerit, ſecundum illud Eccleſ. 42. *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis*, & ideo manifeſtum eſt quod ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem, ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata ſpecies luxuriæ.

Stuprum, quæ eſt defloratio virginis ſub paterna cura & poteſtate exiſtens, eſt determinata ſpecies luxuriæ.

CIRCA ſextum, ſcilicet *vtrum raptus ſit ſpecies luxuriæ:* dicendum, quod raptus provt nunc de eo loquimur, eſt ſpecies luxuriæ; & quandoque quidem in idem concurrit cum ſtupro, quandoque autem inuenitur raptus ſine ſtupro, quandoque vero ſtuprum ſine raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam; quæ quidem violentia, quandoque infertur tam virgini quam patri, quandoque autem infertur patri, ſed non virgini; puta cum ipſa conſentit vt per violentiam de domo patris abſtrahatur. Differt etiam violentia & raptus alio modo; quia quandoque puella à domo parentum violenter abducitur, & violenter corrumpitur, quandoque autem etſi violenter abducitur, non tamen violenter corrumpitur, ſed de voluntate virginis; ſiue corrumpatur fornicario concubitu, ſiue matrimoniali: qualitercumque enim violentia adſit, ſaluatur ratio raptus. Inuenitur autem raptus ſine ſtupro; puta ſi aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Vnde Symmachus Papa dicit. *Raptores viduarum vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur.* Stuprum vero ſine raptu inuenitur, quando aliquis ſine violentia virginem illicitè defloret.

Raptus eſt ſpecies luxuriæ, interdū ſtupro coniuncta, interdum ſeparata; importat enim violentiā ergā virginem abducendā aut corrumpendam.

CIRCA ſeptimum, ſcilicet *vtrum adulterium ſit ſpecies luxuriæ:* dicendum, quod adulterium ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum thorum. In quo quidem dupliciter contra caſtitatem & humanæ generationis bonum, aliquis delinquit. Primo quidem inquantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ: Alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ, eadem eſt ratio de muliere coniugata, quæ per adulterium corrumpitur. Vnde dicitur Eccleſ. 32. *Omnis mulier relinquens virum peccabit.* Primo enim in lege altiſſimi incredibilis fuit, in qua ſci-

Adulteritum est determinata species luxuriæ quia tollit bonum propria prolis, & aliena

licet præcipitur: *Non mœchabris.* Secundo virum ſuum reliquit, in quo facit contra certitudinem prolis eius. Tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi, quod eſt contra bonum propriæ prolis. Sed primum eſt commune in omnibus peccatis mortalibus. Alia vero duo ſpecialiter pertinent ad deformitatem adulterij. Vnde manifeſtum eſt quod eſt determinata ſpecies luxuriæ, vtpote ſpiritualem deformitatem habens circa venereos actus.

CIRCA octauum, ſcilicet *vtrum inceſtus ſit ſpecies luxuriæ*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, ibi eſt neceſſe inueniri determinatam ſpeciem luxuriæ, vbi inuenitur aliquid repugnans debito vſui venereorum. In vſu autem conſanguinearum & affinium inuenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ triplici ratione. Primo quidem, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per conſequens alijs conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt, intantum quod apud antiquos vt Valerius Maximus refert, non erat fas ſimul filium cum patre balneari, ne ſeſe ſimul inuicem nudos concupiſcerent. Manifeſtum eſt autem ſecundum prædicta, quod in actibus venereis maximè conſiſtit quędam turpitudo honorificentiæ contraria. Vnde de his homines verecundantur; & ideo incongruum eſt quod coniunctio venerea fiat talium perſonarum adinuicem. & hæc cauſa videtur exprimi Leuitic. 18. vbi dicitur, *mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius:* & idem poſtea ſubdit in alijs. Secunda ratio eſt, quia perſonas ſanguine coniunctas neceſſe eſt adinuicem ſimul conuerſari, vnde ſi homines non arcerentur à commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis; & ſic animi hominum nimis emolleſcerent per luxuriam, & ideo in veteri lege illæ perſonæ ſpiritualiter videntur eſſe prohibitæ, quas neceſſe eſt ſimul commorari. Tertia ratio eſt, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, dum enim homo extraneam vxorem accipit, coniunguntur ſibi quadam ſpeciali amicitia, omnes conſanguinei vxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui; vt Auguſtin. dicit 15. de ciuitat. Dei; *Habita eſt ratio rectiſſima charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis atque honeſta concordia, diuerſarum vicißitudinum vinculis necterentur; nec vnus in vno multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos.* Addit autem Ariſtoteles rationem quartam in ſecund. Politicor. quia cum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor qui eſt ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod caſtitati repugnat. Vnde manifeſtum eſt quod inceſtus eſt determinata ſpecies luxuriæ.

Inceſtus eſt determinata ſpecies luxuria, quod eſt contra reuerentiam debitam parentibus.

CIRCA nonum, ſcilicet *vtrum ſacrilegium ſit ſpecies luxuriæ*. Dicendum quod ſicut dictum eſt, quando actus vnius virtutis vel vitij ordinatur ad finem alterius, aſſumit ſpeciem illius, ſicut furtum quod propter adulterium committitur, tranſit in ſpeciem adulterij. Manifeſtum eſt autem quod obſeruatio caſtitatis ſecundum quod ordinatur ad cultum Dei, ſit actus religionis in illis qui vouent & ſeruant virginitatem; vt patet per Auguſt. in lib. de virginitate. Vnde manifeſtum eſt, quod luxuria ſecundum quod violat aliquid ad diuinum cultum pertinens, pertinet ad ſpeciem ſacrilegij; & ſecundum hoc ſacrilegium poteſt poni ſpecies luxuriæ.

Sacrilegium eſt ſpecies luxuriæ, inquantũ violat aliquid luxuria quod ſpectat ad cultum Dei.

ET nota quod ſacrilegium eſt ſpecies irreligioſitatis, & etiam luxuriæ; quia luxuria ſecundum quod ordinatur ad finem alterius vitij, efficitur illius vitij ſpecies; & ſic aliqua ſpecies luxuriæ poteſt etiam eſſe ſpecies irreligioſitatis, ſicut cuiuſdam ſuperioris generis. Vnde 32.q.1. ſacrilegium non connumeratur inter ſpecies luxuriæ. Cuius ratio eſt, quia ibi non ponuntur niſi illa quæ ſunt ſpecies luxuriæ ſecundum ſeipſa; ſacrilegium autem eſt ſpecies luxuriæ ſecundum quod ordinatur ad finem alterius vitij, & poteſt concurrere cum diuerſis ſpeciebus luxuriæ. Si enim aliquis abutatur perſona coniuncta ſibi ſecundum ſpiritualem cognationem, committit ſacrilegium ad modum inceſtus. Si autem abutatur virgine Deo ſacrata; inquantum eſt ſponſa Chriſti, committit ſacrilegium per modum adulterij: inquantum vero eſt ſub ſpiritualis patris cura conſtituta, erit quoddam ſpirituale ſtuprum; & ſi violentia inferatur erit ſpiritualis raptus: qui etiam ſecundum leges ciuiles grauius punitur quam alius raptus. Vnde Iuſtinianus Imperator dicit. *Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantummodo matrimonij coniungendi cauſa, ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitalis pœna feriatur.*

Sacrilegium non eſt ſpecies luxuriæ ſecundum ſe, ſed prout ordinatur ad finem alterius vitij, ex quo habet quod poſſit concurrere cum varijs luxuriæ ſpeciebus.

CIRCA decimum, ſcilicet *vtrum vitium contra naturam ſit ſpecies luxuriæ*. Dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, ibi eſt determinata ſpecies luxuriæ, vbi ſpiritualis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno quidem modo quia repugnat rationi rectæ, quod eſt commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo quia ſuper hoc repugnat ipſi ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ ſpeciei, quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem poteſt pluribus modis contingere. Vno quidem modo, ſi abſque omni concubitu, cauſa delectationis venereæ, pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, quod vocatur beſtialitas. Tertio modo ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam; vt Apoſtolus dicit Rom.1. quod dicitur ſodomiticum vitium. Quarto ſi non ſeruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad inſtrumentum, aut ad alios monſtruoſos & beſtiales concumbendi modos.

Vitium contra naturam eſt ſpecies luxuriæ inquãtũ repugnat ordini naturali venerei actus, ſit autem quadrupliciter.

CIRCA vndecimum, ſcilicet *vtrum vitium contra naturam ſit grauiſsimum peccatorum inter ſpecies luxuriæ*. dicendum, quod in quolibet genere corruptio principij eſt peſſima, ex quo alia dependent; principia autem rationis ſunt ea quæ ſunt ſecundum naturam: nam ratio præſuppoſitis his quæ ſunt à natura determinata, diſponit alia ſecundum quod conuenit; & hoc apparet tam in ſpeculatiuis quam in operatiuis. Et ideo ſicut in ſpeculatiuis error circa ea quorum cognitio eſt huiuſmodi naturaliter indita, eſt grauiſſimus & turpiſſimus; ita in agendis, agere contra ea quæ ſunt ſecundum naturam determinata, eſt grauiſſimum & turpiſſimum, quia ergo in vitiis quę ſunt contra naturam tranſgreditur homo id quod eſt ſecundum naturam determinatum circa vſum venereum, inde eſt quod in tali materia hoc peccatum eſt grauiſſimum; Poſt quod eſt inceſtus; qui ſicut dictum eſt, eſt contra naturalem reuerentiam quam perſonis coniunctis debemus. Per alias autem luxuriæ ſpecies præteritur ſolum id quod eſt ſecundum rationem rectam determinatum, ex præſuppoſitione connaturalium principiorum. Magis autem repugnat rationi quod aliquis venereis vtatur, non ſolum contra id quod conuenit proli generandæ, ſed etiam cum iniuria alterius, & ideo fornicatio ſimplex, quæ committitur ſine iniuria alterius perſonę, minima eſt inter ſpecies luxuriæ. Maior autem iniuria eſt, ſi quis abutatur muliere alterius poteſtati ſubdita ad vſum generationis, quam ad ſolam cuſtodiam: & ideo adulterium eſt grauius peccatum quam ſtuprum; & vtrumque aggrauatur per violentiam; propter quod raptus virginis eſt grauius peccatum quam ſtuprum, & raptus vxoris quam adulterium: & hæc omnia aggrauantur ſecundum rationem ſacrilegij, vt ſupra dictum eſt.

Vitium contra naturam eſt grauiſſimum inter ſpecies luxuriæ.

Quæ luxuria ſpecies in grauitate præcedunt.

ET nota quod ſicut ordo rationis rectæ eſt ad homines, ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo, & ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit iniuria ipſi Deo ordinatori naturæ. Vnde Auguſtin. dicit 3. confeſſionum. *Flagitia quæ ſunt contra*

Solutio obiect.

Solutio obiect.

naturam,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

naturam, sunt semper detestanda, atque punienda; qualia sodomitarum fuerunt; quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet; cum eadem materia cuius ille auctor est, libidinis peruersitate polluitur. Et ideo sicut iniuria quæ fit ipsi Deo, grauior est quam illa quæ fit proximo; ita vitium contra naturam grauius est quam adulterium, stuprum, raptus, vel etiam sacrilegium. In quo etsi fit iniuria ipsi Deo, tamen ibi seruatur ordo naturæ.

Inter vitia contra naturam grauissimum est bestialitas, minimum immiditia.

ITEM inter vitia contra naturam, minus est graue peccatum quod est ex omissione concubitus vt mollities; quia in peccatis magis attenditur grauitas ex abusu alicuius rei, quam ex omissione; grauissimum autem est peccatum bestialitatis, vbi non seruatur debita species. Vnde super illud Gen. 37. ACCVSAVIT FRATRES SVOS CRIMINE PESSIMO, dicit Glos. quod *cum pecoribus miscebantur.* Post hoc autem est vitium sodomiticum vbi non seruatur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo quod non seruatur debitus modus concumbendi: magis autem si non sit debitum vas, quam si sit inordinatio secundum alia pertinentia ad modum concubitus.

De detestatione luxuriæ.

DISTINCTIO III.

Multa mouent ad luxuriam detestandam.

CIRCA quartum principale, scilicet de his quæ suadent & ostendunt peccatum luxuriæ detestandum, sciendum; quod multa mouere debent ad hoc, videlicet. Laboris pœnalitas. Ardoris immensitas. Fætor abominabilis. Pudor intolerabilis.

1. Laboris pœnalitas.

PRIMO quidem detestabilem esse luxuriam ostendit laboris pœnalitas, quæ præcedit & concomitatur hoc vitium. Quis enim enarrare sufficiat, quot labores & inedias, quot dietas malas, quot vigilias (quia frequenter noctes omnino ducunt insomnes) quot timores & pericula, quot solicitudines & angustias, quot aeris intemperies, id est æstus & frigora, Imbres, niues, & glacies, & multa huiusmodi sustinent miseri, pro breuissima & vilissima delectatione complenda: quæ si pro Deo & animarum salute sustinerent, essent verè martyres apud Deum. Vnde manifestum est quod excæcauit eos malitia eorum, vt id quod verè est turpe, videatur eis pulchrum; & quod molestum, delectabile videatur; iuxta illud;

Omnis amor cæcus, non est amor arbiter æquus.
Nam deforme pecus iudicat esse decus.

Vnde Iob 30. *esse sub sentibus delicias reputabant:* Sentes istæ sunt curæ, solicitudines, vigiliæ, labores, & afflictiones, quæ antecedunt vel concomitantur hoc peccatum. Illudit autem eis diabolus sic, vt in spinis quærant ficus, & pro melle eas lambant, & sic merito lecatores dicantur, spinæ enim voluptatis solicitudines vocantur. Matth. 13. & Lucæ 8.

Exemplum.

SIMILES sunt cuidam, qui cum iret per siluam quandam hora vespertina, inuenit quandam domum pulchram, in qua receptus est. Domina autem domus, quæ videbatur pulchra & ornata, inuitauit eum ad amorem suum & concubitum: cui cum consensisset, videbatur ei quod in cubili pretiosissimo cum ea iaceret, in mane autem excitatus, inuenit se amplectentem facem de spinis, & sic cognouit se à diabolo ludificatum, pro delicijs inueniens spinas, hæc autem anxietas in illicito amore, facit omnia dura ferre tanquam leuia. Iuxta quod de bono amore dicit Augustin. *Omnia sæua & immania, facilia & prope nulla facit amor:* vt patet Genes. 29. *Seruiuit pro Rachel septem annis Iacob, & videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Sic erat ille qui dicebat pro amore suo.

Sic nabam per gelidas brumalis gurgitis vndas,
Nec mihi solstitium, nec graue frigus erat.

Si igitur amor illicitus vilis & fœdus, sic eos allicit, vt omnia molesta & grauia videantur eis delectabilia pro amore detestabili & damnabili: quantomagis amor Dei, qui valde dulcis est, delectabilis, suauis, & magis naturæ consonus, & efficacior ad mouendum, deberet nos allicere ad omnia dura, & aspera sustinendum. Si tamen alicui misero peccatori, talis, immo longe minor pœna vel labor iniungeretur in pœnitentiam, diceret se sustinere non posse, nec velle tanta sustinere pro Deo, quanta sustinet pro diabolo, nec pro salute animæ suæ, quanta pro damnatione sustinet detestabiliter ex improba voluntate.

2. Ardoris immensitas.

SECVNDO detestandam esse luxuriam ostendit ardoris immensitas, id est feruor libidinosæ concupiscentiæ, qui est in hoc peccato. Hunc ignem inflammat contactus mulieris, aspectus siue corporalis siue imaginarius, & consortium & colloquium. De primo dicitur. Prouerb. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardeant, aut ambulare super prunas, & non comburantur plantæ eius; sic homo qui ingreditur ad vxorem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. De secundo*, id est aspectu dicitur Eccl. 9. *Noli circumspicere &c.* Sequitur. *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. De tertio* & quarto, id est consortio & colloquio, ibidem. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt, &c.* Iob 31. *Ignis est vsque ad consumptionem deuorans*, & Eccles. 23. *Anima calida quasi ignis exardescit.* De immensitate huius ardoris require infra.

3. Fœtor intolerabilis.

TERTIO detestabilem esse luxuriam ostendit fœtor abominabilis, qui quandoque sentitur ab his etiam qui faciunt. Aliquando enim fœtet eis suum peccatum, tamen non dimittunt illud. Amos 4. *Ascendere feci fœtorem tentoriorum vestrorum ad nares vestras, & non estis conuersi ad me dicit Dominus.* Tentoria corpora sunt fœtentia: Vnde luxurioſi vocantur hyrci fœtentes, Zachar. 10. *Visitabo super hyrcos fœtentes mulieres meretrices.* Aliqui etiam sentiunt fœtorem huius peccati, quando fit in domo sua. Quidam Archidiaconus fœtorem cognoscebat, quando seruus eius peccauerat. Ad hoc facit exemplum quod habetur supra de tentatione, quomodo spiritus fornicationis apparuit Pachomio in specie Æthyopissæ teterrimæ, & de fœtore eius fœtebat manus qua eam tetigerat.

Exemplum.

ITEM de verbis patrum. Cum quidam veniſſet ad eremum, & secum adduxisset filium suum nuper ablactatum, cum creuisset, tentabant eum dæmones de peccato carnis, qui ait patri, quod volebat ire ad sæculum, non valens impetus tentationum ferre. Et cum non posset eum pater retinere, obtinuit tamen quod prius iret & faceret quadragenam vnam in remotiori eremo, portans secum panes, & faciens plectas de palmarum folijs. Quod cum faceret, post 20. dies apparuit ei opus diaboli, quasi mulier Æthyopissa fœtida & turpis aspectu, ita vt eius fœtorem non posset sustinere, sed abijciebat eam à se, cui ait, ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo, sed propter obedientiam tuam & laborem, non permisit me Deus decipere te, sed indicauit tibi fœtorem meum. Qui surgens & gratias agens ad patrem redijt, & factum retulit, dicens: Iam nolo redire ad sæculum. Cui pater; Si perseuerares in mandato meo, vsque ad 40. dies, maiora videre haberes.

Exemplum.

DICVNT Philosoph. quod Ciconiæ sibiinuicem fidem custodiunt, vt neutra, viuente compare, alteri misceatur. Vnde contigisse dicitur quod Ciconia quædam absente masculo, alterum masculum recipiebat in nido; & post coitum statim lauabat se in flumine, ne masculus suus veniens, factum suum cognosceret per fœtorem, semel autem præuenta est, & antequam lauari posset, veniens masculus eius & adulterium deprehendens, protinus eam dimisit; nec

nec poſtea declinauit ad eam, donec magna ciconiarum multitudine congregata in planicie, eiſque in duas partes diuiſis altrinſecus, illa tanquam iudicanda ſtetit in medio. Factoque quaſi concilio, quid de illa iudicaretur agendum; Primo maſculus eius aggreſſus eſt eam cum roſtro: Poſtmodum omnes aliæ diſcerpentes eam, in fruſta minima diuiſerunt, in vltionem ſceleris perpetrati.

Fœtor luxuriæ eſt Angelis abominabilis multiplici ratione.

FÆTOR huius flagitij multum eſt abominabilis ſanctis Angelis, & eis ſummè diſplicet multiplici ratione. Primo luxurioſus facit coram eis, quod non faceret coram aliquo ribaldo, nec eis reuerentiam exhibet, qui nos cuſtodiunt in omnibus vijs noſtris. Bernard. *In quouis angulo, in quouis diuerſorio reuerentiam habe eum Angelo tuo; nec coram eo facias, quod coram me facere non auderes.* Item contumeliam facit Angelis, qui cum ſit eis ſimilis ſecundum animam & intelligentiam, magis vult aſſimilari iumentis quam eis. Pſalmus 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit &c.* quia vt dicit Gloſſ. ſupra illud 1. Corinth. 6. QVI FORNICATVR IN PROPRIVM CORPVS PECCAT. *In fornicationis opere totus homo abſorbetur à carne, ita vt dici non poſsit animus ſuus eſſe, ſed totus homo dici poſsit caro.* Item contumeliam facit Angelo ſuo, quia eo contempto ludit & delectatur cum ſpiritu turpiſſimo fornicationis, quem amplexatur, à bono Angelo ſe auertens, & conſilia eius ſpernens.

Exemplum.

IN vitis patrum, quidam tentatus à ſpiritu fornicationis, rogauit quendam ſanctum patrem, vt oraret pro eo. Quod cum feciſſet aſſiduè & ſæpe, & ille diceret ſe à tentatione illa non eſſe alleuiatum: cum contriſtaretur ſenex, ſe non exaudiri, vidit illum monachum quem tentabat diabolus ſedentem, & ſpiritum fornicationis ante illum ludentem, & ipſum cum eo delectari, & Angelum Dei aſtantem, & grauiter indignantem contra eum, quia non conſurgebat, nec orabat iuxta conſilium ſuum, ſed magis delectabatur in cogitationibus ſuis & imaginationibus, quas ei diabolus immittebat: quem arguit ſenex de negligentia, dicens: Impoſſibile eſt alienis orationibus hunc ſpiritum a te repellere, niſi & tu laborem aſſumas orationum, ieiuniorum, vigiliarum, & huiuſmodi. Sicut enim in medicinis corporalibus, nihil proficit cura medicorum, niſi infirmi à noxijs ſe abſtineant; nec orationes ſanctorum negligentibus, & remiſſis, & reſolutis corde. Item odit eam bonus Angelus; quia eius naribus fœtorem abominabilem ingerit.

Exemplum.

DE verbis patrum legitur, quod mortuo peregrino in ſilua, Angelus apparuit eremitæ, dicens quod iret ſecum ad ſepeliendum dictum peregrinum. Quod cum feciſſet, & vellet eum ſepelire, eremita nares ſuas ſibi obturabat, non valens ferre fœtorem cadaueris, Angelus non. quo ſepulto obuiauerunt cuidam iuueni compto & ornato; ad quem appropinquantes, Angelus nares ſuas obturabat, dicens, quod fœtor luxuriæ eius erat ei grauiſſimus ad tolerandum, & cadauer peregrini ſuauiſſimi odoris.

ITEM luxurioſum odit Angelus, & eius luxuriam, quia filium ſummi regis eius cuſtodiæ deputatum, in oculis, & etiam in contumeliam cuſtodis tanti corrumpit, de qua dicitur in Pſalmo 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.*

Fœtor luxuriæ aſcendit ad Deum & Sanctos.

ITEM quod grauius eſt, fœtor iſte aſcendit vſque ad Deum. Vnde dicit Anſelm. *Non tantum fœtet canis putridus coram hominibus, quantum peccantis ſpurcitia coram Deo,* luxurioſus autem eſt ſicut cadauer putridum. Pſalmus 37. *Putruerunt & corruptæ ſunt, &c.* & Micheæ 2. *propter immunditiam corrumpetur putredine peſsima,* & Ioel. 2. *Putruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Gregor. *Iumenta in ſtercore ſuo computreſcere, eſt homines carnales in fœtore luxuriæ vitam finire.* Poſtremo in naribus hominum fœtet hoc flagitium, quando fœtor infamiæ vſque ad eorum notitiam dilatatur. Vnde de Salomone dicitur Eccleſ. 47. *Inclinaſti fœmora tua mulieribus, & poſuiſti maculam in gloria tua.* Prouerb. 6. de adultero dicitur. *Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi & opprobrium illius non delebitur.* Eccleſ. 23. *Hic in plateis ciuitatis iudicabitur, quia ibi male loquuntur homines de eo.* Et poſt. *Et erit dedecus omnibus, quia non intellexit timorem Domini.* Ideo Roman. 1. peccata luxuriæ dicuntur paſſiones ignominiæ, quia auferunt nomen famæ. Hieronym. *Detrahentium morſibus te tradidiſti, ſi Agapetarum conſortia non euitas.* De talibus etiam in Pſalmo 82. *Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ.* Endor interpretatur fons generationis, hoc eſt luxuria, & Eccl. 9. *Mulier fornicaria quaſi ſtercus in via conculcabitur.*

Exemplum.

ITEM luxurioſi adeo fætent ſanctis, quod non permittunt eos ſecum habere Eccleſiaſticam ſepulturam; ſicut dicitur 4. Dialog. 54. capit. de Valeriano patricio, quem poſuit epiſcopus Brixiæ, pretio ſibi dato, in Eccleſia Beati Fauſtini martyris, qui apparuit cuſtodi Eccleſiæ ſuæ, monens eum ter vt diceret Epiſcopo, quod carnes fætentes dicti Valeriani remoueret ab Eccleſia ſua: Quod ſi non faceret die 30. morereturus. Quod quia non fecit, die 30. morte ſubita, & improuiſa mortuus eſt. Dictus autem Valerianus vſque ad ætatem decrepitam fuerat leuis & lubricus.

ITEM in eodem libr. legitur de Valeriano Mediolanen. Eccleſiæ defenſore, qui lubricus & cunctis leuitatibus occupatus, defunctus poſitus eſt in Eccleſia Syri Martyris, quem cuſtodes Eccleſiæ viderunt nocte media trahi à duobus teterrimis ſpiritibus, ligatis pedibus, vociferantem nimis extra Eccleſiam, vbi in mane inuentus eſt. Ibi dicit Gregor. *Hi quos peccata grauia premunt, ſi in ſacro loco ſepeliri ſe faciunt, reſtat etiam vt de ſua præſumptione iudicentur.*

ITEM quinquageſimoſeptimo de tinctore ſepulto in Eccleſia Beati Ianuarij, qui ſequenti nocte viſus eſt & auditus à cuſtode clamare, Ardeo, ardeo: mane autem aperto ſuo ſepulchro, ſui corpus eius non inuenerunt, ſed ſola veſtimenta eius integra & intacta: *ex qua re* vt dicit Gregorius *colligitur, qua vltione anima ſit damnata, cuius caro eſt ab Eccleſia proiecta.*

4. *Pudor intolerabilis.*

QVARTO luxuriam oſtendit eſſe deteſtabilem, pudor intolerabilis. Pudor enim vel erubeſcentia eſt fuga rei indecentis. Magna enim erubeſcentia ſignum eſt magnæ indecentiæ; propter quod hoc peccatum latebras appetit, & velamen quærit, & tenebras diligit, Iob 24. *Oculus adulteri obſeruat caliginem.*

ITEM in libro de verbis patrum tranſeunte Abbate Effrem, quædam proſtituta immiſſa eſt ad eum, vt incitaret ipſum ad turpem coitum, vel ad iracundiam; quia eum nullus viderat iraſcentem, cui incitanti eum ad hoc ait; ſequere me, & duxit eam ad locum populoſum & ait; Hic para te. Quæ ait, quomodo poſſum coram tot hominibus hoc facere, & ille, & quomodo non erubeſcis oculos Dei & ſanctorum? quæ confuſa receſſit. Ad idem eſt exemplum ſupra de Thayde meretrice.

Exemplum.

ITEM in chronicis Godofredi dicitur, quod cum Paulina neptis Tyberij Cæſaris, amaretur à quodam milite, nec aliquo modo poſſet eam habere, cum ipſa frequentaret templum Iſidori, ipſe fecit pactum cum ſacerdote Iſidor. quod permitteret eum in templo in habitu Iſidor. Quo facto intrauit ſimulacrum, & Paulinæ petenti reſponſum ſuaſit, vt conſentiret ei, & de eius concubitu glorioſa fieret, qua conſentiente, vſus eſt ea ad votum, quæ cum rediret, ille manifeſtauit ſe ei, improperans ei factum, pro quo depoſita quærimonia apud Tyberium, idolum combuſtum eſt, templum deſtructum, ſacerdotes occiſi, miles proſcriptus ab vrbe; ipſa Paulina præ verecundia amiſſæ pudicitiæ, gladio ſe occidit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Luxuria vt capiat blanditur & seducit.

VEL dicas quod luxuria detestabilis ostenditur & cauenda, quia blanditur vt capiat, & vinculat captiuatum; vinculatum spoliat, & iugulat spoliatum. Primo quidem, hominem vecordem blandiendo seducit vt capiat. Capit enim aspectu, risu, colloquio, & tactu, ideo monet sapiens Prouerb. 6. *Non concupiscat pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris in nutibus eius.* Et post, *mulier pretiosam animam viri capit,* Iudith 10. *Aspectu suo cepit Holofernem,* & 25. *sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.* Hieronym. *Libido pretiosas hominum animas capit, & adolescentium facit aduolare corda.* Item Gregor. *Quem luxuria semel ceperit, nihil aliud cogitare permittit, ita tenet captiuum in luto.* Item Beda. *Meretrix sermonum suauitatem, & corporis formositatem quærit, ad capiendas animas virorum.* Sicut legitur in vita Beatæ Mariæ Ægyptiacæ, quod cum esset iuuenis & speciosissima, vt ipsa confessa est Zosimæ, circuibat ciuitates & nundinas, & per mare, & terram, quomodo animas diabolo venaretur.

Luxuria vinculat captiuatum.

SECVNDO luxuria vinculat captiuatum, sicut bene docet Sapient. Prouerbior. 7. de meretrice loquens. *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, &c. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis de Ægypto, aspersi cubile meum mirrha & oleo & cinamomo. Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus &c.* Sequitur. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum suorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & nescit quod ad vincula stultus trahatur &c.* Item Ecclesiastici 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* Iud. 16. Dalila Samsonem tradidit Philistæis, qui vinctum catenis duxerunt in gazam. Bernard. *Voluptas habita cito repetitur, repetita blanditur, consuetudo ligat, ratio consopitur.* Vinculat enim mulier, & inuiscat animas multis modis, quia omnia quæ sunt in ea viscosa sunt. Genes. 14. *Vallis illustris habebat puteos multos bituminis,* id est mundus mulieres multas bitumine vincientes. De tali puteo dicitur Prouerb. 22. *Fouea profunda est meretrix, & vt puteus angustus aliena.* Hieronym. *Si iuuenes cum mulieribus habitent, non deerit viscarium diaboli.*

Hoc visco aliquando inuiscantur aues, id est viri spirituales, quando appropinquando tangunt illum, sicut aucupes cum visco capiunt aues, virgas eo liniendo. Similiter dæmones homines, per mulierum signa & gestus attractiones faciendo. Sic autem inuiscando, virilem emollit constantiam, & calefacit; quia non aliter inuiscaret, nisi calefaciendo & emolliendo. Hieronym. *ferreas mentes libido domat. In virginibus maiorem parit famem, quia quod ignoratur dulcius putatur.* Idem *adamas inter malleum & incudem non frangitur, hyrcino tamen sanguine dissipatur. Sic vir fortis qui tribulatione non frangitur, fornace libidinis resoluitur.* Item Isidor. *Iuxta serpentem positus non diu eris illæsus. Cum igne positus, etsi sis ferreus, aliquando dissolueris, Proximus periculo, diu tutus non eris.* Iob 14. *Mons cadens defluit,* quod est quando aliquis de magno statu, subito per tentationem cadens à gratia, defluit per sordes luxuriæ ad modum aquæ, vt Ruben, de quo Genes. 49. *Ruben primogenitus meus, prior in donis maior imperio, effusus est sicut aqua &c.* Sicut Dauid ad aspectum Bersabeæ cito cecidit 2. Reg. 11. *Et saxum transfertur de loco suo,* id est homo durus & qui videbatur inflexibilis, de statu innocentiæ, vel Dei cultu, ad apostasiam. Vt Salomon amore mulierum de cultu Dei ad idolatriam. Qui primo Deo fabricauerat templum, post fabricauit fana dæmonibus 3. Reg. 11. Sequitur in Iob. *Lapides excauant aquæ,* id est corda fortia, assiduæ tentationes, frequentes collocutiones mulierum, & huiusmodi. Poëta.

Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo;
Duraque cum molli saxa, cauantur aqua.

Aquæ sunt mulierum blanditiæ & deliciæ luxuriæ: *& alluuione paulatim consumitur terra.* Alluuio est latens crementum aquæ; per aquam significatur latens tentatio luxuriæ, quæ paulatim emollit hominem.

Exempla.

LEGITVR in chronicis, quod Ninias fuit filius Nini, & Semiramis mater sua, quem ne haberet vigorem regium, fecit nutriri inter mulieres, & opera muliebria facere, regnans pro eo, vt resolutus mollitie, vigorem virilem & regimen Regni tenere non valeret. Qualiter autem luxuria emolliat, & resoluat animum virilem & regimen, patet per Sardanapalum, in quo terminatum est regnum Assyriorum; qui circa tempus Iosiæ regis Iuda, Rex fuit Assyriorum 31. post Belum patrem Nini. Hic inter mulieres conuersabatur omni muliere mollior, in operibus muliebribus gestu & habitu. Ad quem cum venissent multi de diuersis partibus regni sui, pro ratione & negotijs officiorum suorum, miserunt ei Arbatem Principem Medorum, qui inuenit eum inter scortorum greges, & muliebri habitu, purpuram colonentem, & pensas inter virgines diuidentem, qui reuersus ad alios refert visa, dicens se non posse parere vlla ratione illi, qui magis se velit gerere mulierem quam virum. Sic fit coniuratio contra eum; qui se non posse resistere videns, accenso igne se cum suis diuitijs concremauit. Hęc leguntur in diuersis Chronicis; & sic translatum est regnum Assyriorum ad Medos; in quibus primus regnauit Arbates. Hic autem dictus Sardanapalus, legitur primus culcitras & puluinaria fecisse, & puluеribus impleuisse, ad mollitiem corporis.

Luxuria vinculatum spoliat.

TERTIO luxuria vinculatum despoliat, id est omnibus bonis priuat, scilicet temporalibus, spiritualibus, & ęternis Eccles. 9. *Ne des animam tuam fornicarijs in nullo, ne perdas te, & animam tuam, & hæreditatem tuam.* Eripit temporalia bona. Prouerb. 29. *Qui nutrit scortum, perdit substantiam:* vt patet Lucæ 16. de filio prodigo, *qui dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè.* Item aufert bona spiritualia, virtutes, & dona. Iob 31. *Si deceptum est cor meum super mulierem, &c.* Et post. *Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia genimina eradicans,* genimina omnium bonorum, sunt dona & virtutes. Item magnum thesaurum aufert, qui continentiam eripit, quæ est tantum bonum, quod non recipit recompensationem.

Exemplum.

LEGITVR in vita B. Bern. Clareuall. quod cum esset adhuc iuuenis in sęculo, pulcher & gratiosus & virgo, quędam hospita eum concupiuit, & de nocte ad lectum eius surrexit: quam sentiens clamauit, Latrones, latrones: & hoc fecit ter in nocte, in mane autem cum recessisset, quæsierunt ab eo socij sui, quare ita clamauerat, ait: Vere latronem inueneram, qui volebat mihi furari thesaurum incomparabilem & irrecuperabilem virginitatis.

Exemplum.

PRIVAT etiam gratia diuini beneficij. Ad quod facit quod legitur Dial. 32. Vbi refert Gregor. quod cum quidam Episcopi Affricani contra Arianos pro defensione fidei fortiter insisterent; cum exhibiti essent regi eorum Vuandalo, nec posset eos inflectere ad errorem suum, fecit eis linguas radicitus amputari; quibus diuino miraculo datum est, vt ita bene & plenè vt prius loquerentur. Hi autem profugi à Vuandalis euadentes, & Constantinopolim venientes, ora vacua monstrantes, fidem & Dei gratiam sibi factam prædicando ostendebant. Quidam autem illorum in luxuriam ibi lapsus, statim priuatus est gratia & dono miraculi; & recto Dei iudicio, vt dicit ibi Gregor. factum est, vt qui seruare noluit continentiam carnis, sine lingua carnea non haberet verba virtutis. Item eripit bonum ęternum. Augustinus. *O quam breuis est concubitus hora, pro qua amittitur vita æterna.* Excludit etiam à regno cœlorum. Apocalyps. 21. *Non intrabit in illam ciuitatem*

ſummam aliquid inquinatum, aut abominationem faciens. Et poſt 22. *Foris canes & impudici, &c.* 1. Cor. 6. *Neque fornicatores neque molles regnum Dei poſsidebunt, &c.* Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.*

Luxuria iugulat ſpoliatum.

QVARTO luxuria iugulat ſpoliatum. Prou. 6. *Multos vulneratos deiecit, fortiſsimique interfecti ſunt ab ea, via inferi domus eius &c.* Deuter. 22. *Morietur, quia fecit nefas vt fornicaretur. Similis* eſt meretrix viperæ, quæ comparem oſculando, adeo libidine inſanit, quod caput eius in ore ſuo glutiens, eum cum dentibus ſuis iugulat. Sic dum meretrix oſculatur hominem, caput rationis eius cito abſorbet per illicitum conſenſum, & per coitum eum in anima occidit.

Simile.

ITEM ſimilis eſt meretrix Buſyri, de quo legitur Oroſij libr. 1. quod fuit tyrannus Ægyptiacus, qui in ſero honorificè & letanter homines recipiebat, & nocte eos dæmonijs immolabat. Dæmonibus immolat, quos ad coitum conſiliatur & inclinat. Similis eſt Semirami Reginæ Babylonis, de qua refert Oroſius lib. 1. quod iuuenes libidinoſe concupitos, regiè accerſitos, meretricè habitos, ſuo concubitu delectatos, occidebat. Similis eſt illi de qua dicitur Ezech. 23. *Inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt vt carnes aſinorum, &c,*

ITEM ſimilis eſt meretrix Syrenibus marinis, quas dicit Hiero. in chronicis ſuis Policratum ſcripſiſſe in primo incredibilium lib. fuiſſe meretrices in inſula maris habitantes, quæ ſuauitate verborum & cantuum attraherent & deciperent nauigantes.

Luxuria eſt aminat Dei imaginem.

VEL dicas quod luxuria deteſtabilis eſſe monſtratur, quia ſua fæditate contaminat, & deturpat imaginem Dei, inflammat libidinem, totum hominem deordinat, & mergit in voraginem. Primo ſiquidem luxuria contaminat; fæda enim eſt, immo fæditas ipſa & totum hominem reddit fædum & ſordidum. Vnde qui fornicatur multiplicem iniuriam facit Deo. Primo quia filiam ſummi regis corrumpit & proſtituit, & imaginem patris in ea maculat & deturpat, fædando pulchritudinem eius, tam illam quam habet ex creatione, quam ex gratię infuſione, quam ex redemptione. Pulchritudinem enim habet ex creatione, *quia ad imaginem Dei factus eſt homo*, ſecundum animam, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſecundum hanc eſt digniſſima creaturarum. Hanc imaginem Dei viuam & veram proijcit luxurioſus in lutum & in ſterquilinium luxuriæ. Si reus cenſeretur ab omnibus ille, qui imaginem Chriſti vel Beatæ Virginis traheret per lutum, vel proijceret in latrinam, quantomagis qui viuam imaginem beatiſſimæ Trinitatis fædat per luxuriam, omni ſterquilinio fędiorem.

HANC animæ dignitatem attendebat quidam Philoſophus, qui cum tentaretur de luxuria dixit. *Erubeſce cœlum intrare cœnum*; & per hoc reſilit à peccato.

Exemplum.

ITEM in vitis patrum hoc attendebat puella quædam nomine Alexandra, de qua ſancta Melana retulit beato Hiero. quod cuiuſdam iuuenis eam læſerat animus; quæ ſe incluſit in quodam ſepulchro per decennium, vbi nullus poterat eam videre: quę contra acediam ſic pugnabat, quod à prima vſq; ad nonã orationi vacabat, per horã aliquid operis lini faciẽs. Poſtea vſq; ad veſperam cogitationem vertebat ad ſanctos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & ſanctos: veſpere cibo ſumpto quieſcebat cum Domino, glorificans eum, & finem patienter expectans. Hæc autem magis voluit tanto temporé ſic includi (ſicut S. Iulianæ, per foramen paruum quod erat in ſepulchro, retulit adiurata) quod perdere vel lædere animam ſuam, vel aliam ad imaginem Dei factam, cuius ſepulchrum cum inde nullum daret reſponſum, aperuit, & corpus defunctæ reperit, B. Hier.

Luxuria fædat pulchritudinem quam habet

ITEM pulchritudinem quam habet anima ex gratiæ infuſione fædat luxurioſus, ſicut dicitur in canonica Iudæ. *Gratiam Dei transferentes in luxuriam & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Item pulchritudinem quam habet anima ex redemptione fędat luxurioſus. Vnde magnam iniuriam facit Chriſto. Ioan. 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem &c.* Et poſt. *Non eſtis veſtri: Empti enim eſtis pretio magno &c.* Hoc pretium eſt ſanguis Chriſti, & corpus eius datum pro redemptione noſtra. Corpus enim & ſanguinem proijcit quaſi in lutum plateарum, qui animam ſuam horum pretio redemptam, in fæces luxuriæ immergit. Bern. *Væ mihi ſi talentum mihi traditum negligenter tractauero, pretioſo ſanguine agni incontaminati magis appretiatum. Si enim ſtillas dominici ſanguinis in vaſe aliquo haberem, diligens cuſtos proculdubio exiſterem: quantomagis diligenter debeo tractare & ſeruare animam Chriſti ſanguine magis appretiatam, quem dedit pro eius redemptione.*

anima ex gratia & redemptione.

ITEM cum luto ſit vilior vita luxurioſi, vt dicitur Sap. 15. Cum corpus & ſanguinem Chriſti in peccato luxuriæ recipit, pretioſum pretium mundi adeo vilipendit, quod in lutum platearum proijcit. Bern. *Sacerdos luxuria inquinatus, iuxta filium virginis ponit idolum veneris; & dum ore ſuo polluto carnem ſacratiſsimam Chriſti recipit, quaſi in lutum platearum proijcit: Et dum ore ſuo polluto ei benedicit, quaſi in faciem Saluatoris ſpuit.*

ITEM luxurioſus animam Dei ſponſam violandam exponit, coram oculis ſponſi ſui, quod nullus adulter impune faceret, videnſe ſponſo. Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcet, &c.*

Luxuria Spiritum S. à templo ſuo expellit.

ITEM luxurioſus Spiritum ſanctum à templo ſuo expellit, & Spiritum immundum introducit. 1. Cor. 6. *Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui habitat in vobis, & non eſtis veſtri: Empti enim eſtis pretio magno.* Item hoc templum violat & polluit luxurioſus faciens de eo latrinam. Pſalmus 78. *Deus venerunt gentes &c. polluerunt templum ſanctum &c.* 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis violauerit templum Dei, diſperdet illum Deus.* Item illud ſuccendit Pſalmus. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum &c. polluerunt tabernaculum nominis tui.* In loco filij virginis ponit luxurioſus idolum veneris. Ezech. 8. *In introitu templi vidi idolum zeli, ad prouocandum æmulationem.*

FACIVNT luxurioſi contumeliam talem filio virginis, qualem leguntur in hiſtoria tripartita lib. 2. Gentiles feciſſe templo Salomonis.

Exempla.

LEGITVR ibi quòd cum Helyus Adrianus reędificaſſet Hieruſalem, & locus ſepulchri Domini in magna veneratione haberetur à fidelibus, & viſitaretur. Gentiles illum hoc vitio compleuerunt, & deſuper templum veneris ędificauerunt, vt qui ibi adoraret videretur idolum veneris adorare: quod ibi poſitum erat, vt locus ſepulchri abominaretur, & obliuioni à Catholicis traderetur, vbi cum veniſſet Helena Conſtantini mater, templum deſtruxit, idolum ſubuertit & combuſſit, ſepulchrum purgauit; maximum, pulchrũ, & pretioſum ſacrarium ibi conſtruxit.

ITEM legitur in Calendario Bedæ, de inuentione ſanctæ Crucis, quod Adrianus vndecimus Cæſar, locorum ſanctorum iniuria ſe credẽs fidem Catholicam extinguere; in loco paſſionis dominicæ ædificauit templum Iouis, & idolum eiuſdem adorandum conſecrauit ibidem. Item in Bethleem loco natiuitatis dominicæ, fanum & idolum Adonidis; vbi meretrices conueniebant Adonidem plangentes, & turpia agentes. Similia faciunt luxurioſi in cordibus & corporibus ſuis, quę ſunt loca Dei quæ contaminant.

ITEM luxurioſi faciunt de templo Dei ſicut fecerunt Iehu & ſerui eius de fano Baal 4. Reg. 10. Deſtruxerũt ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas. De Babylone dicitur Apoc. 17. *Facta eſt habitatio omnis Spiritus immundi, & omnis volucris immundæ*, ſic faciunt luxurioſi de corde ſuo, quod deberet eſſe templum & habitaculum ſummi Dei.

Luxuria inflammat libidinem, non extinguit.

SECVNDO luxuria inflammat libidinem. Nam feruorem fomitis, qui in carne noſtra eſt ex corruptione naturæ, ſicut ait Apoſtolus Rom. 7. *Video aliã legem in*

membris

membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. non extinguit luxuria, sed augmentat; & ipsa luxuria insatiabilis est. Prou. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, scilicet gula & luxuria sunt duæ filiæ carnalis voluptatis, *dicentes: Affer, affer.* Oseæ 4. *Comedent & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessauerunt.* Hieron. *Vbi voluptas insatiabilis est habita, famem non saturitatem parit. Vires deficiunt fornicantium, sed desiderium inardescit.* Item Hier. *Amor mulierum insatiabilis est: Extinctus reaccenditur, & post copiam rursus inops est, animumque virilem effæminat; præter passionem quam sustinet, non finit aliud cogitare.* Item Aug. *luxuria præsens non satiat, preterita non delectat, futura excruciat.*

Simile. Hier. *Non tam delectatione, quam numero meretricum, gaudet luxuriosus.* In hoc est lupo similis, qui veniens in ouile, omnes oues iugulat, non putans aliter famen suam extinguere posse; cum tamen vna ouicula sufficeret ei.

Exempla. LEGITVR in chronicis quod Semiramis insatiabilis libidine, omnes quos pulchros videbat libidinosè cupiebat, regiè accersibat, meretriciè habebat, & insatiabilis sanguinis humani effusione meretriciè habitos occidebat.

ITEM multi sunt similes Mahumeto falso Prophetæ Saracenorum, qui gloriabatur de hoc, quod potens erat in opere illo luxuriæ; dicens in Alcorano suo, accepisse se munus à domino, quod præ alijs potentior esset in generatiua; iudicans illos religiosiores, qui possunt habere vxores plures. Intantum crescit ardor libidinis in quibusdam, quod mater insanit in filium, pater in filiam, vir in duas sorores, vel in matrem & filiam, de talibus Ezech. 23. *Insaniuit libidine super concubitum eorum, &c.*

Exemplum. IN miraculis Beati Andreæ legitur, quod eo prædicante, quidam iuuenis eum audiens factus est Christianus; quem mater sua de stupro interpellabat. Quem cum non posset ad consensum inclinare; retorsit in eum crimen, ardore libidinis agitata, accusans eum iudici. Iuuenis hoc dixit B. Andreæ, dicens quod magis volebat occidi sine culpa, quam accusare matrem. Cum autem beatus Andreas eum secutus esset ad iudicem, & mater eum accusaret, & iuuenis taceret, ait Andreas. O misera, quomodo propter ardorem libidinis tuæ vis perdere vnigenitum tuum? Illa ait iudici, quod ex quo iuuenis ei adhęserat, eam interpellauerat de stupro, factus Christianus. Iudex iuuenem tacentem precepit poni in sacco pleno pice & bitumine. Apostolumque incarcerari, quo orante, facta sunt tonitrua & terræ motus; & iudex & accessores prostrati timore, mulier fulgure consumitur, tamen assistentes rogauerunt Apostolum vt oraret pro eis; quo orante cessauerunt tonitrua, & iudex cum assistentibus sunt ad Christum conuersi.

Exemplum. ITEM Nero vt legitur Orosij lib. 6. tanta exarsit libidine, vt nec abstinuerit a consanguineis, aut ab vlla sorore, aut ab ipsa matre: Volens experiri omnia flagitia libidinis, Virum duxit in vxorem, & ipse vt mulier in vxorem acceptus est, frigidis & calidis lauabatur vnguentis, vt libidini fortius deseruiret. Tantæ malignitatis etiam fuit, vt senatorum plurimos, matrem, fratrem, sororem, & cognatos, cæterosque propinquos, vt ibidem legitur, prostrauerit. Effrænatissima & ardentissima est libido in illis, qui naturalem vsum immutant, masculi in masculos inuicem turpitudinem operantes, vel qui coeunt cum iumentis.

Luxuria totum hominē deordinat. TERTIO luxuria totum hominem deordinat; nam libido ex carne progrediens, primo cor inuadit per fædas cogitationes, deinde serpit in illicitas & impudicas affectiones, id est delectationes, & consensum ipsius delectationis; postmodum prorumpit etiam in desiderium delectationis in opere; deinde totum hominem, & omnes sensus occupat & inflammat, videlicet os ad turpia fœda & impudica verba loquendum, aures ad audiendum, oculos ad fœminas intuendum, manus ad impudicè tangendum, & sic de alijs: non solum autem sensus exteriores occupat & corrumpit, verum etiam interiores, scilicet intellectum abstrahens, vt nihil aliud ei libeat cogitare; sicut ait Greg. *Quem luxuria semel ceperit, nihil aliud cogitare permittit.* Occupat etiam memoriam, ita quod non recordatur Dei beneficia, immo Deum impugnat beneficijs suis. Deut. 31. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit &c. dereliquit Deum factorem suum &c.* Hier. 5. *Saturati eos & mœchati sunt, & in domibus meretricum luxuriabantur*, nec considerat diuina iudicia, sicut dicitur Dan. 13. de senibus impudicis. *Auerterunt oculos suos ne viderent cœlum, nec recordarentur iudiciorum iustorum.*

NON considerant etiam sua damna; nec ignominiam, nec infamiam, nec flagitij vilitatem, item non considerant quod *momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat*, secundum Gregor. Item non considerant quod huiusmodi labirinthi facilis est ingressus, sed difficilis est egressus. Vnde de meretrice loquens ait sapiens. *Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur:* non impossibilitatem, sed difficultatem & raritatem designans: qui enim inuiscati sunt, vix possunt euolare, sicut nec auis inuiscata. Etiam viri sancti pugnant quotidie contra eam, & vix victoriam possunt obtinere, quin aliquando capiantur, sicut ait Aug. *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, sed rara victoria*, nec mirum si à consideratione omnium prędictorum luxurioſi deficiunt; quia supet illud 1. Cor. 6. FVGITE FORNICATIONEM, dicit Glossa; *ardore libidinis, quo nullus est maior, voluptas corporis animum suum tenet; in hoc enim opere ratio quasi penitus absorbetur.*

Luxuria totum ordinē peruertit. ITEM luxuria totum ordinem peruertit. Primo quidem ordinem carnis ad spiritum, quia spiritum subijcit carni, immo vilissimæ parti eius, scilicet genitalibus membris, quibus obedit contra Deum. Hoc autem est contra ordinem rationis ancillam dominari, & dominam ancillari. Item virum subiicit seruituti miserabili mulieris, sicut patet de Samsone, qui per Dalilam Philistinorum, subditur miserabili seruituti, captus & ligatus, cæcatus & ludibrio datus. Item Iacob propter amorem Rachelis seruus Laban factus est. Oseæ 12. *Seruiuit Iacob in vxore, & in vxore seruauit pecora.* Item 2. Esdræ 4. Dicit Zorobabel: *multis dementes facti sunt propter suas vxores, & serui facti sunt.* Et ponit exemplum Regis, quem in tãtam seruitutem posuerat amor Apemen Bezatis filiæ, vt de capite Regis dyadema auferret, & suo imponeret, & palmis regem cederet, & cum ea ridente ipse rideret, ea indignata, blandiebatur ei vt eam placaret. Tullius. *Illumnè liberum dicam, cui mulier imperat, leges imponit, vocat & veniendum est, minatur & timendum est? hunc non solum seruum, sed etiam vilissimum seruum eum ego iudico. Ideo quotidie mœchorum sanguis funditur, adulteria damnantur; & inter ipsas leges ac secures, ac tribunalia, flagrans libido dominatur;* Hieron. *Nihil vilius quam à carne vinci, nihilque glorioſius quam carnem vincere.*

Exemplum. HANC autem seruitutem attendebat quidam pater, de quo legitur in vitis patrum tit. de for. vit. qui cum esset figulus, & tentaretur de fornicatione & habenda vxore, finxit sibi vxorem de luto, & duplicauit sibi laborem, pro se & vxore sua; dicens cogitationi suę; modo habes vxorem, necesse ergo habes generare filiam, & triplicare laborem; vt habeas vnde pascas te, vxorem, & filiam, & vestias. Cum ergo videretur ei ista seruitus importabilis, & labor quem exigit; cogitationi suæ dixit, ne ergo tanto labori succumbas, non habes necesse vt vxorem habeas, cuius propositum feruens videns Deus, abstulit ab eo passionem & tentationem fornicationis. Simile legitur feciſſe Beatus Franciscus, qui cum aliquantulum carnis motus sensisset, proiecit se nudum in niuem, vbi pluries se volutans, compinxit septem massas de niuibus, dicens: Francisce hęc est vxor tua, istæ duæ sunt filii tui, & istæ duæ filiæ. Aliæ vero duæ sunt seruus & ancilla, nunc ergo festina omnes illos induere, quia frigore moriuntur; & esto solicitus de cunctis necessariis prouidere. Si autem videtur tibi

labor importabilis, elige vni Deo ſeruire. Cum autem mortificatus eſſet præ frigore; non ſolum tunc, ſed toto tempore poſtea fuit à carnis tentatione liberatus omnino.

ITEM luxuria intantum peruertit ordinem rationis, quod corporalia præfert ſpiritualibus, æternis tranſitoria, honeſtis fæda, vilia pretioſis, carnem miſeram præfert Deo, & delectationem viliſſimam vilium membrorum & turpium, præponit deliciis quæ in Deo ſunt 2 Petr. 2. *Voluptatem æſtimantes delicias coinquinationis & maculæ.* Vnde merito luxuria dicitur hominem facere beſtialem ſicut porcum, & diaboli iumentum Ioel 2. *Putruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Gregor. *Iumenta in ſtercore putreſcere, eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire.* Pſalmus 31. *Nolite fieri ſicut equus & mulus.* Hiero. *qui poſt carnem in deſideriis ambulant, in ventrem & libidinem proni, quaſi irrationalia animalia computantur.* Hier. 5. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt*; inter quos ſunt non coniugia nec temperies rationis. Item ſunt Onocentauri, aſini, & tauri, & luxurioſi, & laborioſi.

Simile. ITEM ſunt ſimiles Centauro mixto ex homine & equo, quale erat illud monſtrum cui obuiauit Beatus Ant. vt legitur in vita Pauli primi eremitæ. Item ſunt ſimiles Capricornio illi monſtro, de quo ibidem, qui homunculus cornutam habebat faciem, & inferiorem partem capri; quia ſub forma humana eſt vita luxurioſa & hyrcina; facies autem cornuta, mentis eſt pertinacia & inobedientia. Item luxurioſus eſt ſicut porcus in luto 2. Pet. 1. *Contingit illis illud prouerbium: Canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Item ſimilis eſt vpupæ quæ nidificat in ſtercore. Sunt ſicut ſus, qui libentius habet nares in ſtercoribus quam in floribus. Prou. 1. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Sus propter circuli aurei ſpecioſitatem & pretioſitatem, non dimittit quin nares ſuas immergat in ſtercus. Sic nec mulier fatua dimittit ſe immergere in fœtorem luxuriæ, aut propter bona naturæ quæ habet, aut gratiæ; ſed libentius dormit vt ſus in luto, quam in florido loco. Legitur in prouerbiis philoſophorum, quod cum quidam diceret audiente Pythagora, quòd libentius moraretur in mulierum conſortio, quam in philoſophorum contubernio. Reſpondit Pythagoras. Et ſus libentius in luto, quam in aqua clara.

Luxuria mergit in voraginem. QVARTO luxuria mergit in voraginem; demergit enim miſerum peccatorem in voraginem vitiorum, periculorum, & ſuppliciorum. In voraginem quidem vitiorum inuoluit. Dicitur namque luxuria lubricum, & luxurioſus lubricus; quia de facili de vitio in vitium labitur. Pſalmus 34. *Via illorum tenebræ, & lubricũ, & Angelus Domini, &c.* Via luxuriæ tenebroſa, lubricoſa, & periculoſa, & Angelus Domini malus eſt cum eis, vt aſinarius cum aſino ſtimulans luxurioſos ad malum. Hiere. 23. *Via illorum quaſi lubricum, in tenebris impellentur, corruent in ea.* Hiere. 38. *Demerſerunt in cœno & in lubrico pedes ſuos.* Luxurioſi nempe propter mulieres, ſæpe furta, rapinas & homicidia committunt, & multa talia; immo quandoque apoſtatant à fide, negantes Deum, & dæmonibus immolantes. Eccl. 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* & 19. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt etiam ſapientes.* Hoc patet 3. Reg. 11. *Mulieres certiſſime auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* His copulatus Rex Salomon ardentiſſimo amore, auerterunt cor eius, vt ſequeretur Deos alienos &c. Ad hoc facit exemplum quod habetur de verbis patrum, titulo de fornicatione, de ſolitario, qui propter filiam ſacerdotis idolorum habendam, negauit Deum, & fidem, & baptiſmum, & propoſitum monachi; de columba ab eo recedente & redeunte per pœnitẽtiam.

Luxuria alios trahit ad peccatũ. ITEM luxuria non ſolum præcipitat hominem in multa flagitia, verumetiam multos alios ſecum trahit, & allicit ad peccatum. Vnus enim luxurioſus ex cohabitatione, multos alios inficit, & occidit; ſicut vna ouis morbida aliam, & vnum pomum putridum alia, & leproſus ſanum. Luxuria enim eſt morbus contagioſus; occidit enim vnus alium ex conſortio. Hier. *Nemo iuxta viperam ſecuros capit ſomnos, quam ſi non percuſſit, tamen ſolicitat ne pungat.* Dicebat Guil. Pariſien. epiſcopus, quod duo luxurioſi amore fatuo ſe diligentes, erant ſicut duo titiones ardentes coniuncti, quorum vnus ſuccendit & conſumit alium, diſiuncti ab inuicem extinguuntur.

ITEM dicebat, quod potius dicendi erant ſe odientes, quam diligentes; cum alter alterum amplexando trahat ad præcipitium putei infernalis, ſicut duo ribaldi ebrij qui pugnantes ſe amplectũtur, & ſe amplexando trahunt ad præcipitium; vbi vnus ſubmergit alium; non ex amore, ſed ex odio hoc facere dicuntur. Sic iſti, vnus alium amplexatur, vt ad mortem æternam eum trahat. Item alios perimit per conſenſum. Item eos qui dant eis in facto ſuo conſilium, auxilium, & fauorem.

ITEM alios per negligentiam, eos ſcilicet qui tenentur eos corrigere, & negligunt. Iuxta quod dixit Symachus Papa. *Error cui non reſiſtitur, approbatur; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.* Deinde quod deterius eſt, eligit ſeruire & obedire diabolo plus quam Deo. In hoc enim ſeruit diabolo, quia templum Dei facit fanum diaboli. Apoc. 17. *Facta eſt Babylon habitatio omnis ſpiritus immundi, & volucris immundæ.* De Behemoth legitur Iob 41. *Sub vmbra dormit, & in locis humentibus, gula & luxuria requieſcit, vt ſus in luto.*

ITEM hoc peccatum comparatiuè diabolum in iudicio iuſtificabit; qui ſe ibi mundum à peccato luxuriæ, quantum ad actum immundum exhibebit. Item quia in peccato illo de ſe, & de ſuo ſanguine (qui, vt dicunt philoſophi, in opere illo conſumitur) ſacrificium facit homo diabolo, immo cibum & potum ei de ſe propinat, & cibum integrum ſeipſum offert ei, immundum ſacrificium, immolantes aliquando etiam filios & filias ſuas dæmonijs. Leuit. 19. & 20. *De ſemine tuo non dabis, vt conſecretur idolo Moloch*, id eſt diabolo. Luc. 15. *Filius prodigus viuendo luxurioſè pauit porcos*, id eſt dæmones, quædam Gloſſ. dicit. *Ebrietas & luxuria & cætera vitia cibus ſunt dæmonum.* Item propter hoc vitium concitant dormientes, & vigilantes homines ludificãt per formas varias quas aſſumunt; & cum non habeat materiam, aſſumit eam alibi, per quam illudat hominibus; vt patet in incubis dæmonibus, qui aſſumunt formas mulierum, in quibus appareant hominibus concumbentibus quos illudunt, vt legitur in vitis patrum.

ITEM de verbis patrum, titulo de cogitatione fornicationis. *Exempla.* Quidam frater tentatus eſt à ſpiritu fornicationis nequiſſimè; & cum viriliter reſiſteret cogitationibus immiſſis, quatuor dæmones in ſpecie quatuor mulierum pulchrarum transformari, iugiter per 40. dies perſeuerauerunt pugnantes contra eum, vt eum traherent ad turpem commixtionem. Illo autem viriliter reluctante, donauit ei Deus vt poſtea non ſentiret calorem carnalis concupiſcentiæ.

ITEM magiſter Iacob. de Vitriaco dicit ſe audiuiſſe, *Exemplum.* quod cum diabolus tentaret diu quendam eremitam inuiſibiliter, nec prævalere poſſet, transformauit ſe in ſimilitudinem cuiuſdam ſeruientis, offerens ſe obſequio eius, & cum propoſuiſſet primo nullum animal poſſidere, nec poſſet bene diſtinguere horas, ſuaſit ei diabolus vt haberet Gallum, ad cuius cantum poſſet horas diſcernere, quo habito, procurauit ne poſſet cantare, cui ait: Domine, Gallus veſter non poteſt cantare, quia infirmatur; non enim poteſt viuere ſine gallina: qua habita fecit eum cantare; & cum Gallus aſcenderet ſuper gallinam, venit in mentem eremitæ coitus muliebris, & diabolo inſtigante interius, & procurante exterius, cæpit grauiſſime tentari, & poſt infirmari, & cum conualuiſſet de infirmitate aliquantulum, cæpit acrius in iſta re tentare eum; & procurauit quod filia cuiuſdam nobilis cæpit viſitare eum, & habere familiaritatem cum eo, & ait eremitæ diabolus: Domine, magnum damnum erit ſi vos moriamini, qui multa bona poteſtis facere. Sicut enim Gallus nõ poteſt eſſe ſanus,

nec

nec viuere ſine gallina, ſic nec vos curari ſine muliere, ecce quam cito gallinam aſcendit Gallus, curatus fuit & cantauit. Eo autem eum tantante interius & exterius de dicta puella, eremita tentauit eam, & eam cognouit. Ipſe autem diabolus ſtatim denunciauit hoc patri puellæ, qui affuit requirens filiam quam occultauerat, præcurrens autem diabolus ait eremitæ; ecce pater puellæ venit, & extorquebit ab illa factum veſtrum; & occidet vos, & infamabitur nomen eremitarum vbique: ſed melius eſt vt eam occidatis, & non poterit probari factum, & pœnitentiam agetis, quo inſtigante eam occidit, & relinquens deſolatum euanuit, & ſic deceptionem ſuam manifeſtauit. Eremita autem acceſſit ante Beatam Virginem compunctus, cum multa effuſione lachrymarum, & orationibus obtinuit, quod eam Dominus ſuſcitauit carne reintegrata, & reddita eſt patri.

Luxuria placet diabolo. ITEM placet diabolo; quia per hoc vitium multos attrahit & abſorbet, binos & binos, vel plures. Vnde diabolus eſt quaſi Cetus in mari, qui aperiens os ſuum emittit flatum ſuum ſuauiſſimum, ad cuius odorem piſces attrahit, & ei appropinquantes ſuauiter glutiuntur. *Simile.* Sic Diabolus per ſuauem tentationem quam emittit, homines & mulieres attrahit, & per libidinem blandè glutit, & abſorbet tot in ſimul, quot ſunt peccato conſentientes, quos poſtea deuorat in inferno per pœnam, quos hic abſorbet per culpam. Hieronym. 51. *Abſorbuit me ſicut draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea.*

Exemplum. AD hoc facit, quod legitur in vitis patrum. Sanctus Abraham (cuius vita mirabilis ibi legitur) in religione, & moribus nutriebat vnigenitam ſororis ſuæ (parentibus mortuis) ſeptemnem, faciens eam habitare in cella iuxta cellam ſuam, in qua erat parua feneſtra, per quam eam litteras docebat, & in moribus inſtruebat: quæ cum per triginta annos manſiſſet cum auunculo, angelicam & deuotiſſimam vitam ducens, quidam profeſſione monachus, frequentans auunculum vtilitatis animæ ſuæ cauſa, incepit habere colloquium cum nepte ſua, primo de ſpiritualibus, poſt incepit notare eius pulchritudinem, & exardeſcens, eam cœpit alloqui de alijs; & ita per annum cor eius emolliuit, quod exiens ad eum aperta feneſtra, corrupta eſt ab eo. Quæ ſupra modum dolens & deſperans, & non ferens dolorem auunculi, ſi hoc ei innoteſceret; receſſit fugiens in vnam ciuitatem, & in ſtabulo, mutato priſtino habitu, ſe collocauit, vbi facta eſt publica meretrix, auunculo autem ſuo caſus eius ſic reuelatus eſt. Videbat in ſomnis draconem maximum & terribilem cum fœtidiſſimo anhelitu ſibilantem, veniſſe vſque ad cellam ſuam, & ibi inueniſſe columbam niueam, quam abſorbuit, & in ſuam foueam redijt, cuius caſum & fugam comperiens auunculus, mactans ſe cum lachrymis & oratione pro ea, poſt duos annos pro certo ſciens vbi erat, aſſumpto militari habitu & ſolido, cum equo illuc venit, dans pecuniam ſtabulario, vt eam ſibi adducat, & cœnam paret. Cumque cœnaſſet, & introductus eſſet cum ea in cubiculum ſecretum, ſeratis oſtijs, accipiens eam per manum, ſedens iuxta eam, remouit operimentum faciei ſuæ, & cum fletu multo hinc inde, veniam promittens, ſummo mane reduxit eam, includens eam in loco vbi prius erat in interiori cella, ipſa autem per decennium faciente pœnitentiam in cilicio, & ieiunijs, & fletu continuo; cum per tantum temporis gauiſus fuiſſet de vera eius pœnitentia, beatiſſimo fine quieuit, auunculus eius, ad cuius tranſitum conuenit tota ciuitas, & omnes infirmi qui tangebant aliquid de veſtibus eius, curati ſunt. Beata Martha neptis eius, in amariſſima pœnitentia per quinque annos ſuperuixit. Omnes autem quotquot ad eius tranſitum venerunt, viderunt claritatem vultus eius, & Deum glorificauerunt.

ITEM ſimilis eſt vita luxurioſi arbori, cui innititur ſtultus colligens dulcia poma, volens implere ſinum ſuum, non timens periculum ſuum, nec recedere volens ſuaſionibus à periculo, donec arbor corroſa à duobus muribus, albo & nigro, corruit, & ſtultus caderet in os draconis, qui arborem infra cinxerat, & deuorauit eum, ferens in foueam ſuam, de quo legitur in Barlaam.

Luxuria mergit hominem in voraginem periculorum. SECVNDO luxuria mergit hominem in voraginem periculorum. Videlicet in lites, contentiones, pugnas, minas, & mortem. Hoc vitium Samſonem excæcauit, Salomonem infatuauit, Dauid ſuperauit, Ruben benedictionem in maledictionem conuertit, ſiue commutauit: Filium prodigum paſcere porcos coëgit, diluuium inundare fecit; Illum, qui vxorem duxerat, à cena excluſit; Amnon pro inceſtu, gladium Abſalonis ſenſit; Iezabel pro meretricio, mortis ruinam ſumpſit; Zambri intrans ſcortum, gladio Phinees occubuit; populus Iſrael fornicans cum alienigenis, iram Domini pertulit; Herodes pro inceſtu Herodiadis, Ioannem decapitauit. De peccatis ſimul & periculis, in quæ incidit homo per mulieres, dicitur 2. Eſdræ 4. *Mulieres dominantur veſtri: nonne doletis? accipit homo gladium, & vadit in via facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina; & leonem videt, & in tenebris ingreditur; & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili ſuæ affert. Et multi dementes facti ſunt propter illas, & multi perierunt, & iugulati ſunt, & peccauerunt propter mulieres.* Aug. *Quid Samſone fortius? quid Salomone ſapientius? quid Dauid ſanctius? & tamen hi omnes per luxuriam ſuperati ſunt.*

Luxuria demergit in voraginem ſupplicioru. TERTIO luxuria demergit in voraginem ſupplicio-rum; quandoque quidem temporaliter, tandem æternaliter. In præſenti etenim vita quandoque à Deo grauiter puniuntur, quod eorum infernus hic videtur incipere, quia ſicut dicitur Hier. 17. *Piſces qui ſunt in flumine*, id eſt luxurioſi libidinosè viuentes in aquis voluptatis, *morientur*, de quibus in Pſal. 104. *conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum*, & Prou. 5. *Nouiſſima eius ducunt ad mortem turpiſſimam, amariſſimam, & acerbiſſimam*, etiam in preſenti. *Exempla.* Exemplum. Quidam qui multum luxuriosè vixerat, in fine niger factus vt carbo, torquebatur à diabolo, maximè in membris genitalibus, ita fortiter, quod nulla pœna tormento ſuo, vt aſſerebat, poſſet comparari; & petebat raſorium, vt illa membra amputaret, ne diabolus in eis haberet materiam vexandi eum, & cum non daretur, volebat ſurgere, ſed non valebat, & in illo dolore mortuus eſt. De quodam magno comite dicitur, quod cū ipſe inter alia flagitia ſua fuiſſet enormiter luxurioſus, arripuit eum grauis infirmitas, & intumuerunt eius genitalia ad modum ollę grandis; in quibus grauiſſimè afflictus, Deum præ doloribus blaſphemabat; & aliquando dicebat, ſe ideo talia in talibus locis pati, quia de membris illis enormia egerat, nec tamen de hoc pœnitens veniam petebat, ſed blaſphemans fortius, immundum ſpiritum emiſit, ſine aliquo Eccleſiæ remedio.

Exemplum. DE alio autem maximo Principe, qui prædicto fuit contemporaneus & familiaris, dicitur, quod ipſe in vita ſua ſe effudiſſet in omne genus luxuriæ; & cum cecidiſſet in languorem grauem, in tabefactionem, & deſperationem, & fætorem intolerabilem; ſui fætoris magnitudinem ferre non valentes, præ confuſione in cameris ſuis eum claudebant & occultabant, nullum ingredi ad eum permittentes. Quædam autem perſona, multum familiaritate & affinitate ei coniuncta, cui non auſi fuerunt cuſtodes reſiſtere, tranſiens oſtia & cuſtodias, ait: Ego volo ſcire quomodo eſt Domino meo; & intrans camerā, inuenit eum ſolum ſuper cubile ſuum, quaſi ſuper quatuor pedes procumbentem, & omnia interiora, cum inteſtinis, & fæcibus, & fætore maximo emittentem, & ſine aliquibus ſignis pœnitentiæ, animam exhalantem. Quod ſui occultantes alia finxerunt. Hoc autē terribile genus mortis vidit & ſciuit illa perſona, quę ſic eum inuenit, & Deum timens, diuino iudicio perterrita, aliquibus Deum timētibus reuelauit. Duo autem prædicti Principes, ſicut fuerunt contēporanei in vita, & conformes in moribus, ita cōtemporanei fuerunt in morte, & creditur quod in pœna.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Luxuriaj punjuntur in inferno.

TANDEM luxurioſi puniuntur in inferno. Prou. 2. *Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ illius; omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Ibidem quinto. *Pedes eius deſtinant ad mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant.* Eorum autem pœnas eſſe graues oſtendunt multa ſuperius poſita libr. 2. *De inferno, de capite loquente, de reprobato, & Tyburtio. Item de ponte, & nebula fœtoris, & lapſu Stephani.* Item ibidem *de mulieribus indutis pice, & ſulphure, & ſerpentibus.* Item *de Principe cito oblito, & tormentis eius.* Item *de Aleydianæ.* Item ibidem *de ſacerdote, & fixura ſartaginis.* Item *de eremita comburente digitos ſuos.* Item *de pœna Principis in cathedra ignea ſedentis.* Item *de balneatione adultery & adulteræ.* Item *de matre ſacerdotis, quæ apparebat ſuccenſa.* Item *de Valerio & carnibus eius fœtidis.* Similiter ibidem *de Valentino & Tincturario.* Item de ea, quæ viſa patris gloria, & matris adulteræ pœna, conuerſa eſt, ſequens veſtigia patris. Et dicitur in vitis patrum, quod Angelus ductor eius duxit eam ad domum quæ erat plena tenebris & obſcuritate & perturbatione & ſtridore & oſtendit ei fornacem igne & pice feruentem, & quoſdam terribiles ſuper fornacem, & deorſum aſpiciens, vidit matrem ſuam, demerſam vſque ad collum, ſtridentem, & multum vermium in pectore ferentem, cum vlulatu clamantem: Heu mihi filia, ecce propter paruam libidinem & exiguas delicias, quanta exoluo tormenta.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM refert Petrus Cluniac. in libr. 2. de viſione cuiuſdam monachi à corpore educti, & reuocati ad vitam; qui inter alia quæ vidit, & retulit de ſupplicijs peccatorum, cum duceretur ab Angelo, audiuit ſonitum Dæmonum cachinnantium, & trahentium ſecum quandam animam de mundo ſublatam, quaſi proijcientes ad alterutrum; & cum furcis igneis diſtrahentes & diſcerpentes eam, ad infernum rapiebant, cum improperio factorum ſuorum. Hæc fuerat meretrix, tandem confeſſa ſeram pœnitentiam acceperat, de qua parum fecerat. Cum hæc itaque agerentur, ſubito lux de cœlo deſcendit, miniſtros tenebrarum terrens; cum qua deſcendit chorus virginum cum mirabili decore ornatus & corporis; inter quas beata Margarita apparuit, quam ipſa ſpeciali deuotione dilexerat, coram altari ſuo luminaria exhibens de ſuo, ſingulis diebus ſabbati, ad quam cum clamaret, eius petens adiutorium, ad precem beatæ Margaritæ, omnibus virginibus orantibus pro ea, conceſſum eſt eis vt in fouea, quæ illico aperuit in loco tormentorum, pœnitentiam conſumaret. Tunc Beata Margarita, cum manu Dæmones abigens, ait illi: Hic pœnitentiam tuam complebis, per me receptura plura beneficia; & tandem hic purgata venies ad conſortium beatorum. Quo dicto, ipſa lætantiſſimè aquam bullientem ſubijt, virgines autem beatæ ſunt in cœlum receptæ.

Exemplum.

ITEM in eodem lib. dictus Petrus Cluniac. dicit, quod vidit in pœnis ſupradictis tres epiſcopos ſibi notos, catenis igneis conſtrictos, inter globos ignium, & procellas niuium, & grandinum, & turbines ventorum, & fluentis ſtagni fœtores, miſerabiliter, & non multum diſſimiliter torqueri; quorum vnus præ cæteris in lingua torquebatur, & hyanti ore eam extrahebat, flammis continuè ſuccenſam; & cruciabatur nunc igne, nunc in niuium algore, nunc in grandine furenti; cuius afflictionem maximè plangebat, & hoc ideo, quia in placitis inter iudices ſæculares delectari conſueuerat, & multos contra iuſtitiam ibi oppreſſerat. Alius qui continentiæ cingulo negligentius vſus fuerat, crebra putentis ſtagni demerſione, vbi æſtus & frigora interiacebant, torquebatur. Profuit tamen ei multum, quod ante finem ſuum, calcato prælationis ambitu, in corde contrito ſumpſit habitum humilem monachorum. Tertius autem in flammis immergebatur, & à flammis cum fumo eleuabatur, & ferebatur ad partes algentes, rurſus ad alia tormenta transferebatur ſucceſſiuè. Hìc fuerat vanæ gloriæ amator, & commune omnium iſtorum fuit vitium, animarum incuria, diuitiarum immoderata cura, pauperum deſpectio, principum adulatio, parentum & propinquorum immoderata & illicita curatio: Propriæ commoditatis quęſitores, eorum quæ Chriſti ſunt neglectores, amatores honoris, diſſimulatores oneris, ſui officij neglectores. Cuius abuſum inceſſabili luctu plangebant. Horum pœnæ per dies augebantur, ſecundum quod minuebantur ſuorum ſuffragia, & augebantur peccata eorum quos indebitè promouerant.

Exempla.

ITEM in eodem lib. Petri Cluniac. refert prædictus monachus ſe vidiſſe reuocatus ad vitam, quod viderat in dictis tormentis ſacerdotes mirabiliter & miſerabiliter torqueri, & immenſis ardoribus confici, qui de peccatis incontinentiæ ſuæ fuerant contriti & confeſſi, & ea reliquerant: & cum cogitaret eos ibi paucos ad comparationem totius multitudinis qui de mundo exit; ait ei ductor ſuus, quod ideo pauci erant, quia pauci verè pœnitebant in tota multitudine, de immunditijs & fornicationibus ſuis; & ideo infernus eos abſorbebat, vbi ineſtimabiliter, diuerſis & æternis ſupplicijs torquebantur.

ITEM 4. Dyal. c. 34. Quidam nomine Curialis, filiolam ſuam, quam ſacro ſabbato paſchæ tenuit, inebriatus nocte corrupit, in mane timens intrare portas Eccleſiæ, balneo ſe lauit, poſt verecundans non intrare, cum timore intrauit die ſeptima, iam factus ſecurus, ſubita morte defunctus, & ſepultus eſt. poſt longum tempus de ſepulchro eius flamma erupit, & cunctis videntibus oſſa eius & ſepulchrum conſumpſit, & totam terram ſuper eius tumulum congregatã, ex qua vt ait Greg. conſideratione colligimus, quid pro reatu ſuo patitur, cuius oſſa inſenſibilia ſic cremantur.

De generantibus luxuriam.

DISTINCTIO IV.

CIRCA quintum ſcilicet de his quę ſolent generare, fouere, augere, & ſeruare luxuriam. Sciendum, quod vinum ſuperfluè ſumptum, & omnis alia ſuperfluitas generant luxuriam. Prou. 20. *Luxuriosa res eſt vinum.* Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Hiero. *venter mero æſtuans, cito deſpumat in libidinem.* Poëta,

Vinum & alia ſuperfluitates luxuriam generant.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Et venus in vinis, ignis in igne fuit.

Hiero. *Per luxum & abundantiam ciborum, animæ fortitudo molleſcit, & eius pudicitia conſtupratur.* Idem. *Fruſtra ſimulant ſe quidam ſalua fide, & pudicitia mentis integra, voluptatibus vti, cum contra naturam ſit, copia voluptatum ſine voluptate perfrui.* Exod. 33. *Sedit populus meus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* In vitis patrum fuit Eron vir maximæ virtutis & abſtinentiæ, vt aliquando abſtineret per tres menſes, ſola ſanctorum miniſteriorum communione contentus; herbas & radices, ſi quas inueniebat comedens. Hic autem ſic cecidit: primo ſe à conſortio & colloquio ſanctorum ſeparauit, contemnens doctrinam aliorum: dicens iuxta illud verbum Chriſti: *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*, eo abutens, quod nullum oporteret alium habere magiſtrum, qui à Diabolo ſtimulatus, à cella recedens venit ad Alexandriam, & cum leuibus perſonis ſe admiſcens, cœpit frequentare theatra, ſpectacula, & tabernas; voracitati & ebrietati vacans. Mox incidit in cœnum fœmineæ concupiſcentiæ, & cum locutus fuiſſet cum quadam, vt ei conſentiret, & peccare vellet, Puſella quędam nomine; carbunculus in eius verendis natus, per ſex menſes ita eum afflixit, vt die ac nocte miro dolore affligeretur, ita vt eius genitalia putrefacta, omnino ei caderent, curatus ad eremum redijt, peccatum ſuum ſanctis patribus confitens, pænitẽtiam de eo accipiens, ſed non complens: quia poſt paucos dies debito fine quieuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Latebræ luxuriam excitant.

SECVNDO luxuria quærit latebras, lucem odit, tenebras diligit; in quo satis apparet deformitas huius vitij, quod præ cæteris timet videri. Bernard. *Luxuria lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit.* Ioann. 3. *Omnis qui male agit, odit lucem.* Iob 24. *Oculus adulteri seruabit caliginem, dicens; non videbit me oculus, & cooperiet vultum meum.* Et post. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Eccles. 23. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnit animam suam, dicens; quis me videt? tenebræ circumdant me, parietes operiunt me, &c.* Ad hoc facit exemplum Thaydis & Pafnucij, supra de timore initiali.

Ociositas luxuriam causat.

TERTIO dat occasionem luxuriæ, ociositas. Ouidius. *Quantum Platanus riuo gaudet, quam populus vnda, tam venus ocia amat.* Idem. *Ocia si tollas periere cupidinis arcus.* Lucanus. *Variam dant ocia mentem.* Vulgariter dicitur. *Manus ociosi sunt scabiosæ.* De hoc satis habetur in tractatu *de acedia.* De ocio Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis, & abundantia, & ocium, &c.*

Mollities in vestitu &c. luxuriam prouocat.

QVARTO dat occasionem huic, mollities verborum, lectorum, vestimentorum, & membrorum turpium, quæ qui indebitè tractant, contra Dei præceptum molles sunt, de quibus 1. Corinth. 6. *Molles regnum Dei non possidebunt.* Matth. 11. Ioannes commendatur, de hoc quod non erat mollis aut leuis vt arundo, & de dura & aspera veste, cibo, lecto, & victu.

Vetulæ consiliatrices luxuriam excitant.

QVINTO dant occasionem luxuriæ vetulæ consiliatrices turpitudinis, quæ possunt dici Diabolicæ, quia officium diaboli exercent. Psalm. 49. *Lingua tua concinnabat dolos.* Efficaciores sunt mulieres ad subuertendum, quam Dæmones: quia Dæmones vel lecatores, non possunt facere multis annis per se, quod faciunt per huiusmodi vetulas aliquando vna hora. Ideo Diabolus volens decipere Euam, assumpsit Serpentem similem mulieri in loquela & facie (quia erat erectus tunc, & habens faciem virgineam, vt dicit Beda. Quale genus serpentis dicitur Phareas) & mouendo linguam eius decepit Euam.

ITEM tales videntur deteriores Iuda, qui vendidit Deum, & tradidit sanguinem innocentem. Matth. 27. Ipsæ animas sanguine Christi pretioso redemptas, vendunt viliſſimo precio, non ad mortem corporis, sed animæ. Ioëlis 4. *puellam vendiderunt pro vino,* & ideo vt dicitur. Deut. 32. *Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Item deteriores sunt inferno, qui non nocet nisi nocentibus. Ipsæ autem per dulces sermones corda subuertunt innocentium. Psalm. 63. *Acuerunt vt gladium linguas suas.* Et post: *Vt sagittent in occultis immaculatum, &c.* Hæc est lingua tertia. Est ergo lingua prima Diaboli suggerentis. Secunda lecatoris petentis. Tertia vetulæ subducentis. Eccles. 28. *Lingua tertia mulieres viritas,* vel viratas, id est viriles, *& coniugatas deiecit, & priuauit laboribus suis.* Et post. *Est vtilis potius infernus quam illa.*

Lenones sunt deteriores Iuda, Herode & Inferno &c.

ITEM huiusmodi vetulæ deteriores sunt Herode, qui occidit innocentes à bimatu & infra. Istæ superioribus non parcunt, sed in anima occidunt, & occisoribus animarum vendunt virgines, & coniugatas, & viduas. Item Herodes occidit filios suos, sed eos Dæmonibus non immolauit: multæ autem talium immolant filios suos & filias suas Dæmonijs, vt dicitur in Psal. & hoc quando filijs suis concubinas tenent & procurant, & filias prostituunt.

ITEM deteriores sunt tales Iudæis, qui Christum crucifixerunt, & eum post mortem in pace dimiserũt; custodiri fecerunt à violentia, & mundè inuolui, & sepeliri permiserunt: istæ autem iam occisas pretio exponunt lenonibus & immunditijs. Item huiusmodi sunt os Diaboli & guttur, de quo halitus corruptus & corrumpens procedit. Psalm. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum, &c.* Iob 41. *De ore eius,* id est Behemoth, *Diaboli lampades procedunt, sicut tedæ ignis succensæ. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egredietur.*

Lenones sunt os & folles diabuli & Antich. &c.

ITEM sunt folles Diaboli, & Antichristi; quia sicut Christus ignem Paradisi venit mittere in terram, quem voluit vehementer accendi; sic istæ per contrarium succendunt ignem inferni fætentis & vrentis luxuriæ. Et sicut boni prædicatores, & Christus, maximè dicuntur os Dei, quia separant pretiosam animam à vili peccato & Diabolo, vt dicit Hiere. 15. ita per contrarium possunt dici os immundissimum Diaboli, qui separant animam pretiosam à Christo, & coniungunt eam Diabolo.

ITEM sunt lingua de qua dicitur, Iacob. 3. *Vniuersitas iniquitatis est lingua plena veneno mortifero, inflammata à gehenna,* per quam Diabolus, vt faber per follem, sufflat ignem. Isa. 63. *Creaui fabrum sufflantem prunas in igne.* Item sunt exploratores, qui explorant quomodo castra Dei capiant & deijciant, quod non est sine magna perditione earum, & offensa Dei.

ITEM sunt retia, & laquei, & canes venatici, & furones Diaboli, ad venandum ipsas animas Diabolo, & surripiendum Deo, qui eas tam carè emit.

ITEM si magnum lucrum reputat Christus lucrum vnius animæ, pro quo tot sustinuit in Cruce; in qua moriens non nisi vnius latronis animam acquisiuit, patet quantum offendit eum, qui vnicam animam ei surripit, tam carè acquisitam, quæ prævalet toti mundo.

ITEM deteriores sunt latronibus iugulatoribus & spoliatoribus stratarum publicarum, qui illa die non occidunt cum quibus comedunt, nec eos perdunt, aut vendunt, aut produnt. At huiusmodi vetulæ comedendo & bibendo cum eis, eas produnt, & vendunt pro loto vini. In quo patet quanta est perditio in eis.

ITEM similes sunt Busyrij, qui fuit tyrannus Ægypti, qui aduenientes honorificè recipiebat, vt dicit Hier. in chronicis; & postquam comederat cum eis, eos Dæmonibus proditiosè immolabat. Sic vetula ad hospitium vocat, quam proditione venditam tradit corruptori.

Nullum officium magis placet Deo quam conuersio animarum.

ITEM nullum sacrificium est, vt dicit Gregorius quod plus placet Deo, quam zelus animarum, & conuersio earum ad Deum, & nullum officium magis placet ei. Ad hoc venit in mundum, & misit ad hoc Apostolos & prædicatores, vt essent venatores, & piscatores animarum. Ex hoc patet quantum displicet ei officium talium vetularum, qui venantur animas ad perdendum.

ITEM occulti incendiarij templorum, vel domorum, vel aceruorum, peiores alijs peccatoribus & magis proditores iudicantur ab hominibus; quanto magis illæ quę succendunt in cordibus mulierum ignem, qui est vsque ad perditionem deuorans. Item Deus signo visibili linguarum ignearum in quibus apparuit Spiritus sanctus super discipulos, descendens reprobauit officium illarum vetularum, quæ habent linguas inflammatas igne infernali.

Tactus illiciti mulierũ luxuriam accendunt vti etiam colloquia cũ illis.

SEXTO dant occasionem luxuriæ tactus illiciti mulierum, de quibus supra dictum est, vbi agitur de tactu, & visu illicito, & de stulto actu, & corrupto exemplo. Item de his quę luxurioso dant occasionem peccandi, & luxuriam generant in cordibus, habetur supra vbi agitur de his quę dant Dęmonibus occasionem tentandi nos.

ITEM verbula crebra, & colloquia mulierum, sunt occasio cadendi in luxuriam, vt dicitur in summa de vitijs. Dicuntur etiam retia & laquei. Prouer. 7. *Irretiuit eum sermonibus multis,* vt de fatua muliere, & iuuene dicitur. Item comparantur igni. Eccles. 9. *Colloquium eius quasi ignis exardescit.* Item gladio bicipiti. Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis, &c.* Et post. *Et acuta quasi gladius biceps.* Colloquia exteriora sunt interiorum affectionum indicia, iuxta verbum Atistotel. *Voces sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ.* Hieronymus, *verborum signis animus libidinosus ostenditur, &*

per

per exteriorem hominem, interioris hominis animus declaratur.

De fugienda societate mulierum.

DISTINCTIO V.

Quod societas mulierũ sit vitanda tria ostendunt.

1. Auctoritas scriptura & Sanctorum.

CIRCA sextum, scilicet quam periculosa sit familiaritas mulierum, & quod earum societas sit fugienda, ostenditur auctoritatibus, rationibus, & exemplis, Numeri 31. *Cur fœminas reseruastis? nonne ipsæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari fecerunt, & percussus est populus?* Ecce qualiter decipiunt, deijciunt, & interficiunt. Item Prouerb. 5. *Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, ne des alienis honorem tuum.* Ecce quomodo Dæmonibus tradunt, & consumunt. Item 7. *Ne trahatur in vijs eius mens tua, &c.* Vbi ostenditur quomodo vulnerant, deijciunt, & interficiunt, & ad inferos ducunt. Item Eccles. 9. *Lustraui, &c.* Et post. *Inueni mulierem morte amariorem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor eius, vincula sunt manus illius; qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est capietur ab ea.* Ecce quomodo capit, & illaqueat. Eccles. 26. *Qui tenet eam quasi qui apprehendit scorpionem.* Eodem 42. *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* 1. Timoth. 5. *Adolescentiores viduas deuita.* Auctoritatibus sanctorum patet, quod sunt vitandæ. Augustin. Circensi Archidiacon. *Grauem inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed potius emisso equo vt dicitur, ab eo longe fugiendum. Breuis igitur sermo & rigidus cum huiusmodi est habendus; nec minus cauendæ quia bonæ indolis sunt, vel quia piæ conuersationis sunt, vel esse comprobantur. Quanto enim mulieres melioris famæ sunt, citius alliciunt: quia sub affectu pietatis, se supponit viscus libidinis. Impiæ, pernicioſum quod suum est, mortis venenum propinant. Experto crede. Fateor. Episcopus, en loquor coram Deo non mentiens; cedros libani, & gregum arietes, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum certe casu non magis suspectus eram, quam de Hieronymi vel Ambrosij impudica libidine.* Item Augustinus. *Nolle discedere ab inuicem, suisque collocutionibus consiliari desiderantes, se absentes gaudere ad præsentiam, amor ille Tartareus est; viscum habet quo deijciat in infernum, non pennas quibus volet in cœlum.* Item Gregorius Nazianzenus. *Quanti Episcopi, clerici simul & laici, post confessionum fidei gloriosas victorias, post calcata certamina, post magna signa, & mirabilia vsquequaque monstrata noscuntur cum his omnibus per fœminas naufragasse.* Idem. *Nemo se stulta securitate deijciat, nemo de viribus suis periculosè præsumat: quia sine vlla dubietate, qui non vult vitare mulierum familiaritatem, cito labitur in ruinam.* Hieronymus. *Nemo iuxta viperam securus capit somnum, quasi non percutiat, tamen solicitat.* Item Bernardus. *Latus tuum ad latus iuuenculæ, in mensa, lectus tuus ad lectum eius in camera, manus tua ad manum eius in opere, oculus tuus ad oculum eius in colloquio, & continens vis putari? esto quod sis, tamen suspitione non cares. Scandalum times, tolle scandalum, & eius causam.* Idem. *Tu bone vir, quænam est hæc fœmina, nunquid vxor aut filia? soror tua, aut neptis, aut affinis, nunquid? quomodo ergo tuta est continentia tua? si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice à te fœminam.*

ITEM tales iuxta sententiam Ezech. 8. *Idolum zeli statuunt iuxta introitum portæ Hierusalem*; id est fœminas concubinas, in domibus Eccleſiæ coniunctas, ad prouocandum æmulationem diuinæ vindictæ. Bernardus. *Sacerdos luxuriæ inquinatus, dum ore suo polluto corpus dominicum recipit, quasi in lutum platearum proijcit; & dum carnem sacratissimam benedicit, quasi in faciem Saluatoris ſpuit; & dum sacris altaribus immundus assistit, iuxta filium virginis ponit idolum Veneris*; se, scilicet vel concubinam quam tenet iuxta Eccleſiam, filiam scilicet veneris iuxta filium virginis. Philosophus ostendit quare sit mulier fugienda, sic eam describens, dicens. *Quid est mulier, hominis confusio, bestia insaturabilis, continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, domus tempestatis, solitudinis impedimentum, hominis etiam continentis naufragium.* Item alius. *Fœmina fax Sathanæ, rosa fœtens, dulce venenum, semper prona rei, quę prohibetur ei.* Item Isidorus. *Cum serpente positus non diu eris illæsus, ante ignem positus, etiam si ferreus sis, aliquando dissolueris; proximus periculo, diu tutus non eris.* Hiero. *Hospitiolum tuum, aut raro aut nunquam mulierum pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur; fœmina conscientiam secum pariter habitantium exurit. Nunquam de mulierum formis disputes; si bene videris eam conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia; quia si bonum est mulierem non tangere, ergo malum est eam tangere.*

2. Rationes nonnullæ.

RATIONIBVS etiam potest ostendi, quod sit earum nimia familiaritas fugienda & proximitas. Primo: quia est pedica siue decipula diaboli plena laqueis, in quibus capiuntur aues appropinquantes; qui laquei sunt ornatus, visus, gestus, &c. Prouerb. 11. *Qui cauet laqueos securus erit.* Prouerb. 7. *Mulier occurrit iuueni in ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas. Secundo* quia est ignis & fornax Babylonis, qui succendit quos reperit iuxta fornacem. Dan. 2. Eccles. 9. *Concupiscentia eius quasi ignis exardescit*, homo est stuppa, fœnum, palea, quæ cito succenduntur. Eccles. 21. *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Isa. 60. *Omnis caro fœnum. Tertio* quia mulier est viscus & contagium, & pestis inficiens appropinquantes, vt supra ostensum est per verba Augustini. Hieron. *Si cum viris habitent mulieres, non deerit viscarium diaboli.* Eccles. 13. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Est morbo contagioso plena, cui qui magis appropinquant, magis inficiuntur ab eo. Corruptior est Basiliſco, qui aues volantes occidit flatu, animalia visu; mulier autem pluribus alijs modis animas occidit.

Mulier est fera nociua. hostis, seductrix, ianua diaboli &c.

ITEM fugienda est quasi fera nociua. Eccles. 25. *Commorari leoni & draconi placebit magis, quam habitare cum muliere nequam.* Item est fugienda, quia hostis est; contra quam si pugnare volueris appropinquans, domestici tui derelinquent te, & expugnabunt te, scilicet sensus tui, & cor tuum. Mich. 7. *Inimici hominis domestici eius.* Hunc magis cito vincunt vt lepores fugientes, quam vt leones insistentes & insequentes. 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem.* Item fugiendæ sunt mulieres plus quam dæmones seductores; per mulierem enim diabolus seduxit Adam Hieronym. *Memento semper quod colonum paradisi mulier de possessione sua ejecerit.* Idem. *Prima tentamenta clericorum sunt frequens accessus mulierum.* Isti sunt, vt dicitur in Barlaam, dæmones qui seducunt homines. Vnde dicitur ibi, quod cum filius cuiusdam regis fuisset nutritus in obscurissimo loco, vbi non videbat rerum species, & cum eductus esset ad lucem iam adultus, & ostenderẽtur ei res, & earum nomina; cum videret mulieres, & quæreret cuiusmodi res essent, ait spathatius regis iocando, quod erant dæmones, qui seducebant homines. Cum autem diceret ei pater, quod de omnibus rebus visis eligeret quod sibi plus placeret, ait ille: Eligo dæmones, qui seducunt homines, Item fugienda est mulier, quia est ianua diaboli, via perditionis & inferni; per illam enim omnes morimur. Prouerb. 2. *Inclinata est ad mortem domus eius & ad inferos semitæ eius &c.* Hieron. *Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio; nociuum genus est fœminarum.*

Exemplum.

3. Exẽpla multa.

MVLTIS etiam exemplis patet, quod fugienda & cauenda sunt mulierum consortia, cohabitationes, & familiaritates, confabulationes frequentes, & visitationes crebræ. Occasiones enim horum consueuerunt dare aliquando consanguinitas & solitudo. Sic Thamar à fratre corrumpitur, cui sola ministrabat. Ioseph solus absque arbitris ab Ægyptia impetitur. Aliquando confidentia sanctitatis. Sed quis Dauid sanctior, qui propter Bersabeæ tam enormen passus est ruinam. Aliquando confidentia sapientiæ & abstinentiæ. Contra quod facit exemplũ ruinæ Salomonis, qui super omnes monuit huiusmodi fugienda; qui tamen

enormiter

enormiter corruit vsque in apostasiam. Item aliquando confidentia fortitudinis aut diuturnæ castitatis. Samson confisus de fortitudine & frequenti victoria quam habuerat de Philistæis, per Dalilam deceptus est. Hiero. *Si pudicitiam quæris, mulierem quam videris bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequentatione; & nunquam in præterita castitate confidas.*

Exemplum. Fvit quidam sacerdos sæcularis habitu, qui religiosam vitam à pueritia sua duxerat, multum viuens castè & innocenter & sanctè, cuius testimonium habebat & nomen, præ cæteris commorantibus in terra sua: qui audiens de quadam nobili muliere & pulchra valde, quæ relicta patria sua curiam cuiusdam magni principis sequeretur, facta meretrix stipendiaria earum quæ dicuntur solitariæ, volens eam si posset reuocare à multis malis quæ faciebat, ibi se exponens omnibus pro pecunia, accessit ad eam compassus, monens eam quod desisteret à tot & tantis malis, promittens quod ei non deficeret, sed procuraret ei necessaria vitæ & saluti; ad cuius verba illa compuncta crines & habitum immutauit. Sed cum illa ire Romam affectaret, & pœnitentiam accipere de commissis; ille timens ne rediret ad vomitum, eam secutus duxit & reduxit, tantoque zelo eam custodiens, quod ne alij eam impeterent, cum ea in lecto aliquando iacebat, nec eam aliquatenus impetebat, nec videbatur moueri in carne; eam etiam inclusit, visitans eam frequenter, consolando, & necessaria quantum poterat procurando. Cum autem diutius iam fuisset inclusa, securior iam factus de ea, compatiens ei, securius & familiarius loquebatur cum ea. Et post verba & signa multa, cæpit inardescere in eo quod non fuerat expertus; & facientes sibi occultum introitum, peccauerunt insimul, & habuerunt plures pueros, quibus ne factum publicaretur, mater fuit causa & peremptionis, & perditionis.

Exempla. Item de beato Aug. legitur in vita eius, quod nulla fœmina intra domum suam mansit, aut conuersata est, nec soror germana, nec neptis, quæ tamen erant ancillæ Dei; ne essent vt dicebat, alijs secum manentibus, vel scandalum, vel suspicio, vel occasio trahendi in consequentiam fœminas admittendi; & ne per exemplum suum, & occasione illarum, aliæ mulieres intrarent, quæ possent esse occasio tentationis alijs, scilicet infirmioribus, vel etiam infamationis. *Item* in vita B. Britij legitur, quod cum ageret post B. Martinum Pontificatus sui annum 30. quædam mulier habens religiosum habitum & speciem (quæ propter hoc erat ei familiaris, quod lauabat pannos eius) concepit, & peperit. Turonensis vero populus imposuit ei, quod suus esset puer, petens eum cum lapidibus. ipse autem super hoc infamatus, adiurauit puerum in nomine domini, vt diceret si esset pater eius. puer autem triginta dierum, respondit: Nō es tu pater meus. Cum autē populus diceret beato Britio, quod quæreret quis esset pater suus, ait: Non est hoc meum. Quem cum adhuc vellent lapidare, accipiens prunas ardentes tulit vsque ad tumbam B. Martini, vestes illæsas ostendens, & dicens se esse immunem ab omni tactu mulieris, vt vestes suæ ab igne. Quæ cum dicerent magicè facta, expulerunt eum. qui cum diu fuisset Romæ exul, & alius esset ei substitutus; cum ipse rediret cum mandato & auctoritate Apostolica ad sedem suam, & esset propè vrbem Turonen. reuelata est ei mors illius qui sedem suam occupauerat, & ait socijs: Eamus ad sepeliendum episcopum Turon. Quo intrante per vnam portam, alius mortuus efferebatur per aliam; quo sepulto, Britius in sede sua receptus est. *Item* Petrus Alfon. dicit Phil. dixisse: *Leonem, draconem, & scorpionem potius sequaris, quam mulierem.* Cum quidam Phil. videret mulierem iocantem cum quodam aucupe, in loco vbi laqueos & retia tenderat, ait illi: *Tu qui aues decipis, vide ne vt auicula decipiaris, & cum hac viliùs, quam ipsa auicula capiaris. Item* in collationibus pa. 11. li. sententia patrum fuit, monachos debere fugere familiaritates mulierum, & episcoporum: neuter enim horum finit eum quem sua familiaritate deuinxerit, vel quieti cellæ operam dare, vel diuinæ Theologiæ purissimis oculis inhærere.

Exempla alibi relata. Ad hoc quod fugienda sit à viris spiritualibus mulierum familiaritas, faciunt multa exempla ante posita *de inferno. de sacerdote quem diabolus voluit decipere sub specie pulchræ mulieris, quem liberauit beatus Bartholomæus.* Item *de effectibus misericordiæ Dei*, de eo qui familiaris erat sacræ virgini, qui post fugit in desertum cum bubalis. Item ibidem post *de Andrea Fundanæ ecclesiæ episcopo, & moniali, & Iudæo.* Item inf. de pœnitentia *de Genebaldi episcopi casu cum vxore suæ, & filio genito latrunculo, & filia vulpecula.* Item *de tentatione Benedicti.* Item *de Iosaphat, & regis filia.* Item *de sacrista, & coniugata.* Item *de coquo fugiente.* Item *de cogitationibus Euagrij.* Item *de dæmonibus, qui seducunt homines.* Item *de illis qui clauserunt ostia sua & oculos, matribus suis.* Item *de illa cui dictum est; Noli me tangere, & de inuoluente manus prò matre sua.* Item *de eremita qui voluit corrumpere virginem quam nutriuerat.* Item *de illo qui clamauit presbyteræ suæ; Tolle puleam adhùc ignis est.* Item in isto tractatu de luxuria supra, *de nobili muliere & aduocato.* Item *de monacho ludificato.* Item *de muliere versa in serpentem, sub cuius specie ludificauit diabolus militem.* Item *de monacho decepto per mulierem sui generis, & grilone subuertente se.* Item ibi ponuntur exempla multa, de gaudio dæmonum pro ruina monachorum, & de dæmonibus tentantibus in specie mulierum. Item *de eremita tentato per gallum.* Item *de casu sanctæ Marthæ neptis sancti Abrahami.* Item *de monacho sene & infirmo & filio inobedientiæ, quem habuit de virgine quæ sibi ministrabat.* Item *de deceptione Aristotelis. per reginam.*

Item de fallacia & malitia mulieris dicit Chryso. in decollatione B. Iohan. Baptistæ super illud. *Herodes apprehensum Iohannem posuit in carcerem. Nulla bestia in hoc mundo similis est mulieri malæ. Quid leoni, inter quadrupedia sceuius? quid serpentibus aut draconibus attrocius? & hæc animalia in malo inferiora sunt ei. Quod & indicat scriptura, & monstrat experientia.* Iustum Danielem in lacu leones *reuerriti sunt: iustum vero Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre suo custodiuit. Dalila Samsonem circumuentum illecebris, raso capite deformatum, Philistæis alienigenis tradidit. Dracones, & aspides surdæ, & cornices, Iohannem Baptistam viuentem in deserto, subditæ feritati, timuerunt. Herodias vero Iohannis caput abscidit, & tanti viri caput in pretium saltationis accepit. Heliam corui pauerunt, & Iezabel post redditam terris pluuiam, & fame depulsa ab humano genere per ipsum, cuius etiam beneficio ipsa, licet indigna, viuebat, ipsum persequebatur, vt pœnam mortis ei redderet.* Idem. *O malum omni malo peius mulier mala, intolerabilis vipera, immedicabile venenum. Si iniuriam patitur, insanit. Si honorem accipit, extollitur. Si potentis sit vxor, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, importuna violenter, ad consensum sui furoris, vt similem sibi faciat maritum. Si pauperem virum habeat, ipsum quoque ad iracundias & rixas incitare non desinit: nihil est ei virum suum tradere ad mortem, vt patet in illa quæ beato Iob dicebat: Dic verbum in Deum & morere.*

Exemplum. Exemplis etiam multis alijs ostenditur mulierum malitia & dolus; supra de Fredegundi regina, quæ fecit occidi virum suum. *Item* quomodo viros suos decipiant; Petrus Alfons. Cum vir quidam iuisset in vineam, & vxor eius vocasset adulterum, & esset secum in camera, redijt vir eius ita grauiter percussus à palmite in vno oculo, quod nihil de eo videbat, quod præsentiens mulier occurrit ad ostium; &

cum diceret quod vellet quiescere in lecto suo, in quo erat adulter; rogat illa, vt dicat sibi seriem quomodo acciderat hoc ei. Quo audito, ait. Domine nisi consilium cito apponatur, lęsio occupabit bonum oculum, ita quod nihil videbitis: sed ego eum carminabo vobis, ita quod vltra infirmitas non ascendet: clauso ergo ei oculo bono, ac si manu ei carminaret, innuit lecatori, & exiuit non visus à viro suo. quo facto, ait viro: Modo securus sis de isto, & manum remouit ab eo.

Exempla. ITEM idem alius vadens peregrè, socio commisit vxorem seruandam: cum autem ea procurante peccaret cum altero, & viro veniẽte esset in camera, occurrit ei nurus & vxor volenti intrare cameram: & ait nurus ei, state hic vsquequo videatis linteamina quę fecimus in absentia vestra, & quasi ostendentes linteamina quędam ante oculos eius, emiserunt adulterum. *Item idem.* Cum similiter alius fecisset, & adulter comederet cum nuru & vxore, & vir pulsans intraret, adulter extracto gladio retro ostium se occultauit. cum autem vir intrans clausisset ostium & videret eũ, quæsiuit quis esset, illo tacente, respondit vxor quod homo erat quem tres hostes sui sequebantur ad mortẽ, qui ibi occultauit se, credens de eo quod esset aliquis de illis tribus, ideoque tacebat. Quod audiens vir, inuitauit eum vt comederet cum eo, & occultauit eum in domo secum.

Exemplum. IDEM refert quod quidam vir vadens Romam, reliquit vxori suæ castissimæ & pulcherrimæ domum suam, quam cum prudenter regeret, videns eam iuuenis quidam egredientem, exarsit in amorem eius; & per se & per alios eam solicitans, contemnitur, & dona eius respuuntur ab ea. Cum autem videret eum quædam vetula propter hoc languentem & flentem, extorsit ab eo causam; & promisit quod tantum faceret, quod eam haberet. Quæ caniculam quam habebat fecit ieiunare pluribus diebus, dans ei tandem panem confectum cum synapio: & accedẽs ad domum dictæ iuuenculæ, honorificè est ab ea recepta, propter speciem religionis quam prætendebat. Cum autem videret flentem caniculam, quam vetula adduxerat, & quæreret causam; incepit flere vetula dicens, quod canicula fuerat filia sua castissima & pulcherrima, quã Deus in canem mutauerat, & ad perpetuum fletum damnauerat, eo quod amore suo dimisit mori quendam iuuenem, qui amore eius languebat. Ad hæc verba & alia, iuuencula pandit vetulæ de amore iuuenis qui eam impetebat, & procurante vetula, consensit in amorem eius & peccatum.

Exempla. ITEM idem refert, quod quædam de nocte, relicto mariti dormientis thoro, exibat ad adulterum extra domum. quod aduertens vir, intra firmauit portam. qua redeunte noluit ei aperire, dicens, quod in mane ostenderet eam & factum omnibus amicis suis, & vicinis. illa autem dixit, quod nisi aperiret ei, proijceret se in puteum qui erat ante domum. Cum autem non aperiret ei vir, accepit lapidem maximum, proijciens intra puteum. Ille autem audiens sonitum, credidit eã se præcipitasse: ipsa vero abscondita retro ostium, cũ vir exiret, vt succurreret eius præcipitio intrauit domum, firmans post se ostium, retorquens crimen in virum suum, dicens, quod propter adulterium perpetratum dimisisset eum. *Item* magister Iaco. Quidam tanto zelo vxorem suam custodiebat, quod sẽper cum ea ire volebat; quæ mandauit lecatori, quod in domo quadam ante quam erat lutum & planta, expectaret eam die tali, & hora. Cum autem illa die & hora, iret ad ecclesiam, & vir suus cum ea; cum transiret ante domum illam, dimisit se cadere in lutum quæ surgens dixit viro suo, quod domum illam intrare volebat, ad lauandum se, & quod ipse seruaret ostium ne alius intraret antequam esset lota. & cum illa diu fuisset cum lecatore suo, exiuit magis inquinata quam intrauerat.

IDEM dicit, quod quidam consueuerat se inebriare adeo, quod quasi insensibilis videbatur. qui odiosus vxori suæ, inebriabatur ab ea, ita quod absorptus est à vino. quæ vocans monachos, dixit eum laborare in extremis, & quod vestirent eum habitum, & facerent eum monachum, quod ipse petiuerat compos mentis. quod ipsi libenter fecerunt amore pecuniæ: quem tonsum & vestitum, deportauerunt ad abbatiam. ipse autem in mane vino digesto, inuenit se monachũ, & præ verecundia remansit ibi, amittens vxorem, domum, & pecuniam. *Item* cum quidam vir ebriosus inueniisset adulterum cum vxore sua, ille relicto pallio fugit; & in argumentum facti, in arca sua pallium adulteri seruauit. quidam autem arcam reserans, dictum pallium tulit, & viri pallium intus seruauit; Cum autem amicos & vicinos vocasset, & vxorem accusasset, & illa crimen negaret, ille vero in argumentum facti promitteret se ostendere adulteri pallium, inuenit suum. vnde illa crimen retorsit in virum dicens, quod ita inebriaretur sæpe, quod nesciret quid faceret.

Exemplum. ITEM idem magister Iac. cum quædam mulier, sepeliisset virum suum, nolebat recedere à sepulchro, in fletu perseuerans: quidam autem magnorum parentum, iustitia exigente, suspensus fuerat prope, quem sub periculo vitæ cuidam præcepit custodire, ne parentes eum raperent: sed dum iuisset ad potandum & rediret, inuenit eum sublatum, & cum flens timore regis transiret per cœmiterium vbi erat prædictus vir sepultus in tumba lapidea, mulier ibi lugens, quærit causam tanti luctus: & videns eum elegantem aspectu, quærit quid faceret pro eo, qui eum à regis potestate eriperet, & diuitem faceret: respondet ille, quod ille faceret quicquid posset. Et illa. Iura mihi quod me duces in vxorem si hoc fecero, quo facientę, tradidit ei corpus viri suspendendum pro alio, & ducens eam in vxorem, omnia bona viri illius possedit. In quo patet, quantus dolus sit, & mobilitas mulieris Prouerb. 1. *Vagi sunt gressus eius, & inscrutabiles.* *Item* idem. Cum quædam alia vellet ire ad lecatorem suum, dicebat viro suo; video te infirmum; intra in cameram, & cooperiam te, & sudabis. Cum redisset dicebat: Surge, curatus es, non expedit te plus sudare.

Exempla. ITEM cum quædam diceret lecatori, quod magis amaret eum, quam virum suum. Ille ait. Non credam tibi de hoc, nisi attuleris mihi vnum de melioribus dentibus quos vir tuus habet in ore suo. quę reuersa fleuit iuxta virum suum, qui cum causam quæreret, ait, quod dentem habebat in ore suo adeo fœtidum, quod non poterat eum tolerare, nec poterat curari, nisi ipse vnum de dentibus suis daret sibi pro illo. quæ fecit illum extrahere meliorẽ quem habebat in ore, & detulit lecatori suo. *Item* in confusionẽ malarum mulierum dicebat idẽ magister Iac. quod quædam erat meretrix pulchra & iuuenis, quæ cum nullo volebat pro pecunia accumbere, nisi daret ei cũ pretio cultellum vnum, quos sibi datos conseruabat. Cũ autem facta esset vetula, & contemnerent eam amatores, dabat eis cultellos sibi prius datos. Vnde de talibus dicitur, quæ dant pretium amatoribus suis: quod reddunt cultellos. *Item* idem magister Iaco. Cũ quidam princeps visitasset quãdam abbatiam, & vidisset ibi quandam monialem, voluit eam habere: cum autem ad hoc nec precibus nec muneribus abbatissam posset inclinare, venit vt eam vi raperet. Cum autem eam occultasset abbatissa, ita vt non posset eam inuenire; & ipse iam recederet, illa quæ occultata erat hoc videns, clamauit de loco latibuli vt sciretur ibi esse, cu. cu. cu. cu. cu. Quod aduertens dictus miles, eam viliſſimam reputans, despexit & dimisit.

De choreis.

DISTINCTIO VI.

Multa suadent choreas vitandas esse.

CIRCA septimum, scilicet de choreis, sciendum quod choreæ vitandæ sunt multiplici ratione. Videlicet propter statũ periculosum, & lamentabilẽ. Propter cultum pernicioſum, & deteſtabilẽ. Propter culpas quæ concurrũt. Propter pœnas quas incurrũt.

1. *Status miserabilis in quo sumus.*

PRIMO quidem choreas esse vitandas, suadet status periculosus, & lamentabilis; sumus enim in exilio, in valle miseriæ & lachrymarum, & in carcere. Auguſt. *Nescimus quo fine claudimur in exilio isto, quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?* ergo si non canticum domini, quomodo canticum diaboli Filij Israel tempore captiuitatis Babyloniæ non cantabant *Alleluia*, sed supet flumina Babylonis flebant, reducentes patriam suam ad memoriam, & exilium in quo erant. Item Aug. *In valle lachrymarum sumus, in qua magis flẽdum est quo minus flemus.* In hac valle quædam non impugnant, vt turbines, venti, tempestates, imb es. frigora, ardores, & huiusmodi. Quædam nos infestant, nec quiescere sinunt, vt pulices, culices, cyniphes, & muscæ. Quædam nobis repugnant, quæ nos occidere attentant, vt lupi, vrsi, leones, serpentes. Beatus, qui ascensiones in corde suo disponit, in valle lachrymarũ. Ostendunt mundum, ea quæ sunt ibi flenda; quocunque vertit se homo, videt causas flendi. Si sursum respicit, videt cœlum à quo exul est. Infra sepulchrum suum, terram. Ad sinistram aduersitatis cadẽtes mille. Ad dextram decẽ millia. A tergo, idest in occulto multo plures. Quis locus debet esse cantãdi, inter tot Dei iniurias, proximorum miserias; inter tot inimicorum nostrorum insidias, inter tot periculorũ nostrorum vulnera, inter tot fratrum nostrorum funera, quæ iacent in feretro corporum. Hier. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Hic ipse Deus nos prouocat ad flendũ verbo & exẽplo. *Videns ciuitatem, & flens super illam*, Lucæ 19. Quare vt dicitur Eccles. 22. *Musica in luctu importuna narratio est.* Hic plorãdum non cantandum docent paruuli, qui non sunt vnius diei. Aug. *Puer à ploratu incipit, propheta calamitatis suæ; lachrymæ suæ sunt testes miseriæ, nondum loquitur, & iam prophetat.*

ITEM *in regione vmbræ mortis habitamus.* Isa. 9. Dicitur hæc regio mundus, propter mortis propinquitatẽ. Cato. *Quocunque ingrederis sequitur mors corporis vmbrã.* Huic vmbræ subsunt homines. Vndecunque assunt laquei, & arma mortis, & inimici amentes. Psa. 16. *Inimici mei animam meam circundederunt.* Iob. 21. *Tenẽt tympanum, &c. Ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descendunt.* Item vmbra mortis, quia mors vt vmbra, sequitur fugientes; & cum sequitur subito atterẽs nõ aduertentes, & vt prædictũ est, gaudentes ad sonitum organi, in pũcto ad inferna deijciet mors subita; vt patet 4. Dial. 19. Cum fortunatus nobilis obtinuisset à sancto Bonifacio, vt officium diuinum ageret in festo Proculi martyris, expleto officio, antequã in mensa sedẽs comedisset, histrio cũ simia ludens ad ostium cum tybula pulsauit, cuius vocẽ audiens sanctus clamauit: heu heu, mortuus est miser iste; ego enim ad mensam veniẽs nõdũ in laudẽ Dei os aperui, & iste cum tybula veniẽs percussit. Cui cũ pro charitate feciſſet dari panẽ & vinum, asserẽs eũ mortuum, cũ inde exiret, lapis de tecto cadens super caput eius, eum prostrauit. *Item* debemus potius esse in planctu quam in cantu, qui in carcere huius mundi sumus, vt latro in carcere, capitali sententia cõdemnatus. Sene. *Omnes capitali sententiæ damnati sumus.* Item sumus vt latro in via ductus ad furcas. Aug. *Nihil est aliud tempus huius vitæ, quam cursus ad mortem: in quo nemo, vel paululum stare, vel tardius ire permittitur, sed omnes pari motu vrgentur.*

Exempla Christi & Sãctorum.

VNDE tam verbis quam exemplis ostendunt nobis Christus & Sancti, quod in hoc exilio nõ cantare, nec choreas ducere, sed magis flere debemus. Christus enim non cantasse legitur, sed pluries fleuisse; & ad fletũ prouocasse. Matth. 5. *Beati qui lugent*, &c. *Item* exemplũ B. Virginis. Luc. 1. *Ingressus Angelus*, &c. non inuenit eam, vt dicit glo. in strepitu populi, sed in secreto cõclaui. Non in chorea vel in platea cantantem aut vagantem, sed in camera orantem. Item exemplũ Tobiæ 1. *Cum esset iunior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Eodẽm 3. *Nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Item. Hiere. 15. *Non sedi in concilio ludentium, solus sedebam, quia amaritudine repleſti me. Item* Mariæ Magdalenæ. Ioh. 11. *Maria domi sedebat*, ideo meruit petitionis suæ exauditionem, & fratris sui resuscitationem. Eodẽ 20. *Maria stabat ad monumentum in die Paschæ, foris plorans*; ideo meruit Angelorum visionem, & Christi apparitionem.

2. *Cultus pernicioſus qui in choreis diabolo earũ inuentori exhibetur.*

SECVNDO vitandas esse choreas euidenter ostendit cultus pernicioſus, & deteſtabilis. Hic enim est cultus diaboli, qui fuit huiusmodi chorearum inuentor, & chorizantium est stimulator, prouocator, & ductor, vt dicitur Apoc. 9. *De fumo putei* diabolicæ inspirationis, *exierunt locustæ, & habebant supra se regem Angelum Abyssi, qui latinè dicitur exterminans*: discerpit enim eos, & dissipat in omnibus mẽbris suis, agitans eos, & regens. *Legitur*, cuidã sancto viro diabolum apparuisse in specie parui Æthiopis, stantem super quandam mulierem quæ ducebat choreas, & circunducentem eam vt volebat, & springantem super caput eius. Danciæ autem & springationes quas faciunt chorizantes, videntur habuisse originem à diabolo decipiente Ægyptios in similitudine cuiusdam tauri habentis in humero signum quasi lunæ corniculatæ albæ, quẽ vocabant abusiuè Seraphin, quem asserit Plin. se vidisse, vt legitur in scholastica historia; qui egrediẽs de flumine, in quo submerserunt Ægyptij pueros filiorum Israel, in quodam die qui assignatus erat eis, cõuenientibus Ægyptijs ad eum cum omni genere musicorum, eleuabatur in aere super eos, mouens se & saltans; & faciens gestus & motus, quibus ipsi in terra se conformabant, cantantes & psallentes cum cytharis & tympanis, & omni genere instrumentorum musicorum. Vbi creditur eos docuisse danciarum & springationum gestus. Qui postquam se sic exercitauerat, ab oculis euanescebat. Inuentor ergo harum fuit Sathanas.

Origo tripudij.

Simile.

GENS ducens ibi varia, sunt vt lanugo quæ à vento tollitur, & puluis quem proijcit ventus à facie terræ, vt nubes sine aqua, nebulæ turbinibus agitatæ. Chorizantes autem appellantur locustæ propter leuitatem, quia saltando cantant. Dicuntur autem exire de fumo putei, quia conueniunt ex inspiratione diaboli. Vel fumus putei est fætor & ardor luxuriæ mouens ad choreas. Habent quasi facies hominum. Non dicuntur habere verè facies, sed similitudines facierum, propter depictiones earum: sunt autem quasi locustarum similitudines, quasi equi parati ad prælium, propter discursum & ornatum corporum: super capita earum quasi coronæ, propter ornatum capitum & facies earum: & capillos dicuntur habere quasi capillos mulierum, propter alienos capillos non deferrent mortuarum camisias nec sudaria, sed valde horrerent; & mirum est quod capillos earum non horrent: dentes ideo vt leones habebant, propter animarum rapacitatem, & tenacitatem; loricas ferreas habebant, propter incorrigibilitatem & inseparabilitatem, quia adhærent adinuicem, vt annuli in lorica: vox alarum propter diuersitatem cantantium: aculei in caudis, mors in fine; cruciatus & potestas earum in hominibus mensibus quinque, scilicet à Pascha vsque ad festum beati Michaelis, quia tempore æstiuo maximè conueniunt ad festa, & choreas ibi ducunt.

QVOD autem ibi colatur diabolus maximè patet.

Exo. 34. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; ideſt choreas ducere, & cantare. Vnde infra dixit Moyſes: *voces cantantium ego audio.* & in tantam inſaniã proruperunt, vt vitulum adorarent. Moyſes autem licet eſſet mitiſſimus inter omnes homines qui verſabantur in terra, ſicut legitur Num. 12. Cum vehementi zelo commotus, tabulas confregit ſcriptas digito Dei viui, combuſſit vitulum, & in puluerem redegit, & dedit bibere filijs Iſrael; & dicitur in hiſtoria miraculosè factum fuiſſe, quod qui choreas duxerant, & vitulum adorauerant, habuerunt barbas aureas; & ait Moyſes leuitis, qui domini eſt iungatur mecum, & tranſeuntes de porta ad portam, vt dixerat Moyſes, occidit vnuſquiſque proximum ſuum, & fratrem, qui huius ſceleris rei apparebant; ita quod occiderunt tria millia populi; Alia littera habet viginti tria millia, Et dixit dominus. *In die vltionis viſitabo hoc peccatum.* Et dicunt Hebræi, quod ante hoc peccatum Deus ipſe erat cuſtos Hebræorum. Et poſt dedit eis cuſtodem alium, ſcilicet Michaelem. Si ergo tantum zelauerunt iſti, quantum doleret qui haberet zelum Dei, cum videret eccleſias Dei fieri ſtabula iumentorum luxurioſorum, & relicto Dei officio, imo impedito, & contempto, homines & mulieres ibi chorizantes in feſtis, & in cœmeterijs & eccleſijs quaſi adorare, non vitulum conflatilem, ſed vituli mortui pellem, & cantare ibi cantiones luxuriæ, vbi deberent cantari Dei cantica, & beatæ virginis, & nó deberent Dei cultum & ſanctorum dimittere, propter vitulum laſciuiæ.

Exemplum. LEGITVR in vitiſpa. & in tripartita hiſtoria, quod beatus Antonius flebat amariſſimè, & quæſitus à fratribus quare fleret ſic ait ſibi fuiſſe reuelatum, quod muli & burdones deberent conculcare loca ſancta, vt eccleſias & cœmeteria. Quod licet intelligatur de conculcatione locorum ſanctorum, quæ facta eſt per Arianos & Saracenos, quantum deberet flere, qui videt non futuram, ſed præſentem conculcationem eccleſiarum, & cœmeteriorum à chorizantibus, qui ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Cæterum in choreis non ſolum exhibetur cultus diabolo, verum etiam exceſſus in cultu. Sicut enim legitur Lucæ 9. Moyſes & Helias paſſionem vocabant excuſſum amoris, quia omnia membra ſua obtulit victimanda pro nobis, & immolanda in obſequium. Sic tales quodammodo excedunt alios peccatores in hoc, quod omnia membra ſua victimãt in obſequium diaboli in choreis; & ſicut qui eſt in conſortio, & habet diuidere pira, eis vndique porrigit ea, iſti vnum, alij aliud, & ſic de alijs. Ita tales videntur diuidere membra ſua ſingulis dæmonibus, agitantes ea, & protendentes vndique illic pedem, alibi manum, alij caput, & ſic de alijs membris. *Exemplum.* In vitiſpa. & in tripartita hiſtoria legitur lib. 7. quod cum Abbas Pambo veniſſet apud Alexãdriam, & videret ibi mulierem in theatro pſallentem, incepit flere. Requiſitus quare fleret, ait. Duæ cauſæ mouent me; vna eſt, quia toto tempore vitæ meæ non ſic ſtudui, nec tantum laboraui placere Deo meo, vt iſta ſtudet placere mundo. Secunda cauſa eſt perditio ipſius.

3. Multa peccata ibi concurrentia, vt violatio voti in baptiſmo facti, contumelia Chriſti, ſacrilegium &c. TERTIO vitandæ ſunt choreæ propter multa peccata concurrentia; fit enim ibi voti emiſſi tranſgreſſio, nam votum quod promiſimus in baptiſmo dicentes, *Abrenuntio diabolo, & pompis eius*, frangunt qui choreas ducunt vel ſequuntur. Sicut enim in armentis vaccarum eſt vna alijs elegantior, quę alias præcedit, habẽs campanam ad collum, ad cuius ſonitum aliæ incitantur ad ſequendum præcedentem: ſic in chorea vna pro campana habet cantionem, ad quam incitatæ aliæ ſequuntur vocem eius, & greſſus, & motus. Aliquando eſt *congregatio taurorum in vaccis populorum.* Pſa. 67. quando ſunt ibi & viri & mulieres laſciui & luxurioſi ducentes choreas. Mulier eſt ibi abbatiſſa diaboli, quam aliæ ſequuntur, & cui reſpondent inchoanti, & obediunt. Bern. *vt quid ô Chriſtiane habes reſumere quibus renunciaſti? vt quid claudicas ambobus genibus, quid tibi cum pompis diaboli, quibus reſignaſti? amator Chriſti noli falli. Odit enim Deus tales, nec inter ſuos cognoſcit profeſſores, quos viæ ſuæ conſpicit deſertores.* Poteſt dicere Deus illi qui ſequitur choreas, quod dicit Angelus Balaam. Numeri 22. *Peruerſa eſt hæc via tua, mihique contraria.* Hæc eſt enim proceſſio diaboli, qui ſemper ad ſiniſtram tendit, ſicut domini proceſſio ad dexteram paradiſi. Prouer. 4. *Vias quæ à dextris ſunt nouit dominus, peruerſæ autem quæ à ſiniſtris.* Eis qui à ſiniſtris vadunt dicet Deus. *Ite maledicti in ignem æternum.* Eis autem quæ à dextris erunt dicet. *Venite benedicti percipite regnum* &c.

ITEM chorizantes talem contumeliam faciunt Chriſto & matri eius, qualem fecit quondam Adrianus Imperator, & me etrices olim faciebant, vt dicit Beda in Calendario ſuo de inuentione ſanctæ crucis. *Exemplum.* Dicit enim quod Adrianus Imperator in loco natiuitatis Chriſti ædificauit idolum, & ibi conueniebant meretrices cantantes cantationes luxuriæ de amore Veneris, & Adonidis amaſij ſui & ſuorum. Sic faciunt chorizantes in locis ſacris.

ITEM in choreis multiplex ſacrilegium perpetratur. *In choreis ſit multiplex ſacrilegium.* *Primo* ſacrilegium ſacrorum temporum vt feſtorum. Dixerunt enim. *Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.* Pſalm. 73. Si enim ſacrilegium committit qui feſta frangit fodiendo, nendo, vel arando, quæ ſunt alias licita & neceſſaria, & poſſunt fieri ad honorem Dei: cum fodere, nere & arare, ſint actiones bonæ: choreas vero ducere, & cantiones lenocinij, ſint Deo contumelioſæ, & proximo iniurioſæ, fortius videtur feſta frãgere qui huiuſmodi choreas agit, quã qui arat vel net in feſtis; vt dicit Aug. *Melius eſt arare vel fodere in dominicis diebus, quam choreas ducere.* Iſa. 1. *Solennitates veſtras odiuit anima mea* &c. *Item* eſt aliquãdo ſacrilegium locorum, quia ſacra loca aliquando, vt eccleſias & cœmeteria conculcant, & in ſuis fædis cãtibus fædant, & aliquando etiam illicitis actibus nec merentur habere requiem, vel quod optetur eis, qui tempore quieti deputato, quieſcere noluerunt. *Item* ſacrilegium perſonale committunt in ſacras perſonas, quas ſuis cãtibus lædunt, vel à diuino officio impediunt. *Item* contra ſacramentum baptiſmi videntur agere, in quo pompis diaboli abrenunciauerunt, & patrini eorum pro eis, qui ſibi poſſunt timere niſi diſſuadeant eis. *Item* contra ſacramentum ordinis, cum ſint ibi quaſi ſimiæ clericorum, ducẽtes proceſſiones diaboli, & choreas. *Item* contra matrimonium vt cũ cantatur ibi, quod pro marito non dimittat mulier facere amicum; & alia quæ cantantur ibi, prouocãtia ad fidei coniugalis fractionem. *Item* contra confirmationem, quia reiecto ſigno Chriſti, quod impreſſum fuit in eorũ fronte, portãt ſigna diaboli, vanitatis, ſcilicet lenocinij, & impudicitiæ. *Item* actum pœnitentiæ quadrageſimalis frangunt. *Item* ſacramento Euchariſtiæ contumeliã faciunt (quod ſuſceperunt in ſignum pacis & reconciliationis) dum Chriſtum à templo ſuo expellunt.

In choreis ſiunt ſæpe raptus & ſtupra. ITEM aliquando fiunt ibi raptus, & ſtupra frequẽter; quia aliquæ accedunt illuc virgines, aliquæ coniugatæ, quæ inde redeunt meretrices. Sicut patet in Dina, quæ egreſſa à domo patris vt videret mulieres regionis illius, rapta eſt & defloratа ab Emor. Gen. 34. *Item* in choreis de omnibus mẽbris ſuis peccãt, & laſciuiæ immolant. *Item* arma ſuperbiæ vanorum ornatuũ ibi oſtendunt, de quibus ſuperbiũt, & alias quæ nõ habent ſimiles offendunt, & quæruloſas viris ſuis reddunt; & vt conſimilia habeant alijs ſe exponũt. *Item* cãtu ſuo peccãt, quia de eo ſuperbiunt, & in eo gloriãtur. *Item* quia coniugatas contra volũtatem maritorũ, & filias familias contra voluntatem patrum & inhibitionem, cantu ſuo ad choreas attrahunt, & eas malè tractari, & verberari ab eis faciunt. *Item* quia luxurioſa canunt & ſordida, ſimiles Vlulis auibus, quæ roſtro demerſo in luto cantant. *Item* iuuenes & leues

cantu

cantu suo decipiunt, & in periculum trahunt, vt syrenæ maris. Syrenæ secundū poetas pisces maris sunt ex parte inferiori, & mulieres in superiori: quæ homines nauigantes dulcedine cantus sui attrahunt, & ad pericula ducunt, Isa. 13. *Respondebunt Vlulæ in ædibus suis, & syrenæ in delubris voluptatis.* Delubra sunt loca vel templa, quæ luxuriæ & voluptati deseruiebant. Item cantus earum, corda bonorum & innocentium, quasi sagitta vel telum igneum penetrat, vulnerat, & inflammat: sicut enim cantus ecclesiasticus inflammat ad deuotionem, sic cantus earum ad libidinem. *Item* corda audientium inebriat ad ineptam lætitiam sæculi, quod vsum rationis amittunt, sic vt nesciant quid agant, & facta brutalia & irrationabilia faciant. *Item* qui non possunt habere mutua colloquia alibi, ad cantus tales conueniunt, & se mutuo incitant verbis, signis, & contactibus malis.

4. *Mala pœna quæ inde sequuntur.*

QVARTO choreæ sant vitandæ propter multa mala subsequētia, idest multas pœnas quibus chorizantes à domino puniuntur. Aliquando enim Sathanas vexat eos qui choreas ducunt in opere illo, cui quia seruiunt ibi de omnibus membris suis, torquebit eos in inferno de omnibus membris suis, Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Aliquando mulieres quę veniunt ad vigilias festorum & sanctorum, non causa deuotionis, ibi inter chorizantes arripiuntur à diabolo; quas agitare consueuit in tota nocte vsque ad diem vel gallicantum, cantantes & saltantes, de quibus potest dicere mater ecclesia, quòd dicitur Matth. 15. *Filia mea malè à dæmonio vexatur*; quæ mulieres arreptæ vocant se ancillas. *Item* vexat homines, Deo sic permittente, propter peccatum chorearum, aliquando tempestate subita, & iræ suę furorem exercēs. Accidit in Dyœcesi Suession. cum in quadam ecclesia in qua factæ fuerant choreæ, in mane celebraret sacerdos; factus est subito magnus turbo, & commotio magna, & fulgur cecidit in ecclesia, & vestimenta altaris combussit, (sacerdote cum hostia illęso permanente) & multos in ecclesia occidit, molendinum etiam subuertit, quatuor hominibus ibi occisis: vnus inde fugiens vidit multos dæmones super fossa springantes, & spallentes, & choreas repręsentantes, à quibus verberatus quasi ad mortem, facto signo crucis vix euasit; quo indignati & territi fugerunt: quidam autem ex eis indignatus momordit maximum lapidem qui erat in muro, magnam partem inde ferens, ipsis dentibus manentibus ibi impressis; quem viri loci illius pluribus ostenderunt in testimonium. Dictus autem homo à dæmonibus verberatus, quæ hic viderat, ea postmodum retulit coram multis.

Chorizantes sæpè puniuntur mala morte.

ITEM chorizantes sæpe ferit dominus morte mala & subita, morte animæ & corporis. Similes sunt pueris, de quibus legitur 2. Reg. 12. *Surgant pueri, & ludant. qui surgentes & ludentes, occidit vnusquisque comparem suum.* Sic chorizantes faciunt, dum vnus alterum prouocat ad illicitum consensum, occidit eum in anima dum consentit, & se primo dum hoc intendit. Item Ezech. 25. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es toto affectu, extendam manum meam super te, & interficiam te.* Ad hoc facit exemplum de histrione percusso, qui percutiebat tybulam.

Exempla.

ITEM 2. Dyal. 9. de Florentio monacho, qui cum non posset corpus beati Benedicti extinguere veneno, laborauit animas discipulorū perimere, ad libidinem prouocando, mittens septem puellas nudas in horto cellæ, in qua habitabat Beatus Benedictus cum discipulis suis, quæ tenentes se ad inuicem cum manibus, diutius ante oculos eorum ludebant & psallebāt. Cum autem beatus Benedictus à loco illo recessisset, declinans eius inuidiam; & dictus Florentius propter hoc in suo solario exultaret, solarium subito totum corruit, & dictum Florentium conterens extinxit. *Item* de filia Herodiadis, quæ saltu suo caput Ioannis impetrauit, dicit Hugo de sancto Victore, quod à terra absorpta sit. De Herode dicit Ægysippus libr. 2. de

A Cladibus Iudæorum, quod in Hispaniam fugatus, cum mœrore animi consumptus est ibi cum Herodiade. Aliquæ Chronicæ habent quod apud Viennam. Iosephus dicit, quod veniens Romam, vt familiaritatem acquireret Gaij & Herodis Aggrippæ, relegatus est, vt dicit Iosephus, apud Lugdunum Greg. Turon. in lib. de gestis Francorum, idem dicit. Herodias autem noluit eum dimittere, dicens quod volebat esse socia aduersitatis, vt fuerat prosperitatis. Ibique in illo exilio miserabiliter mortui, supra ripam fluuij sepulti sunt. Adhuc apud Lugdunum ostendit antiquitas locum super montem super capellam Magdalenæ, vbi dicitur fuisse Palatium Herodis, qui dicitur Antipas, qui decollauit Ioannem, sub quo dominus passus est; qui ei illusit, & ipse exul datus est ludibrio æterno.

B

Exemplum.

IN Passione sanctorum Nerei, & Archillei legitur, quod cum ipsi essent baptizati à Beato Petro Apostolo, & cubicularij essent Domicellę Virginis, quę erat neptis Domitiani Imperatoris quæ erat sponsa Aureliani filij Consulis Romanorum, prædicauerunt ei sic de fide & bono Virginitatis, quod eam conuerterunt. postea per beatum Clementem virgo Domino consecrata est, cum post passionem dictorum sanctorum perseuerans, non posset à proposito reuocari, fecit eam dictus Aurelianus includi in camera pulcherrima, cum tribus ioculatoribus, & ipse erat cum eis, vt ipsi saltando & cantando cum musicis instrumentis, cor virginis emollirent ad Aureliani consensum. Quod si non posset, eam ibi violenter opprimeret. Cūm virgo immobilis esset & oraret, tres mimi tamdiu saltauerunt ibi, & cantauerunt, quod hoc incessanter faciendo defecerunt. Ipse autem Aurelianus per duos dies saltus & cantus continuans, hoc incessanter agendo expirauit. Virgo autem cum nollet consentire idolatriæ, & esset clausa in cubiculo suo cum duabus sodalibus virginibus orans, de præcepto Domitiani Imperatoris ignis est ibi appositus, succensoque cubiculo, virgines prostratæ in faciem, spiritum domino orantes reddiderunt, corpora autem earum illæsa ab igne sunt reperta.

C

Post choreas & ineptam lætitiam sequitur sæpè magna tribulatio.

ITEM fluctus aduersi qui sequuntur huiusmodi dissuadent choreas, & ineptam, & immoderatam lætitiam. Sapientes nautæ videntes Delphines pisces ludentes & salientes in mari, statim deprehendūt proximā tempestatem; sic sapientes videntes immoderatam lætitiam chorizantium, futuram & proximam timent tribulationem. sic dominus Luc. 19. *Videns ciuitatem exultantem, flenit super illam dicens: Si cognouisses tribulationem tibi in proximo venturam, & tu fleres.* Accidit in Dyœc. Lugdun. cum comes Florensis, & Niuernen. Guido, deberent transfretare, vocauerunt magnam curiam, & festum magnum tenuerunt; & cum post officium Dei multum vacassent in ducendis choreis, & venissent in quoddam castrum, quod dicitur Surriacum comitale, & filius dicti comitis vocasset iuuenes scutiferos in quādam aulam in solario, & cantando ducerent choreas, voluendo se cecidit solarium sub pedibus eorum, & omnes pariter ceciderunt. Aliqui sunt ibi statim mortui: Aliqui confracti: Aliqui ferè suffocati; vt possent dicere: *Versa est in luctum cythara nostra, & organum in vocem flentium.* Iob 30. *Item* huiusmodi similes sunt Cygno, qui cantant contra mortem propinquam.

D

E

Chorizantes aliquando puniūtur cōfusione, aliquādo flammis ignis.

ITEM chorizantes aliquando puniuntur confusione vel hîc, vel in futuro, Isa. 3. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Syon, saltus faciendo, & ambulauerunt collo extenso, caput huc illucque vertendo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant,* cum gestu manuum & motu, *ambulabant pedibus suis,* tripudiando, *decaluabit dominus verticem filiarum Sion, & crimen earum nudabit.* Et post. *Et erit pro suaui odore fetor, & pro zona funiculus,* &c. Sic apparatus horum ornamentorum, quē volunt ostēdere in choreis, vertetur in opprobriū & confusionem eorum, qui hoc agunt. *Item* puniūtur

aliquando flamma ignis, vel in præsenti, vt patet infrà de peregrinatione, de illo qui armatus armis leuitatis, intrauit ecclesiam, vt orantes in vigilia cuiusdam sancti, ad cantus & choreas incitaret; qui iudicio diuino igne ibi consumptus est. *Item* ibidē, de illis qui conuenerāt ad festum cuiusdām sancti, cum choreas duxissent in cœmeterio in aurora cum Missa cantaretur, fulgure cadente in ecclesia, aliqui sunt igne concremati, aliqui extincti, aliqui vulnerati, Ecclesiastici 25. *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Quia vt stuppæ de facili succēduntur ad malum, & sunt vani, & leues, sic synagoga, idest congregatio irrationalium animalium, quia non ducuntur motu rationis. Synagoga peccantium dicuntur, quia cum alia peccata habeant singularia mēbra quæ eis deseruiunt, vt gula & ebrietas gulam, & ventrem; luxuria genitalia, auaritia manus, ira cor, superbia caput, & sic de alijs, Chorizantes dicuntur generaliter peccantes, quia peccant de omnibus membris; caput ornant & agitant, oculis innuunt, auribus cantus diaboli audiunt, pede terunt, ore canunt, manibus plaudunt, totum corpus concutiunt. Sequitur, *consummatio eorum ignis*; quia cito vt stuppa sunt in cinerem conuertendi, Isa. 1. *Erit fortitudo vestra vt fauilla stuppæ.* Si se cognoscerent vt Xerxes, plangerent; cui cum videret ante se maximum exercitum suum, vertit gaudium in planctum, dicens: *Dicunt me homines regem huius maximi exercitus, cum sim rex cineris. Omnes enim isti antè centum annos sunt in cinerem conuertendi, & ego cum eis.*

Exempla.

Chorizantes punit fletus aternus.

ITEM punit eos fletus eternus, Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus, proijcite in tenebras exteriores.* Ligata habebunt membra, quia dissoluta habuerunt; tenebras habebunt, quia lucem exterioris consolationis & vani gaudij amauerunt; fletum, propter risum & cantum. *Nota* quod quidam sanctus inter alia supplicia inferni, vidit & audiuit mulieres flentes, & quasi choreas ducentes, & dicentes, væ, væ, væ, quantæ sunt istæ tenebræ. De fletu miserorum in inferno habetur supra lib. 2. *de inferni luctu.*

Qui vitant choreas & talia solatia diuina consolatione replebuntur.

SIMILITER. ostenduntur esse vitandæ choreæ per contrarium, quia sicut chorizantes Angelicos cantus & diuinas consolationes amittunt, & varias pœnas incurrunt; sic qui fugiunt eas habent solatia Paradisi. Quia vt dicit Bernard. *delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam.* Sæpè enim leguntur visitati à Domino, & audiuisse Angelicos cantus, & habuisse Angelicas visitationes, & allocutiones, fugientes mundanos cantus, & consolationes, & visitationes. Vt beata Maria, *quam inuenit Angelus*, vt dicit glo. *non in strepitu populi, sed in secreto conclaui.* Pastoribus custodientibus, non chorizantibus, apparuit Angelus, & audierunt, melodiam cœlestis militiæ. *Item* Ioannes in solitudine Pathmos audiuit frequenter cantus Angelicos. Item de beata Cæcilia legitur, quod cum alij cum organis cantarent in nuptijs, ipsa soli Deo decābat, dicens: *Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum, & non diebus nec noctibus cessabat à colloquijs diuinis, & orationibus.* De beata Agnete legitur quod dicebat: *Amo Christum,* &c. *cuius mihi organa modulatis vocibus cantant.*

Exempla.

ETENIM quæ respuisse leguntur fatuos cantus, & consortia, & solaria, visitatæ leguntur & consolatæ ab Angelis. Ceciliæ & sponso eius, non cantantibus, sed orantibus, attulit Angelus coronas de rosis & lilijs Paradisi: Ad quarum odorem Tyburtius frater Valeriani sponsi Ceciliæ, est ad dominum conuersus, & ambo martyrium fusceperunt. *Item* Angelus beatæ Agnetis factus est custos & socius in passionis agone. Ipsa autem etiam apparuit parentibus suis, octaua die post passionem suam, in choro virginum cœlestium mirabili ornatu & decore fulgentium, dicens eis, quod eam non plangerent vt mortuam, sed ait: *Congaudete mecum & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi*; & his dictis receptæ sunt in cœlum.

Exemplum.

ITEM in passione Viti & Modesti legitur, quod cum Vitus puer duodecim annorum, in Lucana ciuitate non posset inclinari ad idolatriam, nec patris verberibus, nec suppliciis diuersis sibi illatis per Valerianum præfectum, reduxit eum pater in domo includens in talamo, exhibēs ei diuersas delicias, & puellas, choreas coram eo ducentes cum musicis instrumentis, vt per cantus & gestus earum, cor pueri emolliretur. Sed cum nihil proficerent, relictus est ibi puer solus cum duodecim lampadibus ardentibus. Cum autem erupisset inde odor inæstimabilis, ita vt familia clamaret, Dij intrauerunt domum, & pater respiceret per ostium cameræ, vidit circa puerum septem Angelos ad quorum aspectum excæcatus est: vbi cum etiam venisset tota Lucana ciuitas, dixit eis, Dij intrauerunt cameram filij mei, habentes facies igneas, ad quorum aspectum cæcus factus sum. Orationibus autem beati Viti liberatus est. Beatus autem Vitus post multos agones & victorias multoties & de multis suppliciis per Angelos liberatus, tandem cum Modesto socio suo in oratione emisit spiritum.

Exemplum.

ITEM in gestis Anglorum Beda lib. 4. cap. 24. dicit quod in monasterio Hildæ sanctæ abbatissæ, fuit puer custos pecorum, qui omnino nullam cantilenam sciebat, nec addiscere volebat, nec cantare. vnde cum alij custodes animalium & familia haberent bonum conuiuium, & læti essent; cumque dicerent quod quilibet cantaret cum cythara, & hoc faceret dictus puer dimisso conuiuio alijs cantātibus, fugit in stabulum, intrans lectum. Cum autem ille nocte dormiret, astitit ei quidam, vocās eum nomine Cedmon dicens, canta mihi. Cum autem ille responderet. Nescio cantare, propter hoc enim incœnatus dormiui. Respondit ille; habes cantare. qui ait: quid cantabo tibi? Respondit: Canta mihi principium creaturarum: qui statim incepit cātare optimo carmine, & suauissimo modulamine, in laudē creatoris versus, quos nūquā audierat, in Anglico optimè compositos; qui in Latino idē sonant, quod *laudare debemus auctorem regni cœlestis, potentiam creatoris, & regnum ipsius, & consilium patris gloriæ, qui cum sit æternus Deus, omnium auctor extitit; qui filijs hominum cœlum tecti culmine, dehinc terram, custos humani generis creauit.* Hæc autem verba dormiens concinnebat, in anglico optimo dictamine cōposita, quorum sensum diximus, nec tamen decor aut metrum in translatione, Latinè seruari potuit. Qui excitatus eadem cantabat; & ductus ad abbatissam, coram ea & multis peritis dicta verba concinnabat, & donum sibi datum indicauit, & verba sacræ historiæ sibi imposita, reddebat optimo carmine composita in modulatione. Hic totam historiam veteris & noui testamenti, factus frater religiosissimus, optimo carmine compositam reddidit; nec aliqua ociosa vel impertinentia ad Deum, cantare sciebat vel poterat. & cum multi periti attentarēt similia cantare vel componere ad exemplum eius, nullus quamtumcumque peritus in hoc ei potuit comparari. Cùm autem dictus frater diutius religiosissimè & sanctissimè Deo seruisset, tactus modica infirmitate, de qua nullus crederet quod aliquis deberet mori; rogauit vt pararetur sibi lectus in loco vbi fratres morientes solebant poni. Quo facto, hilariter ibi diutius loquens cum fratribus ibi cōuocatis, rogauit eos vt si aliquem aliquo modo offenderat, vel aliquid contra eum haberet, ei remitterent. Cum autem omnes mirarentur, & nihil contra eum se habere dicerent; ipse Eucharistiam petens, & accipiens, eos Domino cōmendauit; dicens se migraturum ad dominum illa hora, qua fratres surgerent ad laudandum Deum. Ipse autem illam horam cum deuotione, & oratione expectauit, & cum fratres, incepissent laudare Deum, ipse disposuit se quasi ad dormiendum, & quasi dormiens suauiter in pace quieuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LIBRI III. PARS X.

DE POENITENTIA ET PARTIBVS EIVS.

De Pœnitentia ſecundum ſe.

DISTINCTIO I.

POSTQVAM adiuuante Deo conſiderationem fecimus de peccatis. Conſequenter ſummo dirigente magiſtro conſiderandum eſt de pœnitẽtia. quę eſt antidotum medicinale, & ſalubre remedium diuinitus inſtitutũ ad maculas abluendas, & ſenanda mortifera vulnera peccatorum; vt quicquid per pecatum amiſimus, recuperemus per pœnitentiam, & in nouum hominem reformemur. Circa pœnitentiam autem duo conſideranda ſunt. Primo de pœnitentia in generali. Secundo de partibus eius. Circa primum conſideranda ſunt nouem. Primò videndum eſt quid ſit pœnitentia. Secundò de eius origine. Tertiò de eius continuatione, & iterabilitate. Quartò de pœnitentia mortalium. Quintò de pœnitentia venialium. Sextò de effectu pœnitentiæ. Septimo de pœnitentia ſolemni. Octauò de his quę mouere debent ad pœnitentiam faciẽdam. Nono qualis eſſe debeat. Circa primum conſideranda ſunt quatuor. Primo quid ſit pœnitentia ſecundum diffinitionem. Secundo quid ſit ſecundum rem, ſcilicet vtrum ſit Sacramentum, vel virtus. Tertiò vtrum ſit virtus Theologica, vel Cardinalis ſeu mo-

Quid pœnitentia.

talis. Quarto vtrum contineatur ſub iuſtitia.

AD primum dicendum, quòd ſecundum Ambroſium. *Pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.* Secundum magiſtrum ſententiarum. *Pœnitentia eſt gratia vel virtus, qua commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus & odimus, & plangenda iterum committere nolumus.* Secundum Greg. *Pœnitentia eſt anteacta peccata flere, & deflenda iterum non committere.* Aduerte quod omnes diffinitiones non ſunt propriè diffinitiones datæ per eſſentialia, ſicut eſt iſta; *Homo eſt animal rationale mortale*; ſed per cauſam; ſicut dicitur quòd dies eſt ſol lucens, vel latio ſolis ſuper terram: Vel non ſunt diffinitiones propriè loquendo, ſed quædam deſcriptiones. Deſcribitur autem pœnitentia per duplicem actum, vnum qui eſt reſpectu peccati præteriti, ſcilicet præterita flere vel plangere: Alterum reſpectu futuri, ſcilicet plangenda non comittere. Primus actus eſt in re: Secundus oportet quòd ſit in re, vel in propoſito. Fletus autem & planctus hic accipiuntur largè, ſiue pro interiori, ſiue pro exteriori. Poteſt enim aliquis verè eſſe pœnitens, ſine fletu, vel planctu exteriori. *Item* eſt luctus vel fletus pro peccatis proprijs; & hîc eſt pœnitentiæ. Et eſt luctus pro miſerijs alienis; & hîc eſt miſericordię. Et eſt luctus pro bonis æternis; & hîc luctus beatitudinis Mat. 5. *Beati qui lugẽt*, & Luc. 6. *Beati qui nũc fletis.*

Pœnitentia ſumitur quadrupliciter ſcilicet pro Sacramento, virtute actu virtutis, & paſſione.

AD ſecundum, ſcilicet *vtrum pœnitentia ſecundum rem ſit Sacramentum vel virtus*, dicendum quod pœnitentia quatuor modis poteſt conſiderari. *Vno modo* pro remedio contra peccatum actuale, per miniſtros eccleſiæ miniſtrando, & ſic eſt Sacramentum. *Alio modo* pro habitu habilitante hominem ad pœnitẽdum ſub debitis circunſtantijs, & ſic eſt virtus. *Alio modo* accipitur pro actu pœnitendi, & ſic non eſt virtus, ſed actus virtutis. *Quartò* modo accipitur pro dolore ſenſibili de peccato commiſſo, & ſi dolor iſte præcedat actum pœnitendi, promouet ipſum, & intenſiorem reddit: Si vero ſequatur actum pœnitendi tanquam cauſatus ex illo, ſic intenſionem eius & perfectionem oſtendit, & ſic pœnitentia eſt paſſio.

Pœnitentia vt virtus eſt de iure naturali, non autem vt Sacramentum.

ET nota quod pœnitentia interior eſt de iure naturali quantum ad debitum, ideſt quod homo qui Deum offendit per peccatum, de iure naturali pœnitere tenetur; tamen quantum ad actum eſt ex infuſione diuina, ſicut infra patebit. Pœnitentia vero exterior non eſt ex iure naturali, ſed ex inſtitutione diuina, ſub aliqua re ſenſibili, & forma debita verborum. *Sed* cum ſacramẽta ſint quædã medicinæ ſpirituales, ſicut in corporalibus medicinis quædam conſiſtunt in ſola paſſione, ſeu receptione curandi, ſicut eſt aduſtio vel ſectio vulneris & huiuſmodi; quædam vero in actione infirmi ſicut eſt exercitatio corporis; ita in ſacramentis, quædam conſiſtunt in ſola paſſione eius qui ſanctificatur, nec requirit actus eius niſi per accidẽs, inquantum remouet prohibens, ſcilicet in diſpoſitionem ad ſuſcipiendum; ſicut baptiſmus, confirmatio, & huiuſmodi: quædã vero cõſiſtunt in actu illius qui ſuſcipit ſacramentũ, ita quod actum illum requirunt eſſentialiter, vt pœnitentia, & matrimonium. In primis igitur Sacramentis quæ ſine actu noſtro operantur, eſt materia exterior quæ ſignificat & cauſat: In aliis vero ipſe actus noſter eſt pro materia ſenſibili: *In* pœnitentia igitur materia ſenſibilis accipitur largè, pro omni re ſenſibili; ſiue ſit exterior ſubſtantia, ſiue actio humana. Ibi etiam ſunt verba, ſcilicet in confeſſione, & abſolutione; ſed non requiritur ibi tanta determinatio verborum, maxime ex parte pœnitentis; ſed in abſolutione quæ à ſacerdote profertur, benè requiritur forma verborum, licet non ita præciſe ſicut in aliis; quia non eſt ibi aliqua materia ſanctificanda. Confertur etiam hoc ſacramentum à miniſtris eccleſiæ, quia pœnitentia per ſe ſuſcepta propriè non dicitur eccleſiæ ſacramentum; cum talis etiam ante baptiſmum fieri poſſit; ſed à miniſtris eccleſiæ ſuſcepta vel iniuncta, dicitur eſſe Sacramentum.

Pœnitentia vt virtus eſt materia Sacramẽti pœnitentia, ſcilicet ſenſibilis per exteriorem confeſſionem

SIC igitur patet quod inquantum homo ſe habet vt recipiens, ideſt inquantum mediante exteriori pœnitentia recipit veniam per miniſtros eccleſiæ, ſic pœnitentia eſt ſacramentum. Inquantum autem homo ſe habet aliquo modo ſicut agens, ideſt inquantum mediante interiori pœnitentia intendit emẽdare peccatum quod fecit, ſic tripliciter accipi poteſt, contra tria quæ ſunt in peccato; nam ad eius emendam concurrit habitus mouens contra maculam vel habitum vitij; & actus eius, contra actum peccati; & materia de qua fit emenda ſeu recompenſatio, ſcilicet dolor annexus; contra delectationem quæ fuit in peccato. Primo modo virtus eſt. Secundo modo actus virtutis. Tertio modo paſſio. Et ſic declaratum eſt, quod pœnitentia & eſt ſacramentum, & eſt virtus.

AD tertium, ſcilicet *vtrum pœnitentia ſit virtus Theologica vel moralis.* dicendum quod eſt virtus moralis. Debemus enim ſupponere, quod pœnitentia ſit virtus infuſa diuinitus, quia ſicut dicit Auguſt. in libro de fide ad Petrum. *Hoc Deus diſpoſuit, vt ſi quis bonitatem mentis perderet, nunquam eam ſine diuino munere repararet.* Virtutes autẽ infuſæ tripliciter ſe habent ad Deũ: quædam enim habent Deum pro obiecto & fine, vt tres Theologicæ. Quædam pro fine proximo, non tamen pro obiecto, vt aliquæ morales quæ reſpiciunt Deum ſicut latria & pœnitentia. Quædam pro fine vltimo, ſed non pro fine proximo, nec pro obiecto, vt illæ morales quæ reſpiciunt vel ſe, vel proximũ, vt temperantia; cuius obiectum ſunt paſſiones delectationum; finis proximus, puritas cordis; finis vltimus, videre Deum. Dico ergo quod virtutes Theologicæ dicuntur propriè quæ habent Deum pro fine & obiecto, pœnitentia vero habet Deum pro fine proximo, quia homo Deo intendit ſe reconciliare, non autem pro obiecto ſed offenſa Dei, ideo nõ eſt virtus Theologica, ſed ad virtutem Cardinalem reducibilis.

Pœnitentia non eſt virtus Theologica ſed moralis quia nõ habet Deum pro obiecto, ſed Dei offenſum.

AD quartum, ſcilicet *dato quod pœnitentia ſit virtus moralis, vtrum contineatur ſub iuſtitia*, dicendum quòd

Pœnitentia eſt parspotẽtialis iuſtitiæ nõ autẽ ſubiectiua, ob defectũ æqualitatis in compenſando.

iuſtitia ſimpliciter reſpicit æqualitatem, ſicut patet tã de iuſtitia commutatiua, quæ eſt in cõtractibus, quam de iuſtitia vindicatiua, quæ conſiſtit in emendandis delictis. Vtraque enim intendit facere, vt quantum quis habuit de alieno, tantum reſtituat de ſuo, & ſic fiat adæquatio. vbi vero non poteſt eſſe ſimpliciter æqualitas, vt in debito filij quod eſt ad parentem, ſerui ad dominum; ibi non eſt iuſtitia ſimpliciter, ſed quidam modus iuſtitiæ. Vnde inter dominum & ſeruum, ſecundum philoſophum, non eſt iuſtũ ſimpliciter, ſed dominatiuũ iuſtum, partes ergo illæ iuſtitiæ in quibus ſeruatur æqualitas ſimpliciter, ſunt partes iuſtitiæ ſubiectiuæ; illæ vero partes iuſtitiæ in quibus non ſeruatur æqualitas ſimpliciter, ſunt quaſi partes potẽtiales. Cum ergo debitor fiat homo Deo ſimpliciter, ſicut homini, ſcilicet ratione accepti, vt in contractibus; vel ratione commiſſi vt in delictis; hominis vero ad hominem poſſit eſſe æqualis recompenſatio, hominis vero ad Deum non; ideo in virtutibus quæ faciunt recompenſationem ad hominem, eſt iuſtitia ſimpliciter; in his verò quæ ad Deum iuſtitia ſecundum quid. Sic ergo religio ad iuſtitiam reducitur vt pars potentialis, magis ſubiectiua; quia facit recompenſationem Deo in debito beneficij accepti; ita pœnitentia quia facit recompenſationem Deo in debito commiſſi.

Circa ſecundum principale, ſcilicet *de origine pœnitentiæ*, conſideranda ſunt duo. *Primo* de eius origine. Secundo de ordine eius, ad alias virtutes. *Circa primum* ſciendum, quod origo pœnitentiæ duplex eſt, videlicet efficiẽs in Deo, & diſponens in ſubiecto, quia Deus licet infundat habitum pœnitentiæ, nõ tamẽ infundit in adulto ſine præparatione; ſicut ait Aug. *Qui creauit te ſine te non iuſtificabit te ſine te.* Quia vero diſpoſitio ex parte noſtra voluntaria eſt, ideo non poteſt accipi vnus modus diſponendi determinatus, vt ſemper, ſed vt in pluribus. Nã omnes ſermones morales, ſecundum Philoſophum in lib. Eth. vt in pluribus ſunt intelligendi, non ſemper. Pœnitentia verò eſt reuerſio hominis in peccato exiſtentis ad Deum. Vnde oportet præcedere aliquid illuminans ad cognitionem peccati; & Dei; & hæc eſt fides informis: Aliquid vero retrahens ab amore peccati; & hoc eſt timor pœnæ quę ſequitur peccatum: Aliquid verò inchoans in amore Dei, & hæc eſt ſpes informis. Quia ergo per timorem inchoatur motus recedendi à peccato ad Deum, ideò ei attribuitur pœnitentiæ conceptio, non generatio; & primum initium, ſed imperfectum, occultum ſcilicet, non manifeſtum, paſſiuum magis quam actiuum. Prętera magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 14. conceptionem pœnitentiæ attribuit timori Et Iſa. 26 *A timore tuo domine concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis.* Et Eccleſiaſtic. 1. *Timor domini expellit peccatum.* Conſtat autem quod non expellit, niſi pœnitentia mediante. Concipitur ergo pœnitentia timore, ſed non mundano, nec humano, quia vterque pœnitentiam refugit: non filiali vel caſto, quia iſti pœnitentiam non præcedunt; ſed ſeruili tanquam initio extrinſeco, non intrinſeco; nec tamen ſunt ſimul, quia cauſa eius eſt in fieri, non in eſſe. Sicut autem concipiens ſimul eſt cum concepto, non ſecundum eius eſſe completum, ſed inchoatum & materiale; ſic timor ſeruilis ſimul eſt cum pœnitentia quoad contritionem.

Circa ſecundum, ſcilicet *de ordine pœnitentiæ ad alias virtutes*. ſciendum, quod omnes virtutes formatæ ſimul infunduntur, vnde in eis non eſt prioritas ſecundum tempus; ſed tamen ſecundum ordinem naturæ in comparatione ad actum, eſt in eis prioritas. Pœnitentia enim eſt reuerſio ad Deum, in motu vero reuerſionis præcedit cognitio; ſequitur ſpes de poſſibilitate perueniendi; conſequitur motus in receſſu à termino à quo: conſequitur appropinquatio ad terminum ad quem. Hinc eſt quod in iuſtificatione prior eſt motus fidei, dehinc motus ſpei, dehinc motus timoris, dehinc motus pœnitentiæ ad Deum redeuntis, & virtutes alias quaſi introducentis. ſed quia fides & ſpes non habent rationem perfectam virtutis, niſi ſecundum quod ſunt informatæ charitate, ideo pœnitentia præcedit natura omnes virtutes ſecundum eſſe cõpletum virtutis. Quod eſt intelligendum in via reformationis; quia per pœnitentiam fit remotio prohibentis: In via vero primæ formationis, fides prior eſt.

Origo pœnitentiæ effectiuè eſt Deus, diſpoſitiuè, timor ſeruilis, fides &c.

In iuſtificatione primo eſt motus fidei, 2. ſpei, 3. timoris, 4. pœnitentiæ, at ſecundũ eſſe completum virtutis, pœnitentia præcedit naturâ omnes virtutes formatas.

Circa tertium principale, ſcilicet *de continuatione pœnitentiæ*, conſideranda ſunt duo. Primo vtrum pœnitentiam oporteat eſſe perpetuam de quolibet peccato. Secundo dato quod diſcontinuata ſit pœnitentia per peccatum ſequens, vtrum poſſit homo reſurgere per pœnitentiam pluſquam ſemel. Ad primum dicendum, quod ſicut dictum eſt ſupra, duplex eſt pœnitentia, ſcilicet interior, & exterior. Exteriorem pœnitentiam non oportet eſſe perpetuam; vnde ſecundum canones, pro certis peccatis determinatur certa pœnitentia, qua expleta non tenetur homo amplius iterare, vel continuatè agere. Pœnitentia verò interiòr duplex eſt, ſcilicet in actu; & ſic non oportet ipſam eſſe perpetuam; vel in habitu, & ſic debet eſſe perpetua. dicit enim Auguſtin. *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.* Idem de peccatore loquens: *Semper doleat, & de dolore gaudeat, vbi enim finitur pœnitentia, nihil relinquitur de venia.* Peccator ergo quandocunque & quotieſcunque actu cogitat de peccato commiſſo, tenetur dolere de hoc quod Deum offendit. Non enim fideliter ſeruat reparatum fœdus amicitiæ, cui actu non diſplicet, quãdo actu recogitat illud, quod inter Deum & ipſum cauſa fuit inimicitię, nec poteſt homo dimittere habitum pœnitentiæ, niſi ruendo in peccatum mortale.

Pœnitentia habitualis debet eſſe perpetua non autem actualis, niſi quãdo quis cogitat de peccato commiſſo.

Ad ſecundum, ſcilicet vtrum poſſit homo reſurgere per pœnitentiam pluſquam ſemel. dicendum quod ſic, ſicut oſtenditur de pœnitentia diſt. 3. multis auctoritatibus, & exemplis. Quod etiam patet ratione; quia pœnitentia eſt in ſubiecto vertibili, ſcilicet in voluntate, nec continuatio in futurum eſt de eius eſſentia: quia cum eſſe virtutis ſit ſimplex, & totum ſit ſimul in inſtanti, de eſſentia nihil poteſt eſſe quod nõ poſſit totũ eſſe in præsẽti. Vnde de eſſe verę pœnitentiæ, non eſt continuatio futuri temporis, ſed propoſitum præſens continuandi in futurum: & ſic patet quod à vera pœnitentia poteſt quis excidere Item à vera pœnitentia excidens, poteſt veram pœnitentiam recuperare, & quamdiu homo eſt in via, poteſt facere quod in ſe eſt, vt detur ſibi à Deo vera pœnitentia: ſed omni facienti quod in ſe eſt, Deus dat pœnitentiam veram, & aliàs non pulſaret hominem, inuitando vt faciat quod in ſe eſt, Apocal. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo*, &c. vera etiam pœnitentia nunquam caret remiſſione peccati, ſicut patet per hoc quod dicitur de pœnit. diſt. 3. *Quomodo pœnitet.* Conſtat enim multa peccata diſplicere, qui ſemper eſt præſto ea deſtruere.

Poteſt quis per pœnitentiã pluſquã ſemel reſurgere.

De pœnitentia mortalium peccatorum.

DISTINCTIO II.

Circa quartum principale, ſcilicet de pœnitentia mortalium peccatorum cõſideranda ſunt duo. Primo vtrum neceſſaria ſit pœnitentia de peccatis mortalibus ante baptiſmum. Secundo vtrum ſit neceſſaria de omnibus mortalibus poſt baptiſmum.

Ad primum dicendum, quod pœnitentia poteſt accipi dupliciter, vel inquantum eſt Sacramentum, & ſic non eſt neceſſaria. Vnde Ro. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona*, &c. ibi dicit glo. quod *Gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum nec planctum, niſi ſolam fidem, & cordis*

contri-

Pœnitentia informis est necessaria de peccatis mortalibus antè baptismum, non autem formata.

contritionem, extendendo, scilicet contritionem ad pœnitentiam informem, vel formatam. Vel potest accipi pœnitentia inquantum est virtus; & hoc dupliciter: vel inquantum est formata, & sic non est necessaria de præcedentibus baptismum, quia cum talis pœnitentia non possit simul esse cum peccato, nunquam per actualem susceptionem baptismi remitteretur peccatum mortale actuale; quia per pœnitentiam esset ante remissum, aut suscipiens baptismum esset indispositus ad remissionis peccatorum mortalium susceptionem. Vel inquantum est informis, id-est quædam peccati detestatio cum proposito emendandi, quamuis non omnino sufficiens ad expulsionem peccati; & hoc ad minus est necessaria de omnibus peccatis actualibus mortalibus præcedentibus baptismum, tanquam causa remouens prohibens susceptionem diuinæ gratiæ, quæ in baptismo datur illis, in quibus remota sunt impedimenta prohibentia susceptionem gratiæ Dei.

Pœnitentia est necessaria de omnibus peccatis post baptismum cõmissis, & quidem in speciali quãdo quis ea cognoscit, vel ignorat vincibiliter.

Ad secundum, scilicet *vtrum pœnitentia sit necessaria de omnibus peccatis mortalibus post baptismum sequentibus.* dicendum, quod peccata mortalia aut sunt habenti nota, aut ignota: de notis necessaria est pœnitentia, ad hoc vt remittantur de lege communi: non tantum in communi, sed etiam in speciali, si ad cogitandum de quolibet in speciali adsit opportunitas proportionata infirmitati humanæ. Quod ideo dico, quia posset contingere quod peccator esset in tali periculo, quod quamuis posset recogitare de quolibet in speciali, non tamen adhuc haberet opportunitatem humanæ fragilitati proportionatam. Ignota autem, aut sunt ignota quantum ad ius, non quantum ad factum, vt cum peccator scit se fecisse aliquid, quod non credit esse mortale peccatum, & tamen est; aut sunt ignota quantum ad vtrumque. Et quocumque istorum modorum accipiatur ignorantia, subdistinguendum est; quia aut est inuincibilis, & de peccatis sic ignoratis non est pœnitentia necessaria in speciali, sed sufficit quod de illis pæniteat in communi, inquantum pœnitet de omnibus mortalibus: si autem ignota sunt sibi ignorantia affectata, quæ est quando homo vult ignorare; vel crassa, quæ est quando ignorans vellet scire, non tamen vult ita efficaciter, quod prout humana patitur vel permittit fragilitas, velit facere quod in se est ad hoc vt sciat: De mortalibus istis duobus modis ignoratis necessaria est pœnitentia in speciali, nec tamen sic ignorans perplexus est, quia potest facere quod in se est ad hoc vt sciat: quod si fecerit, aut Deus ea sibi manifestabit, aut indulgebit.

Circa quintum principale, scilicet *de pœnitentia venialium peccatorum* considerandæ sunt tria. Primò vtrum de peccatis venialibus necessaria sit pœnitentia. Secundò vtrum veniale peccatum remitti possit sine mortali. Tertiò vtrum vnum veniale possit remitti sine alio. *Ad primum* dicendum quod de peccatis venialibus pœnitentiam esse necessariam dupliciter potest intelligi, scilicet aut quod sit necessaria ad eorum remissionem, aut quod sit necessaria ad salutem. Primo modo dico quod de lege communi pœnitentia necessaria est de peccatis venialibus implicitè vel explicitè, in speciali vel in communi, quamdiu enim voluntas inordinationi actualiter inhæret, oportet eam inordinatam esse, vnde ad remissionem venialis peccati necessarium est, quod voluntas desistat inordinationi inhærere; nec tantum hoc sufficit de lege communi, sed etiam requiritur quod inordinationem præteritam actualiter detestetur, explicite vel implicite; vt illa detestatio sit totius emendæ solutio, vel radix seu fundamentum solutionis totius. Aliqua enim emenda pro quacunque voluntaria inordinatione Deo debetur. Secundo modo non est necessaria de venialibus peccatis pœnitentia per se in hac vita, quia simul stare possunt cum gratia; in cuius virtute, cum ea voluntas detestatur, post mortem in Purgatorio remittuntur. Per accidens tamen

Pœnitentia est necessaria ad remissionem venialium in hac vita, saltem implicita.

A est necessaria pœnitentia de illis in hac vita, scilicet aut ratione dubij probabilis, quando vehementer dubitat homo vtrum sit veniale vel mortale; tunc enim si de illo non pœniter, exponit se discrimini, tanquam contemptor suæ salutis. Aut ratione periculi, cum scilicet perpendit homo aliquam affectionem deordinatam, venialem tamen, ita in ipsõ incendi, quod probabiliter coniecturat, quod nisi ipsam per pœnitentiam abijciat, trahet ipsum in peccatum mortale: aut ratione statuti, quando scilicet homo non habet nisi veniale peccatum, cum teneatur semel in anno confiteri per statutum ecclesiæ, sed hoc vltimum, lege cautè, non concludit, quod sit necessaria pœnitentia interior: Si enim homo non habens nisi peccata venialia, esto quod de illis interius non pœniteat, tamen
B si ea confiteatur suo sacerdoti, non est ecclesiastici statuti transgressor. De quolibet tamen veniali, implicite vel explicite est necessaria pœnitentia in hac vita, vel in alia, ad hoc quod homo consequatur vitam æternam, quia nullum peccatum quantumcunque leue simul potest esse cum gloria.

Vt homo consequatur vitam æternã necessaria est aliqua pœnitentia de quolibet veniali, vel in hac vita, vel futura.

Ad secundum, scilicet *vtrum veniale remitti possit sine remissione mortalis.* dicendum, quod gratia secundum se opponitur mortali peccato, veniali autem non opponitur, nisi mediante aliquo actu suo opposito veniali peccato; & quia habitus potest esse sine actu, & vnus actus sine alio; ideo mortale remitti potest sine veniali, & vnum veniale sine alio. Actus autem gratiæ peccato veniali oppositus, per quam veniale remittitur, non potest esse sine habitu gratiæ, quę pec-
C cato mortali secundum se opponitur, vt dictum est: & ideo sine mortali peccato non potest veniale remitti. Nec potest dici, quod veniale posset remitti per pœnitentiam sine gratia, quia talis pœnitentia est informis, non accepta de illa acceptione quæ requiritur ad remissionem peccati.

Veniale non potest remitti sine remissione mortalis, benè tamen aconstrũ.

Ad tertium, scilicet *vtrum vnum veniale possit remitti sine alio* dicendum quod sic: quia veniale potest se compati cum charitate, per quam acceptatur pœnitentia, & ideo quando homo pœnitet de vno veniali, non dolendo vel non recordando de alio, pœnitentia eius virtute chatitatis acceptatur à Deo, absque hoc quod aliud remittatur. Non sic est de mortalibus, quia nullum peccatum mortale potest simul esse cum charitate, per quam homo sit amicus Dei: &
D nullum peccatum remitti potest, nisi per charitatem; & ideo si vnum posset remitti sine alio, posset homo simul esse amicus Dei, & inimicus: quod est impossibile.

Vnũ veniale potest remitti sine alio, sed non vnum mort. sine alio.

De effectu pœnitentiæ.

DISTINCTIO III.

Circa sextum, scilicet de effectu pœnitentiæ considerandæ sunt duo. Primo de eius effectu quantum ad amotionem mali. Secundo quantum ad collationem boni. Quantum ad amotionem mali sciendum, quod pœnitentia potest accipi pro pœnitentia formata per gratiam, vel pro pœnitentia informi: & vtroque modo potest accipi pro habitu vel
E actu, interiori vel exteriori.

Dico per pœnitentiam formatam gratia, deleri potest omne peccatum existens in anima vel spiritu carni vnito. Est enim differentia spiritus vniti carni, & separati à carne, quia spiritus carni coniunctus susceptibilis est pœnitentiæ, non autem separatus, sicut dicit. Dam. Hinc est, quod de omni peccato perpetrato à spiritu in carne existẽte potest agi pœnitentia, sed post separationem à carne non potest. Quędam tamen sunt peccata de quibus difficilius potest homo pœnitere, quæ scilicet non committuntur ex fragilitate carnis vel ignorãtia rationis obnubilatæ

Omne peccatum potest in hac vita per pœnitentiam deleri, per formatã, scilicet formaliter, per informen dispositiuè tantum.

per

per carnem; ſicut peccata ſpiritus ſeparati, vel etiam ſpiritus coniuncti per malitiam deprauati, ſicut eſt peccatum in ſpiritumſanctum. De his difficilius agitur pœnitentia quam de alijs; vnde illud Matth.12. *Qui blaſphemauerit in ſpiritumſanctũ non remittetur ei*, &c. intelligendum eſt, id eſt vix remittetur, ſimiliter illud Auguſt. dicentis. *Tanta eſt labes huius peccati, vt deprecandi humilitatem ſubire non poſsit*, ideſt vix poſſit. Si autem arguatur de finali impœnitentia; dicendum quod finalis impœnitentia dupliciter poteſt intelligi. *Vno* modo, propoſitum nunquam pœnitendi, & ſic eſt peccatum in ſpiritumſanctum; & ſic de illo poteſt homo pœnitere, licet hoc ſit difficile. *Alio* modo, poteſt dici finalis impœnitentia finalis priuatio pœnitentiæ; & ſic dicit conditionem cuiuſlibet peccati finalis; & ſic de eo non poteſt eſſe pœnitentia, quia nihil aliud eſt quam priuatio pœnitentiæ.

Finalis impœnitẽtia dupliciter accipitur.

B

Per pœnitentiam vero informem, ſiue accipiatur pro habitu, ſiue pro actu interiori, vel exteriori, ſiue pro omnibus ſimul, non poteſt remitti peccatum niſi diſpoſitiuè, inquantum per ipſam diſponitur homo ad ſuſcipiendum gratiam Dei, per quam formaliter remittitur peccatum: ſpecialius tamen diſponit & directius ad peccati remiſſionem, quam quæcunque alia virtus informis, quia omnia peccata in hoc conueniunt, quod vnumquodque eſt quædam iniuſtitia, contra iuſtitiam legis diuinæ; & pœnitentia ſpecialiter & directè diſponit hominem ad hoc, vt poſſit & velit pro illa iniuria debitam emendam facere cum adiutorio Dei. Quomodo autem ſe habeat ad remiſſionem culpæ pœnitentia formata, inferius declarabitur. Sic ergo patet quomodo per pœnitentiam remitti poſſit omne peccatum, & quomodo non.

C

Per pœnitentiam interiorem & exteriorem ſimul, poteſt remitti tota pœna peccato debita, imo per intẽſam contritionem.

Secvndo etiam ſciendum, quod per pœnitentiam, ratione ſui actus interioris & exterioris ſimul, poſſit remitti tota pœna peccato debita, vel vt melius dicam exolui; tanta etiam poteſt eſſe intentio actus interioris, quod per eius perfectionem & dolorem ſenſibilem cauſatum ex perfectione actus, mereatur pœnitens remiſſionem totius pœnæ peccato debitæ; vel per æquiualentiam ſoluat totam pœnam peccato debitam; ita quod ſi poſt completum illius contritionis motum decederet, nullam pœnam in purgatorio ſuſtineret, hoc autem non conuenit cuilibet contritioni, quia non ſemper cum remittitur offenſa, remittitur ſatisfactoria emenda. *Tamen* ſciendum, quod poſt quantamcunque contritionem neceſſaria eſt confeſſio, & alicuius operis exterioris impletio, ſi facultas affuerit; hoc eſt propter obligationem præcepti: quia reconciliari debet peccator, non tantum ſecundum iudicium Dei, ſed etiam ſecundum iudicium militantis eccleſiæ. Vnde actus pœnitendi, nec peccatum, nec pœnam remittit, niſi ſit cum propoſito confitendi, & iudicium eccleſiæ ſubeundi, ſi facultas affuerit: quia aliter actus illæ non eſſet ſufficiens, nec eſſet contritio, quia contritio eſt actus pœnitendi formatus gratia.

D

Per pœnitentiam virtutes perditæ reſtituuntur, & opera mortificata viuificantur non autem mortua.

De effectu vero pœnitentiæ quantum ad collationem boni ſciendum, quod & omnes virtutes per peccatum perditæ reparantur ſeu reſtituuntur, & opera mortificata viuificantur. *Primum* ſic declarari poteſt, per pœnitentiam remittuntur omnia peccata, vt dictum eſt; quæ remiſſio eſſe non poteſt ſine charitate, ergo per pœnitentiam reſtituitur charitas. Charitas autem non poteſt eſſe in anima cum carentia alicuius virtutis neceſſariæ ad rectitudinem vitæ ſpiritualis; ex quo ſequitur, quod per pœnitentiam reſtituuntur omnes virtutes neceſſariæ ad rectitudinem vitæ ſpiritualis. Vnde ſuper illud Iſa. 52. *Solue vincla colli tui captiua filia Syon*: Gloſſ. *vt graui onere liberata, & recipiens ornamenta priſtina, ceſſes eſſe captiua.* Ornamenta autem priſtina ſunt virtutes, quę per peccatum amiſſæ erant. Item ſuper illud Iſa. 52. *Non adijciet vltra*, &c. dicit glo. *Anima ſi per pœnitentiam priſtinam robur receperit, vocabitur habitaculum ſpiritusſancti, & fiet templum Dei.* Sed priſtinum robur non reciperet anima, niſi per pœnitentiam omnes virtutes amiſſæ reſtituerentur; quia robur animæ in virtute conſiſtit. *Item* per pœnitentiam iuſtificatur homo pœnitens, ſed generalis iuſtitia per quam dicitur aliquis iuſtus in conſpectu Dei, comprehendit omnem virtutem. Et ſic declaratum eſt primum, ſcilicet quod per pœnitentiam omnes virtutes prius perditæ reparantur.

E

Quæ opera viua, quæ mortua, quæ mortificata

Secvndvm autem, quod ſcilicet per pœnitentiam opera prius per peccatum mortificata reuiuiſcunt, declaratur ſic. Opera viua dicuntur quæ fiunt ex radice ſpiritualis vitæ, quæ eſt charitas, propter quæ operans remunerandus eſt in vita æterna. Hæc tamen per ſequens mortale peccatum mortificantur, non per ſe, nec abſolutè, ſed per accidens, & in relatione ad peccatorem; quia durante peccati mortalis obſtaculo, homo pertingere non poteſt ad efficaciam illorum operum: quia cum peccato mortali remunerari non poſſunt vita æterna. Bona opera dicuntur mortua, quæ non fiunt ex radice ſpiritualis vitæ, quæ eſt charitas; & talia ſunt bona opera in mortali peccato facta. Dico ergo, quod bona opera mortificata, per ſequentem pœnitentiam viuificantur, inquantum per eam tollitur peccati obſtaculum, quo erat homo indignus conſequi efficaciam illorum operum in vita æterna. Sed opera mortua nunquam viuificantur; quia per ſe & abſolute mortua ſunt, quia non proceſſerunt ex radice ſpiritualis vitæ.

Pœnitentia ſolemnis differt à publica quia non iteratur, nec clericis permittitur, aut perſonis inſignibus vel religioſis.

Circa ſeptimum, ſcilicet *de pœnitentia ſolemni* conſideranda ſunt duo. Primo, vtrum pœnitentia ſolemnis ſit iterabilis, & quibus perſonis debeat imponi. Secundo, quæ ſunt illa, quæ ad ritum illius pœnitentiæ requiruntur. *Ad* primum dicendum, quòd eſt pœnitentia ſecreta, publica, & ſolemnis; & eſt omnis ſolemnis publica, ſed non conuertitur. Solemnis autem non iteratur, ne ex ſui iteratione vileſcat, & quia rememoratio eſt expulſionis primorum parentum de Paradiſo terreſtri, quæ ſemel tantum facta eſt; ſicut dicit magiſter in ſententijs lib. 4. diſt. 14. vltra medium. Hęc pro grauioribus horrendiſque ac manifeſtis delictis tantum imponitur. De hac dicitur decretorum diſt. 50. *Si quis poſt remiſsionem*, cap. *Poteſt. Eſt quædam pœnitentia quæ ſolemnis appellatur, quæ ſemel tantum in eccleſia conceditur, hæc clericis imponenda non eſt.* Vnde eadem diſtinct. in capit. *Hanc autem*, dicitur, quod *hanc pœnitentiam nulli vnquam clericorum agere conceditur, atque ideo huiuſcemodi pœnitentes ad clerum admitti prohibentur.* Quod etiam probatur per illud quod habetur eadem diſt. *Confirmatum*: & duobus capitulis ſequentibus. Niſi ſint clerici depoſiti, tunc enim eis poteſt ſolemnis pœnitentia imponi. Et quia hoc ſtatutum eſt propter clericatus dignitatem, videtur poſſe concludi, quod nec laicis perſonis inſignibus, nec religioſis debeat imponi, propter dignitatem ſtatuum. Iuuenibus etiam non eſt faciliter imponenda propter ætatis fragilitatem, vt habetur eadem diſt. *Pœnitentes*. Perſonis autem alijs à prædictis, tam viris, quam mulieribus, poteſt imponi.

Qui ritus obſeruandi in pœnitẽtia ſolemni.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut habetur in ſententijs diſt. 14. In capite quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, vel ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores eccleſiæ ſe repreſentent epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terra demiſſis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proteſtantes. Ibi adeſſe debent Decani, ideſt Archidyaconi, & Archipresbyteri parrochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent. Poſt hoc eos in eccleſiam introducant, & cum omni clero ſeptem pœnitentiæ Pſalmos, in terra Pontifex proſtratus cum lachrymis, pro eorum abſolutione decantet. Tunc ſurgens ab oratione, ſecundum quod canones iubent manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cine-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpirijs denunciet eis, quod ſicut Adam proiectus eſt de Paradiſo, ita etiam ipſi pro peccatis ab eccleſia abijciuntur. poſtea iubeat miniſtris, vt eos extra ianuam eccleſiæ expellant, clerici vero proſequantur eos cum reſponſorio: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, &c. vt videntes ſanctam eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In ſacra autem domini cæna, rurſus ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris, eccleſiæ liminibus repreſententur. Et ſicut dicit glo. ibidem, *ita fit quolibet anno vt tali modo mittantur in eccleſiam.* Et licet ſtent in eccleſia, non tamen communicabunt cum aliis in Euchariſtia, vel in oſculo; & ſic erunt vſque ad octauam paſchæ, & tunc iterum exibunt de eccleſia, & erunt extra eccleſiam vſque ad talem diem ſequentis anni. & hoc fiet vſque ad finem pœnitentiæ, & ſi bene pœnitent, ſecundo anno vel tertio poteſt eis reddi ingreſſus eccleſiæ.

De motiuis ad pœnitentiam.

DISTINCTIO IIII.

Multa mouent ad pœnitentiam.

CIRCA octauum, ſcilicet de his, quæ mouere debent ad pœnitentiam faciendam, ſciendum, quod ad hoc prouocare nos debent auctoritas imperantis. Hoc enim Deus diſtrictè præcipit per Prophetas ſuos in locis innumeris, ſpecialiter Ezech. 18. præmiſſis multis perſuaſionibus ſic infert. *Conuertimini & agite pœnitentiam*, Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, &c. Apoc. 2. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam*, &c. Et infrà *Pœnitentiam age, ſi quo minus veniam tibi*, &c.

1. *Dei præcepti.*

2. *Benignitas Dei inuitantis.*

SECVNDO mouere debet benignitas inuitantis; quantum enim pœnitentiam noſtram deſideret, & quam dulciter & efficaciter nos inuitet, apparet ex hoc, quod æternus & ſummus, venit ad noſtras miſerias, de diuitijs ad penurias, de ſummis honoribus ad contumelias, vt homo factus ſimilis nobis, homines magis attraheret, & non per nuncios ſuos quoſcumque, ſed per ſeipſum perſonaliter: nec per litteras & ſcripturas, ſed viua voce; nec tam verbis, quam exemplis, rationibus, parabolis, & miraculis ad pœnitentiam prouocaret. Vnde Luc. 15. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Propter quod duritiam Iudæorum, qui perſonam eius, & opera miraculoſa viderant, prædicationes audierant, nec tamen conuerti volebant, increpat Matth. 11. dicens. *Væ tibi Corozaym, væ tibi Bethſayda; quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*, & Matth. 12. *Viri Niniuitæ, ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ; & ecce pluſquam Ionas hic.* Per hoc ſeipſum deſignans. Sicut autem tunc conquerebatur de perfidia Iudæorum, ita nunc conqueri poteſt de duritia Chriſtianorum, qui ſunt ſolo nomine Chriſtiani. Ait enim Greg. 1. parte Euangelicarum Homel. 13. *Quanta nos eius miracula vidimus, quot flagellis atterimur, quantis aſperitatibus deterremur, & eũ ſequi vocantẽ contẽnimus; in cœlo iã ſedet, de conuerſione nos admonet.* Ro. 2. *An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die reuelationis iuſti iudicij Dei.* Item Hier. 8. *Non eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci.*

3. *Longanimitas Dei expectantis.*

TERTIO mouere debet longanimitas expectantis; magna Dei miſericordia, quoniam non ſtatim ſe vindicat, non continuo contra peccatores fulminat, nec præcipitat in gehennam, ſed ex mira bonitate expectet, quod ad pœnitentiam conuertamur. Sic dicit Iſa. 30. *Propterea expectat Deus vt miſereatur veſtri.* Sap. 11. *Nihil odiſti eorum quę feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* & 2. Pet. 3. *Non tardat Deus promiſſis ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire. ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Greg. 2. parte Euang. Homel. 14. *Penſemus ſuper nos diuitias conditoris noſtri, peccare nos videt, & pertulit, qui nes ante culpas peccare prohibuit; & iam poſt culpam expectare ad veniam non deſiſtit; ecce ipſe quem deſpeximus vocat. Auerſi ab illo ſumus, & tamen non auertitur.* Vnde benè per Iſa. dicitur. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis. Quaſi in faciem eſt homo monitus, quando ad iuſtitiam conditus præcepta rectitudinis accepit, ſed cum hic eadem præcepta contempſit, quaſi conditori ſuo tergum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc poſt tergum ſequitur & monet, quia eſt iam à nobis contemptus, & tamen nos adhuc vocare non ceſſat. quaſi dorſum ei in faciem dedimus, cuius verba deſpicimus, præcepta calcamus, ſed ſtans poſt tergum nos auerſos reuocat, qui & videt quod deſpicitur, & tamen per patientiam expectat. Penſate ergo fratres cariſsimi, ſi cuilibet veſtrum loquenti famulus ſuus ſuperbiret, ſubito terga in faciem mitteret, nunquid contemptus dominus, eius ſuperbiam non feriret? vulnera diſtrictæ animauerſionis infligeret? ecce nos peccando auctori noſtro terga in faciem dedimus, & tamen ſuſtinemur, ſuperbè aueſſos reuocat, & qui ferire nos auerſos potuit, vt reuertamur munera promittit. Tanta gratia conditoris noſtri, duritiam noſtri reatus emolliat, & homo qui malum quod fecit experiri percuſſus poterat ſaltem expectatus eruboſcat.*

4. *Fidelitas Dei adiuuantis.*

QVARTO mouere debet fidelitas adiuuantis, quia non ſolum dulciter vocat, admonet, & inuitat, verumetiam efficaciter adiuuat pœnitere volentes; ſicut dicitur Eccleſiaſtici. 17. *Pœnitentibus dedit viam iuſtitiæ*; ideſt iuſtæ & condignæ pœnitentiæ faciendæ, *& confirmauit deficientes ſuſtinere*: quia ſecundum Auguſt. *hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adiuuat claudicantes, neminem deſinit laborantem exclamantem ad ſe, donat vnde ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit vnde placetur.*

5. *Liberalitas Dei promittentis.*

QVINTO mouere nos debet liberalitas promittentis. Saluator noſter non ſolum nos auerſos reuocat, & ad pœnitentiam nos expectat; verumetiam veniam, miſericordiam, ſed quod incomparabiliter maius eſt, regnum cœlorum promittit, dicens Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Quis ad tantæ promiſſionis auditum non feſtinet ſurgere, quis tam in ſceleribus obduratus, quis tam in criminibus irretitus, qui iniquitatis vincula & prauæ conſuetudinis catenas, etiam ferreas, non corrumpat. Ecce pro re minima, ad quam etiam ex debito iuris naturalis aſtringimur, remunerationem immenſam, & prorſus inæſtimabilem pollicetur.

6. *Seueritas Dei comminãtis.*

SEXTO mouere nos debet ſeueritas comminantis. Poſt tantas ſuæ pietatis gratias nobis oblatas, & poſt tantæ remunerationis promiſſionem, videns ſe contemni, non immerito comminatur pœnas damnationis æternæ. Pſalmus. 7. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit*, &c. Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Eccleſiaſtici 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* In manus inquam Dei vindicantis, & ineffabiliter punientis Hebræ. 19. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

7. *Vtilitas pœnitentiæ, quæ eſt multiplex*

SEPTIMO mouere debet ad pœnitentiam faciendam vtilitas pœnitentis, ideſt multiplex vtilitas proueniens ex pœnitentia; quia multiplex eſt effectus pœnitentiæ. Quos ſi diligenter conſideraret homo, multum moueri deberet ad pœnitentiam faciendam. *Primo* quidem pœnitentia peccatorum viuificat. Sicut enim peccatũ mortificat animã, Ezec. 18. *Anima quæ peccauerit morietur*; ita pœnitentia mortuum

1. *Viuificat.*

viui-

viuificat. Vnde Act. 23. *Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam:* ideſt Deus ex miſericordia ſua, dedit hominibus prius gentiliter viuentibus in peccato, gratiam pœnitendi, per quam ſpiritualiter viuant; per quam etiam vitam præteritam corrigant, & vitam conſequantur æternam, Ezech. 18. *Si egerit impius pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet;* ſcilicet gratiæ, & gloriæ. Oſeæ 6. *viuificabit nos poſt duos dies, & tertia die ſuſcitabit nos.*

Exemplum. CVM quidam magnus homo in peccatum mortale & graue lapſus fuiſſet, attendens mortem animæ ſuæ, Romam iuit, vt ſummo Pontifici illud confiteretur. Cum autem non poſſet Papæ liberè loqui, clamauit coram omnibus dicens; Pater miſerere mei. Cum autem quæreret Papa quid haberet, & cur ita fleret; dicebat ſe eſſe mortuum: cui Papa per ſurreptionem reſpondit. Si tu es mortuus, vade cum mortuis. Tunc ille hoc pro pœnitentia accipiens, intrauit hortum Romæ, in cuius parte erat cripta ſubterranea, in qua poſiti erant mortui conditi aromatibus, cum quibus de die habitabat, & orationi & fletui vacabat, & de nocte exibat, & ad modum beſtiæ de collectis oleribus ſe reficiebat. Cùm autem dominus horti olera collecta inueniſſet; inuigilans vt furem deprehenderet, vidit dictum hominem de dicta cripta egredientem, & olera colligentem. Quem cum cepiſſet, & veritatem fateri compulſus eſſet, iudicauit eum Papa inter viuos potius deputandum. Pœnitentia enim eſt fons vitæ, in quo peccatrix anima renouatur vt Aquila. Vnde pœnitens debet accipere nouam vitam, ſicut docet Apoſtolus *Sicut Chriſtus reſurrexit à mortuis, ita & nos,* per pœnitentiam reſurgentes à morte culpæ, in nouitate vitæ ambulemus, vt iam non ſit pœnitens ille qui fuit, ſicut dicit Apoſtolus de ſeipſo, Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego.*

Exemplum. VNDE cum quidam clericus amore turpi amaret quandam, ad ſcholas iuit, vbi aſſumpta pœnitentia, cum rediſſet, dicta meretrix ſolicitabat eum dicens. Ego ſum illa amaſia tua. Et ille reſpondit: Et ſi tu es illa, ego iam non ſum ille, & ſic eam repellebat. Per hanc Saul ad vocem Pſalterij & Prophetarum mutatus eſt in virum alterum 1. Reg. 10. Nota ſi eſſet aliquis fons materialis in quo poſſent homines corporaliter renouari à multis & à remotis partibus cum multis laboribus & expenſis requireretur, & viſitaretur: quanto magis requirendus eſt fons in quo poſſunt animæ renouari ad vitam gratiæ. ideo, Pſalm. 41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Dicit ibi glo.* Ceruus quando vult renouari, & cornua ſua ponderoſa deponere, quærit in nido formicarum ſerpentem, quem deglutiens, & veneno æſtuans, currit ad fontem, de quo poſtquam multum biberit, venenum expellitur, cornua deponuntur: ſic peccator pondere peccati preſſus, & veneno plenus, feſtinare debet ad fontem, vbi ab omni veneno peccati penitus expurgetur, & depoſitis cornibus ſuperbiæ, ceruicoſitatis & inobedientiæ, renouetur.

2. Deo pacificat. SECVNDO pœnitentia peccatorum Deo pacificat; quia quantumcumque Deus fuerit propter peccatum offenſus, & odiat peccatorem, ſecundum illud Pſalmi 118. *Iniquos odio habui;* per pœnitentiam tamen omnis offenſa remittitur, & pœnitens recipitur in gratiã & amorem; ſicut expreſſe dicitur Eccleſiaſtici 12. *Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus.* Exemplum ponitur Hieræ. 3. *Si dimiſerit homo vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa: tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me dicit dominus.* Hac de cauſa Chriſtus requirebat peccatores, manducabat & bibebat cum illis; vocabat, attrahebat, venientes ad ſe recipiebat, ſicut dicitur Luc. 15. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Prædicationem ſuã à pœnitentia legitur inchoaſe, Matth. 4. Ad hoc aſſerit ſe veniſſe, Luc. 5. Hoc ipſum per exempla monſtrabat. Exemplum de Magdalena Luc. 7. de Matt. eiuſdem 9. de Zacheo Luc. 19 de Petro Luc. 22. *Item* hoc idem oſtendebat per ſimilitudines quas ponebat de oue, quæ perijt in deſerto; de dragma, quam mulier perdidit in domo; de filio prodigo, quem pater reputabat mortuum, & poſtea ſuſcitatum, Luc. 15. In ſignum reconciliationis & pacis, pater filium recepit ad oſculum, ſicut dicitur ibidem. Item in ſignum pacis pater reſtituit ei omnia; etiam annulum poſuit in manu eius, quia pœnitentia recuperat deperdita per peccatum: nam opera bona facta in charitate, & per peccatum ſequẽs mortificata, per pœnitentiam reuiuiſcunt, recuperantur, & repaçantur. Vnde Eccleſiaſtici 20. *Eſt qui multa redimat modico pretio.*

Per pœnitentiam recuperantur amiſſa. PER pœnitentiam recuperantur amiſſa: habemus exemplum de Manaſſe, qui poſt multa flagitia quæ commiſſerat, ductus fuit in Babylonem vinctus catenis, ſicut dicitur 2. Paral. 33. Qui poſtquam coangustatus eſt, orauit dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam coram Deo. Sequitur. *Exaudiuit orationem eius, & reduxit in Hieruſalem in regnum ſuum.* Item *Exempla.* exemplum elegans Dan. 4. *In regno meo reſtitutus ſum,* dicit Nabuch. *& magnificentia amplior reddita eſt mihi.* De cuius immutatione legitur in ſcholaſtica hiſtoria in tertia viſione Danielis, & dicit magiſter ſecundum Epiphanium, quod illa mutatio non fuit corporalis, qua dicitur quod propter peccatum ſuum ſubito mutatus eſt in beſtiam, ſed fuit mentis alienatio talis, vt ſibi videretur quod eſſet bos in anteriori parte & leo in poſteriori parte, & viueret ad modum beſtiæ, ſed dicitur quod precibus Danielis ſeptem anni mutati ſunt ſibi in ſeptem menſes, in quibus quadraginta dies patiebatur mentis inſaniam, & per alios, 40. ſenſu ſibi reddito, flebat peccata ſua, pœnitentiam agens ſecundum conſilium Danielis non comedens carnes, nec bibens vinum; ſed legumina & herbas: & peracta pœnitentia, plenè eſt ſuo ſenſui & regno & dignitati amiſſę reſtitutus. Sic peccator per peccatum mutatur, dum ad modum tauri fit cornutus & ceruicoſus contra Deum per ſuperbiam & inobedientiam, & laborioſus ad peccatum conſummandum, & fortis & firmus ad peccatum tolerandum, & indomabilis ad conuertendum: donec Deus reddat ſibi ſenſum & cognitionem ſui ſtatus, per quod pœniteat, & amiſſa per peccatum ſuum recuperet bona, & recipiat per operantem dilectionem, & meritum charitatis, maiorem gratiam quam prius habuerat.

Exempla. AD hoc etiam valet quod legitur in vita beati Iohannis Euangeliſtæ, de gemmis reparatis, ſicut dictum eſt ſupra lib. 2. de iudicio. Et dicitur in dicta vita, quod cum ad prædicationem beati Iohannis duo diuites fuiſſent conuerſi, venditis omnibus ſuis, & erogatis pro Deo pauperibus, Apoſtolum ſunt ſecuti. Cum autem poſtea viderent ſe pauperes, & ſeruos ſuos factos diuites & ornatos, pœnitebant de bono quod fecerant. Quod agnoſcens beatus Iohannes, virgas ab eis delatas precibus mutauit in aurum, & maris ſabulum in gemmas pretioſiſſimas, tradens eis, vt emerent ſibi prædia & alias dicens, quod ſe priuauerant Dei gratia & gloria, & alijs bonis ſpiritualibus, & poteſtate miracula faciendi quam habebant, & facti erant ſerui diaboli per pœnitentiam, qui prius erant ipſius domini. Cum autem ad inſtantiam multorum, iuuenem qui efferebatur mortuus, beatus Iohannes in eorum oculis ſuſcitaſſet, dictus iuuenis duriter eos arguit, oſtendens eis quanta gratia & gloria ſe priuauerant, & quomodo eorum ruina ſancti Angeli dolebant, vt viderat cum eſſet mortuus, & dæmones exultabant, quibus iniunxit vt per triginta dies orationem continuarent, & pœnitentiam facerent, vſquequo horum & gemmæ in priorem ſpeciem mutarentur. Quod & fecerunt: & iuſſu Apoſtoli, eis in priorem ſpeciem mutatis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& deportatis ad locum vbi eas acceperant, omnem gratiam quam prius amiserant recuperauerunt.

ITEM reconciliati Deo per pœnitentiam, restituuntur ad ecclesiæ sacramenta, & vniuersa suffragia, & fiunt participes omnium bonorum quæ fiunt in ecclesia.

ITEM scribuntur in libro vitæ, in numero electorũ. Matth. 5. *Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Isa. 4. *Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem, si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Per hanc alieni à Deo fiunt de confraternia Domini; Et per solutionem istorum trium denariorum, contritionis, confessionis, & satisfactionis: quos qui non proponit soluere, ad confraternitatem Domini non recipitur, quæ facit bona communia.

ITEM in vitis Patrum legitur quod cum sanctus Piamon celebraret, vidit Angelum Domini aliquos in libro suo scribentem, aliquos non. Vocans autem inscriptos, inuenit eos assumpsisse pœnitentiam, alios non, sed esse in peccato mortali. Cum autem pœnitentiam suscepissent, dum offerret vidit eos ab eodem scribi.

3. Latificat. TERTIO pœnitentia lætificat. Magnum est gaudiũ homicidæ, vel furi, vel reo læsæ maiestatis, quando potest eius reconciliatio procurari, & omnia damna & amissa restituì; quantum ergo debet esse gaudium pœnitenti, ex quo per pœnitentiam bona prædicta prouenitunt. Gaudet æger de sua sanatione, captiuus de sua liberatione, obligatus debitis de sua acquietatione, famelicus de sua refectione, exul de sua reuocatione, exhæredatus de sua hæreditatis recuperatione, & sic de aliis: De pœnitentia nostra gaudet Deus, quia ipsa est sacrificium Deo gratum. Psalm. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Item. *Acceptabis sacrificium iustitiæ.* Ideo dicit ibidem. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, &c.*

ITEM ipsa est sibi grata refectio. Apoc. 3. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum, cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Istud gaudium ipse communicat, volens quod tota militans ecclesia eo fruatur Luc. 15. *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, &c.*

VULT etiam quod tota triumphans ecclesia gaudeat. Ibidem. *Congratulamini mihi, quia inueni,* &c. Ibidem. *Gaudium est in cœlo,* id est in tota cœlesti curia *super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quod etiam Angeli gaudeant dicitur ibidem. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Sicut militibus est gaudium quando recuperant castrum quod amiserant, quod hostes eorum sibi fraudulenter subripuerant, quod sub eorum custodia dominus suus rex commiserat. Quod probat Dominus Luc. 15. Triplici exemplo. Exemplo ouis, & dragmæ perditæ & inuentæ, & filij perditi redeuntis. Vnde subiungit. *Oportet te gaudere fili, quia frater tuus perierat & inuentus est.* Vel gaudent commensales Dei de xenio sibi facto vini miræ suauitatis & fragrantiæ, quo potantur. Hoc vinum sunt lachrymæ peccatorum pœnitentium, quo Deus inebriatur. Isa. 16. *Inebriabo te lachryma mea.* Vnde Bernard. super cant. sermone 30. dicit. *Gaudent Angeli de conuersione peccatorum, salutem hominum sitientes, lachrymæ enim pœnitentium vinum est eorum, eo quod in illis sit odor vitæ, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas, sanitas innocentiæ redeuntis, & serenatæ suauitas conscientiæ.* Ad hoc quod Angeli gaudent de conuersione peccatoris, facit exemplum quod habetur supra *de effectibus peccati, de nebulone conuerso*, cui congaudebant Angeli; quod vidit & dixit Paulus simplex.

4. Pœnitentia animã pulchrã reddit. QUARTO pœnitentia animam pulchrificat & reformat, quæ per peccatum fuerat maculata. Vnde Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Pœnitentia enim est baptismus quidam, vel lotorium, in quo omnes sordes animæ diluuntur, & peccatorum maculæ delentur, vnde sequitur, *vt deleantur vestra peccata.* Psalmus 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, &c.*

IN vitis patrum legitur, quod quidam sanctus videbat super baptizatos virtutem Dei descendere, supra omne lumen ornantem eos; tandem gratiam videbat descendere super illos, qui habitum pœnitentiæ suscipiebant in religionis ingressu.

5. A malo liberat. QVINTO pœnitentia à malo liberat, videlicet à reatu, id est pœna debita pro peccato. Quando enim diuina offensa remittitur, & macula culpæ deletur, pœnitentia æterna commutatur in temporalem soluendam in purgatorio. Postmodum à virtute confessionis, & absolutionis sacerdotalis, soluitur vel in toto vel inparte, ergo pœnitentia liberat à debito.

ITEM liberat ab inferni supplicio, & à pœna debita in purgatorio vel in toto vel in parte.

LIBERAT etiam ab horrore diuini iudicij. Vnde beatus Ioannes Baptista dicebat Iudæis. *Genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira?* Gregor. *Ventura ira est animaduersio vltionis extremæ; quoniam peccator fugere tunc non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.* Sequitur. *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Gregor. *Aliud est fructus pœnitentiæ facere, aliud dignos pœnitentiæ fructus facere: neque enim par fructus boni operis esse debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit. Per hoc quod dicitur: Facite dignos fructus pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientiæ conuenitur, vt tanto maiora bonorũ operum quærat lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam.*

LIBERAT etiam pœnitentia à temporali morte, vel flagello, sicut patet de Manasse 2. Paral. 33. Qui pœnitentiam agens, de sceleribus innumeris, liberatus est de carcere regis Babylonis. Et de Ezechia, qui flendo & orando auertit debellationem ciuitatis & populi 4. Reg. 20. Et 2. Paralip. 29. & Isa. 37. Etiam sententiam Dei reuocat, sicut patet de Niniuitis, Ion. 3. Ionas enim sententiam Dei protulerat, & publice promulgauerat dicens; *adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur;* & cum pœnitentiam egerunt, Deus suam sententiam reuocauit Ambro. *Nouit Deus mutare sententiam, si tu nolueris emendare delictum.* Hiere. 17. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.* Et Ezec. 33. *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam de peccato suo &c. vita viuet & non morietur.*

6. Magnũ fructum generat, sc. misericordia, gratia, & gloria. SEXTO pœnitentia fructus exuberat & magnum thesaurum generat. Propter quod pluraliter dicitur Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Hi sunt digni fructus pœnitentiæ, sc. misericordia in releuationem miseriæ, inferni, iudicij, purgatorij, peccati, & seruitutis diaboli &c. de qua Iac. 3. *Sapientia primum quidem pudica,* &c. & post. *plena misericordia & fructibus bonis.* Hi fructus sunt digni peccatorum venia & reconciliatione diuina. Hiere. 11. *Oliuam vberem & fructiferam,* &c. *Fructificat* etiam pœnitentia in homine fructus meliores & digniores, sc. gratiæ, de quibus Prouerb. 8. *Melior est fructus meus auro & omni lapide pretioso.* Rom. 6. *Habetis fructum in sanctificationem,* &c. Eph. 5. *Fructus lucis est in omni bonitate.* Gal. 5. de duodecim fructibus gratiæ, vbi dicitur. *Fructus autem spiritus sunt gaudium, charitas, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Vel duodecim fructus sunt duodecim pœnitentiæ effectus per gratiam. De quibus Chriso. in originali super illud Matth. 3. POENITENTIAM AGITE; ait. *Pœnitentia cor mundat, sensus illuminat, animã sanctificat, ad susceptionem Christi humana præcordia præparat.* Et quidam addit, *Naturalia reparat, gratuita recuperat, Deo reconciliat, Angelos lætificat, merita amplificat, dæmonem fugat, carnem domat, spiritum roborat, bona spiritualia seruat, regnum cœlorum impetrat.*

ITEM fert fructus optimos gloriæ. Sapient. 6. *Bonorum*

rum laborum glorioſus eſt fructus. Prouerb. 3. *Primi & puriſſimi fructus eius.* Hebr. 12. *Omnis diſciplina, &c.* Hæc eſt arbor vitæ ferens duodecim fructus Apoc. 22. ſcilicet gloriæ, qui poſſunt elici ex verbis Iob 22. *Acquieſce Deo, & habeto pacem cum eo, & per hoc habebis fructus optimos.* Et poſt. *Si conuerſus fueris ad omnipotentem,* ædificaberis in cœli ſuſceptione, & Dei perpetua vitæ manſione; *longe facies*, inquit, *iniquitatem à tabernaculo tuo*, in plena peccati & tentationis liberatione, *dabit tibi pro terra ſilicem* in fragilitatis tuæ conſolidatione; *& pro ſilice torrentes aurcos* in corporis & animæ illuminatione & glorificatione, &c.

ITEM nota quod pœnitentia eſt vitis fructifera quã vidit pincerna Pharaonis. Gen. 40. *Videbam coram me vitem,* cuius tres propagines ſunt tres pœnitentiæ partes, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio, quæ ferunt dictum fructum, ſcilicet miſericordiæ bonum & dignum, gratiæ melius & dignius, gloriæ digniſſimum & optimum, quod & nobis Deus concedat.

7. *Virtutes alias conſeruat.*

SEPTIMO per pœnitentiam virtutes aliæ conſeruantur, quas oportet cuſtodiri cum armis. Pœnitentia eſt armatura Dei; ideo cinis & cilicium arma ſunt pœnitentium. Ephe. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.* Rom. 13. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* 2. Corinth. 6. *Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*; vt non deponamus arma, ne ſimus inermes à dextris proſperitatis, vel à ſiniſtris aduerſitatis. Et nota quod diabolus multum timet arripere, maximè in morte, quos inuenit inuolutos aſperitate pœnitentiæ: ſicut lupi timent canes, qui habent collaria circa colla, vbi ſunt ferramenta vel claui acuti.

Simile. ITEM Lucius piſces dictos Perſicas timet mordere aut arripere, propter aſperitatem ſquamarum, & aculeos pennularum. *Similiter* canes ericios, propter aculeos quibus circumuoluuntur. *Similiter* corui, oſtreas marinas, quando eas inueniunt extra teſtam duram, rapiunt & deuorant, quando autem eas inueniunt intra concham, vel teſtam duram, tangere non audent. *Similiter* caſtaneam, quam inueniunt inuolutam in pelle pungenti aculeata & hyrſuta. Similiter dæmones in morte, animas quas ſine aſperitate pœnitentiæ inueniunt, rapiunt & deuorant, quas inueniunt aſperitate pœnitentiæ inuolutas, glutire aut mordere non audent.

Exempla. IDEO beatus Martinus cum deberet egredi à carne, quaſi contra diabolum pugnaturus, & rogarent eum diſcipuli quod ſaltem in tanta infirmitate corporis ſui, cilicium & cinerem in quibus iacebat deponeret: dicebat *non decet filij Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori*: qui quia cum his armis mortuus fuit, diabolus in exitu ſuo eum detinere vel impedire non potuit, licet hoc multum vellet, vt reuelatum fuit B. Seuerino Colon. Archiepiſcopo. Sepes ſpinoſa cuſtodit agrum vel vineam ne ſubintrent beſtiæ. Eccleſiaſt. 36. *Vbi non eſt ſepes diripietur poſſeſſio.* Propter hoc Iudith ad cuſtodiam caſtitatis, in ſuperioribus domus ſuæ cubiculum ſecretum ſibi fecerat, in quo cum puellis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus, &c. Iudith. 8. Similiter Anna Prophetiſſa filia Phanuel. Luc. 2. B. Ioan. Baptiſta ſanctificatus ex vtero, indutus erat pilis Camelorum. Eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre; vinum & ſiceram nõ bibit, &c. & hæc omnia pro ſua ſanctitate ſeruanda. Beatus autem Franciſcus cui reuelata fuerat ſuorum remiſſio peccatoruu, auſteritatem nimiam ſeruabat in cibo, potu, veſtitu, & lecto, corpuſque ſuum duriſſimè macerabat: dicebat enim malignos ſpiritus, duris & aſperis in fugam conuerti, delicatis vero mollibus ad tentandum fortius animari.

8. *Proximos ad pœnitentiam prouocat.* OCTAVO per pœnitentiam proximi prouocantur, ſicut patet Ionæ 3. de Rege Niniue, ad cuius pœnitentiam alij ſunt ad ſimile prouocati. De beato Franciſco dicitur, quod corpori ſuo pœnas renouabat & onera, licet iam plene mortificatum eſſet per pœnitentias: ſed quia ſciebat ſe datum alijs in exemplum, cuſtodiebat propter alios vias duras: miſſus enim erat ad pœnitentiam prædicandam, vt pœnitentiam prædicando, non tam verbo quã exemplo Chriſto lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ad idem officium miſſus fuit Ioan. Bapt. Vnde Luc. 3. *Venit Ioannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Vnde ſuper illud Matth. 3. *Ioan. indutus erat pilis Camelorum*, dicit Glo. *Qui pœnitentiam prædicat, neceſſe eſt vt pœnitentiæ habitum prætendat.* Ad idem officium Chriſtus aſſerit ſe veniſſe. Ad hoc idem miſit Apoſtolos ſuos & diſcipulos. Vnde Marc. 6. *Prædicabant vt pœnitentiam agerent.* & Luc. 24. *Oportebat Chriſtum pati*, &c. *& prædicari in nomine eius pœnitentiam.* Sed antequam eos ad prædicandum mitteret, ſcripſit formam viuendi, & poteſtatem dedit eis miracula faciendi.

9. *Corpus Deo ſacrificat & animam.* NONO pœnitens ſemetipſum Deo ſacrificat; animam quidem per incendium dilectionis, cum amaritudine cordis, & triſtitia per peccatis; ſicut ait Apoſtolus, de quibuſdam 2. Cor. 7. *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* corpus vero per afflictionem mortificationis: ſecundum illud Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Iob 42. *Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* quod nihil aliud eſt quam fauillam & cinerem ſe eſſe cognoſcere. In fauilla fragilitas deſignatur, & dicitur à fos, quod eſt ignis, quia ex igne naſcitur, & ignem fouet. Vnde fauilla à foueo, quia ſcilicet fouet ignem; ſic conſideratio noſtræ fragilitatis, fouet in nobis ignem charitatis, quam fouet humilitas. In cinere vero conſideratio mortis & reſolutionis extremæ, & amaritudo pœnitentiæ & mortis. Pſalm. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Exemplum de pœnitentia B. Martini & B. Germani.

10. *Pœnitentia glorificat.* DECIMO pœnitentia glorificat. Hæc eſt arcta via & anguſta porta quæ ducit ad vitam. Matth. 7. *Intrate per anguſtam portam: quia lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Hæc eſt ſcala quã vidit Iacob. Gen. 24. *Quæſtabat in terra & ſummitas eius tangens cælum, & vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* In terra quidem ſtabat ſcala, quia pœnitens ſtat in terra corporaliter, ſed ſummitas eius cœlos tangit, quia in cœlum aſcendit mentaliter, & quia ipſa ſcala introducit in cœlum finaliter: per hanc Angeli aſcendunt offerentes Deo, & preces, & vota pœnitentium: deſcendunt vero ad conſolandum, animandum, dirigendum, tandem in morte ad deducendum in regnum. Bene ergo dicit Dominus Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.*

De qualitate pœnitentiæ.

DISTINCTIO V.

Pœnitentia debet eſſe fidelis id eſt in fide facta. CIRCA nonum, ſcilicet qualis debeat eſſe pœnitentia, ſciendum quod ad hoc quod ſit ſalutifera requiritur: *Primo* quod ſit fidelis, id eſt facta in fidei cognitione, vt non ſit pœnitentia perfidorum, ſcilicet hæreticorum, aut aliorum infidelium. quia ſicut ait Apoſtolus Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Matth. 1. *Pœnitemini & credite Euangelio.* & Act. 20. *Vos ſcitis quomodo nihil ſubtraxerim vobis vtilium, quo minus docerem vos, teſtificans Iudæis atque gentibus pœnitentiam & fidem.*

LEGITVR quod cum quidam hæretici in terra Obligenſium iactarent ſe coram ſuis credentibus de exteriori afflictione, affuit quidam ioculator, qui dixit quod probaret runcinum ſuum meliorem ipſis, quia ſi ipſi non comederent carnes, nec ipſe nec vinum bibere.

beret, nec etiam panem comederet; si male iacerent, & ipse peius. Sed hæc omnia plus deberent proficere equo, & omnia alia dura & aspera, quam eis; quia ipsi non credebant, sed fidei articulos discredebant. Cum autem sine fide nihil posset Deo placere, nihil quod ipsi facerent Deo placere poterat; sed facta runcini sui Deo plus placere poterant, quia etsi non credebat, tamen in nullo discredebat; & ita & in factis, & in fide, melioris conditionis erat eis.

ITEM in Diœc. Catalanen. versus montem Hismerum, fuit quædam vetula Alberea nomine, Manichea re; quæ propter errorem suum non comedebat carnes, non oua, non caseum, & à multis secundum sectæ suæ doctrinam abstinebat, non propter Deum. tamen tantæ famę erat, quod omnes incolæ ex hoc eam sanctissimam iudicabant: quæ etiam ad contegẽdum errorem suum, singulis diebus Dominicis communicabat, nec tamen in corpus Dominicum fidem aut deuotionem habebat.

Item debet esse fidelis sine fictione, & integra sine diminutione.

ITEM fidelis, id est fideliter facta sine fictione, vt non sit pœnitentia hypocritarum, qui exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. *Item* fidelis esse debet, id est integra sine diminutione, vt homo fideliter de omnibus pœniteat, contra illos qui non de omnibus, sed sic de vno pœnitent, quod in alijs perseuerant: sicut qui plures infirmitates habens in corpore, de vna quærit remedium, non de aliis. aut contra aliquem qui plures inimicitiæ causas habens, de vna vult reconciliari, non de omnibus. Sic qui de vno pœnitet non de omnibus, de vno vult reconciliari Deo, sed pro aliis remanet inimicus. Vnde Greg. prima parte euangelij, Homel. 20. *Qui sic alia peccata deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, adhuc tamen auaritiæ gestibus anhelet, &c.* Aliqui volunt esse sicut illa gens, quæ simul Dominum & idola colebat, 4. Reg. 17. *Samaritani cum Dominum colerent, nihilominus tamen Dijs immolabant.*

Exemplum.

ITEM in passione beati Sebastiani legitur, quod cum Romanus maximus & ditissimus ægrotaret grauissimè, promisit beato Sebastiano quod conuerteretur ad fidem, si doceret enim medicamentum quo curaretur. & ipse dixit, quod si confringeret omnia idola & baptizaretur, curaretur. quod cum ipse fecit, vno retento, sc. solis & lunæ & stellarum, quod erat aureum & speciosissimum, baptizatur & non curatur. Postquam autem pœnitens & confessus est, & destruxit simulachrum quod retinuerat, apparuit ei Angelus Domini perfecte curans eum. Similiter non curatur in anima pœnitens, nisi de omnibus peccatis pœniteat. Vnde dicitur Ezech. 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis iniquitas in ruinam.*

Pœnitentia debet esse intus in corde, & extra in opere.

ITEM debet esse integra, vt intus in corde pœniteat, & extra opera pœnitentiæ faciat. Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, &c.* ne sit vt histrio qui signa solum exterius representat.

Pœnitentia debet esse festina.

ITEM integra, vt ea quæ sibi iniunguntur integrè compleat, vel complementum in firmo proposito habeat. Ne sit vt maledicti Iudæi, qui legem Domini gratanter susceperunt, & cito de via quam promiserant recesserunt, vitulum aureum adorantes. Exod. 32.

ITEM 2. debet esse festina, ne sit pœnitentia pigrorũ, qui tantum procrastinant quod pœnitere non possunt; tum quia semper peccando, magis ac magis irretiuntur in criminibus, intantum quod consuetudinis catenam ferream non possunt irrumpere; tum etiam quia Deus iusto iudicio eis tempus nec gratiam pœnitendi concedit. Apoc. 2. *Pœnitentiam age, si quo minus veniam tibi cito, &c.* Qui sic differunt, tardè & inutiliter pœnitent in inferno. Sapien. 5. *Intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes,* &c.

Exemplum.

NOTA exemplum de Chrisaurio in vitis Patrum dicitur quod cum diceret cuidam sua cogitatio: Cras pœnite. Respondebat ei: Non cras, quia crastina dies non est nostra, sed hodierna præsens ad hoc nobis est data; cras Dei voluntas fiet. Prouerb. 26. *Dicit piger, leo est in via, &c.* Vult diabolus impedire & retardare hominem, sicut venator tigridem cum insequitur raptos catulos. habet enim specula, vt dicitur, quæ ante eam proijcit, in quibus cum videt similitudinem suam, retardatur per illa, credens illa esse fętus suos. Vno autem speculo fracto, videns se deceptam, currendo post venatorem, inuenit aliud speculum; & in eo similiter retardatur; & ita per diuersa specula successiuè inuenta sic impeditur, vt non possit consequi quod insequitur. Sic diabolus venator animarum, satagit impedire volentes per pœnitentiam amissa recuperare: obiicit enim tot & tam diuersa obstacula & impedimenta varia, quæ hominem impediunt, ne per pœnitentiam recuperet quod per peccatum amiserat. Ideo dicit Apostolus. 1. Corinth. 9. *Sic currite vt comprehendatis,* &c. Ideo contra pigros & desistentes dicitur Hierem. 46. *Quomodo vidi eos pauidos, terga vertentes*: quibus facit diabolus terriculam vt fit puero, vt retrocedant ad modum pueri. Cum cogitant quod intrabunt ordinem, opponit diabolus eis illius ordinis asperitatem vel difficultatem; cum cogitant transfretare, obijcit ei pericula viæ: cum cogitant aliam pœnitentiam facere, obijcit eis ea quæ sunt in eis difficilia, monendo vt ab ea retrocedant.

Exemplum.

IDEO fit eis sicut dictum fuit cuidam furi iudicato ad mortem, qui rogauit iudicem vt suspenderet eum in quercu quam præeligeret, & cum concessisset ei, ductus in siluam de omni quercu quæ ostendebatur ei dicebat, nec hanc eligio vt suspendat in ea. Ideo reductus ad iudicium iudicis, iudicatur quod puniretur omni genere tormentorum. Sic erit de homine qui in præsenti non vult facere aliquam pœnitentiam, in futuro omni genere tormentorum punietur. Ideo beatus Bernard. contra pigros dicit. *Debes properare ô peccator ad Angelorum societatem, debes suspirare ad amissam hæreditatem, debes aspirare ad promissam felicitatem, debes excutere remissam voluntatem, debes flere commissam iniquitatem.*

Pœnitentia debet esse humilis.

TERTIO debet esse humilis, quia debet se reputare maximum peccatorem; quia quanto coram Deo se plus humiliauerit, tanto maiorem apud Deum gratiam obtinebit. Exemplum Luc. 18. De Pharisæo qui se iustificabat, & de bonis operibus iactabat, dicens: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, ieiuno bis in sabbato,* &c.

Item spontanea esse debet.

QVARTO pœnitentia debet esse voluntaria & spontanea, non coacta vel inuita; vt est pœnitentia incarceratorum, vel violenter suspensorum 1. Pet. 2. *Nemo vestrum patiatur vt fur aut homicida,* vt patiebatur latro sinister. Luc. 24. Et Simon Cyrenæus, de quo ibidem habetur, qui non voluntariè sed coactus portauit crucem Domini. Econtra cant. 6. *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt mirrham primam.* Prima mirrha est quæ non egreditur per aliquam violentiam incisionis alicuius, vel per aliam vim; hæc est pœnitentia spontanea. Non est talis pœnitentia Pyratarum qui per violentiam & timorem tempestatis pœnitent & confitentur; sed serenitate reddita deteriores fiunt, quam ante. Talis fuit pœnitentia Antiochi. 2. Mach. 9. Vbi verba pœnitentiam videntur prætendere, sed in fine dicitur; *hic orabat sceleſtus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecutus.*

Rursum debet esse amara.

QVINTO pœnitentia debet esse amara in corde, & dura seu aspera in corpore. Amara quidem & gemens debet esse, vt doleat homo de peccato commisso, & de bono amisso, & Deo offenso. Isa. 59. *Rugiemus quasi vrsi, & quasi columbæ meditantes gememus.* Talis erat pœnitentia Ezec. regis, Isa. 34. *Retogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Dauid dicentis. *Laboraui in gemitu meo.* Psalm. 6. Ideo afflictus sum & humiliatus sum nimis rugiebam &c.

Psalm. 37. Non debet esse pœnitentia frænetici, qui ridet quando debet flere de vinculis & infirmitatibus suis. Eccleſiaſtic. 2. *Risum reputaui errorem*, &c. De exemplis huius amaritudinis nota infra *de contritione*. Dura vero & aspera debet esse corpori, licèt sit intus suauis menti amanti. Matth. 11. *Iugum meum suaue est*. quia vt ait Augustinus de verbis Domini. *Omnia sæua & immania, facilia & prope nulla facit amor.*

Simile. POENITENTIA est vt nidus auis, qui est hispidus & spinosus exterius in carnis pœnalitate; intra mollis & suauis in mentis suauitate. Econtra mali sunt albæ spinæ similes, quia habent extra carnis suauitatem & mundi florem, intra spinas conscientiæ remordentis. Baruch. 4. *Sunt albæ spinæ similes*, &c. Econtra anima sancta vt dicitur Cant. 2. *Est sicut lilium inter spinas*. His est contraria pœnitentia voluptuosorum. Sunt enim aliqui similes muri, qui eligit nidificare, vt dicitur, in lardo, sed scindentis cultellum, & dentes cattorum non euasit. Sic sunt aliqui, qui loca eligunt ad pœnitentiam agendum, vbi delicias non amittant, sed potius inueniant: sed isti non euadent gladium sententiæ diuinæ, nec dentes infernalium cattorum.

ITEM sunt similes morbo regio, qui vt dicit Hiero. sequitur cibos regios; qui autem sunt de genere Christi, vt Ioan. Bapt. assueti duris, & asperis, effugient vēturam iram. De his omnibus prædictis dicitur Iob 42. *Ipse me reprehendo*, ipse inquam non alius, ecce quod est voluntaria, *& ago pœnitentiam*, ecce quod est festina, quod significat ago quando est præsentis temporis, *in fauilla*, ecce quod est humilis, *& cinere*, ecce quod est amara cordi & dura corpori.

Pœnitentia debet esse propter Dei offensam, nō propter damnum nisi secundario. SEXTO debet fieri ratione diuinæ offensæ; non propter damnum temporale; sicut Esau qui propter amissionem iūris plangebat; de quo dicitur Heb. 12. *Esau propter vnam escam vendidit primogenita sua. Scitote enim quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est; non enim inuenit locum pœnitentiæ, quanquam cum lachrymis inquisisset eam*. non propter afflictionem vt Antiochus: non propter timorem gehennæ, vel propter timorem confusionis & ignominiæ, sicut latro, qui propter timorem suspendij vel deprehensionis dimittit furari: talis enim secundum veritatem est homicida vel fur, & damnabilis apud Deum. Eccleſiaſt. 5. *Superfurem est confusio, & pœnitentia*. Peccator enim principaliter pœnitere debet de hoc quod offendit Deum: Secundario dolere potest & debet, quod meruit inferni supplicium, & de omnibus dammis aliis quæ incurrit.

Item cum spe veniæ. SEPTIMO debet homo pœnitere in spe veniæ; vt non sit sicut pœnitentia Iudæ, de quo dicitur Matth. 26. *Videns Iudas quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, & abiens laqueo se suspendit.*

Item secreta de secretis peccatis manifesta de manifestis. OCTAVO pœnitentia debet esse de peccatis secretis secreta, ad occultandum; pro manifestis vero manifesta, ad scandalum vel infamiam extinguēdum. *Secreta* quidem, sicut fuit pœnitentia beatæ Cecilię, quæ sub vestibus aureis cilicium habebat. Vt beati Nicolai, qui dando aurum quærebat tenebras. vt B. Thomæ Cantuarien. qui sub prætiosis vestibus, ciliciatus totus erat, & qui in secreto conclaui pedes pauperum lauabat. Item vt Iudith 8. Quę inclusa in cubiculo secreto domus suæ, cilicium ad lumbos suos habebat, & ieiunabat, &c. Item Hester 15. Quæ sub colore roseo & habitu regio, celabat tristem animum, nimio timore & dolore contractum.

Exempla. DE hac pœnitentia in vitis patrum ponuntur duo exempla. *Primum* est, quia sancti patres inuenerunt in eremo mulierum post mortem eius, quæ in habitu viri & monachi arctissimam vitam & secretam longo tempore egerat. *Item* cum duo fratres rogarent Dominum in eremo, vt ostenderet eis ad quam mensuram peruenerant. Responsum est eis, quod nondum peruenerant ad mensuram Eucharij pastoris ouium, & vxoris eius. Require supra.

PRO manifestis autem & enormibus debet esse manifesta, ad scandalum vel infamiam extinguendum. Illi namque qui non erubuerunt, & vulnus incurrere, & alios exemplo suo scandalizare, non debent erubescere vulneris medicinam. Vulnus corruptum & corrumpens est peccatum euidens, medicina vulneris manifesta pœnitentia. Hanc fecit Rex Niniue cum suis. Ion. 4. Talis fuit pœnitentia Achab. 4. Regum 21. *Exempla.* Qui post verba Eliæ indutus est sacco, ieiunauit, & ambulauit demisso capite. Talis fuit pœnitentia Theodosij Imperatoris in tripartita historia lib. 9. Qui propter quoddam delictum Thessalonicensium, fecit occidi nocentes cum multis innocentibus: qui cum venisset apud Mediolanum, à beato Ambrosio ab ecclesia electus est, & publicam humiliter egit pœnitentiam.

Denique pœnitentia debet esse perseuerans & firma. NONO pœnitentia debet esse perseuerans, & firma, vt pro nulla aduersitate vel prosperitate dimittatur. Heb. 12. *In disciplina perseuerate filij*. Matt. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*. Talis fuit pœnitentia beati Martini, qui nec in infirmitate grauissima, nec in morte voluit cilicium deponere, nec de consueta pœnitentia aliquid relaxare. Hoc exemplum ostendit nobis Dominus, qui nec propter dolores corporis, nec propter derisiones astantium, nec propter promissionem dicentium: *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce & credimus ei*; nec propter lachrymas amicorum, voluit de cruce descendere: vt exemplo suo edocti, inchoatam pœnitentiam nullatenus deseramus. Bernar. *Nos quicunque sequimur caput nostrum, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseuerantes in ea, sicut Christus perseuerauerit, donec dicat spiritus vt requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum de cruce suadentem, persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra leuitate. Caput nostrum deposuerunt viri iusti, nos vero dignatione Angeli sancti deponant.*

De contritione.

DISTINCTIO VI.

POSTQVAM dictum est de pœnitentia in generali, consequenter considerandum est de partibus eius, circa quod considerandа sunt duo. Primum vtrum contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis, sint partes pœnitentiæ. Secundo de singulis earum.

CIRCA primum sciendum, quod pœnitentia quadrupliciter potest accipi, vel pro pœnitentia quæ est virtus, vel pro actu talis virtutis, vel pro passione quandoque concomitante actum, vel præcedente, vel sequente tanquam effectus causam; vel pro pœnitentia quæ est sacramentum. *Primo modo* tria prædicta non sunt partes eius, quia sic est forma simplex. *Secūdo modo* sunt partes pœnitentiæ, quasi subiectiuæ, quia de qualibet earum potest dici quod est actus pœnitentię; non tamen ad plenum partes sunt subiectiuæ, quia esse actū pœnitentię non conuenit æqualiter cuilibet illarum; quia principaliter conuenit compunctioni cordis, confessioni autem & satisfactioni exteriori conuenit, inquantum procedunt ex compunctione interiori. *Tertio modo* non sunt partes pœnitentiæ; sed quarto modo sunt partes pœnitentiæ integrales. Sacramentum enim pœnitentiæ sine tribus prædictis non integratur. Cum enim in sacramento pœnitentiæ fiat emenda voluntaria, per viam iudicij voluntariè susceptі, requiritur ibi quædam citatio ad voluntariè subeundum illud iudicium, & hæc est cordis compunctio, & coram iudice veritatis confessio, & secundum arbitrium iudicis satisfactio, vel in re, vel saltem in proposito, si in opere exteriori impleri non potest. Nec oportet quod omnes partes pœnitentiæ sacramenti ministrentur ab-

alio

alio; quia non est necesse quodlibet sacramentum secundum totum quod est, ab alio ministrari, sed secundum aliquid eius: A sacerdote autem ministratur absolutio. In sacramentis autem in quibus actus hominis non est materia sacramenti, sicut est in baptismo, & confirmatione; omnes partes sacramenti ministrantur à ministris ecclesiæ.

DEINDE considerandum est de singulis partibus pœnitentiæ in speciali, & primo de contritione. Secundo de confessione. Tertio de satisfactione.

CIRCA primum, scilicet de contritione considerandа sunt octo. Primo quid sit contritio. Secundo vtrum attritio possit fieri contritio. Tertio de quibus debet esse. Quarto quantus debet esse dolor contritionis. Quinto quantum debet durare. Sexto de his quæ mouere debent ad contritionem. Septimo qualis debet esse contritio. Octauo de vtilitate & effectu contritionis.

Quid contritio & vnde dicta.

CIRCA primum sciendum, quod diffinitur contritio sic. *Contritio est dolor voluntariè assumptus propeccatis, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Ad cuius euidentiam nota, quod sicut in materialibus durum dicitur quod non cedit tactui, & secundum Philosophum 4. Meteororum. Frangi dicitur quod diuiditur in partes magnas, & comminui quod redigitur in paruas partes: ita per quandam similitudinem in spiritualibus dicitur cor hominis durum, quod diuinæ inspirationi se tangenti non cedit, sed obuiat, persistendo in affectu peccati. Frangi vero dicitur, quando à peccato recedere incipit, quamuis nondum plenè ad Deum conuersum sit. conteri vero dicitur, quando in eo totaliter destruitur affectus peccati, quod est resilire plene à peccato. hæc autem resilitio quidam dolor est, non passio appetitus sensibilis, sed secundum quod dolor accipitur pro displicentia voluntatis. Et quia hæc displicentia secundum quod est genus contritionis est meritoria, & nullum bonum est meritorium nisi sit voluntarium, ideo additur hic quod est *voluntariè assumptus*, tanquam differentia determinans displicentiam ad genus moris: & quia voluntaria displicentia esset mala si esset de bono, ideo dicitur *de peccatis*; & per hoc illa displicentia determinatur ad bonum moris. Et quia prædicta diffinitio datur de contritione, non vt est actus virtutis tantum, sed vt est pars sacramenti: Ideo subiungitur, *cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

Alia contritionis definitio.

ALIAM diffinitionem ponit Isido. 2. libro de summo bono dicens; *contritio est compunctio cordis & humilitas mentis cum lachrymis, prouenieus ex recordatione peccati, & timore iudicij.* Hæc autem diffinitio differt à prima, quia prima datur de contritione quantum ad esse. Hæc autem est contritionis diffinitio, quantum ad bene esse; in qua describitur per comparationem ad terminum à quo, cum dicitur *compunctio*, scilicet contra delectationem quæ fuit in conuersione: & per comparationem ad terminum ad quem, cum dicitur *humilitas mentis*, contra inobedientiam quæ fuit in auersione: & quo ad effectum dicitur, *cum lachrymis*; & quo ad duplex motiuum, quorum vnum est offensæ consideratio, quæ intelligitur *in peccati recordatione*; alterum est timor pœnæ, qui intelligitur *in timore iudicij.*

Attritio elicita à pœnitentia informi potest fieri contritio, si nimirum duret donec pœnitentia charitate formetur, attamen elici nõ potest à pœnitentia formata & sic in contritionẽ transire.

CIRCA secundum, scilicet *vtrum attritio possit fieri contritio.* Dicendum quod contritio dupliciter potest accipi. *Vno modo* pro actu pœnitentiæ elicito à virtute pœnitentiæ formata charitate. *Alio modo* pro actu formato pœnitendi elicito, non mediante aliquo habitu pœnitentiæ, sed à pœnitentia informi, quæ postea charitate formatur, illo actu adhuc durante.

PRIMO modo loquendo de contritione, attritio non potest fieri contritio; quia idem actus numero elici non potest à pœnitentia informi, & post hoc elici à pœnitentia formata, quia voluntas mouens vt informis & formata, vicem tenet duorum motorum, à quibus non potest esse idem motus numero. Præterea actus elicitus à pœnitentia formata, est ordine temporis vel naturæ posterior; Actus autem elicitus à pœnitentia informi, est ordine temporis vel naturæ prior, quam illa sit formata.

SECVNDO modo loquendo de contritione, attritio fieri potest contritio; quia quamuis motus voluntatis sit simplex, & in instanti, quantum ad suum esse, potest tamen tamdiu manere idem numero, quousque pœnitentia à qua elicitus est charitate formetur, per cuius formationem actus ille efficitur contritio, quamuis elicitus fuerit à pœnitentia existente informi.

CIRCA tertium, scilicet *de quibus debet esse contritio*, considerandа sunt tria. Primo vtrum de omnibus peccatis debeat esse. Secundo vtrum de omnibus simul. Tertio vtrum requiratur de singulis contritio specialis.

De omnibus peccatis debet esse contritio, generalis quidem de totaliter oblitis & ignoratis, specialis de aliis.

AD primum dicendum, quod in omni peccato mortali est actualis auersio à Deo, & conuersio ad peccatum. Ideo cum contraria curentur contrariis, oportet quod in omni remissione peccati mortalis, sit actualis auersio à peccato, & conuersio ad Deum. Hæc autem auersio appellatur contritio: duritia enim voluntatis manentis in peccato non tollitur, nisi per voluntatis omnimodam fractionem, quæ appellatur contritio. Sed quomodo potest haberi dolor contritionis de oblitis? Dic quod quando homo totaliter est oblitus, sufficit contritio generalis; quando vero recordatur in parte, debet conari ad recordandum & dolendum in speciali. Similiter dic de his quæ per ignorantiam fiunt. Duplex autem est ignorantia; *quædam* quæ tollit omnino voluntarium, sicut in furioso & dormiente; talis excusat à toto, ideo de talibus non requiritur contritio specialis.

ALIA est ignorantia quæ non omnino tollit voluntarium; & talis non excusat à toto, quamuis excuset à tanto. Eodem modo dicas de his, quę per coactionem fiunt, cum displicentia voluntatis. Est enim coactio quædam violenta omnino, ita quod nullo modo est ibi aliquis voluntatis assensus, sicut si quis violenter compellatur idolis immolare. Alia est coactio inducens, & talia licet sint inuoluntaria simpliciter, sunt tamen voluntaria secundum quid, voluntate comparatiua, non absoluta.

Cõtritio quæ est immediata dispositio ad gratiam debet esse de omnibus peccatis simul, alia non.

AD secundum, scilicet *vtrum requiratur contritio de omnibus simul.* Dicendum quod duplex est contritio, quædam spiritualis, quędam generalis de omnibus. Prima est dispositio remota ad gratiam, quia quamdiu homo de vno peccato conteritur sine aliis, nondum meretur iustificationem. Secunda vero est dispositio immediata ad iustificationem; & hæc requiritur simul de omnibus in eodem instanti, alia non.

Ad cõtritionem non requiritur dolor sensibilis

AD tertium, scilicet *vtrum de singulis peccatis requiratur contritio spiritualis.* Dicendum, quod Deus non requirit ab homine impossibile, sed solum quod homini est possibile. Vnde si potest haberi contritio specialis, siue ante, siue post, tunc requiritur: si autem non potest haberi tunc sufficit generalis; nam in momento potest homo conteri, sed in momento non potest homo conteri de singulis sigillatim: sed postea si habet tempus debet conteri de eis.

CIRCA quartum, scilicet *quantus debet esse dolor contritionis*, tria videnda sunt. Primo *vtrum requiratur dolor sensibilis.* Secundo *vtrum debet esse maximus.* Tertio *vtrum debet esse maior de maiori peccato.*

AD primum dicendum, quod sicut dicit Chrysost. *vnumquodque per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur* Ergo cum peccatum sufficienter per solum actum voluntatis possit nasci, sufficienter per solum actum voluntatis à parte nostra, cum Dei gratia, potest dissolui. Cum ergo habere dolorem voluntarium, id est peccati displicentiam, semper sit in hominis potestate, habere vero dolorem sensibilem non semper; ideo Deus non requirit dolorem sensibilem de contritionis necessitate, sed de eius perfectione.

Dolor sumptus pro displicentia voluntatis quæ est de essentia contritionis, debet esse maximus in specie, nō autem dolor sēsibilis qui inde oritur maximus esse debet.

Ad secundum dicendum, quod in contritione duplex est dolor, vnus in voluntate, qui non est aliud quàm peccati displicentia, & in hoc consistit essentia contritionis. Alius in sensualitate, qui causatur ex primo dolore, vel secundum necessitatem naturæ ex motu superiorum virium, quem sequuntur inferiores; vel secundum electionem prout voluntas excitat dolorem illum. Primus ergo dolor debet esse maximus in genere, scilicet comparatione aliorum dolorum: quia quanto aliquid magis debet placere, tanto eius oppositum magis debet displicere: non tamen oportet quod sit maximus in specie huius doloris; sicut quilibet amor charitatis est maximus in genere, sed non in sua specie. Secundus vero dolor non oportet quod sit maximus: Tum quia vires inferiores magis B mouenrur ex apprehensione obiectorum propriorum, quam ex redundantia superiorumv irium; tum etiam, quia non requiritur ad contritionem de necessitate, sed de perfectione.

Dolor voluntatis de maiori peccato debet esse maior, sed non dolor sēsualitatis.

Ad tertium dicendum; quod duplex est dolor contritionis; quidam generalis, qui est immediata dispositio ad iustificationem, quæ est de omnibus peccatis inquantum sunt offensa Dei: hoc dolore dolet quis magis de maiori peccato habitualiter, non actualiter. Alius est dolor spiritualis; & hic est duplex; quidam spiritualis, & hic debet esse maior de maiori peccato eo quod habet maiorem rationem dolendi: alter sensibilis, & hic etiam conueniens est vt sit maior, quia maiori offensæ maior pœna etiam sensibilis debetur, C sed tamen non est necesse quod sitne maior, quia si ea potest esse vera contritio.

Circa quintum, scilicet *quantum debet durare dolor contritionis*, consideranda sunt duo. Primo, *vtrum post remissionem peccati debeat in homine esse contritio.* Secundo, *vtrum post hanc vitam sit contritio in his qui sunt in purgatorio.*

Post remissionem peccati requiritur contritio in habitu sed non in actu.

Ad primum dicendum, quod sicut dicit Hugo de sancto Victore; *Deus quando absoluit hominem à vinculo peccati, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis eius;* sed detestatio perpetua duplex est, quædam in habitu: Ad hanc tenetur semper homo, etiam post peccati perfectam remissionem: Quædam in actu; ad hanc non.

Post hāc vitam nullus proprie habet contritionē.

Ad secundum dicendum, quod in contritione tria sunt, scilicet actus doloris, forma gratiæ actum eliciētis, & effectus meriti satisfacientis. In beatis non est D dolor, in damnatis non est gratia, in his qui sunt in purgatorio, non est meritum. Ideo in his tribus generibus proprie non est contritio, sed in solis viuentibus.

De motiuis ad contritionem.

DISTINCTIO VII.

Multa mouēt ad contritionem.

Circa sextum, scilicet de his quæ mouere debent ad contritionem. sciendum, quod Deus homini dolorem contritionis immittens, facit eum in sui status consideratione, in peccatorum suorum inquisitione, E in totius vitæ suæ discussione, diligentissimè circumspectum. Vnde facit eum similem sanctis animalibus, de quibus dicitur Ezech. 1. quod *corpus eorum plenum erat oculis in circuitu, & per totum.* Et Apoc. 4. dicitur quod *plena erant oculis intus, & in circuitu per totum.*

Item facit eum similem Paulo, quem in suæ conuersionis exordio circunfulsit lux de cælo. Act. 9. Item debet pœnitens esse similis agno habenti septem oculos. Apoc. 5. Item *iaspidi*, de quo Zach. 3. dicitur quod *erant septem oculi in lapide vno*, quia Deus per gratiam suam pœnitentem illuminans dat ei septem considerationes; vt, scilicet supra se, intra se, infra se, ante se, post se, ad dexteram suam respiciat, & sinistram. Nam ad ista septem se conuertens, vndique videt & inuenit materiam dolendi, & de peccatis suis A præteritis pœnitendi.

1. *Quæ supra sunt.*

Primo quidem si supra respiciat, videt se æterna hæreditate priuatum: à sanctorum omnium consortio exclusum: à Dei glorioſa visione, & incomprehensibili suauitate fruitionis, abiectum: à gemina corporis & animæ glorificatione frustratum, & multa talia: quæ si diligenter & profunde respiciat, meditetur, & ruminet, inuenit occasionem & materiam amarissimè pœnitendi.

2. *Quæ intra se sunt.*

Secundo si intra semetipsum inspiciat, videt se donis diuinæ gratiæ spoliatum, virtutibus nudatum, peccatorum spurcitiis fædatum, & fætidum, horrendis maculis deturpatum, & abominabilem esse factum; Communicatione Spiritussancti, & omnibus ecclesiæ sanctę suffragiis priuatum, in bonis naturalibus vulneratum. Videt in se potentiam rationalem per ignorantiam obfuscatam; concupiscibilem, sicut equum sine fræno, vndique ad illicita relaxatam; irascibilem, per malitiam deprauatam. Videt in templo cordis sui abominabilia & horrenda idola, scilicet imagines abominabilium peccatorum. Videt se bonis omnibus destitutum, & in vitiorum profunda voragine iacentem, & exire siue resurgere pœnitus impotentem, nisi Deus misericors manum ei porrigat adiutricem, & summus medicus animarum, à suis languoribus & desperatis vulneribus, ipsum sanet. Ad hoc multum valent illa quæ superius dicta sunt de peccato in generali, vbi ostensum est quanta mala faciat C in anima, quæ diligenter inspecta mouere debent ad omne peccatum detestandum.

3. *Quæ infra se.*

Tertio si peccator infra se respiciat, videt sibi paratum æternum inferni supplicium, nisi digne pœniteat. Require de hoc multa supra *de inferno*. Et si pœnitet, videt nihilominus sibi paratam purgatorij pœnam, nisi per pœnitentiam condignam hoc compleat, de hoc require supra *de purgatorio*. Videt etiam sub se corpus suum, quod nimis diligendo, fouendo, impinguando, miseram ei animam subiugauit, & eius occasione ad pœnas perpetuas obligauit.

4. *Quæ retro se.*

Quarto si retro se respiciat, videt vitæ suæ præteritæ prauitatem, temporis amissi pretiositatem & irrecuperabilitatem, morum acquisitorum assuetam peruersitatem, & multa talia.

5. *Quæ ante se.*

Quinto si ante se respiciat, videt mortis exitum propinquantem, & multa talia. De hoc require supra *de morte*. Debet etiam ante oculos suos ponere Dominum Iesum Christum pro peccatis suis morte damnatum: immensis iniuriis, contumeliis, & supplicijs, afflictum, consputum colaphis cæsum, irrisum, crucifixum, & mortuum. Debet inspicere diuinum & horrendum iudicium &c. De hoc require supra *de iudicio timendo.*

6. *Quæ ad sinistram.*

Sexto si respiciat ad sinistram, videt hostes inuisibiles insidiantes incessanter tentare, deiicere, mactare, iugulare, & ad infernum trahere cupientes: à sinistris etiam sunt homines peruersi, iustitiæ oppressores, alios suis prauis exemplis & moribus, corrumpentes. Sunt etiam in hoc mundo oppressiones innocentium, gemitus & afflictiones pauperum, prosperitas malignantium: sunt etiam ibi infirmitates corporales, & spirituales, &c. De hoc require supra *de mundi periculis.*

7. *Quæ ad dexteram.*

Septimo si respiciat ad dexteram, videt bona, tam corporalia quam spiritualia, quibus abusus est, & eorum largitorem de suis beneficijs impugnauit, Dei misericordiam contempsit, sanctos omnes contra se prouocauit.

Ad cōtritionem procurandam valent. 12. sc. cogitare amissa, comissa omissa damna.

Valent etiam ad contritionem pro peccatis acquirendam duodecim quæ sequuntur.

Primo est cogitare frequenter, quæ & quanta sunt quæ per peccatum amisit, scilicet regnum æternum, Deum, seipsum, ecclesiæ participium, sanctorum consortium, quod ante fecit bonum merito

rium,

rium, tempus ſuum, opus & laborem ſuum &cætera multa.

SECVNDO mouet ad hoc cogitare, quę & qualia, quam enormia & turpia, vilia & magna ſunt quæ commiſit.

TERTIO, cogitare quæ omiſit, quæ facere debuit, vel quod ea quæ fecit non fecit vt debuit.

QVARTO cogitare in quot & quanta mala per peccatum deuenit, & quot damna & incommoda peccando incurrit. Quod patet ſupra de effectibus peccati, quod peccatum homini ſuper omnia nocet.

Perſonas offenſas. QVINTO mouet ad hoc cogitare quos offendit, videlicet Deum, & Angelos, & omnes ſocios, quos peccando magis videtur læſiſſe, quam regem Franciæ, ſi ei regnum ſuum abſtuliſſet; cum de eius gloria plus gauderent in cœlo, quam aliquis rex poſſet gaudere de aliquo regno terreno.

Mala quæ promeruit. SEXTO cogitare quæ mala propter peccata ſua promeruit, ſcilicet exhæredationem, ſpoliationem, fuſtigationem, æternam damnationem, Dei iudicium, æternum ſupplicium.

Quibus ſeruiuit. SEPTIMO cogitare quantum, & qualiter, & pro quo prępmio, & in quo ſeruitio, & quibus ſcilicet vitijs, & dæmonibus ſeruiuit.

Quod Chriſtus ſuſtinuit OCTAVO quæ & quanta & qualia pro peccatis ſuis Chriſtus ſuſtinuit.

Spem recuperandi. NONO mouet ad hoc ſpes recuperandi per pœnitentiam, quod perdidit per culpam, ſcilicet gratiam, & veniam, & gloriam.

Facilitatem pœnitentia. DECIMO mouet ad hoc fletus mundanorum parum vtilis, vel omnino inutilis, immo aliquando noxius, quem peccator concipit: nam videt mundanos tantum flentes pro rerum inutilium amiſſione, & pro paruorum incommodorum incurſione.

Corruptionẽ diuinæ imaginis. VNDECIMO mouere debet ad hoc læſio & corruptio in ſe diuinæ imaginis.

Suam ingratitudinem. DVODECIMO conſideratio diuinę beneficentię & ſuæ ingratitudinis.

CIRCA ſeptimum, ſcilicet *qualis debeat eſſe contritio.* Sciendum, quod homo verè contritus dolore, debet lugere ad modum iſtarum quatuordecim perſonarum.

Cõtritus debet lugere ad modum exhæredati. PRIMO ad modum exhæredati, vt filij Iſrael ſuper flumina Babylonis, ſuæ patriæ qua exhæredati erant, recordantes. vt Eſau priuatus paterna benedictione. Geneſ. 27. vt Dauid expulſus à regno, fugatus ab Abſalon. 2. Reg. 15.

Spoliati. SECVNDO debet dolere ad modum ſpoliati. Micheæ 1. *Plangam & vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus.* A quibus ſpoliamur bonis patet ſupra de effectibus peccati, quomodo peccatum ſpoliat.

Viduati. TERTIO debet dolere ad modum viduati à ſponſo Chriſto. 2. Reg. 23. *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & eſto quaſi mulier lugens virum ſuum, &c.* Ioel. 1. *Plange quaſi virgo amicta ſacco, ſuper virum pubertatis tuæ.*

Orbati. QVARTO ad modum orbati à patre & prole, peccator debet dolere, quia amiſit patrem, Dominum, & matrem eccleſiam, vt non ſit eorum filius. Luc. 15. *Iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Deut. 21. Puella gentilis in matrimonium aſſumenda, debebat vno menſe patrem & matrem flere, quos amiſerat in captiuitate antequam deſponſaretur.

ITEM orbatur prole bonorum operum, qui tanquam filij ei moriuntur quando peccat. Sic Noemi lugebat filios ſuos, Ruth. 1. dicens, *Nolite vocare me Noemi*, id eſt pulchram, *ſed vocare me Mara*, id eſt amaram, *quia amaritudine repleuit me omnipotens: egreſſa ſum plena, & vacuam me reduxit.* Matth. 3. *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt.* Hierem. 6. *Luctum vnigeniti tibi fac, &c.*

Vulnerati. QVINTO debet flere & dolere ad modum vulnerati. De hoc ſupra, quomodo peccatum vulnerat. Hæc autem vulnera, ſanat amara potio contritionis. Dicit Iſidorus quod Ceruus infixus ſagittis multis, recurrit ad pabulum herbæ, quæ dicitur ditamus, cuius virtus repellit ſagittas, & curat vulnera eius. Sic contritio tentationes diaboli amaritudine ſua repellit, & curat vulnera peccati.

Captiuati. SEXTO debet flere peccator ad modum captiuati, vt Tobias. Tob. 3. *Tunc Tobias ingemuit, & cum lachrymis dixit; quia non obediuimus præceptis tuis Domine traditi ſumus in deiectionem, & direptionem, & captiuitatem, &c.*

Confuſi. SEPTIMO ad modum confuſi & vituperati, vt Sara Tob. 3. Quæ tribus diebus & noctibus orabat cum lachrymis, vt Deus eam à vituperio liberaret.

Vallati. OCTAVO ad modum obſidione vallati. Naum 3. *Haurit tibi aquam propter obſidionem.* Iudith conſuluit populo obſeſſo dicens. *Indulgentiam Domini fuſis lachrymis poſtulemus, &c.* Iud. 8. Sic ceruus obſeſſus à canibus, cum non videt quo effugiat, vt dicitur, lachrymatur.

Incarcerati. NONO admodum incarcerati. Sic dolebat Manaſſes 2. Paralippom. 33. *Poſtquam coanguſtatus eſt, Manaſſes orauit Dominum, & egit pœnitentiam valde, &c.*

Obligati. DECIMO ad modum obligati debet dolere, vt mulier clamans ad Elyſeum, *venit creditor, &c.* 4. Reg. 3. Vel 1. Reg. 21. *Conuenerunt ad Dauid oppreſſi ære alieno, & amaro animo, &c.*

Oppreſſi. VNDECIMO debet dolere ad modum grauiſſimo iugo & onere oppreſſi. Baruch. 2. *Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua.* De hoc ſupra de pondere peccati.

Parturientis. DVODECIMO ad modum parturientis. Non eſt mirum ſi doleat, quæ ſimul habet parere tot fœtus diabolicos, quot peccata commiſit. Mich. 4. *Dolere ſatage filia Sion quaſi parturiens, &c.* Item Ioannis 16. *Mulier cum parit triſtitiam habet.*

Iudicati. TREDECIMO admodum iudicati mortem expectantis. Dixit quidam quod fures iudicati docent homines pœnitere & orare, qui cum lachrymis promittunt emendam. Daniel. 13. *Flent Suſanna ſuſpexit ad cœlum.* Et poſt. *Exclamauit magna voce, &c.*

Periclitantiꝫ. QVARTODECIMO ad modum periclitantis. Ion. 1. *Timuerunt nautæ, & clamauerunt ad Dominum*: eodem 2. *Cum anguſtiaretur anima mea in me, Domini recordatus ſum.* Hæc dixit Ionas in ventre ceti.

De effectu contritionis.

DISTINCTIO VIII.

Optanda eſt contritio propter multa. CIRCA octauum, ſcilicet de effectu, & vtilitate contritionis, ſciendum quod diligenda eſt, & optanda pœnitentialis contritio, propter effectum renouationis, expiationis, placationis, ſanationis, conſolationis, expugnationis, illuſtrationis, & retributionis.

1. Propter effectum renouationis. PRIMO quidem propter effectum renouationis; quia contritio renouat, & viuificat animam, quæ mortua fuerat per peccatum; ſicut expreſſe dicitur Luc. 15. de filio prodigo pœnitente. *Mortuus fuerat*, ſcilicet per culpam, *& reuixit* per pœnitentiam. Quod autẽ anima mortua reuiuiſcat, non poteſt fieri niſi per virtutem omnipotentis Dei: quia ſicut dicit Auguſtin. *Maius eſt iuſtificare impium, quam creare cœlum & terram:* Deus autem omnipotens in cor contritum deſcendit, ad animam viuificandam & renouandam, ſicut dicitur Iſa. 57. *Dominus habitat in contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, &*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

viuificet cor contritum. Hoc bene fuit figuratum in Ezechia Isa. 38. Cui cum Dominus mandasset per Isai. quod moreretur, fleuit; & Dominus lachrymas eius vidit, & curans eum ab infirmitate sua, vitam eius per annos quindecim prolongauit. *Item* ad fletum viduæ Christus eius vnigenitum suscitauit. Luc. 7. *Item* ad fletum Mariæ & Marthæ, Dominus fratrem earum Lazarum suscitauit. Ioan. 11. Si igitur tantæ virtutis sunt lachrymæ apud Deum, vt vitam possint alijs impetrare, quanto magis homo vere contritus, vitam sibijpsi poterit impetrare. Cur enim apud Deum non magis valeat fides propria, si tantum apud eum fuit valens aliena.

Exemplum de phœnice.

Hvivs renouationis & viuificationis exemplum habemus euidens in Phœnice, de qua dicit Philosophus, quod est auis sine pari, viuens trecentis vel quingentis annis, quibus completis cum sentit se deficere, facit sibi nidum de lignis aromaticis valde siccis, quæ in æstate ex feruore solis flante Fauonio accenduntur: quibus accensis sponte nidum ingreditur, & ibidem inter ligna ardentia incineratur. Ex quo cinere infra triduum nascitur quidam vermiculus, qui paulatim plumas recipiens, in volucrem reformatur. Idem dicit Ambros. in Hexameron. Quæ forma est pœnitentis verè contriti, qui defectus suos considerans, debet sibi nidum componere de lignis aromaticis, id est de beneficiis Dei simul collectis, inter quę non debet omitti lignum viuificæ Crucis. Exemplo illius viduæ Sareptanæ dicentis. 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam mihi & filio meo panem, vt comedamus, & moriamur:* quibus collectis ex feruore solis iustitiæ accenditur ignis compunctionis vrens conscientiam, & animam totam incinerans, id est humilians, vsquequo cognoscat se nihil esse nisi cinerem, seque dignam esse igne infernali cruciandam, & in nihilum redigendam vsque ad cinerem. Istum debet accendere verus pœnitens, & laborare ad hoc quod vehementius accendatur. Hunc ignem accensum ingrediens incineratur, id est humiliatur omnino. Ex quo cinere infra triduum pœnitentiale, nascitur quidam vermiculus, id est anima renouata recognoscens se paruulam, nudam omni bono spirituali, & vilem, & debilem, vt possit dicere illud Psal. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo, &c.* In humilitatis suæ cineribus nutriri debet iste vermiculus, donec crescat in meritis, & operibus bonis; donec sumptis viribus actionis, & pennis orationis & deuotionis, fiat auis perfecta, volans per contemplationem in Deum.

2. Propter effectum expiationis.

Secvnda vtilitas contritionis est effectus expiationis; purgat enim animam & expiat à peccatis. Cum enim in contritione sit ardor quidam spiritualis, virtute eius anima incineratur & renouatur, vt dictum est. Hic ardor aquam generat lachrymarum; quia sicut ignis ex interioribus lignorum viridum facit aquam erumpere, ita quod ligna quasi lachrymari videntur; Ita ardor ignitę contritionis, ex profundo cordis aquam facit erumpere vsque ad oculos. In contritione ergo simul est, & ardor ignitæ compunctionis, & aqua lachrymosæ diffusionis.

Vtrvnqve autem horum, tam ignis quam aqua, virtutem obtinet emundandi. De igne quidem dicitur Mal. 3. *Ipse enim,* scilicet Dominus, *quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* De aqua vero dicitur Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ista duo simul sũt in anima pœnitentiæ, & cõmotionem magnam faciunt in ea. Quod bene figuratum est Exod. 9. Vbi inter cæteras plagas Ægypti dicitur. *Dedit Dominus tonitrua, grandinem, & discurrentia fulgura super terram; & grando & ignis mixta pariter ferebantur.* Hæc tria significant commotiones mortis, iudicij, & inferni, ex quibus in anima pœnitente magna terroris commotio generatur. De hoc etiam dicitur Sap. 16. *Quod enim mirabile erat, in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Aqua enim lachrymarum non extinguit ignem compunctionis, sed magis nutrit, & auget. Nec ille ignis spiritualis consumit aquam lachrymarum, sed prouocat, & exire compellit.

Aqua cõtritionis vere mirabilis.

Vere aqua contriti cordis est aqua valde mirabilis, quia extinguit iguem inferni, & peccati, & succendit ignem cœli, & ardorem charitatis, & Spiritussancti. *Similis* est cuidam fonti mirabili, qui dicitur esse in Ægypto. Vnus etiam talis dicitur esse prope Gratianopolim, de quo loquitur August. 21. de ciuita. Dei in quo faces ardentes extinguuntur, & extinctæ succenduntur. Sic in contritione, corda succensa igne peccati extinguuntur, ignis autem Spiritussancti extinctus succenditur hac aqua, & cor inflammatur, vt fluat *sicut cera, quæ fluit à facie ignis.* Psal. 21. *Factum est cor meum sicut cera liquescens, &c.* Et Hierem. 23. *Contritum est cor meum in medio mei.*

Simile.

Hæc aqua facit hominem similem calci viuæ & frigidæ, quæ conspersa aqua accenditur & resoluitur, & à sua duritia lapidea emollitur. Similiter cor humanum perfusum lachrymis contritionis. Vnde quod Iudæis pronunciauit Dominus in vltionem, promittit pœnitentibus in salutem. Leuit. 26. *Conteram superbiam duritiæ vestræ.*

Item fumus calcis aqua conspersæ, signum est ignis intus inclusi. Similiter fumus oculorum signum ignis Spiritussancti intus inclusi. Bernard. *fumant peccata vndis lachrymarum extincta.* *Item* fumus oculorum est signum magni hospitis, vt fumus in camino signum est ignis.

Item lapis crystalli in aqua mersus, vel irrigatus, & solis radio appositus, flammam solis attrahit virtute aquæ, sine qua hoc non faceret, ita quod aptam succensioni flammam à sole receptam immutat, & eam succendit. sic Deus aqua contritionis mediante, corda congelata ad modum chrystalli, igne cœlesti succendit; vt patet in Magdalena, & Paulo, & Augu.

Item mediantibus lachrymis cor contritum Deo offertur, & succenditur in holocaustum pinguissimũ, & Deo acceptissimum. Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Istis duobus simul agentibus, anima purgatur à sordibus peccatorum.

Simile.

Item sicut maioris mundi duæ sunt purgationes, vna scilicet per aquam diluuij præterita, alia futura est per ignem: sic minor mundus, id est homo, ad instar primi iudicij purgatur per aquam lachrymarum: Ad instar vero fururi iudicij purgatur per ignem. Ad similitudinem igitur primi iudicii, debet pœnitens aquas diluuii, id est lachrymarum abundantiam procurare. Vnde Gen. 7. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram: Et sta factum est diluuium super terram, & multiplicatæ sunt aquę.* Abyssus magna est infernus, in quo sunt diuersa genera tormentorum. Quando ergo peccator considerat, quod omnia, vel plura eorum meruit, ex consideratione & horrore cuiuslibet, vnus fons oritur, & cum impetu facit erumpere lachrymas. Ideo dum dicitur *rupti sunt omnes fontes abyssi magnę.* Sequitur. *Et cataractæ cœli apertæ sunt.* Huius cataractæ sunt considerationes gaudiorum Paradisi, quę peccator cognoscit se omnia perdidisse; vnde sibi doloris & luctus materia generatur.

motiuus ad lachrymas contritionis.

Ex consideratione istorum generatur diluuium super terram cordis, & multiplicantur aquę lachrymarum, & sic delentur omnia de superficie terræ, id est delentur peccata de corde, & eleuatur arca, id est anima in sublimi à terra, per desiderium æternorum, & contemptum omnium terrenorum.

Item ex consideratione futuri iudicii purgatur anima, quando considerat ignes purgatorii, & inferni, quos meruit, & ignem charitatis quem extinxit in se, & incendium consummatę dilectionis in cœlo quo se priuauit. Quibus simul concurrentibus in meditatione tali, exardescet ignis, & fit quasi conflagratio ignium, & purgatio animę, ac omnium cõbustio

peccatorum

peccatorum. Huius ignis virtute, combusta & purgata fuerunt peccata B. Magdalenæ. Luc. 7. Dicente Domino; *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

Exemplum. INTER miracula S. Iacobi legitur, quod cum quidam confiteretur peccatum enorme suo Episcopo, cum crederet Episcopus eum non esse verè compunctum, misit eum ad S. Iacobum cum schedula, in qua erant peccata scripta, clausa & sigillata, iniungens ei quod illud faceret, quod Archiepiscopus illius loci ei iniungeret: cum autem illuc venisset, nec cum dicto Archiepiscopo loqui posset; in festo S. Iacobi posuit literas clausas super altare S. Iacobi, flens amare peccatum. Cum autem venisset dictus Archiepiscopus ad celebrandum Missam, & inueniret illas literas super altare, & quæreret quis eas ibi posuisset, & dictus homo flens veritatem fateretur, inuenit eas apertas, & quasi lachrymis intus recenter deletas.

Exemplum. ITEM in vita Ioannis eleemosinarij legitur, quod quædam mulier quoddam peccatum valde enorme commiserat, quod præ turpitudine nulli confiteri audebat. Cum autem ad eum venisset, & præ verecundia confiteri illud non posset; dixit ei quod illud scriberet & sigillaret, & ei clausum deportaret; promisitque ei, quod illud nunquam reuelaretur; quod illa fecit. Cum autem ille occupatus, bullatum peccatum in bursa sua posuisset, assignans ei diem in qua ad eum veniens acciperet pœnitentiam iniunctam interim sanctus mortuus est, & sepultus. Mulier autem prædicta quasi amẽs facta, timens ne peccatum suum fuisset inuentum, & publicatum, venit ad sepulchrum sancti, ad quod cum fleret per triduum, tertia die visum fuit ei, quod Sanctus Ioannes & duo Episcopi qui iuxta eum iacebant, exirent de sepulchris suis, induti Pontificalibus, qui tradebat ei literas quas ei tradiderat integras & bullatas, dicens quod peccatum suum erat ei dimissum & deletum, & quod non poterant sustinere tantam lachrymarum irrigationem, quin ad eas surgerent, quibus per triduum irrigauerat stolas suas. Quibus dictis intrauerunt sepulchra, ea vidente: ipsa autem literas clausas aperiens, inuenit eas intus deletas.

Exemplum. HVIC autem simile est quod legitur de B. Basilio & quadam vidua. Quædam vidua nobilis & diues, viro suo mortuo, dedit, se omni castrimargiæ & libidini: quę cognoscens & commemorans culpam, incepit grauiter flere commissam iniquitatem, & consumptam male iuuentutem; & scripsit omnia peccata sua, & in fine vnum cæteris enormius; & sigillauit, & detulit Basilio vbi prostratus orabat: & ipsa ibi prostrauit se, flens amare, & petens à sancto vt oraret pro peccato suo delendo, & sibi remittendo. Cum autem sanctus visa charta orasset ipsa nocte, & in mane sibi clausam misisset, mulier eam aperiens inuenit omnia deleta, excepto illo enormi quod in fine erat. de aliis gaudens, de illo amarissime dolens, rediit ad sanctum; qui compassus eius lachrymis ait: Vade mulier ad eremum ad S. Effrem, qui impetret huius criminis tibi veniam, quia ego peccator sum. Quæ cum multa difficultate iuit; & clamans & pulsans, causam pandit S. Effrem; qui ait: Reuertere mulier, quia ego peccator homo sum: qui obtinuit pro aliis peccatis tuis, potest obtinere pro isto; & reddidit ei chartam, & clausit dicens: Præoccupa cito redire antequam egrediatur de corpore, quę cito rediens inuenit in porta ciuitatis iam mortui corpus quod ferebant homines ad sepulchrum. quæ amarissimè eiulans, & auxilium Sancti inuocans, proiecit literam super feretrum; quam quidam clericorum leuans, & legere volens; inueniens totam deletam, reddidit eam mulieri. quæ videns omnia deleta, gauisa supra modum, & gratias agens; veritatem, & sibi factam gratiam & misericordiam, Sancti precibus & meritis, omnibus qui aderant intimauit.

ITEM apud S. Victorem Parisijs, cum venisset quidam scholaris, nec valeret suum peccatum confiteri præ verecundia & dolore, monuit eum confessor, vt illud sibi deferret scriptum; quod fecit. Et cum iterum confiteri non valeret, aperiens chartam confessor, inuenit eam subito omnino deletam, in signum plenariæ remissionis peccatorum suorum. *Item* in vita B. Ægidij legitur, quod cum Carolus impetrasset ab eo vt visitaret eum; cum loqueretur ei Rex dixit, quod quoddam facinus fecerat ita enorme, quod nec ei, nec alteri aliquo modo confiteretur. Sed rogauit eum vt oraret Deum pro eo, vt ei dimitteretur. Cum autem in sequenti Dominica S. Ægidius Missam celebraret præsente rege, & pro eo rogaret, Angelus Domini apparuit ei, illud peccatum in quadam schedula deportans scriptum, & quod precibus S. Ægidij erat ei dimissum; si tamen ab eo cessaret, & dignè pœniteret. Et erat in dicta schedula additum, quod quicunque pro quocunque commisso S. Ægidium inuocaret, sciret illud sibi dimissum, si pœnitens dimitteret illud.

Hoc etiam sciendum est, quod si non potest homo proferre verba, non dimittit Deus peccatum in contritione, nisi habeat homo propositum confitendi, vel verbo, vel signo, vel scripto. vnde in Psa. 31. *Dixi confitebor, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quia quam cito conteritur, proponens confiteri, statim ei peccatum suum dimittitur ad culpam. Et quod dicit Ambro. *Lachrymæ lauant delictum, quod pudor est confiteri*; intelligitur quando pudor est in confitendo.

ITEM dicitur, quod quædam vetula conscia sibi cuiusdam enormis peccati, quod in sua iuuentute cõmiserat, consueuerat in Ecclesia quadam multas lachrymas fundere, non proponens illud aliquando confiteri. tunc quidam demoniacus, qui ibi ligatus detinebatur, incepit vehementissime ridere: & cum adiuratus esset quare sic rideret; respondit, quod ideo quia viderat socium dæmonem quendam ridentem, & lachrymas illius vetulæ inutiles irridentem, quæ credebat quod propter lachrymas suas dimitteret ei Deus peccatum suum, sine confessione facta, vel in proposito habita. In feruida autem contritione, quæ est cum proposito confitendi remittitur peccatum: vt dicitur Eccl. 3. *In die tribulationis Deus commemorabitur tui, & quasi glacies in sereno, sic soluentur peccata tua.* Ad hoc facit, quod habetur supra de pœnitentia *de Æmiliano, & de pane sordido.* Item quod habetur supra *de misericordia Dei.* Item de effectu passionis Christi, *de illa quæ occidit patrem & matrem.*

ITEM 3. dial. 49. dicit Greg. quod in monasterio suo fuit quidam frater Antonius nomine, qui quotidianis lachrymis ad Paradisi gaudia anhelabat; qui in scripturis, non verba scientiæ, sed compunctionis gratiam inquirebat; cui per visionem nocturnam dictum est; Paratus esto, quia dominus iussit te migrare. Qui cum diceret se non habere sumptus ad migrandum; responsum est ei: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt, qui cum adhuc trepidaret, nocte sequenti eisdem verbis iterum est admonitus. Qui post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus flentibus & orantibus, est defunctus. Item ad hoc facit quod habetur supra de peccato *de deformib. immutatis*, vbi dicitur quomodo contritio lauat, immutat, & decorat animas.

Hoc debet intelligi de remissione pœna, quia culpa vna mortalis non potest sine alia remitti.

TERTIA contritionis vtilitas est effectus placationis. Contritio namque est sacrificium Deo gratissimum, sicut Ps. Dicit Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum*, &c. Et Dan. 3. Dicunt tres pueri in camino: *Peccauimus, iniquè egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus; sed in animæ contrita & spiritu humiliatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, vt placeat tibi.* Sane longe plus placet Deo spirituale sacrificium contritionis, quam vile sacrificium brutorum animalium: quia hic mactatur in holocaustum caro & mens propria, ibi vero caro aliena. Nec illud vnquam Deo placuit sine isto; immo illud signũ erat istius, vt scilicet illud mate-

3. Propter effectum placationis.

riale

riale ſacrificium offerens intelligeret, quod ſicut animalia bruta occidebantur, concidebantur in fruſta, & igne cremabantur; ſic offerens, peccando meruerat occidi, membratim diuidi, igne comburi, & omni tormentorum genere cruciari.

Contritio eſt holocauſtū. MENS igitur pœnitentis tota debet contritionis ardore concremari in holocauſtum. Sicut ait Gregor. *Holocauſtum totum ſuccenditur, cum tota mens igne compunctionis accenditur, & in ara amoris & cogitationis Deo offertur.* Idem. *Qui omnia propter Deum reliquerunt, & tamen ſe lachrymis compunctionis non accendunt; ſiccum eſt & non pingue ſacrificium eorum.* Item in vitis patrum dixit S. Sincletica. *In his qui conuertuntur ad Dominum, labor eſt primum & certamen, & poſtea ineffabile gaudium.* Sicut enim qui volunt ignem accendere, primo fumatur, & ex fumi moleſtia lachrymatur; ſic qui obtinent quod volebant. Itaque oportet nos cum lachrymis & laboribus, in nobis diuinum ignem ſuccendere, vt à Deo qui ignis conſumens eſt, quod volumus valeamus obtinere.

Per aquam contritionis ignis charitatis accenditur. QVOD autem hac aqua iſte ignis ſuccendatur, & cor in holocauſtum totum accendatur, ſignificatū fuit 2. Mach. 1. *Cum aqua autem craſſa conſperſum eſſet ſacrificium & ligna, ſole fulgente accenſus eſt ignis magnus, ita vt conſumeretur ſacrificium & ligna:* quia in contritione, igne cæleſti conſumuntur peccata. Idem ſignificatur 3. Regum 18. Cum iuſſiſſet Elias, quod cum quatuor hydriis ſupereffunderetur aqua, ſacrificium igne diuino cum tota materia ſuccenſum eſt & conſumptum. Quatuor hydriæ ſignificant quatuor, à quibus maximè lachrymæ procedunt: quia aut procedunt ex timore malorum, vel ex pudore commiſſorum, vel ex dolore bonorum amiſſorum, vel ex recordatione diuinorum beneficiorum. Hæ ſunt quatuor hydriæ ter effundendę ſuper ſacrificium, propter tria genera peccatorum, ſcilicet malæ cogitationis, & operationis, & omiſſionis.

4. Propter effectum ſanationis. QVARTA contritionis vtilitas eſt effectus ſanationis. Eſt enim contritio antidotum medicatiuum. Pſalm. 59. *Commouiſti Domine terram, & conturbaſti eam, &c.*

NOTA quod ſolent medici, curare volentes hominem repletum corruptis humoribus, primo dare aliqua alteratiua, quæ commoueant humores, digerant, & præparent ad expulſionem; poſtmodum dant medicinam laxatiuam, & totius ægritudinis expulſiuam. Sic ſummus medicus animarum, cor pœnitentis commouit, oſtendendo vilitatem culpæ, grauitatem offenſę, ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, terrores mortis, horrorem iudicij, pœnas inferni, & huiuſmodi; & hæc omnia faciunt magnam commotionem & turbationem in corde, per quam commotionem fit diſpoſitio ad expulſionem humorum. Ideo ſequitur. *Sana contritiones, quia commota eſt.*

Ex veneno peccati conficitur medicina ſalutaris. NOTA, conteruntur herbæ, vt inde fiat ſuccus medicinalis: ſed hoc eſt mirabile, quod in medicina corporali lex herbis medicinalibus conficitur corporum medicina, & ex venenoſis conficitur venenum mortiferum; Hic autem ex venenoſis peccatis ſimul tritis in corde, conficitur medicina ſalutaris. Dum autem cor peccata continens conteritur & ſanatur, peccata quę continentur in eo conteruntur, & ex contritione delentur. vnde Eccleſiaſt. 27. *Conteretur cum delinquente delictum:* ſicut ex commotione corporis commouentur humores. Sed corpus ex huiuſmodi motione ſanatur, & expelluntur humores. Pſalm. 46. *Sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

Simile. NOTA quod ſicut ex eodem ſerpente, Tyro dicto, conficitur venenum mortaliſſimum, & Tyriaca contra venenum, ſic ex eodem corde mors animę oritur, per peccati conſenſum & delectationem, & Tyriaca ſalutifera, per peccati deteſtationem, & contritionem cordis.

DEBET homo pœnitens eſſe ſimilis Ceruo, de quo dicit Iſidor. quod cum vulneratus multis venatorum ſagittis, currit ad montes; & quærit ibi pabula amara herbæ Ditami, cuius virtute tela à vulneribus repelluntur, & vulnera curantur. Sic virtute contritionis, tentationes & peccata à corde ſauciato repelluntur. Vnde dicitur: *Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.*

5. Propter effectum conſolationis. QVINTA contritionis vtilitas eſt effectus conſolationis; eſt enim refrigerium mitigatiuum. Dictum eſt enim quod in contritione ſimul ſunt ignis & aqua, quorum vnum generatur ex altero; nec vnum deſtruit alterum, ſed potius fouet & auget: tamen aqua lachrymarum, ſicut habet vim mundatiuam, ſic virtutem habet refrigeratiuam: facit enim refrigerium in corde, vt ardorem poſſit leuius ſuſtinere; tamen ardorem non extinguit, nec minuit, ſed augmentat. Eccleſiaſt. 18. *Nonnè ardorem refrigerabit ros?* Idem 43. *Obuians eis ab ardore venienti, humilem efficiet illum.* Vnde poſſunt dicere pœnitentes illud Pſalm. 65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Iſtud eſt refrigerium conſolationis, de quo Iſa. 61. *Spiritus Domini miſit me, vt mederer contritos corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt conſolarer omnes lugentes, & ponerem conſolationem lugentibus Sion.*

6. Propter effectum expugnationis. ITEM iſtud eſt refrigerium repreſſionis fomitis, nam in contritione fomes reprimitur: vnde poſtquam dixerunt tres pueri: *In anima contrita, & in ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur;* fecit Dominus medium fornacis quaſi ventum roris flantem.

SEXTA contritionis vtilitas eſt effectus expugnationis; nam in contritione confert Dominus virtutem expugnādi hoſtes; ſicut dicitur Iudith. 14. *Dominus conteret eos,* ſcilicet Aſſyrios aduerſantes, qui interpretantur deprimentes vel conuincentes, *ſub pedibus veſtris.* Et Rom. 16. ait Apoſtolus. *Deus pacis conteret ſathan ſub pedibus veſtris.* Item Iudith. 8. *Indulgentiam eius cum lachrymis poſtulemus.* Sequitur. *Per voluntatem ſuam faciat nobiſcum miſericordiam ſuam.* Sequitur. *Et humiliabit omnes qui inſurgunt contra nos.*

7. Propter effectum illuſtrationis. SEPTIMA vtilitas contritionis eſt effectus illuſtrationis. Eſt enim collirium illuminatiuum & clarificatiuum oculorum mentalium; quia licet primo turbet oculos interiores, tamen turbando eos clarificat, & animam illuminat. Apoc. 3. Dicit Dominus Epiſcopo Laoditiæ, qui credebat ſe eſſe diuitem, & clare videntem; quod *erat pauper, & nudus, & cæcus. Collirio inunge oculos tuos, vt videas.* Ioan. 20. *Maria flens ad monumentum in fletu non cognouit Dominum, ſed poſt fletum.* Gregor. *Qui compunctionis luce eſt perfuſus, noctem humanam deſerit, & ad veram lucem oculos aperit.* Supra de pœnitentia, vbi habetur exemplum *de Æmiliano illuminato.* Ioan. 9. *Laui, & vidi.* Lauaui inquam per contritionem lachrymando, & diuinæ gratiæ lumine radiante conſcientiam intuendo.

8. Propter effectum retributionis. OCTAVA vtilitas contritionis eſt effectus retributionis. Facit enim ingreſſum in vitam æternam. Ioſue 15. *Initium aſcenſus terræ promiſſionis incipit à ſummitate maris ſalſiſſimi,* ſcilicet contritionis. Luc. 32. Latroni contrito promittit Dominus Paradiſum, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ibidem. *Ioſeph* qui vnxit corpus IESV mirrha & aloë, per quę contritionis amaritudo ſignificatur, *erat expectans regnum Dei.* Ioan. 3. dicitur. *Fons ſaliens.* id eſt ſalire faciens *in vitam æternam.*

IN vitis Patrum dicit Abbas Paſtor fratri cuidam quærenti quid ageret; Abraham quando venit in terram promiſſionis, hoſpes, inquit, emit ſibi ſepulchrum; & poſt, terram in hæreditate percepit: ſic nos debemus facere. & cum frater quęreret quomodo hoc, dixit ſenex: Sepulchrum eſt locus lugendi & plāgendi. Sic qui vult hæreditatem obtinere, debet hic primo lugere & plangere.

Exempla. ITEM legitur, quod quidā miles habuit filiā de vxore

ſua

ſua valde pulchram, quam inſtigante diabolo illicito amore amauit, & corrupit: quem zelũ mater per ſigna nimis euidentia aduertit & deprehendit, & cum præ confuſione ſua & filię, ſtupens nollet factum propalare, filia perpendens quod res eſſet matri cognita, conſilio cuiuſdam vetulę dedit matri venenum, de cuius hauſtu mortua eſt. Quod cum pater aduertẽs horreret, & filiam dimitteret, & refugeret, ipſa eodem veneno quo mortem intulit matri, intulit & patri. Quibus ſic occiſis, diu deſperata permanſit, quouſque à quodam prædicatore Crucis audiuit, quod omnia peccata quæ poſſent fieri, quaſi nihil erant ad comparationem miſericordiæ Dei. Ad quem accedens, cum nec præ dolore confiteri valeret, tantum eam conſolatus eſt, quod ei vix loqui valens præ lachrymis, peccatum ſuum eſt confeſſa, iudicans ſe dignam omni pœna, & confuſione. Quæ etiam ſtatim vt ab eo receſſit, cum quadam ancilla ſua ad Eccleſiam iuit; & ibi in oratione ſe proſternens, & lachrymis laxans habenas, præ earum innundatione & dolore præfocata; mortua inuenta eſt. Cum autem ille qui confeſſionem eius audierat, in ſermone ad populum faceret pro ea rogari, audiuit vocem ſibi dicentem, quod potius erat neceſſarium quod ipſa oraret pro eo, quæ in lachrymarum inundatione quaſi iterum baptizata, euolauerat ad cæleſtem patriam, ſine omni pœna purgatoria.

De confeſſione.

DISTINCTIO IX.

DEINDE dicendum eſt de confeſsione, circa quam conſideranda ſunt decem. Primo quid ſit confeſſio. Secundo vtrum omnes teneantur confiteri, & quo iure. Tertio cui ſit confitendum. Quarto de quibus. Quinto quando. Sexto qualis debet eſſe cõfeſsio. Septimo de his quæ mouere debent ad confeſſionem libenter faciendam. Octauo de vtilitate confeſsionis, & eius effectu multiplici. Nono de confeſſione inutili. Decimo de impedimentis veræ confeſsionis.

Quid confeſſio. CIRCA primum ſciendum, quod eam ſic diffinit Auguſt. *Confeßio eſt per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur*. Ad cuius euidentiam ſciendum, quod confeſſio ſit tripliciter, aut in foro conſcientiæ coram Deo, aut in foro pœnitentiæ coram Dei Vicario, aut in foro contentioſo coram iudice. In prima peccatum latens non aperitur, quia apertum erat. In tertia vero non aperitur ſpe veniæ. In media vero peccatum latens ſpe veniæ aperitur. Vnde confeſsio ſacramentalis quę eſt pars pœnitentiæ, ibi conuenienter deſcribitur, & per materiam quæ eſt peccatum, & per actum qui eſt aperire, & per finem qui eſt ſpes venię. Bene autem dicitur *peccatum latens*, quia & ante confeſsionem erat peccatum apertum confeſſori, vel alij cuicunque vt homini, non tamen vt Dei vicario. Item dicitur *aperiri*, quia etſi aperiatur Dei vicario, clauditur tamen ſub ſigillo, & ipſi confeſſori vt homini, & omnibus aliis. Item dicitur *ſpe veniæ*, quia timor aliquando fit motiuum ad confitendum, non tamen mouet vt finis.

CIRCA ſecundum, ſc. *vtrum omnes teneantur ad confeßionem*. Dicendum eſt, quod duplex eſt confeſsio; quædam mentalis, quæ fit ſoli Deo; quædam vocalis. Item vocalis duplex, quædam generalis & indiſtincta, & quædam ſpecialis & diſtincta. *Confeßio* mentalis quæ fit ſoli Deo, eſt de iure naturali, & ad illam tenebantur omnes homines ante omnem legem ſcriptam.

CONFESSIO vero vocalis generalis & indiſtincta, aliquo modo erat de lege Moſayca, ſcilicet per determinationem ſacrificiorum, ſicut patet in Leuitico, vbi dicitur: *Anima quæ per ignorantiam peccauit, ſic offeret*, &c. *Anima quę per ſuperbiam*, &c. *vel ſi peccauerit princeps*, &c. Vnde ſecundum genera peccatorum erant determinata genera ſacrificiorum; & ſic in offerendo quodammodo confitebantur peccatum ſuum. Item in emiſsione hirci emiſſarij, ſacerdos confitebatur peccata totius populi domino in vniuerſali, non ſingulariũ perſonarum in particulari. *Confeſsio* vero mentalis diſtincta & determinata, ſacerdoti facienda eſt de iure diuino in lege Euangelica promulgato: quia in omni iudicio bene ordinato, oportet alterum eſſe reum, alterum iudicem. In pœnitentia vero quoddam iudicium eſt, ideo decet ibi eſſe alium reum. Iudicium autem contra reum procedit, aut per probationes contra inimicum, aut per confeſsiones proprias ſponte factas. Cum ergo iudicium pœnitentiæ ſit ſpontaneum, oportet procedere ex confeſsionibus rei, non ex aliis probationibus; in iudicio vero non debet eſſe iudex principalis, niſi qui poteſt abſoluere & condemnare. Et ideo iudicium illud ſoli Deo principaliter competit, qui ſolus poteſt peccata relaxare. ipſe vero quia Deus erat & non homo, ſufficiebat ei mentalis confeſsio vſque ad ſuſceptionem humanæ naturæ: ex tunc autem etiam vocalem confeſsionem quæ fit homini, requirit ab homine. & quia ipſe in forma humana nobiſcum præſens eſſe non poteſt, vicarios conſtituit homines, quibus debemus confeſsionẽ facere. In hoc autem quod eis poteſtatem iudiciariam ligandi & ſoluendi dedit, confeſsionem eis tanquam iudicibus debere fieri inſinuauit.

Confeſſio ſacramentalis eſt de iure diuino Euangelico.

Neceſſitas confeſſionis ex diuino iure probatur.

OMNES ergo homines tenentur confiteri peccata ſua explicitè ſacerdoti; quia Chriſtus hoc præcepit implicitè in figura, cum dixit leproſo mundato. *Vade oſtende te ſacerdotibus*. Matth. 8. Et etiam ſine figura; in hoc non tantum poteſtatem iudicandi in foro exteriori dedit diſcipulis, accipiendam ab aliis mediante Petro, cui eam promiſit ante paſsionem, cum ſibi dixit illud, quod ſcriptum eſt Matth. 16. *Tibi dabo claues*, &c. Et dedit poſt reſurrectionem, cum dixit ei: *Paſce*, &c. Ioan. 22. Sed etiam dedit eis poteſtatem iudicandi in foro conſcientiæ, non tantum Apoſtolis quorum ſunt Epiſcopi ſucceſſores, ſed etiam aliis diſcipulis, quorum ſunt ſucceſſores inferiores ſacerdotes: & illam poteſtatem omnibus immediatè dedit per ſeipſum, cum poſt reſurrectionem dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*. Ioan. 20. Quibus autem datur poteſtas iudicandi de aliqua cauſa implicitè, datur eis poteſtas cognoſcendi de illa: nullus enim poteſt eſſe bonus iudex de his quæ ignorat. Sacerdos autem cognoſcere non poteſt ſufficienter forefacta conſcientiæ peccatoris, niſi peccator ei conſcientiam ſuam per confeſsionem aperiat.

SED fortè dices, quod ex dictis non ſequitur quod peccator teneatur de neceſsitate confiteri, ſed quod ſi confitetur ſacerdos poteſt ipſum iudicare de confeſsis

Solutio obie. SED hæc euaſio eſt friuola: nullus enim eſt iudex meus, pro quo non teneor facere niſi quantum volo. Cum ergo Chriſtus ſacerdotes conſtituerit iudices aliorum in foro conſcientiæ, tenentur peccatores de neceſsitate ſalutis confiteri peccata ſua ſacerdoti. Et ideo bene dixit Sapiens Prouer. 28. *Quod qui abſcondit ſceleri ſua non dirigetur*. Auctoritas etiam Apoſtolica hoc præceptum promulgauit. Vnde Iacobus in canonica ſua poſtquam dixit. *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, &c.* Cito poſt ſubiungit. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini*. In quo patet, quod intellexit confeſsionem eſſe faciendam ſacerdotibus, & eam eſſe neceſſariam ad ſalutem. Per hoc quod dixit, *vt ſaluemini*, quod non tantum referendum eſt ad hoc quod dixit, *Orate pro inuicem*, ſed etiam ad hoc quod dixit, *Confitemini*. Præceptum etiam de confitendo ſacerdoti Eccleſia circunſtantiauit, quantum ad illum cui confitendum eſt, & quantum ad tempus confitendi, & quantum ad modum, extra de pœn. & re. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere. Ex prædictis patet, per contritionem mortale peccatum non remitti, ſine confeſſione in re, vel in propoſito; explicitè, vel implicitè. Et ſic debet intelligi illud quod dicitur de pœnitentia diſt. 1. c. *Si cui.* & c. *Ex his.* Nullus autem per confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis, peccati abolet culpam.

De confitendo proprio ſacerdoti.

DISTINCTIO X.

CIRCA tertium, ſcilicet cui ſit confitendum, conſideranda ſunt quinque. Primo vtrum ſit neceſſe confiteri proprio ſacerdoti. Secundo vtrum ex priuilegio vel mandato ſuperioris, poſſit aliquis confiteri alij quam proprio ſacerdoti. Tertio vtrum illi qui confitentur alicui poteſtatem ſuperioris habenti, teneantur eodem anno confiteri ſuo Parochiali ſacerdoti. Quarto vtrum in caſu neceſſitatis ſufficiat confiteri laico. Quinto vtrum confeſſi confeſſori non ſacerdoti, quem Parochialis ſacerdos poſuit loco ſui, teneantur eadem peccata iterum confiteri, poſtquam eis conſtiterit illum, cui confeſſi ſunt, ſacerdotem non eſſe.

AD primum, ſc. *vtrum neceſſe ſit cuilibet confiteri proprio ſacerdoti.* Dicendum quod proprius ſacerdos quadrupliciter poteſt accipi. *Vno modo* eſt proprius ſacerdos alicuius, habens ſuper ipſum iuriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, modo tamen inferiori; & ſic proprius ſacerdos eſt ille qui communiter vocatur presbyter Parochialis. *Alio modo* habens iuriſdictionem ordinariam, ſed modo principali; & ſic Epiſcopus eſt proprius ſacerdos omnium exiſtentium in ſuo epiſcopatu: Vel etiam modo principaliſſimo; & ſic Papa eſt proprius ſacerdos omnium Chriſtianorum. *Tertio modo* habens iuriſdictionem delegatam ab aliquo iſtorum, vel à legato Domini Papæ. *Quarto modo* habens iuriſdictionem, vel ex communi conceſſione, vel permiſſione iuris; & ſic ſunt proprij ſacerdotes illi, quos Epiſcopi vel Abbates exempti eligunt in confeſſores. Talibus enim permittitur ex iure communi eligere ſibi diſcretum & prouidum confeſſorem, extra de pæ. & re. *Ne pro dilatione.* Sic etiam eſt proprius ſacerdos presbyter quicunque illius, quem audiuit conſtitutum in articulo neceſſitatis, ſi proprium ſacerdotem aliquo prædictorum trium modorum non poteſt habere. Hoc etiam quarto modo eſt proprius ſacerdos vagabundorum quicunque presbyter parochialis, in cuius parochia voluerint confiteri: quia tales nuſquam habent domicilium proprium. ff. *ad municipa.* l. *Labeo.* Similiter dico de illis, qui domicilio relicto nauigant, vel iter faciunt, quærentes quo ſe conferant. ff. *ad municipal.* l. *eius* c. *Si quis domicilio.* Sic etiam eſt proprius ſacerdos peregrinorum ad ſancta loca, quicunque parrochialis presbyter cui voluerunt confiteri de commiſſis poſtquam receſſerunt à iuriſdictione illius in cuius poteſtate habent domicilium.

Quis dicendus proprius ſacerdos.

Confeſſio debet fieri proprio ſacerdoti.

ACCIPIENDO autem proprium ſacerdotem pro ſacerdote habente iuriſdictionem aliquo prædictorum modorum, non eſt facienda confeſſio niſi proprio ſacerdoti, ad hoc vt homo non tranſgrediatur præceptũ, conſequaturque confeſſionis effectum. Quia ſicut in naturalibus ad aliquem effectum requiritur potentia actiua in agente, & materia debita in ſuſcipiente, ſic ad effectum ligandi & ſoluendi in foro conſcientiæ requiritur poteſtas clauium, quæ datur ſacerdoti in ſua ordinatione, & materia debita, id eſt ſubditus, qui habetur ex iuriſdictione aliquorum prædictorum modorum. Sed accipiendo proprium ſacerdotem primo modo vel ſecundo, quamuis ſit eis confeſſio regulariter facienda, in multis tamen caſibus non oportet, vt oſtẽſum eſt.

Vt ſacerdos abſoluat debet habere poteſtatem ordinis & iuriſdictionis.

AD ſecundum, ſc. *vtrum ex priuilegio vel mandato ſuperioris, poſſit aliquis confiteri alij quam proprio ſacerdoti.* Dicendum quod ad audiendum confeſſionem alicuius & abſoluendum, requiritur poteſtas ordinis, & poteſtas iuriſdictionis. Talis ergo poteſtas non poteſt committi non habenti ordinem, nec poteſt committi à non habente iuriſdictionem. Poteſt tamen committi habẽti ordinem, ab eo qui habet iuriſdictionem tantum, vel ab eo qui habet iuriſdictionem & ordinem. Talibus ergo quibus eſt commiſſa poteſtas, poſſunt ſubditi confiteri.

AD tertium, ſc. *vtrum illi qui confeſſi ſunt alicui poteſtatẽ ſuperioris habenti, teneantur eodem anno confiteri ſuo parochiali ſacerdoti.* Dicendum, quod Epiſcopus habet ordinariam iuriſdictionem ſuper ſubditos ſacerdotum parochialium; illud autem quod conuenit ex ordinaria iuriſdictione, ipſe poteſt committere alij habenti ordinẽ conuenientem ad illud officium exequendum, *extra de conſecra. Eccleſiæ. Aqua.* Illi ergo qui confitentur legitimè habenti poteſtatem Epiſcopi, & abſoluuntur ab eodem, verè ſunt abſoluti; nec eadem peccata in numero tenentur ſuis presbyteris parochialibus confiteri. *Sed vtrum eodem anno teneantur confiteri presbyteris parochialibus peccata quæ poſt abſolutionem incurrunt,* opiniones ſunt. Et aliqui dicunt, quod non: quia per presbyterũ parochialem non intelligitur curatus inferior, ſed etiã Epiſcopus. vnde Epiſcopatus quandoque dicitur parochia, & Epiſcopus presbyter parochialis. Quod probari poſſe videtur per illud quod dicitur *extra de parochijs, & alienis parochianis.* c. *nullus.* Et 9. q. 2. *Nullus.* Et c. *Nullus primas.* Et c. vlt. Alij dicunt per presbyterum inferiorem non intelligi niſi curatum inferiorem, quia verba debent accipi ſecundum quod ſonant in vſu cõmuni. Præterea Papa in priuilegio conceſſo minoribus & prædicatoribus, ſuper confeſſionibus audiendis, declarando videtur dicere, quod in illo ſtatuto, *Omnis vtriuſque ſexus,* intelligitur presbyter parochialis ille, qui in communi vſu ſic vocatur, in hoc quod dicit quod confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis presbyteris parochialibus confiteri, prout ſtatuit Concilium generale. Cum enim dicendo *presbyteris* excludat non presbyteros, & per hoc quod dicit *ſuis,* excludit nõ habentes iuriſdictionem ſuper eos, videtur quod per hoc quod dicit *parochialibus,* excludit Epiſcopos. Alias illud verbum *parochialibus* ibi poneretur pro nihilo. vbicunque autem Papa aliquid dicit per modum declarationis iuris, ſi bullatum eſt, ad omnes ſe extẽdit, etiãſi non ſit inſertum inter alias decretales: ergo cum Epiſcopus non ſit ſuper ſtatutum, confeſſi ſibi, vel alicui auctoritate eius, tenentur eodem anno ſuo curato inferiori ſemel confiteri. Non ſic autem dicendum eſt de confitentibus Papæ, vel habentibus eius auctoritatem abſolute; quia Papa eſt ſupra Concilium generale: prima tamen opinio rationabilior videtur.

Quã eſt confeſſus Epiſcopo vel alicui authoritate eius, non habet opus illo anno ſacerdoti parochiali confiteri.

AD quartum, ſc. *vtrum in caſu neceſſitatis poſſit vel debeat quis laico confiteri.* Dicendum quod confeſſio debet fieri habenti ordinem, vt dictum eſt, qui ſc. virtute clauium poſſit abſoluere, & aliquid de pœnitentia relaxare, quod non poſſunt laici; ideo confeſſio ſacramentalis non debet fieri laico. Et ſi fiat non poteſt abſoluere, nec aliquid de pœnitentia pro peccatis debita relaxare. Poteſt tamen talis confeſsio eſſe meritoria cõfitenti, ratione humilitatis; & nihilominus tempore debito tenetur confiteri ſacerdoti proprio, vel alij poteſtatem habenti.

Cõfeſsio laico facta non poteſt eſſe ſacramentalis, eſto poſſit eſſe meritoria ratione humilitatis.

AD quintum, ſc. *vtrum confeſsi confeſſori non ſacerdoti, quem parochialis ſacerdos poſuit loco ſui, credens eum eſſe ſacerdotem, teneantur illa eadem peccata iterum confiteri, poſtquam conſtiterit eis, illum cui confeſsi fuerunt non eſſe ſacerdotẽ.* Dicendum, quod tales tenentur illa eadem peccata, ſi illorum ſunt memores, iterum confiteri ſacerdoti: quia ſecundum rei veritatem, ex illis non ſunt ritè confeſſi, nec ſacramentum pœnitentiæ ſuſceperunt; nec tamen iudicandi ſunt peccaſſe tanquam tranſgreſſores ſtatuti de confitendo, quia eos ignorantia inuincibilis ſeu probabilis

Confeſſi non ſacerdoti ex ignorantia inuincibili tenentur iterũ confiteri.

babilis excusauit. Et dico quod illa confessio eis fuit meritoria, non tamen eis tam vtilis cæteris paribus, ac si confessi sacerdoti fuissent: quia non sacerdos nõ potest conferre pœnitenti illud beneficium, quod sacerdos ex vi clauium administrat.

De quibus tenetur quis confiteri.

DISTINCTIO XI.

CIRCA QVARTVM, sc. de quibus homo debeat cõfiteri, videnda sunt tria. Primo vtrũ teneatur confiteri omnia mortalia, tam publica, quam secreta. Secundo vtrum teneatur quis venialia confiteri. Tertio vtrum omnes circunstantias peccatorum.

AD PRIMVM dicendum, quod homo tenetur confiteri omnia peccata mortalia, tam secreta, quam publica: quia etsi secreta debeant mori interius per contritionem, deferri tamen debent ad sepeliendum exterius per confessionem. Et quia non sufficit aliquid esse notum iudici, nisi sit ei notum in forma iudicij, quia vt dicitur 3.q.7. *Iudicet. Iudex debet iudicare secundum allegata*: ideo peccata publica, quamuis sint manifesta sacerdoti sicut homini, quia tamen non sunt ei manifesta sicut vicario Dei, oportet ea confiteri. Et prẽterea, sicut dicit magister dist. 17. c. vlt. confessio est quædam punitio peccati, vt per eam peccator sit humilior & cautior; vnde non est tantum ad notificandum confessori peccatum.

Omnia peccata mortalia tam publica quam secreta sunt confitenda.

AD SECVNDVM, scil. *vtrum de venialibus teneatur quis confiteri.* Dicendum, quod per venialia non fit separatio, nec à regno Ecclesiæ triumphãtis, nec à regno Ecclesiæ militantis, cũ ergo per ipsa regnum non claudatur, non indiget de necessitate officio clauium per quod regnũ aperitur. Non ergo necesse est confiteri venialia per se loquendo; per accidens tamen potest esse necessarium, vel ratione dubij, quando creduntur esse mortalia, vel ratione statuti, quando homo, qui tenetur confiteri semel in anno, non habet nisi venialia.

Nemo tenetur confiteri venialia nisi ratione dubij vel statuti.

AD TERTIVM, sc. *vtrum teneatur homo circũstantias omnes peccatorum confiteri.* Dicendum, quod circunstantiæ aliquando mutant speciem peccati, & tunc circunstãtiæ sunt confitendæ, quia species peccati confitẽda est: aliquando ita aggrauant in eadem specie, quod actum reddunt mortalẽ, qui sine illis mortalis non esset, sicut patet: Idem enim actus illicitus potest fieri ex tanta intentione, quod peccatum mortale esset, qui tamen ex surreptione factus, mortale nõ esset; & talis circũstantia confitenda est. Aliquando autem non aggrauãt criminaliter, sed venialiter: quia sine illis illa deordinatio peccatũ mortale esset, nec per eas fieret peccatũ mortale, si alias non esset. Et sic venialia non sunt confitẽda de necessitate, nisi aliquando per accidens, vt superius dictum est. sic tales circunstantiæ non requiruntur de necessitate ad sufficientem confessionem, quamuis requirantur ad confessionis perfectionem.

Circunstãtiã mortaliter aggrauantes sunt confitenda.

VT AVTEM melius sciri possit quando sint confitẽdæ de necessitate, & quando non; sciendum, quod circunstantia dicitur illud quod est extra essentiam actus, aliquo tamen modo ipsum attingens, aut quantum ad effectum, aut quantum ad causam. *Primo* modo dupliciter, scil. aut per modum mensuræ; & tales circunstantiæ sunt *tempus, & locus*, vel tanquam qualitas actus; & talis circunstantia est *agendi modus*. *Secundo* modo est circunstantia *quid factum est*, scil. mutilatio grauis vel leuis in respectu. *Tertio* modo tripliciter, scil. quantum ad causam finalem; & sic accipitur hęc circunstantia *propter quid*; aut quantum ad causam materialem quæ est obiectum actus; & sic accipitur hæc circunstantia *circa quid*; aut quantum ad causam efficientem, & hoc dupliciter secundum quod est duplex causa efficiens, sc. principalis; ex parte cuius accipitur hæc circunstãtia *quis fecerit*; & instrumẽtalis, ex parte cuius accipitur hæc circunstantia, *quo instrumento, vel quibus auxilijs fecerit*. Nec est intelligendum, quod *propter quid, circa quid, & quis*, sint circunstantiæ, inquantum ex eis dependet essentia actus, sed inquantum sunt quędam coniũctiones adiunctæ. Vnde quando quęritur *quis fecerit* tanquã circunstantia, quæritur vtrum clericus, vel laicus, vel religiosus, & quando quęritur *circa quid*, quæritur vtrũ ille homo quem percussit esset Prælatus, vel subditus, & sic de aliis. Has autem octo circunstantias ponit Philo. 3. Ethic. c. 4. & quælibet earum aggrauare potest inordinationem, quandoque criminaliter, quandoque venialiter.

Quid circũstantia & quotuplex.

CIRCA QVINTVM, sc. *vtrum statim habita opportunitate sacerdotis, teneatur homo confiteri.* Dicendum, quod ille qui committit peccatum mortale, non statim tenetur de necessitate confiteri, habita confessoris opportunitate; B sed sufficit quod semel in anno sicut statuit concilium generale; Nisi in quatuor casibus. *Vnus* est ratione sacramenti, scil. quando vult communicare, vel celebrare; nisi forte de propinquo expectet alium, cui deuotius & securius confiteatur; sic enim expectãs nullo iure communicare prohibetur, si verè pœnitens est. *Secũdus* ratione periculi, videlicet quando est in notabili & imminenti periculo mortis. *Tertius* est in ratione conscientiæ, sc. quando conscientia sibi dictat quod statim teneatur confiteri de necessitate. *Quartus* ratione dubij, sc. quando probabiliter videt se amplius anno illo copiã confessoris habere non posse, qui ipsum possit absoluere. *Quintus* casus addi potest quantũ ad religiosos qui ratione statutorũ suorũ, & sui status, tenentur confiteri frequentius qua instituit Conciliũ generale. Nec C tamen propter hoc sequitur, quod statim teneãtur cõfiteri, habita confessoris opportunitate, nisi adsit dies, quo secundum statum religionis suæ confiteri teneãtur. Quod autẽ peccator regulariter non teneatur statim confiteri patet, quia ad hoc non obligatur ex iure naturæ, quia confiteri sacerdoti non est ex iure naturæ absolutè; nec ad hoc obligatur diuina lege, quia etsi Christus confiteri sacerdoti præceperit implicitè, non tamen præcepit hoc statim fieri; nec ad hoc obligatur iure positiuo, sed tantũ ad semel in anno, vt dictum est.

Nemo tenetur statim confiteri nisi quinque casibus.

Nota quod ista maior dilatio aut securitas non sufficit vt quis possit cõmunicare data copia confessoris.

De commendantibus confessionem.

DISTICNTIO XII.

CIRCA sextum, scil. qualis debeat esse confessio salutaris. Sciendũ quod debet habere sexdecim cõditiones, quæ reddunt eam commendabilem. D

Confessione requirit sedecim conditiones.

PRIMO debet esse volũtaria, quia nec donũ, nec seruitium, nec sacrificium gratum potest esse Deo vel homini, nisi sit voluntarium. Ideo de confessione dicit Ps. 53. *Ex voluntate mea confitebor.* Item 27. *Voluntarie sacrificabo tibi*, &c. Cant. 5. *Labia eius distillantia myrrhã primã*, sc. quæ sponte, non per vim incisionis egreditur, vt non sit confessio Achan, vel furum. vel Antiochi. 2. Mach. 9. vel vt confessio Ionæ, Ion. 1. sed sit vt confessio dexteri latronis. *Secundo* debet esse studiosè prẽmeditata, vt homo diligenter præuideat & recogitet totam vitam suã, & opera sua, & tempus suum, vt de omnibus possit confessori reddere rationem: vt Dauid, qui dicebat. *Cogitabo pro peccato meo.* Isa. 38 dicit Ezechias timẽs præoccupari morte. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*, &c. E

1. *Vt sit volũtaria.*

TERTIO debet esse festina. Gen. 29. *Modo confitebor Domino.* Sunt autem septem causæ quare festina debet esse confessio. *Prima* est ex peccati & cõfessionis ipsius qualitate; quia peccatum ignis infernalis est, nec alia aqua potest extingui nisi lachrymosa confessione, qui quam cito intrauerit domum, occurrendum est vt extinguatur. Bern. *Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, nudatis visceribus, sanie defluente, consulendum est an ipsum excutiam?* Item peccatum est morbus grauissimus, confessio medicina. Hier. *velox confessio velocẽ facit medicinam.* Aug. de latrone dextero. *Qui cito conuertitur citò eis ignoscitur.* Psalmista 78. *Cito anticipẽt nos misericordiæ tuæ.* Peccatũ est immũditia, àqua debet se iacẽs cito erigere.

2. *Vt sit prẽmeditata.*

3. *Vt sit festina.*

Septem causæ vrgent vt confessio sit festina primo peccati faditum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quis non cito festinat asinum suum eruere vel eleuare, quem videt in lutum cecidisse, Bern. *Cadit asina, & est qui subleuet: Perit anima, & non est qui curet.* Qui in peccato iacet, videtur minus se diligere, & de se curare, quam de aliquo suorum. Quis enim est tam negligens, qui videt domum suam succendi, qui eam extinguere non festinet? infirmum ad mortem, & curari cito non affectet? spoliari, & sua deprædari, & adiutorium non aduocet? aliquid suorum in lutum cadere, & statim non eleuet?

2. Mortis propinquitas.

SECVNDO debet mouere hominem ad cito confitendum mortis propinquitas, & horæ mortis incertitudo; quia peccatori mors in omni loco insidiatur, & cum nō prouidetur, cito irruit. Seneca. *Mors in omni loco te expectat, & tu in omni loco securus expecta, subito rapit hominem improuisum.* Isa. 28. *Dum adhuc ordirer succidit me.* Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominū, & ne differas de die in diē, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Greg. *Si quis sciret quo tempore à præsenti sæculo exiret, se parare per confessionem non differret: sed qui promittit veniā pœnitenti, diem crastinum non spopondit.* De hac materia habetur supra, lib. 2. *de subita & veloci morte malorum. Tertio*

3. Periculi immensitas.

periculi in quo est peccator immensitas, de quo satis habetur supra.

4. Misera captiuitas.

QVARTO misera captiuitas; quia est in carcere peccati; in ore diaboli, leonis, lupi, & draconis infernalis, in ventre ceti, à quibus liberatur antequā absorbeatur, veloci clamore confessionis. Clamat canis, ouis, porcus, cum se vident in os lupi cecidisse, vt per occursum pastorum eruantur. Magis est his fatuus peccator, qui cito non clamat per confessionem, cum dicat Gl. super illud. Ps. 69. NEQVE ABSORBEAT ME PROFVNDVM &c. *Non vrgebit puteus super te os suum, nisi tu clauseris os tuum.*

5. Amissi pretiositas.

Quinto debet mouere ad cito confitendum amissi pretiositas, quia bona æterna & spiritualia & tempus suū & seipsum amisit, & bona infinita tamdiu amittit, quamdiu deberet confiteri, quæ omnia recuperat virtute confessionis. *Sexto* memoriæ labilitas, & rationis reddendæ necessitas. Bernard. *Ratio dilata facit obliuisci multa.*

6. Memoria labilitas.

7. Dei expectatio.

SEPTIMO expectantis Dei immensitas, *quæ stat ad ostium & pulsat.* Apo. 3. Specialiter autem periculosum est differre confessionem vsque ad mortem, quia sicut dicitur in Psalm. 6. *Non est in morte qui memor sit tui*, ô Domine Eccl. 17. *Ante mortem confitere, mortuo quasi nihil parit confessio, viuus & sanus confiteberis.* Hoc bene vidit Ezechias infirmus, qui dicebat Isa. 38. *Viuens viuens ipse confitebitur tibi.* Aug. *Qui differunt pœnitere vsque ad finem, vix aut nunquam bene pœnitent: quia quod creditur esse vera contritio, mortis instantis est exasperatio.* Item. *qui differt pœnitere vsque in mortis articulum, sicut incerta est eius damnatio, ita in dubio est peccatorum suorum remissio.* Item. *Qui vult ergo saluus esse, pœniteat dum sanus est.* Greg. *Cū ægritudine opprimeris, nihil aliud cogitare poteris; quia ibi dirigitur tota intentio mentis, vbi sentitur vis doloris.* Augustinus. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.*

4. Vt sit vera.

QVARTO confessio debet esse vera Psalmus 50. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Ioan. 8. *Veritas liberabit vos.* Necesse est vt generaliter se peccatorem semper homo confiteatur, licet in se aliquod peccatum mortale non recordetur. Leuit. 8. *Leprosus contaminatum & immundum semper se clamabat.* Io. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus*, &c. Sit ergo vera, vt peccatum quod commisit non taceat, nec causa humilitatis peccatum suum augeat mentiendo; & quod non fecit, dicendo se fecisse. Act. 5. dixit Petrus Saphiræ & Ananiæ. *Cur tentauit sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui-sancto?* Aug. *cum in confessione causa humilitatis mentiris, etsi non eras ante, peccator efficeris.* *Item* vera, vt de vero corde & non ficto procedat, Io. 12. *Maria accepit libram nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu*, &c.

5. Vt sit nuda.

QVINTO debet esse nuda, non palliata, non verbis obscuris, vel dubiis obuoluta, sed apertis sermonibus declarata. Ps. 36. *Reuela Domino viā tuam.* Iob 31. *Si abscō-*

A *di quasi homo peccatum meum, & celaui iniquitatem in sinu meo*, &c. Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem ea confessus fuerit & reliquerit, misericordiā cōsequetur.* Boetius. *Si medicinas expectas, necesse est vt vulnus detegas, quod homo peccata detegat, hoc requirit natura medendi.* Aug. *Quādiu ferrum est in vulnere, non est malagma imponere.* Gre, *Vulnera occulta magis excruciant; quia cum putredo quæ interius seruet foris ejicitur, dolor ad salutem aperitur.* Idē. *Contritio apostema pungit, confessio aperit, satisfactio cataplasma apponit.* *Item* debemus nudare, ad prouocandum diuinā pietatem & largitatem ad similitudinem truncatorū, qui vt possint citius obtinere à piis hominibus, suam ostendunt infirmitatem, fœditatem, deformitatē, paupertatem. Sic debet facere confitens, vt magis possit commouere viscera pietatis, & obtinere largiora mu-

B nera diuinę largitatis. Isa. 57. *Descende, sede in puluere virgo.* &c. Et post. *Reuela crus, denuda turpitudinem tuam*, &c. *Item* debemus denudare, ad prouocandum diuinam curialitatem, quæ cooperit ostendentem sibi suam nuditatem. Ezec. 16. *Vidi te nudam, & confusione plenam, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam*, Aug. *Si homo tegit, Deus detegit; & si homo detegit, Deus tegit:* vt patet per exemplum mulieris, quæ clamauit peccata sua in mari. *Item* propter diuinam seueritatem, quę denudabit coram omnibus quæ noluerunt peccatores salubriter aperire spirituali patri in confessione. Isa. 57. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.*

Octo impediunt ne peccator nudā faciat cōfessionem.

OCTO autem sunt quæ obturant os peccatoris, ne

C nudam faciat confessionem, & quæ retrahunt ab ea. *Primum* est desperatio veniæ cōsequendæ. *Secundum* est præsumptio misericordiæ, per quam credit peccatum non puniendum. *Tertium* est spes longę vitę, per quam confidit, vt post longam vitam in peccato consumptam, pœniteat. *Quartum* est timor vel horror pœnitentiæ. *Quintum* est ignorantia culpæ aut iustitiæ. *Sextum* est amor peccati sui, aut nocumentum sui. *Septimum* est nimia verecundia. *Octauum* est nimia pigritia qua differt homo de die in diem.

6. Vt sit accusans.

SEXTO debet esse accusans, vt homo non excuset se, nec peccatum suum defendat, nec diminuat, sed potius exaggeret pensando genus peccati, & omnes circunstantias aggrauantes. Iob 7. *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meę*, dicendo omnes circunstantias, August. *Ignoscamus dicit Dominus, quia agnoscit: parcamus, quia sibi*

D *non parcit.* Idem Iob 10. *Dimittam aduersum me eloquium meum*, &c. Seneca. *Malus homo quicquid ab hominibus sciri non vult, Deo narrat.* Si homo se accusat, bene os diaboli obstruit. Psalm. 118. *Vias meas enunciabo.* Gloss. *Si homo sufficienter se accusauerit, vocem accusatoris parati excludit, & os eius obstruit.* Psalm. 31. *Iniustitiam meam non abscondi.* Pro. 18. *Iustus in principio accusator est sui, venit amicus eius, & inuestigabit eum*; nisi bene se accuset.

Exemplum.

IN Dicec. Rhemensi, cum quidam sacerdos haberet quandam parochianam, quam sciebat valde peccatricem, sed occultam; & ipsa esset coram eo se iustificans, nec aliquod peccatum posset de ea extorquere; firmato cancello in quo erat, dixit; quod Deus dederat ei maximas reliquias, quæ non fuerant inuentę de aliqua muliere, excepta matre Dei, quæ non peccasset. Cum

E autem pulsaret campanas, & faceret Parochianos vocari, dicens quod eas reponeret in capsa argentea; illa confusa, multa peccata & enormia est confessa. *Accusando* autem se, cauere debet ne accuset alios, vel eis imponat peccatum suum, sicut fecit Adam & Eua; & multi similes eis confitentur aliorum peccata, sicut vir vxoris, & econuerso; & socij sociorum. Alij generaliter dicunt peccata omnium, dicendo, sic facimus, sic loquimur, vel sic faciunt homines. Alij dicunt, sic feci propter socios quibus me negare non poteram, vel socij traxerunt me, vel socij sic faciebant, & verecundū erat mihi non facere sicut alij faciebant: contra tales dixit. Ps. 36. *Reuela Domino viā tuam.* Idem 55. *Vitam meā annūciaui tibi, non alienam.* Idē 31. *Delictū meū cognitū tibi feci, & iniustitiā meā non abscondi; dixit cōfitebor aduersum me*, &c.

Alienum

Alienum ergo peccatum confiteri non debet, nisi forte peccatum suum non possit aliter confiteri.

7. *Vt sit integrans.*

SEPTIMO debet esse integra, vt omnia peccata maiora & minora, & circunstantias peccatorum, à se abradat & obiiciat. Leu. 14. Leprosus qui mundabatur, radebat omnes pilos carnis suæ, & lauabatur aqua significãs nobis: vt omnia idola mortalium à finibus nostris eiiciamus; sicut fecerũt filij Israel, Iudic. 10. *Peccauimus, tu redde nobis: Et hæc dicentes, eiecerunt omnia idola de finibus suis, & sic placatus est Dominus.* Eccles. 28. *Ab omnibus delictis emunda cor tuum.* non vt fecit Cromatius, de quo legitur in vita S. Sebastiani, quod multa comminuit idola, vt reciperet sanitatem, & nobilius, scilicet solis & lunæ retinuit, nec tamen sanari potuit quousque illud destruxit, & tunc sanatus est à lepra. *Item* integra, vt omnes circunstantias aggrauantes dicat, & maxime trahentes peccatum in aliud genus vel speciem, & causas peccatorum non omittat. *Item* sit integra, vt eam non diuidat per diuersos sacerdotes, partem confitens vni, & partem alteri, sed totum dicat illi cui habet confiteri.

Exemplum.

ITEM in libro Petri Cluniac. dicitur, quod quidam miles intrauit ordinem Cluniac. cui grauissime ægrotanti videbatur per totam quadragesimam quod haberet runcinum suum cedentem faciem eius cum calcibus posterioribus; & non cessabat clamare, remouete à me runcinum istum qui me occidit. Cum autem in fine quadragesimę venisset Abbas, monuit eum ad confessionem faciendam; quam cum feciſſet negligenter, & interrumpendo eam clamoribus, & aliqua dimittendo scienter: & sic cum quieuit, quidam apparuit ei ad caput lecti sui, in manu ferens librum in quo erãt scripta omnia eius peccata, & dixit ei: Vides hæc omnia: aut tu hic dices hęc omnia, aut ego alibi dicam. Qui ad hoc motus, fecit vocari Abbatem, & facta confessione plenaria, à diabolo, & corporis & animæ periculo liberatur.

Exemplum.

ITEM in eodem libro dicitur, quod apud Rodolium, monasterium eiusdem ordinis, quidam monachus cõfitens, aliqua retinuit scienter peccata, & vidit ante se eodem tempore maximam multitudinem nigrorum, & duas lances, in quarum altera vidit animam suam, in altera omnia peccata sua eum accusantia. tunc vidit quendam formosissimum contra dęmones clamantem, quid vultis facere? iste non erit vester, quia confessus est. Econtra illi dicebant, quod non fuerat integrè confessus. Ille motus misericordia eum eripuit ab eis, suadens illi vt integrè confiteretur, quod ipse fecit, & liberatus est à periculo corporis, & animæ, & à dęmonibus. *Et merito* debet confessio esse integra de omnibus peccatis generaliter, quia de omnibus generale iudicium requiretur. Eccles. 12. *Cuncta quæ fiunt adducet Dominus ad iudicium pro omni errato.* *Item* diuisionem remissionis non patitur vnitas charitatis (quia nõ potest aliquis simul esse amicus Dei (& inimicus) nec vnitas gratiæ (quæ simul contrariatur omni peccato: vnde aut omnia delet, aut nullum) nec etiam summa Dei bonitas, quæ condonat omnia, vel nullum. Versus.

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.
Aut nihil, aut totum, gratia larga dabit.

8. *Vt sit simplex.*

OCTAVO confessio debet esse simplex, id est sine duplicitate hypocrisis, vt non sit sicut confessio illius hæretici, qui confitebatur vt confessorem peruerteret: nec sicut illius qui confitebatur, vt de bursa confessoris pecuniam furaretur: nec etiã sicut illius, qui pro lucro, vel fauore, vel alia de causa, nisi pro cõsequenda venia peccatorum. Eccl. 1. *Ne accesseris ad Deum duplici corde, & ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & ne scandalizeris labijs tuis, & reuelet Deus abscondita tua, & in conspectu synagogæ in iudicio generali elidat te; quoniam accessisti malignè ad Deum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Et 2. *Vę duplici corde*, &c. Hoc timeant illi, qui ad hoc confitentur solum, ne hæretici suspicentur, vel vt boni reputentur, vel ne à suis sacerdotibus molestentur; vel qui in confessione sua se iustificant, vt vel ne mali appareant, vel vt boni iudicentur, vel videantur.

9. *Vt sit verecunda.*

NONO debet esse verecunda Eccl. 7. *Gratia verecundiæ est super aurum contra impudentes.* Hier. 4. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Debet autẽ erubescentia in confessione seruire, non dominari; vt non claudat os confitentis Eccl. 4. *Est enim confusio adducens gloriam*; scilicet illa quæ seruit confessioni: adducit autẽ ignominiam illa quæ dominatur, & claudit os, vt sit mutus in ore. *Debet* autem erubescere peccator propter septem. *Primo*, quia in præsentia Dei, & cęlestis curiæ, & corã eorum oculis fecit imprudenter, quod coram vilissimo rustico facere non ausus fuisset. 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*, Luc. 15. *Pater peccaui in cælum, & coram te. Secundo* propter nobilitatis diuinæ indecentiam, contra quam commisit; vt fornicaria nobilis contra patrem suum & genus. Philo. *Erubesce cælum intrare in cæno.* Bern. *O anima illustrata Dei imagine, decorata similitudine*, &c. Et post. *Quid tibi cum carne?* Eccles. 41. *Erubescere à patre & matre de fornicatione. Tertio* propter peccati vilitatem & ignominiam, in quo deprehensus est, & quod omnibus palam fiet, nisi hoc per confessionem & pœnitentiam contegatur. Hier. 2. *Sicut confunditur fur in furto suo*, &c. *Quarto* propter vilissimi fori imprudentiam. Hier. 31. *Postquam ostendisti mihi percussi femur meum, confusus sum, & erubui.* Femur cõ sueuit percuti de vili & malo foro, quando res pretiosa datur pro nihilo. *Quinto* propter deiectionis vehementiã; quia filius & hæres Dei, fit seruus diaboli per peccatũ: Membrum Christi fit membrum diaboli. Hier. 2. *Vbi non prostrata es? Sexto* propter ingratitudinem diuinę misericordię. Gre. *Erubescere Dei misericordiam saltem deberemus, si eius iustitiã formidare nolemus. Septimo* propter satisfactionis ad quã tenemur suppletionẽ. Aug. *Erubescẽtia maxima pars est satisfactionis.* Mic. 4. *Veniẽs in Babylonem liberaberis*, i. *in confusionem confessionis.* Babylon enim confusio interpretatur: Vnde super illud Iob 29. *Non erubui* dicit Greg. *Videatur cuilibet ille vir magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet in peccatis. Ego non minus admiror confessionẽ humillimam, quam tot sublimia gesta virtutũ. Scio quia per infirmitatis verecundiã, plurimis grauius solet esse, crimina commissa prodere, quam non admissa vitare.*

Peccator debet erubescere propter septem.

10. *Vt sit amara & lachrymosa.*

DECIMO debet esse amara & lachrymosa. Thren. 2. *Effunde sicut aquam cor tuum, vt peccata lugeas, & omnino effundas.* de hoc satis habetur supra *de cõtritione.* Io. 15. *Mulier cum parit tristitiam habet*, &c. *Vndecimo* debet esse discreta, vt sciat homo discernere inter mortale & veniale, & confitendo discernat. *Item* discreta, vt discretum sacerdotem quærat, sicut medicum in spirituali medicina peritum. Aug. *Idem debet facere pro euitãda morte animæ, quod faceret pro euitanda corporis morte, pro qua euadenda quemcunque discretiorem posset medicum quæreret; vt euaderet.* Aug. *Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quærat discretum sacerdotem, qui sciat ligare & soluere, ne cum negligens extiterit, negligatur ab eo qui eum misericorditer monet. Itẽ* debet esse discreta, vt sit ordinata & distincta, vt per singula peccata currat, & primo grossiora & periculosiora dicat, & vbi circunstantias aggrauantes inuenit, & in aliud genus trahentes, non omittat. *Item* vt bona taceat, & Deo committat. Leui. 2. In omni sacrificio salerat apponendũ. Quia in omni facto suo, & maxime in confessione, debet se mature homo & discrete habere; Ita quod per incautelam suam peccata sua non augeat, sed se de eis potius expediat.

11. *Vt sit discreta.*

DVODECIMO debet esse fida, vt de Dei bonitate cõfidat; non sicut Iudas, qui iniquitatem suam confessus est dicens. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth. 26. & tamen de Dei misericordia desperauit. Ipse siquidẽ est *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*: Et est in ipso confidendum, quia est Saluator, sanctificator, & gubernator confitentium. Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudinem fidei, aspersi corda à conscientia mala, & teneamus fidei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis enim est qui repromittit.* Vulgariter dicitur. *Qui indulgentiã non credit, remissionem non recipit.* Vnde Dominus dicit mulieri Chananeæ. Matt. 15. *O mulier magna est fides tua,*

12. *Vt sit fida.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fiat tibi ſicut vis. &c. Luc.7. dicit de Maria Magdalena; *fides tua te ſaluam fecit*, &c. Eccle.4. *Presbytero humilia animam tuam.* Matt.8. Et Luc.17. *Præcepit Dominus leprosis, vt oſtenderent ſe ſacerdotibus, & dum irent mundati ſunt.* Et illi qui redijt dixit: *Fides tua te ſaluũ fecit.* Quia eis dictum eſt Luc. 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram*, &c. Leo Papa. *Multiplex miſericordia Dei, quæ lapſibus humanis ſubuenit, vt per pœnitentiam ſpes vitæ reparetur. Diuinæ voluntatis præſidijs taliter ordinatis, vt indulgẽtiam Dei, niſi ſupplicantibus ſacerdotibus, pœnitentes nequeant obtinere*, &c.

13. *Vt ſit frequens.*

TREDECIMO debet eſſe frequens, vt dicamus, cum Chriſto Ioan.11. *Eamus in Iudæam iterum crucifigi.* Aug. *Quanto pluries confiteris ſub ſpe veniæ, tanto citius venam conſequeris* Sunt autem multę rationes quare confeſſio ſit iteranda; ſc. Angeli magni conſilij ſuaſio. *Item* Spiritus ſancti aduocatio ad multiplicem gemitum. Iſa. 59. *Quaſi columbæ meditantes gememus.* Pſ.74. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur. Item* peccati remiſſio, & penæ debitæ pro eo: quia ibi pœnæ debitæ aliquid dimittitur in confuſione. *Item* vberioris ſanctitatis acquiſitio, & munditiæ; vt tela cruda frequenti ablutione candidatur. *Item* propter viſcerum Dei commotionem. Hiero. *Paterna viſcera interpellatione ſedula molliuntur. Item* propter dæmonum infeſtationem & fugationem, vt auis elongat nidum, in quo ſæpe moleſtatur, & in quo oua eius ſæpe rapiuntur. *Item* propter peccatorum iugem inſurrectionem, vt nauis ſæpe hauritur, quando ſæpe intrat aqua. *Item* propter ſcientiam bene confitendi acquirendam; quę acquiritur ex eius frequentatione, vt alię artes ex frequenti actiones doctos efficiunt. *Item* propter memorię obliuionem frequenter computandum. *Item* propter gratiæ & meriti accumulationem. *Item* propter ſuffragiorum ſacerdotalium & Eccleſiæ acquiſitionem. *Item* propter cõſcientiæ dubitationem, quia ſemper trepidat homo, ne ſufficienter fuerit confeſſus. Multę pictę valent obolum, & plures denarij ſolidum. *Item* propter maiorem humiliationem. *Cum* quæreretur à quodam Abbate quare ita frequenter confiteretur. Reſpondit, quod ideo quia ſemper timeo me non bene eſſe confeſſum, & ſępe aliquid ad memoriam reduco quod non dixeram, & quia à confeſſione humilior ſemper ſurgo. *Item* Abbas Syſoy, dixit cuidã fratri conquerẽti de frequenti lapſu. Si cecidiſti ſurge, ſi non ceſſas cadere, non ceſſa ſurgere; quia vbi inuentus fueris, ibi iudicaberis.

Multa ſuadent ad confeſſionẽ iterandam.

Exempla.

14. *Vt ſit obediẽs*

DECIMOQVARTO debet eſſe obediens, vt dicat *paratus ſum, & non ſum turbatus.* Act. 9. *Domine quid me vis facere.* Auguſt. *Ponat ſe pœnitens in iudicio ſacerdotis, ſibi deſeipſo nihil retinens; vt paratus ſit facere pro recipienda vitæ animæ; quod paratus eſſet facere pro euitanda corporis morte: vt ſicut pro modica febre vel infirmitate, multis diebus abſtinet à vino, ita faciat pro animæ ſalute: pro conſilio medicinæ, abſtinet à carnibus, amputat ſibi crines; Aliquando ſedet in domo, abſtinet à vano gaudio, & vino: vadit extra regionem ſuam, dimittit ſua, & ſuos: Sic debet facere pro animę ſalute.*

15. *Vt ſit ſatisfactoria.*

DECIMOQVINTO debet eſſe ſatisfactoria, vt ſit ſecundum qualitatem & quantitatem peccatorum: quia ſicut dicitur Sap.11. *Per quæ peccat, per hæc & torquetur.* in quo quis ſe peccaſſe cognouerit, in eo ſe puniat, apponendo remedia contra morbum; quia contraria contrarijs curantur, & quanto ſe grauius meminit deliquiſſe, tanto ſe debet durius ſatisfaciendo punire. de B. Magdalena dicit Gregor. *Quot in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta; conuertit ad virtutes numerum criminum, vt totum Deo ſeruiret in pœnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Item Heſt. 13. Dum depoſuiſſet veſtes regias, luctui apta indumenta ſuſcepit, pro vnguentis varijs, cinere & ſtercore impleuit caput ſuum, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs; & omnia loca in quibus lętari conſueuerat, impleuit crinium laceratione, & deprecabatur Dominum, Ioel.2. *Conuertimini in ieiunio*, contra carnis concupiſcentiam, *in fletu*, contra concupiſcentiam oculorum, *& planctu*, contra vitæ ſuperbiam. Auguſt. *Ad agendam dignam pœnitentiam non ſufficit mores in melius commutare, nec à malefactis recedere, niſi de his quæ facta ſunt malis, ſatisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, & per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.*

16. *Vt ſit fortis & firma.*

DECIMOSEXTO debet eſſe fortis & firma, vt proponat pugnare fortiter contra tentationes; Et proponat perſeuerare fortiter: vt ſit pœnitens ſimilis Iudæ Machabæo, de quo dicitur 1. Mach. 2. *Iudas Machabæus fortis viribus, ſit nobis princeps militiæ.* Iudas interpretatur confitens: Machabæus percutiens vel protegens; quia verus confitens diabolum repercutit, & à tentationibus per confeſſionem ſe protegit. Item de Iuda dicitur 1. Mach. 3. *Similis factus eſt Leoni in venatione ſua, audax, fortis, & perſiſtens, & ſecurus.* Hæ omnes conditiones his verſibus continentur.

Sit ſimplex, humilis, confeſſio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

De motiuis ad confeſſionem.

DISTINCTIO XIII.

Multa mouent ad deuote & libẽter confitendum.

CIRCA SEPTIMVM ſciendum, quod ad confitendum libenter, & deuote multa nos mouere debent. Primo naturę magiſterium. Secundo culturæ laboritium. Tertio benignitas condonantis. Quarto ſeueritas iudicantis. Quinto confeſſionis neceſſitas. Sexto confitentis vtilitas.

1. *Natura magiſterium.*

PRIMÒ quidem mouere debet naturæ magiſterium; natura enim quæ ſagaciſſima eſt in operatione ſua, manifeſte docet hominem quod debeat confitendo purgari; *Primo* natura proprij cordis: quia ſi homo comedat aliquid nociuum, ſtatim cor dolet & euomit. *Item* ſi habet homo aliquid immundum in ore, nunquam ceſſat excreare, quouſque tota immunditia expellatur. *Item* ſi habuit manus immundas, nunquã comedit antequam mundet eas. Sed mirum cum nullum venenum ſit peccato mortalius, nec aliqua immunditia peccato immũdior, quomodo poteſt retineri, quin cor doleat, & euomatur. De hac immunditia ſupra *de timore peccandi.* quidam ait.

Cor dolet, ergo vome, laua dentes, ora, manumque,
Exeat vt muſca, tondatur fortiter olla.

Iacob.4. *Emundate manus veſtras peccatores, & purificate corda veſtra. Item* natura animalium, vt ſerpentis, quæ euomit venenum, bibens ad fontem, intrans arctum foramen: Similiter ceruus ad fontem innouatur, deponit vetuſtatem: ſimiliter Aquila: Sic in fonte confeſſionis animę innouantur. *Item* mare purgat ſe naturaliter, quia non ceſſat expellere fæces, & maxime cadauera. vinum non ceſſat ſe purificare, & defæcare; nec olla bulliens ſpumare. *Item* oculus ſi habet aliquam impuritatem, nunquam ceſſat flere & laborare ad purgandũ ſe. Aures ſimiliter non ſunt in pace, ſi habent impuritatẽ aliquã, donec ſe purificauerint. *Item* Iſid. dicit quod Ibix roſtro ſe purgat, aliter moritur: ore etiam parit. Sic tu debes fætus diabolicos parere confitendo. Pſ.7. *Cõcepit dolorem, & peperit iniquitatem. Item* Cignus, vt dicunt naturales, dicitur naturaliter præſentire mortem, & præcinere lugubrè. Sic tu debes præſentire mortem æternam, ô peccator, & præcinere carmen lugubre cõfeſſionis. Pſ.146. *Præcinite Domino in confeſſione.* Ezec.28. *Aſſument ſuper Tyrum carmen lugubre*, &c.

2. *Culturæ laboritium.*

SECVNDO mouere debet ad confitendum culturæ laboritium, id eſt cura & diligẽtia hominum circa culturas agrorum, hortorum, & vinearum; maxime tempore quadrageſimali. Homines enim qui neglexerunt vineas ſuas, agros, & hortos, tunc incipiunt putare, fodere, arare, claudere, & excolere, quæ ante in hyeme inculta dimiſerunt. Canticor. 2. *Tempus putationis aduenit.* Eccleſ. 32. *Tempus ſeminandi*, &c. videtur quod ille qui non habet curam de ſe, maxime tempore illo, & qui ſe non excolit per pœnitentiam & confeſſionẽ,

minus

minùs diligat se, quàm aliquid suorum, cum omnia velit habere culta, munda, & bona; & pro viribus suis ad hoc laboret. Seneca. *Nihil est cuique vilius se, qui laborat, & vult habere omnia sua bona; & non laborat vt sit bonus.* Aug. *Quid est ô homo, quod te velis malum habere, non autem aliquid tuorum, non vxorem, non filios, non seruum, non vestē, non caligam; & tamen vis habere malam vitam: Rogo te postponere caligam tuam vitæ tuæ.*

3. *Dei benignitas.*

TERTIO mouere debet benignitas Dei circa confitentes; quæ multiplex est. *Prima*, quia reus in curia misericordiæ Dei reatum confitens, non damnatur; sed liberatur, & saluatur. Prou. 28. *Qui abscondit scelera non dirigetur; qui autem ea confessus fuerit misericordiam consequetur.* Psalm. *Iniustitiam meam non abscondi.* Gloss. *Si homo agnoscit, Deus ignoscit. Secunda est*, quia reo est iudex pater suus, & frater eiusdem conditionis, & fortè magis reus, sacerdos, scilicet; & ad arbitrium matris suæ Ecclesiæ, in foro misericordiæ iudicatur; & punitur. *Tertia* quia ægro pro morbo grauissimo & multiplici peccati, leuissima medicina verbi, in ostensione morbi, à medico spirituali præstatur. Psal. 31. *Dixi confitebor & tu remisisti* &c. 1. Io. 1. *Si cõfiteamur peccata nostra, remittet nobis ea*, &c. *Quarta* quia ex compunctione à debito liberatur. Matt. 18. *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Quinta*, quia ex recognitione suę turpitudinis, adultera reconciliatur, & ex accusatione sua iustificatur. Isa. 44. *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Sexta*, quia ex sui vilificatione appretiatur. Hiere. 16. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, &c. *Septima*, quia culpam suam cognoscens, in hoc iudicio non spoliatur suis, vel exhęredatur; sed potius ad ea quæ amiserat restituitur, & recognitione suæ culpę, regnum Paradisi comparatur, & acquiritur. Lucæ 23. Dixit Deus latroni confitenti; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Aug. *Misericordia attulit, quod miseria distulit.*

4. *Iudicātis seueritas.*

QVARTO mouere debet seueritas iudicantis, Dei, sci. qui tenens euaginatum gladium, ęternam mortēm minatur non confitentibus: dicens in Ps. 7. *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit*, &c. mortis [sc. subitę, & dānationis ęternę. Ezech. 17. *Iudicabo te iudicio adulterantiū, & effundētium sanguinem, & dabo te in sanguinem furoris & zeli*, &c. Huiusmodi tamen sententiam reuocaret Dei misericordia per confessionem; quia cum confitetur homo, & se iudicat & damnat in præsenti, non dānabitur in futuro. Ps. 36. *Non damnabit* Deus confessum scil. hic, *cum iudicabitur illi.* Sed dicet Dominus, vt ait Aug. *Ignoscamus ei, quia agnoscit; parcamus ei, quia sibi non parcit.* Cõfessio peccatorum in præsenti, plus posse videtur in iudicio futuro, quam omnes sancti, quia ibi peccatorē verè cõfessum à damnatione liberat, & Deum immutat; quod ibi non possent facere omnes sancti. Bern. *O beata spes confitentium, quomodo vincis inuincibilem; quam potens es apud omnipotentem; quam cito tremendum iudicem vertis in clementissimum patrem? In iudicio vbi trement Angeli & sancti, constantissima fides aduocata erit; hic vere pœnitentiū confessio.* Hoc significatur Gen. 44. Vbi aliis non audiētibus loqui pro Beniamin liberatione ante Ioseph; Iudas, qui interpretatur confitens, propius accedens, cõfidenter allegauit, & ad pietatem Ioseph viscera concitauit. Ps. 73. *Ne tradas bestijs*, scil. infernalibus, *animas confitentium tibi; & animas pauperum*, &c. Ideo de iudicio, quo soli confessi peccatores saluantur, dicitur Eccl. 18. *Ante iudicium præparat iustitiam*, &c.

5. *Confessiones necessitas.*

QVINTO mouere debet cõfessionis necessitas, quia sine hac non est salus peccatori. Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Amb. *Non potest quisque iustificari à peccato, nisi fuerit illud ante confessus.* Idem. *Confessio animā à morte liberat, confessio aperit Paradisum, confessio spem salutis tribuit; quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult peccatum suum confiteri.*

Exemplum.

Legitur quod filia cuiusdam magni principis vsitans curiam, cum esset virgo degens sanctissimè, consuluit Papam vtrum religionem intraret; qui attendens eius sanctitatem, consuluit quod in statu suo permaneret. Et cum iniecisset oculos in quendam seruum eius, corrupta ab eo prolem habuit, & perdidit, & religionem intrauit; & tamen hoc peccatum confiteri erubuit, multum se pro eo affligens in religione. Cum autem moreretur, & sancta crederetur, ab abbatissa adiurata quod eam certificaret de merito suo, apparuit ei post mortem horribilis, dicēs se damnatam, quia illud peccatum quod commiserat, non fuit confessa.

De confessionis affectu.

DISTINCTIO XIV.

6. *Confessionis vtilitas: & hac multiplex,*

SEXTO mouere debet confitentis vtilitas, quam scil. homo cõsequitur ex confessione. Vtilitas enim cõfessionis est multiplex. Nam confessio animam inquinatam purificat, deturpatam pulchrificat, obscuratam clarificat, perturbatam lætificat, liberat impugnatam, vitam vitæ referat obseratam.

1. *Animā purificat.*

PRIMO quidem confessio animam per peccatum, inquinatam purificat. Confessio enim est lotorium in quo omnes peccatorum maculæ diluuntur, quas omnes aquę mundi delere non possent. Bern. *Omnia peccata in confessione lauantur.* Hoc bene figuraliter designatur 4. Reg. 5. de Naaman leproso, cui dixit Eliæus. *Vade lauare septies in Iordane*, &c. Si rem grandem præciperet Deus pro deletione omnium peccatorum, pro emendatione à lepra, certe facere deberemus, quanto magis quia dicit nobis, *lauare, & mundaberis.* Iordanis interpretatur humile iudicium. In confessione se debet confitens humiliter iudicare, vt euadat horrendum Dei iudiciū; in isto saluatur, qui in illo damnaretur. 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Ergo secundum consilium, Psal. 94. *Præoccupemus faciem eius in confessione.*

IN hoc humili iudicio lauari debemus septies, idest à septem peccatorum generibus, & tunc per septiformen gratiam omnia diluuntur, Iudith 12. dicitur, quod *ipsa noctibus exibat in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte.* Iudith interpretatur confitens. Bethulia, domus dolens Domino, aut domus parturiens Dominum. Iudith ergo, id est confitens, debet descendere in vallem per humilitatē, in vallem inquam Bethuliæ, id est Ecclesiæ, quæ est domus, in qua docetur homo dolere de peccatis Domino; id est ad honorē Domini. & propter offensæ Domini veniam obtinendam. Hæc est etiam domus parturiens Dominū, in qua confitens cū multo dolore euomens peccata, parturit salubriter Dominū ad salutem. Sequitur. *Baptizabat se*, quia in confessione delētur omnia peccata sicut in baptismo, hoc excepto, quod in baptismo delētur peccata quantum ad culpā, & omnem pœnam, in confessione remanet homo debitor pœnæ satisfactoriæ. In confessione igitur anima regeneratur ad vitam, & renouatur ad gratiam. Ad hūc fontem Bethulię, debet homo sicut ceruus sitiens, & veneno æstuās; & sicut serpens ad aquam, vt ibi venenū euomat, properare. Ps. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus*, &c. *Sequitur* in auctoritate præmissa de Naamā leproso. *Et sanitatem recipiet caro tua*; quia fomes libidinis, etsi non extinguitur, tamen multum debilitatur in carne; *atque mundaberis* in anima.

IN confessione igitur anima mundatur, & mundādo sanatur. Hæc est medicina laxatiua, per quam omnes humores noxij expelluntur, apostema rumpitur, & sanies emittitur; mirabiliter est lenis hæc medicina, quæ solo verbo sanat ægrotum. Greg. *Vulnera occulta magis excruciant, quia cum putredo, quę interius furit foras eijcitur, dolor ad salutem aperitur.* Idem. *Contritio apostema pungit, cõfessio aperit & saniem eiicit, satisfactio cataplasma apponit.* Seneca. *In his morbis quibus affligimur, qui peius se habet minus sentit: & præmia sua narrare vigilantis est, & vitia sua confiteri sanitatis indicium est.* Item Seneca. *Difficulter ad salutē peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Purgari debet anima sicut purgātur vici Parisiis tempore pluuioso: sicut stabulum iumentorum; & sicut fanum diaboli purgatur à spurcitia idolorum, vt fiat templum Dei. 2. Paral. 22. *Præcepit Rex Iosias viris Iuda, vt proijcerent vasa Baal de templo*

emplo Domini, & combuſſit ea in torrente Cedron. Ab idolis taque peccator purgat templum cordis confeſſione peccatorum. De purgatione huius templi dicitur 2. Machab. Item decimo eiuſdem dicitur, quod Iudas & *Exemplum.* Iudæi templum purgauerunt. 2. Dialo. 8. Dicitur, quomodo diabolus dolet de purgatione tẽpli. Cum enim vt ibi dicitur, B. Benedictus in monte Caſſino inueniſſet fanum Apollinis, ſuccidit lucos, contriuit idolum, ſubuertit aram, & conſtruxit ibi oratorium S. Martini, & S. Ioannis; & antiquus hoſtis audiebatur clamans, & conquerens vim ſibi illatam, & ſe expulſum. Clamor eius à diſcipulis B. Benedicti audiebatur, licèt ſpecies eius non videretur. Eidem etiam apparebat flammantibus oculis comminans, & vocans eum nomine ſuo; cui cum vir Dei non reſpondebat, dicebat ei, maledicte. Patet igitur ex prædictis, quod confeſſio eſt lotorium mundatiuum, antidotum ſanatiuum, & iudicium ſaluatiuum.

2. *Animã pulchram reddit.* SECVNDO confeſſio animam deturpatam pulchrificat. Pſ. 95. *Confeßio & pulchritudo in conſpectu eius.* Idem 103. *Confeſsionem & decorem induiſti.* Ber. in Epiſt. ad Sophyam. *Ama confeſsionem ob quam amaris, ama confeſsionẽ ſi affectas decorem.* Sequitur. *Si peccata ſunt, in confeſsione lauantur; ſi bona ſunt, confeſsione commendantur; ſacrificium Deo offers cum peccata tua confiteris. Etenim ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Cum Dei beneficia recordaris, immolas Deo ſacrificium laudis. Bonum ornamentum animæ confeſsio; quæ & peccatorem purgat, & iuſtum reddit purgatiorem. Abſque confeſsione iuſtus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confeſsio igitur eſt peccatoris vita, iuſti gloria. Hæc* *Exemplum.* *eſt neceſſaria peccatori, iuſtum nihilominus decet.* C *Epiſcopus* quidam cum daret ſacramentum Euchariſtiæ populo ſuo, vidit ibi duos quos audierat eſſe in adulterio, alterum teterrimum, & alterum lucidiſſimum, & cum quæreret cauſam, dictum eſt ei ab Angelo, quod alter vere confeſſus fuerat, alter in peccatis manebat.

3. *Animã clarificat.* TERTIO confeſſio animam obſcuratam clarificat. Peccata namque tenebræ ſunt; vnde obnubilant aſpectum interiorem animæ, vt nec ſe, nec Deum, nec etiam peccata ſua cognoſcat: multa enim credit non eſſe peccata, quæ tamen ſunt; vel non ita grauia, nec attendit numerum, nec multas circunſtantias aggrauantes, nec ſuum aduertit periculum, nec vilitatem ſtatus ſui, nec diuinæ inſtitiæ ſeueritatem; ſed infuſo ſibi lumine diuinæ gratiæ, cognoſcit hæc omnia. Pſalmus 75. *Notus in Iudæa Deus.* Oſeæ 5. *Vidit Iudas*, id eſt confitens, *vinculum ſuum.* Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam.* 1. Mach. 3. *Cognouit Iudas, & exiit.* Luc. 16. *Cæcus clamans ad Ieſum ſecus viam illuminatur.* Heſter 8. *Iudæis noua lux oriri viſa eſt.*

4. *Animã latificat.* QVARTO confeſſio animam perturbatam lætificat. Multum gaudet pœnitens, facta confeſſione; ſicut æger infirmatus ad mortem, de ſua ſanatione; ſicut multis plagis lethalibus ſauciatus, de ſua curatione; ſicut multis obſeſſus periculis, de ſua liberatione; ſicut captiuus in ſeruitute duriſſima & viliſſima detentus, de ſua euaſione, ſicut graui pondere depreſſus, de ponderis depoſitione. De graui pondere peccati dictum eſt ſupra. De pœnitentia vere dicit ſaluator. Matth. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Iugum quidem ſuaue eſt, quia releuat à duriſſima diaboli ſeruitute. E Onus verò leue, quia exonerat à grauiſſimo pondere peccatorum. Sæpe ſolent homines poſt confeſſionem factam dicere ſe velut à magna ſarcina liberatos, & à duris oneribus expeditos; quaſi maxima turris eſſet de collo eorum depoſita. Bern. *Libet admirari quàm leue ſit iugum Domini. An non leue eſt, quod non ſolum non grauat, ſed leuat? Quid eo leuius onere, quod non ſolum non onerat, ſed portat hominem, cui portandum imponitur?* Hoc gaudium bene fuit figuraliter deſignatum in liberatione Iudæorum de morte, ad quam omnes fuerant condemnati. Heſter 8. *Iudæis noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor,* &c. *Item* lætificat de percepta ſpirituali conſolatione. Pſal 118. *Os meum aperui* confitendo, *& attraxi ſpiritum*, id eſt Spiritus ſancti conſolationem. Cõfeſſio impetrat conſolationem, recuperat gratiam amiſſam, & auget habitam. Require ſupra de pœnitentia.

Exempla. DIXIT Petrus Cluniac. quod cum quidã ſacerdos ſolitarius quandam monialem viſitaret, primo bona intentione, poſt carnaliter peccauit cum ea; & cum inconfeſſus celebrare præſumeret, & miniſtraſſet, & cõſecraſſet, in perceptione nihil inuenit in calice. Idem accidit ei ſecunda die, & pluries, qui ex hoc confuſus, & compunctus, currens ad epiſcopum ſuum confeſſus eſt, & tũc poſtea inuenit. *Idem* fere dicitur in Chronicis, quod accidit tempore Caroli magni, quod cum in Vigilia Natalis quidam ſacerdos peccaſſet cũ quadam muliere, & deberet celebrare miſſam primam, in perceptione Euchariſtię vidit columbam quandam de cœlo deſcendentem, & haurientem & deportantem quicquid accipere debebat: ſimiliter accidit in miſſa ſecunda. Cum autem peccator compunctus, curreret ad vicinum confeſſorem, & confeſſus fuiſſet peccatum ſuum; in miſſa tertia eadem columba, quicquid detulerat de calice reportauit.

5. *Animam liberat.* QVINTO confeſſio animam liberat alligatam; liberat enim eam à vinculis peccatorum, quę ſunt vincula vel catenę. Prou. 5. *Vnuſquiſque peccatorum ſuorum funibus conſtringitur.* Pſ. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Ideo dicitur Iſa. 51. *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Et 58. *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes.* Bern. ſuper Cant. ſerm. 6. *Humiliter confitenti remittit Deus peccatum, & diabolus eum, quem in corde hominis habebat, amittit principatum. Vbi enim peccatum remittitur, de corde peccatoris proculdubio diabolus eiicitur. Item* confeſſio liberat à poteſtate dæmonum, & à viliſſima ſeruitute eorum, quaſi de faucibus lupi, leonis, & draconis infernalis, Pſal. 31. *Libera me de ore leonis*, &c. Manaſſes liberatur de carcere regis Babylonis, confitens peccata ſua, ſicut habetur, 2. Paral. in fine. Ouicula quandoque clamore eruitur de ore lupi. Et Ionas clamans ad Dominum de ventre ceti euomitur. Ionæ 3. Item Matth. 15. Ad clamorem mulieris Chananeę (in cuius facto notatur qualis debet eſſe confeſſio) expulit Dominus dæmonem ab eius filia. Item Lucæ 4. Imponente Ieſu manum, exibant dæmonia à multis; quia in confeſſione, ad impoſitionem manus ſacerdotalis abſolutionis, homo à diabolo & peccato liberatur.

Exemplum. ITEM in vitiſpat narrauit abbas Serapion, quod cũ iuuenis eſſet manducans cum abbate ſuo, ſurgens à D refectione, accipiebat vnum panem paximatium, & comedebat occulte ignorante abbate; & hoc facere ita duxerat in conſuetudinem, & verecundabatur patri confiteri, quod iam non poſſet refrẽnare appetitum ſuum. Cum autem quidam fratres veniſſent ad Abbatem, interrogantes eum de cogitationibus ſuis, ait eis: Nihil eſt ita noxium monachis, nec ita lætificat dæmones, ſicut ſi fratres celent cogitationes ſuas ſpiritualibus patribus. Quod cum audiret dictus Serapion, prouolutus eius genibus, & proſtratus in terram, & cogitans quod pro eo verbum diceret, incepit cum fletu peccatum ſuum confiteri. Cui pater dixit, quod diabolus, qui ſua taciturnitate tenebrauerat cor eius, ſua cõfeſſione humili eſſet excuſſus ab eo. Nondum verba ſenex finierat, & ecce diabolus exiuit de ſinu, in quo ſolebat abſcondere paximatium, quaſi flamma ignis, & lampas fœtidiſſima, ita quod tota domus eſſet repleta quaſi ſulphureo fœtore. Et ait Abbas. Oſtendit tibi Dominus nunc palam viſibiliter, quod tibi verbis prius oſtendebam. Confeſſio enim denudat, & aperit ſecretum diaboli proditoris, ideo confuſus recedit.

Exemplum. ITEM in vitiſpatr. dicitur, quod Abbas Macharius habitãs ſolus in eremo, vidit dæmonem tranſeuntem, qui videbatur indutus tunica linea, quæ tota tenebrata erat, & per omnia foramina pendebant ampullæ. Inquirenti Machario quo tenderet, reſpondit: Vado viſitare fratres. Quærenti, quid ſibi vellent ampullæ, reſpondit: quod guſtum portabat fratribus, vt qui non guſtaret de vna, guſtaret de alia; ideo tot portabat. Et hoc dicens pertranſiit. Adiurauit autem eum Macha-

rius, vt

rius, vt ad se rediēs aduenirēt. Videns eum Macharius redeuntem, interrogauit eum quomodo se haberent fratres, dixit ei diabolus, quod omnes sanctificati sunt, nec aliquis eorum acquiescebat ei, nisi vnus, qui ad flatum tentationis eius mouebatur vt ventus ; addens quod Theotistus vocabatur. Quo audito, iuit Macharius ad visitandum congregationem fratrum. Cui fratres cum ramis palmarum processerunt obuiam. Cum autem quilibet eorum pararet sibi cellam suam, quæsiuit quis eorum vocaretur Theotistus . Quo inuento declinauit ad cellam eius, & quæsiuit ab eo quomodo erat ei de cogitationibus suis; & cum ille diceret quod bene, & erubescēret dicere suas tentationes ; ait senex, quod tot annis vixerat solitarius, & in arcta pœnitentia, & tamen impugnant me, inquit, cogitationes fornicationis in tanta senectute, & tamen omnes honorāt me: & sic fecit, quod ille reuelauit cogitationes suas ei, & confessus est ei omnia. & ille iniunxit ei ieiunium, & quod meditaretur circa scripturas sanctas, & si adhuc tentaretur, quod semper respiceret sursum, non deorsum; & Dominus iuuaret eum. Cum autem cōfirmasset & confortasset eum his & aliis verbis , rediens ad locum suum ; & iterum videns eundem dæmonem, quæsiuit ab eo quomodo esset ei, qui dixit, quod male: quia illos quos visitauerat, sanctiores & fortiores inuenerat quàm priùs, & præcipuè illum quem prius habebat amicum, inuenerat magis sanctum, & magis sibi aduersarium. *Item* confessio os diaboli obstruit, vt non possit hominem accusare de eo, de quo accusauit se in confessione. Psalmus 62. *Obstructum est os loquentium iniqua.*

Exempla. Et nota, quod cum quidam bonus vir adiuraret quendam dæmoniacum , vt diceret ei nomen suum, ait quod triplici nomine vocabatur, scil. claudens cor ne conteratur, claudens os ne confiteatur, claudēs bursam ne eleemosynas largiatur. Delet etiam chyrographum seu scripturam diaboli, sicut patet exemplis infra scriptis. *Clericus* quidam cum bene & sanctè viueret, inuidens ei diabolus, fortiter impugnauit vt caderet, qui in aliquod graue & enorme peccatum prolapsus est. Cum autem vellet diabolus eum confundere, & assumpta humana specie eum coram suo Episcopo accusasset , & assignata esset dies in qua quę dicebat diabolus debebat probare, afferens chartas suas coram iudice , in quibus continebatur locus, & tempus , & personæ quibus scientibus peccauerat. Dictus autem clericus videns se in arcto positum , confessus est sacramentaliter omnia, dolens & proponens non redire ad peccata. Cum autem essent coram iudice, & diabolus diceret se habere multa contra eum , quæ poterat probare per scripta & testes Reuoluens scripta sua, ibi inuenit omnia deleta, dicens; certe hodie erant omnia quæ habebam contra istum hic scripta, sed nescio quis omnia hæc deleuit. Et hoc dicto , euanuit. clericus autem in secreto confessionis, Episcopo omnia hæc narrauit.

Exempla. Item dicitur de quodam sancto patre, quod cum aliquando esset occupatus in aliquo opere cum fratribus , & tradidisset obliuioni dicere Nonam suo tempore, propter occupationem; vidit diabolum transeuntem ante se , & ferentem vnum librum maximum ad modum rotuli , super humerum suum ; qui videbatur magnus ad modum turris ; & adiurauit eum in nomine Domini, vt dimitteret librum illum: & cum reuolueret eum, inuenit in vna pagina eius scriptum, quod ipse illa die & hora qua debuerat, Nonam non dixerat. Ipse autem statim prostratus pedibus socij sui, suam confessus est negligentiam, & statim in rotulo diaboli respiciens, quod prius erat ibi scriptum, inuenit deletū; & ex hoc nouit virtutem confessionis.

Item dicitur, quod cum quædam vidua familiarissima esset cuiusdam Episcopi, propter religionem quæ credebatur in ea, cum instigante diabolo peccasset cū proprio filio, & prolem inde habuisset, idem diabolus volens eam confundere , & per hanc religiosas personas infamare , in humana specie venit ad Episcopum dicens, quod ipse probaret eam die assignata pessimam meretricem. Cum autem accusasset eam , assignatur ei dies ad probandum dicta contra eam; diabolus autem colligens, & in scripto redigens acta eius, & omnes peccati eius circunstantias, ad diem venit. Illa autem videns sibi diem instare, confessa est peccatum suum; & diabolus ea veniente ad diem , aperuit chartas suas, & inuenit omnia quæ contra eam habebat deleta ; insuper nec eam agnouit.

Exemplum. Item dicitur, quod quidam sacrista cuiusdam Abbatiæ surrexit vt pulsaret ad matutinas, & vidit diabolum portantem saccum plenum , & librum in manu. Cum quæreret dictus sacrista quis esset , ait quod erat scrutator officinarum, qui faciebat monachos in dormitorio vigilare, in ecclesia dormire, in refectorio mala signa facere, & micas dispergere; de quibus saccus quem ferebat erat impletus, vt dicebat, & liber quem ferebat, de negligentiis fratrum. Sed dicebat, quod super omnia oderat capitulum ; quia sæpe in capitulo amittebat quicquid laborauerat, propter confessiones & accusationes ibi factas, & pœnitentias. *Item* non solum chirographum diaboli delet confessio, sed & characterem, & imaginem bestiæ delet, ita vt non possit diabolus recognoscere iam cōfessum; sicut multis declaratur exemplis sequentibus.

Exemplum. Cvm duo prædicatores oberrarent in montibus Hyberniæ, nec viam possent inuenire, aspiciunt non longe homunculum quendam; quem cum vocarent, & eos fugeret, insequentes eum attingunt eum inter arcta montana. à quo cum quærerent de via, & vix sciret eis respondere; cum multum institissent vt diceret eis quis esset , eis dixit: quod per tres annos seruierat dæmonibus, qui apparebant ei in diuersis flagitiis, cum quibus fœdus inierat, & eis fecerat homagium, vt eorum faceret voluntatem, & eorum ferebat in manu sua impressum sigillum , in quo erant scriptæ litteræ illius homagij, quod ostendit eis. Ipsi autem vix potuerunt ei suadere quod cum eis veniret vsque ad villam. Cum autem in villam venissent, & quidam eorum prędicaret de abominatione peccatorum, & de misericordia Dei quam faciebat confitentibus; ille homo coram omnibus factum suum dixit. Cum autem cum lachrymis fuisset confessus fratri peccatum suum , inuenit quod sigillum diaboli à manu sua erat deletum. Cum autem post aliquantos dies confortatus & instructus rediret ad siluam solitam, vt inde aliqua quę ibi habebat reportaret, obuiauit illi dæmoni cui homagium fecerat, discurrenti per montes cum multitudine aliorū dæmonum cum equis nigris & canibus , quærenti ab eo si viderat talem hominem , quem nuper amiserat seruum fugitiuum : Et cum ad vltimum quæreret ab eis si eum non agnoscerent, ipsi dicebant quod non; & cum ille assereret eis quod ipse esset ille quem quærebant, respicientes in manu eius, & non inuenientes suū sigillum, dicebant quod mentiebatur, quia signum homagij non habebat; sed derisorem reputantes eum, ab eo recesserunt; ipse autem lætus ad fratres rediit, & cum eis remansit.

Exempla. Item legitur, quod fuit quidam flagitiosus, qui fœdus cum diabolo inierat, & sæpe cum eo quasi cum socio in humana specie diabolus ibat. cum autem inuitaret eum diabolus ad balneum , vt ibi eum extingueret: cumque transiret ante quandam ecclesiam , homo ille timens peccatum suum & socium; dixit quod omnino volebat videre quid in ecclesia illa fiebat; & cum non posset eum diabolus retinere, dixit, quod saltē ad expectantem cito rediret: cumque moram faceret, diabolus omnes qui ecclesiam illam intrabant rogabat, vt socio suo dicerent, quod cito rediret. Ille autem confessus & pœnitens rediit . & cum quęreret diabolus ab eo, si vidisset socium suum, & ille diceret, quod erat ipse quem quærebat , dicebat diabolus quod mentiebatur: & cum ipse diceret quod in veritate ipse esset , sed per Dei gratiam virtute confessionis fœdus eius abnegauerat,

gauerat, diabolus confuſus fugit. *Item* miles quidam ſuſpectum habens vnum ſocium ſuum de adulterio cũ vxore ſua, ducebat eum ad dæmoniacũ, qui aduenientibus dabat reſponſa. Ille verò peccati ſui conſcius, & metuens deprehendi, ſeceſſit aliquantulum, & vocans. ſcutiferum ſuum confeſſus eſt ei, quia non habebat copiam ſacerdotis. Cum autem quæreret miles de vxore ſua à dæmone, dixit eam eſſe adulteram, ſed neſciebat cum quo, quia parum ante fuerat nomen eius de ſcripto ſuo deletum. & cum oſtenderet ei dictum ſociũ, dixit quod eum non cognoſcebat. *Denique* confeſſio torquet & affligit dæmones, ſicut dicit Aug. *Acriores dolores dæmonibus non inferimus, quàm cum peccata noſtra confitendo & pœnitendo plangimus.* Vnde Luc. 18. Cum deberet expelli legio clamabat. *Quid mihi & tibi ô Ieſu obſecro ne me torqueas.* quia eius expulſio per confeſſionem, eſt eius afflictio. *Item* confeſſio liberat à pudore opprobrij.

Exempla. CVM ſanctus Petrus Tarentaſien. Archiepiſcopus prædicaret per Burgundiam, quædam mulier adultera viro ſuo ſuſpecta confeſſa eſt ei, promittens quod ad peccatum ſuum amplius non rediret. cum autem vir ſuus, Zelotipiæ ſpiritu agitatus, compelleret eam ferrũ ignitum apprehendere nuda manu, vt ſic ſuam innocẽtiam demonſtraret, illa confiſa de virtute confeſſionis, & meritis viri ſancti, ferrum candens manibus nudis accepit, & per totam domum ſine læſione portauit, & in platea curię depoſuit. Quo viſo, vir eius, omni ſuſpicione depoſita, ab ea veniam poſtulauit. Illa vero viſo miraculo facta ſecurior, & ad peccandum audacior, rediit ad peccatum. Cum autem vir eius indigens illo ferro diceret illi, quod illud ſibi deferret de loco vbi illud dimiſerat, & à diebus multis iacuerat frigefactum, quam cito illud manibus apprehendit, tota combuſta eſt; quę confuſa, tantoque conuicta miraculo, neceſſe habuit palam recognoſcere crimen ſuum.

Exemplum. ITEM cum quædam mulier mare tranſiens, pulchritudine ſua omnes qui erant in naui ita attraxiſſet, & omnes fere qui erant ibi cum ea peccaſſent, vel per actũ, vel per conſenſum; & non euitaret patrem aut filium, ſed indifferenter omnibus, licèt occultè ſe exponeret: facta in mari tempeſtate, & naui periclitante, cœpit clamare coram omnibus omnia peccata ſua, & ea publice confiteri, credens quod alij propter eam deberent periclitari. Tunc aliis confitentibus ceſſauit mare à feruore ſuo. Facta tranquillitate, nullus potuit ſcire quæ eſſet illa mulier, aut eam cognoſcere. *Item* confeſſio liberat à dolore ſupplicij. Iob 36. *Liberabit te de ore anguſto latiſſime.* Pſ. 68. *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Glo. *Non vrgebit ſuper te inferni puteus os ſuum, niſi tu clauſeris tuum.* Nota ſupra de paximatio, & dæmone effugato. Item de moniali, quæ quia peccatum erubuit confiteri, damnata fuit.

6. Portam vitæ reſerat. SEXTO confeſſio portam vitæ reſerat obſeratam. Rom. 10. *Ore confeßio fit ad ſalutem.* Pſ. 99. *Introite portas eius in confeſsione.* Nota, quod per Iordanem, quod interpretatur humile iudicium, intrauerũt filij Iſrael in terram promiſſionis. Item latroni confitenti in cruce dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ambr. *Confeſsio Paradiſum aperit.* Refert Petrus Cluniac. quod quidam Gilbertus nomine, religionem ingreſſus, à principio confeſſus eſt omnia peccata, excepto vno crimine turpiori. Cum autem infirmitate grauiſſima laboraret, vidit quendam afferentem ſibi aquam pulcherrimam in vaſe ſpecioſiſſimo, & dicentem ſibi, ſi vis ſaluari, & aqua ſapientiæ ſalutaris potari, oportet te omnia peccata tua confiteri, illud præcipuè quod ſemper hactenus occultaſti. Qui poſtquam reuelauit quę viderat, & cõfeſſus eſt omnia peccata ſua, die ſequenti quieuit in pace. *Ad* hoc facit exemplum de muliere deuota B. Frãciſco, quæ cum vno peccato graui quod præ pudore tacuerat, expirauit. Multis autem vigilantibus in nocte circa feretrum, illa ſurgens reſedit in feretro, dixitque coram omnibus, quod propter vnum peccatum quod confeſſa non fuerat, iudicium mortis acceperat. Sed intercedente B. Franciſco, cui deuota fuerat, conceſſum erat ei ſpatium vitæ, donec illud peccatum in confeſſione detexiſſet. Vocato igitur quodam ſacerdote patrino ſuo, qui cum aliis vigilabat, cõfeſſa eſt ei. Quo facto ſtatim ſe reclinans in feretro migrauit ad Dominum, armis pœnitentiæ præmunita.

De confeſsione inutili.

DISTINCTIO XV.

CIRCA NONVM, ſcil. de confeſſione inutili, vel etiã damnabili, quæ potius fit ad damnationem, quàm ad ſalutem. Notandum, quod multa ſunt genera confitentium, qui per diuerſos homines dictos Iudas, deſignantur; qui in ſcripturis inueniuntur. Iudas enim interpretatur confitens, quorum nulli regnum Hieruſalem promittitur, niſi filio Iacob vel ſtirpi eius, per quã ſalubriter confitens deſignatur. *Eſt* autem confeſſio negligentis, & differentis nimis, ſcil. illorum qui confitentur ſine præciſione & ſtudio, qui multa peccata per negligentiam præmeditandi tranſeunt, & inconfeſſa peccata dimittunt. Prou. 19. *Qui negligit vias ſuas mortificabitur.* Vel illorum qui differunt vſque ad finem quadrageſimæ, vel vitę; qui ad hoc ſolum confitentur, ne hæretici videãtur. Hi ſignificantur per Iudam Galilæũ. Galilæus interpretatur tranſmigrans, videlicet peccata ſua per negligentiam, vel rotatus vſque ad finem vitæ. de quo Act. 5. *Poſt extitit Iudas Galilæus, & omnes qui conſenſerunt ei diſperſi ſunt, & ipſe periit.* De hoc ſupra, *quod confeſsio ſit ſtudioſa, & velox.*

Cõfeſſio multis modis fit inutilis.

1. Quia fit negligenter aut nimium differtur.

SECVNDA inutilis confeſſio eſt, ſolo timore mortis, aut periculi confitentis, quando eſt extorta per vim tormenti, vt latronum. qui ſic confitentur, ſunt ſimiles Iudæ dicto Quiriaco, qui timore mortis & cum tormento compulſus eſt requirere crucem Domini, vt dicitur in inuẽtione ſanctæ crucis. Tales ſunt ſimiles vaſi quod non emittit quod continet, niſi prius frangatur. Item ferro frigido, de quo non poteſt fieri opus niſi prius in fornace ponatur. Item oleribus rubris, aut fructibus duris aut ſilueſtribus, quę non poſſunt comedi, niſi prius gelu aut igne coquantur. Talis fuit cõfeſſio Pharaonis, Antiochi, & Herodis, qui non ſunt miſericordiam conſecuti. Mac. 1. Act. 12.

2. Quia timore extorta.

TERTIA eſt confeſſio debitas circunſtantias omittentis; hæc ſignificatur per Iudam de vico recto; quia peccata in genere dicunt, ſed ad circunſtantias non diuertunt, vel propter pudorem, vel alias cauſas. In huiuſmodi domo iacet Saulus cæcus, id eſt ratio. Saulus interpretatur tentatio reſpicientis, vel abutens cõſilio; quod fit quando homo tentatione vincitur vt celet peccati circunſtantias, reſpiciens earum enormitatem; vel quando abutitur conſilio Angeli, dicentis: *Exi de Sodomis, & de omni regione circa generationem illius.* Geneſ. 19. De hoc Iuda dicitur Actu 9.

3. Quia circũſtãtia omittuntur.

QVARTA confeſſio eſt retrocedentis, vel pœnitentiam dimittentis. Quidam enim bene confitentur, ſed cito relabuntur. Hi ſignificantur per Iudam Thaddæũ, qui licet multa nobilia facta feciſſet, mortuus eſt cum Simone fratre ſuo in Perſide. Ita multi laudabiliter cõfitentur, multa opera pœniientiæ nobilia agunt; appendentes in patibulo pœnitentiæ peccatum, quod in eis tanquam princeps regnabat & dominabatur. In tentationis autem tempore à Deo recedentes, in peccatum iterum relabuntur, & ita moriuntur per tranſgreſſionem, & obedientia moritur in eis. Hæc ſignificatur in hoc, quod Thaddæus interpretatur appendens principem Perſis, in quo moritur. Hic Iudas interpretatur tentatio. Simon interpretatur obediens; quia per tentationem diaboli, moritur in eis obedientia & pœnitentia. Similes ſunt ribaldo, qui conſiderans incommodũ ludi, & ſuum infortunium, adiurat ludum, & cito ad ludum talorum redit.

4. Quia cito fit relapſus.

QVINTA eſt confeſſio fingentis & diſſimulantis, vt illius qui confitetur vt bonus appareat, vel ne malus appa-

5. Quia ſimulatè fit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

appareat, vt facit hypocrita: vel illius qui ob hoc confessionem frequentat, vt aliquod commodum temporale acquirat. qui similis est vulpi, quæ ob hoc se mortuam fingit vt corniculas capiat, lmguam extrahendo Similiter illius qui confessionem frequentat, & peccatum occultat, vel qui proponit non recedere à peccato: hic similis est Iudæ proditori, qui osculo tradidit filium hominis, De his Titi 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* De hoc Eccl. 1. *Accessisti maligne ad Deum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Eiusdem 2. *Væ duplici corde, & labijs scelestis*, &c.

6. *Quia sine spe venia.*

SEXTA est desperantis, vt Iudæ Iscariotis proditoris, qui dixit: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matt. 27. *Et statim laqueo se suspendit.* De hoc Act. 1. *Hic possedit agrũ de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Talis fuit confessio Cain, Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam mereat.*

7. *Quia fit ex præsumptione.*

Septima est confessio præsumentis, vt illorum qui abutuntur misericordia Dei, nimis eam extendendo; vt eorũ qui confitentur peccata, & promittunt sibi eorum impunitatem. hi significantur per Iudam filium Ioannę, qui interpretatur misericors Dominus, de quo Luc. 3.

8. *Quia fit cũ mendacio.*

OCTAVA est confessio augentis peccata, vt mentientis in confessione. Hic significatur per Iudam filiũ Ioseph, Lucæ 3. qui interpretatur augmentum, quia mentiens auget peccatum suum. Talis est confessio eorum qui causa humilitatis dicunt se fecisse quod non fecerunt, vel diabolo suadente, dicunt se non fecisse quod se fecisse recolunt, vel se dicunt à peccato non posse abstinere, vel pœnitentiam se non posse facere.

9. *Quia fit cũ sui defensione.*

Nona est confessio excusantis vel defendentis peccatũ suum. hic significatur per Iudam Machabæum, qui interpretatur protegens, vel ingeniosus; quia peccatum quod debet accusare in confessione, excusat ingeniosè & defendit. Hic Iudas cum vicisset dextrum cornu, vincitur à sinistro: quia multi peccata notabilia, & in quibus non erubescũt, sed ex quibus apparent aliquid fuisse, & valuisse, confitentur & valde bene denudant; illa quę sunt turpia & enormia celant, palliant, defendunt, & excusant. de hoc 1. Mach. 9.

10. *Quia in aliũ peccata reijcit.*

DECIMA est confessio proiicientis in alium, vt fecerunt primi parentes. Adã peccatum retorsit in mulierem, mulier in serpentem, sic faciunt qui in confessionibus suis alios accusant, & se excusant; vt mulier virum suum, & econuerso; socius, socium. Hi significãtur per Iudam qui ascendit cum Zorobabel de Babylone. Zorobabel interpretatur, aliena translatio, Babylon confusio, quia confusi de peccatis suis, ea in alios transferunt, accusando eos.

11. *Quia est dimidiata.*

Vndecima est confessio dimidiantis, vt eorum qui partem retinent; & partem peccatorum confitentur; vel qui vnam partem dicunt vni, & aliam partem dicunt alteri sacerdoti, ne nimis videantur peccatores. Hi significantur per Iudam, qui confitebatur super portam sterquilinij inter Mosollam & Beniamin, qui erant duo sacerdotes. Neæ. 12.

12. *Quia fit se iustificando.*

Duodecima est confessio se iustificantis & gloriantis. hæc significatur per Iudam filium Seuna, qui interpretatur auditio famę, vel nomen auditum; vt est eorum confessio, qui bona sua in confessione confitentur, vt nomen & famam eorum cõfessor audiat. Sic Pharisęus dicebat: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do.* &c. Luc. 18.

13. *Est confessio vtilis & salutaris quæ multa bona nobis accumulat.*

TREDECIMA est confessio salubriter confitentis. Hæc significatur per Iudam filium quartum Iacob & Lyę, Christi & ecclesiæ. Post sui status visionem, qui per Rubem significatur, qui interpretatur visio. Post contritionem, & lachrymarum eius exauditionem à Domino, qui per Symeon significatur, qui interpretatur audiens mœrorem. Post gratiæ infusionẽ, quæ per Leui significatur, qui additamentum interpretatur: Sequitur vera & salutaris confessio, quæ per Iudam significatur, qui confitens interpretatur; quia Christus post hos militanti ecclesiæ parit confitentem. Est enim rex confitentium, vt testatur titulus triumphalis: *Iesus Nazarenus rex Iudæorum*, id est confitentium. Est enim eorum Iesus, scilicet Saluator, A Nazarenus, id est sanctificator (Nazareth enim sanctitas interpretatur) Rex, id est rector & gubernator. Et nota, quod Iudas ex multis verum significat confitentem, primo, quia Phares & Zaram, de Thamar genuit; Beniamin *in* sui custodiam suscepit, pro eo coram Iacob allegauit: hunc Iacob & Moyses in suis benedictionibus mirabiliter cõmendauit. Huius enim tribus, vt dicitur Iudic. 1. Ducatum belli, & victoriam acquisiuit contra Chananæum; Hierusalẽ vrbem cœpit, Gygantes interfecit, regnum acquisiuit; & de eius stirpe Christus descendit. Similiter confessio de amaritudine pœnitentię generat Phares, id est à malo diuisionem, quæ Phares interpretatur; & Zaram, quæ dicitur oriẽs, id est gratiæ illuminationem, animam custodit, & corã Christo in iudicio eam allegando defendit; ipsi confitenti laus & benedictio Iudæ multiplex competit; ipsa dæmones & peccata expugnat, & superat, & exterminat; & vrbem Hierusalem, & regnum eius cæleste, & Christum habere, & æternum pręmium impetrat veraciter pœnitenti & confitenti.

B

De impedientibus confessionem.

DISTINCTIO XVI.

Duodecim confessionem impediunt.

CIRCA DECIMVM, scil. de his quæ veram cõfessionem impediũt vel retardant; sciendum quod sunt 12. *Primum* est peccatorum infidelitas, quia non credũt Dei verba esse vera. Psalm. 77. *Nec fideles habiti sunt in testimonio eius*; vel virtutem clauium, vel sacramentorum. Isa. 21. *Qui incredulus est infideliter agit.* hæc infidelitas est massa plumbea, proiecta in os iniquitatis. Zach. 5. *Hoc opilat os eius. Secundum* quod impedit confessionem & retardat, est mala societas Psa. 17. *Cum peruerso peruerteris.* Petrus cum ministris passionis Deum negauit, & in negando perseuerauit; egressus ab eis fleuit. *Tertium* est malus pudor, quem diabolus proiicit in os peccatorum, vt fur mucum siue ramunculum in os canis vt obmutescat. supra *de pœximatio*. Item *de Gilberto.*

C

1. *Infidelitas.*

2. *Mala societas.*

3. *Malus pudor.*

QVARTVM est longæ vitæ confidentia; cõtra quod habetur supra *de confessione festinanda.* De hoc ponuntur multa exempla in tractatu *de negligentia. Quintum* est negligentia. Prou. 19. *Qui negligit vias suas mortificabitur.* Nota de hoc multa exempla de vitio negligentiæ. Seneca. *Nihil est vnicuique se vilius, quoniam scil. plus negligit se, quam aliquid suorum. Sextum* est ignorantia; quia ignorat homo quid commisit, quid omisit, quid offendit, quid amisit, quid promeruit per peccatum suum: quia ignorat statum suum, confessionis effectum: ideo tardat confiteri. Prouerb 7. *Ignorat stultus quod ad vincula trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius*; velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ agatur. 1. Cor. 14. *Si quis ignorat ignorabitur.*

D

4. *Longa vita confidentia.*

5. *Negligentia.*

6. *Ignorantia.*

SEPTIMVM est terrena occupatio. Sic Sedechias fugere volens exercitum regis Babylonis, reductus est ad eum in Reblata, quæ interpretatur multa hęc, & significat multitudinem curarum & occupationum terrenarum. *Facit* diabolus sicut venator Tygridi: dum Tygris vult consequi venatorem qui rapuit & defert secum fœtus suos, velociſſime currit post eum. Venator autem volens eam retardare, ponit in via specula, vbi dum faciem suam intuetur, credit esse sub eis catulos suos, & moueri eos sub eis; & sic paulatim & successiue retardatur, quousque venator ad tutum locum veniat, & fœtus ei auferat. Sic cùm peccator videns se amisisse per peccatum bona quę fecerat, volens ea recuperare per pœnitentiam, currens ad confessionem, retardatur per diuersas occupationes & occasiones, quas subministrat ei diabolus, donec bona quæ prius fecerat, morte subita irruente, omnino amittat.

E

7. *Terrena occupatio.*

Simile.

OCTAVVM est præsumptio, vt eorum qui dixerunt: Psalmus 93. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*, &c. Eccles. 23. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum contemnit animam suam dicens, quis videt me?*

8. *Præsumptio.*

&c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

&c. Et post. *Nemo circumspexit me quem verear, & delictorum meorum non memorabitur altissimus*, &c. hi debent attendere, quod Deus iustus iudex est, vnicuique reddens iuxta opera sua. Aliter non esset Deus, nisi esset iustissimus. *Item* debent cogitare quomodo puniuit cogitationem superbam in Angelis, morsum pomi in primis parentibus peccatum luxuriæ in diluuio & Sodomorum incendio, violentię in Pharaone, excogitationis quasi in Core, Dathan & Abyron in absorptione. *Nonum* est desperatio. Contra quam ponuntur multa exẽpla supra de duodecim officiis misericordiæ, & supra de confessionis effectu. Hiere. 33. *Si confitemini peccata vestra, fidelis est Deus vt remittat vobis, & emundet vos ab omni iniquitate vestra*, &c.

9. *Desperatio.*

Decimvm est timor malus, quo nimis horret asperitatem pœnitentiæ, vel ne possit à peccato assueto abstinere. Iob 6. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* De hoc habetur supra *de timore humano. Vndecimum* est peruersus amor, quo quis nimis diligit peccatum suum, mortem suam, patibulum suum, vulnus suum, incendium suum, hostem suum, vel aliquid aliud supra Deũ. Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendaciũ.* Prouerb. 1. *Stulti ea quæ sunt sibi noxia cupient.* Eccles. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, &c. *Duodecimum* est infirmitas, & mors subita, & dæmonum violentia. Quod patet supra per multa exempla de subita morte malorum. Item supra de qualitate confessionis, quod debet esse viua. Item supra de purgatorio, de meretrice, diabolo obediente. Item de milite ferente doblarium.

10. *Timor malus.*

11. *Peruersus amor.*

12. *Infirmitas & mors subita.*

De satisfactione.

DISTINCTIO XVII.

Postqvam dictum est de contritione & confessione, dicendum est de satisfactione. Circa quam considerandæ sunt quatuor. Primo de satisfactione & partibus eius in generali. Secundo de eleemosyna. Tertio de ieiunio. Quarto de oratione. Circa primum considerandæ sunt tria. Primo quid sit satisfactio. Secundo vtrum possit homo Deo satisfacere de peccatis. Tertio qualiter. De primo videndum est: Primo vtrum satisfactio sit actus virtutis, & cuius virtutis Secuudo de diffinitione quam assignat Augustin. dicens: *Satisfactio est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere.* Tertio de diffinitione Anselm. dicentis: *Satisfacere est Deo honorem debitum reddere.*

Ad primvm, scilicet *vtrum satisfactio sit actus virtutis*. Dicendum quod aliquis actus potest intelligi actus virtutis dupliciter. *Vno modo* materialiter, & sic omnis actus qui malitiam non habet implicitam, vel defectum debitæ circunstantiæ, actus virtutis dici potest, quia quolibet tali actu potest vti virtus in finem suum, vt loqui, ambulare. *Alio modo* formaliter, & sic ille dicitur esse virtutis actus, qui rationem medij habet implicitam, sicut fortiter sustinere aduersa. formale autem cuiuslibet virtutis moralis est ratio medij; vnde omnis actus qui suo nomine rationem medij importat, formaliter est alicuius virtutis: & quia ęqualitas rationem medij habet, & satisfactio æqualitatem quandam importat, vel æquiparantiæ, vel proportionis, ideo satisfactio formaliter actus virtutis est. Ex hoc patet cuius virtutis actus sit satisfactio, videlicet iustitiæ. Medium autem iustitiæ, vt ait Philosophus 5. Ethic. accipitur secundum adæquationẽ. Vnde cum satisfactio in adæquatione quadã consistat, formaliter est actus iustitię. Sed actus iustitiæ secundum Philosophum duplex est; vel sui ad alterum, vt quando aliquis reddit alteri quod ei debet; vel alterius ad alterum, sicut quando iudex facit iustitiam inter duos. In actu primo, iustitię æqualitas constituitur in ipso faciente iustitiam: In actu vero secundo, ipsius iustitiæ æqualitas constituitur in passio iustitiã: satisfactio vero exprimit ęqualitatem in faciente, vnde pertinet ad actũ iustitiæ, qui est sui ad alterum. Sui vero ad alterum potest homo facere iustitiam dupliciter, vel in actionibus & passionibus, vel in rebus exterioribus. Sicut fit iniuria alteri dupliciter, vel ipsum per aliquam actionẽ vel passionem lædendo, vel res eius subtrahendo. Actus adęquationis in rebus exterioribus est reddere propriè, sed actus adæquationis in actionibus & passionibus est satisfacere. Hanc autem adæquationem facit pars iustitiæ vindicatiua, quæ ponit æqualitatem in passo, siue sit idem agẽs & patiens iustitiam, siue alius; vnde satisfactio ad partem vindicatiuam pertinet.

Satisfactio est formaliter actus virtutis, sc. iustitia vindicatiua.

Ad secvndvm, sc. *de diffinitione* Aug. dicendũ, quod iustitiá non solum tendit ad hoc vt præcedentem inæqualitatem auferat, puniendo culpam præteritam, sed etiam vt in futurum inęqualitatem custodiat, cauendo culpã futuram. vnde secundum Philosophum 2. Ethi. *Pœnæ medicinę sunt.* Vnde satisfactio, quæ est opus iustitię pœnam inferentis, est medicina curans peccata præterita recompensando, & præseruando à futuris, & cauendo. Et ideo per actum primum diffinitur ab Ansel. sc. honorem debitum Deo reddere: Debitum inquam, nõ ratione beneficij accepti, sed peccati commissi. Per actum secundum diffinitur ab Aug. quia per causarum morbi abscissionem, fit præseruatiua à futura infirmitate. Dicendum ergo, quod quia liberum arbitrium est subiectum voluntarium, post abscissionem causarum peccati, nihilominus potest infirmitatem spiritualem si velit incurrere. Et ideo Aug. duplicem actum in diffinitione ponit, sc. causas abscindere, & suggestiones repellere. Causas vero vocat intrinsecas peccatorum radices proximas, sc. libidinem ex actu malo vel consuetudine relictam, & peccati reliquias, sc. difficultatẽ ad bonum, & huiusmodi. Occasiones verò vocat opportunitates extrinsecas, sc. tẽpus, & locum, & huiusmodi.

Perpenditur definitio satisfactionis ab Aug. tradita, & in principio diff. allata.

Ad tertivm, sc. *de diffinitione Ansel.* dicẽdum quod duplex est debitum quod debetur Deo. Vnum ratione beneficij ab eo accepti. Alterum ratione peccati in eũ commissi. Satisfactio intẽdit reddere honorem debitũ ratione peccati commissi, sed latria ratione beneficij accepti. Ideo diffinitio Anselm. intelligitur de honore debito primo modo, non secundo; & reddere accipit non pro soluere solum, sed pro restituere.

Explicatur definitio Anselm.

Circa secvndvm, sc. vtrum possit homo Deo satisfacere pro peccatis, considerandæ sunt duo. Primo vtrum possit satisfacere. Secundo vtrum de vno peccato mortali possit satisfacere sine alio. *Ad primum* dicẽdum, quod sicut homo potest intelligi aliquid facere dupliciter, sc. aut per se, aut cum adiutorio alterius; ita & satisfacere. Dicendum ergo, quod homo cum adiutorio alterius, id est Christi, cuius meritum infinitum pœnitẽtibus communicatur, satisfacere potest; sed per se non potest, nec exigitur hoc ab ipso. Cũ enim dupliciter fiat homo Deo debitor, sc. ratione beneficij accepti, ex quo tenetur ad gratiarum actionem, & ratione peccati commissi, ex quo tenetur ad satisfactionem; secundum nullum horũ debitorum exigitur ab eo reddere æquale æqualitate æquiualentię, quia hoc est impossibile; sed æqualitate proportionis, per cõparationẽ ad possibilitatem suam. Nã secundum Philosophũ in libris Eth. in his honoribus, qui sunt ad Deos, & ad parẽtes, nõ tenetur homo ad æquiualens, sed ad possibile.

Homo potest adiutorio Christi satisfacere pro peccatis, reddendo aquale secundũ proportionem, non secundũ æquiualentiam.

Ad secvndvm dicendũ, quod de vno peccato mortali non potest homo satisfacere sine alio; sicut expresse dicitur de pœn. di. 3. c. *sceleratior. His auctoritatibus illorũ sentẽtia destruitur, quia eũ, qui pluribus fuerit peccatis irretitus, asseritur vnius delicti pœnitentia, eiusdem veniam consequi à Domino, sine alterius criminis pœnitentia.* Item de pœn. dist. 5. c. vlt. *Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur; aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio.* Ratio autem huius est, quia peccatũ est iniuria contra Deum, quæ inquantum est contra ęqualitatem amicitiæ inter hominem & Deum, est Dei offensiua; & inquantum est contra æqualitatem iustitiæ, quæ respicit debitum necessitatis, est punitione digna.

Nemo potest satisfacere pro vno peccato mortali sine alio, loquendo, scil. de culpa non de pœna tẽporali.

Et lo-

Et loquor hic non de æqualitate quæ sit æqualitas simpliciter, quia talis non potest esse inter hominem & Deum, sed de æqualitate per comparationẽ ad hominis facultatem. Quia autẽ lex diuina præcipit amicitiã hominis ad Deum, ideo non potest esse æqualitas iustitiæ hominis ad Deum, sine æqualitate amicitiæ; & quia æqualitas amicitiæ hominis ad Deũ est per charitatẽ, quæ sine aliqua virtute necessaria ad salutem esse non potest, ideo æqualitas amicitiæ nõ potest esse sine æqualitate iustitiæ. Non est ergo dicendum, vt dicũt quidã, quod homo satisfacere possit pro culpa, inquãtum est contra æqualitatem amicitiæ hominis ad Deum; sine satisfactione pro ea, inquantum est contra æqualitatem iustitiæ hominis ad Deum.

Radix satisfactionis est charitas quæ cũ nullo peccato mortali stare potest.

Dico ergo, quod satisfacere pro culpa inquantum est contra vtramque æqualitatem, dupliciter potest intelligi; aut scil. de illa parte satisfactionis quæ consistit in actu animæ interiori; aut de illa quæ consistit in actu exteriori. *Primo* modo non potest homo satisfacere de vna culpa mortali sine alia, quia quamuis culpæ non sint connexæ, tamen radix satisfactionis est vna scilicet charitas, quæ cum nullo peccato mortali stare potest. Et quia obligatio ad pœnam æternam non cõpatitur se in homine cum diuina amicitia, ideo per charitatem illa obligatio commutatur in obligationem ad tẽporalem pœnam. per actum ergo pœnitendi interiorem, per quem culpa & obligatio ad pœnam æternam remittuntur dispositiuè; & per charitatem, per quam remittuntur formaliter & cõpletiuè; non potest satisfieri de vno peccato mortali sine alio, nec quantum ad offensam, nec quantum ad obligationem ad pœnã æternam. *Loquẽdo* autem de alia parte satisfactionis, quæ directe respicit solutionem temporalis pœnæ, inquantũ per actum pœnitendi interiorem, & charitatem, commutata est obligatio ad pœnam æternam; potest satisfieri de pœna debita vni peccato sine alia, sicut satisfieri potest de vna parte pœnæ sine alia. Cuius ratio est, quia obligatio ad talem pœnam simul stat cum charitate; & ideo manente debito pœnę pro vno peccato, acceptari potest solutio pœnæ pro alio; si tamen adsit propositũ satisfaciendi postea de alio. Quod propositum si mutetur, ita vt pro alio non velit postea satisfacere, remanet tamen præcedens solutio acceptata.

Circa tertium, sc. *qualiter debeat homo satisfacere Deo*, considerandæ sunt quinque. Primo vtrum satisfactio debeat fieri per opera pœnalia. Secundo vtrum flagella, quę Deus immittit, vel euenire permittit super pœnitentes, sint satisfactoria. Tertio vtrum possit homo satisfacere per opera extra charitatem facta. Quarto vtrũ opera in peccato mortali facta, per sequentem pœnitentiam sint satisfactoria. Quinto de partibus satisfactionis vtrum sufficienter enumerentur, scil. eleemosyna, ieiunium & oratio.

Satisfactio conuenienter fit per opera panalia, tam quoad compensationem pro culpa cõmissa, quam quoad præseruationem à futura.

Ad primvm, sci. *vtrum per opera pœnalia debeat fieri satisfactio.* Dicendum, quod satisfactio respicit curationẽ culpæ præteritæ, & pręseruationem à futura: & quo ad vtrumque conueniens est quod fiat per opera pœnalia. Quantum ad primum quidem, quia culpæ debetur pœna, satisfactio vero est solutio debitæ emendæ pro offensa. Fit ergo Deo recompẽsatio pro culpa per opera nostra pœnalia, quia licet Deo nihil possit auferri, tamen peccator quantum in se est, aufert Deo honorem debitum; & ideo oportet quod soluat ei aliquid aliàs non debitum, scil. pœnam. Quamuis autem Deus non delectetur in pœnis nostris inquantum pœnales sunt, delectatur tamen in eis inquantum voluntariè sunt assumptæ, & inquantum medicinales & iustæ. *Quoad* secũdum supra positum, sc. quod satisfactio respicit præseruationem à culpa futura, debet fieri satisfactio per opera pœnalia, quia secundũ Philosophum. 2. Eth. *Pœnæ sunt quædam medicinæ*, non tantum curatiuę culpæ præteritæ, verumetiam præseruatiuæ, præseruantes & retrahentes à culpa futura. *Distingue* tamen de opere pœnali: quia opus potest esse pœnale, vel ex parte generis operis, vel ex parte operãtis. Ex parte ipsius operis, pænalius est ieiunare, quàm eleemosynam dare: ex parte vero operantis, difficilius est homini auaro dare paruã eleemosynam, quam homini liberali dare magnam; & homini ex minori charitate facienti, aliquod opus difficilius est, quam maiorem charitatem habenti. Sicut autem difficultas quæ est ex parte operis, non ex parte voluntatis ipsius operantis, auget meritum; ita pœnalitas illa quæ ex genere operis est, non ex voluntate operantis, auget satisfactionem, licet fit minus pœnalis ipsi facienti; quia quanto ex maiori charitate fit aliquod opus, tãto minus est pœnale, & tamen magis est satisfactorium; & magis meritorium. *Item* licet aliquibus peccatis sint annexæ pœnæ sicut est inuidia, ira, tristitia, & huiusmodi: tamen inquantum sunt actus voluntarij aliquam delectationem habent, quia Prou. 13. dicitur. *Desiderium si compleatur delectat animam*: huiusmodi enim peccata consistunt in actu voluntario, & in amore inordinato priuati boni radicantur, & ideo de talibus debet fieri satisfactio per opera pœnalia.

Opus panale duplex, sc ex parte operis & operantis, quod autẽ ex maiori charitate fit est magis satisfactorium licet sit minus panale.

Ad secvndvm, sc. *vtrum flagella quæ Deus immittit, vel euenire permittit, sint satisfactoria.* Dicendum quod sustinens flagella, siue immissa per operationem iustam, cuiusmodi sunt õnia illa quæ Deus infligit, siue per actionem iniustam, cuiusmodi sunt aliqua quæ Deus frequenter à peccatoribus infligi iustè permittit, nõ satisfacit ea sustinendo sub ratione qua patiens tantũ: quia sic voluntas sustinentis nullo modo comparatur ad ea vt actiuum principium voluntatis illius qui meretur: inquantum tamen voluntas sustinentis ea patienter sustinet, intentione remissionis pœnę sibi debitæ pro suis peccatis, sunt sustinenti satisfactionis materia. Sed formaliter ipsa satisfactio in actu voluntatis consistit. Flagella tamen quæ ipsemet Deus immittit, maiorẽ efficaciam habent inclinandi voluntatem ad bonũ, quàm illa quæ nõ immittit, sed immitti permittit. Vnde Aug. 1. de ci. Dei c. 20. *Cum Deus rebus aduersis me exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat*, &c.

Flagella quæ Deus immittit sunt materia satisfactionis in ordine ad voluntatem eã in hunc finẽ acceptãtem.

Ad tertivm, sc. *vtrum possit homo satisfacere per opera extra charitatem facta.* Dicendum quod non: quia cum Deus bonorum nostrorũ non egeat, opera hominis nõ acceptat tanquam remuneratione digna, nec tanquam satisfactoria, nisi acceptet operantẽ. Vnde Gen. 4. prius dicitur, *Respexit Dominus ad Abel*, & post subiungitur; *Et ad munera eius*, sed Deus non acceptat hominem existẽtem in peccato mortali, quia in illo statu est inimicus Dei, ergo opera existentis in peccato mortali non sunt Deo accepta tanquã satisfactoria; sed sine illa acceptione satisfactoria esse non possunt.

Opera extra charitatem facta nõ sũt satisfactoria.

Ad qvartvm, sc. *vtrum opera in peccato mortali facta, per sequentem pœnitentiam sint satisfactoria.* Dicendũ quod non; quia charitas nõ potest viuificare nisi actũ à se elicitum vel imperatum, opera autem in mortali peccato facta non sunt elicita à charitate, nec etiam imperata, immo totaliter extra charitatem sunt facta. Ideo non possunt viuificari ab ea; & ideo non possunt esse satisfactoria pro culpa pręterita: nec æternæ vitę meritoria. Tamen quia Deus, nec malum aliquod relinquit impunitum, nec bonum irremuneratũ, ideo quãuis opera extra charitatem facta non remuneret; nec quãtum ad meritum æternæ vitæ, nec quantum ad remissionẽ seu diminutionem pœnæ debitæ pro peccato secundũ iustitiam legis diuinæ; tamen remunerãtur, vel ad tẽporalia bona, vel inquãtum disponunt hominẽ ad facilius recipiendum gratiam Dei, & resurgendum à peccato, vel ad inclinãdum aures diuinę misericordiæ ad ipsum operantem, vt ei gratiam suam infundat. Hęc tamen remuneratio non est ex debito, sed solum ex liberalitate diuinæ misericordiæ.

Opera in mortali facta nõ possũt à charitate sequenti fieri satisfactoria, aut etiã meritoria nisi ex congruo.

Ad qvintvm, sc. *de numero, & distinctione partium satisfactionis.* Dicendum, quod sicut ædificij materialis quædam sunt partes integrales primæ & principales, vt partes domus sunt fundamentum, parietes, & tectũ; quædam vero remotæ & minus principales, vt ligna, & lapides; sic satisfactionis tres sunt partes principales, sc. eleemosyna, ieiunium, & oratio: quædam sunt secũdariæ, quæ

Partes principales satisfactionis integrales sunt tres ad quas cætera reducuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

riç,quę ad has reducuntur:vt vigiliæ, peregrinationes, diſciplinæ;& omnia opera carnem affligentia,reducũtur ad ieiuniũ;omnia vero opera miſericordiæ,ad eleemoſynã;omnia vero opera ſpiritualia,ad orationẽ.Harum verò partium primarum ſufficientia multipliciter poteſt haberi.*Vno modo* reſpectu termini à quo eſt motus ſatisfactionis:quia per ieiunium reuocamur à concupiſcentia carnis,per eleemoſynam à concupiſcentia oculorum, per orationẽ à ſuperbia vitæ. *Secundo* modo ex parte termini ad quem; quia per ieiuniũ bene ordinatur homo in ſeipſo,per eleemoſynam ad proximum, per orationem ad Deum *Tertio* modo ex parte materię de qua fit ſatisfactio,quia per eleemoſynã fit ſatisfactio de bonis exterioris ſubſtantiæ, per ieiunium de bonis corporis,per orationem de bonis animæ. *Quarto* modo ex parte modorum ſatisfaciendi;fit enim impetratio relaxationis offenſæ,aut per punitionem ieiunando, aut per redemptionem eleemoſynàs dando,aut per ſupplicationem orando.

De eleemoſyna.

DISTINCTIO XVIII.

DIcto de ſatisfactione,& partibus eius in generali, dicendum eſt de partibus eius in ſpeciali. Primo de eleemoſyna. Circa quam conſideranda ſunt xviij. Primo vtrum eleemoſynam dare ſit actus virtutis. Secundo de diſtinctione eleemoſynarum, quæ eſt quod quædam ſunt corporales, quædam ſpirituales. Tertio, quæ ſint potiores, vtrum ſc. corporales ſint ſpiritualibus præferendæ. Quarto vtrũ eleemoſynæ corporales habeant aliquem ſpiritualem effectum. Quinto vtrum dare eleemoſynam cadat ſub pręcepto. Sexto de quo debet dari eleemoſyna. Septimo vtrum quilibet poſſit dare eleemoſynam. Octauo quibus dandæ ſunt eleemoſynę. Nono vtrum abundanter. Decimo vtrũ poſſit homo dare eleemoſynã ſibiipſi. Vndecimo de his quæ mouere debent ad eleemoſynas faciẽdas. Duodecimo de multiplici effectu eleemoſynæ. Decimotertio qualis debet eſſe vt Deo grata ſit,& ſalutifera facienti. Decimoquarto de hoſpitalitate ſpecialiter. Decimoquinto de viſitatione infirmorum. Decimoſexto de viſitatione incarceratorum. Decimoſeptimo de ſepultura mortuorum. Decimooctauo de pietate parentum.

Eleemoſyna eſt elicitiue actus miſericordiæ, imperatur tamẽ ſæpe ab alijs virtutibus ſ. à charitate, iuſtitia, &c.

AD PRIMVM, ſc.*vtrum dare eleemoſynam ſit actus virtutis*. Dicendum,quod exteriores actus ad illam virtutẽ referuntur, ad quam pertinet id quod motiuum eſt ad agendum huiuſmodi actus, motiuum autem ad dandũ eleemoſynas eſt vt ſubueniatur patienti neceſſitatem. Vnde quidam diffinientes eleemoſynam dicunt,quod *eleemoſyna eſt opus quo datur aliquid indigenti ex compaßione propter Deum*. Quod quidem motiuum pertinet ad miſericordiam. Vnde manifeſtum eſt,quod dare eleemoſynam proprie eſt actus miſericordiæ, & hoc apparet ex ipſo nomine, nã in græco à miſericordia deriuatur, ſicut in latino miſeratio;& quia miſericordia eſt effectus charitatis, ex conſequenti dare eleemoſynam eſt actus charitatis miſericordia mediante. quia tamen actus qui proprie alicuius virtutis eſt ſicut elicientis, poteſt attribui alij virtuti ſicut imperanti vel ordinãti ad finem ſuum;ideo dare eleemoſynam,qui eſt propriè actus miſericordiæ vt elicientis,poteſt eſſe etiam actus iuſtitiæ, inquantum miſeratio in defectum patientis ordinatur ad ſatisfaciendum pro culpa. Et ſic eleemoſyna inter opera ſatisfactoria computatur, ſecundum illud Dan.4.*Peccata tua eleemoſynis redime*. Secundũ autem quod ordinatur ad placandum Deum,ſic habet rationem ſacrificij,ſecundum illud Heb. 13. *Beneficientiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus*:& ſic imperatur à latria. Item dare eleemoſynam ad liberalitatem pertinet, inquantum aufert huiuſmodi actus impedimentum, quod eſſe poſſet ex ſuperfluo amore diuitiarum, propter quem fit homo nimis retentiuus earum.

Septem ſunt eleemoſyna

AD SECVNDVM, ſc.*de diſtinctione eleemoſynarum*. ſciẽdũ,quod ſeptem ponuntur eleemoſynæ corporales,ſc. paſcere eſurientem,potare ſitientẽm, veſtire nudũ, recolligere hoſpitẽ,viſitare infirmum,redimere captiuũ, & ſepelire mortuum. Quę in hoc verſu continentur. *Viſito,poto,cibo,redimo,tego, colligo,condo*. Ponuntur etiam ſeptem eleemoſynę habituales, ſc.docere ignorãtem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem,remittere offendenti,portare onerоſos & graues,& pro omnibus orare,quæ in hoc verſu continentur.*Conſule,caſtiga,ſolare,remitte,fer,ora*. Ita tamen quod ſub eodem intelligatur conſilium & doctrina.

corporales,& ſeptem ſpirituales.

Hæc autem eleemoſynarum diſtinctio conueniẽter ſumitur ſecundũ diuerſos proximorum defectus. Quorum quidã ſunt ex parte animę ad quos ordinãtur ſpirituales eleemoſynæ,quidam vero ex parte corporis ad quos ordinantur eleemoſynę corporales. Defectus autem corporalis, aut eſt in vita,aut poſt vitã. Siquidẽ eſt in vita, aut eſt cõmunis defectus reſpectu eorũ quibus omnes indigent, aut eſt ſpecialis propter aliquod accidens ſuperueniẽs. Si primo modo,aut eſt defectus interior,aut exterior. Interior quidem eſt duplex: Vnus quidẽ cui ſubuenitur per alimentum ſiecũ,ſc.fames,& ſecundum hoc ponitur,*paſcere eſurientem*. Alius autẽ eſt cui ſubuenitur per alimentũ humidũ,ſc.ſitis,& ſecũdũ hoc dicitur,*potare ſitientem*. Defectus autem communis reſpectu exterioris auxilij eſt duplex. Vnus reſpectu tegumẽti,& quantũ ad hoc ponitur *veſtire nudũ*. Alius eſt reſpectu habitaculi, & quãtũ ad hoc eſt *ſuſcipere hoſpitẽ*. Similiter autem ſi ſit defectus aliquis ſpecialis, aut eſt ex cauſa intrinſeca,ſicut infirmitas, & quantum ad hoc ponitur *viſitare infirmum*;aut ex cauſa extrinſeca,& quãtum ad hoc ponitur *captiuorum redemptio*. Poſt vitam autem exhibetur mortuis *ſepultura*.

Vnde ſumatur eleemoſynarum corporalium & ſpiritualium diſtinctio.

SIMILITER autem ſpiritualibus defectibus ſpiritualibus actibus ſubuenit dupliciter. Vno modo poſcẽdo auxilium à Deo,& quãtum ad hoc ponitur oratio,qua quis pro aliis orat. Alio modo impetrando auxilium humanum, & hoc tripliciter. Vno modo contra defectum intellectus, & ſi quidem ſit defectus ſpeculatiui intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam; ſi autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per conſiliũ. Alio modo eſt defectus ex paſſione appetitiuæ virtutis,inter quas maxima eſt triſtitia, cui ſubuenitur per conſolationem. Secũdo modo ex parte inordinati actus;qui quidẽ tripliciter conſiderari poteſt. Vno modo ex parte peccantis, inquantum procedit ab eius inordinata volũtate, & ſic adhibetur remedium per correctionẽ. Alio modo ex parte eius in quem peccatur,& ſi quidem ſit peccatum in nos, remedium adhibemus remittẽdo offenſam. Si autem ſit in Deum, vel in proximum,non eſt noſtri arbitrij remittere,vt dicit Hiero. ſuper Matt. Tertio modo ex parte ſequelæ ipſius actus inordinati,ex qua grauantur ei conuiuantes pręter peccantis intẽtionem,& ſic remedium adhibetur ſupportando, maxime in his qui ex infirmitate peccant,ſecundum illud Rom.15.*Debemus nos firmiores infirmitates aliorum portare*; & non ſolũ ſecundũ quod infirmi ſunt graues ex inordinatis actibus, ſed etiam quæcunq; eorum onera ſunt ſupportanda; ſecundum illud Gal.7. *Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legem Chriſti*.

Soluitio obiect.

LICET autem multæ ſint aliæ neceſſitates humanæ vitæ, tamen omnes reducuntur ad iſtas. Cæcitas enim & claudicatio ſunt infirmitates quædam: Vnde dirigere cęcum, & ſuſtentare claudum, reducitur ad viſitationem infirmorum. Similiter etiam ſubuenire homini circa quamcunq; paſſionem illatam extrinſecus, reducitur ad redemptionem captiuorum. Diuitię autem quibus paupertati ſubuenitur, non quæruntur ad ſubueniendum prædictis defectibus, & ideo non fuit ſpecialis mentio de hoc facienda.

ITEM,nota,quod ſepultura mortui nõ cõfert ei quãtũ ad ſenſum quẽ corpus poſt mortem habeat;& ſecũdũ hoc Dominus dicit,quod interficiẽtes corpus,non habent amplius quid faciant. & propter hoc etiã Dominus nõ cõmemorat ſepulturã inter alia miſericordię opera, ſed numerat tantum illa quæ ſunt euidentioris

neceſſita-

necessitatis, pertinet tamen ad defunctum quid de eius corpore agatur, tum quantum ad hoc quod viuit in memorijs hominum, cuius honor dehonestatur si insepultus remaneat; tum etiam quantum ad affectū quem adhuc viuens habebat de suo corpore, cui piorum affectus conformari debent post mortem ipsius: & secundum hoc aliqui commendantur de mortuorum sepultura, vt Tobias, & illi qui Dominum sepelierunt, vt patet per Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda.

AD TERTIVM, scilicet *quæ eleemosynæ sint potiores.* Dicendum, quod comparatio eleemosynarum potest dupliciter attendi: Vno modo simpliciter loquendo; & secundum hoc eleemosynæ spirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem quia id quod exhibetur nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali, secundum illud Prouer. 4. *Bonum donum tribuam vobis, legem meam non derelinquetis.* Secundo ratione eius cui subuenitur; quia spiritus nobilior est corpore. Vnde sicut homo sibi ipsi magis debet prouidere quantum ad spiritum, quam quantum ad corpus; ita & proximo quem debet tanquam seipsum diligere. Tertio quātum ad ipsos actus quibus subuenitur proximo, quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus; qui sunt quodammodo viles. Alio modo possunt comparari secundum aliquem particularem casum, in quo corporalis eleemosyna alicui spirituali prefertur, puta magis est pascendum fame morientem, quam docendum; sicut indigenti, secundum Philosophum, melius est ditari, quam Philosophari; quamuis hoc sit simpliciter melius.

Eleemosynæ spirituales sunt simpliciter potiores corporalibus.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum eleemosynæ corporales habeant aliquem spiritualem effectum.* Dicendum, quod eleemosynę corporales tripliciter possunt considerari. Vno modo secundum suam substantiam, & secundum hoc eleemosyna non habet nisi corporalem effectum, inquantum scilicet supplet corporales defectus proximorum. Alio modo potest considerari ex parte causæ eius, inquantum scilicet aliquis eleemosynam corporalem dat propter dilectionem Dei, & proximi; & quantum ad hoc affert fructum spiritualem, secundum illud Eccl. 29. *Perde pecuniam propter fratrem, pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum.* Tertio modo ex parte effectus, & sic etiam habet spiritualem fructum, inquantum scilicet proximus cui per corporalem eleemosynam subuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore. Vnde & ibidem subditur: *conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

Eleemosyna corporales habēt effectū seu fructum spiritualem.

De eleemosyna.

DISTINCTIO XIX.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum dare eleemosynam sit in præcepto.* Dicendum, quod est sub præcepto legis naturæ, & legis diuinæ, & etiam legis positiuæ. Lex enim naturalis præcipit proximum verè diligere, non tantummodo affectu, sed etiam effectu; quia non est verus affectus, nisi sequatur effectus, si possibile est. Qui ergo indigentiæ fratris non subuenit, non veraciter ipsum diligit. Quod volens innuere. B. Ioan. dicit in prim. ca. sua. c. 3. *Filioli non diligamus verbo, nec lingua tantum, sed & opere & veritate.* Lex etiam diuina hoc præcipit, quia vt habetur Matth. 25. Christus improperabit reprobis maximè defectus operum misericordiæ. In iure etiam canonico præcipitur, vnde decretorum dist. 86. *fratrem nostrum*, dicitur de episcopo, *largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam suam credat; qui si hoc non habet, Episcopi vacuum nomen tenet.* Et infra eadem dist. *Non satis pasce*, sic dicitur. *Qui in pascendo homines seruare poteris, si non pueris occidisti.* Et 7. q. 1. *Omnis* dicitur, quod *qui negant misericordiam faciendam necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia.*

Eleemosyna cadit sub præcepto naturali, diuino, & humano.

SED cum sit præceptum affirmatiuum, quamuis obliget semper, non tamen pro semper, sed pro loco & tempore. Considerandа est enim facultas habentis, & miseria indigentis. Si enim homo habeat aliquid, quod non sit necessarium sustentationi suæ naturæ nec illorum quibus tenetur prouidere, sicut sunt vxor, filij, serui, & ancillæ; & sit tam notabilis necessitas seu indigentia ex parte illius cui dandum est, quod immineant probabilia signa extremæ necessitatis, tunc habens tenetur ex præcepto subuenire indigenti. Si etiam homo habeat aliquid superfluum, non tantum sustentationi naturæ, sed etiam decentiæ sui status, tenetur de illo eleemosynam facere indigentibus, etiam si non inuenirentur tales, qui essent constituti in necessitate prædicta. Et si plures occurrant indigentes, quibus omnibus subuenire non possit, tenetur, cæteris paribus, magis indigenti subuenire. Reducitur autem præceptum de dandis eleemosynis, & de omni subuentione proximo facienda, ad præceptum de honoratione parentum. Sic enim & Apostolus interpretatur. 1. Tim. 4. dicens. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Quod dicit, quia in præcepto de honoratione parentum additur promissio, vt sit longæuus super terram. Sub pietate autem comprehenditur omnis eleemosynarum largitio.

Eleemosyna non obligat ad semper sed pro loco, & tempore; reducitur autem ad præceptum de honoratione parentum.

ITEM nota, quod licèt superfluum sustentationi naturæ tuæ sit tuum proprium, quantum ad dispensationem seu auctoritatem administrandi, quantū ad vsum illorum est, in quibus signa probabilia imminent necessitatis extremæ, nisi subueniatur eisdem. Et simili modo dico de superfluo decentiæ tui status, respectu indigentium circa prædictam necessitatem. Vnde contra illos qui de superfluo modis prędictis indigentibus subuenire nolunt, dicitur dist. 47. *Sicut. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum vestimentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio & absolutio est pecunia, quam tu in terra defodis.* Et in hoc apparet, quod eleemosynam dare eo modo quo cadit sub præcepto, multum participat de ratione actus iustitiæ. Vnde & Glos. super illud Matth. 5. *Cum facis eleemosynam*, dicit quod eleemosyna est pars iustitiæ: & quamuis prędicti transgressores non semper puniantur lege humana, puniuntur tamen lege diuina. Secundum enim sententiam Aug. 1. li. de libe. arbi. longe ante medium. *Multa impunita iustè relinquuntur à lege humana, quæ tamen iustè vindicantur lege diuina.*

Solutio obiect.

AD SEXTVM, scilicet *de quibus debet eleemosyna dari, vtrum de quolibet bono.* Dicendum, quod bonorum tria sunt genera, scilicet animæ, corporis, & bona exteriora. De bonis animæ potest fieri eleemosyna, vt cum aliquis orat pro alio, vel peccanti in se parcit ex corde, quod est maxima eleemosyna, vnde Aug. in Enchiri. 40. c. *Ea eleemosyna nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccauit.* De bonis corporis etiam, vt cum aliquis seruit infirmis. De bonis autem exterioribus distinguendum est, quia aut sunt malè acquisita, aut bene. Si malè, aut licitum est ei qui acquisiuit ea retinere, aut non. Si sic, de illis potest fieri eleemosyna. Vnde meretrix de pecunia quam per meretricium acquisiuit potest eleemosynā facere. Illud enim quod sic acquirit, licitè retinere potest, quamuis in eo quod meretricatur turpiter agat, & contra legem Dei. Quapropter illud quod accipit turpe lucrum vocatur; tamen in accipiendo pecuniam pro eo quod damnificata est, contra legem Dei non facit. Vnde 14. q. 5. *Qui habetis*, c. *sed hic. De peccato aliqua nonnunquam acquiruntur, quæ pauperibus iustè eroganter.* De acquisito tamen per meretricium, non fit sacrificium vel oblatio ad altare, propter scandalum, & reuerētiam sacrorū. Vnde Deut. 23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* Si autem non est licitum ea retinere; aut illis à quibus accepta sunt conuenit ius repetendi, qualia sunt bona acquisita per vsuram, vel furtum, vel rapinam; de talibus non debet fieri eleemosyna, sed restitutio. Extra *de iureiurando: Ætate* dicitur, quod *onus non remittitur sed augetur, cum cuiquam improuidè soluitur quod alij ex debito est*

De bonis animæ & corporis potest fieri eleemosyna, nec non de bonis exterioribus etiam malè acquisitis, modo licitè retinentur.

Bona malè parta quæ nõ sunt reddenda ei à quo fuerint accepta sunt in eleemosynis eroganda.

Quomodo facienda eleemosyna de bene acquisitis.

Monachi, filij familias, serui &c. non possunt facere eleemosynas de bonis externis extra casum necessitatis extremæ.

Eleemosyna cæteris paribus est facienda magis coniunctis & sanctioribus.

Solutio obiect.

Præstat dare pluribus pauperibus quàm uni ad superfluitatem

ræstandum. Sic etiam intellige quod dicitur 1.q.1. *Non ſit. Non eſt putanda eleemoſyna ſi pauperibus erogetur vel diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur,* & 4. q. 5. *Nolite* Quod ſumptum eſt ab Aug. in lib. de verbis Domini ſermone 35. ante medium. *Nolite velle eleemoſynas facere de fœnore & vſuris.* Et infra ca. *Forte,* prohibetur expreſſe fieri de rapina. Vnde ibi dicitur. *Si totum tribuat quod abſtulerat, addit potius peccatũ quam minuat.* Aut non competit ius repetendi, quale eſt bonum acquiſitum per ſymoniam, quod bonum ille qui acquiſiuit retinere non poteſt. Extra *de ſymonia.* De hoc autem, quia contra legẽ accepit, nec ille qui dedit poteſt repetere, quia contra iuſtitiam dedit, & talis pecunia eroganda eſt in eleemoſynis. Et ſi datur ſoli prælato, ita quod communitas non eſt in culpa, debet dari eccleſiæ in cuius ignorantiam data fuit; vt habetur in c. prædicto in textu, & in Gloſ. Si autem communitas eſt in culpa, pecuniam debet reſtituere illi monaſterio, quod ille qui dedit intrauerit, in alleuiationem monaſterij, & ſic intelligi poteſt illud quod dicitur extra *de ſymonia. Veniens.* Si autem monaſterium intrare noluerit, alijs pauperibus eroganda eſt.

Dᴇ bene autem acquiſitis diſtinguendum eſt, quia aut ſunt neceſſaria illi qui acquiſiuit ad ſuſtentationem naturæ, aut non. Si ſic, de illis non debet eleemoſynam facere: quia magis tenetur ſibi ſecundum legem charitatis, quam alij, niſi forte in caſu in quo ſubtrahendo ſibiipſi daret alicui ſolemni perſonæ, de cuius morte immineret notabiliter detrimẽtũ reipublicæ, & profectui animarũ. Si nõ: Aut ſunt neceſſaria ſibi ad decentiã ſui ſtatus, aut nõ. Si non, tenetur de illis eleemoſynã facere, etiam pauperibus non conſtitutis in periculo neceſſitatis extremæ. Si ſic, nõ tenetur de illis facere eleemoſynam, per quam redderet ſe impotentem ad viuendum ſecundum decentiam ſui ſtatus; niſi pauperibus in tanta indigentia conſtitutis, quod appareant notabilia ſigna extremę neceſſitatis, quaſi preſentis vel proximè imminentis. Aliis etiam pauperibus tenetur loco & tempore facere eleemoſynas, non derogantes notabiliter modo viuendi ſecundum decentiam ſui ſtatus. Talis enim decentia in indiuiſibili non conſiſtit, ſed magnam habet latitudinem.

Aᴅ ſeptimvm, ſcilicet *vtrum licitum ſit cuilibet facere eleemoſynam:* dicendum quod ordo naturalis hoc exigit, vt inferiora ſuperioribus regulẽtur. Et ideo illi qui ſunt in aliena poteſtate conſtituti, de eis in quibus aliis ſubijciuntur ordinare non debent, aliter quam eis fuerit à ſuperioribus commiſſum; & quia nullus homo alij eſt ſubditus quantum ad interiores intellectus & voluntatis actus, niſi ſoli Deo: ideo de illis bonis orando & corde remittendo omnibus eleemoſynam facere licet. Sed quia monachus proprium non habet, ideo de bonis exterioribus non poteſt eleemoſynam facere, ſine abbatis licentia expreſſa, vel probabiliter præſumpta; niſi diſpenſatio aliquorum bonorum monaſterij ſibi ſit ab abbate commiſſa; tunc enim de illis poteſt eleemoſynas facere moderatas & rationabiles, ſecũdum proportionem bonorum quæ ſibi ſunt ab abbate commiſſa ad diſpenſandum, quia etiam vir eſt adminiſtrator bonorum tanquam mulieris caput, ideo non debet mulier dare eleemoſynas ſine conſenſu viri expreſſo vel præſumpto, exceptis communibus eleemoſynis & paruis, per comparationem ad poſſeſſiones eorum; niſi pręter dotem quæ ordinatur ad ſuſtentanda matrimonij onera, habeat res alias, vel ex proprio lucro, vel per alium licitum modum; tunc enim de illis irrequiſito aſſenſu mariti, poteſt facere eleemoſynas moderatas. Filii etiã familias proprias poſſeſſiones non habent, nec etiam ſerui, immo ſunt poſſeſſio dominorum; & ideo facere eleemoſynas non debent; niſi forte aliquas modicas de quibus poſſunt preſumere quod patri vel domino placeat, niſi aliquorum bonorum eſſet eis à patribus vel dominis diſpenſatio commiſſa. Omnes tamen prędicti licitè poſſunt & debent in caſu neceſſitatis extremæ indigentibus ſubuenire, etiam aſſenſu ſuperiorum non habito expreſsè vel præſumptè.

Aᴅ octavvm, ſcilicet *cui ſit eleemoſyna facienda.* Dicendum quod ſicut dicit Auguſt. in primo de doctrina Chriſtiana. *Illi qui ſunt nobis magis coniuncti, quaſi quadam ſorte nobis obuenit, vt eis magis prouidere debeamus.* Eſt tamen circa hæc diſcretionis ratio adhibenda, ſecundum differentiam coniunctionis & ſanctitatis: nam multo ſanctiori, magis indigentiam patienti, magis vtili ad commune bonum, eſt magis eleemoſyna danda, quam perſonæ propinquiori; maximè ſi non ſit multum coniuncta, cuius cura ſpecialis nobis immineat, & ſi magnam neceſſitatem non patiatur. Nam opus eleemoſynæ ad mercedem retributionis ęternæ dupliciter valet. Vno modo quidem ex radice charitatis; & ſecundum hoc eleemoſyna eſt meritoria, provt in ea ſeruatur ordo charitatis, ſecundum quam propinquioribus magis prouidere debemus cæteris paribus. Vnde & Amb. dicit in primo de officijs. *Eſt illa probanda liberalitas, vt proximos ſanguinis tui non deſpicias, ſi egere cogniſcas; melius eſt enim vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere.* Alio modo valet eleemoſyna ad retributionẽ vitæ æternæ, ex merito eius cui donatur, qui orat pro eo qui eleemoſynam dedit, ſecundum illud Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona, &c.* Quod exponens Aug. in lib. de verbis Domini in monte, dicit. *Qui ſunt qui habebunt æterna tabernacula niſi Sancti Dei? & qui ſunt qui ab eis recipiendi ſunt in æterna tabernacula, niſi qui eorum indigentiæ ſeruiunt?*

Hᴏmini igitur malo inquantum malus eſt, non eſt eleemoſyna facienda: nam in malo homine duo conſideranda ſunt, ſcilicet natura, & vitium. Et ſicut eius natura ita debet ex charitate diligi, quod eius vitiũ odiatur; ſic ita debet quis per eleemoſynam ſubuenire indigentiæ naturæ ſuæ, vt per hoc in malitia non foueatur. Vnde 5.q.5. *Non omnis.* Et ſumptum eſt ab Auguſt. in Epiſtola ad Vincentium, non multum longe poſt principium, dicitur, quod *vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligat, quam eſurienti panis frangatur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat.* Nec eſt contrarium huic quod dicitur 86. diſt. *Non ſatis paſce;* quia ibi loquitur de eſuriente ad mortem.

Aᴅ nonvm, ſcilicet *de modo dandi eleemoſynã, vtrum abundanter vel non:* dicendum quod abundantia eleemoſynæ poteſt conſiderari ex parte dantis, & ex parte recipientis. Ex parte quidem dantis, cum ſcilicet dat quod eſt multum, ſecundum proportionem ſuæ facultatis, & ſic laudabile eſt abundanter dare. Vnde & Dominus Lucæ 21. laudauit viduam, *quia de eo quod deerat illi, omnem victum quem habuit, miſit.* obſeruatis tamẽ his quę dicta ſunt de eleemoſyna facienda de neceſſarijs. Ex parte vero eius cui datur, eſt abundans eleemoſyna dupliciter. Vno modo quod ſuppleat ſufficienter eius indigentiam, & ſic laudabile eſt abundanter eleemoſynam tribuere. Alio modo vt ſuperabundet ad ſuperfluitatem, & hoc non eſt laudabile; quia melius eſt pluribus egentibus elargiri. Vnde & Apoſtolus dicit 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum, &c.* Vbi dicit Gloſſ. *per hoc cautela eleemoſynæ docetur, vt non tantum vni, ſed multis detur, vt pluribus proſit.*

Aᴅ decimvm, ſci. *vtrum poſsit homo eleemoſynã facere ſibiipſi.* Dicendum, quod hominis ad ſeipſum non poteſt eſſe iuſtitia ſimpliciter & propriè dicta, quia homo per iuſtitiam ſimpliciter dictam, illud quod non eſt ſibi ſimpliciter debitum, tribuit illi cui ſimpliciter eſt debitum. Impoſſibile eſt autem, quod eidem homini aliquid ſit ſimpliciter debitum, & non ſit ei ſimpliciter debitum ſimul. Vnde dicit Philoſophus 5. Ethi. cap. 11. *Quod non eſt iniuſtitia reſpectu ſui ipſius ſimpliciter, quia circa hoc non eſt iuſtitia ſimpliciter dicta,* iuſtitia tamen metaphoricè dicta, quæ eſt aliqua pars potentialis, vel imitatio iuſtitiæ ſimpliciter dictæ, poteſt eſſe hominis ad ſeipſum; quia aliquid eſt non debitum homini ratione vnius partis, quod debitum eſt ſibi ratione alterius partis: ſicut imperare debitum eſt animæ, & ſubijci debitum eſt corpori. Et ideo cũ homo per animam corpus

caſtigat,

castigat, facit actum iustitiæ metaphoricè dictæ; misericordia autem non est iustitia simpliciter dicta, sed continetur sub liberalitate, quæ est pars potentialis iustitiæ. Vnde non est inconueniens, quod actus eius qui est dare, iam sit hominis ad seipsum; quia aliquid potest esse suum, secundum vnam rationem, quo indiget secundum aliam. Vnde cum homo dispositiuè subuenit pœnitendo indigentiæ animæ suæ, illud quod principaliter (præsuppositio adiutorio Dei) suum erat potestatiuè seu effectiuè, non formaliter; sibi dispositiuè tribuit formaliter. Non est enim inconueniens, quòd idem homo sit agens & recipiens idem, secundum diuersa, vel secundum aliam & aliam rationem.

Homo potest sibijpsi eleemosynam facere.

De motiuis ad eleemosynam faciendam.

DISTINCTIO XX.

CIRCA vndecimum, scilicet *quæ nos mouere debeant ad eleemosynas faciendas, & opera pietatis*, sciendum, quod ad hoc naturaliter inclinamur, curialiter inuitamur, irrefragabiliter obligamur, & multiformiter excitamur. Debemus inquam eleemosynas facere. Primo, quia ad hoc nos inclinat naturæ conformitas. Secundo, quia nos inuitat diuina benignitas. Tertio, quia nos obligat præcepti necessitas. Quarto, quia nos excitat multiplex vtilitas.

Multa mouent ad eleemosynas faciendas.

PRIMO inquam nos inclinat ad eleemosynas faciendas naturæ conformitas, quia sicut dicitur Eccles. 13. *Omne animal diligit sibi simile.* Et in lib. de natura animalium dicitur, quod *vna auis aliam eiusdem speciei non comedit.* Item dicitur ibi, quod *mortua æqua, alia pullum relictum suscipit nutriendum.* Item *leo ipse* (vt ibidem dicitur) *miseris, & afflictu compatitur.* Vt dicit Isid. *Leones, peregrinos per deserta errantes, ad viam reducunt, animalibus infirmioribus parcunt.* Vnde dicitur. *Gaudent infigere tauros, prædas contemnunt humiles.* Item multis experimentis probatum est, quod lupæ pueros deiectos à matribus inuentos nutriunt, & ab alijs bestijs defendunt.

1. *Natura conformitas.*

SECVNDO ad opera pietatis nos inuitat diuina benignitas; Deus enim in scriptura sacra curialiter nos inuitat exhortando, monendo, & se misericordiam diligere contestando; & nos, si misericordes fuerimus, suos esse filios asserendo. Psal. 83. *Misericordiam & veritatem diligit Dominus.* Prou. 21. *Facere misericordiam magis placet Deo quam victimæ.* Osee 6. *misericordiam volo.* Idem Matth. 9. Item facientem misericordiam diligit, tanquam pater filium sibi similem, Luc. 6. *Estote misericordes sicut pater vester cœlestis misericors est.* Et ante. *Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* Ioan. Damas. *Iudex potestatem accipiens, datorem potestatis iuxta possibilitatem suam debet imitari. In hoc autem Deum maximè imitabimur, si nihil iudicauerimus; quia misereri est pretiosius. Patet autem quantum misericordiam diligit, quia ei se totum dedit ad vendendum & occidendum.* Econtra immisericordes diabolo sunt similes, de quo dicitur. Hierem. 6. *Crudelis est, & non miserebitur.* huic similis erat Iudas, qui sustinere non poterat odorem vnguenti, quo Maria Dominum vngebat Ioan. 2.

2. *Diuina benignitas.*

TERTIO ad hoc nos obligat præcepti necessitas: vnde in lege veteri inter præcepta legis, in multis locis ponuntur præcepta de misericordia facienda. Et è contra non facienti misericordiam, comminatur scriptura non esse misericordiam inuenturum. Iac. 2. *Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam.* Exemplum Matth. 18. *Serue nequam, nonne oportuit & te misereri conserui tui? &c.* Item Lucæ 16. De diuite epulone, qui vnam guttam aquæ non potuit impetrare, quia Lazaro non fecerat misericordiam. Prouerb. 21. *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, clamabit & ipse ad Deum, & non exaudietur.* Legitur 4. Dial. 37. de milite, qui mortuus & reuocatus à morte, refert se vidisse sub ponte, in locis infernalibus & teterrimis, Petrum Ecclesiasticæ familiæ maiorem, multo ferri pondere

3. *Præcepti necessitas.*

Exemplum.

A ligatum, & depressum in imo: & cum quæreret causam audiuit, quod quia plus inferebat plagas ex crudelitatis desiderio, quàm ex præcepto vel correctionis zelo, quando aliquis puniendus ei pro delicto suo videbatur, quia vt dicit Greg. *Omnes qui eum nouerant sic fecisse quando viuebat, non dubitabant, &c.*

QVARTO ad hoc nos excitat multiplex vtilitas 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia valet*, ad omnia inquam, tam bona, quàm mala. Ad bona valet, quia omnia bona acquirit, & sua videlicet operando, & aliena congaudendo. Ad mala verò, tam sua, quàm aliena. Sua quidem, quia in bonum suum conuertit per patientiam. Aliena per compassionem; dum enim alienis malis, siue culpæ siue pœnæ compatitur, ipsa mala

B conuertit in bonum suum. Hugo de sancto Victore. *Pietas de alienis sordibus se abluit, de alienis vulneribus sibi conficit medicinam, de alieno veneno sibi efficit Tiriacam, dum malis compatitur & subuenit alienis.* De vtilitate eleemosynæ, require capitulo sequenti.

4. *Multiplex vtilitas.*

De effectu eleemosynæ.

DISTINCTIO XXI.

CIRCA duodecimum, scilicet de multiplici effectu eleemosynæ: sciendum, quod eleemosyna factorem suum iustificat, creatorem pacificat, contegit tanquam decentissimum ornamentum, protegit tanquam potentissimum munimentum, thesauros multiplicat, in futurum ædificat, in cœlis glorificat.

Multi sunt effectus eleemosynæ.

C

PRIMO quidem eleemosyna facientem iustificat; quia impetrat gratiam, delet maculam, soluit emendam. Quòd autem impetret gratiam, patet de Cornelio, qui per eleemosynas venit ad gratiam Dei, & fidem Ecclesiæ. Act. 10. Similiter de Beato Eustachio, qui cum esset princeps militiæ Romanorum, & Gentilis; tamen quia abundabat in operibus pietatis, cum in venatione insequeretur ceruum, inter cerui cornua apparuit crucifixus, dicens ei quis esset, & quod nolebat quod eius eleemosynæ perderentur, sed propter eas conuersionis & cognitionis fidei gratiam obtineret. Similiter supra de Saraceno ad fidem conuersо. Item de Petro Teloneario supra *de iudicio.* Item eleemosyna delet maculam. Tob. 4. *Eleemosyna à peccato & à morte liberat.* & eiusdem 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata.* Eccles. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Resistit inquam, & præterita diluendo, & futura cauendo. Ideo dicit Dominus. Luc. 12. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Item eleemosyna soluit emendam, id est pœnam debitam pro peccatis, vnde Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ,* & Dan. 4. Consuluit Daniel Regi Nabuchodonos. *Peccata tua eleemosynis redime*: quod quia non fecit in bestiam mutatus est, & de regno deiectus. Gregorius. *Quoties pro culpa eleemosynam facimus, quasi pro prauis actibus pretium damus: sed tunc solum eleemosynæ pretium à culpis nos liberat, cum perpetrata plangimus & abdicamus,* & non solum mundat animam à peccato præterito, sed etiam conseruat gratiam per quam homo præcauet à futuro. Eccles. 19. *Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso; & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

1. *Facientem iustificat impetrando gratiam.*

Delẽdo maculam.

Soluendo emendam.

D

E

SECVNDO eleemosyna creatorem pacificat. Homines litem vel guerras habentes cum alijs, plerumque pacem suam faciunt larga munera tribuendo. Exemplum Genes. 33. *Placabo eum muneribus, quæ præcedunt.* Eleemosyna est propitiatorium aureum per quod propitiatur Deus peccatoribus; de quo dicitur Exod. 26. Prouerb. 21. *Munus absconditum extinguit iras.* In vita Ioannis eleemosynarij legitur, quod quarta & sexta feria ponebat scamnum & sellam ante Ecclesiam, vt pauperes possent sine impedimento ad eum accedere pro causis suis, cum ipse esset Alexandrinus Patriarcha:

2. *Creatorem pacificat.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicens, quòd si homines intrantes Ecclesiam volunt cito exaudiri in causis suis à Deo, dicentes: *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, &c.* Ita ipsi debent ante introitum Ecclesiæ exaudire cito pauperes, vt cito exaudiantur à Deo.

3. *Contegit vt ornamentū.*

TERTIO eleemosyna contegit tanquam decentissimum ornamentum; vestit enim hominem ornamento gratiæ & virtutum. Nam vnde pietas facit quod homo se exuat veste corporali, inde vestit eum vestimento spirituali. Isa. 61. *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.* In signum huius legitur, quòd cum in quodam magno festo Beatus Martinus iret ad Ecclesiam, obuiauit ei pauper nudus; qui præcepit Archidiacono suo, vt in instanti emeret ei vestem: quod facere cum differret, in instanti pauperi exutam in secretario dedit suam. Cum autem instaret Archidiaconus, vt egrederetur de oratione ad missam celebrandam, cum nollet egredi nisi daretur ei vestis ad opus pauperis, tunc necessitate compulsus dictus Archidiaconus, defert ei vestem bigericam biennem hispidam, quinque argenteis comparatam; quam induit Beatus Martinus latenter, & dum eleuaret in missa corpus Domini, vt dicit Ioannes Beleth, apparuerunt nuda brachia eius, sed ea Dominus vestiuit fulgentibus gemmis cœlitus missis; & vt viderunt sex viri, globus igneus apparuit super caput eius. Item de Leone Papa legitur, vt ait magister Iacob. de Vitriaco quòd cum in porta sua visus fuisset offendisse pauperem; rediens ad eum, introduxit eum in cubiculum tuum, eum placans, & faciens eum cubare super lectum suum & quiescere; & cum exijsset serato ostio, rediens non inuenit eum, mirans & gaudens, cogitans se sibi Dominum reconciliasse.

Exempla.

Exemplum.

GREGORIVS Papa cum incederet, inuenit in ostio pauperem, qui in apparentia videbatur naufragium pertulisse; & cum mater sua misisset ei scutellam argenteam plenam leguminibus, non habens præ manibus quid ei daret, misit ei scutellam & legumina intus, dans ei totum. Cum autem postea factus esset Papa, & ordinasset cum dispensatore suo, quòd quotidie ante mensam suam duodecim pauperes poneret, qui ibi reficerentur; vidit ibi aliquando tredecim, & vnum inter alios, qui aliquando apparebat ei senex, aliquando iuuenis, & vocauit dispensatorem, quærens quomodo ibi tredecim posuerat: illo asserente quod non introduxerat nisi duodecim tantum, finita mensa vocauit B. Gregor. illum, qui aliquando senex, aliquando iuuenis apparebat; quærens quis esset, & quod nomen haberet, qui respondit: Quid quæris nomen meum, quod est mirabile? ego sum naufragus, cui misisti scutellam argenteam cum leguminibus: & quia imitatus es Beatum Petrum Apostolum, qui distribuebat vnicuique provt cuique opus erat, ex tunc Dominus destinauit te Papam futurum. Ego sum Angelus Domini, paratus offerre pro te Domino quicquid ab eo petieris; & hoc dicto euanuit. Deus enim se in pauperibus suis membris indui, potari, & refici profitetur; quia quicquid pietatis & misericordiæ fit amore Dei pauperibus, reputat sibi factum. Matth. 25. *Esurui, & dedistis mihi manducare; Sitiui, &c.* Sequitur. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Magna gloria facientibus eleemosynas propter Deum, quod ad vestes suas, ac etiam ad cibum & potum, habeant ipsum Deum. Non est ergo mirum si Deus & pater misericordiarum & largitatis immensæ, refectiones spirituales dat pro corporalibus, & vestes spirituales pro temporalibus.

4. *Protegit vt munimentum.*

QVARTO eleemosyna protegit tanquam potentissimum munimentum. vnde Eccles. 29. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Sequitur. *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

5. *Bona multiplicat scilicet temporalia, spiritualia, & amicos spirituales.*

QVINTO eleemosyna bona multiplicat; videlicet bona temporalia, & bona spiritualia, & amicos spirituales. Bona quidem temporalia multiplicat, sicut dicitur Prouerb. 28. *Qui dat pauperi non indigebit.* Legitur in Chronicis, quod cum Ethycius Romanorum Senator esset in Burgundia, agens rempublicam Romanorum, tempore Theodosij Imperatoris; cum fames maxima Burgundiam oppressisset, congregauit apud Linguos quatuor millia pauperum vel amplius, qui non poterant habere vnde sibi famis tempore prouiderent, & pauit eos ibi quamdiu malum tempus durauit. Quo cessante, fecit eos ad loca sua cum vehiculis deportari, & audiuit vocem de cœlo dicentem sibi. Ethyci, tibi & semini tuo panis non deficiet in æternum, quia me famis tempore in pauperibus membris meis refecisti.

Exempla.

HOC legitur in gestis Francorum lib. 2. capit. 24. quòd cum quidam sanctus visitasset quosdam Cistercienses, & loquerentur ei de visionibus suis, quærentes ab eo si aliquas visiones vidisset, ait: Vnicam vidi ex quo domum istam visitaui, quam vobis referam. Mihi videbatur, quòd in hoc monasterio erant duæ virgines pulcherrimæ; vna eleuato capite & læta facie tenebat virgas, & huiusmodi loci habitatores multum commendabat; altera tristis demisso capite, multum murmurans, ab hoc loco recedebat; multum conquerens contra habitatores huius loci: per quod intellexi hic multum abundare rigorem disciplinæ, & seueritatem iustitiæ: misericordiæ autem & pietatis opera, intellexi à vobis multum esse relegata; propter quod non abundatis, sed *date, & dabitur vobis*, vt dicitur Luc. 5. Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & replebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Item 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores sunt, &c.* Item 4. Reg. 3. Habetur exemplum de hoc, vbi dicitur quod oleum in vasis vacuis positum est multiplicatum. Item 3. Reg. 17. de farinula viduæ, & oleo in lecytho, multiplicatis. Item Ioannis 6. de quinque panibus in dando multiplicatis à Domino.

Exempla.

ITEM de Beato Nicolao legitur, quod cum videret pauperes prouinciæ suæ mirabili fame afflictos, nec haberet vnde posset eis subuenire; audiens in portu applicuisse multas naues onustas frumento, de qualibet naui accepit centum bithecos, se obligans ad redditionem, nisi inuenirent frumentum cum integra mensura. Quod distribuit, & ad victum, & ad semina, & abundauit ex hoc in tota illa patria, & illi plenariè totum frumentum quod ei tradiderant, inuenerunt.

ITEM legitur de Beato Præiecto, quod cum videret multitudinem pauperum petentium ab eo, nec inueniret quid daret eis (quia alia quæ habebat dederat) nisi duos denarios, facta oratione inuenit in bursa sua tot denarios quot erant pauperes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ITEM legitur de Beato Benedicto, quòd cum tempore famis dedisset quicquid inuenire potuerat in abbatia sua, nec inueniret nisi modicum olei in vase paruo, præcepit vt illud daretur. Quod dispensator suus noluit facere. Quod cum sciret vir Dei, noluit vt aliquid inobedientiæ in eius monasterio remaneret, sed illud præcepit extra per fenestram proijci; nec tamen eo facto vas vitreum in quo erat fuit fractum, nec oleum effusum. Cum autem orasset, inuenerunt in monasterio vnum dolium plenum oleo.

Exemplum. ITEM legitur de Beato Germano Antisiodo. quod cum rediret de Roma, & in exitu Mediolani omnia sua pauperibus dedisset; & inquireret à diacono suo si aliquid plus haberet, non inuenit nisi tres denarios, quos præcepit pauperibus dari; dicens murmuranti diacono, quod Deus satis haberet vnde seruos suos illa die pasceret. Cum autem dictus diaconus volens sibi prouidere, tertium retinuisset, & duos dedisset, occurrit seruus cuiusdam militis diuitis, offerens ex parte domini sui ducentos solidos, tunc aduocans diaconum ait ei, quòd ipse defraudauerat pauperes in vno denario, quem si eis dedisset, Deus trecentos solidos eis misisset. Rogatus autem ad domum militis accessit, & ipsum grauiter ægrotantem, & omnes infirmos qui erant in eius domo, curauit.

Exemplum. ITEM legitur in vita Ioannis eleemosynarij, quod cum latrones spoliassent omnino domum cuiusdam diuitis nobilis, & ille explicaret dicto Ioann. casum suum, compassus præcepit dispensatori suo in secreto, vt daret ei quingentas libras auri, qui inuidia motus, non dedit nisi quinque, statim quædam nobilis vidua misit ei quinque libras auri: & cum vocasset procuratorem suum, & quæsisset ab eo quantum dederat illi qui dari præceperat, dixit quingentas. Respondit Sanctus, quod non dederat nisi quinque, & cum vocasset eum cui dederat, audito ab eo quod non receperat nisi quinque libras; dixit ei, quod si dedisset quindecim vt ipse præceperat, quod dominus per dictam viduam administrasset ei mille quinque libras. Cum autem à dicta vidua vocata quæreret quantum ei legare proposuerat: Respondit, quod primo scripserat mille quingentas libras, & superscripserat quod tantum mittebat ei; sed post respiciens ad scripturã illam, inuenit mille libras de scripto deletas, & sic credens quod hoc factum fuisset diuina voluntate, non misit ei nisi quingentas.

Exemplum. ITEM in vitis patrum dicitur, quod quidam monachus cuidam fratri suo sæculari pauperi dabat quicquid laborare poterat, & ille semper pauperior fiebat. Quod cum diceret cuidam seni, inhibuit ei ne hoc faceret, sed ei diceret quod laboraret, & de labore suo sibi & monachis deportaret, vt benediceret ei, quod ille fecit, licet ex hoc primo fieret tristis; & primo de labore suo attulit fratri suo olera, deinde pira, postmodum panes, postea multa alia; quæ dabat frater suus pauperibus religiosis, qui pro eo orarent, post quæsiuit frater eius vtrum penuriam pateretur sicut solebat: ille dixit quod non, sed abundabat: quia quando ei res monasterij dabat, quando ingrediebatur domũ suam, velut ignis omnia bona eius sua consumebant; postquam autem inceperat dare sua pauperibus religiosis, omnia bona sua fuerant multiplicata eorum oratione & benedictione.

Exemplum. ITEM dicit Petrus Alfonsus; quod quidam iuuenis bene disciplinatus, filius cuiusdam sapientis consiliarij cuiusdam regis, cui Rex mortuo patre promiserat, quod si bene se regeret, eum amore patris sublimaret; thesauros patris, cogitans vanitatem mundi, & misericordiam Dei, pauperibus erogauit. Deinde annonam & aurum & lapides pretiosos, deinde agrorum & domorum suarum pretium. Cum autem fuisset accusatus apud regem, tanquam bonorum paternorum dissipator, vocatus & requisitus, respondit quod non dissipauerat, sed congregauerat, & in tuto posuerat, contra prædones, fures, & casus diuersos, & fecerat de non suo suum, tunc rex audiens eius industriam, omnia ei multiplicauit, & sublimauit, & loco patris eum consiliarium suum habuit. Sic Rex summus facit largos eleemosynarios magnos in curia sua.

Exemplum. ITEM in legenda Ioannis eleemosynarij legitur, quod cum videret aliquem bonum eleemosynarium, quærebat ab eo quomodo adeptus esset gratiam largas eleemosynas faciendi. Cum hoc quæreret à quodam: Respondit ei, quod consueuerat esse ita immisericors, quod nihil pro Deo poterat dare, cum autem aliquando aliquod infortunium ei accidisset, cogitauit, vt dicebat, quod hoc erat propter immisericordiam suam, & cum vellet facere eleemosynam, eius auaritia non permittebat. Vnde vocauit seruum suum, rogans eum vt singulis septimanis furaretur ei sex denarios & daret pauperibus, ille autem furabatur prima septimana duodecim denarios: tunc in fine septimanæ computans, inuenit quod plus fuerat lucratus illa septimana quam alijs: & cogitans quod hoc esset propter eleemosynam, præcepit seruo suo quod furaretur ei duodecim denarios; qui tunc dedit duos solidos, & cum computaret in fine septimanæ, inuenit lucrum maius solito in duplo: & cum præciperet quod daret decem & octo denarios, dabat tres solidos; & sic semper faciebat, dans in duplo plusquam præciperet ei. Cum autem singulis septimanis multiplicaretur lucrum, & miraretur dominus vnde hoc esset; in computatione in fine septimanæ subridẽs seruus dixit ei, quod iustum furtum suum ditauerat eum: & reuelauit ei virtutem, veniam petendo, ex hoc prouocatus est Dominus vt faceret eleemosynas largas.

Exemplum. ITEM in vitis patrum dicitur, quod facta fame duo socij simul morabantur, & cum alter daret Agapem omnibus aduenientib. & non cessare vellet, alter sumpta portione sua recessit ab eo, nec dabat aliquid; alter autem semper dabat & abundabat. Immisericors videns quod non posset sibi sufficere, redit ad alium qui misericors erat, paupertate cogente, rogans vt eum reciperet. Quod cum fecisset, nec dare cessaret; cum aliquando diceret ei quod videret si aliquid remansisset quod daretur pauperibus, & ille assereret quod nihil omnino remanserat quod posset dari, ad instantiam socij sui currens, inuenit sportas plenas. Quo viso, prouocatus est ad amorem misericordiæ.

Exemplum. ITEM 1. dial. 9. dicit Greg. quod S. Bonifacius adhuc puer, ita misericordiæ vlceribus affluebat, quod sæpe visis pauperibus tunicam, sæpe camisiam dabat; licet sæpe de hoc à matre argueretur, & verberaretur. Aliquando videns pauperes exigentes & indigentes, cucurrit ad horrea, & quicquid mater parauerat ad anni necessariam sustentationem, dedit pauperibus. Cum autem reuersa mater hoc inuenisset factum, & ipsum propter hoc clamans verberaret, ea exclusa orauit, & omnia horrea repleta sunt.

ITEM cum S. Genouefa dans pro Deo, solam sibi vineam retinuisset, ita fuit percussa grandine & tempestate, vt quasi nihil in ea remansit; tamen nepoti suo in vindemijs præcepit omnia dolia ligari, quod fecit, licet abusionem hoc crederet & diceret, tunc paucos racemos ex ea colligens, tulit ad calcatorium; & cum omnibus exclusis, puero excepto, orasset, cœpit calcare, & vinum in maxima abundantia exire. Tunc præcepit vocari pauperes, & omnia eorum vasa repleri. Quo facto, de modico quod remanserat, in dolio quolibet cellarij sui vnam guttam posuit, & cellarium clausit & sigillauit. Cum autem ab oratione facta redijsset, inuenit dolia ita plena, quod vinum desuper exibat, ita quod si plus tardãsset, per totum pauimentum fluxisset.

Exempla. ITEM quidam audiens prædicari à sacerdote suo, quod Dominus dicebat de dantibus eleemosynam; *Centuplum accipietis &c.* de consilio vxoris suæ, vaccam suam sacerdoti dedit, vt centum acciperet. Sed cum factus pauper diu expectasset, & non euenisset ei quod

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pro vna data darentur centum, deliberauit de nocte occidere ſacerdorem illum. Ad quod agendum cum iret in via, inuenit maſſam auri, & veritatem ibi expertus fuit.

ITEM cum quidam Epiſcopus prædicaſſet inter Saracenos tantum, & quendam eorũ conuertiſſet, & eum baptizaſſet; poſtea cum ſuaderet ei facere opera miſericordiæ, dicens, quod hoc dixerat Dominus in Euangelio: *Centuplum accipietis.* & cum monuiſſet eum ad perfectionem Euangelicam, ille venditis omnibus quæ habebat, & datis pauperibus, mortuus fuit in Domino. Cum autem filij eius traherent Epiſcopũ ad iudicium, impetentes eum coram iudice Saraceno de hoc quod patri promiſerat centuplum, quod pater vt dicebant, nunquam receperat; & quod propter eius promiſſum eos exhæredauerat. Et cum Epiſcopus diceret, quod Deus ei reddiderat in vita æterna, nec poſſet hoc Epiſcopus probare; adductus ad tumulum mortui, adiurauit eum in nomine Ieſu quod diceret ſi eſſet bene ſolutus de promiſſo. Reſpondit omnibus audientibus. *Centuplum accepi, & vitam æternam poſſideo.* Et quidam etiam hoc addunt, quod de hoc litteræ inuentæ ſunt in manu defuncti, in quibus hæc continebantur.

DE hoc dicitur Gen. 26. *Seminauit Iſaac in terra illa, & inuenit in meſſe centuplum.* Item Gregor. *Quod pauperi datur non eſt datum, ſed mutuum, quia quod datur cum multiplici fructu accipitur.* Item Ambr. *Eleemoſynas dare non eſt amittere, ſed ſeminare.*

Exemplum.

ITEM in vitis patrum quidam pater dixit diſcipulo ſuo. In ciuitate quadam erant duo, quorum vnus ſeminauit, & collegit pauca & ſordida: Alius vero ſeminare neglexit. Si ergo fames fiat, quis eorum poteſt euadere? Reſpondit diſcipulus, qui pauca legit. Sic & nos ſeminemus, licet pauca & immunda, licet per vanam laudem & corruptam intentionem immunditiam contrahamus aliquam; ne famis futuræ tempore moriamur.

Eleemoſyna bona ſpiritualia multiplicat.

ITEM bona ſpiritualia multiplicat; congregat enim ſibi theſaurum ſpiritualem, & animam ſpiritualiter meritis locupletat. Tob. 4. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam &c.* Et poſt. *Primum enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* De Tito legitur in Oroſio & alijs chronicis, quod dicebat in cœna ſibi circumſtantibus, cum recordaretur ſe in die nullam feciſſe liberalitatem vel pietatis opera: *O amici, hodie diem perdidi &c.* Item Tob. 12. dicit Raphael. *Bona eſt eleemoſyna, magis quam theſauros auri condere, &c.* Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo &c.* Luc. 14. *Cum facis conuiuium &c.* Ibidem 17. *Vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſauros in cœlo.* Et poſt. *Omnis qui reliquerit domum &c.* Ibidem 12. *Nolite timere puſillus grex &c.* Et poſt. *Vendite quæ poſſidetis & date eleemoſynam, & facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum indeficientem, &c.*

Exempla.

IN vita ſanctæ Anaſtaſiæ dicitur, quod cum eſſet nobiliſſima Romanorum, miniſtrabat de rebus ſuis Chriſtianis propter fidem incarceratis. Cum autem Imperator feciſſet omnes incarceratos occidi, flebat, quia ſubtracta erat ei materia lucrandi, & ſacculi vbi ſolebat theſauros cœleſtes reponere, & ſe Chriſtianã confitens vitam glorioſam martyrio conſummauit.

ITEM in vita Beati Thomæ Cantuarien. dicitur quod ſingulis diebus pauperes tredecim in ſecretiori cellula includi faciebat, quibus poſt refectionem ſingulis deuotè pedes lauans, tres argenteos dabat.

ITEM cum Decius Cæſar peteret à Beato Laurentio theſauros Eccleſiæ, ipſe diſperſit & dedit pauperibus, & adduxit eos ad palatium dicens: *ecce hi ſunt theſauri æterni qui nunquam deficiunt, &c.*

Exemplum.

ITEM Ioann. Damaſ. in Barlaam ponit exemplum, quod Barlaam propoſuit Ioſaphat de quadam ciuitate, in qua erat conſuetudo ſingulis annis Regem conſtituere, qui omnino ignoraret conſuetudines illius terræ, & in fine anni illum in quandam inſulam nudum mittebant, vbi nihil inueniebat. Reges autem de hoc nihil cogitabant, ſed delicijs affluentes, credebant quod ſemper ſic deberent durare. Quidam autem ſapientior factus Rex, inquiſiuit diligenter de conſuetudine, & inuenta veritate, per totum annum miſit, & congregauit maximos theſauros in illam inſulam, quos in fine anni eiectus à regno inuenit, & ibi in multis delicijs & diuitijs vixit. Sic alliciunt corda hominum ad amorem iſtorum temporalium, & non credunt quod debeant eis deficere, vſquequo in morte deducunt eos reos & nudos, nihil ſecum niſi peccata portantes. Prouidi autem & callidi, audiunt vocem Domini dicentis: *Vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſauros in cœlo.* Vere multos & magnos theſauros congregat eleemoſyna pro datore, quia de alterius ruina qui compatitur & ſubuenit, hominem facientem exaltat; de alienis ſordibus lauat, de paupertate ditat, de infirmitate ſanat, de libertate corroborat, de exilio alieno hæreditatem ſuam impetrat, de captiuitate libertatem, de vilitate & contumelijs alienis ſuum honorem, de miſeria miſericordiam & gloriam, de morte vitam ſibi comparat, qui provt poteſt ſubuenit & miſeretur miſerijs & neceſſitatibus, alienis.

Eleemoſyna multiplicat amicos ſpirituales.

ITEM eleemoſyna multiplicat amicos ſpirituales. ſcilicet aduocatos, qui coram ſummo iudice cauſam eius ſuſtentant; & interceſſores qui apud pium patrem pro ipſo efficaciter intercedunt. Vnde hortatur Dominus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, ſupra de purgatorio nota de Stephano aduocato per allegationem pauperum reuocato.

Exempla.

ITEM de muliere, quæ deuota Beato Franciſco, & benefica fratribus, mortua eſt in peccato mortali. Cum autem in nocte multi circa funus iacens in feretro vigilarent in domo, circa mediam noctem cunctis videntibus qui aſtabant, ſurgens & ſedens in feretro, vocauit vnum de aſſiſtentibus ſacerdotem, & dixit, quod cum propter quoddam peccatum quod celauerat, duris cruciatibus adiudicata fuiſſet, ad preces B. Franciſci cui deuota fuerat, iudex ei piè conceſſerat, quod rediens ad corpus confiteretur; factaque confeſſione & recepta pœnitentia, tranſiret ad requiem armis pœnitentiæ præmunita. Item Ioann. 12. patet de Lazaro, quem ad preces Mariæ & Marthæ, apud quas, & ipſe, & ſui ſæpe reficiebantur, ſuſcitauit. Item Act. 9. cum viduæ & pauperes circumſtetiſſent Petrum, oſtendentes veſtes quas ei Dorchas faciebat, obtinuerunt eius reſuſcitationem.

Exempla.

IDEM ferè legitur in vita Beati Ioannis Euangeliſtæ cum rediret ab exilio in Epheſum inuenit Druſianam mortuam, quæ ſæpe conſueuerat eum recipere & neceſſaria præparare, & alijs pauperibus. Quam præcepit ſurgere, & neceſſaria ſibi miniſtrare: quæ ſtatim à ſomno excitata ſurrexit, & ei refectionem parauit.

ITEM in miraculis S. Nicolai legitur, quod quidam paterfamilias conſueuerat in feſto B. Nicolai reficere pauperes clericos & ſacerdotes, cum autem hoc fieret, & in domo eius diabolus in forma peregrini eleemoſynam peteret, & pater puerum ei mitteret, vt eleemoſynam ei ferret, qui erat clericus vnigenitus: diabolus eum diutius extra protrahens, cum puer ei eleemoſynam daret, eum iugulauit. Et cum puer eſſet patri delatus, diſſimulauit dolorem, ne menſam turbaret, & refectio impediretur; ſed ſuper lectum in camera puerum collocauit. Sed poſtquam comediſſent cœpit flere, & quod factum fuerat referre. Cum autem accumbentes puerum mortuum inueniſſent, pater inuocauit S. Nicolaum vt filium ſuum ei redderet, & ad eleemoſynas reſpiceret quas pro puero faciebat: moxque puer quaſi de ſomno ſurgens, quæ circa eum facta fuerant, & quomodo B. Nicolaus eum à diabolo eripuerat & reduxerat, enarrauit.

ITEM cum quædam matrona Eccleſiam martyrum Ioann. & Pauli crebro viſitaret, ante Eccleſiam duos peregrinos inuenit, quibus eleemoſynam dari ſuo

diſpen-

dispensatori præcepit; sed antequam dedisset accesserunt vicinius, dicentes: Tu modo nos visitas, sed nos in die iudicij te requiremus, & quicquid boni poterimus tibi præstabimus, & hoc dicto disparuerunt.

6. In futurum ædificat. SEXTO eleemosyna in futurum ædificat 2. Cor. 3. Quidam super fidei fundamentum ędificant aurum, argentum, lapides pretiosos: Qui dant eleemosynas ędificant aurum. Qui ea quæ pertinent ad ædificationem proximorum cogitant, ædificant argentum quando loquuntur eadem: Lapides pretiosos quando eleemosynas dant, vel operantur eadem quæ pertinent ad vtilitatem & necessitatem eorum.

IN passione B. Thomæ Apostoli legitur, quod cum Senescallus Regis Indiæ quęreret in Cæsaria artificem, qui faceret Domino suo palatiũ pretiosum, Dominus apparens ei tradidit B. Tho. dicens eum seruum suum sapientissimum in hoc opere. Qui cũ venisset in Indiam, & dixisset regi quomodo sciret operari, rex traditis thesauris suis recessit à patria illa. Thomas autem per terram illam per biennium prædicans, & miracula faciens, pecuniam sibi traditam pauperibus erogabat, & populum ad fidem conuertebat. Rex autẽ veniens, & inueniens quod factum fuerat, cæpit Thomam & senescallum, eos viuos excoriare cogitans, sed denunciatur ei mors fratris sui, ad quem cum venisset, & per tres dies sepulturam eius distulisset, parãdo vestes pretiosas & sepulturam; quarta die surrexit, dicens Thomam esse Apostol. Dei, cui seruirent Angeli; & quod Angeli per triduum duxerant eum per palatium pulcherrimum, auro & lapidibus pretiosis fabricatum, quos rogauerat vt illius mereretur fieri portarius: cui responderunt, quod illud erat palatium quod Thomas parauerat fratri suo, quo se fecerat indignum, ipsi autem Angeli impetrauerunt ei à Domino quo resurgeret, & quod à fratre suo quæreret si vellet ipsum palatium cum ædificijs sibi emere. Quod cum vellet facere; ait frater, quod illud volebat retinere sibi, sed ipse sibi ędificaret aliud: & vocantes Thomam reuersi sunt & baptizati; & tota patria, ad consilium Apostoli viuentes, & sua pauperibus erogantes.

Exempla. ITEM in vita S. Ioann. eleemosynarij legitur, quod cum quidam Episcopus nomine Troylus venisset apud Alexandriam, vt de triginta libris auri emeret sibi cœmentũ ad fabricandum sibi palatium, dictus Ioan. eum inuitauit, & post ad domum pauperum eum duxit dicens, hoc debet esse ædificium & thesaurus episcoporum, ad cuius prædicationem dictas libras ei tradidit erogandas pauperibus. Sed post, cum esset auarus, pœnituit, & præ dolore in lectum decidit. Quod audiens Ioan. remisit ei pecuniam suam, & statim curatus cum eo comedit. Postea in extasi positus, ductus est ab Angelis, qui ostenderunt ei palatium mirabilis structuræ & pulchritudinis & splendoris, cuius porta erat aurea, & titulus superscriptus in ea: Hæc est requies æterna Troyli Episcopi, quod cum legeret, accessit vir super omnem æstimationem pulcher, & dixit Angelis, delete hunc titulum, & superscribite: Hæc requies erit Ioannis Patriarchæ. Hac autem visione territus, non solum illas triginta libras erogauit, sed post magnus eleemosynarius est effectus.

ITEM 4. Dyal. 38. dicitur, quod quidam operator sotularium, quicquid ei supererat ex victu & vestitu de lucro suo, diebus sabbati ad Ecclesiam B. Petri deportabat, & illud pauperibus erogabat, de quo cuidam reuelatũ fuit, quod vidit eum operarios posuisse ad ædificandum domum sibi de aureis laterculis, qui solum die sabbati in ea videbantur operari.

7. Glorificat. SEPTIMO eleemosyna glorificat, quia in regnum introducit ęternum, & vitam gloriosam acquirit; quod patet Matth. 25. Virgines habentes oleum in lampadibus intrauerunt cum sponso ad nuptias; quia qui habẽt lampades bonorum operum plenas oleo misericordiæ & pietatis, & igne charitatis, intrant ibi. Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defecerit recipiant vos in æterna tabernacula.* 2. Cor. 9. *Qui seminant in benedictionibus de benedictionibus metent vitam æternam.* Nota quod in signum huius, Christus de mõte Oliueti ascendit in cœlum. Luc. vlt. Item in signũ huius Salomon in templo fecit duo ostia de lignis oliuarum, id est operibus misericordiarũ. Duo enim sunt genera operum misericordiæ, materialia, & spiritualia, quę significãtur per duo ostia de oliuis: quia oleos idem est quod misereri, oleum misericordia. Ideo Matth. 25. dicit Dominus. *Venite benedicti percipite regnum &c. Quia esuriui, & dedistis mihi manducare &c.* Eccl. 16. *Omnis misericordia vnicuique faciet locum secundum intellectum peregrinationis, eius, & secundum meritum operum illius.*

Exemplum. DE his habetur exemplum in vita Ioan. eleemosynarij. Narrauit, quod cum ipse esset in Cypro clericus quindecim annorum, & proponeret ab omnibus peccatis cauere, cum solus iaceret dormiens in camera sua, stetit apud lectum suum puella, cuius species & splendor super solem, & ornatus eius super humanum sensum, habens in capite coronam de ramis oliuarum: excitatur, stupet, quærit quæ sit illa; quæ respondit: ego sum prima & prȩcipua filiarum summi regis. Si me posfederis amicam, ego ducam te in conspectum eius; quia in eum nemo potest vt ego: eum enim feci de cœlo ad terram descendere, hominem fieri, & pro hominibus vendi & mori. His dictis disparuit, & intellexit quod esset pietas & misericordia; & cogitauit quod eius opera totis viribus amplecteretur, & sequeretur. Vnde cũ mane ad ecclesiam iret, obuians pauperi dedit ei caprinum suum vestimentum: & cum rediret inuenit in ligatura centum nummismata auri, & cum non posset inuenire cuius essent, cogitauit quod essent de gaudeolis amicæ suæ, & ea pro amore ipsius pauperibus distribuit. Postquam autem factus Patriarcha diu vixisset, infinita opera misericordiæ faciendo, in hora egressionis animæ eius à corpore, vidit quidam monachus dictus Sauinianus, infinitam multitudinem Angelorum ad modum clericorum, cereos deportantes, educentes eum de episcopatio suo: & vidit dictam puellam sole splendidiorem lapidibus pretiosissimis ornatam, per manum eum deducentem, & introducentem in cubiculum summi regis: & hæc vidit dictus Sauinianus in extasi positus. Item eadem hora similiter, alius in extasi positus vidit eum conduci & introduci in cœlum, ab infinita multitudine pauperum, cum ramis oliuarum.

Exempla. ITEM cum quidam Rex duos haberet filios, maiori dimisit domos, campos, vineas, & terras; minori infinitos thesauros sibi vsque ad tempus reseruandos, vt essent in eius potestate. Cum autem de hoc conquereretur prior; ait pater, fac ei bene dum indiget, vt ipse tibi similiter post faciat: recipias eum modo in communione tuorum, vt ipse te post recipiat in communione suorum. Rex iste est Christus, maior filius sunt diuites huius mundi, minor filius sunt pauperes &c.

IN vitis patrum dixit quidam pater. Homo quidam habuit tres amicos, quos rogauit vt ducerent eum vsque ad imperatorem. Respondit vnus quod duceret eum vsque ad mediam viam, vltra non posset. Secũdus dixit quod duceret eũ vsque ad portã, vltra non posset. Tertius dixit quod introduceret eum vsque ad Imperatorem, & loqueretur pro eo, & negotium eius ageret ante ipsum. Et exposuit quod isti tres amici sunt. Primus abstinentia. Secundus castitas. Tertius eleemosyna vel misericordia, quæ Deum placat, & vitam ętернam dat.

De qualitate eleemosynarum.

DISTINCTIO XXII.

Eleemosyna debet esse puratripliciter. CIRCA decimum tertium, scilicet *qualis esse debeat eleemosyna:* sciendum, quod debet esse pura, quia debet fieri in puritate affectionis, possessionis, & intentionis. In puritate quidem affectionis, vt fiat in charitate, & ex charitate. In charitate vt fiat amore

Dei, quia qui facit eleemoſynam, ad hoc vt ſit Deo grata, debet eſſe ſine peccato mortali. Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus.* Non ſolum debet fieri in charitate, ſed ex charitate: quia *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates &c.*

Exempla. CVM quidam conuerſus Ciſtercienſis habens multas veſtes, à quibus vt videbatur ei, poterat abſtinere; cum inueniret nudum pauperem, dabat ei tunicã vnam de ſuis, licet hoc prohiberet abbas ſuus, & eum ſæpe propter hoc verberaret. Super quo cum conſuleretur Alexander Papa, qui tunc temporis venerat in Franciam, videns quod alterum obedientia prohiberet, alterum charitas ſuaderet, ait: *Tu converſe, quoties ſuadebit hoc tibi charitas, ſemper da: Tu abba quoties inueneris inobedientem conuerſum, ſemper verbera.* Item quidam ſanctus B vir, quendam pœnitentiarium inueniens, qui ab iniuncto ſedis Apoſtolicæ tunicam plumbeam deferebat; & cum grauaretur nimio pondere & debilitate, abſtulit eam ei. Cum autem requireret cuius auctoritate hoc feciſſet, cum Papa qui hoc præceperat ſummus eſſet, ait: Illius ſuperioris qui ait: *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequetur.* Matth. 5. Item debet eſſe pura, id eſt fieri in puritate poſſeſſionis, vt, ſcilicet fiat de proprio, non de alieno: verſus:

Cum furto raptus, cum fœnore, ſimonis actus:
De ſic poſſeſſis, eleemoſyna non fit abiſtis.

Eccl. 34. *Immolantis ex iniquo maculata eſt eius oblatio.* Et poſt. *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.*

ITEM debet fieri in puritate intentionis, ne fiat in- C tentione corrupta, puta propter humanam laudem, vel commodum temporale, quia Eccl. 34. *Non placent Deo ſubſannationes impiorum.* Matth. 5. *Cum facis eleemoſynam nolis ante te tuba canere*, vt hominibus apparere vel placere appetas, & eorum laudes quæras: *ſed te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* vt ei ſiniſtram intentionem admiſceas. Leui. 2. *Omne quod obtuleris Domino, ſine fermento erit.*

Exemplum. IN vita Ioannis eleemoſynarij legitur, quod cum fames inuaſiſſet Alexandriam propter defectum Nili fluminis, & ipſe omnia quæ habebat erogaſſet pauperibus, nec mutuum inueniret; quidam bigamus acceſſit ad eum, videns eum in arcto, promittens ſe daturum ducentos modios frumenti, & auri centumoctuaginta libras, vt promotus fieret diaconus eius, quæ erogarentur pauperibus, quem cum conſtantiſſime arguiſſet & repuliſſet, ſtatim duæ maximæ naues fuerunt in portu onuſtæ frumento, miſſæ de Cicilia.

Eleemoſyna debet eſſe pia. SECVNDO eleemoſyna debet eſſe pia, vt fiat ex compaſſione & pietate mouente, & detur pauperibus & egenis. Luc. 14. *Cum facis conuiuium voca pauperes.* Bern. *In vaſe vacuo liquorem eleemoſynæ fundite, non in pleno.* Item 4. Reg. 4. *Vaſa vacua præcepit Elyſæus repleri, non plena.* Greg. in moral. *Iniuriam facit hortis ſitientibus ſtillam proijciens in mari.* Leo Papa. *Habentibus dare, nihil aliud eſt quam perdere.* Item debet eſſe pia, vt fiat cũ animi compaſſione. Iob 30. *Flebam ſuper eo qui afflictus fuerat, & anima mea compatiebatur pauperi.* Luc. 16. quia diues videns Lazarum pauperem, viſcera pietatis non habuit, abſque vlla miſericordia tormenta inferni ſuſtinuit.

Exempla. AD hoc ponit exemplum. Nobilis quidam duos habuit filios crucefignatos, maiori dedit maximas pecunias, minori paucas, recommendans eum fraternæ prouiſioni. Cùm autem redirent ad patriam, & maior nauem ſuam nimis oneraſſet bonis, maiorem cœpit abijcere & vilipendere. Cum autem non haberet in naui ſua victualia, acceſſit ad fratrem ſuum, rogans vt eius miſereretur, quia os ſuum & caro ſua erat. & ſi hoc non faceret, eo quod frater ſuus eſſet, aut propter honorem ſuum, ſaltem pro gratia patris & amore, vel ſaltem accommodaret ei, & ipſe cum multo lucro ei reſtitueret, vel ſaltem propter periculum ſuum, & nauis ſuæ, quæ nimis erat onerata: Quem cum nulla ratione audire vellet, nauis eius prę nimio pondere ſubmerſa eſt, ipſo nudo à mari exeunte. Alius autem licet A pauper ad patrẽ rediens, & fratris crudelitatem oſtendens, honorificè ſuſceptus eſt à patre, & hæres omnium bonorum ſuorum conſtitutus. Alius autem veniens patris odium incurrit, abijcitur, & omnium bonorum paternorum ſpoliatus ſucceſſione, incurrit perpetuam paupertatem. Sic palam eſt de diuitibus immiſericordibus & pauperibus; quia pauperibus gaudentibus de ſucceſſione hæreditatis ęternæ; diuites immiſericordes incurrunt Dei odium, & inferni perpetuam paupertatem.

ITEM in vitis patr. quidam Sanctus pater acceperat gratiam, vt alijs miniſtrando daret vnicuique quod neceſſe erat. Cum autem daret agapem, & videret mulierem male indutam, volebat ei dare multum, & ſemper leuabat parum, cum autem vidiſſet bene indutam, volebat dare parum, & ſemper leuabat multum. Inquirens cauſam inuenit, quod bene induta multum indigebat, & quod de multa nobilitate venerat ad maximam paupertatem; alia veſtes viles mutuo acceperat, vt plus acciperet.

Exempla. ITEM Ioannes eleemoſynarius, venientibus ad eleemoſynam dabat in duplo mulieribus quàm viris, propter ſexus infirmitatem. Cum aliquando venirent ornati auro & lapidibus pretioſis, & dexteralibus, & miniſtri eius conquererentur, aiebat: Omni petenti te tribue, quia res hæ noſtræ non ſunt, quia nobiſcum natæ, nec hinc eas deportabimus, quia ſi totus populus Alexandriæ indigens eleemoſyna huc conueniret, non poſſet euacuare infinitos theſauros miſericordiæ Dei.

C ITEM videns pauperes non poſſe ad eum accedere in cauſis ſuis, propter multitudinem defenſorum, vnicum ſecum retinens, quarta feria & ſexta ſedebat ante fores Eccleſiæ, vt poſſent pauperes qui vellent ad eum accedere, & cauſas ſuas ei explicare, dicens: Sicut qui intrant Eccleſiam volunt cito expediri dicentes, *cito anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine*: ſic nos cito debemus expedire cauſas aliorum. Cum autem vna die ſediſſet vſque ad ſextam, & nullum accedentem inueniſſet, in cuius cauſa poſſet mereri; cœpit flere, & cum quidam dixiſſet ei quod potius deberet gaudere pro tranquilla vita ſubditorum; mox triſtitiam in gaudium conuertit humiliter Deo gratias agendo. Ex his patet quod pauperibus dandum eſt, maxime verecundis & infirmis; & quod cauſæ pauperum audiendæ ſunt.

D TERTIO debet eſſe larga. Tob. 4. *Si multum tibi fuerit abundanter tribue, &c.* Luc. 30. dicitur de Zachęo: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c.* Eleemoſyna debet eſſe larga, ad exemplum cuiuſdam largi, qui cum dediſſet ſua petentibus, & adhuc petere non ceſſarent, proiecit ſe inter manus petentium, dans ſe eis, vt non haberent vltra quid ab eo poſſent vlterius petere. Dat ſe primo, qui dat cor ſuum pio affectu compaſſionis pauperibus, iuxta illud, *omni petenti te tribue.* Quidam comes Campaniæ adeo largus erat, quod neſciebat negare petẽti quin ſibi daret, vnde cum quadam vice ſequerentur eum quidam milites pauperes petentes ab eo: Reſpondit quidam diues Burgenſis: Dominus meus nihil habet quod poſſit vobis dare, tunc indignatus comes ait, immo teipſum qui hoc dicis habeo, & te eis do. Et ait militibus: Accipite iſtum diuitem qui habet ſuperflua, & eum ponite in carcere, vſquequo redimat ſe de omnibus ſuis, & inde ſoluite debita veſtra, quod ipſi fecerunt, ſuper hoc gratias agentes. Sic Deus nimis tenaces exponit, largorum debita ſoluit.

Eleemoſyna debet eſſe larga.

Exempla.

Exemplum. ITEM dicit magiſter Iacob. de Vit. quod cum ſemel idem comes vidiſſet puerum nudum petentem eleemoſynam ab eo, vocauit eum & dedit ei vnum denarium, dicens quod de eo burſam emeret; & ad ſe rediret, & ei burſam impleret vnde neceſſaria emeret. Puer autem iuit, & volens lucrari, obolum retinuit, & obolo burſam vnam emit, quam comiti deportauit, vt ei dixerat. Cum autem comes quæreret pro quanto emiſſet, puer non fuit auſus negare, ſed ait pro obolo, & alium vobis reporto, tunc comes

impleuit

impleuit ei burſam dicens ei; ſi maiorem deportaſſes, maiorem plenam reportaſſes. Sic homo ſecundum quod plura dat pro Deo, plura centuplicata recipiet, &c.

ITEM idem dicit, quod quidam præ infirmitate non valens ieiunare diu, mane comedens faciebat ſecum pauperes manducare, dicens Domino: Domine ſi me ſuper hoc arguitis, ego vos reconuincens dicam: Si nimis mane comedi, & vos mecum comediſtis.

ITEM in vita Ioan. eleemoſynarij dicitur, quod ad ſermocinationem ſuam venit quidam pauper, habens vxorem & filios, & quia dixerat ei, fili eſto miſericors quantum potueris, & ita fiet quod nunquam deficiet tibi Dominus aut in vita aut in morte: dabat omnia quæ habebat: & Deus ècontrario ita dabat ei abundè, B vt aliquando diceret Domino. Modo videbitur quis vincet, vel ego accipiendo & dando, vel tu mittendo. Cum aliquando videret inopem, non habens quid daret ei; Dedit illi crucem argenteam quam habebat ad collum. Item quando non poterat aliter ſubuenire, conducebat ſe alicui ad ſeruiendum ei per tres dies, vel ſeptimanas, vel menſes, vt daret indigenti pretium, 2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Eleemoſyna debet eſſe diſcreta.

QVARTO debet eſſe diſcreta, vt potius det bonis quam malis. Eccl. 12. *Si benefeceris, ſcito cui:* Ibidem. *Bene ſac iuſto, & ne recipias peccatorem.* Item non vni tantum ſed diuerſis; quia totum ſemen in vno loco proiectum, totum infructuoſum eſt. Pſal. 111. *Diſperſit dedit pauperibus.* Item vt primum ſe det Deo, quam ſua. Eccleſ. 19. *Miſerere animæ tuæ.* Aug. *Quid miſerius miſero non miſerente ſe ſui.* Ideo talis fuit eleemoſyna illarum trium miſerabilium virginum, quæ volebant ſe lupanari exponere, vt patrem pauperem ſenem & infirmum poſſent paſcere, de quibus legitur in vita S. Nicolai Quod cum audiret B. Nicolaus aurum de rebus paternis congregans, illud de nocte conſurgens ne perciperetur, proiecit in domum ſenis. Tertia vice cum ſenex ille inſidiaretur quis eſſet, capiens eum per pedes, agnitus rogauit eum ne hoc in vita ſua alicui reuelaret.

Eleemoſyna debet eſſe humilis & deuota.

QVINTO debet eſſe humilis & deuota. Humilis inquam, vt proximum propter paupertatem non vilipendas, nec te propter opulentiam ei præferre præſumas, ſed velut indigenti ſubuenias, & Deum in ipſo paupere recognoſcas. Cum Ioannes eleemoſynarius factus eſſet Alexandrinus Patriarcha, iuſſit œconomos ſuos deſcribere ſibi dominos ſuos; & cum illi dicerent quod D non haberet Dominum niſi Deum; dixit quod immo pauperes, à quibus tenebat Patriarchatum: Et cum inuenti fuiſſent ſeptem millia quingenti, ſingulis diebus prouidebat eis neceſſaria tanquam Dominis ſuis. Deuota etiam debet eſſe, vt holocauſtum pingue fiat.

Exemplum.

COMES quidam Campaniæ Theobaldus nomine cum dabat eleemoſynas, ſotulares, vel veſtes pauperibus manu ſua dabat, & reſpondit quęrenti quare hoc faceret, quod hoc ideo faciebat, vt dando & laborando magis moueretur ad deuotionem, & pauperis compaſſionem, & ſic magis mereretur, & ad maiorem humiliationem inclinaretur, in conſideratione ſuæ conditionis in paupere; & vt pauper magis prouocaretur E ad eum commemorandum & orandum pro eo, & vt alij ad exemplum illius prouocarentur ad ſimilia facienda, & ad deuotionem erga Deum & pauperes. Hier. *Quæ offerunt, non ſuo pondere, ſed animi voluntate penſando.*

De hoſpitalitate.

DISTINCTIO XXIII.

CIRCA decimumquartum, ſcilicet de hoſpitalitate, conſideranda ſunt duo. Primo quare fieri debeat, & quæ mouere nos debent ad eam. Secundo qualiter debeat exerceri, ad hoc quod ſit Deo grata, & ſalubris facienti.

Multa ſuadent hoſpitalitatem.

DE primo ſciendum, quod per hoſpitalitatem acquiritur Dei cognitio, exemplum de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, qui cogentes Dominum ad hoſpitium, *cognouerunt eum in fractione panis*, Luc. 14. Grego. *Audiendo illuminati non ſunt, faciendo illuminati ſunt.* Item de Tob. quem Raphael hoſpes illuminauit. Item acquiritur gratiæ infuſio ſiue animę iuſtificatio: exemplum de Zachęo Luc. 19. qui ſuſcepit Ieſum gaudens: cui dixit Dominus: *Salus huic domui facta eſt*, & Iaco. 2. *Nonne Raab meretrix ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios.*

1. *Quia per eã acquiritur cognitio Dei.*

2. *Gratia infuſio obtinetur.*

Exemplum.

IN vitis patrum legitur quod quidam ſenex ſanctus in eremo Ægypti habitabat, & in eadem eremo erat quidam ſacerdos Manichæorum, qui cum vellet viſitare quendam ſuæ ſectæ, & nox arripuiſſet eum, neceſſitate compulſus pulſauit ad oſtium cellæ ſenis illius, qui ei aperiens eum cum hilaritate ſuſcepit, refecit, & lectum ei parauit, licet eius conditionem bene cognoſceret. Manichęus autem tota nocte cogitans de eius charitate, dicebat: Verè ſeruus Dei eſt iſte. In mane autem eius prouolutus pedibus dedit ſe conuerſum, nec vltra voluit ab eo recedere.

3. *Dei dilectio adaugetur.*

ITEM adaugetur Dei dilectio. Ideo Apoſtolus ad Heb. 12. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis*; qui videlicet receptores ſuos ad Dei dilectionem inflammant. Non ſolum autem Angelos recipiunt hoſpites, verumetiam ipſum Deum Matth. 10. *Qui vos recipit me recipit.* Item *18. Qui ſuſcipit vnum talem paruulum in nomine meo, me ſuſcipit.* Item 25. *hoſpes eram & collegiſtis me.* Ioan. 13. *Qui accipit ſi quem miſero, me accipit.* Item Gregor. in homel. 3. li. 2. ſuper illud Euangelium Luc. 24. DVO EX DISCIPVLIS, dicit, quod cum quidam paterfamilias multum hoſpitalis aliquando ſuſcepiſſet peregrinos, & ex humilitate aquam manibus daret, vertens ſe ad accipiendum vrceum, illum qui volebat dare non inuenit. Quod cum miraretur, ſequenti nocte apparuit ei Dominus dicens, alijs diebus me ſuſcepiſti in membris meis, heſterna autem die in memetipſo.

Exemplum.

ITEM dicitur quod quidam conſuetus recipere pauperes, cum in natali non veniſſent ad domum eius, nolebat comedere quouſque veniſſent aliqui; & mittens ſeruum inuenit vnum qui multum videbatur afflictus. cui cum vellent lauare pedes, inuenerunt eos perforatos, pro quo ſtupentes cum mirarentur, in eorum oculis euanuit. Item cum quædam mulier nobilis conſue- *Exempla.*
ta eſſet recipere pauperes, & eis ſeruire proprijs manibus, & abluere pedes eorum inuito viro & inhibente; & inueniſſet ante domum ſuam pauperem mirabiliter vt videbatur afflictum & vlceroſum, compaſſa duxit eum in domum ſuam viro ſuo abſente, & cum peteret balneum, parauit ei. poſt, cum diceret quod non poſſet quieſcere niſi in molli lecto, poſuit eum in camera ſua. Cum autem ſubito vir eius veniens, dictam cameram intraſſet, in lecto vxoris inuenit dictum infirmum, quem cum crederet adulterum, & vellet eum occidere, ſuper lectum eius apparuit ei Dominus nudus, in ea forma in qua pependit in cruce, dicens: Quid me perſequeris, qui pro te hic paſſus ſum, cum autem ad terram proſtratus oculos erigeret nihil inuenit, & conuerſus eſt ad Dominum.

Exemplum.

ITEM exemplum de Martyrio monacho, de quo loquitur B. Greg. 3. dyal. & in homel. ſuper Euangelium illud. VIDENS CIVITATEM FLEVIT, &c. Cum dictus Martyrius iret cauſa viſitandi fratres de ſuo monaſterio ad aliud, & rediret, in via inuenit virum qui videbatur lepra & elephantino morbo totus infectus, vt præ laſſitudine non poſſet ſe mouere, cum autem eius neceſſitati, laſſitudini, & miſeriæ compateretur; ne in via remaneret, expanſo pallio, in eo inuolutum portabat ſuper humeros ſuos ad monaſterium ſuum, cui cum appropinquaret, patet monaſterij clamauit: Occurrite fratres, portas aperite, quia frater Martyrius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum apportat. Ad hanc vocem ſtatim Chriſtus proſiliens, &

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coram eo in ea forma apparens in qua cognoſci ſolet, & cœlos aſcendens, ait ei: quia me non erubuiſti ſuper terram, non ego te ſuper cœlos erubeſcam. Cum autem dictus pater occurreret, & quæreret quid fecerat de eo quem portabat, ait: Si ego eum agnouiſſem, per pedes eum tenuiſſem; & dicebat quod cum eum ferebat, nullum pondus ſentiebat, ſed leuius incedebat. Ibi dicit Greg. *Quomodo pondus eius ſentire poterat, qui portantem ſe portabat.*

Exemplum. AD idem videtur facere quod de ſancto Iuliano legitur, qui cum eſſet pauper & nobilis, recedens de terra ſua diu ſeruiuit cuidam magno & nobili; qui fecit eum militem, & dedit ei quandam caſtellanam vxorẽ, cum autem inſiſteret venationi, quidam ceruus quem inſequebatur, diuino miraculo dixit ei voce humana, quod tempus veniret in quo patrem occideret. Cum autem pater ſuus & mater viſitarent eum, & vxor eius eo abſente, in thalamo ſuo & in lecto ſuo eos collocaſſet, in mane rediens Iulianus, & intrans cameram ad vxorem excitandam, videns duos dormientes, credidit vxorem & adulterum aliquem cum ea eſſe, & occidit eos. Recedens autem obuiauit vxori ſuæ ab Eccleſia redeunti, ſtupens autem & quærens qui eſſent qui in domo ſua iacerent: Audito quod pater & mater eſſent, fleuit dicens; quod verum erat quod dixerat ei ceruus, & quod de cætero ad domum ſuam non rediret, nec ceſſaret vſquequo certus eſſet de remiſſione peccati ſui. Cui compatiens vxor eum ſecuta eſt, qui in ſilua quadam iuxta fluuium ædificauerunt tugurium paruum, præbentes tranſitum & hoſpitium ſicut poterant itinerantibus, inſiſtentes orationibus, & alijs operibus bonis quantum poterant, & ideo fortè, quia faciebant hoſpites ſuos orare pro patre & matre defunctis, itinerantes dicunt orationem dominicam pro eis, vt bonum hoſpitium inueniant. Cum autem quidam pauper media nocte ad aliam ripam fluminis auditus eſſet tremens & plangens, Iulianum vocans; mulier excitans eum miſit illum ad eum, cum autem inueniſſet eum leproſum, vt videbatur, & congelatum, poſito eo in nauicula, & apportato ad domum, cum ignem ei feciſſet vt poſſet calefieri, dixit, quod aliter non calefieret, niſi ipſi in lecto ſuo inter ipſos duos eum collocarent. Quod cum feciſſet, compatiendo ait eis: Iuliane Dominus miſit me ad vos, veſtram acceptans pœnitentiam, & peccatum tuum tibi dimittens; & ſcitote quia cito migrabitis ad Dominum, & hoc dicto diſparuit, & ita factum eſt vt prædixit.

4. *Bona multiplicantur.* ITEM hoſpitalitas bona multiplicat, exemplum 3. Reg. 17. de farinula & lecytho olei. Item de oleo viduæ multiplicato 4. Reg. 4. Item Sarai fœcundatur, & Abraham recepit potentiam generandi quando recepit Angelos Gen. 18. Item hoſpita Elyſæi concepit 4. Reg. 4. Item Anna & Ioachim prole nobiliſſima fœcundantur, ſcilicet glorioſa virgine Maria.

Exempla. ITEM in vita ſancti Remigij dicitur, quod cum eſſet Archiepiſcopus Rhemenſis, & viſitans ſuam diœc. hoſpitatus eſſet in domo cuiuſdam conſanguineæ ſuæ, videns eam erubeſcere pro eo quod vinum non haberet; omiſſis omnibus, facta oratione ante dolium vacuum, & ſigno crucis edito, vinum exiuit deſuper.

ITEM in vita ſancti Germani legitur: quod cum prædicaret per Britanniam cum diſcipulis ſuis, hyeme vrgente Regis palatium intrauit, petens hoſpitium à Rege; qui ei negauit cum autem ſubulcus regis egrederetur à domo Regis ad ſuam, portans portionem cibi ſui, miſericordia motus, videns Germanum & monachos eius in niue algentes, rogatos adduxit eos ad tugurium ſuum, occidens & parans eis vitulum, quod B. Germanus congregatis oſſibus ſuper eius pellem, ſuis precibus reparauit. Tunc in mane palatium ingreditur, & conuocato populo, arguens regem de immiſericordia, & oſtendens eum indignum gubernare regna, depoſuit eum à regno, & ille cum virtuti diuinæ per quam operabatur ſanctus non poſſet reſiſtere, licet inuitus receſſit, & de palatio cum coniuge & liberis ſuis receſſit. Sanctus autem Germanus dictum ſubulcum Regem Britanniæ conſtituit, propter hoſpitalitatem & charitatem ſuam, & ex tunc reges illi de ſubulco ſublimati ſunt. De hoc etiam require ſupra, quod eleemoſyna bona multiplicat.

Hoſpitalitas à periculis eripit & in cœlum recipit. ITEM hoſpitalitas à periculis eripit. Sicut patet de Lot. Gen. 19. quem Angeli quos in hoſpitio receperat liberauerunt à ſubmerſione Sodomorum. Item Raab meretrix & tota progenies eius, Ioſue 6. quia hoſpitata eſt exploratores filiorum Iſrael. Heb. 11. *Raab meretrix non periit cum incredulis, ſuſcipiens exploratores cum pace.* Item hoſpitalitas in cœli palatium recipit. Luc. 16. *Recipiant vos in æterna tabernacula.* Iſa. 58. *Egenos vagoſque induc in domum tuam.* Et poſt. *Et gloria Domini colliget te.* Ibi Gloſſ. *Præbe tectum & accipe cœlum.* Matth. 25. *Venite benedicti percipite regnum &c.* Et poſt. *Hoſpes enim fui & collegiſtis me &c.* Item in vita B. Marthæ legitur, quæ fuit hoſpita Domini, quod cum ipſa migraſſet ad Dominum, Beatus Maximus longe ab ea poſitus, vel Beatus Martialis Lemouic. Epiſcopus. (De altero enim iſtorum legitur) raptus in ſpiritu interfuit eius exequijs; & Dominum cum multitudine Angelorum animam eius ſuſcipere vidit, & officium exequiarum complere & dicere; *in memoria æterna iuſta hoſpita mea*, & Angelos reſpondentes, *ab auditione mala non timebit:* & vidit animam eius in cælum cum Domino & Angelis aſcendentem.

Hoſpitalitas debet fieri humiliter. CIRCA ſecundum, ſcilicet *qualiter ſit agenda hoſpitalitas:* Primo ſciendum quod debet fieri humiliter. Exemplo Abrahæ & Lot, qui Angelis occurrerunt, & adorauerunt. Gen. 18. Hier. *Ipſe Abraham cum Sara ſocia in perſona propria ſeruiuit, ipſe humanitati incubuit, ipſe pedes lauit, ipſe humeris ſuis vitulum de armento deportauit, ipſe peregrinis prandentibus ſtetit vt ſeruus, ipſe eis cibum miniſtrauit ieiunaturus.* Quidam frater dicebat, quod aduenientibus fratribus hoſpitibus, fratres deberent occurrere eis reuerenter, cum conſtet Chriſtum aduenire. Secundo debet fieri celeriter, vt non vendatur tarditate, vel difficultate recipiendi. Iob 31. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* Geneſ. 18. *Accelera tria ſata*, vbi dicit Origen. *Senex currit, anus accelerat, puer feſtinat in domo patris familias, nullus ab officio pietatis remanet ociosus.* Similiter Gen. 22. *Cucurrit puella &c.* Et poſt. *Feſtinauit Laban in occurſum Eleazar, dicens: Ingredere benedicte Domine cur foris ſtas, &c.* In vitis patrum dicitur, quod in Ægypto erat ciuitas Orinco nomine, in qua fere quot erant domus, tot erant fere monaſteria; vbi erant decem millia monachorum, viginti millia virginum, cuius ciuium conſuetudo erat portas vrbis obſeruare, propter hoſpites ſuſcipiendos, & eos violenter ad hoſpitia ſua trahere, & de eis habendis adinuicem piè compugnare.

Item celeriter.

Exemplum.

Hilariter. TERTIO debet fieri hylariter. Luc. 19. *Zacheus feſtinans ſuſcepit eum gaudens in domo ſua*, 1. Petr. 4. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Sic ſuſcepit Rode puella Petrum, ita vt præ gaudio non poſſet oſtium aperire. Quarto debet fieri piè & miſericorditer, vt fiat cum compaſſione pura 1. Timoth. 5. *Vidua eligatur, ſi pauperes hoſpitio recepit, ſi pedes Sanctorum lauit, ſi in tribulatione patientibus ſubminiſtrauit.* Et nota, quod qui omnino non recipiunt pauperes, vel corrupta intentione, vel receptos malè tractant, nec Deus ijs indigentibus, nec ſancti eius compatientur, vt patet de diuite epulone. Luc. 16. Item Matth. 10. *Quicumque vos non recepit, amen dico vobis tolerabilius erit in die iudicij terræ Sodomorum & Gomorreorum quam illi ciuitati vel domui.* Similes ſunt Iudæis in culpa, & ſimiles in pœna, qui eadem ſeptimana qua Dominum in ciuitate ſua proceſſionaliter receperunt, eum de illa turpiter eiecerunt, & crucifixerunt. In eorum domo non Dominus ſed diabolus ſuſcipitur, quando non ſuſcipiunt ex compaſſione, ſed cum corrupta intentione.

Piè & miſericorditer.

Exemplum. IDEO dial. 10. dicitur: quod cum ſanctus Fortunatus à quodam obſeſſo eijceret dæmonem, dæmon in ſpecie peregrini clamabat, quod Fortunatus peregrinũ

non

non ſolum non receperat, ſed de ſuo hoſpitio eum expulerat, nec inueniebat in eius ciuitate qui eum ſuſciperet, tunc quidam motus, non compaſſione, ſed Epiſcopi Fortunati derogatione, ad hoſpitium ſuum vocauit eum; vbi dum ſederent, filium hoſpitis ſui in ignem proiecit, & animam eius excuſſit. Ipſos etiam malos hoſpites diabolus aliquando occidit; quod patet ſupra de purgatorio, de muliere quæ de die pauperes recipiebat, & de nocte expellebat. Non ſolum autem ipſos hoſpites diabolus aliquando opprimit, immo Deus morte ſubita & turpi eos occidit ſæpe, & ſemper eos æternaliter damnat, niſi dignè pœnituerint.

Exemplum. VNDE legitur in miraculis B. Iacobi, quod anno Domini 1100. quidam homo volens fugere mortalitatem quæ erat in Francia, cum vxore & liberis iter ſancti Iacobi arripuit, cum autem veniſſet in vrbem Pāpiloniam, vxore eius defuncta; hoſpes eius, totam eius pecuniam, & iumentum quo pueri vehebantur, retinuit. Cum autem propter hoc ab incepto non deſiſteret, pueros nunc portans, nunc trahens, poſt dictæ vrbis exitum, occurrit ei vir cum aſino, qui cauſas tanti infortunij ſui audiens, accommodauit ei aſinum ſuum vſque ad Sanctum Iacobum, vbi cum peruenisſet & oraſſet, apparuit ei oranti & vigilanti ſecum Iacobus, quærens ſi eum agnoſceret: cui neganti, ait: Ego ſum Sanctus Iacobus, qui in Pampilonia accommodaui tibi aſinum meum, & iterum eum tibi accommodo reuertenti, & prænuncio tibi, hoſpitem tuum qui iniuſtè bona tua retinuit, & omnes alios hoſpites qui ſimilia faciunt, turpi & improuiſa morte morituros, qui bona defunctorum retinent, quæ debent pro animabus eorum diſtribuere; ruet enim hoſpes prædictus de ſolario domus ſuæ: quo dicto diſparuit, & iuxta quod prædixerat euenit.

De viſitatione infirmorum.

DISTINCTIO XXIV.

Multa mouent ad viſitationem infirmorum. CIRCA decimumquintum, ſcilicet de viſitatione infirmorū, ſciendū quod cū miſericordia dicitur reſpectu miſeriæ, videtur iſtud opus excedere omnia alia opera miſericordiæ, cū nulla ſit maior miſeria tēporalis, miſeria infirmitatis. Huic operi debemus libenter intendere propter multa: Primo propter vinculū naturale. Secundo propter ſpeculum exemplare. Tertio propter miſeriæ incrementum. Quarto propter prę-mij complementum.

1. Vinculum naturale. PRIMO inquam propter naturale vinculum, quia nos omnes fratres ſumus in Chriſto, Mal. 1. *Nūquid non vnus pater eſt omnium veſtrum?* Et Matt. 12. *Omnes enim vos fratres eſtis.* Item exemplum ponit Apoſt. 1. Cor. 12. *Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autē alter alterius membra,* & ſic ibidem dicit. *Si patitur vnum mēbrum, compatiuntur omnia membra;* læſo pede flet oculus, inſpicit oculus, contrectat manus, os plangit &c. Sic debet eſſe in corpore myſtico, quod vnus homo compati debet, & etiam ſubuenire alteri patienti.

2. Speculum exemplare. SECVNDO debet ad hoc nos mouere exemplare ſpeculum. Ad hoc habemus exempla Chriſti, Angelorum, ac etiam Sanctorum, tam beatorum, quam etiam viatorum. Exemplum quidem Chriſti, qui venit in mundum ad infirmos viſitādum. Luc. 1. *Viſitauit nos oriens ex alto &c.* Marc. 2. Phariſæis & Scribis murmurantibus, quare cum Publicanis & peccatoribus manducaret, & biberet. Reſpondit; *non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent.* Item Lucæ 15. Item Matth. 4. *Circuibat Ieſus totā Galilæam, ſanans omnem languorem & infirmitatem.* Item ad hoc ponitur exemplum Luc. 10. de illo qui incidit in latrones, *qui etiam diſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis &c.* Sequitur. *Curam illius habe, &c.* Ad hoc etiam ſpecialiter miſit Apoſtolos, & dedit eis virtutem ſuper omnia dæmonia, vt languores curarent. Luc. 11. & Mat. 10. *Infirmos curate &c.* Item Beati Angeli dant nobis exemplum infirmos viſitandi, & eis ſeruiendi, vt patet To. 11. & 12. quomodo eum Angelus curauit & viſitauit. Item ipſum Dominum viſitauit & confortauit Angelus in agonia ſuæ paſſionis. Lucæ 20.

Exempla. ITEM in vitis patr. dicitur, quod cum quidam ſolitarius pauper per triginta dies ęgrotaret ſolus, carens humana viſitatione, habuit Angelum ſibi adminiſtrantem per octo dies. Cum autem veniſſent fratres ad eum receſſit, & clamauit infirmus: Recedite fratres, quia adminiſtrator meus in aduentu veſtro receſſit. Cum autem aliquantulū receſſiſſent, quieuit in pace moriens. Solent enim maximè viſitare infirmos Angeli deſtitutos ab humana conſolatione; vt patet per exemplum de Agar & filio eius. Gen. 21. *Exaudiuit Dominus vocem pueri, &c.* Item per exemplum Elyæ 3. Reg. 19. *Angelus Domini tetigit eum &c.*

ITEM in tripartita hiſtoria lib. 2. dicitur, quod quidam nomine Acquilinus, febre longiſſima & grauiſſima laborans, cum multa expendiſſet in medicos, & potiones multas accepiſſet; & quicquid comederet & biberet totum euomeret: ad vltimum videns quod nulla medicina ei proficeret, fecit ſe deferri in Eccleſiam beati Michaëlis apud Conſtantinopolim, vbi Angelus apparuit ei, monens quod ſibi faceret ſalſam de vino, & pipere, & melle, in qua intingeret omnia quæ comederet: quod fecit & omnino curatus eſt; licet illa ſint omnino contraria illi infirmitati, ſecundum Phyſicam.

ITEM ad exemplum ſanctorum, non ſolum viatorum, ſed etiam beatorum, debemus infirmos viſitare, compatiendo & conſolando eos. Ad exemplum Apoſt. 2. Cor. 11. *quis infirmatur & ego non infirmor?* Viſitauerunt enim eos ſancti, & etiam de infirmitatibus deſperatiſſimis eos curauerunt; etiam ipſi beati, quod patet in vitis & miraculis ſanctorum.

Exempla. ITEM beati iam glorificati in patria nobis præbēt exemplum, qui pluries leguntur viſitaſſe infirmos, & de grauiſſimis ac deſperatiſſimis infirmitatibus liberaſſe. Exemplum de B. Agatha, quam B. Petrus viſitauit in carcere, & de dolore mammillarum ſuarum curauit eam.

Exempla. EXEMPLVM de B. Franciſco, qui Ioannem de Hylerda læthaliter ſauciatum, immo multis plagis mortalibus adeo crudeliter laceratum, vt de ſola ſepultura eius ageretur, & non credebatur ſuperuicturus in craſtinum; viſitauit in nocte, & contactu ſacrorū ſtigmatum illicò plenè ſanitati reſtituit. Ibidem de Rogero quodam canonico maioris Eccleſiæ, qui videns imaginem B. Franciſci ſacris ſtigmatibus inſignitam, cum incredulus irrideret, ſubito mirabiliter fuit percuſſus in vtraque manu, & quaſi profiliſſet ſpiculum de baliſta, ſonum audiuit, dolorem ſenſit, & illæſis manentibus chyrothecis, manus apparuerunt tanquam ſpiculo perforatas. Cum autem per triduum inceſſanter dolore atrociſſimo torqueretur, tandem compulſus eſt beatum Franciſcum lachrymabiliter inuocare, rogans humiliter ſibi per illa ſacra ſtigmata ſubueniri; quem B. Franciſcus integræ ſanitati reſtituit, & ab omni doloris aculeo liberauit.

Exemplum. ITEM legitur in miraculis B. Martyrum Coſmæ & Damiani, quod quidam ſacriſta Romę in eorum eccleſia diu deuotè ſeruierat, qui in crure grauiſſimam & incurabilem infirmitatem incurrit. Cum autem quadam nocte grauiſſimè fleuiſſet, & oraſſet diu; intrans lectum dormiens, vidit duos ſplendidiſſimos viros, alterum eorum portantem cultellum & pixidem, alterum coxam mauri cuiuſdam, qui nuper in vrbe mortuus & ſepultus fuerat: & hi crus infirmum dicti ſacriſtæ amputauerunt, & crus mauri coxæ ſacriſtæ inſeruerunt, & vnguento quod ferebant inunxerunt, & omni dolore remoto, crus ſacriſtę vnde crus dicti mauri remouerant, detulerunt. Excitatus ſacriſta ſtupet de viſione, ſed magis de ſubita quam ſentiebat curatione, & doloris amiſſione, vel amotione. Surgit & magis miratur, inueniens ſe habere crus mauri, mirans ſi

erat qui fuerat: & cum gratias agendo cantaret, excitantur clerici, ſocij ſtupentes ad viſa, currunt ad corpus Mauri, cum quo coxam ſacriſtæ reperierunt. De hoc verſus.

Mira iunctura defuncto morbida ſura:
Mortua per cruradatur ægro conualitura.

Exempla. ITEM ad hoc exempla multa iuſtorum & ſanctorum, adhuc in præſenti miſeria viatorum. De Beato Franciſco legitur, quod ipſe leproſis,& deſpicabilibus perſonis humillime ſeruiebat; ſpiritualiter in ſuæ conuerſionis principio totum ſe contulit ad ſeruitium leproſorũ, nec ſolum eis neceſſaria miniſtrabat, verumetiam lauabat eorum pedes, ligabat vlcera, & educebat putredinem, & ſaniem abſtergebat. De B. Elyſabeth dicitur, quod cum ipſa eſſet de genere regio, immo Regis Hungariæ filia, viro ſuo mortuo, relicta pompa ſæculi, hoſpitale conſtruxit, vbi pauperes recipiebat, & infirmos omni genere infirmitatis, quos ancillæ,& alij abominabantur tangere & reſpicere, pedes & capita abluebat, & vulnerum cicatrices,& vlcera,& ſcabiem, quaſi ipſi Chriſto faceret hęc officia pietatis.

Exempla. ITEM cum quidam peccator maximus transfretaſſet, & poſuiſſet ſe in hoſpitali ad ſeruiendum infirmis, & aliquando abhorreret cuiuſdam vlcera cuius lauabat pedes, lotionis aquam contra cor bibere cœpit cum pleno ore; quæ facta eſt ei dulciſſima, & ſuauitate fragrantiſſima ſuper omnia pigmenta. Et hoc fuit ſignum remiſſionis peccatorum, ad quorum memoriam dictam aquam hauſerat.

ITEM cum Ioan. de Monte mirabili, Dominus valde pius & deuotus, videret pauperem valde afflictum vlceribus, ſanie, & ſordibus; ait ei: Quare non vadis ad domum Dei; vt ibi quieſceres. Reſpondit: Non poſſum ire. At ego, ait, portabo te. Et aſſumpto eo ſuper humeros, portauit eum illuc, cumque haberet ſordidos pedes, & tibias plenas ſanie, lauit ei,& cum ei doleret cor, ait: O cor miſerum & ſuperbum, modo poteris crepare;& hauſtam aquam loturę bibit cum duabus manibus. Item Eccl. 26. *Non te pigeat viſitare infirmum.* Huius exemplum dabat Dominus, qui non ſolum viſitabat, ſed ſe ab eis tangi permittebat, & leproſos tangebat, & eos tactu ſuo curabat Item ad huius exemplum, non ſolum B. Martinus tangebat eos, ſed oſculabatur, & oſculo curabat.

Exemplum. REFERT magiſter Iacob. de Vitria. quod quidam comes Campaniæ deuotus, pius & humilis, conſueuerat frequenter viſitare quendam leproſum, & ſe orationibus eius committere, & verbis & beneficijs eum confortare. Cum autem de longo tempore non viſitaſſet eum, mortuo leproſo hoc comite ignorante, venit ad eum intrans eius tugurium,& cum vocaret eum nomine ſuo, quærens quomodo circa eum ageretur, reſpondit ei: Bene per Dei gratiam, nunquam ita bene fuit mihi. Tunc milites & Burgenſes qui cum Domino comite erant, dixerunt. Domine quare intratis tugurium illud, cum nullus ibi moretur, ille leproſus mortuus eſt, iam menſis eſt elapſus, & ſepultus in illo loco. Faciens ergo inquiri dictus comes, non inuenit ibi niſi parietes & tugurium, mira fragrantia odoris plenum.

3. Meriti incrementum. TERTIO mouet ad hoc, virtutis exercitium, & meriti incrementum; quia hoc eſt contra peccata remedium, contra tentationes præſidium, noſtræ fragilitatis ſpeculum vel indicium, & veræ religionis exemplum. Iacob. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos, &c.* Quod etiam ſit charitatis augmentum & meriti incrementum dicitur Eccl. 7. *Non te pigeat viſitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.* Ita Beata Virgo præelegit ſtatim facere poſt filij Dei incarnationem & conceptionem, quia aſcendit in montana cum feſtinatione, vt Elyſabeth ſeni, grauidæ, & infirmæ ſeruiret. Item in vita S. Mariæ de Oignies dicitur, quod ipſa primo virum induxit, vt relictis omnibus, in leproſaria ſeruirent leproſis, ex quo ad magnum perfectionis culmen poſtea peruenerũt:

A & ei reuelatum fuit, quod vir ſuus, qui fuerat eius ſocius in ſeruitijs infirmorum humilitate, ſocius ſuus eſſet in ęternitatis ſublimitate.

ITEM in vitis patrum legitur, quod quidam frater interrogauit quendam abbatem, cuius maius eſſe meritum: An fratris qui ieiunat per ſex dies in ſeptimana, & multum laborat: an illius qui ſeruit infirmantibus. Cui reſpondit ſenex, quod ſi ille qui ieiunat ſex dies ſuſpenderet ſe per nares, non ita placeret Deo, vt ſeruitium ſeruientis &c.

QVARTO mouet ad hoc, æterni præmii complementum; de quo Matth. 25. *Venite benedicti, &c.* Et ſubiungitur cauſa. *Infirmus fui, & viſitaſtis me.* *4. Præmij æterni complementum.*

AD decimumſextum, ſcilicet *ad viſitationem incarceratorum inuitant nos: Primo* ſcripturę ſacrę monita. Pſal. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate:* quia maximè ſunt viſitandi boni in carceribus incluſi vel captiui, conſolando eos, & neceſſaria eis miniſtrando, redimendo, liberando & à carcere, & à morte. Eccl. 4. *Libera eum qui iniuriam patitur de manu ſuperbi.* Hebr. 14. *Mementote victorum tanquam ſimul vincti:* ſcilicet conſolando eos, liberando, prouidendo, &c. *Secundo* ad hoc mouent nos exempla; primo Chriſti, qui ad hoc venit in mundum, & deſcendit etiam vſque ad infernum. Vnde eduxit vinctos in fortitudine; ad hoc voluit capi, vt captos eriperet: ligari, vt compeditos abſolueret; vendi, vt redimeret: occidi & ad infernum deſcendere, vt ſuos à morte & ab inferni carcere liberaret. Iſa. 56. *Spiritus Domini ſuper me, & miſit me vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem.* *Exempla.*

C ITEM in paſſionibus Sanctorum legitur frequenter de cœlis deſcendiſſe, & ad eorum carceres veniſſe, ad eos confortandum; vt de Beato Dionyſio, & de pluribus legitur. Item ad hoc mouent nos exempla Angelorum, vt habetur Dan. 6. quod *Danieli incluſo in lacu leonũ, miſit Deus Angelum ſuum, qui concluſit ora leonũ, &c.* Ibidem 13. quomodo deportauit Angelus Abacuc de Iudæa in Babylonem, in locum vbi erat Daniel.

ITEM Act. 21. quomodo Angelus Domini aſtitit Petro incarcerato, & liberauit eum. Item in paſſione ſanctæ Agnetis, & Vincentij,& Catherinæ, & aliorum multorum legitur, quod benignè Angeli viſitauerunt eos incarceratos, & quomodo eos conſolati ſunt.

D ITEM ad hoc mouent nos exempla ſanctorum etiam hic viuentium, de quibus dicit Apoſtolus Hebr. 10. *Vinctis compaſſi fuiſtis.* De B. Dominico legitur, quod cùm eſſet Romæ, poſtquam officium audierat, ferè ſingulis diebus muros circuibat, & alia loca vbi erant immurati, & eis monita ſalutis dabat. Similis Tobiæ, de quo legitur eiuſdem 1. *Pergebat per omnes qui erant in captiuitate, & monita ſalutis dabat eis.* *Exempla.*

ITEM de Beato Nicolao legitur, quod cum tres Barones Conſtantini Imperatoris fuiſſent ei incuſati de hoc quod conſpiraſſent in mortem eius,& hoc fuiſſet ei ſuggeſtum ex malitia & inuidia, cum incarceraſſet eos, & in craſtinum deberent occidi, inuocauerunt auxilium B. Nicolai adhuc viuentis, tunc in ipſa nocte apparuit B. Nicolaus Imperatori, arguens eum de hoc quod ſine inquiſitione vellet occidere innocentes; innuens ei bellum imminere & mortem, niſi liberaret eos; & dixit ſe eſſe Nicolaum Epiſcopum Myreæ ciuitatis. Idem etiam apparuit prępoſito qui eos captos detinebat; ita quod in mane cum deberent occidi, inquirens Imperator de fama & miraculis B. Nicolai, ei miſit illos liberos cum xenijs ſuis. *Exempla.*

ITEM cum filius cuiuſdam militis Normanniæ captus eſſet apud Saracenos, reducens ad memoriam magnum feſtum quod pater ſuus faciebat in capella ſua in feſto S. Nicolai, cœpit flere; & cum cauſam fletus audirent Saraceni, grauiter eum flagellauerunt, qui cum poſt fletum & orationem obdormiret in carcere, in mane excitatus inuenit ſe in capella patris ſui liberũ.

ITEM in tripartita hiſtoria lib. 12. dicitur de quodam Epiſcopo nomine Aquatio, quod vendidit omnia vaſa aurea & argentea Eccleſiæ in redemptionem & refe-

ctionem Persarum gentium, quos captiuos abduxerant Romani, dicens: Deus his vasis non vtitur.

Multa mouet ad curã de sepeliendis mortuis.

AD decimum septimum, sc. ad sepulturam mortuorum, vt, scilicet sepeliendis mortuis libenter curam & diligentiam impendamus, & eorum sepulturæ personaliter intersimus, monent nos multa.

1. Scriptura.

PRIMO scriptura sancta. Eccles. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam, nec desis plorantib. in consolationem.* Item 38. *Super mortuum produc lachrymas, & quasi dirapassus incipe plorare secundum iudicium, contege corpus illius, & ne despicias sepulturam illius.*

2. Naturalis pietas.

SECVNDO ad hoc debet nos mouere naturalis pietas, & charitas; iuxta illud Ioa. 12. diuinum exemplum. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Hoc est enim vltimum beneficium quod eorum corporibus exhibetur.

3. Natura verũ sensibilium.

TERTIO ipsa natura rerum sensibilium. Dicit enim Arist. in lib. de natura animalium, quod cum delphines pisces maris moriuntur, alij viui conueniunt, & eos in fundo maris sepeliunt.

Exempla.

ITEM in vitis Patrum, dicit Hier. de monacho captiuo, quod inter alias naturales proprietates formicarum quas mirabatur dictus monachus in solitudine, erat hæc, quod cum vna moreretur aliæ conueniebant, & quasi cum celebri luctu corpora mortua deportabant, alia aliam volentem intrare non impediebat, sed si cadebat sub onere, aliæ cadentem suis humeris subleuabant.

ITEM cum Zozimas, Maria Ægyptiaca mortua, nesciret quomodo foueam ad eam sepeliendam faceret, leo venit; & faciendo foueam ad eam sepeliendam, eũ iuuit. Item in vita Pauli primi eremitæ ait Hier. quod cum Antonius non haberet vnde foueam faceret, vbi corpus dicti Pauli sepeliret, duo leones de silua venerunt, & foueam fecerunt ad sepeliendum corpus & benedictione ab Antonio accepta, ad siluam redierunt.

4. Exempla Angelorum.

QVARTO exempla Angelorum, qui ita diligenter curam habent de natura animæ sibi consimili, quomodo eam deducant ad locum quietis suæ. Luc. 16. *Lazarus mortuus portabatur ab Angelis in sinum Abrahę.* Nota supra de anima peregrini, quam Michael & Gabriel sine dolore iussi sunt deportare ad cœlum. Similiter & nos debemus curare, quomodo honorificè natura corporis fragilitati nostrę similis, sepeliatur. *Item* Angeli etiam quando alij non sunt qui sepeliant, curam habent de corporibus sepeliendis; sicut patet in passione B. Catharinæ, cuius corpus in Sinai mirabiliter sepelierunt. Similiter in passione B. Agathæ, cuius sepulturæ titulum apposuerunt. *Item* supra de fœtore peccati, in peregrino fœtente, & eremita quem Angelus sepeliuit.

5. Exẽpla Patrum antiquorum.

QVINTO exempla patrum antiquorum; vt Tob. 2. qui propter hoc faciendum prandium dimittebat, & propter mortis periculum hoc facere non omittebat.

6. Magna vtilitas inde proueniens.

SEXTO multiplex vtilitas hoc facientium nos debet ad hoc mouere. *Prima est*, quia à peccato reuocat aliquando, & ad bonum prouocat. Eccles. 7. *Memorare nouissima tua.* Quod facit sæpe cum videt præ oculis mortem alienam. De hoc satis habetur supra de morte de Pyrata. Et ibidem habetur de multis bonis quæ facit homini memoria mortis. Hoc etiam notatur. 4. Reg. 18. De resuscitato ad tactum Elysæi. *Secundo* à malo conseruat. Eccl. 18. *Memorare nouissimorum, & desine imitari.* Huius exemplum habetur 3. Reg. 23. De Pseudopropheta, qui quia sepeliuit occisum prophetam à leone, seruatur Iosiæ tempore à combustione ossium suorum. *Tertio* benedictionem Domini & sanctorum, & laudem impetrat, 2. Reg. 3. Dixit Dauid viris Iabes. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis hanc misericordiam sepeliendo Saul.* Item de Magdalena dicit Dominus, *ad sepeliendum me fecit, vngendo corpus meum.* Et post. *Amen dico vobis vbi prædicatum fuerit Euangelium hoc, &c. Quarto* hoc opus specialiter coram Domino Angelus præsentat, quasi maximè sibi gratum; sicut dicit Angelus Tob. 12. *Quando abscondebas mortuos, &c.* Adeo enim placet ei hoc opus, vt vendi non recusaret, & pretium venditionis suæ cederet in emptionem agri figuli, vbi peregrini sepelirentur, quorum sepulturæ cura multũ Deo grata est.

Exemplum.

IN vitis patrum legitur, quod cum Abbas Mustius esset gentilis princeps latronum, & vellet spoliare domum virginis sacræ, ad visionem iudicis conuertitur. hic conuersus cum multa cura sepeliebat Christianos, & vestibus aptabat, quos primo consueuerat occidere & spoliare: qui ex hoc factus est princeps monachorum, singulis diebus Dominicis diuinitus panem sumens. Cum autem mortuum sepeliret, ait ei discipulus suus quidam. Vtrum pater cum tanta diligentia me sepelires. Cui respondit; Et hoc faciam. Cum autem eum mortuum sepeliret diligenter, clamauit quærens à mortuo, si sufficeret ei. Respondit mortuus. Sufficit pater, implesti promissum. Hic summæ perfectionis ex hoc factus est, & post multa miracula quieuit in pace.

De pietate erga parentes.

DISTINCTIO XXV.

Motiua ad pietatem erga parentes multiplicia.

AD decimumoctauum, scilicet de pietate parentum, & de misericordia eis exhibenda; quibus quanto magis tenemur, eo magis diligere debemus, & eis compati. Ad compassionem & pietatem eorum nos monent ista; scilicet admonitio sacræ scripturæ, instinctus propriè naturæ, exempla irrationalis creaturæ, sanctorum exempla & documenta, vtilitas propria, & Dei beneficia; ipsa quæ pro nobis ipsi parentes pertulerunt incommoda, & ipsa quę nobis contulerunt, vel ab ipsis, vel occasione ipsorum nobis obuenerunt commoda multimoda: Vltimo ipsorum impiorum filiorum multiplex pœna.

1. Scriptura.

PRIMO enim scriptura ad hoc monet, vt eos diligant, & eis obediant, & eis bona faciant, & honorem eis exhibeãt filij eorum. Eccle. 3. *Filij sapientiæ ecclesia iustorum, & natio eorum obedientia & dilectio.* Ex hoc enim quod de eis nascuntur, debent eis obedire, & eos diligere tanquam principium naturale eorum. Exod. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam,* &cæt.

2. Propria natura.

SECVNDO monet ad hoc propria natura. Basilius *Parentes nostros vt propria viscera diligamus.* Hinc superuacuum est in illud nos impelli, in quod imus (in amorem scilicet & compassionem eorum) naturaliter.

Exemplum.

DICITVR quod quidam pater familias vxorẽ habuit adulterã, de qua habere videbatur tres filios: cũautẽ aliquando improperaret ei peccatum suum, & molestaret eam, ait illa ei: Vt vos habeatis dolorem perpetuũ, significo vobis, quod vnus istorum trium vester est, alii duo adulteri; & vt amore vnius duobus aliis prouideatis, nunquam scietis quis est vester. Quod cum nulla ratione vellet ei ita dicere, & ille in morte faceret testamentum suum, dixit, quod omnia bona sua relinquebat illi qui suus erat, aliis ab eis exclusis. Cum autem quæreretur ab eo quis esset ille, nec ipse sciret eis dicere, quilibet eorum eis dicebat se legitimum hæredem, & volebat res omnes occupare. Trahuntur ad iudicium; iudex dat istam sententiam, quod pater mortuus ligaretur ad arborem, & quod quilibet eorũ haberet arcum & sagittam, & qui melius percuteret eum, mediam hæreditatem haberet. Cum autem duo eorum traxissent, & valde fortiter corpus infixissent, tertius dixit quod nunquam ad patrem suum traheret; sed si quis eum de cætero percuteret, non impune fieret; & hoc dicens flebat. Tunc iudex iudicauit eum verum hæredem, & alios spurios: quia naturalis instinctus in compassione patris eum ad hoc impelle-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bat. Vnde propter hoc vulgariter dicitur, quod cor non mentitur.

3. *Creatura irrationales.*

TERTIO mouere poteſt ad hoc irrationabilis creatura per exemplum ſuum. Dicit enim Iſidorus in lib. de creaturis, quod Ciconiarum talis eſt natura, quod cum ipſæ ſe affligant & cibum ſuum ſibi detrahant, vt pullis ſuis prouideant; poſtquam pulli volare poſſunt, & prædam capere, compatientes maciei & afflictioni parentum, compellunt eos morari in nido vſquequo bene conualuerint,& ipſi ad prædas volant,& quaſi eis vicem rependendo,deportant. ſic faciunt boni filij de parentibus. Non ſic autem faciunt pulli vulturum; de quibus dicunt naturales, quod poſtquam diu laborauerunt parentes eorum, circuiendo caſtra & cadauera cum magno periculo & labore, vt eos depaſcant, ſibi ſubtrahendo cibum; Poſtquam pulli cõualuerint & fortificati fuerint, & parentes pro eis afflicti, verberant eos alis, nec aliquid de præda ſua dant eis, ſed eos verberant roſtro, & alis de nido eos expellunt. Sic faciunt impij filij de ſuis parentibus.

4. *Exẽpla Sãctorum.*

QVARTO ad hoc valent Sanctorum monita & exẽpla Tob. 4. *Audi fili,cum Deus acceperit animam meam, ſepeli corpus meum, & honorem habebis matri tuæ.* Eccleſ. 3. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui,&c.* Et poſt. *Eleemoſyna patris non erit in obliuionem.* Ibidem. *Qui honorat patrem iucundabitur in filijs.* Frequenter accidit quod taliter ſe habent filij patrum ad eos,qualiter vident eos ſe habere ad parentes ſuos.

Exemplum.

VNDE dicitur quod cum quidam pater familias vnicum filium ſuum ægregie maritaſſet, ditaſſẽt, & bonis ſe ſpoliaſſet eum inueſtiendo. cum factus eſſet decrepitus & infirmus, inſtigante vxore poſitus eſt in viliſſimo loco domus quam ipſe ædificauerat; & vix potuit habere à filio duas vlnas de burello quo operiretur in hyeme. Puer autem quidam,filius filij quem tenerrime pater diligebat, hoc notans flebat, & dicebat quod non ceſſaret,niſi pater ſuus daret ei duas vlnas de burello,ſicut ipſe dederat patri ſuo. Quæ cum ei datæ eſſent, puer complicauit eas & repoſuit, dicens, quod idem faceret ipſe patri ſuo quando ſenex eſſet, vt faciebat ipſe patri ſuo, dans ei illas duas vlnas ad cooperiendum ſe.

ITEM debemus eis compati ad exemplum Ioſeph, qui de terra Chanaan patrem ſuum in Ægyptum, vt eũ tempore famis ibi reficeret,tam ſolicitè & deuotè vocauit, & eum cum tota familia pauit, & circa eum tot pietatis & honoris officia exercuit, vt habet Gen. 46. & in aliis locis. *Item* debet nos ad hoc incitare exemplum veri Ioſeph Chriſti, qui in tanto diſcrimine ſuæ paſſionis matris curam non omiſit, ſed eam diſcipulo commendauit. Ioan. 19.

5. *Bona à parẽtibus recepta*

QVINTO debent nos ad hoc mouere bona quæ ipſi nobis fecerunt,vel ab eis, vel eorum occaſione nobis aduenerunt,& etiam mala quæ pro nobis ſuſtinuerunt. Vnde Eccl. 3. *Quaſi dominis ſeruient his qui ſe genuerunt.* Item Eccl. 7. *Honora patrem tuum & matrem, & memento quod niſi per eos non fuiſſes, & retribue illis quomodo & illi tibi.* Item *genitus matris tuæ ne obliuiſcaris.* Item 30. *Pro animabus filiorum pius pater colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius.* Item Tob. 4. *Fili memor eſſe debes quæ & quanta paſſa eſt mater tua propter te.*

Exemplum.

Hoc bene attendebat ille pius filius, de quo legitur in miraculis S. Iacobi, qui cùm iret cum patre ſuo de Teutonica ad S. Iacobum cum aliis compatriotis ſuis, hoſpitati ſunt apud Toloſam in domo cuiuſdam diuitis Burgenſis. qui diuites eos cogitans, & quomodo eorum pecuniam poſſet retinere, cum inebriaſſet eos nocte, in mantica patris & filij cyphum ſuum incluſit argenteum. & cum in mane inſequeretur eos cum multis, dicens eos fures,& faciens eos ſcrutari; in mãtica communi patris & filij cyphum ſuum reperiens, facit eos trahi ad iudicem. Cum autem pater vellet potius ſuſpendi quam filius ſuſpenderetur, data ſentẽtia quod alter eorum ſuſpenderetur, filius recolens beneficia patris, omnino non potuit ſuſtinere quod pater ſuſpenderetur, ſed pro eius liberatione hoc eligens, ſuſpenditur;& pater triſtis & anxius ad iter inceptum perficiendum progreditur. Cumque poſt 36. dies de peregrinatione rediret, ad corpus pendentis filij progreditur. Et cum eum cum lachrymoſis gemitib & ſuſpiriis clamando & eiulando vocaret, reſpondit ei: Noli pater dulciſſime flere, ſed gaude; quia nunquam ita bene fuit mihi, quia ex quo hic fui poſitus, B. Iacobus me cœleſti dulcedine ſuſtentans vſque nunc refocillauit. Quo audito, pater cucurrit ad iudicem; qui accedens ad patibulum cum aliquibus, deponunt eum viuentem & ſanum,& illico eius hoſpitem ibi ſuſpendunt. Hoc dicit Calixtus PP. factum fuiſſe anno Domini 1090.

6. *Propria vtilitas.*

SEXTO mouere nos debet ad hoc vtilitas propria quę ex hoc acquiritur. ſed Deo in hoc taliter obeditur, quod in pietate quæ exhibetur parentibus,ſummus pater ſic eis proponitur, vt pro eis nihil fiat vnde Deus offendatur, ſed ipſe eis in omnibus & per omnia præponatur. Tunc opus pietatis in parentes, ſiue eis reuerendo,ſiue eis benefaciendo,hęc ſexdecim bona facit quæ notantur Eccl. 3. *Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio eorum obedientia & dilectio*: quod eſt dicere, filij ſapientes ſunt filij Eccleſiæ, ad hoc nati ſunt, vt Deo & parentibus obediant, & eos diligant. Et hæc bona per hoc eis eueniunt. *Primo* iudicium ſummi patris obſeruant, hæc agendo vt animas ſuas ſaluant. Quod notatur cum dicitur. *Iudicium patris audite filij,&c. Item* Deo ſe conformant qui eos honorat, dans eis filios. Vnde ſequitur. *Deus honorauit patrem in filijs. Item* à iudicio Dei ſe liberant, qui requiret quomodo hoc mandatum impleuerunt. Vnde *iudicium matris exquiret,* &c. *Item* theſauros ſibi bonos accumulant; eos Deus in filiis lætificat. qui hoc facit, quod petit impetrat, vitam prolongat, Matrem Eccleſiam refrigerat, Dei timorem indicat, benedictionem impetrat, domos confirmat, glorioſum iudicat, & efficit,amiſſa recuperat,iuſtitiam ædificat, in tribulatione confortat, peccata diſſoluit & relaxat, quæ omnia notantur in Eccl. 3. in ſerie literæ.

7. *Pœna quæ parentũ contemptoribus infliguntur.*

SEPTIMVM eſt pœna impiorum ad parentes. Puniũtur enim impij filii ad parẽtes multipliciter. *Primo* quia ignominioſi & infelices per hocà Domino & populo iudicantur. Prou. 30. *Qui affligit patrem & matrem ignominioſus & infelix erit.* vt patet Luc. 15. de filio prodigo. Similiter Gen. 9. de Cham, cuius ſemen maledicitur,& in ſeruitutem reducitur, & ius primogenituræ amiſit. *Item* ſubita morte extinguuntur. Prou. 20. *Qui maledicit patri ſuo vel matri, extinguetur in mediis tenebris lucerna eius.* Et patet de Abſalon. 2. Reg. 18. *Item* homicidæ ſimilis efficitur. Prou. 18. *Qui ſubtrahit aliquid patri ſuo vel matri, dicens hoc non eſt peccatum, particeps eſt homicidæ. Similis* eſt Iudæis, qui ea quæ habebant templo offerebant, ne parentibus bene facerent. Quos arguit Dominus Matt. 15. *Qui maledixerit patri vel matri morte morietur. Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit,&c. Item* iram Dei ſuper ſe accumulant, quæ eos occidit ſubito frequenter. Mat. 3. *Progenies viperarum,&c.* qui paterna latera corrodunt mali filii.

Exemplum.

ANNO Domini 1250. Accidit in Diœc. Eduen. apud Virgiacum caſtrum ducis Burgundiæ, quod quidam propter bona materna quæ malè expendebat in tabernis & aleis vt conſueuerat,quodam mane offendit matrem ſuam;ita quod ipſa ira commota imprecata eſt ei ſic: Rogo Deum quod antequam reuertaris, & antequam dies tranſeat,deporteris matri tuæ frigidum exitium in feretro mortuus, & malo gaudio laceratus. Et quidam alius iuuenis de villa circumiacente impius cõtra parentes ſuos, ſępe propter ſuam inſolentiam eos, moleſtabat. Vnde ipſa die cum ipſum corrigerent parentes ſui,manu dextera percuſſit patrem ſuum; & pater iratus imprecatus eſt: dicens. Manus qua me percuſiſti rogo Deum vt hodie malo gladio amputetur, & tu infra triduum in tali patibulo ſuſpendaris. Accidit

ergo

ergo vt illi duo iuuenes post dictas imprecationes parentum obuiarent sibi mutuo: vnde vnus inuitauit alium ad tabernam, quam cum ingressi fuissent & biberent & luderent, cæperunt litigare, & se ad inuicem percutere, ille contra quem imprecatus est pater, percussit alium gladio; & cum essent soli, timens ne clamor excitaretur contra eum si alius viuus remaneret, multis vulneribus eum lacerans, occidit. Cùm autem clamore motus contra eum ad syluam fugeret, & illi de castro illo eum insequerentur; cum se gladio suo defenderet, vnus de insequentibus, manum qua tenebat gladium, & qua patrem percusserat amputauit. Dein captus est, & infra triduum suspensus est in patibulo illo in quo pater fuerat imprecatus. Alius autem deportatus fuit ad domum matris in feretro multis vulnerib. confossus, vt ipsa fuerat imprecata. Hoc autem cum factum esset recens, & quidam frater ordinis prædicatorum in dicto castro prædicaret, mater dicta retulit illi cum lachrymis, petens pœnitentiam pro dicta imprecatione, & hoc idem vicina testabatur quod infra decennium factum erat.

Exemplum. De hoc etiam legitur in lib. de ciuita. Dei, quod refert August. inter miracula B. Stephani; & hoc dicit euenisse temporibus suis, quod cuidam nobili mulieri de Cæsarea Capadociæ fuerunt decem pueri à patre nuper defuncto sibi relicti, quorum septem erant mares, & tres filię. Cùm autem in illa sua desolationis recentia matrem molestarent, tali pœna sunt diuinitus coerciti, illa eos maledicente: Ipsa eorum membra incredibili tremore concussa concutiebantur iugiter; & quia valde nobiles erant, suorum ciuium aspectum non ferentes, dispersi sunt per diuersa loca vagi, & quocunque veniebant totius populi terrebant aspectũ. quorum duo, frater & soror, Paulus & Palladia, vsque ad Augustinum venerunt, per quindecim dies ante pascha Ecclesiam sancti Stephani frequentantes. Cùm autem in die Paschæ Paulus in cancello dictæ Ecclesię se in oratione prosterneret, & corã omni populo quateretur, subito curatus surrexit, nec postea dictam infirmitatem habuit. Et cum causam infirmitatis recitaret Augu. populo, & dicta soror fratre existente sano, horribili iuxta eum concussione quateretur, & B. Aug. super hoc disputaret, intrauit dicta soror in cancellum. vbi cum post orationem obdormiret, subito excitata omnino sana surrexit, & omnes de sua sanitate lætificauit. Hoc refert Aug. vt omnes sciant quantum peccatum sit molestare parentes. *Item* in præsenti, vel ad minus in futuro, dæmones eos sæpe vexant & deuorant. Prou. 30. *Oculum qui subsannat patrem, extrahent eum corui de torrente*; id est dæmones infernales, *& comedent eum filij aquilę*, id est dæmones, qui sunt filij primi superbi per imitationem.

Exemplum. Apvd castrum caminum fuit quidam paterfamilias, qui ad ditandum & egregie maritandum filium vnicũ quem habebat, & multum laborauit, & bonis suis se funditus spoliauit: quem filius vxoris suæ consilio, de domo sua emisit, & indigere permisit. Cùm autem ille filius, sibi & vxori suæ pinguem caponem parasset, & sederet in mensa, pater pulsauit ad ostium & intrauit. propter quod tristis effectus tam filius quam vxor eius, ipse ad suggestionem vxoris caponem in arca reposuit & abscondit, ne pater inde comederet. Cũ autem pater recessisset de domo famelicus, filius rediẽs ad arcam & caponem volens accipere, non caponem sed buffonem horribilem inuenit, qui statim in faciẽ eius insiliens & adhærẽs, caput suũ tenebat inter duos eius oculos, pedes vero genis eius infixit, quem si quis ab eo vellet vel tentaret excutere, miser ille miserabiliter torquebatur. Cum igitur diu portasset illum, nec posset ab eo per hominem liberari, diuinum in se iudicium recognoscens, visitabat loca Sanctorum, vt eorũ meritis iuuaretur; nec tamen iuuari potuit, donec in terram sanctam veniens, protinus buffone cadente & crepante, diuina fuit potentia liberatus.

De ieiunio.

DISTINCTIO XXVI.

Deinde considerandum est de secunda parte satisfactionis videlicet de ieiunio. Circa quod considerandа sunt tredecim. Primo vtrum ieiunium sit actus virtutis, & cuius virtutis. Secundo vtrum cadat sub præcepto. Tertio vtrum omnes obligentur ad obseruantiam huius præcepti. Quarto de tempore ieiunij. Quinto vtrum semel comedere requiratur ad ieiunium. Sexto de hora comestionis. Septimo de cibis à quibus ieiunantes debeant abstinere. Octauo vtrum gula frangat ieiunium. Nono vtrum ebrietas frangat ieiunium. Decimo de diuisionibus ieiuniorum. Vndecimo quale debet esse ieiunium vt Deo sit acceptum. Duodecimo de multis bonis quæ ieiunium operatur in nobis. Tredecimo de multiplici ieiunio malorum.

Ad primum, scilicet *vtrum ieiuhium sit actus virtutis.* *Ieiunium assumitur principaliter propter tria.* Dicẽdum quod ex hoc est actus aliquis virtuosis quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum, hoc autem conuenit ieiunio. Assumitur enim ieiuniũ ad tria principaliter. *Primo* quidem ad concupiscentias carnis comprimendas. Vnde Apostolus dicit 2. Cor. 6. *In ieiunijs, in castitate, &c.* Quia per ieiunium castitas conseruatur. Vt enim dicit Hier. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*, id est per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria. *Secundo* assumitur ad hoc quod mens vberius eleuetur ad sublimia contemplanda. Vnde dicitur Dan. 10. quod post ieiunium trium hebdomadarum eleuationem accepit à Deo. *Tertio* ad satisfaciendum pro peccatis. Vnde dicitur Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu.* Et hoc est quod dicit Aug. in quodam sermone de oratione & ieiunio. *Ieiunium purgat mentem, eleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitas vero lumen accendit.* Vnde patet quod ieiunium est actus virtutis. *Ieiunium est actus virtutis.*

Sed nota quod omnis actus qui ex genere suo virtuosus est, ex aliquibus circunstantiis adiunctis redditur vitiosus. Vnde dicitur Isa. 58. *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Et paulo post subditur. *Ad lites & contẽtiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.* Quod exponens Greg. in pastorali dicit. *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens vitijs dissipatur.* Et Aug. dicit in prædicto sermone, quod *ieunium verbositatem non amat, diuitiarum superfluitatem respuit, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere quod est infirmum & fragile.* *Solutio obie.*

Item licet ieiunium à medio virtutis recedere videatur, tamen vere tenet medium, quia medium virtutis non assumitur secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam, vt dicitur in 2. Eth. Ratio autẽ iudicat, quod propter specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo quam etiam competeret secundum statum communem, sicut propter infirmitatem vitandam, aut aliqua opera corporalia expeditius agenda. Et multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda, & bona persequenda: non tamen ratio tantum de cibo retrahit, vt natura conseruari non possit. quia vt Hier. dicit. *Non differunt vtrum magno vel paruo tempore te interimas: & quasi de rapina holocaustũ offert, qui ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somnij penuria, immoderatè affligitur.* Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit, vt homo reddatur impotens ad debita opera agenda. Vnde Hier. dicit quod *rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert.* Ex dictis patet cuius virtutis actus sit ieiunium, quia sc. est actus virtutis abstinentiæ; quia omnis actus virtuosus qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet que me- *Ieiunium est actus virtutis abstinentia.*

dium conſtituit in illa materia. Ieiunium autem attenditur in cibis, in quibus medium adinuenit abſtinentia. Vnde manifeſtum eſt quod ieiunium eſt actus virtutis abſtinentiæ. Vnde dicit Iſidorus quod *ieiunium eſt parſimonia victus, abſtinentiaque ciborum.*

Ieiuniũ triplex.

ITEM nota quod ieiunium tripliciter poteſt accipi, ſcilicet pro ieiunio naturæ, & pro ieiunio quod eſt actus virtutis tantum, & pro ieiunio Eccleſiæ. Primo modo eſt quilibet ieiunus qualibet die antequam comedat, & tale ieiunium non eſt actus virtutis abſtinentiæ, nec alterius. Secundo modo ieiunium eſt abſtinẽtiæ. Sic enim ieiunare eſt frænare delectationes guſtus per comparationem ad cibum ſecundum regulam rationis, ſiue homo pluries in die comedat ſiue non. Tertio modo ieiunium inſtitutum eſt ad ſatisfaciendum B pro peccatis; ad quod requiritur, quod non ſolum homo abſtineat ab illis quæ virtus prohibet, ſed etiam ab illis quibus alius poſſet vti ſalua virtute: quia qui illicita commiſit, in ſatisfaciendo oportet ab aliquibus licitis abſtinere; ita tamen quod non corrumpatur medium quod obſeruatur à virtute. Vnde ieiunium Eccleſiæ, & actum virtutis importat, & quandam ſuperaddit abſtinentiam ab illis qui non corrumpunt medium virtutis: & quia ieiunium eſt reſpectu obiecti abſtinentiæ, concedendum eſt quod eſt virtutis abſtinentiæ actus.

Ieiuniũ Eccleſia plus dicit quam actum abſtinentia.

AD ſecundum ſc. *vtrum ieiunium ſit in præcepto.* Dicẽdum quod ſicut ad principes ſeculares pertinent legalia præcepta iuris naturalis determinatiua tradere, de his quæ pertinent ad vtilitatem communem in tẽporalibus rebus, ita etiam ad Prælatos Eccleſiaſt. pertinet, ea ſtatutis præcipuè, quæ ad vtilitatem communem fidelium pertinent in ſpiritualib. bonis. Dictum eſt autem quod ieiunium vtile eſt ad delectationem comprimendam, & ad cohibitionem culpæ, & eleuationem mentis in ſpiritualia. Vnuſquiſque autem ex naturali ratione tenetur tantum ieiuniis vti, quantum ſibi neceſſarium eſt ad prædicta, & ideo ieiunium in cõmuni cadit ſub præcepto legis naturę. Sed determinatio temporis & modi ieiunandi ſecundum conuenientiam & vtilitatem populi Chriſtiani cadit ſub præcepto iuris poſitiui, quod eſt à Prælatis Eccleſiæ inſtitutum; & hoc eſt ieiunium Eccleſię, aliud naturę.

Ieiunium in communi eſt de iure natura, modus vero de iure poſitiuo.

Solutio obic.

SCIENDVM tamen quod quia ieiunium ſecundum ſe conſideratum non nominat aliquid eligibile, ſed magis aliquid pœnale, quod tamen eligibile redditur ſecundum rationem, ſecundũ quod eſt vtile ad aliquem finem; ideo abſolute conſideratum non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed eſt de neceſſitate præcepti, vnicuique tali remedio indigenti. & quia multitudo hominum vt plurimum indiget tali remedio; Tum quia *in multis offendimus omnes*, vt dicitur Iacob. 4. Tum etiam, quia *caro concupiſcit aduerſus Spiritum*, vt dicitur Gal. 5. Conueniens fuit vt Eccleſia aliqua ieiunia ſtatueret communiter ab omnibus obſeruanda; nõ quaſi præcepto ſubiiciens id quod ſimpliciter ad ſupererogationem pertinet, ſed quaſi in ſpeciali determinans id quod eſt neceſſarium in communi.

AD tertium, ſc. *vtrum omnes teneantur ad obſeruantiam ieiunij.* Dicendum quod ieiunium non ſecundum quod E eſt actus virtutis tantum, ſed ſecundum quod eſt ſtatutum ab eccleſia, non eſt de iure naturæ, nec de iure diuino, ſed de iure poſitiuo. Tali autem iure prohibẽtur vel præcipiuntur illa, quæ alias bene vel male poſſunt fieri: & ideo legiſlatoris intentio non eſt, vel eſſe non debet in condendo ius aliquod poſitiuum, obligare homines ad illius iuris obſeruantiam, habentes cauſam legitimam & rationabilem non obſeruandi. Præcepta enim quæ per modum ſtatuti communis proponuntur, non eodem modo comprehendunt omnes, ſed ſecundum quod requiritur ad finem quem legiſlator intendit; cuius auctoritatem ſi quis tranſgrediendo ſtatutum contemnat, vel hoc modo tranſgrediatur, quod impediatur finis quem legiſlator intendit, talis tranſgreſſor peccat mortaliter. Si autem ex aliqua rationabili cauſa quis ſtatutum non ſeruat, præcipue in caſu in, quo ſi legiſlator adeſſet non decerneret eſſe ſeruandũ talis tranſgreſſio non conſtituit mortale peccatum. In quo tamen eſt diſtinctio adhibenda, nam ſi cauſa ſit euidẽs per ſeipſum, licite poteſt homo huius ſtatuti obſeruantiam præterire, præſertim conſuetudine interueniente, vel ſi non poſſet de facili recurſus ad ſuperiorem haberi. Si vero cauſa ſit dubia, debet homo ad ſuperiorem recurrere, qui poteſtatem habet in talibus diſpenſandi.

Quinam excuſandi à præcepto ieiunij & quãdo diſpenſatio petenda.

EVIDENS autem cauſa non ieiunandi eſt in pueris, mulieribus prægnantibus, ægrotantibus, in multum ſenibus, in operarijs victum ſuum cum graui labore lucrantibus, in peregrinantibus ad loca ſancta, & in pauperibus victum ſuum mendicantibus oſtiatim. *In* pueris inquam eſt euidens cauſa quare non debeant ieiunare, tum propter debilitatem naturæ, ex qua prouenit quod indigent frequenti cibo, & non multo ſimul aſſumpto; tum etiam, quia indigent multo nutrimento, propter neceſſitatem augmenti quod fit de reſiduo alimenti. Et ideo quandiu ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt in pluribus vſque in finem tertij ſeptennij, non tenentur ad eccleſiæ ieiunia obſeruanda. Conueniens tamen eſt, vt etiam in hoc tempore ſe ad ieiunandum exerceant plus vel minus, ſecundum modum ſuæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatione imminente, in ſignum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris ieiunia indicuntur. Sicut etiam de iumentis legitur Ioſue 2. *Homines & iumenta non guſtent quicquam, nec aquam bibant.*

C

MVLIERES prægnantes non tenentur ieiunare propter duas rationes. Vna eſt quia debent accipere cibũ non pro ſe, ſed etiam pro nutrimento fętus. Alia eſt, quia prægnantes conſueuerunt habere varia & inordinata deſideria ciborum diuerſorum, & quandoque ita intenſa, quod niſi poſſent aliquo modo ſatisfacere appetitui, poſſet eſſe periculum periclitationis fœtus.

Ægrotantes non tenentur ieiunare, quia in eis natura debilis eſt, & ideo ſi daretur eis vna vice ſimul totum quod eſt neceſſarium conuenienti ſuſtentationi naturæ ſuæ, eorum natura grauaretur; & ſi datur pluribus vicibus confortatur natura & vigoratur. Et ideo in illis infirmitatibus in quibus confert etiam abſtinentia, ad ieiunium non tenentur, quia etſi conferat abſtinentia à multo cibo, non tamen confert eis totum quod accipere debent ſumere ſimul, ſed magis plurib. vicibus. Et prętęrea propter inordinationem naturæ, quandoque valde parum poſſunt accipere vna hora, & reſiduum ſufficientiæ poſſunt accipere alia hora. *Nimium* ſenes etiam ieiunare non tenentur, quia in eis calor & virtus debilis eſt: & quamuis ſicci ſiccitate oppoſita humiditati naturali ſuperabundat, tamen in eis eſt humiditas accidentalis ex indigeſtione cauſata. Vnde ſi totus cibus quem eorum natura requirit pro die naturali ab eis ſumeretur vna vice, nimium obtunderetur in eis & grauaretur naturalis calor, & non poſſent cibum conuenienter digerere.

CVM graui labore victum neceſſarium lucrantes ieiunare non tenentur, quia in talibus magna fit humidi conſumptio, nec cum ieiunio commodè poſſent efficaciter operari; debent tamen ſi adſit facultas, à ſuo ſacerdote petere diſpenſationem non ieiunandi, & ille debet concedere. Qui tamen operarios conducere nolunt in diebus ieiunabilibus, niſi ſub hac conditione quod non ieiunent, à peccato non excuſantur. Si autẽ victum neceſſarium poſſunt acquirere cum labore quẽ conuenienter exercere poſſunt cum ieiunio, tunc à fractione ieiunij non excuſantur. *Ad loca* ſancta peregrinantes ſunt etiam exempti, ſi ſit ſcilicet peregrinatio quæ commode differri non poſſit vſque poſt tempus ieiunij, vel anticipare tempus illud; & tanti laboris quod quis cum illo commode ieiunare non poſſit.

VICTVM vero neceſſarium oſtiatim mendicantes, quando ſimul tantum habere non poſſunt de eleemo-

syna hora comestionis, quod ad victum totius diei commode sufficiat, vel etiam quando ex præcedenti inedia debilitati, ieiunium commode sufferre non possunt, tunc à fractione ieiunij piè excusantur.

AD quartum, scilicet *de tęmporibus quibus ieiunandum est*. Dicendum quòd omnes dies quadragesimæ exceptis diebus Dominicis ieiunandi sunt. Quia vero de quadragesima non remanent, nisi triginta sex; ideo vt sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator noster sacro suo ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad suppletionẽ quadraginta dierum accipiuntur, id est quarta feria quæ in capite ieiunij subnotatur,& feria quinta sequẽs, & sexta feria,& sabbatum. De conse. dist. 5. *quadragesima*. Nec licet ieiunium soluere feria quinta vltimæ septimanæ. De const. dist. 4. *nisi liceret*. & ca. seq. Institutum est autem illud ieiunium conueniẽter,in memoriam,sc. quadragesimæ quam Christus ieiunauit. Et vt digne præparemur ad susceptionem corporis Christi, ad signandum quod per tribulationes vitæ prẹsentis peruenitur ad gloriam resurrectionis; & quia sic quasi soluimus decimam totius anni.

Quibus diebus ieiunãdum.

IN qualibet etiam quarta parte anni,sc. vere, æstate, autumno, & hyeme,tres dies sunt ieiunabiles, scilicet quarta feria,& sexta,& sabbatum. Decretorum, dist. 77. cap. 1. ita quod illi tres dies veris solebant accipi in prima hebdomada Martij,& tres dies æstatis in secunda hebdomada Ieiunij, tres autumni in tertia hebdomada Septembris, tres hyemis in quarta hebdomada Decembris. d. 76. *Constituimus*. Sed quamuis sic fuerit antiquitus, tamen hoc immutatum est per illud quod habetur eadem dist. *statuimus*, vbi dicitur sic. *Statuimus vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum ieiunium in initio quadragesimæ. Secundum in hebdomada Pẽtecostes. Tertium vero & quartum in Septembri & Decembri more solito fiat*. Et hæc ieiunia instituta sunt ad expiandum peccata quæ committimus in qualibet prædictarum quartarum.

ITEM tres dies rogationum ante ascensionem domini ieiunabiles sunt. de consec. di. 3. *Rogationes*. Sed vt dicit Glo. ibidem, *hoc non præcipitur sed suadetur*; vbi tamen est consuetudo approbata, illud ieiunium est per æquialentiam sub præcepto. *Item* omnes vigilię Apostolorum ieiunabiles sunt. Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ,& Barnabæ exceptis; eo quod Philippi & Iacobi solemnitas infra solemnitatem paschalẽ, & Ioannis infra Natalem domini celebrantur, extra *de obseruatione ieiuniorum. Consilium*. *Item* vigilię natalis Domini, Pentecostes, & assumptionis B. Mariæ virginis, & sancti Ioannis Baptistæ, & sancti Laurentii, & omnium sanctorum ieiunabiles sunt. Et si solemnitas cuius vigilia est ieiunabilis, eueniat feria secunda, in sabbato præcedenti ieiunandum est, extra *de obseruatione ieiuniorum. Consilium*. c. *sanctorum*. Et si solemnitas natalis domini eueniat feria sexta, illi qui nec voto, nec obseruantia regulari sunt astricti ad abstinentiam carnium, tali die carnibus vti possunt, secundum consuetudinem ecclesiæ generalis. nec tamen hi reprehendẽdi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere, extra *de obseruatione ieiuniorum. Explicari. Item* quia consuetudo approbata obligat, vt habetur decretorum. dist. 1. *Consuetudo*,& dist. 11. *Ecclesiasticarum, &c. In his*: Si in aliqua regione vel diœcesi est aliquod ieiunium consuetum, quod tamen non est præceptum per ius scriptum, nihilominus obseruandum est ab existentibus ibidem.

Hora comedendi diebus ieiunij est hora nona, quãuis possit anticipari.

ITEM in diebus ieiuniorum hora comedendi determinata ab ecclesia est hora nona, quia hoc obseruauit diu consuetudo. Vnde cum dicitur de conse. dist. 1. *Solent*. quod nullatenus ieiunare credendi sunt, qui manducant antequam vespertinum celebretur officium. Et infra cap. *In ieiunijs quatuor temporum, nec vespertinas horas, &c*. Sub hora vespertina comprehendendum est tempus ab hora nona incluſiuè & vltra, nec oportet præcise accipere horam nonam. Si enim per modicum temporis ante horam nonam comedatur, non propter hoc frangitur ieiunium. Et quamuis illi qui comedunt statim post horam sextam derogent perfectioni ieiunii, non tamen sunt transgressores huius quod est necessitatis in ieiunio, maxime quia iam inualuit consuetudo in multis locis comedere quasi statim post horam sextam, vel ipsa hora sexta, non enim tantæ necessitatis est in obseruatione ieiunii hora prædicta, sicut comedere semel tantum.

Exemplum

AD quintum, scilicet *vtrum ad ieiunium requiratur quod homo semel tantum comedat*. Dicendum quod ieiunium ab ecclesia institutum est ad concupiscentiam refrænandam, ita quod saluetur natura. Ad hoc autem videtur sufficere vna comestio, per quam homo potest naturę satisfacere; & tamen aliquid detrahit concupiscentiæ, comestionum vices vel numerum minuendo; Ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, vt semel tantum in die comedant ieiunantes. Licet autem ad concupiscentiam refrænandam ita valeat moderatio quantitatis cibi, sicut comestionum numerus: tamen eadem cibi quantitas non potuit omnibus taxari, propter diuersas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod vnus maiori alius minori quantitate cibi noscitur indigere. sed vt plurimum omnes per vnicam comestionem possunt satisfacere sustentationi naturæ.

Ecclesia recte statuit semel tantũ comedendũ esse in ieiunio.

ITEM non potuit Ecclesia statuere quod homo semel tantum sumeret potum, sicut statuit quod semel tantum comederet; quia potus post comestionem magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum sumptorum,quam ad nutritionem,licet nutriat quoquomodo; & ideo homini licet ieiunanti pluries bibere. Si autem quis immoderatè potu vtatur, potest meritum ieiunii perdere & peccare; sicut etiam si semel comedendo immoderatè cibum sumat.

Solutio obie.

Potus immoderatè sumptus non soluit ieiunium ecclesiæ sed meritũ eius minuit.

QVAMVIS autem per potum aquæ non soluatur ieiunium ecclesiæ, maxime si vrgente siti sumatur: soluit tamen ieiunium naturæ quod requiritur ad Eucharistiæ sumptionem. Vnde post quemcunque potum non licet Eucharistiæ sumere sacramentum.

ITEM electuaria,etsi aliquo modo nutriant, non tamen ad nutritionem principaliter assumuntur, sed ad confortandam digestionem ciborum. Et ideo electuariorum sumptio non soluit ieiunium; sicut nec aliarum medicinarum sumptio, nisi forte quis in fraudem famis electuaria per modum cibi in magna sumeret quantitate.

AD sextum, scilicet *de hora comestionis*: Dicendum quod ieiunium ordinatur vt dictum est, ad deletionem culpæ, & repressionem concupiscentiæ. Vnde oportet quod aliquid addat ad communem consuetudinem, ita tamen quod per hoc non multum natura grauetur. Est autem debita & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam: tum quia iam videtur esse completa digestio nocturno tempore naturali calore interius reuocato, propter frigus noctis circunstans, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei vsque ad summum solis ascensum: tum etiam quia tunc præcipue etiam natura corporis humani indiget iuuari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur. Et ideo vt ieiunantes aliquam afflictionem sentiant pro culpæ satisfactione, conueniens hora comedendi taxatur ieiunanti circa horam nonam. Conuenit etiam ista hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. Ieiunantes enim cum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundum illud Gal. 5. *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*.

Hora nona ieiunanti cõueniẽter instituta fuit ad reficiendum.

AD septimum, scilicet *à quibus cibis ieiunantes debeant abstinere*. Dicendum quod sicut dictum est, ieiunium ab ecclesia statutum est ad carnis concupiscentias reprimendas, quæ quidem sunt delectabilium secun-

dum tactum, quæ consistunt in cibis & venereis: & ideo illos cibos ecclesia ieiunantibus interdicit, qui in comedendo maximam habent delectationem, & iterum maxime hominem ad venerea prouocant. Huiusmodi autem sunt carnes in terra quiescentium & respirantium & quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, & oua ex auibus; quia huiusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: & sic ex eorum comestione plus superfluit, vt vertatur in naturam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ: & ideo ab his cibis, præcipue ieiunantibus, ecclesia statuit esse abstinendum, sicut dicitur decretorum distin. 4. *Par est vt qui in diebus his ieiuniorum à carne animalium abstinemus, ab omnibus quæ sementinam trahunt carnis originem ieiunemus, à lacte videlicet, caseis & ouis.*

Carnes & lacticinia conuenienter ieiunantibus interdicuntur.

Solutio obie.

ADVERTE tamen quod lacticinia & oua interdicuntur ieiunantibus inquantum ex animalibus carnes habentibus sunt exorta. Vnde principalius carnes interdicuntur quam oua & lacticinia.

SIMILITER etiam inter alia ieiunia solemnus est quadragesimale ieiunium, tum quia obseruatur ad imitationem Christi, tum etiam quia etiam per ipsum disponimur ad redemptionis nostrę mysteria celebranda deuotè. Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium. In ieiunio autem quadragesimæ interdicuntur vniuersaliter oua & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis ieiuniis diuersæ consuetudines existunt apud diuersos, quas quisque obseruare debet secundum morem eorum inter quos conuersatur. Vnde Hieronymus dicit de ieiuniis loquendo: *Vnaquęque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.*

ITEM ieiunantibus magis interdicitur esus carnium quam potus vini; quia sicut dicunt quidam, esus carnium magis commouet concupiscentiam quam potus vini: quia cum ad incitationem concupiscentiæ concurrunt tria, scilicet abundantia caloris & spirituum & seminis. Ex esu carnium multiplicatur semen, quia in ea multum est de nutrimento. Et ideo ex eius esu maxime multiplicatur superfluitas tertiæ digestionis, quę seminis est materia; ex esu ventosorum multiplicatur abundantia grossorum spirituum, ex potu vini caloris abundantia. Et secundum illos abundantia seminis magis est incitatiua concupiscentiæ quam abundantia caloris, maximè causati ex potu vini: quia illa cito euanescit, & calor in semine manet.

Probabile est vinum magis prouocare ad libidinem quam carnes, contra D. Tho 2.2. q.47. ar.8.

SED contra potest argui sic. In excitatione concupiscentiæ causa efficiens est calor, & materialis est semen; magis est autem causa rei efficiens quam materia, ergo potus vini magis est causa excitationis concupiscentię, quam esus carnium. Et si dicis, quod cito euanescit, non obstat, quia non ita cito euanescit, sicut potus iteratur.

ITEM ad hoc arguunt per experientiam; quamuis enim in mulieribus magis abundet superfluitas tertiæ digestionis quam in viris, non tamen ita feruet per se in eis carnalis concupiscentia, propter debilitatem caloris respectu caloris hominum, quamuis propter minorem vsum rationis non frænantis concupiscentiam, interdum magis in eis ferueat quam in viris. Phlegmatici etiam quamuis plus habebant de superfluitate tertiæ digestionis quam cholerici, tamen quia in cholericis est fortior calor, magis feruet in eis appetitus carnalis concupiscentiæ quam in phlegmaticis: quamuis phlegmatici propter abundantiam seminis plus possent illum actum exercere quam cholerici.

Cur vsus vini non sit interdictus ieiunantibus.

Secundum ergo istos dicendū est quod ecclesia magis interdicit ieiunantibus esum carnium quam vini potum, duplici ratione. Vna est, quia difficilius est abstinere à potu vini quam ab esu carnium; & ideo si ecclesia interdixisset vini potum, plures fuissent expositi periculo transgressionis, quam per interdictum esus carnium. Alia est quia ieiunium frequenter tristitiam excitat, & vinum lætificat, iuxta illud Psalmi 103. *Et vinum lætificet cor hominis.* Et ideo congruentissime ieiunantibus vsus vini permissus est.

Ieiuniū triplex.

Ad octauum, scilicet *vtrum gula frangat ieiunium.* Dicendum quod triplex est ieiunium, scilicet ab iniquitatibus abstinere, & ab illicitis voluptatibus seculi; quod est perfectum ieiunium, de consec. distinct. 5. *Ieiunium.* Et hoc ieiunium frangitur per quodcunque mortale peccatum. Aliud est actus virtutis abstinentiæ. De quo dicitur eadem distinct. *Sint tibi quotidiana. Sint tibi quotidiana ieiunia, refectio satietatem fugiens:* & hoc ieiunium frangitur per gulam quæ est peccatum mortale. Tertium est ieiunium institutum ab ecclesia: & hoc ieiuniū frangitur per quālibet gulam quæ est peccatum mortale, inquantum illud ieiunium includit quod est necessarium ad actum virtutis abstinentiæ: sed quantum ad hoc quod additur ex statuto ecclesiæ, specialiter frangitur per gulam quæ est in comedendo plus quam semel, vel in comedendo cibos qui interdicuntur ieiunantibus & in præueniendo nimis notabiliter horam comedendi ab ecclesia determinatam, de consc. dist. 1. *Solent.*

Quomodo frangitur ieiunium ecclesiæ.

ET nota quod quinque modis committitur gula, vt habetur de consecra. distinct. 5. *Quinque.* Aliquando enim homo indigentiæ suæ tempora præuenit. Aliquando non præuenit, sed cibos lautiores quærit, id est pretiosos. Aliquando quæ sumenda sunt expedit accuratius, id est cum nimia solicitudine prępparandi. aliquando & qualitas ciborum & tempus congruit, sed intemperata quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit, nonnunquam abiectius est quod desiderat, & cum ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Qui modi continentur in hoc versu. *Præ, propere, laute, nimis ardenter, studiosè.* Quolibet autem prædictorum modorum potest esse gula peccatum veniale, & sic per eam non frangitur ieiunium: & in quolibet potest esse tantus excessus, quod est peccatum mortale, & sic per illam frangitur quod est à peccatis abstinere, & in aliquo casu ieiunium Ecclesiæ. Nec est intelligendum quod decretum in reprehendendo illos qui lautiores cibos quærunt, intendat diuites arctare ad cibos pauperum; quia vt dicitur decretorum distinct. 41. *Non cogantur. Non cogantur diuites cibis pauperum vesci: vtantur enim consuetudine infirmitatis sue, sed doleant se aliter abstinere non posse.*

Gula quinque modis committitur.

AD nonum, scilicet *vtrum ebrietas frangat ieiunium.* Dicendum quod ebrietas dupliciter potest accipi.

Vno modo pro impedimēto vsus rationis ex immoderata vini vel alterius potus inebriantis sumptione causato.

ALIO modo pro immoderata sumptione potus inebriantis. Primo modo ebrietas peccatum non est, sed passio & pœna peccati; vnde non frangit etiam ieiunium quod est abstinentia à peccatis. Secundo modo peccatum est maxime cauendum, vnde frangit ieiunium quod est abstinentia à peccatis. Ieiunium autem inquantum dicit aliquid per se directè & immediatè necessarium ad actum virtutis abstinentiæ non frangit, quamuis frangat illud quod est necessariū ad actum virtutis sobrietatis. Sobrietas enim alia virtus est ab abstinentia; quia spiritualis difficultas est in moderando delectationes gustus per comparationem ad vinum, alia ab illa quæ est in moderando delectationes gustus per comparationem ad cibum. Vnde frequenter inueniuntur moderati in vno, qui sunt immoderati in alio. Ieiunium etiam statutum ab ecclesia non frangit, quia ea in quibus non potest accipi certa mensura, regu-

Ebrietas non frangit ieiunium ecclesiæ licet nonnunquam sit grauius peccatum.

lariter

lariter non cadunt ſub determinatione legiſlatoris.

Vnde ſub determinatione præcepti eccleſiaſtici de ieiunio non cadit niſi ſemel comedere in die naturali, & abſtinentia ab eſu carnium, & ab ouis & caſeo in quadrageſimali ieiunio. In alijs autem non prohibentur oua & lacticinia. Per inordinationem tamen circa potum poteſt homo tantum excedere, quod plus peccat quam ſi frangeret ieiunium tantum. Ebrietatem ergo & exceſſum in quantitate cibi, & cibi pretioſitatem, in comedendo auiditatem, & in præparando curioſitatem debent fugere ieiunantes; quia quamuis per illa non frangerent ſtatutum eccleſiæ de ieiunando ſeu ieiunio, tamen per illa frangitur ieiunium generale quod eſt abſtinere à peccatis. Quod ieiunium etſi ſemper & ab omnibus debeat obſeruari, tamen cum maiori ſolicitudine & perfectione illi ieiunio inſiſtendum eſt, in illis temporibus in quibus ſpeciale ieiunium ab eccleſia ſtatutum celebratur.

Potus mane ſumptus non frangit ieiunium, vti nec electuaria veſperi in modica quantitate, quia principalis horum vſus non eſt nutrire.

ITEM quanquam dicant aliqui, quod bibere vinum in mane, vel ceruiſiam; & comedere electuaria in ſero delectationis cauſa frangunt ieiunium; Credo tamen contrarium: quia quamuis illa aliquo modo nutriant, in hoc tamen non eſt principalis vſus eorum; alias frangeret ieiunium bibens vinum vel ceruiſiam in collatione, quia aliquid habent de nutrimento. Si tamen homo in mane ceruiſiam biberet, non ad extinguendam ſitim, ſed famem; & etiam in ſero magnam acciperet electuariorum quantitatem ad ſubueniendum fami; credo quod talis faceret fraudem ſtatuto, & ex conſequenti frangeret legem: quia legem frangit qui in fraudem legis aliquid facit. Concedo tamen quod de bono & æquo cauendum eſt à potu vini vel ceruiſiæ & ſimilium in mane magis quàm in ſero; quia potus ſumptus poſt prandium, & ſiti ſubuenit, & digeſtionem iuuat, inquantum per potum facilius & conuenientius defertur cibus ad ſingula membra, ſumptus autem ieiuno ſtomacho vt plurimum nocet.

De multiplici ieiunio.

DISTINCTIO XXVII.

Ieiunii corporale meritorium eſt multiplex.

CIRCA decimum, ſcilicet de diuiſionibus ieiuniorum: ſciendum quod eſt ieiunium multiplex corporale meritorium, quod videlicet diuerſis ex cauſis agitur.

1. Eccleſiaſticum.

Eſt enim ieiunium eccleſiaſticæ inſtitutionis, de quo dictum eſt ſuperius.

2. Regulare.

SECVNDVM eſt ieiunium religionis; cuius eſt diuerſa obſeruatio, ſecundum diuerſos religionum inſtitutores; vt Auguſtini, Benedicti, Baſilij, Franciſci, Dominici, & aliorum; de quo 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, &c.* Horum qui ieiunant per totam ſeptimanam præterquam dominicis diebus, terierit typum Iudith, eiuſdem octauo, *quæ omnibus diebus vitæ ſuæ mortuo viro non comedebat niſi ſemel, præterquam in diebus ſabbatorum, &c.*

ITEM Anna filia Phanuel. Luc. 2. Quod periculoſum ſit iſta ieiunia frangere, patet ex pœna & periculo Ionathæ, qui, cum pater præcepiſſet filiis Iſrael ieiunare vſque ad veſperam, & guſtaſſet modicum mellis in cacumine virgæ ante horam à patre ſibi deputatam, vix potuit eum totus Iſrael liberare à morte. 1. Reg. 14. Item ſupra lib. 2. de inferno, de Theodoro guloſo. Vel ſupra de confeſſione, de abbate Serapione, qui comedebat paximatium neſciente abbate.

3. Pium, cauſa ſc. vacandi bono operi.

TERTIVM eſt illius qui ieiunat cauſa vacationis alicui bono ſpirituali, vt illud plenius acquirat, vt qui ieiunat vel abſtinet vt meliusvacet æternæ philoſophiæ, & ſacræ ſcripturę. vt Auguſtinus de quo dicitur, quod conuerſus ad dominum, vacans ieiuniis & orationibus, ſcribebat libros, & docebat indoctos. Ad hoc exemplum Danielis & trium puerorum, qui propter abſtinentiam obtinuerunt inſtructionem in omni libro & ſcientia, &c. Daniel 1.

ITEM de Brachmannis, de quibus dicitur in Epiſtola Alexandri, quod comedebant ſemel in die radices herbarum, vt melius vacarent ſummæ ſapientiæ.

ITEM in lib. 15. eccleſia hiſtorię dicitur, quod Philon dicit in lib. de ſpeculatiua vita, quomodo primitiui in eccleſia ſancti, habitabant in agellis & tuguriis, in Dei laudibus, ieiuniis & orationibus vigilantes. Et quod ita delectabantur in ſtudio & contemplatione ſapientiæ, quod aliquando per tres dies, vel quatuor, vel quinque, vel ſex, refectionem cibi corporalis obliuiſcebantur.

ITEM in vitis Patrum dicitur de duobus fratribus qui menſa appoſita audierunt verbum Dei, vſque in craſtinum, obliuiſcentes cibum.

ITEM cum quidam frater veniſſet ad ſenem, & ille pararet lenticulam, ait: Faciamus interim opus Dei. Vnus autem impleuit totum pſalterium: Alius tres Prophetas. Facto mane diſceſſit qui aduenerat, & obliti ſunt ſumere cibum.

4. Votiuum.

QVARTVM ieiunium eſt ſpecialis aſtrictionis, vt quando aliquis vel propter aliquid adipiſcendum vel euitandum, ad ieiunia aliqua ad quæ antea non tenebatur ſe obligat. Vt Nazarei ad obtinendum ſanctitatem à multis abſtinere ſe obligabant. Numer. 6. Item Numeri 30. de voto coniugatæ. Item 1. Eſdr. 8. *Cum filij Iſrael exirent de Babylone, prædicauit Eſdras ieiunium vt affligerentur coram domino, petentes vt dirigeret viam eorum, & euenerunt eis cuncta proſpere.*

5. Ex deuotione.

QVINTVM eſt deuotionis; quando aliqui ex aliqua ſpeciali deuotione quam habent ad Deum, ex memoria beneficiorum ſuorum; vel ad aliquos ſanctos, vt ad Beatam Virginem, vel ſanctum Petrum, vel Iacobum, vel Magdalenam, maxime peregrini eorum; ieiunant eorum vigilias in pane & aqua. Neemiæ 9. *Conſueuerunt filij Iſrael in ieiunio & ſaccis, &c.* Hoc faciebant diuina beneficia recordantes. Bernar. *Tanto deuotius imitandum eſt, dilectiſſimi, Chriſti ieiunantis exemplum, quanto certius eſt eum non pro ſe, ſed pro nobis ieiunaſſe.*

6. Ob afflictionem aliquã.

SEXTVM eſt ieiunium afflictionis & tribulationis, quale eſt ieiunium rogationum, de quo infra dicetur. Quale fuit filiorum Iſrael. Iudith 4. qui contra obſidionem Holofernis muniebant ſe ieiuniis. Item Iudæorum contra ſententiam mortis datam contra eos. Heſter 4. Item Actuum 27. Fiebat multa ieiunatio ab his qui erant cum Paulo in tempeſtate.

Exemplum.

LEGITVR in eccleſiaſtica hiſtoria. 11. lib. 13. & 15. c. quod cum Ambro. ſe opponeret contra Iuſtinam matrem, & filium eius Valentinianum Imperatorem Arrianos, pro fide; & miſiſſent armatos qui eum caperent, & in exilium relegarent: Mediolanenſes hoc non ſuſtinuerunt, ſed ſe pro eo propoſuerunt dicentes, quod magis volebant carere vita & interfici, quam carere tanto paſtore. Cum autem laborarent quomodo eum occiderent, pugnabat Ambroſius contra eos, non armis, ſed orationibus & ieiunijs continuis; proſtratus ſub altari. Quod cum faceret, venit maximus tyrannus contra imperium pugnaturus. A quo perterriti imperator & mater eius, fugerunt in exilium, vbi Iuſtina mortua fuit, & filius eius Valentinianus imperator laqueo vitam finiuit; & ſic Ambroſius eccleſiam liberauit. Theodoſius autem piiſſimus, Maximum prædictum interficiens, Imperator factus, Arrianos deſtruxit, & eccleſiam pro viribus exaltauit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

7. *Ex compassione.*

SEPTIMVM est ieiunium compassionis, quo ieiunauerunt viri Iabes pro infortunio Saul & suorum; & Dauid cum suis pro eadem causa. 1. Reg. 31. Et Dauid pro afflictione pueri sui infirmi. 2. Reg. 12. Hoc modo ieiunamus in die Dominicæ passionis in pane & aqua, compatiendo Christo.

8. *Ad carnem domandam.*

OCTAVVM est suppressionis & subiectionis carnis. Hoc ieiunabat Cecilia, biduanis & triduanis ieiunijs membra domans, sicut legitur in principio passionis eius. B. Nicolaus, qui adhuc paruulus multo ieiunio macerabat corpus. Et Dauid Psalm. 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Et Paulus 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, &c.* Aug. *Sicut inimicus occisus non facit tibi iniuriam, sic nec caro mortificata turbabit animam.*

9. *Iniunctum pro pœnitentia.*

NONVM est pœnitentialis iniunctionis; supra de effectibus peccati de Nicolao sene, cui iniuncta est pœnitentia ieiunij sex mensium. Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, sic exhibete membra vestra seruire iustitiæ, &c.* *Ieiunium* spirituale multiplex est.

Ieiunij spirituale multiplex.

PRIMVM est ab illicita delectatione. Gregor. *Qui se ab alimentis abstinent, sectando iustitiam à culpa ieiunent.* 1. Petr. 2. *Abstineatis à carnalibus desiderijs.*

SECVNDVM est vt homo abstineat à vagatione sensuum. Isa. 30. *Qui obturat aures suas, & claudit oculos suos ne videat malum, iste habitabit in excelsis,* &c.

TERTIVM est ieiunare à malis operibus. Isa. 3. *Qui procycit aurum ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere.* Isa. 48. *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Qui non abstinent à malis, similes sunt illis Iudæis, de quibus 2. Reg. 21. dicitur, quod ieiunabant, & Naboth occidebant, & falsa testimonia contra eum ferebant.

QVARTVM est abstinere à malo consortio & exemplo. Prouer. 1. *Si te lactauerint peccatores ne acquiescas,* &c. Et post. *Prohibe pedem tuum à semitis eorum.* Multi sunt vt Adam qui postposito fructu vitæ, currunt ad arborem mortiferam, & comedunt. Quod faciunt qui bona contemnunt, & malorum exemplis se reficiunt.

QVINTVM est abstinere à mundana lasciuia & exultatione; vt faciebat Sara filia Raguelis. Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant, &c.*

SEXTVM, ieiunium à sponsi visitatione, & eius spirituali consolatione. Matth. 9. *Numquid possunt filij sponsi lugere &c. Venient autem dies cum auferetur sponsus ab eis, tunc ieiunabunt,* &c. Tren. 1. *Ego plorans, quia longe factus est consolator.*

SEPTIMVM est à supernorum bonorum degustatione, Psal. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes &c. Sitiuit anima mea, &c.*

De qualitate ieiunij.

DISTINCTIO XXVIII.

Ieiunia nonnullos exigit qualitates.

CIRCA vndecimum, scilicet *quale debet esse ieiunium.* Sciendum quod ieiunium ad hoc quod sit Deo gratum. *Primo* debet esse pium, vt quod ori subtrahitur pauperibus erogetur. Hieron. *Quod manducaturus eras pauperibus tribuas, vt ieiunium tuum non sit marsupij lucrum, sed animæ.* Isa. 8. *Hoc est ieiunium quod elegi: Frange esurienti panem tuum, &c.* Hoc bene faciebat Tob. qui faciebat vocari pauperes de tribu sua timentes Deum, antequam comederet; immo de mensa surgebat ieiunus ad sepeliendum mortuum. Tob. 2. Cæsarius. *Talia sunt sine pietate ieiunia, qualis sine oleo lucerna.* *Tripartita* historia lib. 1. dicitur de sancto Spiridione episcopo, qui pluribus diebus solebat continuare ieiunia in quadragesima: Cum venisset ad eum quidam peregrinus in quadragesima deficiens, nec haberet quod posset ei parare, fecit parari carnes porcinas. Cum autem iste abhorreret, dicens se Christianum, ait: Comede, & ego comedam tecum, quia omnia sunt munda mundis.

1. Vt sit pium, ita vt quod ori subtrahitur pauperib erogetur.

Exemplum.

SECVNDO debet esse ieiunium discretum; quia indiscretum ieiunium Deo displicet, qui nullum sacrificium acceptat, nisi sale discretionis condiatur. Diabolo autem placet, qui hoc procurat, vt homo impugnare eum diu non valeat. *In* vitis patrum, dixit sancta Sincletica: Vna regula ieiunij sit tibi. Non subito diebus quatuor aut quinque ieiunium continuè protendas, nec iterum multitudine ciborum soluas ieiunij virtutem. Hoc enim lętificat diabolum. Semper enim quod sine mensura est, à diabolo suggestione corporale ieiunium est. Vulgariter dicitur. *Mensura durat.* Et nota quod non sunt discreta subito assumpta multa ieiunia, sed paulatim plura, & per assuefactionem.

2. Vt sit discretum.

Exemplum.

VNDE cum quidam abbas vt legitur in vitis patrum, lib. 3. vteretur pane hordeaceo, singulis annis augebat pœnitentiam suam in aliquo, quod assuefaciebat per totum annum. quod cum assuefecisset, & sic factum fuisset ei leue; alio anno aliud accipiebat, in quo se iterum assuefecit, & sic quolibet anno à se plus aliquid extorquebat.

ITEM discretum ieiunium ipsum diabolum fugat. Dixit S. Sincletica. Sicut animalia venenosa à se expelluut acriora medicamenta, ita ieiunium discretum cogitationes diabolicas, immo etiam ipsum diabolum. Vulgariter dicitur. *Fames expellit lupum à nemore*; & ieiunium discretum diabolum ab vmbroso corde.

Indiscreta abstinentia facit homines in religione inutiles.

ET nota, quod indiscreta abstinentia facit aliquando homines in religione impotentes & inutiles, ita quod sibi sint graues, & aliis onerosi, & quod non possint exequi officia sua ad quæ sunt vocati. Gregorius, *Cum plus iusto caro restringitur, ab exercitatione boni operis enervatur; vt ad orationem, lectionem, & prædicationem sufficere non valeat, dum inse incentiua vitiorum pœnitus suffocare festinat.* Item per hanc rapit & aufert Deo vel fratribus suis adiutorium, quod eis facere debebat. Hieronymus, *Holocaustum de rapina facit, qui corpus suum immoderatè affligit, vel egestate cibi, vel penuria somni.*

Exemplum.

ITEM ad hoc quod indiscreta abstinentia impotentes reddit homines, ponit magister Iacobus exemplũ dicens. Exemplariter dicitur, quod omnia membra de ventre conquerendo dicebant, quod tanquam malus tyrannus, omnia bona quęcunque poterant lucrari, consumebant. Vnde dixerunt sibiinuicem, quod de cætero officia sua sibi denegarent. Et cum hoc fecissent per triduum, venter similiter nihil administrabat eis. Vnde lassata nimia debilitate, compulsa sunt veniam petere à tanto patrefamilias, quem offenderant indebitè.

3. Vt sit sobriũ.

TERTIO debet esse ieiunium sobrium à superfluitate cibi & potus, vt cibus & potus sumantur quasi in mensura & pondere, vt dicitur Ezech. 4. *Cibus tuus quo vescēris erit tibi in pondere, & potus in mensura.* Et post *Comedent filij Israel panem suum in pondere, &c.* Bernard. *Panis datur vobis in pondere, & potus mensuratur.* Rom. 14. *Non in comessationibus,* &c. Hieron *Illud non est sobrium ieiunium, quod ad vesperam reficitur plenitudine ciborum.* Idem. *Multum melius est sæpe parum, quam semel nimis sumere.* Pluuia enim quę sparsim descendit optima est; subitus autem & nimius imber, in præceps arua subuertit. Multi similes sunt illi præposito, qui canem sibi in custodia traditum adeo impinguauit, quod filiam regis occidit.

4. Vt sit sanctum & mundum à peccato.

QVARTO debet esse sanctum & mundum à peccato. Eccl. 34. *Vnus ædificans,* &c. Et post. *Qui ieiunat in peccatis, & iterum ea facit, quid proficit humiliando se?* Ioel. 2. *Sanctificate ieiunium.*

5. Vt sit rectũ & purum.

QVINTO debet esse rectum & purum, vt pura intentione fiat. Hier. *Sint pura cœlia & simplicia ieiunia.* Mat. 6. *Exterminăt hypocritæ facies,* &c. quia retorquēt ieiunium ad fauores hominũ quibus pascũtur Rom. 12.

Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Econtra offeruntin Dei sacrificio, non hostiam viuentem, sed cadauer mortuum & corruptum, qui ieiunant corrupta intentione.

6. *Vt sit latũ.* SEXTO ieiunium debet esse lætum. Matth. 6. *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* 1. Cor. 9. Hilarem datorem diligit Deus.

7. *Vt sit deuotum.* SEPTIMO debet esse deuotum, vt coniungatur ei oratio & confessio. Tob 22. Dixit Raphael: *Bona est oratio cum ieiunio.* Tale erat ieiunium Iudith, eiusdem 8. & 9. per totum. Act. 14. Similiter & Dan. 9. *Posui faciem meam, &c.*

De effectibus ieiunij.

DISTINCTIO XXIX.

Multiplex ieiunij effectus. CIRCA duodecimum, scilicet de multiplici effectu ieiunij sciendum, quod meretur indulgentiam, conseruat consistentiam, procurat resistentiam, impetrat assistentiam.

1. *Meretur indulgentiam.* PRIMO quidem apud Deum meretur indulgentiam. Placat enim diuinam offensam, & ei reconciliat peccatorem. Huiusmodi exempla plura legimus in scriptura 3. Reg. 21. de Achab per ieiunium liberato. Item Ioa. 2. & 3. de Niniuitis. Item Hester 14. *Postquam humiliauit corpus suum ieiunijs, & orauit ad Dominum,* vt dicitur eiusdem 15. *furorem regis conuertit Deus in mansuetudinem.* Et eiusdem 5. *post ieiunium placuit Assuero, & obtinuit quicquid petijt.* Item Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c.* Sequitur. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus,* &c. *Secundo* ieiunium conseruat bonam cordis & corporis consistentiam. Corporis quippe consistentiam bonam facit, quia conseruat sanitatem, & amissam recuperat. Videmus enim viros abstinentes communiter esse cæteris saniores, & illis qui infirmantur statim indicitur ieiunium. Ideo Eccles. 31. *Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur* Et post. *Vigilia & cholera & tortura homini in frumto, somnus sanitatis in homine parco.* Et post. *Sanitas animæ & corporis sobrius potus.* ITEM 37. *In multis escis erit infirmitas.* Et post. *Qui abstinens est adijciet vitam.* Item Ambrosius. *Ieiunium vulnera delinquẽtium curat, curatos sanctificat.* Hiero. *Superfluitas cibi generat morbos varios & mortiferos, moderata vero refectio sanat ægritudinem, procurat sospitatem & hilaritatem.* Galenus. *Abstinentia summa est medicina.* Brachmanni scribunt Alexandro. *Illicita est apud nos vẽtris extensio: Proinde sumus absque ægritudine, & diu viuimus: quamdiu viuimus sani sumus, nec aliquam medicinam nobis facimus; sed secundum diem necessitatis, vnicuique terminus mortis succedit.*

Exempla. ITEM hoc ostendit natura animalium, quæ grauata superfluitate cibi vel humoris mali, ieiunant vt curentur; vt patet in ceruo, serpente, & aquila; quæ animalia ieiunant, vt deponant noxium humorem, & infirmitatem senectutis pariter & noxij humoris; & accipiant sanitatem, & vitæ nouitatem.

ITEM accipitres & aues venaticæ, quæ nimis auidè & nimium sumpserunt cibum, ieiunare compelluntur vt curentur.

ITEM magister Iacob. de Vitriaco dicebat, quod in Francia fuit quidam prælatus qui epulabatur quotidie splendidè, & delitiis affluens erat languidus & miser, nec medicinis poterat curari. Qui desperans de vita, intrauit ordinem Cystertien. Vbi assuescens parsimoniam vitæ & ieiunia conualuit, factus robustus in corpore. Cum autem hoc audiret Archiepiscopus Rhemensis & non crederet, visitauit eum, & in abbatia comedens in refectorio, videns quòd dictus monachus comedisset vnum discum plenum fabis, & alium de oleribus, ait seruienti: Porta illi monacho discum meum. Et recessit Archiepiscopus ædificatus, quod condimentum monachorum sit fames.

Exemplum. ITEM cum quidam haberet canem paruulum & nobilem nutritum suis delitiis languidum & miserum, cogitauit quomodo posset magnam pecuniam extorquere à quodam suo Burgense diuite & auaro, dicens intra se: Iste canis non dignatur comedere nisi regales cibos, & cum istis languet & moritur; iste auarus dimittet eum mori fame, nec audebit ei dare assueta propter auaritiam suam: Commendauit itaque ei dictum canem, vt eum seruaret ei æque bonum, in periculo bonorum suorum. Ille autem inclusit eum in camera. Vbi cum diu flesset & eiulasset diuino ieiunio, fecit ei fieri pulmentum de furfure. Quod primo olefaciens canis recedebat, postea incepit lambere, post cum dolore & horrore gustare, post comedere. Et sic paulatim assuescens, semel in die comedens, fortis & pinguis domino suo redditus est, super hoc plurimum admiranti.

Ieiuniũ intellectũ clarificat & affectum purificat. ITEM bonam facit consistentiam ex parte animæ, quia intellectum clarificat, & affectum purificat. Intellectum profecto clarificat ad perspicaciter intelligendum & ad diuinas reuelationes suscipiendum. Vnde Isa. 30. *Dabit tibi Dominus panem arctum & aquam breuem, & non faciet vltra auolare doctorem tuum:* scilicet Spiritũ sanctum. Item eiusdem 28. *Quem docebit Dominus scientiam, & intelligere faciet auditum, ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Item Dan. 1. Inuenit rex plus scientiæ & sapientiæ & intelligentiæ in pueris abstinentibus à cibis regiis, quam in omnibus aliis nutritis cibo regio. Item Dan. 9. *Posui faciem meam rogare Dominum in ieiunio sacco & cinere, &c.* Et post. Missus est ei Angelus Gabriel qui reuelauit secretum Incarnationis Christi.

Exempla. ITEM Christo post abstinentiam multam, reuelata sunt ei multa futura per Angelum. *Item* beato Ioanni euangelistæ in Pathmos insula ieiunanti, & auxilio humano destituto, reuelata est Apocalypsis. *Item* Basilio ieiunanti reuelata est mors Iuliani Apostatæ, & liberatio Christianorum. *Item* Exod. 37. Moysi post ieiuniũ lex reuelata est. *Item* bonam facit animæ consistentiã, quia affectum purificat; domat enim superbiam carnis, & feruorem fomitis mitigat. Psal. 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Item 108. *Genua mea infirmata sũt à ieiunio.* Et Hester 14. *Corpus suum humiliauit ieiunijs.* humiliatur ciuitas aut castrum, subtractis cibis: membra, subtractis ventris beneficijs: ignis, subtractis lignis: olla bulliens, subtractis incendijs: sic caro per ieiunium subtractis superfluis. Caro enim suppressa superb a est subiecta spiritui. Ieiunium desideria mala & cogitationes sordidas necat, vt myrrha amara vermes.

ITEM in vitis pat. dicit S. Sincletica. Animalia venenosa acriora medicamenta à se expellunt; sic cogitationes sordidas, ieiunium & oratio depellit ab anima.

ITEM abbas Hiperitius ibidem. *Ieiunium statutum est monacho aduersus peccatum, quod qui abijcit feruet malo & inordinato desiderio sicut equus.*

Dat resistentiam. TERTIO ieiũnium contra hostes & tentationes eorum dat resistentiam, & ideo prævalet contra eos, quia effugat illos, & eorum virtutem adnihilat. vulgariter dicitur, quod *fames expellit lupum à nemore:* Sic ieiunium diabolum ab homine, qui in locis aridis non inuenit requiem. Luc. 11. & Matth. 12. Item Tob. 6. Piscis qui volebat eum deuorare in fluuio, positus in sicco palpitabat, factus impotens, & ibi de facili occisus est. Sic diabolus in sicco ieiunio cito vincitur. Matth. 17. *Hoc genus dæmonum non ejicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Isidor. *Immundi spiritus ibi magis vincunt, vbi plus viderint escę & potus.* In vitis Patrum dicit Ioan. Cum rex aliquis ciuitatem aliquam inimicorum vult subijcere, subtrahit eis pro viribus escam & potum, quo facto cito vincuntur. Sic hostes nostri spirituales per subtractionem ciborum. *Item* de hoc supra de confessione de paximatio & diabolo fugato.

ITEM in vitis Patrum, dicitur quod cum quidam tentaretur de commestione, firmauit in animo suo ne comederet ante tertiam. Qua facta, extorsit à se vt ante fieret sexta quam comederet. Qua facta, scidit panem

nem vt comederet. Poſt ſurrexit, vſque ad nonam expectans. Poſtea nona facta, cum faceret orationem, vidit opus diaboli ſicut fumum exeuntem à ſe, & ceſſauit eius eſuries.

Ieiunij vincit hoſtes. ITEM ieiunium vincit hoſtes, ſerpentes, & dracones corporales, & etiam ſpirituales. Et hoc figuratum fuit in multis locis, & pluries in ſcriptura. Iud. 20. de filiis Iſrael qui vicerunt Beniamitas poſt ieiunium, qui antea vincebantur. 1. Reg. 7. Filij Iſrael vicerunt Philiſtæos. Iudith 13. Iudith Holofernem. *Item* in hiſtoria tripartita li. 12. dicitur, quod cum Burgundiones qui habitabant citra Rhenum eſſent gentiles & lignorum artifices, ſingulis annis veniebant Hunni, qui occidebant & capiebant eos. Qui audientes quod Romani victores exiſterent, cogitauerunt & promiſerunt inter B ſe, quod illum Deum ſibi præficerent & nõ alium, qui dabat eis victoriam. Et iuerunt in quandam ciuitatem Galliarum, vbi inſtructi de fide, poſtquam per octo dies ieiunaſſent & baptizati fuiſſent, & in Deo fiduciã haberent, & audaciam; in hoſtes irruerunt, & tria millia ex ipſis, decem millia hoſtium cum rege ſuo occiderunt. *Item* vincit ſerpentes & dracones. dicit Ambro. quod *tanta vis eſt ieiunij, quod ſaliua hominis ieiuni enecat ſerpentes.* Item in 11. li. tripartitæ hiſto. dicitur, quod cũ quidam draco deuoraret homines, equos, & iumenta; Donatus armauit ſe ieiunio & oratione, & ieiunus acceſſit ad draconem. Et cum aperto ore vellet eum vorare, oppoſuit ei ſignum crucis. Et cum expuiſſet in os eius, diſruptus eſt.

Ieiunij vincit ſerpentes Exemplum.

4. Meretur aſſiſtentiam Dei & Angelorum. QVARTO ieiunium meretur aſſiſtentiam, Dei ſc. & Angelorum. Quod enim Angeli aſſiſtant ieiunantib. patet Matth. 4. Poſtquam Dominus ieiunauerat, *Angeli acceßerunt & miniſtrabant ei.* Act. 10. *Cornelio ieiunanti & oranti apparuit Angelus.* Item in vita Mariæ de Oignies legitur, quod cum ipſa reficeret corpus hora veſpertina, videbat Angelos aſcendentes & deſcendẽtes ad menſam ſuam, & B. Ioannem Euan. Ad hoc ſunt exempla de Iudith, quam Angelus cuſtodiuit euntem ad Holofernem, ibi manentem, & inde reuertentem. Iudith 15. Item de Elya. 3. Reg. 19. *Item* de beata Agnete, Chriſtina, Catherina; & Cecilia, quæ biduanis ac triduanis ieiuniis orans habebat Angelum ſibi familiariſſimum, qui ſibi & Valeriano familiariſſime loquebatur, & de Paradiſo duas coronas attulit coruſcantes, roſis & lilijs albeſcentes.

Deus aſſiſtit temporaliter. ITEM Deus aſſiſtit ieiunantibus, temporaliter ſc. & ſpiritualiter. Temporaliter quidem quia prouidet eis neceſſaria, ſicut in vitiſpat. dicit Hiero. de Paulo primo eremita, quod ieiunabat quouſque dimidius panis mitteretur ei à Domino: Qui in aduentu Antonij integer miſſus eſt. *Item* ibidem dicitur quod fons datus eſt ei in potum, manans ante oſtium eccleſiæ ſuæ; & palma nõ ſolum ad vſum fructus, ſed veſtimenti quod fãciebat contextum de foliis palmæ. Quo mortuo fons & palma ſtatim aruerunt. Nota ſupra de Franconio. Item Dan. 14. Danielem ieiunantem pauit per Abacuc. Item 2. Dial. de B. Benedicto dicit Greg. quod cum ieiunaſſet per totam quadrageſimam in ſpecu quodã, & diabolus fregiſſet campanam ne eam audiret monachus, qui ſolus eum ſciebat, & neceſſaria ei miniſtrabat per E cordam. Apparuit Dominus cuidam ſacerdoti in die Paſchæ, & dixit ei: Tu tibi delitias paras, & ſeruus meus Benedictus in tali loco fame cruciatur. Qui acceſſit ad locum, & quod ſibi parauerat apportauit, dicens ei quod eſſet dies paſchæ. *Item* beatam Catherinã paſcebat Deus, cum ieiunaſſet in carcere, per columbam, quæ ei cibum cæleſtem miniſtrabat.

Exempla.

Exempla. IN vitis pat. dicitur de ſancto Helerio, quod cum eſſet tentatus propter tentationem mellis, fugit ad eremum. Vbi cum poſt ieiunium trium ſeptimanarum inueniſſet poma pulcherrima, nec tangeret ea, credens ea ibi eſſe procurante diabolo, fugit ea nec comedit. tunc in ſomnis apparuit ei Angelus, dicens quod comederet & biberet quod inueniret. & inuenit herbam mirabilis dulcedinis, & fontem inæſtimabilis ſaporis.

A ITEM de alio anachoreta legitur, quod cum fugiſſet ad deſertum, nec haberet quod comederet, inuenit herbas dulces, ſed ita noxias & laxatiuas, quod reſoluebantur omnia viſcera eius. Cum autem ieiunaſſet per ſeptem dies, venit ad eum quædam beſtia Dorchas nomine, afferens ei faſciculum de non nociuis, & docuit diſcernere nociuas à non nociuis.

Exemplum. ITEM in vitis patrum dicitur, quod quidam pater conſueuerat panem adminiſtrare cuidam ſolitario, qui diſtabat aliquantulum à cella ſua. Cum autem mitteret ei per duos pueros, quorum vnus erat duodecim annorum, & alius quindecim; inuenerunt in via aſpidem. Qui videns eos, fit quaſi mortuus. Iunior in pallio ipſum inuolutum abbati portauit. Quod licet alij mirarentur pro miraculo, abbas verberauit puerum, eo quod potius ſeruiſſet in miraculo, quam in humilitate. Frater autem cui mittebatur panis hoc audiens, ſc. periculum puerorum & miraculum; ieiunauit ſeptem diebus continuis in oratione, mandans dicto patri ne plus mitteret ſibi panem. Quem cum poſt admonente Angelo viſitaret dictus pater, & occurriſſet ei dictus frater, intrantes cellam inuenerunt panes ignotæ ſpeciei, & miri ſaporis. Vterque autem merito alterius imputans, acceperunt donum Dei cum gratiarum actione.

Deus ſpiritualiter reficit ieiunantes. Reficit autem ſpiritualiter gratia Dei dulcedine ſuperna. Pſalm. 146. *Dat pullis coruorum eſcam inuocantibus eum.* Iob 38. *Hic præparat coruo eſcam quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos.* De quibus dicit Greg. quod parentes eorum contemnunt eos paſcere vſquequo nigreſcant. Videns autem Deus clamorem eorum, rore cæleſti paſcit eos. Sic Dominus paſcit eos quos mundus abiicit, qui ad eum clamant, & propter eum ieiunant. Vnde erant refectæ rore cæleſti, & cæleſti dulcedinis ſuauitate illæ mulieres, de quibus dicit magiſter Iac. in vita Mariæ de Oignies, quod poſt orationes & ieiunia & raptum contemplationis, ex earum faucibus ex liquefactione dulcedinis videbatur effluere fauus mellis. Luc. 2. dicit beata virgo. *Eſurientes impleuit bonis & diuites dimiſit inanes.*

Deus aſſiſtit ieiunantib. in vita præſenti & futura hic conſolando, ibi coronando. SPIRITVALITER vero Deus aſſiſtit, & in vita præſenti ſuauiter conſolando, & in futura feliciter coronando. In vita præſenti multipliciter conſolatur preces eorum exaudiendo, & vota implendo, ſicut Nee. D 1. & 2. Cum enim Neemias audiſſet rumores de deſtructione Hieruſalem, ieiunauit, orauit, & fleuit. Quo facto cum languidus appareret præ ieiunio, adeo placuit regi & reginæ, quod ei quicquid petijt conceſſerunt. Similiter Heſter poſt ieiunium impetrauit à rege quicquid petijt. Item 1. Eſdræ 8. filij Iſrael in exitu de Babylonia ieiunauerunt, vt Dominus dirigeret viam eorum. Vnde dicunt: *Ieiunauimus, & venerunt nobis cuncta proſpere.* Demique aſſiſtit eis feliciter coronando. Quod bene fuit figuraliter præſignatum 4. Reg. 2. Quod Elyas poſt ieiunium raptus eſt in paradiſum.

ITEM poſt quadrageſimale ieiunium immediatè ſequitur gloria Dominicæ reſurrectionis. Sicut enim gula Adæ clauſit cælum, ſic ieiunium debuit aperire. Vnde canit eccleſia. *Paradiſi portas aperuit vobis ieiunij tempus.* Zach. 8. *Ieiunium quarti & ieiunium quinti, &c. erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras.* Item 1. Corin. 9. *Omnis qui in agone contendit, &c.* Glo. *Non terrenis & marceſcibilibus floribus, ſed æternis conſecrata prætioſis lapidibus corona debetur, ad modum regalis dyadematis.* Vnde in paſſione B. Petri legitur, quod Chriſtiani qui aderant eius paſſioni flentes, viderunt crucem eius circundari Angelis tenentibus coronas de lilijs & roſis Paradiſi; in quo poterat deſignati, quod carnem Deo verè obediendo mortificauerat, & ſanguinem ſuum pro eo fuderat, & alios hoc ipſum facere docuerat. Vnde corona multiplex ei debebatur.

De

DISTINCTIO XXX.

De multiplici ieiunio malorum.

Ieiuniũ malum est multiplex.

CIRCA tredecimum, scilicet de multiplici ieiunio malorum, sciendum quod multiplex est ieiunium malum & peruersum, à quo boni debent sibi cauere ne eos imitentur in malis. *Primo* non debemus ieiunare sicut dæmones qui sẽper ieiunant à materialibus cibis, nunquam à vitiis & voluntate mala. Sic ieiunant feneratores qui nunquam propter ieiunium fœnus dimittunt, nec etiam in die passionis & resurrectionis Christi. Isa. 58. *In diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra* mala; quia si esset bona, esset non sua, sed Dei, sic ieiunant qui sunt in contumacia, voluntate mala, odio, & rancore.

1. *Dæmoniorũ.*

2. *Saracenorũ.*

ITEM non ad modum Saracenorum, qui de die abstinent à cibis, de nocte vacant comessationibus & ebrietatibus, & immunditiis luxuriæ. Rom. 13. Non in cubilibus &c.

3. *Iudæorum.*

ITEM non debent esse ieiunia Iudæorum, qui cum ieiunabant crudelitatibus vacabant. Isa. 58. *Ecce ad lites & contentiones, & percutitis pugno impiè.* Sic faciebant qui ieiunabant, & ieiunia prædicabant, & Naboth occidebant. 3. Reg. 21. Act. 23. Sic illi ieiunabant, qui se vouerunt ieiunare vsquequo Paulum occiderent.

4. *Medicorũ & infirmorum.*

ITEM non debent esse medicorum aut infirmorum, qui ieiunant propter sanitatem corporis, non animæ; licet aptissimum sit frequenter eorum ieiunium. Pauci sunt qui tantum ieiunent pro salute animæ, quantum pro salute corporis; quia abstinentiam dixit Galenus, quærentibus discipulis, summam esse medicinam.

5. *Seductorum.*

ITEM non debet esse ieiunium seductorum & Hypocritarum, qui ieiunant vt appareant, vel vt aliquid acquirant, sc. commodum temporale. Matth. 6. *Exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes.* Similes sunt vulpi quæ fingit se mortuam, & extrahit linguam, vt capiat coruos sibi insidiantes. Isti sunt filij Agar, quæ interpretatur festiuitas vigiliarum, quia ad hoc inuigilant & faciunt vigilias ieiuniorum, vt ex hoc acquirant festiuitatem temporalium bonorum. Baruc. 3. *Filij Agar acquisierunt prudentiam quæ de terra est.* quia per pallorem faciei, & hypocrisim acquirunt terrena. *Exemplum.* *Vt* fecerat ille qui cum esset pauper ieiunabat, & pœnitentiam multam videbatur facere. Vnde cum per hanc simulationem obtinuisset Episcopatum, reiecit à se omnem boni speciem. cum autem argueretur de hoc: Respondit, quod satis fecerat vigiliam, & quodammodo oportebat eum facere festum.

6. *Hæreticorũ.*

ITEM non debet esse seductorum hæreticorum, qui ad hoc ieiunant vt animas seducant, & verbis & figmentis hypocrisis ad modum vulpeculæ. Ad hoc pertinet quod supra dictum est de pœnitentia, de ioculatore, & ieiunio runcini.

7. *Insensibiliũ.*

ITEM non debet esse idolorum seu mortuorum insensibilium, vt est eorum qui solum propter hoc abstinent, quod non sentiunt famis appetitum, nec sustinent ex ieiunio, vel ex duritia ciborum aliquam afflictionem.

Exempla.

TALIS erat ille de quo in vitis pat. legitur, quod cum quidam de magnis delitiis, vt de curia imperatoris, venit ad eremum, & factus fuisset ibi magnus contemplator & prudens & famosus, venit ad eum quidam Ægyptius monachus magnæ famæ, credens circa eum videre maximam austeritatem abstinentiæ. quam cum non inuenisset, videns ille contemplatiuus nutritus in palatio regis per reuelationem, quod alius corde scandalizaretur, quęsiuit ab eo de qua viuendi consuetudine venerat ad eremum: & cum ille dixisset ei, quod de vita pauperrima & assuetissima multis duritiis & ieiunijs, ita quod propter abstinentiam rusticanam erat ei quasi insensibile ieiunium. Retulit ei alius de quib. delitiis venerat ad eremum, & quomodo propter infirmitatem suam bibebat vinum. Alius hoc audiens recessit bene ædificatus. *Item* quidam Episcopus bonus vir, quando ieiunium non molestabat eum, illos qui bis comedebant in domo faciebat ante se comedere, vt appetitum comedendi prouocarent, & per hoc vincendo illum, magis mereretur.

8. *Auarorum.*

ITEM nõ debet esse ieiunium auarorum, qui ad hoc ieiunant vt bursas impleant; vel quia formidolosi cum abundent, multum timent ne res eis deficiant, & nihil pauperibus erogant. Sic ieiunant buffones: quia vt dicunt naturales, Buffo egrediens de cauerna, videns terram vndique, quia visus eius vltra se extendit, credit quod non debeat ei sufficere. Vnde inclusus in cauerna satis ieiunat, & terram quam comedit, cum pede ponderat & mensurat *Item* similis est auarus ieiunãs cani sedenti super fœnum Domini sui, qui non comedit de fœno, nec permittit animalia famelica vt comedant aliquid de eo; & postea comedunt illud alia animalia, eo inuito, nec gustante. Sic diuites tenaces non sustinent quod pauperes gustent de bonis eorum, & accidit quod ipsi aliquando de eis nihil gustant, sed *relinquunt alienis diuitias suas.* *Simile.*

9. *Porcorum.*

ITEM non debet esse porcorum, qui quando nimis sunt impinguati, prę pinguedine comedere non possunt, & pabula assueta fastidiunt: sicut est de multis, qui ieiunant ideo quia escas fastidiunt, & cum quibus acuminibus saporum possunt, prouocant appetitum.

10. *Luporum.*

ITEM non debet esse luporum, qui aliquando ieiunant vsque ad vesperam, postea quod rapiunt non comedunt, sed deuorant. sic multi ad modum luporum cum ieiunauerunt & debent comedere, non comedũt, sed deuorant vt lupi, cum nimia ingluuie, & ardore. Vnde cum duo insimul comederent, & alius comederet cum nimia ingluuie & alter moderatè; dixit ei ille qui temperatè comedebat, quasi inuitando pluries quod comederet: qui cum responderet quod bene comedebat; dixit ei alter quod non, sed malè, cum ipse omnia voraret ad modũ lupi

11. *Onagrorum.*

ITEM non debet esse onagrorum. qui licet ieiunent ab aliis escis, pascuntur vento. Sic ieiunabat ille Pharisæus de quo Luc. 18. *Ieiuno bis in sabbato.* Vento enim vanę gloriæ pascebatur. Hiere. 2. *Onager in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Oseæ 12. *pascit ventum.* Item onagrorum more ieiunant, qui ad hoc comedere differunt, vt splendidius habeant. Psalmus. *Expectabunt onagri in siti tua.* Quorum natura est abstinere in siti, vsquequo inueniant aquas limpidiores.

12. *Incarceratorum.* *Tumidorũ.*

ITEM non debet esse ieiunium incarceratorum, qui ieiunant inuiti. *Item* non debet esse tumidorum seu inflatorum, qui præ iracundia & tumore indignationis dimittunt comedere; vt faciunt vnicornes, qui cum indignatione capiuntur, tantũ ieiunãt quod moriũtur.

Tristium.

ITEM non tristium seu desperatorum, vt qui præ tristitia tribulationis & desperationis ieiunant. Psalmus 106. *Omnem escam abominata est anima eorum, &c.*

13. *Raptorum.*

ITEM non debet esse ieiunium raptorum, vt leonis aut lupi, aut aliorum animalium quæ viuunt de rapina, quæ postquam diu ieiunauerunt, rapiunt quod auide deuorant. Crudeliores leonibus & lupis sunt, qui nũquam animal suæ speciei comedunt. Sene. *Leoni leo non nocet, homo autem comedit alium hominem, diues pauperem, fortis debilem.* Eccl. 13. *Venatio leonis, &c.* Et post. *Pascua diuitum sunt pauperes.* Quædam bona mulier venit ad monachum quendam album, factum episcopum, cuius domum spoliauerant serui eius, pecudibus eius captis, de quibus ipsa & pueri sui & familia viuebant: Domine ait, si comeditis carnes? cum autem improbitati eius respondisset quod non; ait ipsa: Verum est forte quod non comeditis carnes mortuorum pecorum, sed viuorum hominum, & in quadragesima, & in sextis ferijs; quia carnibus meis & puerorum saturamini.

14. *Potatorum.*

ITEM non debet esse potatorum, qui ante comestionem & post bibunt, & assiduè, sicut halec & bubo, quæ animalia licet parum comedant vel nihil, tota die tamen potant.

ITEM

15. Detractorii. ITEM non debet esse detractorum siue blasphemorum, qui in diebus ieiuniorum saturantur carnibus humanis, vt dicit Grego. Iob 19. *Carnibus meis saturamini.* Glo. *qui alienę vitæ detractione pascitur in diebus veneris carnibus humanis reficitur.*

16. Fatuorum. ITEM non fatuorum, vt phreneticorum, qui cibo prætermisso mordent manus medici. Sic blasphemi qui carnem Christi lacerant, sunt ad modum illius bestię quæ dicitur Lyena, quæ cum ieiunauerit vsque ad noctem, in nocte exhumat cadauera mortuorum, & dilacerat, & vorat ea. *Item* non debet esse fatuorum qui dicuntur lunatici, qui completa luna siue in plenilunio insaniunt: hoc faciunt qui in abundantia rerum mutabilium lætantes ieiunant, pro choreis, & aliis insaniis agendis. Sap. 14. *Dum lętantur insaniunt.* Item non debet esse lusorum, qui ad hoc ludunt ad taxillos, vel ad aleas, vt tempus leuius transeant, & ieiunium non sentiant: vel eorum qui sic huiusmodi intendunt, quod comedere contemnunt, vel obliuiscuntur, vacantes ludis aleæ vel aliis vanis.

17. Lusorum.

De oratione.

DISTINCTIO XXXI.

DEINDE considerandum est de tertia parte satisfactionis, sc. de oratione. De qua considerandа sunt decem & septem. Primo vtrum oratio sit actus voluntatis. Secundo vtrum sit actus latriæ. Tertio vtrum cōueniens sit orare. Quarto vtrum solus Deus sit orandus. Quinto vtrum in oratione sit aliquid determinatè petendum. Sexto vtrum debeamus pro aliis orare. Septimo vtrum debeamus orare pro inimicis. Octauo vtrum sancti orent pro nobis in patria. Nono vtrum oratio debeat esse vocalis. Decimo vtrum oratio debeat esse attē ta. Vndecimo vtrum debeat esse diuturna. Duodecimo vtrum oratio sit meritoria. Decimotertio vtrum oratio peccatoris sit efficax ad impetrandū quod petitur. Decimoquarto de his quę mouere nos debent ad orandum. Decimoquinto qualis debet esse oratio ad hoc quod sit Deo grata. Decimosexto de effectu orationis. Decimoseptimo de speciebus & diuisionibus orationis.

AD primum, scilicet *vtrum oratio sit actus voluntatis vel rationis*; dicendum, quod secundum Isidor. *Oratio dicitur quasi oris ratio*; ratio vero practica est non solum apprehensiua, sed etiam causatiua. Est autem aliquid alterius causa dupliciter. *Vno* quidem modo perfectè necessitatem inducendo. Et hoc contingit quando effectus totaliter subditur potestati causæ. *Alio* vero modo imperfectè solum disponendo, quando scilicet effectus totaliter non subditur potestati causæ. Sic ergo & ratio dupliciter est causa aliquorum. *Vno* quidem modo sicut necessitatem imponens, & hoc modo ad rationem pertinet imperare, non solum inferioribus potentiis, & membris corporis, sed etiam hominibus subiectis; quod quidem fit imperando. *Alio modo* sicut inducens, & quodammodo disponens; & hoc modo ratio petit aliquid fieri ab his qui non subijciuntur, siue sint æquales, siue superiores. Vtrumque autem horū, scilicet & petere, & deprecari, & imperare, ordinationē quandam important, prout sc. homo disponit aliquid per aliud esse faciendum. Vnde pertinet ad rationem cuius est ordinare. Propter quod dicit Philosophus in primo Eth. quod *ad optima deprecatur ratio.* Sic autem nunc loquimur de oratione prout significat quandam deprecationis petitionem. Secundum quod Augustin. dicit in lib. de verbis Domini. *Oratio quædam petitio est.* Et Damas. dicit in tertio lib. quod *Oratio est petitio decentiū à Deo.* Sic igitur patet quod oratio de qua nunc loquimur, est actus rationis practicæ, voluntate mouente, tendentis in finem charitatis, qui est Deo vniri. Tendit autem oratio in Deum quasi à voluntate charitatis mota dupliciter. *Vno* quidem modo ex parte eius quod petitur, quia hoc præcipuè est orationе petendum, vt

Oratio est actus rationis practicæ voluntate mouente.

A Deo vniamur: secundum illud Psalm. *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitę meę. Alio modo* ex parte ipsius petentis, quē oportet accedere ad eum à quo petit, vel loco, sicut ad hominem, vel mente, sicut ad Deum. Vnde dicit August. ibidem, quod *quando orationibus inuocamus Deum reuelata mente assumus ipsi.* & secundum hoc etiam Damas. dicit, quod *oratio est ascensus intellectus in Deum.*

AD secundum, sc. *vtrum oratio sit actus latriæ vel religionis.* Dicendum, quod ad religionem proprie pertinet reuerentiam & honorem Deo exhibere; & ideo omnia illa per quæ Deo reuerentia exhibetur pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reuerentiā exhibet, inquantum sc. ei se subiicit, & profitetur se orando eo indigere, sicut auctore bonorum suorum. Vnde manifestum est, quod oratio est propriè religionis actus. vnde Psalmus. *Dirigatur oratio mea sicut incensum, &c.* Ibi dicit Glo. *In huiusmodi figuram in veteri lege incensum iubebatur offerri in odorem suauem Domino.* Offerre autem Domino incensum materiale ad eius reuerētiam, est actus religionis.

Oratio est propriè religionis actus.

ET nota quod oratio est actus pœnitentię, cum sit pars satisfactionis, & est actus religionis, vt dictū est: Sed alia & alia ratione, quia inquantum homo Deum orat vt ei satisfaciat de peccato, actus est pœnitentiæ: Inquantum vero orat Deum vt ei reuerentiā exhibeat, in recognitionem summi Dominij, actus est religionis.

Solutio obie.

AD tertium, sc. *vtrum conueniens sit orare Deum.* Dicendum quod circa orationem fuit triplex error antiquorum. Quidam enim posuerunt quod res humanæ non regantur diuina prouidētia. Ex quo sequitur, quod vanum sit orare, & omnino Deum colere. Et de his dicitur Mal. 3. *Dixistis, vanus est qui seruit Deo. Secunda* opinio fuit ponentium omnia in se & in rebus humanis ex necessitate contingere, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum, siue ex connexione causarum. Et secundum hoc etiam excluditur orationis vtilitas. *Tertia* fuit opinio ponentiū quidem res humanas prouidentia diuina regi, quod res non proueniunt ex necessitate, sed dicebant similiter dispositionem diuinæ prouidentiæ variabilem esse, & quod orationibus & alijs quæ ad diuinum cultum pertinent, dispositio diuinæ prouidentiæ immutatur. Hæc autem omnia improbata sunt. Et ideo oportet sic inducere orationis vtilitatem, vt neque rebus humanis diuinæ prouidentiæ subiectis necessitatem imponamus, neque etiam diuinam dispositionem mutabilem æstimemus.

AD huius ergo euidentiam considerandum est quod ex diuina prouidentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorundam causæ actus humani, vnde oportet homines agere aliqua, non vt per suos actus diuinam dispositionem immutent, sed vt per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem à Deo dispositum: & idem etiam est, in naturalibus causis. Et simile etiam est de oratione. Non enim propter hoc oramus vt diuinam dispositionem immutemus, sed vt id impetremus quod Deus disposuerit per orationes Sanctorum esse implendum; vt sc. homines postulando mereantur accipere quod eis omnipotēs Deus ante sæcula disposuerit donare, vt dicit Greg. in primo Dial. Non est ergo necessarium nos Deo preces porrigere, vt ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, quia ipse scit omnia antequam petamus, sicut dicitur Matth. 6. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis*; sed vt nosipsi consideremus in his, ad diuinum esse auxilium recurrendum: Deus enim ex summa liberalitate sua dat multa nobis non rogatus, sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram vtilitatē, vt fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad Deū, & vt recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Vnde Chrysostom. dicit. *Considera quanta est*

Conueniens est Deum orare vt impetremus quod ipse per orationem decreuit dare.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tibi concessa fælicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.

AD QVARTVM, scilicet *vtrum solus Deus debeat orari.* Dicendum, quod oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostræ ordinari debeerent ad gratiam, & gloriam obtinendam, quæ solus Deus dat; secundum illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis & hominibus, non vt per eos Deus petitiones nostras cognoscat, sed vt eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc. 7. quod *ascendit fumus Aromatum*, id est orationes sanctorum *de manu Angeli coram Domino*, Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia vtitur in orando; nam à sancta Trinitate petimus vt nostri misereatur. Ab alijs autem sanctis quibuscumque, petimus vt orent pro nobis. Vnde soli Deo cultum religionis impendimus, à quo solo obtinere petimus quod oramus; quia in hoc protestamur eum bonorum nostrorum auctorem, non autem eis quos requirimus quasi mediatores & interpellatores nostros apud Deum. Quamuis autem mortui ex sua naturali conditione non cognoscant ea, quæ in hoc mundo aguntur, & sic nec animæ sanctorum orationes nostras videant, audiant, vel cognoscant; præcipuè interiores motus cordis: tamen beatis manifestantur ea quæ decet eos cognoscere de his quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis, sicut dicit Gregor. 12. moral. Eorum autem intelligentiam maximè decet, vt petitiones ad eos, vel voce, vel corde directas in orando, cognoscant. Et ideo petitiones quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.

Solus Deus debet orari vt auctor boni nostri sancti vero vt mediatores.

AD QVINTVM, scilicet *vtrum in oratione sit aliquid determinatè petendum*; quia sicut Valerius maximus refert, *Socrates nihil vltra petendum à dijs immortalibus arbitrabatur, quam vt bona tribuerent; quia hi demum scirent quid vnicuique esset vtile; nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret.* Quæ quidem sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum euentum habere; quibus etiam homo potest malè & benè vti; sicut diuitiæ, quæ vt ibidem dicitur, multis exitio fuêre, & honores quicumque. Plures enim pessumdederunt regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur: splendida conuiuia, quæ nonnunquam funditus domos euertunt. Sunt tamen quædam bona quibus homo malè vti non potest quæ scilicet malum euentum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur. Quæ quidem sancti orando absolutè petũt, secundum illud Psal. 79. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et iterum 118. *Deduc me in semita mandatorum tuorum.* Vnde Dominus discipulos suos docuit determinate petere Matth. 6. & Luc. 11. *Et illa quæ vos determinatè docui petere &c.*

Explicatur oratio dominica, quæ omnibus orationibus est efficacior.

DETERMINATE petere possumus omnia, quæ in oratione dominica continentur: Illa autem oratio dominica est omnibus alijs orationibus efficacior, & hoc ostendit auctoris dignitas (Christus enim ore suo benedicto immediatè illam fecit, & eam discipulos suos docuit, vt habetur Matth. 6.) Et etiam orationis sententiosa breuitas, quę multum commendat orationem vocalem. Vnde August. in epistola ad Probam parum vltra medium. *Dicuntur fratres crebras in Ægypto habere orationes, & eas tamen breuissimas.* Hoc etiam ostendit petitorum vtilitas; quia omnia quæ desiderare debemus & petere, in hac oratione petuntur. Vnde sicut dicit August. in epistola ad Probam vltra medium. *Quælibet alia verba dicamus orando, nihil aliud dicimus quam quod in ista dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus:* Sed & eo ordine posita sunt, quo sunt desideranda & petenda: In principio enim exhibetur reuerentia illi qui porrigenda est oratio, cum dicitur. *Pater noster qui es in cœlis*; in quo captat orans beneuolentiam Dei. Et quia primo desiderandus est finis & petendus, quam ea quæ sunt ad finem, ideo primo ponuntur petitiones quæ respiciunt finem. Secundo respicientes ea quæ sunt ad finem, ibi, *Fiat voluntas tua.*

Dua petitiones respiciũt finem.

RESPICIENTES finem sunt duæ. In prima, quæ est, *Sanctificetur nomen tuum*, petitur vt nomen Dei ab hominibus habeatur vt sanctum, secundum quod dicit August. 2. libr. de sermone Domini in monte, longe post principium; & in epistola ad Probam post medium dicit. *Cum dicimus, Sanctificetur nomen tuum, nos admonemus desiderare, vt nomen eius quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur*; hoc est, quod non contemnatur, quod non Deo sed hominibus prodest. In secunda quæ est, *Adueniat regnum tuum*, vt dicit Augustinus vbi prius. *Desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque in eo regnare mereamur.* Vnde per primam petitionem petimus vt Deus ab omnibus glorificetur; per secundam, vt ad Dei gloriam veniamus. Petitionum respicentium ea quæ sunt ad finem, quædam sunt respectu boni, quædam respectu mali.

Dua petitiones respiciũt medium bonum quod ad finem conducit.

RESPECTV boni duæ sunt. In prima petitur meritum quo beatitudinem mereamur, quod consistit in obediendo diuinis mandatis. Vnde Augustinus in libro secundo de sermone Domini in monte longe post principium; cum dicitur, *Fiat voluntas tua, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis, sicut in cœlo & in terra, id est sicut ab Angelis, ita & ab hominibus.* Et in epistola ad Probam post medium: *cum dicimus, Fiat voluntas tua, &c. Nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, vt sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cœlestibus ab Angelis eius.* In secunda petitur illud quo tanquam instrumento possumus nos iuuare ad merendum, & hoc est victus quotidianus ad sustentationem corporis necessarius, vel victus animæ, id est Eucharistiæ Sacramentum. Vnde Augustinus secundo libro de sermone Domini in monte longe post principium. *Panis quotidianus, aut pro his omnibus dictus est, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, aut pro Sacramento corporis Christi quod quotidie accipimus.* Et in epistola ad Probam post medium, eandem ponit sententiam.

Tres petitiones respiciũt malum quod à fine auertit.

PETITIONVM quæ sunt respectu mali: Vna est respectu mali culpæ, hoc scilicet. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vnde Aug. 2. lib. de sermone Domini in monte bene longe vltra principium. *Debita nostra peccata dici manifestum est.* Et in epistola ad Probam vltra medium; *per illud, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, admonemur quid faciamus vt accipere valeamus*, scilicet remissionem peccatorum nostrorum. Alia est respectu mali inclinantis ad culpam, quæ est hæc: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quod non sic intelligendum est, vt non permittat nos tentari; quandoque homo tentatione probatur ad bonum suum: (de quibus tentationibus dicitur Iacob. 1. *Omne gaudium existimate fratres charissimi, cum in tentationes varias incideritis*) & etiam humiliatur, & ad Deum recurrere quasi compellitur. Quapropter non remouit Dominus tentationem ab Apostolo quam cito Apostolus eam remoueri petiuit, vt habetur 2. Cor. 11. Sed prędicta petitio sic intelligenda est, vt non deserti diuino adiutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti: secundum quod dicit Aug. in epistola ad Probam post medium. In quo patet quod non est idem tentari, & in tentationem induci. Tertia est respectu mali pœnæ, hæc scilicet. *Sed libera nos à malo.* In qua secundum August. ad Probam vbi prius. *Admonemur nos cogitare, nondum nos esse in eo bono vbi nullum patiemur malum.* De efficacia prædictæ orationis loquens Isid. in libr. 1. de summo bono cap. 22. dicit. *Fidei symbolum, & dominica oratio, pro tota lege paruulis Ecclesiæ ad cœlorum regna*

ſufficit capeſcenda: Et Aug. in Enchir. 40. cap. *De quotidianis & breuibus leuibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Eorum enim eſt dicere Pater noſter.*

Ad sextvm, ſcilicet *vtrum debeamus pro alijs orare.* Dicendum, quod ſicut dictum eſt, illud debemus orando petere, quod debemus deſiderare; deſiderare autem debemus bonum, non ſolum nobis, ſed etiam alijs. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis quam proximis debemus impendere: Et charitas hoc requirit, vt pro alijs oremus. Vnde Chryſoſtom. dicit ſuper Matth. *Pro ſe orare neceßitas cogit, pro altero charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem eſt ante Deum oratio, non quam neceßitas tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.* Ideo dicitur Iacob 5. *Orate pro inuicem vt ſaluemini.* Et Cyprianus in libr. de oratione dominica dicit. *Non dicimus pater meus, ſed pater noſter, nec da mihi, ſed da nobis, quia vnitatis magiſter noluit priuatam precem fieri;* vt ſcilicet aliquis pro ſeipſo tantum precetur. *Vnum enim pro omnibus orare voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit.*

Debemus pro alijs orare & non tantum pro iuſtis ſed etiam pro peccatoribus.

Solutio obiect.

Debemvs autem orare, & pro peccatoribus vt conuertantur, & pro iuſtis vt perſeuerent & proficiãt. Orantes tamen non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, ſed pro quibuſdam. Exaudiuntur enim pro deſtinatis, non autem pro præſcitis ad mortem; ſicut correctio qua corrigimus fratres effectum habet in prædeſtinatis, non reprobatis; ſecundum illud Eccleſ. 7. *Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* Et ideo dicitur 1. Ioan. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita.* Sed ſicut nulli quamdiu hic viuit ſubtrahendum eſt correctionis beneficium, eo quod non poſſumus diſtinguere prædeſtinatos à reprobis, vt Aug. dicit in lib. de correctione, & gratia: ita etiam nulli eſt denegandum orationis ſuffragium.

Tres cauſæ cur pro iuſtis orandum.

Pro iuſtis eſt etiam orandum triplici ratione. Primo quidem, quia multorum preces facilius exaudiuntur. Vnde Rom. 15. ſuper illud. Adivvetis me in orationibvs meis. dicit Gloſſ. *Bene rogat Apoſtolus minores pro ſe orare: Multi enim minimi dum congregantur vnanimes, fiunt magni; & multorum preces impoßibile eſt quod non impetrent illud quod impetrabile eſt.* Secundo, vt ex multis gratia agatur Deo de beneficijs quæ confert iuſtis, quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt, vt patet per Apoſtolum 2. Corinth. 1. Tertio vt non ſuperbiant dum conſiderant ſe minorum ſuffragijs indigere.

Ad septimvm, ſcilicet *vtrum debeamus orare pro inimicis.* Dicendum quod orare pro alio charitatis eſt. Vnde eo modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare: tenemur autem inimicos diligere, vt in eis diligamus naturam, non culpam, & diligere inimicos in generali eſt in præcepto; in ſpeciali autem non eſt in præcepto, niſi ſecundum præparationem animi, vt ſcilicet homo eſſet paratus etiam ſpecialiter inimicum diligere, & eum iuuare in neceſſitatis articulo, vel ſi veniam peteret. Sed in ſpeciali abſolute inimicos diligere, & eos iuuare, perfectionis eſt; & ſimiliter neceſſitatis, vt actionibus noſtris & orationibus quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis ſpecialiter oremus, perfectionis eſt, non neceſſitatis; niſi in aliquo caſu ſpeciali.

Eſt in præcepto orare pro inimicis in generali, & illos à generalibus orationibus non excludere: perfectionis etiam eſt pro illis ſpecialiter orare.

Solutio obiect.

Imprecationes autem quæ fiunt à ſanctis contra inimicos, ſicut Pſalm. 6. *Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei, &c.* & plura alia, quadrupliciter poſſunt intelligi. Vno modo ſecundum quod prophetæ ſolent in figura imprecantis futura prædicere: Vt Auguſtinus dicit in ſermone Domini in monte. Secundo provt quædam temporalia mala peccatoribus quandoque à Deo ad correctionem immittuntur. Tertio quia intelliguntur petere non contra ipſos homines, ſed contra regnum peccati, vt ſcilicet correctione peccata hominum deſtruantur. Quarto conformando voluntatem ſuam diuinæ iuſtitiæ ad damnationem perſeuerantium in peccato.

Ad octavvm, ſcilicet *vtrum ſancti orent pro nobis in patria.* Dicendum quod ſicut Hieronymus dicit. *Vigilantij error fuit, quod dum viuimus mutuo pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit oratio exaudienda: Præſertim cum martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare nequeunt.* Sed hoc eſt omnino falſum, quia cum oratio pro alio facta ex charitate prouenit, vt dictum eſt; quanto ſancti qui ſunt in patria ſunt perfectioris charitatis, tantomagis orant pro viatoribus qui orationibus iuuari poſſunt; & quanto ſunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex ſuperiorum excellentia, inferiora refundantur; ſicut ex claritate ſolis in aerem. Vnde & de Chriſto dicitur Hebr. 8. *Accedens per ſemetipſum ad Deum ad interpellandum pro vobis.* Et propter hoc Hieronym. contra Vigilantium dicit. *Si Apoſtoli & martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, impetrant* quod petunt; quantomagis poſt coronas, victorias, & triumphos? Impetrant enim ſancti id quod Deus vult fieri per orationes eorum; & hoc petunt quod æſtimant eorum orationibus implendũ, ſecundũ Dei voluntatem.

Vvlt autem Deus ſanctos orare pro nobis; quod ex ſua ſumma prouidentia vult inferiora per omnia ſuperiora iuuari. Et ideo oportet non ſolum ſuperiores, ſed etiam inferiores ſanctos implorare. Alioquin ſoliùs Dei miſericordia eſſet imploranda. Contingit tamen quandoque quod imploratio inferioris Sancti efficacior eſt, vel quia deuotius imploratur, vel quia Deus vult eorum ſanctitatem declarare.

Solutio obiect.

Ad nonvm, ſcil. *vtrum oratio debeat eſſe vocalis.* Dicendum quod duplex eſt oratio, ſcilicet communis & ſingularis. Communis quidem oratio eſt, quæ per miniſtros Eccleſię in perſona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet quod talis oratio populi innoteſcat toti populo, pro quo profertur. Quod non poſſet fieri niſi eſſet vocalis. Et ideo rationabiliter inſtitutum eſt, vt miniſtri Eccleſiæ huiuſmodi orationes etiã alta voce pronuncient, vt ad notitiam omnium poſſint peruenire. Oratio vero ſingularis eſt, quæ offertur à ſingulari perſona cuiuſcũque, ſiue pro ſe, ſiue pro alijs orantis. Et de huiuſmodi orationis neceſſitate non eſt, quod ſit vocalis. Adiungitur tamẽ vox tali orationi triplici ratione. Primo quidẽ ad exercitandũ interiorem deuotionẽ, qua mens orantis eleuetur in Deũ, quia per exteriora ſigna, ſiue vocũ, ſiue etiam aliquorũ factorũ, mens mouetur hominis, etiam ſecundũ apprehenſionẽ, & per conſequẽs ſecundum affectionẽ. Vnde Aug. dicit ad Probam, quod *verbis & alijs ſignis, ad augendum ſanctũ deſiderium, noſipſos acrius excitamus.* Et ideo in ſingulari oratione tantum eſt vocibus & huiuſmodi ſignis vtendum, quãdo proficit ad exercitandũ interius mentẽ. Si vero mens per hoc diſtrahatur, vel qualitercũque impediatur, eſt à talibus ceſſandum. Quod præcipuè contingit in illis, quorum mens ſine huiuſmodi ſignis eſt ſufficienter ad deuotionẽ parata. Vnde Pſa. 29. dicebat. *Tibi dixit cor meum exquiſiuit te facies mea.* Et de Anna legitur 1. Reg. 1. *Quod loquebatur in corde ſuo.* Secundo adiungitur vocalis oratio quaſi ad redditionem debiti, vt ſcil. homo Deo ſeruiat ſecundum totum illud quod ex Deo habet, id eſt non ſolum mente, ſed etiam corpore. Quod præcipuè competit orationi ſecundum quod eſt ſacrificium. Vnde dicitur Oſeæ vlt. *Omnem auſer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Tertio adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima ad corpus, & ex vehementi affectione; ſecundum illud Pſal. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.* Vocalis igitur oratio non profertur, vt aliquid ignotum Deo manifeſtetur, ſed ad hoc vt mens orantis vel aliorum excitetur in Deum.

Communis oratio quæ fit à miniſtris Eccleſiæ pro toto populo, debet eſſe vocalis, ſingularis vero non, eſto ſint ſæpe vocaliter propter tria.

Et licet verba ad aliud pertinentia diſtrahunt mentem, & impediunt deuotionem orantis, tamen verba ad ipſam deuotionem & orationem pertinentia non impediunt, ſed potius excitant mentes, præcipuè

Solutio obiect.

minus

minus deuotorum. Per hoc quod docet & hortatur Dominus orare in secreto Matth 6. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum*, non excludit orationem publicam, & vocalem. Nam & illa secreta potest esse, & mentalis, & vocalis. Sed vult ipse Dominus quod præter orationes canonicas & communes, nihilominus recurrat homo ad interius cubiculum, id est secretũ conscientiæ suæ, ibique quietiùs & secretiùs orando, spiritualiter recreetur. Vel aliter intellige, quod homo volens orare singulariter, non debet velle videri ab hominibus: Et ideo clauso ostio debet orare. Vnde dicit Chrysost. super Matth. *Eo proposito Dominus vetat in conuentu orare, ne à conuentu videamur.* Vnde orans nihil nouum facere debet, quod aspiciant homines, scilicet clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo. Nec tamen videri ab hominibus nefas est, sicut dicit Augustinus in libro de sermone Domini in monte; sed ideo hoc agere vt ab hominibus videaris.

Ad decimvm, scilicet *vtrum oratio debeat esse attenta.* Dicendum, quod hoc præcipuè debet intelligi de oratione vocali. Circa quam sciendum, quod necessarium dicitur aliquid dupliciter. Vno modo per quod melius peruenitur ad finem, & sic attentio absolutè necessaria est. Alio modo dicitur aliquid necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem conuenit omnibus actibus charitatem informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum; sed vis primæ intentionis qua aliquis ad orandum accessit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in alijs actibus meritorijs accidit. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare. Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio neque meritoria est, neque impetratiua. Illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit, vt dicit Gregorius. Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis, & ad hunc de necessitate requiritur in oratione attentio. Vnde dicitur 1. Corinth. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

Vt oratio sit meritoria & impetratiua sufficit prima intentio qua quis ad orandum accedit, sed vt reficiat mentem requiritur attentio ad Deum.

Attentio triplex. Solutio obiect.

Sciendvm tamen, quod triplex attentio est, quæ orationi vocali potest adhiberi. Vna quidem qua attenditur ad verba, ne quis in eis erret. Secunda qua attenditur ad sensum verborum. Tertia qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur; quæ quidem est maximè necessaria. Et hanc habere possunt etiam idiotæ: & quandoque intantum abundat hęc attẽtio qua mens fertur in Deum, vt etiam aliorum omnium mens obliuiscatur, sicut dicit Hugo de sancto Victore.

Si quis autem ex proposito in oratione mente euagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et contra hoc dicit August. in regula. *In psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Et Basilius dicit. *Est diuinum auxilium implorandum non remissè, nec mente huc & illuc vagante; eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed etiam magis Deum irritabit.* Sicut si aliquis alij loqueretur, & non attenderet ad ea quæ proferret, quia tamen mens humana propter infirmitatem naturæ diu in alto stare non potest, quia pondere infirmitatis humanæ ad inferiora deprimitur, ideo contingit quod quando mens orantis in Deum per contemplationem ascendit, subito ex quadam infirmitate euagatur: de qua loquens Basilius ait. *Si debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcunque potes teipsum coercens, & Deus ignoscit; eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes vt oportet assistere coram eo.*

Distractio voluntaria est peccatum.

Ad vndecimvm, scilicet *vtrum oratio debeat esse diuturna.* Dicendum quod de oratione dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum seipsam. Alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis ex quo procedere debet oratio. Quod quidem in nobis debet esse continuum, vel actu, vel virtute. Manet enim virtus huius desiderij in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, vt dicitur 1. Corinth. 10. Et secundum hoc oratio debet esse diuturna & continua. Vnde August. dicit ad Probam. *In ipsa fide spe & charitate, continuato desiderio semper oramus.* Sed ipsa secundum se considerata non potest esse assidua; quia oportet alijs operibus occupari. Sed sicut Augustin. dicit. *Ideo per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nosipsos admoneamus. Et quantumcumque in hoc desiderio profecerimus, nobisipsis innotescamus, & ad hoc agendum nosipsos acrius excitemus.* Vniuscuiusque enim rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis sanitati. Vnde & conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad exercitandum interioris desiderij feruorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita quod siue tædio durare non possit, non est vlterius oratio protendenda. Vnde Augustinus dicit ad Probam. *Debent fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes; sed breues tamen, & raptim quoque quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti multum necessaria est, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio: ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non esse obruendam, si perdurare non potest; ita si perduraverit, non cito esse rumpendam.* Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari, per comparationem ad intentionem orantis, ita etiam in oratione communi, per comparationem ad populi deuotionem.

Oratio debet esse continua secundam causam sed nõ secundum seipsam.

Ad dvodecimvm, scilicet *vtrum oratio meritoria sit.* Dicendũ quod oratio prẽter spiritualis consolationis effectũ quẽ præsentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem, sicut & quilibet alius actus virtutum, habet efficaciam merendi inquantum procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fruitionem meremur. Procedit tamen oratio à charitate mediante religione, cuius est actus oratio, ac concomitantibus etiam quibusdam alijs virtutibus, quæ ad bonitatem orationis requiruntur, id est humilitate & fide. Ad religionem enim pertinet, ipsam orationem Deo offerre: Ad charitatem vero pertinet desiderium rei, cuius complementum oratio petit. Fides autem est necessaria ex parte Dei, quam oramus; vt scilicet credamus ab eo nos posse obtinere quod petimus. Humilitas vero est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit. Est etiam deuotio necessaria, sed hoc ad religionem pertinet, cuius est primus actus necessarius ad omnes consequentes. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei quem oramus; qui etiam ad orandum nos inducit. Vnde Augustinus dicit in libro de verbis Domini. *Non nos hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet.* Et Chrysostomus dicit. *Numquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant sua pietate instigat.*

Oratio procedens ex radice charitatis est meritoria.

Sciendvm autem quod orat o non est meritoria sine gratia gratumfaciente, sicut nec aliquis alius actus virtuosus. Et tamen etiam oratio quæ impetrat gratiam gratum facientem procedit ex aliqua gratia quasi ex gratuito dono; quia ipsum orare est quoddam donum Dei, sicut dicit Augustinus in libro de perseuerantia. Item nota, quod meritum orationis quandoque respicit ad aliud, quam ad illud quod in orando petitur. Meritum enim præcipuè ordinatur ad beatitudinem, sed petitio orationis directè se extendit quandoque ad aliqua alia. Si ergo illud aliud quod petit aliquis pro seipso, non sit ei vtile ad beatitudinem, non meretur illud; sed quandoque hoc petendo & desiderando, meritum amittit; puta si petat à Deo complementum alicuius peccati, quod non est piè orare. Quandoque

Solutio obiect.

non est necessarium ad salutem, nec manifestè saluti contrarium; & tunc licet orans possit orando mereri vitam æternam, non tamen meretur illud obtinere quod petitur. Vnde August. dicit in lib. sententiarum Prosperi. *Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus quam ægrotus.* Et propter hoc etiam Paulus non est exauditus, petens remoueri stimulum carnis, quia non expediebat. Si vero illud quod petitur sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo: Et ideo indubitanter accipit quod petit, sed quando debet accipere ignorat. Quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore differuntur. Vt August. dicit super Ioan. Quod tamen potest impediri si in petendo non perseueret, & propter hoc dicit Basilius. *Ideo quandoque petis & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Quia vero homo non potest alij mereri vitam æternam ex condigno, ideo per consequens nec ea quæ ad vitam æternam pertinent. Potest tamen aliquis aliquando ex congruo alteri mereri; & propter hoc non semper ille auditur, qui pro alio orat. Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit; vt scilicet *pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter.*

Quatuor sunt orationis conditiones quibus positis homo semper auditur.

Ad decimumtertium, scilicet *vtrum oratio peccatoris sit efficax ad impetrandum quod petitur*. Dicendum, quod in peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura quàm diligit Deus, & culpa quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit inquantum peccator, scilicet secundum desiderium peccati, hic à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam; dum Deus permittit peccatorem amplius ruere in peccato. Deus enim quædam negat propitius quæ concedit iratus. Vnde Augustinus dicit. *Orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem, Deus audit; non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia*, obseruatis tamen quatuor præmissis conditionibus, vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter.

De motiuis ad orandum.

DISTINCTIO XXXII.

Multa hortantur ad orationem.

Circa decimumquartum, scilicet quæ multum nos mouere debent ad orandum, & orationis studium diligendum. Sciendum, quod ad hoc mouere debet exemplorum præclaritas, Orationis necessitas, Cultus eius nobilitas, Orandi facilitas, Et orantis vtilitas.

1. Exemplorũ præclaritas.

Primo nempe mouere debet exemplorum præclaritas. Et primo mouere debent exempla rerum insensibilium. Terra enim nimis sicca, quasi petens à Deo pluuiam, hyat superius diuersis scissuris quasi innuens rationali creaturæ, quod os aperit ad superna fluenta obtinenda; dicens patri pluuiarum: *Anima mea quasi terra sine aqua tibi, &c.* Item terrena, vt herbæ, vt arbores, & earum flores, quasi multas linguas suo creatori erigunt; quasi augeri & perfici postulantes, & quasi clamant: *Imperfectum nostrum viderunt oculi tui Domine.*

Exempla.

Item creaturæ irrationales, vt iumenta & aues: Bos enim indigens pabulo aut potu, caput sursum quasi ad Deum eleuans, & quasi sibi, quod necessarium est ab eo postulans, mugit. Asinus rugit, equus hinnit. Ioel. 1. *Ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non est pascua eis.* Et post. *Bestia agri quasi area sitiens imbrem, suspexerunt in te, &c.* Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te; volucres cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, &c.* Item quidam volucres, vt columba & turtur, quod desiderant gemendo indicant.

Item miluus futuram intemperiem timens, & frigus pedum sentiens, & prædam quam desiderat non habens, clamans quasi ad Deum, affectus suos & defectus ei indicat. Item pulli hirundinum & coruorum, quando esca eis deficit, ad eum clamant. *Qui dat iumentis escam ipsorum, &c.* Isai. 33. *Sicut pullus hirundinis, &c.* Item aliqui pisces futuram tempestatem in fundo maris præsentiunt, supra saliunt, vt delphines. Alij superius ascendunt, & os aperiunt.

Item mouere debent exempla rationabilium creaturarum, videlicet Angelorum, qui non cessant ad Deum clamare continuè, & laudare; sicut dicitur Isai. 6. Apoc. 4. & 7.

Exempla.

Item in vitis patrum legitur, quod cum beatus Antonius solus in cella sua rogaret Dominum vt ostenderet sibi, quid agendo saluaretur. Cum timeret ne inutiliter in cella sederet, apparuit ei Angelus in similitudinem eius, orationi incumbens diu, & post surgens funiculum faciebat; quo facto ad orationem ibat, & post inde surgens funiculum detorquebat; & post orabat, & post funiculum reficiebat. Et cum hoc pluries iterans fecisset, dixit ei Angelus: Antoni, hoc fac & saluaberis.

Item cum in quodam monasterio fratres in quadam nocte solemni multum in diuinis laudibus laborassent, cuidam eorum sancto viro apparuerunt Angeli, euntes & redeuntes per chorum cum instrumentis musicis, Deum laudantes; & fratribus Deum laudantibus applaudentes, & ad laudes diuinas hylariter excitantes.

Exempla Christi.

Item ad hoc mouere debent exempla Sanctorum, & principaliter Sancti Sanctorum; qui in scriptura sua doctrinam orandi tradidit, & pro ea docenda de cœlo descendit. Quam sic perfectè, studiosè, & vigilanter, tradidit; monendo, suadendo, inuitando, ac etiam excitando, verbis pariter & exemplis, quod nihil omisit de contingentibus; instruens quid, quando, vbi, qualiter, & propter, quid, & sub qua forma verborum sit orandum. Et hæc omnia non tam verbis docuit quam exemplis. Licet enim tota die discurrendo, prædicando, disputando, miracula faciendo propter salutem hominum laborasset; nihilominus dimissis turbis solitaria loca vel deserta petebat, montem ascendebat, in quo solus in oratione vigilans pernoctabat: sicut dicitur Matth. 14. Marc. 6. Luc. 6. Item propter nullam desolationem, tristitiam vel mortis angustiam orationis studium omittebat: sed factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor eius, &c. Deinde pendens in cruce continuans orationem, orando clamans & lachrymans expirauit.

Exempla Sanctorum veteris testamenti.

Ad hoc etiam mouere debent exempla sanctorum tam noui quam veteris testamenti. Exempla de Moyse, Aaron, & alijs. Exemplum de Iudith 8. De Hester, quæ semper in omni periculo ad orationis refugium recurrebat. Exemplum de Tob. & Sara. To. 3. De Anna matre Samuelis 1. Reg. 1. De Dauid, quod ita fuit in oratione assiduus, quod non sufficiebat ei dies, nisi etiam in orationibus pernoctaret. Sicut patet, quia licèt vespere & mane & meridie oraret, immo septies in die laudes ei caneret, nihilominus tamen media nocte surgebat ad confitendum confessione laudis. Exemplum etiam de Ezechia, Iosia, Isaia, Hiere. & sic de alijs.

Exempla Sanctorum noui testamenti.

Ad exempla sanctorum noui testamenti transcurrendo perfunctoriè veniamus: exemplum Beatæ Virginis, quæ pauca legitur fuisse locuta, nisi verba orationis, aut laudis, gratiarum actionis.

Item exemplum Apostolorum, & discipulorum, qui omnes erant perseuerantes in oratione in cenaculo, donec descendit super eos Spiritus sanctus in linguis igneis. Act. 1.

Item, de Beato Petro legitur, & idem ferè refert ipse de se in itinerario Clementis, quod audito gallicantu, recordans, negationis suæ trinæ, ad orationem surgebat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ITEM de Beato Bartholomæo legitur, quod centies in die, & centies in nocte genuflectebat ante Dominum.

DE Beato Iacobo Iusto legitur, quod ad modum cameli, assiduitate orandi in genibus callos contraxerat. Hic cum propter prædicationem & confessionem fidei, de pinnaculo templi à Iudæis esset præcipitatus, conuersus super genua pro eis orabat, & orando lapidabatur, & à quodam pertica fullonis percussus excerebratur.

ITEM exemplum Annæ prophetissæ, quæ non discedebat de templo, seruiens Deo in ieiunijs & obsecrationibus die ac nocte. Luc. 2.

ITEM exemplum Beatæ Ceciliæ de qua legitur, quod cum alij cantarent in organis, ipsa soli Deo decantabat orando, quæ nec diebus nec noctibus cessabat à colloquijs Dei, & orationibus.

ITEM Beatus Stephanus ab oratione non potuit reuocari turbine lapidum, sed orando emisit spiritum, Act. 7.

ITEM beata Agnes in medijs flammis expansis manibus orabat &c. Et B. Vincentius erectis in cœlum luminibus Dominum precabatur. Et idem legitur fere de omnibus martyribus, quod in ipsis tormentis fortius Dominum deprecabantur.

Exempla. ITEM in historia Ecclesiastica, lib. 5. legitur, quod cum quidam vir peritus, nomine Alexander, arte medicus, in ciuitate Lug assisteret pro tribunali, & compassus Martyribus, signis quibus poterat eos ad tolerantiam animaret, deprehenditur, inquiritur, se esse Christianum confitetur, diuersis generibus tormentorum affligitur, & cum per diuersa tormenta laborarent tortores, vt eius orationem interrumperent, non potuerunt ab eo verbum extorquere, sed semper magis erat immobilis in orationibus & Dei laudibus.

ITEM exempla sanctorum confessorum Martini, Nicolai, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Benedicti, Francisci, Dominici, aliorumque Monachorum. Et huiusmodi quis enarrare sufficiat, cum pene tota vita eorum fuerit lectio, & oratio.

2. Orandi necessitas. SECVNDO ad orandum mouere nos debet orandi necessitas; tot namque pericula, desolationes, afflictiones, vndique nos circumstant, quod necesse habemus ad orationem recurrere. Psalmus 39. *Circumdederunt me mala quorum non est numerus.* Ideo consequenter orat dicens. *Complaceat tibi Domine vt eruas me &c.* De præsenti periculo timendo, & spirituali & corporali, habetur satis, in prima parte, vbi habentur multæ auctoritates, rationes, & exempla, per quæ patet quod in magno periculo existentes in corpore & anima, habemus clamare ad Dominum, vt inuasi à latronibus, vel oppressi à prædonibus infernalibus, vt obsessi ab hostibus, vt succensi vndique à desiderijs & tentationibus carnalibus, vt suffocati quasi in aqua voluptatum, vt videntes mortem spiritualem fratrum nostrorum, debeamus frangere silentium, & clamare ad Dominum, & dicere: *Deus in adiutorium meum intende &c.* Propter ista enim ipsi religiosi Monachi cum imminent, possunt silentium frangere, & adiutorium clamare. De futuro iudicio satis habetur secunda parte. Contra quod orandum est, vt dicit Dominus Luc. 21. *Vigilate itaque omni tempore, vt digni efficiamini effugere hæc omnia quæ futura sunt, & stare ante faciem filij hominis.*

3. Cultus eius nobilitas. TERTIO ad orandum mouere nos debet cultus eius nobilitas; quia non est officium rusticorum, vt est fodere, arare, putare, &c. sed est officium filij Dei, & matris eius, & officium Sanctorum, & Angelorum. Filius enim Dei & mater eius hoc officium habuerunt & exercuerunt, & sancti eius specialiter in terris, & retinent in cœlis, vt orent pro nobis ibi incessanter. 1. Reg. 2. Dixit Samuel ad populum. *Absit à me vt cessem orare pro vobis.* Et de Hieremia dicitur 2. Macha. 15. *Hic est qui multum orat pro populo &c.* Beatus etiam Petrus dicit 2. Petr. 1. *Dabo operam frequenter vos habere post obitum meum.* Officium Angelorum est orationes nostras offerre Deo, sicut dicit Angelus. Tob. 12. *Quando orabas tu & Sara nurus tua, ego obtuli orationes vestras in conspectu Dei.* Et officium filij Dei specialiter est orationes nostras præsentare Deo patri. Vnde in omni oratione quæ dirigitur ad patrem, ponitur ista cauda, per Dominum Iesum Christum. Bernard. *Securum habes accessum ad Deum homo, vbi habes filium ante patrem, & matrem ante filium. Mater namque ostendit filio pectus & vbera, filius ostendit patri latus & vulnera, nec vlla poterit esse repulsa, vbi tot concurrunt charitatis insignia.* 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, &c.* Item est officium Spiritus sancti, quod facit in nobis. Roman. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod sit officium Sanctorum &c. Apoc. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum.*

Orare est officium honorabile. ITEM honorabile est officium; quia qui orat cum Deo loquitur. Magnus honor est loqui frequenter cum aliquo magno Principe, maior cum Rege, multo fortius cum Rege Regum. Isidor. *Cum oramus, cum Deo loquimur, cum autem legimus; ipse nobiscum loquitur.* Magna igitur est orationis dignitas, quia ipse Deus, & tota curia cœlestis, attenta est audire orationes nostras, & laudes; & delectantur in eis: & ipsi Angeli orationes & laudes Deo referunt & offerunt. Psalmus 67. *Astiterunt Principes coniuncti psallentibus,* scilicet hominibus, &c. Item 137. *in conspectu Angelorum psallam tibi, &c.* id est conspicientibus Angelis, vel conspiciendo Angelos, qui orationibus nostris attendunt, & eas deferunt. Canticor. 8. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus Angelis & hominibus.*

4. Orandi facilitas. QVARTO mouere debet ad orandum orandi facilitas & inexcusabilitas; quia hoc opus de facili potest fieri, & ita inexcusabile est; secundum quod in Psalm. 41. dicitur. *Apud me oratio Deo vitæ meæ,* dicit Gloss. *Apud iustum semper est quod dare potest, scilicet oratio, quam si non potest dare voce, potest eam semper dare mente, vt semper oret bonum desiderando & volendo.* De hoc Thesauro bonæ voluntatis & desiderij, qui plus dat plus habet. Vnde miser est qui de hoc dando parcus est, quando minus dat minus ei remanet, qui plus dat plus habet. Lucæ 19. *Habenti dabitur, &cæt.* Non enim infirmitate aut paupertate se potest excusare homo. Cui si diceretur, ieiuna, posset respondere non possum, quia infirmus sum. Si dicitur ei, fac eleemosynam, potest respondere, non possum, quia pauper sum. Si dicitur ora, non potest hoc dicere, quia si non potest orare voce, potest orare corde, vt dictum est. Ipsa enim bona voluntas & desiderium orandi, est oratio.

Orare est officium Christi & Sanctorum.

QVINTO mouere debet ad orandum multiplex vtilitas, de cuius vtilitate multiplici dicetur inferius.

De facientibus orationem Deo gratam.

DISTINCTIO XXXIII.

CIRCA decimumquintum, scilicet *qualis debeat esse oratio ad hoc quod sit Deo grata.* Sciendum, quod quædam sunt ad orationem præparatiua, quædam expedientia, & quædam integrantia. Porro ad orationem præparatiua seu dispositiua sunt quatuor videlicet, sacra lectio studiosa, meditatio seriosa, ieiunium parcitatis, & officium pietatis.

Ad orationẽ quædã sunt præparatiua quædam expedientia, quædam integrantia. Præparatiua sunt quatuor

1. Sacra lectio. PRIMO quidem ad orationem præparat & disponit sacra lectio, quia lectio sacræ scripturæ quam aliquis concipit studendo, legendo, prædicando, vel etiam audiendo, parit cognitionem, cognitio compunctionem, compunctio orationem. Sicut exemplum habemus 2. Paral. 34. vbi Sapham scriba dixit Iosiæ. *Tradidit mihi Helchias sacerdos hunc librum;* quem cum præsente Rege recitasset, audissetque ille verba legis,

legis, ſcidit veſtimenta ſua, & præcepit Helchiæ &c. dicens: *Ite & orate Dominum pro me.* Item Nehe. 8. *Cum aperuiſſet Eſdras librum coram omni populo:* Sequitur. *Incuruati ſunt & adorauerunt Deum prone in terram.* Ratio habetur 2. Eſdræ 9. Item Hierem. 36. legimus, quod Hieremias clauſus in carcere, quia non poterat ad prædicandum exire, præcepit Baruch quod librum in quo ſcripſerat verba Domini, legeret omni populo, dicens ei; *leges eis ſi forte cadat oratio eorum in conſpectu Domini.* Item 1. Timoth. quarto. *Sanctificatur creatura,* id eſt homo *per verbum Dei & orationem.* Per verbū inquam inſpiratum, lectum, auditum, vel etiam prędicatum. Sic igitur patet, quod ſacra lectio diſponit ad orationem.

2. *Serioſa meditatio.*

SECVNDO ad orationem præparat & diſponit meditatio ſerioſa, non diſtrahens, non retrahens, non abſtinens, ſed ſolum meditatio attrahens, & ſurſum eleuans, & dirigens mentem in Deum; talis præparat ad orationem: propter quod dicitur Eccleſiaſtici 18. *ante orationem præpara animam tuam.* Debet enim homo omnes curas extrinſecas à ſe penitus amouere, diſtractiones abijcere, ſenſus exteriores claudere, & cor ſuum in ſe recolligere. Sicut docet idem Sapient. Eccleſiaſtici 30. *Contine & congrega cor tuum in ſanctitate eius.*

Simile.

ADVERTE quod reus ante ſententiam iudicis diligenter cogitat, quomodo poſſit iudicem ad miſericordiam flectere: pauper eleemoſynam petiturus cogitat, quomodo poſſit cor diuitis efficacius, ad pietatem mouere. Aduocatus ſolicitè meditatur rationes, quibus cauſam ſuam poſſit facere meliorem; & ſponſa meditatur, quibus verbis & modis cor ſponſi dulcius alliciat ad amorem. Qua fronte, qua temeritate, qua præſumptione audebit homo ſine meditatione præuia ſacra verba reſonare, coram ſummo iudice reus accedere; coram ſumma maieſtate, etiam ſummis ſpiritibus tremenda, non præmeditatus aſſiſtere. Ideo dicebat Pſalmus 76. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, exercitabar* in oratione, *& ſcopebam ſpiritum meum.* Meditatio namque docet quid & qualiter ſit orandum, diſponit & ordinat animum, & regulat mentem, & eleuat cor in Deum Pſalmus 18. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Idem 38. *in meditatione mea exardeſcet ignis.*

Simile.

MEDITATIO igitur eſt quoddam prę paratorium & directorium orationis. Bernardus. *Meditatio quid deſit docet, oratio ne deſit impetrat.* Aduerte quod nullus audet coram rege mortali verbum præponere, maximè vbi poſſet eſſe damnum vel commodum, honor vel ooprobrium, niſi præmeditatus. Nullus auderet populo prædicare, nec Doctor in ſcholis legere, niſi præmeditatione & deliberatione debita præcedente. Ex his concluditur, quod non poteſt eſſe oratio deuota, attenta, humilis, & diſcreta, & ſic de alijs conditionibus, quæ in oratione Deo grata requiruntur, ſicut infra patebit, niſi præparatiua meditatio præmittatur.

3. *Ieiunium ſobrietatis.*

TERTIO ad orationem diſponit ſobrietatis ieiunium. Tobiæ 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio.* Auguſtin. *Sola illa oratio pingueſcit, quam macies paſcit carnis.* Ideo iſti ieiunando obtinuerunt quod petiuerunt, quia orationi ieiunium coniunxerunt. Elyas 1. Reg. 19. Iudith 8. Heſter 4. & 14. Et filij captiuitatis. Eſdræ 8. *Ieiunauimus & rogauimus, & venerunt nobis cuncta proſperè.* Nehe. 1. *Ieiunabam & orabam, &c.* Et Danielis 10. *Poſui faciem meam ad Dominum rogare & deprecari cum ieiunio, &cæt.* Similiter Niniuitæ, Ion. 3. Et Anna Prophetiſſa Luc. 2. Item Andreas ieiunans & orans, obtinet ſalutem Nicolai, de quo ſupra.

4. *Pietatis exercitium.*

QVARTO ad orationem diſponit pietatis exercitium. Pius enim dominus pietatem exercentibus libenter ſuam pietatem impendit. Tob. 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.* Ibidem. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Deo.* Et Act. 10. dicit Angelus Cornelio. *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ; aſcenderunt in conſpectu Dei.* Econtra dicitur Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur.* Et 28. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem,* ſcilicet charitatis, & pietatis, *oratio eius fiet execrabilis.* Et quia non minoris eſt meriti pietas ſpiritualis quàm corporalis, ſi pietas vel miſericordia corporalis diſponit & præparat viam ad orationem, vt oſtenſum eſt; multo magis miſericordia ſpiritualis diſponit, cuiuſmodi eſt indulgere pœnitenti. Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, &c.* Marc. 11. *Cum ſtabitis ad orandum, dimitte ſi quid habetis, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Matth. 6. *dimitte nobis debita noſtra, &c.* Matth. 17. *Serue nequam &c.* Eccl. 28. *Remitte proximo tuo vocanti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Et poſt. *Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam.* Beda. *Duæ ſunt alæ, quibus oratio ad Deum volat; dare, & remittere.* Opus etiam pietatis eſt pro inimicis orare. Sicut docet Dominus Matth. 6. *Benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ſicut & pater veſter cœleſtis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Talis fuit oratio Samuelis 1. Reg. 12. *Abſit à me vt ceſſem orare pro vobis.* Talis enim fuit oratio Chriſti Luc. 23. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et Stephani Act. 7. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

De facientibus orationem expeditam.

Quatuor ſunt orationem expedientia.

QVÆDAM ſunt orationem expedientia, tanquam videlicet remouentia prohibens. Et iſta ſunt quatuor, puritas affectionis, ſerenitas tranquillationis, humilitas ſubiectionis, fidelitas intentionis.

1. *Puritas affectionis.*

PRIMO quidem puritas affectionis requiritur ad orationem tanquam remouens prohibens. Oportet enim quod orans ſit ſine conſcientia peccati mortalis, id eſt quod non habeat voluntatem peccandi, vel in peccato manendi. Iſa. 1. *Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Idem 60. *iniquitates veſtræ, &c.* Et poſt. *Et peccata veſtra abſconderunt faciem Domini à vobis, ne ipſe exaudiret.* Et Ioan. 9. *Peccatores non exaudiuit Deus,* dixit cœcus natus. Pſalm. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Immunda erat cogitatio Antiochi, de quo 2. Mach. 9. *Rogabat Dominum ſceleſtus, à quo non erat miſericordiam conſecuturus, &c.* Item debet eſſe munda à ſordidis cogitationibus, vt ſi illuc veniant, ibi non quieſcant, ſed ſtatim expellantur. Eccleſ. 11. *Muſcæ morientes perdunt vnguenti ſuauitatem.* Ad hoc facit exemplum ſupra poſitum de pane facto ſordido.

IN vitis patrum dixit quidam pater. Diabolus inimicus tuus eſt, non ceſſat in te proijcere quicquid ſordidum inuenerit, cum te inuenerit occupatum in oratione; & tu illud ei reijce, & procede. Item dixit quidam patrum. Sicut in fonte turbato non poteſt quis videre faciem ſuam, ita mens occupata cogitationibus immundis non poteſt orare Deum in contemplatione.

2. *Serenitas tranquillationis.*

SECVNDO requiritur ſerenitas tranquillationis, vt fiat oratio tranquilla mente, & ſereno corde; quia vt dicitur 3. Reg. 19. *Non in turbine Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis, ibi Dominus.* Item vt fiat in quieto tempore. Tren. 3. *Conſurge & lauda in principio vigiliarum &c. Media nocte, &c.* Eccl. 39. *Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo &c.* Sapient. 16. *Oportet ſolem præuenire ad benedictionem, &c.* Item in loco quieto debet fieri. Vnde locus orationis erat ſpecialiter in templo quod eſt in Hieruſalem, quæ interpretatur pacifica. Sic Dominus Marc. 1. *valde diluculo abijt in deſertum locum, ibique orabat.* Bernard. *Quando nocturnus ſopor profundum inducit ſilentium, tunc purior & ſecurior eſt oratio, nullo ſtrepitu, nullo clamore turbata, nulla aſpicientium laude tentata.* Serenitatem cordis impediunt aues, ideſt cogitationes vanæ gloriæ. Ideo Abraham abigebat aues ſuper eius ſacrificium deſcendentes. Gen. 12. Item muſcæ, ideſt ſolicitudines mundiales, quæ molеſtant

Oratio requirit tranquillam mētem, quietum tempus & quietum locum.

stant mentem pungunt & inficiunt. Exod. 8. *Venit muſca gratiſſima in domos Pharaonis, &c.* Sequitur. *Corrupta eſt terra ab huiuſmodi muſcis.* Et infra ait Moyſes. *Orabo Dominum, & recedet muſca.* Item ſerenitatem cordis impediunt ranæ, id eſt cogitationes & affectiones carnales. Quia ranæ ſunt ventroſæ ſignificant guloſitatem. Item ſunt garrulæ, quia vitium gulæ ſequitur loquacitas, ſicut ait Gregor. 1. moral. Item morantur in lutoſis locis, & ſignificant luxuriæ vilitatem. De huiuſmodi ranis dicitur Exod. 8. *Aſcenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti.* Sequitur. *Orate pro me Dominum, vt auferat à me ranas.* Item ſerenitatem cordis impediunt ſerpentes, id eſt tentationes Dæmonum venenatæ. Numeri 21. *Ora Dominum vt tollat à nobis ſerpentes.* Diabolus enim omne bonum nititur impedire, maximè fructum orationis. Ipſe ſiquidem eſt inimicus homo ſuperſeminans zizaniam, vt ſuffocet tritici fructum. Matth. 13. *Inimicus homo hoc fecit:* quia in oratione diuerſas cogitationes immittit, per quas homines ab oratione retrahit, quæ ſunt *immiſſiones per Angelos malos.*

Exemplum. In vita ſanctæ Iulianæ legitur, quod cum eſſet incarcerata propter fidem, apparuit ei Diabolus in forma Angeli lucis dicens; quod ipſe eſſet Angelus lucis, ad eam conſolandam miſſus. Cum autem ipſa timeret, & hæſitaret; reuelatum eſt ei in ſecreto, quod acciperet & ligaret eum, & verberaret ſua catena, vſquequo indicaret ei quis eſſet. Quod cum feciſſet, ei indicauit quod erat princeps Dæmoniorum, mittens alios Dæmones ad homines ſeducendum & tentandum. De quo ſi non facerent ad voluntatem ſuam, cum reuertebantur verberabantur ab eo. Et inter alia quæ faciebat per ſe, & per alios, laborabat quomodo orantibus auferret fructum orationis, immittendo, & imaginationes rerum ſecularium, & quæ obliti fuiſſent, vel facere vel ordinare in domibus ſuis, vel periculosè dimiſſa fuiſſent ibi, vt eos ſic ab orationibus reuocaret.

Exemplum. Item in vita Beati Benedicti legitur, & habetur Dial. 2. quod cum in quodam monaſterio quod ipſe conſtruxerat, eſſet quidam monachus qui non poterat ſtare cum alijs ad orationem, & multoties eſſet correptus ab Abbate monaſterij, nec corrigeret ſe, ſed exiret ſemper quaſi pro aliqua re ſæculari facienda. Significatum eſt hoc Beato Benedicto; qui cum veniſſet, & oratum fuiſſet per biduum, & iſte exiret ſemper: ait Beatus Benedictus. Nunquid videtis quid extrahat hunc monachum? dixit ergo Pontiano Abbati illius monaſterij & Mauro in ſecreto, vt orarent, vt Deus hoc ei intimaret; & vidit poſt biduanas orationes Maurus Abbas; quod dictus monachus extrahebatur per veſtimenti fimbriam à paruulo nigro, & educebatur. Cum autem finita oratione Benedictus egrederetur & inueniſſet dictum monachum extra; eum virga percuſſit, tunc quaſi ſi ad ictum eius fugiſſet Dæmon, in oratione immobilis perſtitit & permanſit.

Exemplum. Diabolvs facit de homine ſicut fecit miles de equo quem lucratus eſt. De quo refert magiſter Iac. quod quidam Epiſcopus habebat optimum equum, quem cum nollet daret cuidam fratri ſuo militi, quæſiuit dictus miles à quodam ſocio Epiſcopi, quid diceret ſæpius Epiſcopus equitando illum equum, dixit ei, quod dicendo horas *Deus in adiutorium meum &c.* Cum autem accepiſſet eum mutuo, & per triduum eum equitans, tota die *Deus in adiutorium meum, &c.* dicebat, equum pungens calcaribus: infra triduum autem aptauit ita equum, quod quandocumque *Deus in adiutorium meum &c.* dicebatur equo, tot ſaltus dabat, quòd non poterat retineri. Cum autem reddidiſſet eum epiſcopo, cum horas incipiebat ita ſaltabat, quòd fere Epiſcopum præcipitabat. Quod videns miles dixit: Domine iſte equus quem non poteſtis retinere, non eſt vobis vtilis, quia præcipitabit vos; ſed potius mihi, quia bene contendam, & domabo feritatem eius. Et ideo Epiſcopus tanquam inquietum & inutilem dedit eum militi. Similis huic equo eſt homo inquietus in oratione, qui ad modicam puncturam Diabolicæ tentationis, vel corporalis afflictionis, vel etiam pulicis, cum alij diuinum adiutorium inuocant, ipſi fugiunt Dominum, & ſic Diabolus lucratur eos.

Item hoc eſt contra illos qui linguam domare non poſſunt. Iacob. 3. *Omnis natura beſtiarum domari poteſt, &c.* Item hoc eſt contra illos quos ſermo Dei, domare non poteſt.

Item facit Diabolus ſicut fecit Euilmerodach, de quo dicitur in Babylonica hiſtoria, quod mortuo patre timens ne reſurgeret, & regnum ei auferret, de conſilio aliquorum, cor patris in multas partes diuiſit, & diuerſis vulturibus tradidit. Dixeruntque quod pater non reſurgeret donec dicti vultures in vnum conuenirent. Ita Diabolus timens ne homo reſurgat, & regnum cœlorum orando acquirat. Cor humanum cum orat homo diuidit, & proijcit quaſi diuerſis malis cogitationibus & ſolicitudinibus. *Simile.*

Item in collationibus patrum 5. lib. legitur, quod cum quidam frater diu in eremo vitæ contemplatiuæ ſtuduiſſet, & amici ſui carnales literas pluries miſiſſent ei de terra ſua, accipiens earum faſciculum, proiecit in ignem, dicens: Ite in ignem cogitationes patriæ pariter concremandæ, ne me ad ea quæ deſerui reuocetis, & me tentetis.

Exemplum. Legitvr quod quidam bonus homo, vt poſſet liberius vacare orationi & prædicationi, omnibus abrenunciauit, vno aſino retento, per quem portaretur per parochias ad prædicandum. Cum autem eſſet in aliqua parochia, aut meditans, aut orans, aut prædicans, aut celebrans; cum deberet cogitare & attendere in his quæ faciebat, occurrebat ei cogitatio de aſino ſuo quem foris reliquerat, vel ne ei furaretur, vel ne à lupo voraretur, & huiuſmodi. Videns hoc quod vix poſſet reuocare cor ſuum ad hoc; coram omnibus licentiauit aſinum ſuum, dicens, quod magis volebat amittere aſinum ſuum, quam cor ſuum & orationem. Pſalm. 39. *Cor meum dereliquit me, &c.*

Exemplum. Item magiſter Iacobus dicebat, quod quidam clericus conquerebatur de hoc, quod non poſſet diu cor ſuum retinere in oratione. Cum autem alius hoc audiens iactaret ſe quod bene ibi cor ſuum tenebat; dixit ei alius, quod daret ei equum ſuum, ſi ita continuè teneret ibi cor ſuum, quod non cogitaret alibi, vſquequo dixiſſet vnum *Pater noſter*; & econtra ſi non faceret daret ei ipſe ſuum. Cum autem huic conditioni conſenſiſſent, & alius iuraret ſe dicturum veritatem, requiſitus poſtea de ea dicenda per iuramentum, recognouit quod in fine *Pater noſter*, incepit gaudere de hoc quod equum lucrabatur, & cogitare vtrum ſella eſſet de pactione; & ita pro modico gaudio amiſit ſellam, & equum ſuum, & alterius.

Simile. Item dicebat quidam quod cor humanum erat quaſi auis venatica, quæ cum tenetur in manu, audito modico ſonitu nititur aduolare, ſed tenens eam quibuſdam vinculis quę tenet in manu, eam reuocat ſuper manum. Et cum tranſit per locum vbi eſt ſtrepitus, carnes rubeas tenet ei ante oculos ad roſtrum, vt attenta ibi non attendat ad ſtrepitum: ſic cor in oratione, vt auis aduolare nititur ad ſtrepitum tentationum. Debet autem homo illud reuocare vinculis timoris & amoris Dei, & carnes Chriſti cruentas ante oculos eius ponere, & in refectione earum cor detinere & occupare.

3. Humilitas ſubiectionis. Tertio in oratione requiritur humilitas ſubiectionis. Pſalm. 36. *Subditus eſto Domino & ora eum.* Qui enim humiliter orat, mouet efficacius, & impetrat facilius. Vnde Luc. 18. dicitur. *Duo homines aſcendebant in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus.* Publicani oratio ſeipſum humiliter accuſantis dicendo; *Deus propitius eſto mihi peccatori*, fuit diuinitus acceptata: Phariſæi vero ſeipſum per iactantiam collau-

dantis, & alios per ſuperbiam temerè contemnentis, fuit oratio reprobata. Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium.* Eccleſ. 35. Oratio humiliantis ſe, penetrat nubes &c. Iudith. 9. *Humilium ſemper tibi placuit deprecatio.* Humilis fuit oratio Abrahæ, ideo placuit Deo, & petitum obtinuit. Geneſ. 18. *Loquar ad Dominum, &c.* Item oratio Heſter, eiuſdem 14. Similiter Chananeæ. Matth. 15. Similiter filij prodigi dicentis, *Pater peccaui, &c.* Luc. 15. Dicebat quidam quod veraciter docent orare Trutanni, qui ſe quantum poſſunt in habitu & voce incuruant, & proſternunt ſe; vulnera, & vlcera, & paupertatem, nuditatem, infirmitates ſuas, & defectus ſuos, & infortunia ſua eis oſtendunt à quibus petunt. Similiter & fures damnati, qui ante iudicem ſe humiliant, & promittunt emendam lugentes, docent nos orare.

4. *Fidelitas intentionis.*

QVARTO in oratione requiritur fidelitas intentionis, vt oret homo cum ſpe & fiducia impetrandi. Iac. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Bernard. *Indignus cœleſti benedictione conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu.* Item Bernard. De diligendo Deo. *Ad Dei beneficia obtinenda, & retinenda, & obſeruanda, neceſſaria ſunt præſidia ſedulæ & longanimis orationis: In quâ tanta ſit fides, vt ſperet animâ; tanta deuotio, vt Deum cogere videatur; tantus amor, vt omnia quæ petit in oratione ſe ſentiat obtinere; tam benigna humilitas in omnibus vt non ſuam ſed Dei præoptet fieri voluntatem; habeat cordis puritatem, oris munditiam, &c.* Iacob. 5. *Oratio fidei curabit infirmum:* quia hanc diſcipuli non habuerunt, lunaticum curare non potuerunt, vt dicit eis Dominus Matth. 17. *Non potuiſtis eum curare propter incredulitatem veſtram.* Nam & ſi quis ſuorum conſcius peccatorum, & de proprijs meritis diffidens, indignum ſe reputet exaudiri: tamen de immenſitate diuinæ miſericordiæ debet conſiderare, ſicut Manaſſes de peccatis ſuis ſemetipſum accuſans, & dicens 2. Paral. 33. *Peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, &c.* Sequitur. *Peccaui Domine, peccaui, & iniquitatem meam ego agnoſco, peto rogans te Domine remitte mihi: quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Sed quantumcumque de peccatis ſuis ſe grauiter accuſaret, & de ſeipſo diffideret: quia tamen de Dei miſericordia confiſus eſt, meruit exaudiri; ſicut dicitur Paral. 33. *Deprecatus eſt Dominum, & obſecrauit intente, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum in Hieruſalem in regnum ſuum.* Vnde Bernard. ait. *Interdum impediri ſolet oratio ex puſillanimitate ſpiritus, & timore immoderato. Hoc autem tunc ſolet fieri, cum ſic cogitat homo propriam indignitatem, vt non conuertat oculos ad diuinam benignitatem. Et ſicut periculum eſt, ſi fuerit oratio nimis timida: ſic in contraria parte non minus, imò maius periculum eſt, ſi fuerit temeraria: nec hoc dico, vt peccatoribus auferam orandi fiduciam, ſed volo eos orare tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non iuſtitiam: orent pro indulgentia peccatorum ſuorum in animo contrito, & ſpiritu humiliatus, & cum diuinæ confidentia bonitatis.* Vnde 1. Ioan. 5. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum: quia quæcumque petierimus ſecundum voluntatem eius audiet nos.* Debemus igitur confidenter ab eo magna petere tanquam à Domino magno, ditiſſimo, potentiſſimo, & largiſſimo, ſi volumus obtinere; quia ad hoc nos inuitat, Ioan. 16. *Si quid petieritis &c.* Et poſt. *Petite & accipietis.* Non vult dare dimidium regnum, vt Aſſuerus Heſter, & Herodes filiæ ſaltanti, ſed plenum & integrum: dat enim Deus munera ſecundum magnificentiam principalem. Cum autem ſit ſummus, ſummum donum decet eum.

Exemplum.

LEGITVR in geſtis Alexandri, quod cum quidam hiſtrio luſiſſet coram Rege Antygono, & placuiſſe videretur ei ludus, petiuit ab eo dictus ioculator vnum equum qui ſequeretur eum, & ſeruiret ei. Qui illuſit ei dicens, quod ipſe non erat dignus tanto munere. Cum autem ille repulſus, peteret ſaltem vnum denarium. Reſpondit Antygonus quod non decebat honorem regium dare tam paruum munus; & ſic nihil dedit ei, neque magnum neque paruum munus. Cum autem idem ioculator veniret ad Alexandrum, & luſiſſet coram eo, & ludus ei placeret, dixit ei quod peteret tanquam dignus aliqua remuneratione, cum ille timeret confundi ſi magnum peteret, petiuit paruulum munus, & cum ſuper hoc eum Alexander argueret, excuſauit ſe per factum Antygoni. Tunc Alexander dedit ei vnam ciuitatem, dicens: Etſi tu non es dignus tantum munus accipere vel petere, ego autem ſum dignus dare, & hoc decet magnitudinem meam. Ita Deus vult dare munus decens ſuam magnitudinem. Iniuriam facit Regi filius eius, qui petit ab eo coram tota eius curia ſotulares, & panem ad comedendum, & veſtium ſuarum reſarcionem, cum potius pater velit ei dare regnum, in quo omnia neceſſaria habebit.

ITEM nota, pauperes petunt hic & accipient in futuro regnum. Luc. 12. *Primum quærite regnum Dei, &c.* Nolite timere puſillus grex quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Econtra diuites accipiunt hic, & petent in futuro, & nihil inuenient; vt patet Luc. 16. de diuite dicente. *Pater Abraham, &c.* Pſalm. 75. *dormierunt ſomnum ſuum.*

De orationem integrantibus.

Quatuor ſunt orationem integrãtia.

QVÆDAM ſunt orationem integrantia quæ ſunt quatuor. Attentionis ſedulitas. Feruor deuotionis. Diſcretionis ſagacitas, & vigor frequentationis.

1. *Sedulitas attentionis.*

PRIMVM quod ad orationem requiritur tanquam integrans ipſam, eſt ſedulitas attentionis. Oratio enim eſt quaſi quoddam familiare colloquium cum Deo, ſicut ait Iſid. *Quando oramus cum Deo loquimur, quando legimus Deus loquitur nobiſcum.* Et ſanctus Anſelm. ait. *Orationis tempore Chriſtianus homo cum Deo loquitur, conſideret fidelis anima quàm reuerenter humiliter & attente debet loqui cum ſummo Principe, quam timoratè cum ſummo iudice, quàm familiariter cum amico, quàm dulciter cum ſponſo dulciſſimo. Tota igitur attentione, toto affectu, & mentis adniſu loquatur homo cum Deo, ſine corruptione, ſine interruptione, & ſine mentis euagatione.* Sicut ait Apoſtol. 2. Cor. 12. *Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Nam ſicut dicit Saluator. Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Non enim plus delectatur Deus in oratione vocali ſine attentione mentali, quàm in garritu auium, vel in grunnitu porcorum. Orans Pſalm. 5. dicit Domino. *Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.* Et alibi 129. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

Simile.

SED ſi tu ipſe non attendis tibi, quomodo ſperas Deum intendere tibi, ſi cum Rege, vel Principe, vel alio magno viro non auderes tam irreuerenter loqui, quomodo eſtimas gratum eſſe Deo quod ſine deuotione, humilitate, timore, & reuerentia, præſumas loqui cum eo. Nonne conquerendo & reprobando loquitur Dominus contra tales dicens. Matth. 23. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* De hoc require ſupra, vbi dicitur quod in oratione requiritur ſerenitas. Item attentionem non habent in oratione dormitantes, ſicut oratio Apoſtolorum in Domini paſſione, cum inimicus eos expetere non ceſſaret. Ideo Dominus frequenter excitat eos, & incitat ad orationem. Matth. 24. *Vigilate & orate.* 1. Petr. 4. *Vigilate in orationibus.* Marc. 14. *Vigilate & orate &c.* Pſal. *Nocte mandauit Dominus canticum pſalmodiæ.*

Exemplum.

IN quodam prioratu monachorum cum diu vigilaſſent monachi maiores in potationibus & confabulationibus, pulſantes ad matutinas eas incipiebant, & cito poſt dormiebant in pſalmodia, & quoſdam pueros eam dicere angariabant. Cum autem vnus eorum videret quod omnes obdormiſſent, innuit ſocijs quod tacerent. Cum autem aliquamdiu ſiluiſſent & luſiſſent, vnus eorum incepit clamare cum magno ſonitu: *Benedicamus Domino*, monachi autem illi expergefacti, incepunt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

perunt clamare cum alij, *Deo gratias*: & quilibet dormientium credidit quòd alij dixissent cum pueris: & credentes se dictas dixisse matutinas, ad lectos suos venerunt. Sic Diabolus multis furatur per somnum fructum orationis, ita vt nec Deo gratias dicant, sed per totam noctem silent in vitijs, somno & delitijs absorpti.

2. *Feruor deuotionis.*

Secvndo in oratione requiritur feruor deuotionis. Est enim oratio sicut *thymiama boni odoris, & sicut virgula fumi ex aromatibus.* Cantic. tertio. Sicut cera & thus liquescent in igne, & sicut incensum odoriferum. Psalmus 140. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Attende quòd incensum non redolet, nec odoris sui suauitatem emittit, nisi superpositum carbonibus incendatur: Sic nec oratio redolet coram Deo, nisi à corde processerit inflammato. Vnde in signum acceptationis diuinæ, descendebat ignis de cœlo super sacrificia iustorum, sicut patet de sacrificio Elyæ 3. Reg. 18. Et de sacrificio Gedeonis. Iudic. 6. Et de sacrificio Manue. Iudic. 13. Et de sacrificio sacerdotum 2. Machab 3. Oratio igitur non tepida sed deuotione feruida placet Deo. Vnde Apoc. 8. dicitur, quod *alius Angelus venit*, id est homo in oratione deuotus. Orando enim assumit homo officium Angelorum, ideo dicitur, *Angelus stetit ante altare*, id est Christum super quod sacrificia nostra offerenda sunt, *habens thuribulum aureum.* Thuribulum istud est cor deuotum inferius clausum ad terrena, superius aliqualiter apertum ad cœlestia, carbonibus ardentibus plenum, id est feruidis affectionibus inflammatum. Super hos carbones ponendum est incensum, id est super affectiones ardentes mundanda est oratio. Hoc autem thuribulum dicitur aureum: quia hæc omnia debent ex charitate procedere, quæ per aurum designatur. Sequitur. *Et data sunt ei incensa multa*, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum.

Nota feruenter oranti adduntur orationes Sanctorum omnium, quia omnes sancti orant pro eo, & suas orationes adiungunt eius orationi, vt potentior & feruentior fiat coram Deo. Ait enim Psalm. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Et quia talis oratio multum est grata Deo: ideo sequitur: *& ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Fumus iste extricat omne genus Dæmoniorum To. 6. Vnde per orationem abstulit Moyses serpentes. Numeri 21. *Ora pro nobis, vt tollat Deus à nobis serpentes. Orauitque Moyses pro populo.* Serpentes venenosi sunt Dæmones, qui per orationis efficaciam effugantur. Vnde oratio potest dici carmen Dæmonum fugatiuum. De feruore deuotæ orationis ait Bernard. *Periculum est si sit oratio tepida, & non ex viua affectione procedens. Nam in ascensu suo languescit & deficit, eo quod non habeat vigorem. Quæ vero fidelis feruens & humilis fuerit, cœlum sine dubio penetrabit.* Non enim sufficit in oratione vocali attendere ad verba quæ dicuntur, nisi cum feruore spiritus proferantur.

Nec in oratione mentali sufficit simplex speculatio, seu transitoria meditatio; nisi fiat spiritus excitatio, & quædam impressio virtualis. Vnde in oratione vocali, verbis ad deuotionem pertinentibus, & deuotionem excitantibus, nec non & alijs signis mentem mouentibus, sicut sunt genuum flexiones, manuum eleuationes, inclinationes corporis, pectoris tunsiones & huiusmodi, vtendum est ad mentem eleuandum in Deum, & deuotionis spiritum excitandum. Sicut August. dicit. *Verbis & alijs signis ad augendum sanctum desiderium nosipsos excitamus.* Ista tamen non sufficiunt ad succendendum hunc feruorem, nisi Spiritus sancti flatus adueniat. Sicut ait. Bernard. *Tepida est omnis oratio, nisi eam præcedat inspiratio.* Ecclesiastici 28. *Secundum ligna siluæ exardescet ignis:* Ligna sunt diuersæ meditationes de Deo, ex quibus surgunt diuersæ affectiones feruentes. Bernardus. *Debet proficiens in oratione moueri, vt quanta puritate cordis potest, curet intendere in eum cui offert orationis sacrificium, & in oratione ei offerre seipsum; intendere debet quis offert, intelligere quid offert, & quanto magis videt qui offert, & cui offert; tanto magis eius affectus feruescit, & in meditatione eius exardescit ignis.* Augustin. *Tanto dignior in oratione fit effectus, quanto feruentior præcedit affectus.*

In vitis patrum dicit Abbas Isaac. Cum fratres conuenissent, ad comedendum Agapem, & loquerentur adinuicem, increpauit eos dicens. Tacete fratres: ego enim scio hic vnum fratrem comedentem nobiscum, cuius oratio ascendit in conspectu Dei velut ignis.

Item in vitis patrum Abbas Macharius Ægyptius duos iuuenes venientes in cella collocauit. Cum autem visitaret eos, finxit se velle dormire in cella eorum illa nocte. Cum autem secessissent ad loca sua ad dormiendum eis assignata, rogauit Macharius Dominum vt ostenderet ei quomodo proficerent; surgentes tunc vidit eos ad orationem, & vidit lumen de cœlo super eos infundi, quod tamen ipsi non viderunt; & vidit Dæmones ad modum muscarum volitantes, & super os & oculos minoris residere volentes; sed Angelus aderat cum romphea ignea defendens eum, & de ore eius aduersus singulos facula egredi videbatur. Ad maiorem non poterant Dæmones accedere, de cuius ore maximus ignis exire videbatur, & in cœlum tendere. Cum esset prope diem accumbunt. Macharius autem cognouit per hæc minorem tentatum, & maiorem perfectum, seque orationibus eorum recommendans discessit. Post paucos dies maior in pace recipitur, post tres dies minor eum sequitur. Et dixit quidam senex, sicut muscæ non audent residere super ollam feruidam & bullientem, sic nec dæmones super mentem in oratione feruentem donec tepescat. *Exemplum.*

3. *Subtilitas discretionis.*

Tertio in oratione requiritur discretionis subtilitas. Debet autem hæc discretio custodiri in petendo, vt videat orans quid & qualiter sit petendum. Quid inquam, quia multi multa petunt in oratione, sed non obtinent, quia petunt sine discretione. Sicut enim Deus piè concedit quod piè & discretè petitur, sic non minus piè negat quod inconsultè & non vtiliter postulatur. Aliqui namque petunt quod est contra honorem diuinum, vel quod est propriæ saluti contrarium, vel quod est in alterius nocumentum, Deus tales non exaudit. Sicut ait Iacob. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis;* imò talis oratio est eis in peccatum, sicut in Psalmo 108. dicitur. *Oratio eius fiat in peccatum.* Aliqui vero putant sibi expedire quæ non expediunt. Vnde ait Apostolus Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Sicut patet in oratione filiorum Zebedæi Matth. 20. & Pauli de stimulo 2. Corinth. 11. Ideo Apostoli dixerunt Lucæ 11. *Domine doce nos orare.* Sciendum autem est quod Deus quandoque exaudit hominem ad votum, quandoque non ad votum, sed ad meritum. Quædam enim non simpliciter denegantur, sed vt congruo dentur tempore differuntur, vt ait August. quædam etiam denegantur, vt aliud vtilius conferatur. Aduertendum ergo, quod illa quæ manifestè sunt ad Dei gloriam & honorem, & nobis necessaria ad salutem, secura mente possumus petere; sicut sunt omnia illa quæ in oratione Dominica continentur. Hæc enim breuissimè voluit comprehendere vt nullus de ignorantia excusetur, nullus de prolixitate grauetur: vnde ait Matth. 6. *cum oratis dicite, Pater noster, &c.* Quæ autem indifferentia, vel nobis sunt dubia, debemus relinquere omnino dispositioni diuinæ. *Quid petendum in oratione.*

Item videat orans qualiter, quia scilicet breuiter sine verborum superfluorum multiplicatione, sed non debet esse breuis oratio in affectione. Matth. 6. *Cum oratis nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt; putant enim &c.* August. *Diu orare non reprobabile nec inutile: Alius est sermo multus; Alius diuturnus affectus. Absit in oratione multa locutio, non desit multa precatio; semper feruens perseueret intentio, quæ frequenter omnia plus gemitibus* *In oratione vitandus sermo multus.*

quam

quam verbis agit. Item Matth. 6. *Sic orabitis pater noſter, &c.* Iſidorus de ſummo bono. *Fidei ſymbolum, & dominica oratio, pro tota lege parvulis Eccleſiæ ſufficit ad regna capeſcenda; omnis latitudo ſcripturarum in oratione dominica, & ſub hac breuitate concluditur.*

Exempla. In vitis patrum interrogauerunt Abbatem Euagrium quomodo eſſet orandum; qui ait. In oratione non eſt multum loquendum, ſed extendite manus veſtras frequenter ad Deum, & dicite: Domine ſicut tu vis & ſcis, miſerere mei. Si eſt pugna in anima dicere debes. Deus adiuua me. Et ipſe ſciens quid expedit, facit nobiſcum miſericordiam.

In vitis patrum legitur de Thaide, quæ edocta fuit orare hæc verſus orientem, & dicere. Qui me pſalmaſti miſerere mei; vt habetur ſupra.

Item in vitis patrum de ruſtico quem docuerunt patres tres primos verſus pſalterij, dicentes eos poſſe ſufficere ei ad ſalutem: Supra *de miſericordia Dei.*

Exempla. Ad hoc facit exemplum de muliere deuota, quæ in angulo maioris Eccleſiæ in oratione proſtrata perſeuerabat in oratione tota die, *Pater noſter*, & *Aue Maria*, & *Credo.* cum maxima deuotione iterabat; liqueſcens tota lachrymis. Epiſcopus autem illius Eccleſiæ illuc reſpiciens, videbat columbam deſcendentem de cœlo, & eius lachrymas haurientem: quod cum pluries vidiſſet, acceſſit inquirens ab ea quid oraret. Quo audito ait: O quam felix eſſes ſi ſcires pſalterium, & ſæpe diceres. Qui fecit eam pſalterium addiſcere, quod dedit ei. Cum autem illud diceret, Epiſcopus nec lachrymas videns, nec columbam ſicut prius, abſtulit ei pſalterium, præcipiens quod rediret ad conſuetas orationes. Quod cum feciſſet, redierunt & lachrymæ & deuotio, & columba vt ſolebat viſa eſt deſcendere, & lachrymas haurire.

Inter orandũ vitanda ſunt hominum frequẽtia. Item debet oratio eſſe diſcreta in fugiendo hominum frequentias, ſicut docet Dominus verbo Matth. 6. *Cum oratis nolite fieri ſicut hypocritæ, qui volunt in angulis platearum ſtantes orare.* Sequitur. *Tu autem cum oraueris, &c.* Et per euidentiam facti dans exemplum orandi, dimiſſa turba aſcendebat in montem ſolus orare, ſicut dicitur Matth. 14. Et quod plus eſt etiam à ſancto diſcipulorum collegio ſequeſtrabat ſe; ſicut dicitur Luc. 22. *Ipſe auulſus eſt ab eis, quantum eſt iactus lapidis, & poſitis genibus orabat.* Vnde Sancta Iudith prudenter egit, quæ in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, ſcilicet ad orandum. De Sara etiam vxore Tobiæ iunioris dicitur, quod perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ in oratione perſiſtens.

Item mentis inquietudines. Nec ſufficit ab extrinſeca inquietudine mentem abſtrahere, niſi ab intrinſecis fantaſmatibus curis, ſolicitudinibus & imaginationibus abſtrahatur. Vnde ſignanter dicit Saluator Matth. 6. *Cum oraueris intra in cubiculum tuum*, ab extrinſecis perturbationibus animum elongando; *Et clauſo oſtio* etiam ab intrinſecis fantaſmatibus abſtrahendo; *Ora patrem tuum in abſcondito.* Quidam diſcipulus Beatus Bernardus quæſiuit ab eo quare dicebatur, *Clauſo oſtio ora patrem*, cum ſcriptum ſit ibidem, *Luceant opera veſtra coram hominibus, &c.* Reſpondit ſanctus. *Qui habet paruum lumen religionis, & ignem paruum charitatis denouo ſuccenſum, ad modum candelæ eſt occultandum à vento, quia cito extinguitur à vento modico ſi exponatur; qui autem habet maximam charitatis fornacem diu & bene ſuccenſam, cum exponitur vento magis ſuccenditur, nec extinguitur; vel auſtro proſperitatis, vel adulationis, vel tentatione vanæ laudis, vel aquilone aduerſitatis.*

Item in vitis patrum legitur, quod cum oraret. Beatus Arſenius adhuc in ſæculo manens, facta eſt vox ad eum dicens; *fuge, tace, quieſce.* Qui quoties conueniebat cum fratribus ad orationem, ſemper retro columnam ſe occultabat.

Item oratio debet eſſe diſcreta in cauendo dæmonum aſtutias, quia Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, multipliciter ſeducens hominem, ſicut patet ſupra de tentatione. Item ſupra, quod ad orationem requiritur mentis ſerenitas.

4. *Vigor continuationis.* Quarto in oratione requiritur vigor continuationis. Eccleſiaſtici 18. *Ne impediaris orare ſemper* Iſaię 42. *Qui reminiſcimini Domini ne taceatis, &c.* Colo. 4. *Orationi inſtantes, &c.* Item exemplis, vt Chananeæ Matth. 15. dicentis. *Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmone vexatur.* Et poſt. *Domine adiuua me.* Et Matth. 20. de cæcis clamantibus. *Domine miſerere noſtri fili Dauid* Luc. 2. de Anna *quæ non recedebat de templo die ac nocte.* Item Luc. 11. exemplo illius qui dicebat. *Accommoda mihi tres panes, &c.* Et poſt. *Amen dico vobis, ſi perſeuerauerit pulſans, &c.* Item Luc. 18. ponitur exemplum de vidua & iudice iniquitatis. Auguſtinus. *Quando Dominus tardius dat dona, non negat ſed commendat: diu enim deſiderata dulcius obtinentur, cito autem data vileſcunt.* Act. 1. Apoſtoli perſeuerantes in oratione Spiritum ſanctum receperunt. Ideo ſancta deſideria dilatione creſcunt, virtutis pondus oratio non habet, quam perſeuerantia non tenet.

In vitis patrum de Abbate Arſenio dicitur, quod in ſabbato poſt ſextam orabat ſole relicto, nec ceſſabat vſquequo in dominica ante ſe illum haberet.

Exempla. Item in vitis patrum dicitur, quod venerunt quidam fratres ad Abbatem Lucium, qui interrogauit eos, quod eſſet opus manuum eorum. At illi dixerunt, quod nullum aliud opus habebant, niſi quod implendo mandatum Apoſtoli, ſine intermiſſione orabant. Tunc cum interrogaſſet eos ſi comederent, aut biberent, aut dormirent, & huiuſmodi opera agerent; dixerunt quod ita. Cum autem ille quæreret, quis tunc pro eis oraret, & quomodo mandatum implerent; & illi neſcirent reſpondere: Ego inquit manibus meis laboro, & mente & ore oro, & de pretio laboris partem pauperibus do, & partem ad vſus meos retineo, & cum comedo & dormio, illi qui recipiunt eleemoſynam, vel ipſa eleemoſyna orat pro me, & ſic ſine intermiſſione oro, & mandatum impleo. Eccleſiaſtici 19. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, &c.*

Exemplum. Item in vita Sancti Leonardi ſecundi legitur, quod cum incumberet proſtratus in oratione inſiſtens, ſerpens maximus ex parte pedum in ſinum eius aſcendit; ipſe autem nec eius timore aut horrore ab oratione ſe mouit. Cum autem ſolitam orationem compleſſet totam, ad ſerpentem ait. Scio quod ab initio creationis tuæ homini aduerſaris, & fructum eius impedis, nunc autem age in me quod merui, ſi tibi datum eſt à Deo. Hoc audito, ſerpens de ſinu ſuo exiens ex parte capitis per aperturam caputij, prouolutus ante eum expirauit, & ex tunc nullus ſerpens in loco illo comparuit.

De orationis effectibus.

DISTINCTIO XXXIIII.

Oratio ad multa eſt vtilis. Circa decimumſextum, ſcilicet de multiplici orationis effectu, ſciendum quod orationis eſt multiplex vtilitas, & effectus. Oratio enim eſt remedium ſanatiuum. Lotorum mundatiuum. Xenium placatiuum. Præſidium defenſiuum.

1. *Eſt remedium ſanatiuum.* Primo quidem oratio eſt remedium ſanatiuum. Sicut dicitur Iacob. 5. *Oratio fidei ſanabit infirmum.* Et Eccleſiaſtici 38. *Ora Dominum & ipſe curabit te.* Quod verũ eſt non ſolum de infirmitate corporali, ſed etiam de ſpirituali. De corporali patet quomodo Ezechias Rex oratione ſanatus eſt. Iſa. 38. Cum enim ægrotaret Ezechias vſque ad mortem, & dixiſſet ei Iſaias; *hæc dicit Dominus, diſpone domui tuæ; morieris enim tu, & non vives.* Fleuit Ezechias fletu magno, & orauit. Statimque dixit ei Iſaias. *Hæc dicit Dominus. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* Aduerte quantæ virtutis ſit oratio, quæ fecit Dei ſententiam reuocari. De infirmitate ſpirituali ait Hieronym. *Ieiunio ſananiur peſtes corporis, oratione peſtes mentis.* Iſta medicina eſt leuiſſima,

ſuauiſ-

ſuauiſſima, & efficaciſſima. Ieiunium eſt medicina grauis delicatis & debilibus, eleemoſyna auaris. Ideo hāc adinuenit ſummus medicus, quam omnes poſſunt ſumere, à qùa nullus poteſt ſe veraciter excuſare. O quā multi valde graues medicinas ſumunt, & patienter ſuſtinent propter corporis ſanitatem. Pauci vero ſunt qui diligant, immo qui non horreant hanc ſuauem medicinam, per quam conſequerentur animæ ſanitatem.

2. *Eſt lotorium mundatiuū.*

SECVNDO oratio eſt lotorium mundatiuum. Huius exemplum euidens habemus Lucæ 7. de Beata Magdalena, de qua dicit Auguſtinus, quod *ad fontem miſericordiæ venit immunda, vt rediret munda.* Pſal. 6. *Laboraui in gemitu meo, lauaui per ſingulas noctes lectum meum &c.* Lachrymis enim deuotæ orationis delentur maculæ peccatorum. Ideo Iudith 8. *in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſecretum cubiculum.* Sequitur. *In oratione perſiſtens cum lachrymis. Et duodecim noctibus exibat in vallem Bethuliæ, & ibi baptizabat ſe in fonte aquæ, & vt aſcendebat orabat dominum.*

3. *Eſt ſacrificiū placatiuum.*

TERTIO oratio eſt xenium vel ſacrificium placatiuum. Ait enim Chryſoſtomus. *Orationem quaſi ſpirituale tributum anima offert Deo de ſuis viſceribus.* Nota quod orantibus aſſiſtunt Angeli beati cum gaudio, & orationes noſtras reuerenter offerunt in conſpectu Dei; ſicut teſtatur Raphael Tob. 12. *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quòd autem hoc xenium placeat Deo teſtatur ipſe Iſa. 56. *Lætificabo eos in domo orationis meæ*, ſcilicet concedendo quæ petierint, ſiue ſit oratio pro amotione malorum, ſiue pro impetratione bonorum. Super illud Pſalm. 36. IVSTVS MISERETVR ET TRIBVET, dicit Gloſ. *Impoßibile eſt, quod aliquis oret, & aliquam dulcedinem non reportet.* Propter quod ait Pſalm. 34. *Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Bene ergo dicit, *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* Sequitur. *Holocauſta eorū & victimæ placebūt mihi.* Aduerte quod oratio dicitur Holocauſtum, & victima: Holocauſtum quidem, quia totum cor, cum omnibus cogitationibus, affectionibus, & deſiderijs, debet Deo offerri. Victima vero, quæ dicitur à victoria, dicitur oratio: quia in ea caro, id eſt carnis rebellio vincitur & domatur. Oratio etiam incenſum eſt, quod in diuinæ maieſtatis oculis adoletur, vt dictum eſt ſupra. Quod autem iſtud ſacrificium Deo placeat, & iram eius placet, patet Numeri 16. *Aaron ſtans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Iob 42. *Iob ſeruus meus orabit pro vobis, & faciem eius ſuſcipiam.* Et Gen. 20. *Abraham quia Propheta eſt, orabit pro te.* Et Exo. 32. Cum peccaſſet populus vitulum conflatilem adorando, dicitur ibi, *Moyſes orabat Deum ſuum.* Et 2. Eſdræ 6. *Offerant oblationes Deo cœli, & orent pro vita regis.*

4. *Eſt præſidiū defenſiuum.*

QVARTO oratio eſt præſidium defenſiuum. Eſt enim ſcutum defenſionis, ſicut habemus exemplum Sapient. 16. *Properans homo, ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, reſtitit iræ.* Nota hiſtoriam. Cum enim Dominus filios Iſrael propter peccatum murmuris deleret incendio; properans Aaron orare pro ipſis, & ſtans inter mortuos & viuentes, virtute orationis ceſſare fecit incendium. Fuerunt tamen vaſtati incendio quatuordecim millia ſeptingenti. Aduerte etiam quod ſi ſcuto orationis potuit alios protegere, quanto magis homo ſeipſum defendere poteſt, ſi iaculis iræ Dei, ſcutum orationis opponat. Item ſi iacula iræ Dei poteſt homo per ſcutum iſtud auertere, quanto magis contra Dæmones vel homines, contra nos nequiter inſurgentes, ſcutum orationis opponens, poterit ſe tueri. Igitur homo prudens contra omnes tentationes tribulationes, afflictiones, deſolationes, peſtes, & miſerias, à quocumque contingat inferri, ſcilicet homine, Dæmone, vel etiam ipſo Deo, ſcutum iſtud opponat: quia oratio eſt refugium ſingulare contra omnia mala quæ poſſunt accidere. Quod oratio ſit ſcutum contra Dæmones & tentationes eorum, habentur multa exempla ſupra de tentatione. Item oratio impedit ne poſſint malum peragere quod intendunt.

Oratio auertit iræ Dei.

Oratio vincit damones.

Exempla.

CVM monachus quidam Carthuſien. ordinis in cella in extremis laboraret, & fratres conueniſſent & orarent; Dæmones etiam multi conuenerunt, & cum dicerent vni quod intraret; reſpondit quod non poterat, quia orationes aliorum eum impediebant, & cum diu expectaſſent tædio affecti, vnus poſt alium receſſerunt. Et hoc cuidam reuelatum eſt, qui alijs hoc dixit.

ITEM ferè hoc idem dicitur accidiſſe in quodam conuentu fratrum prædicatorum, quod cum quidam bonus frater & religioſus laboraret in extremis, quidam frater vidit in circuitu domus in qua iacebat ille frater, maximam multitudinem Dæmonum conueniſſe, & dum diu fratribus orantibus expectaſſent, vnus dixit alteri; quid expectamus hic tamdiu? Poſtquam ſatis expectauerimus parum lucrabimur; ſed eamus & deſeramus cantorem illius maioris Eccleſiæ, & ſic receſſerunt. Dictus autem cantor cum intraſſet lectum ſuum in ſero ſanus & incolumis, in mane mortuus eſt inuentus.

Exemplum.

ITEM in vitis patrum cum Iulianus Apoſtata deſcenderet in Perſidem miſit quendam Dęmonem adiuratum & priuatum ad partes occidentales, vt quàm velocius inde apportaret reſponſum ei. Qui cum diu tardaſſet, requiſitus de tarditate dixit, quod quidam ſenex ſolitarius per decem dies continuè die & nocte impediuerat tranſitum eius. Cum autem dictus Iulianus comminaretur ei & alijs monachis, infra paucos dies occiſus eſt à Mercurio, vt habetur in miraculis B. Virg. Quidam autem maximus inter Principes Iuliani, veniens ad illum ſolitarium factus eſt eremita. Nec ſolum impedit Dæmones, ſed etiam eorum tentationes annihilat, vincit, & ſuperat Iſid. *Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.*

Oratio vincit tētationes

Exemplum.

IN vitis patrum dicitur, quod quidam Philoſophi inuidia permoti contra Beatum Antonium, immiſerunt multos Dæmones adiuratos, vt eum expellerent de cella ſua, cum irruerent in eum, diuerſas & turpes ingerentes imaginationes, & malas cogitationes; omnes eorum virtute Crucis annihilauit machinationes; & nihil prævalentes, confuſi ſic ad dictos Philoſophos reuertuntur; dicentes quòd nihil potuerunt in eo lucrari, quia eius orationibus ſemper expellebantur. Quod audientes dicti Philoſophi, ad eum venientes, & veritatem pandentes, conuertuntur. Item quidam patrum dicit, ſicut qui tranſit ante tabernam, & ſentit odorem alicuius aſſaturæ, ſi non vult intrare & comedere, cito tranſit, & odorem à ſe excutit, & odor cito recedit. Sic tu ſentiens odorem malarum cogitationum, ad orationem tranſi, dicens, *Domine adiuua me*; & lucraberis eas fugiendo. Ad hoc valet exemplum de Dæmone effugato à Fortunato, de quo 1. Dial. 10.

Simile.

Exempla.

ITEM ibidem dicitur, quod cum quædam mulier veniſſet ad dedicationem Eccleſiæ B. Fabiani Martyris, & in illa nocte fuiſſet cum viro ſuo in opere luxuriæ indebitæ delectata, à Diabolo arripitur, & vexatur. Similiter & ſacerdos illius Eccleſiæ, qui eam pallio altaris ei ſuperpoſito voluit liberare. Cum autem diu vexata traderetur maleficis, dum carminibus ſuis vnus eijcitur Dæmon, legio Dæmonum ſubintrauit; quæ cepit tot motibus & vocibus agitari & ſtrepere, quot Dæmones habebat. Quam parentes eius ad ſanctum Fortunatum adduxerunt, culpam ſuam fatentes: qui per plures dies contra tantam Dæmonum aciem in oratione perſeuerans, eos omnes orationis virtute fugauit.

IN vitis patrum dicitur de ſancta Sara, quod cum eſſet iunior, & Diabolus immittebat ei malas cogitationes; ipſa vero non relaxabat cor ſuum à timore Dei, & orabat. Cum autem ſemel à ſpiritu fornicationis infeſtata lectum aſcendiſſet, apparuit ei ibidem oranti ſpiritus fornicationis corporaliter dicens: Tu me vicisti Sara. Quæ ait; non ego vici te, ſed Dominus Ieſus Chriſtus. De hoc habetur ſupra de monacho flagitioſo,

qui

qui cum per triduum tentatus, & flagellatus perſeueraſſet in oratione & fletu, clamauerunt Dæmones; viciſti monache, viciſti, &c. Item ſupra de pœna purgatorij, de milite tentato, qui orando vicit Dæmones. Item 1. Dial. 40. de Theodoro & dracone. Item in miraculis Beatæ Virginis habetur exemplum, de Theophilo, quem domina de manu Dæmonum liberauit.

Oratio vincit inimicos.

ITEM non ſolum ſpirituales hoſtes, id eſt Dæmones & eorum tentationes, vincit oratio, ſed etiam materiales, id eſt homines vincit, effugat, & confundit. Exemplum habemus To. 3. quia cum vxor Tobiæ cum eo multis verbis contenderet. Tobias ingemuit, & cepit orare cum lachrymis. Ibidem ſimiliter de Sara, cui eum vna ex ancillis patris ſui improperaret ſibi mortem ſeptem virorum ſuorum, quos Dæmon occiderat; & vocaret eam interfectricem virorum ſuorum; illa perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, in oratione perſiſtens tribus diebus & tribus noctibus. Item Pſal. 108. *Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis; pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* De tentationibus ſpecialiter dicit ſaluator Matth. 29. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Quis enim tentationem quamcumque non orando deuicit; quis non orationis virtute de hoſte triumphauit? Et hoc optimè figuratũ eſt Exod. 17. in pugna filiorum Iſrael contra Amalech, contra quem Moyſes oratione pugnabat. Cumque eleuaret Moyſes manus in oratione, vincebat Iſrael. Si autem paululum remiſiſſet, vincebat Amalech. Ioannes Chryſoſtomus. *Stabat Moyſes in monte, non armis ſed precibus pugnaturus. Sic Moyſe orante, victoria ceſſante, mœſtitia perſeuerante, prece perſeuerans victoria roboratur. Quis enim iuſtorum non orando pugnauit? Quis non hoſtem orando deuicit? Quanto enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior erit de inimico vindicta.* Item Iſa. 38. habetur exemplum, quomodo ad preces Iſa. & Ezechiæ liberatur Hieruſalem ab obſidione Sennacherib, Angelo percutiente 180. Millia in caſtris Aſſyriorum.

Exemplum.

ITEM in Eccleſiaſt. hiſto. libr. 5. Legitur, quod cum Rex Perſarum Sabor obſediſſet ciuitatẽ Migdomam, nec præualuiſſet; fecit profundiores ripas fluuij Migdomi currentes per vrbem, vt venientes aquæ cum impetu muros præcipitarent, & ſic Chriſtiani Romani qui in ea erant, caperentur. Cumque recenter fluuium cum multa copia dimiſiſſet ad murum fluere, reſolutus murus corruit, ipſe autem expectauit vſque mane, vt poſt defluxum fluuij liberius tranſiret, & vrbem ſine impedimento caperet. Quidam autem Epiſcopus vrbis videns muros corruiſſe; vocauit populum vrbis & clerum & milites ad orationem: facto autem mane, inuenerunt muros vrbis cum omnibus propugnaculis reparatos poſt orationem. Quod videns dictus Sabor timuit, quia vidit in mane ſuper muros quendam Imperiali ſchemate ornatum, quem cum crederet eſſe Imperatorem Romanorum, mortem minabatur exploratoribus ſuis, qui ei dixerant quod Romanus Imperator in partibus illis non adeſſet. Quem cum cognoſceret non eſſe hominem, aiebat Deum agere bella Chriſtianorum. Ad quem cum præcepiſſet multas dirigi ſagittas, nec ipſum læderet; nec ipſe Sabor ceſſaret ab obſidione; dictus Epiſcopus adductus eſt ſuper Turrim eminentiorem, vt Sabor & exercitui eius malediceret, qui orauit vt Dominus ſuperbiam eorum muſcis & cyniphibus domaret, & ſtatim nebula exiuit de fluuio, quæ emiſit muſcas & cyniphes & culices, quæ intrantes promuſcidas elephantorum, & aures & nares equorum, faciebant eos diſcurrere & fugere ab exercitu, infinitis ſeſſoribus qui in eis ſedebant interfectis. Et ita dictus Sabor, non ſine multa confuſione, receſſit ab obſidione.

Excmpla.

ITEM Iudith vicit Holofernem orando eiuſdem 13. *Stetit Iudith ante lectum cum lachrymis orans, &c.* 2. Mach. 10. *Machabæus autem & qui cum eo erant deprecabantur Dominum, caput terra aſpergentes, &c.* & cum cœleſti adiutorio, præmiſſa oratione & pœnitentia, vincunt, & fugant hoſtes, & occidunt. Idem 11. *Facta oratione cum fletu, cœleſti equite apparente, vicit Machabæus cum ſuis Lyſiam.* Item deci. noquinto, Ponitur ſomnium Machabæi; & quomodo apparuerunt ei Onias & Hieronym. orantes, Et poſt, Quomodo poſt orationem Iudæ, alij corde & ore orantes, & manibus pugnantes, exercitum Nicanoris vicerunt, fugarunt, occiderunt; & ipſum Nicanorem interfecerunt; & caput, & dexterã, & linguam eius amputauerunt; & linguam blaſphemi iuſſit particulatim diuidi, & auibus dari. Item in Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. dicitur, quod temporibus Antonij Imperatoris, cum frater eius Marcus Aurelius pugnaret contra Germanos & alios Barbaros, & exercitus Romanus ibi periclitaretur ſiti & ſiccitate, nec poſſet aliquod adhiberi remedium. Orantibus aliquibus Chriſtianis qui ibi erant, immiſit Deus tot fulgura, & pluuiam tantam contra aduerſarios ex inſperato, vt omnes hoſtes proſternerentur, & fugarentur; & Romani à periculo liberarentur, vnde ex tunc vocauerunt milites Chriſtianos fulmineos, propter fulmina & ignes quæ de cœlo mittebantur ad eorum orationem.

Oratio expugnat hæreticos.

ITEM quod oratio fidelium maximè vincit hoſtes hæreticos, legitur in Eccleſiaſt. hiſt. 14. quod cum Conſtantinus Imperator factus Arrianus defenderet Arrium, conuocauit concilium apud Conſtantinopolim, in quo ſecta Arrij confirmaretur. Cum autem Alexander Patriarcha Alexandrinus præ omnibus dictæ ſectæ ſe opponeret, comminantur ei exilium Arriani, niſi eis in mane conſentiret, ipſe autem tota nocte pernoctans in oratione, peruolutus ſub altari, cauſam ſuam & Eccleſiæ Domino cõmendauit. Facto autem mane, cum Arrius ſuis conſtipatus duceretur cum maxima gloria ad Concilium, neceſſitate compulſus declinauit ad publicum locum, vbi cum ſederet, omnia inteſtina ſua & viſcera emiſit in ſeceſſu.

Exemplum.

Exemplum.

ITEM in fi. Eccleſiaſt. hiſt. legitur, quod cum Valentinianus Imperator Arrianus vitam finiſſet laqueo, ſubſtituitur ei Eugenius ſimiliter Arrianus. Theodoſius autem vir Catholicus contra eum arma mouit, præmuniens ſe ieiunijs & orationibus, vigilans in cilicio & oratione, ante Thecas Martyrum proſtratus. Cui quidam ſanctus eremita promiſit victoriam. Econtra ſacerdotes idolorum dicto Eugenio ex reſponſis victoriam promiſerunt. Deinde cum dictus Theodoſius tranſiret Alpes cum ſuis, & viderent infinitam multitudinem vndique confluentem, & eos ad pedem montis ad pugnam expectantes, ſui territi terga vertebant, & fugam parabant. Deſcendit Theodoſius, & proiectis armis ad terram, ſe proſtrauit in oratione, qua completa, Dominus ita animauit ſuos, vt reuerſi more leonum irruêre in hoſtes gentiles & Arrianos, & ſubito inſurgens ventus vehemens, tela quæ hoſtes proijciebant retorquebat in ipſos, Dei virtute. Dictus autem Eugenius adducitur ante pedes Theodoſij, vbi vitam finiuit pariter & certamen. Pius autem princeps magis gauiſus eſt de fruſtrata opinione gentilium, & fallacia aperta idolorum, & confuſione hæreticorum, quàm de nece tyranni cui ſucceſſit in Imperium.

Oratio liberat ab omni periculo.

ITEM oratio eſt ſcutum defenſionis in omni neceſſitate, & periculo. Liberat enim à periculo naufragij. Matth. 8. *Domine ſalua nos perimus.* Et Matth. 14. *Clamauit Petrus, Domine ſaluum me fac.* Et Paulus dicit 2. Corinth. 12. *Ter naufragium feci.* Item liberat & defendit ab incendio. Dan. 3. *Poſt orationem Azariæ, Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, &c.* Similiter nec beatæ Luciæ oranti nocuit ignis ſuccenſus pice, reſina & oleo. Similiter nec beatam Ceciliam læſit aqua bulliens, in qua bullita fuit continuè per diem integrum & noctem, miniſtris ligna igni adminiſtrantibus. Similiter nec beata Agnes proiecta in igne, cum in medio flammarum oraret, læſa fuit; ſed flammæ hinc inde diſperſæ, miniſtros & ſeditioſos procuratores incendij ſuccenderunt, ipſa omnino

manente

manente illæsa. *Similiter* B. Laurentium super cratem ferream, & B. Tyburtium super prunas nudis pedibus incedentem, custodiuit illæsum. *Item* B. Christinam in Clibano, B. Catherinam in medio rotarum, quinquaginta Philosophos in medio ignis, animas quidem ab igne recipiens, sed vestes barbas & capillos, illæsa custodiens.

Exempla. ITEM de B. Francisco legitur, quod cum propter infirmitatem oculorum suaderent ei medici cocturam sibi fieri, & ad ferri candentis aspectum vehementer horreret; alloqui cæpit ignem in creatoris nomine, sibi præcipiens, vt suum ei contemperaret ardorem, quo suauiter vrentem facilius sustineret. Protracta igitur coctura ab aure vsque ad supercilium, dixit sanctus ad fratres. Laudate fratres altissimum, quia nec ignis ardor mihi molestiam intulit, nec carnis me dolor afflixit. *Item* in vitis patrum dicitur, quod cum sanctus Appelles de nocte fabricaret, erat enim faber ferrarius; venit ei diabolus, quasi ad aliquid operis faciendum, quem cognoscens sanctus, nuda manu ferum calidum apprehendens, percussit eum in facie, & fugauit. Ex tunc consuetudinem habuit ferrum calidum nuda manu tenere.

Oratio liberat à periculo mortis. ITEM liberat & defendit à periculo mortis; vt Susanna liberatur à morte. Dan. 13. *Exaudiuit enim Dominus vocem eius. Item* in vita B. Martini legitur, quod cũ fugatus ab hæreticis venisset in quandam insulam viuens ibi de herbis & radicibus, herbam Helleborum venenatam comedens, sentiens se cruciari & periclitari ad mortem, virtute fidei & orationis omnem periculum exclusit. *Item* Hester 4. & 14. Liberantur Iudæi à sententia mortis precibus Hester. *Item* liberatur à carcere & vinculis Act. 12. Petrus oratione ecclesiæ. *Item* liberat ab instanti morte, vt Ezechiam Isa. 38. *Item* Niniuitas Ion. 3.

Oratio mortuos resuscitat. ITEM liberat à morte mortuos reuocando, vt patet 3. Reg. 17. De filio viduę suscitato precibus Eliæ. *Similiter* filium Sunamitis à morte reuocauit oratio Elysæi. *Similiter* Lazarum Dominus orando suscitauit. Petrus Thabitam viduam. Act. 9. Similiter Paulus Eutycum Act. 20. orando ad vitam reuocauit. *Supra* de Stephano aduocato *de purgatorio. Item* supra *de pœnitentia*, de suscitato precibus & fletu Seuerini. *Item* precibus Ioa. Euangelistæ suscitatur Drusiana. Precibus Pauli Patroclus. Et ferè omnes qui in vitis sanctorum leguntur à morte reuocati, preces sanctorum hoc obtinuerunt.

Oratio liberat à peccato & inferno. ITEM liberat à peccato, id est à morte spirituali. Iac. 5. *Oratio fidei*, &c. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*, &c. Iob 42. *Dixit dominus ad Elyphaz. Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos*, &c. Et post. *Seruus meus Iob orabit pro vobis, vt non imputetur vobis stultitia vestra. faciemque eius suscipiam.* De hoc habentur multa exempla supra *de reditu columbæ*; *de Thayde*, *de Æmiliano*, *& de Carolo*; cui dimissum est peccatum. *Item* liberat ab Inferno, supra *de Traiano*, supra *de reuocatis à morte.*

De vtilitate orationis.

Vtilitas orationis multiplex. ORATIONIS vtilitas & affectus est multiplex; quia scilicet oratio est animæ cum Deo colloquium gratiosum, Conuiuium amorosum, officium fructuosum, consortium gloriosum.

1. *Est colloquiũ cum Deo gratiosum.* PRIMO, quidem oratio est cum Deo, animæ colloquium gratiosum. Ait enim Isido. *Quando oramus cum Deo loquimur, cum legimus Deus nobiscum loquitur*: Et B. Cyprianus. *Orationis tempore Christianus homo cum Deo loquitur.* Multum gaudet pauper homuncio, quando potest loqui cum Principe solus cum solo de magnis negociis, secundum desiderium cordis sui. Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* Psalm. 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* quasi d. In corde meo oratio, quando proferam coram Deo pro tanto negotio, sicut est vita animæmeę? Quàm reuerenter, humiliter & deuote, debeat anima loqui Deo, require supra, quod in oratione debet esse sedulitas attentionis.

Exemplum. DE B. Francisco legitur, quod ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orando, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Nam ambulans & sedens, intus & foris, laborans & vacans, adeo erat orationi intentus, vt illic videretur quicquid erat in eo, non solum cordis & corporis, verumetiam operis & temporis, dedicasse: & ibi nunc respondebat iudici, nunc supplicabat patri, nunc colludebat sponso, nunc colloquebatur amico: ibi debet anima totum cor suum expandere coram Deo, & ei necessitates suas exponere. Psalm. 36. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Sequitur. *Subditus esto Domino, & ora eum.*

In oratione Deus amicabiliter loquitur animæ. IN hoc colloquio Deus viceuersa amicabiliter loquitur animæ; vel inuisibiliter inspirando ea quę pertinent ad salutem & instructionem orantis, vel quandoque formata voce loquendo. Vnde Deus in oratione visum interiorem illuminat, sicut Philosophis orantibus, incerta, & occulta suæ sapientiæ reuelabat. Sicut Dan. oranti, somnium Nabuch. Hierem. 30. *Clama ad me & exaudiam te, & monstrabo tibi grandia & firma quę nescis.* Petro & Cornelio facta fuit reuelatio ipsis orantibus. Act. 4. vbi dicitur. *Ascendit Petrus in superiora domus orans.* &c. Et ibi dicit Glo. August. *oratione melius soluuntur dubia quam inquisitione.* Paulus prius excæcatus à Deo, postmodum illuminatus fuit orando, & audiuit arcana verba, &c.

DE B. Francisco legitur, quod in oratione, incerta sibi & occulta diuinæ sapientiæ pandebantur. Prophetiæ etiam spiritus tanta plenitudine requieuit in eo, vt se præsentem exhiberet absentibus, certamque notitiam habuit longe distantium; vt secreta cognosceret cordium, & futurorum prænunciaret euentus.

Exempla. IN vita B. Clementis legitur, quod Sisinnius vir Theodoræ paganus, intrauit Ecclesiam ad explorandum quo vxor sua Theodora christiana tam sæpe veniret, & quid ibi fieret. qui cum orante sancto Clemẽte, fuisset ibi cæcus & surdus effectus, & ad hospitium reductus, orationibus B. Clementis illuminatus & curatus, credidit se magicis incantationibus fuisse delusum. Vnde præcepit seruis suis, vt B. Clementem ligarent & traherent. Illi autem ligauerunt columbam & trahebant; & videbatur eis quod Sanctum Clemẽtem ligarent & traherent: & hocidem videbatur ipsi Sisinnio. Cum autem beatus Clemens monuisset Theodoram vt orare non cessaret pro viro suo, & hoc ipsa faceret, apparuit Beatus Petrus Apostolus ipsi flenti & oranti dicens, quod sicut prædicauerat frater suus Paulus: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem*, ita per orationes eius vir suus saluaretur. Ipse autem Sisinnius interius & exterius illuminatus, vocauit Theodoram, rogans vt oraret pro eo, & vocaret Sanctum Clementem; Cuius monitis volebat obedire, quo veniente, instructus in fide cum omni domo sũa, ab eo in Pascha proximo cum 433. de suis, baptizatus est.

2. *Est conuiuiũ gaudiosum.* ITEM 2. Dial. 135. legitur, quod cum Beatus Benedictus nocturnas vigilias præuenisset; ad fenestram quandam, adhuc fratribus quiescentibus, orationi insistens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, quę diem splendore vincebat; in qua sub vno solis radio, totus mundus ante oculos eius collectus & adductus, in qua vidit animam Germani Episcopi Capuani, in sphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri. *Quod* autem illuminationem animæ interiorem oratio impetret, patet per antepositum exemplum, de Ioanne per triennium orante, cui infusa fuit simul, & gratiã, & scientia prædicandi. *Item* per exemplum Apostolorum quibus orantibus datus est illustrator spiritus. Act. 1. De multis etiam sanctis legitur, quod orando cæcos illuminabant. *Item* oratio est conuiuiũ gaudiosum. Ps. 62. *In nomine tuo leuabo manus meas.*

Sequitur. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,* &c. Hic experitur anima inæſtimabiles delitias, quas etiam expertus ſentire poteſt, ſed explicare non poſſet. Quæ ſi continuarentur, iam non aliud viderentur quã delitiæ Paradiſi: quia reuera iſtæ ſunt quædam prælibationes & deguſtationes illius ſuauitatis æternæ. Hoc autem pulcherrimè oſtendit Dominus ipſo facto in transfiguratione; ſicut dicitur Luc. 12. *Aſſumpſit Petrũ Iacobum & Ioannem, & aſcendit in montem vt oraret. Et factã eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus refulgens.* Nota quomodo Petrus, in illo conuiuio inebriatus loquebatur extranea, neſciens quid diceret; & tam ipſe quam ſocij eius, non valentes tantam & tam inexpertam dulcedinem ſuſtinere, eciderunt in facies ſuas. Quàm miſeri ſunt ergo qui orationes fugiunt vel contemnunt; aut qui orantes quotidie nihil de tanta ſuauitate ſentiunt. Felix autem anima cui donatum eſt aliquid, vel modicum de tantis deliciis præguſtare. Huius enim deguſtationis virtute nouit terrena deſpicere, carnales delitias faſtidire, mala temporalia ſuſtinere, ad cæleſtem patriam totis præcordijs anhelare: ibi deuota anima ſurſum eleuatur in Deum, eleuata illuſtratur, illuſtrata inflammatur, inflammata ſubtiliatur, magis ac magis purificatur, & ſic tota ſpiritualis efficitur. Eleuatur quidem anima per deſideriũ æternorum, & quanto plus eleuatur, tanto amplius ab infimis, id eſt terrenis & carnalibus deſiderijs elongatur; vt iam iſta non ſolum non appetat, verumetiam paruipendat, abijciat, & contemnat. Et quantum proficit anima in ſui eleuatione, & ſurſum actione ad cœleſtia, tantum proficit in contemptu terrenorum, ac etiam carnalium. Nec ſolum eleuatur anima ad mundi proſpera contemnendum: verum etiam vigoratur ad aduerſa æquanimiter tolerandum.

Exempla. De huiuſmodi eleuatione habemus exemplum de B. Magdalena, quæ per annos 30. latuit, vt dicitur, in quadam fouea, nunquam in toto illo ſpatio ab homine viſitata, ſed ab Angelis ſanctis ſepties in die ſurſum eleuabatur in aera, cæleſti ſplendore mirabiliter illuſtrata; ibique cæleſti dulcedine reficiebatur, rurſumque reducebatur ad locum ſuum.

Item in legenda beatæ Mariæ Ægyptiacæ dicitur, quòd cum Zozimas inueniſſet eam, vidit quòd dum oraret, eleuabatur in aëra ſuper terram. *Item* de beato Franciſco legitur, quòd ſepties orans, manibus ac brachiis in modum Crucis protenſis, toto corpore ſubleuatus eſt à terra, & nubecula quadam fulgente circundatus; vt illuſtrationis & eleuationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus cum eleuatione perluſtratio, teſtis eſſet.

De illuſtratione quæ fit in anima virtute orationis dictum eſt, quomodo ſcilicet anima colloquendo cum Deo, & æque diuinitus illuſtratur, & docetur in ſchola ſub magiſterio ſummi Doctoris.

Item anima in oratione illuſtrata & eleuata, diuinis ſplendoribus in amorem Dei amplius inflammatur; ſicut habemus exemplum. Actor. 2. quod ſcilicet *orantibus Apoſtolis Spiritusſanctus deſcendit in linguis igneis ſuper eos.* Item 2. Machab. 1. *Orantibus ſacerdotibus ignis magnus ſuccenſus eſt ſuper ſacrificium.*

3. *Eſt officium fructuoſum.* Tertio oratio eſt officium fructuoſum. Magnum eſt lucrum huius officij; quia ſemper omni hora & omni loco poteſt homo orando lucrari, & rem maximam, ſcilicet veniam peccatorum, gratiam meritorum, & ipſum Deum, & eius gloriam. Pſalmus 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Orantibus Apoſtolis datus eſt Spirituſſanctus. Lucę 11. *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Hoc officium ſimile eſt vſuræ; quia per hoc officium lucratur homo die & nocte; ſanus & æger: diues & pauper: iuuenis & ſenex; ſedens & ambulans: laborans & vacans. Magnum negotium habet homo tractare in curia ſummi Regis. Anima vero in corporis carcere detenta, non poteſt illuc aſcendere, nec coram eo ſua negotia procurare. Ideo opus eſt, quod ad illam curiam nuncium ſuum, id eſt orationem dirigat, quæ vicem eius gerat, & eius negotia procuret. Vnde Pſalm. 89. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.* Ibi Glo. Aug. *Magna virtus puræ orationis, quę quaſi quidam nuncius intrat, & ibi negotia peragit, quo caro peruenire nequit.*

Per orationẽ lucramur veniã, gratiam & gloriam.

Cave ergo ne nuncius iſte ſit nimis pompoſus, carne grauatus, & non poſſit ad alta volare, ſicut ſtrutio; id eſt ne fiat de his quæ ad carnem pertinent: Ne ſit retrogradus; vt cum debeat tendere ſurſum, tendat deorſum, ſc. petens terram. Ne ſit excommunicatus, & non admittatur in curia. Prou. 28. *qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.* Ne ſit nuncius inimici, quia repelleretur. Pſalm. 89. *Vt quid Domine repellis orationem meam, &c.* Ne in via detineatur à fantaſmatibus & cogitationibus voluptuoſis. De quo conqueritur. Tren. 3. *Oppoſuiſti nubem tibi ne tranſeat oratio.* Ne ſit claudus, ſine ieiunio & eleemoſyna Tob. 12. Ne ſit mutus per indeuotionem. Contra quod dicit Pſalm. 5. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meũ.* Intende voci *orationis meæ,* &c. Ne ſit nimis groſſus & inflatus per ſuperbiam, vt non poſſit per anguſtam portam intrare. Eccl. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Homo ſagittare volens, caput & humeros demittit. Si igitur orando ſenſeris orationi tuæ nubes opponi, humiliando te ſagittam orationis emitte, quæ nubes penetret; quia humili orationi nihil obſiſtit. Iudith 8. *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium.* Sequitur in Eccle. *Et donec propinquet non conſolabitur.* Quaſi diceret: Non ſolum penetrabit nubes creaturarum mundialium, vel fantaſmatum retardantium, ſed etiam cętus Sanctorum, & choros omnium Angelorum tranſibit; & donec propinquet ad ipſius conſpectum, non conſolabitur; & non diſcedet, donec altiſſimus aſpiciat: ſicut bonus nuncius & diligens procurator expectat & inſtat, donec negocium ſuum videat expeditum. Oratio eſt ſicut ſagitta Ionathæ, quæ nunquam rediit retrorſum; ſicut dicitur 2. Reg. 1. Iſte nuncius eſt optimus procurator, habens ingreſſum in curiam. Lucæ 3. *Ieſu baptizato & orante aperti ſunt cœli*; in ſignum quod orantibus aperiuntur. Et cum peruenerit ad præſentiã ſummi regis, impetrat quicquid vult & expedit; quia Deus inuitat ad petendum, & promittit ſe daturum. Luc. 11. *Petite & dabitur vobis.* Ioan. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* &c. Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.*

Qualis debeat eſſe oratio.

Orando impetrat homo ægris curationem. Iſa. 38. Peccatoribus conuerſionem. Sicut Stephanus conuerſionem Pauli. Andreas Nicolai ſenis. *Require ſupra.* Mortuorum ſuſcitationem. *Require ſupra. Orando* Salomon impetrauit ſapientiam. 3. Reg. 3. Moyſes victoriã. Exod. 17. Et Iudas Machabęus. 2. Mach. 1. *Require ſupra. Oratio* impetrat liberationem à malis & periculis. *Require ſupra. Oratio* coruſcat in miraculis. Omnes enim ſancti miracula faciebant orando. *Oratio* impetrat procurationem prolis, vt patet Gene. 25. *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quod ſterilis eſſet, & dedit conceptum Rebeccæ, &c.* 1. Reg. 1. Anna precibus obtinet Samuelem: Zacharias Ioannem. Luc. 1.

Oratio impetrat curationem, conuerſionẽ &c.

De B. Remigio legitur, quod cum quidam recluſus in Francia, inſtanter rogaret Dominum pro periculo Vuandalicæ perſecutionis, quæ fere totam Franciam vaſtauit; vox ei de cœlo apparuit dicens, quod talis mulier quam ei nominauit, pareret filium nomine Remigium, qui liberaret gentem ſuam ab incurſu malorum. Cumque hæc dictæ mulieri ſeni & ſterili diceret, & illa non crederet, ait: Quando illum lactabis, lacte mihi linies oculos, & viſum recuperabo: & ita factum eſt. *Item* immutationem in curſu ſolis vt patet de Ezechia orante ad Dominum. Iſa. 37. *Item* impetrat neceſſariorum prouidentiam. Chriſtus enim orando multiplicauit panes. Ioan. 6. Marc. 8. Elias farinam & oleum 2. Reg. 17.

Item in vitiſpat. legitur, quod cum monachi beati

Exempla.

Oratio impetrat victum.

Apollonij in die paschæ non haberent nisi paucos panes & siccos, dixit eis. Orate vt fides faciat vobis abundantiam de his quæ desideratis. Cum etiam illi renuerent ex humilitate; orauit ipse, & statim homines ignoti tam multas copias asportauerunt panum delicatissimorum & calidorum & fructuum miræ quantitatis & saporis, & aliorum delectabilium; vt quotidie vsque ad Pentecosten propinaretur omnibus sufficienter & abundanter. Item cum fames vrgeret Ægyptum, & venissent ad eum sui; datis omnibus panibus, solum tribus partibus vnius panis remanentibus, benedicens ait: Numquid potest hoc multiplicare manus Domini? dicit Spiritus sanctus, non deficiet panis vsque ad nouas fruges; & ita factum est, quod continuis quatuor mensibus non deficeret erogantibus. Dicit Hier. se vidisse ibi sportas plenas deportari super mensas vacuas, & plenas iterum reportari. De hoc habentur multa exempla supra de eleemosyna.

Exemplum.

Legitvr in vita sancti Hug. Quod cum quidam locus datus esset paruus quibusdam Monachis Cluniacensibus, quos miserat ibi sanctus Hugo (qui modo dicitur sanctus Martinus de campis, & est prioratus ditissimus.) Et cum essent ibi paucissimi Monachi, nec inuenirent ibi vnde viuere possent; quidam eorum redierunt apud Cluniac. rogantes vt ipsi & alij, tanquam non valentes inuenire necessaria in dicto loco, apud Cluniacum reuocarentur. Quibus sanctus vir respondit, quod ideo non inueniebant ibi necessaria, quia pauci erant: nec clamabant fortiter ad eum, orando & laudando, qui dat iumentis escam ipsorum &c. Ipse sanctus iunxit eis plures, iniungens eis quod fortiter clamarent ad Dominum, & maximè de nocte laudando & orando. Quod cum aduenientes facerent, contigit quod cum de nocte Rex Franciæ per locum transiret & audiret eos fortiter cantantes; admiratus loci nouitatem, & laudum Dei altitudinem, quæsiuit cuiusmodi essent homines, & audiens eorum nouam missionem, & factum sancti, quomodo & quare miserat plures; motus ad pietatem, assignauit eis multos redditus vnde viuerent, & Deum semper laudarent, cum pluribus alijs Monachis.

Exempla.

Item in legenda noua legitur quod cum B. Dominicus esset in conuentu fratrum, nec haberent panem quem seruitores fratribus apponerent, dictus Sanctus in Domino confisus, sedit ad mensam vacuam, & fecit fratres sedere. Cum autem videret mensam à pane omnino vacuam, inclinauit caput ad orationem, quo orante, intrauerunt per refectorium homines speciosissimi, apportantes cophinos plenos panum candidissimorum, quibus depositis inclinantes recesserunt. Item cum quædam pauper muliercula incubuisset ad orationem fere vsque ad horam sextam, nec haberet panem in domo sua, nec vnde posset emere, adhuc habens perdicere aliqua consueta, cogitauit quod potius ipse volebat eomestione carere, quam non perdicere orationes assuetas. Cumque ab oratione caput eleuaret, inuenit ad caput suum panem albissimum. Quem cum non posset inuenire quis eum ibi posuisset, accepit & comedit cum gratiarum actione.

Oratio impetrat aquã.

Item impetrat aquam, sicut patet Gen. 21. de puteo ostenso Agar clamanti & flenti pro puero. Item numeri 20. *Domine Deus aperi eis Thesaurum tuum fontem aquæ viuæ.* Item Exod. 17. *Petra Oreb dedit aquam.* Item Iudith 15. de fonte exeunte de maxilla ad preces Samsonis, & quomodo bibens ex eo vires recepit. Item in vita sancti Clementis legitur, quod postquam in exilium relegatus, inuenit in insula ad quam missus est, plusquam duo millia Christianorum in exilio relegatorum ibi ad secandum marmora, qui multam aquæ penuriam patiebantur, vt oporteret eos iræ pro aqua per sex milliaria. Iussit omnes secum orare, vt Dominus eis fontem aquæ viuæ aperiret. Cum autem ipse oraret, apparuit illi soli agnus; qui eleuato pede dextro, quasi locum ostendebat vbi foderent. Cum autem eos duxisset ad locum sanctus Clemens, nec locum

Exempla.

fodiendo tangerent vbi erat pes agni, ipse arrepto breui sarculo, sub pede agni fodit, & statim fons viuus & maximus erupit, & ad famam huius miraculi & prædicationem tot conuenientes sunt conuersi, quod infra annum ædificatæ sunt ibi octuagintaquinque Ecclesiæ.

Oratio impetrat pluuiam.

Item impetrat pluuiam Iac. 5. *Rursumque Elyas orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* 3. Reg. 19. *Nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari &c.* Item 2. Dyal. 33. de sancta Scholastica sanctimoniali, sorore sancti Benedicti; quam cum Beatus Benedictus visitasset, & totam diem in Dei laudibus & colloquijs simul expendissent, & ipsa retinuisset eum ad mensam, volebat eum retinere ad pernoctandum, vt loqueretur ei de gaudijs cœlestibus. Cum autem ipse nullo modo acquiescret ei, inclinauit caput & orauit cum lachrymis; & cum esset ante tempus sereniissimum, subito tanta pluuia facta est, quod nullus posset exire. Cum autem eam super hoc argueret ait. Rogaui te & non exaudisti me, rogaui Dominum & exaudiuit me; modo tu egredere si vales. Item virtute orationis aqua nunc in sanguinem conuertitur, nunc in mari diuiditur, & quasi murus solidatur, nunc amara dulcescit, nunc de saxo producitur: Ignis nunc in aqua ardescit, nunc rubum non comburit, nunc pueros non lædit, nunc de cœlo ad consumendum impios emittitur, nunc de aqua producitur: Cœlum nunc manna protulit, nunc annis tribus & dimidio pluuiam non dedit, nunc pluuiam dedit abundantem. Oratione Leones mansuescunt, omnia mũdi elementa mutãtur, dæmones effugantur; & breuiter orantibus omnis creatura obedit, assistunt Angeli, & Deus ipse tam mirabiliter quàm misericorditer condescendit.

4. Meretur consortium glorioſum.

Qvarto oratio meretur consortium glorioſum. In præsenti quidem vita frequenter & deuotè orantes, merentur habere consortium beatorum Angelorum, sicut patet de Beata Agnete, Beata Catherina, Cecilia & alijs multis. De Beata Cecilia specialiter legitur, quod cum ad preces eius vir suus Valerianus fuisset conuersus, & baptizatus à Beato Vrbano, & rediret, & Ceciliam deuote orantem inueniret; videt ei assistere Angelum Domini tenentem duas coronas ex rosis & lilijs consertas; alteram obtulit Ceciliæ, alteram Valeriano, dicens: Istas duas coronas mundo corde & corpore custodite, quia eas de Paradiso Dei vobis attuli, quæ nec vnquam marcescunt, nec odorem amittunt: Et his dictis disparuit. Ad harum odorem Tyburtius frater Valeriani affectus, est ad Deum conuersus & glorioſus martyr cum fratre suo Valeriano est effectus. Maxime autem in morte assistunt orantibus ad consolandum, & in suum consortium perducendum; sicut patet de Romula. *Require supra.*

Exemplum.

Orantes fruuntur in præsenti consortio Angelorum & maxime in morte.

Exemplum.

Legitvr inter miracula vndecim millium virginum, quod quidam conuersus maximam habebat deuotionem circa eas, cui infirmanti vna virgo apparuit inæstimabili pulchritudine fulgens. Cum autem ipse miraretur eius pulchritudinem, illa quæsiuit ab eo si ipsam cognosceret, ipso respondente quod non, ait: Vna sum de his virginibus circa quas semper tantam deuotionem habuisse, & ad hoc veni vt inde mercedem recipias, si amore nostri vndecim millies dominicam orationem dixeris, in hora mortis tuæ nostram protectionem & solatium habebis. Quod cum ille quam citius & deuotius complesset, vocauit Abbatem & conuentum, se faciens inungi. Quod cum fieret, videns aduenientem chorum sacrarum virginum, incœpit clamare; recedite, date locum sacris virginibus. Qui requisitus, Abbati retulit promissionem sacrarum virginum, & earum apparitionem. Cum autem ad clamorem eius alij recessissent, inter choros earum spiritum exhalauit. Ad idem facit quod supra habetur de virgine recepta in choro virginum. Ecclesiast. 35. *Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur.* Lucæ 22. de Domino dicitur: *Factus in agonia prolixius orabat; tunc apparuit ei Angelus Domini de cœlo confortans eum.*

Deuoti in oratione cœlum conscendunt.

POST mortem vero recipiuntur in consortium Angelorum & Sanctorum, cum eis perpetuo permansuri; sicut patet de Lazaro Luc. 16. de beato Francisco: & de beato Martino, Ambro. & alijs multis quorum animæ visæ sunt deduci ab Angelis. In vitis patrum legitur de Paulo primo eremita, de quo refert Hieronym. quod cum beatus Antonius diuina sibi reuelatione facta venisset ad eum, & consolaretur, & colloquerentur adinuicem; inter alia dixit ei Paulus, vt corpusculum eius traderet sepulturæ, & quod rediret ad locum suum, & reuertens apportaret pallium quod Anastasius ei dederat, Patriarcha tunc Alexandrinus. Hoc autem dicebat, vt in maiori quiete solus, & deuotione orationis posset reddere spiritum. Cum Antonius obediret, & ad eum vt ei dixerat cum dicto pallio rediret, videt Pauli animam niueo candore fulgentem, inter Angelorum cateruas, inter Prophetarum & Apostolorum choros in sublime conscendere. Cum autem venisset ad locum vbi Paulus habitabat, intrans speluncam, videt corpus Pauli, complicatis genibus, erecta ceruice, extensis in altum manibus stare, & credens primo eum viuum esse, pariter orabat cum eo. Sed postquam nec gemitum aut planctum aut suspirium ab eo audiuit; accedens propius, eum mortuum inuenit, & sepeliuit cum adiutorio duorum Leonum, qui ei cum vnguibus foueam fecerunt. Vnde dicit Hieronymus. Cadauer Deum cui omnia obediunt & viuunt, officio gestus precabatur.

Exemplum.

ITEM Beatus Gregorius in Homil. de Rege qui fecit nuptias filio suo, refert de tribus materteris suis, quæ eodem die religionis habitum susceperunt. Vna earum vocabatur Tarsilla, alia Æmiliana, alia Gordiana. Duæ primæ semper in amore Dei proficiebant. Gordiana semper tepescebat. Tarsilla præ assiduitate orandi cum lauaretur mortua, inuenta est in genibus habere callos, ad modum camelorum. Huic apparuit Felix Papa attauus beati Gregorij, ostendens ei mansionem æternam in cœlo, dicens in hac te suscipio: & statim febre arripitur. Altera die cum venissent ad eam visitandam multi, & mater Gregorij clamauit; recedite, Christus venit: Et hoc dicendo carne soluta est. Et hoc factum est in vigilia natalis Domini. Cum lauaretur, mirabilis de corpore eius odor exibat. Post paucos dies apparuit ista Æmilianæ dicens; sine te feci natiuitatem Domini, tecum faciam Epiphaniam: Veni ergo soror. Quæ ait: Cui dimittemus ergo sororem nostram Gordianam. Respondit: Sine eam, quia inter laicas deputata est. Qua ante Epiphaniam Domini defuncta, soror earum Gordiana duxit virum cum multorum scandalo, custodem agrorum suorum.

De tribus orationis speciebus.

DISTINCTIO XXXV.

Oratio triplex scilicet cordis, vocis, & operis.

DECIMVMSEPTIMVM, scilicet de speciebus, cum diuersis diuisionibus orationis. Sciendum est quod est quædam oratio vocis, alia cordis, alia operis. Versus.

Dat precis officium, vox cor opusque pium.
Actibus, & voce, corde rogare doce.

CORDE rogabat Moyses, & ore tacebat. Exod. 14. *Dixit Dominus ad Moysem; quid clamas ad me?* corde, & nō voce. Item Anna 1. Reg. 1. *Anna loquebatur in corde suo, & vox penitus non audiebatur.* Alia est vocis Psalm. 141. *Voce mea ad Dominum cla.* Dan. 12. *Susanna exclamauit voce magna: Domine Deus, &c.* Item oratio boni operis. Aug. *Non cessat orare, qui non cessat bene agere.*

Oratio cordis multiplex.

1. *Contritionis*

ORATIO autem cordis multiplex est, scilicet contritionis, compassionis, afflictionis, cordis deuotionis, feruentis dilectionis, complexus siue colluctationis. Prima igitur species orationis mentalis est contritionis, quæ est cum homo rugit, gemit, plangit, & dolet, in consideratione peccatorum & defectuum suorum, & ex dolore fler pro eis. Psal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis, &c.* Item 38. *Auribus percipe lachrymas meas.* Ipsæ lachrymæ pondera vocis habent. Isa. 15. *In via Oronaym clamorem contritionis leuabunt.* Oronaym interpretatur iracundia iniquitatis eorum. Quod est quando homo irascitur contra peccata sua, dolet & gemit ea. Hoc agens orat & clamat ad aures Dei fortiter, vt Deus clamorem sine voce exaudiat, & pareat. Iob 41. *Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.* Gregor. *Veraciter orare, est in compunctione amaros gemitus, non verba compsita, resonare.* Aug. lib. 1. de spiritu & anima. *Oratio est mentis conuersio in Deum per pium & humilem affectum,* quod est quando homo defectus suos recognoscens, se ipsum plāgit & humiliat, & ad Deum pium affectum eleuat, vt ea quæ sibi desunt benigne suppleat. De hac materia habentur supra multæ auctoritates & exempla *de contritione.*

2. *Compassionis.*

SECVNDA species orationis mētalis est pius affectus cordis cōpatientis, directus in Deū ex cōpassione alienorum malorū; siue sint culpæ, siue pœnæ, sicut clamabat Moyses pro afflictione populi Exo. 13. Cum videret eos affligi pro insecutione Ægyptiorum. Item Samuel cum populus petiuisset Regem, & ipse ostendisset eis quæ mala ex hoc eis euenirent, & quàm grauiter peccassent; dixerunt *ora pro nobis ad Deum, vt non moriamur, &c.* Intulit. *Absit hoc peccatum à me, vt cessem orare pro vobis:* nec tamen orabat tunc voce. Tren. 2. *Leua manus tuas ad Deum pro animabus parvulorum, &c.* Sic faciebat Moyses orans corde pro pugnante populo. Exod. 17.

3. *Afflictionis.*

TERTIA species orationis mentalis est gemitus afflictionis præsentis; quando videt homo mala pœnæ quibus premitur, gemit sub eorum pondere, erigens affectum cordis ad Deum, qui est *adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Sic clamabant filij Israel gemendo Exod. 2. & 3. Ecclesiast. 35. *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduæ, cum effundet loquelam gemitus.* Psa. 37. *Afflictus sum & humiliatus sum, &c.*

4. *Deuotionis.*

QVARTA species orationis est deuotio cordis, quando ex beneficiorum Dei recordatione, anima pio affectu tendit in Deum, & quando percussa subita inundatione pietatis, sicut adipe & pinguedine repleta spiritali pinguedine saginatur; & cum magis repletur, magis circa Deum afficitur, & magis in pias & dulces lachrymas resoluitur. Talis erat oratio Dauid dicentis: Psalm. 21. *Factum est cor meum tanquam &c.* Cant. 5. *Anima mea liquefacta est.* Corda deuota sunt *phialæ plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, &c.* Apoc 5.

5. *Dilectionis.*

QVINTA est in siti & desiderio feruentis dilectionis Dei. Psalmus. *In meditatione mea exardescit ignis.* Item Psalmus. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes, &c.* Dam. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum.* Gloss. super illud Thess. vlti. *Sine intermissione orate &c. Ipsum desiderium boni oratio est. Si continuum est desiderium, continua est oratio.*

6. *Colluctationis.*

SEXTA est colluctationis siue complexus, quando ex vehementia desiderij, & effusione lachrymarum, cogit & quasi constringit Dominum vt cōcedat quod petit. Sicut Iacob luctans cum Angelo ait, Genes. 31. *Non dimittam te nisi prius, &c.* Et post. *Si sic fortis contra Deum fuisti, quanto magis contra homines prævalebis.* Quibus brachijs vicit eum, dicitur Oseæ 12. *Conualuit Iacob ad Angelum, flenit & rogauit eum,* Ecclesiastici 51. *Anima mea luctata est cum sapientia.* Item constringit tenendo eum orationibus feruidis, ne puniat quos iustitia puniendos requirit. Sicut faciebat Moyses, quando tenebat dominum ne populum qui peccauerat occideret. Exod. 22. *Dimitte me vt irascar &c.* Item constringit complexando ne recedat. Cant. 3. *Tenebo eum nec dimittam &c.* August. *Sentio quendam complexum, cum sentio Deum.*

ITEM orationis species notantur. 1. Tim. 2. *Obsecro*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Quarum numerus & ſufficientia ſic aſſignatur. Quia ad orationem tria requiruntur; quorum primum eſt quod orans accedat ad Deum quem orat; quod aſſignatur nomine orationis, quia oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum. *Secundo* requiritur petitio, quæ ſignificatur nomine poſtulationis, ſiue petitio proponatur determinatè, quod quidam nominant quandam propriè poſtulationem; ſiue indeterminatè, vt cum quis petit iuuari à Deo, quod nominant ſupplicationem: ſiue ſolum factum narretur, ſecundū illud Ioan. 11. *Ecce quem amas infirmatur*; quod vocant inſinuationem. *Tertio* requiritur ratio impetrandi quod petitur, & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis. Ratio quidem petendi ex parte Dei eſt eius ſanctitas, propter quam petimus exaudiri; ſecundum illud Dan. 9. *Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam.* Et ad hoc pertinet obtecratio, quæ eſt ſacra conteſtatio; ſicut cum dicimus: Per natiuitatem tuam libera nos Domine. Ratio vero impetrandi ex parte petentis eſt gratiarum actio; quia de acceptis beneficijs gratias agentes, meremur accipere potiora, vt in collecta dicitur. Et ideo dicit Glo. 1. Tim. 2. quod in miſſa obſecrationes ſunt quæ præcedunt cōſecrationem, in quibus quędam ſacra commemorantur: Orationes ſunt in ipſa conſecratione, in qua mens maxime debet eleuari in Deum: Poſtulationes autem ſunt in ſequentibus petitionibus: Gratiarum actiones in fine. In pluribus eccleſiæ collectis hæc quatuor poſſunt attendi, ſicut in collecta Trinitatis, quod dicitur, *Omnipotēs ſempiterne Deus*, pertinet ad orationis aſcenſum in Deum; quod dicitur, *qui dediſti famulis tuis*, &c. pertinet ad gratiarum actionem; quod dicitur, *præſta quæſumus*, &c. pertinet ad poſtulationem; quod in fine ponitur, *per Dominum noſtrum*, &c. pertinet ad obſecrationem. In collationibus autem patrum dicitur, quod obſecratio eſt imploratio pro peccatis: Oratio, cum aliquid Deo vouemus; poſtulatio, cum pro aliis petimus. Sed primum melius eſt.

De decem orationis ſpeciebus.

DISTINCTIO XXXVI.

Poſſunt ſtatui decem orationis ſpecies.

DEINDE ſciendum eſt, quod aliter diuidunt aliqui orationem, dicentes orationis eſſe decem ſpecies. Deprecatio, rogatio, obſecratio, petitio, poſtulatio, ſupplicatio, ſuffragium, Dei laudatio, gratiarum actio, & iubilatio.

1. *Deprecatio.*

PRIMA igitur ſpecies orationis eſt deprecatio, quæ eſt quando Deum rogamus pro malis culpæ à nobis amouendis; ſecundum illud Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra.* Pſalm. 118. *Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine.* Idem 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Idem 6. *Exaudiuit Dominus deprecationē meam.* Et Iob 9. *Meum iudicem deprecabor.* Eccleſiaſt. 39. *Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur.* Et 28. *Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.*

2. *Rogatio.*

SECVNDA ſpecies orationis eſt rogatio, quæ eſt pro flagelli diuini amotione, vel pro tribulationis inſtantis remotione, vel pro hoſtium oppreſſione; quæ ſolet fieri cum populi conuocatione, ieiunio, oratione, exhortatione, prædicatione, & cum letaniis. Sic fecit Ioſaphat videns ſe opprimi à multitudine hoſtium, conuocauit populum, orauit, prædicauit, ieiunauit, & orationem indixit. 2. Paral. 20. *Ieſaphat perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum*, &c. Confortatus ad philoſophiam Iahazielis exiuit cum ſuis, & omnem multitudinem quam inuenerunt vicerunt, & earum ſpolia obtinuerunt. Sic fecerunt filij Iſrael contra Holofernem, Iudith. 4. & 7. Clamauit omnis populus ad Dominum &c. Item Heſter. 4. *Dixit Heſter Mardochęo: Congrega omnes Iudæos*, &c. Item. 7. *Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum.* Similiter Iſa. 38. Ezechias contra Sennacherib. Similiter Ionæ 3. *Rex Niniue ſurgens de ſolio ſuo*, &c. Et poſt. *Clament ad Dominum in fortitudine*, &c.

Cauſa inſtitutionis Rogationum.

Propter hāc cauſam inſtituti ſunt dies rogationum, ſcilicet propter flagelli diuini amotionem. Vt fit in feſto ſancti Marci, vbi fit generalis proceſſio, & letania maior, ſic dicta vel ad differentiam illius quæ fit in rogationibus; vel quia à maiore, ſcilicet beato Greg. inſtituta eſt. Legitur enim in Chronicis & geſtis Romanorum Pontificum, quod cum Romani ebrietatibus, comeſſationibus & luxuriis vacarent poſt paſcha, non deferentes ſacramento quod receperant, immiſit eis Deus peſtem inguinariam. Per hunc modum Tyberis fluuius ita excreuit, & ita terram occupauit, quod ſuper muros vrbis excreſcens, draconem maximum, & ſerpentes multos præfocatos, ad ripas adduxit. De quorum fœtore ſubſecuta eſt dicta plaga; ſic dicta, quia homines ſubito inflammabantur in inguine, & ſubito moriebantur. Qua peſte Papa Pelagius mortuus eſt; Et Gregor. ei inuitus ſubſtituitur. qui ad illam plagam remouendam, Romanum populum conuocauit ad orandum. Cum autem deberet benedici, bene 80. homines expirauerunt ab illa plaga. Cum autem facta eſſet proceſſio cum letaniis & orationibus; & ipſe ſermonem ad populum feciſſet, ceſſauit plaga illa. Ideo ſtatuit ille annuatim proceſſionem illam; & vocantur cruces nigræ, quia ſolebat fieri cum veſte lugubri, vel quia propter mortem hominum euitandam conſtituta eſt. Moriebātur homines hac peſte ſubito, & quaſi ſine ſenſu doloris, in viis, & ludis; & comedendo, & bibendo, & alia quæcunque faciendo. Cum autem conueniſſet populus ad ſanctum Petrum, præcepit eos proſternere ad orationem ante gradus eccleſiæ: A qua cum ipſe ſurgeret, vidit ſuper caſtrum Creſcentij Angelum detergentem cruentum gladium, & in vaginam reponentem. per quod intellexit quod plaga illa ceſſaret. Cum conſurgerent ab oratione, inuenti ſunt bene, 80. mortui. Dictum autem caſtrum vocatum eſt poſtea caſtrum Angeli.

Alia cauſa dicta inſtitutionis.

ITEM nota quod propter conſimilem cauſam dies rogationum inſtituti ſunt. Cū anno Domini 455. apud Viennam & in circuitu, frequenter & per annum integrum, maximus terræmotus accidiſſet; per quod multæ villæ, eccleſiæ, & domus fuerunt ſubuerſæ, & multi proſtrati: & cum ibidem regis palatium cęleſte incendium concremaret; & cum diuerſæ fere, & maxime lupi, per ciuitatem diſcurrerent, quæ paſſim pueros & ſenes, viros & mulieres deuotarent. Cumque illi doloroſi caſus quotidie accreſcerent, ſanctus Mamertus vrbis Archiepiſcopus, illos tres dies qui ſunt ante aſcēſionem Domini inſtituit. Et conuocatis clero & populo, per tres dies prædictos, proceſſiones & orationes cum letaniis ſolenniter fieri indixit. Ad cuius exemplū per totam eccleſiam Gallicanam epiſcopi cum clero & populo ſic fieri decreuerunt, ad ſedandas peſtes, & aeris intemperiem; ad pacificandas guerras; ad infirmitates & mortes repellendum, ad conſeruandum & multiplicandum fructus terrę, qui maximè illo tempore perire vel deficere conſueuerunt.

3. *Obſecratio.*

TERTIA ſpecies orationis eſt obſecratio, quæ fit quando pro maioribus & difficilioribus factis Deum adiuramus, vt pro impiorum conuerſione, & pro obtentione eorum quæ ſunt ſupra naturam, vel aliquorum quæ Deus videtur non de facili facere, niſi multum adiuratus. Fit autem hęc adiuratio per maxima eius beneficia, vt per beneficia creationis, recreationis ſiue incarnationis, iuſtificationis, per opera aſſumptæ miſerationis.

ITEM fit cum adiuratur Deus pro his quos maxime dilexit in hoc mundo, vt Chriſtus, & mater eius, & Sancti. Sic orabat Moyſes, qui quaſi captum Deum tenebat & vincebat. Exo. 32. *Recordare Abraham Iſaac*, &c. Et poſt. *Placatus eſt Dominus ne faceret malum.*

Sic faciunt pauperes ioculatores; reducunt ad memoriam filiis à quibus petunt, probitates patrum eorum. Prouer. 18. *Cum obſecrationibus loquetur pauper*, &c. Phil. 4. *Cum omni oratione & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* &c. Obſecrationes ſunt in fine collectarum eccleſiæ, cum dicitur, *Per Dominum*. Et in collectis de ſanctis, cum Deus per eos adiuratur. Item pueri Hebræorum, & qui præibant & ſequebantur Dominum, qui dicebant. *Oſanna filio Dauid.* Matth. 21. quod eſt ſecundum Hieron. idem quod *obſecro ſalua, qui es filius Dauid*, ſc. tam pij patris.

4. *Petitio.* QVARTA ſpecies orationis eſt petitio, pro ſupplendis defectibus noſtris, & temporalibus ſc. & ſpiritualibus; ſicut ſunt neceſſitates rerum temporalium ad vitam, vel corporum ſanitatem, & pacem temporalem. Matt. 7. *Petite & accipietis*, &c. Poſtea. *Pater noſter cœleſtis dabit bona petentibus ſe.* Idem Luc. 11. Vbi ponitur exẽplum de amico petente tres panes, id eſt tres refectiones. *Prima* eſt neceſſitatis corporalis prouiſio. Matt. 6. *Scit pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis. Secunda* eſt refectio cordis in conpunctione, & lachrymarum effuſione. Pſalm. *Fuerunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte &c. Tertia* eſt in ſpiritus conſolatione; & donorũ gratię immiſſione. Luc. 11. *Pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.*

5. *Poſtulatio.* QVINTA ſpecies orationis eſt poſtulatio, ſiue allegatio, ſecundum quod dicit Caſſiodorus. *Oratio eſt oris concinnatio, quæ fit cum allegatione*; quando ſc. petitur quod maximum eſt, ſc. bonum æternum quaſi ex debito, cum allegatur quia debet ex promiſſo, quia promiſit illud dare petentibus. Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, &c.* Aut quando petitur ex debito meriti; vt cum allegatur, quod quibus dedit promerentem gratiam, debet dare gloriam tanquam eius præmium. Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sic filij Iſrael petierunt à rege, vt eos habitare faceret in optimo loco terræ Geſſen, quę erat optima & fertiliſſima, quæ interpretatur completa terra. Ioſue petit in præmium ſui laboris ſibi dari inter filios Iſrael ciuitatem Thãnathſara ſitam in monte Effraym ad habitandum, quæ de præcepto Domini data eſt ei. Hæc ciuitas cœleſtis, quæ ſita eſt in eminentia fertilitatis & abundantiæ totum, (vt dicit Bernard.) continens quod delectat. Quod notatur in hoc quod ſita erat in monte Effraym, qui eſt mons fertilitatis. Effraym enim frugifer interpretatur. Thãnathſara interpretatur numerus operimenti noui, quia ibi ſunt numerati à Deo Sancti lumine amicti. Pſalmus. *Amicti lumine ſicut veſtimento. Item* Nehæmias petiuit vt mitteret eum Rex in Hieruſalem ad ciuitatem patrum ſuorum, quod obtinuit. Illam æternam gloriam facit nos poſtulare ſpiritus, gemitibus inenarrabilibus, vt dicitur Rom. 8.

6. *Supplicatio.* SEXTA ſpecies orationis eſt ſupplicatio; quæ eſt cum humiliter amicos Dei, & maxime iam beatos rogamus, pro eorum patrocinio, ſuffragio, vel adiutorio apud Deum obtinendo. Iob 5. *Vocaſi quem habes, & ad aliquem ſanctorum conuertere.* Sic Matth. 15. *Dimitte eam quia clamat poſt nos.* Similiter ſupplicatione videbantur vti gentiles, rogantes Philippum vt introduceret eos ad Ieſum. Ioan. 12.

7. *Suffragium.* SEPTIMA ſpecies orationis eſt ſuffragium; quod eſt quando eccleſia vel amici Dei orant Deum pro animabus, vel vt à periculis ſpiritualibus vel corporalib. liberentur, vt in Act. 12. *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro Petri liberatione.* Similiter Dominus imminente paſſione pro diſcipulis, Luc. 12. *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, &c. Ego autem oraui pro te, &c.* Ad hoc poteſt adduci exemplum Onyæ & Hieremiæ, qui apparuerunt Iudæ Machabæo orantes pro populo Iudæorum, vt obtinens victoriam ab hoſtibus liberaretur. 2. Mach. 15. *Similiter* ſuffragium eſt cum fit oratio pro mortuorum liberatione à pœna, vel conſolatione in ea. 2. Mach. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare &c.* Ad hoc facit quod dicit Ioannes eremoſynarius, dicens quod collectæ & anniuerſaria quæ fiunt pro defunctis, multum valent eis ad quietem & liberationem; & ponit hoc exemplum. *Exemplum.*

QVIDAM captus à Perſis recluſus fuit in carcere qui appellabatur Lethe, id eſt obliuio. de quo quidam fugientes dixerunt in Cypro parentibus illius, quod eum ſepelierant manibus ſuis (ſed ille non erat, ſed ei ſimilis) & diem obitus dixerunt. Parentes autem eius vſque ad tres annos ter in anno faciebant fieri collectas pro eo. Cum autem dictus homo poſt tres annos auaſiſſet, lapſus à Perſis ad ſuos fugit; qui dixerunt ei quomodo ter in anno pro eo quaſi pro mortuo collectas fieri feciſſent. Cum autem interrogaret quò tempore hoc facerent, dixerunt ei quod in feſtis Neophaniis, & Dominica, & feſto Pentecoſtes, tunc ille dixit quod illis diebus veniebat ad eum quidam lucidus vt ſol, & diſſoluebat eum inuiſibiliter à vinculis ferreis, & à cuſtodia, & ibat tota die liber, & nemo eum recognoſcebat. In craſtino autem inueniebat ſe in eiſdem vinculis ferreis in quibus erat ante.

Suffragium diuerſimodè vſurpatur. ITEM ſuffragiũ eſt quando amici Dei orãt pro malis pro iracundiæ diuinæ ceſſatione. Sic faciebat Moyſes Exo. 22. cũ diceret Dominus. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra populum iſtum, & delebo eos*, &c. Et poſt. *Moyſes autem orabat dicens*, &c. Simile habetur de Aaron, qui offerens thymiama, ſtetit inter viuos & mortuos, iram Dei placando. Numer. 16. Idem Sap. 18. *Properans homo ſine querela deprecari pro populo &c. Item* ſuffragium eſt cum amici Dei orant pro mutua conſeruatione in bono Iac. 5. *Orate pro inuicem vt ſaluemini.* Mutua ſuffragia, & maxime illorum qui boni creduntur debent peti; exemplo Pauli Rom. 15. *Obſecro vos per Dominum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus ſancti, vt adiuuetis me orationibus veſtris, vt Deus liberet me ab infidelibus qui ſunt in Iudæa.* Phil. 1. *Scio quod hęc mihi proficient ad ſalutem per veſtram orationem.*

ITEM ſuffragium eſt oratio facta pro peccatorum conuerſione, quæ multum valet ad eorum conuerſionem. Talis fuit oratio Chriſti in cruce. Luc. 23. *Pater igneſce illis*, &c. Qui forſitan promeruit conuerſionem multorum circunſtantium, vt Centurionis, &c. qui percutientes pectora ſua in ſignum pœnitentiæ, reuertebantur. Similis fuit oratio Stephani, Act. 7. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, &c. De quo legitur in vita Marię de Oignies quod cum ipſa per triduum ante mortem à Domino viſitata, cantaſſet per tres dies cõtinuè Rythmicè mira de Deo & de ſanctis, & de Paradiſo, & multis aliis. Inter alia, de beato Stephano quem vocabat roſatium Paradiſi, cantando dixit; quod ad meritum orationis eius & paſſionis, dedit Dominus Beato Stephano Pauli conuerſionem, vt eo diſcente cum affectu prædicationis multo, ſed non cum effectu multo, ſuccederet ei vicarius, qui pro eo cum multiplici prædicationis effectu pertranſiret.

ITEM ſuffragiis conuertit Theodora Siſinnium: Cecilia Valerium ſponſum: Andreas diſtrahentem ſe populum.

Exemplum. ITEM in vitis Patrum legitur quod cum Abbas Serapion tranſiret per quendam vicum Ægypti, & videret vnam meretricem ante oſtium domus ſuæ, ad capiendas animas præparatam; dixit ei ſenex expecta me ſero, volo ad te de nocte venire. Quem cum expectaſſet, credens quod aliquid ſecum ſenex deportaret, & neceſſaria ad eſum, veniens clauſit oſtium cum illa. Cui dixit ſenex: Suſtine parũ vſquequo legerim quod habeo. Incipiens autem Senior pſalterium, finitis pſalmis ſingulis, rogabat Deum vt illam conuerteret ad pœnitentiam. Quod cum videret mulier Deum pro ea ſenem orantem, incepit tremere & orare iuxta ſenem. Finito pſalterio, ſenex incepit legere Apoſtolum, orando ſimiliter. Meretrix autem intelligens quod non propter peccatum ad eam venerat, ſed propter eius conuerſionem, compuncta eſt, rogans proſtrata vt duceret eam ad locum vbi faciendo condignam pœnitentiam ſaluaret animam ſuam. tunc ſenior duxit eam ad monaſterium virginum, tradens eam ma

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tri virginum, dicens; quod non imponeret ei vt aliis, sed quod ipsa peteret indulgeret, & ei permitteret ire quo vellet. Cum quibus cum fuisset per paucos dies, videns conuersationem & vitam asperam aliarum, ait dictæ matri: Ego peccatrix sum, volo vespere comedere. Post magis agnoscens se, ait quod volebat per quatuor dies ieiunare. Post modicum dixit dictæ matri, quod eam in modicam cellam includeret, vbi per modicam fenestram administraret opus sibi condignum, quod ageret propter maxima peccata sua. Quod illa fecit. Dicta autem mulier reliquum tempus in magna sanctitate vixit.

Quare Deus sit laudandus.

DISTINCTIO XXXII.

8. *Dei laudatio.*

EST insuper vna alia species orationis & octaua in ordine, quæ vocatur Dei laudatio, de qua Psalm. *Rectos decet collaudatio.* Idem. *Benedicam Dominum,* &c. Circa Dei laudem videndum est primo quare laudandus sit Deus. Secundo qualiter sit laudandus.

Multa suadent Deum esse laudandum.

Circa primum sciendum quod laudandus est Deus, quia nihil est iustius. Secundo quia nihil nobilius. Tertio, quia nihil iocundius. Quarto, quia nihil vtilius. *Primo* quidē laudari debet Deus, quia nihil est iustius. Iustum enim & rationabile est laudare Deum propter essentiam bonitatis; quia ipse essentialiter bonus est, & omnes rationes bonitatis generaliter sunt in eo. Quicquid enim laudabile inuenitur in aliquo, in summo inuenitur in eo; scilicet summa pulchritudo, dulcedo, fortitudo, mansuetudo, & lagitas. *Cum* quædam Domina pulchritudine speciosa, à multis impetita, multos amore pernicioso adamasset, & multi eam; quidam ioculator per hanc viam eam ad amorem Dei conuertit. solicitabat enim illam vt amorem suum poneret in quendam magnum maximę pulchritudinis, probitatis, largitatis, & curialitatis, &c. Cum autem illa diceret, quod illa habuisset tot amatores, tam magnos, & diuites, & probos: ipse intulit, quod ille pro quo rogabat omnes gratias aliorum excedebat. Illa tādem consentiente, quod si talem eum probaret, quod amorem suum ei daret. Respondit ille: Nullus nobilior, potentior, ditior, curialior virginis filio, in quo sūt omnes gratiæ sine defectu. Cum ergo ei ostendisset eorum quos ipsa dilexerat defectum, & Christi complementum gratiarum omnium; monit eam ad contemptum vanitatis, & amorem veritatis. Eccl. 43. *Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia illius, glorificantes eum quantumcunque potueritis, superualebit.* Et post. *Benedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis: Maior est enim omni laude.*

Exemplum.

Simile.

ITEM si præ stupore non erat vltra spiritus Reginæ Saba, in visione & auditione eorum quæ viderat & inuenerat bonorum circa Salomonem, vt legitur 2. Parali. 9. Qualiter ergo potest deficere anima in contemplatione & laude bonorum æterni Salomonis. Similis est à laudæ (quæ à laudando sic dicitur) quæ vidēs temporis serenitatem & pulchritudinem solarem ascendit, subitoque fatigata, ab illa altitudine ad suam paruitatē resilit, & ad terram cadit, & obmutescit ad tempus. Similiter & Phylomena, videns pulchritudinem solis, & sentiens dulcedinem temporis, laudando sic reficitur, & sic attendit laudi, quod laudando defectum patitur, & cantando frequentet moritur. Similiter anima affecta amore Dei, laudando defectum patitur, cum non possit ad plenum in hac vita laudare Deum, secundum quod ipse laude dignus est. Psalmist. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea* &c. Bern. *In terris vbi semiuiuus sum, semilaudare possum; quando totus vixero, totus in laude ibo.* Item laudandus est propter vestigium bonitatis, quod est in eius omnibus creaturis. Gene. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ecclesiast. 9. *In manu artificum opera laudabuntur.* Isa. 15. *Confitebor nomini tuo quoniam fecisti mirabilia.* Psal. 138. *Mirabilia opera tua,* &c.

QVIDAM conuersus erat pastor ouium, & cum relictis ouibus super baculum suum se appodians, & in visione cuiusdam bufonis inhæreret, stupens & admirans Dei creaturam, flebat quasi totus absorptus in admiratione. Cum autem quidam Theologus transiens quæreret viam, & ille non responderet, accessit ad eum, & inuenit eum flentem & stupentem aspectu dicti animalis. Cumque quæreret causam huius, ait quod stupebat Dei sapientiam, & mirificentiam, & potentiam. Circa creationem illius bufonis Dei clementiam: Circa se suam inertiam & negligentiam eubescebat & flebat, quia Deus ita bene fecerat illum bufonem in genere suo, quod totus mundus vnum talem facere non posset. Item Dei clementiam, quia qui fecerat eum creaturam dignissimam & rationalem, potuisset eum fecisse bufonem talem. Suam negligentiam, quia illud animal suo modo creatori suo clamabat per naturalem vocem sibi datam, ipse mutus à laude Dei silebat. Omnia namque creatoris opera, suo modo laudant & ostendunt laudabilem creatorem. Aug. *Respexi cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt: Et omnia mihi clamant vt diligam.* Item in li. de li. ar. *Nutus tui sunt Domine omnium creaturarum, cuius opera laudabilia laudabilem monstrant opificem.* Ecclesiast. 9. *Artificum opera laudabuntur,* &c. Augustin. in lib. confes. *Si placent tibi artificis opera ex his lauda, & in artificem retorque actionem, ne in his quæ tibi placent tu displiceas.* Omnis natura suis actibus & qualitatibus & dispositionibus & virtutibus suum laudat creatorem, laudant astra radiis pro linguis. Iob 38. *Laudant astra matutina, laudant herbæ flores & arbores foliis suis quasi linguis.* Laudant etiam aues paruulæ. August. *Quis sensus hominis non erubescat sine laudum celebritate diem claudere, cum minutissimæ aues summa cum delectatione & dulci carmine, ortum diei prosequantur & noctis. Qui hoc attenderet, quomodo omnis creatura suis actibus & proprietatibus, suum laudat creatorem, diceret cum Psalm. 91. Delectasti me Domine in factura tua,* &c.

Exemplum.

SICVT faciebat ille de quo dicit magister Iacob. Quod quidam comes Pictauensis intrauit ordinem Cistercien. factus conuersus; & memor actuum suorum, rogauit causa humilitatis quod poneretur ad custodiam gallinarum. satisfactum est instantiæ suæ, vt haberet ibi occupationem. Qui cæpit attendere & admirari quam solicitè oua fouerent & pullos, & quomodo pulli statim sequerentur matres, & pascerentur ab eis. & dicebat quod nunquam sic in mundo fuerat delectatus sicut hoc admirando. Postea obtinuit vt fieret pastor ouium, & mirabiliter delectabatur in innocentia agni, & quomodo agnus quam cito natus erat, agnoscebat balatum matris, & currebat post eam. Post obtinens vt fieret custos porcorum, mirabatur quomodo porcellini statim nati currebant ad vbera materna, quilibet ad suum secundum diem natiuitatis suæ. Ita quod primus ad primum, & alij secundum ordinem quo nati erant: quomodo currebant & ludebant cum matre: & reuersus ad claustrum non cessabat admirari & laudare in creaturis creatorem.

ITEM nihil est iustius propter influentiam & diffusionem suæ bonitatis, quia bonitatem suam diffundit in nos beneficia largiendo, quæ sunt in malorum liberatione, de quibus satis habetur Ecclesiast. 51. *Confitebor tibi Domine Rex,* &c. *Item* in bonorum largitione, quæ multa sunt; de quibus Isa. 63. *Miserationum Domini recordabor.*

2. *Quia nihil nobilius*

Secundo laudandus est Deus, quia nihil nobilius, cum sit propriè officium Angelorum & Sanctorum post resurrectionem. Isa. 26 *Vos qui in puluere estis expergiscimini & laudate,* &c. August. *In ciuitate superna erit totum negotium tuum amatoribus eius.* Idem in fine de ciuit. Dei. *Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quid erit in fine fine fine.* Ideo Genes. *Supernæ ciuitatis operatio est assidua Dei laudatio.* Psalmus 144. *Laudationem Domini loquetur os meum,* &c. Idem 83. *Beati qui habitant in domo tua Domi-*

ne, in ſeculaſæculorum laudabunt te. Et in hoc conſiſtit A
iumma perfectio nobilitatis huius officij, quia videlicet eſt æternum: alia enim ceſſabunt, iſtud enim perpetuum erit. Angeli autem ſuo officio & exemplo ad Deum laudandum nos prouocant.

Exempla. Legitur in tripartita hiſtoria, quod B. Ignatius Martyr & epiſcopus Antiochiæ, primus tamen poſt beatum Petrum Apoſtolum, cum eſſet in oratione raptus in extaſi, vidit & audiuit in ſuperna curia Angelos Deo pſallentes, & laudum canticum in pſalmi principio cum dulci modulo inchoabant, & laudem inchoatam finito Pſalmo conſummabant. Vnde in eccleſia ſua ſtatuit Antiphonas inchoari ante pſalmos, & in fine conſummari: quæ conſuetudo generaliter eſt per alias eccleſias introducta.

ITEM Beda in geſtis Anglorum lib. 4. cap. 16. dicit quod beatus Forſeus, qui multorum extitit fundator monaſteriorum, cum detineretur graui languore, ad B
conſolationem ſuam bis eſt eductus de corpore, & poſtea ad illud reuocatus, & in primo exitu ſuo vidit & audiuit multitudinem Angelorum Deum laudantiũ, hæc inter alia replicantes. *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

3. Quia nihil iucundius. TERTIO laudandus eſt Deus, quia nihil iucundius. Pſalmus. *Iucundum ſit ei eloquium meum* Iſa. 35. *Et nunc qui redempti ſunt à Domino, venient in Sion cum laude & lætitia, &c.* Bernar. ſuper cant. *Nihil adeo ita repræſentat, in terris cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudandi Deum* Item Aug. de doct. Chri. *Cum de Deo nihil dignè dici poſſit, admiſit tamen humanæ vocis obſequium, & verbis noſtris in laude ſua nos gaudere voluit.*

4. Quia nihil vtilius. QVARTO laudandus eſt Deus, quia nihil vtilius. C
Per hoc enim Deus honoratur. PSALM. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, &c.* Tob. 12. *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt.* Item per hoc officium omnis hoſtis effugatur vel ſuperatur. de ſpirituali ait pſalm. 17. *Laudans inuocabo Dominum, &c.* De materiali vero patet elegans exemplum 2. paral. 18. per exemplum Ioſaphat, qui poſt laudes Dei inuenit hoſtes proſtratos. Iudit. 7. Gedeon cum clãgore tubarũ vicit Madianitas.

Exemplum. IN vita beati Germani Antiſiod. epiſcopi legitur, quod Epiſcopi Gallicani audientes in Britanniæ partibus hæreſes pullulare, contra hæreticos qui illuc conuenerant Concilium conuocantes, & illuc euntes cum beato Germano. Confutatis ibi hęreticis, miraculis & doctrina, cum redire vellent, PICTI & Saxones contra Britones conuenerunt in tempore quadrageſimę. qui
D
videntes ſe habere paucos milites, rogauerunt Sanctos Epiſcopos vt morarentur cum eis, præſtantes eis auxilium. Et cum ſancti fidem eis prædicarent, certatim omnes ad baptiſmum conuolauerunt. PERACTO itaque paſchę die, proiectis armis, armati fide, proponunt inermes in prælio campeſtri occurrere hoſtibus ad pugnã. Quod audientes aduerſarij gauiſi ſunt, & quaſi de victoria præſumentes de inermi & paruo exercitu ad comparationem eorum, contra eos properant. Tunc ſanctus Germanus collectis expeditis, ponit hoſtibus inſidias, inſtruens eos quomodo voci ſuæ omnes vnanimiter & conformiter reſpondeant. Cum ergo hoſtes quaſi ſecuri contra eos irruerent, cum ter incepiſſet beatus Germanus alta voce *alleluia*. & ſacerdos & alij ei reſponderent alta voce; ſtatim aduerſarij proſtrati, non ſolum ſuper ſe montes & rupes fuiſſe, ſed etiam
E
cœlum & terram credentes, armis proiectis fugerunt quocunque potuerunt, omnibus ſuis dimiſſis. Multi autem eorum in flumine ſe proiicientes ſubmerſi ſunt. Et ſic Chriſtiani & campum & eorum omnia ſpolia obtinuerunt, & ſani ad propria redierunt.

Oratio à morte ſpirituali præſeruat. ITEM per hæc anima à mortis periculo conſeruatur, ſpiritualiter à morte ſpirituali; quia dum occupatur in ſpiritualib. non libet ſibi circa vitia occupari. Ideo dicitur Iſa. 48. *Laudem meam infrænabo tibi ne intereas.* Cum quidam regulares eſſent in quadã eccleſia, & in die Paſchę officium Miſſæ inciperent, *Reſurrexit, &c.* facto terræmotu magno abſorpti ſunt à terra cum monaſterio in quo erant. Cum autem anno reuoluto ibi conueniſſent amici eorum ad eorũ memoriam faciendam, ſubito cum eccleſia redierunt, & quaſi à modico sõno excitati, reinceperunt idem officium.

CIRCA ſecundum, ſc. *qualiter Deus ſit laudandus*; habetur ex verbis B. Bern. ſuper cantica dicẽtis, *Moneo vos ſemper ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus, & vt reuerenter & alacriter Domino aſsiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non præcedentes vocibus, non præſcindentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſsis vocibus muliebre quiddam balbè de nare ſonantes, ſed virili affectu & ſonitu voces Sancti Spiritus depromentes.* Idẽ ibidẽ dicit, quod ſex ſunt laudi diuinæ neceſſaria vt debitè fiat: *Immolantes*, inquit, *hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra de die in diem, curemus, cum omni vigilantia coniungere ſenſum vſui, & intellectum & affectum ſenſui; exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati, quo interdũ liberis purgatæ mentis paſsibus procedamus; & excedamus per inuiſitatas quaſdam affectiones & ſpirituales lætitias in inuiſeis amenitatibus, & in lumine Dei in ſuauitate in Spiritu ſancto.*

Qualiter Deus ſit laudandus.

De gratiarum actione.

DISTINCTIO XXXVIII.

9. Gratiarum actio ad quã multa hortantur. DEINDE eſt vna ſpecies orationis, & noua in ordine, quæ vocatur gratiarum actio. De qua videndum eſt primo, quare debemus Deo gratias agere. Secundo de quibus. Notandum autem quod Deo debemus gratias agere, quia debitum, quia nobile, quia placitum, quia vtile. *Primo* quidem quia debitum, propter multitudinem gratiarum quas nobis exhibuit in tempore gratiæ. Bern. *Ardorem deſiderij patrum ſuſpirantium aduentum Chriſti, in memetipſo cogitans, confundor & compungor, torporemque miſerabilium horum temporum deſleo. Vix enim eſt aliquis gratus de tanti beneficij ſuſceptione, quantũ grati erant pro ſalua beneficij promiſsione. Secundo* debemus Deo gratias agere, quia nobile. Hęc eſt enim actio beata & beatorum, quã agunt in Paradiſo. Iſa. 51. *Inuenietur in ea gratiarum actio & vox laudis.* ſicut patet Apoc. 4. de quatuor animalibus Deo gloriam & honorem & benedictionem dãtibus, & de vigintiquatuor ſeniorib. procidentibus ante thronum, coronas ſuas mittentib. Item quinto eiuſdẽ, idẽ dicebant quatuor animalia, & millia millium Angelorum. Idem 7. *Turba quam dinumerare nemo poterat, & omnes Angeli clamabant, &c. Tertio* debemus Deo gratias agere, quia placitum. Hoc enim opus multum placet Deo. Eſt enim adeps in holocauſto Domini, quod voluit Dominus ſibi reſeruari. Leui. 3. *Omnis adeps Domini eſt iure perpetuo.* Pſal. 62. *Sicut adipe & pinguedine*, &c. hoc eſt vnguentum quo Maria vnxit caput Domini, quod eſt pretioſiſſimum. *Pretioſum quidẽ eſt* (vt dicit Bern. ſuper cantica) *vnguentum contritionis, quod ſit ex peccatorum conſideratione; prætioſius compaſsionis, quod ſit ex miſerorum pietate & compaſsione; prætioſiſsimum deuotionis, quod ſit ex beneficiorum Dei recordatione, & gratiarum actione; hoc impinguatur anima. Quarto* debemus Deo gratias agere, quia vtile. Aug. *Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quã Deo gratias, hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grãdius, nec agi fructuoſius poteſt.* Liberalitas enim Dei, magis gratias agentib. amplius elargitur. Prou. 11. *Anima quæ benedicit, impinguabitur.* Eccl. 44. *Exaltantes cum replemini virtute illius.* Bern. *Non eſt dignus dandis, qui non agit gratias de datis.* Eccl. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertũtur, vt iterum fluant.* Bern. *Felix qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum in quo eſt plenitudo omnium gratiarum. Cum enim poſt acceptum donum non ingratos nos exhibemus, locum facimus in nobis gratiæ, vt inde maiora accipere mereamur.* Idem *fluminis aqua ſi ſtare cœpit, & ipſa putreſcet; & inũdatione ſacta, ſuperueniens repelletur, ſic plane gratiarum ceſſat decurſus, vbi recurſus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, ſed & quod acceperat ei vertitur in perniciem: Fidelis autem in modico, cenſetur dignus munere ampliori.* Require ſupra *de ingratitudine.*

1. Quia debitum.

2. Quia nobile.

3. Quia placitum.

4. Quia vtile.

CIRCA ſecundum, ſc. *de quibus debemus gratias agere,*

ſcien-

Debemus Deo gratias agere, de malorum liberatione.

sciendum, quod de malorum liberatione, de quibus liberauit nos Dominus; De quibus satis habetur Eccleſiaſt. 51. *Confitebor tibi Domine Rex &c.* per totum. Sic faciebant tres pueri liberati à fornacis ardore. Dan. 3. *Tunc hi tres quaſi ex vno ore glorificabant & laudabant, &c.* Similiter Iudæi 2. Mach. 1. de magnis periculis liberati à Deo, magnificè gratias egerunt, &c. Qui autem ſunt ingrati liberatori, tot malis liberati, crudeliores ſunt leonibus, & de hoc in iudicio à Domino conuinci poterunt. De gratitudine enim multa legimus exempla.

Exemplum.

IN vita beati Hier. legitur, quod cum de ſcripturis ſacris quadam die cum diſcipulis diſputaret, intrauit Leo claudicans, alijs præ timore fugientibus. Hier. occurrit hoſpiti: Qui cum pedem vulneratum à ſentibus ei oſtenderet, fratres vocauit, pedem eius lauit, ſpinam remouit, curam eius haberi præcepit. Leo cito curatus, à fratribus memor beneficij non receſſit. Et leoni poſtmodum curam aſini in paſcuis commendauit, qui ligna deportabat ad opus fratrum, qui eum ducebat & reducebat, & diligenter ſeruabat. Cum autem ſemel dormiret, tranſeuntes mercatores cum onuſtis camelis, videntes aſinum ſine cuſtode, ſecum duxerunt. Cum autem Leo excitatus aſinum rugiendo per ſiluam diu quæſiſſet, tandem ſolus & verecundus redit ad domum. Cui cum imponerent fratres ligna deportanda pro aſino, credentes quod præ fame aſinum comediſſet, libenter obediuit. Cum autem eſſet in ſilua eadem, vidit dictos reuenire mercatores, aſinum cum camelis ducentes; quem cum cognoſceret, & cum rugitu magno illuc curreret, mercatores fugientes omnia dimiſerunt. Ipſe autem cum cauda, aſinum, camelos, & onera adduxit ad fratres, ſtupentes & mirantes quid hoc eſſet, præcepit Hier. camelos recipi, refici, & ſeruari, vſquequo ad rei notitiam deueniſſent. Mercatores autem parum poſt venientes, & veritatem fatentes, remittente beato Hieron. medietatem omnium quæ ferebant fratribus erogantes dimiſerunt.

Secundo agenda ſunt Deo gratia proinimicorũ attritione.

SECVNDO gratias referre debemus pro inimicorum noſtrorum depreſſione & attritione, vt Dæmonum & vitiorum. Quod factum eſt maximè in incarnatione & paſſione Chriſti, in quibus & virtus diaboli eſt attrita. Et vitia ſunt in verè pœnitentibus, per Chriſti miſericordiam ad nihilum redacta, in Sacramentorum operatione, & inſtitutione Iſa. 25. *Durabitur Moab ſub eo &c.* Hier. *Gratias tibi referimus Saluator ſæculorum, quia tam potentem aduerſarium noſtrum deiecisti, quem cum occideris occidiſti. Hic aduerſarius eſt diabolus, aut peccatum. Maximè peccatum nos exæcauerat, & ipſe per doctrinam nos illuminauit. Nos illaqueauerat, & ipſe per miſericordiam à vinculis nos liberauit. Nos reos morte fecerat, & ipſe pro nobis morti ſe expoſuit.* Pro his ei grati eſſe debemus ad exemplum leonum. De primo leguntur duo exempla lib. 11. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quod ſcilicet grati eſſe debemus pro noſtra illuminatione.

Exempla.

LEGITVR ibi quod quidam cæcus venit ad cellam Beati Macharij, & cum inueniſſet eum; de luto parietis, iuxta quem iacere conſueuerat, & de aqua putei, de qua bibere conſueuit, faciens admixtionem, linienſque ex ea ſibi oculos, clare vidit. Ipſe autem non ingratus, vt nouem leproſi de quibus legitur Luc. 17. redijt poſt ad eum cum omni domo ſua, magnificans eum. Ibidem etiam legitur, quod quædam læna habens ſpeluncam iuxta cellulam dicti viri, cum inueniſſet catulos ſuos cæcos, dolens eos ei deportauit, & ante pedes eius eos depoſuit. Cumque intelligeret pro illuminatione catulorum belluam ſupplicare, eo orante illuminantur, & matrem ſequuntur ad ſpeluncam non ingrati; quia pelles ouium cum pilis quas ipſi capiebant in venatione cum matre, ſæpius & plurimas quaſi pro mercede, ante oſtium cellulæ deportabant.

Pro peccatorum remiſſione.

ITEM grati eſſe debemus pro abſolutione à vinculis peccatorum, de quibus Pſalmus 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me &c.* Item. *Dirupiſti vincula mea, &c.* Dicitur quod cum quidam Leo captus eſſet in ſumbus venatorum, & quidam paſtor ei compatiens, eum à vinculis abſoluiſſet. Iterum dictus Leo captus eſt à venatoribus Imperatoris, & cum alijs belluis in caueam includitur. Cum autem dictus paſtor quoddam factum feciſſet, propter quod adiudicatus eſſet dictis belluis tradendus ad deuorandum, recognoſcens eum leo, non ſolum ei non nocuit, ſed ab alijs beſtijs eum conſeruauit.

Exemplum.

ITEM de hoc quod à veneno & ſerpente infernali nos liberauit per gratiam, dicitur. Quod cum quidam miles vadens per ſiluam inueniret leonem pugnantem cum maximo ſerpente, qui iam leonem per collum circumligauerat, & eum veneno ſuo occidere laborabat; miles cogitans de nobilitate leonina, & malitia ſerpentina, extracto enſe caput ſerpentis amputauit. Leo autem videns militem ſecutus eſt eum quaſi domeſticum animal, & pro eo liberando multa prælia geſſit contra eius hoſtes. Per hoc autem quod ſe Deus morti expoſuit vt nos à morte liberaret, multum debemus ei eſſe grati, & quantum poſſumus nos extendere ad gratiarum actiones. Eccleſiaſt. 19. *Gratiam fide iuſſoris ne obliuiſcaris, &c.*

Pro liberatione à captiuitate Diaboli.

TERTIO grati eſſe debemus, & gratias agere, pro promiſſione & adminiſtratione rerum ad victum neceſſariarum. Multi autem porci ſub Ilice, non leuant oculos ad eum qui ſibi glandes excutit, nec eum agnoſcunt, nec ei gratias reddunt; ideo impinguati & ingrati vt porci, ſubito comedendo ſæpe percutiuntur & occiduntur. Aliquando illi qui plus impinguantur, magis ingrati inueniuntur; ſicut patet de aſino leproſi, qui magis impinguatus magis eſt ei rebellis, & citius eum in lutum proijcit. Similiter accipiter nimis impinguatus à Domino ſuo, contemnit venire ad manum eius. Similiter gallinæ in Auguſto minus volunt venire ad Domini ſui domum, quam in hyeme in qua parum foris inueniunt. Contra iſtam ingratitudinem ſunt exempla terræ, plantarum, & arborum, quæ quanto magis excoluntur & impinguantur, tanto maiorem fructum Domino ſuo reddunt naturaliter. Econtra illi quibus magis prouidet res temporales, quo abundantius habent ipſas res, magis ſunt ingrati, & magis inſurgunt in patremfamilias, qui ipſas res dat. Iſa. 1. *Filios enutriui & exaltaui, &c.* Item contra hanc ingratitudinem ponitur exemplum ferarum, quæ recognoſcunt benefactores ſuos, & gratæ ſunt eis.

Tertio pro rebus ad victum neceſſarijs quæ Deus adminiſtrauit.

VNDE in vitis patrum legitur, quod circa horam nonam conſueuerat lupa venire ad cellam cuiuſdam fratris, cui dabat ille de reliquijs menſæ ſuæ, illa pro gratiarum actione conſueuerat ei manus lambere, & oſculari, & recedere. Cum autem ſemel dicta hora illa veniſſet, nec fratrem inueniſſet; poſtquam diu expectaſſet intrauit, & accepit panem vnum in ſporta & receſſit, nec ſequenti die redijt. Cum autem de hoc moleſtaretur ſolitarius, quod non redibat, rogauit propter hoc Dominum. Dicta autem lupa verecunda, quaſi facti ſui conſcia, redijt, proſternens ſe ad pedes eius, quaſi veniam petens. Ipſe autem manu blandiens eam vocauit, & ei beneficium duplicauit. Item contra ingratos de beneficio iſto, ponitur exemplum illius pauperis, de quo legitur in vitis patrum. Vbi dicitur quod cum pauperes conueniſſent ad agapem quæ fiebat in quadam ciuitate, & quidam patrum illuc veniſſet: cum de nocte ſurrexiſſet ad orandum, audiuit quendam iacentem ſub natta quam ſolam habebat in hieme, gratias multas Deo agentem pro illa, & dicentẽ, quod ſub illa poterat ſe extẽdere ſicut vnus Imperator: & de hoc quod multi magni erant in carceribus multis, qui nec talem poterant habere.

Simile.

Exempla.

QVARTO debemus gratias agere propter vitæ temporalis & ipſius temporis continuam adminiſtrationem. Actuum 17. *Dat omnibus vitam & inſpirationem & omnia.*

Quarto pro vita conſeruatione.

QVINTO

Quinto pro bonis corporis.

QVINTO debemus gratias agere Deo pro corpore nobis præstito, & bonis eius. Lucæ 10. *Eum timete, qui postquam occiderit, habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam.*

Sexto pro bonis naturalibus & spiritualibus.

SEXTO de bonis naturalibus & spiritualibus; vt est meriti, & intellectus, voluntatis, &c. Et de ipsa anima rationali quam dedit nobis, ne fiat homo sicut equus, & mulus, &c.

SEPTIMO propter largitionem bonorum spiritualium gratuitorum. De his habetur supra.

Octauo pro largitione bonorũ quorumcumque.

OCTAVO propter largitionem bonorum generalium, specialium, particularium siue singularium. De primo Bern. *Agamus fratres gratias factori nostro, benefactori nostro, redemptori, remuneratori nostro.* In primo dedit nobis, quod sumus. In secundo quod subsistimus. In tertio factus est ipse quod sumus. In quarto faciet secum esse id quod sumus. Item de beneficio speciali gratias agere debemus. Quod præcipuè est in tribus, in expectatione longa, iustificatione, conseruatione. Item de beneficio particulari debemus gratias agere, considerando de quot & quantis peccatis & malis nos Deus liberauit, & à quot & quantis periculis nos conseruauit, ne incideremus in ea; & quot & quanta bona nobis fecit particularia, & facit quotidie. Dicitur quod quidam bonus homo fuit in Francia, qui cum in mane de peccatis cogitaret, non cessabat vsque ad sextam pectus tundere, & dicere: *Miserere mei Deus.* Post sextam recolens Dei beneficia, similiter dicebat continuè vsque ad noctem: *Deo gratias.*

Nono pro pœna immissiona.

NONO de malorum pœnæ immissione, quia ista mala præsentia mittit Deus ad bonum nostrum, ad liberationem à malis culpæ & pœnæ futuræ. Item ad gratiæ & gloriæ accumulationem, debemus esse similes Iob 1. & 2. & dicere omnibus. *Sit nomen Domini benedictum.* Et illi Abbati, qui cum dictum fuisset ei in conualescentia cuiusdam infirmitatis, quod irrecuperabiliter oculos amisisset, dixit, *Deo gratias, qui destruxerat duos de suis pessimis inimicis.* Similiter ad exemplum Tob. benedicentis Deum de sua excæcatione. Eiusdem 2.

Decimo pro passione Christi, & custodia.

DECIMO debemus gratias agere de malis, quæ pro nobis Dei filius sustinuit. Item de tot custodibus quos nobis ad nostram & bonorum nostrorum custodiam dedit, rationis, virtutum, Prælatorum, Præceptorum, Angelorum, & suijpsius.

Vndecimo pro remedijs.

VNDECIMO de succursu tot refugiorum & remediorum, vt sunt vulnera crucifixi, Sanctorum verba, merita, preces, exempla, sacra loca, Sacramenta, &c.

De Iubilatione.

DISTINCTIO XXXIX.

Iubilatio.

DEMVM est vna species orationis, & vltima in ordine, quæ vocatur iubilatio. De qua in Psal. 10. *Beatus populus qui scit iubilationem.* Item. *Ascendit Deus in iubilo.* Gloss. *Iubilus est exultatio mentis habita de æternis in vocem prorumpens;* scilicet vel querulosæ conquestionis, vel admirationis, vel gratiarum actionis, vel collaudationis, & huiusmodi; quæ nec corde potest retineri, nec ore exprimi. Iob 8. *Impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo.* Greg. *Mens iustorum æternæ securitatis gaudio impletur, & labia iubilo; quod cum tanta lætitia cordis concipitur, quam sermo non explicet, etsi tamen os sonet.* Sequitur. *Qui oderunt te induentur confusione, &c.* Iob 38. *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent filij Dei.* Ibi Glo. Greg. *Iubilatio dicitur, cum cordis lætitia, oris efficacia non impletur.* Item. *Laudant Angeli qui iam tantæ claritatis latitudinem in sublimibus vident; iubilant homines qui adhuc inferioribus oris sui angustias sustinent.*

Quid Iubilus.

Iubilus fit ex quatuor causis.

FIT autem iubilatio ex quatuor causis. Prima est ex

1. *Ex consideratione operum Dei.*

operum & beneficiorum Dei consideratione, admiratione, deuotione, & exultatione; & inexpressibili illius exultationis & obligationis ad laudandum Deum gratiarum actione. Psalm. 99. *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia.* Ibi Glos. *Sicut messores & vindemiatores de considerata copia fructuum iucundantur, & de fœcunditate terræ cantant, & interserunt voces quasdam sine verbis, in eleuatione animi exultantis; & hæc est iubilatio improbanda. Sic iusti gaudent videntes mundo corde quid Deus, & quanta, & quo ordine, & quàm mirifice fecerit. Vnde sancti exultantes cantant: Et hæc est iubilatio coronanda.* Sic faciebat Psalmist. attendens & recolens Dei beneficia & opera, dicens. Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, &c.*

2. *Ex sponsi visitatione.*

SECVNDA causa est ex sponsi visitatione, & subita gratiæ eius & consolationis inundatione. Bern. super cant. OSCVLETVR ME, &c. *Hoc osculum non est ex actu & strepitu labiorum, sed est reuelatio secretorum supernorum gaudiorum.* Sic iubilabat, quid dicebat Sap 10. *O quam bonus & quam suauis est in nobis spiritus tuus Domine.* Bernard. *Procedamus & excedamus per inusitatas quasdam affectiones & spirituales lætitias, in iubilis, amœnitatibus in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu sancto, in laude quæ gradatim ascendit, laudando & iubilando, & conceptum gaudium non interrumpendo,* & continuando, laudem canendo & non deficiendo. Item Bern. *Tu mihi es ô bone Iesu, iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.*

3. *Ex cælestium gaudiorum conceptione.*

TERTIA causa est ex cœlestium gaudiorum conceptione, affectione, exultatione, reuelatione, & meditatione. Glo. supra. IVBILATE DEO OMNIS TERRA, CANTATE ET EXVLTATE ET PSALLITE. *Iubilus est gaudium quod cor non potest retinere, nec os exprimere, nec locutio diffinire.* Isa. 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti, &c.* Et Paulus similiter, qui reuelata sunt secreta cœlestia. 2. Corinth. 2. *nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se, &c.* Apoca. 19. *Audiui quasi voces aquarum dicentium alleluia, regnabit Deus omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni.*

4. *Ex contemplationis inebriatione.*

QVARTA causa est ex inebriatione contemplationis, & degustatione. Can. 1. *Introduxit me in cellaria sua* exultationis & lætitiæ, &c. Psalmus 35. *Inebriabuntur ab vbertate &c.* Sicut enim picæ & merulæ inebriatæ garriunt, & voces quasdam ex ebrietate promunt; sic animæ contemplatiuæ præ ebrietate, & suauitatis & dulcedinis diuinæ degustatione tripudiantes, interius garriunt sibimetipsis quasdam indicibiles gratiarum actiones & laudes, quæ non omnino possunt interius retineri, sed amoris diuini vehementia, vt olla ad ignem magnum, perstrepunt & saliunt, & extra gaudium quod sentiunt ebulliunt. Psalm. 144. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ, &c.* Item vbi dicitur in Psalm. 76. *Scopebam spiritum meum,* alia translatio habet, *garriebam spiritui meo.* Sic Apostoli Spiritu sancto repleti, *loquebantur variis linguis magnalia Dei,* & reputati sunt musto repleti materiali, à quo erant ieiuni; vt probat Petrus Act. 2. Pleni autem erant musto Spiritus sancti, quo mouente & vrgente, *non poterant non loqui ea quæ audierant & viderant.* Act. 4. Bernard. *Nos autem quando per dulcedinem contemplationis supra nos ipsos rapimur, quasi sumentes quoddam vinum lætitiæ & miræ suauitatis, de cœlesti cellario inebriamur ab vbertate domus, & humanum quodammodo sensum excedimus, & in diuinum quodammodo affectum mutati, à nobismetipsis alienamur.* Idem. *Quem talis gustus inebriauerit, ad opus omne & omnem laborem hilarescit, laborat & non lacescit: festinat nec deficit, dolet nec sentit, laceratur & nescit; irridetur & non aduertit.*

Exemplum.

Ex prædictis causis & alijs, Maria de Oignies vt in vita eius dicitur, ante mortem suam fuit in multiplici iubilatione. Primo enim ex amoris vehementi inflammatione, & mentis illuminatione, & secretorum apertione. Nam quidam de Seraphin apparuit ei, expandens alas suas supra pectus suum, quæ infuso sibi lumine cognitionis, & feruore affectionis, incepit ista voce cantare, alleluia; & iubilare, laudare, & gratias agere; & mira dicere de Deo, & de Sãctis; & secretis, & futuris, & æternis, in Romano Rithmicè, per tres dies

continuè,

continuè, ac ſi ea ante ſe ſcripta videret, ea cantando & continuando. Et à ſummo dono B. Trinitatis incipiẽs mira & inaudita de ea cantabat. Quorum pauca prioi domus de Oignies capere potuit. Dicebat enim inteı alia, à lumine B. Trinitatis in ſanctis Angelis reſultare intelligentiam; & lumine humanitatis Chriſti in ſanctis animabus fructum glorioſiſſimum reſultare, beatã Virginem iam glorificatam in corpore conſtantiſſimè aſſerebat. Nec illos qui cum Domino ſurrexerunt, poſtea fuiſſe incineratos, ſed cum Domino aſcendiſſe.

Nota. ITEM B. Stephanum quem roſarium Paradiſi dicebat, aſſerebat precibus obtinuiſſe conuerſionem beati Pauli, & quod pro eo ſuccederet ei Prędicator. *Item* ſupra modum exultans iubilabat propter hoc, & dicebat, quod cum B. Paulus ſpiritum redderet, B. Stephanus affuit dicens: Domine hoc ſingulare munus dediſti mihi, quod ego cum multiplici fructu reddo tibi. Et hoc dicens exhibuit ei Spiritum B. Pauli. *Item* inter alia iubilabat cum mira exultatione pro hoc, quod Dominus mundum in proximo debebat per Prędicatores ſuos viſitare, & pro magna parte illuminare. Et hoc fuit parum ante tempus illud quo Dominus miſit ordines fratrum Prædicatorum & Minorum. *Item* per illud triduum multa de veteri teſtamento & nouo cecinit, & ad vltimum pro amicis ſuis Dominum rogauit, & ipſos ei commendauit. *Item* cum Epiſcopus Tholoſanus Fulco eam viſitaſſet, & in Eccleſia celebraret, & altare Virginis conſecraret; in perceptione Euchariſtiæ vidit columbam de cœlo deſcendentem, & in os eius Euchariſtiam ponentem, & eam claritate mirabili transfundentem, & eius animam illuſtrantẽ.

ITEM cum non poſſet aliquid comedere, nec odorẽ panis ſuſtinere cum reciperet Euchariſtiam, nec poſſet maſticare, quaſi dulce manna liqueſcebat in ore ipſius; & bis accidit dum illud reciperet, vt eius facies quibuſdam radiis ſplenderet. Cum autem aliquando tentaretur vtrum non conſecratam hoſtiam poſſet recipere, ſtatim odorem panis abhorruit, expuit, & reſpuit; & cum tetigiſſet dentes eius, grauiter affligebatur, & anhelabat, & ſingultizabat: Ita afflicta quod vix potuit tota nocte eſſe in pace, os frequenter abluẽs & expuẽs. Obijt autem Anno Domini M. cc. xiii. Dominica die in vigilia B. Ioannis Baptiſtæ hora nona, migrans ad cæleſtem ſponſum. Huiuſmodi cordis lætitia in viris perfectis inchoatur in via, & non niſi in patria, vbi inceſſanter & ſine fine iubilant omnes filij Dei, id eſt omnes ſancti & Angeli, conſummatur. Ad quam incomprehenſibilem, ineffabilem, & æternam iubilationis lætitiam nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat in ſæculorum ſæcula, benedictus Deus.

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

·IHS·

INDEX RERVM OMNIVM,

QVÆ PRINCIPALITER TRACTATÆ IN HOC VOLVMINE INVENIVNTVR.

ORDINE ALPHABETICO DESCRIPTARVM, cum numero ad vnumquodque notabile librorum, partium, distinctionum, ac foliorum ipsarum.

In quo primus numerus librum, secundus distinctionem indicat.

A

Abominatio, lib. primo, parte prima. distinct.14. fol.36
Abstinentia, libro 1. parte tertia, distinct.94. fol.490
Acceleratio bene agendi, lib.3.parte 6. dist.2. fol.1208
Acceptio munerum, lib. 3. parte 7. dist.12. fol.1309
Acceptio personarum, lib.1. parte 3. dist.53. fol.338
Accidia, lib.3.parte 6. dist.1. 1203
Accidiæ filiæ, libro 3. parte 6. dist.2. 1208
Accusatio, libro 1. parte 3. dist.55. 344
Acerbitas pœnarum Inferni, libro 2. parte 3. dist.2. 819
Actus spirituales vendere, libro 3. parte 7. dist.14. 1319
Adiutoria animarum. libro 2. parte 1. dist.13. 748
Adiuratio, libro 1. parte 3. dist.69. 387
Adoratio, libro 1. parte 3. dist.63. 362
Aduocatio, libro 1. parte 3. dist. 58. 351
Adulatio, libro 3. parte 3. dist.11. 1039
Adulterium, libro 3. parte 9. dist. 2. 1367
Affabilitas, libro primo parte 3. dist.77. 410
Ambitio, libro 3. parte 3. dist.9. 1027
Amor, libro 1. parte 1. dist.9. 22
Amoris causa, libro 1. parte 1. dist.10. 24
Amoris effectus, libro 1. parte 1. dist.11. 25
Amore vanitatis, libro 3. parte 3. dist.15. 1055
Antichristus, libro 2. parte 2. dist.1. 758
Apostasia, libro 3. par.. 3. dist.30. 1129
Appetitus inanis gloriæ, libro 3. parte 3. dist.8. 1018
Arrogantia, libro 3. parte 3. dist.6. 1009
Astutia, libro 1. parte 3. dist.46. 318
De eadem, libro 3. parte 7. dist.4. 1270
Auaritia, libro 3. parte 7. dist.1. 1251
Auaritiæ filiæ, libro 3. parte 7. dist.1. 1254
Auaritia aduocatorum, libro 3. parte 7. dist.13. 1315
Auaritia claustralium, libro 3. parte 7. dist.18. 1335
Audacia, libro 1. parte 1. dist.30. 10
De eadem, libro 1. parte 3. dist.82. 433
Augurium, libro 3. parte 3. dist.28. 1117

B

Beatitudo, libro 2. parte 4. dist.1. fol.841
Beatitudines, libro 1. parte 4. dist.8. 621
Beatitudines animæ, libro 2. parte 4. dist.3. 850
Beatitudines corporis, libro 2. parte 4. dist.4. 854
Beatitudinum cum donis correspondentia, lib.1.parte 4.dist.23. 686
Bellum, libro 3. parte 5. dist.12. 1194
Bene agendi dilatio, libro 3. parte 6. dist.2. 1220
Bene agendi acceleratio, ibidem.
Beneficentia, libro 1. parte 3. dist.32. 272
Blasphemia, libro 3. parte 5. dist.6. 1180
Blasphemiæ detestatio, libro 3. parte 5.dist.9. 1186
Blasphemantium peccata, libro 3. parte 5. dist.10. 1189
Blasphemandi consuetudo, libro 3. parte 5. dist.7. 1182
Blasphemia tradentium se Diabolo, lib.3.parte 5. dist.8. 1185
Blasphemia in Spiritum sanctum, libro 3. parte 5.dist.11. 1191
Bona consuetudo, libro 3. parte 3. dist.7. 1017
Bonorum impeditio, libro 3. parte 6. dist.14. 1242

C

Caritas, libro 1. parte 3. dist.24. fol.276.& 246
Charitatis actus, libro 1. parte 3. dist.28. 264
Charitatis effectus exteriores, libro 1. parte 3. dist.32. 271
Charitatis effectus interiores, libro 1. parte 3. dist.29. 267
Charitatis obiectum, libro 1. parte 3. dist.26. 255
Charitatis ordo, libro 1. parte 3. dist.27. 259
Charitatis subiectum, libro 1. parte 3. dist.25. 249
Castitas, libro 1. parte 3. dist.95. 492
Casualis homicida, libro 3. parte 5. dist.14. 1199
Cautio, libro 1. parte 3. dist.40. 303
Chorea, libro 3. parte 9. dist.6. 1397
Citatio ad extremum iudicium, libro 2. parte 2. dist.5. 778
Circumspectio, libro 1. parte 3. dist.40. 301
Clamor, libro 3. parte 5. dist.3. 1175
Clementia, libro 1. parte 3. dist.98. 529
Cogitatio, libro 3. parte 1. dist.2. 863
Comminatio indiscreta, libro 1. parte 3. dist.12. 1044
Concupiscentia, libro 1. parte 1. dist.13. 6
Confessio, libro 3. parte 10. dist.9. 1437
Confessionis effectus, libro 3. parte 10. dist.14. 1450
Confessionis impedimenta, libro 3. parte 10. dist.16. 1508
Confessio fallax, libro 3. parte 3. dist.6. 1009
Confessio inutilis, libro 3. parte 10. dist.15. 1456
Confiteri quibus quis tenetur, dist.12. 1441
Confessionem commendantibus, dist.12. 1442
Confitendo proprio Sacerdoti, dist.10. 1439
Confessionis recommendatio, libro 3. parte 10. dist.13. 1448
Consideratio, libro 1. parte 3. dist.37. 292
Consilium, libro 1. parte 4. dist.4. 597
Consortium mulierum, libro 3. parte 9. dist.5. 1391
Consuetudo, libro 3. parte 3. dist.7. 117
Contemplatio, libro 1. parte 3. dist.62. 361

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Contemptus Dei, & superstitiones obser. lib. 3. par. 3. dist. 18. 1072
Contemptus mundi, libro 1. parte 3. dist. 103. 555
Contentio, libro 3. parte 3. dist. 13. 1048
Continentia, libro 1. parte 3. dist. 97. 521
Contritio, libro 3. parte 10. dist. 6. 1424
Contritionis commendatio, libro 3. parte 10. dist. 7. 1427
Contritionis effectus, libro 3. parte 10. dist. 8. 1430
Contumacia, libro 3. parte 3 dist. 24. 1099
Contumelia, libro 3. parte 5. dist. 4. 1176
Correctio fraterna, libro 1. parte 3. dist. 33. 273
Crudelitas, libro 3. parte 5. dist. 12. 1197
Curiositas, libro 3. parte 3. dist. 2. 997
Custodia cordis, libro 3. parte 1. dist. 1. 863
Custodia linguæ, libro 3. parte 1. dist. 3. 866
Custodia sensuum, libro 3. parte 1. dist. 5. 874

D

Damnatorum blasphemia, libro 3. parte 5. dist. 6. 1180
Decimæ, libro 1. parte 3. dist. 66. 363
Delectatio, libro 1. parte 1. dist. 15. 39
Delectationis bonitas, & malitia, lib. 1. parte 1. dist. 18. 48
Delectationis causa, libro 1. parte 1. dist. 16. 43
Delectationis effectus, libro 1. parte 1. dist. 17. 46
Deprecatio, libro 3. parte 10. dist. 36. 1545
Derisio, libro 3. parte 4. dist. 4. 1151
Desiderium, libro 1. parte 1. dist. 13. 31
Desperatio, libro 1. parte 1. dist. 25. 71
Item de eadem, libro 3. parte 6. dist. 15. 1245
Detestatio accidiæ, libro 3. parte 6. dist. 1. 1203
Detestatio adulationis, libro 3. parte 3. dist. 12. 1039
Detestatio ambitionis, lib. 1. par. 3. dist. 9. 1027
Detestatio auaritiæ, libro 3. parte 7. dist. 2. 1254
Detestatio blasphemiæ, lib. 3. parte 5. dist. 9. 1686
Detestatio desperationis, lib. 3. par. 6. dist. 15. 1245
Detestatio detractionis, lib. 3. par. 4. dist. 3. 1144
Detestatio ebrietatis, lib. 3. par. 8 dist. 2. 1354
Detestatio gulæ, lib. 3. parte 8. dist. 1. 1341
Detestatio ingratitudinis, libro 3. parte 6. dist. 12. 1238
Detestatio inobedientiæ, libro 3. parte 3. dist. 22. 1090
Detestatio inuidiæ, libro 3. parte 4. dist. 1. 1140
Detestatio iræ, libro 3. parte 5. dist. 1. 1165
Detestatio luxuriæ, libro 3. parte 9. dist. 3. 1373
Detestatio perjury, libro 3. parte 7. dist. 8. 1280
Detestatio rapinæ, libro 3. parte 7. dist. 10. 1286
Detestatio symoniæ, libro 3. parte 7. dist. 16. 1327
Detestatio usuræ, libro 3. parte 7. dist. 11. 1295
Detestatio hypocrisis, libro 1. parte 3. dist. 10 1033
Delectatio, lib. 1. parte 1. dist. 15. 39
Deuotio, libro 3. parte 3. dist. 62. 361
Detractio, libro 3. parte 4. dist. 3. 1144
Disciplina, libro 1. parte 3. dist. 42. 307
Discordia, libro 3. parte 3. dist. 12. 1044. 1045
Discretio, libro 1. parte 3. dist. 44. 312
Discussio meritorum, libro 2. parte 2. dist. 6. 785
Discussorum publicatio, libro 2. parte 2. dist. 7. 791
Distinctio præceptorum veteris legis, lib. 1. par. 2. dist. 5. 132
Diuinatio, libro 3. parte 3. dist. 17. 1111
Diuinatio per dæmones, ibidem. 1112
Diuinatio per astra, ibidem. 1113
Diuinatio per somnia, ibidem. 1114
Diuinatio per auguria, ibidem. 1115
Diuinatio per sortes, ibidem.
Docilitas, libro 1. parte 3. dist. 37. 292
Dolor, libro 1. parte 1. dist. 19. 50
Doloris bonitas, & malitia, lib. 1. parte 1. dist. 23. 59
Doloris causa, libro primo, parte prima, dist. 20. 55
Doloris effectus, lib. primo, parte prima, dist. 21. 56
Doloris remedia, libro primo, parte 1. dist. 22. 58
Dolus, libro primo, parte tertia, dist. 46. 318
Item de eodem, libro tertio, parte 7. dist. 4. 1270
Dona Spiritus Sancti, libro 1. parte 4 dist. 1. 382
Dotes animæ, lib. 2. parte 4. dist. 2. 843
Dotes corporis, lib. 2. parte 4. dist. 3. 847
Dulia, libro 1. parte 3. dist. 72. 393

E

Ebrietas, libro 3. parte 8. dist. 2. 1354
Eleemosyna, libro 3. parte 10. dist. 18. 1463
Eleemosynam suadentia, libro 3. parte 10. dist. 19. 1469. 1465
Eleemosynæ effectus, libro 3. parte 10. dist. 21. 1470
Emptio, & venditio, libro 3. parte 7. dist. 5. 1271
Epy. Keya, libro 1. parte 3. dist. 78. 414
Æquanimitas, libro 1. parte 3. dist. 103. 555
Erubescentia bonitatis, libro 3. parte 3. dist. 18. 1069
Esuries, libro 1. parte 4. dist. 9. 625
Euagatio mentis, libro 3. parte 6. dist. 4. 1218
Eubulia, libro 1. parte 3. dist. 44. 310
Excessus, libro 3. parte 3. dist. 14. 1054
Extremum iudicium, libro 2. parte 2. dist. 4. 799
Extremi iudicij meditatio, libro 2. parte 2. dist. 9. 803
Extremium iudicium sequentia, lib. 2. parte 2. dist. 11. 806
Exultatio in alterius malo, libro 3. parte 4. dist. 2. 1143

F

Falsum testimonium, libro 3. parte 4. dist. 6. 1160
Fides, libro 1. parte 3. dist 17. 223
Fidei actus exterior, libro 1. parte 3. dist. 16. 222
Fidei actus interior, libro 1 parte 3. dist. 15. 218
Fidei effectus, libro 1. parte 3. dist. 19. 231
Fidei obiectum, libro 1. parte 3. dist. 14. 202
Fidei subiectum, libro 1. parte 3. dist. 18. 228
Fornicatio, libro 3. parte 9. dist. 2. 1367
Fortitudo virtus, libro 1. parte 3. dist. 80. 418
Fortitudo donum, libro 1. parte 4. dist. 4. 597
Fortitudinis partes, libro 1. parte 3 dist. 83. 436
Fraterna correctio, libro 1. parte 3. dist. 33. 273
Fraus emendi, & vendendi, libro 3. parte 7. dist. 5. 1271
Fraudis species, libro 3. parte 7. dist 6. 1274
Fructus spirituales, libro 1 parte 3. dist. 7. 612
Fuga, libro 1 parte 1. dist. 14. 36
Furtum, libro 3. parte 7. dist. 9. 1283
Futura prædicere, libro 3. parte 3. dist. 28. 1111

G

Gaudium, libro 1. parte 1. dist. 24. 70
Item de eodem, libro 1. parte 3. dist. 29. 267
Gloria, libro 3. parte 3 dist 8. 1018
Gloriæ distinctio, libro 3. parte 3. dist. 8. ibid.
Gloria inanis, libro 3. parte 3 dist. 8. 1018
Gloriæ inanis species. libro 3 parte 3. dist. 9. 1027
Gnomyn, libro 1. parte 3. dist. 44. 310
Gratia, libro 1. parte 2. dist. 11. 160
Gratiæ causa, libro 1. parte 2. dist. 13. 164
Gratiæ diuisio, libro 1. parte 2. dist. 12. 162
Gratiæ effectus, lib. 1. parte 2. dist. 14. & 15. 166. 169
Gratiæ necessitas, libro 1. parte 2. dist. 10. 115
Gratiarum actio, libro 3. parte 10. dist. 38. 1552
Gratitudo, libro 1. parte 3. dist. 74. 400
Granedo, libro 3. parte 6. dist. 9. 1230
Gula, libro 3. parte 8. dist. 1. 1341
Gulæ filiæ, ibidem, & species ibidem.

H

Hæresis, libro 3. parte 3. dist. 30. 1127
Homicidium, libro 3. parte 5. dist. 14. 1199
Honestas, libro 1. parte 3. dist 93. 488
Honor, libro 1. parte 3. dist. 72. 393
Honor parentum, libro 3. parte 10. dist. 25. 1490
Hospitalitas, libro 3. parte 10. dist. 23. 1481
Humilitas, libro 1. parte 3. dist. 100. 537

I

Iactantia, libro 1. parte 3. dist. 77. 409
Item de eadem, libro 3. parte 3. dist. 5. 1007
Idolatria. 1109

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Ieiunium, libro tertio, parte decima, dist.26. 1494
Ieiunium multiplex, libro tertio, parte decima, dist.27. 1501
Ieiunij effectus, libro tertio, parte decima, dist.29. 1505
Ieiunij qualitas, dist. 28. 1503
Ieiunium malum, libro tertio, parte decima, dist.30. 1509
Ignorantia, libro tertio, parte secunda, dist.5. 930
Ignorantia crassa, libro tertio, parte sexta, dist.5. 1218
Impatientia, libro tertio, parte quinta, dist.3. 1175
Impœnitentia, libro tertio, parte sexta, dist.14. 1244
Imprudentia, libro primo, parte tertia, dist. 45. 335
Impugnatio veritatis, libro tertio, parte tertia, dist.31. 1133
Incarceratio, libro tertio, parte quinta, dist.13. 1197
Incarceratorum visitatio, libro tertio, parte decima, dist.24. 1485
Incarnatio filij Dei, libro primo, parte quarta, dist.11. 636
Incentiua luxuriæ, libro tertio, parte nona, dist.4. 1388
Incestus, libro tertio, parte nona, dist.2. 1367
Inconstantia, libro tertio, parte sexta, dist.4. 1216
Incontinentia, libro primo, parte tertia, dist.97. 526
Indeuotio, libro tertio, parte sexta, dist.13. 1240
Indignatio, libro tertio, parte tertia, dist.14. 1952
Indiscretio, libro tertio, parte sexta, dist.8. 1228
Infernus, libro secundo, parte tertia, dist.1. 809
Infidelitas, libro primo, parte tertia, dist.29. 1121
Item de eadem, libro tertio, parte tertia, dist.30. 1127
Infirmorum visitatio, libro tertio, parte decima, dist.24. 1486
Ingratitudo, libro tertio, parte sexta, dist. 12. 1238
Iniustitia, libro primo, parte tertia, dist.49. 328
Iniustitia Iudicum, libro primo, parte tertia, dist.54. 341
Iniustitia accusatorum, libro primo, parte tertia, dist.55. 344
Iniustitia reorum, libro primo, parte tertia, dist.56. 346
Iniustitia testium, libro primo, parte tertia, dist.57. 348
Iniustitia aduocatorum, libro primo, parte tertia, dist.58. 351
Inobedientia, libro tertio, parte tertia, dist.23. 1090
Inobedientiæ causa, libro tertio, parte tertia, dist.24. 1096
Inquietudo, libro tertio, parte sexta, dist.4. 1217
Insensibilitas, libro primo, parte tertia, dist.92. 482
Intellectus potentia animæ, libro primo, parte tertia, dist. 38. 298
Intellectus donum, libro primo, parte quarta, dist.5. 602
Intemperantia, libro primo, parte tertia, dist.92. 482
Interficere innocentem, libro tertio, parte quinta, dist.14. 1199
Intimiditas, libro primo, parte tertia, dist.82. 435
Inuerecundia peccandi, libro tertio, parte tertia, dist.16. 1058
Inuidia, libro tertio, parte quarta, dist.1. 1140
Inuidiæ filiæ, libro tertio, parte quarta, dist.2. 1143
Inuocatio dæmonum, libro tertio, parte tertia, dist.28. 1117
Ironia, 410.1038
Ira passio, libro primo, parte prima, dist.31. 110
Iræ causa, libro primo, parte prima, dist.32. 112
Iræ effectus, libro primo, parte prima, dist.33. 114
Ira peccatum, libro tertio, parte quinta, dist.1. 1165
Iræ species, ibidem.
Iræ gradus, ibidem.
Iræ filig, libro tertio, parte quinta, dist.3. 1175
Irreuerentia Dei, libro tertio, parte tertia, dist.19. 1073
Iubilatio, libro tertio, parte decima, dist. vltima. 1555
Index, libro primo, parte tertia, dist.54. 351
Iudicium futurum. 776
Iudicij terror. 778
Iudicium, libro primo, parte tertia, dist.50. 329.332.341
Iudicium temerarium, libro tertio, parte quarta, dist.5. 1155
Iuramentum, libro primo, parte tertia, dist. 68. 381
Ius, libro primo, parte tertia, dist.47. 310
Iustificatio impij, libro primo, parte secunda, dist.14. 166
Iustitia, libro primo, parte tertia, dist.48. 323
Iustitiæ partes integrales, libro primo, parte tertia, dist.59. 353
Iustitiæ species, libro primo, parte tertia, dist.51. 332

L

Languor spiritualis, libro tertio, parte sexta, dist.13. 1241
Laus, libro primo, parte tertia, dist.69. 389
Laus Dei, libro tertio, parte 10. dist.32. 1549
Lætitia inepta, libro tertio, parte tertia, dist.4. 104
Leuitas mentis, libro tertio, parte tertia, dist.3. 103
Lex æterna, libro primo, parte secunda, dist.1. 117
Lex naturalis, libro primo, parte secunda, dist.2. 120
Lex humana, libro primo, parte secunda, dist.3. 124
Lex diuina, libro primo, parte secunda, dist 4. 127
Legis veteris præcepta, libro primo, parte secunda, dist 5. 132
Lex noua, libro primo, parte secunda, dist.7. 145
Legis nouæ ad vet. comparatio, libro 1, parte secunda, dist.8. 147
Legis nouæ contenta, libro primo, parte secunda, dist.9. 153
Liberalitas, libro primo, parte tertia, dist.78. 421
Litigium, libro tertio, parte 5. dist 3. 1175
Locus extremi iudicij, libro secundo, parte secunda, dist.4. 776
Locus inferni, libro secundo, parte tertia, dist.1. 809
Locus Purgatorij, libro secundo, parte prima, dist.11. 737
Luctus. 626
Ludus, libro tertio, parte octaua, dist.4. 1361
Luxuria, libro tertio, parte nona, dist.1. 1394
Luxuriæ species, libro tertio, parte nona, dist.2. 1307
Luxuriam generantia. 1388

M

Magnanimitas, libro primo, parte tertia, dist.84. 438
Magnificentia, libro primo, parte tertia, dist.85. 441
Maledictio, libro tertio, parte quinta, dist 5. 1109
Manſuetudo, libro primo, parte tertia, dist 98. 529
Martyrium, libro primo, parte tertia, dist 81. 431
Memoria, libro primo, parte tertia, dist.38. 295
Mendacium, libro tertio, parte septima, dist.7. 1278
Mendacij species, ibidem. ibid.
Meritum, libro primo, parte secunda, dist.15. 169
Misericordia, libro primo, parte tertia, dist.31. 270
Misericordiæ effectus, libro primo, parte quarta, dist.10. 628
Misericordiæ fructus, libro primo, parte quarta, dist.20. 666
Mititas, libro primo, parte quarta, dist.9. 625
Modestia, libro primo, parte tertia, dist.99. 536
Modestiæ species, libro primo, parte tertia, dist.100. 537
Modestia verborum, libro primo, parte tertia, dist.101. 548
Modestia motuum corporis, ibidem. 549
Modestia ornatuum, libro primo, parte secunda, dist.102. 552
Mollicies, libro primo, parte tertia, dist.90. 474
Mors naturæ, libro secundo, parte prima, dist. 2. 692
Mors spiritualis, libro secundo, parte prima, dist.7. 719
Mors peccati, libro secundo, parte prima, dist 8. 723
Mortis sententia, libro secundo, parte prima, dist. 2. 694
Mortis angustia, libro secundo, parte prima, dist.3. 665
Mortis præsentia, libro secundo, parte prima, dist 4. 701
Mortis subitæ causa, libro secundo, parte prima, dist.6. 715
Mortis genera, libro secundo, parte prima, dist.8. 723
Mortis signa, libro secundo, parte prima, dist.9. 730
Morientium differentia, libro secundo, parte prima, dist.5. 712
Mulierum fallacia, libro tertio, parte nona, dist.5. 1391
Multiloquium, libro tertio, parte tertia, dist.12. 1044
Item de eodem, libro tertio, parte sexta, dist.7. 1222
Munerum collatio, libro tertio, parte septima, dist.12. 1309
Munerum acceptio, ibidem.
Mundi consummatio, libro secundo, parte secunda, dist.2. 762
Mundi purgatio, libro secundo, parte secunda, dist.3. 769
Munditia cordis, libro primo, parte quarta, dist.21. 669
Mutilatio membrorum, libro tertio, parte quinta, dist.13. 1197
Murmur, libro tertio, parte sexta, dist.7. 1223

N

Negligentia, libro tertio, parte sexta, dist.10. 1232
Nocturna pollutio, libro tertio, parte nona, dist.2. 1397
Nouissimus locus tenendus, libro secundo, parte prima, dist.1. 689
Nouissimum tempus præcauendum, ibidem. 690
Nouissimus finis præuidendus, ibidem. 691

O

Obedientia, libro primo, parte tertia, dist.73. 395
Oburgatio iudicis contra impios, lib.2.par.2.dist.9. 799
Oblatio, libro primo, parte tertia, dist.65. 366
Obsecratio, libro tertio, parte decima, dist.36. 1545
Obseruantia, libro primo, parte tertia, dist.71. 393
Obseruantiæ species, libro tertio, parte tertia, dist.72. 1118.1119

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Obſeruantiæ ſuperſtitioſæ, lib.3.p.3. diſt.18. 1117
Obſtinatio, lib.3.p.3.diſt.31. 1138
Occidere, lib.3.p.5. diſt.14. 1199
Ocioſitas, lib.3.p.6.diſt.6. 1220
Odium, lib.1.p.1.diſt.12. 28
Odium Dei, lib.3.p.4.diſt.7. 1182
Odium peccati, ibidem.
Odium proximi, ibidem.
Obmiſſio, lib.3.p.6.diſt.11. 1237
Opera neceſſaria, lib.1.p.1.diſt.1. 1
Operum noſtrorum ſeries, lib.1.p.1.diſt.2. 6
Operum noſtrorum fructus, lib.1 p.1.diſt.3. 9
Operum noſtrorum principium principale, lib 1.p.1.diſt.4. 12
Operum noſtrorum principia extrinſeca, lib.1.p.2.diſt.1. 117
Operum noſtrorum principia intrinſeca, lib.1.p.1.diſt.5. 14
Oratio, lib.3.p.10.diſt.31. 1511
Orationis effectus, lib.3.p 10.diſt.34. 1532
Orationis vtilitas, ibidem. 1537
Orationis diuiſio, lib.3.p.10.diſt.35. 1543
Item alia, lib. 3.p.10.diſt.36. 1545
Orationem ſuadentia, lib 3.p.10 diſt.32. 1519
Orationem integrantia, lib 3 p 10.diſt.33. 1522
Orationem expeditam facientia, lib.3.p.10.diſt.33. 1524
Orationes pro defunctis, lib.2.p.1.diſt.13. 748
Oſcula, lib.3.p.9.diſt.2. 1367

P

Paſſio Ieſu Chriſti, lib.1.p.4 diſt.12.13.14.15.16.17. & ſubſequentibus. fol.539.
Paſſionis Chriſti vtilitas, lib.1.p.4.diſt.19. 654
Parſimonia, lib 3.p.3.diſt.103. 555
Paruificentia, lib.1.p.3.diſt.85. 444
Paſſionum animæ differentia, lib.1.p.1.diſt.6. 15
Paſſionum animæ ſubiectum, lib.1.p 1.diſt.5. 14
Paſſionum animæ bonitas, & malitia, lib.1.diſt.7. 18
Paſſionum animæ ordo, lib.1.p.1.diſt.8. 20
Patientia, lib.1.p.3.diſt.86. 444
Patientiæ multiformitas, lib.1.p.3.diſt.87. 447
Patientiam roborantia, lib.1 p.3.diſt.88. 451
Patientia in tribulationibus, lib.1.p.3 diſt.89. 464
Patientia contumeliarum, lib 3.p.5.diſt.4. 1176
Paupertas, lib 1 p 3.diſt.104. 562.615
Pax, lib. 1.p 3. diſt.30. 269
Item de eadem, lib.1.p.4.diſt.22. 673
Peccatum, lib.3.p.2.diſt.1. 861
Peccatorum ad inuicem comparatio, li.3.p.2.diſt.3. 919
Peccatorum ſubiectum, lib 3.p.2.diſt.3. 924
Peccatorum cauſa generalis, lib.3.p.2.diſt 4. 928
Peccatorum cauſæ interiores, lib.3.p.2.diſt.5. 930
Peccatorum cauſæ exteriores, lib 3.p.2.diſt.6. 932
Peccatorum effectus, lib.3.p.2.diſt.8. 936
Peccatorum deteſtatio, lib.3.p.2.diſt.19. 1073
Peccatorum defenſio, lib.3.p.3.diſt.6. 1009
Peccatorum occiſio, lib.3 p.5.diſt.14. 1199
Peccatorum mortalium pœnitentia, lib.3.p.10.diſt.2. 1408
Peccata cauſantia alia, lib.3.p.2. diſt.15. 956
Peccata linguæ, lib.3.p.1.diſt.3. 866
Peccati macula, lib.3.p.2.diſt.17. 963
Peccatum Prothoplaſtorum, lib.3.p.6.diſt.11. 942
Peccatum veniale, lib.3.p.2.diſt.20. 982
Peccati venialis ad mortale comparatio, lib.3.p.2.diſt.20. ibi.
Peccatum ex ignorantia, lib.3.p.2.diſt.5. 930
Peccatum ex paſſione, lib.3.p.2.diſt.6. 932
Peccatum ex malitia, lib 3 p.2.diſt.8. 936.1057
Peccati originalis traductio, lib.3.p.2.diſt.12. 950
Peccati originalis eſſentia, lib.3.p.2.diſt.13. 953
Peccati originalis ſubiectum, lib.3.p.2.diſt.14. 954
Peccatum contra naturam, lib 3.p.9.diſt.2. 1367
Peccandi conſuetudo, lib.3 p.3.diſt.7. 1013
Peccandi libertas, lib.3.p 3.diſt.6. 1009
Pœna peccati Prothoplaſtorum, lib.3.p.2.diſt.12. 942.948
Pœna iniuſtè accuſantium, lib.1.p.3.diſt.55. 344
Pœnæ Inferni, lib.2.p.3.diſt.1. 809
Item de eiſdem. lib.2.p.3 diſt.5. 830
Pœnarum inferni acerbitas, lib.2.p.3.diſt.2. 819
Pœnarum inferni æternitas, lib.2.p.3.diſt.3. 822
Pœnarum inferni meditatio, lib.3.p.2.diſt.4. 824
Pœna Purgatory, lib.2.p.1.diſt.11. 737.739
Pœna ſacrilegi, lib.3.p.2.diſt.19. 968
Pœna ſymoniaci, lib.3.p.7.diſt.15. 1323
Pœnitentia, lib.3.p.10.diſt.1. 1405
Pœnitentiæ effectus, lib.3.p.10.diſt.3. 1410
Pœnitentiæ commendatio, lib.3.p.10.diſt.4. 1413
Pœnitentiæ qualitas lib.3.p.3 diſt.5. 1419
Pœnitentiæ partes, lib.3.p.10.diſt.6. 1424
Periurium, lib.3.p.7.diſt.8. 1280
Perſeuerantia, lib.1 p.3.diſt.90. 474
Pertinacia, lib.1.p.3.diſt.90. 474
Item de eadem, lib.3.p.3.diſt.13. 1048
Petitio, lib.3.p.10.diſt.36. 7
Pietas erga parentes, diſt.25. 1490
Pietas, lib.1.p.3.diſt.70. 390
Item de eadem, lib.1.p.4.diſt.3. 595
Pigritia & ignauia, lib 3.p.6.diſt.3. 1213
Poſtulatio, lib.3.p.10.diſt.36. 1545
Præcepta charitatis, lib.1.p.3.diſt.34. 246.276
Præcepta iuſtitiæ, lib.1.p.3.diſt.79. 414
Præcepta moralia veteris legis, lib.1.p.2.diſt.6. 135
Præſeruatio à peccato, lib.3.p. 1.diſt.1. 861
Præſumptio, lib.3.p.3 diſt.25. 1103
Præſumptionis cauſa, lib.3.p.3.diſt.25. 1104
Primitiæ, lib.1.p.3. diſt.65. 366
Prodigalitas, lib.3.p.7. diſt.19. 1339
Proditio, lib.3.p.7.diſt.9. 1283
Promiſſio indiſcreta, lib.3.p.3.diſt.12. 1044
Prouidentia, lib.1.p.3.diſt.39. 299
Prudentia, lib.1.p.3.diſt.35. 282
Prudentiæ partes generales, lib.1.p.3.diſt.36. 289
Prudentiæ partes integrales, lib.1.p.3 diſt.37. 290
Prudentiæ partes ſubiectiuæ, lib.1.p.3.diſt.43. 309
Prudentia carnis, lib. 1.p.3.diſt.46. 318
Purgatorium, lib.2.p.1.diſt.10.11.12.13. 735
Purgatorij pœnæ quare timendæ, fol.737. & ſubſequentibus.
Puſillanimitas. 1216

Q

Qualis debeat eſſe confeſſio, lib.3.p.10.diſt.12. 1442
Qualia debeant confiteri, lib.3.p.10.diſt.11. 1441
Quibus debeat confiteri, lib.3.p.10.diſt.10. 1449
Qualitas eleemoſynæ, lib.3.p.10.diſt.22. 1478
Qualitas ieiunij, lib.3.p.10.diſt.28. 1494
Qualitas orationis, lib.3.p.10.diſt.33. 1522
Qualitas ſatisfactionis, lib.3.p.10.diſt.17. 1459
Quare Deus ſit laudandus, lib.3.p.10.diſt.27. 1549

R

Rapina, lib.3.p.7.diſt.10. 1286
Raptus, lib.3.p.9.diſt.2. 1367
Ratio, lib.1.p.3.diſt.38. 299
Reatus pœnæ, lib.3 p.2.diſt.18. 964
Rebellio, lib.3.p.3.diſt.25. 1103
Religio, lib.1.p.3.diſt.61. 357
Remedia deſperationis, lib.3.p.6.diſt.15. 1245
Remedia iræ, lib.3.p 5.diſt.2. 1175
Remedia malæ conſuetudinis, lib.3.p.3.diſt.7. 1017
Remedia negligentiæ, lib.3.p.6.diſt.10. 1232
Remedia ſomnolentiæ, lib.3.p.6.diſt.9. 1240
Remedia tentationum, lib.3.p.1.diſt.7. 898
Remedia triſtitiæ, lib.1.p.1.diſt.22. 50
Reſignare ſe Diabolo, lib.3 p.5.diſt.8. 1185
Reſtitutio, lib.1.p.3.diſt.52. 335
Reſurrectio corporum, lib.2.p.2 diſt.3. 770
Reuelatio pœnarum inferni, lib.2.p.3.diſt.6. 831
Reuelatio ſecretorum, lib.3.p.3 diſt.12. 1045
Rixa, lib.3.p.5.diſt.11. 1194
Rogatio, lib.3.p.10.diſt.36. 1545

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

S

Sacramenta vendere, lib.3.p.7.dist.14. 1319
Sacrificium, lib.1.p.3 dist.64. 364
Sacrilegium, lib.3.p.3.dist.19. 1073
Sacrilegij species, ibidem.
Sacrilegium locale, lib.3.p.3.dist.20. 108
Sacrilegium personale, lib.3.p.3 dist.19. 1073
Sacrilegium reale, lib 3.p.3.dist.21. 1088
Sacrilegium luxuriæ species, lib.3.p.9.dist.2. 1367
Sapientia, lib 1.p.4.dist.6. 604
Satisfactio, lib.3.p.10.dist.16. 1459
Scandalum, lib.1.p. 3.dist.34. 278
Item de eodem, lib.3.p.3 dist.17. 1059
Scientia, lib.1.p.4. dist.3. 597
Scisma, lib.3.p.3.dist.10. 1131
Scurrilitas, lib.3.p.3.dist.12. 1045
Segnicies, lib.3 p.6.dist.3. 1213
Seipsum occidere, lib.3.p.5.dist.14. 1199
Seminare discordias, lib.3.p.3.dist 12. 1045
Item de eodem, lib.3.p.5 dist.3. 1175
Sententiæ extremæ prolatio, lib.2.p.2 dist.10. 803
Sententiæ extremæ executio, lib.2.p.2.dist.11. 806
Sepelire mortuos, lib.3.p.10. dist.24. 1485
Senttia, lib.3.p.5 dist.12. 1197
Signa iudicium præcedentia, lib 2.p.2. dist.2. 762
Silentium, lib.3.p.1.dist.4. 871
Singularitas, lib.3.p.3.dist.6. 109
Symonia, lib.3.p.7.dist.14. 1319
Symoniæ species, lib.1.p.7.dist.17. 1330
Synesis, lib.1.p.3.dist.44. 310
Sobrietas, lib.1.p.3.dist 94. 490
Solertia, lib.1.p.3.dist 38. 298
Solicitudo, lib.1.p.3.dist.41. 305
Solicitudo temporalium, lib.3.p.7.dist.3. 1267
Somnolentia, lib 3.p.6 dist.9. 1230
Sortes, lib.3.p.3.dist.28. 1117
Spes passio, lib.1.p.1 dist.25. 71
Spes virtus, lib.1.p 3.dist.21. 242
Spei obiectum, lib.3.p.3. dist.22. 244
Spei subiectum, lib 1.p.3.dist.23. 245
Studiositas, lib.1.p.3 dist.37. 290
Stuprum, lib.3.p.9.dist.2. 1367
Suffragium, lib.3.p.10. dist.36. 1545
Superbia, lib.3.p.3.dist.1. 990
Superbiæ gradus, lib.3.p.3. dist.2. 997
Superstitio, lib.3.p.3.dist.27. 1107
Supplicatio, lib.3.p.10.dist.36. 1545
Suspensio sacrorum verborum, ad col. lib.3.p.3.dist.27. 1107
Susurratio, lib.3.p.4.dist.4. 1151

T

Tabernarum frequentatio, lib.3.p.8.dist.3. 1360
Taciturnitas, lib.3.p.6.dist.7. 1218
Taciturnitas indiscreta, lib.3.p.3 dist.12. 1047
Tactus illicitus, lib.3.p.9.dist.2. 1367
Tædium vitæ, lib.3.p.6.dist.14. 1243
Temperantia, lib.1.p.3.dist.91. 479
Temperantiæ partes generales, lib.1.p.3.dist.93. 485
Temperantiæ partes subiectiuæ, li.1.p.3.dist.94. 490
Temperantiæ partes potentiales, lib.1.p.3.dist.92. 482.521
Tempora redimanda, lib.3.p 10.dist.26. 1495
Tentare Deum, lib.3.p.3.dist.18. 1070
Tentatio Diaboli, lib.3.p 2 dist.10. 940
Tentatio Prothoplastorum, lib.3.p.2.dist.11. 942
Tentationum genera, lib.3.p.1 dist.6. 883
Tentationum occasio, lib.3.p.1.dist.7. 897
Tentationum remedia, ibid. 898
Tentationum vtilitas, lib.2.p.1.dist.8. 898.90
Tempus iudicij, lib.2.p.2.dist.4. 776
Tepiditas, lib.3.p.6 dist.4. 1215
Testes, lib.1.p.3.dist.57. 348
Testes in extremo iudicio, lib.2.p.2.dist.8. 794
Testimonium falsum, lib.3.p.4.dist.6. 1160
Timor vitium Cardinale, lib.1.p.3.dist 82. 433
Timor donum, lib.1.p.4.dist.2. 588
Timor passio, lib.1.p.1.dist.26. 76
Timoris causa, lib.1.p.1.dist.28. 102
Timoris effectus, lib.1.p.1.dist.29. 104
Timoris obiectum, lib.1.p.1.dist.27. 86
Tristitia, lib.1.p.1 dist.19. 50
Tristitia de bonis alterius lib.3.p.4.dist.2. 1143
Timor mentis, lib.3.p.4.dist 3. 1144
Turpiloquium, lib.3.p.3.dist.12. 1046

V

Vana gloria, lib.3.p.3.dist.8. 1018
Vaniloquium, lib.3.p.3 dist.12. 1223
De eodem, lib.3.p.6.dist.7. 1222
Vanitas, lib.3 p.3.dist.15. 1055
Venditio, lib.3.p.7. dist 5. 1271
Verberatio, lib.3.p.5.dist.13. 1197
Verbositas, lib 3.p.6.dist.7. 1223
Verbum Dei, lib.3.p.1.dist.10. 904
Verecundia, lib.1.p.3 dist.93. 485
Veritas, lib 1.p.3.dist.76. 406
Veritas vitæ, doctrinæ, iustitiæ, lib.3.p.3.dist.31. 1134.1136
Vindicatio, lib.1.p.3. dist.75. 403
Virginitas, lib.1.p.3.dist.96. 497
Item de eadem, in fine libri.
Virtus Crucis, lib.1.p.4.dist.19.in fine capituli. 654
Virtutum essentia, lib 1 p.3. dist.1. 172
Virtutis subiectum, lib.1.p.3.dist.2. 173
Virtutum intellectualium distinctio, lib.1.p.3.dist.3. 176
Virtutum moralium ab intellectualibus distinct.lib.1.p.3.dist.4. 178
Virtutum moralium à passionibus distinctio, lib.1.p.3.dist.5. 180
Virtutum moralium ab invicem distinctio, lib.1.p.3.dist.6. 182
Virtutum Cardinalium dist. lib.1.p.3.dist.7. 185
Virtutes Theologicæ, lib.1.p 3.dist.8. 188
Virtutum causa, lib.1 p 3.dist.9. 189
Virtutum connexio, lib.1.p.3.dist.10. 191
Virtutum æqualitas, lab.1.p.3.dist.11. 194
Virtutis medium, lib.1.p.3.dist.12. 197
Virtutum duratio, lib.1.p.3.dist.13. 198
Virtutes Cardinales, lib.1.p.3 dist.35. 282
Virtutes prudentiæ adiunctæ, lib.1.p.3.dist.44. 310
Virtutes iustitiæ annexæ, lib.1.p.3.dist.60. 355
Visio Tundali, lib.2.p.3.dist.6. 833
Visio Caroli. ibidem. 839
Visitare infirmos, lib.3.p.10.dist.24. 1486
Vitia vel peccata, lib.3.p.2.dist.1. 865
Vitia fortitudini opposita, lib.1.p.3.dist.82. 433
Vitia iustitiæ opposita, lib.1.p.3.dist.53. 328
Vitia magnanimitati opposita, lib.1.p.3.dist.85. 441
Vitia opposita fidei, lib.1 p.3 dist.20. 237
Vitia prudentiæ opposita, lib.1.p.3.dist.45.& 46. 320 & 323
Vitia temperantiæ opposita, lib 1.p.3.dist.92. 482
Voluntas Dei, lib.3.p 3.dist.24. 1099
Votum, lib.1.p.3.dist.67. 372
Vsura, lib.3.p.7.dist.11. 1295

X

Christi incarnatio, lib.1.p.4.dist.11. 636
Christi passio, lib.1.p.4.dist.12. 539
Christi passionis vtilitas, lib.1.p.2.dist.19. 654

Y

Yronia, lib.1.p.3.dist.76. 402. & 1138
Ypocrisis, lib.3.p 3 dist.10. 1033
Ydolatria, lib.3.p.3.dist.24. 1099

Z

Zelus, lib.1.p.1.dist.24. 115

FINIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX

MATERIARVM OMNIVM, RERVMQVE NOTABILIVM, QVÆ IN SPECVLO MORALI VINCENTII CONTINENTVR, ORDINE ALPHABETICO DISTINCTVS:

In quo primus numerus librum, ſecundus diſtinctionem indicat.

A

MOR in generali, lib.1.p.1. diſt.9
Amoris cauſa, lib.1.p.1. diſt.10
Amoris effectus, lib.1.p.1. diſt 11
Abominatio, lib.1.p.1. diſt.14
Audacia, lib.1.p.1. diſt.30
Accuſatio iniuſta quæ ſit, lib.1.p.3. diſt.55.
Adoratio quid ſit, lib.1 p.3. diſt.63
Affabilitas quid ſit, l.1.p.3. diſt.77
Audacia an ſit pec ati, lib.1.p.3.
Æquanimitas modeſtiæ circa vſum rerum exteriorum, lib.1. par.3. diſt.103
Afflictio paſſionis Domini multiplex, lib.1.par.3. diſt.14
Antichriſti perſecutio, lib.2 parte 2. diſt.1
Attestatorum diſcrepatio, lib.2. parte 2. diſt.9
Auditus qualitates ponuntur, lib.3.parte 1.
Apoſtaſi: quæ ſit, lib.3.parte 3.
Accidia quid ſit, lib.3.parte 6. diſt.1
Accidiæ filiæ, ibidem. diſt.2
Auaritia in generali conſideratur, lib.3 parte 7. diſt.2
Auaritiæ deteſtatio, lib.eod.p.ead. diſt.2
Aſtutia quid ſit, lib.3.parte 7. diſt.4
Auaritia aduocatorum quanta ſit, lib.3.parte 7. diſt.14
Auaritia clauſtralium, lib.3 parte 7. diſt.18

B

Beneficentia, lib.1.parte 2. diſt.32
Beatitudines in generali conſiderantur, lib.1.p.4. diſt.8
Beatitudinum correſpondentia donis, lib.1.p.4. diſt.23
Beatitudines corporis & animæ, lib.2.p.4.
Beatitudines in generali, ibid. diſt.1
Beatitudines ſeptem partes ad animam pertinentes, lib.2.p.4. diſt.3
Beatitudinis corporis ſeptem partes, lib.2.p.4. diſt.4
Blaſphemia, lib.3.p.5. diſt.6.7.8 9.11.
Bellum filia iræ, lib.3.p.5. diſt.12

C

Caritas, lib.1.p.3. diſt.24
Caritas per comparationem ad ſubiectum, lib.1.p.3. diſt 25
Caritatis obiectum, lib.1.parte 3. diſt.26
Caritatis ordo, lib.1.p.3. diſt.27
Caritatis actus, lib.1.p.3. diſt.28
Correctio fraterna, lib.1.p.3. diſt 33
Caritatis præcepta, lib.1.p.3. diſt 34
Conſideratio qua ſit habenda, lib.1.p.3. diſt.37
Circunſpectio, lib.1.p 3. diſt.40
Cautio pars prudentiæ, lib.1.p. 3. diſt 40
Caſtitas quid ſit, lib.1.p.3. diſt.95
Clementia & manſuetudo, lib.1.p.3. diſt.98
Conditio deteſtandæ pœnas inferentium, lib.1.p.4. diſt 15
Comparatio Paſſionis Chriſti ad ipſum patientem, lib.1.p.4. diſt. 16
Corporum reſurrectio, lib.2.p.2. diſt.3
Cordis cuſtodia, lib.3 p.1.
Cogitatio, lib.3.p.1. diſt.2
Contentio quid ſit, lib.3.p.3. diſt.13
Contumacia quæ ſit, lib.3 p.3. diſt.24
Contumelia filia iræ, lib.3.p.5. diſt.4
Crudelitas filia iræ, lib.3 p.5.
Choreæ vitandæ, lib.3.p.9. diſt.6
Contritio quæ ſit, lib.3.p.10. ibid.
Contritionis motiua, lib.3.p.10. diſt.7
Contritionis effectus, lib.3.p.10. diſt.8
Confeſſio conſideratur, ibid. diſt 6
Confeſſio facienda proprio ſacerdoti, diſt. 0
Confiteri de quibus, quis teneatur, ibid. diſt.11
Confeſſionem commendantes, ibid. diſt.12
Confeſſionis motiua, ibid. diſt.13
Confeſſionis effectus, ibid. diſt.14
Confeſſio inutilis, ibid. diſt.15
Confeſſionem impedientia, ibid. diſt.16

D

Deſiderium, lib.1.parte 1. diſt.13
Delectatio, lib 1.parte 1. diſt.15
Delectationum cauſæ, lib.1.p.1. diſt.16
Delectationis effectus, lib.1.p.1. diſt.17
Delectationum malitia, vel bonitas, lib.1.p.1. diſt.18
Dolor & triſtitia, lib.1.p.1. diſt.19
Doloris cauſæ, lib.1.p 1. diſt.20
Doloris vel triſtitiæ effectus, lib.1.p.1. diſt 21
Doloris vel triſtitiæ remedia, lib.1.p.1. diſt.22
Doloris vel triſtitiæ bonitas, vel malitia, lib.1.p.1. diſt 23
Docilitas, & eius qualitates, lib.1.p.3. diſt.37
Diſciplina pars prudentiæ, lib.1.p.3. diſt.42
Diſcretio quæ ſit, lib.1.p.3. diſt.44
Deuotio quæ, & contemplatio lib.1.p.3. diſt 62
Decimæ quomodo ſoluendæ, lib.1.p.3. diſt 66
Diuini nominis aſſumptio, lib.1.p.3. diſt.69
Dulia pars obſeruantiæ, lib.1.p.3. diſt.72
Dona in generali, lib 1.p.4. diſt.1
Dona in ſpeciali, lib.1.p.4. diſt.2
Donum Pietatis, lib.1.p.4. diſt 3
Donum intellectus, lib.1.p 4. diſt 5
Donum ſapientiæ, lib.1.p.4. diſt 6

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Deuotio compatientium Christo, lib.1.p.4. dist.18
Discussorum publicatio, lib.2.p.2. dist.7
Dotes in generali, lib.2.p.4. dist.2
Dotes corporis, lib. eod.
Discordia quid sit, lib.3.p.3. dist.12
Dei contemptus quis sit, lib.3.p.3. dist.18
Diuinatio quid sit, lib.3.p.3. dist.17
Detractio quid sit, lib.3.p.4. dist.3
Derisio quid sit, ibid.
Desperatio quid sit, lib.3.p.6. dist.15
Deus quare laudandus, lib.3.p.10. dist.37

E

E Nubulia, syncsis, & gnomin virtutes adiunctæ prudentiæ, lib. 1.p.3. dist.44
Epykeya quid sit, lib.1.p.3. dist.78
Excessus quid sit, lib.3.p.3. dist 14
Erubescentiæ bonitatis, lib.3.p.3. dist.18
Ebrietas quæ sit, lib.3.p.8. dist.2
Eleemosyna quomodo facienda, lib.3.p.10. dist.18. & 19
Eleemosynæ faciendæ motiua, ibid. dist.20
Eleemosynę effectus, ibid. dist.21
Eleemosynarum qualitas, lib.eodem. dist.32

F

F Idei obiectum, lib.1.p.3. dist.14
Fidei actus, lib.1.p.3. dist.15
Fidei actus exterior, lib.1.p.3. dist.16
Fidei habitus, lib.1.p.3. dist. 7
Fidei subiectum, lib.1.p.3. dist.18
Fidei effectus, lib.1.p.3. dist.19
Fidei vitia oppositia, lib.1.p.3. dist.20
Fortitudo quid sit, lib.1.p.3. dist.80
Fortitudinis partes in generali, lib.1.p.3. dist 83.
Fortitudo quid sit, lib.1.p.4. dist.4
Fructuum consideratio, lib.1.p.4. dist.7
Fraus est propriè perceptio alterius per factum, lib.3.p.7. dist.5
Fraudulentia quæ sit, ibid. dist.6
Furtum consideratur, lib.3.p.7.

G

G Audium, lib.1.p.1. dist.24
Gratia, lib.1.p.2. dist.10.& 11
Gratię diuisio, lib.1.p.2. dist.12
Gratiæ causa, lib.1.p.2. dist.13
Gratię effectus, lib.1.p.2. dist.14
Gratiæ meritus effectus, lib.1.p.2. dist.15
Gaudium in generali, lib.1.p.3. dist.29
Gratitudo quid sit, lib.1.p 3. dist.74
Gustus quid sit, lib.3.p.1.
Grauedo & somnolentia, lib.3.p.6. dist.9
Gula consideratur, lib.3.p.8. dist.1
Gratiarum actio, lib.3.p.10. dist.38

H

H Vmanorum operum necessitas, lib.1.p.1. dist.1
Hipocrisis appetitus apparentiæ, lib.3.p.3. dist 10
Hæresis, an sit species infidelitatis, lib.3.p.3. dist.30
Homicidium quid sit, lib.3.p.5. dist.14
Hospitalitas, lib.3.p.10. dist.23

I

I Ræ, lib.1.p.1. dist.31
Iræ causa effectiua, lib.1.p.1. dist.32
Iræ effectus, l.b.1.p.1. dist.33
Intelligentia in generali, lib.1.p.3. dist.38
Imprudentia vitium oppositum prudentiæ, lib.1.p.3. dist.45
Iustitiæ obiectum, lib.1.p.3. dist.47
Iustitiæ consideratio, lib.1.p.3. dist.48
Iudicium quid sit, lib.1.p.3. dist.50
Iustitiæ partes quæ sint, lib.1.p.3. dist.51
Iudicis iniustitia, lib.1.p.3. dist.54
Iniustitia quę sit, lib.1.p.3. dist.56
Iniustitia testium, lib.1.p.3. dist.57
Iniustitia aduocatorum, lib.1.p.3. dist 58
Iustitiæ partes, lib.1.p.3. dist.59
Iustitiæ annexæ virtutes, lib.1.p.3. dist.60
Iuramentum quid sit, lib.1.p.3. dist.68
Iactantia quid sit, lib.1.p.3. dist.77
Ironia quid sit, lib.1.p 3. ibidem
Iustitię præcepta, lib.1.p.3. dist.79
Intimiditas quid sit, lib.1.p.3. dist.82
Incarnatio filij Dei, lib.1.p.4. dist.11
Iudicium finale & extremum, lib.2.p.2. dist.1
Iudicium futurum, lib.2.p.2. dist.4
Iudicij terror, lib.2.p.2. dist.5
Iudicium subsequentia, lib.2.p.2. dist.vlt.
Infernus quod sit, & situs eius ponitur, lib.2.p.3. dist.1
Inferni acerbitas pœnarum, lib.2.p.3. dist.2
Inferni æternitas pœnarum, lib.2.p 3. dist.3
Inferni pœnarum recordantium vtilitas, lib.2.p.3. dist.4
Inferni æternitas & acerbitas pœnarum, lib.2.p.3. dist.5
Innocentię perfectę consecutio, & præseruatio à peccatis disseritur, lib 3.p.1. dist.1
Iactantia quid sit, lib.3.p.3. dist.5
Inanis gloriæ peccatum, lib.3.p 3. dist.8
Inanis gloriæ species, & filiæ, lib.3.p.3. dist 9
Ironia quid sit, lib.3.p.3. dist.11
Indignatio filia inanis glorię, lib.3.p.3. dist.14
Irreuerentia & sacrilegium quid sit, lib.3.p.3. dist.19
Inobedientia quæ sit, lib.3.p.3. dist.22
Inobedientiæ causæ, lib.3.p.3. dist.23
Infidelitas quæ sit, lib.3.p.3. dist.29
Inuidia quid sit, lib.3.p.4. dist.1
Inuidiæ prima filia, lib.3.p.4. dist.2
Inuidiæ filiæ in specialis, ibid.
Iudicium temerarium quid sit, lib.3.p.4. dist.5
Ira quid sit, lib.3.p 4. dist.1
Iræ filiæ quæ sint, ibid. dist.3
Ignauia, vel pigritia, lib.3.p.6. dist.3
Ignorantia ad salutem pertinens, lib.3.p.6. dist 5
Indiscretio quæ sit, lib.3.p.6. dist.8
Indenotio quid sit, lib.3.p.6. dist.13
Impeditio bonorum quæ sit, lib.3 p 6. dist.14
Infirmorum visitatio, lib.3.p.10. dist.24
Ieiunium pars satisfactionis, lib.3.p.10. dist.26
Ieiunium multiplex, ibid. dist.27
Ieiunij qualitas, ibid. dist.28
Ieiunij effectus, lib.3.p.10. dist.29
Ieiunium multiplex, ibid. dist.30
Iubilatio species orationis, lib.3.p.10. dist.39

L

L Ex æterna, lib.1.p.2. dist.1
Lex naturalis, lib 1.p.2. dist.2
Lex humana, lib.1.p.2. dist.3
Legis diuinę vitus, lib.1.p.2. dist.4
Lex noua secundum se, lib.1.p.2. dist.7
Legis nouæ ad veterem comparatio, lib.1.p.2. dist.8
Legis nouæ continentia, lib.1.p.2. dist.9
Liberalitas quid sit, lib.1.p.3. dist.78
Linguę custodia, lib.3.p.1. dist.3
Lætitia inepta, lib.3.p.3. dist.4
Languor spiritualis infirmitas, lib.3.p.6.
Luxuria quid sit, lib. 3.p.9. dist.1
Luxuriæ species quę sint, lib.3.p.9. dist.2
Luxurię detestatio, lib.3.p.9. dist.3
Luxuriam generantia, ibid. dist.4

M

M Isericordia in generali, lib.1.p.3. dist.31
Memoriæ partes, lib.1.p.3. dist.38
Martyrium quid sit, lib.1.p.3. dist.81

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Magnanimitas quid sit, lib. 1. p. 3. dist. 84
Magnificentia an sit virtus, lib. 1. p. 3. dist. 85
Modestia quid sit, lib. 1. p. 3. dist. 99
Modestiæ species, lib. 1. p. 3. dist. 100
Modestia in verbis, lib. 1. p. 3. dist. 101
Modestia in ornatu, lib. 1. p. 3. dist 102
Misericordiæ effectus, lib. 1. p. 4. dist. 10
Misericordia hominis ad hominem, lib. 1. p. 4. dist. 20
Munditia cordis, lib. 1. p. 4. dist. 21
Mors naturæ, lib. 2. p. 1. dist. 2
Mortis angustia, lib. 2. p. 1. dist. 3
Mortis præsentia, lib. 2. p. 1. dist. 4
Morientium differentia, lib. 2. p. 1. dist. 5
Mors subita, lib. 2. p. 1. dist. 6
Mors gratiæ, ibidem. dist. 7
Mors culpæ, lib. 2. p. 1. dist. 8
Moriendi modi, lib. 2. p. 1. dist. 9
Mortis signa, lib. 2. p. 1. ibid.
Mundi consummatio, lib. 2. p. 2. dist. 2
Mundi purgatio, lib. 2. p. 2. dist. 3
Meritorum discussio, lib. 2. p. 2. dist. 6
Mulieris pœna quantum ad corpus, lib. 3. p. 3.
Mulieris pœna specialiter, lib. 3. p. 3.
Mentis lenitas, lib. 3. p. 3. dist. 3
Maledictio quæ sit, lib. 3. p. 5. dist. 5
Mutilatio quid sit, lib. 3. p. 5. dist. 13
Mendacium quando sit peccatum, lib. 3. p. 7. dist. 7
Munerum collatio, lib. 3. p. 7. dist. 12
Mulierum societas fugienda, lib. 3. p. 9. dist. 5
Motiua ad pœnitentiam, lib. 3. p. 10. dist. 4

N

Negligentia quid sit, lib. 3. p. 6. dist. 10

O

Operum series, lib. 1. p. 1. dist. 2
Operum finis & fructus, lib. 1. p. 1. dist. 3
Operum principium principale, lib. 1. p. 1. dist. 4
Operum principium intrinsecum, lib. 1. p. 1. dist. 5
Odium, lib. 1. p. 1. dist. 12
Oblationes & sacrificia, lib. 1. p. 3. dist. 65
Obseruantia, & partes eius, lib. 1. p. 3. dist 71
Obedientia an virtus sit specialis, lib. 1. p. 3. dist. 73
Olfactus quid sit, lib. 3. p. 1.
Originalis peccati subiectum, lib. 3. p. 3. dist. 14
Obstinatio, siue obduratio, lib. 3. p. 3. dist 31
Odium quid sit, lib. 3. p. 4. dist 7
Otiositas quę sit, lib. 3. p. 6. dist. 6
Omissio effectus negligentiæ, lib. 3. p. 6. dist. 11
Oratio pars satisfactionis, lib. 3. p. 10. dist. 31
Orationis motiua, ibid. dist. 32
Orationem faciens Deo gratam, ibid. dist. 33
Orationem expeditam faciens, ibid. dist. 33
Orationem integrantes, ibid.
Orationis effectus, ibid. dist. 34
Orationis utilitas, ibid.
Orationis tres species, ibid. dist. 35
Orationis decem species, ibid. dist. 36

P

Passionum differentia, lib. 1. p. 1. dist. 6
Passionum animæ bonitas, & malitia, lib. 1. p. 1. dist. 7
Passionum animæ ordo, lib. 1. p. 1. dist. 8
Passiones irascibiles, lib. 1. p. 1. dist. 25
Præcepta legis veteris, lib. 1. p. 2. dist. 5
Præcepta moralia legis veteris, lib. 1. p. 2. dist. 6
Pax, lib. 1. p. 3. dist. 3
Prudentię qualitates, lib. 1. p. 3. dist. 35
Prudentiæ partes in generali, lib. 1. p. 3. dist. 36
Prudentiæ partes integrales, lib. 1. p. 3. dist. 37
Prouidentia quæ sit, lib. 2. p. 3. dist. 39
Prudentiæ species, lib. 1. p. 3. dist. 43
Prudentiæ vitia opposita, lib. 1. p. 3. dist. 46
Personarum acceptio, lib. 1. p. 3. dist. 53
Pietas quid sit, lib. 1. p. 3. dist. 70
Parumficentia an sit virtus, lib. 1. p. 3. dist. 86
Patientia an sit virtus, lib. 1. p. 3. dist. 86. 87. 88 89.
Perseuerantia quid sit, lib. 1. p. 3. dist. 90
Paupertas quid sit, lib. 1. p. 3. dist. 104
Paupertas spiritus, lib. 1. p. 4. dist. 9
Passio Domini nostri, lib. 1. p. 4. dist. 12
Passionis Domini vtilitas, lib. 1. p. 4. dist. 19
Pax quid sit, lib. 1. p. 4. dist. 22
Purgatorium vbi sit, lib. 2. p. 1. dist. 10
Purgatorij pœnæ quare timendę, lib. 2. dist. 11
Purgatorij pœnæ quales sint, lib. 2. p. 1. dist. 12
Purgatorij pœna quomodo extinguatur, lib. 2. p. 1. dist. 14
Promulgatorum attestatio, lib. 2. p. 2. dist. 8
Peccata in genere ponuntur, lib. 3. p. 2. dist. 1
Peccatorum distinctio, lib. eodem. dist. 2
Peccatorum comparatio ad inuicem, lib. 3. p. 2. ibid.
Peccatorum subiectum, lib. 3. p. 2. dist. 3
Peccatorum causę in generali, lib. 3. p. 2. dist. 4
Peccati causæ in speciali, lib. 3. p. 2. dist. 5
Peccati causa ex parte appetitus sensitiui, lib. 3. p. 2. dist. 6
Peccati causæ ex parte voluntatis, lib. 3. p. 2. dist. 8
Peccati causæ exteriores, ibid. dist. 9
Peccati causa ex parte Diaboli, ibid. dist. 10
Peccati causa ex parte hominis, ibid. dist. 11
Peccati pœna, lib. 3. p. 3. dist. 11
Peccatum originale quale sit, lib. 3. p. 3. dist. 12
Peccati originalis essentia, ibidem. dist. 13
Peccati causa, lib. 3. p. 3. dist. 15
Peccati effectus, lib. eodem, parte eadem. dist. 16
Peccati macula, lib. 3. p. 3. dist. 17
Peccati diuersi effectus, lib. 3. p. 3. dist. 19
Peccatum veniale, lib. 3 p. 3. dist. 20
Peccatum veniale, secundùm se, lib. 3. p. 3. dist. 21
Peccandi consuetudo, lib. 3. p. 3. dist. 7
Pertinacia quid sit, lib. 3. p. 3.
Peccatum ex certa malitia, lib. 3. p. 3. dist. 16
Peccandi inuerecundia, lib. eod. p. ead.
Præsumptio quot modis dicatur, lib. 3. p. 3. dist. 25
Periurium quid sit, lib. 3. p. 7. dist. 8
Proditio quid sit, lib. eod. p. ead. dist 9
Prodigalitas, lib. 3 p. 7. dist. 19
Pœnitentia quæ sit, lib. 3. p. 10. dist. 1
Pœnitentia mortalium peccatorum, lib. 3. p. 10. dist. 2
Pœnitentiæ qualitates, lib. 3 p. 10. dist. 5
Pietas erga parentes, lib. 3. p. 10. dist. 25

R

Ratio in generali consideratur, lib. 1. p. 3. dist. 38
Restitutio consideratur, lib. 1. p. 3. dist. 52
Religio quæ sit, lib. 1. p. 3. dist. 61
Reproborum supplicia, lib. 2. p. 3. dist. 1
Reuelationes quędam, lib. 2. p. 3. dist. 6
Ratus pœnæ, lib. 3. dist. 18
Remedia contra malam consuetudinem, lib. 3. p. 3.
Rebellio quid sit, lib. 3. p. 3. dist. 24
Rixa quid importet, lib. 3. p. 5. dist. 11
Rapina quæ sit, lib. 3. p. 7. dist. 10

S

Spes in generali, lib. 1. p. 3. dist. 21
Spei obiectum, lib. 1. p. 3. dist. 22
Spei subiectum, lib. 1. p. 3. dist. 22
Scandali species, lib. 1. p. 3. dist. 34
Solertia quæ sit, lib. 1. p. 3. dist. 38
Solicitudo pars prudentiæ, lib. 1. p. 3. dist. 41
Sacrificij consideratio, lib. 1. p. 3. dist. 64
Sententiæ prolatio, lib. 2. p. 2. dist. 10
Sententiæ executio, lib. 2. p. 2. dist. 11
Silentium discutitur, lib. 3. p. 1. dist. 4
Sensuum custodia, lib. 3. p. 1. dist. 5

Superbia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Superbia quid ſit, libro tertio, parte tertia. *diſt.1*
Superbię gradus, ibidem. *diſt.2*
Singularitas, quæ ſit, libro tertio, parte tertia. *diſt.6*
Scandalum quid ſit, libro tertio, parte tertia. *diſt.17*
Sacrilegium locale quale ſit, libro tertio, parte tertia. *diſt.21*
Sacrilegium reale quod ſit, ibidem. *diſt.21*
Superſtitio quæ ſit, libro tertio, parte tertia. *diſt.27*
Superſtitiones obſeruantiarum, libro tertio, parte tertia, *diſt.18*
Sciſma an ſit peccatum ſpirituale, libro tertio, parte tertia.
Suſurratio quæ ſit, libro tertio, parte quarta. *diſt.4*
Seuitia filia iræ, libro tertio, parte quinta.
Sollicitudo quid ſit, libro tertio, parte ſeptima. *diſt.3*
Symonia quomodo committatur, libro tertio, parte 7. *diſt. 14*
Symoniaci pœna quanta ſit, libro eodem, parte eadem. *diſt.15*
Symoniæ crimen quam deteſtandum ſit, ibidem. *diſt.16*
Symonię ſpecies quæ ſint, ibidem. *diſt.17*
Satisfactio quæ ſit, libro tertio, parte decima. *diſt.17*

T

Timor & audacia, libro primo, parte prima. *diſt.26*
Timoris obiectum, libro primo, parte prima. *diſt.27*
Timoris cauſa, libro primo, parte prima, *diſt.28*
Timoris effectus, libro primo, parte prima. *diſt.29*
Timor vitium oppoſitum fortitudini, lib.1. parte 3. *diſt.82*
Temperantia quid ſit, libro primo. *diſt.91.*
Temperantiæ partes, libro primo, parte tertia. *diſt.93.& 94*
Temperantię partes potentiales, libro primo, parte 3. *diſt.97*
Tundali viſio quædam, libro ſecundo, parte tertia,
Tactus ſenſus, libro 3. parte prima.
Tentationes quomodo ſuccedant, libro 3.parte 1. *diſt.6*
Tentationum diuerſa genera, lib. eodem.
Tentandi diuerſi modi, lib. 3.parte 1.
Tentationis quadruplex genus, lib. 3. parte 1.
Tentandi occaſio, libro tertio, parte 1. *diſt.7*
Tentationum remedia, ibidem. *diſt.8*
Tentationum vtilitas, ibidem. *diſt.9*
Teſtimonium falſum quod ſit, lib.3.parte 4. *diſt.6*
Tepiditas quid ſit, libro tertio, parte 6. *diſt.4*
Tabernarum frequentatio quando damnata, lib. 3.parte 8. *diſt.3*

V

Virtutes, libro 1 parte 3. *diſt.1*
Virtutis ſubiectum, lib. eodem, parte eadem. *diſt.2*
Virtutum intellectualium diſtinctio, lib. primo, parte 3. *diſt.3*
Virtutum diſtinctio, libro primo, parte 3. *diſt.4.5.6*
Virtutum Cardinalium diſtinctio, lib.1.par.3. *diſt.7*
Virtutes Theologicæ, libro 3.parte 3. *diſt.8*
Virtutum cauſa, libro 1. parte 3. *diſt 9*
Virtutum connexio, libro 1.parte 3. *diſt.10*
Virtutum æqualitas, libro 1. parte 3. *diſt.11*
Virtutum medium, libro 1. parte 3. *diſt.12*
Virtutum duratio, libro 1.parte 3. *diſt.13*
Votum quid ſit, libro 1. parte 3. *diſt. 67*
Vindicatio quando ſit licita, libro 1.parte 3. *diſt 75*
Veritas quid ſit, libro 1.parte 3. *diſt.76*
Virginitas in quo conſiſtat, libro 1.parte 3. *diſt 96*
Verba Domini in paſſione, lib.1.par.4. *diſt.14*
Viſus quid operetur, libro 3.parte 1.
Verbum Dei, libr.3. par.1. *diſt.10*
Viri pœna ex parte corporis, lib.3. parte 3.
Viri & vxoris pœna ex parte animæ, ibid.
Viri pœna ſpecialiter, ibid.
Viri & vxoris pœna ſpecialiter, ibid.
Vanitatis ſtudium, & amor, lib.3.parte 3. *diſt.15*
Veritatis agnitæ impugnatio, libro 3. parte 3. *diſt.31*
Vaniloquium quid ſit, lib.3. par.6. *diſt.7*
Vſura quando committatur, lib.3. par.7. *diſt.11*
Virginitas excellentiſſima in genere caſtitatis, lib.3.parte 10. *diſt.39*

Z

Zelus multipliciter accipitur, lib.1.parte 1. *diſt.34*

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

KLOTZ, REINHOLD – Handwörterbuch der lateinischen Sprache

Graz 1963. Unveränderter Nachdruck des 6. Abdruckes der 3. Auflage Braunschweig 1879. 2 Bände, 3562 Seiten, 8°, Ganzleinen.

Das Werk ist weniger umfangreich als GEORGES, enthält aber reichlichere Quellenangaben und mehr Stichwörter, wodurch es vor FREUND und GEORGES sowie dem französischen Wörterbuch von GAFFIOT bei weitem den Vorzug verdient.

[Lic. Dr. J. H. BAUER, Bibliothekar der Theologischen Fakultät der Univ. Graz]

STEPHANUS, HENRICUS – Thesaurus Graecae Linguae

Graz 1954. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Paris 1865 in der Bearbeitung von C. B. Hase, W. u. L. Dindorf u. a., 10744 Seiten, gr. 8°, 8 Teile in 9 Bänden, Ganzleinen.

1572 brachte Stephanus nach 12jähriger rastloser Arbeit den Thesaurus in 5 Foliobänden heraus. Diese erste Ausgabe blieb 3 Jahrhunderte unerreicht. Erst 1831 unternahm der Drucker und Verleger Ambroise Firmin Didot (1790-1876), selbst ein hervorragender Hellenist, eine Neubearbeitung, an der er die namhaftesten Gelehrten seiner Zeit mitwirken ließ. Nach 34 Jahren ununterbrochener Tätigkeit lag 1865 das Gesamtwerk in 8 Teilen (9 Foliobänden) vor.

WATTENBACH, WILHELM – Das Schriftwesen im Mittelalter

Graz 1958. Unveränderter Nachdruck der 3. vermehrten Auflage Leipzig 1896, 676 Seiten, 8°, 1 Band, Ganzleinen.

Inhalt: Schreibstoffe — Formen der Bücher und Urkunden — Die Schreibgeräte und ihre Anwendung — Weitere Behandlung der Schriftwerke — Die Schreiber — Buchhandel — Bibliotheken und Archive.

... ein Buch, das jetzt in den Händen aller Fachgenossen ist. Die Technik der Schreibkunst hatte WATTENBACH immer beschäftigt, und in Vorlesungen behandelte er die Paläographie als gesonderte Disziplin, was seiner Zeit etwas Neues war. Auch in diesem Fache entwickelte sich WATTENBACH zu einer ersten Autorität. [Deutsche Biographie Bd. 47, Seite 238]

ZEDLER, JOHANN HEINRICH – Großes vollständiges Universallexikon aller Wissenschaften und Künste

Graz 1961-64. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Leipzig und Halle 1732-1750 und der 1751-1754 erschienenen Supplementbände von G. Ludovici; insgesamt 68 Bände, Lexikonformat, ca. 67 000 Seiten, Ganzleinen.

Johann Heinrich Zedler's großes vollständiges Universal-Lexikon stellt noch heute eine der verläßlichsten Säulen im Katalog-, Auskunfts- und Dokumentationsdienst jeder wissenschaftlichen Bibliothek dar. Sobald es sich um Personen, historische Ereignisse oder geistesgeschichtliche Abläufe handelt, ist der alte "Zedler" unersetzlich. Moderne Lexika bringen hievon bei der mittlerweile gewaltig angewachsenen Fülle des Stoffes begreiflicherweise nur eine kleine, stark gekürzte Auswahl.

[Staatsbibliothekar Dr. Hugo Alker, Universitätsbibliothek Wien]

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ / AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

WEITERE EINSCHLÄGIGE WERKE

DU CANGE (CHARLES DU FRESNE SIEUR DU CANGE) – Glossarium ad Scriptores Mediae et Infimae Graecitatis

Graz 1958. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Lyon 1688, 1280 Seiten, 4°, 2 Bände ausgebunden in 1 Band, Ganzleinen.

... Du Cange, one of the lay members of the great 17th century group of French critics and scholars who laid the foundation of modern historical criticism ... Of his numerous works the most important are the Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis and the Glossarium ad scriptores mediae et infimae Graecitatis, which are indispensable aids of the student of the history and literature of the middle ages. [Encyclopaedia Britannica 1947, 7/704]

DU CANGE (CHARLES DU FRESNE SIEUR DU CANGE) – Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis

Graz 1954. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Paris 1883-87,
6074 Seiten, 8°, 10 Teile in 5 Bänden, Ganzleinen.

Charles Du Fresne Sieur DU CANGE (1610-1668) hat sich durch dieses monumentale Werk der Lexikographie unsterblich gemacht. Die erste Ausgabe erschien 1678 und wurde im Laufe der nächsten zwei Jahrhunderte von Dom Carpentier, Henschel, Favre u. a. bearbeitet. In der gegenwärtigen Fassung lag das Glossarium 1887 vor. Es ist für die Kenntnis der Geschichte und der Sprache des Mittelalters, sowie auch der alten Einrichtungen der lateinischen Völker des Abendlandes von unschätzbarem Wert.

GOTTLIEB, THEODOR – Über mittelalterliche Bibliotheken

Graz 1955. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Leipzig 1890, 532 Seiten, 8°, 1 Band, Ganzleinen.

... Dieses bereits 1890 erschienene Werk stellt einen Führer zu den Quellen der mittelalterlichen Bibliotheken dar; es ist bisher durch kein neueres Werk ersetzt und daher für bibliotheksgeschichtliche Spezialforschungen über das Mittelalter auch heute noch unentbehrlich ...
[Prof. JORIS VORSTIUS, Humboldt-Universität Berlin]

DENIFLE, HEINRICH - Die Entstehung der Universitäten des Mittelalters bis 1400

Graz 1956. Unveränderter Nachdruck der Ausgabe Berlin 1885, 864 Seiten, 8°, 1 Band, Ganzleinen

INHALTSANGABE:

Bezeichnung und Begriff der mittelalterlichen Universität
Entstehung und Entwicklung der beiden ältesten Universitäten (Paris und Bologna)
Entstehung und Entwicklung der übrigen Hochschulen Europas bis 1400
Die Universitäten in ihrem Verhältnis zu den früheren Schulen
Ursache der Entstehung der mittelalterlichen Hochschulen

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ / AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf